UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P.Fr. Lvdovici Granatensis Ordinis S. Dominici SS. Theologiæ Professoris Opera

In tres tomos distributa

Opvscvla Spiritvalia Continens, in quibus peccatores à semita vitiorum & perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis, ac salutis æternæ viam, perducuntur

Luis <de Granada>

Coloniae Agrippinae, 1626

urn:nbn:de:hbz:466:1-79597

Visual Library

Th. 597a.

J. XIII
25.

R. P. Fr.

LVDOVICI

GRANATENSIS,

ORDINIS S. DOMINICI,

SS. THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

OPERVM TOMVS III.

OPVSCVLA SPIRITVALIA CONTINENS,
in quibus peccatores à semita vitiorum & perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis,
ac salutis æternæ viam,
perducuntur.

HISPANO OLIM IDIOMATE AB
Auctore conscripta, Latinitate verò à Michaële ab Isselt
Amorfortio potissimum donata.

CVM TRIPLICI INDICE, LIBRORVM ET
Capitum scilicet, Sacræ Scripturæ, ac rerum
& verborum copiosissimo.

Collegii Soc.tis Jesu Paderborna 1674. donat. R. P. Wilhelmi Osberg



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
In officina Quenteliana
Apud IOANNEM KREPS

ANNO M. DC. XXVI

MICHAEL AB ISSELT AMORFORTIVS INTERPRES, PIO LECTORI.

HOminem, diuinum alioquin animal, Christiane Lector, non ab æterno fuisse, sed à Deo creatum in tempore, idque non frustra, sed in certum & præscriptum aliquem finem, non tantùm Christianorum, sed & Ethnicorum Philosophorum est sententia. Id non tantùm in homine, sed & in cæteris creaturis omnibus adeò verum est, vt ne minimum quidem animalculum, quantumuis abiectum, quantumuis noxium aut venenosum sit, quod non alicuius rei gratia conditum est. Quam legem non modò natura, sed & naturæ imitatrix ars in omnibus solet obseruare: nemo enim ædificat, nemo terram colit, nemo bellum gerit, nisi finem aliquem habeat sibi propositum, quem finem quidquid non assequitur, id frustra fieri, vel esse dicitur: frustra namq; fit vestis, si non induatur, & domus, nisi quis eam inhabitet. Eodem planè modo & homo is frustra conditus est, qui finem suum non pertingit. Natura quidem comparatum est, vt, quemadmodum materia prima, quia est in potentia ad omnes formas, semper appetit, (ideo namque perniciem machinare dicitur formæ, quam habet, vt eam assequatur quam non habet) ita cor hominis, quia omnium bonorum capax est, semper ad ea quę non habet inhiet & aspiret, semperque odio præsentium, & cupiditate futurorum laboret, quasi in ipsis, quib. iacet immersum, tenebris præsentiscens aliquem finem, ad quem tendit: quò quamdiu non peruenerit, quiescere non potest. Cęterùm dum alij quietem hanc in virtutum cognitione, vt Socrates; alij in diuitijs, vt Heraclitus & Aristides; quidam in nobilitate generis, vt Themistocles; quidam in longa posteritate, vt Sophocles; nonnulli in honoribus, vt Antisthenes; cęteri in voluptatibus & carnis huius illecebris, vt Epicurus cum suo grege, constituant; finem aliquem vltimum hominis esse crediderunt, quem indefesso studio vt assequerentur laborauerunt. Horum singulos, si diligenter hominum studia velimus examinare, multos, etiam hoc nostro tempore discipulos habere diceremus. Sed dum his rebus, etiam cùm perfectissimè habentur, & copiosissimè possidentur, anima cuius sinus vt nobilissimus, ita capacissimus est, satiari nequeat, laborant infelices illi semper: nunquam ad quietem, nunquam ad finem suum perueniunt, frustra sunt, frustra laborant, & duplici contritione conterentur, dum in hac vita curis ac solicitudinibus rerum inutilium seipsos torqueant, & quasi enecent, atque in futura maioribus tormentis exagitabuntur: ita vt de his non immeritò dici queat, quod de filio perditionis olim dixit Seruator *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Matth. 26.

Est igitur hominis finis, etiam Aristotele consentiente, bonum, ipsumque optimũ, quod propter semetipsum petitur, & cætera omnia propter illud, quod Lib. 1 Eth. cap. 2. 5 7.

facilè auferri nequit, quod perfectum est, sufficiens, & nullius rei indigens. Quę proprietates cùm nulli rei creatæ competant, quid reliquum est, nisi finem hominis esse Ens aliquod increatum, cui hæc omnia, quę diximus, possunt attribui, quale non est, præter vnum Deum, qui expetendus & diligendus est per se, cæteraque omnia propter illum; qui bonus, idemque optimus, perfectissimus; & sufficientissimus; qui nullius eget, atque omnia est in omnibus; qui est quidquid ab hominibus honestè desideratur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona, vt inquit S. Augustinus? Ad hunc finem creati sumus omnes, & quicunque ad hunc finem non peruenerit, is frustra creatus esse non immeritò dici potest: quæ enim vtilitas in sanguine hominis, dum descendit in corruptionem? Qui itaque omnia creauit propter nos, etiam nos creauit propter semetipsum. Duas enim creaturas ad diuinæ felicitatis participationem condidit, rationalem videlicet, atque intellectualem, hoc est, hominem & Angelum. Quia verò partim operibus suis, partim diuina gratia felicitatem erant consecuturi, Angelis quidem breuem morulam concessit, vt sponte sua se diuino obsequio manciparent; hominibus verò, qui natura vertibiles erant, longiùs ad hoc spatium, nempè vitam hanc, quæ degitur in terris, contulit: vt hîc varijs virtutibus, laboribus & pressuris exculti, atque præparati, in cælesti illa domo, quæ viuis ex lapidibus ædificatur, suis in locis collocarentur, diuinæ pulchritudinis visione perpetuò fruituri.

Lib. 22. de ciuit. Dei.

Psalm. 29.

Huius verò diuinæ destinationis, ita multi adeò ignari sunt, vtsic vitam instituant, sic in terra radices iaciant, & in ea curas omnes & cogitationes suas defigãt quasi ad hanc solùm vitam nati & facti essent; finis ad quem conditi sunt planè obliti; atq; ita perierint: nonnulli, quia finem hunc non agnouerunt, vt qui ab orbe condito, Patriarchis illis veteribus, & gente Iudaica exceptis, vsque ad Christi aduentum in terris vixerunt: alij, quia vera ad finem media non obseruârunt, vt ij, qui post Christi aduentum lumine fidei quidem illustrati, per omnia vitiorum genera defluentes, in fine reprobati sunt.

Si quis hæc diligenter consideret, facili negotio intelliget, quantò semper fuerit maius regnum Diaboli, regno Dei, quantò populosior ciuitas Babylon, ciuitate Hierusalem, quantò copiosior numerus reproborum numero electorum: vt meritò dictum sit à Christo: Multos vocatos, paucos electos: hoc est, multos ad beatum finem conditos, paucos verò finem hunc assecutos. Vt enim omittam Veteris Testamenti homines, cùm vniuersus penè terrarum orbis (nisi quòd in sola Iudęa notus esset Dominus) densissimis in tenebris plus quã annorum millibus quatuor sepultus iacebat; vt nihil statuam de his qui tot retro seculis ante nos fuere in nouo testamento, quibus aut lumen Euangelij non illuxit, aut qui Euangelio non obedierunt; de nostri seculi hominibus quid dicemus? quo tota penè Asia & Africa, nec non & partes illę mundi quæ ad vtrumque polum vergunt, à Turcis, Idololatris, Atheis & Schismaticis habitantur, in Europa, Hispania quidem & Italia, marisque mediterranei quædam insulæ, etsi Christianos habeant ab hæreticis immunes, cęteræque prouinciæ non paucos prodigiosarum opinionum hæreticis permixtos, etiam ij, qui Christi nomine insigniti sunt, ita viuunt, vt eorum multi rem & dignitatem eius nominis parum fideliter tueãtur: vt enim illi omnes in ipso fine, sic hi in medijs, quę ad finem nos perducunt, turpiter hallucinantur, nec ad id perueniunt, ad quod conditi sunt.

Matth. 22.

Psalm. 73.

O rem omni commiseratione dignam. Perit homo, substantia nobilissima, Deoque simillima, imaginem habens sui Creatoris, quis eius non miserebitur? Ne id fieret, Vnigenitus Dei Filius è summo cœlo descendit in hanc lachrymarum vallem, visibilem formam induens, factus nobis via, veritas & vita; ad quam beatitudinem creati essemus docens, quibus virtutibus ad eam peruenitur suo nobis exemplo demonstrans; robur & auxilium nobis in Sacramentis nouæ legis reliquens; à tyrannide peccati, carnis, atque diaboli nos suo sanguine redimens;

mens; Ecclesiam, tanquam Rempub. optimè formatam, instituens, eam immaculata sua lege muniens, in ea Monarcham visibilem vnum & summum, atque sub illo varios Principes, Patriarchas scilicet, Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos varios, animarumque curiones infinitos creans, quibus Rempub. hanc dedit administrandam, vt vigilarent super populo sibi credito, cùm commination e, Ezech. 3. se, si quæ anima periret, eam ab illorum manibus repetiturum. Tanti fecit Deus hominem, vt qui dignitatem sui plasmatis optimè nouerat. Tanti fecerunt eundem hominem, quos in primitiua Ecclesia nouello Christianorum populo præ- Actor. 20. fecerat Spiritus sanctus, attendentes vniuerso gregi, quem Christus acquisiuerat Hebr. 3. suo sanguine, tanquam rationem reddituri pro animabus eorum, monentes vnumquemque cum lachrymis, potẽtes exhortari in doctrina sana, & eos qui cõ- Tit. 1. tradicebant arguentes, tanquam rationales canes, ferales lupos à Dominicarum ouium grege arcentes, illasque tanquam matres fouentes atque nutrientes, nunc lactis, nunc cibi solidi, prout eorum profectibus congruebat, animarum alimoniam tribuebant ijs, quos Christo, & in Christo genuerant, nunc instigabant ad prælium, nunc certaminibus locum dare docebant, præmonebant de periculis, futura prædicebant, quandoque læta, aliquando tristia illis prædicabant. Gaudebant cum gaudentibus, flebant cum flentibus, eorum vox erat: *Quis infirmatur, &* 2. Cor. 11. *ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Operabatur hoc vtique in illis charitas, quæ non quærit quæ sua sunt, sed condolet ex corde, docet ex corde, laborat ex corde. Tanti prisci illi Patres salutem hominum fecere, ne quis eorum periret, ne à fine suo aberraret. Et certè laboribus eorum respondit effectus, & fructus in Ecclesia copiosissimus. Nõ enim infructuosum esse poterat, quod sancta charitas operabatur. Accẽdebatur plebs fidelium eorum orationibus & verbis ad fugam vitiorum, ad contemptum seculi, ad virtutum studia, ad tolerãtiam tribulationum, ad tentationum certamen, ad dilectionem proximi, ad cognitionem sui, & ad capessendam felicitatem ciuium supernorum.

Erant planè tunc felicia tempora, quamuis persecutionibus varijs agitata, in quibus feruebat charitas, seruorum Christi complẽs præcordia. Inerat ardor martyrij, & zelus fidei, vigebat fraterna æmulatio & proficiendi amor, contemnebatur mundus amore cælestium, fulgebat virtutum perfectio, & bonorum omniũ spiritualiũ exuberabat cumulus. Erat tunc Ecclesia Christi florida, decora in membris, in charismatibus copiosa, deaurata veste induta, quam mira varietas virtutũ venustabat. Quandam boni odoris redolentiam de vestimentis suis emittebat, quæ vniuersos suauitate incredibili replebat. Erat Christi bonus odor in omni loco ad Dei gloriã. Eius fragrantia in solitudinibus, in montibus, in speluncis, in cauernis terræ, in ciuitatibus, in castris, in ecclesijs, in priuatis ędibus manifestè sentiebatur. Erat sanctimonia vitę tam celebris, vt puritatis internæ, immaculati thori, contemplationis mundæ, orationis ignitæ, vigiliarum assiduarum, lachrymarumque humilium, & virtutum cæterarum velut nemus quoddam fertile, & omnium aromatum viridarium iucundissimum dici potuerit, in quod ingiter Sponsus descendebat, vt videret poma conuallium, si mala punica floruissent.

Talis in iuuentute sua quondam fuit mater nostra Ecclesia. Nunc verò, quę olim auro coccoque bis tincto vestiebatur, lugubrem vestem induit, & in pluribus membris suis immutata, pro suaui odore fœtorem, pro zona funiculum, pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium assumpsit. Filiorum est aucta numero, & de pauperata virtute. Extendit palmites suos à mari ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarũ suas dilatauit propagines, sed à proprio & naturali suo decore planè degenerauit: Charitas refrixit, malitia & iniquitas inundauerunt. Quàm rari enim inter Christianos sunt, qui diuina mandata custodiunt? Ecclesiæ sanctiones seruant? contenti sunt proprijs? aliena non rapiunt? Vbiq; adulteria perpetrantur, fiunt stupra, sacrilegia, homicidia, rapinæ, furta, deceptiones, & his similia. Sed quid hæc refero, cùm diuini nominis reuerentia sic omninò neglecta esse videatur, vt sanctus existimetur, qui Deum, Sanctos, cæle-

stemque non blasphemat curiam? Nihil tam frequens in ore hominum, quàm mendacia, periuria, detractiones, vaniloquia, impudicaque verba, quæ incompositæ mentis indicia notissima sunt. Quòd si quis tam incontinentis vitæ causam inquirat, non inueniet aliam, quàm quod in Deum non credunt, eum non ti-
Osc. 4. ment, eiusque iudicium non reformidant. Quod autem omnium maximè deplorandum est, sicut populus, sic & sacerdos est. Declinauerunt enim omnes status Ecclesiæ, denigratum est aurum eius, sal euanuit, & dispersi sunt lapides sanctuarij in medio omnium platearum: quidam enim alienati sunt ab vtero matris suæ, & loquuntur falsa, alij abierunt retrorsum carnis desideria sectantes, amantes seipsos, temporalia lucra quærentes, honorum cupidi, superbi, iracundi, vinolenti, luxuriosi, percussores. Quæ mala vigent nedum in inferioribus, verùm etiam in mediocribus & sublimioribus Ecclesiasticorum gradibus: ita vt sanum nihil, sed vniuersa morbida esse & confusa videantur.

Esa. 1. Et sanè sicut Sodoma & Gomorrha essemus, nisi Dominus Sabaoth nobis reliquisset semen: semen inquam primitiuæ illius Ecclesiæ, hoc est, viros scientia & pietate illustres, quorum doctrina Ecclesia fulget adhuc in quibusdam, licet exiguis membris, sicut Sol & Luna; qui & viua voce, & scriptis suis ad iustitiam erudiunt multos. Etsi enim vinea, quam plantauit Dominus, pro vuis labruscas
Luc. 3. proferat, non tamen omninò deserit eam Deus, sed mittit in eam operarios, fodit circa ficum suam, & mittit stercora, sperans quod tandem fructum faciet. Tales operarij quàm plurimi reperiuntur, adhuc in omni statu & ordine Ecclesiastico, quorum alij catechizando, alij exhortando & increpando, alij docendo & disputando, alij denique scribendo maximos in Ecclesia, fructus faciunt. Id verum esse, vel in vna congregatione Patrum Societatis IESV comprobatur, quæ paucis abhinc annis ab vno Ignatio Loyola cæpta, in omnem mundi plagam noua emisit examina, Orientemque & Occidentem Euangelij luce illustrauit.

Quid Franciscani, & vt alios Ordines præteream, quid Dominicani annis iam 350. & amplius in Ecclesia præstiterint, & adhuc non in orbe nobis tantùm cognito, sed & in ignotis vtriusque Indiæ regionibus præstant, quis dicere posset, nisi de his Antonius Senensis, & de illis octauius Gonzaga, Generalis Ordinis istius Minister, peculiares libros edidissent? Multos insignes ætatis nostræ viros commemorare possem, qui ex laudatissima Dominicanorum familia prodierunt, qui in vtraque, & scholastica, & ecclesiastica Theologia ad miraculum docti, dum viuerent, assiduis concionibus, & post mortem scriptis ac monumentis suis in Christiana Repub. fructus incomparabiles fecerunt, sed vnus LVDOVICVS GRANATENSIS sufficiat, humanarum artium peritissimus, Philosophus insignis, Theologus profundus, & Ecclesiastes in vtraque lingua, Latina non minùs, quàm patria facundissimus. dici non potest, quos ille dum vixit prædicando scribendoque labores annis plus minus 60. exantlauit: quàm verò docta, quàm diserta, quàm pia sint quæcunque ex illius pectore promanârunt, iudicare possunt, qui viuam eius vocem, dum viueret audierunt, quique; post mortem illum in libris, quos ad posteritatem transmisit, adhuc quotidie concionantem audiunt. Quot autem ex concionibus & scriptis eius profecerunt, quot ille filios Christo genuit, Gregorius XIII. Pont. Max. in sua ad illum epistola diserte, licet obiter, commemorat. Qualis autem ipse in vita & moribus fuerit, ex ijsdem eius codicibus melius, quàm ex aliorum relatu cognitum esse non dubito. Laudantur sculptores & pictores, quorum archetypi ijs, à quibus deducti sunt, per omnia quadrant: id causæ fuit cur Alexander Rex ab vno Apelle pingi, & fingi à solo Lysippo voluerit: sed qui corporis membra, lineamenta, coloresque suis imaginibus referunt, mores & actus referre non possunt. At neque alienæ vitæ scriptores ita suâ oratione, vt illi ipsi, de quibus scribitur, suis verbis se ostendunt. Non enim alterius, sed sua ipsius loquela vnumquemque manifestum facit. Cernere itaque cuique licet ex Ludouici libris, qualis ei animus fuerit: diuinus scilicet, sancti Spiritus calore fotus, eiusque lumine illustratus: absque igne

siquidem

siquidem semper ardere, & sine Deo de Deo loqui, est impossibile. mellita sunt eius eloquia, verba eius ardentia, & sermones excelsi, quos suis istis diuinis operibus sparsit. De conuersione peccatoris, de sacramentis Pœnitentiæ atquè Eucharistiæ, de nouitate vitæ, & pia conuersatione, de oratione & meditatione, de deuotione, de ieiunio & eleemosyna, de incarnatione Verbi, de beneficijs diuinis, de amore Dei & perfectione vitæ Christianæ adeò catholicè, piè, spiritualiter & sapienter loquitur, vt ingenio se plus quàm humano præditum fuisse manifestè satis ostendat.

Vidit pientissimus hic Pater quàm multi homines à scopo & fine suo, ad quẽ conditi sunt, aberrarent: vidit quàm turpiter esset facies Ecclesiæ deformata: vidit quàm multi à Christo Christiani dicerentur. Christum verò in vita & moribus non imitarentur. Huic malo vt occurreret, nullusque huius vitæ ignorantiam in posterum prætenderet, scripsit diuina hæc Opuscula: in quibus hominem, à primis Christianæ disciplinę rudimentis incipiens, per diuersos pietatis gradus ad culmen & fastigium vitæ perfectionis, & ad finem atq; beatitudinem, quæ in hac via potest haberi, quam & illa cælestis excipit, inoffenso pede adducit, vt perfectum formet faciatque Christianum. Quod illius institutum quis nõ laudabit? præsertim hoc tempore, in quo infiniti penè homines reperiuntur, qui in nomine tantùm, quòd Christiani dicuntur, gloriantur, cùm Christianæ conuersationis ne mica quidem in ipsis inueniatur? ignorantes quod ob hoc etiam (vt ait Augustinus) iudicabuntur, si nomen sibi frustra vendicent alienum: subsannator enim & irrisor est Christi, non famulus, qui eius se seruum dicit, cui seruire non vult: cuiusmodi homines non Christi tantum nomine indignos, sed & bestijs atque Dæmonibus peiores esse, pulcherrimè demonstrat quodam loco B. Chrysostomus.

In libro de vita Christiana.

Hom. 4. operis imperfecti in Matth.

Me vt ingenuè fatear, ad Viri huius lucubrationes, Latinitate donandas assiduę amicorum preces, vtilitas materiæ, & fructus, quos ex earũ lectione in Christianam passim Remp. promanare intelligebam, permouerunt. Noui enim, & quondam mihi familiares fuerunt, qui sola Memorialis vitæ Christianæ lectione ex vita dissolutissima, ad optimam frugem conuersi, nihil aliud nunc, quàm vitæ perfectionem meditantur. Huius Auctoris Opusculis adeò, dum viueret, delectatus est Illustrissimus Dux Albanus, vt suis sumptibus illa in Belgio, idiomate suo natiuo, imprimi fecerit, exemplariaque inter amicos & aulicos distribuerit.

Translatis igitur opusculis omnibus, quæ Granatensis noster idiomate Hispanico scripsit, vtilissimis & absolutissimis si non ea facilitate, gratiaque trànstulerim viribus ingenij mei tenuioris, non voluntati adscribendum est.

Accipe igitur, Christiane Lector serena fronte munusculum hoc, accipe opuscula verè pia: & à negotijs & curis liber & vacuus illa lege; sæpius & relege: atque ita cum delectatione simul vtilitatem senties in anima tua inæstimabilem, Deo, cui proprium est omni plantationi incrementum dare, iuuante, & pijs tuis conatibus sua gratia aspirante.

DE VITA SCRIPTISQ.

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS, ORD. S. DOMINICI THEOLOGI,

IOAN. MARIETAE EIVSDEM ORDINIS Religiosi narratio, ex Hisp. Latinè reddita.

Ex opere de Sanctis, clarisque Hispaniæ viris.

ANTE mortem ne laudes hominem quenquam, quoniam in filijs suis, cognoscitur vir *ait Sapiens Sirach Eccli. 11. vers. 30. Adiecit rationem, quia* ex filijs, *hoc est, operibus bonis* cognoscetur *Salomon quoque Ecclesiaste cap. 4. vers. 2.* Laudaui, *inquit* magis mortuos quam viuentes: *Nam à morte periculo carent inanis gloriæ ac superbiæ. Et pugnæ defuncti sunt periculis, partaque victoria, iure laudantur. In homine adeo docto, optimeq; morato, qualis fuit* Frat. Ludouicus Granatensis *laudes queam accumulari, vt non ducatur superbia aut inanis gloria: quandoquidem cum Greg. XIII. Pont. Max. diplomate missos honestarit, scriptaq; laudarit, humilis nihilominus permansit, Deo omnia, à quo fonte omnia promanant, sua transscribente. Eius hic vitam breuiter exponam, quæq; litterarum mandauit monumentis ad Dei gloriam, & bonam sui ordinis, & Prædicatorum odorem bonum existimationemq;. Multos enim scriptis suis cælo lucrifecit, poteratq; ordinem nostrum sæculis aliquot illustrare.*

Patria illi Granata *fuit Regni in Hispania caput, Parentes non opulenti sed populares, honesti & Christiani, ritus antiqui. Nascitur anno à partu Virginis quingentesimo supra millesimum & quarto: quo etiam anno in lucem prodijt sanctissimus Papa Pius V. sedente Romæ Iulio II. Pont. & in Hispania regnante Ferdinando eius nominis V. & Isabella Regina Regibus Catholicis, cum iam recens Mauris Granatam vrbem armis eripuissent. In Grammaticis Latinaq; lingua instituendum parentes curarunt, quantum satis esset vt religionis septa ingrederetur. Cum per ætatem licuit adscribi rogauit Sancti Dominici familiæ in Cœnobio Sanctæ Crucis Granatæ, vbi & sumpto Religioso habitu post etiam professus est. Philosophiæ hinc operam dedit, veq; in Scholastica ac Positiua, vt vulgò vocant. Theologia emineret collegam S. Gregorij Valisoleti nominant, vbi in Philosophia ac Theologia, & S. Scripturæ lectione multum profecit; Sanctos Patres assiduo legendo, & Concilia Oecumenica, Philosophos ac Metaphysicos, deuorans omnia quæ post eructaret, & escæ loco alijs præberet, suis scriptis pijs Opusculis, concionibus, & vsu familiari. Curriculo hic studiorum decurso Granatam reuertitur, hæsitque in patria ad annum vsque eius sæculi tricesimũ quartũ, cùm ad S. Paulum Cordubæ peruenit ordinis M. Ioan. Fenerius, qui mandat vt monasterium Dominicanorum Scalæ Cœli Cordubæ vicinum, vno inde lapide dißitum instauraret: quod fundarat sanctus Aluarus: cumq; loci situs insalubris esset à monachisque desertus, qui ad cœnobium nouũ sanctorum Martyrum Cordubensium Ciselæ & Victoriæ sese receperant: Vtilis sane hæc instauratio ad cœnobij bona tuenda, ac spiritus profectum. In hac enim solitudine & rupibus alter velut Bernardus Clarævallæ Abbas, libros conscripsit orbi vtilißimos,* De Oratione, Meditatione, & Contemplatione. *Postea auctoritate generalis Magistri Alberti Casæ in Lusitaniam Ludouicus mittitur ad reformandum cœnobia. Vbi Prouincialis electus Præpositus, quam rexit ingenti fructu religionis quandiu hoc munus sustinuit. Quo etiam deposito in Olyssiponensi monasterio Sancti Dominici mansit, hæsitque perpetuo. Magna verò opinione sanctitatis & auctoritatis ibi fuit apud Reges, Ioannem III. & Catharinam coniugem: Sebastianum quoque, & Principem Henricum, Eborensem Archiepiscopum, Cardinalem, & apud Dynastas ceteros Lusitaniæ. Ait vero per Danielem Prophetam Deus:* Qui ad iustitiam eruditi, quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt. *Quare in hoc regno splendescere nomen eius, radiosq; per vniuersum diffundere doctrina ipsius cæpit: & non modo in Portugallia, omniq; adeo Hispania, verumetiam toto terrarum orbe, regiones penetrans, regna, ac maria, quo scripta peruenerunt. Ob vtilitatem verò doctrinæ libri sunt ex Hispano sermone, conuersi statim in linguas peregrinas, Latinam, Italicam, Gallicam, & Anglicanam. Quin & de* Oratione *liber in Turcicam. Etsi vero conniter verbis vtilitatem librorum consequi, quod volo non assequar Gregorius certe XIII. Pont. Max. id præstitit, remque exaggerat Apostolico diplomate misso, approbans quæ ad eum diem scripsisset: adhæc hortando vt cetera in lucem proferret quæ meditata haberet. Eius hic exemplum apposui.*

Daniel 12, vers. 3.

GREGORIVS PAPA XIII. DILECTO FILIO ALOISIO Granatensi ordinis Prædicatorum.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Diuturnus atque assiduus labor tuus, in hominibus tum à vitijs deterrendis, tum ad vitæ perfectionem vocandis, fuit semper nobis gratissimus: iis vero ipsis, qui suæ cœterorũq; salutis, & Dei gloriæ desiderio tenentur, fructuosissimus, iucundissimusq;. Multas olim conciones habuisti, libros præstanti doctrina & pietate refertos edidisti: idẽ quotidie facis, nec vmquã cessas præsens atq; absens quam plurimos potes Christo acquirere. Gaudemus isto, tum aliorum, tum tuijpsius tam præstanti bono & fructu.

Quod

Quod enim ex concionibus scriptisque tuis profecerunt (profecisse autem permultos, quotidieque proficere certum est) totidem Christo filios genuisti, longeque illos maiori beneficio affecisti, quam si cœcis aspectum, aut mortuis à Deo vitam impetrasses. Præstat enim multo sempiternam illam lucem & vitam beatissimam (quoad mortalibus datum est) nosse, & piè sancteq; viuentem ad eam aspirare, quàm mortali hac vita & luce frui, omni cum terrenarum rerum affluentia & voluptate: tibi verò ipsi quàm multas à Deo coronas comparasti, dum omni cum charitate in eo studio versaris quod constat esse longè maximum. Perge igitur, vt facis, in istam curam toto pectore incumbere, quæque habes inchoata (habere enim te nonnulla accepimus) perficere & proferre ad ægrorum salutem, debilium confirmationem, valentium & robustorum lætitiam, ad vtriusque tum militantis, tum triumphantis Ecclesiæ gloriam. Datum Romæ apud S. Marcum, sub annulo piscatoris, die XXI. Iul. M.D. LXXXII. Pontificatus nostri an. XI.

Ant. Buccipadulius.

Successit in Apostolica sede Gregorio Sixtus V. ordinis Minorum, cognita scriptorum Ludouici Granatensis *vtilitate in Republ. Christiana, galero purpureo honorare eius doctrinam voluit, cùm creãdi iam Cardinales essent. Quod eius votum Michael Bonnelus Alexandrinus Cardinalis ad Ludouicum perscripsit: Hic litteris assiduo datis est obtestatus, & ne Cardinalis crearetur effecit. Deo potissimum precibus rem commendans, impetrauitque ne nouum vitæ genus sectari cogeretur.*

Multa hinc ab eo literis mandata cum Latinè, tum Hispanicè, & quidem sermone diserto: quædam etiam de Latinis Hispanicè transtulit, vt in vulgi manibus essent & legentibus vtilia, quorum hic catalogũ texui. Latinè autem conscripsit Conciones seu Sermones de tempore *à prima Dominica Aduentus vsq; ad cineres: quem primum Tomum dedicat Illustrissimo Cardinali ac Principi Lusitaniæ Henrico, Eborensi Archiepiscopo: hoc principio:* Quicumque vigilias suas, *&c. Quinque ad hæc* Sermones de pœnitentia, *habitos in Quadragenario ieiunio post meridiem, hoc initio:* Has quinque pœnitentiæ Conciones, *&c. Alter Tomus Concionum de tempore est à Cinerum die vsq; ad Pascha: quod opus Bernardo Fresnedæ ordinis Minorum, Episc. Cordubensi nuncupauit, sic præfatus:* Eam esse in beneficiorum collatione. *Tertius Tomus à Paschate Resurrectionis vsque ad Corporis Christi festum Sermones continet, ad Carolum Boromæum S. R. E. Cardinalem, & Mediolanensium Archiepiscopum, post sanctorum innumerum à Paulo V. relatum, nostra memoria: Sic autem incipit:* Ea est, Reuerendissime atque Illustrissime Cardinalis, *&c. Hinc variæ sententiæ collectæ de oratione, meditatione, & contemplatione hoc tomo includuntur, tali auspicans exordio:* Cum hisce diebus, amice lector. *Quartus Tomus Sermonum de tempore cõtinet, à Dominica post Trinitatem vsque ad Aduentum, ad Ioannem Riberam, Valentinum Archiepiscopum & Antiochiæ Patriarcham, sic vero initium ducit.* Mitto ad te, Præsul obseruandissime. *Est &* Sylua locorum è S. Scripturæ locis, & S. Patribus, *quatuor diuisa libellis ad Gregorium XIII. Pont. Max. quem sic affatur:* Quanta sit dignitas, *&c. Alter tomus sententiarum veterum Philosophorum ex Seneca potissimum & Plutarch. item Apophthegmatum: quæ* Collectanea Philosophorum *inscripsit, hoc initio:* Miraberis fortasse. *Est & Tomus sermonum de Sanctis, à Festo S. Andreæ vsque ad Magdalenæ inscriptus Portugalliæ Principi Henrico S. R. E. Cardinali tit. quatuor Coronatorum, & Eborensis Archiepiscopo; Eius hoc principium:* Cum sint multa Seren Princeps. *Rursum Sermones de Sanctis, à Festo Magdalenæ vsque ad anni finem hoc initio:* Aristotelis sententia est *&c.*

De latino sermone in Hispanum conuertit: Mundi contemptum, *appellans, libellum aureum: Thomæ de Kempis Canonici Regularis.* De imitatione Christi, *Ioannis quoque Climachi* gradus, *seu scalas perfectionum adiectis nonnullis.*

Hispano vero sermone diserte conscripsit quæ nunc referam.

Memoria vitæ Christianæ, *de Officio Christiani hominis, à primo conuersionis anno, dum proficiendo perficiatur. Huius pars prior libris quatuor constat de vita beatè agenda. Alter tomus tribus constat Tractatibus,* de deuotionis exercitijs, & de diuino amore: *quæ Memoriali additionis titulo affixit.*

Item Opus De oratione & meditatione: *vbi de præcipuis fidei mysterijs agitur, tres in partes diuisum. Parte prima de oratione, meditatione. Per hebdomadam. Secunda parte de deuotione, quæque prosunt aut eam impediunt. In tertia sunt tres Tractatus:* De Oratione, Ieiunio & Eleemosyna: *iuxta illud Raphaelis Angeli ad Tobiam, cap. 12. vers. 8* Bona est Oratio, cum ieiunio & eleemosyna. *Hic Tomus nuncupatus Antonio Cordubensi, & Laurentio Figueröæ ordinis Prædicatorum, & postea Segontinorum Episcopo.*

Scripsit & Ducem Peccatorum, *libris duobus: De vitiorum differens fœditate, & de pulchritudine Virtutis, quaque via acquiratur. Incipit proœmium:* Dicite iusto quoniam benè. *Quo in libro, & de quatuor agit nouissimis, ac de fugiendis vitijs.*

Catechismum *adhæc scripsit, de Capitibus fidei Christianæ libris quatuor, opus ingens & eruditum, multæq; lectionis SS. Patrum Symbolum hodie nominãt. Agit primo de mysterijs fidei, mundi nimirũ creatione ac generis humani redemptione, ad Gasparem Quirogam Archiepiscopum Toletanum, Hispaniæ primatem, S. R. E. Cardinalem. Huic Catechismo alterum adiecit Tomũ, quatuor comprehensum libris, ad Albertum Archiducem Austriæ Cardinalem, & Gubernatorem tunc regni ac ditionis Portugaliæ. Reliquit adhæc libros tres:* De doctrina Christiana *è sermone Lusitano postea traductos Hispanice, cum* cõcionibus XIII. Catechisticis, *de B. Virginis laudibus, duodecim anni nõnibus, ac iuuenili, captui aptatis.*

Vitam *quoque Magistri Ioannis Auilæ edidit, de eius virtute ac concionibus.*

Morti vicinus sermonem vltimũ euulgauit, quo alta eius doctrina ac spiritus elucescit, sic vero incipit. Quis infirmatur, & egò nõ infirmor? *Hactenus de editis eius scriptis, adeo vtilibus fidei Catholicæ ac sodalibus suis; Quibus elaborandis maximã vitæ partẽ consumpsit, opere semper exequẽdo quæ scriptis mãdarat,*

darat priusquàm de superiore loco ad populum concionari soleret. Quisquis igitur eius cognoscere vitam auet, eam cognoscet scripta eius euoluendo. Communia sodalium colloquia, tametsi religiosis ad animum relaxandum licita, nunquam adibat, sed cellam, oratorium, ac triclinium tantum frequentabat: hic etiam portione omnium contentus vixit. Cella illi in deliciis ac solatio fuit quæ virtutum est magistra: Vbi assidue legendo libros perutiles, inde sedulæ apis instar mellis fauum componendo, id est necessarias vitæ humanæ promendo sententias, vitæ spatium vtiliter impendit. Sacris operaturus ante Liturgiam ritè se comparabat, recando initio ac meditando: Finito tam sacrificio Missæ in gratijs Dei agendis, pro singulari beneficio temporis quid tribuebat, curam ac solicitudinem de ijs quæ componenda aut scribenda erant, ad sacrarij ostium deponebat, S. Bernardi exemplo, vt sacrificaturus Deo operam daret liberius. Quæque hic impedimento esse possent relegabat. Exempli causa, rem diuinam facturam accessit quidam negotiorum suorum gratia, consilium petiturus. Abire tunc ac redire domum iussit. Cum ille se, dum sacri absolueret mansurum diceret, adhæc ille modestè, secede, ne inter sacrificandum veluti lacuna vestis tractus festinare cogar. Sic hominem dimisit, vt suo rediret tempore: itaque se ad sacrificandum indies comparabat. In cella etsi sine arbitris esset, omnia ordine composita, neque crus cruri imponebat, aut ob nimium æstum cucullum deponebat. Ignarus an cellæ tectum è ligno esset, aut cæmentis constructum. Denique vbique adeo compositus, sibique præsens, quasi coram Deo assistens, aut in Angelorum conspectu, quod res est ageret, vt ipse in scriptis suis faciendum quemque docuit.

Editis tot tantisque scriptis, fidelium vtilitati & consolationi, quartum iam & octogesimum ætatis attigit annum, recusato iam pridem Bracarensi Archiepiscopatu, quem Catharina Lusitaniæ Regina deferebat: immo eius interuentu obtulit Fr. Bartholomæo de Martyribus Ord. Theologo Obijt in monast. S. Dominici Olyssiponensi, vltimo die anni millesimi quingentesimi octogesimi octaui. Sarcophago eius lapideo breue hoc inscriptum epitaphium:

FRATER LVDOVICVS GRANATENSIS
EX PRÆDICATORVM FAMILIA
CVIVS DOCTRINÆ MAIORA EXSTANT MIRACVLA
GREGORII XIII. PONT. MAX. ORACVLO
QVAM SI COECIS ASPECTVM,
MORTVIS VITAM A DEO IMPETRASSET.
PONTIFICIA DIGNITATE SÆPIVS RECVSATA CLARIOR.
MIRA IN DEVM PIETATE ET PAVPERES
MISERICORDIA
INSIGNIVMQ. LIBROR. AC CONCIONVM VARIETATE TOTO ORBE ILLVSTRATO.
ÆTATIS SVÆ ANNO OCTOGESIMO QVARTO
OLYSSIPONE MORITVR PRIDIE KAL. IAN.
AN. M. D. LXXXVIII.
MAGNO REIP. CHRISTIANÆ
RELICTO DESIDERIO.

Ex hoc elogio disces non semel Episcopi recusasse tiaram à Regibus ipsi oblatam. Apud Sebastianum Regem, & Henricum Infantem Cardinalem & Archiepiscopum Eborensem egit diligenter, vt vnà cum Pontificis Internuncio eius regni, Beatorum in numerum referri vellent Gondisaluum de Ammaranta, ordinis S. Dominici Religiosum per Pium IV. Pont. Max. vt toto Lusitaniæ regno, & diœcesibus, canonicis honoraretur horis, & obtentum est anno Millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

INDEX OPVSCVLORVM SPIRITVALIVM R.P. Fr. LVDOVICI Granatensis eorumque Capitum, DVX PECCATORVM.

LIBER PRIMVS.

In quo prolixa & copiosa ad virtutem & diuinorum mandatorum obseruantiam exhortatio continetur.

TItulus primus. Quòd homo Virtutem appetere, Deoque seruire obligatus est: & de excellentia perfectionum diuinarum. *Cap. I.* pag. 4.

Titulus secundus. De obligatione qua virtuti sumus obstricti, & Deo famulari tenemur, ratione beneficij creationis. *Cap. II.* 7.

Alia ratio quare obligati sumus ad seruiendum Deo Domino nostro, propterea quòd noster Creator est. 8.

Titulus tertius. Quomodo sumus obligati Domino Deo ratione beneficij Conseruationis & gubernationis. *Cap. III.* 9.

Ex prædictis colligitur, quàm indigna res sit non seruire Domino Deo. 10.

Titulus quartus. Ad Virtutem nos obligari ratione beneficij inæstimabilis nostræ Redemptionis. *Cap. IV.* 12.

Ex supradictis colligitur, quantum nefas est offendere nostrum Saluatorem. 14.

Titulus quintus, quomodo ad Virtutem sectandam obligati sumus ratione nostræ iustificationis. *Cap. V.* 15.

De multis alijs effectibus, quos Spiritus S. operatur in anima iustificati, & de Sacramento Eucharistiæ. 17.

Titulus sextus. Ad virtutẽ nos obligare inæstimabile beneficiũ diuinæ prædestinationis.. *Cap. VI.* 19.

Titulus septimus: Hominem ad virtutem sectandã obligari ratione primi quatuor suorum nouissimorum quod est Mors. *Cap. VII.* 20.

Titulus octauus. Hominem ad virtutem appetendam obstringi ratione secundi nouissimi sui, quod est iudicium finale. *Cap. VIII.* 24.

Titulus nonus. Hominem ad virtutis exercitium obligari ratione tertij sui nouissimi, quod est Gloria Paradisi, vel cæli. *Cap. IX.* 26.

Titulus decimus. Vltimum nostrorum quatuor nouissimorum, pœnas scilicet Infernales, nos ad virtutem appetendam obligare. *Cap. X.* 30.

De æternitate pœnarum. 33.

SECVNDA PARS.

TItulus vndecimus. Ad virtutem nos obligari propter bona inæstimabilia, quæ in præsenti vitæ promittuntur. *Cap. XI.* 34.

Supradicta omnia notabili sententia Euangelica declarantur. 36.

Titulus duodecimus. Ad virtutem nos obligare primum illius priuilegium, quod est prouidentia specialis, qua Deus bonos omnes ad omne bonum dirigit, & malorum iniquitatem castigat. *Cap. XII.* 37.

De nominibus quæ attribuuntur Domino in Scriptura sacra ratione huius prouidentiæ. 38.

De modo prouidentiæ, qua Deus malos obseruat, ad castigandum eorum malitiam. *Cap. XIII.* 40.

De secundo Virtutis priuilegio, Gratia nimirũ Spiritus S. quæ datur Virtutum studiosis, *Cap XIV.* 42

De tertio Virtutis priuilegio, quod est Lumẽ & cognitio quædam supernaturalis, quam Dominus Deus ijs largitur, qui Virtutem appetunt. *Cap. XV.* 43.

De quarto Virtutis priuilegio, consolationibus nimirum Spiritus S. quibus boni gaudent in hoc seculo. *Cap. XVI.* 45.

Quomodo iusti in orationibus suis singulari quodã modo diuinis his consolationibus reficiuntur. 47

De consolationibus eorum, qui Deo primùm seruire incipiunt. 48.

De quinto priuilegio, quod est bonæ conscientiæ tranquillitas, qua boni fruuntur: deque tormento atque remorsu interiori, quo improbi cruciantur. *Cap. XVII.* 49.

De gaudio bonæ conscientiæ, quo boni perfunduntur. 51.

De sexto priuilegio Virtutis, quod est fiducia & spes diuinæ misericordiæ, qua gaudent boni. Et de miseria & vana confidentia, in qua viuũt mali. *Cap. XVIII.* 52.

De vana spe malorum. 53.

De septimo priuilegio, vera scilicet libertate, qua fruuntur boni, deque miseria & incognita seruitute, in qua viuunt peccatores. *Cap. XIX.* 55.

De seruitute, in qua viuunt mali. 55.

De libertate, in qua viuunt boni. 59.

Causæ, ex quibus libertas hæc oritur. 59.

De octauo priuilegio Virtutis, beata scilicet pace & interiore quiete, qua fruuntur boni, deque infelici bello & continua perturbatione, quibus mali in anima concutiuntur. *Cap. XX.* 60.

De continuo bello, & interiore malorum perturbatione. 61.

De pace & quiete interiore, in qua viuũt boni. 63.

De nono priuilegio Virtutis, quod Deus exaudit orationes bonorum, & reijcit preces malorum. *Cap. XXI.* 64.

De decimo priuilegio Virtutis, quod est auxilium & fauor Dei, quo boni tribulationibus suis adiuuantur, deque impatientia & tormento, quibus impij suas sustinent. *Cap. XXII.* 66.

De impatientia & furore malorum in tribulationibus. 67.

De vndecimo Virtutis priuilegio, quale est illud, quòd Dominus virtutum amatoribus prouideat bona temporalia. *Cap. XXIII.* 68.

De inopia & paupertate malorum. 69.

De duodecimo priuilegio Virtutis, quanta nimirũ quies & gaudium sit mors bonorum atque è contrario quàm misera, laboriosa & molesta sit mors peccatorum. *Cap. XXIV.* 70.

De morte Iustorum. 71.

Probantur omnia quæ prædicta sunt exẽplis. 72.

Cõclusio eorũ, quæ in secũda parte dicta sunt. 74

PARS

PARS TERTIA.

Contra primam excusationem eorum, qui emendationem vitæ studiumque virtutis differunt in futurum. Cap. XXV. 75

Contra eos, qui differunt pœnitentiam vsque in horam mortis. Cap. XXVI. 79.

Auctoritates quorundam Patrum de pœnitentia finali. 79.

Auctoritates Doctorum Scholasticorum de hac materia. 80.

Auctoritates aliquot sacræ Scripturæ præmissam Doctorum sententiam confirmantes. 81.

Responsiones ad aliquot obiecta. 82.

Conclusio superioris disputationis. 83.

Contra eos, qui spe diuinę misericordiæ in peccatis suis perseuerant. Cap. XXVII. 84.

De operibus diuinæ iustitiæ, quorum mentio sit in sacra Scriptura 84.

De operibus diuinæ Iustitiæ: quæ in hoc mundo conspiciuntur. 85.

Conclusio eorum omnium, quæ in hoc capite dicta sunt. 87.

Contra illos, qui sese excusant, dicentes viam Virtutis asperam esse, & difficilem. Cap. XXVIII. 88.

Quomodo gratia per Christum data virtutem reddit facilem. 88.

Respondetur ad nonnullas obiectiones. 89.

Quomodo Charitas quoque leuem & facilem reddit viam quæ ducit ad cœlum. 90.

De alijs rebus, quæ faciunt facilē & suauem viam salutis. 91.

Probatur exemplis omnia prædicta vera esse 92.

Contra illos, qui timent virtutis viam ingredi propter amorem huius mundi. Cap. XXIX. 93.

Quam breuis sit mundi huius felicitas. 94.

De magnis miserijs, quæ felicitati mundanę admistæ sunt. 94.

De multis laqueis & periculis huius mundi 95.

De cæcitate, & tenebris huius mundi. 95.

De multitudine peccatorum, quæ sunt in hoc mundo. 95.

Quàm fallax sit mundi felicitas. 96.

Conclusio omnium supradictorum. 97.

Quòd vera quies & tranquillitas in solo Deo inueniatur. 97.

Probantur quæ dicta sunt exemplis. 98.

Conclusio totius libri primi. 99.

LIBER SECVNDVS.

In quo agtur de doctrina pertinente ad virtutem, & varia ponuntur consilia, vt homo tandem ad virtutem perueniat.

PRologus. 101.

Primum euidens consilium, quid maximè necessarium est homini Deo seruire cupienti. Cap. I. 101.

De secundo euidenti documento, quod sequi debet homo, qui vult ad seruitutem Domini accedere. Cap. II. 102.

De firmo proposito, quod Christianus habere debet, ne quid in posterum faciat, quod est peccatum mortale. Cap. III. 102.

De remedijs contra Superbiam. Cap. IV. 104.

Alia remedia contra Superbiam magis particularia. 105.

De remedijs contra Auaritiam. Cap. V. 106.

Neminem debere quæ sua non sunt inuito, vel ignorante domino retinere. 108.

Remedia contra Luxuriam. Cap. VI. 108.

Alia remediorum genera contra Luxuriam. 109.

Remedia contra Inuidiam. Cap. VII. 111.

De remedijs contra Gulam. Cap. VIII. 112.

Remedia contra Iram, odium & inimicitias, quæ ex illa nascuntur. Cap. IX. 113.

Remedia contra Acediam. Cap. X. 115.

De alijs generibus peccatorum, quæ bonus Christianus vitare debet. Cap. XI. 116.

De murmure, detractione, & iudicio temerario. 116.

De iudicio temerario, & præceptis Ecclesiæ. 118.

De peccatis venialibus. Cap. XII. 118.

De alijs remedijs breuioribus contra omnia peccatorum genera, potissimùm verò contra septem capitalia. Cap. XIII. 118.

De tribus generibus virtutum, in quibus comprehenditur summa totius Iustitiæ Christianæ. Cap. XIV. 122.

De obligatione hominis erga seipsum. Cap. XV. ibid.

De reformatione corporis. ibidem.

De virtute abstinentię. 123.

De custodia sensuum. 125.

De custodia linguæ. ibid.

De mortificatione affectuum. ibid.

De reformatione Voluntatis. 126.

De reformatione Imaginationis. 127.

De reformatione intellectus, & officijs prudentiæ. ibid.

De prudentia in rebus agendis. 128.

De quibusdam medijs, quibus hæc virtus comparatur. 129.

De illo quod homo proximo suo debet. Cap. XVI. ibid.

De officijs charitatis. 130.

De illo, quod homo debet Deo. Cap. XVII. 131.

De quatuor gradibus obedientiæ. 133.

De patientia in aduersis. 135.

De obligationibus diuersorum statuū. Cap. XVIII. 136.

Prima admonitio de æstimatione & pretio, in quo habendę sunt virtutes. Cap. XIX. 137.

Quatuor documenta vtilissima, quæ ex præcedenti doctrina deriuantur. Cap. XX. 139.

Secundum documentum. 139.

Tertium documentum. 140.

Quartum documentum. 140.

Secunda admonitio, quæ versatur circa diuersos viuendi modos in Ecclesia. Cap. XXI. 142.

Tertia admonitio, de solicitudine & vigilantia, in qua viuere debet virtutis sectator. Cap XXII. 144

Quarta admonitio, de fortitudine, quę necessaria est his, qui ad virtutem aspirant. Cap. XXIII. 145.

De medijs, quibus acquiritur illa fortitudo. 145.

DE ORATIONE ET MEDITATIONE.

LIBER PRIMVS.

In quo de vtilitate, modoq; meditandi agitur: & septem meditationes matutinæ, totidemq; vespertinæ, singulæ singulis septimanæ diebus assignatæ, traduntur.

DE vtilitate & necessitate meditandi, seu considerandi. Cap. I. 154.

Consideratio excitat & iuuat fidem. 155.

Consideratio corroborat spem. 155.

Consideratio inflammat charitatem. 155.

Consideratio conducit ad generandam deuotionem. 157.

Consideratio excitat oēs alias virtutes affectiuas. 157

Oratio non minus vtilis ad prædicta, quàm consideratio. 157.

Consi-

Consideratione quatuor virtutes cardinales acquiruntur. 158.
Respondetur quibusdam tacitis obiectionibus. 159.
De quinque partibus orationis. *Cap. II.* 161.

Die Lunæ.

Meditatio matutina prima, de lotione pedum. ibid.
De venerabili Sacramento, & quibus de causis illud à Christo est institutum. 163.

Die Martis.

Meditatio matutina secunda, de oratione Christi in horto. 166.
De Saluatoris nostri captiuitate. 168.
De his qui Christo manus mysticè vinciunt. 169.

Die Mercurij.

Meditatio tertia, quomodo Christus Annæ, Caiphæ, Pilato, & Herodi sistitur. 170.
Quæ tormenta, quos labores, & quas molestias Christus pertulit in illa nocte suæ passionis, & de negatione D. Petri. 171.
De flagellatione Christi ad columnam ligati. 173.

Die Iouis.

Meditatio matutina quarta, de Christi coronatione. 174.
De verbis Pilati ECCE HOMO. 176.
Quomodo Saluator crucem in humeris suis portat. 177.

Die Veneris.

Meditatio matutina quinta, de mysterijs sanctæ crucis. 178.
De sancta cruce pia contemplatio. 179.
Meditatio de Christi crucifixione. 180.
De mutua filij & matris compassione. ibid.
Alia meditatio de doctrina, quæ sub arbore crucis traditur. 181.
De patientia, quam habere debemus in tribulationibus quæ in imitando Christo occurrunt. 182.

Die Sabbathi.

Meditatio sexta matutina, de planctu B. Mariæ Virginis. 183.
Quomodo Christus de cruce depositus est, & de plánctu Mariæ. 184.
Commemorantur causæ, ob quas B. Virgo Maria, & iusti omnes in hoc seculo varijs tribulationibus affliguntur. 186.

Die Dominica.

Meditatio matutina septima, de Resurrectione Domini. 187.
De resurrectione corporis Christi. 189.
Quomodo Saluator Virgini Matri Dominæ nostræ apparuit. 190.

Die Lunæ.

Meditatio prima vespertina, de peccato, eiusq; natura. ibid.
Tractatus primus, in quo præcedens meditatio paulo copiosius explicatur. 192.
De multitudine peccatorum vitæ anteactæ. ibi.
De peccatis & imperfectionibus hominis, in quæ nonnunquam impingit, etiam postquam ad cognitionem Dei peruenerit. 193.
De magnitudine peccati. 194.
Quomodo peccator conscientiam propriam accusabit, seipsum contemnet, atque odio habebit. 195.

Die Martis.

Meditatio secunda vespertina, de miserijs & infelicitate huius vitæ. 196.
Tractatus secundus, de humanæ vitæ miseria, in quo fusius explicantur, quæ superius de ea commemorata sunt. 197.
De miserijs & proprietatibus humanæ vitæ, & primùm de eius breuitate. 198.
De vitæ nostræ incertitudine. 199.
De vitæ nostræ fragilitate 200.
De vitæ nostræ mutabilitate. 201.
Quàm fallax vita nostra sit. 202.
Quàm misera sit vita nostra, deque multifarijs miserijs, tam animæ, quàm corporis, quæ in ea reperiuntur. ibid.
De vltima hominis miseria, seu de morte. 204.
De fructibus qui ex præcedenti meditatione percipiuntur. ibid.

Die Mercurij.

Meditatio tertia. De morte. 205.
Tractatus tertius De memoria mortis, & interitu hominis, in quo fusius tractantur ea, quæ superius breuiter sunt commemorata. 206.
Quàm incerta sit mortis hora 208.
De horrore sepulturæ. ibid.
Quomodo in hora mortis errores & cœcitates vitæ peractæ cognoscemus, & de timore reddendæ rationis. 209.
De extrema vnctione, & mortis agone. 211.
De fœditate cadaueris, de sepultura, de exitu animæ, & quæ sors illius postquàm è corpore egressa est. 211.

Die Iouis.

Meditatio quarta vespertina, De extremo iudicio. 213.
Tractatus quartus de consideratione Iudicij vniuersalis, in qua fusius tractantur ea, quæ superius dicta sunt. 214.
Quàm rigida, seuera, & terribilis erit illa dies. 215.
De signis quæ diem illum horrendũ præcedent. 216.
De fine mundi, & Resurrectione mortuorum. 217.
De aduentu Iudicis, de iudicandi modo, & de testimonijs & accusatoribus iudicandorum. ibid.

Die Veneris.

Meditatio quinta, De pœnis infernalibus. 220.
Tractatus quintus de consideratione pœnarum infernalium, in qua fusius præcedens meditatio explicatur. 221.
De duplici genere pœnarum, quibus impij & peccatores in inferno torquebuntur. ibid.
De sensuum interiorum & potentiarum animæ tormentis 223.
De pœna damni. 224.
De singularibus quorundam pœnis. ibid.
De æternitate suppliciorum omnium. ibid.

Die Sabbathi.

Meditatio vespertina sexta, De gloria vitæ cœlestis. 226.
Tractatus sextus de gloria Paradisi, in quo fusius explicantur ea, quæ in meditatione præcedenti posita sunt contractius. 227.
De pulchritudine, excellentia, & dignitate loci cœlestis. ibid.
De secundo gaudio, quod percipiet anima ex societate & consortio Sanctorum. 228.
De tertio gaudio, quo anima beata visione Dei afficietur. 230.
De quarto gaudio, quo anima ex gloria corporis cumulabitur. ibid.
De quinto gaudio, quod est longitudo æternitatis. 231.

Die Dominica.

Meditatio vespertina septima, De beneficijs Dei. 232.
Tractatus septimus, de consideratione beneficiorum Dei, in qua latius extenduntur, quæ in superiori meditatione dicta sunt succinctius. 232.
De beneficio creationis. 233.
De beneficio conseruationis. 234.
De beneficio redemptionis. 235.
De beneficio vocationis. 236.
De beneficijs particularibus. 237.

De quinque Partibus

In oratione obseruandis. Cap. III. 237.
De præparatione, quæ requiritur ante orationem. Cap. IV. 238.
De lectione. Cap. V. 239.
De meditatione. Cap. VI. 240.
De gratiarum actione. Cap. VII. ibid.
De petitione. Cap. VIII. ibid.
Petitiones virtutum maximè necessariarum. 241.
Consilia, seu documenta quædam obseruanda, in quinque partibus exercitij prædicti, & specialiter in meditatione. Cap. IX. 242.
Primum documentum. ibid.
Secundum documentum. ibid.
Tertium documentum. 244.
Quartum documentum. ibid.
Quintum documentum, Non esse desperandum, si statim in orationis initio dulcedinem non sentiamus. 245.
Sextum documentum, de profunda oratione & deuotione. ibid.
Septimum documentum, non esse negligendas Dei visitationes. 246.
De sex rebus in passione Redemptoris nostri meditandis. Cap. X. ibid.
De magnitudine dolorum Christi. 247.
Quomodo in passione Domini relucet grauitas peccati. 249.
De magnitudine nostræ Redemptionis. ibid.
De magnitudine diuinæ bonitatis, quæ in passione Domini spectatur. 250.
De excellentia Virtutis, quæ resplendet in passione Domini. ibid.
De conuenientia nostræ Redemptionis, cum medio ipso. 257.

LIBER SECVNDVS

In quo de deuotione, & quæ eam promoueant quæque impediant, tractatur.

QVid sit deuotio. Cap. I. pag. 253.
Quam vtilis & pretiosa res est deuotio. Cap II. 254.
Quàm difficilis sit veræ deuotionis acquisitio. Cap. III. ibid.
De ijs, quæ conducunt ad veram deuotionem comparandam, & primò de illius ingenti desiderio. Cap. IV. ibid.
Secundum quod deuotionem generat, est fortitudo & diligentia. Cap. V. 256.
Tertium quod creat deuotionem, est custodia cordis. Cap. VI. 257.
De quarta causa deuotionis, quæ est continua Dei memoria. Cap. VII. 258.
Quintum, quod deuotionem excitat, est vsus breuium orationum, quæ ad Deum, tanquam iacula, emittendæ sunt in omni loco & tempore. Cap. VIII. 259.
Sextum, quod auget deuotionem, est deuotorum & vtilium librorum lectio. Cap. IX. 260.
De septimo quod promouet deuotionem, custodia nimirum sensuum. Cap. X. ibi.
Octauum quod auget deuotionem est solitudo. Cap. XI. 261.
Nono, plurimum faciunt ad deuotionis incrementa tempora, & certæ constitutæ horæ. Cap. XII. 262.
Decimum, quod deuotionem accendit, est Continuatio & perseuerantia in bonis exercitijs. Cap. XIII. ibid.
Vndecimo augent deuotionem tempus, & similes circumstantiæ. Cap. XIV. 264.
Duodecimum, quod ad deuotionem excitandam facit, est corporalis asperitas, vel exercitatio. Cap. XV. 265.
Decimo tertio & vltimo deuotionem quoque augent opera misericordiæ. Cap. XVI. 266.
De ijs quæ impediunt deuotionem. Cap. XVII. ibid.
Secundum impedimentum est remorsus conscientiæ. Cap. XVIII. 267.
Tertium impedimentum est nimia scrupulositas. Cap. XIX. 268.
Quartum impedimentum de quacunque alia amaritudine, cordisque tristitia. Cap. XX. 270.
Quintum impedimentum est consolatio externa, seu sensus externos oblectans. Cap. XXI. ibid.
Sextum impedimentum est nimia solicitudo. Cap. XXII. 271.
Septimum impedimentum est occupationum, & præcipuè studiorum & speculationum multitudo. Cap. XXIII. 272.
Octauum impedimentum: quod est vitium curiositatis. Cap. XXIV. 274.
Nonum impedimentum est, si bona exercitia interrumpantur. Cap XXV. ibid.
Impedimentum decimum est in delicijs, nimioque cibo & potu situm. Cap. XXVI. 275.
Impedimentum vndecimum de mala dispositione & corporis debilitate. Cap. XXVII. 276.
De quibusdam alijs impedimentis particularibus. Cap. XXVIII. 277.
De communioribus quibusdam tentationibus, quæ orationis studiosos solent magis infestare. Cap. XXIX. 278.
Rationes seu causæ, ob quas Deus amicis suis subinde negat spirituales consolationes. Cap. XXX. 279
Quid homo facere debeat, cùm diuinarum consolationum fluxus sistitur. Cap. XXXI. 281.
Contra eos qui contemnunt, & irrident diuinas consolationes. Cap. XXXII. ibid.
De secunda tentatione, importunarum scilicet cogitationum bello. Cap. XXXIII. 282.
De tertia tentatione cogitationum blasphemiæ & infidelitatis. Cap. XXXIV. 283.
De quarta tentatione nimio scilicet timore. Cap. XXXV. 284.
Quinta tentatio, quæ est superfluus somnus. Cap. XXXVI. 285.
Aliæ duæ tentationes, inter se contrariæ, ex opusculo Seraphini Firmani de oratione interna. cap. 21. desumptæ. Cap. XXXVII. 286.
Tentatio octaua, quæ est nimius studendi sapiendique appetitus. Ca. XXXVIII. 287.
Remedia contra hanc tentationem. Cap. XXXIX. 288
Nona tentatio est zelus indiscretus, desideriumque nimis vehemens alijs succurrendi. Cap XL. 290.

Admonitiones quædam

In hoc exercitio contra fraudes veteris inimici nostri obseruandæ. Cap. XLI. 292.
Admonitio prima de dignitate, & fructu orationis vocalis. Cap. XLII. ibidem.
Admonitio secunda de dignitate & fructu ceremoniarum sacrarum, operumque externorum. Cap. XLIII. 293.
Admonitio tertia, de reuerentia, & obedientia, quæ debetur doctoribus & concionatoribus Ecclesiæ. Cap. XLIV. 294.
Admonitio quarta, de discretione, quæ requiritur ad examinanda bona proposita. Cap. XLV. 295.
Admonitio quinta, quod simul cum oratione debet homo exerceri in omnibus virtutibus alijs. Cap. XLVI. ibid.
Sexta Admonitio, quod illi qui multum orant, non debent contemnere hos, qui minus orant. Cap. XLVII. ibid.

Admo-

Admonitio septima, omne genus singularitatis esse vitandum. *Cap. XLVIII.* ibid.
Admonitio octaua, fugiendam esse nimiam conuersationem, tam virorum, quam mulierum. *Cap. XLIX.* 298.
Admonitio nona, quod vnusquisque ante omnia id agere debet, vt satisfaciat sui status obligationi. *Cap. L.* ibid.
Admonitio decima, De fine in hoc exercitio spectãdo. *Cap. LI.* 300.
De remedio contra omnia hæc errorum genera vtilissimo. *Cap. LII.* 302.
Admonitio vndecima, visiones & reuelationes non appetendas. *Cap. LIII.* 303.
Admonitio duodecima, non reuelandas esse diuinas gratias. *Cap. LIV.* ibid.
Admonitio decima tertia, de timore & reuerentia, quæ in conspectu Domini cùm consistimus sunt seruanda. *Cap. LV.* ibid.
Admonitio decima quarta, quibusdam temporibus copiosius: & diutius orandum, quàm alijs. *Cap. LVI.* 304.
Decima sexta admonitio, de discretione, quæ in orationis exercitio debet adhiberi. *Cap. LVII* 305.
Decima septima admonitio: quod non solum studere debemus orationi, sed & cæteris virtutibus omnibus. *Cap. LVIII.* ibid.
Admonitio decima octaua, exercitium hoc non arte arripiendum: sed magna cum humilitate & fiducia. *Cap. LIX.* 306.
Admonitio decima nona, de alio genere orationum quæ solent vsurpari ab his, qui magis sunt exercitati. *Cap. LX.* ibid.
Admonitio vigesima & vltima; hoc exercitium omni hominum generi non conuenire. *Cap. LXI.* 307.
Conclusio totius Libri secundi. *Cap. LXII.* ibid.

LIBER TERTIVS.

In quo tractatur de Oratione, Ieiunio, & Eleemosyna.

PRologus in quo de diuersis difficultatibus orationis disseritur. 308.
De virtute & excellentia orationis. *Cap. I.* 311.
De oratione S. Scripturæ testimonia. *Cap. II.* 312.
De orationis excellentia patrum testimonia. *Cap. III.* ibid.
Orationem conuenientissimum esse medium ad vitæ perfectionem consequendam. *Cap. IV.* 314.
Oratione hominem vniri Deo. *Cap. V.* ibid.
Per orationem intellectus nobilitatur. *Cap. VI.* 315.
Oratio animarum nostrarum cibus est. *Cap. VII.* ibid.
In oratione dulcedines dei gustantur. *Cap. VIII.* 316.
Oratione impetratur deuotio. *Cap. IX.* 317.
Quæ hactenus dicta sunt experientia probantur. *Cap. X.* ibid.
Secunda pars de necessitate orationis. *Cap. XI.* 319.
Probantur hæc omnia exemplis sanctorum. *Cap. XII.* 321.
Tertia pars de continuatione & perseuerantia in oratione. *Cap. XIII.* 321.
Conclusio omnium eorum, quæ de oratione hactenus dicta sunt. *Cap. XIV.* 325.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Virtute Ieiunij,

Et asperitate corporali. 326.
Pars prima, de bonis spiritualibus, quæ ieiunio comparantur. Et primò ieiunium esse opus meritorium & satisfactorium pro peccatis præteritis. *Cap. XV.* 327.
Ieiunium amica est orationis: homo namque ieiunus ad orandum aptior est, quam qui cibis repletus est. *Cap. XVI.* 328.
Ieiunium diuinis nos consolationibus præparat. *Cap. XVII.* ibid.
Ieiunium excitat in nobis Dei memoriam. *Cap. XVIII.* 329.
Ieiunium auget Sapientiam & discretionem. *Cap. XIX.* ibid.
Ieiunium orationi iunctum impetrat à DEO quicquid vult. *Cap. XX.* 330.
Ieiunium Christo nos conformes reddit. *Cap. XXI.* ibid.
Secunda pars de bonis corporalibus, quæ per abstinentiam vel ieiunium comparantur: & primò vitam conseruari, & prolongari per abstinentiã. *Cap. XXII.* 331.
Abstinentiam & ieiunium sanitati plurimum prodesse. *Cap. XXIII.* 332.
Abstinentiam & ieiunium honores augere & conseruare. *Cap. XXIV.* ibid.
Abstinentiam & ieiunium ad opus augendas, & cõseruandas vtiles esse. *Cap XXV.* ibid.
Abstinentiam ad iucunditatem commoditatemque vitæ quoque conducere. *Cap. XXVI.* 333.
Pars tertia: de malis, à quibus non præseruat & liberat abstinentia. *Cap. XXVII.* 335.
Conclusio omnium eorum quæ hoc tractatu dicta sunt. *Cap. XXVIII.* 336.

TRACTATVS TERTIVS.

De Eleemosyna,

Et misericordia. *Cap. XXIX.* 337.
Misericordia Deo facit homines similes, & familiares. *Cap. XXX.* 338.
Misericordes digni sunt quibus à Deo vicissim misericordia fiat. *Cap. XXXI.* 339.
Misericordia peccatorum remissionem habet sibi annexam. *Cap. XXXII.* ibid.
Eleemosyna est opus meritorium. Cap. *XXXIII.* ib.
Homini misericordi debetur auxilium in tribulationibus, & orans Deum exauditur. *Cap. XXXIV* 340.
Misericordes in die iudicij vitam æternam recipiẽt. *Cap. XXXV.* 341.
Eleemosynas non vtiles tantùm, sed & necessarias. Cap. *XXXVI.* 342.
Eleemosynis dandis etiam bona temporalia augeri. *Cap. XXXVII.* 343.
Probatur maiora esse quæ per eleemosynas restituuntur commoda, quam damna, quæ dantes accipiunt. *Cap. XXXVIII.* ibid.
Quia Deus factus est pro nobis pauper, nos etiam pro Deo pauperes fieri æquum est. *Cap. XXXIX.* 345.
Exempla virorum & mulierum, qui in misericordia fuerunt celebriores. *Cap XL.* ibid.
De modo in Eleemosynis dandis seruando, & qui potissimum eas dare teneantur. *Cap. XLI.* 346.

LIBER QVARTVS.

Exercitium mentale continens, in septem meditationes distributum: quæ totidem septimanæ diebus possunt accommodari.

PRologus & breuis meditandi modus. 348.
Speculi humanæ vitæ.
Meditatio prima, de misericordia in qua creatus est homo. 350.

Meditatio secunda de peccato, & quæ incommoda ex illo generantur. 352.
Meditatio tertia, quàm periculosum sit differre pœnitentiam. 354.
Meditatio quarta de contemptu mundi, & quanto odio, quantaque diligentia est fugiendus. 357.
Meditatio quinta, de gloriæ & magnificentiæ huius mundi vanitate. 359.
Meditatio sexta, quomodo mors est metuenda, & quod Christianus ita viuere debet, ne mors vnquam illum inueniat imparatum. 361.
Meditatio septima, de gaudio Beatorum in cœlo, & damnatorum supplicijs in inferno. 363.

TRACTATVS DE EVCHARISTIA.

In quo agitur de præparatione ad frequentem communionem: de gratia quam huius Sacramenti beneficio consequimur, & de admirandis effectibus, quos in multis pijs sancta communio diuersis temporibus est operata.

Contemplationes & præparationes præmittendæ, volentibus hoc Sacramentum dignè sumere. Cap. I. 366.
De frequentia communionis, & illius fructibus. Cap. II. 368.
De beneficijs & vtilitatibus, quæ profluũt ex digna huius sanctissimi cibi frequẽtatione. Cap. III. 369.
Quid sit quod animam deuotam potissimum trahit ad hoc Sacratissimum Sacramentum Cap. IV. ibi.
De varijs donis & gratijs, quæ fluunt ex hoc Sacramento. Cap. V. 370.
De præparatione quæ requiritur ante communionem. Cap. VI. ibid.
De gratia & consideratione huius sanctissimi Sacramenti. Cap. VII. 371.
Quomodo homo seipsum offeret Deo, & quæ deuotio requiratur in huius Sacramenti sumptione. Cap. VIII. 372.
De singularibus gratijs, & mirificis quibusdam fauoribus, aut beneficijs, exhibitis ijs, qui dignè ad Sacramentum hoc frequenter accedere desiderauerunt. Cap. IX. ibid.

Paraphrasis Psalmi quinquagesimi *Miserere mei Deus.* 373.
Oratio deuotissima de nomine IESV. 377.

MEMORIALIS.

LIBER PRIMVS.

In quo continetur vtilissima ad bene viuendum exhortatio.

PRologus Memorialis vitæ Christianæ. 378.
De supplicijs sceleratè & impiè viuentibus à Deo præparatis. Cap. I. 382.
De gloria beatorum. Cap. II. 386.
De bonis, quæ Deus promisit iustis etiam in hoc seculo. Cap. III. 388.
Hominem non debere conuersionem suam de die in diem differre, cùm vitæ peractæ reddenda sit ratio strictissima. Cap. IV. 390.
Cõclusio eorũ, quæ primo libro dicta sunt. Ca. V. 391.

LIBER SECVNDVS.

In quo tractatur de Sacramento Pœnitentiæ.

PRologus libri secundi. 393.
De prima parte Pœnitentiæ, quæ est Contritio: & de medijs, quibus ad illã peruenitur. Cap. I. 394.
De præcipuis ad contritionem perueniendi medijs. Cap. II. 395.
De quibusdam considerationibus, quæ hominem ad dolorem & odium peccatorum excitant. Et primò de ipsorum multitudine. Cap. III. 396.
Secunda consideratio, earum scilicet rerum, quæ per peccatum amittuntur. Cap IV. 397.
Tertia consideratio, de Maiestate diuina, contra cuius bonitatem peccamus. Cap. V. ibid.
Quarta consideratio, de iniuria, quæ fit Deo per peccatum. Cap. VI. 398.
Quinta consideratio, de odio quo Deus peccatum prosequitur. Cap. VII. ibid.
Sexta consideratio, de morte, & quæ illam sequuntur. Cap. VIII. 399.
Septima consideratio, de extremo iudicio. Cap. IX. 400.
Octaua consideratio, quæ est diuinorum beneficiorum. Cap. X. ibid.
Oratio ad excitandam in anima compunctionem, peccatorumque dolorem. Cap. XI. 401.
Oratio alia ad impetrandam peccatorum remissionem. Cap. XII. ibid.
Alia oratio pro remissione peccatorum. Cap. XIII. 402.
De fructibus veræ contritionis. Cap. XIV. 404.

PARS SECVNDA

Pœnitentiæ. Quæ est Confessio.

In confessione septem sunt obseruanda. Cap. I. 405.
Admonitio prima, examinandam ante confessionem conscientiam. ibid.
Admonitio secunda Numerum peccatorum exprimendum. Cap. II. 406.
Admonitio tertia, Circũstantias dicendas esse. Cap. III. ibidem.
Admonitio quarta, Non esse necessarium, vt quis aliud confiteatur, quàm peccati speciem. Cap. IV. ibid.
Admonitio quinta, quomodo confiteri quis debeat peccata cogitationis. Cap. V. 407.
Admonitio sexta, vt pœnitens parcat famæ proximi. Cap. VI. 408.
De casibus, in quibus Confessio est nulla, & denuò debet iterari. Cap. VII. ibid.

MEMORIALE PECCATORVM.

De quibusdam accusationibus initio Confessionis præmittendis. Cap. VIII. 408.
Peccata contra primum præceptum. ibid.
Contra secundum præceptum. 409.
Contra tertium præceptum. ibid.
Contra quartum præceptum. ibid.
Contra quintum præceptum. 410.
Contra sextum præceptum. ibid.
Contra septimum præceptum. ibid.
Contra octauum præceptum. 411.
De septem peccatis mortalibus. Cap. IX. ibid. & aliquot sequentibus.
De operibus misericordiæ. 412.
De aliquibus alijs particularibus accusationibus. Cap. X. ibid.
Doctrina generalis ad cognoscendum quid sit peccatum veniale quid mortale. Cap. XI. ibid.

PARS TERTIA

Pœnitentiæ, quæ est Satisfactio. Cap. I. 413.
De origine & causa satisfactionis. Cap. II. 414.
De tribus primarijs operibus, quibus Deo pro peccatis satisfacimus. Cap. III. 417.
De primo satisfactionis opere, quod est ieiunium. Cap. IV. ibid.
De secundo satisfactionis opere, Eleemosyna. Cap. V. 418.

De

De tertio satisfactionis opere, quod est Oratio. *Cap. VI.* 419.
Breuis modus confitendi, in gratiam eorum, qui frequenter ad hoc Sacramentum accedunt. ibid.

LIBER TERTIVS.

In quo agitur de modo præparandi se ad sacram Communionem.

DE præparatione, quæ requiritur ab ijs, qui dignè volunt communicare. *Cap. I.* 421.
Primum, quod ad dignè communicandum requiritur, est puritas conscientiæ. *Cap. II.* 423.
De secundo, quod requiritur in Communione, puritate scilicet intentionis. *Cap. III.* 424.
De tertio, quod requiritur in huius Sacramẽti sumptione, actuali nimirum deuotione. *Cap. IV.* ibid.
Hominem debere certum tempus sibi deligere, vt vacet supradictæ præparationi. *Cap. V.* 428.
Quid faciendum sit ante Cõmunionẽ. *Cap. VI.* 429.
Quid communicaturus facere debeat ipso Communionis tempore, & post illam. *Cap. VII.* 430.
De vsu Sacramentorum, & de vtilitate, quam percipiunt sæpe ad illa accedentes. *Cap. VIII.* 431.
De effectibus sacræ communionis. *Cap. IX.* 432.
Respondetur obiectionibus quorundam hominum exiguã salutis suæ rationẽ habentiũ. *Cap. X.* 433.
Cur quidam inter celebrandum, vel communicandum tam exilem sentiunt deuotionem. *Cap. XI.* 435.
An expediat sæpius communicare. *Cap. XII.* 436.
Prooemium in orationes & meditationes ante & post Communionem dicendas. 438.
Oratio S. Thomæ Aquinatis ante Communionem dicenda. 439.
Alia oratio dicenda ante sacratissimam Communionem. ibid.
Meditatio deuotissima & ante communionem vtilissima, qua anima ad timorem & amorem excitatur. 440.
Altera pars huius meditationis 441.
Aliæ orationes & meditationes, quibus homo occupari potest post Communionem. 442.
Oratio D. Thomæ Aquinatis post Communionem dicenda. ibid.
Meditatio insignis post Communionem. ibid.
Alia deuota meditatio, in qua sese non sine fructu exercebit homo die illo sacratissimæ Communionis, perpendendo magnitudinem beneficij percepti, & reddendo gratiarum actionem pro illo. 443.

LIBER QVARTVS.

In quo continentur duæ Regulæ ad bene viuendum.

PRologus. pag. 446.
Regula prima pro tyronibus, qui incipiunt Deo iam primũ seruire, & cupiunt saluari. *Cap. I.* 447.
De communibus quibusdam tentationibus eorum, qui Deo primùm seruire incipiunt, præsertim in religione. *Cap. II.* 453.
Regula secunda, ad bene viuendum vtilis, his potissimum, qui in vita Christiana sunt proiectiores. 455.
Finem huius doctrinæ esse imitationem Christi. *Cap. I.* ibid.
De exercitio & vsu virtutum. *Cap. II.* 456.
Quid homo debeat Deo sibijpsi, & proximo. *Cap. III.* 462.
De duodecim præcipuis studijs, quibus seruus Dei potissimum debet incumbere. *Cap. IV.* 464.
De duodecim Defectibus seruo Dei magna diligentia vitandis. *Cap. V.* 465.

LIBER QVINTVS.

In quo agitur de Oratione quæ ore vel voce fit, ideoque Vocalis à quibusdam dicitur.

PRologus. pag. 466.
De difficultate, quæ occurrit homini in obseruatione legis diuinæ, & quomodo remediũ est illius difficultatis gratia, nec non quomodo gratia per orationem impetratur. *Cap. I.* ibid.
Quomodo gratia confert vires ad obseruandam legem diuinam. *Cap. II.* 467.
Orationem esse mediũ, per quod impetramus Gratiam, Charitatem, & Deuotionem. *Cap. III.* 469.
Conclusio omnium prædictorum, cum exemplis nonnullis Sanctorum. *Cap. IV.* 471.
De sex conditionibus bonæ orationis. *Cap. V.* 473.
Prima conditio, est attentio. *Cap. VI.* 474.
Secunda conditio bonæ orationis est humilitas. *Cap. VII.* 475.
De tertia bonæ orationis conditione, fide scilicet seu fiducia. *Cap. VIII.* ibid.
De quarta conditione bonæ orationis, quæ est, vt orationi bona opera sint adiuncta. *Cap. IX.* 477.
De quinta conditione quid perendũ sit. *Cap. X.* ibid.
De sexta orationis conditione, quæ est in orando patientia. *Cap. XI.* 478.
De tempore, quo durare debet oratio. *Cap XII.* 479
De duplici oratione, mentis & vocis, seu (vt quidam loquuntur) mentali & vocali. *Cap. XIII.* 481.
Quædam orationes deuotæ, quibus primaria vitę & mortis Christi Saluatoris nostri mysteria breuiter comprehenduntur. 482.
Prima oratio de vita Saluatoris. ibid.
Secunda ad Iesum oratio. 483.
Tertia ad Iesum oratio. 484.
Quarta ad Iesum oratio. 485.
Quinta ad Iesum oratio. ibid.
Sexta ad Iesum oratio. 486.
Septima ad Iesum oratio. 487.
Orationes aliæ septem, quæ pertinent ad cultum & venerationem Domini Dei nostri, aguntque de perfectionibus & operibus eius sanctissimę diuinitatis. ibid.
Præludium ad intelligendum modum, & intentionem orationum sequentium. ibid.
Prima oratio, in qua creatura humiliter adorat suũ Creatorem, considerans magnitudinem Maiestatis illius, ob quam adorari tanquam verus Deus meretur. 488.
Secunda oratio, in qua homo sese humiliat, & consideratione magnitudinis Dei, eiusq; iustitiæ obstupescit. 489.
Tertia oratio, quæ agit de laudibus diuinis, & in qua multæ recẽsentur diuinæ perfectiones. 490.
Quarta oratio, in qua Deo pro acceptis beneficijs aguntur gratiæ. 491.
Quinta oratio, qua petimus à Deo veram charitatem. ibid.
Sexta oratio, in qua creatura sese deuouet, atque offert suo Creatori omnem obedientiam, in eum spem omnem suam collocans. 492.
Septima oratio, qua petitur à Deo, quidquid ad nostram salutem conducit. 493.
Oratio deuotissima matutino tempore dicenda, in qua homo consideratis diuinis beneficijs, & vinculis quibus Deo obstrictus est, humiliter eius Maiestati gratias agit pro omnibus illis, & se illi offert, eiusque gratiam petit. ibid.
Admonitio pro oratione præcedente. 494.
Oratio qua petitur peccatorum remissio. 495.

Ad Iesum pro acceptis beneficijs gratiarũ actio. 496.
Oratio in qua homo offert Deo omnes labores & merita Christi nostri Saluatoris, vt per ea gratiam consequatur. ibid.
Oratio ad Deum, & omnes Sanctos, in qua necessaria tam nobis, quàm proximo petuntur. 497.
Oratio S. Thomæ Aquinatis, pro impetrandis omnigenis virtutibus. 498.
Oratio ad Spiritum sanctum. ibid.
Oratio sub Missa dicenda, in qua Patri mors Vnigeniti Filij sui offertur. Ex diuersis D. Augustini locis concinnata. 498.
Alia oratio sub Missa, aut alio quocunque tempore legenda. 499.
Orationes septem ad sacratissimam Virginem Mariam, quibus deuotum memoriale vitæ illius sanctissimæ continetur. ibid.
Oratio prima ad Mariam. ibid.
Secunda oratio de vita B. Mariæ Virginis 500.
Tertia oratio de vita B. Mariæ Virginis 501.
Quarta oratio de vita B. Mariæ Virginis. ibid.
Quinta oratio ad gloriosam Mariam Virginẽ. 502.
Sexta oratio ad Virginem Mariam. 503.
Septima oratio ad B. Virginem Mariam. ibid.

LIBER SEXTVS.

In quo agitur de Oratione interna, seu mentis, quam Mentalem vocant, & de præcipuis mysterijs Vitæ, Mortis, & Resurrectionis nostri Saluatoris.

PRoœmium. pag. 504.
De fructibus orationis mentis seu meditationis *Cap. I.* 505.
De materia orationis mentalis. *Cap. II.* ibid.
Conclusio omnium supradictorum. *Cap. III.* 506.
De quinque partibus huius sancti exercitij. *Cap. IV.* 507.
De meditatione. *Cap. V.* 508.
De gratiarum actione. *Cap. VI.* 509.
De oblatione. *Cap. VII.* ibid.
De petitione *Cap. VIII.* ibid.
Admonitio ad Lectorem. *Cap. IX.* ibidem.
Deuotum memoriale principalium mysteriorum vitæ nostri Seruatoris, in quo primò tractatur de consideratione horum diuinorum mysteriorum. *Cap. X.* 510.
De Annunciatione, seu legatione Angelica ad gloriosam Virginem. *Cap. XI.* 511.
De Visitatione B. Mariæ *Cap. XII.* 512.
De reuelatione virginitatis & conceptionis B. Mariæ. *Cap. XIII.* 513.
De natiuitate Saluatoris. *Cap. XIV.* 514.
De circuncisione Domini. *Cap. XV.* 515.
De Magorum adoratione. *Cap. XVI.* 516.
De Purificatione B. Mariæ Virg. *Cap. XVII.* 517.
De fuga in Ægyptum. *Cap. XVIII.* 518.
De Iesu duodecim annos nato, & in templo à parentibus inuento. *Cap. XIX.* 519.
De Baptismo Saluatoris. *Cap. XX.* 521.
De ieiunio & tentatione Saluatoris. *Cap. XXI.* ibid.
De prædicatione, doctrina, & admirandis Christi operibus. *Cap. XXII.* 522.
De Samaritana, Chananæa, Magdalena, & Adultera *Cap. XXIII.* 523.
De muliere Samaritana. *Cap. XXIV.* 524.
De Chananæa. *Cap. XXV.* 525.
De Magdalena. *Cap. XXVI.* ibid.
De muliere adultera *Cap. XXVII.* ibid.
De transfiguratione Domini. *Cap. XXVIII.* 526.
In sacram Domini nostri Iesu Christi Passionem præfatio, in qua tractatur de modo in Dominica passione meditanda seruando. *Cap. XXIX.* 527.
De magnitudine dolorum Christi. *Cap. XXX.* 528.
De introitu Christi in Hierusalem, & de Palmarum festo. *Cap. XXXI.* 530.
De lotione pedum Apostolorum. *Cap. XXXII.* 531.
De constitutione sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti. *Cap. XXXIII.* 532.
De oratione Domini in horto. *Cap. XXXIV.* 534.
De captiuitate Christi. *Cap. XXXV.* 536.
De præsentatione Domini ante Pilatum, deque flagellatione eiusdem. *Cap. XXXVI.* 537.
De corona spinea, & verbis Pilati, ECCE HOMO. *Cap. XXXVII.* 538.
De comparatione Christi & Barrabæ. *Cap. XXXVIII.* 539.
Quomodo Saluator crucem in humeris suis vsque ad montem Caluariæ portauit. *Cap. XXXIX.* ibid.
Quomodo Saluator crucifixus est. *Cap. XL.* 540.
De vulnere lateris Christi lancea perforati, deque illius sepultura. *Cap. XLI.* 542.
De resurrectione Christi. *Cap. XLII.* 543.
De Ascensione Christi. *Cap XLIII.* 544.
De aduentu Domini ad Iudicium. *Cap. XLIV.* 545.
De pœnis inferni. *Cap. XLV.* 546.
De gloria cœlesti. *Cap. XLVI.* ibid.
Præludium in tractatũ de cognitione suijpsius. 547.
Pars prima huius exercitij. *Cap. XLVII.* ibid.
De malis corporis. *Cap. XLVIII.* ibid.
De malis animæ: & primò de illis, quæ cunctis hominibus sunt communia. *Cap. XLIX.* 548.
De malis cuiusque proprijs, vitæ tam præsentis, quã præteritæ. *Cap. L.* 549.
Secunda pars huius exercitij: quomodo bona omnia quæ habemus, à Deo sunt. *Cap. LI.* 550.
Gratiarum actio. *Cap. LII.* 551.

LIBER SEPTIMVS.

PRIMA PARS.

Quæ tractat de Amore Dei, in quo consistit christianæ vitæ perfectio.

QVid sit charitas, deque fructibus & excellentijs eiusdem. *Cap. I.* pag. 552.
Quomodo perfectio vitæ Christianæ consistit in perfectione charitatis: & quid sit perfectio charitatis. *Cap. II.* 557.
Prima pars huius tractatus. De ijs quæ promouent & impediunt amorem Dei. 558.
De generali remedio consequendi amorem Dei, ardentiss. scilicet amandi desiderio. *Cap. III.* ibid.
De alijs medijs particularibus, ad amorem Dei consequendum vtilissimis. *Cap. IV.* 560.
De orationibus & inspirationibus pro amore Dei impetrando. ibid.
De collectione sensuum, & fuga multorum negotiorum, seu multiplicis studij *Cap. V.* 561
De ieiunio, disciplina, & alijs vitæ austeritatibus. *Cap. VI.* ibidem.
De operibus misericordiæ. *Cap. VII.* 562.
De amore paupertatis, de persecutione & contemptu pro amore Dei. *Cap. VIII.* ibidem.
De pace cordis, & in Deo fiducia. *Cap. IX.* ibidem.
De amoris diuini præcipuis impedimentis, & primò de amore proprio. *Cap. X.* 563.
De mortificatione propriæ voluntatis. *Cap. XI.* 564.
Quomodo quæcunque peccatorum genera debeant euitari. *Cap. XII.* ibid.
Conclusio omnium supradictorum. *Cap. XIII.* 565.
Admonitiones quædam omnibus ad amorem Dei aspirantibus necessariæ, & primò de humili cognitione suijpsius. *Cap. XIIII.* 566.
De timore Dei. *Cap. XV.* ibidem.
De puritate intentionis in exercitijs pietatis seruanda.

uanda. *Cap.XVI.* ibidem.
De discretione in talibus exercitijs seruanda. *Cap. XVII.* 567.
De continuatione & perseuerantia in bonis exercitijs. *Cap.XVIII.* ibidem.
De præcipuis signis profectus nostri spiritualis. *Cap. XIX.* 568.

PARS SECVNDA.

In qua traduntur aliquot Orationes, & meditationes, quæ seruiunt ad amorem Dei in cordibus nostris accendendum.

DEuota beneficiorum diuinorum consideratio. *Cap.I.* 569.
Canticum. *Cap.II.* 573.
Orationes tres deuotæ ad impetrandum amorem Dei vtiles. *Cap.III.* ibidem.
Prima oratio, de perfectionibus diuinis. *Cap. IV.* 474.
Secunda oratio, de ijsdem. *Cap. V.* 575.
Tertia oratio. *Cap.VI.* 577.
Prima Meditatio in orationem Dominicam. *Cap. VII.* 579.
Secunda Meditatio in eandem. *Cap.VIII.* 580.
Tertia Meditatio. *Cap. IX.* 583.

ADIVNCTI MEMORIALIS.

LIBER PRIMVS.

In quo tractatur de Amore Dei, in quo consistit perfectio Christianæ vitæ.

DE nouem maximis prærogatiuis, seu excellentijs amoris Dei. *Cap.I.* 590.
De præcipuis medijs, quibus diuinus amor acquiritur. *Cap.II.* 597.
De primo remedio ad amorem Dei necessario, amoris scilicet proprij victoria. *Cap.III.* 598.
Quomodo amor Dei & amor inordinatus suijpsius inter sese non conueniunt. *Cap.IV.* 599.
De medijs & subsidijs, quibus victoriam de inordinato suijpsius amore licet consequi. *Cap.V.* 601.
De purificatione & mortificatione propriæ voluntatis. *Cap.VI.* 606.
De mortificatione & purificatione appetituum, passionumque naturalium. *Cap.VII.* 607.
De mortificatione malarum inclinationum, & de particularibus cuiuscunque defectibus. *Cap.VIII.* 608.
De victoria & purificatione omnium peccatorum. *Cap.IX.* 609.
De alijs impedimentis amoris Dei, & præcipuè de nimijs occupationibus. *Cap.X.* 610.

PARS SECVNDA.

In qua agitur de primarijs Virtutibus & exercitijs, quibus amor Dei acquiritur.

De primo exercitio, continua scilicet memoria Dei, & de petitione diuini huius amoris. *Cap.XI.* ibid.
Oratio ad impetrandum amorem Dei. 613.
De particularibus cuiusque diei exercitijs, & de feruore quo cum petendus est amor Dei. *Cap. XII.* 614.
De puritate intentionis in operibus bonis. *Cap.XIII.* 616.
De puritate & custodia cordis. *Cap.XIV.* ibidem.
De pace & quiete interiori animæ. *Cap.XV.* 617.
De virtute humilitatis. *Cap.XVI.* 618.
Deuotum exercitium cognitionis & contemptus suijpsius. *Cap.XVII.* 621.
Oratio ad impetrandam à Deo virtutem humilitatis 622.
Secunda admonitio de discretione & temperantia quæ in his sanctis exercitijs est seruanda. *Cap. XVIII.* 623.
Admonitio tertia, omnibus virtutibus simul studendum esse ijs, qui ad charitatem aspirant, cùm ea sine alijs haberi nequeat. *Cap.XIX.* 623.
Admonitio quarta, de fortitudine, & diligentia, quæ requiritur ad diuinum amorem adipiscendum. *Cap. XX.* 624.
Quinta admonitio, de virtute perseuerantię. *Cap. XXI.* 627.
Proëmium in considerationes sequentes. 628.
Prima consideratio de beneficio Creationis. *Cap. XXII.* 628.
Secunda consideratio, de beneficio corporalis vitæ conseruationis. *Cap.XXIII.* 630.
Tertia consideratio, de ineffabili beneficio Incarnationis, & Natiuitatis nostri Saluatoris, deque alijs sanctissimæ illius vitæ articulis. *Cap.XXIV.* 632
Quarta consideratio, de inæstimabili beneficio Redemptionis. *Cap.XXV.* 633
Quinta consideratio, de Baptismo & alijs Sacramẽtis, præcipuè vero de Eucharistia. *Cap.XXVI.* 635
Sexta consideratio, de beneficio Vocationis & Iustificationis. *Cap.XXVII.* 637.
Septima consideratio, de beneficio conseruationis in vita spirituali gratiæ. *Cap.XXVIII.* 638.
Septem aliæ considerationes de Perfectionibus diuinis, deque multis alijs rationibus & argumentis amorem Domini nostri excitantibus. 639.
Prima consideratio, de præcipua Deum amadi causa quæ est illius bonitas: in qua homo per opera naturæ, gratiæ, gloriæ, & iustitię ducitur in huius supremæ bonitatis cognitionẽ. *Cap.XXVIII.* ibid.
De orationibus iustorum. *Cap. XXIX.* 642.
De puritate vitæ Sanctorum. *Cap. XXX.* 644.
Secunda consideratio, de secunda causa amoris Dei, magnitudine scilicet pulchritudinis eius. *Cap. XXXI.* 647.
Insignis sententia Platonis de pulchritudine diuina differentis. *Cap.XXXII.* 649.
Tertia consideratio, continens aliam amoris diuini causam, magnitudinem scilicet amoris, quo Deus nos complectitur. *Cap. XXXIII.* ibidem.
Quarta consideratio, de alia causa nos ad amorem Dei impellente, spirituali scilicet cognatione animæ nostræ cum Deo. *Cap.XXXIV.* 652.
Quinta consideratio, continens aliam amoris diuini causam, ordinem scilicet inter creaturas & Creatorem: vbi etiam agitur quomodo Deus est nostra beatitudo, & vltimus finis. *Cap.XXXV.* 654
Sexta consideratio, de alia dilectionis causa, quæ est proportio & similitudo, quam habet anima cum Deo. *Cap. XXXVI.* 656.
Septima consideratio, in qua exponitur, quot titulis & nominibus Saluator mundi noster est, nobisque debetur: & quomodo illud in veteri testamento est præfiguratum. *Cap.XXXVII.* 657.
Oratio deuotissima pro impetrando amore Dei. *Cap.XXXVIII.* 659.
Alia oratio pro amore Dei impetrando, ex variis D. Augustini verbis compilata. *Cap.XXXIX.* 660.
Expostulatio IESV cum homine suapte culpa pereunte: in qua commemorantur omnes causæ amoris, quas (licet in Deo sint) homo in creatore neglecto, quærit. 661.
Conclusio totius libri, summam illius breuiter complectens. 662.

ADIVNCTVM SECVNDVM MEMORIALIS.

Vbi de præcipuis articulis & mysterijs vitæ Seruatoris nostri Iesu Christi, à Conceptione illius, vsque ad Ascensionem agitur.

QVam vtilis sit meditatio de vita & morte Seruatoris 664.
De Annunciatione B. Mariæ Virginis, & Incarnatione Filij Dei Meditat. I. 667.
Quomodo anima deuota spiritualiter concipit in se Dei filium 671.
De reuelatione virginitatis & conceptionis B. Mariæ Virginis Ioseph facta. Meditatio II. 672.
De gloriosa Natiuitate Seruatoris Meditat. III. 675.
De cogitationibus & contemplationibus B. Mariæ Virginis Meditatio IV. 677.
Quomodo Christus spiritualiter nascitur in animabus hominum deuotorum. 679.
De mysterio Circumcisionis, & glorioſi nominis IESV impositione Meditatio. V. 679.
De nomine IESV, Meditat. VI. 680.
De Magorum adoratione Meditat. VII. 682.
Quomodo anima pia cum Magis quærit puerum IESVM. 684
De Purificatione B. Mariæ Virg. & de Præsentatione pueri IESV in templo Medit. VIII. ibidem.
Quomodo anima deuota præsentet cum Virgine puerum IESVM in templo. 687.
De fuga in Ægyptum Meditatio IX. 687.
Quomodo puer IESVS duodecim annos natus amittitur, & à parentibus inuenitur. Med. X. 689.
Quomodo anima deuota inueniet puerum IESVM, postquam illum amisit 692.
De sacro Baptismate, ieiunio, tentatione, exemplis, laboribus, & doctrina Saluatoris. Medit. XI. 693.
De doctrina & prædicatione Saluatoris. Medit. XII. 694.
De virtutibus & exemplis Saluatoris. Medit. XIII. 695.
De laboribus Saluatoris. Medit. XIV. 696.
Qua misericordia Seruator noster vsus est erga quatuor mulieres: Samaritanam, Adulteram, Chananæam, & Magdalenam. Medit. XV. 697.
De muliere in adulterio deprehensa. Med. XVI. 697.
De muliere Chananæa. Medit. XVII. 698.
De conuersione Mariæ Magdalenę. Med. XVIII. 700
De introitu Christi in Ierusalem, deque festo Palmarum. Medit. XIX. 703.
Prologus in Passionem Domini 706.
Oratio B. Bonauenturæ ex libro, qui inscribitur Stimulus amoris ibidem.
De lotione pedum Apostolorum. Medit. XX. 708.
De institutione venerabilis Sacramenti Eucharistię. Meditat. XXI. 712.
Historia Passionis ex deuotissimo sermone D. Bernardi, quem male quidam B. Anselmo tribuunt, desumpta. Meditatio XXII. 714.
De orandi exemplo, quod oratio Saluatoris nostri hic nobis præscribit. ibidem.
Oratio ad Christum in horto precantem, pro bono fine, seu felici ex hac vita transmigratione. 715.
De captiuitate & præsentationibus Christi, ex sermone B. Bernardi, de passione Domini. Meditat. XXIII. 716.
Quomodo Christus Crucem in humeris suis vsque ad montē Caluariæ portauit. Medit. XXIV. ibid.
Consideratio D. Bernardi de gloria passionis Dominicæ & imitatione Crucis. Medit. XXV. 718.
Quomodo spiritualiter mysterium Crucis Dominicæ debeamus imitari. Medit. XXVI. 719.
Deuota meditatio de septem verbis Christi in Cruce prolatis. Meditat. XXVII. 720.
De glorioſa Resurrectio ne Domini, & primo de gaudio Sanctorum Patrum in Limbo, & quomodo illo die diabolus victus & spoliatus est. Med. XXVIII. 724.
De gaudio Sanctorum Patrum in Limbo. Medit. XXIX. 725.
De eodem Resurrectionis Dominicæ mysterio, & de diuersis apparitionibus Christi rediuiui. Medit. XXX. 728.
Quomodo Saluator apparuit Mariæ Magdalenę secundùm Euangelium Ioannis. Medit. XXXI. 729
De Ascensione Domini nostri ad cœlos Meditat. XXXII. 734.
De multiplici fructu qui ex Ascensione Domini nobis profluxit. Medit. XXXIII. 736.
Quomodo Seruatorem nostrum cum bonis desiderijs incœlum, sequi debeamus. Med. XXXIV. 738.
Quomodo Seruatorem debeamus sequi bonis operibus. Medit. XXXV. 739.
Philomena S. Bonauenturæ. 741.

VITÆ SPIRITVALIS DOCTRINÆ.

PARS PRIMA.

Considerationes & orationes his qui Deo seruire, incipiunt conuenientes complectens.

QVid facere debeat qui ad Deum à vitæ prauitate conuertitur. *Cap. I.* 744.
Octo considerationes ad timorem Dei atque dolorem & odium peccati mentem excitãtes. *Cap. II.* 745.
Prima consideratio de peccatorũ multitudine. ibid.
Secunda consideratio earum scilicet rerum quæ per peccatum amittuntur. ibidem.
Tertia consideratio quæ est diuinorum beneficiorum. ibidem.
Quarta consideratio, de iniuria, quæ fit Deo per peccatum. 746.
Quinta consideratio, de odio quo Deus peccatum prosequitur. ibidem.
Oratio pia pro vera cordis contritione impetranda. 747.
Sexta consideratio de morte. ibidem.
Septima consideratio de extremo iudicio. 748.
Octaua consideratio de pœnis inferni. ibidem.

PARS SECVNDA.

Qua continentur meditationes de diuinis beneficijs.

PROœmium. 749.
Quę ad considerationem diuinorum requiruntur. *Cap. I.* ibidem.
De exercitij huius vtilitate. *Cap. II.* 750.
De præparatione, quæ exercitij huius initium est. *Cap. III.* 751.
Gratiarum actio. ibid.
Punctum primum de beneficio creationis. ibid.
Punctum secundũ de beneficio conseruationis. 752.
Punctum tertium de beneficio Redemptionis. ibid.
Punctum quartum de beneficio Baptismi. ibid.
Punctum quintum de beneficio vocationis. 753.
Punctum sextum de beneficio diuinarum inspirationum. ibid.
Punctum septimũ de beneficio pręseruationis. ibid.
Punctum octauũ de beneficio Sacramentorũ. 754.
Punctum nonum de beneficijs particularibus. ibid.

Punctum

Punctum decimum de beneficio glorificationis. 755.
Methodus Deo pro acceptis beneficijs gratias agendi. ibidem.
Oblatio. 756.
Methodus oblationem instituendi. 757.
Documentum notabile circa petitionem quæ est vltima pars huius exercitij. ibidem.
Petitio. 756.

PARS TERTIA.

Considerationes de Vita Christi cõplectens.

PRoëmium. 759.
VITA CHRISTI. ibid.
Incarnatio Dominica. 760.
Visitatio B. Virginis. ibid.
Manifestatio puritatis B. Virginis. ibid.
Christi Natiuitas. ibid.
Circumcisio. ibid.
Præsentatio Domini in templum. ibid.
Magorum adoratio. ibid.
Inuentio Christi in templo. ibid.
De ieiunio & tentationibus. 761.
De baptismo. ibid.
De prædicatione. ibid.
De Christi miraculis. ibid.

Christi Domini nostri passio & mors.

De Saluatoris a Matre discessu. 762.
De vltima cœna. ibid.
Oratio & agonia CHRISTI in horto. ibid.
De Captiuitate Christi. ibid.
De trina Petri negatione. ibid.
Christi coram iudicibus præsentatio: illius flagellatio & coronatio. 743.
Crucis baiulatio: & Crucifixio. ibid.
De magnitudine dolorum Christi tum in passione tum in nece illius. ibid.
De septem verbis Domini in cruce. 764.

PARS QVARTA.

De cognitione suypsius.

De virtute humilitatis alijsque virtutibus ab ipsa procedentibus. 764.
Oratio. 765.

PARS QVINTA.

De oratione Mentis.

ADorationis exercitium rectè instituendum quæ requirantur. *Cap. I.* 766.
De præparatione ad orationẽ necessaria. *Cap. II.* ibid.
De lectione. *Cap. III.* 767.
De Meditatione *Cap. IV.* ibid.
De gratiarum actione. *Cap. V.* ibid.
De oblatione. *Cap. VI.* 768.
De petitione. *Cap. VII.* ibid.
Documenta quædam circa meditationem obseruanda. *Cap. VIII.* ibid.
Documentum primum. 769.
Documentum secundum. ibid.
Documentum tertium. ibid.
Documentum quartum. ibid.
Documentum quintum. ibid.
Documentum sextum. 770.
Documentum septimum. ibid.

PARS SEXTA.

De Deuotione.

Quid sit deuotio. 770.
Nouem media siue adiumenta per quæ virtus deuotionis facilius acquiri possit. 771.
Nouem deuotionis impedimenta. *Cap. III.* ibid.

PARS SEPTIMA.

De tentationibus vulgaribus nec non remedijs eorum. *Cap. I.* 772.
De prima tentatione & remedijs eius. ibid.
Tentationis secundæ remedia. 773.
Tertiæ tentationis remedia. ibid.
Quartæ tentationis remedia. ibid.
Quintæ tentationis remedia. ibid.

PARS OCTAVA.

De Oratione vocali.

PRo vtilitate ac necessitate vocalis orationis. *Cap. I.* 774.
Præludium ad intelligendum modum & intentionem orationum sequentium. 775.
Prima oratio, in qua creatura humiliter adorat suũ Creatorem considerans magnitudinem maiestatis illius ob quam adorari tanquam verus Deus meretur. ibid.
Secunda oratio, quæ agit de laudibus diuiuis & in qua multę recensentur diuinæ perfectiones. 776.
Tertia oratio, in qua Deo pro acceptis beneficijs gratiæ aguntur. 777.
Quarta oratio, in qua petimus à Deo charitatẽ ibid.
Quinta oratio, in qua creatura se deuouet atque offert suo creatori omnem obedientiam, in eum spem omnem suam collocans. 778.
Sexta oratio, in qua petimus à Deo perfectam obedientiam. ibid.
Oratio septima, qua homo seipsum & omnia sua Deo offert. 779.
Oratio ad Spiritum sanctum. 780.

PARS NONA.

Breuem confitendi & communicandi methodum illis qui hæc Sacramenta frequentant maximè deseruientem tradens.

PRoëmium. 780.
Memoriale peccatorum. 781.
Erga Deum. ibid.
Erga seipsum. ibid.
Erga proximum. ibid.
Circa peccata commissionis. 782.
Breuis instructio qua ostenditur qua eum reuerentia & deuotione ad sanctissimum Corporis & sanguinis Dominici sacramentum se fideles præparare debeant. ibid.

PARS DECIMA.

Orationes vocales ante & post Communionem recitandas complectens.

ORatio deuota ante Communionẽ dicenda. 783.
Oratio S. Bonauenturę post Communionẽ. 784.
Oratio sub Missa dicenda, in qua Patri mors vnigeniti filij sui offertur: Ex diuersis D. August. locis concinnata. ibid.
Alia oratio sub Missa, aut alioquocunque tempore legenda. 785.

PARS VNDECIMA.

Instructio siue regula bene viuendi.

PRo his qui Deo seruire incipiunt. 785.
De necessitate mortificationis. 786.
Considerationes ad mortificationis amorem hominem excitantes. ibid.
Prima pars, De mortificatione vitiorum & passionum. *Cap. III.* ibid.
Media ad hoc deseruientia. 787.
De exercitio & vsu virtutum, ac primum de charitate. *Cap. IIII.* 788.
De spe. *Cap. V.* 789.
De humilitate. *Cap. VI.* ibid.
De patientia. *Cap. VII.* ibid.
De paupertate spiritus. *Cap. VIII.* 790.
De castitate. *Cap. IX.* ibid.

De mor-

De mortificatione. *Cap. X.* ibid.
De rigore & asperitate vitæ. *Cap. XI.* ibid.
De silentio. *Cap. XII.* ibid.
De solitudine. *Cap. XIII.* 791.
De modestia exteriori. *Cap. XIV.* ibid.
De amore obseruantiæ regularis. *Cap. XV.* ibid.
De imitatione fundatoris suæ Religionis. *Cap. XVI.* ibidem.
De discretione. *Cap XVII.* 792.
De obedientia. *Cap. XVIII.* ibid.
Quæ adiumento esse possint ad prædicta in opus cõferenda. *Cap. XIX.* ibid.
De medijs quibus acquiritur deuotio. *Cap. XX.* 793.
Summaria dictorum recapitulatio. 794.

TRACTATVS DE MYSTERIO incarnationis Filij Dei in modum Dialogi.

PRologus. 795.
Argumentum Dialogi 796.

Tractatus de Mysterio Incarnationis Filij Dei, super illa verba Esaiæ Prophetæ.

Notas facite in populis adinuentiones eius. 797.

TRACTATVS DE SCRVPVlis Conscientiæ.

Quid sit scrupulus, & quænam eius effecta. *Cap. I.* 810.
Origo & initium Scrupulorum *Cap. II.* ibid.
Remedia quibus scrupuli ab anima pellãtur. *Ca. III.* 811.

Ioannis Auilæ vita ex Hispaniæ Bibliotheca And. Shotti Antuerpiani S. IESV. 817.

VITA IOAN. AVILÆ

LIBER PRIMVS.

DE eius pueritia. *Cap. I.* 820
Proposuisse sibi ad imitandum S. Paulum Apostolum in Prædicationis munere; quæque huic muneri necessaria. *Cap. II.* 821.
De diuino amore concionatori necessario, quem & *Auila* habuit. ibid.
De ardore & spiritu concionantis, quo & *Auila* flagrauit. 822.
Quis sensus & intentio concionanti necessaria in peccantis lapsu quem & *Auila* possedit. 823.
De proximorum charitate in isto etiam concionatore. ibid.
Eloquentia visquæ dicendi *Auilæ*. 824.
De lumine singulari atque intellectu *Auilæ* concessis. *Cap. III.* 825.
De Epistolarum eius elegantia. ibid.
De conceptorum eius acuminibus. 826.
Quid de concionatoris censerit officio. ibid.
Quid de Sacerdotij senserit dignitate. 827.
De præparatione ad Missæ sacrificium quid senserit, ibid.
De charitate & amore Dei. 828.
De pœnitentiæ virtute, & peccatorum dolore. 829.
De vera humilitate & sui cognitione. 830.
De confidentia & magnitudine beneficij Redemptionis humanæ, cui illa innititur. 832.
De Crucis Christi mysterio singularis *Auilæ* notitia. 833.
De consilio & discretione spirituum, quam *Auila* tenuit. 834.

LIBER II.

De proprijs eius Virtutibus. 835
De precandi ratione. ibid.
Modestia eius in vsu familiari. ibid.
De Paupertatis virtute. 836.
De abstinentiæ virtute. 837.
De patientia in morbis tolerandis. ibid.
De tolerantia in aduersis. 838.
De pietate eius erga B. Virginem 839.
Quam deditus Eucharistiæ Sacramento fuerit. ibid.
De Concionibus eius sacris, earumque fructu. *Cap. IV.* 840.
Granatæ concionatur. 844.
Astigi concionatur ibid.
Montillæ agit Ecclesiasten. 842.
Aliquot insignes & illustres matronæ *Auilæ* doctrina ad pietatem traductæ. 843.
De Domina Sanctia. ibid.
De Do. Leonora de ynestrosa. 844.
De alia Domina. ibid.
Quibus medijs fructum lucrandi animas, de quibus hactenus est actum, sit consecutus. *Cap. V.* 846.

COMPENDIVM SPIRITVAlis Doctrinæ Reuerendiss. P. F. Bartholomæi de Martyribus.

Præfatio Ludouici Granatensis. 850.

PARS PRIMA.

In qua de mortificationis virtute & purgatione vitiorum agitur.

REmedia cõmunia aduersus omnia vitia. *Cap. I.* 853.
Remedia propria singulorum vitiorum. *Cap. II.* 854.
Remedia contra Inuidiam & Odium §. I. ibid.
Remedia Tristitiæ, & Acediæ §. II. ibid.
Remedia contra Auaritiam, id est anxiam congregandi cupiditatem, & conseruandi nimiam tenacitatem §. III. ibid.
Remedia contra Gulam. §. IIII. ibid.
Remedia contra Luxuriam. §. V. ibid.
Abstinentiæ salutaris documentum. *Cap. III.* 855.
Documenta ad perfectionem spiritualem ex Opusculo Bonauenturæ vigintiquinque memorabilium. *Cap. IIII.* ibid.
Alia eiusdem documenta ex Opusculo Forma Nouitiorum dicto. *Cap. V.* 857.
Remedia defectuum Religiosi, ex Opusculo Bonauenturæ sic inscripto. *Cap. VI.* 859.
Regulæ variæ, & pulcha documenta vitæ spiritualis. *Cap. VII.* 860.
Alia non minus vtilia Documenta. *Cap. VIII.* 861.
Ex Opusculo Bernardi de Interiori domo. *Cap. IX.* 862.

PARS SECVNDA.

DE studio sanctæ Meditationis, Orationis & Cõtemplationis. *Cap. X.* 863.
Vtile exercitium. *Cap. XI.* 865.
Ex Gersone de mystica Theologia. *Cap. XII.* 869.
Quædam media perueniendi ad hanc mysticam Theologiam. *Cap. XIII.* 871.
Ex Bonauenturæ amatorio. *Cap. XIV.* 873.
Ex Gersone de monte contemplationis. *Ca. XV.* 875.
Dulces Buccellæ ex D. Bernardo in varijs locis collectæ. *Cap XVI.* 879.
Ex Gersone, tractatu de discretione exercitiorum. *Cap. XVII.* 883.
Egregia quædam documenta collecta ex D Bernardo & Bonauentura in tractatu meditationum vitæ Christi. *Cap. XVIII.* 884.
Ordo quotidiani exercitij. *Cap. XIX.* 888.
Quod perfectio consistat in parte affectiua. *Cap. XX.* 891.
Excerpta ex opusculo Bonauenturæ de præparatione ad Missam. *Cap. XXI.* 895.
Ex Soliloquio eiusdem D. Bonauenturæ. *Cap. XXII.* 895.

Ex

Ex Itinerario mentis in Deum. *Cap. XXIII.* 895.
Ex opusculo de septem itineribus æternitatis *Cap. XXIV.* 896.
Anagogica expositio orationis Dominicæ. *Cap. XXV.* 899.
Idem in opusculo de septem gradibus contemplationis. *Cap. XXVI.* ibid.
Exercitium spirituale quotidianum, quod doceatur sub hac methodo. Et metaphoris. *Cap. XXVII.* 901
Oratio Bonauenturæ. *Cap. XXVIII.* 903.
Ex opusculo Bonauenturæ de mystica Theologia. *Cap. XXX.* 904.
De humilitate *Cap. XXXI.* 906.
Ardens oratio ad postulandam charitatem. *Cap. XXXII.* 909.
Inflammantia verba ex opusculo de interiori domo *Cap. XXXIII.* 912.
Ex Bernardo in libro de amore Dei. *Ca. XXXIV.* 914.
Nonnullæ gemmæ & ardentes faculæ ex Bernardo super Cantica. *Cap. XXXV.* 915.
Eiusdem autoris annotatio de vita contemplatiua. 919.

LIBRI DE IMITATIONE Christi Thomæ de Kempis.

Præfatio Ludouici Granatensis. 921.

LIBER PRIMVS. Continens admonitiones ad spiritualem vitam vtiles.

DE imitatione Christi & contemptu omnium vanitatum mundi. *Cap. I.* 922.
De humili sentire suijpsius. *Cap. II.* ibid.
De doctrina veritatis. *Cap. III.* 923.
De prudentia in agendis. *Cap. IV.* ibid.
De lectione Sanctarum Scripturarum. *Cap. V.* ibid.
De inordinatis affectionibus. *Cap. VI.* ibid.
De vana spe & elatione fugienda. *Cap. VII.* 924.
De cauenda nimia familiaritate. *Cap. VIII.* ibid.
De obedientia & subiectione. *Cap. IX.* ibid.
De cauenda superfluitate verborum. *Cap. X.* ibid.
De pace acquirenda, & zelo proficiẽdi. *Ca. XI.* ibid.
De vtilitate aduersitatis. *Cap. XII.* 925.
De tentationibus resistendis. *Cap. XIII.* ibid.
De temerario iudicio vitando. *Cap. XIV.* ibid.
De operibus ex charitate factis. *Cap. XV.* 926.
De sufferentia defectuum aliorum. *Cap. XVI.* ibid.
De monastica vita. *Cap. XVII.* ibid.
De exemplis Sanctorum Patrum. *Cap. XVIII.* ibid.
De exercitijs boni Religiosi. *Cap. XIX.* 927.
De amore solitudinis & silentij. *Cap. XX.* ibid.
De compunctione cordis. *Cap. XXI.* 928.
De consideratione humanæ miseriæ. *Cap. XXII.* ibid.
De meditatione mortis. *Cap XXIII.* 929.
De iudicio & pœnis peccatorum. ibid.
De feruenti emendatione totius vitę nostrę. 930.

LIBER SECVNDVS. Admonitiones continens ad interna trahentes.

DE interna conuersione. *Cap. I.* 931.
De humili submissione sub regimine Prælati. *Cap. II.* 932.
De bono & pacifico homine. *Cap. III.* ibid.
De pura mẽte & simplici intẽtione. *Cap. IIII.* ibid.
De propria consideratione. *Cap. V.* ibid.
De lætitia bonæ conscientię. *Cap. VI.* 933.
De amore Iesu super omnia. *Cap. VII.* ibid.
De familiari amicitia Iesu. *Cap. VIII.* ibid.
De carentia omnis solatij. *Cap. IX.* 934.
De gratitudine pro gratia Dei. *Cap. X.* ibid.
De paucitate amatorum crucis Iesu. *Cap. XI.* 935.
De regula Sanctæ Crucis. *Cap. XII.* ibid.

LIBER TERTIVS. De interna consolatione.

De interna Christi loquutione ad animam fidelem. *Cap. I.* ibid.
Quod veritas intus loquitur in strepitu verborum. *Cap. II.* 936.
Quod verba Dei cum humilitate sunt audienda, & quod multi ea non ponderant. *Cap. III.* 937.
Oratio ad implorandam gratiam ibid.
Quod in veritate & humilitate coram Deo conuersandum est. *Cap. IV.* ibid.
De mirabili effectu diuini amoris. *Cap. V.* 938.
De probatione veri amatoris. *Cap. VI.* ibid.
De occultanda gratia sub humilitatis custodia. *Cap. VII.* 939.
De vili æstimatione suijpsius in oculis Dei. *Cap. VIII.* ibid.
Quod omnia ad Deum, sicut ad finem vltimũ tunt referenda. *Cap. IX.* ibid.
Quod spreto mundo dulce est seruire Deo. *Cap. X.* ibid.
Quod desideria cordis examinanda sunt & moderanda. *Cap. XI.* 940.
De informatione patientię, & luctamine aduersus concupiscentias. *Cap. XII.* ibid.
De obedientia humilis subditi ad exemplum Iesu Christi. *Cap. XIII.* ibid.
De occultis Dei iudicijs considerandis, ne extollamur in bonis. *Cap. XIV.* 941.
Qualiter standum sit ad dicendum in omni re desiderabili. *Cap. XV.* ibid.
Oratio pro beneplacito Dei perficiendo 941.
Quod verum solatium in solo Deo est quærendum *Cap. XVI.* ibid.
Quod omnis solicitudo in Deo ponenda sit. *Cap. XVII.* 942.
Quod temporales miseriæ Christi exemplo æquanimiter sunt ferendæ. *Cap. XVIII.* ibid.
De tolerantia iniuriarum, vt quis verus patiens probetur. *Cap. XIX.* 942.
De confessione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miserijs. *Cap. XX.* ibid.
Quod in Deo super omnia bona, & dona requiescẽdum est. *Cap. XXI.* 943.
De recordatione beneficiorum Dei multiplicium. *Cap. XXII.* ibid.
De quatuor magnam importantibus pacem. *Cap. XXIII.* 944.
Oratio contra cogitationes malas ibid.
Oratio pro illuminatione mentis deuotissima. ibid.
De euitatione curiosæ inquisitionis super alterius vita. *Cap. XXIV.* ibid.
In quibus firma pax cordis, & verus profectus consistit. *Cap. XXV.* ibid.
De eminentia liberæ mentis, & quod supplex oratio magis meretur, quam lectio. *Cap. XXVI.* 945.
Quod priuatus amor à summo bono maximè retardat. *Cap XXVII.* ibid.
Oratio pro purgatione cordis, & cælesti sapientia ibid.
Contra linguas obtrectatorum. *Cap. XXVIII.* ibid.
Qualiter instante tribulatione inuocandus est & benedicendus. *Cap. XXIX.* ibid.
De diuino petendo auxilio & confidentia recuperandæ gratiæ. *Cap. XXX.* 946.
De neglectu omnis creaturæ, vt Creator possit inueniri. *Cap. XXXI.* ibid.
De abnegatione sui, & abdicatione omnis cupiditatis. *Cap. XXXII.* 947.
De instabilitate cordis, & de intentione finali ad Deum habenda. *Cap. XXXIII.* ibid.
Quod amanti sapit Deus super omnia & in omnibus.

bus. *Cap. XXXIV.* ibid.
Quod non est securitas à tentatione in hac vita. *Cap. XXXV.* ibid.
Contra vana hominum iudicia. *Cap. XXXVI.* 948.
De pura & integra resignatione sui ad obtinendam cordis libertatem. *Cap. XXXVII.* ibid.
De bono regimine in externis, & recursu ad Deum in periculis. *Cap. XXXVIII.* ibid.
Quod homo non sit importunus in negotijs. *Cap. XXXIX.* ibid.
Quod homo nihil boni ex se habet, & de nullo gloriari potest. *Cap. XL.* 949.
De contemptu omnis temporalis honoris. *Cap. XLI.* ibid.
Quod pax non est ponenda in hominibus. *Cap. XLII.* ibid.
Contrà vanam & secularem scientiam. *Cap. XLIII.* ibid.
De non attrahendo sibi res exteriores. *Cap. XLIV.* 950.
Quod non omnibus est credendum, & de facili lapsu verborum. *Cap XLV.* ibid.
De confidentia in Deo habenda, quando insurgunt verborum iacula. *Cap. XLVI.* ibid.
Quod omnia grauia pro æterna vita sunt toleranda. *Cap. XLVII.* 951.
De die æternitatis & huius vitæ angustijs. *Cap. XLVIII.* ibid.
De desiderio æternæ vitæ, & quanta sint certantibus bona promissa. *Cap. XLIX.* 952.
Qualiter homo desolatus debeat in manus Dei se offerre. *Cap. L.* ibid.
Quod humilibus insistendum est operibus, quum deficitur à summis. *Cap. LI.* 953.
Vt homo non reputet se consolatione dignum, sed magis verberibus reum. *Cap. LII.* ibid.
De gratia Dei quæ non miscetur terrena sapientibus. *Cap. LIII.* ibid.
De diuersis motibus naturę & gratię. *Cap. LIV.* 954.
De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ diuinæ. *Cap. LV.* ibid.
Quod nosipsos abnegare, & Christum imitari debemus per Crucem. *Cap. LVI.* 955.
Vt homo non sit nimis deiectus quando in aliquos labitur defectus. *Cap. LVII.* ibid.
De altioribus rebus & occultis iudicijs Dei non scrutandis. *Cap. LVIII.* 956.
Quod omnis spes & fiducia in solo Deo est figenda. *Cap. LIX.* ibid.

LIBER QVARTVS.

De augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

Deuota exhortatio ad Sanctam corporis Christi communionem. 957.
Cum quanta reuerentia Christus sit suscipiendus. *Cap. I.* ibid.
Quòd magna bonitas & charitas Dei, in Sacramento, homini exhibetur. *Cap. II.* 958.
Quòd vtile sit, sæpè communicare. *Cap. III.* 959.
Quòd multa bona præstantur, deuotè communicantibus. *Cap. IV.* ibid.
De dignitate Sacramenti, & statu sacerdotali. *Cap. V.* 960.
Interrogatio de exercitio, ante Communionem. *Cap. VI.* ibid.
De discussione propriæ conscientię, & emendationis proposito. *Cap. VII.* ibid.
De oblatione Christi in cruce, & propria resignatione. *Cap. VIII.* 961.
Quòd nos & omnia nostra, Deo debemus offerre, & pro omnibus orare. *Cap. IX.* ibid.
Quòd sacra Communio, de facili non est reliquenda. *Cap. X.* ibid.
Quòd corpus Christi, & sacra Scriptura, maximè sunt animę fideli necessaria. *Cap. XI.* 962.
Quòd magna diligentia se debeat, communicaturus Christo, præparare. *Cap. XII.* 963.
Quòd toto corde anima deuota Christi vnionem in Sacramento affectare debet. *Cap. XIII.* ibid.
De quorundam deuotorum ardenti desiderio, ad Corpus Christi. *Cap. XIV.* ibid.
Quòd gratia deuotionis humilitate, & suijpsius abnegatione, acquiritur. *Cap. XV.* 964.
Quòd necessitates nostras Christo aperire, & eius gratiam postulare debemus. *Cap. XVI.* ibid.
De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi Christum. *Cap. XVII.* ibid.
Quòd homo non sit curiosus scrutator Sacramenti, sed humilis imitator Christi, subdendo sensum suum sacræ fidei. *Cap. XVIII.* ibid.
Practica libelli De imitatione Christi Thomæ à Kempis. 965.
Epistola Caroli à Basilica Petri Presbyteri Mediolanensis. ad R. P. F. Ludouicum Granatensem de obitu Caroli Boromæi Card. 969.

FINIS INDICIS.

PROLOGVS
LIBRI PRIMI
DVCIS PECCATORVM
R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS ORDINIS S. DOMINICI,

INTERPRETE MICHAELE AB ISSELT.

DICITE *iusto quoniam bene.* Esaiæ 3. Hæc est legatio, quam Deus olim misit omnibus iustis, obeunte illam Propheta Esaia, verbis quidem breuem & strictam, sed gratijs ac præmijs copiosissimam opulentissimamque. Solent homines promissionibus esse liberales, sed tenaces & auari in promissionibus exoluendis: contrario modo Deus adeò liberalis est, & magnificus in solutione, vt verba promissionis re & satisfactione multo sint minora. Quid enim breuius dici poterat, quàm; *Dicite iusto quoniam bene*? Sed ô quot, & quãta sunt, quæ sub vocula *bene* comprehenduntur? Quam sine vlla extensione & expositione sic relictum, existimo, vt intelligerent homines, impossibile esse, vt pro rei veritate & natura sua explicaretur: nec etiam de his aut illis bonis hanc voculam intelligi, sed de omnibus bonorum generibus, quæ sub hac vocula *bene* comprehenduntur, sine vlla limitatione. Esa. 3. 10. Dissimile.

Hanc ob causam responsum est Moysi à Domino, cùm rogabat, quòd ipsi esset nomen; *Sum qui sum*: nullo alio addito verbo, vt significaret Deus, suum Esse nullis verbis posse circumscribi, vel definiri; sed vniuersale esse, quod in se omnia genera essentiarum comprehendit, omnemque perfectionem, quæ sine vlla imperfectione pertinet ad ipsum Esse. Ita & hoc loco Propheta ponit dictionem hanc breuem, *Bene*, non addendo aliquam explicationem, vt significaret, totam vniuersitatem bonorum, quæ ab humano corde possunt desiderari, inueniri in hac voce, & illi coniunctam esse, quod Dominus hic pollicetur iusto in virtutis remunerationem. Exod 3. 14.

Hoc est primarium & principale argumentum, quod adiuuante S. Spiritus gratia in hoc libro tractare proposui: cui etiam adiungam consilia, documenta, & regulas, quæ obseruari debent ab his qui virtutis sunt studiosi. Secundum hoc propositum liber iste in duos tomos, seu partes principales diuidetur. *Diuisio libri.*

In priori ostendentur obligationes & arctissima vincula, quæ nos constringunt ad virtutem sectandam: inæstimabiles quoque fructus & vtilitates, quæ ex hoc studio eruantur.

In posteriori parte, vel tomo, tractabimus de vita pia, quæ iuxta præscriptum virtutis ducitur, deque admonitionibus & doctrinis, quæ ad illam requiruntur. Duo enim sunt necessaria, vt quis pius & probus euadat; Primum est, vt quis realiter cupiat esse virtute præditus. Secundum, vt sciat quomodo talis fieri potest. Ad primum horum duorum vtilis est liber primus, ad alterum secundus. Qui enim, teste Plutarcho, virtutem docent amplectendam, viam autem, & modum ad illam perueniendi non tradunt, perinde faciunt atque illi, qui quidem lucernam accendunt, vt ardeat, oleum verò non infundunt. Licet verò liber secundus valdè sit vtilis, primus tamen (vt ita dicam) maximè est necessarius. Ratio est, quia ad cognitionem boni & mali ipsum lumen & ratio naturalis, quæ vnà nobiscum nascitur, plurimùm conducit: sed vt diligamus vnum, & alterum prosequamur odio; amplectamur vnum, fugiamus alterum, maximæ nobis contradictiones, & impedimenta occurrunt, quæ à peccato nata sunt, tam intra, quàm extra hominem. *Duo ad pietatem requiruntur.* Simile.

Cùm enim homo compositus sit ex spiritu & carne, & vtraque pars appetat sibi simile; caro semper carnalia quærit, in quibus vitia dominantur; spiritus autem desiderat spiritualia, in quibus regnant virtutes, ideoque spiritus magnam à propria carne sentit & experitur contradictionem & repugnantiam, quæ non habet rationem, nisi earum rerum, quæ delectant & voluptatem adferunt, quæ desideria atque appetitus post peccatum originale sunt vehementissima, cùm per illud amissum sit frenum originalis iustitiæ, quo cum illa erant refrænata. Nec tantùm caro spiritui repugnat, sed & *mundus*: qui teste Ioanne, *totus in maligno positus est*. Refragatur etiam Dæmon capitalis 1. Ioan. 5. 19.

capitalis, virtutum inimicus: resistunt habitus vitiati, & mala consuetudo, quæ est quasi altera natura, maximè in iis, qui temporis diuturnitate in malo consenuerunt & confirmati sunt. Vt itaq; audacter quis per medium harum difficultatum queat tranare, & verè, totoq; cordis desiderio possit virtutem appetere, in carnis, omnisque illius potentiæ contemptum, negari non potest, quin huic difficultates occurrant, auxiliumque illi sit necessarium.

Vt itaque ad primam hanc partem perueniamus, prior hic liber compositus est, & in lucem editus; in quo multum desudaui, totisque meis viribus laboraui, vt in vnum quasi aceruum colligerem rationes omnes, quæ ad qualitatem huius materiæ, modumque scribendi in gratiam virtutis aliquid conducere videbantur, statuēdo ante oculos quorumcunque vtilitatem, & fructus, qui virtutem sequuntur, tam in hac, quàm in futura vita, & declarando summas obligationes, quibus virtuti sumus obstricti, cùm Deus illam nobis præcipiat, cui non parere religio est, & cui obligati sumus, tam propter id quod in seipso est, quàm quod pro nobis, vel erga nos. Ad argumentum hoc tractandum permotus sum ex eo, quod viderem quotidie maiorem hominum partem laudare quidem virtutem verbis, factis autem vitia sectari. Et sanè, vt mihi quidem videtur, inter alias multas tanti mali causa vna est, quia homines conditionem & naturam Virtutis ignorantes existimāt illam asperam esse, sterilem & molestam. Hanc ob causam, cùm toti vitijs sint immersi (eò quòd iucundiora ipsis videantur) ab omni virtute abhorrent, rati eam nihil dulcedinis habere.

Horum itaque hominum erroris misertus laborem hunc libenter subire volui, vt ostenderem quot, & quantæ sunt diuitiæ, delectationes, thesauri, quanta sit digitas, & pulchritudo cælestis huius sponsæ, & simul demonstrarem quàm incognita ea sit hominibus, vt hæ meæ admonitiones eos ab hoc errore liberarent & amore rei tam pretiosæ inflammarent.

Nam si verum sit, excellentissimarum rerum quæ in cælo vel in terra sunt, hanc vnam esse, maximeque diuinam quæ ametur, & in pretio habeatur, dolendum sanè est, homines à tanti boni cognitione atque appetitu tam esse alienos. Magnum itaque beneficium toti humano generi facturus est, quisquis is fuerit, qui studet hanc Dominam suo restituere honori, & ad regale suum soliū reducere. Est enim Regina & Domina rerum omnium.

Sed priusquam ad institutum veniam, exemplo quodam ostendam, qua intentione hoc scriptū debeat vsurpari. Scribunt Ethnici de celebri suo Hercule, cùm primùm pubesceret (quod tempus à natura ad eligendum, quam quisque viuendi viam sit ingressurus, datum est) exisse cum in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cùm duas cerneret vias, vnam Voluptatis, alteram Virtutis, vtram ingredi melius esset: tandem post diuturnam deliberationem, relicta voluptate, virtutis viam ingressam esse. Profectò si qua res in mundo sit deliberatione & consilio digna hæc est. Etenim si toties tractemus ea, quæ ad vsum vitæ pertinent, de ijsque tam maturè deliberemus; quanto magis trutinandum pensitandumque est de ipsa vita? maximè cùm tot tamque diuersa viuendi genera in mundo reperiantur.

Cic. lib. 1. Offic.

Age itaque mi frater hoc est quod modò facere te volo, & ad quod te inuito. Sciendum itaque est, ante omnia necesse esse, vt exiguo hoc tempore postponas omnes cogitationum & negotiorū huius mundi turbas, hanc spiritualem solitudinē ingrediaris, & tecum incipias deliberare de modo & via vitæ, quam in posterum sequi te oporteat. Recordare inter omnes res humanas nullam esse, quæ maiori cum cura & attentione debet expendi & examinari, quæque longius requirit tempus in deliberando, quàm electio generis vitæ, quod vsque ad mortem sequendum & continuandum est. Si enim principium bonum fuerit, etiam quæ sequuntur erunt laudabilia; econtrariò verò si in electione peccetur, quicquid superest de malo in peius procedet. Ita vt cùm omnes aliæ deliberationes cum erroribus suis, qui in ijs committuntur, particulares sint, hæc sola generalis sit, quæ omnes alias in se continet.

Dic mihi quæso, quid poterit ædificari super malo fundamento? Quid prosunt optimi quique successus? quid admonitiones & consilia, si vita sit malè ordinata? Et quid obesse possunt omnes aduersitates, si vita sit ornata & bene instituta? *Quid enim prodest homini*, ait Saluator: *si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*? De nulla itaque re vel negotio grauiori sub cælo tractari potest, de nullo magis homini proprio, aut maioris momenti; non enim hic agitur de opibus, aut de honoribus; sed de vita animæ, & gloria sempiterna. Noli igitur leui brachio hæc percurrere, neque oscitanter, vt pleraque alia perlegis, festinans, multa subinde folia prætermittens, cupiens videre finem, antequam principia bene examinaueris: sed volo vt tanquam Iudex sedeas pro tribunali cordis tui, & audias omnia verba hæc cum silentio & quiete animi. Non est hæc res properanter peragenda, sed lentè & quietè: quoniam in ea disceptatur de totius vitæ regimine, & quicquid inde dependet. Perpende quomodo desideras omnia huius mundi negotia esse bene ordinata; in his enim determinandis non sufficit tibi vnius hominis sententia, sed curas ea videri, examinari, & trutinari à diuersis Doctoribus, Aduocatis, & Iudicibus, ne fortè in illis delinquatur.

Matt. 16, 26. Marc. 8, 36. Luc 9, 15.

Quare cum in hoc casu non agatur de terra, sed de cælo, non de tuis, sed de teipsos, animaduerte hanc rem non debere ponderari oscitanter, & negligenter, sed cum maxima attentatione. Si vsque huc erraueris, nunc demum existima te renasci, & incipe intrare cum teipso in iudicium, filumque errorum tuorum præscindere, atque exordire alia via telam hanc dissoluere. O quis dabit, vt mihi nunc credas, & attentis auribus me audias, bonique instar iudicis sententiam iuxta ea quæ prædicta & probata sunt pronunties: esset enim hæc definitio verè beata, & labor maximopere salutaris.

re salutaris. Scio quidem me nimium postulare, & non inueniri scriptum aliquod tam efficax, vt hoc queat præstare: ideoque in principio operis mei (quale quale illud est) hoc vnum oro, vt qui est Virtus & Sapientia Patris (qui habet clauem Dauid, vt aperiat & claudat cælum cui vult) hîc præsens adsit, & se misceat his meis sermonibus, spiritumque & vitam ad persuasionem largiatur ijs, qui hæc lecturi sunt. 1. Cor. 10. Apoc 3.

Quòd si autem fructum nullum ex hoc meo labore reportauero, vel hoc mihi præmium erit sufficiens, quòd desiderio meo satisfecerim, & semel meipsum saturauerim, laudando rem on maiorem præconio, qualis est Virtus, præsertim cùm multo iam tempore animum huic stu applicare desiderauerim.

Illud autem per omnia obseruaui in hoc opere (quod & in omnibus alijs) vt cunctis hominu generibus, spiritualibus & non spiritualibus, me accommodarem: vt quemadmodum causa & cessitas est communis, ita & commune esset hoc scriptum. Etenim legentes hoc boni in amo Virtutis confirmabuntur, & profundiores in illa radices agent: hi autem qui boni non sunt, fo per hoc intelligent quid perdiderunt. Hoc nostro labore boni parentes poterunt educare & inf tuere suos filios, cùm adhuc sunt paruuli, vt à teneris assuescant habere Virtutem in honore veneratione, eiusque esse studiosi: cùm maximum gaudium, quo pater, delectatur, sit videre que amat filium esse amatorem virtutis, reuera probum, & omni genere virtutum exornatum.

Vtilissima autem erit hæc disciplina ijs præsertim, quibus incumbit in Ecclesia docere populi & virtutem persuadere, traduntur enim hîc ordine Tituli primarij, & rationes, quæ nos virtutun faciunt debitores, ad quas etiam, tanquam ad locos communes, reduci possunt omnia, quæ de ha materia scripta sunt. cumque tractetur hic de bonis gratiæ, quæ in præsenti seculo Virtuti pro mittuntur, (quæ duodecim insignioribus illius priuilegijs explicantur) & verum sit omnia hæc bona nos habere per Christum, consequens est, doctrinam hanc plurimum luminis allaturam sacrarum Scripturarum intelligentiæ, præsertim quæ agunt de mysterio Christi, & inæstimabili beneficio nostræ Redemptionis: de quo inter alios magis ex professo scribunt Propheta Esaias, Salomon in Canticis suis, & similes alij.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI.

PRIMVS *hic liber, Christiane Lector, continet prolixam ad virtutem exhortationem, quæ est custodia & obedientia mandatorum Dei, in qua consistit vera Virtus. Diuisus est autem in tres partes principales. In prima suadetur virtus rationibus & argumentis communioribus, quæ solent à sanctis Patribus potissimum allegari: qualia sunt obligationes, quibus Domino Deo nostro sumus obstricti, tam per hoc quod ipse in se est, quam per illud quod est pro nobis, inæstimabilium beneficiorum suorum ratione: nec non & per ipsius virtutis necessitatẽ, quæ probatur per quatuor nouissima: vt sunt Mors, Iudicium, Gloria cælestis, & Infernus. Atque hæc in prima parte tractantur.*

In secunda parte idem conuincitur ex alijs nouis rationibus: vt sunt bona gratiæ, quæ virtutum studiosis promittuntur in hac vita. Duodecim hic particularia priuilegia recensentur, quibus ipsa virtus est celebris, de singulis autem seorsim disseritur, quæ priuilegia etsi nonnunquam breuiter à Sanctis attingantur, ostendẽtibus lucem, pacem, veram libertatem, gaudium tranquillæ conscientiæ, consolationes Spiritus sancti (quibus rebus fruuntur iusti, & quæ in societate Virtutũ circumducuntur) numquam tamen hactenus à me quisquam visus est, qui materiam hanc tam copiosè, & illo, quo nos, ordine, tractauit. Propterea non minima fuit molestia, nec labor exiguus, corradere & in vnum cogere hæc omnia ex diuersis Scripturæ locis, eaque proprijs suis nominibus appellare, in ordinem redigere, explicare, & singula illorum diuersis eiusdem Scripturæ Patrumque testimonijs comprobare. Fuit autem hæc diligentia admodũ necessaria, vt illi qui non mouentur ad amandum Virtutem spe bonorum futurorum, eò quòd longè à nobis dissita videantur saltem vtilitate inæstimabilium bonorum, quæ secum adfert Virtus in hoc seculo, mouerentur.

Sed quia non sufficit rationes omnes producere, quæ rem aut quæstionem probant & stabiliunt, nisi etiam argumenta atque obiectiones contraria refutentur: propterea. Tertia huius libri pars istis euertendis occupatur, in qua omnibus excusationibus & obiectionibus, quæ ab hominibus vitiosis, cur virtutem fugiant, solent allegari, copiosè respondetur. Ne autem Christianus Lector confundatur, scire operæ pretium est, priorem hunc librum pertinere ad primum nostri vitæ Christianæ Memorialis, in quo similis ad virtutem continetur exhortatio. sed breuis admodum, prout soli memoriæ seu recordationi conueniebat: hic autem ex professo & copiosè tam necessarium & nobile argumentum, quo nihil vtilius extat in hoc mundo, tractatur. Posterior verò liber respondet ad Regulam vitæ Christianæ, à nobis traditam, quæ in hoc libro extat locupletior & auctior. Quia verò materia duorum istorum librorum est Virtus, non ignorare volumus Lectorem, nos per vocabulum Virtutis non tantum intelligere virtutis habitum, sed eius etiam actiones & officia, ad quæ nobilis ille habitus ordinatur, notissima siquidem figura est effectum per nomen causæ, & causam per vocabulum effectus significare.

DVCIS PECCATORVM

LIBER PRIMVS.

IN QVO PROLIXA ET COPIOSA AD virtutem & diuinorum mandatorum obseruantiam exhortatio continetur.

TITVLVS PRIMVS.

QVOD HOMO VIRTVTEM APPETERE, DEOQ; SERVIRE OBLIGATVS EST: & de excellentia perfectionum diuinarum.

CAPVT I.

DVO potissimum Christiane Lector, solent hominis voluntatem ad quemcunque honestum laborem excitare & permouere. Vnũ est obligatio, qua ratione iustitiæ sumus obstricti: aliud est vtilitas seu fructus, qui ex labore isto promanat. Est enim omnium Sapientum sententia, duo hæc in quacunque re esse consideranda. Honestatem scilicet, & Vtilitatem, quæ sunt tanquam duo calcaria nostræ voluntatis, quæ exstimulant illam & impellunt ad aliquid agendum. Horum autem etsi Vtilitas ferè semper plus appetatur. Honestas tamen & iustitia sunt efficatiores potentioresqúe. Non enim vlla in hoc mundo reperitur vtilitas quantumuis ea magna sit, quæ cum excellentia Virtutis potest æquiparari: quemadmodum & nullum tam grande potest esse detrimentum aut incommodum, quod non potius homo sapiens debeat eligere quàm in aliquod vitium impingere, vti probat Aristoteles. Cùm itaque propositum & institutum nostrum sit in hoc libro ad amorem Virtutis homines inuitare, illiusqúe pulchritudine inescare, : optimè nos facturos existimo, si ab hac parte principaliori incipiamus, declarantes obligationem, qua virtuti tenemur obstricti: & proinde etiam ipsi Deo, qui bonitas ipsa cùm sit, nihil in hoc mundo commendat, nihil postulat, nihil pretiosum ducit præter solam Virtutem. Videamus itaque nunc summo cũ studio & diligentia iustos titulos, quos habet, Deus, id tantum debitum à nobis postulandi vel exigẽdi. Sed cùm ij sint innumerabiles, nos tantũ sex præcipuos in medium adducemus, ob quorũ singulos homo debet illi quidquid potest, & quidquid est, sine vlla excusatione. Horũ primus, maximus, & qui minùs potest declarari vel exprimi, est, esse eum qui est: quo refertur magnitudo Maiestatis, omniumqúe illius perfectionum. Huc pertinet incomprehensibilis magnitudo illius bonitatis, misericordiæ, iustitiæ, sapientiæ, potentiæ infinitæ, nobilitatis, pulchritudinis, fidelitatis, veritatis, benignitatis, felicitatis, maiestatis, aliarumqúe diuitiarum & perfectionum, quæ in illo sunt, quæ talia & tam immensa sunt, quòd (vti Doctor quidam insignis ait) si totus mundus libris esset plenus, & omnes creaturæ scriptores, atque omnis aqua maris atramentum, priùs omnes libri implerentur, priùs omnes scriptores defatigarentur, & priùs mare exhauriretur, quàm absolutè, & vt re vera est, vna sola illarum perfectionum describeretur. Dicit & idem Doctor. Quòd si Deus crearet hominem nouum, eiqúe daret cor tam amplum, capax & spatiosum, quàm sunt omnia corda hominum simul commixta, cor autem illud immensa & inusitata luce apprehenderet qualitatem & quantitatem vnius harum perfectionum, deficeret, & morereturr, aut creparet præ magnitudine lætitiæ & voluptatis, quæ in illo redundaret, nisi singulari fortitudine à Deo conseruaretur.

Honestas & vtilitas in omni actione spectantur.

Deus est, qui est. Exod. 3.

Hæc igitur est prima & æquissima ratio, qua sumus obligati ad amandum Deum, eiqúe seruiendum & obtemperandum, quod est veritas in gradu tam excelso, vt & ipsi Epicurei, qui totius Philosophiæ sunt euersores, (negant enim diuinam prouidentiam, & animarum immortalitatem) non negent religionem, quæ Dei cultus est & veneratio. Vnus enim illorum differens in libro, quem Tullius de Natura Deorum conscripsit, confitetur & probat irrefragabiliter Deum esse, sed & altitudinem admirandarũ ejus perfectionum confitetur: ob easqúe dicit eum adorandum & reuerendum esse: hoc enim debetur magnitudini & excellentiæ nobilissimæ illius substantiæ. Colendus igitur vel hoc nomine solo est, etiamsi non esset aliud vllum. Nam si honoremus & veneremur Regem aliquem propter solam dignitatem eius præsentiæ, etiam si extra regnum suum sit, vbi nullũ ab eo beneficium accipimus: cur non magis omnem honorem & reuerentiam exhibere debemus huic Domino, qui (vti Ioannes testatur) habet in vestimẽto suo, & fœmore scriptum, *Rex Regum & Dominus Dominantium*; Ipse est qui tribus digitis sustinet rotunditatem terræ, causas disponit, cœlos mouet: ipse est qui mutat tempora, alterat elementa, diuidit aquas, producit ventos, generat res, dat influentias Planetis, & tãquam rex & Dominus vniuersalis alit & sustentat omnes Creaturas. Illud autem maius est, quòd regnum illius non est per succesionem aut per electionem, aut per hæreditatem sed per naturam. Quemadmodum enim homo naturaliter maior est formica, sic nobilissima illa substantia magnitudine superat omnes alias res creatas, adeò, vt omne quod est, atque mundus hic vniuersus in oculis illius, vix vnius habeat formicæ quantitatem. Si infelix Philosophus hanc veritatẽ agnouerit & cõfessus fuerit, quomodo non confitebitur illã philosophia Christiana? Hæc igitur docet, quòd etsi multi sint tituli, quibus

Epicurei Deo seruiendum docent.

Cic lib. 3. de natura Deor.

Simile.

Apoc. 19, 16.

Psal. 134, 7.

Dei regnum non est per successionem.

quibus Deo sumus obligati: his tamen omnibus præ-
lucet ille, de quo nũc agimus, qui & talis est, quod (li-
cet non essent alii) solus hic omnẽ mereatur amorẽ &
famulatũ hominis, etiamsi infinitos animos, & corpo-
ra haberet infinita, quæ illius cultui atque amori pos-
sent impendi. Id semper studiũ Sanctorum fuit, quorũ
amor tam purus erat & sincerus, vt de illo dixerit B.
Bernard. ser. 15. in Cant. Bernardus: Purus amor de spe vires non sumit, nec ta-
mẽ diffidentiæ damna sentit, quasi diceret, verũ amo-
rẽ non accendi ad cultum diuinum spe, qua expectat
aliquod beneficium à Deo, nec tepescere, etiamsi sci-
ret se nihil ab illo percepturum: non enim lucro mo-
uetur aut emolumento, sed amore puro, qui debetur
infinitæ illi bonitati. Quamuis autem hæc ratio nos
potissimũm Deo obstringit, minùs tamen imperfe-
Cur perfecti one Dei ho mines minùs moueantur. ctos mouet, idque duas ob causas. Prima est, quia tan-
to plus mouet proprium commodum, quanto altio-
res in anima amor proprius egit radices: Secunda ve-
rò, quia plerique tanquã rudes & ignorantes non in-
telligunt dignitatem & pulchritudinẽ supremæ illius
bonitatis. Nam si maiorem illius cognitionem perce-
pissent, solus iste splendor eum in modum ipsorũ cor-
da suffuraretur, quòd cõtenti illo solo, nihil aliud de-
siderarent. Non itaque abs re fore arbitror, huiusmo-
di hominibus fenestram aperire, & lucis aliquid cõ-
municare, vt possint plus aliquid cognoscere de hu-
ius Domini magnitudine. Est autẽ hæc doctrina mu-
tuata ab insigni illo, & summo Theologo B. Diony-
In contem platione Dei oculos ab om- ni re creata esse auertẽ- dos. sio, cuius in Mystica sua Theologia institutum non est
aliud, quàm demonstrare dignitatem essentię diuinę,
cum quacunq; re creata cõparatæ: docens oculos ab
omni creaturarũ perfectione in contẽplatione Dei es-
se auertẽdos, ne fallamur, volentes illũ per ipsas mo-
dificare, sed relinquendo hæc omnia in inferioribus,
animum leuandum esse ad contemplationem vnius
Entis, quod est super entia omnia, vnius substantiæ,
quæ est super omnes substantias? vnius luminis, quod
est super omnia lumina, in cuius comparatione om-
nis lux tenebræ sunt, vnius pulchritudinis super om-
nem pulchritudinem, cui collata omnis pulchritudo
Exod. 24. 16. deformitas est, & abominatio. Hoc designat caligo il-
la, in quam Moyses intrauit, cum Deo locuturus; quę
cooperuit vultũ omniũ rerum, quæ Deus non erat, vt
hoc modo verus Deus faciliùs & exactiùs agnoscere-
3. Reg. 19. 13. tur. Hoc ipsum & Helias significat, tegens oculos suos
pallio, cùm vidit gloriam Dei transeuntem. Debet e-
nim homo suos oculos ab omnibus rebus, tanquam
indignis auertere, quando vult diuinam gloriam cõ-
templari. Hoc & manifestiùs videbitur, si consideremus maximum discrimen, quod est inter esse increatum, & quodcunque lubet creatum: id est, discrimen quod est inter Creatorem & creaturã. Videmus enim creaturas omnes habuisse principium, & finem habere posse: ille autem nec initium habuit, nec finem potest habere. Creaturæ superiorem agnoscunt, & depẽdent ab alio: Creator nec superiorem agnoscit, nec ab vllo depẽdet. Creaturæ mutabiles sunt & diuersis alterationibus subiectæ: Creator in se nec mutationem habet, nec vllam alterationem. Creaturæ mixtæ sunt & compositæ sed in Creatore nulla inuenitur compositio, propter purum illius simplicitatem: Nam si ille pluribus ex partibus esset compositus, haberet compositorem, qui prior illo esset, quod est impossibile. Creaturæ possunt esse plus illius, quod sunt; habere plus de illo, quod habent, scire plus, quàm sciunt: Creator nec plus potest esse illius quod est, cùm in eo sit totius Entis perfectio: nec plus potest habere de illo quod habet, cùm in illo sit diuitiarum omnium abyssus: nec plus potest scire, quàm scit; cùm sapientia illius sit infinita, & excellentia ipsius ęterna, cui omnia sunt tanquam præsentia. Quapropter magnus ille Aristoteles, Creatorem actum purum appellauit; significans illã esse vltimam & summam perfectionem, cui nihil potest accrescere: impossibile enim est, vt plus de substãtia, cuius est, participet: nec potest aliquid excogitari, quod in illo desideretur. Omnes creaturæ militant sub vexillo mobilitatis, tanquam enim pauperes atque inopes moueri possunt, ad quærendum illud, quod ipsis deest: ille autem mouendi se causam non habet, quia nihil illi deest, & inuenitur in omni loco, Omnes aliæ res inueniuntur diuersæ, & vna ab alia distinguitur: sed in illo non potest inueniri distinctio partium diuersarũ, propter summam illius simplicitatem: ita vt illius esse, sit illius essentia, & illius essentia sit illius potentia, & illius potentia sit illius voluntas, & illius voluntas sit illius intellectus, & illius intellectus sit illius intentio, & illius intentio sit illius sapientia, & illius sapientia sit illius bonitas, & illius bonitas sit illius iustitia, & illius iustitia sit illius misericordia: quæ etsi habeant contrarios effectus, (qui sunt ignoscere & punire) realiter tamen vnum & idem in illo sunt; ita vt eius iustitia sit misericordia, & misericordia sit illius iustitia, atque ita in ipso sunt operationes & perfectiones, quæ apparent, sed non sunt contrariæ, vt B. Augustinus bene Aug. lib. 1. Confess. c. 4. annotauit. Ipse enim est secretissimus & potẽtissimus, pulcherrimus, & fortissimus, stabilis & incõprehensibilis, sine loco & in omni loco, inuisibilis & lustrans omnia immutabilis & omnia mutans: semper operatur & perpetuò quietus est; ipse implet omnia & conclusus non est, omnibus rebus intentus est, & non est distractus: magnus est sine quãtitate, & propterea immensus est; bonus est sine qualitate, & propterea summè bonus est. Deniq; vt paucis dicam, omnes res creatæ vti habent circumscriptã essentiam, quæ ipsas complectitur; ita limitatam habent potentiam, ad quã extenduntur, limitata opera, in quibus exercentur; circumscripta loca, in quibus stant; certa nomina, quibus nuncupantur & demonstrãtur, particulares definitiones, quibus declarãtur; & particularia genera seu prędicamenta, sub quibus cõprehenduntur. Suprema aũt illa iustitia vti est infinita in essentia, ita etiam est infinita in potentia, atq; in alijs rebus omnibus: & quemadmodum non habet definitionem, qua eius natura definitur, ita nec genus habet quo cõtinetur, nec locũ quo determinatur, nec nomen quo significatur proprius illius cõceptus. Imò cùm nullũ habeat nomẽ, vt S. Dionysius inquit, habet omnia nomina: reperiuntur Dionys. lib. de nom. di- uin. enim in illo perfectiones omnes, quæ istis nominibus comprehenduntur, aut significantur. Vnde infertur, quòd vti omnes creaturæ sunt finitæ & limitatę, sic etiam sunt cõprehensibiles: sola autem essentia illa diuina vti infinita est, ita & incõprensibilis est à quocunq; etiam voles intellectu creato. Quemadmodum enim, Aristotele teste, id quod infinitum est non habet principiũ, ita nec absolutè vel plenè potest ab aliquo intellectu cõprehendi, nisi ab illo ipso, qui omnia comprehendit. Quid aliud significant duo illi Seraphin, quos vidit Esaias stantes coram Domino, qui sedebat super
solium excelsum & eleuatum: *Sex*, ait, *alæ vni, & sex al-* Esa. 6. 2. *teri, duabus velabant faciem eius, & duabus pedes eius*, nisi vt significetur, quod ne supremi illi spiritus, qui tã excelsum habẽt in cęlo locũ, & Deo ipsi sunt vicinissimi, possunt cõprehendere omne id quod in Deo reperitur: nec ab vno ad alterũ vt cognoscant & intelligãt peruenire, etiamsi videant illum in propria essentia & pulchritudine? Quẽadmodum enim stans quispiã in Simile littore videt quidem mare, non tamen videt eius latitudinem & profunditatem; ita & supremi illi spiritus alijque electi omnes, qui in cęlo sunt, vident quidem Deum realiter, non possunt tamen cõprehendere vel profunditatem illius magnitudinis, vel altitudinẽ ipsius æternitatis. Et quamuis Deus in Scripturis dica- Esai. 37. 16. Dan 3. 55. tur sedere super Cherubin, potius tamen stare super

illos dicetur, ita vt non possint illi appropinquare, multò minùs illum comprehendere. Istæ sunt tenebræ quas, vt Psalmista dicit, *posuit latibulum suum in circuitu tabernaculi sui*; vt significent illud, quod Apostolus dicit, Deum inhabitare lucem inaccessibilem, ad quam nulli patet aditus: Propterea Propheta vocat tenebras, quia impediunt tam visionem, quàm comprehensionem Dei. Quemadmodum enim (vt quidam ait Philosophus) etsi nihil lucidius inueniatur & visibilius Sole, nihil tamen minùs illo videtur, propter illius claritatis excellētiā, & visus nostri debilitatem: ita licet nihil magis in se sit intelligibile Deo, nihil tamē in hac vita minus illo intelligitur, ob easdem rationes. Quapropter ille, qui aliquo modo Deum cognoscit, postquam ad finem, seu vltimum terminum perfectionum, quæ intelligi possunt, peruenerit, fatebitur infinitis esse vlteriùs viis sibi procedēdum, & esse Deum infinitis modis maiorem, quàm potest comprehendi: & quanto ampliùs agnouit illā incomprehensibilitatem, tātò plus de illo intellexit. Hinc est quòd B. Gregorius ad illa verba Iob, *Qui facit magna & inscrutabilia sine numero*, dicit tunc meliùs nos de Deo loqui, cùm sub considerationis eius formidine admirando tacemus. Tunc enim homo cōuenienter laudat illud, quod eloqui non potest, cū tacet. In eadem etiā sententia B. Dionysius est: Arcanum inquit, diuinitatis, quod omnes intellectus transcendit, sacris animi venerationibus, & ineffabili & casto honoremus silentio. Quo loco alludere videtur ad illud Prophetæ, secundùm translationem Hieronymi, *Tibi silet omnis laus Deus in Sion*, significans perfectissimam laudationem esse hanc, quæ fit tacendo, & ineffabili illo, castoque silentio: confitendo nimirum incōprehensibilitatem, & altitudinem ineffabilis istius substantiæ, cuius magnitudo est super omnem magnitudinem, cuius substantia infinitis modis superat, differtque ab omni alia substantia rerum, tam visibilium, quàm inuisibilium. Quare & B. Augustinus dicit: Quando Deum meum quæro, non quæro speciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, non colorem, non dulcium melodiarum cantus, & quæcumque dulcè sonantia: non florū & vnguentorum, vel aromatum odores, non mella vel manna gustui delectabilia, non cætera ad tangendum vel amplexandum amabilia, nec omnia alia sensibus his subiecta quæro, cùm Deum meum quæro. Absit vt ista crediderim Deum meum, quæ etiam à brutalium sensibus comprehenduntur. Et tamen cùm Deum meum quæro, quæro nihilominus quandam lucem super omnem lucem, quàm non capit oculus: quandam vocem super omnem vocem, quam non capit auris: quendam odorem super omnem odorem, quem nō capit naris: quendam dulcorem super omnem dulcorem, quem non capit gustus: quendam amplexum super omnem amplexum, quem nō capit tactus. Ista lux quidem fulget, vbi locus non capit: ista vox sonat, vbi spiritus non rapit: odor iste redolet, vbi flatus non spargit: sapor iste sapit, vbi non est edacitas: amplexus ille tangitur, vbi non diuellitur.

Psal. 17, 12. — 1. Tim. 6, 16. — Basil. — Iob 5, 9. Greg. lib 27 Mora. c. 35. & lib. 6. moral. c. 6. — Dionys. de mystic. Theolog c. 1. — Psalm. 64, 2. — Aug Solil. c. 31. & lib. 10. Confess. 31.

Sin autem tu quippiam capere vis, & intelligere de hac incomprehensibili magnitudine, intuere fabricam mundi huius, quæ est opus manuum illius, vt per qualitatem effectus nobilitatem causæ cognoscas, præsupponens initiò, illud B. Dionysii, quod in omnibus rebus inuenitur esse, posse, & operari: quæ tria sic inter se conueniunt, vt quale sit esse rei, tale sit eius posse, & quale sit posse rei, tale sit illius operari.

Tria in omnibus spectari, Esse, Posse, & Operari.

Posito hoc principio, contemplemur statim quàm formosus, quàm bene ordinatus, & quàm ingens est mundus hic: sunt enim in firmamento stellę quędam, tantæ, secundùm Astrologos, magnitudinis, vt terram & aquam, quæ globum vnum simul constituunt, octogies superent sua quantitate.

Deinde vide quàm mundus ille sit ornatus, & quā plenus infinita rerum varietate, quæ in terra, in aqua, in aere, in omnibus illis partibus inueniuntur, quæ omnes tanta cum perfectione conditæ sunt, vt (exceptis monstris) ab initio mundi, vsque in diem hodiernum nulla res inuenta sit, cui aliquid defuit ad complementum, aut perfectionem suæ essentiæ.

Machinam ergo tam ingentem & admirabilem mundi huius, secundùm sententiam D. Augustini, Deus creauit, in momento, & fecit esse, de non esse, fecit enim sine aliqua subiecta materia, sine architectis, sine fabris, sine instrumentis, sine prototypo, seu exemplari exteriore, & sine spatio temporis: sed tantùm iuxta simplicem conceptum suæ voluntatis edidit in lucem hoc ingens opus, & magnum illud rerum Vniuersum. Aug lib. 11. Confess. c. 2. & 6. & lib. 2. c. 8.

Considera præterea, quòd eadem cum facillitate, qua cum mundum hunc creauit, potuisset infinita mundorum millia creasse, qui singuli & maiores & pulchriores, & à pluribus quàm hic fuissent habitati. Et postquam condiderat, potuisset simili facilitate eosdem demoliri, & in nihilum redigere, sine vlla resistentia. Dicitaque mihi, si iuxta doctrinam Dionysii (sicut & præsuppositum à nobis est) per effectus & opus causæ illius potentia cognoscitur, & per potentiam essentia, qualis erit potentia, à qua tantum opus profectum est: & si ista potentia talis & tanta est, qualis & quanta est incomprehensibilis illa essentia, quæ per illam potentiam cognoscitur? Contemplatio hæc procul dubio omnem excedit captum humanum. In hoc considerari debet vlterius, quòd opera omnia tam eximia, tamque grandia, non tantùm quæ sunt, sed & quæ possunt esse, quasi non sunt in conspectu diuinæ illius potentiæ, imò infinitis modis sunt minora: infinitis enim modis maius est illud, ad quod sese extendit infinita illa potentia. Quis igitur non exanimabitur, considerans magnitudinem talis essentiæ, talisque potentiæ? quam licet homo non conspiciat oculis externis, potest tamen certissimam facere coniecturam, & ex prædicta ratione colligere, quam magna illa sit, & quàm incomprehensibilis. Illam infinitam immensitatem Dei ostendit B. Thomas in suo Theologiæ compendio, hoc exemplo: Videmus, inquit, in rebus corporalibus, quò quid excellentius est, eò quoque est maius in quantitate (videmus enim aquam maiorem terra, & aerem aqua, & ignem aere: porrò primum seu infimum cælum maius igne, secundum cælum maius primo, & secundo tertium, & sic ascendendo vsque ad decimam sphæram, imò vsque ad cælum Empyreum, cuius magnitudo est incomparabilis. Id apertè videtur, cùm quis considerat quàm exilis sit terræ & aquæ rotunditas, si cum cælis comparetur: postquam Astrologi dicant, vniuersam terræ & aquæ circumferentiā esse tanquam punctum in comparatione cæli. Sed & illud suis demonstrationibus conuincunt. Cùm enim circulus cæli diuidatur in duodecim signa Zodiaci, quæ Sol semel in anno percurrit, in quacunque terrę parte sex supra Horrizontem perfectè conspiciuntur: altitudo enim & eminentia terræ non occupat ampliùs de cælo, quàm faceret folium chartæ, vel tabula, posita in mundi centro, vnde conspici posset cæli dimidiū sine vllo impedimento. Cùm itaque cælum Empyreum, quod est primum & nobilissimū mundi corpus, tam sit inæstimabilis magnitudinis, super alia corpora, facilè est intelligere, dicit Thomas, quomodo Deus, qui sine aliqua circumscriptione primus, maximus, & optimus est rerum omnium, tam corporalium, quā spiritualium, qui & factor illarum est, debeat superare omnia, cum infinita quadam S. Thom. in compend. Theolog.

dam magnitudine non in quantitate, (non enim est corpus) sed in excellentia & nobilitate essentiæ suæ perfectissimæ.

Sed reuertamur vnde sumus digressi: eodem hoc modo in omnibus licet inuestigare, quantæ sint & quales magnitudines & perfectiones huius Domini. Necesse enim est, vt illæ sint tales, qualis est eius essentia. Fatetur illud Ecclesiasticus, vbi loquitur de ipsius misericordia. *Secundùm, ait, magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est,* tales sunt & omnes reliquæ ipsius perfectiones, talis eius est bonitas, talis benignitas, maiestas, mansuetudo, sapientia, dulcedo, nobilitas, pulchritudo, omnipotentia, talis denique est illius iustitia. Est ergo infinitè bonus, infinitè suauis, infinitè amabilis, & dignus cui obediatur, qui timeatur, quem omnes reuereantur: Adeò, vt si humanum cor amorem & timorem infinitum, obedientiamque & reuerentiam infinitam posset capere, totum illud religione & lege iustitiæ, obstrictum esset dignitati & excellentiæ huius Domini. Nam si quanto quis dignior est & excellentior, tanto maior illi debeatur reuerentia; consequens est, vt cùm excellentia Dei sit infinita, etiam illi infinita debeatur reuerentia. Hinc infertur, omne id quod nostro deest amori & reuerentiæ, quò minùs ad illam perueniat mensuram, ideò deesse, quia debetur tantæ magnitudinis dignitati.

Ecclı 2, 22.

Quod cùm ita sit, quantum quæso est debitum quod ille titulus solus, etiam si non essent alii, à nobis postulat in amore & obedientia illius Domini? Quid quæso amabit ille, qui tantam non amat bonitatem? quid timebit ille, qui tantam non timet Maiestatem? Cui seruiet ille, qui tanto non famulabitur Domino? Ad quid voluntas facta est, si non ad amandum & amplectendum id, quod bonum est? Si ergo ille summum bonum est, quàm ob causam non amplectitur & amat illud voluntas nostra, super omnia quæ bona nuncupantur? Et si tam grande malum sit, non amare vel timere Dominum super omnia, quid erit eum nihil pensi habere? Quis credidisset vnquam hominum malitiam ad tantam impietatem venturam? Nihilominus ad illud peruersitatis fastigium conscenderunt illi, qui pro belluina voluptate aliqua, aut pro exiguo honore, aut pro modico lucri vel vtilitatis priuatæ tantam offendunt & aspernantur bonitatem. O deplorandam cæcitatem, ô insensibilitatem plus quàm bestialem, ô temeritatem & præsumptionem diabolicam. Quid non meretur ille, qui audet talia? qua pœna, quo genere supplicii tantæ maiestatis contemptus dignè expiabitur? certum est, quòd non minori supplicio punietur, quàm quod huiusmodi flagitio præparatum est, nimirum vt quisquis ille sit, qui Deum contemnat, perpetuò igne infernali crucietur, & tamen nec sic quidem dignè satis punietur.

Est igitur hic primus titulus, qui nos ad amorem & seruitium huius Domini constringit: quæ obligatio tanta est, vt omnes obligationes, quibus aliquo modo in hoc seculo cuicunque personæ deuincti sumus, siue ob excellentiam illius, siue ob perfectionem, obligationis nomine sint indignæ, si cum hac conferantur. Quemadmodum enim omnium aliarum rerum perfectiones, cum diuinis comparatæ, perfectiones non sunt; sic neque obligationes, quæ ratione earundem perfectionum & excellentiarum tales nominantur, obligationes sunt cum hac collatæ: vti nec omnes offensiones factæ puris & meris creaturis, ne quidem offensiones dici possunt, si cum iis comparentur, quibus offenditur ipse Creator. Quapropter & Dauid in Psalmo illo pœnitentiali dicit, quòd Domino soli peccauit, quamuis & in Vriam grauissimè peccasset, quem innocentem occidi iusserat, & in illius vxorem, quam turpi adulterio polluerat, & in regnum suum vniuersum, quod scandalizârat. Soli tamen Deo se peccasse dicit: sciebat enim omnia mala offendicula, atque inconuenientia nullius esse momenti, in comparatione turpitudinis illius peccati, quatenus cum præcepto Dei pugnaret. Idcirco deformitatis illius cõsideratio tam vehementer illum affligebat, vt aliorum iniurias & offensiones facilè contemneret, seu floccipenderet. Quemadmodum enim Deus infinitis modis maior est omnibus creaturis, ita etiam infinitè maius est debitum, quo sumus illi adstricti, & maior offensio in illum facta. Infiniti enim ad finitum nulla est proportio.

Psalm. 50, 6.

2. Reg. 11.

SECVNDVS TITVLVS.

DE OBLIGATIONE QVA VIRTVTI sumus obstricti, & Deo famulari tenemur, ratione beneficij creationis.

CAPVT II.

NON solùm virtutum studio debemus incumbere, & diuinis mandatis obtemperare ob id quod Deus est in seipso: sed etiam ob id, quod nobis vel erga nos est; hoc est, ratione innumerabilium suorum beneficiorum: de quibus etsi alio loco disseruimus, ob aliud, quod tunc in manibus erat propositum. nihilominus & hic de iisdem agemus: vt mediantibus illis videamus apertè, quot nominibus obligati sumus ad seruiendum tali donatori. Horum beneficiorum primum est Creationis, de quo (cùm omnibus notum sit) illud tantùm dicturus sum, quòd homo vel propter illud solum obstrictus est totus vacare & seruire Domino, qui illum creauit. Secundùm enim leges omnes, homo debitor est omnis illius quod accepit. Cùm itaque per hoc beneficium accepit suum esse, id est, corpus, cum omnibus sensibus, & animam cum omnibus suis potentiis? consequens est, quod debeat omnia illa impendere seruitio sui factoris, nisi fur, & homo ingratus haberi velit erga illum, à quo tanto affectus est beneficio. Etenim si homo ædificauerit domum, cui seruiet illa nisi domino qui ædificauit? & si quis plantauerit vineam, quis colliget vuas? nónne ille, qui vineam plantauit? & si pater habeat filium, cui potiùs seruiet ille, nisi patri, qui generauit illum? Hoc est quod leges dicunt, non posse existimari quanta sit auctoritas patris in filios? quæ se eousque extendit, vt patri in necessitate constituto licitum sit filium vendere: respectu enim illius quòd dedit filio esse quod habet, etiam in illum nactus est eam potestatem pater, vt liceat cum filio agere quod velit. Si itaque tantum sit dominium, & auctoritas tanta, quam habet pater in filium; quale erit dominium illius, à quo deriuatur. Esse omnium patrum, tam in cælo quàm in terra? Et si illi, vt Seneca dicit, qui beneficium accipiunt, agrum fertilem imitari debeant, qui multo plus reddit, quàm accepit: quomodo poterimus nos respondere Deo, hoc gratitudinis modo, cùm non possimus illi amplius reddere, quàm ab illo accepimus, quantumuis etiam illi dederimus? Quòd si ille qui non dat plus, quàm accepit, hanc legem non obseruat; quid dicemus de illo, qui minus dat, quàm in se ipsum collatum est? Et si teste Aristotele, Diis & patribus nunquam reddatur æquialens, quomodo dabitur æquialens Deo, qui plùs contulit quàm omnes patres qui in mundo sunt? Quod si grande flagitium sit, si filius patri sit immorigerus, quale scelus erit rebellare Deo, qui tot nominibus noster pater est? imò in cuius comparatione nulli hominum patris nomen competit? Hoc est quod mer.tò per Prophetam suum ipse conqueritur: *Si ergo Pater ego sum,* ait: *vbi est honor meus?*

Deo debetur honor ea ratione quia pater noster est. Deut. 21.

Malach. 1, 6.

& si Dominus ego sum, vbi est timor meus? In eandem ingratitudinem & alius Propheta inuehitur, idque verbis magis aculeatis: *Generatio*, ait, *praua & peruersa, hæccine reddis Domino populestulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit te, & creauit te?* Deut.32,3.

Isti sunt, qui oculos in cælum non tollunt, nec seipsos intuentur sui ipsorum immemores. Nam si seipsos intuerentur, interrogarent se ipsos per se, & scire niterentur, quæ sit prima ipsorum origo, quod primum principium: hoc est, à quo facti sunt & quem in finem creati: ex cognitione siquidem illorum, in cognitionem illius, quod facere meritò debeant, tandem deuenirent. Id autem quia non faciunt homines, viuunt quasi à seipsis geniti. Quomodo viuebat ille maledictus Ægypti Rex, cui Deus minatur per Prophetam dicens: *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, Meus est fluuius, & ego feci memet ipsum.* Hoc modo loquuntur omnes, qui obliti Creatoris sui, tanquam à seipsis creati, factorem suum non agnoscunt. Melius faciebat S. Augustinus, qui per cognitionem sui principij, venit in cognitionem sui Creatoris, dicens in quodam suo Soliloquio: Et redij ad me, & intraui in me, & aio ad me: Tu quis es? & respondi mihi, homo rationalis & mortalis, & incepi discutere, quid hoc esset, & dixi: Vnde hoc tale animal Domine Deus meus? vnde nisi abs te? Tu fecisti me, & non ego ipse me. Quis tu? Tu per quem viuo ego, tu per quem viuunt omnia. Quis tu? Tu Domine Deus meus verus, & solus, omnipotens & æternus, incomprehensibilis & immensus, qui semper viuis, & nihil moritur in te. Dic mihi supplici seruo tuo Deus meus, dic misericors misero tuo, dic quæso per miserationes tuas, vnde hoc tale animal, nisi abs te? An quisquam sese faciendi erit artifex? An aliunde quàm à te trahitur esse & viuere? Nónne tu es summum bonum, à quo est omne esse? Quicquid enim est, à te est, quia sine te nihil est. Nónne tu es fons vitæ, à quo fluit omnis vita? Quicquid enim viuit, per te viuit, quia sine te nihil viuit. Tu ergo Domine fecisti omnia. Num quæram quis fecit me? Tu Domine fecisti me, sine quo factum est nihil. Tu factor mei, ego opus tuum. Gratias tibi ago, Domine Deus meus, per quem viuo ego, & per quem viuunt omnia. Gratias tibi Plasmator meus, quia manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Gratias tibi Lux mea, quia illuminasti me, & inueni te & me.

Ex consideratione creatricis suæ, homine Venire in cognitionē creatoris.

Ezech. 29,3.

Augustin. Soliloq. cap. 31.

Ioan. 1.

Hoc est itaque primum diuinorum beneficiorum, & fundamentum omnium aliorum. Alia enim omnia præsupponunt Esse, quod datur per hoc beneficium; & sic omnia comparantur & cōiunguntur cum isto, tanquam accidentia cum sua substantia, cui subijciuntur: vt hoc modo intelligas, quàm liberale sit beneficium, & quàm dignum quod alta mente reponatur. Age igitur si Deus tantam à te exigat gratiarū actionē pro suis beneficijs, quid putas exiget, pro hoc solo, quod fundamentū est omnium aliorum? maximè cùm ea sit Diuinæ mentis cōditio, vt quemadmodum in beneficijs conferendis est liberalissima, ita in gratiarum actionibus reposcendis est auarissima, non quòd ipse ijs egeat, sed quia officium nostrum illas postulat. In veteri siquidē testamento legimus Deum ne vnum beneficium populo contulisse, quin statim, vix eo perfecto, mandauerit, vt in perpetua esset apud ipsos memoria, & pro illo immortales agerēt gratiarum actiones. Ita cùm populum ex Ægyptiaca seruitute liberaret, vix populus terra exierat, quando mādauit, vt quotannis solenne festum celebraret in memoriam istius beneficij. Eum quoque in finem occidit omne primogenitum Ægyptiorum, & cōfestim præcepit sibi sanctificari omne primogenitū, tam de hominibus, quàm de iumentis, quod ab illis, & inter illos imposterum nasceretur. Misit Israelitis, manna de cælo quo vescerentur, & pauit illos hoc genere cibi in deserto annos quadraginta: statim autem cùm manducare cœpissent, iussit certam mannæ mensuram colligere, illud in vas mittere, & in perpetuas generationes in sanctuario reseruare, vt omnis posteritas huius beneficij monumentum haberet. Non ita multò post insignem illis victoriam dedit aduersus Amalechitas, atque euestigio dixit ad Moysen, *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue.*

Exod. 12, 29. Exod. 13, 15.

Deus exigit à nobis gratitudinem.

Exod. 16, 35.

Exod. 17, 14.

Itaque si Dominus tam solicitus sit, vt memoria beneficiorum suorum temporalium in populo suo viuat in æternum; quid non exiget à nobis pro beneficio hoc immortali, cùm anima, quam ipse nobis dedit, sit immortalis? Hinc nata est illa cogitatio, quæ Sanctos Patriarchas monuit ædificare altaria, vt essent monumenta quotiescunque recipiebant aliquod particulare beneficium à Domino: imò in ipsorum filiorum nominibus memoriam accepti beneficij consecrabant, ne obliuione sepeliretur. Quare vir quidam sanctus optimè concludit, hominem non debere toties respirare, quoties debeat Dei sui recordari. Quemadmodum enim ipse semper est, ita quoque semper Domino Deo suo debet gratias agere pro immortali Esse, quod ab illo accepit. Vinculum huius obligationis tantum est, vt etiam mundanos Philosophos non latuerit, sed inter illos fuerint, qui exhortabantur homines ne Deo essent ingrati. Epictetus Philosophus Stoicus dicere solebat: O homo noli esse ingratus excelsæ illi potestati pro beneficijs ab illa acceptis, vt sunt visus, auditus, gustus, &c. magis autem pro vita, quam tibi dedit, & alijs rebus, quibus te nutrit, & sustentat. Age illi gratias pro fructibus maturis, pro vino, pro oleo, pro rebus alijs omnibus, maximè verò debes illi benedicere, quia contulit tibi lumen rationis, vt prædictis omnibus & vti eorū possis valorem cognoscere. Si homo Ethnicus eum in modum gratitudinem commendauerit, eamque pro communibus beneficijs tam strictè exegerit, quid non debet facere homo Christianus, qui & maius lumen habet fidei, & maiora, præstantioraque accepit à Deo beneficia?

Genes. 12, 13, 22.

Genes. 41.

Epictetus.

S. Augustin. de Ciuitat. Dei, lib. 8. cap. 4.

Beneficia natura à Deo esse.

At dices mihi fortasis; Hæc beneficia communia potius esse Naturæ, quam Dei videntur: cui itaque sum obligatus pro dispositione & rerum ordine, quæ regulariter fiunt, & cursum suum obseruant? Heu, non est illa vox Christiana, sed Ethnica, imò potius belluina. Vt autem hoc manifestius agnoscas, audi eundem Philosophum, tales homines corripientem: Dices forsitan naturam hæc tibi beneficia conferre; Ah nimium ingrate; non animaduertis quòd illud dicendo nomen Dei mutas? quid aliud est Natura quàm Deus, qui est natura primaria? Non itaque, ô homo ingrate, excusandus es, cùm dixeris te Naturæ, non Deo deuinctum esse, cùm nulla sine Deo natura inueniatur. Si quam rem tibi comparâsses à Lucio Seneca, & postea diceres, te Lucio, non Senicæ debitorem esse, non iam creditorem ipsum, sed nomen solùm immutâsses.

Alia ratio quare obligati sumus ad seruiendum Deo Domino nostro, propterea quòd noster Creator est.

PRæterea non tantùm debitum iustitię, sed & ipsa necessitas nostra nos obstringit, vt semper ad Creatorem nostrum respiciamus, si postquam creati sumus, velimus ipsam consequi felicitatem & perfectionem. Sciendum enim est, res omnes quę nascuntur, generatim loquendo, non statim nasci cum omni sua perfectione. Habent quidem multa perfecta, multa tamen in illis desiderantur, quæ postea perficiuntur. Eam autem perfectionem addere debet,

Non omnia statim perfecta nasci.

bet, qui opus incepit. Ita vt ad causam, quæ dedit principium Esse, pertineat etiam rei dare complementum. Hinc est quòd omnes effectus in genere conuertuntur ad suas causas, vt ab iis accipiant vltimas suas perfectiones. Plantæ laborant quantum possunt, vt quærant Solem, & radices mittant in terram, quæ illas produxit: pisces quoque non exeunt aqua, quæ illos generauit: pullus ouo excluſus, mox sese sub alis gallinæ fouet, & sequitur illam quocunque ierit. Idem facit agnus, qui postquam natus est, statim ad vbera materna festinat, & si mille oues essent eiusdem velleris & coloris, cognoscit tamen propriam matrem, & cum illa semper it, quasi diceret; Hinc accepi quod habeo, hinc petam quod mihi deest. Illud in omnibus ferè naturalibus locum habet: sed & in artificialibus vsu veniret, si aut sensum aliquem haberent, aut motum. Si pictor in absoluenda imagine oculos relinquat imperfectos, quòd si pictura illa sentiret, vel admoneretur eius quod ipsi deest, quid putas faceret? quò iret? certum est quòd non iret ad palatium Regis, aut Principis alicuius; illi siquidem non poterunt eius satisfacere desiderio: sed ad ædes sui magistri rediret, atque ibi rogaret illum, vt se perfectam faciat, & quod incepit absoluat.

Simile.

Dic mihi, ô homo rationalis, quæ causa est, vt non facias quod irrationales faciunt creaturæ? Nondum planè perfectus es, multa in te desiderantur, multa tibi desunt adhuc, antequam complearis, seu perficiaris, vix dum archetypus rudi (quod aiunt) Minerua delineatus est: nitor adhuc & elegantia operis desiderantur, quòd apertissimè conuincit ipsius naturæ continuus appetitus: quæ semper tanquam necessitatem suam sentiens, suspirat semper, & quærit anxia, quod sibi deest.

Deus te fame voluit præuenire, vt necessitate ista compulsum, te faceret per legitimam portam intrare, & te ad se respicere. Igitur te statim à conditione noluit absoluere, vel perfectum facere, qui te fecit, & ob hoc te noluit confestim diuitem facere. Voluit autem hoc ita facere, non quòd auarus erat, sed quòd beneuolus, sciens bonum esse te talem fieri, non vt tu pauper esses, sed vt humilis: non vt semper egeres, sed vt semper ad ipsum respiceres. Si tu itaque cæcus sis, pauper, & multarum rerum indigus, cur non recurris ad patrem qui te creauit, & ad pictorem qui te adumbrauit, vt perficiat, quæ tibi desunt? Vide quàm promptus in hoc negotio fuerit Rex Dauid:

Psal. 118, 73. *Manus tuæ*, inquit, *fecerunt me, & plasmauerunt me; da mihi intellectum, vt discam mandata tua*, quasi diceret, Manus tuæ Domine fecerunt omne bonum id, quod in me est: sed opus tuum, & plasma tuum nondum omnibus numeris est absolutum. Oculi animæ meæ inter alia nondum sunt perfecti, nondum habeo lumen, cuius beneficio sciam discernere, quid mihi deest, quid mihi sit necessarium. A quo autem id quod restat petam, nisi ab eo, qui dedit id quod habeo, vt cui debentur initia, finis quoque debeatur? Da mihi itaque Domine lumen illud, illumina oculos huius cæci nati, vt ijs te agnoscam, & sic perficiatur id, quod in me incepisti. Si itaque pertineat ad Dominum hunc, vltimam perfectionem dare intellectui, etiam eandem dare & voluntati, & aliis animæ potentiis ad illum pertinebit: vt hoc modo plasma hoc finiatur ab eodem artifice, qui incepit. Erit itaque hoc sine defectu, crescet sine incommodo, locupletabitur sine magno apparatu, & dabitur perfecta quies sine multarum rerum possessione. Per illum creatura pauper & misera est sua sorte contenta; diues & nuda; sola & beata; omnium rerum indiga, & omnium rerum felix possessione. Quare meritò dixit Sapiens:

Prou. 13, 7. *Est quasi diues, cùm nihil habeat, & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Pauper enim qui Deum habet, diues est, qualis erat B. Franciscus; & vice versa pauperrimus est ille, qui est sine Deo, etiam si potentissimus esset in orbe terrarum Monarcha. Quid enim prosunt diuiti diuitiæ, & potentiæ suæ, mille modis cogitationum distracto, & omnia fastidienti: quæ vitia fluunt ex appetitu, qui nullis potest diuitiis satiari? Quid prosunt vestes pretiosæ? quid mensa delicata? quid promptuaria plena, & similia, ad leuandum dolorem, & amaritudines in animo æstuantes? Diues cum omnibus diuitiis suis iacens in lecto centies vna se nocte voluit, & reuoluit, nec dormire potest, eò quòd non habet, quæ appetit, & metuit ne quæ habet auferantur. Ex omnibus ijs quæ dicta sunt hactenus id conuincitur, vt scias quantoperè ad seruiendum Deo sis obligatus, non tantùm ob debitum huius beneficij, sed etiam ob complementum nostræ felicitatis.

Omnia nihil sunt sine Deo.

TERTIVS TITVLVS.

QVOMODO SVMVS OBLIGATI Domino Deo ratione beneficij conseruationis, & gubernationis.

CAPVT III.

NON tantùm homo obstrictus est Domino Deo suo propter beneficium creationis, sed & propter beneficium conseruationis: ipse enim est qui te fecit, & postquam te fecit, etiam conseruat, ita vt dependeas à manibus diuinis, & non magis queas viuere sine illo, quàm esse sine illo, antequam creatus esses. Non est minus beneficium hoc illo priore. Illud enim semel tantùm tibi factum est, hoc autem semper repetitur, & quotidie Dominus aliquo modo te denuò creat: semper enim conseruat, quem semel creauit. Nec minor potentia, nec amor requiritur minor in vno quàm in altero. Si tu itaque debeas illi tantùm, quia te in momento creauit, quanto plus debebis illi, eò quod iugiter te conseruat? pedem non moues, quem non ille mouet, oculos nec aperis, nec claudis sine illius auxilio. Et si non credideris Deum tua mouere membra, cùm tu moues, non es dignus qui Christianus voceris: sin autem credideris, eum tibi hanc gratiam præstare, atque insuper illum audeas offendere, nescio quo te nomine appellabo. Dic mihi, si homo quispiam staret in excelsa turri, atque ille alium manu teneret hominem ex tenui pendentem filo: auderetne putas ille, qui eo se in casu constitutum videret, detinentem se conuitiari, seu calumniari? Si tu itaque sustinearis à voluntate diuina, tanquam si à filo subtilissimo pendeas, vt si fortè manum suam non nihil retrahat Deus, necessariò in nihilum recidas, quomodo possibile est, vt ad iram audeas Diuinam illam maiestatem prouocare, quæ te sustinet, eo ipso tempore, quo tu illam offendis? Etenim (quemadmodum B. ille Dionysius ait) Virtus summi boni tam est excellens, vt creaturæ, quando sunt immorigeræ, etiam esse & posse, quibuscum illi reluctantur, accipiant ab illius immensa Virtute, vt sint & repugnare possint. Quod cùm ita sit, quomodo tu audes offendere cum tuis membris & sensibus illum Dominum, qui te conseruat? O ingentem cæcitatem, ô intolerabilem rebellionem, quis vnquam tam impudentem vidit coniurationem? membra insurgunt aduersum caput, à quo vita & mors illorum dependet. Veniet ille dies, quo iniuria hæc manifestabitur, & honoris diuini querelæ audientur. Vos ne in Deum coniurastis? Iustum est vt totius mundi vniuersitas in vos iterum conspiret, & Deus *omnem armet creaturam*, in illius iniuriæ vindictam, omnisque terræ circumferentia militet contra ingratos, & beneficium

Act. 17.

Simile.

Dionys. de mystica Theol. c. 4.

Sap. 5, 18

cium hoc Dei non agnoscentes. Æquum enim est, vt illi, qui noluerunt oculos aperire dum tempus esset, atque inuitarentur à tanta diuinorum beneficiorum multitudine, æquum est inquam, vt illorũ oculi multitudine tormentorum aperiantur, quæ nunquam finem sunt habituræ. Sed quid fiet, si præcedentibus addamus mensam huius mundi tam opulentam, & tam abundantem, quàm Dominus in vsum tuum creauit?

Omnia in vsum hominum creata.

Quicquid sub cælo reperitur, aut est in vsum hominis, aut in vsum eius rei, quæ homini famulatur: Si enim homo non vescatur (vt ita dicam) muscis, quæ in aëre volitant, vescitur tamen alijs auibus, quæ muscis istis sustentantur: & si nõ manducet herbas agrestes, manducat nihilominus bestias variarum specierum, quæ herbis istis aluntur. Volue & reuolue oculos in omnes mundi plagas, & videbis quam spatiosi sunt diuitiarum tuarum termini, & hæreditas tua quàm sit opulenta. Omne quod graditur in terris, quod natat in aquis, quod volitat per aëra, quod splendet in cælo, tuum est. Omnia autem hæc beneficia Dei sunt, & opera illius prouidentiæ sunt specula pulchritudinis, testimonia misericordiæ, scintillæ charitatis, & præconia illius liberalitatis. Vide quot concionatores ad te mittit Deus, vt illum cognoscas.

Aug. lib. 10. confess. c. 6.

Omnia quæ sunt in cælo & in terra, dicit B. Augustinus, mihi dicunt, vt amem te Domine mi, & non cessant idem omnibus acclamare, vt nemo possit excusari.

Expostulatio elemẽtorum cum homine.

Si habeas aures vt intelligas voces creaturarum, senties manifestè, quomodo omnia tibi simul præcipiant Deum, vt diligas. Omnes enim illę tacendo clamant, se in tuum esse factas ministerium, vt tu, tam pro te, quàm pro illis, illarũ & tuo Domino seruires. Cælum dicit, Ego tibi lucem interdiu Solis, & noctu Lunæ Stellarumque beneficio subministro, ne in tenebris ambules, & varias influentias dimitto, vt crescant & nascantur diuersæ res, ne tu fame moriaris. Aër dicit, Ego vt in me respires me accommodo: ego te refrigero; ego calorem tuum internum tempero, ne te consumat; habeo in me volucrum genera diuersa, vt illorum varietate & pulchritudine oculi tui, aures verò cantu, & palatum tuum illorum gustu oblectetur. A qua dicit, Ego tibi pluuijs & imbribus meis statutis anni temporibus seruio: fluminibus quoque & fontibus meis, vt te refrigeres: varias piscium species produco, & nutrio, vt tibi sint in cibum, sementem tuam, hortos, & arbores fructiferas tuas irrigo, vt omnibus illis nutriaris. iter tibi præbeo per medium maris, vt toto orbe queas negotiari, & diuitias tuas cum diuitijs alterius orbis, vel hemisphærij, tibi sit integrum coniungere. Quid putas terra dicet, quæ communis omnium mater est, & quasi officina, seu taberna omnium rerum naturalium? Illa sanè non absque ratione dicet: Ego te inutile pondus sustineo; ego te quasi mater in vlnis porto, ego tibi de necessarijs prouideo: ego te fructibus viscerum meorum sustento; ego communionem, seu participationem habeo cum omnibus alijs elementis, cùm omnibus cælis, & è singulis influentias elicio, & beneficia ad fructificandum tibi percipio. Ego denique, bonæ matris instar, nec in vita, nec in morte te derelinquo: in vita enim, vt pedibus me conculces, patior, teque sustento; & in morte locum tibi quietis præbeo, inque visceribus te meis recondo. Quid multis? vniuersus orbis elata voce clamitat, Aspice quanto te Dominus & Creator meus amore prosequatur, qui me amore tui creauit, & voluit vt ego tibi seruirem propter illum, & tu vicissim amares illum, & seruires illi, qui me propter te, & te propter se creauit.

Hæ sunt, ó homo, voces omnium creaturarum: attende nunc quòd nulla potest esse tam iniqua surditas, quàm nolle audire voces istas, & esse tantis beneficijs ingratum. Si acceperis beneficium, solue debitum gratitudine, ne ingratorum supplicio multeris. Singulæ namque creaturæ (vt non malè dixit quidam Doctor) tribus verbis hominem compellant. Accipe, redde, caue: hoc est, accipe beneficium, redde debitum, caue (nisi reddideris) supplicium.

Tribus verbis nos creaturæ compellant.

Vt autem vehementius adhuc admireris, vide quomodo in cognitionem huius Theologiæ Epictetus quondã Philosophus, cuius ante mẽtionem fecimus, deuenerit: qui voluit, vt in omnibus rebus creatis audiamus, & videamus Creatorem, dicens: Cùm coruus crocitat, & voce sua demonstrat aliquã temporis mutationem, nõ est coruus qui tibi hoc prædicit, sed ipse Deus. Et si per humanam vocem admoneari aliquæ de re, nónne similiter Deus est, qui creauit hominẽ, & dedit illi facultatem, vt potens sit admonere? vt scias quòd diuina potentia nunc per vnum, nunc per alterum medium operatur, vt facere liceat quantum ipsa velit? quando enim res, quas nobis vult significare, sunt magni alicuius mométi, facit vt à dignioribus, & nobilioribus legatis edicantur. Porrò & idem Philosophus pergit: Tandem cùm consiliorum meorum lectionem absoluisti, dices tibi ipsi: Hæc mihi dicta nõ sunt ab Epicteto Philosopho, sed à Deo, vnde enim nisi ab eo dicendi consecutus est facultatem? Non igitur ille, sed Deus mihi per illum nuntiauit. Hucusque Epictetus. Quomodo erit Christiano dignus is nomine, qui erubescit eò peruenire, quò homo Ethnicus peruenit? Turpe sanè est oculos fidei claritate illuminatos non videre hoc, quod oculi in tenebris rationis positi viderunt.

Epictetus.

Ex supradictis colligi, quàm indignares sit, non seruire Domino Deo.

His ita sese habentibus, quod quæso erit ingratitudinis pelagus, in mari tantorum beneficiorũ natare, & ne semel recordari, à quo ista beneficia cõferantur? Dicit B. Paulus, *qui inimico suo benefacit, carbones ignis congeret super caput eius.* Itaque si cunctæ creaturæ mundi huius sunt peculiaria Dei beneficia, quid erit vniuersa hæc mundi machina aliud, quàm ignis tot lignorũ seu fascium, quot sunt in orbe creaturæ? Quod itaque cor tam durum & insensibile, vt in medio ignis huius positum, nõ ardeat, imò calorem non sentiat? Est ne possibile Christiane, vt qui tot sine intermissione beneficia percipis, oculos ad cælum aliquoties non tollas, vt videas quis sit ille, qui tibi tot bona largitur? Dic mihi, quòd si contingat te in itinere fatigatum ad pedem alicuius turris quiescere, fameque & siti plurimum affligi; sit autem in turri quispiam, qui cibum & potum tibi quantum petis demittat; possesne te cõtinere, quin oculos nonnunquam eleuares, vt videas quis ille sit, qui tam bene de te meretur? existimo sanè quòd non posses. Quid aliud facit Deus tecum de cælo suo excelso, nisi quòd sine intermissione pluat in te sua beneficia? Da mihi rem aliquam vel paruam vel magnam, quæ cælitus non datur, ex speciali Dei prouidentia. Quare igitur oculos non aliquoties tollis in cælum, vt agnoscas, & diligas tam liberalem Dominum, & continuum benefactorem. Quid aliud sibi vult ista incuria, nisi quòd ostendunt homines se naturam propriam exuisse, & in bestias irrationabiles degenerâsse? Turpe est nos bestijs similes factos velle dicere: æquum tamen est, vt de hominibus secundùm merita ipsorum loquamur. In hoc enim porcis similes facti sumus, pascentibus sub ilice, qui cùm ipsorum pastor arborem ascẽdit, & scutica, vel baculo glandes excutit, occupati sunt tantùm manducando, grunniendoque: coniscantes, & se inuicem à pabulo prohibentes: non animaduertunt quis cibum hunc ipsis largiatur, neque norunt suspicere, vt videant à cuius

Rom. 12, 20.

Simile.

Homines porcis similes.

Simile.

mani-

manibus istud beneficium descendit. O pecuina ingratitudo filiorum Adæ, qui cùm habeatis præter lumen rationis erectos ad sydera vultus, non vultis tamen cum oculis corporis etiam illos mentis in cælum eleuare, vt videatis, agnoscatis, & gratias agatis ei, qui tanta vobis beneficia largitur. Putásne placere Deo, vt homines etiam à bestijs ratione superentur? Lex enim gratitudinis tam generalis est, & Deo tam amica, vt ipsis feris hanc impressam voluerit inclinationem, vti apertè videmus in pluribus exemplis. Quid ferocius leone? & tamen Appion Polyhistor scribit. Androdum Dacum seruum viri consularis, iniquis domini & quotidianis verberibus, ad fugam in Africa coactum: & vt tutiores essent eius latebræ, in camporum & arenarum solitudinem concessisse: specum autem quandam nactum remotam, in eam se recondidisse. Non ita multò pòst, Leonem venisse debili vno & cruento, pede, gemitus edentem, & murmura dolorem vulneris commiserantia. Territum, initio serui animum, sed leonem tandem mitem, & mansuetum accessisse, & sublatum pedem ostendisse seruo, quasi opis petendæ gratia visus est. Androdus (vt ait Appion) stirpem ingentem vestigio pedis eius hærentem, reuulsit, conceptamque saniem vulnere intimo expressit. Leo Androdi opera & medela leuatus, pede in manibus eius posito, recubuit, & requieuit. atque ex eo tempore triennium totum seruus & leo in eadem specu, eodemque victu vixerunt. Nam quas venabatur feras leo, membra opimiora ad specum Androdo suggerebat: quæ ille Sole meridiano (ignis enim copiam non habebat) torrens, edebat. Androdus tandem eius vitæ pertæsus, absente leone fugit, & captus, Romamque ad dominum suum perductus, ad bestias damnatur. Capitur interea & leo, Romamque aduehitur, & ad pugnam cum Androdo emittitur. Hunc ille leo vbi vidit procul, repentè quasi admirans steterit, ac deinde sensim atque placidè tanquam noscitabundus accedit. Tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blandè mouet, cruraque & manus lingua leniter demulcet. Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta animum recuperat, tandemque leonem agnoscit, & læti ambo visi sunt. Hac de causa liberatur & homo & leo; qui & homini suffragijs populi donatur. Postea Androdum leonem loro tenui reuinctum vrbe tota circum tabernas duxisse, donari ære Androdum, & floribus spargi multo tempore Leonem, totius popul. Rom. testimonio probat Appion. Sed & Helpis quidam, Samius natione, in Africam delatus, naue iuxta littus stante, conspecto leone hiatu minaci, arborem fuga petit. Sed procumbens ad arborem leo, hiatu quo terruerat miserationem quærebat. Os morsu validiore adhæserat dentibus, cruciabatque inedia. Helpis, re animaduersa, descendens tandem euellit os præbenti, & quàm maximè accommodanti, & quamdiu nauis in littore steterit, gratiam Leo retulit adiutori suo, & venatus aggerens, omnes qui in naui erant suis prædis cibauit. Non minus admirandum est illud, quod de alio quodam leone memoriæ proditum est, qui cum dracone quodam dimicabat, à quo mirum in modum affligebatur, adeo vt de vita periclitaretur, superuenit fortè fortuna quidam Eques, venationi intentus, is accurrens leoni opem fert, & draconem interficit. Ob quod beneficium leo Equitem secutus est: nec vnquam postea dereliquit. & quando Eques venatum exibat, leo suas partes agebat. Cùm autem Eques nauim conscenderet sine leone, leo videns se à domino derelinqui, in mare se proiecit, & natando nauem insecutus est: sed nimio labore defessus, in aquis suffocatur, nullo auxilio præuentus.

Vide Aulũ Gellium lib. 5. cap. 14.

Leonis gratitudo insignis.

Appion lib. 5. Ægyptiac.

Plin. lib 8. cap. 7.

Simile quid de Henrico Leone Duce Saxoniæ refertur. Vide Saxoniã Krantzij lib. 6. cap. 34.

Quid de fidelitate & equorum gratitudine dicemus? Refert Plinius de quibusdam equis, qui mortuos dominos luxerunt: de alijs, qui lachrymas desiderio fuderunt. Interfecto Nicomede Rege, equus eius inedia vitam finiuit. Quidam mortem dominorum suorum calcibus, morsuque vindicarunt. Sic Scytharum Regulo quodam occiso, cùm victor ad spoliandum interemptum hostem venisset, ab equo eius ictibus, morsuque confectus est.

Equorum gratitudo.

Plin. lib. 8. cap. 42.

Leuia sunt hæc, si cum fidelitate, amicitia, & gratitudine canum conferamus, de quibus idem Plinius admiranda commemorat. Pugnasse aduersus latrones canem scribit, confectumque plagis, occiso domino, non recessisse: volucres & feras ne cadauer lacerarent abegisse. Canem, Iasone Lycio interfecto, cibum capere noluisse, inediaque consumptum esse. Sed & aliud refert, præ omnibus admirandum, quod Appio Iunio, & Publio Silio COSS. Romæ suo æuo accidisse testatur. cùm in quendam ex causa Neronis Germanici filij animaduersum esset, canis illius nec à carcere abigi potuit, nec à corpore recessit: abiecto verò in gradibus Gemonijs domino suo, mœstos edidit vlulatus, magna populi Rom. corona circumstante. Sed audi mirabiliora. Cùm quidam ex circunstantibus cani cibum obiecisset, canis ad os defuncti domini tulit. tandem cùm ex sententia Iudicis cadauer in Tiberim esset abiectum, illud sustentare canis ne submergeretur conatus est. Quid potest esse maiori dignum admiratione? Henrici Aucupis Imperatoris tempore, canis quidam in palatio Cæsaris hostem sui domini agnoscens, accurrit, rapidoque morsu dexteram illius præmordet, & quasi re præclarè acta, cauda palpitante ad suos redijt. Mirantibus cunctis, cùm ab his qui aderant, qui mutilatus erat, qua rẽ canem læsisset, interrogaretur? confessus est se dominum canis illius corpore defesso dormientem, multum reluctante cane, sed frustra, clàm occidisse.

Canum gratitudo.

Plin. lib. 8. cap. 40.

Ditmarus Chronici sui lib. 1.

Si itaque bestiæ, in quibus nulla est ratio, sed tantùm scintilla quædam naturalis cuiusdam instinctus, per quam beneficium agnoscunt, tam gratæ sint, & in omnibus quibus possunt auxiliantur, obediunt, & seruiunt benefactoribus suis: homo, qui tanto lumine ad agnoscenda percepta beneficia insignitus est, qui fieri potest, vt tam incurius sit, & tam facilè obliuiscatur illius, à quo tanta illi profluunt beneficia? Estne possibile, vt sese in lege humanitatis, fidelitatis, & gratitudinis à bestijs superari patiatur? præsertim cùm infinitis modis maiora sint quæ homo percipit à Deo, quàm quæ bestiæ possunt ab hominibus expectare: cùm etiam & persona quæ dat, & amor ex quo dantur, & intentio qua dantur ea quæ dantur, multò sint excellentiora, quodque Deus non dat vt lucrum inde expecter, sed ex sola gratia & charitate? Stupenda sanè res est, quæque perspicuè satis arguit, esse quoddam genus Dæmoniorum, qui excæcant nostrum intellectum, indurant nostram voluntatem, & memoriam perturbant, vt tanti benefactoris non recordemur. Porrò si tantum scelus sit huius Domini non meminisse, quale quæso, & quantum erit, etiam hunc offendere? & ipsis eius beneficijs offendere? Primus gradus ingratitudinis, ait Seneca, est, beneficia beneficijs non compensare; secundus, benefactoris oblituisci; tertius, malefacere huic, qui tibi bene fecit, atque illud indignissimum esse videtur: sed quanto adhuc illo indignius erit, si quis benefactorem, ijs ipsis beneficijs, quæ ab illo accepit, offendat, & beneficia in iniuriam benefactoris conuertat? Nescio profectò an homo quispiam in mundo posset reperiri, qui alteri homini faciat, quod plerique audent facere ipsi Deo. Quis erit homo quantumcunque pernitiosus, & impius, qui cùm amplissima

Varij ingratitudinis gradus.

Simile.

sima dona à Rege aut Principe quopiam accepit, ijs ipsis confestim exercitum conscribit, vt Regem oppugnet? Et tu infelix homo, cùm ijs ipsis beneficijs, quæ largitor omnium bonorum Deus tibi contulit, illi bellum moues, illum oppugnas? Quod maius flagitium posset excogitari? Nónne scelus erit intolerabile, si mulier maritata omnia sua monilia, annulos, torques, inaures, & armillas, quæ maritus illi donauit, vt his ornaretur, & sibi placeret, adultero cuidam det, vt ipsum in amorem sui pelliceat? Nõ puto quicquam in mundo posse excogitari magis execrãdum, & tamen iniuria illa fit homini ab homine, fit æquali ab æquali. quanto verò maius & turpius est, si tanta iniuria ipse Deus afficiatur? Et quid aliud faciunt homines quotidie, cùm fortitudinem, robur, sanitatem, & diuitias, quas ipsis Deus largitus est, in opera malà, & turpissimas actiones profundunt? Fortitudine magis intumescunt; pulchritudine maiorem gloriam aucupantur; sanitate Dei facilius obliuiscuntur; diuitijs fiunt auariores & auidiores ad sanguinem pauperum exugendum, diuitijs diuitias accumulare studeant, corpora sua præter modum comunt & ornant: virginitati & pudicitiæ fœminarum insidiantur, & faciunt vt illæ, tanquam alter Iudas, sanguinem Christi diuendant; illi verò tanquam Iudæi pacto pretio mercãtur. Et quomodo digna satis oratione reliquorum beneficiorũ abusum possem commemorare? Aqua seruit illorum gulæ: pulchritudine creaturarũ ad suam libidinem abutuntur; fructus & bona terræ famulantur ipsorum auaritiæ: Gratiæ & habitus naturales augent superbiam: nimia prosperitate dementantur, & aduersitate sic mouẽtur, vt animæ faciant iacturam, & damnationem incurrant. *Manè primo consurgit homicida, interficit egenum, & pauperem: nox verò commoda est illis ad tegenda furta,* vt scribitur in Iob. Denique quicquid Deus creauit ad suam gloriam, illi in instrumenta suæ dementiæ, atque furoris conuertunt. In miseriarum abyssum intraret, si quis vellet exactè commemorare aquas ipsorum distillatas, odores, fumigationes, vestimenta, aulæa Babylonica: & varia eduliorum genera, elixa, tosta, assa, frixa, milleque alias superfluitates, de quibus (vt peccandi maior sit scientia) non tantùm scripti sunt integri libri, sed etiam impressi. adeò exulat omnis apud nos verecundia, tantasque vires carnis illecebræ acquisiuerunt. Omnibus his rebus pretiosis, pro quibus Domino Deo gratias immensas debemus, vtuntur tanquam irritamentis suarum luxuriarum: vsum omnium creaturarum Dei peruertentes, facientesque instrumenta vanitatis, ea quæ instrumenta debebant esse virtutum. Omnia denique, quæ in mundo sunt, carnis suæ delitijs deuouerunt; nihil autem proximo, quem tamen Deus tam seriò ipsis commendauit. Cùm enim dandum est proximo, tunc solùm pauperes sunt, tunc se multa debere recordantur; in ceteris omnibus nec debent cuiquam, nec deest illis quicquam. Ne itaque patiare frater, vt in horam vsque mortis onus tam periculosum tibi impositum remaneat; quòd quanto maius erit, tanto etiam strictior eius à te ratio exigetur. Quòd Deus multa dat ei, qui ingratus est, genus quoddam iudicij est: cùm autem dat ei, qui etiam beneficijs abutitur, iudicium est reprobationis. In hoc enim omnem nos pudorem exuisse demonstramus; bestiæ namque in hoc virtutis genere nobis prælucent, multoque suo benefactori, quàm nos, sunt gratiores. Quapropter si Niniuitæ insurgent contra Iudæos in extremo iudicio, eosque condemnabunt, eò quòd Christi concionibus ad pœnitentiam non sunt permoti; caueamus nobis, ne Deus propter bestiarum exemplum nos condemnet, eò quòd amant illæ benefactorem suum, quem nos non amamus.

Simile.

Homines Dei donis abutũtur in iniuriam datoris.

Iob 24, 14.

Matt 12, 41. Luc 11, 32.

QVARTVS TITVLVS.

AD VIRTVTEM NOS OBLIGARI ratione beneficij inæstimabilis nostræ Redemptionis.

CAPVT IIII.

POST beneficia Creationis & Conseruationis, sequitur inæstimabile beneficium Redemptionis. Ad agendum de hoc beneficio; me profectò tam indignum, tamque ineptum reperio, vt vnde incipiam, aut vbi desinam, prorsus ignorem. nescio quid dicam, nescio quid facere debeam. Si pigritiæ vel hominum acediæ non opus esset hoc stimulo, ad bene viuendum, præstaret altitudinem huius mysterij in silentio adorare, quàm duritiæ linguæ nostræ (vt ita loquar) obscurare. Veterum scriptis memoriæ proditum est, celeberrimum quendam pictorem, cùm exequias filię cuiusdam Regis depingeret, in circuitu funeris multos ex cognatis & affinibus astantes mœstis & afflictis vultibus finxisse; matrem etiam adiunxisse, multò ceteris tristiorem. Cum ad delineandum patrem ventum esset, artificiosa quadam vmbra illius faciem texit; volens significare, artem hic deficere, quo nouo inuento doloris magnitudinem expressit. Si itaque omnis nostra scientia non sufficiat ad explicandum Creationis beneficium, quæ lingua, quæ facundia, quæ eloquentia poterit Redemptionis beneficium dignè satis explicare? Deus omnia solo voluntatis suæ nutu creauit, sed pro Redemptione humana annos triginta tres desudauit, sanguinem suum effudit, nec membrum, nec sensum habuit vllum, qui non peculiari suo dolore cruciabatur. Iniuria videtur fieri tam glorioso mysterio, si quis illud humana lingua exprimere se posse arbitretur.

Simile. Val. Max. lib. 2.

Quid igitur faciam? loquar, an tacebo? tacere non debeo, loqui non possum. Quomodo fieri posset, vt misericordiam tam immensam tacerem, & quomodo mysterium tam adorandum & sublime potero explicare? tacere ingratitudo est, loqui temeritas dici potest, & præsumptio. Quare ô Deus meus, obsecro immensam tuam pietatem, da, vt quamdiu ego rudi meo ingenio de tua loquar gloria, ad illam declarandam & amplificandam; illi spiritus beati, qui sursum sunt in cælis, qui te laudare nõrunt, te laudent & glorificent pro me: vt mecum laborent in hoc opere, quod ego maiori cum temeritate, quàm ingenij felicitate aggredior, & subministrent nobis in quibus studia nostra deficiunt.

Postquam homo creatus esset, atque in loco deliciarum constitutus, in summa dignitate & gloria, nec non & tanto arctioribus vinculis Deo esset obligatus, quanto ab illo maiora acceperat beneficia, immorigerus fuit, & rebellauit: & ex ipsis rebus, è quibus maiores amãdi Creatorem sumere debebat cãsas, ex ijsdem maiores captauit occasiones proditionis. Propterea Paradiso exterminatus est, & in exilium electus, imò & infernalibus pœnis addictus; vt qui factus erat Diabolo socius in peccato, eidem esset & socius in supplicio. Dicebat Helizeus Propheta seruo suo Giezi. *Accepisti argentum & vestes à Naaman: sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Simile fuit iudicium Dei aduersus hominem, qui cùm affectasset opes & diuitias Luciferi, (eius scilicet superbiam & ambitionem) æquum erat vt lepra eiusdem Luciferi, quæ pœna illius superbiæ fuit, interficeretur. Ecce igitur hominem Diabolo similem factum, eius culpæ imitatorem.

Initium peruersitatis humanæ.

4. Reg. 5, 27.

Cùm igitur homo tam abominabilis esset in oculis diuinis, tantamque Dei indignationem incurrisset, benignissimus ille Dominus non dedignatus est re-

spice-

spicere, non ad iniuriam æternæ suæ Maiestati factam, sed ad infortunium nostræ miseriæ: magis condolens nostro errori, quàm vindictæ cupidus, ob illatam sibi contumeliam: statuit hominem reparare, & sibi illum reconciliare, vnigenito suo Filio mediatore. Sed quomodo hominem sibi reconciliauit? Quæ lingua humana nobis hoc enarrabit? tantam Christus inter nos & Deum conciliauit amicitiam, vt non tantùm Deus homini culpam omnem ignouerit, in gratiam suam receperit, vnum idemque secum amoris quodam glutine fecerit, sed (quod omnem magnitudinem transcendit) tantam inter se & humanam naturam similitudinem fecit, vt in omnibus rebus creatis nulla maior inueniretur conformitas, quam sunt Deitas & humanitas: non enim vnum idemque sunt in amore & gratia, sed & in persona. Quis vnquam vel sperare ausus fuisset, vulnus illud tam latè patens, hoc modo obductum iri; Quis vnquam imaginari potuisset, duas res istas, inter quas tanta fuit & naturæ & culpæ differentia, tam arctè coalescere potuisse; non in vna domo, non in mensa, non in vna gratia, sed in vna eademque persona? Quæ duo maiora dari possunt contraria, quàm Deus & peccator? & quæ duo arctius sunt nunc combinata, quæ magis commixta, quàm Deus & homo? Non est quicquam Deo sublimius, (ait Bernardus) & non est vilius quicquam & humilius luto, ex quo homo formatus est. Nihilominus tanta cum humilitate Deus in terram descendit ad hominem, & cum tanta sublimitate terra ascendit ad Deum, vt quicquid Deus fecit, id terra feciſſe, & quicquid terra pertulit, id Deus pertulisse dicatur. Quis dixisset homini, cùm nudus erat, atque se iram Domini incurrisse nouerat, cùm latebras in Paradiso quærebat, in quibus sese absconderet, quis inquam tunc illi dixisset, tempus aliquando adfore, quo substantia hæc tam vilis Deo esset vnienda, in vna eademque persona? Vnio hæc tam arcta, tam fidelis fuit, vt cùm iam esset dissoluenda (quod fuit tempore passionis) potius rupta sit, quàm defecerit. Potuit quidem mors animam separare à corpore, quæ erat vnio naturæ: Deum autem nec ab anima potuit, nec à corpore diuellere. quod enim semel ex amore tam forti apprehendit, nunquam deseret. Hæc est illa pax, hæc illa salus, quam recepimus beneficio nostri Mediatoris & Saluatoris.

Mysterium incarnationis mirabile.

S. Bernard. serm. de Natiuit Hodie scietis.

Nõ ob ipsam redemptionem, sed & ob modum eius nos Deo obligatos esse.

Quamuis verò tales ac tanti debitores simus, propter hoc beneficium, vt nulla humana possit eloqui lingua: non minùs tamen obligati sumus Deo, ob modum Redemptionis, quam ob ipsam Redemptionem. Sum quidem summo iure tibi obstrictus, Domine mi, eò quòd me liberasti ab inferno, meque tibi reconciliasti, multo vero maiora tibi debeo; propter modum ipsum, quo me liberâsti quàm propter ipsam libertatem, in quam me asseruisti. Omnia opera tua in cunctis sunt mirabilia, & licet existimet homo cùm vnam rem consideauerit, non superesse, quod ad admirationem addi posset, nec superest illi amplius spiritus; confestim omnis stupor ille euanescit, cùm oculos ad aliud contemplandum voluit. Non diminuitur gloria tuæ magnitudinis Domine, si vnum admirabile aliud expellere videatur: sed sunt hæc maioris tuæ gloriæ indicia.

Sed quod fuit medium, Domine mi, quo mala mea tollere voluisti? infinita erant media, quibus opem mihi ferre, & perfectam donare salutem potuisti, sine labore, & sine vllo pretio: nihilominus tam ingens, tamque admirabilis est tua liberalitas, vt ad demonstrandam mihi manifestius magnitudinem tui amoris & bonitatis, volueris mihi auxiliari cum doloribus tam magnis, vt illorum sola cogitatio sufficiens fuerit, ad sanguineum sudorem omnibus tuis membris exprimendum; & passio ipsa paulò post durissimas petras præ dolore sciderit. Cæli te laudent, Domine mi, & Angeli tui prædicent mirabilia. Quid? bonorum nostrorum egebas? aut aliquod tibi præiudicium erat ex malis nostris? *Si peccaueris*, inquit Iob, *quid et nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Iustè Deus tam diues, tam omnis mali expers; ille cuius diuitiæ, cuius potentia, cuius sapientia non potest crescere, aut maior esse quàm est: ille qui nec ante, nec post mundi creationem aut maior: aut minor fuit, quàm nunc est: ille qui nec eò quòd Angeli laudem ipsi concinunt, nec quia homines illum glorificant, fit illustrior, nec minus glorioſus fieret, etiam si omnes illum creaturæ damnarent, & blasphemarent; magnus ille Dominus, non ex necessitate, sed mera charitate, non obstante, quòd inimici illius eramus, non dedignatus est cælos suæ magnitudinis inclinare, & in hanc miseriarum vallem descendere, nostræ mortalitatis exuuijs indui, omniaque debita nostra in se suscipere, ad ea delenda maiora pati tormenta, quàm quisquam passus est vnquam, aut pati poterit in futuro.

Magnitudo & excellentia Christi. Iob 35, 6.

Ah Domine mi, propter amorem mei natus es in stabulo, & positus in præsepio, pro me die octauo circumcisus es, pro me in Ægyptum fugiens septennio integro exulâsti; & pro me persecutiones varias sustinuisti, infinitisque iniurijs lacessitus es. Propter amorem mei ieiunâsti, vigilâsti, huc illuc discurristi, sudâsti, lachrymatus es, omnesque miserias, quas mea meruere peccata, ipsa experientia probâsti: cum tamen absque omni peccato esses, nec dolus in ore tuo inueniretur: cùm non offendisses, sed offensus esses. Tu denique propter me captus, à tuis relictus, negatus, venditus, nunc huic, nunc illi iudici pro tribunali sedenti præsentatus, coram ipsis falsò accusatus, alapis cæsus, consputus, illusus, flagellatus, spinis coronatus, blasphemijs lacessitus, in crucem actus, mortuus & sepultus. Tandem ab omni me malo vindicâsti, moriens in cruce, & vitam inspectante matre abrumpens: quo tempore in tanta miseria & inopia inuentus es, vt in intolerabili siti tua, aquæ tibi guttula fuerit denegata, qua posses ardorem oris refrigerare. Non tantùm ab omnibus rebus externis, sed etiam à proprio Patre fuisti derelictus. Quid maiori dignum admiratione, quàm Deum tantæ Maiestatis in maledicto Crucis ligno vitam cum titulo malefactoris finire? Quando homo quispiam, etiam infimæ conditionis, ad illud infortunium deuenerit, vt simili morte ob delictum suum mulctandus sit, tuque illum fortè fortuna agnoueris, videns vultum illius, non poteris sanè satis mirari, considerans in quam infelicem sortem præcipitauit illum miseria, vt mortem obire debeat tam diram & ignominiosam. Quapropter si res admirabilis sit, videre hominem plebeium, conditionisque inferioris, in miserabili hac calamitate constitutum, quæso quid erit videre non hominem, sed Dominum omnium rerum creatarum? Potest res aliqua maiori conspici cum admiratione, quàm Deum ipsum ob vnius malefactoris flagitia in tantam miseriam adduci? Et si quanto dignior est, & nobilior persona, quæ occiditur, tanto casus eius sit mirabilior & miserabilior: vos, ô Angeli, quibus tam perfectè cognita est, & perspecta celsitudo atque excellentia huius Domini, dicite mihi, quis dolor vos discrutiauit? quæ admiratio, quis stupor vos corripuit, quando illum vidistis à ligno pendentem? Cherubin, quos Deus à lateribus arcæ fœderis poni iusserat in veteri testamento, se inuicem versis ad propitiatorium vultibus, tanquam admirabundi intuebantur, vt significarent supremos istos spiritus ob-

Media quibus redempti sumus.

Angelos in passione Domini admiratos. Exod. 25.

tus obstupuisse, cùm opus tantę pietatis conspicerent, cùm inquam Deum mundi propitiatorium, factum in ligno suspensum viderent. Ipsa natura stetit attonita, & omnes creaturæ ab officio suo fuêre suspensæ: Principatus & Potestates cælorum contremuerunt: considerantes inæstimabilem hanc bonitatem, quam ipsi in Deo cognoscunt: Quid facient igitur illi, qui non natant in vndis tantæ admirationis pelagij. Quid facient illi, qui non sunt submersi in istius bonitatis Oceano? Quomodo non potest non à mentis officio dimoueri, tanquam alter Moses in monte attonitus tunc, cùm figura & exemplar istius mysterij ipsi reuelaretur, atque ille sublata voce clamaret, *Dominator Domine Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis*, nihil aliud dicere, nihil aliud facere potens, quàm alta voce misericordiam illam, quam Deus tunc exhibebat, prædicare? quid facie ille, qui non operit vultum suum, vti Helias fecit, quando vidit Deum suum transire, non in figura suæ Maiestatis, sed in forma profundissimę humilitatis: non subuertentem montes & conterentem petras, infinita sua potentia, sed oculis peruersæ gentis præsentatum, & petras scindi iubentem præ compassione?

Exod. 34, 6.

3. Reg. 19.

Quis igitur oculos intellectus sui non claudet, quis sinum voluntatis suæ non aperiet, vt sentiat magnitudinem huius amoris, & beneficij: ipsumque Dominum absque vllo modo & mensura diligat? O altitudinem charitatis, ô profunditatem immensæ humilitatis, ô magnitudinem misericordiæ, ô abyssum incomprehensibilis bonitatis. Si tanta tibi debeam, ô Domine, eò quòd me redemisti: quid non debeo tibi pro modo, quo me redemisti? Tu me redemisti cum maximis tuis doloribus, cum contumelijs & ignominijs non ferendis, adeò, vt factus sis opprobrium hominum & abiectio totius mundi. Per tua opprobria me honorâsti; per tuas accusationes me defendisti; tuo me sanguine lauasti, per mortem tuam me resuscitâsti, & per lachrymas tuas me ab æterno fletu & stridore dentium liberasti. O bone Pater, qui tam tenerè tuos amas filios, tu es bonus ille & verus Pastor, qui te ipsum gregi tuo das pabulum. O fidelissime custos, qui animam tuam pro ouibus tuis, quas defendendas & custodiendas susceperas, posuisti; quibus ego muneribus tantum tuum beneficium potero compensare? quibus lachrymis planctum tuum? qua vita vitam sanctam & puram tuam remunerabo? Ingens nimis est differentia, inter vitam hominis & Dei, inter lachrymas Creatoris & creaturæ.

Quòd si, ô homo, visum tibi fuerit, non te tantùm Deo debere, eò quòd pro te solo mortuus non est, sed pro mundo vniuerso; caue ne fallaris, ita enim mortuus est pro omnibus, vt etiam mortuus sit pro singulis. Infinita enim sua sapientia omnes illos, pro quibus patiebatur, sic ante oculos suos habuit præsentes, tanquam in vno omnes comprehenderentur, & immensa sua charitate amplexus est omnes in genere, & singulos in specie, sanguinemque suum ita pro vno solo, tanquam pro omnibus effudit. Fuit denique tanta illius charitas, vt (quemadmodum Sancti dicunt) si vnus tantùm inter omnes homines, reus fuisset, etiam pro eo solo passus fuisset omne id, quod passus est pro vniuersis. Animaduerte igitur, & cum animo perpende tuo, quantum debeas huic Domino, qui tanta pro te fecit, & qui multo maiora fecisset, si tua necessitas maiora postulâsset.

Non pro omnibus tantũ, sed & p singulis passus est Dominus.

Ex supradictis colligitur quantum nefas est offendere nostrum Saluatorem.

VEllem mihi dicerent omnes creaturæ, si quod beneficium maius, si maior obligatio, si gratia maior hoc possit inueniri? Dicant omnes Angelorum chori, si talia Deus vnquam pro ipsis fecerit? Quis erit igitur, qui se ipsum totum in holocaustum Deo Domino suo offerre recusabit? Tribus de causis (inquit Anselmus) ô Domine, tibi debeo totum quod sum: Primò, quia me creâsti, omnia tibi debeo quæ in me sunt: Secundò, quia me redemisti, eadem debeo, sed titulo iustiore: Tertiò, quia teipsum mihi in præmium promisisti, denuò meipsum totum tibi debeo. Cur itaque me totum non donabo semel illi, cui tot modis & titulis me debeo? O ingens ingratitudo, ô humani cordis duritia: durissimum profectò es, si tot beneficijs non flectaris, si pro tot donis teipsum non tribuas. Non inuenitur in hoc mundo quicquam tam durum, quod non aliquo artificio molliatur. Metalla igni liquescunt, eodem ferrum fit tractabile, adamantis durities hirci sanguine frangitur: at tu, ô cor humanum, durius es omni petra, durius ferro, durius adamante: cùm nec ignis infernalis duritiem tuam frangat, nec artificium pientissimi Patris te molliat, nec sanguis Agni illius immaculati te facere queat tractabile.

Ob tria sup. sum homin. Deo debere. Anselm lib. Cur Deus homo.

Duritia cordis humani.

S. Aug. lib. de Virginit. Plinius.

Cùm itaque tu, ô Domine, tantam bonitatem & misericordiam exhibueris, etiamnum ferendum esse tibi videtur, inueniri aliquem, qui te non diligit? qui tuorum beneficiorum immemor est? imò, quod indignissimum est, qui te offendere non erubescit? Quid amat, qui te non amat? Ob quod beneficium gratus erit, qui se tuis beneficijs exhibet ingratum? Quomodo potero non illum colere, non illi seruire, qui me tantopere adamauit? qui tanta diligentia me quæsiuit, qui tanto labore me ab omni malo redemit? *Si exaltatus fuero à terra*, inquit Saluator, *omnia traham ad meipsum*. Qua violentia Domine mi? quibus catenis cum violentia charitatis, & beneficiorũ. *In funiculis Adam traham vos*, inquit Dominus, *& vinculis amoris*. Quis non velit libenter tuis funiculis trahi? quis non his catenis vinciri sese permittet? Quis non ligari cuperet, & à tantis beneficijs superari? Sed si tantum nefas sit hunc Dominum non amare, quid erit etiam eum offendere, & illius mandata violare? An possibile sit, ô homo, vt habeas manus ad offendendum manus illas, quæ erga te tam liberales extitêre, vt etiam pro te crudi tandem affixæ fuerint?

Ioan. 12, 32.

Osee 11, 4.

Cùm lasciua & impudica ista mulier sanctum Patriarcham Iosephum ad adulterium pelliceret, atque vt domino suo esset infidelis solicitaret, castus iuuenis sese hoc modo defendit: *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quicquam est quod non in mea sit potestate, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum?* quasi diceret: si dominus meus tam bonus & liberalis erga me fuerit, si meæ fidei omnia sua crediderit, si me tâto habeat in honore: quomodo possem ego, qui tot beneficiorum vinculis illi sum obstrictus, habere manus ad offensionem tam boni domini paratas? Quo loco notâdum est, eum nõ contentum fuisse, vt diceret, non decet vt illum offendam, aut, non debeo hoc habere, sed dixit. *Quomodo possem hoc malũ facere?* &c. significâs magnitudinem beneficiorum, nõ tantùm debere voluntatẽ coërcere, sed & potẽtiam, & vires etiam Dominum Deum offendendi aliquo modo auferre. Si hoc beneficiorũ genus tantam meruerit gratitudinẽ & beneuolentiam, quid beneficia Diuina non merentur? Homo ille manibus Iosephi crediderat id quod habebat, & Deus tibi quæ habet tradidit. Cõfer nunc ea quæ habet Deus, cum ijs quæ homo ille habebat: & vide quod modis maiora & prestãtiora his sunt illa? Duplicia sunt quę à Deo recepisti tu, si cum ijs conferas, quæ ab homine illo Iosephus recepit. Dic mihi quæso, quas facultates, quas diuitias habet Deus, quas tibi non communicauit? Cælũ, terra, Sol, Luna, stellæ, maria, flumina, volucres, pisces, arbores, animalia, omne denique id, quod sub cælo reperitur, in manibus tuis est. Quid?

Genes. 39, 9.

Omnia nobis à Deo donata.

non

non tantùm ea, quæ sub cælo sunt, in tua sunt potestate; sed etiam quæ supra cælos, gloria nimirum illorum & bona æterna. *Omnia vestra sunt*, dicit Apostolus, *sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: Omnia enim vestra sunt*, id est, ad salutem vestram ordinata. 1. Cor. 3, 22.

Deus quot modis noster est.

Sed quid si dicam te non solùm habere ea quæ super cælos sunt; sed ipsum etiam Dominum omnium cælorum tibi mille modis donari? Ipse tibi datur vt pater, vt tutor, vt saluator, vt magister; ipse tuus medicus est, ille pretium tuæ redemptionis, est tibi exemplum, adiutorium, remedium & custodia. Pater denique nobis suum dedit Filium: Filius nobis promeritus est Spiritum sanctum, quem Pater & Filius mittit: à quo omnia bona procedunt.

Cùm itaque verò verius sit, Deum omnia quæ habet in manus tuas tradidisse, quomodo fieri posset, vt tu manus habeas ad illum irritandum? an existimes rem esse ferendam, ingratum esse patri tam pio, & benefactori tam liberali? Videtur quidem extremum hoc esse nefas; sed si huic ingratitudini adiungas contemptũ benefactoris, & iniuriam seu offensam, quale tibi scelus illud esse videbitur? Si adolescens ille (cuius suprà meminimus) ita se ligatum, ita se vinctum deprehenderit, vt impotens fuerit ad offendendum illum, qui omnem domus suæ substantiam sibi commiserat: quomodo tu vires in te inuenies, ad offendendum illum, qui tibi cælum, terram & seipsum donauit? Ah infelix homo ipsis bestijs ingratior, ipsis feris ferocior, ipsis saxis insensibilior, est possibile, vt tu tanto à scelere non resilias? Quę bellua, quis Leo, quæ Tygris, tam beneficiorum immemor, vt lædat illum, à quo bene fit ipsi? D. Ambrosius refert de quodam cane, qui noctem integram latrando, & vlulando dominum suum à quodam hoste suo interfectum deflebat: Manè facto multi homines ad cadauer confluebant, atque inter alios etiam ille; qui hominem interfecerat, accurrit. Canis, viso interfectore, in illum impetum fecit, insiliensque mordere cœpit, atque ita scelus istius sicarij detectum est. Quid dices itaque tu, ô homo, si canis propter frustum panis tam fidelis sit, tantoque amore dominum suum prosequatur? Adeóne tibi placet ingratitudo, vt in gratitudinis lege te à cane superari patiaris? Quòd si brutum illud animal tanta ira in domini sui peremptorem exarserit, quare non & tu indigneris his, qui tuum Dominum occiderunt? Qui sunt illi? Peccata tua sunt: hæc illum comprehenderunt, hæc ligarunt, hæc flagellarunt, hæc in crucem illum rapuerunt. Tua nimirum peccata, tui Domini necis causę fuerunt. Non habuissent tantas in Christum vires, nec potestatem tantam crudeles isti carnifices, nisi peccata tua illos armâssent. Cur igitur non excandescis, cur ferociam non acuis tuam in illos, qui Dominum tuum interfecerũt? Quamobrem, cùm videas Dominum tuum ante conspectum tuum interfectum, idque propter te, amor in illum tuus non augetur? peccatisque tuis cur non irasceris, quæ morte illi attulerunt? præsertim cùm non ignores finem omnium dictorum, factorum, tormentorumque illius alium nõ fuisse, quàm vt iram atque odiũ aduersus peccata in cordibus nostris excitaret, Vt occideret peccatum, ille mortuus est, & vt potentiam manuum, pedumq; nostrorum ad mala properantium cõstringeret, suos cruci voluit affigi. Qua igitur fronte ita viuere audes, vt omnes labores & sudores Christi pro te vani sint, dum tu in eadem seruitute manere vis, qua te sanguinis sui effusione liberauit? Fieri ne potest, vt ad solam peccati mentionem non cõtremiscas, cùm videas Deum terribilia subijsse tormenta, vt illud destrueret atque aboleret? Quid potuit amplius facere, vt homines in peccatum certatim proruentes retraheret, quàm vt obuiã illis mitteretur ipse Deus in cruce suspensus? Quis adeò temerarius erit, vt audeat Deum offendere, cùm ante se videat & Paradisum apertum, & infernum os suum dilatantem? multo tamen maius est illo, Deum videre in cruce pendentem. Qui hoc spectaculo non mouetur, nescio sanè qua re alia moueri poterit?

Genes. 39.

Ambr. lib. 6. Hexamerõ.

Canis latronem indicat.

Peccata nostra Dominũ in crucẽ egerunt.

TITVLVS QVINTVS.

QVOMODO AD VIRTVTEM sectandam obligati simus ratione Iustificationis nostræ.

CAPVT V.

QVID profuisset nobis beneficium Redemptionis, si iustificationis beneficium non fuisset subsecutum, quo mediante virtus illius excellentissimi beneficii nobis applicatur? Quemadmodum enim emplastri nullus est vsus, si non applicetur vulneri, vel loco affecto: ita nulla fuisset vtilitas cælestis illius medicinæ, si non hoc beneficio mediante fuisset applicata. Quod officium præcipuè pertinet ad Spiritum sanctum, cui attribuitur hominis sanctificatio: Ille enim est qui præuenit peccatorem sua misericordia, & deinde vocat: vocatum verò iustificat, iustificatum dirigit per semitas iustitiæ, atque ita perducit cum dono perseuerantiæ ad finem sui cursus, donec tandem conferat ei coronam gloriæ: beneficium enim hoc omnia reliqua beneficia in se complectitur. Inter omnia hæc beneficia primum est illud vocationis & iustificationis, quòd est, cùm per virtutem diuini huius Spiritus fractis catenis, ruptisque laqueis peccatorum, homo euadit dominium & tyrannidem Diaboli; à morte ad vitam resuscitatur, è peccatore fit iustus, ex filio maledictionis fit filius Dei. Quod fieri nequaquam potest sine peculiari ope & auxilio diuino; id quod apertis verbis testatur Dominus, cùm ait, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum*: significans quòd nec liberum arbitrium, nec vires humanæ naturæ hominem a peccatis possunt per se liberare, & ad gratiam perducere, nisi diuinæ potentiæ brachium succurrat. D. Thomas in hæc verba sic commentatur: Quemadmodum lapis sua natura semper cadit deorsum, nec potest sursum tendere, sine auxilio externo; sic & homo propter peccati corruptelam, (quantum in se est) semper tendit deorsum, hoc est, in amorem & desiderium rerum terrenarum labitur: Si autem erigendus sit, & sursum, hoc est, ad amorem & desiderium supernaturale rerum cælestium eleuandus, opus est dextera Excelsi, atque auxilio diuino. Hæc sententia notanda & obseruanda est; per hanc enim homo venit in agnitionem sui ipsius, & intelligit suæ naturæ corruptionem, cognoscitque, quam necessaria sit diuini subsidij continua petitio.

Simile.

Iustificatio quid sit.

Nemo suis viribus potest iustificari Ioan. 6, 44.

Simile.

Igitur (vt ad propositum reuertamur) homo suis viribus è peccato eripi non potest, & ad gratiam reduci: necessariò siquidem manus Domini, quæ eripiat, requiritur. Sed quis poterit declarare quanta beneficia alia in hoc vno continentur? Cùm enim extra controuersiam sit, per hoc medium peccatum ex anima expelli, quod multa in ea mala generat: quantum erit bonum illud, quod omnia ista mala exterminat? Sed cùm consideratio illius beneficii vehementer incitet hominem ad gratitudinem, atque virtutis desiderium, obiter hic exprimam maxima bona, quæ secum hoc vnicum bonum solet adferre. Primò per illud homo Deo reconciliatur, & ad amicitiam illius reuertitur. Primum enim & maximum omnium malorum, quæ parit in anima mortale peccatum, est, quòd hominem Deo facit inimicum: qui cùm sit infinita bonitas, super omnia peccatum odit

Iustificatio quanta bona secum ferat.

I. Reconciliat hominem Deo.

Psalm.5,6. & execratur. Ideò dicit Propheta; *Odisti omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendatium*, addit præterea, quòd *Deus virum sanguinum & dolosum abominatur.* Hoc maximum est omnium malorum, & cæterorum omnium radix & origo; vti è contrario amari à Deo, maximum est bonorum, causa quoque & fons illorum. Ab hoc tam pernitioso malo per beneficium Iustificationis liberati sumus: per quod Deo sumus reconciliati, & ex inimicis amici illius facti; idque non in communi amicitiæ gradu, sed in supremo, qui potest inueniri, patris scilicet erga filium. Hanc amicitiam meritò commendat Euangelista Ioannes cùm dicit, *Videte qualem charitatem nobis dedit Pater, vt Filij Dei nominemur & simus.* Non contentus dixisse quòd nominemur, etiam addit, quod simus: vt humilitas & exigua illa hominum fiducia aperte cognoscat beneficentiam & liberalitatem diuinam? vtque cerneremus non esse illud nomen honoris, aut tituli, sed rei potius & facti. Quod si tantum sit malum, à Deo reprobari & odio haberi: quale bonum erit, ab eo diligi, & in illius gratia commorari? Axioma siquidem Philosophorum est, tanto rem esse meliorem, quanto peius est illius contrarium. Ideoque summum bonum sit illud necesse est, cuius oppositum summum malum est; quale esse diximus, si quis Deo sit exosus. Quòd si in hoc mundo magni momenti res esse existimetur, si quis apud Superiores suos, vti apud Pontificem, Principem, Regem, aut similes Magnates in honore sit: quæso quid erit, gratiam inuenisse apud summum Principem, supremum Patrem, & altissimum Dominum, in cuius comparatione omnes huius mundi Principatus & dignitates sunt, tanquam non essent; Quæ quoque gratia tanto maior est, quanto magis gratuitò datur: certum enim est, quòd quemadmodum impossibile est hominem aliquid facere potuisse antequam creatus esset, quo vt crearetur potuisset promereri; (nondum enim tunc aliquid erat) ita etiam extra dubium est, nihil eum, postquam in peccatum lapsus est, facere posse, quo iustificationem mereatur: non quia non est, sed quia malus est, & Deo exosus.

Nos esse Filios Dei 1.Ioan.3,1.

II. *Per Iustificationem homo liberatur ab æterno supplicio.*

Aliud beneficium præcedens illud sequitur, quòd hominem liberat à condemnatione supplicii sempiterni: cuius ob peccata sua reus erat. Etenim peccatum facit hominem Deo abominabilem, & nemo potest sine maximo suo damno, extra diuinam gratiam viuere, hinc est vt peccatores relinquentes Deum, quia peccant & contemnunt illum, mereantur contemni, & à conspectu Dei submoueri, ab illius consortio, à pulcherrima illius domo extorres: & quia relinquentes Deum amore inordinato diligunt creaturas, æquum est, vt per omnia puniantur, & æterna pœna crucientur, cui supplicia visibilia comparata, depicta potius, quam vera esse videntur. Huic tantæ infelicitati accedit etiam vermis ille immortalis, qui semper rodet viscera & conscientiam malorum. Sed quid dicam de societate maledictorum illorum spirituum, & de condemnatis omnibus? quid de obscura & lamentabili illa regione plena tenebris, & confusione differam? *vbi nullus ordo. sed sempiternus inhabitat horror:* vbi nullum reperitur gaudium, nulla pax, nulla requies, nulla satisfactio, spes nulla; sed perpetuus planctus & sempiternus stridor dentium, assidua rabies, iugis blasphemia, & æterna maledictio? Ab omnibus his malis liberauit Dominus eos, quos iustificauit, qui omnes postquam ipsi sunt reconciliati, & in gratiam ipsius recepti, liberi sunt ab ista ira, atque à pœna illius vindictæ.

Esaiæ 66,24.

Iob 10,22.

III. *Iustificatio renouat hominem.*

Ecce aliud beneficium magis spirituale, quod est reformatio & renouatio hominis interioris, qui per peccatum erat deturpatus, & inordinatus. Peccatum enim non tantùm animam Deo priuat, sed omni etiam spoliat fortitudine supernaturali, omnibusque diuitiis & donis Spiritus sancti, quibus ipsa erat adornata, compta, & locupletata: mox verò vt gratiarum istarum bonis priuata est, vulneratur, mutilatur, & priuatur etiam bonis naturalibus. Cùm enim homo sit creatura rationalis, peccatũ autem sit opus factum contra rationem, naturale autem sit, vt vnum contrarium perimat alterum; cõsequens est, vt quanto plùs multiplicentur peccata, tanto plus destruantur & pertur bentur animæ potentiæ; nõ in seipsis, sed in aptitudine operandi. Hoc modo peccata reddunt animam miserabilẽ, infirmam, pigram & instabilem ad omne opus bonum: promptam verò & propẽsam ad omne malum ad resistendum tentationibus debilem, & tardam ad ambulandum viam mandatorum Domini. Priuant etiam illam vera libertate & dominio spiritũs: faciuntque captiuam Dæmonis, mundi, carnis, & propriorum appetituum, atque hoc modo viuit in captiuitate Babylonica illa & Ægyptiaca duriori. Præterea sensus quoq; omnes spirituales animi segnes fiunt, ita vt non audiant voces, atque inspirationes diuinas: non videant maxima mala sibi præparata: non olfaciant suauissimum virtutis odorem, nec exempla Sanctorum pulcherrima; non gustent quàm suauis sit Dominus, nec sentiant flagella, nec agnoscant beneficia, quibus ad amorem illius prouocantur; & præter hæc omnia pacem & gaudium conscientię tollunt, feruorem spiritũs extinguunt, & hominem relinquunt turpem, maculatũ, deformem & abominabilem in cõspectu Domini, & omnium Sanctorum illius. Ab omnibus malis istis nos liberat hoc beneficium. Abyssus enim diuinarum misericordiarum non est contenta condonãsse crimina, & hominem in gratiam recepisse, nisi etiam expellat omnia mala hæc, quæ peccata secum adferunt; reformãs, renouansq; hominem nostrum interiorem. Hoc modo sanat nostra vulnera, abluit nostras sordes, rũpit vincula peccatorũ, destruit iugum malorum desideriorũ, vindicat nos à seruitute Diaboli, mitigat furorem peruersorum nostrorum affectuum & perturbationum, veramq; libertatem, & pulchritudinem animæ nobis restituit: pacem & gaudium bonæ conscientiæ reddit, viuificat sensus interiores, promptos eos atque idoneos facit ad omne bonum, tardos verò ad omne malum, fortes reddit ad resistendum tentationibus Diaboli, & bonis ditat operibus. Tam deniq; absolutè renouat reparatq; interiorem hominem nostrum, cum omnibus suis potentijs, vt Apostolus huiusmodi homines, sic iustificatos, appellet renouatos, & nouas creaturas. Hęc renouatio tanta est, vt cum fiat per baptismum appelletur regeneratio, quando verò per pœnitentiã, vocetur resurrectio: non solùm quia anima à morte peccatorum ad vitam gratiæ resuscitatur, sed quia quodammodo imitatur etiam pulchritudinem futurę Resurrectionis. Illud autem adeò verum est, vt nulla lingua humana sufficiens sit exprimere pulchritudinem animæ iustificatæ: solus autem hoc ille nouit Spiritus, qui illam reddit formosam, & templum suum facit, sedemque suam in ea collocat. Quapropter si omnes diuitias huius mundi, omnes eius honores, omnes naturales gratias, omnesque virtutes acquisitas, cum pulchritudine & diuitijs animæ iustificatę conferas, omnia obscurissima, vilissimaque in illius comparatione videbuntur. Quanta enim est differentia inter cælum & terram, inter spiritum & corpus, inter æternitatem & tempus, tanta quoque reperitur inter vitam gratiæ, & vitam naturæ; inter pulchritudinem animæ & corporis; inter diuitias interiores & exteriores, inter fortitudinem spiritualem & naturalem. Omnia enim hæc certis terminis sunt circunscripta, temporalia sunt, & oculis corporalibus

Peccata quæ mala faciãt in anima.

Pulchritudo animæ iustificata.

1.Cor.4.& Ephes.4.

formo-

formosa tantùm apparent, ad quæ satis est generalis Dei concursus; ad illa verò particularis & supernaturalis concursus requiritur, nec dici possunt temporalia, cùm ad æternitatem perducant, nec appellari omnino finita, quia Deum merentur, in cuius oculis tam sunt pretiosa, tantique valoris, vt sua pulchritudine Deum ipsum ad amorem prouocent. Porrò cùm Deus omnia hæc solo suo auxilio & voluntate posset operari, id facere noluit: sed placuit illi animam adornare virtutibus infusis, & septem sancti Spiritus donis, quibus cum non solùm animæ essentia ipsa, sed omnes etiam illius potentiæ vestiuntur, & adornantur diuinis istis habitibus.

IV. Per iustificationem Deus in nobis habitat.

Præter omnia hæc diuina beneficia, æterna illa & infinita Dei bonitas aliud adiungit, præsentiam scilicet atque auxilium sancti Spiritus, atque adeò totius sacratissimæ Trinitatis, quæ migrat in animam iustificatam, venitque, vt inhabitet in illa, vt doceat quomodo tantis diuitijs rectè vti possit, tanquam bonus pater, qui non contentus filio diuitias dedisse, addit ei tutorem, qui nouit illas bene administrare. Adeò vt quemadmodum in anima peccatoris habitant viperæ, dracones & serpentes, qui sunt multitudo spirituum malignorum, qui domicilium suum in tali anima eligunt, vti Saluator noster apud Matthæum asserit; ita è contrario in animam iustificatam intrat Spiritus sanctus, cum tota Trinitate sanctissima: eijcienſque omnia monstra & bestias infernales, in templum eam sibi consecrat, sedemque suam ibi collocat, vti expressè in Euangelio testatur Dominus, dicens: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Horum verborum virtute omnes Doctores tam Ecclesiastici, quam Scholastici fatentur, ipsum Spiritum sanctum certo & peculiari quodam modo habitare in anima iustificata, distinguentes inter Spiritum sanctum, & ipsius dona: dicentes insuper, non tantùm hæc dona à Spiritu sancto dari, sed Spiritum quoque sanctum dare semetipsum, qui intrans in animam hanc, templum eam sibi facit, & habitaculum, sedem in ea collocans suam. Ideoque purgat illam, sanctificat, & donis suis exornat, vt dignum tali inhabitatore sit diuersorium.

Simile.

Matth. 12.

Luc. 11.

Ioan. 14, 23.

V. Iustificatos viua membra Christi facit.

Non sufficiunt supradicta beneficia, nisi & aliud mirabile accedat, quale est, iustificatos omnes fieri viua membra Saluatoris, qui priùs erant membra mortua: non enim à capite Christo suas influentias percipiebant. Hinc aliæ, eæque maximæ nascuntur prærogatiuæ, atque excellentiæ: hinc enim oritur, vt ipse Dei Filius illos amet, tanquam propria sua membra, & curam illorum habeat non minorem, quàm de seipso; pro ijs non minùs, quàm pro membris proprijs solicitus sit, sine intermissione in illos infundat virtutem suam, tanquam caput in sua membra, æternus denique Pater illos benignis oculis intueatur, non aliter, atque viua membra vnigeniti sui Filij, vnita, & cum illo concorporata, per spiritus illius participationem: ideoque opera illorum sunt grata & meritoria, tanquam opera viuorum membrorum sui Filij, qui operatur in illis omne bonum. Ex eadem dignitate procedit, vt cùm huiusmodi iustificati à Deo petunt gratiam, eam summa petant cum fiducia: sciunt enim se illam petere, non pro se tantùm, sed & pro ipso Dei Filio, qui in ipsis, & cum ipsis, honoratur. Cùm enim negare nemo debeat, quin quod membra faciunt, idem & caput faciat, sequitur, vt cùm Christus caput illorum sit, cùm quid petunt pro se, idem & pro illo petant. Etenim si verum sit eos (vti Apostolus dicit) qui peccant in membra Christi, in ipsum peccare Christum, & si se persecutionem pati iudicet Christus, cùm membra sua persecutionem patiuntur, quemadmodum Apostolo dixit Ecclesiam

Fiducia in orando.

1. Cor. 6, 15. *Christus honoratur cum iustus honoratur.*

eius persequenti; cur miraris frater, si dicam cùm membra honorantur, etiam ipsum Christum honorari? Quod cùm ita sit, quantam habebit iustus in oratione sua fiduciam, cùm considerat, quòd petens gratiam pro seipso, eandem etiam aliquo modo petat ab æterno Patre pro Filio illius dilectissimo? Nónne verum est, vt cùm alicui gratia fit amore alterius, huic principaliter fiat, cuius amore data est: credimus enim quod qui pauperi misericordiam exhibet propter Deum, huic non tantùm pauperi, sed & ipsi Deo misericordiam exhibere.

Act. 9.

VI. Per iustificationē datur vita æterna.

Necdum hîc diuinorum beneficiorum finis est: omnibus enim prædictis beneficijs vltimum hoc subiungitur, ad quod alia omnia ordinantur, ius nimirum, & possessio vitæ æternæ, quæ datur iustificato. Quemadmodum enim immensius ille noster Dominus, in quo summa relucet iustitia simul & misericordia, omnes peccatores, qui pœnitentiam non faciunt, æternis pœnis addicit, ita omnes verè pœnitentes ad æternam vitam assumit. cumque posset homini omnia peccata condonare, illum in amicitiam suam & gratiam recipere, sine gloriæ suæ communione. Facere tamen id noluit: sed hos, quibus pro sua misericordia peccata remisit, etiam iustificauit; quos iustificauit, suos fecit filios; & quos filios fecit hos etiam fecit hæredes, & participes cælestis hæreditatis suæ, vna cum Vnigenito suo Filio. Hinc oritur viua illa spes, quæ exhilarat iustificatos in omni tribulatione, propter pignus & arrham infiniti huius thesauri. Etenim etsi videant se angustijs coarctari, infirmitatibus affligi, miserijs huius vitæ premi: sciunt tamen non *esse condignas passiones huius seculi, ad gloriam, quæ reuelabitur in ipsis.* sciunt etiam id, quod *momentaneum est in præsenti & leue tribulationis suæ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari.*

Rom. 8, 18.

2. Cor. 4, 17.

Iustificatio maior quàm creatio. Hæc itaque sunt beneficia, quæ vnicum illud beneficium Iustificationis in se comprehendit; quam Iustificationem B. Augustinus maioris æstimat, quàm creationem: Deus enim cælum & terram vno solo verbo creauit; vt hominem verò sanctificaret, sanguinem suum fundere, & tanta, tamque varia subire tormenta debuit. Si itaque tot & tanta huic Domino debeamus pro creatione, quantò plura debebimus illi pro iustificatione? quod beneficium quanto maioribus laboribus & afflictionibus comparatum est, tanto magis nos obligat.

Augustin. in Ioannem.

Coniectura iustificationis. Et si autem nemo euidenter scire queat, an verè iustificatus sit, magnas tamen suæ iustificationis quilibet potest habere coniecturas; inter quas nequaquam minima est, Vitæ renouatio: quando qui mille peccata vno die solet perpetrare, iam nullum committit. Qui talis est, memor sit, quam iusto titulo ad tali Sanctificatori seruiendum sit obligatus, qui redemit ipsum, & à tot malis liberauit, atque tot bonis cumulauit, quæ huc vsque commemorauimus. Si quis autem in malo adhuc statu hæreat, nescio qua re magis illum Deus posset commouere, vt statum illum deleret, quàm si ob oculos ipsi statuat omnia mala, incommoda, & pericula, quæ peccata secum adferunt, & paulò antè à nobis enumerata sunt: nec non & thesaurum maximorum bonorum ipsi ostendat, quæ ex incomparabili beneficio hoc oriuntur.

De multis alijs effectibus, quos Spiritus sanctus operatur in anima iustificati, & de Sacramento Eucharistiæ.

QVæ hactenus à nobis dicta sunt, nondum omnia beneficiorum genera complectuntur, quæ Spiritus sanctus operatur in anima hominis iustificati, nec ijs terminis Dei liberalitas circunscribitur. Non enim diuino Spiritui satis est, hominem per iustitiæ portam introduxisse, sed postquam intrauit homo, ab eodem Spiritu adiuuatur, & manu du-

Gratia Spiritus sancti cooperans.

citur in omnibus vijs eius, donec ſuperatis procelloſi maris huius fluctibus, ſaluus & ſecurus ad portum ſalutis peruenerit. Poſtquam enim intrauit Spiritus ſanctus mediante beneficio prædicto in animã iuſtificatam, non ſedet ibi otioſus; non enim ſufficit illi animam ſua præſentia condecorare, ſed & virtute ſua ſanctificat illam, operando in illa, & cum illa, quicquid ad ſalutem conueniens eſt. Sedet ibi tanquam paterfamilias in domo ſua, illam gubernans: ſedet ibi, tanquam præceptor in ſchola, adminiſtrans illam; tanquam hortulanus in horto ſuo, colens illam, tanquam Rex in regno ſuo, regens illam, tanquam ſol in mundo, illuminans illam; denique tanquam anima in corpore ſuo, dans illi vitam, ſenſum, & motum nõ quidem vt forma in materia, ſed vt paterfamilias in domo ſua. Quid itaque beatius, quid optatius, quàm in ſe hoſpitem habere talem, ducẽ talem, ſocium talem, gubernatorem, tutorem denique, & adiutorem talem? qui cum ſit omnia, omnia quoque operatur in anima, in qua commoratur. Præcipuè verò tanquam ignis illuminat noſtrũ intellectum, inflãmat noſtram voluntatem, & è terris ad cælum vſque exaltat: ipſe tanquam columba nos ſimplices facit, mãſuetos, placabiles, & omnibus amicos; ipſe tanquã nubes refrigerat nos, & defendit ab ardore carnis, temperat inſaniam, furoremq; paſſionum noſtrarum; ipſe denique tanquam ventus vehemens mouet, atque inclinat voluntatem noſtram ad omne bonum, ſegregans illam & abſtrahens ab omni inclinatione mala, donec tandem eò perueniant iuſtificati, vt exoſa ſint ipſis omnia vitia, quæ priùs amabant; amentque virtutes, quas priùs oderant, vti Dauid idipſum apertè fatetur ſibi contigiſſe; quodam enim loco dicit: *Iniquitatem odio habui & abominatus ſum*, & alio loco, *In via teſtimoniorum Domini delectatus ſum ſicut in omnibus diuitijs*. Ratio erat, quia Spiritus ſanctus in animam illius illuſtrauerat abſynthium rerum terrenarum, & mel diuinorum mandatorum: in quo vides apertè omnia noſtra bona huic diuino Spiritui deberi: ita vt ſi declinemus à malo, ille cauſã ſit, & ſi faciamus bonum, id per illum faciamus: ſi perſeueremus in bono, per illum perſeueremus, & ſi præmium detur pro bono, per illum detur. Conſtat itaque veriſimè dictum ab Auguſtino, quando Deus remunerat noſtra ſeruitia, compenſat in nobis ſua beneficia; atque ita gratia pro gratia redditur, cum ipſa merita ex gratia ſint. Sanctus Patriarcha Ioſeph nõ contentus fuit dare fratribus ſuis frumentum, quod emptum in Ægyptum venerant, ſed præcepit inſuper pecuniam in ore ſacculi recondi, quam apportârant, vt pro frumento numerarent. Eodem modo Dominus noſter cum ſuis agit, dat enim ipſis vitam æternã, dat etiam gratiam & vitam laudabilem, qua cùm æternam vitam licet comparare. Huc facit quod Euſebius Emiſſenus ait, qui ideo colitur vt miſereatur, iam miſertus eſt vt coleretur. Homo itaque vitã ſuam diligenter examinet, & conſideret (vt idem Doctor admonet) quanta bona fecerit, à quot malis, adulterijs, rapinis, furtis, impoſturis, ſacrilegijs Dominus illum liberauit; & tunc agnoſcet, quàm multis modis illi ſit obſtrictus. Erenim, vt B. Auguſtinus aſſerit, omnia peccata ſic habenda ſunt, tanquam dimittantur, à quibus Deus cuſtodit, ne committantur. Noli igitur, inquit, modicum diligere, quaſi à quo modicum dimiſſum eſt, ſed potiùs multum dilige, à quo tibi multum tributum eſt. Si enim diligit cui donatum eſt ne redderet, quanto magis debet diligere cui donatum eſt, vt haberet. Nam quiſquis ab initio pudicus permanet, ab illo regitur; & quiſquis ab impudico pudicus factus eſt, ab illo corrigitur; & quiſquis vſque in finem impudicus eſt, ab illo deſeritur. Quod cùm ita ſit, quid aliud faciemus, quàm vt clamemus cum Propheta, *Replea-*

Quomodo ſe det Spiritus S. in animatiſti, & quid ibi agat.

S Spiritus ignis.

Columba. Nubes.

Ventus.

Pſal. 118. 63.

Ibid. v. 14.

Auguſtin. in Pſal. 144. & Epiſt. 105. ad Sixtum.

Geneſ. 42.

Euſeb. Emiſ. homil. 8. de Paſch.

Aug. lib. de Virg. ca. 40. & libro 2. de Confeſſ. c. 7.

Pſalm. 70. 8.

tur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.? in quæ verba B. Auguſtinus ſic commentatur. Quid eſt tota die? Sine intermiſſione; in proſperis, quia conſolaris; in aduerſis, quia corrigis. Antequam eſſem, quia feciſti: cùm eſſem, quia ſalutem dediſti; cùm peccaſſem, quia ignouiſti; cùm cõuerſus eſſem, quia adiuuiſti; cùm perſeueraſſem, quia coronaſti. Ita plane repleatur os meum laude, vt hymno dicam gloriam tuam toto die.

Auguſtin. in Pſalm. 70.

Offertur hic nobis materia atque occaſio nonnihil de beneficijs Sacramentorum (quæ quaſi inſtrumenta ſunt noſtræ iuſtificationis) differendi; atque præcipuè de Baptiſmo, de lumine fidei, atque de gratia, quæ in illo confertur. Sed quoniam de hac materia in alijs locis tractauimus, nihil in præſentiarum amplius dicam. De gratia verò gratiarum, & de Sacramento illo omnium Sacramẽtorum, per quod Deus voluit in regione hominum habitare, & ſeſe illis quotidie dare in cibum, & remedium, tacere omnino non poſſum. Semel oblatus eſt in cruce ſacrificium & hoſtia cruenta pro ſalute noſtra; ſed in hoc Sacramento quotidie immolatur in altari pro noſtris peccatis. *Quotieſcunque feceritis hoc* (inquit) *in mei memoriam facietis.* O ſalutis monimentum, ô ſacrificium ſingulare, ô hoſtia gratiſſima; panis vitæ, ſuaue alimentum, epulum regale, manna in te habens omnis ſaporem ſuauitatis: quis te dignis poterit laudare præconijs? quis te digne poterit manducare? quis te debita reuerẽtia & ſecundùm meritũ tuum poterit honorare? Deficit anima mea, cùm de te cogito: loqui de te lingua mea nõ poteſt, nec mirabilia tua iuxta deſiderium meum poſſum annuntiare. Si benignus ille Dominus hoc beneficium præſtitiſſet ſolis innocentibus, & qui vitæ ſunt integri atque puri, adhuc donum eſſet inæſtimabile: nunc autẽ quid dicam, cùm vt ſeſe illis impartiatur, tranſire non dedignatur per manus multorum miniſtrorum peſſimorum, quorum animæ ſunt domicilia Satanæ, & corpora vaſa corruptionis; quorum vita in vitijs, & peccatorum ſordibus cõſumitur? Quin etiã vt ſuos viſitet atque conſoletur amicos, coinquinatis atque impuris ipſorum manibus non renuit contrectari; ſacrilego ipſorum ore ſumi, & in fœculentis illorum ventribus ſepeliri. Corpus Chriſti ſemel venditum eſt, ſed in hoc Sacramento plus millies, imò quotidie penè venditur. Semel tantum in hoc mundo illuſum & contemptum eſt, nunc autem indeſinenter ab iſtis impuris hominibus vilipenditur in altari. Semel tantùm inter duos latrones à cruce pependit, nunc autem in hoc Sacramento quaſi quotidie conſpicitur in manibus peccatorum. Quomodo dignè poterimus hunc Dominum colere, qui tot vijs, modisque ſaluti noſtræ proſpexit? Quid retribuemus illi pro admirabili hoc alimento? Si famuli ſeruiant ſuis heris, eò quòd ab illis alantur; ſi milites per ferrum & ignem ruant, vt hoc modo periculum mortis euadant: quid non facere debemus nos, pro iſto Domino, qui nobis cæleſtem hunc cibum adminiſtrat? Si Deus in veteri Lege tantas popoſcerit gratiarum actiones, pro manna quod cælitus Iſraëlitis pluebat, eratque cibus corruptibilis; quas poſcet à nobis pro cibo hoc diuino, qui non tantùm incorruptibilis eſt in ſe, ſed & incorruptibiles facit omnes, qui dignè ſumunt illum? ſi Filius ipſe Dei gratias egerit ſuo Patri pro paucis panibus hordeaceis, vt in Euangelio legitur, quantas gratiarum actiones debebunt homines pro hoc pane ſupernaturali? pane Vitæ? pane diuino? Si teneamur ad agendum Deo gratias tantas pro nutrimento quo Eſſe noſtrum ſuſtentatur, quantas illi debemus pro illo, quo bene Eſſe noſtrum conſeruatur? Non enim laudamus equum, quia equus eſt, ſed quia bonus eſt: nec vinum, quia vinum eſt, ſed quia bonũ eſt: hominem, quia homo eſt,

De Euchariſtia.

Marc. 26. 1. Cor. 11.

Deut. 8.

Ioan. 6.

mo est, sed quia homo bonus est. Si tu itaque tot modis obstrictus sis illi, qui te creauit hominem, quanto arctiùs illi eris obligatus, quòd te bonum fecerit? Si tanta illi debeas pro dotibus corporis, quanta pro donis animæ debebis? si tanta pro bonis naturæ, pro gratiæ bonis quanta; Si denique tanta illi debeantur, quia te filium Adæ fecit, quanta quæso debentur, quia ex filio infelicis Adæ in filium Dei conuertit? Multo enim melior est dies in qua nascimur ad æternitatem (vt ait Eusebius Emissenus) quàm in qua nascimur ad huius mundi pericula. Ecce frater, ecce nouum funiculum, ecce catenam nouam, qua vnà cum alijs præcedentibus cor tuum stringitur, atque obligatur ad virtutem appetendam, & Domino Deo tuo seruiendum.

SEXTVS TITVLVS.

AD VIRTVTEM NOS OBLIGARE inæstimabile beneficium diuinæ prædestinationis.

CAPVT VI.

OMnibus superiùs commemoratis beneficijs annumeratur etiam illud Electionis, quod eorum tantùm est, quos Deus ab æterno elegit ad vitam æternam, pro quo beneficio Apostolus tam pro se, quã pro omnibus electis, illi gratias agit, his verbis; *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorũ per Iesum Christum in ipsum.* Idem beneficium commendat Propheta Regius cùm ait, *Beatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.* Meritò itaque hoc beneficium appellari potest beneficium beneficiorum, & gratia gratiarum. Est gratiarum gratia; quia datur ante omne meritum, ex sola infinita Dei bonitate & liberalitate: qui nulli faciẽs iniuriam, imò dans vnicuique sufficiens adiutorium ad salutẽ, quibusdam copiosiùs elargitur suæ misericordiæ magnitudinem tanquam absolutus & liberalis Dominus suarum diuitiarum. Est etiam beneficium beneficiorum, nõ tantùm quia ceteris maius est, sed quia ceterorum etiam omnium & causa est, & fundamentũ. Cùm enim homo electus est ad gloriam, per medium huius beneficij mox Dominus illi alia quoque omnia beneficia, quæ ad consequendam gloriam requirũtur, impartitur; quemadmodum ipse per Prophetam testatur, dicens. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Non ignorare debes quòd ego te vocaui ad meam gratiam, vt per illam obtineas meam gloriam. Apostolus autem hoc apertiùs dicit, cùm ait; *Quoniam quos præscisti erat, eosdem & prædestinauit, cõformes fieri imaginis Filij sui, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus, quos autẽ prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos aũt iustificauit, illos & glorificauit.* Ratio illius est, quòd Dominus disponens omnia suauiter, & ordinatè, postquam aliquem dignatus est eligere ad suam gloriam, propter illam gratiam, multas alias confert: dat enim omnia quoad primam illam gratiam obtinendam pertinẽt. Quemadmodum pater qui filium educat, vt vel Sacerdos fiat, vel Doctor, à teneris annis rebus illum Ecclesiasticis assuescere, vel studijs incumbere facit, totumque vitæ illius cursum ad finem propositum dirigit: sic & æternus ille Pater, postquam hominem aliquem ad gloriæ suæ communionem elegit, eum ad viam iustitiæ, quæ ad gloriam illam perducit, paterna sua cura dirigit; in eaque fideliter candidatum suum deducit, donec is ad finem desideratum perueniat. Pro hoc tam antiquo & excellenti beneficio debent gratias agere Domino illi, qui insigne aliquid huius beneficij in se agnoscunt. Etenim concedamus secretũ hoc ab humanis oculis esse abscõditum, semper tamẽ cùm indicia quædam iustificationis cognoscantur, etiam signa diuinæ prædestinationis vel electionis haberi possũt. Vti enim inter signa iustificationis nequaquam minimum est vitæ emendatio: sic inter signa electionis maximum est in vita bona perseuerantia. Ille siquidem qui multis iam annis in timore Domini vixit, atque omni studio & diligentia peccata mortalia fugit, piè potest credere quòd (vti Apostolus dicit) *confirmabit* illum *Dominus vsque in finem, sine crimine, in die aduentus Domini nostri Iesu Christi:* & quod vti incepit, sic & finiet. Verum quidem est, neminem de sua perseuerantia securum esse debere, cùm sapientissimus ille Salomon, postquam plurimis annis piè vixisset, in fine vitæ suæ defecerit, & turpiter lapsus sit. sed sunt illæ particulares exceptiones à generali vsu & consuetudine, qualis est illa, quam ex Paulo attulimus, & quam ipse Salomon docet in suis prouerbijs, dicens; *Prouerbium est, Adolescens iuxta viam suam etiam cùm senuerit non recedet ab ea.* Ita vt si studiosus fuerit virtutum sectator in ætate iuuenili, talis etiam sit in senili. Ex his, & similibus coniecturis, quæ apud Ecclesiæ Doctores inueniuntur, humiliter de infinita Dei bonitate præsumi potest, quòd qui talis est, electorum numero sit adscriptus. Quemadmodum enim sperat in bonitate diuina saluandum se esse, sic humiliter præsumere potest se in eorum esse numero, qui saluandi sunt, cùm vnum alterum præsupponat.

Ephes.1,3.

Psalm. 64,5.

Electio est fundamentũ omnium beneficiorum.

Ierem.31,3.

Rom.8,29.

Perseuerantia in bono signum electionis.

1.Cor.1,8.

3 Reg.11.

Prouerb.22,6

Quòd cum ita sit, perpende quæso tecùm ô homo, quanto te pignore Dominus tener sibi obligatum, pro immenso hoc beneficio, scriptum scilicet esse te in libro illo, de quo Redemptor noster Apostolis suis dicit, *In hoc nolite gaudere, quod spiritus vobis subijciuntur, gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in libro vitæ.* Quam igitur immensum hoc beneficium est amari & ab æterno electum esse, à quo Deus Deus erat? quiescere in suauissimo illius pectore, vsque ab annis Æternitatis? habitum esse pro filio Dei adoptiuo tunc, cùm Filius eius naturalis genitus est, in splẽdore Sanctorum, qui præsentes aderant in diuino illius intellectu?

Luc.10,20.

Attentè igitur considera omnes huius electionis circunstantias, & videbis earum singulas singula eius beneficia, eaque maxima: nec non & notas obligationes adferre. Considera primò dignitatem eius, qui te elegit, qui ipse Deus est, beatus, & infinitè diues, qui nec tuis, nec alterius cuiusquam opibus indiget. Perpende quam indignus sit, qui eligitur, si ipsius cõsideres qualitatem & naturam: est enim creatura misera & mortalis, omnibus infirmitatibus, miserijs & paupertati vitæ huius subiecta, & pœnæ infernalis rea, tum ob alterius, tum ob suum etiam peccatum. Animaduerte tertiò, quàm excelleus sit ipsa electio, posteaquam eligaris ad finem tam sublimem, quo maior alius esse non potest: hoc est, vt fias Dei filius, hæres regni illius, & particeps illius gloriæ. Attende quartò, quàm est hæc electio gratuita, cùm sit (vti diximus) ante omne tuum meritum, ex solo beneplacito diuinæ voluntatis, & (vt Apostolus ap. dicit) per gloriam & laudem liberalitatis Dei, & illius gratiæ. Beneficium autem quo magis gratuitum, tanto magis tenet hominem obligatum. Quintò videnda est antiquitas huius electionis; non enim incepit cum mundi constitutione, sed multo est ipso mũdo antiquior: imò ipsi Deo coæua est; qui quemadmodum ab æterno est, sic ab æterno dilexit suos electos, vsq; huc diligit diligetq; inposterum, quos oculis paternis & vere benignis intuetur, memor semper ad quam eximiũ ipsos bonũ præfiniuit & prædestinauit. Considerandа sextò est raritas beneficij illius: post-

Circumstantia in electione considerandæ.

I.

II.

III.

V.

VI.

quam inter tot barbarorum hominum nationes;& in tanta damnatorum multitudine Dominus voluerit te ad tam beatam sortem vocare, vt esses in numero eorum, qui ad æternam vitam electi sunt. Ideoque te separauerit à massa corruptionis generis humani, condemnata propter peccatum: teque ex fermento corruptionis in panem Angelorum commutauerit. In hac consideratione pauca inueniuntur, quæ scribi possunt: multa verò quæ possunt animo perpendi, vt possit esse gratus Domino pro particularitate huius beneficij, quod tãto maius est, quãto minor est numerus electorum, & maior eorum qui damnandi sunt; Eccles.1. quorum numerum (vt Salomon affirmat) est infinitus.

Quòd si nihil horum te moueat, moueat saltem magnitudo impensarum; quas liberalissimus Dominus huius beneficij ratione facere determinauerat. quales sunt & vita Vnigeniti sui Filij, & sanguis illius in causa huius beneficij effusus, vt qui ab æterno decreuerat, eum in mundum hunc mittere, vt esset diuinæ huius determinationis executor. Quod cùm ita sit, ecquod tempus erit prolixum satis & sufficiens, ad considerandum tantam Dei misericordiam? Quæ lingua poterit vnquam satis illam effari? quod cor illam perfectè sentire & gustare? quibus denique obsequijs illa poterit compensari? quo cum amore homo ad istũ diuinum amorem respõdebit? quis erit tam ingratus, qui recusabit iam tandem amare illum, à quo ab æterno adamatus est? quis volet hũc pro quouis alio amico permutare? Etenim cùm in Scripturis sanctis tantoperè laudetur, & in tanto habeatur pretio amicus multorum annorum, quis vellet possessionẽ & gratiam antiquissimi huius amici omnibus amicis mundi mutare? & si præscriptio, vel possessio temporis, cuius non habetur memoria, auctoritatem & ius det illi, qui non habet quid facier hæc possessio æterna, qua Dominus nos possedit, vt per titulum istius amicitiæ pro suis reputemur? Ex his liquet nulla in hoc mundo inueniri bona, quæ sint bonis his mutanda, nec esse mala tanta quę amore horum bonorum non sint perferenda.

Eccles.9.

Quis quæso tam stupidus & inconsideratus esse posset, qui reuelatione diuino edoctus, hominem aliquem mẽdicum per plateas ostiatim stipem sibi quærentem, hoc modo esse à Deo prædestinatum, vt terrã quam pedibus ille suis calcauit, non velit osculari? non illi cedet? non genua summa cum humilitate flectens bene illi precabitur, & his verbis gratulabitur; O te felicem, ô beatum te, túne es vnus è felici illo electorum numero? túne exultabis in beatis illis Angelorum choris? túne cantabis cęlestem illam musicã? túne perpetuum illud regnum possidebis? túne coruscantem illam Christi faciem, eiusq; sanctissimæ Matris contemplaberis? O felix dies ille, in quo tu natus es; multo autem felicior ille, in quo mũdo morieris: tunc enim incipies viuere vitam æternam. Felix panis, quo tu vesceris; beata terra, quam tu calcas; sustinet enim illa thesaurum incomparabilem. Beatæ tribulationes quas pateris, & egestas quæ te premit. illæ siquidem tibi viam aperiunt, quæ ducit ad vitam æternam. quæ calamitatum & tribulationum nubes erit tam densa, quæ tanta spe non disparebit?

Apostrophe ad mendicũ, sed electum.

Hęc & similia verba sunt, quibus hominem quempiam, quem certò prædestinatũ sciremus, compellaremus. Etenim si Princeps quispiam magni regni futurus hæres per viam aliquam transeat, omnes incolæ relictis ædibus ad locum hũc confluunt, vt conspiciãt illum, & admirantur beatam illam (secundum opinionem mundi) sortem quæ iuuenem illum manet, eo quòd regni hęres natus sit; quanto igitur magis admirari debent homines beatissimam sortem hanc? natum nimirum hominem, & sine suo merito electũ, non vt sit Rex temporalis in hoc mundo, sed vt regner in cælo cum ipso Deo, & beatis illius in seculorũ secula? Ex his itaque rebus, mi frater, facilè cognoscere licebit, ingens illud vinculum, quo electi omnes propter hoc beneficium Domino & Electori suo sunt obstricti, à quo beneficio nemo se putet excluſum, modò velit facere officium suum, & ipse sibi deesse nolit: imò satagat per bona opera (vti B. Petrus monet) certam facere suam vocationem, & electionem: 2.Pet.1,10. certi enim sumus, quòd qui facit hoc saluabitur: scimus etiam quòd fauor & gratia diuina nunquam aliquem destituit, nec quẽquam destituet in posterum. Nos itaque cum duarum istarum veritatum certitudine in operibus bonis perseueremus, & de numero illo felici & beato Electorum nos esse speremus.

Simile.

SEPTIMVS TITVLVS.

HOMINEM AD VIRTVTEM SEctandam obligari ratione primi quatuor suorum nouissimorum, quod est Mors.

CAPVT VII.

SInguli quidem prædictorum hominem meritò ad seruiendum Domino Deo suo, cui tot nominibus & rationibus est obligatus, permouere deberent. Sed quia maior pars hominum plùs mouetur præmio seu mercede, quam iustitiæ debito, hoc est, (vt alij loquuntur (plùs vtilitate, quàm honestate, nos operæpretium facturos existimauimus, si prædictis maximas vtilitates, quæ Virtuti promittuntur, tam in præsenti, quàm in futurò, subijcianus. Initio verò dicemus de duabus inter reliquas præciputs, vt sunt gloria, quam per virtutem consequimur, & pœna, quam per eam euitamus. Isti sunt remi duo, quorum beneficio periculum procellosi maris huius enauigamus: hæc duo sunt calcaria, quibus incitamur ad vitam vitæ huius cum celeritate percurrendum. Hinc est, vt B. Franciscus in sua Regula, & B. Dominicus in sua, afflati ambo vno eodemque spiritu, ijsdem verbis suis posteris diuini verbi præconibus præcipiant, nihil vt prædicent, præter virtutes & vitia, præter gloriam & pœnam: illam, vt doceant bene viuere; hanc, vt moueant ad bene viuendum. Est & Philosophorum opinio, & communis sententia, duo æquipõdia, quibus horologium humanæ vitæ mouetur, esse præmium & supplicium. Tanta enim est nostræ volũtatis miseria, vt nemo virtutem nudam appetat, cui non est adiuncta pœna, vel quæ vtilitate quadam non compensatur & quia nec supplicium nec præmium aliquod potest excogitari æterna illa gloria, perpetuaque pœna maius, nos de his in præsentiarum agere decreuimus, quibus alia duo præmittimus, eo quòd ordine sunt priora. Mortem scilicet & vniuersale iudicium, singula siquidem illorum bene considerata, magnos habent stimulos ad virtutes nos incitandi, & à vitijs deterrendi, iuxta illud Sapientis, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*, per nouissima intelligens quatuor illa paulò antè à nobis commemorata, de quibus deinceps secundùm propositi nostri tenorem disseremus.

Democrit. Plin.lib.2.

Enumeratio eorum, de quibus dictum sit.

Eccli.7,40.

De morte igitur, quæ in nouissimorum numero prima est, initium faciemus: quæ tantò ad mouendos animos est potentior, quantò est certior, vniuersalior, & familiarior. Potissimùm verò si consideremus particulare iudicium vitæ nostræ vniuersæ, quod in illa pronuntiabitur; quod in illo vniuersali non mutabitur. quod enim in hora mortis dabitur, idem ratũ erit semper. Quàm autem seuerum erit hoc iudicij, & quàm stricta, quæ illic exigetur, ratio, nolo ex meis verbis discas, sed ex historia, quam B. Ioannes Climacus, oculatus testis commemorat, quæ sanè vna est ex terribilioribus, quas vnquam memini me legisse: sunt autem Climaci verba hæc. Non omittam etiam

Ioan. Clim. in scalà paradisi gradu 6.

Solitarij

Solitarij illius, qui in Cl[illegible]reb habitabat, referre historiam. Hic cùm diutiùs negligentissimè vixisset, nullâque animæ suæ curam penitus haberet morbo tandem comprehensus, ad extrema deductus est. Cumq; iam corpore perfectè migrâsset, post vnam horam in seipsum rediit. Orauitque nos omnes, vt inde protinus abscederemus, & cellę aditu lapidibus obstructo, permansit intus annis duodecim: nulli omninò quicquã loquens, nec aliud quicquam præter panem & aquã degustans. Sedens ea tantùm, quæ in excessu viderat, attonitus voluebat, atque in his adeò fixo semper erat cogitatu, vt numquam iam vultum immutaret; sed semper sic attonitus perdurans, vim lachrymarũ feruentium tacitus profunderet. Cùm verò iam morti esset proximus, rupto & patefacto aditu, ingressi sumus. Cumque ab illo doctrinæ verbum supplices inquireremus, hoc ab illo tantummodò audiuimus: Ignoscite mihi. Nemo qui reuera mortis memoriam agnouerit, peccare vnquam poterit. Nos verò nimiũ mirati sumus, intuentes eum, qui priùs tam negligẽs fuisset, ita repentè mutatum, ac beatissima transformatione alterum effectum. Hactenus Climacus, qui præsens his omnibus interfuit, & quæ vidit literis suis testatur. Ita vt nemo de facto hoc (etsi incredibile quibusdam videri possit) dubitare debeat: præsertim cũ testis sit & verus, & fidelis. In hac autem historia plurima sunt, quæ meritò timere debemus; considerantes vitam, quam Sanctus ille duxit, & multò plùs visionem quam vidit, vnde modus ille viuendi profluxit, quem deinceps tota vita obseruauit. Hæc itaque satis superque probant, verum esse Sapientis dictum, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Age igitur si hæc consideratio hominem tam tenaciter à peccato retrahat, percurramus obiter ea, quæ de morte dici solent, vt insigne id bonum consequamur.

Terribilis historia.

Eccli. 7, 40.

Memento itaque, mi frater, Christianum esse te, & hominem: quia homo es, certus es te moriturum: quia Christianus es, certus es te rationem vitæ tuæ, postquam obieris, redditurum. Hic fides quam tenemus & profitemur omnẽ dubium excludit: & sic esse docet nos experientia, quæ quotidie in oculos nostros incurrit. Ità vt nemo inmunis sit à calice hoc, sed omnes eum bibere debeant, siue Papa, siue Rex, siue quiuis sit alius. Dies aderit aliquando, quo viues manè, vespere verò non viues. Dies aliquando veniet (quando autem venturus sit, an hodie, an verò cras, omninò incertum est) in quo tu ipse, qui modò legis hæc, quæ nos referimus, sanus & robustus vitam tuam longitudine desideriorum, & dies multitudine negotiorũ tuorum dimetiens, videbis te in lecto decumbentem, & candelam in manu habentem, terribilissimæ mortis telum & sententiam in vniuersum genus humanũ latam, à qua non potest ad alium iudicem prouocari, expectantem. Maximè verò considerandum, quàm hora illa sit incerta; solet enim illa ferè venire, quando minùs expectatur, & cùm homo in omnibus securus de illa non cogitat, sed suis negotijs & occupationibus huius vitæ intentus, de longiori vita bene transigenda init rationes. Quam ob causam dicitur quòd tanquam fur in nocte venit, qui tunc venire solet, cùm homines altum dormiunt, securi sunt, & nihil minùs quàm de furto sibi imminente cogitant.

Certa mors, hora incerta.

1. Thes. 5.

Morbus.

Priusquam mors venit, grauis infirmitas præcedit, quæ considerãda est cum omnibus suis accidentibus, doloribus, molestijs, fastidijs, angoribus, syrupis, decoctis, suffitionibus, catapotijs, gargarismis, aliisque medicamentis; noctibus etiam longis, quæ isto tempore multum tædij, molestiarum plurimum adferũt: quæ omnia disponunt & ad mortem viam sternunt.

Simile.

Quemadmodum enim qui castrum vult expugnare, primò ruinam maioribus tormentis sternit, inde oppugnat, inuadit, & occupat: sic ante mortem grauis infirmitas præmittitur, quæ ita impugnat naturalem fortitudinem, vt nullam vel diurnam, vel nocturnã quietem homini permittat: sed concutiat sine intermissione cuncta præcipua corporis membra; ita vt anima diutiùs castrum suum defendere, nec ipsa in illo queat conseruari: quare corpus relinquit, & elapsa fugit, atque alio commigrat.

Sed cùm eò iam infirmitas detinet, quòd aut ipse infirmus, aut medicus incipiat dubitare, & de vita desperare, ô Deus, quæ angustiæ, quæ pressuræ, qui angores miserum cor tunc cruciant, lancinantque? Tunc enim animo vitæ præcedentes series; tunc relinquendarum omnium rerum, quas hic dilexit, vxoris, filiorum, amicorum, parentum, diuitiarum, honorum, titulorum, officiorum, aliarumque, quæ vnà cum vita ipsa esse desinunt, imagines repræsentantur. Post hæc vltima ingruunt accidentia, quę cum ipsa morte sunt coniuncta: quæ præcedentibus multa sunt maiora, frons obduratur, cutisque eius distenditur, vnde & sudor frigidus erumpit: pupillæ oculorum caligant, contabescunt, & intolerabili pœnarum angustia circum torquentur: aures surdescunt, nasus subsidet, nares replentur putredine, vultus liuescit, os contrahitur, lingua stupescit, nec amplius officium facit: gustus perit, labia pallescunt, anhelitus ex profundo pectore sese recolligens deficit, manus frigescunt, vngues nigrescunt, pulsus languidus & minimus, sed creberrimus, modò sese intermittit, modo formicat, pedes inter moriuntur, & naturalẽ suum calorem amittũt. Quid multis? tota caro vertitur ad corruptionem, & omnia membra, sensusque omnes, ob præproperam separationem perturbantur. hoc modo debet homo in exitu suo ex hoc mundo labores & dolores aliorũ, per quos in hunc mundum intrauit, compensare: perferens dolores in excessu, quos pertulit mater cùm illum parturiret. Atque ita insignis est egressus & ingressus hominis in hunc mundum proportio. vterque enim doloribus plenus est, nisi quòd ingressus dolores alterius, proprios verò habeat egressus.

Signa mortis instantis.

Dum homo in hac fluctuat angustia, subitò mortis adest agonia: repræsentatur memoriæ vitæ terminus, horror sepulturæ, infelicitas corporis, mox esca vermibus futuri: maximè verò animæ, quæ nunc adhuc in corpore manet, sed post horam vnam aut alteram ab illo separata nescit ecquod habebit hospitiũ. Tunc præsens adesse iudicium Dei arbitraberis: tunc coram videbis omnia peccata tua, quæ te accusabunt ante diuinæ iustitiæ tribunal: tuuc tandem serò agnosces quàm turpia fuêre crimina, quæ tu tam facilè cõmisisti: tunc multis diris & execrationibus malè precaberis diei, in qua peccasti; voluptatibus etiam & delectationibus maledices, quæ te ad peccandum suis blanditijs inuitârunt. Nõ poteris in illa hora teipsum tuamque leuitatem satis admirrari, qui ob res tam inanes & nullius momenti (quales erant illæ, quas inordinato amore soles diligere) in periculum tam intolerabiles dolores patiendi te coniecisti; quorum dolorum in illa hora tristissima non exiguum facies experimentum. Transeuntibus enim voluptatibus & appropinquante iudicio illarum, id quod per se exiguum erat antea, & nunc esse desinit, nihil esse videbitur: quod verò per se magnum est, & præsens instar, maius etiam quam est esse arbitraberis; eò quòd manifestè cum omnibus circumstantijs tandem illud agnosces. Cùm itaque videbis quòd ob res adeò vanas & leues, ne dicam turpes, nunc tantis bonis frustraberis, & huc illuc oculos voluens, ab omni te parte circumdatum angustijs & tribulationibus cernes, (viuere siquidem diutiùs non poteris, pœnitentiæ nec locus, nec tempus vllum erit, numerus dierum tuorũ ad summum venit: non te poterũt iuuare, quos amore tam inordinato dilexisti: multo minus idola, quæ tu adorasti:

Eccles. 10.

Periculum, in quo est moriturus.

tu adorasti; quid dico iuuare non poterunt? imò quæ maximè dilexisti, & quæ maiori apud te in pretio fuêre, hæc tunc te maximè cruciabũt) dic mihi quæso cũ in hoc te periculo relictum videbis, quæ tibi mens, quis animus erit? quò vades? quid facies? quem inuocabis? reuerti ad vitam erit impossibile; exire erit intolerabile; manere in vita non dabitur: quid igitur facies? *In illa die* (inquit Dominus per Prophetam) Amos 8, 9. *occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis, & conuertam festiuitates eius in luctum, & omnia cantica eius in planctum: & ponam eam quasi luctum vnigeniti, & nouissima eius quasi diem amarum.* O horrenda verba, ô sententia durissima quæque corda concutiens. *In die illa*, inquit, *Occidet Sol in meridie*: In illa enim hora proponetur peccatoribus multitudo criminum suorum, videntesque diuinam iustitiam vitæ suæ filum abrumpere: quidam eorum tanto timore & tremore concutientur, ita omni spe & fiducia destituentur, quod existimabunt sese reprobatos esse, & à misericordia diuina penitus excluſos.

Timor potentissima animi perturbatio.

Esto, sint adhuc in meridie, hoc est, sint adhuc in vitæ curriculo (quod tempus adhuc merendi est & demerendi) tamen sibijpsis persuadebunt, non superesse tempus aut locum merendi, sed omnes meritorũ aditus præcluſos & obstructos esse. Potentissima animi perturbatio timor est, qui parua quæque magna sibi fingit & absentia quęque tanquam presentia semper exhorret. Id si exiguus alicuius rei timor faciat, quid non poterit verus ille timor, de tam metuendis & capitalibus periculis conceptus? Superſunt illi quidem adhuc, & in hac vita in medio amicorum suorum constituti sunt: nihilominus existimant se dolores & supplicia damnatorum iam quasi experiri. Vno eodemque tempore & viuos se & mortuos esse putant: & dolore præsentium quæ relinquenda sunt correpti, ventura mala, quę timent sentire incipiunt. Beatos esse illos iudicant, qui in hoc mundo relinquuntur, & ex hac inuidia nouæ doloris crescunt rationes. Occidit igitur illis tunc sol in meridie, cùm quamcunque in partem oculos voluent, vbique ad cælos ipsis occluſos esse aditus videbunt, nec lucis aliquis radius apparebit. Nam si ad misericordiam Dei respiciant, indignos sese arbitrabuntur, quorum Deus misereatur: si ad diuinam iustitiam confugiant, ab ea sibi dira supplicia parari suspicabuntur: hucusque diem suum fuisse, nunc autem diem Domini imminere, imò iam iam incipere putabunt. Si ad memoriã reuocent vitam præteritam, ea tota ipsos reprehendit: si præsens tempus intueantur, vident sese iam mori: si tempus paulò pòst adfuturum, iudicem pro tribunali sedere vident, & se vt iudicentur expectari. Tot verò trepidandi causis circundati, quid facient? quo vadent?

Quando occidat sol malis in meridie.

Quæ prius iucunda videbantur, in morte acerba sunt.

Pergit Propheta, *& tenebrescere faciam terram in die luminis*, id est, ea quæ te prius solebant suauiter oblectare. nunc te maximè cruciabunt, & intolerabilibus dolorum stimulis animum tuum lancinabunt. Iucundum sanè est homini viuenti & incolumi filios videre, amicis frui, rem domesticam administrare, diuitias habere multas, & quæcunque desiderat animus cum voluptate possidere. Tunc verò omnis ea voluptas in dolorem conuertetur. Omnia enim ptædicta hæc tormentis acerrimis miseram conscientiam excarnificabunt, eruntque frameæ pungentes amatores suos. Naturale est, vt quemadmodum possessio atque præsentia rei quam amamus nos exhilarat, sic eiusdẽ absentia tristitiam adferat & dolorem. Hinc filij morientis patris fugiunt præsentiam, & pia coniunx à mariti in extremis constituti facie sese abscondit, ne doleres eius augeat sua præsentia. Quamuis autem animæ à corpore mox seperandæ in ignotam sit proficiscendum regionem, viaque instet longa æquè, & periculosa, immensus tamen dolor non permittit humanitatis & ciuilitatis obseruare terminos, neque cõcedit iter ingressuræ, ante abitum amicis suis valedicere. Si aliquando tu lector in hanc arenam descenderis, intelligis sanè per omnia nie vera dicere: si verò nunquam in hoc periculo inuentus sis, crede saltem ijs, qui harum rerum fecerunt experimentum. Etenim *qui nauigant mare* (vt Sapiens ait) *enarrant eius* Eccli. 43, 26. *pericula.*

Ratio exigenda à nobis.

Si itaque tanta & talia sint, quæ separationem hanc luctuosam præcedunt, quanta & qualia putas erunt ea, quæ subsequentur? si tale sit professum & vigilia, qualis erit festiuitas ipsa, diesque solennis? Statim enim post mortem sequetur ratio, quam iustissimus ille Iudex ab anima postulabit, quæ quàm impensè metuenda est, nolo te ab hominibus mundi huius discere, qui quemadmodum in Ægypto, id est, regione tenebrarum habitant, ita in maxima cæcitate & non ferendis viuunt erroribus. Volo autem te hac in re Sanctos cõsulere, qui habitant in terra Gessen, in qua semper lux veritatis fulget, & ipsi docebunt te non tantùm verbis, sed etiam exemplis, quantopere hæc ratio est metuenda. Sanctissimus erat sine dubio Rex Dauid, nihilominus tam ingens eius erat timor, quẽ memor huius rationis reddendæ concipiebat, vt in oratione sua ad Domiuum diceret: *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Sanctus erat Arsenius, qui tamen cum moreretur cœpit flere, & eum in modum trepidare, vt ista illius trepidatione admoniti, qui circumstabant eius discipuli, interrogârint eum dicentes, Quid fles Pater? quid trepidas? nunquid & tu times? quibus ille respondit: In veritate timeo, & iste timor, qui nunc mecum est, semper in me fuit, ex quo factus sum Monachus. De B. Agathone referunt historiæ, quòd moriturus tres dies oculos apertos habuerit, nec eos mouerit. Fratres autem tangentes eum, dixerunt; Vbi nunc es Abba? At ille dixit, In conspectu iudicij Dei sto: dicunt autem ei fratres; Nunquid & tu times? quibus ille respondit: Interea quantum fuit ad virtutem meam semper consideraui, vt mandata Dei mei facerem. Sed homo sum, & vnde scire possum, si opera mea Deo placeant? Cui fratres dixerunt, Non confidis in opera tua, quia secundum Deũ sunt? at ille respondit, Non confido in conspectu Dei; quia aliud est iudicium Dei, & aliud hominum.

Psal. 142, 2.

Arsenius. In vitis Patrum parte 2 5. 153.

Agathon ibid. 5. 51.

Non minus metuendum exemplum est, quod Ioannes Climacus, vir sanctissimus de alio quodam Monacho commemorat: illud autem hic (est enim vel maximè notandum) ipsis illius verbis adiungere libuit, ad animarum ædificationem: Stephanus quidam, ait, hoc in loco habitans solitariam & quietam vitam adamauerat. Hic cùm annos plurimos in monastico certamine egisset, ieiunijsque maximè, & lachrimis esset ornatus, alijsque præterea virtutum priuilegijs floreret, cellulam ad radicem montis, in quo sacram illam, diuinamque visionem speculatus olim fuerat Helias sibi construxerat. Hic igitur tam venerandus moribus, intentione maioris laboriosioriesque pœnitentiæ profectus est ad Anachoretarum locum, cui Fides nomen est. Quo in loco cùm annos aliquot arctissimo vitæ instituto peregisset: erat enim hic locus ab omni consolatione mortali penitus remotus, omnibusque ferè hominibus inuius, (septuaginta enim ferè millibus passuum ab omni habitatione humana erat disiunctus) rursus extremo vitæ tempore redijt, cupiens in cellula sua priori sancti illius montis habitare. Erant autem ibi duo ex Palestina discipuli, admodum religiosi, qui etiam diligenter obseruabant cellulam Senis. In qua cùm paucos egisset dies languorem incurrit, ex quo & mortuus est. Igitur ante vnum exitus sui diem repente animo obstupuit,

Ioan. Clim. in scala paradisi gradu 7.

Stephani monachi horrendum exemplum.

3. Regum. 19.

aperti-que

apertisque oculis ad dextram atque ad sinistram partem lectuli circumspiciebat, & quasi rationem quidam à se exigerent, cunctis qui astabant audientibus, aiebat; aliquando quidem ita; Sic reuera est: sed pro hoc tot annis ieiunaui. Aliquando verò; Non *Notandum.* certè, sed mentimini, hoc non feci. Deinde rursus; Ita verè est, hoc ita est, sed fleui, sed ministraui. Ac rursus, Verè me accusatis. In quibusdam etiam aliquando aiebat. Ita sanè, & quidem ad hæc quid dicam non habeo, nisi quòd Deus misericors sit. Et erat certè spectaculum horrendum & terrificum, inuisibile illud, sæuissimumque iudicium, in quo etiam (quod terribilius est) & quod non fecerat illi obijciebant (me miserum) quietis ac solitudinis sectatori: in nonnullis verò peccatorum suorum, quid ad hoc respondere posset, se non habere dicebat, qui iam ferè quadraginta annis Monachus fuerat, & lachrymarum gratiã habuerat. Quidam verò mihi veraciter affirmauerunt, quòd hic, dum esset in eremo, leopardum quoque ex manu sua nutriebat. Hic ipse tamen, cùm adeò infestè ratio à se exigeretur, carne solutus est: quod iudiciũ, quis terminus, quæ sententia, quis rationis eius finis fuerit, incertum penitus relinquens. Huc vsque verba Climaci: quæ abundè satis declarant, quàm vehementer animæ & corporis separationem timere debeant homines inconsiderati & negligentes cùm etiam ipsi Sancti tam metuenda in illa deprehenderint.

Quòd si quis interroget, quare Sancti in hoc periculo constituti, tanta cum trepidatione metuerunt; *Quare Sancti metuant in morte.* huic respõdet D. Gregorius lib. 4. Moralium, his verbis: Electorum mens, cùm eorum quæ egit reminiscitur, grauiter iudicij pauore terretur. Iam se perfectè conuertit; sed adhuc se perfectè in securitatem non erigit, quia dum quãta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem formidinemque solicita trepidat: quia Iudex iustus veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Non enim ideò securi sunt, si exteriùs in opere lapsi non sint: sed & soliciti sunt de cogitationibus, quibus mens subindè pulsatur. Nã quantum agere possunt ne exteriùs labantur in opere: tantum interiùs agere nequaquam possunt, vt nũquam labantur in cogitatione. Sæpè ergo electis etiam nolentibus in cogitatione surripitur, quod in se quidem solerter inspiciunt, & ante Dei oculos quanti sit reatus attendunt. Et cùm de his omnibus semper districta iudicia pertimescant, tunc tamen hæc vehementer metuunt, cùm ad soluendum humanæ conditionis debitũ venientes, districto iudici appropinquare se cernunt. Et sit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior. Ante oculos autem cordis nihil inane tunc transuolat de phantasmate cogitationis: quia subductis è medio omnibus, se & illum tantummodò considerant, cui appropinquant. Crescit pauor vicina retributione iustitiæ, & vrgente solutione carnis: quanto magis districtum iudicium iã iamque quasi tangitur, tanto vehementiùs formidatur. Etsi ea, quæ sciunt, nunquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamẽ illa quæ nesciunt: quia videlicet semetipsos dijudicare & comprehendere omnino non possunt; atque vrgente exitu, terrentur subtiliori metu. Neque enim tunc cuiuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc inuenit, quòd in æternum mutare non possit. Hactenus omnia sunt Gregorij.

Dionysius Carthus. 4. sent. c. 11.

Greg. lib 11 Moral. c. 21. Lib. 24. Moral. cap. 7.

Nota.

Si itaque tanta cum ratione iudicium hoc timuerint ipsi viri sancti: quid non facere meritò debent illi, qui non sunt tales? imò qui maiorem vitæ suæ partem in vanitatibus huius mundi sectandis cõsumpserunt? qui toties Deum offenderunt? qui vsque huc negligentissimè vixerunt; qui nullam salutis vnquam rationem habuerunt? qui vt in hac hora præparati essent, nulla solicitudine tacti fuerunt? Si iustus tantopere metuit, peccator quid faciet? quid faciet virgula deserti, vbi concutietur cedrus Libani? *Si iustus* (vt ait B. Petrus) *vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* quid in Babylone tutum, si Hierusalem manet scrutinium? 1. Pet. 4, 18.

Dic mihi quæso, quid tibi videbitur de illa hora, quando ex hac vita discedens, diuinum illud iudicium intrabis solus? nudus? pauper? sine aliquo causæ qui tuæ patrocinetur? præter opera tua bona quæ fecisti? & sola tua conscientia comite? erit autem tribunal illud rigidum & seuerum nimis, vbi non agetur de vita, vel morte temporali, sed æterna. Et si in reddenda ratione totus debitis oppressus inueniaris, heu, quã horribiles erunt animi tui dolores, & angustię? O quã confusus eris, & frugifera pœnitentia plenus? quàm consilij omnis inops eris, omnique solatio destitutus? Magna profectò inter Principes Iudæ fuit perturbatio, cum victoriosus ensis Sesac Ægyptiorum Regis in omnibus plateis Hierusalem desæuiebat; cùm ex pœna & supplicio præsenti præterita sua crimina, vetereque suos errores agnouerunt. Sed nulla est comparatio inter confusionem illam, & hanc, de qua nunc agimus. In illa autem hora quid peccatores facient? quò se vertẽt? quis illos defendet? nihil proderunt illic lacrymæ; sterilis illic omnis erit pœnitentia; in illa hora nec orationes exaudientur, nec vllæ valebunt promissiones; aut fideiussiones vllæ acceptabuntur. Vltimum vitæ momentum cùm effluxit, iam non est pœnitendi tempus ampliùs. Quòd si prædicta locum nõ inuenerint, multò minùs diuitiæ, nobilitas, & honores mundi iuuabunt: ait enim Sapiens, *Non proderunt diuitiæ in die vltionis: Iustitia autem liberabit à morte.* 1. Paral. 12. 4. Reg. 25. *Nihil valet in hora mortis.* Prouerb. 11, 4

Cùm autem infelix anima tot angustijs circumseptam sese videbit, quid faciet? quid dicet? quibus verbis casum hunc suum lamentabitur alijs, quam quibus olim vsus est Propheta, cùm diceret, *Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me: dolores inferni circunderunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.* Heu me miserum, quis circulus iste, in quem me peccata mea miserunt? quomodo subitò, & nihil minùs opinantem me hora hæc inuoluit? quomodo in me irruit, nihil minùs de ea cogitantem? Quid mihi nunc prosunt honores? dignitates meæ quid iuuant? quid omnes amici mei? quid serui adferent nunc mihi vtilitatis? quem nunc ex omnibus diuitijs & bonis quæ possidere soleo fructum percipiam? nunc enim angulus septem pedum mihi satisfaciet, & angusto sepulchri domicilio vilissimoq; linteamine contentus esse debeo. Sed quod omnium pessimum est, diuitiæ, quas tantis sudoribus congessi, hic remanebunt: alij fruentur illis, & consument eas in delicijs, sola peccata quæ commisi in colligendis illis me committabũtur, vt pœnas condignas pro ijs sustineã. Quid faciam nunc de omnibus voluptatibus & delectationibus meis, cùm ipse quidem transierint, solæ autẽ fæces in fundo mihi remãserint, quales sunt scrupuli & remorsus conscientiæ, qui spinarum instar pungunt, miserum cor meum lancinant, & perpetuis tormentis cruciabunt? O stuporem non ferendum, ô meam vecordiam mille diris deuouendam: qui fieri potuit, vt temporis huius immemor, ad præsentes calamitates euitandas me non præparauerim? Quoties huius diei admonitus sum, sed surdis auribus omnia consilia transiui? Heu me, cur disciplinam non recepi? cur magistris meis non obediui? nec in pretio habui verba eorum, qui me docebant? Impiè vixi in medio Ecclesiæ, & in populo Dei omni me peccatorum genere coinquinaui. His & similibus nænijs infelicem suã sortem deplorabunt peccatores; hæ meditationes eorum, hæ considerationes, & confessiones erunt. *Lamentatio peccatoris.* Psal. 17, 5. Prouerb. 5.

Ne tu autem mi frater, in similes angustias incidas,

das, oro te, vt summa cum animi intentione prædicta omnia discutias, examines, & sæpius repetita vbique & semper tibi proponas: inter alia verò tria potissimum alta mente & fideli memoria reponas: quorum primum est, vt consideres magnitudinem pœnæ, quã senties in hora mortis, propter multitudinem peccatorum, quibus diuinam bonitatem offendisti: secundum, vt diligenter perpendas, quanto cum desiderio tunc optabis sic vitam tuam fuisse institutam, vt in ea hora Deum posses habere tibi propitium: tertium, vt memineris quantam, & quam asperam tunc lubens subires pœnitentiam, si tempus tibi concederetur. Viue itaque nunc sic, quemadmodum in illa hora te vixisse cuperes.

OCTAVVS TITVLVS.

HOMINEM AD VIRTVTEM APPETENDAM OBSTRINGI RATIONE SECUNDI NOVISSIMI SUI QUOD EST IUDICIUM FINALE.

CAPVT VIII.

POST mortem sequitur iudicium particulare singulorum, & post illud vniuersale omnium: quando implebitur illud, quod dicit Apostolus. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat quisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum.* Quia verò de horribilibus signis, quæ iudicii hoc præcedent, deque historia illius alio loco tractauimus: hic tantum de rigore strictæ rationis, quæ à nobis in hoc iudicio exigetur, & quid post sententiã hanc sequetur, agemus; vt videat homo, se non inuitari tantum ad virtutem, sed potius trahi & vrgeri. Primò itaque considerandum est, inter ea, quæ B. Iob admirabatur, vnum esse id quod etsi homo creatura tam fragilis sit, Deus tamen tam magnus & potens, summo cum rigore intret cum illo in iudicium, adeò vt ne verbum, ne cogitatio, ne motus aliquis inordinatus sit, quem ille non habeat in libro & iustitiæ suæ processu descriptum, vt illius etiam strictissimam exigat rationem. Post prolixam autem materiam sic tandem ait, *Quare faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tibi? Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti: qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.* Et post pauca: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodẽ statu permanet. Et dignum ducis super huiusce modi aperire oculos tuos, & adducere tecum in iudicium? quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Omnia hæc dicebat B. Iob, vehementer admiratus seueritatem iustitiæ diuinæ, qua Deum vti videbat in hominem, creaturam tam fragilem, tamque ad omne malum procliuem: qui bibit iniquitatem sicut aquam. Quòd si hanc seueritatem in Angelos (qui spiritales sunt creaturę & multo perfectiores (vsurparet, minùs admirandum esset: sed in hominem (cuius passiones & malę inclinationes sunt innumerabiles) Deũ hanc vsurpare, idque rationem tam districtam exigẽdo, vt in tota vita ne verbum quidem dissimulet otiosum, ne momentum etiam temporis malè collocatum prætereat, omnem admirationem transcendit. Quis enim non horreat, & toto corpore cõtremiscat, cum audit verba Domini, *Amen dico vobis de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Age igitur, si de ijs verbis, quæ nullum hominem offendunt, reddenda erit ratio? quid fiet de verbis inhonestis? de cogitationibus impudicis, de manibus sanguine plenis? de oculis adulterorum? de vniuerso denique tempore vitæ in operibus iniquitatis male consumpto? Hoc si verum sit (verissimum autem est) quæ lingua, quæ facundia, tanta de rigore & seueritate huius iudicij commemorare poterit, quæ non erunt multò rei veritate minora: aut quæ aliquo modo poterunt cum illo æquiparari? quomodo stabit hic miser homo stupefactus & attonitus, cum in corona tot Senatorum, & tanti Concilij præsentia ratio postulabitur de minimo verbo, quod tali aut tali die extra propositum, aut sine fructu locutus est? quis non ad postulatum hoc obstupesceret? Qui's auderet hæc dicere, nisi Christus ipsè prior hæc dixisset? quis affirmaret, nisi ille affirmasset? Quis vnquam Rex inuentus est, qui à famulis suis de acicula rationem postularet? O altitudo Religionis Christianæ, quam magna est puritas, quàm tu doces? quàm districta est ratio, quam tu exigis? & quàm rigido iudicio cuncta discutis & scrutaris? Quantus erit ille pudor, quo miseri peccatores illic suffundentur? cùm vniuersæ iniquitates eorum, quas tectis & parietibus ædium suarum occultabant, cùm viuerẽt, quicquid etiam inhonestum, quicquid turpe à teneris vnguibus ad terminum vsque vitæ commiserunt, omnes anguli cordis, & secretissimę quæque in aula hac, coram oculis totius mundi detegentur? Quis erit ille, qui habeat conscientiam tam mundam, vt non confestim & colorem mutare, & hanc verecundiam timere & horrere incipiat? Etenim si homo adeò erubescit, cùm reuelat suos defectus Confessario in foro tam secreto, vt quidam etiam in ipsa confessione obmutescant, & peccata subticeãt: quantus erit ille pudor, quo afficientur peccatores in conspectu Dei, atque omnium seculorum præteritorum, præsentium & futurorum? Tantus erit ille pudor, quòd mali, Propheta teste, clamabunt, *dicentes montibus, Operite nos, & collibus, Cadite super nos.*

Pudor peccatorum in Iudicio.

Sed tolerabilia sint hæc: quid verò futurum est, cũ acutissimæ sagittæ finalis illius sententiæ ab ore Dei in corda illorum mittentur, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius?* Heu quantis doloribus discruciabuntur peccatores hanc sententiam audientes? *Cùm vix paruam stillam sermonum eius audire possimus*, ait Iob, *quis poterit tonitruũ magnitudinis illius intueri?* Erit hæc vox tam horrenda, tantæque virtutis; quòd terra in ictu oculi aperietur. *& in puncto ad inferna descendent*, vt ait idem Iob, *qui nunc tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, qui nunc ducunt in bonis dies suos.* Hũc casum describit B. Ioannes in Apocalypsi sua his verbis; *Post hæc vidi alium Angelum, descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius. Et exclamauit in fortitudine dicens, Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* Paulò verò post idem Euangelista subiungit, dicens; *Angelum fortem sustulisse lapidem quasi molarem magnum & in mare misisse atque dixisse. Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non inuenietur.*

Sententia Iudicij quam horrenda. Matt. 25, 41.

Iob 26, 14.

Iob 21, 12.

Apoc. 18, 2.

Hoc modo cadent impij in illud præcipitium, & in illum carcerem tenebrosum, plenum omnis confusionis, qui per Babylonem hoc loco intelligitur. Quæ autem lingua poterit exprimere multitudinem pœnarum, quas ibi patientur? Ardebunt illic ipsorum corpora flammis viuis, & nunquam extinguendis: Illic animæ ipsorum sine intermissione rodentur à verme conscientiæ, qui nullas ipsis dabit inducias. Illic erit perpetuus oculorum fletus, & stridor dentium nũquam finiendus, quos sacræ literæ toties minantur & inculcant. In hoc desperationis loco miseri illi damnati, rabie quadam crudeli furentes: tam irã suam in Deum conuertent, & in seipsos sæuient, comedentes

Pœna damnatorum.

Matt. 8. & 22. Luc. 13.

Blasphemiæ damnatorũ

2. Cor. 5, 10.

Lib. 1. de Orat. & medit.

Iob 13, 25.

Iob 14, 1.

Matt. 12, 36.

proprias carnes suas, dilaniantes viscera sua, furibũdis cum gemitibus, lacerantes inuicem carnes vnguibus suis, & blasphemantes indesinenter Iudicem, qui eos ad has pœnas condemnauit. Ibi quilibet eorum maledicet sorti suæ infortunatæ, & infelici natiuitati, repetens sine intermissione luctuosum illum planctum, & desolatas illas Iobi nænias, *Pereat dies in qua natus*
Iob 3, 3. *sum & nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper & non illustretur lumine. Obscurẽt eum tenebræ, & vmbra mortis: occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna, maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan. Obtenebrentur stellæ caligine eius: expectent lucem & non videant, nec ortum surgentis auroræ. Quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulua mortuus fui? egressus ex vtero nõ statim perij? Quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus?* Hæc erit Musica, hæ cantilenæ, hæ matutinæ, quas infelices illi canent sine termino. O infelices linguæ, quæ nihil nisi blasphemias profertis: ô infortunati oculi, qui nihil nisi calamitates & miserias videtis: ô aures miseræ, quæ nihil præter planctus & stridores dentium auditis: ô insausta corpora, quæ non habetis aliud refrigerium, præter flammas ardentes. Quo erũt illi animo, qui dum viuerent hic, fallebãt horas rebus Iudicris, & tempus omnẽ in voluptatibus & delicijs insumebant? ô quàm longã miseriarũ catenã tam breues fabricãrunt deliciæ? O stulti & insensati, quid proderunt nunc vobis carnis illecebræ, quibus tunc indulgebatis, cùm iam planctibus æternis deuoueamini? Quid de vestris diuitijs factum est? vbi sunt vestri thesauri? vbi vestræ oblectationes? gaudia vestra vbi sunt? Septem anni fertilitatis transierunt, & septem alij steriles aduenerunt, qui deuorarunt omnem abundantiã illorum nulla relicta memoria, vestigium nullum. Gloria vestra perijt, felicitas vestra in dolorum pelago submersa est: ad tantam sterilitatem peruenistis, vt ne aquæ gutula concedatur, qua rabidus gutturis ardor, qui immensum cruciat, refrigeretur. Non tantùm non proderunt vobis felicitates, quibus in hoc mundo fruebamini: sed eædem illæ maiorum erunt vobis causæ tormentorum: tunc enim adimplebitur
Iob 24, 20. illud quod scriptum est in libro Iob, *Obliuiscatur eius misericordia, dulcedo illius vermes: non sit in recordatione sed conteratur quasi lignum infructuosum*: tunc autẽ dulcedo delectationis malorum vertetur in vermem doloris, cùm memoria voluptatum antecedentium (iuxta expositionem B. Gregorij) generabit maiorem
S. Greg. li. 16 moral. c. 31. dolorum præsentium amaritudinem: memores quales aliquando fuerint, & quo loco nunc sint: & quòd propter illud, quòd tam citò abijt nunc patiantur, quod in æternum durabit.

Tunc tandem serò agnoscent fallacias Dæmonis, & in medijs erroribus constituti, incipient frustra dicere verba Sapientis, *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* Hæ sunt querelæ, hi threni, hæc pœnitentia perpetua, quam agent illic damnati in secula seculorum, vbi nihil ipsis proderit: eò quòd tempus fructus dignos pœnitentiæ faciendi effluxerit. Omnia hæc & singula si bene perpendantur, stimuli sunt, & incentiua virtutem. Quare & B. Chrysostomus hoc argumento vtitur in suis homilijs, vt populum ad virtutes excitet: Vt animam tuam, inquit, velut Dei habitaculum præpares, memento horrendi multùm & tremendi illius diei, in quo omnes Christi throno assistentes, rerum hic gestarum rationes reddemus:
Sap. 5, 6.
Chrys. hom. 22. ad populum Antiochenum.

ante omnium oculos peccata nostra ponentur, & rursum reuelabuntur, & ignorantibus ostendentur actiones, vbi ignis fluuius, & insopitus vermis, vbi omnia nuda & præcipitata. Vbi cordium nostrorum libri aperientur, & in medio manifestè legentur etiam occulta, nocturna & diurna, ex ignorantia & obliuione facta, quæ membris effecimus, quæque nunc latent reuelabuntur. Cogita igitur. quòd omninò nos hinc ad
2. Cor. 5. infallibilem migrare iudicem oportet: vbi non tantùm actiones, verùm & verba & cogitata iudicantur: vbi terribiles etiam eorum, quæ videntur esse parua, pœnas dabimus. Hæc semper recordare, & inextinctæ nunquam obliuiscaris flammæ. Præuide venientem
Apoc. 5. iudicare viuos & mortuos. Cogites Angelorum millia, & myriades nunc iudici assistentes: nunc auditus vocem tubarum, & tremendam illam condemnantis vocem præueniat. Præuideat oculus hos quidem
Matt. 25. in exteriores mitti tenebras, hos verò ianuis excludi
Matt. 13. post multum virginitatis laborem. Considera hos
Matt. 8. quidem velut zizania colligari, & in clibanos proijci, alios manibus & pedibus vinctos in exteriores mitti
Esa. 66. tenebras: & alios insopito vermi, & luctui, & dentiũ
Ob qualia peccata damnentur homines. stridori traditos: hunc quidem de intempestiuo risu iudicari: hunc verò quòd proximum affecit iniuria, vel quòd fratrem scandalizauit: hunc quidem de incerti damnari criminibus, hunc verò de otioso verbo pœnas luere hunc verò de mala sententia iudicium subire: hunc verò propter conuicium regno excludi: quendam autem propter seruatam iram intolerabilia patientem: illum verò in ignominiam resurgentem æternam: hos autem Christi cognitione priuari, & au-
Matt. 25, 12. dire: *Amen dico vobis, nescio vos*: quoniam fecerunt quæ Christus prohibuit. His igitur sic se habentibus, quales nos oportet esse, vel quales emittere lachrymas, & dicere: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis*
Hier. 9, 1. *meis fontem lachrymarum, & lugebo dies ac noctes?* Sed vt expectatam effugiamus pœnam, *venite, præoccupemus faciem Domini in confessione*, & vitæ diligentia
Psalm. 94, 2. propitiationes Domini Dei inuocemus: *In inferno*
Psalm. 6, 6. *namque*, ait, *quis confitebitur tibi*: Omnia nobis duplicia Deus dedit, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes. Si igitur horum alterum lædatur, per alterum necessitatem consolamur. Animam verò dedit vnam nobis: si hanc perdiderimus, quanam viuemus? Huius igitur prouidentiam faciamus, nihil ipsius saluti præferentes: quoniam hæc etiam est, quę cum corpore iudicatur, & simul defenditur, & comparet ante Christi tribunal. Si tunc dixeris, pecunię me allexerũt;
Matt. 16, 26. Marc. 8, 36. Luc. 9. 25. dicet tibi iudex: Non audisti, quæ vtilitas, *Si quis totum mundum lucretur, animæ suæ detrimentum patiatur*? Si dixeris, diabolus me decepit: dicet tibi & ipse, quòd nihil profuit Heuæ, quia dixit: *Serpens me*
Gen. 3, 13. *decepit*. Hæc igitur mente tenentes, venite, excitemus nosipsos priusquem obumbremur, priusquam veniat dies Domini magnus, & appareat de quo Propheta dicit: *Ecce veniet, & quis sustinebit?* vel quis tolerabit di-
Malach. 3, 1. em aduentus eius? Tremenda dies illa tumultus, & tenebrarum. Sed dices: Quomodo igitur licet prædicta mala effugere? dicam: Non tantùm corpus tuum custodias purum, sed cùm mala passus, benefeceris, si accuseris, continens sis & patiens. Cùm ieiunaueris, ne glorieris: non enim ciborum abstinentiã ieiunium operatur, sed abstinentia peccatorum. Scrutare enim Scripturas. Vide quomodo primùm virgam nuceam videt Propheta, postea lebetem superardentem, de-
Ierem. 1. monstrans, quòd non sustinentem virgæ castigationẽ, ignis suscipit. Sic & per Mosen demonstrabat ignis
Exod. 19. columnam rebus clamans, quòd legem audiens, vidit lucem, inobediens autem suscipit ignem. Legite Saluatoris Scripturas, & discite, quomodo nos hinc illuc migrantes adiuuare potest nemo. Non frater fratrem
Psalm. 48. redimet ex interminabilibus tormentis, non amicus

amicum; non parentes filios, non filij parétes. Et quid dico homines miserabiles, cùm neque si Noë veniat, & Iob, & Daniel, tum iudicantem exorare possint? Sed dices: Vnde horum demonstratio? Vide non indutum veste nuptiali ex sponsali domo expulsum, & neminem pro illo intercedentem. Vide talentum habétem creditum, & non negotiatum, & quomodo pro ipso supplicat nemo. Respice mihi quinque virgines exclusas, & æquales pro ipsis non deprecatas, quas & stultas Christus nuncupauit: quoniam post calcatas voluptates, post extinctum concupiscentię fornacem, post ieiunium, & lectum humi stratum, & vigiliam, tunc stultæ sunt inuentæ, & meritò quidem: propterea quòd seruato magno virginitatis munere mandatum humilitatis parùm non custodierunt. Vide mihi in iudicij die iudicem oues à dextris constituétem, & infructuosos hœdos à sinistris, & à dextris quidem positis dicentem; *Venite benedicti Patris mei, accipite paratum vobis regnum.* A sinistris verò positos in tenebras exteriores repellentem, & electis posse succurrere neminem. Verus enim sermo dicens: *Ecce homo, & opus eius.* Audisti quomodo diues ille nunquam Lazari misertus, in vltionis loco tostus aquæ stillam sumere optauit. Cognouisti quomodo nec ipse Abraham supplicis tormenta lenire potuit? Quin igitur posthac nobis ipsis succurrentes, priusquā adumbremur Deo gloriam damus? Melius hic per ieiunium linguam arescere, quàm ipsam humidam seruare, & illic rorem concupiscere, & non accipere, & immortaliter torreri. Paruis hic laboribus magna repellamus tormenta. Quòd si adeò delicati simus & teneri in hac vita, vt febrim trium dierum patienter non sustineamus: quomodo in futura sustinebimus ignem æternum? Si sententiam mortis, à Iudice terreno latā, tantoperè exhorrescimus, quæ tantùm annorum aliquot vitā adimit: quomodo non formidabimus sententiam istius iudicis, quæ priuat nos vita in omne æuum duratura? Si terreamur videntes executionem horrendi alicuius supplicij, quod in hoc mundo malefactori cuiquam intentatur, quando videmus satellites cum carnifice malefactorem, vi ad supplicium trahere, cædere, suspendere, in partes dissecare, vel exurere. Omnia tamen hæc solatia potiùs sunt quàm tormenta, si cum futuræ vitæ supplicijs conferantur. Tormenta enim hæc vnà cum vita finiuntur: illic autem nec vermis morietur, nec tortor defatigabitur, nec ignis vnquam extinguetur. Ita vt omnia, quæ cū hac pœna comparaueris, sit ignis, sit ferrum, sint bestiæ, sit quodcunque vis tormentum, somnus tantum est & vmbra in huius comparatione. Sed quid facient condemnati, cum se tanto bono vident priuari, & ad tanta mala condemnari? Quid facient? quid dicent; quomodo suspirabunt? & hæc omnia quidem frustra. Etenim postquam naufigium submersum est, nautæ nullius vsui sunt: nec medicus vtilis est, cùm infirmus obijt. Tunc igitur, licet serò, errores suos corrigent, & dicent: Hoc faciendum erat, & hoc non. Etsi sæpe admoniti simus, tamen non paruimus. Tunc Iudæ tandem agnoscent illum, qui venit in nomine Domini: sed nil proderit illis hæc tarda cognitio. Non enim erit ibi tempus. O miseros nos, quid poterimus ad nostram excusationem adducere die illa, cùm cælum, terra, Sol, Luna, dies, & nox cum omnibus, quæ in mundo sunt, nos accusabunt, & vindictam inclamabunt in nos, testimonium malorum nostrorum perhibentes: imò & si omnia tacerent, ipsa nostra conscientia vocem suam in nos leuabit, & nos accusabit. Omnia hæc sunt B. Chrysostomi; ex quibus liquet, quam vehementi pauore concutietur is, qui ad hanc sententiam imparatus accesserit. Hoc ipsum metuit B. Ambrosius cum dicit: Væ mihi est, si non peccata mea defleuero. Væ mihi est, si non media nocte surrexero confitendū tibi Domine. Væ mihi, si dolū proximo meo fecero. Væ mihi, si nō locutus fuero veritatē. Ad radicem securis posita est, faciat fructum qui potest gratiæ, qui debet pœnitentiæ. Adest Dominus qui fructum requirat, fœcundos viuificet, steriles reprehendat.

Ierem. 15.
Matt. 22.
Matt. 18.
Matt 25.
Matt. 24, 35.
Luc 16.
Insignes aliquot comparationes.
Esa 40.
Sera pœnitentia.
Accusatores
Ambr. in Lucam.
Matth. 3.

NONVS TITVLVS.

HOMINEM AD VIRTVTIS EXERcitium obligari ratione tertij sui nouissimi, quod est Gloria Paradisi.

CAPVT IX.

DEberent meritò singula illorum, quæ dicta sunt à nobis hactenus, sufficientem habere vim, ad animos nostros amore virtutum inflammandos. Sed quia durities cordis humani tanta est, vt subinde ne illis quidem omnibus queat moueri, aliud addemus intentiuum, reliquis præcedentibus non inefficacius. Est autem hoc magnitudo præmij, quod virtus suo promittit amatori: gloria scilicet Paradisi; in qua duo præcipuè spectanda sunt: vnum est excellentia & pulchritudo loci, cæli, nimirum Empyrei: aliud est dignitas & magnitudo Regis, qui habitat illic, cum omnibus electis suis.

Vide conc. in festo Omnium Sanctorum inter Catechisticas.
De quibus agetur hoc capite.

Quantum ad primum attinet; quanta sit pulchritudo, quantæ diuitiæ loci illius, nulla potest humana eloquentia pronuntiare: possumus tamen coniecturis quibusdam eminus in aliqualem illius cognitionem deuenire. Inter has coniecturas prima est finis illius operis: finis enim est vna circunstantiarum, quæ solent maximè declarare conditionem & præstantiam rei. Finis igitur ad quem Dominus locum istum ædificauit, est, vt per illum manifestaret suam gloriam. Etenim etsi quidem omnia ad gloriam suam creauerit, vt ait Salomon, propriè tamen cælum hunc in finem, & peculiariter creâsse dicitur: in eo enim singulari quodam modo dignitas, amplitudo, & magnificentia illius relucet. Quemadmodum igitur Rex Assuerus, *qui regnabat ab India vsque Æthiopiam, super centum viginti septem prouincias, grande fecit conuiuium cunctis principibus & pueris suis fortissimis Persarum & Medorum inclytis*, in ciuitate Susan, per spacium centum octoginta dierum, idque cum omni splendore, sumptu & magnificentia regia: *vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, & magnitudinem atque iactantiam potentiæ suæ*: sic & supremus ille Rex, decreuit celeberrimum facere conuiuium in cœlo: non per spacium alicuius temporis, sed per omnem æternitatem: vt ostendat in illo immensitatem diuitiarum suarum, sapientiæ quoque liberalitatis & bonitatis suæ. Illud est conuiuium, de quo loquitur Esaias, cum dicit. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium vindemiæ, pinguium medullatorum vindemiæ defecatæ*, hoc est ciborum delicatissimorum, pretiosissimorum & suauissimorum.

Pulchritudo cæli ex coniecturis colligitur.
1. Coniectura, finis.
Prou. 16.
Esth. 1, 1.
Esth. 1, 4.
Esa. 25, 6.

Si itaque Dominus Deus omnium illud solenne faciat, vt in illo magnitudinem suæ gloriæ manifestet: gloria verò illa tam immensa sit, qualis erit festiuitas? quales diuitiæ? quam pretiosa omnia, quæ in hunc finem præparantur? Illud autem melius intelligemus, si consideremus magnitudinem potentiæ huius Domini. Illius potentia tanta est, quòd vno solo verbo admirabilem hanc mundi machinam creauit, quodque vno similiter verbo eandem iterum posset destruere. Non vnum tantùm mundum, sed mille mundos creare potuisset vno verbo, & totidem vno verbo rursus euertere. Præterea quicquid facit, absque labore facit: ita vt eadem facilitate qua minimam formicam, creat, creet & maximum Cherubin

Potentia Domini.

& Sera-

& Seraphin: non enim sentit onus, non sudat sub pondere maiori, nec à minori releuatur. Potest enim omne quod vult, & quicquid vult sola voluntate sua operatur. Dic mihi igitur, si potentia huius Domini tanta sit, & tam magna sit gloria sanctissimi nominis tamque immensus amor eius, cuiusmodi putas erit domus, festiuitas, & conuiuium, quæ ille in hunc finem præparauit? Quid huic operi poterit deesse, cur minùs omnibus suis modulis sit absolutum? Manuum defectus non erit, architectus enim illius infinitè potens est. Minùs erit defectus cerebri: qui enim condidit illud infinitè sapiens est. Voluntatis defectus non erit, quia ipse infinitè bonus est. Non impediet opus hoc defectus diuitiarum, quia factor pelagus est omnium thesaurorum. Quale igitur futurum erit opus hoc, vbi tanti ad manus sunt apparatus? Quale erit opus illud, quod ex hac prodibit officina, in qua tales artifices & magistri concurrunt, quales sunt omnipotentia Patris, sapientia Filij, bonitas Spiritus sancti? vbi bonitas vult, sapientia disponit & ordinat, omnipotentia potest, omne id quod bonitas vult, & ordinat sapientia, etiamsi omnia hæc vnum idem sint, in diuersis personis.

Calum ex causis debere esse absolutius.

II. Coniectura.

Habemus & aliam coniecturam, eidem huic proposito conuenientem, præcedenti nō dissimilem: Deus enim non præparauit domum hanc suo tantùm honori, sed ad gloriam quoque & honorem omnium suorum Electorum. Considera itaque quàm solicitus sit Deus, ad honorandum amicos suos, & satisfaciendum suæ promissioni, qua pollicetur se honorificaturum omnes, qui ministrant ipsi. Illud autem ipso effectu liquet, cùm ijs etiam, qui in hoc mundo viuunt, dominium contulerit in omnes creaturas. Patet hoc in Iosue; ad cuius mandatum Sol in medio cæli stetit immotus: non aliter atque ipse frænum totius mundi machinæ in manibus habuisset, *Obediente Domino* (vt Scriptura dicit) *voci hominis*. Simile quid in Esaia videmus, qui Ezechiæ Regi dedit optionem, vtrum vellet, an vt ascenderet vmbra solis decem lineis, an vt reuerteretur totidem gradibus? eadem enim facilitate, qua poterat hoc, potuit & illud. An non similis potestas & in Helia spectatur, qui verbo suo suspendit aquas, & nubes cæli quamdiu placuit continuit, ne pluerent? postea verò easdem nubes virtute orationis suæ reluxit, & laxauit, terramque pluuijs & imbribus rigauit? Non in vita tantùm huiusmodi concessa sunt Electis, sed vsque adeò Dominus illos honorificauit, vt ossibus etiam & cineribus illorum post mortem dederit hanc potestatem. Quis non laudabit Deum, quòd ossa etium Elisei mortui alium defunctum resuscitârunt, cuius cadauer metu latrunculorum Moab in sepulchrum Prophetæ proiectum erat? Quis non manifestissimè cognoscit summum Dei fauorem quo sanctos suos prosequitur; qui ipso die passionis sanctissimi martyris Clementis, iuxta insulam Lycię, anchera ad collum eius alligata demersi, legit, mare ad tria milliaria recessisse, vt homines accedentes videre possent ossa hominis alterius, pro nomine Christi in pelago demersi? Placui Deo generalem quotannis per vniuersam Ecclesiam celebrari solennitatem, in honorem catenarum, quibus Petrus vinctus in carcere tenebatur; ex quo facilè colligitur, quanto apud illum in pretio sunt corpora Sanctorum, posteaquam etiam infames carceris catenas, eò quòd tetigissent sanctum Apostoli corpus, in tanta voluerit haberi veneratione. Leuia sunt hæc, si conferamus cum honore illo, quem Deus tribuit non catenis huius Apostoli, non cineribus, non ossibus, non corpori illius, sed vmbræ corporis, cui tantam virtutem donauit, vt quoscunque infirmos obumbraret, hos incolumitati pristinæ restitueret. O admirabilis Deus, ô summe bonus, qui dedit homini quod ipse sibi non accepit, aut quo ipse vsus non est: non enim legitur de Christo, vmbrā eius infirmos sanâsse, quod tamen de Petro Scriptura testatur.

2. Reg. 2. Ioan. 12. *Omnia obediunt iustis etiam in hoc seculo.*

Iosue 10, 14. Esa. 38. 4. Reg. 20.

3 Reg. 17. & 18.

4. Reg. 13.

Damasus & Martyrolog. Rom.

Si Deus tam propensus sit ad honorificandum Sanctos suos, etiam in tempore & loco, præmijs ipsorum non constituto, sed laboribus & miserijs destinato: quanta putas erit illa gloria, quam in loco remunerationis proprio dilectis suis præparauit, ad honorandos illos, & vt in illis honoretur? Qui tantoperè desiderat honoribus afficere, & tam facilè potest id facere, perpendat secum vnusquisque, quàm ampla, pretiosa, rara, & magnifica debeant esse, quæ in honorem suorum Electorum præparauit? Potest & hoc loco cōsiderari incomparabilis huius Domini in remunerandis famulorū suorum obsequijs liberalitas. Mandauit Dominus Abrahæ Patriarchæ, filium vt vnice sibi dilectum offerret, qui cùm præcepto obtemperare vellet; iamque accinctus esset vt filium mactaret, audijt ab illo: *Nunc cognoui quòd timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito tuo propter me. Per memet ipsum iurauí, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti vnigenito tuo filio propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum:* inter filios autem tuos dabo tibi vnum, qui erit Saluator mundi, eritque simul & filius tuus, & filius Dei. Anne tibi hæc ampla merces esse videatur? Hæc est merces digna Deo: Deus enim in omnibus rebus Deus est. Deus est in remunerando, Deus est in castigando, Deus est in omnibus alijs. Dauid nocte quadam secum voluebat, quomodo ipse habitabat in domo cedrina, & Arca Dei posita esset in medio pellium: cœpitque cogitare de domo Domino ædificanda. Factum est autem in illa nocte, & ecce sermo Domini ad Nathan, *Vade & loquere ad seruum meum Dauid. Hæc dicit Dominus. Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Ego autem iuro, quia ædificabo tibi domum in sempiternum, & omnibus posteris tuis, cum regno perpetuo: nec misericordiam meam auferam ab eo.* Sic dixit, sic & fecit: ad Christi siquidem aduentum in domo Iuda regnârunt, qui de familia & semine Dauid descenderant, quos Christus subsecutus est, qui regnabit in æternum. Igitur si gloria Paradisi sit gratificatio, vniuersalisque remuneratio diuini cultus, & obsequij, à Sāctis Deo exhibiti: Deus autem in hac remuneratione tam liberalis sit, non est difficile coniecturis assequi, quanta futura erit beatorum gloria.

Gen. 22, 12.

2. Reg 7, 5.

III. Coniectura. Pretiū quod dari debuit pro cælestē gloria.

Habemus & aliam coniecturam, si consideremus quantum est pretium, quod Deus postulat pro hac gloria, cùm tamen tam liberalis, tamque munificus sit. Non enim post peccatum hanc gloriam cuiquam dare voluit minori pretio, quàm morte & sanguine vnigeniti Filij sui, Iesu Christi: ita vt non nisi pro morte Dei detur homini diuina vita: & pro Dei doloribus, homini cælestē detur gaudium: & quia Deus pependit in cruce inter duos latrones, homo nunc regnat inter medios choros Angelorum.

Dic mihi (si quo modo dici queat) quale est bonū illud, quod vt daret tibi, Dominus prius ipse sanguinem sudare debuit? debuit apprehendi, vinciri, verberari, illudi, spinis coronari, & crucifigi? Quale quęso erit illud, quod Dominus, qui alioquin natura sua tā liberalis est, præparauit vt det hominibus, pro pretio tam inæstimabili? Qui nōsset in hac abysso bene piscari, is per hanc coniecturam manifestius, quàm per omnes alias, quas quis imaginari posset, huius gloriæ magnitudinem intelligeret.

Actor. 5.

Plus Christus tribuit Sanctis quā ipse vsus est.

Exigit etiam Deus, tanquam illius superioris appendicem, pro cęlesti hac gloria summum, quod exigi posset ab homine: vt tollat nimirum crucem suam, vt oculum dextrum eruat, & abijciat à se, si quod ipsi

Matt. 10. Matth. 5.

det scandalum: vt relinquat patrem & matrem, cum omnibus alijs rebus creatis, si quando aliquid diuinis contrarium mãdatis velint persuadere. Cumque fecerimus omnia, quæ pro viribus nostris facere possumus, vult Dominus, vt dicamus nos seruos inutiles: vult sibi soli dari gloriam, omniaque vt meram gratiã existimari. Illud etiã & per B. Ioannem confirmat, cum dicit, *Ego sum α. & ω, initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Dic mihi, quanta & qualia putas esse, pro quibus Dominus postulat tã ardua? quæ etiã cùm dederimus, aut fecerimus, adhuc fateri nos vult, ex mera nobis esse donata gratia? ex gratia, vel gratuitò dico, si respiciamus ad id quod valent opera nostra per se, non ad valorem & dignitatem, quã habent à gratia. Dic mihi igitur, si Dominus noster tã magnificus sit, & in gratia conferenda liberalis, si diuina ipsius bonitas omnibus hominibus in hac vita vsum rerum tã differentim concesserit, si omnes creaturæ cæli & terræ indifferenter seruiant omnibus, & cõmunis sit tã iniustis q̃ iustis huius mũdi possessio? quis dubitare meritò posset, multò maxima esse, & suprema bõna illa, quæ solis iustis præparauit? Quis vnquã inuentus est, qui tantos thesauros gratis contulit illi, qui debitor non erat. Quanta verò maiora dabit his quibus debebit? qui tam liberalis est in donis gratuitis, quã liberalis erit in debito remunerando? qui gratis tanta donat, pro fideli quid non reddet ministerio? Si magnificentia illorum, quæ donat, tam sit inæstimabilis; quantus erit splendor illorum quæ restituet? Dici profectò nõ potest, nec verbis vllis exprimi, quãta futura sit gloria, quam Dominus dabit electis, cùm tam magnifica sint, quæ dedit etiam ingratis.

Luc 17.

Apoc. 22, 27.

Quantitatem quoque & qualitatem huius gloriæ aliquo modo nos docet situs & altitudo loci: cælum scilicet empyreum, quod, quemadmodum omnibus cælis maius est, ita omnium est nobilissimũ, pulcherrimum, gloriosissimum, & dignissimum. Hunc locũ appellat Scriptura *terram viuentium*, vt significet terram hanc quàm nos incolimus, terrã esse mortuorum. Quòd si in hac regione mortuorum creaturæ sint tam nobiles, tam pretiosæ, tam excellentes: quales erunt illic in terra perpetuò viuentium? Verte oculos in quãcumque mundi huius visibilis plagam, & intuere quot, quãque pulchræ res in eo reperiantur. Vide quanta sit magnitudo cæli, quantus splendor Solis, Lunæ, & omnium stellarum? quanta sit terræ pulchritudo, tanta plantarum, volucrum, & animalium aliorum varietate, multitudineque exornatæ? Quàm iucundum est videre camporum planities, montium altitudines, vallium viriditatem, fontium scaturigines, abundantiam fluminum, quæ venarum instar per vniuersum terræ corpus decurrunt: & quod maius est, quanta voluptas est videre maris, tot, tamque mirabilium rerum pleni, amplitudinem? Quid stagna? quid lacus aquæ puræ & limpidę? quid aliud sunt, quàm oculi terræ, & specula cæli? Quid prata rosarum, aliorumque florum amœnitate vestita? nihil aliud quàm cælum in nocte serena lucidum & stellis ornatum. Quid de venis auri, argenti, aliorumque metallorum ditissimis fodinis dicam? quid de adamantibus, pyropis, smaragdis, alijsque gemmis pretiosissimis, qui cùm cælo, & ipsis stellis pulchritudine & claritate sua contendere videntur? Quid de picturis, colorumque diuersitate, quæ in auibus, alijsque animalibus & floribus conspicitur? Iungatur si placeat naturę pulcritudini lepor artis, & omnium rerum venustas duplicabitur. Ex arte siquidem varij & præstantes labores in auro & argento fiunt: ex arte vasa, statuæ, picturæ non minùs iucundæ, quã artificiosæ: horti & viridaria singulari industria consita, & exornata: ædificia templorum, regum palacia, ex auro, marmore, alijsque rebus tam affabrè facta, & elaborata vt hominum animos in stuporem rapiant. Si in hoc igitur elemento turpi, & omnium infimo, quod terra mortuorum dicitur, tot, tamque delectabilia, pulchra, & iucunda sint, quot & quanta putas erunt in illo summo loco, qui quanto altior est cęlis omnibus, omnibusque elementis, tanto est nobilior, tanto ditior, tanto pulchrior? maximè si consideremus cælestia corpora, ea quæ nostris oculis conspicua sunt, (vt sunt stellæ, Sol, & Luna) in splendorre, virtute, pulchritudine, & perpetuitate tot modis superare omnia inferiora: Quid facient igitur illa, quę sunt ab oculis mortalium abscondita? quæ solis oculis patent immortalibus? Vix diuinari potest aut cogitari hæc præsentia.

IV. Coniectura. Quantitas & qualitas gloriæ ex magnitudine loci.

Psal. 26, 13.

Terræ pulchritudo.

Scimus quidem tria esse locorum genera hominibus à Deo, secundùm temporum diuersitates, in hac vita designata: primus est vterus maternus, post conceptionem: secundus est mundus hic, statim à natiuitate: tertius erit cælum post mortem, si bene vixerimus. Inter hos locorum ordines ea est proportio, vt quanto præstantior est secundus primo, tanto etiam præstantior erit tertius secundo, tam in diuturnitate temporis, quàm in ipsius loci magnitudine, & pulchritudine, alijsque omnibus. Quantum ad durationem vel diuturnitatem, certum est, primæ vitæ tempus non esse longius nouem mensibus: secunda vita ad summum centum annorum est: tertia verò infinita est, & æterna. Deinde magnitudo loci primæ vitæ non est maior quàm vterus, quo continetur: secundæ verò vniuersus hic, & latissimus terrarum orbis: sed tertiæ locus tanto maior & spaciosior est loco secũdo, quanto secundus primo, & præstantiam quàm habet in magnitudine, eandem habet in pulchritudine, claritate, diuitijs, alijsque rebus omnibus. Si itaque mũdus hic tanto latior, tanto pulchrior, tanto ditior &c. est vtero materno; quanta erit latitudo, pulchritudo, opulentia, nobilitas &c. illius loci cælestis?

V. Coniectura. Tria locorũ genera hominibus à Deo statuta.

Idipsum & differentia incolarum, in duobus his locis habitantium, manifestissimè declarat: factura siquidem & forma ædificij conformis esse debet inhabitantium in illa conditioni. Hæc, vti diximus, terra est mortuorum, illa viuentium: hæc plena est peccatoribus, illa iustis: hæc hominibus, illa Angelis: hanc incolunt pœnitentes, illam qui peccatorum remissionem consecuti sunt: in hac habitant militantes, in illa triumphantes: denique hæc habitatio est amicorũ & inimicorum, illa tantùm amicorum, & electorum. Si itaque tanta sit inhabitantium differentia, quanta putas erit locorum? præsertim cùm Deus loca omnia suis habitatoribus faciat conformia, *verè gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* magna es spatio & latitudine, pulchri aspectu & forma, pretiosa materia, nobilis societate, suauis exercitijs, diues omnibus bonis, & libera atque immunis ab omnibus malis. In omnibus rebus magna es, maximus enim est qui te condidit, & præstantissimus est finis, in quem condita es, nobilissimi quoque habitatores, in quorum vsum condita es.

VI. Coniectura. Ab incolarũ nobilitate.

Psal. 86, 3.

Omnia hæc pertinent ad accidentalem gloriam. Sed & alia est gloria sine vlla comparatione maior, quæ essentialis dicitur, & consistit in visione & possessione ipsius Dei, de qua dicit B. Augustinus, Præmium virtutis ipse erit, qui Virtutẽ dedit qui videbitur sine fine, amabitur sine fastidio, & laudabitur sine molestia. Adeò vt præmium hoc maximum sit, nec maius vllum esse possit: quia nec cælum est, nec terra, nec mare, nec aliqua creatura: sed Creator ipse, & Dominus vniuersorum, qui etiam vt vnum, ita simplicissimum bonum est, in quo nihilominus omnia bona inueniuntur.

Essentialis gloria. S. Aug. lib. vlt. de ciuitate Dei c. 30.

Ad maiorem huius rei intelligentiam, sciendum est, vnũ ex mirabilioribus, quæ in hac substantia sunt, esse hoc, quod diximus; vna nimirũ cum sit & simplicissima, tamen omnes omnium rerum, idque summa emi-

ma eminentia, concludat perfectiones. Cùm enim creator & plastes sit omnium, & ille qui gubernat, atque dirigit omnia ad vltimum suum finem, & perfectionem: fieri non potest, vt ipse non habeat, quod alteri dat, aut laboret aliqua penuria illius, quod tam abundè alijs distribuit. Hinc est quòd omnes beati spiritus gaudeant videndo in illo solo res omnes; singuli tamen secundum gloriæ suæ proportionem quã nacti sunt. Etenim quemadmodum nunc creaturæ sunt tanquam specula, in quibus Dei pulchritudo aliquo modo spectatur; sic & tunc Deus erit speculum, in quo lepor & vetustas omnium creaturarum videbitur: & visio illa multo erit perfectior, quàm si in ipsis creaturis viderentur. Ita vt Deus sit illic futurus vniuersale bonum omnium Sanctorum, perfecta felicitas, & facietas omnium ipsorum desideriorum. Illic Deus erit speculum oculis Sanctorum, musica auribus, nectar & ambrosia palato, & odoriferum balsamum ipsorum odoratui. Illic videbimus varietatem & pulchritudinem temporum, iucunditatem Veris, claritatem Æstatis, abundantiam Autumni, & Hyemis quietem. Ibi denique erit quicquid potest exhilarare sensus, & potentias singulas animarum nostrarũ. Illic (vt Bernardus dicit) Deus erit plenitudo lucis nostro intellectui; multitudo pacis voluntati, & continuatio æternitatis nostræ memoriæ. Illic sapientia Salomonis videbitur ignorãtia: illic pulchritudo Absalonis deformitas; illic imbecillitas fortitudo Sampsonis, illic quasi mors erit vita primorum, qui statim à mundo condito vixerunt hominum: illic denique omnium Regum & Imperatorum thesauros inopiã & paupertatem meritò quis poterit appellare.

Deus omnium perfectio.

Deus omnia in omnibus.

S. Bernard. lib. meditat. c. 4. & 16.

Si hæc ita sint, ô homo infelix, (vti reuera sunt) quare, & quem in finem in terra Ægypti cupis diutiùs hærere, & paleas colligere? cur ex omnibus cisternis aquam bibis turbidam, spernens venam felicitatis, & fontem aquarum viuentium? cur mendicare lubet, & ex stipe quærere, quod illic inuenies in abundãtia? Si desideres voluptatem, eleua cor tuum, & vide quàm delectabile erit bonum illud, quod in se continet omnium bonorum voluptatem. Si tibi placeat hæc vita creata, quanto magis placebit illa, quæ creauit omnia? Si te exhilaret sanitas facta, quanto magis exhilarabit ea, quæ fecit omnia? Si cogitatio creaturarum dulcis sit & accepta, quanto dulcior erit ipse Creator? Si tibi grata sit pulchritudo, ille est cuius pulchritudinem Sol & Luna admirantur. Si appetas nobilitatem, ipse fons & origo totius nobilitatis. Si quæras vitam longam & incolumitatem, hîc inuenitur perpetua. Si cupias satietatem & abundantiam, hîc summa est bonorum omnium. Si delecteris concentu musico, & harmonia mortalium; illic immortales Angeli modulantur dulcissimè & organa ciuitatis Dei illic cum summa suauitate audiuntur. Si tibi adlubuerint amicitiæ, familiaritates, & commercia bonorum; illic inuenies omnes electos, habentes animam vnam, & cor vnum. Si diuitias & honores sitias, ea in domo Domini cum abundantia inueniuntur. Denique si omnia pœnarum, tribulationum, & miseriarũ genera fugere desideres, ibi reperies libertatem & immunitatem omnium illorum.

Exod. 5. Hier. 2.

Præceperat Deus in veteri lege die octauo Circumcisionem celebrari, vt tacitè indicaret, quod octauo die Resurrectionis, qui succedet huius vitæ septimanæ, Deus circumcidet, & amputabit omnes molestias, ærumnas, & calamitates eorum, qui pro amore illius, dum viuerent, appetitus, superfluitates, & peccata sua circumdiderunt. Quæ res itaque excogitari potest beatior, hac viuendi conditone, ab omni miseriarum genere liberrima? Quid inquit Augustinus, hac vita beatius vbi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo lædítur, nemo irascitur, nemo inuidet, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris aut potestatis pulsat ambitio? Nullus ibi Diaboli metus, insidiæ Dæmonũ nullæ: terror Gehennæ procul; mors neque corporis, neque animæ, sed immortalitatis munere iucunda vita. Nulla erunt tunc mala, nusquam discordiæ: sed cuncta conuenientia: quia omnium Sanctorum vna erit concordia. Pax cuncta & lætitia continet, tranquilla sunt omnia & quieta, iugis splendor; non ille qui nunc est, sed tanto clarior, quãto felicior, quia ciuitas illa, vt legitur, non egebit Sole neque Luna: sed Dominus omnipotens illuminabit eam; & lucerna eius est Agnus, vbi *Sancti fulgebunt, vt stella in perpetuas aeternitates, & sicut splendor firmamenti, qui erudiunt multos.* Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, cõcursus nubium nullus, nec frigoris ardorisue asperitas vlla: sed talis erit rerum temperies, *quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*: nisi illorum, qui ea perfrui digni inueniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Verùm super hæc omnia est consociari choris Angelorum & Archangelorum, atque omnium cælestium virtutum: intueri Patriarchas & Prophetas, videre Apostolos, atque omnes Sanctos: videre etiam parentes nostros. Gloriosa sunt hæc, sed multo gloriosius est, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre; Superexcellens gloria erit, cùm Deum videbimus in seipso videbimus & habebimus in nobis, quem cernere finis non erit.

Gen 17. *Circumcisionis mysterium.*

Aug. cap. 17. Manualis & Meditat. c. 22

Apoc 22. Dan. 12, 3. Esa. 64. 1. Cor. 2, 9.

O anima mea, inquit idem Sanctus, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possemus, & Sanctis eius sociari: nonne dignũ esset pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur? Insidientur ergo Dæmones parent suas tentationes: frangant corpus ieiunia, premant carnem vestimenta, labores grauent, vigiliæ exsiccent, clamet in me iste, inquietet, me ille vel ille, frigus incuruet, conscientia murmuret, calor vrat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum. Quæ enim erit iustorum gloria? quam grãdis Sanctorum lætitia? cùm vnaquæque facies fulgebit vt sol? Hactenus B. Augustinus.

Aug. in Manuel c. 15. *Omnia tolerãda pro cælesti gloria.*

Si bonum itaque hoc tam ingens sit, & tam vniuersale, qualis erit felicitas & gloria illorum oculorũ beatorum, qui hæc omnia contemplabuntur? Quàm magnum erit videre pulchritudinem huius ciuitatis? gloriam ciuium illius? faciem Creatoris? magnificentiam ædificiorum? diuitias palatij, & commune illius patriæ gaudium? Quàm iucundum erit videre ordines beatorum Spirituum? & auctoritatem sancti illius Senatus? maiestatem venerandorum illorum Seniorũ, quos vidit B. Ioannes, *super thronos sedentes in conspectu Dei, circumamictos vestimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas habentes?* Quàm suaue & delectabile erit audire dulces illas voces angelicas, conceptus illorum musurgorum, phonascorum, & sanctarum psaltriarum psalmodiam, ordinatissimeque compositam symphoniam, non quatuor aut quinque vocum, qualis est ea, qua nunc vtimur, sed tot vocum & numerorum varietate modulata, quot illic erunt Electi? Quanta voluptas erit audire iucundissimas cantilenas, quas audiuit B. Ioannes in Apocalypsi sua: *Et adorauerunt*, ait, *Deum dicentes, Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio: honor, & virtus & fortitudo Deo nostro, in secula seculorum, Amen.*

Apoc. 4, 4. Apoc. 7, 12.

Si tanta futura sit gloria & iucunditas, audire hanc vocum harmoniam & consonantiam, qualis erit

videre concordiam corporum & animarum tam conformium? quanto adhuc illo mirabilius, videre tantã vnionem hominum & Angelorum? Quid hominum dico & Angelorum? imò tam ingentem vnionem inter hominem & Deum ipsum? Super omnia hæc imaginari commodè non possum, quam gratum erit videre campos, spatiosissimos fontes illos vitæ, & pascua pinguissima in montibus Israel. Quid erit accũbere ad mensam illam regalem, habere locum inter nobiles illos inuitatos, & intingere manum cum Deo in vnam eandemque patinam: id est, vna eademque Dei gloria perfrui? Illic Sancti requiescent, gaudebũt, cantabunt, laudabunt, & ingredientes, egredientesq; inuenient suauitatis inæstimabilis pascua. Si tanta & tam pretiosa sint, quæ fides nostra Catholica promittit virtutum præmia; quis tam cæcus, deses, negligens, & obstinatus esse velit, vt non moueatur, & totis viribus non contendat ad præmium & mercedem tam amplam & copiosam consequendam?

DECIMVS TITVLVS.

VLTIMVM NOSTRORVM QVATUOR nouissimorum, pœnas scilicet infernales, nos ad Virtutem appetendam obligare.

CAPVT X.

MInimum quidem illorum bonorum, quę hactenus à nobis commemorata sunt, sufficere deberet, ad generandum in animis nostris amorem virtutis, per quã tanta bona consequi licebit. Nunc autem si huic tam immensæ gloriæ magnitudo pœnarum infernalium, quę malis præparatę sunt, adiungatur, quis adeò durus erit, & præfracto animo rebellis, vt relictis vitijs, virtutem non lubens velit in posterum amplecti?

Non enim impius & peruersus hac sese voce poterit consolari. Esto malus sum & iniquus; quid ergo? gloriam quidem cœlestem non intrabo, nec cum Deo exultabo: in hoc omne meum consistit supplicium. *Duas esse vias.* De cæteris non sum solicitus, quia nec pœnam aliã, nec gloriam habebo. Falleris, mi frater, non ita res habet, fatale enim est, & omnino necesse, vt alterum horum tibi obueniat, aut vt regnes semper cum Deo, aut vt ardeas semper cùm Dæmonibus in flãmis sempiternis. Inter enim duo hæc extrema, nullum datur medium. Limbo Patrum, & Purgatorio exceptis.

Hæc in figura duorum illorum calathorum, quos Dominus Ieremiæ Prophetæ ante portam templi ostendit, pulcherrimè adumbrantur: horum enim vnus ficus bonas habebat nimis, vt solet ficus esse primi temporis; & calathus alter ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ. Voluit Dominus hoc spectaculo prophetæ duo genera hominum demonstrare; vnum, cui misericordiam suam exhiberet, alterum, quod secundùm iustitiam suam puniret: primorum illorum hominum sors bona erit nimis, nec dari potest melior: aliorum verò mala nimis, qua peior non potest inueniri. Sors bonorum est videre Deum, quod omnium bonorum summum est: infortunium verò & infelicitas malorũ erit, visione Dei in æternum priuari; quod malum est omnium malorum pessimum. Hæc meritò considerare, & iugiter meditari deberent illi, qui non verentur mortale peccatum perpetrare, cùm videant tantũ onus & tam dirum supplicium peccato constitutum.

Hier. 24, 2.

Similc. Baiuli seu dossuarij, quoties ad onus humeris vectandum vocantur, ante omnia diligenter illud inspiciunt, eleuandoque probant, an humeri pares oneri sint, & an portare illud poterunt; & tu miser, cui peccata sic adlubescunt, qui pro exigua voluptate te ad portandum onus illius emancipãsti, vah insane, proba primùm quanta sit grauitas oneris (pœnæ scilicet, quàm pro ista voluptate sustinebis) vt intelligas, si tibi vires sint illam sufferendi.

Vt autem commoditus illa probatio fieri possit; quandam hic in medium adducam considerationem, ex qua poteris aliquo modo intelligere qualitatem & magnitudinem pœnæ infernalis: vt periculum facias, an sufficiens sis, ad portandum onus, quod tibi ferendum suscipis, cùm peccas. Quamuis hanc materiã alio loco copiosiùs tractauimus, alijs tamen, ijsque diuersis argumentis eam hoc loco repetemus: tanta enim huius materiæ vbertas est, vt nunquam satis de illa dici possit, & per omnia stimulos ad bene viuendum administret. Sit itaque prima consideratio, magnitudo & infinita immensitas Dei, qui peccatum castigabit; vt videamus qualis in omnibus suis operibus Deus est. Hoc autem volo dicere, quòd Deus in omnibus magnus est, & admirabilis: non tantùm in mari, terra & cælo: sed etiam in inferno. Adeò vt si Dominus in omnib. suis operibus Deus sit, (vti videmus esse) erit etiam Deus in ira, in iustitia, & in supplicio peccantium. Propterea Dominus ipse dicit apud Hieremiam, *Me non timebitis, & à facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum maris, cum præcepto sempiterno quod non præteribit? & intumescent* (ad cælum) *fluctus eius, & non transibunt illud*, id est, terminum à me constitutum, quasi dicere voluisset, An non æquum est vt timeatis brachium Dei, tam potentis, cuius magnitudinem opus hoc admirabile satis ostẽdit? Qui itaque magnus est in operibus suis vniuersis etiam magnus non erit in castigandis peccatoribus? qui propter vnum dignus est, quem reuereamur & adoremus, an ne & ob aliud dignus erit, qui timeatur? Hanc ob causam idem Propheta, licet innocens erat, & in vtero matris sanctificatus, Dominum tantoperè metuebat, cùm diceret; *Non est similis tui Domine, magnus es tu, & nomen magnum tuum in fortitudine. Quis non timebit te ô Rex gentium? tuum est enim decus inter cunctos sapientes Gentium, & in vniuersis regnis illorũ non est similis tui.* Et in alio loco, *Elongauit me ab hominibus, eo quòd plenum esset cor meũ timore indignationis tuæ.* Etsi Propheta iste certus esset indignationem illam non in se accensam esse; talis tamen & tanta erat, vt & ipsi timorem incuteret. Meritò itaq; dictum est, *quod respicit terram & facit eam tremere, tangit montes & fumigant*, quòd *stellæ & columnæ cæli ad nutum eius pauent & contremiscunt*: dicitur & de illo non absque ratione, quòd ante Maiestatem eius tremunt magni illi principatus, & supremæ potestates. Non quia securi non sunt de sua gloria, sed quia magnitudo maiestatis diuinę illis timorem & tremorem adfert. Si itaque non sine timore sint, qui sunt perfecti, quid facient rei, contemptores diuinæ Maiestatis? Illi enim sunt, in quos omnem furorem iræ suæ effundet. Hæc est vna ex præcipuis rationibus, cur metuenda sit huius supplicij magnitudo, quemadmodum & B. Ioannes aperte docet, in sua Apocalypsi, vbi de flagellis & tormentis Domini hoc modo loquitur: *Idcò in vno die venient plagæ eius*, (loquitur de Babylone) *mors & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis est Dominus Deus, qui iudicabit illum.* Apostolus quoque non ignorabat fortitudinem huius Domini, & propterea dicebat, *horrendum esse incidere in manus Domini.* Non est horrendum incidere in manus hominum, quia non adeò potentes sunt; quin violentiam eorum possimus effugere, & furorem declinare: nec tantam habent illi auctoritatem, vt animã queant in infernum detrudere. Propterea discipulis suis Saluator dicebat: *Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animã autem nõ possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Hæ manus sunt, in quas B. Apostolus horrendum esse dicit incidere. Ex his non difficilè colligitur, quæ sit natura

Lib. 1 de Orat & medit.

Magnitudo pœnæ ex magnitudine Dei.

Hier. 5, 22.

Hier. 10, 6.

Psal. 103, 32.

Iob. 26, 11.

In præfat. Missæ.

Apoc. 18, 4.

Hebr. 10, 31.

Matt. 10, 28.

sit natura mentium illarum, de quibus loquitur Ecclesiasticus, dicens, *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Ex quibus omnibus manifestissimum fit, quòd quemadmodum Deus magnus est in potentia, in Maiestate, & in omnibus operibus suis, ita & magnus erit in ira, in iustitia, & in supplicijs malorum. Eccli.2,22.

Idem & apertiùs adhuc spectatur in diuina iustitia examinanda, cuius effectus & executiones sunt ista supplicia. Ea autem ex effectibus aliquo modo cognoscitur, id est, ex horrendis pœnis hominibus malis à Deo diuersis temporibus irrogatis, quę variè in Scripturis commemorantur. Quàm terribilis fuit ista pœna Dathanis & Abironis, omniumque complicum illorum, quos aperiens os suum terra deglutiuit, cum tabernaculis eorum, & vniuersâ substantia, descenderuntque viui in infernum, ea quòd seditionem mouissent in Moysen & prælatos suos? Quis vnquam similia minarum audiuit genera, quæ in Deuteronomio leguntur, ijsque intentantur, qui legem Domini non obseruant: vbi inter alia horrenda & metuenda sic dicit Dominus; *Obsideberis intra portas tuas, in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus, & comedes fructum ventris tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dederat tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate, qua opprimet te hostis tuus. Homo delicatus in te, & luxuriosus valde, inuidebit fratri suo, & vxori, quæ cubat in sinu suo, ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet: eò quod nihil aliud habeat, in obsidione & penuria, qua vastauerint te inimici tui, intra omnes portas tuas. Tenera mulier, & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem & teneritudinem nimiam, inuidebit viro suo, qui cubat in sinu eius, super filij & filiæ eius carnibus, & illuuie secundinarum, quæ egrediuntur de medio fœminum eius, & super liberis qui eadem hora nati sunt: comedet enim eos clàm, propter rerum omnium penuriam in obsidione & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus, intra portas tuas.* Horribiles & tremendæ sunt pœnæ istæ: tamen & hæ, & omnes aliæ, quibus in hoc sæculo sunt vnquam homines mulctati, aliud nihil sunt, quàm exigua vmbra & figura illarum, quæ damnatos manent in altero: erit enim tempus illud, in quo relucebit diuina iustitia aduersus illos, qui hîc illius misericordiam respuerunt. Quòd si vmbra tam sit horrenda, veritatem ipsam quis poterit tolerare? Quòd si nunc, cùm iustitia diuina adhuc misericordia temperatur, & calix iræ Domini aqua gratiæ miscetur, tam amarus adhuc esse videatur: quid erit cum purus, absque misericordia propinabitur, his præsertim qui misericordiam cum proximo habere noluerunt: etiam si supplicium minus semper futurum sit ipso peccati merito? *Magnitudo iustitiæ Dei.* Num.16. Deut.28,52. *Vir clàm vxore comedet filios, & mulier clam viro, vt soli comedant.*

Non tantùm magnitudo iustitiæ pœnarum magnitudinem arguit; sed & magnitudo misericordiæ, de cuius bonitate tantum præsumunt homines flagitiosi. Etenim quid magis admirandum, quàm Deum videre carne vestitum humana, atque in illa omnia tormentorum atque opprobriorum genera perferre, ab introitu eius in hanc vitam, vsque ad egressum ex illa, quam in ligno finiuit? Quæ maior misericordia, quàm in hunc mundum venire, & totius mundi debita in se recipere, vt illis mundum exoneraret? & sanguinem suum effundere pro ijs ipsis, qui sanguinem illum effundebant? Igitur quemadmodum opera diuinæ misericordiæ stupenda sunt, ita erunt & diuinę iustitię metuenda: cum enim in Deo non sit maius aut minus, sed omne illud quod in Deo est, sit Deus; quanta eius est misericordia, tanta necessariò est eius iustitia, in his quæ pertinent ad illam. Quemadmodum enim ex quantitate & magnitudine vnius brachij, alterius quantitatem colligimus: sic magnitudine brachij diuinæ misericordiæ, iustitiæ quoque diuinę quantitatem metimur: cùm vna eademque sit vtriusque mensura. Nunc itaque obsecro, dic mihi, si in tempore illo, quo voluit Deus suam mundo misericordiam exhibere, res operatus est tam admirandas, tamque mundo incredibiles, vt mundus illas stultitiam arbitratus sit: vbi appropinquauerit tempus secundi aduentus, in quo statuit ostendere magnitudinem suæ iustitiæ, quid putas faciet? tanto maiores habens & plures occasiones, quanto plura erunt & maiora hominum crimina. Nō enim habuit misericordia, qui eam prouocaret, aut impetraret, cùm in humana natura nihil esset, quod illā merebatur: sed iustitia diuina tot habebit stimulos, tot impulsores, vt sese vlciscatur, quot fuerunt peccata in hoc mundo perpetrata: atque ex his sufficientes desumi possunt coniecturæ, quanta, & quàm terribilis diuina iustitia futura sit. Optimè declarat illud D. Bernardus in quodam sermone de natiuitate Domini: Sed quam facilis fuit in primo aduentu, tam difficilis erit in secundò: & sicut modò nemo est qui reconciliari non possit; ita post paululum nemo qui possit. Quoniam sicut benignitas apparuit vltra omnem spem, vltra omnem æstimationem; similem expectare possumus iudicij districtionem. Immensus est Deus & infinitus in iustitia, sicut & in misericordia: multus ad ignoscendum, multus ad vlciscendum: sed misericordia quidem priora sibi vendicat: vt si voluerimus, districtio inuenire non possit in quem sæuiat. Hæc ille. Ex ijs abundè satis spectatur, quomodo ex misericordia Dei quantitas illius iustitiæ colligatur. Vtrumq; demonstrat pulcherrimè diuinus ille Psaltes, *Deus noster*, ait, *Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis. Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Vides ex his, mi frater, Dominum tam esse hostibus & rebellibus suis seuerum, quàm est amicis placabilis. *Ex misericordia Domini colligitur magnitudo pœnarum.* *Duplicis" aduentus Christi collatio. 1.Cor.1.* Bern. Serm. 1. de Natiuit. Domini. Psal.67,22. Simile.

Idipsum doceat apertissimè diuina patientia, qua vtitur, tam erga mundum vniuersum, quam erga singulos homines bonos & malos. Videmus enim plurimos homines tam inordinatos, tamque perditæ vitæ, vt à quo primùm oculos rationis aperire cęperint, vsque ad vltimum vitæ diem, maiorem vitæ partem offendendo Deum, & contemnendo diuina ipsius mandata consumant: nec promissionū, nec minarum, nec beneficiorum, nec consiliorum Dei, nec alterius cuiusque rei rationem habentes. Nihilominus toto illo vitæ tempore summa Bonitas eos exspectat, cum magna patientia: non præcidens filum vitæ; non cessans eos multis modis ad pœnitentiam vocare, licet emendationis nullum in ipsis videat indicium. Sed cùm ad finem peruenerit longa illa patientia, si effuderit in illos thesauros iræ suæ, (quos tot annorum curriculis paulatim in sinum iustitiæ collegit) quo impetu, qua putas violētia obruentur? Quid aliud voluit Apostolus significare, cùm diceret: *An diuitias bonitatis eius, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autē duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in diem iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundū opera eius?* Quid est quod dicit, thesaurizas tibi iram, nisi vt significet, quod vti aliquis colligens thesaurum, quotidie denarium denario addit, & diuitias diuitijs cōgerit: sic enim massa crescit: ita Dominus quotidie amplificat thesaurum iræ suæ; quemadmodum peruersus homo malis suis operibus rationes pro illis reddendas auget. Dic mihi quæsò, si quis thesauro colligēdo tam pertinaciter insisteret, vt nec dies nec hora aliqua elaberetur; qua non aliquid illi adijceret; idq; per spatium annorū quinquaginta vel sexaginta: si quando post ea solueret signacula, & Rom.2,4.

speriret scrinia, quàm immensum ille thesaurum inueniret? O homo infelix, non animaduertis, quòd nec dies præterit, nec hora in qua non auges thesaurum illumiræ diuinæ, qui in tuam perniciem reseruatur? crescit autem ille, & augetur peccatis singulis, quæ tu committis. Etsi enim non esset aliud, quàm turpes conspectus tuorum oculorum, immundæ cogitationes, praua desideria & odia tui cordis, verba & iuramenta oris tui, ista sola satis essent ad mundum vniuersum implendum. Si verò his adiungantur omnia alia vitia, & peccata tua; meditare quæso quàm immensum iræ Dei thesaurum tibi coaceruâsti tot annorum spatio? Adhuc & ingratitudo atque malitia peruersorum hominum si bene discutiantur, nobis magnitudinem pœnarum diuinarum commonstrant. Quòd autem hoc verum est, cõsidera bonitatem & liberalitatem Dei erga homines: illud etiam quod ipse fecit & dixit in hoc mundo, cum illo quod pro omnibus ijs passus est. Perpende quoque commoditates & apparatus in vsum hominum, vt cõmode viuere possent, ab illo factos: omnia quæ ipsis peccantibus ignouit, aut quasi dissimulauit; quanta bona ipsis contulit, à quot malis ipsos liberauit, aliaque multa genera fauorum & beneficiorum, quæ quotidie illis præstat. Omnia hæc thesaurum iræ Dei augent & multiplicant. Deinde etiam in metem reuoca hominum circa Deum obliuionem, & negligentiam: ingratitudinem quoque illorum, & rebellionem; blasphemias deniq; & contemptum, tam ipsius Dei, quàm mandatorum eius; quæ sanè tanta sunt, vt nõ tantùm pro aliquo lucro vel emolumento, quod ex peccato expectatur, sed sæpissimè ex sola malignitate impudenter pedibus conculcetur omne id, quod Dominus mandauit. Ille igitur qui absq; vlla verecundia spreuit tantam Maiestatem, non aliter atque ficulneus aliquis Deus fuisset; qui toties, vt Paulus loquitur, *Filium Dei conculcauit, & sanguinem testamenti pollutum ducit in quo sanctificatus est.* Ille qui toties illum crucifixit operibus suis ipsorum Ethnicorum peioribus, quid illi expectandum est aliud, quàm cùm hora reddẽdæ rationis aduenerit, honorem Deo restituat, aut tantas det pœnas, quanta fuit iniuria, qua Deum affecit? Cùm enim iustus iudex Deus sit, officiũ eius est, id cauere, ne minora sint supplicia iniurijs illatis: sed paria sint peccato illius, qui iniurius fuit. In hoc autem casu, si Deus sit cui iniuria illata est, quæ poterit in corpus & animam condemnati sententia pronuntiari, vt dignis pœnis recompensetur facta iniuria? Quòd si in satisfactione offensæ Deo factæ necessarius fuerit sanguis Filij Dei, (supplendo personæ dignitate, quod supplicij magnitudini deerat) quid fiet, vbi recompensatio præstanda erit, non dignitate personæ, sed sola pœnæ seueritate?

Hebr 10, 29.

Pœna debet esse par peccato.

Sed à conditione Iudicis, ad conditionem & qualitatem carnificis (cuius erit sententiam Iudicis exequi) veniamus. Is qui futurus sit, si quæratur, Diabolum fore dico, à cuius manibus quid sperandum est, neminem dubitare existimo. Attamen vt aliquo modo intelligas, quanta est eius executoris crudelitas: considera quæso, quàm inhumaniter eos tractat, qui eius sunt potestati traditi, qualis fuit B. Iob. Vides crudelem hunc Tyrannum eo modo in virum innocentem desæuisse, vt maiori aut immitiori in creaturam rationalem sæuire non posset: non habens vel minimam pietatem, vel misericordiam. Nónne oues eius, puerosque igne cælitus demisso tactos consumpsit? nónne per Sabæos boues & asinos omnes; & per Chaldæos camelos abstulit, & famulos gladio percussit? nónne ædes prostrauit, & ruina filios eius oppressit? nónne denique & corpus illius percussit vlcere pessimo, à planta pedis, vsque ad verticem eius, nec quicquam ipsi reliquum fecit, præter sterquilinium & testam, qua saniem radebat? reliquit illi vxorem, & amicos incolumes, non ad refrigerium & solatium; sed vt ipsi suis sermonibus essent tanquam vermes, qui interiora viscera pauperis & miseri Iobi deuorarent. Omnia hæc in hominem & potuit, & ausus est, diuino permittente iudicio. Sed qua crudelitate, & immani tyrannide Saluatorem nostrum excepit, ea præsertim nocte; qua traditus erat potestati tenebrarum? paucis id verbis explicari non potest. Si itaque hostis ille cum suis satellitibus, tam ferus sit, tamque crudelis & inhumanus carnifex, tam sanguinolentus, & generi humano inimicus: quid facies, ô miser, quando videbis te manibus illius permissum, vt in te omnem exerceat crudelitatem, iuxta diuinæ iustitiæ dispensationem? Ah res hæc est nimiùm horrenda. Neque cogitandum est, supplicium hoc fore vnius noctis, diei, vel anni: sed duraturum illud semper, id est, in omnem æternitatem. Quid tibi videtur, putas ne te boni viri manibus fore commissum? O quàm obscura dies erit illa, quando potestati luporum tam rapidorum te traditum agnosces? Vt autem melius intelligas, quæ tibi beneuolentia erit à manibus istis expectanda, referam exemplum notabile, à B. Gregorio quondam descriptum Adolescens quidam, inquit, in meo erat nuper monasterio, Theodorus nomine, vitæ dissolutæ, & salutis suæ negligentissimus. In hac autem pestilentia, quæ nuper huius vrbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine, est ductus ad mortem. Cumq; extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema parte fuerat præmortuum, in solo tantùm pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autẽ fratres tanto pro eo cœperũt enixiùs orare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repentè cœpit eisdem fratribus assistentibus clamare, atq; cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere dicens: Recedite, recedite. Ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestrã præsentiam deuorare me non potest. Caput meum iam suo ore absorbuit: date locum, vt me non ampliùs cruciet: sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum: quare propter vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris frater? signum tibi sanctæ crucis imprime. Respondit ille, dicens: Volo me signare, sed non possum: qui squamis huius draconis premor. Cumque hoc fratres audirent, prostrati in terram cum lachrymis cœperunt, pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subitò cœpit æger clamare dicens: Gratias Deo, ecce draco, qui me ad deuorandum acceperat, fugit: orationibus vestris expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite: quia conuerti paratus sum, & secularem vitam funditus relinquere. Quod & factum est.

Greg. lib. 4. Dial. cap. 37. & 38. & homil. 12. in Euangel.

Horrendum exemplum.

A persona carnificis, id est, diaboli, magnitudo supplicij colligitur.

Iob 1.

De ijsdem Dæmonibus loquitur B. Ioannes in Apocalypsi sua, per modum horribilis figuræ. *Et vidi*, ait, *stellã de cælo cecidisse in terram: & data est ei clauis putei abyssi & aperuit puteum abyssi, & ascẽdit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est Sol, & aër de fumo putei. Et de fumo putei exierunt locustæ in terrã, & data est eis potestas, sicut habent potestatẽ scorpiones terræ, & præceptũ est illis, ne laderent fœnũ terræ, neque omne viride, neque omnẽ arborẽ, nisi tantùm homines, qui non habent signũ Dei in frontibus suis, & datum est illis ne occiderent eos: sed vt cruciarentur mensibus quinque, & cruciatus eorũ vt cruciatus scorpij, cùm percutit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, & nõ inuenient eam: & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Et similitudines locustarũ similes equis paratis in prælium, & super capita earũ tanquã coronæ similes auro, & facies earum tanquam facies hominũ. Et habebant capillos, sicut capillos mulierum, & dentes earum*

Apoc. 9. 1. *Descriptio Diabolicæ potestatis.*

sicut

ſicut leonum erant: & habebant loricas ſicut loricas ferreas; & vox alarum earum ſicut vox curruum equorum multorum, currentium in bellum & habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum. Hactenus B. Ioannes: Dic mihi nunc, mi frater, quæ fuit mens Spiritus ſancti (is enim huius ſcripturæ auctor eſt) cùm ſub horrenda illa & formidanda figura voluit ſignificare flagellorum diuinæ iuſtitiæ magnitudinem? Quæ alia fuit eius intentio, quàm vt per terribilem iſtum horrorem admoneret homines, ne immemores ſint qualis ſit ira Dei, & qualia ſint illius iuſtitiæ inſtrumenta: qualia ſint ſupplicia malorum & qualis ſit potentia noſtrorum aduerſariorum: vt metuendo iſtarum rerum terrore moniti Deum offendere vereamur? Etenim quę ſtella illa eſt, quę de cęlo cecidit in terram, & cui datæ ſunt claues abyſſi, niſi ſplendidiſsimus ille Angelus, qui è cælo cecidit, cui data eſt poteſtas tenebrarum? & quæ locuſtæ illæ, ſimiles equis armatæ, & in prælium paratæ, niſi Furiæ infernales, & arma ſociorum, ſatellitum adiutorum, & miniſtrorum illius, qui ſunt Dæmones? Quid fœnum, quid plantæ virides, quas lædere prohibentur, niſi iuſti qui virent, florentque humore diuinæ gratię, & fructum faciunt æternæ vitæ? qui ſunt qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis, niſi illi, qui nõ habent ſpiritum Dei, qui ſignaculum eſt ſeruorum, & ouium gregis illius? Aduerſus miſerabiles itaque illos tantus diuinæ iuſtitiæ exercitus armatur, vt in hac vita, & in futura, ſecundùm conditionem & merita ſingulorum torqueantur, & excarnificentur ab ipſis Exod. 8. Dæmonibus, quibus ſeruierunt, non aliter atque Ægyptij à muſcis aquaticis & ranis cruciati ſunt, quas ipſi pro Dijs adorabant. Quàm horrendum itaque erit, in loco illo maledicto tam tetribilia monſtra & laruas videre adeò metuendas? Quàm formidandum videre illic Draconem illum famelicum, & rabie frementem horribili: magnum illum Behemoth, de Iob 40, 12. quo dicitur in libro Iob, *qui ſtringit caudam ſuam vt cedrum, abſorbet flumina; & paſcit montes?*

Conclusio. Quę hactenus à nobis dicta ſunt, ſatis ſuperque declarant, quàm intolerabiles futuræ ſint pœnæ malorum. Quid enim ex omnibus ijs ſperandum, niſi horrenda ſupplicia? Quid expectandum ex magnitudine & immenſitate Dei, de magnitudine dico iuſtitiæ illius, in caſtigandis impijs & peccatoribus? quid ex magnitudine illius patientiæ, quæ tam clementer ſuſtinet, & ad pœnitentiam expectat peccatores? quid ex multitudine beneficiorum, quibus onerat peccatores, vt illorum ſuauitate illos ad ſe trahat & alliciat? quid de magnitudine odij, quo eſt in peccata? peccatum enim, quòd infinitam offendit Maieſtatem, odium meretur infinitum. quid ex magnitudine furoris inimicorum noſtrorum, qui tam potentes ſunt in cruciatibus & tormentis? ad malefaciendum tam parati? Quid inquam ſperandum eſt, ex omnium harum rerum magnitudine, niſi maximum & inauditum peccati ſupplicium? Si itaque pœna tam magna ſit, quæ peccato eſt præparata, nec illam quis effugere queat, nec ipſa vnquam deficiat; (ſic enim fides noſtra prædicat) quæ ratio, aut quæ potiùs cæcitas illorum eſt, qui credentes hæc & confitentes non animaduertunt onus intolerabile, quod in ſe recipiunt, cùm peccant? committentes enim vnum peccatum mortale, ad hanc pœnam obligantur, quę præmiſſis rationibus eſſe tam immenſa probatur.

De æternitate iſtarum pœnarum.

CÆterùm præterquam quòd ea quæ hactenus dicta ſunt ſufficiant ad metum & timorem maximum in nobis generandum, multo tamen erunt efficaciora, ſi iſtarum pœnarum perpetuitatem conſideremus. Nam ſi in ijs vllus terminus, aut remiſſio vel refrigerium eſſet inueniendum, ſaltem poſt multa annorum millia, eſſet profectò ſummum miſeris iſtis ſolatiũ. Sed quid dicam de Æternitate, quæ nullum agnoſcit terminum alium, quàm quem habet æternitas ipſius Dei? quod ſpatium tam eſt diuturnum, quòd (vt quidã inſignis Doctor teſtatur) ſi quis illorum damnatorum ſingulis millenis annis vnam effunderet materialem lachrymulam, maior aquarum copia ex oculis illius proflueret, quam totus hic mundus ſua concauitate poſſet continere. Quid terribilius dici poteſt vel excogitari? Quòd ſi omnia tormenta, quæ in inferno ſunt, acicularum tantùm eſſent puncturę, propter æternitatem tamen adhuc ſufficere poſſent, vt mouerent hominem ad ſuſcipiendum alacri animo pœnas, tribulationes, cruces, & quicquid miſeriarum in mundo eſt: ſaltem vt æternas pœnas effugiat. O ſi illud *Æternum* in animo tuo ſemper moraretur & habitaret, quàm vtile tibi foret? Legitur de quodam homine mundi vanitatum ſtudioſo, qui cum quodam tempore incidiſſet in Æternitatis illius cogitationem, expaueſcens re tam diuturna, quæ finem non habebit, ita ſecum philoſophatus eſt: Non poſſet inueniri homo aliquis in hoc mundo ſani cerebri, qui totius mundi imperium vellet acceptare, ea conditione, vt annorum triginta vel quadragintà ſpatio, in lectulo roſis & floribus vernantibus ſtrato extenſus iaceat: Quod ſi ita ſit, quæ mania, quæ phreneſis, quæ hominum eſt amentia, velle pro re minimi momenti amplecti lectum ardentem, in quo torreantur in æternum? Ea ſola conſideratio tam vtilis fuit illi homini, tantosque in eo fructus operata eſt, quòd ſtatim relictis vitijs ad virtutes tranſierit, in ijſque breui eum in modum profecit, vt homo ſanctus & Eccleſiæ Prælatus effectus ſit. *Horrendum dictum.*

Quid dicent mundi huius delicatuli, qui ob ſtrepitum vnius culicis totas noctes ducunt inſomnes, vbi ſe viderint in lecto hoc ignis ardentis extenſos, & viuis flammis ab omni parte amburi: idque non vna nocte, ſed in æternum duraturum. Huiuſmodi Propheta Eſaias alloquitur, his verbis: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* cuius humeri tam erunt ferrei, qui tantum onus tanto queant tempore portare? O gens inſenſata, ô homines excæcati ab illo antiquo impoſtore, qui vniuerſo terrarum orbi ſuis fraudibus imponit. Quid quæſo magis eſt à ratione alienum, quàm quòd homines minima quæque curant, quæ ad hanc vitam pertinent: in re verò tanti momenti tam ſint inconſiderati, & negligentes? Si non videamus hæc, quid tandem videbimus? quid timebimus, ſi non pauerimus hæc? aut quid prouidebimus, ſi hæc non prouideamus? Quòd ſi hæcita ſint, quomodo poterimus non ſumma cum animi alacritate virtutes amplecti, quantumuis arduæ ſint & difficiles, ſaltem vt hæc mala ſubterfugiamus? Eſa. 33, 14.

Certiſsimum equidem eſt, quòd ſi Deus optionem tibi daret, & diceret; Toto tępore quo viues debebis aut chiragra vel dolore dẽtis alicuius tam acuto cruciari, vt morbus iſte neç interdiu, nec noctu requiem vllam tibi concedat: aut ſi immunis eſſe velis ab iſtis doloribus, vel Capucinus fieri debes, vel Carthuſianus; aut aliam quamcunque monaſticam regulam aſperam & auſteram profiteri: pœnitentiamque eandẽ ſubire, quam illi ſubeunt, neceſſe eſt: perpende tecum vtrum illorũ eligeres? Nõ exiſtimo poſſe hominem inueniri tam ſtolidũ, qui (vel ob ſolum amorem ſuijpſius) nõ eligeret quamlibet illarũ profeſsionum potiùs, quàm dolores, iſtos tanto tempore duraturos. Cùm itaque cruciatus & dolores, de quibus nos agimus, infinitis modis ſint grauiores, & diuturnitate temporis abſque vlla comparatione prolixiores; multo quoque minus ſit quod Deus à te poſtulat,

quàm

quàm Capucinorum aut Carthusianorum regulam exercitiaque amplecti: quæ nostra dementia est, nolle tam exiguos labores, & tam breues molestias subire, per quos licet æternos cruciatus euadere? Quis non videt hunc esse vel maximum huius mundi errorem, atque intolerabilem dementiam? Sed fructus eius erit, quòd, dum homo exiguis pœnitentiæ laboribus à tantis malis hîc sese non vult liberare, illic æternam pœnitentiam faciet, sine vllo fructu vel emolumento. Huius rei figuram habemus in fornace, quam Rex Nabuchodonosor succendi iussit, Babylonia, *cuius flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem effundebatur*; propter defectum verò vnius cubiti, ad numerum quinquagenarium, qui annum Iubilæum significat, non peruenit: vt intelligamus æternas istas flammas Babyloniæ, hoc est inferni, quamuis supra modum ardeant, & infelices damnatos crudelissimè torqueant; eò tamen nunquam peruenturas, vt gratiam veri Iubilæi consequantur. O pœnæ sine fructu, ô lachrymæ steriles, ô pœnitentia dura & aspera, omnis tamen expers spei & solatij. Quàm exigua eorum, quæ illic patiuntur damnati sine fructu, si hîc voluntariè susceptæ fuissent, ab istis malis eos præseruare potuissent? Quàm facilè liberari potuisses, quam exiguo labore?

Dan. 3, 47. Allegoria insignis.

Fluant itaque fontes lachrymarum ex oculis nostris, & ex alto pectore suspiria sine intermissione ducantur. *Super hoc plangam & vlulabo*, ait Propheta, *vadam spoliatus & nudus, faciam planctum velut draconum & luctum quasi struthionum; quia desperata est plaga populi mei.* Si hominibus hæc essent suspecta, nec fidem harum rerum haberent, aut saltem non tam certam, sed dubiam, tolerandum aliquo modo esset, si in hunc errorem inciderent. Sed omnia hæc certissima fide professi, scientesque certò (vti Saluator ait) *quòd cælum & terra transibunt: sed ne iota quidem vnum aut apex vnus præteribit ex his, donec omnia fiant*; dicentesque apertè, hæc omnia sese certissima fide & religione tenere, eos tam securè & negligenter viuere, omnem stuporem & admirationem transcendit. Mich. 1, 8. Matth. 5, 18.

Dic mihi homo cæce, & sine cerebro, quid in diuitijs & huius mundi bonis inuenis dignum, quod cum hoc pretio comparetur? Esto, inquit Beatus Hieronymus, sit in te sapientia Salomonis, Absalonis pulchritudo, & Sampsonis fortitudo: sint anni & vita Enoch tibi promissi; habeas Crœsi diuitias, & Octauiani potentiam: quid tibi proderunt hæc omnia, si tandem corpus vermibus esca detur, & anima ad inferos rapta Dæmonibus cum diuite Epulone sempiternis torquenda cruciatibus tradatur? Hieronym. Luc. 16.

Hæc sufficiant quantum ad primam nostræ ad virtutem exhortationis partem. In sequenti agemus de singularibus priuilegijs virtutum studioso promissis.

Finis primæ partis.

SECVNDA PARS,
IN QVA TRACTATVR DE BONIS TEMPORALIBVS, ET SPIRITVALIBVS, QVÆ VIRTVTI IN HAC VITA PROMISSA SVNT: PARTICVLARITER verò de duodecim insignioribus priuilegijs, quæ in Virtute reperiuntur.

TITVLVS VNDECIMVS.

AD VIRTVTEM NOS OBLIGARI propter bona inæstimabilia, quæ in præsenti vita promittuntur.

CAPVT XI.

NESCIO profectò, quid causari queant illi, aut quo sese prætextu purgare, qui virtutem non amplectuntur, cùm tot sint rationes, quæ hominem ad illud studium impellunt. Non enim exiguum est pro defensione huius materiæ allegare quòd Deus est, quid meretur virtutis studiosus, quid datur, quid promittitur illi; quæ contra vitiosis. & à virtutum studio alienis minæ intenduntur. Non immeritò itaque interrogare quis posset, cur inter Christianos, qui hæc omnia credunt & confitentur, tot inueniantur, qui neglectis virtutibus vitia sectantur? Non enim mirandum est, tales inter infideles esse multos, qui cùm virtutem non cognoscant, nullo eam habeant in pretio: quemadmodum fossor quispiam, qui si fortè gemmam inuenerit, eam vilipendit: quia virtutem & pretium illius non cognoscit. Sed quod Christiani, qui nôrunt & credunt hæc omnia, viuunt tanquam non crederent, immemores Dei, serui peccatorum, mancipia suarum passionum & appetituum, tanto addictiores rebus visibilibus, quanto rerum inuisibilium negligentiores, ad omne genus peccati proclines, non secus, quàm si mors esset extincta, nec ad iudicium esset veniendum, nec cæli gloria expectanda, nec denique infernus metuendus: hoc inquam omni admiratione maius est.

Mirandũ inter Christianos tot inueniri homines vitiosos.

Simile.

Proinde, vti dixi, meritò quæri posset, vnde hæc negligentia, stupor intellectus, & (si dici liceat) diabolica incantatio in hominibus nascatur. Istud malum vnam solam radicem non habet, sed multas & diuersas. Inter quas quidem, eaque non minima, est Error quidam generalis, in quo viuunt homines mundi huius, credentes omne id quod Deus virtutis amatoribus pollicetur, vsque in futuram vitam reseruari, & quod in præsenti seculo nihil horum sit expectandum. Propterea cùm homo maximopere præmium appetat, & potissimum vtilitate ducatur: sed non nisi præsentibus, ijsque quæ sensibus exterioribus obiecta sunt, moueatur, cum nihil præsens videt, parui facit, quod futurum est. Sic Iudæi fecisse videntur tempore Prophetarum. Cùm enim Ezechiel ex mandato Dei proponeret ipsis magnas promissiones, aut diras annuntiaret comminationes, exibilârunt: & contemptu quodam omnia explodebant, dicentes, *Visio, quam hic videt in dies multos; & in tempora longa ipse prophetat.* Sic & illudentes Prophetæ Esaiæ, contemnebant eius sermones, & dicebant, *Manda, remanda: manda, remanda: expecta, reexpecta: expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi.* Hæc vna est ex præcipuis rationibus, quæ homines peruersos auocant ab obseruantia mandatorum Dei, persuadentes sibi nullum præmium virtuti statutum in hoc mundo: sed omnia in futurum seculum reseruari. Huc respexit magnus ille Sapiens, cùm diceret: *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Addit & aliud Sapiens, pessimum esse inter omnia quæ sub Sole fiunt, magnamque dare malis peccandi occasionem, quòd iustis mala proueniunt, quasi opera egerint

Vnde hæc negligentia.

Ezech. 12, 27

Esaiæ 28, 10.

Eccles. 8, 12.

Bonis & malis æqualiter omnia prouenire.

egerint impiorum; & impij nonnunquam sic securè
Eccle 9. 3. viuunt, quasi iustorum facta habeant, vel quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti; vti bonus, sic & peccator: vt periurus, sic & ille, qui verum deierat. *Unde*, ait, *& corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita sua, & posthæc ad inferos deducentur.* Quòd autem Salomon hic dicit, ipsi mali & impij confitentur,
Mal. 3, 14. per Prophetam Malachiam dicentes: *Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta illius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, tentauerunt Deum, & salui facti sunt.* Hæc dicunt impij, &
S Ambros. Epist. 44. hæc sunt quæ potissimùm illos in impietate detinent: spem enim, vt ait Ambrosius, periculo suo emere durum esse arbitrantur; hoc est, bona futura præsentium iactura comparare, & quæ in manibus sunt, dare pro ijs, quæ aliquando dari possunt.

Ad exterminandum pestilentissimum illum errorem, nescio sanè vnde principium commodius sumendum sit, quàm à verbis illis, & lachrymis Saluatoris, quibus miseram illam ciuitatem Hierosolymi-
Luc. 19, 42. tanam olim defleuit, dicens: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Considerabat Saluator ab vna parte, quanta erant bona, quæ in mundum erant illata, in vsum populi illius, vnà cum sua persona: omnes enim gratiæ thesauri cælestes vnà cum Christo de cælo descenderant; ab altera verò parte respiciebat populum hunc, habitu & apparatu suo humili offensum, nolle bona illa acceptare, & quòd propter illud peccatum amitterent, non solùm istos thesauros, sed vniuersam suam Rempublicam, & ciuitatem ipsam. Dolens itaque vehementer Dominus vberrimè fleuit, & in breuem hanc atque imperfectam sententiam prorupit: quæ quo breuior est, eo maiorem habet significationem. Iste sanè affectus, & ista verba possunt commodè proposito nostro applicari. Considerantes enim ab vna parte pulchritudinem virtutis, gratiasque & diuitias quę in societate illius sunt; & ab altera parte, quàm procùl hęc remota sunt, & abscondita ab oculis hominum terrenis rebus immersorum, nec non quomodo virtus, tanquam exul, solum vertit, & dispersa per totum mundum, nusquam sibi locum inuenit, non & tibi videtur iustam rationem lachrymandi nos habere, & cum
Bona, quæ in virtute sunt, homines ignorant. Domino dicendi, *Si cognouisses & tu, & quidem in hac die.* hoc est, O si Deus tibi nunc oculos aperiret, vt videre posses thesauros, magnificentiam, diuitias, pacem, libertatem, lucem, tranquillitatem, delitias, fauores, & bona quæ virtutem, vti pedissequæ, subsequuntur, quanto eam in pretio haberes? quanto desiderio ad illam aspirares? quanto cum studio, quot laLuc. 19, 42. boribus illam quęreres? *Nunc autem* omnia *abscondita sunt ab oculis* carnalibus: non enim illi quicquam præter corticem virtutis intuentur, & non gustantes interiorem illius dulcedinem, existimant nihil in illa esse, quod non sit durum, asperum, & insipidum: arbitrantur nō esse hanc monetam in præsenti vita, sed in futura vsitatam: si tamen aliquid in ea boni sit, totum illud ad alterum mundum, non adhunc pertinere. Propterea philosophātes secundùm carnem, dicunt, se spem periculo non emere: nec præsentia pro futuris periclitari. Sic loquuntur offensi figura virtutis exte-
Virtus Christo similis. riori: ignorant enim philosophiam Christi. Christo suo magistrò similē esse; qui licet foris præferret imaginem hominis pauperrimi & vilissimi, intus tamen erat Deus & Dominus omnium creaturarū. Idipsum & de Christi fidelibus legitur, qui mortui sunt mun-
Coloss. 3, 1. do, quòd *vita illorū est abscondita cum Christo, in Deo.*

Ergo quemadmodum gloria Christi fuit abscondita in hoc mundo, ita & omnium illorum abscondita est, qui vitam illius imitantur. Antiquitus homines statuas quasdam facere solitos legimus, quas Silenos appellabant: hæ foris erant rudes & incultæ, intus verò summo artificio erant elaboratæ, ita vt deformitas publica, pulchritudo verò esset occulta, & illudentes ab vna parte oculos ignorantium, ab altera mentes & oculos sapientium in se trahebant. Talis verè fuit vita Prophetarum, talis Apostolorum, talis omnium perfectorum Christianorum, qualis fuit & ipsius vniuersorum Domini. *Simile.*

Tu itaque, cui nihil in ore frequentius est, quàm Virtutem circa difficilia versari & ardua, deberes oculos conuerterre in subsidia, quæ Deus ad hanc difficultatem superandam nobis præparauit: qualia sunt Virtutes infusæ, dona Spiritus sancti, Sacramenta nouæ legis, cum multis alijs gratijs & auxilijs diuinis, quæ nobis sunt quod remi & vela nauibus in nauigādo, & alæ auibus in volando. Deberes intueri nomen & essentiam Virtutis, quæ est natura sua habitus nobilissimus. quod si verum sit, sequitur eam communi modo loquendi in nobis cum facilitate & suauitate operari: hoc enim omnibus habitibus proprium est. Deberes meminisse, Deum suis non tantùm pollicitum esse bona gloriæ, sed gratiæ: partim pro hac vita, partim pro altera: iuxta illud Prophetæ, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, quæ sunt tanquam duo scrinia, omnibus bonis referta: vnum pro hac vita, alterum pro futura: vt ex eo saltem intelligatur, plus aliquid in virtute latitare, quàm foris conspicitur. Deberes denique animaduertere, quòd cùm auctor Naturæ in nulla re necessaria deficiat, (perfectissimè siquidem omnibus creaturis ea tribuit quæ erant necessaria) cumque in mundo nihil magis sit necessarium, nec maioris quicquam momenti ipsa Virtute, eum non debuisse hanc in manibus solius liberi arbitrij tam imbecillis, intellectus tam cæci, voluntatis tam infirmæ, appetitus adeò ad omne malum propensi, denique naturæ tam inordinatæ, atque per peccatum corruptę relinquere: sed & de habilitate & remis illi prouidere, quorum auxilio hoc pelagus posit transfretare. Non enim æquum erat, aut conueniens, vt cum diuina illa prouidentia tam solicita fuerit in conferendo muscis, araneis, & formicis habilitatem, & instrumenta omnia ad vitam conseruandam necessaria: solius hominis immemor esset, nec illi tribueret, quæ ad virtutem acquirēdam sunt necessaria. *Auxilia Dei, quibus virtutis difficultatem superamus.* *Virtus est habitus.* Psal. 83, 12.

Dicam amplius, si mundus & diabolus suis, pro ministerio quod ipsis exhibent, tot genera saporum, voluptatum, & delitiarum, saltem apparentium conferant: quomodo possibile est Deum tam esse sterilem suis amicis & fidelibus ministris, vt eos ieiunos, & siccis faucibus relinquat in medio laborum & tribulationum? Quomodo; ergóne putas tantum fellis habere conditionem Virtutis, & tantum mellis inesse vitiorum floribus? putas ne tu Deum permittere, vt vnus fruatur delitijs, & alius molestijs & tribulationibus multis exerceatur? Falleris. Audi quid Deus ad lamentationes impiorum respondeat per os Prophetæ: *Conuertimini, & videte quid sit inter iustum* Mal. 3, 18. *& impium, & inter seruientem Deo & non seruientem ei.* Adeò vt Deus non sit contentus præferentia, quam habebunt iusti præ iniustis in vita futura: sed in præsentiarum ait, *Conuertimini, & videte:* quasi diceret, Nolo vos expectare futura sęcula, vt bonorum gloriam & beatitudinis præferentiam cognoscatis: sed conuertimini nunc, & videte etiam in hac vita differentiam, quæ est inter bonum & malum: diuitias vnius, & paupertatem alterius; gaudium vnius, & mœrorem alterius; pacem vnius, & bellum alterius; lucem in qua viuit vnus, & tenebras in quibus am- *Bonorum & malorū vitæ comparatio.*

bus ambulat alter: & tunc reipsa cognoscetis, quanto beatior est iustorum conditio opinione vestra.

Esa.66, 5. Simile responsum Deus alijs quibusdam dedit, qui eadem persuasione & errore decepti, bonos deridebant, dicentes apud Esaiam; *Glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia vestra, ipsi autem confundentur:* quasi dicerent, Declaret Dominus magnitudinem suæ potentiæ & gloriæ suæ, & fauorem suum vobis exhibeat, vt hoc modo cognoscamus prosperitatem & præferentiam, quam habent illi qui seruiunt Domino, præ ijs, qui non seruiunt. Quibus verbis Dominus confestim subijcit lætitiam & prosperitatem bonorum, dicens: *Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: gaudete cum ea vniuersi qui luget is super eam, vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius, vt mulceatis, & delitijs affluatis, ab ommimoda gloria eius. Quia hæc dicit Dominus, Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium: quam sugetis. ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius.* quasi diceret, quemadmodum homines per magnitudinem cæli, terræ, & maris, & per pulchritudinem Solis, Lunæ, & stellarum veniunt in notitiam omnipotentiæ atque pulchritudinis Dei, tanquam ex operibus tam præclaris: sic etiam iusti veniunt in cognitionem magnitudinis potentiæ, diuitiarum, & bonitatis diuinæ, ex ineffabilibus gratijs, & donis, quæ ab illo percipiunt, & quæ in seipsis sentiunt, atque experiuntur. Quemadmodum enim Deus per supplicia & flagella, quibus Pharaonem exagitauit, declarauit vniuerso mundo magnitudinem suæ seueritatis in impios: ita per gratiarum dona & immensa sua beneficia, quæ bonis quotidie largitur, ostendit magnitudinem suæ bonitatis, & singularem, quo illos complectitur, amorem. Beata profectò anima illa, quæ donis & beneficijs à Deo perceptis, magnitudinem bonitatis eius ostendit: infelix autem illa, quæ per supplicia & tormenta magnitudinem iustitiæ diuinæ palàm annuntiat, redditque manifestam.

Esa.66, 10. *Bläditiæ diuinæ, quibus fruuntur iusti.*

Quapropter cùm magnitudo singulorum, quæ diximus, tam sit inæstimabilis, qualia erunt fluminа, quæ ex vberrimis istis fontibus scaturiunt? Adde & superiùs dictis illud: Quòd si via Virtutis tibi sterilis & horrida videatur, quid est quod diuina Sapientia dicit de seipsa, *Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ, & iustitia. In vijs iustitiæ ambulabo, in medijs semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum replean.* Quæ diuitiæ, quæ bona sunt illa, si non illius sapientiæ cælestis, quæ superant omnes diuitias huius mundi, quæ conferuntur illis, qui ambulant in via iustitiæ, quæ est ipsa Virtus, de qua nos loquimur? Etenim si hic non inueniantur diuitiæ præstantiores & hoc nomine digniores ijs, quas mundus pollicetur, cur Apostolus Deo gratias agit pro Corinthijs dicens, quòd in omnibus diuites facti essent? absolutè diuites eos appellans; significans alios non esse propriè diuites nominandos, sed diuites huius seculi?

Prou.8, 18.

Boni verè diuites.

2.Cor.1.

2.Timot.6.

Supradicta omnia notabili sententia euangelica declarantur.

ETsi præmissa satis dilucidè exposita videantur, & comprobata: tamen pro maiori confirmatione adiungam adhuc sententiam notabilem ex Euangelio desumptam, qua Saluator respondet B. Petro, quærenti, quod præmium esset habiturus ipse, & condiscipuli sui qui pro amore Magistri sui reliquerant omnia. *Amen dico vobis*, ait secundum Marcum, *nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus; & in seculo futuro vitam æternam.* Hæc verba Christi sunt, quæ sanè leui brachio non sunt percurrenda.

Matth.19.

Marc.10,29.

Etenim non potes mihi primò negare, quin hic fiat distinctio inter præmium, quod datur bonis in hac vita, & illud quod in altera: dum promittitur vnum tanquam futurum, alterum offertur tanquam præsens. Minùs etiam mihi negare poteris, quin ista promissa rata sint, & certa, nec vnquam frustrabunt eos, quibus promissa sunt. *cælum enim & terra transibunt, sed iota vnum, aut apex vnus non præteribit de his, donec omnia fiant,* etsi impossibilia videantur. Nam quemadmodum credimus Deum & Trinum esse & vnum, eo quòd ipse dixit; licet alioqui impossibile videatur; ita & hanc veritatem credere debemus, licet omnem superet intellectum: habet enim à parte sua eiusdem auctoris testimonium.

Matth 5,18.

Dic itaque mihi quæso, quod est *Centuplum* illud, quod iustis datur in hac vita? Videmus enim fere semper ijs non conferri magnas dignitates, non honores excelsos, non diuitias amplas, non magnificum huius mundi apparatum: sed multos eorum viuere in angulis, obliuione mundi sepultos: in paupertate, miseria, & calamitate extremam horam expectantes. Quòd cùm ita sit, quomodo poterit infallibilis illa veritas illius sententiæ defendi, nisi confiteamur, quòd Deus largiatur suis in hac vita ea dona, eas diuitias spirituales, quæ sine aliquo externo mundi apparatu, possunt maiori felicitate, maiori gaudio, sufficientia & quiete hominem satiare, quàm omnium bonorum huius mundi possessio. Illud autem non adeò mirandum est: Nam quemadmodum credimus Deo non esse necessarium, vt nutriat humana corpora solo pane, (habent enim eum in finem alia media plurima) ita non est necessarium illi, vt animas satiet solis bonis temporalibus, potest enim hoc facilimè absque illis: quemadmodum & verè fecit in Sanctis omnibus, qui eo spiritali gaudio & lætitia, eo deuotionis affectu perfundebantur, vt eorum orationes, exercitia, lachrymæ & delectationes, omnes consolationes & voluptates huius mundi superauerint. Atque hoc modo irrefragabili ratione verificatur, centuplum recipi pro simplici illo quod reliquerant: pro fallacibus enim & apparentibus bonis recipiunt vera; pro dubijs certa; pro corporalibus spiritualia; pro solicitudine securitatem; pro molestijs quietem; pro perturbationibus pacem & tranquillitatem internam; denique pro vita impura, vitiosa, & abominabili recipiunt virtutibus illustrem, Deoque & Angelis gratissimam. Ita & tu, si contempseris bona temporalia propter Christum, inuenies in illo thesauros inæstimabiles: si spreueris honores falsos, inuenies in illo veros: si amori patris & matris renuntiaueris, propter hoc blanditijs maioribus te oblectabit, inuenieque pro temporali patre, æternum; & si proieceris abs te pestiferas illas & venenosas voluptates, dulciores, suauiores, & sanctiores delitias in illo habebis.

Centuplum hoc quid sit.

Qualia sint bona quæ Deus confert bonis.

Deut. 2. Matth. 4.

Matt. 19, 29.

Cùm hanc ad metam perueneris, videbis manifestè omnes res, quæ priùs tibi placebant, non tantùm tibi nunc gratas non fore, sed nauseam tibi & odium parituras. Postquam enim lux illa cælestis oculos nostros illustrauit, mox omnium rerum noua, & diuersa à priori, gignitur facies; omniaque nouam quandam figuram induisse videntur, qua cum oculos nostros incurrunt; atque ideo quod priùs dulce videbatur, nunc est amarum; & quod antè amarum, nunc dulce apparet: quod priùs nos terrebat, nunc adlubescit:

Virtutis studioso displiceant, q priùs placebant.

bescit: quod priùs pulchrum erat, nunc turpe factum videtur: etsi tale priùs erat, tunc tamen tale non apparebat, nec bene cognoscebatur.

Hoc ergo modo stat veritas huius Christi promissionis, quando pro bonis temporalibus corporis dantur animæ spiritualia; & pro bonis, quæ nuncupantur fortunæ, dantur bona gratiæ, quæ sine comparatione maiora sunt, & efficaciora ad locupletandum & exatiandum cor humanum ipsis bonis externis. Pro maiori huius rei confirmatione non omittam hîc commemorare insigne quoddam exemplum, ex libro Virorum illustrium ordinis Cistertiensis huc transumptum.

Insigne exemplum.

Cùm, inquit auctor, D. Bernardus in Belgiò verbum Dei populo annuntiaret, idque ardentissimo quodam zelo incolas ad Deum conuertendi, inter alios multos, qui Spiritus sancti gratia tacti, ad meliorem vitam conuersi sunt, Eques quidam fuit nobilis, atque inter Belgas celeberrimus, nomine Arnulphus: qui à mundo plurimis erat vinculis constrictus. Hic cùm tandem mundo nuntium mitteret, habitumque monasticum in monasterio Clareuallensi assumpsisset, B. Pater eum in modum hac conuersione gauisus est, vt omnibus præsentibus diceret, Christum nõ minùs mirabilem fuisse in conuersione fratris Arnulphi, quàm fuerat in resurrectione Lazari; post-
Ioan. 11, 43. quam ligatum tot vinculis tantorum peccatorum, & in profundis voluptatibus sepultum Christus resuscitâsset, & ad nouitatem vitæ reduxisset. Arnulphus autem non minùs mirabilis fuit in progressu, quàm fuerat in conuersione. Quia verò longum nimis esset, omnes Viri illius hîc recensere virtutes, illud tantùm referam, quod ad nostrum facit propositum. Sanctus hic vir sæpe laborare solebat colica, adeò vt densissimi flatus tantos in eo excitarent dolores, vt non rarò de vita periculum esset, ipseque cum morte decertaret. Cùm verò aliquando sensum omnem, vnà cum loquela amisisset, neque spes vitæ amplius supereesset, oleo sacro illum inunxerunt. confestim cœpit nonnihil respirare, & paulatim ad se redire. tandem ex improuiso cœpit Dominum laudare, altissima voce exclamans: Omnia quæ dixisti, O bone Iesu, verissima sunt. repetebat autem ea verba sæpius Monachi qui astabant admirati, interrogabant quî valeret, & quare illud diceret. Ille autem aliud nihil respondit, sed idem ingeminabat; *Omnia quæ dixisti, ô bone Iesu, vera sunt.* Quidam qui aderant dicebant, quòd magnitudo morbi iudicii perturbâsset, quodque illius defectu hæc diceret. Tunc ille respondens ait; Non est ita fratres, imò cum optimo iudicio, & saluo intellectu dico, quòd sunt verissima, quæ dixit Saluator noster Iesus Christus. Illi autem iterum, Fatemur quidem hoc, aiunt, sic esse, sed qua intenMatt. 19, 29. tione tu illud dicis? Quia, inquit ille, in Euangelio dicit, quòd quicunque renuntiauerit propter amorem ipsius parentibus suis, centuplum recipiet in hoc seculo, & vitam habebit in altero sempiternam. Huius experimentum nunc in me habeo, & confiteor toto corde me nunc centuplum recipere in hac vita: magnitudo enim doloris quem patior, tam mihi dulcis est, propter certitudinem spei quam habeo de mea salute, quòd eum centuplo rerum omnium quæ in mundo sunt, propter Christum nollem permutare. Et si ego, qui tantus sum peccator, tantam consolationem in meis angustijs recipiam, quid recipient viri sancti & perfecti in suis exultationibus? Verè enim gaudium illud spirituale, quod mihi spem hanc peperit, omne illud mundanum, quod in hoc seculo possidebam, multis superat parasangis. Hæc cùm dixisset, omnes qui astabant mirabantur hominem indoctum & illiteratum tanta mysteria proferre: cognitum post est Spiritum sanctum, qui in corde illius habitabat, ea locutum esse.

Dulcedo & voluptas iusti etiam in summis doloribus.

Granatens. Opusc. spirtual.

Ex isto itaque exemplo manifestum euadit, Deum sine vllo fastu & apparatu bonorum temporalium, suis dare posse multo maiorem abundantiam, multoque pretiosiora bona, quàm ea fuerunt, quæ propter illum reliquerunt: & per consequens hinc liquet, quàm turpiter errant illi, qui putant nullum præmium Virtuti in hac vita propositum. Ad ex- *Propositio.*
plodendum itaque errorem illum tam periculosum (præter ea quæ dicta sunt) vtilissima erunt duodecim quæ sequuntur priuilegia, in quibus tractabimus de duodecim admirandis fructibus & priuilegijs, quæ comitantur Virtutem in hac vita: vt ex ijs intelligant amatores mundi huius, in Virtute multo præstantiora bona inueniri, quàm illi arbitrãtur. Quamuis autem ad perfectam illius cognitionem erit necessaria experientia & vsus ipsius virtutis, (vt eo modo commodiùs diuitiæ illius cognoscantur) tamen quod in hac parte deest, supplebit fides, quæ confitetur & approbat veritatem diuinarum Scripturarum, quarum testimonijs omnia comprobabo quæ de hac materia dicturus sum: vt nusquam de Virtutis excellentia dubitetur.

DVODECIMVS TITVLVS.

AD VIRTVTEM NOS OBLIGARE primum illius priuilegium, quod est prouidentia specialis, qua Deus bonos omnes ad omne bonum dirigit, & malorum iniquitatem castigat.

CAPVT XII.

TRactaturi itaque de duodecim Virtutis priuilegijs, à primo & principali, è quo tanquam è viuo fonte scaturiunt reliqua omnia, incipiemus. est autem illud prouidentia & diligentia paterna, qua Deus vtitur erga illos, qui ipsi seruiunt. Etsi autem generalis in eo sit prouidentia omnium creaturarum, habet tamen singularem quoque illorum tantùm, quos ipse elegit, vt sui sint; cùm habeat eos loco filiorum suorum: cor quoque & spiritum filialem illis dederit; ipseque vicissim erga illos amantissimi patris cor gerat; ideo parem huic amori solicitudinem & prouidentiam de illis habet. *Prouidentia Dei fons omnium bonorum.*

Quàm ingens autem illa sit prouidentia, intelligi non potest, nisi ab illis, qui experti sunt, aut qui viderunt saltem, vel legerunt cum attentione illa Scripturæ loca, quæ de hac prouidentia loquuntur. Qui- *Duo sunt in omni loco scriptura cõsideranda, Mandatum & promissio.*
cunque autem hoc fecerit, videbit quòd generaliter omnia hæc in eum finem dirigantur. Omnia enim circa duo hæc puncta, non aliter atque cælum circa polos suos, vertuntur, circa mandatum scilicet, atque promissionem. Hîc enim Dominus mandat homini obedientiam, & custodiam suorum præceptorum: illic promittit maxima præmia his qui obseruant illa, & pœnas horrendas minatur ijs, qui violant illa. Hæc doctrina eo modo diuisa est, vt omnes libri morales sacræ Scripturæ iubeant & promittant: & Historiales verum ostendant effectum huius vel illius; demonstrantes quàm differenter Deus se habeat erga bonos & malos. Sed cùm Deus tam magnificus sit & liberalis; homo autem tam miser & fragilis; ille tam diues in promittendo, hic tam pauper in dando, valde differens est proportio eius, quod iubet, respectu illius, quod dat: ita vt præcipiat pauca, det autem plurima: præcipit amorem & obedientiam, quorum vtrunque dat ipse, & pro ijs offert bona inæstimabilia tam gratiæ, quàm gloriæ, & in hac, & in futura vita. Inter hæc nos primum locum tribuimus amori & prouidentiæ illi paternæ, quam erga illos gerit, qui pro filijs ab eo recepti sunt: qui amor omnem amio-

rem & prouidentiam superat, quem omnes patres terreni habent, & habere possunt erga suos filios. Ratio hæc est, quia vsque in diem hodiernum non est inuentus aliquis pater, qui corrasit, aut præparauit tanta bona in vsum filiorum suorum, quanta Deus præparauit & promisit suis filijs: participationem scilicet suæ ipsius gloriæ, nec pater aliquis tantum laborauit, quantum hic, qui proprium sanguinem omnem pro illis effudit: nec denique tanta cura & diligentia suos quispiam obseruat, vti Deus suos, qui in oculis eius semper versantur, & quibus adest ille in omni tribulatione ipsorum. Fatetur hoc Dauid in psalmis cùm dicit *me autem propter innocentiam suscepisti. & confirmâsti me in conspectu tuo semper.* Id est, nunquam oculos tuos auertisti à me, propter continuam curam, quæ tibi de me est. Idem alio loco, *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Sed quia maximæ diuitiæ boni Christiani est prouidentia, quam Deus erga ipsum gerit, & hæc quo certior est, hominique notior, eo etiam maior est illius lætitia, & fiducia: operæ pretium me facturum existimaui, si plura sacræ Scripturæ testimonia hîc congessero, cùm eorum singula sint tanquam Regis cuiusdam diplomata, & nouæ confirmationes diuitum illarum promissionum, atque diuini testamenti legatorum. Dicit itaque Ecclesiasticus, *Oculi Domini super timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani: depreeatio offensionis, & adiutorium casu, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Huc vsque verba sunt Ecclesiastici, ex quibus facilè cuique patet, quot sunt officiorum genera, quibus Deus fungitur in hominis conseruatione. Confirmat hæc Propheta Dauid, *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Si ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Perpende quæso hîc, quid illi mali potest accidere, qui cadit in puluinar tam molle, quàm manus Domini Dei nostri est: & alio loco; *Multæ*, inquit, *sunt tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus; Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* In nouo quoque Testamento multo magnificentiora de hac prouidentia diuina prædicantur, vbi Dominus dicit, se non ossium iustorum tantùm, sed singulorum etiam capillorum habere rationem, ne quis decidat, aut pereat: volens hoc modo loquendi maximam & specialissimam prouidentiam erga illos insinuare. Cuius enim rei curam non habebit, qui etiam capillorum singulorum habet? Id sirtibi nimium videatur, audi non minus esse illud, quod Deus per Prophetam ait, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Satis fuisset dixisse, qui tangit vos, tangit me: sed plus erat dicere, qui tangit vos in quacunque parte, is tangit pupillam oculi mei.

Testimonia diuinæ prouidentiæ.

Psal. 40,13.

Psalm.33,16.

Eccl 15, 20. & 34, 19.

Psal.36, 23.

Psalm.33,20.

Luc.12,7. & 21,18.

Zachar.2,8.

Non contentus benignissimus ille Dominus, quòd ipse solus ad custodiam nostram excubat, voluit etiam Angelos ad nostra ministeria paratos esse: sic enim in Psalmis legimus, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Vidisti quæso vnquam carpentum, aut lecticam huiusmodi, quales sunt manus Angelorum? Vide itaque quomodo Angeli, qui fratres nostri primogeniti sunt, portant in brachijs suis iustos, qui fratres minores sunt: qui nondum ambulare soli norunt, sed à maioribus se in brachijs portari debent. Illud autem faciunt non tantùm in vita, sed & in morte, vt historia testatur Euangelica de Epulone diuite: in qua videmus mendicum Lazarum post mortem ab Angelis in sinum Abrahæ deportatum. Confirmat hoc diuinus Psaltes: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, vt eripiat eos.* Quàm potens autem sit ista custodia, magis exprimit B. Hieronymi translatio: Circundat Angelus Domini in gyro timentes eum, & eruet eos.

Angeli nos custodiunt.

Psal. 90,12.

Luc.16.

Psalm 33,8.

Quis itaque Rex inuenietur vnquam, qui tale habeat secum satellitium, quale Dominus noster dedit nobis? Id manifestissimè spectatur in libris Regum: Rex Syriæ veniens ad capiendum Prophetam Heliseum, magnum exercitum eduxit, quem videns famulus Prophetæ extimuit, & cœpit contremiscere. Sed Propheta ad orationem conuersus, orauit Dominum, vt infidelis seruii sui oculos aperire dignaretur, quo videre posset exercitum, qui ad defensionē Prophetæ stabat, infinitis millibus maiorem & robustiorem esse illo, qui venerat ad offensionem. Et aperuit oculos serui, & vidit montem plenum equorum, & curruum ignitorum in circuitu Helisei. Similis huic est custodia, cuius mentio fit in Canticis his verbis, *Quid videbis in Sunamite* (quæ est Ecclesia, vel quælibet anima in statu gratiæ viuens) *nisi choros castrorum?* id est, exercitus Angelorum. Idem & in eodem libro alia figura explanatur, cum dicitur; *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Quid hoc aliud est, quàm vt Spiritus sanctus hac figura doceat, magnam diligentiam & prouidentiam singularem, qua Deus tuetur animas iustorum? Etenim vnde quæso est, quòd homo in peccatis conceptus, viuens in carne corrupta, & ad omne malum propensa, inter tot laqueos & pericula, tot annos transigit absque vllo peccato mortali, si non à diuina prouidentia? Quæ tanta est, vt non solùm homines præseruet à malo, sed sæpe etiam mala ipsa, in quæ per incuriam homines incidunt, vertat in materiam maioris boni: quoties scilicet per illud fiunt cautiores, humiliores, gratioresque illi, qui retraxit ipsos à tantis periculis, & tanta ipsis peccata condonauit. Hanc ob causam dicit Apostolus, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Si tanta benuolentia digna sit admiratione, dignior erit illa, quòd Deus hanc misericordiam non tantùm ipsis suis seruis exhibet, sed & filijs, & nepotibus eorum, omnibusque rebus, quæ ad illos pertinent: vti testatur ipse Deus, dicens; *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis & zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Huius exemplum habemus in Dauide: noluit enim Deus reijcere filios eius tot seculis, etsi peccata illorum id sæpe mererentur. idque solo respectu Dauidis patris eorum. Idem ostendit Dominus in Abraham, quando direxit seruum illius in semita sua, & negotium eius prosperum fecit; cùm in mandatis haberet à Domino suo, vt filio eius Isaac vxorem adduceret. Neque tantùm ob merita Domini Deus benefacit seruo; sed quod multò plus est, propter amorem famuli boni, Deus curam habet domini peruersi. Ita benedixit domui Putipharis Ægyptij, vt ait Scriptura, propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus, quam in agris cunctam eius substantiam, non obstante quòd Putiphar dominus Ioseph erat idololatra. Quæ benignitas, quæ prouidentia potest esse maior illa? Quis adeò demens, qui nollet seruire Domino tam liberali, tam fideli, tam beneuolo, erga omnes qui famulantur ipsi, idque non solùm erga ipsos, sed erga omnia quæ ipsorum sunt?

Psalm 33,8.

4. Reg. 6.

Cant 7,1.

Cant 3,7.

Deus mala etiam in bonum vertit his quos diligit.

Rom.8, 28.

Non tantum iustis sed & eorum familia benefacit.

Exod. 20,5.

4 Reg. 10.

Genes. 17. & 24.

Genes. 14.

Ob bonū seruū malo domino benefacit Deus.

Genes.39.

De nominibus, quæ attribuuntur Domino in Scriptura sacra, ratione huius prouidentiæ.

QVia verò diuina hæc prouidentia se ad multos eosque mirabiles effectus extendit; Deus quo-

Deus dicitur Pater.

Ioan 5. & 10. quoque in sacris literis habet diuersa nomina. Celeberrimum verò & vsitatissimum est, eum vocari Patrem: vti vicissim Deus in omnibus penè locis Euangelij nos suos vocat amantissimos filios. Et non solùm in Euangelio, sed in multis locis veteris testamenti, sic enim Propheta in Psalmis ait; *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Psal.102,13. Quia verò alteri Prophetæ parum esse videbatur, Patrem illum dici, cum amor & prouidentia illius omnes patres superet, ait, *Domine tu es pastor noster; Abraham nescuit nos, & Israel ignorauit nos.* Esa 63,16. quasi diceret, Illi qui patres erant secundùm carnem, non merebantur illud nomen, si tecum comparentur.

Deus plus quam mater.

Sed quia in amore parentum matris ferè solet esse vehementior, & tenerior; non contentus Dominus nomine Patris, Mater etiam voluit appellari, & plus quàm mater; vt ipse dicit apud Esaiam verbis Esa 49,14. sanè dulcissimis; *Nunquid obliuisci potest mulier*, ait, *infantem suum, vt non miseretur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Quæ verba teneriori possent cum amore proferri? Quis erit tam cæcus, aut tam stupidus, qui intelligens hęc non exultet? qui non reuiuiscat? qui non exaltet caput suum, audiens se tale pignus habere amoris & diuinæ prouidentiæ? Qui enim animaduertit Deum esse qui loquitur hæc, cuius veritas est in æternum, nec fallit vnquam; cuius diuitiæ non habent terminum, cuius potestas est infinita, quem timebit? quid non sperabit? quomodo verbis ijs non lætabitur? cùm audiat hoc signum suæ conditionis? hanc prouidentiam? certam hanc amoris demonstrationem? Quid amplius dicam? Non enim contentus Dominus amorem suum comparâsse communi amori matrum; vnam inter omnes elegit, quæ cæteras omnes antecellit in amore, Aquilam nimirum; cum cuius amore suum amorem & prouidentiam confert, dicens; Deut. 32,11. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eos, atque portauit in humeris suis.* Idipsum & idem Propheta verbis testatur luculentioribus, coram populo iam iam promissionis terram ingressuro: Deut.1, 31. *Portauit te Dominus Deus tuus*, ait, *vt solet homo gestare paruulum filium suum, in omni via per quam ambulâstis, donec veniretis ad locum istum.*

Nos filij Dei sumus & appellamur.

Quemadmodum verò ipse sibi nomen Patris assumit & matris; ita nobis nomen dilectissimorum tribuit filiorum, vti testatur Hieremias; Hier. 31,20. *Si filius*, inquit, *honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius: idcirco conturbata sunt viscera mea super eum; miserans miserebor eius, ait Dominus.* Singula verba hæc, eò quòd Deus ista locutus est, digna sunt quæ bene considerentur: valent enim plurimum ad mollienda corda nostra amore diuino, cùm ipse nos infelices creaturas tam tenerè adamauerit, nobisque tam iucundè blandiatur.

Deus pastor.

Eiusdem prouidentiæ diuinæ ratione Deus, postquàm nomen Patris assumpserat, etiam Pastor voluit appellari, vti in Euangelio videre licet. Vt autem declaret, quousque amor iste pastoralis, & cura sese extendat, dixit, Ioan. 10,11. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Quomodo cognoscis eas Domine? quibus cùm oculis illas intueris? *Sicut nouit me Pater*, inquit, *& ego agnosco Patrem.* q. d. ijsdem oculis, quibus me Pater intuetur, & ego Patrem; ijsdem, & ego oues meas conspicio. O beatos oculos, ô felicem aspectum. O suprema prouidentia, quæ maior gloria, quis maior thesaurus, quæ maiores diuitiæ possent à quoquam desiderari, quàm à Filio Dei talibus oculis conspici, hoc est, ijsdem oculis quibus Pater illum intuetur? Etsi enim comparatio hæc per omnia non sit æqualis, (plus enim meretur filius naturalis, quàm adoptiuus) magna tamen est illa gloria, vt quæ cum hac digna est comparari. Qualia tamen & quanta sint opera & beneficia huius prouidentiæ, Deus apud Prophetam Ezechielem copiosissimè docet, his verbis: Ezech 34,11. *Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum; sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: vbi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue & forte custodiam: & pascam illas in iudicio.* Et paulò post: *Et faciam cum* Ibid. v.25. *eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra: & qui habitant in deserto securi dormient in saltibus. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore suo, & pluuiæ benedictionis erunt.*

Dic mihi quæso, quid potuit amplius promittere bonus ille noster Pastor? aut quomodo dulcioribus, amabilioribus, aut elegantioribus verbis hanc suam diligentiam describere potuisset? Etenim certum est Deo non esse hic sermonem de grege materiali, sed de spirituali, qui sunt homines: vnde concludens caput hoc, ait, *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ* Ibid. v.31. *homines estis:* nec herbam, aut abundantiam bonorum temporalium pollicetur; quæ communia sunt bonis & malis: sed abundantiam spiritualium gratiarum, & specialis prouidentiæ, qua cum Dominus regit & moderatur hunc gregem spiritualem vt Pastor, dicente Esaia, *Sicut Pastor gregem suum pa-* Esa. 40,11. *scet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Quid obsecro dulcius blandiendo dici posset? De ijsdem officijs & beneficijs pastoris totus ille Psalmus loquitur, cuius initium est, *Dominus regit me*, pro quo Hieronymus vertit, *Dominus pastor meus est.* post tale autem principium pergit commemorare omnia pastoris officia, quæ hoc loco non ponimus, eo quòd vbique obuia sunt. & Psalmus iste à quouis legi possit. Similiter nec hic referam quod vti vocatur Pastor, quia pascit, ita & Rex quia regit & defendit; magister quia docet, medicus quia sanat, baiulus quia portat in brachijs, excubitor quia vigilat ad custodiendum nuncupetur: qualibus nominibus tota Scriptura plena est. Inter omnia verò nomina hæc, non est vllum blandius, quod magis etiam prouidentiam hanc demonstrat, quàm nomen Sponsi, quo nomine in Canticorum canticis, alijsque Scripturæ locis appellatur. Hoc dulci & blando vocabulo inuitat animam peccatoris, vt vocetur ab ea; *Ergo saltem*, ait per Prophetam, *amodo voca me, Pater meus, & dux virginitatis meæ tu es.* Quod nomen ab Apostolo summo cum honore celebratur. Nam post verba illa, quibus protoplastus Euam cõpellauit. *Propter hoc relinquet homo patrem* Gen.2,24. *& matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna*, addit Apostolus: *Sacramentum* Ephes. 5,32. *hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*, quæ est illius sponsa, vti etiam est quæuis anima hominis in gratia constituti. Quid itaque sperandum non est ab eo, qui tale nomen habet, quale illud est? præsertim cum indubitatum sit eum no-

Varia Dei nomina. Pfal.22,1.

Deus sponsus vocatur. Cant 4, 5. Pfalm. 10. Ioan. 3. Apoc.14. Hier 3,4.

men hoc nõ frustra, neque sine ratione sortitum esse?

Deus omnia in omnibus.

Sed quid Scripturas perueltigando, hoc aut illud nomen quærimus, cum omnia nomina, quæ aliquid boni promittunt, huic Domino competant: præsertim cum quisquis illum amat, aut quisquis illum quærit, in eo bonum omne inueniat, quod desiderat?

Ambros. de Virginit.

Hoc est quod B. Ambrosius dicit in quodam sermone. Omnia Christus est nobis: Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est. Vide quæso, mi frater, quot nominum & titulorum generibus Christus insignitur, qui tamen in se vnus est & simplicissimus. Nam quantumuis in se vnus sit, in nobis tamen omnia est, idque in remedium necessitatum nostrarum omnium, quę innumerabiles sunt. Finis nullus esset, si vellem omnes Scripturarum auctoritates, quæ ad hanc materiam pertinent, recensere; paucas tamen de multis in medium protulimus, ad consolationem eorum, qui Deo famulantur, vtque prouocemus & adducamus ad obsequium eius hos, qui non seruiunt illi: certum enim est thesaurum sub cælo hoc esse maiorem nullum.

Simile. Quam iucũdæ sint animæ iustæ promissiones de prouidentia diuina.

Quemadmodum enim ille qui Regi cuipiam terreno in aliqua expeditione militauit, literasque adeptus est, in quibus magna illi præmia promittuntur, eas summa seruat cum diligentia, eas sæpe intuetur, ijs lætatur, mœstum animum in tribulatione consolatur, & tandem cum illis ad Regem venit, postulans quod promissum est: ita & serui Dei conseruant omnia verba hæc & diplomata diuina in cordibus suis, quæ quidem diplomata multo certiora sunt omnium Regum literis, qui in terris sunt. In his fiducia ipsorum est; his in laboribus suis confortantur; propter hæc in periculis confidunt; ijs sese in angustijs consolantur; ad hæc confugiunt in omni necessitate; hæc animos ipsorum amore huius Domini inflammant, & obstringunt, ad expendenda omnia in illius cultum & seruitium; cùm ipse tam fideliter se totum in vsum nostrum promittat, qui est omnia in omnibus. In hoc apparet, vnum principalium fundamentorum vitæ Christianæ esse, per experientiam hanc veritatem cognouisse. Dic mihi quæso, potest ne aliquis imaginari quicquam opulentius, pretiosius, præstantius, aut optabilius illo? potest ne quis in hac vita bonum quid maius excogitare, quam habere Deum Pastorem, Medicum, Magistrum, Baiulum, murum fortissimum, defensionem, & præsidium; denique & sponsum, atque omnia in omnibus? Quid potest habere in mundo quispiam, quod amico suo potest dare, horum beneficiorum minimo comparandam?

Prouidentia Dei magnã præbet boni exultandi materiam.

Magnam itaque rationem habent exultandi & gaudendi, qui tantum bonum possident: nec tantùm exultandi, sed & seipsos consolandi, abiectos animos resumendi, & gloriandi in illo super omnia.

Psalm. 31,11. *Lætamini in Domino, & exultate iusti,* inquit Psaltes Regius, *& gloriamini omnes recti corde,* quasi diceret, Lætentur alij in diuitijs & honoribus mundi, alij in nobilitate sanguinis, alij in amicitijs & fauore Principum, alij in dignitatum suarum præcellentia. Sed vos, quorum Dominus Deus est, qui Deum possidetis, quorum hæreditas Deus est, exultate & gloriamini in veritate in tanto bono: tanto enim excellentius est bonum vestrum, quanto præstantior est Deus ipsis creaturis. Id expresse fatetur Propheta in Psalmis dicens,

Psal. 143,11. *Eruе me Domine de manu filiorum alienorum: quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornata vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Ego verò dicò: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Cur hoc dicis ô Dauid? Ratio in promptu est, qui enim Deum possidet, is bonum id habet, in quo bona omnia inueniuntur, quæ possunt desiderari. Glorientur autem in omnibus ijs qui volent: Ego autem in Domino Deo meo solo gloriabor. Sic & sanctus ille Propheta gloriabatur, qui dicebat; *Ego autem in Domino gaudebo, &* Abac. 3,18. *exultabo in Deo Iesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*

Ibid. v. 15.

Hic itaque thesaurus est, hæc gloria præparata in hoc mundo his, qui seruiunt Domino. Hæc autem vna est, eaque maxima ratio, quæ nos ad seruiendum Deo inuitat, & iustissima querela, quam habet Deus aduersum eos, qui seruire nolunt ipsi, cùm tam bonus sit illis Dominus, tam fidelis defensor, tam sincerus aduocatus. Cum hac querela misit olim Hieremiam, vt expostularet cum populo, dicens; *Quid inuenerunt* Hier. 2,5. *patres vestri iniquitatis in me, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem: & vani facti sunt.* & paulò pòst, *Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut* Ibid. v. 31. *terra serotina?* quasi dicat, nequaquam: Cùm tot victorias, tot felicitates hæc terra à manibus meis perceperit. *Quare ergo dixit populus meus; Recessimus, non* Ibid. cap. *venimus vltrà ad te. Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris,* qui tamen eorum sum ornamentum, gloria, & pulchritudo. Si hoc modo lamentatus sit Dominus in lege illa antiqua, cùm gratiæ nondum erant tam perfectæ, quantam nunc habet lamentandi causam, cum gratiæ tanto sunt excellentiores, quanto sunt diuiniores, & magis spiritales?

Expostulatio Dei cum homine.

DE MODO PROVIDENTIÆ, qua Deus malos obseruat, ad castigandum illorum malitiam.

CAPVT XIII.

Mali à Domino negligũtur.

SI non moueare amore tam felicis prouidentiæ, qua gaudent boni; moueat te saltem timor illius prouidentiæ, (si modò sic appellare liceat) qua Deus obseruat malos; quæ est mensurare illos illorum propria mensura, & tractare illos iuxta obliuionem & contemptum diuinæ maiestati illatum: obliuiscens eorum, qui illius obliti sunt, & contemnens eos, à quibus ipse prior contemptus est. Vt autem hoc crassiori dicam Minerua, Iussit Deus Prophetam Osee 1, 2. Oseam sumere sibi vxorem fornicationum: vt demonstraret spiritualem fornicationem, qua fornicabatur populus ille, qui legitimum Sponsum & Dominum repudiârat. Voluit quoque vt Propheta ex ea vxore sibi faceret filios fornicationum, & tertiò genitum vocaret nomine Hebraico significante, *Non populus meus,* vt indicaret cum illi propter peccata sua non agnoscerent Deum, neque ei vt Deo suo seruirent, quod vicissim ipse eos non agnosceret, nec haberet pro populo. Vt autem sententiam hanc confirmaret, ait per Prophetam paulò inferiùs, *Iudicate* Osee 2,2. *matrem vestram, iudicate; quoniam ipse non vxor mea, & ego non vir eius.* quasi diceret, quemadmodum illa non coluit fidem & obedientiam bonæ vxoris erga me: sic ego vicissim non retinebo amorem, & prouidentiam, qua solet maritus bonus bonam suam prosequi vxorem. Vide quàm apertè nos doceat hîc Dominus noster, quomodo vnicuique remetiatur sua propria mensura: dum ipse est erga homines, qui & quales sunt homines erga ipsum.

Viuunt

Viuunt itaque mali tanquam à Domino neglecti, & repudiati, & sunt in hoc mundo tanquam patrimonium sine hærede, tanquam schola sine præceptore, tanquam nauis sine gubernaculo, tanquam grex denique sine pastore, luporum expositus ingluuiei.

Zach 11,6. Hoc modo minatur illis per os Prophetę dicens; *Non pascam vos: quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succidatur: & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui.* Idem & Moyses obijcit Israëli in suo

Deut 32, 20. cantico; *Abscondam*, ait Dominus, *faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum: generatio enim peruersa est, & infideles filij.* Considerabo, ait, nouissima eorum, id est, otiosus stabo, & videbo quem tandem exitum habebunt ipsorum miseriæ; nec aliquod illis remedium adhibebo. Præter iam dicta multò luculentiùs de hoc genere prouidentiæ loquitur Esaias ad populum, sub nomine vineæ, in persona Domini, contra quam (cùm iam multis beneficijs culta esset, nec rationabiles fructus produceret) hanc pronuntiat sententiam;

Esa. 5, 5. *Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent super eam vepres & spina: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Hoc est, Tollam & auferam omne auxilium & subsidium, quo hactenus illam defendi: quo sublato, sequetur eius ruina & destructio, Anne tibi metuendum videatur hoc genus prouidentiæ? Dic mihi, quòd maius periculum, quæ maior miseria, quàm viuere sine tutela & prouidentia diuina? relinqui, & exponi omnibus mundi persecutionibus, iniurijsque

Quam periculosum sit in hoc mundo viuere sine diuino adiutorio. & calamitatibus huius vitæ? Cùm enim mundus sit mare procellosum, & quasi desertum, plenum latronibus, & horribilibus bestijs, cumque tanta sint incommoda & infortunia vitæ humanæ; cùm tot & tam fortes sint inimici nostri, quibus cum pugnare debemus, cùm tot absconditi laquei, tot tensa retia, tot denique, & tantæ difficultates circumquaque per vias nostras disseminatæ: homo autem sit creatura tam fragilis, nuda, cæca, inermis, pusillanimis, & inops consilij: si deficiat vmbra & fulcimentum Dei, quid poterit facere debilis inter tot fortes? inter tot gigantes pumilio? inter tot laqueos cæcus? solus & inermis inter tot armatos & robustos inimicos?

Deus non tantum permittit, sed & immittit mala. Neque verò hic mali finis est: non enim sufficit Deo, quòd auertit oculos suos ab iniustis & peccatoribus, quodque eos in varia errorum & tribulationum genera incidere permittit: sed ipse quoque ea immittit, & creaturas contra illos armat. Adeò vt oculi, qui priùs erant aperti ad ipsorum vtilitatem, nunc vigilent in ipsorum damnum & exitium: vti Deus ipse manifestè per Prophetam Amos testatur;

Amos 9,4. *Ponam*, ait, *oculos meos super eos in malum, & non in bonum.* tanquam si apertiùs dixisset, commutabo prouidentiam prouidentia: pro ea, qua prius ad defensionem illorum excubabam, nunc erit illa, quæ quidem obseruabit eos, sed ad supplicium ipsorum, & remunerationem eius, quod meretur eorum iniquitas. Idem perspicuè magis profert apud Oseam; *Et*

Osee 5, 12. *ego*, inquit Dominus, *quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda, vt deuorem & destruam eos tanquam vestis à tineis absumitur.* Quia verò genus hoc persecutionis longum, sed mitius esse videbatur, aliam mox subiungit terribiliorem, & magis furiosam, dicens; *Quoniam ego quasi leæna Ephraim & quasi catulus leonis domui Iuda ego capiam, & vadam, & tollam, & non est qui eruat.* Dic sodes, quę maior hac excogitari posset miseria? Nec obscurius est testimonium huius prouidentiæ, quod apud Prophetam Amos commemoratur. Cùm enim dixisset Dominus mandatum esse gladio, vt deuoraret omnes iniquos, propter peccatum auaritię; mox subijcit. *Non erit fuga eis: fugient, & non saluabitur ex eis qui fugerit. Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos; & si ascenderint in cælum, inde traham eos. Et si* Horrendus locus. *abscondit fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celauerint se ab oculis meis in profundo maris ibi mandabo serpenti & mordebit eos. Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio & occidet eos: & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum.* Hactenus Amos. Amos 9,3.

Dicite mihi quæso, quis est homo, qui legens hæc, & memor quòd verba ipsius Dei sunt, videns que qualis sit ille prouidentiæ modus, quo Dominus vtitur in reprobos, non toto corpore & animo contremiscet? animaduertens quam infensus hostis sit Deus illi, cui se inimicum præbet, aut quem odit? quem tanta quęrit diligentia? quem rapit vbicunque inuenit? in cuius pernitiem tanta vigilat cum solicitudine? Homo ille qui poterit quiescere? qui manducare habens oculos tales sibi contrarios? furorem talem? persecutorem talem? brachium tam potens sibi offensum? Nam si tantum periculum sit gratis tanti Domini excidere & priuari; quid erit habere in se conuersa omnia arma diuinæ prouidentiæ, maxime cùm gladius, qui priùs stringebatur in defensionem tui, contra inimicos tuos, nunc te petat in vltionem? oculi qui erant super te in tui custodiam, nunc vigilent in tuum interitum? brachium quod erat expansum ad sustentandum te, nunc armatum sit ad te interficiendum? & cor quod cogitabat cogitationes pacis & amoris pro te, nunc plenum sit cogitationibus afflictionum & dolorum? & qui debebat esse scutum, vmbra, & refugium tuum, nunc factus sit tinea ad corrodendum te, putredo ad corrumpendum te, & leæna ad deuorandum te? Quomodo potest homo secure dormire, qui cùm dormit Deum stricto gladio cerucibus suis habet imminentem, & vigilantem instar virgæ illius Hieremiæ, in vindictam & supplicium suum? quod consilium miser ille captabit contra consilium Dei? quod brachium contra brachium illius inuocabit? quæ prouidentia illi prouidentiæ se opponet? quis vnquam arma mouit Deo, aut illi sese oppositit & victor euasit? Dicit B. Iob; *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit?* Iob 9,3.

In quibus periculo viuat homo Deum sibi habęs infensum.

Hieron.

Hoc denique malum tale est & tantum, vt ex maximis pœnis & supplicijs, quibus Deus castigat malos, & minatur ijs in hac vita, vnum sit, idque non infimum, cùm subtrahit illis manum paternæ prouidentiæ: vti ipse Deus diuersis in locis sacræ Scripturæ testatur. Hinc est illud; *Et non audiuit populus meus* Psal. 80, 12. *vocem meam, & Israel non intendit mihi & dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis*, id est, ibunt quotidie de malo in peius. Et per Oseam; *Quia tu oblita es legis Dei tui, obliuiscar fi-* Osee 4, 6. *liorum tuorum & ego.* Quem admodum ergo nil peius aut triſtius mulieri potest accidere, quam vt à viro suo repudietur & demittatur; nec vineæ, quàm vt à Similc. domino suo negligatur, & ampliùs non colatur (tunc enim cōfestim degenerat, & siluestris fit) ita nil peius animæ potest euenire, quàm vt à Deo relinquatur. Quid enim est anima sine Deo? est instar vineę sine vinitore: horti sine hortulano: nauis sine nauclero: exercitus sine duce: Respubl. sine capite: aut (vt melius dicā) corpus sine anima. Vides itaque, mi frater, quomodo Deus ab omni te parte circūdat, hanc ob causā, vt ſinō moueatur cor tuū amore & desiderio paternæ prouidentiæ, saltem repudij vel reprobationis timore moueatur: ne te fortè deserat, nec manum ampliùs suam tibi porrigat. Sæpius enim qnō mouētur bonorum desiderio, motu alicuius magni mali mouentur.

Quid anima sit sine Deo.

DE SECVNDO VIRTVTIS PRIVILEGIO: *Gratia nimirum Spiritus sancti, qua datur virtutum studiosis.*

CAPVT XIIII.

PAterna ista prouidentia, de qua paulò ante egimus, est (vti diximus) tanquam fons & origo omnium aliorum priuilegiorum, & beneficiorum, quibus amicos suos ditat & exornat Deus in hoc seculo. Ad hanc enim prouidentiam pertinet, prouidere illis de omnibus mediis necessarijs, ad vltimi finis, qui est vltima perfectio & beatitudo, consecutionem: adiuuando eos in omnibus necessitatibus illorum, & creando in animis eorum omnes aptitudines, dispositiones, virtutes, & habitus infusos, quæ ad finem illum requiruntur. Horum de numero primum est gratia sancti Spiritus, quæ post diuinam illam prouidentiam principium est omnium aliorum priuilegiorum, donorumque cælestium. Hęc est stola prima, qua indutus est filius prodigus, cùm in paternas ædes à patre receptus est. Quòd si quæras à me, quid sit hæc gratia? respondeo, quòd gratia hæc, secundùm Theologos, est diuinæ naturæ participatio: hoc est, sanctitatis, bonitatis, puritatis, & nobilitatis ipsius Dei: cuius ope & beneficio homo abijcit à se omnem vilitatem, rusticitatem, seu ruditatem, quam ex Adamo contraxit; & particeps fit sanctitatis, nobilitatisque diuinæ: exuens semetipsum, & induens Iesum Christum. Declarant hoc Patres exemplo ferri in ignem missi, quod quidem ferrum manet: de ignis tamen natura participans, totum candescens instar ignis ignius extrahitur. Manet, inquam, eadem ipsius ferri substantia cum nomine: calor verò, splendor seu candor, aliaque accidentia omnia non ferri, sed ignis sunt. Ad eundem modum gratia (quæ est qualitas cælestis, quam Deus infundit in animam) eam habet admirabilem virtutem & efficaciam, vt transformet hominem in Deum: hoc modo, vt manens quidem homo, diuinæ tamen puritatis & nobilitatis consors efficiatur; vti consors, aut particeps erat ille, qui dicebat: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Galat. 2, 20.

Præterea Gratia est forma supernaturalis, & diuina; quæ facit vt homo vitam ducat conformem principio & formæ, ex qua procedit: quæ etiam supernaturalis est, & diuina. Qua in re admirando quodam modo relucet diuina prouidentia; quæ vti voluit hominem duplicem vitam viuere, naturalem & supernaturalem: ita eidem duplicem formam prouidit, quæ quasi duæ animæ harum vitarum sunt: vham qua primam; alteram qua secundam viuamus. Quemadmodum enim ab anima, quæ est forma naturalis, procedunt omnes potentiæ atque sensus, quorum ope vitam viuimus naturalem: ita de gratia, quæ est forma supernaturalis, procedunt omnes virtutes & dona Spiritus sancti, quorum beneficio viuimus vitam supernaturalem. Est ergo hæc quasi protisio duorum generum instrumentorum, quorum ope in diuersis licet operari exercitijs.

Est & gratia ornamentum spirituale animæ, factum manibus Spiritus sancti, quod reddit animam tam formosam, & gratam in oculis Dei, vt recipiat illam pro filia, & sponsa sua. De hoc ornamento gloriatur Propheta dicens: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* quæ sunt virtutes omnes, cum omnibus donis Spiritus sancti, quibus anima manibus Dei exornatur. Hæc est illa vestis deaurata, circundata varietate, qua induta erat Regina, quæ astitit Regi suo Sponso: nam à gratia procedunt omnium virtutum & habituum cælestium colores, in quibus cõsistit Reginæ pulchritudo. Ex his facile est colligere, quales sunt effectus, quos operatur gratia in animabus, quas inhabitat. Præcipuus enim eius effectus est, animam facere tam gratam, & formosam in oculis Dei, vt eam assumat sibi in filiam, in sponsam, in templum, in domicilium, in quo delitijs suis fruitur cum filijs hominum.

Posit prouidentiæ Gratia S. Spiritus initium omnium bonorum.

Luc 15.

Quid sit gratia S. Spiritus.

Simile.

Gratia Dei fiat.

Duplex anima hominis.

Gratia est ornamentum spirituale.

Esa. 61, 10.

Psalm. 44.

I. Effectus Gratiæ gratũ facit hominem Deo.

Alius eius effectus est, animam non tantùm exornare, sed & corroborare mediantibus illis virtutibus, quæ ab ipsa procedunt: quæ sunt quasi capilli Sampsonis, in quibus consistebat, non tantum eius pulchritudo, sed & fortitudo. Tam ab hoc, quàm ab illo priori effectu gratiæ laudatur anima in Canticis, vbi admirantes Angeli de pulchritudine illius dicunt: *Quæ est ista, quæ progreditur velut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Ex quo cognoscimus gratiam esse quasi scutum tegens corpus totum, aut panoplian, quæ armat hominem à capite ad calces, eumque reddit formosum & fortem: & quidem tam fortem; vt, si B. Thomæ credamus, minima gratia sufficiat, ad vincendos & superandos omnes Dæmones, cum peccatis omnibus, quæ in mundo dominantur.

II. Effectus corroborat hominem.

Cant. 6, 9.

Est & gratiæ tertius effectus, quòd nimirum animam efficiat tam gratam & excellentem in conspectu Domini, vt quotquot opera faciat deliberata (quę non sunt peccata) ea grata sint, & vitę sempiternæ meritoria, ita vt non tantùm actus virtutum, sed opera quoque naturalia, qualia sunt edere, bibere, dormire, & similia, grata sint & meritoria coram Domino, eo quòd ipsum subiectum gratum est, & meritorium, quotquot facit quæ peccata non sunt.

III. Opera adiaphora facit meritoria.

Quartus effectus est, quòd facit nos filios Dei per adoptionem, & hæredes regni cælestis, dignos etiam qui scribamur in libro vitæ, in quo scripta sunt omnia iustorum nomina: & per consequens, dat nobis legitimum ius in ditissimam illam hæreditatem cælestem. Hoc est priuilegium, quod tantopere laudauit Saluator in suis discipulis, cum læti reuertebantur ad ipsum, dicentes; *Etiam Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo,* quibus Saluator; *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.* Certum enim est, illud esse bonum maximum, quod humanum cor in hac vita potest cogitare & desiderare.

IV. Adoptat nos in filios Dei.

Luc. 10, 17.

Vt autem multa paucis dicam; Gratia est, quæ hominem aptum reddit ad omne bonum: quæ viam ad cælum complanat: quæ alleuat & dulce nobis facit iugum Domini; quæ hominem deducit per viam virtutis: quæ sanat naturam infirmam, facitque vt leue videatur omne id, quod quamdiu infirma erat intolerabile videbatur: est illa, quæ modo quodam ineffabili reformat atque armat, idque virtutibus, quæ ex ea promanant, mediantibus, omnes potentias animarum nostrarum: illuminat intellectum, inflammat voluntatem, confortat memoriam, roborat liberum arbitrium, temperat & moderatur partem concupiscibilem, ne diffluat in omne malum: confirmat irascibilem, ne tarda sit, & pigra ad bene operandum. Insuper, quia passiones omnes naturales, quæ in his duabus potentijs inferioribus nostri appetitus inueniuntur, sunt tanquam nouercæ virtutis, & ostia, per quæ non rarò Dæmones in animas nostras ingrediuntur, constituit quasi excubias in singulis istis partibus, quæ vigilent, & custodiant eam, infusam, scilicet virtutem quandam cælitùs venientem, quæ adiuuet hominem, & securum reddat in periculo, quod per partem illius passionis posset oboriri. Sic ad defendendam animam ab appetitu gulæ, mittit Temperantiam; ab appetitu carnis; Castitatem; ab ambitione, Humilitatem, & sic in reliquis.

Sitne effectus omnium gratiæ.

Sed

Gratia facit, vt anima nostra sit hospitium Dei.

Sed vnum est quod superat omnia prædicta, nimirum quòd gratia facit Deum in anima nostra diuersari, vt habitans in ea gubernet, defendat, & dirigat illam in viam cælestem: sedet itaque Deus in anima nostra tanquam Rex in suo regno, Dux in suo exercitu, Magister in sua schola, & Pastor in suo grege, vt exerceat illic, obeatque spiritualiter omnia hæc officia, omnemque prouidentiam. Age itaque si pretiosa hæc margarita, ex qua tot bona profluunt, perpetua comes virtutis sit, quis non lubens velit imitari prudentem illum mercatorem euangelicum, qui vendidit omnia quæ habebat, vt vnam hanc sibi compararet?

Matt. 13.

DE TERTIO PRIVILEGIO VIRTVTIS, *quod est lumen, & cognitio quædam supernaturalis quam Dominus noster iis largitur, qui Virtutem appetunt.*

CAPVT XV.

Cognitio hæc à gratia procedit. I Ratio Gratia est illuminare intellectum.

TErtium priuilegium quod virtuti conceditur, est lumen quoddam speciale, & sapientia quædam, quam Dominus noster impertitur his, qui iusti sunt, quæque ab eadem gratia dimanat, de qua dictum est hactenus. Ratio est, quia munus gratiæ est sanare debilem & infirmam naturam. Quemadmodum ergo medetur appetitui & voluntati per peccatum debilitatæ, sic & intellectum medicari debet, per idem peccatum planè obscuratum: vt beneficio intellectus sciat, quid facere debeat, per voluntatem adsit facultas & potestas faciendi, quod factu opus esse nunc intelligit. Huic non dissimile est quod B. Gregorius habet in suis Moralibus. Non posse implere quod homo intelligebat, pœna fuit peccati: quemadmodum & pœna eiusdem fuit, illud non intelligere. Propterea dixit Propheta; *Dominus illuminatio mea*, contra ignorantiam, *& salus mea*, contra impotentiam. In vno significatur quid desiderandum sit, in alio dantur vires, quibus id possumus obtinere, atque ita tam hoc, quã illud pertinet ad eandem gratiam. Hinc est quòd præter fidem & prudentiam infusam, quæ illuminant intellectum nostrum, vt intelligat quid credere, quid item facere debeat, crescant etiam in nobis dona Spiritus sancti, quorum quatuor pertinet ad intellectum, vt sunt donum Sapientiæ, quod datur ad cognitionem rerum sublimium, donum Scientiæ quod datur, vt intelligamus res inferiores, donũ Intellectus, per quod in cognitionem mysteriorum Dei & conuenientiæ pulchritudinisque eorundem venimus, & donum Consilij, cuius ope houimus huius vitæ actiones, & quicquid in ea nobis occurrit, gubernare. Omnes isti radij ab vnius gratiæ splendore procedunt, quæ propterea vocatur in sacris literis Vnctio. *Docet enim omnia*, vt B. Ioannes loquitur. Quare, quemadmodum oleum inter omnes liquores aptissimum est ad conseruandum lumen, & ad curanda vulnera: ita diuina hæc Vnctio, & nostræ voluntatis medetur plagis, & tenebras intellectus nostri illuminat. Illud est oleum istud pretiosissimum, omni balsamo præstantius, de quo dicit Propheta Regius, *Impinguasti in oleo caput meum.* Certum est cum hic locutum, non de capite, nec de oleo materiali, sed de capite spirituali, parte scilicet animæ nostræ superiori, in qua est noster intellectus, vt optimè ostendit Didymus, scribens in hoc locum: & de oleo spirituali, quod est lumen Spiritus sancti, quo conseruatur lampas nostra, ne extinguatur. De lumine sancti huius olei multum habuit bonus ille Rex, qui de seipso dicit, *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Quatuor dona S. Spiritus quæ ad intellectum pertinent.

1 Ioan. 2, 27. Gratia cur vnctio dicatur.

Psal. 22, 5.

Psal. 50, 8.

M. Ratio

Potest & huius alia dari ratio. Cùm enim officium gratiæ sit, hominem virtute præditum efficere, eo fungi non potest, nisi prius homini dolorem moueat & pœnitentiam vitæ anteactæ, timoremque Dei in illo excitet, nisi efficiat prius, vt homo peccatum odio capitali prosequatur, bona cœlestia summo desiderio appetat, & mundana prorsus contemnat. Sed voluntas hæc & similia consequi non potest, nisi prius habeat intellectus lumen, & cognitionem conuenientem, à qua voluntas excitetur. Est enim voluntas potentia cæca quæ non mouetur nisi intellectus præcedat, præferens facem, & lumen præbeat, ostendens bonum & malum in omnibus rebus, vt affectus erga illas crescat, aut decrescat. Hinc est quod B. Thomas dicit, quemadmodum amor Dei crescit in anima iusti, sic etiam crescere cognitionem bonitatis, beneuolentiæ, & pulchritudinis eiusdem Dei, idque æquali proportione: vt si vnum eorum crescat gradibus centum, totidem crescat & aliud, qui enim multum amat, is multas intelligit amoris causas in re amata, qui verò parum amat, paucas. Et quòd manifestè intelligitur de amore Dei, hoc etiam de timore, spe, & odio peccati intelligitur, à quo nequaquam homines magis abhorrerent, quam ab alijs rebus, nisi intelligerent illud malum esse, quo nihil in hoc mundo dignius est horrore atque execratione.

Voluntas est potentia cæca.

S Thom.

Cùm itaque Spiritus sanctus velit hos esse in anima iusti effectus, etiam voluit in illa causas esse, ex quibus nascerentur, quemadmodum voluit in terra diuersitatem esse effectuum, ita etiam voluit in illa diuersas causas & influentias cælestes operari. Porrò cùm verum sit, vt supra probatum est, Deum in animabus iustorum habitare per gratiam, Deus autem sit lumẽ, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundũ*, vt beatus Ioannes ait, dubium non est, quo purior & mundior anima sit, eo etiam maiori cum claritate diuini luminis radios in illa splendescere. Quare & Beatus Augustinus Deum appellat speculum animæ purificatæ: illustrat enim illam radijs sui luminis, docens eam omnia quæ ad salutem sunt necessaria. Quid mirum est, eum hoc beneficium hominibus præstare, qui simile quid inferioribus creaturis non denegauit, quæ instinctu auctoris naturæ sciunt omnia, quæ ad suam pertinent conseruationem? Quis docuit bestias inter tot herbarum genera, quę in agris nascuntur, dignoscere quæ salubria, quę noxia sunt? hæc depascere, illa intacta relinquere? scire quoque, quod animal sibi inimicum, quod amicum sit? lupum fugere, & canem sequi? certum est à nemine hæc alio, quàm à Domino didicisse. Si itaque Deus hanc cognitionem infuderit animalibus brutis, vt conseruentur in vita naturali: quanto magis debuit iustis prouidere, vt maiorem habeant cognitionem, qua conseruentur in vita spirituali? non enim minus necessaria est hominibus hæc, propter ea quæ supra naturam sunt, quàm bestijs illa propter naturalia. Etenim si diuina prouidentia tam solita fuerit prouidendo res naturæ, quanto magis erit solicita in ijs, quæ sunt gratiæ quæ quanto excellentiores sunt, tanto magis humani superant ingenij facultates.

Deus est spiritualis animæ purificatæ.

Ioan. 1, 9.

Deus bestijs dedit cognitionem fugiendæ noxia & sequendi salutaria.

Hoc exemplùm non solùm probat esse huiusmodi lumen intellectus, sed etiam demonstrat quid sit: non enim est cognitio tam speculatiua, quàm actiua: non tam theoretica, quàm practica: nec datur vt intelligamus, sed vt operemur: non vt arguti & ingeniosi simus in disputando, sed studiosi in operando. Propterea non tantum in intellectu permanet, vti scientiæ, quæ in scholis acquiruntur, sed mouet sua virtute voluntatem, inclinans illam ad omne id, ad quod excitat, & vocat huiusmodi cognitio. Est enim proprius instinctus Spiritus sancti, qui quasi perfectissimus Magister docet suos sæpissimè cùm hac perfectione, omne id quod scire ipsos oportet. Fatetur hoc Sponsa in Canticis, *Anima mea*, inquit, *liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Ex qua sententia patet, quæ sit

Quid sit cognitio hæc supernaturalis.

Cant. 5, 6.

Inter hanc doctrinam, & illam quæ in scholis traditur, differentia: ea enim intellectum solum illuminat, hæc verò mouet etiam voluntatem, eique ablanditur & sua virtute penetrat omnes angulos & sinus animarum nostrarum, operans & efficiens omne id, quod ad reformationem earundem pertinet; vti Apostolus indicat, cùm dicit: *Viuus est sermo Dei, & efficax: & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Hebr. 4, 12. Facit enim diuisionem inter partem animalem hominis, & spiritualem: separans vnam ab alia, dissoluens pernicioſissimum amicitię vinculum, quod esse solet inter carnem & spiritum, cùm enim spiritus miscetur meretrici carnis suæ, vnum cum illa efficitur: quod vinculum dissoluitur verbo Dei, faciente, vt homo viuat vitam spiritualem, & non amplius carnalem.

Hic itaque vnus est ex primarijs diuinæ gratiæ effectibus: vnum item ex præcipuis priuilegijs, quibus gaudent virtutibus prædíti in hoc seculo. Sed (etsi quæ diximus satis à nobis probata sint) ne quispiam homo adeò carnalis sit, qui obscura ea esse ad intelligendum, & difficilia ad credendum conqueratur, placuit eadem euidentissimis, tam noui, quàm veteris instrumenti testimonijs confirmare. Innouo itaque B. Ioannes refert Christum in vltima cœna dixisse; *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis quæcunq; dixi vobis.* Ioan. 14, 26. Et alio loco: *Scriptum est in Prophetis, erunt omnes docibiles Deo,* Ioan. 6, 45. quasi diceret, erit aliquando tempus, quo passim homines à Deo instituentur. *Omnis igitur qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Ibidem. Idè promisit Dominus per Prophetam Hieremiam; *Dabo legem meam in visceribus eorum, &* (quæ prius erant in tabulis lapideis exarata) *in cordibus eorum scribam.* Hier. 31, 33. ita vt omnes docendi sint à Domino. Volens Dominus similiter exponere quanta futura esset maiestas, gloria, & prosperitas Ecclesiæ, sic apud Esaiam inter cætera loquitur; *Paupercula, tempestate connulsa, absque vlla consolatione; Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos; & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Esa. 54, 11. & in alio loco; *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas.* Esa. 48, 17.

Ex his, quæ dicta sunt, facilè cognoscimus duo esse scientiarum genera; vnum Sanctorum, alterum Sapientum: vnum Iustorum, alterum Doctorum. Scientia verò Sanctorum ea est, de qua dicit Salomon, *Scientia Sanctorum prudentia.* Prouerb. 9, 10. Scientia siquidem in intellectu tantùm consistit, & ad cognitionem seu theoriam pertinet: prudentiæ verò est optima exoptare, eaque semper diligere, & agere, ait Aristoteles, & requiritur non vt sciamus, quæ recta sunt, sed vt fiamus probi. 6. Mag. Moral. cap. 34. Quoties autem inuenimus hanc Sapientiam in Psalmis nobis promissam? in vno dicitur. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Psal. 36, 20. In alio verò; *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.* Psal. 31, 8. Iterum in alio Psalmo quærit, tanquam rem magni momenti, & admiratione dignam: *Quis est homo qui timet Dominum, legem statuit ei in via quam elegit?* Psal. 24, 12. vel vt Pagninus; docebit eum viâ, quàm eligat, quasi diceret, quis ille cui tãtum Dominus præstat beneficium, vt ipse Magister eius sit, & doceat eum legem, iuxta quã viuere debeat? Hunc alio loco beatum appellat; *Beatus,* Psal. 93, 12. inquit, *homo quem tu eruditeris Domine, & de lege tua docueris eum.* Psal. 24, 14. In paulò antè citato Psalmo. vbi nos legimus; *Firmamentum est Dominus timentibus eum:* Hieronymus transtulit; Secretum Domini timentibus eum, & pactum suum ostendet eis, quæ declaratio nihil aliud est, quàm magni lumen intellectus, dulce pabulum voluntatis, & magna totius hominis recreatio. Quã cognitionem idem Propheta nonnunquã cibum animæ suæ aliquando aquam refectionis, mensam præparatam contra inimicos suos. Hanc ob causam idem Propheta in diuino illo Psalmo, cuius initium est, *Beati immaculati,* Psal. 118, 34. toties lumen illud, & scientiam illam à Deo petit. *Da mihi,* inquit, *intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* & paulò pòst: *Seruus tuus sum ego Domine, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua,* & infrà: *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, iuxta eloquium tuum: da mihi intellectum.* Hæc denique est illa petitio, quam ille toties repetit, quàm tanta cum instantia non postulásset, nisi optimè intellexisset vim & energiam istius doctrinæ, stylumque & modum, quo vtitur Deus in ea conferenda.

Quod cum ita sit, quæ maior esse potest gloria, quæ dignitas amplior, quàm talem habere Magistrum, talem frequentare scholam, vbi Dominus Deus ipse in cathedra sedens, doctrinam hanc & philosophiam cælestem profitetur? Quod si homines, vt B. Hieronymus testatur, quondam ab vltimis finibus Hispaniæ Galliarumque venerint Romam, vt Titum Liuium viderent; cuius eloquentia toto mundo erat celeberrima: & si clarissimus ille Philosophus Appollonius Tyaneus totum penè mundum peragrauerit, & ad Caucasum, vsque montem & Brachmanas profectus sit, tantùm vt Iarcham Indorum Philosophum in solio aureo apud paucos suos discipulos sapientiam profitentem, & de sphærarum cælestium motu disputantem, audiret, quid non facere debent homines, vt audiant ipsum Deum, qui in cathedra cordium suorum residet, non quomodo cæli mouentur docens, sed quomodo illos homines consequantur erudiens? *Dignitas huius doctrinæ.* Vide latius Hieronymi Epist 103. ad Paulinũ c. 1. Philostratus in Vita Apollonij Tyanei.

Vt autem scias doctrinam hanc non esse infructuosam, vel communem; audi quid de illa dicat Propheta: *Super omnes docentes me intellexi quia testimonia tua meditatio mea est: super senes intellexi, quia mãdata tua quæsiui.* Psal. 118, 99. Amplius adhuc Dominus suis per os Prophetæ pollicetur; *Et requiem,* ait: *tibi dabo Dominus Deus tuus semper, & implebit splendoribus animam tuam: & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Esa. 58, 11. Qui sunt splendores illi, quibus implet Dominus animas iustorum, nisi cognitiones rerum ad salutem pertinentiũ? In his etenim ostendi, quanta sit virtutum pulchritudo, & quanta vitiorum turpitudo: quanta mundi vanitas, quanta gratiæ dignitas, gloriæ magnitudo, consolationis Spiritus Sancti suauitas, Dei bonitas, Dæmonum malitia, vitæ denique huius quanta breuitas, & quàm ingens & intolerabilis sit communis error in illa viuentium. Cùm hac scientia, vt idem Propheta testatur, homo sæpe super omnium montiũ altitudinem leuatur, ibique Regem in sua pulchritudine contemplatur, & oculi ipsius terrã vident è longinquo. Hinc est quod bona cælestia illi talia videantur, qualia verè sunt: quia videt ea ex propinquo: terrestria verò videãtur parua: præterquã enim quod talia sunt, etiã ea è longinquo conspicit. Contrarium accidit hominibus peruersis & malis: qui cùm res cælestes eminus intueantur, quæ terrena sunt cominus & ante oculos versantur. Hæc est ratio, cur illi, qui de cælesti hoc dono participãt, vana gloria non efferãtur in rebus prosperis: nec perturbetur in aduersis: huius enim lucis beneficio vident, quàm exigui momenti sit, quod mundus potest vel dare, vel auferre, si cum ijs conferatur, quæ in Domini sunt potestate. Testatur hoc sapiens, cùm dicit, *Homo sensatus in sapientia manet sicut Sol: nam stultus sicut Luna mutatur.* Eccl. 27, 12. Quã sententiam exponens B. Ambrosius in quadam epistola, sic ait: Sapiens enim non metu frangitur: non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. *Ad quid vtilis hac sapientia.* Ambr. ad Simplicianũ Epist. 7.

Scripturæ testimonia de hac cognitione.

Hieronym.

mergitur. Vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia & fortitudo. Sapiens ergo idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus: nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinę, sed manet perfectus in Christo fundatus charitate, radicatus fide.

Nemini mirum videatur hanc sapientiã esse rem tantæ virtutis: non enim est sapientia terrena, vt diximus: non est fumosa illa & vana quæ inflat, sed quæ ædificat: non est illa, quæ sua speculatione solum illuminat intellectum, sed illa quę suo calore mouet voluntatem: quomodo quondam mouit cor B. Augustini, de quo scribitur, quod præ gaudio lachrymabatur, quoties audiret Psalmodias & cantica Ecclesię, quæ tam dulciter resonabant, intrabant enim voces ad intima cordis ipsius, atque ibi calore deuotionis resoluebatur veritas in ipsius visceribus, & pluebant lachrymæ ab oculis, quæ ipsi fuêre, vt inquit, iucundissimæ. O beatæ lachrymæ, beata schola, beata sapientia, quæ tales producit fructus; quid cum illa poterit comparari? *Nescit*, inquit B. Iob, *homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit. Non est in me: & mare loquitur. Non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri.* Quam Sapientiæ commendationem vir sanctissimus concludit his verbis; *Ecce timor Domini ipsa est Sapientia: & recedere a malo, intelligentia.*

Aug. lib. 9. Confes. c. 6.

Dignitas huius sapientiæ.

Iob 28, 13.

Ibid v. 28.

Hæc itaque, mi frater, vnum est ingentium illorum præmiorum, quibus ad Virtutem inuitaris, cùm ipsa clauem habeat istius thesauri. Hoc modo nos ad illam Sapiens inuitat in suis Prouerbijs: *Fili mi*, inquit, *si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te &c. tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies: quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia.* Ea autem sapientia in vno eodemque statu non permanet, sed nouis quotidie splendoribus & cognitionibus augetur, vti testatur idem Sapiens: *Iustorum*, ait, *semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*, hoc est vsque ad beatam illam æternitatem, in qua non dicemus amplius cum amicis Iob, *ad me dictum est verbum absconditum. & quasi furtiue susceptus auris meæ venas susurri eius*, hoc est, diuinas eius, & occultas inspirationes: sed vbi palam audiemus & videbimus ipsum Deum.

Prouerb. 2, 1.

Intelligentia iustorum crescit.

Prouer. 4, 18.

Iob 4, 12.

Hæc est illa Sapientia, qua fruuntur filij lucis: mali verò econtrario viuunt in horrendis istis tenebris Ægyptiorum, quæ manibus palpari poterant. Cuius rei figura fuit, quòd dicitur in terra Gessen, vbi habitabãt filij Israel, lucem fuisse: in Ægypto verò triduo tam densas tenebras, vt palpari possent: quæ obscuram illam noctem & cæcitatem repræsentabant, in qua viuunt peccatores, velut ipsi fatentur apud Esaiam dicentes, *Exspectauimus lucem, & ecce tenebræ: splendorem, & in tenebris ambulauimus. Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.*

Tenebræ malorum.

Exod. 10.

Esa. 59, 9.

Dic mihi quæso, quæ maior excogitari cæcitas, vel dari potest ataxia, quàm ea est, in quam quotidie mali labuntur? quę maior cæcitas & ignorantia, quàm vendere ius primogeniti, id est, hæreditatem regni cælestis, exigua mundi voluptate? quàm non timere infernum? non aspirare ad Paradisum? non odisse peccatum? non habere rationem extremi iudicij? vilipendere promissiones & minas Domini? non meminisse mortis, quæ singulis momentis imminet? non præparare sese ad rationem reddendam, & non cogitare momentaneum esse quod delectat, quod cruciat æternum? *Nescierunt*, inquit Propheta, *neque intellexerunt, in tenebris ambulant, de tenebris in tenebras ibunt.* ibunt inquam de tenebris interioribus, ad exteriores; de tenebris huius vitæ, ad illas vitæ sempiternæ.

Psal. 81, 5.

Ad finem huius materiæ consultò me facturum ratus sum, si te cõmonefaciam, quòd etsi omne id quod dictum est de hac cælesti Sapientia, & lumine Spiritus sancti, verissimum sit, nemo tamen debeat, quantumuis etiam iustificatus sit, temere aut elato animo aliorum hominum sententijs refragari, sed humiliter sese maiorum iudicio submittere: illorum præcipuè, qui à Deo missi sunt Doctores, & Pastores Ecclesiæ, vt alio loco diximus copiosius. Quis enim Diuo Paulo magis hac luce abundauit? quis magis Moyse, qui facie ad faciem cum Domino loquebatur? nihilominus eorum vnus Hierosolymas venit, & cum reliquis Apostolis contulit Euangelium, quod in tertio cælo didicerat: alter autem non spreuit cõsilium soceri sui Iethro, quamuis Ethnicus esset atque à veri Dei cognitione alienus. Ratio huius est, quia auxilia & subsidia interiora gratiæ non excludunt ista exteriora Ecclesiæ, vtroque enim modo voluit diuina prouidentia nostræ consulere fragilitati, cuius vtraque subsidia sunt necessaria. Quemadmodum enim calor naturalis corporum nostrorum adiuuatur ab exteriore cæli caliditate, & quemadmodum natura quantumuis indiuidui sui conseruandi studiosissima, plurimum auxilij capit ab exterioribus medicamentis, eum in finem à Deo creatis: sic etiam lumen & auxilium interius gratiæ, per lucem & doctrinam Ecclesiæ plurimum adiuuatur, nec meretur vnum, qui sese humiliter submittere non vult alteri.

Aliorum sententia & iudicia audienda.

Gal. 2.

Exod. 18.

Simile.

DE QVARTO PRIVILEGIO VIRTUTIS, consolationibus nimirum Spiritus Sancti de quibus boni gaudent in hoc seculo.

CAPVT XVI.

POssem quidem post lucem interiorem sancti Spiritus, qua tenebræ nostri intellectus illuminantur, pro quarto priuilegio Charitatem & amorem Dei, quia cũ accenditur nostra voluntas, statuere, præsertim cùm ipse Apostolus hanc primo loco ponat inter fructus sancti Spiritus. Cæterum quia nos hic potiùs agimus de priuilegijs & prærogatiuis, quas secum adferunt virtutes, quàm de ipsis virtutibus, Charitas verò princeps sit omnium virtutum: nos hic de illa non agemus, licet & ipsa ad hunc quoque ordinem & propositum nostrum referri posset, non tanquam virtus, sed tanquam admirabile donum, quod Deus virtutis studio incumbentibus dare consuevit: quodque modo quodam ineffabili voluntatis interiora inflammat, & ad amandum Deum super omnia quæ amare possunt, inclinat, qui amor quo perfectior, eo est dulcior & delectabilior. Ob hanc causam non ineptè huic posset inseri numero tanquam fructus, seu præmium tam aliarum virtutum, quàm sui ipsius. Ne tamen ambitiosus virtutum, de quibus tot & tanta dici possunt, laudator esse videar, ponam quarto loco gaudium Spiritus Sancti, quod naturalis est proprietas eiusdem charitatis, & vnus è præcipuis Spiritus sancti fructibus, vti B. Paulus testatur, scribẽs ad Galatas. Etenim, quemadmodum paulò antè diximus, lux illa & cognitio, quàm Deus suis largitur amicis, non hæret tantùm in intellectu sed ad voluntatem etiã descẽdit, vbi diffundit suos radios, & splẽdorem spargit, ita vt animus exultet atque lætetur ineffabili quodam modo in Domino. Adeò vt quẽadmodum lux materialis de se producit calorem, quem sentimus: ita lux ista spiritualis in anima iusti gaudiũ

illud

illud creat spirituale, de quo loquimur; iuxta illud Prophetæ, *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.* Psal.96,11.

Etsi de hac materia dixerimus alias, adeò tamen diues est & copiosa, vt nunquam non supersint plura, quæ de ea dici possint, nec dicta sunt antea. Ad propositum verò libri huius operæpretium erit ostendere, quam ingens hoc sit gaudium: huius enim magnitudinis cognitio vtilissima est, & ad rapiendos hominum animos in Virtutum amorem efficacissima. Nemo enim est qui ignorat, quemadmodum omnia malorum genera in vitijs reperiuntur: ita omnia genera bonorum tam honestatis, quàm vtilitatis perfectè in virtutibus inueniri, vna voluptate excepta, quam negant mali virtutibus inesse. Cùm itaque cor humanũ nihil æquè atque voluptates appetat, dicunt homines isti, (aut operibus saltem, si non verbis, loquuntur) se malle imperfectam voluptatem, quàm id quod caret voluptate, cum omnibus suis perfectionibus, & prærogatiuis. Hoc est quod Lactantius Firmianus olim dixit, Quia, inquit, virtutibus admixta est amaritudo, & vitia voluptatibus condita sunt: homines autem amaritudinem fugiant, & voluptatum dulcedine illiciantur; plerique relictis virtutibus vitia summo studio sectantur. Hæc vna & sola causa est tam magni mali, & qui eximit homines è periculosissimo isto errore, non exiguum præstabit illa beneficium: quique euidentissimis argumentis probauerit, viam virtutis multo planiorem & suauiorem esse via vitiorum, non parum ipsis auxiliabitur. Illud autem est, quod firmissimis nunc, & omni luce clarioribus argumentis comprobare volumus, potissimum autem diuinæ Scripturæ auctoritatibus, cùm ipsæ sint & certiores, & solidiores probationes, quàm quæ aliunde in hanc materiam duci possent: Cælum enim & terra prius transibunt, quam apex vnus ex illis.

Mali existimant virtutibus non inesse voluptatem.

Lact. lib. 1. Institut. diuin. c. 1.

Dic ergo mihi, ô homo cæce, & miseris erroribus implicate, si via Domini tã sit amara, quàm tu tibi fingis, quid sibi vult illud Dauidis, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te?* Quibus verbis Propheta non tantùm exprimit magnitudinem dulcedinis, quæ iustis à Domino propinatur: sed rationem quoque reddit, cur mali illam non cognoscunt: quia nimirum Dominus illam abscondit, ab oculis eorum. Quid sibi vult illud eiusdem Prophetæ; *Anima mea exultabit in Domino & delectabitur super salutari suo. Omnia ossa mea,* id est, omnes meæ vires & potentiæ, *dicent, Domine quis similis tibi?* Dic mihi, quid hoc aliud est, quam dicere gaudium & lætitiam iustorum tantam esse, vt licet directè in spiritu excipiatur, redundet nihilominus propter abundantiam etiam in carnem, vt quæ antea nesciebat delectari, nisi in rebus carnalibus, propter communionem spiritus lætetur nunc in spiritualibus, & delectetur in Deo viuo, idque tanto cum gaudio, vt omnia ossa corporis mirabili hac suauitate perfusa moueãt hominem ad exclamandum, *Domine quis similis tibi?* quæ voluptates sicut tuæ? quam lętitiam, quem amorem, quam pacem aliqua poterit dare creatura, cum hac tua comparandam? Quid sibi vult illud eiusdem Psalmistæ; *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum?* quid inquam illud vult, nisi vt significetur veram salutem & lætitiam non inueniri in ædibus peccatorum, sed in animis iustorum. Quid adhuc sibi vult Propheta, cùm dicit: *Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia,* nisi vt ostendat festiuitates & conuiuia spiritualia, in quibus Deus animas iustorum sæpenumero mirabiliter reficit, cum rerum cælestium suauitate? In quibus conuiuijs propinatur vinum illud suauissimum, quod laudans idem Propheta dicit, *Inebriabuntur abundantia domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quibus alijs verbis Propheta graphicè magis magnitudinem harum delicatum ex primere potuisset, vocans eas ebrietatem, & torrente m voluptatis, vt significet vim & efficaciã, quã habeat animos à terrenis retrahendi, & in Deum conuertendi? Illud per ebrietatem hanc intelligitur. quemadmodum enim homo, qui multo vino obrutus est, vsum sensuum suorum amittit, nec multum à mortuo differt, propter vini virtutem: ita cum quis plenus est vino illo cælesti, moritur mundo, habetque sensus omnes in suis cupiditatibus impeditos. Porrò quid sibi vult illud eiusdem Prophetæ; *Beatus populus qui scit iubilationem?* Aliquis fortè dixisset. Beatus populus ille, qui abundanter habet omnia sibi necessaria, qui cinctus est fortissimis muris, & vallis circunseptus; qui à lectissimis famulorum & militum copijs custoditur; Sanctissimus autem Rex, qui notat hæc omnia, non ita loquitur, sed dicit eum esse beatum, qui per experientiam didicit, quid sit gaudere & iubilare in Deo: nõ quouis gaudiorum genere, sed illo, quod iubilationis dignum est nomine; quæ, vt Gregorius dicit, est gaudium spiritus tam immensum, quod nec explicari potest, nec vllis signis exterioribus demonstrari. Beatus itaque populus, qui sic profecit, & tantos fructus fecit in suauitate & amore Dei, vt sciat per experientiam, quid sit ista iubilatio, quam nec sapientissimus ille Plato intelligere, nec eloquentissimus Demosthenes, verbis assequi potest, sed cordi solùm humili & puro, in quo Deus habitat, cognita est.

Psal.30,20.

Psal.34,9.

Etiam carò iustorum exultant.

Psal.34,10.

Psal.117,15.

Psal.67,4.

Psal 35,9.

Psal.88,16.

Iubilatio spiritualis quã.

Greg lib.8. Moral. c.38.

Si Deus auctor sit huius iubilationis, perpende quæso quanta debeat esse quę à Deo proficiscitur? certum enim est, quòd, quemadmodum diuinum supplicium conforme est, ipsi Deo, ita etiam eius consolatio ipsi Deo conformis esse consueuit. Sed si supplicij illius, quando castigat hominem, tam ingens sit, quantæ putas erunt consolationes, cùm hominem consolatur? Si manum habeat tam grauem ad percutiendum, quàm leuem habebit, cùm extendit illam, vt amicis suis blandiatur? maximè cùm bonus hic Dominus multo mirabilior sit in operibus misericordiæ, quàm in operibus iustitiæ. Dic mihi præterea quæso, quæ est illa cella vinaria, vini pretiosissimi, in quam sponsa gloriatur sese à sponso introductam? in qua & ordinatam sese in charitate iactitat? Quod conuiuium illud, ad quod idem sponsus amicos suos vocat, cùm ait, *Bibite amici, & inebriamini charissimi?* quæ ebrietas est hæc, nisi magnitudo dulcedinis diuinæ, quæ vsque adeò alienat, & infatuat cor hominis, vt quasi extra se raptus esse homo videatur. Vulgò enim dici solet, hominem ebrium esse, quando vinum quod bibit maius est, & copiosius, quàm vt calor eius naturalis queat concoquere vel digerere: tunc enim vinum ascendit in cerebrum, atque ita homini dominatur, vt iam non regat semetipsum, sed à vino regatur. Quod si ita sit, dic mihi quæso, quis erit status animæ vino illo cælesti inebriatæ? quando est quasi vas Deo & amore diuino plenum: ita vt tantam voluptatum sarcinã nequeat portare, neque tota eius capacitas sufficiens sit, ad tantam beatitudinem ferendam? Ita scribitur de B. Effrem, quòd sæpenumerò hoc vino suauitatis cælestis adeò fuerit perfusus, vt fragilitas subiecti corporis impar oneri magnitudinem voluptatum sustinere nõ potuerit; ideoque clamare coactus sit, O Domine recede paululum à me, fragilitas enim corporis mei non fert tuarum deliciarum magnitudinem. O admiranda bonitas, ô suauitas immensa suppremi huius Domini, quæ tam larga manu creaturis suis cõmunicatur, vt fortitudo mentium ipsarum minor sit, quàm vt ferrè possit tantæ lætitiæ abundantiam. Hac igitur ebrietate cælesti sopiuntur omnes animæ sensus, hæc somnum pacis & vitæ conciliat, per hanc anima leuatur supra se, cognoscit, amat & gustat, plus, quàm per essentiam posset naturalem. Hinc est, vt

Deus vtima gnus in iustitia, ita magnus in misericordia.

Cant.5,1.

Vini cælestis dulcedinis quanta vis.

B Effrem.

est, vt quemadmodum aqua igni superimposita, quãdo feruescit, quasi propriæ suæ oblita naturæ (cum gratia omnia ferantur deorsum) ebulliens, sursum exiliat, naturam & leuitatem ignis imitata, cuius vti motu illo tollitur & eleuatur; sic etiam anima inflãmata flãma ista cælesti, exaltatur supra seipsam, rapitur quadam vi, & ad cælos vsque fertur, vnde flamma illa mittitur, ebullit ardentissimo quodam Dei desiderio, & cum maximo impetu in amplexus illius: extendit, & in altum leuat brachia, periculum faciens, si ad illum queat peruolare, quem diligit, cum autem eò se peruenire non posse videt, non cessat illud desiderare; cùm verò & desiderio se frustrari cognoscit, vna superest adhuc consolatio, suspiria & desideria ex intimis cordis penetralibus educta in cælum mittere, & cum sponsa in Canticis dicere; *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Quam speciem languoris Sancti dicunt ex eo nasci, quod impeditur homo, & non potest immensum cordis sui desiderium ad optatum finem & effectum perducere. Noli te ipse perdere, inquit Doctor quidam, propter impatiens hoc desiderium: non enim languor iste lethalis est, sed pro gloria Dei, vt Filius Dei glorificetur per illum.

Similis. Languor spiritualis. Cant. 5, 8. Ioan. 11.

Sed quæ lingua disertè satis poterit magnitudinẽ harum deliciarum effari, quibus amici Dei fruuntur in florido illo Salomonis ferculo seu lectulo de lignis Libani affabrè facto, cuius columnæ sunt argenteæ, reclinatorium aureum? Hic est locus nuptiarum spiritualium, qui propterea vocatur lectus, quia locus est quietis & amoris: locus inquam quietis perfectæ, somni vitalis, & voluptatum cælestium: quæ quam magnæ sunt, scire nemo potest, nisi qui per experientiam didicit.

Possumus tamen ex grauissimis, & verò similimis coniecturis aliquarum harum scientiam & cognitionem consequi: qui enim diligenter perpendit magnitudinem bonitatis & amoris Filij Dei, qui humani generis amore tam inaudita subijt opprobria atque tormenta, intelliget impossibile esse, vt difficile faciat atque arduum id, quod nos hic quærimus, cùm totum id nihil omnino sit in comparatione illorum? Quid non faciet pro iustis, qui talia fecit pro iniustis? quàm beneuolentiam non exhibebit amicis, qui tam dira supplicia sustinuit etiam pro inimicis? Horum aliquod indicium habemus in Canticis, vbi tot blanditiæ & tot deliciæ leguntur inter sponsum & sponsam, quæ est Ecclesia, vel quæcunque anima in gratia constituta; vbi tot verba referuntur amatoria vnius ad alterum, vt nulla eloquentia, nullus amor mundi fingere posset maiora seu blandiora.

Coniectura spiritualium deliciarum magnitudinis.

I

II Aliam coniecturam habemus ex parte hominum, iustorum dico, & verorum Dei amatorum. Etenim si cor illorum penitus introspicias, inuenies maximum illorum quod habent desiderium illud esse in quo semper occupantur, & meditantur, quo potissimum modo Domino Deo bene seruire, & in mille partes amore illius, si fieri posset, dissecari poterunt, saltem vt placeant & gratulentur ipsi aliqua in re, quam gratiam & acceptam nõrunt ei, à quo tam tenere diliguntur, & quotidie tot beneficiorum cumulis onerãtur, tot solatijs recreantur, & tanta cum prouidentia gubernantur. Dic mihi nunc, si homo, qui creatura est tam infidelis & ad omne bonum inidonea, ad istum cum Deo fidelitatis gradum perueniat, quid faciet illi vicissim homini, cuius bonitas, cuius charitas, cuius fidelitas est infinita? Si proprietas illius sit quòd sanctus est cum sancto, & bonus cum bono; hominis autem bonitas ad tantam perfectionem veniat, quo quæso diuina bonitas progredietur? Si Deus cum bonis in bonitate certet, quanta quæso eius erit præcellentia in hoc glorioso certamine? Et si (vti paulò antè diximus) homo iustus optet dimembrari, & in mille partes discerpi, eo quòd amore Dei ardeat, saltem vt Deo placeat; quid non faciet ipse Deus, vt iusto suo blandiatur, vt amico benefaciat, vt quem diligit consoletur? Id nec linguis hominum explicari, nec intellectu potest comprehendi, quare & à Propheta dictũ est, nec oculum vidisse, nec aurem audiuisse, nec in cor hominis ascendisse, quæ Deus præparauit timentibus se. Quod non tantum intelligendum est de bonis gloriæ, sed de ijs, quæ sunt gritiæ, B. Paulo teste.

Esa. 64, 4. 1 Cor. 2.

Ergóne etiam tibi videtur, mi frater, viam virtutis suas habere delicias & voluptates? Putasne omnes huius mundi amatorum illecebras posse cum his delicijs comparari? Quæ comparatio potest esse inter Christum & Belial: lucem & tenebras? delicias terrenas & voluptates cælestes? illecebras carnis & gaudia Spiritus sancti? delectationes denique creaturarum, & dulcedinem ipsius Creatoris? Certissimum enim est, res quo sunt nobiliores & excellentiores, eo potentiores esse ad maiores voluptates conciliandas. Dic mihi, quid voluit aliud Propheta, cùm diceret; *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas?* & alio loco: *Melior est dies vna in atriis tuis super millia: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Quid aliud denique sibi volunt verba illa sponsæ in Canticis; *Meliora sunt vbera tua vino?* & paulò pòst, *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinũ?* hoc est, memores suauissimi lactis tuarum consolationum & blanditiarum, quibus tu reficis & ad vbera tua premis spirituales tuos filios; quod suauius est & dulcius omni vino. Per vinum illud non intelligit vinum materiale, (quemadmodum nec in pectore Dei lac esse nouimus.) sed delectationes & gaudia mundi, qualia propinat suis amatoribus illa meretrix in Apocalypsi, sedens super aquas multas, & poculum habens aureum in manu sua plenum abominatione & immunditia fornicationis suæ, inebrians & peruertens iudicium omnium habitantium in Babylonia, ne præuideant suam perditionem, & à malo respiscant.

Virtus suas habet delicias.

Pſal. 36, 16. Pſal. 83, 11.

Cant. 1, 2.

Apoc. 17.

Quomodo iusti in orationibus suis singulari quodam modo diuinis his consolationibus reficiuntur.

SI materiam hanc persequendo interrogaueris me, qua in re iusti potissimum his consolationibus, de quibus hactenus egimus, perfruuntur, respondet ipse tibi Deus per os Prophetæ; *Et filios*, ait, *aduenæ, qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos, omnem custodientem sabbathum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum, adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.* In hoc enim exercitio Deus peculiariter lætificat electos suos. Nam, vt Laurentius Iustinianus in oratione quadã dicit, inflammantur corda iustorum amore sui Creatoris, & hic nonnunquã supra sese eleuantur, putãtque se esse inter choros angelorum, ibique in præsentia Creatoris canunt, amãt, suspirãt, laudãt, plangunt, gaudent, edunt & esuriunt, bibunt & sitiunt, & omni vi sua cõtendunt in Dominum suum transformari, quem contemplãtur fide, venerantur humilitate, quærunt desiderijs, & charitate fruuntur. Tunc agnoscent quã verũ sit illud Saluatoris. *Vt habeãt gaudium meũ impletũ in semetipsis.* Quod quasi flumẽ pacis diffunditur per oẽs animæ potentias, illuminãs intellectũ, lætificãs voluntatẽ, renouãs memoriã & recolligens oẽs eius cogitationes in Deo: illic eum brachijs amoris amplectitur, habẽtq; nescio quid in se, desiderãt enim totis suis viribus tenere, nec volunt vt ab ipsis discedat. Et sicut Iacob, qui luctabatur cũ Angelo, non voluit illum dimittere, sic

Esa. 56, 6. *Voluptas iustorum in orationibus sentitur.*

Laur. Iustin. de casto connubio Verbi & animæ cap. 22.

Ioan. 17, 13.

cor suo

Gen 32,26. cor suo modo cum diuina dulcedine luctatur, nec illam vult dimittere, sed tenet fortiter, tanquam aliquid, in quo inuenit omne id quod quærit, & desiderat, dicitque cum S. Petro in monte; Matt.17,4. *Domine bonum est nos hic esse.* Anima in isto statu constituta optimè intelligit phrasin & idioma libelli Canticorum, sed & ipsa dulcissimum illud modulatur canticum; Cant.2,6. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et, Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Tunc anima diuina illa flamma accensa maximopere cupit dissolui, & exire hoc carcere, lachrymæ eius sunt illi panes die ac nocte, quamdiu differtur ista liberatio. Mors illi in votis est, & vitam patientia; sine intermissione repetit illud Canticorum; Cant.8,1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te solum foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Tunc admirata ad seipsam cogitat, quomodo fuerunt absconditi isti thesauri in tempore hactenus elapso, vidensque omnes homines tanti boni capaces esse, desiderat exire in omnes vicos & plateas, acclamare omnibus hominibus, & dicere? Quò properatis insipientes & stulti? quid queritis? cur non properatis? cur non contenditis, vt hoc bono fruamini? Psal.33,9. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.* Postquam enim iam gustauerit dulcedinem spiritalem, omnis caro illi deficit, omnis societas erit illi carcer, omnis solitudo videbitur esse Paradisus; & deliciæ erunt adhærere Domino, quem amat. Omnis honos onus, omnis œconomia & diuitiarum administratio genus erit, quoddam martyrij. Nō patietur quicquā, vel in cælo, vel in terra suas interturbare voluptates; ideoq; adiugilabit, ne quę cor suū externæ intrēt cogitationes aut solicitudines. Non erit illi nisi vnus amor, vnum desiderium; omnia in vno amabit, & vnū amabit in omnibus, Optimè dixit Propheta; Psal.72,25. *Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum; Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Mutatio bonorum. Adhanc felicitatem qui peruenit, non putat amplius habere sese obscuram rerum diuinarum scientiam, sed alijs sese oculis videre arbitratur; eos enim sentit motus, earq; mutationes in corde suo, quæ sunt quasi infallibilia argumenta, & firmissima veritatis fidei testimonia. Cùm dies est turbulentior, & fastidium parit, noctem quietem desiderat, vt effundat animam suam coram Domino, noctemque cum Deo transigat. Nulla nox longa nimis, imò quæ longissima est, ea videtur esse Nox longa quomodo transigenda. breuissima. Si nox serena sit, attollit oculos, vt pulchritudinem cæli, stellarum, & Lunæ splendorem cōtempletur, omniaque hæc nouis oculis, & nouo gaudio considerat, ab illis prioribus longe diuersis. Considerat ea tanquam imagines pulchritudinis sui Creatoris, tanquam specula gloriæ illius, tanquam nuntios & interpretes qui enarrant eius maiestatem, tanquam testimonia perfectionum & gratiarum eius; tanquam munera quæ sponsus sponsæ mittit ad amorem continuandum & augendum vsque in diem illū, quo manu sua apprehendet illam, & in cælesti palatio æternum illud cum ea matrimonium celebrabit. Videtur ille mundus vniuersus liber vnus, qui loquitur magnalia Dei, epistola vna quam mittit suæ dilectæ, vnum instrumentum amoris illius. Hæ sunt mi frater noctes amatorum Dei, hic somnus quem dormiunt. Dulci itaque hoc & amabili noctis murmure, gratarq; creaturarū harmonia, anima quieta recolligitur in seipsa, incipitque dormire somnum illum insomnem, Cant.5,2. de quo scriptum est, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cùm itaque dulcissimus ille sponsus sponsam suā videt in brachijs suis obdormiuisse, custodit illam & conseruat in illo vitali somno, mandatque ne quis illam excitet, dicens, Cant.2,7. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosq; camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quo adusque ipsa velit.* Dic mihi quales noctes hæ esse tibi videntur? Quæ sunt meliores, hæ, an illæ filiorum huius sęculi? qui isto tempore obambulant, insidiantes castitati innocentium virginum, vt honorem illarum, animasque suas perdant; graues ferro, timoribus, & suspicionibus vitam & animam periculo exponentes, & thesaurizantes sibi iram Dei, in die iræ Dei & perditionis suæ?

De consolationibus eorum qui Deo primùm seruire incipiunt.

ADomnia, quæ huc vsque dicta sunt, vnica forsis obiectione respondebis, dicens; istas consolationes & blanditias, de quibus hactenus egimus, non omnibus esse communes, sed perfectorum proprias; vt autem quis perfectus fiat, multa requiri. Verum quidem est, has talium esse: benignissimus tamen Dominus noster benedictionis suæ dulcedine quoque occurrit ijs, qui primum incipiunt, initio lac illis, tanquam pueris præbens, deinde panem & solidiores cibos manducare docens. Non venit tibi in mentem solennis ille dies, quem pater filio prædigo instituit? nescis conuiuium & inuitatos? ignoras Luc.15. musicas, quæ in illo resonabant, harmonias? Age quid illa sibi volunt, nisi vt significent spiritale gaudium, quo delinitur anima, cùm se ex Ægypto eductam, & à manu Pharaonis atque diaboli videt liberatam? Quomodo geniale festum non parabitur seruo manumisso? quomodo non omnes illic creaturas inuitabit, vt conueniant, secumque gratias agant suo liberatori? Quomodo non ipse præcinet, inde & alios inuitabit, dicens, *Cantemus Domino gloriose magnificatus* Exod.15,1. *est, equum & ascensorem dejecit in mare?* Quod si ita non sit, vbi est prouidentia Dei, quæ cuique creaturæ prouidet perfectissimè iuxta naturam, fragilitatem, ætatem, & capacitatem suam? Certum enim est homines adhuc carnales, & mundo immersos, hanc viā inusitatam calcare non posse, nec mundum pedibus subijcere, nisi Dominus manum porrigat, & similī dulcedine sua præueniat. Pertinet itaque ad diuinam prouidentiam (vbi iam determinatum est hominem è mundo eximere) viam hanc præparare, planamque facere, vt per illam facilius nouus viator ambulare queat, sublatis difficultatibus, quæ terrere illum possent, & ad mundum retrahere. Huius vitæ iucundissima figura est ea, per quam Dominus filios Israel duxit in terram promissionis, de qua via sic scribit Moyses, *Cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Do-* Initia conuersionis sunt habere voluptates. Exod.13,17. *minus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersus se bella consurgere & reuerteretur in Ægyptum.* Eadem, qua tunc vsus est Dominus prouidentia, in deducendo populum suum ex Ægypto liberatum in terram promissionis, & nunc vtitur in ducendo quos vult ad cælum è mundo prius ereptos.

Sciendum hoc loco est, etsi consolationes & deliciæ perfectorum maximæ sint, & multum eximiæ, tātam tamen esse bonitatem & pietatem Dei nostri, præsertim erga paruulos, vt respiciens illorum paupertatem, ipse eos domum ædificare nouam adiuuet, & considerans illos inter multas peccandi occasiones versari, & nondum passiones illorum mortificatas esse, vt reportent victoriam, vt à carnis suæ violentia liberentur, vt à mundi lacte depellantur, & tam arctis amoris vinculis constringantur, vt in Ægyptum & domum patris redire nequeāt: perfundit illos gaudio & consolatione tam potenti, vt licet incipientium sit, habeat tamen, secundum proportionem suam, quandam similitudinem cum dulcedine & gaudio perfectorum.

Dic mihi quæso, quid aliud voluit Deus ist's veteris testamenti festis significare, cùm dicit primum & vltimum

Leuit. 23. Num. 28.

vltimum diem æqualis fore venerationis & celebritatis? Sex dies intermedij minoris erant solennitatis, extremi verò duo præ cæteris erant insignes, & peculiares suas habebant prærogatiuas. Quid hoc aliud est, quàm vmbra & imago huius, quod dicimus? In primo die præcipit Dominus eandem solennitatem obseruari, quam in vltimo; vt intelligamus quòd in principio conuersionis, & in fine perfectionis Dominus solenne festum celebrat omnibus seruis suis, in his cõsiderans ipsorum merita, in illis verò summam necessitatem: erga hos vtens iustitia, & erga illos gratia seu misericordia; vni dans mercedem virtutis, alteri in necessitate auxilium. Quando arbores florent, & quando maturos habent fructus, vsu pulcherrimæ sunt. Dies quo sponsalia contrahuntur, & quo nuptiæ celebrantur & matrimonium consummatur, cæteris sunt solenniores. In principio Dominus animam sibi despondet, sed cùm illam in domum suam excipit, conuiuia suis illi sumptibus facit: atque ita festum illud conforme non est meritis sponsæ, sed diuitijs sponsi, omnia ex ædibus suis mittentis & dicentis: *Soror nostra parua, & ubera non habet*, proinde necesse est creaturam suam nutriat alieno lacte. Quare eadem sponsa colloquens cum sponso suo dicit, *Adolescentulæ dilexerunt te.* Non dicit mulieres vel matronæ, quæ sunt animæ in Virtute fundatæ; sed dicit adolescentulæ iuuenculæ, quæ sunt animæ, quæ incipiunt oculos aperire, & ad nouam illam lucem aspicere: istæ, inquit sponsa, dilexerunt te, tales enim solent maximos sentire stimulos in initio suæ conuersionis, vt B. Thomas ostendit in quodam suo opusculo. Inter alias verò huius alacritatis causas esse dicit ille nouitatem status, amoris, lucis & cognitionis rerum diuinarum, quas tunc cognoscunt, antea verò non cognouerunt. Nouitas enim illius cognitionis summam in illis parit admirationem, coniunctam cum incredibili suauitate & gratitudine, quam exhibent illi, à quo tanta bona perceperunt, & à quo tãtis è tenebris erepti sunt. Videmus per experientiam hominem, cum celebrem aliquam ingreditur ciuitatem, aut regale palatium, primo die quasi attonitum obambulare, animo præ nouitate rerum, quas conspicit, suspenso: vbi verò diutius eo loco hæret, eademque iam sæpius videt, admiratio illa minuitur, & voluptas, qua cum primum ea videbat, flaccescit. Idem accidit ijs, qui primùm intrant nouam hanc gratiæ ciuitatem, propter nouitatẽ rerum, quæ in illa paulatim deteguntur. Mirandum igitur non est pietatis tyrones subinde maiores sentire feruores in animabus suis quàm veterani: nouitas enim lucis & cognitionis rerum diuinarum maiorem in ipsis parit alterationem. Hinc est quod optime D. Bernardus annotauit, filium natu maiorem non mentitum cum diceret, *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer. sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti vitulum saginatum.* Feruet amor nouus, instar musti: & aqua in aheno tam diu quieta est, donec incipiat calorem ignis sentire: tunc confestim ebullit, & in altum fertur, postea verò etsi calor sit intensior, aqua tamen quietior est, nec tam furiosa, quàm cùm primùm caleseceret. Dominus blandissimè amplectitur illos, qui primùm domum eius ingrediuntur, primo die manducant cum blanditijs, omniaque iucunda sunt & grata. Sed & Dominus se erga incipientes gerit, vti mercatores solent, qui prius specimen aliquod mercium suarum proferunt vt ex eo emptor totam rem æstimet; tantoque ad emendum fiat alacrior. Amor quo parentes filios paruulos complectuntur, etsi maior non sit illo, quo seniores diligunt, tenerior tamen est, & blandior. Hi soli ambulare debent, illi in brachijs portantur: hi ad la-

In initio & fine conuersionis festum esse celebre.

Cant. 2, 5.

Cant 1, 3.

Vnde voluptas in Christi tyronibus oriatur.

Simile.

Luc. 15, 29.

Simile.

bores mittuntur, illi in delicijs nutriuntur, & suo relinquuntur arbitrio: hi nisi victum quærant sæpe esuriunt, illi otiosi vt comedant rogantur, imò cibus in ora eorum mittitur.

Ex hac beneuolentia suauique commercio Domini, oritur tandem in illis spiritale gaudium, de quo Propheta dicit, *Riuos eius inebria, multiplica genimina eius, in stillicidijs eius lætabitur germinans.* Quę genimina hæc? quis germinans, & quæ stillicidia, nisi ros diuinæ gratiæ, quo irrigãtur plantæ spirituales, quæ sunt recens transplantatæ in horto Domini? De his itaque dicit Propheta, quod lætantur in stillicidijs aquæ illius, quæ cælitus demittitur: vt significet summum gaudium, quod percipiunt illi in primitijs nouę istius visitationis, & beneficij cælestis: Ne autẽ arbitreris quia stillicidium vocat hanc beneuolentiam, seu gratiam, ideo iuxta nominis significationem paruam esse, quæ incipientibus datur: nam, vt B. Augustinus dicit, bibit de flumine Paradisi, cuius vna gutta maior est Oceano, quæ sola potest totius mundi sitim restinguere.

Psalm. 64, 11

Augustin.

Non euertit hęc argumentum eorum, qui dicunt, se non sentire consolationes & gaudia hæc. Nam si palatum, cùm à malis humoribus corruptum est, non gustat cibi dulcedinem (quod enim dulce est, amarum videtur, & quod amarum, dulce) quid mirum si habenti animam pessimis vitiorum & inordinatorum affectuum humoribus corruptam, adeoque Æhyptiorum edulijs assuefactam, nauseet tibi manna, & panis Angelorum fastidium adferat? Purga palatum lachrymis pœnitentię, & purgato illo gustabis & videbis quã suauis sit Dominus. Hæc si sic se habeant, quæso, dic mihi, mi frater, quæ bona sunt in hoc mundo, quæ si cum his conferantur, lutum & stercus non videbuntur? Duplicem beatitudinem esse tradunt Doctores, vnam incipientem, aliam perfectam: vnã præsentem aliquam futuram: vnam viæ, alteram patriæ, hac fruuntur beati in gloria, illa verò iusti in hoc seculo. Quid aliud optandum tibi est, quàm vt incipias hic beatus fieri, & accipias in hac vita pignus & arrhã diuinorum sponsaliorum, quæ illic celebrantur per verba de præsenti, hic verò incipiunt per verba de futuro? O homo, inquit Richardus, cùm tibi liceat viuere in hoc Paradiso, & tam inæstimabili frui thesauro, vade & vende omnia quæ habes, & compara tibi pretiosam & fertilem hanc possessionem, præsertim cum cara nõ sit: Christus enim est qui vendit, imò qui quasi gratis donat. Noli emptionem hanc differre in futurum: punctum enim temporis vnum, quod tibi nunc incassum elabitur, totius mundi thesauris est pretiosius. Etsi ea tandem tibi detur; certus tamen esto, quòd magno cum dolore conquereris, quod tamdiu caruisti; & plangens cum B. Augustino dices, Serò te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua; serò te amaui. Semper ille Beatus plangebat suam tarditatem, etsi corona non fuerit tandem frustratus. Attende itaque tu, ne aliquãdo simili planctu conqueraris, quòd nũc per negligentiam perdis illa bona, quibus iusti in hac vita per gratiam, & beati in altera per gloriam perfruuntur.

Cur mali dulcedinem Dei non sentiant.

lex atitudo.

Richard.

Tempus pretiosum.

Aug. c. 31. Soliloquiorũ.

DE QVINTO VIRTVTIS PRIVILEgio, quod est bonæ conscientiæ tranquillitas, qua boni fruuntur: deq; tormento atque remorsu interiori, quo improbi crucciantur.

CAPVT XVII.

POst gaudium & consolationem Sancti Spiritus, succedit alia lętitia, quam habẽt iusti à testimonio bonæ conscientiæ. Ad euidentiorem huius priuilegij intelligẽtiam, sciendum est diuinam prouidentiã (quæ, vt omnes creaturæ, quæ sibi ad conseruationem & perfectionem sunt necessaria, habeant, benignè prouidit) cum vellet creaturam rationalem perfectã

In quo consistat hominis perfectio.

esse, quidisse vberrimè nequid eorũ, quæ ad perfectionem pertinent, illi deesset. Et quia perfectio huius creaturæ consistit in perfectione intellectus & voluntatis illius, quæ sunt duæ primariæ potentiæ animæ nostræ, quarum vna perficitur Scientia, altera verò Virtute, Deus creauit principia vniuersalia omnium scientiarum in intellectu, vnde procedunt conclusiones illarum: in voluntate verò constituit seminarium omnium virtutum: posuit enim in ea naturalem quandam inclinationem ad omne bonum, & horrorem ab omni malo: ita vt voluntas naturaliter gaudeat in vno, & contristetur in altero; contra illud murmurans, quasi contra rem, à qua naturaliter abhorret. Quæ inclinatio tam naturalis est, & tam efficax, quòd etsi forte posset diutura malè viuendi consuetudine debilitari, perire tamen & omnino extingui non potest, quod & liberi arbitrij nostri quoque proprium est: etsi enim illud vsu peccandi debilitetur & langueſcat, non tamen planè intermoritur. In huius rei

Iob 1. figuram legimus in libro Iob, in singulis calamitatibus, & damnis viri Dei, non defuisse saltem vnicum famulum, qui cladem annuntiaret. Eodem modo nũquam deest ille seruus, nec relinquit eum qui peccat.

Synderesis. Hunc seruum doctores Synderesin conscientiæ nuncupant, quæ ex omni naufragio salua euadit, & inter omnes mortuos sola non moritur, quæ non cessat malorum oculis præsentare bonum quod amiserunt, quando peccarunt, & malum in quod lapsi sunt. Qua in re mirabili pulchritudine resplendet diuinæ prouidentiæ cogitatio, & amor, quo virtutem diligit, posteaquam constituit illi perpetuum excitatorem ne obdormiat, perpetuum concionatorem, qui nunquã tacet, & magistrum, qui semper ad optima quæque

Epictetus. dirigit. Intellexit hoc optimè Stoicus ille Epictetus, qui dicebat; Parentes pædagogo pueros nos tradiderunt, qui vbique obseruarent, ne quid lederemur: Deus autem iam viros insitæ conscientiæ custodiendos tradidit quæ quidem conscientia & conseruatione nequaquam contemnenda est, quoniam & Deo displiceret, & conscientiæ ipsi nostræ hostes essemus.

Quemadmodum autem conscientia hæc est quasi Præceptor & Magister bonorum: item e contrario carnifex est & tortor malorum, qui affligit & cruciat

Conscientia magister bonorum, & tortor malorum. intrinsecus, atque sine intermissione accusat peccatores de malis perpetratis, & admiscet absynthiũ omnibus voluptatibus eorum, adeò vt vix mordeant alium Ægypti, quin viua lachryma ab oculis ipsorum defluat. Hæc est vna earum plagarum, quibus Dominus se impios cruciaturum minatur apud Esaiam, dicens,

Esa. 14.23. *Et ponam Cabylonem in possessionem erinacij.* Et enim iusto Dei iudicio cor impij, qui hic per Babylonem intelligitur datur in potestatem erinacij, spinosi illius animalis, hoc est, Diaboli, spinarum etiam & stimulorum conscientiæ, quos secum adferunt peccata: quæ tanquam acutæ spinæ lancinant cor hominis.

2. Spina. Quod si me roges: quæ sint illæ spinæ, dico vnam esse turpitudinem & enormitatem peccati, quod natura sua tam est abominabile, vt Philosophus quidam dixerit;

Plato. Si scirem Deos mihi condonaturos, & homines ignoraturos, adhuc peccare erubescerem, propter solam peccati turpitudinem. Alia spina est, quando

2. Spina. peccatum secum fert offensam vel iniuriam alterius, tunc enim oculis eius repræsentantur tanquam sanguis Abel, qui clamat vindictam coram Domino. Huius rei exemplum est in libris Machabæorum, quod

Gen. 4.

1. Mach. 6. Antiocho Regi iam iam morituro in mentem venêre omnes iniuriæ, omniaque mala, quæ fecerat in Ierusalem; ex qua recordatione in tantam tribulationem deuenit, & in eos fluctus tristitiæ, vt dixerit, *Nunc verò reminiscor malorum quæ feci in Ierusalem, & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam sine causa. Cognoui ergo quia*

Ibid v. 12. *inuenerunt me mala ista, & ecce pereo tristitia magna in tera altena.* Alia spina est infamia, quæ peccatum sequitur, quam volens nolens peccator cognoscit; & *3. Spina.* propterea non potest non dolere: naturaliter enim homines sibijpsis bene volunt, & afflliguntur contrario, Non enim est gratius supplicium, vt sapiens quidã dicit, odio publico. Alia spina est necessarius mortis timor, incertitudo vitæ, metus reddendæ rationis & horror supplicij sempiterni. horũ singulę sunt spinę quæ grauiter pungunt & lancinant cor impij: adeò vt quotiescunque mortis memoria incidit, ab vna parte tã certa, ab altera tam incerta, non potest non contristari, vt dicit Ecclesiasticus. Videt enim diem illũ omnẽ iniquitatem suam vindicaturum, finemque vitijs Eccles. 41. & voluptatibus suis impositurum. Nec quisquam est qui hanc memoriam prorsus à se possit abijcere, cùm nihil æquè sit naturale mortali, quã mori. Hinc est vt quolibet in malo statu constitutus timore & tremore *Timor malæ conscientiæ.* concutiatur, dubius an morietur, an verò non: amoris enim proprijs vehementia, & timoris perturbatio facit eum vmbram metuere, & pauere vbi pauere non oportebat. Itaque si in terra clades & infirmitates cõmunes oboriantur, vt pestis, terræmotus, tonitrua, vel fulmina, peccator confestim expauescit, & perturbatur, & alteratur timore malæ conscientiæ, persuadens sibi istis malis se peti. Omnes istæ spinæ simul pungunt, & lacerant corda malorum, vti prolixè admodum cõmemorat illud vnus ex amicis B. Iob, *Cunctis diebus suis,* Iob 15.20. inquit, *impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius: Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Sonitus isti clamores malæ conscientiæ sunt, quæ continuè eum mordet & accusat: in medio autẽ pacis timet insidias inimicorũ, quantumuis enim pacifice viuat, suis contentus, nũquam tamen deest metus malæ conscientiæ. *Non credit quòd reuerti possit de* Ibid. v. 22. *tenebris ad lucem:* hoc est, non potest credere posibile esse, vt aliquando liberetur à tenebris miserabilis status in quo viuit, & acquirere serenitatem & tranquillitatem bonæ cõscientiæ, quæ tanquam iucundissima lux exhilarat, & illuminat omnes angulos animæ: *circumspectans vndique gladium,* quocunque oculos Ibid v. 23. vertit, nudu ante se gladium videt, adeò vt *cùm mouerit se ad quærendum panẽ,* Ibid. v. 23. cùm mensæ accumbit, in qua homines ferè solent esse hilariores, non absint mille metus: *nouit* (enim) *quòd paratus sit in manu eius tenebrarum dies:* hoc est, mortis, iudicij, & definitiuæ, seu finalis sententiæ, adeò quòd *terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eũ, sicut Regẽ qui præparatur ad prælium.* pedites & equites circundat. Hoc modo describit amicus ille Iob crudele tormentum, quod miseri illi in corde patiuntur. Timor enim, vt Philosophus ait, diuina dispensatione malos comitatur. Huic nõ dissimile est Salomonis: *Fugit impius nemine persequẽte, iu-* Prouerb. 28.1. *stus autẽ quasi leo cõfidens, absq; terrore erit.* Omnia hæc paucis verbis cõplectitur B. Augustinus: Iusisti Domine, & verè sic est, vt pœna sibi ipsi sit omnis inordinatus animus. Id plerunque videtur in omnibus rebus. Quid enim in mundo inuenitur inordinatum, quod naturaliter inquietum non est, & perturbatum? Ossa iuncturis suis, & loco naturali emota, quos dolores adferunt? Elementum quod extra sphęrã suam est, quã violentiã patitur? humores corporis humani, cũ suam quantitatẽ & naturalẽ temperationẽ excedunt, quas nõ infirmitates pariunt? Cũ itaque tã propriũ sit creaturę rationali ordinatè, & secundũ rationẽ viuere, si cuius vita inordinata sit, eius quoq; natura patitur & cruciatur. Nõ immeritò dicit Iob: *Quis restitit Deo &* Iob 9.4. *pacem habuit?* In hæc verba cõmentatus B. Gregorius, Greg. li. 9. Moral. c. 2. Qui cũcta mirabiliter, inquit, creat, ipsẽ vt creata sibimet conueniant ordinat. Ex hoc infert, quoties cõditori resistitur, toties pacis cõuentionem dissipari: quia

inquit,

Aug. lib. 1. Confess. c. 12. Omnia inordinata mala sunt.

Similia.

Seneca lib. 3. de Benef. c. 17 Alia aliquot spinæ.

inquit, ordinata esse nequeunt, quę superni moderaminis dispositionem perdūt. Quæ enim subiecta Deo, in tranquillitate persistere nequeunt, ipsa se sibimet dimissa confundunt; quia in se pacē non inueniūt, cui venienti desuper in auctore cōtradicunt. Sic summus ille Angelicus spiritus, qui subiectus Deo in culmine stare potuisset, semetipsum repulsus patitur: quia per naturæ suę inquietudinem foris vagatur. Sic primus humani generis parens, quia auctoris præcepto restitit, carnis protinus contumeliam sensit; & quia subesse conditori per obedientiam noluit, sub semetipso prostratus, & pacem corporis protinus amisit. Hæc B. Gregorius.

Illud itaque tormentum est, in quo iusto Dei iudicio viuunt mali: estque non minima miseria illarum, quas in hoc seculo patiuntur. Testantur id Doctores penè omnes: inter alios verò B. Ambrosius, Quæ pœna grauior, inquit, quàm interioris vulnus conscientiæ? Nonne hoc magis fugiendum, quàm mors? quam dispendium? quàm exilium; quàm debilitas: quàm dolor est? Isidorus verò ait, Omnia fugere poterit homo, præter cor suum: non enim potest à se quisquam recedere quocunque enim abierit, reatus sui conscientia illum non derelinquit. Et alio loco; Nulla pœna grauior, pœna conscientiæ. Vis autem nunquam esse tristis, viue bene. Secura mens tristitiam leuiter sustinet. Bona vita gaudium semper habet: conscientia autem rei semper in pœna est. Nunquam securus est reus animus, mens enim mala conscientiæ proprijs agitatur stimulis. Id adeò verum est, vt ipsi etiam Ethnicorum Philosophi, nō agnoscētes, aut credentes pœnas, quibus fides nostra punit impios, idē per omnia confessi sint. Audi Senecam; Quid prodest recondere se, & oculos hominum, auresque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala autem in solitudine anxia atq; solicita est. Si honesta sint quæ facies, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire? O miserum te, si contemnis hunc testem, ipsa enim conscientia, vt in prouerbio est, mille testes. Idem auctor alio in loco, Maxima, inquit, pœna, qua peccatum potest castigari, est, commisisse illud. Alio loco repetens idem: Nullū inquit, conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipsum. Alium enim potes effugere, te autem nunquam. Nequitia enim ipsa est sui pœna. Sed & Cicero in quadam Oratione, de hac materia differens; Magna, inquit, est vis conscientiæ, in vtramque partem: vt neque timeant qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerint.

Ambr. de Offic. lib 3. cap. 4.

Isid in Syn. li. 2. c. 26.

Lib. 2 Soliloquio.

Seneca epist. 43. & 98.

Lib. de Moribus.

Cicero pro Milone.

Hoc itaq; vnum est eorum tormentorum, quibus affliguntur mali sine intermissione: quod quidem in hac vita incipit, & in altera continuabitur: est enim hoc vermis ille immortalis, vt ait Esaias, qui rodet, & torquebit sine fine conscientias malorum: hoc est, Abyssus abyssum inuocare, vt testatur Isidorus, cùm scilicet peccatores, transeunt à iudicio propriæ conscientiæ, ad iudicium æternæ damnationis.

Esa. 66.

Isid. lib 2. de Syn. c. 26.

De gaudio bonæ conscientiæ, quo boni perfunduntur.

AB hoc flagello, ab hac tribulatione, & ab hoc paruo inferno (si fic liceat dicere) liberi sunt & immunes boni & iusti. Non enim habent istas punctiones & stimulos conscientiæ; sed gaudent floribus atque fructibus suauissimis virtutum, quas Spiritus S. in animabus illorum plantauit, tanquam in Paradiso terrestri, & horto optimè culto, in quibus & ipse oblectatur. Ita loquitur B. Augustinus, scribens in Genesin: Etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradisus est. Vnde & Ecclesia in Sanctis temperanter, piè, & iustè viuentibus, paradisus rectè dicitur, pollens affluentia gratiarum, castisque delicijs. In libro quoque de Catechizandis rudibus sic ait,

Augustin. li. 8 in Gen. Tranquilla conscientia, Paradisus.

Tu qui veram requiem (quæ post hanc vitam Christianis promittitur) queris etiam hic eam inter amarissimas vitæ huius molestias suauem gustabis, si eius, qui eam promisit, præcepta dilexeris. Citò enim senties dulciores esse fructus iustitiæ, quàm iniquitatis: & verius ac iucundius gaudebis de bona conscientia, inter molestias, quam de mala inter delicias. Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis facilè intelligis, tantùm esse bonæ conscientiæ gaudium, quòd quemadmodum mel non tantum dulce est, sed & dulce facit id, quod prius dulce non erat: ita bona cōscientia tam læta est, & iucunda, vt faciat etiam omnes huius mūdi molestias & tribulationes videri iucundas. Porrò quemadmodum diximus turpitudinem & enormitatem peccati cruciare malos, sic vice versa pulchritudo & dignitas virtutis exhilarat, & consolatur bonos; vti disertis verbis testatur Propheta. *Iudicia Domini* (quæ sunt diuina eius mandata) *vera iustificata in semetipsa: Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & fauum.* Quomodo autem delectatus sit in mandatis Domini custodiendis Regius Propheta, de seipso testatur in alio Psalmo, dicens, *In via mandatorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitijs.* Quam sententiam patris filius eius Salomon confirmat; *Gaudium*, inquit, *est iusto facere iustitiam: & pauor operantibus iniquitatem*, quæ iustitia non est aliud quam ipsa virtus, & vt homo faciat quod debet. Quod gaudium etsi oriatur ex alijs quoque causis, præcipuè tamen oritur ex dignitate & pulchritudine virtutis, quæ (vt Plato inquit) pulchritudo est inæstimabilis.

Aug. de Catechizandis rudibus, c. 16.

Psal. 18, 10.

Psal. 118, 14

Prou. 21, 15.

Denique tantus est fructus & dulcedo bonæ conscientiæ, vt B. Ambrosius in libris suis de Officijs non vereatur dicere, in ea consistere beatitudinem iustorum in hac vita. Eius verba sunt, Tantus splendor honestatis est, vt etiam beatam efficiat tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentię. Quemadmodum autem Philosophi sine lumine fidei cognouerunt torméta conscientiæ malæ, ita & gaudium bonæ cognouerunt. Inter alios Cicero in libris de quæstionibus Tusculanis ita loquitur: Acta ætas honestè atque splēdidè tantam adfert consolationem; vt eos, qui ita vixerint, aut non tangat ægritudo, aut leuiter pungat animi dolor. Idem alio loco; Nullum theatrum virtuti cōscientia maius. Socrates interrogatus quis posset viuere sine perturbatione? respondit, Qui nihil sibi conscius est mali. Bias cùm interrogaretur quidnā in vita metu careret? ait, Bona conscientia. Seneca quoque in quadam epistola; Sapiens nunquam est sine lętitia, ea autem ex bona conscientia procedit. Ex quibus liquet quam pulchrè hæc conueniant cū sententia Salomonis: *Omnes dies pauperis mali*, hoc est miseri, *secura mens quasi iuge conuiuium.* Non posset quid dici maius, verbis tam exiguis. Quibus significat Sapiens, vti illi, qui in conuiuio sedent, varietate dapum & epularum, præsentia quoque amicorum, quibus cum victitant, exhilarantur: sic & iustos lætari testimonio bonæ conscientiæ, & odore præsentiæ diuinæ: à qua tam euidens pignus salutis in anima perceperunt. Sed differentia est hæc, quod gaudium conuiuiorum huius mundi est bestiale, & terrenum: hoc autem cæleste & perpetuum: illud incipit cum fame, & desinit cum fastidio; hoc incipit cum bona vita, perseuerat autem & terminatur cum gloria. Quod si Philosophi in tanto pretio gaudium hoc habuerint, sine spe alicuius rei in futura vita: Christiani, qui sciūt quanta bona Dominus præparauit nobis in altera vita, quanta etiam in hac præsenti, quāto magis debent exultare?

Lib. 2. Tusc. Socrates. Bias.

Seneca.

Prouerb. 15, 15

Similes.

Porrò etsi testimonium hoc non debeat esse absque sancto & religioso timore, timor tamē ille nō perturbat, aut diminuit istud gaudium, sed admirabili quo-

Testimonia bonæ conscię. eia timorem debet habere admixtum

dam modo confortat illum, in quo est quare tacitè nobis insinuatur tunc spem nostram esse magis legitimã & sanam, cùm sanctum hunc timorem habet sibi coniunctum, sine quo spes non erit spes, sed falsa præsumptio.

Ecce, mi frater, nouum hic priuilegium, quo fruuntur boni; de quo dicit Apostolus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: quod in simplicitate cordis, sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.* 2. Cor. 1, 12. Hæc sunt quæ de isto priuilegio dici possunt, cæterum nec illa, nec multo plura sufficiunt, ad declarandam illius excellentiam homini, qui non habet ipse experimentũ. Simile. nam & verbis explicari aut describi nequaquam potest sapor exquisiti alicuius cibi, ei, qui antea non gustauit: Cùm sine dubio gaudium hoc tam magnum sit, vt non rarò cùm homo pius multum affligitur & tribulatur, oculosq; circumuoluens nusquam solatiũ inuenit, si oculos introrsùm vertat, & pacem conscientiæ, bonumq; eius testimonium intueatur, planè corroboretur, & miro solatio perfundatur. Optimè siquidem intelligit omnia alia (succedant vt volunt) parum vtilitatis adferre: bonam autem conscientiam vtilem esse ad omnia. Et quamuis nemo de illa certus Simile. & securus esse potest, tamen quemadmodum Sol manè, cùm nondum supra horizontem apparet, splendoris sui vicinitate mundum illuminat: sic bona conscientia licet apertè non cognoscatur lætificat tamen animam bono suo testimonio. hoc adeò verum est, vt Chrys. hom. 25. ad pop. Antioch. de via recta. B. Chrysostomus dicat? Omnis ægritudinis abundãtia cadens in bonam conscientiam, non aliter perit & extinguitur, quàm si ignis scintillula in immensum incidat Oceanum.

DE SEXTO PRIVILEGIO VIRTVTIS, quod est fiducia & spes diuinæ misericordiæ qua gaudent boni, & de misera & vana confidentia, in qua viuunt mali.

CAPVT XVIII.

Rom. 12, 12. GAudium bonæ conscientiæ comitatur illud fiduciæ atque spei, in quo viuunt iusti, de quo dicit Apostolus, *spe gaudẽtes, in tribulatione patientes:* consulens nobis vt lætemur in spe, & habeamus patientiam in tribulatione: ipsa enim dicit, nos magnum habere adiutorem & remuneratorem. Hęc est vnus ex præcipuis vitæ Christianæ thesauris: hæc est possessio & patrimonium filiorum Dei: hæc est portus securus & verum remedium omnium huius vitæ miseriarum. Notandum autem hic est (ne fortè fallamur) quod vti duæ sunt fidei species, vna mortua, quæ non operatur opera viua, estque illa malorum Christianorum: alia viua & Charitate formata, quæ est illa, quam habent iusti, per quam opera vitæ faciunt: Duplex spes. ita etiam duæ sunt spei, seu fiduciæ species, vna mortua, quæ vitam animæ non dat, nec eam suis operibus confortat, nec in tribulationibus consolatur. Talis est 2. Pet. 1. ea spes, qua mali gloriantur. Alia est viua (vt Apostolus Petrus eam appellat) quæ vt res quæ vitam habet, ita etiam effectus vitæ operatur: qui sunt animum erigere, consolari, lætificare, in via quę ducit ad cælum confortare, & dare nescio quam recreationem & fiduciam in tribulationibus mundi huius: qualem habebat sancta illa Susanna, de qua scriptum est, quòd Dan. 13, 35. iam condemnata, cùm ad locum supplicij duceretur, in quo lapidibus obrueretur, animum non despondit, Psal. 118, 49. *sed in Deo sperabat, & cor eius erat fiduciam habens in Domino.* Talis erat spes Dauidis, cùm diceret; *Memor esto Domine verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti: hæc me consolata est in humilitate mea.* Huius viuę spei multi & admirabiles sunt effectus in anima, quã inhabitat, & tanto plures, quanto plus participat de charitate & amore Dei, qui vitam tribuit ipsi spei.

Horum effectuum primus est, quod corroborat hominem in via virtutis spe præmij, seu mercedis: quanto enim certius habet illius præmij pignus, tanto alacrius currit per quaslibet huius mundi tribulationes, vt vno ore fatentur omnes sancti Doctores. Spes, inquit D. Gregorius, in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala, quæ exterius tolerat, sentit. Origenes verò, Futurorum bonorum spes laborantibus requiem parit: sicut in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ. Subscribit huic B. Ambrosius, Spes, ait, commodi furatur labores, & metum abscondit periculi. In eadem sententia & Beatus Hieronymus est, Omne opus, inquit, leue fieri solet, cùm eius pretium, cogitatur: & spes præmij solatium fit laboris. Copiosior in eo est Chrysostomus, Semper, ait, futurorum bonorum spes præsentia incommoda læuius ferre facit. Id quod in negotiatoribus quis viderit, qui remota maria transeunt, & naufragia ferũt, & piratas, & præterea pericula multa, quibus illorum spes frustratur, neque tamen sic desistunt, sed eadem iterum periclitantur. Hoc etiam de agricolis possemus dicere. Etenim & illi cùm profundè secuerint terram, & diligenter excoluerint, ac sementem fecerint, sæpè ariditate, vel immodicis pluuijs, vel tandẽ quando manipuli colligendi, rubigine, vel alia calamitate superueniente spe sua excidunt. Veruntamen neque illi sic desistunt, sed iterum vt tempus appetierit, agriculturam exercent. Et alio loco, Si quis vitam laboriosam æstimet, suæ desidiæ est accusatio: si enim minaces nautæ pelagi fluctus, si tempestates & hyemes agricolis, si vulnera cædesque militibus, si grauissimi ictus plagæque pugilibus leues videntur, & tolerabiles sint, propter spem temporalium, ac pereuntiũ commodorum: multo magis cùm cælum præparatur in præmium, nihil ex præsentibus asperitatibus debet sentiri. Maximè labores mitigat in benignum finem venire promissum. Noli itaque, ó Christiane, considerare viam virtutis esse asperam: sed vide quis sit finis illius. Ne decipiaris videndo viam vitiorum esse dulcem, sed perpende præcipitium ad quod te ducit. Verè Sanctus ille dixit optimè. Etenim quis nostrum optet in via ambulare rosis strata, variisque floribus consita, si exitus illius certa mors sit? Et quis viam recusabit asperam & difficilem, quæ ducit ambulantẽ ad vitam?

Effectus vtræ spei. I

Greg. lib. 7. Moral. & li. 6. Moral. c. 16 Hom. 9. in Exodum. In Psal. 12.

Hieron. in Epist.

Chrys. hom. 17 in Gen. & Hom. 24. in Matt.

Similia.

In Matt.

II

Spes hæc non solùm animos nobis addit, in obtinẽdo fine desiderato: sed in omnibus etiam medijs, quæ ad finem illum destinata sunt, atque adeò generaliter in omni necessitate, atque vitæ huius miseria. Per hanc enim homo adiuuatur in omni sua tribulatione: defenditur in periculis, solatium accipit in doloribus, auxilium in infirmitatibus, sufficientiam in omni necessitate: per hanc enim consequimur gratiam & misericordiam Domini, quæ nobis in omni re succurrit. Horum omnium certissima, & euidentissima sacrarum scripturarum habemus pignora, in psalmis potissimum Dauidicis. Vix enim Psalmus reperitur vllus, qui non exaggeret & commendet nobis hanc virtutem, eiusque nobilissimos fructus prædicet. Est enim sine dubio spes ditissimus thesaurus, & summa consolatio, quam habent boni in hoc seculo. Nemo itaque indignè ferat, si prolixiores simus in auctoritatibus huius loci referendis. In secundo Paralipomenon libro Propheta quidam dicit Regi Asæ: *Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum, vel sperant in eo.* 2. Paral. 16, 9 Hieremias verò de hac spe sic loquitur, *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Et Esaias: *Sireuertamini & quiescatis, salui eritis in silentio & spe erit fortitudo vestra.* Thren. 3, 25. Esa. 30, 15. Per silentium hoc loco intelligitur trãquillitas & quies interior animæ,

in me-

in medio tribulationum: quæ est effectus spei, quæ eliminat omnem solicitudinem, & inordinatam anxietatem, per gratiam, quam expectat à diuina misericordia. Huic non dissimile est illud Ecclesiastici: *Qui timetis Dominum, credite illi: & non euacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia. Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus speranit in Domino, & confusus est.* Et Salomon in Prouerbijs: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Maximum sanè spei incitamentum est, misericordiam Dei non legendo solùm, sed multò magis experiendo cognouisse. Firma enim fiducia sperat homo illum sibi profuturum, qui frequenter alijs profuit. Hinc illud ex Psalmo est, *Sperêt in te qui nouerunt nomen tuum, quia non dereliquisti quærentes te Domine.* Hanc autem fiduciam vir sanctus allegat; *Ego*, inquit, *in Domino speraui, exultabo & lætabor in misericordia tua.* Effectum huius spei idé declarat, cùm ait, *Sperantem autem in Domino misericordia circundabit*, optimè dicit, *circumdabit*, vt significet, quòd custodiet illum ab omni parte, non aliter atque Rex quispiam à suis satellibus cingitur, vt tanto sit securior. In alio verò Psalmo idipsum docet prolixius; *Expectans*, ait, *expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino. Beatus est vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Omnia verba hæc Prophetæ sunt, in quibus & alium huius virtutis effectum ostendit; aperiri nimirum os & oculos hominis, vt cognoscat per experientiam bonitatem, & prouidentiam paternam Dei. Est quoque spei singularis quidam fructus, non solùm à periculis liberatio, sed etiam noua laus & gratiarum actio, quam Propheta insinuat, cùm subdit; *Et immisit in os meum canticum nouum, &c.* Nouũ autem canticum appellat, quod inusitato & nouo affectu ac lætitia, propter nouæ liberationis gratiam canitur. Non ita facilè huic materiæ finem imponere poterimus, si omnes versus & integros subinde Psalmos, hac de re scriptos in medium proferre velimus. Psalmus enim nonagesimus, & centesimus vigesimus quartus, in eo toti sunt, vt hanc virtutem nobis commendent, & præclaros eius fructus describant, quibus gaudent ij, qui sperant in Domino, & habitant in illius protectione. In prioris Psalmi versiculum nouum scribens D. Bernardus ait; *Quoniam tu Domine spes mea.* Quicquid igitur agendum sit, quicquid declinãdum, quicquid tolerandum, quicquid optandũ, Domine tu es spes mea. Hæc vna mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se iactet pondus diei & æstus, ieiunare bis in Sabbatho dicat; postremò non esse sicut ceteros hominum glorietur: *mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spẽ meam.* Si mihi præmia promittantur, per te obtinenda sperabo, si insurgant aduersùm me prælia, si fæuiat mundus, si fræmat malignus, si ipsa caro aduersùm spiritũ concupiscat, in te ego sperabo. Vt quid enim si hæc sapiamus cunctamur omnino abijcere omnes spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, & huic vni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota deuotione animi, toto feruore spiritus inhærere? Paulò inferiùs idé mellifluus Doctor, per modum dialogi, sic philosophatur, Dicit Fides; Parata sunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis: dicit Spes: mihi illa seruantur: tertia Charitas; Curro mihi (ait) ad illa.

Ecce, mi frater, vides q̃ ingentes sint fructus huius Virtutis, & ad quid vtiles. Spes est tanquam portus securus, ad quem cursum dirigunt iusti, quotiescunq; mundi aliqua tempestas ingruit: est tanquam scutum fortissimum, quo omnia tela nostrorum hostium, sine vllo vulnere excipiuntur: est quasi depositum, aut annona recondita, ad quam tempore famis licet accedere cunctis pauperibus, & panem petere. Est tabernaculum illud, & vmbra illa, quam Dominus apud Esaiam promittit, vt sit electis suis *in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine, & à pluuia*, id est, ab omni aduersitate & prosperitate mundi. Est denique medicina & commune remediũ omnium nostrorum malorum. Certũ enim est quicquid à Deo iustè, fideliter, & prudenter speramus, id nos accepturos, si modò saluti nostræ conducat, & ad eam pertinet. Propterea Cyprianus misericordiam Dei vocat inexhaustum fontem omnium bonorum, & spem seu fiduciam vas, quo bona illa excipiuntur: dicitque secundùm quantitatem vasis, remedij quoq; fore proportionem, nam ex parte fontis, aqua misericordiæ nunquam deficiet, *Omnem locum*, ait Dominus filijs Israel, *quem calcauerit vestigium pedis vestri, tradem vobis*. ita & omnis misericordia, super quam homo posuerit pedem suum, eius erit. Huic conforme est illud, *Qui mouetur à Domino sperabit omnia, nec spe sua frustrabitur.* Ex quo patet hanc spem esse imitationem virtutis, & potentiæ diuinæ, in gloriam eiusdem Dei redundantem. Non ignorauit hoc Bernardus, cùm diceret, Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quòd omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Vis scire id verum esse? Nonne de omnipotentia Dei participabat ille, qui existens in terra, mandabat Soli, vt staret in medio cæli, & non festinaret occumbere spatio vnius diei: Et alius, qui optionem dabat Regi Ezechiæ, vel lætne, vt ascenderet vmbra Solis decem lineis, an vt reuerteretur totidem gradibus? Hoc est quod singulari modo illustrat gloriam Domini, si videamus seruos illius tam potentes. Etenim si superbus ille Assyriorum Rex gloriatus sit in eo, quòd qui seruiebant ei, Reges erãt, vt ipse: quanto magis gloriari poterit Dominus Deus noster, quòd quodammodo Dij sunt omnes, qui seruiunt ipsi; posteaquam tantum de sua potentia participant?

Sylua effectuum spei.

Esa. 4, 6.

Cypr. in epist. ad Don.

Iosue 1, 3.

Bern. ser. 85. in Cant. *Spes facit homines omnipotentes.*

Ioſ 10.

4. Reg. 20.

Esa. 10.

De vana spe malorum.

Hic itaque est thesaurus ille Spei, quem possidẽt boni in hac vita, & ad quẽ malis nõ patet accessus. Licet n. & ipsi spẽ habeãt, nõ tamẽ viuã habẽt, sed mortuã. Peccatũ n. vitam aufert, & propterea non operatur eorum spes in ipsis effectus, quos supra commemorauimus. Etenim vt nulla res inuenitur, quæ spem magis viuificat, quàm bona conscientia; sic præcipua causa, quæ deficere facit, & interimit hanc spem, est mala conscientia, semper enim ea lucẽm fugit, metuit, & hominem efficit pusillanimem: non ignorat enim clausam esse sibi diuini fauoris & gratiæ ianuam. Hinc est, vt quemadmodum vmbra semper corpus sequitur, sic timor & desperatio vbiq; & semper malam comitentur conscientiam. Apparet itaque talem esse malorum fiduciam, qualis est felicitas eorum: nam sicut felicitas ijs est in bonis huius mundi, sic & in ijs est eorum spes & fiducia; cùm in ijs glorientur, & ad ea, tanquam ad asylum, recurrant in tempore tribulationis. De hac spe scriptum est in libro Sapientiæ; *Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma grauis, quæ à procella dispergitur & tanquam fumus, qui à vento dissipatus est.* Ex quibus videre licet quàm vana sit spes impiorum.

Sap. 5, 15.

Non tantum vana est spes hæc, sed & valde noxia, fallax & periculosa: vt Dominus Deus monet per os Prophetæ; *Væ filij desertores* (id est, qui patrem deserunt istis) *dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me*

Esa 30, 1.

Ecclı 2, 8.

Prouer. 3, 5.

Psal. 9, 11.

Psal. 30, 7.

Psal. 31, 10.

Psal. 39, 1.

III.

IV.

Ibid. v. 4.

Psal. 90, 9. Bern. ser. 9. in psalmum Qui habitat.

Luc. 18.

Psal. 72, 18.

Psal. 7.

Bern. ser. 20. super eundẽ Psal. 90.

& ordiremini telã, & non per spiritum meũ, vt adderetis peccatum super peccatum: qui ambulatis vt descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignominiam. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit, non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, sed in confusionem & in opprobrium. Hæc omnia verba sunt Esaiæ. Nec his contentus, pergit in capitulo sequenti: *Væ qui descendunt in Ægyptum, ad auxiliũ* Cap. 31, 1. *in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia præualidi nimis, & non sunt confusi super sanctum Israel, & Dominum nõ requisierunt. Ipse autem sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit: & consurget contra domum pessimorũ, & contra auxilium operantium iniquitatem. Ægyptus enim homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non spiritus, & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator: & cadet, cui præstatur auxilium simulq; omnes consumentur.*

Vides hic, mi frater, luce meridiana clariùs differentiam, quæ est inter spem bonorum, & illam, quæ malorum est. Malorum enim spes caro est, bonorum verò spiritus. Vna nihil aliud quàm homo est, altera Deus est, ita vt differentia, quæ inter Deum & hominem est, eadem inter spem & spem inueniatur. Meritò itaque Propheta contendit nos ab vna deterrere, & ad alteram inuitare, dicens: *Nolite confidere in Principibus, neque in filijs hominum, in quibus non est salus.* Psal. 145, 3. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Ecce & hic differentiam inter vtramque spem. Eandem differentiam idem Propheta & alio Psalmo declarat dicens. *His in curribus, & his in equis: nos autem* Psalm. 19, 8. *in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.* Vides hic quàm bene conueniant fructus spei suæ basi, fundamento, vel arbori: vnius enim fructus est casus; alterius verò subleuatio, seu victoria. Quare nõ immeritò, qui in vanitatibus mundi huius sperant, comparari possunt viro in Euangelio, qui *ædificauit* Simile. Matth. 7, 24. *domum suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina & flauerunt venti & irruerunt in domũ illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Qui verò sperant in Domino, assimilari possunt ei, qui ædificauit domum suam supra petram, quæ secura stetit, solida & firma, contra omnes tempestates & fortunas vitæ huius.

Idem non minùs eleganter Propheta Hieremias alia insigni doceret cõparatione: *Maledictus*, inquit, Hier. 17, 5. *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit cùm venerit bonum: sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.* De iustis verò omnia dicit contraria. *Benedictus*, inquit, *vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorẽ mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum: nec aliquando desinet facere fructum.* Hactenus verba sunt Hieremiæ.

Ibid v. 7. *Qui sperat in creatore, huic omnia prosperè: qui in creaturis, infeliciter succedunt.*

Dic mihi quæso, quid aliud requiri posset (si modo sit hominibus vel modica rationis scintillula) ad cognoscendum differentiam, quæ est inter spem bonorum & spem malorum; inter prosperitatem quoque horum & illorum? Quæ maior potest esse commoditas arboris, modo quo dicit Propheta plantatæ? Crede mihi, talis est iustorum conditio, cui succedunt omnia prosperè: eo quod plantati sunt secus decursus aquarum diuinæ gratiæ. Sed è contrario nullius potest prior esse arboris status, quàm quòd sit siluestris, quòd stat in siccitate, in deserto, in terra salsuginis: fructum non dat in tempore suo, ab omni denique conspectu & cultura hominum quàm longissimè sit remota. Ex hac comparatione non difficulter mali possunt intelligere, se in hac vita non posse statũ habere miserabiliorem: eo quòd oculos habent remotos, imo planè auersos à Deo, qui est fons aquæ viuæ, & conuersos in spem creaturarum fragilium & fallacium, quæ intelliguntur per terram siccam, desertam, & inhabitabilem.

Ex hoc etiam manifestum est, quàm mundus ipse lachrymis & planctu dignus sit, qui plantatus est in terra sterili, cùm pedẽ spei suæ habeat in basi tam debili constitutum: quæ non est spes, sed error, vanitas, & cõfusio, vti superius declaratum est. Dic mihi quæso, quæ potest esse miseria maior hac? quæ paupertas nudior, quàm viuere sine spe? Cum itaque homo tam pauper & nudus effectus sit per peccatum, vti superius ostendimus, & tam necessaria sit illi spes diuinæ misericordiæ; quid erit ei, qui etiam hanc amisit, quæ confirmare illum & consolidare potuisset? Videmus animalia cuncta in suo genere nasci perfecta, vt nihil desit ipsis ad vitæ conseruationem tuendam. Homo verò propter peccatum adeò desolatus; & omnibus destitutus est, vt quasi nihil in se habeat earum rerũ, quæ sunt ipsi necessariæ, sed tanquam eleemosynæ cũcta illi à diuina misericordia petenda sunt. Hoc igitur medio sublato, qualis erit vita hominis? manca sanè, mutila, & mille plena defectibus. Quid aliud est viuere sine spe, nisi viuere sine Deo. Quid aliud ad vitam tuendam homini ex antiquo suo patrimonio reliquum est, præter vnicum hoc fulcrum & subsidium? Quæ hominis natio vsquam tam barbara, tam ab omni religione aliena, quæ non habeat aliquam Dei aut numinis cognitionem? quæ non honoret eum aliquo certo cultu & religione? à quo etiam nõ expectet aliquod beneficium diuinæ prouidentiæ? Exigua illa tẽporis mora, qua Moses aberat à filijs Israel, putauit populus se esse sine Deo, & tanquam rudis adhuc & incultus cœpit vociferari, & dicere Aaroni, *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Exod. 32, 1. quasi non ausus vlterius sine Deo aliquo proficisci. Ex quo patet, ipsam naturã humanam, etsi non semper verum Deum cognoscat, cognoscere tamen Deo aliquo sibi opus esse, etsi ignoret causam propriæ fragilitatis, ipsam tamen fragilitatem suam agnoscit, & propter hanc naturaliter alicuius Dei quærit auxilium. Vti hedera naturaliter Simile. quærit vallũ seu stipitem, cui nitatur, aut murum aliquem, à quo fulciatur, & per quem in altum serpat, cùm seipsam nequeat sustentare: imò quemadmodũ Simile. mulier naturaliter quærit fulcimentum & vmbram viri; tanquam enim animal imperfectum, cognoscit sibi necessarium esse viri subsidium: ita & ipsa natura humana, tanquam inops, & multarum rerum indiga, quærit vmbram & refugium Dei.

Spes bonorum spiritus, malorum caro.

Vbi mundus plantatus sit

Quàm infelix status eorum, qui spẽ non habent in Deo.

Sola spes hominimansit reliqua.

Hominem sine Deo viuere non posse.

His itaque sic se habentibus, facilis est cõsideratio, qualis sit vita hominum, qui viuunt in hac misera viduitate, Deum relinquentes, & à Deo relicti. Vnum autem hoc me scire velim: Illi, qui hoc modo viuunt, qua re seipsos in suis miserijs consolantur? quò se recipiãt in suis periculis? quis medeatur ipsorum infirmitati? quo cum sua conferant negotia? quos consulant in rebus dubijs? à quo petant auxilium in suis necessitatibus? cum quo commercium habeant? cum quo conuersentur? cui adhæreant? qua denique ope huius vitæ laqueos euadant illi, qui non habent vllum refugium? Si corpus viuere non possit sine anima, neque anima sine Deo; sanè non minus erit Deus vni vitæ necessarius, quam anima est alteri. Et si (vti

Quam necessaria sit hominispes.

iam

iam antè dictum est) viua spes sit anchora nostræ vitæ; quomodo quis audet procellosi maris huius adire pericula, naui anchora spei destituta? Si spes scutum sit, quo nos defendimus; quomodo sese poterunt homines in medijs hostibus defendere, scutum hoc non habentes? Si spes sit baculus, quo humana sustentatur post vniuersalem illam debilitatem natura; quid faciet homo languidus & infirmus, sine huius spei scipione?

Hactenus, vt arbitror, abundè satis demonstrauimus, quæ sit inter spem bonorum & malorum differentia: quæque sit vtriusque natura & conditio. vnam nimirum habere Deum defensorem, basim & fulcimentum; aliam verò *arundineum baculum Ægypti confractum, cui qui innititur homo intrabit in manum eius, & perforabit eam*. Æquum enim est, vt error, quem homo committit, sperando in rebus tam dubijs, & ijs prorsus innitendo, à Deo corrigatur haud aliter, quam illusione casus & infortunij, quemadmodum Propheta Hieremias apertè testatur: qui cùm destructionem seu euersionem Regni Moab, & causas illius prædiceret, sic inquit: *Pro eo quòd habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & thesauris tuis: tu quoque capieris, & ibit Chamos (Deus tuus in quo confidis) in transmigrationem: sacerdotes eius, & Principes eius simul*. Perpende itaque tu quod genus auxilij sit illud, cum ipsum confidere in aliquo, sit ruina ipsius, in quo confidebatur?

Esa.36, 6. 4.Reg 18,21. *Pœna inanis spei.* Ierem. 48,7.

Hæc itaque dicta sufficiant de spei priuilegio: quæ etsi videatur ferè eadem esse cum speciali Dei prouidentia, de qua suprà dictum est, tamen eadem non est: differunt enim inter sese, vt effectus & causa rei. Etsi enim multa sint huius spei fundamenta, vti bonitas Dei, veritas eiusdem, & merita Christi: principale tamen est ista paterna prouidentia, ex qua oritur spes & fiducia. Scire enim se Deo tantæ curæ esse, tantaque ab eo solicitudine se tueri, & gubernari, magnam excitat in homine spem & fiduciam.

Prouidentia Dei & fiducia seu spei differentia.

DE SEPTIMO VIRTVTIS PRIVIlegio, vera scilicet libertate, qua gaudent boni: deque miseria & incognita seruitute, in qua viuunt peccatores.

CAPVT XIX.

EX omnibus priuilegijs supradictis, præcipuè verò ex secundo & quarto, gratia nimirum Spiritus sancti, & diuinis consolationibus, aliud oritur non minùs admirandum, quo boni fruuntur: estque vera libertas animæ, quam Filius Dei intulit in hunc mundum, à quo priuilegio nomen Redemptoris generis humani consecutus est, eò quod redemit hominem, & liberauit ab illa vera & misera seruitute, in qua viuebat; in veram illum asserens libertatem. Hoc ex præcipuis bonis vnum est, quæ Christus in hunc mundum intulit; vnum ex insignioribus beneficijs Euangelij, vnus ex nobilioribus effectibus Spiritus sancti: *vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas*, ait Apostolus: vnum denique ex opulentioribus præmijs, quæ in hoc seculo veri Dei cultoribus promittuntur. Hanc libertatem pollicebatur Dominus aliquibus, qui illi seruire volebant: *Si vos*, inquit, *manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem: & veritas liberabit vos*. hoc est, dabit vobis veram libertatem. *Responderunt ei; Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quomodo tu dicis, liberi eritis? Respondit eis Iesus; Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: seruus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum: si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis*. In quibus verbis Dominus apertè insinuat duo esse libertatis genera, vnum falsum & apparens, aliud verum & reale. Falsa libertas eorum est, qui corpus quidem habent liberum, animam verò captiuam, subiectamque tyrannidi propriarum passionum, & peccatorum: qualis erat illa magni Alexandri; qui cùm esset dominus totius mundi, seruus erat propriorum suorum vitiorum. Vera autem libertas eorum est, qui habent animam liberam ab omnibus istis tyrannis, etiamsi corpus nunc quidem liberum, nunc seruum vel captiuum habeant: qualis erat illa Apostoli, qui etsi captus erat, & in vinculis detinebatur, spiritu tamen per cælum volitabat, & doctrina suarum literarum vniuersum mundum liberabat. Ratio autem cur ea libertas propriè libertas vocetur, & non illa alia, hæc est: quòd quemadmodum inter duas partes hominis essentiales, anima multo nobilior est corpore, imò ipsa quasi totus homo sit, corpus verò nihil aliud sit, quàm materia vel subiectum, cui anima est inclusa: ita verè dici liber ille debet, qui principaliorem partem habet liberam: ille autem falsò liber appellatur, qui animam captam habet, etiamsi circunducat corpus quocunque vult liberum.

Libertatis origo. 2.Cor.3,17. Ioan.8,31. *Libertas alia vera, alia falsa.* *Cur libertas anima vera libertas sit.*

De seruitute, in qua viuunt homines mali.

SI quis autem me interrogauerit, vnde sit illa seruitus, de qua nobis sermo est? Dico esse seruitutem & captiuitatem sub terribilissimo, immanissimo, crudelissimoque omnium, qui nominari possunt, Tyranno nimirum Peccato. Omnium enim rerum, quæ sunt in mundo, maximè abominabilium abominabilissimum est tormentum inferni, multo tamen magis abominabile est peccatum, quod causa est huius tormenti, & huius quoque seruitutis: quo nimirum peccatores sunt serui, & mancipia, vti intellexisti ex verbis Domini superiùs allegatis. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Ioan.8,34.

Peccatum immanis tyrannus.

Quæ igitur seruitus potest hac esse miserabilior? Non autem tantùm seruus est peccati, qui facit peccatum: sed & præcipuorum eius instigatorum & persuasorum; vt sunt Diabolus, Mundus, & propria caro, ab eodem peccato corrupta, alijque omnes appetitus inordinati, qui ab illa procedunt. Qui enim seruus est filij, etiam seruus est patris. Omnibus autem contestatum est, tres illos esse patres peccati; ideoque vocantur inimici animæ, eo quod animæ graue malum inferunt: vti est illud quòd faciunt eam seruam aut captiuam, traduntque in manus crudelis istius Tyranni. Et licet quidem omnes illi tres in eo conspirârunt, operantur tamen id modis diuersis. Duobus siquidem prioribus seruitur à tertia, quæ est caro, tanquam altera Eua, vt decipiat Adamum: aut tanquam instrumentum valde accommodum, ad rapiendum nos aut trahendum in omne malum. Propter hoc Apostolus manifestiùs eam vocat peccatum: effectum pro causa ponens: est enim quæ instigat ad omne genus peccati. Propter eandem causam Theologi vocant illam *Fomitem peccati*; id est, cibum aut nutrimentum peccati. Communi tamen vocabulo vocatur Sensualitas, Caro, aut Concupiscentia: quæ & vocabulo magis noto dicitur Appetitus sensitiuus, vnde omnes animi perturbationes nascuntur, quatenus corruptus est, & inordinatus factus per peccatum: ille est instigator, stimulus, & quasi vena omnium peccatorum. Propterea & alij duo hostes singulare auxilium capiunt à carne, & appetitibus illius, vt tanto fortiùs nos impugnent. Hinc D. Basilius dicit, præcipua arma, quibus nos oppugnat Diabolus, esse nostra desideria. Vehemens enim affectio rerum, quas concupiscimus, quærit eas habere siue per fas, siue per nefas: nec quicquam intuetur, etiamsi lege diuina prohibitum sit, atque ex tali affectu peccata nascuntur.

Quorum seruus est peccator. Genes 3. *Caro peccatum & fomes peccati.* Rom. 8. *Appetitus sensitiuus causa perturbationum.* Basilius.

Est itaque appetitus talis, vnus ex immanioribus

Rom 7. *Arbitrij liberum debilitatur, non amittitur.*

Tyrannis, quibus homo peccator subiectus est: aut, vt Apostolus loquitur, *venundatus*. Vocat autem eum venundatum sub peccato, non quòd talis arbitrium liberum amiserit, quo cum creatus est (quantum enim ad eius essentiam nunquam illud amittitur, ne quidem propter infinita, quæ committi possent peccata) sed quia per peccatum liberum arbitrium partim valde debilitatum est, partim quoque appetitus sensualis tam potens factus, vt debile à potentiori non rarò superetur.

Ceterùm quid magis dolendum est, quàm videre hominem, qui animam habet factam ad imaginem & similitudinem Dei, lumine cælesti illuminatam; intellectum verò quo cum ascendit super omnes res creatas, vsquequo dum ipsum Deum inueniat: nihilominus omnem hanc suam nobilitatem contemnere, subijci & regi impetu quodam furioso, à belluino suo appetitu, & corruptum esse à peccato, circumduci insuper, moueri, & impelli à Diabolo? Quid quęso tandem ab hoc regimine expectandum est, pręter ruinas, præcipitia, malaque incomparabilia? Vt autem manifestiùs videas huius seruitutis turpitudinem, eam exemplo quodam illustrabo. Imaginare virum aliquem matrimonium iniisse cum fœmina tantæ pulchritudinis, nobilitatis, & prudentiæ, quanta in sexum hunc potest cadere, eum tali coniugio beatum, habere seruam, velancillam, veneficam, seu fascinatricem, à qua propter occultam quandam inuidiam dementatur, & mente capitur, adeò, vt repudians vxorem propriam, seipsum prædam det seruæ: substituens eam in locum vxoris; cum ea comedens, dormiens, consilium captans, & omnia sua conferens negotia: cumque ea paulatim dissipans, & prodigaliter consumens omnes suas diuitias in conuiuijs, iocis, symposijs, alijsque modis similibus: imo his non contentum, ad eam venire dementiam, vt vxorem propriam compellat huic ancillæ famulari, vel vti mancipium in omnibus, quæ præcipit illa, seruire. Quis credat cuiusquam viri dementiam huc posse deuenire? & si eò quis deuenerit, quot conuitijs & maledictis proscindetur ab his qui sapiunt? quanta erit omnium in hanc ancillam indignatio? & econtrario quanta erga bonam illam & nobilem fœminam sympathia? quot suspirijs agnati deflebunt viri illius dementiam? Videtur hæc res prima fronte indignissima: multo tamen indignior & fœdior est illa, de qua nunc agimus. Sciendum enim est duas istas fœminas in anima nostra reperiri, spiritum scilicet, & carnem: quas alio nomine vocant Theologi partem superiorem, & inferiorem. Pars superior est, in qua ratio & voluntas est, quæ lumina sunt naturalia, quibus in creatione Deus partem illam insigniuit. cuius partis tanta est pulchritudo & nobilitas, vt ratione illius homo imaginem Dei habere dicatur, capax Dei sit, & frater Angelorum. Hæc est illa nobilis fœmina, quam Deus homini tanquam coniugem sociauit, vt vitam cum ipsa duceret, omnia sua consilio illius instituens, dictamine scilicet illius luminis cælestis. In parte verò inferiore est appetitus sensitiuus, de quo nunc egimus; qui datus est homini ad appetendum omnia sibi ad vitam & conseruationem suæ speciei necessaria. hic igitur cum limitatione & ordine sibi à ratione præscripto, tanquam dispensator accipit, expenditque bona secundum voluntatem domini. Appetitus ille serua est, de qua paulò antè dicebamus. quæ quia non habet lumen rationis, non est facta vt regat aut imperet, sed vt regatur, & imperium accipiat. His sic se habentibus, infelix homo ad eam peruenit insaniam, vt quasi in prædam datus, & amore, desiderioque captus illius malæ fœminæ, quæ excusso rationis consilio, quo regi debebat, eò proteruiæ atque temeritatis peruenit, vt rationi dominetur: faciens omne malum quod peruersa hæc vult, omnes appetitus suos, omnia desideria, tam carnalia, quam sensualia sequens, & perficiens. Videmus enim homines nonnullos adeò carnales, effrænes, & cordis sui desiderijs subiectos, vt in omnibus suis actionibus bestiarum instar obediant & pareant peruersæ huic fœminæ, sine respectu aut legis, aut rationis. Quid aliud hoc est, quam totius vitæ suæ imperium tradere in manus abiectæ seruæ, quæ caro est, omnibus delitijs, iocis, conuiuijs, comporationibus, & voluptatibus huius mundi vacando, & nobilis atque legitimæ coniugis Rationis consilia contemnendo?

Simile. *Pars anima superior, & pars inferior.* *Appetitus regi, non regere debet.*

Illud autem peius est, & minus tolerabile, quòd non sufficiat hoc imperium in seruam contulisse: verùm etiam compellere liberam illam, & nobilem dominam, vt propriæ suæ seruæ, vilissimæ, abiectissimæque seruiat; noctes atque dies in eius obsequio consumendo, omneque illud quod mandat, & quod insatiabilis atque inordinatus eius appetitus postulat, faciendo. Quare cùm homo occupatur, ratioque & intellectus omnis vacat his inuentionibus, vt sunt ornamenta corporis, ædificiorum superbia, suppellectilium curiositas, ciborum varietas, & eduliorum multitudo: quid aliud agit, quam quòd animam abducit à spiritualibus suæ nobilitatis exercitijs, efficiatque seruam, coquam, & dispensatricem eius, quæ ipsa illi seruire debebat? Carnalis homo mulieris alicuius amore dementatus, vt eius expugnet castitatem, cùm omnes rationis & intellectus sui neruos scribendis literis, concionandis rhythmis, componendis carminibus amatorijs, insidijs struendis, alijsque studijs, quæ ad artem illam requiruntur, impendit, quid aliud agit (si verum fateare) quàm quòd cogit dominam, vt seruiat ancillæ: dum consumit diuinum illud & cæleste lumen inueniendis, excogitandisque medijs, quibus vilissimæ carnis appetitui satisfiat? Cùm Rex ille Dauid totus esset in excogitandis consilijs & artibus, quibus tegere posset furtum cum Bersabea, iubendo vt maritus ab exercitu rediret, eum ad cœnam inuitando, inebriando, dando illi pernitiosas literas, hunc in finem scriptas, vt innocens occideretur; quis alius hanc insignem technam construxit, nisi ratio & intellectus? & quis rationem ad hoc stud.um instigauit, nisi peruersa Caro, vt celaretur facinus, & ipsa tutiùs & commodiùs suis indulgeret voluptatibus? Seneca, licet Ethnicus, à tali seruitute abhorruit. Maior, inquit, sum, & ad maiora natus, quam vt sim carnis meæ mancipium. Age, dic mihi, fille veritus sit ita sese demittere, ne homo dementatus, & perditus haberetur: quanto magis odisse debemus nos illud nephas, per quod & bona tanta amittuntur, & tanta malorum congeries in eorum locum succedit?

Quid sit appetitus obedire. *Amator carnalis seruus.* 2. Reg. 11. Seneca epist. 65. *Cur vitiosi homines nō fugiantur.*

Quod cum partim adeò sit monstrosum, & omni sympathia dignum: partim verò adeò vsitatum, nos tritam hanc viam incedimus, nullam habentes rationem tantæ ataxiæ, qualis nunc passim in mundo conspicitur. Hinc est (vt beatus Bernardus ait) quòd vitiosorum hominum fœtor abominabilis non sentiatur: magna enim nimis est eorum multitudo. Quemadmodum enim in regione, in qua omnes nascuntur Æthiopes, esse nigrum turpe non est: vbi autē ebrioſi sunt omnes, ignominia non est esse ebrium: quod vitium adeò turpe est: ita monstrosa hæc seruitus, eo quòd mundo tam familiaris est, vix in quoquam cognoscitur. Hæc omnia satis superque declarant, quam misera sit illa seruitus, & quam horrendo supplicio propter peccatum homo condemnatus est: cùm ob illud creatura nobilissima in manus tam barbari & immanis Tyranni tradatur. Huius bestiæ naturam expressit Ecclesiasticus, cum Domino supplicaret, vt omne desiderium prauum ab ipso auerteret;

Simile. Bernard.

vt ven-

ventris concupiscentias auferret; concubitus concupiscentiæ ne apprehenderent ipsum; animæ denique irreuerenti; & infrunitæ ne traderetur. quasi diceret,
Eccl 23,6. se petere, ne manibus tanti Tyranni seu carnificis traderetur. Appetitum enim talem, tali dignum nomine arbitrabatur.

Quanta vis perturbationum, seu affectuum.

Quòd si scire cupias, quanta sit Tyranni illius vis & potentia, ex eo quod fecit & quotidie adhuc facit in hoc mundo, tibi facilè colligere licebit. Nolo te ad Poëtarum fabulas remittere, quæ referunt Herculem illum celeberrimum, postquam domuisset omnia mundi monstra, tandem lasciuæ cuiusdam fœminæ captum amore perdito, clauam abiecisse, interque alias fœminas sedisse, & ex colo lateri adhærenti pensum duxisse. Mulier enim quam amabat iubebat: imò nisi faceret minas intentabat. Hoc sapientes illi Poëtæ ingeniosius, quam verius finxerunt, vt ostenderent immanem tyrannidem & potentiam illius appetitus. Nolo & tritum illud Salomonis exemplum ex sacris literis adferre; qui cùm esset sanctissimus, sapientissimusque, adeò tamen à suis infa-
3.Reg. 11. tuatus est concubinis, vt relicto vero Deo suo, Idola adorauerit, ijsque magnificentissima templa exædificauerit: saltem vt impuris istis scortis, & appetitui suo seruiret; quamuis non minùs emplum hoc tyrannidem illius pestilentissimæ passionis arguat, quàm illud superius. Malo enim ea proferre, quæ quotidie in oculos nostros incurrant.

Impuri amoris seruitus.

Considera quæso, in quàm præsens periculum se mittit adultera fœmina, vt inordinato suo satisfaciat appetitui: ab illa enim perturbatione placet exemplum captare: cùm ex vnius ceterarum cognitio dependeat. Scit huiusmodi fœmina se à marito, si in opere tam nephando ab illo deprehendatur, sine vlla spe veniæ interficiendam: scit se vno eodemque tempore, animam, vitam, honorem, diuitias, omniaque alia bona, quæ tam in hoc seculo, quàm in futuro sperare posset, simul amissuram, qua sanè iactura maior nec vniuersalior potest inueniri, vel excogitari. Non ignorat se perpetua ignominiæ nota infames filios, patrem quoque, matrem, fratres, & sorores, totamque familiam relicturam, perpetuoque dolore affecturam. Nihilominus tanta est violentia huius appetitus, aut (vt melius dicam) potentia illius Tyranni, vt fœminam illam ad omnia hæc impellat, & facili negotio in tantum periculum adducat; faciatque lubens, quicquid ille imperat. Quis vnquam in orbe terrarum inuentus est Barbarus, aut Tyrannus, qui ad tanta pericula seruum suum adeunda compulit, vt sibi obtemperaret? Quæ durior, quæ asperior inueniri potest captiuitas? Hoc in statu viuunt vniuersi peccatores, vt testatur Propheta, cùm
Psal. 106,10. dicit, *Sedentes in tenebris & in umbra mortis: vinctos in mendicitate & ferro*, id est, catenis ferreis. Quæ tenebræ sunt illæ, nisi cæcitas, in qua mali versantur, (vti & superius à nobis ostensum est) cùm nec seipsos cognoscant, nec Deum, vti cognoscere debebant: nec quam ob causam viuunt, nec quem in finem creati sunt; multo minùs vanitatem rerum quas amant; nec seruitutem hanc, in qua viuunt nouerunt? Quæ autem sunt ista vincula, quibus ligati sunt, nisi affectuum violentia, quæ corda eorum arctissimis nexibus earum rerum, quas inordinatè nimis appetunt, tenet constricta? Et quæ fames est illa; quam patiuntur, nisi insatiabilis appetitio, qua cruciantur circa res infinitas, quas habere non possunt?

Perpende itaque nunc, si qua dari posset durior captiuitas? Hanc autem, vt planius adhuc agnoscas,
2.Reg. 13. alio exemplo illustrabo. Respice Amnonem primogenitum Regis Dauidis filium, qui cùm sororem suam Thamar lasciuius aspexisset, adeò tenebris his est excæcatus, tam miserè vinculis istis ligatus, & tam vehementer hac fame discruciatus, vt nec edere, nec bibere, nec dormire potuerit: imò vsque adeò eam deperibat, vt propter amorem illius ægrotaret. Dic mihi quæso, quales istæ fuêre catenæ huius perturbationis, seu appetitus, quibus cor illius tenebatur; cùm carnem eius adeò immutauerint, & corporis humores infecerint, quòd grauis subsecuta est infirmitas? Vt autem scias, remedium huius infirmitatis non es-
Luxuria non satiatur re desiderata. se consequi quod appetis; animaduerte quomodo idem Amnon grauius infirmatus sit, & contrario affectu perditè magis diuexatus, postquam libidini suæ satisfeciisset, quàm antea vexabatur, ait enim Scriptura. *Et exosam habuit eam odio magno nimis, ita vt ma-*
2.Reg.13,15. *ius esset odium, quo oderat eam, amore quo antea dilexerat.* Ita vt stuprum sororis illum à passione non liberauerit, sed vnam alia maiori permutauerit. An itaque Tyrannus aliquis in mundo inueniatur, qui toties captiuos suos voluit & reuoluit; facere iubet & reficere; ire impellit & redire eadem via? Tales esse certò crede, mi frater, omnes, qui huiusmodi subiecti sunt vitio: qui vix domini sunt suiipsorum. nil enim edunt, nil bibunt, nil cogitant, nil loquuntur, nil somniant, nisi de illo. ita vt nec timor Dei, nec conscientia, nec cælum, nec infernus, nec mors, nec iudicium, nec aliquoties ipsa vita, & proprius honor, quem tanta diligunt ambitione, ab ista queat illos via retrahere, aut ista vincula perrumpere. Quid dicam de zelotypia illorum? de timore, de suspitionibus, de alijs accidentibus externis, in quibus illi die noctuque versantur, in certissimum periculum vitæ & honoris sese præcipitantes ob hanc ingluuiem? Est ne Tyrannus in mundo, qui tali modo dominatur suo seruo, quali vitium hoc cordi dominatur humano? Seruus enim nunquam ita domino suo obstrictus est, vt nocte dieque illi famuletur, vt vix exiguum temporis illi superfit suis rebus vt impendat, aut ab officio respiret: hoc autem vitium, vti & alia, tale est, vt cum semel in animo impertum fuerit nactum, ita illum deuoret, & absorbeat, vt vix superfit homini vlla vis, vlla commoditas, vllum tempus, aut memoria vel prudentia vlla rebus alijs vacandi. Non immeritò itaque dixit olim Ecclesiasticus: *Vinum &* Eccli 19,2. *mulieres apostatare faciunt sapientes.* Homo enim propter hoc vitium adeò mente alienatur, quantumuis etiam sapiens sit, & tam ineptus fit ad eas res gerandas, quæ propriæ sunt hominis, quàm si cadum vini potasset. Ad commonstrandum illud insignis ille Poëta finxit de Regina Didone fabulam, quòd cùm amore Æneæ excæcari cæpit, omnia Reip. negotia intermisit, dicens;

Non cœptæ assurgunt turres non arma iuuentus Æneid.
Exercet, portusque, aut propugnacula bello
Tuta parant, pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cælo.

Adeò enim Tyrannus ille sensus omnes istius Reginæ occupârat, vt inepta iam esset ad omnia; solis noui illius amoris cogitationibus excepris, qui quo magis in corde illius imperabat, eo minùs potuit in reliquis ad Rempubl. pertinentibus se accommodare, minùs etiam facere illa, quæ alioquin erant facienda. O pestilens vitium: ô destructionem Rerum publicarum; gladium bonorum exercitiorum, mortem virtutum, nebulam bonorum ingeniorum, impostura hominum, ebrietatem Sapientum, amentiam senum, furorem iuuenum, & communem generis humani pestem.

Nec existimandum est in vno illo vitio tantam esse tyrannidem, sed & in omnibus alijs. Intuere paulu-
Seruitus ambitionis. lùm hominé ambitiosum, & inani gloria tumidum, honoris fumo dementatum: & vide quàm seruiliter huic desiderio subiectus viuat; quàm immoderatè humanam gloriam appetat, quàm in illa consequenda sit so-

sit solicitus, omnia sua acta & consilia hunc in finem dirigens? Seruire, familiaritates contrahere, vestiri, calciari, mensa, lectus, laquearia domus, famuli, compositio corporis, incessus, loquela quicquid denique ab huiusmodi hominibus fit; & in illis est, omne id hunc in finem fingitur,& componitur. Sic enim omnia adornantur ab illis, vt quàm maximè decere putant videantur polita & tersa: quò laudentur & captent ex ijs ventum inanem. Imò si bene consideres, videbis ambitiosum in omnibus, quæ facit & dicit, non aliud spectare, quàm vt tendat laqueos & retia, ad applausum istum inanemque auram populi capiendam. Si admiremur Imperatorem illum, qui omnia festa transigebat muscas capiendo; quanto magis admiranda est ambitiosi dementia, qui non festa tantùm omnia, sed totius vitæ curriculum solo fumo & gloria mundana captanda consumit? Ob hanc ambitionem miser ille non quod vult hoc facit, nec se vestit iuxta suam conditionem, nec quò placet ire permittitur: non enim rarò etiam templum non accedit, nec cum bonis audet conuersari; metuens ne fortè mundus, cui viuit ille subiectus, aliquid in illo videat, quod reprehendat. Et quod amplius est, vt suæ satisfaciat passioni, maiores diuitias expendit, quàm vellet, & quàm habet, in mille sese necessitates debita plurima præcipitans, quibus anima illius affligitur, cum posterorum dolore, quos hæredes suorum debitorum & imitatores suæ stultitiæ relinquit. Quam quæso pœnam meretur ille, si nõ eam, quam Rex quidam statuit homini ambitioso, cui fumum tam acrem & densum sub naribus excitari iussit, vt suffocatus fuerit, dicens; æquum esse, vt fumo moreretur, qui totam vitam fumo vanitatis appetendo consumpsisset. Quæ itaque maior hac miseria posset inueniri?

Pœna cuiusdam ambitiosi.

Seruitus auaritiæ.

De auaro quid dicam, qui non tantùm mancipium, sed & idololatra est suarum diuitiarum seu nummorum? eos enim adorat, ijs seruit, & quicquid imperant hi, lubens ille perficit. propter illos ieiunat, & panem ori suo subtrahit; quos denique plus amat, quam Deum ipsum, cùm amore illorum Deum sæpius offendere non vereatur? In ijs est eius requies, gloria, spes,& cogitatio. Cum ijs dormit & euigilat; omnemque vitam cum sensibus omnibus insumit; pro ijs, & cum ijs negotiando: dum interim sui ipsius, & omnium aliarum rerum obliuiscitur. An talem hominem dicemus esse pecuniarum suarum dominum, vt de ijs statuat quicquid velit? an potiùs affirmabimus ipsum esse pecuniarum suarum captiuum & seruum? cupiditas enim diuitiarum grauissima domina cogit quidem vt eas paret; cæterùm vetat ne fruatur, & cupiditatem quidem acuit, sed voluptatem subducit. Parat quidem opes auarus, tanquam splendidus; vtitur autem sordidus. labores tolerat, cùm careat voluptate, dum subtrahit diuitias ori, & animæ, vitæque ipsi, si liceret, vt thesaurus crescat & conseruetur. Nescio sanè si quæ grauior esse possit captiuitas. Si enim captiuum voces, qui turri incluso, manibus, pedibusque cippo innexus est, an non potiùs hoc dignus erit nomine, cuius etiam anima vincta est, & capta illa inordinata cupiditate rerum quas diligit? Cum enim homo lucris inhiat, & re facienda totus occupatur, nullam habet animi potentiam verè liberam: nec est dominus sui ipsius, sed seruus suarum diuitiarum. vbi enim amor seu cupiditas est, ibi captum & ligatum iacet cor, licet hac seruitute liberum arbitrium non amittatur. parum tamen refert, quo vinculorum genere ligatus es: si maior & melior pars tui non sit in tua potestate & libertate. Neque minor est seruitus huius captiuitatis, eò quòd tibi sit voluntaria. si enim vera captiuitas sit, tanto erit periculosior, quanto magis erit voluntaria. neque enim minor est malignitas veneni, si ipsum dulce sit, modò verè venenum sit. Non potest esse maior captiuitas, quàm si te ipse capias & includas, nec oculos velis aperire, vt Deum, veritatem, honestatem, & iustitiæ legem intuearis; sed teipsum impotenti dominatu eo modo excrucies, vt (non aliter atque ebrius non est dominus sui ipsius, sed vinum quod illi dominatur) tu qui sic captus detineris, non sis absolutè dominus tui ipsius, sed tua passio: licet arbitrium liberum non amittas. Si autem captum esse & seruum, tormentum sit, & cruciatus: quod potest esse tormentum maius, illo quo auari cruciantur, præsertim cùm toties habere non possint, quod concupiscunt: nec velint nolle illud concupiscere, nec modum sciant, nec viam illud consequendi. Proinde tandem ob hanc ambiguitatem eò deueniunt, vt dicant illud, quod quidam Poëta mulieri malè sanæ, vel melancholicæ dicebat; Amo te,& odi. Et si me roges quæ causa sit, dicam; Familiaritatem tuam exhorreo,& sine te viuere non possum. Martial. lib. 12. Epig. 47.

Auarus pecuniarum suarum seruus.

Si quis autem in hoc loco constitutus tentauerit has catenas rumpere, & appetitionem hanc vincere, tantam reperit vim reluctantis & obnitentis, vt sæpe de victoria desperet, atque ita infelix reuertitur, manusque & pedes prioribus catenis inserit. An ne ergo rectè quis appetitum hunc captiuitatem & tormentum dixerit?

Non vna catena peccator vinctus est.

Ceterùm si vna tantùm catena ligatus esset homo, minus sanè malum esset: homo enim qui vno tantum carcere clauditur, & qui vnum tantùm habet hostem, quo cum confligat huic vincendi maior affulget spes: sed quid dicemus de tot aliorum affectuum vinculis, quibus miser homo constrictus est? Cùm igitur vita humana tot, tamque varijs subiecta sit necessitatibus, omnes istæ catenæ sunt & incentiua istius insatiabilis auiditatis: sunt enim laquei, quibus miserum cor nostrum capitur: licet vnius citiùs & grauiùs quàm alterius apprehendant. Sunt enim homines nonnulli, naturaliter adeò apprehensiui, vt ab eo, quod semel appetierint, abduci non possint. Alij ægri & quasi melancholici, qui natura istius humoris facillimè aliquid apprehendunt, quorum & desideria sunt admodum vehementia. Quidam alij sunt pusillanimes, quibus omnia videntur magna, ardua, & difficilia, dignaque quæ plurimi æstimentur: & licet minima sint, maximè tamen appetantur. Angusto namque animo videntur omnia magna, quantumuis etiam parua sint, vt ait Seneca. Multi quoque naturaliter vehementes inueniuntur in omnibus quę appetunt: è quorum numero sunt mulieres, de quibus Sapiens quidam optimè dicit; Aut amat, aut odit mulier: nihil est tertium. Pub. Mimus.

Omnes itaque illi duram & asperam patiuntur seruitutem, violentia passionum, quæ illos captiuant. Sed si miseria tanta sit ligari vna sola catena, atque esse mancipium vnius tantùm domini; quanta erit tot vinculis ligari, & seruum esse tot dominorum, qualis est peccator, qui tot paret dominis, quod habet affectus & vitia quibus seruit? Quæ maior hac potest esse miseria? Si omnis dignitas hominis, in quantum homo est, in duobus consistat, ratione scilicet, & libero arbitrio; quid potest esse magis contrarium tam vni, quàm alteri, passione, quæ excæcat rationem, liberumque remoratur arbitrium? Hinc liquet quàm noxia & exitiosa sit omnis inordinata affectio: exturbat enim hominem ex sede suæ dignitatis, obscurando rationem, & peruertendo liberum arbitrium. Sine his duobus homo non est homo, sed bestia. Hæc itaque, mi frater, misera illa seruitus est, in qua viuunt peccatores, tanquam gens, quæ nec à Deo, nec à ratione gubernatur, sed ab appetitu & passione trahitur.

De li-

De libertate, in qua viuunt boni.

AB ista vili & misera seruitute (de qua hactenus egimus) nos liberare venit Dei Filius: & hæc est libertas & victoria, quam celebrat
Esa 9,3. Propheta, cùm dicit; *Lætabuntur coram te, sicut qui lætatur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superâsti.* Omnia hæc nomina, iugi, virgæ & sceptri, conueniunt tyrannidi, atque violentiæ nostri appetitus: Dæmon siquidem illo abutitur, tanquam proprio instrumento, (vt qui est Princeps mundi huius) vt suam in hominibus exerceat tyrannidem, eosque peccato subijciat.

Gratia Dei à seruitute peccati liberati sumus. Rom. 6,6. Ab hac violentia atque potentia nos Filius Dei liberauit, idque plenitudine gratiæ, quam nobis acquisiuit in mortis suæ sacrificio. Quapropter & Apostolus dicit; *Vetus homo noster simul crucifixus est cum Christo.* Quo loco per veterem hominem inordinatus noster appetitus intelligitur, qui corruptus est, & perturbatus à primo illo peccato. Etenim per ingens hoc sacrificium & meritum passionis obtinuit Christus nobis gratiam; vt Tyrannum hunc nobis subiugemus, & sub pedibus nostris illum subijciamus, debitamque illi pœnam infligamus, crucifigendo qui prius crucifigebat, & in seruitutem redigendo, qui nos prius captiuos detinebat. Quare adimpletum est dictum illud Esaiæ; *Et erunt capientes eos qui se ceperant, & subijcient exactores suos.* Ante gratiam enim appetitus sensualis subiectum sibi tenebat spiritum, & tyrannidem in illum exercebat: cogens eum seruire malis desiderijs, vti suprà diximus. Postquam autem data est spiritui gratia, sic adiuuatur ab illa, vt præualeat, & Tyrannum hunc superet, sibi subijciat & obedire faciat rationi. Illud autem pulcherrimè præfiguratum est in morte Adonibezech Regis Hierosolymitani, qui à filijs Israël est interfectus, cæsis primùm manuum pedumque summitatibus. Qui videns in illam se redactum angustiam, memorque crudelitatis suæ atque tyrannidis, qua ille prius in alios vtebatur, ait; *Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensam meam ciborum reliquias: sicut feci ita reddit mihi Deus.* Addit Scriptura; *quod adduxerunt eum in Hierusalem & ibi mortuus est.*

Homines per gratiam diabolo dominatur. Esa. 14, 2.

Iudic. 1.

Ibid. v. 7.

Crudelis ille Tyrannus Principis huius mundi figura est, qui ante Filij Dei aduentum hominum manus, pedesque amputârat? efficiens illos ineptos ad cultum Domini perficiendum: manus detruncans, ne faciant bonum, & pedes, ne desiderijs suis ad eum accedant. Faciebat & homines ciborum reliquias, hoc est, voluptates mundi, quibus cum Princeps & Tyrannus ille famulos suos nutrit, sub mensa colligere. Et rectè ciborum reliquiæ, non partes appellantur: tenacitas enim, qua cum sua bona diuidit Satan inter suos, tam ingens est, vt nunquam tantum dederit, quo potuit ipsorum ingluuies satiari. Postquam verò Saluator in mundum venit, pœnam in Tyrannum conuertit, qua ipse prius alios affligebat, amputans illius manus & pedes; hoc est, dissoluens omnia ipsius opera, omnemque ipsius fortitudinem eneruans, qui propriè in Ierusalem mortuus est: moriens enim ibidem mundi Saluator, occidit mundi Principem: atque vbi ille crucifixus est, ibi crucifixus est & mundi Princeps, ligatisque pedibus & manibus omnis illius potestas est ablata. Atque ita mox post sanctissimam passionem Saluatoris homines cœperunt de hoc Tyranno triumphare, & summa cum potestate Diabolo, mundo, vitijsque omnibus dominari; adeò vt omnia mundi tormenta non potuerint homines adigere, mortaliter vt peccarent.

Diabolus amarus in suos.

Causæ, ex quibus libertas hæc oritur.

INterrogabis me fortassis, vnde tam admiranda victoria atque libertas promanauerit? Respondeo eam post Deum, primò ex diuina gratia procedere, vti dictum est, quæ mediante virtute, ab illa proficiscente, spirit, temperatque furorem nostrorum appetituum; vt nequeat rationi præualere. Quare vti venefici nõrunt quibusdam carminibus serpentes sic incantare, vt homines lædere nequeant: ita vt viuentes adhuc venenosi non sint, & habentes venenum illud alteri nequeant affiare: sic & diuina gratia venenosos illos affectuum nostrorum serpentes eo modo incantat, vt viuentes illi & integri in essentia nostra naturali, officere nobis non possint: intoxicare namque vitam nostram nequeunt, quomodo priùs faciebant. Hoc vt diuinitus edoctus pulchrè ostendit Esaias, his verbis; *Et delectabitur infans ab vbere, super foramine aspidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Certum est, Prophetæ non esse sermonem hic de materialibus serpentibus, sed de spiritualibus; qui sunt nostri appetitus, & inclinationes malæ: hi enim cùm liberi sunt & non impediti, mundum veneno suo inficiunt: neque etiam loquitur de infantibus corporalibus, sed spiritualibus, inter quos ille dicitur infans ab vbere, qui Deo primùm seruire inchoat, cui adhuc lacte opus est, donec adolescat: ablactatus verò is dicitur, qui iam aliquantulum profecit, & pedes incedit, & iam solidiore cibo vt pane, alijsque rebus vescitur. Agens itaque Propheta tam de vno, quam de altero dicit, primùm eos delectari; eo quòd videant se in medio spiritualium serpentum viuere, tamen virtute diuinæ gratiæ non percipere ab illis aliquod mortale nocumentum, in peccato consentiendo. Alij verò postquam iam ablactati sunt, & in via Domini proficiunt, dicit manum mittere in ipsas cauernas regulorum: quasi diceret, Deum eos in medio maximorum periculorum custodire, in illis enim adimpletur illud Psalmographi; *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Hi sunt qui manum mittunt in cauernas regulorum, nec damnum aliquod percipiunt. Plenitudo enim gratiæ, quam Deus in hac terra disseminat, incantat hos serpentes eum in modum, vt non possint filijs Dei nocere. Illud ipsum & Apostolus perspicuè magis, & sine metaphora declarat, cùm (postquam copiosè de tyrannide nostrorum appetituum tractâsset, & de carne nostra) tandem exclamat; *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* mox sibi ipse respondens; *Gratia*, inquit, *Dei, quæ datur per Iesum Christum*; quo loco per corpus mortis Apostolus, non intelligit corpus morti naturali subiectum, quam omnes expectamus: sed illud, quod alio loco dicitur corpus peccati; quod est appetitus inordinatus, & ad omne malum procliuis, à quo tanquam à corpore nascuntur membra omnium passionum & desideriorum inordinatorum, quæ ad omne genus peccati nos pertrahunt. De hoc corpore tanquam de crudeli Tyranno nos liberare gratiam Dei, *quæ datur per Iesum Christum*, dicit Apostolus.

Causa, ex quibus oritur libertas. I.

Simile.

Esa. 11, 8.

Psal. 90, 13.

Rom. 7, 24.

Ibidem.

Secũda causa, dulcedo spiritualium consolationũ.

Post hanc alia causa est non exigua, magnitudo scilicet lætitiæ & consolationum spiritualium, quibus boni in hoc seculo fruuntur, quemadmodum & antea dictum est. Hæc enim adeò sitim omnium desideriorum extinguit, vt homo facillimè vincat, & à se proijciat omnes alios affectus. Inuento verò hoc bonorum omnium fonte, perit exemplò gustus ille molestus omnium aliarum oblectationum, vti Saluator ipse in Euangelio, cum Samaritana sermonem conferens, testatur; *Qui bibit*, ait, *ex aqua*, Ioan. 4, 14.

quam

Greg. hom. 10. in Ezech. & lib 8. Moral. cap. 21 & homil 37 in Euang.

quam ego dabo ei (quæ est gratia Dei) *non sitiet in æternum*. Idem & B. Gregorius testatur in quadam homilia; At si quis, inquit, cordis ore gustauerit, quæ sit illa dulcedo cælestium præmiorum, qui illi hymnidici Angelorum chori, quæ incomprehensibilis visio sanctæ Trinitatis; huic quanto illud dulce fit quod intus videt, tanta in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet, iam cuncta quæ considerat præterire transcendit, iam ab exteriorum delectatione mens suspenditur, & quæ sint bona inuisibilia rimatur, gustu circumscripti luminis pascitur, & vltra se suecta, ad semetipsam relabi dedignatur.

Cùmitaque iam vas cordis nostri hoc modo plenum est liquoris illius cælestis, iamque extincta est sitis animæ nostræ, nulla iam amplius subest ratio vel causa desiderandi & quærendi bona fragilia, & abiecta vitæ huius. Est igitur anima nostra libera, neque vllis amplius appetituum malorum catenis cõstricta: vbi enim non est desiderium & amor, ibi nullæ catenæ, captiuitas nulla. Adeò vt cor, quod Dominum vniuersorum inuenit, etiam ipsum quodammodo fiat Dominus vniuersorum: in hoc enim summo bono omnia bona collecta inuenit & possidet.

Tertia causa assiduus usus.

His duobus beneficijs diuinis, quorum ope homines ad veram libertatem perueniunt; cura quoque & diligentia hominis adiungitur: quia carnem spiritui, & passiones rationi subijcere contendit. quo studio paulatim homines mortificantur, habilesque fiunt & idonei ad omne bonum; emolliun ur mores, furorque & audacia pristina compescitur. Hinc est quod B. Chrysostomus dicit; Si feræ sylvestres, quæ apud homines aluntur, paulatim naturalem exuant ferociam, & domentur, atque placidè cum hominibus conuersentur, (quare & Poëta quidam optimè dixit,

Tibullus l. 2. Epig. 4.

Longa dies homini docuit parere leones)

quid magnum est, si affectus nostri naturales, vbi iam rationi obedire assueuerint, paulatim mansuefiant; hoc est, pedetentim aliquid participent de natura spiritus & rationis, atque in eius operibus exultent?

Si tanta sit boni vsus & consuetudinis efficacia, quid non poterit gratia hoc vsu cooperante? H nc est quod serui Dei sæpe magis exhilarantur sensibiliter (si sic dicere liceat) in raptu, in silentio, in lectione, in oratione, in meditatione, & similibus exercitijs, quàm in conuiuijs, in iocis, in venationibus, aliisque mundi huius conuersationibus aut voluptatibus essent facturi. omnia enim illa iam oderunt, cruciatusque est illorum meminisse: adeò vt ipsa caro nunc abhorreat ab illo, quod priùs amabat, gustumque & delectationem inueniat in eo, quod priùs fastidiebat. Quod

Bonauent in Præf. Stimuli amoris.

adeò verum est, vt dicat D. Bonauentura, sæpe inferiorem partem animæ nostræ ita delectari in oratione, & tam suauiter cum Deo intrinsecus sermocinari; vt maximum sentiat tormentum, cùm ex iusta aliqua ratione ab his exercitijs suspenditur, aut in ijs impenditur. Hoc est quod Propheta dicit, *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum, insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei:* aut, vt alia

Psalm. 15. 7

Victor.

translatio habet, *erudierunt me*. Hoc profectò insigne opus est diuinæ gratiæ. Nam commentatores hoc loco per renes intelligunt affectus & motus interiores hominis, qui solent esse, vti diximus, stimuli & excitatores peccatorum. Qui tamen frequenter per virtutem gratiæ non tantùm non incitant ad malum, quomodo solent, sed aliquoties etiam adiuuant ad bonum; & non tantùm non seruiunt Dæmonio, in cuius castris militare solent, sed transeunt in partes Christi, arma sua in hostes eius conuertentes. Quod etsi videatur in multis exercitijs spiritualibus, specialiter tamen in affectu contritionis, & dolore peccatorum elucescit: in quo concurrit portio inferior animæ, affligendo se, & lachrymas vbertim propecatis effundendo. Propterea S. Propheta dicit, quòd nocte, cùm transacto die iusti solent examinare suas conscientias, ipsum renes sui increpauerint: ab angustia enim & amaritudine, quam in ea parte animæ sentiebat, eo quod Deum offenderat, semper affligebatur; & ne committeret illud iterum, propter quod dolebat, nunquam non erat solicitus. Propterea non sine causa Domino gratias agebat: non tantùm enim superior animæ pars, in qua est intellectus, illum ad bonum inuitabat; sed & inferior pars, quæ ferè semper solet hominem ad malum impellere, atque instigare.

Affectus arguiri à Domino, & homini in bono coerceri.

Psalm 15. 7.

Ceterùm etsi hoc & veritas sit, & magna gloria Redemptionis per Christum nobis partæ, (qui vti perfectissimus Redemptor est, ita perfectissimènos redemit & liberauit) nemo tamen debet existimare carni suæ fidendum esse, quantumuis etiam sit mortificata, quamdiu in hac mortali vita fluctuat.

Cautela.

Hæ itaque causæ sunt primariæ admirabilis huius libertatis, quam sequitur noua Dei cognitio, fideique & religionis nostræ, quam profitemur, solida confirmatio: vti Dominus ipse apud Ezechielem testatur, dicens; *Et scient qui ego Dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi.* Iugum illud dicimus esse sensualitatem, vel appetitum inordinatum peccandi; qui carni nostræ inhæret, nosque opprimit & peccato subijcit. Catenæ iugi huius malæ sunt inclinationes, cum quibus Diabolus hominem apprehendit, & ad se trahit: quæ tanto sunt fortiores, quanto diutiùs mala consuetudine sunt confirmatæ, id quod Augustinus de seipso fatetur his verbis; Vinctus eram non ferro, sed mea ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & de me mihi catenam fecerat, atque constrinxerat. Ex voluntate quippe peruersa facta est libido, & dum libidini non resistitur, secuta est consuetudo, qua ceu catena quadam vinctus in peccato tenebar.

Ezech. 34. 27

Iugum peccatorum.

Aug lib. 8. Confess. cap. 5.

Itaque si quando se homo vinctum eo modo viderit, quo Sanctus hic vinctum se fuisse fatetur, & volens sæpe exire, atque ex hac captiuitate emergere, tantas difficultates inueniat, quantas ille inuenit: si tandem aliquando conuersus ad Deum videat has catenas contractas, affectus domitos, & malas inclinationes mortificatas: videat se liberum, & dominum suorum appetituum: videat denique iugum, quod in humeris suis erat, nunc sub pedibus iacere; quid aliud facere debet, quàm ex eo certo certiùs credere Deum esse, qui catenas istas confregerit, & iugum illud graue ab humeris suis abstulit? Laudet itaque Deum, & cum Propheta dicat; *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.*

Psal. 115. 16.

DE OCTAVO PRIVILEGIO VIRTUTIS, beata scilicet Pace, & intersore quiete, qua fruuntur boni deque infelici bello, & continua perturbatione, quibus mali in animo conflictuntur.

CAPVT XX.

IRiuilegium libertatis filiorum Dei sequitur aliud, non minus illo, Pacis nimirum & quietis interioris, in qua viuunt virtutum studiosi. Vt hoc bene intelligatur, sciendum est tres pacis esse species: vna est cum Deo, altera cum proximo, tertia cum seipso. Pax cum proximo est amare omnes, & ab omnibus amari, amicitiamque cum omnibus colere: nulli malè velle, nullum odisse. Hanc habebat Dauid, cùm diceret, *Cum his qui oderant pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis impugnabant me gratis.* Hanc pacem Apostolus commendat, admonens nos, vt quàtum fieri possit, pacem cum omnibus habeamus.

Pax cum hominibus.

Psalm. 119. 7.

Altera

Pax cum Deo.

Altera pax, quæ est cum Deo, consistit in eo, vt gratiam & amicitiam habeamus cum Deo, & acquiritur per medium iustificationis, quæ hominem Deo reconciliat, facitque vt homo illum diligat, & ab illo vicissim diligatur: ita vt nullum bellum, nulla sit inter eos contentio, de hac pace dicit Apostolus: *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Rom. 5, 2.

Pax cum seipso.

Tertia pax illa est, quam homo habet cum seipso. Hoc autem nemo admiretur: notum enim est, in vno eodemque homine homines duos inueniri, eosque sibi mutuo contrarios, vt sunt interior & exterior: seu spiritus & caro, appetitus & ratio. Quæ contrarietas non tantùm animæ crudele mouet bellum, sed totum etiam hominem, idque cum suis passionibus, ardentibus desiderijs, & fame canina perturbat. Atque hinc pax interior, quæ est quies & tranquillitas nostri spiritus, interturbatur.

De continuo bello & interiore malorum perturbatione.

HOc itaque bellum est, hæc contentio, hæc perturbatio continua, in qua communiter viuunt omnes homines qui carnem sequuntur. Cùm enim ab vna parte priuentur gratia, quę quasi frenum est passiones coërcens, mortificansque: ab altera verò parte tam effrænes habeant inordinatosque appetitus, & dissolutos affectus, vt vix sciant quid sit alicui vitio resistere: sequitur vt viuant in desiderijs infinitis rerum diuersarum; honorum aliqui, aliqui dignitatum, quidam diuitiarum, nonnulli nuptiarum, alij verò alijs voluptatibus & concupiscentijs mouentur.

Duæ filiæ nostri appetitus.

Appetitus enim noster est tanquam ignis insatiabilis, qui nunquam dicit Sufficit; aut tanquam vorax bestia, quæ nunquam satiatur; aut quasi sanguisuga, cuius duæ sunt filiæ dicentes; *Affer, affer;* Sanguisuga hæc inexplebilis est cordis nostri appetitus; filiæ autem duæ sunt, Necessitas, & Auiditas siue ingluuies: quarum vna est tanquam sitis vera, altera tanquam falsa, nec minùs vna quàm altera affligit, etiamsi vna sit vera necessitas, alia falsa. Prou. 30, 15.

Hinc est, quòd nec pauperes; nec diuites (si mali sint) vllam habeant veram quietem & pacem: horum enim cupiditas, illorum cor semper solicitat necessitas, dicentes; *Affer, affer.* Quam itaque tranquillitatem, quam quietem, quam pacem potest habere homo, sollicitantibus & interpellantibus eum duabus istis petentibus res infinitas, quæ non sunt in illius posite potestate? Quam potest habere quietem mater, quę in circuitu suo decem aut duodecim habet famelicos filios vociferantes præ inedia & panem petentes, nec habet vnde tribuat? Hæc vna est ex præcipuis malorum miserijs, qui esuriunt & sitiunt, & quorum *anima* (vt Psalmista dicit) *defecit in ipsis.* Cùm enim amor proprius tantum in illis habeat imperium. (à quo omnia hæc desideria fluunt) ipsique omnem suam beatitudinem in bonis visibilibus collocauerint, hinc oritur illa sitis & fames canina quam habent earum rerum, in quibus beatitudinem positam esse arbitrantur: cùm sæpe ea quæ desiderant habere non possint, (alij enim auidiores aut potétiores nonnunquam impediunt) turbantur statim, & affliguntur, vti puer qui in mille delitijs & blanditijs educatus est, qui, cùm negantur ea quæ petit, plorat, & tanto clamore vociferatur, vt metuant parentes ne creper vel rumpatur: quemadmodum enim satisfactio desiderij, vt Sapiens ait, arbor est vitæ: ita non est maior molestia vel cruciatus, quàm desiderare, nec posse habere id quod desideratur. illud enim perinde est. atque mori fame, nec habere quod comedas. Illud autem maius est, quòd quo diutiùs id quod concupiscunt negatur, tanto ampliùs crescit cupiditas: & quanto maior fit cupiditas non satiata, tanto magis angetur ipsum tormentum: proinde in continua sunt tribulatione. Hic est miserrimus ille status, quem abundè satis demonstrat Saluator in illa de filio prodigo parabola, in qua dicitur, quòd *facta est fames valida in regione illa, & quòd ipse cœperit egere:* stimulante verò fame porcos pascere coactus fuerit, non obstante quòd erat viri nobilissimi filius. Hoc autem miserius est; quòd cupiebat implere ventrem siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. Quo quæso maiori artificio ad viuum magis depingi posset totus discursus, omnesque miseriæ vitæ malorum? Quis est ille filius prodigus, qui relicta domo paterna peregrè profectus est in regionem longinquam; nisi miser peccator, qui relicto Deo, viam vitiorum ingreditur, & cunctis beneficijs Dei abutitur? Quæ est regio, in qua fames illa facta est, nisi mundus hic miserabilis, vbi mundanorum appetitus tam est insatiabilis, vt nequeat vnquam repleri rebus his, quæ adsunt: sed semper obambulant tanquam lupi famelici; semper amplius cupientes, & quærentes. Sed si consideraueris quod sit eorum in hac vita exercitium, inuenies nullum esse aliud præter porcos pascere; ventresque turpium appetitionum suarum saturare. Si mihi non credas, obserua singulos passus, singulasque actiones quas homo carnalis facit à matutino tempore vsque in vesperem; & videbis omne ipsius studium, nihil aliud esse, quàm vt quærat porcos pascere, & satiare aliquem istorum bestialium sensuum, siue sit visus, siue sit auditus, siue tactus sit, siue gustus, aut aliquem aliorum, non tanquam Christi, sed tanquam verus Epicuri discipulus: tanquam si nihil aliud haberet, quam corpus bestijs commune: tanquam si crederet alium non esse finem, quàm vacare sensuum oblectationibus: nihil aliud cogitans, quàm hodie huc, cras illuc ire: ad venationes, ad conuiuia, ad epulas, ad nuptias, ad ludos, ad festiuitates, ad choreas, similiaque animi solatia, vt pascat aliquem suorum sensuum. Quid aliud sunt eorum odores? quid festiuitates? quid sympolia? tantæ delitiæ? cubicula adornata? concentus musici? conuersationes? recepta & expensa? quid, inquam, hæc aliud sunt, quàm quærere siliquas, & pasturam pro hoc porcorum grege? Da tu nomen quod voles, appella puram nobilitatem, magnificentiam, aut si voles splendorem aulicum; in dictionario tamen Dei non habet hanc nomenclaturam, sed porcorum pastus appellatur. Quemadmodum enim porci bestiarũ quidam grex est, qui gaudet & triumphat in luto, cibisq; vilissimis & immundissimis nutritur: sic animi illorum hominum (si modo homines appellãdi sint) nulla re oblectantur, nisi impurissimo luto carnalium voluptatum. Illud autem omni miseria maius est, quòd filius tam nobili patre genitus, qui creatus est vt de mensa Domini comederet, ciboque Angelorum nutriretur, non potest saturari pabulo tam abiecto, eo quòd tanta fames sit in regione illa. Harum enim mercium negotiatores tot sunt, vt vnus impediat alium, & omnes maneant ieiuni. Hoc est, cùm duo vnum idemque concupiscunt, rarò inter se bene conueniunt. Sed nec possibile est, vt porci sub quercu non grunniant, aut se inuicem non mordeant, dum vnusquisque glandes appetat. Hic est ille status miserabilis, & fames illa, quam Propheta describit, cùm dicit; *Errauerunt in solitudine in inaquoso: viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Esurientes & sitientes anima eorum in ipsis defecit.* Quæ fames est hæc, & quæ sitis, nisi appetitus inflammatus, quem habent mali de rebus huius mundi; qui quanto ampliùs restinguitur, tanto ampliùs accenditur: quanto plus bibis, tanto plus sitit; & quanto maior lignorum strues injicitur, tanto ardet vehementiùs. O gens misera; & vnde sitis hæc accensa nascitur, nisi ex eo, quia fontem aquæ viuæ dereliquistis, & bibitis ex cisternis, quæ non possunt aquam continere? Flumen vera felicita-

Simile.

Simile.

Simile.

Pfal. 106, 5.

Pfal. 106, 4.

Sitis maxima.

Hier. 2.

tis vobis exiccatum est. propterea per desertum dispergimini, & ex fossis atque lacunis turbidis bonorum corruptibilium & transeuntium quæritis sitim extinguere. Istud erat ingeniosum illud stratagema
Iudith 17. crudelis Holopherni, qui cùm obsedisset Bethuliam, incidit fontem qui influebat aquæ ductum illorum: atque ita miserrimi ciues obsessi aquæ nullam habuêre copiam, nisi quòd non longè à muris eorum fontes erant, ex quibus furtim hauriebant aquam ad labra potiùs proluenda, quàm ad bibendum. Quid vos aliud agitis, ô voluptatum mundanarum amatores? quia perdidistis venam aquæ viuæ, acceditis ad bibendum furtim ex fontibus creaturarum, vbicunque reperitis, qui potiùs sunt ad refocillandum, seu os colluendum, & sitim excitandam, quàm sedandam. *O*
Hier. 2, 18. *infelix creatura*, dicit Propheta, *quid tibi cum via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* &c. Quæ aqua potest esse fœdior, quàm sensualis delectatio: siquidem bibi non potest sine malo odore, & peiore sapore?
Comites voluptatis carnalis. Quis enim peior odor, quàm infamia peccati? & quis deterior sapor, quàm remorsus conscientiæ, de illa procedens? qui (vt Philosophus quidam dicit) duo sunt perpetui comites carnalis delectationis.

Accidit etiam non rarò, vt appetitus ille, cùm sit cæcus, nequeat discernere inter illud quod potest, & non potest obtinere: faciatque desideri; violentia, vt videatur esse facile quod est difficillimum: Hinc est quòd sæpissimè petat homo multa, quæ non potest habere. Non enim quicquam inuenitur dignum desiderari, quod non plurimos habet desiderantes, qui sectantur illud, multosque amatores & litigiosos, qui
Appetitus impatientia. illud, ne accipiant, prohibent, atque impediunt. Cùm autem appetitus vult, & non potest; desiderat, nec obtinet; esurit, & non habet quod comedat, multoties brachia in ventum iactitat, multumque solicitus est, nec tunc quidem res ad votum succedit. Sæpe etiam cùm in summitate scalæ est, subitò in terram disturbatur, atque è manibus rapitur, quod iam tenere se existimabat. Hinc est vt mori se, crepare, affligi, tribulari existimet, eo quòd videatur tam longè abesse ab illo quod concupiscebat.

Etenim cùm duæ istæ animæ potentiæ concupiscibilis & irascibilis eo modo sint dispositæ, vt vna seruiat alteri; certum est, vt si quando concupiscibilis non obtineat, quod vult, irascibilis statim exiliat, & perturbetur, lamentando, postulando, mittendo, præcipitando se in omnia pericula, vt sorori satisfaciat,
Vnde oritur mentis inquietudo. cùm illam videt contristatam. Itaque ex illa desideriorum confusione nascitur interior inquietudo, de qua nunc agimus: quam B. Iacobus bellum appellat:
Iacob. 4, 1. *Vnde bella*, inquit, *& lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris? concupiscitis enim, & non habetis, &c.* Verè meritò bellum appellat, propter naturalem contradictionē, quę est inter spiritum & carnem; desideriaque hæc & illa.

Accedit etiam his & aliud multo magis dolendum, estque tale: Sæpe homines voti compotes facti consequuntur quæ cupiebant, putantque sibi satis esse ad sufficientiam, quam aucupabantur. etiam res eorum eo in statu sunt, vt si vellent, possent ad votum viuere. Sed confestim alia incidit opinio, persuadetque sibi alios adhuc honores, titulos, dignitates aut loci, aut præeminentiæ, aut similia esse necessaria. Hæc si fortè appetant, & vt obtineant laborent, sed negentur & impetrare non valeant, contristantur & sentiunt maiorem pœnam, quàm si omnia deessent, quæ prius ad bene viuendum sufficere existimabant; atque ita viuunt cum hoc aculeo, aut, vt melius dicam, cum hoc continuo flagello, quamdiu in hoc seculo sunt, quod omnem eorum prosperitatem interturbat. Illud autem ego clauo bombardam inficere dicerem, quod est stratagema, quo hostis in hostem vtitur
Eam mi seriam ma- in bello, facitque, vt maxima quædam belli machina seu tormentum ad nihil vtile sit: manet quidem illud integrum, & magnitudinem retinet, sed exiguum illud fascinum, in pactus nimirum clauus foramini, per quod ignem corripit, facit vt omnis illius vis & impetus impediatur. Eodem artificio Deus in malos vtitur, vt apertè intelligant (modò velint oculos aperire) felicitatem & sufficientiam cordis humani esse donum Dei, quod dat cui, & quando illi beneplacitum est, sine aliquo illorum labore & industria, aufertque vicissim iuxta suum consilium, clauo bombardam inficiendo, id est, aliquam harum perturbationum in illorum felicitatem mittendo. Ob hanc causam licet potentes sint & diuites, vti foris apparet, propter occultum tamen hunc defectum adeò desolati sunt, & in tanta perturbatione viuunt, vt nihil eos habere, nihil possidere existimares. Hoc est quod Esaias dicit in persona Domini contra potentiam regis Assyriorum: *Propter hoc*, inquit, *mittit Dominator*
Esa. 10, 16. *Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis.* Vt ex eo videatur quomodo Dominus scopulū nouit inuenire, cui nauis prosperè velificās illidatur, & mittere tenuitatem in medium fortitudinis, miseriamq; in medium felicitatis. Idem & in libro Iob demonstratur, vbi dicitur, quod *Gigantes gemunt sub aquis*, vt co-
Iob 26, 5 gnoscamus Deum habere loca profunda, & miserias etiam pro illis, nō minùs quàm pro pumilionibus seu paruulis, qui alioquin videntur huius mundi calamitatibus magis subiecti. Apertiùs hæc Salomon, quando inter alias mundi ærumnas etiam hanc, tanquam ex maximis enumerat, dicens: *Est & aliud malum*
Eccle. 6, 1. *quod vidi sub Sole, & quidem frequens apud homines; Vir cui dedit Deus diuitias & substantiam & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.* Quid illud est, non dedit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, nisi consumere bona sua, nec ex ijs habere sufficientiam illam & animi quietem, quam ex ijs habere posset. Exigua namque illa perturbatione, de qua diximus, Deus disponit, vt omnis eius felicitas mutetur; vt ex eo intelligatur, quòd vti veram sapientiam non tribuat litera mortua, sed Deus: ita nec veram pacem & sufficientiam dant opes & bona mundi huius, sed Deus.

Vt itaque, vnde eramus digressi, reuertamur: Si illi, qui habent omnia, quæ concupiscunt, & Deum non habent, viuant in doloribus, & pessimè contenti sint; quid facient illi, quibus hæc omnia desunt? Vnusquisque siquidem illorum defectus est quasi fames & sitis, quæ affligit illos, & spina quam cordi gerunt infixam. Quæ pax, quæ tranquillitas esse potest in anima, in qua tanta est seditio, tantum bellum, & tanta perturbatio appetituum & cogitationum? De huiusmodi hominibus optimè dictum est à Propheta: *Im-*
Esa. 57, 20. *pij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Etenim quod mare, quæ vnda, aut qui venti possunt esse magis tempestuosa, quàm sunt passiones & appe-
Simile. titus malorum, qui solent subinde montes & maria subuertere? Fit etiam interdum, vt in isto mari sæuiant inter se venti contrarij, quod maioris tempestatis est indicium, & causa. Sæpe enim ijdem appetitus inter se contendunt, more ventorum contrariorum. Sæpe enim quod vult caro, non vult honor; & quod *Appetitus*
honor appetit, respuunt diuitiæ: atque ita desideran- *inter se pugnant.*
tes, omnia nesciunt quid velint desiderare, imò seipsos non intelligunt, & nesciunt quid eligere, quid velint reijcere: appetitus enim inter se contrariantur, quemadmodum humores in infirmitate fastidiosa, in qua medicus quid faciendum sit dubitat, ne fortè quod vni humori conducat, alteri sit noxium. Ea est confusio linguarum in turri Babylonica, & contradictio,

tradictio, ob quam Propheta Dominum deprecatur
Psal 54,10. dicens: *Præcipita Domine diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in populo.* Quæ iniquitas, quæ diuisio, quæ contradictio est illa, nisi cordium hominum mundanorum, & diuersitas appetituum eorum, cùm inter sese contrariantur, res aduersas concupiscentes, dum vnus refugit, quod alter appetit?

De pace & quiete interiore, in qua viuunt boni.

HÆc, quam commemorauimus, est conditio malorum: è contrario boni habentes gubernatorem & moderatorem omnium suorum desideriorum & appetituum, habentes etiam domitas & temperatas passiones, felicitatemque suam non in falsis his & transitorijs bonis, sed in Deo solo, qui centrum est eorum beatitudinis, inque veris illis & æternis bonis, quæ nemo potest auferre vel suffurari, constituentes; amorem quoque proprium non carne sua, cum toto exercitu appetituum & concupiscentiarum odio prosequentes plùs quàm Vatiniano; totam denique voluntatem suam ad manus Dei renuntiantes, nulla molestia sic perturbantur, vt amittant pacem interiorem. Hoc vnum est, inter alia multa, præmium, quod Dominus promittit Virtutum amatoribus: sicut multis in locis sacra Scriptura testatur.
Psal.118, 165. Esa.48, 18. Propheta regius dicit: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Esaias quoque, *Vtinam*, ait, *attendisses mandata mea facta fuisset vt flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.*

Propheta hoc loco pacem hanc vocat flumen, propter virtutem quam habet extinguendi flammas nostrorum appetituum, ardorem cupiditatis temperandi, sterilem siccamque venam cordis nostri irrigandi, animamque nostram refrigerandi. Idem etiam
Prou.16,7. & Salomon asserit, dicens: *Cum placuerint Domino vtæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Qui sunt inimici illi, qui bellum mouent homini, nisi propriæ passiones, & malæ inclinationes carnis, quæ semper pugnat aduersus spiritum? Hæ igitur in pace degunt, quando per virtutem gratiæ & bonæ consuetudinis assuescunt operibus spiritûs, & planè quiescunt, nec tam cruentum mouent bellum, vt ante consueuerunt. Et si initio virtus magnas sentiat turbas passionum, cùm tamen ad perfectionem venit, cum maiori suauitate & facilitate operatur, nec tanta est ampliùs contradictio. Denique hæc est illa pax, quam Propheta Dauid alio nomine vocat lati-
Psalm.17,37. tudinem seu dilatationem: *Dilatâsti*, ait, *gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.* Quibus verbis Propheta voluit declarare differentiam, quæ est inter viam bonorum & malorum: hi enim cordibus tribulatis præmetu, & varijs, in quibus viuunt,
Simile. cogitationibus incedunt, non aliter atque viator, qui inter rupes & multa præcipitia ambulat, metuens, quoties pedem promouet, ne cadat: bonorum verò via lata est & secura, euntque tanquam per viam planam & bene stratam, vbi nullus est metus cadendi. Hæc meliùs intelligunt iusti per praxin, quàm per theorian: nôrunt enim omnes illi quantum cor suum
Mutatio hominis interioris. differat nunc, cùm Deo seruiant, ab eo, quod circunferebant cùm adhuc in mundo fluctuarent. Tunc enim in omni periculo tribulationis confestim expauescebant, trepidabant, corde & corpore contremiscebant. Postquam autem viam mundi reliquerunt, cor ad amorem bonorum æternorum transtulerunt, omnem suam felicitatem & spem in Deo collocârunt; per omnia quæque obuia transeunt corde tam læto, tam tranquillo, & Dei voluntati tam subiecto, vt ipsi non raro admirentur tantam transformationem. videntur non esse ijdem qui fuerunt, aut saltem cor aliud nouum pro veteri redditum, tantam in se sentiunt alterationem. Et vt verum fateamur, sunt, & non sunt ijdem: omne enim quod sunt, quantum ad naturam, non sunt quantum ad gratiam: ab illa enim procedit hæc alteratio, etsi nullus de illa queat habere certitudinem. Hoc est quod Dominus promittit per Esaiam dicens: *Cùm transieris per aquas, tecum ero,* Esa.43,2. *& flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Quę aquæ sunt illæ, nisi torrentes tribulationum huius vitæ, & diluuium miseriarum infinitarum, quæ quotidie in illa occurrunt? Et quis ignis ille, nisi ardor carnis nostræ, quæ est fornax illa Babylonica, quam succendunt ministri Nabuchodonosoris; hoc est Dæmones, à qua ascendunt flammæ nostrarum cupiditatum? Qui igitur in medio aquarum istarum, & in medio flammæ illius, in quibus mundus vniuersus periclitatur, tutus obambulat, nec aliquod detrimentum sentit ardoris, an fieri possit, vt ipse ex eo non agnoscat præsentiam Phil.4,7. *Præsentia Spiritus S. agnoscitur ex mentis tranquillitate.* Spiritûs sancti, & virtutem diuinæ gratiæ? Hæc est illa pax, quam B. Apostolus dicit omnem sensum exuperare, id est, tam sublime, excellens & supernaturale donum est, vt intellectus humanus per se tantùm intelligere nequeat, quomodo cor carneum esse possit tam quietum, pacificum, & tranquillum, in medio infortuniorum & tempestatum huius mundi. Qui autem hoc intelligit, cognoscit & laudat tantorum miraculorum opificem, & dicit cum Propheta; *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram; auferens bella vsque ad finem terræ: arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igne. Vacate & videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.* Psalm. 45,9.

Hæc cùm ita sint, quid opulentius, quid dulcius, quid optatius hac tranquillitate, hac latitudine, hac *Prima causa huius pacis.* cordis magnitudine & beata pace? Quod si vlteriùs progrediaris, & indagare velis ex quibus fontibus cæleste donum hoc scaturit, dico illud promanare ex omnibus his Virtutum priuilegijs, quæ hactenus à nobis commemorata sunt. quemadmodum enim in catena vitiorum vnum alij connexum est, sic & in scala virtutum vna ab alia dependet, eo modo, vt quæ excelsior est, vti plures profert fructus, sic plures etiam habeat radices vnde nascitur. Beata igitur pax hæc, quę vnus est ex vndecim fructibus S. Spiritus, generatur ab alijs fructibus & priuilegijs, vt diximus: specialiter tamen ab ipsa virtute procedit, cuius indiuidua comes est. Quapropter, quemadmodum Virtuti debetur naturaliter honos & reuerentia externa; ita etiam debetur pax interna, quæ similiter fructus est & præmium illius. Bellum interius procedit à superbia, & inquietudine passionum: cùm verò illæ refrænantur & domantur per virtutes, quarum hoc munus est, cessat causa omnis seditionis & tumultus illius. Hæc est vna illarum rerum, in quibus consistit felicitas regni cælestis in terra. de quibus dicit Apostolus; *Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, &* Rom. 14. *pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Vbi per iustitiam iuxta phrasin Hebraicam intelligitur ipsa virtus, & sanctitas, de qua hoc loco agimus: in qua vnà cum duabus istis admirandis fructibus, pace nimirum & gaudio in Spiritu S. consistit felicitas & beatitudo incepta, qua iusti fruuntur in hoc mundo. Quòd pax hæc effectus est ipsius virtutis, manifestissimè dicit Dominus apud Esaiam; *Et erit opus*, inquit, *iustitiæ* Esa.32,17. *pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculo fiducię, & in requie opulenta.* Sciendum hoc loco est, per silentium intelligi ipsam pacem interiorem, quæ est tranquillitas & quietudo passionum, quæ importunis suis clamoribus & inconditis appetitibus quietem & silentium animæ perturbant.

Secunda causa.

Secundò pax hæc nascitur à libertate & dominio passionum subiugatarum, de qua superiori capite fusiùs tractauimus. Quemadmodum enim mox vbi ciuitas capta est, & ciues subacti, oritur in illa pax & tranquillitas, ita vt vnusquisque sedeat sub tecto suo, sine metu, & suspicione vllius hostilitatis: sic & postquam superatę sunt affectiones animę nostrę quę sunt causæ omnium turbarum, subitò in illa sequitur silętium interius, & pax admirabilis, in qua viuit quieta & libera prorsus à bello, & importuna altercatione & strepitu istarum perturbationum. Atque ita fit, vt quemadmodum illæ, cùm homini dominabantur, & imperium in illum exercebant, eum alterabant, & sursum atque deorsum agitabant, sic cùm homo liber est ab earum tyrannide, imò eas detinet captiuas, non habeat amplius, quod ipsi molestiam pariat.

Tertia causa.

Tertiò eadem pax oritur ex magnitudine consolationum spiritualium, de quibus antea quoque diximus: quibus desideria & affectus nostri appetitus sic in ordinem rediguntur, sic sopiuntur, vt quiescant, & contenti sint parte quæ illos contingit, iuxta præferentiam superioris animæ portionis. Ibi enim pars concupiscibilis sibi satisfactum putat, vbi viderit sororem suam esse contentam: atque ita totus homo quiescit & tranquillus est, propter participationem & gustum summi illius boni.

Quarta causa.

Quartò pax illa procedit à testimonio & interiore gaudio bonæ conscientiæ, quæ summam adferunt quietem & tranquillitatem animabus iustorum, etsi easdem non securas omnino reddant: non enim manent sine solicitudine & sancti timoris stimulo.

Quinta causa.

Vltimò generatur pax illa à spe, quam habent boni in Domino, ea enim singulari quodam modo quietos reddit, & consolatur homines, etiam in medio tribulationum & tormentorum huius vitæ, eo quòd sint firmati anchora sanctæ spei: hoc est, quia confidunt habere se Deum patrem, tutorem, defensorem & scutum suum, sub cuius vmbra non immeritò viuunt securi, canentes cum Propheta: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Hinc enim nascitur pax iustorum, & remedium omnium malorum suorum, nec causam habent vllam metuendi & lamentandi, qui talem habent adiutorem.

Psalm. 4, 9.

DE NONO PRIVILEGIO
Virtutis: quod Deus exaudit orationes bonorum, & reijcit preces malorum.

CAPVT XXI.

QVi virtutem sectantur, aliud adhuc pręter ea, de quibus hactenus egimus, habent priuilegium, quòd scilicet à Deo preces eorum exaudiantur: estque hoc ipsum illis insigne solatium & adiutorium in omnibus eorum necessitatibus atque huius vitæ miseriis. Pro intelligentia huius priuilegij sciendum est, duo fuisse vniuersalia huius mundi diluuia; vnum materiale, alterum spirituale; vtrumque autem eandem habuisse causam; nimirum peccatum.

Duplex diluuium.

Genes. 7.

Materiale, quòd fuit tempore Noë, nihil in hoc mundo viuum reliquit, exceptis ijs quæ in arca fuêre: aquæ siquidem inuoluerunt omnia, adeò vt mare absorberet terram cum omnibus laboribus & diuitijs hominum. Aliud autem prius diluuium multò maius fuit illo: non enim obfuit hominibus illius seculi tantùm, sed omnibus præteriti, præsentis, & futuri temporis hominibus exitiale malum attulit: nec tantùm corporibus nocuit, sed & animabus: spoliauit enim illas omnibus diuitijs gratiæ, quam receperat mundus protoplasto illo mediante. Et in hoc misero statu adhuc manent omnia, vti videmus, in creatura omni, quæ venit recens in hunc mundum, nuda omnibus bonis, tam animæ, quam corporis.

Innocentius 3. de miseria vitæ humanæ.

Ab hoc primo diluuio deriuatæ sunt omnes miseriæ & paupertates, quibus humana vita subiecta est, quæ tot & tantæ sunt, vt summo cuidam Doctori, & insigni Romano Pontifici copiosam præbuerint materiam integrum librum de ijs commentandi: Doctissimi quoque Philosophi ex vna parte considerantes dignitatem hominis super omnia animalia cetera, ex altera verò quantis miserijs & vitijs esset obnoxius, mirari satis non potuerunt, videntes tantam in mundo ataxiam: non enim intelligebant causam, quæ fuit peccatum. Animaduertebant enim solum hominem inter alia animalia mille frui generibus voluptatum, carnisque desideriorum; solum hominem vexari auaritia, ambitione, & insatiabili viuendi appetitu, nec his terminis miseriam eius finiri, sed cogitandum illi de sepultura, & quid post mortem de eo futurum est. Non est animal aliquod naturam habens fragiliorem, ingluuieque & auiditate maiore succensam, nec timorem vaniorem, nec iram magis rabidam. Cernebant etiam animalia cetera maiorem vitę suæ partem transigere sine infirmitate, sine medicorum ope; prouisum ipsis esse de necessarijs omnibus sine suo labore, aut industria. Ab altera verò parte videbant miserum hominem mille infirmitatibus, casibus, necessitatibus, doloribus tam animę, quàm corporis, tam suis, quam amicorum expositum. Quod præterijt, dolet; quod præsens est, affligit; quod futurum est, terret: vtque se panis & aquę buccella sustentet, sæpe tota vita laborandum est. Non tam citò desinam de his vitæ humanæ miserijs tractare, de qua B. Iob dicit: *Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius.*

Homo omnibus animalibus miserior.

Iob 7, 1.

Hoc ipsum tanto tædio antiquos illos Sapientes affecit, vt inter illos inueniatur, qui non veritus est dicere, se dubitare fueritne Natura mater nostra, an vetrò potiùs nouerca, quæ nos tantis miserijs subiecit. Alius dicebat: Optimum est non nasci, proximum quàm ocyssimè aboler. Nec errauit, qui dixit? Multos non optaturos vitam, si antè probassent. Si itaque talis vita nostra facta sit per peccatum, & amissum sit summum hominis decus atque principale bonum per hoc diluuium, quod remedium reliquit ille, qui genus humanum tam grauiter puniuit? Dic mihi, quod remedium habet homo infirmus & claudus, qui naufragans per mare, vno infortunio perdit omnes diuitias? Scio quid dices mihi, Si, inquies, non habeat vnde viuat, nec propter infirmitatem lucrari quid possit, necesse est, vt mendicet. Age igitur, si homo in vniuersali illo diluuio quicquid habebat amiserit, pauperque ac nudus vix periculum euaserit; quod remedium illi reliquum est aliud, quàm vt instar pauperrimi mendici ad ostium Domini vociferetur? Docet illud aperte Rex Iosaphat, cùm dicit: *Domine, cùm ignoremus, quid facere debeamus, hoc solũ habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Consentit Rex Ezechias: *De mane*, inquit, *vsq; ad vesperam finies me: Sicut pullus hirundinis, sic clamabo ad te, meditabor vt columba.* q. d. Ego tam pauper sum, atque ita à tua dependeo misericordia & prudentia, vt ne vno quidem die de vita mea securus sim: Propterea exercitium meum omne erit, semper suspirare ad te tanquam columba, & clamabo ad te vti clamat pullus hirundinis ad matrem suam. Ita locutus est homo ille sanctus, licet Rex esset potentissimus: Fuit etiam multò maior illo pater eius Dauid, nihilominus ad hoc Asylum in omni sua necessitate recurrit, eodemque spiritu & intentione dicit: *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum: Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum*

Diluium Siluani à Myda capti Ouid. lib. 11. Metam.

Simile.

Sola oratio remedium hominis.

2. Par. 20, 12.

Esa 38, 12.

Psalm. 141, 2.

ipsum pronuntio. Hoc est, cùm oculos circumduco, huc illuc respiciens, video omnes vias septas, & portas spei obstructas; cùm itaque mihi deficiant auxilia humana, cœlestia peto per orationem, quam Deus mihi reliquit, tanquam vnicum subsidium in omnibus malis & periculis meis.

Quam certũ remedium sit nostra oratio.

Rogabis me fortassis, an remedium hoc securum sit, & vniuersale pro omni vitæ nostræ necessitate. Ad hoc (cùm id à sola diuina voluntate dependeat) respondere non possunt alij, præter eos, quos Deus hac in re Secretarios elegit. quales sunt Apostoli & Prophetæ inter quos vnus dicit: *Nec est alia natio tam grandis quæ Deos habeat appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Hæc verba sunt ipsius Dei, licet per os hominis prolata, quæ nobis maiorem fidem facere, & securiores nos hac in re efficere debent, quàm omnia mundi testimonia: hoc est, cùm oramus, etsi neminem videamus, qui respondeat, non tamen parietibus loquimur, nec verba in ventos spargimus, sed Deus ipse præsens adest, qui audit & iuuat nos orantes, misertus nostræ necessitatis, & præparans remedium; si tamen conueniens remedium sit. Quod itaque maius esse potest oranti solatium, quàm habere pignus tam certum diuinæ assistentiæ? Quod si hoc sufficiat ad consolandum & confortandum orantes; quanto magis ea nos confirmabunt, quæ Christus ipse loquitur, & pignus quod habemus operum, vti ipse in Euangelio dicit: *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis?* Quod pretiosius & certius pignus habere possumus illo? quis verba hæc in dubium reuocabit? quis hoc solatio non refocillabitur in omnibus suis orationibus? cui non satisfaciet hoc regale diploma? Hoc sanè vnum ex maximis priuilegijs est, quæ virtutum amatores in hac vita sequuntur, scire nimirum magnas, securasque has promissiones sibi potissimum factas esse. Vna enim ex insignioribus gratijs, quas Dominus noster eis dat in solutionem felicitatis & obedientiæ, est, quòd semper præsens orantibus aderit, & exaudiet omnes orationes eorum. Huius rei fidem facit Dauid, cùm dicit: *Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum.* Per Esaiam quoque idem Dominus pollicetur: *Tunc,* inquit, *inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet; Ecce adsum.* Non tantùm cùm clamant, sed priusquam clamauerint, promittit sanctus Propheta, quòd Dominus ipsos exaudiet. Hæc autem promissio magnam habet vim ad alias promissiones obtinendas, vti Christus ipse apud Ioannem ait: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Quia verò magnitudo huius promissionis videbatur omnem humanam fidem & credulitatem superare, eandem secundò repetit, idque cum maiori affirmatione, dicens: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quæ maior gratia? quæ maiores diuitiæ? quod maius dominium? *Quodcunque* inquit, *volueritis, petite & dabitur vobis.* O verbum dignum tali pollicitatore: quis potuit hoc promittere, qui non est Deus ipse? Quę potentia ad tam ardua & magnifica sese potest extendere, nisi Dei solius? Hæc aliquo modo constituit hominem Dominum vniuersorum, hæc tradit illi clauem diuinorum thesaurorum. Omnia alia donaria, gratiæque diuinæ suos habent terminos, quibus circunscribuntur. Hæc autem inter alias tanquam donum regium Domini infiniti, habet illam infinitatis naturam, vt nec his, nec illis limitibus determinetur: sed dicitur, omne id quod volueritis, modò conducat vestræ saluti. Et si homines essent iusti rerum æstimatores, quanti deberent hanc promissionem æstimare? Quanti faceret homo, si hanc gratiam apud Regem aliquem inuenisset, qui daret illi quicquid peteret? Si in tanto tibi sit pretio Rex ille terrenus, cœlestis hic an non erit in maiori? Quòd si autem existimaueris nuda hæc esse verba, nec effectum sequi promissionem, intuere vitas Sanctorum, & considera quanta fecerunt sola oratione. Quanta Moyses effecit in Ægypto, totoque itinere illo in deserto sola oratione? Quanta operati sunt Helias & Heliseus sola oratione? Quæ & qualia miracula ediderunt per solam orationem Apostoli? cum hac armatura pugnârunt Sancti: cum hac debellârunt Dæmonum potestatem: per hanc de mundo triumphârunt: per hanc naturam superârunt: per hanc ardorem ignis & mitigârunt & extinxerunt; per hanc denique iram Domini placârunt, & quidquid voluerunt obtinuerunt. De patre nostro S. Dominico memoriæ proditum est, quòd amico cuidam clàm reuelauit, nihil vnquam à Deo se petijsse, quod non impetrauit. Respondente amico, & petente, vt à Deo postularet Magistrum Reginaldum (qui erat eo tempore vir celeberrimus) ordinis sui religiosum: Vir sanctus ea nocte Dominum orauit, postridie cùm hymnus, *Iam lucis orto sydere*, &c. inciperetur; venit noua illa lucerna in Chorum, & proijciens sese ad pedes S. Patris Dominici, humiliter & supplex habitum ordinis petijt.

Quanta fecerit Sancti per orationem.

Vincent. lib. 31. hist. c. 100.

Hoc itaque præmium est obedientiæ Iustorum promissum, vt cùm ipsi sint tam fideles & obedientes voci Domini, ipse similiter agat cum illis; & quia illi respondent ad vocem eius, cùm clamat, æquum est vt eadem moneta remunerentur. Hinc est quod Salomon dicit, *Virum obedientem loqui victoriam:* æquum enim est: vt Deus faciat voluntatem hominis, cùm homo faciat voluntatem Dei.

Prou. 21, 28.

HActenus de oratione Iustorum. Econtrario verò de Oratione malorum dicit Dominus; *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Et per Ieremiam minatur illis Dominus dicens: *Et in tempore afflictionis dicent; Surge, & libera nos. Vbi sunt Dij tui, quos fecisti tibi? surgant & liberent te in die afflictionis tuæ.* In libro quoque Iob scribitur; *Quæ est enim spes hypocritæ, si auarè rapiat, & non liberet Deus animam eius? nunquid Deus audiet clamorem eius, cùm venerit super eum angustia?* Sed & B. Ioannes in sua Canonica præcedentibus subscribit: *Charissimi,* inquit, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.* Non dissimile est illud Psalmographi: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Propterea exaudiuit Deus & attendit voci deprecationis meæ; quia iniquitatem non feci.*

Esa 1, 15.

Hier. 2, 27.

Iob 27, 8.

1. Ioan. 3, 20.

Psalm. 65, 18.

Similes auctoritates mille possunt è Scripturis erui, ex quibus facilè colligitur differentia, quæ est inter orationes bonorum & malorum, & per cõsequens quantum vna pars præstet alteri, cùm quidam illorum exaudiantur & tractentur vt filij, alij communiter reijciantur vt inimici. Cùm enim non coniungant orationibus suis opera bona, nec eam deuotionem & ardorem spiritus, nec charitatem & humilitatem eam, quæ requiritur; mirum non est, eos non exaudiri. Petitio enim, vt Cyprianus ait, non est efficax, cùm oratio est sterilis. Quod etsi communiter verum sit, ea tamen misericordiæ diuinæ est magnitudo, vt sæpe Dominus malorum etiam preces exaudiat, & rogata perficiat. Nam qui in hoc statu sunt, etsi non possint mereri, possunt tamen aliquando quod petunt impetrare. Quod enim eorum opera non mererentur, oratio impetrat. Cuius rei D. Thomas causam reddit, quia, inquit, merendi ratio à charitate pendet, quæ merendi principium & causa est; at impetrare quod petas, à diuina misericordia proficiscitur, quę tanta est, vt etiam peccatores exaudiat.

Cyprianus.

De hac materia, vide Granat. concion. 2 Dominic. 6 post Pentec.

Quàm latè sese extendat oratio.

DE DECIMO PRIVILEGIO VIRTVTIS: quod est auxilium & fauor Dei, quem boni in tribulationibus suis sentiunt: deque impatientia & tormento, quibus impij suas sustinent.

CAPVT XXII.

HAbet & virtus aliud priuilegium non minùs admirandum: dari nimirum virtutum amatoribus robur & fortitudinem, vt cum gaudio possint tribulationes suas sustinere, quæ nunquam in hac vita deerunt. *Vita nostra mare est.* Scimus enim non esse mare aliquot tam procellosum in hoc mundo, nec tam instabile, quàm vita nostra est: non enim in illa felicitas aliqua reperitur tam secura, quæ non mille casuum generibus est subiecta, qui nobis momentis singulis insidiantur. Digna profectò consideratione res est; videre quanta cum differentia boni & mali mutabilem hunc mundum traijciant: boni enim scientes se Deum habere patrem, atque eum esse, qui calicem istum instar medicinæ à sapientissimo quodam medico præscriptæ iubet epotare; & quod tribulatio est quasi lima, quæ quanto asperior est, tanto puriorem, nitidioremque reddit animam, omnemque rubiginem extergit: cogitantes similiter illam esse, quæ facit homines humiliores in suis cogitationibus; feruentiores in orationibus, puriores in conscientia: hæc inquam & similia scientes atque cogitantes iusti caput deijciunt, & humiliantur vt paruuli, tempore tribulationis: nec non & aquam in calicem passionis infundunt, aut (vt melius dicam) Deus ipse infundit: qui, vt Propheta dicit: *Potum dat nobis in lachrymis, in mensura.* *Psalm. 79. Deus tēperat tribulationes iuxta vires hominum.* Non est medicus, qui tanta cùm diligentia mensurat quantitatem pharmaci, quod dat infirmo, iuxta qualitatem complexionis: quanta cælestis noster Physicus mensurat medicamentum tribulationis, quod distribuit iustis, iuxta qualitatem virium, quibus illud queant sufferre.

Quod si aliquando crescat labor, crescit etiam & auxilium, ne homo deficiat; fiatque tanto ditior, quanto est tribulatio potentior: vtque eam non fugiat tanquam rem exitiosam & noxiam; sed vltro desideret, tanquam magnam lucri mercimonium. *Tribulatio vtilis.* Propter has causas sæpe boni sustinent calamitates & miserias, non tantùm cum patientia; sed & cum gaudio. Non enim laborem intuentur, sed præmium: non pœnam, sed coronam: non amaritudinem medicinæ, sed sanitatem, quam illius beneficio consequuntur: non dolorem castigationis, sed amorem castigantis, qui dicit ipse se castigare omnes quos diligit. Huic considerationi adiungit sese auxilium diuinæ gratiæ, sicut iam diximus; quod nunquam destituit iustos in tempore tribulationis.

Prouerb 3. Apocal 3. Deus adest iustis in tribulatione. Cùm enim Deus tam verus & fidelis amicus suorum sit, nusquam eis propiùs adest, quam in eorum tribulationibus: quantumuis contrarium verum esse videatur. Percurre obiter Scripturam sacram, & videbis vix aliquid esse: quod tam sæpe repetitur, & promittitur, quàm quod hîc dicimus. Nónne de illo scriptum est, quòd sit adiutor in necessitatibus & tribulationibus? Nónne ille est, qui nos inuitat, vt illo tempore inuocemus eum? *Psal. 49, 15.* *Inuoca me*, inquit, *in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Nónne Propheta hoc ipsum expertus testatur? *Psalm. 4, 1.* *Cùm inuocarem*, ait, *exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatâsti mihi?* Nónne ille Dominus est, in quo confidens *Psalm. 54, 9.* idem Propheta dicebat; *Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate.* Quæ tempestas non est huius maris, sed illa, quæ exagitat & affligit cor pusillanimis, & infirmi, quando tribulatur, quæ tanto maior est, quanto minus cor. Hanc sententiam confirmat idem multis in locis, aut ijsdem, aut verbis efficacioribus: tum vt firmemur in fide huius veritatis; tum etiam, vt in pusillanimitate nostra confortemur. *Salus enim*, ait, *iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos: quia speranerunt in eo.* Et alio quodam loco adhuc apertius: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ; à conturbatione hominum. Protèges eos in tabernaculo à contradictione linguarum. Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita. Ego autem dixi in excessu meo. Proiectus sum à facie oculorum tuorum: ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.* Vides hîc quàm manifestè Propheta demonstrat gratiam & adiutorium, quod habent iusti à Deo, in maximis & fortissimis suis tribulationibus. Notandum verò, quod ait, *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ*, significans (vt quidam interpres exponit) quemadmodum Rex cùm quempiam custodire vult ab omni periculo tutum, includit illum suo palatio, vt non tantùm regales muri, sed Regis etiam oculi illum defendant à suis inimicis: qua custodia nulla potest esse tutior: sic & supremum illum Regem eadem sua illos defendere prouidentia. Hinc est quod videmus & legimus Sanctos frequenter multis periculis tentationibusque circumuentos persistere, aut perstitisse animo immoto & tranquillo, vultu quoque & gestu sereno, atque hilari. Certi enim erant habere se præsentem fidelem illam custodiam, quæ nunquam illos destituit: imò tunc maximè præsentem esse, cùm pericula ad summum venerunt. Senserunt hoc tres illi iuuenes sanctissimi, quos Nabuchodonosor in ardentem fornacem Babyloniæ mitti præcepit: inter quos *Angelus Domini ambulabat in medio ignis, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos ignis, neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit. Et obstupuit Rex, & dixit; Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? & ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis.* Quis ille quartus formosus vt filius Dei? Vides igitur quàm præsto sit in tribulationibus Domini nostri præsentia. Non minus huius rei argumentum est quod Dominus sanctissimo iuueni Iosepho præstitit, postquam venditus fuit à fratribus suis. *Isbrauit enim eum à peccatoribus*, (vt habetur in libro Sapientiæ) *descenditque cum illo in foueam; & in vinculis non dereliquit illum: donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Pfal. 36, 29. Pfal. 30, 20. Ibid. v. 31. Similc. Daniel. 3. Genes. 41. Sap. 10, 13.

Hæc exempla confirmant promissionem diuinam, quæ est apud Dauidem: *Cum ipso*, dicit Dominus, *sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Pfal. 90, 15. O felix tribulatio, quæ talem mereris habere socium. Quod cùm ita sit, clamemus omnes alta voce cum D. Bernardo; Da mihi Domine tribulationem, vt semper mecum sis. Cum hoc sese coniungit subsidium & fauor omnium virtutum, quæ concurrunt isto tempore, vt afflictã animam corroborent. Quemadmodum enim cùm cor angitur, vel anguistiatur, omnis vndique concurrit sanguis, vt succurrat illi, ne deficiat: sic cùm anima dolore premitur & angustia, confestim omnes virtutes concurrunt, & subueniunt illi, nunc hoc, nunc illo modo. Principaliter autem Fides adest, adferens claram bonorum & malorum futuræ vitæ cognitionem: in quorum comparatione omnes huius mundi calamitates & miseriæ nullius sunt momenti. Venit Spes, quæ hominem efficit patientem in omni

Bern. serm. 17. in Psalm. Qui habitat. *Omnes virtutes tribute latiè succurrunt.* Similc.

sua

sua tribulatione, cum expectatione præmij. Accedit Amor Dei, cuius amore inflammati, cum summo affectu desiderant omnia genera afflictionum & dolorum in hac vita tolerare. Accurrit obedientia, & voluntatis nostræ cum voluntate diuina conformitas; à cuius manibus accipiunt cum gaudio & sine murmure, quæcunque ipsis dantur. Adiungit sese his patientia, cuius est humeros corroborare, vt homo potens sit ferre ea, quæ ipsi imponuntur onera? Habet hic quoque suam functionem humilitas, quæ cor inflectit tanquam teneram arbusculam, à procelloso vento tribulationis agitatam, facitque hominem humiliari sub potenti manu Domini, dum agnoscit, multo semper esse minora quę patitur, quam quæ peccata sua merentur. Adiuuat denique consideratio laborum & dolorū Christi crucifixi, omniumque Sanctorum, in quorum comparatione tribulationes nostræ quasi non sunt.

Hoc itaque modo Virtutes auxiliantur his, qui in calamitatibus sunt: singulę proprijs suis officijs, nec officijs tantū, sed & (si dicere fas sit) suis etiam verbis & exhortationibus. Prima omnium Fides dicit, *non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriā quæ reuelabitur in nobis.* Charitas dicit, omnino fas & æquum esse omnia nos perferre illius amore, qui tam tenere nos dilexit, & diligit, Gratitudo ait cum B. Iob, *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?* Pœnitentia inquit, iustum est, vt quis aliquid patiatur contra suam voluntatem, qui toties malum contra diuinam voluntatem operatus est. Addit Fidelitas, Æquum est, vt semel inueniatur gratus & fidelis in vita ille, qui tot dona, tantasque gratias à Deo toto vitæ suæ curriculo percepit. Patientia monet tribulationes esse materiam patientiæ, *seu patientiam operari: patientiam vero probationem, probationem spem, spem autem non confundi.* Obedientia dicit, non esse sacrificium maius, aut Deo gratius, quàm in omni tribulatione sese conformem facere diuinæ voluntatis beneplacito. Inter omnes verò virtutes Spes viua singulari quodam modo adiuuat hominem in illo tempore: eaque mirabiliter cor nostrum roborat, in medio tribulationum. Declarat hoc Apostolus, qui cùm dixisset, *Spe gaudentes*, statim subiungit, *in tribulatione patientes:* non ignorans vnum aliud subsequi; hoc est, ex gaudio spei sequi patientiæ fortitudinem. Quam ob causam non ineleganter Apostolus spem vocat Anchoram: quemadmodum enim ipsa cùm terræ infigitur, securam nauim conseruat, quæ medijs in fluctibus subsistit, facitque, ne procelloſi maris fluctus metuat: sic spes viua promissionibus cæli firmiter infixa, animum iusti immotum in medijs vndis huius mundi conseruat: facitque, vt spernat omnem ventorum impetum, & tempestatem. Sic verum sanctum olim fecisse dicunt. qui se circumquaque tribulationibus septum videns, dicebat, Bonum quod expecto tam immensum est, vt omne supplicium, omneque tormentum mihi voluptas sit.

Mimesis. Rom 8,18. Iob.2,10. Rom 5,4. Rom.12,12. Spes est anchora. Heb.6.

Intelligis itaque, mi frater, quomodo virtutes omnes concurrunt, ad confirmandum animum iusti, quando vident illum in angustijs constitutum. Et si fortè homo infirmetur, & terreatur, reuertitur tamen confestim ad mentem, & maiori cum affectu dicit: Si tempore probationis defeceris, cùm Deus tentare te decreuerit, vbi viua fides, qua credis in illum? vbi charitas? vbi fortitudo? vbi obedientia? vbi est patientia? vbi fidelitas? vbi est fortitudo spei? Hiccine est finis omnium tuorum laborum? hæc est bona tua propositio? Hoccine illud est quod toties desiderâsti, & Dominum orâsti? Memento Christianitatem in eo non tantùm consistere, vt quis ieiunet, vt oret, vt Missas audiat; sed necesse est, vt Deus te fidelem inueniat, tanquam alterum Iobum, & Abrahamum, in tempore tribulationis. Hoc itaque modo iustus bonis suis meditationibus & contemplationibus virtute propria, & diuinæ gratiæ fauore, qui illum non derelinquit, adiutus, eò tandem venit, vt tribulationum suarum onus, non tantùm cum patientia perferat: sed cum gratiarum quoque actione summoque gaudio. Huius rei argumentum est exemplum sancti viri Tobiæ senioris, de quo scriptum est, quòd post plurimas calamitates, quibus probatus erat, etiam diuina permissione visum in senectute amiserit, vt hominibus daretur exemplum patientiæ: non enim vel ægritudine animi consumptus est, nec fidem vel obedientiam quàm prius habebat, amisit. Quare scriptura subiungit, dicens; *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius: sicut & sancti Iob. Nam cùm ab infantia semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cecitatis euenerit illi: sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Vides itaque Spiritū sanctum patientiam in tribulationibus palàm conferre virtuti, & timori Domini, quem habebat sanctissimus ille vir, secundum illud, quod dictum est antea. Possent etiam hoc loco præclara quædam exempla nostri temporis commemorari: in quo serui & ancillæ quædam Dei etiam maximas quasdam infirmitates & tribulationes, cum summo gaudio sustinuerunt: qui in felle dulcedinem, in tempestate tranquillitatem, in medio fornacis Babylonicæ saluberrimum refrigerium inuenerunt.

Tob.2,12.

In quo Christianismus verus consistat.

De impatientia & furore malorum in tribulationibus.

Minor causa est laudandi Dominum, dum videmus bonos in tribulatione constantes, quàm miserendi & dolendi, cùm malos conspicimus tribulationibus circumuentos. Etenim hi nec charitatem habent, nec fortitudinem, nec spem, nec virtutes his similes tribulationes autem inueniunt illos inermes, & imparatos: nec lucem habent, cuius beneficio videant id, quod boni vident per fidem formatam: nec amplectuntur illud spe viua, nec per experientiam probârunt insignem illam bonitatem, Deique paternam prouidentiam, qua suos obseruat. Res autem summo dolore digna est, videre illos in hoc mari absorberi, nec inuenire vbi pes eorum requiescat, nec qui manus ipsis porrigat. Dum enim nō habeant istud auxilium? nauigentque sine hoc nauclero, & gubernatore; atque pugnent sine hac armatura, quid de illis sperandum est, nisi vt submergantur, & naufragium faciant in illa tempestate, vel occidantur in hoc prælio? quid de illis sperandum, nisi vt ventorum procellis & vndis tribulationum iactētur, & impingant nauem scopulis iræ, pusillanimitatis, impatientiæ, blasphemiæ, & desperationis? inueniuntur etiam nonnulli, qui præter ea intellectum, sanitatem, vitam, aut visum etiam ob continuos planctus amiserunt. Adeo vt vna pars tanquam aurum purissimum igne tribulationis probatum maneat firma & inuicta: altera verò tāquam plumbum aut stamnū confestim ignis calore liquefiat, & diffluat. Dum itaque plangit vnus, cantat alter: & vbi vnus mergitur & suffocatur, alter siccis pedibus tranat & perambulat. In tabernaculis itaque iustorum semper sonat vox laudis & exultationis, sed in ædibus peccatorum semper audiuntur planctus, & voces miseriæ atque confusionis. Quòd si apertius intelligere velis, id quod dico considera planctus, & extremas lamentationes quarundam heroinarum, postquam aut filium aut maritum fato perdiderunt, & inuenies quasdam seipsas inclusisse locis obscuris & tenebrosis, vbi neq; Solem neque Lunam videre potuerint: aliæ bestiarū

Mali ad ferendas tribulationes in idonei.

Impatientia vis.

Psal.117,15.

instar in cauleas inclusæ sunt; aliæ seipsas in ignem cõiecerunt: quædam sibi ipsis cerebrum comminuerunt, quibus vita erat in pœna, mors autem in votis: alia denique aliis modis facilioribus vitam per impatientiam dolorisque vehementiam finierunt, & familias suas euerterunt. Hoc autem maius est, quòd non tantùm sibijpsis feræ sint & inhumanæ, sed in gloriam Dei inuolent, eius nomen blasphemantes, prouidentiam eius incusantes, iustitiæ illius maledicentes, misericordiam execrantes, & sacrilegum os suum in cœlum aduersus summam Dei maiestatem aperientes. Hinc est quòd calamitates & ærumnæ tandem pluant in ædes ipsorum, & miseriæ duplicentur, quas Deus ipsis pro tantis blasphemijs immittit. hoc enim præmium meretur is, qui exspuit in faciem Dei, & contra stimulum vult calcitrare. Imò hoc opus manuum Dei nõnunquam esse solet iustissimũ, vt hominem ab vna calamitate & tribulatione, in alias maiores incidere permittat. Quare infelices illi, deficiente virtutis moderamine, omnia contrario modo sæpe agunt, ordinemq; inuertunt tempore tribulationis blasphemant, vbi benedicere debebant, superbiunt, vbi requirebatur humilitas, infortunium suum augentes proprio, quod inferũt sibi, supplicio; & medicina, quam adhibere sese existimant, casum suum facientes desperatiorem: quod quasi initium est vnius inferni, & progressus ad alium, qui præparatur. Etenim si infernus sit locus pœnarum & peccatorũ, quid obstat, quo minus inferni quandam speciem dicamus ibi esse, vbi tot pœnæ: tot etiam peccata inueniuntur?

Impatientibus miseria duplicantur.

Sed præter hæc omnia, quis dolor est videre, quoquo modo id fiat, tamen esse necessarium tribulationes patiri: recipere verò illas in se, & cum patientia tolerare, onus alleuiare, & meritorium esse: miserum verò hominem velle & fructum patientiæ amittere, & casus acerbitatem augere per impatientiam; quæ ipso infortunio duriùs affligit. Miserum est laborare, suis laboribus fructum nullum facere, nec quicquam proficere, multo verò maius est, quod labore comparatum erat amittere: & cùm noctem aduersam habueris, etiam perdere diem fortunatum. Hæc omnia manifestè docent, quanto cum discrimine boni & mali tribulationes perferunt: quantam pacem, lætitiam & fortitudinem sentiunt boni, cùm tantas afflictiones, animorumque perturbationes mali patiantur. Pulchrè hoc olim abumbratum est in magno illo clamore & planctu, qui in vniuersa terra Ægypti auditus est, cùm Dominus percussisset omne primogenitum: neque enim erat domus, in qua clamor exortus non est: in terra verò Gessen, quam filij Israel incolebant, erat alta quies, adeò vt ne canis cuiquam allatraret. Sed quid præter hanc pacem, etiam dicam de vtilitate, quam iusti ex tribulationibus eruunt, ex quibus mali tanta percipiunt detrimenta? Nam, vt Chrysostomus ait, ab vno eodemque igne & aurum rutilat, & lignum comburitur: ita ab igne tribulationis iustus fit formosior, vt aurum; iniustus autem quasi lignum aridum & infructuosum in carbones & cineres conuertitur. Non dissimilis est Augustini sententia. Sub eadem, ait, tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita vna eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, & exerminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant: boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnũ, & suauiter fragrat vnguentum. Hæc ille. Idem quoq; præfiguratum est per mare rubrum, quòd non solùm filios Israël nõ absorbuit, sed & murus ipsis fuit à dextera eorum & læua. E contrà verò aquæ illius reuersæ sunt, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, inque medijs fluctibus inuoluerunt. Aquę igitur tribulationum sunt ad maiorem protectione, & custodiam bonis: ad cõseruationem quoque & exercitium humilitatis & patientiæ illorum. Malis verò sunt tanquam infelices aquæ, quæ illos in abyssum rapiunt impatientiæ, blasphemiæ, & desperationis.

Impatientibus nil prodest iustus.

Exod. 12.

Vna eademque tribulatio iustis prodest, obest iniustis.

Aug. lib 1 de ciui. Dei c. 2.

Exod. 14, 22.

Habes itaque, mi frater, aliam prærogatiuam, qua virtus vitium antecellit, ob quam Philosophi amarunt, & summo in pretio habuerunt Philosophiam, credentes eius solius esse muneris hominem in tribulationibus constantem efficere. Sed in hoc etiam, vti & in alijs multis, hallucinati sunt: tam enim vera virtus, quàm vera constantia, non inter Philosophos inuenitur, sed in schola illius Domini, qui positus in cruce, nos exemplo suo consolatur, regnans in cœlo, nos spiritu suo corroborat, & promittens nobis æternam gloriam, animos nostros spe ipsius erigit: quæ sanè in Philosophia humana non inueniuntur.

Constantia in tribulatione non est à Philosophia petenda.

DE VNDECIMO PRIVILEGIO VIRtutis, quale est illud, quòd Dominus virtutum amatoribus prouideat bona temporalia.

CAPVT XXIII.

QVicquid hactenus dictum est, ad diuitias & bona spiritualia pertinet, quæ Dominus Deus in hac vita præter ęternam gloriam vitæ futuræ, virtutum amatoribus largitur. Sunt autem hęc bona mundo in aduentu Christi promissa, sicuti Prophetarum oracula testantur. Rectè itaque Saluator mundi dicitur, cùm per eum vera salus data sit: quæ est gratia, sapientia, pax, victoria & subiectio nostrarum passionũ: consolatio quoq; Spiritus sancti, diuitiæ spei, omnia denique bona alia, quæ requiruntur ad hanc salutem obtinendam, de qua dixit Propheta, *Israel saluatus est in Domino salute æterna.* Ceterum si quis adeò carnalis inueniatur, qui magis respicit bona temporalia, seu bona carnis, quàm bona spiritus, vti Iudæi faciebant, age nolo propterea inter nos esse cõtentionem: imò dabimus illi spatium deliberandi longius, quàm ipse posset desiderare. Dic mihi, quid vult illud Sapientis, cum sermonem instituens de vera sapientia, in qua consistit perfectio virtutis, dicit, *Longitudo dierũ in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria?* Ita vt habeat illa in manibus suis duo bonorum genera, ad quæ homines inuitat: in vna manu æterna sunt, in altera temporalia. Noli cogitare Deum suos derelinquere, ita vt fame moriantur: nec tam improuidus aut negligens est, vt quum formicis & vermibus terræ det escam in tempore opportuno homines, qui ipsi noctes atque dies in domo eius seruiunt, ieiunos deserat, & inedia maceratos. Quòd si mihi non credas, lege si placet integrum caput sextum Matthæi videbisque & inuenies pignus & certitudinem istius promissionis. *Respicite*, inquit Dominus, *volatilia cæli, quia non seruant, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Concludens autem materiam, subijcit, *Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Ob hanc causam inuitat nos Propheta Regius ad seruiendum Domino, dicens; *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites egerũt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuẽtur omni bono.* Hoc autem adeò certò est, vt idem Propheta dicat alio loco; *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum*

Deus suos nõ derelinquit seruos.

Esa. 45. ℣.

Prouerb. 3, 16

Matth. 6, 26.

Psal. 33, 10.

Psal. 36, 25.

di iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.
Quod si hac de re longiorem cupias tractationem, vt videas quid expectandum sit bonis; audi quanta Deus in Deuteronomio diuinę legis obseruatoribus promittat; Deut 28.1. *Si*, inquit, *audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus quæ versantur in terra. Venient q; super te vniuersæ benedictiones istæ, & apprehendent te, si tamē præcepta eius audieris. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructus q; iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo per vnam viam venient contra te, & per septem fugiēt à facie tua. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum: benedicetq; tibi in terra quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum sicut iurauit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in vijs eius. Videbunt q; omnes terrarum populi quod nomen Domini inuocatū sit super te, & timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis fructu ventris tui, & fructu iumētorum tuorum, fructu terræ tuæ quam iurauit Dominus patribus tuis vt daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo: benedicetq; cunctis operibus manuū tuarū.*

Promissiones temporales veteris testamenti etiam ad iustos noui testam. alio quo modo pertinere.

Dic mihi, quæ diuitiæ, qui thesauri possent his benedictionibus comparari? Quòd si dixeris mihi, has promissiones Iudæis potius quam Christianis factas: (his enim secundùm Ezechielem præstantiora bona, vt sunt bona gratiæ, & gloriæ promissa sunt) tamen vti in lege illa carnali Deus non denegauit iustis Iudæis bona spiritualia, ita in lege spirituali non subtrahit temporalem prosperitatem bonis Christianis: imò dat illis bona temporalia, idque duplici cum vtilitate; quarum neutram habent mali. Prima est, quia tanquam prudens medicus illis bona hæc confert ea mēsura, quam necessitas ipsorum requirit: vt eo modo sustineantur, ne superbiant, aut impinguati & incrassati recalcitrent. Illud commodum mali non habent; ipsi enim quantum possunt corradunt, nulla salutis habita ratione: cùm tamen non minùs noxia sit animę temporalium rerum superfluitas, quàm corpori cibus, vltra modum ingestus. Etenim etsi moderatè

Similę.

manducare necessarium est, ad corporis sustentationem: superfluitas tamen ciborum obest plurimum. Sic etsi in sanguine consistat vita hominis, nimia tamen sanguinis abundantia mortis causa est, hominemque non rarò interficit. Secunda vtilitas est, quia minor rerum apparatus, & mediocris diuitiarū possessio, maiorem quietem & tranquillitatem animi adfert: quæ finis est, cur homines bona temporalia tāto cùm appetitu desiderent, & studio quærant. Quicquid enim Deus facere potest per causas secundas, potest etiam facere, & quidem perfectiùs, per seipsum, quàm illis mediantibus. Sic fecit in omnibus Sanctis

2. Cor. 6, 10.

suis, quorum nomine dicit Apostolus; *Nihil habentes, & omnia possidentes:* adeò enim nobis exigua sufficiunt, vt paucissima habentes, ijsque contenti, domini totius mundi nobis esse videamur. Viator id agit, vt pecuniam, seu viaticum suum in auro habeat: sic enim & ditior est, & minus sentit grauaminis: eodem modo & Dominus noster suos alleuat, imponens illis onera quidem pauca, sed sufficientia, & quæ ipsis satisfaciunt. Hoc modo iusti incedunt quidem nudi, contenti tamen sunt: pauperes sunt, & tamen diuites. Diuites verò cùm pleni sint diuitijs, fame tamen moriuntur, & cùm vsque ad labia in aquis sedeant, siti enecantur, vt de Tantalo quondam Positæ fabulati sunt. Ob hanc similesque causas magnus ille Propheta quondam laudabat diuinæ legis obseruantiam, volens, vt in ea omnis nostra esset meditatio. Optimè siquidem nouerat, hoc vno omnia adimpleri, eius verba sunt hæc: *Ponite hæc verba mea in cordibus,* Deut. 11, 18. *& in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros, vt illa meditentur. cùm sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris, atque surrexeris. Scribes ea super postes & ianuas domus tuæ, vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in terra quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret eis quamdiu calum imminet terræ.* O Propheta sancte, quid quæso in legis obseruatione inuenisti dignum tanta commendatione? Dubium non est, quin tu, qui eras Propheta magnus, & diuinorum consiliorum Secretarius, intellexeris inæstimabilem huius boni magnitudinem, & cognoueris in eo reperiri omnia bonorum genera, præsentia & futura, temporalia & æterna; corporalia & spiritualia, quique legi satisfecerit, hunc omnia adimpleuisse. Intelligebas optimè hominem, cùm occupatur in voluntatem diuinam faciendo, tempus non amittere: imò tunc in vinea sua laborare, tunc hortos suos irrigare, campos arare; omniaque negotia sua meliùs expedire, quàm si manibus suis laborāsset: satisfaciens enim diuinę voluntati, curam omnem reijcit in Deum, qui peragit omnia reliqua. Hæc enim lex est fœderis, & pacti illius, quod Deus inijt cum homine: vt homo scilicet obseruet sua præcepta, & Deus vicissim homini necessaria procuret, eiusque res agat. Nec pactum hoc vnquam à Deo violabitur. Nam si homo fidelis Deo sit seruus, Deus iterum fidelis erit homini Dominus, & Patronus. Hoc est vnum illud, quod Dominus dicebat esse necessarium: nimirum cognoscere, amare, & seruire Deo: hoc enim vno obseruato, reliqua omnia in tuto sunt. *Pietas*, ait Paulus, *vtilis est ad omnia, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Vnde quæso, quomodo Apostolus hic apertè promittat pietati (quæ cultus est, & Dei veneratio) non tantū æternæ vitæ bona, sed & huius temporis: quatenus iuuant nos ad illa obtinenda. Obseruandum autem hic, laborem non excludi: debet enim homo etiam laborare, & facere quod in se est, iuxta status & conditionis suæ qualitatem.

In legis obseruantia omnia inesse bona.

Qui legem Domini obseruat huic omnia bene succedunt.

1. Tim. 4, 8.

De inopia & paupertate malorum.

SI quis autem è contrario scire velit, quantæ sint aduersitates, quæ calamitates, quę paupertas malorum, seu peccatorum, legat vigesimumoctauū caput Deuteronomij, & inueniet ea, quæ admirationem illi adferent, & metum incutient. Inter alia enim multa, sic loquitur Scriptura: *Quòd si audire no-* Deut. 28, 15. *lueris vocem Domini Dei tui vt custodias, & facias omnia mandata eius, & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, veniēt super te omnes maledictiones istæ & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te & perdat velociter, propter adinuentiones tuas pessimas in quibus reliquisti me. Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam. Percutiat te Dominus egestate febri & frigore, ardore & æstu & aere corrupto ac rubigine, & persequatur donec pereas. Sit calum quod supra te est æneum; & terra quam calcas ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris. Tradat te Dominus corruentem, ante hostes tuos: & per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias & dispergaris per omnia*

per omnia regna terræ sitq; cadauer tuum in escam cunctis volatilibus cæli & bestijs terræ, & non sit qui abigat. Percutiat te Dominus vlcere Ægypti, & partem corporis per quam stercora egeruntur: scabie quoque & prurigine ita vt curari nequeas. Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate ac furore mentis, & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Omnibq; tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. Vxorem accipias & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oues tuæ dentur inimicis tuis, & non sit qui te adiuuet. Filij tui & Filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conspectum eorum tota die, & non sit fortitudo in manu tua. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus quem ignoras: & sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus, & stupens ad terrorem eorum, quæ videbunt oculi tui. Percutiat te Dominus vlcere pessimo in genibus & in suris, sanariq; non possis à planta pedis vsq; ad verticem tuum. Ducet te Dominus, & regem quem constitues super te, in gentem quam ignoras tu & patres tui: & seruies ibi diis alienis ligno & lapidi. Et eris perditus, in prouerbiū ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. Tandem post multas & horribiles maledictiones subiungit, dicens: *Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec seruasti mandata eius, & cæremonias quas præcepit tibi. Et erunt in te signa & prodigia, & in semine tuo vsq; in sempiternum eò quòd non seruieris Domino Deo tuo in gaudio cordis q; lætitia propter rerum omnium abundantiam. Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria, & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te conterat. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec miseretur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ: donec intereas & non relinquat tibi triticum, vinum & oleum, armenta boum, & greges ouium: donec te disperdat & conterat in cunctis vrbibus tuis, & destruuntur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra, quam dabit tibi Dominus Deus tuus: & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorū & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in angustia & vastitate, qua opprimet te hostis tuus.*

Omnia hęc sacræ Scripturę verba sunt: sed & plura in eodem capite ponuntur, quæ nos commemorare supersedemus. Quæ si cum attentione legantur, facient hominem, quisquis is sit, obstupescere & spiritu deficere, propter rerum tam horribiliū attrocitatē. Et fortè qui leget oculos aperiet, & incipiet aliquid intelligere de diuinæ iustitiæ rigore, de horribili peccati malitia, & de maximo odio, quo Dominus peccatum prosequitur, cùm illud etiam in hoc sęculo tam horrendis supplicijs puniat. vnde facilis est coniectura, quid in futura sit expectandum. Præterea & malorum insensibilitatis atque calamitatis miserebitur, eo quod viuunt quasi cæci, nec videant, quid sibi reseruetur, aut quę pœnæ præparentur.

Exemplis probantur prædicta maledictiones. 4. Reg. 6.

Noli autem existimare minas has inanes esse; verba tantùm & voces ad terrendos homines inuenta: non enim tam minæ sunt, quàm veræ prophetiæ calamitatum, in quas populus ille incideret. Etenim temporibus Achab Regis Israël, cùm Samaria ab exercitu Regis Syriæ obsideretur, legimus homines stercora columbarum mãducasse, imò hoc cibi genus magno emptum fuisse. Parum hoc erat, sed eò res tandem venit, vt matres filios vteri sui mactãrint, & comederint. Idem & in obsidione Hierosolymitana accidisse scribit Iosephus. Cædes verò & captiuitates huius populi, vnà cum euersione totius Reipub. & Regni Iudæorum, omnibus notoria sunt, quàm vt hic referri debeãt. Vndecim enim tribus perpetui serui facti sunt Regum Assyriorum: vna verò tribus quæ remanserat, post multum temporis superata, in seruitutem Romanorum redacta est: in quo excidio maximus fuit captiuorum numerus; maior verò interfectorum, vt idem Historiographus copiosè describit. Ioseph lib. 5. de bello Iudaic.

Neque etiam sit, qui seipsum fallat, dicens hanc calamitatem ad solum populum Iudaicum pertinere: cùm generaliter ad omnes homines pertineat, qui cognitionem habent legis diuinæ, eamque aspernantur, nec volunt obseruare, vt Dominus ipse testatur per Prophetam: *Nunquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti & Palæstinos de Cappadocia, Syros de Cyrene? Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ:* significans omnes has regnorum mutationes, quibus aut hoc euertitur, aut illud plantatur & erigitur, propter peccata prouenire. Et si quis videre velit hoc verum esse, veterum euoluat historias, & intelliget, quomodo Deus castigat peruersos; potissimum autem eos, qui veram habent legem, nec obediunt illi. Videbit quanta pars Europæ, Asiæ, & Africæ, quæ plenæ quondam erant Ecclesijs, & populis Christianis, nunc ab infidelibus occupetur, & possideatur, cognoscet etiam quantas strages & ruinas Ecclesiarum ediderint olim Gotthi, Hunni, & VVandali, qui sęculo D. Augustini destruxerunt, & vastãrunt prouincias Africæ, idque sine vlla misericordia, nec viris parcentes, nec fœminis; nec senibus, nec adolescentibus, nec virginibus, nec maritatis. Eodem quoque tempore & modo vastatum fuit regnū Dalmatiæ, cum prouincijs conterminis, vt refert B. Hieronymus in ea patria natus; adeò vt qui transiret, aut peragraret istas regiones, præter cælum & terram nihil videret: ita omnia erant excisa, & euersa. Hæc apertè satis declarant, quo modo vera virtus, & syncera religio non tantùm vtiles sint ad bona æterna consequenda, sed etiam ad bona temporalia conseruanda: vt horum omnium consideratio animos nostros amore virtutis eiusdem inflammet, quæ à tot malis nos præseruat, & tot bona secum adfert. *Maledictiones illas etiã ad Christianos pertinere.* Amos 9, 7. Vide Hieron. in epitaph. Fabiol. c. 3. Hieron. in 4. cap Oseæ. & epist. ad Heliod.

DE DVODECIMO PRIVILEGIO VIRtutis: quanta animarum quies, & gaudium sit mors bonorum, atque è contrario, quàm misera & laboriosa, vel molesta sit mors peccatorum.

CAPVT XXIV.

OMnibus præmissis priuilegijs vltimum tandem adiungitur; mors scilicet, & gloriosus finis, quo boni ex huius corporis emigrant ergastulo: ad quem omnia reliqua ordinantur. in fine siquidem (vt dici solet) laus canitur. Dic mihi, quid gloriosius, quid iucundius fine iustorum, seu bonorum? contrà, quid peccatorum infelicius? *Pretiosa*, inquit Psalmographus, *in conspectu Domini mors Sanctorum eius: mors autem peccatorum pessima.* quid vult sibi vocula pessima in superlatiuo prolata? Hoc enim est vltimum & maximum malorum omnium, tam animæ, quàm corporis. Hoc modo D. Bernardus illud Psalmistæ, *Mors peccatorum pessima*, exponit. Mala siquidem in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis, igniśque duplici contritione. Est enim durum mundum relinquere, durius ex corpore emigrare, durissimum verò est, nec vllo modò ceteris cõparandum, inferni tormentis cruciari. Et hæc itaque, Psal. 115, 15. Psal. 33, 22. Bernard. in epist. 105. & lib. 4. de ser. Paruis.

& alia plura malos in ista hora exagitabunt. Tunc enim ante omnia ingruunt infirmitatis accidentia, dolores corporis, timores animę, & afflictiones rerum externarum: cogitationes rerum futurarum, memoria peccatorum præteritorum, timor reddendæ rationis, terribilis sententia, horror sepulturæ, separatio ab omni re, quæ inordinato amore diligitur: id est, à diuitijs, amicis, vxore, filijs; item ab hac luce, aëre communi, & vita ipsa. Omnia hæc & singula tanto plus hominem affligunt, quanto plus amantur. Nam vt dicit Augustinus; Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Optimè itaque dictum est à Philosopho; Qui minus deliciarum nouit in vita, minus timet mortem. Maximè autem in hora illa malos cruciat cauteriata conscientia, & consideratio illius, quod pro ipsis præparatum est. Tunc enim homo quasi è graui somno præsentia mortis excitatus aperit oculos suos, & incipit videre illud, quod nunquam viderat antea. Rationem illius dat Eusebius Emissenus; Quid erit, inquit, cùm homo rebus humanis vale vltimum dicens, mortem autem ante se habens, & vitam post se relinquens, in illud horrendum pertrahetur profundum? Quia enim ibi nulla erit iam parandi victus, aut vestitus sollicitudo: nulla laborandi, militandi, agendive occupatio, nulla facultatis aut honoris ambitio: solus mentem omnibus curis vacuam intolerandus reddendę rationis terror implebit: solũ atque totum iudicij pondus captiuis sensibus imminebit: Tunc obliuiscitur homo omnium rerum præsentium, quas debet relinquere, & futura quæ expectat, incipit cogitare. Ecce, inquiet, transierunt illa omnia, tamquam vmbra, abierunt oblectamenta, & sola in perpetuum opprobria & crimina remanserunt. Idem quoque Doctor in alia quadam homilia materiam hanc persequens, ait: Cogitemus quis luctus erit negligenti animæ ex hoc corpore discedenti; quæ angustiæ; quæ caligo, quæ tenebræ, cum ex illo aduersariorum numero prima occurrere cœperit cõscientia diuersis circumiecta criminibus. Ipsa enim remotis omnibus probationibus, ingerenda est oculis nostris, vt nos & conuincat probatio, & confundat agnitio. Non vlli licebit vel celare aliquid, vel negare, vbi non de longè aut alicunde, sed de intus processurus est accusator, & testis. Hactenus ille. Petrus verò Damianus Cardinalis, eandem quoque materiã fusiùs & mysticè magis persecutus est, cùm dicit: Cogitemus summa cum attentione, cum anima peccatoris incipit exire carnis ergastulo, quàm terribili timore concutiatur, & quod pungentis conscientiæ stimulis lancinetur. Recordatur præteritorum peccatorum, quæ commisit: videt mandata diuina, quæ contempsit: dolet tempus pœnitentiæ malè transactum: affligitur, quia videt ineuitabilem horam reddendæ rationis, & vindictæ diuinæ: vult manere, & cogitur exire: vult amissum recuperare, sed tempus non conceditur. Si à tergo respiciat, videt totius vitæ peractæ curriculum, quasi temporis momentum. Si oculos in anteriora extendat, cernit infinitum æternitatis spatium, quod illam expectat. Plangit, quia gaudium omnium seculorum amisit, quod tam breui temporis spatio mereri potuisset: affligit se, quia perdidit ineffabilem perpetuæ suauitatis dulcedinem, ob vnam sensualem, carnalem, momentaneamque voluptatem. Erubescit, considerans, quòd propter substantiã, quæ vermibus esca dabitur, contempserit illam, quæ inter Angelorum choros erat collocanda. Et perpendens gloriam immortalium illarum diuitiarum, confunditur, eo quòd istas vilitate rerum temporalium permutauit. Cęterùm cùm oculos reuocat, & ad inferiora demittit, vt videat vallem tenebrosam huius mundi, & supra se videt claritatem illius lucis æternę, iam tunc agnoscit noctem, & tenebras fuisse omne id, quod in hoc mũdo dilexit. O si talis anima tunc posset impetrare spatium pœnitentiæ, quàm asperam & austeram vitam amplecteretur; quàm ardua & magna polliceretur? ad quanta vota, orationes, aliaq; exercitia sese obligaret? Sed dum hæc secum cogitat, incipiunt venire mortis præcursores: hoc est, oculi obscurantur, pectus inflatur, vox deficit, membra frigescunt, dentes nigrescunt, os humoribus impletur, & vultus pallescit. Interea dum hæc transeunt, quasi officiales, qui seruiunt morti vicinæ, repræsentatur infelici animæ omnia opera, sermones, & cogitationes vitę præteritæ malum testimonium perhibentia contra suum authorem, & quamuis vellet ea non videre, videre tamen compellitur. Mox sese adiungit ab vna parte horribilis dæmonum caterua, ab altera Virtus & societas Angelorum. Ibi tunc paulatim incipit cognosci, cui parti cedet illa prędа. Nam si inueniantur in illa opera pietatis, & virtutes; mox consolatur blãditijs & dulci Angelorum inuitantium alloquio. Sed si enormitas peccatorum, & vita impiè instituta postulant aliud, heu, subitò contremiscit, & dolore intolerabili ex horret, & timor, & tremor inuadit illam. Mox Dæmones assiliunt, comprehensamque & miseræ carni auulsam præcipitant in tormenta, nunquam finiendis seculis duratura. Omnia hæc Petri Damiani sunt.

Accidentia mortis.

Aug. in Enchirid. & lib. 4. verò, Salutat. in monte Adylon.

Eusеb. Emis. homil. ad Monach.

Insignis locus Petri Damiani.

Dic mihi, si verum illud esse fateãre, & hoc ordine procedent singula, quid aliud requiritur (modò vel mica sapientiæ, vel intellectus in nobis reliqua sit) vt cognoscamus, quàm miserabilis & detestanda sit sors peccatorum, cùm tam tristis & infelix finis sit ipsis præparatus, qui finem nunquam est habiturus? Et si huius vitę oblectamenta tunc temporis aliquid adferre possent auxilij, vel solatij, vt antea facere consueuerant, malum hoc esset tolerabilius: sed non iuuabunt illic honores, non defendent diuitiæ: non hic valent amici, non comitantur famuli, non prodest familiæ, aut gentis nobilitas: in diuitijs spes nulla est, in sola virtute vitæque innocentia omne morientis est præsidium. Nam teste Sapiente: *diuitiæ non proderunt in die vltionis, iustitia autem*, id est Virtus, *liberabit à morte.* Cum itaque peccator tam nudus, pauper, & omni præsidio, auxilioq; destitutus inueniatur: quomodo poterit non timere & affligi, vbi se solum viderit & desolatum; nec spem, nec fiduciam habeat in illo diuino iudicio?

Nihil valet in morte præter virtutẽ.

Prou. 11, 4.

De morte iustorum.

CEterùm econtrariò mors iustorum quàm longè ab est ab his miserijs, & calamitatibus? Quemadmodum enim eo tempore mali recipiũt supplicium suæ iniquitatis: ita boni accipiunt mercedem suorum meritorum, iuxta illud Ecclesiastici; *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur:* hoc est, ditabitur, & præmium accipiet suorum laborum. Idem manifestius insinuat B. Ioannes in Apocalypsi, cum dicit, se audiuisse vocem de cælo dicentẽ sibi; *Scribe.* Verba autem quę scribere iubebatur erant, *Beati mortui qui in Domino moriuntur, Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis opera enim eorum sequuntur eos.* Age igitur qui hæc audit à Domino, quomodo posset animum in illa hora despondere, cum videat se nunc eò properare, vbi recipiet illud, quod toto vitæ tẽpore desiderauit? Propterea legitur de iusto in libro Iob, *Et quasi meridianus fulgor cõsurget tibi ad vesperã, & cũ te consumptum putaueris, orieris vt lucifer:* quæ verba explicãs B. Gregorius, ait; Iusto autẽ meridianus fulgor ad vesperum surgit; quia quanta sibi claritas maneat, cùm iam occubere cœperit, agnoscit. Atq; ita eo tẽpore quo tristãtur & deficiũt mali, boni exultãt, & in Domino cõfidũt. Testatur hoc Salomõ in Prouerbijs; *In malitia sua* inquit,

Ecclis. 1, 13.

Apoc. 14, 13.

Iob 11, 17.

Greg. lib 10 Moral c. 20. 21.

Prou. 14, 32.

inquit, *repelletur impius: sperat autem iustus in morte sua.* Dic mihi quæso, quæ maior spes aut fiducia optari posset, illa, qua B. Martinus in hora mortis suę gaudebat? Instante siquidem morte, viso humani generis hoste; Quid, inquit, astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies: sinus enim Abrahæ me recipiet in pace. Quæ maior esse posset securitas illa, quam in eadem hora Pater noster B. Dominicus habuit; qui videns fratres suos plangentes ob decessum suum, eos consolatus est, dicens, non oportere eos de obitu suo tristari, cùm vtiliorem eum post mortem essent habituri: enim enim se ad locum pergere, vbi plus posset illis prodesse. Quomodo timere aut angi poterat is, qui in mortis articulo tantam gloriæ cælestis habebat fiduciam? nec tam sperabat eam obtinere pro se, quã pro filijs suis. Igitur iusti mortem non timent: imò cùm moriuntur exultant, laudant Deum, eique pro fine suo gratias agunt, quàm possunt maximas: mortis enim beneficio ab omnibus suis laboribus liberantur, & felicitatem suam auspicantur. Beatus Augustinus scribens in Epistolam Ioannis, ait; Qui desiderat dissolui, & esse cum Christo, non patienter moritur: sed patienter viuit; & delectabiliter moritur. Non ergo iustus habet cur mœreat, neq; cur mortem timeat: imò potiùs de illo dicendum est, quòd instar Cygni cantans moriatur, reddens gloriam Deo, qui vocat illum. Non timet mortem, quia timuit Deum: & qui timet illum, non est necesse vt alium timeat. Non timet mortem, quia timuit vitam: timores autẽ mortis, malę vitæ sunt effectus. Non timet mortem, quia tota vita mori didicit, & ad mortem se præparauit: homo autem præparatur & prouidus non timet inimicum. Non timet mortem, quia quamdiu vixit, quę fuit quæ illum adiuuarent: Virtutes nimirum & opera bona. Non timet mortem, quia Iudicem habet sibi benevolum, eumque multis obsequijs sibi demeritus est. Denique nõ timet mortem, quia iusto mors, non est mors, sed somnus: non est mors, sed finis omnium laborum: non est mors, sed viam ad vitam, & scala paradisi. Etenim scit optimè mortem, postquam per venas vitæ transijt, omnem amaritudinem mortis amisisse, & dulcedinem vitæ accepisse. Non despondet animum propter reliqua accidentia, & quæ illi in hoc termino sæpe occurrunt: scit enim dolores illos esse dolores partûs, in quo nascitur ad æternitatem: cuius amore mortem semper appetijt, & vitam duxit in patientia. Memoria peccatorum non terretur, quia Christum habet Redemptorem: cui semper vt placeat contendit. Non meruit diuinum iudicium, quia Christum habet aduocatum: non reformidat præsentiam Dæmonum, quia Iesum habet defensorem, & antesignanum: non timet horrorem sepulturæ, quia scit corpus animale seminari, vt spirituale resurgat. Atque hoc modo in fine laus canitur. Vltimus dies iudicat omnes præcedentes, vt ait Seneca, & de transacta vita fert sententiam: est enim hic qui aut iustificat, aut condemnat: finis autem bonorum cùm quietus sit & pacificus, malorum autem turbidus & periculosus, quid amplius requiritur ad malam vitam fugiendam, & bonam amplectendam, præter hanc differentiam? Quid prosunt omnes voluptates, diuitiæ, fauores mundi? quid prospera fortuna, si in fine præcipitandus sim in infernum? Quid autem oberunt mihi omnes huius vitæ miseriæ, atque calamitates, si in pace & tranquillitate obdormiero, & pignus habens æternæ vitæ hinc migrauero? Sit peccator quantumlibet sapiens in negotijs vitæ huius, quæ illi ex hac sapientia vtilitas, nisi vt congerat ea, & corradat, vnde fit superior, vanior, delicatior, fortior quoque ad faciendum malum, ad bonum verò debilior & ineptior? hinc mors illi tanto accidit amarior, quanto fuit illi vita dulcior. Non est sapientia, non est prudentia in hac vita præstantior, quàm ita omnia disponere, vt finis lætus sit & beatus. Officium enim sapientis est, media conuenienter ad finem suum dirigere, atque ordinare. Quamobrem si prudens Medicus is dicitur, qui nouit medicamentum ita temperare; vt sanitatem inducat; quæ est finis istius medicamenti: ille verè sapiens est, qui sic didicit vitã instituere, vt bona mors sequatur: hoc est, vt præparatus sit ad reddendam rationem, quæ in illa die exigetur, ad quam omnis vita est disponenda.

Scuerus Sulpit in vita B. Martini. S. Dominici mors.

Aug. lib. 9. epist. in 1. Ioan.

Nihil in hora mortis timet iustus.

Seneca.

Nihil prosunt in morte prospera, nihil obsunt aduersa.

Simile.

Probantur omnia quæ prædicta sunt exemplo.

AD maiorem horum omnium declarationem, & confirmationem, nec non ad spiritalem lectoris recreationem, non ineptè me facturum arbitratus sum, si exempla quædam lectu digna, de quorundam Sanctorum iucunda & glorioſa morte, hoc loco commemorauero. Desumpsimus autem illa ex quarto libro Dialogorum B. Gregorij Papæ. Ex his luce meridiana clarius conspicietur, quàm læta & quam beata est mors Sanctorum, seu iustorum. Etsi in his copiosior sim, temporis tamen iacturam me nõ facturum; aut illud sine fructu huic studio impensũm existimo. Sic enim eas historias sanctissimus ille Doctor Ecclesiæ temperat, vt inter narrandum multa quoque salutifera misceat consilia. Dicit itaque tempore Gothorum Romę fuisse nobilissimam puellam, Gallam nomine, Symachi consulis ac patricij filiam. Hęc intra adolescẽtię tempora marito tradita, in vnius anni spatio eius est morte viduata. Quam dum feruenti mundi copia ad iterandum thalamum & opes & ætas vocaret, elegit magis spiritualibus nuptijs copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, sed ad gaudia æterna peruenitur, quam carnalibus nuptijs subijci, quæ à lætitia semper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cùm valde ignea cõsperſio corporis inesset, cœperunt medici dicere: quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbas esset habitura: quod ita quoque post factum est. Sed sancta mulier nihil exterius deformitatis timuit, quæ interiùs sponsi cælestis speciem amauit: nec verita est, si hoc in illa fœdaretur, quòd à cælesti sponso in ea non amaretur. Mox ergo vt eius maritus defunctus est, abiecto seculari habitu, ad omnipotentis Dei seruitium sese apud beati Petri Apostoli Ecclesiã monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis atque orationi dedita, larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cumque omnipotens Deus perennem iam mercedem reddere eius laboribus decreuisset, cancri vlcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum eius duo candelabra lucere consueuerant: quia videlicet amica lucis, non solum spiritales, sed etiam corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit beatum Petrum Apostolum inter vtraque candelabra ante suũ lectum constitisse, nec perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultauit, eique dixit: Quid est Domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea? Cui ille, benignissimi vt est vultus, inclinato capite annuit, dicens: Dimissa, veni. Sed quia quandam sanctimonialem fœminam in eodem monasterio præ cæteris diligebat, ilicò Galla sibiunxit: Rogo vt soror Benedicta mecum veniat. Cui ille respondit: Non, sed illa talis veniat tecum. Hęc verò, quam petis, die te erit trigesimo secutura. His itaque expletis, viso Apostoli assistentis & colloquentis ei ablata est. At illa protinus cunctæ congregationis accitis matrem, eiq; quid viderit, quidve audierit, indicauit. Tertio autem die cum ea quæ iussa fuerat sorore defuncta est. Illa verò, quam ipsa popoſcerat, die est trigesimo subsecuta.

Greg. lib. 4. Dialog. c. 13. 14. 15. 16. 17.

Mors Galle Symachi filiæ.

Greg. lib. 4. Dialog. c. 13.

Quod

Quod factum nunc vsque in eodem monasterio manet memorabile, sicque hoc à præsentibus matribus traditum, narrare illic solent subtiliter iuniores, quæ nunc sunt sanctimoniales virgines, ac si illo in tempore huius tam grandi miraculo & ipsæ affuissent. Huc vsque B. Gregorius. Animaduerte quæso, benigne lector, quam glorioſa & pretioſa fuerit mors huius sanctissimæ virginis. Post illud exemplum, aliud idem beatus Doctor commemorat, non minùs memorabile. In ea, inquit, porticu, quæ euntibus ad Ecclesiam beati Clementis est peruia, fuit quidam Seruulus nomine, quem multi vestrum mecum nouerunt, rebus pauper, meritis diues, quem longa ægritudo dissoluerat. Nam à primæua ætate vsque ad finem vitæ paralyticus iacebat. Quid dicam quia stare non potuerat, quia nunquam in lecto suo surgere vel ad sedendum valebat? nunquam manum suam ad os ducere, nunquam se potuit in aliud latus declinare. Huic ad seruiendum mater cum fratre aderat, & quicquid ex Eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam literas nouerat, sed scripturæ sacræ sibimet codices emerat, & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se legere sine intermissione faciebat. Factumque est vt quantum ad mensuram propriam attinet, plenè sacram scripturam disceret, cum, sicut dixi, literas funditus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cùm iam tempus esset, vt tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia redijt. Cùmque se iam morti proximum agnouit, peregrinos viros atque in hospiralitate susceptos admonuit vt surgerent, & cum eo Psalmos pro expectatione exitus sui decantarent. Cumque cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repentè compescuit, cum terrore magni clamoris dicens. Tacete. Nunquid non auditis quantæ resonant laudes in cœlo? Cumque ad easdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, sancta illa anima à carne soluta est. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris aspersa est, vt omnes illi, qui aderant, inæstimabili suauitate replerentur: ita vt per hoc patenter agnoscerent, quòd eam laudes, quas audierat, in cœlo suscepissent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nuncusque viuit, & cum magno fletu attestari solet: quia quousque corpus eius sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit.

Mors Seruuli. Greg. hom 35. in Euang.

Post hoc aliud exemplum non minùs memorabile idem S. Gregorius recensет, de quadam sibi sanguine coniuncta. Tres (inquit) pater meus sorores habuit, quæ cunctæ tres sacræ virgines fuerunt. Quarum vna Tarsilla, alia Gordiana, alia Æmiliana dicebatur. Vno omnes ardore conuersæ, vno eodemque tempore sacratę, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant. Cumque essent diutius in eadem conuersatione, cœperunt quotidie incrementis in amorem conditoris sui Tarsilla & Æmiliana succrescere, & cum solo hic essent corpore, quotidie animo ad æterna transire. At contra Gordianæ animus cœpit à calore amoris intimi per quotidiana decrementa tepescere, & paulisper ad huius seculi amorem redire. Crebrò autem Tarsilla dicere Æmilianæ sorori suæ cum magno gemitu solebat: Video Gordianam sororem nostram de sorte nostra non esse. perpendo enim quia foras defluit, & cor ad quod proposuit non custodit. Quam curabant blanda quotidie redargutione corripere, atque à leuitate morum ad grauitatem sui habitus reformare. Quę quidem resumebat vultum subitò grauitatis inter verba correptionis: sed cum eiusdem correptionis hora transisset, transibat protinus & superducta grauitas honestatis, moxque ad leuia verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum, eique persona valde onerosa erat, quæcunque huic mundo dedita non erat. Quadam verò nocte huic Tarsillæ, quæ inter sorores suas virtute continuæ orationis, afflictionis studioſæ, abstinentiæ singularis, grauitate vitæ venerabilis, in honore & culmine sanctitatis excreuerat, sicut ipsa narrauit, per visionem atauus meus Felix huius Romanæ Ecclesię Antistes apparuit, eique mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quæ subsequeti mox febre correpta, ad diem peruenit, extremum. Et sicut nobilibus fœminis virisq; morientibus multi conueniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem hora eius exitus multi viri ac fœminæ eius lectulum circumsteterunt, inter quas mater mea quoque affuit, cùm subitò sursum illa respiciens, Iesum venientem vidit, & cum magna animaduersione cœpit circumstantibus clamare dicens: Recedite, recedite, Iesus venit. Cumque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima à carne soluta est: tantaque subitò fragrantia miri odoris aspersa est, vt ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet, illic authorem suauitatis venisse. Cumque corpus eius ex more mortuorum ad lauandum esset nudatum, longæ orationis vsu in cubitis eius & genibus, camelorum more inuenta est obdurata cutis excreuisse, & quid viuens eius spiritus semper egerit, caro mortua testabatur. Hæc autem gesta sunt ante Dominici natalis diem. Quo transacto, mox Æmilianæ sorori suæ per visionem nocturnæ visionis apparuit, dicens: Veni, vt quia natalem Dominicum sine te feci, sanctam Theophaniam iam tecum faciam. Cui illa protinus de sororis suæ Gordianæ salute solicita respondit: Et si sola venio, sororem nostram Gordianam cui dimitto? Cui, sicut asserebat, tristis vultu iterum dixit: Veni, Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quâ visionem mox molestia corporis secuta est, atque ita, vt dictum fuerat, ante Dominicæ apparitionis diem, eadem molestia ingrauescente, defuncta est. Gordiana autem mox vt solam remansisse se reperit, eius prauitas excreuit, & quod priùs latuit in desiderio cogitationis, hoc post effectu praue actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reuerentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit. Hucusque verba sunt B. Gregorij, quæ vt historia propriæ familiæ suæ manifestè satis arguunt, felicem & prosperum virtutis exitum, turpem autem & periculosum iniquitatis.

Tarsilla videt Iesum ad se venientē.

Mors Tarsillæ. Greg. hom. 38. in Euang.

Multa præter hæc alia exempla possent hoc loco in medium adferri. Sed sufficient hæc, vt videamus quàm læta, pacifica, quietaque communiter sit mors bonorum. Etsi enim non omnibus hæc, tam euidentia signa, sensibiliaque concedantur: tamen quia omnes filij Dei sunt, instanteque morte adest terminus omnium miseriarum, & tempus retributionis incipiat, omnes singulari diuinæ gratiæ fauore, & testimonio bonæ conscientiæ confortantur, & consolationem non minimam percipiunt. Talis erat consolatio B. Ambrosij in hoc termino constituti: Nō ita, inquit, inter vos vixi, vt pudeat me viuere: nec timeo mori, quoniam bonum Dominum habemus. Et si cuipiam tanta solatia videantur incredibilia, conjiciat oculos in immensam, & incredibilem Dei bonitatem, (cuius est amare & honorare iustos, ijsque fauere) & exigua prorsus videbuntur omnia, quę hactenus relata sunt. Nam si bonitas illa eò sese humiliauerit, vt carnem humanam susciperе dedignatus non sit, & mori pro generis humani charitate: quid magnum est, si dignetur consolari, & honorare bonos in articulo mortis, quos tam caro pretio redemit? & si emisso spiritu

Omnium iustorum mors secura.

Posidonius de vita S. Aug. c. 17. Plautinus Presb. in vita Ambros.

eos ducat in domum suam, diuinæ suæ gloriæ faciat participes, essentiamque Deitatis ostendat; quid mirum si paulò ante migrationem animæ hoc illos fauore dignetur?

Conclusio eorum, quæ in secunda parte dicta sunt.

AVdisti itaque, mi frater, quę & qualia sunt duodecim hæc priuilegia, Virtuti in hac vita concessa: quæ sunt quasi duodecim fructus præstantissimæ, nobilissimæque illius arboris: quam vidit Ioannes in Apocalypsi, quæ plantata erat secus fluuium, Apoc.22,2. afferrens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum. Quæ enim alia potest hæc esse arbor, post Filium Dei, quam ipsa virtus, quę dat fructus sanctitatis & vitæ? & qui alij fructus preciosiores desiderari possent his, quos hac tota parte commemorauimus? Quis enim fructus visu iucundior, quàm prouidentia paterna, qua suos Deus conseruat; gratia diuina, lux sapientiæ, consolationes Spiritus sancti, gaudium bonæ conscientię, bonus euentus spei, vera libertas animæ, pax cordis interior, exaudiri in orationibus, iuuari in tribulationibus, de necessarijs temporalibus prouideri, adiuuari denique & consolationes diuinas in morte percipere? vnumquodque profectò priuilegiorum istorum tam ingens per se Matt. 19, 29. est, vt si planè cognitum esset, sufficeret ad permouendum hominem, virtutem vt amplecteretur, vitamq; mutaret; efficeret quoque vt homo verè intelligeret, quam bene dictum sit à Saluatore, quicunque mundi relinquerit propter nomen Dei, centuplum accipiet hîc, & vitam æternam possidebit.

Ecce itaque, mi frater, quale bonum sit, quod hactenus tibi ostendi, vide ad quid te inuito: considera an quis deceptum te dixerit, si amore illius mundum, & omnia quæ in eo sunt, reliqueris. Vnum solum inconueniens habet bonum hoc (si modò inconueniens *Vnum inconueniens habent virtus.* appellari possit) quare apud malos in pretio non est: Matt. 13, 44. quia nimirum illis incognitum est. Hanc ob causam dixit Saluator *regnum cælorum simile esse thesauro abscondito.* Bonum enim hoc verè thesaurus est, sed absconditus: non his qui possident, sed aliis. Agnouerat Isa.24. 16. optimè pretium huius thesauri Propheta, qui dicebat; *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Nulla illi cura erat an alij thesaurum suum agnoscerent an minus non enim hoc bonum est, vt alia bona, quę bona non sunt, nisi ab iis cognoscantur, quare & bona per se non sunt, sed mundi tantùm opinione: ideoque necesse est, vt ab illo cognoscantur: quo sic bona vocentur. Hoc autem bonum facit bonum & beatum suum possessorem, & non minus calefacit cor eius, cùm ipse solus scit, quàm si totus mundus cognosceret. Sed lingua mea huius secreti scrinij clauis non est; minùs etiam omnium eorum quæ hactenus dicta sùt: quicquid enim humana lingua dici potest, multò minus est & vilius ipsa rei veritate. Clauis est lux diuina experientiaque & vsus virtutum. Hanc clauem volo petas à Deo, & inuenies hunc thesaurum, imò Deum Psal.143,15. ipsum, in quo inuenies omnia, & videbis quanta cum ratione dixerit Propheta, *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Quid enim huic deesse potest, qui bonum hoc possidet? Scriptum est in libris Regum, Helcanam patrem Samuelis dixisse vxori suæ, plangenti ob id, quod sterilis esset, nec filios haberet: *Anna cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filij?* Age si bonus maritus, qui hodie est, & cras non, melior est vxori decem filijs: quid tibi videtur de Deo, quid ille erit animæ quæ possidet illum? Quid facitis homines? Quò respicitis? Quid agitis? cur relinquitis fontem Paradisi, & bibitis ex huius mundi cisternis turbidis? Cur non sectamini bonum consilium quod vobis dat Propheta, dicens, *Gustate & videte,* Psal.33, 9. *quoniam suauis est Dominus?* Cur non semel hoc vadum tentamus? cur non has epulas vel semel tantùm libamus? Confidite verbis Domini, & incipite: & ipse postea ab omni dubio vos liberabit.

Terribilis & metuendus videbatur quondam eminùs serpens ille, in quem versa erat illa virga Mosaica: sed cominùs, cùm manibus attrectaretur, in pristinum statum reuertebatur. Non sine causa dixit Salomon: *Malum est, malum est, dicit omnis emptor: sed* Prou 20 14. *cum recesserit gloriabitur.* Hoc ipsum quotidie accidit hominibus in hoc negotio. Etenim non cognoscentes initio valorem mercis huius, (eo quòd spiritales non sunt ipsi, nec sentiunt quod sub illa lateat) & intelligentes quid pro ea postulatur, eò quod carnales sint, existimant carum vel malum esse. Sed cùm inceperint gustare quàm suauis sit Dominus, gloriantur cõtinuò de suis mercibus: & fatentur quòd nullum pretium nimium est, si detur pro tam incomparabili bono. Considera quomodo mercator ille Euangelicus lætus vendiderit omnia quæ habebat, vt emeret Matt.13,44. agrum, in quo thesaurum inuenerat. Quam igitur ob causam homo Christianus, audito hoc nomine, non contendit, vt sciat quid sit? Res profectò miranda est: si nugigerulus quispiam tibi affirmaret, in ædibus tuis, tali loco absconditum esse thesaurum: non intermitteres fodere, & quærere, atque probare, si verum sit, quod ille dixerat. cum autem Deus ipse affirmet, intus in animo tuo latere thesaurum inæstimabilem, nunquam tu eò potes adduci; vt queras? O quàm citò inuenires thesaurum hunc, si tantùm scires, quàm *propè* Psal.144,18. *est Dominus inuocantibus illum in veritate?* Quot homines fuêre in hoc mundo, qui perpendentes peccata sua, & perseuerantes in orando, & petendo remissionem illorum, minori quàm vnius septimanæ spatio, aperuerunt terram, aut (vt melius dicam) inuenerit cęlum nouum, & terram nouam: cœperuntque in se sentire regnum Dei? Quam magnum est, quod facit ille Dominus, qui dicit, *Quacunque hora ingemuerit* Ezech.33. *peccator pro peccatis suis, non amplius recordabor eorũ.* Quam ingens est hoc quod facit optimus ille Pater, qui vix absoluta breui illa filij prodigi precatiuncula, diutiùs se continere non potuit, quin amplecteretur illum: reciperetque in ædes suas, magna, cum festiui- Luc. 15. tate? Reuertere itaque frater mi, ad pium & beneuolum hunc Patrem; eleua cor tuum in tempore opportuno, & dies aliquot perseueranter ad portas eius misericordiæ clamare perge: certoque crede, quod si perseueraueris cum humilitate, tandem tibi respondebit, & secretum amoris sui thesaurum tibi demonstrabit; quem cum probaueris, dices cum Sponsa in Canticis, *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cant.8,7.

(·.·)

TERTIA

TERTIA PARS.

IN QVA RESPONDETVR AD OMNES EXCVSATIONES, QVIBVS HOMINES SE TVERI SOLENT, QVI Virtutem nolunt amplecti.

CONTRA PRIMAM EXCVSATIONEM eorum, qui emendationem vitæ, studiumque virtutis differunt in futurum.

CAPVT XXV.

NEminem inficiari posse existimo, quin, quæ hactenus à nobis dicta sunt, sufficiant, imò abundè, & plus quàm satis probent, principale nostrum institutum & propositum, de quo initio nos disputaturos promiseramus, hoc est, vt hominum corda (præsuppositâ diuina gratia) ad amorem & studium Virtutis inflecteremus. Ceterùm etsi promissioni satisfecisse videamur, habet tamen adhuc malitia humana suas excusationes, apparenter veras: quibus suam defendunt negligentiam, & seipsos in malitia sua consolantur, vti insinuat Ecclesiasticus dicens; *Peccator homo vitabit correctionem, & secundùm, voluntatē suam inueniet cōparationem:* hoc est apparētem excusationem. Idem & Salomon indicare videtur, cū dicit, *Occasiones quærit qui vult recedere ab amico.* Ita qui recedere vult à Deo, vti peccatores faciunt, quærunt, & tandem inueniunt aliquam harum excusationum; Quidam differunt pœnitentiam in futurum; aliqui reseruant vsque ad finem vitæ; nonnulli dicunt se ab isto studio (quia tam laboriosum est) abhorrere: quidam spe diuinę misericordiæ se consolantur, existimantes sese fide, & spe, absque charitate posse saluari, alij denique amore mundi huius capti, nolunt felicitatem, quam in illo possidere se putant, verbi diuini promissionibus permutare. Hæ ferè sunt fraudes, atque errores, quibus humani generis inimicus intellectus hominum illaqueat; vt eos tota quasi vita captiuos in peccatis detineat, quò mors eos tandem imparatos furtim opprimat. Ad has omnes cauillationes, excusationesque friuolas respondebimus in hac vltima libri parte. primum verò omnium eorum obiectionem diluemus, qui differunt emendationem vitæ in tempus futurum, quæ excusatio penè omnium est vniuersalior & frequentior.

Eccl. 32, 28.

Prouerb. 18, 1.

Varia peccatorum essugia.

Sunt nonnulli, qui quidem fatentur vera esse omnia, quæ dicta sunt hactenus, nec esse conditionem aut statum securiorem illorum, qui virtutem sectantur: imò & se illam velle amplecti, non posse autem nunc: futurum verò aliquando tempus aliud, in quo id poterunt maiori cum commoditate & perfectione præstare. Ita B. Augustinus de seipso dicit; Non erat Domine, quod tibi responderem dicenti mihi: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: & vndique ostendenti vera te dicere, non erat omnino quod responderem veritate conuictus, nisi tantùm verba lenta & somnolenta, *Modo, & ecce modo: sine paululum:* Sed modò & modò non habebant modum, & sine paululum, in longum ibat. Ita & hodie mali cum Deo agunt: quotidie tempus prolongantes, & nunquam ad veram conuersionem peruenientes. Hanc esse impostura Serpentis antiqui (cui non est nouum aut insolens mentiri, & miseros homines decipere,) non difficile est probare: sed & si hoc conuicero, puto omnem è medio sublatam fore controuersiam. Scimus enim omnes nihil ab homine Christiano magis optare debere, quàm salus animarum: ob eamque causam necessariò requiri emendationem vitæ; sine hac enim neminem saluari posse indubitatum est. Adeò, vt nihil hic in quæstionem veniat, præter tempus, in quo emendari vita debeat. in reliquis nulla est dissensio. Tu dicis conuersionem differendam in tempus futurum. ego in præsenti fieri debere assero. Videamus itaque vtra sententia sit probabilior, & veritati conformior.

Contra illos, qui pœnitentiam differunt.

Aug. lib 2. Confes c. 5. & lib. 8. Confes. c. 5.

Status quæstionis.

Antequam autem de facilitate disseramus, quæso dic mihi, quis tibi fururum tempus promisit? quot fuerunt homines, quos inanis hæc spes miserè fefellit? Deus, inquit Gregorius, etsi pœnitenti veniam spopōdit, peccanti tamen crastinum non promisit. Huic nō dissimile est illud Cæsarij; Dicit aliquis: Cùm ad senectam venero, tunc ad pœnitentiæ medicamenta confugiam. Quare hoc de se fragilitas humana præsumat, cum diem vnum in vita sua in potestate non habeat? Credo equidem inani hac persuasione animas innumerabiles perijsse. Sic perijt diues ille Euangelicus, de quo scribit B. Lucas, quod cum ager eius vberes fructus produxisset, intra se cogitauerit, dicens; *Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea. & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Interim dum miser ita secum cogitat, audita est vox, dicens illi: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Quæ igitur maior esse potest stultitia, quàm hominem velle propria auctoritate sua disponere id, quod futurum est: non alter atque si ipse præesset temporibus atque momentis, quæ Pater æternus posuit in sua potestate? Et si Ioannes dicat, quod Filius solus habet claues vitæ atque mortis, vt claudat & aperiat, cui, & quando illi placet: quomodo audet vilis & abiectus vermiculus sibi attribuere vel vsurpare hanc auctoritatem? Sola hæc audacia digna est insigni supplicio puniri, vt nimirum in futuro locum non inueniat pœnitentiæ is, qui in vanum transigit tempus, quod Deus concesit, quò sic vexatio det intellectum, & stultus hoc supplicio fiat prudentior. Cùm autem tantus sit numerus eorum, qui hoc modo castigati sunt, consultò facturi sunt homines, si alieno periculo securitatem eruere discant; sequentes optimum consilium Ecclesiastici dicentis, *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem subitò enim veniet ira illius, & in tēpore vindictæ disperdet te.*

Greg. hom. 12. in Euang.

Cæsarius.

Luc. 12, 18.

Actor. 1.

Apocal. 1.

Iustum Dei iudicium.

Prou. 19.

Eccli. 5, 7.

Sed demus vitam fore tibi tam diuturnam, quàm tibi ipse polliceris: quid quæso erit facilius? nunc eam emendare, an procrastinare, & conuersionem extrahere? Vt autem melius intelligas quod dicimus, obiter primarias causas recensebimus, ex quibus oritur hæc difficultas. Nascitur itaque illa non ex impedimentis & occupationibus, quas illi imaginantur: sed ex malo habitu, & corruptela peruersæ consuetudinis vitæ nequiter anteactæ, quam mutare, mors quædam esse videtur, vt dici solet. Asperam enim nobis, ait B. Hieronymus, & insuauem virtutum viam, nimia facit vitiorum consuetudo. Est enim consuetudo altera natura: illam, autem expellere, est quasi naturam ipsam vincere, qua maior esse nō potest victoria. Hinc est quod B. Bernardus dicit, Postquam aliquod vitium multorum annorum consuetudine confirmatum

Causa vnde nascatur difficultas conuersionis.

Hieron. ad Celantiam c. 4. Bern. lib de Humilitat. volunt. c. 12. & lib ser 7 de dono S. Spiritus.

tum est, particulari, & quasi miraculoso diuinæ gratiæ opus est adiutorio, ad illud superandum & extirpandum. Proinde Christianus cauere diligenter debet, ne in consuetudinem alicuius vitij deueniat: cùm enim aliquid in habitum abierit, difficulter expellitur: sic & vitium vsu diuturniore confirmatum, sine particulari Gratia Dei, vt ait Bernardus, non effugitur.

II Proficiscitur etiam hæc difficultas, à potentia Dæmonis, qui peculiare quoddam imperium habet in anima peccato mortali obnoxia. Ille enim fortis iste armatus est, de quo in Euangelio dicitur, qui diligentissima cura custodit atrium suum. Nascitur etiam ex eo, quòd Deus procul abest ab anima turpitudine peccati immunda. Hæc enim est custodia, quam constituit Dominus super muros Hierusalem: quę tanto longius abest à peccatore, quanto ipse peccator peccatis est onustior. Ex hac absentia maximæ miseriæ deriuantur, sicut ipse Dominus ait per Prophetam dicens? *Væ eis quia recesserunt à me.* Et, *Væ illis cum recessero ab eis.* Hoc autetem est secundum illud *Væ*, cuius Ioannes in Apocalypsi facit mentionem. Procedit denique hęc difficultas de corruptione potentiarum animæ nostræ quæ grauiter perturbantur, & corrumpuntur per peccatum, licet non seipsis. in suis tamen operationibus & effectibus. Quemadmodum enim vinum aceto deprauatur, fructus à vermibus corroduntur; & quodcunq; contrarium à suo contrario corrumpitur, sic & omnes animę potentiæ perturbantur per peccatum: quod maximè inimicum est, & contrarium nostris animabus. Quapropter per peccatum intellectus obscuratur, voluntas debilitatur, appetitus ab ordine suo dimouetur; liberum arbitrium infirmatur; facitque vt homo nec dominus sit suijpsius, nec operum suorum; etiamsi nunquam omnino amittatur aut fides, aut sui libertas. Sunt autem potentiæ istę tanquam instrumenta, quibus anima bonum operatur: & tanquam rotulæ horologij vitæ bene ordinatæ; quæ cùm ab ordine diuagantur, quid ab ijs sperandum nisi ataxia quædam, & totius horologij confusio?

Hæ sunt primariæ causæ difficultatis illius, quę originem suam à peccato trahunt, & quotidie crescunt vsu, & malæ consuetudinis corruptela. His ita se habentibus, quis adeò demens erit, vt credat conuersionem, vitæque emendationem post aliquot annos, cùm peccata erunt numero multò plura, & causæ difficultatis huius erunt multiplicatæ, fore faciliorem? Certissimum est tunc tanto ineptiorem te fore, & Dæmonium tanto plus iuris in te habiturum, Deumque tanto longius à te recessurum, quanto erunt plura tua peccata. Huc etiam accedit, quòd post aliquot annos anima tua magis erit inordinata, omnesque illius potentiæ magis perturbatæ, velut antea dictum est.

Si itaque hæ sint difficultatis istius causæ, quis adeò corrupti inter nos iudicij, vt credat conuersionem futuro tempore fore faciliorem, difficultatum causis vndique crescentibus? Cùm enim quotidie peccata peccatis cumulentur, dubium non est quin nodi, quibus anima stringitur, multiplicentur, & catenæ, quibus vincitur, fiant duriores. Intellectus in futuro erit ex vsu peccandi obscurior: voluntas erit infirmior ad bene operandum; appetitus ad omne malum erit procliuior, & liberum arbitrium (vti dictum est) erit debilius, quam vt ab eius violentia queat defendi. Quod cùm ita sit, qui fieri potest, vt tu credas futuro tempore conuersionis negotium fore tibi facilius? Quòd si dixeris, te vadum tranare non posse manè, cùm aqua adhuc exigua est, vesperi cùm alueus plenus est, & flumen instar maris exundat, quomodo tranare poteris? Si tibi difficile videatur, nouellam adhuc vitiorum plantam eradicare; quid facies vbi profundissimas radices egerit, & terræ multo quàm ante firmius inhæret? Ponamus casum: pugnandum nunc tibi est cum centum peccatis, aliquando tibi pugnandum erit cum mille: nunc cum vnius anni, aut duorum praua consuetudine, tunc fortè cum decem annorum. Quis itaque tibi dixit, quòd in futuro poteris onus tutum facilius portare, quod ne quidem nunc portare potes: cùm nihilominus illud quotidie augeatur? Nonne animaduertis has esse cauillationes debitorum malè soluentium? qui quia pecuniam sibi creditam numerare non volunt, de die in diem solutionem extrahunt? Quis nescit has esse fraudes antiqui illius serpentis, qui impostura sua protoplastos decepit, qua & eorum filios etiamnum circumscribere nullo non temporis momento contendit? Miror profecto, & quidem vehementer miror, quòd crescente ah omni parte difficultate, arbitraris tunc fore facile, quod tibi nunc videtur impossibile. Quis induci poterit, vt credat (nisi amens fortè sit) crescente culpa, veniam fore faciliorem: & aucta infirmitate, medicamentum citius ęgroto profuturū? An ignores illud Ecclesiastici; *Languor prolixior grauat medicum: breuem languorem præcidit medicus?* Eccl.10, 11. Hanc impostturam pulcherrimè quondam ostendit Angelus sancto cuidam Patri in Eremo, vti in eorum vitis legitur: Arripiens enim Angelus Anachoretam, cum foras in agrum eduxit, hominemque illi ostendit ligna cædentem. Hic cùm fascem prægrandem colligasset, eum humeris an imponere posset, periclitatus est: cumque vires oneri impares essent, iterum reuersus plura ligna succidit, fascemque pluribus lignis auxit. Cumque iam minus portare posset, (erat enim iam fascis multò maior, quàm antea) iterum fascem amplificauit; idque sæpius summa fecit cum pertinacia. Admiratus Anachoreta summam hominis amentiam, quid sibi hoc velit interrogauit. Respondit Angelus; talem esse hominum insaniam, qui cum sarcinam peccatorum portare nequeant ob intolerabilem oneris grauitatem, quotidie noua veteribus addunt, sarcinamque singulis penè momentis augent, peccata peccatis, & onus oneri cumulantes, putantes se plurima posse, qui pauca non potuerunt. Sed quid inter alia multa dicam de peruersa consuetudine, & violenta eius tyrannide, quæ detinet homines in malis obfirmatos? Familiare est, vt qui clauum figit, primo quem malleo dat ictu firmiter figit, firmius secundo, terrio firmissimè & quo sæpius pulsat, eo fortius impellit, eoque extrahitur clauus difficilius: sic singulis nostris operibus malis, quæ facimus, tāquam ingenti malleo vitium animæ nostræ alius infigitur, atque ibi tam immotum hęret, vix vt quicquam inueniatur, quo possit extrahi vel expelli. Hinc est quod non rarò videmus senectutem eorum, qui omnem ætatem suam in vitiis & flagitijs triuerūt, repuerascere, ætatis suæ transactæ dissolutionibus, etiam si ætas illa respuat, & natura ipsa ab illis abhorreat. Cumque natura ipsa iam lassa & vitijs effœta est, consuetudo tamen, quæ in pedibus adhuc natat, circumit, quærens voluptates impossibiles: tantum potest malæ consuetudinis impatiens tyrannis. Hinc dicitur in libro Iob. *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius: & cum eo in puluere dormient.* Iob 20, 11. Adeò, vt hæc vitia non habeant terminū aut finem aliū, præter eū, qui omnibus alijs rebus communis est, nimirum mortem, vltimam rerū lineam. Hinc est illud Aristotelis; Vt in aspidis ictu nullum est remedium, nisi vt partes contractæ amputentur, ita quædam vitia, sola morte sanari possunt. Morte ergo finiuntur hæc vitia, licet (si verum fateri velimus) ne quidem morte terminari dicemus: durat enim semper quapropter & Iob dicit, *Et cū eo dormient in puluere.* Ratio huius est, quia veteris cōsuetudinis diuturnitate (q nūc in naturā versa est) appetitus vitiorū iā in ipsis ossibus & medullis animæ

An facilius nunc an postea conuerti quis possit ad Deum.

Simile.

Simile.

Simile.

Mala consuetudinis vim.

Simile.

ſimæ radicati ſunt, non aliter, atque tabes, quæ in viſceribus hominis hæret, curam omnem eludens, nec aliquam medicinam admittens. Idem Saluator noſter oſtendit in reſuſcitatione Lazari quatriduani, quem tanto clamore & fremitu ſpiritus excitauit: cùm tamen alios mortuos multo leuioribus difficultatis ſignis excitaſſet: vt ſignificaret Dominus, quàm ingens miraculum ſit, Deum quatriduanum & fœtentem reſuſcitare: hoc eſt, in conſuetudine peccandi ſepultum conuertere. Harum autem quatuor dierum prima, teſte Auguſtino, eſt, titillationis delectatio in corde: ſecunda conſenſio: tertia factum: quarta conſuetudo: & qui quartam hanc diem attigit, ſicut Lazarus, non excitatur, niſi altiſſima voce & lachrymis Saluatoris. Omnia hæc euidentiſſimè declarant maximam difficultatem, quam ſecum adfert pœnitentiæ, ſeu conuerſionis dilatio: & quanto diutiùs differtur pœnitentia, tanto fiat difficilior. Conſequenter etiam ex his colligitur, quàm manifeſtus error eorum ſit, qui dicunt aliquando emendationem vitæ ſuæ fore faciliorem.

Ioan. 11. Allegoria Lazari quatriduani.

Serm. de verbis Dom. in Ioan. 44.

Ceterùm ponamus (quod tamen non concedimus) quòd omnia iuxta tua ſomnia tibi ſuccederent, & quòd vana tua ſpes te non eluderet, quid dices de tempore, quod interea miſerè perdis, & ſine vllo fructu tibi elabitur? præſertim cùm iſto tempore theſaurum tibi incomparabilem lucrifacere potuiſſes? Quæ eſſet dementia (vt ſecundum mundi iudicium loquamur) eo tempore, quo ampliſſima, opulentiſſimaque ciuitas vi expugnata eſt, dum alij milites magno ardore & furore diripiunt illam, aurum, argentum, & pretioſiſſima quæque colligentes, quoſdam ſedere iuxta impedimenta, & cum lixis atque calonibus aleas verſare? Certum eſt eos quæſtum nullum facturos. Quãto itaque maior eſt inſania, te, dum boni omnes ſolliciti ſunt, vt opera bona faciant, quibus cœlum mereantur, & lucrifaciant, te, inquam, tunc otioſum ſedere, cum pueris ludere, iocari, & infantilia ludicra mũdi huius tractare, qui poſſes interim idem lucrari quod illi? Quid præterea mihi reſpondebis, non tantùm ad bona, quæ tu amittis, ſed & ad mala quæ interea committis? Nam ſecundum B. Auguſtini ſententiam, ne quidem veniale peccatum, pro totius mundi auro committendum eſt. Qua itaque fronte tu audes hoc tempore tot peccata mortalia committere, quale vnum, ne quidem pro mille mundis integris facere deberes? Quomodo tu interea offendere, & ad iracundiam prouocare audes eum, per cuius portas te intrare oportet? ante cuius pedes in terram proſterni, velis, nolis, impelleris; à cuius manibus ſors æternitatis tuæ dependet? cuius miſericordiam videris cum lachrymis & ſuſpirijs implorare? Quomodo non erubeſcis interea irritare hunc, cuius auxilium ſingulis momentis tibi neceſſarium eſt? & quem tanto minus tibi fauorabilem inuenies, quanto ampliùs illum ad iram prouocaueris? Optimè D. Bernardus contra huiuſmodi argumentatur, dicens: Tu qui tecum tam iniquam iuis rationem, in mala, & impia tua vita perſeuerans, dic mihi; Credis Dominum Deum tibi peccata tua condonaturum, aut non credis? Si credas te locum veniæ apud Deum non inuenturum; quæ poteſt eſſe maior ſtultitia, quàm peccare ſine ſpe remiſſionis? Sin autem cogites eum & bonum, & facilem, & miſericordem eſſe, qui, etſi toties illum offenderis, paratus tamen eſt tibi peccata tua ignoſcere; dic mihi quæſo, quæ maior poteſt eſſe peruerſitas, quàm occaſionem ampliùs offendendi illum captare, vbi cauſa eſt magis illum amandi? Quid ad hoc argumentum poteſt reſponderi?

Iactura temporis.

Simile.

Vide Aug. de decem chordis, & lib. Canon. de Pœnit. diſt. 3. c. Plures.

Bern. tract. 12. de Humilit. volunt. & arrogantia translat.

Quid mihi dices etiam de lachrymis, quas poſtea debes vbertim fundere pro peccatis, quæ iam committis? Etenim ſi fortè Deus te ex hac vita euocet, aut viſitet, crede mihi, ſingulæ bucellæ, quas nũc comedis, felle tibi tunc erunt amariores: & memento quia tunc lamentabêre ſemper, & planges illud, quòd ſemel tantùm admiſiſti. Veniet, veniet, ne dubites, aliquando dies ille, quando mille genera ſuppliciorum pertuliſſe potius velles, quàm Deum ſemel offendiſſe. Tempus, quo Dauid ſuis fruebatur voluptatibus, erat breuiſſimum; longiſſimum autem fuit illud, quo vixit in doloribus: id quod de ſeipſo teſtatur dicens; *Laboraui in gemitu meo: lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Erat autem tanta lachrymarum iſtarum abundantia, vt Hieronymi verſio, pro lauabo lectum, habeat, natare faciam lectum meum: ſignificans ingentes imbres, & torrentes aquarum, fluentium ex oculis, qui legem Dei violarant.

Pſal. 6, 7.

Quid itaque tempus inutiliter conſumis in ſeminando illud, ex quo præter lachrymas fructum nullũ colliges? Præter hoc etiam conſiderare deberes, non te lachrymas ſeminare, vnde dolorem aliquando tantùm metes, ſed etiam vitæ melioris difficultatem, ratione longæ, & malæ conſuetudinis. Nam quemadmodum qui diuturna & periculoſa laborat infirmitate; rarò ita conualeſcit, vt non reliquiæ morbi in eius corpore permaneant: ita magnitudo & diuturnitas peccati, rarò ſinè quibuſdam reliquijs permanentibus ſanatur. Semper homo in ea parte, qua cum peccauit, eſt debilior: & tyrrannis Diaboli ſequit in eadem violentius. Filij Iſrael vitulum adorârant, ex cuius combuſtis cineribus Moyſes eis decoctum miſcuit, & bibendum propinauit. Hæc enim pœna eſt, qua cum Deus peccata quædam punire ſolet, vt iuſto ſuo iudicio reliquiæ nonnullæ maneant in oſſibus noſtris: atque ita pœna ſit, & tormentum id, quod paulò antè noſtrum fuerat idolum.

Simile.

Reliquiæ peccatorum manent poſt peccatum.

Exod. 32.

Vis dicam, quàm iniqua ſit comparatio velle ſenectutem reſeruare pœnitentiæ, & florem iuuentutis in iniquitatibus turpiter conſumere? Quæ quæſo eſſet inſania, ſi homo multas, easque graues haberet ſarcinas, in certum aliquem locum comportandas, & eſſent illi iumenta plura adhoc deputata; imponerettamen omnia ſimũl onera vni iumento, eique debiliori, ceteris vacuis dimiſſis? Similis, imò maior eſt eorum dementia, qui ſarcinam pœnitentiæ ſenectuti portandam imponunt: iuuentuti, & ætati virili (quę ſanè robuſtiores ſunt, & ad portandum aptiores ipſa ſenectute) parcentes, easque vacuas tranſigentes: cùm ipſa ſenectus vix proprias ſuſtiſtineat moleſtias. Pulchrè dictum eſt à Seneca magno illo Philoſopho. Qui vt bonus ſit, in ſenectutem differt, apertè oſtendit, ſe nolle virtuti dare, niſi tempus ad alia omnia inidoneum. Et alio loco; Audies plerosq; dicentes; à quinquageſimo in otium ſecedam: ſexageſimus annus ab officijs me demittet. Et quem tandem longioris vitæ prędem accipis? Quis iſta, ſicuti diſponis, ire patietur? Non pudet te ad reliquias vitæ tibi reſeruare & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit? Quam ſerum eſt tunc viuere incipere, cùm deſinendum eſt? Quæ tam ſtulta mortalitatis obliuio, in quinquageſimum, & ſexageſimum annum differre ſana conſilia; & inde vitam inchoare, quò pauci perduxerunt?

Quàm abſurdum ſit pœnitentiam vſque ad ſenectutem reſeruare.

Seneca in libro de breuitate vitæ.

Sed quid facies, ſi animaduertas magnitudinem ſatisfactionis, quam infinita illa Maieſtas à te poſtulabit, priuſquam offenſione tanta poteris exonerari? Ea enim tam magna eſt, vt B. Ioannes Climacus dicat; hominem vix poſſe hodie pro huius diei peccatis Deo ſatisfacere, & vix ipſum diem ſe poſſe exonerare. Cur itaque tu totius vitæ debita, quaſi in vnum cumulum congregas, & ſatisfactionem vſque in ſenectutem protrahis, quæ ſummo cũ labore vix propria

Magnitudo ſatisfactionis.

Climacus.

Peccata quæ tam committimus, aliquãdo fruſtrà deflebimus.

Gregor. lib. 25 Moral. c. 2 & 4.

debita potest exoluere? Hæc est iniquitas tam ingens, vt B. Gregorius eam appellet infidelitatem maximã, vti ostendit his verbis; Satis alienus à fide est, qui ad agendam pœnitentiam tempora senectutis expectat: Metuendum est enim, ne dum sperat misericordiam, incidat in iudicium.

Dilatio pœnitentiæ quædam infidelitas. Gregor. in Moral.

Sed demus omnia, quæ diximus, nullius esse momenti: nec quicquam horum euenturum. Dic mihi, nónne sola (modò verò aut lex; aut ratio, aut iustitia amplius in mundo sit) magnitudo & multitudo acceptorum beneficiorum, gloria quoque promissa sufficere debebat ad permouendum te, ne tempore seruitutis tuæ tam sis negligẽs, tam otiosus tempore seruitij, tam auarus erga illum, qui tam liberalis est in gratijs te cumulandis? O quàm meritò dictum est ab

Ratione beneficiorum Dei pœnitentiam non esse protrahendã.

Eccl. 18, 22. Ecclesiastico; *Ne impedias orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari: quia merces Dei manet in æternum.* Age, dic sodes, si præmium tanto tempore sit duraturum, cur tu obsequium seu seruitium vis esse tam momentaneum? Si merces non finietur, quãdiu Deus in cælo regnabit, hoc est, nullo tempore sit interitura: cur tu non vis, vt seruitus duret saltem quamdiu tu viuis in terra, cumque tempus illud tam breue sit, tu duas tertias vis auferre, & vnum flatum Deo relinquere?

Præterea si speres te saluatum iri; necesse etiam est,

Ratione prædestinationis.

vt præsupponas Deum te ab æterno ad hanc salutem prædestinasse. Dic mihi igitur, si Dominus ille tam fuerit sollicitus tui, vt ab æterno te amauerit, & postquam factus es Christianus, adoptauerit te in proprium filium, Regnique sui hæredem te fecerit; quare tu detrectas vicissim amare tam benignum Patrem? & tam pium Dominum diligere ad finem vsque vitæ tuæ differre cur non erubescis? Quomodo possibile est, vt persuadere tibi queas, tam breui cultu satisfacere te posse illi, cui determinatum est, beneficijs te prosequi sempiternis? Omnino enim æquum esset, vt cùm præmia sint æterna, æternus quoque esset cultus, si fieri quoquo modo posset. Quod cùm fieri nequeat;

Optimam partem mũdo, deteriorẽ Deo offerimus.

imò, cum cultus & seruitus tua non sit longior vnius hominis vita; quare tu etiam maiorem partem istius tam breuis spatij ab obsequio diuino vis auferre, minorem verò, sed & deteriorem illi relinquere? Etenim, quemadmodum ex amphora, dicit Seneca, primum quod est syncerissimum effluit: grauissimum quoque, turbidumque subsidit: sic in ætate nostra, quod est optimum, primum est. Id exhauriri in alijs potius patimur, vt Deo fæcem reseruemus. Vide quæso qualis sit illa pars, quàm Domino Deo reseruas.

Seneca epist. 109. & lib. 1. epist. 1.

Malac. 1, 14. *Maledictus*, inquit Propheta, *dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum & nomen meum horribile in gentibus.* quasi diceret, Domino tam magno, quam ego sum, magna debentur obsequia, & cultus magnus. magna enim iniuria est, Maiestati tam excellenti offerre, quæ sunt in rebus deteriora. Quare itaque tu seruas maiorem & potiorem vitę tuæ partem Dæmoniorum ministerio, & immolas Deo partem, quam mundus ipse respuit?

Deut. 25. Audi quid Dominus dicat, *Non habebis in sacculo diuersa pondera: minus & maius: nec erit in domo tua modius maior & minor, pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi:* & tu audes contra hanc legem duas habere mensuras inæquales, vnam tam magnam pro Dæmonio, tanquam pro amico: & alteram tam paruam pro Deo, tanquam pro inimico?

Quid Deo debeamus ratione Redemptionis.

Præter hæc omnia te præcor, vt si hæc omnia tibi fordeant beneficia, illius saltem inæstimabilis beneficij recorderis, quo Deus Pater Vnigenitum suum filium tibi dedit: dedit namque in pretium animę tuę vitam illam, quæ omnibus & hominum, & Angelorum vitis erat pretiosior. Quapropter etsi omnium hominum vitas haberes, insuper & alias infinitas: vt in te esset omne quod viuit, aut viuere posset: totum illud deberes illius vitæ datori. Quinimò nec hoc sufficeret. qua igitur fronte, qua impudentia, qua ingratitudine negas hanc solam vitam, quam tu habes, tã breuem, tam debilem, tam miseram reddere Domino illi, qui pro te dedit vitam tam nobilem & præstãtem? Esset aliquo modo ferendum, si vel illam redderes: ceterum & de illa tam misera syncriorem partem auferre, & fęces tantùm illi dare, extremæ profecto est impudentiæ. Sit itaque huius capituli conclusio illud Salomonis in suo Concionatore: *Memento* Eccl. 12, 1. *Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. Antequam tenebrescant Sol, & lumen, & stellæ, & luna, & reuertantur nubes post pluuiam: quando commouebuntur custodes domus*, (hoc est, cùm manus trement) *& nutabunt viri fortissimi*, (id est, crura, quæ totius corporis molem sustinent) *& otiosæ erunt molentes* (subaudi dentes, seu maxillares) *in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina:* id est, visus deficiet) *& claudent ostia in platea* (nam & tunc alia quoque aliorum sensuum instrumenta deficiunt) *in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris* galli, propter inopiam & difficultatẽ somni, qui illa ætate solet esse rarior *& obsurdescent omnes filiæ carminis*, id est, aures, quia præcluduntur, & obturãtur omnes arteriæ, per quas sonus permeat, & auditus efficitur. *Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via:* vias namque accliues, difficiles, & saxosas senes ambulare difficulter possunt. *florebit amygdalus*: canis enim vertex erit respersus, *impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis*: pro quo alij transtulerunt, onerabitur dorsum, id est, incuruabitur, & dissipabitur concupiscentia: quotidie enim magis magisque deficit fortitudo cordis nostri: in quo sedes est nostri appetitus. *quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ*, quæ est sepultura, *& circumibunt* amici & cognati *in platea plangentes. Quando denique reuertetur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Huc vsque verba sunt Salomonis.

Egregia expositio loci Ecclesiastis.

Recordare itaque, frater mi, Creatoris tui tempore iuuentutis tuæ, iuxta descriptionem hanc: & ne differas pœnitentiam in annos adeò difficiles & molestos, in quibus ipsa natura deficit, & vigor omnium sensuum: in quibus homini magis necessarium est, omni indulgentia atque industria supplere id quod deest naturali fortitudini & robori, quàm molestias & labores pœnitentiæ amplecti. quando virtus portus videbitur necessitas, quàm voluntas, cùm vitia ex nobis ipsis cohonestabuntur. ipsa enim nos tunc prius deserunt, quàm à nobis deseruntur: etsi non rarò senectus talis est, qualis antea cta fuit iuuentus, iuxta illud

Conclusio prima obiectionis.

Eccl. 25, 5. Ecclesiastici; *Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?* Saluberrimum itaque consilium est, quod alibi dat idem Ecclesiasticus, dicens: *Non demoreris in errore mortuorum, ante mortẽ confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio. Confitebere viuens viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, gloriaberis in miserationibus illius.* Magnum sanè fuit olim mysterium, quòd inter infirmos is, qui primus piscinam intrasset, cùm aqua esset ab Angelo mota, conualescebat, atque sanaretur; vt ex eo intelligas, quomodo salus omnis nostra consistit in eo, si inspirationibus, & diuinis moribus confestim, sine vlla prorogatione obtemperemus. Veni itaque, mi frater, accelera. *Hodie*, vt ait Propheta: *si vocem eius audieris, noli indurare cor tuum.*: vt respondeas illi cras, imò incipe statim manum admouere: quod quanto citius feceris, tanto tibi erit facilius.

Eccl. 17, 26.

Ioan. 5, 4.

Psal. 94, 8.

CON-

CONTRA EOS, QVI DIFFERVNT PŒNITENTIAM VSQVE IN HORAM MORTIS.

CAPVT XXVI.

MEritò profectò quæ diximus etiam sufficere deberent, ad confundendos illos, qui pœnitentiam ad mortis vsque horam differunt. Etenim si adeò periculosum sit, eam in aliquot annos prorogare: quid erit quæso eandem periculosissimo illi termino reseruare? Verùm quia error iste nimis est familiaris, & in orbe terrarum frequens: sed & cùm plurimæ sint animæ, quæ errore illo miserè deceptæ pereunt; omnino necessarium est, vt & de inani hominum hac opinione nonnihil dicamus. Licet autem de hac materia dicere planè periculosum sit, (posset enim pusillanimis & meticulosis conscientijs diffidendi, seu desperandi occasionem præbere) maius tamen erit periculum, quòd homines ignorant, in quod discrimen sese conjciunt, cùm pœnitentiam in illud tempus prorogant. Ita vt vtrumque periculum iusta lance trutinantes, manifestè videamus, hoc illo sine vlla comparatione maius esse. Ipsa enim experientia nos docet, plures animas perire nimia confidentia, quàm nimio timore & pusillanimitate. Nos enim constituti sumus speculatores, vt ait Ezechiel, vt cùm gladium venientem viderimus, populo annuntiemus: ne qui à nobis admoneri debeant, decipiantur: & sanguis eorum de manibus nostris requiratur. Quia verò in hac vita nec aliud lumen, nec veritatem aliam habeamus, præter sacram Scripturam, sanctorumque Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, qui de hac materia copiosè satis ante nos tractârunt, monumenta; videamus quid illi hac de re dicant. Spero etenim neminem tam fore temerarium, qui suum iudicium illorum sententiæ velit anteponere. Seruemus autem hunc ordinem, vt prius dicamus quid Patres de hac materia dicant; deinde quid Scriptura nos doceat.

De finali pœnitentia disputare periculosum est.

Ezech. 33.

Auctoritates quorundam Patrum de pœnitentia finali.

ANtequam disputationem hanc ingrediamur, præsupponamus id, quod S. Augustinus, & omnes Doctores Ecclesiæ dicunt: necessariò scilicet sciendum esse, quòd vti pœnitentia vera, Dei propriè opus est, ita etiam ipse potest eam dare, cui, & quando vult. Secundum hanc itaque sententiam pœnitentia vera erit, & sufficiens ad animam saluandam, quocunque fiat tempore; etiam in hora mortis. Quàm raro autem hoc eueniat, nolo, vt quis mihi aut tibi credat, sed Sanctis, per quorum os sanctus Spiritus locutus est. Proinde æquum est, vt eorum sententiæ acquiescamus. Audi itaque quid B. Augustinus hac de re dicat, in libro de vera & falsa pœnitentia: Qui prius à peccatis relinquitur, quàm ipse relinquat ea, non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat. Deus autem arbitrij libertatem requirit. Quapropter illi, qui nolunt conuerti ad Dominum, quamdiu possunt peccare; postea verò ad confessionem veniunt, cùm ampliùs non possunt: non tam facilè quod cupiunt obtinebunt. Paulò ergo inferiùs declarans Augustinus, quomodo ea conuersio fiat, sic ait: Conuertitur, id est, totus & omnino vertitur, qui iam non pœnas tantùm timet, sed ad bonum Deum redire festinat. Quæ conuersio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de peccatorum suorum remissione. Sed quoniam vix aut rarò est tam iusta conuersio, timendum est de tam serò pœnitente. Quem enim morbus vrget, pœna terret, ad veram vix venit satisfactionem; maximè cùm filij, quos illicitè dilexerit, sint præsentes, vxor & mundus ad se vocent. Multos enim solet serotina pœnitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper etiam potest in morte iuuare, quos placet. Sed quoniam multa sunt quæ impediunt, & languentem trahunt; periculosissimum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum est cui Deus tunc inspirat. Si quis igitur est, qui veram tunc quærat pœnitentiam, expectet Dei clementiam, maiorem sentiens Dei bonitatem sua nequitia. Sed si etiam sic conuersus euadat, vitam viuat, & non moriatur, non tamen promittimus, quòd euadat omnem pœnam. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis, etsi æternus non sit, miro tamen modo est grauis. Excellit enim omnem pœnam, quam quis vnquam passus est in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta est pœna, licet mirabilia Martyres passi sint tormenta, & multi nequiter iniqui tanta sustinuerint supplicia. Studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, vt post mortem non oporteat talem pœnam tolerare. Hucusque Beatus Augustinus, ex cuius verbis liquet, in quanta sese præcipitant pericula, qui ex industria nolunt ante horam mortis pœnitere: sed pœnitentiam in illud tempus differunt. Sed & Ambrosius in libris de pœnitentia fusè de hac materia differit; licet nonnulli hanc eius sententiam Augustino tribuant, vbi inter alia multa dicit; Qui positus in vltima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit; id est, exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus quod petit: sed non præsumo dicere quia bene hinc exit. Non præsumo, non polliceor: non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene viuens securus hinc exit. Agens pœnitentiam dum sanus est, & reconciliatus, si postea bene vixerit, securus est. Idem paulò post repetens; Agens verò pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus si exierit, an securus hinc exeat, ego non sum securus; pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Quod dico attendite: Ego id planius expono, ne aliquis me malè intelligat: Nunquid dico damnabitur? non dico. sed nec liberabitur, dico. An aliud mihi dicis sancte Episcope? Quid tibi dicam, nescio. Dixi, non præsumo, non promitto, nescio de Dei voluntate. Vis te frater à dubio liberari, vis quod incertum est euadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agas veram pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, securus es. Ergo curre vt reconcilieris. Si sic agis, securus es. Quare securus? Vis dicam tibi? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Ecce dixi quare securus es. Sin autem tunc agere vis ipsam pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Consentit Beatus Isidorus his verbis. Qui vult, ait, de peccatorum remissione securus esse in hora mortis, faciat pœnitentiam cùm sanus est, & tunc iniquitatem suam plangat. Sed qui malè vixit, & pœnitentiam in hora mortis agit; certum est, quòd in summo versatur periculo. quemadmodum enim eius damnatio est incerta, sic salus illius est dubia. Verba hęc profectò plurimum sunt metuenda: magis autem ea, quæ scribit Eusebius sancti Hieronymi discipulus, & glorioſissimus eius Magister locutus est iam morti vicinus, in terra iacens extensus, & sacco horrido indutus: quia verò non ausus fuerim, ea cum tanto rigore, quo scripta sunt, referre, ne deb lioribus & pusillanimis despondendi animum occasionem præberem, legat qui velit; inueniet ea in tomo quarto operum D. Hieronymi, in quadam Epistola Eusebij ad Damasum Episcopum de morte Beati Hieronymi, cuius initium, Patri reuerendissimo, paulò ante finem.

Aug. de vera & falsa pœnitent. cap 17.

Ibidem.

Quid sit conuerti.

Quam horribilis pœna purgatorij.

Ambros. exhort. ad pœnit. quæ statim sequitur lib. 2. de pœnit.

S. Augustin. lib. Hom. 50. Hom. 41.

Isidori sententia, lib. 2. de summo bono.

In editione Plantiniana tom. 9.

mo, &c. vbi inter alia dicit; Sed fortè quis iterum dicet; Vir qui toto tempore, quo vixit, malè fecit, in mortis articulo accepta pœnitentia à Deo veniam obtinebit. Heu quàm vana suspicio, & falsa meditatio. Vix de centum millibus hominum, quorum mala fuit semper vita, meretur à Deo habere indulgentiam vnus. Vir totus in peccatis genitus, & enutritus, qui nec Deum vidit, nec agnouit, nec de eo audire voluit, nec se peccâsse cognoscit, nec quid pœnitentia sit, nisi fortè dormiendo nouit: totus adhuc secularibus innodatus negotijs, quem angustia premit filiorum, quos deserit: quem infirmitas conterit, quem dolor diuitiarum & bonorum temporâlium concutit, cùm eis non posse frui ampliùs se cernit, quam acceptam Deo accipit pœnitentiam? quam non acciperet, si adhuc se posse sanari crederet. Certè verò concludam; qui dum sanus est, & iuuenis, Deum offendere non formidat, in morte non merebitur diuinam obtinere indulgentiam. Quæ, dilectissimi filij, est pœnitentia, quam solum quis accipit, quia se viuere ampliùs non posse cernit? qui si ex infirmitate conualescet, peior quam prius fieret? Scio non modicos pecunioſorum, accepta in mortis articulo pœnitentia conualuisse corpore, & vitam peiorâsse. Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientia didici, quòd ei non bonus est finis, cui mala semper fuit vita: qui peccare non timuit, sed in mundi vanitatibus semper vixit. Hactenus Eusebius; ex cuius verbis liquet, quam suspecta fuerit sanctissimo illi Doctori Hieronymo pœnitentia, quæ fit in hora mortis, ab eo, qui toto vitæ tempore in peccatis perseuerauit.

Greg. lib. 18. moral. cap. 5. Iob 27,9. Neque hîc reticenda est opinio S. Gregorij de hac materia; qui ad illa verba Iob, *Quæ est enim spes hypocritæ, si auarè rapiat, & non liberet Deus animam eius? Nunquid Deus exaudiet clamorem eius, cùm venerit super eum angustia?* dicit: Eius clamorem Deus tempore angustiæ non audit, qui ipse tranquillitatis tempore clamantem in præceptis eius Dominum non audiuit. Scriptum quippe est; *Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Sanctus itaque vir, intuens, quia omnes qui nunc operari recta contemnunt, extremo se tempore ad petitionis verba conuertunt, dicit, *Nunquid clamorem eius audiet Deus?* Quibus profectò verbis, vocibus nostri redemptoris obsequitur, qui ait: *Nouissimè veniunt & fatuæ virgines, dicentes, Domine, Domine aperi nobis.* Et respondetur eis; *Amen dico vobis, nescio vos.* quia tanto maior tunc exercetur seueritas, quanto nunc maior misericordia prorogatur: & districtè tunc iudicium non correctis exerit, qui pietatem nunc delinquentibus patienter impendit. Hæc B. Gregorius. In eadem cum ceteris opinione est Hugo de S. Victore, libro 2. de Sacramentis, vbi dicit; Difficile est, vt tunc (scilicet in articulo mortis) vera sit pœnitentia, quando tam sera venit. Quando enim cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vix homo aliud cogitare potest. Valde suspecta debet esse pœnitentia, quæ coacta videtur esse. Facile est vt homo se nolle putet, quod posse non datur. Possibilitas optime voluntatem probat. Si non facis dum potes, manifestè ostendis quòd non vis. Subscribit his omnibus Magister Sententiarum dicens; Cùm ergo opus sit non hominis, sed Dei fructifera pœnitentia: inspirare eam potest, quandocunque vult sua misericordia; & remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex iustitia. Sed quoniam multa sunt quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum est cui Deus tunc inspirat (si quis est) veram pœnitentiam. Considera quæso quàm metuenda hæc verba sint. Quis itaque audax ille, qui non metuit maximum thesaurum summo exponere periculo? An quicquam pretiosius tibi sit in hoc mundo salute? Quis itaque tam inconsideratus, vt audeat dicere, non malè facere, qui tantum thesaurum tali committit periculo?

Prou. 28,9. Iob 27,9. Matth. 25,11. Hugo lib. 2. part. 14. ca. 5. Pet. Lomb. l. 4. distin. 20. Sunt verba August.

Hæ sunt opiniones sanctorum Doctorum, ex quibus non obscurè colligitur, quanta sit dementia, sine solicitudine tam periculosum mare nauigare, de quo expertissimi nautæ tam dubiè, tantoque cum timore loquuntur, Bene mori ars est, quæ tota vita debet addisci. In hora enim mortis tot, tantaque sunt, quæ nos mori faciunt, vt vix supersit tempus ad bene mori discendum.

Auctoritates Doctorum Scholasticorum de hac materia.

Scot. lib. 4. sentent.

REstat nunc ad maiorem huius rei confirmationem, vt videamus quid hîc Doctores sentiant Scholastici. Inter alios Scotus pulcherrimè tractat hanc materiam, nobis per omnia consentiens, in quartum librum Sententiarum scribens, vbi ponit hanc conclusionem; Pœnitentia, quæ fit in extremis, rarò vera est, ob magnam difficultatem verè pœnitendi in hoc articulo. Probat autem hanc conclusionem quatuor rationibus vel argumentis.

Conclusio Scoti.

Prima ratio Scoti.

Prima est, propter magnas perturbationes, quæ oriuntur ex magnitudine dolorum, infirmitatis, & præsentia mortis: quare cor minùs ad Deum potest eleuari, & in exercitijs veræ pœnitentiæ occupari. Ad intelligendum huius argumenti sciendum est, omnes cordis nostri perturbationes magnam habere vim retrahendi sensus, & liberum hominis arbitrium: & iuxta regulam Philosophicam, in hoc effectu multo potentiores sunt affectus seu passiones, quæ dolorem & tristitiam adferunt, quàm quæ lætitiam generant. Hinc est quòd pertubationes, seu affectus morientis, sunt omnium fortissimi atque potentissimi. Nam (vt Aristoteles ait) omnium terribilium terribilissimum est mors: vbi tanti dolores in corpore, tot in anima sunt angustiæ, tanta solicitudo & afflictio filiorum, coniugis, & mundi, qui omnes deserendi sunt. In tot autem, tamque procellosis passionum ventis, vbi erunt sensus, vbi cogitationes, nisi quò trahunt & abripiunt illa dolores & perturbationes istæ? Experientia nos docet quotidiana, si quis dentium, aut alio quouis acuto dolore crucietur, etiamsi homo sit maximè pius, vix eum tunc animum ad Deum posse eleuare, vel in eo illum habere immotum: imò sensus omnes illic esse, vbi dolor est. Quòd si hoc iusto accidat, quid faciet is, qui nunquam de Deo cogitare consueuit, & qui quanto aptior est, & pronior ad amandum corpus quàm animam, tanto facilius incurrit periculum maioris amici quàm minoris? Inter quatuor impedimenta contemplationis, quæ B. Bernardus enumerat, vnum est mala dispositio corporis. Tunc enim anima ita occupata est doloribus suæ carnis, vt vix aliud hominem cogitare permittat, præter illud, quod tunc dolet & cruciat. Quod si verum sit; quæ maior esse potest amentia, quàm expectare pessimam dispositionem corporis, vt in ea maxima tractes animæ negotia? Noui quendam, qui in articulo mortis constitutus, cùm admoneretur, vt se ad exitum præpararet, tanta cordis angustia propter mortis præsentiam pressus, obrutusque est, vt nihil aliud cogitauerit, quàm quomodo periculum hoc declinare posset, non aliter quàm si in manibus fatum fuisset. Omnis eius cogitatio erat, quomodo periculum hoc posset euadere, quibuscunque etiam remedijs, si fieri potuisset. Cumque sacerdos videret illum tam parum solicitum esse de his, quæ in illa hora necessaria sunt, admonuit vt relictis ijs cogitationibus, inciperet Deum inuocare. Infirmus hanc admonitionem ægrè ferens, verba quædam longè à proposito aliena

Corporis mala dispositio impedimentum contemplationis.

S. Bern. lib. 23. serm. in Cant.

aliena respondit, simul atque animam exhalauit. Fuerat nihilominus hic virtutum amator: vt ex eo queas videre, quomodo mortis præsentia perturbet eos, qui vitam amant; si etiam tantum turbauerit hunc, qui alias illam contempserat. Noui & alium, qui cùm in grauissimam incidisset infirmitatem, cùm vidisset mortem imminere, vehementer petijt paululum cum Deo colloqui, & Iudicem deuota precatiuncula præuenire, antequam ex hac vita discederet: sed dolores, & continua infirmitatis accidentia requiem nullam illi concedebant. Si itaque præparatio sola ad pœnitentiam illo tempore tam difficilis sit, quis adeò demens, vt totius vitæ suæ remedium velit in illud momentum prorogare?

Secunda ratio Scoti. Secunda Scoti ratio est, quòd vera pœnitentia debet esse voluntaria: hoc est; ex voluntatis promptitudine profecta: & non ex necessitate coacta. Hoc est, quod B. Augustinus dicit; Nullus expectet quando peccare non potest. Arbitrij enim libertatem quærit Deus, vt deleri possint commissa: non necessitatem, sed charitatem non tantùm timorem; quia non in solo timore viuit homo. Quem ergo serò pœnitet, oportet non solùm timere Iudicem, sed diligere: quia sine charitate nemo saluus esse potest. Quare si quem nunquam in vita sua verè pœnituerit, sed proroget pœnitentiam vsque in horam mortis, videtur is non ex voluntate, sed ex necessitate pœnitentiam agere: & si ex necessitate, iam non est purè voluntaria. Talis erat pœnitentia Semei, quam fecit ob delictum, in Dauid commissum, cùm faciem filij sui Absolonis fugeret. qui Semei cùm vidisset victoriam ad Dauidem inclinare, & considerans malum quod sibi imminebat, descendit cum viris Iuda in occursum Regis Dauid, & cum mille viris de Beniamin, prostratusque coram Rege veniam delicti rogauit. Quod cùm Abisai vidisset, dixit; *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Christo Domini?* Sanctus verò Rex Dauid, non ignorans quàm exigui esset meriti hæc pœnitentia, tunc quidem factum dissimulauit prudenter, tamen inultum omno noluit: sed cùm iam morti proximus esset, non vindictæ cupiditate, sed iustitiæ zelo præcipit filio, ne pateretur illum innoxium; qui & postea interfecit illum. Huius generis videtur esse multorum malorum Christianorum pœnitentia, qui cùm tota vita Deum offendendo in peccatis perseuerârunt, quum appropinquauerit hora reddendæ rationis, vbi mortem adesse, sepulchrum apertum, præsentemque iudicem viderint, intellexerintque non inueniri fortitudinem, non potentiam contra infinitam illam potentiam; quodque in illo momento determinabitur, quod semper est duraturum, conuertuntur ad iudicem orationibus & protestationibus: quæ si veræ sint, vtiles profectò sunt. Sed communis euentus docet, quales illi fuêre, & sunt: experientia enim didicimus, multos eorum elapsos hoc periculo, confestim oblitos omnium quæ promiserunt, & tanquam sues ad volutabrum reuersos esse, imò reuocâsse ea, quæ tunc pro exoneratione animæ ordinauerant, tanquam homines, qui non fecêre, id quod fecerunt, amore Dei, sed solo timore angustiæ, in qua tunc temporis fuêre: qua cessante, cessauit etiam effectus, qui ex illa sequebatur. Ex quo manifestissimè videtur, hanc pœnitentiam similem esse illi, quam habent nautæ: qui cùm in magno periculo sunt, promittunt vitam mutare, sequi virtutem, & nescio quæ non vota faciunt: sed cùm tempestas sedata est, & optata redit malacia, ipsique extra periculum sunt, mox ad priora redeunt; rident, nugantur, blasphemant, & peiora faciunt, quàm antea faciebant, nullam votorum habentes rationem; imò tanquam somnium illa reputantes.

Aug. lib. de vera & falsa pœn. cap. 17. & 15.

2. Reg. 16. & 19.

2. Reg. 19, 21.

3 Reg. 2.

Simile.

Tertia ratio Scoti. Tertia ratio est, quia consuetudo peccandi, in qua vixit hactenus peccator, ferè semper hominem deserere non vult; sed illum vsque ad mortem comitari: & non aliter, atque vmbra corpus, sequi. Consuetudo enim est tanquam altera natura, quæ non nisi maxima difficultate vincitur. atque ita videmus per experientiam, multos in illa hora tam parum de animæ suæ salute solicitos esse, tam auaros esse, tam rebus carnalibus immersos, tam vitæ huius amantes, si quo pretio possent illam redimere, sic captos amore huius mundi, omniumque rerum quæ in illo dilexerunt, quàm si non esset in hoc termino vel periculo. Nunquid aliquando vidisti senes tam auidos & auaros, vt nunquam vel horam vnam intermiserint, quo minùs res huius mundi tractârent; qui tamen in benefaciendo manus habebant occlusas & immisericordes: quorum appetitus erat viuacissimus in rebus ijs, quas in proprium contemptum debebant in hoc mundo relinquere, & scit Deus quibus? Hæc est pœna nequaquam minima, qua Deus subinde punit peccatum; permittens vt illud comitetur suum auctorem vsque ad sepulturam; iuxta illud B. Gregorij, Deus castigat peccatorem hoc genere supplicij, vt permittat eum obliuiscì, & immemorem esse sui ipsius in hora mortis; eo quòd non sit recordatus Dei sui dum viueret. Atq; ita vna negligentia vel obliuio puniatur alia. punitur obliuio culpæ cum obliuione, quæ pœna simul est & culpa: id quod quotidiana docet experientia: toties enim nunc audiuimus multos etiam in brachijs meretricum mori voluisse, quas tam tenaci amore diligebant, vt quas in vita ædibus expellere noluerunt, etiam in morte deserere noluerint, eo quòd iusto Dei iudicio & sui, & animarum suarum obliuiscebantur.

Greg. lib. 36. Mor. cap. 31.

Quarta ratio Scoti. Quarta Scoti ratio fundatur in qualitate valoris operum, quæ communiter in illa hora fiunt: quilibet enim, qui vel scintillulam diuini luminis habet, apertè videt, quantum distent opera quæ tunc, & quæ ab homine sancto fiunt: agnoscit, inquam, Deo multo minùs illa, quàm hæc placere. Non est admodum gratum (vt B. Lucia dicebat) Deo munus, quod qui offert, ideo offert, quòd illius vsum suprema interdicat dies. Quid quæso est iniuriam illatam cuidam ignoscere in illa hora, qua non ignoscere magna est infamia? Putas eximium quid esse, si concubinam reliqueris, quando velis nolis relinquere debes, nec ampliùs eam in ædibus seruare potes? His rationibus subtilis ille Doctor concludit, hominem summa cum difficultate in illa hora verè pœnitere. Imò dicit Christianum, qui deliberato animo pœnitentiam vsque in horam mortis prorogat, mortaliter peccare; ob summam iniuriam, quam infert animæ suæ: & ob periculum maximum, cui salutem suam exponit. Relinquo nunc lectori iudicium, vt videat si quid sit illo magis metuendum.

B. Luciæ dictum.

Auctoritates aliquot sacræ Scripturæ præmissam Doctorum sententiam confirmantes.

QVoniam autem totius disputationis huius robur in verbo Dei consistat, (contra hoc enim nec est appellatio, nec responsio) audi quid illud doceat in hoc negotio. Salomon primo Prouerbiorum capite, postquam retulisset verba, quibus æterna Sapientia vocat hominem ad pœnitentiam, subiungit itidem ea, quæ vocationi suæ non obedientibus dictura est: *Quia*, inquit, *vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & nõ exaudiam: manè consurgent, & non inue-*

Prou. 1, 24.

nient

nient me, eo quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo. Hucusque verba sunt Salomonis, aut vt melius dicam ipsius Dei, quæ D. Gregor. in libris Moralium de hac pœnitentia, de qua nos iam agimus, exponit. Quid potest responderi ad illud? An non sufficiant hæ minæ, cùm ipsius Dei sint, vt timorem tibi incutiant, moneantque, vt temporite in horam illam præpares?

Greg. hom. 12 o. in Euangel.

Sed audi & aliud testimonium non minùs, quàm illud, dilucidum. Differens Dominus in Euangelio de suo ad iudicium aduentu, consulit suis discipulis, eosque magna cum instantia monet, vt se præparent in diem illum, multis in eum finem vsus parabolis & similitudinibus, vt ex ijs intelligerent, quanti ea res esset momenti. Eius verba hæc sunt: *Beatus ille seruus, quem cùm venerit dominus inuenerit vigilantem. Si autem malus seruus dixerit in corde suo, Moram facit dominus meus venire; & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis.* Patet hîc Dominum optimè sciuisse consilia malorum, & inuentiones excusationesque eorum, quas inueniunt ad excusandos se in rebus pessimis: ideoque viam ipsis occludit, admonetque, quomodo eis hæc facinora succedent, & quem finem spes eorum sit habitura. Quid differunt illa ab his, quæ nos hîc tractamus? Quid nos dicimus hîc, si non illud, quod ipse Dominus? Tu es ille malus seruus, quia similia meditaris in corde tuo; tu prorogas pœnitentiam, & existimas temporis tibi adhuc plurimum superesse, manducas, bibis, & in delictis tuis perseueras. An non timeas has minas, quas tibi intentat ille, qui non minùs ad faciendum, quàm ad dicendum, efficax est? qui omnia, quæ dicit, dictu citius & facilius exequitur? Ipse te alloquitur, tecum agit, te appellat, tecum ipsi negotium est, tibi dicit: Vigila miser, & dum tempus est te præpara, ne miserrimè pereas in illa hora iusti Dei iudicij.

Matt. 24, 47.

Ceterùm videor nimium temporis & laboris rei tam manifestæ impendere. Sed quid faciam, cùm videam maiorem mundi partem hoc palliolo peccatum & errorem suum prætexere? Vt autem magnitudinem huius periculi clarius adhuc agnoscas, audi aliud testimonium ipsius Domini: *Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus*, &c. Tunc, quando tunc? Quando veniet Iudex, quando appropinquabit hora iudicij tam vniuersalis omnium, quàm particularis singulorum. In quo enim quemque inuenerit nouissimus suus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies; quia qualis in isto die moritur, talis in die hoc iudicabitur, vt ait Augustinus. Illo itaque tempore, dixit Saluator, nobis continget, quod contigit decem Virginibus, *quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso: Prudentes* dum tempus habebant, *acceperunt oleum in vasis suis:* Fatuis verò, vt ferè fit, nulla erat olei solicitudo. *Media nocte*, quando altius dormiunt homines, vel cùm maximè curæ expertes sunt, & negligentes, minusque cogitant de iudicij die, *clamor factus est; Ecce sponsus venit, exite obuiam illi. Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ, & ornauerunt lampades suas: Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum sponso ad nuptias, & clausa est ianua:* Quæ verò paratæ eo tempore non erant, cœperunt sibi prouidere, & se præparare, & tandem venientes clamabant: *Domine, Domine aperi nobis. At ille respondens ait, Amen dico vobis, nescio vos.* Concludens autem Dominus parabolam hanc, ait: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* quasi diceret; Vidistis quam felix euentus fuit istarum virginum sapientum, quæque paratæ erant; & quàm infelix fatuarum, quibus oleum deerat. Propterea cùm nesciatis diem, vel horam aduentus sponsi, & negotium salutis vestræ à sola pendeat hac præparatione, vigilate & parati estote omni tempore, ne dies illa vos inueniat imparatos, vt Virgines illas quinque, inuenit, & clausa vobis sit ianua, nuptijsque excludamini, quemadmodum illæ excluſæ sunt. Iste sensus literalis est huius parabolæ, vti Caietanus hunc locum exponit, dicens: Caueamus nobis, vel ob id solum, quòd pœnitentia, quæ ad mortem vsque prorogatur, quando auditur vox quæ dicit; *Ecce sponsus venit:* non est secura, imò quòd ipsa in hac parabola describitur, quasi non vera, ferè namque talis est. Idem tandem summam vel pericopam similitudinis illius subijciens ait: Conclusio doctrinæ huius est, vt intelligamus quomodo quinque Virgines illæ fuerunt repudiatæ, seu reprobatæ, quia quo tempore sponsus venit, non erant paratæ. Aliæ verò quinque admissæ fuerunt, quia prouisum illis erat. Necesse itaque est, vt semper simus parati, eo quòd nescimus qua hora sponsus venturus est.

Matth. 25, 1.

Aug Epist. ad Dioscor. & lib. serm. 22. & 23. de serm.

Matth. 25, 11.

Caietanus.

Dic mihi quæso, quid posset ad nostrum propositum illuminandum dici manifestius? Vehementer itaque admiror, quòd post testimonium tam clarum homines audeant adhuc tam debili & incerta spe niti. Etenim ante hoc testimonium prolatum non adeò mirarer, si contrarium ipsis persuasum esset, aut sponte falli cuperent. Sed postquam ipse cælestis Doctor & Magister hanc quæstionem determinauit, cùm Iudex ipse tot exemplis seriem & modum sui iudicij nobis manifestauit, quis adeò impudens aut præfractus, vt credat aliter euenturum, aut rem gerendam esse, quàm prædixit ille, qui sententiam ipse pronuntiabit?

Responsiones ad aliquot obiectiones.

SEd quia posses mihi ad ea quæ dicta sunt obijcere: Quomodo? nunquid Latro solo verbo saluus factus est iam iam moriturus? Respondet Beatus Augustinus in libro superius citato: Licet, ait, Latro veniam meruerit in fine de omni suo crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi & perseuerandi auctoritatem. Tunc enim baptizatus est, qui tunc primùm in cruce Christum confessus est. Pœnitentia enim si in extremo hiatu vitæ aduenerit, sanat & liberat in ablutione baptismi, ita vt nec purgatorium sentiant, qui in fine baptizantur. Respondetur præterea, opus hoc admirandum non minùs, quàm alia miracula, operaque alia, prædictum & reseruatum fuisse aduentui Saluatoris & Filij Dei in hunc mundum, eiusque gloriæ testimonio: Ideoque necesse erat, vt ea ipsa hora, qua Dominus patiebatur, cælestia & terrena turbarentur; lux cum nocte misceretur; elementa quaterentur; Tertia ipsa concussa à fundamentis, quasi quæ super crucem Deum vix sustinebat, tanquam ad scelus proprium contremisceret; Dies refugo lumine, quomodo potest, sumeret lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu, more lugentis indueretur; sepulchra mortuorum aperirentur; defuncti resurgerent: Omnia enim hæc mirabilia, tanquam testimonia gloriæ Personæ illius reseruabantur, de quorum numero & salus fuit huius latronis. In quo opere non minùs erat admirabilis illius confessio, quàm salutis collatio: posteaquam in cruce confiteatur regnum, & discipulis Christi contradicentibus, in latrone fides nouella inualuerit. Sub illo tempore credidit reus, quod negauit electus. Ferebat impietas persequentium, exultabat impietas blasphemantium, contritio liuoris & vulnera Christum solum hominem demonstrabant, & Apostolis post diuina miracula desperantibus, solus hic non acquieuit scandalo crucis & mortis; solus hic testis est

Aug. de vera & falsa pœnit cap. 17.

Multa mirabilia aduentui Christi reseruata.

Eusebius Emiss. de bono latrone.

Maiesta-

Majestatis, qui socius probatur doloris. Cùm itaque admirabilia hæc ad dignitatem huius Domini, & ad tempus illud mysticum pertineant, ridiculum erit velle existimare, hæc semper & vbique locum habere; quæ propriè temporis illius erant.

Simile. Videmus etiam in quibuslibet huius mundi Rebuspublic. bene constitutis esse quædam, quæ fiunt ordinariè & semper eodem modo, quædam verò quæ extraordinarie vsurpantur. Ordinaria communia sunt omnibus, extraordinaria propria sunt quibusdam. Idem vsu venit & in Republ. Dei, quæ est Ecclesia. Atque ita regulare est & ordinarium illud Apostoli; 2. Cor. 11,15. *Quorum finis erit secundùm opera ipsorum*; significans quòd communiter loquendo, mors mala malam vitam sequitur, & bona bonam. Ordinarium etiam est eos, qui opera bona facient, vitam æternam ingredi; qui verò mala, in ignem æternum præcipitari. Hæc est sententia communis & vera, quam pluribus in locis inculcat sacra Scriptura. Hanc canunt Psalmi, hanc celebrant Prophetæ, hanc referunt Apostoli, hanc annotârunt Euangelistæ; Hanc paucis verbis complexus est Propheta Regius, cùm dixit; *Semel* Psalm. 61,12. *locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddis vnicuique secundùm opera sua.* Hæc summa est totius Philosophiæ Christianæ. Secundùm hanc itaque rationem dicimus Ordinarium esse tam iustum, quam peccatorem recipere mercedem in fine vitæ suæ secun- Iudicia Dei. dùm opera quæ fecerunt. Præter vniuersalem tamen hanc legem potest Deus ex particulari gratia ad suam gloriam quibusdam misericordiam exhibere, vt morte iustorum moriantur, qui vitam peccatorum duxerunt: quemadmodum & fieri potest, vt qui tanquam iustus vixit in hoc seculo, secreto quo- Simile. dam Dei iudicio, tanquam peccator moriatur. quemadmodum illis euenit, qui longo itinere prosperrimè nauigârunt, & in ipso portus introitu naufragium faciunt. Eccle. 3,21. Hinc est quod Salomon dicit: *Quis scit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Nam etsi fèrè semper fiat, vt animæ illorum, qui tanquam bruta viuunt animalia, ad Inferos descendant; eorum verò, qui tanquam homines viuunt, in cælum ferantur: potest tamen secundùm occultum & particulare Dei iudicium nonnunquam hic ordo inuerti. Secura tamen & generalis doctrina est, bene viuentem mortem habiturum beatam. Nemo itaque ob causas prædictas niti debet exemplis eorum, qui ex particulari gratia sunt conseruati: ea enim generalem regulam non constituunt, nec ad omnes sese extendunt, sed ad paucos tantùm, eosque incognitos: Nec tu quidem scire potes an eorum numero contineâre.

Alia excusatio peccatorum. Alij aliam excusationem seu defensionem adferunt, dicentes; Sacramenta legis gratiæ de attrito facere contritum, & quod vel in hora mortis saltem illam attritionem seu dispositionem habebunt; quæ vna cum virtute Sacramenti sufficiens erit ad salutem conferendam. Ad quam obiectionem respondemus, non quoduis genus doloris sufficiens esse ad speciem illam attritionis habendam, quæ vnà cum Dom Soto in 4 d. 19. q. 6. artic. 2. Sacramento confert gratiam illud suscipienti. Nemo enim nescit esse varias attritionis & doloris species; & quòd non per quamcunque attritionem homo fit de attrito contritus, sed tantùm per illam particularem, quam gratiæ collator nouit, & quam vno illo excepto ignorant omnes. Sciebant & intelligebant optimè hanc Theologiam sancti Doctores, ideoque tanto cùm metu & tam dubiè de hoc genere pœnitentiæ locuti sunt, vti superiùs à nobis annotatum est; ante alios maximè D. Augustinus, in sua auctoritate superiùs allegata, vbi agit de eo qui pœnitentiam accepit & reconciliatur per Ecclesiæ Sacramenta, de quo dicit: Fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quòd bene hinc exit; si securus hinc exit, egò nescio: pœnitentiam dare possumus, securitatem non.

Quòd si mihi obijcias pœnitentiam Ninivitarum, Ionæ 3. *Obiectio de pœnitentia Ninivitarum.* quæ ex timore, ne quadraginta dierum spatio perirent omnes, processit; considera tu non tantùm asperrimam pœnitentiam, quam illi subierunt, sed & vitæ mutationem. Muta tu quoque vitam tuam eodem modo, & non destituet te eadem misericordia. Cetèrum video te vix ab infirmitate conualuisse, & vix è lecto surrexisse, cùm statim ad primum vitæ genus recurris, & reuocas omne id, quod quamdiu infirmabaris, proposueras. Quare tibi considerandum relinquo, quid de tua pœnitentia censeam.

Conclusio superioris disputationis.

QVicquid dictum est hactenus, non eo fine dictum est, vt cuiquam salutis aut spei ianua claudatur: etenim nec eam quispiam Sanctorum clausit, nec aliquis eam claudere debet: sed vt mali retrahantur, & auertantur ab illo refugij propugnaculo, in quo ipsi latitant, & fortiores efficiuntur, vt in iniquitatibus suis perseuerent. Ceterùm, dic mihi quæso frater, si omnes voces Doctorum, & sanctorum hominum, si rationes omnes, si ipsa Scriptura sacra tam periculosa tibi nuntient de hac pœnitentia, quomodo audes tu sperare tuę saluti ab ingenti hoc periculo libertatem? In quo confidis, qui te in hoc periculo adiuuabit? Fortè in tuis præparamentis, in eleemosynis, in orationibus tuis spem collocas? Intellexisti paulò antè quomodo quinque Virgines Matth. 25. fatuæ summa cum solicitudine se præparare voluerunt, postquam vocem audiuissent, sponsum venire, nuntiantem; didicisti etiam quanta cum instantia ianuam pulsarunt clamantes; nihil tamen horum ipsis profuit: non enim ex vero amore, vel vera pœnitentia proficiscebantur. Confidis fortè in lachrymis, quas eo tempore profundes? Verè lachrymæ valent quocunque tempore, & beatus qui eas ex toto corde fundit: sed recordare quæso quot lachrymas fudit hic, vt appetitui suo satisfaciat, & ille vt quod vult, hoc illi liceat, animique impetum sequatur: vendit patrimonium seu ius primogeniti instar Esau, *qui*, Genes. 25. iuxta B. Apostolum, *non inuenit pœnitentiæ locum*, Heb. 12,17. *quanquam cum lachrymis inquisisset eam*. non enim amore Dei flebat, sed ob proprium commodum suum. An potiùs spem ponis in bonis tuis propositis, quę tunc tibi ob oculos statues? Et hęc valent cùm vera sunt & sincera, sed memento propositorum Regis Antiochi qui cùm in hoc periculo esset constitutus, 2. Mach. 9 13. talia & tam magnifica polliceba tur, vt homo merito debebat obstupescere, qui legit. *Orabat nihilominus*, ait Scriptura, *hic sceleftus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*. Ratio erat, omnia enim quæ proponebat, non ex spiritu amoris, sed ex puro timore seruili proponebat, qui etiamsi bonus sit, non sufficit tamen ad cæleste regnum impetrandum. Timere namque Infernum ex mero amore naturali, quo homo seipsum complectitur, potest procedere. Quòd autem homo seipsum amat, non est ratio cur illi regnum cælorum donetur. Adeò vt quemadmodum nemo intrabat palatium Regis Assueri saccoindutus, Hest. 4. ita nemini licitum est ingredi palatium Dei cum veste seruili: oportet enim omnes ingressuri veste nuptiali, id est, vero amore seu charitate sint exornati.

Quamobrem te, mi frater, oro & obsecro, vt hæc cum attentione legas, & consideres, te paulò pòst sine dubio in hac hora, & in hoc discrimine constitutum iri. Vides enim quanta cum velocitate cælum

volui-

voluitur, & tempora labuntur: citò filum vitæ tuæ
Deut.32,35. abrumpetur. *Iuxtà est dies perditionis*, ait Propheta, *& adesse festinant tempora.* Finito itaque tam exigui temporis spatio, adimplebitur prophetia. Tunc videbis, & agnosces me verum tibi prophetam fuisse in his, quæ monui & adhortatus sum. Tunc te doloribus vallatum cernes, fastidijs oneratum, mortis præsentia miserabiliter afflictum, expectare sortem, quæ mox extrahetur, aut semper felicem, aut semper infelicem. O sortem dubiam, ô viam arduam & periculosam; ô sententiam, post quam aut mors æterna, aut æterna vitæ expectatur, ô quis poterit hac in hora sortem illam commutare? ô quis illam sententiam poterit audire? Mi frater nunc habes commoditatem, caue illam negligas. Nunc habes tempus Iudicem demerendi, & beneuolum tibi faciendi. Audi itaque & sequere consilium Prophetæ, qui dicit;
Esa.55, 6. *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est.* Prope enim nunc Dominus est, vt audiat nos, licet illum non videamus. In die verò & hora iudicij videbitur quidem, sed non audiet nos, nisi nunc audiri mereamur.

CONTRA ILLOS, QVI SPE *diuinæ misericordiæ in peccatis suis perseuerant.*

CAPVT XXVII.

REperiuntur homines alij, qui perseuerantes in vita sua impia, seipsos spe diuinæ misericordiæ lactant, & meritis Christi Passionis consolantur: & his suus quoque vti aliorum error est ostendendus. Tu dicis misericordiam Dei esse immensam, voluit enim tanquam maledictus pro peccatoribus crucifigi. Fateor quidem eam esse maximam: perfert enim quòd tu maledicam blasphemiam effutis; qualis est, quòd tu vis, vt eius bonitas tuæ faueat iniquitati; quòd crucem eius, quam ille apprehendit vt medium quo regnum peccati destrueretur, tu capias, tanquam medium quo peccatum muniatur & defendatur: & vbi tu debueras mille vitas illi, si tot haberes, offerre, vt qui suam pro te immolauit, ibi tu arripis occasionem etiam negandi illi vnam quam habes, imò quam ab illo accepisti. Plus dolet hoc Saluatori, quàm mors ipsa, quam pro te passus est: qui enim in morte sua non lamentatur, de peccatis tuis grauissimè queritur apud Prophetam,
Psalm.128,3. dicens: *Fabricauerunt super dorsum meum peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.* Dic mihi quæso, quis te ita argumentari docuit, vt ex eo quòd Deus bonus est, concludas licere tibi peccare, & iniquitatem sequi? Videtur mihi Spiritus sanctus alio modo concludere; vt nimirum ex eo quòd Deus bonus est, colligat eum dignum esse, qui colatur, cui obediatur, qui ametur super omnia. Et quia Deus bonus est, fas esse vt ego bonus sim, & sperem in illum: qui etsi grauissimus peccator sim, paratus tamen est me in gratiam recipere, si toto corde ad illum conuertar. Quia Deus bonus est, & tam bonus, duplex sanè scelus est tantam bonitatem offendere. Itaque quanto magis amplificas Dei bonitatem, in qua tu confidis, tanto magis exaggeras peccatum, quod in illam committis. Illud autem peccatum tam graue, æquum est vt puniatur: est enim ea diuinæ iustitiæ (quæ vti tu existimas non est contraria, sed soror & vindex diuinæ bonitatis) natura & officium, ne tam enormem iniuriam relinquat impunitam.

Discrimē verorū & falsorū Prophetarum.

Hoc genus excusationis non est recens, aut nouum, sed vetus planè & mundo frequentissimum. Illud inter veros & falsos Prophetas olim intererat, quia veri minas Dei populo annuntiabant, & iustitiam eius exaggerabant; falsi verò ex proprio capite falsam pacem promittebant, & misericordiam. Cùm autem supplicia Dei veritatem vnius, & falsitatem alterius partis probarent, dicebant veri Prophetæ; *Vbi*
Ierem.37,18. *sunt Prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, & dicebant, non veniet Rex Babylonis super vos & super terram hanc?* Tu dicis magnam esse Dei misericordiam? Tu qui dicis illud, crede mihi, Deus oculos tibi non aperuit, vt vides magnitudinem eius iustitiæ. Nam si oculos ad eam intuendam haberes apertos, diceres cum Propheta: *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Sed vt ab hoc errore tam periculoso libereris, quæso paululum hac de re disseramus, & rationibus acquiescamus.
Psalm 89,11.

Vnde cognoscatur diuina iustitia.

Nec tu, nec ego videmus iustitiam diuinam, qualis est in seipsa: vt hoc modo queamus illius mensuram cognoscere. Nec Deum quidem ipsum in hoc mundo nouimus, nisi per opera sua. Ingrediamur itaque mundum spiritualem sacræ Scripturæ, deinde exeamus in hunc corporalem, in quo nos viuimus, & ex vtroque ratiocinemur, qualis sit diuina iustitia, vt mediantibus ijs hanc cognoscamus. Erit profectò hæc consideratio vtilissima: Præter enim finem nobis iam propositum, alium quoque ex ea fructum percipiemus: excitabit enim de nouo in cordibus nostris timorem Domini, qui vt Doctores loquuntur, est thesaurus, custos, & onus animarum nostrarum. Quemadmodum enim nauis sine saburra secura
Simile. non est; (iactatur enim quouis vento facillimè nunc in hanc, nunc in illam partem magno cum periculo) ita periclitatur anima quæ saburram, seu onus diuini timoris non habet. Sustinet timor ille animam, ne
Omnibus hominibus, timendum est. ventus fatuorum humanorum, & gratiarum diuinarum eam eleuet, & euertat. Quantumuis munita sit, nisi onus hoc habeat, versatur in periculo. Nec tantum incipientes, sed & adulti & senes debent necessariò in domo Domini viuere cum timore. Necso-
Vnde timor generetur. lum peccatores & rei, qui meritò timere debent: sed ne iusti quidem, quibus tanta non est causa timendi, à timore debent esse immunes. Peccatoribus timendum est, quia peccauerunt; iustis quoque, nec peccent: illis timorem incutere debent mala præterita, his verò pericula futura. Quòd si scire cupias, quomodo sanctus ille timor in te generetur, dico cùm per gratiam est infusus, conseruatur, & crescit consideratione operum diuinæ iustitiæ, de quibus nunc agere incipiamus. Cogita sæpius atque volue illa tecum animo, & paulatim timoris huius augmentum in te senties.

De operibus diuinæ Iustitiæ, quarum mentio fit in sacra Scriptura.

Principium viarum Domini.

PRimum opus diuinæ iustitiæ, cuius meminit sacra Scriptura, est Angelorum damnatio. Principium viarum Domini, fuit terribilis & sangui-
Psalm.24. nolenta illa bestia Princeps Dæmoniorum, vt in libro Iob scribitur. Cùm enim omnes viæ Domini sint misericordia & iustitia, vsque ad primum illud peccatum nondum erat iustitia Dei reuelata, quæ in sinu Domini tanquam gladius in vagina erat recon-
Ezech 21. dita.

Casus Dæmonum.

Illud primum peccatum in causa fuit, cur gladius iste sit euaginatus. Considera nunc tu quàm grauis illa fuerit prima plaga: leua oculos, & mirabile quid videbis; Videbis inquam pretiosissimam gemmam domus Dei, videbis primariam cæli pulchritudinem, videbis imaginem in qua tam perspicuè lucebat diuina pulchritudo, hanc dico videbis de cælo instar fagittæ decidere, idque propter vnam superbiæ cogitationem. Princeps omnium Angelorum factus est Princeps Dæmonum, ex pulcherrimo factus est teterrimus, ex gloriosissimo afflictissimus, ex gratiosissimo

simo omnium quos Deus habet, aut habiturus est vnquam, infensissimus inimicus. Quis putas stupor, quæ admiratio fuit hæc cælestibus illis Spiritibus, qui sciunt vnde & quò cecidit tam nobilis creatura? quo cum timore dixerunt omnes illud Esaiæ: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* Esa.14,12.

Descende postea paulò inferiùs ad Paradisum terrestrem, & videbis ibi casum non minùs metuendum, nisi huic malo tandem remedium fuisset adhibitum. Vt enim Angeli caderent, erat necesse vt omnes actualiter peccarent. Sed quid peccauit actualiter creatura quæ nascitur, cur nasci debeat iræ filia? Non est necesse vt habeat illa peccatum actuale, sufficit vt tantùm sit de linea seu stirpe hominis, qui peccauit, & peccando corrupit communem totius generis humani radicem, quæ erat in illo: hoc dico sufficit quare in peccatis nascatur. Gloria atque Maiestas Dei tam ingens est, vt cum vna sola creatura illam offendisset, totum genus tam grauiter plecti meruerit. Etenim si summo illi amico Regis Assueri Aman, vt se vindicaret à Mardochæo, à quo iniuriam se accepisse existimabat, non satis fuerit Mardochæum solum plecti, sed pro magnitudine honoris sui iudicauerit totam gentem Iudæorum excindendam ob negatam (vt ipse iudicabat) tam exiguam reuerentiam, quid miraris si gloria atque Maiestas Dei, quæ est infinita, simile supplicium requirat? Ecce itaque primus homo Paradiso expellitur ob vnius pomi morsum, propter quem & vsque in hodiernum diem mundus vniuersus plectitur. Et post tot annorum millia filius qui nascitur, secum maculam patris ex vtero materno profert, & non cùm ipse per ætatem peccare potest, sed in ipsa natiuitate filius iræ procedit, atque illud, vt dixi, post tot annorum millia. Tempore tam diuturno non potuit hæc iniuria obliuione sepeliri, inter tot hominum myriades diuisa, & tot flagellis castigata. Imò omnia tormenta, quę ab initio mundi vsque huc homines passi sunt, omnes mortes quas subiêre, omnes animæ quæ ardent & ardebunt semper in Inferno, scintillæ sunt quæ originaliter ex illo primo peccato exilierunt: argumenta sunt & testimonia diuinæ iustitiæ. Et hæc omnia fiunt etiam post redemptionem generis humani factam per sanguinem Saluatoris nostri Iesu Christi: Quod remedium nisi adhibitum fuisset, non esset aliqua inter homines & Dæmones differentia: tam enim exiguum fuisset salutis remedium vni. quàm alteri, quantum ex semetipsis. Quid tibi videtur de hoc supplicio? Est sanè rationabile diuinæ iustitiæ argumentum.

Casus Adæ.

Hest.3.

Sed cùm iugum illud tam graue à filijs Adæ non est ablatum, creuerunt ex eo noua pluraque supplicio-rum genera, propter alia peccata, quæ ex illo primo deriuata sunt. Vniuersus terrarum orbis aquis diluuij submersus est: Super quinque illas impurissimas ciuitates Dominus sulphur & ignem de cælo pluit: Terra Dathanum & Abironem viuos absorbuit, propter contentionem quandam, quæ erat inter illos & Moysen: Ignis de sanctuario egressus duos filios Aaronis, Nadab & Abiu deuorauit, eo quòd ceremonias debitas in sacrificio non obseruâssent: nec eis quicquam profuit dignitas sacerdotij, nec sanctitas Patris, nec familiaritas, quam Patruus ipsorum Moyses cum Domino habebat: Ananias & Sapphira in nouo testamento, quia B. Petro mentiti erant; (quod sanè exigui momenti videtur esse) ceciderunt & subitanea morte expirârunt.

Genes. 7.
Genes. 19.
Num. 16.
Leuit. 10.
Actor. 5.

Occulta Dei iudicia.

Sed quid dicemus de occultis Dei iudicijs? Salomon, qui sapientissimus fuit omnium hominum, & quem Deus tam tenerè diligebat, vt ex eo dictus fuerit Dilectus Domini, secreto Dei iudicio ad extremas venit abominationes, & peccatum grauissimum, quod fuit idololatria. Quid illo magis metuendum? Sed si intelligeres eius generis iudicia plurima, quæ quotidie in Ecclesia fiunt, non minùs fortasis hæc, quàm illud timeres. Videres siquidem multas stellas è cælo in terram cadere; videres multos, qui panem Angelorum in mensa Domini comedebant, in tantas calamitates prolabi, vt ventrem siliquis porcorum implere cupiant; videres multos, quorum castitas erat purior & formosior porphyrite, quæ tamen postea conuersa carbone sit tetrior. Quorum lapsuum causæ fuerunt peccata ipsorum, qui ceciderunt: ordinatio enim & iudicium diuinum non ponit necessitatem operationibus hominum, neque tollit liberum illorum arbitrium.

3.Reg 11.

Sed quod maius signum diuinæ iustitiæ posses desiderare, quàm quòd Deus pro iniuria sibi illata noluit satisfieri nisi morte vnigeniti Filij sui priusquam mundum in gratiam reciperet? Qualia quæso fuêre verba illa, quæ Dominus locutus est mulieribus, quæ illum sequebantur plangentes; *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent; Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus; Cadite super nos, & collibus. Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet:* quasi Dominus dicere voluisset; si arbor hæc vitæ & innocentiæ, in qua nec vermis vnquam, nec caries peccatorum inuenta sunt, sed diuinæ iustitiæ flammis ardeat pro peccatis aliorum, quo putas modo ardebit arbor sterilis & ficca, quam non charitas, sed propria malignitas ad ignem condemnat? Et si in hoc opere misericordiæ vides tantum rigorem iustitiæ, quid fiet in alijs, in quibus tanta non spectatur misericordia? Sed si tam rudis es & stupidus, vt vim huius argumenti non capias, saltem intuere pœnas Gehennæ, & vide quanta sit pœna illa, quia diuina iustitia vnum punit peccatum: quomodo inquam peccatum, quod momento fit, pœna plectat æterna? Ecce quomodo diuinæ misericordiæ, quam tu tantopere extollis, se se iungat terribilis hæc iustitia. Quid excogitari potest magis horrendum, quàm videre quomodo supremus ille Dominator Dominus de throno gloriæ suæ despiciet animam, quæ tot annorum myriadibus intolerabilibus Gehennæ supplicijs cruciabitur, nec quòd vllis flectetur precibus amplius, vt misereatur illius, aut ei compatiatur, imò gaudebit quòd illa patitur, & placebit illi, vt pœna sit sine fine, & sine termino, & sine spe remedij futura. O altitudo iustitiæ diuinæ, ô res admiratione dignissima, ô secretum, ô abyssus infimæ profunditatis. Quis hominum erit adeò demens, quis adeò ab omni ratione & iudicio alienus, qui si consideret hæc, non contremiscet, non stabit attonitus, & quasi ad tanta supplicia stupefactus. Luc.23,28.

De operibus diuinæ iustitiæ quæ in hoc mundo conspiciuntur.

SEd relictis aliquantisper sacris Bibliorum libris, exeamus in hunc mundum visibilem: nam & in illo maxima diuinæ iustitiæ reperiemus argumenta. Verè tibi affirmo, quòd qui mentem vel minimo diuinæ lucis & cognitionis radio habent illustratam, viuunt in hoc mundo cum maximo timore, & metuunt vehementer opera diuinorum iudiciorum: quia quærentes exitum in omnibus ijs, non inueniunt illum, nisi in simplici & humili confessione fidei. Quis non expauescit videns vniuersam terræ superficiem infidelitate coopertam? videns quàm copiosa sit messis Dæmoniorum, ad inferni lacus miseris hominum animabus implendos? videns maiorem mundi partem (etiam post generis humani

Infidelitas hominum magna.

redemptionem) in prioribus immersam tenebris? Quæ quæso particula est Christianorum patria, si cum regnis & imperijs Infidelium conferatur? non est nisi exiguus mundi angulus, si excipias nouas Indiæ regiones, quæ quotidie reperiuntur, & ad fidem accedunt. Quod reliquum est omne Dæmones sua premunt tyrannide, & sub Regis tenebrarum impotenti luget dominatu, vbi non splendet Sol iustitiæ, vbi lux veritatis non oritur, vbi nec aqua pluit, nec ros descendit gratiæ diuinę, quemadmodum nec in montibus Gelboe, vbi Dæmones tantas agunt animarum prædas, quas collectas in æternos ignes conijciunt. Etenim extra controuersiam est, quòd sicut extra Arcam Noë tempore diluuij nullus conseruatus est, nec extra domum Raab in ciuitate Herichuntina; ita nemo saluus fiet, qui extra domum Dei, quæ est Ecclesia, deprehenditur.

Sapient. 5.

2. Reg. 1.

Genes. 7.

Iosue 6.

Ceterùm partem eam, quæ Christianorum nomine celebris est, intuere, & vide quo loco res Christianorum hoc exulceratissimo nostro seculo sint constitutæ, & fateberis in hoc corpore mystico à planta pedis ad verticem capitis vix aliquod membrum sanum reperiri. Cape quamcunque vis ex ciuitatibus celebrioribus, in quibus saltem aliqua doctrinæ extent adhuc vestigia: discurre postea per minora oppida, pagos, vicos & castella, in quibus vix reperitur memoria, & inuenies populos, de quibus verè affirmari potest illud Ieremiæ: *Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem*, id est, verè iustum, *& propitius ero ei.* Perambula porrò non dico tabernas & loca publica, (ea enim ferè mendacijs, nugis & impostoris sunt dedicata) sed domos vicinorum, attende & ausculta, vti Hieremias, vt cognoscas neminem esse, qui quod bonum est loquitur, nec quicquam præter murmura, mendacia, execrationes, iuramenta & blasphemias audies: hîc resonant lites & contentiones, illic minæ & calumniæ. *Nullus est qui agit pœnitentiam super peccato suo dicens, Quid feci?* Re denique ipsa experiere corda & linguas hominum nullis alijs rebus vacare, quàm terrenis & proprijs commodis, nec audies amplius Deum in suis operibus appellari, sed in iuramentis & execrationibus eius nomen blasphemari: quam sui nominis memoriam Deus conqueritur apud eundem Prophetam dicens: *Recordantur mei, sed non vt oportet, iurantes mendaciter in nomine meo.* Ita vt per notas exteriores vix sciri queat, an populus hic Christianus sit, an verò gentilis: nisi fortè per modum quo campanas cognoscimus, quæ quidem videntur à longè, sed ex sonitu cognoscuntur: sic eos ex iuramentis & blasphemijs cognoscas, quæ è vicino audiuntur: cætera sciri aut iudicari non possunt. Sed quæso quomodo possunt tales annumerari his, de quibus dicit Esaias: *Qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Quòd si vita Christianorum talis esse debeat, vt qui illos eminus viderint, iudicent filios esse Dei; quo loco habendi sunt illi, qui potiùs videntur esse derisores, impostores, & contemptores Christi, quam veri Christiani?

Esai. 1.

Ierem. 5, 1.

Cap. 8.

Ibid. v. 6.

Esa. 61, 9.

Quare cùm peccata & mala mundi huius tot & tanta sint, qui fit vt non manifestè satis videas & agnoscas effectus diuinæ iustitiæ? Nemo enim potest inficiari quomodo maximum Dei beneficium est, hominem à peccatis præseruare, sic summum esse supplicium & insignem iram, cùm Deus permittit, vt homo in peccatum impingat. Ita legimus in lib. Regum 2. quòd furor Domini irascebatur contra Israël, ideoque commouerit seu permiserit Dauid in peccatum superbiæ labi, cùm iussit Israël numerari. In Ecclesiastico quoque cùm multa commemorata essent peccata, subijcitur; *A misericordibus hæc omnia auferentur, & in delictis non volutabuntur.* Quemadmodum enim ex vna parte præmium virtutis, est ipsius virtutis incrementum, sic non rarò pœna peccati est, quòd Deus peccatum peccato punit, seu quòd Deus alia peccata fieri permittit. Ita videmus maximum supplicium, quod pro maximo mundi flagitio (morte scilicet Saluatoris) irrogatum est, non aliud fuisse, quam quod Propheta denuntiat illius mali operatoribus dicens: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam*, id est, in custodiam mandatorum tuorum. Et quid sequitur? Idem mox declarat, & seipsum Propheta exponit; *Deleantur*, ait, *de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.*

2. Reg. 24, 1.

Eccl. 23, 16.

Psal. 68, 28.

Si itaque tam ingens supplicium sit, & tam magnum iræ diuinæ iudicium, quòd peccata peccatis punit, qui fit vt non videas tanta diuinæ iustitiæ argumenta inter tot peccatorum genera, quibus mundus hoc seculo exæstuat? Oculos, si placet, circumuolue more eorum, qui in latissimo pelago sunt, nihilque vident præter mare vndique, & vndique cælum, vt ait Poëta, & vix quicquam cernes aliud præter peccata: videns autem tot peccata iustitiam diuinam non videbis? in mari medio aquam non conspicis? Omnino, & si totus mundus sit peccatorum pelagus, quid aliud erit quàm pelagius diuinæ iustitiæ? Non est necesse, vt in Infernum discendam, & videam quomodo illic sæuiat diuina iustitia: sufficit mihi, vt eam in hoc mundo contempler. Quòd si autem volueris cæcus esse ad omnia, quæ extra te sunt, intuere saltem temetipsum: Nam si peccatis obnoxius sis, hastæ diuinæ iustitiæ subiectus es; & quam diu securus sub illa vitis, tamdiu, & quidem quo longiùs eò grauiùs, sub illa periclitaris. Sic Beatus Augustinus aliquamdiu in hoc miserrimo statu vixit, vt de seipso testatur, dicens: Submersus eram in pelago meorum peccatorum, & ira tua præualuerat contra me, & ego nesciebam. Factus eram surdus strepitu catenarum meæ mortalitatis, iræque tuæ, & culpæ meæ ignorantia pœna erat meę superbię. Quare si Deus te hoc supplicij genere puniat, permittens vt in hoc peccatorum pelago tam profundè iaceas immersus, & in medijs iniquitatibus tuis adeò cæcutias, quid tu prædices rem adeò tibi contrariam? Narret misericordiam Dei, qui misericordia dignus est: & qui iustitia Domini plectitur, iustitiam loquatur. Misericordia Dei tam patienter te in peccatis viuere permittit, & non permittet, vt tandem in infernum ruas? O si saperes, & scires quàm breuis via sit, quæ ducit à culpa ad pœnam, & à gratia ad gloriam? Homo in gratia constitutus, quid magnum est, si ad gloriam ascendat; & in peccatum lapsus, quid mirum si vlterius in infernum prolabatur? Gratia principium est & meritum gloriæ, peccatum verò initium inferni, & infernus merces illius.

Psal. 146, 4.

Luc. 13, 23.

Matth. 7, 14.

B. Aug. lib. 1. Confess. ca.

Præterea quid magis horrendum, quam cùm pœnæ inferni tam sint intolerabiles, vt suprà diximus, nihilominus permittat Deus, vt numerus damnatorum tam ingens sit, electorum verò tam exiguus? Quàm paruus horum numerus est (ne fortè meum hoc figmentum esse arbitreris) indicat nobis is ipse, *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Quis non expaueſcet ad verba illa, quæ omnibus quidem nota sunt, sed aut malè intelliguntur, aut rarò in mentes hominum reuocantur? Cùm enim Christum quidam interrogarent; *Domine si pauci sunt qui saluantur?* Ipse dixit ad illos; *Intrate per angustiam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quoniam angusta porta est, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Quis in his ver-

his verbis intelligeret hoc, quod Saluator intellexit, si simpliciter & non potius cum exclamatione dixisset; O quam angusta porta & arcta via est? Totus mundus aquis diluuij submersus perijt, octo tantùm homines salui facti sunt: quod, vt Beatus Petrus in sua testatur Canonica, figura fuit, qua significatur quàm pauci sunt illi qui saluantur, si conferantur cum iis qui damnantur. Sexcenta hominũ millia Dominus ex Ægypto in desertum eduxit, vt in terram promissam induceret, mulieribus & paruulis exceptis, qui non numerabantur, & in hoc itinere mille modis à Deo adiuti sunt, nihilominus terram hanc, quam Dominus illis ex gratia promiserat, sua culpa perdiderunt: quoniam ex tot centenis hominum millibus duo tantùm terram ingressi sunt. Quod omnes ferè Doctores sic interpretantur, vt per illud insinuetur multitudo damnandorum, & saluandorum paucitas, id est, *multos esse vocatos, sed paucos electos.*

Hanc ob causam non raro in Scriptura sacra iusti vocantur gemmæ seu lapides pretiosi, vt significetur tantam esse eorum in mundo raritatem, quanta est illorum, & qua quantitate ceteri lapides & saxa gemmas superant, eadem malos bonorum numerum superare: quod Salomon tacitè insinuat, cùm dicit, *Stultorum numerum esse infinitum.* Dic ergo mihi, si numerus bonorum tam sit exiguus, id quod & figura & veritas testantur, vbi vides iusto Dei iudicio tot priuari beatitudine, ad quam erant creati? quamobrem non times tu commune illud periculum & vniuersale diluuium? Si numerus esset par, magna adhuc metuendi ratio subesset. Quid dico par? imò tanta sunt inferni sempiterna supplicia, vt si vnus tantum ex toto humano genere illuc esset relegandus, adhuc omnes horrere & formidare deberemus. Cùm Saluator vltimam cœnam cum discipulis suis manducaret, atque diceret; *Vnus ex vobis tradet me;* omnes valde contristati sunt, & cœperunt expauescere, etiamsi conscientia illis innocentiam testaretur. Quando enim malum imminens grauius est, etiamsi pauci sunt, quibus illud minatur, timent tamen omnes & singuli, ne fortè sibi superueniat. Si maximus in campo esset hominum exercitus, & cunctis diuinitus esset reuelatum, quòd paulò pòst fulmen cælitus decideret, & vnum illorum interficeret, nec quis futurus ille esset, constaret, non est dubium quin vnusquisque sibi metueret. Quid autem faceret, si maior eorum pars deberet periclitari? Quanto maior esset iste timor? Dic mihi homo, qui præstas in carnali prudentia, & in negotio salutis tam imperitus es, an tibi Deus vnquam reuelauit tot fore, quos fulmen aut gladius diuinæ iustitiæ percutiet? Si nescias hoc, certè multo minus credo te scire quot, & qui plagam illam effugient, & à qua parte te stare contingat, & adhuc non times? An tibi fortè infernus fulminis ictu tolerabilior videatur? an Deus te securum fecit? an literas securitatis habeas? an infallibilis tuæ salutis diploma tibi concessum sit? an priuilegium immunitatis? Huc vsque nihil est quod tibi simile quid promittat, insuper & opera tua te condemnant, secundum præsentem etiam iustitiam (nisi folium vertas) reprobatus es, & nondum metuis? An dices te diuinam misericordiam confortare? Illa sanè opera iustitiæ non dissoluit, nec illis est contraria, imò si illa tot damnari patiatur, nónne quoque patietur, vt tu vnus ex illis sis, si vnà cum illis peccaueris? Nónne vides infelix proprium tui amorem te excæcare, & misere te fallere, dum te præsumere faciat alia, quàm quæ in mundo vniuerso conspiciuntur? Quod quæso priuilegium tibi datum est præ ceteris filijs Adæ, quo minus tibi aliquando eundum erit, quò ablegantur illi, quorum tu opera imitaris?

Quòd si Deus ex operibus tuis sit cognoscendus, scio quid dicam. Etsi enim multæ sint comparationes, quibus misericordia Dei, eiusque iustitia inter sese possunt conferri, in quibus opera misericordiæ præualent, tandem tamen deprehendimus, quod in posteritate Adæ, cuius ex semine tu quoque natus es, multo plura inueniuntur vasa iræ, quàm misericordiæ, cùm tam multi sint qui damnantur, & tam pauci qui saluantur. Cuius rei causa est, non quia gratia & adiutorium Dei illos destituit, *vult enim Deus,* vt Apostolus ait, *omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire)* sed quia mali ipsi sibi desunt, & gratia Dei in illis vacua est. 1. Tim. 2, 4.

Hæc omnia prolixiùs à me commemorata sunt, vt intelligas quòd si non obstante misericordia Dei, quam tu prætendis, Deus permittat tot esse infideles, & in Ecclesia tot malos Christianos, & tot ex infidelibus, totque ex malis Christianis perire sinat, vtique permittet & te cum illis perire, si vitam eorum imiteris. An fortè cùm tu nascereris cæli exultauerint? aut tunc mutabuntur Dei iudicia & lex Euangelij, vt tibi peculiaris sit mundus, & alius alteri? Si itaque non obstante misericordia Infernus adeò dilatetur & tot animarum millia quotidie ab eo absorbeantur, an tua sola eò non perueniet, si in peccatis perseueraueris? Sed & ne dixeris Deum olim seuerum & rigidum fuisse, nunc autem mitem & placabilem: considera quòd etiam cum hac mansuetudine & clementia patitur omne id quod audisti, ne tu exemptus eris aut immunis ab his, sed & tuum te manet supplicium, etiamsi Christianus voceris, modo peccator inueniaris. An ideo Deus gloriam suam amittet, si te condemnauerit? Habes tu amabo singulare quid in te, cuius causa te Deus præ cæteris ferre debet, cum omnibus moribus tuis bonis & peruersis? aut habes aliquam immunitatem, quam non habent alij, ob quam te cum alijs perdere non debeat, si non minus malus sis quàm illi sunt? Considera quæso filios Dauidis, illis ob singularia patris merita multa erant promissa priuilegia, sed nec propterea Deus voluit eos impunè ferre sua scelera: quare & multi eorum infelicem sortiti sunt exitum. Vbi ergo vana tua fiducia? quid frustra speras illis pereuntibus te, si scelerum ipsorum particeps sis, non periturum? Erras frater, erras, si illud esse in Deo sperare existimaueris. Non est hæc spes, sed præsumptio. Spes enim est confidere, quòd Deus pœnitenti tibi, & à malo te conuertenti, quantumuis etiam malus sis & sceleratus, omnia peccata tua condonabit, teque in gratiam recipiet: Præsumptio verò magna est credere te in peccatis etiam tuis perseuerantem salutem & beatum futurum. Ne existimes illud exile peccatum esse; numeratur enim inter illa, quæ in Spiritum sanctum committuntur: nam qui hoc modo præsumit, maculam ignominiæ & iniuriam non leuem infert diuinæ bonitati, quę specialiter Spiritui sancto tribuitur. Huiusmodi autem peccata, teste Saluatore, nec in hoc seculo, nec in futuro remittuntur, insinuans illa summa cum difficultate remitti, quantum enim in se occludunt portam gratiæ, & offendunt medicum, qui vitam dare posset, & vulneri medelam adhibere. *Quid sit sperare in Deo.* Matth 12, 31.

Conclusio eorum omnium, quæ hoc capite dicta sunt.

COncludamus tandem materiam hanc insigni illa Ecclesiastici sententia: *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum. Et ne dicas. Miseratio Domini magna est multitudinis peccatorum meorum miserebitur: Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Dic mihi quæso, si etiam de peccato propitiato timere debeamus, quomodo Eccl. 5, 5.

fieri poteſt, vt tu ſecurus ſis, quotidiè peccata peccatis adijciendo? Diligenter autem aduerte quod dicit: *In peccatores reſpicit ira illius.* ab illa enim ſententia tota dependet materia. Sciendum enim eſt, quod etſi diuina miſericordia ſeſe ad iuſtos extendat, & iniuſtos ſeu peccatores, hos vocans, & ad pœnitentiam expectans, illos conſertuans: nihilominus ſummæ gratiæ & inſignia iſta beneficia, quę Deus in ſcripturis hominibus pollicetur, ſpecialiter ad iuſtos pertinent, qui quemadmodum legem Domini fideliter obſeruant, ita fideliter à Deo obſeruantur: ſtat promiſsis, & verus illis pater eſt, vti illi morigeri ſunt illius filij. E contrario quicquid de minis, maledictionibus & rigore diuinæ iuſtitiæ habent ſacri Bibliorum libri, id totum propriè ad te tuique ſimiles pertinet. Quæ itaque tua illa cæcitas, quæ inſenſibilitas, quòd non metuis tantas tibi intentatas comminationes & te conſolaris promiſsionibus tibi non factis? O miſerum te, ea quę de te loquuntur reſpice, & iuſtis ſua tribue. Ad te pertinet ira, time: amor ad iuſtos: exultent illi & ſecuri ſint. Vis probem id ita eſſe? audi quid dicat Dauid: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Simile quid & in Eſdra inuenitur: *Manus Dei noſtri,* ait Eſdras, hoc eſt, diuina prouidentia, *eſt ſuper omnes, qui quærunt eum in bonitate: & imperium eius, & fortitudo eius, & furor ſuper omnes, qui derelinquunt eum.* Quòd cum ita ſit, quid ô miſer perſeueras in peccato? quid temetipſum fallis? quid ſtupes? quid vacillas? Hęc Scripturæ teſtimonia non ſunt pro te, quamdiu manes in ſtatu damnationis, non loquitur tibi amoris & beneuolentiæ diuinæ dulcedo. Hæc eſt portio Iacob, non pertinet hæc ad Eſau, hæc eſt ſors bonorum; tu qui malus es, quid hîc iuris habes? deſine malus eſſe, & erit ea tua; derelinque vitam impiam, & blandietur tibi beneuolentia Dei, & paterna illius prouidentia. Quod niſi feceris, tyrannus es, & alterius iura tibi vſurpas. *Spera in Domino,* inquit Dauid, *& fac bonitatem,* & in alio loco: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Hic optimus ſperandi modus eſt: noli amplius abuti miſericordia Dei in peccatis perſeuerando, & in cælum te venturum ſperando. Optima ſpes eſt, ſi peccata fugias, & Deum inuoces: ſin autem in peccatis tuis perſeueres, non eſt illud ſperare, ſed præſumere; non eſt hoc ſperare miſericordiam, ſed eſt rem indignam illa facere, atque illam offendere. Quemadmodum enim Eccleſia nihil prodeſt illis, qui exeunt ab illa, vt malefaciant: ſic etiam æquum eſt, vt miſericordia Dei non profit his, qui in peccatis perſeuerant. Illud ante omnia diuini verbi diſpenſatores conſiderare deberent, qui ſæpe non animaduertentes apud quos conciones habent, malis præbent occaſionem in peccatis perſeuerandi. Reſpicere deberent, quòd ſicut corpus infirmum ſeu ægrotum, quo plus comedit, hoc maius accipit detrimentum; ita etiam anima in peccatis obdurata, quò plus illo genere fiduciæ lactatur, eò ampliùs induratur, & mouetur ad perſeuerandum in peccatis. Coronidis loco ingnis ſit illa D. Auguſtini ſententia: Sperando & deſperando pereunt homines. Sperando malè in vita, deſperando peius in morte. Deſine itaque mi frater, & derelinque ſpem illam præſumptuoſam: recordare quia Dominus vt miſericors, ita quoque iuſtus eſt. Quemadmodum itaque ad miſericordiam reſpicis, vt ſperes; ita quoque ad iuſtitiam reſpice, vt metuas. Nam, quemadmodum Beatus Bernardus dicit, Deus duos pedes habet, miſericordiam & iudicium: & neutrum ſolum apprehendere debemus: iuſtitia ſiquidem ſine miſericordia, non ita facit timere, quàm miſericordia ſine iuſtitia facit homines in mala vita perſeuerare.

Eccleſ. 5, 10.

Promiſſiones Dei ad iuſtos pertinẽt, minæ ad iniuſtos.

Pſalm 33, 16.

1. Eſdr. 8, 22.

Pſalm 36, 3.

Pſalm 4, 6.

Aug homil. 11. inter 50 & ſerm. 47 & 49. de Verbis Domini ſecũdum Io.

Bern. ſerm. 56. inter parios, & ſerm. 6. in Cant.

CONTRA ILLOS, QVI SESE EXcuſant dicentes, viam Virtutis aſperam eſſe & difficilem.

CAPVT XXVIII.

ALiam quoque huius ſeculi homines ſolent adferre excuſationem ne ſine cauſa virtutem nolle ſectari videantur, dicentes, illam aſperam eſſe & difficilem: licet non ignorent hanc difficultatem non naſci ex ipſa virtute, (eſt enim ea rationis amica, & optimè rationali creaturæ conſentanea) ſed ex mala carnis, & appetitus noſtri inclinatione: quæ ſuam ex peccato trahit originem. Hinc eſt quod Apoſtolus dicit; carnem concupiſcere contra ſpiritum, & ſpiritum contra carnem, & hæc duo inter ſeiè pugnare. Et alio loco dicit: *Condelector legi Dei ſecundum hominem interiorem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Quibus verbis Apoſtolus ſignificat, legem Dei, & Virtutem optimè conuenire cum parte animæ noſtræ ſuperiori, quæ tota ſpiritualis eſt, in qua intellectus eſt & voluntas: ſed cuſtodiam illius per legem membrorum impediri: contingit autem illud ex mala inclinatione & corruptione appetitûs noſtri, omniumque illius paſsionum, quæ aduerſantur ſuperiori animæ portioni, cùm illa Deo aduerſetur: quod diſsidium cauſa eſt omnis huius difficultatis. *Virtutis amica.* Galat. 5, 17. Rom. 7, 22.

Hanc ob cauſam multi à virtutibus abhorrent, licet eas alioquin magni faciant, vti & ægroti faciunt, qui etſi ſanitatem appetant, à medicinis tamen abhorrent, eo quòd amaras & mali ſaporis eſſe arbitrantur. Quare ſi hominibus hunc errorem & opinionem eximamus, rem non pœnitendam facturos nos exiſtimo: ea namque ſola eſt, quæ ſeparat illos à virtute: præter hanc enim difficultatem nihil eſt in virtute, quod non ſummopere appetendum eſt.

Quomodo gratia nobis per Chriſtum data, virtutis viam reddat facilem.

SCiendum hoc loco ante omnia eſt, primariam huius erroris cauſam eſſe, quòd homines exiguam hanc difficultatem, quæ in virtute reperitur, tantùm intuentur, & ad diuina ſubſidia, quæ ſubmittit Deus, ad illam ſuperandam, oculos non attollant. Quale genus erroris erat illud Giezi diſcipuli quondam Heliſei; qui videns Syrorum exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus domum Prophetæ cinxiſſe, non videbat exercitum Domini ad defenſionem illius præparatum, donec per orationem Prophetæ Dei oculi eius aperti ſunt; & vidit multò plures eſſe defenſores, quàm hoſtes. Similis error eorum eſt, de quibus nunc agimus. Cùm enim difficultatem Virtutis in ſe experiantur, gratias & adiutoria Dei ad virtutum conſecutionem data non experti, viam Virtutis putant eſſe difficillimam, & pedem retrahunt, virtutemque fugiunt. 4. Reg. 6.

Dic mihi, ſi virtutis via tam ſit difficilis, cur Propheta dicit: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.* Et in alio loco: *Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa: Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: dulciora ſuper mel & fauum.* Ita vt Propheta non tantùm concedat illud, quod nos omnes Virtuti tribuimus, admirandam ſcilicet excellentiam & dignitatem, ſed & illud, quod mundus negat, dulcedinem ſcilicet & ſuauitatem. Hanc ob cauſam non immeritò tibi poteris perſuadere illos, qui onus hoc ſic exaggerant, & tam graue ſibi fingunt, (etſi Chriſtiani ſint & in lege gratiæ viuant) nondũ myſterium hoc delibâſſe. O miſerũ te, tu qui dicis, quia Chriſtianus es, dic mihi cur Chriſtus in Pſal. 118, 14. Pſalm. 18, 10.

mun-

mundum venit? cur sanguinem fudit? cur instituit Sacramenta? cur Spiritum sanctum demisit? quid sibi vult vox Euangelij? quid vocabulum gratiæ? quid vult illud celeberrimum nomen Iesu? Si id ignores, Matth 1,21. ab Euangelista pete, & dicet tibi: *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quid aliud sibi vult nomen Saluatoris & liberatoris; quid salutare & liberare à peccatis aliud est, quam indulgentiam pro nobis impetrare præteritorum peccatorum, & gratiam obtinere ad fugienda futura? Quam aliam ob causam Saluator in mundum venit, nisi vt adiuuaret te, & salutem tuam promoueret? cur in cruce mori voluit, nisi vt peccatum interficeret? cur à mortuis resurgere, nisi vt te resuscitaret, & in nouitate vitæ faceret ambulare? cur sanguinem suum fudit, nisi vt medicamentum, seu emplastrum conficeret, ad vulnera tua reficienda & sananda? Quam ob causam aliam Sacramenta Ecclesiæ instituit, nisi ad remedium tuorum peccatorum? Quis alius est fructus amarissimæ illius passionis, & in hunc mundum aduentus, nisi vt viam cæli prius horridam spinis, & asperam complanaret, & permeabilem redderet? Hoc est illud quod Esaias prædixerat Isa 40,4. fore, vt in diebus Messiæ *omnis vallis exaltaretur, & omnis mons & collis humiliaretur, essentque praua omnia in directa, & aspera in vias planas.* Cur denique præter hæc omnia Spiritum sanctum cælitus demisit, nisi vt caro tua in spiritum conuerteretur? & cur in specie ignis illum misit, nisi vt te, sicut ignis inflammaret, illuminaret, te in seipsum transformaret, & sursum eleuaret; vnde ille prius descenderat? Ad quid conducit gratia cum virtutibus infusis, quæ ex illa generantur, nisi vt alleuient, atque tolerabile faciant iugum Domini? vt facilem reddant virtutem? vt exultent homines in tribulationibus? vt sperent in periculis, & vincant in tentationibus? Hoc initium, hoc medium, hic finis Euangelij. Necesse quoque est non ignorare; quemadmodum vnus homo terrenus & peccator Adam omnes homines terrenos fecit & peccatores; ita hominem alium cælestem & iustum, Christum nimirum, fecisse omnes homines cœlestes & iustos. Quid aliud Euangelistæ scriptitârunt? quę alię sunt promissiones à Prophetis ad nos transmissæ? quid aliud prædicârunt Apostoli? Hæc summa est totius Theologiæ Christianæ, hoc est verbum abbreuiatum, quod fecit Dominus super terram. Hæc est con- Esa. 10. summatio & abbreuiatio, quam Esaias dicit se audiuisse à Domino, quam in mundo tantæ virtutum & iustitiæ diuitiæ subsecutæ sunt.

Vnde oriatur difficultas in virtutibus.

Sed quæ diximus, paulò dilucidiùs explicemus. Quæro à te, vnde putas oritur hæc difficultas, quæ in virtutibus reperitur? Dices mihi, ex praua cordis inclinatione, & ex carne nostra in peccatis concepta? Caro enim contradicit spiritui, & spiritus carni aduersatur, tanquam duo inter se contraria. Fingamus Deum te vocare & dicere; Adesdum homo: auferam à te cor illud quod habes, & nouum dabo tibi, addam quoque vires, quibus poteris appetitus, & mala desideria tua reprimere. Si Deus hoc tibi promittat, videbitúrne adhuc tibi via virtutis difficilis? Certum est quòd non. Quæso quid aliud est, quod Deus toties tibi repromisit? toties in Scripturis sacris affirmauit? Audi quid per Propheram Ezechielem quondam dixerit Dominus, loquens potissimùm illis, qui in Ezech.11,19. lege gratiæ viuunt: *Et dabo*, ait, *eis cor nouum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum: vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantque ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.* Hucusque Propheta. Quid itaque dubitas ô homo? an non satisfaciet tibi Deus, & promissionem suam adimplebit? vel si fidem suam liberauerit Deus, an non cum illo adiutorio poteris legem Dei obseruare? Si primum negaueris, facies Deum promissorem temerarium & falsum, estque ea blasphemia omnium maxima: sin autem dixeris te necdum illo auxilio legem posse implere, facis Deum prouisorem impotentem, dum vult hominem iuuare, & non potest, dando illi remedium non sufficiens, quod similiter falsum est. Quæ ergo reliqua est dubitatio? Cur non haberet virtus vim ad mortificandas malas istas inclinationes, quæ tecum pugnant, faciuntque virtutis viâ vt difficilis videatur? Hic vnus est ex primarijs effectibus arboris vitæ, quam Dominus suo sanguine sanctificauit. Confirmat hoc Apostolus, cùm dicit: *Vetus homo noster crucifixus est cum Christo, vt* Rom. 6,6. *destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato.* Apostolus hoc loco per hominem veterem & corpus peccati intelligit appetitum nostrum sensitiuum, cum omnibus suis inclinationibus malis, quæ ex illo oriuntur. Hunc dicit crucifixum vnà cum Christo in cruce; per nobilissimum enim hoc sacrificium obtinuimus gratiam & robur ad tyrannum illum debellandum, ita vt immunes simus a malis eius moribus & peccati seruitute, vt superiùs demonstrauimus. Hæc est magna illa victoria, ingensque beneficium, quod Dominus promittit per Esaiam dicens: *Ne ti-* Esa 41,13. *meas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus. confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes qui pugnant aduersum te; erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos: erunt quasi non sint, & velut consumptio hominis bellantis aduersum te. Quia ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, dicensque tibi, Ne timeas, ego adiuui te.* Hæc Esaias. Dic mihi, quis deficiet tale habens adiutorium? Quis animum desponderet, quis extimesceret, aut malas suas passiones reformidaret, cùm eas gratia sic vincat.

Respondetur ad obiectiones nonnullas.

SI mihi dixeris, semper manent aliquæ reliquiæ in homine, quæ accusant, vt in libro Iob habe- Iob.6. tur, & testimonium ferunt contra iustum. Ad hoc respondet idem Propheta dicens: *Erunt, quasi non* Esa 41,11. *sint.* Nam etsi maneant, manent tantùm ad exercitium nostrum, non ad ruinam: manent vt excitent nos, non vt laqueum peccatorum tendant: manent vt nobis occasionem coronæ tribuant, non vt labi nos faciant: manent ad triumphum, non vt nobis dominentur: manent denique sic vt conducant nobis ad probationem, humilitatemque hominis ad cognitionem suijpsius & fragilitatis suæ: ad gloriam Dei & gratiæ illius: ita vt illud manere in nostram redundet vtilitatem. Vnde quemadmodum feræ (quo ad naturam illarum) noxiæ sunt hominibus, & tamen cùm domantur, ijs seruiunt: ita cùm animi nostri perturbationes moderantur, & reguntur, iuuant nos in multis virtutum exercitijs. Age dic mihi: Si Deus te hoc modo corroboret & defendat, quis poterit tibi in terris obesse? si Deus pro te, quis contra te? *Domi-* Rom.8. *nus illuminatio mea*, inquit Propheta, *& salus mea* Psalm. 26,1 *quem timebo? Dominus protector vitæ meæ a quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Verè, mi frater, si ista promissione non moueare ad seruiendum Domino, valde segnis es & vilis, ne dicam sordidus & abiectus; & si verba illa fidem in te non pariant, verè admodum infidelis es. Deus est qui dicit tibi, se nouam tibi essen- Ezech.11. tiam daturum, cor tuum ex lapideo carneum facturum, & passiones tuas mortificaturum; ita conditio-

Reliquiæ & motus appetitus ad ea in nobis relinquuntur.

nem tuam se mutaturum, vt temetipsum non sis agniturus; cùm quæras tuas passiones, eas non sis inuenturus, adeò debiles & infirmas eas se facturum. Quid vltrà posset polliceri, quid ampliùs sperare, quid expectare posses? quid deest tibi, nisi viua Fides & Spes viua, vt Deo confidas, & potenti illius brachio te subijcias?

Alia obiectio cum responsione.

Existimo sanè nihil te ad hæc posse respondere, nisi fortè peccata tua esse multa & magna, atque ob id gratiam illam tibi negatum iri. Ad hoc respondeo, non posse te maiorem iniuriam Deo inferre, quàm hoc dicere, cùm ijs verbis significes esse aliquid ob quod Deus creaturæ suæ, aut non vult, aut non potest opitulari, si conuertatur ad illum, & remedium ab eo petat. Nolo mihi fidem adhibeas, crede sancto illi Prophetæ, qui tunc memor fuisse videtur, & tibi obuiam venire voluisse, quando hæc scripsit, dicens:

Deut. 30, 1. *Cùm ergo venerint super te omnes, sermones isti, benedictio sine maledictio, quam proposui in conspectu tuo, & ductus pœnitudine cordis tui in vniuersis gentibus, in quas dispersérit te Dominus Deus tuus, & reuersus fueris ad eum & obedieris eius imperijs, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filijs tuis in toto corde tuo, & in tota anima tua: reducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua, & miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te antè dispersit, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, & obtinebis eam.* Et

Ibid. v. 6. paulò pòst: *Circuncidet Dominus Deus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.* O si Dominus nunc etiam oculos tuos circumcideret, atque te ex istis tenebris eriperet, vt perspicuè videre posses

Spiritualis circuncisio. hunc circuncidendi modum. Noli esse tam rudis, vt existimes istam circuncisionem esse corporalem: talis enim circuncisionis cor nostrum capax non est. Quæ igitur est ea circuncisio, quam Dominus hîc pollicetur? est profectò superfluitas nostrarum passionum, malorumque appetituum, quæ ex corde nascitur, & magnum adfert in amore diuino impedimentum. Promittit igitur se circuncisurum, & amputaturum omnes ramos steriles & noxios cultro suę gratiæ: vt cor nostrum sic amputatum & circuncisum, omnes vires suas ramo diuini amoris impendat. Tunc eris verus Israëlita, tunc eris à Domino circuncisus, quando ab animo tuo abstulerit, & amputauerit amorem mundi & nihil in eo manserit præter solum amorem Dei.

Volo te diligenter etiam notare, quod Deus hoc loco se facturum promittit, illud alio loco tibi mandare, vt cùm conuersus fueris ad illum, hoc ipse facias, dicens: *Circuncidite præputia cordis vestri, &c.* Et

Hier. 4. Deut 10, 16. quomodo Domine? quod tu te facturum polliceris, id mihi nunc, vt faciam, imperas? si ego id facere debeam, quomodo tu te præstiturum promittis? Ea

Aug. lib. 6. Confess. ca. 31. & 37. quæstio soluitur verbis Augustini, qui dicit: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Ita vt ille sit, qui mihi iubet quid facere debeam, & idem ille sit, qui mihi gratiam dat illud faciendi. In vna eademque ergo re inueniuntur mãdatum, & promissio; & vnum idemque facit Deus & homo: ipse tanquam causa primaria, homo verò tanquam minùs principalis. Ita vt

Simile. Deus cum homine in hoc opere sese habeat tanquam pictor, qui penicillum regeret in manu sui discipuli, atque ita efficeret perfectam imaginem: Duo quidem hoc opus perficiunt, non autem idem est vtriusque honor & efficacia. Sic & Deus, salua semper arbitrij libertate, in hoc opere nobiscum agit: opere namque absoluto, non habet homo in quo glorietur,

Esa. 26, 12. gloriari autem debet cum Propheta, & dicere: *Domine, tu omnia opera in nobis operatus es.*

Memor igitur esto horum verborum; poteris enim per illa omnia Dei mandata interpretari. Omne enim quod mandat tibi vt facias, idem etiam promittit se tecum facturum. Cùm itaque præcipit tibi, vt circuncidas cor tuum, dicit etiam se id circuncisurum? sic quando iubet, vt diligas eum super omnia, ipse confert gratiam, vt sic eum queas diligere. Hinc est vt iugum Domini suaue esse dicatur. Duo enim sunt qui trahunt illud, Deus scilicet & homo: & sic quod naturæ videbatur & erat difficile, diuina gratia leue facit atque suaue. Quapropter & Propheta post prædicta verba vlterius pergit: *Mandatum hoc*, inquit, Deut. 30, 11. *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in cælo situm, vt possis dicere. Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere impleamus? Neque trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre: vt possimus audire, & facere quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde, & in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum.* In quibus verbis sanctus Propheta voluit omnino auferre difficultatem, quam homines carnales fingunt in præceptis Domini: respicientes enim ad legem Domini sine Euangelio hoc est, ad ea quæ præcipiuntur, & non ad gratiam, quæ datur vt præcepta queant à nobis impleri; causantur legis difficultatem, eam grauem & difficilem dicentes, non considerantes se expresè contradicere D. Ioanni, qui dicit: *Hæc est* 1. Ioan. 5, 3. *enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt: omne enim quod natum est ex Deo, vincit mundum:* hoc est, omnes illi, qui Spiritum Dei in animabus suis conceperunt, quo mediante regenerati sunt & filij facti eius, cuius spiritum acceperunt, ij omnes habent Deum in se, qui habitat in ipsis per gratiam: possuntque plùs quam omne id quod Deus non est, atque ita nec mundus, nec Diabolus, nec omnis potestas Inferni potest talibus nocere. Atque hinc sequitur, quòd licet iugum mandatorum Dei graue sit & onerosum, noua tamen fortitudo, quæ per gratiam datur, facit illud leue & tolerabile.

Lex Dei non est impossibilis.

Quomodo Charitas quoque leuem & suauem reddat viam, quæ ducit ad cælum.

QVid tibi videbitur, si omnibus supradictis adiungatur auxilium, quod ex Charitate in nos deriuatur? Certum enim est ex principalioribus Charitatis conditionibus vnam esse, iugum legis diuinæ facere suauissimum. quare, vt B. Augustinus dicit: nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed

Aug. lib. de sancta Virginit. cap. 21. ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Et alio loco: Qui amat, ait, non laborat: Omnis enim labor non amantibus contrarius est. Solus amor est, qui nomen difficultatis erubescit. Quid est quod facit, vt mater non sentiat continuos labores & molestias, quas habet in educandis prolibus, nisi solus amor? Quid est quod facit honestam & bonam coniugem marito suo infirmo noctes atque dies famulari, nisi solus amor? Quid mouet etiam bestias, vt tam solicitæ sint in catulis & pullis suis educandis, etiam cibum ori proprio subtrahendo, vt pulli habeant quod edant; affligendo se, vt illi tuto viuant, & defendendo illos tanto zelo, nisi verus amor? Quæ causa est cur D. Paulus tam magnanimo spiritu

Lib. 13 Confess. dixerit: *Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum,* Rom. 8, 35. *an persecutio, an gladius? sicut scriptum est, propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis, sed in his omnibus superamus propter eũ, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neq; profundũ, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Quæ causa,

cur bea-

cùr beatissimus pater noster S. Dominicus martyriũ tanto appetierit ardore, quanto desiderat cervus ad fontes aquarum, nisi verus amor? Quæ causa, vt B. Laurentius in craticula iacens extensus, in medijs ardoribus lætus dixerit flammas istas membra sua refrigerare, nisi summa cupiditas, qua martyrium appetebat, quæ succensa erat flammis huius amoris? Nihil enim durum, nihil amarum, nihil graue, nihil lethale computat verus amor, inquit Petrus Rauẽnas. Quod ferrum, quę vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem prævalent superare perfectum? Amor est impenetrabilis lorica, respuit iacula, gladium excutit, periculis insultat, mortem irridet, si amor est, vincit omnia. Ama ergo ô homo Deum, ama totus, vt possis omnia sine labore vincere & delere peccata. Teneræ militiæ & delicati conflictus est amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam. Hęc ille. Non est autem verus amor contentus, si omnes labores & molestias superet, sed & plura etiam amore illius, quem amat, ferre desiderat. Hinc tam ardens martyrij cupitas oritur, quam habent homines perfecti, hoc est, effundere sanguinem pro eo, qui prius suum fudit pro ipsis: Cumque non possunt ad illud peruenire, quod desiderant, in seipsos desæuiunt, suijpsorum carnifices facti, excarnificant enim corpus suum fame, siti, frigore, æstu, & multis alijs afflictionibus: & talibus operibus desiderio suo aliquo modo satisfaciũt. Nõ ntelligunt hoc idem idioma mũdi amatores, nec imaginari possunt quomodo tam ardenter amari possit illud, à quo ipsi adeò abhorrent; & econtrariò tantopere abhorreri ab illo, quòd ipsi tam tenerè diligunt, & tamen rei veritas hæc est. Legimus in Scripturis Ægyptios habuisse pro Dijs animalia bruta, eaque adorasse. Israëlitæ verò appellabant abominationem, id quod illi Deum vocabant, & occidebant, immolabantque vero Deo suo eadem animalia, quæ Ægyptij vt Deos adorabant. Eodem modo & iusti vocant abominationem, instar Israelitarum, Deos huius mũdi, vt sunt honores, voluptates, diuitiæ, quę tamen mundus adorat, & occidentes illos falsos Deos tanquam abominationes ad veri Dei sui gloriam immolant. Sic qui vult Deo offerre sacrificium gratum, respiciat ad id quod mundus adorat, & illud offetat, & amplectatur illud quod mundus abominatur. Nónne hoc fecisse tibi videntur illi, qui postquam receperant primitias Spiritus Sancti, *gaudentes ibant à conspectu concilij, eo quòd digni habiti fuerant iniuriam pati pro nomine Iesu?*

Petrus Rauennas super illud, *Diliges Dominum Deum, &c.*

Quæ mundo immunda, hæc munda Exod. 8.

Actor. 5, 41.

Quid dicis adhęc? id quod potest dulcia reddere vincula, flagella, flammas & alia tormenta, non poterit dulcem facere custodiam mandatorum Dei? Et quod quotidie satis est, vt iusti non solùm portent iugum legis, sed superaddant appendices, opera scilicet quę à Theologis supererogationes appellantur, vt sunt vigiliæ, disciplinæ, cilicia, voluntaria paupertas; non poterit facere; vt tu portes simplex onus legis Dei, & matris Ecclesię? Erras, mi frater, erras, ignoras naturam virtutis, vimque charitatis & gratiæ diuinę.

De alijs rebus, quæ faciunt facilem & suauem viam salutis.

QVæ hactenus à nobis dicta sunt, sufficiunt ad tollendum commune illud impedimentum, quod multi allegant. Sed ponamus casum nihil illorum esse, & propterea viam hanc arduam esse, & difficilem. quæso, dic mihi, cur molestum tibi esset facere aliquid pro anima tua, quod pro corpore facere non recusas? an magnum erit aliqualem perferre molestiam, vt æternos cruciatus effugias? Quæ putas non libens faceret diues ille auarus in Inferno sepultus, si daretur illi licentia ad seculum reuertendi, vt emendaret suos errores? Non est æquum, vt tu minus facias nunc, quàm ille faceret, cùm, si tu in malitia tua perseueres, eadem te manent tormenta, ac proinde idem desiderium habere debebas.

Præterea si diligenter tecum perpenderes multa & magna, quæ pro te fecit Deus, & maiora quæ promisit, plurima tua peccata, quibus illum offendisti, magna quoque tormenta, quæ passi sunt Sancti; maximè verò quæ Sanctus Sanctorum ipse pertulit, sine dubio puderet te nolle pati tantillum amore Dei? imò aliquid nolle fugere, quod te delectat. Propterea dicit Bernardus, passiones huius temporis non esse condignas ad præteritam culpam, quæ remittitur, non ad præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur, non ad futuram gloriam, quæ nobis promittitur. Singulæ istarum considerationum nos meritò permouere deberent ad viam hanc, quantumuis etiam esset laboriosa, ingrediendam. Sed, vt verum fateamur, etsi vita nostra ab omni parte, & in singulis passibus molestia sit & plena tribulationibus, sine comparatione tamen maior est molestia, quæ in vita malorum inuenitur, quàm quæ in vita bonorum. Nam etsi ire vel ambulare in via laboriosum sit, quocunque modo ambules, (tandem enim defatigaris) tamen multo maior est molestia eius qui cæcus ambulat, & sæpius in lapides impingit, quàm illius qui graditur oculis apertis, & videt vbi & quomodo incedit. Cùm itaque vita nostra via sit, non potest fieri, quin vel homo defatigetur, donec ad locum quietis peruenerit. Peccator verò qui non vtitur lumine rationis, sed passionibus, & animę suæ perturbationibus regitur, certũ est quòd cæcus ambulat: nõ enim quid cæcius in mundo reperitur animę perturbationibus. Boni verò qui à ratione reguntur, cùm præcipitia occurrunt, ea deuitant, & sic cum minori labore, & maiori ambulant securitate. Intellexit hoc olim magnus ille Sapiens, & propterea dicebat: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem: Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.* Nec tantũ obscura est semita malorum, vt Salomon hic dicit, sed & difficilis, lubrica, & plena foueis, vt dicit Dauid: vt ex eo discas, quoties labitur, qui viam illã ingreditur. Præterea in exigua illa molestia, quæ bonis occurrit, mille dantur subsidiorum genera, quæ alleuant, & minuunt istam molestiam. Principaliter enim adiumat præsentia & paterna Dei prouidentia, quæ regit illos; & gratia Spiritus sancti, quæ animos addit; & Sacramenta quæ sanctificant, & consolationes diuinæ quæ exhilarant, & exempla bonorum quæ confortant, & sacræ Scripturæ quę docent, & gaudium bonæ conscientiæ quod illos consolatur, denique & spes gloriæ quæ immobiles eos reddit, & constantes, cum mille alijs gratijs & beneficijs Dei, quæ ambulantibus hanc viam tam facilem & iucundam reddunt; vt dicant cum Propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Sit quisquis velit, qui considerat diligenter, inueniet plurimas de hac re Scripturæ auctoritates; quarum tamen quædam hanc viam faciunt asperam, leuem aliæ. Idem enim Propheta alio loco dicit; *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras* & alibi: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.* Habet enim via hæc duo, difficultatem, & suauitatem: vnam ratione naturæ, alteram ratione gratiæ atque ita quæ difficilis est ratione vnius, alterius ratione dulcescit & suauis efficitur. Tam vnum quàm aliud ostendit Dominus cum dicit, iugum suum esse suaue, & onus leue: Cùm enim dicit iugũ significat grauitatem, quæ in via Domini est: cùm verò dicit suaue, insinuat facilitatem, quæ est ex parte gratiæ, quæ datur. Quòd si me rogaueris, quomodo & iugũ esse possit, & suaue, cùm natura iugi sit esse graue? Ad hoc respondetur, rationem illius esse hanc; quia Dominus illud alleuat, vti per Prophetã pollicetur; *Et ero eis quasi exaltãs iugũ super maxillas eorum.* Quid itaque mirum, si iugum leue sit,

Bern. lin ser. paruisc. 30. & lib. de modo bene viuendi ad sororem c. 67.

Simile.

Difficilis via malorum.

Prou 4, 18

Psal. 118, 103.

Psalm. 16, 4.

Psal. 118, 14.

Matt. 11, 30.

Osee 11, 4

quod Dominus sustinet, eleuat, & quasi ipse portat? Si rubus arserit, & non consumebatur, eo quòd Dominus esset in eo; quid mirum, quòd & onus sit, & leue; si in eo sicidem Dominus, qui adiuuat nos illud portare? Vis ostendam tibi tam vnum, quàm alterum in vna eademque persona? audi quid dicat B. Apostolus; *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur, sed non confundimur, deijcimur, sed non perimus.* Ecce hîc ab vna parte labor est & angustia, & ab altera solamen & suauitas, quæ tribuit Dominus in illis. Sanè & Propheta Esaias idem insinuat, cùm dicit; *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assumẽt pennas sicut aquilæ; current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Viden hîc iugum per gratiam leue factum. Viden fortitudinem carnis mutatam in fortitudinem spiritus: aut vt melius dicam, fortitudinem hominis, in fortitudinem Dei? Viden quomodo sanctus Propheta non tacet aut molestiam aut quietem? Non habes itaque, mi frater, causam, ob quam ab hac via abhorreas, quantumlibet aspera sit & difficilis, cùm tot & tanta sunt, quę planam illam faciunt & facilem.

Exod 3.

2 Cor. 4, 8.

Esa. 40 31.

Probatur exemplis omnia prædicta vera esse.

CEterum si omnia, quę hactenus à nobis dicta sunt, tuum nequeunt expugnare obduratum animum, & incredulitas tua sit instar illius B. Thomæ, qui credere nolebat, nisi prius videret, atque tangeret: etiam hanc prouinciam suscipiam, vt tibi vel tandem satisfiat. Quo enim tam honestam, vtilem, & iustam causam defendam, nullas grauabor adire molestias. Accipiamus itaque hominem, qui vtrumque expertus est: hoc est: qui aliquamdiu mundo seruiuit, carnaliter vixit peccatis subditus; postea verò per misericordiã Dei mutatus est, & alius à priore factus. Talis erit nobis optimus in hac causa Iudex: Ipse enim non ex auditu, sed ex visu iudicabit, cũ per experientiam vtrumque didicerit. Hunc interroga, vtrum eorum videatur illi dulcius, atque suauius? De pluribus huiusmodi optimum nõrunt dare testimonium hi, qui in ecclesijs constituti sunt, vt aliorũ examinent conscientias. hi enim sunt *qui descendunt in mare nauibus*, & vident opera Dei *in aquis multis*: quę sunt opera gratię diuinę, & mutationes maximę, quæ mediante illa quotidie fiunt in hominibus: quæ profectò summa dignæ sunt admiratione. Reuera enim in mundo nihil inuenitur maiori dignum stupore, quoque quotidie renouetur magis (si quis bene cõsideret) quàm videre illa, quæ diuina gratia in animis iustorum operatur, quomodo hominem trãsformat, eleuat, confortat, consolatur, foris atque intus exornat, quomodo mores veteris hominis mutat; quomodo omnes eius affectus alterat, quomodo facit hominem odisse, quod prius amabat, & amare quod oderat: suauitatem facit inuenire in eo, quod prius despiebat, quas vires largitur, vt constans perseueret; quale gaudium, quod lumen, quam pacem ad cognoscendam voluntatem Dei, vanitatem mundi, & dignitatem rerum spiritualium, quas prius aspernabatur. Illud autem maximè admirandum est, quòd videmus hæc omnia fieri exiguo admodum temporis spatio: ita vt necesse non sit per multos annos frequẽtare scholas Philosophorum, & expectare canos capillos, vt ætas adiuuet intellectum, & mortificet passiones, sed in medio feruore iuuentutis, & in paucorũ dierum spatio adeò mutatur homo, vt alius factus esse videatur. Quare B. Cyprianus dicit hanc mutationem priùs sentiri, quam addisci: neque studio multorum annorum acquiri, sed per gratiam, quæ illam breuissimo dat tempore, obtineri. Quam gratiam meritò possumus appellare fascinum spiritale, quo Deus modo quodam admirabili cor hominis ita immutat, vt ardentissimo quodam amore diligat id à quo prius summo odio abhorrebat, exercitium dico Virtutis, & plusquàm vatiniano odio execretur illud quòd prius amabat tenerrimè, vitiorum scilicet voluptatem.

Ioan. 20.

Psal. 106, 23

Magna mutatio dextera Excelsi.

Discipuli Christi subitò sunt docti

Cyprianus.

Hoc vnum ex præcipuis præmijs est eorum, quæ percipiunt ex confessionibus audiendis hi, qui isti officio præficiuntur, faciuntque illud eo spiritu & deuotione, qua debent: vident enim quotidie multa in hac re mirabilia, cum quibus videtur Deus remunerare illorum labores & molestias, quos vidimus sæpe mutari cùm confitentium vitam mutatam viderunt, & maximos in pietate progressus fecerunt, his exemplis incitati. Tacentes enim, tanquam alter Iacob, audiunt verba & mysteria Ioseph, & ea diligenter considerant, suo pretio æstimantes, quod nesciunt facere pueri, qui tamen illa referunt. Sed pro maiori confirmatione, euidentiaque dictorum, commemorabo hoc loco exempla duorum illustrium Ecclesiæ Doctorum, qui vno eodemque tempore in hoc errore penè vixerunt, sed postquam se decipi viderunt, & diuinæ misericordię placeret, conuersi sunt, erroremque & conuersionem ad ædificationem posterorum scriptis suis ad nos transmiserunt. Vnus est B. Cyprianus, qui ad amicum suum Donatum scribens, referensque initium & progressum suæ conuersionis, ait: Ergo cũ in tenebris atque in nocte cæca iacerem, cumq; in salo iactantis seculi nutabundus ac dubius vestigijs oberrantibus fluctuarem, vitæ meę nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renasci denuò posset, vtque in nouam vitam lauacro aquæ salutaris animatus; quod prius fuerat exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Quî possibilis, aiebam, tanta est conuersio, vt repentè ac perniciter exuatur, quod vel genuinũ situ materiæ naturalis obduruit, vel vsurpatu diu senio vetustatis inoleuit? alta hęc & profunda penitus radice sederũt. Quando parsimoniam discit, qui epularibus cœnis & largis dapibus assueuit? & qui pretiosa veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponit? Fascibus ille oblectatus & honoribus, priuatus & ignobilis esse non potest huic stipatus clientum cuneis, frequentiore comitatu officioli agminis honestatus, pœnam putat esse cùm solus est tenacibus semper illecebris assuetum, necesse est, vt solebat, vinolentia inuitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hęc egomet sæpe mecum: nam ipse quamplurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non credebam, sic vitijs adhærentibus obsecundans eram, desperatione meliorum malis meis veluti iam propriis ac vernaculis affluebam. Sed postquam vnde genitalis auxilio superioris æui labe deterſa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cælitus spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit; mirũ in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur: vt esset agnoscere, terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium vixisset, Dei esse cœpisse, quod iam Spiritus sanctus animaret. Scis ipse profecto & mecum pariter recognoscis quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ista criminũ, vita virtutum. Scis ipse, nec prædico: in proprias laudes odiosa iactatio est: quamuis non iactatum possit esse, sed gratum, quicquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur, vt iam non peccare, esse

Cypr. lib. 2. epist. 2.

Gen. 37.

care, esse cœperit fidei; quod ante peccatum est, fuerit erroris humani. Hucusque verba sunt Cypriani, ex quibus liquet tuus & multorum aliorum error, qui difficultatem virtutis proprijs metiuntur viribus; ideoq; iudicant difficile & impossibile illam obtinere; & nō animaduertunt, quòd currentes ad brachia diuina, & firmiter proponentes peccatum fugere, gratia Dei amplectitur: quæ viā hanc planam reddit, & facilē, vt hic patet ex cōmemorato exemplo: cū certissimum sit, hic tibi mendacia nō dici: nec tibi deerit gratia, quæ non defuit huic Sancto, si tu conuertaris ad Deum, vt ille conuersus est.

Aug. lib. 8. Confess. cap. Aliud hic narrare lubet exemplum, non minus mirabile priori. Scribit de seipso Augustinus insignis ille Doctor Ecclesiæ, quòd cùm iam proponeret in corde suo mundum relinquere, repræsentauerit se maxima difficultas in ea mutatione. Retinebant (ait) me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meę, & succutiebant vestem meā carneam, & submurmurabant: Dimittis ne nos? & à momēto isto erimus tecum vltra in æternum? & à momēto isto nō tibi licebit hoc & illud vltra in æternum? Et quæ suggerebant in eo quod dixi hoc & illud, quæ suggerebant Deus meus, auertat ab anima serui tui misericordia tua. Quas sordes suggerebant? quæ decora? Et audiebā eas iam longè minus quā dimidius, non tanquā liberè contradicentes eundo in obuiam, sed veluti à dorso mussitantes, & discedentem quasi furtim vellicātes vt respiceret: retardabant tamen me cunctantem abripere atque excutere ab eis, & transilire quò vocabar, cùm diceret mihi consuetudo violenta: Putas ne sine istis poteris? Sed iam tepidissimè hoc dicebat. Ab alia parte dicit sibi apparuisse Virtutem: Aperiebatur (inquit) ab ea parte qua intenderam faciem, & quò transire trepidabā, casta dignitas Continentię, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens vt venirē, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendū & amplectendū pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorū. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ętas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorū, de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu nō poteris quod isti & istę? An verò isti & istę in semetipsis possūt, ac nō in Domino Deo suo? Dominus Deus eorū me dedit eis. Quid in te stas & nō stas? Proijce te in eum, noli metuere, nō se subtrahet vt cadas. Proijce te securus, excipiet te & sanabit te. In media hac contentione, dicit Sanctus ille, quòd cœperit vehementer flere, Ego, inquiens, sub quadam fici arbore me straui, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorū, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu Domine vsquequo? Vsquequo Domine iraseris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu, cras & cras? Quare non modò, quare nō hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amarissima contritione cordis mei. His & alijs peractis, quæ ille commemorat, statim quasi lucis securitatis infusa cordi eius, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. Dominus sic animū eius mutauit, vt in futurū nec vitia vlla carnalia, nec quicquam in hoc mundo appeterit. Et solutus ab his catenis incipit initio libri sequētis Deo liberatori suo gratias agere, dicens: Domine ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuę. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiā laudis. Laudet te cor meū & lingua mea, & omnia ossa mea dicāt: Domine quis similis tibi? Dicant, & respōde mihi, & dic animæ meę, Salus tua ego sum. Quis igitur ego, & qualis ego? Quid non mali ego? An facta mea aut si nō facta, dicta mea aut si nō dicta vōluntas mea fuit? Tu autē Domine bonus & misericors, & dextera tua respiciēs profunditatē mortis meæ, & à fundo cordis mei exhauries abyssum corruptionis. Et hoc erat totum nolle quod volebas, & velle quod nolebas. Sed vbi erat tam annosō tempore, & de quo imo altoque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderē ceruicem meam leni iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ, Christe Iesu, adiutor meus & redemptor meus? Quàm suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarū, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas, eijciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed nō carni & sanguini: omni luce clarior, sed homini secreto interiori: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Hucusque verba sunt D. Augustini. Dic mihi nunc, si sic se res habeat, si virtus & efficacia diuinæ gratiæ tam potens sit, quid est quod te quasi captiuum detinet, quo minus idem, quod illi faciunt, & tu facias? Si hæc vera esse credas, & esse gratiam Dei efficacem, ad tam admirabilem faciendum mutationem, si ea nemini ex toto corde petenti negetur, (quia & nunc idem Deus est, qui tunc, sine personarum acceptione) quid te remoratur, quo minus exeas de hac misera seruitute, & amplectaris summum illud bonum, quod tibi gratis offertur? Cur mauis cum vno inferno lucrifacere alium, quàm cum vno Paradiso Paradisum alium? Noli esse negligens, aut sine spe. Proba semel negotium hoc, & confide in Deo; quòd cum vixdum facere inceperis, ecce veniet tibi obuiam, tanquam filio prodigo Pater expansis brachijs. Mirum profectò est, Quòd si impostor quispiam polliceretur tibi artem Chymisticam, qua posses ex ære aurum elicere, non intermitteres (licet magno tibi constaret) quin probares: & hic verbum Domini te docet ex terra cęlum, ex carne spiritum, ex homine Angelum facere, & experiri non vis? Et cùm infine, vel serius, vel citius, vel in hac vita, vel in futura tandem cognosces huius rei veritatem, precor te, vt cum attentione consideres, quomodo te deceptum deprehendes in die reddendæ rationis, cùm de damnari videbis, eo quòd viam Virtutis deserueris; propterea quòd asperam & difficilem esse tibi fingebas? cognoscesq; ibidem euidentissimè, hanc multo iucundiorem fuisse, via vitiorum & voluptatum; quæ te tantum ad terrenas ducebat illecebras, quarum tunc ne quidem vestigium vllum erit reliquum.

Cap. 12.

Lib. 9. Confess. cap. 1.

CONTRA ILLOS, QVI TIMENT *Virtutis viam ingredi, propter amorem huius mundi.*

CAPVT XXIX.

SI tangeremus arteriam eorum omnium, qui timent virtutis viam ingredi, inueniremus fortassis, nonnullos adeò segnes esse & desides, eo quòd mūdi huius amor eos infatuauit; dico eos infatuatos: amor enim ille falsa imago est, & apparentia bonorum, quæ reuera bona non sunt: quæ facit, vt omnia quæ mundana sunt, in tanto apud ignaros sint pretio. Vnde bestiæ quæ metuunt vmbras, omnia vmbrosa fugiunt, tanquam eadem sint periculosa, vel noxia, cū tamen non sint: Sic illi e contrario amant, & sequuntur res mundi huius, putātes eas esse amabiles seu delectabiles, cū nequaquam sint. Proinde quemadmodum illi, qui volunt ab hac imaginatione vmbratili bestias dissuescere, curant, vt sæpe per huiusmodi loca ducantur, quę metuunt: vt videant id quod metuebant vanam vmbram tantùm esse: Ita modò necesse est, vt ducamus per vmbras rerum mundanarum hos, qui tam inordinatè illas amant, faciamusque vt alijs

Dissimile.

vt alijs eas intueantur oculis, vt quanta vanitas est & vmbra vniuersum illud, quod tantoperè admirantur, apertè vidant: & quod quemadmodum pericula ista digna non sunt, quę metuantur; ita etiam bona ista digna non sint, quæ appetantur, aut amentur. Qui cõsiderat itaque mundum cum omnibus suis felicitatibus, inueniet sex in eo esse mala, quæ nemo mihi poterit negare, vt sunt; breuitas, miseria, pericula, cæcitas, peccata, & fallaciæ, quibus semper mixta est eius felicitas: ex quibus non obscurè videtur, quis, & qualis sit. de singulis horum tractabimus in sequentibus, breuiter tamen, & ordine.

Qua insunt in hoc mundo mala.

Quam breuis sit huius mundi felicitas.

AGe incepturo mihi de felicitate mundana disputare, negare non poteris, quin omnis mundi felicitas & suauitas (quocunque tu nomine vocari velis) breuis est. Non enim potest hæc felicitas durare vltra vitam hominis. Quàm autem longa sit hominis vita, superiùs à nobis declaratum est; cum vita hominis vix ad annos centum extendatur, Sed quotusquisque ad centesimum annum peruenit? Vidi aliquos factos Episcopos & Cardinales, qui duobus vix mensibus in dignitate sua exactis, obierunt: summos electos Pontifices, & vix mense vno sedisse. Vidi alios duxisse vxores charas, formosas, diuites, virtute præditas: ita vt nihil in ijs posset desiderari, & ne septimana vna cum ijs superuixisse. Huiusmodi exempla plurima in historijs præteritorum temporum nobis commemorantur: sed & idem docet nos quotidiana experientia.

Nulla mundi felicitas diuturna.

At concedamus vitam tuam debere longiorem esse vita aliorum: demus tibi centum annos (vt ait Chrysostomus) vt quæ ferè est longissima: sed addamus alios centum, inde ducentos alios adiungamus, quid tot anni, si cum æternitate conferantur? *Si multis annis vixerit homo,* inquit Salomon, *& in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint vanitatis arguentur præterita.* In conspectu enim æternitatis omnis felicitas, quantumuis magna fuerit & diuturna, vanitas esse videbitur, & erit. Hoc fatentur mali ipsi in libro Sapientię, vbi dicunt, *Et nos nati continuò defuimus esse.* Considera itaque quàm breuis videbitur tunc malis omne tempus huius vitæ: re etenim ipsa existimabunt illic, se vix diem vnum hic vixisse, & quod statim à ventre matris ad tumulum sunt translati. Ex hoc abundè satis liquet, omnes delectationes, omnemque mundi felicitatem ipsis fore quasi delectationum vmbras, & quas in somnis viderunt, nec verè tales fuerunt. Id per pulchrè docet Esaias, cum dicit; *Et sicut somniat esuriens, & comedit: cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibit, & postquã fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & vacua est anima eius: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicant contra montem Sion.* quarum prosperitas omnis tam breuis erit, vt postquam aperuerint oculos, & viderint breue illud tempus, agnoscent omnem suam felicitatem nil nisi somnium fuisse. Dic mihi quæso, quæ maior in hoc seculo gloria, quàm Principum & Impetatorum, qui præsunt huic mundo? *Vbi sunt,* inquit Propheta, *Principes Gentium & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in auibus cæli ludunt; qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? Vbi sunt qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est inuentio operum eorum? Vbi sunt? exterminati sunt ex palatijs suis, & ad inferos descenderunt, & alij loco illorum exurrexerunt.* Vbi est sapiens? vbi studiosus? vbi diligens naturæ inuestigator? Vbi est gloria Salomonis? potentia Alexandi? vbi magnificus Assuerus? Vbi sunt celeberrimi Romanorum Cęsares? vbi alij Principes & Reges terræ? Quid illis profuit omnis vana gloria? potentia mundi? famulicium multitudo? exercituum frequentia? varij mimi, scurræ & moriones? copia pernicioforum adulantium, qui stare solebãt in circuitu? Omnia hæc vmbra sunt: omnia somnus; omnis ea felicitas vt fumus euanuit. Ecce itaq; mi frater, quã breuis est huius mundi felicitas.

Eccl. 11, 8.

Sap. 5, 13.

Esa. 29, 8.

Baruch 3, 16.

De magnis miserijs, quæ felicitati mundanæ admixtæ sunt.

HAbet præterea mundi huius felicitas aliud (præterquam quod breuis est) admixtum malum, quòd mille miseriarum genera, tanquam comites habeat; quæ in hac vita (aut vt melius dicam) in hac lachrymarum valle, in hoc misero exilio, & in hoc mari inquieto nequeunt euitari. Etenim plures sunt miseriæ, quam dies hominũ, aut horæ vitæ: omnis enim dies suum malum, & omnis hora suam habet miseriam. Sed quæ lingua sufficienter explicare poterit omnes has miserias? quis poterit enumerare omnes corporis nostri infirmitates? omnes animæ passiones? omnes hominum iniurias, & aduersitates huius vitæ? Vnus tibi litem intendit propter diuitias, alius vitæ tuæ insidiatur, tertius famam lædit, quidam odio inuidiaque te persequuntur; sunt qui vindictæ cupiditate, falsis testimonijs, aut armis te oppugnent, denique qui lingua (quæ armis peior est & magis noxia) tibi bellum mouent. Sunt & præter omnes istas calamitates aliæ infinitæ, quibus certa nomina non sunt imposita: sunt enim casus inopinati. Vnus amittit oculum, alteri in conflictu amputatur brachium, tertius decidit ex equo, quartus ex fenestra; quidam in aquis suffocatur; est qui casu aliud incidit infortunium. Si plura mala scire desideres, interroga homines huius mundi, & plurima tibi de fragmentis voluptatum & miseriarum suarum (quarum maxima pars est) narrabunt quæ in seculo hoc experti sunt. Etenim si omnia & læta & tristia in bilance reponerentur, videres perspicuè hæc illis multo fore maiora: & cognosceres, quòd pro vna hora voluptatis haberes centum miseriarum. Quare si omnis vita tua tam sit breuis per se, & maior illius pars tot miserijs sit permixta, quæso quantulum est in vita tua, quod pura & vera sibi vendicat felicitas?

Miseria quædam bonis & malis communes quædã malis propria

Cęterum miseriæ à me modò enumeratæ, tam bonis, quàm malis communes sunt: vtrique enim in vno eodemque nauigant pelagio, & eisdem subiecti sunt tempestatibus. Inueniuntur autem & aliæ calamitates, quæ propriæ sunt malorum, (sunt enim iniquitatum filiæ) quarum cognitio magis ad nostrum pertinet propositum, faciunt enim horum vitam magis abominabilẽ, quæ tantis miserijs est obnoxia. Quales autem, & quot illæ sint, peccatores ipsi fatentur in libro Sapientiæ; *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* Itaque vt boni in hac vita paradisum habent, & in alia vita sperant alium, ita mali in hac vita habent infernum, & alius illos expectat in altera: ex inferno siquidem malæ conscientiæ, pergunt in infernum pœnæ sempiternæ. Huiusmodi mala ex multis causis oriuntur. Quædam ex Deo sunt, qui, vt iustus Iudex, non patitur malum culpæ fieri sine malo pœnæ: quę etsi generaliter seruetur vsque in alteram vitam, sæpe tamen in hac incipit. Certissimum enim est, Deum, vti generali prouidentia mundum regit, ita quoque singulos speciali prouidentia moderari: & quemadmodum cernimus quotidie, quo maior est peccatorum copia, eo maiorem esse pœnarum frequentiam, vt sunt fames, bellum, pestilentia, hæreses, similesque calamitates, sic etiam sæpe iuxta numerum peccatorum hominis, numerus est suppliciorum, propterea Deus dicebat ad Cain: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* hoc est, pœna & supplicium

Sap. 5, 7.

Mala ex Deo

Gen. 4, 7.

peccati

peccati in Deuteronomio quoq; Moses ait ad populum: *Et scies quoniam Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta eius in mille generationes: & reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis restituens quod merentur.* Animaduerte hic quoties repetat hic Propheta verbum *statim* aut eius significationem, vt intelligas præter supplicia, quæ futuræ vitæ reseruantur, etiam malos in hac vita sæpe puniri, cum Scriptura hic toties repetat eorum pœnas non differédas. Ex quo multæ procedunt calamitates, & plurima flagella peccatorum: sine intermissione enim tanquam rota voluuntur de vna molestia in aliam, de vna necessitate, anxietate & tribulatione in aliam, quas etsi optimè sentiant, tamen vnde & à quo immutantur ignorant, atque proinde potius naturæ conditioni, quàm peccatis suis adscribunt. Quemadmodum enim naturæ bona non æstimant tanquam Dei beneficia, nec pro illis Deo gratias agunt: ita non agnoscunt iræ illius flagella pro pœnis suorum peccatorum, nec sese emendant. Quædam etiam supplicia ab ipsis Dei Vicarijs, qui sunt diuinæ iustitiæ ministri immittuntur, quæ sæpe malefactoribus occurrunt, persequuntur & affligunt eos, carceribus, exilijs, mulctis, persecutionibus, alijsque multis pœnarum generibus, quibus agunt, vt peccatorum insatiabilis appetitus amarus esse videatur, & affligunt eos etiam in hac vita. Sunt & aliæ afflictiones, quæ ex ipsis fluunt eorum passionibus, seu animi perturbationibus & appetitibus cordis inordinatis, quid enim quæso boni potest sperari ex afflictione nimia? ex vano timore? ex dubia spe? & ex desiderio inordinato? nihil nisi offendicula, tædia & tribulationes, quæ pacem & libertatem cordis interturbant, de quo superiùs actum est, vitam faciunt inquietam, ad peccata solicitant, orationes impediunt, somnum tollunt, & omnes vitæ dies fastidio tedioque aspergunt. Omnes istę miseriæ generantur ab ipso homine, hoc est, ab inordinatis eius appetitibus atque ex ijs vides, quid expectandum sit ab alijs, cùm homo hæc habeat à semetipso; & perpende quàm poterit hic pacem habere cum alijs, cui tantum bellum est cum seipso.

Deut. 7, 9.

Pœna à misericordi Dei malis statuta.

Passionum mala.

Suprà fol. 54. col. 2.

De multis laqueis & periculis huius mundi.

SI in mundo præter pœnas & afflictiones corporis, aliud malum non inueniretur, non tantoperè metuẽdus esset: sed non tantũ in eo mala corporis sunt, verùm etiam animę maxima pericula, quorum maior habenda est ratio, quia potiorem hominis partem contingunt, & magis lædunt. Ea autem tot sunt, vt Propheta dicat; *Pluet Deus super peccatores laqueos.* Quantus quęso laqueorum numerus est in mundo, qui guttis aquarum, quæ de cælo cadunt, comparatur? dicit autem specialiter *super peccatores*: Illi enim cùm tam exiguam cordis & sensuum suorum habeant curam, minorem quoque peccatorum occasionem fugiendarum, & tam exiguam spiritalium remediorum solicitudinem, & præter hæc omnia, cum per ardorem huius mundi ambulent, quomodo fieri potest, vt non inter mille gradiantur pericula? Dicit pluere laqueos super peccatores: laqueos in iuuentute, laqueos in senectute, in diuitijs, in paupertate, in honoribus, in opprobrijs, in amicitijs, laqueos in societatibus hominum, & in solitudinibus, laqueos in prosperis & in aduersis, laqueos denique in omnibus hominis sensibus, quæ tot sunt, vt Propheta clamet: *Laqueos super habitatores terræ.* Et sanè, si Dominus oculos tuos modicum aperiret, vti olim oculos B. Antonij aperuit, videres totum mundum plenum laqueis sese mutuò contingentibus, & exclamares cum eo, dicens: O Domine, quis omnes laqueos istos euadet? Hinc est quòd tot animæ pereant quotidie, ita vt B. Bernardus non vereatur dicere, ex decem nauibus, quæ in mari sunt vix vnam perire; & ex decem animabus, quæ in mari huius seculi fluctuant, vix vnam saluari. Dic igitur sodes, qui fit vt mundum tam periculosum non metuas? vt non studeas tot laqueos euitare? quis inter tot serpentes audebit ire nudis pedibus? inter tot hostes inermis? inter tot peccatorum occasiones securus & inconsideratus? inter tot denique lethales morbos sine medicina? Quis non laborabit de hac Ægypto exire? quis ex hac Babylonia non fugiet? quis non appetet ab igne Sodomitico & Gommorræo liberari? Cum itaque mundus tot laqueis sit respersus, tot occurrant & vbique obuiasint prȩcipitia, & flamma vitiorum ita nos vrat, quis vnquam erit securus? Bene itaque Sapiens: *Nunquid potest homo abscondere ignẽ in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Qui tetigerit picem,* inquit alius, *inquinabitur ab ea & qui communicauerit superbo, induet superbiam.*

Pfal. 10, 9.

Hier. 48, 43.

Athan. in vita D. Antonij.

Gen. 25.

Prouer. 6, 27.

Eccl. 13, 1.

De cæcitate, & tenebris huius mundi.

HVic laqueorum & periculorum multitudini accedit alia miseria, quæ facit illa multo maiora cęcitas nimirum, & mundanæ tenebræ, quæ conuenientissimè adumbrantur per tenebras illas Ægyptiacas, quæ tam densæ fuerunt, vt manibus palpari possent, & toto illo triduo, quo durárũt, nullus se loco mouebat, nec proximum vidit, qui illi astabat. Verè tales, & quidem maiores sunt tenebræ in quibus nunc mundus sedet, aut quæ mundum nunc occupárunt. Quòd si mihi non credas, age percurramus nonnihil eius cæcitatem & ataxiam. Dic mihi quæso, quid cæcius quàm credere homines, quod credunt, & viuere quomodo viuunt? Quæ maior cæcitas, quam homines adeò reuereri, & Deum tam nequiter contemnere? tam anxiè commoditatibus corporis, quod nihil aliud quam bruttum animal est, studere, & animæ, quæ imago diuinę Maiestatis est, curam nullam habere? Quæ maior cæcitas, quam, cum certo certius sciamus, nos morituros, nec ignoremus in illa hora de nostra felicitate, aut infelicitate determinatum iri, quod in æternum ratum habebitur, viuamus tam negligenter & securè, non aliter quàm si semper vieremus? non enim aliter viuunt peccatores hodie, cras morituri, quási certi essent se perpetuò victuros. Quæ maior cæcitas posset excogitari illa, quòd homines pro desiderio vnius appetitus vniuersam hæreditatem cæli sponte perdant? tanti facere diuitias, & tã parui conscientiam? velle vt omnia tua exteriora bona salua sint & ordinata, & nolle vitam tuam integram esse ordinatam?

Cæcitates hominum.

Huiusmodi cæcitates tot inueniuntur in mundo, vt meritò quis existimare posset homines incantatos, vel sufascinatos esse, qui habentes oculos nõ vident, & aures, nec audiunt, qui cùm lynceos habeant oculos ad perspicienda terrena, talpa tamen sunt cæciores in contuendis cælestibus. Accidit illis quod olim B. Paulo Ecclesiam Dei persequenti, qui in terram prostratus, cùm oculos aperiret, non vidit lumen; sic & illi miseri, qui cum habeant oculos in rebus terrenis latissimè apertos, in diuinis quasi clausis oculis nihil videant.

Actor. 9.

De multitudine peccatorum, quæ sunt in hoc mundo.

SI in mundo tot sint laquei, & tantæ tenebræ, quid ex eo sperandum, nisi lapsus & peccata? Peccatum autem omnium huius mundi malorum maximum est, deberetque meritò efficacissimum esse incentiuum cur mundum relinquamus. Hac sola cõsideratione gloriosus ille Martyr Cyprianus amicum quendam suum ad mundi contemptum inuitare conatus est, fingens eum in mõtis ardui verticem celsiorem

Vide Cypr. an. lib. 2. epistol. 2.

siorem subductum, speculari inde rerum infra se iacentium facies, & oculis in diuersa porrectis, B. Martyr illi ostendit omnia maria, terras, palatia, tribunalia, plena esse mille peccatorum & iniuriarum generibus, quæ omnia in loco fiunt; vt cum oculis suis vid. sset tot, & tam magna mala, quæ sunt in mundo, sciret quantopere ab illo abhorrere deberet, & qualis esset debitor ipsius Dei, qui illum è mundo eripuerat.

Itaque & tu, mi frater, in fastigium huius montis ascende: oculos in diuersas plagas volue, & fluctuantis mũdi turbines intuere. Ingredere oculis tuis principum palatia, tribunalia & tabernas huius mundi, videbis ibi tot genera peccatorum, tot mendacia, tot calumnias, impostu ras, iniurias, furta, inuidias, adulationes, vanitates, & quod maius est tantam Dei obliuionem, & tam exiguam propriæ salutis curam, vt non possis non maximopere admirari, & quasi obstupefieri tanta mala conspiciendo. Videbis maiorem hominum partem bestiarum more viuere, passionũ suarum impetum sequentes, nullo habito respectu vel iustitiæ, vel legis diuinæ, vel naturæ, seu rationis: turpiùs viuentes ipsis Ethnicis, qui nullam habent veri Dei cognitionem, ne cogitant quicquam amplius superesse quàm nasci & mori. Videbis innocentes malè mulctari, nocentes impunè peccare; bonos contemni, malos honorari, videbis pauperes affligi & in omnibus fauorem æquitati & virtuti præferri. Videbis iura vendi, & veritatis rationem non haberi, pudorem exterminatum, artes infectas, officia peruersa, & omnes hominum status corruptos. Videbis multos homines impuros maximis supplicijs dignos, qui furtis & impostu ris magnas diuitias sibi comparant, laudari & metui ab omnibus. Videbis denique mundum denarium plus quàm Deum colere atque adorare. Et cum omnia perlustrasti, fateberis euestigio iustissimè dictum à Psalmista: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum.* Psal. 13, 20. Non minus deplorat hominum statum Oseas, *Iudicium*, inquit, *Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Osee 4, 1.

Vt autem perspicuè magis cernas, quæ mundi sit conditio, intuere caput, quod illum moderatur intuere illius gubernatorem, & intelliges qualis erit conditio illius, qui gubernatur. Etenim si verum sit principem huius mundi, hoc est, peccatorum esse Diabolum, (quod & Christus ipse affirmat) quid expectandum à corpore, quod tale habet caput, & à Republ. cuius talis est rector? Vnum hoc sufficit ad intelligendum, quid mundi amatoribus expectandum est. Quid multis? ecquid aliud mundus est, quam spelunca latronum, exercitus prædonum, stabulum porcorum, triremis plena piratis, lacus serpentum & regulorũ? Si mundus talis sit, quare non derelinquo locum tam obscœnum & impurum, (ait quidam Philosophus) locum tam plenum traditionibus, fallacijs, in quo vix inuenitur pietas, fidelitas, aut iustitia? in quo regnant omnia vitia, vbi frater fratri insidiatur, vbi filius patris mortem desiderat, vbi vxor mortem sui mariti, maritusque vicissim vxoris appetit; vbi denique nihil dominatur præter flammas gulæ, inuidiæ, iræ, luxuriæ, ambitionis, aliorumque malorum? Quis non optet talem mundum fugere? Dubium non est quin hoc optauerit Propheta, qui dicebat: *Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? qui omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum.* Ioan. 14. Ierem. 9, 2.

Quicquid hactenus dictum est, generaliter pertinet ad malos: licet negari non possit, quin in singulis mundi statibus multi boni sint, propter quos Deus eũ sustentat. Cùm itaque omnia hæc perspexeris, perpende tecum quàm iustam habeas rationem, rem tam impiam, peruersam & abominabilem fugiendi, in qua, si Deus oculos tuos plane illuminaret, plures videres Dæmones, & peccata plura, quam atomos, qui in solaribus radijs volitare conspiciuntur. Faciet autem hæc consideratio, vt crescat in te desiderium mũdi (saltem spiritu) fugiendi, vt suspires cum Propheta, & dicas, *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Psalm. 54, 7.

Quam fallax sit mundi felicitas.

HÆc aliaque infinita sunt felicitatis mundanæ tributa, & quasi æquipondia, quibus cum libratur, & tanquam in diuidui socij, qui illam comitantur: vt videas plus in ea esse fellis quàm mellis, & plus absynthij quàm saccari. Omitto adhuc alia mala quamplurima, quæ amatoribus suis occultat: Nam præterquam quòd breuis sit illa misera felicitas, etiam impura est & immunda, facit enim hominem carnalem & impurum: est & bestialis; similem enim hominem bestijs facit: & amens; nam tollit hominis iudicium. denique fallax & infida; quia optimo tempore deficit, & hominem derelinquit. Vnum tamen adhuc malum eius exponere non grauabor, quòd fortè omnium est pessimum, fallacem nimirũ illam esse, & fraudulentam. Videtur enim esse quod non est, promittit quod non dat, & non obstantibus his maiorem populi partem ad se ttahit. Quemadmodum enim inuenitur aurum verum, & aurum falsum gẽmæ veræ, & fictitiæ, quæ apparent pretiosæ, & nõ sunt: ita inueniũtur bona vera, & bona falsa, felicitas vera, & falsa, q̃ quidẽ talis apparet, sed nõ est: talis est illa mũdi huius, quæ apparenti sua larua, fucataq; sua facie nos decipit. Nã, vt Aristoteles dicit, occurrunt subinde mendaciaq, quæ licet mendacia sint, maiorem tamen habent veritatis apparentiam, quam ipsa veritas, ita profectò (res est obseruatu digna) reperiuntur quædam mala, quæ licet vera mala sint, maiorem tamen habent bonorum apparentiam, quã ipsa bona. Ex horum numero est felicitas mundi: & ob hoc ignorantes eius specie decipiuntur, non aliter atque aues piscesque subdola falluntur esca. Ea enim est conditio rerum corporalium, quòd continuò læta facie, & blando vultu se nobis offerunt, promittentes gaudium & felicitatem: sed postquam ipsa rerum experientia nobis fraudem detegit, statim sentimus hamum sub esca latentem, & apertè videmus non totum fuisse aurum, quod splendebat. Sic experientia deprehendes in omnibus rebus mundi euenire. Sin minùs, contemplare recens matrimonio iunctorum voluptates, & inuenies quomodo post primos connubij dies elapsos statim ipsis dies illa felicitatis eorum incipiat inclinare, & ingruere nox obscura curarum, solicitudinum, & anxietatum, quæ deinde superueniunt. Mox enim sequuntur ærumnæ ex filijs, ex morbis, ex absentijs, ex zelotypia, ex litibus & cõtentionibus, ex abortionibus, ex rerum amissionibus, ex doloribus, denique ex morte necessaria alterutrius, quæ interdum valde intempestiuè præuenit, & gaudia sponsaliorum necdum consummatorum in lachrymas perpetuæ viduitatis & solitudinis conuertit. Quæ igitur maior impostura, quæ hypocrisis intolerabilior, quàm hæc? Quàm gaudens pergit virgo ad ædes sui sponsi; non enim oculos habet, vt videat aliud, quàm quòd foris apparet: sed si videre posset sementem miseriarum, quæ illi die isto seminatur, haberet sanè iustiorem causam flendi, quàm gaudendi. Rebecca desiderabat parere filios, cùm autem grauida facta esset, & colliderentur in vtero eius parvuli, dixit; *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit me concipere?* Gen. 25, 22.

ripere? O quoties similis dolus & fraus homines contristat, postquam illud habent, quod desiderabant, cū in progressu ea sese offerant, quę in principio non promittebantur?

Sed quid dicam de officijs, dignitatibus & honoribus? quàm blando primùm videtur aspectu? sed quot confestim passionibus, curis, inuidijs & laboribus sunt obnoxia, quæ sese post amabilem illum vultum mox produnt? De illis autem, qui in honestis amoribus plane illaqueati sunt, non immeritò dicere possumus, quòd initio quidem placidum cæci illius Labyrinthi aditum inueniunt: cùm autem ingressi sunt, heu quod labores & molestię ferendæ sunt? quot noctes insomnes ducunt? quot & quanta coguntur adire pericula? furor enim venenosi Draconis (qui est crudelis parentis gladius, aut mariti zelotypi) custodit semper fructum illum arboris interdictæ, & non rarò cōtingit, vt huiusmodi in vno momento vitam, diuitias, honorem, animamque simul amittant.

Simili modo & vitam auarorum, mundo seruientium, & inanem gloriam armis, fauoribus, alijsque modis captantium, non esset difficile examinare, & in omnium horum tragœdijs non lætam protasin, sed luctuosam inueniremus epitasin: ea est enim natura calicis illius Babylonici, qui quidem foris est deauratus, intus verò plenus veneno. His ita se habentibus, Matt. 5. quid quæso tuo iudicio est huius mundi gloria, nisi Sirenum cantus dulcis, sed venenata potio? vipera, foris quidem artificiosè depicta, sed intus lethali toxico referta? Si mundus tibi blandiatur, hoc facit, vt te fallat; si te exaltet, hoc facit, vt te ex alto deijciat; si te exhilaret, hoc facit, vt paulò pòst te magis affligat. Dat omnia sua bona cum admixto incomparabili dolore, & maxima vsura. Si tibi nascatur filius, & paulò pòst moriatur, septies maior erit iste dolor, quā antè fuit lætitia. Magis nos vrit res amissa, quàm exhilarat inuenta, vel quæsita: magis affligit morbus, quàm lætificat sanitas; magis cruciat iniuria, quàm placet honor: Adeò vt prorsus ignorem, cur ita natura comparatum sit, vt magis affligant mala, quàm exhilarent bona. Hæc omnia bene considerata luce meridiana clarius ostendunt, quam vana & fallax sit mundi felicitas.

Conclusio omnium supradictorum.

Quid sit mundus. Vidisti mi frater, hic veram mundi figuram, etsi alia facie quam foris apparet, ecce itaque nunc, qualis sit eius felicitas; breuis, misera, periculosa, cæca, plena peccatis, & fallax, atque iuxta hæc, quid aliud est mundus, nisi (vt quidam Philosophus dicere solebat) scrinium dolorum & molestiarum, schola vanitatis, forum impostturarum, Labyrinthus errorum, carcer tenebrarum, via infesta prædonibus, lacuna plena luto, & mare quod à tempestatibus assiduè mouetur? Quid aliud est mundus, nisi terra sterilis, ager tribulis lappisque consitus, sylua spinis plena, hortus floridus, sed nullum produces fructum? Quid mundus, nisi flumen lachrymarum, fons solicitudinum, dulce venenum, tragœdia lepidè composita & phreneſis delectabilis? Quæ quæso bona in mundo reperiuntur, quæ falsa non sunt? & quæ mala, quę non sunt vera? Eius requies habet laborem, eius securitas est sine fundamento, eius metus non habet causam, eius labores sunt absque fructu, eius lachrymę sine proposito, & proposita sine successu, spes eius vana, gaudium fictum, & dolor eius verus est. Ex quibus omnibus non difficile est videre, quanta inter mundum & infernum est cognatio: infernus enim non est aliud quam locus pœnarum & peccatorum, & quid aliud in hoc mundo spectatur? Testatur hoc Propheta cùm Psal. 54. 11. dicit: *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia.* Hi fructus mundi sunt, hæ merces, hęc eius negotiatio est, quæ omni tempore & in omni locò exercetur, ità vt videa mundum optimè infernum appellari posse. Eo loco D. Bern. lib. serm. de ascensione. *Mundus infernus.* mundum hunc habuit B. Bernardus, cum diceret; Quòd si spes nobis in hac vita non esset relicta, quam de vita futura concepimus; non multum hic mundus ab inferno distaret.

Quod vera quies, & tranquillitas in solo Deo inueniatur.

POstquam hactenus expositum à nobis sit, quam misera & fallax sit huius mundi felicitas, restat nunc vt ostendamus veram felicitatem & tranquillitatem, vti in mundo non inueniuntur, ita in solo Deo inueniri: quæ demonstratio si ab hominibus huius mundi rectè intelligeretur, non ita anxij essent mundi sectatores, quales multi reperiuntur. Et proinde operę pretium me facturum existimo, si manifestam hanc veritatem præcedentibus subiecero, eamque non tam auctoritate & testimonijs fidei, quàm rationibus stabiliuero. Sciendum itaque ante omnia, nullam creaturam perfectè posse quiescere, quamdiu ad vltimum suum finem (quæ vltima illius est secundùm naturam conueniens perfectio) non peruenit. Quamdiu enim eò nondum peruenit, necessariò debet esse inquieta, tanquam ea, quæ ob defectum aliquem vim patitur.

Quæris itaque quis sit vltimus hominis finis, in cuius manu posita est eius felicitas? quid est illud quod *Beatitudo obiectiua.* Theologi vocant beatitudinem obiectiuam? Negare non possum, quin Deus sit, qui quemadmodum est hominis primum principium? ita est & vltimus eius finis. Quemadmodum autem fieri non potest, vt duo sint prima principia, ita est impossibile vt duo sint vltimi fines. Hoc enim esset duos constituere Deos. Porrò si Deus sit vltimus finis hominis, est & vltima eius beatitudo, impossibile autem est duos esse vltimos fines, aut duas beatitudines, fieri itaque non potest, vt extra Deum inueniatur aliqua beatitudo. Si- Simile. cut enim chirotheca fit in vsum manus, & vagina vt in eam condatur gladius: ita etiam cor humanū creatum est in vsum Dei; nec extra illum aliquam potest inuenire requiem. Ratio est, quia cum principale subiectum beatitudinis sit in intellectu & voluntate humana, quamdiu duę istæ potentię quietæ non sunt, nec homo potest quiescere. Quia verò extra controuersiā sit duas istas potentias aliquo modo quietas esse non posse, nisi in solo Deo, vt B. Thomas dicit, etiam duæ illæ potentię nunquam quiescunt, donec inueniunt obiectum aliquod vniuersale, in quo sunt omnia bona. Quod cum semel cognitum est & amatum, iam *Solus Deus cor hominis* nihil est amplius quod cupiat intellectus cognoscere, *potest satiare.* aut voluntas amare. Hinc est, vt nulla res creata, licet totius Vniuersi esset imperium, queat cor humanū satiare, vno illo excepto, ad quod creatus est, solo scilicet Deo. Refert Plutarchus de quodam milite, qui per multos dignitatum gradus tandem factus est Imperator. Is cùm iam in tanto versaretur honore, & quietem quam sibi antea in hoc statu pollicebatur, nō inueniret, dixit: Omnes omnium dignitatum gradus percurri, & in nullo quietem inueni. Nec mirum, quia quod pro Deo creatum est, extra illum nō potest quietem inuenire. Vt autem id manifestius intelligas, intuere acum nauticam, & ea te docebit hanc tam *Natura acus nautica.* necessariam philosophiam. Natura ferri illius est, vt qua parte magnetem tetigerit, semper Aquilonem respiciat: Deus enim qui lapidem hunc creauit, eam illi indidit naturalem inclinationem. Vides, ipsa rei experientia te docente, quomodo acus illa currit, recurrit, & in omnem plagam summa cum inquietudine se vertit, donec polum inuenerit; quo facto quiescit & stat immobilis, non aliter atq; clauus esset confixa. Ita Deus creauit hominem, illique insidit naturalem quandam propensionem, vt semper ad auctorem tan-

quam ad polum & vltimum finem suum respiciat. Ideoque quamdiu extra illum est, instar illius acus inquietus est, etiam si totius mundi esset dominus: Conuertens autem & dirigens cor in Deum, statim quiescit, & vti acus illa stat immobilis, in illo enim quietem inuenit. Ex hoc sequitur, solum illum beatũ esse, qui Deum possidet, & illum magis ad beatitudinem accedere, qui minùs longè à Deo recedit. Quia verò iusti in hac vita Deo sunt viciniores, ideo sunt & beatiores, licet mundus illorum beatitudinem non cognoscat. Ratio est, quia beatitudo hæc non consistit in sensibili & corporali voluptate, vt dicebant Epicurei, & post eos Mauri seu Mahometani, post Mahometanos verò mali Christiani, qui ore quidem negant legem Mahometi, vita verò sectantur, & diligenter obseruant, nec alium Paradisum in hac vita quærunt, quàm illum Saracenicum. Non ergo consistit vera beatitudo aut in corpore, aut in bonis externis, sed in spiritu, & bonis spiritualibus, inuisibilibusque, vt syncerioris iudicij Philosophi, & boni Christiani (licet diuerso modo) sustinent, & affirmant. Idem significare voluit Propheta, cùm diceret: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* in qua tantam illa pacem & quietem habet, quãtam nunquam habuerunt aut habebunt vniuersi Reges terræ: nisi voluerimus dicere Principes mundi maiorem habere quietem, quàm amici Dei: quod præterquam quòd falsum est, etiam multi Principum negarunt, qui delibata Dei suauitate dignitates & diuitias reliquerunt; Inter quos vnus fuit B. Gregorius, qui vtrunque probauit: is cùm vi Pontifex creatus esset, noctes atque dies plorabat ob angustam & pauperem cellam, quam in monasterio suo reliquerat, non aliter atque is faceret desiderio patriæ & libertatis, qui in seruitute esset.

Psal 44,14.

B. Gregor. plorat amissam paupertatem. epist ad Narsum & S. Aug. epist. 148.

Probantur quæ dicta sunt exemplis.

SEd cùm error & fallacia hæc tam ingens sit & vniuersalis, aliã adiũgam rationem non minus efficacem priore, ex qua mundi huius amatores facilè poterunt intelligere, quàm impossibile sit in eo felicitatem, quam appetunt illi, inuenire. Debes itaq; præsupponere multo plura requiri, vt res aliqua sit perfecta, quàm vt sit imperfecta. Vt enim res aliqua sit perfecta omnes simul requiruntur eius perfectiones: sed vt imperfecta sit, vna sola sufficit imperfectio. His præsuppositis, hoc modo procede; Vt aliquis habeat perfectam felicitatem requiritur, vt omnia simul habeat ex animi sui sententia: & si vnum solum quid ad mixtum sit, quod non placet: id erit sufficiens, vt homo & sit, & dici posset miser, etiam si omnia cetera beatum faciant. Vidi multos in amplissimis dignitatibus constitutos, quibus prouentus annui erant opulentissimi, qui tamen semper in tristitia viuebant, multo enim maior erat cruciatus, quem ex eo concipiebant, quia vnum aliquid quod appetebant habere non poterant; quàm gaudium, quod ex omnibus aliis percipiebant. Etenim dubium non est, quin omne id quod possident, non tam exhilarat, quam vnus solus appetitus denegatus affligit, eo quod hominem non faciat quietum multa possidere, sed voluntatem satisfacere. Quod inter alios D. Augustinus pulcherrimè declarat in libro de moribus Ecclesiæ, his verbis: Beatus autem, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecunque sit, neque qui habet, quod amat, si noxium sit: neque qui non amat, quod habet, etamsi optimum sit. Nam & qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est, quod appetendum non est, fallitur: & qui non appetit, quod adipiscendum esset, ægrotat. Ex quo infertur, in sola possessione & amore summi boni nostram consistere beatitudinẽ, nec aliã veram esse extra illã. Ita vt tria illa, possessio, amor, & summum bonum, hominem faciant beatum, sine quibus nemo vnquam erit beatus quicunque ille sit.

Aug de Moribus Eccl. lib. 1. c. 3.

Huius conclusionis etsi plurima possem in medium adferre exempla, quæ illam confirmant, tamen faciemus, vt vnus ille dilectus Assuero Regi Aman sufficiat: is enim cùm in omnibus iuxta mundi opinionem beatus esset, magnam sibi iniuriam irrogari putabat, eo quòd Mardochæus illi transeunti non assurgeret. Quare conuocatis amicis suis & vxore, exposuit eis magnitudinem diuitiarum suarum, filiorumque turbam; & quanta eum gloria super omnes Principes & seruos suos Rex eleuasset. *Regina quoque Hesther*, inquit, *nullum alium vocauit ad conuiuium cũ Rege præter me: apud quam etiam cras cum Rege pransurus sum. Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias*, non exhibentem mihi, quam volo reuerentiam. Animaduerte itaq; hoc loco & videbis vnum illud exiguũ plus potuisse cor illius perturbare, quàm omnis prospera reliqua potuêre beatũ facere. Considera quoque quam longè absit homo in hac vita ab illa mentis tranquillitate, & quam vicinus perturbationi. Quis igitur inuenitur in hoc mundo, qui potest id efficere, vt non sit miser? Qui Reges, qui Imperatores inueniuntur, quibus omnia ex voto succedunt, & quibus non aliqua res occurrit, quæ animos eorũ facit inquietos? Nam etsi ex parte hominum omnis absit aduersitas, quis potest fortunæ casus, quis infirmitates corporis, omnes metus & fantasias vel vanas imaginationes animæ, quas homo sæpe metuit sine timore, & sic affligitur sine causa, subterfugere?

Hester. 5. 11. Heft. 5. 12.

Nemo in hoc mundo Ecclesiastes.

Si prædictæ rationes omnes tam euidentes te non conuincant, & ab ipsa experientia plures inquiras, potius quam à ratione, vade ad sapientissimum illum Salomonem, atque ille, tanquam qui in mari hoc diu nauigauit, maiori quam vllus alius cum prosperitate, probans, & detegens omnia magnificentiarum & voluptatum huius mundi genera: ille, inquam, te in hoc negotio fidelitey instruet, quid vidit, quid expertus est, dicet, & si quid alibi forte inuenerit, quod appetitum eius satiauit, si interroganeris respondebit dicens: *Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Crede, non decipieris; viro siquidem tam experto fidendum est. Non enim tibi loquitur ex theoria, sed ex praxi; non ea quę audiuit narrat, sed quæ vidit & probauit. Ne putes aut te, aut alium quempiam posse detegere plures res nouas, & antea non auditas, quàm ille detexit, & expertus est. Quis enim Princeps vnquam in mundo fuit aut sapientior, aut ditior, aut glorioſior, aut celebrior Salomone? Quis vnquam expertus est plura genera deliciarum, ludorum, venationum, canticorum, mulierum, ornamentorum, equitatum, aliarumque rerũ, quàm ille expertus est? Et cum omnia iam probâsset, non alium ex ijs fructum percepit, quam quem audiuisti. Cur tu probare vis quod iam probatum est? Ne tibi persuadeas inuenire te posse, quod ille non inuenit, non enim alium mundum habes, quem poteris perscrutari. Et si illa omnia sitim, quæ in illo Rege erat, vindemia tam abundante restinguere non potuerint, nolli putare quod tu illam sedabis post illam sterili racematione. Ille huic vni studio tempus omne impendit, & fortasis ob hoc in idololatriam lapsus est: vt dicit B. Hieronymus, scribens ad Eustochium. Quare itaque tu pretiosi temporis iacturam facere vis, sine vllius emolumenti expectatione? Imò quia homines plus credunt experientiæ quàm rationi, forsitan Deus permisit, vt Rex iste, probaret omnia bona, deliciasque & recreationes, & quicquid mundus admiratur probaret, vt postquam iam probâsset, testimoniũ de illis perhiberet, id quod mox audiuisti, & vt labor vnius omnium aliorum laborum

Eccl. 1, 2.

loco

loco esset, atque vnius error multorum errori mederetur, tempusque & sumptus vtilius expenderentur.

Quæ cùm ita sint, meritò possumus clamare cum Propheta: *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Oprimè dicit vanitatem & mendacium. Nam si in rebus huius seculi non esset aliud quam vanitas, exiguum esset malum: sed est aliud maius in illo malum, nimirum mendacium, & falsa rerum apparentia, qua persuadent hominibus se aliquid esse, cũ nihil sint. Quapropter idem Salomõ dicit: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Aliquo modo tolerandum esset, si vana tantùm esset, sed fallax est. Vanitas enim cognita multũ obesse non potest: sed quæ vana est, & talis non apparet, ea præcipuè mala est & periculosa. Ex hoc liquet quàm magnus hypocrita sit mundus hic: quemadmodum enim hypocritæ studiosi sunt, vt suos tegãt defectus; ita diuites laborant vt suas dissimulent miserias, quibus affliguntur. Illi volunt haberi sancti, cũ sint peccatores; beati, cùm sint miseri. Accede propius, explora si placet arteriam, mitte manum in sinum eorum, & videbis quomodo pugnent inter sese ea quæ foris videntur cum his, quæ ipsa re intus delitescunt. Quædam herbę nascuntur in agris, quæ eminus pulcherrimæ videntur: cùm autem propius accesseris, aut folia quædam decerpseris, pestilentissimum odorem exhalant, quas homo statim abijciens, oculorum errorem corrigit tactu manuum. Tales profectò sunt, qui in mundo ditiores & potentiores esse videntur; nam si magnificentiam, pompam, dignitatisque illorum celsitudinem intuearis, si splendorem domus, & famulos, & adulatores, putabis eos solos esse beatos, sed si paulò propius accesseris, odorauerisque secretiora domus & arcana conscientiæ, angulos quoque animarum omnes scrutatus fueris, videbis multum inter hæc & externam apparentiam interesse. Quapropter multi, qui conditionem illorum appetebant, cùm eminus eam videbant, paulò pòst eam penitius introspicientes, subitò reiecerunt & abominati sunt, vt in diuersis historijs etiam Ethnicorum legitur. Invitis etiam Imperatorum refertur quosdam fuisse, qui cùm ad Imperium electi essent ab omni exercitu, aliquamdiu restiterunt, nec oblatum dignitatis fastigium acceptare voluerunt, eò quòd non ignorabant spinas, quæ sub rosa illa visu iucunda latebant. Vos igitur, *ô filij hominum*, creati ad imaginem & similitudinem Dei, redempti sanguine Iesu, adoptati vt sitis conciues Angelorum, *vt quid diligitis vanitatem? vt quid quæritis mendacium?* an fortè quæritis requiem in falsis istis bonis, quam nunquam dederunt, nec dabunt vnquam? vt quid reliquistis mensam Angelorũ, & quæritis ventrem satiare siliquis porcorum? vt quid deseruistis dulcedinem & odorem Paradisi pro amaritudine & fœtore mundi? Cur non sufficiunt tot calamitates, & miseriæ, quæ experimini quotidie, vt crudelis illius tyranni attrocitatem fugiatis?

Psalm. 4, 3. Mundus Hypocrita. Prou 31, 30. Val. Max li. 7. c. 2. Psalm. 4, 3.

Ignosce mihi Lector, videmur hac in parte non multum dissimiles esse meretrici, quæ vel scurrę, vel Ienoni sese prostituit, is edit, bibit & ludit cum illa, quamdiu omnia, quæ habebat, consumpta sunt, postea verò ludificat, & percutit illam, nec blando dignatur verbo: ipsa nihilominus non sanæ mentis, quo magis vapulat, hoc magis percussorem amat. Repetendo itaque omnia quæ dicta sunt, si tot rationibus, exemplis & experientijs manifestè probatum sit, non inueniri quietem aut felicitatem quam quærimus, nisi in solo Deo, & non in mundo; quare illam extra Deum, & non potius in illo quærimus? Hoc est, quod B. Augustinus admonet, cùm dicit: Mare, terras, & omnia percurre, scrutare vniuersa, vbique miser eris, nisi ad Deum refugeris.

S. Aug. lib. 4 Confes. c. 10.

Granatens. Opusc. spiritual.

Conclusio totius libri primi.

EX omnibus itaque ijs, quæ toto hoc priori libro fusius tractata sunt, id tandem colligitur; Omnia bonorum genera, quæ cor humanum in hac vita potest adipisci, in Virtute inueniri: ex quibus colligitur, Virtutem vniuersale bonum esse tam ingens, vt nec in cęlo quicquam, nec in terra inueniatur, quod cum illa possit cõparari, nisi vnus & solus Deus. Quemadmodum enim Deus bonum est tam vniuersale, vt in illo solo inueniantur perfectiones omnium bonorum; ita quodammodo eædem in Virtute reperiuntur. Videmus enim inter res creatas, quasdam esse honestas, quasdam pulchras, nonnullas vtiles, alias gratas, aut aliam quandam perfectionem habentes: inter quas ea solet esse tanto perfectior & amore dignior, quanto plus participat de illis perfectionibus. Quod si ita sit, quanto amore digna virtus est, in qua sola omnes istæ perfectiones inueniuntur? Etenim si de honestate loquamur, quid honestius Virtute, quę fons est & radix omnis honestatis? si de honore, cui maior debetur honor & reuerentia virtute? Si quæramus pulchritudinem, quid pulchrius imagine Virtutis? Si eius pulchritudo mortalibus oculis videri posset, dicebat Plato, totum mundum ad se conuerteret. Si vtilitatem spectemus, quæ res vtilior & maiori spe nixa virtute? per Virtutem enim summum bonũ adipiscimur. *Longitudo dierum* & æternitatis bona sunt *in manu eius dextra, in sinistra* verò *diuitiæ & gloria.* Si iucunditate delecteris, quam maiorem delectationem posses optare, quam tranquillam & bonam conscientiam, delicias charitatis, pacis, & libertatis filiorum Dei, vt interim taceam de consolatione Spiritus sancti, quæ est incundissima. Si famam longæuã desideres: *Iustus viuet, & erit in memoria æterna, & nomen impij delebit Deus in æternum.* Si sapientiæ studiosus sis, vt possis, inuenire viam, quæ ducit ad cælum, & media ad finem hunc congruentia, non est medium certius Virtute, quæ ducit ad Deum. Si petas esse gratus, & apud omnes acceptus, non est quicquam gratius, & ad hoc conuenientius Virtute. Nam, vt Cicero dicit, nihil est amabilius Virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum; quippe cùm propter virtutem & probitatem etiam eos quos nunquam vidimus diligamus. Cuius ea vis est, (quod maius est) vt in hoste diligamus. Quemadmodum ex conuenientia & proportione membrorum, humorumque corporis naturalis quædam oritur pulchritudo, quæ oculis hominum grata est, ita ex conuenientia & ordine vitæ laudabiliter institutæ, tam ingens procedit pulchritudo, vt non solùm oculis Dei & Angelorum sit acceptissima, sed & peruersis etiam hominibus & hostibus sit amabilis. Illud est bonum, quod per omnia bonum est, nec quicquam habet mali. Propterea meritò Deus honorificam illam legationem mittit ad Iudæum, quam initio libri posuimus, & nunc in fine repetimus, *Dicite iusto quia bene.* Dicite quia natus est sub felici sydere, & quod hora bona morietur, quod benedicta est eius vita, & mors, & quicquid erit post mortem. Dicite illi, quòd omnia bene succedent, tam prospera, quam aduersa, tam iucunda, quàm tristia, in quiete, & labore. *diligentibus enim Dominum omnia cooperantur in bonum.* Dicite illi, etsi mundus sursum deorsum vertatur, elementa confundantur, si cælum turbetur; & ruat, ne timeat ille: imò vt leuet tunc caput suum, quia adest dies eius redemptionis. *Dicite iusto quia bene*: quia præparatum est illi bonum, quod omnia bona sua vincit excellentia, Deus nimirum ipse; & quod liber est à malo quod omnium malorum passimum est, scilicet tyrãnide Dæmonis. *Dicite quia bene*; scriptum enim est nomen eius in libro vitæ: & Deus Pater illum in filium adoptauit: & Spiritus sanctus in templum viuum. *Dicite quia bene*: conditio

In virtute omnes perfectiones inueniuntur. Plato. Prou. 3, 16. Prouer. 10. Psalm. 11. Psalm. 9. Cicer. in Lælio. Simile. *Virtus etiam in hoste diligitur.* Esa. 3, 10. Rom. 8, 28.

enim quàm nactus est, per omnia beata est. Et si aliquando in re aliqua temporali minùs beata videatur, si patienter hoc ferat, in maius bonum illi vertetur: qui enim patiens est, quod damnum videbatur, hoc illi fit lucrum, & labor fit meritum, & bellum victoria, perpetuaque corona. Quotiescunque Laban
Gen. 31. mutauit stipendium genero suo Iacob, putauit se sibi vtilem fore, & genero noxium, sed modo semper accidit cõtrario: sibi enim inutilis fuit, & vtilis genero. Eris igitur tu tibi ipsi tam crudelis, mi frater, & inimicus, vt cuncteris tantum bonum amplecti, quod vndique tibi bona pollicetur? Quod consilium sanius?
Psal. 118, 1. quam potes vtiliorem sequi conditionem? *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, ait Pro-
Ibid. v. 2. pheta: beati millies illi, & iterum *beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Si bonum, vt Philosophi dicunt, obiectum nostrę voluntatis sit, & quo quid magis bonum est, eò magis amari & desiderari mereatur: quid quæso sic insensibilem facit voluntatem tuam, vt non gustet nec amplectatur hoc bonum vniuersale? O quanto melius faciebat Rex ille,
Ibid. v. 30. qui dicebat. *Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus. Adhæsi testimoniis tuis Domine.* & alio loco: *In toto corde meo abscondi eloquia tua Domine:* non
Psal. 118, 11. dicit in angulo, non in manu, sed in medio seu toto corde, quod est principium vitæ, primus & optimus locus omnium aliorum: quasi dixisset: Hæc est optima pars meorum negotiorum, & cogitationes meæ omnes in illa sunt. Contrarium faciunt homines huius mundi, principalem namque sedem cordis eorum occupat vanitas, & diuina lex in angulo quopiam iacet abstruso. Sed sãctus ille vir, licet Rex erat, & multis Regni negotijs impeditus; omnia tamen pedibus subijciebat, legem verò Domini in medio corde gerebat. Quid igitur impedit, quo minùs & tu exemplũ
Exod. hoc optimũ imiteris, & bonum adeò inges amplectaris? Nam si vinculũ obligationis respicias, quę maior potest esse obligatio, quam quę est inter Deũ & hominem, vel tantum ob id quia Est, qui est? Omnes enim obligationes mundi hoc nomine dignæ non sunt, si cũ hac conferantur, vt initio libri diximus. Si beneficia intuearis quæ possunt esse maiora & præstantiora beneficia illis, quæ de manu Domini accepimus? Præterquam enim quod ille nos creauit, & suo sanguine redemit, omne id quod intus & foris possidemus, corpus, animam, vitam, sanitatem, diuitias, gratiam (si modo illam habeamus) omnia momenta vitæ, bona proposita, animæ nostræ desideria, & omne id quod nomen habet essentię, vel boni, originaliter ab illo, qui fons est essentiarum & bonorum omnium, accepimus. Desunt verba, quibus vtilitatem eloquar: dicant illam Angeli, non homines. Quæ enim maior potest esse vtilitas, quam accipere gloriam æternam, & à pœnis perpetuis liberari, quod præmium est Virtutis? Si nos moueant potius huius seculi commoda, quæ possunt esse præstantiora bona, quam duodecim illa priuilegia, quibus gaudent Virtus & Virtutis studiosi, quorum minimum efficacius est, ad inquietum animum sedandum, quam omnes mundi huius dignitates & thesauri. Nescio sanè quid amplius in bilancem mitti posset, ad ponderanda illa, quę Virtuti, eiusque amatoribus promissa sunt.

Excusationes quoque, quas adducere solent ad suam defensionem homines huius mundi, ita sunt à nobis labefactarę, vt non videam vbi tales rimulam elabendi possèt inuenire, nisi fortè dedita opera claudant oculos & aures, ne videant & audiant manifestam hanc veritatem. Quid restat, nisi vt perspecta, cognitaque virtutis perfectione & pulchritudine, dicas cum Salomone, de Sapientia, comite & sorore Virtutis loquente: *Hanc amaui, & exquisiui eam à iuuentute*
Sap 8, 2. *mea, & quæsiui in sponsam mihi eam assumere & amator factus sum formæ illius. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei, sed & omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operũ illius. Et si diuitiæ appetuntur in vita quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem sensus operatur, quis horum quæ sunt magis, quàm illa, est artifex? Et si iustitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes: Sobrietatem enim & sapientiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Et si similitudinem scientiæ desiderat quis: scit præterita, & de futuris æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum & seculorum. Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei.* Hactenus Sapiens.

Nihil itaque reliquum est, nisi vt materiam hanc concludamus verbis D. Cypriani, ex epistola quadam ad amicum suum de contemptu mundi scripta desumptis; Vna igitur, inquit, placida & fida tranquillitas: vna solida, & firma & perpetua securitas, si quis ab his inquietantis seculi turbinibus extractus, salu- Cyp. lib. 2. epist. 2.
taris portus statione fundatus, ad cęlum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quicquid apud ceteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam iacere conscientiam glorietur. Nihil appetere iam, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo maior est. Quam stabilis, quam inconcussa tutela est, quam perennibus bonis affluens cæleste præsidium implicantis mundi laqueis solui, in lucem immortalitatis ęternæ de terrena fæce purgari. Viderit quę in nos priùs infestantis inimici pernicies insidiosa grassata sit. Plus amare compellimur, quod futuri sumus, dum & scire conceditur, & damnare quod eramus. Nec ad hoc pretijs, aut ambitu, aut manu opus est, vt hominis summa vel dignitas vel potestas elaborata mole pariatur, sed gratuitum de Deo munus, & facile est. Vt sponte sol radiat, dies illuminat, fons irrigat, imber irrorat, ita se spiritus cælestis infundit. Postquam auctorem suum cęlum intuens anima cognouit, solo altior & hac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit, quod esse se credit. Tu tantùm, quem iam spiritualibus castris cęlestis militia signauit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinã, sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille diuitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse nulla iam poterit, cùm semel pectus cælestis sagina saturauerit. Iam tibi auro distincta laquearia, & pretiosa marmoris crustis vestita domicilia sordebunt, cùm scieris te excolendum magis, te potiùs ornandum, domum tibi hanc esse potiorem, quam Dominus insedit templi vice, in qua Spiritus sanctus cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentiæ, illuminemus luce iustitiæ. Non hæc vnquam procumbet lapsum senio vetustatis, nec pigmento parietis, aut auro exolescente fœdabitur. Caduca sunt quæcunque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent veritatem. Hæc manet cultu iugiter viuido, honore integro, splendore diuturno, aboleri non potest, nec extingui, potest tantùm in meliùs corpore redeunte formari. Hactenus Cyprianus. Qui itaque motus rationibus & argumentis, quæ latiùs tractauimus in hoc libro, (interueniente gratia & inspiratione diuina, sine quibus frustra fiunt omnia) tã laudabile bonum virtutis cupit amplecti, legat sequentem librum, qui tradit methodum ad virtutem perueniendi.

FINIS LIBRI PRIMI
Ducis peccatorum.

DVCIS

DVCIS PECCATORVM LIBRI SECVNDI.

PROLOGVS

NON sufficit persuasisse homini, vt Virtutem amplectatur, nisi etiam doceamus modum, quo mediante ad virtutis arcem, atque fastigium queat ascendere. Postquam itaque præcedenti libro multas, magnique momenti rationes, quibus hominum corda permouentur ad amorem Virtutis tradiderimus nunc oportet vt ad praxin & vsum veniamus, variaque consilia & diuersa documenta proponamus, quæ vtilia sunt, & hominem ad Virtutem possunt perducere. Est autem (vt quidam Sapiens ait) prima virtus vitium fugere: postquod homo liberè & expeditè sese ad exercitium virtutis potest accingere. Propterea doctrinam hanc in duas partes diuidemus: In prima disseremus de vitijs communioribus, & conuenientia contra eadem trademus remedia. In secunda de virtutibus agemus. Sed priusquam huius materiæ tractationem aggrediamur, duo præmittemus consilia, seu documenta euidentia, quæ maximè sunt necessaria huic, qui viam hanc ingredi secum definiuit. Horat. S. Greg. 6. Moral. c. 17.

DVCIS PECCATORVM
LIBER II.
IN QVO AGITVR DE DOCTRINA PERtinente ad virtutem, & varia ponuntur consilia vt homo tandem ad virtutem perueniat.

PRIMVM EVIDENS CONSILIVM; quid maximè necessarium est homini Deo seruire cupienti.

CAPVT I.

HOmo qui nuper statuit se diuino cultui offerre, vitam in melius cõmutare, antè omnia certò sibi persuadere debet, optimum esse huic sese studio applicare, atque illud tali habere in pretio, quale meretur. Vt, inquam, firmiter credat, quòd illa propositio maioris sit momenti, thesaurus, opulentior, opusque prudentius omnibus alijs rebus, quas in hoc mundo mortales admirantur. Imò ita secum cogitare debet quasi præter hanc non esset alia sapientia, thesaurus
Baruch 3. 14. alius aut alia in mundo occupatio. *Discite ô Israel*, inquit Propheta, *vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum, & pax.* Meritò itaque
Ierem. 9. 23 Dominus ait per Ieremiam; *Non glorietur sapiens in sapientia sua & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Hæc enim totius Philosophiæ Christianę summa est.

Quantumcunque filius hominis aliquis sapiens sit, si sapientia illa non sit cum virtute coniuncta, non habet quo glorietur. Ad hanc inuitant nos omnes Scripturæ sacræ, quæ nobis toties, & tot vijs modisque exercitium hoc, tanquam summè vtile & necessarium commendant. Ad hoc inuitant nos potissimũ sacræ Scripturæ, quæ varijs vijs modisque nobis virtutem commendant. Ad hoc exhortantur nos omnes creaturæ tam cælestes, quam terrenæ. Ad hoc voces & clamores Ecclesiæ: ad hoc leges omnes humanæ atque diuinæ: ad hoc infinita Sanctorum exempla nos prouocant, qui cælesti lumine pleni præuertunt mundum, & intimo cordis affectu intentionem virtutis amplexi sunt, adeò vt multi eorum læti martyrium perpessi sint; quidam in partes secti, quidam craticulis impositi, & super prunis tosti sint, aut alia mille tormentorum genera sufferre maluerint, quam in minimo diuinam Maiestatem offendere, vel ad momentum in mæla gratia Dei viuere. Denique ad hoc

exercitium nos alliciunt, imò obligant omnia illa, quæ præcedenti libro copiosiùs dicta sunt. Omnia enim hæc animum nobis augent & incitant ad audendum, magnitudinem siquidem & pretium virtutis declarant. Vnumquodque horum, diligenter & artè consideratum, sufficiens est ad demonstrandam huius negotij magnitudinem, multo autem plus omnia simul possunt, vt per hoc intelligat homo quid sit propositum virtutes sectandi, quàm necessarium & gloriosum opus sit, ei sese emancipare, & quàm æquum vel tandem ad illud aspirare, vti dictum est, & dicetur adhuc. Atque hoc primum documentum est euidens, quod ad hoc negotium pertinet.

DE SECVNDO EVIDENTI DOCVmento, quod sequi debet homo qui vult ad seruitutem Domini accedere.

CAPVT II.

SEcundum documentum est (cum negotium tantæ dignitatis sit & meriti) vt offerat se homo corde alacri & prompto ad perferēdos ictus omnes aduersitatum & tribulationum, qui ferè solent accidere his, qui Deum diligunt, ita vt omnia vilia & abiecta existimet, & pro amore Dei lubens contemnat, vt victoriosus queat ex hoc glorioso redire certamine; ob oculos sibi statuens naturam nihil in mundum produxisse excellens & pretiosum, quod non habeat aliquid difficultatis.

In momento siquidem illo, quo proponit homo vitia relinquere, & virtutes sequi, Inferni potentiæ turbantur, exercitus suos congregat Princeps tenebrarum, & armat satellites suos contra nouum Christi tyronem. Confestim caro, voluptatum turpissimarum amatrix, vsque ab ipsa natiuitate ad malum propensa, postquam mortifero serpentis infernalis veneno est infecta, magna importunitate solicitat illum, tentans si fortè ad solita posset retrahere solatia. Consuetudo quoque corruptorum morum, quæ tantum potest quantum ipsa naturalis inclinatio, egerrimè fert illam mutationem, & ostendit illam esse difficillimam. Quemadmodum enim difficillimum est magnum aliquod flumen ab alueo suo naturali, per quē multos annos decurrit, alio traducere; ita quoque difficillimum est facere, vt homo mutet vitam suam, quam plurimos annos duxit, & aliam assumat. Mundus quoque, qui bestia potentissima, crudelissimaque ferocior est, quique armatur plurimis ijsque pernicio-sissimis exemplis, quæ in eo sunt, superueniet tentans & inuitans nouum Christi militem suis pompis & vanitatibus, solicitansque malis suis peccantium exemplis, aut terrenis suis persecutionibus, quæ à malis excitantur. Et quasi hoc non sufficeret, accurret etiam, & nequaquam post principia pugnabit astutissimus, potentissimus & antiquissimus ille Impostor Diabolus, & faciet vti facere consueuit, hoc est, persequetur, & impugnabit fortiter hos, qui non ita pridem inimici ipsius facti sunt, & excusso ipsius iugo rebellare cœperunt.

Mala consuetudo.

Simile.

Mundus.

Diabolus.

Ab omni itaque parte difficultates & bella ingruent, quas omnes tentationes oportet expectet, quasi præsuppositas & præuisas, vt si quando illæ oppugnent & inuadant, non ei nouæ vel improuisæ videantur, recordeturque prudentissimi illius Sapientis consilij: *Fili accedens ad seruitutē Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Certo enim id certius esse ei debet, quod accedens ad seruitutem Dei, non accedat ad spectacula, non ad conuiuia vel festa; sed debet assumere scutum, & hastam corripere. indutus lorica ad pugnandum. Etenim etsi verum sit, multa nos in hac vita, quemadmodum antea dictum est, habere subsidia, nihilominus negari non potest, quin in initio difficultates sese nonnullæ offerant, quas tyro Christi debet habere præmeditatas, ne cùm occurrunt, insolitæ videantur: recordetur autem stipendium seu brauium, pro quo militat, tanti esse pretij, vt mereatur hoc, & multo amplius.

Eccl. 2. 1.

Sed ne timor ab aduersarijs incussus illum faciat animum despondere, cogitet multo plures & potentiores esse qui pro illo, quàm qui contra illum sunt. Nam etsi ex parte peccati tanta sit conspirantium multitudo, ex parte tamen virtutis fautores & defensores sunt potentiores. Corruptæ namque naturę, vti diximus, opponitur gratia diuina; Dæmoni Deus; malæ consuetudini, bona; multitudini malorum spiritum, exercitus Angelorum, exemplis malis & persecutionibus, exempla bona & consortia Sanctorum; delicijs & voluptatibus mundi, consolationes Spiritus sancti. Nec dubium est quin vnum quodque horum potentius est suo contrario. Multo siquidem potentior est gratia natura, Deus Diabolo, Angeli boni malis, multiqué fortiores & efficaciores sunt delectationes spirituales carnalibus.

Plures pro nobis quàm contra nos.

PARS PRIMA.

QVAE TRACTAT DE VITIIS, ET REMEDIIS EORVM.

DE FIRMO PROPOSITO, QVOD Christianus habere debet, ne quid in posterum faciat, quod est peccatum mortale.

CAPVT III.

PRæmissis duobus istis documentis tanquam fundamentis principalibus totius ædificij, primum & præcipuum quod facere debet homo, vt sit dispositus ad offerendum sese diuino cultui, & virtutum exercitio, est plantare in anima sua firmissimum propositū, quòd nunquam in posterum velit quicquam committere, quod est peccatum mortale, per quod solum amittitur amicitia, & gratia nostri Saluatoris, cum omnibus bonis, quę in secundo tractatu de Pœnitentia latiùs enumerauimus, & per illud amitti diximus. Hoc est primarium fundamentum vitæ spiritualis, hoc est illud, per quod conseruatur amicitia gratiaque Dei, & spes regni cælestis. In hoc consistit Charitas, & vita spiritualis animæ. Hoc est quod filios hominis facit filios Dei, templa Spiritus sancti, membra viua Christi, participesq; facit omnium bonorum spiritualium Ecclesię. Quam diu anima perseuerat in hoc proposito, permanet in Charitate & statu salutis, sed mox vbi resilierit ab illo, ex libro vitæ deletur, atque in volumen perditionis refertur, & ad regnum tenebrarum transportatur. Adeò vt bene considerato hoc negotio videatur, quòd vti in omni re tam naturali quā artificiali substantia est & accidens, inter quæ est illa differentia, vt mutatis accidentibus substantia permaneat; quemadmodum corruptis aut deletis picturis domus immota suis basibus insistit, licet non

Firmum propositum esse faciendum.

Simile.

cum

cum priſtina perfectione, ſed ſi domus corruat, quæ erat ſubſtantia, iam nihil remanet: ad eundem modum, quamdiu ſanctum hoc propoſitum fixum firmumque ſtat in anima, immota ſtat ſubſtantia virtutis, ſed ſi illud deficiat, extemplò corruunt omnia. Ratio autem huius eſt, quia totum fundamentum piæ vitæ conſiſtit in Charitate, quæ eſt amare Deum ſuper omnia: ille verò Deum amat ſuper omnia, qui ſuper omnia mortale peccatum odit: ſolo enim peccato mortali charitas & amicitia Dei pereunt. Quemadmodum enim res maximè contraria matrimonio adulterium eſt, ita quod maximè contrariatur vitæ bonæ peccatum eſt mortale: hoc namque interimit Charitatem, in qua vita illa conſiſtit. Ob hanc cauſam Martyres tam horrenda tormenta paſſi ſunt, non recuſantes aſſari, excoriari, ſecari, exenterari, in eculeis extendi, & vngulis ferreis laniari; ne peccatum vnum lethale committerent, ob quod ad momentum extra gratiam & amicitiam Dei viuere debuiſſent; non ignorantes interim poſſe peccatum pœnitere ſe potuiſſe, & locum indulgentiæ rurſum inuenire: quemadmodum B. Petrus fecit, poſtquam Chriſtum ter negaſſet. illi nihilominus pati maluerunt omnia mundi tormenta, quàm tantillo temporis diuina gratia carere. Huius rei paſſim multa nobis occurrunt exempla, inter alia verò trium fœminarum; vnius veteris teſtamenti, mater ſcilicet ſeptem filiorum Machabæorum, & duarum noui teſtamenti, quarum vna dicitur Felicitas, altera Symphoroſa, quarum vtraque ſimiliter mater fuit ſeptem filiorum. Omnes hę tres præſentes interfuêre tormentis & martyrio ſuorum filiorum, & videntes eos laniari, & carnem cum cute ab oſsibus abradi, quouſque patefactis viſceribus inteſtina diffluerent, non ſolùm non defecêre animo, tam triſte ſpectaculum intuentes, ſed confortârunt filios, animoſque illis addiderunt, admonentes vt fortiſsimè pugnarent pro fide & obedientia Dei. Tandem & ipſæ etiam cum filijs ob eandem cauſam conſtantiſsimè mortuæ ſunt.

Matth. 26.

De Felicitate vide Martyrol. Adonis ſub vii. Cal. Decêb. de Sympho. ibid. ſub v. Calêd. Iulij.

Sed & poſt illa exempla illuſtria lubet hîc aliud ponere, quod à B. Hieronymo in vita Pauli primi Heremi cultoris recenſetur. Alium, inquit, iuuenili ætate florentem in amœniſsimos hortulos præcepit Tyrannus abduci; ibique inter lilia candentia & rubentes roſas, cùm leni iuxta murmure aquarum ſerperet riuus, & molli ſibilo arborum folia ventus præſtringeret, ſuper extructum plumis lectum reſupinari, & ne ſe inde poſſet excutere, blandis ſerico nexibus irretitum relinqui. quò cùm, recedentibus cunctis, meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis ſtringere colla complexibus: &, quod dictu quoque ſcelus eſt, manibus attrectare virilia, vt corpore in libidinem concitato, ſe victrix impudica ſuperiaceret. Quid ageret miles Chriſti, & quò ſe verteret, neſciebat: quem tormenta non vicerant, ſuperabat voluptas, tandem cælitus inſpiratus, præciſam morſu linguam in oſculantis ſe faciem expuit, ac ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo ſuperauit. Factum ſanè heroicum, & quale vſque huc nec in Græcis, nec in Latinis hiſtorijs inuenitur.

Hieron. in vita ſancti Pauli.

Hæc ſufficiant ad demonſtrandum quàm alacri & virili animo Sancti vni peccato mortali reſtiterunt. Poſſem quidem & alia plura exempla in medium producere, eorum qui maluerũt nudi in ſpinis volui, & hyeme media in niuibus volutari atque glacie, quàm libidini carnis ſatisfacere, quæ in illis Diabolo inflante ardebat. Quapropter homo, qui ſtatuit hanc viam ingredi, debet hoc propoſitum firmiter in animo figere, æſtimando pluris (quemadmodum iuſtus rerum iudex) inimicitiam Dei, quàm omnes theſauros huius mundi, & lubens renuntiando minori, vt id quod maius eſt conſeruetur, cùm ſimili in neceſsitate conſtitutus eſt. In hoc fundare debet vitam ſuam; hoc eius obiectum eſſe debet in omnibus ſuis actionibus; hoc, petat à Deo in omni ſua oratione; hoc ſine Sacramenta Eccleſiæ percipiat. Hoc colligat ex concionibus & piorum librorum lectione: hoc ſumat ex fabrica mundi, & creaturarum omnium conſtitutione: hunc fructũ præcipuè petat ex paſsione Chriſti, omnibusque alijs diuinis beneficijs; fructus enim horum eſt eum non offendere, cui tanta debenter: & iuxta firmitatem ſancti huius timoris & propoſiti metiatur quantitatẽ vtilitatis ſuæ, tanti æſtimans illam, quanta eſt propoſiti ſui firmitas & robur, vt quanto illa vel maior, vel minor eſt, tanto etiam maior aut minor ſit vtilitas. Porrò quemadmodũ qui clauum parieti vult infigere, non eſt contentus, vnum, duos aut tres ictus malleo dediſſe, ſed tam diu pulſat & impellit, donec immotus hæreat: ſic homini ſatis eſſe non debet hoc propoſitũ, ſit quale velit, ſed debet conari & laborare quotidie, vt ex omnibus rebus, quas videt, quas audit, legit aut cogitat, occaſione eruat, quo magis magisq; in ſe creſcat amor Dei, & abominatio vel odium peccati. Quanto enim magis creuerit in illo peccati odium, tanto maiorem ſe fructum feciſſe videbit in amore diuino, & conſequenter in omni virtute.

Simile.

Vt autem firmiùs in hoc perſiſtat, perſuadeat ſibi certoque credat, quòd ſi omnia mala, pœnæ, doloreſque quotquot in hoc mundo ſunt & fuerunt, ab eo quo conditus eſt tempore, huc vſque, in vnam hanc lancem mitterentur, vnà cum omnibus pœnis, quas in inferno luunt damnati omnes; & in alteram vnum ſolum peccatum mortale poneretur, certum eſt, quia hoc vnum reliquis omnibus præponderaret: quare hoc maiori cum ſtudio fugere debet, quàm omnes illas tribulationes & ſupplicia; licet huius Ægypti ſeu mundi cæcitas tanta ſit, vt longè aliter homines ſentiant. Nec mirandum eſt homines huius mundi excæcatos non videre malum hoc tam ingens, aut mortuos non ſentire tam latè patens vulnus: non enim datur cæcis videre quicquam, quantumuis etiam magnum ſit, aut mortuis ſentire vulnus, quantumuis lethale.

Tractaturus itaque in hoc Secundo libro de doctrina virtutis, quæ contrarium habet peccatum, prima parte agam de irreconciliabili odio peccatorum, & ſpecialiter de remedijs eorundem: euulſis enim ex anima peccatorum radicibus, faciliùs plantæ virtutum inſeruntur, de quibus in ſecunda parte diſſeremus. Non ſolùm autem tractabimus hîc de peccatis mortalibus, ſed & de venialibus; non quia venalia priuant animam vita, ſed quia faciunt illam debilem & infirmam, & propterea diſponunt ad mortem? Ob eandem rationem agetur hîc de ſeptem vitijs, quæ communiter capitalia ſeu mortalia nominantur, quæ capita ſunt & radices aliorum omnium; non quia ſemper ſunt mortalia, ſed quia ſæpe, cùm nimirum tranſgrediuntur aliquod præceptum Dei vel Eccleſiæ, aut cùm violant Charitatem. Vtilis erit hæc doctrina, vt homo, cùm fortiter oppugnatur & tentatur, habeat ad hanc doctrinam, tanquam ad defenſionem ſpiritualem, refugium & ex multis remedijs, quæ in hac parte ponentur, ſeligat ſibi ea, quæ ſuo propoſito ſunt conuenientiora. Verum quidem eſt nonnulla iſtorum remediorum omnibus vitiorum generibus eſſe communia, (de quibus latiùs egimus in Memoriali vitæ Chriſtianæ, vbi quindecim aut ſedecim genera remediorum contra peccatum conſtituimus) quædam tamen particularia ſunt, certis vitijs oppoſita, vt cùm dico contra Superbiam, contra Auaritiam, & ſic in ceteris. de his in hac parte diſſeremus, vnicuique peccato ſpecialia ſua remedia adhibentes, vt nobis in promptu ſit amorum ſpiritualium prouiſio.

Propoſitio huius libri.

Animaduertendum hoc loco est, nobis in hoc spirituali certamine opus non esse lacertis Herculeis ad pugnandum, neque alatis pedibus ad fugiendum, sed lynceis oculis ad prospiciendum: oculi enim præcipua huius sunt militiæ arma atq; instrumenta, non enim nobis bellum est contra carnem & sanguinem, sed contra peruersissimos Dæmones, qui creaturæ sunt spirituales. Ratio est, quia prima peccatorum omniũ radix est error intellectus, qui consiliarius est voluntatis. Hanc ob causam aduersarij nostri hoc vnicè machinantur, vt intellectum nostrum corrumpant, corrupto namque intellectu, corrumpitur & voluntas, quæ ab illo regitur & moderatur; propterea nituntur malum colore boni tegere, & vitium sub imagine virtutis vendere, atque ita tentationem occultare, vt non tentatio, sed ratio videatur. Etenim si aut ambitione, aut auaritia, aut ira, aut vindictæ cupiditate quempiam velint impugnare, persuadent illi omnino rationi consentaneum esse hoc appetere, quod ille appetit, & esse contra rationem hoc non concupiscere, quod ille concupiscit. Hoc modo laqueis tentationum prætendunt vestem rationis, vt tanto facilius fallant hos, qui ratione reguntur. Quapropter omnino necessarium est acutos habere oculos, vt hamum videamus in esca latitantem, ne vmbra & imagine boni decipiamur. Sunt & oculi nobis necessarij, vt videamus malignitatem, turpitudinem, pericula & dãna, quæ secum adfert vitium, quo tentamur, vt hoc fræno nostrum desiderium coërceatur, timeatque gustare hoc, quod postquam gustatum est mortem generat. Hinc mystica illa Ezechielis animalia, quę sunt sanctorum hominum figuræ, (licet alia membra essent vnica & simplicia) plena erant oculis in circuitu, vt significetur, quàm necessarij sint seruis Dei spiritales isti oculi, vt se defendant à vitijs. De hoc itaque remedio præcipuè dicemus in hoc tractatu, cui etiam adiungemus alia omnia, quæ aliquid vtilitatis habere videntur, vt in progressu apertius videbitur.

Ezech. 1.

DE REMEDIIS CONTRA Superbiam.

CAPVT IV.

TRactaturi in hac priori parte de peccatis, & remedijs illorum, incipiemus ab illis septem, quæ capitalia, tanquam capita fonteisque omnium aliorum dicuntur. Quemadmodum enim radicibus arborum amputatis, rami, qui vitam à radicibus accipiebant, confestim crescunt; ita ablatis septem vniuersalibus omnium aliorum vitiorum radicibus, subitò quoque intermoriuntur vitia, quæ ab illis deriuabantur. Hanc ob causam Cassianus tanta cum diligentia contra hæc vitia libros octo conscripsit quo in studij genere multi alij viri docti & graues illum sunt imitati: videbant enim deiectis illis hostibus alios nõ posse caput erigere. Ratio autem huius est, quia (vt B. Thomas dicit) omnia peccata originaliter fluunt ex amore proprio: singula siquidem illorum committũtur ex desiderio alicuius boni particularis, ad quod concupiscendum amor ille nos incitat. Ex hoc amore nascuntur tres illi rami, de quibus B. Ioannes loquitur in sua Canonica, vt sunt, *concupiscentia carnis, cõcupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, quæ vt notioribus exprimam vocabulis) sunt amor delectationum & voluptatum carnalium, amor diuitiarum, & honorum, hi enim tres amores ab illo primo deriuãtur. Ab amore namque voluptatum tria generantur vitia capitalia, vt sunt Luxuria, Gula, & Acedia. Ab amore diuitiatum nascitur Auaritia, & ab honoris amore Superbia. Reliqua duo Ira & Inuidia seruiunt singulis istis tribus peruersis amoribus. Ita enim procedit ex eo, quod quis impeditur, quo minus obtinere queat quod concupiscit; & Inuidia ex eo, quod quis nobis præfertur, aut quod alius obtinuit quod nos cõcupiscebamus.

Stella.

1. Ioan. 2, 16.

Cùm itaque tria hæc sint, quasi vniuersales radices omnium malorum, à quibus omnia septem illa vitia procedunt, deiectis illis septem, victus erit totus exercitus aliorum vitiorum. Omne itaque nostrum studium in eo esse debet, vt fortiter pugnemus contra gigantes illos, si velimus de omnibus alijs hostibus, qui terram promissionis occupant, triumphare. Inter hæc verò vitia potentissima est Superbia, quæ est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Hanc dicũt Sancti matrem esse & Reginam omnium aliorum vitiorum quare non immeritò inter alia plurima documenta sanctus ille Tobias dixit filio suo: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Cum itaque pestilentialis hæc bestia cor tuum oppugnat, poteris sequentibus armis te defendere.

Tob. 4, 14.

Considera primùm horrendum illud supplicium, quo Lucifer cum angelis suis punitus est, eo quòd superbi erant, in momento enim, in ictu oculi ex altissimo cælo in Abyssum præcipitatus est. Vide quàm obscurum & cæcum fecit hoc vitium illum, qui splẽdidior erat astris: qui non tantum erat Angelus, sed Angelorũ Princeps, hunc non solũ Dæmonẽ fecit, sed Dęmonũ omniũ nequissimũ & turpissimum. Si tantũ potuerit in Angelis, quid non poterit in te, qui cinis es & puluis? Deus enim sibipsi non est contrarius, nec acceptor est personarum, & quemadmodum non tulit superbiam in Angelis, sic & illi displicet in hominibus, in quibus & illi placet humilitas. Hinc est quod Augustinus dicit: Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, & superbia ex Angelis Dæmones facit. Et vt euidenter ostendam: ipsa est omnium peccatorum initium, & finis, & causa, quia non solùm peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potest, aut potuit, aut poterit esse sine superbia. Hæc ille. Et Bernardus: Superbia de superis celestibus aduma præcipitat, humilitas ab imis ad alta leuat. Angelus è cęlo ad tartara corruit, homo è mundo ad cęlum ascendit.

Aug. ad quẽdam Comitẽ. & lib. ser. 12. ad frat. in Eremo.

Bern. in quadam serm. li. 3. de donis Spiritus S.

Deinde cum supplicio illo consideremus etiam inæstimabile exemplum humilitatis in Filio Dei, qui pro nobis assumpsit abiectissimam hominis naturã, & pro nobis itidem obediens factus est Patri vsque ad mortem crucis. Disce terra obedire, disce puluis contemni. Disce, ô homo, à Deo tuo, quia mitis est & humilis corde. Si tibi parum honorabile videatur aliorum hominum exemplum imitari, imitare exemplũ Dei Deorum, qui homo factus est, non tantùm vt nos redimeret, sed vt etiam humilitatem doceret.

Conuerte oculos etiam in temetipsum: in te enim inuenies quod humilitatem suadeat. Animaduerte quid eras antequam nascereris, quid es iam natus, & quid post mortem futurus es. Antequam nascerere, materia fuisti fœda & obscœna, indigna quæ nominetur; nunc ter quilinium es nitè tectum; paulò pòst eris esca vermium. Quare itaque superbis, ô homo, cũ natiuitas tua sit culpa, vita tua miseria; & finis tuus putredo atque corruptio; Si te splendor bonorum tẽporalium, quæ possides, inflet, expecta paululum, veniet mors, quæ

——— *Sceptra ligonibus æquat.*

Quemadmodum enim omnes nati sumus æquales, quantum ad naturæ conditionem, sic omnes morimur æquales ratione communis necessitatis, excepto illo, quod post mortem maior est reddenda ratio his, qui amplius hîc possederunt. Quare perpulchrè dicit Chrysostomus: Intuere sepulchra mortuorum, & quęre inter illos magnificentiæ, qua cum vixerunt, indicia, quære diuitias, quære mundi huius solatia, quibus

Chrys. lib. de reparatione lapsi. Et hom. 43. ad populum Antioch.

quibus dum viuerent fruebantur. Dic mihi, vbi hîc sunt ornamenta, vbi vestes pretiosæ, vbi deliciæ & voluptates, vbi comitatus & familiæ frequentia? transierunt, transierunt omnia, transierunt magnificæ conuiuia, risus, ioci, omnisque mundi huius lætitia. Accede ad sepulchrum cuiuscunque velis propiùs, & nihil hic aliud inuenies quam pulueres, cineres, vermes & ossa putrida. Hic itaque finis est corporum, etiam in summis delitijs & diuitijs nutritorum. Atque vtinam Deo placuisset omnium malorum hunc esse terminum: sed multo magis metuendum est, quod sequitur; horrendum scilicet diuini iudicij tribunal; Bernard. in serm. sententia, quæ ex illo pronuntiabitur; fletus & stridor dentium, exteriores tenebræ sine spe lucis, & rodens vermis conscientiæ, qui nunquam morietur; ignis denique, qui nunquam extinguetur.

Perpende & periculum, quod secum adfert vana gloria superbiæ filia, de quo sic loquitur Bernardus: Time sagittam, leuiter volat, leuiter penetrat, sed dico tibi non leue infligit vulnus, citò interficit. Sagitta hæc vana gloria est. Quòd si quandoque homines tui præcones te laudent & honorent, inquire confestim an quod laudant in te reperiatur: nam si illud in te non sit, frustra laudaris, immeritò gloriaris. Sed si hoc ipsum fortè in te inueniatur, ob quod laudaris; 1 Cor. 15, 10 dic cum Apostolo: *Gratia Dei sum, quod sum*, Non enim ob hoc superbire tibi licet, sed potius humiliari, & Deo dare gloriam; cui debes totum quod es, ne fortè indignum te reddas & exosum Deo; dubium enim non est quin & honor, qui tibi exhibetur, & causa ob quam exhibetur, vtrumque Dei sit. Omnem itaque gloriam, quam tibi arrogas Deo furaris: quis autem seruus inueniri potest infidelior eo, qui gloriam Domini sui suffuratur?

Considera quoque quanta sit ineptia, quòd æstimas tuam potentiam secundum hominum iudicium, in quorum arbitrio est bilancem vel in hanc, vel in illam partem, prout volunt, inclinare: qui enim paulò ante laudabat, modò vituperat; & qui modò vituperat, paulò pòst summis honoribus laudes tuas decantabit. Si putes honorem tuum à linguis eorum pendere, deprehendes quòd nonnunquam vsque ad cælos exaltabere, nonnunquam vsque ad infernum deprimeris, & quasi peripsema abijceris: prout mutabilibus hominum linguis placuerit. Nunquam itaque metiri temetipsum debes hominum laudibus, quæ de te feruntur, sed iuxta id quod es, & quod est in te: quantumcunque homines te prædicant, tu tantùm intuere illud, quod in te est, & quod tua tibi dictat conscientia: Potiùs tibi ipsi crede, vt cui notior es, quàm alijs, qui eminus te conspiciunt, & iudicant quasi ex auditu. Contemne itaque iudicium hominum, & omnem gloriam tuam in manibus Domini repone, qui sapiens est, vt custodiat eam, & fidelis, vt restituat.

Cogita quoque tecum, ô infelix ambitiose, in quale te periculum conijcias, alijs volens imperare, qui tibi ipsi nondum parere didicisti. Quomodo rationem reddes pro multis, qui vix pro te ipso potes respondere? Considera magnum periculum, in quod te præcipitas, volens peccata subditorum tuorum tuis adijcere, & hæc & illa in rationem tuam referre. Sap. 6, 6. Quare & Scriptura dicit: *quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet: Exiguo enim misericordia conceditur; potentes autem potenter tormenta patientur.* Sed quis posset verbis assequi molestiarum multitudinem, in quibus viuunt illi, quibus aliorum commissum est imperium? Optimè intellexit hoc Rex quidam Armeniorum, qui cùm coronandus esset, curas & labores imperij perpendens, oblatum sibi venerabilem illum pannum, quo regius vertex coronari solet, manu diu versatum aspexit: O nobilem Tigranis Armeniorum Regis dictum. Val. Max. magis, inquiens, quàm felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quàm multis laboribus & periculis sis refertus, ne humi quidé iacentè velit attollere.

Agnosce, ô superbe, quoniam nulli gratus vel acceptus es, nulli tua placet superbia. Non places Deo, ipse enim tibi contrarius est, *qui resistit superbis, & humilibus dat gratiam*. Iacob. 4, 6. 1. Pet. 5, 5. Non places humilibus, qui sine dubio te plurimùm oderunt: illi enim ab omni superbia & ambitione abhorrent. Minùs etiam places alijs superbis tui similibus: namque ob eandem causam, quæ te inflatum reddit, illis exosus es, vt qui non ferunt alium se maiorem. Quinimò nec tibi ipsi in hoc mundo satisfacere potes, nisi fortè resipiscas, & vanitatem & amentiam tuam agnoscas: & multo minùs in altero mundo, vbi propter execrandam superbiam æternis cruciabere tormentis. Quapropter Dominus ait per os S. Bernardi: O homo si teipsum bene cognoscerès, vtique tibi displiceres, & mihi placeres; sed quia te ipse non cognoscis, places tibi, & displices mihi. Veniet tempus quo nec tibi, nec mihi placebis. Non placebis mihi, quia peccâsti; non placebis tibi, quia in æternum ardebis. Diaboli soli tua placet superbia, qui cùm pulcherrimus erat Angelus, terribilissimus factus est Dæmon. Quapropter naturaliter suis similibus delectatur.

Iuuabit etiam te in humilitatis via, si cogites quàm pauca sint tua coram Deo merita, quam pauca vel nulla seruitia, quæ vera puraque talia dici possint: multa siquidem vitia reperiuntur, quæ quandam habent Virtutis imaginem, & multa sæpe opera per se bona corrumpit vana gloria, nec rarò sordet oculis Dei, quod in oculis hominum pulcherrimè fulgebat. Alia sunt iudicia iustissimi Iudicis, alia sunt nostra; longè sunt ab his illa diuersa: Deo namque minùs displicet peccator humilis quàm iustus superbus; quamuis nemo dici potest iustus, qui superbus est. Quòd si fortassis bonum aliquod opus operatus sis, recordare fieri posse, vt omnium, quæ vnquam fecisti, sint pessima. Et si bona sint, non tamen sine defectibus sunt, ita vt necesse magis sit te veniam postulare, quam præmium expectare. Quare B. Gregorius dicit: Si remota pietate discutiatur etiam vita iustorum, succumbit. Etenim fieri potest vt ijs ipsis, quibus te Deo placiturum existimas, illum offendas. Mala enim nostra purè mala sunt; bona verò non sunt purè bona, cùm sæpe pluribus mixta sint imperfectionibus: atque proinde rationi magis consentaneum est, vt metuas bonis tuis operibus potius, quàm in ijs glorieris: quemadmodum iustus ille Iob faciebat, cuius dictum est: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Greg. lib. 9. Mor. cap. 18. & Aug. lib. 9. Confess. cap. 13. Iob 9, 28.

Alia remedia contra Superbiam magis particularia.

QVemadmodum fundamentum omnis humilitatis est cognitio sui ipsius, ita fons & origo superbiæ est sui ipsius ignorantia: qui enim verè cupit humiliari, necesse est vt ille seipsum penitus cognoscere discat, atque ita demum humiliabitur. Quomodo enim fieri posset, vt homo cogitationes suas non humiliet, qui sine adulatione lumine veritatis illustratus sese intelligit oneratum peccatis; mole huius mortalis corporis aggrauatum; terrenis intricatum curis, carnalium desideriorum fæce infectum, cæcum, infirmum, implicatum multis erroribus, expositum mille periculis, mille timoribus trepidum, mille difficultatibus anxium, mille necessitatibus calamitosum, procliuem ad vitia, inualidum ad virtutes. Vnde huic iam extollentia oculorum? vnde leuare caput? Ergo de sui cognitione mater salutis humilitas oritur, inquit B. Bernardus. Nam si diligenter temetipsum scruteris, luce meridiana clariùs videbis nullam in te causam esse superbiendi. Vide Bern. serm 36. in Cantic.

Sunt

Sunt verò quidam, qui, cùm seipsos intuentur, humiliantur; si alios, extolluntur, & intumescunt: dum enim sese alijs conferunt, æstimant sese quouis alsero meliores & digniores. Hi, qui sic inflantur, deberent meritò meminisse, quòd licet in aliquibus alijs sint meliores, in multis tamen, si omnia iusta trutina pensentur, ijsdem peiores offendentur. Quam itaque, ô superbe cinis & pulvis, quam in te superbiendi, & proximum contemnendi materiam inuenisti? An fortè quia continentior es, an quia videris illo fortior? fortè licet ille minus sit continens, & infirmior te, humilior tamen sit quàm tu es, aut prudentior, aut patientior, aut in charitate feruentior. Debebas itaque magis considerare quid tibi deest, quàm quod habes: & virtutes, quę in alio sunt, quàm quæ in te sunt. Talis enim consideratio te conseruabit in humilitate, & desiderium perfectionis in te excitabit. Sed si versa vice oculos tuos conijcias in hoc quod tu habes, & alteri deest, te meliorem illo arbitraberis, & in studio virtutis deficies. Cùm enim per comparationem alterius videare tibi aliquid esse, teipso contentus eris, tibique sufficies, & extinguetur in te omne desiderium vlteriùs proficiendi. Si sensëris cogitationes tuas aliquo bono opere exaltari, tunc diligentiùs debes aduigilare, ne philautia bonum illud opus perdat, & vana gloria, quæ pestis est bonorum operum, istud non corrumpat: sed nihil tibi planè tuisve meritis arrogans omne quod habes acceptum fer diuinæ clementiæ, & B. Apostoli verbis

1.Cor.4,7. tuam superbiam castiga, dicens: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Opera quæ motu proprio sine obligatione pro maiori perfectione facis (quæ & consilia dicuntur euangelica) si prælatus non sis, occultare disce, ita vt

Matth.6. manus sinistra nesciat quid facit dextera; vana enim gloria manifestè insidiatur operibus bonis, quæ fiunt publicè & manifesta sunt.

Cùm sensëris cor tuum eleuari & intumescere, debes confestim remedium applicare, recordando peccata tua maiora potissimùm, vel inter illa, quæ maxima sunt, atque hoc modo venenum veneno pelles, quæ medicorum est industria. Atque ita pauonum more, respiciens quæ in te sunt turpiora, continuò rotam vanitatis dissipabis. Quanto maior es tanto debes esse submissior: Nam si plebeius es & abiectus, parum est si sis humilis; sed si sublimis sis, & magnis dignitatibus illustris, & nihilominus te humilies, magnam & raram tibi virtutem conciliabis. Humilitas enim in honore honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis: sin autem abest humilitas, perit & ipsa dignitas. Si ad virtutem humilitatis aspires; sequere viam humiliationis, si namque humiliari non velis, nec vnquam humilis diceris. Et quamuis multi humiliantur, qui verè humiles non sunt; certum tamen est humiliationem, vt ait Bernardus, esse

Bernard. epist.31. viam ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Humiliter itaque subijcere Deo, &, vt B. Petrus monet, omni

1.Pet.2. humanæ creaturæ propter Deum.

Bern.serm. 34. in Cæ. Tres timores D. Bernardus vult semper in animabus nostris habitare: Beatus es, inquit, si cor tuum triplici timore repleueris, vt timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longè plus pro recuperata. Cùm adest time, ne indignè operëris ex ea: si recesserit, multo magis timendum, quia vbi tunc deficit gratia, deficis & tu: time ergo subtracta gratia, tanquam mox casurus; time quia reliquit te custodia tua. Iam si gratia repropitiata redierit, multo amplius tunc timendum, ne fortè contingat reciduum pati. Et hoc modo timendo noli de te quicquam præsumere, plenus timore Domini. Patiens esto in omnibus persecutionibus tuis: in iniuriarum enim perpessione verus probatur humilis. Noli contemnere pauperes: miseria namque proximi digna potiùs est compassione, quàm contemptu. Vestimenta tua ne sint curiosa? qui enim pretiosas vestes amant, rarò sunt humiles corde; & qui induunt eas, cupiunt ab hominibus videri: nemo enim, ait Gregorius, vult tibi pretiosis vestibus indui, vbi ab alijs non possit videri. Interim cauëndum, ne vestis tua quoque sit nimis sordida, aut statu tuo indigna, ne dum vanam gloriam quæris effugere, potius in illam incidas; id quod multis accidit, qui volentes hominibus placere, ostendunt, aut potiùs simulant se nolle illis placere, & dum laudes hominum fugere videntur, eas maximè appetunt. Noli humilia recusare officia: qui enim verè humilis est, non dedignatur humilibus famulari, imò sponte sese illis offert tanquam homo, qui suo iudicio abiectissimus reputatur.

Gregor homil. 40. in Euangel.

DE REMEDIIS CONTRA AVARITIAM.

CAPVT V.

AVaritia est appetitus inordinatus diuitiarum. Quare non tantùm is qui furatur, sed & qui inordinato desiderio alterius appetit diuitias, & qui inordinatè conseruat suas auarus dicitur. Vitium hoc damnat Apostolus, cùm dicit: *Qui volunt* 1.Tim.6,9. *diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas,* hoc est, Auaritia. Non posset huius vitij malignitas graphicè magis describi. Ex his enim verbis liquet infelicem hominem, qui huic malo subiectus est, seruum esse omnium aliorum peccatorum. Quare cùm vitium hoc cor tuum oppugnat, his te armis subsequentibus tueberis.

Christus exemplar paupertatis.

Primùm igitur, ô auare, considera, quando Dominus & Deus tuus ab altissimo cælo in has terras descendit, noluit diuitias, quas tu tantopere desideras, possidere; imò tam tenerè paupertatem dilexit, vt à Virgine pauperrima & humillima carnem assumere voluerit, non autem à Regina diuite atque potente. Quando verò natus est, noluit in superbo & commodo hospitari palatio; noluit mollem lectulum; respuit cunas delicatas: sed voluit in duro reclinari præsepio & asperas paleas tenerrimo premere corpusculo. Quamdiu vixit in hoc sęculo, paupertatem semper dilexit, & diuitias spreuit; Legatos suos Apostolos elegit, non principes viros, non magnates, sed abiectos piscatores. Quis igitur ordo hic præposterus, vt vilissimus vermis quærat opes, quas Dominus vniuersorum omniumque creaturarum illius causa contempsit.

Anima nunc perdere quàm indignum.

Considera præterea quam ingens sit tui cordis vilitas, quòd cùm anima tua creata sit ad imaginem & similitudinem Dei, redemptaque proprio illius sanguine, in cuius comparatione totus mundus nihil est, eam exiguo lucro tu perdere non erubescis. Deus vitam suam pro toto mundo non dedisset, quam tamen pro anima hominis lubens posuit. Anima itaque toto mundo est dignior. Veræ diuitiæ non sunt aurum, nec argentum, nec lapides pretiosi: sed in virtute reperiuntur, quam secum adfert bona conscientia. Relinque falsam hominum opinionem, & videbis aurum & argentum non esse aliud quam terram fuluam & candidam, quæ ab hominum erroribus in tanto habetur pretio. Id quod ab omnibus Philosophus huius mundi contemptum est, tu discipulus Christi tanti facis, vt seruum etiam illius temetipsum emancipes? Nam, vt Beatus Hieronymus dicit, ser-

uus di-

tuus diuitiarum est, qui custodit eas tanquam seruus, qui verò iugum illud excussit, diuidit eas tanquam dominus.

Matth.6,24. Luc.16,13. Considera quoque quid Dominus dicat in Euangelio: *Nemo potest duobus dominis seruire, Deo & Mammonæ*, hoc est, diuitijs. Anima quoque Deo liberè vacare non potest, si tam auidè atque apertis faucibus diuitias capret, sequaturque. Deliciæ spirituales fugiunt cor terrenis rebus occupatum; nec inter sese conueniunt res vanæ & quæ veræ sunt, sublimes & humiles, temporales & æternæ, spirituales & carnales, nec quis simul vtrisque potest gaudere.

Mala multa secum adferunt diuitiæ. Considera similiter, quòd quanto feliciùs res terrenæ tibi succedunt, tanto fortassis es miserior, propter pignus, quòd hic tibi datur, vt vanæ felicitati nitaris, quæ tibi hîc offertur. Ah si scires quanta mala secum adfert exigua ista prosperitas, videres amorem diuitiarum plus affligere desiderio, quàm vsu oblectare. implicat enim animam varijs tentationibus, & cogitationibus ligat infinitis; inuitat varijs delectationibus, prouocat ad peccandum, & turbat quietem non minùs corporis quàm animæ. Et quod maius est, diuitiæ nunquam conquiruntur sine molestia; non possidentur sine cura; non amittuntur sine dolore, & quod peius est, rarò sine Dei offensione & peccato colliguntur. Hinc illud prouerbium, Diues aut malus est, aut hæres mali.

§ Hier. epist. ad Heluid.

Diuitiæ non satiant appetitum. Considera etiam quàm ingens error sit, sine intermissione concupiscere, quæ licet copiosissima sint, hominis tamen desiderium nunquam possunt satiare, imò plùs irritant illud, & inflammant, vti potus in hydropico maioris sitis causa est; ita vt quantumlibet habeas, semper tamen illud appetas quod tibi deest, & semper plura concupiscas. Ita vt miserum cor omnes res mundi penetrans defatigetur, nunquam verò satietur: bibit, sed sitim non extinguit: non enim æstimat ea quæ habet, nisi & ea, quæ amplius potest habere, similiter possideat: & non est minor molestia propter res, quas non acquirit, quàm est voluptas in rebus, quas possidet; nec auro cor magis satiatur, quàm corpus vento & aëre. Quamobrem non immeritò D. Augustinus miratur, dicens: Quæ, inquit, est ista auiditas concupiscentiæ, cùm & ipsæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt verò prædæ, cùm sentiunt satietatem. Insatiabilis est sola auaritia diuitum, semper rapit, & nunquam satiatur, neque Deum timet, neque hominem reueretur, neque patri parcit, neque matrem agnoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat.

Simile.

Aug. de verbis Domini, serm 21.

Diuitiæ tutæ non sunt. Considera quòd vbi multæ diuitiæ, ibi multi sint, qui comedunt eas, multi qui appetunt, multi qui furantur. Quid habet ditissimus huius mundi ex omnibus suis diuitijs amplius, quàm vnde necessariò viuat? & hac solicitudine te potes exonerare, si iactes curam tuam in Deum & te commendes illius prouidentiæ: Deus enim nunquam confundit eos, qui sperant in eo. Quem enim Deus fecit, hunc non patitur, vt fame moriatur. Qui aues cæli nutrit, & vestit lilia campi, quomodo vnquam poterit deserere hominē; præsertim cùm tam exiguum sit, quod hominum sufficit necessitati? Vita breuis est, & mors festinans insequitur nos: quid igitur tanta tibi opus est prouisione in vita tam breui? Quid de tãtis facies diuitijs, præsertim cùm quanto minus habueris, tanto liberius, tantoque minus oneratus sis ambulaturus: & cùm ad finem tuæ peregrinationis perueneris, si pauper fueris, non erit tua conditio peior quàm diuitum, qui multo auro sunt onerati. Imò melior erit: minorem enim senties in deferendis exiguis rebus dolorem, & minor erit tibi reddenda coram Deo ratio; econtrariò diuites in fine sui itineris, non sine summo cordis sui dolore magnos auri montes relinquunt, quos tanquam Deos adorârunt, nec sine maximo periculo reddenda illis erit ratio eorum quæ possederunt.

Diuitiæ nil proderunt in morte. Considera quoque auare, pro quibus tantas congeris diuitias: certo enim certius est, quod sicut nudus venisti in hunc mundum, ita nudus hinc abibis; pauper intrâsti, pauper exibis. Hæc sæpe tibi cogitanda sunt. Facilè namque contemnit omnia, dicit Hieronymus, qui se cogitat moriturum. In articulo mortis omnia tibi bona temporalia sunt relinquenda, sola opera tua, quæ fecisti, siue bona sint, siue mala, te comitabuntur: tunc recordaberis, quia bona æterna temporalibus permutâsti, in quibus cumulandis, & tempus, & affectus, & labores omnes consumpsisti. Tunc bona tua in tres partes diuidentur; corpus dabitur vermibus, anima Dæmonibus, & bona temporalia cedent hæredibus, qui fortè futuri sunt ingrati, prodigi & iniqui. Ideoque multo melius est & tutius, consilium sequi Saluatoris, qui suadet facultates pauperibus esse distribuendas, vt vitam tibi præparent; vti faciunt huius seculi Principes, qui iter aliquo instituturi, impedimenta thesaurosque præmittunt, ipsi subsequuntur. Quæ quæso maior excogitari potest amentia, quàm relinquere thesauros tuos in loco, ad quem nunquam reuerteris: & nolle præmittere ad locum, in quo semper commoraturus es?

Epistol. ad Paulinum in fine.

Simile.

Considera præterea summum huius Vniuersi Rectorem & moderatorem prudentis instar Patris familias eo modo tam bona huius seculi, quàm onera & officia partitum esse, atque ita omnia instituisse, vt vnus regat, alter regatur; vt vnus bona distribuat, alter accipiat. Cùm itaque tu vnus sis eorum, quibus incumbit facultates, quas vltra necessitatem habes, distribuere non habentibus, putásne licitum esse tibi illas reseruare soli tibi, quas pro multis accepisti? Audi quid dicat Ambrosius: Non minoris est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & habes indigentibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines; nudorum indumentum, quod tu includis; miserorum redemptio & absolutio pecunia, quam tu in terram fodis. Animaduerte itaque, & cogita bona, quæ à Domino accepisti, esse remedia humanæ miseriæ, & non instrumenta voluptatis aut superbiæ. Attende vt cum omnia prosperè tibi succedunt, eius memineris, qui auctor illius est, & caue ne remedia alterius miseriæ tibi præbeant materiam vanæ gloriæ. Noli, ô frater, exilium plus quàm patriam amare; noli facere vt apparatus commeatusque nimius ambulanti tibi sint impedimento. Noli sic amare splendorem Lunæ, vt contemnas Solem meridianum: noli sic viuere, vt solatia vitæ præsentis mortis perpetuæ præbeant materiam, contentus esto conditione & statu, qui tibi obtigit, memor illius Apostoli: *Habentes victum & amictum his contenti simus.* Seruus enim Dei, vt Chrysostomus inquit, non debet splendidè vestiri, non lautè epulari, nec carnem in delicijs foue-re, sed necessitati tantùm satisfacere. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia reliqua tibi adijcientur.* Deus enim qui voluit tibi dare magna, parua non denegabit: memento paupertatem non esse virtutem, sed paupertatis amorem. Pauperes spiritu aut voluntatis Christi similes sunt, qui cùm diues esset, egenus pro nobis factus est. Qui autem viuunt in paupertate necessaria, eamque patienter ferunt, & diuitias, quas non habent, libenter contemnunt, hi ex paupertate necessaria faciunt virtutem. Et quemadmodum pauperes sua paupertate Christum imitantur, eique confirmantur; ita diuites erogantes eleemosynas, per Christum reformantur: non enim pauperes soli pastores Christum inuenerunt, sed & Magi Reges potentes, qui illi thesauros suos obtulerunt. Quare & tu, cui diuitiæ suppetunt, da pauperibus elee-

Ambros. in quodã serm. & Basil. homil. 6. in Auaros.

Diuitias esse remedia humanæ miseriæ, non instrumenta voluptatum.

1. Tim. 6, 8.

Hom. 3 operum imperfect.

Luc. 12, 31.

Etiam diuites saluari possunt.

bus eleemosynas, quibus si dederis, Christus eas accipit. Nec dubita quin eleemosyna, quam nunc erogas, tibi in cælo (vbi perpetua erit tua mansio) reseruabitur: sed si in terra hac thesauros tuos absconderis, non inuenies illic quicquam, vt nihil reposuisti. Quomodo igitur bona quis illa nominabit, quæ nobiscum auferri non possunt, imò quæ nobis inspicientibus amittuntur? Quid mihi prosunt, ait Ambrosius, si mecum post mortem esse non possunt? Hic acquiruntur, hic relinquentur. Econtrario verò bona spiritualia verè bona sunt; nunquam enim dominum suum deserunt, nec in morte deficiunt, nec viuentibus nobis & inuitis quispiam potest auferre.

Ambros. in serm.

Neminem debere quæ sua non sunt inuito vel ignorante domino retinere.

CIrca peccatum hoc considerandum est maximum periculum, quod in retinendis alterius bonis homines non rarò incurrunt: obseruandum enim est, nõ tantum esse peccatum alterius opes furari, sed & inuito domino illas retinere; nec sufficit propositum habere illas aliquando restituendi, si statim restitui possint. Non enim tantùm obligamur ad restituendum, sed etiam ad statim restituendum. Verum quidem est, si statim restitui nequeat, aut si non totum; exempli gratia, vt si quis depaupertatus est; in tali causa nec ad vnum, nec ad aliud obligatur, Deus enim neminem cogit, ad impossibile.

Ad confirmandam hanc conclusionem non multis opus esse verbis existimo; sufficiet enim illud beati Gregorij, qui scribens Iustino Siciliæ prætori cuidam ait: Nulla vos lucra ad iniustitiam pertrahant, nullius vel minæ vel amicitiæ à rectitudinis itinere deflectant. Solerter ergo intuendum est, quòd cuncta lucra hic relinquimus & solas dispendiosorum lucrorum causas ad iudicium deportamus. Quæ igitur maior esse potest insania, quàm hic vtilitatem relinquere, & detrimentum secum auferre? alteri commodum facere, tibi incommodum? alteri gaudium creare, tibi tormentum? quid stolidius, te velle in altera vita pœnas luere pro eo quod ab alijs in hac consumitur? Præterea & intolerabilis error est, aliquem diuitias suas seipso pluris æstimare, & iacturam animæ, quàm bonorum malle facere; gladio corpus obijcere, ne vestis laceretur. Talis, quisquis is est, mihi non multum à Iuda videtur differre, qui paucis denarijs vendidit iustitiam, vendidit gratiam, vendidit propriam animam. Denique si certum sit (vti profectò credimus) te in hora mortis (si saluus esse velis) necessariò hæc restituere debere, quæ maior esse potest amentia, quàm cùm restituere atque soluere tenearis id quod debes, in peccato vsque ad horam mortis permanere, cubitum ire in peccato, in peccato surgere, in peccato & confiteri & communicare, & omne illud amittere, quod amittit ille, qui in peccatis est, malle, quàm statim reddere? quæ perditio maior esse potest in vniuerso mundo? Non videtur iudicium habere is, qui tantam iacturam floccipendit.

Greg. lib. 1 Regist. c. 2.

Labora itaque, mi frater, vt quod debes, & citò, & plenarie restituas, nec alteri posthac iniuriam vel damnum inferas. Caue similiter ne stipendium mercenarij tui tecum dormiat: noli facere vt sæpe à te veniat, abeatque tristis à te, prius quam mercedem accipiat, ne in accipiendo plus temporis quàm in lucrando perdat, quod sæpe contingit malè soluentium iniuria.

Mercenarios non defraudandos.

Si executor alicuius sis testamenti, caue ne anima defuncti fallatur, aut suo fruatur solatio, ne fortè mulctetur ille propter tuam negligentiam suæ pœnæ prorogatione: quæ sanè res & animæ tuæ quoque erit onerosa.

Testamenta citò expedienda.

Si ineunda sit cum familia tua ratio, assuesce vt computus semper sit dilucidus & absolutus, aut saltem dum viuis liquidetur: ne cùm moriaris, lis & contentio inter domesticos exoriatur.

Non ne id quod in executione tui testamenti potes ipse facere, alterius fidei ne committas; si enim ipse tu in proprijs negotijs negligens fueris, quid putas erunt alij in alienis? Lætare si nemini quicquam debeas præter charitatem: tunc enim securè dormies, & nullum conscientiæ stimulum senties: vita tua erit pacifica, & mors in tranquillitate. Vt autem ad hæc omnia magis excitêre, injice frænum tuis appetitionibus & desiderijs, ne voluntati tuæ per omnia satisfacias, nec amplius decoque quàm tua fert substantia, quam facultates patiuntur: metire expensas tuas non voluntate, sed potestate, ne alieno ære graueris. Omne æs alienum propter appetitus nostros contrahitur; temperantia sola plus valet quàm multa millia annuorum redditorum. Sint tibi optimæ veræque diuitiæ, de quibus Paulus ait: *Quæstus magnus est pietas cum sufficientia:* Si homines sua sorte, quæ diuinitus illis obtigit, contenti essent, nec dispositioni diuinæ obstreperent, viuerent semper in pace: sed cùm metas illas volunt transilire, necesse est multum de sua tranquillitate deperdant. Nunquam enim felicem habent exitum, quæ contra voluntatem diuinam suscipiuntur.

Nulli aliquid debere inuito dominum est.

1. Tim 6, 6.

REMEDIA CONTRA *Luxuriam.*

CAPVT VI.

LVxuria est appetitus inordinatus turpium inhonestarumque voluptatum. Peccatum hoc generale admodum est, commune, & in opere præ ceteris omnibus impetuosum. Omnium enim inquit Augustinus, certaminum Christianorum difficillima sunt Castitatis, in quibus lucta est perpetua, & victoria rara. Cùm itaque turpe & obscœnum hoc vitium animum tuum tentat, iamque caro titillare incipit, sequentibus cogitationibus ei obuiam ibis.

Castitatis pugna difficilis.

Aug. lib. de honestate mulierum cap. 2.

Initio perpende vitium hoc non tantùm animam contaminare, quam Filius Dei suo sanguine lauit & exornauit, sed etiam corpus, in quod, tanquam in sacrum tabernaculum suscipitur, conditurque sacratissimum Christi Corpus, & Sanguis eius pretiosissimus. Quòd si graue scelus sit polluere Ecclesiam Dei materialem, quale flagitium erit profanare templum hoc, quod est veri Dei viuum habitaculum? *Omne* enim *peccatum*, inquit Apostolus, *quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, profanando scilicet, atque coinquinando illud peccato carnali.

Luxuria vel luit vitium templi Dei.

1 Cor 6, 18.

Considera peccatum hoc fieri non posse sine scandalo & præiudicio multarum personarum; quæ in eo concurrunt: quæ sanè res miris modis agitat in hora mortis conscientiam. Nam si lex Domini iubeat reddendam vitam pro vita, oculum pro oculo, dentem pro dente: quam poterit dare Deo talionem, qui tot animas perdidit Christianas? quomodo satisfaciet pro tot animabus, quas Christus pretioso suo sanguine sibi comparauit.

Exod 21, 24. Leu 24, 20.

Vide quàm multa vitium hoc in principio iucunda habeat & dulcia; finis verò illius est amarissimus, introitus est facillimus, exitus difficillimus. Propterea dicit Sapiens, *Fouea profunda meretrix, & puteus angustus est aliena.* facilis est eius ingressus, exitus difficilis. Verè enim nihil inuenitur, in quo homines faciliùs capiuntur, quàm in peccati huius dulcedine, sicut initio se ostendit. Sed cùm amicitiæ factæ sint & stabi-

Initia luxuriæ blanda, finis eius spera.

Prou 23, 27.

stabilitæ, & viscosa virgula iam alas animæ captas detinet, quis poterit eam liberare? Quare meritò peccatum hoc dicitur nassæ piscatoris esse simillimum, quæ quidem introitum habet latissimum, sed exitum planè angustum, & proinde pisces qui semel ingressi sunt, exire non possunt. Hinc liquet quanta multitudo peccatorum ex vno hoc proficiscuntur, cùm toto illo tempore, quo via præparatur, & quo factum committitur, & cogitationibus, & desiderijs, & operibus nullies Deus offendatur.

Mala huius vitæ coniuncta.

Cogita præterea (quemadmodum insignis quidam Doctor ait) quantam aliorum malorum multitudinem fallax hęc pestilentia secum aduehat. Primò famam polluit, quæ inter res humanas est pretiosissima, quam quis habere potest, nec vllum peccatum est, quod turpiorem secum infamiam trahit luxuria. Deinde & vires hominis eneruat, pulchritudinem aufert, sanam lædit dispositionem, parturit infinitos morbos, qui & immundi sunt & infames; flori iuuentutis insidiatur, nec illam sinit efflorescere; ante annos inducit senium, frangit vires ingenij, subtilitatem hebetat intellectus, & hominem brutis animalibus facit similem. Abstrahit hominem ab omnibus honestis studijs atque exercitijs, & submergit in pelago carnalium voluptatum, ita vt nec audeat miser homo, nec appetat quicquam loqui aliud quàm de rebus inhonestis & carnalibus. Reddit iuuenes stolidos & infames, & senes exponit hominum ludibrio? nec contentum est hoc vitium eo modo homines ipsos perdidisse, nisi etiam facultates & diuitias illorum euertat, & dissipet. Nullæ siquidem tam opulentæ diuitiæ, nulli tam immensi thesauri, quos non exiguo temporis spatio nouit exhaurire luxuria. Venter enim & genitalia inuicem vicina sunt, & bene conueniunt inter se, fidelesque sunt in hoc opere complices. Hinc est vt homines luxuriæ dediti ferè sint prodigi, comessationibus ebrietatibusque studeant; gula verò, & vestium splendore diuitiæ potissimum dilapidantur. Sed & omnibus luxuriosis hoc commune est: mulieres inhonestæ nunquam satiantur, nunquam illis satis fit, quantumuis plurima dentur illis monilia, amuleta, gemmæ, annuli, ac similia; & magis amant huiusmodi munera, quàm ipsosmet amatores, qui illa ipsis offerunt. Probantur hæc omnia exemplo filij prodigi: *qui dissipauit omnem substantiam suam viuendo luxuriosè.* Luc. 15, 13.

Memento quòd quanto frequentiùs & cogitationes, & corpus tuum dederis in prædam carnali delectationi, tanto minùs satietatem in illis inuenies. Hæc enim delectatio non satiatur, sed famem excitat augetque: amor enim inter virum & mulierem nunquam omnino extinguitur, imò flamma cùm semel extincta putatur, mox reuiuiscit, ardetque vehementiùs.

Deinde & hoc diligenter animaduerte, voluptatem, quæ ex hoc vitio percipitur, esse momentaneam, pœnam autem quæ subsequitur æternam. Inæqualis profectò nimis hæc est permutatio proturpi voluptate breuissimi temporis debere in hac vita gaudium amittere bonæ conscientiæ, in futura verò gloriam sempiternam: insuper & pœnas pati, quæ finem non habiturę. Optimè itaque B. Gregorius: Momentaneum, inquit, est quod delectat, æternum verò quod cruciat. Greg. in Præfat. Psalm. 4. Pœnitent.

Castis angelitam vitam auspicantur hac vita.

Intuere pretium Virginitatis, & puritatis illius dignitatem, quæ turpi hoc vitio perit & violatur, & videbis Virgines in hac vita statum Angelicum auspicari, singularique priuilegio tanquam puritatis mercede similes esse cælestibus spiritibus. Viuere namque in carne sine opere carnali, hoc est vitam potiùs Angelicam quàm humanam viuere. Hoc est quod Bernardus ait; Sola castitas est quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solennia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur, præbens quodam modo terris cælestis iam illius conuersationis experientiam. Propterea donatur virginibus in cælo singulare illud priuilegium, de quo scribit B. Ioannes in Apocalypsi. *Hi sunt,* inquit, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocunque ierit.* Et quia in hoc mundo præstantiora cæteris operati sunt, sequentes Dominum nostrum Iesum Christum in puritate virginali, ideo in futuro seculo illi cæteris quoque propius adhærebunt, & cum illo familiarius conuersabuntur, singulariterque delectabuntur in corporum suorum puritate. Hæc virtus homines non tantum similes Christo, sed & templa facit Spiritus sancti: Spiritus enim diuinus amator puritatis, quemadmodum omnem turpitudinem luxuriæ plus quàm aliqua vitia odit. (displicent enim illi vitia vniuersa) ita in nulla re magis voluntariè maiorique cum gaudio requiescit, quam in anima pura & ab omni carnali voluptate aliena. Quamobrem Filius Dei conceptus de Spiritu sancto, sic amauit tantoque in pretio virginitatem habuit, vt illius amore stupendum hoc fecerit miraculum, nasci scilicet de matre virgine voluerit. Sed si virginitatem tuam amiseris, saltem post naufragium metue pericula, quæ nunc expertus es: & qui noluisti incorruptum seruare bonum naturæ postquam corruptum est, vt repares contende, post peccatum ad Dominum reuertendo, tantoque diligentiùs ad Deum bonis operibus conuertere, quanto te propter peccata tua maiori dignum supplicio iudicaueris. Sæpe enim, teste B. Gregorio, sit vt anima post peccatum sit feruentior, quæ in statu innocentiæ tepida erat, & planè negligens. Et quia Deus te conseruauit, licet tam enormia perpetraueris crimina, noli nunc amplius ea committere, ne te Deus & ob præsentia, & ob præterita simul castiget: sitque notissimus error peior priori. His itaque, & similibus considerationibus homo debet contra peccatum hoc armari. Et hæc prioris generis sunt remedia, quæ contra Luxuriam dare volebamus. Apoc. 14, 4. Gregor. in Pastoral. cap. 52.

Bernard. epist 42.

Alia remediorum genera contra Luxuriam.

PRæter ea remedia, quæ communiter tradi solent contra vitium hoc, alia quoque sunt efficaciora, magisque particularia, de quibus etiam hoc loco dicendum est.

Primum itaque sit, principijs obstare: nisi enim statim ad primam tentationis faciem hostis repellatur, crescit & robustior fit. nam, vt B. Gregorius dicit, postquam cupiditas voluptatis accenditur & crescit in corde, non sinit hominem præter turpes voluptates & libidines quicquam cogitare. statim itaque incentiua vitiorum, dum adhuc in cogitatione sunt, debent in mente iugulari: quemadmodum enim lignum conseruat ignem, sic cogitatio conseruat fouetque desideria: & si cogitationes bonæ sint, accendunt ignem charitatis; si malæ, flammam libidinis excusitant. Necesse etiam est, vt sensus exteriores omnes, maximè verò visus, vel oculi diligentissimè custodiantur, ne videant id, ex quo periculum posset expectari: sæpe enim ex simplicitate videt homo aliquid, & cùm viderint oculi, vulneratur anima. Inconsiderate itaque videre mulieres, aut peruertit, aut debilitat constantiam videntis. Optimè igitur suadet Ecclesiasticus: *Virginem,* ait, *ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias faciem alienam.* Adhoc persuadendum sufficere deberet doctrina B. Iob, qui etsi homo erat iustissimus, nihilominus Greg. hom. 13. in Euangel. *Sensus exteriores custodiendi.* Eccl. 9, 5. Iob 31.

diligentissimè suos oculos custodiebat, vt de seipso loquitur, nec sibi ipsi, nec in bonæ vitæ diuturna experientia confidens. Quòd si hoc tibi non sufficiat, adde
2. Reg. 11. & exemplum Dauidis, qui cum esset homo sanctissimus, vir secundùm voluntatem Dei, vbi semel fœminam conspexerat, in tria grauissima incidit peccata,
1. Cor. 7. adulterium scilicet, scandalum, & homicidium. Debent & aures caute custodiri, ne audiant sermones obscœnos & inhonestos; quos si forte aliquando audieris, displiceant tibi, idque mœsto vultu ostende; facilè enim homo complet opere, quod auribus audit cum iucunditate. Refræna quoque linguam tuam, ne
1. Cor. 15, 33. loquaris verba turpia & inhonesta: *corrumpunt* enim *mores bonos colloquia prauа*. Lingua detegit cor hominis, & affectus illius prodit: plenitudinem enim cordis loquitur lingua. Semper occupatum sit cor tuum cogitationibus sanctis, & corpus pijs exercitijs: immittunt enim Dæmones in animam otiosam cogitationes permitiosas, ait Bernardus, quibus occupetur, vt quamuis opere non peccet, peccet tamen cogitatione.

Præsentia Dei, angeli & diaboli cogitanda.

In omni tentatione, & maximè in hac ob oculos tuos semper versetur Angelus custos tuus, & Diabolus accusator, qui verè semper & vbique tibi adsunt, omnia tua opera vident, & ipsi Iudici tuo repræsentant, qui videt omnia. Hæc enim cogitatio id efficiet, vt nunquam turpe aliquid operari in conspectu illorum audeas. Quomodo enim quod facere erubescis si viderit qualiscunque homuncio, id audebis inspectante tuo custode, accusatore, & Iudice?

Considera quoque tremendum illud tribunal, strictum iudicium, flammam æternorum tormentorum: omnis enim pœna vincitur alia pœna grauiori, haud aliter quàm clauus clauo pellitur, atque hoc modo ardor luxuriæ cogitatione ignis infernalis extinguitur.

Periculosum est soli cum sola colloqui. Chrys. homil. 13. in Matth.

Porrò caue vt quam fieri potest rarissimè solus cum muliere sola loquaris, maximè in ætate suspecta. Nam, vt Chrysostomus dicit, Tunc Diabolus audaciùs insultat viris & mulieribus, cùm solos eos conspicit, & vbi non timet reprehensorem, plus audet, propiusque tentator accedit: caue itaque cum mulieribus conuersetis, cùm nullus adest testis, solitudo enim inuitat ad omne malum. Noli confidere præteritæ virtuti, quantumuis antiquæ & stabili: scimus enim quomodo senes illi in-
Daniel. 13. flammati sunt amore Susannæ, quæ in horto sola ab illis est conspecta. Quanti & quales Episcopi & clerici post confessionum & victoriarum calcata certa-
Aug. de verbis Domini. mina, inquit Augustinus, post magnalia & signa mirabilia vsque quaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragâsse, cùm volunt in naui fragili nauigare. Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, id est luxuria, quæ cùm sit vilis & misera de magnis prædam facit. Et alibi: Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior, cedros Libani, duces gregum sub hac peste luxuriæ cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quàm de Ambrosij & Hieronymi impudica turpitudine: Fuge itaque omnem suspectam societatem fœminarum: Videre enim illas obest cordi, audire illas inflammat animum, tangere stimulat carnem; omne denique quod cum fœminis agitur, laqueus est homini cum illis conuersanti. Hoc est quod Gregorius monet: Qui
Gregor. lib. 3. Dial ca. 7. corpus suum, inquit, continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præsumant, ne ruina mentem tanto repentina turripiat, quanto ad hoc quod male concupiscitur etiam præsentia formæ concupitæ famulatur. Fuge itaque familiaritates, visitationes & dona mulierum: omnia enim hæc quasi viscosæ sunt virgulæ, quibus corda hominum capiuntur, & tanquam

De cohabitatione clericorum & mulierum.

folles, quibus ignis concupiscentiæ inflatur, cùm aliòqui in flamma fortè per se deficeret. Si cupiam fœminæ honestæ & sanctæ bene cupias, id in animo tuo fiat, sine frequenti visitatione, & familiari conuersatione. Et quia summa huius negotij consistit præcipue in fuga occasionum, ponam hic duo exempla, quæ à beato Gregorio in libris Dialogorum recen- Greg. lib. 4. Dialog. cap. 10. & 11. sentur, & nostro proposito plurimùm conducunt: Erat, inquit, in prouincia Nursiæ Presbyter quidam, qui commissam sibi cum magno timore Domini regebat Ecclesiam. Hic ex tempore ordinationis acceptæ presbyteram suam, vt sororem diligens, sed quasi hostem cauens, ad se propiùs accedere nunquam sinebat, eamque sibimet propinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditùs familiaritatis absciderat. Habent quippe sancti viri hoc proprium: nam vt semper ab illicitis longè sunt, à se plerunque etiam licita abscindunt. Vnde idem vir ne vnquam per eam incurreret culpam, sibi per illam ministrari recusabat necessaria. Hic ergo venerabilis Presbyter cùm longam vitæ implêsset ætatem, anno quadragesimo ordinationis suæ, ardescente gratiter febre correptus, ad extrema deductus est. Sed cùm eum presbytera sua conspiceret solutis iam membris quasi in morte distentum, si quod adhuc vitale spiramen inesset, naribus eius apposita curauit aure dignoscere. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus; quantulo adnisu valuit, vt loqui potuisset, inferuescente spiritu collegit vocem, atque erupit dicens: Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, palleam tolle. Illa igitur recedente, crescente virtute corporis, cum magna cœpit lætitia clamare, dicens: Bene veniant domini mei, bene veniant domini mei, quid ad tantillum seruulum vestrum dignati estis conuenire? Venio, venio: Gratias ago, gratias ago. Cumque hoc iterata crebrò voce repeteret, quibus hoc diceret, noti sui, qui illum, circumsteterant, requirebant. Quibus ille admirando respondit, dicens: Nunquid hic conuenisse sanctos Apostolos non videtis? Beatum Petrum & Paulum primos Apostolorum non aspicitis? Ad quos iterum conuersus dicebat: Ecce venio, ecce venio: atque inter hæc verba animam reddidit. Exemplum viri huius sanctissimi refertur à B. Gregorio in libro quarto Dialogorum, & comparat gloriosum finem illius viri cum vita ipsius in sancto timore traducta.

Aliud exemplum est libro tertio Dialogorum, quod & hic commemorare lubet in gratiam eorum, qui temerariè pericula diligunt. Huius historiæ tot fuêre testes, quot incolæ in illa ciuitate, in qua contigit. Dicit itaque: Andreas Fundanæ ciuitatis Episco- Gregor. lib. 3. Dial. ca. 7. pus, vir venerabilis, cùm vitam multis plenam virtutibus duceret, seque sub sacerdotali custodia in continentiæ arce custodiret, quandam sanctimonialem fœminam, quàm secum prius habuerat, noluit ab episcopij sui cura repellere, sed certus de sua eiusque continentia secum hanc permisit habitare. Ex qua re actum est, vt antiquus hostis apud eius animum aditum tentationis exquireret. Nam cœpit speciem illius oculis mentis eius imprimere, vt illectus nephanda cogitaret. Quadam verò die Iudæus quidam ex Campaniæ partibus Romam veniens Appiæ carpebat iter: qui ad Fundanum ciuium peruenies, cùm iam diem vesperascere cerneret, & quò declinare posset, minimè reperiret, iuxta Apollinis templum fuit, ibique se ad manendum contulit. Qui ipsum loci illius sacrilegium pertimescens, quamuis fidem crucis minimè haberet, signo tamen se crucis munire curauit. Nocte autem media ipso solitudinis pauore turbatus pernigil iacebat, & repente conspiciens vidit malignorum spirituum turbam, quasi in obsequium cuiusdam potestatis præire, eum verò,

qui

qui ceteris præerat, in eiusdem gremio loci consedisse: qui cœpit singulorum spirituum obsequentium sibi causas actusque discutere, quatenus vnusquisque quantum nequitiæ gessisset inueniret. Cumque singuli spiritus ad inquisitionem eius exponerent quid operati contra bonos fuissent, vnus in medium prosilijt, qui in Andreæ Episcopi animum per speciem sanctimonialis fœminæ, quæ in episcopio eius habitabat, quandam tentationem carnis commouisset, aperuit. Cùm verò hoc malignus qui præerat spiritus inhianter audiret, & tanto sibi factum lucrum grande crederet, quanto sanctioris viri animam ad lapsum perditionis inclinaret: ille spiritus, qui hæc eadem fatebatur, adiunxit, quia vsque ad hoc quoque die præterito vespertina hora eius mentem traxerit, vt in terga eiusdem sanctimonialis fœminæ blandiens alapam daret. Tunc malignus spiritus atque humani generis antiquus inimicus exhortatus hunc blandè est, vt perficeret quod cœpisset, quatenus ruinæ illius singularem inter ceteros palmam teneret. Cumque Iudæus qui aduenerat, hoc vigilans cerneret, & magnæ formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spiritu, qui cunctis illi obsequentibus præerat, iussum est, vt requirerent quisnam esset ille, qui iacere in templo eodem præsumpsisset. Quem maligni spiritus pergentes, & subtilius intuentes, crucis mysterio signatum viderunt, mirantesque dixerunt: Væ, væ: vas vacuum & signatum. Quibus hoc renuntiantibus cuncta illa malignorum spirituum turba disparuit. Iudæus verò, qui hæc viderat, illicò surrexit, atque ab Episcopum sub festinatione peruenit. Quem in Ecclesia sua reperiens, seorsum tulit: qua tentatione vrgeretur inquisiuit. Cui confiteri Episcopus tentationem suam verecundatus noluit. Cùm verò ille diceret quod in tali Dei famula praui amoris oculos iniecisset, atque ad hoc Episcopus negaret, adiunxit, dicens, Quare negas quod inquireris, qui ad hoc vsque vespere hesterno perductus es, vt posteriorà illius alapa ferires? Ad quæ nimirum verba deprehensum se Episcopus intuens, humiliter confessus est, quod prius pertinaciter negauit. Cuius ruinæ & verecundię idem Iudæus consulens, qualiter hoc cognouisset, vel quæ in conuentu malignorum spirituum de eo audiuisset, indicauit. Quod ille agnoscens, se ad terram protinus in orationem dedit, Moxque de suo habitaculo non solùm eandem Dei famulam, sed omnem quoque fœminam, quæ in eius illic obsequio habitabat, expulit. In eodem verò templo Apollinis, beati Andreæ Apostoli repentè oratorium fecit, atque omni illa tentatione carnis funditus caruit. Iudæum verò, cuius visione atque increpatione saluatus est, ad æternam salutem traxit. Nam sacramentis fidei imbutum, atque aqua baptismatis emundatum, ad sanctæ Ecclesiæ gremium perduxit. Sicque factum est, vt Hebræus idem dum saluti alienę consulit, peruenire ad suam, & omnipotens Deus inde alterum ad bonam vitam perduceret, vnde in bona vita alterum custodisset. Multa alia exempla in historijs veterum & neotericorum leguntur, quæ huc referri possent: sed sufficiunt quæ à nobis allata sunt.

REMEDIA CONTRA *Inuidiam.*

CAPVT VII.

INuidia dolor est de bono alterius, tædiumque de felicitate aliena conceptum: intellige de maiori se; eo quòd inuidus non potest æqualis fieri alteri; & de minori, eo quòd sibi sit æqualis; & de æquali, quia in vno eodemque secum conuenit. Sic Rex Saul inuidit Dauidi, & Pharisæi Christo, qui insidiati sunt vitæ illorum: tam enim fera est hæc bestia inuidia, vt huiusmodi homines non ferat, quibus inuidet. Peccatum hoc in suo genere mortale est: ex diametro namque cum Charitate pugnat; sicut & odium. Potest nihilominus aliquando non esse mortale peccatum, vt cùm inuidia non est consummata, quod & in alijs vitijs quoque locum habet. quemadmodum enim odium & ira, cùm formata non sunt, etsi in via fuerint, mortalia crimina non sunt, ita inuidia quædam perfecta est, & quædam imperfecta, etsi iam in motu sit vt perficiatur. Peccatum hoc vnum est ex potentioribus, & maximè noxijs, quodque latissimè dominatur in orbe terrarum, potissimum verò in aulis, palatijs & domibus Regum atque Principum. Quamuis etiam in Academijs, Collegijs & Monasterijs religiosorum non infrequens sit. Quis itaque se defendet ab hoc monstro? Quis adeo felix, vt aut alterius inuidiam non incidat, aut ipse non alteri inuidens vitium hoc incurrat? Nam qui consideraat inuidiam, quæ fuit inter duos fratres, non dico vrbis Romanæ fundatores, sed protoplastorum filios, quæ tanta fuit, vt vnus alium occiderit; & aliam, quæ fuit inter fratres Ioseph, quæ impulit eos, vt Iosephum venderent pro seruo vel mancipio; & quæ fuit inter ipsos Christi Discipulos, antequam Spiritum sanctum acciperent; & super omnia inuidiam, qua Aaron & Maria electi ambo à Domino, in fratrem suum Moysen exarserunt: Qui, inquam, hæc exempla legit, quid putas sentiet de alijs mundi huius hominibus, inter quos non est tanta cognatio, nec tanta sanctitas? Verè vitium hoc vnum est ex potentissimis, quod sine controuersia hodie latissimè dominatur in orbe terrarum, regnaque & imperia crudelius; quàm reliqua vitia euertit. Proprius enim inuidiæ effectus est persequi bonos, & qui ob virtutes, aliasque dotes præcellunt, atque in pretio sunt. In hos inuidi non aliter atque in album sagittas suas dirigunt, quare optimè dictum est à Salomone: *Omnes labores hominum & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi.*

Inuidia aliquando peccatum mortale, aliquando non.

Inuidia omnes status & personas familiares.

Genes. 4.

Genes. 37.

Num. 12.

Eccl. 4, 4.

Omnino itaque necessarium est, vt te armes, quo possis inimico tam potenti resistere; opem assidè petens à Domino, atque omnibus ingenij viribus hanc bestiam impugnans: quæ si perseuerat animum tuum solicitare, tu alacrior etiam insta, & pugna maiori cum robore animique promptitudine: Nam qui voluntate sua non consentit huic malo, non læditur, etiam si maligna caro vellicet illum immundis & odiosis motibus. Quòd si vicino vel amico tuo videris omnia magis prosperè, quàm tibi succedere, age Deo gratias, & cogita te aut indignum tali prosperitate; aut saltem eam tibi vtilem aut salutarem non esse, & recordare non eo prosperè magis tibi tua negotia successura, si inuideas fortunæ proximi tui feliciori: sed magis tibi fore aduersa. Ceterùm si scire cupias, quibuscum armis huic vitio resistere tibi liceat, considerationes sequentes obserua.

Primò considera inuidos omnes similes esse Diabolo, quem opera nostra bona vehementer contristant & bona æterna, quæ per illa nobis acquirimus, dolore cruciant intolerabili: non quod ille possit hæc possidere, si quando homines, ea perderent, perdidit enim hæc ille sine spe recuperationis; sed ne homines sumpti de puluere & de terra, fruantur bonis, quæ ille amisit. Hinc est illud Augustini in libro de doctrina Christiana: Auertat, inquit, Deus inuidiæ pestem ab animis omnium Christianorum; Vitium enim diabolicum est inuidia, quo solo Diabolus reus est, & inexpiabiliter reus. Non enim dicitur Diabolo quòd damnetur, quia adulterium fecisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti, sed quia hominū stanti tu lapsus continuò inuides. Hoc modo imi-

Inuidi similes Diabolo.

Augustl. lib. de discip. Christ.

do imitantes Diabolum homines alijs hominibus solent inuidere, non quia prosperitatem eorum in se posse transferre sperent, sed quia omnes tam miseros esse cupiunt, quam ipsi sunt. Animaduerte, ô inuide, licet is, cui tu inuides bona propter quæ inuidia te infestat non haberet, non statim ea tua essent. Quia ergo illa possidet sine tuo damno, cur tibi dolet quod sine tuo possidet ille præiudicio?

Nō inuidendum virtutibus proximi.

Quòd si fortè inuidia mentem tuam occupauerit, eo quod alter virtute aliqua te superet, vide quomodo sis inimicus tuipsius, omnium enim operum bonorum proximi tui tu particeps es, modo sis in gratia Dei; & quanto plus meretur proximus, tanto amplius tu in spiritalibus diteſcis; & proinde præter omnem rationem inuides illi: sed econtrario debebas gaudere, quia vtilitas vtrique vestrûm communis est, & de bonis illius tu quoque participas.

Consídera itaque quam ingens tua sit miseria, quo magis proficit in bono tuus proximus, eo tu efficeris deterior: quòd si amares in proximo tuo bona, quæ tu non habes, eadem bona virtute Charitatis tua fierent, atque ita fruereris alterius laboribus sine tuo labore. Indicat hoc B. Gregorius cùm dicit: Charitas aliena bona amando facit sua; Inuidia autem eadem odio habendo in pectoris sui vertit vulnera.

Charitate bona alterius sunt nostra.

Inuidia mala.

Perpende quæso quomodo inuidia cor vrit, carnem exiccat, intellectum torquet pacem conscientiæ interturbat, omnes dies vitæ facit tristores, omnemque tranquillitatem & gaudium omne à mente humana facit exulare. Inuidia namque tanquam caries est, quæ vti in ligno nascitur, & consumit illud: sic & inuidia nascitur in corde, & primum quod cruciat ipsum cor est, cumque iam cor corruperit, etiam tollit naturalem vultus colorem: pallidus namque, & subflauus color faciei, indicium est magnitudinis inuidiæ, quæ hominem intus cruciat. Non est Iudex alquis tam seuerus quàm inuidia in semetipsam: ipsa est enim quæ assiduè affligit, torquetque proprium suum auctorem. Hanc ob causam auctores quidam vitium hoc iustum appellant, non quod iustum sit (est enim peccatum) sed quia proprio suo tormento castigat eum, in quo est, & in eum pœnam exercet.

Simile.

Inuidia peccatum iustum.

Vide etiam quàm contrarium sit vitium hoc Charitati, quæ Deus est, & bono communi, quod Deus vbique curat & promouet. Inuidet enim alienis bonis, & abhorret ab iis, quos Deus creauit, redemit, & quibus Deus semper bona largitur, quod manifestè damnatum est: dissoluit namque illud, quod à Deo factum est, si non re ipsa, tamen voluntate. Sed si præsentissimum medicamentum huic malo velis admouere, ama humilitatem, fuge superbiam, quæ mater est huius pestis exitialis. Cùm enim superbus non ferat sibi superiorem aut æqualem, facilè inuidia in illos inflammatur, qui aliqua re excellunt; si namque viderit alium superiorem aut meliorem, putat se deteriorem, viliorémque. Intellexit hoc optimè Apostolus, cùm diceret: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Quiramos itaque inuidiæ vult amputare, necesse est, vt primam radicem ambitionis extirpet, ex qua inuidia nascitur.

Galat. 5, 26.

Præterea & mentem tuam ab inordinato appetitu bonorum temporalium debes abstrahere, & cæleſtem hæreditatem, bonaque spiritualia tantùm diligere; quæ non minuuntur, licet multi sint, qui diligunt & possident ea; Imò tanto magis crescunt, quanto plures habent possessores. Econtra bona temporalia tanto amplius minuuntur, quanto plures sunt inter quos diuiduntur: & proinde inuidia cruciat animum ea desiderantis. Cùm enim alius accipit quod ille appetebat, aut totum hoc illi perit, aut minuitur. Et sanè absque dolore fieri non potest, vt videat quis ab alio possideri, quod ille sibi expectabat. Nec sufficit tantum non habere dolorem de bonis proximi, sed & necesse est vt eidem, quantum potes, benefacias; insuper & Dominum Deum orare, vt ea quæ tu non potes, ille suppleat. Non debes quenquam contemnere. Amices tuos dilige in Deo, & inimicos propter Deum: qui, cùm tu inimicus illius esses, adeò te dilexit, quòd ad redimendum te, & eruendum ex hostium tuorum manibus vitam suam in mortem dederit. Quantumuis proximus tuus malus est, non tamen ob hoc debet contemni: sed in hoc Medicum debes imitari, qui quidem odit morbum, personam tamen infirmi diligit: Ita fac & tu, amans hoc quod à Deo factum est, & abhorrens ab illo, quod homo malè fecit. Nunquam dicas in corde tuo; Quid mihi cum illo? aut qua in re illi sum obstrictus? non noui illum, non est mihi cognatione vel affinitate iunctus: nunquam mihi benefecit, aut obsequium aliquod præstitit, imò aliquoties mihi damnum intulit. Sed recordare Deum sine aliquo tuo merito te maximis beneficijs onerâsse, & proinde præcipit tibi, vt in gratiarum actionem, & aliqualem remunerationem huius suæ beneficentiæ, tu vicissim liberalis sis, non erga ipsum (ille enim bonorum tuorum non eget) sed erga proximum, quem tibi commendauit.

Simile.

DE REMEDIIS CONTRA GULAM.

CAPVT VIII.

GVla est appetitus inordinatus cibi & potus. Ab hoc vitio vt nobis caueamus, hortatur Christus, cum ait: *Attendite autem vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ,* Luc. 21, 34.

Cum autem vitium hoc cor tuum pulset, his illi resiste considerationibus. Primò intuere quomodo ob vnum gulæ peccatum mors in vniuersum genus humanum intrauit: atque proinde necesse est, vt in primo hoc prælio superior sis, in quo si succumbas, multo infestius ab alijs vitijs oppugnaberis, multoque debilior eris ad resistendum. Proinde gulæ tentationi virili animo ante omnia resiste: quam nisi viceris, frustra te alijs vitijs oppones. Poteris autem facili negotio superare inimicos alios omnes, qui foris sunt, vbi primum prostratueris & occideris eos, qui in te nascuntur. Cum exiguo namque fructu quis pugnat cum illis, qui foris sunt, si hostem habeat internum. Quare & Diabolus Christum prius gula tentauit, putans sic sese portam reliquis vitijs posse aperire.

Luc. 21.

Gula causa mortis.

Perpende quoque raram & singularem abstinentiam Domini nostri Iesu Christi, qui non solum post ieiunium in deserto, sed & aliàs sæpe asperrimè sanctissimam carnem suam tractauit, famemque passus est pro nostro solatio, & vt nobis daret exemplum. Si enim ille, qui sola sua præsentia nutrit Angelos, & pascit volucres cæli, famem pro te passus sit; quanto maiori cum ratione tu pati aliquid debes pro temetipso? quo titulo gloriari vis te seruum esse Christi, si ille esurierit, & tu vitam omnem in gula & ebrietate consumas? ipse sustinuit molestias & pœnas pro tua salute, & tu sustinere non vis pro eadem? Si tibi grauis nimium videatur crux abstinentiæ, memento fellis & aceti, quod Christus in cruce gustauit. teste siquidem Bernardo: Nullus cibus tam amarus, qui si recordatione acceti & fellis Christi temperetur, non statim fiat dulcior.

Abstinentia Christi.

Reuoca etiam in memoriam abstinentiam omnium sanctorum Patrum in eremo, qui secedentes in loca deserta, cum Christo carnem suam crucifixerunt

Anachoretarum abstinentia.

cum

cùm omnibus eius desiderijs,& gratia Dei multos sese annos sustinuerunt solis radicibus herbarum, tantaque abstinentia se macerárunt, vt penè incredibile videatur. Si itaque Patres nostri hoc modo Christum imitati,& hac via cælum ingressi sint,quomodo tu illuc intrare te posse existimas per viam delitiarum & voluptatum?

Memento quot pauperes in mundo sunt, qui sese felices existimant, si ventrem pane & aqua satiauerint,& intelliges, quàm liberaliter tecum egerit Dominus, qui fortè tibi plura largitus est, quàm illis, non itaque fas est, vt conuertas liberalitatem Domini tui in gulæ tuæ instrumentum.

Attende quoties ore tuo sacratissimam Eucharistiæ hostiam recepisti: noli ergo admittere, vt per eandem portam, per quam intrauit vita, mors ingrediatur, & nutrimentum fomentumque aliorum peccatorum.

Considera denique delectationem gulæ non consistere in maiori loco quam duorum digitorum, & in duobus tantùm temporis momentis, quibus cibus transit: nec æquum est, vt propter locum tam breuem humanæ gulæ, & voluptatem tam momentaneam terra, mare, & aër non sufficiant. Ad satisfaciendum huic gulæ sæpe spoliantur pauperes,& multæ fiunt iniuriæ, vt fames debilium conuertatur in delitias potentum. Miserabile profectò, multumque dolendum est, voluptatem tam exiguæ partis corporis humani totum hominem in Infernum præcipitare, & omnia membra sensusque corporis pati debere pœnas æternas propter auiditatem breuissimam membri vnius. Non animaduertis quàm turpiter erras, nutriens corpus (quod paulò pòst futurum est esca vermium) tam delicatè,& cibis tam pretiosis; negligis autem animam tuam, quæ mox ante diuinum tribunal sistetur, quæ vacua virtutibus, cùm venter plenus sit cibis pretiosis, æternis, tormentis mulctabitur? Et si anima condemnetur,certus esto corpus quoque pœnas suas habiturum. quemadmodum enim corpus propter animam creatum est, sic & cum anima punietur. Contemnens itaque partem tui nobiliorem, & in delitijs nutriens ignobiliorem, perdes vtramque, & tuo te iugulabis gladio. Caro enim, quæ tibi data est in adiutorium, laqueum tendit vitæ tuæ, & te comitatur ad tormenta, quemadmodum in vitijs hîc sequebatur.

Gula delectatio breuissima.

Luc. 16. Recordare famis Lazari,qui cupiebat saturari micis de mensa diuitis cadentibus, & nemo erat,qui dabat illi. Quare cùm mortuus est, à manibus Angelicis in sinum Abrahæ deportatus est; econtrariò verò dives Epulo, qui induebatur purpura & bysso, incrassatus opiparis dapibus, sepultus est in Inferno: non enim eundem habent euentum fames & satietas, voluptas & continentia, voluptatem enim post mortem sequitur miseria, & miseriam voluptas. Ponamus casum; edisti & bibisti anno præterito & lautiùs & abundentiùs, dic mihi, quid tibi nunc ex istis voluptatibus superest? certè nihil nisi remorsus conscientiæ, qui fortè cruciabit te in æternum. Omne itaque id quod abligurijsti & vorásti præter modum & rationem,perdidisti: & quod subtractum tibi pauperibus distribuisti, optimè depositum est, & quasi thesaurus in vsum tuum conseruatum, qui tibi in cælesti ciuitate restituetur.

Cautè ambulandum in reficiendo corpus.

Ne autem per imprudentiam ab hoc vitio capiaris, ante omnia obseruandum, quòd sæpe cùm necessitas sibi satisfieri postulat, voluptas quæ sub necessitate latet, exigit vt suum impleatur desiderium: & tanto facilius fallit, quanto occultius sub honestæ necessitatis colore sese ingerit, desideriumque suum abscondit. Proinde magna hîc opus est cautela, & prudentia, ad refrænandum voluptatis appetitum,

Granatenſ. Opuſc. ſpiritual.

sensualitatemque imperio rationis subijciendam. Si itaque cupias, vt caro tua serua sit,& animæ subiecta, fac vt anima tua Deo subijciatur: oportet enim vt anima regatur à Deo, vt possit illa vicissim imperare carni. Atque hoc ordine admirabili homo reformabitur, hoc est, vt Deus dominetur rationi, ratio regat animam, & anima corpus; atque ita homo totus erit reformatus. Sed corpus reluctatur imperio animæ, si illa non submittatur imperio rationis, & si ratio non sit conformis diuinæ voluntati. Quando tentaris à Gula, imaginare quòd iam breui hac delectatione potitus sis, & nunc transiuerit; & quòd delectationes gustus similes sunt somnio noctis præteritę,& ab oculis fugienti: & considera voluptatem hanc, vbi recesserit, animam relinquere tristem in conscientia: sed si voluptas illa vincatur, anima gaudet, lætatur, & conscientia tranquilla est? iuxta pulcherrimam illam sententiam Sapientis: Si quid feceris honestum cum labore, labor abit,& honestum manet, si quid turpe cum voluptate, turpitudo manet, voluptas abit.

Homo quomodo reformatur.

Aulus Gellius Boetius de consolatione Philoſ. lib. 3.

REMEDIA CONTRA IRAM odium & inimicitias, quæ ex illa nascuntur.

CAPVT IX.

IRA est appetitus inordinatus vindictæ de illo sumendæ, à quo nos læsos existimamus. Contra pestilens hoc vitium antidotum nobis demonstrat Apostolus, dicens: *Omnis amaritudo, & ira & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia. Estote autem inuicem misericordes, donantes inuicem sicut & Deus in Christo donauit vobis.* De hoc peccato loquitur Dominus in Matthæo: *Ego autem dico vobis,* ait, *quia omnis,qui iracitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Proinde cùm rabidum hoc vitium animum tuum solicitat, sequentibus his considerationibus illud repelle.

Ephes. 4. 31.

Matth. 5. 22.

Considera primùm animalia bruta pacificè viuere cum his, quæ sunt eiusdem speciei. Elephantes cum elephantibus incedunt: vaccæ, & oues itidem in suo armento vel grege vnà pascuntur. Volucres eiusdem naturæ simul volitant. Grues interdiu simul volant, & nocte vnus pro alijs excubias agit. Idem faciunt Ciconiæ, cetti, delphines, & multa alia animalia. Concordia etiam & ordo formicarum,apumque omnibus nota sunt. Et inter feras est quędam pax & concordia: Leonum feritas cessat cum suis similibus: Aper apro non est infestus: Lynx cum lynce bellum non gerit: draco cum dracone non præliatur. Quid multis? ipsi mali Spiritus, qui omnis nostræ discordiæ sunt auctores, fœdus inter se tuentur, & de communi consensu suam exercent tyrannidem. Soli homines, quibus maximè conuenit humanitas & pax, quibusque hæc maximè sunt necessaria, inter se intestina odia & exitiales fouent discordias. Hæc maxima digna sunt consideratione.

Homo bestijs iracundior.

Nec minùs considerandum est, quòd natura cunctis animantibus arma dederit ad pugnandum; equis pedes, tauris cornua, apris dentes, apibus aculeum,auibus vngues & rostra,vsque ad pulices & culices,quibus natura contulit arma ad mordendum & pungendum, quibus sanguinem possunt elicere. Tu autem homo, quia creatus es ad pacem & concordiam, creatus es inermis & nudus, ne quid haberes quo quenquam læderes. Perpende itaque quàm sit contra naturam tuam te vindicare velle, & nocere huic à quo offensus es; maximè arma extra te quærendo,quæ natura ipsa tibi negauit.

Homo nullâ habet armâ à naturæ.

Ira cuiusdã leonis.

Memento iram & cupiditatem vindictę proprium esse ferarum de quarum iracundia sic quidam Sapiens ait: O homo cur degeneras à tuæ conditionis nobilitate, imitando naturam leonum, serpentum, aliorumque ferorum animalium? Scribit Ælianus de leone quodam, qui cùm vulneratus esset in venatione lancea, anno plus minus elapso, eum à quo vulneratus erat, illac transeuntem in comitatu Regis Iubæ, aliorumque multorum hominum, eminus conspexit, cognouit illum leo, & irruens per medios hominum cuneos, inuitis omnibus non quieuit, donec ad illum peruenit, à quo læsus erat, quem mox dilaniauit, atque in partes discerpsit. Idem vidimus factum à quodam tauro in illos, à quibus lacessitus & percussus fuerat. Horum ferocium animalium imitatores sunt homines iracundi, & immanes; qui cùm possent iram mitigare ratione & discretione, (vt homines decet) malunt sequi impetum & furorem suum bestialem, gloriantes in parte sua ignobiliori, quæ ipsis cum bestijs est communis, cùm vti deberent diuina ratione, in qua cum Angelicis communicant.

Ælian hist. animal.

Ab exemplo Christi.

Si dixeris, difficile est cor iratum mitigare: Respondeo debere te vicissim considerare, multo difficilius fuisse Dei Filium amore tui pati. Quis eras tu, cùm ille pro te sanguinem suum fudit? an non eras eius inimicus? nónne vides quanta cum mansuetudine te peccantem quotidie sustinet, & quanta cum benignitate recipit te ad se reuertentem? Fortasis dices hostem tuum non esse dignum, cui delictum ignoscatur. Dic mihi, mereris tu, vt dignus sis, cui Deus ignoscat? Vis tu vt Deus tibi veniam largiatur, & tu contrà extremo iuri in proximum vti vis? Si inimicus tuus dignus non sit cui ignoscatur: tu tamen dignus es qui ignoscas, & Christus dignissimus est ob cuius amorem ignoscas.

Iratus est extra gratiam.

Obserua etiam quòd toto tempore, quo tu odio in proximum æstuas, dignus non es, qui offeras Domino sacrificium illi gratum & acceptum, quod Saluator innuit, cùm dicit: *Si ergo offeras munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* Ex quo præcepto luce meridiana clariùs cognoscimus, quàm ingens peccatum sit discordia cum proximo: posteaquam homo, donec ista contentio durat, sit in mala Dei gratia, & proinde nihil illi sit acceptum, quod facit reus in illo statu. Simile, quid insinuat Gregorius cùm dicit: Quia nihil Deo sine concordia placet; nil iuuant bona quæ à nobis fiunt, nisi animo tranquillo feramus offensas nobis factas.

Matth. 5, 23.

Greg. hom. 8. in Ezech. & l. 20. Moral. cap. 29.

Perpende quoque quis ille sit, quem tu tibi inimicum existimas: aut enim iustus sit, aut iniustus, omnino necesse est. si iustus sit, pessimum sanè est malè velle iusto & inimicum est homini, qui Deum habet amicum: quòd si iniustus sit, res quoque est planè detestanda, alterius malignitatem propria malignitate vindicare, & constituentem teipsum iudicem in causa propria, castigare alterius iniustitiam tua. Si tu velis iniuriam tibi, & inimicus tuus sibi illatam vindicare, nunquam finis erit discordiarum. Gloriosissimus autem vindicandi modus est, quem Apostolus docet, dicens: *Vince malum in bono*; hoc est, vince aliena vitia proprijs virtutibus. Dum enim malum malo reddere volunt homines, nec causæ suæ cedere, accidit non rarò vt cum ignominia tandem vincantur: affligit enim eos ira, & à passionibus proprijs turpiter superantur, quas si illi ipsi domuissent vicissentque, fuisset eorum victoria gloriosior alterius, qui fortè armata manu ciuitatem expugnauit: imò multo minor est victoria vnam aut multas ciuitates cepisse, quæ extra nos sunt, quàm proprios affectus, qui in nobis dominantur, vincere, & leg imponere, frænumque injcere superbiæ nostræ indignationi, quæ in nobis inclusa est: quam nisi refrænatam contineamus, insurget in nos & adiget ad ea tentanda, quorum nos postea & pudebit & pœnitebit, & quod peius est, ipsi malum quod faciemus, vix intelligemus: qui enim irascitur, huic omnis vindicta iusta videtur, & sæpius fallitur, putans stimulum iræ zelum esse iustitiæ, atque hoc modo vitium sub specie Virtutis occultatur.

Rom. 12, 21. *Quomodo vindicandum est.*

Ad superandum itaque vitium hoc, optimum remedium est omnem curam tuam in eo ponere, vt euellas extirpesque ex animo tuo radicem inordinati amoris tui ipsius, omniumque rerum tuarum: alioqui enim facile exardescet ira, si aut tu, aut aliquis tuorum verbo etiam minimo lædatur. Præterea cùm sentis initia tentationis iræ, debes confestim te preparare ad patientiam, præuidens solerter omnia malorum genera, quæ in aliquo negotio poterunt oriri. Iacula siquidem præuisa minus feriunt. Firmiter in animo debes proponere, vt quotiescunque cholera excandescit, non dicas, aut facias quicquam; imò non credas aut confidas tibi ipsi, sed omnia tibi suspecta sint, quæ cor tuum isto tempore suadet, quantumuis etiam cum ratione conuenire videantur. Executionem consilij differ donec ira deferbuit, aut quousque semel sæpiusve orationem Dominicam aut aliud quid recitaueris. Athenodori saluberrimum consilium, quod à Plutarcho refertur, hîc debet obseruari: Cùm is enim causatione senectutis flagitaret, vt sibi liceret redire domum, Augustus Imperator concessit: at cùm ille Cæsari dixisset; Vale, volens aliquod Philosopho dignum monumentum apud illum deponere, adiecit; Cæsar cùm fueris iratus, ne quid dixeris feceríve priusquam Græcarum literarum viginti quatuor nomina apud te recensueris. Cæsar autem Philosophi dexteram amplexus; Adhuc, inquit, te præsente mihi opus est, totumque etiam annum apud se detinuit. Volebat enim Philosophus hoc consilio docere, longe præter rationem esse ea, quæ fiunt quo tempore ira in corde æstuat. Et notandum est diligenter, non esse peius tempus ad deliberandum quid fieri debeat, quàm cùm homo iratus est; & tamen omnes vel maximè tunc sua volunt expedire. Proinde maximè conuenit hominem, quo tempore furor & ira mentem occupant, forti animo resistere. Nam vti omnibus notum est, hominem ebrium nihil prudenter & cum ratione agere posse, & cuius postea non pœniteat, (vti de Alexandro Magno legitur) sic cùm homo turbatus est, & commotus ab ira, excæcatusque fumo huius passionis, non potest quiescere, nec captare consilium, quod licet hodie videatur illi iustum, manè tamen, cùm animi impetus resederit, iniustum esse fatebitur: est enim extra controuersiam, iram, vinum, & amorem, hoc est carnalem concupiscentiam, pessimos esse consiliarios, qui inueniuntur. Hinc optimè dicit Sapiens: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos.* Per vinum intelligit Sapiens, non vinum materiale tantùm, quod rationem solet excæcare: sed quamcunque exorbitantem passionem, quæ similiter suo modo excæcat rationem, licet non omne id quod tunc fit culpabile semper sit.

Amor sui ipsius extirpandus.

In ira nihil tentandum.

Plutarch. in Apophth. Romanorum.

In tempore iræ nihil decernendum.

Eccli. 19, 2.

Et hoc consilium non contemnendum est; si cum iratus sis aliquo quopiam negotio ilatum occuperis, & cogitationes ab iracundia auertas: si enim igni ligna subtrahas, flamma extinguitur. Etiam totis viribus contende amare illos, quos debes necessariò ferre: nam si perferre illud iunctum non sit amori; patientia, quę foris apparet, sæpe in rancorem conuertitur. Cùm itaque B. Paulus ait, *Charitas patiens est*, statim subiungit, & *benigna*. Vera enim Charitas non

Aliud consilium.

Prou. 26.

1. Cor. 13, 4.

tas non omittit benignè amare illos, quos patienter fert. Similiter & consilium est locum dare iræ fratris: nam si te ab irato separaueris, locum dabis illi, donec ira resederit; aut saltem si secedere non velis, respondeillibenignè, nam vt Salomon dicit: *Responsio mollis frangit iram.* Prou 15, 1

REMEDIA CONTRA ACEDIAM. CAPVT X.

ACedia est ignauia & segnities animi ad bene operandum: hoc autem loco est tristitia & fastidium rerum spiritualiũ. Quàm periculosum sit hoc peccatum, liquet ex his Christi verbis: *Omnis arbor, quæ non facit fructus bonos, excindetur, & in ignem mittetur.* Et alio loco monens vt solicitè & cum diligentia viuamus quod oppositum est huic vitio, dicit: *Attendite vigilate, & orate: nescitis enim qua hora Dominus vester venturus sit.* Quare cum turpe & ignauũ hoc vitium tentat cor tuum, sequentibus considerationibus te poteris armare. Matt. 7, 19. Matt. 25, 13.

Primùm cogita quantos labores & molestias Christus ab initio vitæ suæ sustinuit pro te; quomodo continuas noctes perseuerauit in oratione pro te; quomodo sursum & deorsum currens de vna patria in alteram abijt, docens & sanans homines, quomodo semper occupatus fuit in his, quæ pertinebant ad nostram salutem, & super hæc omnia quomodo tempore passionis in humeris suis, multis flagellis & verberibus lassis & laceratis, grauem illam Crucem portauit. Si itaque Dominus Maiestatis tantos labores & dolores exantlauit, tulitque pro aliena salute; quanto magis æquum est, vt tu pro propria aliquid facias & patiaris? Ad liberandum te à peccatis tuis tanta tulit delicatissimus ille Agnellus; & tu non vis paululum atque exiguum ferre pro amore illius? *Labores Christi.*

Considera quid non tulerunt Apostoli, cùm in vniuersum orbem euntes prædicabant Euangelium, & quid passi sint Martyres, Confessores & Virgines, cũ sanctis illis Patribus, qui in eremis vastissimis viuebant ab omni humana conuersatione remoti. Denique omnes Sancti, qui nunc cum Domino gaudent in cælo, quorum laboribus & sudoribus Ecclesiæ Catholicæ fides dilatata est, & vsque hodie conseruata. *Labores Sanctorum.*

Contemplare quoque quomodo nihil creatum otiosum est: cælestes enim exercitus non cessant laudare Dominum: Sol, Luna, stellæ & omnia corpora cælestia vertuntur quotidie, semel circum vniuersum orbem in nostram vtilitatem, Herbæ, frutices, arbores, & omnia alia ex paruis corpusculis in iustam excrescunt magnitudinem; formicæ congregant æstate grana, quibus victitent in hyeme; Apes fauos suos cõstruunt, & cum omni diligentia persequuntur ignauum fucum. Idem inuenies locum habere in omnibus, si singulas animalium species percurras. Te itaque, ô homo rationis capax, pudeat huius ignauiæ, quàm detestatur creaturæ omnes, idque solo naturæ instinctu. *Nihil creatũ otiosum.*

Vide quantas molestias & labores sustinent hi, qui congregant diuitias perituras, quæ cum magnis laboribus partæ sunt, maioribus curis & periculis possidentur; quid non potiùs tu facere debes, qui tractas negotia cœli, qui pro thesauris cælestibus laboras, qui durant in æternum? Caue ne si nunc, cùm sanus es & robustus, & tempus tibi suppetat, laborare nolis, sed otiosus obambules, contingat tibi aliquando horum aliquid deesse, & tunc laborare non poteris, id quòd multis accidere videmus. Tempus vitæ nostræ breue est, & mille plenum miseriis; dum itaque tempus habes ad operandum oportunum, caue illud frustra & in acedia tibi elabi permittas. *Veniet enim nox in qua nemo poterit operari.* Ioan. 9, 4.

Memento multa & enormia peccata tua magnam postulare pœnitentiam, magnumque deuotionis feruorem, si pro peccatis satisfacies. S. Petrus ter tantùm negârat Dominum, & omnibus diebus vitæ suæ planxit hoc peccatum, licet illi iam remissum esset: Maria Magdalena vsque ad vltimum spiritum vitæque momentum defleuit peccata sua, quæ commiserat ante conuersionem; quamuis audierat dulcissimum illud Christi verbum: *Remittuntur tibi peccata tua.* Quia verò breuitati studeo, supersedeo hic plura huiusmodi exempla recensere eorum, qui similiter pœnitentiam cum vita finierunt, quorum plurimi multa minora & pauciora peccata quàm tu perpetrârant. Tu autem, qui quotidie peccata peccatis cumulas, qui ausus es dicere, videri tibi rem magnam & difficilem facere necessarios labores, pro tot peccatorum satisfactione? Proinde in tempore gratiæ & misericordiæ totis viribus annitere, vt facias fructus dignos pœnitentiæ, vt pœnis vitæ præsentis satisfacias pro illis vitę futuræ. Quamuis autem opera & pœnę nostræ videantur exigua, cùm tamen procedunt ex gratia, magni sunt meriti, ita vt pœnæ quidem sint temporales, merita verò æterna: breue currendi est spatium, sed corona perennis. Ne itaque tempus hoc merendi nobis frustra effluat, & sine fructu, constituamus ante oculos nostros exemplum cuiusdam viri pij, qui quoties horologium horæ signum dare solet, dicebat: O Domine Deus, ecce nunc iterum alia hora tranijt earum, quas statuisti vitę meæ, cuius quam potero tibi rationem reddere? *Magna pœnitentia requiritur pro peccatis.* Luc. 7, 47. *Viri pij dictum.*

Si quandoque in pijs operibus, laboribusque nostris defatigemur, cogitemus confestim per quàm multas tribulationes & molestias debeamus intrare in regnum cælorum, & quod non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et si existimes subinde satis iam te desudasse, sat multos labores exantlasse, memento quia *qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit:* sine finali enim perseuerantia nec opus est fructuosum, nec labor meritorius, nec cursus dignus brauio, nec finalem gratiam Domini sui is, qui seruire non vult, meretur. Ob hanc causam noluit Dominus descendere de cruce cùm Iudæi id exigebant, ne imperfectum relinqueret opus nostræ redemptionis. Si itaque velimus sequi caput nostrum, necesse est vt cum omni diligentia laboremus vsque ad mortem; quia præmium Saluatoris durat in æternum. Ne tergiuersemur facere pœnitentiam continuam, & non cessemus portare Crucem Domini, Christum sequendo: alioqui quid proderit nauigâsse cum prosperitate longam nauigationem, si tandem in portu naufragium faciamus. Non debes timere difficultatem pugnandi, Deus, qui te in prælium mittit, opem tibi pollicetur vt vincas, spectator adest, tibique auxiliatur, cum periclitaris, & vires deficiunt; coronat autem cum viceris. Act. 14. 2. Tim. 2, Matt. 10, 22. *Sine perseuerantia nihil meritorium.* Simile.

Cùm defatigaris molestia, sic agito: Noli virtutis labores comparare cum dulcedine delectationeque vitij contrarij: sed mœrorem & tœdium, quæ nunc sentis in virtute, cum mœrore, quem senties postquã peccasti, confer; & gaudium, quod sentis in ipso peccato, cum gaudio, quod pro virtute te manet in futura gloria; & confestim videbis quanto melior sit conditio virtutis quàm vitij. *Optimum consilium.*

Cùm vno è prælio victor euaseris, ne otieris, ne sis expers curarum: sæpe enim, vt sapiens quidam dicit, post victoriam victor curam omnem exuit: imò sta semper in specula: mox enim aderit hostis iterum, & tuba signum dabit, & nouum offeretur prælium. Nõ enim potest esse mare sine fluctibus, nec vita hæc sine tribulatione & tentatione. Qui enim tyro est, & vitã piam ducere incipit, is fortiùs & importunius ab inimico solet oppugnari, qui non molestus est ijs, quos *Post victoriã nouum instat bellum.* Vincent. in speculo doctrine lib. 4. c. 27. 28.

pacifica tenet possessione, sed his qui extra suam sunt ditionem seu iurisdictionem. Stare igitur semper debet nouellus Christi miles in statione sua, & diligenter vigilare armatus panoplia Christiana, quamdiu in hoc stabit prælio. Quòd si aliquando animam tuam vulneratam sentias, caue manus complices, arma & scutum abijcias, teque inimico dedas, sed imitare fortissimos equites, qui sæpe ex pudore ne vincantur, & ex dolore eo quod vulnerati sunt, impelluntur non ad fugiendum, sed ad denuò pugnandum; atque ita nouas vires recipiens, ex infortunio, vel casu tuo, videbis confestim fugere à te, quos tu paulò antè fugiebas, & persequeris eos, qui te persequebantur. Et si fortè (quod nonnunquam in bello fit) secundo saucieris, nec ob illud animus tuus concidat, sed memor esto idem sæpe accidere his qui pugnant fortissimè, nō quod nunquam vulnerantur, sed quòd nunquam superantur. Non enim victus ille dicitur, qui sæpe vulneratur, sed ille, qui amittit arma & animum. Si vulneraris, quære confestim remedium: citiùs enim curatur vulnus recens, quàm inueteratum & putrefactum facilius vnum, quàm multa.

Simile.

Quod si aliquando tenteris, non tibi satis sit tentationi non acquieuisse, sed stude ex eadem tentatione captare maiorem occasionem ad virtutem sectādam; ita per hanc diligentiam diuinamque gratiam non fies per tentationem detereor, sed multo melior, & omnia tibi succedent feliciùs. Si tenteris à Luxuria & Gula, suspende aliquantisper solitas delicias, etiam si licitæ sint, & auge ieiunia, sanctaque & pia exercitia. Si impugnet te Auaritia, da largiores eleemosynas, & alia opera misericordiæ frequentius quàm soles facito. Si soliciter te vana gloria, in omnibus te profundius humilia. Hoc facientem te fortè Dæmon amplius tentare non audebit, ne det tibi occasionem vt fias melior, melioraque exerceas opera, cùm semper mallet te facere peiora. Quantum potes fuge otia, nunquam ita sis otiosus, vt non cogites aliquid vtile; & caue ne multitudine negotiorum ita obruaris, vt cor tuum à Deo alienum, de illo non meditetur.

Tentatio quomodo in bonum vertenda.

DE ALIIS GENERIBVS PECCATORVM, quæ bonus Christianus vitare debet.

CAPVT XI.

PRæter septem peccata, quæ dicuntur capitalia, alia sunt, quæ ab illis dependent, quæ non minus quàm præcedentia cum omni diligentia Christianus debet euitare. Inter hæc vnum est præcipuum: iurare vanè per Deum: peccatum enim hoc directè est contra Deum, & propterea natura sua grauius est quouis alio peccato, quod contra proximum committitur, quantumuis enorme sit. Fit autem non tantum quando per ipsum nomen Dei iuratur, sed & quando iuratur per Crucem, per Sacramenta, per Sanctos, per propriam vitam: singula namque huiusmodi iuramenta in vanitate prolata, peccata sunt mortalia, multum in scripturis sacris reprehensa, quasi iniuriæ, quę diuinæ Maiestati inferuntur. Verum quidem est, quando quis ex improuiso, & non deliberato iudicio falsò iurat, non esse peccatum mortale: vbi enim non est iudicium rationis, & determinatio voluntatis, ibi non est peccatum mortale. Id autem locum non habet in his, qui iurant ex consuetudine, in quacunque re minima, non habentes respectum quomodo, aut quamobrem iurant, nec peniter eos huius consuetudinis, nec student ex parte sua hanc prauam consuetudinem exuere; huiusmodi homines à peccato mortali non sunt immunes, cùm ex malo illo vsu iurant sine causa, nec emendant se, aut iuramentum reuocant, vbi postea crimen deprehenderint. Nec excusari possunt, si dicant, quòd non ex industria iurarunt, aut non fuisse eorum mentem & intentionem vanè iurare: nam posito casu, quòd volunt retinere pessimam hanc consuetudinem, etiam volunt illud quod ex ea sequitur, hæc scilicet atque huiusmodi mala & proinde non sunt immunes à peccato voluntario.

Quando iuramentum veniale, quomodo mortale.

Quare Christianus debet quantum potest laborare, vt malam hanc consuetudinem extirpet, & à se se abijciat, ne sibi illa incircumspectio pro mortali peccato imputetur. Vt autem hoc facilius fiat, diligenter obseruandum est consilium Christi, & amantissimi discipuli Iacobi dicentis: *Ante omnia fratres nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum: sit autem sermo vester, est, est non, non, vt non sub iudicio decidatis condemnationis:* vult dicere, vt consuetudo iurandi non trahat vos ad falsum iuramentum, deoque & iudicemini, & condemnemini ad mortem æternam.

Iacob 5, 12.

Neque enim iurare quis debet per vitam suorum filiorum, aut alicuius ex sua familia. Diligenter etiam cauere debet ne quis hoc modo iuret in sua familia, sed ejciat omne hujusmodi iuramentum ex ędibus suis, admonendo & castigando omnes, qui suo subsunt imperio. Si autem quis sit, cui hæc consuetudo iam ita in naturam versa est, vt ægrè queat illam expellere, assuescat se, vt det eleemosynam, aut dicat semel orationem Dominicam cum Salutatione Angelica: vt hoc non solùm sit pro pœnitentia, sed & pro admonitione, ne amplius in hoc peccatum impingat.

Per vitam aliorum non iurandum.

De murmure, detractione, & iudicio temerario.

ALiud peccatum, quod quis diligenter fugere debet, est murmuratio: quod vitium hodie non minus in hoc mundo dominatur, quàm illud præcedens. Nam nec domus est, nec Religiosorum congregatio, nec locus sacer, qui à murmure planè immunis est. Et quamuis vitium hoc familiare sit omni hominum generi, (mundus enim sua mutabilitate, quæ quotidie fit, materiam præbet bonis lachrymandi, & debilibus occasionem murmurandi) quidam tamen inueniuntur, qui natura sua magis, quàm alij sunt ad hoc vitium propensi. Quemadmodum enim palata hominum sunt diuersa: non enim omnibus omnia sapiunt; huic dulcia displicent, & placent amara, ille dulcibus delectatur: sic aliquorum hominum voluntates adeò corruptę sunt, pleneque humoribus noxijs & melancholicis, vt nullam habeant voluptatem in aliqua re cum virtute coniuncta, vel laude sui proximi, nihilque placeat illis quàm maledicere, & aliis illudere, ita vt in omni genere conuersationum videantur torpere & mutire: quę verò concernunt hoc maledictionis specimen, in eo videntur quasi è somno euigilasse, & recipiunt nouos spiritus ad tractandam hanc materiam.

Simile.

Vt autem odium abominabilis & noxij huius peccati in corde suo nascatur, animaduerte tria hoc vitium malorum genera secum adferre. Primum est, quia proximum est, peccato mortali, à murmure siquidem ad detractionem breuis est via, facilisque ab illo ad hanc est accessus. Philosophi dicunt inter elementa, quæ in alterutra qualitate conueniunt facilem esse transformationem: ita sępe videmus, cùm homines incipiunt murmurare, facillimè à defectibus communioribus ad particulares descendunt, & à defectibus publicis ad secretiores ac priuatos, à paruis ad magnos: & per infamiam lædunt famam proximi. Postquam enim lingua cœpit loquendo incalescere, difficile est desiderium cordis refrænare tantùm, quantum

Tria mala ex murmure nascuntur.

Simile.

I

quantum flamma ipsa crescit exuscitante vento : vti difficile est equum infrænem, & in medio cursu feruentem retrahere, & à cursu impedire. Tunc murmurator non respicit aliquem, non veretur procedere, donec penetralia domus secretiora ingressus est. Quapropter Ecclesiasticus vehementer huic portæ custodiam à Deo constitui deprecabatur: *Quis*, inquit *ori meo dabit custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam in ipsis, & lingua mea perdat me?* Eccli.22,33. Qui sic locutus est, optimè nouerat magnum huius rei pondus & momentum, atque difficultatem : à solo enim Deo remedium hoc expectabat, qui verus huius morbi medicus est, vt Salomon testatur dicens : *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Prou.16,1. Tanti momenti est negotium hoc.

II Secundum malum est, quia valde noxium est, vt minimum enim tria maxima damna inueniuntur in murmure: Vnum est eorum, qui dicunt; alterum eorum, qui audiunt & consentiunt; tertium est absentium, de quibus verba fiunt. Etsi enim paries non habeat aures, verba tamen habent alas, & homines amicitiarum cupidi sunt, & huiusmodi nugis propalendis gratiam & familiaritatem aliorum aucupantur, sub prætextu quasi magnam habeant rationem honoris illius, cuius fama læsa est. Hinc oritur, vt cum huiusmodi verba ad aures diffamati perferantur, ipse offendatur, & magno dolore suo sæuiat in eum, à quo diffamatus est. Hinc inimicitiæ perpetuę, hinc odia diuturna, hinc duella prodeunt & homicidia. Quare meritò dixit Sapiens: *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* Eccli.28,15. Et omne hoc malum, vti vides, ab vno sæpe verbo malè prolato deriuatur, vti Sapiens, *A scintilla* (inquit) *vna augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis.* Eccli.11,34.

Ratione huius mali sacra Scriptura subinde verba detractorum seu murmuratorum comparat acutis nouaculis, quæ radunt capillos non sentiente qui tondetur, subinde quoque arcui & sagittis, quæ eminus mittuntur, & feriunt absentem; nonnunquam maledici dicuntur serpentes, qui tacite mordent, & venenū in vulnere relinquūt: per quas similitudines Spiritus S. significare voluit malignitatem & damna huius vitij, quod adeò magnum est, Sapiens dicat : *Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ cōminuet ossa.* Eccli.28.21.

III Tertium malum, quod secum adfert murmuratio, est, quia execrabilis est murmurator, & infamis inter homines : naturaliter enim homines fugiunt hominem maledicum, non aliter atque venenosum serpentem. Propterea dicit Sapiens : *Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus.* Eccli.9,25. Et si non alia esset causa odij huius vitij, nec ab vna parte maximè noxium, nec ab altera esset sine fructu, quis est ille, qui vellet esse infamis, & execrabilis Deo & hominibus? maximè ob vitiū tam quotidianum & vsitatum, cuius periculum homo incurrit, quoties cum alio colloquitur?

Persuade itaque tibi vitam proximi tui, quantum ad te, esse quasi arborem veritam, de qua fructum tibi decerpere non licet. Caue itaque ne bene loquaris de te, nec malè de altero : hoc enim maledicorum est, illud gloriosorum & vanorum. In ore tuo sint omnes probi & honorabiles, totusque mundus credat ex tuis verbis neminem esse malum. Hoc modo declinabis multa peccata, infinitosque scrupulos & remorsus conscientiæ, eritque Deo gratus & hominibus amabilis, & quemadmodum omnes per te honorantur, sic honoraberis vicissim ab omnibus. Refræna linguam tuam, & diligens esto in deuorandis verbis, in stomacho tuo eructantibus: maximè cùm vides per ea periculum esse posse de fundendo sanguine. Crede firmiter hanc esse summam prudentiam, maximumque imperium, posse imperare linguæ suæ. *Maximum imperium, posse imperare linguæ.*

Ne existimes te ab hoc vitio liberum esse, cùm artificiosè murmuraē, laudas prius hominem, quem vituperare decreuisti: Sunt enim quidam murmuratores, qui Chirurgos imitantur; hi enim volentes venā aperire: prius ea vngunt oleo, mox verò phlebetomo feriunt, & sanguinem eliciunt. De his loquitur Propheta: *Mollīti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Simile. Psal. 54, 22. Et quemodmodum laudabile est abstinere ab omni genere murmuris ; ita multo maius est temperare sese etiam à maledicendo his, qui nos offenderunt : quanto enim maior est maledicendi his cupiditas, tanto euidētius signum generosi animi est, in hoc sese posse continere, & affectum hunc refræna re: Proinde vbi periculum maius est, ibi nos debemus esse cautiores. Nec tantùm debemus abstinere à maledicendo & murmurando, sed nec aures maledictoribus præbendæ sunt, vt sequamur consilium Ecclesiastici dicentis; *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequā noli audire.* Eccli. 28, 29 Ex quibus verbis patet quam magni momenti res sit, non audire maledicos. Non enim dicit, obtura vel claude aures gossipio, lana aut alio molliori lanugine, sed vult septas spinis, vt non solūm nō intrent huiusmodi verba maledica in cor tuum, audiendo illa te delectatia, sed & ipsi maledico vultu tristi & mœsto ostende, quod cum dolore audias illa, quod & Salomon apertius docet, cùm ait: *Ventus Aquilo dissipat pluuiam, & facies tristis linguam detrahentem.* Prou.25,23. Nam vt B. Hieronymus dicit: Sagitta ab arca missa in dura petra non figitur, sed cum impetu reuertitur, & lędit eum, qui misit. Quod si murmurator aut subditus sit tuus, aut te minor, sine offendiculo potes illi mandare, vt taceat, teneris enim ad hoc faciendum: sin autem vt taceat imperare non potes, saltem alio colloquio filum orationis eius cum discretione interrumpe, aut illum ei vultū exhibe, vt ipse murmurator erubiscat & taceat. Modestè itaque admonitus tacebit, aut sermonem mutabit. Alioquin si vultū hilari orationē eius excipias, das illi occasionē in proposito permanendi, atque ita nou minus peccas tu audiēdo, quam ille loquendo. Hieron. epist. ad Rust monachum. *Quomodo murmurator arguendus.* Quemadmodum enim malè facit ille, qui domum incendit, sic & male facit, qui cùm ignem potest extinguere, nec vult, sed accedens ad flammam sese calefacit. Simile.

Inter omnia murmurationum genera illud pessimum est, quo quis viri boni & iusti famæ detrahit: hoc enim obloquendi modo præbet infirmis occasionem, vt segniores fiant in bono & pusillanimes, nec cū tanto zelo, quanto solent, procedant. Quod licet non offendat fortiores, tamen dici non potest quin imperfectiores & pusillos lædat. Ne verò hoc genus scandali tibi exiguum esse videatur; recordare verborum Domini: *Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* *Scandalum ex murmure.* Matth. 18, 6.

Quare, mi frater, cogita genus esse quoddam sacrilegij linguam tuam acuere in illos, qui seruiunt Dōmino Deo: etsi enim verum sit quod obtrectator de illis dicit, ob solum tamen titulum, quem habent, & officium quod gerunt, honore digni sunt, præsertim cum Deus dixerit de illis: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach.2,8. Quicquid diximus hactenus de murmurationibus: etiam intelligendum est de sannionibus & illusoribus, & multo amplius de his quàm de illis: habet enim vitium hoc omnia in se mala, quæ supra enumeratiimus, & præter illa coniunctam habet aliam maculam, nimirum superbiam, arrogantiam, contemptum proximi: magis itaque vitium hoc fugere debemus quam alia, quemadmodum Dominus in lege præcepit, quando dixit: *Non erit criminator aut susurro in populo.* Leuit.19,16. Non est itaque necesse latiùs de peccati huius turpitudine disceptare, sed sufficiunt quæ dicta sunt hactenus. *Contra sannione.*

De

De iudicio temerario ; & præceptis Ecclesiæ.

DVobus prædictis peccatis coniungitur tanquam maximè vicinum tertium, quod est temere iudicare : murmuratores enim & derisores non tantum male loquuntur de rebus præteritis & euidentibus, sed etiam de ijs quæ ab ipsis iudicantur, & suspicionem aliquam ipsis inijciunt. Vt enim non desit murmurandi materia, ipsi sibi præbent eam, suo iudicio & suspicione rem in malàm partem interpretando, quàm in bonam interpretari debebant. Quod genus iudicij est contra mandatum Domini: *Nolite iudicare, & non iudicabimini nolite condemnare, & non condemnabimini.* Matth 7,1. Sæpe potest tale iudicium esse peccatum mortale, quando res, quæ iudicatur, est grauis, cumque exiguo aut nullo fundamento iudicatur : sed cùm suspicio magis est, quàm iudicium, non est peccatum mortale, propter operis imperfectionem. *Iudicium temerarium quando mortale.*

Cum peccatis illis, quę sunt contra Deum, numerantur ea quæ sunt contra quinque præcepta matris Ecclesiæ, quæ sub præcepto nobis commendantur, qualia sunt : Integram audire Missam diebus Dominicis & festiuis : Confiteri & communicare vt minimum semel in anno, idque circa festum Paschatis : statutis diebus ieiunare, fideliter soluere decimas. Præceptum de ieiunio obligat à viginti plus minusve annis & vno, secundum consilium discreti Confessarij aut Parochi, nisi morbus, aut debilitas, aut senectus, aut paupertas, aut labor corporalis, aut mulier vterum gerens, vel prolem lactans obsint, aut si non habeat quis, vt semel in die satis possit comedere, aut si non obstent alia similia impedimenta. *Quinque præcepta Ecclesiæ.*

Quantum ad Missam audiendam in diebus, quibus obligatus est ad illud, homo stare debet non solùm corpore præsens, sed & spiritu, recollectis sensibus, altum seruans silentium, & cor habens ad Deum eleuatum, considerandum Missæ mysteria aut alia quadam sancta cogitatione occupatus, aut saltem orationes aliquas pias recitans. Qui habent famulos, ancillas, filios, & familiam alunt, diligenter aduigilent, vt & ipsi diebus festis Missam audiant. Quòd si summã Missam audire ipsis nõ liceat, eo quod tunc temporis domesticis rebus, coquendo ; aut alio quopiam officio occupari debeant, intersint Missæ inferiori, vt vel hoc modo Ecclesię mandato satisfaciant. Qua in re multi negligentes & digni maxima reprehensione sunt Patresfamilias, qui reddent rationem Deo pro hac negligentia. Verum quidem est, si subsit causa rationabilis aut vrgens necessitas, quo minus audire Missam possint, vt si quis inseruiat ægroto, aut quid simile impediat, peccatum non esse non audire Missam. Necessitas enim legem hanc excludit. *Famulis imperãdum vt officium diuinum audiant.*

Hæc sunt peccata magis quotidiana, in quæ communiter solent homines potissimum impingere, & hæc omnia summa cum diligentia fugere debemus ; quædam quia mortalia sunt, quædam quia ad mortalia disponunt, & mortalia esse possunt, suntque grauiora his, quæ communiter venialia dicuntur. Hoc modo permanebimus in innocentia, & vestimentum candidum conseruabimus, quod iubet Salomon : *Omni tempore*, inquit, *sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat* ; Eccli. 9,8. quæ est vnctio diuinę gratiæ, quæ præbet lumen & fortitudinem in omni re : exhortatur autem nos, & docet omne bonum qui sunt effectus, cælestis huius olei.

DE PECCATIS VENIALIBVS.

CAPVT XII.

QVamuis supradicta peccata sint principalia, à quibus diligenter cauere nobis debemus, non ideo tamen habenæ laxandæ sunt ceteris peccatis venialibus, imò obsecro te per viscera misericordię Dei, ne sis ex eorum numero, qui cum audiunt peccatum aliquod non esse mortale, confestim in illud sine vllo scrupulo prorumpunt. Memento dicti Sapientis: *Qui spernit modica, paulatim decidet in maiora.* Eccl. 19,1. Memento illius Prouerbij, Propter defectum claui excidit solea ferrea, & propter defectum soleæ cadit equus, peritque qui insidebat. Domus, quæ propter antiquitatem ruinam minantur, prius signum dant particulis quibusdam decidentibus, & paulatim crescente damno, tandem omnino cadunt, & humi procumbunt. Prænoneo te, etsi verum sit, septem millia peccatorum venialium non efficere vnum mortale, nihilominus verum esse, quod B. Augustinus dicit: Nolite contemnere, ait, venialia, quia minima sunt: sed timete, quia plura sunt: Plerumque enim bestiæ minutæ multæ necant. Nunquid minutissima sunt grana arenæ, sed si arena multum in nari mittatur, mergit illam. Quàm minutæ guttæ pluuiæ, nonne flumina implent, & domos deijciunt ? Timenda ergo ruina multitudinis, etsinõ magnitudinis. Hæc Augustinus. Non quod faciunt multa venialia mortale, (vt diximus) sed quia disponunt ad illud, & nõ raro in illud faciunt incidere. Nõ tantùm hoc verum est, sed & illud, quod B. Gregorius dicit: Nonnunquam in parua deterius, quam in maiori culpa peccatur. Maior enim quò citius quia sit culpa agnoscitur, eò etiam celerius emendatur : minor verò dum quasi nulla creditur, eò peior est, quò & securius in vsu retinetur. *Multa peccata venialia non faciunt mortale.* Aug lib. de decẽ chord. cap 11. Gregor. in Pastoral.

Denique peccata venialia quantumuis exigua sunt, magnum adferunt animæ detrimentum: auferunt enim deuotionem, turbant conscientiæ pacem, extinguunt feruorem Charitatis, debilitant cor, tollunt vires animi, corrumpunt vigorem spiritalis vitæ, denique & in gradu suo resistunt Spiritui sancto, & impediunt operationem illius in nobis. Debemus igitur summo conamine illa euitare: non est enim hostis tam debilis, qui contemptus lædere non possit. Quod si autem scire velis in quibus rebus hæc peccata committantur, dico in parua ira, aut gula, aut vana gloria, in verbis, in cogitationibus otiosis, in ridendo, in nugando præter modum, in tempore sine fructu trãsacto, in dormiendo vltra tempus, in paruis mendacijs, in adulando circa res leues, & similibus rebus. *Mala in peccato veniali veniẽtia.* *In quibus committatur.*

Habemus itaque hic tria peccatorum genera ; Primum communiter est mortalium, aliud est communiter venialium, tertium est mediorum, quia subinde sunt mortalia, subinde venialia. Omnia hæc fugere debemus, sed magis media, & maximè mortalia. Per hæc enim sola pax cum Deo violatur, omniaque bona gratuita cum omnibus virtutibus infusis amittuntur, quamuis fides & spes non amittantur, nisi per actus contrarios.

DE ALIIS REMEDIIS BREVIORIbus contra omnia peccatorum genera potissimum verò contra septem capitalia.

CAPVT XIII.

COnsiderationes huc vsque positæ vtiles sunt hominibus, vt semper habeant animum bene dispositum, & contra omnia peccatorum genera satis armatum. Sed tempore pugnæ, hoc est, cùm aliquod illorum criminum

cor tuum tentat vtiles esse tibi possunt breues hæ sententiæ, à quodam homine religioso collectæ, & scripto nobis relictæ: qui contra vnumquodque peccatum sic se muniebat. Contra Superbiam dicebat; Cùm considero extremam humilitatem, ad quam deiecit sese altissimus Dei Filius propter me, fateor nullam mihi creaturam tantam inferre posse iniuriam, vt nõ me dignum maiori existimem.

Contra Auaritiam dicebat; Vbi intellexero animã meam non posse alia re satiari, quàm Deo solo; magnam esse dementiam iudicaui, aliquid præter illum quærere.

Contra Luxuriam; Cùm perpendo præcellentem illam dignitatem, qua corpus meum donatur tunc, cum sacratissimum Christi corpus accipit; videtur mihi magnum esse sacrilegium profanare templum, quod ab illo pro seipso formatum & dedicatum est: quod fit, si ego illud coinquinauero & polluero carnalium peccatorum sordibus.

Contra iram; Nulla iniuria mihi ab hominibus facta poterit me perturbare, si recordatus fuero iniuriarum mearum, quibus Deum meum affeci.

Contra Odium & inuidiam dicebat; Postquàm didici Deum in gratiam recepisse tantum peccatorem, quantus ego sum, non possum alicui malè velle, non possum cuiquam veniam delicti denegare.

Contra Gulam verò; Qui considerat amarissimum illud fel & acetum, quod loco vltimi refrigerij datum est Filio Dei, in medijs suis tormentis, dum patiebatur pro peccatis aliorum, pudet ipsum velle delicatè viuere, cum sit obligatus aliquid etiam pati pro peccatis proprijs.

Denique contra Pigritiam dicebat, Quoties cogito, quòd post breuissimos istos labores habiturus sum æternam gloriam, omnem molestiam & defatigationem paruam esse puto, quam quis patitur pro illa requie perenni?

Alia quædam genera breuium remediorum dat B. Augustinus, contra omnia Vitiorum genera, quæ à quibusdam D. Leoni Papæ adscribuntur: in quibus præmittitur specimen quoddam tentationis, & mox subijcitur consideratio, qua repellitur tentatio. Quæ remedia cùm vtilia mihi visa fuerint, præcedentibus addere volui.

Incipit itaque primò Superbia, & dicit.

Aug. de conflictu virtutum & vitiorum To 9.

Multis, imò penè omnibus melio res, verbo, scientia, diuitijs, honoribus, cunctisque, quæ carnalibus vel spiritualibus suppetunt charismatibus. Cunctos ergo despice, cunctis temetipsum superiorem attende.

Humilitas verò respondet.

Memento quia puluis es, quia cinis es, quia putredo & vermis es, quia & si aliquid es, nisi tantum te humilies quantum magnus es, perdes omnino quod es. Nunquid tu altior es quam primus Angelus: Nunquid tu splendidior in terra, quàm Lucifer in cœlo? Quod si ille de tanta sublimitate cecidit per superbiam, quomodo tu ad tantam sublimitatem superbiens de imis conscendes, qui illa quamdiu hic viuis conditione teneris?

Inanis gloria dicit.

Age bonum quod vales, ostende cunctis bonum quod agis, vt bonus à cunctis dicaris, vt sanctus & venerabilis ab hominibus prædiceris, vt Dei electus voceris, vt nemo te contemnat, nemo despiciat, sed vniuersi tibi debitum honorem persoluant.

Domini timor respondet.

Si boni aliquid agis, non pro transitorijs, sed pro æternis honoribus id age. Occulta quod agis in quantum vales. Quòd si ex toto non vales, sit in animo occultandi voluntas, & non erit de ostentatione vlla temeritas: nec criminis erit aliquando manifestare, quod semper vis celatum habere. Si has duas deniq; Redemptoris sententias, sibique quasi contrarias videberis adimplesse, quibus dicitur. *Te faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, sed sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi:* & *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Matth. 6. Matt. 5, 16.

Simulatio veræ religionis dicit.

Quia nihil boni in abscondito facis, nec à cunctis cognitus deprehenderis, finge te foris esse quod intus non appetis.

Religio vera respondet.

Imò magis satage esse quod non es: nam ostendere te hominibus quod non es, qui aliud quàm damnatio est? Memor esto igitur quod dicitur, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditijs Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod foris est mundum.* Matt. 23, 13.

Inobedientia dicit.

Quis tu es vt peioribus obtemperes, deterioribus famulatum exhibeas? Te magis quam illos decuerat imperare, qui tibi non possunt ingenio, vel industria coæquari. Obtempera igitur magis Domini imperio, & non sit tibi cura de aliquo.

Beata subiectio respondet.

Si Domini obtemperandum est imperio humano subdi necesse est magisterio. Ipse enim dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Ita, inquis, oportet. Sed si talis qui imperat esset qualis debet esse: non talis est per quem imperat Deus. Sed Apostolus contra ait, *Non est potestas nisi à Deo. Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati: Dei ordinationi resistit.* Quales enim esse debeant hi qui imperant, non est à subditis discutiendum. Luc. 10, 16. Rom. 13, 1.

Inuidia dicit.

In quõ illo vel illo minor es? Cur ergo eis vel æqualis vel superior non es? Quanta vales ipse, quę ipli non valent? Non ergo tibi aut superiores, aut æquales esse debent.

Congratulatio fraterni profectus respondet.

Si ceteros virtutibus antecellis, tutius in loco infimo quam in summo temetipsum conseruas. Semper enim de alto peior fit ruina. Quod si tibi, vt asseris, quidam superiores vel æquales sunt: quid te lædit, quid te nocet? Caue prorsus ne dum alijs locum cellitudinis inuides, illum imiteris, de quo scriptum retines, *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte.* Sap 2, 24.

Odium dicit.

Absit vt illum ames quem in omnibus contrarium habes, qui tibi derogat, qui tibi insultat, qui te iniurijs exasperat, qui tibi peccata tua improperat, qui te dictis operibus, honoribus semper præire festinat: nisi enim tibi inuideret, nequaquam se tibi ita præferret.

Vera charitas respondet.

Nunquid quia hæc quænarras odio habenda sunt in homine, propterea non est amanda Dei imago in homine? Sicut Christus qui in cruce positus inimicos suos dilexit, & ante crucis tormenta admonuit dicens. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est.* At inquis, Sufficit mihi quod amantes me diligo. Sed Dominus contra: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedẽ habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt?* Quid tu quoq; ad hoc obijcere vales? *Certè qui odit fratrẽ suũ manet in morte, & qui diligit, in Deo manet, & Deus in eo.* Omnẽ ergo amaritudinẽ fellis euome, & quo pacto valueris, charitatis dulcedinẽ sume. Nihil enim suauius, Matt. 5, 44. 1. Ioan. 3, 15.

suauius, nihil illa beatius. Ioannes Euangelista hoc
1. Ioan. 4. 16. affirmans ait, *Deus charitas est.*

Detractio dicit.

Quis potest sustinere, quis silentio tegere, quanta ille praua committit, nisi forte qui consentit?

Libertas iustæ correptionis respondet.

Nec tacenda sunt mala proximi, nec consentienda: sed charitate fraterna in faciem proximus est arguendus, non autem occultè detrahendus. Quòd si obijcitur, idcirco fratrem coram oculis increpare nolle, ne exasperatus increpatione non proficiat, sed magis ex correptione scandalum sumat: occurrit Scriptura diuina, & versa vice hoc magis scandalum esse
Psal. 49, 20. denunciat, dicens, *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas detractionem.* Maius enim scandalum sumit, qui se detrahentem intelligit, quàm qui corripientem sustinet. Et quia nonnunquam errata delinquentium ad tempus silentio tegenda sunt, vt aptiori tempore corrigantur, propterea subiungitur, *Hæc fecisti, & tacui.* Ne autem ex hoc discreto silentio detractiones sibi applauderent, qui dum semper occultè derogare malunt, nunquam in apertam increpationem prosiliunt: adhuc sub infertur, *Existimasti inique quod ero tui similis.* Ac si diceretur, Iniquum est cogitare, vt inde detractori similis appaream, vnde ad tempus reticens, nec derogans, locum apertæ correptionis expecto. Vnde & protinus subditur, *Arguam te & statuam te contra faciem tuam:* veluti diceretur. Non occultè, vt est tua consuetudo, sed in aperto, vt est mea solicitudo aptũ corrigendi tempus expectans, peccatorem arguam, vt eius delicta contra faciem eius statuam. At inquis, Non odio, sed amo, quem ita in absconditis dijudicans reprehendo. Imò magis hinc odis & non diligis, vnde detrahis & non corripis.

Ira dicit.

Quæ erga te aguntur, hæc æquanimiter fieri non possunt, imò tolerare peccatum est: quia si non eis cũ magna exasperatione resistitur; contra te deinceps sine mensura cumulantur.

Patientia respondet.

Si passio Redemptoris ad mentem reducitur, nihil tàm durum quod non æquo animo toleretur. *Christus*
1. Pet. 2, 21. *enim,* ait Petrus, *passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Ipse enim dicit: *Si*
Matt. 10, 25. *patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Sed quanta sunt in comparatione passionum eius quæ patimur? Ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucemque sustinuit: & nos miseri ad nostram confusionem vno sermone fatigamur, vno verbo dejcimur.

Proteruia dicit.

Nunquid stultis, nunquid brutis animalibus at insensatis lenia verba non asperrima magis, vt tales decet, dum delinquunt obijcienda sunt?

Mansuetudo respondet.

Non tua in his persuasio, sed Apostoli sequenda est præceptio, qui de hac sententia dilectum discipulum admonuit dicens, *Seniorem ne increpaueris, sed ob-*
1. Tim. 5, 1. *secra vt patrem: iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt sorores, in omni castitate.* Et rursum: *Seruũ,*
2. Tim. 2. 24. inquit, *Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes doctorem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt.* Rursumque, *Argue, obsecra, in-*
1. Tim. 4, 2. *crepa, in omni patientia & doctrina.* Quòd videlicet proteruiæ malum deterius adhuc subditis, quàm Prælatis nocet: sæpius enim contigit, vt leniter ac cũ charitatis dulcedine prolatam correptionem spernant, & contra humilitatis verba despectionis emittunt jacula.

Tumor dicit.

Testem habes in cœlis, non si tibi curæ, quid de te suspicentur homines in terris.

Humilis satisfactio respondet.

Non est danda detrahendi occasio, non susurrandi suspicio: sed si adsunt quę corrigantur, manifestanda: aut certè si desunt, humili protestatione neganda: quia Apostolus admonet nullam occasionem dare diabolo maledicti gratia. Quod etiam in illis detestatus est, qui Christianæ fidei consentientes, in idolio ad comedendum recumbant.

Tristitia dicit.

Quid habes vnde gaudeas, cum tanta mala de proximis spargas? Perpende cum quo mœrore omnes intuendi sunt, qui in tanto contra te amaritudinis felle versantur.

Spiritale gaudium respondet.

Geminam esse tristitiam noui, imò duas esse tristitias noui: vnam scilicet quæ salutem, alteram verò quæ perniciem operatur? vnam quę ad pœnitentiam trahit, alteram quæ ad desperationem perducit. Tu quidem vna ex illis esse cognosceris, sed omnino quæ mortem operaris. Non est igitur in his contristandum quæ suades, sed econtra magis gaudendum in his quæ nondum intelliguntur: quia & dator gaudij perennis
dicit: *Cùm persecuti vos fuerint homines, & dixerint* Matt. 5, 11.
omne malum aduersus vos, mentientes propter nomen meum gaudete in illa die & exultate, Ecce enim merces vestra multa est in cœlis.

Torpor vel ignauia dicit.

Si lectioni & continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurtis: si indesinenter lachrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis: si protelatis vigilijs psalmorum censum persoluis, insaniam capitis acquiris: si quotidiano labore te conficis, ad opus spiritale quando consurgis?

Virtutis exercitium respondet.

Quid tibi ad hoc proferendum tam longa temporum spatia proponis? Nunquid scis si crastinum viuas? imò etiam si vnam horam in hac vita facias, ignoras. An fortè mente excidit quod Saluator in Euã-
gelio dicit, *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque* Matt. 25, 13.
horam? Quapropter discute corporis inertiam, sẽperque memento, quòd regnum cælorum non tepidi, neque molles, neque desides, sed violenti atque feruentes diripiunt.

Dissoluta vagatio dicit.

Si Deum vbique esse credis, cur vnum locum singulariter quo tanta mala perpetrantur custodis, & nõ potiùs ad alia transis?

Stabilitas firma respondet.

Si ita est vt asseris, quia vbique Deum esse fateris: ergo nec iste locus deserendus est, quem fugere aperis, quia & in ipso Deus est. At, inquis, meliorem inquiro, meliorem inuenio. Sed respondeo, Nunquid meliorem, aut etiam talem inuenies, qualem diabolum & angelos eius & hominem perdidisse cognoscis? Memor esto itaque quia primus Angelus de cælo ruit, & primus homo de paradiso expulsus, ad ærumnam huius seculi peruenit.

Desperatio dicit.

Quæ & quanta commisisti, quàm grauia crimina, quàm numerosa delicta, & tamen in melius vitam nondum mutâsti, necdum conuersionem vtiliter correxisti: ecce enim, vt cernis, mala consuetudine obligatus teneris. Conaris exurgere, sed peccatorum oneneribus prægrauatus relaberis. Quid ergo agendum est, quando de præteritis certa damnatio imminet, & de præsentibus emendatio nulla succurrit: nisi vt non amittantur rerum temporalium voluptates, dum consequi nequeunt futuri seculi delectationes?

Spei

Spei fiducia respondet.

Si de criminibus & de delictis agitur, ecce Dauid adulterij simul & homicidij reus, de inferni faucibus Domini misericordia describitur liberatus. Ecce Manasses omnium peccatorum nefandissimus, impurissimus ac sordidissimus, illecebrosissimus quoque & sceleratissimus, per pœniteutiam ad vitam de morte redijt. Ecce Maria Magdalene innumeris peccatorum sordibus inquinata, ad fontem pietatis anxia currens, Domini vestigia lachrymis rigans, capillis detergens, deosculans quoque & lambens, vnguentoque vngens, ablui promeruit. Ecce Petrus negationis suæ vinculis astrictus, amarissimis lachrymis infidelitatis nodos resoluit. Ecce seditione simul & effusione fraterni sanguinis latro obnoxius, vnius horæ momento, vnaque confessionis voce, de cruce ad paradisum transijt. Ecce Saulus Ecclesiam Dei persequens, multos pro Christi nomine perimens, &, vt ita dicam, Martyrum cruore totum se inficiens, Apostolus factus, in vas electionis est commutatus. Vbi ergo tot, tantaque præcedunt exempla, dent locum desperationis mala colloquia: cùm & scriptum sit, *In quacunque die peccator conuersus ingenuerit saluus erit.* Ezech.18.

Cupiditas dicit.

Valde sine culpa es, quod quædam habenda concupiscis: quia non multiplicare appetis, sed egere pertimescis, & quod malè alius retinet, ipse melius expendis.

Mundi contemptus respondet.

Ista nec apud homines seculares sine periculo vel offensione procurantur, quia quanto quisque amplius habere cœpit, tanto amplius habere concupiscit: sitque vt modum in concupiscendo non habeat, dum innumeris huius seculi curis deseruire festinat. Vt enim ait Scriptura, *Auarus pecunijs non implebitur.* Eccli.5.9.

Ventris ingluuies dicit.

Ad esum Deus omnia mundi condidit: & qui saturari cibo respuit, quid aliud quàm muneri concesso contradicit?

Ciborum parsimonia respondet.

Vnum horum quod dicis verum est. Ne enim homo fame moreretur, omnia ad esum Deus creauit: sed ne mensuram comedendi excederet, & abstinentiam imperauit. Nam inter cetera sua mala, saturitate panis maximè Sodoma perijt: Domino attestante, qui ad Hierusalem per Prophetam loquitur, dicens, *Hæc est iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis.* Quapropter sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisque accedere: nequaquam videlicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Ezech.16.49. Simile.

Inepta lætitia dicit.

Vt quid animi gaudium intus abscondis? Egredere in publicum lætus, dic aliquid foris vnde vel tu vel proximi rideant, faceos lætos tua lætitia.

Moderatus mœror respondet.

Vnde tibi ineſt tanta lætitia? Nunquid iam diabolum vicisti? Nunquid iam inferni pœnas euasisti? Nunquid iam de exilio ad patriam venisti? Nunquid iam de tua electione securitatem accepisti? An fortè in obliuionem venit quod Dominus dixit: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium?* An fortè memoriam excesit quod idem alibi dicit, *Væ vobis, qui nunc ridetis quæplorabitis & flebitis.* Ioan.16,20. Luc.6,25.

Multiloquium dicit.

Non ille reus tenebitur qui plura quidem, sed bona loqui: sed ille qui saltem rara, sed mala dicere probatur.

Discreta taciturnitas respondet.

Verum est quod dicis, sed dum multa bona proferri videntur, sæpe contigit, vt à bonis locutio inchoata, ad aliquod prauum deriuetur. Hoc ipsum sancta Scriptura denuntiat, quare: *In multiloquio peccatum,* inquit, *non deerit.* An fortè inter innumera verba declinantur criminosa? Sed nunquid declinari poterunt inutilia atque otiosa, de quibus vtique ratio in futurum erit reddenda? Prou.10,19.

Luxuria dicit.

Cur te in voluptate tua non dilatas modò, cùm quid te sequatur ignoras? Acceptum ergo tempus in desiderijs perdere non debes: quia quàm citò pertranseat, nescis. Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum & fœminam non fecisset.

Castitas illibata respondet.

Nolo vt ignorare te fingas, quid post hanc vitam recipias, Si enim piè & castè vixeris, sine fine gaudebis: si verò impiè & luxuriosè, æternis incendijs subiacebis.

Spiritalis fornicatio dicit.

Nunquid damnandum aliquid agit is, qui in corde libidini consentit, & ad opus concupitæ libidinis non pertransit?

Munditia cordis respondet.

Omnino delinquit, qui castimoniam animę non custodit. Vnde & author munditiæ in Euangelio dicit, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Quo contra per beatum Iob dicitur: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Matt.5,28. Iacob 31, 1.

Amor seculi dicit.

Quid pulchrius, quid honestius, quidve potest esse delectabilius, quàm quod in præsenti vita quotidie cernimus? O quam mirabilis cæli camera in aëre iucundo, in lumine Solis, in augmento Lunæ atque defectu, in varietate stellarum & cursu: quam oblectabilis terra in nemorum floribus, in fructuum suauitatibus, in pratorum riuulorumque amœnitatibus, in segetum culmis luxuriantibus, in vinearum vitibus & botrionibus plenis palmitibus, in syluarum vmbris & planis exitibus, in equorum & canum curſibus, in ceruorum & caprearum saltibus, in accipitrũ volatibus, in pauonum, columbarum, turturumque pennis & collis, in domorum pictis muris & laquearibus, in organorum omniumque musicorum tinnulis cantibus, in mulierum venustis aspectibus, earumque supercilijs, & crinibus, & oculis, & genis, gutture & labijs, naso & manibus, atque extrinsecus adhibitis auro & gemmis, distinctis monilibus, & si qua sunt alia quæ modò non recolit sensus?

Amor cælestis patriæ respondet.

Si te ista delectant quę sub cælo sunt, si carcer ita pulcher est, patria, ciuitas & domus qualis est? Si talia sunt, quæ colunt peregrini, qualia sunt quæ possident filij? Si mortales & miseri in hac vita taliter sũt remunerati, immortales & beati qualiter sunt in illa vita ditati; Quapropter recedat amor præsentis seculi, in quo sic nullus nascitur, vt nõ moriatur: & succedat amor futuri seculi, in quo sic oẽs viuificãtur, vt nõ deinceps moriatur. Vbi nulla aduersitas turbat, nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat, sed perenis lætitia regnat. Si quæris quid ibi sit, vbi talis & tanta beatitudo persistit? aliter dici non potest, nisi quicquid boni est, ibi est: & quicquid mali est, ibi nunquam est. Quid, inquis, illud bonum est? Quid me interrogas? A Propheta & Apostolo definitum est, *Quod oculus,* iniquit, *non vidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus eum.* Esa. 64,4. 1.Cor.2, 9.

Quicquid hactenus à nobis dictum est, eò spectat, vt semper nobis in promptu sint arma spiritualia; quæ nobis in hac militia sunt necessaria, ad primam partem virtutis, quæ est Fuga vitiorum, nobis comparandam: defendendamque fragilem hanc domum, Conclusio primæ partis libri secundi.

mum, in qua Deus nos constituit, ne ab inimicis occupetur. Nam si habitaculum hoc fideliter custodierimus, dubium non est, quin & ipse cælestis hospes ad illud diuertetur, & in eo commorabitur: Cùm B. Ioanes dicat: *Deus est charitas, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ille autem in charitate 1. Ioan. 4, 8

stat, qui nihil charitati facit contrarium: contrarium verò charitati solum est peccatum mortale. Contra peccatum illud denique mortale militat omne id, quod hactenus à nobis dictum est.

FINIS PRIMÆ PARTIS libri secundi.

PARS SECVNDA LIBRI SECVNDI,

IN QVO TRACTATVR DE EXERCITIO VIRTVTVM.

DE TRIBVS GENERIBVS VIRTVtum, in quibus comprehenditur summa totius Iustitiæ Christianæ.

CAPVT XIIII.

CVm in priore libri huius parte satis superque à nobis actum sit de peccatis, quorum contagione animę nostræ polluuntur, & obscurantur, dicamus nunc de virtutibus, quæ exornant illas spiritualibus gratijs, & ornamentis iustitiæ formosas reddunt in conspectu diuinæ Maiestatis. Quemadmodum verò pertinet ad iustitiam vnicuique quod suum est tribuere; Deo nimirum, proximo, & sibijpsi: sic etiam tria sunt virtutum genera, ad iustitiam pertinentium, eamque efficientium, Vnum est, quo Deo redditur quod illi debetur, secundùm, quo proximo datur, quod illius est, & tertium, quo homo sibijpsi obstringitur. Hæc tria virtutum genera cum homo consecutus est, nihil aliud requiritur ad omnẽ iustitiam, quã profitetur, adimplẽdam. Quòd si autem pauciſsimis verbis, & breui collatione velis discere, quomodo id fieri possit dicam: triplici hac obligatione reddet homo perfectiſsimè omne suum debitum, hoc est, si erga Deum habeat cor filij, erga proximum cor matris, erga se verò cor atque spiritum iudicis. Sunt autẽ hæ tres iustitiæ partes, in quibus Propheta docet omnia nostra bona consistere, cùm dicit; *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te? Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Ex his enim tribus officiorũ generibus, primum quidem spectat ad nos, nempe *facere iudicium* secundum ad proximum, *diligere misericordiam* tertium verò ad Deum, quod ipsa Prophetæ verba declarant, cùm ait *solicitum ambulare cũ Deo tuo.* De his igitur tribus (cùm omne bonum nostrum in ijs contineatur) latiùs agemus; quamuis in Memoriali vitæ Christianæ, breuiter de his disseruerimus; ipsam enim rei perfectam declarationem huic loco reseruabamus.

Officia iustitiæ.

Nota.

Mich. 6, 8.

De hac Prophetę sententia vide quoque eundem Granat. concione 1. Dominic. 22. post Pentec

DE OBLIGATIONE HOMINIS erga seipsum.

CAPVT XV.

CVm charitas ordinata in homine incipiat à seipso, nos materiam hanc auspicabimur ab illo membro, quod Propheta primo loco posuit, nimirum *Facere iudicium*, quod pertinet ad spiritum & cor iudicis: & hoc officium homo debet sibijpsi. Boni autem iudicis est, bene compositam & reformatam habere prouinciam. Et quia in homine, tanquam in parua Republ. duæ partes principales reformandæ sunt, corpus scilicet cum omnibus membris & sensibus suis, atque anima cum omnibus affectibus & potentijs, necesse est, vt illæ partes reformentur, & bene ordinentur, secundùm regulam virtutis, quam hoc loco declarabimus. Atque ita homo reddet quod sibi ipsi debet.

De reformatione corporis.

AD reformationem corporis requiritur primò ordinata disciplina hominis exterioris, vt obseruetur illud, quod in regula sua postulat B. Augustinus: hoc est, in incessu, statu, sessu, & vestitu nihil sit, quod alicuius oculos offendat: sed vt omnia nostræ conueniant professioni. Quare seruus Dei id vnicè curare debet, vt conuersatio sua inter homines sit grauis, humilis, suauis, & benigna, vt quotquot cum illo conuersantur, semper ædificentur, & bonis exemplis illius quotidie fiant meliores. Apostolus vult nos esse bonum odorem, qui suam suaueolentiã omni rei quam contingit communicat. Manus quæ odoriferum quid attrectârunt, etiam illius odorem contrahunt: Sic & verba, & opera, & gestus, & conuersatio seruorum Dei tãlis esse debet, vt quicunque homo vtitur illis familiariter, ædificetur, & quodammodo per illorum exempla & conuersationem sanctificetur. Hic est potiſsimus fructus qui ex hac modestia nascitur: quæ est quasi tacens concionator: non enim verborum strepitu, sed exemplis virtutum hominem inuitat ad Deum glorificandum, & ad virtutem sectandam. Quare & Saluator ipse nos ad illud excitat cùm dicit, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* cui concordat Esaias, cum dicit, seruum Domini ligno pulcherrimo fore similem, à Deo planto: quod qui viderit, glorificabit Dominum.

3. Reg. 3, 19.

Qualis debeat esse hominis conuersatio.

2. Cor. 2, 15.

I. Fructus huius modestiæ.

Matt. 5, 16.

Obseruandum autem hic, non ideò debere hominem facere bonum, vt videatur: sed vt B. Gregorius ait, sic facienda sunt bona opera in publico, vt intentio maneat in secreto: vt per opera bona exemplum præbeamus proximo, & intentione soli Deo placendi, semper optemus vt maneant occulta.

Cautela.

Greg. hom. 11. in Euang.

Secundus fructus, qui ex hac compositione sequitur, est, quod homo exterior optimus sit interioris custos, & deuotionem conseruet, etenim magna est inter vtrumque hominem confœderatio, & arcta societas, ita vt quod vnus sit, id confestim communicet alteri, & vice versa, quod hoc sit, communicet illi: vt si spiritus sit bene compositus, immediatè componatur & corpus, & econtrario, si corpus malè sit ordinatum, etiam spiritus eundem habitum induat. Ita vt vnum eorum sit quasi speculum alterius. Quemadmodum enim quodcunque facis tu; hoc ipsum & speculum tibi obiectum imitatur: sic & quodcumque facit alteruter istorum duorum hominum, hoc ipsum mox imitatur alter: atque ideo modestia exterior plurimum iuuat interiorem, essetque magna admiratione dignum, si quis modestum & quietum spiritum in corpore inquieto posset inuenire. Hinc est quod Ecclesiasticus dicit, *Qui festinus est pedibus, offendet*, insinuans hoc loquendi genere, hos, quibus deest gra-

II. Fructus.

Simile.

Prou. 19, 2.

litas

uitas illa, quæ decet Christianam disciplinam, sæpe cespitare, & in varios cadere defectus, vti illi, qui pedes nimis leuiter attollunt, cùm gradiuntur.

III. Fructus. Tertius huius virtutis fructus est, quòd homo conseruat grauem auctoritatem, quæ & personæ & officio suo conuenit, maximè si sit vir in dignitate constitutus: quomodo illam conseruabat sanctus Iob, id quod testatur de seipso, dicens; *Lux vultus mei non cadebat in terram*, & paulò antè, *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes, & abscondebantur: & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitũ superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi adhærebat.* tanta erat eorum erga B. Iobum reuerentia. Quæ grauitas vt esset ab omni superbia aliena, ipse homo sanctus coniunxerat ei tãtam benignitatem, vt ipse de se dicat, quod sedens in solio suo tanquam Rex, exercitu suo circumstante, nõ deserit *oculus esse cæco, pes claudo: pater omnium pauperum.* Notandum hîc est, quòd defectus huius modestię non reprehenditur, à Sapientibus, quasi peccatum, sed potiùs quasi leuitas: Amare enim nimium societates, corporis culturæ nimium studere, hominiq́ue exteriori nimium indulgere, indicia sunt interiorem minus esse moderatum, vti diximus. Quare dicit Ecclesiasticus; *Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Conforme huic est quod dicit Salomon; *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*, per exteriora opera.

Iob 29, 24.

Ibid. v. 15.

Eccl. 19, 27.

Prou. 27, 19.

Hæ sunt vtilitates, quas secum adfert hæc modestia, & verè maximæ sunt. Quare mihi non placet nimias amare familiaritates, & hominum commercia, quod multi faciunt, qui ne pro hypocritis habeantur, ridẽt, multa inania proferunt verba, dissolutos in omni sese exhibent conuersatione: & propterea priuantur omnibus his vtilitatibus. Nam vt pulchrè dixit Climacus, Monachus nõ debet abstinentiæ leges violare propter metum vanæ gloriæ: nec æquum est, vt propter iudicium mundi abstinens esse desinat. Nam quemadmodum vnum vitium alio non est reprimẽdum, ita quis minus debet resilire à virtute, ob mundi censuram.

Ioan. Clim. gradu 14.

Hoc præcipuum est, quod generaliter pertinet ad modestiam exterioris hominis in omni loco, & in omni tempore. Sed quia hæc modestia potissimum requiritur in conuiuijs & mensis, in sequenti capite fusius de illa dicemus.

De Virtute Abstinentiæ.

Corpus aspèrè tractari debet. Simile.

VT cœptam de reformatione corporis materiam persequamur, dico conuenientius esse, vt illud cum rigore & asperitate tractetur, non autem placidè & delicatè. Quemadmodum enim caro mortua conseruatur myrrha, quæ amara est, alioquin computrescit & vermes generat, sic & caro nostra delicijs, mollitieq́; corrumpitur, & vitia producit, quę alioquin asperitate in officio virtutum continetur. Idcirco nos hic de Abstinentia tractabimus, quæ vna est principalium virtutum, quæ ad consecutionem aliarum sunt necessariæ. Verum quidem est, difficillimũ esse eam consequi, propter corruptæ naturæ contra hanc rebellionem. Quamuis igitur id quod suprà diximus de gula sufficiat, vt conditio & præstantia virtutis huius abstinentiæ intelligatur: qui enim vnum contrariorum nouit, is nouit & aliud, cùm eadem sit contrariorum disciplina ad maiorem tamen huius doctrinæ euidentiam, operæ pretium me facturum existimo, si particulariter de ea disseramus: docentes, quomodo virtus hæc acquiratur, & quomodo exerceatur. Incipientes itaque dicere de modestia, quæ in mensa debet obseruari, dico eam singulari methodo

Regulæ in comedendo seruandæ.

Spiritum sanctum docere in Ecclesiastico his verbis, *Vtere quasi homo frugi his quæ apponuntur, vt non cùm manducas multum odio habearis. Cessa prior causa disciplinæ, & noli nimius esse, ne forte offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.* Regula profectò ista admodum bene conuenit vitæ mortali, & digna est Domino illo, qui omnia fecit ordine pulcherrimo, & qui vult nos ordinem istum seruare. Hanc eandem disciplinam docet Sanctus Bernardus, Obseruandus, inquit, est cibi modus & tempus, quantitas & qualitas: fugienda quoque sunt superflua, & adulterina condimenta. Obseruandus est modus, vt non effundat qui comedit animam suam super omnem cibum. Tempus, ne ante horam. Qualitas, quibus vtitur communitas fraternitatis, excepta causa manifestæ infirmitatis. Hæc est regula sancti Bernardi.

Eccl. 31, 19.

I.

II.

Bernard in epist.

Regula, quam D. Gregorius in libris Moralium tradit, non multum ab hac differt. Abstinentia inquit, est, quæ edendi horam non præuenit, vt fecit Ionathas in fauo mellis: non lautiora quærit edere, vt Israëlitæ in deserto; non accuratius parare, vt filij Heli in Silo; non ad superfluitatem, vt Sodomitæ, non vilæ quodlibet, vt Esau edulium in fame concupiuit. Huc vsque verba sunt D. Gregorij.

III.

Greg. lib. 5. Moral. & li. 30 c. 21. 1. Reg. 14. Num. 11. 1 Reg. 2. Ezech. 16. Gen. 25.

Latiùs & copiosiùs tractat hanc materiam Hugo de S. Victore, qui docens modestiam quæ debet obseruari in edendo, ait; Duo debent considerari, inter edẽdum, cibus, & is qui comedit. Qui namque comedit, debet seruare modestiam in edendo, in tacendo, in videndo, gestuque corporis componendo; vt non voraciter edat, non importunus sit suo multiloquio, non in omnem partem oculos distorqueat, vt omnia membra optimè composita seruentur. Sunt enim nonnulli, qui confestim vbi accubuêre, auiditatem, & insatiabilem gulæ suæ ingluuiem, animũ immodestum, & membrorum omnium mobilitatem ostendunt. Caput vibrant, manicas huc illuc distrahunt, & manus eleuant, quasi ipsi omnem essent cibum deuoraturi, & inusitatis suis gestibus inexplebilem ventris auiditatem produnt. In vno loco sedentes, & manibus & oculis vniuersam mensam pererrant, simul & vinum postulant, & panem frangunt, & patinas euoluunt, atque instar militum ductoris, qui propugnaculũ aliquod oppugnaturus est, ab omni parte illud lustrat, sic illi meditabundi sedent, consulentes secum, à quo edulio velint incipere, vt tutiùs per omnia liceat paulatim grassari. Omnem hanc inciuilitatem fugere debet is qui comedit: atque inter edendum videre debet, quid edat, idq; cum modestia, ne leges honestatis & ciuilitatis transgrediatur, & offendat assidentes.

Hugo de S. Victore.

Simile.

Quamuis autem semper cum hac ciuilitate ad mẽsam accedendum est, magis tamen cum fames stimulat vehementiùs, & maximè cum delicatiores epulæ irritant appetitum: tunc enim maiora sunt incentiua gulæ, propter organi gustus bonam dispositionem, & obiecti excellentiam. Caueat homo tunc diligenter, ne in hoc casu gula illi persuadeat, adeò se esurire, vt putet & mensam & orbes se voraturum. Optimè nãque dictum est à B. Ioanne Climaco, gulam quam Gastrimargiam vocat, simulationem ventris esse: cùm enim satiatus fuerit, indigere se clamat. Eandem vocat & oculorum seductionem, modica suscipientem, & vniuersa simul absorbere suggerentem. Initio cùm homo manducare incipit, fingit maiorem famem, quàm ea re vera est: ideoque putat homo se omnia absumpturum: cum paulò pòst exigua portione contentus, omnis appetitus pereat.

Ioan. Clim. Gradu 14. *Gula ventris simulatio.*

Contra malum hoc, ad mensam accedens, memento dicti cuiusdam Philosophi, duos tibi conuiuas esse reficiendos, corpus scilicet, & animã: corpus quidem,

Epictetus.

dem, cibum capiendo; animam verò illum temperare & sobrie, non ad voluptatem aut satietatem, sed secundùm legis temperantiæ præscriptum sumendo. Vt enim corpus cibo, sic anima hac sobrietate & parsimonia tanquam virtute reficitur & saginatur.

Nec minus remedium est contra gulam, si quis omnes fructus abstinentiæ cum breui voluptate gastrimargiæ in equilibrio pensitat: tunc enim manifestum fiet, iniquissimum esse tam excellentes fructus velle amittere, pro tam breui interitura voluptate. Vt autem hoc euidentiùs intelligas, sciendum est inter quinque sensus corporales, tactum & gustum esse ignobiliores: non est enim animal in orbe vniuerso, licet imperfectissimum, quod duobus istis sensibus non sit præditum: quamuis multa sunt, quæ tres reliquos visum, odoratum, & auditum, non habent: & quemadmodum duo illi sensus maximè materiales sunt, & reliquis indigniores, sic delectationes, quæ ex illis deriuantur, etiam sunt viliores magisque belluinæ, cùm nullum inueniatur animal, quod ijs non fruatur.

Tactus & gustus inter sensus ignobiliores.

Delectationes istæ non tantum vilissimæ sunt, sed & breuissimæ: non enim diutiùs oblectant, quam obiectum cum organis, suis materialiter est coniunctũ; vti videmus in delectatione gustus, quæ non longiùs durat, quàm cibus palatum tangit; à quo mox vbi seiunctus est, perit omnis delectatio. Quare si voluptas hęc tam belluina sit, & breuis, quis hominum esset adeò vecors & brutis animalibus similis, qui virtutem abstinentiæ (de qua tanta prædicantur; & tam præstantes nascũtur fructus) ob tam vilem, abiectam, & indignam delectationem vellet repudiare?

Gustus oblectatio breuis.

Hoc vnum satis esse deberet ad appetitum hunc refrenandum & multo sanè magis, si rationes hic aliæ quoque ponantur, quæ nos abstinentiæ reddunt obstrictos. Suspendat itaque seruus Domini (vti diximus bilancem, & in vna lancium ponantur breuitas & vtilitas huius delectationis: in alia verò abstinẽtiæ pulchritudo, cum fructibus, qui ex illa prouenium: exempla quoque Sanctorum, labores Martyrum, qui per aquam & ignem ad cælum transierunt; memoria peccatorum, cum pœnis inferni & purgatorij, & in singulis considerationibus dicet, crucem esse amplectendã, carnem affligendam, gulam refrænandam, Deo satisfaciendum doloribus pœnitentiæ pro delectatione culpæ. Quod si sic præparatus ad mensam veneris, videbis quam facilè tibi erit omnibus his delectationibus renuntiare.

Quòd si omnis ista prouidentia sit necessaria in comedendo, multo magis requiretur in bibendo vino: inter omnia enim quæ castitati aduersantur, nihil magis illi contrarium est vino: metuit enim vinum tanquam capitalem hostem, optimè itaque monet Apostolus, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria:* quod tanto est periculosius, quanto magis feruet sanguis iuuenilis. Vinum enim & adolescentia, inquit B. Hieronymus, duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ abijcimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Vinum enim cum sit calidissimum, inflammat omnes humores & membra corporis omnia, præcipuè verò cor, quod directè tendit: in corde autem sedes est omnium nostrorum affectuum: quibus vini fortitudine inflammatis, ob quamcumq; rem leuem oritur maximum gaudium, ira, furor, amor, temeritas, delectatio, aliæque similes perturbationes. Quare apparet, quod cum primarium virtutis mortalis officium sit moderari atque mitigare huiusmodi perturbationum ataxiam. Vinum contra eius naturæ est, vt omnia faciat contraria. Vehementia siquidem caloris sui vitificat iterum, quicquid à virtute fuerat occisum: excitat quicquid ab illa erat extinctum. Diligentissimè itaque se homo debet abstinere à nimia vini potatione. Hinc prodire solent cachinatio, risus superfluus, ostentatio, contentio, clamor, secretorum reuelatio, aliaque similia vitia. Tunc enim animi perturbationes sunt maiores, & ratio vaporibus vini obscuratur. His adiungitur occasio quæ offertur limites decori transgrediendi; vt placeas societati, quæ simul assidet, & qua cum bibit. Omnia hæc aliaque plurima incommoda ex vini potu nimio prouenium. Quare perpulchrè quidam Philosophus dicebat, in vite nasci tres vuas, vnam necessitatis, alteram delectationis, tertiam furoris: quo genere dicendi voluit insinuare, modicum vini bibere naturali seruire necessitati, modum nonnihil excedere, ad delectationem potiùs quam ad necessitatem spectare; modum verò nullum seruare, causam esse furoris & amentiæ. Et proinde quicquid homo eo tempore facit, meritò debet esse suspectum: tunc enim communiter loquendo, non tantum non habet locum in homine ratio, quæ sepulta iacet; sed dominatur etiam in illo vini æstus, qui pessimus est consiliarius.

Vinum immoderatè sumptum quàm perniciosum.

Ephes. 5, 18.

Hiero. epist. ad Eustoch. de seru. Virgin.

Anacharsis Cicero. 5. Tusc.

Tres vuæ nascuntur in vite.

Nec minus homo se debet abstinere à multiloquio, & à contentione seu altercatione in mensa, qui postquam à mensa surrexerit liber esse vult ab omni periculo: sæpe enim disceptatio hęc incipit in pace: sed in bello terminatur, & sæpe in calore vini homo ea loquitur, quę postea mallet se tacuisse: Quare dicit Salomon: *Nullum secretum est, vbi regnat ebrietas.* Quamuis autem omne multiloquium eo tempore meritò reprehendum est, multo tamen magis illud, quando loquitur homo de edendo & bibendo, laudando vinum, fructus, pisces, aut aliud quid esculentum vel poculentum: aut disputando de huius aut illius patriæ ciborum diuersitate, aut de piscibus huius vel illius fluminis: omnes enim huiusmodi sermocinationes indicia sunt animi hominis intemperati, qui totum vitæ tempus cupit transigere vorando, & helluãdo, non tantum ore, sed & corde, & intellectu, & memoria, & verbis.

Vitandum multiloquiũ.

Prou. 31, 4.

Maximè autem attendere debet, qui mensæ accumbit, ne comedat vitam proximi sui? hoc enim potissimum fundum hominis penetrat. Illud enim secundum Chrysostomum non est manducare carnes aliorum animalium, sed hominum quod omni contrariatur humanitati. De B. Augustino testatur Possidonius, quòd ad eliminandum ab ædibus suis hoc vitium, in omni mensa familiare, iusserit in cœncaulo suo hoc distichon exarari;

Chrysthom. 3. ad pop. Antioch

Possidonius

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam.
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

In vita Aug. cap. 22.

Notandum quoque hic est, quod B. Hieronymus monet, Parcus cibus, ait, & venter semper esuriens, triduanis ieiunijs præfertur. Et multo melius est quotidie parũ, quàm rarò satis sumere. Pluuia illa optima est, quę sensim descendit in terram. Subitus & nimius imber in præceps arua subuertit. Quando comedis, cogita quod non viuis vt seruias ventri; sed quod tibi orandum, & ilicò legendum est, aut studendum, aliudve opus bonum faciendum, ad quod ineptus es, si stomachum præter modum oneraueris. Quare, quoties ad cibum aut potum accedis, noli respicere quantum os delectat, sed quantum victui & necessitati sufficit.

Hiero. epist. ad Furiam.

Simile.

Non dicimus vt fame temetipsum eneces, sed ne delectationi indulgeas plus, quam vsus vitæ postulat. Corpus enim tuum, vt & omnium aliorum animalium corpora, necessariò requirit alimentum, ne deficiat: sed vigilandũ est, ne alimẽti superfluitate crepat. Hinc Bernardus; Durius quidẽ, ait, tractãdum est corpus, ne rebellet, ne insolescat; sic tamen, vt seruire sufficiat: quia ad seruiendum spiritui datum est: Caro coërceatur, non absumatur: grauetur, non defatigetur: humilietur, ne insolescat, & seruiat, non dominetur. Hactenus de virtute abstinẽtiæ. Qui volet de fructibus

Bern. in epistol. & lib. 30 Moral. c. 20.

ctibus illius latius instrui, & scire quam vtilis sit ea in rebus gerendis, non solùm animæ, sed & corpori, hoc est corporis sanitati, vitæ, honori, & diuitijs, legat tractatum, quem hac de re scripsimus in opere de Oratione & Meditatione.

De oratione & meditat. lib. 1. par. 2.

De custodia sensuum.

POstquam castigauerimus, reformauerimusque corpus, secundùm regulam nunc traditam, necesse est, vt etiã sensus illius reformemus: qua in re oportet, vt seruii Dei diligenti studio aduigilent, & maxima vtantur cautela, ne oculi, qui sunt tanquam latissimę portæ, per quas omnes ad nos ingrediuntur vanitates, quæ vsque ad animam nostram penetrant, & sæpe sunt fenestrę nostrę perditionis, per quas mors intrat, nimis liberè vagentur, ,ls specialiter autem qui vacant orationi, cautè debent hunc sensum custodire: vt & caltitas conseruetur, & cor collectum suo vacet studio. alioquin sanè imagines rerum, quæ intrant per hanc portam ad nos, multas in nobis depictas relinquunt figuras, quæ importunę sunt, cùm orationi vel meditationi est incumbendum: faciuntque vt vix aliud cogitare liceat, quam quod menti impressum est. Hanc ob causam viri spirituales omnibus viribus contendunt, vt visum sic moderentur, non tantum vt non videant ea, quę damnum inferre possunt; sed ne superba quidem ædificia, artificiosas imagines, aulæa pretiosa, & huiusmodi: vt habeant magis puram & liberam imaginationem, eo tempore, quo cum Deo agendum est. Hoc enim exercitium tale, & tam delicatum est, vt non tantum impediatur peccatis, sed & repræsentatione imaginum earum rerum, quæ per se malæ non sunt.

Orationis tempore oculi sunt potissimum custodiendi.

Nec minor debet esse cura aurium, quàm oculorum: per istas enim portas non rarò intrant in animas nostras ea, quę impediunt, perturbant, destruunt, & contaminant. Debemus non solum aures occlusas habere ad res noxias, sed etiam ad nouos rumores huius mundi, qui ad nos non pertinent. Qui enim sibi ab his non cauent, horum sæpe in tempore recollectionis animo offeruntur imagines rerum auditarum, quæ cor sic afficiunt, vt non sinant hominem purè de Deo cogitare.

Aures custodiendæ.

De Odoratu non est quod dicam: exoticos enim odores & suffitus circumferre, aut ijs delectari, præterquam quòd lasciuorum est, & hominum sensualium: etiam infame est, non viris tantùm, sed & pudicis honestisque fœminis.

Odoratus.

De Gustu quoque aliquid adijciendum erat, nisi in præcedenti sectione, cùm de Abstinentia dicebamus, de illo copiosè satis tractassemus.

Gustus.

De custodia linguæ.

DE lingua copiosa dicendi est materia: nam vt Sapiens ait, *Mors & vita sunt in manu linguæ.* Prou 18, 21.

Ex quibus verbis liquet, omne bonum & malum hominis, in bona aut mala custodia huius membri consistere. Huius custodiæ nos admonet B. Iacobus Apostolus dicens; *Si autem equis frena in ora mittimus, ad consentiendum nobis omne corpus eorum circumferimus. Et ecce naues cum magnæ sint, & à ventis validis minentur circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam syluam accendit? Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus.* Iacob 3, 3.

Ad bene gubernandum hoc membrum, oportet vt quatuor obseruemus: nimirum id quod loquendum est, modum quo loquendum, tempus quando loquẽdum, & causa cur loquendum est. Primum itaque dicamus de eo quod loquendum est: hoc est de materia, de qua dicere volumus. In quo obseruandum est illud Pauli, *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Et alio loco dilucidiùs explicans, quis sit sermo malus, ait: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Ephes 5, 3.

Quatuor in loquendo obseruanda.

Ephes 4, 26

Quemadmodum itaque nautæ habere solent omnia loca periculosa in mappis suis delineata, in quibus nauis posset periclitari, vt queant ea declinare: sic seruus Dei debet omnia genera malorum sermonum habere annotata, ne in illis periclitetur. Nec minus esse debes fidelis & taciturnus in his, quæ tibi, vt celes commendantur, quàm nautæ faciunt in quocunque periculoso scopulo, cauens ea detegere, ne fortè propter illa pericliteris. Simile.

In modo loquendi debemus esse circumspecti, vt non loquamur nimis delicatè, nimis inconsideratè, nimis affectatè, nimis curiosè, & verbis nimis exquisitis: sed cum grauitate, tractim, & cum mansuetudine, verba simplicia & aperta. Hic admonendus est qui loquitur, vt non sit obstinatus, ex eorum numero qui semper volunt vincere: per hoc enim sæpe pax conscientiæ interturbatur, charitas, patientia, & amici offenduntur. Generosi animi est, subinde cedere, & in simili contentione alteri palmam condonare. Prudẽtum, & discretorum est, sequi consilium Sapientis, qui inquit, *In multis esto quasi instius, & audi tacens, simul & quærens. In medio magnatorum loqui non præsumas: & vbi sunt senes, non multum loquaris.* *Modus in loquendo obseruandus.* Eccl. 32. 12.

Tertium quod obseruari debet, est tempus, hoc est, vt suo tempore loquamur, nam vt Sapiens dicit, *Ex ore fatui reprobatur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.* *Tempus.* Eccli 20, 22.

Vltimum est finis, vel intentio, quam habere debemus, cùm loquimur. Quidam enim bona loquũtur, vt sancti habeãtur: alij vt ingenij sui subtilitatem vel eloquentiam ostentent; quorum prior est hypocrita, alter verò vanæ gloriæ cupidus, & stultus. Animaduertere itaque debet, qui loquitur, non tantùm vt verba sint bona, sed etiam vt finis bonus sit, propter quẽ illa loquitur tunc autem finis bonus est, si sola Dei gloria & vtilitas proximi quæratur. Sed & respiciendum est, quis loquatur; an iuuenis inter senes, idiota inter sapientes, laicus inter sacerdotes, & religiosos. Denique vbi verba loquentis non audiuntur, laudabiliter tacetur. Omnia hæc obseruare debet qui loquitur, ne peccet, & quia non omnium est hęc obseruare posse ideo tutum est remedium, ad portum silentij redire: tacendo enim & solis cogitationibus potest homo cũctis istis præceptis satisfacere. Hoc est quod Sapiens dicit: *Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur.* *Intentio loquentis.* Prou. 17, 28.

De mortificatione affectuum.

POstquam corpus cum omnibus suis sensibus sic composuerimus, potior negotij pars reliqua est: moderatio scilicet animæ, cum omnibus suis potentijs. Et primum quidem offert se appetitus sensitiuus, qui complectitur omnia desideria, & naturales motus: vt sunt, amor, odium, lætitia, mœror, desiderium, timor, spes, indignatio, & similes partturbationes. Iste appetitus est animę nostræ pars ignobilior, q̃ bestijs nos efficit similiores, q̃ per omnia affectibus & appetitu ducũtur. Appetitus hic facit nos vilescere, & potissimũ nos trahit ad terrena, dũ à rebus cęlestibus lõgius abducit. Hęc vena, hic fons omniũ malorũ, q̃ sunt in mũdo; & causa nostræ perditionis primaria. Propterea dicebat D. Bernardus; Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim desæuiet ignis ille, nisi in propriam voluntatem? Nam propria voluntas Deum impugnat, & aduersus eum extollitur. Ipsa est quæ paradisum spoliat, infernum ditat, sanguinem Christi euacuat, & ditioni Diaboli mundum subiugat. In hac enim parte est officina, promptuarium, & *Propria voluntatis mala.* Bern. ser 3. de Resur. Dom.

armamentarium peccati: ex ea enim depromit vires, & arma, ad vulnerandum crudelius. Hæc est in nobis tanquam altera Eua, quę est pars debilior & magis inclinata ad res inferiores animæ nostræ: per quam antiquus serpens inuadit Adamum nostrum, id est, partem animæ nostrę superiorem, in qua est intellectus & voluntas eum vt oculos attollat ad arborem interdictam. Hæc est pars illa, in qua peccatum originale ostendit potissimum vires suas, & in qua vim efficaciorem veneni sui recondidit. Hic pugnæ, hic lapsus, hic victoriæ, hic coronæ. Hic inquam lapsus sunt debilium, victoriæ fortium, coronę vincentium: hic denique tota est militia & exercitium virtutis, in hac enim vera bestia domanda, & refrenanda magna pars exercitij virtutum moralium consistit. Hæc est vinea, in qua debemus semper laborare, & hortus, quem colere debemus sine intermissione. Hic sunt noxiæ plantæ, quæ debent extirpari, vt nouelli virtutum surculi in earum locum rursus inserantur. Oportet igitur vt seruus Domini semper in horto isto obambulet, falcem habens, in manu, qua putet & eradicet superfluas atque pernicioſas plantas, quæ inter bonas succrescunt: vel tanquam prudens ductor, & antesignanus veretur inter hos affectus, coërceat, regat, dirigat, nunc laxando, nunc stringendo, nunc lora retrahendo: vt non eo vagentur modo, qui ipsis placet; sed secundùm præscriptum & legem rationis ducantur.

Pars animæ inferior custodienda.

Discrimen inter filios Dei & mundi.

Hoc præcipuum exercitium est filiorum Dei, qui non reguntur amplius affectionibus sanguinis, & carnis: sed spiritu Dei. Hæc est differentia inter homines spirituales & carnales: hi enim reguntur affectionibus carnis, instar brutorum animalium: illi spiritu Dei mouentur, & ratione. Hæc est illa mortificatio, & myrrha laudabilis, cuius sępe meminit Scriptura. Hæc est illa mortificatio & sepultura, ad quam toties nos inuitat Apostolus. Hæc est illa Crux, & sui ipsius abnegatio, quam prędicat Euangelium. Hoc est facere iudicium & iustitiam, quę toties in Psalmis, & Prophetis repetuntur. Hic debent explicari omnes vires nostræ, huc labores, orationes & exercitia intendi.

Necesse autem est, vt quilibet hîc propriam suam optimè habeat perspectam conditionem & naturalem propensionem: & in quacunque parte potissimum illam sentit, in ea sciat maximum sibi periculum imminere. Quamuis verò cum omnibus affectibus semper nobis bellum sit, maximè tamen cum appetitu honorum, voluptatum, & diuitiarum nobis pugnandum est. Sunt enim hi tres fontes, & venæ malorum omnium. Caueamus ne appetamus seu desideremus, vt semper nostra fiat voluntas, & desideriis nostris satisfiat: hoc enim est vitium periculosissimũ, ad hominem à statu mentis deijciendum, & mentem diuexandam potentissimum. Quod vitium valde familiare est magnatibus, & viris assuetis aliis imperare. Quapropter vtilissimum erit exerceri illos in rebus suis appetitibus contrarijs, & subtrahere voluntati etiam res licitas, vt sint promptiores & alacriores ad sese etiam in rebus non licitis temperandum. Non enim minus requiritur hoc exercitium, vt homo fiat dexter in armis spiritualibus, quam in carnalibus: imò tanto magis, quanto maior & difficilior est victoria suiipsius & dæmonum, quam omnium rerum aliarum. Debemus etiam exerceri in officijs humilibus, & contemptis: non aspirare ad dignitates & honores: nihil enim mundus potest dare, nihil etiam auferre huic, qui Deum habet hæreditatem & thesaurum suum.

Cum quibus affectibus maximum nobis bellum.

Nota.

De reformatione Voluntatis.

Ad adipiscendam mortificationem supradictam iuuat plurimum reformatio & moderatio voluntatis superioris, quę est appetitus rationabilis: quam moderari & ornare debemus inter alios tribus sanctis affectibus; vt sunt, Humilitas cordis, Paupertas spiritus, & sanctum suiipsius Odium. Tria enim hæc negotium mortificationis faciunt leuissimum. Humilitas, vt D. Bernardus definit, est contemptus suiipsius, qui ex profunda & vera suiipsius cognitione nascitur. Cuius virtutis proprium est eijcere ex anima ramos omnes, omnesque filias Superbię, cum tota ambitionis progenie; omnibusque se creaturis substernere, & credere quamcunque aliam creaturam, si datum esset ei à Deo posse bene operari, (vti nobis datum est) gratiorem multo fore, multoque plures fructus prolaturam, quàm nos. Nec sufficit, vt homo intus habeat hunc suiipsius contemptum in se occultum, sed necesse est, vt is quoque in illius reluceat conuersatione, ita vt in omnibus sese quàm fieri potest humillimum præbeat secundùm qualitatem sui status; non habens rationem iudicij & existimationis huius mundi, qui sese fortassis opponit. Quare necesse est, vt omnia nostra dent iudicium paupertatis, & humilitatis: subijciamusque nos amore Dei non tantum maioribus & paribus, sed & minoribus.

Superior animæ pars quomodo reformanda.

Bernard lib. de form. c. 6. in Cant.

Secundum, quod hoc loco requiritur, est paupertas spiritus, quæ est contemptus voluntarius rerum huius mundi, & animus contentus ea conditione, quæ à Deo concessa est, quantumuis etiam tenui & exigua. Hoc ictu amputatur radix omnium malorum, quam cupiditatem vocant, tantam homini pacem, cordisque tranquillitatem conciliat, vt Seneca non vereatur dicere; Qui portam desiderijs cupiditatis suæ habet occlusam, hic cum ipso Ioue potest de felicitate contendere, & alibi; Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit. An parum habet, qui tantùm non alget, non esurit, non sitit? Plus Iupiter non habet. Nunquam parum est, cui satis est. hæc Seneca. Quibus verbis innuit felicitatem hominis esse, in sacietate desiderij cordis. Qui ad hanc cupiditatis quietem peruenit, dicere potest, se ad culmen felicitatis peruenisse, aut saltem magnam illius partem consecutum esse.

Paupertas spiritus.

Seneca epist. 18.

Tertius affectus, est sanctum suiipsius Odium, de quo Saluator dicit, *Qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quæ doctrina non est intelligenda de odio peruerso, quo desperati seipsos oderunt: sed intelligi debet de odio, quo fuerunt Sancti in propriam carnem suam, tanquam in rem, quæ erat causa multorum magnorumque malorum, & quę multa bona impediebat: ideoque tractarunt eam non secundùm eius voluntatem, sed secundùm id, quòd lex rationis dictitat: quæ iubet, vt illam sæpe tractemus, nõ vt dominã, sed vt seruam spiritus, alioquin nobis eueniret, quod Sapiens dicit; *Qui delicatè à puericia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

Ioan. 12, 25.

Prou 29, 21.

Quare & alio loco monet, vt tanquam indomitã bestiam illam fustibus percutiamus, & frænum iniijciamus, *Iugum*, inquit, *& lorum curuant collum durum, & seruum* (hoc est corpus) *inclinant operationes assiduæ. Seruo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationes, ne vacet.* ne caro sit otiosa, neue superbiat, & in apertam ruat malitiam. Hoc sanctum odium vehementer promouet negotium mortificationis: hoc est, conducit ad mortificandum, & amputandum mala nostra desideria, quantumuis illud durum sit. quomodo enim sine hoc odio phlebotomum infigere, & sanguinem haurire, grauiterque vulnerare possemus rem nobis tantopere dilectam?

Eccl. 33, 27.

Bra-

Brachium namque & fortitudo mortificationis acquirit vires, non tantùm ab amore Dei, sed & odio suijpsius: qua fortitudine homo animam suam non ex passione cruciat, sed tanquam seuerus chirurgus, qui corruptionem membri affecti, vbi opus est, secat & abscindit. De tribus itaque virtutibus his, vt sunt, Humilitas, Paupertas spiritûs, & Odium sanctum suijpsius: deque mortificatione multorum aliorum affectuum, de quibus capitulo præcedenti tractauimus, tanquam de rebus in vita spirituali capitalibus, multa nobis erant adhuc dicenda: sed differemus illa, tractabimusque materiam hanc alio loco commodiori: est enim hoc proprium Memorialis, in quo illa ex professo tractantur.

De reformatione Imaginationis.

POst duas illas potentias appetitiuas, aliæ duæ sunt, quæ ad cognitionem pertinent; Imaginatio, & Intellectus; quæ duabus præcedentibus correspondent: vt vterque illorum appetituum suum habeat ducem, & conuenientem sibi cognitionem. Imaginatio, quæ harum duarum ignobilior est, dicitur animæ nostræ potentia, ex peccato magis debilitata, & quæ minus vult rationi subijci. Nam sæpe tanquam seruus fugitiuus, qui sine licentia discedit, ex ædibus sese proripit, & subinde mundum vniuersum circuit, antequam vbi sit intelligamus. Est & potentia valde auida, in quacunque re cogitanda & scrutanda, cuius desiderium ei nascitur: canesque gulosos imitatur, qui omnia subuertunt, & rostrum suum in ea quæcunque obuia sunt immittunt, nunc hoc, nunc illud delibantes: & quantumuis vapulent, fustibusque percutiantur, semper tamen ad præmansum cibum reuertuntur. Est & potentia hæc valde libera, & fugax. tanquam siluestre aliquod animal, feraque & indomita bellua, de vno monte in alium velocissimè fugiens, ne capiatur & ligetur: non enim frænum fert, vel capistrum: neque etiam regi vult ab homine, nec contrectari. Non obstante hac licentia & naturali feritate, inueniuntur quidam, qui quotidie faciunt illam deteriorem: quemadmodum illi, qui delicatissimè filios suos educant, permittentes eos liberè, quocunque velint diuagari, & quodcunque voluptas appetit facere, absque vlla reprehensione. Quare cùm homo velit, vt hæc imaginatio quietè persistat in contemplatione rerum diuinarum, immorigera est, & reluctatur, eo quòd liberrimè vagari consueuit, moderationemque nullam agnoscat. Necesse igitur est, vt postquam pessimos huius bestiæ mores iam cognouerimus, eam comprehendamus, & ad præsepe, hoc est, ad bonarum necessariarumque rerum considerationem illam ligemus, perpetuumque silentium in ceteris omnibus illi imponamus. Ita vt, quemadmodum paulò antè linguam ligauimus, ne quid loquatur, nisi verba bona & necessaria; sic imaginationem ligemus, quo maneat in bonis & sanctis cogitationibus, portaque illi ad omnes reliquas claudatur. Ex parte siquidem nostra necesse est magna adsit discretio, ad examinandum quæ cogitationes sint admittendæ, & quæ excludendæ: vt illæ recipiantur tanquam amicæ, illæ expellantur sicut inimicæ. Qui hac in parte negligentiores sunt, intromittunt non rarò in animas suas ea, quæ non tantùm auferunt deuotionem & feruorem spiritus, sed & ipsam tollunt charitatem, in qua vita animæ consistit. Ostiaria domus Isboseth filij Saulis purgans triticum obdormiuit, & ingressi latrones occiderunt Isboseth, atque caput illius abstulerunt. Simili modo cùm sopita iacet discretio, cuius officium est purgare & discernere frumentum à paleis, hoc est, cogitationes vtiles & bonas à noxijs, intrant sæpe in animam illæ, quæ interficiunt animam, eamque vita priuant.

Simile.

Imaginatio vaga est & libera.

Simile.

2 Reg. 4.

Non tantùm ad conseruationem vitæ, sed ad silentium etiam obseruandum, & orationem plurimùm conducit hæc diligentia. Inquieta enim & turbida imaginatio non sinit hominem orare sine cogitationum varietate, atque sensuum euagatione: quemadmodum quæ tranquilla est, in ordinem redacta, facillimè in oratione perseuerat.

De reformatione Intellectus, & officijs prudentiæ.

POstquam de supradictis omnibus partibus & potentijs hominis disseruerimus, superest vt de altissima, nobilissimaque illarum, quæ est intellectus, aliquid dicamus: qui inter alias virtutes ornandus est rarissima & pulcherrima virtute discretionis & prudentiæ. Officium huius virtutis in spirituali vita magnam habet proportionem cum eo, quod est oculorum in corpore, nauclerj in naui, Regis in suo regno, & aurigæ in suo curru, qui scuticam manu dextra, & habenas tenens sinistra, quò vult equos dirigit & impellit. Sine hac virtute spiritualis vita tota est cæca, inordinata, & plena confusione. Ob hanc causam Magnus ille Antonius, in quadam ad alios monachos de virtutibus collatione, hanc primo loco ponit, tanquam præceptricem & ducem omnium aliarum. Quapropter omnes virtutum amatores ante omnia debent oculos vertere, & diligenter intueri hanc virtutem, vt in omnibus alijs maiori cum fructu procedant. Virtus hæc non vnum solum habet officium, sed multa, eaque diuersa: non enim tantùm virtus est particularis, sed generalis, quæ cum omnium virtutum exercitijs concurrit, omnia conuenienter in ordinem redigens. Secundùm hoc generale officium hîc dicemus de aliquibus actionibus, quæ ad hanc pertinent.

Officium prudentiæ.

Similitudines.

Collat. 2. cap. 8.

Prudentia dux aliarũ virtutum.

Primò siquidem pertinet ad prudentiam) fide & charitate præsupposita) dirigere omnia opera nostra in Deum, tanquam in vltimum finem; examinando subtiliter intentionem, quam in operando habemus: vt nimirum videamus, si purè Deum quæramus, an potiùs nosmetipsos. Natura namque amoris proprij (vt quidam inlignis Doctor ait) adeò subtilis est & occulta, atque in omni re, etiam in nobilissimis exercitijs semetipsum quærit.

Primum officium prudentiæ.

Prudentiæ quoque est, scire cum proximo suo sine querela conuersari: illum iuuare, & non scandalizare. Necesse itaque est prudenter singulorum arterias, hoc est conditiones, & spiritus explorare, eosque perducere per ea media, quæ cuique sunt vtiliora.

II. Officium.

Prudentia est, nosse aliorum defectus patienter ferre, eosque dissimulare, & non ad ossa vsque eorum vulnera pertentare: memores omnes res humanas ex actu & potentia, hoc est, ex perfecto & imperfecto compositas esse: nec fieri posse, quin semper infinitæ sint imperfectiones & defectus in vita humana, maximè post grauissimum illum lapsum naturæ per peccatum. Ideoque dicit Aristoteles, non esse hominis sapientis certitudinem & demonstrationem æqualem in omni materia quærere. Quædam enim res demonstrari possunt, quædam verò non: vnius rei veritas, & certitudo potest indagari, alterius non. Similiter nec hominis prudentis est requirere, vt omnes res humanæ pendeant in æquilibrio, nec quicquam desit: quædam etiam res istud ferre possunt, quædam non. Qui pertinaciter contrarium vrget, fortè medijs illis, per quæ operatur, plus oberit, quam per finem quem intendit proderit, licet effectum res sortiatur.

III. Officium.

Prudentia est, si homo semetipsum cognoscat, & omnia sua interiora habeat perspecta: hoc est, omnes sensus, cogitationes, malos appetitus, & sinistras intentiones, suam denique ignorantiam, & exiguas

IIII. Officium.

virtutes: vt animus inani gloria non pulsetur, & temerè quid de se præsumat: vtique melius intelligat, quibus cum hostibus illi continuum bellum est: donec eos omnes ex terra promissionis, hoc est, ex anima eiecerit. Est & prudentia considerare quanta cum diligentia debeat homo huic operi aduigilare.

V. Officium. Prudentia est, posse linguam regere secundùm præscriptum legis diuinæ, atque circunstantias superiùs commemoratas, scire etiam quid loquendum sit, quid tacendum; cum tempore vtriusque. Nam vt Eccl. 3,2. Salomon ait, *Est tempus tacendi, & tempus loquendi.* Certum enim est, sapientem in mensa, conuiuijs, & similibus locis & rebus maiori cum laude tacere quam loqui. Prudentia quoque est, cuius non credere: non statim initio & in feruore conuersationis omnem spiritum suum effundere; nec vnquam citò dicere, quid de rebus sentiat, seu iudicium suum Prou 29,11. Eccl. 8. statim ferat: dicit enim Salomon; *Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt & reseruat in posterum.* Qui confidit ei, cui confidere non debebat, viuet semper in periculo, & erit perpetuum mancipium illius, cui se credidit.

VI. Officium. Prudentia est, si didicerit homo præuidere à longè venientia pericula; tempore sanitatis sanguinem minuere, & bellum eminus cognoscere, hoc est, difficultatem aut contentionem, quæ ex hac vel illa re posset pullulare, precibusque aut alijs medijs malum omne præuenire atque auertere. Illud consi- Eccl. 18,20. lium est Ecclesiastici, cùm dicit, *Ante languorem adhibe medicinam.* Cùm itaque ad conuiuia aut aliquam solennitatem iturus es, cùm negotium habiturus es cum hominibus litigiosis, seu peruersæ conditionis; aut ad alium aliquem locum te conferes, vbi fortasis periculum tibi posset creari, semper præmeditatus eo veni, & paratus ad omnia, quæ possent euenire.

VII. Officium. Prudentia est, corpus cum discretione & temperantia nosse tractare, ne id nimis delicatè nutriatur, néve vt occidatur. Ne subtrahamus ei quæ sunt necessaria, nec quid illi detur superfluum: castigatum illud circumferamus, non quasi mortuum: ne præ debilitate nimia deficiat in via; néve præ nimia quoque abundantia incrassatum recalcitret, & sessorem deijciat.

VIII. Officium. Prudentia est, occupationes suscipere temperatè, ne nimia grauitate ponderis spiritus (cui omnia exercitia debent seruire, vt in sua regula dicit B. Franciscus) opprimatur: vt ita nos applicemus exterioribus, ne perdamus interiora: vt sic amori proximi nostri simus intenti, ne amittamus amorem diuinum. Actor. 6. Nam si Apostoli ipsi, qui maximos habebant spiritus & ad omnia sufficientes, se se rebus minoris momenti exonerârint, ne deficerent in maioribus; nemo sanè debet sic præsumere de suis viribus, vt putet se omnibus posse sufficere: cùm plerunque fiat, quod dici solet, *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* &, Qui duos insectatur lepores, neutrum capit.

IX. Officium. Prudentia est, obseruare artes & insidias veteris inimici, introitum, exitum, omniaque illius stratagemata, non omni spiritui credere, nec decipi aliqua boni apparentia. Sæpe enim Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis, & semper studet bonos boni aliqua specie decipere. In nullo itaque periculo adeò nobis cauere debemus, quàm in eo, quod sub larua virtutis offertur. Hoc enim genere impostura tentantur ferè semper ij soli, qui bene operari consueuerunt.

Nemo magis ladit, quàm qui sub specie pietatis ladit.

X. Officium. Prudentia denique est, scire aliquid aggredi, & pedem referre: scire quando expedit vincere, quando vinci: maxime verò, posse contemnere iudicia mundi, censuras vulgi, & vilissimorum canum oblatrationes surda aure præterire: qui nunquam non latrant, etiam sine causa: meminisse verò illius Pauli, *Si hominibus adhuc placerem, seruus Dei non essem.* Galat. 1,10. Illud profectò verissimum est, non posse hominem aliquid agere stolidius, quàm vt sese regi permittat à bestia tot capitum, qualis est vulgus: quod nec iudicium habet, nec scientiam in rebus quas loquitur. Optima res est nulli dare offendiculum: timere vbi timendum est, & omni vento non circumferri: inuenire autem medium inter hæc extrema, officium est singularis prudentiæ.

De prudentia in rebus agendis.

EST & necessaria prudentia in rebus agendis, ne in errores incidamus, qui postea non nisi difficillimè possunt emendari: quare & sæpe pax conscientiæ amittitur, & ordo vitæ perturbatur. Qua in re nonnihil adimenti nobis adferre possunt, quæ sequuntur consilia, de quorum primo Sapiens ait: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Quibus verbis consulit Sapiens, vt nihil faciamus inconsideratè: sed vt diu, maturoque consilio determinemus, quid faciendum sit. Proinde quinque necessaria requiruntur. Primò, vt negotia nostra Domino Deo commendemus. Secundò, vt perpendamus summa cum diligentia, æquissimoque iudicio trutinemus, non tantùm substantiam operis; sed & omnes circunstantias illius; vna enim illarum sola fidesit, sufficit ad euertendum omne opus, quod instituitur. Quantumuis enim opera bene sint peracta, cum omnibus suis circunstantijs; si tantùm tempore non debito fiant, sufficit, vt vituperentur, & reprehendatur. Tertiò, vt consilamus alios, & cum alijs loquamur, de ijs, quæ sunt agenda: sint autem consiliarij tales numero quidem exigui, sed selectissimi. Quamuis enim expediat omnium censuras, & opiniones audire, vt negotium meliùs examinetur: conclusio tamen, & rei determinatio, penes paucos fiat, ne in illa peccetur. Quartò, vehementer necessarium est, vt deliberationi certum tempus concedatur: quo & temporis diuturnitate, & conuersationis longitudine, hi, quorum consilijs vtimur, cognoscantur, an boni sint, an mali: sic etiam eorum probentur sententiæ. Sæpe enim initio conuersationis homines longè alij videntur, quàm postea deprehenduntur: sic & eorum consilia initio quidem videbantur vtilia; sed postea meliùs examinata reprobantur, & reijciuntur. Quintò & vltimò, diligenter vitandæ sunt quatuor nouercæ Prudentiæ; vt sunt Præcipitatio, Pasio, Obstinatio in propria sententia, & vana Ineptia. Præcipitatio namque non deliberat, Pasio excæcat, Obstinatio bonis consilijs portam occludit, & vana Ineptia quamcunque deliberationem ingreditur, eam perdit & contaminat.

Prou. 4,25. *Quæ requiruntur ad hanc prudentiam.*

I.

II.

III.

IV.

V. Quatuor nouercæ prudentiæ.

Ad hanc virtutem quoque pertinet, extrema fugere, mediumque tenere. Virtus enim & veritas respuunt extrema: in medio verò sedem suam figunt. nunquam omnia simul sunt reprehendenda, nunquam omnia simul probanda; nunquam omnia negare, nunquam omnia credere, nunquam omnia non credere; nunquam ob delictum paucorum damnare multos, nunquam propter sanctitatem aliquorum omnes iustificare debemus: Sed in omnibus dictamen rationis sequi nos oportet, & cauere, ne ab impetu perturbationum nostrarum ad extrema pertrahamur.

VI. Virtus odit extrema.

Et est regula Prudentiæ, in iudicandis rebus non respicere ad antiquitatem, vel nouitatem rerum, vt ex ea probentur, vel reprobentur: multa enim longissimo iam tempore pessimè vsurpata sunt, & multa quæ optima sunt, non adeò pridem inuenta sunt: ita vt nec antiquitas sufficiat ad iustificandum id,

VII. Antiquitas non patrocinatur peccato.

quod

Hæc regula in moralibus, non in rebus fidei locum habet.

quod malum est; nec nouitas ad condemnandum id, quod bonum est: sed in omnibus, & per omnia iudicium sumi debet à pretio, & rerum valore, non ab annis. Peccato enim nihil aliud ab antiquitate accedit, quàm quòd minùs curabile est: nec virtuti aliquid ob nouitatem decedit, nisi quòd minùs nota est.

VIII. Apparentia rerum nos sæpe fallit.

Alia prudentiæ regula est, non falli in figuris, & rerum apparentijs? ita vt statim de ijs sententia proferatur: non enim omne quod fulget aurum est, nec bonum omne quod bonitatis habet vmbram. Sæpe sub melle fel est, & sub floribus spinæ latitant. Memento quod Aristoteles dicit, quædam mendacia maiorem habere veritatis apparentiam, quàm habet ipsa veritas. Fieri etiam potest, vt malum habeat maiorem boni similitudinem, quàm bonum ipsum. Super omnia verò obseruandum est, vti procedere cum grauitate, signum est prudentiæ; sic agere cum facilitate, & leuitate, indicium esse stultitiæ. Propterea, in his sex rebus plurimùm esse debes prudens & circunspectus, nimirum in credendo, concedendo, promittendo, determinando, conuersando cum hominibus, maximè autem in ira: sæpe enim compertum est homines in maxima pericula incidisse, qui faciles & leues in his fuerunt. Facilè namque credere, nascitur ex leuitate cordis: facilè promittere, libertatem adimit: facilè concedere. generat occasionem pœnitentiæ: facilè determinare, errandi periculo proximum est, vti Dauidi accidit in causa Miphibosæth: facilem esse in conuersatione, contemptum parit: irasci denique facilè, manifestum indicium est stultitiæ. scriptum est enim, *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia. qui autem impatiens est exaltat stultitiam suam.*

In quibus homo debeat esse circunspectus.

2 Reg. 19.

Prou. 14. 29.

De quibusdam mediis, quibus hæc virtus, comparatur.

AD comparandam hanc Virtutem, conducit inter alia plurima media præteritorum errorum experientia, & rerum, tum suarum, tum aliarum bene peractarum euentus: ex his enim plerunque multa consilia & regulę prudentię desumuntur; ob eandemque causam dicitur, memoriam rerum antiquarum familiarem esse adiutricem, & magistram Prudentię; præsentem verò diem discipulum esse præteritorum, quare & Salomon dicit; *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Ex præteritis enim iudicantur præsentia, & ex præsentibus præterita. Sed super omnia plurimùm iuuat in hac virtute adipiscenda profunda & vera cordis humilitas: quemadmodum econtrariò superbia impedit, & perdit omnia. Propterea scriptum est; *Vbi est humilitas, ibi est sapientia.* Præter illud omnes sacrę Scripturę clamant, Deum esse doctorem humilium, & magistrum parvulorum, qui reuelat his sua mysteria. Nihilominus talis non debet esse humilitas, vt subijciatur omnium opinioni, & ab omni vento sese circumferri patiatur. hoc enim non esset humilitas, sed instabilitas, & cordis debilitas. Huic vitio volens remedium adhibere Sapiens ait: *Noli esse humilis in sapientia tua.* quasi velit dicere, Homo in rebus veris, quas profitetur, fundatus iusto & Catholico fundamento, debet esse constans, nec facilè à proposito dimoueri: vti faciunt quidam infirmi, qui ab opinione aliqua quocunque seduci sese patiuntur.

Eccli 9.

Prou 11, 2. Matth 19. Marc 10. Matth. 11. Luc. 10.

Non omnis opinio sequenda.

Eccli 13, 11.

Vltimum, quod vtilissimum est ad hanc virtutem acquirendam, humilis est & deuota Oratio. Cùm enim primarium officium sancti Spiritus sit illuminare intellectum humanum dono Scientiæ, Sapientiæ, Consilij & Intellectus: quanto maiori humilitate & deuotione homo Spiritum sanctum accedit, cor adferens discipuli, & parvuli; tanto perfectius instruitur, cælestibusque donis illis honoratur. Non deest nobis materia, copiosius de hac virtute agendi, (cùm enim sit dux, vel ductrix omnium aliarum virtutum, necesse erat vt illa ductrix non esset cæca, ne obscurum & sine oculis esset totum corpus virtutum) tamen cùm breuitati studeamus, prolixiores esse noluimus. Quia verò quæ dicta sunt hactenus, omnia pertinent ad reformationem suijpsius, corporisque & animæ suæ compositionem, quæ prima pars est iustitiæ, quam suprà posuimus: reliquum est, vt nunc de secunda parte dicamus, quæ docet quid homo proximo debeat.

DE ILLO QVOD HOMO proximo suo debet.

CAPVT XVI.

Secunda pars iustitiæ.

SEcunda pars iustitiæ est, vt homo reddat proximo suo, quod illi debet, hoc est, vt charitatem & misericordiam erga illum exerceat secundum Dei mandatum. Hæc pars quàm necessaria sit, & quoties iubeatur in sacra Scriptura, quæ norma est & regula, ad quam vita nostra est exigenda, nemo facilè credet, nisi qui in illa versatus est. Lege Prophetas, Euangelia, & Epistolas: habebis illam toties obuiam, nobisque commendatam, vt non possis non vehementer admirari. In Esaia pulcherrimè docet Deus quomodo proximus tractandus est: cùm Iudæi conquerentes dicebant: *Domine, quare ieiunauimus & non aspexisti? humiliauimus animas nostras & nescisti?* Esa 58, 3.
Respondet Dominus: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale ieiunium est quod elegi per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? nunquid istud vocabis ieiunium & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.*

Prosequitur hanc materiam vsque ad finem capituli. Vides itaque, mi frater, in quo Deus constituat magnam partem verę iustitiæ, & quàm piè voluit nos in fratres & proximos esse pios & misericordes. De Apostolo Paulo quid dicam, in cuius Epistolis nihil adeò frequens est, atque hoc mandatum? quanta laude prædicat charitatem? quomodo illam exaggerat? quàm graphicè illius depingit excellentiam? Quomodo illam omnibus virtutibus præponit, vocans illam excellentissimam viam ad Dominum perueniendi? Nec eo contentus alibi vocat *vinculum perfectionis:* & in alio loco dicit, *charitatem esse finem omnium mandatorum Dei,* & iterum in alio; *qui diligit proximum, legem impleuit.* Quæ itaque laus de alia virtute maior posset prædicari?

1. Cor. 12. Coloss. 3. 1. Tim. 1. Rom. 13, 8.

Præter hęc omnia dilectissimus Christi discipulus, Ioannem dico, in suis canonicis, nihil toties repetit, nec sic commendat, sicuti Virtutem hanc, & quod docet in epistolis, id in historia illius confirmatur: nihil scilicet adeò frequens illi in ore fuisse, quàm; *Fratres diligite inuicem,* idque per totam vitam, etiam cùm inter discipulorum manus in ecclesiam deferretur, sæpius in die repetebat; cumque interrogaretur, cur id toties repeteret, quærentibus respondet; Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.

Hieron in epistol. ad Galat. in cap. 6.

De of-

De officijs charitatis.

QVi itaque diuinæ vult satisfacere voluntati, certò sciat inter omnia primaria nihil æquè requiri, atque hoc mandatum amoris: ita tamen vt intelligamus hunc non esse solum & nudum affectum, sed omnes effectus, qui cum vero amore solent concurrere, habere annexos: alioquin enim non esse amoris nomine dignum, quemadmodum idem Euangelista demonstrat, dicens: *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Sub amoris itaque nomine inter alia plura sex comprehenduntur, vt sunt; amare, consulere, subuenire, sufferre, ignoscere, bonis exemplis docere: quæ opera sic cum charitate coniuncta sunt, vt quo quis ex illis plus minúsve habet, eo etiam plus minúsve habeat charitatis. Hoc ideo monemus, quia inueniuntur qui dicunt; Amo, amor verò eorum nullum habet effectum, sed nomen tantùm. Sunt alij qui amant, & amoris sui specimen præbent bonis admonitionibus & consilijs: ceterùm loculos non aperiunt, nec manum in arcam mittunt, vt necessitatibus proximi subueniant. Alij rursum & consilijs iuuant proximum, & subueniunt illi, ex ijs quæ possident: iniurias tamen & infirmitates proximi patienter non ferunt, nec satisfaciunt consilio Apostoli qui dicit, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Nonnulli ferunt illatam sibi iniuriam patienter, sed non ignoscunt iniurianti misericorditer: & licet in corde non gerant odium, exteriùs tamen non monstrant amorem beneficijs, obsequijs aut beneuolentia. Hi licet non deficiant in primo, non proficiunt tamen in secundo: nec ad virtutis huius perfectionem perueniunt. Quidam sunt qui effectus supradictos omnes habent; sed nec verbis, nec pijs exemplis proximum ædificant, quod sanè inter officia charitatis est nobilissimum.

Charitas nõ est nudus affectus.

1. Ioan. 3, 17.

Sex officia charitatis.

Galat. 6, 2.

Iuxta hunc ordinem potest quilibet semetipsum examinare, vt quid habeat, quid sibi in hac virtute desit, intelligat. Possumus enim dicere, qui amat, hunc esse in primo gradu charitatis: qui amat & consilium dat, in secundo: qui amat, consulit, & succurrit, in tertio: qui amat, consulit, succurrit, & suffert, in quarto: qui amat, consulit, succurrit, suffert, & ignoscit, in quinto: qui vero amat, consulit, succurrit, suffert, ignoscit, & docet, vel exemplis, verbisque pijs ædificat, quod propriè perfectorum est, & qui viri sunt Apostolici, hic sextum gradum ascendit, & in vltimo consistit. Atque hi sunt actus positiui, vel affirmatiui, qui in charitate requiruntur: ostendunt enim quid proximo facere debeamus. Sunt alij negatiui, qui docent quid proximo facere non debeamus: cuiusmodi sunt; Non iudicare alium, alterius famæ non detrahere; bona non appetere, dignitatem vel vxorem proximi non concupiscere, scandalum illi, aut maledictis, aut verbis inhonestis, aut superfluis, multo minùs exemplis aut consilijs malis non præbere. Qui diligenter obseruat hæc omnia, implet quicquid in perfectione diuini huius mandati requiritur. Et si horum omnium exigas particularem & breuem, vnoque verbo comprehensum memoriam, fac habeas, vti aliàs diximus, cor matris erga proximum, & omninò perficies quidquid hactenus dictum est. Considera quomodo prudens & pia mater, amans filium, amonet eum, si quod immineat periculum; succurrit illi in necessitate, suffert eius delicta cum patientia, nunc castigans iustitia, nunc dissimulans & regens prudentia. Omnes enim virtutes huic vni tanquam Reginæ & matri aliarum virtutum famulantur. Animaduerte quomodo eadem mater gaudet in bonis, & contristatur in malis sui filij; non aliter atque si propria illius essent: quanto zelo vtilitatem & honorem eius affectet; quàm piè, quamque diligenter Deo semper pro illo supplicet; denique quod magis solicita sit pro salute filij, quàm pro sua propria, & quòd in se crudelis sit, & seuera, vt clemens sit & pia erga filium. Si eò itaque peruenire tibi liceat, vt tali corde diligas proximum, iam ad perfectionem charitatis peruenisti: quòd si verò non detur tibi illuc ascendere, sit saltem hic scopus tuorum desideriorum, & huc vitam tuam semper dirige; vt altius eleueris, ne in inferioribus permaneas.

Officia charitatis negatiua.

Cor matris erga proximum habẽdum.

Quòd si autem interrogaueris me, quomodo huiusmodi corde extraneum diligere poteris: dico debere te proximum tuum considerare, non vt extraneum, aut alienum; sed vt imaginem Dei, plasmatum illius; eiusque filium, & viuum Christi membrum. Hinc D. Paulus toties nos monet, omnes nos esse membra Christi: peccando itaque in proximum, peccamus in Christum; & benefaciendo proximo, Christo benefacimus. Ita vt proximum considerare debeas, non vt hominem, aut hominem talem, sed vt Christum ipsum, aut membrum viuum illius. Licet autem talis non sit proximus tuus ratione materiæ sui corporis, est tamen huiusmodi ratione participationis eiusdem spiritûs, magnitudinisque præmij atque remunerationis: cùm Christus ipse dicat, qui proximum recipit, hunc ipsum se recipere; nec aliud præmium habiturum, quam si Christum ipsum recepisset.

Quomodo cor tale acquirendum.

Matth. 10. Marc. 9.

Recordare omnium quoque præconiorum huius virtutis, quæ superiùs à nobis posita sunt, & quantopere sit ab ipso Deo commendata. Nam si viuum in te sit desiderium Deo placendi, nónne saltem satages, vt vnum hoc illi tantopere gratum præstes? Perpende qualis sit amor vnius cognati ad alium, ob solam communionem carnis & sanguinis, quæ est inter illos: & pudeat te, si tantum non valeat in te gratia spiritalis vnionis, quantum carnalis parentela vel cognatio. Si dixeris in hac esse coniunctionem & participationem in vna eademque radice, & in vno sanguine vtriusque: perpende quanto nobilior est coniunctio & communio, quæ est inter fideles, vt Apostolus declarat, dum habeamus omnes eundem patrem, eandem matrem, eundem Dominum, idem baptisma, eandem spem, eandem fidem, eundem cibum; & spiritum, qui viuificat nos, eundem. Omnes eundem habemus Patrem Deum, matrem Ecclesiam, Dominum Christum Iesum. Vnam habemus fidem, quæ est lumen supernaturale, in qua communicamus omnes, & quæ nos ab omnibus alijs nationibus discernit: vnam spem, quæ est ipsa cælestis hæreditatis gloria, in qua omnes erimus vnanimes & concordes: vnum baptisma, in quo omnes adoptati sumus in filios eiusdem Patris, & facti fratres alter alterius: habemus vnum eundemque cibum, sanctissimum scilicet corporis Christi Sacramentum, quod omnes nos simul commiscet, & vnum quid efficit cum illo: non aliter quàm ex multis granis sit panis vnus, & ex multis acinis vnum vinum confluit. Præter hæc omnia verò de vno eodemque spiritu participamus, qui est Spiritus sanctus, qui habitat in omnibus animabus fidelium, siue per fidem, siue per fidem simul & gratiam, viuificans & sustentans nos in hac vita. Quòd si membra eiusdem corporis, licet habeant officia diuersissima, & forma quoque inter se differant, tam tenerè sese mutuò diligant, eo quod ab vna eademq; anima rationali viuificantur; quanto magis debet Christi fideles sese mutuò diligere, qui diuino illo spiritu animatur; qui quo nobilior est, tanto etiam potentior est, ad vniendum ea, quibus inhabitat: si sola carnis & sanguinis cognatio tantum potest amorem inter cõsanguineos excitare, quan-

Omnia nobis cum proximo communia.

Galat. 5.

Simile.

quanto magis eum excitabit tanta vnitas, & rerum tam nobilium communicatio?

Nunquam excidat tibi ex animo vnicum illud & singularis amoris exemplum, quo Christus nos complexus est: qui nos amauit tam fortiter, tam dulciter, tam gratiosè, tam perfectè, ob nullum commodum suum, nullumque ob meritum nostrum, vt confortatus tam nobili exemplo, & deuinctus propter summum illud beneficium, confestim te præpares, & quantum in te est disponas ad amandum proximum tuum pari amore; vt satisfacias mandato illi quod idem Dominus Iesus tibi dedit, adeoque commendauit, cùm è mundo migraturus esset, dicens; Ioan. 15, 12. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem: sicut & ego dilexi vos.*

Qui autem præter ea, quæ dicta sunt, scire cupit, quanta sit dignitas & vtilitas Eleemosynæ atque misericordiæ in proximum, legat tractatum, quem ea de re scripsimus, in tertio libro de Oratione & Meditatione.

DE ILLO QVOD HOMO debet Deo.

CAPVT XVII.

POstquam exposuerimus quid nobis debeamus, & quid proximo, dicamus nunc quid Deo debeamus: Est autè hæc primaria & nobilissima Iustitiæ Christianæ pars, cui famulantur tres virtutes theologicæ, Fides, Spes, & Charitas, quæ Deum habent obiectum, cum virtute illa, quæ à Theologis dicitur Religio, cuius obiectum est cultus diuinus. Omnibus obligationibus, quæ sub hac virtute comprehenduntur, satisfaciet homo, si erga Deum habeat cor, quale filius erga parentem. Quemadmodum enim homo sibi ipsi satisfaciet, si habuerit cor boni iudicis; & proximo, si cor matris, ita modo quodam loquendi, satisfaciet Deo, si eo corde diligat illum, quo filius solet diligere patrem: est enim vnum ex præcipuis Spiritus Christi officijs, tale cor erga Deum homini immittere. Considera itaque nunc diligenter, quale sit consilij erga patrem suum: quo fit in illum amore, quo timore, qua reuerentia, qua obedientia, quo zelo honoris illius; quomodo seruiat illi gratis: quanta cum fiducia recurrit ad illum in omni sua necessitate, quàm patienter fert correptionem & castigationem illius, cum reliquis omnibus. Tali quoque & tu esto in Deum corde & animo, & absolutè partem hanc iustitiæ adimplebis. Ad parandum verò cor huiusmodi, nouem mihi præcipuè virtutes videntur esse necessariæ: quarum prima & principalis est amor; secunda timor & reuerentia; tertia fiducia; quarta zelus honoris Dei; quinta pura intentio in exercitio diuini cultus; sexta oratio & refugium ad Deum in omnibus necessitatibus; septima gratiarum actio pro diuinis beneficijs; octaua obedientia & conformitas nostræ voluntatis cum voluntate Dei; nona humilitas & patientia in omnibus flagellis & tribulationibus, quæ nobis Deus immittit.

Cor filij in parentes.

Ad huiusmodi cor parandũ 9. virtutes requiruntur.

Amor Dei.

Secundùm hunc ordinem, prima præcipua res, quam agere debemus, est amare Deum, modo illo, quo se amari præcipit: hoc est, in toto corde, tota anima, & totis viribus nostris: ita vt quicquid in homine sit, suo modo colat, ametque Deum: intellectus illum cogitando; voluntas amando; affectus inclinando se se ad id, quod amor eius exigit; vires omnium membrorum & sensuum exercendo sese in his, quæ amor ille ordinauit. Quia verò peculiaris de hac materia tractatus est in nostro Memoriali, latiùs de his omnibus ibidem inueniet studiosus lector.

Lib. 7 Memorialis.

Timor.

Secundum, quod post sanctum illum amorem requiritur, est timor, qui ex illo amore nascitur: quo enim aliquem plus amamus, eo etiam plus timemus, non tantum ne amittamus, sed etiam ne offendamus eum. patet hoc in amore boni filij erga suum patrem, & coniugis erga maritum: quæ quo magis illum diligit, eo studet diligentiùs, ne quid in ædibus inueniatur, quod maritum posset offendere. Timor hic custos est innocentiæ: & propterea necesse est, vt profundissimas in cordibus nostris agat radices: quod olim Deum precabatur Propheta Dauid, cùm diceret: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Non erat sanctissimo Regi satis timorem hunc in animo suo plantatum; sed voluit etiam vt configeret & carnes, & viscera illius; vt dolor sensus esset in illo, tanquam clauus infixus, qui loco perpetui memorialis hæreret in animo, exercitaretque illum ne obdormiret, & in aliqua re offenderet oculos illius, quem timebat: ideoque aptissimè dictum est ab Ecclesiastico; *Timor Domini expellit peccatum*. quanto enim magis quis timetur, tanto diligentiùs ne offendatur cauemus. Ad hunc sanctum timorem pertinet, non tantum mala opera non perpetrare, sed examinare quoque bona, ne fortè non pura sint, aut necessarijs careant circunstantijs, ne res per se bona, propter defectum nostrum fiat mala, & inutilis. Rectè namque dixit B. Gregorius; Iusti est timere culpam, vbi non est culpa. Talem timorem B. Iob. habebat, quando dixit, *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Ad hunc timorem etiam pertinet, vt cùm interfumus diuino officio, & in ecclesijs, maximè vbi venerabile Sacramentum adest, non fabulemur, non ambulemus, non circumspiciamus irreuerenter, nunc in hanc, nunc in illam partem oculos conijcientes, vt multi faciunt: sed debemus ibidem stare cum timore, & ingenti reuerentia erga diuinam illam Maiestatem, in cuius conspectu consistimus: certo enim & speciali quodam modo Deus ibidem præsens est. Quòd si me interroges, quomodò sanctus hic affectus in animis nostris generetur: dico, præcipuam illius radicem esse amorem Dei, vt paulò antè dicebamus. Post quem pariter iuuat timor seruilis, qui filialis initium est, eumque introducit in animam, non aliter atque fœta futoris linum introducit in calceum. Vtilis quoque est ad nutriendum & augendum hunc sanctum affectum, consideratio celsitudinis diuinæ Maiestatis, profunditatis iudiciorum Dei, magnitudinis illius iustitiæ, & multitudinis nostrorum peccatorum, specialiter verò resistentiæ, quam facimus diuinis inspirationibus. Proinde consultissimum est, subinde animos nostros his quatuor considerationibus occupari: sic enim generabitur, & conseruabitur in animabus nostris hic sanctus timor. De hoc timore copiosius à nobis tractatum est præcedenti libro, capite vigesimo octauo.

2. Timoth. 1.

Psal. 118, 120.

Eccl. 1, 27.

Gregorius.

Iob 9, 28.

Quomodo timor in nobis nascitur.

Simile.

Tertia virtus, quæ in hoc opere diuino requiritur, est Fiducia: hoc est, quemadmodum filius in omnibus suis tribulationibus & necessitatibus, quæ subinde obueniunt, in patre (præsertim si diues sit, & potens) plurimum confidit, ne subsidium aut paterna prouidentia sint illi vnquam defutura: sic & homo hac in re habeat cor filij erga Deum tam amplum, vt considerans se talem habere patrem, qualem habet, in cuius manibus est omnis cæli & terræ potestas, confidat se in omni tribulatione quæ superuenit auxilium in illo patre inuenturum; & certò sibi persuadeat, quòd si se conuerterit ad illum, sperans in misericordia illius patris cælestis, liberabitur omninò à malo, vel dirigetur illud ad maius bonum, vtilitatemque suam maiorem. Etenim si tanta sit fiducia filij in patre, qua cum iam securè dormit: quanto maior esse debet nostra fiducia in Deo, qui magis pater noster est, quàm oēs patres terreni; & ditior est omnibus

3 Fiducia.

Simile.

huius

Obiectio. huius mundi ditissimis. Quòd si dixeris, paucitatem operum bonorum, meritorumque tuorum, & peccatorum vitæ anteactæ multitudinem metum tibi incutere, quo minùs de Deo tanta tibi queas promittere, remedium erit, si (cùm inciderit ista cogitatio) statim ab ea mentem auertas, conuertarisque totus ad Deum, & vnicum eius Filium nostrum Saluatorem & mediatorem. tunc enim mox recuperabis animum, & fortitudo tua crescet in illo. Quemadmodum his, qui rapidum aliquod flumen traijcient, aut transibunt, quod cursus sui velocitate vertiginem capitis inducit, celeumate quodam animum addimus, monemusque vt non aquas, sed terram, aut cælum intueantur, vt securius transeant: sic pusillanimes in hoc negotio auocandi sunt, ne hîc aut se, aut sua peccata respiciant. Sed dices fortassis. Quo me vertam, vt fortitudinem & fiduciam hanc mihi comparem? Respondeo, ante omnia considerandam esse illam immensam bonitatem & misericordiam Dei, quæ se extendit ad omnia mala huius mundi. deinde perpendendæ sunt infallibiles eius promissiones, in quibus gratiam & auxilium pollicetur inuocantibus nomen suum, & ad se fugientibus, nec amplius dubitandum est. Videmus enim hostes ipsos, eos qui cum stigmate aut incisione exilio mulctati sunt, non negare suum fauorem & gratiam ad ædes eorum fugientibus, quos & benignè tempore periculi defendunt, eorumque vulneribus medentur. Perpende quoque multitudinem beneficiorum, quæ huc vsque à pijs illius manibus recepisti; & à misericordia, quam in beneficijs præteritis iam probâsti, disce sperare futura. Super hæc omnia verò intuearis Christum cum omnibus suis tormentis & meritis, in quibus præcipuæ causæ sunt, cur præsumimus confidenter gratiam à Deo flagitare; cùm manifestum sit, merita illa ex vna parte tam esse magna, vt nequeant esse maiora; & ex altera parte esse thesauros Ecclesiæ, in remedium & subsidium eorum omnium, qui indigent illis. Hæc præcipua fulcra sunt nostræ fiduciæ, quæ sanctos ita corroborârunt, in ijs quæ sperabant, vt monte Sion fuerint fortiores. Cæterùm mirandum vehementer est, nos, cùm tam magna habeamus spei nostræ incentiua, & tam iustas sperandi rationes, adhuc tam debiles esse & pusillanimes, vt cùm præsens periculum imminere videmus, mox fugiamus in Ægyptum, ad vmbram curruum Pharaonis. Ita vt multi serui Dei inueniantur strenui in ieiunijs, feruentes in orationibus, liberales in eleemosynis, & in alijs virtutibus exercitati: paucissimi verò, qui tam firmam habeant fiduciam, quàm sanctissima illa fœmina Susanna quondam habuit; *cuius* (cùm esset ad mortem condemnata, & iam ad locum supplicij duceretur) *erat cor fiduciam habens in Domino*. Qui plures desiderat auctoritates ad virtutem hanc persuadendam, poterit vniuersam sacræ Scripturæ adferre suppellectilem: præsertim Psalmos & Prophetas, in quibus nihil adeò frequens est, quàm spes in Deum, & certitudo diuini auxilij, quod manet hos qui sperant in illum.

Respons.

Simile.

Alia obiectio.

Simile.

Merita Christi.

Psalm. 124.

Cant. 1. v. 8.

Dan. 13, 35.

4. Virtus, qua est zelus honoris Dei.

Quarta virtus est zelus honoris Dei; hoc est, si omnis nostra cogitatio in eo sit, vt honor diuinæ Maiestatis augeatur; omnibus alijs rebus præponatur, sanctificetur, vt glorificetur; vtque voluntas illius fiat sicut in cælo & in terra: nullus autem nobis maior oboriri possit dolor, quàm videre diuinum honorem impugnari, aut vilipendi. Talis erat voluntas in cordibus eorum Sanctorum, quorum nomine dictum est; *zelus domus tuæ comedit me*. Ita enim ob hanc rem eorum corda affligebantur, tantusque dolor animi corpora eorum depascebat, vt euidentia in illis conspicerentur indicia. Si nos simili æstuaremus zelo, mox in frontibus nostris signo Ezechielis glorioso insigniremur, immunesque viueremus ab omni pœna & flagello diuinæ iustitiæ.

Psal. 68, 10.

Ezech. 9.

5. Puritas intentionis.

Quinta virtus est puritas intentionis; ad quam pertinet, vt in omnibus operibus nostris non quæramus nosmetipsos aut vtilitatem nostram; sed beneplacitum & gloriam Domini Dei nostri: certò nobis persuadentes, quod quemadmodum illi qui ludunt lusum, cui nomen, Qui vincit, perdit, perdendo lucrantur, & lucrando perdunt; ita & nos, quanto amplius fuit proposito vtilitatis nostræ cum Deo negotiamur, tanto maiorem quæstum facere, & econtrà. Diligenter itaque animaduertere debemus, omniaque opera iustissima examinare trutina, tanquam zelotypi: ne aliud quid animus noster in operando spectet, præter ipsum Deum: proprietas enim naturalis amoris admodum subtilis est (quemadmodum suprà ostendimus) & in omnibus semetipsum quærit. Multi diuites sunt in operibus bonis, quæ si ad lydium lapidem diuinæ iustitiæ probarentur, fortassis inuenirentur sine ista puritate intentionis, quæ est oculus ille Euangelicus, qui cùm simplex & lucidus est, totum corpus reddit lucidum; sed si nequam sit, ipsum quoque corpus tenebrosum efficitur. Multi viri in summis dignitatibus, tam in Rebuspubl. quàm in Ecclesia sunt constituti, qui videntes virtutem in ijs officijs laudabilem esse atque pulchram, operam dant, vt viri probi dicantur; purgantes manus ab omni immunditia, omnique sorde, quæ aliquo modo posset eorum honorem contaminare. Illi hanc ob causam virtutibus student, ne auctoritate sua excidant, in qua versantur; gratiamque inueniant apud suos Principes, vt maiores dignitates accipiant, honoribusque amplioribus cumulentur. Atque ideo bona illa eorum opera non ex viua procedunt amoris scintilla, aut ex timore Dei: nec finem habent propositum obedientiam & gloriam illius; sed proprium commodum, & gloriam humanam. Quicquid autem hoc modo fit, licet aliquid esse videatur in oculis humanis, in conspectu tamen Dei fumus est & vmbra iustitiæ, non vera iustitia. Etenim coram Deo opera non sunt meritoria ex sola vi virtutum moralium, neque etiam negotia corporalia placent illi, etiam si quis proprium suum filium immolet: sed solus ille spiritus amoris cælitus demissus, & omne id, quod ex illa radice nascitur, acceptum est oculis diuinis. In templo non erit quicquam quod vel aurum non erat, vel auro purissimo opertum: ita nefas est aliquid esse in templo viuo animæ nostræ, quod non sit aut charitas, aut charitate deauratum. Seruus itaque Dei non tam respiciat id quod facit, quàm finem quo facere intendit. Opera enim etiam humillima atque infima, excellenti intentione facta, fiunt excellentissima, & econtra: non enim Deus tam intuetur corpus operis, quàm animam intentionis; quæ ex charitate procedit. Illud est imitari certo quodam modo nobilissimum, gratiosissimumque amorem Filij Dei, qui in Euangelio præcipit, vt nos eodem modo diligamus, quo ipse prior dilexit: hoc est, ex pura gratia, & non causa alicuius emolumenti. Cumque inter circunstantias charitatis, quæ in Deo est, hæc maximè sit admirabilis, felicissimus erit is, qui in omnibus operibus quæ facit, conatur hanc imitari: qui autem hoc facit, certo certius credat, quòd summopere diligetur à Deo, tanquam multum illi similis in perfectione virtutis, puritateque intentionis: similitudo namque amorem solet conciliare. Quare auertat oculos suos homo ab omni iudicio humano, cùm operatur bonum: & habeat illos fixos in Deo, nec patiatur, vt opera, quæ apud Deum tanto sunt in pretio, humano seruiant respectui. Si quæ sit mulier nobilissima & pulcherrima carbonario cuidam matrimonio iuncta, Regis alioquin thalamo digna, ad

Simile.

Matth. 6.

3. Reg. 6.

Intentio probat opus.

Ioan. 13.

Qua intentione bona faciendum.

sympa-

sympathian seu compassionem mouebit omnes, qui vident illam: Eodem modo, & quidem multo efficacius mouebitur, si quis videat virtutes dignas Deo, & diuino præmio, fieri pro bonis huius seculi adipiscendis. Sed quia puritas hæc intentionis non ita facilè comparatur, homo eam instanter à Deo petat in omnibus suis orationibus; maximè in illa parte orationis, quam Dominus ipse Apostolos suos docuit, vbi dicitur; *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*, vt quemadmodum omnes cælestes exercitus faciunt voluntatem Dei cum purissima intentione, tantum vt placeant ei: ita etiam homo, quantum fieri potest, hîc in terris cælestem illam consuetudinem, & stylum imitetur: non quia præter id vt placeamus Deo, non liceat etiam aspirare ad regnum illius: sed quia opera tanto sunt perfectiora, quanto magis nuda ab omni proprio commodo.

Intentio pura petenda à Deo.

Matth. 6,10.

4 Oratio.

Sexta virtus est oratio: qua mediante ad Patrem nostrum in tempore tribulationis recurrere debemus: quemadmodum pueri faciunt, qui cum terrentur, statim ad sinum seu gremium patris recurrunt. Oratione hac opus est, vt habeamus continuam Patris nostri memoriam, & in conspectu eius stantes, sæpe conuersemur & sermocinemur cum illo. Hæc enim omnia conditioni & obligationi boni filij ad patrem annexa sunt. Quia verò de hac Virtute in alijs locis egimus hîc nihil amplius de illa dicturi sumus.

Simile.

In libris de Oratione & Meditatione. Item in Memoriali.

7 Gratiarum actio.

Septima virtus est gratiarum actio, ad quam pertinet cor habere gratum, pro omnibus acceptis beneficijs Dei: & linguam talem, quæ ferè semper occupetur in gratijs agendis Deo, pro eisdem: dicens cum Propheta, *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.* Et in alio loco: *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Cùm enim Deus semper nobis vitam det, & conseruet in suo statu, quod dedit: & quotidie, imò singulis quoque momentis pluat super nos sua beneficia, motu cælorum, continuoque omnium creaturarum seruitio: quis recusabit laudare assiduè atque semper illum, qui semper nos conseruat, præseruat, gubernat, & mille nobis bona largitur? Illud sit principium omnium nostrorum exercitiorum: hinc (vt sanctus Basilius monet) omnes orationes nostras exordiamur. Adeò vt in aurora, & in meridie, & vesperi, & nocte, & quocunque tempore Deo gratias agamus pro omnibus eius beneficijs, specialibus & generalibus, tam naturæ, quàm gratiæ: pro beneficijs autem maioribus & amplioribus gratijs maiores quoque dicantur gratiarum actiones; cuiusmodi sunt, quòd pro omnibus hominibus homo factus est: quòd omnem sanguinem quem habebat effudit: quod vult inter homines habitare in Sacramento altaris: præcipuè verò consideranda est in omnibus his beneficijs hæc circunstantia, nimirum, qui omnia hæc beneficia in nos contulit, non aliquo suo motum commodo, sed ex mera bonitate & amore contulisse. Plura de hac re dici possent, sed quia in alio libro ex professo de diuinis beneficijs egimus, sufficiunt quæ hactenus dicta sunt.

Psalm. 33,2. Psalm. 70,8.

Lib. 1. de Orat. & Meditatione Vespertina, dicti Domingo.

De quatuor gradibus Obedientiæ.

1 Obedientia.

OCtaua virtus, quæ Patri huic cælesti debetur, est generalis obedientia in omnibus ijs, quæ præcipit: in qua consistit summa, & complementum omnis iustitiæ. Hæc virtus tres habet gradus; Primus est, obedire diuinis præceptis: secundus consilijs, tertius, inspirationibus & vocationibus Dei obtemperare. Obseruantia mandatorum Dei absolutè ad salutem est necessaria: consiliorum iuuat hominem in illis mandatis seruandis, sine quibus homo sæpe in illis periclitatur. Non iurare enim omnino, licet in re vera sit & iusta, facit vt nunquam falsò iuremus. Patientia facit, vt pacem animi & charitatem non amittamus. Non possidere quicquam proprium facit, vt non appetamus aliena. Benefacere his qui malefaciunt, vtile est ne nos ipsi malefaciamus. Consilia itaque sunt tanquam aggeres & propugnacula præceptorum: & idcirco qui cupit scopum contingere, non contentus sit custodia vnius, sed etiam contendat, quoad eius facere potest, secundum gradum & conditionem suam, alterum obseruare. Quemadmodum enim qui rapidum aliquod flumen vult transmittere, non recta trajcit, sed cursum nonnihil obliquat, & aduerso flumine cymbam altius impellit, vt securior sit, postea secundo flumine dilabendo: sic seruus Dei non debet tantùm considerare quid sufficiat ad salutem, sed debet etiam incipere & seruare cursum paulò difficiliorem, vt si non consequatur perfectionem, quam habebat sibi propositam, saltem eo perueniat vt saluetur.

Simile.

Tertius gradus, de quo diximus, est diuinis inspirationibus & vocationibus obedire. Boni namque serui non tantùm obtemperant dominis suis in ijs, quæ ipsa dominorum suorum voce mandantur, sed & in ijs, quæ nutu aliquo significant. Quia verò hîc facilè decipi possemus, existimantes esse inspirationem diuinam, quæ forte aut diabolica est, aut humana, oportet nos diligenter obseruare, quod monet Beatus Ioannes; *Nolite omni spiritui credere, sed probate si ex Deo sint.* Proinde vitra discussionem sacrarum Scripturarum, & sanctorum Doctorum consilia, quæ in hac re sequenda sunt, etiam hæc regula potest obseruari: Cùm duo genera sint obsequiorum vel seruitiorum Dei, quædam voluntaria & libera, quædam obligationem annexam habentia; quoties vtraque concurrunt, præcedere debet id ad quod obligamur, & omitti voluntarium, quantumuis etiam excellens est & meritorium. Huc referenda est trita illa & vulgata sententia Samuelis; *Melior est obedientia, quam victimæ.* Vult enim Deus: vt homo primùm obediat verbo suo, & postea exhibeat illi cultum qualemcunque velit, sine obedientiæ præiudicio. Per seruitia verò necessaria, intelligimus hîc primò obseruantiam præceptorum Dei, sine qua homo saluari non potest. Secundò obseruantiam præceptorum illorum, qui vicem Dei in terris gerunt: qui enim his resistit, ordinationi Dei resistit. Tertiò obseruantiam rerum earum, quæ pertinent ad statum vniuscuiusque, vt sunt officia prælati in suo gradu, item religioli, & coniugati. Quartò obseruantiam earum rerum, quæ licèt absolutè necessariæ non sint, iuuant tamen plurimum ad necessariarum conseruationem: participant enim quodammodo in nonnullis cum necessarijs. Exempli gratia; Didicisti nunc per longam experientiam, quòd cùm aliquantulum te subtrahis negotijs huius vitæ, & colligens omnes sensus animumque aduocans, incipias conscientiam tuam examinare, & tractare cum Deo de illius remedijs, vita tua est magis ordinata, teque magis magisque dominum constituis tuorum affectuum & perturbationum; aptior etiam & promptior efficeris ad virtutem: contra verò hæc intermittens segnis & lentus esse incipis; deficis in multis rebus, & in veteres errores incidis, & ne ad pristinos mores reuertaris periculum est. quia enim sufficientem gratiam nondum habes, nedum in virtutibus fundatus es, propterea more pauperis, qui quo die non laborat, non manducat, & tu quo die te non exerces in hoc deuotionis subsidio, tenuis manebis, debilis, & facilis ad cadendum in minora, quæ ad maiora disponunt. Ex hoc facilis est coniectura, Deum te ad huiusmodi exercitium vocare:

Tertius gradus.

Regula notanda.

1. Ioan 4,1.

1. Reg. 15,22.

Rom. 13.

care: vides enim eum te per hoc adiuuare, & sine hoc te multum deficere. Hoc autem dico, non vt putes in eo necessitatem esse præcepti, sed necessitatem conuenientis medij, vt melius respondeas tuæ professioni. Præterea delitijs deditus es, amicus es tuijpsius, inimicus cuiuscunque laboriosæ & asperæ vitæ generis: qua re impediris in tuo profectu. per huiusmodi enim viuendi genus ita sensim natura vitiatur, vt non possit, aut non velit operam dare virtutibus, eò quod arduæ sint, incurras autem, vitia quàm plurima, eò quòd cum voluptate condita sint. Ex quo facilè intelligis Dominum te vocare ad fortitudinem, & asperitatem vitæ, ad labores, afflictiones, & mortificationem omnium affectuum atque appetituum. per experientiam enim vides quàm vtile tibi illud sit. Eodem modo & alia quæcunque opera poteris percurrere, quorum exercitium maius tibi parit emolumentum, & defectus adfert plus incommodi; ex eoque concludere ad huiusmodi te vocari. Nihilominus in his & in omnibus alijs sequenda semper sunt consilia maiorum.

Ea eligenda ad quæ quis aptior est.

Ex ijs quæ dicta sunt patet, hominem, ne erret in electione, debere respicere, non ad id quod per se melius est, sed ad id quod sibi est vtilius, & magis necessarium: sunt enim opera multa excellentissima, summæque perfectionis, quæ tamen mihi optima non erunt, licet per se sint optima: aut quia vires meæ ad obeunda illa sunt impares, aut quia ego ad illa non

2. Cor 7. Ephes. 4. sum vocatus. Proinde quisque perseueret in sua vocatione, & suo se pede (quod aiunt) metiatur, & respiciat ad illud quod sibi est conuenientissimum, nec appetat quod vires suas excedit. Hoc enim consilium

Prou. 23, 5. est Sapientis; *Ne erigas, inquit, oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.* Qui consilium illud non sequuntur, reprehenduntur à Propheta dicente:

Aggæi 1, 9. *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus.* Hæc regula debet obseruari in exercitijs voluntarijs. In ijs verò ad quæ obligamur, ista alia regula tenenda est. Voluntaria namque nonnulla sunt publica, nonnulla priuata: quædam cum honore, vtilitate, & delectatione coniuncta: quædam nihil horum habent. Si in his errare non ve is semper magis suspecta sint publica, quam priuata: & quæ adiunctam habent aliquam vtilitatem, quàm quæ absque vtilitate sunt. Etenim (vt iam sæpe demonstrauimus) amoris proprij natura callida est, & subtilis, semperque semetipsum quærit, etiam in exercitijs præstantissimis. Quare vir quidam religiosus dicere consueuit,

Vbi sit Deus. Vultis scire vbi sit Deus? Deus est vbi vos non estis significant illa esse opera Dei puriora, in quibus non inuenitur proprium commodum, in quibus nihil aliud intenditur, nihil aliud quæritur, quàm solus Deus. Dicimus autem hoc, non quia sic ad vnum extremum declinamus, vt semper illud seruari velimus: potest enim in alio non rarò maius esse meritum, & iustior esse obligationis ratio reliquis obstantibus: sed vt agnoscas malignitatem & astutias amoris proprij: non enim illi confidere debet homo, etiam si laruam virtutis induat.

Tres illi gradus in se complectuntur perfectam obedientiam, de quibus fortasis Apostolus dixit illud:

Rom 12, 2. *Et nolite conformari huic sæculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* quibus verbis insinuat tres istos gradus obedientiæ. Bona enim est præceptorum obseruantia, bene placens consiliorum, & perfecta inspirationum vocationumque diuinorum. Tunc namque homo ad perfectam ascendit obedientiam, quando agit omne id quod Deus præcipit, consulit, & inspirat.

Tribus his gradibus adiungitur quartus, qui est perfectissima voluntatis nostræ cum voluntate Dei conformitas, seu conuenientia in omnibus ijs, quæ de nobis disposuerit: ita vt æquali tranquillitate animi vituperium & honorem, infamiam & bonam famam, sanitatem & infirmitatem, mortem & vitam feramus, humiliter inclinantes caput ad omnia illa, quæ de nobis constituerit & decreuerit: patienter suscipientes tam flagella, quàm blanditias, consolationesque illius; gratias quoque & gratiarum subtractionem: non respicientes ad illud quod datur, sed ad eum qui dat, & amorem quo cum dat; eodem enim amore pater filium castigat & blanditur illi, prout nouit eius saluti conuenire. De homine, qui ad quatuor hos obedientiæ gradus peruenit, dicere possumus, eum ad illam peruenisse resignationem, quæ à spiritalis vitæ magistris tantis laudibus est commendata, quæ hominem tradit diuinis manibus non aliter tractandum, quàm cera mollis in manibus artificis tractatur. Vocatur autem Resignatio, quia *Simile.* quemadmodum clericus, qui resignat beneficium, se ipsum penitus illo priuat, & arbitrio prælati committit, vt disponat de illo secundùm voluntatem suam, sine contradictione præcedentis possessoris: ita perfectus homo semetipsum reddit manibus diuinis, ita vt in posterum nolit esse suus, nec viuere sibi; nec edere, nec dormire, nec laborare pro se, sed pro sola gloria sui Creatoris, conformans se diuinæ voluntati in omnibus, quæ de illo disponeret: suscipiens de manibus illius omnia flagella, & tribulationes, quæ immittuntur. idque summa cum pace, animique tranquillitate, spolians se propria libertate, & voluntate: vt sola fiat voluntas Domini, cui se mille rationibus obstrictam agnoscit. Hoc modo se resignatum fuisse insinuat Propheta cùm dixit: *Vt iumentum* Psal. 72, 23. *factus sum apud te, & ego semper tecum.* Quemadmodum enim iumentum non eò vadit, quò sibi placet, nec quiescit pro suo arbitrio, nec operatur suo modo, sed in omnibus & per omnia suo patet rectori: idem & seruus Domini facere debet, seseque perfectè Deo submittendo. Hoc est, quod Esaias dicit; *Domi-* Esa. 50, 5. *nus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abij:* in rebus quæ mihi imperat, quantumuis etiam asperæ sint & difficiles. Idem significant mystica illa Ezechielis animalia, de quibus scriptum est, quòd *vbi erat impetus spiritus* (id est, Ezech. 1. sancti Spiritus inspiratio) *illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent.* qua figura declaratur, quanta cum animi alacritate, quantoque cum gaudio debeat homo currere ad omnia illa, quæ intelligit esse secundùm Domini sui voluntatem. Quapropter non tantùm requiritur hic voluntatis promptitudo, sed discretio quoque intellectus, & discretio spiritus, sicut dictum est: ne fallamur, propriam voluntatem nostram pro voluntate Dei amplectentes: imò, communiter loquendo, omne id, ad quod voluntatis nostræ ductu inclinamur, nobis suspectum sit, quicquid autem illi contrarium est, in hoc plus securitatis esse arbitremur. Hoc est nobilissimum & maximum sacrificium, quod homo potest offerre Deo: in alijs enim sacrificijs offert sua, hic offert semetipsum: eademque differentia, quæ est inter hominem ipsum, & bona sua, etiam inter hæc duo sacrificiorum genera inuenitur. In huiusmodi sacrificio impletur illud B. Augustini; Quamuis Deus omnium sit rerum Dominus, non tamen omnibus licitum est dicere cum Dauide; *Tuus ego sum Domine,* sed ijs Psalm. 118. tantùm qui propriam libertatem exuerunt, & se totos diuino cultui mancipárunt, atque hoc modo eius facti sunt. Est & hæc conuenientissima dispositio ad vitæ Christianæ perfectionem veniendi. Cùm enim Dominus Deus noster pro infinita sua bonitate sem-

te semper paratus sit, vt diuet & reformet hominem, quando non resistit aut contradicit eius voluntati, sed totus est obedientiæ illius deditus: facilè potest operari in illo quicquid placet, & facere, tanquam alterum Dauidem, hominem secundùm cor suum. 1. Reg. 13. Actor. 13.

De patientia in aduersis.

VT commodius ad vltimum illum obedientiæ gradum perueniamus, iuuat nos plurimum vltima nouem illarum virtutum quas in initio huius capituli enumeratimus. Patientia nimirum in aduersis, seu tribulationibus, quæ frequenter à benignissimo Patre nostro nobis immittuntur, tam pro nostro exercitio, quàm pro meritorum copiosiori materia. Ad hanc patientiam inuitat nos Salomon in suis Prouerbijs, dicens; *Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias, nec deficias cùm ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Quam sententiam Salomonis latius explicat Apostolus, in sua ad Hebræos epistola, vbi nos ad patientiam exhortatur; *Fili mi,* inquit, *noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filijs vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater. Quod si extra disciplinam estis cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos: num multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus?* Omnia verba hæc perspicuè satis testantur officium patris esse castigare, & corrigere filium: & vicissim officium boni filij, inclinare caput cum omni humilitate, atque flagella patris, tanquam maxima beneficia, signaque amoris & paternæ voluntatis existimare. Id suo exemplo docuit nos vnigenitus ille æterni Patris Filius, cùm Diuo Petro, volenti eum à morte liberare, dixit; *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* quasi diceret; Si calix iste mihi ab alio propinaretur, posses fortasis impedire, ne biberem: sed quia venit mihi ab illo Patre, qui optimè scit, potest, & vult adiuuare illos, quos habet filios, cur calix iste non exhaurietur, occlusis etiam oculis, nihil aliud quærendo, quàm quia certum est illum à Patre propinari? Prou. 3, 11. Apoc 3. Heb. 12, 5. Ioan. 18, 11.

Sunt nihilominus aliqui, qui tempore pacis videntur isti patri subijci, & voluntati illius esse conformes, qui in tempore tribulationis recedunt, atque indicant falsam atque dolosam fuisse istam conformitatem: siquidem in tempore necessitatis illam amiserunt, quemadmodum timidi & effœminati milites, qui tempore induciarum iactant suam fortitudinem, sed quo tempore pugnandum est, cor, animum, & arma abijciunt. In conflictu itaque continuo præsentis vitæ militiæ semper oportet nos armatos esse panoplia spirituali, vt præualeamus in tempore necessitatis. Primò itaque considerandum est, passiones huius seculi non esse condignas ad futuram gloriam, quam per illas nobis comparamus: gaudium enim æternæ lucis illius tantum est, vt, quantumuis vnà tantùm horula nobis eo frui concessum esset, omnes afflictiones libenter amplecti, & omnem mundi pompam contemnere deberemus. Nam vt Apostolus dicit, *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna.* Simile. Rom. 8. 2. Cor. 4, 17.

Considera quoque, nimiam prosperitatem hominis animum non rarò inflare superbia; econtrariò aduersitatem purificare cor salutari dolore: ita vt illa inflet cor, hæc quantumuis inflatum humiliet. in illa ferè semper homo sui ipsius obliuiscitur, in hac etiam Dei recordatur: per illum bona opera facta perduntur, per hanc peccata multis annis perpetrata delentur, & anima ne denuò peccet custoditur. Si fortè affligat te diuturna infirmitas, existimare debes, Dominum Deum (cum videat nos multa mala perpetraturos si sani essemus) alas præscindere, & nos inidoneos reddere ad illa facienda, infirmitate mediante. Et sanè multo melius mihi videtur hominem ægrotare, & morbo frangi, quàm sanum in peccatis perseuerare, aut noua crimina veteribus addere. Et enim, vt Dominus ait; *Melius est ad vitam ingredi debilem & claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Omnibus quidem cognitum est Dominum nostrum natura misericordissimum non delectari tormentis nostris, sed omnibus modis quærere, vt curet nostra vulnera medicamentis infirmitati nostræ contrarijs; cum enim in morbum propter voluptates inciderimus, doloribus & asperitate vitæ sanemur oportet: & si infirmitas orta est ex rebus illicitis, eam licitorum etiam subtractione tollamus. Ex quibus patet, supremam illam bonitatem irasci in hoc seculo, ne irascatur in altero: propterea nunc misericorditer suo vtitur rigore, ne postea iustam vsurpet vindictam. Nam, teste Hieronymo, magna ira est Deum peccatoribus non irasci. Qui igitur hîc non vult castigari cum filijs, damnabitur in Inferno cum Dæmonibus. Quare meritò sanctus Bernardus Deum precatus exclamabat, dicens: O Domine hîc vre me, hîc seca me, vt parcas mihi in æternum. Ex eo non difficile est videre, quàm pro te solicitus sit omnium rerum Creator: non enim manum suam retrahit à te, nec habenas nimium tibi laxat, ne desideria tua sequaris. Corporales medici facilè infirmo, de cuius sanitate desperant, concedunt omnia quæ appetit: ei verò, quem valetudinem recuperaturum sperant, præcipiunt vt diætam seruet; & abstineat ab his quæ noxia sunt, & sanitati contrariantur. Patres quoque filijs dissolutis & prodigis pecuniam dare negant, ne facultates suas dissipent: tandem verò hæredes eos omnium suorum bonorum instituunt. Idem nobiscum facit (certo quodam modo loquendi) supernus ille medicus animarum nostrarum, & pater omnium patrum. Perpende præterea, quot & quàm magna opprobria passus est noster Redemptior ab ijs ipsis, quos creauerat: quantas infamias, quot alapas tulit, & quàm patienter velatam faciem obuertit faucibus istis infernalibus, quæ illum conspuebant: quàm clementer passus est caput suum spinis lancinari: quam alacri voluntate amarissimam illam potionem in refrigerium sitis suæ accepit: quantò cum silentio pertulit irrisiones illorum, qui ludificantes illum adorabant: quanto denique cum feruore sese obtulit, & ad mortem properauit, vt liberaret nos à morte. Non ergo crudele tibi videatur, si tu homuncio vilis & abiectus flagella perferas, quæ immittet tibi is, qui pro peccatis tuis noluit ex hac vita discedere sine flagellis, qui in eam venerat sine peccatis. *Oportebat enim Christum sic pati, & intrare in gloriam suam:* vt opere exhiberet, quod Apostolus verbis doceret: *Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Multo igitur melius est omnia mala præsentia æquo animo perferre in hoc seculo, vbi conducunt nobis tam ad veniam culpæ, quàm ad augmentum gloriæ; quàm impatienter & inquieto animo, sine spe meriti sustinere: maximè cùm velis nolis ferendum tibi sit, quod Deo placet, cuius potentiæ nihil potest resistere. Hieronymus. Bernardus. Simile. Luc. 24, 36. 2. Tim. 2, 5.

Præter has supradictas considerationes & remedia, ponam aliud adhuc efficacius: nimirum, vt homo ad

mo ad conseruandam hanc patientiam semper bona cum dispositione armatus sit, contra omnes aduersitates, & afflictiones, quæ quacunque ex parte possunt exoriri. Quid enim à mundo tam peruerso, carne tam fragili, inuidia Dæmonum, & malignitate hominum, aliud est expectandum? Propterea qui sapiens est, contra omnia accidentia & mala, quæ possunt ingruere, debet esse armatus; tanquam is, qui per hostilem terram iter facturus est. Ex eo enim duo emolumenta maxima capiet: primum, quia quod ferendum est, non tam ingens esse videbitur, si præuideatur: Iacula enim præuisa, teste Seneca, minùs feriunt. Rectè itaque monet Ecclesiasticus; *Ante languorem adhibe medicinam.* quemadmodum & ille facit, qui sanguinem minuit dum sanus est. Secundum est, quod is, qui nostrum sequitur consilium, certus est, quòd Deo acceptabile offert sacrificium; simile quodammodo illi, quòd Abraham obtulit, cùm paratus erat filium suum Isaac immolare. Quotiescunque enim homo certò apud se statuit, quòd vel à Deo, vel ab hominibus potest illi hoc malum, aut illud accidere incommodum, ipse autem tanquam seruus Dei se præparat, & iam decreuit illud accipere cum omni humilitate & patientia, propterea que seipsum resignet in manus Domini, & promptus sit ad accipiendum qualemcunque tribulationem, quæ quacunque velis via posset interuenire, eo modo quo fecit Dauid in iniuria sibi à Simei illata, quasi Deus illi mandâsset; certus sit, si mentem habeat hoc modo dispositam, licet id quod arbitrabatur non eueniat, quòd tamen tantum merebitur, quantum si effectus fuisset subsecutus. Proinde homo Christianus meminisse debet, vnam ex præcipuis Christianæ professionis partibus hanc esse, quam docet beatus Petrus, dicens; *Si bene facientes tribulationes patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis.* Cogitet itaque Christianus, qui in hoc mundo viuit, se scopulum esse in medio mari situm, qui ab omni parte à fluctibus concutitur, firmus nihilominus persistit, nec loco mouetur.

Homo semp sit armatus cõtra ingruentia mala.

Seneca.

Eccl. 18,20.

Genes. 22.

4.Reg.16.

1.Pet. 2,20.

Simile.

Hæc ideo copiosius à nobis relata sunt, quia cùm professio vitæ Christianæ (vt D. Bernardus ait) in duas partes diuisa sit, quarum vna est facere bona, alia sufferre mala; nemo nescit, quia secunda pars est difficilior, quàm prima: & propterea necesse erat hic plures congerere cautelas, & plura remedia coaceruare, eo quòd maius esset in hac parte periculum. Notandum autem hoc loco est, in hac virtute Patientiæ tres secundùm Doctores esse gradus præstantissimos, vnum tamen alio perfectiorem. Primus est, patienter ferre afflictiones. Secundus est, eas amore Iesu Christi vltro desiderare. Tertius, gaudere in ijsdem afflictionibus. Non debet itaque seruus Dei contentus esse, si sit in primo gradu patientiæ, sed laborare, vt ascendat ad secundum; cumque ad hunc peruenerit, non quiescere, sed pergere donec tertium occupauerit. Exemplum primi gradus habemus in S. Iob: secundi, in desiderio quod sanctos Martyres ad martyria inuitauit & pertraxit: tertij, in gaudio sanctorum Apostolorum, videntium se dignos factos esse iniuriam pati pro nomine Christi. Idem gaudium erat in B. Paulo, vt de seipso testatur quodam loco: *sed & gloriamur*, ait, *in tribulationibus.* Et alio loco gloriatur in tribulationibus, angustijs, flagellis, &c. pro amore Christi perpessis. Alibi quoque agens de sua captiuitate, & de vinculis, orat Philippenses, vt sint socij sui gaudij, quo fruebatur, eo quòd captus esset atque vinctus catenis propter amorem Christi. Quin & gratiam hanc ait datam esse eodem tempore fidelibus Ecclesiæ Macedoniæ, eò quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuerat, & altissima paupertas eorum abundauerat in diuitias simplicitatis eorum. Hic vnus est ex summis gradibus patientiæ, charitatis, & perfectionis, ad quos humana creatura potest ascendere: sed pauci huc perueniunt: ideoque Dominus nemini hoc præcepit.

Bernard. lib. serm. 20. in Psalm. Qui habitat.

Tres gradus patientiæ.

Act. 6.

Rom. 5,3. 2.Cor. 11.

Philip. 2.

2.Cor. 8.

Cæterùm non ita hæc intelligenda sunt, quasi debeamus in morte, calamitatibus, & tribulationibus proximorum, parentum, cognatorum, multo minùs Ecclesiæ exultare: eadem enim charitas, quæ exigit à nobis gaudium in vno, dolorem & compassionem exigit in altero, cùm ea sit quæ gaudet cum gaudentibus, & flet cum flentibus: vti videmus factum à Prophetis, qui omne tempus vitæ suæ fleuerunt, eo quod cernerent calamitates & flagella hominum. Quicunque itaque notem istas conditiones, siue virtutes habet, habebit cor filiale erga Deum, partemque hanc iustitiæ integrè iam adimpleuit, quę vnicuique, etiam Deo, reddit quod illi debetur.

DE OBLIGATIONIBVS diuersorum statuum.

CAPVT XVIII.

POstquam nunc abundè satis dixerimus, quid omnibus hominibus in genere conuenit, nunc tempus est, vt specialiter de singulis hominum statibus agamus. Sed quia nimis prolixus hic esset tractatus, idcirco breuiter dico, præter ea quæ dicta sunt, vnumquemque debere respicere ad leges, & consuetudines suo statui constitutas, quæ multæ sunt, & diuersæ, secundùm statuum Ecclesiæ diuersitatem; in quibus alij sunt Prælati, alij subditi: quidam Religiosi, nonnulli patresfamilias, &c. quorum singuli peculiares suas habent leges. De Prælato dicit Apostolus; *Vigilia in omnibus, labora, ministerium tuum imple.* Et Salomon admonet; *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de insidijs aucupis.* Nec admirari debes, Sapientem te admonere, vt tam solicitus sis in hoc casu: Solent enim homines duas ob causas esse soliciti in rerum suarum custodia; aut quia magni pretij sunt, aut quia magno versantur in periculo. Vtrumque concurrit in animarum cura, nec pretium potest esse maius, nec minus est periculum. Fas igitur est, vt Prælatus multùm sit solicitus.

Quid Prælatum deceat.

2.Tim. 4,5.

Prou. 6,1.

Subditum decet, vt oculos suos in Prælatum figat, reuereaturque illum, non tanquam hominem, sed tanquam Deum, faciatque quòd ille præcipit tanta cum animi alacritate & deuotione, quanta faceret, si Deus ipse præcepisset. Etenim si Dominus meus mihi mandet obedire procuratori domus suæ, cùm ego obtempero procuratori, cui obtempero, nisi domino meo? sic & si Deus iubeat me obedire meo prælato, cum facio hoc quod ille iubet, Deo morem gero. Si beatus Paulus iubeat seruis obedire dominis suis, non tanquam hominibus, sed tanquam Christo; quanto magis subditi debent obedire prælatis suis, quibus obstricti sunt obedientiæ vinculo? In hac obedientia tres constituuntur gradus: Primus est, obedire tantùm opere: secundus, opere & voluntate: tertius, opere, voluntate, & intellectu. Quidem enim faciunt quod mandatur, sed quia mandatum non videtur ipsis æquum & iustum, non faciunt voluntariè. Alij faciunt voluntariè; sed putant eum qui præcipit non bene intelligere quod præcepit. Alij denique sunt qui intellectum suum penitus diuino cultui dedicarunt; & obediunt prælato, tanquam

Subditi officium.

Ephes 6,5. Coloss. 3,22.

Tres gradus obedientiæ.

Deo,

Deo, opere, voluntate, & intellectu. Opere verò, voluntate, & intellectu hoc facientes, approbant humiliter omne id quod præceptum est, sine vllo iudicio ferendo de his, à quibus debent iudicari. Quare mi frater disce cum omni affectu obedire tuo prælato, memor illius quod scriptum est: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Noli obloqui illis, ne audias, *Non est murmur vestrum contra nos, sed contra Dominum.* Noli illos vilipendere, ne dicat tibi Dominus; *Non te abiecerunt, sed me ne regnem super eos.* Noli mentiri illis, vel eos fallere, ne tibi dicatur; *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ne pereas subitanea morte culpæ, eo quod ausus fueris mentiri, vti & illi qui similiter fecêre perierunt.

Luc 10,16. Exod.16,8. 1.Reg. 8,7. Actor 5,4.

Bona matrona officium.

Mulier coniugata operam det regimini domus suæ, & vt marito suo placeat: cùm autem satisfecerit officio suo, pietati vacare potest, quomodolibet velit; ita tamen, vt status sui limites non excedat.

1.Reg. 4. Officium patrisfamilias

Patresfamilias, quibus proles à Deo concessa est, tanquam speculum ante oculos suos statuant horrendum exemplum Heli, qui negligens erat in filijs suis corrigendis. cuius pœna fuit; non tantum improuisa mors illius & filiorum eius, sed & perpetua priuatio summi sacerdotij, quo ob scelus illud priuatus est. Animaduertat peccata filiorum quodammodo esse etiam peccata patrum, & perditionem filij pariter esse & perditionem patris, à quo genitus est. Verè namque patris nomine indignus est, qui filios non cælo, sed huic mundo generauit. Castiget itaque filios, abstrahat illos à malorum consortio, commendet eos bonis præceptoribus, & vnica cura sit, vt in disciplina virtutum erudiantur: ab ipsis cunabulis, exemplo Tobiæ, doceat eos timorem Domini. Propriam illorum voluntatem multoties opprimat, & qui in natiuitate filiorum patres corporis fuerunt, postquam iam nati sunt, patres sint animarum. Non enim satis est, vt sint patres tanquam aues, aliaque animalia bruta, quæ postquam nati sunt ipsorum fœtus tantùm nutriunt eos, cibum ipsis procurando: sed pater debet esse pater sicut homo, & sicut homo Christianus, verusque seruus Dei, qui educat filios suos, vt sint filij Dei, & hæredes cæli; non vt sint mancipia Satanæ, & habitatores Gehennæ. Patresfamilias qui habent seruos, aliosque domesticos; memores sint D. Pauli interminationis, qui dicit; *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem* (hoc est fidelitatem, ad quam tenetur) *negauit, & infideli est deterior.* Meminerint hos esse quasi agnos sui ouilis, se autem pastores, & curent, obseruentque eos, maximè qui serui sunt; & cogitent fore aliquando tempus, quo Deus rationem pro illis exiget, dicens; *Vbi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* Meritò vocat eos inclytos vel nobiles: magnum enim est pretium quo redempti sunt. nobilis est sacratissima Christi humanitas, qua sunt nobilitati. Non est igitur seruus aliquis, quantumuis etiam abiectus, qui non est liber & nobilis, respectu sanguinis & humanitatis Christi. Studeat itaque bonus Christianus, vt ij qui in ædibus sunt, liberi sint ab omnibus manifestis vitijs; vt sint inimicitiæ, illiciti ludi, falsa iuramenta, blasphemiæ, fornicationes, &c. vt præterea calleant doctrinam Christianam; obseruent Ecclesiæ mandata, maximè autem, vt diebus Dominicis, aliisque Sanctorum festiuitatibus interfint tremendo Missæ sacrificio: ieiunent etiam, cùm ieiunandum esse præcipit Ecclesia, nisi legitimum obstet impedimentum, vt suprà declarauimus.

Prolo cent.

Tob. 4.

1.Tim.5,8.

Ieremi.13,20.

***

Granatens. Opusc. Spirituat.

PRIMA ADMONITIO DE æstimatione & pretio, in quo habendæ sunt virtutes, vt hæc regula melius intelligatur.

CAPVT XIX.

Quemadmodum initio huius regulæ quædam præludia huic proposito conuenientia præmisimus; ita regula nunc absoluta, ad maiorem illius intelligentiam, operæpretium facturi sumus, si quasdam admonitiones subijciamus. Cùm enim de multis virtutum generibus disseruerimus, oportet vt doceamus, quæ dignior est, quæ indignior: vt possimus res secundùm dignitatem æstimare, & cuique proprium suum locum assignare. Qui enim vendit vniones, & pretiosas gemmas, illarum debet habere notitiam, vt non fallatur in pretio: & præfectus domus alicuius Principis scire debet merita singulorum, qui in domo sunt, vt tractet vnumquemque secundùm suam dignitatem; aliter enim faciens errorem committeret, atque ataxian: sic homo qui tractat harum gemmarum, id est, virtutum mercimonia, & qui tanquam bonus præfectus domus vnicuique harum virtutum debitum honorem reddere tenetur; debet exactissimè pretium & dignitatem illarum cognoscere: vt conferens illas inter se, videat quæ cui est præponenda: ne (quod dici solet) cineres colligat, atque farinam spargat: id quod multi faciunt.

Simile.

Sciendum itaque est, omnes virtutes, de quibus hactenus tractauimus, in duplicem ordinem posse redigi; quædam enim earum sunt magis spirituales & internæ; quædam verò magis externæ & visibiles. In ordine primo sunt virtutes Theologicæ, cum omnibus alijs, quæ ad Deum referuntur: præcipuè verò Charitas, quæ inter alias omnes virtutes primum locum occupat, tanquam Regina omnium aliarum. Huic adiunguntur multæ aliæ Virtutes nobiles, & dignitate Charitati proximæ; vt sunt, humilitas, castitas, misericordia, patientia, discretio, deuotio, paupertas spiritus, contemptus mundi, abnegatio propriæ voluntatis, amor Crucis & asperitatis; aliaque huius generis plurima, quas, latè sumendo vocabuli huius significationem virtutes appellamus. Dicuntur autem virtutes spirituales & interiores, quia principaliter in animo residen, quamuis etiam exeant, per opera exteriora, vt in Charitate, & deuotione videmus: quæ licet penitus internæ sint, producunt tamen actus suos exteriores ad honorem & gloriam Dei.

Virtutum duplex ordo.

Aliæ virtutes externæ magis sunt, & visibiles, vt sunt ieiunium, disciplina, silentium, solitudo, lectio diuinarum horarum, pensum cantus, peregrinatio religionis ergò, Missa, concio, vita Christiana vel religiosa. Quamuis enim virtutes hæ quoque in animo resideant, actus tamen earum proprij plus exeunt, foras, quàm præcedentium, qui sæpe sunt occulti, & inuisibiles, vt sunt Credere, amare, sperare, contemplari, humiliari, interius conteri de peccatis, discretè iudicare, & sic in alijs. Inter has omnes virtutes dubium non est, quin priores sint longè excellentiores, & magis necessariæ posterioribus. Dicit enim Dominus ad Samaritanam; *Mulier crede mihi, venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* In communi nostro sermone subinde quasi eadem verba incidunt, & pueri versus illos in scholis solent addiscere.

Virtutes interiores exteriorib⁹ excellentiores sunt. Ioan.4,21.

Si Deus est animus, nobis vt carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus. Cato.

Quare & Propheta Dauid, descripturus pulchritudinem Ecclesiæ, & animæ, quæ est in gratia Dei, dicit;

Psal. 44, 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Idem insinuat Apostolus,

1 Tim. 4, 7. cum dicit discipulo suo Timotheo, *Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ* quo loco per pietatem intelligit cultum Dei, & misericordiam in proximum: per corporalem verò exercitationem, abstinentiam, aliasque corporales asperitates, vt D. Thomas asserit hunc locum exponens. Hoc & Ethnici philosophi intellexerunt: Aristoteles enim, qui licet

Aristoteles. admodum pauca scripsit de Deo, dicit tamen; Si Dijs curæ sint res humanæ, quod omnino probabiliter creditur, verisimile est, quòd gaudent rebus optimis, & sibi simillimis: ea autem sunt mens & spiritus humanus. propterea illi, qui spiritum habent cognitione veritatis, & reformatione affectuum exornatum,

Galenus. Deo sunt gratissimi. Intellexit idem princeps Medicorum Galenus; tractans enim in libro quodam de Compositione & artificio corporis humani, deque vsu & vtilitate partium eiusdem, cùm ad locum quendam peruenisset, vbi singulari modo relucebat magnitudo sapientiæ & prouidentiæ superni illius artificis; in profundissimam admirationem tantorum mirabilium raptus est, & quasi oblitus professionis medicæ, subitò ad Theologiam transiens, exclamansque dicit; Alij honorent Deum in thure & Hecatombis (quæ sunt centum boum sacrificia) ego colam illum cognoscendo & prædicando illius sapientiæ magnitudinem, quæ tam prudenter nouit in huius admirabilis artificij fabrica ordinare singula; & magnitudinem eius potentiæ, quæ iam ordinata singula potuit & efficere; cum magnitudine illius bonitatis, quæ tam copiosè omnibus creaturis ad sui conseruationem necessaria absque vlla inuidia prouidit. Dixit hoc Ethnicus philosophus, sed quæso quid perfectius dicere potuisset homo Christianus? Quid melius, quid sanctius dicere potuisset, etiam si legisset illud

Oseæ 6, 6. Prophetæ: *Misericordiam volo, & non sacrificium: scientiam Dei plus quàm holocausta?* Verte nomen Hecatombes in holocaustum, & videbis vnum idemque dicere Philosophum Ethnicum, & Prophetam Dei.

Non obstante quòd tam magnifica prædicauerimus de prioris generis virtutibus, etiam aliæ, quas secundo loco posuimus, (quamuis minoris sint dignitatis) sunt maximi momenti, tum ad comparandas illas maiores, tum ad conseruandas: nec non & quædam earum sunt necessariæ, quia cadunt sub præceptum, aut votum, quod interuenit. Probari hoc potest per easdem virtutes, de quibus hactenus diximus, discurrendo. Solitudo enim & claustrum, seu inclusio (vt vocant) præseruat hominem ne audiat, videat, loquatur, & agat mille res, quæ occasiones dare possent, per quas incurreret periculum, non tantùm amittendi pacem & tranquillitatem conscientiæ, sed etiam castitatem & innocentiam. Silentium quam vtile sit ad conseruandam pietatem & deuotionem, nec non ad custodiendum hominem à peccatis, quæ in multiloquio committuntur, nulli incognitum est.

Prou. 10, 19. Dicit enim Sapiens, *In multiloquio non deerit peccatum.* Ieiunium, præterquam quòd actus est temperantiæ, & opus satisfactorium, meritoriumque, cùm in Charitate fit, etiam corpus castigat, corroborat spiritum, debilitat nostros inimicos, & disponit ad orationem, lectionem, & contemplationem; parcit sumptibus, & liberat à cupiditatibus, in quibus viuunt amatores gulæ, mancipia ventris, amici nugarum, contentionum, pugnarum, omnisque dissolutionis, quibus omnibus delectari solent homines gulosi. Præterea legere libros sanctos, audire conciones, vacare orationibus, cantare, & diuinis interesse officijs, apertè cognoscuntur esse actus religionis, & incentiua pietatis, mediaque ad intellectum plus illuminandum, atque affectus rerum spiritualium magis magisque inflammandos. Conuincitur idem tam manifesta experientia, vt si illam hæretici videre voluissent, non in absurdos illos errores incidissent, in quos nunc prolapsi sunt. Videmus enim oculis nostris quotidie, & manibus nostris palpamus, in omnibus monasterijs, in quibus regularis floret disciplina, exteriorumque illorum omnium obseruantia, etiam magis florere virtutes, maiorem semper esse pietatem, deuotionem & charitatem: præstantiores etiam ibidem conspici personas, timorem Domini, atque adeò ipsam Christianitatem ibidem esse perfectiorem. Omnia autem contraria sunt, vbi illorum non habetur ratio: Vacillante namque obseruantia, vacillant etiam conscientia, mores, & vita: vbi enim maior est occasio peccandi, ibi maiora etiam fiunt peccata. Omnes enim, vt inquit ille, licentia sumus deteriores. Quemadmodum in vinea bene custodita, clausa, muroque aut alio sepimento septa, omnia sunt in tuto: sic in ea, quæ malè custoditur, & septa non est, omnia furum patent libidini. Simile quid accidit Ordini, in quo obseruatur, aut non obseruatur regula. Quod quæso manifestius huius rei peti posset argumentum, vt harum rerum vtilitatem videamus, quàm illud quod procedit ab experientia? Etenim homo qui cupit consequi & conseruare supremam illam deuotionis virtutem, quæ hominem aptum reddit & expeditum ad omnes alias virtutes, estque tanquam calcar & stimulus ad omne bonum, quomodo erit vnquam possibile, vt acquiratur, vel conseruetur affectio tam supernaturalis, & tam delicata, ab homine, qui nunquam solicitus est de suipsius custodia? Est enim affectus hic tam delicatus, & si dici liceat tam fugax, vt ad oculi vnius nictum, vel distorsionem subitò dispareat. Etenim risus vnus immoderatus, vnum verbum superfluum, cœna vna sumptuosior, leuis ira, contentio, aut alia minima distractio, vel curiositas, videre, audire, vel intelligere cupientis rem non necessariam, etiamsi mala, non sit, sufficit ad tollendum bonam deuotionis partem. Non tantùm igitur peccata, sed quæcunque superflua occupatio, & quæcumque res, quæ deflectit animos nostros à Deo, deuotionem extinguit. Qui enim vult, vt ferrum semper candeat, necesse est, vt illud semper igni subdat: nam si ab igne auferat, confestim ad naturalem redit frigiditatem: Ita nobilissimus hic affectus, adeò dependet ab eo, vt homo iugiter per amorem actualem & contemplationem vnitus Deo sit, vt si paululùm sese ab illo auertat, confestim relabatur ad sinum matris suæ, hoc est, ad antiquam dispositionem, quam prius habebat. Quicunque igitur sanctum, hunc affectum cupit sibi comparare, & comparatum conseruare, diligens esse debet in custodia suipsius, hoc est, aurium, oculorum, linguæ, & cordis, tam modestus & temperans in edendo, & bibendo; tam circunspectus & grauis in omni verbo & motu? adeò debet amare silentium, & solitudinem; debet assuescì vt semper diuinis interfit officijs, & habeat omnia quæ possunt ad deuotionem hominem incitare, vt per medium huius diligentiæ conseruare queat, & securum sibi facere prætiosissimum hunc thesaurum. Qui aliter facit, certò sciat, nunquam sibi negotium hoc bene successurum. Omnia hæc manifestissimè conuincunt vtilitatem & necessitatem harum virtutum, quæ interim non derogant dignitati & excellentiæ illarum, quæ maiores sunt. Sed & ex his apertè cognosci potest differentia, quæ est inter has & illas: illæ enim sunt tanquam fines, hæc in-

Terentius. Simile.

Affectus deuotionis qui tener & delicatus.

Simile.

Simile.

Differentia inter virtutes exteriores & interiores.

hæ tanquam media ad finem: illę tanquam sanitas, hæ tanquam medicina, cuius beneficio sanitatem adipiscimur: illæ sunt quasi spiritus Religionis, hæ tanquã corpus illius: quod licet pars illius sit, alia tamen est magis principalis sui compositi: & cuius potissimum munus in operando requiritur, illæ sunt tanquam thesaurus, hæ tanquam claues, quibus aperitur & clauditur, illæ sunt tanquam fructus arboris, hæ tanquam folia quæ ornant arborem, & fructus ab aëris iniuria illæsus conseruant. Quamuis in hoc mutila est comparatio, & nonnihil deficit: folia siquidem arboris, licet fructus cõseruent, pars tamen fructuum non sunt: at virtutes hę sic conseruant iustitiam, vt iustitię pars sint. Omnia enim opera studiosa cum charitate coniuncta, vel ex ea profluentia, meritoria sunt tam gloriæ, quàm gratiæ.

Hæc itaque, mi frater, est æstimatio, quæ de virtutibus est facienda, quarum in hac regula facta est mẽtio, quemadmodum in principio huius capitis proposuimus: cuius beneficio securos nos esse licet à duabus vitiosis extremitatibus, quę sunt in hoc mundo: Vna est antiqua Pharisęorum, altera noua hęreticorũ neotericorum. Pharisæi enim, tanquam carnales & ambitiosi, omnino dediti erant legis illius obseruantiæ, quę similiter erat carnea, & vera iustitia, quæ consistit in virtutibus spiritualibus, nullo apud ipsos erat in pretio, quemadmodum vniuersa Euangeliorum historia testatur: & Apostolus dicit, quòd habuêre speciem pietatis, virtutem autem eius abnegârunt. Idem quòd lex vmbram tantùm habuit, neque homines perfectos faceret.

Duo extrema magistmandis virtutibus.

2. Tim 3.

Hebr 10.

Hæretici verò moderni, contrario modo, intelligentes errorem hunc, volentes vnum extremum fugere, cadunt in alterum: hoc est, in contemptum omnium virtutum exteriorum, iuxta illud.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin.

Quare Ecclesia Catholica, condemnans vtrunq; extremum, mediam veritatem probat: attribuens enim prærogatiuam & dignitatis præstantiam virtutibus internis, suum quoque locum tribuit externis. Quia nonnullas refert tanquam in ordinem Senatorum, quasdam in Equitum seu nobilium, ceteras in ciuium numerum recipit, qui constituunt vnam Rempub. in qua cuiuscunque dignitas cognoscitur, & quid cuique debeatur facilè videtur.

QUATUOR DOCUMENTA VTILISSIMA, quæ ex præcedenti doctrina deriuantur.

CAPVT XX.

EX præcedenti doctrina fluunt quatuor documenta vitæ spiritali vtilissima, maximeque necessaria. Primum est, quòd homo perfectus & verus seruus Dei non debet tantùm quærere virtutes spirituales (quantumuis illę nobiles sunt) sed illis debet quoque alias adiungere, tam ad conseruationem illarum, quàm etiam ad consecutionem integræ perfectionis, & complementi totius iustitiæ Christianæ. Quapropter considerare debet, quòd vti homo non solùm est anima, nec solùm corpus; sed corpus & anima simul: (anima enim sine corpore non facit perfectum hominem, & corpus sine anima non est aliud quàm saccus cinere, & terra refertus) ita quoq; necesse est, vt sciat veram & perfectam Christianitatem non esse internam solùm, nec externam; sed internam & externã simul. Interna enim sola non potest conseruari sine externa, siue illa exigua sit, siue magna, secundùm conuenientiam obligationis status vniuscuiusque: nec sufficiat ad complementum totius iustitię. Minùs autem externa siue interna potest hominem facere perfectum: sicut nec corpus solum sine anima potest hominem cõstituere. Quemadmodum igitur omnis vita corporis procedit ab anima; sic omnis dignitas, omneque pretium externorum procedit ab interioribus, maxime autem à Charitate: Qui itaque à scopo non vult aberrare, cogitet quòd sicut is, qui formare vellet hominem, non separaret animam à corpore, ita non debet spirituale seiungere à corporali, qui vult facere perfectum Christianum. Corpus iungat animæ, in arca conseruet thesaurum, sæpe vndique tutam reddat vineam; & virtutem suis propugnaculis atque defensionibus, quæ etiam sunt partes eiusdem virtutis, defendat, alioquin certus sit, quod aut vnum, aut alterum intercidet, non enim potest augeri vnum, nec iuuare aliud, nisi vtrumque coniungatur. Perpendat quomodo natura & ars naturæ imitatrix nihil faciunt, quod nõ habeat aut corticem, aut vestem, tanquam munimentum & defensionem, nec non & ornamentum illius: ad eundem modum & gratia operatur, quę forma est perfectissima, & suas operationes agit perfectissime. Memineritque quoque, scriptum esse: *Qui timet Deum, nihil negligit: Et qui modica spernit, paulatim decidet.* Recordetur & exempli quod supra posuimus, per defectum vnius claui amitti ferream soleam, amissa solea equũ cadere, cadente equo equitem perire. Memor sit periculorum, quæ incurrit is, qui parua negligit: est n. hæc via quæ ducit ad errores maximos. Animaduerta & ordine in plagis Ægypti, post ranas innoxias venêre ciniphes, muscæ grãdes, & œstra, tabanici; aculeati. Ex quo patet per contemptum minorum iterni viam maioribus: qui enim non metuunt ranas polluentes, non metuunt œstra quæ pungunt.

Simile.

Eccl 7. 19.

Eccli 29.

Simile.

Exod 8.

Virtutes externæ internis sunt coniungendæ.

Documentum secundum.

EX eo quoque discimus, quibus potissimum virtutibus studere debemus; in quibus maiorem ponere diligentiam, & in quibus minorem: quemadmodum faciunt homines, qui pluris æstimant auri massam, quàm argenti; pluris oculum, quam digitum: ita etiam æquum est, vt maiori studio & diligentia virtutes sectemur digniores, minori minus dignas: alioquin si diligentius studeamus ignobilioribus, quàm nobilioribus, totum negotium spirituale erit inordinatum. Quare dico prudentissime facere Prælatos, qui in suis Capitulis & Congregationibus sæpe repetunt has voces; Silentium, ieiunium, solitudinem, Ceremonias, & choros: sæpius quoque repetunt charitatem, humilitatem, orationem, deuotionem, contemplationem, timorem Dei, amorem proximi, & similia. Tanto autem hoc fieri debet frequentius, quanto defectus interni cum externis sunt secretiores: & proinde etiam maiori cum periculo coniuncti. Quemadmodum enim homines diligentiores sunt ad emẽdandos defectus, à se visos, quàm non visos: ita timẽdum est, quod curam nullam habent internorum defectuum, qui non videntur, quantumuis etiam diligentissimi sunt in externis, qui publici sunt, & palàm conspiciuntur. Præterea virtutes exteriores quemadmodum hominibus manifestiores sunt, ita & notiores, maioriq; habentur in pretio; quales sunt abstinẽntia, vigilia, disciplina, asperitas corporalis. Sed virtutes interiores Spes, charitas, humilitas, discretio, timor Dei, & contẽptus mũdi, magis occultæ sunt, & ab oculis hominum abscondite: ideoque licet maiori in honore sint apud Deum, non tamen tanti fiunt in iudicijs humanis. Ideoque dicit Saluator: *Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra.* Huic non dissonum est illud Pauli; *Non qui in manifesto, Iudæus est, neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Iudæus est: & circumcisio cordis, in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Interna virtutes minus notæ externis.

Luc. 16, 15.

Rom. 2, 28.

Cum itaque exteriora illa tam magna sint in hominum æstimatione, atque apud omnes suspiciantur, appetitus verò honoris & excellentiæ propriæ subtilissimus sit, & potentissimus omnium appetituum, metuendum est, ne affectus ille trahat hominem ad amandum, & sectandum potius virtutes illas, ex quibus maior expectatur honos; quàm illas, ex quibus minor, imò fortè apud homines nullus. Etenim ad amorem harum intuitat spiritus, sed ad amorem aliarum spiritus & caro simul, quæ vehementissima est, & impatientissima in suis desiderijs. Quod eum ita sit, meritò timendum est, hos duos affectus vnum illum superaturos esse, & victoriam ab illo reportaturos. Huic malo sese opponit lumen huius doctrinæ; quæ iustiorem tuetur causam, & iubet non obstantibus his locum dari huic, quæ plus meretur: admonens nos, vt amemus illud, & maiori cum desiderio sectemur; quod vtilius est, & magis necessarium,

Tertium documentum.

EX illo quoque colligimus, quotiescunque accidit virtutes illas vno eodemque tempore sic concurrere, vt omnibus simul satisfacere non liceat, tunc secundùm regulam præceptorum Dei minores maioribus cedere debere. Quod si aliter fiet, ordo erit inuersus & perturbatus. Docet hoc Bernardus in libro de præcepto & dispensatione, Porrò multa, inquit, inuenta atque instituta sunt, non quia aliter viuere non liceret, sed quod ita magis expediret: nec planè ad aliud, quam ad lucrum & custodiam charitatis. Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt. At si econtrariò contraria fortè aliquando charitati visa fuerint, his duntaxat, quibus hoc posse videre datum est, & prouidere creditum est: nónne iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittatur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Sicut è regione iniquum proculdubio foret, si statuta pro sola charitate, contra charitatem tenerentur. Tenent ergo fixam, firmamque immobilitatem etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessario sunt, sed quatenus charitati deseruiunt. Huc vsq; verba sunt D. Bernardi, qui pro sententiæ suæ confirmatione, diuorum Pontificum, Gelasij scilicet, & Leonis, citat decreta.

Bern. lib. de præcepto & dispens. paulò post initium.

Documentum quartum.

EX hac eadem doctrina colligitur, duo esse Iustitiæ genera, vnum, verum alterum falsum. Vera iustitia complectitur res internas simul & externas, quæ ad conseruationem illarum requiruntur. Falsa est, quę nonnullas obseruat externas, sine internis: sine amore Dei, sine timore, sine humilitate, sine deuotione, sine denique alijs virtutibus internis. Huic erat similis iustitia Pharisęorum, de quibus loquitur Dominus apud Matthæum, *Væ vobis*, ait, *Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia decimatis mentam & anethũ & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis: intus autem plenum estis rapina & immunditia.* Et paulò pòst; *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa: intus vero sunt plena ossibus mortuorum.* Eiusdem generis est illa iustitia, quæ toties à Deo reprehenditur in Scripturis apud Prophetas, per quorum vnius os dicit; *Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: legem autem meam spreuerunt.* Et in alio loco:

Duplex iustitia.

Matt. 23, 23.

Esa. 29, 13.

Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum holocausto arietum, & adipe pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Ne offeratis vltra sacrificium frustrà. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbathum, & festiuitates alias non feram. Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Quid sibi vult hoc? an Deus condemnet, quod ipse instituit, & expresse mandauit; maximè cùm sint actus nobilissimę virtutis, quam Religionem appellamus: cuius proprium munus est venerari Deum actu adorationis & religionis? Non sanè: sed damnat homines, qui contenti externis illis ceremonijs, nullam habent verę iustitiæ, timorisque Dei rationem, vti mox declarat, dicens; *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruersè, discite benefacere: quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Idem alibi, & maiori cum vehementia repetit: *Qui immolat* (inquit) *bouem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.* O Domine, vnde hoc? quare tibi nunc abominabilia videntur, cur tibi nunc sordent, quæ ipse olim instituisti & præcepisti? Mox rationem subijcit dicens: *Hæc omnia elegerunt in vijs suis, & in abominationibus suis anima ipsorum delectata est.* Vides itaque, mi frater, quam parum valeant apud Deum opera illa exteriora sine fundamento interiori. De ijsdem externis operibus sic ait per alium Prophetam; *Quod si obtuleritis mihi holocaustomata, & munera vestra, non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam. Auser à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non exaudiam.* Et alio loco maiori cum vehementia: *Et dispergam*, ait, *super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum.*

Esa. 1, 11.

Esa. 1, 16.

Esa. 66, 3.

Ibid.

Amos. 5, 21.

Mal. 2, 3.

Quid plùribus opus est ad intelligendum quàm parum prosint hæc opera externa, quantumlibet nobilissima, si desit fundamentum iustitiæ; quod constitit in amore Dei, odioque peccati? Quod si quis interrogauerit me, cur Deus tantopere execretur huiusmodi cultum, conferens sacrificia homicidijs, & incensum thuris idololatrię, appellans cantum psalmorum strepitum, & stercus solennitates ipsorum? Respondeo, quia præterquam quod opera huiusmodi non sunt alicuius meriti, deficiente fundamento, de quo paulò antè diximus; multi etiam sumunt hinc occasionem superbiendi, de se magna præsumendi, & alios contemnendi, eo quòd similia nõ faciant: & quod peius est, deueniunt tandem in falsam securitatem, ex hac falsa iustitia proficiscentem: estque hoc maximũ periculum; quod hominibus in hac via occurrit: contenti enim hac vana securitate, non studeant, neque contendunt ea, quæ desunt, & quidem maioris momenti sunt comparare. Nolo mihi credas, lege quod Euangelium dicit de oratione Pharisæi, qui orans dicebat; *Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus, ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo.* Vides hic quàm apertè deteguntur tres illi scopuli periculosissimi, de quibus mox dicebamus. Præsumptio, quando dicit: *Non sum sicut alij hominũ.* Contemptus aliorum, cùm inquit, *velut etiam hic publicanus:* falsa securitas, cùm gratias agit Deo, pro vitæ suæ, quam ducebat, qualitate: existimans se per illam esse securum, nec aliquam subesse causam metuendi. Hinc est, vt qui hoc modo iusti sunt, incurrant in periculosissimam hypocrisin. Est enim hoc loco

Quæ mala ex hac falsa iustitia proficiscuntur.

Luc. 18, 11.

notandum,

Duæ species hypocriſis.

notandum, duas eſſe hypocriſeos ſpecies: vna eſt manifeſta & vilis, qualis in ijs eſt, quorum malitia publica eſt, & pleriſque nota, nihilominus in exteriori conuerſatione magnam præ ſe ferunt ſanctitatem: vt populum decipiant. Altera ſubtilior eſt, & magis occulta, per quam homo non tantùm imponit alteri, ſed & ſibi ipſi: quæ ſpecies hypocriſeos erat in illo Phariſæo, qui reuera non tantùm fefellit alios homines, ſed & ſeipſum: cùm enim eſſet peſſimus, videri volebat optimus. De hac hypocriſi dicit Sapiens; *Eſt via quæ videtur homini iuſta: nouiſſima autem eius deducunt ad mortem.* & alio loco inter quatuor malorum genera hanc quoque numerat, dicens: *Generatio quæ patri ſuo maledicit, & quæ matri ſuæ non benedicit. Generatio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ. Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Quatuor has conditiones hominum recēſet hic Salomon, tanquam peruerſiſsimas, perniciosiſſimasq; omnium, quæ in mundo ſunt: atque inter illas etiam conſtituit hanc, de qua nunc agimus hypocriſin, cū ſcilicet homines immundiſsimi, qualis erat hic Phariſæus, puri videri volunt & ſancti. Status hominis, qui huic vitio implicatus eſt, periculoſiſsimus eſt. Minus profectò malum eſſet, ſi quis malus foret, nec bonus haberetur, quàm ſi quis iniuſtus ſit, & iuſtus æſtimetur. Sit enim homo quantumlibet malus, cognitio tamen ſuiipſius erit initium ſalutis eius. Sed cū non cognoſcitur malum illius, & licet infirmus ſit, ſanus tamen haberi vult, quod huic remedium applicabitur? Propterea dicit Saluator Phariſeis: *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum cælorum.* Pro *præcedent*, Græci legunt, *præcedunt* in tēpore preſenti, atq; ita expreſsius declaratur, quod nos dicere volebamus. Idem quoq; manifeſtiſsimè teſtātur terribilia illa, multumq; metuenda verba Domini in Apocalypſi; *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Quid ſibi vult hoc? cur Deus optat hominem eſſe frigidum, dicitq; tepidum peiori loco eſſe frigido, cū tepidus vicinior, ſit calido? Dicam quæ ſit huius ratio: Calidus eſt, qui cum igne charitatis, quem in ſe habet, poſsidet omnes virtutes, tam interiores quàm exteriores: ſicut antea dictum eſt. Econtrariò frigidus eſt ille, qui propter abſentiam & defectum charitatis, nec interiores habet virtutes, nec exteriores. Tepidus is, qui quidem aliquas habet externas, internas verò nullas: & qui ne ſcintillam habet charitatis. Significat itaque hic Dominus, tepidum in multo eſſe peiori ſtatu, quàm eſt frigidus: non quia pluribus eſt obnoxius peccatis, ſed quia difficilius ab illo liberatur, tanto enim remotior eſt à remedio, quanto ſe magis exiſtimat eſſe ab omni malo liberum & ſecurum: ex ſuperficiali enim, (vt ita dicam) quam habet iuſtitia, ſumit occaſionem credendi ſe aliquid eſſe, cùm reuera nihil ſit. Quapropter Dominus exponens quem tepidum appellauerat, ſubiungit; *Quia dicis, Diues ſum, & locupletatus & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Nónne tibi videntur hæc verba ad viuum exprimere Phariſæi illius imaginem, qui dicebat; *Deus gratias ago tibi, quia nō ſum ſicut ceteri hominum?* Verè ille erat, qui exiſtimabat in corde ſuo ſe diuitem diuitijs ſpiritualibus, ideoque gratias agebat Deo: ſed proculdubio pauper erat, cæcus & nudus: non enim propria crimina ſua cognoſcebat.

Luc. 18.

Prou. 14, 12.

Prou. 30, 11.

Quia calidus frigidus & tepidus eſt.

Matt. 21, 31.

Apoc. 3, 16.

Apoc. 3, 17.

Luc. 18, 11.

Expoſuimus itaque nunc duas eſſe ſpecies iuſtitiæ, vnam veram, & alteram falſam, & quam excellens ſit veræ præſtantia, falſa verò quantis periculis expoſita. Nemo autem exiſtimet fruſtra nobis hoc tempus elapſum, quod huic demonſtrationi impendimus. Sacroſanctum enim Euangelium, omnium diuinarum Scripturarum doctrina puriſsima, & præſtantiſsima, quæ tanquam ſpeculum formam & regulam vitę noſtræ repræſentat, ſæpiſsimè reprehendit hanc falſam iuſtitiam: nec minus faciunt Prophetæ, quemadmodum ſuperiùs oſtenſum eſt. Non igitur æquum erat, nos leui brachio perſtringere, quod toties in Scripturis reperitur: maximè quia manifeſta pericula plerique omnes fugiunt: vti nautæ omnes detectos ſcopulos; hic enim nec doctrina opus eſt, nec admonitione: ſed ſcopuli ſub aqua latitantes, magnam requirūt cautelam, atque ideo in mappis nauigationum ſignātur, vt nemo imprudens & non præmonitus in illos impingat. Nemo in hoc decipiatur, dicens tunc copiosè de hac doctrina diſputatum fuiſſe, cùm latiùs hoc vitium in orbe dominabatur: nunc ea opus non eſſe, quia peccatum hoc nunc infrequens eſt. Exiſtimo enim mundum ſemper in eodem ſtatu perſtitiſſe: ſunt enim ſemper & ſimiliter homines eiuſdem naturæ, eiuſdemque inclinationis, in eodem originali peccato concepti, quod fons eſt omnium peccatorum & proinde ſemper ſimiles producit effectus.

Simile.

Mundum ſemper in maligno poſitum.

Quia verò tanta ſimilitudo eſt in cauſis malorum, neceſſe eſt vt ſit & in effectibus. Eadem itaque vitia, quæ fuēre tunc in hominibus huius vel illius conditionis, & nunc ſunt, licet fortaſsis nomina nonnihil ſunt immutata: quemadmodum Comœdia Plauti vel Terentij eædem ſunt Comœdiæ, quæ fuerunt ante annos mille, quamuis perſonæ quæ illas agunt, immutentur. Propterea ſicut populus ille rudis & carnalis tunc maximè ſe placere Deo arbitrabatur, cum ſacrificia iſta immolabat, ieiunia illa ieiunabat, & feſtiuitates illas ſecundùm literam, & non ſecundùm ſpiritum celebrabat. Sic & noſtro tempore multi ſunt Chriſtiani, qui ſingulis Dominicis diebus interſunt ſacro Miſſę ſacrificio, penſum horarum eccleſiaſticarum ſoluunt, roſaria B. Mariæ Virginis legunt, & in honorem illius ſingulis Sabbatis ieiunant: libenter conciones audiunt, ſimiliaque faciunt, & quidem bene: ſed interea ſic infrunita ſunt illorum deſideria, ſic honoribus, ſic diuitijs ſtudent, tam ſunt vindictę cupidi, quàm quiuis alius, qui nihil illorum obſeruat. Non recordantur quid ſtatus eorum requirat, nullam ſalutis proximi ſui curam habent: perſeuerant in odijs, paſsionibus, honorem ſuum mordicus tuentur, non ſe humiliarent ad exhibendam alteri reuerentiam, nec alijs cederent, etiam ſi quis illis totius mundi offerret imperium. Sunt præterea quidam, qui dedignantur cum proximo colloqui, quod nonnunquàm ex leuiſsima faciunt cauſa: & ſunt alij; qui aut non ſatisfaciunt, aut ægerrimè ſuis creditoribus: minus etiam promptè mercedem ſuis famulis & mercenarijs annumerant, & ſi fortaſsis in minimo puncto vel honoris, vel diuitiarum, vel ſimilium rerum lædantur, papæ, quas turbas concitant? Multi eorum, qui in legendis roſarijs & ſalutationibus angelicis dicendis ſunt liberaliſsimi, ſępe in erogandis eleëmoſynis, aut proximis iuuandis ſunt parciſsimi. Sunt & alij, qui ne pro re aliqua mundi ferijs quartis veſci velint carnibus, murmurant nihilominus ſine aliquo Dei timore, & crudeliſsimè proximos iugulant. Ita vt quibus religio eſt animalium carnibus à Deo permiſsis veſci, non vereantur manducare carnes hominum, atque eos vita exuere, quo neſcio ſi quid ſtrictiùs à Deo ſit interdictum. Et ſanè vna ex præcipuis rebus, quarum homo Chriſtianus maximam rationem Deo debebit reddere, eſt fama, & honor proximi, de quibus tamen non multùm ſoliciti ſunt illi, qui maximi faciunt alia, quæ in rei veritate multo ſunt minora.

Simile.

Nemo eſt qui negare poteſt, hęc & ſimilia quotidie

regnare

regnare inter seculares & religiosos. Propterea cùm malum hoc tam sit vniuersale, necesse erat nos tantis [illegible]ibus homines ex timere, proponenda sana doc[illegible] & salutares præscribendo admonitiones, præsertim cùm ij, quorum munus & officium hoc est, id facere non studeant, vt amplius in his non peccetur. Vt autem Christianus lector maiorem hinc eruat vtilitatem, & venenum pro medicina non hauriat, oportet ante omnia exploret venam pulsatilem suæ conditionis, & spiritus, vt discat ad quid potissimùm animus propendeat. Sunt enim quædam doctrinæ generales, quæ omnibus & singulis sunt vtiles, cuiusmodi sunt præcepta charitatis, humilitatis, patientię, & similia. Sunt & alię magis speciales quę sic prosunt aliquibus, vt non conueniant omnibus. Exempli gratia: Est quidam valde scrupulosus, huic laxanda est conscientia. Est è contrario quidam, cui conscientia nimis est laxa, huic est constringenda, & coarctanda: qui pusillanimes sunt, & desperant, his prædicanda est diuina misericordia, qui verò temerarij sunt, malè securi, & nimia præsumunt, his diuina iustitia est exaggeranda: atque ita dicendum est in reliquis iuxta consilium Ecclesiastici, dicentis, *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia, & cum muliere de his quæ æmulatur, cum timido de bello, cum timido de gratijs agendis, cum impio de pietate, cùm inhonesto de honestate, &c.*

Documenta pietatis duplicia.

Eccli. 37. 11.

Cùm igitur duo genera sint hominum, quorum quidam magis adhærent internis, de externis non sunt anxij, imò non magni faciunt: alij sic amant externa, adeoque eorum sint studiosi, vt interna facilè negligant: illis hæc, & his illa sunt exageranda, vt hoc modo humores ad debitam reducantur proportionem. Quare & nos stylum ita temperauimus, vt singula suo loco posuerimus: extollendo maiora sine præiudicio minorum, & deprimendo minora, vt maioribus non præiudicetur: & hoc modo erimus omnino securi, & tuti à periculosissimis illis duobus scopulis, dum edocti sumus, illos magna industria euitare: horum vnus est, tanti æstimare exercitia interna, vt negligantur externa: secundus verò, tanto in pretio habere externa, vt omittantur interna: maximè timor Domini, & odium peccati. Summa itaque totius negotij sit, fundari in profundissimo timore Dei, adeò vt ad solum nomen peccati timeamus. Qui verò firmissimam radicem hanc in anima sua fixam habet, dici potest beatus, & super hoc fundamentum potest quicquid vult superstruere. Qui verò facilè inducitur, vt committat peccatum, is certò sciat, quòd est miserrimus, cęcus, & infelicissimus, quamuis omnes sanctitatis habeat fucos & colores, qui sunt in hoc seculo.

SECUNDA ADMONITIO, QUÆ versatur circa diuersos viuendi modos in Ecclesia.

CAPVT XXI.

SEcunda hæc admonitio huc spectat, ne quis alium iudicet in modo viuendi. Sciendum enim est, quòd cùm multæ sint virtutes, quæ requiruntur, vt quis Christianè viuat; huic dantur illæ, alteri aliæ, quæ hominem in Deum dirigunt, & ad eum adducunt, quarum maior pars pertinet ad vitam contemplatiuam: quibusdam verò homo ad proximum ordinatur, quæ pertinent ad vitam actiuam: quędam etiam sunt, quæ disponunt homines ad seipsos, quæ præcipuè spectant ad vitam monasticam. Præterea cùm omnes virtutes sint quasi quædam media, per quæ Spiritus sancti impetratur gratia, quidam student illam obtinere per hoc, alij per illud medium. Quidã enim per ieiunia, disciplinam, & asperitatem vitæ; nonnulli per eleemosynas, & opera misericordiæ; alij per orationes, & continuas meditationes gratiam venantur: in quo quidem vltimo medio tanta est varietas, quanta est orationum & meditationum, vni enim magis arridet hæc orandi & meditandi formula, alteri illa: & quemadmodum multa sunt quæ homo potest medicari, sic etiam varia sunt meditationum genera: inter quæ illud est optimum, quodcunque sit, in quo homo reperit maiorem deuotionem, & plus vtilitatis. Sed obseruandum hîc est; non raro fieri, vt error sese hic virtutum amatoribus offerat; quidam enim vbi in hoc vel illo medio aliquid vtilitatis inuenerint, & illius beneficio nonnihil in via Domini profecerint, statim sibi persuadent, non esse aliud medium Deo seruiendi, & illi placendi, præter illud, in quo ipsi versantur: omnes hoc sequi volunt, & existimant omnes qui hanc viã non ingrediuntur, ad vitam non peruenturos: putant enim vnam tantùm esse viam, quæ ducit ad cælum. Qui se totos deuouerunt orationi, putant orationem vnicum esse medium ad salutem: qui toti ieiunijs incumbunt, putant omnia præter ieiunium esse inania: qui vacant vitæ contemplatiuæ, arbitrantur omnes qui non sunt contemplatiui, in summo versari discrimine: atque in ea opinione ita consenuerunt, vt vitam actiuam tanquam prorsùs inutilem reijciant. Econtrario qui vitæ actiuę studeut, eo quòd nunquam experti sunt, quid agatur inter Deum & animam in suauissimo illo contemplationis otio, & videntes manifestam, palpabilemque vtilitatem ex actiua vita resilentem, ita extenuant aut vitam contemplatiuam, vt vix probent contemplatiuam puram, nisi habeat aliquid actiuæ admixtum, sed ita de illa iudicant, quasi cuiusuis sit, illi vacare facile posse. Similiter qui se totum orationi consecrauit, putat omnium orationes præter suas esse infructuosas, & qui vocali dat operam orationi, dicit eam esse magis laboriosam, & proinde meriti maioris.

Varia media gratiam impetrandi.

Suæ cuique placent.

Vnusquisque laudat institutum, in quo excellit.

Hoc modo quilibet mercator, vt in prouerbio est, suas laudat merces: atque ita tacita quadam superbia ignorans quid agit, laudat semetipsum: extollens illud, quod ipse facit, eò quòd maiorem in hoc sentit vtilitatem. In Virtutibus itaque accidit, quod in scientijs, quarum vnaquæque ad cælum vsque laudibus attollitur, ab eo, qui in illa excellit: à quo vicissim omnes aliæ tanquam inutiles contemnuntur. Orator dicit in orbe terrarum non esse nobilius eloquentia, Astrologus asserit, Astrologiam omnibus artibus palmam præripere, eo quòd de cælo & stellis tractat. Idem de Philosophia philosophus affirmat. Theologus Scholasticus nesciens medium tenere locum, omnes alias scientias damnat, & solium suum super omnes collocat. Nec desunt vnicuique verisimiles rationes, ad probandum suam scientiam esse meliorem, vtiliorem & magis necessariam. Quod itaque palàm inuenitur in scientijs, etiam in virtutibus reperitur: sed paulò obscurius. Omnes enim qui virtutem appetit, ab vna parte cupit eligere quòd optimum est, ab altera quod suę magis conuenit naturæ: & proinde arbitratur, quod sibi conuenit, id omnibus debere conuenire, & calceos, qui suis pedibus bene quadrant, etiam aliorum omnium pedibus quadrare debere.

Hinc oriuntur de aliorum vita temeraria iudicia, hinc cõtentiones, & inter fratres spiritualia schismata, vnus enim sectatur, quod alter damnat: dum non vnam omnes viam ingrediantur. In hoc errore viuebant Corinthij, qui cùm multa & varia dona à Deo accepissent, vnusquisque suum reliquis præstantius iudicabant: ideoque vnus alteri volebat præferri:

ferri: dicebant enim quidam gratiam linguarum esse reliquis nobiliorem; alij gratiam Prophetiæ; quidam Scripturarum interpretationem præferendam: nonnulli gratiam miraculorum omnium esse præstantissimam affirmabant: alij quoque suorum donorum excellentiam & prærogatiuam tuebantur. Contra hunc errorem & abusum, nullum est remedium vtilius, & efficacius illo, quo D. Paulus vtitur, in priori ad illos missa epistola: in qua prius reducit omnes gratias ad suum principium, dicens omnes gratias esse riuulos vnius fontis Spiritus sancti: & quod iccirco participāt omnes de vna æqualitate in sua causa, licet inter se sint diuersę. Quemadmodum membra vnius corporis Regis cuiuspiam omnia membra Regis sunt, de vno regali creta sanguine, licet inter sese diuersa sint: sic inquit Apostolus; *in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, vt membra simus vnius corporis.* Propterea & omnes de vna eademque dignitate participamus, & gloria, cùm omnes membra simus eiusdem capitis. Quare Apostolus mox subijcit, *Si dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore?* Omnes itaque facti sumus æquales, vt inter omnes sit vnitas & fraternitas, non obstante aliquam inter nos esse diuersitatem. Oritur hæc partim ex natura, partim ex gratia. Dicimus partim ex natura, nam licet principium omnis Esse spiritualis sit gratia; gratia tamen, tanquā aqua in diuersis excepta vasis, induit diuersas figuras, iuxta conditionem & & naturam vniuscuiusque. Sunt enim homines nonnulli natura modesti & quieti, & propterea ad vitam contemplatiuam valde idonei. Alij sunt cholerici, & delectantur rebus agendis; ideoque apti magis ad vitam actiuam: alij robustiores sunt, & saniores, minusque erga seipsos affecti, qui subeundis oneribus pœnitentiæ pares sunt. In hoc singulari modo relucet bonitas & misericordia Dei, qui cupiens seipsum omnibus diuidere, & communicare, noluit id vno tantùm modo fieri, sed multis, & varijs, secundùm varietatem conditionis humanæ, vt homo, qui vni alicui modo non est aptus, esset alteri.

Simile.

Galat 5. 1. Cor. 12, 13.

Simile.

Varietas gratiarum ex natura.

Alia ratio huius diuersitatis est gratia: Spiritus enim Sanctus auctor illius, voluit inter suos esse varietatem, ad maiorem perfectionem & pulchritudinem Ecclesiæ. Quemadmodum enim ad perfectionem & pulchritudinem corporis humani requiritur, vt sint diuersa membra, sensusque diuersi: sic etiam de perfectione & pulchritudine Ecclesiæ est, diuersas esse virtutes & gratias. Si enim omnes fideles vnius eiusdemque conditionis essent, quomodo vnum corpus appellabuntur; *Si totum corpus oculus*, inquit Paulus, *vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autē posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit.* Voluit autem Deus membra esse multa, & corpus vnum, vt cùm esset multitudo cum vnitate coniuncta, esset proportio & concordia conueniens multorum in vno: atque hinc resultat perfectio & venustas Ecclesiæ. Simile quid videmus in Musica, vbi oportet diuersitatem & multitudinem esse vocum; cum vnitate symphoniæ: ita vt in ea sit suauitas & melodia. Si omnes voces essent vnius qualitatis, omnes essent aut graues, aut acutæ, nec Musica esset, nec harmonia. Quin & in rebus naturalibus admirandum est videre tantam rerum diuersitatem, quantam operatus est supernus artifex, qui aptitudinem & perfectionem omnibus creaturis eo ordine partitus est, vt non obstante quòd singulæ habent aliquid in quo superant reliquas, nulla tamen sit inter illas inuidia: eo quòd singulę aliquam habent prærogatiuam, quæ in alijs non est eadem. Pauo pulcher quidem est aspectu, sed cantum habet insuauem. Luscinia suauiter cantat, sed aspectu minus iucunda. Equus cursu bonus est, & ad bellum vtilis, sed nec aratro, nec mensis principum vtilis, Bos vtilis mensæ & aratro, ad reliqua inutilis. Arbores frugiferæ hominum alimento seruiunt, ad fabricam verò ineptæ sunt: siluestres contra ad fabricam aptæ, ad victum ineptæ. Itaque inter res omnes vnitas quædam est & diuisio, nec in vna re inueniuntur omnia, vt hoc modo conseruetur varietas & pulchritudo vniuersi, atque rerum species, vt vna aliam complectatur ob necessitatem, qua vna alterius indiget opera.

Eadem ex gratia & cur Deus voluerit donorum varietatem esse in Ecclesia.

1. Cor. 12, 17.

Simile.

In creaturis est quædam diuersitas.

Eundem ordinem & pulchritudinem, quam Deus constituit in operibus naturæ, voluit etiam esse in operibus gratiæ: atque propterea per Spiritum suum disposuit, vt mille modi essent virtutum & gratiarū in Ecclesia, vt ex omnibus ijs resultaret vna suauissima harmonia, vnus perfectissimus mundus, & vnum venustissimum corpus, compositum ex membris diuersis. Hinc est quod in Ecclesia quidam sunt vitæ contemplatiuæ dediti, alij actiuæ: hic in operibus obedientiæ, ille in pœnitentia, iste in oratione sit illustris. Quidam cantando, alij studendo, vt iuuent alios, sese exercent: sunt qui infirmis seruiunt, & hospites excipiunt, qui pauperibus sua distribuunt, aliaque plurima exercitiorum genera sunt operaque studiosa. Eandem quoque diuersitatem videmus in Religionibus, quæ quidem omnes etsi nos ad Deum dirigant, & ducant: quælibet tamen suam habet semitam. Vna per viam paupertatis ad Deum proficiscitur, alia per pœnitentiam, alia per opera vitę contemplatiuæ, alia per actiuæ: quædam enim quærunt publicum, alię amant solitudinem & secretum: quædam ciuitates habitant & loca culta, quædam eremos & loca inculta, seu deserta. Et omnia hęc amore religionis atque Charitatis. In vno eodemque ordine, quid dico ordine? imò monasterio inuenies hanc varietatem. Quidam enim cantant in choro, alij laborant manibus: hic studet in cella, ille confessionibus audiendis occupatus est in Ecclesia: iste extra monasterium, quæ monasterij sunt agit. Propterea multa membra sunt in vno corpore, & multæ voces in vna Musica, vt eodem modo sit pulchritudo, proportio, & consonantia in Ecclesia: propterea & in vna cithara multæ sunt fides, & in vno organo multæ fistulo: vt hoc modo possit esse consonantia & harmonia multarum vocum. Hæc est illa vestis, quam Patriarcha Iacob filio suo Ioseph fieri iussit polymitham, id est, multorum colorum. Hæ sunt illæ cortinæ, quę ex mandato Dei factæ sunt in vsum tabernaculi mirabilis varietatis & pulchritudinis. Idem vt fieret & ordo, & pulchritudo Ecclesiæ postulabat. Cur igitur vnus alium comedit? cur vnus alium iudicat & condemnat, dicens? Cur vni facere non licet quod alteri? Hoc nescio quid aliud sit, quam velle destruere corpus Ecclesiæ, & pulchram vestem Ioseph lacerare, & interturbare musicam ac consonantiam cælestem: hoc est, velle vt omnia membra Ecclesiæ sint aut pedes, aut manus, aut oculi, &c. quod certè esset præter modum monstrosum.

Religionum seu ordinum diuersitas.

Gen. 37, 3.

Exod 26.

1. Cor. 12.

Malum esse proximo inuidere.

Simile.

Ex hoc manifestè liquet, quantum scelus sit maledicere & inuidere proximo: eo quòd ille habet, quod ego non habeo, aut quod ille non est aptus isti muneri, cui ego aptus sum. Malè profectò de corpore ageretur, si oculi contemnerent pedes, eo quod non vident: & si pedes murmurarent, & se oculis opponerent, quia non ambulant, & sibi totam corporis molem imponunt. Necesse profectò est, vt pedes eundo defatigenter, oculi autem quiescant: pedes luto coinquinentur, oculi stent puri & mundi à puluere, & omni festuca: nec oculi minus facient quiescendo, quam pedes ambulando: nec minus facit nauclerus sedens, habensque clauum in manu, nec minus est

Simile.

naui

naui necessarius, quàm omnes alij nautæ, qui aut malum ascendunt, aut transtra circumeunt, aut vela extendunt, aut sentinam exonerant: imò non obstante, quod videatur omnium minimum facere, facit omnium maximum: non enim excellentia rei laboribus est æstimanda, sed vtilitate & necessitate: nisi velimus dicere in Repub. plus facere colonum vel agricolam, qui fodit, sarítque terram, & agros colit, quam vir sapiens, qui suo consilio atque prudentia Rempub. gubernat. Qui itaque hæc bene considerat, vnicuique suam relinquet vocationem: hoc est, pedi vt maneat pes; manui vt manus: nec desiderabit pes, vt omnia membra sint pedes; nec manus, vt omnia manus. Hoc est quod latissima sua disputatione voluit Apostolus docere in Epistola paulò antè citata: idemque monet cùm dicit: *Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* 1. Cor 12. Rom. 14, 3. Qui enim manducat, fortè necesse est vt manducet: erit tamen fortasse alijs illustrioribus ornatus virtutibus, quæ in ieiunante non reperiuntur: ita vt in illo non peccet, atque in hoc illo sit præstantior. Quemadmodum enim in cantu non minus valent notæ, quæ sunt in spatio, quàm quæ sunt in linea: sic & in consonantia Musicæ spiritualis Ecclesiæ, non minus valet qui manducat, illo qui non manducat, & qui otiosus est, illo qui est occupatus, vel in suo otio laborat ad conquirendum vnde proximum ædificet. Idem cum magna vehementia docet D. Bernardus, mandans ne quis eorum vitam, qui in foro versantur, & iudicum, ac præsidum officijs funguntur, curiosè scrutetur: aut alterius vitam iudicet, nec minus vitam suam cum vita alterius comparet: ne fortè accidat illi, quod monacho cuidam, quem male habebat, quod merito suæ paupertatis diuitiæ B. Gregorij conferentur: cui dictum est, quod ipse ditior erat cum illa quam habebat catta, quàm S. Gregorius cum omnibus suis diuitijs.

Simile.

Ant. Flor. li. histor. part 2 tit. 12. c. 3. Ioan Diaco. in vita S. Gregor. lib. 1. cap. 69.

TERTIA ADMONITIO DE SOLICITUDINE & vigilantia, in qua viuere debet virtutis sectator.

CAPVT XXII.

Generalis virtus perpetua solicitudo.

ADmonitio tertia sit hæc; Cùm in hac regula varia virtutum documentorumq; genera, ad vitam bene instituendam sint commemorata; intellectus verò noster angustior sit, quàm vt omnia simul capiat, optimè facturum me existimaui, si generalem quandam virtutem quæ omnes alias complectitur, & quantum fieri potest alias omnes supplet, superioribus nunc subiungam. Hæc est perpetua quædam solicitudo & vigilantia continuumque examen earum rerum, quæ agendæ, dicendæve sunt: vt omnia rationis ductu dirigantur. Vt quemadmodum legatus quispiam, in corona amplissimi cuiusdam senatus oraturus, vno eodemque tempore stat, solicitè cogitãs res, de quibus dicturus est, verba quibus dicet; ordinemque in dicendo obseruandum; gestum quoque corporis, aliaque ad hanc actionem necessaria: sic Dei seruus id agere debet, vt obseruet perpetua quadam cura & solicitudine seipsum, omnesque actiones suas, vt in loquendo, tacendo, interrogando, respondendo, negotiando, mensæ accumbendo; in foro, in Ecclesia, in ædibus, aut extra ædes stet attentus, quasi circinum habens in manu, dimetiens & modificans omnes suas actiones, dictiones, & cogitationes: vt in omni re secundum diuinæ legis præscriptum, rationis dictamẽ, & personæ suæ decorum procedat. Etenim licet inter bonum & malum maxima sit differentia, Deus tamẽ infudit, impressitque animæ nostræ lumen, & cognitionem aliquam vtriusque: ita vt vix homo inueniatur, sit quantumlibet rudis & simplex, qui sibi diligenter animaduertat id quod agit, non intelligat, quid in quaque re facere debeat. Et hæc cura atque consideratio vtilis est ad omnia documenta huius regulæ, & multarum aliarũ. Hæc solicitudo ea est, quæ a Spiritu sancto commendatur, quando dicit; *Custodite igitur solicitè animas vestras.* Deut. 4, 15. Et hæc est tertia pars iustitiæ, quam insinuat Propheta Michæas: dicens: *solicitum ambulare cum Deo tuo.* Mich 6.8. Est autem hæc aliud nihil, quã perpetua cogitatio, ne quid agas, quod diuinæ voluntati contrarium est. Hoc est quod significat illa multitudo oculorum in mysticis animalibus Ezechielis, quæ nobis insinuant magnitudinem attentionis, & vigilantiæ, qua debet esse miles Christianus, aduersus tot & tam terribiles inimicos, quibuscum illi pugnandum est. Idem significant *sexaginta illi fortes ex fortissimis Israel, qui ambiunt lectum Salomonis: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Cant. 3, 7. In hoc enim significatur eadem solicitudo & vigilantia, qua debet esse armatus homo, qui circundatus est à tot hostium careruis & truculentorum inimicorum manibus. Causa huius solicitudinis, præter alia multa pericula, est magnitudo & teneritudo huius negotij, maximà in his qui aspirant ad vitæ spiritualis perfectionem. Viuere namque & conuersari dignè Deo, est mundum & purum se ab omni macula huius seculi conseruare, viuere in hac carne sine signo aliquo carnalis operis vel affectus & conuersari sine querela vsque in diem Domini, vt Apostolus ait. Hæc tam ardua sunt & supernaturalia, vt omnia hic requirantur, etiam ipse Deus, cũ sua gratia & adiutorio. Intuere solicitudinem, quã habet homo, cum singulare aliquod opus aget, sed multo maius est opus salutis, quæ igitur hic requiritur solicitudo? Considera quanta cura portat homo vas aliquod plenum pretiosi liquoris vel olei, ne quid effundatur? Considera quanta solicitudine incedit homo volens vel per gracilem aliquam trabem, vel per vetustum & lacerum pontem rapidissimum ac impetuosissimum flumen traijcere, ne decidat, & ab aquis absorbeatur: Considera denique quanta attentione funambuli vtuntur, ne ab vna vel ab altera parte declinantes cadant. Eadem cum solicitudine & tu debes ambulare, maximè in conuersionis initio, vt bonus habitus in te formetur, firmeturque, tam accurata cogitatione, & attentione, vt ne quidem verbum loquaris, nec quicquam cogites, quantum possibile est, quod à virtutis tramite deficiat. Propter hoc Seneca illustre nobis, licet familiare, tradidit consilium, dicens: hominem virtutis studiosum imaginari debere, se semper stare, & ambulare in conspectu viri alicuius summæ auctoritatis, & existimationis: qui, quem omnes reuereãtur, dignus est: hac imaginatione facta, dicat, faciatque omnia, non aliter, quam faceret, diceretque, si staret in illius præsentia. Præter hoc consilium, aliud est, non minus conueniens & vtile priore. Vt homo cogitet diem illum esse vitę suæ vltimum, ideoque facienda omnia, non aliter atque si illo eodẽ die aut nocte subsequente diuino sistendus esset tribunali, rationem vitæ suæ redditurus. Est & aliud multò excellentius; Semper conseruari (quantum vt fiat possibile est) in conspectu Domini, eumque ante oculos habere, quasi visibilis & corporalis adesset, vel inuisibilis adest reuera in omni loco: & propterea cũcta facere haud secus quam ille, qui Deum habet testem & iudicem, omnia videntem: petatque semper à Deo gratiam sic conuersandi, vt non sit indignus tãtæ Maiestatis conspectu & præsentia. Ita vt hæc solicitudo, de qua nunc agimus, duos habeat sibi scopos propositos, vnum; aspicere in præcordijs nostris Deũ, vt stemus coram eo summa cum reuerentia, illum adorando, laudando, reuerendo, amando, ei gratias agendo,

In conuersionis initio diligenter & cautè ambulandum.

Consilium aliud.

Seneca lib. 1. epist. 11.

Philip. 1.

agendo, & sine intermissione offerendo sacrificia deuotionis, super altare cordis nostri. Alter scopus sit diligens obseruatio omnium actionum nostrarum, vt & faciamus & dicamus omnia ea cautela, ne vel in minimo à virtutis semita aberremus. Sic vt vno oculo semper intueamur Deum, petendo ab illo gratiam altero id quod vitæ nostræ conducit, illam bene instituendo: & hoc modo optimè expendemus lumen illud, quod dedit nobis Deus, tam in rebus diuinis, quã humanis. Stabimus itaque partim Deo, partim omni illi quod faciendum nobis est, intenti. Quod licet semper fieri nequeat, id tamen agamus, vt vel tunc saltem hoc modo procedamus, cùm intentio à corporalibus exercitijs non impeditur, imò cor liberum est, & potest aliquid negotiis externis suffurari, seseque in vulneribus Christi abscondere. Hoc documentum hîc volui repetere, quia est vtilissimum, licet à nobis antea traditum est in Memoriali vitæ Christianę.

QUARTA AD MONITIO DE FORtitudine quæ necessaria est his, qui ad virtutem aspirant.

CAPVT XXIII.

PRæcedens admonitio nobis aperuit oculos, vt iam videre valeamus, quid nobis faciendũ sit: hæc autẽ nobis brachia conferet; hoc est fortitudinem, vt q, oculi vident, id faciendi potestas sit. Cùm enim in virtute duę sunt difficultates, vna vt bene distinguamus bonum à malo, atque hoc ab illo separemus; altera vt vincamus vnum, & in alio procedamus: in illa nobis opus est prudentia atque vigilantia, in hac fortitudine atque diligentia: ita vt altero horum deficiente, negotium virtutis maneat imperfectum. Erit enim cæcitas, si absit vigilantia: & si deficiat fortitudo, homo tanquam mancus & debilis non poterit operari. Fortitudo hæc de qua nobis hic sermo est, non ea est, quæ audaciam & timorem tanquã media temperat, (est enim ea vna inter quatuor virtutes cardinales) sed est generalis quædam vis seu potentia, vtilis ad superandas omnes difficultates, quæ vsum virtutis impediunt: ideoque semper in comitatu virtutum ambulat, quasi gladium in manu habens, vt viam illis aperiat, quocunque ire voluerint. Virtus enim (vt Philosophi dicunt) est res difficilis & ardua; ideoque necesse est, vt latus ei semper claudat hæc fortitudo, quæ adiuuet eam in hac difficultate vincenda. Quemadmodum itaque lapicida semper malleum in manu habere debet, propter duriorem in qua laborat materiam: haud aliter homo spiritualis necessariò semper in promptu habere debet hanc fortitudinem, tanquam spiritualem malleum, ad domandum hanc difficultatem, quę in virtute occurrit. Et quemadmodum lapicida nil efficiet, si malleum non habeat: ita & virtutis amator sine hac fortitudine frustra desudabit. Alioquin dic mihi, quæ dari potest virtus, quæ non habet difficultatem aliquam particularem sibi adiunctam? Considera singulas, si placeat, seorsim, Orationem, ieiunium, obedientiam, temperantiam, paupertatem spiritus, patientiam, castitatem, & humilitatem. Hæ, omnesque aliæ semper cum aliqua difficultate coniunctæ sunt, siue ob proprium amorem, siue ob Dæmonis & mundi impugnationem. Quare si hanc fortitudinem auferas, quid poterit virtus nuda prorsus & inermis? & proinde videntur omnes aliæ virtutes tanquam manibus pedibusque ligatæ, nec possunt quicquam operari. Quare, mi frater, si cupias in virtutum castris militare, & in is fructum facere, imaginare ipsum virtutis Ducem & Imperatorem

Duæ difficultates in virtute.

Similc.

Virtus vtilissima est.

ad te dicere, quod olim dixit Mosi, licet in alio sensu: *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa, & populum meum ex Ægypto educes.* Confide, ne dubites, quemadmodum virga illa fuit operatrix istorum miraculorum, & quæ tam beatum lætumq; opus perfecit, sic & virga virtutis & fortitudinis ea est, quæ cunctas superabit difficultates, quæ vel ab amore proprio, vel ab hostibus & inimicis nostris obijcientur, optatamque victoriam ex hoc bello faciet te reportare. Fac itaque vt illam semper in manu habeas, nihil enim admirabile sine illa potes operari. Exod 4.

Error eorũ, qui statim in initio conuersionis pacem quærũt.

Hoc loco, meo iudicio admonendi sunt hi, qui non ita pridem Deo seruire inceperunt, insignis alicuius erroris, qui non rarò accidere solet. Qui forte legentes in aliquo libello spirituali magnitudinem dulcedinum, & consolationum Spiritus Sancti & quantę sint blanditiæ, suauitatesque Charitatis, arbitrantur confestim totam hanc viam esse planam, delicijs plenam, & nullum in ea laborem, molestiam nullam inueniri: quare ad eam ambulandam sese prępparant, tanquam ad rem facilem & delectabilem, nec sese armant instar eorum, qui ad bellum proficiscuntur: sed induunt vestitum mollem & delicatum, haud secus quam si ad nuptias vel conuiuium esset eundum. Non considerant, quantumuis amor Dei sit in se & natura sua dulcis, viam tamen ad illum angustam esse, & amaram. Necesse est enim ante omnia amorem sui vincere, & secum semper pugnare: quæ pugna maior est, quam quæuis alia. Vtrumque insinuat S. Propheta Euangelicus, cùm ait, *Excutere de puluere surge & sede Hierusalem.* Certum est in sedendo non esse laborem aut difficultatem: sed labor est excutere puluerem terrenarum carnaliumque affectionum, & à peccato surgere, in quo dormimus: quæ res necessaria est, antequam ad sessionem & quietem illam veniamus. Verum quidem est, Deum largiri consolationes multas & mirabiles his, qui fideliter laborant: similiter & his qui iam voluptates mundi delicijs cæli cupiunt permutare. Tamen si non fiat hæc commutatio, & homo nolit mundi prædam quam cepit relinquere, crede mihi, non dabitur illi hoc refrigerium; quemadmodum nec filijs Israel datum fuit Manna in deserto, nisi prius consumpta farina, quam ex Aegypto secum attulerant. Esa. 52. 2. Exod. 16.

Redeundo itaque ad propositum, dico, hi qui non sunt armati hac fortitudine, quærant requiem quamdiu velint, id sciant: nisi prius animos propositumq; suum mutauerint, eam non inuenient. Credant non nisi laborando quietem parari, pugnando coronam obtineri; lachrymando gaudium acquiri; odioque suijpsius suauissimum amorem Dei succedere. Hanc ob causam toties in Prouerbijs hæc gnauia reprehenditur, fortitudo autem & diligentia commendatur, vt alio loco declarauimus: optimè siquidem notat S. Spiritus, auctor huius doctrinæ, virtutes illa plurimùm impediri, hac verò iuuari & perfici.

De medijs quibus acquiritur illa fortitudo.

INterrogabit forsan aliquis, quibus medijs ista fortitudo comparetur, cùm ipsa non minùs difficilis sit, quàm aliæ virtutes? Quare non frustra Sapiens suum Alphabetum spiritualibus documentis plenum sic auspicatur; *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* quasi diceret, omni thesauro & gemmis, quæ è finibus orbis terrarum adferuntur, est pretiosior. Quomodo itaque poterimus rem tanti pretij nobis comparare? Comparabimus nobis illam, primò, si diligenter perpendamus eius dignitatem & excellentiam: magni enim pretij sit oportet, quod nobis aperit thesauros virtutum omnium. Si secus, dic mihi cur eum in modum huius se- Prou. 31, 10.

culi amatores virtutem fugiunt? Non aliam ob causam, quam quia difficilis est: quam difficultatem metuunt ignaui. *Dicit piger*, ait Sapiens, *Leo est in via, & leæna in itineribus*, in medio plateārum deuorabit me. Et alio loco: *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quam plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.*

Piger ob difficultatem fugit virtutem.
Prou. 26, 13.
Eccli. 4, 5.

Cùm itaque nihil sit aliud, quod, quo minus ad virtutem perueniamus, impedit, præter hanc solam difficultatem, si fortitudinem hanc amplectamur ad vincendam illam, iamiam regnum virtutis vnà cum regno cælorum erimus consecuti: ad quod nemo potest peruenire, nisi fortis & imperterritus. Hac fortitudine itidem debellatur Amor suijpsius, cum toto complicum suorum exercitu: qui inimicus vbi prostratus & foras eiectus est, ecce mox intrat amor Dei, aut si mauis, Deus ipse. Nam vt B. Ioannes asserit, *Qui manet in charitate, in Deo manet.*

1. Ioan. 4, 16

Conducunt etiam multa seruorum Dei exempla, quos videmus hic in mundo pauperes, nudos, discalceatos, squalidos, famelicos, insomnes, rerumq; omnium, quæ ad hanc vitam requiruntur, inopes. Quidam eorum ita ad labores & asperitates vitæ festinat, vt quemadmodum mercator ad opulentissimas nundinas, aut artium disciplinarumque studiosus ad illustrissimas Academias festinat, easque circumquaque obambulans, vbique quærit: sic illi quærunt monasteria, & loca deserta, vbi strictior sit disciplina, & vita viuatur asperior: vbi inueniant non satietatem, sed famem, non diuitias, sed paupertatem, non voluptates corporis, sed cruces & tribulationes. Quæso quid magis contrarium esse potest huius mundi consuetudini, & amatorum eius desiderijs, quàm hominem proficisci in longinquas regiones, ibique artes & modos quærere quibus id consequatur, vt maiori fame excrucietur, grauiori paupertate laboret, pluribus molestijs & solicitudinibus exagitetur; Hæc sunt profectò carni & sanguini maximè contraria: sed Spiritui Domini per omnia conuenientia. Sed & magis adhuc, & specialius, voluptates nostræ condemnantur exemplis Martyrum; qui tot, tamque crudelibus tormentis regnum cælorum sunt assecuti. Vix dies illucescit in anni curriculo, quo Ecclesia non proponat aliquod exemplum illorum: non tam vt eorum memoria omni laude maior celebretur, quàm vt nos exemplo martyrij Sanctorum iuuemur & corroboremur. Perpende quotidie, quomodo vnus eorum ad ignem torretur; alter excoriatur, tertius in aquis submergitur, quartus ex alta rupe præcipitatur; quintus in eculeo extensus, ferreis vngulis abrasa carne, & apertis visceribus animam exhalat; sextus in partes dissectus volatilibus cæli esca obijcitur: septimus tanto telorum imbre confoditur, vt echino quàm homini sit similior: octauus in sartagine frixatur, aut ebullienti in oleo lixatur: alij denique alijs tormentis excarnificantur: considera quomodo plerique eorum nõ vno pœnarũ genere sunt cruciati, sed per omnia tormentorum genera, quæ ab humana possunt ferri natura, tandem ad mortem transierunt. Quidam enim à squalore carceris rapti sunt ad flagella; à flagellis ad cadentes carbones, à carbonibus ad vncinos; ab vncinis ad pectines ferreos, inde ad gladium, qui solus erat sufficiens ad vitam martyrum auferendam; non tamen ad fidei constantiam labefactandam. Sed quid dicam de artibus, inuentionibusq; quas ingeniosa illa crudelitas (non hominum dico, sed Dæmonum) excogitauit, ad oppugnandam fidem, spiritusq; fortitudinem tormentis corporalibus? Quidam postquam sæuissimè laniati erant, in lectum spinis & aculeis cõstratum præcipitati sunt: vt corpus extensum mille simul vulneribus lancinaretur: & vniuersalem quendam dolore, in omnibus mẽbris sentiret: vt dolorum intolerabilium æstus, cũ fide pro victoria decertaret. Alij dãnati sunt, & iussi nudis pedibus super succesos carbones ambulare. Alij caudis equorũ alligati, p stipulas, dumos, & loca aspera tracti sunt. Quidã ad rotas acutissimis nouaculis in circuitu armatas cõdẽnati sunt: vt corpora illorũ rotis impolita dum verterentur, à nouaculis in minutissimas partes concideretur. Alij extensi sunt in eculeis, & corpora eorum à capite ad calcẽ vncis ferreis sulcata nuda viscera, detractis carnibus, & costis hiantibus, palã ostenderunt. Quid dicã amplius: cũ barbara & plus quã immanis tyrãnorũ ferocitas, ne his quidẽ tormentis potuit satiari, notũ quoddã crudelitatis genus inuenit. Duas arbores annosas & excelsas summa cõtentione quibusdã instrumentis ita contraxêre, vt summitates earũ se mutuò contingerent; harum vnius vertici pedem dextrum, alteri sinistrũ Martyris alligârunt. Deinde solutis laris arbores dimiserunt, quæ ad naturalem locum reuersæ, corpus secum raptârunt, à seinuicem seiunctæ discerpserunt, & quæq; arbor suã partem secũ in aëra ferebat. In Nicomedia inter alios innumerabiles Martyres, vnus tamdiu cæsus est, quòd post flagella inter sanguine rubicũda vulnera candidæ palã apparuerit coste; flagella iamq; carnẽ frustratim auulserãt, deinde fortissimo totũ corpus aceto lauerunt, & post acetum sale plagas omnes oppleuêre. Nondũ tantis contenti cruciatibus Tyrãni, cũ Martyrẽ adhuc viuere viderent, sublatum semiuiuum corpus craticulæ imposuerunt. in quo extensum igni feruentissimo applicarunt, vncis ferreis huc illuc voluentes, donec corpore planè tosto anima sanctissima ad Dominũ migrauit. Atque hoc modo immanissimi illi homicidæ, crudelius quiddam morte; quæ tamen omnium terribilium dici solet terribilissima, excogitârunt, non enim tam occidere quærebant, quàm tot, tamque inauditis tormentis, sine vllo vulnere lethali, lenta morte, intolerabili dolorum magnitudine extinguere.

Ardor quorundam Deo inseruiendi.

Varia Martyrum certamina.

Hoc genere mortis S. Corona sublata est.

Vide Adonẽ in Martyrologio pridie iduum Maij.

Euseb. lib. 9. c. 16.

Horrendum martyrij genus.

Ifti Martyres profectò non habebant corpora nostris dissimilia, aut quæ alterius substantiæ fuerunt: caro eorum caro nostra, & complexio eorum eadem erat quæ nostra: nec habebant Deum alium adiutorẽ, præter Deum nostrum: nec aliam expectabant gloriam, quàm nos expectamus. Age igitur, si illi tam violenta morte vitam æternam sibi comparârunt, cur nos formidabimus ob eandem causam vel saltem maiã carnis nostræ desideria mortificare? Si illi fame mortui sint, cur tu diem vnum non ieiunabis? Si illi toto corpore laceri, crucifixi in orationibus perseuerârint, cur tu sanus & incolumis flexis genibus paululum in oratione non perseuerabis? Si illi tãm patientes fuerint, vt sine contradictione membra sua truncari & carnem suam laniari permiserint, cur tu non patieris, vt vel modicum appetitus & passionis tuæ circuncidantur, & mortificentur. Si illi multis annis & mensibus obscuris carceribus inclusi sederint, cur tu non vis paululùm cubiculo tuo includi? Si illi sic humeros suos flagris sulcari & lacerari non renuerint, cur tu nonnunquam tuos non castigabis?

Si hæc exempla tibi non sufficiant, leua oculos ad sanctissimum crucis lignum, & vide quis sit ille, qui in eo pendens tanta, & tam crudelia tui amore patitur. Dicit Apostolus: *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus aduersum semetipsum contradictionẽ: vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Horrendum exemplum est illud, quocunque etiam modo consideraueris. Nam si tormenta intuearis, non possunt esse maiora. Si respicias personam quæ patitur, non potest dari excellẽtior. Si causam ob quã patitur examines, nõ ob delictũ propriũ hic pẽdet, est enim ipsa innocentia: nec cõpulsus patitur necessitate, est. n. Dominus & cõditor omnium creaturarum: sed ex mera

Hebr. 12, 3.

bonitate,

bonitate,& ex mera patitur charitate. Præter hęc omnia tanta passus est tormenta, non tantum in corpore,sed & in anima,vt omnium Martyrum, omniumque qui fuerunt vnquam in hoc mundo hominum
Matth. 27. tormenta non sint cum his comparanda. Tale fuit hoc spectaculum,vt cæli obstupuerint: terra contremuerit,petræ scissæ crepuerint,& omnes creaturæ insensibiles indignitatem rei senserint. Qui itaque fieri poterit, vt homo tam sit insensibilis,& stupidus,vt nõ sentiat id quod bruta senserunt elementa? qua fronte tam erit ingratus,vt aliquantulum non studeat illum imitari, qui tanta tulit fecitque, vt nobis relinqueret exemplum? Sic enim, vt ipse Dominus affirmat, *oportebat Christum pati, & sic intrare in gloriam*
Luc. 24,46. *suam.* Etenim cùm in mundum venerit,vt cęlum non alia via quam per crucem comparandum doceret, necesse erat Dominum ipsum priùs crucifigi,vt adderetur animus militibus, videntibus Ducem suũ tam immaniter tractatum. Quis erit itaque tam impius,ingratus,superbus,& impudens, qui videns Dominum Maiestatis, cum omnibus suis amicis & electis ambulare vias tam difficiles, & ipse velit lectica ferri,& vitam in delicijs ducere? Dauid Rex Vriam, quem ex bello vocârat, iusserat ire in domum suam, cœnare, & dormire cum vxore sua: sed respondit
2. Reg. 11. bonus seruus, *Arca & Israel, & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei*
S. Bern. lib. 5. ser. de Sanctis. *super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam & per salutem animæ tuæ non faciam hanc rem.* O bonum & fidelem seruum; qui tanto dignior est laude, quanto morte indignior. Et tu Christiane, videns Dominum tuum cubantem dura super cruce, nullum habes illius respectum, nec timorem illi exhibes, nec reuerentiam? Arca Dei de lignis cedrinis incorruptibilis dolores patitur, mortemque subit amarissimam,& tu delicias quęris atque voluptates? Arca in qua erat manna (hoc est cibus Angelorum) recondita, fel & acetum gustauit amore tui,& tu appetis suaues cibos & delicatos? Arca in qua erant geminæ legis tabulæ (hoc est omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauri) illuditur & quasi stulta ridetur & tu laudari vis, atque honores ambis?

Quòd si non sufficiat exemplum huius arcæ mystice ad confundendum te, iungantur illi afflictiones seruorum Dei; qui manent super faciem terræ: hoc est. exempla,& passiones omnium Sanctorum, Prophetarum Martyrum, Confessorum, & Virginum, qui tot, tantisque cum tribulationibus magnum hoc mũdi pelagus transfretârunt. Vnde quidam eorum dicit;
Sancti ludibria & vrrbera experti sunt, insuper & vin- Hebr. 11,36.
cula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati sunt: & fideles Deo inter tot tribulationes inuenti.

Si itaque talis fuerit vita Sanctorum, imò si talis fuerit vita illius Sancti Sanctorum, nescio sanè quo titulo, priuilegio, vel immunitate existiment quidam, se per delicias & voluptates mundi posse peruenire in locum illum, vbi isti gaudent nunc, & sine fine lætantur. Quare, mi frater, si cum illis regnare desideres, disce illos imitari, disce pati molestias & vitæ huius incommoditates.

Vtilis erit tibi hæc exhortatio, vt accendaris amore illius virtutis fortitudinis, eamque tam diu quæras, donec tandem venias ad perfectionem animæ illius, de qua legitur, quòd *accinxit fortitudine lumbos suos,* Prou. 31, 17.
& roborauit brachium suum. Vt autem capitulum hoc, vna cum doctrina totius libri huius Secundi conueniat, vtar nobilissima illa Saluatoris sententia, *Omnis*
qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Luc 9,23.
crucem suam, & sequatur me. Quibus verbis cælestis ille Magister totius Euangelicæ doctrinæ summam complexus est, quæ quidem ad hoc est instituta; vt faciat hominem Euangelicum & perfectum: qui trahens hominis interioris originem è cœlo, crucem sustinet in exteriore: & cum dulcedine vnius lubens amplectitur omnes afflictiones alterius.

FINIS LIBRI SECUNDI
Ducis peccatorum.

IN SEQVENTES

DE ORATIONE ET MEDITATIONE

R.P.F. LVDOVICI GRANATENSIS LIBROS,

F. BERNARDI DE FRESNEDA EPISCOPI CVENCAE,

AD CHRISTIANVM LECTOREM VT SEDULO, cum attentione, & desiderio proficiendi in pietate eos legat,

EXHORTATIO.

COmmunis Sanctorum doctrina est, iusto tria esse necessaria, quæ & inæstimabilem fructum adferunt, & his tribus iustum in sua iustitia conseruari. Sunt autem hęc Oratio, Lectio, & bona Operatio. In his debet iustus sese quotidie exercere, atque tempus suum partiri tanta cum discretione, & zelo Christiano, vt semper horum aliquo occupetur. Oratio illuminat, purgat, consolatur, lætificat, feruorem parit, tribulationes reddit leuiores, fouet deuotionem, generat fiduciam (si spiritus noster nos non reprehendat) expellit ignauiam, terret Dæmonem, & vincit tentiones: ideoque dictum est à quodam Sapiente. Ne pigeat te orare, si à vitijs cupias liberari. Oratio vtilis est ad impetrandam gratiam, sine qua moritur vita spiritualis: iccirco & oratio præfertur lectioni. Quare & Tertullianus dicit de Oratione, semper exercendum esse, quod semper prodest. Addit idem, Si quotidie omni momento oratio hominibus necessaria, vtique & continentia, quæ orationi necessaria sit. Oratio * de conscientia procedit, si conscientia erubescit, erubescat oratio. Spiritus ducit orationem ad Deum: si spiritus reus apud se sit, conscientia erubescit, quomodo audebit orationem ducere ad altare?

Tertullian. Exhortatione ad Castitatem.

* de continentia legis autor.

Et Cassiod. *Multum prodest Christiano ad stabilitatem cordis impetrandam orationis assiduitas.* Continua namque oratio posita est, per quam ira Dei suspenditur, venia procuratur, pœna refugitur, & præmiorum largitas impetratur. Cum Deo loquitur, cum Iudice fabulatur, præsentem sibi facit, quem videre non prævalet, ad penetralia Iudicis peccator admittitur, & nullus inde respuitur, nisi qui in ea tepidus inuenitur. Oratione vincuntur Dæmones, & eorum vires franguntur; oratione iustus tentationes Dæmonum debilitat. Oratione iustus fit robustus, & victor inexpugnabilis. Si ores continuè, accipies suauitatem & maius orandi desiderium. Tunc oramus cum veritate, cum aliud nihil cogitamus, & omnes cogitationes nostrę rebus cęlestibus sunt intętæ, cùm cor nostrum igne Spiritus Sancti est inflammatum. Ipsius oratio perfecta est, cuius & causa clamat, & lingua, & actus, & sermo, & vita, & cogitatio.

Cassio. super Psalm. 50.

Tres

Tres sunt orationis effectus: Primus omnibus operibus in charitate factis communis est, nimirum quod est meritoria: & ad hunc effectum non requiritur necessario actualis intentio: sed sufficit habitualis, quemadmodum & in omnibus alijs actibus meritorijs.

Secundus effectus est orationi proprius: impetrare scilicet à Deo, quod petitur: & ad hunc effectum sufficit etiam prima intentio, vt Deus respiciat ad opus nostrum. Nam si hæc desit non impetrabit homo, quod petit: Deus enim non audit orationem illius, qui non petit, quod petendum erat: aut non in eum finem, qui bonus est.

Tertius effectus orationis est spiritualis animæ refectio, & ad hunc effectum necessariò requiritur attentio in oratione: non illa tantùm quæ occupatur circa verba materialia, neque illa, quæ circa sensum verborum est: sed illa, quæ respicit finem orationis, qui Deus est: & id propter quod quis orat.

Lectio rerum sacrarum vtilis est, & conducibilis: quæ non tantùm illuminat nostram ignorantiam, sed etiam soluit nostra debita, corrigit errores, docet bonos & sanctos mores, detegit vitia, hortatur ad virtutes, excitat feruorem, aufert timorem, colligit mentẽ, recreat & consolatur animum fastidientem, & languentem. Magni momenti est lectio rerum sacrarum, & earum materiarum, quæ animam distractam & vagantem per varias res contrahit, & colligit. Lectio monstrat & docet viam bene viuendi, Exempla inducunt & prouocant ad imitationem; Oratio impetrat gratiam ad id commodè faciendum. Bona est lectio, melior oratio, optima Operatio. Vtile est legere, vtilius orare, vtilissimum propter Deum bene operari. Ex lectione sacra fluunt bonæ de Deo meditationes, ex bonis meditationibus bonæ affectiones, & promptissimæ spiritus ad Deum eleuationes ex quibus nascitur oratio integra, & perfecta: quæ penetrat cœlos, & cupit vniri cum Deo, in quo sunt omnia bona, quæ possunt desiderari.

Et quia debilitas nostra non potest semper in oratione & lectione perseuerare, vtile est & necessarium aliquid boni agere: ita vt nunc operatio præcedat orationem, nunc oratio operationem: nunc ita coniungantur, vt qui operatur, idem & simul oret. Operari manibus præterquam quod prodest corpori, etiam conducit spiritui & ædificationi proximi, sensuumque nostrorum reparationi. Et si ignauia obrepat, si debilis fias, si exanimeris, perseuera & vinces. O quis peruenire poterit ad illam perseuerantiam Sanctorum, qui orabant sine intermissione erantq; assiduè in lectione, & in bona operatione adeo feruentes, vt nullis afflictionibus, molestijs, aut curis in his studijs potuerint impediri? Quid aliud est nobis vita Sanctorum, quam sacra lectio, sine intermissione imitanda? Qui pro amore Dei vim patitur, maiorem gratiam ab illius liberalitate percipiet, & confestim merces dabitur ipsius afflictioni. Mala consuetudo bona vincitur, & si longo vsu in naturam vertatur, fit adeo potens & robusta, vt omnia quę sunt ardua & difficilia, faciat leuia atque facillima. Omnia hæc iusto proueniunt ex assidua oratione. Ideo dicit Paulus: *Sine intermißione orate.* Sciebat nos inimicis circumdari, tentationibus impugnari, tribulationibus infestari, foris bellum, intus nobis esse timorem. 1. Thess. 5, 17

Permittit quidem Deus varias in mundo regnare afflictiones, & varias tribulationes propter peccata populi; vt ijs electi excitentur, & ad cælestia, æternaque anhelent. Qui non orat, non pugnat: & qui non pugnat, atque virili animo resistit, facile vincitur, & coronam amittit. Si me interrogaueris, quis poterit semper orare, & pugnare semper? dicam id eum posse, qui vero & humili corde inuocat Deum, vt opem ferat: & in eo sperat cum fiducia. *Dominus enim* (vt ait Dauid) *prope est inuocantibus eum in veritate.* Psal. 144, 18.

Quod si non poteris orare semper voce, face ores spiritu, mente, & pia intentione: est enim iuge sacrificium Deo in animabus nostris desiderium bene operandi, & illi seruiendi. semper orat is, qui semper agit bene, & qui ex toto corde dolet ob peccata sua, quæ commisit; quique ingemiscit, & ad bona futura toto anhelat spi-

Psalm.37,10. ritu, hic semper orat, & dicit cum Dauid: *Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.*

Hæc tria, Christiane lector, quæ diximus, iustum in sua iustitia conseruare, docent mirabili modo & ordine libri R.P.F. Lodoici Granatensis: adeò vt duro sanè animo & corde sit necesse est is, qui legens eos cum attentione, deuotione, & Christiano proficiendi desiderio, in tribus his, lectione, oratione, & bona operatione fructum non faciat. Qui enim in his tribus cupit proficere, habet hic doctrinam Catholicam, sanam, vtilem, & in omnibus cum sanctis Doctoribus & sacra scriptura conuenientem: in qua non inueniet aliquid quod offendet, aut quod scrupulum illi pariet. inueniet autem multa, quæ ædificant, delectant, docent, & ad amorem Dei, odium peccati, & mundi contemptum adducent. Quibus fructibus nemo frustrabitur. Auctor enim doctrinam sic temperat, sic omnibus hominum conditionibus & personis accommodat, vt nec sublimiores eam contemnant, tanquam humilem: nec humiliores ab ea abhorreant tanquam nimis sublimem: tam enim his, quam illis sic eam accommodauit, vt vtrique hic cibum inueniant suo palato gratum & conuenientem. Et quia non ignorabat Auctor, quam diuersa sint hominum huius ætatis palata, & quàm gustus eorum varij, quantoque magis appetunt cibos Aegypti, quam panem Angelorum: hoc est, quanto magis afficiuntur lectione librorum profanorum, eo quod stylus ipsis videatur esse dulcior, quam lectione doctrinæ spiritualis, quæ simpliciori fere stylo tradi consueuit, tanta arte & ingenio cibum hunc condiuit, & tam dulci, gratoque stylo conscripsit hos libros, vt etiam ijs, qui sine gustu sunt, appetitus edendi excitetur, præterquam quod res ipsæ, quę traduntur hic, selectissimæ sunt & vtilissimæ.

Quia vero iniquum, & inciuile erit, gratias agere ipsis apibus, qui dulce mel conficiunt, & non Deo, qui flores creat, vnde legunt quod in aluearibus operantur: placuit omnes exhortari. vt sic agamus gratias Auctori huius operis tam dulcis, & delicati, ne obliuiscamur illius, qui dedit flores, vnde opus hoc compositum est. sic enim futurum spero, quod diuina gratia eam in omnibus horum libellorum lectoribus operabitur dispositionem, vt in posterum ea cum præparatione, intentione, puritate, & feruore suam instituant orationem, quem sancta hæc lectio docet, & in omnibus requirit.

F.B. Episc. de Cuencæ

REVE-

REVERENDIS DOMINIS,
DOMINO ANTONIO
DE CORDVBA, ET PATRI
F. LAVRENTIO DE FIGVEROA
FRATER LVDOVICVS GRANATENSIS.

NON inueni locum, vbi reponerem exiguum hoc opusculum, manibus vestris, Reuerendi Domini, commodiorem. Vt enim omittam plurimas rationes, quibus me vobis deuinctũ habetis, sufficit vna vitæ vestræ mutatio, quam Reuerentiæ vestræ nuper sunt auspicatæ, & exemplũ quod toti mundo dedistis, vt omnes, qui tam tepidè desideramus gloriã Christi, hodie seruiamus his, qui tam magnificè gloriam illius amplificarunt. Possem quidem in eo esse copiosior, & quidẽ sine mendacio vel adulatione. possem dicere, non tempus hoc impartiri laudibus humanis, sed diuinis: manifestum enim est, hanc mutationem esse non carnis, vel sanguinis, sed dexteræ Excelsi. Verùm cùm nos, qui habitum hunc gerimus, longissimè oporteat abesse, non tantùm ab omni adulatione, sed etiam ab omni adulationis suspicione: ideò satis erit mihi, Deo tantùm gratias agere, & confiteri, nos in diebus nostris vidisse magnum illud miraculum, quod D. Hieron. in epist. quadam scribit, suis temporibus accidisse. Bonosus, ait, tuus, imò meus, & vt verius dicam noster, scalam præsagatam Iacob somniante iam scandit: portat crucem suam, nec de crastino cogitat: nec post tergum respicit. Seminat in lachrymis, vt in gaudio metat, & sacramento Moysi serpentem in eremo suspendit. Cedant huic veritati tam Græco, quam Romano stylo mendacys ficta miracula. Ecce puer honestis seculi nobiscum artibus institutus, cui opes affatim, dignitas apprimè inter æquales erat, contempta Matre, sororibus & chariſsimo sibi germano, insula pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes, & nuda saxa, & solitudo terrori est, quasi quidam nouus Paradisi colonus incedit. Nullus ibi agricolarum, nullus monachorum, ne paruulus quidem, quem nosti, Onesimus, quo velut fratre in osculo fruebatur, in tanta vastitate adhæret lateri comes: solus ibi, immo iam Christo comitante, non solus, videt gloriam Dei, quam etiam Apostoli nisi in deserto non viderunt. Hæc est causa laudandi Deum, tanquam in singulari opere gratiæ suæ, nec minus & in vestris Reuerentijs laudandus est, qui multo plura reliquistis in mundo, quàm ille Bonosus in medio adolescentiæ vestræ, vnum post aliud in mundo reiecistis, magnificentiam status vestri, fauores populi, spem quæ nobilitati & virtuti vestræ debebatur, meritaque familiæ vestræ, vt paupertatem & obedientiam Christi amplecteremini. Non feciſtis sicut adolescens ille Euangelicus, qui videns opulentum, quod possidebat patrimonium, nolebat viam perfectionis ingredi, quam Christus illi monstrabat: sed feciſtis idem, quod prudens ille mercator, qui inuenta vna margarita pretiosa, vendidit omnia quæ habebat, & emit illam. Et si huic mutationi addamus, quod illustrissimus Dux Candiæ nostris temporibus fecit, quinetiam quod & alij plures facere non erubuerunt, quorum etiam hic nomina recensere potuissem, videri posset manifestè, multo dulciorem esse viam Christi, illa, quàm mundus tantopere miratur & adorat. cùm etiam illi, qui tanto tempore vtriusque consuetudine vsi sunt, tam prompto animo renuntient omnibus, quæ mundus dat & promittit, vt recipiant exiguam portiunculam Christi Saluatoris; dicentes cum Sponsa in Cant. Si homo dederit omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Hier. epist. 41. ad Rusticum.

Matth. 19.

Matth. 13.

Cant. 8, 7.

AEquum igitur est, vt seruiant omnes his, qui seruiunt huic Domino, ideóque visum mihi fuit, licet merito maiori munere, vel officio vobis gratificare debeam, saltem id facere cum exiguo hoc volumine, in quo de Oratione tractatur: vt illius ope vel paululum promoueantur Reuerentiarum vestrarum exercitia, quæ & per hoc opusculum, & sine illo (vti spero) semper prosperabuntur, & quotidie fient perfectiora. Porro licet debitum sit quod ago, nihilominus & ego vicissim gratiam à vestris Reuerentijs precor; nimirum vt supplicetis Domino nostro, vt opusculum hoc gratum sit, & fructus eorum qui legent æquentur laboribus eius qui conscripsit, eiusque voluntati qui vobis offert illud.

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS, DE ORATIONE ET MEDITATIONE, LIBRI PRIMI,

INTERPRETE MICHAELE AB ISSELT,

PROEMIVM.

ORATIO propriè loquendo est petitio, quæ fit Deo, earum rerum, quæ ad nostram salutem pertinent. Sed si orationem accipias in alia significatione latiori, est quæcunque eleuatio mentis ad Deum. & secundum hanc significationem meditatio, contemplatio, & quælibet pia cogitatio, dicetur oratio. In hac significatione nos in præsenti opusculo hac voce vtimur primaria namque huius tractatus materia est meditatio, & rerum diuinarum præcipuarumque fidei nostræ mysteriorum consideratio.

Quod autem me ad hæc tractanda mouit, id potissimum est; quia non ignorabam præcipuam causam omnium malorum, quæ in mundo sunt, esse considerationis raritatem, seu defectum; id quod Propheta Ieremias testatur, cùm dicit: *Desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde* ea quæ Dei sunt. Ierem. 12, 11

Ex quo liquet causam malorum nostrorum non tam esse defectum fidei, quàm considerationis mysteriorum, quæ fides dictitat. si enim considerationes non deficerent, haberent eam efficaciam & virtutem, vt vel minima earum, quæ cum attentione & deuotione fit, vitam nostram refrenare posset, atque in ordinem redigere. Quis enim vel manus, vel animum habere poterit ad peccandum, qui diligenter considerat, & meditatur, Deum propter peccatum esse mortuum; quodque illud tam perpetuo cæli exilio, quàm æternis gehennæ pœnis vindicat? Videmus igitur, etsi mysteria fidei nostræ sint ad permouendos animos efficacissima, non tamen operari in pluribus id quod possent, eò quod homines non considerant, nec meditantur id quod credunt. Etenim pharmacum (vt dicunt medici) antequam operetur, necesse est prius concoquatur, & digeratur in stomacho, vi caloris naturalis: alioquin enim nihil proderit. sic & mysteria fidei nostræ, vt sint nobis efficacia, & salutifera, oportet vt prius actualiter digerantur, in cordibus nostris, calore Deuotionis & Meditationis: quod nisi fiat, parum aut nihil nobis proderunt. Quia verò hoc in paucis fieri videmus, infiniti reperiuntur Christiani in fide sincerissimi, in vita nihilominus dissolutissimi: non enim meditantur id, quod credunt. Habent enim fidem tanquam gladium in vagina, & tanquam medicamentum in pixide, non vtentes illo ad eum finem, in quem compositum est. Credunt itaque clausis oculis, id quod credit Ecclesia: credunt fore iudicium, pœnas, & gloriam pro bonis & malis: sed quot homines mihi dabis, qui cogitant quomodo iudicium illud fiet? qualis & quanta erit illa malorum pœna, seu beatorum gloria?

Hanc ob causam sacra Scriptura toties, & tot in locis commendat assiduam considerationem & meditationem legis diuinæ, eiusque mysteriorum: quod sanè studium est veræ sapientiæ. Audi quanta cum instantia vrget illam magnus ille Dei amicus & Propheta Moyses, cùm ait: *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua; eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostijs domus tuæ.* Deut. 6, 6.

Quibus efficacioribus verbis hanc continuam legis & diuinarum rerum meditationem Propheta potuisset commendare? Nihilominus idem quoque exercitium commendat Salomon in Prouerbijs, vbi præcipit, vt legem Domini circundemus gutturi nostro, & describamus in cordibus nostris cùm ambulauerimus nobiscum gradiatur, cùm dormierimus custodiat nos, & euigilantes loquamur cum ea. Felix ille qui facit hoc: & talis habetur ab Ecclesiastico, qui ait; *Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circunspectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi inuestigator, & in vijs illius consistens: qui respicit per fenestras illius, & in parietibus illius figens palum. statuet casulam suam ea manus illius.* Quid sibi hæc omnia volunt, nisi vt Spiritus sanctus per has metaphoras nobis commendet continuum exercitium, & perpetuam Considerationem, qua iustus semper debet examinare opera Dei, eiusque mirabilia? Quare & inter laudes hominis iusti, ponitur hæc inter primas, in lege Domini die ac nocte meditari: sicut & is laudatur in cuius sensu est cogitatus Dei: quibus verbis significatur omnem curam iusti esse oportere, vt inuestiget in omni sua conuersatione secreta Dei, eiusque mirabilia meditetur: quam ob causam tot oculos habebant mystica illa Ezechielis animalia, vt insinuaretur homini iusto non minus necessariam esse continuam considerationem & contemplationem rerum spiritualium, quam alia quæuis exercitia. Prou 6, 21. Eccl. 14, 22. Psalm 1, 2. Eccl. 9, 23. Ezech. 1.

Hæc omnia manifestè satis testantur, quàm necessarium nobis est hoc exercitium; & per consequens, quàm nullo nituntur fundamento, qui aut aspernantur, aut exiguo in pretio habent exercitium orationis & meditationis. cùm non videant illud esse, quasi manifestè contradi-

tradicere Spiritui sancto, & negare illud, quod ipse tanta cum energia verborum affirmat. Legant illi quinque libros de Consideratione, quos olim D. Bernardus ad Papam Eugenium scripsit, & ex ijs intelligent, quanti momenti & ponderis est hoc exercitium ad omnia bona impetranda.

Hanc ob causam multi Catholici & Religiosi non ignorantes maximos fructus ex pia meditatione decerpi, id studiosè agunt, vt certis horis ad meditandum statutis, sese in illa exerceant: qui tamen nonnunquam tepescunt, & ab hoc opere sancto desistunt, ob duas potissimum difficultates, quas in illo offendunt. Vna est, defectus materiæ & considerationum, quibus eorum sensus illo tempore possent occupari. Alia est defectus caloris & deuotionis, quæ necessariò requiritur in hoc sancto exercitio, vt sit vtile & fructuosum. cuius loco sæpe inuenitur siccitas cordis, & magna cogitationum concertatio. Ad tollendas igitur has duas difficultates, libellos hos conscripsimus, qui ob hanc causam in duas partes principales sunt distributi. In priori agitur de remedio prioris difficultatis, scilicet de subiecto orationis, & meditationis, in qua ponuntur quatuordecim meditationes, per singulas septimanæ dies, manè & vesperi diuisæ: quæ de primarijs fidei nostræ mysterijs, & locis agunt, potissimum autem de ijs, quarum considerationes sunt ad refrenanda, atque ad inclinanda corda nostra, ad amorem & timorem Dei, necnon & ad peccati odium efficaciores. Agitur & in hoc priori sectione, de quinque partibus huius exercitij, quæ sunt præparatio, lectio, meditatio, gratiarum actio, petitio. vt homo habeat optatam rerum varietatem, qua cor occupetur, & sensus deuotionis excitetur: intellectusque illuminetur, & diuersis considerationibus atque doctrinis eruditur. Præterea & in eadem hac parte traduntur sex potissimum rerum species, in singulis articulis passionis Domini meditandæ, vt exercitium illud tanto sit copiosius.

In secunda parte pro remedio secundæ difficultatis ea tractamur, quæ iuuant & impediunt deuotionem: deque communibus quibusdam tentationibus agitur, quæ deuotos homines solent infestare. sed & quædam documenta ponuntur, ne quis facilè in hac via labatur, aut erret. Hæc quatuor aguntur in secunda parte.

Post partes duas ponitur & tertia, in qua differitur de virtute orationis, deque duabus eius comitibus ieiunio & eleemosyna, vt cùm toto libro agatur de oratione, deque difficultate illius, hinc intelligat homo, quàm bene collocatur labor is, qui tanto bono acquirendo impenditur.

Posset fortassis Lector Christianus offendi harum meditationum, quæ paulò post ponuntur, prolixitate: sed ea multis rationibus potest excusari. Prima est: quemadmodum in ijs tractantur primaria loca, & fidei nostræ mysteria, quorum consideratio vtilis est ad vitæ nostræ correctionem: sic etiam debent ea pro sua magnitudine tractari, & debitis modis exaggerari, vt ex ijs fructus aliquis sequatur. Non enim illud solùm his intendimus, vt habeat Lector materiam meditandi; sed etiam (quod multo plus est) vt finis meditandi, qui est timor Dei, & emendatio vitæ, subsequatur. est enim longa & profunda meditatio eorum, quæ hic tractantur, ad duo illa vtilissima. Sunt enim quatuordecim illæ meditationes totidem conciones, quibus humanum cor oppugnatur, & ad deditionem compellitur, vt se (quantum fieri potest) totum legitimo suo Domino reddat.

Hæc est prima huius prolixitatis (si sic appellanda sit) ratio. præter hanc non video cur queri debeat conuiua, si accumbere iubeatur, vbi mensa dapibus est plena cùm tamen non vrgeatur ad omnes dapes eas absumendas: sed liberum illi relinquatur, ex omnibus eligere, quid, & quantum placet. Sed & insuper vt minor esset conquerendi occasio, statim in initio singularum meditationum summam earum posuimus, vt ille, qui vlterius progredi non vult, habeat hic obiter, quod illa hora ad suæ meditationis propositum faciat.

DE

DE ORATIONE ET MEDITATIONE,

LIBER PRIMVS.

IN QVO DE VTILITATE, MODOQVE MEDITANDI agitur: & septem meditationes matutinæ, totidemque vespertinæ, singulæ singulis septimanæ diebus assignatæ, traduntur.

DE VTILITATE ET NECESSITATE CONSIDERATIONIS seu meditationis. CAPVT I.

CVM exercitium considerationis vel meditationis sine labore & molestia fieri nequeat, cùm ob occupationes temporis, quæ omni die requiruntur: tum etiam propter tranquillitatem, & compositionem cordis, quam exercitium hoc postulat: operæpretium me facturum existimo, si ante omnia fructus enumerauero, qui ex diuino hoc exercitio eruuntur: vt humanum cor, quod sine magnis promissionibus difficulter ad labores capescendos potest permoueri, alacrius sese ad hoc exercitium accingat. Maxima autem gloria, quæ ad laudum virtutis huius cumulum accedit, est, quod maximum præbet auxilium in omnibus alijs virtutibus exercendis adeò vt quemadmodum Deuotio stimulus est, & generale calcar, vel incentiuum, ad alias virtutes omnes (vt ait B. Thomas) & sicut audire concionem, si debita cum attentione, deuotioneque audiatur, exercitium est, quod non ad vnam tantùm mouet virtutem, sed ad omnia virtutum genera simul (ad hoc enim omnis doctrina pia instituitur) sic Consideratio vel Meditatio summum præbet auxilium, non ad vnam solam, sed ad virtutes vniuersas. Nihil enim inter Concionem & Considerationem interest aliud, quàm inter lectionem, & ipsius lectionis meditationem: aut inter cibum in lance propositum, & eundem in stomacho coctum. Hæc est secura, & nequaquam minima gloria, quæ tribui potest huic virtuti: etenim hoc modo non reijcitur labor aliarum virtutum, sed datur auxilium in isto labore, & ad laborandum vires animumque addit. Atque hoc est, quod hic diuina fauente gratia luculentis rationibus ostendere proposuimus.

S. Thom. 2. 2. quæst. 82. artic. 3.

Meditatio vtilis ad omnes virtutes.

Simile.

Vt autem facilior sit eorum, quæ dicturi sumus, intelligentia; sciendum est inter virtutes multas esse Christiano cum Philosophis gentilibus communes, vt sunt quatuor, quas cardinales vocant, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia; de quibus Philosophi multa scripserunt: præclara quoque actionum specimina in illis ediderunt: nonnullas verò Christiano, vt Christiano, proprias: ita vt de ijs Philosophi nihil didicerint, nihil sciuerint, nihil scripserint, vt sunt inter alias tres illę nobilissimæ virtutes Fides, Spes, & Charitas: quæ Deum habent obiectum, & hominem ad Deum dirigunt. quæ imperium habent in omnes alias virtutes inferiores, easque incitant ad suas operationes. Has sequuntur multæ aliæ excellentissimæ, primariæque virtutes, præcedentibus affines; vt virtus, quam appellamus Religionem, cuius obiectum est cultus diuinus; & Deuotio, quæ actus est Religionis, quæque facit hominem expeditum & promptum in omnibus rebus, quæ ad diuinum cultum pertinent: Timor Dei, quæ ab omni malo nos reuocat: Humilitas, quæ fundamentum est & radix omnium virtutum: vt ait D. Thom. Pœnitentia, quæ est porta salutis, ad quam pertinet dolor peccati antea commissi, propositumque emendationis, & in posterum non peccandi. De omnibus his virtutibus, aut nihil, aut valdè parum habuerunt Philosophi: sunt autem tales, quæ habent potestatem, & imperium super omnes virtutes alias, quæque radices sunt, & fontes totius boni: tum quia ferè omnes sunt spirituales, quarum finis perfectionis est intus in anima (*omnis enim gloria filiæ Regis ab intus est*) licet ex affectu prodeunt, tum etiam, quia omnes, vna fide excepta, sunt affectiuæ: ideoque maximi stimuli atque incentiua ad bene operandum, quia in repulcherrimè diuinæ gratiæ elucescit prudentia. Etenim quemadmodum natura dedit nobis affectus, & desideria naturalia, quæ quasi calcaria sunt, nos ad id faciendum stimulantia, quod ad vitam naturalem tuendam est necessarium: sic & gratia confert nobis alios affectus supernaturales, qui quasi stimuli sunt, atque incentiua ad vitam spiritualem. Sunt autem virtutes hæ, quas vocamus amorem, dolorem, timorem, spem, aliæque plures: sine quibus vita spiritualis esset, quasi scapha sine remis, aut nauis sine velis. non enim haberet quo moueretur ad bene operandum.

Virtutes Christianis communes.

S. Thom. 2. 2. quæst. 161. artic. 5.

Pſal. 44. 14.

Simile.

Multæ virtutes Christianis cum Ethnicis cõmunes.

S. Thom. 2. 2. quæst. 161 artic. 1.

Præterea plura nobis in hac vita necessaria sunt, quam in futura. Cùm enim via virtutis aspera sit & difficilis, quomodo nobiscum ageretur, si non haberemus hunc stimulum amoris, timoris, spei, quæ pungunt nos semper, & ad progrediendum vlterius incitant.

citant. Hanc ob causam adeò laudantur virtutes istæ: quia scilicet principales sunt, vt dictum est, cum tanti stimuli sint ad bene operandum. Præsuppositò hoc fundamento, dico, summam laudem quæ tribui potest Considerationi hanc esse nimirum quod gratia quædam est, ministra, & adiutrix omnium aliarum virtutum, iuxta id, quod nunc declarabimus, ex quo etiam manifestum erit, id, propter quod hæc virtus adeò laudatur, non tam in illa ipsa esse, quàm in ministerio & vtilitate, quam ex ea percipiunt alij.

Consideratio excitat & iuuitat Fidem.

Officia Fidei. Incipientes à fide, dicimus, hanc esse principium & fundamentum totius vitæ Christianæ. Fides enim facit, vt credamus Deum esse Creatorem, Gubernatorem, Redemptorem, Sanctificatorem, Glorificatorem: Principium denique & Finem nostrum vltimum. Ipsa est quæ docet post hanc vitam esse vitam aliam, Iudiciumque vniuersale omnium nostrorum operum: pœnam quoque & gloriam æternam, pro bonis & malis. Et sanè, constat Fidem hanc & credulitatem harum rerum hominum corda refrænare, & facere, vt in diuino timore viuant. Nisi enim hoc medium datum esset nobis, quid fieret de vita hominis? Rom 1. Habac. 2, 4. ideò dictum est à Propheta, iustum in fide viuere. non quod ipsa sufficit vitam dare; sed quia per meditationem & considerationem earum rerum, quæ fides nostra docet, prouocat nos ad vitanda mala, & bona appetenda. Propterea & Apostolus iubet nos sumere Ephes. 6, 16. scutum fidei, *in quo possitis*, ait, *omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Non enim habemus scutum aptius contra tela peccati, quàm semper meminisse, quid fides contra peccatum reuelauit.

Meditanda quæ Fides docet. Vt autem Fides hoc in nobis operetur, necesse est, vt aliquoties nos componamus ad cogitandum & considerandum cum attentione quid fides dictat. Si enim non fecerimus hoc, arbitrabimur Fidem esse occlusas, obsignatasque literas; quæ etsi contineant res maximè lætas, aut tristes, tamen neque Simile. ad lætitiam mouent, neque ad dolorem: non aliter atque si eas non recepissemus, non enim aperuimus, neque legimus, quid in illis scriptum est. Et quid potest magis appositè dici de Fide malorum? Non enim potest quicquam esse terribilius, aut lætius ijs rebus, de quibus agit Fides Christianorum: mali tamen quemadmodum nunquam aperiunt hanc epistolam, vt videant quid in illa contineatur (hoc est, nunquam recordantur huius Mysterij, sed in vitia ruunt cum impetu) ita etiam non sentiunt hos motus & alterationes, quæ fides in alijs operatur. Oportet igitur has literas aliquando examinemus, easque legamus diligenter, videamusque cum attentione, quid in illis doceatur. quæ omnia fiunt mediante officio Considerationis. Ipsa enim est, quæ recludit, quod erat obsignatum: quæ explicat recondita & declarat obscura: atque ita illustrando intellectum nostrum magnitudine mysteriorum inclinat nostram voluntatem (quantum in se est) vt secundum normam eorum viuamus. Officium hoc Deus voluit in lege veteri præfigurare, cum inter conditiones animalium mundorum, hanc etiam posuit; ni- Leuit. 11. Deut. 14. mirum, Ruminare. non quod Deo tanta cura est de bestijs: sed in hoc voluit insinuare conditionem, & officium animalium spiritualium mundorum: hoc est, iustorum. quibus non satis est edisse res diuinas, credendo eas per Fidem: sed & postea per considerationem easdem ruminare debent, recogitantes mysteria, quæ credunt: discutientes eorum magnitudinem, & diffundentes confestim cibum hunc per omnia membra animæ spiritualia, vt sit alimentum & reparatio illius.

Simile. Quapropter negotium hoc bene perpendentes, inueniemus, quod, quomodo granum seminis alicuius arboris, arborem ipsam (licet potentia) in se quidem continet: requirit tamen virtutes, & influentias cælestes, terræque beneficium, vt foras prodeat, quod intus erat absconditum: paulatimque in arborem excrescat: ita dicimus, licet Fides sit prima se- *Fides per meditationem operatur.* mentis, & origo bonorum nostrorum omnium: semper tamen eget Considerationis huius beneficio: atque ita per illam, mediante charitate, prodit actu arbor viridis, & bonæ vitæ fertilis, quæ in illa per potentiam continebatur.

Consideratio corroborat Spem.

Nec minus iuuat Consideratio Spem, quæ est affectus nostræ voluntatis, habens motum & fundamentum suum in intellectu, vt apertè docet Apostolus, dicens; *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctri-* Rom. 15, 4. *nam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Est enim scriptura fons, *Scripturæ sacra fons nostræ spei.* vnde iustus accipit aquam refrigerij, qua confirmatur ad sperandum in Deum: Vides enim in illa magnitudinem meritorum Christi, qui est caput, & fundamentum nostræ spei. Vides in mille illius locis expressam, magnitudinem bonitatis & suauitatis Dei, prouidentiam qua suos obseruat, eius benignitatem, qua illos recipit, qui ei appropinquant: eius verba & pignora, quæ dedit illis, non defuturum se his, qui spem suam in eo habent repositam. Vides nihil crebrius in Psalmis repetitum, in Prophetis promissum, in historijs ab initio mundi narratum, præter fauores, blanditias, & beneficia, quibus Deus semper in suos vsus est: quomodo adiuuit eos in omnibus suis tribulationibus, & angustijs: quomodo adfuit Abrahamo in omnibus vijs eius: Iacobo in suis periculis: Iosepho in exilio: Dauidi in suis persecutionibus: Iobo in infirmitatibus: Tobiæ in cæcitate: Iudith in illustri illius facto: Hester in suis precibus, & Machabæis in suis bellis & triumphis: quomodo denique omnibus patrocinatus est, qui humiliter, cordeque religioso & sincero diuinam opem suam implorarunt. Hæc, aliaque huiusmodi plura, animum nobis addunt, ne defatigemur in illo sperando.

Consideratio quomodo ministri spei. Sed quid facit hic consideratio? accipit ea medicinam hanc, & manibus suis illam applicat membro infirmiori, magisque affecto, cui potissimum opus est, hoc est, reducit ad memoriam, ruminatque, & trutinando penticulatur amplitudinem magni illius pignoris, & misericordiæ Dei. atque ita roboratur anima, ne deficiat: sed tantùm spem suam constituat in Deum, Dominum illum, qui nunquam deest his, qui ex toto corde se illi commendant, & ad eum recurrunt. Vides igitur quomodo Consideratio est ministra spei: quomodo famulatur illi, atque omnibus rebus anteponitur, quæ aliquo modo fortitudinem possint addere. Sed qui nihil horum considerat, nec oculos aperit ad videndum aliquid eorum, quæ dicta sunt, quo corroborabitur? quid animum addet huic virtuti, vt prævaleat in suis tribulationibus?

Consideratio inflammat Charitatem.

Laus Charitatis. Post Spem sequitur Charitas, cuius gloria paticis verbis non potest explicari: est enim virtutum omnium excellentissima, tam Theologicarum, quàm Cardinalium. Hæc enim est anima, vitaque omnium: hæc est perfectio legis. dicit enim Apostolus, *qui diligit, legem impleuit.* Hæc est, quæ iugum Do- Rom. 13, 8. mini facit suaue, & onus eius leue. Hæc est mensura, qua mensurabitur portio gloriæ, quæ cuique dabitur. Hæc est illa, quæ Deo est gratissima, & qua mediante quidquid Deo gratum est placet. sine illa enim nec Fides, nec Prophetia, nec Martyrium illi accepta sunt. Hæc denique est fons & origo omnium aliarum virtutum, ratione imperij, & dominij, quo regit illas,

& cui-

& cuique officium suum facere præcipit: confirmante Apostolo, qui ait: *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1.Cor.13.4.

Voluntas sine intellectu cæca.

Ad consequendam igitur tam pretiosam margaritam, omnes licet virtutes, & bona opera iuuent, magis tamen proprie conducit Meditatio. Verum enim est, voluntatem nostram esse potentiam cæcam, quæ ne pedem mouere potest, nisi intellectus illi vsum subministret: illuminans illam, docensque id, quod quærendum est. Certum etiam est, quod, vt Aristoteles dicit, bonum quidem per se est amabile, sed vnusquisque amat bonum proprium. Igitur vt voluntas nostra inclinetur ad amandum Deum, vtile est, vt intellectus illam præcedat, declarando, & ponderando, quam amabilis sit Deus in se, quam bonus erga nos. Neminem enim latere puto, quanta est magnitudo bonitatis, dulcedinis, mansuetudinis, liberalitatis, & nobilitatis, omniumque illius aliarum perfectionum, quæ sunt innumerabiles. Deinde quam pius est erga nos, quàm tenere nos amat: quid non fecit? quid non tulit à natiuitate, vsque ad Crucem pro nobis? quanta bona nobis præparauit ab initio? quanta confert in præsenti? quanta dabit in futuro? A quantis malis nos liberauit? quanta cum patientia nos expectauit? quàm benigniter nobiscum fecit, cum omnibus beneficijs suis, quæ sunt innumerabilia? Considerando igitur, meditandoque diligenter, & se in harum rerum consideratione exercendo, paulatim sentiet homo cor suum accendi amore illius Domini. Etenim si etiam bestiæ diligant suos bene factores, & si id, quod donatur (vt Hispani dicunt) petram frangat, & si (vt Philosophus quidam dicebat) is qui beneficium accipit, vinculum inueniat, quo cor eius ligatur: quis adeo duro & immani corde erit, qui considerans immensitatem, & incredibilem magnitudinem omnium istorum beneficiorum, tanti benefactoris amore non accendatur? Aristot. 1. Rhet. c.7.

Adde quod homo considerans hæc omnia, faciensque ex parte sua diuina adiutus gratia, quod facere debet, Deus etiam operabitur ex parte sua: hoc est, mouebit mouentem se, iuuabit iuuantem se: illustrans nostras considerationes lumine sui Spiritus, & dono intellectus: qui quo magis penetrat, & intelligit omnes amoris rationes, eo magis accenditur ad amorem. Quemadmodum enim lux illa æterna, & Verbum Patris, non est verbum sterile, sed fœcundum, quod simul cum Patre producit Spiritum sanctum qui est Amor, consubstantialis: sic & lux hæc & verbum Dei in cordibus nostris accendit, & inspirat, excitatque affectum hunc charitatis.

Verbum Patris non est sterile.

Charitas ex prijs actibus potissimum crescit, quo vna est meditatio.

Probatur hoc alijs adhuc rationibus. Negare nemo potest, quin quamuis virtus illa crescit, aliarum virtutum, in gratia factarum actibus: particulariter tamen proprijs suis actibus crescit, cùm ij ceteris potentiores sunt & feruentiores, vt ait beatus Thomas. Quemadmodum enim vsu bene scribendi, & diligentia aliquis fit bonus scriptor; & pingendo quis pictor; & fabricando faber: sic & amando, amator quis efficitur. hoc est, quemadmodum vsus scribendi bene facit scriptorem: sic vsus, exercitium, & continuatio multum amandi Deum (quod fere fit meditatione) facit, vt quis fiat insignis Dei amator. Ponamus enim casum, & dicamus hanc aptitudinem & virtutem cælestem esse donum Dei, & rem, quam ipse infundit, & operatur in animabus nostris: semper tamen auget illam per hoc medium, volens, vt tam virtus infusa, quàm acquisita crescant exercitio suorum actuum: licet in differenti materia. Ex quo concluditur, vt quanto quis plus multiplicatur in illo amoris opere, & quanto plus in illa virtute exercetur, quanto diutius in illo amoris actu durat & perseuerat, tanto etiam altius radicabitur, & fundabitur in hoc cælesti dono. Thom.2.2. quæst. 24. artic. 6.

Hæc autem omnia quomodo fieri poterunt, sine officio Considerationis vel Meditationis? & quomodo poterit voluntas in amore perseuerare, si intellectus eam iugiter non incitet, ei non affl et, causasque amandi non explicet? Quemadmodum cùm equi duo eandem bigam trahunt, vnus sine altero procedere non potest: sic duæ potentiæ adeo inter se sunt connexæ, & coniunctæ, vt plerunque vna sine altera nequeat operari, saltem voluntas non sine intellectu. Videetiam quàm intimum & amicum est officium Meditationis Amori Dei: posse. quam raro, aut nunquam homo queat actu amare, nisi simul & meditetur; aut iam ante consideauerit, quod mouet illum ad hunc amorem.

Voluntas sine intellectu non potest operari.

Nec modò vt crescat hæc virtus, sed vt conseruetur etiam, necesse est, vt non desit consideratio, hoc est, vt non extinguatur inter tot aduersitates, contradictiones & scandala, quæ in hoc mundo occurrunt. Videmus pisces in littus proiectos extra aquam, per quàm citissimè mori; vna aquæ guttula, quæ à suo flumine est separata, subito siccatur; & ignis extra suam regionem confestim extinguitur, nisi sit, qui illum iniectis lignis nutriat; quibus conseruatur: sic & necesse est, vt ignis Charitatis conseruetur in hac vita, vbi extra suum locum est, & peregrinus, lignis nutriatur: ligna verò quibus nutritur, sunt considerationes beneficiorum Dei, & perfectionum illius. Etenim quælibet harum rerum bene considerata, est quasi lignum, vel fax, quæ succendit corda nostra igne amoris diuini. Ideo necesse est, vt ignem hunc sæpius nutriamus istis lignis, donec amplius non deficiat in nobis flamma ista diuina, vti Deus significat in veteri lege, cùm dicit; *Ignis autem in altari* (hoc est in cordibus iustorum) *semper ardebit*. Studeat proinde homo pius quotidie, tempore matutino, sese his lignis, hoc est, harum rerum consideratione nutrire; vt sic semper conseruetur. Sic dicitur in Psalmis: *In meditationibus meis exardescet ignis*, scilicet Charitatis. *Charitas meditatione conseruatur.* Similium inductio. *Charitas hoc mundo extra suam regionē eli.* Leu.6,12. Psalm.38.4.

Eadem quoque necessitas probatur alia ratione. Videmus enim omnes facilitates & gratias, tam naturales, quàm infusas, vti vsu & exercitio earundem crescunt, ita etiam neglecto exercitio decrescere. Idque videmus in rebus multum naturalibus, & vsitatis. Quid enim vsitatius lingua, qua cum homo nascitur, qua cum lactando nutritur? & tamen officij illius obliuiscitur, si non vtatur. Quid de lingua dico? Cùm homo infirmus quatuor aut quinque mensibus secto affixus decubuit, cùm postea conualescit, & surgit, vix ire nouit: cùm tamen ipsum ire homini tam sit naturale & vsitatum. Si itaque facilitates & habitus tam naturales, & tam vsitati, tam magnum patiantur detrimentum si non vsurpentur: quid facient supernaturales, si negligantur, & non continuo vsu excitentur? Ad harum numerum si Charitas, & omnes virtutes infusæ pertineant, quid fiet de nobis, nisi in illis exerceamur? Si ob hanc causam perdantur naturalia, supernaturalia quomodo poterunt conseruari? & si amittatur, quod in ipsis visceribus nostris insculptum est, quid fiet de illo, quod vix acicula hæret affixum? *Omnia etiã naturalia nisi exerceatur deficiunt.*

Præterea, si verum sit omnes amicitias conseruari & crescere conuersatione, decrescere verò illa deficiente, vt dicit Aristoteles: quid fiet de his, qui nulla cum Deo vtuntur familiaritate, seu conuersatione? qui non fabulantur cum eo, nec Deus cum illis: nec cogitant de illo, nec tractant cum illo suã negotia? Vi- Arist. 1. Ethic.

tia. Vides itaque mi frater, quàm vtile sit officium Considerationis, & conuersationis cum Deo, ad conseruandam, & augendam Charitatis virtutem.

Consideratio conducit ad generandam Deuotionem.

Deuotio quid sit.

Consideratio, seu meditatio non minus quàm præcedentibus conducit etiam ijs virtutibus, quas affectiuas appellant: de quibus nunc dicemus. Harum virtutum primaria est Deuotio, quæ est habitus, & donum cœleste, voluntatem nostram flectens, & inclinans ad magno animo & desiderio appetendum omne id, quod ad cultum diuinum pertinet: estque vna earum virtutum, quibus homini maximè opus est in hoc statu naturæ corruptæ. Experimur enim quotidie homines, non tam peccare ob defectum intellectus, quàm ob defectum voluntatis: hoc est, non adeo pronos esse ad peccandum ob ignorantiam boni, quàm ob difficultatem illius, quæ difficultas non nascitur ex natura virtutis (quæ in se est suauissima, & valde conformis humanæ naturæ) sed ex corruptione hominis. Cùm itaque illud sit summum impedimentum, quod nobis in via virtutis obsistit, primaria quoque cura nostra debet esse, vt remedium isti malo quæramus. Est autem vna earum rerum, quæ maximè nos hic iuuant, Deuotio. Deuotio namque aliud nihil est, quàm refrigerium cæleste, & afflatus quidam Spiritus sancti, qui omnem illam difficultatem tollit, omnem hanc turbationem disijcit, omne fastidium nostræ voluntatis medetur; additque suauitatem rebus amaris: atque sic ipsa voluntas fit prompta & alacris ad omne bonum. Hoc ipsum serui Dei experiuntur quotidie, cùm habent aliquam magnam & insignem Deuotionem: tunc enim inueniunt maius lucrum, & omnis molestia magis leuatur: tunc videntur hilares, & renouatur iuuentus animæ illorum: tunc in seipsis verum esse sentiunt illud Esaiæ:

Esa. 40, 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.*

Deuotio dicitur vnguentum.

Habet & aliam causam Deuotio, quæ est quasi fons & origo bonorum desideriorum: quare in Scripturis solet appellari Vnguentum, quod ex multis aromatibus conficitur: ideoque plurimos, eosque suauissimos diffundit odores: quod & Deuotio facit, toto tempore, quo durat in cordibus nostris: tota enim diffunditur mille modis sanctorum propositorum, quæ sunt contra pessima de corde procedentia. Quemadmodum enim fœtor in domo infirmi non adeo sentitur, si fumigatio quædam fiat, aut suffitus accendatur: ita fœtor malarum cogitationum minus percipitur, quamdiu suauissimus illius vnguenti odor in anima durat. Sed & cùm verum sit, omne incommodum vitæ nostræ nasci à corruptione & fœtore huius appetitus, & à peruersis cogitationibus, quæ ex illo pullulant, summa cum diligentia, totisque viribus contendendum est, vt cæleste hoc vnguentum in promptu sit: posteaquam habeat tantam vim, tam insignia mala minuendi & tollendi.

Simile.

Consideratio excitat omnes alias virtutes affectiuas.

Quomodo meditatio excitat dolorem de peccatis.

Eodem modo quo meditatio famulatur Deuotioni, etiam alijs omnibus virtutibus supradictis subseruit: quales sunt, Timor Dei, Dolor de peccatis, Contemptus suijpsius; in quo consistit Humilitas, & Gratiarum actio de diuinis beneficijs acceptis. Etenim, vt iam dictum est, nullus affectus bonus inuenitur in voluntate, qui non trahit suam originem ab aliqua intellectus consideratione. Quomodo enim dolorem de peccatis suis habere potest quispiam, qui non meditatur, quanta sit turpitudo & multitudo? quantum sit odium, quo Deus peccatum prosequitur? & quanta sunt quæ per illud amisit, quantaque propter illud luenda sunt supplicia. Præterea quomodo poterit quis cor suum ad timorem Domini excitare, nisi quis consideret celsitudinem tantæ Maiestatis; magnitudinem iustitiæ, & profunditatem iudiciorum illius; multitudinem verò peccatorum suorum & similia? Quomodo cor poterit humiliari, si non cogitet multitudinem suarum miseriarum? Dicit enim sanctus Bernardus, humilitatem esse contemptum suijpsius, qui contemptus à cognitione suijpsius procedit. Certum est, quanto quis hanc cognitionem amplius mente penetrauerit, & ex hoc luto egressus fuerit, tanto dilucidius poterit cognoscere, quid est homo, & tanto plus semetipsum contemnet, atque humiliabitur. Porro gratiarum actio, pro diuinis beneficijs perceptis, ex quibus & cantica & laudes eius oriuntur, vna ex præcipuis religionis veræ partibus, vnde nascitur, si non ex profunda consideratione illorum beneficiorum? Quanto enim amplius homo tali consideratione perpendit, percipitque magnitudinem & multitudinem illorum, tanto vehementius mouetur ad laudandum, & gratias agendum Deo ex toto corde, pro illis. Prætereo hic contemptum mundi, odium peccatorum, & similes virtutum affectus, qui post gratiam ex hac consideratione proficiscuntur: ea enim est quasi flagellum, seu stimulus illorum, oleumque, quo lampas omnium harum virtutum, bonorum affectuum, & similium rerum ardens conseruatur.

Quomodo timorem Dei.

Quid humilitas. S. Bernard. serm. 86. in Cantic.

Vnde nascatur gratiarum actio.

Oratio non minus vtilis ad prædicta quàm consideratio.

Oratio quoque non minus ad hoc iuuat, cùm considerationi coniungitur: id quod nonnunquam accidit, nisi etiam frequentius. Meditatio namque communiter tantùm occupatur in excitando aliquo illorum affectuum ex virtutibus prouenientium: Oratio verò cùm attenta est, deuota, atque cum spiritu & feruore prolata, solet excitare virtutes ipsas. Cùm enim anima Deum accedit, eique magno desiderio placandi iram, & rogandi misericordiam appropinquat, non est saxum, quod non mollit, non est tam sanctus affectus, quem non generat: non aliter atque mater, cupiens placare suum filium, aut pia coniunx volens maritum consolari, quem videt mœrentem. Solet enim Oratio plus quàm omnia reliqua exercitia hominem adiuuare. Anima namque religiosa, semetipsam coram Domino accusat: in oratione, & cum Publicano confunditur & erubescit præ multitudine peccatorum suorum: in ea proponit emendationem vitæ: ibi humiliatur & contremiscit ante conspectum supremæ illius Maiestatis: ibi credit, ibi sperat, ibi amat, ibi adorat, ibi glorificat, ibi gratias agit pro beneficijs omnibus acceptis: ibi offert Deo sacrificium pro se, & pro proximo. Omnia hæc fiunt in deuota Oratione, constat enim habitus virtutum crescere per exercitia suorum actuum: vnde fit vt anima per hoc exercitium plurimum notetur, & perfecta fiat in hac virtute: quemadmodum fatetur beatus Laurentius Iustinianus his verbis; Orationis exercitio purgatur anima ab omni peccato, nutritur Charitas, exultant viscera, pacificatur cor, aperitur veritas, vincuntur tentationes, fugatur tristitia, renouantur sensus, reparatur virtus debilitata, expellitur tepiditas, tolluntur causæ vitiorum, & resurgunt in illo fauillæ viuæ cælestium desideriorum, in quibus ardet diuini amoris flamma. Hinc est, vt exercitium hoc verè dici possit conuenientissimum, quo homo reformat mores, & vitam suam, quo in

S. Laur. Iustit. ord. Celestinorum.

Per orationẽ homo transformatur

alium hominem mutatur, vti apertè nobis Saluator in gloriosæ suæ Transfigurationis mysterio insinuauit, de quo scribit sanctus Lucas; *Et factũ est*, ait, *dum oraret species vultus eius altera & vestitus eius albus & refulgens.* Potuit quidem Dominus extra orationem transfigurari, sed voluit hoc fieri, dum oraret; vt demonstraret in transfiguratione sui corporis, quam vim habeat oratio ad trasfigurandas nostras animas: facit enim vt homo amittat mores veteris hominis & nouum induat, qui creatus est ad imaginem Dei. Hic illuminatur intellectus radijs veri Solis iustitiæ; hic reparantur & renouantur vestimenta, ornamentaque animæ, & niue fiunt candidiora. Hoc est, quod Deus dicebat, Beato Iobo; *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?* Miraculum sanè ingens est, auem hanc pennas veteres mutare posse, & nouis vestiri: quod vt obtineat, quærit calorem Solis meridiani, vt beneficio caloris illius pori aperiantur, quibus dilatatis, motis alis excidunt pennæ veteres, cedentes nouis, quæ succrescere iam incipiebant. Sed quanto mirabilius est videre hominem spoliari Adamo, & Christo vestiri? exuere hominem veterem, & nouum induere? Maxima, & admiratione dignissima hæc mutatio fit, quando anima deuota conuertitur ad Austrum, ibique alis suis aëra percutit. Quid est conuerti ad Austrum vel meridiem, nisi conuerti spiritum ad contemplationem lucis illius æternæ, & ad radios veri Solis iustitiæ? & quid est alis suis aërem percutere, nisi ibidem immobiliter stare, suspirare, & anhelare cum afflictis desiderijs, vt in cælum attollamur? inuocare quoque & orare summa cum cordis anxietate fauorem & gratiam diuinam? tunc afflat nobis aër Meridianus, qui est cælestis illa refocillatio Spiritus sancti, qui temperato suo calore, & dulci motu corroborat, & adiuuat nos, vt pennæ veteres antiqui Adami excidant, locumque dent nouis, nouarum virtutum, desideriorumque sanctorum, plumis, quæ ibidem renascuntur. Idem, sed alijs verbis indicat Ecclesiasticus, cùm ait; *Qui timent Dominum præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Hoc ipsum fit in exercitio deuotæ orationis; in eo enim anima familiarissimè Deo præsentatur, vt ait Bernardus, in eo æternæ iam lucis præsentata perspicuè videt suos defectus, eos plangit, eos incusat, eorum remedium quærit. Petit Dominum gratiam, proponit emendationem, atque ita paulatim vita hominis emendatur & sanctificatur. Vides itaque, mi frater, quam vtile sit hoc exercitium, ad altissimam illam virtutem, quam propriam Christianorum diximus contendenti.

Ephes. 4. Coloss. 3.

Iob 39, 29.

Accipitris natura.

S. Greg. lib. 31. mor. c. 18.

Eccl. 2, 20.

Serm. 86. in Cantica, in fine: & ser. 24. de modis orandi.

Consideratione quatuor virtutes Cardinales acquiruntur.

Non minus in suo genere conducit hoc exercitium, ad consequendas alias virtutes quatuor, quas Cardinales vocant, vt sunt, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia: sicut apertè docet sanctus Bernardus, in libro de Consideratione; Primùm quidem ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur purificat consideratio: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat. Postremò diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut egens correctione. Hæc est quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit, quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Ibi etiam aduertere tibi est suauissimum quendam concentum, complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera, sicut hoc loco vides, fortitudinis matrem esse prudentiam: nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturiuit prudentia. Hæc item est quæ inter voluptates & necessitates media, quasi quædam arbitra sedens, vtrinque certis limitibus disterminat fines: istis assignans & præbens quod sat est, illis quod nimis est demens: & sic ex alterutro tertiam formans virtutem quam dicunt temperantiam: Hæc D. Bernardus, ex cuius verbis patet quam vtilis sit ad virtutes has comparandas consideratio.

Bern. de cõsider. lib 1. & de domo interiore ca 7. & 70.

Nec tantum in acquirendis istis virtutibus vtilitas meditationis spectatur, sed etiam in resistendis vitijs contrarijs. Etenim dic mihi quæso quod genus tentationum inuenitur, contra quod homo non pugnat armis Orationis & Meditationis? Ponamus enim casum, habere nos alia quoque arma, vt sunt Ieiunium, disciplina, Eleemosyna, Asperitas corporalis, malarum occasionum fuga, & similium rerum, quæ tamen esse possunt magis expedita, & quæ facilius ad manus habentur, quàm Oratio & Contemplatio? Quibus alijs armis commodius pugnabit, & vincet homo iustus? Si incidat in cogitationem committendi peccati carnalis, abscondatur in foraminibus petræ, quæ sunt vulnera crucifixi Christi. Si oppugnetur ira & vindictæ cupiditate, cogitet confestim patientiam & mansuetudinem Christi, memineritque dulcium istorum verborum, quibus in cruce orabat pro illis, à quibus crucifigebatur. Si gula tentet, aut mollis lectuli desiderium, vitæque delicatæ, attollat oculos, & intueatur fel & acetum, quod fons ille vitæ pro nobis in cruce bibit, & durum lectum, in quo moritur, asperitatemque vitæ, quam vixit. Cùm titillat animum superbia, respice magnitudinem eius humilitatis. Cum inuitat somnus, & molestat pigritia, perpendat vigilias & molestias orationum illius. Cùm fatigant præsentes tribulationes, consideret magnitudinem bonorum futurorum. Cùm solicitat crapula, & huius mundi delitiæ, meditetur æternitatem, & intolerabiles inferni cruciatus. Cùm labores pœnitentiæ grauant, cogitet exempla Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, & antiquorum Monachorum: & consideratione rerum futurarum exiguæ videbuntur præsentes. Quod si cum omnibus his armis nequeat repellere hostium impetum, iungat diligentiæ Meditationis vocem Orationis, clamans & inuocans magna cum anxietate illum, qui non repellit inuocantem, sed promittit se auditurum, & exempla dedit plurima sese audire omnes fideliter inuocantes. Hoc est, quod Dauid non vno, sed mille locis dicit se fecisse, quoties mille sese hostium laqueis, & mille afflictionibus circunseptum videbat. *Effundo*, inquit, *in conspectu eius Orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.*

Optima contra tentationes arma Oratio & meditatio.

Luc. 23.

Psalm. 141.

Non tantùm tentationes vitiorum, sed quæcunque opera dura & difficilia virtutum superamus, ope considerationis adiuti. Cùm enim disciplina, cilicium, nudis pedibus incedere, pane & aqua victitare, longæ vigiliæ, perturbationesque & persecutiones huius vitæ molesta sint, nihilominus tanquam fideles Dei serui velimus in incepto progredi, fugiamus ad alterum horum portuum, Orationis scilicet, vel Meditationis: petentes humiliter à Domino fortitudinem, & gratiam, ne sub onere deficiamus: eleuantesque oculos, consideremus mille exemplorum, remediorumque genera, quæ nobis hic animum addere possunt, nosque confortare. Ecce quantum auxilium & subsidium ad omnes virtutes habeamus in vna Consideratione.

Respon.

Respondetur quibusdam tacitis obiectionibus.

Nemo autem cogitet se excusari, & liberum esse ab alijs laboribus, & studijs particularibus singularum virtutum, eò quod dicimus hanc Considerationem tantam opem ad ipsam virtutem consequendam adferre. Subsidium enim generale nihil derogat particularibus, quæ ad omnia & singula requiruntur.

Generale auxilium ad omnes alias virtutes est, non tantùm Consideratio, sed Ieiunium quoque, Silentium, Oratio, Concio, Confessio, Communio, & Deuotio, aliæque similes virtutes, quæ generalia sunt adiumenta, & incentiua ad omnes alias virtutes. Sed præter hoc generale auxilium, quod illuminat intellectum, & mouet voluntatem ad omne bonum, requiruntur etiam peculiaria, propriaque virtutum ipsarum exercitia, vt habitibus maius detur fundamentum, maiorque perfectio per vsum: fiantque homines aptiores & faciliores ad bene operandum. Alioquin sicut gladius, qui nunquam è vagina educitur, rubigine obducitur, & difficile extrahitur, omninoque eius vsus tempore necessitatis est incertus: sic is, qui nunquam exercuit sese in actibus virtutum, nec dexter erit, nec promptus, cùm operari erit necessum.

Sed demus maximum, maximeque necessarium adiutorium, quod habemus ad omnes virtutes nobis comparandas, esse charitatem, cum illa sit instrumentum generale ad omne bonum, vti dictum est antea. Nam quemadmodum anima est primum principium omnium operum humanorum, ita tamen vt seruiat ei calor naturalis, tanquam instrumentum generale, ad omnia quæ sunt facienda; sic Charitas principium est omnium operum bonorum, si tamen seruiat ei Meditatio & Deuotio, tanquam generalia instrumenta, ad omnia illa peragenda, iuxta id quod dictum est. Itaque non derogatur quicquam charitati, si hanc prærogatiuam etiam adscribamus huic virtuti: conuenit enim illi, vt Magistræ & principali agenti: huic verò, tanquam instrumento & adiutrici illius.

obiectio.

Dices fortasis exercitium hoc orandi & meditandi ad Religiosos & Sacerdotes, non ad Seculares pertinere. Verum quidem est, id ad illos principaliter pertinere ratione status, & officij: non tamen excusari possunt mundani, si non habeant certum orandi modum (licet non sint in eo gradu & perfectione) modò cupiant perpetuò viuere in timore Dei, & mortaliter non peccare. Etenim necesse est, vt etiam seculares habeant Fidem, Spem, Charitatem, Humilitatem, & Timorem Dei: Contritionem quoque, Deuotionem, & odium peccatorum. Proinde quemadmodum omnes istæ virtutes maiori ex parte sunt affectiuæ (vt diximus) quæ necessariò debent fluere ex aliqua consideratione intellectuali: si non habeat homo secularis has considerationes, quomodo poterunt istæ virtutes conseruari? Quomodo poterit homo fidelis perseuerare, nisi quæ fides dictat subinde meditetur? Quomodo in charitate inflammari? in spe corroborari? Timore Domini refrænari? ad Deuotionem, Contritionem, & sui ipsius contemptum, in quo consistit virtus humilitatis, quæ pertinet ad omnes virtutes, poterit moueri, si non componat sese ad meditandum ea, quibus affectus isti solent (vt antea probauimus) accendi? In his rebus non debet homo nimium properare, neque leuiter sunt percurrendæ. Etenim miseria cordis humani quædam est, quod ad res mundanas tam propensum est, ad res verò diuinas tam insensibile, vt in illis sit quasi palea vel stipula sicca, in his verò tanquam lignum viride, quod non nisi cum maxima difficultate accenditur. Hanc ob causam oportet vt homo diuinas res non obiter percurrat, sed aliquid in ijs considerandis temporis ponat, siue longum illud sit, siue breue: prout Spiritus sanctus illud suggeret: nec non secundum quod occupationes id vnicuique permittunt: licet necessarium non sit, quotidie certum & præscriptum tempus obseruare.

Etiam secularibus orãdum & meditandum.

simile.

Huc accedunt etiam pericula mundi, & maxima difficultas, quam sentit homo in eo, vt semet ipsum sine vllo peccato, in corpore tam fragili, in mundo tam periculoso, & inter tot inimicos, quos habemus, conseruet. Proinde licet religiosus non es, & status te non obliget, fac tamen vt magnitudo periculi te faciat obligatum. Fateor quidem, religiosorum status arduus est, & magnus: sed periculum tuum illius periculo maius est. Religiosus obseruatur à suo Prælato, custoditur suo claustro, obseruantia, obedientia, oratione, ieiunio, officio diuino, asperitate ordinis, bona societate, alijsque exercitijs omnibus & monasticis occupationibus munitur: secularis verò (præterquam quod nudus est, & omnibus istis præsidijs destitutus) circundatur ab omni parte draconibus, & scorpionibus: ambulat semper super aspides & basiliscos, in domo, & extra domum: in se, & extra se: in portis, in fenestris, nocte & interdiu: mille genera laqueorum illi tenduntur; intra quæ omnia cor purum, oculos castos, & corpus mundum, in media flamma iuuentutis, malarum societatum, & exemplorum huius seculi (in quibus nihil videt, vel audit, quod Deum sapit) debet custodire. Quapropter si religiosus (est enim in sua professione miles) debeat semper armatus incedere, quanto magis oportet, vt secularis semper armatus sit, qui non est in tanto securitatis gradu: non tam propter obligationem status perfectionis, quam ob periculorum, in quibus versatur, magnitudinem? Non minus enim hi, qui habent inimicos, quos metuunt, armati incedunt, quam ipsi milites. hi propter sacramentum quo sunt obstricti, illi propter necessitatem. Inter hæc arma non tantùm ponimus Orationem, sed ieiunium quoque, silentium, lectionem, Verbi Dei auditum, Sacramenta, occasionum peccandi fugam, aliasque corporales prosperitates. Quæ omnia sunt quasi salsitudo quædam, quæ carnem hanc corporalem, & in vitia propensam, conseruant, ne computrescat & vermes generet. Maximum enim, maximeque arduum huius mundi negotium est, post corruptionem peccati originalis hominem sese in hoc tam perverso mundo posse diu sine peccato mortali conseruare. Etenim si etiam illi, qui, quæcunque possunt, faciunt, magnas sentiant difficultates, inque præsentissima subinde ferantur pericula: quid fiet his, qui securè viuunt, & nullam horum habent rationem? Si sanctissimus ille Rex Dauid, alijque sancti multi, qui in tanta austeritate vitæ & disciplinæ vixerunt, & tot armis muniti ambulârunt, semper tamen, aut saltem frequentissimè, inuenerint, quo offensi, lapsique sunt, & subinde grauiter: quid accidet his, qui omnia, quæ ad salutem pertinent, aut negligunt, aut contemnunt?

Secularium status periculosior est quàm Religiosorum.

Dices fortasis: Tantùm ad obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ sum obstrictus: in reliquis velle aut nolle mihi liberum est. Verum quidem est, sed vt murus ille bene custodiatur, requiritur aliud antemurale: ad conseruandum hoc vas, requiritur arca cui includatur: & ad ædificium erigendum succula est necessaria, qua poterit attolli. Eodem modo ad custodiendam hanc legem, multa requiruntur: vt confortetur cor nostrum in legis illius obseruatione. Nam si natura humana in

Ad Dei & Ecclesiæ præcepta obseruãda multa requiruntur.

ea staret adhuc integritate, in qua erat ante lapsum: facile esset obligationi nostræ satisfacere. nunc autem, cùm tot sint contraria, quæ legis huius custodiam impediunt, duo sunt necessaria: vnum vt lex obseruetur: alterum, vt confirmetur cor nostrum, ad difficultates illas perrumpendas, quæ legis obseruantiam impediunt. Cùm filij Israël è captiuitate Babylonica reuersi, muros Hierosolymitanos reædificare vellent, Samaritani, & qui in circuitu erant hostes, opus inceptum impedire conati sunt: Israëlitæ verò labores ingeminarunt: vna enim manu faciebant opus, & altera tenebant gladios. O quot sunt inimici nostri, qui impediunt hoc speciale virtutis ædificium? Diabolus instat ab vna parte mille astutijs, & mundus ab altera totidem scandalis, & peruersis exemplis: vrget caro tot generibus desideriorum constipata, quæ mirum in modum ardent accensa, & contra legem Dei militant: hæc enim vult castitatem, & caro luxuriari desiderat: illa humilitatem quærit, hæc vanitatem appetit: illa vitæ asperitatem, hæc mollitiem cum voluptate. Si itaque non habeamus arma ad inimicos nostros repellendos, si desit medicina ad carni nostræ medendum, quomodo conseruabitur castitas inter tot pericula? charitas inter tot scandala? pax inter tot contradictiones? simplicitas inter tot malignitates? puritas in corpore tam immundo? & humilitas in mundo tam ambitioso? Ad medendum igitur huic carni, & resistendum his, qui impediunt hanc virtutum fabricam, necesse est & alias virtutes subuenire, vt quædam onus ferant, aliæ subleuent. Virtuti enim Castitatis satisfacimus onere mandati, quod ait? *Non mœchaberis:* sed ieiunium, oratio, occasionum fuga, disciplina, & similia exercitia mortificant carnem: ita vt non sit difficile onus illius mandati portare. quæ virtutes, etsi non sint præcepti, neque semper obligent: interdum tamen erunt huiusmodi, cùm tale periculum in proximo est.

2. Esd. 4.

Exod. 20, 14. Luc. 18, 20.

Oratio optimum in omni difficultate remedium.

Inter omnes verò virtutes & defensiones illas primaria est Oratio, tanquam medium efficacissimum ad acquirendam gratiam, quæ potissimum diuinæ legis onus reddit suaue, & par humeris nostris, vt possimus portare. Idcirco dicit Ecclesiasticus; *Qui conseruat legem, multiplicat orationem.* Experientia namque nos docet, eum qui non potest conseruare legem (per quam acquiritur gloria) sine gratia, per orationem gratiam impetrare, qua præualet, & cuius ope legem potest adimplere. Lex mandat nos esse continentes, sed monet Spiritus sanctus dicens per Sapientem; *Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius hoc esset donum: adij Dominum, & deprecatus sum illum ex totis præcordijs meis.* Vides igitur verum esse, quod initio diximus, muro antemurali, & vasi arcula opus esse; virtutem quoque vnam alterius opem requirere.

Ecci. 35, 1.

Sap. 7, 21. Aug. lib. 10. Confess. cap. 29.

Præterea si is obstrictus ad legem Domini obseruandam, & à peccato mortali abstinendum, necesse est vt quæras omnia media, quæ adiuuant in legis obseruantia, & peccatorum fuga. Quæ omnia, etsi fere consilij sint, non præcepti; possunt tamen nonnunquam talia esse, vt sub præceptum cadant (vt diximus) si nimirum periculum tantum sit, vt sine illis ipsa præcepta nequeant obseruari. Hæc est sententia Doctorum. Ponamus casum & fingamus bonum aliquem Christianum verè salutem suam desiderare: non debet is in fine periculi sui remedia quærere, cum cultet gutturi admotus est: sed oportet, vt multo ante sibi prouideat, de his, quæ necessaria sunt, vt liceat ei viuere securius. Porro licet verum quoque sit, exercitium hoc pertinere simul ad religiosum & ad secularem (alio tamen atque alio modo) ipsa oratio & consideratio aliter ab vno, & aliter ab altero accipienda est: ad religiosi enim pertinet officium (cùm is ad perfectionem tendat) quod seculari medium est, & adiumentum, vt commodius faciat id, ad quod tenetur. Proinde tantum de hac medicina sumat ille, quantum sufficit vulnerum suorum medelæ: tantumque de medijs accipiat, quantum sufficit ad consecutionem finis. Necesse est enim vt homo subinde mentem aduocet, sensusque dispersos recolligat, vt ad semetipsum ingressus, domum suam custodiat. Non minus igitur per hoc, quàm per quoduis aliud exercitium & orationem (non enim hic magis vrgemur, quàm in alio) contendat homo reparare conscientiam, vitamque suam reformare.

Cùm igitur abundè satis dixerim, de vtilitate & necessitate Considerationis, mouerimque (vt spero) mentes vestras ad virtutem illam amandam; agamus nunc de materia Considerationis. Erunt autem illæ quædam piæ, deuotæque meditationes, aptæ ad excitandum in nobis amorem & timorem Dei, odium peccati, & contemptum mundi. Ad hoc autem efficiendum, nihil melius, nihil est efficacius meditationibus, quæ à principalibus articulis, & mysterijs nostræ fidei desumuntur: vt sunt Passio & Mors Saluatoris nostri Iesu Christi: memoria Iudicij, Inferni, Paradisi, & diuinorum beneficiorum, item nostrorum peccatorum, vitæ, mortisque nostræ: horum enim singula bene considerata, mouent cor nostrum ad ea, quæ dicta sunt. Hanc eandem materiam tractauit sanctus Bonauentura, in libro, cui titulus est Fasciculus, diuisitque per dies septimanæ, vt inueniat homo quotidie nouum animæ suæ pabulum, nouaque ad virtutes incentiua. atque ita homo iuuabitur, in eadem re sæpe meditanda. Quare visum est mihi diuisionem, ab insigni, & sancto illo Doctore factam, qui de hac materia copiosè tractat, imitari. Qui modus, si cui non placeat, sed alium sequi velit, ei per me licet: habebitque exempla aliorum. parum enim interest, hunc aut alium sequatur: ea enim materia est optima, per quam homo fit sanctior, & ex qua maiorem percipit fructum.

Materia meditationis.

Eccles. 7.

Bonau. prim. 2. operum.

Præterea videbatur mihi, quum cibus animarum nostrarum sit verbum Dei, & consideratio rerum diuinarum (his enim sustentantur in vita spirituali, quæ consistit in amore, & timore Dei) quemadmodum corpus plerunque bis in die reficimus, vt non deficiat: sic etiam animas bis quotidie reficiendas, ne langueant, aut vita illis deficiat. quamuis illud nec præcipiatur, nec ad id obligati simus: sed salutare consilium sit, cùm videamus id à Sanctis factitatum. Propheta Daniel ter in die vacabat huic exercitio. Dauid septies in die laudabat Dominum. Ad cuius imitationem Ecclesia mater nostra septem horas canonicas instituit. Nos igitur duo genera meditationum hoc libro trademus, vnum matutinum, in quo tractabitur de passione Saluatoris, & aliud vespertinum, aut nocturnum, in quo agemus de varijs materijs, quæ suo loco ponentur.

Bis in die animam reficiendam.

Daniel 6. Psalm. 118.

Quod si aliquis inueniatur, cui tam angustum est tempus, aut tam exigua deuotio, vt nequeat bis quotidie huic studio vacare: vacet vt minimum semel, & ne amittat fructum omnium Meditationum sequentium, potest vna septimana sese exercere in septem prioribus, & altera in totidem posterioribus: vt hoc modo gustum percipiat totius doctrinæ, quam hic tradimus.

DE

DE QVINQVE PARTIBVS orationis.

CAPVT II.

ADmonendus hic lector est, totum tempus huius exercitij non esse terendum in sola Meditatione: sed duo debere præcedere, Præparationem scilicet, & Lectionem: aliaque duo subsequi, Gratiarum actionem, & Petitionem. Ante omnia namque debemus præparare cor, vt ad hoc exercitium sit idoneum: deinde vtile erit legere, quod meditandum est. Post lectionem sequatur meditatio illius, quod lectum est, quæ desinat in deuotam gratiarum actionem omnium diuinorum beneficiorum, & petitionem eius, quod necessarium est, tam animabus nostris, quàm nostrorum proximorum.

Post 14. meditationes & parte sexta memorialis.

De quinque partibus his agemus copiosius suo loco. Hanc diuisionem & ordinem sequi possunt tyrones, qui primùm incipiunt: illis enim, qui exercitati sunt in hac palæstra, hoc principio, vel regula opus non est.

Notandum autem hoc loco est in nocturnis Meditationibus summam præmitti; in qua obiter recensentur primariæ partes, quæ tota meditatione considerandæ sunt. deinde ponitur copiosa declaratio omnium partium, vt semel lectæ melius intelligantur, & lector commodius meditetur, quod obiter ante meditationem tractatum est.

Ante Meditationes de Passione Domini summulas istas non posuimus: textus enim Euangelistarum, qui suo quoque loco ponuntur, sufficiunt. Neque necesse est semper discutere singula & omnia, quæ ibi dicuntur: sed duo vel tria loca sufficiunt, secundum deuotionem, & tempus, quod vnicuique suppetit. Maiorem enim fructum faciet vnus locus, aut mysterium vnum bene intellectum, & consideratum, quàm si multa simul obiter & celeriter perstringantur. Nihilominus à nobis multa adferuntur, vt in tanta varietate meditationum, sumat quisque, quàm putat sibi fore conuenientiorem.

SEPTEM PRIMAE MEDITATIONES PER SINGVLOS SEPTIMANÆ DIES MATVTINO TEMPORE VSVRPANDÆ.

DIE LVNAE MEDITATIO

Matutina prima.

Hoc die facto signo crucis, & præparatione (quæ post quatuordecim has meditationes ponitur cap. IIII.) præmissa, meditetur homo, quomodo Christus pedes Apostolorum lauerit, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituerit.

TEXTVS.

VEspere autem facto discumbebat Iesus cum discipulis suis. Et ait illis; Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Edentibus autem illis dixit; Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et contristati singuli cœperunt dicere; Nunquid ego sum Domine? At ille respondens, ait; Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit; Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi, Tu dixisti. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

Et cœna facta, surrexit Iesus, & posuit vestimenta sua. & cùm accepisset linteum, præcinxit se: deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus; Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus; Domine, non tantùm pedes meos: sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet: sed mundus est totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit, Non estis mundi omnes. Postquam autem lauit pedes eorum, & accepit vestimenta, cùm recubuisset, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

Cùm Discipulorum pedes lauisset Dominus, iterum discubuit cum duodecim Apostolis, & accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. Hoc quotiescunque feceritis, facite in meam commemorationem.

MEDITATIO IN TEXTVM PRÆCEDENTEM.

COntemplare nunc, ô anima mea, in hac cœna dulciſsimum & benigniſsimum Ieſum, & conſidera exemplum ineſtimabilis illius humilitatis, quod tibi in hac cœna reliquit. Surgit enim à menſa, & ſordidos diſcipulorum ſuorum pedes ipſe Dominus & Magiſter lauat. O bone Ieſu quid hoc? quid agis? O dulcis Ieſu, cur tua tam mirum in modum ſeſe abijcit diuina Maieſtas? Quomodo affecta eſſes, ô anima mea, ſi Deum ante viliſsimi hominis pedes proſtratum videres: imò ante pedes ſceleſtiſsimi Iudæ ſui proditoris? O maledicte Iuda, quomodo ſic indurata facta eſt anima tua, vt tam profunda magiſtri tui humilitate non molliatur? quomodo nõ liqueſcunt omnia tua interiora, ad tam inauditam Dei clementiam? eſtne credibile, vt tu propoſueris mitiſsimum hunc agnellum, ante pedes tuos reptantem vendere inimicis, & truculentiſsimis lanionibus tradere? Fieri quæſo poteſt, vt hoc exemplo non mouearis? O vos candidæ, ſpecioſæque Chriſti manus, quomodo poteſtis tam ſordidos, & cœno conſpurcatos pedes attrectare? O vos puriſsimæ manus, quomodo non abhorretis iſtos pedes lauare, qui ex publicis vijs ſimum & ſtercora contraxerunt?

Aſpicite ô vos Beati ſpiritus, quid faciat veſter ille Creator, deſcendite de cœlo, & ipſi videte: videbitis hîc eum ante pedes hominum iacentem, & dicite mihi, an vnquam erga vos hæc miniſteria, hos geſtus, & mores vſurpauit? O Domine audio verbum tuum & timeo: video factum tuum, & exhorreſco. O fœlices Apoſtoli, quomodo non contremiſcitis, ſtupendum hoc intuentes exemplum? Petre quid agis? etiámne tu patieris, vt Dominus exercituum pedes tuos abluat? Petrus obſtupeſcit, atque penè exanimatur, videns Dominum ad pedes ſuos procumbentem, & exclamat: *Domine non lauabis pedes meos in æternum*. Túne es filius Dei viui? Túne es creator vniuerſæ mundi machinæ? Túne Paradyſus Angelorum, auxilium, theriaca, atque hominum omnium medicina? Túne ſplendor Patris, gloria, & Maieſtas? Túne ex altiſsimo ſcaturiens ſapientiæ diuinæ fons? & tu pedes meos lauabis? Túne tantæ, tamque excelſæ Maieſtatis Dominus, tam vile atque abiectum miniſterium obibis? tu qui terram fundaſti, & tanta varietate rerum exornaſti? Tu qui mundum pugillo concludis, cœlos moues, terrarum imperium adminiſtras, maria diuidis, tempora conſtituis, omniumque rerum cauſas ordinas atque diſponis? Tu qui Angelos beas, homines velut oues deducis, & tua ſapientia omnia gubernas, tu mihi pedes lauabis? mihi inquam, homini viliſsimo, cineris terræque glebæ, ignominiæ vaſi, omnium vanitatum, ignorantiarum, aliarumque miſeriarum, imò & peccatorum, quæ omnes miſerias ſuperant, pleniſſimæ creaturæ? Tu Domine, mihi? Tu omnium rerum Dominus, mihi, qui omnium abiectiſsimus ſum? Sublimis tua maieſtas, & extrema mea infœlicitas vrgent, atque impellunt me recuſare quod agere decreuiſti. Deſine itaque Domini mi, deſine, & ab hoc miniſterio mihi exhibendo quieſce. Depone linteum quo te cinxiſti, veſtibusque propriis iterum induere; accumbe rurſum, & pedes mihi lauare noli. Intuere Domine, quanto rubore cæli ſuffundantur, videntes te humi procumbentem, & inuſitata cæremonia manus iſtas, quibus Pater omnipotens cælum & terram fundauit, ſordidis hominum plantis ſubijcientem. Vide ne fortè manus iſtæ inuideant hoc miniſterium creaturæ, ne doleant, indigneque ferant ſe aliorum, quàm tuis pedibus ſubſterni. Caue Domine, ne te Saulis filia deſpiciat, dum te iſto habitu deformatum, & famulo ſimillimum videat, dicatque, ſe nolle te ſibi ſponſum, nolle ſibi Deum: thalamos atque diuinitatem eius faſtidire, qui tam indigna miniſteria obire non erubeſcit.

2. Reg. 6. 1. Paral. 15.

Hæc cogitare atque dicere potuit Apoſtolus Petrus, tanquam homo, cui myſteria Dei adhuc erant ignota: & quaſi adhuc ignorans, quanta gloria atque Maieſtas in humili iſto officio abſconditæ latebant. Saluator autem, qui id optimè nõrat, quique magno ſuo conſilio conſtituerat, profundiſsimæ nobis humilitatis exemplum teſtamento ſuo legare, diſcipulorum negationi primùm reſpondit, atque inde in incepto opere perſeuerauit.

Animaduertendum hîc eſt, quam ſeriò Chriſtus nobis humilitatem voluerit fore commendatam. Cùm enim iam in ipſo veſtibulo ſuæ paſſionis eſſet, qua tale nobis humilitatis exemplum relinquere voluit, vt ad illius ſolam memoriam cælum & terra debeant obſtupeſcere, non ſufficiebat illi, niſi etiam & hoc humilitatis exemplum adijceret, vt tanto ampliùs hanc virtutem nobis faceret commendatam. O neceſſaria virtus, & ſuper omnes alias, ab ipſo virtutum Domino, laudata. O quantæ ſunt diuitiæ tuæ, quæ à tanto commendaris Encomiaſte? quomodo ignota nobis eſſes, quæ vijs modisque tam multifarijs hominibus demonſtraris? O humilitas te omnis Chriſti actio annunciauit, tu in omni vita Chriſti eluceſcis, tu benedictæ matris eius elogio prædicaris, ô flos virtutum omnium, quæ tantoperè ſummo rerum omnium Creatori placuiſti. Qui te repellit, ab ipſo Deo repelletur, etiamſi ad ipſum cælorum ſummum faſtigium peruenieſſet. qui verò te amplectitur, diuinis amplexibus fruetur, etiamſi peccatorum omnium eſſet princeps, & anteſignanus. Gratia tua magna eſt, atque opera tua admiranda, places hominibus, gratus es Angelis, Dæmones confundis, & irato Iudici ſupremo manus, ad vindictam extenſas, contines atque conſtringis. Tu virtutum es mater, vitiorum mors, ſpeculum virginitatis, & ſanctiſsimæ Trinitatis domicilium. Qui ſine te colligit, diſſipat: qui ſine te ædificat, deſtruit: qui ſine te ad virtutes adſpirat, tanquam puluis quem proijcit ventus, à facie Dei exterminatur. Sine te virgines à cælorum oſtijs repelluntur: & cùm te publica peccatrix à pedibus Chriſti in gratiam recipitur. O virgines, vt veſtra virginitas vobis profit: vosque religioſi omnes, humilitatem amate: ſine hac enim vana eſt omnis veſtra religio: huius virtutis exercitio incumbite, vt à laqueis mundi ſitis liberiores.

Encomium humilitatis.

Abac. 3.

Ioan. 13. 8.

Pſalm. 103.

Poſt hæc meditare, quomodo, poſtquam pedes lauaſſet, eoſdem linteo, quo præcinctus erat, abſterſit: altius autem oculos interiores leua, & videbis hîc myſteria redemptionis noſtræ, nobis adumbrari. Aſpice linteum omnes ſordes, omnemque immunditiem inquinatorum pedum abſtuliſſe, atque in ſe recepiſſe: ita vt mundatis pedibus, ipſum immundum atque impurum efficiatur. Quid autem homine in peccatis concepto magis immundum? quid Chriſto purius? quid illo candidius? *Candidus eſt & rubicundus*, ait Sponſa, *electus ex millibus*. Nihilominus candidiſsimus ille, puriſsimusque ſponſus omnes animarum noſtrarum maculas in ſe recepit: nos emaculauit, & ſeipſum, vti vides, in cruce pendentem noſtris impuritatibus commaculauit. Hanc ob cauſam Angeli admirantur, & ad inuſitatam hanc, atque præter naturam illius immunditiem

Myſterij redemptionis elegans figura.

Ioan. 13.

Cant. 5. 10.

ditiem obstupescunt, interrogantes per Prophetam:
Esa. 63, 2. *Quare rubrum est indumentum tuum, & impura vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?* Cùm itaque sanguis iste, istæque sordes alienæ tibi sint, & peregrinæ, dic mihi Rex gloriæ, æquumne potius est, vt homines luant, quàm tu? conuenientiúsne his maculis sordida vestimenta hominum, quàm tua, qui speculum es omnis pulchritudinis, aspergantur? Quæ benignitas aut misericordia te commouit, ad animæ meæ puritatem reddendam, vt eam mihi tam immensō pretio, propriæque pulchritudinis iactura volueris conciliare? Quis est homo, qui vas impurum, & in multas partes confractum, mundissimo panno, auro, argentoque elaborato extergere velit, atque munare? Benedictus es Domine mi, & tuas laudes Angelin perpetuas æternitates decantabunt; posteaquam in hunc mundum venisti, instar peripsematis atque purgamenti, quo maculas omnium nostrûm abstergeres, ijsque te ipse coinquinares.

Deinde meditare verba, quibus Saluator historiam hanc concludit: *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Quæ
Ioan. 13, 15. verba non ad hoc solùm præsens humilitatis exemplum sunt referenda, sed ad omnes alias actiones, omnemque Christi vitam & conuersationem: Ea enim est typus, & exemplar omnium virtutum, & præcipuè illarum, quæ hoc loco nobis proponuntur; humilitatis scilicet, & patientiæ. quod abundè satis testatur Martyr Cyprianus his verbis. Omnes actus eius, ab ipso statim aduentu, patientia comite signātur: quod primum de illa sublimitate cælesti ad terrena descendens, non aspernatur Dei filius carnem hominis induere; & cùm peccator ipse non esset, aliena peccata portare. Immortalitate interim posita, fieri se & mortalē patitur, vt innocens pro nocentium salute perimatur. Dominus baptizatur à seruo, & remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lauacro regenerationis corpus abluere: Diebus quadraginta ieiunat, per quem cæteri saginantur: esurit & famem sentit, vt qui in fame sermonis & gratiæ fuerant, cęlesti pane saturentur. Cum diabolo tentante congreditur, & inimicum tantum vicisse contentus, nil vltra verba conatur. Discipulis, non vt seruis, dominica potestate præfuit, sed benignus & mitis fraterna eos charitate dilexit. Dignatus est etiam pedes Apostolorum lauare, vt dum circa seruos tales esset Dominus, exemplo doceret, qualis circa compares & æquales debeat esse conseruus. Nec mirandum quod circa obedientes talis extiterit, qui Iudam potuit vsque ad extremum longa patientia sustinere, cibum cum inimico sumere, hostem domesticum scire, nec palam ostendere: traditoris osculum non recusare. In Iudæis verò tolerandis æquanimitas quanta, & quanta patientia? incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fouere, contradicentibus respondere leniter superbos sustinere clementer, humiliter persequētibus cedere: Prophetarum interfectores, & aduersus Deum rebelles, vsque ad crucis & passionis horam velle colligere, sub ipsa autem passione & cruce, priusquam ad crudelitatem necis, & effusionem sanguinis veniretur, quę contitiorum probra patienter audita? quæ sunt contumeliarum tolerata ludibria? vt insultantium sputamina patienter exciperet, qui sputo suo cæci oculos paulò ante formasset: & cuius in nomine nunc à seruis eius Zabulus, cum Angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur: coronaretur spinis, qui Martyres floribus coronat æternis: palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit: spoliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis cæteros vestit: cibaretur felle, qui cibum cælestem dedit: aceto potaretur, qui poculum salutare propinauit. Ille innocens, ille iustus, imò innocentia ipsa, & ipsa iustitia, inter facinorosos deputatur, & testimonijs falsis veritas premitur, iudicatur iudicaturus, & Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Et cùm ad crucem Domini confundantur sydera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem excludat: sol ne Iudæorum facinus adspicere cogatur, & radios, & oculos suos subtrahat: ille non loquitur, nec mouetur, nec maiestatem suam, sub ipsa saltem passione, profitetur. Vsque ad finem perseueranter, ac iugiter tolerantur omnia, vt consummetur in Christo plena & perfecta patientia. Et post ista adhuc interfectores suos, si conuersi ad Deum fuerint, suscipit; & patientia sua salutari ad conseruandum benignus & patiens, Ecclesiam suam nemini claudit. Illos aduersarios, illos blasphemos, illos nominis sui semper inimicos, si pœniteniam delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solùm ad indulgentiam criminis, sed & ad prȩmium regni cælestis admittit. Quid potest patientius, quid benignius dici? viuificatur Christi sanguine, etiam qui effudit sanguinem Christi. Talis est Christi ac tanta patientia: quæ nisi tanta ac talis existeret, Paulum quoque Apostolum Ecclesia non haberet.

Cypr. de bono patientiæ, serm. 3.

Patientia Christi.

Matth. 3.

Matth. 4.

Æquanimitas Christi.

Ioan. 13.

Ioan 9. Luc. 10.

DE VENERABILI SACRAMENTO, & quibus de causis illud à Christo est institutum.

Amor Christi erga suos.

GAusarum, quæ Christum è cælo ad hæc inferiora traxerunt, vna & prȩcipua erat, vt corda hominum amore Dei inflāmaret. Hoc enim testatur ipse apud Euangelistam, dicens: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat.* Ignem hunc Luc. 12, 49. Deus misit, dum tot immensa beneficia humano generi præstitit: innumeraq; charitatis opera exhibuit, per quæ hominum corda, quasi suffuratus ingenti amorum flamma succendit.

Quantumuis autem singula Christi opera huic igni fomentum aliquod subiecerunt, tamen ad hoc ea, quæ sub finem vitę suæ operatus est, sunt efficaciora. Profitetur hoc Diuus Ioan. cùm ait: *Christus cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos:* Ioan. 13, 1. quasi diceret, sub finem maximè eos dilexit. Maxima enim beneficia, ad finem vitæ reseruauit: & iam iam moriturus, multò quam antè apertius ardorem suæ charitatis hominibus ostendit. Inter hæc beneficia longè maximum est Sacrosanctum corporis & sanguinis sui, quod tunc instituit, Sacramentum. quod quiuis facilè potest intelligere, qui causas illius institutionis diligenter ponderat, atque scrutatur. At tu ô benigne Saluator, aperi oculos nostros & scientiæ tuę lumen nobis infunde, vt possimus cognoscere causas multifarias, quæ liberalissimum cor tuum, omni dilectione plenum ad huius Sacramenti institutionem permouerunt.

Causa instituti Eucharistiæ Sacramenti.

Vt autem ad faciliorem harum causarum cognitionem perueniamus certo certius statuendum est, nullam linguam humanam enarrare, aut fando eloqui posse, immensam illam charitatem, qua Christus sponsam suam Ecclesiam non solùm vniuersalem, sed & singulas animas electorum complectitur. Singulæ siquidem animæ à Deo electæ, singulę Christi sunt sponsæ. Magnitudo huius chatitatis etiam Paulum Apostolum multorum mysteriorum non ignarum, adhuc latebat, cum optaret *scire supereminentem* Ephes. 3, 19. *scientiæ charitatem Christi.* quæ tanta est, vt omnem scientiam, intellectumque hominum, atque Angelorum captū excedat. Iccircò cùm dulcissimus sponsus hoc mundo exire, & sese à sponsa sua Ecclesia segregare decreuisset, ne eius absentia obliuionem sui induceret, hoc Sacramentum sponsæ, tanquam monu- *Prima.* mentum & amoris pignus reliquit, in quo non ali-

quid sui, sed ipse sponsus perpetuò adesset. Noluit enim aliud illi pignus donare, quod sui memoriam iugiter refricaret, præter semetipsum. Eum in fine suauissima illa verba subiecit: *Hoc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis*; quasi diceret, inter huius Sacramenti sumptionem, laborum, dolorumque, & vulnerum meorum, pro salute animarum vestrarum mihi inflictorum, memores estote: vel, passionis & amoris mei erga vos recordamini.

Matt. 24. Luc. 22. 1. Cor. 11, 25.

Secunda. Voluit etiam sponsus in hac diuturna sua absentia, sponsæ consociationem aliquam relinquere, ne sola, & derelicta sedens, gemendo quasi contabesceret. Ea autem est, in hoc Sacramento, in quo suam præsentiam donauit, quæ optima societas, dulcissimumque contubernium, & amantium est familiaritas optatissima, quam dilectæ suæ potuit commendare.

Tertia. Insuper abire voluit, & amarissimam pro sponsa mortem oppetere, quo inæstimabili sui sanguinis thesauro, illam ditaret. Vt autem illa ex hoc thesauro quoties, & quantum vellet depromere posset, claues illi huius ærarij in hoc Sacrosanctissimo Sacramento tradidit. Quoties enim admonente Chrysost. ad hoc Sacramentum accedimus, meminisse debemus, nos ora nostra profluentibus Christi vulneribus applicare, pretiosum illius sanguinem potare, & nos ipsos illius mysterij participes facere. Quoties accedimus os igne spiritali repletur, & lingua tremendo nimis sanguine rubescit: & quotquot huius participes corporis efficimur, quotquot sanguinem degustamus, cogitemus, quod illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, incorruptibili vicinus virtuti, hîc degustamus. Cogita igitur, ô homo, quanta reprehensione digni sint, qui ex pura putaque ignauia, ad hoc tam regale conuiuium accedere intermittunt: & tam augusti thesauri vsum, aut negligunt, aut contumeliosè spernunt. Hi sunt infelices illi Pigri, de quibus Sapiens ait, quod *abscondunt manus suas sub ascella, nec ad os suum applicant eas, & iccirco fame moriuntur*: & quæ maior potest esse ignauia, quam tantillo labore, qualis est, sese ad hoc Sacramentum accipiendum præparare, ab eius sumptione absterreri, & incomparabilis istius thesauri fructibus defraudari?

Hom. 60. & 61. ad pop. Antioch. & hom. 46 in Ioan.

Prouer. 19. 24, & 26, 15.

Quarta. Voluit etiam cælestis sponsus à sponsa sua tenerrimè redamari: ac proindè diuinum hoc philtrum omni mysteriorum genere plenum, tam tremendis verbis sanctificatum decoxit, atque instituit, vt quæcunque anima illud dignè sumeret, è vestigio in illius amorem raperetur: eius amore inebriaretur, vulneraretur que. O mysteriorum mysterium, dignum quod in cordibus nostris tam fixè inhæreat, vt nulla inde oblitione deleatur. Dic mihi, ô homo, quid si Rex aut Princeps quispiam abiectam aliquam seruam, vel ancillam tam perditè amaret, vt eam sibi matrimonio iungere, thori, regnique aut principatus sociam sibi assumere vellet, nonne immensum eius in illam amorem fuisse diceres? Sed & si post nuptiarum solennia, ancillæ istius erga maritum amor refrigesceret, atque ille huius non ignarus philtrum misceret, quo sumpto pristinus amoris calor reuitisceret; decereturne Rex ille, aut Princeps amore infatuatus, vel indignis se modis ancillam hanc deperire? Cur igitur, cur, ô Rex glorię, ardentissimæ illi, atque ineffabili tuę charitati non satis esse visum fuit, animam meam tibi desponsasse, animam dico meam, quæ prius serua erat, diabolo mancipata? sed insuper, cùm eam in amore tuo deficere conspexisses, ei hoc philtrum mysticum confecisti, quod ijs verbis consecratur atque trans elementatur, vt virtutem habeat animam illud comedentis in te transformandi, atque amore tui inflammandi. Nulla res manifestius amorem ostendit, quàm velle redamari. Cùm itaque tam seriò nostrum amorem concupieris, vt eum tanta cum voluptate quæsieris, quis est, qui post hac de amore tuo dubitabit? Certus sum, ô Domine, cùm te amauero; me à te redamari: certus sum quod artibus nouis opus non est ad amorem tuum erga me accendendum, qualibus vsus es tu, vt affectus meos in te raptares.

Simile.

Quinta. Querebat amantissimus ille sponsus occasionem, præsentiam suam sponsæ subtrahendi; Sed cùm amor amantium separationem egerrimè ferat, eo se modo à sponsa seiungere voluit, ne omnino seiunctus ab illa videretur: atque eo modo abijt, vt ex parte aliqua adhuc apud illam permanserit. Cùm itaque nec illi decorum, nec vtile nobis esset, eum diutius in hoc mundo visibiliter permanere, nec quo ille ibat, sponsa tunc venire posset, medium inuenit; quo, licet ille abiret, ista verò hic permaneret, neuter tamen ab altero separaretur: sed amica alter alterius præsentia frueretur. Ad id diuinum hoc, & salutare Sacramentum instituit: per quod anima Christo inseritur, & supernaturali modo incorporatur: idque tam indissolubili amoris vinculo, vt ex vtroque fiat quid vnum. Sicut enim ex cibo, & ex comedente vna fit substantia: eodem modo ex Christo & anima vna fit, in hoc Sacramento, substantia: Dissimili tamen modo, vt ait Augustinus enim hîc, vt illic cibus in substantiam comedentis, sed comedens ipse, in substantiam cibi, qui Christus est, transmutatur.

Simile.

Lib. 7. Confess. cap. 10 & tract. 26. in Ioan.

Sexta. Voluit etiam Christus sponsam suam de regni cælestis hæreditate securam reddere: eique arrham & pignus illius relinquere, vt certa eius expectatione sine tædio hanc peregrinationem, vitæque humanæ molestias superaret. Nulla enim res est, quæ efficacius nos ad eorum, quæ sub sole sunt, contemptum impellit, quàm spes & expectatio eorum, quibus in cælis fruemur. Ideò dixit Christus, cùm iam morti proximus esset: *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* q. d. magnum bonum vobis est, me ire ad Patrem: etsi via ea Christo erat calcanda per flagella, per spinas, per clauos, per crucem, per omnia martyrij genera, atque huius vitæ miserias: res tamen erat inæstimabilis boni, summæque voluptatis. Vt autem Sponsa de huius boni expectatione secura esset, hoc incomparabile pignus illi reliquit: quod quidem tanti valoris est, atque precij, quanti sunt ea, quæ per spem ipsam expectat: ne de promissionibus diuinis diffideret, sed certò crederet quod Deus omnia quæ pollicitus est, dabit in futura gloria, vbi perpetuò per Spiritum viuet, postquam pignus illius in hac miseriarum valle, vbi in carne viuit, non negauerit.

Ioan. 16, 7.

Rom. 8.

Septima. Decreuerat & morte iam imminente sponsus noster testamentum suum condere, & sponsæ suæ magnificum quid legare. Legauit itaque illi pretiosissimum atque vtilissimum omnium diuitiarũ suarum munus, quo maius donare non potuit. Helias iam curru ad cœlum rapiendus, discipulo suo Heliseo pallium dedit, tanquam is qui ampliores diuitias non habebat, quarum posset discipulum suum hæredem instituere: & noster magister, Saluator noster, iam iam ad æthera rediturus, carnem suam, pallium diuinitatis suæ in hoc Sacramento nobis testamento reliquit: nosque per illud tanquam legitimos filios omnium diuitiarum, omniumque meritorum suorum, quasi ex asse hæredes nominauit. Heliseus virtute pallij, quod ex testamento magistri sui habebat, fluctus Iordanis superauit, vt nec immaduerit, tantùm abfuit vt submersus sit: Ita Christi fideles gratia atque energia huius Sacramenti, tranant aquas vanæ huius atque infelicis vitæ, illæsi, & sine vllo labore.

4. Reg. 2.

Denique

Octaua. Denique & Christus de animarum nostrarum cibo atque potu solicitus, eum nobis dedit in hoc Sacramento. Non minus enim animæ cibus suus est necessarius ad spiritualem vitam, quàm corpori suus ad animalem, seu corporalem. Id si negaueris; dic mihi quæso, quæ causa est, cur corpori quotidianum alimentum detur? Causa in promptu est: nimirum quia calor naturalis sine intermissione substantiam corporis nostri consumit, necesse est quotidie nouo alimonio, id quod absumptum erat reparari: sine alimento breui tempore hominis vires deficerent, & omne corporis robur interiret. Vtinam vel ex hac similitudine homines intelligerent, cœlestis huius Sacramenti necessitatem, vnà cum sapientia atque misericordia Institutoris. Non omnibus fortasis cognitum est, nos in membris nostris venenatum quendam calorem circumferre, qui nobis ex peccatorum reliquijs adhæret, & omne bonum quod in homine est, ardore suo absumit. Ille calor nos ad omnem impietatem propensos efficit, & pronos ad omne id, quod exterioribus nostris sensibus iucundum est, & delectabile: quibus modis nos à cultu diuino abstrahit, in illius amore tepidos omninò reddit, ad opera bona pigriores, & ad peccandum efficit alacriores. Cùm itaque Domesticus ille & indefessus exterminator in nobis habitet, stabilemque sedem fixerit, nonne æquum, imò vtile & necessarium est, aliud quid applicare, quo reparetur, quod decoctor ille absumpserat? Si in nobis sit, qui sine intermissione destruat, & nullus qui reficiat, quid illic expectandum aliud, quàm continua consumptio, & præsentissimus tandem interitus? Huius rei nobis argumentum est varia Reip. Christianæ mutatio. In primitiua enim Ecclesia, cùm fideles quotidie de hoc cibo comederent, eius virtute viuebant, & corroborabantur, non tantùm ad mandata Dei perficienda, sed sanguinem etiam cum vita, vbi opus erat, pro amore Dei profundendum: nunc autem maior pars Christianorum, quasi mortua est, quia cibo hoc, aut nunquam, aut raro reficiuntur: quamobrem & fame tandem emoriuntur. Hoc est quod Propheta Esaias conqueritur, *Propterea* inquit, *captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam; & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.* Hanc ob causam expertissimus ille noster medicus, postquam arterias nostras explorasset, Sacramentum hoc, sub specie cibi & potus instituit, vt externis qualitatibus internos effectus, & animarum nostrarum necessitates commonstraret.

Simile.

Effectus huius Sacramenti insignis.

Esa. 5, 13.

Perpende nunc, ô anima mea, an in toto terrarum orbe quispiam maius maioris charitatis indicium dare posset, quàm illud est, quo Deus semetipsum, carnem suam & sanguinem suum nobis in cibum & medicinã propinauit? Legimus in diuersis historijs, matres aliquoties, cùm se in extrema necessitate lethalique fame constitutas cernerent, violentas manus propriis infantibus suis iniecisse, vt se carnibus illorum satiarent, atque ita ex magna viuendi cupiditate, vteri sui filios vita spoliasse, vt ipsæ viuere possent. Huiusmodi exempla reperi apud diuersos auctores, nunquam autem me legisse memini, matrem filiolum, fame morientem, sua carne pauisse, brachium vel crus de corpore suo auulsisse, vt illo moriabundam prolem nutriret, aut in seipsam immisericordem vel immanem fuisse, quo filij misereretur. Non fuit a seculo mater, quæ simile quid fecerit. Qui autem omnes matres superat, & cuius amor omnem naturalem Storgin lõgè vincit, de cœlo descendit: & postquã vidit, quod fame atque inedia moritura esses, ô anima mea, nec alimentũ haberes, quo vitam tueri posses, nisi tibi carnem suam manducandã daret, vltrò se carnificibus mactandum, & ignominiosa morte occidendum tradidit: vt tui virtute cibi huius viueres; idque non semel, sed semper. quem in finem hoc Sacramentum instituit; vt tu inde aliud illius amoris sui colligeres argumentum: sicuti enim ex vno eodemque cibo te sæpius reficit ac nutrit, ita etiam paratus est, & promptus, sæpius idem mortis pro te subire supplicium, si necesse esset.

Nota.

4 Reg 6. Ioseph. 7. Antiquit. Iudaic. c. 8.

Adhæc indefesso tecum animo volue, quomodo sapientissimus ille mundi restaurator, hominem ad antiquam originis sui dignitatem, reducere voluit, & ad sublimem istum gradum per gratiam euehere, à quo per peccatum ciderat. Ergo sicuti è vita, quam datore Deo beatam possidebat, homo excidit, & ad sortem bestiarum rationis expertium sua culpa peruenit: ita voluit Deus ordine contrario, eundem hominem à sorte & vita irrationabilium bestiarum, ad vitam Dei, quam peccando amiserat, exaltare. quare & hoc Sacramentum nobis dedit, cuius effectu homo diuinitatis sit particeps, vitamque agit perpetuò diuinam, quòd Christus ipse testatus est, cum diceret: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Quemadmodum enim ex eo, quod pater in me manet, vita quam ego viuo, per omnia vitæ patris mei, quæ est vita Dei, conformis est: ita etiam ille, in quo ego per Sacramentum hoc sum, & maneo, viuet, sicut ego viuo: ita vt iam non hominis amplius, sed Dei vitam sit ducturus. Hoc enim altissimum illud Sacramentum est, in quo Deus corporaliter sumitur: non quia Deus in hominem mutatur, sed quia homo mutatur in Deum, & quasi Deificatur. Operatur enim diuinus iste cibus in accipientibus dignè, quod verbum in ipso operatur, cùm elementum consecratur. Sicut enim per verbum consecrationis, id quod antea panis erat in substantiam Christi transelementatur: ita is qui antea homo erat, per virtutem huius communionis, mirabili quodam modo Deificatur, aut in Deum transmutatur, adeò vt, quemadmodum panis ille sanctus aliud reuera est, & aliud esse apparet; aliaque res ante consecrationem, & alia post consecrationem existit: ita qui ex eo comedit, alius est ante communionem, & alius post illam: apparet etiam exterius alter, ab eo, qui interius reuera existit, secundùm hominum enim iudicium homo est, sed spiritus intus latitat diuinus, & quasi Deificatus. Quæ dignitas augustior esse poterit? quod munus magnificentius? quod beneficium opulentius? quod charitatis manifestius indicium? Taceant hîc omnia naturæ opera, omnia hîc gratiarum munera & charismata obmutescant: opus enim hoc omnia alia opera superat, & hæc gratia inter omnes gratias plurimis titulis excellit. O admirabile Sacramẽtum, quid de te dicam? quibus ego te ignitis laudibus efferam? tu es vita animarum nostrarum, & vulnerum nostrorum medicina: tu solatium miserorum: tu Christi Iesu commemoratio; tu charitatis eius testimonium, & testimenti eius pretiosum legatum: tu peregrinationis nostræ viaticum, miseriarum nostrarum gaudium, diuini amoris fomentum, & gratiæ diuinę canalis: tu denique pignus æternæ salutis, & thesaurus vitæ Christianç. Hoc cibo anima nostra suo sponso arctissimo nexu iungitur, hoc intellectus noster illuminatur, memoria viuificatur, & voluntas amore inflammatur: gustus internus hoc cibo recreatur, deuotio augetur, interiora omnia liquefiunt. Hoc cibo fontes lachrymarum aperiuntur, prauæ inclinationes reprimuntur, pia desideria excitantur, infirmitas nostra corroboratur, spiritusq; fortitudo datur, vt indefessi ad montẽ vsq; Dei ambulemus. Quę lingua magnitudinẽ huius Sacramẽti posset effari? quis pares huic

Per Eucharistiam homo ad antiquam dignitatem reducitur.

Ioan. 6, 54. & 56.

Alius Eucharistiæ effectus plane diuinus. Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 4. & 5.

Singularis effectus huius Sacramenti

huic tanto beneficiò gratiarum actiones vnquam poterit dicere? quis non in lachrymas resolueretur Deũ videns secum, & se cum Deo realiter & corporaliter vnum effectum? Verba deficiunt, & intellectus obstupescit, cùm quis virtutem cœlestis & excelsi huius mysterij commemorare præsumit? O quod gaudium, quæ voluptas, quæ dulcedo, quę vitæ suauitas in anima iusti inuenitur, ea hora, qua tremendum hoc & adorandum Sacramentum sumit? Nihil in ea aliud quàm dulce melos hominis interioris, suspiria desideriorum, suauissima gratiarum actionum cantica, & sponsi amantissima epicedia. Deuota etenim anima venerabilis istius Sacramenti virtute tota renouatur, plena iubilationis, pietate omnigena refocillata, pace interna saginata, in fide corroborata, in spe erecta, & indissolubili amoris vinculo charissimo suo Sponso copulata. Hinc est, vt talis anima quotidiè magis magisque amore diuino flagret, ad omnes tentationum assultus fortior, ad omnem laborem alacrior, in omni opere cautior, & ad tanti Sacramenti mysterium, sæpius percipiendum maiori excitetur apetitu.

Talia, Domine, sunt dona tua, talia sunt charismata tua, & tales amoris tui illecebræ, quas dilectis tuis tribuere consueuisti, per huius Sacramenti perceptionem: vt immensa atque incomparabili huius dulcedinis voluptate capti, omnem vanam atque fallacem mundi lætitiam fastidirent. Aperi igitur, ô melliflue hominum amator, hac hora, aperi, ô lux diuina, interiores fidelium tuorum oculos, vt radijs syncerę fidei illuminati, te agnoscant, dilata corda eorum, vt vitam mandatorum tuorum currant, te in se suscipiãt, atque ita per te erudiantur, vt te quærant per te, te lumen in lumine tuo videant, in te quiescant, & omninò tecum huius sacramenti beneficio vniantur: non aliter, atqui membra capiti, & palmites vineæ solent adhærere, vt per virtutem tuam viuant, & gratiarum tuarum influentijs, sine intermissione fruantur, in secula seculorum, Amen.

DIE MARTIS MEDITATIO SECVNDA SVB AVRORAM.

DE ORATIONE CHRISTI IN HORTO, ET quomodo à Iudæis captus est.

TEXTVS.

Matth.26. Luc.22. Marc.14. HYMNO dicto egressus est Iesus cum Discipulis suis, trans torrentem Cedron. Cumque venisset in villam, quæ dicitur Getsemani, dixit illis; Sedete hic donec vadam illuc, & orem. Assumpto autem Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari, pauere, & mœstus esse: & ait; Tristis est anima mea, vsque ad mortem. Sustinete hic, & vigilate. Et ipse progressus pusillum, procidit in faciem super terram, & dixit: Abba pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Et cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia, & ait Petro. Simon dormis? Non potuisti vna hora vigilare mecum? vigilate & orate, vt non intretis in tentationem, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et iterum secundo abijt, & orauit eundem sermonem, dicens: Pater mi, si non potest transire hic calix, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et reuersus venit, & iterum inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati, & ignorabant quid responderent ei. Et relictis illis iterum abijt, & orauit tertiò, eundem sermonem dicens. Apparuit autem Angelus illi de cælo confortans eum: & factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Tunc venit tertiò ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam, & requiescite: sufficit. Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradet.

Et adhuc eo loquente, ecce Iudas Ischariotes vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus. Iudas autem antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum. Dederat enim eis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè. Et cum venisset, statim accessit ad Iesum, dicens: Aue rabbi. & osculatus est eum. Iesus autem dixit illi: Amice, ad quid venisti? Et ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, Simon Petrus exemit gladium, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit illi auriculam eius dextram. Erat nomen seruo Malchus. Dixit autem Iesus Petro: Conuerte gladium tuum in vaginam. calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum? Et cùm tetigisset auriculam Malchi, sanauit eum. In illa hora respondens Iesus, dixit ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores. Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus, comprehendere me, quotidie eram apud vos, docens in templo, & non extendistis manus in me, neque tenuistis me. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. At illi accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum: & comprehendentes ligauerunt eum, & adduxerunt ad Annam primùm: erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius: Tunc Discipuli eius omnes relicto eo fugerunt.

MEDI-

MEDITATIO IN HVNC TEXTVM.



QVid agis, ô anima meâ? non est modò tempus dormiendi, surge & vade mecum in hortum Getsemani, ibi res admirandas audies: ibi inaudita videbis, inquam, ibi, quomodo Lætitia contristatur, Fortitudo timet, Virtus deficit, Maiestas confunditur. Altitudo humiliatur, & Gloria extinguitur, atque obfuscatur. Primùm itaque meditare, quomodo Dominus, peracta cœna mystica cum discipulis suis exiuit in montem Oliueti, oraturus Patrem, priusquam in certamen passionis suæ descenderet. nos exemplo suo erudiens, quòd in omnibus huius vitæ angustijs, tentationibus, atque periculis, ad orationem, tanquam ad Asylum refugere debeamus. eius enim virtute omnis molestia vel auferetur, vel minuitur. Sin minus, fortitudo saltem nobis datur ad ea. quæ præmunt fortiter perferenda. quæ sane gratiarum diuinarum nequaquam est infima. Maius enim nobis, inquit Gregorius, pater cœlestis præstat beneficium, cùm robur & vires largitur ad perferendas vitæ huius molestias & calamitates, quàm si easdem prorsus à nobis auferret.

In omni tribulatione ad orationem recurrendū.

Greg. lib. 13. Moral. in fin. & lib. 33. cap. 23.

Comites huius itineris Christus tres dilectissimos suos discipulos assumpsit, Petrum, Iacobum, & Ioannem: qui paulò antè etiam testes fuerant glorioſissimæ suæ Transfigurationis: vt viderent quam dissimilem ab illa nunc formam & conditionem humanæ salutis causa assumeret, is, qui nuper tam glorioſum se oculis eorum ostentârat. Vt autem indicaret internas animi anxietates non fuisse minores, quàm quæ exterius apparebant, mœrore animi in hęc verba prorupit. *Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hic, & vigilate mecum.* Erat hic Deus & homo, erat omni humanitate excelsior, & omni creatura præstantior: qui consilia sua cum corde Altissimi agitat, quo cum solo mysteria sua cõmunicat, is nunc ad eũ mœrorem deuenit, vt vires & solatia creaturarum suarum in partem dolorum inuocet: & hos qui in comitatu suo sunt, oret & dicat: *Sustinete hic, & vigilate mecum.* O cælorum diuitiæ, ô summa beatitudo quis te in hanc angustiarum abyssum præcipitauit? quis te ad hanc indignitatem adegit? quis vt à proprijs tuis creaturis solatium emendicares compulit? nisi solus amor, vt eas munificentius ditares? Dic mihi Saluator melliflue, quid mortem nunc exhorrescis, quam paulò antè desiderio magno desiderabas? cum voti compotes facti non tam dolere soleant, quam præ gaudio exultare: Martyres tui non eam habuêre fortitudinem, quæ in te est: sed exiguam tantum illius portiunculam, quæ à te, qui fons omnis es fortitudinis, promanârat, & tamen magna cum voluptate, inuictoque animi robore ad supplicia properabant: & tu, qui auctor & largitor omnis gratiæ & fortitudinis es, tu, inquam, tristaris, & mortem extimescis? Verè Domine metus iste non tuus, sed meus est, sicuti è contra martyrum fortitudinem non illorum, sed tuam verè fuisse non inuiti fatemur. Tu times ea parte quam de nobis assumpsisti, martyres inuicti & imperterriti fuêre hac parte quam à te acceperant. Infirmitas humana in metu Dei sese prodit, & fortitudo Dei in infirmitate humana elucescit: ita vt horror ille tuus, meus: & robur illorum tuum sit. atq; ideò mea fortitudo tua est ignominia, tua verò mea est gloria. Protoplasto Adę sublata est costa, vt mulier illi formaretur, & in locum costæ durioris caro mollior succesſit. Quid hoc aliud est, quàm quòd Pater cœlestis, à te, qui secundus Adam es, fortitudinis gratiam abstulit, vt eam Sponsæ tuæ Ecclesiæ daret: & ab ea sumpsit infirmitatem, quam tibi vicissim reddidit? Hinc mulier fortis, & tu imbecilis, illa virtute tua inuicta, tua imbecillitate illius infirmus. Duplex in hoc ô cœlestis Pater, beneficium tuum agnosco, dum pietati tuæ non satis esse visum est, vt tu tuis nos diuitijs operires, sed & tu nostra etiam inopia atque miseria vestiri voluisti. Propter vtrumque sine fine te collaudant Angeli, dum nec proprijs diuitijs pepercisti, nec miserias nostras exhorruisti. Quid igitur faciam aliud, quam vbi me tua misericordia diuitem videro glorier in te? & vbi te mea inopia afflictum cõspexero, tecum doleam, tibi compatiar, tui me misereatur? Prius illud causa mihi gaudij erit: posterius verò materiam doloris subministrabit. ideoque & cum exultatione cantabo, & mysteria tuæ passionis deplorabo: iugique studio librum Ezechielis iucundo carmine, tristiq; vę conscriptũ voluam & reuoluã.

Tristitia Christi. Matt. 26, 38.

Ezech. 2.

Cum itaque Christus sermones suos iam finisset, *aut sus est à discipulis suis, quantum iactus est lapidis: & positis genibus* (summa cum reuerentia) *procidit in faciem, & orauit, dicens: Pater, si possibile est, transfer calicem istum à me. Verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua: & cùm iam tertiò eadem oraſſet factus est in agonia. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, ita vt magnæ sanguinis glumæ, à membris & vestimentis decidentes, terram purpureo colore tinxerint. Contemplare igitur, ô anima. Deum tuum in tanta angustia cum morte luctantem, & vide quomodo omnia hîc tormenta & supplicia, quæ illi imminebant, oculis ipsius repræsentantur. & quomodo viuacissima sua imaginatione, singula etiam minutissima quæque tenerrimo ipsius corpori præparata, percepit, & quasi præsenſit. Aspice quomodo & mundi totius peccata illi proponantur, pro quibus solus ille lueret: quibus accedebat impudentissima hominum ingratitudo, qui redemptionis beneficium vilipenderent, & medicinam hanc magnam, quæ Christo tot sumptibus & laboribus constat, inutilem sibi redderent, & infructuosam. Quæ ingratitudo tam vehementer animam Christi afflixit, tam grauiter internos externosque eius sensus cruciauit, vt mœrore nimio, omne carnis robur, omnisque corporis vigor conciderit, & poris omnibus apertis, non tantum sudor, sed & copiosus sanguis in terram profluens manârit. Si tanta afflictione caro premebatur, meditare quæso in qua anxietate & pressura nobilis illa Christi anima fuerit: quæ tormentorum dolorumque memoria reipsa cruciabatur. In alijs hominibus, si quando repentino metu atque dolore obruuntur, sanguis ad præcordia fluit, & alia membra calore & vigore suo destituit, vt principibus membris succurrat. Sed in Christo omnia fiunt contraria: Voluit enim pati sine vllo vel auxilio, vel solatio, vt superabundantior atque absolutior nostra esset redemptio, quare nec exiguum illud naturę subsidium voluit admittere.

Luc. 22. 41. Matt. 26. Luc. 23.

Sanguineus Christi sudor

Contemplare etiam Dominum in hac palestra luctantem, & perpende non tantùm animæ afflictionem, sed vultus etiam ipsius beatissimi formam, & constitutionem. Sudor plerunque vel in fronte, vel circa oculos primum erumpere consueuit: cùm itaque è toto corpore Christi sanguineus ille sudor vberrimè dimanauerit, quomodo putas pellucida frons eius, quæ solem ipsum illuminat, sudore & sanguine maduerit? quomodo putas facies eius, quam cæli cælorum reuerentur, cruentis glumis, guttisque deturpata roruerit? Solent qui se mutuò amant, ingruente mortis hora, amici faciem intueri, coloris mutationem, aliaque accidentia, quę morbum ferè mutant, indefessis oculis obseruare: Tu igitur, ô anima mea, quomodo affecta es, cum benedictum sponsi tui vultum intuens, tot mortis indicia, tantam coloris

Christi tristitia nostra.

Notandum.

vides

vides mutationem? Qualia & quanta erunt, quæ subsequentur, tormenta, si in morbi exordio tam grauiter laboret? quis illi animus erit, cum illa patietur supplicia, ad quorum solam memoriam, sanguinem vbertim sudat?

Si in hac agonia dilectissimi Domini tui, ô homo, misericordia & compassione non mouearis: si sanguinem & aquam Saluatore tuo sudante, oculi tui lachrymarum riuos non educant, certus sis te cor lapideum habere, & quouis adamante durius. Quod si amor tantus non sit, vt indulgere lachrymis queas, saltem ob multitudinem peccatorum tuorum, quæ causæ dolorum angustiarumque Christo fuerunt, in lachrymas resoluere. Carnificum satellites nondum flagris eius corpus laniant, nondum milites corona spinea eius tempora perterebrant, nondum claui, nondum lancea sanguinem illius eliciunt: sed peccata tua sunt carnifices, qui eum flagellant, spinæ quæ eum pungunt, claui & lancea, quæ sanguinem fundunt, & graue onus quod inauditum hunc exprimit sudorem. O quam magno tibi constitit, Saluator benignissime, nostra redemptio? Tu verus mihi Adam es, qui propter peccata mea Paradiso expulsus, in sanguineo vultus tui sudore panem lucraris, quo me alere decreuisti.

Agonia Christi causæ peccata nostra.

Gen. 3.

Considera præter hæc omnia, partim arduum Christi certamen, & indefessas eius vigilias: partim etiam profundum Apostolorum somnum, & reperies in hac collatione singulare mysterium. Nihil enim in hoc mundo magis admirandum est, quàm quòd homines tam negligenter, atque securè viuunt, nec maiorem suæ salutis curam habent: quam veluti rem nullius momenti existimant. Et sanè quid nobis magis suspectum esse debet, in re tam magni ponderis, supina negligentia? Ne autem & tu in simile vitium prolabaris, animaduerte quid agat hîc Christus, quid agant eius discipuli. Considera piam Christi solicitudinem & curam, quæ tanta in illo fuit, vt sua violentia toto corpore sanguinem manare fecerit. Econtra vide periculosam discipulorum securitatem, quomodo tam profundum dormiant somnum, vt nec pij Magistri sui anxietates, nec periculosum iter in quo erant constituti, nec obscuræ noctis tenebræ, in quibus ambulabant, eos ad vigilandum mouere potuerunt. Memento etiam quantæ molis erat Christianam condere gentem, & genus humanum redimere, si etiam ille, qui cælum fundauit & terram, ad solam laborum memoriam sanguinem sudârit? Homines hæc paruifaciunt: oculi eorum grauati somno, & corda sine vlla sollicitudine, etiam tunc, cùm omnium Dominus & creator pro ipsis excubat, & anxia cura cruciatur, soporantur. Quid posset esse iniquius, & ab omni ratione alienus, quàm Deum pro alienis malis solicitum esse, & eos in quorum perniciem hæc mala vergunt, nulla solicitudine teneri?

Somni Apostolici mysterium.

Ex hac solicitudine & cura Dei manifestissimè colligitur, eum verè patrem nostrum esse: quia paterna cura nos regit, atq; tuetur. O quoties filius malè securus, totam noctem stertit, & pater anxiè solicitus est, quibus modis filium iuuare, eumque promouere possit. Simili modo & hic Pater cælestis, pius & misericors, dum nos nullam salutis curam habemus, sed in vtramque aurem dormimus, vti & hic Apostoli faciunt, ille totam noctem vigilat, ille totam noctem desudat, ille totam noctem pro nostra salute luctatur & decertat.

Paterna Dei cura.

DE SALVATORIS NOSTRI captiuitate.

POrrò, ô anima mea, meditare, quomodo finita iam Christi oratione, infidus ille amicus Iudas, cum infernali suo comitatu huc aduenerit, & qui paulò antè electus erat Apostolus, nunc relicto Apostolatu, Dux Satanicæ cohortis factus fuerit, & Antesignanus. Vide quomodo depositio omni pudore, ante alios omnes primus in ordine incedat quomodo ad Christum Magistrum suum veniat, eum osculo perfidè pacis vendat atque tradat. Misera res est hominem pecunia vendi, miserior amicum ab amico vendi, & ab eo, in quem plurima contulit beneficia, Christus venditus est ab eo, quem non tantùm discipulum legerat, sed quem ad summum Apostolatûs culmen euexerat: venditus est fraude atque proditione, venditus inquam emptoribus crudelissimis, qui nihil aliud quam pellem & sanguinem eius quærebant, ad barbaram suam rabiem satiandam. Sed quo pretio venditus? Vile pretium auget dolorem, & rei indignitatem. Dic mihi Iuda quanti Dominum tuum, & omnium creaturarum inscripsisti? *Triginta denarijs.* Hem vile pretium, & tanto Domino indignum: Vile pecus in foro maioris emititur, & tu tantundem Deum vendis? Non tam vilem & abiectum ille te æstimauit, qui iam paratus est, te, suo sanguine mercari. O quam pretiosus homo, & quàm vilis Deus? Deus venditur triginta denariolis, & homo eiusdem Dei sanguine redimitur.

Proditor.

Pretium.

Matth. 26, 15

Eadem hora Dominus dixit ad eos, qui se captum venerant: *Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus, ad comprehendendum me. Quotidie apud vos sedebam, docens in templo, & non me cepistis. Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Hoc mysterium magnum est admirandum. Quæ enim res maiorem admirationem atque stuporem nobis adferre posset, quàm videre filium Dei, non tantum formam peccatoris, sed hominis etiam scelesti atque damnati assumpsisse? *Hæc*, inquit, *est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Ex quibus verbis facilè colligimus, innocentem istum Agnellum, ea hora, Principibus tenebrarum traditum fuisse ad mactandum: vt scilicet illi per membra atque ministros suos, omnem iram, furorem, rabiem, atque crudelitatem, quæ maledicta ipsorum mens excogitare posset in illum effunderent. Et sicuti simplex ille & iustus Husita, permissione diuina Satanæ potestati traditus est, vt quibuscunque ille vellet supplicijs atque flagellis exciperetur: ita & Christus potestati Principum tenebrarum permittitur, etiam sine vitæ aut mortis exceptione, sed vt quomodocunque vellent, illum laniarent, lacerarent, excarnificarent. Hinc ingens illa in Christum rabies: hinc variæ illusiones: hinc opprobria: hinc contumeliæ à seculis inauditæ, quibus spiritus illi nequam, odium atque inuidiam suam in vltionem suæ reprobationis in Christum euomuerût: vt beatam eius animam, si fieri posset, ad impatientiâ impellerent. *Ostendit mihi Dominus*, inquit Zacharias, *Iesum sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini, indutum vestibus sordidis, & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Saluator autem respondet ei, & illud Dauidis pro se allegat: *Prouidebam Dominum conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear.*

Matth. 26, 55

Luc. 22, 53. Matt. 26.

Iob 1.

Zach. 3, 3.

Psalm. 15, 8.

Considera hîc, ô anima mea, quàm profundè sese diuina Celsitudo propter te peccatricem humiliauit. Ecce iam ad extremam calamitatem deuenit, adeò vt diabolo, & eius satellitibus iam traditus sit, tu huiusmodi supplicia promeritus eras, ille autem ea in se suscepit, vt te ab omni pœna liberaret. O Propheta sanctissime,

sanctissime, quid miraris Deum Angelis factum inferiorem? mirare iam cùm eundem arbitrio & voluntati dęmonum videas condonatum. Reuera cælum & terra contremiscunt, ad tantę humilitatis atque amoris spectaculum. Psalm. 8.

Hæc cum locutus esset Christus, tota illa famelicorum luporum turba, in mansuetissimum Agnum irruit, & nunc ad dextram, nunc ad sinistram partem raptantes, pro libidine sua in illum sæuierunt. Ah quàm crudeliter illum habuerunt? quàm contumeliosè illum alloquuntur? quot verberibus illum contuderunt? quis ibi tumultus? quis clamor fuit? *sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia*, sic crudeles illi ministri tumultuabantur. Beatissimas eas manus, quæ paulò antè tot miracula ediderãt, corripientes duris funibus constrinxerunt, adeò vt etiam cutem raderent, & à carnibus defricarent, sanguinemque ex vnguibus exprimerent. atque ita ligatum per publicas plateas, tanquam in communi vrbis supplicatione, vel triumpho, magna cum ignominia circumduxerunt. O spectaculum horrendum, & omnium creaturarum oculis indignum. Perpende tecum, ô anima, si quem virum magnæ auctoritatis, optimeque de Rep. meritum noueris, eumque videris in potestatem Magistratus, aut Iudicis traditum, per publicas plateas manibus in modum crucis colligatis, & collo funibus implicato, magno cum tumultu, populi concursu, & armorum strepitu circumduci, quis tibi animus esset? contemplare igitur summæ reuerentiæ Dominum, de tota illa prouincia, quam tot beneficijs cumulârat, tot miraculis illustrè reddiderat, tot concionibus viam salutis docuerat, longè optimè promeritum: ad quem omnes languidi, claudi, cœci, dæmoniaci, atque alij alijs morbis afflicti, refugium habebant, ab eo sanitatem recipientes: contemplare inquam hunc, per publicum, sine vllo personæ, aut beneficiorum eius respectu, contumeliosè duci: ita vt partim pedibus incedat, partim funibus protrahatur. ad eum incessum compellentibus illum satellitibus, non qui grauitati aut dignitati personæ conueniebat: sed qui impiorum istorum libidini, pro amore placendi Pharisæis, præde quæ iam in illorum vnguibus erat inhiant bus, satisfaciebat. Diligenter perspice quid in hoc actu agatur. Incedit, aut potius trahitur hic Christus à discipulis derelictus, ab hostibus captus, ignominijs oppletus, anhelo spiritu, mutato colore, suffusus rubore, damnati hominis incessu pudibundus. Nota præterea, quod in hac etiam indignitate vultum seruet immotum: vide quantus ex oculis eius fulgor prodeat, quàm sereno aspectu, etiam in medijs illusionibus, quemcunque obuium intuetur, quem nullæ contumeliæ potuerunt obnubilare. Attolle oculos altiùs, & præpara te ad contemplandum quis sit ille, quem cum tanto dedecore atque opprobrio duci conspicis. Hic est Verbum Patris, æterna Sapientia, infinita Potentia, summa Bonitas, perfecta Salus, vera Gloria, lucidissimusque fons omnis pulchritudinis & claritaris. Meditare quòd tuæ salutis, tuæque sanitatis gratia, hic fortitudo stet alligata, Innocentia capta, Sapientia derisa, Honor confusus, Gloria afflicta, & fons omnis claritatis lympidissimus, gemitu & lachrymis turbatus. Si Heli Sacerdos capta Arca Domini, tanto dolore consternatus sit, vt ceciderit de sella, in qua sedebat retrorsum, iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus fuerit; quo quæso dolore fidelis anima hic percelli debet, cùm videat Arcam omnis Sapientiæ Dei captam abduci, & in huiusmodi hostium potestatem tradi? Ideò laudabunt illum cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, *quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum*, nec spreuit suspiria illorum, quia & ipse compediri voluit, vt nos à compedibus & captiuitate diaboli liberaret. Isa. 9. 3. 1. Reg. 4. Pfal. 101. 20.

DE HIS QVI CHRISTO MANVS MYSTICÈ VINCIVNT.

PRopterea, ô benignissime atque dulcissime Saluator, quia compedibus vinciri voluisti, quibus captiuitatem nostram destrueres, & nos pristinæ libertati restitueres, per viscera misericordię tuæ te deprecor, quæ te adhæc omnia suscipienda atque toleranda permouit, ne me in tantam ruere impietatem patiaris, vt manus tibi, instar Iudæorum, vinculis constringam. Non enim illi tantùm, sed & is manus tuas compedibus innectit, qui sanctis tuis inspirationibus reluctatur, qui sequi recusat te ducentem: & qui accipere dedignatur, quod tu largiri dignaris. Constringit & ille manus tuas, qui proximum suum offendit, eumque prauo suo exemplo à pio proposito abducit, atque in bonis operibus impedimento est, quæ tu in illo eras iam auspicatus. Ligant etiam manus tuæ liberalitatis, & misericordiæ, qui tibi nec credunt, nec confidunt. Vt enim fides & spes manus gratiarum tuarum soluunt & aperiunt: ita diffidentia atque incredulitas eadem ligant & claudunt: id quod innuit Euangelista, cùm dicit, *quod in patria tua non potuisti facere virtutem vllam, nisi quod paucos infirmos curasti, idque propter incredulitatem incolarum.* Vinciunt adhæc manus tuas, & obstruunt fluxum gratiarum tuarum hominesin negotio salutis suæ negligentes, & ingrati. Ingrati, quia ob beneficia sibi collata, gratiarum actiones tibi non referunt; Negligentes verò, quia gratiam quæ offertur, aut nolunt accipere, aut accipiunt in vanum. Postremò manus tuas arctissimè stringunt illi, qui ob charismata ac dona spiritualia, quæ multifariè à te perceperunt, superbiunt, & inani gloria iutumescunt; id enim facientes se omni gratia indignos faciunt: quia æquum non est, vt eos tuis donis beare pergas, qui ex ijs occasionem peccandi captant, aut eos nouis gratiarum diuitijs cumules, qui priorum vsuras aut tributa gratiarum actione non persoluunt, sed qui tanquam proditores & fures ijs abutuntur, & gloriam, atque honorem, qui soli tibi debetur, sufurati, sibijpsis adscribunt. Eodem modo, Domine & hoc ausim dicere, etiam homines leues & iactabundos, qui consolationes internas, & deuotionis incentiua, quæ à Spiritu tuo clam sibi donantur, non celant: sed ventosa lingua vbique venditant, tuis manibus vincula inijcere. Quemadmodum enim viri cordati, & longa experientia prudentes, infidelibus, huc atque illuc perfluentibus hominibus, sua secreta non committunt, eò quod silentio ista fideli celare nequeunt: ita & tu Domine non soles tua mysteria ijs cõcredere, qui sine legitima causa vrgente, alijs ea produnt, & occasionem vbique maiorem inanis gloriæ, & spiritalis superbiæ ex ijs aucupantur. *Varijs modis Christi manus ligãtur.* 1. 2. 3. Marc. 6, 5. 4. 5. 6. *Simile.*

P DIE

DIE MERCVRII.

QVOMODO CHRISTVS ANNAE, CAIPHAE, PILATO, ET Herodi sistitur: & ad columnam flagellatur.

TEXTVS.

Matth.26. Marc.14. Luc.22.

POstquam Iesus præsentatus esset Pontifici Annæ, statim interrogauit eum Annas de discipulis suis, & de doctrina eius; Cui respondit Iesus; Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil: quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis: Ecce hi sunt, qui sciunt quid dixerim eis. Hæc cum dixisset, vnus assistens, ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Iesus. Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Annas autem vinctum eum misit ad Caipham, vbi legis, periti & seniores erant congregati. Princeps verò sacerdotum, & omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent; & non inuenerunt. Multi testimonium falsum dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt; Nos audiuimus eum dicentem; Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud: & non erat conueniens testimonium eorum.

Surgens Princeps Sacerdotum interrogauit Iesum dicens; Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit; Tu dixisti, ego sum. Verumtamen dico vobis. amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.

Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens; Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? quid vobis videtur? Et respondentes dixerunt omnes; Reus est mortis. Tunc viri qui tenebant eum, illudebant ei, cædentes, & expuerunt in faciem eius, & velauerunt eum: alij autem palmas & colaphos in faciem eius dederunt. Et interrogabant eum, dicentes; Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?

Et confestim manè consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus & scribis, & vniuerso concilio, Iesum vinctum abduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi, & cœperunt eum accusare, dicentes; Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem nostrum esse. Pilatus autem interrogauit eum dicens, Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait; Tu dicis.

Et cùm accusaretur à Principibus sacerdotum, & senioribus, non respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum; ita vt miraretur Præses vehementer. Pilatus dixit Principibus Iudæorum & populo. Ego nullam inuenio in eo causam. At illi inualescebant dicentes: Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.

Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit, si homo Galilæus esset? Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.

Herodes autem viso Iesu gauisus est valdè; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de eo. & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem eum Herodes cum exercitu suo & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

Per diem autem solennem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent: habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis autem illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Iesum qui dicitur Christus? Responderunt ei: Non volumus hunc, sed Barrabam: qui propter seditionem factam in ciuitate, & homicidium captus erat. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes; Crucifigatur. Tunc dimisit illis Barrabam, Iesum verò tradidit vt flagellaretur.

Multa

MVlta tibi occurrunt hodie meditanda, ô anima mea, habes & multas stationes celebrandas: Diuersa enim ad loca Christum sequi debes, nisi cum profugis discipulis, & tu terga vertere Christumque maliis deserere: aut segnior sis, vixque laborem reformidas, quam Christus lubens pro te calcauit. Ad quatuor diuersos iudices hodie ductus est Seruator: ad quatuor diuersa tribunalia raptus, & in singulorum iudicum ædibus, malè pro te mulctatus, soluens nomina, seu debita quæ tu, ô anima mea, feceras. In primis ædibus cæditur alapa, in secundis velatur & conspuitur; in tertijs irridetur; in quartis flagellatur, spinis coronatur, & morti adiudicatur. Meditare nunc cuiusmodi sint processiones istæ, & cuiusmodi viæ istæ, quas Christus hodie ambulauit: tales enim sunt, vt qui sequeretur Christum, & animo deficeret, & terram sanguine suo signaret.

Quatuor diuersis tribunalibus sistitur Christus.

Age igitur accingamus nos itineri, & ad primam stationem veniamus, quę habita est in domo Annæ. Contemplare hic quomodo, cum Christus Pontifici, de doctrina & discipulis suis percõtanti, optimè responderet, quidam ex sceleratis istis militibus astans, Christo colaphum infregit, dicens: *siccine respondes Pontifici?* Cui benignè respondens, ait: *si malè locutus sum, testificare de malo, si benè cur me cædis?* Examina hic ô anima mea, non tantùm benignum hoc Christi responsum, sed & eius speciosum intuere vultum, qui ex durissimo hoc colapho contusus, sugillatus, & liuido vultus dehonestamento est commaculatus, nec tamen vultus constantiam, nec animi amittit modestiam. Intuere lumen oculorum placidum, animum tanta iniuria non perturbatum, sed mitem, & paratum etiam alteram præbere genam, si carnifex ille voluisset. O rea & scelerata manus, quæ ausa est violare faciem illam, ad cuius maiestatem cæli cælorum sese inclinant: quam adorant Angeli, & Archangeli, tremuntque Cherubin, Seraphin, & quidquid creatum est. Quid commeruit quod ausus fuisti diuinam hanc Patris imaginem tam turpiter commaculare: & speciosissimum inter filios hominum, tam indignis modis contaminare?

Christus ad Annam ducitur.

Matth. 26.

Christus alapa cæditur.

Cæterum non erit hæc vltima noctis huius macula, vel iniuria. Sed post indignum hoc facinus, Seruatorem ex aula Annæ ad palatium Caiphæ raptarunt. Egredere ergo, sponsumque tuum comitare ô anima mea. Videbis hic Solem omnis claritatis obscurari, & faciem, in quam prospicere desiderant Angeli, conspui, mucco, saliua, atque oris excremento fœtidissimo cooperiri. Audies hic Christum adiurari per Deum viuentem, vt, quis sit, dicat: & quomodo Christo placidissimè respondente, illi, qui responso tam sublimi & mystico indigni erant, ad tanti luminis claritatem excęcati, tanquam canes rabidi insilientes, omnem iram, furentemque indignationem in eum euomuerunt. Audito enim responso viritim corpus eius cædunt, vellunt, lacerant, in faciem eius ex imo pectore excreantes expuunt. Obuelant faciem eius, cædunt eam, & alapas dant, dicentes: *Prophetiza nobis Christe; quis est, qui te percussit?* O incredibilis, & inaudita filij Dei patientia. O pulchritudo & decor Angelorum, hæccine facies erat digna, vt conspueretur? Homines, quando volunt expuere, auertunt faciem, & in obscurum immundumque angulum saliuam purulentam deponunt: sed in toto hoc palatio non erat tam abiectus angulus, in quem expuerent scelerati isti satellites, quam fuit Christi facies. Cur hoc exemplo non humiliaris cinis & puluis? Tacet Deus cum conspuitur & irridetur. Iram suam castigant, & manus vindices continent Angeli, & omnes creaturę, videntes filium Dei, mundi, & omnium rerum Conditorem indignis modis tractari: & vermiculus nihili, vilissimusque homo mundum sursum & deorsum vertit, nullus iræ, nullus vindictæ finis aut modus, cũ vel gloriæ, vel honori eius, etiam minima calumnia quidquam detrahitur. Quid miraris, ô homo, Deum adeò contemptum, tam indignè in hoc mundo habitum, cùm ad mundum à superbia curandum huc venerit? Si medicinæ acrimoniam mireris, aspice vulneris grauitatem, & agnosces tale vulnus talem curam postulasse: præsertim cùm necdum ista medicina vulnus hoc omninò curatum sit. Tu miraris quod Deũ hoc modo vides humiliatum, ego verò magis miror, quod te videam, in omnibus tam superbum: tu miraris quòd Deum vides seipsum ad puluerem vsque terræ abijcere, ego miror, quod puluis & terra sese supra cælos exaltat, & sedem suam supra Altissimum ponere non erubescat.

Christus Caipha præsentatur.

Christus conspuitur.

Et quare non est sufficiens exemplum istud ad delendam superbiam huius mundi? Christi humilitas potuit iratum cor Dei placare, & non poterit vincere cor tuum illudque mitigare? Dixit Angelus ad Patriarcham Iacob: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti: quanto magis contra homines prævalebis?* Et si humilitas atque mansuetudo Christi, contra furorem indignationemq; diuinam prævaluerit, contra tuã superbiam non prævalebit? Si ea cor tam potens, quale fuit illud irati Dei, expugnare, atque mollire potuerit, quomodo nostrum non expugnabit? Vehementer admiror, quomodo hac patientia tua non molliatur ira, hac humilitate tua non confundatur superbia, his illusionibus tua non vincatur præsumptio, hoc tam profundo Christi silentio, inter tot plagas atque irrisiones, tuæ non sopiantur querelæ, quæ passim ex ore tuo procedunt, cum fama lęditur, fortunę diripiuntur. Admiranda sanè res est, videre Deum tanta iniuria, tot verberibus & contumelijs, quasi armis, regnum nostræ superbię excindere atque euertere voluisse: sed magis admirandum est, quòd post tot Christi labores atque dolores, adhuc in terris supersit Abimelechi, hoc est, Superbiæ memoria, & istius progeniei tam impiæ etiamnum reliquias apud nos remanere. Iccircò tu, ô bone Iesu, medere quæsò exemplo humilitatis tuæ vulneribus superbiæ meæ, posteaquam magnitudo vulnerum plagarumque tuarum manifestè mihi testetur, Medico mihi opus esse, & quidem experrissimo.

Christi patientia & humilitas iræ & superbiæ nostræ medicina.

Gen. 32, 28.

1 Reg. 15.

QVÆ TORMENTA, QVOS LABORES, & quas molestias Christus pertulit in illa nocte suæ passionis, & de negatione D. Petri.

POstquàm hæc meditare, quanta tormenta, quantasq; molestias pius ille Iesus pertulit tota illa lamentabili nocte. Milites enim qui custodiebant eum (teste Luca) irridebant eum, abutebanturque eo, tanquam aduersus somnum remedio, subsannantes, & illudentes Dominum supremæ Maiestatis. Considera itaque, ô anima mea, quomodo dulcissimus sponsus tuus hic positus est, tanquam signum, seu scopus in quem omnium plagarum, conuitiorumque tela iaciuntur. O nox crudelis, ô nox omnis expers quietis, in qua nec tu bone Iesu dormitasti, nec dormierunt illi, qui te verberando, indignisque modis exagitando, sese oblectabant. Nox à diuina prouidentia ordinata est, vt in ea omnes creaturæ requiescerent, sensuumque, & laborum vires, ex diurnis laboribus collapsas, repararent: & nunc ea sceleratissimi homines illi abutuntur, vt sensus & membra tua magis crucient, atque affligant. cædunt enim corpus

Luc. 22.

Quam dura & amara fuerit Christo nox ista.

Eccl. 5. Iob 4, & 7.

tuum affligunt animam tuam, ligant manus, faciem percutiunt & conspuunt, barbam genasque vellunt, & aures indignis opprobrijs blasphemijs. vt quo tempore aliarum creaturarum membra dulci sopore refocillantur, intermissisque laboribus requiescunt, tua membra omnia cruciarentur, tormentisque varijs excarnificarentur. Heu quantum differunt hæc matutina cantica ab illis, quæ eodem tempore quondam tibi, ô bone Iesu, Angelici chori in cælis concinebant? Illic clamãt Angeli, *Gloria in altissimis Deo:* hic flagitiosi homines, *dignus est morte, Crucifige, crucifige.* O Angeli paradisi incolæ, qui & hæc, & illa audiuistis, quæ vobis mens, quis animus fuit, postquam videretis eum in terris tam crudeli modo tractari, quem vos tantis laudibus in cælo concelebrabatis? quid cogitastis cùm cerneretis Deum tam indigna pati, pro illis ipsis, à quibus ista patiebatur? Quis vnquam tale genus charitatis audiuit, vt quis mortem oppetat, vt eos à morte liberet, à quibus ipse crudeli morte interficitur? Non potuit ad hominum malitiam aliquid adijci tunc, cùm etiam Deo suo manus intulerunt violentas: nec quicquam ad eam charitatem Dei, quæ mouit illum è cœlo ad nos venire, vt pateretur pro ea ipsa creatura, à qua cruciabatur. Luc. 2, 14.

Super hæc omnia miris modis tormenta huius infelicis noctis creuêre Sancti Petri negatione: amici nimirum Christi tam familiaris & dilecti, qui gloriam Dei conspexerat in transfiguratione, qui inter omnes alios insigni prærogatiua donatus erat, vt esset caput & princeps Ecclesiæ: ille ipse primus inter omnes, non semel, sed ter in præsentia ipsius Domini iurat, se Christum non nosse: peierat, se nescire, quis esset. O Petre, estne is qui hic stat homo tam flagitiosus & sceleratus, vt existimes tibi dedecori fore, si te nouisse illum fateare? Vide quid aliud agas, quàm quòd tu illum prior ante Pontificem ipsum condemnes, posteaquam hac tua negatione significes, eum esse hominem talem, quem ipse pro improbo habes, & cuius notitia tibi notam ignominiæ inureret. Quæ tua hac Petre maior esse potest iniuria? *Negatio B. Petri.* Matth. 17. Matt. 16, 18

Cùm itaque Iesus sese ad Petrum conuerteret, oculos diuinæ suæ misericordiæ in ouem, quæ peribat, iniecit. O intuitum maximæ virtutis. ô aspectum, tacitum quidem, sed mysterijs pleniss imum. Petrus loquelam & vocem huius intuitus optimè intellexit non enim galli cantus ad excitandum illum sufficiebat, sufficiebat autem aspectus iste. Non enim oculi Domini loquuntur tantum, sed quod loquuntur etiam operantur. & lachrymę Petri testantur, se non tam ex oculis Petri, quàm ex oculis Christi profluxisse. Sic & cùm Christus te excitat, tuque ad illum conuerteris, memento illud esse beneficium oculorum Saluatoris tui, qui te aspexerit. Gallus cantauerat iam, & Petrus non animaduerterat, quia Christus eum nondum aspexerat. Aspexit illum Dominus & recordatus est verbi Iesu, & pœnitentia ductus abijt, & peccata sua defleuit amarè: quia oculi Domini aperiunt nostros, & dormitantes excitant. *Aspectus Christi quã efficax.*

Confestim, inquit Euangelista, *exiuit Petrus foras, & fleuit amarè*, ex quo manifestum euadit, non satis esse deflere peccata: sed necesse etiam esse vitare loca, peccandique occasiones. Deflere enim peccata semper, eademque semper iterare, nihil aliud est quã iram Domini iugiter in temetipsum prouocare. Matth. 26. *Occasiones peccatorum vitandæ.*

Ponamus autem summam culpæ D. Petri in eo consistere, quod timuit, ne forte pro Christi discipulo haberetur: & quòd ideò dicatur Christum negasse. Si autem illud sit Christum negare, heu quot Christianos inuenies qui hoc tempore illum negant? Quot Christiani inueniuntur, qui nolunt peccata confiteri, sacram Synaxim adire, cum Deo commercium habere, & cum bonis conuersari, iniuriamque patienter ferre, ne forte mundo displiceant, & eius ludibria in se prouocent? Quid hoc aliud est, quàm vereri, ne quis te discipulum Christi appelleret, & mandatorum ipsius obseruatorem? Illud autem quid est, si non sit Christum negare, quemadmodum Petrus negauit, qui erubuit Christi discipulus nominari? Qui autem huiusmodi faciunt, quid aliud promerentur quam pœnam & sententiam Christi dicentis: *Omnis qui me negauerit coram hominibus: negabo & ego eum coram patre meo, qui in cælis est?* *Christum negare, quid sit.* Matth. 10, 33.

Finita tristi hac nocte, Iudæi confestim Saluatorem ad ædes Pilati præsidis traxerunt. Illi autem, quia intellexerat Iesum esse Galilæum, misit eum ad Herodem, qui erat Rex terræ illius. Herodes autem Iesum pro morione reputans, indutum veste alba, vti talem decet, ad Pilatum reduci iussit. Quod argumentum est, Christum Saluatorem nostrum in hoc mundo, non tantùm pro sceleratо & malefico, sed pro stolido quoque & insano habitum fuisse. O magnę venerationis mysterium: Prima Christianorum virtus est mundi existimationem atque iudicium contemnere. *Christus à Pilato ad Herodem, & ab Herode ad Pilatum ducitur.* *Axioma Christianũ.*

Habes itaque hic, Frater charissime, ex quo Philosophiam illam optimè poteris addiscere, teque consolari hoc exemplo, quotiescunque mundus te ridet atque aspernatur. Mundus enim iniuriam tibi facere potest nullam, nullaque te macula aut labe aspergere, qua Christum non prius aspersit. Ille habitus est pro malefactore & seductore populi: horum enim criminum illum coram Iudice reum agunt & condemnari postulant. Habitus est pro Mago seu Nigromantico, & Dęmoniaco. Ideò dicebant *eum in nomine Beelzebub eijcere Dæmonia.* Habitus est pro Parasito mensarum sectatore. item pro voratore & potatore: aiunt enim, *Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Habitus pro amico sceleratorum. & qui malorum hominum commercia diligebat, ideò calumniabantur eum assiduum esse publicanis, & peccatoribus; atque manducare cum illis. Habitus est pro homine malè nato, & ex vili, ignobili, & contempta gente procreato, obijciebant enim illi: *Tu Samaritanus es & Dæmonium habes.* Habitus est pro Hæretico & Blasphemo, dicebant enim: *Hic blasphemat*, facit seipsum Deum, & peccata, quod solius Dei est, remittit. Nihil desiderabatur amplius, quàm vt præter hæc omnia Morio quoque & homo stolidus haberetur. & ecce talis nunc æstimatur, idque non à quolibet, sed à nobilibus & aulicis ipsius Herodis. ideò veste ridicula indutus est, vt omnibus ridendus & exsibilandus obijceretur. O inæstimabilis humilitas, ô exemplum omnium virtutum, ô consolatio gementium & dolentium omnium. Vt itaque parui facias iudicium, existimationemque mundi huius, & videas quam demens sit & insipiens mundus iste, in dictis & factis suis, & in omni iudicio suo, conijce oculos tuos in præsens spectaculum virtutum omnium, & in hanc vniuersalem consolationem omnium malorum, & vide quomodo Sapientia illa diuina pro stultitia reputatur; Virtus pro vitio; Veritas pro hæresi; temperantia pro crapula & ebrietate: Pacificator mundi huius pro perturbatore, Reformator legis pro eiusdem trangressore: & peccatorum Iustificator, pro peccatore & peccantium patrono censetur. Matt. 11, 16. Matth. 9. Ioan. 8, 48. Matt. 9. *Nullanos iniuria afficere potest mundus, quæ Christum prius non affecit.* Ioan. 17.

In omni deductione & reductione ad hos Iudices, in omni interrogatione & responsione coram ipsis, considera magna cum attentione illam modestiam Saluatoris, illam serenitatem vultus quæ in eo lucebat: illam constantiam animi, quæ non est mota in omnibus istis accusationibus & iniurijs, etiamsi videret se tot iudicibus & tribunalibus sisti, etiamsi stare *Fortitudo & constantia Christi.*

sistaret in medio tantarum iniuriarum & furorum, in tanta confusione vocum accusantium se, & ad mortem postulantium, in tanta rabie, tantisque furijs inimicorum, vbi mors præsens aderat, & lignum crucis in conspectu erat. In omnibus his tam admiranda fuit eius constantia, patientia, temperantia, vt nihil fecerit, nihil dixerit, quod non inuictum & generosum eius animum arguebat. non processit de ore illius verbum durum aut asperum: non se composuit ad preces, non ad supplicationes, non ad lachrymas conuersus est: sed in omnibus & per omnia seruauit grauitatem, quam dignitas tantæ personæ postulabat. Quam altum silentium in tam grauibus tamque falsis accusationibus? Quam admirabiles eius (si quãdo loquebatur) sermones? Quanta prudentia in eius responsis? Quid multis? ea fuit vultus animiq; Christi in hoc negotio imago & compositio, quæ sola sufficere potuisset, sine vllo alio testimonio, ad causæ ipsius iustificationem, si inculta, barbara, & obstinata illorum ingenia huius probationis subtilitatem atque sublimitatem, capere potuissent.

DE FLAGELLATIONE CHRISTI ad columnam ligati.

POst omnes iniurias hactenus in medium productas, considera nunc crudelem illam flagellationem, qua Christi corpus ad columnam conscissum est. Postquam enim Iudex vidisset, quòd non potuit mitigare implacabilem illam tam crudelem inimicorum Christi furorem, statuit tam immite in Christum supplicij genus, quod sufficiens fore existimabat ad satisfaciendum rabiei hominum truculentissimorum, inhumanissimorumque. Vt libidine ipsorum hoc supplicio exatiata, cessarent voces, & contentiones, quibus illum ad mortem rapi postulabant.

Illud est vnum è maximis & mirabilibus huius mundi miraculis. Quis quæso cogitasset vnquam humeros Dei flagellis fore lacerandos; Propheta dicit:

Psalm. 90, 9. *Domine altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum, & flagellum non approximabit tabernaculo tuo.* Quæ res alienior est & remotior ab altitudine & gloria Dei, quam humilitas seu indignitas flagellorum? Hæc pœna propria est seruorum & furum, cui nec ciuium quidem Romanorum vllus subiectus erat, quantumuis reus, & alijs supplicijs obnoxius: nunc autem eo res venit, vt Dominus cœli, Creator mundi, Angelorum gloria, Sapientia & potentia Patris, Splendor Dei viui flagellis cædatur. Credo equidem quod omnes Angelorum chori hic astiterint attoniti & consternati, aspicientes magna hæc & mirabilia, adorantesque immensam & diuinam bonitatem, hic nudam & vestibus spoliatam. Si enim concentibus & gratiarum actionibus aera in nocte illa, qua Christus nasceretur impleuerunt, cùm nihil præter pannos, fascias & præsepe viderent; quid nunc eos tacisse putas, cum flagella atque columnam paratam viderunt? Age igitur, anima mea, cùm actio hæc ad te potius, quam ad Angelos pertineat, quanto plus tibi ea cordi esse debet, quantoque maiores tuum est agere gratiarum actiones?

Actor. 22.

Angeli spectatores flagellationis.

Ingredere nunc animo & spiritu prætorium Pilati, & adfer tecum lachrymas iam præparatas: opus enim exibi erunt, ad ea quæ illic videbis & audies. Intuere hic quomodo crudeles & immanes isti satellites spoliant Saluatorem suis vestibus, summa tum inhumanitate; & quomodo ille maxima cum humilitate sese illis spoliari permittit, non aperiens os suum, nec ad petulantissima ipsorum verba quicquam respondens. Intuere quo modo consultim ligant sanctum illud corpus ad columnam, vt commodius ad placitũ suum, vbi, & quomodo velint, illud lacerare, & flagris fulcare possent. Vide quomodo stat hic adeò solus, & ab omnibus desertus, summus ille Angelorum Dominus, inter crudeles istos carnifices: non habens patronum, aut aduocatum vllum, qui causam suam agat: nec inuentus est oculus, qui Christo compatiebatur illiusve misertus est. Aspice quàm subitò cum immanissima crudelitate incipiunt flagellis & virgis suis delicatissimam, tenerrimamque carnem Christi dilaniare; verbera verberibus, plagas plagis, feritatẽ feritati, & vulnera vulneribus addentes; & videbis confestim corpus omne liuidũ, pellem lacerãm, & sanguine sparsum circunquaq; per pauimentũ diffluere. Præter hæc omnia quid facturus es, vbi videris profundissimum illud vulnus, in medio ipsius dorso, crudeliter apertum, & latè hians, in quem locum flagella præcipuè impacta ceciderunt. Credo equidem sine dubio vulnus illud tam latum, tamque profundum fuisse, vt si paulò latius apertum, paulove magis dilatatum fuisset, candidæ illius costæ cum vertebris inter cruentam carnem nudæ apparuissent, & Christus ad columnam hanc, antequam ad crucem peruentum fuisset, sanctissimam animam exhalasset.

Quid multis? percusserunt & laniârunt pulcherrimum illud corpus, eo modo ligarunt, tot plagis onerarũt, tot flagellis cooperuerunt, vt figuram & formam priorem planè amiserit, & iam vix hominis Esa. 53. imaginem retulerit. Contemplare, ô anima mea quomodo pulcherrimus & verecundissimus ille iuuenis steterit tam crudeliter laniatus, derisus, & nudus. Vide quomodo caro illa delicata, caro illa formosa, & quasi flos omnis carnis, hic stat aperta, & à capite ad calces dilacerata.

Præcipit lex Mosaica maleficum prosterni, & verberari aut virgis cædi, ea tamen conditione, vt pro Deut 25, 4. mensura peccati, esset & plagarum modus, & vt quadragenarum numerum illæ non excederent: *ne*, inquit lex, *fœdè dilaceratus, ante oculos tuos abeat frater tuus.* Videbatur enim Legislatori, quod si quis excederet plagarum hunc numerum, castigatio vel pœna illa tam esset futura acerba, vt fraternitatis legem violaret. Sed in te, ô bone Iesu, qui nunquam violasti legem iustitiæ, scelerati isti homines violarunt omnem legem misericordiæ eamque tali modo præuaricati sunt, vt in loco quadraginta plagarum tibi dederint quinque millia, & plures etiam, vt multi Doctores testantur. Si itaque corpus tam fœdum reputatur, quòd tantum quadraginta plagas accepit, quale debuit fuisse tuum, ô dulcissime Domine, & Pater mi, quod quinque millibus plagis est laceratum? O voluptas Angelorũ, & Gloria Beatorum, quis te ita abusus est? quis tot maculis speculum illud innocentiæ contaminauit? Certum est, ô Domine, hæc non fuisse peccata tua, sed mea: fuisse furta non tua, sed mea, quæ te tam immaniter tractauerunt. Amor & misericordia te circundederunt, & onus illud graue supra humeros tuos imposuerunt. Amor te mouit, vt bona tua mihi dares, & misericordia fecit, vt tu omnia mala mea in te re assumeres. Si itaque in talem, tamque miserum statum te adduxerit cum amore misericordia, quis de amoris tui magnitudine posthac dubitabit? Si itaque maximum amoris testimonium est, pati pro adamato, quid quæso sunt singuli tui dolores aliud, quàm singula tui Amoris testimonia? Si autem tot sint testimonia, quot sunt plagæ & percussiones, quis de hoc amore dubitabit, tantis testimonijs cõprobato? Quæ mea est igitur incredulitas, quæ tot tantisque argumentis non conuincitur? Miratur Euangelista S. Ioannes incredulitatem Iudæorum dicens: quòd cùm tot, Ioan. 12. tantaque signa inter ipsos fecerat Iesus, ad suæ doctrinæ confirmationem, tamen in eum non crediderint. O Beate Euangelista, desine mirari incredulita-

Crudelitas huius flagellationis.

Amoris Christi magnitudo.

tem Iudæorum, & admirare meam. Non enim minus est argumentum ad credendum immensum Christi in nos amorem, quod ipse pro nobis passus est. Proinde si magnopere sit admirandum, quod Iudæi non crediderunt sermonibus Christi, tot visis eius miraculis: quanto adhuc magis admirabile est, postquam Iesus plus quàm quinque millia plagarum pro nobis in tenerrimo corpore susscepit, velle adhuc de eius amore dubitare? Sed quid futurum est, si alios omnes dolores & passiones, quas toto vitæ tempore sustinuit, cum his ad columnam verberibus acceptis iungamus, cùm & omnia mala propter amorem in nos suum passus sit? Quid te, ô Domine è cœlo in hanc lachrymarum vallem traxit aliud, quàm Amor? Quid te de sinu Patris in gremium matris euocauit, ibidemque terra vestiri, omnemque inde progressus miseriam tolerare fecit aliud, præter Amorem? Quid te in stabulum & præsepe abiecit, atque inde in exoticas terras profugum deportauit, si non Amor? Quid te sudare, sursum deorsumque cursitare, vigilare, & molestias noctis ferre, mare, terrasque circuire compulit ad quærendam ouem perditam, an non idem Amor? Manus & pedes Sampsonis quid ligauit? quid totondit eum, omnique fortitudine sua spoliauit, hostibusque ridendum propinauit? solus amor sponsæ suæ Dalilæ. Et tuos ô Christe vere Sampson noster, pedes manusque quid ligauit? quid te totondit, omni virtute, fortitudineque spoliauit, & in manus inimicorum tuorum te tradidit, à quibus deristus, conspu-tus & cæsus es, nonne vnicus Amor quo Ecclesiam sponsam tuam, animasque omnium nostrorum deperibas? Quid denique te ad hanc columnam adduxit, vbi stabas à capite ad calcem pessimè tractatus, manibus ligatis, coesis carne denudatis, membris distractis, corpore sanguine profuso, venis scissis, labris sitientibus, amara lingua, & vt simul omnia dicam, toto corpore dilaniato, fractisque membris omnibus? Quid quæso te Christe in hanc dolorum abyssum præcipitauit aliud, præter Amorem? O amor immense, ô amor gratia plenissime, ô amor talis, qualem viscera & infinitatem decet eius, qui ipsum bonum est infinitum, benignitas ipsa, ipse amor, ipsa misericordia.

Iudic. 16.

Quomodo itaque tot, tantaque habens testimonia, quot & quanta sunt hæc, ô Domine, possem non credere, quòd me tenerrimè amas, cùm certissimũ sit te in cœlis animum tuum non mutasse ab eo, qui erat cùm in terris adhuc versabaris? Tu non es ille pincerna Pharaonis, qui cùm se honori pristino restitutum videret, miseri amici sui, quem in carcere reliquerat, obliuiscebatur. Sed tu omni nunc prosperitate, gloria, & maiestate in cœlis affluens, maiori etiam, quàm antea, pietate complecteris filios tuos, in terris adhuc commorantes. Cùm itaque tantopere me amasti, quomodo non potero te redamare? quomodo non sperabo in te? quomodo me tibi non commendabo? quomodo me non diuitem & beatũ existimabo, cùm Deum ipsum tam intimum habeam amicum? Mirandum sanè supra modum est, quòd quicquam caducum in hac vita appetere, aut vllis rebus externis vacare lubeat, cùm habeam mihi tam potentem, & tam diuitem amicum, per cuius manus omnia temporalia & æterna bona ad me deriuantur.

Christo cõpatiendum.

Gen. 41.

DIE IOVIS MEDITATIO MATVTINA QVARTA.

HOC DIE CONSIDERABIS CRVDELEM DOMINI NOSTRI Iesu Christi coronationem: Verba quoque Pilati, ECCE HOMO, & quomodo Saluator crucem suam in humeris portauit.

TEXTVS.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

POstquam flagellatus esset Iesus, milites susscipientes eum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt eum: & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextra eius. Et genu flexo ante illum illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, dabantque ei alapas.

Exiuit Pilatus foras, & dicit populo: Ecce adduco eum foras, vt cognoscatis, quia nullam in eo inuenio causam. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis Pilatus: Ecce homo. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. At illi succlamabant dicentes; Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi; Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum. Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus; Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatẽ habeo dimittere te? Respondit Iesus; Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. At illi magis clamabant; Crucifigatur. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, dimisit illis Barrabam, qui propter homicidium & seditionem missus erat in carcerem. Iesum verò tradidit voluntati eorum.

Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt. Et baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum. Sequebatur autem eum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit; Filiæ Ieruſalem nolite flere super me,

sed

sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beati steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet.

Cant.3,11. EGredere filia Sion, & vide Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. Ah anima mea quid facis? ô cor meum quid meditaris? ô lingua mea, quid tam subitò obmutuisti? Quod cor non rumperetur, quæ durities non emolleſceret, qui oculi lachrymas continere possent, videntes coram huiusmodi figuram & vultus imaginem? O dulcissime Saluator cùm oculos meos aperio, & video tam miserandam vultus tui effigiem, qui fit, vt cor meum non deficiat, aut præ dolore scindatur? Video tenerrimum illud caput, ad cuius conspectum tremunt cælorum potestates, spinis crudeliter laceratum & perforatum. Video diuinam illam faciem pugnis cæsam, & sputo immundo illitam. Video serenæ frontis lucem obscuratam, & perspicaces oculos sanguinis imbre excæcatos. Video sanguinis riuos à vertice fluere, & venustatem diuinæ tuæ faciei irrigare. O Domine, nónne sufficiebat præcedens flagellatio, mors imminens, & tam copiosa sanguinis effusio, etiamsi spinæ sanguinem capitis, cui pepercerant flagella, non elicuissent, aut violenter extorsissent? Nónne satis erat, quòd præter omnes iniurias atque opprobria, ad satisfaciendum Patri tuo pro omnibus peccatis meis, totam noctem varijs modis te excarnificassent? Si sola mors tua sufficiens fuerit ad me liberandum, ad quid tot quæso & tanta opprobria? in quem finem tot nouæ inuentiones, & tam diuersa contumeliæ genera? Quis legit vnquam, vel nominari audiuit, huiusmodi coronationis modum? huiusmodi tormentorum & cruciatuum genera? Ex cuius visceribus noua hæc inuentio in mundum prodijt, quæ tam conueniens est ad hominem illudendum, vt non minus cruciet, quam illudat? Non sufficiebant omnia præteritorum sæculorum tormenta, ad te cruciandum: sed & noua excogitari debuerunt, in tua passione? Agnosco facilè, ô Domine mi, quòd hæc iniuria non erat ad redimendum me necessaria: vna enim gutta sanguinis tui erat sufficiens, ad nostram redemptionem: Sed erat conuenientissima, ad ostendendam mihi magnitudinem amoris tui, & vt me arctiori perpetuæ obligationis vinculo tibi astringeres, vtque confunderes fastum & pompam vanitatum mearum, doceresque hac ratione contemptum gloriæ mundanæ.

Magnitudo amoris Christi.

Comparatio pulchritudinis & deformitatis vultus Christi.

Vt autem huius passionis actionem in temetipsa magis sentias, ô anima mea, pone tibi ob oculos antiquam Christi imaginem, & virtutis illius excellentiam: confestimque te verte, vt quo in statu nunc sit, intueare. Aspice magnitudinem pulchritudinis eius, modestiam oculorum, dulcedinem verborum, auctoritatem, mansuetudinem, serenitatem, & vultus illius venerandam maiestatem. Vide quàm humilis est suis discipulis, quam mansuetus suis inimicis, quam grauis & seuerus superbis, quàm suauis humilibus, & quam misericors vniuersis. Considera quàm patiens & clemens sit in patiendo, quàm suauis in respondendo, quam misericors in iudicando: quàm pius in recipiendo, quàm liberalis in ignoscendo.

Deinde postquam hoc modo Saluatorem contemplatus es, & in tam speciosa, absolutaque figura temetipsum oblectasti; deflecte nonnihil oculos, & intuere illum in ea forma, in qua nunc eum flagellatum, & coronatum vides: coopertum purpura vt illudatur: tenentem in manibus pro sceptro re- Luc.22.
gali arundinem: & illam crudelem coronam in capite gerentem: oculis moribundis, facie pallida, glumis sanguineis deturpata, & fœculento mucco, altoque ex pectore excreatis oris excrementis commaculata. Scrutare Saluatorem totum intus & foris: aspice cor doloribus lancinatum, corpus plagis & vulneribus dilaniatum, relictum à suis discipulis, à ludæis persecutiones patientem, à militibus derisum, à Pontificibus contemptum, ab impio Rege expulsum, accusatum iniustè, relictumque sine omni fauore & consolatione humana.

Noli verò hæc cogitare, tanquam rem præteritam, sed potiùs tanquam præsentem: non tanquam dolores & cruciatus alienos, sed magis tanquam proprios. Imaginare teipsum hoc loco stare, in quo is est, qui patitur: & teipsum examina, quid facturus esses, si quis membrum aliquod tuum tam tenerum, tamque sensibile, quam caput est, tam multis spinis perterebraret, eas ad ossa vsque imprimeret: vt etiam tempora, occiput, & frontem penetrarent. Quid spinas dico? vnius acus punctura perferre vix poteris. Quanta igitur tormenta passum est delicatissimum illud caput Saluatoris, tot spinis perfossum?

Ecquis igitur te ô splendor Patris, tam indignis Sapient.7.
modis tractauit? O speculum immaculatum diuinæ *Peccata nostra Christi faciem deformarunt.* Psalm.45.
Maiestatis, quis te tam turpiter contaminauit? O flumen qui ex Paradiso terrestri profluis, & cursu tuo lætificas ciuitatem Dei, quis tam puras & dulces aquas tuas turbauit? Mea peccata, ô Domine, illas turbârunt: meæ iniquitates illas contaminârunt. O me infelicem, ô me miserum hominem. Quomodo peccata mea propriam animam meam deturpârunt, si aliena peccata omnis pulchritudinis fontem lympidissimum, tam fœdè commaculârint? Ah mea peccata sunt, ô bone Iesu, quæ te pungunt: meæ dementiæ & vanitates sunt purpura, in qua tu illuderis. Mea hypocrisis & simulata pietas sunt cæremoniæ, quibus illi te deridentatque aspernantur. Fastus & inanis mea gloria sunt corona, quæ tibi ridiculè, & tamen cum summo dolore imponitur. In omnibus operibus meis ego sum, ô Domine, carnifex tuus: vbique ego sum dolorum tuorum causa. Purgauit Rex 2.Paral.29.
Ezechias templum Domini ab impijs prophanatum, & omnem immunditiem eiecit in torrentem Cedron foras, ait Scriptura. Ego sum ô Domine templum tuum viuum, à Dæmonibus prophanatum, & contaminatum infinitis peccatis: tu verò lympidissimus torrens Cedron es, qui cursu tuo omnem cæli pulchritudinem sustentas. In istum torrentem proiecta sunt omnia mea peccata, & omnes iniquitates meæ in ilso submersæ sunt. Tu enim per meritum ineffabilis tuæ charitatis & humilitatis, qua permotus es, vt omnia mala mea in te assumeres, non tantùm ab illis me liberasti: sed etiam me bonorum tuorum participem fecisti. Mortem enim meam tu subijsti, & vitam tuam mihi reddidisti: carnem meam assumpsisti, & spiritum tuum mihi dedisti. Peccata mea tu in te susceptisti, & gratiam tuam mihi donasti. Itaque ô Redemptor mi, omnes thesauri atque diuitiæ tuæ meæ sunt. Purpura tua me vestit: Corona tua me honorat: liuores tui me formosum reddunt: dolores tui meæ voluptates sunt: amaritudines tuæ me refocillant: tuæ plagæ me sanant: sanguis tuus me ditat, &

amor tuus me inebriat? Quid mirum est, quòd amor tuus me inebriat, cùm is idem amor tuus, quo me dilexisti, sufficiens fuerit, ad inebriandum temetipsum, qui & nudum te atque deridendum, tanquam alterum Nohemum, populo propinauit? Purpurea vestis ardentis tui amoris fecit, vt purpuram ludibrij portares: & zelus salutis meæ commouit te, vt arundinem contemptus in manu teneres, atque misericordia, qua mihi pereunti compatiebaris, te diademate confusionis redimiuit.

Genes 9.

DE VERBIS PILATI, ECCE HOMO.

Christus Iudæis exhibetur.

TInita hac coronatione & illusione, Iudex eum manu apprehendens, populo tam crudeliter flagellatum & coronatum exhibuit, dixitque, *Ecce Homo:* quasi diceret, Si vnquam ex inuidia illum ad mortem popposcistis, videte nunc, quàm malè tractatus est: videte, non iam inuidia, sed misericordia dignus est. Timuistis ne fortè Regem se faceret, videte nunc eum hoc modo laniatum: vt vix hominis imaginem referat, ligatas istas manus quid metuitis? huic tam diris laceratum flagris, quid amplius fieri vultis?

Ex his intelligis, ô anima mea, qua specie Christus in publicum productus est: Nam si Iudex etiam arbitratus sit, vel solam eius figuram & aspectum miserabilem sufficere potuisse, ad animos tam crudelium inimicorum ad misericordiam commouendos, horrendum certè & modis omnibus miserandum fuisse illius aspectum, facilè credendum est. Ex quo etiam manifestum est, quam indignè faciat homo Christianus, si doloribus Christi non compatiatur: posteaquam Iudex ipse existimârit, eos tales esse, qui barbara Iudæorum corda emollire potuissent. Vbi amor est, ibi & dolor est. Quis itaque dicere poterit, se Christum amare, si videat illum in istis tormentis stantem, eique non compatiatur?

Et si tam grande scelus sit, Christo patienti non compati: quantum erit illud, si quis martyrium illius augeat, & afflicto afflictiones addat? Horrendum magis & barbarum facinus esse non potest, quàm Iudici hominem tam crudeliter habitum exhibenti, populum acclamare, *Crucifige, crucifige.* Et si istud tam horrendum sit, quanto magis horrendum est illud, hominem Christianum, opere tantundem facere, & clamare factis, etiam si verbis non vociferetur? Sed videamus illud. Nónne Diuus Paulus dicit, quòd *qui peccat filium Dei iterum crucifigit?* Atque ideò quantum in se est, Deum eò adducit, vt denuò moriatur, quasi præcedens mors sufficiens non esset. Qui verò fieri potest, vt animum & manus tam crudeles habeas, vt toties Christum ad mortem tuis criminibus rapias? Considerare debebas, quod ficuti Iudex tam miserandam & omni sympathia dignam imaginem Iudæis ante oculos statuit (putabat enim nihil posse esse efficacius, ad rabiem eorum mitigandam, quàm si huius faciem aspicerent) ita & benignissimus, æternusque Pater noster, etiam hodie, eandem figuram peccatoribus proponit, existimans non esse remedium vllum tam efficax, ad reuocandum eos ab impia ipsorum vita, quàm vt huiusmodi spectaculum ipsis exhibeatur.

Hebr. 6, 6.

Vultus Christi exhibet Deus peccatoribus.

Imaginare itaque eundem patrem cælestem, tibi eandem imaginem spectandam proponere, & dicere, *Ecce Homo:* quasi dicat, Vide hominem hunc, vide quæ forma hic stat: & memento quòd Deus est, & quòd tam immaniter percussus est, non aliam ob causam, quàm at tollenda mundi peccata. Ecce quomodo peccata Deum tractârunt: ecce quanti constitit Christo, priusquam pro vno peccato potuit satisfacere: ecce quàm abominabile peccatum est in conspectu Dei, cùm faciem Christi filij sui ita deformauerit, vix vt hominem repræsentes.

Pondera vindictam, quam Deus ob peccata ab ipso homine poscet, si tam immaniter in proprio filio peccatum vindicauerit. Perpende denique rigorem diuinæ iustitiæ, & malitiam peccati, quæ cum tanto horrore resplendent in facie Christi: adeò, vt nihil efficaciùs excogitari possit, ad reducendum hominem in timorem Dei, & peccatorum abominationem.

Pia solicitudo Dei de nobis.

Hinc patet Deum non aliter agere cum homine, quàm pia mater cum mala filia, quæ inobediens est, & in propriam ruit perniciem, agere consueuit. Ea enim cùm neque reprehensiones, neque verba, neque verbera quid possint, vt filia resipiscat, indignationem in seipsam vertit, crines trahit, genas vellit, plangit & lamentatur, totamque sese deformatam in conspectum ingerit filiæ, vt illa vel hoc modo agnoscens magnitudinem erroris, & iniuriæ suæ, saltem matris miserta, ab iniquo proposito desistat. Simili remedio vtitur hic Deus, in castigandis hominibus: proponens illis diuinam suam figuram, quæ est facies filij sui tam misere tractata, vt si multis illis admonitionibus & reprehensionibus, per ora Prophetarum suorum prolatis, tot etiam pœnis propositis moti à peccatis non resiliant, vel saltem videntes hanc diuinam faciem, tam immaniter laceratam & deturpatam, misericordia tacti, peccatum relinquerent, & ad ipsum reuerterentur. Primùm itaque hominem ipsum castigat, nunc autem manus vindices in se conuertit, quod vltimum & maximum est remedium, quo Deus vti potuit, ad regnum peccati destruendum. Omni quidem tempore summum scelus fuit offendere Deum, postquam verò Christus hanc figuram assumpsit, vt peccatum aboleret, non tantùm iam erit summum scelus, sed etiam ingratitudo & crudelitas maxima.

Simile.

Vultus Christi Iudæis exhibitus Christianorum.

Si diutius huic considerationi immorari velis, poteris vltra odium peccati etiam ex hoc passionis loco, maximam captare occasionem, summumque robur in Deo firmiter confidendi: intuens enim vultum hunc, & perpendens, si is efficax sit ad mouendum cor hominis, etiam multò efficaciorem esse ad cor Dei commouendum. Sciendum hic est, Christum eandem figuram, eundemque vultum, quem hic furioso populo spectandum præbet, etiam hodie Patri suo in cælis exhibere, tam recentem, tam liuidum, & sanguine perfusum, quàm fuit eo ipso die, cùm in terris pateretur.

Quæ itaque imago potentior esse potest ad placandum oculos irati Patris, cruenta hac facie filij sui? Hæc est aureum illud propitiatorium, hæc est iris illa diuersi coloris, posita in nubibus cæli, cuius aspectu Deus placatur. Hæc oculos Dei pascit, hæc iustitiæ illius satisfacit: hæc restituit Deo suffuratum ab hominibus honorem: hæc illud obsequium Deo exhibuit, quod magnitudo illius postulabat.

Dic mihi, ô homo pusillanimis, & de bonitate Dei diffidens, si ea sit species & forma corporis vultusque Christi, vt sufficiens fuerit ad placandum oculos tam crudelium inimicorum, quantò potiùs sufficiet ad placandum oculos tam pij Patris? præsertim cùm omnia quæ patitur, ob illius honorem & obedientiam patiatur? Institue comparationem oculorum cum oculis, & personæ cum persona, & colliges facilè te multò securiorem & fertiorem esse de misericordia Patris huius, si talem filij figuram ei obijcias, quàm fuit Pilatus de compassione Iudæorum, tunc, cùm

cùm Christum foras producens, populo spectandum daret. Igitur in omni oratione & tentatione arripe hunc Dominum pro scuto, & pone illum inter te, & Deum tuum, illum offerens, & dicens: *Ecce Homo.* Ecce Domine Deus hic habes hominem, quem tot seculis quæsiuisti, vt se Mediatorem poneret inter te, & miseros peccatores. Ecce habes hic hominem, tanta iustitia insignem, quantam tua bonitas requirebat, habes hic pro modo delictorum nostrorum iustificatum. Igitur ô Defensor noster, aspice hunc Dominum meum, & *respice in faciem Christi tui.* Sed & tu, ô Saluator noster, ne cesses te sistere semper oculis Patris pro nobis. Si tantus fuerit amor tuus, vt non veritus sis, membra tua carnifici obijcere, quò cæderet ea, torqueret, & laceraret; etiam idem amor tantus sit, vt non pigeat te eadem membra sic lacerata æterno Patri offerre, vt illorum aspectu motus, nobis omnia peccata condonet, atque in gratiam suam recipiat.

Christus hic Christi Patri repræsentandus.

Psalm. 83, 10.

QVO MODO SALVATOR CRVCEM in humeris suis portauit.

Christus condemnatur.

PIlatus videns quòd omnia tormenta, quæ Iesus, mansuetissimus ille Agnellus, pertulisset, non sufficerent ad placandum immanem illam Iudæorum rabiem, intrauit prætorium, & sedit pro tribunali, vt vltimam sententiam contra Iesum pronunciaret. Erat iam crux parata, & eleuabatur, ostendebaturque in alto tam metuendum vexillum, quod capiti Saluatoris minabatur. Datur deinde & pronunciatur crudelis sententia, adiungentesque inimici crudelitatem crudelitati, graue illud crucis lignum in humeros, iam antea flagellis & virgis fractos, imposuerunt. Non recusauit Saluator benignissimus onus illud grande, in quo omnia nostra peccata erant conuasata; imò cum summa illud charitate, summaque obedientia pro nobis amplexus est, atque sic oneratus iuit, tanquam alter Isaac, portans lignum ad locum, vbi ipse immolaretur. Onus hoc inter duos diuisum est, filius portat lignum & corpus, quod sacrificabitur, & pater portat ignem & gladium, quo ille mactabitur atque concremabitur. Ignis enim charitatis qua humanum genus dilexit, & gladius iustitiæ diuinæ filium Dei ad mortem crucis rapuerunt. Duæ istæ virtutes certabant inter sese in pectore Patris, & vtraque ius suum postulabat. Amor volebat homini culpam esse ignoscendam; Iustitia verò iniuriam esse vindicandam, clamabat. Vt autem & hominibus gratia fieret, & tamen peccata plecterentur, inuentum est medium: vt vnus nimirum innocens pro omnibus nocentibus moreretur. Ille est ignis, ille gladius quem portat in manibus suis Patriarcha Abraham, ad immolandum filium suum. Amor enim salutis nostræ & zelus iustitiæ mouerunt æternum Patrem, vt filium suum in ligno crucis immolaret.

Christus crucem portat.

Genes. 22. Elegans allegoria.

Innocens Iesus hic ibat, habens in laceris & debilibus humeris suis tam graue onus, & sequebantur illum turbæ multæ: inter illas multæ quoque religiosæ fœminæ, quæ Agnellum hunc cum lachrymis ad locum sacrificij comitabantur. Quis non lachrymaretur? quis non plangeret, videns Regem Angelorum, sic pedetentim quasi prorepere, tam graui & ponderoso oneratum ligno? titubantem, nutantemque poplitibus, corpore toto flexum, & sub onere crucis curuatum: oculis languidis, facie sanguine perfusa, coronam spineam in capite gerentem, cum tantis blasphemijs, conuitijs, & calumnijs, tanto cum strepitu & tumultu, inter duos latrones ad supplicium trahi?

A Christo ad Mariam.

Eia itaque, ô anima mea, ab hoc tremendo spectaculo oculos tuos nonnihil auerte, & paruis passibus, lentoque gradu gemens & lachrymans, regredere ad domum Virginis matris: cumque eò veneris, abijce te ante pedes illius, & dic mœsta voce, dolore plena, O Domina Angelorum, Regina cœli, porta Paradisi, Aduocata mundi, Refugium peccatorum, Salus iustorum, Gaudium Sanctorum, Maiestas virtutum, Speculum puritatis, Ornamentum castitatis, Fons patientiæ, omnisque perfectionis consummatio. Heu me miserum, ô Domina mea, quare in hanc vsque horam vixi? quomodo potero diutius viuere, posteaquam oculis meis tam indignum vidi spectaculum? reliqui vnigenitum filium tuum, Dominum meum in manibus inimicorum eius, portantem crucem in humeris suis, cui mox est affigendus.

mentem deflectit.

Cuius intellectus comprehendere poterit, quæ tunc doloris Mariæ fuerit mensura? tunc anima eius defecit, & lethalis sudor ex facie, totoque erupit corpore: vt facilè mori potuisset, nisi diuina prouidentia illam ad maiorem dolorem, & augustiorem coronam reseruasset.

Exiuit Virgo ad quærendum filium: desiderium enim videndi filium, addidit illi animi fortitudinem, quam dolor & tristitia minuebant. Audiuit eminus armorum strepitum, populi concursum, ferearum, clamoresque eorum, qui filium educebant. Vidit splendorem hastarum & bipennium, armatorum militum multitudinem, vidit & inuenit in itinere glumas sanguinis, quæ commodè satis, sine alio duce viam ad filium demonstrabant.

Maria filium quærit.

Cùm verò magis magisque filio appropinquaret, oculos suos lachrymis obscuratos aperuit, visumque eminus extendit, si forte videre posset, quem anima eius deperibat. O amor, ô timor cordis Mariæ: nunc cupiebat videre filij lamentabilem aspectum, nunc videre nolebat. Tandem cùm venisset ad locum vbi filium conspicere potuit, ecce duo cœli lumina se inuicem aspexerunt, & o uli vnius, alterius corda transfixerunt: nec non mutuus aspectus vtriusque animam mœrore plenam vulnerauit, vtriusque lingua obmutuit, & facta est ad loquendum inepta. Naturalis tamen filij affectus intus sic matris præcordia allocutus est: Quare venisti huc columba mea? charissima mea? Mater mea? dolores tui augent dolores meos, & cruciatus tui me quoque cruciant. Reuertere mater mea, reuertere: Non enim decet Virginalem tuam puritatem, vt in homicidarum atque latronum consortio reperiatur. Id si feceris, vtriusque dolorem minues, & ego pergam, vt victima pro mundi vita offerar. Non enim hoc tuum est officium, sed meum: tua enim innocentia non meruit hæc supplicia. Quare age reuertere columba mea in Arcam, donec cessent aquæ diluuij, non enim hic inuenies, vbi pedem figas.

Christus alloquitur matrem.

Genes. 8.

Hic immorare nonnihil orationi & contemplationi tuæ, prout consueuisti; vt leuans te supra te, facilius hunc passionis locum percurras.

Posset autem nunc Mater Sanctissima cordi filij sui respondere, & dicere: Quare iubes hoc fili mi, quare iubes vt te relinquam, & longius à te diuellar? tu scis, ô Domine mi, quòd omnia mihi, licita sint tibi, vbi tu præsens ades; nec aliud est oratorium quàm vbi tu es. Quomodo possem auelli à te, nisi diuellar prius à meipsa? Dolor hic adeò cor meum occupauit, vt præter hunc nihil cogitare lubeat. Sine te non possum quoquam ire, nihil sine te cupio, præter te nullus me consolabitur. In te cor meum est, in te habitatio mea, & à te omnis vita mea dependet. Cumque nouem mensibus in vtero meo commoratus sis, quare non hoc triduum ego in interioribus tuis commorabor? Si me hinc abigas, cùm te crucifixo crucifigar, & sepeliar cùm te sepulto; tecum bibam fel & acetum, tecum ego extremum spiritum exhalabo.

Mater ad filium.

Tam

Tam lamentabilem orationem in corde suo recitabat filio Mater; hoc modo gemens & plangens pia Domina & mœsta mœstum filium sequebatur, donec ad locum sacrificij pariter venirent.

DIE VENERIS MEDITATIO MATVTINA QVINTA.

HOC DIE EXERCEBIS TE IN MYSTERIIS SANCTAE crucis, & scrutaberis septem verba, quæ Christus in ligno pendens locutus est.

TEXTVS.

Matth. 26. ET perducunt eum (ait Euangelista) in locum Caluariæ, & dederunt ei vinum myrrhatum bibere, cum felle mixtum: & cùm gustasset, noluit bibere. Deinde crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones, vnum à dextris, alterum à sinistris. Et impleta est scriptura quæ dicit; Et cum iniquis reputatus est. Scripsit autem Pilatus titulum, causam eius, litteris Græcis, Latinis, & Hebraicis; Hic est Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Et imposuerunt eum super caput eius. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legebant, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Dicebant ergo Pilato Principes Iudæorum; Noli scribere Rex Iudæorum; sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus; Quod scripsi, scripsi.

Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique partem.

Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem; Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit. Et miserunt sortes, vt adimpleretur scriptura per Prophetam dicens; Partita sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt, & sedentes seruabant eum. Erat autem hora tertia cùm crucifixerunt eum.

Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes; Vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud: saluum fac temetipsum. Si filius Dei es, descende de cruce. Et stabat populus expectans. Similiter autem & Principes Sacerdotum, cum Scribis & Senioribus illudentes ad alterum dicebant; Alios saluos fecit seipsum saluum facere non potest. Si Christus Rex Israël est, descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus ei, se saluum faciat, si hic sit Christus electus Dei. Confidit in Domino, liberet eum nunc, si vult. Dixit enim; quia Filius Dei sum. Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. Iesus autem dicebat; Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

Vnus autem latronum blasphemabat eum dicens; Si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens; Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè; nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum; Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie eris mecum in Paradiso.

Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalena. Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & Discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ; Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit Discipulo; Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.

Et circa horam nonam exclamauit voce magna, dicens; Eli, eli lamma sabachtani, id est, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant; Ecce Eliam vocat iste. Ceteri verò dicebant: Sine, videamus an Elias veniat liberans eum. Postea sciens Iesus, quia omnia iam consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit; Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Continuo autem currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, circumponens hyssopum, & dabat ei bibere. Cùm verò accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Iesus autem iterum clamans voce magna ait; Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens inclinato capite tradidit spiritum. A sexta autem hora vsque ad nonam tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, & velum templi scissum est medium, in duas partes, à summo vsque deorsum. Et terra mota est, &

petræ

petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

Erant autem ibi & mulieres de longè aspicientes, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi Salome; & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam. Stabant quoque & omnes noti eius à longè.

VEnimus nunc, ô anima mea, ad sanctum montem Caluariæ, & appulsi sumus ad culmen mysteriorum redemptionis nostræ. O quàm admirabilis & terribilis est locus iste? Verè domus Dei est, porta cæli, terra promissionis, & locus salutis. Hic plantata est arbor vitæ, hic erecta est scala mystica quam vidit Iacob, quæ cælum & terram coniungebat, per quam Angeli descendunt ad homines, & homines ascendunt ad Deum. Iste est, ô anima mea, locus orationis: hîc adorare & benedicere debes Saluatorem tuum, eique gratias agere, pro immenso illo beneficio, dicens: Adoro te Domine Iesu Christe, & glorifico benedictum nomen tuum, qui per crucem sanctam tuam redemisti mundum. Gratias agimus tibi, ô clementissime Saluator, quia nos amasti, & lauisti nos ab omnibus peccatis nostris, pretioso tuo sanguine, & obtulisti temetipsum in ara crucis holocaustum pro nobis. Odore enim suauissimo istius nobilissimi sacrificij, accensi amoris igne, satisfecisti iustitiæ diuinæ, & iratum patrem placasti. Sis benedictus in sæcula sæculorum, ô Saluator mundi, Reconciliator hominum, Reparator Angelorum, Restaurator cœlorum, Triumphator Inferorum, Victor Dæmoniorum, Auctor vitæ, Destructor mortis, & Redemptor eorum, qui sedebant in tenebris & vmbra mortis?

Genes. 3. Genes. 28.

Inuitat omnes ad crucem. Esa 55, 1. Num. 20. 1 Cor 10. Exod. 17.

Omnes itaque sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione. Qui desideratis aquam vitæ, venite, ecce hæc est petra illa mystica percussa virga Moysis in deserto: ex qua profluxit aqua copiosa, in vsum populi sitientis. Vos qui optatis pacem & amicitiam habere cum Deo, accedite, hic enim est ille lapis quem vnxit patriarcha Iacob, & quem erexit in signum fœderis & amicitiæ, inter Deum & genus humanum. Vos qui petitis vinum huc accurrite: est enim hic vua illa grandis, quæ in vecte, è terra promissionis in hanc lachrymarum vallem est deportata, quæ nunc calcata est, in torculari sanctæ crucis, ad nostram salutem. Vos qui quæritis oleum diuinæ gratiæ adeste: ecce hic est vasculum illud pretiosum viduæ Helisæi, oleo plenum, vnde creditori nostro reddere possumus, quę debemus. vas quidem paruum esse videtur, nec tam multis sufficere: metiri verò debetis non quantitatem, sed virtutem: quæ tanta est, vt quamdiu habetis vasa ad implenda, tamdiu vena huius olij fluet, & non deficiet.

Genes. 28. Num. 11. 4. Reg. 4.

DE SANCTA CRVCE PIA contemplatio.

EXcitare nunc & euigila, ô anima mea, incipe mecum cogitare, quot & quanta sint crucis mysteria, cuius fructu damnum reparatum est, quod dederat venenosus ille fructus arboris interdictæ: id quod sponsus sponsæ significat in Canticis: *sub arbore*, inquit, *malo suscitaui te*: quia nimirum sub arbore corrupta mater tua est, quando ab antiquo Serpente decipiebatur.

Genes. 2. Cant 2, 5. Genes. 3.

Considera deinceps, quomodo statim, cum ad locum supplicij venissent Dominus, flagitiosi inimici illi (vt mors eius esset magis ignominiosa) eum vestimentis omnibus spoliârunt, vsque ad tunicam interiorem, quæ erat desuper contexta tota, à capite ad pedes, nec vllam suturam habebat. Vide etiam quanta cum mansuetudine permittit innocens ille Agnus, vellere se suo spoliari, non aperiens os suum, aut verbo contradicens vllo, his, qui tam crudeliter ipsum adoriebantur, sed bona voluntate sua consensit, vt spoliaretur vestibus suis, atque ignominijs incesseretur, eò quòd nudus esset: vt nuditatem suam honestius tegeret, quam Protoplasti, qui verecundiam suam folijs texerunt, eò quòd per peccatum vestem innocentiæ & receptæ gratiæ amiserant. Dicit insignis quidam Ecclesiæ Doctor, quòd priusquam tunicam illam inconsutilem exuere potuerint, coronam spineam, quam in capite gerebat, summa cum crudelitate extraxerunt, & postea cùm iam nudus esset, Domino rursum imposuerunt, atque ad cerebrum vsque impresserunt: noua vulnera, noua sque rupturas in capite illo sanctissimo, imponentes. Verisimile certè est eos hac crudelitate, & plus quam barbarica tyrannide, in Christum vsos esse, qui alijs etiam infinitis, incognitis, & inusitatis tormentis, toto passionis tempore in Christum sunt debacchati.

Christus vestibus spoliatur. Genes. 3. *Corona capiti extrahitur, & sterum imponitur.*

Et quia tunica cruore exiccato, agglutinata vulneribus in flagellatione acceptis, adhærebat: cùm eam exuerent (vt erant illi scelerati homines, ab omni humanitate alieni) id tanto furore, & tanta cum violentia fecerunt, vt corpus de nouo lacerarent, & vulnera renouarent omnia, quæ in flagellatione Dominus acceperat: adeò vt sanctissimum illud corpus hic staret apertum vndique, & vndique confractum, vt viscera quoque inter costas cerni possent, & toto corpore vnum tantùm vulnus esse videretur, ex quo vndique sanguis effluebat.

Præterea considerandæ hic est, ô anima mea, altitudo bonitatis & misericordiæ diuinæ, quæ tam manifestè resplendet in isto mysterio. Vide quomodo ille qui vestit cælum nubibus, & terram floribus ornat, & herbarum pulchritudine, hic stat nudus, & omnibus vestimentis suis exutus. Vide quomodo pulchritudo Angelorum hic stat defœdata, altitudo cæli humiliata, Maiestas summi Dei spreta, & tanquam brutum animal abiecta. Vide quomodo regalis iste sanguis diuersis riuulis fluit per capillos, frontem, vultum, & barbam, adeò copiosè, vt etiam assiduo fluxu terra madefiat, & quasi sanguine irrigetur.

Memento etiam frigoris immensi quod sustinuit sanctissimum illud corpus, cum staret hic nudus, & à capite ad calcem flagellis conscissus, spoliatus non tantùm vestimentis, sed pelle etiam & carne: patentibus vndique ianuis & fenestris vulnerum, per quas frigus vsque ad interiora viscera penetrauit. Nam si sanctus Petrus ea nocte & vestitus bene, & calceatus frigebat, quid mirum si intolerabile frigus dicam sustinuisse corpus illud sanctissimum Saluatoris, flagris sic apertum, & nudum aëris iniurijs expositum?

Immensum Christi frigus. Ioan. 18.

Ex quo

Extrema Christi paupertas.

Ex quo patet, quòd etsi toto vitæ suæ decursu plurima nobis & admiranda dederit summæ paupertatis & nuditatis exempla, mortis tamen tempore reliquit nobis omnibus numeris absolutum huius virtutis speculum. tam enim pauper & inops tunc fuit, Matth.26. vt non haberet vbi caput reclinaret: tam nudus, vt ne filum vestimenti haberet, quo nuditatem tegeret. imò quàm nudus in hunc mundum venerat, tam nudus iterum exiuit: vt significaret se nihil in hoc mundo desideralse, quod illius erat. Simile exemplum legimus de sancto Francisco, vero imitatore illius paupertatis Christi, qui sub mortem spoliauit se omnibus, quas habebat, vestibus, & exiliens è lecto sese in terram prostrauit, nudus terram amplexus est, vt in hoc imitaretur, tanquam fidelis seruus, nuditatem & paupertatem Domini sui. Disce itaque hic & tu, ô anima mea, Christum pauperem, nudumque sequi: disce vilipende re omnia quę mundus admiratur: vt merearis nudis brachijs nudum Dominum tuum amplecti, & illi coniungi vel vniri per amorem, qui etiam nudus esse debet in te (ficut in illo fuit) ab omni amore peregrino.

Bonauent. in eius vita. Exemplum.

MEDITATIO DE CHRISTI crucifixione.

Christꝰ crucifigitur.

DEinde considera, quomodo Christus durissimis clauis cruci affigitur, & quasi compaginatur. perpende dolores istos, quos pertulit tunc, cùm crassi illi claui & quadrati, perforârunt delicatas & teneras partes corporis, inter omnia corpora delicatissimi. Vide etiam quanta fuerit Virginis Mariæ cordis angustia, cùm videret oculis suis, & audiret auribus immites illos, & frequentes malleorum ictus, quibus claui per membra dilectissimi filij sui adigebantur. Aspice quam subito crux in altum erigitur, quomodo fossam faciunt, vt crucem (prout erant nebulones pessimi, & carnifices crudelissimi) summo cum impetu in illam demittant: adeò vt totum corpus illud sanctissimum in aëre suspensum tremeret, vulnera dilatarentur, & dolores ingeminarentur.

Christi dolor & desolatio.

Eia itaque, ô Domine, cuius cor tam lapideum erit, vt dolore non conscindatur, cùm etiam hoc ipso die petræ scissæ sint, in significationem magnitudinis dolorum, quos tu patiebaris in cruce. *Dolores* Psalm.17,5. *mortis circundederunt te Domine, & torrentes iniquitatis conturbauerunt te. Intrauerunt aquæ vsque ad* Psalm.68,2. *animam tuam: Infixus es in limo profundi, & non est substantia. Veniſti in altitudinem maris, & tempestas demersit te. Laborasti clamans, & raucæ factæ sunt fauces tuæ, & defecerunt oculi tui.* Pater te reliquit, ô Domine mi, & quid respicis ad auxilium hominum? inimici tui te accusantes horrendum vociferantur, & amici cor tibi disrumpunt, anima tua tristis est, amore mei omnem consolationem respuit, & quasi fastidire videtur. Verè, verè gratia fuêre peccata mea: id nunc tua tam aspera testatur pœnitentia. Video te, ô mi Rex, in ligno confixum, & non habes, cui innitatur corpus tuum, aliud quam tres ferreos clauos: ab illis tota corporis tui moles dependet, sine vllo alio fulcro, vel solatio: & quia corporis grauitas pedibus solis sustentabatur, vulnera pedum, clauis renitentibus, maiora fiebant, & proinde moto corpore, etiam manuum vulnera dilatabantur: nec vnum membrum alteri potuit subuenire, sine æquali præiudicio. Sanctissimum caput tuum tot tormentis afflictum, & tam atrociter spinis confossum, ecquod puluinar habet? O quàm commoda fuissent ad hoc officium, ô Serenissima virgo tua brachia? ceterum non tua, sed crucis brachia id præstiterunt. Quibus cum caput lacerum reclinat, vt lassum illud nonnihil refocilletur & quiescat, nullum aliud inuenit refrigerium, quam quod spinæ profundiùs in caput atque ceruicem impingantur.

Præter hæc omnia video quoque quatuor ista principalia vulnera, tanquam fontes quatuor copiosum sanguinem scaturientes: video terram circum- Genes.2. quaque sanguine tuo irrigatam: Video pretiosissimum illum sanguinem pedibus conculcari, video hoc sanctissimo liquore solum tingi, sanguine dico tuo, melius clamante, quàm sanguis Abel, qui expetit Genes.4 vindictam homicidij, cùm hic sanguis cupiat remis- Matth.23. sionem peccatorum.

DE MVTVA FILII ET MATRIS *sympathia seu compassione.*

DOlores quoque Filij mirum in modum auxit Matris præsentia. quæ non mi- *De duplici cruce Christi.* nus cor ipsius intùs crucifigebat, quam carnem foris tortores. Duas cruces hodie sustinuisti, ô bone Iesu, vnam corporis, alteram animæ: vnam passionis, alteram compassionis: vna transfigit corpus clauis ferreis, altera confodit animam clauo doloris. Quæ lingua profari, quis calamus describere posset, ô bone Iesu, cordis tui dolores, quos sentiebas, cum angustias illius sanctissimæ animæ Matris considerabas? quàm certò sciebas tecum crucifixam esse, quando videbas gladium doloris, quem Simeon prædixerat, pium illud cor transiuisse? cùm aperires oculos tuos sanguine plenos, & conspiceres faciem eius diuinam, amaritudine coopertam, & morientis instar pallentem atque discoloratam? angustias illius animæ, sine morte iam plus quàm mortuæ? cùm flumina lachrymarum cerneres ex oculis illius profluentia? cùm audires gemitus ex alto pectore eductos, & ab onere tam graui dolorum expressos? Certè Domine fateor, non possum enarrare omnia tormenta illa, quæ ab inuisibili hac cruce in corde tuo toleraſti.

Similiter & quis, ô benedicta Mater, posset com- *Dolor beatæ Mariæ Virginis.* memorare magnitudinem doloris & anxietatis viscerum tuorum, cùm videres mori in tantis tormentis, quem videras ante nasci in tantis gaudijs? quando videbas illudi, conspui, & execrari ab hominibus, quem audiueras antea laudari ab Angelis? cùm videbas sanctissimum illud corpus, quod tu cum tanta reuerentia soles contrectare, & educasti cum tantis blanditijs, tam crudeliter haberi, & excarnificari à gente pessima? Quando intuebaris illud diuinum os, quod tu lacte cælesti paueras, felle & aceto amaricari? & diuinum illud caput, quod toties in virginali tuo sinu foueras, totum sanguine delibutum & spinis laniatum? O quoties attollebas oculos in altum, vt cum admiratione suspiceres diuinam illam figuram, quam quoties intueri soles antea, toties benedictam animam tuam incredibili gaudio explebat? confestim tamen visum reuocabas, quia spectaculum hoc oculi tui non ferebant, & cordis tui teneritudo, sine metu deliquij, dehonestamentum vultus filij tui non patiebatur.

Quæ itaque lingua magnitudinem istius doloris enarrabit: Si anima, quæ veracirer Christum diligit, quando doloris istius iam transacti post tot seculorum curricula recordatur, non possit non vehementer compungi: quid tibi euenit, quæ existens mater, & plus quam mater, cùm videres oculis tuis ipsa præsens talem filium, in tam horrendis cruciatibus & tormentis pendentem? Si illæ fœminæ, quæ Christum crucem suam ad locum supplicij portantem sequebantur, sine singulari aliqua causa, vt quarum nihil aut parum intererat, planxerint, & lamentatæ sint, videntes Dominum in forma tam

misc-

miserabili, & miseratione digna, ad montem Caluariæ prorepere, quis fuit lachrymarum tuarum modus, cùm videres non alienum, sed viscerum tuorum fructum, non tantùm crucem baiulantem, sed & cruci clauis affixum pendentem?

Maria in tribulatione p. seuerans & constans.

Etsi ô Virgo benedicta dolores isti immensi fuerint, tamen à cruce discedere noluisti: dorsum filio non obuertisti, imò in societate Crucifixi perseueraſti: non animi deliquio prostrata, aut in terra iacens, sed stans in pedibus immota, quasi columna robusta, suspiciens filium, cum incredibili dolore in cruce suspensum. Quemadmodum enim Eua, aspiciente fructum, & arborem mortis cum delectatione, mundi perditio subsecuta est: Ita te fructum vitæ, qui in arbore illa pendebat, cum magna mentis amaritudine intuente, pax & salus mundi postliminiò reuersa sunt.

Dissimile.

Genes. 3.

ALIA MEDITATIO, DE doctrina, quæ sub arbore crucis traditur.

Ioan. 19, 24.

Optat pia anima crucis esse socia.

Tabat, inquit Euangelista, *iuxta crucem Mater Iesu, & soror matris eius, Maria vxor Cleophæ, & Maria Magdalenæ.* O si quis mihi nunc concederet, vt semper stare possem in societate harum trium felicissimarum Mariarum, iuxta crucem Iesu? O vos felices Mariæ, quibus datum est indefatigabiliter stare iuxta crucem. Quæ est ista cathena, quæ vos tam arctè ad hanc arborem alligauit? O mortue Christe, qui viuos mortificas, & mortuos ad vitam reducis. O vos Angelici Spiritus, etsi peccator sim, & homo abiectissimus, nolite tamen indignè ferre, quòd desiderem huic sancto sodalitio ascribi. Amor enim me trahit, amor me cogit, adigitque ad crucis huius amplexus. Si enim tres illæ Mariæ à cruce nolint separari, quis me ab illa separabit, in qua tota salus mea consistit?

Efficax crucis.

Etenim & ignis citius frigescet, & aquæ natura prius incalescet, quàm ego ab hac cruce diueller. donec comprehendero, quod amor mihi dictat quam infinitum bonum sit, semper iuxta crucem permanere. O crux tu fortius ad te corda rapis, quàm magnes ferrum attrahere consueuit. tu clarius illuminas intellectum, quàm Sol oculos: tu inflammas ardentius animos, quàm ignis carbones. Trahe itaque me ad te, ô sancta Crux, fortiter: Illumina me iugiter, inflamma me violenter: ne cogitationes meæ vnquam à te dilabantur. Et tu ô bone Iesu, illumina oculos animæ meæ, vt te videant semper, in illa cruce præsentem, & vt non tantùm considerans intolerabiles istos dolores tuos pro me susceptos, tui misertus plorem, sed magis vt notem singula, tam mirabilium virtutum exempla, quæ in cruce exhibuisti: nec tantùm notem, sed potius vt coner imitari.

Fit peccatorũ sub cruce confessio.

Itaque ô Magister huius mundi, ô Medice animæ meæ, ecce ad pedes crucis tui me sisto, tibi omnia vulnera mea exhibeo, sana me Deus meus: indica mihi quid facere debeam, & da facere quod fieri mandabis. O Domine, agnosco me multis sensuum delectationibus obnoxium, & meipsius amicissimum: videoque hæc duo me valdè in via virtutum impedire. Sæpius dum me recreo, aut horas fallo, ne ieiunium aut aliud quoddam opus pium mihi molestum sit, tempus & occasionem piorum & deuotorum exercitiorum amitto; quæ cùm perdidi, meipsum perdidi. Appetitus illi & sensuum delectationes sæpius mihi molestæ sunt, nunc delicatè volunt edere & bibere, idque consueta semper hora; nunc volunt post prandium & cœnam deambulare, & sese exercere, in hortis & viretis voluptatem captare, & sese oblectare. Indica mihi, ô Saluator mi, quid debeam facere, vt vita mea tuo sit exemplo conformis. O quanta confusio, quantus pudor in me erit, si videro quomodo tu corpus tuum, omnium corporum tenerrimum, tractaueris, & meum viuendi modum cum tuo contulero? In medio tuæ mortis certamine, non alium corpori cibum, non aliud electuarium dedisti, quàm quòd crudeles illi carnifices ex felle & aceto præparârant. Quis hæc cogitans in posterum linguam habiturus est, quæ conqueretur sibi datum edulium aut nimis frigidum, aut salitum nimis, aut minus accuratè coctum? quæ grauiter feret, cibum tardè nimis, aut citò nimis sibi administrari, modò diligenter animaduerterit, quæ mensa tibi fuerit posita, in hac summa tua necessitate? Loco facetiarum, iucundæ confabulationis & suauium cantilenarum, tu nihil audis quàm clamores & vociferationes eorum, qui subsannantes, capita mouebant, & illudebant blasphemantes & dicentes. *Vah qui destruis templum Domini & in triduo reædificas illud.* Isti erant phonasci qui ad mensam tuam modulabantur; & deambulationes tuæ, in locis amœnioribus erant, quòd manibus pedibusque cruci eras affixus. Etsi hortum adieris post cœnam, non tamen deambulandi gratia in illum venisti; sed vt sanguine tuo illius solum irrigares: non vt in eo te recreares, sed vt in eo paueres, tristis esses vsque ad mortem, & in certamen cum ipsa morte descenderes. Quid autem de alijs refocillationibus corporis tui dicam? Caro mea mollem & olorinis plumis suffertum lectum, vestes pretiosas, & ædes appetit amplas atque spatiosas. Dic mihi dilecte mi ecquis lectus tuus? quales sunt ædes tuæ? qualia tua sunt vestimenta? Vestis tua est ipsa nuditas, aut purpura data ad illudendum. Domus tua est, pernoctare sub dio, aut si quam aliam habes, ea est stabulum animalium ratione carentium. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos,* tu autem Domine *non habes vbi reclines caput tuum,* id est, vbi habeas vllam quietem. O curiositas, ô superfluitas quomodo ita increbuistis in terra Christianorum? Si veri Christiani simus, cur non omnem curiositatem, cur non omnem superfluitatem expellimus, cùm Dominus & Magister noster, non tantùm quæ superflua erant, sed ne quidem quæ necessaria fuêre admiserit. Restat Domine vt lectum tuum videam: *Dic mihi, ô dulcissime Domine, vbi iaces, vbi cubas in meridie?* Colloco meipsum iuxta pedes tuos, dic mihi quid debeam facere: & da, vt quòd iubes facere queam. Appetitus enim mei sensuales, inuiti admodum tuæ crucis doctrinam percipiunt. Concupisco lectum mollem, & si euigilauero, meque precibus matutinis dedero, adest confestim pigritia vel acedia, suadetque somno matutino indulgendum esse. Dic mihi Domine quam requiem tu in lecto crucis tuæ habuisti? quando lassus eras pondere laceratì capitis, in dextrum humerum inclinantis, quomodo illud attollere & in sinistrum transferre potuisti, vt requiem maiorem haberes? Ah, mirum cor mihi non disrumpi, mirum omnem illicitam concupiscentiam meam hic non intermori atque perire. O consolatio inopum: ô confusio diuitum: ô fortitudo pœnitentium: ô condemnatio superborum, & voluptatibus deditorum. Si lectus Christi non sit pro vobis, credite neç gloria ipsius pro vobis erit. Da mihi Domine gratiam secundum exemplum tuum omnes inordinatos appetitus, & sensualitates (vt ita dicam) omnes meas mortificandi, quam si mihi dare recuses, te supplex oro, auser animam meam à me. Non enim æquum est, vt tu in hac cruce pendens acetum & fel bibas, ego verò illecebras, deliciasque secter: vt tu nudus & inops lugeas, ego vero

Collatio vitæ nostræ cũ vita Christi.

Matth. 27. Marc. 15.

Luc. 22.

Marc. 15.

Matth. 8. 20.

Cant. 1, 7.

Ioan. 19. Matth 27.

verò diuitias huius sæculi quæram: vt tu pro lecto durum habeas lignum, ego autem in mollibus cubem plumis, & omnia quæ carni dulcia sunt concupiscam.

Erubescere itaque, ô anima mea, quotiescunque Dominum tuum in cruce vides pendentem, & imaginare illum tibi de ligno concionari, & ita tecum expostulare: O homo, ego pro te accepi coronam spineam, & tu in ignominiam mei sertum geris suauissimis floribus contextum? ego pro te extendi manus meas in cruce, tu verò eas ad choreas, aliasque vanitates & illecebras extendis? ego ardentissima siti enecor, & tu pretiosissimo vino inebriaris, magnificentissimisque epulis distenderis? ego toto vitæ meæ curriculo in cruce perseueraui, ego vixi in summis ignominijs & doloribus, & tu in tota vita tua honores & voluptates sectaris? Ego dura lancea mihi latus aperiri passus sum, vt tibi cor meum darem, & tu cor apertum habes, patens omni vanitati & amori illicito?

Expostulatio Christi cum peccatore.

DE PATIENTIA QVAM HABERE *debemus in tribulationibus, quæ in imitando Christo occurrunt.*

Crux hominum medicina.



Domine, tu me in hac cathedra legem temperantiæ docuisti, doce me & legem patientiæ, quæ maximoperè mihi in imitando te est necessaria. tu partem concupiscibilem animæ meæ curasti, ô bone Medice, medicare & nunc irascibili. Crux est medicina totius hominis, & folia arboris huius sunt sanitas gentium. Dixi nonnunquam mihi ipsi: Vellem cum nullo mortalium mihi litem esse, pacem cum omnibus opto: ideoque consultum mihi visum est, omne hominum consortium fugere, ne qua tribulationis aut iræ subrepat occasio.

Homines fugere non est iræ vincere.

Sed nunc cognosco in hac mea imbecillitate, quòd hominum consortium fugere, non sit iram vincere, sed imperfectionem tegere. Quia iuxta exemplum tuum amodo conuersari volo cum omnibus, & pacem habere non tantùm cum bonis, & pacificis, sed etiam cum peruersis, & his qui pacem oderunt. Ego quidem hoc ita facere propono. Sed tu, ô Domine mi, da gratiam tuam mihi, vt quod proposui, feliciter queam perficere. Si quis facultates meas diripiat, da, ô Domine, ne perturbetur animus meus; Video enim te in ista cruce miserè spoliatum omnibus, video te inopem & nudum. Si quis honori meo quidquam detrahat, ne ob id patientiam amittam, cum te videam sic inhonoratum, contemptum & derisum. Si mihi defuerint amici, serenitas animi ne turbetur, quia video te hic derelictum ab omnibus, non solùm à Discipulis, sed ab ipso Patre tuo charissimo. Et si aliquando videatur mihi me à te derelictum esse, ne ob hoc perdam spem & fiduciam, quia tu non perdidisti illam, etiam cum diceres, *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* statim enim

Psalm. 119

Psalm. 21. Matth. 27. Luc. 23.

spiritum tuum commendasti in manus eius, qui te dereliquerat. Quare Domine si mihi gratiam tuam largiri velis, nunc omnes angustias, tribulationes, & persecutiones in me suscipio: non enim mihi nocere possunt, possunt autem occasiones optimas præbere, te, ô Iesu bone, imitandi.

Sed, ô Domine mi, si tribulationes sint longiores & duriores, quibus modis me consolabor? Nam quantumcunque tuæ grandes fuerunt, videntur tamen fuisse breuiores: non enim vltra viginti horas durauit totum martyrium tuæ passionis. Sed clinici qui decem annos ob continuam infirmitatem lecto alligati, aut qui totidem annos in carceribus detinentur, aut in proprijs ædibus alia necessitate aut ærumna affliguntur, quam consolationem in te inuenient, in hoc tam longo certamine? Respondè mihi, ô Domine, ad hanc quæstionem, quia tu es Verbum & Sapientia Patris. Dic mihi, si tu sis vniuersalis consolatio in omnibus afflictionibus, an alium in tribulationem quærere debeamus? Verè, verè non opus est alio consolatore præter te. Sine dubio enim crux ista, in qua pateris, non fuit martyrium vnius diei, sed totius vitæ tuæ. In ipsa enim conceptionis tuæ hora ad crucis supplicium condemnatus fuisti, & impositum est tibi à natiuitate tua quidquid pati debebas, quod & semper, quoad vixisti, ob oculos tuos versabatur. Quoniam sicut omnes res præteritæ & futuræ semper præsentes sunt diuino tuo intellectui, sic etiam oculi & mens tua, martyrio tuo, & instrumentis omnibus Sanctissimæ passionis tuæ præsentes semper cohabitârunt: tibi crux, claui, flagella, spinæ, & crudelis lancea: tibi omnes gladij præsentes semper aderant, haud secus, quàm hæc omnia instrumenta, ipso die parasceues, proprijs oculis vidisti. Nos verò in graui afflictione qua premimur, habemus semper aliquam requiem, quando vel medicina vel morbi remissio id concedit. Tua verò pœna continua fuit, ita vt si non semper in corpore, saltem in anima cruciatus sis, quoad in terris vixisti. Et si illud tormentum minus fuit, sufficiebat saltem zelus honoris Patris tui, & salutis animarum nostrarum; qui cor tuum iugiter dissecabat, atque corrodebat, maiorique martyrio te affligebat, quam mors ipsa. His adde obstinatos animos rebellis populi, & duritiem omnium aliorum peccatorum, pro quorum salute in hunc mundum veneras, & tamen beneficij istius participes non essent futuri, nec tempus visitationis suæ agnoscerent. Hinc illæ piæ lachrymæ oboriuntur, quas supra Hierosolymam profudisti: hinc prodijt illa lamentatio, quæ est apud Esaiam; *In vacuum laborauí, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.*

Passio Christi non fuit vnius diei, sed totius vitæ.

Luc. 19.

Esa. 49. 4

Habes itaque hîc ô anima mea socium afflictionis, habes consolationem in tribulationibus, quantumuis etiam diuturnis. Quantumcunque enim vltimi cruciatus Sanctissimi corporis Domini nostri Iesu Christi breues fuêre, pij tamen cordis atque animæ illius fuerunt quàm longissimi.

DIE

DIE SABBATHI, MEDITATIO SEXTA MATVTINA, DE PLANCTV B. MARIÆ VIRGINIS.

HOC DIE MEDITABERIS QVOMODO CHRISTI latus sit apertum lancea, & quomodo Saluator de cruce depositus. Planctum quoque B. Mariæ Virginis, & quomodo Christus sepultus est.

TEXTVS.

IVdæi ergo, quoniam Paraſceue erat, vt non remanerent corpora in Cruce ſabbatho (erat enim magnus ille dies ſabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur illorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ioan. 19.

Ad Ieſum autem cùm veniſſent, viderunt eum iam mortuum, & non fregerunt eius crura: ſed vnus militum latus eius aperuit lancea, & continuò exiuit ſanguis & aqua.

Et cùm iam ſerò eſſet factum, venit Ioſeph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petyt corpus Ieſu.

Pilatus autem mirabatur ſi iam obiiſſet: & accerſito Centurione interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet? Et cùm cognouiſſet à Centurione, donauit corpus Ioſeph. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quaſi libras centum.

Et accepto corpore Ioſeph, de cruce depoſitum, inuoluit illud in ſindone munda cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus erat, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter Paraſceuen Iudæorum (quia iuxta erat monumentum) poſuerunt Ieſum. Maria autem Magdalenæ, & Maria Ioſeph aſpiciebant vbi poneretur.

HVC vſque occupaſti te, ô anima mea doloribus & morte Domini tui Ieſu Chriſti, nunc tempus eſt, vt lamentationibus Beatæ Virginis eius matris occuperis. Propterea ſede nunc paulum ad pedes Hieremiæ Prophetæ, ſume verba lamentationum de labijs eius, cumque amaro & pleno doloribus ore dic; Quomodo ſedes ſola innocentiſsima Virgo? Quomodo facta es quaſi vidua Domina mundi? quomodo quæ ſine vllo peccato es, facta es ſub tributo tantarum pœnarum? O virgo ſanctiſſima, optarem te conſolari, ſed non video qui poſſim. cuperem magnitudinem dolorum tuorum nonnihil eleuare, ſed viam modumque non inuenio, ô Regina cœlorum. Si cauſæ dolorum tuorum dilecti filij tui dolores & tormenta fuêre, & non tua (plus enim amabas illum quàm te) deſine lamentari: nunc enim filij tui dolores tranſierunt, & amplius non ſunt: corpus enim nunc non patitur, & anima eius tota eſt glorioſa. Deſine itaque plangere, ceſſent gemitus, ceſſent ſuſpiria, quia ceſſauit illorum cauſa. Planxiſti cum plangente, æquum eſt vt gaudeas nunc cum gaudente. Eia obturentur nunc fontes illi purſiſsimorum oculorum tuorum, qui fontibus Eſebon ſunt clariores. Qui ſi nunc obſcuri facti ſint, & turbidi ex pluuia tantarum lachrymarum, abſterge. Ira enim Domini placata eſt, veri Noë illius ſacrificio: Ceſſet itaque diluuium ſanctiſsimorum oculorum tuorum, & inclareſcat terra noua ſerenitate. Exiuit nunc columba de Arca; vbi redierit, ſignum referet diuinæ clementiæ. Hæc ſpes te exhilaret, ceſſentque iſti tui gemitus & ſuſpiria. Ipſe tuus filius iubet te lachrymas continere, & inuitat te ad nouum gaudium, dicens. *Surge, propera amica mea, formoſa mea, & veni, iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra; tempus putationis aduenit. Surge propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea in foramini-bus petræ, & in cauerna maceriæ*, id eſt, in plagis & vulneribus corporis mei. Relinque nunc hanc tuam habitationem, & veni mecum. Thren. 1. Cantic. 7. Genes. 8. Cantic. 2. 10. 13.

Agnoſco facilè, ô Domina mea, nihil horum te conſolari poſſe, quia finis dolorum tuorum nondum aduenit. Finito vno martyrio, aliud incipit, & dolor præcedens excipit ſequentem. Renouantur cordis tui tortores, & abeunte vno, alter cum nouo tormentorum genere ſuccedit; vt hac varietate paſſionis tuæ tormenta duplicentur. Huc vſque deflesti filij tui dolores & pœnas, nunc eius mortem deploras. Huc vſque ob paſſionem eius lamentata es, nunc tuam ob ſolitudinem lamentaris: hucuſque doluerunt eius tribulationes, nunc eius dolet abſentia. fluctus vnus abijt, alter aduenit, vt pœna pœnæ addatur, & vbi dolores filij deſinunt, incipiant tui.

Sin autem pœnæ præcedentes minores fuerint, video nunc aliam præparari non mitiorem. Claude, ô Domina mea, claude oculos tuos, & noli videre lanceam illam; quæ vibratur in aëre: noli cernere quò dirigatur, quem petat. Voti compos mox facta eris, facta es ſcutum filij tui, lancea enim & ictus illius te, non filium vulnerârunt. Deſiderabas & ſpinas, & clauos in te conuerti: ſed illa filio debebantur: lancea verò te pupugit & transfixit. O crudeles miniſtri, ô corda ferrea, tam exilia vobis videntur illa, quæ viuum hoc corpus paſſum eſt, quòd etiam mortuo parcere noluiſtis, ſed & in illud ſæuire veriti non *Christi latus lancea conſoditur.*

estis? Quæ inimicitia tam barbara posset inueniri, & tam magna, quæ non placari posset, videns quem oderat, ante se mortuum, & tam miseris modis dilaniatum atque interfectum? Attollite nonnihil immites oculos vestros, & videte; Videte inquam, mortuam illam faciem, oculos illos fractos, & cassos lumine, pallorem illum, & vmbram mortis. Etsi duriores sitis ferro & adamante, fieri tamen non potest, vt videntes hanc formam, non remittatis aliquid de vestra feritate, & tot tormentis non mitigemini. Quare vobis satis non fuit, in filium debacchatos esse? Debuistisne etiam in matrem sæuire? ipsam ferit hæc lancea, in ipsam figitur, ipsi minatur acies crudelis istius ferri.

Adest ecce miles cum lancea, & vibrans illam, figit magna vi in pectus Domini Saluatoris nostri. trepidat crux ictus quassata violentia, & continuò ex recenti vulnere sanguis exiuit & aqua, ad ablutionem peccatorum totius mundi. O flumen exiens de Paradyso, & cursu tuo vniuersam mundi superficiem irrigans. O vulnus lateris pretiosum, non tam ferri crudelitate, quam amoris suauitate percussum. O porta cœli, fenestra Paradysi, locus refugij, turris fortitudinis, sanctuarium iustorum, sepultura peregrinorum, nidus castarum columbarum, lectus floridulus sponsæ Salomonis. Salue vulnus lateris pretiosi, vulnerans animas piorum: salue punctura pungens animas iustorum, salue rosa omnis pulchritudinis, pyrope inæstimabilis, via ad cor Christi, testimonium amoris Dei, & pignus vitæ sempiternæ. Per te intrant animalia munda & immunda, quæ cupiunt saluari ab aquis diluuij, veri Arcæ Noë beneficio. Ad te recurrunt omnes tentati, in te consolationem percipiunt omnes afflicti, tuo liquore sanantur omnes infirmi, per te peccatores cœleste palatium ingrediuntur, in te requiescunt suauiter exules & peregrini omnes. O ardens amoris fornax, domus pacis, Ecclesiæ thesaurus, vena viuentis aquæ, salientis in vitam æternam. Aperi mihi Domine portam hanc, assume me, & inhabitare fac in domo hac delectabili: Da mihi vt per hanc ingredi possim ad intimi amoris tui penetralia, propina mihi de fonte hoc dulcissimo, laua me lauacro hoc sanctissimo, & pretiosissimo liquore hoc me inebria. Dormi ô anima mea in hac cauerna securissimè: omnium huius mundi curarum & occupationum hic obliuiscere, hic requiesce, hic ede, hic bibe, hic cane cum Propheta dulcissimè: *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Salutatio ad vulnus lateru Christi.

Genes. 7.

Ioan. 4.

Psal. 131, 14.

QVOMODO CHRISTVS DE CRVCE depositus est, & de planctu B. Mariæ Virginis.

DEinde considera quomodo sanctissimum illud corpus de cruce deponitur; depositumque Virgineis Mariæ brachijs excipitur. Sole iam ad Occasum vergente, duo sancti viri, Ioseph & Nicodemus venerunt, & scalas erigentes, crucem conscendunt, euellentesque clauos, corpus Saluatoris soluunt, & brachijs suis exceptum honorificè demittunt. Quando verò B. Virgo animaduertit, iam finem esse tormentorum, & filij sui corpus in terram demitti, præparauit illi securum locum quiescendi super pectus suum: & à brachijs crucis, in sua brachia recepit. Petiit itaque summa cum humilitate, à viris istis nobilibus (quoniam filio suo nondum valedixerat, neque ille ad supplicium crucis iturus, in nouissimos matris amplexus venerat) vt corpus filij vita iam cassum, sibi aliquandiu permitterent, ne ab omni parte desolata esset, omnisque consolatio ab illa exulare videretur. cumque hostes filium viuentem sibi raptui sent, orat, ne & amissi mortuum surripiant. O Domina tota mœsta, & omni consolatione destituta. si enim illi quod petis negauerint, iam nullum tibi solatium reliquum est, & si annuerint, non video quam tunc consolationem habebis. Malum tuum non habet solatium, nisi in sola tua patientia. Si ab vna parte dolor tuus mitigetur, ab alia rursus geminatur. Quid igitur facietis viri sancti? quod consilium captabitis? Negare tot lachrymis, & Dominæ tantæ quod cupit, indecorum est, & inhumanum: concedere quoque & dare quod petit periculosum. Nam si detur illi corpus filij, actum est de vitâ ipsius. Partim itaque metuendum ne desoletis illam: partim ne occidatis matrem, quemadmodum hostes filium occiderunt. Vicit tandem commiseranda Virginis instantia.

Christus de cruce deponitur.

Quando autem Virgo filium in brachijs suis iam haberet, quas voces, quas putas lamentationes edidit? O Angeli pacis plangite cum hac sacrata Virgine, plangite cœli, plangite stellæ, & omnes creaturæ mundi consociate vos, & cum Virgine Maria plangite. Amplectebatur Mater lacerum & confractum illud corpus, & affectu materno in sinu suo stringebat (in hoc enim sola fortitudo remanserat) oculos & vultum in spinas obijciens, faciemque suam faciei filij sui applicans & conungens, sanguine filij suam decoloratit, rigauitque: illius verò lachrymis maternis est madefacta. O dulcis mater, hiccine dulcissimus est tuus filius? Hiccine est quem tu concepisti cum tanta gloria, & peperisti cum tanto gaudio? ficcine consolationes tuæ transierunt? vbi sunt gaudia tua antiqua? vbi est speculum illud pulchritudinis, in quo soles te contemplari? Iam non iuuat in faciem hanc intueri; oculi enim lumen suum perdiderunt. Iam non iuuat amplius cum illo sermocinari, aut illi acclamare, quia aures eius iam non audiunt, lingua non mouet se, nec loquitur amplius mirabilia cœlorum. Nunc occlusi sunt oculi, qui suo solent intuitu mundum vniuersum exhilarare. Quare nō loqueris ô Regina cœli? quomodo dolor linguam tuam ligauit? lingua quidem obmutuerat, sed cor intus loquebatur cum filio dulcissimo, dicens.

Corpus mortuum Christi mater in sinum accipit.

O vita mortua, ô lux obscurata, ô pulchritudo deformis: quæ manus hanc tuam diuinam formam sic deturpârunt? Quæ est hæc corona quam manus meæ inuenerunt in hoc tuo capite? Quod vulnus hoc, quod video in tuo pectore? O summe Sacerdos mundi, quæ signa sunt ista, quæ oculis meis conspicio in tuo corpore? Quis imaginem gloriæ & maiestatis Patris in te sic offuscauit? Quis facie omnis gratiæ tam turpiter abusus est? Istine sunt oculi illi qui solem sua claritate obscurârunt? Istæne sunt manus illæ, quæ resuscitabant mortuos quos attingebant? Istúdne os ex quo egrediebantur quatuor celeberrima Paradysi flumina? Tantúmne potuerunt manus hominum contra Deum? O fili, ô sanguis mi, vnde tempestas hæc oborta est? qui fluctus te inuoluerunt? O fili quid faciam sine te? quò vadam? quis dolori meo medebitur? Pater & fratres afflicti venerunt ad te, orantes pro filio & fratre defuncto, & tu pro singulari tua bonitate, atque omnipotentia illos consolatus es, ijsque succurristi. Sed ego quæ video mortuum filium meum, patrem meum, fratrem meum, Dominum meum, quem precabor pro illo? quis me consolabitur? Vbi, vbi est bonus ille Iesus Nazarenus, filius Dei viui, qui mortuis dedit vitam, & viuis consolationem? Vbi est *Propheta* ille magnus, *potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo?*

Lamentatio insignis Beatæ Mariæ Virginis.

Genes. 2.

Luc. 24, 19.

Fili mi ante me nunc posite, qui gladius es doloris mei, quid peccasti, quod Iudæi te crucifixerunt? Quam causam habuerunt te tam crudeli morte interficiendi? hanccine reportas gratiam pro tantis tuis be-

tuis beneficijs? illud est præmium tantarum virtutum? istud minerual pro cœlesti tua doctrina? Hem quò mundi malitia progressa est? quò Dæmoniorum peruersitas? quò bonitas & clementia Dei deuenit? Tantóne odio Deus peccatum insectatur? tantámne satisfactionem vnicum illud crimen postulabat? tam magnus rigor est diuinæ iustitiæ? tam pretiosa in conspectu Dei salus humana?

O Dulcissime fili mi, quid faciam absque te? tu eras meus filius, meus pater, meus Sponsus, meus Magister, & omne meum solatium. Amodo ero sicut Orphana sine patre, vidua sine sponso, sola sine magistro, & destituta omni solatio. In posterum non videbo te egredientem vel ingredientem ianuam meam, ex Euangelij pacis prædicatione defessum. Non abstergam amplius sudorem à vultu tuo, ad solem indurato, atque decolorato. Non te posthac ex itinere & laboribus defatigatum refocillabo; non videbo te iterum ad mensam meam accumbentem, animamque meam diuina tua præsentia reficientem. Posthac ad pedes tuos non sedebo, nec verba oris tui nectarea audiam, nec dulce nomen matris amplius in auribus meis resonabit? Transijt illa gloria, finita est ista lætitia, incipit nunc mea solitudo.

Cur non alloqueris me fili? ô cœlestis lingua, quæ tot homines consolata es, tot hominibus tuis sermonibus vitam reddidisti, quomodo in altum hoc silentium deuenisti? cur non compellas matrem tuam? quare mihi non reliquisti monimentum aliquod, cuius aspectu tui semper recordarer? Ipsa tua cum
Bern. serm. 42 in Cantica. venia vnum mihi capiam. Hæc regalis corona erit legatum meum, hi claui, & ista lancea volo vt mea sit hæreditas. hi tam pretiosi thesauri semper erunt in corde meo: ibi fixi semper erunt claui tui, ibi corona, flagra, & crux tua iugiter conseruabuntur. Hæc erunt primogenita mea, quæ mihi elegi in consolationem solitudinis meæ, quamdiu vita hæc mihi superstes erit.

Ah quàm momentaneum est mundi huius gaudium, & quàm intolerabilis est dolor, post magnam prosperitatem? O Bethleem & Ierusalem quanta inter vos hodie est differentia? Quæ nox ista clarior, & quis dies hoc obscurior? quàm diues & beata eram tunc, quàm inops & misera nunc relicta sum? Non potuit meum infortunium non esse magnum respectu tanti thesauri. O Angele glorioſe, Luc. 2. vbi nunc est illa gloria & laus antiquæ salutationis? Non erat inanis tunc meus ille timor, quia post tantam gloriam, aut crux magna, aut magnum sequi debuit infortunium. Non vult Dominus vt sui sint otiosi, non dat honorem sine molestia, nec Dominium sine seruitute, nec gratiam sine magno labore. Tunc appellasti me gratia plenam, nunc plena sum doloribus: tunc me benedictam inter mulieres vocasti, nunc omnium fœminarum sum infelicissima. tunc dixisti, Dominum esse mecum: nunc quidem mecum non viuus, sed mortuus, non in solatium mecum est, sed in pœnam.

O suauissime Redemptor mi, an peccauerim fortè nimia lætitia te recens natum brachijs meis constringens, vt propterea nunc te tanto cum dolore debeam complecti? An nimiam voluptatem conceperim lac pectoris mei tibi puerulo præbens, vt iccircò nunc mihi calix hic amarissimus ebibendus sit? An deliquerim eò, quod toties cum iucunditate ferenam tuam faciem, tanquam lucidissimum speculum intuita sum, quare volueris vt te nunc adeò deformem, lacerum, & absque omni pulchritudine viderem? An potius in culpa est nimis feruens ille amor meus, quo te deperibam: aut propterea demerita sum, vt amor iste nunc carnifex meus sit? vt nunc pro magnitudine amoris etiam sit magnitudo meæ passionis?

O æterne Pater, ô amator hominum, qui pius es & misericors erga peccatores, immitis verò & crudelis in proprium filium. Tu scis quanti fluctus cordis mei, & quanta tempestas animam meam perturbauit? Tu scis, quot plagas, quot vulnera sanctum hoc corpus acceperit, tot mortes cor meum subijsse. Nihilominus, ô Pater, etsi plus ceteris creaturis afflicta sim, tamen infinitas pro his tormentis tibi gratias ago. Sufficit mihi, hanc diuinam tuam esse voluntatem. Sufficit mihi, quòd sciam de manu tua mihi datum esse, etiamsi gladius sit, accipio tamen non inuita, & adigo in cor meum. Gratias ago tibi, tam pro dolore, quàm pro amore, pares. Pro beneficijs & donis tuis, mihi hactenus à te præstitis, benedico tibi: & quòd eadem nunc auferas à me, non doleo, sed lubens depositum tuum tibi reddo, & non minores ob hoc, quàm ob illud, tibi cupio gratias referre. Benedicant tibi Angeli & cœli, benedicant tibi lachrymæ meæ, & laudent sanctum nomen tuum. Supplico tibi, ô Pater mi, (si modò sit voluntas tua, & tuo non officiat honori) esto nunc contentus triginta trium annorum tribulationibus quas vsque huc sustinui. Tu scis ô Pater quòd ab eo die, quo mihi Senex ille Simeon Martyrium meum Luc 2. vaticinatus est, positum sit omne gaudium meum, & tota vita mea amaro sit absynthio permista: quodque ab eo tempore vsque huc cor gladio illo transfixum in pectore meo gestauerim. Tu scis quòd in medio gaudiorum meorum memoria vaticinij illius me semper contristauit: quodque gaudium nunquam tam purum perceperim, cui non admixti fuere dolores recordationis & testimonij illius diei.

Scio Pater omnia hæc singulari tua prouidentia contigisse, & voluisse te, vt sicuti filius tuus crucem suam ab ipsa conceptione vsque huc portaret ante oculos suos, ita & ego mater à prima cognitione mysterij huius, vsque ad hanc horam crucem quoque meam baiularem. Sic voluisti, vt tui in hac vita patiantur semper, & noluisti vt in hac valle lachrymarum gaudia nostra magna sint aut perpetua, etiamsi in te, & de te concipiantur.

Sufficiant itaque, ô Rex mi, & sit nunc tormentorum meorum finis, si modò placeat tibi: sin minus, fiat in hoc, sicuti in omnibus, voluntas tua. Si parum videtur vnam mulierem martyrium vnum sustinuisse, tu scis quòd tot martyria sustinui in corde, quot verbera, plagas, aut flagella Saluator meus in corpore excepit. Ipsius Martyria nunc finita sunt: mea verò aspiciendo illum renouantur. Præcipe ô summe Imperator Morti, vt reuertatur & auferat prædam adhuc relictam, & Matrem simul cum filio ad sepulchrum rapiat. O felix sepultura, quæ in locum, & officium meum succedis, quæque aufers coronam meam à me, & tibi super imponis: dum excipis in te, quem ego in visceribus meis antea portaui. Ossa mea exultabunt, si sese illic viderint, & vita mea reuera erit in ipsa sepultura. Cor & animam meam sepeliam, ô Saluator mi, quia possum: tu verò trade corpus meum sepulturæ, quia id ego non possum sine te.

O mors quare tam crudelis es, vt me separes ab illo, à quo solo vita mea dependet? Tu subinde crudelior es parcendo, quàm interficiendo. Fuisses pia & misericors erga me, si me vnà cum filio hinc abripuisses: sed nunc immitis & crudelis fuisti filium occidendo, & multò crudelior matri parcendo.

Talia sine dubio, & his similia lamenta, Virgo mater, & ceteræ, quæ adfuerunt Mariæ, pectoribus suis versârunt. Planxerunt omnes qui erant præsentes: planxerunt nobiles illi Viri, planxit cælum & terra, & omnes creaturæ lachrymas suas lachrymis Beatæ Virginis addiderunt.

Planctus S. Ioannis Euangelistæ.

Planxit & S. ille Euangelista, amplectendo diuinum illud Magistri sui corpus, & dicendo: O bone Magister & Domine mi, quis me inposterum erudiet atque docebit? quem amodo in dubijs quæstionibus consulam? in cuius pectore nunc requiescam? quis mihi posthac secreta cæli communicabit? Quæ subita hæc mutatio? heri me sustinuisti in sacrato pectore tuo recumbentem, dando mihi gaudia vitæ: nunc beneficium reddo, te mortuum brachijs meis constringendo. Hæccine est illa facies, quam ego vidi in monte Thabor transfiguratam? Illene vultus, quem ego vidi Sole clariorem?

Matth 17. Marc.9.

Planctus S. Magdalenæ.

Planxit & illa Beata Peccatrix, & apprehendens pedes Saluatoris dixit: O lumen oculorum meorum, & remedium animæ meæ. quis me postea recipiet in profundo peccatorum demersam? quis medebitur vulneribus meis? quis respondebit pro me? quis me defendet coram Pharisæis? O quantum mutati pedes ab illis quos ego laui, cum ante vos prostrata, in gratiam recepta, peccatorum indulgentiam inueni? O dilectissime cordis mei, vtinam mihi concederes, vt nunc tecum vita defungi possem? quomodo dicere potero me amare te, cùm ipsa viuens te coram mortuum conspiciam?

Luc.7.

Christus sepelitur.

Sic planxit & lamentata est tota hæc societas, irrigando, & lauando lachrymis suis sanctissimum illud corpus. Cumque appropinquasset hora sepulturæ, accepto corpore sacro, inuoluerunt illud aromatibus conditum in sindone munda, & sudario caput eius ligârunt, impositumque feretro ad locum monumenti portârunt, & ibi deposuerunt pretiosum hunc thesaurum. Monumentum lapide tectum fuit, & facies Mariæ obscura nube tristitiæ cooperta. Ibi secundùm filio valedixit: Ibi secundò cœpit sentire suam orbitatem & solitudinem: ibi deprehendit se nunc spoliatam omnibus bonis: ibi sensit cor suum sepultum, vbi thesaurus suus erat reconditus.

COMMEMORANTVR CAVSÆ, *ob quas B. Virgo Maria & Iusti omnes in hoc seculo varijs tribulationibus affliguntur.*

ÆTerne Pater, cùm pro singulari tua bonitate & misericordia, volueris benedictum Filium tuum tam dira pro peccatis nostris pati, quare etiam voluisti, vt Beata hæc Virgo tanta pateretur? cùm nec propter aliorum peccata castigetur, quæ abundè satis morte filij tui expiata sunt? nec propter sua, cùm innocens sit & nunquam deliquerit? Quàm facile potuisses tormenta illius moderare: si extra Hierusalem alibi fuisset, vbi non vidisset oculis suis mortem filij, non sic aucti fuissent dolores spectaculo præsenti. O admirabilis dispositio, & incomprehensibile consilium Dei. Voluisti eam pati, ô Domine, non pro mundi redemptione, sed vt ostenderes nihil esse in mundo tibi gratius, quàm pro sanctissimo nomine tuo tribulari. Non est res pretiosior amore glorioso & triumphante in cælo: & amore tribulato, luctantique adhuc Iustorum in terris. In domo Dei non est honor, non dignitas, non gloria maior, quàm pro amore illius pati & affligi.

2. Ratio cur Iustos affligit Deus. Rom.11.

Patientia nil Deo gratius.

Inter omnia opera atque seruitia, quæ tibi, ô Pater æterne, Saluator noster præstitit in hoc mundo, nullum fuit gratius, nullum fuit tibi acceptius, illo, quo nos redemit, passione scilicet & tribulatione. Illa fuit monile & gemma nobilissima, omnibus diuitijs virtutum, quas tam opulentus ille mercator Christus Iesus tibi obtulit pretiosior: & quæ tibi placuit præ ceteris omnibus: pro qua reddidisti illi omnia, quæ à te petijt, salutem scilicet huius mundi. Cùm itaque tribulatio sit tam pretiosa gemma & electa, non erat rationi consonum, vt talis thesaurus omnibus perfectionibus perfectior, & qui Diuinis oculis tam gratus est, tolleretur, aut interiret.

Patientia in tribulatione vera virtutis nota.

Præterea nihil in hoc mundo est, quòd veram virtutem à falsa magis distinguit, & manifestius veræ virtutis indolem ostendit, quàm pati, & tribulari pro amore Dei. argumentum enim & probatio veri amoris est, affligi pro amato, omnia alia, hoc solo excepto, suspecta sunt & inefficacia. Quemadmodum enim Deus magnitudinem amoris sui erga nos, nondum manifestè hominibus exhibuerat (licet beneficia eius in nos extabant plurima) priusquam venit ipse patiens, & moriens pro illis: Ita nec homines testatum faciunt perfectè suum erga Deum amorem (quantumuis etiam multa & magna Deo præstent officia) priusquam pro nomine illius varijs tribulationibus alacri animo cupiunt affligi. *Non solùm autem*, inquit Paulus, *sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem*, (veræ virtutis) *probatio verò spem.* Atque ideò homo virtutem & sanctitatem omnem in se suspectam habere debet, donec ea testimonio tribulationis probetur. Appositissime itaque Sapiens, *Vasa figuli*, inquit, *probat fornax. & homines iustos tentatio tribulationis.* Rom.5.3. Eccle.27.

Deus non vult dona sua in nobis esse otiosa.

Non fecit Deus in tota rerum natura rem aliquam frustra, aut quæ esset otiosa, multò minus vult charismata sua vel dona gratiæ vacua aut otiosa in nobis esse. Ideoque Deus disposuit & diuisit vnicuique Electorum suorum pondus & mensuram tribulationum, secundùm mensuram & talentum acceptæ gratiæ. Nullus hic habetur respectus, quis ardentior sit amator, vt in fauorem illius, tanto plus illi de gaudijs & prosperitatibus detur, sed tanto plus illi infelicitatis, malorum & tribulationum imponitur, quanto ceteris feruentius amat, & amatur fortius. *Cibabis nos Domine* (ait Propheta ille & Rex electissimus) *pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis, in mensura.* Mensura autem hæc erit, vt amicus magis dilectus, magis ærumnis & aduersitatibus hic exerceatur. Psalm 79.6

Insignis allegoria. Exod 24.8.

Moyses cùm amicitiam & fœdus inter Deum & populum pepigisset, *sumptum sanguinem* leuiter, ait Scriptura, *respersit in populum*, & dixit: *Hic sanguis est fœderis quod pepigit Dominus*, &c. & residuam, sanguinis partem fudit super altare. Omnis itaque qui ambit amicitiam Dei, statuitque ita viuere, vt ab illo diligatur, hoc exemplo discat amicitiam hanc deberi sanguine celebrari, & consignari. non tantùm sanguine Christi, sed proprio etiam sanguine: id est, patientia & tribulationum tolerantia. Christus prior in vltima cœna quam cum Discipulis suis celebrauit ex calice bibit: postquam verò bibisset, quod reliquum erat ceteris conuiuis, qui aderant, dedit, iussitque vt inter se diuiderent, & singuli haustum ex illo biberent: vt hoc modo singuli suam ex calice portionem perciperent. Atque ita necesse est, vt singula membra se Christo conforment in aduersitatibus & tribulatione. In hoc verò est differentia inter homines imperfectos & perfectiores, quòd imperfectioribus sufficit, si sanguine vel leuiter aspergantur. Qui verò Deo sunt coniunctiores, quique ad perfectionem vitæ tendunt, digni qui altaria Dei vocentur, ipsis non satis est sanguine aspergi, sed sanguine debent lauari & baptizari. Fortioribus enim difficilia belli, seu pugnæ seruantur, quemadmodum & præmium maius & corona debetur illis glorioſior. Matth.26.

Notandum.

Personæ duæ, quæ in hoc seculo reperiuntur à

Deo

Deo maximè adamatæ, fuerunt Iesus Christus & Mater eius Maria: quæ sicuti omnibus creaturis virtute prælucent: ita & afflictionibus multis omnes superarunt, & patientia longa præcelluerũt. Non fuêre in mundo personæ præstantiores istis duabus, sed nec reperiuntur ijsdem magis afflictæ & descruciatæ.

Consolatio eorum qui rebus aduersis agitantur.

Consolamini itaque, consolamini omnes, qui in calamitatibus & miserijs estis: quia quamdiu tribulamini, maiorem cum Christo & Matre eius similitudinem habebitis. Consolamini, quia per tribulationes vestras non elongamini aut repudiamini à Deo, sed (si patienter aduersa sufferatis) multò illi eritis chariores & viciniores. Consolamini, & iterum consolamini, qui in aduersitatibus laboratis, quia non est sacrificium Deo magis acceptum, spiritu contribulato. nec amicitiæ ipsius signum & tessera certior, quàm patientia in afflictione. Caueat vnusquisque, ne perperam loquatur de tribulatione, quia id esset de Christo, Matre, & ipso Deo, qui amicis suis semper aduersa immittit, perperam loqui, eosque blasphemare.

Psal. 50.

Quid aliud est tribulatio, quam crux? qui itaque impiè loquitur de tribulatione, nonne & in crucem blasphemus est? quid est fugere tribulationem, nisi fugere crucem? & si adoremus vel veneremur crucem mortuam, & pictam, aut sculptam, quæ veræ crucis imago & figura est, cur horremus crucem viuam, quæ est, pro cruce pati? Quid hoc aliud est, quàm Iudæos imitari, de quibus Saluator in Euangelio dicebat, *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum, Patres autem vestri occiderunt illos.* q. d. honoratis illos mortuos, & cùm viuerent spreuistis illos, & occidistis? Idem facere videntur mali Christiani, qui venerantur crucem mortuam, & crucem viuam (hoc est, pro cruce & crucifixo pati) irridere, conspuunt, & detestantur.

Tribulatio crux Christi est.

Matth. 23, 24.

Nec quisquam animum despondeat, dicens se pro peccatis castigari, aut præter meritum suum affligi. Perinde enim est, quomodo, aut cur patiaris: nam vtrũq; est pati in cruce. Si propter peccata tua puniaris, in cruce boni latronis pateris: si præter meritũ, & innocens plectaris, maiores spiritus, maioremque fortitudinem concipere debes, nam præter culpam pati, est pati in cruce Christi benedicta.

Augustin. in Psal. 68.

Duplex patiendi modus.

DIE DOMINICA MEDITATIO MATVTINA SEPTIMA DE RESVRRECTIONE.

HOC DIE FACTO SIGNO SANCTAE CRVCIS ET PRAEMISSA diligenti præparatione, meditaberis mysterium Sanctæ Resurrectionis, in quo occurrunt quatuor ordinè considerandæ: nimirum, descensus Christi ad Inferos: Resurrectio sanctissimi illius corporis: quomodo Matri & Magdalenæ apparuit: & quomodo ceteris sese discipulis dedit conspiciendum.

TEXTVS.

Ioan 20.

ET cùm transisset Sabbathum, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & vidit lapidem sublatum à monumento, Corpus autem Domini Iesu non inuenit. Stabat ergo ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum: & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus esset. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei. Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur magister.) Dicit ei Iesus: Noli me tangere (nondum enim ascendi ad Patrem meum) vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Cùm ergo serò esset die illo, vna sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius: non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in

latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta, vt credatis quia Iesus est Christus filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

Palm.117.24. *Cur Dominicus dies Domini dies vocetur.*

HÆc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in illa. Omnes dies fecit Dominus, qui conditor est omnium temporum, tamen hanc diem dicitur sibi peculiari modo fecisse. Hac etenim die præcipuum opus suum, propter quod venerat, absoluit: opus scilicet Redemptionis nostræ. quemadmodum enim opus hoc propter excellentiam suam, opus Domini dicitur, eò quod prærogatiuam habeat inter omnia opera reliqua: sic dies hæc vocatur dies Domini, quia Dominus finiuit hoc die opus, inter omnia opera excellentissimum.

Alia Ratio.

Dicitur & Dominus diem hanc fecisse, quia quicquid in illa reperitur, solius Dei manibus est factum. In ceteris festiuitatibus & mysterijs Saluatoris, semper aliquid reperitur, quod fecimus nos: quia reperitur in illis semper aliqua pœna; pna verò nascitur exculpa nostra, & proinde semper aliquid nostrum in illis inuenitur. Hæc verò dies non est dies pœnæ, tribulationis aut miseriæ: sed omninò ab his seclusus, omnique gloria & iucunditate repletus, atque ideo dies hæc solius Dei est, & appellatur. Quis itaque non exultet & lætetur in tali die, qualis hæc est? In hac die lætata est omnis humanitas Christi: lætata est eius Mater, lætati sunt omnes discipuli Christi, lætati sunt cœli & terra, sed & Infernus huius lætitiæ fuit particeps. Sol hoc die clariùs fulsit, quàm fecerat vnquam antea: æquum enim erat, vt Domino ministraret sua luce, in die lætiæ illius, vti antea tenebris suis eidem seruieret in die passionis. Cœli videntes Dominum pati, obscurati sunt, ne Creator mundi nudus conspiceretur: nunc autem duplici claritate refulgent, videntes Triumphatorem mortis & Diaboli, cum tanta maiestate de sepulchro prodira. Lætati sunt cœli, & terra lætitiæ particeps fuit, quia splendidius lumen hodie de sepulchro natum est ipso lumine Solis in cœlo fulgentis: Dicit quidam Doctor contemplatiuus, quòd singulis diebus Dominicis, manè, cùm à somno surgeret, tantam in se sensérit exultationem, tantaque iubila & gaudia, quæ ex recordatione Dominicæ Resurrectionis percipiebat, vt omnes creaturæ, tam in cœlo quam in terra visæ sint illi altissima voce cantare: In Resurrectione tua Christe, Alleluia, cœli & terra lætantur, Alleluia.

Vt autem commodius mysterium huius diei queas pensiculare, cogita primùm, quomodo Saluator finito passionis suæ tempore, eadem cum charitate, qua pro nobis crucem ascendit, etiam mox ad inferos descendit, vt opus redemptionis & reductionis nostræ perficeret, & absolueret. Sicut enim mortem elegit, vt nos à morte vindicaret: ita descensum hunc ad Inferos prædestinauit, iterque hoc assumpsit, vt suos ab Inferis liberaret.

Christus ad Inferos descendit.

Euseb. Emis. de Resur. Dom ho. 1.

Descendit itaque nobilis ille Triumphator ad Inferos, amictus splendore & fortitudine mirabili. Cuius magnificum Inferni ingressum describit Eusebius Emissenus his verbis: O pulchra lux quæ de candido cæli fastigio promicasti, & inter fluenta purpurea sedentes in tenebris, & vmbra mortis, subita claritate visitasti vel vestisti. Confestim igitur æterna nox inferorum Christo descendente resplenduit: fulsit stridor ille lugentium, soluit confestim stridorem lugentium, & cathenarum disrupta cecidérunt vincula damnatorum: attonitæ mentis obstupuêre tortores, omnis simul impia officina contremuit, cùm Christum repentè in suis sedibus vidit. Mox igitur ferruginei ianitores descendente Christo talia inter vmbrosa silentia cœci metu incumbente submurmurant: Quisnam (inquiunt) est iste terribilis, & niueo splendore coruscus? nunquam noster talem excepit tartarus: nunquam in nostra cauerna talem euomuit mundus, inuasor est iste, non debitor: effractor est vel distractor, non peccator vel prætiaricator: iudicem videmus, non supplicem. Venit iubere, non succumbere: eripere non manere. Vbinam putatis ianitores nostri dormierunt, cùm iste bellator claustra vexabat? hic si reus esset, superbus vel audax non esset. Si eum aliqua delicta fuscarent, nunquam nostros tartaros suo dissiparet fulgore; vel nunquam fulgore suo nostras tenebras dissiparet: sed si Deus est, quid in sepulchro facit? si homo, quid præsumpsit? si Deus, vt quid venit? si homo, quare captiuos soluit? Nunquid nam iste cum auctore nostro composuit, aut fortè & ipsum aggressus vicit, sic ad nostra regna transiuit? Certè mortuus erat, certè victus erat. Illusus est, præliator noster in mundo, nesciuit quam hic stragem procuraret inferno. Crux illa fallens gaudia nostra, parturiens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per lignum euertimur. Perit potestas illa, semper populis formidata: nullus hic viuus intrauit, nemo carnifices terruit. Nunquam in hoc loco fuligine & nigra semper caligine cæcato iocundum lumen apparuit. An fortè sol de mundo migrauit? sed nec cælum nobis astraque parent, & tamen inferus lucet.

Aug. ser. 2. de tempore.

Sic tumultuabantur & murmurabant inter se tartarei spiritus, & Principes tenebrarum, quando victoriosus ille Triumphator phlegethontæos lacus intrauit, infernalesq; carceres subiuit, vt captiuos inde suos liberaret. Erant ibi vno in loco cõgregatæ animę Iustorum omnium, quæ ab orbe condito ad illam vsque horam, ex hac vita emigrârunt. Ibi vidisses Prophetam serra lighea dissectum, alium quoque lapidibus obrutum: alium verò cui claua ferrea caput erat diminutum: alioſque alijs tormentis pro testimonio & gloria Dei sublatos, & ad Inferos demissos. O Societas gloriosa. O thesaurus cœli nobilissimus: ô opulentissima pars prædæ, & triumphi Saluatoris: ô spolia ampla. Erant illic duo illi Protoplasti, per quos genus humanum propagatum est: qui quemadmodum primi fuerant in culpa, ita primi fuerunt in fide, spe, atque fiducia. Erat illic sanctus & venerandus ille Senex, qui arcæ fabrica semen humanum conseruârat, vt mundus iterum post diluuium hominibus incoleretur. Erat illic primus Pater credentium, qui primus omnium meruit accipere testimonium, & fœdus Dei, cum signaculo circuncisionis in carne sua. Illic erat obedientissimus ille filius Isaac, qui portarat in humeris suis lignum, in quo sacrificium Deo fuisset oblatus, adumbrans atque repræsentans sacrificium offerendum pro mundi remedio. Erat ibi celebris ille duodecim tribuum Sator, qui in aliena veste & habitu peregrino, meruit à patre benedictionem, præfigurans humanitatem & incarnationem Verbi. Erat ibi tanquam peregrinus & notus incolà huius terræ præcursor Ioannes Baptista, cum Sancto Sene illo, qui noluit ex mundi huius ergastulo liberari, priusquam vidisset oculis suis Saluatorem

Esaias. Ieremias. Amos. Adam. Eua. Gen 2. Noe. Gen.6. Abraham. Gen.17. Isaac. Gen.22. Iacob. Gen.27. Io. Baptista. Simeon. Luc 2.

rem mundi, eumque in vlnis suis recepisset, dulce cantans melos ad instar Cygni priusquam moreretur. Habebat & ibi exiguum locum pauper ille mendicus Euangelicus Lazarus, qui ob vlcera sua, famemque & longam patientiam, meruit accipere sortem & locum in hoc sancto commertio, & certa expectatione. Lazarus. Luc. 16.

Totus iste chorus Sanctarum animarum sedebat ibi gemens, & suspirans, maximo votorum ardore expectans hanc diem, & in medio illorum tanquam præcentor, sanctus ille Rex & Propheta, sine intermissione repetens antiquam suam lamentationem, dicens: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Domine. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* O sancte Rex, si illa sit tuarum lamentationum causa, desine quæso, desine amplius lamentari. Hic enim stat Dominus tuus, hic stat Saluator tuus. Muta nunc potius canticum tuum, & cane quod multò ante cecinisti, cum scriberes: *Benedixisti Domine terram tuam auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.* Et tu sancte Ieremia, qui pro honore eiusdem Domini, sub imbre saxorum occubuisti, claude, claude librum lamentationum, siue Threnorum quem scripsisti, videns ciuitatem plenam populo Hierusalem desolatam, & templum Domini euersum, post triduum enim aliud templum nouum rædificatum & aliam, multò populosiorem & magnificentiorem per totum terrarum orbem resuscitatum Hierusalem videbis. Psalm. 42, 2. Psalm. 84, 2.

Cùm itaque Patres isti viderunt tenebras suas nouo hoc lumine collustrari, & iam finem miseriarum, initium verò gloriæ suæ adesse, quanta perfusi sunt lętitia? gaudium illorũ quis poterit explicare? postquã reipsa nunc comperiebant, se ex captiuitate Ægyptiaca liberatos, & inimicos suos in mari rubro demersos esse, cantauerunt omnes dicentes: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.* Quanto cum gaudio & reuerentia primus Pater generis humani, sese ante pedes Filij & Domini prostrauit dicens: Venisti tandem expectare Gentium, desiderate multum Domine, quem diu expectaui, vt deleto chirographo, debita mea solueres, & peccata mea deleres. Venisti tandem, vt promissam fidem soluas, & non despexisti sperantes in te. Vicit difficultatem itineris pietas immensa: & tormenta, dolores que crucis, amoris magnitudo superauit. Gaudium patrum in Inferno. Exod. 15, 1.

Non est lingua in mundo tam eloquens, tam copiosa, quæ posset lætitiam Patrum istorum dignè satis commemorare. Multò tamen maius fuit gaudium Saluatoris, cùm cerneret primitias laborum, tantam scilicet animarum multitudinem, sua passione recuperatam & saluatam. O quantum sibipsi gratulatus est Dominus, & quam bene collocatos labores & dolores crucis suæ censuit, postquã vidit fructus, quos arbor illa sancta proferre incipiebat? Amore duorum filiorum quos in Ægypto genuerat Patriarcha Ioseph, oblitus est omnium calamitatum & miseriarum præteritarum: quod vt testatum faceret, primogenitum vocauit Manassen, dicens: *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.* Quale igitur fuit gaudium Saluatoris, quando vidit se tanta filiorum multitudine circundatum: Gaudium Christi. Gen. 41, 51. Psalm. 14, 2.

finito iam passionis martyrio? cum vidit *filios suos sicut nouella olivarum in circuitu,*

DE RESVRRECTIONE *corporis Christi.*

SEd quid agis, ô dulcissime Saluator? in tanta lætitia animæ tuæ, siccine corporis tui oblitus es, vt ei in sepulchro te expectanti nullam gaudij partem communices? Memento quid lege militari cautum sit, de præda diuidenda; nimirum, *vt aqua pars sit descendentis ad prælium & remanentis ad sarcinas, & similiter diuidant.* Sanctissimum corpus tuum Domine excubat in sepulchro, & anima tua gloriosa debellat infernum: diuide itaque gloriam inter corpus & animam, posteaquam victor è prælio redijsti. 1. Reg 30, 24.

Iacebat adhuc corpus sanctissimum in sepulchro miserabili ista forma, qua positum in eo fuerat: facies erat tecta sudario, omniaque membra eius erant laniata. Transierat iam media nox, & cœlum incipiebat rutilare, aurora iam exeunte, cùm Sol iustitiæ matutinam vellet præuenire, & in hoc cursu prærogatiuam oriente Soli præripere. Ideoque in hac tam beata, & fortunata hora gloriosa Christi anima, corpus suum iterum intrauit. Sed videamus quomodo corpus hoc anima condecorauit, ornauitque. Non potest hoc verbis explicari, sed exemplo potius, in aliqualem huius rei cognitionem deueniemus. Accidit nonnunquam vt obscura quędam nubes in Occidente conspiciatur, cumque Sol ad Occasum properat, nubẽ hanc perfringit, radijsq; suis ita tegit, & in tam lucidum & formosum corpus mutat, vt nubes illa quasi deaurata ipse Sol esse videatur. Sic gloriosa hæc anima, postquam sancto hoc corpore sese vestiuerat, & in illud intrauerat, omnes corporis tenebræ in gratissimam lucem sunt conuersæ, omnisque eius deformitas, in pulchritudinem mutata: adeò vt corpus hoc, paulò ante omnium corporum maximè deforme, nunc omnium esset pulcherrimum. Hoc modo surrexit de sepulchro Dominus, totus glorificatus, perfectęque gloriosus, primitiæ dormientium, & figura nostræ resurrectionis. Sed *quis iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* quis iste post tantam suppliciorum tempestatem, post tot dolores & opprobria, tam gloriosè fulgens, & claritate sua Solem ipsum obscurans? Hic est Patriarcha Ioseph, ductus de carcere, detonsis mortalitatis crinibus, & veste immortalitatis assumpta, factus totius Ægypti dominus. Hic est mitissimus ille Moyses exaquis, & vili ficella scirpea, pice & bitumine illita eleuatus, qui venit, vt omnem potentiam, & totum Pharaonis imperiũ euertat. Hic est bonus ille Mardocheus, qui depositò sacco & cilicio, regali vestimento indutus, inimico suo deuicto, & in propria cruce suspenso, populum suum omnẽ à morte liberauit. Hic est sanctus ille Daniel, è lacu leonum extractus, sine vllo detrimento à famelicis istis bestijs accepto. Hic est fortissimus ille Sampson, qui circũdatus ab inimicis suis & in ciuitate inclusus, media nocte surgens, apprehẽdit ambas portæ fores, cum postibus suis, & sera; impositasq; humeris suis, portauit in mõtem, eluso proposito, & consilio aduersariorum. Hic est beatus ille Ionas in mare mortis præcipitatus, vt socios suos à morte liberaret, qui postquam in ventrem magni piscis intrasset, iterum ab eadem bestia die tertio in littus Niniue eiectus est. Quis est iste, qui inter fauces, dentesque fame rugientium bestiarum positus, saluus euasit, nullo vulnere, vel liuore accepto? Qui demersus in aquarum abyssum, in aridam expositus est. & aura fruitur vitali? qui profundũ mortis intrauit, & ab ipsa morte seruitium accepit? Est Saluator noster, qui raptus est à fera bestia, quæ nunquam satiatur nimirum *Anima Christi ad corpus reuertitur.* Simile. Gen. 41. Exod. 2, & 14. Hester. 6, & 7, Daniel. 6. & 14. Iudic. 16. Ion. 2.

nimirum morte: ea enim cum Saluatorem in faucibus haberet, postquam prædæ virtutem agnouit, metuit, & tremebunda diutius tenere formidans, euomuit. Quamquam enim eum iam mortuum terra deglutisset, non potuit tamen, postquam innocentiam illius sensit, in gremio suo diutius retinere: non enim pœna, sed causæ pœnæ facit hominem reum.

QUOMODO SALVATOR VIRGINI matri Dominæ nostræ apparuit.

POstquam nunc carnem tuam sanctissimam, ô Domine, quæ tecum erat in cruce passa, gloriosam feceris, & exhilararis: recordare deinceps Matrem tuam etiam carnem tuam esse: memento quod illa tecum passa est, videns te in crucepatientem. Illa tecum est crucifixa: æquum itaque vt tecum resuscitetur. dictum Apostoli tui est, quod quicunque fuerint socij tribulationum tuarum, erunt & socij gloriæ. Cum itaque mulier hæc fidelissima 2.Cor.1,7. socia in omnibus miserijs & tormentis tuis fuerit, à præsepio ad crucem vsque iustum etiam est, tuorum vt particeps efficiatur gaudiorum. Serenum itaque redde cælum hoc obscuratum: aufer eclipsin, & redde lunam lumini: pelle nubila animæ illius afflictæ: absterge lachrymas ab oculis eius virginalibus: Iube Domine vt hyems transeat, imber abeat, & recedat, floresque appareant in terra hac.

Erat tunc temporis virgo sanctissima in oratorio suo, cum summa spiritus attentione orans, & expectans hanc nouam lucem. Clamabat & rugiebat in intimo cordis sui, & tanquam pia leæna vocem ad fi- Psalm. 56,9. lium mortuum tertia die eleuabat, dicens: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara mea* reuertere mundi triumphator, recollige bone pastor gregem tuum dispersum: audi fili mi vocem matris afflictissimæ, & cùm oues illæ tuæ te primùm ex cælo in terram euocarint, fac vt te nunc ex inferno iterum reuocent in terram. In medio gemituum & lachrymarum istarum, subitò angustam & inopem domunculam B. Virginis cæleste lumen illustrauit, & apparuit ante oculos benedictę matris filius gloriosus. Nũquam tam gratum lumen aduexit Lucifer: nunquam Sap.7. tam coruſca luce sol meridianus refulsit, quam speculum illud diuinæ gloriæ in oculis matris, & facie plena gratia lucebat. Videbat corpus filij resuscitati & glorioſi, à quo abstersa nunc erat omnis deformitas, cui oculorum diuinorum reddita gratia, omnisq; cum fœnore pulchritudo & forma prima erat restituta. Vulnera clauorum, quæ prius erant gladij transientes cor matris, nunc videbat in fontes amoris conuersa: quem viderat crucifigi inter latrones, nunc videbat inter Angelos exultare. Illum qui in cruce Matrem discipulo commendabat, vidit nunc brachia extendere, & in conspectu suo dulcissimam pacem conferre. Quem paulò antè mortuum in gremio fouebat, nunc ante oculos vidit resuscitatum. Tenet eum, nec dimittit, amplectitur illum, & ne abeat precatur, tunc præ nimio dolore obmutuit, nec quid diceret habebat: nunc præ nimia lætitia muta est, nec verbũ potest proferre.

Cuius eloquentia narrabit, aut cuius intellectus comprehendet, quousque gaudium hoc matris sese extendit? Non possumus ea intelligere, quæ captum nostrum excedunt, nisi minora maioribus conferendo. Vis itaque aliquali modò intelligere, quantum fuit hoc gaudium, perpende magnam illam lętitiam, qua gestijt atque elatus est Patriarcha Iacob, cùm post tantos luctus & dolores, quibus dilectissimum filiũ suum Ioseph, tanquam mortuum defleuerat, filium suum viuere, & totius Ægypti dominum constitutũ audiuit. Dicit enim Scriptura, cum nunciassent filij patri suo, filium Ioseph viuere, & dominari in omni terra Ægypti, tantam eius fuisse lætitiam, vt quasi è graui somno euigilauerit: nec tamen crediderit eis. *Cùm verò vidisset plaustra*, inquit textus, *& vniuersa* Gen.45,27. *quæ miserat, reuixit spiritus eius, & ait: Sufficit mihi, si adhuc filius meus Ioseph viuit, vadam & videbo illum antequam moriar.* Dic mihi si tanto gaudio perfusus sit ille, qui, cùm adhuc vndecim filios domi haberet, vnum quem mortuum esse arbitrabatur, viuere cognouit: quanto quæso gaudio delibuta est mater hæc sanctissima, quæ vnicum tantum habebat filium, eumque talem, & tam tenerè dilectum, cùm postquam vidisset mortuum, nunc resuscitatum, eundem palam & gloriosum coram conspiceret: non tantum Dominatorem Ægypti, sed totius mundi Monarcham? An alibi intellectus queat inueniri, qui posset hęc assequi? aut pondere suo motiri: tanta profectò fuit hæc exultatio, vt violentiam eius mater sufferre viua non notuisset, nisi peculiari miraculo fuisset à Deo confortata. O virgo beata, sufficiat tibi quod filius tuus viuit, quòd stat in conspectu tuo, eumque coram vides: priusquam moriaris, vt non hæbeas vltra quod desideres. O Domine, quam magna consolatio tua his, qui pro te patiuntur? Non videtur præcedens matris dolor & pœna huic gaudio posse comparari. Si ita consueueris eos, qui pro te affliguntur, consolari, fœlix certè & fortunata illorum est tribulatio, quæ tanta gloria & beatitudine remunerabitur.

Gaudium B Virginis viso filio redimitur.

Simili ratione meditandum est, quomodo Christus Saluator, Apostolis suis apparuit i maximè verò Marię Magdalenæ: de qua materia, ne simus æquo prolixiores, commentari supersedemus, eam tibi, tuæque pietati benigne Lector discutiendam tractandamque relinquentes.

FINIS SEPTEM MEDITATIONVM MATVTINARVM.

Sequuntur totidem Vespertinæ, eodem modo per septem dies hebdomatis distributæ.

DIE LVNAE, MEDITATIO PRIMA VESPERTINA.

DE PECCATO EIVSQVE NATVRA.

HOC die tuipsius cognitioni operam dabis, & peccati naturam discutes: Hoc enim est optimum compendium ad veram humilitatem & pœnitentiam perueniendi: quæ duo prima & præcipua sunt Christianæ vitæ fundamenta.

Vt autem commodius quæ diximus, perpendere queas, primò diligenter consideranda est peccatorum vitæ tuæ anteactæ multitudo: præcipuè verò eorum, quæ cùm minorem adhuc Dei notitiam haberes, commisisti. Nam si ad perfectam omnium notitiam perueneris, intelliges ea super numerum capillorum capitis tui esse multiplicata: teque instar Pagani atque Ethnici, quid sit Deus ignorantis, vixisse. Deinde vtramque Decalogi tabulam, & septem peccata capitalia

pitalia percurre, & disces, nullum esse Dei mandatum, quod non sæpe violasti, nullum capitale peccatum in quod non sæpius opere, verbo, vel cogitatione prolapsus es. Memento Protoplastum Adamum, eo quod de cibo interdicto comedisset, gratissimum totius mundi crimen commisisse: & nullum peccati genus est, in quo tu multifariè, & sæpius præuaricatus non es. reuoca in memoriam omnia à Deo percepta beneficia, varias ætates, totumq; vitæ tuæ decursum, & vide quomodo in his omnibus teipsum gesserit: horum omnium enim strictissima tandem à te ratio exigetur. Consultissimè itaque, crede mihi, facturus es, si teipsum iudicaueris, ne postea seuerius à Deo iudiceris.

Gen. 3.

Age igitur quomodo pueritiam tuam traduxisti? quomodo adolescentiam? quomodo iuuentutem? & vt vno verbo dicam, quomodo ab vtero matris tuæ progressus, huc vsque vixisti? quibus rebus appetitus tuus, ceteræque animæ tuæ potentiæ vacârunt, quas a Deo accepisti, vt illum agnosceres, eique soli inseruires? Quomodo oculis tuis vsus es aliter, quam vt eos rebus vanis, atque inanibus spectaculis oblectares? Aures tuæ quibus sermonibus patuerunt, si non fabulosis, obscœnis, mendacibus? Lingua tua quid protulit aliud, quàm periuria, murmura, & quæ dictu sunt parum honesta? Gustus, Tactus, & Odoratus tuus, quibus rebus potissimum studuerunt alijs, quam quæ appetitui dulces, carniq; gratæ fuêre, & libidini satisfacere potuerunt? Dic mihi quomodo diuinis Sacramentis, à Deo ad vulnerum tuorum medelam relictis medicamentis vsus es? quas gratiarum actiones Deo, pro infinitis suis beneficijs, reddidisti? quomodo diuina eius mandata obseruasti? incolumitatem tuam, fortitudinem, naturæ vigorem, diuitias, mundi huius prosperitates, aliaque vitæ huius commoda tibi à Deo, vt pie viueres concessa, quibus rebus impendisti? Quam curam proximi tui, *de quo mandauit tibi Dominus*, habuisti? Opera misericordiæ à Deo nobis commendata, quæ & quanta fecisti? Horum enim omnium rationem in horrendo illo iudicij die postulabit à te Dominus, cùm dicet: *Redde rationem villicationis tuæ*, redde rationem diuitiarum à me perceptarum, *non enim poteris posthac villicare*. O arbor arida, ad perpetua phlegethontis incendia præparata, quid respondebis, cum ratio totius ætatis tuæ, singulorum etiam punctorum atque momentorum illius exigetur?

Eccli. 17, 12.

Luc. 16, 2.

Secundò, ad ea peccata te conuerte, quæ postquam fidei & cognitionis diuinæ lumine illustrari cœpisti, à te perpetrata sunt, vel adhuc quotidie perpetrantur: & comperies veterem illum Adamum, in omnibus actionibus tuis adhuc viuere & operari. Hic omnia peccata omissionis, hic negligentias & torpores, hic acediæ malum, & periculosam vitæ securitatem, quotidianaque delicta, quibus & Deus, & proximus offenditur, exactissimè inquires, atque inuenies in

I. singulis eorum, te aliquoties deliquisse. Cogita primum, quàm negligens sis in rebus ad Deum pertinentibus, quam ingratus eius beneficijs, quam immorigerus eius mandatis, quam tardus & somnolentus ad illius cultum, in quo nunquam tantam spiritus alacritatem adhibuisti, quantam ille requirit: nec eam intentionis puritatem & synceritatem attulisti, quæ meritò adhiberi debet, sed sæpius ad eum accessisti, vel inanis gloriæ cupiditate, vel spe alicuius emolu-

II. menti permotus. Deinde perpende quam durus & immisericors sis erga proximum, & quanta misericordia atque indulgentia temetipsum tractes, quam vehementer propriam diligas voluntatem, quàm delicatè carnem nutrias, quanta ambitione honorem propugnes, quantaque contentione vbique quæ tua sunt quæras. Attende quam in omnibus rebus sis tumidus, inflatus, ambitiosus, iracundus, altercatus, inutilis, malitiosus, voluptatibus addictus, inconstans, leuis, ad quasuis sensuum oblectationes effusus, ad iucundam familiaritatem, immoderatum risum, vana colloquia, aliaque eius generis deliramenta propensus. Sed & quam inconstans sis in bono proposito, quàm lubricus in verbis, quàm incircunspectus in operibus, & quam pusillanimis, animoque dejectus, si vel leue infortunium, vel minima calamitas oboriatur. Tertiò, cùm hoc ordine calculum peccatorum tuorum subduxeris, eorundem quoque grauitatem examina: vt vbique intelligas, in quanta miseria atque discrimine hactenus vixisti. Ante omnia itaque tres peccatorum tuorum circunstantiæ diligenter sunt considerandæ: in quem, scilicet, quam ob causam, & quomodo peccasti: Si perpendas in quem peccasti, occurrit statim Deus, cuius bonitas & maiestas est immensa: & cuius beneficia, miserationumque multitudo, numerum arenarum maris longè excedunt: in quo omnes naturæ & gratiæ dotes, & quidquid in creaturis est admirandum, perfectum, & in supremo gradu inuenitur: quapropter & illi plus quàm creaturis omnibus debemus, eique nominibus & titulis omnibus obligamur. Sed cur peccasti? Ah pro re tam vili, tamq; abiecta, pro exigua honoris vmbra, pro bellula voluptate, pro minimo lucro: nonnunquam etiam non pro lucro aliquo, aut emolumento, sed ex sola peccandi consuetudine, & Dei cõtemptu, quod ipsum Deus conqueritur apud Ezech. dicens: *Et violabant me ad populum meum, propter pugillũ hordei, & fragmen panis.*

III.

Tria in peccatis consideranda.

In quem peccauimus.

Ezech. 13, 19.

Porrò quomodo peccasti? securo animo, absque omni scrupulo, & conscientiæ remorsu, sine vllo timore, atque ea nonnunquam animi alacritate, quæ Deum non viuentium iudicem, sed mortuum mortuorum idolum, & ficulneum aliquod numen esse reputaret, quod nec curat inferiora, nec audit, aut videt ea, quæ in hoc mundo geruntur. Proh, hæccine reuerentia, hic honor ille est, qui tantæ Maiestati debetur? Hene sunt tantorum beneficiorum gratiæ? siccine pretiosissimus ille sanguis pro nobis in crucis stipite profusus rependitur? siccine multiplices flagellorum plagæ, ludibria, & subsannationes remunerantur? O væ, & iterum væ tibi: miser es, qui in talem peccasti, miserior qui tam leui causa in eum peccasti, & miserrimus qui post peccatum securus, nullam damnationem metuis.

Quomodo peccauimus.

Accedat etiam ad has meditationes ineffabile illud odium, quo Deus peccatum prosequitur, & intolerabiles pœnæ, quibus peccatorem solet castigare: vt ex suppliciorum quantitate, peccati magnitudinem, de qua postea latius agetur, manifestius agnoscas. Postquam autem hęc omnia iusta trutina penitaueris, ad tuipsius cognitionem progredere, & vilissima quæque, atque humillima de te sentire ne erubescas. Cogita te nihil aliud esse, quàm arundinem, quæ omni vento agitatur, sine vlla gratuitate, sine vlla virtute, sine vlla fortitudine, sine vlla constantia, & sine vlla mentis stabilitate. Memento te Lazarum esse quatriduanum, cadauer fœtidum vermibus plenum, ad cuius fœtorem omnes prætereuntes nares obstruunt, à quo omnes oculos auertunt. Puta & te hoc etiam modo coram Deo & Angelis eius fœtere: existima te indignum, qui oculos in cœlum attollas, inutile terræ pondus, & indignum quem terra sustineat, vel cui creaturę famulentur, indignum pane quo vesceris, aere in quo respiras, lumine cuius beneficio vides: sed multò minus dignum, Spiritus sancti consolatione, ne dicam filij adoptione, & diuina, quæ te tam delicatè habet, prouidentia. Esto in oculis tuis craturarum omnium ignobilissima, & quę omnibus Dei beneficijs turpiter est abusa. cogita si Deus in Tyro & Sydone, id est, in alijs egregijs peccatoribus

Quid sit homo.

Matth. 11.

ea opera

ea opera feciſſet, quæ in te facta ſunt, iamdudum in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent. Fatere te multo peiorem eſſe, quam quiuis peſsimus eſt, qui animo tuo occurrat, & quo magis tibi ipſi diſplicueris, cum iam ad ſummum te peruenisſe arbitraberis, hoc plura ſe offerent, quæ maiorem humiliter de te ſentiendi occaſionem præbebunt. Clama inceſſanter ad Deum, & dic: O Domine, nil habeo, nil poſſum ſine tuo auxilio: nil niſi peccare queo. Proſterne teipſum cum publica peccatrice ante pedes Saluatoris, tantoque pudore ſuffundere, quanto cum mulier quæ thori iura violauit, in conſpectu viri ſui veniam deprecatura, ſolet apparere. Tali dico pudore ô anima ſta coram cæleſti ſponſo, in cuius contemptum toties fornicata es cum amatoribus multis: precare illum vberrimis lachrymarum riuulis perfuſus, ingentique dolore compunctus, vt indulgeat, ignoſcatque tibi, quidquid in illum deliqueris, teque verum Acolaſtem ac prodigium filium, pro magna ſua miſericordia in gratiam receptum, in ſuum domicilium reducat.

TRACTATVS PRIMVS.

DE PECCATO IN QVO PRÆCEDENS meditatio paulo copioſius explicatur.

Pœnitentia prima poſt naufragium tabula. Hier. epiſt. ad Demetriadem de ſeruand. Virg. & in 3. cap. Eſaiæ.

PRima poſt naufragium tabula, teſte D. Hieronymo, eſt pœnitentia: cuius ſubſidio poſt baptiſmum relapſi, è fluctibus peccatorum enatamus. hæc primus noſtræ peregrinationis paſſus, hæc primus ſpiritualis ædificij noſtri lapis eſt: ad hanc virtutem peruenientium, præter ſingularem gratiam Dei, veræ pœnitentiæ datoris, plurimum conducit, omnia peccata noſtra, non tantum præſentia, ſed & præterita in memoriam reuocare. Huiuſmodi enim meditatione vera animi contritio, veruſque dolor atque odium peccati conciliatur, nec tantum hæc virtus, ſed & aliæ quàm plurimæ ex iſto exercitio, tanquam riuuli ex copioſo fonte, & virgulta ex viuida radice prodeunt. Hinc oritur ſui ipſius cognitio, de qua poſtea agetur: hinc contemptus ſui ipſius: hinc timor Dei, odium peccati. & ſimiles affectus, atque animi inclinationes, in quibus magna perfectionis materia conſiſtit. Operæpretium igitur eſt, hæc omnia ſimul diligenter examinare, vt ſit efficatior huiuſmodi contemplatio, vtque ex amoris illius radicibus, fructus carpas dulciores. Sed cùm ad horum fructuum vbertatem diuina gratia maximoperè ſit neceſſaria, eaque deuotis & humilibus ferè detur, contende precibus à Deo impetrare animi deuotionem atque humilitatem, vt his duabus ſimul coniunctis, ex toto corde cum Ezechia Rege dicere poſsis, *recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Eſa. 38, 15.

Vnde oriatur.

DE MVLTITVDINE PECCAtorum vitæ anteactæ.

Examen peccatorum ante conuerſionem commiſſorum.

SI præteritorum annorum tuorum peccata atque eorum numerum & multitudinem ſcire velis, obiter decem præcepta, & ſeptem capitalia peccata percurre, & comperies vix vllum inueniri mandatum, quòd non es tranſgreſſus, & nullum lethale crimen, in quod non grauiter impegiſti.

Examen cõſcientiæ ex prima tabula præceptis. Aug. in Enchirid. c. 3.

Primum præceptum eſt, Deum eſſe colendum: quod teſte D. Auguſtino, tribus virtutibus Theologicis, quas & infuſas appellant, impleri ſolet fide nimirum, ſpe & charitate. Sed quæ potuit in eo fuiſſe fides, qui vitam egit tam turpem & flagitioſam? qui vitam non aliter inſtituit ſuam, quàm ſi omnia, quæ nobis de Deo prædicantur, anilles eſſent fabulæ, & poetarum commenta? Quam potuit habuiſſe ſpem ille, qui nunquam in futura vita ſuam poſuit cogitationem? nec in ærumnis & tribulationibus ſuis, vnquam meminerit, quid ſit Deum inuocare, illi fidere, in illum curam omnem iactare? Qua quæſo charitate incaluit ille, qui plus minimum honoris titulum, plus nidorem temporalis lucri, plus turpiſsimum libidinis volutabrum, quàm Dominum Deum adamauit? dum ſingulorum iſtorum amore illectus, Deum ipſum contemſit? Quam reuerentiam, quem honorem aut cultum ille Deo ſupremæ illi Maieſtati exhibuit, cui quotidianum fuit, tam venerando nomine abuti, illud pro re nihili, & momenti exigui habere, iurando & peierando violare? Quomodo ſabbathum, aliaſque feſtiuitates ſanctificauit is, qui eas magno cum deſiderio expectauit, non vt cultui diuino vacaret, ſed vt otium ei eſſet ludendo, ſaltando, conuiuando, potando, deambulando, innocentes virgunculas, honeſtas matronas flagitioſis exemplis offendendo, & loca ſuſpecta frequentando, liberius peccando.

Examen ex 2 tabula præceptis.

Deinde expende, quam immorigerus atque intractabilis parentibus tuis fueris, quam inobediens ſuperioribus animæ tuæ curam gerentibus, quàm parũ ſolicitus de ſubditorum tuorum ſalute. percurre cogitatione tua odium, inuidiam maleuolentiam, vindictæque cupiditatem, quæ hactenus in animo tuo, tanquam in proprio domicilio ſedem ſuam fixere. Sed quis omnia vitia commemorabit? & ſi grandia hæc vix enumerari poſsint, quis delicta quotidiana, imperfectiones, & communia vitia, in quibus toties verbis, operibus, cogitationibus atque inordinatis appetitionibus deliquiſti, recenſebit? Quid ergo cor tuum aliud eſt, quam obſcœnum ſtule, ſordidum volutabrum, imò ſterquilinium & forica peccatorum? quid aliud os tuum, quàm quod Pſalmiſta dicit, *ſepulchrum patens*, è quo peſtilentiſsimus fœtor, mortuæ & putrefactæ in illo animæ, ſine intermiſsione exhalat? quid oculi tui, niſi feneſtræ perditionis, & præſentiſsimæ mortis? Quid oculis tuis vnquam oblatum, cuius cupiditate confeſtim non exarſiſti? nulla præſentiæ Dei habita ratione, nec quòd ille de tali arbore veſci interdixerit. *Homini fornicario omnis panis dulcis* vt ait Eccleſiaſticus, *non ſatigabitur tranſgrediens vſque ad finem.* Appetitus enim eius inſatiabilis eſt, & ex re quacunque dulcedinem captat, immemor Dei, cui aliquando omnium actionum ſuarum cogetur reddere rationẽ. Quis ſuper hęc omnia incredibilem tuam commemorare poſſet auaritiam, & cupiditatis tuæ furta atque rapinas, cui nunquam ſatis fuit, quòd Deus abundè largiebatur: cui vix totius mundi poſſeſsio ſatisfaciebat? Si autem ille, qui alienam rem concupiſcit, in iudicio diuino fur habeatur, quot furcis atque ſuſpendijs ille dignus eſt, qui tot furta voluntate ſua commiſit? quis mendaciorum tuorum, quis murmurationum, reſponſationum, temerariorum iudiciorum numerum facilè inueſtigabit? Si cum alio locutus ſis, vix exorſus, de alterius vita, moribus & viuendi ratione ſermonem inſtituiſti: non viduarum, non virginum, non Eccleſiaſticorum, non Laicorum, aut cuiuſcunque illi fuerint ordinis aut conditionis, habita ratione. Eſtné hoc mandata Dei obſeruaſſe? Sed vlterius procedamus videamuſque quomodo à malo declinaſti: quomodo ſenſibus & appetitu cum ceteris Dei beneficijs vſus es? Magnanimitas tua, tumorque ille cordis tui, quis & qualis fuit? Ambitio tua quo tandem peruenit? Quãti teipſum feceris, & quam exili in æſtimatione ceteri homines apud te fuerint, quis poterit recenſere? Quid dicam de inani gloria, & de impudentiſsima cordis tui vanitate? Si varij coloris plumula in pileo tuo agitaretur, ſi calceo feneſtrato, aut ſandalio Hetruſco

pedes

Pſalm. 5, 10.

Eccli. 23, 24.

pedes ornarentur, si baltheo paulo pretiosiori renes cingerentur, cornua assumpsisti, extento collo deambulasti: & superbo incessu in publicum prodisti, huc atque illuc circunspiciens, essetne quispiam, qui oculos in te contorqueret, & de quo tu gloriabaris, id ille admiraretur. Quò vnquam progressus es? quid vnquam operatus? quid locutus es, in quo vanam gloriam non es aucupatus? Vestitus tuus, officium tuum, comitatus tuus, cubile tuum, mensa tua, mores & ciuilitas tua, & quid multis? quidquid fecisti, quidquid omisisti, fastum atque superbiam redolebat ad fastum atque superbiam tendebat. Ira tua, ira leonis: voracitas tua, voracitas lupi: pigritia tua, pigritia Asini: & inuidia tua, inuidia venenosæ viperæ. & vt summatim dicam, si te ipsum bene examinaueris, inuenies te in omnibus corruptum & vitiosum. Percurre deinde sensus tuos, & præter hos omnia Dei beneficia. & quomodo ijs vsus atque abusus sis, diligenter animaduerte, deprehendes te ijs rebus, quæ tibi concessæ erant ad perpetuum Dei ministerium, nunc tanquam armis ad Dei gloriam oppugnandam abusum esse. In hoc fortitudinem, robur, iuuenilem ætatem, incolumitatem, diutias, memoriam, intellectum, visum, auditum, omnesque sensus exteriores & interiores, cum omnibus animæ tuæ potentijs consumpsisti. His & infinitis alijs criminibus præteritam vitam tuam comaculasti: ideoque non immeritò cum insigni quodam peccatore ad Dominum clamare debes: *Peccaui super numerum arenæ maris, multiplicatæ sunt iniquitates meæ, Domine, multiplicatæ sunt iniquitates meæ.* Etsi autem quam plurima essent, quæ tibi frœnum injcere, & à peccandi consuetudine retrahere debuissent, vt sunt: multitudo beneficiorum Dei: magnitudo misericordiæ, atque iustitiæ illius: tamen nunquam Deum vel per beneficia illius agnouisti, nec eum ob summam erga te misericordiam amasti, nec ob seueram eius iustitiam metuisti. Sed horum omnium immemor, tanquam columba non habens cor, clausis oculis, in omnia flagitia, æternamque damnationem præceps ruebas. Porrò si res magni alicuius momenti te ad precandum vel impulisset, vel inuitasset, potuisset fortasse imprudentiam vel inobedientiam tuam, si non excusasse, nonnihil tamen eleuasse. Sed quid dicam? propter rem nucleo non dignam, vento leuiorem, crepundijs viliorem, imò sine vlla causa, sed ex puro puto contemptu Dei, toties & tam grauiter peccasti. Adhæc alij homines cùm peccant, vident meliora, deteriora sequuntur: & ideò metuunt, stimulumque & remorsum conscientiæ patiuntur, aut vt minimum, post factum errorem sentiunt, & pœnitantia compunguntur: & tu tam incogitatus, tam securus, tã absq; omni suspicione & scrupulo millies & millies peccasti, nullo timore, nullo conscientiæ stimulo tactus, haud secus quàm si aut Deum esse non crederes, aut si crederis, non aliter de eo senseris, quàm ille, qui dicebat: *Dominus non videbit opera nostra, & Deus Iacob non intelliget.* Atque hoc vno, nil peius habet orbis terrarum. Inter enim sex illa flagitia, quæ Sapiens Deum asserit præter modum odisse, *pedes veloces*, sunt, *ad currendum in malum*: per quos pedes nil aliud intelligi vult Sapiens, quam nimiam illam facilitatem, & præcipitem ad peccandum audaciam.

a Paral. 36.

Psalm. 93, 7.

Prou. 6, 18.

(o)

DE PECCATIS ET IMPERFECTIONIBVS HOMINIS, IN QVÆ NONNVNQVAM IMPINGIT, ETIAM POST QVAM AD COGNITIONEM DEI PERVENERIT.

Examen peccatorum post conuersionem commissorũ.

ENdubitatum est, te in prædicta peccata, antequam cognitione Dei esses illuminatus, lapsum esse: sed post ipsius lumen acceptum (si modo acceperis) pete ab illo, vt oculos tuos interiores aperiat, & inuenies multas veteris Adami reliquias, multosque adhuc Iebusæos, qui in terra promissionis remanserunt, sola tua lenitate & indulgentia inuitatos. Considera primum quid Deo, quid proximo, quid tibi ipsi debeas: & vide quàm negligens in singulis fuisti. Perpende quàm parum aut nihil in pietate profeceris, à primo conuersionis tuæ momento, ad præsentem vsque diem: quàm efficaciter adhuc fomes ille in membris tuis dominetur: quam tenera sint adhuc in te virtutum incrementa: quàm diu in eodem statu permaneas, instar arboris effœtæ, & nimia vetustate arescentis, quæ nouos surculos amplius non emittit: & dum non proficeris, quantum fortasse deficeris. In via enim Domini non proficere, deficere est. Et si quid boni egeris, attende, si ex ardore spiritus, veraque deuotione profectum sit. Optandum forsitan esset eandem in te adhuc vigere spiritus alacritatem, quæ ab initio vocationis fuit, & non minorem: conuerte oculos tuos in exiguam pœnitentiam, quàm pro infinitis tuis peccatis fecisti, & quam parua in te amoris, timoris & spei Diuinæ elucescant indicia. Amoris enim tepor ex eo cognoscitur, quod tam supinus es in Dei ministerio. Exiguus timor sese prodit in eo, quod tam securè Deum offendis. Parua verò spes & fiducia ex eo non difficulter colligitur, quòd tempore probationis, cùm ærumnarum, calamitatum, atque tribulationum fluctus aduersum te fremerent, teque subinde operire viderentur, pusillanimis fuisti, & non vti debebas omnia aduersa inuicta mente pertulisti, animo in anchora fiduciæ nondum satis fundato. Deinde tecum cogita, quàm negligenter inspirationibus diuinis satisfacias, quàm inobediens sis diuino lumini, quàm frequenter Spiritum S. contristes, qui toties frustra te vocat, & cui morem gerere non vis, eò quod à proprijs tuis voluptatibus ad contraria te inuitat. Dum te in hanc viam ducere vult, tu oppositam ingrederis: cùm ille vt in hoc opere sibi seruias iubet, tu ad alterius operis administrationem properas. Sed etsi manifestè voluntatem Dei intelligas, modò ea sit tuæ voluntati contraria, spreta illius, tuæ summa cum diligentia satisfacis. Ille te vocat ad internum exercitium, tu externo vacas: Vocat te ad orationem, tu studes lectioni: vult vt quid ædibus in proprijs agatur perspicias primum, ac deinde proximi vitæ curam geras: Tu neglectis proprijs rebus, propriaque salute, curiosius quid alij agant inquiris: atque ita nec tibijpsi, nec alijs es vtilis. Quid multis? quotiescunque diuina voluntas cum tua pugnauerit, vincit tua, & Dei voluntas succumbit. Et si quid laudabile aut pium feceris, quot quæso vitia & errores tui huic opponuntur? Si mandatum aliquod Dei opere perfeceris, heu quoties inter operandum molestia atque socordia infestaris? quàm paruam reuerẽtia diuinæ exhibes maiestati, in cuius conspectu stas, qua cum sermocinaris, nec isto quidem tempore inueteratam illam tuam consuetudinem intermittis, qua, non quæ Deo gratiora, sed quæ tibi iucundiora sunt potissimum quærere consueuisti. Sed & in omni opere quàm languidus es? quam somnolentus & vitiosus.

Peccata in Deum.

Cùm verò Deus non tam opus ipsum, quàm operantis respiciat intentionem, quot opera bona te fecisse

Opera facta intentione non bona.

cisse putas, quæ sordibus vanę gloriæ pura, & ab omni mundano strepitu sunt aliena? Quot sunt, quibus nunquam studuisses, nisi exhortatus & externis ceremonijs impulsus fuisses? quot sunt, in quibus propriam existimationem captasti? & quàm pauca quæ ex sincero corde, puroque amore Dei facta sunt, ex quibus mundo suum vectigal non pependisti? Huiusmodi vero opera quid aliud sunt quàm fucus, vmbra, & larua virtutum? Porrò cùm ad proximum veneris, & quomodo erga illum voluntati diuinæ satisfeceris, animo tecum tractare cœperis, occurrent tibi statim argumenta quàm plurima exigui in illum amoris: deprehendesque quòd illius infortunia tua non duxeris, opem & auxilium illi non præstiteris, aut in necessitatibus suis misericordiæ viscera compassus fueris, sed quod candoris & compassionis loco maleuolentia & inuidia in proximum flagraueris, eius opera vel malè interpretando, vel calumnijs infuscando: cùm verò nihilominus charitas condoleat proximo, falsa verò procax sit inuidens proximo, & eius infortunio congaudens. Quinetiam expende quàm longè à te sit amoris illud vinculum, cuius apud Paulum tam frequens est mentio, hortantem, vt inuicem diligamus, non secus atqui membra vnius eiusdemque corporis: cum vnum corpus omnes simus, & vno spiritu omnes vegetemur, atque gubernemur. Quoties pauperibus subuenire, infirmos visitare, viduas defendere & debilibus opem ferre aut neglexisti, aut noluisti? Quot paruulos verbis, operibus, & responsionibus tuis offendisti? Quoties paribus tuis te meliorem iudicasti, & inferiores te contempsisti? Maioribus autem & superioribus quoties adulatus es, nunc ad ingenium illius rem extenuando, nunc amplificando? Quare si diligenter animæ tuæ latebras scruteris, si manum tuam in sinum tuum miseris, instar niuis retrahes illam leprosam, & inuenies vulnera lethifera quàm plurima. Ah quantas radices in te tumens egit superbia? quantam tyrannidem exercet ambitio? quam multis te modis hypocrisis & ficta virtutum infestat simulatio, quibus vitia atque defectus tuos tegere, aliisque, quam reuera es, videri cupis? Ah quanta solicitudine ea quæ tua sunt, quæque carni grata, & corpori iucunda sectaris? quoties corpus sub necessitatis prætextu generaliter curas, foueque delicatissimè, ita vt non tam alere vel pascere illud, quam in prauis voluptatibus motibusque luxurianti calcar addere videaris.

Peccata in proximum.

Ephes. 4.

Peccata in semetipsum.

Huius rei argumentum est, si quis antea tibi gratus & charus, paululum te reprehendat, & appetitus tuos inordinatos culpet, senties statim radicem inuidiæ in te viuire, magnosque motus excitare: aut si quis honorem tuum infuscare audeat, quanti fluctus iracundię in te oboriuntur? Sed inter hos omnes defectus, quis multiloquia, linguæque tuæ labores, quis cordis leuitates, quis philautiam, propriæque voluntatis amorem & propositi tui inconstantiã commemorabit? Quot verba otiosa, quàm multas inanes fabulas, quantas calumnias & detrectationes proximi, quàm frequenter ambitiosos sermones effræne os tuum effutiuit? quàm rarò propriam abnegas voluntatem, & appetitibus tuis subtrahis, quæ licita non sunt, aut expedire non videntur? quàm infrequenter propriam voluntatem voluntati Diuinæ, vel proximi tui postposuisti? Si diligenter hæc omnia examinaueris, inuenies quòd rarissimè teipsum viceris, cùm tamen vicisse sæpius necesse sit, si ad veram pietatem aspiraueris. De propositi verò tui inconstantia, quid aliud dicam, ne prolixior sim, quàm ne in bracteam quidem in fastigijs æd um vsquam inueniri, quæ facilius omni vento circunducitur, quàm tu in proposito tuo, oblata vel minima oportunitate moueris? Quid aliud est vita tua quàm iocus & ludus puerilis, quid aliud quàm voluere & reuoluere cantare & recantare, & quidquid manè proponis, sub serum mutare, ne dicam vna eademque hora quòd proposueras, ab eo resilire. Huiusmodi homo quid aliud est quàm Lunaticus, de quo apud Matthæum est, quòd *Apostoli non potuerunt eum sanare, eò quod morbus ille tam frequenter variaretur?* Quis super hæc omnia cordis tui leuitatem, varietatem, instabilitatẽ, & pusillanimitatem cõmemorabit? certum enim est, in tam multiplices id formas figurasque mutari, quã occasiones singulis horis atque momentis offeruntur: nec quicquam in eo stabile aut firmum reperiri. Quàm subitò se cuique prodit? quàm leuiter quidquid in se est producit, & quàm facili incommodo perturbatur? Quid multis? si teipsum bene pensaueris, videriseque quid habeas, & quid tibi adhuc desit, timendum est, ne fortè omnia quæ in te sunt, vmbra potius & larua virtutis sint, iustitiaque ficta, quam vera, dum gustus suauitatis diuinæ tam modicus in te inueniatur, idemque non tam à Spiritu, quàm ex carne habens originem. *Matth. 17.*

Porrò licet tuæ pietatis tam curta sit supellex, cùm tam egenus & pauper, miser & miserabilis sis, existimas te diuitem esse, audesque cùm Pharisæo dicere: *quòd non sis sicuti ceteri homines:* eò quod in multis à te dissentiant, cùm tamen anima tua, amore proprio, propriaque voluntate turgeat, & alijs quamplurimis defectibus passionibusque de quibus supra egimus, sit affecta. Ita vt sola Spes in te reliqua sit, nihilque in te laudabile, quàm quod clamas *Domine, Domine* non faciens interim eius voluntatem: quòd sanè nil aliud est, quàm falsæ Pharisæorum iustitiæ imitatio: quodque nil differas à tepido illo, de quo in Apocalypsi loquitur Deus, *quod euomet.* In his omnibus perpendendis, omnis tua ponenda est cogitatio, eo fine, vt per huiusmodi recordationem ad veram contritionem, peccatorum tuorum cognitionem, & propriæ calamitatis miseriæque considerationem perducaris. Futurum tunc est, vt & peccatorum, quibus tam enormiter Deum offendisti, veniam multis precibus obtineas, & in tua miseria atque imbecillitate gratiam & robur Spiritus sancti, ne tam facilè in posterum labaris, humiliter exores. *Luc. 18.* *Matt. 7.* *Apoc. 3.*

DE MAGNITVDINE PECCATI.

AD summam de peccatis contritionem adipiscendam, non satis esse debet homini pœnitenti multitudinis peccatorum meminisse, sed necesse est eum etiam magnitudinis grauitatisque culpę, mortalis præcipuè, recordari. Etsi in hoc capite multa meditanda occurrant, tamen ante omnia tecum pensita, quàm hostili odio Deus peccatum prosequatur: vt intelligas, quàm tibi ipsi odio esse debeas, cùm re tam inuisa atque exosa Deum irritaueris. Magnitudinem huius odij, quo Deus in peccatum est, nemo describere vel commemorare posset. Cùm enim Deus infinitè bonus sit, nulli dubium esse debet, quin malum omne odio etiam infinito prosequatur. Potest nihilominus & pœnarum qualitate, quibus peccatores punire solet, odium illud æstimari. Dic ergo mihi, quanta fuit illa pœna Luciferi, eiusq; Angelorum? quanta fuit primi hominis Adami, & post illũ vniuersi generis humani diluuio absorpti? quã horribile supplicium Deus de murmure atq; inuidia Dathonis atq; Abironis sumpsit? quã crudeliter in Saulis inobedientiã, & Dauidis adulteriũ animaduertit? Et hæc in veteri Testamẽto: in nouo quoq; non leniùs punitus est ob mendaciũ Ananiæ cũ coniuge Saphyra. Quis nõ ex his intelligat, quàm *Totum hoc caput in titulico exemplari non habetur, sed ab interprete Germano adiectum.* *Esa. 14, 12.* *Gen. 3.* *Gen. 7.* *Num. 16.* *1. Reg. 15.* *2. Reg. 12.* *Act. 5.*

quàm incredibili odio Deus peccatum detestatur, si illud tam seueris supplicijs coerceat in hoc seculo, quod etiam in futuro flammis infernalibus expiandum, puniendumque sibi reseruauit. Leuia tamen hæc omnia sunt, & nullius momenti, si odio atque supplicijs comparentur, quibus Deus Pater in peccata humani generis grassatus est, tunc cùm vnigenitum atque dilectum filium suum pro nobis amarissima, ignominiosissimaque morte mulctauit. Haud dubiè qui diligenter hæc animaduertit, atque exactè discutit, facilè cognoscet, quàm execrabilis atque exosa Deo res sit peccatum: cùm illud non aliter, quàm morte Vnigeniti sui, ex hoc mundo voluerit profligare. Intellige nunc, ô homo, & vide, quàm intolerabile onus in te suscipias, qui postquam peccatum tam crudeli iudicio sit à Deo condemnatum, audeas diuinam Maiestatem iterum offendere, hostem eius reuocare, & rem Deo filij sui morte abominabiliorem, magisque inuisam, iterare.

QVOMODO PECCATOR CONSCIentiam propriam accusabit, seipsum contemnet atque odio habebit.

CVM itaque prædictis, alijsque plurimis modis peccati malitiam expenderis, teque ab omni parte, quocunque tempore, peccatis oneratum senseris, sufficientem habes materiam teipsum humiliandi, amara pœnitentia lamentandi, & ab vniuersis creaturis contemni, eò vehementius optandi, quo creatorem omnium grauius offendisti, turpiusque contempsisti. Iuuabit ad hoc plurimum S. Bonauentura, de hoc conscientiæ examine, & suipsius contemptu piè admodum disserens: Videamus inquit, charissime frater, propriam nostram vilitatem, & quàm grauiter Deo peccauimus, humiliemus nos coram Deo quàm poterimus profundissimè. Vereamur oculos nostros ad cœlum leuare, pectusque nostrum percutientes, dicamus cum Publicano illo Euangelico: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

Insignis locus D. Bonauenturæ & Anselm. li. 1. Medit.

Luc. 18, 13.

Corripiamus arma, & corroboremur contra propriam malitiam nostram: iudicemus nosmetipsos, dicentes singuli in corde suo: Si ob peccata meus Dominus & Saluator meus tam ignominiosè derisus & subsannatus, tam crudeliter afflictus & cruciatus sit, cur non ego ipse, qui peccaui, cuperem contemni & affligi? Procul à me sit, de me aliter præsumere, aut magnificentius de me sentire, quàm de sacco stercore & omni putredine pleno, cuius fœtorem propriæ nares ferre non possunt. Ego, ego sum qui Deo insultaui, eumque nunc iterum crucifixi. Videor audire me totius mundi machinæ accusationes, vociferatis contra me, & dicentis, Hic est qui contempsit & offendit communem nostrum Dominum: hic est peruersus & impudens ille, qui plus diabolicis suggestionibus, quàm beneficijs Dei motus est: cui malitia diabolica gratior fuit, quàm bonitas diuina: qui Satanæ mancipium esse maluit, quàm filius Dei Patris æterni. Hic est qui ad Deum nec precibus, nec admonitionibus, nec minis vnquam potuit conuerti, nedum timore iudicij compungi. Hic est qui quantum in se fuit, diuinam bonitatem, potentiam, & sapientiam euertit, & explosit: qui omnipotentem Deum maluit, quàm fragilem hominem offendere: qui plus reueritus est rem turpem in oculis abiectissimi rustici, quàm in oculis Dei perpetrare: qui maluit fœditissimum stercus, quàm summum illud bonum amplecti. hic est qui cor & oculos ad instabiles creaturas conuertit, Creatori verò æterno dorsum obuertit. Quid multis? nulla res tam turpis, nulla tam fœda, inhonesta, & abominabilis, quam non ausus fuit hic in præsentia Dei committere: nullum habens respectum Dei, nihil diuinam illam Maiestatem reueritus.

Totus mundus accusat peccatorem.

Simili modo & singulæ creaturæ vocem suam exaltant contra me, & dicunt: Hic est qui nobis omnibus tui piter abusus est. Cùm enim vti nobis debuisset ad obsequium, gloriam & honorem Dei nostri creatoris, fecit nos seruire illius inimico diabolo, vertens in iniuriam Dei, quod ille ad suum creauerat seruitium & obsequium. Erat anima eius facta formosissima, ad imaginem & similitudinem Dei; ille verò imaginem hanc contaminauit, & denigrauit, nostram in se similitudinem assumens. Ille terra fuit terrenior, aqua labilior, aëre mutabilior, igne ardentior in ambitione & philautia. Ille petra fuit durior, feracissima bestia in seipsum ferocior, & Basiliſco in alios venenosior. Et quid amplius addam? Hic nec Deum timuit, nec homines veritus est, venenum autem suum in multos effudit, aliosque ad consortium suæ iniquitatis seduxit; non contentus, vt solus Deum contemneret, atque offenderet, sed studiosè adlaborans, vt quàm plurimos ad eandem impietatem adduceret. Quid de ceteris illius vitijs dicam? tanta fuit eius superbia & arrogantia, vt se Deo subijcere, aut suaue iugum obedientiæ diuinæ induere noluerit, sed secundùm propria desideria viuere voluit, & appetitus suos in omnibus sequi, quantum potuit sese supra Deum exaltans. Si quando Deus illi in quapiam re non placuerit, sed appetitui contraria immiserit, non aliter Deo indignatus est, quàm si is minimus seruorum suorum fuisset. Deum non propter Deum amauit, sed propter semetipsum, & propter proprium emolumentum: omnia ad suum commodum & beneplacitum conuertit, nec aliter rebus creatis vsus est, quàm si ipse creator, & conditor illarum fuisset. Ex omnibus quæ faciebat honorem & inanem gloriam aucupabatur, non minus ex malo, quàm ex bono, haud secus, quàm si ipse Deus esset, ad quem omnis pertinet laus, honor & gloria: quia omne quod facit ille, bonum est, aut ad bonum ordinatur. Quid dicam amplius? Fuit itaque Lucifero superbior, Adamo præsumptuosior, illi enim, quia pleni erant charitate & pulchritudine, aliqualem arrogantiæ suæ habuerunt occasionem; ille verò cùm nihil nisi cinis & puluis, imò fœtor & corruptio sit, quam habet rationem superbiendi?

Omnes creaturæ peccatorem accusant

Esa. 14. Gen. 3.

Iustè itaque omnes creaturæ congregabuntur, & me condemnabunt, dicentes; Venite oppugnemus & interficiamus hunc impostorem, & contemptorem creatoris nostri, tot modis in illum iniurium. Terra dicet, cur eum diutius sustineo? Aqua dicet: cur eum non absorbeo? Aër clamabit; ad quid respirare illum patior: cur Spiritum non præcludo? Ignis vociferabitur: Cur eum non exuro? Infernus fremet & dicet: Cur eum non deuoro, dirisque cruciatibus non excarnifico?

Lamentatio peccatoris resipiscentis.

Væ, væ misero mihi, quid faciam? quò ibo, postea quam omnes creaturæ ad vltionem meam armatæ sunt? quò fugiam? quis me recipiet, postquam creaturas omnes offendi? Deum contempsi, Angelos irritaui, Sanctos contumelijs infectatus sum, homines scandalizaui, & omnes res creatæ mihi in præposterum vsum seruierunt. Quid verbis opus est? Eo ipso quo Deum offendi, omnes similiter offendi creaturas: Nescio itaq; miser, & ter quaterque miser, quò ibo. Omnes enim res inimicæ factæ sunt mihi, adeò vt circumquaque oculos voluens meos, non videam quicquã quod à partibus meis stet, aut me defendat. Imò propria mea conscientia me impugnat, & omnia mea membra me criminantur, & vindictam poscunt.

Plorabo itaque miser, & lachrymarum fontes non sistam, quamdiu in hac valle lacrymarum habitabo

bitabo expectans, si fortè benignissimus ille Saluator oculos misericordiæ suæ in me conuertat. Abijciã me ad pedes illius, & cùm omni humilitate atque verecundia, qua possum, dicam.

Oratio. Domine mi, ecce ego sum infensus ille tuus hostis, qui tanta, & tam detestanda scelera in oculis tuis perpetraui. Confiteor tibi ex toto corde meo, me reũ & peccatorem omnium maximum, & talem, qui si omnia tormenta, omnesque cruciatus, quæ Dæmones & Angeli eorum cum omnibus damnatis in Inferno patiuntur, in me conuerterentur, non sufficerent, ad peccatorum meorum vindictam, vel ad demeriti mei condignam retributionem.

Extende itaque, ô Domine super me hominem infelicissimum diuinæ tuæ misericordiæ pallium: tege peccata mea, & plus valeat tua bonitas, quam mea iniquitas. Da Domine, vt clementissimus ille Pater cęlestis gaudeat de filio prodigo tandem reuerso: bonus Pastor de oue recuperata lætetur, & pia mulier de inuento denario exultet. O quàm felix erit illa dies, in qua brachijs tuis collum meum implicabis, oculisque veræ pacis genas & labia mea fatigabis?

Quid peccatori respiscẽti faciendum. Vt autem ad hanc beatitudinem pertingam, scio quid faciam. Arma contra meipsum corripiam: ero mihi metipsi crudelis tortor, & carnifex truculentus: Afligam omnia membra mea, varijs pœnis me exercebo: humiliabo me, & contemnam, quasi fœtidum sterquilinium. Lætabor cùm conuitijs & calumnijs incessabor: gaudebo cùm me contempserint & spreuerint homines, quicunque illi fuerint: gratabor mihipsi cùm defectus, peccata, & turpitudines meæ reuelabuntur, & publicè per ora hominum volitabunt. Et quia ipse sufficiens non sum ad humiliandum & affligendum memetipsum, conuocabo vniuersitatem creaturarum omnium, & singulas in me prouocabo, petamque vt me discrutient, quia ego creatorem omnium spreui atque irritaui.

Optatus mihi thesaurus erit, tribulationes & pœnas mihipsi cumulare, & omnes adamare, quicunque velint hunc cumulum augere, & afflictionibus meis aliquid addere. Omnis consolatio & honor vitæ huius, sit mihi tormentum: omnia hæc inimici mihi erunt pernicioſissimi, & plurimum exosi. Id si fecero, indubitata mihi stat fiducia, quod creaturas omnes (quantumuis etiam à me prius offensas) ad compassionem, vel sympathian mei commouebo? quodque omnes illę, quæ paulò antè leuarunt vocem contra me, nunc vice versa summo me fauore prosequentur, & orationibus suis apud creatorem pro me intercedent. Irruant itaque in me, & certatim ad me veniant, omnes tribulationes, cruces, dolores, infamiæ, & quicquid vsquam pœnarum est: saltem vt præstruant mihi viam ad dulcissimum meum Saluatorem. Omnes honores, voluptates, diuitiæ & delitiæ apagite: fugite, fugite procul à me, nulla fiat in habitaculo meo vestri memoria. In omnibus rebus non quæram aliud, quam gloriam & honorem Domini mei Iesu Christi, & contemptum proprium, propriamque confusionem.

Ad quid præcedens meditatio vtilis. Hucusque Bonaventura: quæ verba diligẽter meditanti plurimum proderunt ad quatuor nobilissimas affectiones, inclinationesve in se excitandas: contritionem scilicet de peccatis commissis: timorem Dei, contemptum suijpsius & desiderium, vt ab alijs etiam propter Deum contemnatur. Ex quorum affectuum primo, pœnitentia generatur, qua præterita peccata omnia abluuntur: ex secundo timor Dei nascitur, qui optimum est contra futura peccata antidotum. Tertius odium suijpsius creat, proprij amoris interemptorem. Quartus verò & vltimus veram humilitatem producit, quæ omnem honorem & ambitionem huius seculi fastidit. Quicunque igitur aliquã harum virtutum diligit, libenter sese in hac, aut simili meditatione exerceat. Maximè verò per hanc illud in nosipsos odium generatur, quo non tantùm voluptates, & quęcumque carni dulcia sunt, excluduntur: & quæ duriora sunt, appetuntur: sed & quod omnes huius mundi laudes, dignitates, atque honores contemnit, & in contemptu atque abiectione suijpsius gloriatur. Hic affectus humilitatis proprius est: quæ nihil aliud est, quam absoluta suijpsius abnegatio, propriæque existimationis renunciatio: quæ ex vera cognitione sui, suorumque peccatorum trahit originem. Illud autem iccircò dicimus, vt verus humilitatis amator sciat, quod ijsdem ex fontibus, & quibus aqua odij suijpsius hauritur, etiam aqua hauriatur, qua arbor humilitatis, in qua virtutes omnes crescunt, irrigatur.

DIE MARTIS, MEDITATIO SECVNDA VESPERTINA.

DE MISERIA ATQVE INFELICITATE HVIVS VITÆ.

DIE Martis subnoctem, postquam te viuificæ crucis signo munieris, teque (vt antea dictum est) ad meditandum præparaueris, vitæ nostræ statum & calamitates contemplare: vt agnoscas huius mundi eiusque gloriæ vanitatem, qui fundamento nititur tam imbecilli, & quam humiliter de se sentire debeat homo, tot miseriis subiectus. Ad hæc omnia conuenientiùs meditanda, oportet primùm animaduertere

Principium humanæ vitæ. originem & principium natiuitatis humanæ, scilicet ipsam materiam, ex qua homo coagulatus est: quomodo conceptus est, quantis doloribus de ventre matris prodijt, & quot defectus, quantasque ærumnas in fragili suo corpore circumfert: de quibus latius in sequentibus agetur.

Breuitas humanæ vitæ. Secundò perpende magnas, quam geris, vitæ calamitates, & præsertim sequentes septem: Breuitatem nimirum; cùm vita hominis septuaginta communiter annorum sit, aut vt plurimum, octuaginta: si quid amplius sit, totum illud, teste Psalmista regio, *labor & dolor est*. Si ab hoc annorum curriculo infantiam subtrahas, quæ magis animalis irrationalis vita est, quam hominis: auferas præterea omne tempus quod dormiendo consumitur, quo nec ratione, nec sensibus vtimur: tunc perspicuum erit, quòd vita hæc multò breuior est, quam arbitrabamur. Porrò si vitam hanc tuam cum æternitate conferas, vix momentum, cui temporis punctum esse videbitur. Ex hac cõtemplatione poteris sincerius iudicare, de maxima illorum hominum stultitia & temeritate, qui vt tam breue vitæ spiritum, exquisitis voluptatibus nonnihil refocillent, eo deueniunt, vt beatæ vitæ requiem sempiternam amittant. Psal. 89, 10.

Incertitudo vitæ nostræ. Deinde incertitudinem huius vitæ considera, quæ infelicitas multis nominibus superat præcedentem. Non enim satis erat vitam humanam tam esse breuem, nisi & ea breuitas esset etiam incerta. Dic

mihi

mihi, dic enim quæso, quotusquisque hominum est, qui ad septuaginta, vel octuaginta annos, de quibus diximus, vitam producit? quam multis vitæ stamina abrumpuntur, antequam textor manum admoueat? quam multi in flore pereunt, priusquam ad fructus maturitatem perueniunt? *Nescitis*, inquit Christus, Matt. 13, 35. *quando Dominus vester venturus est, an in prima vigilia, aut in secunda, aut in tertia, aut demum in ipso gallicinio*, id est, nescitis an venturus sit in infantia, aut in adolescentia, aut in iuuentute, aut in ætate senili. Vt autem hæc ita se habere certius agnoscas, non parum conducit, si multorum hominum ætates percurras, quos in hac vita cognouisti, amicorum præcipuè, & cognatorum, aut aliorum alicuius dignitatis, & auctoritatis hominum, quos inexorabilis mors diuersis ætatibus extinxit: omnesque illorum propositiones, atque expectationes succidit. Noui personam quandam, quæ memoriale sibi, seu nomen daturam scripserat, hominum omnium, quos in hac vita variis dignitatibus prefulgentes cognorat, iamque decesserant: quem catalogum sæpissimè legebat, aut animo secũ voluebat, singulorumque tragœdiam, & huius vitæ acta, tanquam summatim sibi ob oculos statuebat, his fraudes & ludibria huius seculi, finemque & exitum cuiusque addebat: ex quibus omnibus pensabat, quàm verè dictum sit à Paulo: 1 Cor. 7, 31. *Præterit figura mundi huius*, quibus verbis indicare voluit Apostolus, hanc vitam rem esse exiguam, & quasi nullam, posteaquam illud non ens aliquod, aut substantiam, sed figuram & imaginem appellat, quæ rei veritatem non habet, sed vmbram tantum: ideoque ad fallendos hominum animos sunt aptiores.

Tertiò multiplicia pericula, quibus hæc vita nostra est exposita, & quam fragilis sit ea, perpende: *Fragilitas humanæ vitæ.* fateberisque nullum in mundo tam subtile & tenue vitrum reperiri, quod non fortius atque solidius sit humana vita: infectus siquidem aër, radius solaris ardentior, hausus aquæ frigidioris, innata ad morbum inclinatio hominem extinguere potest: quòd exempla testantur quotidiana, hominum in flore iuuenilis ætatis ex hac vita migrantium.

Quartò huius vitæ inconstantiam expende, quo- *Inconstantia vitæ.* modo nunquam in eodem statu permaneat. Cui accedit corporum nostrorum quotidiana mutatio, quæ nunquam in eadem diu persistunt dispositione. Si *Simile.* corporum ea sit lubricitas, quanta putas est affectuũ nostrorum? qui nunquam non fluctuãt, & variantur. Vt enim mare nunquam quiescit, sed assiduis fluctibus & ventis agitatur: ita affectus humani, vitioseque animi passiones, singulis momentis perturbantur. Recordare prætera, quam mutabilis sit tota humanis vita, quæ omnibus Fortunæ flatibus est obnoxia, & nunquam in eadem felicitate diu perseuerat: sed perpetuò rotæ instar, voluitur. Adde quod vita nostra nunquam quiescit, sed semper mouetur, nec interdiu nec etiam dormientibus nobis immobilis permanet: sed procedit sine intermissione: quotidie *Simile.* magis magisq; seipsam perdit, vsque consumit, & singulis horis morte appropinquat. Quid igitur vita nostra aliud est, quam candela, quæ, quò diutius ardet, lucetque, eò magis absumitur? Quid aliud, quam flos, qui manè oritur, spiratque suauiter, meridie verò flaccescit, & occidente Sole penitus exarescit? Ita Propheta Regius vitam nostram fœno comparauit, *Psal. 89, 6* cùm dixit: auroram iuuentutis nostræ, sicut herbam perire, quæ manè transit, manè floret & transit: vesperi decidit, indurat, & arescit.

Quintò meditandum venit, quàm fallax & subdola sit hæc vita nostra: quòd fortè omnium pessimũ *Vitæ humanæ fallacia* est, quæ in ea reperiuntur: cùm tam malitiosè hominem decipiat, atque perdat. Quantumuis enim est fugienda, tamen appetenda esse videtur; & quantumuis est misera, tamen adeò beata apparet, vt laborem nullum, nullum dolorem, nullum periculum, aut infelicitatem in ea latere suspiceris, cur eam minus appetendam arbitreris: etiamsi tanti ponderis istud malum esset, vt propter hoc ipsum foret æternæ beatitudinis tibi iactura facienda.

Sextò vlterius tecum cogita, quòd, præterquam quòd vita hæc tam breuis, tamque vilis est & abiecta, *Vita nostra quot miseriis exposita.* etiam innumerabilibus miseriis & ærumnis, tam corporis, quam animæ sit subiecta: vt eam non immeritò vallem lachrymarum, & miseriarum Oceanum appellaueris. Commemorat B. Hiero. quòd Xerxes ille Rex potentissimus, qui subuetit montes, maria constrauit, cùm de sublimi loco infinitam ho- Hiero. epist. ad Nepot. cap. 11. minum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum, flesse dicitur, quòd post centum annos nullus eorum, quos cernebat, superfuturus esset. Addit autem B. Hieronymus: O si possemus in talem ascendere speculam, de qua vniuersam terram sub nostris pedibus cerneremus, iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regna regnis collisa, alios torqueri, alios necari: alios absorberi fluctibus, alios ad seruitutem trahi: hic nuptias, ibi planctum: illos nasci, istos mori: alios affluere delicijs, alios mendicare: & non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc viuunt, in breui spatio defuturos.

Redeant etiam tibi in memoriam omnes infirmitates, & morbi corporis humani, omnes solicitudines, curæ, & dolores animi, cum periculis omnibus quæ in singulis officijs & ætatibus occurrunt: & apertius adhuc humanas miserias agnosces, vt perspicuè iam edoctus, quàm nullius pretij sit, quod mundus dare potest, facilius contemnas omnia, quæ in eo reperiuntur.

Post omnes tandem has infelicitates, terribilium omnium vtrique, corpori scilicet & animæ terribilissimum, ad est Mors. Cuius violentia corpus in ictu o- MORS. culi omnibus donis & gratijs, omnique lepore & voluptate spoliatur. Anima verò ad tribunal Dei rapitur, vt audiat, quid de ea in perpetuum futurum sit.

TRACTATVS SECVNDVS
DE HUMANÆ VITÆ MISERIA,
in quo fusius explicantur, quæ superius de ea commemorata sunt.

MAgnitudinem, multitudinemque miseriarum in quas natura humana per peccati malum prolapsa est, nullius *Adam & Eua soli miseriam vitæ humanæ agnouerunt.* vnquam exponet facundia. Soli primi duo parentes nostri, vt ait B. Gregorius, qui experientia ipsa didicerant nobilitatem conditionis humanæ, in qua creati erant, miseriam ho- S. Greg. lib. 1. Dialogorũ. minis absolutè cognouerunt. Cùm enim prioris felicitatis, in qua vixerant, recordarentur, multò certius de infelicitate huius vitæ, in quam ciderant, iudicare potuerunt. Filij verò horum infelicium parentum, quia primam illam beatitudinem non gustarunt, sed semper in miserijs nati & educati sunt, nesciunt quæ, & qualis sit humanæ conditionis infelicitas: vti nec ipsam felicitatem cognouêre: sed quasi frenetici, aut stupidi sunt, qui propriam miseriã non sentiunt. Vellent enim, si possent, hîc semper viuere, ex miseria patriam, ex carcere domicilium facientes: dum huius vitæ calamitates non percipiunt. Sicuti illi, qui loca fœtida, maleque olentia habitant, fœtorem non abhorrent, nec olfaciunt, ideoque molestiam ex eo nullam percipiunt, tollente illã cõsuetudine: Ita & homines vitæ suæ erumnas nõ sentiunt, quia sensum hunc vsus sustulit, & cõsuetudo. Ne itaq; in hunc errorẽ incidas, aut fortè in

maiores inde dependentes, considera diligenter humanæ vitæ miserias, natiuitatis primùm, deindè totius vitæ curriculi.

Materia hominis. Vt autem in hac consideratione bono procedas ordine, primum materiam hominis, ex qua ille constat diligenter expende; ex nobilitate etenim, aut ignobilitate materiæ, nobilitas aut ignobilitas materiati solet æstimari. Dicit autem Scriptura, *Deum creasse hominem ex limo terræ*: sed quid inter elementa vilius, abiectum, brutumque magis terra? quid ex omnibus mineralibus, ipsúe quæ terra producit ignobilius ipso terræ limo? Perspicuum itaque est, Deum hominem ex vilissima, ignobilissimaque totius mũdi materia condidisse. Sit igitur Rex, sit Cęsar, sit Pontifex ipsẽ, nil nisi gleba, fimus, & obscœnus limus est.

Gen. 2.

S. Hieron. in epist. ad Ctesiphontem: Ecce iterum.

Ægyptiorum mos. Intellexerunt hoc olim Ægyptij de quibus legitur, quòd natiuitatis suæ diem quotannis celebrarunt, portantes manipulos cuiusdam herbæ in fœtidis, fimosisque puteis crescentis, propter similitudinem generationis vtriusque, hominis scilicet & herbæ istius: dum vterque de fimo procedat, & fimus mater sit vtriusque. Si materia nostra tam ignobilis sit ô homo, quid superbis? O puluis & cinis, cur te super terram & limum extollis? Modus autem atque artificium, quo huius materiæ effoctus producitur, atque ædificatur ob rei fœditatem, nec scribenda sunt, nec admiranda, sed clausis oculis prætereunda: ne rem tam immundam & obscœnam videamus. Si homo sciret erubescere in locis & rebus, vbi honestas pudorem requirit, non posset maiori pudore atque verecundia perfundi, quàm si conceptionis suæ modum intueretur. Id tantùm dicam: Saluatorem nostrum in hunc mundum venisse, vt omnes nostras miserias atque infelicitates in se susipere atque in omnibus excepto peccato, nobis assimiletur: tamen in hoc vno conceptionis modo, nobis similis esse noluit. Non reputauit se indignum, quod illuderetur, & conspueretur, quòd omnium hominum vilissimus imò vermis, & non homo haberetur, indignum tamen sua Maiestate arbitratus est, quòd eo modo quo homines, conciperetur. Prętera substantia seu alimentum, quo corpora nostra nutriuntur, adhuc in visceribus matris inclusa, tam immunda est, vt sine pudore & robore nominari non debeat aut cogitari, vti & aliæ sordes atque obscœnitates, quæ tempore natiuitatis conspiciuntur. Sed ad natiuitatem veniamus. Dic mihi, quid miserius muliere parturiente? quis dolor tam intolerabilis? quis casus tã dubius & periculosus? quis luctus & planctus hominem citius ad misericordiam commouere posset? Nolo iam de abortionibus, aut pariendi difficultibus agere: quia harum finis est exitiosa. Cùm fœtus in lucem prodierit, auditur fletus & lamentatio, prodit nudus, tener & imbecillis, prodit omnibus rebus destitutus: & tamen omnium rerum indigus: prodit sordidus, & visu abominabilis.

Conceptio hominis.

Christus humano more concipi noluit.

Natiuitas.

Plin. lib. 7. hist. Cetera animalia cùm generantur, calceata procedunt, & vestita lana quædam, quædam squamis, alia corio, aut conchis: frutices etiam & arbores cortices, quædam simplices, nonnullæ duplices habent, solus homo nudus, & sine omni vestimento nascitur alio. quàm cum immunda tunica, & galero immundiori, quibus inuolutus, ex vtero matris progreditur. Hæc hominis ornamenta sunt, cui paulò pòst iam nato & adultiori totus mundus, prænimio suo fastu atque superbia angustior est, quã vt eum capere queat.

Prætera nascuntur animalia reliqua statim, postquam nata sunt, inuenire quæ sibi sunt necessaria, & ad ea consequenda modis vtuntur sibi agnatis & conuenientibus: quędam enim gradiuntur, quædam natant, volant nonnulla, reptant alia; ita vt omnia habeant conuenientem motum, id q, ad sui sustentationem necessarium est consequendi, absque vllo magistro: solus homo nihil scit, nihil potest, nisi alterius vlnis deportetur, aliorumque manibus foueatur. Quot dies elabuntur antequam pedibus incedere discat, quatuor primum, tandem duobus? quanto tempore infans est priusquam sermonis vsum addiscat? nec tantùm fari nequit, sed nec edendi, bibendique modum habet, nisi doceatur. Lachrymari tantùm & plorare docuit ipsa natura. Primum illud est quod agit, & solùm est quod agit, nullius alterius, quàm naturę instinctu, & doctore seu præceptore nullo. Etsi autem infans ridere ex natura quoque habeat, tamen rarò antè diem quadragesimum ridet, cùm interim à primo natiuitatis momento lachrymetur semper: ex quo perspicuum est, hominem natura sua multò ad luctum, quàm ad gaudium esse procliuiorem. O intolerabilis hominum amentia (quidam ait Philosophus) quorum initium tam vile & abiectum est, & nihilominus iactitare audent, se ad fastum & superbiam natos esse. Porrò aspicere te velim corporis humani, quod tanti plerique faciunt, constitutionem, quantumuis pulchrum, amabile, & robustum forinsecus esse videatur. Dic mihi quæso, quid aliud est humanum corpus, quàm testa putrida, aut vas corruptum, cui quidquid infunditur, statim acescit & corrumpitur? quid aliud est humanum corpus, quàm saccus obscœnis stercoribus fartus, & candida niue tectus, qui foris quidem mundus apparet, intus autem immundissimis excrementis & sordibus omnigenis plenus est? Vbi gentium tam sordidum volutabrum reperitur? vbi terrarum tantas spurcities, immunditiesque, & fœtores generans, torrens inuenitur? Arbores, herbę, & bestiæ quædam gratissimum ex se fundunt odorem, hominis autem ea sunt excrementa, is omnium quæ eijcit aspectus, & odor, vt facilè quiuis intelligat, eum fontem esse omnium sordium & abominationum.

Philosophus quidam Ethnicus, Plotinus nomine, cùm conditionis suæ vilitatem, corporisque sui statũ, summo cum pudore recordaretur, inuitus semper de stirpe, origine, & natiuitate sua sermones audiebat, nec quisquam ab eo impetrare potuit, vt corporis, vultusque sui imaginem delineari pateretur: Dicebat enim satis esse, quòd onus tam immundum, & nobilissima anima indignum, toto vitæ suæ tempore circumferre cogeretur, nunquam verò sese eò dementiæ adductum iri, vt ignominiæ suæ, dedecorisque perpetuum posteris monumentum relinqueret.

Plotini egregium dictum.

De Abbate quoque Isidoro legitur, quòd cùm aliquando cibum cœpisset, vberrimè lachrymatus sit. Rogatus autem quæ causa lachrymarum esset, respondit: lachrymor quòd hic sedeo, & corruptibili bestiarum cibo vescor, cùm creatus sim, vt consortio Angelorum interessem, & epulis diuinis satiarer.

Abbatis Isidori.

DE MISTERIIS ET PROPRIETATIBUS humanæ vitæ, & primùm de eius breuitate.

POsthæc, de quibus superiori tractatu egimus, magnas & multiplices huius vitæ miserias meditare: inter alias septem superiùs enumeratas; vt sunt, Breuitas, Incertitudo, Fragilitas, Inconstantia, Fallacia, Calamitates, & tandem Finis huius vitæ, qui est Mors ipsa. Cogita igitur quam breuis sit hæc vita, de cuius breuitate, sic Iobus philosophatur: *Breues dies hominis sunt, mensium eius numerus apud te est.* Rarò ad annum septuagesimum, aut vt maximum ad octuagesimum vita nostra peruenit: is enim communis humanæ vitæ terminus est, vti Propheta testatur: *Dies*, inquit, *annorum nostrorum*

Iob. 14. 5.

Psal. 89. 10

rum in ipsis septuaginta anni: Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Si autem dierum numerum subtiliter exequaris, & totum vitæ curriculum non summatim accipias, intelliges hoc numero tempus infantiæ atque pueritiæ, tempus quoque quod dormiendo consumitur, comprehendendum non esse. Ætas enim puerilis, quamdiu nondum ad vsum rationis, quæ veros homines facit, & absolutos peruenit, non hominis vita, sed irrationalis bestiæ debet appellari: qualis est vita pueri, huc, illuc, sursum atque deorsum cursitantis, in qua ætate nihil discitur, nihil agitur, quòd homine dignum queat censeri. Nec video quomodo tempus somni, vitæ tempus possit nuncupari. Propriè enim vita dici debet, quando homo sensibus & ratione vtitur. in somno autem homo planè quiescit & mortuo

Simile. similis esse videtur. Quòd si Rex quispiam anno vno aut altero captiuus detineatur, quis verè diceret illum hoc tempore rexisse? dum nec rebus vllis præfuit, nec regnum administrauit? Quomodo igitur homo cùm dormit viuere censebitur, dum toto hoc tempore dominium rationis sepultum est, & omnium sensuum, per quos viuere dicimur, vsus interquiescit?

Pindarus. Quam ob causam Poëta quidam somnum gelidæ mortis imaginem appellauit, propter similitudinem vtriusque. Cùm itaque somni tempora tam multa & magna sint, quantum in vita per somnum sit interimentum? & quàm exiguum erit spatium, quo homo verè vixisse dicetur? Porrò cùm communis hominum consuetudo sit, tertiam diei partem, hoc est, horas octo dormire (quamuis non pauci sint, quibus hoc spatium non sufficit) sequitur secundùm hunc calculum, hominem tertiam vitæ suæ partem dormiendo absumere, & proinde per solum somnum, tertiam partem de vita tua decedere atque deperdi. Dic mihi calculo hoc posito, qui tamen verus est, quàm prolixum est vitæ reliquum, etiam in ijs, qui se longæuos esse computant? Appositè sanè Philosophus quidam rogatus, quid esset humana vita, tacitus in conspectu interrogantium in celerem sese gyrum circumduxit, & confestim se abscondit: quo gestu indicare voluit, humanam vitam nihil aliud esse, quàm si homo homini semel appareat, & confestim euanescat. Atque ita de vita hominis iudicandum est, quòd de veloci Cometæ cursu, qui subito perit & consumitur: & post exiguum quod manet vestigium, repentè dissipatur. Post hominis enim vitam manet aliqua eius memoria, quæ paucis ab obitu ipsius annis, ne dicam diebus quoque intermoritur, occiditque: quantumuis etiam homo ille honoribus maximis in hoc mundo ceteris præfulgebat. Vt autem verbo dicam, tam breuis hæc vita antiquis visa est, vt eam Philosophorum quidam somnum, & alius vmbram somni appellauerit: existimabat enim nimium ei sese attributurum, si somnum appellasset, cùm suo iudicio tantùm phantasma quoddam somni, vel imago eiusdem videretur. Si autem vitam hanc cum æternitate conferamus, heu quàm exigua erit, & nulla diuturnitate conspicua. Prudenter dixit Sapiens vitam hominis longissimam centum esse annorum. Centum verò anni quid sunt, si cum æternitate conferantur? certè nil aliud quàm aquæ guttula, cum spatioso & profundo pelago comparata. Ratio in promptu est. Si enim stella (quæ licet minima, maior tamen est mundo vniuerso) cum reliqua cæli parte conferas, res minima esse videatur: quæso quid erit hæc vita, tam breuis per se si cum futura illa, quæ finem habitura non est, comparetur? Et si mundus vniuersus (vt testantur Astrologi) in collatione cœli extremi, non sit aliud quàm punctum aut centrum, quę poterit esse vitæ hu-

Rodulp. Agric. lib. 1. cap. 24. de inuent.

Ecclı 18, 8.

Simile.

ius ad æternam, infinitamque illam beatitudinem collatio? Nulla prorsus. Si enim *anni centum*, teste Dauide, *in conspectu Dei tanquam dies hesterna*, quid centum anni vitæ huius in oculis eius aliud, quam nihil? Norunt huius comparationis veritatem damnati, qui apud Sapientem vitam præsentem, qua defuncti sunt, cum æternis supplicijs conferentes, exclamant. *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra & tanquam nuncius præcurrens & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire: neque semitam carinæ illius in fluctibus, aut auis quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aëream, commotis alis transuolauit: & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius. Ita & nos nati continuò desiuimus esse, & nullum virtutis vestigium valuimus ostendere.* Meditare quam breuem tunc damnati huius sæculi vitam fuisse æstimabunt, dum apertè cognituri sint, quod non vixerunt, sed quòd nati statim esse desierunt. Quæ cùm ita sint, quæ maior esse potest amentia, quàm infinitas, intolerabilesque pœnas, tam momentanea tantillæ vitæ voluptate, sibi mercari? Et cùm hæc vita tam breuis sit, atque futura illa tam longa, quæ intolerabilior amentia est, quam huius vitæ res tam sollicitè accurare, & de his quæ ad æternam vitam pertinent, nolle semel cogitare? Quis non meritò ridendum esse hominem diceret, Simile. qui proponens semper in Hispanijs viuere se velle, in India nihilominus ædificando, domum domui, & agrum agro addendo, variaque aromatum genera condendo, omnia sua insumeret: in illa verò terra, in qua viuere decreuit, nullam prouisionem faceret? Sed multò maior eorum est dementia, qui omne peculium suum, omnes corporis animæque diuitias in huius vitæ rebus congerendis absumunt, in qua tam parua ipsis mora conceditur: de necessarijs verò futuræ vitæ, in qua perpetuò viuendum erit, non sunt solliciti, imò ne quidem cogitant. Præsertim cùm tantam habeant oportunitatem, parta bona sua ex hac regione, in futuram illam per manus pauperum transmittendi. Ait enim Ecclesiastes: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post multa tempora inuenies illum.* Eccl. 11. 1.

DE VITAE NOSTRAE incertitudine.

ETsi vita nostra breuis sit (vti ostendimus) si nihilominus certa esset, vti erat illa Regis Ezechiæ, ad cuius vitam Deus annos quindecim adiecerat, esset miseria nostra paulò tolerabilior. Sed præterquam quòd breuissima est, id ipsum momentaneum quod est, incertum etiam est, & planè dubium. Optimè igitur Sapiens: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit.* Scitè quoque dictum est: Morte nil certius, hora verò mortis nihil est incertius. Iccircò Sapiens quidam vitam humanam bullis super aquam tempore pluuiæ natitantibus comparat, quarum quædam statim vbi ebullierint residunt, & euanescunt: quædam paulò quidem diutiùs fluctuant, tandem tamen vti priores intercidunt. Atque ita quidam diutiùs in suo statu permanent, quidam citiùs expirant: ita vt licet omnes citò pereant, tamen momentum illud quod manent, in his minus, in istis maius esse conspicitur. Cùm ita-

Esa. 32. 3. Reg. 20.

Eccl. 9, 12.

que terminus vitæ noſtræ tam ſit incertus, quæ eſt iſta noſtra temeritas, quòd tam ſecurè, tamque negligenter viuamus? Cur Chriſti verborum ſemper memores non ſumus, toties clamantis: *Vigilate, quoniam neſcitis qua hora filius hominis venturus eſt?* O ſi homines iſtorum verborum vim iuſta trutina penſicularent. Dum horam neſciatis, inquit, vigilate, & ſemper eſtote parati: quaſi apertiùs dicat, quoniam horam non ſcitis, omni hora vigilate: & quoniam diem ignoratis, omni menſe vigilate: & quoniam annus vobis incertus eſt, omni anno parati eſtote. Nam licet neſciatis quo vos anno Dominus vocabit, certo tamen certius eſt, annorum aliquo vos vocandos eſſe. Vt autem vis & energia verborum iſtorum melius intelligantur, age exemplo rem illuſtremus. Dic mihi ſi ad menſam accumbenti tibi triginta vel quadraginta fercula proponerentur, admonitusque eſſes in vno iſtorum omnium eſſe lethale venenum, mortemque præſentiſsimam: neſcires tamen in quo, dic, inquam, mihi auderéſne vel vnum eorum, fame etiam quantumuis ſtimulante, ſecurè attingere aut prælibare? Credo ſanè quòd non auderes, metuens ne ſi de aliquo ferculo commedens, veneni iſtius vi intoxicatus, morereris. Videamus nunc quot anni vitæ tuæ tibi adhuc ſuperſint. ſanè ſi verum fateâre, non amplius quàm triginta, aut quadraginta, quibus ſecundùm naturæ curſum viuere potes, réſidui ſunt. Cùm itaque indubitatum ſit, in vno iſtorum annorum mortem tuam latitare, tibique inſidiari: cur non ſingulos annos metuis? cur non ſingulos habes ſuſpectos? cùm ipſe non dubites vnum illorum te interfecturum? quadraginta hæc fercula times, nec ad horum aliquid manum auſus es extendere: quadraginta verò annos non reformidas, cùm non minus certus ſis mortem tuam in his præſentiùs, quàm in illis adeſſe? Quid ad hanc tam prægnantem interrogationem reſpondebis? Audi nihilominus aliam non minus vrgentem. Dic mihi cur excubiæ perpetuæ, aſſiduæque vigiliæ in vrbibus, caſtris, aliſque locis limitaneis, & hoſti vicinis obſeruantur? Certè non aliam ob cauſam, quàm quòd præſidiarij ignorant, quando hoſtis venturus, locumque oppugnaturus eſt: id autem cùm neſciant, neceſsitas vrget, vt ſemper excubent. Si enim aduentus hoſtis gnari eſſent, tunc quidem vigilarent, temporibusque intermedijs ſecuri eſſent, quieti, ſomnoque indulgerent. Obſecro te nunc ô homo, per amorem Dei, eſto iuſtus iudex in hoc negotio: Cùm incertum ſit hodiéne venturus ſit hoſtis, an cras: hoc annone an futuro, ideoque vrbem aut arcem tuam cuſtodire volens, excubias agis quotidie diligenter, cur non quotidie, propter animæ tuæ defenſionem vigilas, dum ignoras quando illa à te auferetur? Eadem enim incertitudo, quæ in illo eſt, etiam eſt in hoc, & quidem maior: ceteræque circunſtantiæ, & cauſæ in hoc, quàm in illo, magis periculoſæ. Quid igitur te mouet, vt in illo vigiles ſemper, in hoc ſtertas, dormiasque ſine intermiſsione? Quid rationi magis repugnat? Anima enim tua pretioſior eſt omnibus huius mundi ciuitatibus & regnis: & ſi lytrum conſideraueris, quo illa eſt redempta, agnoſces eam omnibus Angelis, qui in cælis ſunt, nobiliorem. Hoſtes verò tui multi ſunt & potentiſsimi, qui animæ tuæ noctes atque dies inſidiantur. hora autem & dies, qua inſidiatores iſti venturi ſunt, planè eſt incerta, & ſumma totius negotij huius, iactuſque aleæ in hoc conſiſtit, vt illo ipſo momento quo mors veniet paratus ſis. *Virgines* enim (vt euangelica habet parabola) *quæ paratæ erant, introierunt cum Sponſo ad nuptias, quæ verò non erant paratæ, excluſæ ſunt:* oſtium enim miſericordiæ his clauſum fuit: oſtium, inquam, nunquam aperiendum. Qua igitur inani ſpe lactaris, cur minus quotidie vigilas, cum vbique in hoc negotio, quàm in vllo alio, maior ſit ratio vigilandi?

Matt. 24, 42. Marc. 13.

Hora mortis incerta, id eoque ſemper vigilandum.

Simile.

Aliud ſimile.

Singula membra hic notanda.

Matt 25, 10.

DE VITAE NOSTRAE fragilitate.

VITA noſtra non tantùm incerta eſt, ſed & fragilis, multisque expoſita periculis, id ſi quis neget, dicat mihi quæſo, quod vitrum tam fragile eſt, quàm humana vita? Peſtilens odor, inrectus aër, dies feruentior, ſeu ſol vehementiùs ardens mortis ſæpe cauſæ ſunt, vitamque nobis eripiunt. Quid de ſole dicam? Solus aſpectus vnius perſonæ aliquando ſufficit, ad hominem interficiendum. Non opus eſt gladio, non armis: ſolus conſpectus hominem interimere poteſt. Conſidera nunc quàm munita ſit arx hæc, in qua vita noſtra cuſtoditur, cùm ſi quis eminus intueatur, corruat. Non hoc in infantuli ætate mirandum eſt, dum ædificium adhuc recens atque debile eſt, ſed res omni admiratione digna eſt, idem ædificium iam abſolutum & à multis annis exædificatum, & induratum, à tam exiguo caſu accedente fundirus euerti. Si enim interrogaueris cur Petrus, cur Paulus, cur ille vel iſte homo obijt, reſponſio in promptu eſt, ex hauſtu aquæ frigidæ quem ſumpſit auidiùs, aut ex cœna largiori, qua ſeſe obruit, ex nimia voluptate, aut nimio dolore mortuus eſt. Sæpe etiam fieri ſolet, vt nulla cauſa ſubſit omninò alia, quàm hominem hunc ſanum & incolumem cubitum iuiſſe, & manè in lecto ad latus coniugis mortuum repertum eſſe. Dic itaque mihi, eſtne vitrum aut vas fictile in mundo æquè, vt vita noſtra fragile? Et quid hominis fragilitatem miraris, cùm ex alia materia non conſtet, quàm ex lutea, terreáve, mirare potiùs, cùm ex tam debili conſtet materia, eum adhuc tam diu ſubſiſtere poſſe, incolumitatemque ſuam tueri. Horologium cur toties extra ordinem ſuum diuagatur, & curſus eius perturbatur, niſi quia ex tot rotulis conſtat, atque iuncturis, tantaque induſtria conſtructum eſt, quæ ſingulæ, etſi ex ferro totum conditum ſit, illud perturbare poſſunt, motumque interrumpere. At quantò debilior eſt corporum noſtrorum compoſitio, atque harmonia? & quantò debilior eſt carnis noſtræ materia? Cùm itaque & compoſitio corporum noſtrorum ſubtilior ſit, & materia fragilior, quid miramur, ſi iunctura aliqua, vel aliqua rotula corporis noſtri impediatur, atque ita vitæ noſtræ curſus aut motus interrumpatur, atque ceſſet? Non ergo mirandum vitam noſtram tam citò finiri: ſed mirandum potius, tam diu ſubſiſtere, cùm tanta corporum teneritudo ſit, tantaque materię eorundem fragilitas.

Similitudo.

Hæc eſt illa infœlix miſeria, quam Eſaias deplorat, cùm ait: *Vox dicentis, clama: & dixi quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo. Verè fœnum eſt populus, exiccatum eſt fœnum & cecidit flos. Verbum autem Domini noſtri manet in æternum.* In quæ Prophetæ verba commentatus D. Ambroſius pulcherrimè philoſophatur: Dei ſententia, inquit, vox humana eſt: Dicit Deus, clama: ſed in ipſo Eſaia loquitur. Ille reſpondit, quid clamabo? & tanquam quid loquerentur audiſſet, adiunxit: Omnis caro fœnum, & verè: Viret enim & gloria hominis in carne quaſi fœnum: & quæ putatur eſſe ſublimis, exigua quaſi herba eſt: præmatura vt flos, caduca quaſi fœnum. Germinat vitæ viriditatem in ſpecie, non in fructu ſoliditatem: hilarioris vitæ quaſi flos prætendens iucunditatem, breuiori ſpatio occaſura, ſicut herba fœni, quod priuſquam

Eſa. 40, 6.

Ambr. lib. 5. Hexam. c. 7. Cliſtoueus de doctrina morienti cap. 7.

quam euellatur areſcit. Quæ enim firmitudo in carne? quæ ſalubritas poteſt eſſe diuturna? Hodie videas adoleſcentem validum, pubeſcentis ætatis, virtute florentem, grata ſpecie, ſuaui colore, craſtina die tibi facie & ore mutatus occurrit: & qui pridie tibi lautiſsimus decoræ formæ viſus eſt gratia, alio die miſerandus apparet, ægritudinis alicuius infirmitate reſolutus. Pleroſque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut crudelitas vexat, aut vina corrumpunt, aut ſenectus debilitat, aut euiratos delitiæ reddunt, aut luxuria decolorat. Nónne verum eſt, quia aruit fœnum, & flos decidit? Alius ab auis atauisque nobilis, & maiorum honeſtatus infulis, proſapiæ veteris clarus, inſignibus amicis abundans, ſtipatus clientibus, & vtrunque latus tectus, ſecum producens maximam, & reducens familiam: repentè aliqua accidentis periculi mole turbatus, deſtituitur ab omnibus, à ſodalibus derelinquitur, impugnatur à proximis. Ecce verum eſt, quia ſicut fœnum vita hominis, priuſquam euellatur areſcit. Eſt etiam qui dudum ab vbertate affluens copiarum, liberalitatis fama volitans per ora ſingulorum, clarus honoribus, præominens poteſtatibus, tribunalibus celſus, ſolio ſublimis, beatus populis æſtimatus, dum præconum clamore deducitur, ſubita rerum conuerſione in eum carcerem rapitur, quo alios ipſe detruſerat: & inter reos ſuos imminentis pœnæ deflet ærumnas. Quantos pridie caterua plaudentium & inuidioſa fauentis populi frequens domum pompa deduxit, & nox vna glorioſæ illum ſplendorem deductionis aboleuit: ac repentinus lateris dolor effuſis gaudijs, luctuoſam grauis ſucceſsionem mœroris admiſcuit. Huiuſmodi eſt igitur gloria hominis, ſicut flos fœni. Hactenus Ambroſius: O fallacem hominum ſpem, inquit Tullius, fragilemque fortunam, & inanes noſtras contentiones, quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & ante in ipſo portu obruuntur, quam portum conſpicere potuerint. Quæ itaque & quanta eſt filiorum Adæ dementia, tam fragili fundamento tam ſublimem turrim ædificare volentium? nec conſiderantium ſe ędificare ſuper arenam, & cùm opus iam perfectum credunt, pluuiam ventosque deſcendere, & turrim funditus euertere?

Cicero. 3. de Orat.

* Quid itaque ſuperbis ô homo? quid vires & fortitudinem iactas? audi Ethnicum illum Plin. multo te Chriſtiano prudentiùs hac de re iudicantem: Miſeret, ait, atque etiam pudet æſtimantem, quàm ſit friuola animalium ſuperbiſsimi origo: cùm plerunque abortus cauſa fiat odor à lucernarum extinctu. His principijs naſcuntur Tyranni, carnifex his animus. Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidem eius exiſtimas, ſed partum: tu cuius ſemper in victoria mens: tu qui te Deum credis aliquo ſucceſſu tumens tanti tamen perire potuiſti? Atqui etiam hodie minoris potes, quantulo ſerpentis ictus dente: aut etiam, vt Anacreon poëta acino vuæ paſſæ: vt Fabius Senator Prętor in lactis hauſtu vno pilo ſtrangulatus. Is demum profectò vitam æqua lance penſitabit, qui ſemper fragilitatis humanæ memor fuerit. Hæc ille.

Plin. lib. 8. Natur. hiſtor. cap. 7.

Anacreon. Valius.

Heu quàm inconſideratè agunt homines, dum oculis ſuis ſeipſos non inſpiciunt, ſecumque rationem non ineunt? Si hæc tanta cæcitas ſit, quanto quæſo eorum eſt, qui audent tot annis in peccatis ſuis perſeuerare, inque ijs, vti iumenta in ſtercoribus, computreſcere: probè cognoſcentes nullum inter ſe atque tartara eſſe interſtitium aliud, præter caducam hanc vitam? Quæ res quam abſurda ſit, accipe hinc conjecturam: imaginare hominem aliquem de tenui pendere filo, qui ſub ſe profundiſsimum haberet puteum, in quem cadere neceſſariò deberet, ſi filum iſtud rumperetur, quo illum ſuſpenſo fore putares, qui tali in periculo penderet? quàm vehementer metueret caſum? quanta in anxietate ſpiritum duceret? quàm lubens omnia quæ poſsidet offerret, vt iſto periculo eximeretur? Age igitur infœlix homo, qui contra legem Dei tot annis in peccatis perſeueras, & quotidie iniquitatem tanquam aquam bibis, quomodo non vides te ſimili, imò maiore multo in periculo conſtitutum eſſe? ſtatim enim vbi fragile filum vitæ tuæ rumpitur, in abyſſum inferni inferioris rues, & in eo perpetuò varijs in tormentis diſcruciaberis. Ah qui dormire? qui ludere & luxuriari? qui ridere potes, & voluptatibus indulgere? cur nunquam reſipiſcis, & hoc periculo temetipſum ſtudes eximere?

Quid inter peccatorem & infernii miſeric. ſimile.

DE VITAE NOSTRAE *mutabilitate.*

HABET vita noſtra & aliam infelicitatem: quod nimirum tam eſt mutabilis, & nunquam in eodem ſtatu permanet: teſtatur hoc ſanctus Iobus capite 14. in quo lugubri monadia huius vitæ miſerias deplorat. *Homo*, inquit, *natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miſeriis: qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Vt autem alias miſerias omittamus, quæ res ſub luna mutabilior eſt hac vita noſtra? De Chamæleonte, in Indiæ regionibus quadrupede non infrequenti, ſcribunt nonnulli, quòd colorem ſæpius mutet, & oculis, & cauda, & toto corpore, reddatque ſemper quem proximè attingit, præter rubrum, candidumque: & de Euripo iuxta Eubœam mare referunt, quod ſepties die ac nocte reciprocando moueatur. Luna quoque mutatur quotidie, ſed exigua harum rerum mutatio atque inſtabilitas erit, ſi cum humani cordis inconſtantia comparentur. Quis Proteus vnquam in tam varias figuras mutatus eſt, vt non in plures homo ſingulis momentis transformetur? Nunc ſanus eſt & incolumis, mox æger & infirmus: nunc placitus & quietus, mox perturbatur: nunc hilaris eſt: poſt paululum luget, doletque: nunc meticuloſus eſt, extemplò audacem ſpiritum reſumit: nunc dubius, modò certus: nunc ſedatus, paulò poſt iratus: modò vult, modò iterum non vult: ſæpiusque ſeipſum non intelligit, & vt vno verbo dicam, tot ſunt hominis mutationes, quot caſus, aut circunſtantiæ, vel accidentia ſunt, quæ ſenſibus eius obijciuntur, à quorum ſingulis, huc aut illuc impellitur. Quod præteritum eſt, pœnam: quod præſens, dolorem, & quod futurum eſt parit illi ſolicitudinem & metum. Si pauper ſit, in ſudore vultus ſui panem commedit: ſi dives luxu ſoluitur, & faſtu turget. Quod ſi autem bonorum ſuorum iacturam faciat, in luctu viuit, & ægritudine. Quæ ergo luna, quis Euripus tam ſæpe alteratur? Mare non mouetur niſi cùm venti mutantur: ſed in homine ſunt continuæ, aſsiduæque mutationes, ſiue ſæuiant venti, ſiue tranquilla ſit malacia.

Iob. 14. 1.

Plin. lib. 8. cap. 33. *Vitæ humanæ mutabilitas.*

Theodoret. lib. 1. de Prouid.

Et quid vlterius de vitæ noſtræ mobilitate dicam? quod momentum, quod temporis punctum præterit, in quo non ad mortem feſtinamus? quid putas aliud eſt cœli motus quàm reuolutio quædam qua trama vitæ noſtræ, ex rhombo glomeratur. Attende quæſo quomodo pannus ſeu ſubtegminis inuolucrum in lanificio è rhombo glomeratur: quoties enim rhombus vertitur (rhombum autem voco machinulam illam, qua mulieres vertendo tramam glomerant in circulum) toties aliquid ſubtegminis adimitur, id in ſecundo, id in tertio gyro etiam accidit, donec trama in glomum diducta, rhombus omni filo

Velocitas vitæ humanæ.

Similitudo.

filo destituatur. Eodem modo & vitam nostram glomerando, vertendoque cœli motus absumit. Ideoque Beatus Iobus ait: *Dies mei velociores fuerunt cursore*. quantumuis enim festinet cursor aut veredarius, necessitas tamen eum vrget nonnunquam quiescere: vitæ autem nostræ curriculum semper mouetur, nunquam quiescit. pulchrè hac de re scribit Beatus Hieronymus, hoc ipsum, inquit, quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur: quot puncta notarij, tot meorum damna sunt temporum.

Iob 9, 25.

Hieron ad Nepot c. 11. & in fine epist ad Heliodorum & Seneca epist. 24. Similitudo ex Gregor lib. 6. epist. cap. 26.

Quemadmodum enim simul nauigantes, siue in naui ambulent, siue sedeant aut iaceant, nihilominus promouentur, & quò diutius nauigant, eò magis loco quem petebant appropinquant: Ita & nos in hac vita toto quo viuimus tempore mouemur atque procedimus, nauigamusque tacitè ad portum cursus nostri qui communis est omnibus nempè ad mortem. Cùm itaque vita nostra nil aliud sit, quàm iter ad mortem: & hora mortis eadem sit, quæ erit iudicij: quid vita nostra nisi iter ad horrendum illud Christi tribunal? Quod autem terribilius esse potest iter, quàm quo quis ad iudicium pergit, atque eundo semper offendit illum, à quo iudicabitur: eumque ad iram prouocat, sine intermissione, qui potestatem habet, corpus & animam in gehennam mittendi? Aperi oculos infelix homo, iter per quod incedis, & locum ad quem tendis diligenter intuere; erubescere, & tuijpsius miserere: considera studiosè quàm parum conueniat id, quod tu agis, cum eo, quod agere debes, atque proposuisti.

QVAM FALLAX VITA nostræ sit.

PRædictas omnes miserias libenter vitæ nostræ condonarem, nisi iudicio meo, aliam illis maiorem haberet; quòd nimirum fallax sit, & nimis insidiosa, multoque alia foris apparet, quàm in rei est veritate. Tritum est prouerbium, ficta sanctitas duplex est impietas: ita & ficta, apparensque felicitas, duplex est miseria: Si enim hæc vita nostra qualis re ipsa est, ita sese nostris aspectibus offerret, nec aliam sese mentiretur, non tam præcipites in interitum rueremus: non fideremus illi, sed suspecta nobis semper esset. Cùm verò fuco ea doloque plena sit, ita vt quantumuis breuis sit, tamen longa esse videatur: & dum singulis momentis alteratur, tamen eam habeat speciem, quasi in eodem statu permaneret, certè odisse eam, & ab ipsius insidijs nobis cauere debemus. Sentisne, inquit Beatus Hieronymus, quando infans, quando puer, quando iuuenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? Quotidie morimur, & quotidie commutamur: & contra fidem atque experientiam ipsam nos esse æternos credimus. Ex quo fonte prodijt quod Megarenses tam magnificas ædes extruerent, vt à quodam Philosopho audierint, ipsos ædificare tanquam semper victuri, viuere quasi altera die morituri. Quid causæ quòd tam longa diuini numinis nobis subrepat obliuio? quòd diuitias opesque sine vlla moderatione quærimus? quòd tam auari sumus? quòd nulla mortis cura tangimur? certè si verum fateamur, fallax hæc persuasio in causa est: credimus enim omnes vitam nostram fore diuturnam; & cassa spe annorum multorum spatia nobis pollicemur. Nemo enim, ait Hieronymus tam fractis viribus & sic decrepitæ senectutis est, vt non putet se adhuc annum vnum superuicturum. Falsa hæc opinio facit, vt arbitremur nobis ad omnia sat temporis superesse, siue mundo seruire, siue vanitatibus vacare, siue voluptatibus indulgere, siue blasphemijs, & obtrectationibus certare, siue denique alijs illicitis rebus vti, fruíve velimus: & postea tempus nobis non defuturum Deo seruiendi, vitamque impiam nostram in meliorem conuertendi. Atqui hoc modo non secus rationem de vita nostra inimus, quàm si panni aliquot vlnas in mensa expansas haberemus, & partem vnam huic, aliam illi, tertiam isti vesti faciundæ decerneremus. Sed & de vita iudicamus, haud secus, quàm si dispensatio illius, in nostro arbitrio, eiusque breuitas & longitudo in nostra essent potestate. Fallacia hæc pernitiosa ex eo nascitur, quòd, vti diximus, perperam quisque secum ratiocinatur, opinionemque malam imbibit; & quod semel sibi persuasit, pertinaciter credit, non rationabilibus causis inductus, sed amore proprio illectus. Vti enim homines mortem oderunt, ita nec illius volunt recordari: aut credere illam foribus suis tam esse vicinam, ne in dolorem atque egritudinem incidant, quam ex huiusmodi cogitatione perciperent. Hinc est vt amator suijpsius facile credat alios homines citò morituros, sibijpsi verò diuturniorem vitam promittat. Vt enim alios non fortiter diligit, ita nec illi veritatis huius cognitio de alijs, est adeò molesta. Alia verò ratio est de seipso: sicut enim homo seipsum diligit tenerrimè, ita non potest non dolere & contristari maximè, dum credit hoc, quod ægritudinem sibi potest adferre. Sæpius tamen huiusmodi decipiuntur, & somnium quod sibi fingunt inuertitur, dum ij, de quorum vita longiori dubitabant, diu superuiuunt, ipsi autem qui Nestoris ætatem sibi promittebant, decedant citius. Ita vt accidat his idem quod nauigantibus, qui ex portu egressi cùm altum petunt, existimant terram fugere, se autem immotos esse: cùm potius contrà terra stabilis maneat, ipsi verò, quò diutius, hoc longius à continenti ventis abripiantur.

Malè de vita nostra iudicamus.

Cur alios citò, nos tardè morituros existimem?

Prosp. 219. sent.

Omnes se diu victuros arbitrantur.

Epist. ad Nepot. cap. 22. & epistol. ad Heliodor. in fine, & sanctus Augustin. in Psalm. 65.

Hieron. ad Ageruchiã de monogamia c. 5. Ælian. l. 12. var. histor.

Augustin. de verb. Domini sermone 16.

Ibidem.

QVAM MISERA SIT VITA nostra, deque multisarijs miserijs, tam animæ, quam corporis, quæ in ea reperiuntur.

TSi vita nostra omnibus prædictis calamitatibus esset obnoxia, ferendum aliquo modo esset, si id quod vitæ est, licet modicum, purum esset, nec aliud quàm mera vita. Sed id superat omnia, quæ dicta sunt hactenus, quòd breue illud incertumque & fallax, quod in vita nostra est, totum varijs multisque cùm corporis, tum animæ miserijs est obnoxium: adeò vt morti similius quàm vitæ sit; & mors potius, quàm vita debeat appellari. Ideoque poëta quidam hanc vitam non vitam, sed transitum ad vitam nuncupauit. Vita itaque nostra etsi in rebus omnibus breuis sit, & valde contracta, si tamen miserias, calamitates, atque molestias, quæ in ea sunt consideremus, prolixam fatebimur, & nimis diuturnam. Breue sanè est in hac vita viuere: breue est in eo luxuriari, & voluptatibus affluere: breue est in ea ratione prudentiaque vti. Ceterum quantumuis illa breuis sit, in rebus bonis appetendis & fruendis: in eo tamen longa est, quòd varias molestias atque dolores adfert. O periculosa Syrtis, quæ quanto est angustior, tanto maius nauigantibus creat periculum. Profectò si oculos haberemus, qui munitissimas quasque vitæ nostræ partes scrutari, & collustrare possent, nunquam non nobis adesset materia, nosmetipsos deflendi: tanquam homines iusto Dei iudicio, ad tantam calamitatum colluuionem damnatos. Vt autem omni ex parte miseri essemus, etiam ad alias miserias hæc accedere debebat: vt tanquam phrenetici suum malum non sentientes, cùm miserrimi simus, esse nos miseros non agnoscamus. Miserias vitæ humanæ duo illi ethnici philosophi magis quàm

nos co-

nos cognouerunt, Heraclitem dico & Democritum: quorum alter ridebat semper, alter verò assiduè lachrymabatur: significantes hoc gestu nihil esse vitam nostram præter stultitiam, & meram infelicitatem. Dic mihi quot curæ sunt in quibus homines viuunt? quot metus, formidines, timiditates, anxietates, tremores, horrores, dolores, gemitus, malignitates, aliæque solicitudines & curæ animæ? qui affectus atque inclinationes ita hominibus adhærent, aut potius innatę sunt, vt sæpe harum aliquam in animo suo inueniat, sine aliqua causa, vel vt timeat, vbi nullus est timor: vel vt doleat, vbi nulla dolendi subest materia: vti B. Iob de seipso conqueritur: *Quare*, inquit, ô Deus, *posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* Calamitates autem externas quis enarrabit? Quantas tolerat molestias atque labores homo, antequam panem lucretur, quo vitam sustineat? Passeres aliæque volucres cœli, feræ, aliæque bestiæ irrationales, victum inueniunt absque vllo labore, atque sudore: solus homo noctes diesque sudare debet: per mare, pauperiem fugiens, per saxa per ignes, vt victum lucretur. Hæc est infelicitas illa, quam deplorat Propheta dicens, *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*. id est, nos in anni nostris tanquam aranea meditamur. Animalculum enim hoc magna solicitudine noctes atque dies laborat, vt telam suam sibi paret, atque ob eam parandam sese totum euiscerat, nec tamen alium fructum inde consequi potest, quàm tenuem victum; muscam, aut simile animalculum: quo tamen sæpe frustratur: ita & homo nocte dieque nil aliud agit, quàm quòd corpore atque animo laborat & meditatur, non in alium finem, quàm vt culices atque muscas captet: hoc est, rem vanam, nullius que pretij acquirat. Fit etiam nonnunquam vt ipsa tela, quæ animalibus capiendis tanto labore facta erat, ipsi factori laqueus fiat, quo capiatur: aut vento paulò vehementiori tela, cum inuoluto possessore rumpatur, & per aëra rapiatur: pereatque labor omnis, sine vllo fructu.

Iob 7, 20.

Psalm. 89, 9.

Similе.

Infirmitas corporis.

Porrò si cum omnibus miseriis his vita nostra certi aliquid haberet, minor esset nostra infelicitas: sed etsi à fame libera sit, tamen pestis, pleuris, alijque lethales morbi qui accedunt quotidie, & facillima de causa, perpetuò illi insidiantur. Quis enim enumerare posset multiplices illas infirmitates, quas natura corporibus nostris præparauit? Omnium Medicorum libri pleni sunt morbis humanis, & eorum medicamentis: ars autem ipsa crescit quotidie, quia crescunt morbi: modernæ etiam infirmitates atque morbi grauiores sunt, quàm vt veteres Medici illis mederi potuissent. Nec medicorum quisquam gratus est adeò hominibus, vt non horreant eum omnes, multi quoque ex medicis hominі duriores sunt magisque cruciant, quam morbus ipse, aut corporis affectiones: cùm ex maioribus illis defectibus nullus sit, qui non debeat pœna aliqua grauiori curari. Si quis autem corpore tam sit robusto, beneque disposito, vt propter complexionis bonitatem non necesse sit illi cum huiusmodi morbis luctari; is alijs periculis quotidie expositus est, à quibus infirmi illi, maleque affecti sunt tutiores. Quàm multa hominum millia quotannis fluctibus marinis absorbentur? quot insatiabile bellum absumit? quot terræ motibus? quot eluuionibus? quot ruinis ædificiorum? quot veneni periculo quotidie sunt expositi, ab ijsque interitum formidare debent? Quot mulieres parturientes vitam, quam proli dederunt, propria morte redemerunt? nonnunquam & feræ bellue nobiscum belligerantur: similiter & creaturæ ceteræ vsui nostro datæ, non rarò ad pernitiem nostram potius, quàm ad vtilitatem factæ videntur. Quid multis? omnia in exitium nostrum coniurasse videntur. In tanto autem rerum dissimilie remedium esset & solatium, si homines inter sese concordes essent, & se inuicem amarent, nec dissimiles essent in pace, qui similes sunt in natura. Ceterum nec hoc nobis concessum est: homines enim inter sese præliantur, & inter animalia omnia nullum crudelius hominem persequitur eo, qui eandem cum illo naturam participat. Heu quam varia genera armorum, machinarum, munitionumque nunc inuenta sunt ad homines interficiendos, extirpandosque: vel quibus ab aliorum violentia seipsos tueri compelluntur. Quot gladio hostili quotidiè necantur? quot minas, contumelias, furta, vulnera, mortes, conuitia, carceres, homines quotidiè ab hominibus patiuntur? Terra, marive, domi nec foris, nec in publicis vijs tuti sunt à latronibus, prædatoribus, piratis, alijsque inimicis, corporibus, fortunisque ipsorum insidiantibus. Omni ex parte abominabilis grassatur ira, in vindictam hostium parata. Ad quid tot armа? tot gladij? tot machinæ bellicæ? tot globi? tantæ vitiati pulueris copiæ? tot nouarum insidiarum, stratagematorumque inuentores, & belligerandi magistri? certè non alium in finem, nisi vt calamitas, infelicitasque humani generis tantò maior sit, & frequentior. Cùm itaque cælum & elementa ipsa nobis parcunt, propriæ naturæ nostræ Socij nos persequuntur.

Odia hominum inter se.

Iulius Cæsar.

De solo Iulio Cæsare, inter omnes Imperatores propter bonitatem suam celeberrimo scribunt nonnulli, quòd cum exercitu suo non copioso, plus quam decies centena hominum millia trucidauerit. Perpende quid ille feciſſet, si tyrannus fuisset, cum tantoperè grassatus sit, nec tamen clementissimi Cæsaris nomen amiserit? Cicero cuiusdam Philosophi meminit, qui librum de varijs mortis generibus conscripsit: in quo varias moriendi causas commemorat, quæ in hac vita sæpius euenerunt: vt sunt, exundationes aquarum, pestes, apoplexiæ, incursiones bestiarum, quæ ex improuiso hominem obruunt, contra eundem grassantur crudeliter, & interficiunt: & tandem concludens, ait; plures homines ab hominibus interemptos, quàm ab omnibus reliquis casibus, morbisque simul coniunctis. Quid magis dolendum? quid magis admirandum? Est enim homo animal politicum, sociale, & humanum: quod sine vnguibus, dentibus, cornibus, aut vllis alijs armis, absque vllo veneno nascitur: vt meritò cum omnibus animalibus pacificè viuere deberet.

S. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 22.

Quid putas erit, si quis præter hæc omnia singulorum ætatum miserias, circunstantiasque earum enucleet, atque perpendat? Quàm insipientiæ plena est pueritia, quàm leuitatis adolescentia? quam temeritatis iuuentus? Quàm citò ætas iuuenilis labitur? & quàm grauis sibique molesta est ipsa senectus? quid aliud infans, nisi animal rationis expers, in specie humana? Quid aliud adolescens, quàm equus indomitus? quid senectus nisi saccus omnium morborum, infirmitatum & molestiarum?

Primum hominis desiderium est, vt senescere optent omnes, & ad extremam senectutem peruenire: qua tamen nihil miseriùs, nihil esse potest molestius: quæ cum omnium egeat ope, ab omnibus deseritur, & fastiditur. Senex deserit mundum, & à suis filijs, cognatisque deseritur: deserunt enim propria membra, sensusque: deserit & seipsum, cum ratione sua vti nesciat, soli senectutis comites morbi, infirmitates, & molestiæ. Hic scopus est, ad quem homo desideria sua collimat, quem homo in omni appetit ætate. Dici non potest, quam nullus hominum sua sorte sit contentus, quantoque rapiatur desiderio ad suę sortis cum alterius permutationem, dum putat alterius conditionem fore sibi beatiorem. Viuunt itaq; homines instar infirmi, qui nihil aliud agit, quam

quam ex vno latere in aliud sese voluit, reuoluitque, existimans hoc motu sese maiorem quietem consecuturum, quàm habebat anteà, nec vllam tamen inuenit: quia causam doloris atque inquietudinis intus habeat, non foris: morbum scilicet atque infirmitatem.

Vt autem hoc caput concludam, id solùm addam: eam nimirum esse vitæ humanæ conditionem, vt meritò dixerit Ecclesiasticus: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adæ, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ, in matrem omnium.* Sed & D. Bernardus non immeritò dixit, præsentis seculi vitam sibi videri parum distare ab ea, quæ in Inferno est: nisi quòd spem repositam habemus, posse nos in hoc seculo cæli beatitudinem promereri. Etsi verò omnes prædictæ miseriæ, pœnæ peccati sint, tamen pœnæ sunt delictis multò minores: imò vulnerum nostrorum suauissima medicamenta, quæ à diuina nobis prouidentia infliguntur, vt his pœnis lacessiti, atque defatigati ab inordinato huius seculi amore auocaremur. Ideò Deus mundi voluptates tot amaritudinibus permiscuit, vt eius nobis fastidium pareret: ideò tam turpem fecit, & deformem hunc mundum, ne illum adamaremus: ideò tot motibus concussum, ne in eo quietem nobis quærendam esse putaremus: ideò nos in eo tot casibus, miserijs, & ærumnis affligi voluit, vt tantò alacriùs eum relinqueremus, ad cælestem patriam festinantes. Si enim nunc etiam seculum hoc, tot calamitatibus refertissimum, tam inuiti relinquamus, semperque de ollis carnium Ægypti cogitemus, quid quæso facturi essemus, si omnia in hoc mundo semper nobis prospera, iucunda, & delectabilia blandirentur? Quis illa propter Deum auersaretur? quis illa cælo permutaret? quis cum Paulo diceret: *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo?*

Eccl. 40, 1.

Serm. 14. de Ascensione.

Miseriarum vtilitas.

Phil. 1, 23.

DE VLTIMA HOMINIS miseria; seu de morte.

POST omnes humanæ vitæ miserias, suprà commemoratas, sequitur vltima, & terribilium omnium terribilissima: Mors scilicet, vltima rerum linea. Hæc est miseria illa, de qua Ethnicus quidem Poëta.

Virg. lib. 3. Georg.

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor & dira rapit inclementia mortis.

Hæc meta & terminus vitæ nostræ, de qua Iob: *Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti.* Quàm multiplices autem ærumnæ sint, quæ in hac sola includuntur, non est huius loci commemorare, tantùm Doctoris cuiusdam verba recitabo, hunc in modum exclamantis? O mors quàm amara est tui memoria? quam præceps & celer aduentus? quam occultæ & absconditæ viæ? quam incerta qua venies hora? quam latè dominaris in hoc seculo? Potentes huius mundi non possunt tela tua euadere: Sapientes non possunt te subterfugere: fortes aduersum te robur omne amittunt: nemo in conspectu tuo diues; nemo etenim vitam sibi opibus potest redimere, omnia tollis, omnia circuis, in omni loco inueniris. Tu herbas exiccas, tu ventos ponis, tu aëra turbas, tu tempora mutas, tu mundum alteras, nihil est in mari, quod non absorbes. Omnia in hoc seculo sua habent incrementa & decrementa: tu verò semper in eodem statu permanes: Tu malleus semper contundens: Tu gladius qui nunquam hebetatur: Tu laqueus in quem incidunt omnes: Tu carcer in quem omnes detruduntur: mare in quo omnes periclitantur: pœna quam subeunt omnes: tributum quod omnes pendere compelluntur. O mors cur nulla in te misericordia? cur non venis tempore oportuno? cur necas quod vix inceptum est? cur impedis eos qui bona meditantur? Tu quæ multis annis parta sunt, vno tollis momento: tu nobilissimorum stemmatum posteritatem deles: tu diuitibus hæredem inuides, & mundum reples orphanis: tu filium omnis doctrinæ atque exercitationis abrumpis, facisque vt ante tempus optima quæque ingenia, hominesque industrij intermoriantur: tu finem initio iungis, nec medium quid esse permittis. Tu tandem ea es, vt Deus tecum nil habeat commertij, seseque iustificans, dicat: quod creatura illius non es: sed quod *inuidia & dolo Diaboli in mundum intrasti.*

Iob 30, 23.

Sap. 2, 24.

DE FRVCTIBVS QVI EX præcedenti meditatione percipiuntur.

HÆ, aliæque infinitæ sunt humanæ vitæ miseriæ, quarum meditatio geminas pariet homini vtilitates: prima est cognitio gloriæ, & maiestatis huius mundi. Secunda verò cognitio sui ipsius: ad vtramque enim conducit hæc meditatio. Scire vis quæ gloria, quæ maiestas mundi huius? intuere proprietates humanæ vitæ, & habebis quæ sit huius seculi maiestas. Dic mihi, potestne gloria & dignitas hominis diuturnior esse vita eiusdem? indubitatum est, quòd non potest: gloria enim accidens est, cuius subiectum est hominis vita: sublato verò subiecto, necesse est & ipsum accidens interire. ideoque neque diuitiæ, neque voluptates remanent post sepulchrum: ibi enim subiectum perit, cui istæ innitebantur. Cùm itaque vita humana talis sit, qualem supra descripsimus, breuis scilicet, incerta, fragilis, mutabilis, fallax, & misera, dic mihi quàm diuturnum & solidum potest esse ædificium tali fundamento superstructum? Sanè qui argumentum æqua lance ponderat, inueniet accidentia vt maximum cum substantia perire, nec post illam superesse posse. Fieri tamen potest, nec rarò fit, ipsa accidentia, ante substantiam interire: id quòd frequens est in posteritate diuitiarum, quæ sæpe pereunt antequam ipsa vita intercidat.

Vtilitas.

Si itaque Poëta quidam vitam hanc somnij vmbram appositissimè appellauerit, quo nomine appellabis tu diuitias, honores, & voluptates huius seculi, quæ vita ipsa sunt breuiores? Quanti facies ædes magnificas, super fundamentum fragile & insolidum ædificatas? Quanti statuam ceream æstimabis, quæ ad solem posita, cera liquescente, omnem formam & similitudinem, pulchritudinemque amittit? Quare colorem, leporemque pulcherrimorum floscul orum tam parui facimus? nisi quia subiectum eorum tam infirmum est, & quod è caule decerpti statim marcescunt, omnemque pulchritudinem, colorem, odoremque amittunt? Fieri non potest, vt stabilis pulchritudo in materia tam instabili reperiatur. Ideoque gloria hominis tam fugax est, quam ipsa vita humana. Etsi post vitam huiusmodi gloria aliquandiu permaneat, quid quæso ea prodest mortuo, ad quem non descendit? Quid quæso prodest Homero, quòd eius Iliada commendas? nihil aliud medius fidius, quàm quòd Hieronymus de Aristotele dicit: Væ tibi Aristoteles, qui prædicaris hîc, vbi non es: & torqueris illic, vbi es, nimirum in Inferno.

S. Hieron. ad Heliodorū epist. 1.

Multi alij fructus ex hac meditatione peti possunt. Si enim omnes & singulas miserias vitæ humanæ bene perpendas, oculi tui mox aperientur, & cæcitatem multorum hominum ad stuporem vsque

que admiraberis; dicesque. O me infelicem, cur progenies hæc Adæ misera superbit? vnde hominis tantus tumor? vnde tantus animorum fastus, & cordis mutatio? vnde tantus aliorum contemptus? tanta philautia? tanta arrogantia? tantaque diuini numinis obliuio? Cur superbis cinis & terra? cur exaltas teipsum, teque magnificas ô terrene homuncio? Cur vanitatis tuæ ornamenta non deponis instar Pauonis, cum pedes tuos, id est, vilis tuæ conditionis proprietates intueris? Quid necesse est tibi gloriam huius mundi, tanta cum solicitudine, tantisque periculis quærere, & quasi ex flamma petere, quæ tot miseriis est permixta? quam in se potest habere dulcedinem, quæ tam magno poculo amaritudinis infuso non amarescat? Imò cùm hæc vita vallis sit lachrymarum, reorum carcer & exilium, in quod relegati sumus, quæ quæso impudentia est in lachrymarum valle, tantis vanitatibus studere? tanto fastu intumescere? tantum apparatum ædium, & familiarum conquirere? tot risibus & voluptatibus indulgere? tot iocis & gaudijs dissolui? tantas curas impendere transitorijs rebus, & de æternis vix cogitare: haud secus atqui perpetuò cum bestijs versaremur, & nullà nobis in cælis cum Angelis expectanda esset portio. Sed miseriarum omnium miserrima, maximeque deploranda est, quòd tot argumentis & demonstrationibus infelicitatum tuarum oculi tui non aperiuntur, teque ex intolerabili hac cæcitate non eripiunt.

DIE MERCVRII, MEDITATIO VESPERTINA TERTIA.

DE MORTE.

HOC DIE MEDITATIO INSTITVATVR DE morte, quæ est vna inter præcipuas & vtilissimas considerationes, in qua Christianus se exercere potest, per hanc enim ad veram cognitionem & artem venimus, peccatum fugiendi, & ad horam mortis instantem nos præparandi.

SED vt hæc consideratio tibi vtilis sit, rogabis Dominum Deum, vt tibi gratiam largiatur, quò possis experiri aliquid eorum, quæ in vltimo hoc certamine sunt euentura: vt tali modo possis disponere negotia tua, vitamque instituere, quasi hac ipsa hora moriturus esses, & quomodo vitam tuam tunc cum moriturus es institutam fuisse optabis. Quod vt accuratiùs facias, debes mortem tibi proponere, non vt rem alienam, sed propriàm: non vt futuram, sed vt præsentem: non aliter atque si iam in lecto iaceres, desperatus, & medicorum omnium sententia mortis certa victima, sine dubio mox moriturus.

Mors incerta.

Perpende primùm quàm incerta est illa hora, in qua mors te adorietur: quia non scis in quo die, in quo loco, in qua dispositione aut statu te est inuentura: solùm non ignoras quòd certò sis moriturus. cetera omnia incerta sunt, præter hoc solùm, quòd communiter mors hominem inuadere solet, illo tempore, quo minus de illa cogitatur.

Separatio corporis ab anima & bonis huius mundi.

Secundò perpende, qualis futura sit illic separatio: non tantùm ea, quæ erit ab omnibus istis rebus, quas diligimus in hoc mundo: sed & ea, quæ fiet inter animam & corpus, quorum societas tam est amica, quàm est antiqua: Si pro magna miseria reputetur, vt quis à patria, ab aris & focis, vbi nutritus, vbi natus est, in exilium eijciatur, etiamsi exuli illi omnia bona sua, quibus sese oblectare potest, secum auferre permittatur: quantò quæso miserabiliùs erit exilium illud vniuersale, ab omnibus rebus suis, à domo, à diuitijs, ab amicis, à patre, à matre, ab vxore, à filijs, ab hac luce & aëre communi, & vt simul dicam omnia, ab omni re, quam in mundo diligebat? Quòd si bos vnus mugiat, cùm separatur ab altero boue, cum quo aratrum traxit: quàm horrendi erunt mugitus isti, qui de corde tuo procedent, cùm separaberis ab omnibus illis rebus, omnique societate, cum qua iugum oneris huius vitæ portasti?

Simile.

Quid corpori, quid animæ fiat post separationē.

Considera quoque, in quantas angustias animi venit homo, cùm sibi ob oculos statuit, quid animæ, quid corpori post mortem sit euenturum. De corpore enim homo iam non ignorat, quod etsi nunc sit in multis, magnisque honoribus constitutum, & ab omnibus colatur, post mortem non sit habiturum hæreditatem meliorem quàm foueam, aut sepulchrum septem pedum, in quod abijcietur, vt ibi computrescat, cum alijs ante se defunctis. De anima verò non est certus quid illi continget, aut quam sortem sit acceptura. Quia quantumcunque spes misericordiæ diuinæ, vehementer hominem confirmet, peccatorum tamen consideratio robur illud atterit, atque debilitat. Sed quid erit, si adiungas huic magnitudinem iustitiæ diuinæ, & iudiciorum Dei profunditatem, quæ manus suas sæpe commutat, & hominum sortes præter opinionem inuertit? Latro enim de cruce saltat in Paradysum, & Iudas de altitudine Apostolatûs cadit in Infernum. Manasses post tam abominabilia: scelera locum pœnitentiæ inuenit, an verò Salomon post tot virtutes inuenerit, ignoramus. Et hæc est solicitudinum nostrarum maxima, summaque anxietas, qua cruciamur, nimirum, quòd cùm sciamus esse pœnam, & gloriam sempiternam, & vtramque paribus à nobis distare passibus, atque æquè vicinam esse, nesciamus tamen vtra istarum nobis sit obuentura. Hanc solicitudinem mox excipit alia, non minor priore: ratio nimirum quam ibi reddet vnusquisque: quę talis postulabitur, vt membra fortissimorum hominum etiam concutiat sola illius mentio. Scribunt de Arsenio, quòd cùm vicinus esset morti, metu pulsari, opprimi, & lachrymari visus est, id cùm discipuli eius animaduertissent, dixerunt: Pater, & tu times mortem? Respondit ille: Filioli, reuera hic metus quo me videtis affici, nunquam omninò à me recessit, ex quo factus sum monachus. Ibi sese offerunt homini peccata omnia, quæ fecit in vita anteacta, non aliter atqui infensissimus hostis, qui hominem inermem obruit ex improuiso: sed & grauissima peccata, in quibus te maximè oblectasti, hic aderunt: videbisque ea manifestissimè, quæ summam adferent tibi animi anxietatem. In illa hora ad memoriam redibunt tuam omnes virgines à te constupratæ, omnes matronæ ad illicitos concubitus solicitatæ, omnes pauperes spoliati, & malè à te mulctati, omnesque à te proxi-

Allusio ad factum Iacob. Genes. 48. *Iudicia Dei.*

Solicitudo reddendæ rationis.

Simeon Metaphar. in vita eius. Vide Surium 19. Iulij. Vincēt. lib. 18. hist. cap. 65.

te proximi tui offensi. Illic contra te clamabit, non sanguis Abel, sed sanguis Christi, qui à te effusus, contaminatus, & conculcatus est, quoties proximum offendisti. Et hoc delictum iuxta præscriptum legis illius iudicabitur, quæ *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore,* vult esse reddendum. O quàm amara illic erit præteritarum voluptatum mẽtio, quæ futuri temporis tantos peperêre dolores. Meritò dixit Sapiens: *Non intuearis vinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venenum diffundet.* O si homines intelligerent, quam hæc Salomonis verba sint verissima. Quis enim morsus serpentis sic affligit, quomodo memoria præcedentium voluptatum? Hęc sunt pocula ex quibus venenum suum nobis propinat generis humani inimicus: hic est liquor ille, quem habet meretrix illa Babylonica in calice foris deaurato.

Exod. 24, 26

Prou 23, 31.

Hierem. 51.

Vltima Sacramenta.

Post hæc succedunt sacramentum Confessionis & Eucharistiæ, sub finem verò Extremæ vnctionis, quæ vltimum est auxilium, quo potest Ecclesia homini moribundo patrocinari. Atque ex hoc, sicut & ex alijs circunstantijs debes pensare anxietatis magnitudinem, in quam adduceris, propterea quòd impiè vixisti, & præuidere quàm ardenter optabis tunc te arctam virtutis viam iam pridem ambulasse: meditari quoque quanta tunc opera pœnitentiæ tibi facienda propones, si fortè vitæ spatium posset extendi: quanta tunc cum animi intentione nomen Domini inuocare contendes, sed dolores morbi, animique anxietates id facere non permittent.

Morbi accidentia & mortis imminentis indicia.

Perpende & multa extremi morbi accidentia, quæ quidam imminentis mortis sunt nuncij; quàm horrenda ea sunt, & quàm metuenda, intumescit pectus, vox rauescit, pedes intermoriuntur, genua frigescunt, nares extenuantur, & comprimuntur, caligant & morte cadunt oculi, facies instar mortui pallescit, & lingua non potest facere suum officium: quid multis? nimio dolore animæ iam iam à corpore decedentis, omnes sensus hebescunt: omnesque potentias suas homo amittit. Ante omnia verò summas incurrit angustias, anima, cùm iam quasi in acie stans, secum pugnat: & partim laborans, vt emigret: partim emigrationem reformidans, propter rationem paulò post reddendam agonizat. Sed & natura sua de corpore exire tergiuersatur: amat enim antiquum suum domicilium, iteráque formidabile iam iam ineundum exhorret. Tandem anima iam à corpore segregata, duæ restant tantùm viæ: vna, quà corpus deducitur ad sepulchrum: altera, quà anima ad iudicium suum, & sententiam accipiendam deportatur. Cogitandum itaque sedulò, quod in vnaquaque via tibi continget. Contemplare quale corpus futurum sit, & vbi terrarum tandem mansurum postquam ab anima fuerit desertum. Vide quæ nobilis & pretiosa illa vestis futura sit, quæ corpori præparabitur ad inuoluendum illud & quàm accelerabunt baiuli, vt fœtidum corpus citius domo exportetur. Perpende quomodo idem corpus in foueam proijciatur, & quæ circa sepulturam fiunt, quomodo campanæ pulsantur, quomodo circunstantes pro defuncto Deum precantur: quàm lugubres nænias in exequijs Ecclesia decantat: quomodo amici & consanguinei funus sequuntur: quanta tristitia incedunt: & vt vno verbo dicam, cuncta discute, quæ à morte ad sepulchrum vsque fiunt: in quo depositum corpus tuum relinquetur, & reuersis in ædes suas singulis, memoria tua paulò pòst, vna cum corpore intermorietur. Videamus etiam vlterius, quid pòst sepulturam poterit euenire. Fieri enim potest, vt post aliquot annos iuxta sepulcrum tuum nobile aliquod ædificium extruatur, & terra de sepulchro tuo effodiatur, qua murus aliquis excitetur: atque eo modo miserum corpus tuum iam in terram reuersum, quoad mundi figura perdurabit, vallum aut murus è terra congestus erit, quantumuis nobile, quantumuis illud antea fuerit generosum. Quot putas quæso corpora Regum atque Imperatorum ad istam indignitatem peruenerunt?

Extrema corporis & animæ luctæ.

Via morientium duæ.

Via corporis & quæ in ea.

Postquam verò corpus in sepulchro reliqueris, age, ad animam reuertere, & meditare quomodo illa per viam sibi ignotam ad regionem peregrinam, & planè exoticam deducetur: expecta paululum, & vide vbi ipsa tandem manebit: vbi & quomodo iudicabitur. Imaginare te nunc coram tribunali vt iudiceris præsentem astare, totamque curiam cœlestem adesse, vt quale in te iudicium feretur, audiat: vbi omnium acceptorum, expositorumque districta ratio exigetur. Ratio, inquam, de tota vita tua, de omnibus tuis facultatibus & bonis, de familia, de inspirationibus diuinis, de commoditatibus, quas habuisti ad bene viuendum: & super hæc omnia de sanguine Christi, & de vsu Sacramentorum eius. Vbi denique singuli iudicabuntur, & sententiam audituri sunt, prout rationem reddere, vel non reddere potuerunt.

Via animæ.

TRACTATVS TERTIVS.

DE MEMORIA MORTIS, & interitu hominis: in quo fusiùs tractantur ea, quæ superiùs breuiter sunt commemorata.

Vita hominis ita componenda vt cum morte conueniat.

MVLTIS de causis vtilis est de morte consideratio: præcipuè verò de tribus, quarum prima est: quod per illam consequimur veram sapientiam vitæ nostræ cursum bene disponendi, atque administrandi. Omnium etenim rerum (vt Philosophi dicunt) quæ ad certum aliquem finem præordinatæ sunt, media, quibus ad finem perducuntur, ab ipso fine desumuntur. Nam & agricolæ, & qui nauigant, & qui ædificant, finem propter quem tale quid agunt, semper respiciunt: & vt omnia media, totaque actio cum fine congruant, illique simillima sint, perpetuò curant.

Finis semper spectandus.

Inter vitæ verò nostræ fines vnus est, Mors ipsa: ad quam tendimus & properamus omnes. Vitam itaque suam bene & laudabiliter instituere volenti necesse est, vt oculos ab hoc termino & fine non auertat, vtque omnia quæ illi facienda incumbunt, ad hunc scopum dirigat. Vide quam pauper & nudus hinc sis abiturus, quàm rigidum atque inexorabile iudicium sis aditurus: & quàm sæpiùs in sepulchro iacens, pedibus conculcaberis, nec erit qui tui postea faciet mentionem, & secundùm finem seu terminum illum, omnes vitæ tuæ actiones semper instituantur, vt finis cum medijs, & media cum fine conueniant. Hoc modo Philosophus quidam vitam suam moderabatur, qui dicebat: se nudum de ventre matris suæ prodijsse, nudumque in sepulchrum reuersurum. Quare itaque, inquit, temporis iacturam faciam, vt diuitias congeram, si nudus in terram sim reuersurus? Proinde quia finem nostrum non consideramus, multi in nobis errores nascuntur, & praue opiniones. hinc præsumptio nostra, hinc superbia, hinc ambitio, hinc impietas, & mala consuetudo suam trahunt originem. hinc fit vt in vanum laboremus, aëra verberantes, & super arenam ædificantes. Si enim cogitaremus qui, & quales paulò pòst in sepulchro & funeris nostri domicilio apparebimus, vita nostra humilior esset, & ad salutem attentior. Quis enim tam demens, vt magna sibi arrogare velit, qui perpendit, se

dit, se præter cinerem & terram esse nihil? quis ventrem suum pro Deo habere velit, qui cogitat se paulò post escam vermibus obijciendum? Quis honores & dignitates ambire cupiat, qui animaduertit, quàm fragile sit fundamentum, cui honores omnes innituntur? quis per mare, per saxa, per ignes, cum vitæ suæ discrimine diuitias venari optet, qui scit se nihil istis diuitijs tandem sibi comparare posse, præter fossam septem pedum, in qua computrescet? Quid multis? interirent in nobis omnes peruersæ opiniones, & totam vitam in melius commutaremus, si ad hunc finem seu regulam actiones & occupationes nostras componeremus. Quam ob causam Philosophi & mundi huius Sapientes dicunt, vitam hominis nihil esse aliud, quàm perpetuam mortis memoriam. ea enim docet, quid in hoc mundo alicuius pretij est, quid nullius, quid appetendum, quid fugiendum, vt media non dissideant à fine, ad quam ipsa dirigi debebant. Hos Philosophos Brachmannos appellant, de quibus id etiam memoriæ proditum est, quod ita in huiusmodi considerationibus absorpti fuerint, vt etiam sepulcra iuxta ædium suarum ostia foderint, quò ingredientes & egredientes mortis suæ possent meminisse. Deus præcepit Hieremiæ Prophetæ vt descenderet in domum figuli, ibique cum ipso locuturum sese ait. Potuisset Deus alio loco cum Propheta sermocinari, sed placuit ei in figuli officina id facere, vt indicaret figlinam, seu domum in qua argilla & terra figuralis præparatur, id est, sepulchrum, veræ sapientiæ scholam esse, in qua Deus magna & mirabilia sua dogmata docere consueuit. In hac schola tradit Deus, quàm magnæ sunt mundi huius vanitates, carnisque huius miseriæ, & quàm breuis sit hæc vita. Imò docet hic hominem sui ipsius cognitionem, quæ summa est & suprema sapientia.

Vita hominis memoria mortis. Plato. S. Hieron. epist. ad Heliodorum. Climach. in lib. Scala Paradisi cap 9. Plin. lib. 6. cap. 17. Strab. lib. 15. Hierem 18. *Schola sapientiæ*

Descende itaque, ô homo, & cum summa spiritus attentione hanc figlinam ingredere, ibi enim videbis quis es, ex qua materia coagulatus es, in quam tandem resolueris, in quo pulchritudo carnis, mundique huius gloria consistit: discesque subitò contemnenda esse omnia hæc, quæ mundus maximi facit, quæque admirabundus adorat, propterea quod non eo modo hæc considerat, quo considerare debebat, solam enim faciem Iezabelis intuetur, quæ ex fenestra prospicit, & quam ipsa pulcherrimè stibio & purpurissa tinxit: caluariam verò, pedes & summas manus non intuetur, quas tamen voluit Deus, post cetera membra à canibus deuorata, integras reseruari: vt hoc exemplo doceret, mundum aliud intus esse, aliud foris apparere: vtque huius Iezabelis memores sic faciem huius mundi pulchellam aspiciamus, vt simul etiam ad extremitates eius, id est, extremas miserias, in quibus gloria & voluptas eius terminantur, oculos defigamus.

Peruersum mundi iudicium. 4 Reg. 9 Allegoria.

Conducit præterea mortis memoria, vt facilius peccata vitemus: *Memorare enim nouissima tua*, inquit Sapiens, *& in æternum non peccabis*. Magna profectò, res est & summis votis exoptanda, non peccare: ad id verò consequendum, nihil est vtilius mortis commemoratione. Refert B. ille Ioannes Climachus de quodam Monacho, qui cùm grauiter impugnaretur à pulchritudine cuiusdam fœminæ, quam in mundo conspexerat, iamque intellexisset eam vita defunctam esse, abijt ad sepulchrum illius, sudarium fodit illi cadaueri affricans, quoties autem deinceps dæmon reuersus, eum impuris istis cogitationibus infestabat, sudarium naribus admouebat dicens: ecce habes, ô infelix homo, quod amas: vide in quod amor & pulchritudo huius mundi conuertatur. Erat illud grande remedium ad peccatum euitandum: sed & non minus est, attenta mortis consideratio. nulla enim res est teste D. Gregorio, efficacior, ad prauos carnis appetitus comprimendos, consideratione illa, qua quis pensitat, quam ea ipsa caro post obitum putrida, fœtida, & purulenta futura est. Commemorat & idem B. Gregorius alterius Monachi exemplum: qui cùm mensam præparasset vt cibum caperet, & defatigatum laboribus corpus nonnihil refocillaret, subito in mortis memoriam incidit, quæ paulatim crescens, tantum horrorem, tantamque formidinem viro iusto incussit, vt discruciatus animo sublata mensa cibum sumere ab huiusmodi memoria, veluti à quodam iudice, prohibitus sit.

II. Vtilitas huius considerationis. Eccl. 7, 40. S. Ioan. Climachus. Vinc. mirabil. hist. lib 16. cap 97. S. Greg lib. 31. cap. 16 moralium. Hoc Climachi esse existimo q similie habet in gradu 6.

Animaduertat itaque homo, quantæ virtutis sit in anima viri iusti mortis memoria: dum etiam hominem ab actu licito & necessario faciat abstinere. Rerum in hoc seculo admirandarum non infima hæc est, vt cùm homines certò certius sciant se morituros, & in hora mortis tam strictam rationem reddituros, tamen tam securè & sine omni timore peccent. Si viator quispiam vnum tantùm denarium in crumena sua haberet, isque in hospitium veniens statim vbi accubuisset, capos, lepores, perdices, & delicatissima quæque edulia apponi sibi postularet, appositaque absque omni cura comederet, nec cogitaret paulò post horam adfuturam, qua symbolum hospes computabit pecuniamque postulabit, an non eum dementem, & non sani cerebri iudicares? Quæ ergo dementia eorum, qui iniquitatem tanquam aquam bibunt, omnibusque flagitijs sese exponunt, in ijs suauissimè dormientes, nec cogitantes paulò post è diuersorio migrandum, & rationem omnium vanitatum suarum reddendam esse? Simile.

Diabolo cupit memoriæ mortis tollere.

Verisimile itaque omninò est, diabolum omni conatu suo laborare, vt memoriam mortis in nobis interficiat, eamque à cordibus nostris tollat, dum non ignorat maximos eam in nobis fructus spirituales producere. Quod nisi verum sit, non video qui fieri possit, vt homo rei tam terribilis, tam facilè obliuisceretur, dum nemo sit, qui dubitet eam vel tandem semel pro foribus adfuturam. Si sola suspicio diuitias aut rem aliquam parui pretij amittendi hominem vigilare faciat, somnumque impediat, etiam si sanitati noceat: eia quæso cur istud non fit in morte considerandâ, quæ tamen & corpori & animæ omnium terribilium est terribilissima? Mirari satis non possum homines in rebus nihili, atque etiam ridiculis tam esse solicitos, in rebus verò tanti momenti tam esse securos, & negligentes.

III. Vtilitas.

Tertiò, memoria mortis non tantùm ad bene viuendum, sed ad bene & securè quoque moriendum conducit. Magnum adiumentum est in rebus arduis res præuisa & præmeditata. Saltus tantus, quantus mortis est, quo quis ex hoc seculo profilit in futurum, commodè fieri non potest, nisi quis longius retrocedat, vt impetuosior sit & prolixior accursus. Nec vlla res magni ponderis in actu primo bene succedit. Cum itaque mori res ardua sit, & bene mori res omnibus necessaria, oportet nos sæpius in hac vita mori, vt longo vsu edocti, vel tandem in hora mortis semel bene moriamur. Ij qui ad bellum profecturi sunt aliquando, tempore pacis sese in ijs rebus exercent, quas tempore belli sciunt fore sibi necessarias, ne tunc imparati inueniantur. Equus qui in hippodromo pro victoria curret, primùm probatur, & ad locum præordinatum educitur, quò & loco, & cursui assuescat: vt cùm tempus adest certaminis, equo isti cursus nec insolitus, nec locus sit incognitus. Cùm itaque stadium mortis nos omnes currere debeamus: nec *homo* sit *qui viuit, & non videbit mortem:* via vero hęc tam obscura sit & aspera, (quod omnibus notum est) & pericula in illa tam multifaria: vt si quis in hac via cadat, præceps in profun- Simile. Aliud. Psal 88, 49.

dum inferni ruat barathrum: consultissimè faciemus, si ante mortem hanc viam sæpius periclitemur, singulosque eius passus diligenter examinemus: sunt enim in singulis plurima consideranda.

Porrò non sufficere nobis debet, si diligenter consideraverimus quid foris in lecto, & circa lectum infirmi fiat: sed & post illam considerationem etiam animus noster circa illa occupari debet, quæ intùs in corde decumbentis aguntur.

QVAM INCERTA SIT MORTIS hora, deque cruciatibus atque doloribus animi, qui ex eo proueniunt, quod moriens ab omnibus rebus desiderabilibus auellitur & separatur.

VT igitur ab eo incipiamus, vnde certamen hoc initium sumit, memento mortem te inuasuram eo tempore, quò maximè securus eris, & minimè de illa cogitabis, vti quamplurimis ante nos euenit. *Dies Domini*, inquit Apostolus, *sicut fur in nocte ita veniet*, fur autem venire solet, quando homines minimè cogitant, & securi sunt, vt minori cum periculo furetur. Ita & sæpe fieri solet, vt cùm homo minus de morte solicitus est, iamque illius quasi oblitus, de futuris rebus cogitat, negotiaque multorum annorum atque dierum meditatur, mors subitò veniat, & filum omnis istius spei abrumpat, omneque consilium & propositum humanum vanum esse ostendat. vt adimpleatur id, quod quidam sanctissimus Rex olim dixit: *Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me; de manè vsque ad vesperam finies me.*

1. Thess. 5, 2.

Esa 38, 12.

Prima plaga, qua mors hominem ferire solet, est metus moriendi. Dura est homini vox hæc, Morieris. quam maximè oderunt illi, qui vitam hanc amant. Tam enim verbum hoc amarum est hominibus illis, vt etiam amici carnales sæpius hoc dissimulent, etiamsi illud vergat in præiudicium animæ morientis. Saul rex magnanimus erat & fortis, tamen postquam illi apparuit vmbra mortui Samuelis, dixissetque, quod in pugna caderet, & moreretur, adiungens, *cras autem tu & filij tui mecum eritis*, tantus super eum timor irruit, vt omnem fortitudinem suam amiserit, & tanquam mortuus in terram ceciderit. Quis igitur animus erit mundum tam tenerè diligenti, si quis simile huic nuncium attulerit? Huic confestim in mentem venit, quomodo in perpetuum ab hoc mundo excludi, & quasi exulare debebit, etiam ab ijs omnibus, quæ in hoc mundo delectabant. Videbit hic homo horam suam aduenisse, & auroram huius diei iam in ædibus suis præterisse: iam iamque relinquenda esse omnia, quæ in hoc seculo adamauit. Corpus semel tantùm moritur, cor verò tot mortes subit, quot sunt res amatæ, quas cogitat relinquendas esse. Nam inter hominem & omnia quæ in hoc mundo sunt, Mors gladium diuisionis interponet. Dens quò altius gingiuæ inhæret, eò magis dolet, cùm extrahitur. Cùm itaque cor hominis impij tam altas radices in rebus huius seculi egerit, quantas quæso querelas, cùm iam mors celeri pede fores pulset, iamque singulæ res amatæ sint relinquendæ, quantas dico super singulas earum querelas effundet? quantis cum lamentationibus à singulis auelletur? Tunc, tunc res illæ, quæ solent nobis esse solatio, erunt dolori: & quæ in miserijs nos solent recreare, tunc magis nos cruciabunt atque excernificabunt. Refert beatus Augustinus, cùm iam decreuisset mundum, omnesque eius voluptates deserere, visum sibi res singulas, quas amare solet, in conspectu suo astitisse, retinuisse eum, & vestem eius succussisse dicentes: Dimittisne nos? & à momento illo non erimus tecum vltra in æternum? Considera igitur quantus dolor erit homini carnali, in illa hora, quando res singulæ, quas tanto cum appetitu dilexit in hoc seculo, ob oculos versabuntur, iam iamque sentiet se omnibus his fore spoliandum: adeò vt volens nolens cogatur exclamare: Vale munde immunde: vale aër, vale sol, vale cælum, valete proles, vale coniunx, valete delitiæ, atque voluptates: non eritis amodò meæ, Valete: iam enim à vobis cum dolore diuellor, mors me separat à vobis: adest, adest mea mutatio, finiti sunt dies mei, & nunc omnibus rebus morior, atque omnia procul à me fugiunt. Itaque vale ô munde, hæreditates & possessiones meæ valete, amici, vxor, & filij mei valete: non enim amplius vos in hac mortali carne visurus sum.

Metus mortis.

1. Reg. 28, 19

Similis.

Aug. lib. 8 de cõfess. cap 11.

Lamentabilis vox morientis.

Post tam amaram diuisionem, alia mox ingruit prior illa multò amarior, magisque formidanda, animæ scilicet à corpore: inter quæ tam antiqua, & tot annis summo cum amore continuata est consociatio. Omnibus rebus Satan simplicem illum Iobum spoliârat, vita tantùm excepta: ideoque existimans fortunarum filiorumque amissionem nihil esse, si cum vita comparetur, ait: *Pellem pro pelle, & omnia quæ possidet homo, dabit pro anima*, seu vita, *sua*. Est enim ea res, quam homo naturali inclinatione maximè diligit, & cuius separationem odit, doletque maximè. Si viatores duo qui exiguo aliquo tempore itineris socij fuêre, non sine dolore & tristitia à se inuicem discedant: quanta quæso erit animi ægritudo, quanta suspiria, quanti gemitus ex alto trahentur pectore, quando duo tales amici & socij, quales sunt corpus & anima separabuntur? qui simul ex vtero matris progressi, simul cohabitârunt, simul laborârunt, simul omnia vsque ad hanc horam fecerunt, quæ ad conseruationem vtriusque pertinebant: ideoque tot mutuis beneficijs sibi inuicem sunt deuincti? Quantus erit dolor, quæ angustia, quis cruciatus tunc, quando spiritus dicet carni, sine te posthac me solum videbo: & cùm caro dicet spiritui, & quid ego ero sine te, cum omne quod in me fuit hactenus à te, in me solet deriuari?

Separatio animæ & corporis.

Iob 2, 4.

Similitudo.

DE HORRORE SEPVLTVRAE.

POST hæc subitò in aliam cogitationem rapitur homo, nimirum vbi cadauer post animæ discessum manebit: videtque sortem optimam quæ cadauer manet aliam non esse, quàm sepulchrum angustum, & parum. Miratur autem sortem tam vilem: cùm enim recordatur quanto in honore fuerit, & quàm fastuosè, quamque delicatè corpus suum habuerit antea: nunc verò considerat in quàm abiectum angulum illud abijcietur, in summam admirationem venit. Perpende igitur, ô homo, quàm angusta domus illa sit futura, quæ tibi in terræ visceribus præparabitur: quàm tenebrosa, quàm fœtida, quot vermes in ea reperiuntur, quot ossa, quot crania defunctorum: quàm denique horribilis sit homini viuo vel solus huius domus aspectus? Finge te videre corpus hominis alicuius, quod tam delicatè nutriebatur: ventrem, qui instar Dei colebatur: os voluptatis, cuius appetitui nec mare, nec terra sufficiebat: carnem, pro qua exornanda aurum & holosericum texebatur: cui mollissimi olorinis plumulis lectuli substernebantur, in tam fœtidam & obscœnam foueam præcipitari, pedibus hoitinarij hominis abiectissimi conculcari, & à vermibus corrodi, quodque corpus idem non erit posthac aliud, quàm si cadauer equi alicuius in agro iaceret, ob cuius fœtorem transeuntes nares obstruunt, iterque suum accelerant, vt pestilentissimum odorem euadant.

Domus humana post mortem.

Simile.

dant. Si itaque comparationem instituas, videasque post lectum mollem duram terram, post pretiosissimas vestes pulueres sepulchri, post suauissimos odores putredinem & fœtorem, post delicatissimos cibos famulosque plurimos tot sequi vermes, qui corpus tuum absument, fieri non potest (si modò iudicij aut rationis expers non sis) quin summoperè admireberis, tam nobilem naturam, ad tam abiectam deuenisse sortem, & tam subitò mutatam esse, tamque dissimilem factam ab ea, quæ erat, cùm adhuc inter viuos numerabatur.

Ecclæ 9.

Sapientes non mirantur rem vllam, & quotidianus vsus rerum etiam maximarum admirationem tollit: nihilominus sapientissimus quidam miseriam hanc, licet quotidiano vsu tritam, admiratur, cùm ait: *Vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* Quod si corpus post emigrationem animæ, in rem alicuius pretij vel vtilitatis transformaretur, putat Sapiens homines ex eo consolationem aliquam percepturos: ceterum id summa admiratione dignum esse, tam nobilem creaturam, post mortem vilissimis etiam bestijs fore abominabiliorem. Hæc est illa magna miseria, quam beatus Iob deplorans, ait: *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primùm plantatum est. Homo verò cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est?*

Eccl. 3, 19.

Iob 14, 7.

Sine dubio magnum tributum est filijs Adæ, propter peccatum indictum. Optimè intellexit æternus ille iudex, pœnitentiam, quam homini iniunxit, cùm diceret, *Cinis es, & in cinerem reuerteris.*

Genes 3.

Quæ hactenus dicta sunt, nondum maximam timoris causam adferre possunt, sed si quis oculos in futuræ vitæ pericula conijciat, incipiatque considerare, quid post hanc vitam futurum sit, is toto corpore contremiscet. Quemadmodum enim ij, qui in mediterraneis locis longè à littoribus dissitis nati & educati sunt, si quando in altum maris nauigantes, tempestate abripiantur, ita vt nihil præter cælum & aquam videant, ingenti timore afficiuntur, eò quòd mari & nauigationibus assueti non sunt: ita homo cùm temporis æternitatem considerat, quæ post obitum sequetur, ignotasque regiones, & ab homine viuo nunquam inuentas aut lustratas, cogitatione percurrat, in quas mox deportandus est, iam iam ambulare incipiens, non potest non horrore contremiscere: cumque gloriam & pœnam æternam meditatur, ad quarum alteram vel assumetur, vel condemnabitur, videtque lignum in quam partem cadit in ea perpetuò mansurum, dubitet autem an in Austrum, an in Aquilonem illud ruiturum sit, quomodo non in stuporem versus extra se feretur? Ægrotabat Rex Syriæ Benedad, tantaque ægritudine animi cruciabatur, ex eo, quòd nesciret vtrum moreretur an conualesceret, vt Hazaëlem exercitus sui Imperatorem, habentem secum munera & omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum, ad Prophetam Heliseum miserit, vt oraret eum supplex, ne recusaret Regem ex hac incertitudine & ambiguitate eximere, eique dicere, si fanari posset ab hac sua infirmitate? Si igitur homo tam solicitus sit, de corporali hac vita, quæ diu consistere non potest: quantò maiori solicitudine angi debet sapiens, vbi se in eo statu positum viderit, vt vere dicere possit: post duas horas alterum expecto, aut gloriam cælestem, aut æternos inferni cruciatus: & incertus sum, vtrum horum sum acceptu-

Horror ignotæ regionis.

Similitudo.

Eccles. 11.

4 Reg 8.

rus. Quod quæso martyrium huic angustiæ par esse potest? Dic mihi si Rex quispiam in Turcia captus esset, eiusque legati eum redemptum aduenirent, infideles autem illi atque barbari decernerent, negotium illud ad sortes reuocandum esse; & si sors bona exiret, Rex persoluto lytro liberaretur, cumque Legatis ad suos reuerteretur: sin mala & infausta extraheretur, sine mora in ignem iam præparatum, ad cineres atque fauillas vsque exurendus conijceretur. dic mihi, si eò ventum esset, vt sortibus in hydriam iniectis, manus extracturi os hydriæ ingrederentur, omniumque oculi in manum illam habitarent, vt videant quæ sors exiret: ipse etiam Rex præsens adesset, sortemque dubiam expectaret, quomodo spiritus eius horreret? quas curas mente versaret? quàm solicitus & anxius esset? quàm paratus & promptus ad vouendum, offerendumque Deo quæcunque haberet, vt saltem ab hac miseria posset liberari? Sed quid huius Regis conditio, ad illam, de qua loquimur? vmbra tantùm est, imago tantùm est, si eum hominis moribundi anxietate conferatur. Quantò maior est gloria cœlestis regno aliquo terrestri? quantò ardentior ignis infernalis, igne ab infidelibus Regi illi præparato? quantò denique magis cruciat hæc incertitudo, dubiusque rei euentus, illo à quo salus Regis dependebat? à dextris enim astabunt Angeli expectantes, vt eum qui in sortem bonam venit, in cœlum assumant: à sinistris ringentes, fremensque cacodæmones tumultuabuntur, prompti vt condemnatum in sulphureos puteos, focosque infernales detrudant; & nemo est qui scit vtram sortem sit habiturus. Meditare itaque quæ mens, quis animus tibi erit in ista hora? quàm attonitus? quàm sollicitus? quàm anxius? quàm humilis & submissus in oculis illius stabis, qui te solus ex hoc periculo poterit eximere? Persuadeo sanè mihi, non posse in hoc mundo linguam inueniri tam disertam, quæ posset huius rei veritatem dignè satis explicare.

Similitudo insignis & obseruãda.

QVOMODO IN HORA MORTIS errores & cæcitates vitæ peractæ cognoscemus, & de timore reddendæ rationis.

POST hunc terrorem sequitur alius, non minor, præsertim ijs qui impiè vixerunt: qui ex eo nascetur, quòd tunc seriùs & tardius cognoscent, quomodo in vita sua præterita errauerint, atque decepti fuerint. O quanto tunc impij pudore suffundentur, quando dolores infirmitatis oculos ipsis aperient, quos hactenus peccatorum voluptates occluserant. Tunc enim, tunc tandem agnoscent, quàm falsi sunt Dij illi, quos tam studiosè coluerunt, & quam vana sunt bona illa, quæ tanto cum appetitu insectati sunt: tunc, tunc serò discent, sese in via, in qua requiem sperabant inueniri posse, defatigatos esse, & à via veritatis aberrasse.

Misit olim Rex Syriæ equos, & currus, & robur exercitus ad Heliseum, vt caperent eum; Orauitque Propheta Dominum, & percussit illos Dominus cæcitate, iuxta verbum Helisei. Dixit autem ad eos Heliseus, *Non est hæc via, neque ista est ciuitas: sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quæritis.* Duxit autem eos in Samariam, vrbem hostilem. *Cumque ingressi essent Samariam dixit Heliseus, Domine aperi oculos eorum, vt videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ, & in medio inimicorum suorum.* Dic mihi quæso, quando Syrorum istorum oculi aperti fuerunt, viderunt que in quanta pericula (dum inuenisse sese existimant, quem quærebant) venissent, quantus terror & tremor illos inuasit? quantus horror apprehendit?

4. Reg. 6, 19. Allegoria.

Quæ similitudo magis ad viuum vitæ nostræ curriculum exprimere posset? Quotquot sumus in hoc seculo, post desideria atque appetitus nostros currimus, eaque insectamur. Quidam aurum quærunt, quidam honores, alij voluptates & delicias, nonnulli magistratus dignitatesque ambiunt, & vnusquisque arbitratur se optimè ambulare, & viam regiam ingredi: si autem inuenerit, quod quærit, putat se paradysum terrestrem, optatamque requiem habiturum: sed postquam serus aduenerit vesper, atque iam iam reddenda erit ratio, manifestissimè nostros errores agnoscemus, videbimusque nos in via, in qua requiem quærebamus, nihil nisi tribulationes & interitum inuenisse. O infelices nos homines, quàm cœci nunc ambulamus, & quanta tunc erit oculorum nostrorum acies? Ah quàm diuersa tunc erunt iudicia nostra, ab his in quibus nunc viuimus, & quàm longè aliter tunc de rebus huius seculi sentiemus? Tunc miserrima infelicissimaque esse omnia, quæ in hoc mundo sunt, iudicabimus: tunc luce meridiana clarius videbimus, quàm falsæ sunt mundi diuitiæ, quàm vana illius spes, quàm deuiæ illius viæ, quàm mendaces illius promissiones, quàm amaræ eius voluptates, & quàm breuis illius Maiestas. Tunc agnoscemus licet seriùs mundi diuitias nihil aliud fuisse, præter spinas, & voluptates eius, nihil præter venenum. Et quid verbis opus est? tanquam capti oculis, & ignari viæ nunc pergimus, & sub vesperem nosipsos in Samaria ductos inueniemus, in vinculis iudicij diuini, in medio inimicorum nostrorum. O quanta tunc in confusione stabunt impij & peccatores, quàm turpiter elusos & deceptos se fatebuntur? Quàm verè ibi quilibet dicere poterit: Væ mihi misero, quid prosunt mihi modò præteritæ voluptates, nisi quod iram Iudicis magis in me accendant, qui sententiam contra me pronunciabit? Gaudia & voluptates transierunt, nihil ex ijs permansit, ne quidem memoria illorum, quæ me potest refocillare: facta sunt quasi non fuissent, imò tanquam spinæ cor meum lancinantes, causam meam dubiam reddentes, animam meam cruciantes, & fortasis in sempiternum cruciaturæ. Et hæc omnia lætitia mea quam mihi ex omnibus illecebris thesaurizaui: hæc voluptas mea, quæ ex omnibus delitijs mihi reliqua permansit, voluptas nunc formam pristinam amisit, fuit, nec erit amplius & fortasis pro exigua voluptate, quæ momentanea fuit, nunc mihi perpetua carnificina præparatur. Quæ cæcitas nunc maior esse potuisset? heu quanto melius fuisset mihi, si homo natus non fuissem, quàm quod ita Iudicem meum offendi, quare nunc in tanto mœrore versor? Quanto mitiùs mecum actum fuisset, si terra dehiscens me prius absorpsisset, quàm quod eum tam procaciter irritaui? ô infelix dies: ô infortunata hora, in qua te, ô Domine mi, offendi. Quomodo tunc potui huius horæ non meminisse? quomodo huius iudicij immemor esse potui? quomodo oculi mei tam vano huius mundi splendore fascinati sunt? Hæc est via quam nunc ingredi compellor: in hac omnis mundi gloria perit atque terminatur. tam vile est, quidquid in mundo magni æstimatur.

Querela peccatoris in illa hora.

Post anxietatem hanc sequitur adhuc alia, quæ magnitudine superat etiam præcedentes: metus nimirum reddendæ rationis, quæ ab homine exigetur. Præterquam enim quòd res maximè formidanda est, intrare cum Deo in iudicium, etiam dæmones hanc formidinem augent, & qui antea peccatorum grauitatem, idque spe misericordiæ diuinæ, leuem reddebant, nunc vice versa inculcant strictum Dei iudicium, magnitudinem iustitiæ illius, quam tantam esse demonstrant, vt proprio suo filio propter aliorum peccata non pepercerit. *Id si in viridi ligno factum fuerit*, vt dicitur, *in arido quid fiet?* Ad hanc memoriam peccator extemplò contremiscet, secumque hoc modo lamentabitur: Væ mihi infelici, Si verum sit quod in scripturis dicitur, quia *Deus reddet vnicuique secundum opera sua*, ego qui tot scelera, tot flagitia perpetraui, quam mercedem expectabo? quod premium mihi dabitur? Si Euangelium testatur arborem secundùm fructus suos iudicandam, quod iudicium manet me infelicem, qui tot prauos fructus protuli? Si Propheta regius dicat, neminem posse ascendere in montem Domini, nisi qui *innocens est manibus, & corde mundo*: quo deducar ego, cuius manus nocentes sunt, & sanguine plenæ? cuius cor quouis volutabro sordidius est, & obscœnius? Si Sapiens affirmet quod eius *qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio erit execrabilis*, quam mercedem reportabit is, qui aures suas tam arctè occlusit diuinis monitis, & tam latè aperuit huius seculi mendacijs, & vanitatibus? Quapropter, ô Domine & Deus, ô pater mi, qua fronte coram te apparebo, quid à te petere audebo, cùm tu toties me vocaueris, & ego te audire noluerim? Quomodo audebo à te postulare, vt me familiæ tuæ asscribas, me in domum tuam recipias, cùm ego te toties ianuam meam pulsantem, meque vocantem proteruè semper repuli, faciemque meam à te auerti? quomodo in hora hac, in qua tui mihi opera est necessaria, te interpellabo, cùm te toties meam operam requirentem, meque interpellantem procaciter contempsi, nec me vnquam inuenisti? Quo titulo, aut qua honestatis specie, in fine dierum meorum petam à te cœlum tuum, qui omnibus diebus vitæ meæ in castris inimicorum tuorum militaui? O Domine tunc, tunc dicere poteris; Mundo & diabolo inseruisti, vade & stipendium ab illis postula. Respondit Heliseus Propheta Regi Ioram, filio Achab, qui, cùm tota vita sua Idola coluisset, in periculo constitutus, ad Prophetam Dei venit, ab eo petens auxilium, *quid mihi & tibi est. Vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ, & adiuuent te.* Omnes nos hunc impium Regem imitamur in vita, & in morte: in vita seruimus mundo, & in morte ad Deum clamamus, & quod aliud responsum expectamus tunc à Deo, quam quod idem per Prophetam dedit Regi huic flagitioso? Quid mihi & tibi, ô homo, postquam non colueris me? Vade ad consiliarios tuos quorum monita secutus es, pete ab illis, vt obsequij, & seruitij tui mercedem tibi reddant: *Cum clamaueris*, inquit Deus per Esaiam, *liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura.* Tunc homo spatium pœnitentiæ petit sibique persuadet si spatium hoc impetrare posset, nullum esset pœnitentiæ genus tam arduum quod graue nimis illi futurum esset, aut quod subire reformidaret. Velle se vitam quauis anachoretica ducere aufteriorem. Cùm verò sentit nullum pœnitendi tempus sibi reliquum esse, videtque oportunitates maximas, quas antea habuit, pœnitendi, vitamque in melius commutandi, & se ad initans certamen præparandi, quæ omnes frustrà & sine fructu elapsæ sunt, vehementer dolet, lamentatur, & plangit: deflet tantam temporis iacturam, fateturque se tantis tormentis dignum, dum ea quæ habuit, tam negligenter custodiuit, & tam nequiter prodegit. Heu quot sumus hodie, qui simili fallacia eludimur? qui pretiosissimum tempus nobis à Deo datum in vanitatibus, & iocis, & huius mundi solatijs consumimus? & postquam illud nobis maximè est necessarium, filum abrumpitur, tempus perit, & horæ deficiunt. Quare idem nobis euenit, quod prætextatis affectis, pedissequis, & alijs ministris aulicis, quibus dari solet candela, qua cum cubitum eant, illi autem iocando ludendoque eam consumunt, & tandem in tenebris se se toro componere coguntur.

Metus reddendæ rationis.

Rom. 2, 6.

Matt. 3. & 7.

Psalm. 23, 4.

Prou. 28, 9.

4. Reg. 3, 13.

Esa. 57, 13.

Simile.

DE

DE EXTREMA VNCTIONE & mortis agone.

POstquam infirmitas tunc morti proxima est, mater communis omnium Ecclesia, ad auxilium suorum properat filiorum: eos orationibus & Sacramẽtis omnibusque quibus potest remedijs, adiuuans: porrò quia periculum graue est (tunc enim instat hora, in qua determinabitur, quod perpetuo est duraturum) omnium Sanctorum implorat suffragia, vt in hoc periculo infirmo succurrant. Quid enim aliud est Litania, quæ in articulo mortis super ægrotum ex præcepto Ecclesiæ recitatur, quàm argumentum, quod Ecclesia tanquam misericors mater solicita est & anxia propter periculum filij sui, & omnia cœlorum ostia pulsat, ad omnesque Sanctos clamat, eorum intercessiones atque orationes implorans in conspectu Dei, pro salute filij periclitantis? Postea Sacerdos sensus omnes, & præcipua infirmi mẽbra vngit oleo Sancto, Deumque precatur, vt omnia & singula quæ peruersè sensibus & membris istis perpetrauit, ægroto ignoscat. Inungens oculos dicit: per istam Sanctam vnctionem, & per suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti, per illicitum visum. Et sic ordine vngit singula membra. Si infelix peccator oculis, lingua, aut alio aliquo sensu aut membro inconsiderate deliquit, atque ea delicta hoc modo ei in memoriam reuocentur, videatque exiguos, ex istis vanitatibus perceptos fructus & sentiat conscientiæ ex ijsdem stimulos relictos, qui posset non summo cruciatu interno concuti, & dolorum incẽdio torreri? Quid non daret in hac necessitate homo, si redimere posset oculorum delicta, & impetrare, vt nunquam oculos à terra eleuasset, nunquem os ad aliquod verbum pronunciandũ aperuisset? Exemplò adest morietis agonia, mortis vitæque duellum, quod certamen omnium maximum est eorum, quæ in hac vita possunt ingruere: cũ candela accenditur, & quidquid ad funeris pompam pertinet, præparatur, diciturque infirmo horam mortis adesse, necesse esse vt se Deo commendet, eiusque matrem benedictam inuocet, quæ in hora ista solet inuocantibus se succurrere: Similiter cùm in infirmi auribus sonant ploratus, & eiulatus filiorum & filiarum, quos deseret, & infelicis coniugis, quæ incipit damna nouæ viduitatis solitudinisque præsentiscere, & quasi experiri: cum denique anima sese à corpore incipit separare, atque eo ipso tempore separationis singula membra nouum dolorem sentire. Tunc, tunc adest hora illa, in qua curæ & solicitudines animæ renouãtur: tunc inter sese certant, non tam causa exitus animæ à corpore quam peccatorum multitudinis & rationis reddendæ, quæ mox exigetur. Tunc horrent atque tremunt etiam viri fortes, & sanctitate insignes. Cùm S. Hilarion in hoc termino positus esset, incepit terrore concuti & contremiscere, cumque anima exire formidaret, seipsum corroborauit, & ait: Egredere, quid times? egredere anima, quid dubitas? Septuaginta propè annis seruisti Christo & mortem times? Si ille mori metuerit, qui tot annis Christo seruierat, quid futurum est de illo, qui fortasse totidem annos Christum peccatis suis offendit? Quò vadet? ad quem clamabit? quid consilij capiet? vtinam intelligerent homines, quàm late dolores & angustiæ illæ sese diffundant.

Agon moriẽtis.

Hieron. in vita Hilarionis.

Dic mihi quæso, quomodo Isaacum Patriarcham affectum fuisse putas, cùm coram patre, manibus pedibusque ligatis super lignum iaceret, iam iam holocaustum Deo offerendus? Videbat supra caput suum ensem patris radiare, sub pedibus flammas videbat relucere: famuli qui potuissent illi succurrere, ad pedem montis stabant, horum omnium ignari: ipse verò ligatus erat manibus & pedibus, ita vt non potuerit sese defendere, aut fuga periculum euadere. Quò putas sanctissimum iuuenem tunc animo fuisse, cùm se in tantis angustijs constitutum videret? In multò maiores angustias ventura est anima hominis iniusti in illa hora: in nullam etenim partem oculos suos flectere poterit, in qua non inueniet causas horroris & doloris. Si sursum oculos tollat, videbit imminentem sibi, minitantemque gladium iustitiæ diuinæ: si deorsum, sepulchrum apertum & se expectans: si introrsum, inueniet conscientiam inquinatã, & inquietum Syndereſis remorsum. Si à dextris & à sinistris circumspiciat, cernet Angelos & Dæmones paratos, & solicitè expectantes, cui anima præda dabitur. Si retrospiciat, videbit à dorso quomodo famuli, parentes, & bona vitæ huius in hoc sæculo relinquantur, & periclitem iuuare non possunt. ille etenim solus abire compelletur, cetera omnia in hoc mundo manebunt.

Exemplum Isaaci immolandi. Gen. 22.

Quid multis? si semetipsum homo diligenter tunc intueatur, deprehendet se in summa anxietate constitutum, & si posset, optaret à seipso fugere, & ab aspectu propriæ cõscientiæ semet occultare. Exire de corpore est dolor intolerabilis: manere in corpore est impossibile, exitum differre nõ conceditur. Quod præteritum est, videtur illi instar flatus ex ore hominis progredientis, futurum verò (vti reuera est) arbitratur fore infinitum. Quid hic aget anima misella in tantis angustijs derelicta? O dementia & cæcitas filiorum Adam, qui nolunt suæ saluti prouidere, & sese pacis tempore ad hoc duellum præpare.

DE FOEDITATE CADAVERIS, DE sepultura, de exitu animæ, & quæ sors illius, postquam è corpore egressa est.

TAndem finito hoc longo duello anima diuortium à carne facit, & ad antiquã suam conditionem reuertitur: corpus verò omnibus, dotibus suis spoliatur. Videamus itaque quæ sors vtrique obueniet, & primum considera, quid sit corpus anima cassum. Quid pretiosius existimatur corpore Principis alicuius dum viuit? & quid vilius eodem corpore vita priuato? Vbi tunc est illius antiqua Maiestas? vbi nobilitas? vbi auctoritas? vbi tunc, qui ad nominis illius mentionẽ tremere solebãt? vbi, qui nõ nisi genu flexo, & summa cum reuerẽtia cum eo loquebantur? Quã subitò perit omnis illa pompa, instar somni, aut comediæ, cuius actio vna hora finitur? Tunc extẽplo funus apparatur, quod pretiosissimum est honorarij, quod ex hac vita defunctus secum potest auferre, & quo solo ditissimis quoque debitum omne potest exolui. Optandum esset quòd homines auari & sordidi horum non essent immemores, quorum amentiam ridet Propheta, dicens: *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cùm interierit, nõ sumet omnia secum, neque descendet cum eo gloria eius.* Psal. 48, 17.

Subitò fossa defuncto septem aut octo pedum longa paratur, etiamsi vel ipse Magnus esset Alexander, quem totus vix orbis terrarum capiebat: & angusto hoc palatio debet cadauer esse contentum: in illa perpetuam domum est habiturum: in illa perpetuam accipiet mansionem in societate aliorum defunctorũ: in illa exiliunt vermes, parati ad cadauer excipiendum: in illam tandem cadauer tristo linteamini inuolutum vespillones conjciunt, facie sudario tecta, & pedibus, manibusque frustra ligatis: securi etenim sunt, qui defunctum ligant, quod ex hoc carcere non fugiet, aut quod se contra violentiam alterius non

defendet. Ibi excipit terram in gremium suum: ibi super ossa mortuorum requiescit: puluerem cinerésque maiorum suorum amplectitur, qui ipsum inuitant ad mensam, & in domum omnibus viuentibus communem.

Postremus quoque honor quo defunctum afficere potest hic mundus in hora illa est, vt in terræ viscera illum deponat, & terra multa cooperiat, ne sentiant prætereuntes fœtorem, aut deformitatem illius videant. Maius beneficium illi amici præstare non possunt, quam vt pugillum terræ cadaueri superinijcientes, eum honorent. Solent Christiani hac vti ceremonia, vt Deus aliquando simile sepulturæ beneficium, ipsis quoque permitteret. Quòd verò maius infelicitatis nostræ potest esse argumentum, quàm videre hominem temporis curriculo eò miseriarum deuenire, vt tam vile beneficium, tanto ambiat cum desiderio? ô auaritia viuentium, ô miseria defunctorum, quifit vt homines tam multas sitiant opes, in breui hac vita, cum tam exiguis rebus sint contenti in hora mortis?

Confestim vespillones & libitinarij arripiunt palas, ligones, & sarcula: incipiunt ossa super ossa inijcere, & terram pedibus inculcare, vt sepulchrum bene obstruatur. Atque ita facies illa speciosissima, cuius summa solet haberi ratio, quæ à Solis & venti iniuria solet solicitè defendi, pedibus nunc agrestis vespillonis substernitur: qui nulla cura tangitur, si frontem soleis calcet, si cranium comminuat, si cerebrum profundat, si oculos lædat, si nasum præmat, saltem id curat, vt corpus bene aggeretur.

Nobilis alicuius corpus, qui dum viueret, vix aëra contingere audebat, qui ne pilum capitis in vestimenta decidentem perferre potuit, quem non statim excusserit, nunc in terram abijcitur, & cumulo rerum immundissimarum, fœtidissimarumque tegitur. alius verò cuius viuentis vestimenta muscum, exotici muris stercora, & zibetum redolebant, hic mortuus luto & vermibus cooperitur. Hic finis est venustatis & omnis gloriæ mundi huius.

Postquam hoc modo cadauer in sepulchro iacet, amici illud in domo hac angusta, in terra obliuionis, & in tenebroso carcere relinquunt, in quo perpetuò solùm permanebit, & computrescet. O munde vbi est gloria tua? ô diuitiæ, vbi nunc potentiæ vestræ? ô amici, vbi me reliquistis? Quomodo tam antiqua familiaritas tam subitò disparuit? quomodo rota tantæ felicitatis tam repentè versa, ruptaque disilijt? 4. Reg. 9. 32. Qui videbant Reginam Iezabelem iusto Dei iudicio à canibus deuoratam, & quod nihil eius pulchritudinis supereesset præter cranium, & manuum, pedumque extremitates, quam paulò antè in tanta gloria cognórant, & nunc in tali figura videbant, mirabantur tam repentinam mutationem, & dicebant, interrogantes; *Hæccine est illa Iezabel?* quotquot isthac præteribant, eamque à canibus deuoratam intuebantur, admirabundi repetebant, *Hæccine est illa Iezabel?* Hæccine est magna illa regina & domina in Israel? Hæccine potens illa heroina, quæ seipsam illustrem reddidit opibus suorum subditorum, & sanguine Magnatum? Possuntne igitur potentes huius seculi per mortem ad tam vilem & abiectum statum adduci?

Descende itaque animo & spiritu, frater mi, in sepulchra Principum & Magnatum quos audisti aliquando nominari, & quos ipse cognouisti in hoc mundo, & considera diligenter abominabilem & horribilem formam, quam habent putrefacti, & vide quam iustam habeas rationem exclamandi simili cum admiratione: *Hæccine est illa Iezabel?* hæccine est illa venusta facies, quam ego noui & vidi viuã? hine illi sunt oculi ardentes? hæccine lingua tam facunda? hoccine corpus tam comptum & ornatum? Siccine sceptrum & corona terminantur? Hæccine finis & qualitas gloriæ mundi huius?

* D. Augustinus è Tyberinis ostijs à Pontiano Præfecto Romam cum matre ductus, ad intuendum diligentius magnifica ædificia, inter alia se vidisse scribit, cadauer Cæsaris in sepulchro: & vidi, inquit, q, esset omnibò liuido colore ornatum, putredine circundatum: prospexi ventrem eius disruptum, & vermium caterua per ipsum transeuntes. Duo quoque famelici bufones in foueis oculorum eius pascebantur: crines eius non vltra adhærebant capiti: Dentes eius apparebant labeis consumptis: & reuelatum erat narium eius fundamentum. Et intuens matrem charissimam, dixi: Heu mater, vbi nunc est Cæsaris præclarum corpus? vbi diuitiarum eius magnitudo? vbi caterua Baronum & Nobilium, vbi acies militũ, vbi apparatus delitiarum? vbi canes venatici, vbi veloces equi? vbi cantantes aues, vbi thalamus pictus, vbi lectus eburneus, & regalis thronus? vbi mutatoria vestimentorum, vbi capilli solares, vbi facies decora? Te dudum verebantur homines; te timebant Principes; te colebant vrbes; te metuebant omnes. Vbi nunc quæso sunt hæc omnia? quò abijt tua magnificentia? Et respondit mater pietate plena: Fili, sibi pariter defecerunt omnia, quando defecit spiritus eius, & eum in sepulchro trium brahiorum reliquerunt, cum fœtore & putredine. Hactenus ille. Aug. serm. 28. ad fratres in Eremo.

O quoties, inquit Sapiens quidam, sepulchra mortuorum ingredior, vbi cadauera requiescunt, admirabundus & attonitus ex ijs quæ in his video: verto meos oculos ad formas circumiacentes, ossa attingo, manus complico, & labra mordeo, & mihi ipsi dico: Aspice, pedes isti quanta itinera malè confecere? manus istæ quàm multas opes congregarunt, & iniustè detinuerunt? oculi isti, quam multas vanitates viderunt? fauces istæ, & gula ista quãtas delitias absumpsit? ossa illa capitis quot turres in vento ædificarunt? puluis iste quantis in voluptatibus fuit enutritus, & pellis ista tam immunda, quot flagitia & crimina perpetrauit, ob quæ fortasis nunc anima plectitur, & in æternum plectetur: Cumque totus obstupefactus ex isto loco exiero, & aliqui homines mihi occurrant, eos intueor, mecumque cogito, & me, & illos in similem deformitatem atque abominationem breui mutandos. O me miserum, ad quid mihi diuitiæ & opes, si nudus hinc abire cogar? quorsum tanta venustas? tot ornamenta, cùm paulò post tam deformis apparebo? in quem finem tot voluptates? tam splendidæ dapes? tot delitiæ? cùm posteà vermibus esca sim obijciendus?

Relinquamus nunc corpus in sepulchro, & consideremus viam, per quam anima festinat in nouum orbem, vbi tanquam in nouo hemispherio, nouum est cælum, terra noua, alia vita, alius modus cognoscendi & considerandi. Quare cùm iam anima è corpore emigrauerit, in hanc nouam regionem proficiscitur, in quam viuentes nunquam venêre, plenam horroris & vmbræ mortis. Quid iam nouus peregrinus in hac exotica regione faciet, si in hoc seculo defensionem & custodiam Angelorum non meruerit? O anima mea, inquit D. Bernardus, qualis erit dies illa, in qua sola ad ignotam tibi regionem illam proficiscéris, vbi in itinere tam metuenda & horribilia monstra tibi occurrent, teque adorientur? quis tui curam geret? quis te defendet? quis te à leonibus istis fame & rabie furentibus, & ad deuorandum te paratis liberabit? *Anima ex gr. a studio corporis emigrantis stor.* Bern. ser. de diuersis qui incipit. *Dignum valde est.*

Hæc via profectò admodum est metuenda, sed metuendum multò magis est iudicium, quod ibi exercebitur. Quis eloqui poterit, quam districtum erit illud iudicium: quàm iustus erit ille Iudex quam soliciti

liciti & expediti accusatores: quàm pauci defensores, quam stricta ratio: & quàm longus erit vitæ nostræ processus? *Et si iustus*, teste D. Petro, *vix saluabitur, impius & peccator vbi parebit?* Est autem res notatu dignissima, quod in illa tam magna necessitate (cùm meritò bona, quę in hoc sęculo plurimum amauimus, pro quibus acquirendis plurimum desudauimus, nobis iam plurimum consolationis & adiumenti afferre deberent) hæc bona temporalia non tantum nullam nobis opem ferent, sed insuper plurimum nos affligent. Ornamenta, quæ Absoloni maximo decori fuerunt, erant eius capilli, qui tamen iusto Dei iudicio postea mortem ipsi, atque interitum attullêre. Simile iudicium peccatoribus in morte præparatur, vt scilicet res eę, quas in hac vita potissimùm amauerũt, & ob quas Deum maximè offenderunt, in illa hora causam illorum maximè dubiam & ancipitem redituræ sint, maximaque tormenta allaturæ.

1. Pet. 4, 18.

Bona temporalia nobis non solatio, sed miseriarum erunt afflictioni.

2. Reg. 14, & 18.

Illic miserę proles, quas per fas & nefas ditauimus: ibi mala fœmina, cuius amore violauimus legem Domini: ibi facultates, honores & voluptates, quæ sicut idola coluimus, nunc carnifices nostri, & crudeles erunt tortores. Ibi Dominus iudicabit omnia idola Ægypti, & faciet, vt eæ ipsæ res, quæ nos solent oblectare, & in quibus omnis nostra gloria & maiestas consistebat, futuræ sint causæ, atque occasiones nostræ perditionis. Cum autem pœna diuini iudicij par nostris criminibus futura sit, quis eam sustinebit?

Solet quidam Anachoreta dicere, se ob tria plurimùm timere semper: quorum primum erat, quia anima ex hoc corpore migraret: secundum quod eadem æterno Iudici sisteretur. Tertium, quod sententia operum suorum omnium pronunciaretur. Quæ sententia, ô homo, si contra te proferatur, condemnatus sine mora in perpetua gehennæ incendia detruderis, è quibus nulla erit redemptio, quantæ tunc tibi erunt angustiæ, & quanta gaudia res ista pariet tuis inimicis? Tunc verum erit, quod apud Prophetam dicitur: *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt, Deuorabimus: en iste dies est quam expectabamus, inuenimus, vidimus.*

Tria maximè metuenda. Vinc. lib. 2. moral. part. 1. dist. 4.

Thren. 2, 16.

Sed tu ô bone Iesu, *illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum:* Amen.

Psal. 12, 15.

DIE IOVIS, MEDITATIO VESPERTINA QVARTA.

DE EXTREMO IVDICIO.

HOC DIE FVTVRVM TECVM IVDICIVM COMMENTABEris, vt per hanc considerationem resuscitentur atque reuiuiscant in anima tua, duo illa omnibus Christianis maximè necessaria bona, timor scilicet Dei, & fuga peccati.

Qua circa hanc materiam meditanda.

IN meditatione meditare, quàm terribilis erit illa dies, in qua iudicabuntur aut decidentur causæ omnium filiorum Adæ: determinabuntur omnes litigiosæ huius vitæ actiones & disputationes: & pronunciabitur definitiua illa sententia, quæ in omni æternitate vim atque vigorem suum sortietur.

Ira Iudicis.

Ille dies complectetur in semetipso dies omnes omnium sęculorum, præteritorum, præsentium, & futurorum: quoniam in hoc die mundus rationem reddet omnium temporum, & in hoc die Deus omnem iram suam effundet, quam ab initio mundi thesaurizauit. Quanta cum rabie prorumpet, tunc fluuius ille iræ diuinæ, quæ tot indignationes atque furores collegit, atque in se continet, quot commilla sunt peccata, à mundo condito, vsque in illam horam? Meritò itaque exclamat Propheta dicens: *Dies iræ dies illa: dies tribulationis, & caliginis: dies nebulæ & turbinis: dies tubæ & clangoris, super ciuitates munitas, & super turres excelsas.*

Soph. 1, 15.

Signa Iudicium præcedentia. Luc. 21, 25.

Secundò perpende horrenda illa signa, quæ præcedent illam diem: quoniam (vt testatur Christus in Euangelio) antequam veniat dies hæc, *erunt signa in sole, & luna, & stellis*, & in omni creatura, quæ in cœlis, & quæ in terris est: sentient enim omnes finem suum adesse: antequam igitur finiantur, liquefient, resoluetur & incipient cadere, priusquam penitus corruent. Patrefamilias enim moriente domus turbatur, familia plangit, & nigris vestimentis se induit: sic humano genere, propter quod facta sunt, circa finem constituto, cœli ministeria lugebunt, & candore posito, tenebris induentur, ait Chrysostomus, & *erit* (inquit) *in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum.* Homines incedent attoniti & angustijs oppressi, pallentes vultibus & tanquam moribundi à conspectu mortis, & condemnandi à facie iudicij horrentes: metientur periculi magnitudinem ex magnitudine pauoris sui, atque adeò singuli de seipso soliciti erunt, vt aliorum non sint futuri memores: nec pater quidem filij, nec filius patris recordabitur. Nullus curam alterius geret, quia nemo sibijpsi sufficiens erit. Aiunt Sybillæ, quod feræ bestiæ in illis diebus circuibunt agros, & ciuitates, horrendum in modum rugientes, & vlulantes: & quod arbores sanguinem sudabunt, & mare pisces suos in siccum, seu continentem eijciet. Si illud non recipiatur, aut parum esse videatur, multò plus est, aut saltem non minùs, quòd in Euangelio dicitur, *exiccandos homines præ timore & expectatione*, quàm quod exiccabitur mare: & plus est: *quod virtutes cœlorum mouebuntur*, quam quòd creaturæ terrestres mouendæ sunt.

Aug. lib. 10. de ciuit. Dei. ca. 2.

Ignis ante faciem Iudicis præcedens.

Tertiò considera vniuersale illud diluuium ignis, quod præcedet ante faciem Iudicis, & horrendum clangorem tubæ, quem dabit Archangelus, ad conuocandum omnes generationes mundi, vt congregentur vniuersæ in locum vnum, & coram tribunali compareant. Ante omnia verò semper in memoria circumferenda est tremenda illa Maiestas incorrupti Iudicis, de cuius persona sic scribit Propheta Nahum: *Dominus in tempestate & turbine via eius, & nebulæ puluis pedum eius. Increpans mare, & exiccans illud & omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan & Carmelus, & flos Libani elanguit. Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.*

Maiestas Iudicis. Nahum 1, 3.

Deinde

Stricta rationi reddenda in illo die. Iob 4,17.

Deinde animaduerte, quàm stricta erit illa ratio, quàm Iudex à te exiget. Memento verborum Iob: *Nunquid homo*, inquit, *Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* q. d. verè non est homo iustus, si cum Deo comparetur, & si cum illo intrauerit in iudicium, ad mille obiecta crimina, vnam non poterit adferre defensionem. Quid sentiet homo quilibet sceleratus, postquam Deus cum illo in examen introierit, & intus in corde loquens, hoc modò cum conscientia expostulauerit? Huc ades homo nequam, & flagitiose: Quid in me vidisti dignum, quare me sic contemneres, & inimicorum meorum partes sequereris? Ego leuaui te ex puluere terræ, & creaui te ad imaginem & similitudinem meam. ego dedi tibi virtutem & auxilium, quo gloriam meam tueri potuisti: sed beneficia & mandata vitæ, quæ tibi dederam, spreuisti, & secutus es alacriùs mendacia seductoris, quàm salutifera consilia tui Saluatoris. Vt te ab hoc casu liberarem, ego de cœlo lapsus sum in terram, vbi maiora tormenta & ludibria passus sum, quàm vnquam poterit alius quispiam sustinere: pro te ieiunaui, pro te sursum atque deorsum cucurri: pro te vigilaui, pro te laboraui, & defatigatus sum: pro te copiosum sanguinem sudaui, pro te persecutiones, flagella, blasphemias, illusiones, alapas, opprobria, damna, tormenta & crucem sustinui. Tui solius causa natus sum in summa paupertate: vixi in multis ærumnis: & mortuus sum in maximis doloribus. Testes mihi sunt crux & claui isti, quos hic adesse cernis. Testes sunt vulnera pedum, manuum & lateris, quæ ecce in corpore meo reseruaui. Testes sunt cœlum & terra in quorum conspectu passus sum. Testes sunt sol & luna qui passionis meæ tempore sunt obscurati. Quid nunc cum anima tua operatus es, quam ego, sanguine meo mihi mercatus eram? cuius seruitio id impendisti, quod ego tam carè mihi comparaueram? O generatio praua & adultera, quæ maluisti illi tuo inimico seruire in maximis molestijs & ærumnis, quã mihi Creatori & Redemptori tuo, summa cum voluptate famulari? Obstupescite cœli super hac ingratitudine: corruant portæ vestræ præ terrore: *duo enim mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas.* Barrabam saluum. quã me maluerunt. Clamasti toties, & non respondisti: pulsaui toties ostium, & aperire mihi noluisti: extendi manus meas in cruce, & non respexisti: omnia cõsilia mea, omnes promissiones & minas meas procaciter contempsisti. *Nunc itaque*, ô Angeli mei, tanquã incorrupti Iudices, *iudicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci?*

Expostulatio Iudicis cum homine.

Hiere. 2, 13.

Isa 5, 3.

Quid tunc respondebunt illi peruersi & maligni? quid tunc facient irrisores illi rerum diuinarum? illi virtutum illusores, illi contemptores simplicitatis? qui maiorem rationem habuerunt legis huius mundi, quàm legis diuinæ? qui ad omnem Dei vocem surdi: ad omnes eius inspirationes insensibiles ad omne mandatum eius rebelles, & ad omnia beneficia & flagella eius duri & ingrati semper extiterunt?

Isa. 10, 3.

Quid respondebunt illi, qui non aliter vixerunt, quam si credidissent Deum non esse? quid illi qui legis curam non habuerunt, sed in omnibus actionibus suis proprio quæstui studuerunt? *Quid facietis*, inquit Esaias, *in die visitationis & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis?*

Sententia terribilis.

Post hæc omnia cum animo tuo diligenter cogita, quàm terribilis erit sententia illa, quam contra malos iudex iustus intonabit, & quàm horrenda futura sunt verba, quæ in auribus audientium clangent; *labia namque eius* (teste Esaia) *repleta erunt indignatione, & lingua eius tanquam ignis deuorans.* Quis ignis tam feruenter ardere potest, aut vrere, quam illa verba: *Ite a me maledicti in ignem æternum?* Istud verbũ asperrimum est & durissimum, quo Deus creaturam potuit vnquam compellare. Per hanc enim separationem intelligitur pœna damni, quæ vniuersalis omnium rerũ est spoliatio, & priuatio Summi boni.

Esa. 30, 27.

Matt. 25, 41.

Separatio quæ & pœna damni.

Quò igitur abibunt illi, ô Domine, qui sic à te segregabuntur? Qui sicà te separabuntur, erunt scripti in terris: quia dereliquerunt venam aquæ viuę. i. Saluatorem ipsum. Maxima pœna quã Romani ciuem mulctabant, hæc erat: vt cùm grauiter quis deliquisset, ab illa nobili ciuitate & Republ. pelleretur, & in Insulam aliquam remotissimam, inter nationes barbaras deportaretur. Si itaque apud Romanos tam atrox pœna habita est, si quis societate conciuium excluderetur: quàm horrendum erit supplicium, ex societate Dei, Angelorum, & Beatorum omnium exterminari, & exulari semper apud Dæmones & Barbaros illos infernales?

Simile.

Hiere. 17. Alexan ab Alex. lib. 3. c. 20.

Ite, inquit, *maledicti* q. d. Paratus fui vobis dare benedictionem, & noluistis accipere: nunc accipite maledictionem maximo vestro malo. *Dilexit*, inquit Propheta, *maledictionem, & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Maledixit Dominus ficulneæ, & subitò arefacta est: non tantùm folia, sed & truncus & radix eius aruerunt, nec posteà fructum produxit. Eodem modo & maledictio inuoluet infelices & miseros illos, quæ omnem spem salutis, omnes fructus & merita, in omne æuum abscindet.

Matt. 25, 41. Psal. 108, 18. Matt. 21, 19.

Sed quò illos ablegas Domine? *in ignem æternum? Ignis æternus* Ah quis ille lectus hominibus delicatis, qui corpus suum in omnibus voluptatibus enutrierunt? *Quis poterit* (inquit Esaias) *habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis, cum ardoribus sempiternis?* Quæ calamitas? quæ sententia? quod incommodum huic infortunio potest comparari? Hic est terribilis & metuendus ille ignis, de quo idem inquit Propheta. *Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem. Nocte & die non extinguetur: in sempiternum ascendet fumus eius: à generatione in generationem desolabitur, in secula seculorum non erit transiens per eam.*

Esa. 33, 14.

Esa. 34, 9.

TRACTATVS QVARTVS

DE CONSIDERATIONE IVDICII vniuersalis, in qua fusius tractantur ea, quæ supra dicta sunt.

Vis timoris Domini.

ARdua sunt & magna, quæ timor Domini operatur in anima humana: *Timor Domini*, inquit Sapiens, *gloria, & gloriatio, & lætitia, & coronatio exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Et in alio loco: *Quam magnus qui inuenit sapientiam & scientiam? sed non est super timentem Dominum: timor Domini super omnia se superposuit. Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei: qui habet illum cui assimilabitur? Timor enim Dei initium est dilectionis eius.* Hæc omnia verba sunt Ecclesiastici, ex quibus manifestum est, timorem Domini principium esse & fundamentum omnium bonorum. Est enim initium amoris Dei, & non tantum initium, sed custos etiam & clauis omnium bonorũ. Testatur hoc D. Bernardus: in veritate, inquit, didici, nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam,

Eccl. 1, 11.

Eccl. 25, 13.

D Bern. in Cant ser. 54.

tinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere.

Ad consequendam verò tam pretiosam & nobilem margaritam, multum conducit omnem cogitatum in recordatione diuinorum iudiciorum ponere, maximè verò extremi illius, quo in fine mundi omnes omnium seculorum nationes iudicabit. Quod iudicium terribilissimum est omnium eorum, quæ sacra commemorat Scriptura. Quæ enim de illo die narrantur, tam sunt horrenda, vt nisi Deus esset, qui ista euentura dixisset, à nemine crederentur. Igitur Christus, cùm quædam de isto die Discipulis prædixisset, quia magnitudo illorum incredibilis, & communem hominum fidem excedere videbatur, istam materiam his verbis concluſit: *Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Iudicium extremum omnium aliorũ terribilissimum.

Matt. 24, 34.

In actis Apostolorum scribitur B. Paulum de iudicio hoc disputasse, & prædicasse coram Felice Præside Iudææ: Præsidem verò ad illa Pauli verba tremefactum, etsi tanquam Ethnicus fidem Pauli verbis non adhiberet. Vndè liquet apertè satis, quàm horrenda fuisse debuerint quæ D. Paulus prædicauit, posteaquam efficacia fuêre, ad tremefaciendum cor Præsidis, hominis infidelis. Quanto magis itaque rationi consentaneum est, vt homo Christianus, qui credit hæc, & in fide illorum educatus est ad memoriam huius iudicij atque extremæ diei expauescat?

Actor. 24.

Ne quis autem putet excusandum se, si innocentiam suam causetur, & dicat: Non pertinere minas istas ad se, verùm ad homines impios, peruersos & peccatores. Iustus erat S. Hieronymus, nihilominus fatetur, quotiescunque Iudicij illius extremi recordabatur, cor sibi in pectore contremuisse. Iustus erat & Dauid homo secundum cor Dei, & tamen eum in modum metuit rationem illo die reddendam, vt dixerit: *Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omne viuens.* Iustissimus erat & innocentissimus ille Iob, nihilominus tantoperè hunc diem semper in vita sua timuit vt de seipso dixerit. *Quid enim faciam, cùm surrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* Et paulò post, *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Quid pluribus exemplis vtor? Iustus erat D. Paulus; & tamen audet dicere: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est.* quasi dicat, Sæpius contingit oculos nostros nihil inuenire in operibus nostris reprehensione dignum, quod tamen inueniunt oculi Dei: quæ enim abscondita sunt oculis hominum, oculis Dei non sunt occulta. Sæpe pictori alicui imperito imago quã fecit, videbitur omni menda carere: in qua tamen Appelles quispiam, plurimos defectus atque errores notabit. Quanto igitur facilius inueniet summa illa bonitas quod malum est in creatura, ad omne flagitium & scelus propendete, qualis est homo, de quo dicitur in Iobo, *quod sicut aquam iniquitatem bibat?* Et si gladius iustitiæ diuinæ in cælo reperit, quod abscindi debuit: quantò magis simile quid inueniet in terra, quæ nihil aliud producit, quàm spinas & tribulos? Quis erit qui habebit omnes angulos animæ suę sic euersos atque mundatos, vt necesse non sit illi dicere cum Propheta, *Ab occultis meis munda me Domine.*

Etiam iusti mutuunt hùc diem.

Hieron. super Matt. & ad Chromatium & Heliodorum.

Psal. 142, 2.

Iob 31, 14.

v. 23.

Vide de hac re Hieron. in 1. c. Nanum.

1 Cor. 4, 4.

1 Cor. 4.

Simile.

Iob 15, 16.

Psal. 18, 13.

Meritò itaque omnes in timore illius diei viuimus, quantumuis etiam iustissimi. Dies enim illa tam erit horribilis, vita nostra tam multis vitijs est obnoxia, iudicium hoc tam iustum atque districtum erit, & super hæc omnia tam incomprehensibiles sunt viæ Domini, & tam occulta eius iudicia, vt nemo sciat, quæ illum sors maneat in die illa: *sed* (vt Christus inquit) *in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur: duæ erunt molentes in vnum, vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro, & vnus assumetur, alter relinquetur.* In quibus verbis manifestè insinuat Saluator, quod ex vnius status & conditionis hominibus vnus in cælum assumetur, alter in Inferno relinquetur. Quare nemo de huius diei metu securus esse potest, quamdiu viuit in hoc seculo.

Matt. 24, 41. Luc. 17, 34.

QVAM RIGIDA ET SEVERA, *quamque terribilis erit illa dies.*

AD ponderandam, & æqua lance pensitandam huius iudicij magnitudinem præsupponendum est, nullam in hoc mundo linguam inueniri, quæ poterit pro rei veritate explicare vel minimã istius diei calamitatem.

Propheta Ioël, volens de magnitudine huius diei verba facere, tantam confusionem animi, atque rationis: tantas intellectus inuenit difficultates, quod inceperit instar infantis balbutire & dicere. *A. A. A.* qualis erit dies illa? Simili modo loquendi vtitur Hieremias, quando voluit illum Deus mittere ad prædicandum populo, vt significaret, se infantem esse, & ineptum ad arduum illud negotium, ad quod Deus illum voluit legare, obeundum. Eodem orationis genere vsus est hic & Ioël, vt demonstraret, non esse linguam in hoc mundo, quæ non sit instar infantis elinguis, ad commemorandum ea, quæ in isto die sunt euentura.

Ioel. 1, 15.

Hier. 1.

In illa die Deus omnes deformitates & abominationes, quas homines miseri suis malis operibus in mundum inuexerunt, auferet, & omnia pristino restituet nitori. Quemadmodum igitur abominationes istæ magnæ erunt & multę, ita & castigationes ingentes erunt & innumerabiles, vt morbus & medicina debitam inter sese habeant proportionem. Necesse enim est, vt mundus ita per pœnam reformetur, quemadmodum antea per culpam fuit deformatus, & coinquinatus. Quando homo quispiam ceciderit, & brachium luxauerit, tanto maiori cum dolore illud ad proprium articulum reducitur, quanto longius erat inde emotum. Cùm itaque homines scelerati omnes huius mundi res luxauerint, & naturali loco suo & ordine mouerint, quàm magna erit pœna tunc, cùm Architectus venerit, mundum hunc renouatum, & omnia in ordinem naturalem reductum, postquam tantam inueniet ataxian?

Mundus ab immunditijs mundandus & reformãdus.

Simile.

Dies hæc in sacris literis non tantùm dies iudicij appellatur, sed & *dies Domini*: sic enim Propheta Ioël illam nominauit, vt hac appellatione significetur, quod omnes alij dies sint dies hominum, in quibus illi suis voluntatibus, diuinæ voluntati contrarijs indulgent. Hæc autem dies Domini vocatur: Dominus enim in hac suæ voluntati, hominum voluntati contrariæ, satisfaciet. Tu nunc iuras & peieras, blasphemas & calumniaris, & tacet Dominus: Veniet autem dies, in qua non tacebit Deus, sed respondebit tibi, & nomen suũ de tantis iniurijs vindicabit.

Dies iudicij dies Domini dicitur.

Ioel. 1, 15.

Hac ratione duæ tantum dies sunt in hoc mundo, vna hominum, altera Domini Dei nostri. In hac sua die potest homo facere quod vult, & sequi sua desideria: silet enim ad omnia Deus. In hac die potest Rex Sedecias Prophetam Hieremiam *in lacum, in quo non erat aqua sed lutum: & in vestibulum carceris detrudere, & dare illi tortam panis quotidie, excepto pulmento.* atque Prophetam pro libidine diuexare: ad omnia enim hæc tacet Deus. Sed post hanc diem alia succedet, in qua Deus Regem Sedeciam comprehendet, illũ solio & diademate regali spoliabit, Hierosolymam destruet, vinctum catenis ferreis ad Regem

Dua tantum sunt dies.

Hier 37. & 38. 2. Par. 18.

4. Reg vlt. gem Babylonis ducet: in conſpectu eius filios & amicos eius omnes occidet: tandem & oculos eius erui mandabit, qui illi eouſque relinquentur, donec omne hoc malum viderit, & poſt hæc omnia vinctus in Babylonia perpetuò, & vſque ad mortem permanebit.

Quemadmodum igitur homini nunc permittitur in hac ſua die facere quidquid ei beneplacitum eſt, & quidquid ei in mentem venit, nec quiſquam eum impedit. Ita Deus in illa ſua die faciet omnia ſecundum voluntatem atque arbitrium ſuum, nec erit illi neceſſe, cuique rationem reddere.

DE SIGNIS QUÆ DIEM ISTUM horrendum præcedent.

PRorsò ſi dilucidius adhuc cognoſcere deſideres, qualis erit ille dies, conſidera ſigna quæ præcedent: per ſigna etenim hæc ſignatum, & per ferias præcidaneas, ipſum diem feſtum agnoſces.

Primùm, quando venturus eſt dies ille ſcit nemo:

Matt. 24, 22. Marc. 13. *De die illo* (inquit Saluator) *ſcit nemo, neque Angeli in cælo, ne filius* (vt eum diem ſc. cuiquam reuelet) *niſi Pater ſolus.* Antecedent nihilominus eum quædam

Signa longè antecedētia. ſigna, ex quibus homines non ſolùm diuinare vicinitatem, ſed & magnitudinem illius poterunt metiri. Antequam enim dies iſte venturus eſt, *auditurі ſumus* (teſte Saluatore) *prælia, & opiniones prælіorum, &*

Matt. 24. 6. *varios tumultus in mundo: conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, &*

Luc. 21, 10. *terræmotus per loca, terroreſq; de cælo & ſigna magna erunt.*

Inſuper veniet illa perſecutio toties in ſacris literis

Perſecutio ſub Antichriſto. denuntiata, qualem Eccleſia vidit nunquam: quæ eſt Antichriſti. Is non armis tantùm & horrendis ſæuiet tormentis, ſed dabit ſigna magna & prodigia, & illorum adiumento tanta aduerſus Eccleſiam bella mouebit, quanta non ſunt vnquam audita. Perpende quale futurum erit illud tempus, cùm (ſicuti ſcribit

S. Gregor. in Euang. cum audieritis ſedit. hom. 35. Gregorius) pius Martyr membra ſua tortori offeret dilanianda & tortor faciet miracula coram Martyre. Et vt ſimul omnia dicam, *tribulatio iſtius diei* (teſte Saluatore)

Matt. 24, 21. Dan. 12. *erit magna, qualis non fuit ab initio mundi, vſque modo, neque fiet.* Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies iſti.

Poſthæc ſigna erunt & alia multò terribiliora, & diei Iudicij viciniora: quæ apparebunt in Sole, & Luna, & Stellis, de quibus loquitur Dominus per Ezechielem.

Signa vicinіora.

Ezech. 32, 7. *Et nigreſcere faciam ſtellas cæli: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria cæli faciam mœrere ſuper te, & dabo tenebras ſuper omnem terram dicit Dominus Deus.* Cùm itaque tot & tam horrenda ſigna futura ſint in cœlo: & in terra, quanta ſunt expectanda cùm à cæleſtibus terreſtria

Simile. gubernentur? Videmus in Republica ſi capita, quæ rerum potiuntur, tumultuari cœperint, confeſtim omnia membra ſimul tumultuari: Sic ſi vniuerſum mundi huius corpus, virtute corporum cæleſtium regatur, quando illa alterantur, & ab ordine naturali aberrant, quomodo partes illius poterunt conſiſtere?

Signa in Aëre. Aër itaque plenus erit fulgetris, turbinibus, ardentibus cometis, halonibus, horrendiſque meteoris aliis.

In terra. Terra plena erit hiatibus & terræmotibus horrendis, qui (vt creditur) tanti erunt, vt ſufficere poterint, non tantum ad ſuperbas ædes, celſaſque turres abſorbendas, ſed etiam ad altiſsimos montes, rupeſque ſublimes diſrumpendos, & loco ſuo mouendos aut diſturbandos.

In mari. Mare autem ſuper omnia alia elementa ſeſe eleuabit, & erunt fluctus eius tam alti & furioſi, vt multi arbitraturi ſint, quòd continentem omnem vndis inuoluent, totamque mundi ſuperficiem cooperient. Qui viciniores littoribus erunt, metuent, ob incredibilem, & inuſitatum maris tumorem & eleuationem: qui longius aberunt, à ſonitu, ſeu mugitu aquarum perturbabuntur, & exanimabuntur: Murmur enim & rugitus maris ad multa miliaria ab hominibus mediterraneis audietur.

Preſſura hominum. Heu quam triſtes incedent tunc homines? quam attoniti? quàm pallidi? quam exanimes? quàm confuſi? quàm ſtupidi & quaſi ſenſuum expertes? ſine loquela, ſine guſtu omnium rerum? *Erit tunc,* inquit

Luc. 21, 25. Chriſtus, *preſſura gentium, & arefcent homines præ timore & expectatione earum rerum, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.* Et quæ cauſſa? Quid ſibi vult hoc? inquient: quid prætendunt nobis hæc prognoſtica? quid parturiens mundus hic nobis pariet? Quis tandem finis erit horum tumultuum & omnium rerum mutationum? Sic ibunt homines conſternati & exanimes, omni animi & corporis fortitudine deſtituti, inuicem cum mœrore aſpicientes, ſubitam mutationem formæ mirabuntur. quod ſolum ſufficiens erit ad horrore concutiendos animos, etiamſi nihil aliud haberent, quamobrem formidare meritò deberent. Omnia officia, omneſque negotiationes mundi ceſſabũt, & cum ipſis omnes ambitiones & cupiditates diuitiarum. Magnitudo enim timoris corda hominum ita occupabit, quod obliuiſcentur non tantùm iſtarum rerum, ſed etiam cibi & potus, aliarumque rerum ad vitam ſuſtentandum neceſſariarum. Omnes eorum cogitationes in eo erunt intentæ, vt circumeuntes inuenire poſsint locum aliquem ſecurum, in quo à terræmotibus, aëriſque tempeſtatibus & ab eleuatione maris ſeſe tueri poſsint. Atque ita diuagantes homines ſpelea ferarum quærent, & inhabitabunt: & feræ viciſsim in ædibus hominum frequentes conſpicientur. tanta erit omnium rerum ataxia atque confuſio: Affligentur malis præſentibus & multò plus timore futurorum, vel impendentium: quia non ſcient quem ſunt habitura finem tam triſtia principia. Deficiunt verba ad hæc omnia graphicè exprimenda. quidquid dictum eſt hactenus, & adhuc à doctis dicetur vnquam, infinitis modis minus eſt ipſa rei veritate. Videmus nonnunquam, ſi tempeſtas in mari

Simile. oboriatur, aut in terra fulgur, ſeu terræmotus contingat, quàm attoniti homines & conſternati diſcurrant. Cum itaque cælum, terra, mare, & aër concutientur, commiſcebunturque: cùm in omnibus elemẽtis & mundi regionibus peculiares & propriæ tempeſtates exurgent: cùm Sol nigra veſte, & Luna ſanguine tegetur: cùm ſtellæ de cælo cadendo lugebunt, quis tunc ſtertet aut dormiet? comedet aut bibet? quis in medio tantorum periculorum, horrorumque requiem habebit? appetitus enim horum omnium periculi præſentia peribit. O infelix conditio peccatorum, quorum capitibus omnia hæc ſigna & prognoſtica minantur. Felix verò ſors eorum, qui virtutes cum pietate coluerunt, quibus hæc omnia optima quæque portendunt, & futura bona euangelizant: quanto cum iubilo illi tunc cum Propheta modulabuntur:

Iuſti lætabũtur in illa die. Pſal. 45, 1. *Deus noſter refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur mõtes in cor maris. Videte,* inquit Saluator, *ficulneam, &*

Luc. 21, 29. *omnes arbores, cùm producunt iam ex ſe fructum ſcitis quoniam propè eſt æſtas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei. Reſpicite tũc, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Quantoperè tunc exaltabit & gaudebit iuſtus? quanto ſuo bono arbitrabitur ſe afflictiones ſuas ſupportaſſe? è diuerſo verò quomodo lugebit iniuſtus & peccator, & quanta cum animi amaritudine lamentabitur, ſe fruſtra laboraſſe, & omnes difficiles

ciles vias suas, tribulationumque suarum impensas malè collocasse?

DE FINE MVNDI ET RESVRRECTIONE MORTVORVM.

Signa iudicio conuncta.

POst hæc omnia signa aduentus Iudicis tandem in foribus erit, ante cuius faciem ignis præcedet, qui depopulabitur, & in cineres atque fauillas omnem rediget huius mundi gloriam. Ignis ille erit peccatoribus principium supplicij, & bonis ac iustis initium gloriæ sempiternæ: illis verò, qui debita sua nondum soluerunt, erit satisfactio pœnarum adhuc luendarum, & leuiorum delictorum purgatorium. Hic terminatur omnis gloria mundi: hic cessat motus cæli, cursus planetarum, generatio rerum, varietas temporis, cum omnibus alijs, quæ à cæli cursu dependent. Quemadmodum S. Ioannes testatur in Apocalypsi sua: *Et vidi*, inquit, *alium Angelum fortem, descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius: & facies eius erat, vt Sol & pedes eius tanquã columnæ ignis, & habebat in manu sua libellum apertũ, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, & clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit: Et cùm clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas, quas ego scripturus eram: Et audiui vocem de cælo dicentem mihi. Signa quæ locuta sunt septẽ tonitrua, & noli ea scribere. Et Angelus quẽ vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manũ suam ad cælum, & iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cælum, & ea, quæ in eo sunt, & terrã, & ea quæ in ea sunt, & mare, & ea quæ in eo sunt. Quia tẽpus non erit amplius*, id est, nec motus cæli, nec quæ ab illo gubernantur: & quod plus est, nec tempus pœnitentiæ, nec meritorum pro altera vita.

Psalm 96. 2 Pet 3. Ignis præcedens.

Tempus non erit amplius.

Apoc. 10, 1.

Post hunc ignem (vt Apostolus ait) Archangelus cum magna potentia & Maiestate descendet, & canet tubã (id est horribili & magna voce) quæ in omnibus mundi partibus audietur, & cum qua vndique omnes nationes ad iudicium conuocabit. Hæc est illa metuenda vox de qua dicit S. Hieronymus: Siue comedam, siue bibam, siue quid aliud faciam, semper videtur illa tuba terribilis insonare auribus meis: Surgite mortui & venite ad iudicium. Quis ab hac citatione appellabit? quis tribunal hoc poterit recusare? cuius interiora non tremẽt à sono vocis huius? De hac tubæ voce sic loquitur B. Chrys. Verè vox magna, vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas aëreas frangit, vincula mortuorum dirumpit, & de profundo Abysi animas liberatas corporibus suis assignat. Hæc vox deprædabitur mortem, & omnia eius spolia diripiet, cogetque restituere, quidquid mundo subtraxit. Illud est quod Ioannes dicit. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dedit mortuos, qui in ipsis erant.* Quàm insolita & admiratione digna res erit, videre mare terramque tot, & tam diuersa corpora producere? & videre simul concurrere in locum vnum & in gregem vnum cogi tam multas nationes, gentes, & populos, moribus & linguis diuersos? Illic videbuntur Alexandri, Xerxes, Artaxerxes, Darij, Cæsares Romani & potentissimi Reges, vultibus, habitu, & cogitationibus ab illis qui in mundo fuêre omnino mutati, suisque dissimillimi. Conuenient illic omnes filij Adæ, vt quisque pro se rationem reddat, & secundùm opera sua iudicetur.

Tuba.

Hieron. super Matt. 25.

Chryf. in 1. Cor. 15. cap.

Apoc. 20, 13.

S. Hieron. ad Heliodorũ.

Et si omnes resurrecturi sint, ne amplius moriantur: erit tamen inter corpus & corpus magna differentia. Corpora enim iustorum resurgent speciosa, & fulgentia instar Solis, Malorum verò obscura, deformia, & ipsi morti simillima.

Granat. Opusc. spirit.

O quantum erit ibi gaudium iustorum, postquam viderint omnia sua desideria ad optatum finem peruenisse, & nunc dilectissimos fratres in vnum semper habituros: Tunc, tunc poterit anima corpus suum compellare & dicere: O corpus meum, ô comes fidelissime, quod tam fideliter me adiuuisti, in hac corona consequenda: quoties mecum ieiunasti vigilasti, plagas disciplinæ, paupertatis miserias, crucem pœnitentiæ, & contradictionem mundi quoties hæc mecum patienter toleraste? Quoties panem ori tuo subtraxisti, & pauperibus dedisti? quoties temetipsum denudasti, & nudum vestiuisti? Quoties renunciasti possessionibus & opibus tuis, & ius tuum sponte perdidisti, ne pacem cum proximo non haberes? Æquum igitur est, vt tu omnium bonorum meorum particeps sis, cùm hæc mihi non sine tuo auxilio parta sint: iustum est nunc comes gloriæ meæ sis, cùm antea miseriarum mearum fueris socius. Confestim fideles & amici isti duo sodales, in vno subiecto coibunt, & copulabuntur; non contrarijs concupiscentijs & voluntatibus, vt solent, sed vinculo perpetuæ pacis & conformitatis, vt perpetuò possint cantare, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum est fratres habitare in vnum?*

Latitia rum.

Anima iusti corpus suum alloquitur.

Psal. 132, 1.

Eiuerso, quantus erit dolor & ægritudo animæ damnatæ, cùm viderit corpus suum coram se sisti obscurum, immundum, putridum, fœtidum & abominabile? O infœlix corpus, dicet tunc anima. O initium & finis dolorum meorum. O causa meæ condemnationis: O non amplius sodalis meus, sed infensissimus hostis, non adiutor amplius es, sed persecutor, non habitaculum meum, sed laqueus & decipula meæ perditionis. O meritò infelix, quanti mihi constant tuæ illæ momentaneæ voluptates? O fœtidissima caro, quanta tu mihi tormenta tuis illecebris thesaurisasti? hoc est corpus cuius gratia peccaui: Hæ sunt voluptates propter quas meipsam perdidi: Huius vnius immundi sacci gratia, regnum cœlorum amisi: propter hunc vilem & putridum truncum, vitæ æternæ fructuum iacturam feci, O furiæ infernales aduersùm me nunc insurgite, & dilacerate me, quia pœnam hanc merui. O maledicta dies infelicis meæ natiuitatis, quæ fatum hoc dirum & infaustam hanc cœli figuram habuisti, quod pro momentaneis meis voluptatibus æternum cruciarer. Talibus & pluribus huiusmodi diris & execrationibus anima corpus suum, quod tam tenere in hoc seculo dilexit, compellabit. Dic mihi anima misella, cur adeò nunc abhorres ab illo, quem in mundo tam vehementer dilexisti? Estne hæc caro tua, quæ paulò ante tam tibi erat amica? estne venter hic ille, qui erat Deus tuus? Hæccine facies illa, quam ab æstu Solis, à vento, & aëris iniuria defendens, stibio & purpurissa pingebas? Hæccine brachia & digiti, qui auro & gemmis solent radiare? Hoccine corpus, cuius gratia terras mercatores, mariaque percurrebant vt mensam haberet delicatam? vt lectum haberet mollem? vt vestes pretiosas? Quomodo nunc tam subitò tua hæc commutata est affectio? quomodo nunc tam hostiliter odisti carnem, quam paulò ante tam ardenter amasti? Vide itaque mi frater, & animaduerte diligenter, quem finem huius mundi gloria, cum omnibus suis illecebris & voluptatibus, tandem sortitur.

Luctus damnatorum.

Anima hominis iniusti corpus suum compellat.

Subita mutatio.

DE ADVENTV IVDICIS, DE IVDICANDI modo, & de testimonijs & accusatoribus iudicandorum.

POstquam omnes resuscitati fuerint, & in vno loco congregati, expectantes aduentum Iudicis, descendet ille de cœlo in terram, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuo-

mortuorum. Quemadmodum autem in illo primo suo aduentu, in extrema venit humilitate & mansuetudine, inuitans homines ad pacem, & vocans illos ad pœnitentiam: sic in secundo aduentu veniet cũ augustissima Maiestate & gloria, adducens secum omnes Dominationes, Virtutes, Potestatesque cœlorum, minabundus in furore iræ suæ vindicaturus scelera in ijs, qui mansuetudinem misericordiæ suæ respuerunt. Erit tunc tantus timor, tantaque mentium consternatio, præsertim apud malos quod ipsi (vt dicit Esaias) *ingredietur in petras, & abscondentur in fossa humo a facie timoris Domini, & a gloria Maiestatis eius*, quando venturus est ad iudicandum vniuersam Adæ posteritatem. Erit horror & formido ista tam ingens, quòd *cælum & terra* (sicut testatur Ioannes) *à conspectu Iudicis fugient, & locus non inuenietur, vbi sese abscondent.* Quamobrem vos fugitis, ô cœli, quid quid vos deliquistis? quæ causa timoris vobis? Per cælum spiritus supernos intelligimus qui cœlos inhabitant. Vos igitur, ô cœlestes spiritus, qui creati & confirmati estis in gratia, quare fugitis? quid peccastis? quamobrem terror vos occupauit, anxiosque reddidit? Periculum sanè non metuunt; terrentur autem quia Iudicem cum tanta Maiestate & indignatione conspiciunt venientem, quæ sola sufficiens esse poterit, ad cœlos omnes terrendos & in admirationem rapiendos. Quando mare fremit, & horrenda tempestas oboritur, etiam ij qui in continenti sunt, & ab illius furore securi, horrore concutiuntur: & cùm Paterfamilias per ædes discurrit indignabundus, atque ita excandescens, quærens seruum discolum, vt castiget eum, omnes filij, etiam innocentissimi, contremiscunt, quamuis non ignorent, iram non in se, sed in seruum accensam esse virgasq;, baculos, & furcas non sibi, sed seruo parari. Quid facient tunc peccatores & iniusti, si iusti tanto-perè trepidabunt? Quid faciet virgula deserti, vbi concutietur cedrus paradysi? quid faciet agnus, vbi aries tremet? Si cœlum fugiat, terra vbi manebit? si obstupescent illi qui prorsus spirituales sunt, quid facient hi qui toti sunt carnales? Et si Esaia teste, *à facie Domini montes defluent*, nonne montibus & petris ipsis corda nostra duriora sunt; si tanta Maiestate non moueantur?

Ministri Iudicij.

Esa 2,21.

Apoc.20.

Cur cœli mõ-uebuntur.

Similitudo.

Aliud simile

Greg. in mõ-ral.

Esa 64,1.

Vexillum prætorium seu regale (Crucem dico) ante faciem Iudicis præcedet, vt sit testimonium medicinæ, mundo à bonitate Dei oblatæ: sed à mundo arroganter spretę contemptæque. Iustificabit autem Crux sancta causam Dei, & peccatores inexcusabiles & indignos omni consolatione testabitur. Tunc, inquit Saluator, *plangent omnes tribus terræ.* Iustissimam sanè tunc habebunt plangendi rationem. Plangent, quia non potuerunt facere pœnitentiam: plangent, quia non possunt fugere iustitiam: plangent, quia non licebit ab hoc tribunali ad aliud appellare: plangent peccata præterita: plangent pudorem præsentem: plangent tormenta futura, & iam iam imminentia: plangent infaustam suæ nativitatis sortem, & finem suum infelicissimum. Propter has, & multas alias causas plangent, vociferabunturque, & tanquam malè sensati, inopesque consilij & omni remedio destituti, *percutient* (ait Euangelista) *pectora sua.*

Crux in Iudicio appare bit.

Matt. 24,30. Apoc.1,7.

Cur plangent mali.

Luc.23,42.

Tunc separabit Iudex iudicandos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet quidem oues à dextris suis hœdos autem à sinistris. O quam fortunati erunt qui à dextris constituentur, & tali honore dignabuntur? Da mihi Domine tribulationes in hoc mundo, vre me hic, seca me hic, deglube me hic, occide me hic, fac mihi hic quidquid libet, saltem ibi locus mihi à dextris tuis reseruetur.

Separatio malorũ à bonis

Tunc subitò Iudicium inchoabitur, & tractabuntur causę singulorum: quemadmodum Propheta vaticinatus est dicés: *Aspiciebã donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentũ eius candidũ quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flãma ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius, millia millium ministrabant ei & decies millies centena millia assistebant ei. & cor. Aspiciebã ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat.* Huc vsq; Daniel subiungit verò Ioannes, *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.*

Iudicij principia. Dan.7,9.

Apoc.20,12.

Ecce mi frater, habes hic allegata secundũ quæ iudicaberis: ecce habes hic pretiũ quo æstimaberis omnia nimirũ opera tua, nõ autẽ secundũ stolidũ atq; ridiculũ iudiciũ mundi huius, qui *tenet in manu dolosam* Ose.12,7. *stateram Canaan*, in qua virtus & vitiũ vno eodemque modo põderatur, vnũ idemq; valẽt. In istis verò libris tota vita nostra tãta cũ diligẽtia erit descripta, vt homo ne quidẽ verbũ, etiã velocissimũ, locutus sit, cuius apex vnus in hoc catalogo erit prætermissus.

Allegata.

Quarum verò rerum existimas Iudicem rationem exacturum? *Dominus*, inquit Iob, *cõsiderat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Non locutus sum verbũ otiosum, sed nec cogitaui tale quid, cuius non debebo rationẽ reddere, in illo extremo iudicio: nec tantũ eorũ quæ fecimus aut cogitauimus, sed etiã eorũ, quæ omisimus, facere tamẽ ex officio debebamus. Si dixeris, Domine nõ iuraui: dicet Iudex, esto, iurauit tamen filius tuus, iurauit seruus tuus, & nõ corripuisti illũ. Nec operũ malorũ tantũ reddenda erit ratio, sed & bonorũ. quæretur enim illic qua intentione, & quomodo à nobis facta sunt. Et vt breuibus dicam, illic, vt S. Gregorius asserit, singulorum vitæ nostræ articulorum & momentorum ratio exigetur, quomodo, & quibus rebus impendimus.

Quorum ratio reddenda Iob.31,4.

1

2

3

4

B. Gregorius

Si hæc ita sint, vnde igitur in nobis, qui talia credimus, tanta securitas & negligentia? Quibus rebus confidimus? quare in vtramq; aurem incircunspecti & festertimus ad mediam vsque lucem, in tantis periculis constituti? Quid sibi vult hoc, quòd quibus timendũ erat maximè, minus timeant, & quibus minus timẽdum erat, timeãt maximè? Iustus erat Iob & simplex (hoc.n. elogiũ ipsius Dei est) nihilominus in tanto timore huius rationis vixit, vt dixerit: *Quid faciã cùm surrexerit ad iudiciũ Deus? & cũ quæsierit quid respõdebo illi?* Verba sunt cordis valde afflicti & anxij. *Quid faciã?* inquit, quasi dicat. Vna hæc cogitatio me affligit, vnus hic clauus cor meũ iugiter fodit & lancinat, qui nullã mihi requiẽ permittit. Quid faciã? quo vadam? quid respondebo postquam Deus introierit in iudiciũ mecum? Cur metuis, ô felicissime Iob? quare teipsum maceras & affligis: Nonne tu es qui dixisti, *Oculus eram cæco, & pes claudo: Pater eram pauperum?* Iob.29,15. Non es tu qui dixisti: *non reprehendit me cor meum in* Iob.27,6. *omni vita mea?* Cur timet homo tantæ innocentiæ? Sciebat optimè Sanctus, q, Deus nõ habet oculos carnales, & q, non iudicat Deus sicut homo in cuius oculis sæpe bonũ & honestũ apparet, q, Deus abominatur.

Mala malorum securitas & bonorum metus bonus

Iob.31,14

O verè Iustè, & tanto iustior, quantò maiori in pauore & timore vitam degebas? Iste timor, frater mi, condemnat nostram securitatem: vox illa confundit nostram inanem confidentiam. Ecquis est nostrũm cui similis cogitatio edendi, bibendi, aut dormiendi appetitum vnquam abstulit? Si homines totã mentem, atque omnem animum huc aduerterent, & vt par est, rei grauitatem pensitarent, fieri nõ posset, quin & somni, & cibi, & potus appetitus, cum omnibus occupationibus vanis interiret. In vitis Patrum legimus de quodam Anachoreta, qui aliquando discipulum suum eò quòd rideret, grauiter in-

Vincent. lib. 6. hist. c. 83.

increpauit dicens: Quid agis? tu qui coram cœlis & terra Deo rationem redditurus es, tu, inquam, audes ridere? Sanctus ille arbitratus est homini illicitum esse ridere, qui diem reddendæ rationis expectat.

Accusatores & testes. Non deerunt illi accusatores & testimonia: propriæ siquidem nostræ conscientiæ erunt accusatores, & clamabunt contra nos. testes verò erunt creaturæ omnes, quibus abusi sumus. & super omnia summus erit testis ipse Deus, quem tam indignis modis toties offendimus, quemadmodum ipse testatur per Prophetam: *Et accedam*, ait, *ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Et ne sit accusatorum defectus, sufficiens erit criminator ipse Diabolus, qui vt Augustinus dicit, præsto erit, & recitabit verba professionis nostræ, & obijciet nobis in faciem quidquid fecimus, & quidquid peccauimus, & in quo loco, & quid facere debueramus. Dicturus enim est, Æquissimè Iudex, iudicia: *Iudicium & iustitia præparatio sedis tuæ.* Iudica meum esse, qui tuus esse noluit: meus est, mecum damnandus est. Post renuntiationem, vt quid inuasit pannos meos? Quid apud ipsum impudicitia faciebat cui ipse renunciauerat? quid intemperantia? quid auaritia? quid ira? quid superbia? quid cetera mea? Postremo æquissime fugientem à me, confugientem ad te postea, cum meis quibus renunciauerat apprehendi, inuasorem detinui. In ipsa quodammodo mea possessione, à me apprehensus est. Quid enim in circo faciebat, atque ibi furias, lites, insanas voces, inanesque victorias miscebat, cùm iam à se alienus sibimet videbatur? Quid in theatro faciebat, renunciator turpium voluptatum? Quid in Amphitheatro crudelitates sæuas oculis suis intuendo? Thesauzauit sibi iram in die iræ. Hæc omnia mea post renunciationem inuasit, meus esse voluit, & mea concupiuit. Iudica, Iudica æquissimè, quoniam quem tu non dedignatus est tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare: Dicturus est, Iustissime Iudex: non potes non sententiam contra hos perfidos pronuntiare, eosque mihi adiudicare. Mei enim semper fuerunt, & in omnibus voluntati meæ satisfecerunt. Tui erant illi, quia tu eos creaueras, & feceras ad imaginem atque similitudinem tuam, perditos quoque proprio sanguine tuo redemeras: sed obedientiam quam tibi debebant excusserunt, & mihi per omia paruerunt: mandata tua præuaricati sunt, & mea semper obseruarunt: Spiritu meo vixerunt, opera mea imitati sunt, vias meas ambularunt, & in omnibus voluntatem meam secuti sunt. Vide, itaque, æquissime, quanto potius ius meum in illos sit, quam tuum. Nihil illis dedi, nihil illis pollicitus sum, corpus meum pro illis in cruce non pependit, & tamen meis præceptis per omnia, non tuis, paruerunt. Si mandarem illis vt iurarent, peierarent, furarentur, occiderent, adulterium facerent, & nomen sanctum tuũ negarent, omnia hæc animo promptissimo fecerunt. Si iuberem vt facultates omnes, vitam, & animã pro exiguo honore, quem dulcem esse persuadebam, aut pro minima delectatione, ad quam illos inuitabam, darent; alacres confestim omnia hæc pro me periclitati sunt: pro te autem, qui & Deus, & Creator, & Redemptor eorum es, qui largitus eras illis diuitias, vitam, & salutem; qui gratiam illis offerebas, & gloriam promittebas, & qui super hæc omnia pro illis passus eras in cruce, ne minimum quidem pro omnibus his periculum adire voluerunt. Quoties tu ad ostia ipsorum venisti vsceroſus, nudus, pauper & famelicus, atque in conspectu ipsorum stetisti: Illi tamen magis soliciti fuerunt, quomodo canes & equos saturarent, quàm vt tibi stipem darent: magis quomodo parietes ædium suarum serico & auro induerent, quàm vt te detrita veste cooperirent. Iustum proinde est, vt vel semel tantæ Maiestatis tuæ iniuriã & contemptum vlciscaris.

Audita hac accusatione, Iudex contra illos sententiam pronunciabit, dicens: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, Esurui enim & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi potum &c. & ibunt hi in supplicium æternum & boni in vitam æternam.* Quis poterit explicare quid infortunati illi sentient, quomodo affecti erunt, quo animo horrendam hanc sententiam audient? Tunc incipient clamare altis vocibus, mõtiumque & collium opem implorabunt, dicentes: *Cadite super nos & abscondite nos, a facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Ibi incipient blasphemare, maledicere, & abnegare Deum: blasphemas linguas suas in Deum acuent, & maledicent diei natiuitatis suæ, & sorti suæ infelicissimæ. Ibi finis erit diei ipsorũ, ibi gloriæ terminus, ibi vertetur solium prosperitatis, & erit initium noctis sempiternæ & calamitatis, quẽadmodum luculenter satis id significat B. Ioannes in Apocalypsi sua, sub nomine Babylonis, cum ait: *Et flebunt, & plangent super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliţis vixerunt, cum viderint fumum incendij eius, longè stantes propter timorem tormentorum eius, dicentes: Væ, Væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicij tuum. Et negotiatores terræ flebunt & lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius, merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, &c. Mercatores horum qui diuites facti sunt, ab ea longè stabunt, propter timorem tormentorum eius, flentes ac lugentes, & dicentes: Væ, Væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat * byſſo & purpura, & deaurata erat auro & lapide pretioſo, & margaritis: quoniam vna hora destituta sunt tanta diuitiæ.*

Cum itaque, O frater mi, hæc omnia tam miserè interitura sint, tempore vigilemus, & sequamur consilium eius, qui priusquam Iudex noster fieret, voluit esse noster Aduocatus. Nullus enim est qui exactius nouit, quid in illa die proderit, quid oberit, quàm is, qui ipse Iudex erit omnium causarum. Ipse enim breuiter nos docet, quid factu opus sit, vt in illo die securi simus. *Attendite*, inquit apud Lucam, *vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem terræ. Vigilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.*

Consideremus hæc omnia, Dilectissimi, & à graui somno tandem euigilemus, antequam obscura illa nox mortis nos obruat, antequam horrenda illa dies nos inuoluat, de qua Propheta: *Ecce venit, & quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum?* Ille. ille poterit expectare diem Domini, qui iudici manus ligauit, & seipsum in hoc seculo iudicauit.

Sententia iudicis. Matt. 25, 41.

Apoc. 6, 16.

Apoc. 18, 9.

* Auctor telis Hollandicis vertit.

Quid factu opus vt in illa die securi simus.

Luc. 21, 34.

Mal. 3, 1.

Accusationes Diaboli. *Aug. Oratione contra Iudæos, paganos & Arianos to. 6. cap. 4.* Psal. 38, 5.

Mal. 3, 5.

Rom. 2.

DIE VENERIS, MEDITATIO VESPERTINA QVINTA.

DE POENIS INFERNALIBVS.

HOC DIE OMNEM COGITATIONEM TVAM PONES IN tormentis gehennæ perpendendis, quia meditatione hac, non minus quàm præcedente, anima tua in timore Dei & odio peccati confirmabitur.

Bonauent. fasciculari. cap. 3.

SBonauentura mentionem facturus de pœnis inferni, dicit, deberę nos similitudinem alicuius figure corporalis nobis proponere, vt illius imaginatione affectus noster in veram pœnarum istarum cognitionem rapiatur. Conuenientissimum igitur erit, imaginari locum infernalem (vt is ipse Sanctus monet) locum esse obscurum, tenebrosum, profundum, sub ipsa terra positum, instar latissimi cuiusdam putei, pice, sulphure, flamma, & fumo pleni; aut instar spatiosæ, sed terribilis & tenebrosæ ciuitatis, ab omni parte ardentis, flammaque viua æstuantis, in qua nihil aliud auditur quàm voces, gemitus, suspiria & maledictiones, tam tortorum, quã eorum qui torquentur, cum perpetuò planctu & dentium stridore.

Duplex pœna infernalis.

Pœna sensus totus homo cruciabitur

In infelici hoc loco duo pœnarum genera inueniuntur: Alia enim pœna damni, alia sensus dicitur. Et quantum ad pœnam sensus, sciendum est, nullum esse membrum, nullum sensum in homine, vel interiùs vel exteriùs, quòd non singulari suo dolore cruciabitur. Quia quemadmodum homines flagitiosi & peruersi Deum non vno, sed omnibus membris & sensibus offenderunt, & singula membra singula fecêre arma & instrumenta ad seruiendum peccato: ita vicissim disposuit Deus, vt singuli sensus, & singula membra suo etiam peculiari tormento punientur: vt soluant cum dolore, quod per voluptatem deliquerunt. Oculus impudicus & carnalis horrendo dęmoniorum aspectu torquebitur: aures verò confusione vocum, gemituum, & lamentationum, quæ ibi iugiter resonabunt. Nasus intolerabili fœtore illius obscœni & immundi loci vexabitur: gustus furiosa rabidaque fame & siti cruciabitur: tactus autem, aliaque corporis membra frigore & ardore ignis ineffabili exagitabuntur. Imaginatio patietur à conceptu præsentium dolorum, memoria verò recordatione præteritarum voluptatum: intellectus à consideratione bonorum amissorum, & malorum imminentium. Et vt summatim dicam, inueniuntur ibi omnia mala, omnes pœnæ, & tormenta omnia, quæ quis posset excogitare, vel imaginari.

Greg. in illud Euang. *Vbi erit fletus & stridor dentium &c.* Et lib. 9. Moral. c. 48.

Auctore siquidem B. Gregor. erit ibi frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis; fœtor quem nemo poterit perferre, tenebræ palpabiles: flagella carnificum, laruæ dæmonum; confusio peccatorum & desperatio bonorum omnium. Dic mihi, si vel minimam pœnarum istarum exiguo temporis momento tolerare, res sit omnem superans humanam fortitudinem, & sensum: quid erit vno eodemque tempore, totam illam tormentorum multitudinem, in omnibus membris & sensibus interioribus & exterioribus simul pati, idque non paruo temporis spacio, non vna nocte, non millibus noctibus, sed in infinitas æternitates? Quod ingenium, quæ eloquẽtia, quod iudicium est in hoc mundo, q. hæc omnia, vt res ipsa & veritas est, dicere posset, vel explicare?

Pœna damni.

Non est tamen ista pœna maxima, sed est alia, absque omni comparatione maior: illa nimirum, quam Theologi pœnam damni appellant: quæ est visionis Dei, & Sanctorum omnium glorioſi consortij priuatio. Porro quamuis ista pœna omnibus damnatis communis futura sit, tamen grauior ceteris erit ijs, qui maiorem oportunitatem habuerunt, visione Dei & beatorum consociatione fruendi; aut eo perueniendi, vt illis frui potuissent, vt sunt Christiani omnes, quibus prædicatum est Euangelium, atque inter hos potissimum mali Sacerdotes, & Religiosi, qui, quo maiorem occasionem huc perueniendi habuerunt, eò maiores dolores & pœnas sentient, postquã se tantis bonis priuatos deprehenderint.

Supplicia damnatorum specialia.

Atque istæ pœnæ sunt generales, quæ condemnatos communiter manent. Sunt autem præter communes has & aliæ singulares, quibus singuli pro ratione delicti sui torquebuntur. Alia enim erit pœna superbi, alia inuidi, alia auari, alia verò luxurioſi, & sic de cæteris. Qua in re admirabili modo iustitia & sapientia diuina elucescet, quæ in tam innumerabili peccãtium & peccatorum multitudine, sciet exactissimè singulorum excessus debitè castigare, & tanquam in bilance singulorum pœnas secundùm delictorum grauitatem ponderare, quemadmodum Sapiens dicit: *Pondus & statera, iudicia Domini sunt.* O quàm horrenda res erit impijs & iniustis, tantam videre pœnarum varietatem? quam verò delectabile spectaculum erit bonis, & iustis, tam admirabilem proportionem & consonantiam cernere suppliciorũ, in tanto numero & qualitate delictorum? Ibi mensura dolorum erit secundùm mensuram voluptatum in hoc seculo perceptarum: ibi pudor atque confusio superbiæ & præsumptionis: ibi nuditas abundantiæ superuacaneæ: ibi fames & sitis superfluis delitijs, & crapulę pares erunt. Sic enim Dominus iussit impiã illam meretricem in Apocalypsi Ioannis castigari, quæ sedebat super aquas multas, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis suæ, contra quam horribilis illa sententia cœlitus est pronunciata: *Quantùm glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentorum.*

Prou. 16, 11.

Apoc. 18, 9.

Æternitas sigillum pœnarum omnium.

Prædictis omnibus pœnis coniuncta est tormentorum æternitas: quæ quasi sigillum est, & clauis omnium illarum. Omnia quidem tormenta prius commemorata tolerabilia essent, si finem haberent: nulla enim res ardua est, quæ finem habet. Sed pœna, quæ finem non habet, nec quietem, nec refocillationẽ, nec respirationem, nec mutationem vllam admittit, nec spem vllam habet, quod finietur aliquando aut pœna, aut qui illam infligit, aut qui illam patitur: sed quæ quasi perpetuum exilium est, sine vlla expectatione reditus in patriam, & quasi vestis habens imaginem S. Benedicti, quam in Hispanijs Sancta inquisitio ijs dat, qui in fide errârunt, vt quoad viuant istã gerãt, nec vnq; deponant, certè illa ardua est, horroremq; & tremorem incutit diligenter consideranti.

Maledictiones damnatorum.

Hinc oritur furiosissimũ illud odium, quo contra Deum flagrant infelices illi & condemnati. Quare maledicunt ei, & blasphemant semper. Cũ enim perpetuò exciderint amicitiæ diuinæ, & certi sint, quod nunquam

nunquam in gratiam Dei reuertentur, nec pœnæ vnquam remissiores fient: videantque Deum esse, qui ipsos castigat, & qui ipsos è cœlo relegat, captiuosque in catenis illis detinet, tam crudeliter in illum insanient, vt non cessaturi sint die aut nocte sanctissimũ eius nomen blasphemare.

TRACTATVS QVINTVS

DE CONSIDERATIONE POENARUM infernalium in qua fusius præcedens meditatio explicatur.

Quam vtilis consideratio de Inferno. 1

COnsideratio tormentorum Inferni, multis de causis vtilis est, & fructuosa: Primum leuiorem facit rigorem asperitatemque pœnitentiæ, sicuti de seipso refert gloriosus ille & beatus Hieronymus, quod timore & metu, ex consideratione pœnarum infernalium concepto, motus fuerit ad subeundam tam austeram & rigidam pœnitentiam, qualem scribit se habitantem in deserto feciſſe.

Epist. 22. ad Eustochium cap. 3.

2 Conducit quoque (si B. Richardo credimus) ad superandas tentationes inimici: si statim, vbi peruersa cogitatio mentem intrauerit, opponamus horrorem istorum tormentorum, & confestim flammam voluptatum, antequam ardere incipiat, memoria flammę illius, quæ in perpetuum flagrabit, extinguamus.

Richard. de S. Vict. hom. de iudicio fin.

Exemplum. Hoc modo quidam patrum eorum, qui in eremo viuebant, scribit, quod quodam tempore, cum impugnaretur ab inimico impura cogitatione, manum suã in ignem miserit, eamque prunis imposuerit candentibus, vt periculum faceret, an posset ardorem illum sufferre. Cumque tolerare non posset exiguum illum calorem, seipsum allocutus est dicens: Si non potuisti ardorem tam paruum tam exiguo temporis momẽto ferre, quomodo poteris ignẽ inferni tempore tam longo tolerare?

Marul. lib. 4. c. 7.

Iuuat etiam illa consideratio, vt cor nostrum ad timorem Dei excitetur, qui quidem timor est initium Sapientiæ & Charitatis. Est & tenacissimum frænũ contra omnia mala: & super omnia vtilis est, ad fugãda peccata: dum considerat homo, quam infelix merces sit illa, qua peccatores remunerantur, mors videlicet sempiterna.

3 Eccl. 1. & 25. 4

Admiratione itaque res est dignissima, homines inueniri, tam salutis suæ immemores, tam fronte perfricta, vt credentes & confidentes hæc ita sese habere, audeant adhuc Deum offendere, & peccata peccatis cumulare. Duo mirabilia ab Orbe condito in hoc genere catusarum contigerunt. Primum est quod post tot miracula & stupenda opera, quæ Christus fecit inter homines, adhuc inuenti sint, qui credere noluerunt: alterum, quòd postquam crediderunt homines, tot adhuc reperiantur, qui Deum audent offendere, & sine vllo timore in illum peccare. Admirabile profectò inter alia multa, quæ Christus fecit illud erat, quod Lazarum quatriduanum suscitauit à mortuis, & quod multi eorum qui præsentes erant, credere in illum noluerunt: admirandum magis etiam est, quòd homines, postquam nunc per prædicationẽ verbi crediderunt, esse pœnam æternam malis, & gloriam sine fine duraturam iustis & bonis præparatam, non vereantur peccatis suis Deum ad hanc vindictam vltrò prouocare. Mirabile est videre post tot miracula tantam infidelitatem, & mirabilius est, post tantam fidem tam peruersam adhuc vigere consuetudinem.

Duo maximum in hoc seculo miranda.

Ioan. 11.

Cùm autem hæc magis oriantur ex eo, quòd non considerant homines, aut non cogitant quæ futura sunt, quàm ex eo, quòd non credunt, vtilissimum sanè erit exercitium, ea semper in memoria circumferre, quæ fides hac de re dictitat. Perpendamus itaque iugiter pœnarum infernalium magnitudinem, & viuemus cum maiori solitudine, peccata euitantes, quæ tantis, tamque horribilibus pœnis plectuntur, & nũquam tamen expiantur.

DE DVPLICI GENERE POENARUM, quibus impij & peccatores in inferno torquentur.

VAriis innumerabiles sint pœnæ infernales, possunt tamen omnes (vti dictum est) duobus generibus comprehendi, quorum alterum pœna sensus, alterũ pœna damni à Theologis appellatur. Pœna sensus est illa, qua corpora & sensus damnatorum cruciantur. Pœna verò damni est, qua torquetur anima, eò, quòd priuatur perpetua visione Dei, eiusque consortio. Duo hæc pœnarum genera correspondent, duplici malo & inordinationi, seu ataxiæ, quæ in peccato reperiuntur. Vna est inordinatus amor erga creaturas, altera est contemptus Creatoris. Cum his duobus duo genera pœnarum conueniunt, amori & sensuũ delectationi qua sumus erga creaturas, correspondet pœna sensus: sensus enim qui se oblectarũt contra voluntatem Dei, contra voluntatem propriam dolore castigantur: contemptui verò Dei respondet diuinæ visionis priuatio. Cùm enim homo prior Deum repulerit à se, æquum est, vt ipse etiam à Deo repellatur. Atque ideò inter duo hæc pœnarum genera vltimum hoc, priuatio scilicet visionis Dei, absque vlla comparatione maior est priore.

Duorum suppliciorum genera cum duobus, quæ in peccato inueniuntur conuenientia.

Vt itaque incipiamus à pœna sensus exteriori, quæ est ignis infernalis: sciendum est, eum tam efficacem esse, tamque feruentem, vt teste August. si ignis noster materialis cum hoc igne conferatur, non magis ignis rationem habeat, quam ignis in pariete depictus, si cum verò igne nostro comparetur. Ignis hic non tantum corpora torquebit, sed & animas etiam cruciabit. Vret autem eo modo, vt non comburat, aut consumat: vt pœna nunquam deficiat, sed in perpetuum continuetur. Viuent animalia in ignibus, in vstione sine consumptione, in dolore sine morte. Id autem (vt dicit Augustinus) singulari miraculo fiet omnipotentissimi Creatoris. Deus enim, qui dedit singulis rebus suas naturas, etiam hanc proprietatem igni huic tribuit, vt ardeat semper, nec consumatur vnquam, vrat semper, nec vnquam absumat.

Pœna sensus.

Psal. 36.

Ignis Infernalis.

Aug. de ciuit Dei lib. 21. cap. 9.

Animaduerte igitur nunc, ô homo, & perpende tecum, quid infelices isti tunc facturi sint, in feruenti hoc lecto positi? Vt autẽ hæc consideratio mentẽ tuã magis afficiat, imaginare quid acturus, & quid passurus esses, si quis te in ardentẽ rogũ præcipitet tũc, cùm flãma est luculentissima, & ignis feruentissimus: aut si quis in caminum ignis ardentis te detrudat, qualis erat ille Babylonicus, quem succendit Nabuchodonosor, & in quem misit tres iuuenes istos Hebræos, cuius *flamma effundebatur super fornacem* (vt ait scriptura) *cubitis quadraginta nouem*: & ex hac imaginatione aliquo modo senties, quid damnati in hoc igne constituti patientur. Nam si ignis hic noster (qui tantùm, vt supra diximus, si cum illo infernali conferatur, ignis pictus est,) tam crudeliter torreat, quid quæso faciet ignis ille infernalis, cui proprium veri ignis nomen debetur? Non esset meo sanè iudicio necessarium vlterius in hac materia progredi, si homo velit hic subsistere paulisper, & attento secum animo cogitare, quale tormentum hoc erit, donec aliquo modo veram eius qualitatem senserit.

Dan. 3. 47.

Huic supplicio adiunctum est, non minus intolerabile priori, tamẽ contrariũ, frigus scilicet horribile,

Frigus Infernale.

quod cum nullo frigore huius seculi potest comparari, quod frigus loco infelicis refrigerij dabitur illis, qui in æstuanti illo fornace ardebunt, & *iterum ad nimium calorem* (vt ait Iob) *ab aquis niuium transibût*; vt omne genus tormentorum experiantur illi, qui omne genus voluptatum in hoc seculo experti sunt. Iob.24,19.

Oculi quomodo cruciabuntur.

Non solùm affliget condemnatos ignis ille & frigus hoc intolerabile, sed & ipsi Dæmones in figuras horribilium ferarum & monstrorum versi, qui horrendo suo aspectu mirum in modum torquebunt oculos adulterorum, & libidinosorum, eorumque qui facies suas stibio & purpurissa pingunt, vt formosiores sint laquei, & retia Satanæ gratiora.

Hæc pœna multò maior est, quàm quis posset excogitare: manifestum enim est nonnullos sensus suos amisisse, nonnullos mortuos esse eo, quod horrendum aliquod spectrum vidissent, aut terribilem aliquam imaginationem concepissent: subinde etiam ex vana persuasione, quod arbitrantur se spectrum videre, vel metuendam aliquam laruam, homo extimescit, trepidat, & erectis capillis, quasi exanimis obstupescit. Quid igitur fiet in istis tenebrosis puteis, plenis tam horribilium monstrorum, lamiarum, laruarumque & spectrorum, qui per rarum lumen obscurarum flammarum in oculis damnatorum sese ingerent? Præsertim si perpendamus, quam horrenda sit dæmonis imago, quam ipse Deus in sacris literis, per rem adeò metuendam, expressit, vbi dicit in libro Iob: *Quis reuelabit faciem indumenti eius, & medium oris eius quis intrabit? portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido: Corpus eius quasi scuta fusilia compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabantur. Sternutatio eius quasi splendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi: de ore eius lampades procedunt sicut tædæ ignis accensæ: de naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis: halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* Quomodo igitur expauescent miseri, ad aspectum monstri tam horrendi, quod prolixa hac similitudine describitur? Iob.41,4. *Imago dæmonis describitur.*

Ad hoc oculorum tormentum aliud accedet narium, fœtor scilicet incomparabilis, qui in loco isto erit, ad supplicium & corruptionem odorum, suffumigationum, & vnguentorum bene olentium, quæ in hoc mundo à delicatulis istis appetuntur, quemadmodum minatur illis Deus per Prophetam, dicens: *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant; Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & syndones, & vittas, & theristra. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Hæc est pœna conueniens odoribus atque ornamentis hominum lasciuientium in hoc mundo. *Nares fœtore vexabuntur.* Esa.3,16.

Vt autem intelligas quantum erit tormentum fœtore illo excruciari, operæpretium erit examinare, crudele illud supplicium, à quodam Tyranno quondam inuentum, qui corpus anima cassum, corpori viuo ita coniũgebat, vt os ori, nasus naso, manus manibus, & pedes pedibus essent applicati. Corpora autem hoc modo colligata, in ignominiosum aliquem locum abijciebat, vbi tamdiu iacebant, donec viuum corpus fœtore cadaueris extingueretur, & à vermibus ex eodem cadauere prosilientibus, absumeretur. Si tibi supplicium illud immanis esse tyrannis videatur, dic mihi, quale erit illud tormentum, quod procedet ex intolerabili isto fœtore, qui iugiter exhalabit ex corporibus omnium damnatorum, & ex illo obscœnissimo volutabro, vbi monstra illa immunda in stercoribus suis volutantur, & quasi computrescit? Ibi singuli damnatorum hæc verba Esaiæ cum planctu & eiulatu repetent: *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, subter te sternitur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Esa.14,11.

Porrò si hæc erit pœna & supplicium quo nares cruciabuntur, quæ erit illa, quæ aures exagitabit, quæ naribus grauius peccauerunt? Ideoque torquebuntur illæ perpetuo planctu, gemitu, suspirijs, vociferationibus, clamoribus & blasphemijs, quæ in istis locis resonabunt. Quemadmodum enim in cælis nihil aliud canitur, quam dulce melos, suaue illud & beatum Alleluia, cum diuinis encomijs: ita in tabernaculis carnificum istorum infernalium, nihil audietur, præter blasphemias, maledictiones, & execrationes contra Deum, nihil præter dissonas quasdam harmonias infinitarum vocum & vlulatuum, quæ loca illa perstrepent in secula seculorum, ad mensuram & sonitum marculorum, malleorum, & contusionum crudelium istorum ministrorum, in quo in conditio cantu tanta erit vocum confusio & varietas, tantus stridor, tantus queritatus, tanta lamenta, tanti plangores, tanti denique eiulatus istorum in hoc tenebroso carcere vinctorum, vt nec tumultus captæ Troiæ, nec exustæ Romæ cum hoc spectaculo vllam habeat comparationem, nec vlla miseria calamitasue à mundo condito tanta fuerit, vt vel similitudinem aliquam habeat, cum hac quæ in maledicto isto lacu grassabitur. *Aurium supplicia.*

Vt autem melius intelligas quanta ista pœna futura sit, finge te ire per profundissimam vallem, quæ plena est captiuis, vulneratis, infirmis, & alijs ærumnis oppressis, & singulos suo more eiulare, plangere, queri, & lamentari: hic viros, illic fœminas: hic pueros, & adolescentes, illic senes & decrepitos præ nimiis doloribus ad cœlum vsque vociferari. Dic mihi quid tibi de tam incondito vlulatu vocumque confusione videretur? Quid itaque senties de horrendo isto rumore & strepitu tam innumerabilium damnatorum, qui in perpetua æternitate nil facient aliud, quàm lamentari, vlulare, blasphemare, & execrari Deum & Sanctos eius? Quæ triremis vsquam gentium in mari inueniri posset, tot vulneratis, infirmis, exulibus, & damnatis hominibus onerata? Hæc sunt cantica matutina, quæ infelices illic decantabunt, hoc sacellum calamitosum principum tenebrarum, hæc organa, lyræ, cymbala, & psalteria, hi musurgi, præcentores, phonasci, aulædi, & choraules. inter quos erunt, tam laici quam clerici, qui præfectis suis seu magistratibus inobedientes fuerunt, illis respondârunt & obmurmurârunt, & qui aures arrigere ad mendacia dæmonum consueuêre.

Sed nec linguæ vel delicato gustui suum deerit supplicium: cùm in Euangelio differtè legatur de isti illa, qua diues ille Epulo, qui epulabatur quotidie splendidè, in flammis pœnarum suarum torquebatur, & de querelis & lamentationibus, quibus Patriarcham Abraham compellabat, vnam tantùm aquæ frigidæ guttam petens: qua ardentissimam suam linguam nonnihil refrigeraret. *Gustui etiã torquebitur.* Luc.16.

(o)

Simile. Mexentius.

DE SENSVVM INTERIORVM, & potentiarum animæ tormentis.

CRauissimæ profectò exteriores corporis pœnæ sunt: sed multò grauiores sunt, quibus interiores animæ sensus cruciabuntur: qui eò maiora tormenta patientur, quo in euitandis peccatis fuêre negligentiores. Atque imaginatio (vt inde exordiamur) vehementissimè torquetur, dum multitudinem dolorum, tormentorumque magnitudinem tam potenter apprehendit, sibique imprimit, vt nulla alia cogitatione occupetur, aut queat occupari. Videmus enim dolorem aut morbum acutiorem ita abducere omnem nostram imaginationem, & ad se rapere, vt homo etiam si velit, non possit cogitationes suas à doloribus istis auertere: morbi enim vel dolorum magnitudo excitat semper imaginationem, nec aliud quicquam cogitare permittit. Quantò magis id fiet in Inferno, vbi dolores tam vehementes erunt, & acuti, vt nullis queant pœnis & tormentis æquiparari? Imaginatione itaque viuescet dolor, & dolore imaginatio, ita vt pœnæ damnatorum ab omni parte crescant, & augeantur. Hæ continuæ meditationes erunt illorum, qui, quamdiu viuebant, harum pœnarum recordari noluerunt, vt qui hic meditatione tam vtili vitam suam refrenare, seque in ordinem redigere neglexerunt, illic eadem frustrà, & sine vllo fructu, summo tamen cum dolore, crucientur.

Imaginationis pœna.

Memoria punietur.

Memoria quoque simili modo punietur, dum recolit antiquas suas felicitates, & voluptates transactas, quæ causæ sunt tantarum pœnarum. Illic perspicuè videbunt, quam magno sibi constant lauta conuiuia, & longæ compotationes: & quam acre nunc piper est, quod antea delicatissimum esse pœnium & bucceas dulcissimas arbitrabantur. Inter omnes animi ægritudines, nequaquam infima est, si quis ex felicissimo statu, ad summam miseriam deueniat, vt quidam Sapiens dicere solebat. Cùm itaque diuites & potentes mundi huius, oculos suos in felicitatem & abundantiam priorem extendent, in qua vixerunt aliquando in hoc mundo, & voluptatum suarum recordentur, videantque magnam illam abundantiam, in tantam sterilitatem conuersam, vt ne aquæ guttam queant impetrare, cùm illecebras in dolores; voluptates in miseriam, bonum odorem in fœtorem, musicum concentum in planctum mutatum esse deprehendent, quod quæso tantùm poterit esse supplicium, quantum erit illud, quod memoria concipiet ex harum rerum recordatione? Sed multum augebitur etiam istud supplicium damnatorum, postquam incipient metiri longitudinem, seu durationem præteritarum voluptatum, eamque cum longitudine dolorum præsentium conferre, videbuntque voluptates huius vitæ in ictu oculi transijsse, dolores autem nunquam finem habituros. Heu quantus dolor, quanta hinc nascentur suspiria & lamenta, si calculos bene subducant, videantque quòd totum vitæ tempus nihil aliud fuit, quàm vmbra aut somnus: quodque pro momentaneis delectationibus æterna tormenta, quæ nunquam interitura sunt, sustinere cogentur.

Euripides Tragicus.

Intellectus tormenta.

Istæ sunt pœnæ, quibus memoria mulctabitur, recordando præteritam beatitudinem: maior autem erit pœna intellectus, quæ ex consideratione amissæ beatitudinis æternæ orietur. Hinc nascetur vermis & conscientiæ remorsus, cuius toties mentionem facit sacra Scriptura, qui noctes atque dies rodet, mordebitque & viscera infelicissimorum illorum depascet. Vermis nascitur in ligno, & rodit semper lignum, vnde natus est: sic & de peccato prodit vermis conscientiæ, & semper contendit cum peccato, quod ipsum peperit.

Esa. 66. Marc. 9.

Vermis ille est perpetuus dolor, & rabida quædam pœnitudo, quæ damnatos sine intermissione diuexabit, dum cogitant quanta bona perdiderint, & quantas habuerint oportunitates, ea non perdendi. Istæ oportunitates semper ob oculos versabuntur: iugiter (licet frustrà) viscera depascent, & corrodent interiora; facietque dolor ille damnatos in hæc verba prorumpere. O me infelicem, qui tempus habui tanta bona promerendi, & tam inutiliter illud prodegi. Fuit heu, fuit tempus quo bona hæc mihi offerebantur, & vt acceptarem me hortabantur & orabant, & ego repudiaui, & contempsi; tantùm si ore meo peccata mea confiteri voluissem, fuissent mihi condonata: tantùm si auxilium Dei imploràssem, datum mihi fuisset: pro vno calice aquæ frigidæ ipsum cæleste regnum offerebatur. Nunc ieiunare semper, nunc lamentari semper frustrà debeo: nunc pœnitet & pœnitebit me semper magnæ meæ dementiæ, & hæc omnia erunt absque vllo fructu. Heu quomodo tempus elapsum est, & nunquam mihi reuertetur? Quid mihi datum est, ob quod in tantum me periculum volui præcipitare? Etsi mihi data fuissent omnia regna & voluptates mundi, etsi tot annorum gaudia, quot sunt arenæ in littore maris mihi concessa fuissent, nihil mihi collatum esset, si cum minimo tormento, quod nunc patior, omnia illa conferantur. Nunc verò nihil tale mihi vita dedit, sed vmbram tantum fugitiuæ cuiusdam voluptatis, pro qua tamen æternos sustinebo cruciatus. O infelix voluptas, ô infortunata permutatio, ô infausta hora & momentum, in quo sic excæcatus sum, ô cæcum me, ô miserum me, ô me millies infelicem, qui tam turpiter me ipsum fefelli. Maledicti sint, qui me sic deceperunt; maledicti qui me peccantem non castigârunt, aut reprehenderunt: maledictus sit pater, maledicta sit mater, qui peccanti adblandiebantur, & conniuebant cum delinquebam, imò ad peccata incitabant: maledictum sit lac quo nutritus sum, panis quem manducaui, & vita in qua vixi. Maledicta sit hora in qua natus sum, maledictum sit omne quod ad meam contulit aliquid essentiam. Felices illi, qui nunquam fuerunt, qui nati non sunt; beati ventres, qui non pepererunt, & vbera quæ neminem lactarunt.

Vermis conscientia.

Lamentatio animæ damnatæ.

Matth. 10.

Hoc modo infelices illi omnes creaturas execrabuntur; eas verò maximè, quæ causam ipsis aliquam peccandi præbuerunt. In vitis Patrum memoriæ proditum est, cuidam in visione ostensum fuisse puteum plenum flammis & igne, & in medio igne patrem & filium colligatos, & sibi mutuo maxima cum rabie maledicentes. Dicebat pater, maledictus sis fili, cuius gratia fœnerator factus sum, vt tu ditescerès, & ego condemnarer. Reclamabat filius, maledictus tu potius pater, qui existimasti me beare, & miserè perdidisti; dum bona malè parta mihi decedens reliquisti, quæ me in hanc carnificinam deduxerunt.

Exemplum.

Dion. Carthus. lib. 4. de fine Hominis cap. 42.

Maxima quidem sunt hæc, sed tormenta mœstæ voluntatis quis enarrabit aut describet? erit in illa perpetua & furibunda quædam inuidia, à gloria Dei & maiestate illius, electorumque omnium accensa, quæ quidem maleuolo dente, cor non minus, quàm vermis prædictus arrodet. De hac pœna dicitur in Psalm. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.* Assument etiam grauissimum odium in ipsum Deum, eò quòd detinet & castigat illos in loco hoc. Quemadmodum rabidus canis, si hasta vulneretur, vertit se cum maximo furore, & hastam mordet: ita & damnati, si fieri posset, optabunt Deum ipsum dilaniare, & dentibus suis lacerare: scientes Deum es-

Voluntatis pœna.

Psal. 111, 10.

Simile.

se, qui torquet ipsos, & qui gladio iustitiæ suæ ex alto vulnerat. Erunt & in malo indurati, & malitia non displicebit illis, sed optabunt, quòd dum viuerent in hoc sæculo, fuissent, & nunc etiam essent peiores: & si fortè pœniteat eos præteritorum criminum, nascitur ea pœnitentia non ex amore, quo Deum: sed quo seipsos complectuntur, vt pœnas nimirum euadere possent, si meliori modo vixissent. Habebunt ad hæc perpetuam desperationem, propter opinionem, quam de Deo & de eius misericordia concipient: rati Deum nunquam posse ipsis peccata commissa ignoscere, vel pœnas laxare. Hæc est causa blasphemiæ. Cùm enim amplius nihil boni aut commodi à Deo sperent vel expectent, conabuntur pro viribus suis linguas suas in Deum acuere, & maledictis atque blasphemijs sese vindicare.

DE POENA DAMNI.

Pœna damni maior est, quam sensus.

QVIS credere posset, post tot pœnas hactenus commemoratas, adhuc superesse aliam, qua damnati affligentur? Certum tamen est, omnes prædictas pœnas, nullam habere proportionem, cum illa, quæ restat, & de qua nunc dicturi sumus. Attendite quæso, & cogitate, quanta debeat hæc esse pœna, quæ cum tot, & tam horrendis pœnis supradictis, ne comparationem quidem vllam habere dicitur. Quas enim hactenus enumerauimus, harum pars maior ad pœnam sensus pertinet. De qua nunc verò dicturi sumus, est pœna damni: quæ, vt suprà obiter ostendimus, infinitis modis pœna sensus maior erit: patet id manifestè ex hac ratione. Pœna enim nihil aliud est, quam priuatio alicuius boni, quod possidebamus, aut possessuros nos sperabamus. Quantò verò maius & pretiosius est bonum illud, quo priuamur, tantò etiam maior est pœna, quam percipit is, qui priuatur: manifestum hoc est in amissione bonorum temporalium: quantò enim maiora sunt, quæ quis amittit, tantò maior sequitur dolor vel pœna.

Cùm itaque Deus infinitum bonum sit, & quo maius esse non potest, omnia in se bona complectens: certum est, quod illius priuatio, sit infinitum malum, quo peius esse non potest, & malum omnia in se mala continens. Ad hæc cum Deus centrum sit animæ rationalis, & locus, in quo omnis anima humana debet quiescere, si ab eo separetur, certè pœna & dolor hinc oritur maximus, & separatio, quæ fieri

Chrys. homil. de reparatione lapsi.

potest, amarissima. Meritò itaque dixit Chrysostomus, si mille foci vel ignes tartarei simul in vnum congererentur, non possent animam adeò cruciare, quam cruciabit illam hæc separatio.

Verbis exprimi non potest, quam crudele hoc erit tormentum, tanta separatio nec in militia, nec in carceribus fieri potest: sed & mitius multò est, si puer ab vberibus matris pendens rapiatur, & perpetuò à conspectu matris segregetur. Vt autem hæc separatio profundius in animum tuum descendat, recordare crudelis istius mortis generis, quo Tyranni quidam nonnullos martyres excarnificârunt: qui duarum arborum ramos inflecti iusserunt, & singulorum ramorum extremitatibus singulos martyrum pedes alligari, quo peracto, funes, quibus rami attracti fuerant, præscindi subitò mandârunt, ita vt rami summo cum impetu, atque maxima celeritate, in locum suum naturalem reuertentes, corpus in altum secum raperent, illud in geminas partes distraherent, & singuli rami singulas partes, diuiso corpore secum auferrent. Si hæc partium corporis à se inuicem separatio, tam crudelis & immanis habita sit tyrannis: quid tibi videtur de illa separatione, qua mali separabuntur à Deo Creatore suo? non enim illa vnius partis erit, sed animæ totius: præsertim cum hæc duratura sit, non modò tanto tempore, quanto rami illi in altum resiliebant, sed tanto, quanto Deus erit Deus, id est, sine vllo termino, vel fine.

Simile.

Hoc genere mortis S Corona multata est, Vide Adonem in Martyrolog pridie Iduum Maij.

DE SINGVLARIBVS *quorundam pœnis.*

PRÆTER hactenus dicta tormenta, sunt & alia nonnulla: quæ enim hucusque à nobis enumerata sunt, generalia sunt, & damnatis omnibus communia: restant & alia quædam præparata, & proportionata (vt ita loquar) singulis secundùm qualitatem criminum ipsorum: quod genus supplicij voluit Esaias indicare, cùm diceret. *Nonne iuxta plagam percutientis se, percussit eum? aut sicut occidit interfectos eius, sic occisus est? In mensura contra mensuram, cùm abiecta fuerit, iudicabis eam: meditatus (iustitia Dei) in spiritu suo duro, per diem æstus.* Æstus hic significat ardorem & furorem indignationis Dei. Spiritus verò durus austeritatem sententiæ, quæ castigabit culpam temporalem, pœna æterna. Mensura contra mensuram erit quantitas & proportio pœnæ, par qualitati culpæ. Atque in hoc mirum in modum eluceret pulchritudo & ordo diuinæ iustitiæ, dum vnicuique reddetur meritum aut præmium, secundum qualitatem peccatorum. Auari igitur (vt quidam Doctor ait) punientur illic miserandâ quadam omnium rerum inopia: Pigri & ignaui ignitis telis incitabuntur: Gulosi & helluones incredibili fame & siti torquebuntur: libidinosi & luxuriosi flammis graueolentis sulphuris inuoluentur: inuidi præ nimio dolore latrabunt, & vlulabunt instar canum rabidorum: superbi & ambitiosi confusione replebuntur, & ceteri quoque secundum qualitatem peccatorum, similibus pœnis mulctabuntur. Vos itaque ô Idololatræ mundi huius, amatores honorum, cumulatores diuitiarum, inuentores nouarum vestium, ciborum, & voluptatum, væ, & iterum væ vobis. O peruersa & infelix ciuitas Babylon, quæ assumes tunc planctum supra te, quam alias, copiosis lachrymis ipse Saluator Christus defleuit, cum diceret, *Vtinam & tu cognouisses, & quidem in die hac.* Vtinam cognosceres nunc quàm magno tibi constabunt huius mundi delitiæ, & quàm immanes, crudeles, & inexorabiles erunt tunc carnifices tui, & tortores, quos nunc idolorum instar adoras. Quemadmodum illis qui fructus acerbos atque immaturos comedunt dentes obstupescunt: ita carnalibus hominibus, quia immatura quiete frui, & in valle miseriarum Paradysum habere voluerunt, dentes in illa die obstupescent & pro quiete motum, pro felicitate miseriam, pro Paradyso Infernum inuenient. Sic enim per Prophetam minatur illis Deus, dicens: *Omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius.* Ille autem comedit vuam acerbam vel immaturam, qui voluptates & gaudia futuræ vitæ, delitijs & voluptatibus vitæ præsentis vult anticipare, seu præuenire. Iccircò illi buccellæ huiusmodi tunc amarescent, cùm ante tribunal supremi Iudicis condemnabitur, eò quod ante tempus requiem & voluptatem quæsuit.

Qualitas pœnæ erit secundum qualitatem culpæ.

Esa. 27, 8.

Enumeratio quorundam huius generis pœnarum.

Luc. 19, 44

Simile.

Hierem. 31, v. 30.

DE ÆTERNITATE *suppliciorum omnium.*

PORRO si omnia prædicta supplicia tam dira sint & acerba, quid quæso erit si illis etiam æternitatem adiungamus, dicamusque tormenta gehennæ finem non habitura? elapsis decies annorum millibus, initium habebunt alia centum millia:

millia: & post centum illa annorum millia, tot millena millia succedent, quot stellæ sunt in cælo, & quot arenæ in magni littoribus Oceani. deinde cum illa etiam ad finem peruenerint, noua tempora incipient, & damnatus, tantum pœnarum suarum pensum quasi prius auspicabitur: sic rota tormentorum
Esa 30, v 33. suorum perpetuò sine intermissione curret. *Præparata est*, inquit Esaias, *ab heri vallis Tophet à Rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris, succendens eam.* Vallis hæc Infernus est, qui præparatus est ab heri, id est, ab orbe condito, in supplicium impiorum & peccatorum. Nutrimentum eius ignis, qui ardet & non consumitur, & ligna eius non mille fasces sunt, sed tot fascium millia, quot millia damnatorum corporum in illo reperiuntur. Ne autem ignis hic vnquam extinguatur, mandatum est Dæmonibus, vt succendant, & flatu suo exuscitent semper: qui cùm immortales sint, nunquam defatigantur: sed etsi illi defatigati fuerint, supereſt flatus Domini, qui non lassatur. Magna profectò res esset, & omnibus vobis optanda, homines huius æternitatis veram cognitionem habere. Sine dubio sola sufficeret ad vitam nostram refrænandam. Quare non absre futurum existimo, si exempla nonnulla producamus, quorum similitudine, in aliqualem æternitatis huius cognitionem quasi manu ducamur.

Simile. Propone itaque tibi supplicij genus in quibusdam prouincijs vsitatum, vbi malefici viui exuruntur: & quo maiora sunt delicta, eò minor rogus extruitur, vt pœna tantò sit prolixior, quantò vis ignis est debilior. Esset autem multò maior pœna, si modus excogitari posset, eam diutius protrahendi. Dic mihi obsecro, si genus tormenti hoc tam dirum & inhumanum iudicetur, quod tamen integrum diem vnum non durat, & quod tam exiguo igni exercetur: quale erit illud, quod in æternitate durabit, & cuius ignis tam copiosus erit, & tam immaniter ardebit? Posséne Mathematicus in vniuerso mundo reperiri, qui distantiam vtriusque generis supplicij suo ingenio & arte poterit metiri? Si itaque homo nullum periculum, nullum laborem, nullas molestias recusset, vt tormentum hoc temporale subterfugiat: quid non faciemus nos, vt æternum illud incendium euitemus?

Taurus Phalaridis. Memento etiam tauri illius ænei, olim à Perillo inuenti, & immani Agrigentinorum tyranno Phalaridi oblati, in cuius latere ianua erat facta, per quam homines viuos in ventrem huius machinæ demittere solebat, ignemque subijcere, & miserum hominem ardore metalli candentis paulatim, & lenta morte, crudelissima tamen exurere. Non poterat miser effugere, non respirare, non se defendere vel refrigerare, nullum habebat remedium aliud, quàm ardere, mugire, & sese hinc inde, in loco angustissimo, & feruentissimo vsque ad mortem volutare. Quis hoc supplicij genus, si vel audiat tantùm describi, non detestetur, & ad solum nomen eius toto corpore non exhorrescat? aut cuius viscera non tremerent ad solam istius cogitationem?

Sed dic mihi amabo, ô Christiane, quid illud supplicium aliud est, quàm somnium, si velimus cum is conferre, quæ nos hic tractamus? Si ad solam cogitationem horum contremiscas, quid faceres, si non tantùm cogitares, sed ipse in hoc tauro inclusus lento igne torrereris? Profectò tanta, & tam horrenda res est semper in tormentis esse, vt si vnus tantùm ex filijs Adæ ad perpetua supplicia condemnatus esset, sufficeret, ad omnium seculorum hominibus pauorem & horrorem incutiendum. Non erat, nisi vnus inter Apostolos Christi, qui Dominum suum traderet, nihilominus cùm diceret illis Iesus, *Amen dico vobis, vnus vestrum me tradet*, cœperunt omnes dolere, contristari & mœsti esse, eò quod rem tam detestandam esse existimarent. Quomodo itaque nos non pauebimus & contristabimur, certò scientes stultorum numerum esse infinitum, & quod via quæ ducit ad vitam adeò sit angusta? quodque tam latè explicat sinum suum Infernus, ad recipiendum tantam multitudinem damnatorum? Si hæc non credamus, vbi fides nostra? & si credamus, vbi est iudicium, & ratio nostra? Si quoque iudicium & ratio in nobis sit, cur non incedimus lugentes & plorantes alta voce per ciuitates & oppida? cur non currimus ad loca deserta & auia, sicut multi sancti fecerunt, vt habitemus inter bestias, vt vel sic horrenda hæc tormenta euadamus? Qui fieri potest, vt nocte vna securè dormiamus? quomodo non amittimus sensus omnes, ex sola tantarum pœnarum, & vltimi huius periculi memoria? præsertim cùm nonnunquam res multò minoris momenti, satis sit, ad non solum iudicium, & rationem hominis perturbandam, sed etiam ad vitam extinguendam.

Matth. 26, 21.

Eccl 1. Matth. 7.

Hæc autem maxima infelicium illorum pœna erit, quòd scient certò, Deum & tormenta sua simul currere, & nunquam deficere: ideoque miseria ipsorum nullam admittet consolationem, quia supplicia finem non habebunt. Si miseri illi crederent se post centies centena annorum millia, ex istis tormentis ereptum iri, magna hoc ipsis esset futura consolatio: quia etsi tempus hoc longissimum est, finem tamen aliquando haberet: supplicia verò eorum finem non inuenient: quia sicuti est apud diuum Augustinum: Miseris erit ibi mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors semper viuet, & finis semper incipiet, & defectus deficere nesciet. Mors perimet, & non extinguet: dolor cruciabit, & pallorem non fugabit: flamma comburet, & tenebras non discutiet. Sine fine semper cruciati, viuent sine spe veniæ & misericordiæ: quod est miseria super miseriam. Si enim post tot millia annorum, quot capillos habuerunt omnes, quicunque fuerunt, & erunt pœnas suas finiri sperarent, multò leuius eas sustinerent: sed quia spem non habent, nec habebunt, desperatione deficient, & ad tormenta non sufficient. Hæc D. Augustinus.

August. de Spiritu & Anima c. 76.

Innuit idipsum Psalmista cùm dicit: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascit eos.* Gramen quod depascunt oues, non perit omninò: viua & integra manet radix, quæ origo vitæ est: vnde germinat iterum, & succrescit, vt nouum pabulum sit, & pecoribus noua pascua præbeat. Sunt itaque pascua campi perpetua, quia semper pascunt, & reuirescunt, seu renascuntur. Eodem modo & mors à damnatis pascitur, & sicuti Mors non morietur vnquam, ita semper hoc pabulo satiabitur; nec fatigabitur edendo, nec à vorando cessabit vnquam. Ita vt illa habeat semper quod depascat, & illi semper quod patiantur.

Psal. 48, 15.

DIE

DIE SABBATHI, MEDITATIO VESPERTINA SEXTA.

DE GLORIA VITÆ CÆLESTIS.

HOC DIE SVB NOCTEM MEDITABERIS FELICITATEM & gloriam Vitæ cæleſtis. Quæ meditatio tam vtilis eſt, vt ſi accedat lumen viuæ fidei, afflictiones, miſeriaſque omnes, quas pro his bonis adipiſcendis patimur, dulces reddat. Si enim diuitiarum cupido mitigat labores & moleſtias omnes, quas ſufferimus ijs conquirendis: & ſi amor prolis mulieres faciat partus dolores vltrò deſiderare, quid faciet amor horum bonorum, in cuius comparatione omnia alia bona, bona non ſunt? Si Patriarchæ Iacob ſeptem annis ſeruire pro Rachel viſi ſint pauci anni præ amoris magnitudine, quid faciet amor æternæ pulchritudinis, æternique matrimonij, ſi quis hæc oculis viuæ fidei contempletur? Re enim vera illius feliciſſimæ æternitatis conſideratio, omnia quæcunque euenire poſſunt aduerſa exiguo negotio euertere idonea eſt.

Geneſ. 20.

VOLENS quiſpiam intelligere, & quaſiguſtare, qualia ſint hæc bona, debet conſiderare, inter alia, quinque quæ in his inueniuntur, loci nimirum excellentiam, exultationes & gaudia iſtius Societatis, viſionem Dei, gloriam corporum, & perfectionem omnium bonorum, quæ ibi reperiuntur.

Cæli magnitudo & excellentia.

Primò conſidera dignitatem & excellentiam loci, & præcipuè magnitudinem eius, quæ eſt admirabilis. Si quis enim legat in graui & erudito auctore, quod quælibet ſtella firmamenti maior eſt vniuerſa terra, & quod plus eſt, eſſe inter illas, tam nobilis magnitudinis, vt nonagies vniuerſæ terræ quantitatem excedant: deinde verò oculos noctu cælo ſereno in altum attollat, videatque tantam in cælo ſtellarum multitudinem, & tot loca vacua, multò plurium, maiorumque corporum capacia, quomodo is non mirabitur? quomodo non ſtabit attonitus? quomodo non extra ſe raptus, dum immenſam illam magnitudinem loci intuetur, & multò plus dum ſupremi illius architecti recordatur, qui iſtam machinam fabricatus eſt?

Cæli pulchritudo.

Pulchritudinem loci illius quis poſſet verbis explicare? Nam ſi Deus in hac valle lachrymarum, & locis illi confinibus, tam admiranda & formoſa corpora atque ſpectacula creauerit, quid quæſo creauit in illo loco, vbi eſt ſtatio gloriæ, & ſedes Maieſtatis eius? Palatium magnificentiæ? domus Electorum, & Paradiſus omnium delitiarum?

Nobilitas beata ſocietatis in cælo.

Poſtquam ita tecum tractaueris excellentiam loci, perge ad contemplandum nobilitatem habitantium in illo: quorum numerus, ſanctitas, diuitiæ & pulchritudo vincunt omnia, quæ vnquam in cor hominis aſcenderunt. D. Ioannes ait, ſe vidiſſe *turbam Electorum, quam nemo dinumerare poterat.* Sola Angelorum multitudo, vt teſtatur Dionyſius, tanta eſt, vt ſine vlla comparatione ſuperet multitudinem omnium rerum materialium. Confirmat hoc B. Thomas, dicens: quòd ſicut vincit magnitudo cæli terræ magnitudinem, ſine vlla proportione: ita multitudo glorioſorum ſpirituum vincit multitudinem rerum, quæ ſunt in hoc mundo ſimili augmento & proportione. Quæ res poterit eſſe admirabilior? Certè ſi quis hæc bene perpenderet, ſufficere poſſent ad commouenda & in admirationem rapienda omnia corda mundi huius. Porrò ſi vnus Angelus, etiam minimus inter illos, pulchrior ſit toto hoc viſibili mundo; quid erit videre tantam Angelorum tam formoſorum multitudinem? quid videre ſingulorum perfectionem, & officia quibus ſinguli in illa ſuperna ciuitate funguntur? Ibi diſcurrunt Angeli, miniſtrant Archangeli, triumphant Principatus, exultant Poteſtates, dominantur Dominationes, fulgent Virtutes, coruſcant Throni, relucent Cherubin, ardent Seraphin, & omnes canunt laudem & gloriam Deo. Si ſocietas & conuerſatio bonorum in hoc mundo tam dulcis ſit, & amabilis, quid erit ibi inter tantum bonorum numerum verſari? cum Apoſtolis ſermones conferre? cum Prophetis conuerſari, cum Martyribus communicare, & vt ſimul omnia dicam, cum tot Electis negotium & conſortium habere?

Quantum gaudium videre Deum.

Si tanta gloria & gaudium ſit cum ſocietate bonorum gaudere, quid quæſo erit gaudere & exultare de conſortio & præſentia illius, quem laudant ſtellæ matutinæ? cuius pulchritudinem Luna & Sol admirantur? ante cuius faciem Angeli genua flectunt? de cuius præſentia homines gloriantur? Quid erit videre ibi ſummum & vniuerſale illud Bonum, in quo bona omnia comprehenduntur? mundum illum magnum, in quo ſunt omnes mundi? & qui eſt Vnus, in quo ſunt omnia? qui licet ſimpliciſimus ſit, omnium tamen perfectiones brachijs ſuis complectitur? Si tanta fuerit olim felicitas videre Salomonem Regem, vt diceret Regina Sabæ: *Beati viri tui, & beati ſerui tui hi, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.*: quæ fœlicitas erit videre ſummum illum Salomonem? æternam illam Sapientiam? infinitam Magnitudinem? inæſtimabilem Pulchritudinem? immenſam Bonitatem? cum hoc gaudere ſemper? Hæc eſt eſſentialis gloria Sanctorum. Hic eſt vltimus finis & centrum omnium noſtrorum deſideriorum.

3 Reg. 10, 8.

Corporum gloria.

Deinde & corporum gloriam tecum perpende, in quibus nihil erit, quod non erit glorificatum. Singulæ enim membra & ſenſus ſinguli ſuam habebunt peculiarem gloriam, & obiectum in quo ſeſe oblectabunt.

4 dotes corporum.

Habebunt ibi corpora dotes quatuor ſingulares, vt ſunt ſubtilitas, agilitas, impaſſibilitas & claritas: quæ tanta erit, quod teſte Chriſto, *Iuſti fulgebunt vt Sol, in regno Patris.* Sed ſi Sol vnus, qui voluitur in medio cæli huius, ſufficiens ſit, ad illuminandum, & ad lætificandum mundum hunc vniuerſum, quid facient tot Soles, & tot lumina, qui in iſto loco lucebunt?

Matth. 13, 43.

Ceterum ne longior ſim, inuenientur in illa gloria om-

ria omnia bona simul congregata, & in vnum coacervata: Omnia verò mala procul hinc exulabunt. Erit ibi sanitas sine infirmitate, libertas sine seruitute, pulchritudo sine deformitate, immortalitas sine corruptione, abundantia sine necessitate: quies sine perturbatione, securitas sine timore, scientia sine errore, satietas sine nausea, gaudium sine tristitia, & honor sine contradictione. Erit ibi teste Augustinus vera gloria, vbi laudantis nec errore quispiam, nec adulatione laudabitur. Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: sed nec eum ambiet vllus indignus: vbi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax ibi est, vbi nihil aduersi, nec à seipso, nec ab alio quispiam patietur. Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo melius & maius nil posit esse, promisit. Quid est enim aliud quod per Prophetam dixit: *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs*; nisi; ego ero vnde satientur: ego ero quęcunque ab omnibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus: *Vt sit Deus omnia in omnibus*. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

Aug. de Ciuit. Dei, lib. 22. cap. 30.

1 Cor. 15, 28

Locus iste erit spatiosus, iucundus, amœnus, lucidus & securus. Societas optima & gratissima. Tempus perpetuò idem, & sibi simile. Non erit ibi ortus aut occasus Solis distinctio, sed erit vna continua & simplex æternitas. Erit ibi perpetuum ver, quod tepore & vento Spiritus sancti fœcundatum, semper florebit. Ibi omnes lætabuntur, omnes cantabunt, omnes laudabunt, & glorificabunt Deum, summum omnium datorem: cuius benignitate viuunt, & regnant in ista beata gloria. O ciuitas cælestis, ô habitatio secura, terra vbi inuenitur quidquid delectat, populi sine murmure, vicini quieti, homines nulla necessitate obnoxij. O si misera hæc vita ad finem veniret: ô si exilium meum esset consummatum. Quamdiu prolongabuntur dies peregrinationis meæ? Quando veniet dies illa? *quando apparebo ante faciem Dei mei?*

Psalm. 41, 3

TRACTATVS SEXTVS.

DE GLORIA PARADISI, *in quo fusius explicantur ea, quæ in meditatione præcedenti posita sunt contractius.*

INTER eas res, quæ sine intermissione nobis in hac valle lachrymarum meditandæ sunt, nequaquam minima est felicitas cælestis gloriæ. Sola enim sufficit ad corroborandum nos, animumque nobis addendum, in omnibus aduersitatibus & tribulationibus quæ nobis occurrunt, dum ad hanc beatitudinem properamus. Cùm Deus Abrahæ terram promissionis polliceretur, voluit vt eam prius circumiret, & collustraret, dicens: *Leua oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* Leua & tu, ô anima mea, oculos tuos in altum, relinque inferiora negotia omnia, & terrenis cogitationibus noli occupari. Euola spiritualibus pennis tuis in terram illam nobilem promissionis, & vide cum attentione longitudinem æternitatis, copiam felicitatis, & magnitudinem diuitiarum illius: cum omnibus aliis voluptatibus, & bonis, quæ in ea sunt.

Genes. 13, 14

Scriptum est, Reginam Sabæ audita fama Salomonis, è longinquis regionibus excitam cum magno comitatu, & pretiosis donis venisse Hierosolymam, vt videret & audiret magna illa & mirabilia, quæ de hoc Rege dicebantur. Cùm verò fama cælestis illius Hierusalem, & Regis summi, qui in illa dominatur, non minor sit: ascende & tu, ô homo, in spiritu ad celebrem hanc ciuitatem, ad contemplandum miram sapientiam supremi illius Regis, & pulchritudinem templi, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, & vestes domesticorum, & gloriam politicamque administrationem nobilis huius ciuitatis. Si enim horum singula bene expendere & examinare noueris, eris quasi non habens amplius animum, & spiritus tuus forsan leuabitur supra te, fateberisque ne minimam huius gloriæ atque maiestatis partem vnquam tibi cognitam aut annunciatam fuisse. Etenim ad harum rerum cognitionem necessarium est speciale lumen Dei, quemadmodum disertè testatur illud Apostolus, cùm inquit: *Memoriam facio vestri in orationibus, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, & renelationis, in agnitione eius, & illuminet oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis vestræ, & quæ diuitiæ gloriæ beatitudinis eius, quam præparauit Sanctis.*

3 Reg. 10.

Ephes. 1, 16.

Sex in hoc tractatu consideranda.

Sunt quidem in hac materia res plurimæ considerandæ: sed ne prolixiores simus, quinque illa quæ superius breuiter enumerauimus, diligenter discutiamus & perpendamus: excellentiam nimirum loci, gaudia ciuium & societatis quę in illo est, præsentiam seu visionem Dei, gloriam corporum, & æternitatem tantorum bonorum.

DE PVLCHRITVDINE, *excellentia, & dignitate loci cælestis.*

Pulchritudo cælestis patriæ.

CONSIDERA primùm, quæ sit pulchritudo loci huius, quæ allegoricè, & quasi per figuram externam describitur à B. Ioanne in Apocalypsi his verbis: *Et venit vnus de septem Angelis & locutus est mecum dicens: Veni & ostendam tibi sponsam vxorem Agni, & sustulit me in spiritu in montem magnum & altum: & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem, descendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei, & lumen eius simile lapidi pretioso, tanquam lapidi Iaspidis, sicut Crystallum. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab Oriente, portæ tres: & ab Aquilone, portæ tres: & ab Austro, portæ tres: & ab Occasu, portæ tres. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim: & in ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorum & Agni. Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem & portas eius, & murum. Et ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo, & mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia, & longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia sunt. Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli. Et erat structura muri eius ex lapide Iaspide: ipsa verò ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, Iaspis: secundum, Sapphirus: tertium, Chalcedonius: quartum, Smaragdus: quintum, Sardonyx: sextum, Sardius: septimum, Chrysolitus: octauum, Beryllus: nonum, Topazius: decimum, Chrysoprasus: vndecimum, Hyacinthus: duodecimum, Amethystus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ, erant ex singulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Et templum non vidi in ea Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus. Et ciuitas non eget sole, neque luna, vt lu-*

Apoc. 21, 9.

Esa. 60.

vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius: & Reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam. Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et afferent gloriam & honorem Gentium in illam. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium: nisi qui scripti in Libro vitæ Agni.

Isa. 60.

Apocal. 21.

Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam chrystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis Lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium. Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes Dei & Agni in illa erunt, & serui eius seruient illi.

Isa. 60.

Et videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus eorum. Et nox vltrà non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis: quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in secula seculorum.

Ecce mi frater, habes hic egregiè descriptam huius ciuitatis pulchritudinem. Ceterùm hic obseruandum est, prædictas res non esse materiales, non iuxta verborum, & syllabarum significationem seu numerum, sed secundùm spiritum intelligi deberi: res esse spirituales & immateriales, multò ijs pulchriores & magnificentiores, quæ per externas illas (quia pretiosiora dari non possunt) adumbrantur.

Sita est ciuitas hæc super omnes cælos, magnitudo eius & latitudo seu capacitas eius superat omnem mensuram. si enim quælibet stella tantæ magnitudinis sit, vt suprà dictum est: quàm amplum & spatiosum erit cælum illud, quod omnes stellas, omnes spheras inferiores, cum ipso firmamento, quasi in sinu suo complectitur & ambit? Non est magnitudo in terra, quæ cum hac comparata non plus dissimilitudinis, quam similitudinis habet. Dicit enim quidam vir Sapiens, quod ab occidentaliori parte Hispaniæ nouæ, ad vltima Indiæ littora, id est, ab Occidente in Orientem (si ventus secundus sit) nauis paucis diebus percurrit. At stella (quæ tamen leuissima est & velocissima) multos annos currere deberet, priusquam illam cæli regionem vel radijs suis posset illuminare.

Simile.

Pulchritudo cæli.

Si vlterius inquiras de labore atque artificio ædificiorum, ea tanta sunt, vt nulla lingua exprimere, nulla mens excogitare sit idonea: si enim quæ cæli deforis hominibus conspicua sunt, tam venusta, tam formosa sint: qualia putas sunt illa, quæ intus lucent, & mortalium oculis sunt abscondita? & si ab hominum manibus opera tam affabrè, tamque ingeniosè facta fabricentur, vt oculos intuentium seducant, & in stuporem rapiant: qualia & quanta illa erunt, quæ manus Domini condidit, in illa Regia, in illo Palatio, & in domo voluptatis, quam Deus Electis suis construxit & præparauit? Propterea exclamat Propheta: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

Psalm. 83, 2.

Ciuium Nobilitas.

Nobilem ciuitatem præ ceteris & celebrem faciunt Ordo & conditio ciuium, bonaque & politica Reip. administratio: vt ciues nimirum nobiles sint, atque inter se concordes: Sed cuius ingenium tam fertile, aut cuius eloquentia tam copiosa erit, vt excellentiam huius loci pro rei dignitate possit explicare? Omnes ciues & domestici illius nobiles sunt, nemo popularis, nemo conditionis seruilis: Omnes enim appellantur & sunt filij Dei, & tam inter se concordes sunt, vt vnam omnes habeant animam, & cor vnum: tanta in pace viuentes, vt ciuitas ipsa *Hierusalem* quod est, *visio pacis* appelletur. Vis autem numerum incolarum scire, vis nosse quàm populosa sit, audi Ioannem in Apocalypsi. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amictis stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.*

Apocal. 7, 9.

Altipulatur huic Propheta, cùm ait: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.*

Dan. 7, 10.

Noli autem arbitrari esse illic strepitum, turbam, vel ataxian aliquam, eò quod tantus esse dicatur hic numerus congregatus: multitudo enim ibi non erit causa confusionis, sed maioris ordinis, concentus & harmoniæ. Ille enim qui ineffabili harmonia motum cælorum, & stellarum cursus ordinauit, quique singulis nomina sua indidit, idem instruet, ordinabitque tam innumerabilem exercitum Beatorum, maximè concinnè & compositè, dans vnicuique locum & gloriam, secundùm opera sua & merita. Est enim hic locus Virginibus attributus, alius Confessoribus, alius Martyribus, alius Patriarchis & Prophetis assignatus: alius denique Apostolis & Euangelistis præparatus & dedicatus. & sic de reliquis dispositum est, ita vt singuli per singula loca ordine pulcherrimo sint distributi. Eodem modo & Angeli in tres Hierarchias secti sunt, & iterum in Choros nouem diuisi, quibus omnibus supereminet Regina Angelorum, quæ sola per se Chorum facit, quia nec parem habet sibi, nec similem. Tandem verò super omnes Choros sedet sanctissima humanitas Christi, à dextris Maiestatis Dei in altissimis.

Ioan. 14.

Tu itaque ô anima mea, percurre nunc omnes Choros istos, spatiare per plateas istas, perlustra ordines horum ciuium, pulchritudinem huius ciuitatis, nobilitatem & magnificentiam Incolarum: saluta singulos nominatim, & pete ab illis suffragia, & intercessionem orationum. Saluta & dulcem illam patriam, & tanquam peregrinus à longè videns defige oculos animæ tuæ in illam, & dic: Salue dulcissima patria, terra nobis promissa, portus securitatis, locus refugij, domus benedictionis, Regnum omnium seculorum, paradisus delitiarum, hortus florum æternitatis, area bonorum omnium, corona Iustorum, finis vltimus, & centrum omnium nostrorum desideriorum. Salue Mater nostra, spes nostra, ad quam suspiramus, pro qua gemimus & pugnamus, vsque in hanc horam, quia scimus quòd non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

Iob 1,

Salutatio ad cælest. Hier.

2. Timoth. 2.

DE SECVNDO GAVDIO QVOD percipiet anima ex societate & consortio Sanctorum.

POST præcedens gaudium, quis enarrare posset, quanta erunt, quæ quis ex tam felici præsentia & societate omnium Sanctorum capiet? Illic enim virtus charitatis erit perfecta & omnibus numeris absoluta: cuius est omnia facere communia. Pro hac impetranda orabat Christus, cum diceret: *Rogo te pater, vt illi vnum sint,* per amorem, *sicut nos vnum sumus,* per naturam. Ibi enim perfectio illa obseruabitur. Ibi omnes vnum sunt, magis etiam quàm membra vnius eiusdemque corporis, quia omnes participiant de eodem spiritu, qui dat omnibus vnum esse, & vnam beatam vitam. Dic mihi, quid causæ est, cur membra vnius corporis tantam inter sese habeant vnitatem & concordiam? causa est, quia omnes de vna eademque forma communicant, quæ est vna eademque anima: quæ dat vnicuique esse vnum, & vitam vnam. Si anima, seu spiritus humanus tantæ sit efficaciæ, vt possit inter membra tam longè inter se & officio & natura differentia, tantam vnitatem conciliare, quanto magis poterit Spiritus diui-

Ioan. 17, 20.

Spiritus sanctus in cœlo omnes vnit facit.

Simile.

Matth. 2

diuinus, per quem viuunt omnes Electi (quia est tanquam, anima communis omnium) tantam & multò maiorem perfectionemque vnitatem facere, inter ipsos cælorum ciues & incolas? præsertim cùm causa sit multò nobilior, & virtus potentior, quæ etiam dat multò nobilius esse, & excellentiorem producit effectum.

Dic mihi, si hoc modo vnitas & amor omnia communia faciant, tam bona quàm mala (quemadmodum illud experimur in membris vnius corporis, & in amore Matris erga liberos, & liberorum erga matrem, qui tam bene gaudent de bonis illius, quàm de proprijs) quantam lætitam vnus Electus ex gloria capit omnium aliorum, dum quemlibet, & singulos amet sicut semetipsum? Nam (sicut beatus Gregorius ait) hæreditas cælestis pro toto exercitu Sanctorum est vna, & pro vno illorum tota: singuli enim de gaudio omnium tantam percipiunt lætitiam, quantam perciperent si ipsi omnium possiderent. Quid verò hinc consequens est, nisi quemadmodum Electorum infinitus est numerus, ita & singulorum gaudium futurum sit infinitum? quid hinc colligitur, nisi quòd excellentiam & dignitatem omnium singuli etiam habebunt totam? quidquid enim quis non habebit in semetipso, in altero est habiturus. Spirituali modo erunt illic Electi, quasi septem filij Iob, inter quos erat tantus amor & concordia, *vt facerent conuiuia per domos, vnusquisque in die suo.* Ex quo sequebatur quòd vnus de alterius diuitijs & bonis tantum participabat, quantum de suis proprijs.

Gaudium erit commune.

Iob 1,4.

Erant itaque vniuscuiusque diuitiæ propriæ alijs omnibus communes, & communes omnium singulis erant propriæ. Hoc operabatur in sanctis illis fratribus, amor & fraternitas.

Sed quantò maior est fraternitas Electorum? quantò copiosior fratrum numerus & multitudo? & quantò vberiores, pretiosioresque sunt illic diuitiæ? de quibus omnibus gaudebunt singuli? Quæ si ita sint (vt sunt reuera) qualia erunt hæc conuiuia quæ agitabunt illic Seraphin, Spiritus altissimi, & Throno Dei proximi, quando oculis nostris dignitatem & nobilitatem suæ conditionis reuelabunt? & claritatem suæ visionis ardoremque suæ charitatis nobis communicabunt? Qualia erunt conuiuia, quæ celebrabunt Seraphin, in quibus clausi sunt omnes thesauri Sapientiæ diuinæ? Qualia erunt conuiuia Thronorum, Dominationum, & aliorum beatorum Spirituum? Quanta illic voluptas erit, quando nos ipsi summa cum exultatione videbimus exercitum illum gloriosorum Martyrum, qui amicti sunt stolis albis, triumphales palmas in manibus suis portantes, vnà cum armis suis, quibus interfecti de mundo triumpharunt? Quàm iucundum erit videre turmam illam vndecim millium Virginum, & decem millium Martyrum, imitatorum gloriæ & Crucis Christi? Maurorum quoque, Thebeorum cum alijs infinitis multitudinibus? Quanta delectatio erit videre illic gloriosum illum Diaconum, cum sua craticula, fulgentem clarius ipsis flammis, quibus vstulatus est, cùm insultaret Tyranno, & lassaret ipsos tortores incredibili sua patientia? Quantum erit gaudium præsentem illic cernere Virginem illam pulcherrimam D. Catharinam, rosis & violis redimitam, rotas & nouacula armis fidei & spei superantem? Septem illos Machabæos nobiles, cum pia & magnanima Matre illorum, spernentes omnia tormenta, ne violarent legem Domini? quod monile ex auro & gemmis pretiosis confectum tam gratum erit oculis nostris, quàm collum Ioannis Baptistæ, qui capite truncari maluit, quam adulterium Regis dissimulare? Quæ purpura rutilabit adeò,

Gaudia beatorum Spirituum.

Matth. 24.

quam suo rubedine corpus illud felicissimi Bartholomei, non superabit? Beatum Stephanum tot vulneribus à lapidibus acceptis insignitum illic intueri, quid quæso aliud erit, quàm videre vestem pyropis, saphyris, & hyacinthis distinctam, iucundissimè relucentem? Et vos gloriosi Principes Ecclesiæ, quomodo radiabitis, decies sole clariores, tu Paule cum gladio, & tu Petre cum vexillo triumphali Christi tui præceptoris, quibus armis coronam martyrij mertuistis? Quàm ineffabile itaque gaudium erit, vnumquemque de omnibus his tanquam de proprijs gaudere? O glorioſum conuiuium, ô epulum regale, ô mensa digna Deo, & omnibus eius Electis. Eant nunc, eant mundi amatores, cum impuris & carnalibus suis conuiuijs, & rumpant ventres suos incondita superfluitate. Tale conuiuium, quale hoc est, Deo conuenit, vbi talia condimenta, talesque administrantur epulæ.

Ascende nunc altius super omnes Choros Angelorum, & aliam inuenies gloriam magis singularem: quæ admirabili modo lætificat hanc Aulam, & incredibili dulcedine ciuitatem Dei inebriat. Leua oculos, & vide Reginam misericordiæ, plenam claritate & pulchritudine, cuius gloriam mirantur Angeli, & de cuius magnificentia gloriantur homines. Hæc est Regina cœli, coronata stellis, amicta sole, lunam habens sub pedibus, & benedicta inter omnes mulieres. Totam nunc mentem, omnemque animum huc aduerte, & vide quanta voluptas est cernere talem Dominam & Matrem nostram non iam genibus suis positis ante miserum præsepe iacentem; non iam dolentem & mœstam ob vaticinium Simeonis: non iam plangentem & quærentem per omnes vicos & plateas amissum dulcissimum filiolum; sed cum inæstimabili pace & securitate sedentem iuxta filium, securam nunc, quòd non amplius perdet incomparabilem hunc thesaurum. Non iam necesse est quærere noctis silentia, & cum filio in Ægyptum fugere, vt eum ab ira Herodis abscondat. Non iam amplius sub crucis vmbra stabit, sanguinis riuulos defluentes in caput accipiens, illiosque in perpetuam dolorum suorum memoriam in vestibus suis circumferens. Non iam amplius tristi illo collybo cruciabitur, vt Magistrum Discipulo & Dominum seruo permutare cogatur. Non iam in posterum proferet vnquam tam lamentabilem vocem, verbumque doloris plenum, quale sub sanguinea crucis arbore proferebat: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te: Absalon fili mi, fili mi Absalon.* Omnia hæc transierunt, & quæ visa est in hoc mundo afflicta & tribulata, plus quam vlla creatura, nunc vicissim videtur super omnes creaturas eleuata, semper in Summo illo bono exultans, & dicens: *Inueni quem quæsiuit anima mea, tenebo eum, & non dimittam.*

B. Maria Virgo.

Apoc. 12 v. 1. Luc. 1, 28.

Luc. 2.

2. Reg. 18, 33.

Cant. 3, 4.

Si videre Mariam tantum futurum sit gaudium, quantum erit conspicere ipsius Christi Humanitatem, gloriam, & pulchritudinem corporis illius, quod tam crudeliter laniatum pro nobis pependit in cruce? Erit profectò, teste Bernardo, res omni suauitate plenissima, homines videre hominem vnum, omnium hominum Creatorem. Parentibus & cognatis summus honor est, si quando filius aut cognatus Cardinalis fiat aut ad Pontificis Romani fastigium eleuetur: quanto verò maior erit honor, maiorque voluptas videre Dominum, qui caro nostra & sanguis noster est, sedentem à dextris Patris, & factum cæli terræque Regem & Imperatorem? Quomodo admirabuntur homines, inter Angelos videntes Dominum domicilij huius & communem Creatorem omnium, non Angelum, sed hominem esse? Si homo capitis sui honorem, suum esse honorem exilti-

Humanitas Christi.

S. Bern. lib. 20 serm. in Cantic. simile.

met, propter necessitatem & coniunctionem quæ est inter vtrumque: quid quæso, fiet illic, vbi tam arcta coniunctio atque vnitas erit membrorum, & corporis? vbi honorem Domini sui singuli honorem suum & gloriam eius singuli suam gloriam arbitrabuntur? Huius gaudij magnitudinem, quæ mens assequi, quæ lingua posset commemorare? Quis tam beatus erit
Cant.8,1. qui tantorum bonorum fructus promerebitur? *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te*, osculo pacis, & labijs deuotionis, teque amplectar brachijs charitatis? O dulcissime Domine quando, quando? quando erit dies illa? quando apparebo ante faciem tuam? quando satiabor gloria tua? quando videbo faciem tuam, in quam Angeli videre desiderant?

DE TERTIO GAVDIO, QVO *anima beata visione Dei afficitur.*

MAGNA profectò sunt quæ diximus hactenus: sed infinitis modis maius & glorioſius erit videre, non in ænigmate, vt nunc, sed perspicuè & sole meridiano clariùs diuinam illam faciem, in qua consistit essentialis gloria Sanctorum. Inflammat certè desiderium gaudiorum cœlestium plurimùm quæ supra dicta sunt, sed huic Dei visioni comparata verè puerorum ludus sunt. De
Gen.49,15. Isachar dicitur, quòd *vidit requiem, quòd esset bona, & terram quòd esset optima, & supposuit humerum ad portandum, factusque est tributis seruiens.* Requies & gloria Sanctorum bona quidem est, terra verò quæ requiem hanc producit longè est optima. Hæc est facies & pulchritudo Dei, de cuius aspectu procedit omnis quies & gloria. Illa facies sola est & sufficiens animabus nostris requiem dare perfectissimam. Possunt quidem dulcedo & suauitas creaturarum animabus nostris aliqualem conferre delectationem, satiare verò non possunt. Si bona superius commemorata tanta nos lætitia extollunt, quanto maiori extollet illud bonum, quod omnem omnium bonorum perfectionem complectitur? & si visio creaturarum tam futura erit glorioſa, quanto quæso glorioſior erit illa facies, illud lumen, ea pulchritudo, à qua quidquid pulchrum est, suam pulchritudinem venustatemque mutuatur? quanta voluptas erit prospicere in essentiam illam admirabilem: essentiam simpliciſsimam, & tamen diffusiuam omnibusque communicabilem. Quam iucundum erit Visionis vnitate cernere Beatissimam Trinitatem: gloriam dico & omnipotentiam Patris, Filij sapientiam, & Spiritus sancti amorem, atque bonitatem.

Videbimus Deum, videbimus nos ipsos, videbimus res omnes in Deo. Demonstrat hoc appositiſsima similitudine B. Fulgentius. Quemadmodum,
Similitudo B. Fulgentij inquit, is qui speculum ante se habet, & in illud intuetur, videt is speculum, videt semetipsum in speculo, videt & omnem supellectilem, omnesque res eas, quæ sese speculo obijciunt: Ita quando intuebimur speculum diuinæ Maiestatis, speculum sine macula, videbimus in eo Deum præsentem, videbimus nos ipsos in illo, videbimus omnes res, quæ extra illum sunt, secundùm cognitionem maiorem, aut minorem, quam illic vnusquisque habebit.

Ibi quiescet appetitus intellectus nostri, nec amplius sapere quicquam desiderabit: habebit enim in conspectu suo omnia, quæ sciri possunt. Quiescet hic cupiditas voluntatis: amabit enim vniuersale bonum illud, in quo bona omnia sunt reposita, extra quod nullum bonum reperitur, quod gaudium vllum verum animabus porelt adferre. Ibi appetitus omnes edendi bibendique satiabitur abundantia cœlestium epularum, quæ sic os cordis nostri implebunt, vt nihil sit, quod amplius appetere possemus. Ibi tres illæ virtutes: Fides, Spes, & Charitas, quibus in hoc seculo potiſsimum honoratur Deus, liberaliſsimam suam mercedem accipient. Fides visionem, Spes possessionem, & Charitas imperfecta summam perfectionem pro præmio est receptura.

Ibi videbunt, amabunt, gaudebunt, laudabunt, satiabuntur sine tædio vel lassitudine, & esurient sine necessitate. Ibi cantabunt semper canticum illud nouum, quod cantari audiuit Ioannes in Apoca-
Apocal.14. lypsi, quod vocatur nouum: Nam etsi eodem sem- *Canticū nouum quomodo intelligendum.* per cantabitur modo (quia communis laus est, ad vnam pertinens communem omnibus gloriam) nihilominus semper nouum erit, quoad gustum & suauitatem: eundem enim gustum, eandem suauitatem quam habuit ab initio, habebit semper absque fine: Non canescet aut inueterascet gaudium Sanctorum, sicuti nec corpora senescent; qui enim facit, quòd cœli tot annorum spatijs in iuuenili flore permanent, semperque noui sunt; idem faciet vt flos gloriæ semper nouus, semper recens sit, nec vnquam marcescat.

DE QVARTO GAVDIO, QVO *anima ex gloria corporis cumulabitur.*

DE essentiali gloria Sanctorum diximus: Sed liberali illi patri, iustoque Iudici, non satis est hanc gloriam tantùm esse in animis, voluit etiam magnificentiam suam erga corpora manifestare, & irrationabili creaturæ in aula sua regia locum dare. O amator hominum, ô bonorum remunerator. Quid commertij fœtidæ carni, & in *Carnis supra meritū gloria.* stercoribus desideriorum suorum computrescenti cum sanctuario cœlorum? caro quæ in stabulo palo alligari debebat, ecce quomodo inter Angelos Dei inuenitur? Relinque ô Domine, pulueremin pulueres: non enim decet sanctuarium tuum, terram super cœlos eleuari.

Qui verò dixit: *Benedicam Ismaheli, augebo & multiplicabo eum valdè, etiam si filius ancillæ sit*: Idem
Gen.17,20. quoque volet ostendere beneuolentiam & fauorem suum erga corpora Sanctorum, propter communionem & parentelam, quam habent cum animabus. Voluit enim, vt quæ iugum pariter cum animabus portârunt, etiam in eadem requie & gloria partem habeant. Et sicuti anima (quia in hac vita sese voluntati diuinæ conformem fecit) gloriæ diuinæ fit parti- *Corp. particeps est gloriæ anima sua.* ceps, ita quia corpus contra naturales suas inclinationes animæ voluntati paruit, eique conforme se fecit, etiam illud de eadem gloria participabit. Atqui hoc modo iusti erunt, tam in corpore, quàm in anima glorificati, & toti glorioſi: sicuti dicit Propheta; *du-*
Esa.61,7. *plicia possidebunt in terra sua*, gloriam scilicet corporis & animæ.

Quid dicam de gloria sensium; quilibet habe- *Oculorum beatitudo.* bit ibi delectationem & gloriam suam singularem. Oculi renouabuntur, & clariores erunt ipso Solis lumine. Videbunt ibi Palatium Regis puriſsimum, clariſsimum, & latiſsimum: videbunt glorioſiſsima corpora, amœniſsimos campos, aliaque plura quæ illic in oculos beatorum incurrent. De quibus diuus *
Augustinus: Super hæc omnia, inquit, est consocia- *Serm.1.de Festo omnium Sanctorum.* ri Angelorum & Archangelorum cœtibus, Thronis, & Dominationibus, Principatibus, Potestatibus, omniumque cœlestium & supernarum virtutum contubernijs perfrui, & intueri agmina Sanctorum splendidius syderibus micantia, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum spe lætantia, Apostolorum in 12. tribubus Israel orbem iudicantia, Martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, virginumque choros candentibus sertis redimitos inspicere? De Rege autem

qui

qui horum agminum medius sedet. dicere vox nulla sufficit. Et alio loco: O felix iucunditas, & iucunda felicitas, Sanctos videre cum Sanctis esse, & esse sanctum, Deum videre, & Deum habere in æternum, & vltra.

In Manual. cap 16.

Aurium gaudia.

Aures sine intermissione audient ineffabilis illius Musicæ concentum & harmoniam: cuius vox vna satis est, ad incredibili voluptate omnium hominum corda perfundenda. Sonant enim ibi semper, vt ait beatus Augustinus, melliflua hymnorum Organa. Tunc complebitur illud, de quo Ioannes scribit: *Post hæc audiui*, ait, *quasi vocem tubarum multarum in cælo dicentium, Halleluia. laudem dicite Deo nostro omnes Sancti eius, & qui timetis Deum, pusilli & magni. Et audiui vocem quasi tubæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium, Halleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens: gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.*

Apoc. 19, 6.

Narium suauitas.

Nares quoque insolito & suauissimo recreabuntur odore, non vaporoso illo, vti nunc, qui cerebrum sæpe offendit: sed odore proportionem habente, secundum gloriæ qualitatem. Vti enim in inferno ex damnatorum corporibus fœtor exhalat intolerabilis, sicut diximus, ita in cælis suauissimum odorem spirabunt corpora Sanctorum. Si enim illorum corpora in sepulchris inuenta, quod sæpius compertum est, summam dederunt odoris suauitatem, nondum glorificata, vel immutata: quantum odorem nunc dabunt, excocta iam Solis increati ardore omni putredine? si tantum corpora, quantum animæ de sese effundent? & si mortales adhuc bonus odor, teste Apostolo, Christo fuerint, quidni optimus erunt iam immortales & glorioſi? Ita vt meritò dictum sit apud Oseam: *Sancti tui Domine florebunt vt lilium, & sicut odor balsami erunt ante te.* Si tam gratus erit odor creaturarum, quid erit ipsius Creatoris, qui de seipso dicit: *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans dedi odorem, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris?*

2. Cor. 2.

Oseæ 14.

Eccl. 24, 10.

Gustus beatitudo.

Similiter & gustus erit plenus incredibili sapore & dulcedine, non ad sustentationem vitæ, sed ad perfectionem omnis gloriæ: qui sapor eò gratior erit, quò maiori cum appetitu semper gustabitur. Qui enim Dominum Deum comedent, adhuc esurient, ait Scriptura, ac proinde erit semper fames, sine tamen vlla necessitate. Nam cibabit eos semper, de quo dicitur: *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Comedent igitur semper Sancti, sed præ nimia dulcedine nunquam satiabuntur, *& de torrente voluptatis potabit eos ille, apud quem est fons vitæ.*

Psalm. 33, 9.

Psalm. 35, 9.

Tactus beatitudo

Tactus denique in mutuo pacis osculo, vt quidam ait, ipsius Dei incarnati, & Sanctorum summè delectabitur. Quid amabo tunc sentiet felix illa anima, quando videbit quòd propter mortificationem & custodiam sensuum externorum momentaneam, in tanta voluptatis abysso absorbeatur, in qua nec fundum, nec finem istarum voluptatum visura sit vnquam? O labor optimè collocatus: O ministerium tam diuite præmio remuneratum: O res quę dici non potest, sed experientia probari, & desiderio vult appeti: queque mille vitis redimenda meritò foret, si illæ datæ nobis essent.

DE QVINTO GAVDIO QVOD *est longitudo æternitatis.*

VIDEAMVS nunc quam diu tanta & tam electa felicitas sit duratura. Hæc enim temporis longitudo nobis sufficiens esse deberet, ad commorendum nos, ne vnquam in tribulationibus deficiamus, sed potius vt circumeuntes clamemus, & vociferemur: Nubes cæli pluite aduersitates, tribulationes, & miserias super nos, & estote nobis adiumento, vt tantam, & tam longam mercedem acquiramus, quantam Deus afflictis repromisit.

Durabit hæc fœlicitas, aut beatitudo, tot annorum millia, quot sunt stellæ in firmamento, & plura: tot centena annorum millia durabit, quot guttæ pluuiarum ab orbe condito è nubibus in terram deciderunt, & plura. Denique tamdiu permanebit hæc beatitudo, quamdiu, Deus erit Deus, qui à seculo in omnia secula idem fuit, est, & erit semper. Scriptum enim est: *Dominus regnabit in æternum, & in seculum seculi.* Et alio loco: *Regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.*

Psalm. 9, 36.

Psal. 144, 13.

Si quis diuturnitatem tantæ beatitudinis secum cogitet, quid reliquum est, nisi vt in stuporem versus extra se feratur? Si enim mille tantum annorum (vt quidam crediderunt, qui iccirco Chiliastæ, id est, millenarij sunt appellati) spatio duratura esset, optaretur adhuc summo studio, cui rei fidem facere nobis potest, huius tam angustæ, & præterea miserrimæ vitæ amor: Multò verò magis si centum millibus annorum esset in hac beatitudine viuendum. Cùm verò infinita illa æternitas proponatur, neque vllis vnquam seculis deficiet hæc felicitas, omnes prorsus secum beatitudinis numeros adfert. Nam in quo extremum tandem aliquod est, quamuis diuturnum sit, finem aliquando est habiturum, atque iccirco minus plenum, neque humanam implens appetitionem. Sed volens Deus plena nos felicitate munerare, effecit vt bona illa, quæ in futura vita pollicitus est, nullis terminis circumscriberentur. Quæ cogitatio efficere deberet in nobis, vt gauderemus hanc vitæ breuitatem hic esse nobis constitutam, non solùm vt quàm ocissimè vera illa bona adipisci detur, verùm etiam quòd pugnæ labor, quo hic decertandum est, celeriter est finiendus. Nam si illa ætas, in qua olim homines nongentis, & eò amplius annis viuebant, aut longior etiam, vel decem millium annorum esset proposita, mandatumque esset, vt toto illo spatio pro regni æternitate defatigaremur, nemo, qui sana esset mente conditionem recusaret; Quia pro æternitate comparanda, nulla, quamuis longissimi (quod tamen finem habiturum esset) temporis spatia deterrere à maximis laboribus hominem deberent. Quod si in eo viuendi statu ac prolixitate diceremus statuisse Deum, longa ista spatia abbreuiare, vt centum duntaxat annis laboraremus, quibus peractis in promissam æternitatem reciperemur, ingens profectò illud munus arbitraremur, & tale ob quod maximæ Deo gratiæ essent habendæ. Nunc verò ob perditos mores nostros, quodque nunquam ex animo in huius beatæ æternitatis cogitationem venimus, illud ægrè ferimus, cuius gratia esset maximè lætandum.

Ego verò te ô pater misericordiarum, & Deus totius consolationis obsecro, per viscera misericordiæ pietatis tuæ, ne priuer his bonis æternis. Domine Deus meus, cui placuit me creare ad imaginem & similitudinem tuam, & me tui capacem facere, imple quæso pectus hoc, quod tu creasti, quia creasti pro te: O Deus meus sit pars & sors mea in terra viuentium. Nolo Domine mihi des requiem in hoc mundo, nolo des diuitias aut voluptates, sed conserua mihi omnia hæc, vt inueniam ea in altera vita. Nolo mihi dari hæreditatem cum filijs Ruben, in terra Galaad, ne amittam iurisdictionem in terra repromissionis. *Vnam petij à Domino, & hanc requiram semper, vt inhabitem in domo tua Domine omnibus diebus vitæ meæ.*

2. Cor. 1.

Psalm. 141.

Psalm. 141. Genes. 32. Num 31.

Psalm. 26, 4.

DIE DOMINICO, MEDITATIO VESPERTINA SEPTIMA.

HOC DIE PERPENDENDA SVNT BENEFICIA Dei, vt reddas Domino gratias pro illis, accendarisque magis amore illius, qui tanta, & tot bona tibi tribuit, vt sentias & intelligas quoque crimina tua quibus tam pium Dominum offendisti.

QVANQVAM beneficia Dei nobis collata innumerabilia sint, possunt nihilominùs omnia ad quinque genera reuocari: ad beneficium scilicet creationis, conseruationis, redemptionis, vocationis, & beneficia occulta, quæ singuli seorsim receperunt. Et quantum ad primum beneficium, nempè creationis, recordare seriò, quid fuisti antequam esses creatus, & quid Deus te fecit, quodque tibi dedit pretiosissima quæque, antequam vlla tua extarent merita: corpus nimirum istud cum omnibus membris & sensibus illius, animamque tam nobilem, creatam ad imaginem & similitudinem ipsius Dei, idque fine nobilissimo, optatissimoque, vt Deo scilicet semper frueretur; cùm tribus excellentissimis illis potentijs, vt sunt Intellectus, Memoria, & Voluntas. Animaduerte diligenter, & cognosces, quòd Deus hanc talem animam tibi dando, omnia simul bona dedit. Manifestum enim est, nullam esse perfectionem, nullum habitum, nullúmve decorem in aliqua inferiorum creaturarum, quem non habet homo eminentiori modo, maiorique cum perfectione, & nihil esse egregium, quod non potest homo exercere mediantibus potentijs & habitibus animæ suæ. Ex quo perspicuum est, data tam insigni re, qualis est anima humana, omnia simul bona collata esse. Quantum ad beneficium conseruationis, considera quod omnis tua substantia, quodque es, viuis & moueris, à sola diuina prouidentia dependet: non enim viuere momentum vnum, non te mouere posses per gradum vnum, si non adesset tibi diuina prouidentia. Perpende etiam quòd omnia quæ in mundo sunt, Deus ad tuum creauerit ministerium, adeò vt etiam Angelis cæli tui custodiam demandauerit. Adde incolumitatem, fortitudinem, vitam, prosperitatem, cum omni subsidio rerum temporalium, quæ omnia ab illo tibi proficiscuntur. Et super hęc omnia memento calamitatum, infortuniorum, periculorum, & criminum, in quæ quotidiè tot homines labuntur, in quæ & tu cecidisse posses, si Deus per suam pietatem te non præseruâsset.

Qua in beneficio creationis cogitanda.

Qua in beneficio cõseruationis meditanda.

Psal 90,12.

Porrò in beneficio Redemptionis duo potissimum sunt consideranda, quorum prius est, quot, & quàm magna sunt bona, quæ tibi Christus dedit, per beneficium Redemptionis. Posterius verò quot, & quanta sunt mala, quæ ipse in corpore & anima sua sustinuit, vt bona ista tibi coëmeret.

Redemptionis beneficium.

In beneficio verò Vocationis recolendum est, quàm eximium donum sit & beneficium, quòd Deus Christianum te fecerit, quòd te ad fidem per Baptismum vocauerit, participemque Sacramentorum reliquorum fecerit. Sed & quòd post illam primam vocationem, amissa per peccatum innocentia, te à criminibus liberauerit, ad gratiam suam reuocauerit, & in statum salutis restituerit: pro quibus omnibus beneficijs, quas quæso poteris illi reddere gratiarum actiones? Quanta misericordia fuit, quòd peccantem te tot annos sustinuerit? tot annos te expectauerit? tantam multitudinem peccatorum tuorum dissimulauerit? tot diuinis inspirationibus affluerit: quod vitæ tuæ stamina non abruperit, quemadmodum aliorum fecit, qui eiusdem erant tecum conditionis? denique quod tam benigna & efficaci gratia te vocârit, vt ad sensum illius excitatus sis à morte ad vitam, oculosque aperueris ad lucem æternam intuendam? Quæ fuit illa misericordia, quòd postquam te lapsum pristinæ iustitiæ restituerat, gratiam addiderit, cuius beneficio posses iterum non peccare? hostem vincere, & in bono perseuerare? Hic est imber ille matutinus & serotinus, de quo Dominus apud Ioëlem: *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ, & descendere facit ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio:* hoc est, dabit vobis gratiam præuenientem, qua virtutum semina crescere incipiant, & gratiam subsequentem, quæ semina maturescere faciet, & ad finem peruenire optatum.

Ioel. 2,23.

Hæc sunt beneficia publica, & cuiuis nota, sunt & alia secretiora, quæ nulli cognita sunt, nisi his, qui ea perceperunt: sed & secretissima quædam sunt, etiam ijs ignota qui habent, soli autem illi cognita, qui fecit ea & confert. Quoties meruisti in hoc mundo per superbiam, negligentiam, aut ingratitudinem tuam deseri à Deo, & in reprobum sensum tradi, quemadmodum multi deserti (nam qui deseruntur huiusmodi ferè ob causas deseruntur) nec tamen fecit? Quot occasiones malorum præuenit Dominus sua prouidentia, retia Dæmonum lacerans, viam illis intercludens, propositaque & consilia illorum eludens? Quoties fecit nobiscum quod dixit B. Petro, *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua?* Sed quis arcana hæc præter Deum scire posset? Beneficia quibus nobis aliquid boni confertur, sæpiùs ab hominibus intelliguntur, sed secreta hæc, quæ consistunt, non in conferendo aliquo bono, sed in auertendo, propellendoque aliquo malo, quis ea cognoscet? ideoque necesse est, vt Deo non minus pro his, quam pro alijs illis gratias agamus: recordemur etiam quanta Domino debeamus, quantoque sint debita hæc viribus & facultatibus nostris maiora, cùm etiam, quanta debeamus perfectè intelligere non possimus.

Beneficia occulta.

Luc.22,31.

TRACTATVS SEPTIMVS.

DE CONSIDERATIONE BENEficiorum Dei: in qua latiùs explicantur, quæ in superiori meditatione dicta sunt succinctiùs.

VNA ex præcipuis querelis, quas Dominus Deus in Scripturis contra humanum genus instituit, & quæ in die reddendæ rationis periculosiores erunt, est, Ingratitudo perceptorum beneficiorum. Ab hac querela seu expostulatione Propheta Esaias vaticinia sua auspicatus est, vocans cœlum & terram in testimonium, contra hominum ingratitudinem. *Audite,* inquit, *cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem*

Esa.1,1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Quæres poteſt eſſe magis execranda, quàm non cognoſcere homines eum, quem beſtiæ cognoſcunt? Et, quemadmodum pulchrè notat beatus Hieronymus, non comparauit eos quibuſuis animalibus, non canibus, quod ſagaciſsimum genus animantium eſt, & pro paruo cibo dominorum tecta defendit, ſed ſtolidioris ſenſus, boui & aſino: quorum alterum carpenta trahens duriſsimas terræ glebas vertit vomere, alterum portat onera, & hominum laborem in gradiendo temperat, vt ſignificaret, ingratos ſtupidiſsimis, maximeque brutis animalibus eſſe ſtupidiores, magisque brutos.

Iſa. 1. Hieron. in 1. cap. Iſa.

Pœna ingratis maximè propria.

Quæ poteſt eſſe pœna condigna tantæ ingratitudini? Multas quidem pœnas præparauit Deus ingratis, ſed iuſta magis & ordinaria non eſt, quàm vt ſpoliet eos omnibus beneficijs acceptis: eò, quòd non recurrunt ad datorem illorum, vt gratias agant illi debitas pro tanta liberalitate. Quia, ſicuti diuus Bernardus inquit, ingratitudo eſt ventus vrens, exiccans fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Porrò quemadmodum ingratitudo cauſa eſt tantorum malorum, ita è contrario gratitudo cauſa eſt, multorum bonorum: præcipuè verò trium: quorum primum eſt Amor Dei. Nam ſi Ariſtoteli credamus, Bonum per ſe eſt amabile: vnuſquiſque enim in amore proprium propendet. Quemadmodum itaque homines, naturali inclinatione amatores ſunt ſuiipſius, propriæque ſuæ vtilitatis, ita quando manifeſtè vident omne id, quod habent, eſſe ex mera liberalitate, donoque gratuito ipſius Dei, ſummi illius benefactoris, ſubitò inclinantur ad amorem illius, à quo ſibi beneſieri cognoſcunt. Hinc eſt, vt inter omnes conſiderationes, quæ conducunt ad amorem Dei acquirendum, omnium efficaciſsima ſit, quæ de diuinis beneficijs habetur: ſingula ſiquidem beneficia ſunt, quaſi caminus vel focus ardentiſsimus, luculentis ſuis flammis amorem diuinum in nobis accendens. Et per conſequens, multa beneficia meditari, eſt multos focos accendere; quorum feruentiſsimo æſtu corda noſtra magis magisque amore Dei inflammantur.

Bernard in Cantica ſerm. 51.

Ariſt. lib. 2 Rhetor. cap. 7. & 8.

Primus gratitudinis effectus. 1. Amorem Dei creat.

2. Auget ſtudium inferuiendi Deo.

Vtilis etiam eſt hæc conſideratio, vt homo cupiens inſeruire Deo, magis ad cultum eius excitetur, atque alacrior fiat, quand perpendit ſummam obligationem, in quam adductus eſt, tot beneficijs à Deo perceptis. Si enim paſſtacus, alauda, cæteræque aues & beſtiæ hanc ob cauſam ijs, à quibus vocantur reſpondent, & obediunt (non aliter atqui ſi animalia eſſent ratione prædita) in omnibus ijs, quæ facere iubentur: quantò iuſtius erit, vt idem faciant, qui & multò plura beneficia acceperunt, maiusque iudicium habent eadem agnoſcendi?

Simile.

3. Ad pœnitentiam nos mouet.

Iuuat ſimiliter & hæc conſideratio ad permouendas animas noſtras, vt dolorem & pœnitentiam de peccatis ſuis non inuitè ſuſcipiant. Quando enim homo ſumma cum attentione ſecum enumerat ex vna parte multitudinem beneficiorum à Deo perceptorum, & ex altera parte multitudinem recolit peccatorum, quibus diuinam bonitatem hanc rependit, quomodo poterit non erubeſcere? quomodo poterit nigrum iuxta album poſitum, non melius cognoſcere? hoc eſt, magnitudinem ſuæ malitiæ cum magnitudine bonitatis Dei comparatam (quæ bonitas tot annis non intermiſit benefacere illi, qui nunquam non in malo perſeuerauit) non intelligere?

Tres iſtæ vtilitates permouere meritò deberent hominem, ad beneficia Domini ſæpius ruminanda, Benefactoriſque gratias reddendas. Sed & quotieſcunque hoc exercitio occupatus eſt homo, debet ſedulò laborare, vt ordine de ſingulis his vtilitatibus ſuo loco commentetur, conuertendo nunc cor ad amorem benefactoris, nunc ad deſiderium ſeruiendi eidem: nonnunquam ad dolorem & pœnitentiam peccatorum, aliquando etiam ad offerendum ei ſacrificia laudis & gratiarum actionis, quæ vituli ſunt labiorum, quæque Propheta nos pro acceptis beneficijs vult offerre.

Pſalm 49. Oſeæ 14.

Licet autem beneficia hæc ſint innumerabilia, nos tamen quinque tantùm genera, eaque præcipua, ponemus, ad quæ omnia reliqua facili negotio poſſunt referri. Beneficium nimirum Creationis, Gubernationis, Redemptionis, Vocationis, & tandem beneficia Particularia & occulta, quæ quilibet in ſemetipſo ſentire & cognoſcere efficacius poteſt, quàm ab alio queunt deſcribi.

Nec requiritur, vt quis omnia hæc ſimul beneficia repetat & meditetur, ſed ſufficit, vt vnum, aut duo, aut tria bene diſcutiantur & ruminentur. Non enim ideò dantur exercitia, vt ea quis vno eodemque tempore omnia ſimul pertractet, tanquam ſi labor eſſet propoſitus, qui nec moram, nec interruptionem admittat vllam, ſed tanquam cibus quotidianus; qui quantò temperatius ſumitur, tantò digeritur commodius, tantoque ſolet eſſe ſalubrior.

Meditationibus quomodo vtendum.

DE BENEFICIO CREATIONIS.

INCIPIAMVS itaque à beneficio Creationis: cuius vt commodius magnitudinem ponderes, initiò in profundiſsimam cogitationem eorum temporum deſcende, quibus creatus nondum eras; & animaduerte quid tunc fuiſti. Hoc eſt conſilium non infimum eorum, quæ hac in materia magiſtri vitæ ſpiritalis, dare ſuis diſcipulis conſueuerunt, vt partim ex eo magnitudinem huius beneficij addiſcerent, partim propriam intelligerent annihilationem: ſic enim vocant actum illum, quo (quia videt homo manifeſtè, & quaſi manibus ſuis palpat, ſe nihil ex ſeipſo eſſe) aliud ſe eſſe non exiſtimat, quam purum putumque nihil: Præterea conſidera quot anni cùm nihil eras tranſierunt, non dico mille, non centum, ſed tanquam ab heſterno die, vſque nunc, hoc eſt, ante breuiſsimum tempus nihil omninò tui erat, nec ab initio quicquam fuiſti, & nihil vtiquam (ſi Deo placuiſſet) fuiſſes. Nihil autem, ſubſtantia nulla eſt, res eſt terra multò vilior, aëre inconſtantior, paleæ leuior, & proinde nulla.

Deinde cogita, quòd nihil eſt ſufficiens, non eſſe, creare ſeipſum, vt aliquid ſit, multò minus mereri, vt ab alio quid fiat: quod enim non eſt, nec operari poteſt, nec mereri. Cùm itaque in his tenebris & profunditate nullitatis (vt loquuntur) iaceres, placuit diuinæ Bonitati & Miſericordiæ, ante omne tuum meritum, per puram ſuam gratiam, in te oſtendere virtutem, & omnipotentiam ſuam: te potenti ſua manu de tenebris illis, & abyſſo profundiſsima eripere: à non eſſe, ad eſſe perducere, & vt ſubſtantia eſſes creare. Noluit autem, teſte Auguſtino, vt eſſes lapis, non vt auis, non vt ſerpens fieres; ſed vt homo: qui eſt omnium totius mundi creaturarum nobiliſsima. Dedit tibi id eſſe, quòd nunc es: compoſuit, & ſingulari quadam harmonia compegit corpus tuum, adornauitque omnes partes illius, cùm membra, tum ſenſus, tam mirabili artificio atque prouidentia, vt ſingula eorum (ſi quis bene inſpiciat) magni miraculi ſint argumenta, & beneficia maxima. Hoc eſt illud beneficium, quòd humili corde agnouit B. Iob, cùm diceret, *Manus tuæ fecerunt me Domine, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Memento quaſo quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me: pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me; vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.*

Non eſſe creare ſeipſum non poteſt.

S. Aug. ſoliloq. cap. 7. in fine.

Iob 10, 8.

Quid autem dicam de nobilitate animæ tuæ, & de excellentia finis, ad quem creata est; deque imagine & capacitate quam habet? Imago eius est imago ipsius Dei. Non enim in terris quicquam reperitur Deo similiùs, & per quod faciliùs & manifestius in cognitionem Dei venimus, quàm est anima humana. Hanc ob causam veteres illi Philosophi, maximè verò Anaxagoras, non inuenerunt nomen aliud, quod Deo magis conueniret, quàm quòd Mentem illum appellarent: quod idem est, quàm si animam rationalem dixissent, idque propter màgnam similitudinem, quam inter Deum & animam inueniebant. Hinc est, vt essentia, seu substantia animæ, nullo queat intellectu comprehendi. Quia enim substantiæ diuinæ, quæ in hac vita intelligi non potest, tam sit similis: etiam ipsa minùs potest cognosci & comprehendi.

Deus Mens à Philosophis cur appellatus.

Vinc. lib. 11 histor. mirabil. cap. 61.

Animæ substantia cur difficulter intelligitur.

Prætereà finis ad quem tam nobilis creatura condita est, eius quoque nobilitati non est inconueniens: certum enim est, animam esse creatam, vt particeps sit beatæ gloriæ & diuinæ felicitatis; vt habitet in domo Dei, fruatur ijsdem bonis, quibus Deus; gaudeat de eodem cum illo gaudio, & eadem immortalitatis veste induatur, & regnet in æternum cum illo. Atque hinc trahit animam admirabilem suam capacitatem, quam habet: quę tanta est, vt omnes creaturæ & diuitiæ huius mundi in vnum collectæ, non sint sufficientes, ad implendum sinum huius capacitatis, nec magis eam replere possint, quam granum milij vniuersi mundi machinam.

Dic igitur mihi, ô frater, quid retribuemus tam benefico Domino? quid satis esse poterit ad reddendum Deo pro tantis donis? Si plurima debeamus parentibus carnalibus, eò, quòd aliqua ex parte cooperati sint in fabrica corporis huius; quantò plus debemus æterno Patri nostro, qui cum illis corpus, & sine illis animam formauit? animam dico, quæ infinitis modis corpore nobilior est, & excellentior, & sine qua corpus nil esset, nisi vile sterquilinium? Quid aliud sunt parentes, quàm instrumenta quædam, quorum ope exigua Deus hanc fabricam ædificauit? Si itaque tanta debeas operis instrumento, quanta debebis Architecto, qui fecit illud? & si te debitorem agnoscas eius, qui in vna parte operis tantum cooperatus est, quantus eris debitor illius, qui opus totum consummauit? Si tanto sit apud te in honore gladius, quo vrbs est expugnata, in quanto erit Rex ipse qui eam expugnauit.

A minori ad maius.

Simile.

DE BENEFICIO *Conseruationis.*

NEC Deo satis fuit, quod te creauerat tanta in gloria & dignitate: sed & ipse esse voluit, qui te conseruaret: quemadmodum ipse dicit apud Esaiam: *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, & gubernans te in via, qua ambulas.* Multæ reperiuntur matres, quibus satis esse videtur, si cum dolore filios peperierint, & nolunt molestias eos lactando & nutriendo ipse obire, sed nutricem quærunt, cui ventris sui fœtum committunt. Cetera non ita nobiscum agit Deus, sed ipse omnem in se molestiam sumit, vt idem & mater, quæ nos generat, & nutrix quæ nos lacte & benevolentia prouidentiæ suæ enutriat: vti ipse per Prophetam testatur: *Et ego*, ait, *quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, & nescierunt, quod curarem eos*, adeò vt ipse idem sit conseruator, qui & factor est omnium: & quemadmodum sine illo factum est nihil, ita & illo non conseruante, necessariò interirent omnia atque collaberentur. Vtrumque manifestè testatur Propheta Regius, cùm inquit, *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulueren suum reuertentur.* Quid multis? totus hic Psalmus nihil ferè aliud agit, quam diuinam hanc conseruationem prædicat. Quemadmodum enim totius horologij motus à rotulis dependet, qui motu suo totum secum trahunt opus: ita vt cùm vna rotula quiescit, quiescat, & interturbetur totum horologium: sic & vniuersum magnæ huius mundi machinæ à solo dependet prouidentiæ diuinæ pondere: adeò vt cessante hoc, cesset & tota hæc mundi fabrica.

Isa. 48, 17.

Dissimile.

Osee 11, 3.

Ioan. 1.

Psal. 144, 15.

Simile.

Psal. 103, 30.

Cæterùm si animaduertere voles, quot inuenies beneficia in hoc vno inclusa? Quotquot enim momenta & temporis puncta habuit, habet, & habebit vita tua, tot partes sunt istius beneficij: quia, ne in vno quidem illorum viuere aut subsistere posses, si Deus oculos à te auertisset. Omnes quotquot in orbe sunt creaturæ, partes sunt huius beneficij: quia videmus omnes esse & dirigi in hunc finem, vt vsui nostro inseruiant & accommodentur. Cælum enim hoc modo tuum est & terra: Sol, luna, stellæ, mare, pisces, aues, arbores, animalia; & vt summatim dicam, omne quicquid creatum est, tuo dicatum est ministerio, atque seruitio. Illud est beneficium, quòd tantoperè mirabatur Propheta cùm diceret: *Quid est homo Domine, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minùs Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum.*

Omnia quæ creata sunt nobis famulantur.

Psalm. 8, 5

Nec contentus Deus, quod omnes creaturas visibiles in vsum nostrum creasset, voluit insuper etiam per immensam suam misericordiam creaturas inuisibiles, quales sunt nobilissimæ illæ intelligentiæ, quæ assistunt semper ante conspectum eius, & diuinam eius faciem intuentur, nostris vsibus inseruire. *Omnes enim Angeli*, teste Paulo, *administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis:* quasi dicat, omnes Angelos esse ministros, stantes in magna illa domo, magnaque Dei familia, tanquam ij, quibus hominum salus & defensio est commissa. Denique totus mundus in tuo occuparetur famulitio, vt tu occupareris seruitio Dei, qui non voluit aliquid esse sub cælis aut supra cælos creatum, quòd in tuam non militaret vtilitatem, vt tu vicissim totus illius seruires imperio.

Angelinobis inseruiunt.

Hebr. 1, 14.

Quòd si fortè hæc omnia beneficia supradicta obiter omnino percurras, debes nihilominus diutiùs gratiæ illius immorari, qua te Deus ab infinitis miserijs & calamitatibus liberauit, quas videmus quotidie alijs hominibus accidere, eosque varijs modis diuexare. Alios enim videmus dysentericos, alios lientosos, alios syncticos, alios epilepticos, calculo nonnullos laborantes, & alios alijs huiusmodi vitiosis affectibus discruciari. Mundus enim hic, si verum fateri velimus, nihil aliud est quam pelagus infinitarum miseriarum & laborum: vix enim inuenitur domus in hac Ægypto, in qua non est gemitus aut dolor. Dic mihi quæso quis tibi diploma dedit, aut priuilegium largitus est, vt tu inter tantas calamitates, tot morbos, tot pericula, immunis esses ab omni malo? sanus esses, & ceteris succumbentibus tu solus incolumis euaderes? Esne & tu homo sicuti sunt ceteri? peccator sicuti alij? filius Adæ vti & reliqui? Si autem omnia hæc mala aut ex natura, aut ex culpa

Allusio ad locum Exod. 12.

orian-

oriantur, cùm tu vtramque habeas in te cauſam, cur non ſimiles in te reperiuntur effectus? quis harum cauſarum effectus ſuſpendit? quis curſum aquarum inhibuit, ne te ſimile, malorum diluuium abſorberet, niſi gratia diuina? Si hæc bene ponderes, inuenies oēs calamitates, mala, pericula, quæ in hoc mundo ſunt, eſſe beneficia tua: & quod pro ſingulis illorum debeas agere Deo, ſine intermiſsione gratias, eiuſque bonitatem amare & laudare. Vti igitur pro huiuſmodi beneficia accepta perſpicuè agnoſcimus, omnia bona mundi, noſtra eſſe beneficia: omnia enim operantur ad noſtram conſeruationem: Ita & hoc intelligimus, quòd etiam omnia mala ſunt noſtra beneficia, quia de omnibus illis nos Dominus clementer liberauit.

DE BENEFICIO REDEMPTIONIS.

VEniamus nunc ad inæſtimabile beneficium noſtræ Redemptionis: quamuis melius fortaſsis eſſet illud myſterium profundo & ſancto ſilentio adorare, quam inſufficienter mortali lingua quicquam de illo prædicare. Per peccatum tuum, frater mi, perdidiſti primam innocentiam, in qua fuiſti creatus, & potuit diuina iuſtitia omni iure te in illo miſerabili ſtatu reliquiſſe (quemadmodum Diabolos reliquit) ſine vllius contradictione aut expoſtulatione. Noluit autem hoc facere, ſed potius contrarium egit, mutans iram ſuam in miſericordiam, & quo maiorem iniuriam acceperat, hoc maiorem gratiam erga genus humanum voluit oſtendere. Et cū potuit hoc damnum per Angelum vel Archangelum reparare, aut alijs infinitis vti modis noluit, ſed ipſe venire voluit: & cum in maieſtate & gloria venire potuiſſet, voluit venire in ſumma humilitate & paupertate, vt hoc beneficio maiori amore nos erga ſe inflammaret: plus hoc exemplo ſibi obligaret: copioſiùs hoc tanto theſauro ſeu lytro redimeret, & manifeſtiùs ſignificaret, quanta benuolentia te complecteretur, vt tu viciſsim amares illum, & tanta firmiori confidentia in illum ſperares. Illud eſt quod non immeritò magni facit Propheta Eſaias, cùm inquit, (ſecundum ſeptuaginta interpretes) *In omni tribulatione hominum non eſt tribulatus, nec defatigatus eſt, vt pateretur pro illis: non legatum aut Angelum miſit illis, qui redimeret eos: ſed ipſe pro magna ſua miſericordia ſaluauit eos, quod diligeret illos & parceret eis: ipſe redemit eos, & ſuſcepit illos & exaltauit omnibus diebus ſeculi. Ipſi autem non crediderunt & exacerbauerunt Spiritum Sanctum eius.*

Eſaias 63. ſecūd. LXX. non vt in vulgata.

Nunc itaque ſi tantum debeas huic tuo Redemptori, eò quod in propria perſona venire voluerit ad te redimendum; quanto maiora debebis, propter mediū ipſum, per quod te redemit, quod incredibili cum dolore fuit & anguſtia? Magnum certè beneficium eſt, ſi Rex quiſpiam furi condonet caſtigationem, quam pro ſcelere debebat; ſed quod ipſe Rex ſe ad palum ligari permitteret, & flagella in ſuos humeros reciperet, id inauditum & beneficium eſſet ſine vlla comparatione maius. Leua oculos tuos in ſanctiſsimum crucis lignum, & vide plagas, intuere vulnera, aſpice dolores, quæ illic paſſus eſt Dominus Maieſtatis: quia ſingula vulnera, & ſinguli liuores, doloresque ſingula ſunt beneficia, eaque maxima: vide corpus illud innocentiſsimum totum, ſanguine perfuſum, plenum vulneribus & liuoribus totum lacerū, contuſum, fractum, vide ſanguine circumquaque fluentem. Vide ſanctum iſtud caput præ nimio ponderе inclinatum, & in humeris requieſcens: vide faciem illam diuinam, in quā deſiderant Angeli proſpicere, quomodo ſit deturpata, riuulis purpurei ſanguinis perfuſa, & ab vna parte pulchra & ſpecioſa: ab altera verò fœda & denigrata. Vide frontem pulcherrimi Iuuenis, quæ ſolet omnium intuentium oculos oblectare, quomodo nunc florem omnis venuſtatis ſuæ amiſit. Aſpice Nazaræum candidiorem niue, nitidiorem lacte, rubicundiorem ebore antiquo, ſapphiro pulchriorem. Denigrata eſt ſuper carbones facies eius, ita vt non cognoſcatur à ſuis. Intuere pallidum os, labra liuida & lingnam penè emortuam, quomodo ſe mouent, ad impetrandam ipſis tortoribus remiſsionem & indulgentiam. Denique in omnes corporis partes oculos circumuolue, & videbis nullam eius partem à plagis & doloribus eſſe immunem: à planta pedis vſque ad verticem non eſſe in eo ſanitatem, vbique vulnus, plagam & liuorem conſpici. Frons illa ſereniſsima, & oculi Sole clariores, nunc ſunt obſcurati, cæci & mortui inſtante mortis certamine. Aures quæ ſolent audire cantica cælorum, nunc audiunt conuitia, opprobria, & blaſphemias peccatorum: Brachia conuenientiſsimè formata, & tam longa, vt vniuerſum orbem queant circumplecti, nūc luxata ſunt, & in ligno diſtenta. Manus illæ, quæ cælos creârunt, & nemini iniuriam fecerunt, perfoſſæ ſunt duriſsimis clauis, & ligno affixæ. Pedes, qui non ambulârunt in via peccatorum, ſunt lethaliter vulnerati & transfixi. Et ſuper hæc omnia vide, in quo lecto cubet, & vbi dormiat cæleſtis ille Sponſus in meridie, quàm anguſtus eſt, quam durus eſt, & non habet hic vbi reclinet caput ſuum. O au eum caput, quomodo te video amore mei tam languidum & defatigatum? O ſanctiſsimum corpus à Spiritu Sancto conceptum, quomodo te video amore mei tam crudeliter vulneratum, & tractatum tam atrociter? ô dulce & amabile pectus, quid vult hoc tam latum vulnus? quid hæc adaperta feneſtra? quid tanta ſanguinis copia? ô me miſerum, quomodo te amore mei, tam immani lancea conſpicio trāsfixum. O crux rigida & immittis, tenſa laxa viſcera, vt rigor lenteſcat ille, quem dedit natiuitas: flecte ramos arbor alta, guſtemus vt dulcedinem, omnes tuorum fructuū. O duri claui, nolite, nolite eruciare pedes manusque has innocentes: venite potius ad me, & vulnerate cor meum: ego enim ſum, qui peccaui, ipſe autē quid fecit? O bone Ieſu, quid tibi & doloribus iſtis? quid tibi & tam amaræ morti? clauibus? cruci huic? *Verè*, dicit Propheta, *alienum opus eius, peregrinum eſt opus eius ab eo.* quæ enim res alienior aut peregrina magis à vita, quam mors? à gloria quàm pœna? à ſumma ſanctitate & innocentia, quàm imago & ſimilitudo peccatoris? Verè Domini titulus ille & figura illa eſt à te maximè peregrina. O verè Iacob tu veſte aliena, & habitu peregrino benedictionem patris obtinuiſti: aſſumens enim ſimilitudinem peccatoris, de ipſo peccato victoriam reportaſti. O bonitas ineffabilis, ô miſericordia, quę nulli quicquam debebas! O amor inſperate, ô charitas incomprehenſibilis. Dic mihi Domine quid vidiſti in nobis, quòd tibi placuit? quod ſeruitium tibi exhibuimus? quibus operibus te nobis ita obligauimus, vt tanta tormenta pro nobis ſubires? ô admirabilis, quæ præter meritum noſtrum, & abſque vlla tua neceſsitate, ſed ſolà gratia & miſericordia tua motus, his mediis nos redimere voluiſti. *Apparuit*, inquit Apoſtolus, *benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* O quanto cum deſiderio deſiderat optimus hic Dominus, vt huius miſericordiæ memores ſemper ſimus, cùm dicat apud Eſaiā: ſignandam hanc niueo (quod aiunt) lapillo ſententiam: *Non me inuocaſti Iacob, nec in meo ſeruitio laboraſti Iſrael. Non obtuliſti mihi arietē holocauſtiti tui, & victimis tuis non glorificaſti me. Non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Non emiſti mihi argento calamum,*

Medium per quod redempti ſumus ſummum eſt beneficium.

1. Pet. 1.

Thren. 3.

Eſa. 1, 6.

Cant. 2.

Eſa. 28, 21.

Gen. 27.

Tit. 3, 4.

Eſa. 43, 22.

mum, & adipe victimarum tuarum, non inebriasti me. Verùm tamen seruire me fecisti in peccatis tuis, & laborem præbuisti mihi in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorũ tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra, si quid habes, vt iustificeris.

Oratio.

Propterea, ô clementissime & dulcissime Domine, quid quæso in me est, cuius oblatione possem hæc tanta beneficia rependere? Si haberem omnem vitã filiorum Adæ, si omnes anni & dies seculi mihi concederentur, si labores & molestias omnium hominum, qui sunt, qui erunt, & qui fuerunt possem solus perferre, nihil adhuc dignum minimo tuo dolore ac molestia pro me susceptã, tibi possem remunerare. Itaque modum aut viam non inuenio, tibi tanto creditori meo satisfaciendi: ne tamen nihil reddere videar, hoc vno tibi satisfaciam, ô Domine mi, quòd promitto me nunquam tui fore immemorem. Quare obsecro te ô te Domine, per viscera immensæ tuæ charitatis, vt vulneribus tuis cor meum sic vulneres, & animam meam sic sanguine tuo sacratissimo inebries, vt quoquouersum me flectam, semper intuear te crucifixum, & quoquo vertam oculos meos, semper mihi purpureus ille tuus sanguis resplendeat. Tota mea consolatio sit in eo, vt semper tecum sim crucifixus, & maxima mea tribulatio sit aliud quicquam præter te cogitare. Respice Domine in pretium illud, quo me redemisti, & noli vt tam pretiosus sanguis frustra pro me effusus sit, ne sim tanquam filius abortiuus, quem mater parit cum summo dolore, & tamen viuo partu frui postea non conceditur.

DE BENEFICIO VOCATIONIS.

POsthæc considera beneficium vocationis, sine quo cetera beneficia homini magis ad condemnationem esse solẽt, quam ad salutem. Sciendum hic est, duas esse vocationes Dei, vnam ad fidem, quæ fit per sacramentum Baptismi: alteram ad gratiam, quæ fit, post quam homo gratię & innocentię in Baptismo acceptæ iam excidit.

Vocatio ad fidem per Baptismum.

Deinde cogita quam magnificum & insigne sit beneficium primæ vocationis, Baptismo sacratissimo intercedente, in quo mundatus est ab originali peccato, & à Dæmonum potestate liberatus, filius factus Dei & hæres regni illius. Ibi Christus desponsauit animam tuam, & monilibus, gẽmisque tam sublimi dignis ordine exornauit, qualia sunt gratia, virtus, donum Spiritus sancti aliaque munera & ornamẽta plurima, qualia misit Isaac Rebeccæ, cùm illam vxorem acciperet. Quid verò fecisti tu, vt vel minimũ horum dignus sis accipere? Quot millia, non dico hominum, sed nationum iusto Dei iudicio, ab his bonis exclusa sunt? quid de te factum? esset, si inter istas gẽtes natus fuisses si ad cognitionem Dei veri non peruenisses, sed lignã & lapides adorasses. Quanta debes Domino Deo, quod in tanta, tamque infinita Reproborum multitudine, voluerit te in Electorum numero recenseri? inter domesticos Ecclesiæ nasci? lacte Apostolorum nutriri, & sanguine Christi inebriari?

Gen. 14.

Vocatio post Baptismum.

Sin autem post gratiam huius vocationis, innocẽtiam Baptismi per peccatum relapsus amisisti, placuitque Domino Deo, te secundò, tertiò, aut sæpius reuocare, quid non illi debebis? Quot beneficia vnum hoc complectitur? Beneficii fuit quod tanto te tempore expectauit; tam longum pœnitentiæ spacium dedit, tamdiu in peccatis iacentẽ tulit, parcens, benignus, non exscindens arborem infructuosam, quæ occupabat terram & in vanum rorem pię influentię diuinæ rorem. Aliud fuit beneficium, quòd tam enormia sufferens in te peccata, in Inferni Abyssum te nõ præcipitauit, in quo fortasse plurimi ob peccata multò leuiora torquentur. Aliud est, quòd tot inspirationes sanctas, tot bona tibi instillarit proposita, etiam in medio delictorum tuorum perseueranter pulsans, & vocans iugiter eum, qui nil faciebat aliud, quam vocantem offendebat. Aliud est, quod tandem rebellioni, & pertinaciæ tuæ volens finem imponere, clamore te tam alto, tamque potenti vocauit, vt à morte ad vitam te reuocauerit, tuque non secus atque alter Lazarus de tenebroso sepulchro peccatorum tuorum prodieris, non amplius ligatus manibus & pedibus, sed liber & potestati, seu vinculis Dæmonum ereptus. Ceterum super omnia hæc maius est beneficium, quòd non solùm ignouerit tibi peccata præterita, sed gratiam adiunxerit, iuuantem & præseruantem te, ne in eadem postea relabaris: addens insuper ornamenta, stolam, calceos, & annulum, quæ paterfamilias prodigo filio iam reuertenti dedit, cùm in gratiam eum reciperet: quibus cùm ornatus, tanquã filius Dei incedis, spretis omnibus Diaboli ludibrijs, & mundi pompis, perceptaque rerum diuinarum dulcedine, quæ anteà tibi insipidæ videbantur.

Ioan. 11.

Luc. 15.

Quid? quòd tot hominibus hæc beneficia denegata sunt, & in te tanta cum gratia collata, quale donum esse arbitraris? quod te, cùm non minus flagitiosus esses, quàm erant illi: nec minùs indignus vocatione hac, relictis illis Deus in tenebris & statu damnationis, te, inquam, Deus assumpsit, & in sortem salutis & gratiæ collocauit, quo munere, quibus officijs aut obsequijs recompensabis? Quo eris animo tunc, cùm te aliquando virtute huius vocationis perpetuò frui gaudio in cælis cum Deo, ceteros autem sodales & notos tuos eiusdem vocationis, & similis gratiæ defectu æternis subiectos tormentis in Inferno excruciari? O quot & quanta veniunt de hoc beneficio cogitanda? Dic mihi, beatus ille Latro, qui vno tantùm verbo vitam æternam obtinuit, cùm se vidit in magna illa gloria (quam nunc possidet, & socium suum conspexit, in magnis illis tormentis quibus in Inferno exagitatur; cumque recordatus est, se parem in latrocinio fuisse cum socio, quod tam pro furto suo ipse quàm socius fuit suspensus, quod paulò ante non minus quàm ille Christum blasphemasset, & quòd non obstantibus his omnibus Deus ipsum respexit, atque in hanc lucem & gloriam perduxit, socio in tenebris & tormentis relicto; cùm inquam, hæc Beatus Latro vidit, & secum examinauit, quantas arbitraris Deo gratias egerit, pro tam ineffabili beneficio atque gratia? quomodo sibijpsi de tanto dono gratulatus est? quomodo exultauit? quomodo lætatus est? quomodo admiratus est inscrutabile hoc Dei iudicium? quanto amore dilexit eum à quo tam admirabili erat dono præuentus? Si tibi beneficium hoc tam magnum esse videatur, recordare non minus esse illud, quod tibi per Christum datum est, cùm is ipse Dominus oculos pietatis suæ in te iniecit, vicinum tuum aut amicum hoc vocandi modo non trahens, aut inuitans, qui tamen fortè minus quàm tu Dominum offenderat. Perpende itaque quantus debitor sis, & quam iustum sit pro amore Domini tui, cui omnia debes, si ita visum illi sit, mortem oppetere?

Exemplum insigne. Luc. 23.

Tandem meditare quanto, & quam immenso hęc beneficia pretio Christus comparauit, quibus te tam liberaliter ornauit. Tibi ea dat gratis, & constant illi pretioso suo sanguine, & vita: certum enim est, quod sine illis non potuerint crimina nostra deleri, nec vulnera nostra sanari. De Pelicano dicitur, quod vbi pullos suos necatos videt à serpentibus, latus suum fodit rostro, & educto sanguine vitam restituit mortuis. Scire igitur vis quale sit hoc in te collatum beneficiũ, recordare, quòd cùm per peccatum eras mortuus, verus Pelicanus Christus, mera sua misericordia latus

Hieronym. S. Augustin. Psal. 101.

Simile.

suum

suum lancea fodit, & læthalia vulnera animæ tuæ suo sanguine perfudit, atque hoc modo sua morte vitam tibi restituit, suisque vulneribus tua vulnera medicatus est. Eia igitur ingratus esse noli pro immenso hoc beneficio, sed memento (vti admonet Dominus) diei quo ex Ægypto existi. Iste Pascha tuum fuit, hic fuit tua Resurrectio, quia in illo die transisti mare Rubrum sanguinis Domini, vsque in terram promissionis, & in hoc à morte excitatus, ad vitam reuocatus es. Deut. 4.

DE BENEFICIIS PARTICVLARIBVS

Diximus hactenus de beneficijs generalibus, sunt autem præter hæc alia particularia, quæ singulis seorsim data sunt, quę quidem cognosci non possunt, nisi ab his, qui illa acceperunt. In hoc genere multa reperiuntur bona, quædam fortunæ, quædam naturę, alia verò gratiæ, quæ Dominus in singulos seorsim solet conferre: similiter & multa mala tam corporis quàm animæ, à quibus homines Dei bonitate & misericordia liberantur, pro quibus beneficijs non minores gratias habere Deo debemus, quàm pro ijs, quæ iam transierunt: sunt enim manifestiora pignora atque indicia amoris & prouidentiæ, quam pro nobis gerit Dominus. Hæc beneficia in libris scribi non possunt, sed in cordibus singulorum exarari debent, vt inter se conferantur, & pro singulis Deo gratiæ copiosæ agantur.

Sunt & alia beneficia magis arcana, quàm quæ superius commemorata sunt, adeò vt qui ea percepit, nondum sese recepisse intelligat qualia sunt pericula quædam occulta, & insidiæ seu laquei absconditi, quę Dominus interrumpere & dissipare sua prouidentia consueuit. Nouit enim ille incommoda, in quę sui possent incidere, nisi pericula & laquei huiusmodi præscinderentur. Quis scit à quot tentationibus Deus hominem præseruauit? à quot occasionibus peccandi eum liberauit? quoties inimicum in via sita, & proposito impediuit, laqueosque illius disrupit, ne illis implicaremur? De Iob dicit ipse Diabolus, quod *Deus vallauerit eum & domum eius, omnemque substantiam eius in circuitu, ne quid posset ei nocere.* Iob 1. Sic enim solet Deus seruare & custodire suos in manibus suis: quemadmodum vitreum vas in sua theca custoditur, ne propter fragilitatem rumpatur.

Potest fieri vt & homo multa charismata & dona culta à Deo acceperit, & tamen non sentiat, quemadmodum habet nonnunquam & multa peccata secretiora, quæ latent ipsum, qui ea perpetrauit. De huiusmodi charismatibus, & occultis Dei donis non incõgruè D. Bernardus intelligit illud Iob: *Si venerit* (Dominus Deus, seu Spiritus Sanctus) *ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam eum.* Iob 9, 11. Quemadmodum igitur pro peccatis nobis ignotis, quotidiè orare debemus cum Propheta, & dicere: *Ab occultis meis mũda me Domine*; ita & pro illo genere beneficiorum debemus quotidie Deo gratæ mentis significationem ostendere, ne quod peccatum in nobis remaneat, absque pœnitentia, & nullius beneficij memoria, sine gratiarum actione apud nos consenescat. Psal. 18, 13.

FINIS SEPTEM MEDITATIONVM VESPERTINARVM.

DE QVINQVE PARTIBVS QVAE POSSVNT OBSERVARI IN ORATIONE.

CAPVT III.

Quamuis principalis materia huius Orationis, de qua nunc agimus, sit earum rerum, de quibus paulò antè diximus, consideratio, tamen ea alijs adhuc rebus iungenda est, quæ partim debent præcedere, partim subsequi. Necesse enim est, vt præmittatur deuota quædam præparatio, qua homo sese parat, ad dignè hoc exercitium subeundum: cui subijci debet Lectio: hæ duæ Meditationem præcedunt, & totidem sequuntur, Gratiarum actio, & petitio: ipsa Meditatio incedit media. Quinque igitur in hoc exercitio concurrunt Præparatio, Lectio, Meditatio, Gratiarum actio, & Petitio.

Antequam enim orationem exordimur, oportet nos præparare cor ad sanctum hoc exercitium, quemadmodum & in cithara fides solent componi, priusquam pulsantur: ne strepitum potius, quàm concentum edant. Hanc ob causam dicebat Ecclesiasticus: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Eccl. 18, 23. Tentare Deum est velle vt Deus faciat miraculosè quod fieri potest per alia media. Et quia præparatio cordis optimum medium est ad deuotionem comparandam, is qui sine præparatione ad deuotionem aspirat, vult Deum facere miraculum: & proinde Ecclesiasticus dicit illum tentare Deum. *Quid sit tentare Deum.*

Post Præparationem sequitur lectio textus, seu materię, qua de illo die meditari decreueris, iuxta vel horas diei, vel dies septimanæ: quæ lectio sanè necessaria est in initio, donec homo sciat, quid meditandum sit. Sed cum ex vsu iam tenet, quid quoque tempore meditandum est, non iam amplius lectio erit necessaria: sed confestim à præparatione licebit transire ad Meditationem. Eccl. 18.

Post Meditationem, sequitur mox Gratiarum actio, eaque deuota & pia, pro beneficijs perceptis, quę semper debet orationibus nostris annecti, id quod B. Paulus admonet, cum ait. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarũ actione.* Col. 4. 2. Quid enim, vt B. Augustinus dicit, & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quam Deo gratias? hoc nil dici breuius, nec audire lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Aug epist ad Marcel. & epist 77 ad Aurelium.

Vltima pars est Petitio: quæ propriè dicitur Oratio, in qua petimus omne id quod æquum est, tam pro salute nostra quàm proximi nostri, atque adeò totius Ecclesiæ.

Hæ quinque partes incidunt in Orationem, quæ præter alias vtilitates etiam hanc habent, quod copiosiorem homini subministrãt meditandi materiã, proponentes homini tã diuersa eduliorum genera, vt si non sapiat vnũ, sumat aliud: & vt si in vna re deficiat meditandi stylus, statim ad aliã transiliat, in qua sese aliquid offeret, de quo cõmodius poterit meditari.

Scio quidem, neque omnes has partes, neque hunc ordinem semper & omnibus esse necessarium: ijs tamẽ vtilis est, qui primũ incipiunt, vt habeant ordinem & stylum, quo se ipsos initio instituant, atque moderentur. Certum enim est, quædã esse necessaria in principio ad scientiam aliquam addiscendam, quę

cum

cum scitur, iam superflua sunt. Ideoque nihil horum quæ tradimus hic, volo perpetuam legem vel regulam generalem statuere: non enim est mea intentio hic legem præscribere, sed tyrones & nouitios in viam incognitam manuducere, in quam cum per portam hanc ingressi sunt, & vsus, & Spiritus sanctus docebit eos, quæ reliqua sunt. Testatur enim experientia ipsa, quod si laudaueris communiter Orationem, & meditationē his, qui nouitij sunt, & prius incipiunt: non autem manuduxeris eos in viam, nec docueris particulatim materias, & modum huius exercitij, nihil aliud efficies, quàm incites eos ad meditandum corde vago, & instabili, sine aliquo fructu & ordine. Illud hoc loco semel admonere volui, & in omnibus meis operibus intelligi. *Has easdem partes sed alijs verbis & rationibus tradit Auctor paulo post initium lib. 6. Memorialis.*

Intentio auctoris.

DE PRÆPARATIONE, QVÆ REquiritur ante Orationem.

CAPVT IIII.

PEræpretium facturi sumus, si in specie nunc de singulis prædictis partibus agamus, & primùm de Præparatione, quàm primo loco collocauimus. Debet enim orationem necessariò præcedere deuota & apta quædam præparatio, per quam homo disponitur ad exercitij sui exordium: vt locus & tempus sit conueniens, secundùm statum & conditionem personæ: potissimum autem, vt animus sit præsens, & rerum diuinarum meditatione inflammatus.

Diximus necessarium esse vt præparatio aliqua præmittatur, antequam Orationem ordimur. Hæc diuersimodè fieri potest. Homo namque ad orationem disponi potest, ad memoriam reuocando sua peccata, & præsertim quæ illo die commisit: seipsum accusando, & veniam à Deo petendo iuxta illud Sapientis: *Iustus prior est accusator sui.* Videtur hoc esse quædam pedum discalceatio, ad intrandam terram sanctam, & vestimentorum lotio, vt mundi accedamus Deum, cùm venit ad negotiandum cum hominibus & docendum eos legem sanctam suam. Hunc præparandi modum ipsa docet natura: commune namque est, vt cum amicum nostrum accedimus, aliquid ab eo petituri, ante omnia ignosci nobis petamus, si aliqua in re illum offenderimus: deinde ad alia pergamus. Potest hoc aliquando fieri solo corde, aliquando recitando cōfessionem generalem, vel Psalmum quinquagesimum aliamúe aliquam orationem legendo: ita tamen, vt horum nihil fiat cū festinatione: sed tractim, & tanta cum attentione, quanta possibilis est.

Primus præparandi modus.

Prou. 18, 17.

Cæterùm non debet homo in hac peccatorum suorum consideratione nimis diu immorari: quemadmodum nonnulli faciunt, qui ab ea incipiunt & in eam desinunt, atque in ea totam vitam transigunt. quamuis enim ea consideratio bona sit, & in principio necessaria, debet tamen eo modo & mensura sumi, vt non impediat, sed locum det alteri meliori. Proinde non est necessarium, vt homo descendat ad considerationem minutissimorum peccatorum & præcipuè eorum, quorum repræsentatio malum aliquod posset inijcere: sed sufficit, vt quemadmodum in vno fecisti, ita in alijs omnibus simul facias, proijciens ea in abyssum diuinæ bonitatis & misericordiæ, sperans que veniam atque remissionem eorum.

Possumus etiam nos præparare, considerando Maiestatem, & immensam magnitudinem illius Domini, quem deprecaturi accedimus: docebit enim nos hęc consideratio, quanta cum reuerentia, humilitate, & attentione debet homo, creatura tam inops & misera, loqui cum Domino tantæ maiestatis, de negocio tam arduo, quale est petitio propriæ salutis.

Secundus præparandi modus.

Sed vt aliquid intelligamus de magnitudine diuinæ huius Maiestatis, considerandum est, cælum, terram, & ipsum Vniuersum nihil aliud esse, in conspectu eius præter formicam: aut, vt Sapiens dicit, *tanquam momentum staterę, sic ante eum esse orbem terrarum. & instar guttæ roris antelucani, quæ descendit in terram.* Si igitur omne quod creatum est, nihil aliud sit, quàm formica in conspectu eius: tu qui tam exigua pars mundi es, quid ante illum eris?

Magnitudo diuinæ Maiestatis.

Sap. 11, 23.

Hæc consideratio est quasi profunda reuerentia, quæ facit animam esse præsentem, quamq; anima exhibet ante thronum supremæ illius Maiestatis cùm ingreditur cæleste palatium, ad colloquendum cum illa. Cum hoc reuerentiæ atque humilitatis modo docuit nos orare filius Dei, cùm abiecit semetipsum in terram, vt oraret in horto: indicans isto gestu, quàm humilis esse debet homo, & quàm profundè sese demittere in abyssо suæ vilitatis, quando cum Deo negocia sua tractabit. Cum hoc spiritu, & animi motu potest homo repetere illud Patriarchæ, qui dicebat: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis.*

Gen. 18, 27.

Multum præterea ad hanc præparationem iuuat, si consideremus quid acturi sumus, cùm ad orandum ascendimus: si enim bene aduertamus, ad aliud nihil venimus, quàm vt recipiamus Spiritum Sanctum, influentiam illius gratiæ, gaudiumque charitatis & deuotionis: quibus omnibus quam plena exit anima iusti, post longam aliquam & deuotam orationem, quotidie videmus. Quod si ita sit, facile vides, quanta cum reuerentia, humilitate, attentione, & deuotione stare debes, cùm sinum animę tuę expandis ad Deum ipsum recipiendum. Vide quæso, quanta deuotione flagrabant Apostoli cum Spiritus sancti aduentum expectabant, & intelliges, quo modo & tu affici debes cùm te disponis ad expectandum & percipiendum eundem Spiritum, licet non tanta cum plenitudine & perfectione. Cernis hic quàm arctè occludi tunc debent portæ tui intellectus & voluntatis, ne qua rerum mundanarum cogitatio ingrediatur: & quàm latè eædem aperiri debent soli Deo, vt cùm venit, non recedat, inueniens portas clausas, aut sedem ab alijs habitatoribus præoccupatam. Cum tali præparatione & spiritu poteris te in conspectum Domini inferre, quemadmodum hydropicus ille, qui stabat ante eum, expectans piam illius manum ad recipiendam sanitatem: aut instar Leprosi, qui procidens ad pedes eius, humiliter dicebat, *Domine si vis, potes me mundare.* Aspice quomodo canis stat ante mensam Domini sui, adblandiens illi & oculis, & cauda, & toto corpore, expectans buccellam panis aut micas de mensa cadentes: & tu eodem animo & gustu stare debes ante diuitem illam cœlestis Domini mensam, confitendo te indignum eius misericordia, & petendo vel minimam illius portiunculam. Tali cum spiritu dicere poteris illum Psalmum: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* & cæt. qui licet breuis sit, efficax tamen est ad excitandum & accendendum in nobis prędictum effectum.

Act. 2.

Luc. 14.

Matt. 8, 2. Luc. 5, 12.

Psal. 122, 1

Vel hac, vel illa priori Præparatione vti poteris, prout visum tibi fuerit, nisi fortè existimes, priorem nocturno vel vespertino tempore magis accommodatam, cùm homo suam debet examinare conscientiam, & veniam suorum delictorum, quæ illo die commisit, petere: posteriorem verò matutino tempore conuenientiorem, cùm templum Domini accedimus, ad postulandam à Deo eleemosynam & auxilium gratiæ, cuius beneficio poterimus diem illum commodius in diuino cultu transigere.

Et

Et quia scire quomodo orandum est, speciale donum Dei, & opus Spiritus Sancti est, oportet orare humiliter, tam in vna præparatione, quam in altera, vt hanc artem docere te dignetur, & gratiam tibi det vt possis cum eo sermocinari, cum illa attentione & deuotione, cum illa cordis præsentia, timore, & reuerentia, quæ tantę conuenit Maiestati. quin etiam, vt queas sic perseuerare, & exiguum illud tempus in hoc exercitio terere, vt accedente quotidie noua fortitudine & alacritate, in seruitute Domini & pietate proficias.

1. Præparatio. Solet quoque bonus præparandi se modus esse, si aliquæ orationes vocales ante meditationem præcedant, quales multæ sunt, & passim inueniuntur in omnibus officijs, & pijs libris, præsertim in Meditationibus D. Augustini. & in Psalterio Dauidico: vbi sunt quidam diuotissimi Psalmi qui plurimum faciunt ad excitandam deuotionem. Proprium enim deuotorum verborum (si cum iudicio & intellectu proferantur) est mouere cor, & ad Deum eleuare: quod tanto magis est necessarium, quanto amplius spiritus noster refrixit & distractus est.

Hymni & prosæ & carmine conscripti vtiles ad præparationē orantium. Efficaciùs adhuc mouent eædem Orationes, quãdo ligatæ sunt, & per rithmos concinnatæ, seu carmine compositæ, quales sunt multi Sanctorum hymni, tam prosa oratione, quàm versibus conscripti. Verba enim Dei in hoc stylo & harmonia maiorem adferunt dulcedinem, & suauitatem: tales hymni multi reperiuntur in operibus D. Bonauenturæ, Bernardi & aliorum: Laudantur in hoc genere tres deuotissimi hymni Hieronymi Vidæ, ad singulas in Trinitate personas, & alij ad alios, qui bene intellecti, & deuotè recitati atque examinati, sunt tanquam dulcissimum manna animabus nostris, disponens illas ad gustum rerum diuinarum.

Admonitio I. Admonendus est hoc loco homo, vt discat qua cum intentione debeat ad Orationem accedere: non enim debet eo venire propriæ voluntatis & consolationis gratia, vt multi faciunt, suijpsius amatores: sed tantum vt faciat homo voluntatem Dei, gratiam & auxilium imploret, & ad illa acceptanda se disponat. Veruntamen debet homo in oratione paratus esse, ad percipiendum, & quidem animo grato, tam desolationes, quàm consolationes, seipsum totum offerendo diuinis manibus, vt Deus & de eo, & de omnibus eius actionibus statuat, quidquid suæ diuinæ bonitati placet, & homini expedit. Debet etiam oraturus agnoscere ab vna parte, nihil se boni merere, & ab altera credere, quod licet nullum sit suum meritum, Deus tamen pro infinita sua bonitate & clementia dabit, quod ad salutem consequendam erit vtilissimum. Oportet igitur hominem contentũ esse, siue parum, siue multum percipiat: omnia grato animo accipere, quæcunque Deus facit, indignum se se arbitrari omnibus, quæ Deus largitur: ad omnia denique paratum esse, quæ Deus mandat: non tam pro his, quæ se sperat accepturum, quam pro ijs quæ accepit, quas Deus meretur gratias agere. Peccant hic multi, qui faciunt quod imperiti adhuc saltatores, qui prius artem eam addiscere incipiunt: ij enim nisi coram magistro suo saltent, non exercentur in eo quod didicerunt.

Simile.

Admonitio II. Moneri similiter debet homo, vt quoties manè ad exercitium orationis se componet, pridiè cubitum eat cum proposito & cogitatione se id facturum & quemadmodum illi, quibus postridie multa sunt peragenda, vesperi solent omnia præmeditari: sic & homo sequentis diei studium, debet pia quadam solicitudine vesperi præuenire, & commendare Deo, quidquid postridie meditandum est. Manè verò, vbi euigilauerit, statim sancta illa cogitatio sedem occupet, priusquam aliæ subintrent: in illa enim hora cor tam est dispositum, ad quamcunque cogitationem concipiendam, vt quæ prior animo repræsentatur, hanc admittat: & admissa tam firmiter animo inhæret, & nullis viribus inde queat pelli.

Et quia Oratio multorum Deo nostro est acceptissima, non abs re erit, tam in matutina, quàm in vespertina vel nocturna oratione cogitare, quot serui & ancillæ Dei, tam in monasterijs, quàm extra monasteria eadem illa hora vigilant, & perseuerant in conspectu diuinæ misericordiæ, vberrimas lachrymas effundentes, etiam sanguinem fortassis pro amore illius elicientes. Hæc te cogitatio adiuuet, vt præsentia & dulcis memoria illorum, sint incentiua deuotionis, & exempla perseuerantię in oratione. Similiter si quando tepescas & deficias in hoc exercitio, statuasque tecum ab oratione cessare, erubesce, & castiga temetipsum tot bonorum exemplis, qui cum tanta attentione & solicitudine perseuerant in hoc exercitio, sine intermissione, offerentes in eo Deo Creatori & Redemptori suo corpora & animas suas in holocausta & odores suauitatis.

DE LECTIONE.

CAPVT. V.

POst præparationem sequitur Lectio, quæ non debet esse nimis festina; sed tarda, & attenta, vt non tantùm adsit intellectus, quo, quod legitur, intelligatur, sed & voluntas, quæ gustet quod intelligit, & eo afficiatur. Cumque occurrit locus aliquis deuotus, vtile erit ibidem paululùm subsistere: quod lectum est ruminare, & breuem orationculam loco conuenientem dicere, iuxta consilium Bernardi, qui dicit; Oportet sæpe aliquid de spiritu & deuotione scripturæ quæ legitur colligi, & lectionem succincta oratione præscindere, qua cor ad Deum eleuatur, & cum eo confabulatur.

Obseruandum hic, ne Lectio nimis prolixa sit, ne maiorem temporis partem absumat, & suffuretur nobis exercitia vtiliora. Orationibus enim teste Augustino mundamur, lectionibus instruimur: vtrumque bonum est, si licet: si non liceat, melius est orare, quàm legere: quia in lectione cognoscimus, quid facere debemus in oratione eadem accipimus, quæ postulamus. Quia verò in oratione nonnunquam occurrit molestia, & in lectione ferè semper est facilitas, hinc est vt miserum cor nostrum sæpe fastidiat orationem, & lectionis dulcedinem amplectatur, id quod idem Bernard. sæpe sibi contigisse plorans fatetur. Augustin. Isidorus lib 3. Sententiarum, seu de summo bono cap. 8.

Simile. Verum quidem est, vti homines propter defectum frumenti solent panes ex milio vel Oryza conficere, atque eos manducare, ne fame intereant, aut omninò ieiuni sint: sic etiam cùm cor hominis adeò distractum est, vt diu in vna lectione detineri, aut meditatio in vna aliqua re cum lectione coniungi nequeat, debere tunc vnum aliquem locum legere, & in eo paululùm meditari: inde confestim ad alium, & ad tertium eodem modo progredi, qui enim sic procedit ligans intellectum ad verba lectionis, non habet eam occasionem vagandi circa imaginationes & cogitationes inutiles vel noxias, quam habet is, qui liber est, & dissolutus. Quamuis melius sit omne tempus cum Deo consumere, quemadmodum Iacob Patriarcha fecit: tandem enim opere peracto ille benedictionem suam dabit, aut deuotionem, quam quærebamus, aut maiorem gratiam largietur, quæ nunquam negatur his, qui ad finem vsque laborant, & pro amore Dei viriliter decertant.

(o)

DE

DE MEDITATIONE.

CAPVT VI.

Duplex meditatio.

INita lectione sequitur meditatio loci iam lecti. Sciendum hoc loco est, meditationem hanc aliquando esse rerum quæ possunt figurari per imaginationē: qualia sunt omnia mysteria vitæ & passionis Christi: nonnunquam verò aliarum rerum, quæ magis pertinent ad intellectum, quam ad imaginationem: vt cum meditamur beneficia Dei, eius bonitatem & misericordiam, aut quamuis aliam eius perfectionem.

Modus hic meditandi dicitur intellectualis ille verò imaginatiuus: vtroque vti solemus in hoc exercitio, prout materia rerum meditandarum aut hunc aut illum requirunt.

Proinde quando mysterium, quo de meditationem instituere volumus, est, vel de passione Christi, vel de alia re simili, quæ imaginatione potest figurari: vt Iudicium extremum, Infernus, Æterna vita, vel beatitudo cælestis, debemus omnes circunstantias imaginatione tali forma fingere, quali in rei veritate vel est, vel erit: atque nobis persuadere omnia hæc in ipso loco, vbi nos sumus, nobis præsentibus & inspectantibus geri: vt ipsa rerū repræsentatione consideratio & sensus sint viuaciores. Sunt nonnulli, qui in corde suo imaginantur aliquid eorum, quæ cogitant, sibi occurrere: cùm enim & ciuitates & regna possint animo comprehendere, parum est, si etiam queant percipere repręsentationes & figuras horum mysteriorum. Et multum profectò solet hoc conducere, vt animus cum sensibus collectus conseruetur, dum exercemur in laboribus, non aliter, quàm apes in suis aluearibus, cùm mel ad fauos congerunt. Horum duorum altero, quo lubet, vti possumus in meditatione imaginaria. Ire namque cum cogitationibus nostris Hierosolymas, ad meditandum ea, quæ ibidem fiunt, in proprio suo loco solet debilitare caput, & cerebrum lædere.

Ob eandem causam non debet homo imaginationem nimis diu fixam retinere in rebus, quas imaginatur: præterquam enim quod nimium fatigat memoriam homo ista profunda cogitatione, etiam per vehementem illam apprehensionem in errorem incidere potest, dum putat se realiter videre, quod nimia illa violentia tantùm imaginatur.

DE GRATIARVM ACTIONE.

CAPVT VII.

ABsolutis tribus partibus subijcienda confestim est pro beneficijs acceptis gratiarum actio. Ne autem homo cursum deuotionis nimia affectuum & materiarum varietate turbet, potest hanc partem annectere præcedenti, captans occasionem ex eo, quod meditatus est, ad reddendam Deo gratiarum actionem pro beneficijs ab eo perceptis: nec non & huic beneficio addere omnia reliqua, vt generales agantur gratiæ. Postquam enim meditationem aliquam de passione Christi absoluimus, mox Domino gratias agamus, pro beneficio Redemptionis, & specialiter quod tantis doloribus nos redimere voluit: atque eueſtigio addatur gratiarum actio pro alijs omnibus beneficijs.

Sic cùm peccata nostra perpendimus, possumus Deo gratias agere, eò quòd tanto tempore, tam patienter nos expectauit, & ad pœnitentiam vocauit: & cùm miserias huius vitę meditati sumus, agamus gratias, eò quòd à multis earum nos liberauit: si mortem eò quòd vitam tribuit, & nos misericorditer ad pœnitentiam expectauit: si gloriam & beatitudinem cælestem; quia nos creauit ad tanta bona possidenda: & sic in cæteris. Deinde, vt diximus, cum hoc vno beneficio, reliqua omnia sunt cōiungenda, vt sunt beneficiū Creationis, Cōseruationis, Redemptionis, Vocationis, & Glorificationis. Pro his, & alijs infinitis beneficijs, tam publicis, quàm priuatis tantas reddat gratias, quantas potest: atque inuocet omnes Creaturas cælestes & terrestres, vt in hoc officio sibi opem ferāt. Tali cum spiritu potest aliquoties legere Canticum trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.* vel Psalmum: *Benedic anima mea Domino.* Dan 3,57. Psal 102,1.

DE PETITIONE.

CAPVT VIII.

REstat vltima pars, quæ est Petitio duo habens membra: in vno pro proximo, in altero pro nobis ipsis oramus.

Prius continuari potest cum præcedenti, hoc est cum gratiarum actione, si petatur, vt omnes creaturæ seruiant Domino, & laudent eum, qui omni laude & cultu dignus est: eò quod tam piè tamque liberaliter agit cum omnibus quæ plasmauit. Cumque tali affectu, & desiderio gloriæ Dei precare illum, primò pro vniuerso mundo; vt omnes gentes cognoscant & seruiant tanto Domino: deinde pro Ecclesia Christiana, & pro cunctis illius Rectoribus, vt eorum diligentia omnes fideles proficiant in cognitione, & seruitute Creatoris.

Similiter ora pro omnibus Ecclesiæ membris, pro iustis, vt Deus eos in iustitia conseruet: pro peccatoribus, vt dimissis peccatis eos ad viam iustitiæ reducat: pro fidelibus defunctis, vt donet ijs æternam beatitudinem. Intercede pro cunctis tuis debitoribus, amicis, & benefactoribus: pro omnibus afflictis, seruis, infirmis, captiuis: hoc enim faciens fine tuo incommodo opus misericordiæ facturus es, commendans eos Domino, qui creauit, & afflictiones miseriasque singulorum ad istas manus referens, quæ pro omnibus cruci affixæ fuerunt.

Deinde homo quoque petere debet, quidquid sibi est necessarium, iuxta particularem necessitatem & miseriam quam sentit in anima sua. Maximè autem cum petimus remedium contra vitium aliquod, aut passiones, à quibus potissimè molestamur, aut denique virtutem aliquam flagitamus, quæ nobis planè est necessaria. Hic modus petendi præter alias vtilitates, hanc etiam habet, quod quotidie renouat in anima bona proposita & desideria virtutum, mouetque animum ad alacrius incumbendum ei, quod toties, & tanto cum desiderio petimus: sed & pudorem quoque incutit, si quando non faciamus, quod recordamur nos tanto cum desiderio, tantaque instantia postulamus à Domino, & datore gratiarum, vt facere possimus. Huc facit illud Chrysostomi: Qui precantur seriò, non sustinent quicquam admittere indignum precatione, sed reuerentes Deum, qui cum modò collocuti fuerant, citò repellunt omnem mali spiritus molitionem, apud se reputantes, quantum scelus sit, eum qui paulò antè sermonem cum Deo miscuerit, quique ab eo pudicitiam & sanctimoniam petierit, extemplo ad Diabolum descere, fœdasque voluptates in animum admittere, ac Diabolo præbere aditum ad illud pectus, quod paulò antè Deus inuiserit: ac Dæmonibus concedere irruptionem in animas, in quas Spiritus Sancti gratia plurimam exercuit benignitatem, & solicitudinem. Chrysost. hom. 1. de orando Deum.

Dolendum autem vehementer est, multos esse, qui dicunt se nescire quid petendum sit. Non excusat hæc ignorantia. Quæ namque bestia tam insensibilis est, vt *Multi malè arcent se quid petendum sit.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

est, vt nequeat aliquo modo necessitatem quã habet significare? Quis infirmus est, & non potest dicere, hic aut illic dolor me cruciat? Intuere temetipsum ô homo, scrutare vitia & passiones, quæ tecum pugnant: siue sit auaritia vel ira, vana gloria, duricies propriæ voluntatis, licentia linguæ, leuitas cordis, amor honoris & deliciarum, inconstantia in bonis propositis: siue deniq; sit amor proprius, aut aliæ passiones, animæque pestilentiæ hæc vulnera detege, singula cælesti medico spectanda præbe, vt ijs vnguento gratiæ suæ medeatur.

Postulato contra vitia remedio, petat quoque omnes virtutes, quæ ad salutem maximè conducunt. Et quia hæc primaria pars est huius exercitij, in qua non raro vniuersum tempus Orationis cum maxima suauitate & fructu consumitur, visum fuit mihi in medium hic proferre præcipuas virtutes, quæ sunt quasi columnæ vitæ spiritualis, vt semper eas cum suspirijs petas, & à Domino bonorum omnium largitore in tuis orationibus postules.

PETITIONES VIRTVTVM MAXIME NECESSARIARVM.

ANTE omnia petendæ sunt à Deo quatuor illæ virtutes, quæ sunt quasi fundamenta totius vitæ spiritualis: ideoque semper ante oculos habendæ sunt: semper enim, & in omnibus vitæ nostræ actionibus requiruntur. Sunt autem hæ bona compositio hominis interioris & exterioris; discretio & solicitudo in omnibus agendis & dicendis, vt omnia rectæ rationi sint consentanea, frænum & custodia linguæ, cum rigida & aspera propriæ personæ tractatione.

Bona compositio vtriusq; hominis.

Inter has virtutes primo loco ponimus bonam compositionem interioris & exterioris hominis: hæc enim est principium quæ nos disponit, ad omnes alias virtutes. Compositio hominis interioris consistit in eo, si homo Deum semper in corde præsentem circumferat; exterioris verò, si omnia faciat haud secus, quam si staret in præsentia & conspectu Dei, vel ante iudicem, & testem totius suæ vitæ.

Obedientia Mortificatio Fortitudo Contemptus sui.

Post illas sequuntur aliæ quatuor virtutes, in quibus summa perfectionis consistit: quæ sic inter sese sunt connexæ, & concatenatæ, vt vna sine alia esse non possit: & hæ sunt obedientia perfecta, mortificatio propriæ voluntatis, fortitudo in superandis difficultatibus & aduersis atq; horror, seu contemptus sui ipsius. Negari enim non potest, quin summa doctrinæ Christianæ est perfecta obedientia, & cum diuina voluntate conformitas, tam in omnibus quæ mandat, consulit, inspirat; quam in ijs, quæ circa nos agit, & de nobis disponit. Hæc obedientia nõ potest obseruari, nisi semper in manu habeamus cultrum, & abscindamus omnes inordinatos appetitus propriæ nostræ sensualitatis & voluntatis, quæ voluntati diuinæ contradicit. Ceterum nemo potest hoc facere, nisi prius acceperit fortitudinem, ad seipsum oppugnandum, expugnandum, & lethali bello propias inclinationes & affectus persequendum. Tale autem bellum nunquam conficiet aliquis, nisi qui per amorem Dei, eo peruenit, vt habeat verum & sanctum horrorem, contemptumq; suiipsius: vbi enim est horror, facile sequitur mala tractatio & contemptus illius à quo abhorremus: vbi autem nihil est nisi amor, ibi disciplina ad tractandum durius, quod amatur, contra voluntatem accipitur. Ex quibus facilè conficitur, nullam harum virtutum posse quicquã operari sine auxilio & subsidio reliquarum.

Humilitas Paupertas Patientia.

Has aliæ quatuor altissimæ, nobilissimæque virtutes sequuntur, quæ sunt, humilitas interior & exterior: paupertas spiritus, & corporis: patientia in aduersis & tribulationibus: puritasq; intentionis in bonis operibus vt fiant omnia ex solo Dei amore, sine vllius vtilitatis, aut respectus vel temporalis vel spiritualis admixtione. *puritas intentionis.*

Illas iterum quatuor aliæ sequuntur, quæ finis & principium sunt totius perfectionis, fides nimirum inuicta, omnium eorum, quę Deus aut dicit, aut promittit: secura spes, in illo tanquam in vero patre, tẽpore cuiuscunque tribulationis, quæ occurrit: amor Dei, qui incessanter ardet in cordis nostri penetralibus, vnà cum timore atque reuerentia tantæ illius Maiestatis, & iustitiæ, quæ semper nostris actionibus debet esse coniuncta. *Fides Spes Charitas Timor Dei.*

Omnibus verò prædictis addi debet perseuerantia & continuatio in harum virtutum exercitio, quę exiguo temporis spacio cultorem suum ad summũ perfectionis vestigium adducunt. AEquum igitur est, eas summa cum diligentia atque studio indefatigabili quærere, omnemque laborem nostrum in medijs, quibus ad illas peruenitur, petendis impendere; maximè autem in oratione, quæ principale medium est, quo virtutes illæ comparantur. *Perseuerantia.*

Admonendus est hic lector, hominem in petendis illis virtutibus debere subinde paululum quiescere, & in singulis nonnihil subsistere, considerando breuiter efficaciores stimulos, qui amorem illarum virtutum generant, & ad exercitium illarum incitant. Exemplo res fiet dilucidior: Quando rogamus vt detur nobis charitas, quæ est amor Dei, possumus dicere; Domine Deus, da mihi gratiam, vt possim te amare ex toto corde, & ex tota anima mea: tu enim es infinita bonitas, & pulchritudo, digna quæ amore quoque infinito adametur, & quod amplius est, quia tu es vnicus meus benefactor, pater meus, creator, vltimus finis, & sponsus animæ meæ: cui omnis amor debetur. Sic quando petimus virtutem Spei, licebit dicere; Da mihi gratiam vt in omnibus necessitatibus periculis & tribulationibus quæ in hac vita nobis occurrunt in te sperem: misericordia namque tua est infinita, promissiones tuę sunt veræ, & merita vnigeniti filij tui pretium aut numerum non habent, quæ omnia pro me clamant, & vociferantur. Eodem modo peti potest timor Dei, & humilitas, aliæque virtutes nonnullæ, quarum postulandarum formam, vt non necessariam hic exprimere supersedemus. Quemadmodum enim infirmus plus vtilitatis accipit à cibo quam ipse mandit, & dentibus terit, quàm ex eo qui contusus ab alio instar sorbitiunculæ vel potionis illi porrigitur: sic oratio quam ipse componit, verbis à Spiritu S. suggestis, vtilior est ea, quæ concinnata est, & composita verbis aliorum, quæ sæpe recitantur, quasi ab ignaris sine attentione & aliquo affectu. *Oratio ad petendum morem.* *Oratio ad petendam Spem.* *Simile.*

Hæc vltima pars, quæ est petitio, præterquam quod admodum facilis est, etiam est vtilissima: nã, vt antea dictum est, non tantum est exercitium orationis, sed etiam aliarum virtutum omnium: est & instar lectionis, seu collationis omnium earum; in qua homo renouat sua bona proposita, & desideria, percurritque obiter memoria sua, principales articulos primariaque capita legis diuinæ, quæ optima & continua hominis iusti est exercitatio, de quo dicitur, quod *in lege Domini meditabitur die ac nocte.* *Psal 27. 4.*

Has quinque partes prædictas potest obseruare homo iustus, quamuis (vt dixi) non omnes semper sint necessariæ: omne siquidẽ tẽpus subinde soli meditationi datur, subinde in vna petitione absumitur: tamen placuit omnes ordine ponere, vt saltem ob defectum materiæ, nemo hanc occupationem omittat, quin etiam, vt quandocunque deuotio perit, vel non adest (cum tamen ob hoc non debeamus illud exercitium relinquere) habeat homo in promptu,

quod exiguo illo tempore agat, & in quo seſe exerceat, faciens pro parte ſua, quod poteſt. Hoc enim eſt, quod Deus potiſsimum mandauit.

Petitio quinque prædictarum partiũ optima.

Notandum hoc loco eſt, inter has quinque partes optimam eſſe, in qua homo ſermonem cũ Deo miſcet, id q; fit in petitione: in lectione namq;, & meditatione intellectus exiguo aut nullo labore diſcurrit: ſed cum ipſi Deo loquimur, iam tum intellectus in altum eleuatur: quem deinde ſequitur voluntas, atque hinc communiter reſultat maior deuotio & in oratione attentio ex parte hominis: maior quoque timor, & reuerentia erga diuinam Maieſtatem, cũ qua ſermocinatur: habens quoque adiunctum humile & ardens deſiderium eius, quod petitur: Hoc incentiuum & hæc ſpiritus eleuatio, cum omnibus virtutum actibus qui cõcurrunt, animam magis nobilitant, magisque ædificant, quam alius quicunq; diſcurſus: id quod vnuſquiſq; in ſeipſo facile poteſt quotidiana experientia obſeruare. Manifeſtũ enim eſt in meditationis diſcurſu, nihil aliud inueniri, præter piam inquiſitionem, & conſiderationem rerum ſpiritualium, quæ quemadmodum eſt actus intellectus, ſic exiguæ eſt ſubſtantiæ & vtilitatis: ſed in oratione deuota concurrunt omnes virtutes, quibus tanquam alis quibuſdam anima eleuatur, donec, cum Deo vnitur.

Porro licet hoc colloquium ſpirituale cum Deo ſit optima pars huius exercitij, tamẽ inter colloquia optimum etiam illud putatur, in quo de amore tractatur, quando actualiter amamus Deum, laudantes illum, & cum ſumma contentione atque deſiderio petentes diuinum illum amorem: vt enim Charitas virtutum omnium eſt maxima, ſic etiam nulla Deo gratior, nulla homini vel dulcior vel vtilior vſu & exercitio charitatis.

Hoc exercitium Sancti vocant exercitium aſpirandi ad amorem Dei, & in finem illius ordinantur Meditatio, & Oratio cũ alijs bonis exercitijs omnibus, daturque hic regula generalis omnibus qui orant, cum præcepto, vt pro viribus ſtudeant ſpiritum ad diuinum illud colloquium eleuare; hoc eſt, compellare Deum, & cum eo ipſo tractare potiſsimum de amore, & exercitio aſpirationis. Propterea conſultè hæc amoris petitio vſq; ad finem exercitij prorogatur; quod eſt optimum vinum ad finem conuiuij reſeruare, vtq; penſo ſuo perſoluto oportunum ſit homini huic parti quamdiu vult, immorari. Licet alioquin non abs re foret ab hac exordiri, & hac eadem concludere, cum Spiritus ſanctus aditum ad illam patefecit.

Obſeruandum quoque eſt, debere nos in omnibus allegare merita vnici noſtri & veri Saluatoris, qui vt Apoſtolus dicit, *eſt noſtra iuſtitia, ſapientia, ſanctificatio, & redemptio.* In eo potiſsimum collocanda eſt noſtra fiducia, & hunc ante conſpectum Domini præſentare debemus, offerentes illum Patri pro ſingulis, & ſumentes (vt ait D. Bernardus) ex illo theſauro id, quod cuique neceſſarium eſt. Ille enim Dominus eſt, qui ſanctificat, & in ſacrificium ſemetipſum offert, vt nos verè ſancti ſimus. *Si igitur Deus pro nobis, quis contra nos? ſi Deus iuſtificat, quis eſt qui condemnat?* Hic eſt teſte Petro, *cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.*

1. Cor. 1. 30.

S. Ber l. 22. in Cant.

Rom. 1934.

Act. 10, 43.

In virtute igitur huius Domini, cum fiducia thronum Dei accedamus, certi quod quidquid petierimus, in nomine illius, illud accipiemus. Hæc eſt præcipua condicio, quam noſtra petitio vel oratio debet habere ſibi adiunctam, vt ſit efficax coram Domino, vt dicit B. Iacobus: fides nimirum, ſeu fiducia, quæ quidem potiſsimum poſita eſſe debet, non in nobis, aut in operibus & meritis noſtris, ſed in meritis Chriſti Ieſu: nec non & in infinita bonitate atq; miſericordia Dei, quæ nulla malignitatis ſpecie vincitur; maximè autẽ in veritate verborum, & promiſſionũ Dei: qui per omnem ſcripturam ſacram pollicetur, ſe nunquam defuturum his, qui ad illũ ex toto corde conuertuntur; illum inuocant, & ſpem ſuam omnem in illo habent collocatam. Fueris licet vſque huc maximus peccator, non tamen idcirco eſt animus abijciendus: nam (vt B. Hieronymus dicit) peccata præterita non damnant, ſi non placeant. Ex quibus verbis facile eſt videre, quam turpiter errant, qui conſiderantes ſuos defectus, ſuamque infirmitatem de miſericordia Domini diffidunt, tanquam non exaudiendi à Deo, ſi illum deprecentur: & non animaduertunt principale huius fiducię fundamentum eſſe merita Saluatoris, miſericordiam Dei, & veritatem verborum eius, quæ eſt tanquam ſcutum (vt ait Propheta Regius) circumdans omnes, qui ſperant in illo.

Iean. 14.

Iacob. 1.

S. Hieron. epiſt. ad Ruſticum.

Pſal. 30.

CONSILIA SEV DOCVMENTA quædam obſeruanda in quinque partibus exercitij prædicti, & ſpecialiter in meditatione.

CAPVT IX.

QVM iam abundè ſatis de primarijs illius exercitij partibus à nobis dictum ſit, operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi documenta quædam ſubijciam, in ijſdem partibus, & ſpecialiter in Meditatione obſeruanda: ea enim præcipua eſt, de qua nobis hoc loco erit agendum.

PRIMVM DOCVMENTVM.

SIT itaque primum documentum circa materiam Meditationis: nimirũ etſi bonum eſt hominem habere meditationes: illas aſsignatas, quas nos in hoc libro per ſeptimanæ dies diſtribuimus, vt in ijs exerceatur; nihilominus ſi ſeſe in medio curſu alia aliqua cogitatio offerat, in qua plus vel dulcedinis, vel vtilitatis inuenit, eam non eſſe reijciendam, ſed cum illa voluntati ſatisfaciendum: non enim fas eſt recuſare, vel extinguere lumen, quod Spiritus Sanctus incipit in hac bona cogitatione accendere, vt occupet ſeſe alijs meditandis, in quibus lumen illud fortaſsis non inueniet.

Præterea, cùm primarius finis harum meditationum ſit deuotionis alicuius adeptio & rerum diuinarum ſenſus præter rationem erit, ſi quis hæc conſecutus ſit in bona aliqua conſideratione, eam deſerat, & in alia quærat, quod in hac iam inuenit.

Verum hæc licet regulariter loquendo ſeſe ſic habeant, non tamen eam ſibi vnuſquiſque arroget licentiam. vt in omnem partem ſe moueat, & leuiſsima, quæ forte fortuna offert, occaſione reijciat id, quod in manu habet, & arripiat quod in phantaſiam incidit; niſi fortaſsis ſciat multum inter vtrumque intereſſe, & hoc multis paraſangis illo eſſe præſtantius & vtilius.

SECVNDVM DOCVMENTVM.

SECVNDVM documentum erit, quod homo vitare debet in hoc exercitio ſuperfluas contẽplationes intellectus, & allaborare, vt negocium hoc perficiat magis cũ effectu, & motu voluntatis, quam diſcurſu & contemplatione intellectus.

Intellectus ſubinde præeſt, ſubinde obeſt voluntati.

Sciendum igitur eſt, intellectum in quibuſdam iuuare, & in quibuſdam impedire operationem voluntatis, quæ eſt amor & ſenſus rerum diuinarum. Quemadmodum enim neceſſe eſt, vt intellectus præcedat voluntatem, eã ducens, & ſuggerens quid amare debeat: ſic quando illius contemplatio nimia eſt, im-

est, impedit eandem voluntatis operationem: non enim permittit illi tempus, nec locum concedit, vt queat operari. Quemadmodum dicitur de veneno, quod theriacæ miscetur, si modicum sit, salubre est, & necessarium, sin autē nimium, noxium est, & hominem extinguit, sic & de hoc exercitio dicere possumus: intellectu enim Deum versari cum simplicitate iuuat voluntatem, vt fertientius illum amet: sed nimia contemplatione circa illum vagari, impedit eandem voluntatem, redditque debilem & remissam eius operationem. Ratio huius est, quia cùm vires animæ nostræ finitæ sint, & limitibus certis circumscriptæ, quanto plus sese impendit vni parti, tanto minus alij potest subuenire: adinstar fontis, qui per Simile. duos tubos deriuatur: quanto enim plus aquæ per vnum educitur, tanto minus ex alio fluit. Et hoc principaliter facit anima per operationem intellectus, per quam, cùm sit illi intima, & præterea nobilissima, tota exercitatur: adeò vt quasi nihil operetur per alias potentias, cùm in hac operatione est occupata. Sed & experientia docet, in quocunque alio exercitio corporali, quod manibus perficitur, hominem posse maiori cum facilitate, & minori negocio conseruare affectum deuotionis, quàm si cum intelle- Simile ctu aliquid attentè contempletur: Intellectus enim & voluntas sunt quasi bilances animæ, quæ inter sese cohærent, vt ascensus vnius, sit descensus alterius: eleuatio vnius, alterius depressio: & contra. ita vt si nimium excrescat speculatio, decrescat affectus, & si augeatur affectus, minuatur speculatio. Hāc ob causam Angelus Domini tetigit alterum femur Patriarchæ Iacob, quod emarcuit, antequam Gen 32. illi daret benedictionem: quemadmodum enim anima nostra duos habet pedes, quibus ad Deum pergit, intellectum scilicet & voluntatem, ita necesse est, vt emarcescat, & claudicet alter, nimirum intellectus in meditatione: si alter, scilicet voluntas, Deo fruetur in quiete contemplationis. Sic quotidianis experimentis deprehendimus, quod cùm anima Deo fruitur, & conuertit sese, vt contempletur & rimetur ea, quæ in Deo sunt: euestigio perit deuotio, quàm habebat, & fugit ab oculis summum illud bonum, quo fruebatur.

Quare non immeritò Sponsus in canticis Sponsam monet dicens: Cant. 6, 4. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Hanc ob causam datur istud consilium in hoc exercitio, vt homo det operam, ne cum intellectu curioso speculetur: sed contentus sit intuitu & cognitione rerum diuinarum simplici, vt virtus animæ collecta omni sua fortitudine, vim omnem imprimat parti affectiuæ, vt summum illud bonum amet, atque reuereatur.

Ex his liquet, eos non inuenire hanc viam, qui nō aliter sese componunt in orationibus, ad contemplanda diuina mysteria, quàm si studerent ad habendam pro populo concionem: quod potius est spiritum dispergere, quàm colligere, & magis à se exire, quàm ad se redire. Hinc est, vt finita eorum oratione, maneant aridi, & sine succo deuotionis, tamque faciles & prompti ad omnem leuitatem, quam qui leuissimi: ijdem prorsus post orationem, qui erant ante illam, permanentes.

Illi reuera non orarunt, sed aut studuerunt, aut verborum strepitum fecerunt, quod plurimum differt ab oratione. Cogitare debebant illi, nos in hoc exercitio venire potius ad audiendum, quàm ad loDeut 33, 2. quendum. *Qui enim*, vt Propheta dicit, *appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*: quemadmoPsal 84, 9. dum acceperat ille, qui dicebat: *Audiam quid loquatur in me Dominus.*

Sit igitur omnis cura orantis, vt parum loquatur, multum amet, & locum det voluntati, vt iuuetur omni contentione, quò ad Deum euoler. Non debemus ijsdem calcaribus incitare vtramque potentiam, neque paribus passibus in hac via ambulare. Optima in hac arte dexteritas est, voluntatem incitare, & intellectus impetum retardare, vt non impediat suis proprijs negotijs cursum Amoris. Imaginare te in vehi- Simile. culo sedere, quòd à duobus equis trahitur, quorum vnus velox est, & alius tardus: & quod tuum est habenas ita moderari: vt qui velox est, à cursu retineatur, & qui tardus est, stimulis excitetur, vt paribus passibus incedant.

Sin autem aliud exemplum velis habere manifestius, imaginare intellectum erga voluntatem sese gerere debere, non aliter atqui nutrix erga infantem Simile. sibi commissum: quæ postquam cibum dentibus minuit, ingerit illi in os, vt comedat illum, & eius virtute sustentetur. Alioquin si ipsa & manderet, & deuoraret, puerum ieiunum & famelicum nutrimento defraudans, certum est, quod manifestam illi faceret iniuriam: fame siquidem puer eius culpa interiret, eò quod ipsa manducaret, quod puero dandum erat. Eadē ratio est intellectus, & voluntatis: illius enim est tanquam nutricis cibum dentibus terere, hoc est, comminuere, & mandere veritatem spiritualem: sed in eo non consistit totum negotium: postquam enim comminuta est, debet eam intellectus voluntati in os ingerere, vt ea gustet veritatem, & sentiat, eiusque suauitate magis accendatur, & confirmetur in bono.

Canis venaticus si bonus sit, leporem quem cepit Simile. non comedit, sed seruat illum, donec ad Dominum veniat. Idem facere debet noster intellectus, cùm aliquid venatus est illius altissimæ & secretissimæ veritatis, non illud sibi soli reseruare debet, sed remittere ad voluntatem, vt ipsa tanquam Domina in hoc officio eo fruatur. Felices profectò sunt nonnullæ personæ deuotæ & simplices, quæ vt parum sciunt, sic cum Deo appropinquant, non luxuriatur, aut fastidium illis adfert negocium intellectus: & proinde illorum voluntas tenera magis est, & præparata, vel dispositā, ad omnem piam affectionem.

Quod si cupias doceri, quomodo hæc, quæ præcepimus, fieri possunt, dicam: Inter alios modos diuersos, hic vnus facillimus est, quem præ ceteris velim tibi commendatum. In quacunque re bona, quam meditaris, siue in oratione, siue extra illam, operam da, vt confestim vbi mentio eius incidit, cum illa ad Deum recurras: quemadmodum puer in- Simile. uenta re aliqua, acturum eam ad matrem defert, & cum ea de re inuenta fabulatur: ad eundem modum, prout aliquid in re cogitata inueneris, potes cor ad Deum eleuare, illum amare, adorare, reuereri, & laudare: atque hinc captabis occasionem te humiliandi ante illum, & gratiam petendi. Iuuabit etiam ad hoc idem spiritus veræ humilitatis, qui facit hominem comparere ante conspectum Domini omninō pauperem, nudum, & prostratum ante pedes supremæ illius Maiestatis, cum maiori solicitudine & cura implorandi misericordiam, pro summa quam in se deprehendit miseriam: quàm inuestigandi magnitudinem mysteriorum, ad illa contemplanda. Hæc vnica est causa, cur homo talis stet ante Deum, non secus, quàm homo reus, flagitiosus, & ad mortem condemnatus stat in introitu palatij Regis, vt ab eo remissionem & vitam suppliciter exoret: qui nihil præter miseriam propriam cogitat, & vix oculos aut cor, ad videndum & meditandum aliud, quàm periculum in quo versatur, eleuat.

(o)

TERTIVM DOCVMENTVM.

PRæcedens documentum ostendit quomodo intellectus est moderandus atque omne negocium ad voluntatem remittendum: præsens verò etiam voluntati suam constituit mensuram, & limites præscribit. Sciendum igitur deuotionem, quam in hoc exercitio venamur, non esse aliquid, quod robore lacertorum potest acquiri: vt quidam arbitrantur, qui nimia afflictione coacta, & quasi violenter expressa tristitia, id curant, vt lachrymas extrudant, si quando in passione Saluatoris meditentur: cùm id magis cor exciccare, & visitationis diuinis ineptum facere consueuit, vt docet Cassianus. Soletpræterea indiscreta illa violentia plurimum obesse corporis sanitati, & subinde relinquit animam tam timidam, omniq́ue sapore destitutam, vt formidet aliàs iterum ad hoc exercitium, tanquam ad rem, quam experimento ipso probauit esse plenam doloribus, reuerti.

Voluntas etiam est moderanda.

Cassian. li. 9. Collacion. c. 28, 29. & 30.

Quapropter si Deus dederit vltro fluentes lachrymas, aut similes animi motus, ea accipienda sunt humiliter: velle autem hæc violenter exprimere, non est sapientis. Debet homo contentus esse, si ex sua parte fecerit, quod potuit: hoc est, vt præsentem se sistat iis, quæ Dominus patitur, simplici & quieto conspectu: intuens tam eum qui patitur, quàm amorem & charitatem, qua cum patitur: quo peracto non sit anxius de ceteris, si quando Deus illa negauerit.

Quomodo passio Domini meditanda.

Qui illud facere non potest, & sentit superuacaneam in exercitio suo molestiam, non torqueat se in procedendo vlterius: sed humiliet se coram Domino, cum intima cordis tranquillitate, & simplicitate petens gratiam, ad inueniendam hanc viam, sine tanto suo incommodo & periculo. Et si Dominus illi largiatur gratiam, & cogitationum tranquillitatem dederit, maiorem ex ea cordis deuotionem sentiet, quàm sentire solet in illa mentis inquietudine: quin etiam & multo erit diuturnior, poteritque homo longissimo tempore, sine vlla mentis ægritudine in meditatione perseuerare: quæ omnia contrario modo se habent, si cogitatione violenter prouocentur.

Iccircò diligenter cauendum est, si aliquando feruentes motus sensibilis deuotionis in anima exurgant, aut superflui singultus & gemitus, ne homo in illis suffocetur: sed temperare se debet, & dissimulare, id vnicè agens, vt habeat oculos in intimo cordis, ad custodiam istius considerationis, & cogitationis, quæ motus illos excitauit: hoc est, vt tollat à se carnis eleuationem, & fruatur in anima cum summa tranquillitate, deuotione, quàm Deus largitus est. Id si fiat, durabit longo tempore, eritque illius consolatio magis fundata, cordique germanior, nec appetet sese ostentare per gemitus, aliaque signa externa, quæ vitari nequeunt, sine magno fastidio, vbi semel homo assueuerit sese dare prædictis motibus, & sensibilibus feruoribus: qui quàto duriores foris videntur, tanto amplius solent intus lumen obscurare, & obicem ponere, ne homo vlterius progrediatur.

Tyrones Christi cur in initio conuersionis sint feruentiores.

Verùm quidem est, in principio vitę spiritalis feruores illos posse difficulter vitari, cùm admiratio nouitatis, & altitudo rerum diuinarum abripiunt hominem in tantum stuporem, vt sese nequeat continere. Sed cùm longo vsu nouitas illa perit, cor sedatur: & licet maiori amet cum formidine, tamen sensibilem illum non habet feruorem, nec tantam sentit in amore suo molestiam & anxietatem. Idem fieri videmus in multo, quod vbi primùm incipit experiri calorem externum, magno cum strepitu ebullit, donec in altum efferatur: sed vbi iam satis ebulliuit, multo tranquillius & temperatius coquitur, multoque minori cum strepitu. Claudius ille quem Diuus Petrus, vt Actorum narrat historia, sanauit, vbi primùm bases & plantas suas vidit consolidatas, introiuit cũ Petro & Ioanne in templum *ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Non erat illi satis ambulare, sed quasi homo, qui tanto tempore manibus & pedibus fuerat ligatus, vbi expertus est nouam libertatem, soluit & extendit membra ad omne quod voluit. Verisimile tamen est, eum postea modestius ambulasse, & quod toto vitæ tempore non saltauit: tunc verò, prę noua lætitia, & insolita sanitate, non potuit quiescere, aut semetipsum temperare.

Act. 3. 8.

QVARTVM DOCVMENTVM.

EX omnibus, quæ hactenus a nobis dicta sunt, colligitur, quis sit modus Attentionis, qui in Oratione seruandus est. Oportet enim, vt in ea cor non langueat, aut debile sit, sed viuum, attentum, & ad cælum seruetur eleuatum. In huius rei figuram legimus Angelum præcepisse Ezechieli Prophetæ, vt staret super pedes, quando cum eo loqui, & diuinorum mysteriorum participem eum facere volebat. Ad eundem modum legimus duos illos Cherubin, quos Salomon constituit ad latera arcæ testamenti, stetisse erectis pedibus, eleuatos in altum, & alas eorum expansas fuisse, vt significetur attentio, & eleuatio spiritus, qua armari debet homo, cùm Deo appropinquare vult, vt cum eo loquatur, & in conspectum illius venire.

Ezech. 2.

3. Reg. 6. & 8.

Sed quemadmodum hic attentio illa necessaria est, sic etiam oportet vt eadem sit temperata, & moderata, ne officiat saluti, vel deuotionem impediat. Inueniuntur enim nonnulli, qui torquent mentem superuacanea violentia, vt animus maneat intentus rebus, quas meditantur, vti diximus: alij autem, vt fugiant hoc incommodum, nimium languent, remissi sunt, & faciles, qui omni vento circumducuntur.

Attentio quoque temperanda.

Ad hæc duo extrema fugienda, oportet medium tenere: hoc est, nec attentione nimia mentem fatigare, nec securitate & languore nimio permittere, vt cogitatio libera, quocunque placet, vagetur. Quemadmodum dicere solemus ei, qui in iumento equitat vitioso, frænum moderatè regendum: hoc est, nec laxandum nimium, neque nimium stringendum, ne fortè equus, aut in gyrum circumeat, aut cum periculo gradiatur: sic accurandum est, vt attentio nostra sit temperata, non violenta: diligentia condita, non vi coacta. Vtriusque admonent diuinæ litterę: De priori dicit Salomon, *Qui fortiter premit ubera, ad elicendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emũgit, elicit sanguinem.* De altero ait Esaias: *Vt sugatis, & saturemini ab ubere consolationis eius, vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.*

Prou. 30. 33.

Esa. 66. 11.

Sin autem ad alterum horum extremorum deflectendum sit, melius est ad nimiam animi attentionem inclinare quàm ad inconsideratam negligentiã: hanc enim iuuat ipsa natura corrupta; illam verò non. Et quemadmodum in ædificio, quod erectum, & suo fundamento integrum insistere non potest, sed in latus incipit incumbere, minus periculum est, si in latus firmius inclinet, quàm in debilius: sic & in attentione nostra, si media nequeat incedere (quod tamen hic fieri cupimus) præstat vt inclinet ad extremum minus periculosum, quale est illud, quod iam diximus.

Simile.

Hæc admonitio tam est necessaria, vt defectu illius viderimus quibusdam hominibus multos annos elabi, cum nullo vel exiguo fructu, propter nimium teporem, quo cum orabant. Alios iterũ nouimus qui & sanitatem, & memoriã amiserunt, propter nimiũ feruorem,

feruorem, quo in orationibus æstuabant. Illud verò obseruandum est, ne saltem in initio meditationis mentem nimia attentione fatigemus: qui enim hoc faciunt, solent fere viribus destituti deficere: quemadmodum deficit viator, qui in principio nimis festinus est, & celer in ambulando.

QVINTVM DOCVMENTVM.

NON ESSE DESPERANDVM SI statim in orationis initio dulcedinem non sentiamus.

CEterum inter omnia documenta, vel admonitiones, illud præcipuum est, ne qui orat animum despondeat, aut exercitium inceptum relinquat, si non inueniat statim dulcedinem deuotionis, quam optabat: quomodo faciunt illi, qui in hoc viuunt turpiter halucinantes. Aduertendum hoc loco est, cor humanum aquæ turbidæ esse quàm simillimũ, quæ non potest ita subito, etiam cum maxima diligentia, ad natiuam claritatem reduci, nisi detur tempus, & spacium, vt sensim cænum subsideat, & aqua sua natura claresçat. Eodem modo cum corde nostro agitur, quod quemadmodum solet turbari quotidiana rerum terrenarum negociatione, ita cum iam turbidum est, non potest vno momento sedari, sed opus est spacio & tempore conuenienti. Quare non fine causa dictum est ab Ecclesiaste; *Melior est finis orationis, quàm principium:* in principio enim cor turbidum est, & inquietum: in fine verò quietius est, & sedatius, magisque dispositum ad suum exercitium.

Cor humanũ aqua turbidæ simile.

Eccl. 5, 4. S Auguſt. epiſt. 121.

Quare sicut illi qui focum volunt construere ex ligno viridi patienter expectare debent donec lignũ paulatim siccetur & humorem exsudet, insuper & ignem afflare debent donec etiam fumus lachrymas oculis excutit si luculenta flamma gaudere cupiant: ita sæpe laborandum est & perseuerandum in principio orationis, si tandem desideremus frui clara & dulci flamma deuotionis, & amoris Dei.

Similiter & cum longanimitate atque perseuerantia aduentus Domini est expectandus: ad gloriam enim maiestatis illius ad humilitatem nostræ conditionis, ad magnitudinem negociorum tractandorum pertinet, nos sæpe diu expectare, & obseruare portas sancti illius palatij. *Beatus homo*, inquit diuina illa Sapientia, *qui vigilat ad fores meas quotidie*, & obseruat ad postes ostij mei: qui me inueniet, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. *Bonum est*, ait Propheta, *præstolari cum silentio salutare Domini.* Superbus & nimium confidens nec patientiam habet, nec potest expectare: humilis autem dicit cum Propheta; *Exspectans expectaui Dominum, & intendit mihi:* vel audiuit orationem meam. Si is qui piscatur, & qui venatur, patiens non sit, nihil capiet, & sine præda domum reuertetur. Sanè non est hæc venatio, vel piscatio minor illa: iniquum igitur est, nolle patienter obseruare tempus, & expectare, donec tam dives præda, Deus scilicet ipse, in nassam nostram incidat.

Prou 8, 34.

Thren. 3. 26.

Pſal 39, 1.

Simile.

De forti illa muliere, quam describit Salomon in Prouerbijs, inter alia sic dicitur: *Facta est quasi nauis institoris, de longè portans panem suum*, vt hinc intelligas, si statim panis vitæ, quem desideras in promptu non est, laborandum tibi, & toto die circumnauigandum esse, donec inuenias, quod cupiebas. *Si perseueraueris pulsans*, ait Saluator, *crede quia tandem respondebit tibi*: etenim qui sæpe negat in principio, in fine largitur duplicia.

Prou. 31, 14.

Luc. 11.

Audiui, & pro re vera mihi relatum est, de quodam Religioso, qui toto triennio in hoc bono exercitio perseuerauit, manes post matutinas preces duas aut tres horas in oratione, nullum inde fructum ericiens, præter cordis siccitatem: donec Dominus respexit afflictionem animæ illius, & effudit in illum vbertatem suæ bonitatis, cum tam copiosa benedictione, vt iam vberrimè compensata fuerit omnium annorum præteritorum sterilitas. Docet hoc in multis alijs experientia quotidiana. Felices animæ sunt, quæ hoc modo perseuerant: sine dubio enim, quanto diuturnior est eorum perseuerantia, tanto maior erit gratia, quam recepturæ sunt. Vnum igitur præcipuè obseruandum est his, qui magna dona percipient à Deo, vt sint scilicet longanimes, & patienter expectent finem atque tempus, quod ipse constituit: & interea sese consolentur illo prophetico, *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.*

Exemplum patientiæ Religioſi.

Granat. Opuſc. ſpirit.

Abac. 2, 3.

Quando tanta cum patientia modicum expectasti, & Dominus iam venit, age illi gratias pro suo aduentu. Si vero nondum venisse videatur, humilia te ante illum, & agnosce quod non mereris habere quod negauit, & contentus esto, quod ibi sacrificium obtulisti de temetipso, & propriam voluntatem abnegasti, appetitus tuos crucifixisti, Dæmonio & tibi ipsi bellum intulisti, & quod fecisti omnia, quę facere potuisti. Si non adoraueris Dominum adoratione sensibili, quam desiderabas, sufficiat quod adorasti illum in spiritu & veritate, quomodo ille vult adorari. Hic sanè locus est periculosissimus totius nostræ nauigationis: & quasi lydius lapis, ad quem veri deuoti probantur, è loco isto si feliciter enauigaueris, omnia tibi prosperè succedent.

Ioan. 3.

Denique si aliter existimare non poteris, quàm tempus, quo in oratione laboras, & perseueras, sine fructu amissum esse: non inutiliter facturus es, si postquam feceris quod in te erat, deuotum aliquem librum accipias, & orationem lectione præscindas: ita tamen ne lectio sit nimis volubilis, aut festina: sed tarda, sensimque prolata, magna eorum quæ leguntur attentione condita, & multis locis oratio lectioni commisceatur, quod sanè vtilissimum est, & omni sexui & hominum generi factu facillimum, quantũuis illi rudes sint, & huius studij ignari.

SEXTVM DOCVMENTVM.

DE PROFVNDA ORATIONE & deuotione.

NOn est hoc documentum à præcedenti diuersum, nec minus est necessarium admonere seruum Dei, ne sit contentus omni & quocunque gustu, quem in oratione reperit, id quod nonnulli faciunt, qui cum vel vnam lachrymulam exprimere possunt, aut aliqualem cordis teneritudinem sentiunt, existimant sese iam exercitium suum absoluisse. Hoc non sufficit, ad id quod nos hoc loco quærimus. Quemadmodum enim pĉecas (quæ tenuis est pluuia, & nihil agit aliud, quàm puluerem mouet, & foris terrã reddit vuidam) non sufficit ad faciendam terram fertilẽ, & ad fructus producendos aptam: sed necesse est, vt aqua ad interiora vsque terræ viscera penetret, totamque humectet: sic vt anima nostra fructum virtutis & bonorum operum ferat, non sufficit exigua deuotionis irrigatio quæ conuersione capitis, aut quocunque solis aspectu, seu venti flatu siccatur, quæ cum adest, animam facere deuotam videtur, cum intus nihil minus sit quam deuota: sed oportet vt sit Oratio & deuotio profunda, quæ ad instar densissimi imbris penetret interiora cordis, quæque ita inebriet illud, vt nec sol, nec venti; hoc est, neque negocia, neque cogitationes huius mundi possint illud exiccare. Sic de B. Clara memoriæ proditum est, quæ nonnunquam in oratione adeo ad Deum fuit eleuata, vt non nisi cum maxima difficultate potuerit cor rursum

S. Auguſt. epiſt. 121.

Marul. lib. 2.

inflectere ad ea negotia, ad quæ officij ſui ratione tenebatur. Hæc deuotio non eſt ſimilis illi, quam tollit ventus, & leuiſſimo venti flatu ſiccatur: ſed illi, de qua dicitur in Canticis; *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant 8,7.

Tempus orationi præſtituendum.

Hanc ob cauſam non inconſultum eſt ſtatuere huic exercitio tempus, quam fieri poteſt longiſſimum & præſtat ſemel & ſimul orare ſatis, quam bis modicum. Nam ſi tempus breue ſit, totum abſumitur in refrænanda imaginatione, & ſedando corde: quo ſedato ab oratione ſurgimus, cùm iam prius ſeriò eſſet incipiendum. Quis eſt qui volens è fodinis aurũ eruere, cùm iam ſummo labore ad ipſas venas peruenerit, tollit inſtrumenta, & caſsis omnibus laboribus præcedentibus tunc ceſſat, cùm emolumenta & fructus in manibus ſunt? Et ſanè fructus alicuius prolixę, profundæque orationis nonnunquam tanti ſunt, homini refectioni ſufficiant ad multos dies, vtque homo virtute & fortitudine cibi illius, quem in ea oratione percepit, cum Helia vſque ad montem Domini in offenſo pede, animoque forti queat ambulare. Simile. 3. Reg 19.

Vt autem magis adhuc ſpeciatim de hoc tempore diſſeramus, dico, tempus omne quod anguſtius eſt ſeſqui hora, vel horis duabus, id mihi nimis arctum & breue ad orandum videri. Antequam enim cithara componitur, vt fides inter ſe conſonæ ſint, hoc eſt, antequam imaginatio (vt dixi) in ordinem redigatur, vt minimum dimidia hora elabitur: quidquid temporis reliquum eſt, in fructibus orationis colligendis tranſigitur. Verum quidem eſt, quando exercitium hoc fit poſt aliud aliquod ſanctum officium, vt poſt matutinas preces, vel poſt auditum aut lectum Sacrum, ſiue poſt deuotam lectionem, aut orationem vocalem, cor magis diſpoſitum eſt, ad hoc negotium obeundum, multoque citius (quemadmodum & lignum aridum) cæleſtis illius ignis flammam concipit. Similiter & ſi matutino tempore quis huic exercitio vacet, multo quoque citius ſeſe paratum inueniet, vt poſtea dicetur. Qui autem ſeſe propter varias occupationes temporis inopem deprehendit, non omittat ſuum cum vidua paupercula in templo minutum offerre: nam ſi culpa non ſit in ipſo homine, qui omnibus creaturis dat neceſſaria, etiam dabit homini, quæ ad ſalutem requiruntur. Luc. 21.

SEPTIMVM DOCVMENTVM.

NON ESSE IN VANVM ASSVmendas Domini viſitationes.

ALiud documentum, huic non diſimile, eſt, vt quotieſcunque anima vel in oratione, vel extra illam ſingulari aliqua viſitatione à Domino viſitatur, ea non in vanum ſumatur, nec fruſtra, & ſine fructu tranſeat: ſed vt obſeruetur occaſio, quæ offertur: ſecundo enim hoc vento feliciſsimè nauigabit homo, & plus itineris conficiet vna hora, quàm ſine illo, diebus multis. Notum eſt B. Petrum vno iactu plus profeciſſe, & plures piſces cepiſſe, quàm totius noctis piſcatione. Idem non rarò in hac cęleſti piſcatione fit, ſi opportunitatem obſeruare nouerimus, quę in ea nonnunquam offertur. Quare non ſine cauſa monet Eccleſiaſticus, dicens. *Non defraudaris à die bono & particula boni doni non te prætereat.* Ioan. 12. Ecci. 24, 14.

Omnibus in rebus plurimum valet oportunitas, ſed in oratione plus quàm in reliquis: videtur enim hic quaſi Angelus deſcendere ad aquas piſcinæ mouendas, vt virtutem ſanandi accipiant: vel vt melius dicam; Deus hic ipſe deſcendit, vt trahat aratrum cũ homine, & coniunctis viribus laborent: cuius auxilium plus valet, quàm totius mundi huius induſtria atque diligentia. Nauta cum videt proſperum eſſe ventum ad nauigandum, confeſtim tollit anchoras, extendit vela, exit portu, nec moram amplius vllam facit: ne fortè amittat oportunitatem oblatam. Idem facere debent homines ſpirituales, idque tanto maiori cum diligentia, quanto maius eſt negocium, magisque neceſſarium ſtudium ad orationem, quàm ad nauigationem. Ioan. 5. Simile.

Id feciſſe dicitur Beatiſsimus ille Franciſcus, de quo ſcribit S. Bonauentura, tantam eius fuiſſe, qua in hoc negocio vtebatur diligentiam, vt ſi quando Deus illum ſingulari aliqua viſitatione in via viſitaret, ſocios ſuos pergere iuſſerit, ipſe autem humi ſedens, tam diu meditationi operam dederit, donec ruminare, & buccellas cælitus datas digerere deſiſſet. Qui hoc non faciunt, ſolent fere pœna grauiſsima affligi, vt ſcilicet Deum non inueniant, cùm illum quærunt: nec immeritò, cùm Deus quærat eos, & ſæpe non inuenit. S. Bonau. de vita S. Franciſc. c. 1.

Hęc ſunt præcipua documenta, vel admonitiones, quæ in exercitio Meditationis debent obſeruari: neque in eo tantùm, ſed & in quocunque alio huic affini, niſi fortè in media via deficere velimus. Bene autẽ facturi ſumus, ſi nunc properemus ad tractanda ea, quæ reliqua ſunt: vt ſic finis imponatur primo huic libro, qui fortaſsis prolixior eſt, quàm eſſe debebat.

DE SEX REBVS IN PASSIONE Redemptoris noſtri meditandis.

CAPVT X. ET VLTIMVM.

INter omnia deuotionum exercitia, non eſt ſecurius, non vtilius, non vniuerſalius, & cuiuis hominum ſexui & conditioni accommodatius memoria Dominicæ paſsionis. Dicit alibi Albertus ille Magnus, vtilius eſſe quotidie aliquid de Paſsione Domini meditari, quàm ſingulis ſextis ferijs totius anni, in pane & aqua ieiunare, diſciplinas vſque ad ſanguinis fluxum ſuſtinere, aut totum pſalterium à capite ad calcem perlegere. Id ſaltem indubitatum eſt, ſanctum hoc exercitium animam in omne bonum quaſi manu ducere. Quemadmodum enim Chriſtus eſt (vt ipſe de ſe teſtatur) *Via, Veritas & Vita*: ita non eſt commodior, nec compendioſior via, ad Deum perueniendi, Deum cognoſcendi, & de Deo gaudendi, quam immotis oculis Chriſtum intueri: qui etſi in omnibus rebus nobis omnia ſit, præcipuè tamen eſt cùm illum in cruce pendentem contemplamur. Optimè igitur à Bernardo dictum eſt: Poſſum Domine cœlum & terram peragrare, nuſquam tamen inueniam te, niſi in cruce pendentem, ibi cubas, ibi dormis in meridie. Albertus Magnus. S. Bonau. lib. Meditat. de vita Chriſt. c. 1. Ioan. 14, 6. S. Bern. lib. paſſ. Dom. & Vincent. Belluac. lib. hiſtor. 29. c. 29.

Sed materiam hanc in alium locum reijciamus: nunc ea tantùm doceamus, quæ pertinens ad modũ & rationem ipſam paſsionem meditandi. Inueniuntur enim ſimplices homines, qui nihil aliud ſibi proponunt in hoc exercitio, quam vt vberrimè flere, & copioſas queant lachrymas fundere, condolentes miſerijs, doloribus, & tormentis Saluatoris: Hi in eo offendunt, quod vlterius non progrediuntur. Etſi enim ſcopus illorum bonus ſit (eſt enim quaſi fundamentum omnium aliorum) non tamen ille ſolus fructus eſt, qui ex hac arbore ſacra colligitur, ſed alij multi & illo etiam maiores. In cruce enim Domini omnia fructuum ſpiritualium genera naſcuntur.

Obſeruandum itaque ſex (inter alia multa) eſſe, quæ poſſunt conſiderari, in paſsione Domini, Magnitudo ſcilicet dolorum eius; grauitas vel enormitas noſtrorum peccatorum; Magnitudo beneficij; excellentia diuinæ bonitatis; multitudo virtutum Chriſti, *Quæ in paſſione Domini conſideranda.*

quæ

quæ in Passione Christi lucent; & conuenientia medij, per quod Deo placuit humanum genus redimere. Sex illa nobis considerandasunt, propter sex effectus illos, in quibus consistit totius vitæ spiritalis vtilitas. Magnitudo siquidem doloris consideranda, vt creat in nobis compassionem; magnitudo peccatorum nostrorum, vt fugam & horrorem; magnitudo beneficij, vt gratiarum actionem; excellentia diuinæ bonitatis quæ in Passione inuenitur, vt amorem; quantitas virtutum Christi, vt imitationem; conuenientia denique, vt admirationem diuinæ Sapientiæ excitet, atque fidem huius mysterij adaugeat & confirmet. De sex itaque his rebus ordine deinceps agemus.

DE MAGNITVDINE *dolorum Christi.*

ANTE omnia considerandaest magnitudo dolorum Christi, vt excitetur in nobis compassio: est enim omnino æquum, vt membra capiti compatiantur. Sciendum itaque dolores Christi secundum doctrinam præcipuorum Ecclesiæ Doctorum, quas in passione sua pertulit, maiores & grauiores fuisse, omnibus doloribus mundi huius, qui fuêre vnquam, vel erunt in posterum. Id omnino verum esse videbitur, si consideremus causas quinque, ex quibus, tanquam ex fontibus, isti dolores profluxerunt.

S. Bonauent. in fasciculo cap. circa passionē dominicam.

I. Causa magnitudinis doloris Christi quinque.

Prima est magnitudo charitatis illius, qua non tantùm redimere, sed copiosè redimere genus humanum desiderauit, & perfectissimè satisfacere pro omnibus iniurijs & offensis contra diuinam Maiestatem factis. Quanto autem maiora passus est, tanto perfectius satisfecit. Proinde voluit crescere tormenta in quantum possent, vt par esset satisfactio debitis nostris, opusque redemptionis nostræ æquale nostro demerito.

II. Secunda causa est, quia Christus passus est sine vllo modo consolationis, aut vllo refrigerio. Ob rationem enim præcedentem, portas omnes, per quas aliquod intrare solatium poterat, siue è cœlo, siue è terra ipse occluserat, adeo vt & à proprio Patre, imò à seipso fuerit derelictus: vt hac occasione fretus, solus & sine vllo comite, ipse fornacem suorum dolorum accenderet, & flammas pœnarum augeret, sublato omni refrigerio, quacunque etiam parte aduenire potuisset. Hoc est quod ipse dicit in psalmis; Psalm. 87, 5. *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber:* erat enim per iustitiam liber à peccato, & à morte. Et Psalm. 68, 4. in alio psalmo: *Infixus sum in limo profundi,* & non est fundamentum cui inniter, aut vbi pedem figam. Hæc est illa derelictio, quam ipse Saluator manifestauit pendens in cruce, & rauca voce exclamans, cùm diMatt 27, 40. ceret: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Hora enim illa sancta Christi humanitas planè derelicta fuit, sola in medio dolorum & tormentorum pelago fluctuans, non habens quicquam quod leuaret aut mitigaret intolerabiles illius cruciatus. Fuit Leuit 16. hoc quondam in lege præfiguratum per duos hircos, qui pro peccatis populi offerebantur, quorum vnus iugulabatur, & in sacrificijs offerebatur, alius in solitudinem emittebatur, compare suo solo in tormentis relicto: Ita & in hoc cælesti sacrificio, vbi offertur Deus & homo pro peccatis mundi, vna duarum naturarum passa & oblata est, altera verò euasit, sororem suam in tormentis solam derelinquens. Non quantam ad vinculum vnionis reliquit illam (quod enim semel accepit nunquam deseret) sed quantum ad respectum leuaminis, & solatij in tormentis in animæ parte inferiori, penitus consortem & comparem suam reliquit. Hinc est quod passim in Martyrum historijs legimus, eos cùm ad martyrium ducebantur lætos & alacres iuisse: hoc enim de beata Agatha, hoc de sancto Laurentio, hoc de alijs pluribus historiæ testantur. Saluator verò qui fons gratiarum & fortitudinis ipse est (cuius solius virtute Martyres potuerunt omne id, quod potuerunt) contristatus est, expauit, & sanguinis guttas sudauit, cùm ad Martyrium peruentum esset: In illis siquidem virtus charitatis, quæ ex fortitudine animæ inferiori germinabat, ingentem lætitiam excitauit: In Christo verò modo quodam supernaturali, & per miraculum speciale, & hæ, & omnes aliæ suspensæ fuerunt influentiæ, vt calicem doloris purum, & sine solatij permixtione biberet.

Christus tristis. Martyres lati ad passionē cur fuerint.

III. Tertia causa fuit tenerrima & delicatissima corporis illius complexio: Etenim cùm corpus illud sacratissimum miraculosè fuit à Spiritu sancto formatum, & res per miraculum factæ semper esse solent perfectiores, quàm quæ à natura fiunt, vti & Chrysostomus dicit, vbi de aqua in vinum conuersa in nuptijs loquitur: sequitur corpus Redemptoris nostri melioris fuisse complexionis, organumque illius perfectioris temperamenti quàm alicuius vnquam fuit hominis: ideoque tenerrimum & delicatissimum: ita vt si non interueniisset violentia quædam exterior, per plurimos annos integrum & salubre permansisset, idque propter complexionem & temperaturam optimam. Nec sola temperatura, sed etiam materia fuit tenerrima: erat enim tota caro virginalis, susceptade purissimo & virginali Dominæ nostræ sanguine, sine alterius seminis mixtura. Ideoque, vt Bonauentura dicit, & tenerum magis erat, magisque sensibile.

S. Chrysost. in Ioan. 2.

S. Bonauent. lib. medit. de vita Christi cap. 77. & in fascicul. cap. circa passionem.

IIII. Quarta causa fuit ipsa mortis qualitas, quam Saluator subijt, cum omnibus quæ toto passionis tempore interuenêre circunstantijs; singulæ namque illarum, si diligenter expendantur, species quædam Martyrij fuêre per se. Id si manifestius videre lubeat, incipe à principio vsque ad finem Christi Passionem discutere, & inuenies duodecim grauissimos cruciatus, quos præter multos alios Christus sustinuit, eosque breuiter hic enumerabo, licet in singulis plurima sint & dicenda, & meditanda.

Cruciat⁹ 12. grauissimi quos passus est Christus.

1. Primus est Agonia horti, & admirabilis ille sudor sanguinis, qui per totum corpus vsque in terram currebat, quod sanè spectaculum fuit nouum, quo ab orbe condito non accidit quicquam magis admirandum.

2. Secundus, quod tam vili pretio, à proprio suo discipulo, tam barbaris & immanibus hostibus venditus est & traditus.

3. Tertius, quòd tam diu, ligatis instar furis manibus, captiuus per publicas plateas circunductus est.

4. Quartus, quòd tam immaniter flagellatus est, quæ flagellatio præterquam quòd crudelissima fuit, etiam non erat viri boni & ingenui, sed serui, mancipij, & hominis vilissimi.

5. Quintus est, barbara coronæ spineæ inuentio; in qua vna concurrunt omnia: ex vna parte ignominia & contumelia Christo indignissima; ab altera verò dolor ineffabilis, & tormentum intolerabile.

6. Sextus, maxima opprobria, calumniæ, & iniuriæ, quæ tormentis accesserunt; vti fuit, quod toties in faciem illius expuerunt; toties blasphemarunt, tot alapas inflixerunt, tot pugnos infregerunt; & per omnia, vt vilissimo seruo abusi sunt: quod nunc veste alba, nunc purpurea illum induerunt, & vt morionem illuserunt. Nunc oculos velantes, irridentes, percutientes, & dicentes; Vaticinare nobis quis te percussit? arundinem illi in manum dantes, genua flectentes, & arundine caput percutientes salutantesque illum vt Regem fictum & personatum.

Postremo foras extrudentes, imponentesque crucem in humeris illius, tanquam malefactorem publicum, & latronem famosissimum per publicas plateas, ad publicum supplicij locum rapuerunt. Quis vidit vnquam tot iniuriarum genera in vnum caput simul congesta.

7. Septimus, abominabilis ille contemptus, quo filium Dei tam vili in pretio habuerunt, vt cùm adoptionem ventum esset, Barrabam latronem, & sicarium publicum Christo prætulerint: Quare Dominus ille, qui creauit omnia, in quo viuunt & consernantur omnia, tam vilis, tam despectus illis fuerit, vt inutiliorem mundo, vitaque indigniorem sicario & homicidæ iudicauerint.

8. Octauus, quod ipsemet in humero, iam ante flagellis, virgisque fracto, & laniato, instrumentum mortis suæ, crucem in qua passurus esset, baiulare coactus est. Solent carnifices reorum oculos velare, priusquam educunt gladium, quo caput abscindent, ne reus mortis suæ videat instrumentum, & magis expauescat. Hic autem non tantùm non vtuntur erga Christum hoc humanitatis officio, sed onerant etiam amplius humeros eius, & propriæ mortis machinam ipsum portare compellunt, vt cor prius tormentum crucis pateretur, quam corpus experiretur.

9. Nonus, ipsa crux, quæ tormenti species est omnium crudelissima: est enim mors lenta, & prolixa valde, ita vt multò beatiores sint, qui capite plectuntur, aut suspendio strangulantur: Vulnera quoque iis partibus infliguntur, quæ inter omnes maxime sunt sensibiles, vt sunt manus, & pedes, quæ venis & neruis, organis scilicet tactus constant quam frequentissimis. Præterea crescunt etiam dolores isti pondere corporis, quod semper deorsum fertur; illo siquidem motu perpetuo, vulnera dilatantur, & dolores sine termino crescunt, & assiduo renouantur. Hinc est quod martyrium illud tam vehemens fuerit & intolerabile, vt præ nimia doloris magnitudine, sine lætifero vulnere, & sine crurifragio anima eius sacratissima à corpore diuulsa sit.

10. Decimus, cùm in his tormentis & cruciatibus Christus in cruce penderet, factus quasi dolorum pelagus, & talis, vt si canis in via publica hoc modo tractatus iaceret misericordia & compassione animos transeuntium commoueret; inimici tamen Christi ab omni misericordia fuêre non tantùm quàm remotissimi: sed etiam tunc mouentes capita vociferati sunt; *Vah qui destruis templum, & in triduo reædificas illud.* Matt. 27, 44. Marc. 15, 24.

11. Vndecimus, quòd innocentissimam Matrem suam toto huius martyrij tempore præsentem vidit, diuinis oculis interiora cordis illius penetrans, & cernens immensos, quos Sanctissima Virgo in corde sensit, dolores.

12. Duodecimus, & vltimus cruciatus fuit, incredibilis vna præ ceteris crudelitas, nimirum hæc; quòd cùm sanctissimum illud corpus iam in aëre, in solis æstu meridiano cruentum totum penderet, fontibus venarum omnibus exiccatis, aridisque visceribus omnibus, pauxillum aquæ postulauit, quod non tantùm non est illi datum, sed loco eius fel & acetum oblatum. Quæ res potest esse crudelior? quid hominem magis posset ad compassionem permouere? Luc. 16. Diuiti illi & auaro Epuloni Infernalibus flammis æstuanti, guttula quam petierat aquæ frigidæ non est data, fel tamen non accepit: filio verò Dei, non solùm non datur quod petit, sed loco illius id datur, quo dolor illius augetur.

Singula hæc seorsùm diligenter discussa & examinata, maximam doloris materiam suppeditant. Propterea qui appetit amara acerbaque compassione miserijs, pœnis, & supplicijs Christi condolere, singulos cruciatus iam à nobis enumeratos percurrat, atque in singulis paulisper meditando hæreat. Fieri enim non potest, quod (etsi cor Marpesia cautè durius habeat) non vel in vno vel in altero inueniet, quo cum animus illius dolore & compassione accendatur.

Sed nondum hic finis dolorum Christi: alij restant his etiam maiores, non corporis, sed animæ illius benedictæ. Dolores enim hactenus commemorati, ad illam crucem pertinent, in qua corpus foris patiebatur. Sed præter crucem illam visibilem, alia est inuisibilis, in qua anima illius sanctissima fuit crucifixa: cuius Crucis quatuor brachia, & totidem clauij, id est, quatuor lugubres considerationes fuerunt, quæ interius maiora & duriora tormenta attulerunt, quàm ipsa crux exterius. Hic enim initio repræsentantur omnia peccata mundi, præsentia, præterita, & futura; pro quibus pateretur: quæ omnia tam lucu-

Crux Christi duplex.

interiùs cruciatus.

lenter & apertè vidit, quàm si in vnum simul omnia hominem fuissent congesta.

Præterea quis vnquam tanto ardore zelum atque honorem Patris amauit? quis vnquam magis doluit multitudinem abominationum & offensarum in diuinam Maiestatem factarum? Vnius hominis peccata maiorem doloris materiam Christo dant, quàm vniuersa crucis tormenta: quid igitur fecêre omnia omnium hominum ætatum & sæculorum peccata in vnum conglobata? Non est intellectus creatus, qui magnitudinem doloris huius potest comprehendere.

Secundò, videt hic Christus etiam ingratitudinem & damnationem multorum hominum, & præcipuè multorum malorum Christianorum, qui nec beneficium hoc agnouerunt, nec charo & salutari hoc remedio sibi præparato vti, quemadmodum debebant, voluerunt. Illud etiam maius illi tormentum fuit, quàm crux æterna. Magis enim dolet mercenario, si post labores merces illi diurna negetur, quàm ipsa laboris molestia, etiam si grauissima. De hac iniuria conqueritur apud Esaiam: *In vacuum laboraui*, inquit, *sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Esa. 49, 4. Nec tantùm apud Patrem, sed & apud ipsos homines conqueritur hoc, per D. Bernardum: O homo, inquit, vide quid pro te patior, non est dolor sicut dolor meus: Ad te clamo, & pro te morior; vide pœnas quas pro te patior: aspice claues qui me perforâtunt: respice quantis ignominijs me opplerunt. Et quemadmodum magnus fuit dolor, quem patior foris, sic maior est ille, quem intus sentio, cùm te ingratum inuenio. S. Bern. libro de perfectione vitæ cap. 6.

Et alius quidam Christum hoc modo cum homine expostulantem inducit, & lamentabili voce clamantem: Scorelius in epigrammatibus.

Aspice me quicunque refers cognomine Christum,
Te propter volui hanc sponte subire necem:
Ecce patent ferro disruptis brachia neruis,
Confossum lata cuspide pectus hiat:
Planta superfixa contunditur vtraque clauo,
En regale caput spinea serta tegunt.
Plurimus è lacero discurrit corpore sanguis,
Tabifico ceruix sparsa cruore notat:
Lumina luescunt, mortis torpore propinquæ,
Luridus exangui pallor in ore sedet.
Quid cessas grato suspiria ducere corde?
Ecce tua immerito hæc pœna luenda fuit.

Tertiò peccatum miserrimi, & cæci populi Iudaici, & horrendum supplicium, ipsis propter scelus hoc imminens, etiam ob oculos versabantur: quæ sine dubio multo magis eum afflixerunt, quàm ipse calix passionis. Si enim Ieremias fateatur sibi multo magis dolere peccatum, quo se polluebant Iudæi, quærentes Prophetam interficere, quam mors propria, Ierem. 26.

quid

quid putas ipsi euenit, cuius charitas charitatem Ieremiæ infinitis parasangis antecedit?

Quartò & gladij & dolores, qui cor benedictæ Matris illius pertransierunt, quando vidit filium in medio latronum in ignominiosissimo Crucis ligno excarnificatum mori, hic manifestè apparuerunt: quod sanè spectaculum tantos illi doctores excitauit, quantus erat amor, quo Matrem dilexit: erat autem ille inæstimabilis, & post illum, qui Deo debebatur, maximus.

Erant ergo quattuor illæ considerationes seu dolores, tanquam brachia quatuor alterius Crucis interioris, cui anima illa benedicta, non aliter atqui corpus exteriori, pendebat affixa. Itaque Saluator duas vno die cruces pertulit, vnam visibilem, alteram intuisibilem: vna corpus affligebat foris, altera multò plus animam intus. Quàm ingens autem ille dolor fuit, qui ex ijs quatuor causis promanauit, nec dici potest, nec intelligi: quamuis sanguinei illius sudoris indicium, non exiguam magnitudinis huius adferat coniecturam.

Quicunque igitur omnes prædictas causas diligenter expendit, perspicuè videbit & intelliget, quàm magni fuêre dolores, & cruciatus Saluatoris. Atque hic primus modus est, sanctam Christi passionem meditandi. Ceterùm non solus hic finis est, & scopus huius exercitij, sed & alij sunt, quorum ope ad veram passionis Dominicæ intelligentiam peruenimus: hoc est, vt intelligamus quantum amauit is, qui patitur, hunc, pro quo patitur: magnum etiam beneficium quod præstitit mundo is, qui tam charo pretio mundum redemit, & recuperauit, quid item facere debeamus nos, pro illo, qui tanta nobis contulit: insuper & quanto cum horrore nos oporteat fugere peccata, cum illa sola sint causæ tam immanis & prolixi martyrij. Isti quatuor fines huic contemplandi modo sunt vtilissimi, de quibus in sequentibus quattor capitibus latius disseremus.

Hinc constat, quod primus ille contemplandi modus per compassionem sit tanquam medium, & scala, per quam conscendimus ad omnes alias. Ideoque S. Bonauent. hanc magnificat: aperte siquidem videtur, & quasi manibus palpatur, viam per hanc ad ceteras sterni. Propterea & idem Sanctissimus Doctor asserit: plurimum ad hoc exercitium conferre, leui disciplina (quæ quidem dolorem excitat, sed membra non lædit) corpus affligere, vt sensu exigui illius cruciatus seu doloris aliquo modo in sensum & cogitationem maximorum illorum, tormentorum, quibus delicatissimum Redemptoris corpus pro nobis excarnificatum est, veniamus.

QVOMODO IN PASSIONE *Christi reluceat grauitas peccati.*

SECVNDVM quod in Passione Domini considerandum venit, est peccati grauitas, vt edocti de præterito doleamus, & futurum cautius declinemus. Sciendum est itaque peccata nostra (vt Doctores aiunt) causas esse, propter quas Filius Dei id pati debuit, quod passus est. Si enim peccatum non fuisset certum est, quod necesse non fuisset, Christum pati & mortis subire supplicium.

Disputant Ecclesiastici Doctores inter se, an Filius Dei incarnatus fuisset, etiam si homo peccatum non habuisset: affirmant nonnulli, negant alij. Illud autem determinatum est, & vero verius, Christum non fuisse mortuum, si homo non peccasset: ex quibus patet, peccata nostra Christum è cælo euocasse, in miserrimum hunc carcerem coniecisse, & in Crucem tandem rapuisse.

Si homo non peccasset Christus non fuisset mortuus.

Noli autem cogitare, te non solum esse, qui peccauit, ideoque te minori dignum supplicio: dicunt enim leges, quod non minorem meretur pœnam is, qui innocentem occidit ope aliorum, aut in societate plurium, quàm qui solus occidit. Perpende igitur quàm iustis rationibus debeas à peccatis abhorrere, & dolere, quod vnquam peccasti: præsertim quoties recordaris peccata tua Dei Filium in tantas miserias adduxisse, tot, tantorumque tormentorum, Crucis, & mortis illius veras causas esse. Maior hæc causa est fugiendi peccata, & dolendi de illis, quàm omnia sunt incommoda & mala, quæ ex illis promanant: etiam quàm gloria, quam per peccatum amittimus, & pœna, quam incurrimus.

Ad hunc itaque modum quoties sacræ illius Passionis meditationi vacas: videsque inimicos Christum apprehendere, accusare, conspuere, flagellare, coronare, crucifigere, cogita & te inter illos esse, te cum illis in mortem Saluatoris coniurasse. Ita vt verè possis dicere, peccata tua illum accusare, libertatem tuam illum vincire, furtum tuum illum flagellare, arrogantiam tuam illi alapas dare, superbiam tuam illum spinis coronare, pompam & vanitatem tuam illum purpura vestire, delitias tuas illi acetum cum felle propinare: denique inobedientiam tuam illius manus & pedes cruci affigere. Quidquid enim tu peccatis illis demeritus es, hoc ille pro infinita sua charitate luit. Etenim Carnifices illi potestatem nequaquam habuissent, id quod in Christum fecêre, faciendi, si tua peccata vires & robur non subministrassent. Sed & alia est consideratio, quæ nobis peccati grauitatem exponit. Cùm enim Christus sit vnigenitus Dei Filius, quem Pater ab æterno ex corde suo genuit, qui in sinu Patris est, cui Pater testimonium dedit, quod sit dilectus sibi Filius, in quo ipsi bene complacuit, & nihilominus in illo peccatum generis humani tam crudelibus tormentis, inauditisque supplicijs castigauerit: quis in posterum dubitabit, peccatum esse rem abominabilem, & coram Deo maximè execrandam? si enim proprio Filio, pro peccatis nostris fideiussori, non pepercerit: quid faciet ceteris hominibus, & ipsis debitoribus? Si in viridi ligno id factum, in arido quid fiet?

Peccata nostra Christum crucifigunt.

Matth. 17, 5.

Rom. 8, 32.

Luc. 23, 31.

Hic modus meditandi Passionem Dominicam est vtilissimus, maximè ijs, qui tyrones adhuc sunt, Christo seruire incipiunt, & exercitijs pœnitentiæ, vitæque anteactæ emendationi incumbunt.

DE MAGNITVDINE *nostræ Redemptionis.*

TERTIO in sacrosancta Christi Passione debemus considerare magnitudinem beneficij, quod Saluator nobis, eo modo nos redimendo, exhibuit. Multa quidem hoc loco dicenda sunt: nos autem breuitati studentes, tria tantùm obiter recensebimus, quę in hoc beneficio sunt obseruanda: nimirum quid Saluator nobis hic dedit, per quod medium dedit, & quanto cum amore dedit.

Quid & quale sit illud, quod mediante sanctissima sua passione nobis Christus dedit, non potest humana lingua explicari. Potest nihilominus aliqua illius haberi cognitio, per duplicem rationem. Prima est, si consideremus omnia mala, in quæ genus humanum per peccatum primi parentis sui inciderat. Omnia enim mala ista per Christum sublata sunt, & loco illius bona contraria collata sunt. Omnibus enim testatum est, Christum nobis datum esse, ad vniuersalem totius mundi reparationem. Qui itaque potest omnium malorum, quæ primi Adami culpa in hunc mundum inuexit, summam subducere, is etiam poterit omnia bona, quæ secundi Adami nostri

Mala quæ Christus abstulit.

inno-

innocentia nobis restituit, enumerare: quæ sanè infinita sunt.

Quæ bona Christus contulit.

Secunda ratio est, si consideremus, non mala omnia quæ Adamus, sed bona quæ Christus veniens nobis attulit: communicatione siquidem spiritus illius, illorum omnium facti sumus participes: quotquot enim de Christi spiritu participant, etiam participant de meritis, & virtutibus illius. Quapropter

Galat 3,27. Apostolus dicit: *Omnes, qui in Christo baptizati sunt, Christum induisse:* vt significaret omnes illos Christi participes factos esse, & adornatos virtutibus & meritis illius: vt ita induti polymita veste Saluatoris, tales in oculis Dei Patris appareant, qualis apparet ipse Dei Filius. Propterea & Ecclesiasticus appositissimè huc in oratione sua respexit, dicens:

Eccl.36,14. *Miserere replebis tuæ super quam inuocatum est nomen tuum, & Israël quem coæquasti primogenito tuo.* Quæ gloria, quæ dignitas hac maior potest esse? Qui itaque potest comprehendere numerum meritorum & virtutum Christi, is etiam poterit bonorum omnium, quæ per Christum in nos derivata sunt, summam inuenire: postquam omnium illorum participes facti sumus, per Sanctam illius Passionem.

Denique & per illum collata est peccatorum remissio, gratia, gloria, libertas, pax, salus, redemptio, sanctificatio, iustitia, satisfactio, sacramenta, merita, doctrina, & omne id quod ipse habuit, & nostræ saluti conueniebat. Quare & ratione arctæ istius necessitudinis aut communicationis vocatur in Scripturis, pater, Sponsus, & caput vniuersalis Ecclesiæ.

Omne enim quod habet Pater, est & filij: quod habet sponsus, pertinet ad sponsam, & quod capitis est, id omnibus membris communicatur.

Medium per quod Christus nobis hæc bona contulit.

Hæc itaque sunt bona, quæ nobis data sunt. Sed per quod medium nobis data sunt? non per aliud quam per diuinam illius Incarnationem & Passionem, in qua se participem fecit omnium nostrorum debitorum, & miseriarum: ita vt assumens in se omnia mala nostra, contulerit nobis omnia bona sua. Et multò quidem charior esse debet nobis in illo, quàm in hoc: certum enim est, multò magis mirandum esse, Deum mala pati, quàm bona largiri: vt enim nihil est infinita illa bonitate conuenientius, quàm benefacere, ita nihil ab illa infinita beatitudine est alienius, & remotius, quàm mala perpeti. Ex quo colligitur, multò maiora nos illi debere, quod multa passus est pro nobis, quàm quod multa nobis dedit: hoc est, multò maiora nos debere Christo pro modo remedij, quàm pro ipso remedio.

Amoris Christi magnitudo.

Sed quantus est amor ille, qui permouit illum vt daret? certè absque comparatione & dono ipso, & medio, per quod datum est, maior.

Etenim multò maius est, quod pati voluit, quàm quod passus est: & multò plus illud, quod passus fuisset, si necessitas postulasset. Tribus horis in cruce pependit pro nostris peccatis: sed quid est illud, si conferas cum eo, quod charitatis illius magnitudo pati voluisset, si oportuisset? etiam si ibi pendendum ei fuisset in pœnis ad diem vsque extremi iudicij, non recusasset: adeò vt quantumuis multa passus sit, multò tamen maior fuerit amor ipsa passione. Atque ideò si multa debeamus illi, quia multum pro nobis fecit, plura illi debebimus, quia plura pro nobis facere promptus fuit. Ista consideratio valdè vtilis est, vt excitemur ad reddendam gratiarum actionem ei, qui tanta nobis tribuit, ad amandum illum, cuius amor erga nos, ipsa beneficia tam multis modis superauit.

Multa sunt alia quæ hic dici possent, sed ea alteri loco reseruabimus: latius enim de his diximus in tractatu de beneficijs diuinis.

DE MAGNITVDINE *diuinæ bonitatis, quæ in sancta Christi Passione spectatur.*

QVARTO meditanda est diuina bonitas & misericordia, quæ in hoc opere diuino clarius, quàm in vllo alio relucet. Quatuor iccirco hic meditanda sunt, quæ tum è tota historia sacræ passionis, tum è singulis illius partibus sunt eruenda. Sunt autem hæc: quis patiatur, quid patiatur, pro quo patiatur, & ob quam causam patiatur. Quod si singulis his paululum immoreris, & consideres primùm celsitudinem eius qui patitur, quod is scilicet Deus est, eo cogitatio tua ascendet vt tandem in stuporem rapiaris, tam sublimia atque admiranda conspiciens. Denique rursus cades in profundissimam dolorum, ignominiarumque abyssum, quod pati voluit, non pro Angelis aut Archangelis, sed pro hominibus, hoc est, pro creaturis vilissimis, atque inter omnes maximè abominandis & in operibus suis Dæmonio simillimis. Si in alterutro horum subsistas, & vtrumque inter se conferas, stabis profectò tanquam attonitus, & in admiratione absorptus, quod tam excelsa Maiestas sese tam profundè humiliat, pro creatura tam vili & abiecta: tunc poteris cum Propheta exclamare: *Audiui auditum tuum, & timui.* Sed si postea consideraueris, causas tuæ humilitatis, & incipias scrutari, quod passus est illud, non quod illius interesset, nec quia nos hanc gratiam merebamur, sed sola bonitate & misericordia sua permotus, quæ illum è sinu Patris in terram pertraxerunt: hæc inquam si diligenter intuearis, ab officio mentis dimoueberis, & præ nimia admiratione atque amore, quasi stupefactus & attonitus stabis cum Moyse in monte, quando vidit figuram huius mysterij, atque incepit clamare, à voce magnitudinis misericordiæ diuinæ, quæ sese tunc manifestauit. Hoc est deliquium animi, quod sensit sponsa in Canticis, cùm diceret: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cernit sponsa, inquit diuus Bernardus, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit cum mater sua: cernit Vnicum Patris crucem sibi baiulantem: cernit cæsum & conspurcatum Dominum Maiestatis: cernit auctorem vitæ & gloriæ confixum clauis, percussum lancea, opprobrijs saturatum: tandem illam dilectam animam suam ponere pro amicis suis. Cernit hæc, & suam magis ipsius animam gladius amoris transuerberat, & dicit; *Fulcite me floribus, stipate me malis quia amore langueo.*

Habac 3,2.

Luc.2.

Exod.3.

Cant.2,5.

Bern. tractatu de diligendo Deum.

Cant.2,5.

DE EXCELLENTIA *virtutis, quæ resplendet in Christi passione.*

QVINTO consideranda est in passione Domini quantitas virtutis, quæ in illa resplendet, vt excitemur ad imitationem omnium, quæ in illo contigerunt. Et hic vtilis modus est passionem Domini contemplandi; cùm omnibus constet Vitæ Christianæ perfectionem, in imitatione virtutum Christi positam esse: ad quam inuitat nos Apostolus Petrus, cùm ait; *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius; qui cum malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè.* Quemadmodum itaque virtutes singulari modo in omni vita Christi resplendent, sic multò perfectius in Sancta illius Passione spectantur. Propterea conueniens est, vt ante omnia videamus pulchritudinem virtutum, quæ plus elucent inter dolores, quam inter spinas pulcherrimi flores.

1. Pet 2,21.

Initio

Humilitas Christi in passione.

Initio perpende profundissimam illius humilitatem, per quam altissimus atque supremus Dei filius, ad tantum contemptum & vilitatem peruenit, vt Barrabas illi præpositus sit: & inter duos latrones, tanquam dux eorum crucifixus, expirauerit. Considera similiter tantas iniurias, & dolores tantos: Illam tam magnam animi fortitudinem, qua cum sese copijs inimicorum suorum obtulit, & omnia quæ illi facere potuerunt voluntariè pertulit, etiam ad maiora quam passus est paratus: Insignem illam perseuerantiam, vsq; dum crucem ascendit, & postea ad inferos descendit, negotio salutis nostræ finè imponens. Aspice illam charitatem, quæ superauit omnem sensum, cuius vnicum erat desiderium, offerri sacrificium pro peccatis mundi, & mori pro vita, non tantum amicorum, sed inimicorum, pro quibus sanguinè profudit: Copiosam illam misericordiam, qua permotus est, vt omnes miserias, omniaq; mundi debita in se susciperet, proque illis non aliter, atqui pro proprijs suis satisfaceret. Obedientiam illã Patris contemplare tam perfectam, vt paruerit illi vsque ad mortem, mortem autem crucis: vbi inclinato capite obtulit sanctissimam animam suam, vt significaret, se opus obedientiæ suæ iam absoluisse. Denique intuere illam admirabilem mansuetudinem, cuius in omnibus actionibus Passionis suæ singularia dedit nobis documenta, ductus tanquam ouis ad macellum, & tanquam agnus coram tondente, non aperiens os suum. Obserua denique singulare illud silentium, in medio accusantium se, & falsa testimonia dicentium, quam etiam Iudex, qui condemnauit illum admiratus obstupuit.

Esa. 53, 7.

Si præter hæc omnia cupias etiam videre perfectum mundi honorum, diuitiarum, & voluptatum, quæ in eo sunt, contemptum, respice Dominum tuũ in cruce pendentem despectum, tot opprobrijs repletum, tot tormentis afflictum, & tam rudum & pauperem, vt lectum non habuerit alium, quam crucis lignum durissimum; nec aliud puluinar, præter coronam spineam; nec alia esculenta & poculenta, quam fel & acetum, nec alios consolatores, quam crudelissimos illos carnifices, illusores & sannas, qui mouentes capita, clamabant; *Vah qui destruis templũ Dei, & triduò reædificas illud.* Paupertas itaq; Euangelica, abstinentia, vitæque asperitas, & alię virtutes omnes nulla in re manifestius conspiciuntur, quam in cruce Domini. Inter omnes autem alias virtutes potissimum excellunt humilitas & patientia. Hæc enim (vt sancti dicunt) vestis sunt nuptialis, & pallium festiuum, quo filius Dei vestitus fuit, quando venit ad porrigendam Ecclesiæ manum, eamque sibi desponsandam: significantes hac loquẽdi forma, quod etsi Christus omnium virtutum synthesi fuerit ornatus tunc, cùm matrimonium celebrauit suũ cum Ecclesia in lecto crucis, tamen singulari quodammodo ceteris præluxerit purpura patientiæ. Huius enim virtutis actu mediante, bibit calicem passionis, cuius valore & merito Ecclesia est recuperata, ornata, & Christo desponsata.

Matth. 25, 29.

Vestis nuptialis Christi humilitas & patientia.

In hac itaque, & in alijs similibus virtutibus oculi nostri fixi maneant, cum sacram Christi Passionem meditari volumus, vt imitemur singula, quæ Christus in ea, non ad nostrum tantum remedium, sed etiam vt essent nobis exemplum, fecit & pertulit. Maxima enim gloria, quæ Christianum potest condecorare, est, vt Christo quis fiat quàm simillimus, non similitudine quam Lucifer appetebat, sed qualem habere nos voluit, is qui dixit;

Esa. 14.

Exemplum dedi vobis, vt quomodo ego feci, & vos faciatis.

Ioan. 13, 15.

DE CONVENIENTIA NOSTRÆ redemptionis.

SExtò in sancta Passione Dominica contemplari debemus conuenientiam mysterij: hoc est, quã conueniens medium fuit, quod elegit Deus, vt redemptionem hominis operaretur, & miserijs illius subueniret. Iste modus contemplandi illuminat intellectum, & confirmat fidem huius mysterij, excitatq; in cordibus nostris summam admirationem bonitatis, & sapientiæ diuinæ.

Hæc est materia ad meditandum adeò copiosa, vt si homo in ea sese exerceret vsq; ad finem mundi, semper adhuc nouas conuenientias, nouasq; causas inueniret, per quas spiritus de die in diem in maiorẽ admirationem supremæ illius Sapientiæ & prouidentiæ diuinæ raperetur. Ne autem liber hic in immensum crescat, si de hac materia particulatim velimus tractare, sufficiet hic nonnihil de scopo & fundamento huius considerationis dixisse, vt animæ deuotæ aperiatur via, pateatque accessus ad reliqua.

Fini media debent conuenire.

Vt autem hoc melius intelligamus, sciendum est, quod vt commodius videatur conuenientia, quam medium habet cum fine, oporteat medium cum fine comparari: & quo maiora in medio reperiuntur adiumenta ad finem consequendum, eo medium fini suo magis conuenit. Exemplo res fiet illustrior. Si examinare velimus an medicina quæpiam huic vel illi morbo conueniat, videamus accidentia infirmitatis, aut morbi illius, & proprietatem atque virtutem medicinæ, examinataque proportione vnius ad alterum, iudicemus an benè vel malè conueniat. Ita & hic: manifestum enim est, Passionem & sanguinem Domini generalem esse medicinam omnium miseriarum & necessitatum humanarum: si conuenientiam huius medicinæ probare volueri-mus, instituenda est diligens comparatio doloris & medicinæ, & si nouerimus tam vnum quam aliud exactè scrutari & inuestigare, inueniemus profectò tam pulchram proportionem & conuenientiam remedij & morbi, omniumq; causarum & accidentiũ illius, quam si illud pro singulis seorsim institutum esset. Quæ sanè res attentum meditatorem in summam admirationem abducit. Etenim dic mihi quæso, ad soluendum debitum generis humani, quod pretium potuit offerri magis sufficiens sanguine Dei filij in cruce profuso? ad sananda vulnera nostræ superbiæ, auaritiæ, ingratitudinis, philautiæ, deliciarũ, aliorumque omnium, quæ ex ijs promanant, quid conuenientius Deo in cruce suspenso? Ad intellectum nostrum maiori cognitione Dei illuminandũ, ad voluntatem feruentiori charitatis igne inflammandam, ad spem nostram magis confirmandam, ad memoriam nostram excitandam & renouandã, quid conuenientius Deo in cruce suspenso? Ad locupletandos homines meritis Christi, ad maiores dignitates consequendas, ad accendendum spiritum maiori cum deuotione, ad consolandos homines in tribulatione, ad succurrendũ illis in tentationibus, ad adiuuandum in laboribus, ad animandum eos in rebus arduis, deniq; in omni virtutum genere, quid conuenientius Iesu Christo in cruce suspenso? & vt vno verbo dicam omnia, si vita Euangelica bene discussa, non sit aliud, quam crux, quid aptius & conuenientius erit ad inueniendam qualitatem vitæ huius, quæ tota crux est, quam crux ipsa?

Proportio passionis Dominicæ & nostræ infirmitatis.

Quod si euidentius adhuc cupias hãc proportionem considerare; examina diligenter quid sit vita Christiana, quis scopus & finis est omniũ laborum & dolorum Christi, & illa sine vllis inuolucris docebit te medij & finis huius proportionem. Vita Christiana in sua perfectione sumpta, non est illa, quam nunc

Quid sit vita Christiana.

nunc viuunt Christiani, qua nunc mundus fruitur: sed illa, quam vixit Christus, & omnes Discipuli illius, quorum tribulationes tot & tantæ fuerunt, vt

1. Cor. 4. 9. vnus illorum dicat: *Facti sumus spectaculum Deo, & & angelis & hominibus*, tam magnæ sunt enim tribulationes nostræ, adeò persequitur nos mundus, vt facti simus tanquam feræ, quas venator exagitat aliis spectantibus: sic nostros labores & pugnas nostras intuentur, non tantum homines & Angeli, sed ipse quoque Deus, & alibi: *Vsque in hanc horam &*

2. Cor. 4. 12. *esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema*: q. d. æstimati sumus vt stercus, & puluis, qui de pedibus excutitur, piacula facti sumus, & tales, quos occidentes homines Deo sese obsequium facere arbitrantur. Hæc est, mi frater, vita Christiana, & vita etiam Christiana illa est, quam Prophetæ, Martyres, Confessores & beati illi Monachi & Anachoretæ, omnes denique Sancti vixerunt, quos describit Apostolus his verbis: *Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula &*

Hebr. 11. 36. *carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis & in cauernis terræ.*

Hæc est perfectio vitæ Christianæ, quam docet Euangelium, & quam venit Christus in orbem terrarum introducere. Quæ si bene extendatur, perpetua crux est, & mors totius hominis: vt post mortificationem hanc disponatur homo, aptiorque fiat vt

Simile. in Deum transformetur. Quemadmodum enim generatio sine corruptione non inuenitur (perire enim debet prius id quod erat, vt fiat id quod non erat) ita

Vt homo fiat Deus, oportet homo prius moriatur. spiritalis hæc regeneratio, & hominis in Deum trãsformatio, fieri non potest, nisi prius vetus homo moriatur: vt sic possit in Deum transformari. Quod si ita sit, quod conuenientius ad ducendam vitam, quæ mera crux est, quam crux alia? Si nihil velocius ignem poterit accendere, quam alius ignis, & nihil simile creare, quam quod simile est; quid efficacius magis ad crucem generandam quam crux alia? Profecto sic est. Nec aliud etiam hodie roborat sanctos homines, eosque consolatur in omnibus suis tribulationibus, vt forti animo ferant iniurias, paupertatem, verbera, persecutiones, famem, sitim, frigus, nuditatem, similesque calamitates & miserias mũdi, nec non euangelicæ vitæ asperitatem quam Crucis Dominicæ perpetua contemplatio. Hinc nati sunt Martyres, hinc instituti sunt Apostoli, hæc docuit Confessores, deditque fortitudinem Virginibus, Monachis, & omnibus Sanctis: hæc adiuuat & consolatur omnes in suis tribulationibus.

Cum itaque anima deuota tot genera fructuum in hac arbore vitæ, quocunque tempore tribulationis inueniat, non poterit non semper supremi illius magistri sapientiam admirari, qui tam excellens remedium nostris malis inuenit, & agnoscere summam cœlestis Patris bonitatem, qui cum solo nutu potuit hominem redimere, tantas afflictiones, tot tormenta & opprobria voluit filium pati, vt hominem per hanc viam maioribus beneficijs & honoribus, quam per aliam quamcunque cumularet.

Hi sunt sex illi præcipui modi, sacram Christi Pas- Conclusio. sionem meditandi, & ordo, qui communiter in eo potest obseruari: ita vt incipiamus à primo (tãquam à fundamento reliquorum) & ab eo mox ad secundum transeamus, iuxta stylum meditationis, quæ viam aperiet, & doctrinam Spiritus S. qui in hoc exercitio magister est optimus. Etenim (vt supra ostendimus) considerata magnitudine dolorũ Christi, confestim possumus ascendere ad contemplandam magnitudinem nostrorum peccatorum, quæ Christum ad istas pœnas adegerunt: ad meditandum etiam quãta est magnitudo beneficiorum Dei, postquam amore nostri voluerit pati dolores tam inauditos: similiter & quanta est altitudo diuinæ bonitatis, & misericordiæ: quæ propter amorem, quo nos complectebatur, ad tantam illam miseriam & despectum adduxerunt: super omnia verò quanta nobis in Passione virtutum reliquit exempla, vt sunt, patientiæ, obedientiæ, charitatis, humilitatis, mansuetudinis, fortitudinis, aliarumque, quæ paulo ante à nobis commemorata sunt.

Etsi in singulis horum varij sint loci & digressiones ad meditandum vtilissima, non est tamen necesse, vt quotiescunque homo mentem ad meditandum applicat, seseque ad hoc exercitium componit, semper illis digressionibus vtatur: non enim hoc semper temporis patitur angustia: sed sufficit vt eas sumat buccellas, quæ ceteris sunt dulciores, & sapiunt gratius. Non enim in hoc exercitio (vti iam ante diximus) considerandum est, quam multa quis meditatur, aut orat: sed quanta faciat hoc cum deuotione.

FINIS LIBRI PRIMI DE Oratione & Meditatione.

DE

DE ORATIONE ET MEDITATIONE

LIBER SECVNDVS,

IN QVO DE DEVOTIONE, ET QVÆ eam promoueant, quæque impediant, tractatur.

QVID SIT DEVOTIO.

CAPVT I.

DEVOTIO longè alia res est, quàm quidã existimant: putant enim nonnulli eam esse quãdam animi, seu cordis teneritudinẽ, quam sentiunt aliquando, qui orant: aut consolationem, gustumue rerum spiritualium: neutrum (nisi quatenus secundum rei proprietatem) est deuotio, de qua nunc agimus. Hanc enim teneritudinem, & sensibilem consolationem non rarò sentiunt homines carnales, & subinde quoque ij, qui peccatis mortalibus sunt obnoxij; atque è contrario sæpe nihil horum in orationibus suis sentiunt homines iusti & sancti: dicendum tamen non est, hos tunc deuotionem non habere, neque habere illos, quicunque etiam sentiant.

S. Thom. secunda secundæ q. 82. a. 2. & 2a. q. 83. art. 1. & 2. & qu. 83. art. 3.

Hanc ob causam dicit B. Thom. deuotionem propriè non esse cordis teneritudinem, nec spiritualem esse consolationem: sed deuotio, ait, nihil aliud esse videtur, quàm voluntas quædam prompte tradendi se, ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatũ. Deuotio namque à deuouendo dicitur: vnde deuoti dicuntur, qui seipsos quodammodo Deo deuouent, vt ei se totaliter subdant. Hæc ille. Vi verbi itaque considerata, homo deuotus is dicitur, qui dedicatus est, & promptus ad seruiendum Deo Domino nostro. Deuotio vero promptitudo illa qua homo semetipsum offert, & præparat ad faciendam sanctam illius voluntatem.

Quis sit deuotus.

Igitur Deuotionem appellamus bonum hoc, quod semper bonam & sanctam comitatur orationem: quod autem illam semper sequitur, est alacritas, promptitudo, & fortitudo ad omne bonum, id quod sæpe inuenitur sine consolatione, & cordis teneritudine. Quare quemadmodum viator, postquam requieuit, & cibum sumpsit, respirat, refocillatur, & nouam accipit fortitudinem, ad ambulandum, & vlterius progrediendum, licet in cibo delectationem non habeat, aut palatum recreetur: sic & oratio, quæ spiritualis est animæ cibus, notæ fortitudinis est, nouique spiritus ad ambulandum in via Domini caussa, etiamsi nonnunquam spiritualem gustum non præbeat.

Oratio causs. deuotionis.

Hunc Orationis effectum ostendit Saluator orans in horto, vbi surgens à terra iam tertio cum magno spiritu & fortitudine occurrens inimicis suis, quos vno verbo in terram prostrauit: quamuis in illa sua Oratione, nec suauitatem vllam habuerit, nec gaudium spirituale: sed econtrariò agoniam & tristitiã tantam, vt sanguinem copiosissimum, & per guttas in terram decurrentem sudauerit. Voluit autem hoc ita fieri, nõ quod gratia illius, & fortitudo aut creuerat, aut diminuta erat per orationem (erat enim omni gratia plenus) sed vt in persona sua propria virtutem & efficatiam Orationis ostenderet: quæ licet non semper teneritudinem illam cordis, animique consolationem habeat adiunctam: alacrem tamen illam promptitudinem, & fortitudinem, ad sufferendam omnem aduersitatem, secum adfert. Et licet non semper auferat tribulationis pondus, impetrat nihilominus, vt dentur vires quibus superatur.

Ioan. 18.

Luc. 22.

Notandum tamen hic est, quod ex hac deuotione, atque ad bonum hoc promptitudine, non raro nascitur illa spiritualis consolatio, quam idiotæ vocant deuotionem: & vice versa, eadẽ consolatio auget veram deuotionẽ, quæ est illa spiritus alacritas, vti diximus, ad bene operandum, tanquã bona filia seruiens suæ matri, faciensque hominem in rebus diuinis tanto promptiorem, quanto hilariorem facit, magisq; in animo consolatur: ita vt hæc duo sibi inuicẽ patrocinentur, non aliter atque fidelis mater filiæ, & pia filia matri. Quod non solum in his, sed & in aliis sæpissimè rebus spiritualibus, præsertim in duabus istis virtutibus Fide & Charitate, accidit: Fides enim est radix & principium Charitatis, Charitas autem forma & anima Fidei. Ita & hæc consolatio auget deuotionem, & ad omne bonum promptitudinem, quemadmodum apertè testatur Propheta Dauid, cùm ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatasti cor meum.* Hęc dilatatio nascitur ex gaudio spirituali (proprium enim gaudij est cor dilatare, quemadmodum econtrariò tristitiæ constringere & coarctare) & dilatatio, inquit, hæc non fecit me ambulare in via Domini, eamque pedetentim calcare, sed summa cum alacritate percurrere, quod proprium est deuotionis.

Fides & charitas se mutuò iuuant.

Psal. 119. 32.

Hæc est ratio, quare serui Domini merito debeant hanc

Cur Deuo-

tio appetenda.

hanc promptitudinem & consolationem spiritualẽ, vt postea dicetur, petere, & à Deo flagitare: non quidem propter delectationem, quæ in ea est (hoc enim magis esset amor proprius, quàm amor Dei) sed propter fructum: quia incitat nos ad bene operandum, verissima namque sententia est: voluptas perficit opus.

QVAM VTILIS ET PRETIOSA RES SIT DEVOTIO.

CAPVT II.

SI diligenter, & conuenienti studio discutiamus, quæ præcedenti capite dicta sunt, fatebimur, deuotionem esse summum aliquod bonum: est enim virtus omnes virtutes alias excitans: hominemq; ad omnia bonorũ operum genera faciens promptũ & alacrem. Præterea valdè laudabilis est ista virtus: in comitatu enim excellentissimarũ quarumq; virtutum semper inuenitur, quibus maxima cum hac intercedit necessitudo & cognatio: omnes enim ad eundem tendunt finem, Deuotio scilicet, Oratio, Contemplatio, amoris diuini Exercitium, Consolatio spiritualis, & studium diuinę Sapientiæ, quæ est quasi dulcis quædam de Deo cognitio, cuius tam præclara extant in Scripturis sacris encomia. Omnes istæ virtutes licet in scholis separentur, in eodem tamen grege & comitatu simul inueniuntur: plerumq; enim vbi perfecta est Oratio, ibi etiam est Deuotio, Contemplatio, Consolatio spiritualis, & amor Dei actualis, cum omnibus reliquis virtutibus huc spectãtibus. Tanta est enim similitudo inter has virtutes, vt facillimus sit transitus vnius ad alium: & quamuis inter se distinctæ sunt, tamen in ipso exercitio, vt dixi, simul cooperantur. Videmus enim vt cùm serui Domini ad huiusmodi exercitium procedunt, primùm incipiunt à Meditatione, inde progrediuntur ad Orationem, & ab oratione ad Contemplationem, atque à Contemplatione ad vlteriora procedunt.

Deuotionis cognatæ virtutes.

QVAM DIFFICILIS SIT VERÆ DEVOTIONIS ACQVISITIO.

CAPVT III.

QVM igitur Deuotio tam insigne bonũ sit, nemo dubitet si sit difficilis: nihil enim in hoc mundo reperitur, cuius plerunque magnitudini non est par difficultas. Patet hoc manifestè in Deuotione. Non est enim facilè imaginationem nostram, quæ nihil magis affricta est, & depressa, eleuare; quod tamen requiritur ad perfectam Orationem & Deuotionem. Quare Abbas Agathon dicere consueuit, in laboribus & molestijs Religiosorum nihil esse magis arduum Oratione. Quamobrem multos videmus exerceri & perseuerare in alijs bonis occupationibus; vt sunt ieiunia, vigiliæ, disciplinæ & eleemosynæ, qui tamen labores orationis continuæ perferre non possunt. Quod sanè vehementer admirandum est, cum in sanctissimo hoc opere Spiritum sanctum. Angelos, & Sanctos omnes habemus adiutores: Scripturas vero sacras, Ecclesiæque Sacramenta impulsores & excitatores.

Oratione nihil difficilius.

Hæc difficultas ex tribus radicibus oritur: Prima est corruptio naturæ, quæ per peccatum adeò est deprauata, vt illud imperium, quod in animę suæ potẽtias initio habuit, nunc amiserit. Et proinde imaginatio, quæ est vna earũ, facit q, vult, diuagatur quo vult, & clam erepit nonnunquam quasi seruus fugitiuus ex ædibus, priusquam id sentiamus. Atque non semper id vitium hominis est, sed naturæ per peccatum debilitatæ.

Secunda huius difficultatis radix est mala consuetudo, qua quidam longo vsu, nimiaq; licentia assueuêre sua imaginatione discurrere, diffluereq; per omnia cogitationum genera. Hinc est quod post malam illam consuetudinẽ, vix possunt suam imaginationẽ vni soli rei alligare, cũ adeò libera & dissoluta iam consueuit omnes mundi fines peragrare. Quot homines inueniuntur, quibus desiderantibus habere Deuotionem, cùm Dominicam passionem aut aliud quid meditantur, & iam vix meditari inceperunt, cor in mille partes dispergitur: ita vt nec oculos possint in scopo Crucis Christi fixos detinere, vt in illam amoris sui sagittas dirigant.

Scitis vnde hoc vobis occurrat in commodum? quia malum habitum induistis, eò quod cor vestrũ liberè, sine vllo fræno quocũq; lubuit & visum fuit diuagari permisistis: quapropter cùm iam vultis regere illud & cohibere, non potestis: quia libertati suæ iam assueuit. Necesse igitur est, vt qui vult orationi vacare animæ suæ portas omnibus cogitationũ inanium & inutilium generibus occludat, & sensim habitum illum malum in bonum mutet, retrahens imaginationes ab exterioribus ad interiora, ab humilibus ad alta. Hoc modo paulatim sopitur & pacatur anima nostra, etsi non statim. Non tamen ideirco desperare, vel animum abijcere debemus: est enim violentia quædam: quemadmodum cor multo tempore malum illum induit, sic iterum longo tempore exuere debet, & diuturni temporis abusum vsu contrario retundere. Tanto autem citius illud fiet, quanto diligentior erit homo in cogitandis rebus bonis, & coarctandis sensibus ijs rebus, quæ viam sternunt ad Deuotionem.

Tertia radix est malitia Dæmonum, qui ex inueterata sua in genus humanum inuidia, vt salutem nostram impediant, magis allaborant hominibus negocium facessere tunc cum orant, quam reliquis temporibus, cùm non orant vt saltem inæstimabilem orationis fructum illis subtrahant, innumerisque bonis ex ea resultantibus orantes priuent. Monet hoc Origines, cùm dicit: *Obsistunt verò Dæmones, & contrariæ potestates in oratione, primò per illud ne talis inueniatur, qui in orationis agone defudat, vt leuet puras manus sine ira. Quod & si quis obtinere potuerit, vt sine ira sit vix est vt effugiat esse sine disceptatione: hoc est, sine superfluis & vanis cogitationibus. Vix enim inuenies vt oranti cuipiã non aliquid inanis & alienæ cogitationis occurrat, & intentionem, qua in Deum mens dirigitur, declinet, ac frangat, neque eam per quæ non competit rapiat. Et ideo agon magnus est orationis, vt subsistentibus inimicis, & orantis sensum in diuersa rapientibus, fixa ad Deum semper mens stabili intentione contendat.* Hæc Origenes, quibus verbis liquidè satis ostendit magnam huius negotij difficultatem.

Orig lib. 10. in epist. ad Rom in fine. Obsistunt.

Sed omnibus istis difficultatibus opponitur diuina Gratia, quæ potentior est omnibus rebus: cui etiam famulantur omnia documenta, quæ deinceps trademus.

DE IIS, QVÆ CONDVCVNT AD veram Deuotionem comparandam, & primò de illius ingenti desiderio.

CAPVT IV.

DIXIMVS antea quid sit Deuotio, non esse nimirum virtutem aliquam specialem, sed omne id, quod in comitatum illius venit: nunc de medijs, quibus illa comparatur dicemus.

Primum igitur, quo tam ingens bonum nobis cõciliamus, est intensum & vehemens illius possidendæ desiderium, iuxta illud Sapientis: *Initium Sapientiæ ve-*

Sap. 6, 18.

Ibid. v. 13. *tia verissima est disciplinæ concupiscentia* Et paulò antè, disserens de eodem desiderio atq; cogitatione ait, *Clara est, & quæ nunquam marcessit Sapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscit, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet. Cogitare ergo de illa sensus est consummatus, & qui vigilauerit propter illam, citò securus erit. Quoniam dignos seipsa circuit, quærens: & in vijs ostendet se illis hilariter & in omni prouidentia occurret illis.* Hucusque verba sunt Sapientis, ex quibus paulo inferius concludit, quod initio diximus: scilicet, initium Sapientiæ esse verissimam illius concupiscentiam & desiderium.

Contigit hoc ipsi Sapienti: non enim ex vano loquitur rumore, sed edoctus antea, nõ tantùm à Sancto Spiritu: sed & negotij ipsius experientia. Quare

Sap. 7. sequenti capite dicit de semetipso: *Propter hoc optaui & datus est mihi sensus. & inuocaui, & venit, in me Spiritus sapientiæ.* Vides igitur principium huius boni esse desiderium.

Vniuersa Scriptura sacra huic opinioni consentit. Quoties enim quæso in lege & in Prophetis legimus, Deum nos inuenturos, si eum ex toto corde quæsierimus? Ita legimus in libro Prouerbiorum: *Qui mane vigilant ad me, inuenient me.* Et alio loco, *si quæseris Sapientiam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.* Sed quid auctoritates longius petitas quærimus? habemus certissimum huius rei pignus & testimonium ab ipso Saluatore profectum:

Prou. 8, 17. Prou. 2, 4. Matth. 7, 7. *Petite*, ait, *& dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis: Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit. & pulsanti aperietur.*

Ratio cur tam efficax sit hoc desiderium ad inueniendum Deum est, quia testibus Philosophis in omni opere, præsertim morali, amor finis est prima causa quæ mouet operantem, ita vt quanto maior est amor & desiderium finis, tanto maior sit cogitatio & diligentia, quæ ponitur in eo consequendo. Dic mihi quæso, quid Alexandrum Magnum in tãta coniecit pericula, tot labores suscipere, tot bella mouere, tot inculta loca, barbarasq; nationes adire compulit, nisi insatiabilis amor, quo totius mundi

Genes. 29. Imperium ambiuit? Quid fecit Patriarchæ Iacob tot annorum seruitutem leuem, & iucundam, nisi amor, quo pulchritudinẽ Rachaëlis affectabat? Quid mercenario, nautæ, militi, similibusq; hominibus labores & pericula mitigat, redditq; suauia, si non amor lucri? Quid si tantum poterit amor rerum tam viliũ & abiectarum, quid faciet amor summi illius boni, si verè cognoscatur & ametur? Non te frater hic inuitamus fragili & peritura pulchritudine Rachaëlis. nec inani gloria mundi, quæ vnà cum vita moritur: non operibus fugitiuis, quæ ventus aufert, nec vanis voluptatibus hypocritarum, quæ ad momentum durant: non denique diuitijs terrenis, quæ à tineis & rubigine deuorantur, aut à furibus rapiuntur: sed inuitamus te pulchritudine Sapientiæ diuinæ, regno Christi, thesauro charitatis, consolatione Spiritus S. cibo Angelorum, vera pace, veraq; libertate: deniq;

Prou. 8, 34. & summo bono. Quid hoc thesauro posses petere opulentius: *Beatus homo*, dicit æterna illa Sapientia, *qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui enim me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

His, similibusq; considerationibus excitandum, inflammandumq; est in corde tuo desiderium spiritualis illius auaritiæ, & verarum illarum diuitiarum concupiscentia. Oportet enim tale desiderium non sit tepidum, pigrum, aut lentum; sed viuum, diligens, solicitum, & accuratum. Intuere quæso quanta cum cura mundi huius auari, ambitiosi, amatores alicuius creaturæ pulchritudinis quærunt quod amant: non cessant interdiu, non quiescunt noctu, non loquuntur, non cogitant, non somniant, nisi de ijs rebus quas quærunt & diligunt. Simili modo & tibi quærendus est Deus, licet maiori dignus diligentia, vti & creaturis omnibus est præstantior. Vide quan- Simile. ta cautela præfectus belli ad pugnam procedit, cùm munitum aliquod castrũ obsidione cingit: quod genera stratagematum comminiscitur, quàm varijs modis cuniculos agit, quanto ingenio gerras erigit, propugnacula construit, quotque inuentionibus ad oppugnandum castrum vtitur, vt tandem victor illud occupet: non minori cura & solicitudine tu vigilare & laborare debes, vt summum illud bonum tibi compares: scriptum est enim: *Regnum cælorum* Matt. 11, 12. *vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Meritò dicendus est ille beatus, qui tali modo Deum quærit: qui enim sic illum quærit, iam ex parte inueniet, & pignus habet se reliqua consecuturũ. Vigilare namq; ad Deum, est illum quærere: & iam primitias Spiritus S. obtinuit, qui tali cum desiderio illum quærit. Venator cũ videt canem solito magis Simile. properare, & summa cum celeritate rectam aliquam viam sequi, animaduertit statim, eum vestigia feræ alicuius inuenisse: gaudet, & spem capiendæ prædæ concipit. Ad eundem modum & tu lætari debes, cũ hoc videris: & quanto diligentiorem & timidum magis te faciet desiderij magnitudo, tanto debes esse securior: certò sciens post flores istos venturos optimos fructus, & Deum iam alterum pedum suorum in anima tua collocatum habere, mox, vbi datum est tibi viuum illius præsentiæ desiderium.

Hic modus & hæc via est, quæ in quærendo Deo tenenda est, his, qui præuenti sunt dulcedinis illius benedictione, iamque pulchritudinem Rachaëlis viderunt, pro qua obtinenda, & sibi matrimonio iungenda, cum gaudio septem annorum seruitutem sibi proponunt. Tales neque interdiu, neque noctu quiescunt, nec desistunt, donec inuenerũt quod quærunt, dicentes cum Propheta; *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Qui hoc cogitant, hoc loquuntur, hoc somniant, his nullus labor, nulla molestia, nullum onus graue est, cum magnitudinem solam præmij considerant: In figura illorum dicit Ecclesiasticus: *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in* Eccl. 38, 26. *iaculo, stimulo boues agitat; & conuersatur in operibus eorum & enarratio eius in filijs taurorum. Cor suum dabit ad uersandos sulcos, & vigilia eius in sagina vaccarum. Sic omnis faber & architectus, qui noctem tanquam diem transigit. qui sculpit signaculo sculptilia, & assiduitas eius variat picturam, cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus. Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem, & considerans opus ferri, vapor ignis uret carnes eius, & in calore fornacis concertatur*, &c. Hæ sunt cogitationes, hæc studia auarorum, laborantium, aut fabrorum, qui nocte dieque in operibus manuum suarum desudant, vt finem desiderij sui cõsequantur. Hos imitetur verus amator Dei, vigilet, cogitetq; diu noctuq; quomodo tantum illud bonum sibi poterit comparare, donec hac cogitatione atq; diligentia debilitetur & langueſcat: nec non & corporis debilitate animi anxietatem testetur, iuxta illud Sapientis; *Vigilia ho-* Eccl. 31, 1. *nestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius aufert somnum.*

Ceterùm dies fortasis: Duras mihi cogitationes præscribis ad bonum hoc consequendum. Dic mihi quæso estne iustum, vt bonum tantum, quantum

ipse Deus est, quæratur cum diligentia? Dices quod sic. Quæ igitur minor posset exigi cogitatio, quæ minor diligentia, aut quæ posset æquior esse conditio, quàm ad summum bonum obtinendum non plus postulare diligentiæ, quàm quo diuitiæ terrenæ cõparantur? Sic enim sonant verba Sapientis? *Si quæsieris Sapientiam quasi pecuniam, inuenies eam.* Angeli benedicãt tibi Domine: qui cùm omnium bonorum optimum es, & summum, non tamen maiori postulas quæri solicitudine, quàm qua vilissima quæque, imò ipsa pecunia quæri consueuit. Prou. 2, 4.

SECVNDVM, QVOD DEVOTIONEM generat, est fortitudo & diligentia.

CAPVT V.

DESIDERIVM, de quo diximus, debet habere annexam magnam diligentiã & fortitudinem, quibus omnes difficultates, quæ occurrunt, & turbant nos in bono hoc acquirendo, poterunt superari. Et quamuis, vti superius dictum est, desiderium hoc diligentiam & fortitudinem secum adferat, tamen operæ pretium facturi sumus, si de ea seorsim hoc capite disseramus.

Vt autem hæc melius intelligamus, sciendum, quod vti natura vnicuique animali duas contulit virtutes & potentias, ad sui conseruationem, vnam quam vocamus concupiscibilem, cuius est appetere quicquid pertinet ad conseruationem sui indiuidui aut speciei: alteram irascibilem, ad quam pertinet pugnare & resistere difficultatibus, contradictionibusque omnibus quæ quoquo modo impediunt, quod ad eandem conseruationem desideratur: ta sciendum est, & virtutes has ad conseruationem vitæ spiritualis suo modo requiri: specialiter verò ad bonum hoc, de quo agimus consequendum. Primò namque necesse est habere desiderium illius boni, vti dictum est, quod mouet hominem ad quærendum illud: inde oportet vt accedat fortis & generosus animus, ad vincendum & superandum magnas multasq; difficultates, quæ occurrunt ad deuotionem aspirantibus. Sunt enim multa quæ deuotionem impediunt, & multa quæ requiruntur ad illam obtinendam, quæ omnia difficillima sunt: proinde facessunt multum negotij, & requirunt magnitudinem & fortitudinem ad difficultates istas perrumpendas, donec fluant aquæ desideratæ de cisternis Bethlehem, & nemo inimicorum, vel in aditu, vel in regressu impediat, eos, qui ad hauriendum eas accedunt. Ad consequendum autem bonum tam arduum & difficile, quid poterit desiderium nudum & inops, si non sit armatum & fortitudine munitũ? *Duas animæ potentias, ad virtutem necessarias.* 2. Reg. 23.

Agnoscesillic defectum, quo laborant illi, qui viuunt cũ bono desiderio, nec tamen habent fortitudinem, de qua nos loquimur: sunt enim quasi animalia imperfecta & monstrosa, potentiam concupiscibilem habentes, sine irascibili, quę, quemadmodum non sufficit ad conseruationem vitæ naturalis, sic quoq; non sufficiet ad eam, quę est spiritualis. Talia sunt desideria negligentium & ignauorum, de ignauorum, de quibus ait Sapiens: *Vult, & non vult piger.* Vult cùm intuetur Virtutum pulchritudinem: nõ vult, cùm sentit difficultates, quæ in ijs sunt: tanquam enim animalia imperfecta & monstrosa habẽt vnam harum potentiarum naturalium, scilicet appetitum, seu desiderium: alteram verò, quæ est fortitudo, non habẽt. Prou. 13, 4.

Hanc ob causam toties in Scriptura fortitudo & diligentia commendantur, toties pigritia & negligentia vituperantur, tanquam duæ radices omnium nostrorum bonorum, & malorum. Res profectò admiratione dignissima est, videre summam custodiam, & solicitudinem, qua Spiritus sanctus vtitur in homines ignauos & negligentes, vti patet in libris Salomonis, in quibus vix est capitulum, quod non depromit saguttam, & narrat periculũ, in quibus huiusmodi versantur. Etsi vna sæpe; eademque sententia sit, quæ reperitur, alijs tamen atq; alijs verbis, & figuris id fit, & in mille locis quasi idem dicitur, vt memoria refricetur, vt homo ex eo intelligat quanti momenti res sit, quam toties, & tanta cũ importunitate Spiritus sanctus repetiuit. Quodam loco dicit; *Cogitationes robusti semper in abundantia, omnis autem piger semper in egestate est.* Alio; *Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium diuitias parat.* Et alibi; *Qui operatur terram suam satiabitur: qui autem sectatur ocium stultissimus est.* Iterum; *Pigrum deiecit timor: animæ autem effeminatorum esurient. Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est operis sua dissipantis.* Et capite sequenti; *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.* Maximè autem obseruandum quod idem Salomon dicit capite Prouerb. 24. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & materia lapidum destructa erat. Quod cùm vidissem posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Vsque quo piger dormies? vsquequo de somno consurges? Parum inquam dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres vt quiescas, & veniet tibi quasi cursor egestas tua, & mendicitas quasi vir armatus.* q. d. paulatim negligentia & pigritia illa vertetur in habitum, & habitus in naturam, atque eo modo dominabitur in te, vt viam modumque non inuenias eam ex ædibus tuis expellendi, quantumuis potens sis & magnanimus. Prou. 21, 5. Prou. 19, 4. Prou. 13, 4. Prou. 18, 8. Prou. 19, 15. Prou. 24, 30.

Quæro igitur nunc, Quare Spiritus sanctus toties hanc sententiam repetit, & tot locis suis scriptis inserit, nisi, vt significet clauem omnis vtilitatis nostræ diligentiam esse & fortitudinem, radicem verò omnium malorum nostrorum pigritiam & negligentiam? Dic mihi, quæ virtus non habet difficultatem annexam? Proinde si homo non habeat brachia ad vincendum illam, nec malleum ad ferrum, in quo operatur, edomandum, ecquod opus laudabile formabit? Optimè dictum est à Prudentio, vbi de Patientia loquitur.

Omnibus vna comes virtutib. associatur, Auxiliumque suum fortis Patientia miscet: Nulla anceps lucta meminit Virtute sine ipsa. Prudent. in Psychemachia.

Virtus: nam vidua est quam non Patientia firmat.

Si enim virtuti desit fortitudo, certum est, quia difficultatem non poterit vincere, quam semper habet adiunctam. Necesse igitur est, vt omnem torporẽ & ignauiam expellamus, armantes nos firmo & solido proposito in hanc arenam descendendi, generoso animo pugnandi, necessandi, priusquam omnẽ difficultatem superauimus, implorantes semper maxima cum animi demissione diuinam gratiam.

Non debemus autem animum confestim abijcere, neque expauescere, cum contradictio nobis aliqua occurrit, sed tunc animosius resistere, atque imitari eos, qui aduerso flumine nauigant: ij enim fortitudine remorum cum aquarum impetu furioso certant, & si subinde fluminis vehementiori cursu repellantur, non despondent animum, sed vires ingeminant, & maiori conatu remis insistunt, nauemque impellunt, & ceptam viam perficiunt. Talia debent nostra proposita, hoc est firma atque stabilia, & si aliquoties nos vinci contingat, animum resumamus, viresque redintegremus: nam, vt dici solet, *labor improbus omnia vincit.* Simile.

Sic videmus plerosque homines in negocijs huius mundi infatigabiles, qui à proposito non desistunt etsi

etsi fortuna, vt ipsi loquuntur, sæpe aduersetur. Sic mercatores non confestim relinquunt suas negociationes, etiamsi aliquãdo plus damni, quàm lucri faciant: nec agricolæ terræ culturam intermittunt, licet fructus nonnunquam in agro pereant: sed ad labores nouos reuertuntur, maiorem adhibent diligẽtiam, vt experiantur, si copiosa messis, quidquid amissum est, velit resarcire. Quanto magis nos sancto huic exercitio debemus instare, in quo & multo minor subeundus est labor emolumentum verò sine comparatione maius expectatur?

Notandum autem hic est, quod, quemadmodum desiderium, de quo supra diximus, adiunctam habere debet fortitudinem, vt non sit pigrum, sic fortitudini huic addi debet humilitas, ne sit superba. Nam etsi pro viribus nostris in hoc opere desudemus: & maximo nostro conamine laboremus, semper tamẽ credere debemus, nos, non nostris viribus tantũ bonum nobis comparare, sed diuina gratia & misericordia nobis illud donari. Nam, vt dicit Sapiens, Eccles. 9. 11. *Non est velocium cursus, non fortium bellum, non artificum gratia.* Id si locum habeat in rebus humanis, quanto magis habebit in diuinis, quę omnes à gratia dependent? Et quia gratia potissimum datur humilibus, vt Scriptura testatur vniuersa, hic non minus, Iacob. 4. sed multo magis humilitas, quàm fortitudo proderit, ad deuotionem impetrandam.

Agnoscat igitur homo quàm humillimè suam indignitatem, & debilitatem; humiliet se sub potenti manu Domini, veniat in conspectum eius, tanquã infans, qui nihil scit, nihil potest, & supplicet ei per merita Christi, vt dignetur se respicere oculis suæ pietatis, detque sibi tanquam pauperrimo mendico micas cadentes de mensa magnæ suæ misericordiæ. Cum hac verò confessione atq; humilitate sola homo non debet esse securus, aut in vtramque aurẽ dormire, omniaque Deo committere, vt quidam faciunt, sed manum aratro debet admouere, & facere quod in se est, & tunc Deus etiam faciet quod suum est, quemadmodũ enim Dominus amicus est humilium, ita quoq; inimicus est ociosorum & ignauorũ.

TERTIVM QVOD CREAT DEVOTIONEM est custodia cordis.

CAPVT VI.

CONSTABILITIS duobus istis principijs & fundamentis, vt veniamus ad magis particularem huius materiæ tractationem, dico, primam & principalẽ rem, quæ ad orationem & Deuotionem conducit, esse custodiam cordis. Quemadmodum enim is, qui cytharam, aut aliud instrumentum musicum pulsare vult, debet ante omnia fides inter sese componere, vt aptè atque conuenienter inter sese sonent: sic & cor nostrum (cùm id primarium sit cælestis illius musicæ instrumentum) necessarium est, vt prius bene componatur, & præparetur: non enim poterit consonans esse conuenientia in dissono instrumento. Hinc est illud consilium Salomonis: Prou. 4. 23. *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Cùm enim cor principium sit omnium actionum nostrarum, certum est, quale est illud tale fore omnia quoque opera, quæ ex illo procedunt. Nec tantùm hanc ob causam cordis custodiæ adhibendum est, sed etiam propter languorem, & teneritudinem ipsius cordis, quod quàm facilè distrahitur & perturbatur, nullis potest verbis explicari. Est enim proculdubio vna ex præcipuis hominum miserijs, videre cor nostrum tam difficilè colligi, & tam facilè dispergi: totque modis desudandum esse, priusquã vel modicum deuotionis obtineamus: facillimè verò amitti quidquid obtentum est. Videmus lac, aliosque cibos nonnullos tam esse delicatos, vt solus aër eos queat insipidos facere, & citharam vel lyrã, vt quidam affirmant, aëris intemperies facit dissonã, multo maior absque dubio est teneritudo cordis humani, multo exiliori causa turbatur. Sed & quemadmodum acies oculorum lędi tur exigua aliqua re, & claritas speculi paruo maculatur, obscuraturque halitu: sic multò minor casus, multoque leuius incõmodum satis est ad claritudinem cordis nostri obtenebrandum, oculos animæ obscurandos, omnesque bonos affectus, vnà cum deuotione interturbandos. Proinde summa cum diligentia, totisque viribus admitendum est, vt thesaurus tam pretiosus, & qui tam facilè perditur, quàm optime custodiatur.

Quod si me rogaueris, quibus à rebus cor custodiendum est, dico potissimum à duabus, vanis nimirũ cogitationibus, atque inordinatis affectibus. Ab his duobus oportet cor mundum sit, & liberum, in quo Spiritus S. commorabitur. quomodo & pictores solent prius mundare & dealbare tabulam, in qua pingent, sic & extergenda atque præparanda est prius tabula nostri cordis, in qua imago Dei formabitur. Hæc est illa læuigatio duarum tabularum: quas dolare Moysi iussit Dominus, vt verba legis in ijs sua Exod. 24. manu scriberet: vt significaret, hominem mundare, Deut. 10. & læuigare, seu dolare debere duas animæ suæ tabulas, quæ sunt intellectus & voluntas: hæc appetitũ, illa cogitationum, vt diuinus in ijs digitus, qui est Spiritus S. Sapientiam cælestem depingat.

Diligenter itaque seruus Dei in hac parte vigilet necessum est: hæc est enim vna ex præcipuis differentijs, quæ reperitur inter bonos & malos: mali enim habent cor quasi viam publicam peruium; quod nec interdiu, neque noctu clauditur: cor autem bonorũ est quasi hortus conclusus, & quasi fons ille obsignatus, de quo nemo bibit, præter Deum ipsum. Cor bonorum est quasi lectulus Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctissimi. Tale est cor bonorum, & tali cum diligentia custoditur: malorum verò ecõtrariò est quasi vas sine operculo, quod præparatum est ad excipiendum quamlibet immundiciem, quare & in lege huiusmodi vas reprobatur & immundum iudicatur. *Differentia inter bonos & malos.* Cant. 3. & 4.

Nec tantùm à noxijs cogitationibus, sed & ab inordinatis affectibus cor mundum & liberum est conseruandum: non enim aliud quicquam inuenitur efficacius ad turbandum illud, quàm naturales passiones: vt sunt amor, odium, gaudium, tristitia, timor, spes, desiderium, ira, & his similes alię. Hi sunt venti, qui mare hoc agitant: hæ nebulæ, quæ cælum hoc obscurant: hæc pondera, quę spiritum nostrum deprimunt. Certum enim est passiones cum suis cogitationibus cor perturbare, suis appetitibus dispergere, suis affectibus captiuare, suis perturbationibus & inordinatis motibus illud excæcare. Quare quomodo oculi carnis nec stellas, nec cæli pulchritudinem videre possunt cùm nubilum est, sic nec animarũ oculi lucem æternã possunt contemplari, cũ nebulis & passionibus huius vitæ obscurati sunt. Quemadmodum in aqua limpida (vt quidam veterum illorum Anachoretarum dicere solebat) omnia obiecta videntur, vsq; ad minutissimam arenam, quę in fundo est, id quod in turbida fieri non potest, sic anima nostra liquidò cognoscit, quid in se habeat, cum quieta est & serena: si autem motus passionum eam obscurent, atq; turbent, nec se potest videre, nec quicquã aliud. Prudenter igitur monet August. vt diligentissimè nobis caueamus, ne alæ animę nostrę (quæ sunt affectus & desideria) terrenarum rerum visco obliuantur, quo minus ad cælestia & diuina possint euolare. Ita legimus de eodem Sancto, quod licet Episcopus Leuit. 11. Similo.

copus esset, nec rebus ad fabricam Ecclesiæ pertinentibus, neq; vllis alijs negotijs secularibus sese voluit immiscere, metuens semper, ne hoc modo cor suum cogitationibus rerum visibilium implicaretur.

Hanc ob causam tantopere commendamus hic mortificationem & passionum temperantiam. Non est enim quidquã, quod tam fortiter frenat cor nostrum & sibi subijcit, quàm singuli illorum appetitum, potissimum autem ille Amoris; qui est quasi radix omnium, atq; ita dominatur omnibus alijs, haud secus, quàm radix ramis solet dominari. Vbi enim est amor alicuius rei superfluus, mox abhorret à contrario, & desiderat quod amat, timetq; ne perdat: exultat cùm adest, dolet cum abest, & solicitus est. metuens ne q, amat, periclitetur: turbatur si id malè tractetur, deniq; hoc modo totus chorus aliarum passionum incedit, sequens quacunq; dux ille præcedit. Significat illud Saluator, cùm dicit; *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum:* insinuans in quibus rebus positus est totus amoris nostri thesaurus, in ijs etiam positam esse omnem nostrã diligentiã, cogitationes omnes, & quidquid ex corde procedit. Matth. 6, 21. Luc. 12.

Debet igitur seruus Dei semper excubare, & cordi frenum iniectum habere, ne quid cogitet, ne ad aliquid à passionibus ducatur, quod Dei, aut de Deo non est. Non contristetur, nisi in eo, quod à Deo separat, non lætetur, nisi in eo, quod ad Deum adducit, nulla illi sanctior, nulla sit cogitatio frequẽtior, quàm quibus modis est Deo satisfaciendum: non viuat alio cum timore, amore, desiderio, vel spe; quàm de illo, in illo, & propter illum. Hæc est crux in qua gloriabatur Apost. cum dicebat; *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, quod fit, non per mortẽ corporis, sed spiritus, hoc est, mortem amoris omnium rerũ terrenarum. Cùm enim hanc sentit spiritus, est quasi mortuus omnibus creaturis, & viuit soli creatori, in quo solus amor illius est radicatus. Gal. 6. 14.

Propterea mandatũ erat in lege summo Sacerdoti, ne patrẽ, aut matrem defunctam sepeliret, *ne super ijs contaminarentur*, si mortuum cadauer contrectaret. Sciebat quidem Dominus nec visum, nec attactum corporalem homines contaminare, sed cordis affectum, quem adeò nitidum & purum esse in suis amicis vult, vt nec occasione amissionis vel patris, vel matris perturbetur. Arduum fortassis & durum, mi frater, tibi videbitur, quod hic præcipimus tibi: sed pudor est, si Christianis (qui sunt tanquam arbores plantatæ secus decursus aquarum gratiæ diuinorumq; Sacramentorum) id durum videatur. quod etiam Philosophi gentiles suis discipulis mandarunt: non habentes aliud, quam lumen rationis. Inuenti sunt Philosophi, qui suis præceptis conati sunt homines facere heroicos, diuinos, & ab omni passione atq; affectu liberos, & nos miramur, si quis nobis iusserit, vt cor pacificum & quietum circumferamus, vt Deus in eo diuersetur? Leuit. 21, 1. Psal. 1.

Sed etsi tibi difficile videatur tantum opus ad felicem exitum perducere, vtilis tamen erit hæc doctrina, vt scias vbi sit scopus, in quẽ cogitationes & desideria tua sunt dirigenda. Etenim licet non scopũ ipsum tetigeris, saltẽ id efficiet ne omnino aberres, vt faciunt illi, qui quo vadunt ignorant. Proderit etiam tibi ne sis totus lunaticus & mutabilis, sicut quidam, quorum corda sunt instar bracteæ, summitatibus ædium impositæ, quæ omni cum vento circunducitur. Hi nunquam sibi similes sunt, nec in eodem statu permanent: nunc enim tristes sunt, paulo post læti: nunc pacifici, statim irati: nunc graues, modò leues: nunc deuoti, mox dissoluti. Denique in tot colores & figuras mutatur intus, quot accidentia & occasiones offeruntur foris. Chamæleon animal est immundum, & in lege reprobatum, fortè quia in omnes colores mutatur, qui illi obijciuntur: non minus immundi sunt illi omnes, qui per bestiam illam insinuantur: tales sunt qui ad omnem ventum mouentur, qui fere solent esse homines instabiles, sine grauitate, sine prudentia, sine honore, sine animo, sine fortitudine. Leues, faciles, pusillanimes, inconstantes, mutabiles, à quibus nil magni est expectandum. Leuit. 11.

Videntur etiam tales esse indigni, qui viri appellentur: habent enim animos effœminatos, & leues, saltem digni non sunt, qui sapientes dicantur. Scriptum est enim; *Homo sanctus in sapientia vt Sol stultus verò sicut Luna mutatur.* Eccl. 27, 12.

Qui seruat cor suum liberum ab istis duabus reb. hoc est, à vanis cogitationibus & passionibus inordinatis, hãc pacem puritatemq; cordis facilè consequentur, quæ secundum Philosophos est principale remedium, ad comparandam veram Sapientiam; & iuxta Ecclesiasticorum sententiam, finis vitæ spiritualis: vt latius ostendit in prima sua Collatione Cassianus.

Denique hæc est vltima dispositio, quæ requiritur ad contemplationem rerum diuinarum, secundum illud Saluatoris: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* quemadmodum enim in speculo nitido & terso clarius resplendẽt radij solares, ita in anima purificata & munda, clarius relucent radij diuinæ veritatis. Matth. 5, 8.

Deus noluit Dauidem, quantumuis iustum & sanctum, ædificare templum, in quo habitaret, eò quod esset vir bellator: sed à Salomone filio pacifico illud extrui voluit, vt significaret, cor quietum & pacificum esse verum locum, in quo Deus desiderat habitare. Eandem ob causam cùm apparuit Heliæ in monte, non fuit in tempestate, non in terræ motu, non in igni, sed in sereni & tranquilli aeris flatu, hoc est, in corde pacifico, & quieto, quale sanè cor viuum & pacatum, quale templum Dei vium est, habitatio Dei. 3. Reg. 5. 3. Reg. 19.

DE QVARTA CAVSA DEVOTIONIS, quæ est continua Dei memoria.

CAPVT VII.



Ad cordis illam custodiam nihil vtilius est, quàm ambulare semper in præsentia Domini, eumque semper ob oculos habere, non tantum in tempore orationis, sed in omni & loco & tempore: multi enim reperiuntur, qui tam diu modesti sunt & quieti, quamdiu Præceptor præsens est, sed abeunte illo tumultuantur, & affectus impetum sequuntur. Hos seruus Domini non debet imitari, sed elaborare potius debet, vt conseruet illũ calorem, quẽ in oratione adeptus est, & continuare sanctas, quas habuit cogitationes: hæ enim cõtinuatæ faciunt hominem ad summum perfectionis fastigium peruenire. Qui aliter facit, omnis eius vita transit in texendo, & retexendo, nec vnquam perueniet ad finem optatum. Hæc est illa fœlix vnio spiritus nostri cum Deo, quam tanti fecerunt Sancti; ad quam habendam tantos labores exanthlarunt; quam vltimum finem omnium suorum exercitiorum statuerunt. Hæc illa, quã Dauid insinuat se consecutum, cum toties repetit in Psalmis suis, Deum in conspectu suo fuisse semper: semper se in lege illius meditatum: semper laus eius in ore suo fuisse. Ita vt non obstante quod Rex erat, & multis negotijs belli, pacisq; occupatus, in medio tot cogitationum fuerit quietus, & circunstantibus tot famulis, solus steterit cum Deo. Psal. 118.

Quapropter operæ pretium facturus es, si omnibus neruis adnitaris, vt hanc præsentiã & memoriã Domini tibi compares, & semper in prõptu habeas: iuuabit

iuuabit enim plurimum vt semper consideres Deum vbiq; præsentem adesse, non tantum per potentiam, & præsentiam, sed & per essentiam. Rex in omni suo Regno præsens est per potentiam, & in palatio per præsentiam, sed per essentiam nusquam est nisi in eo loco, quem corpus occupat: Deus autem in omni loco præsens est, omnibus modis istis, quod præter fidem nostram, probat etiam hæc ratio: Deus est qui dat omnibus esse & viuere Deus principium est & causa omnium. Cum autē necessum sit causam cū suo effectu coniunctam, aut per se, aut per aliquam suam virtutem vel influentiam, sequitur, postquam Deus sit causa omnium, vt sint, eum etiam ijs esse cōiunctum, dans eis Esse, quod sunt: idq; non per virtutem aliquam aut influetiam, sed per semetipsum: in Deo namq; est ea rerum distinctio, quæ est in creaturis. Quidquid namq; in Deo est, Dei est, & proinde vbicunq; vult, vt sit aliquid suum, hoc totū ipse est.

Deus vbiq; præsens.

Et quia Esse rerum maximè intimum est rebus, nec interius quicquam in ijs est, sequitur Deum magis inesse ijs, quam res ipse sibijpsis. Quid igitur magnum est, si Deum semper habeas ob oculos, qui te portat in brachijs, qui te sustinet suis pedibus, qui te regit sua prouidentia, in quo & per quem tu viuis, & existis? Memento quòd semper astat animæ tuæ tanquā creator & gubernator, qui te conseruat in tuo Esse, nec contentus quod astat tanquā creator & cōseruator, etiam adest tanquā iustificator, conferens gratiam, amorē, & multas sanctas inspirationes atq; desideria. Ille sit testis vitæ tuæ, ille sit socius tuæ peregrinationis, illi partē tuorum negotiorum trade, illi te in omnibus tuis periculis commenda, cum illo nocte fabulare in somno, cum illo manè expergiscere. Aliquando contemplare illum tanquā Deum gloriosum inter Angelos in cœlo: aliquando tanquā hominem mortalem inter homines, conuersantem in terris: nūc in sinu Patris, modo in brachijs matris: paulò pòst comitare illum fugientem in Ægyptum, inde reuertere cum illo ex Ægypto: Nonnunquam iunge te illi oranti in horto, aliquando sequere illū in montē vsq; Caluariæ, nec desere pendentē in Cruce. Simulac mensæ accubueris, condimentū ciborum tuorum sit fel & acetum illius, & poculum ex quo bibes, sit fons sanguinis illius ex pectore nobilissimo profluentis. Cum cubitum iturus es, imaginare lectū tuum esse crucē illius, & cervical tuum coronam illius spineam: cùm exues aut indues vestimenta, meditare quanta cum ignominia Christus in sua passione vestibus nunc indutus, nunc spoliatus est. Hoc est sequi cum sanctis istis Virginibus Agnum, quocunq; ierit, hoc modo poteris esse discipulus Christi, & in illius semper persistere comitatu. In omnibus his sēper cum illo fabulare sermonibus humilibus & amore plenis: sic se tractari vult ille, qui ob magnitudinem suæ Maiestatis meritò timeri debebat, & pro bonitate sua plurimum amari.

Deut. 1.

Aff. 17.

Apoc. 1.

Quamuis aliquo manuali opere occuparis, aut alio quopiam negotio, non ob hoc debes sanctum istud exercitium intermittere. Dominus enim dedit: hanc cordibus nostris aptitudinem, vt in momento queat conuerti ad se, licet corpus maneat occupatū in opere externo: non aliter atq; pedissequa, quæ laborat in conspectu Reginę, stat coram Domina summa cum grauitate, animiq; præsentia & corporis compositione, nullam pensi sui faciens iacturam: ita vt vna occupatio non impediat aliam: sic & cor nostrum cum debita reuerentia & attentione erigi potest ad illam Maiestatem, quæ implet cælum & terram, non omittens quidquam vel deperdens eorum quæ facit.

Simile.

Non tantùm cùm vacat homo alicui operi manuali, sed & cum loquitur, studet, negotiatur, &c. Potest habere nonnunquam cor intentum suæ occupationi, & nihilominus intrare templum cordis sui, ad adorandum Dominum, & subtrahere sese ab his, quæ negotia postulant, atque celeriter ad Deum redire. In huius rei figura scribitur de Sanctis istis animalibus, quæ vidit Ezechiel ire & redire, in similitudinem fulguris coruscantis, vt intelligatur celeritas & alacritas, qua cum iusti reuerti debent ad Dominum, cùm ex aliqua pia occasione exierunt de secreto suæ deuotionis, ad succurrendum suo proximo. Quod si homo nonnunquam tardauerit, & oblitus fuerit ad Deum redire, debet calcaribus attentionis & diligentiæ incitari, vertendo habenas cordis ad Deum, & dicendo cum Propheta; *Reuertere anima mea in requiem, quia Dominus beneficit tibi.*

Ezech. 1.

Psal. 114, 7.

QVINTVM, QVOD DEVOTIONEM excitat, est vsus breuium Orationum, quæ ad Deum, tanquam iacula, emittendæ sunt omni loco & tempore.

CAPVT VIII.

APprimæ profectò felix ille est, qui præcedens documentum bene nouit obseruare. Ne quis autem in eo deficiat, vtilissimum est in omni tempore & loco vti succinctis illis orationibus, de quibus Aug. *Dicuntur*, ait, *Fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas breuissimas tamen, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilantia erecta (quæ oranti plurimum necessaria est) per productiores moras euanesceat.* Quemadmodum illi qui partes Aquilonares inhabitant, vbi frigus est intensius, totis diebus domi desident, & in hypocaustis sese ab iniuria frigoris tuentur: qui autem hoc facere non possunt, sæpissimè ad focum accedunt, & paululum calefacti ad officium suum reuertuntur: sic & seruus Dei, viuēs in hac frigida & miserabili mundi regione, vbi charitas adeò refrixit, & æstuat iniquitas, sæpissimè debet ad orationis ignem accedere, vt calescat. Felix ille quidem, cui datur semper in hypocausto illo sedere, de quo dicit Propheta: *Et erit sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate.* Qui autem hoc facere non potest, sæpe ad diuinum hunc ignem veniat, vt defendat sese à ventis, & intolerabili gelicidio frigidissimæ huius mundi regionis.

August. ad Probam. ep. 121.

Simile.

Esa. 32, 2.

Huc faciunt succinctæ Orationes istæ, quæ eam ob causam iaculatoriæ vocantur: sunt enim tanquā iacula amantis animæ, quæ magna cum celeritate mittuntur, & vulnerant cor Dei: quarum vi anima excitatur, & amore Dei magis inflammatur. Conducunt ad hoc propositum plurimi versus Dauidici, quos homo semper habere debet in promptu, vt per eos in Deum eleuetur: nō quidem in eodem semper modo, ne fastidium pariat eorundem verborum assiduitas, sed cum omni illa varietate affectuū, quos Spiritus S. excitat in anima illius: omnibus enim his conuenientes versiculos inueniet in cælesti hoc Psalmorum seminario.

S. Aug. epist. 121.

Poterit nonnunquam cor eleuare per affectum pœnitentię, atque desiderio remissionis peccatorum, his verbis: *Auerte faciem tuam à peccatis meis Domine, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum in me crea Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Aliquando dicere licebit, cum affectu gratitudinis, *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Nunc cum affectu amoris, & charitatis dicat, *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus sit firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei. Fuerunt mihi lachry-*

Psalm. 50, 11

Psal. 102, 2.

Psalm. 17, 2.

Psalm. 41, 2.

lachryma mea panes die ac nocte, dū dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? Subinde accensus amore beatitudinis æternæ clamitet: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, cōcupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Scribit B. Hieronymus in quadam epistola, Patres in Ægypto versiculum eiusdem Prophetæ sæpissimè in ore habere solitos, & dicere: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Aliquando cum confessione propriæ miseriæ, & desiderio diuinæ gratiæ vociferetur: *Inclina Domine aures tuas, & exaudi orationem meam, quia pauper & mendicus ego sum.* Denique & plurimū in collationibus laudatur ille versiculus: *Deus in adiutorium meū intende, Domine ad adiuuandum me festina.*

Psal. 82, 2. Psalm. 54, 7. Psalm. 85, 1. Psalm. 69, 2

Ex omnibus rebus captā da occasio deuotionis.

Similiter & tempora, & loca, & negocia quæ tractamus, quæcunque videmus, audimusq; , occasionē prębebunt alijs etiam modis & affectibus cor ad: Deū eleuandi: qui namq; Deum verè amat, in omnibus rebus Deum conspicit, & putat omnia ad amorem inuitare. Tempore matutino concentus auium, nocturno silentium & serenitas inuitant nos ad laudādum Dominum. Inter edendum gratia quæ cibis infunditur, vt satietur: cū manè surgimus, gratia quæ nos in somno custodiuit, & quod eo sumus refocillati. Pulchritudo solis & stellarum, ornatusq; camporum, prouidentiam & pulchritudinem Creatoris nobis insinuat, miseria verò, & calamitas aliarum creaturarum gratiam nobis diuinam testantur, qua Deus vtitur in ijs liberandis.

Cum horologium signum dat horæ, mortis nostræ recordemur: similiter & eius, in qua Deus pro nobis mori dignatus est, & legamus verba, quæ quidam sanctissimus Pater docet, dicens: Benedicta sit hora in qua Dominus meus Iesus Christus pro me natus & mortuus est. B. Hieronymus monet in quadam epistola, vt ad omnem ingressum & egressum signemus nos signo S. Crucis. Quod ipsum quoque vehementer necessarium est, quoties ingruit aliqua tentatio, ad eijciendum è cordibus nostris quamcunq; impuram aut noxiam cogitationem. Similiter & quoties aliquid auspicamus, in quo contradictiones & obstacula nos inuenturos timemus, aut noxas occasiones periculorum metuimus, oportet nos muniri armis Orationum, vt cùm domo egredimur, cùm negotium habituri sumus cum homine cōtentioso, aut acturi sumus de aliqua re magni momenti, cùm ad conuiuium accedimus, in quo periculum est, aut per gulam, aut per multiloquium peccandi. In his similibusq; rebus præparatio magna orationum est præmittenda. Hoc modo omnia nobis erunt ad agendum semper cum Deo incentiua, & ex omnibus rebus fructum eruemus, & occasionē semper orandi habebimus. Hoc est perpetuum illud exercitium, ad quod nos inuitat Apost. dicens: *Docentes & commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus: in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & pater per ipsum.*

Hier. epist. ad Eustoch. Audi filia.

Coloss 3, 16.

Hoc exercitium maximoperè iuuat ad deuotionem: est enim quasi custos domus, aduigilās, ne quis præter Deum ingrediatur peregrinus, ad occupandā sedem animæ. Vtile quoq; est ad conseruandum calorem deuotionis: hinc est, quod qui in hac consideratione assidui sunt, facillimè mentem aduocant, & sensus omnes colligunt, cùm orandum est.

Quam enim aliam causam existimas esse, quod vnus mox initio orationis insilescit, alter vix post multas horas, post prolixam orationem potest cor suum sedare, & tranquillum reddere? Communis causa est, quia ille cor suum habet collectū & calefactum breuibus istis oratiunculis: hic verò obliuione Dei totus refrixit: ideoq; vnus citius, alter serius incalescit. Videmus hoc in fornace, quæ si matutino tēpore bene calefiat, exiguo igne toto die calor iste conseruatur: sed si omnino refrigescat, magno igne opus est, priusquam iterum fit calida: ita necesse est vt faciant deuotionis studiosi, vt calor ille diuinus in cordibus eorum conseruetur, nisi velint nouas subire molestias, in reaccendendis illis, quotiescunq; ad orandum procedunt. Deuotio namq; cordis nostri est tanquam calor in aqua, vel in ferro, quod naturaliter est frigidum, sed accidentaliter calidum: cū enim ab igne tollitur, à quo calefiebat, confestim ad pristinam redit conditionem. Qui itaq; vult ferrum semper calidum conseruare, oportet illud aut semper in igne foueat, aut sæpe igni applicet, vt sic externus ille calor retineatur: eadem diligentia in fouendis cordibus nostris est necessaria.

Simile. Simile.

SEXTVM QVOD AVGET DEVOtionem est deuotorum & vtilium librorum lectio.

CAPVT IX.

PRodest etiam ad hanc ipsam custodiam & puritatem cordis librorum spiritualium deuota lectio: est enim teste Bernardo cor nostrum instar molæ, quæ nunquam quiescit, sed semper terit illud, quod injcitur: si triticum, triticū molit: si hordeum, hordeum. Proinde vtile est occupari lectione librorum sacrorum, vt cùm debeat aliquid cogitare, & meditari, ea meditetur, quibus occupatur. Hanc ob causam B. Hier. adeo cōmendat in omnibus suis epistolis Scripturæ sacræ lectionem, præcipuè verò in illa, quam scripsit ad Demetriadem Virginem, in cuius initio sic ait:

S. Bern li. 3. de Medit.

Cassian l. 1. Collation. c. 18.

Hier. epist. ad Deme. Virginē c. 3

Vnum illud tibi nata Deo præq; omnibus vnum.
Prædicam, & repetens iterumq; iterumq; monebo:
Vt animum tuum sacræ lectionis amore occupes, nec in bona terra pectoris tui sementem lolij, auenarumq; suscipias. In fine autem eiusdem epistolæ idem suum consilium repetit, dicens. *Finem iungo principio, nec semel monuisse contentus sum. Ama Scripturas sanctas & amabit te Sapientia: dilige eam, & seruabit te: honora illam, & amplexabitur te.*

Cap. vltim.

DE SEPTIMO QVOD PROMOVET Deuotionem, custodia nimirum sensuum.

CAPVT X.

AD iuuandam cordis custodiam plurimum etiam proderit custodia sensuū: ij enim sunt tanquam portæ ciuitatis, per quas omnia intrant & exeunt: qui ergo portas istas bene custodit, ei omnia secura sunt. Necessum igitur est ponere custodē vnum oculis, aliū auribus, tertium ori: per has enim tres portas importantur in animam, & exportantur ex ea omnes merces, & quidquid in mundo est. Ita vt debeat homo deuotus esse surdus, mutus, & cæcus, vt Sancti Patres in Ægypto dicere solebant: Obstructis enim ianuis horum sensuum, anima semper erit munda & præparata ad contemplationem rerum cœlestium.

Debet enim homo nonnunquam audire & videre ea, quæ causæ sunt distractionis: quare sic externa videat & audiat, vt cor eius non contaminent. Ita vt seruus Dei debeat habere cor quasi murum solidum, aut quasi nauim bene instructam, piceque & bitumine illitam, quæ venientes aquas facilè repellit, ijsq; subinde operitur, nec tamen vllas in aluum recipit, vel admittit. Fortassis in huius rei figuram Deus Noëmo præcepit arcā facere opere testudineo, eamq; intrinsecus bitumine linire: etenim talis esse debet arca cordis nostri, vt in medio aquarū, & procelloso mundi huius diluuio sit secura, & nullas aquas

Genes. 6.

quas iniquitatis admittat. Qui eo modo conseruant cor suum, semper sunt pacifici, animo præsentes, & deuoti: sed qui aperiunt portas omnibus ventis, admittuntq; oēs affectiones & turbas huius mundi, orationis tēpore multis contentionibus, bellis, & molestijs cogitationū in diuersa distrahentium infestātur. Accidit his, quod solet ijs, qui Principē aliquem adeunt, vt loquantur cum eo stomacho crassioribus cibis onerato: in media namque oratione turpiter euomunt, quidquid vorauerant: sic & illi cōmodissimo orationis tēpore loquentes cū Deo, eructant alij & cœpe Ægypti, hoc est, cogitationes & negocia mundi, quibus cor plenum est.

Simile.

Num. 11.

Tales frustra expectant fructū suarū orationū: eorum .n. est illa maledictio Patriarchæ, dicentis: *Effusus es sicut aqua, nō crescas.* Habent enim cor adeò effusum, & externis rebus occupatū, vt tanto minus crescant intus, quanto plus circa exteriora dispergūtur. Tales sunt, qui obambulant totos dies, vt videāt superba ædificia, sūptuosas domos, magnifica tēpla, & similia: qui auidi sunt ad videnda pulchra, & audiēda noua, reuertuntur .n. ad domū cordis sui pleni vento, & vacui deuotione. Isti quē admodum vagi sunt, & instabiles in anima, ita sunt & in corpore: vix enim ad momentū in vno eodēq; loco possunt cōsistere: sed discurrunt: cumq; non habent, quo vadant ventorū ductū sequuntur, quærentes, si inueniāt alibi, quod possit eos oblectare foris, quia verā oblectationē intus amiserunt. Accidit etiā nonnunquā, vt in similibus vijs eorū ductor sit Diabolus, ducatq; eos, vt olim Dinā in loca inhonesta, in quibus nō tantum amittunt deuotionē, sed castitatē etiā atq; innocētiā. Necesse igitur est vitare omnes istas distractiones, vt collectis in vnum omnibus animæ viribus, maior nobis sit vigor & fortitudo, ad quærendum summū bonum: scriptum est enim. *Ædificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.*

Genes. 49. 4.

Item. 24. Genes. 34.

Psal. 146. 2.

Inter omnia verò mēbra exteriora, potissimum custodienda est lingua: est .n. ea teste Ber. modicū mēbrū, sed ni caueas magnū malū, tenuis & talia, inquit sed aptissimū vacuandis cordibus instrumentū. Dici non potest, quā facilè disparet atq; euanescit succus deuotionis, quando aperitur os ad loquendū superflua, licet bona. Optimè ergo dictū est à quodā Doctore: sicut aqua odorifera in vase apertò, & operculū non habente suauitatē & gratiā odoris sui confestim amittit: sic vnguentū pretiosū deuotionis amittit omnē suā virtutē, & efficaciā, cū os solutum est, id est, cum lingua in multiloquio luxuriatur. Optimū igitur est tacere, & si quando necessarium est per sermones exire, confestim tamen cum columba in arcam reuertere, ne in diluuio verborum pereas.

Ber. in ser. de trip. custodia linguæ manus & cordis.

Simile.

Gen. 8.

Et quātis omnibus necessaria fit illa moderatio, magis tamen mulieribus, quā virīs est obseruanda: maximè verò Virginibus, quarum potissimum ornamentum est verecundia, & silētium: ambo custodes castitatis. Quare optimè virginē monet D. Ambrosius his verbis, Custodi virgo viam tuam, ne labaris in lingua tua: sæpe enim verba etiam bona pro peccatis in virginibus habentur.

OCTAVVM QVOD AVGET DEVOtionem est solitudo.

CAPVT XI.

HAnc sensuum & cordis custodiam iuuat etiam plurimum exterior solitudo, vt D. Bonauēt. testatur his verbis: *Ad contemplationem rerum cœlestium videtur facere solitudo: nam cum tumultu & strepitu non potest decenter oratio fieri, & videre & audire multa, vix fieri potest sine impuritate & offensa. Mors enim intrat per fenestras nostras ad animas: & ideo Domini exemplo vade in solitudinem, id est, quantum potes te separa ab aliarum consortio, & sis solitaria, si vis ei coniungi, & per puritatem cordis eum videre: fuge etiam collocutiones, & maximè secularium personarum. Non quæras nouas deuotiones, & amicitias: non impleas oculos & aures phantasmatibus vanis, & omnia quæ quietem animi, & tranquillitatem mentis perturbant, tanquam venenosa, & animæ inimica deuita. Non enim sine causa SS. Patres petebant nemora, & loca remotissima ab omni hominum conuersatione.* Hæc Bonauent.

Bonau. In meditat. vitæ Christi cap. 17.

Vt autem magis confirmeris in hoc, audi quid dicat D. Bern. *Tu si ad Spiritus S. incitamenta moueris, & inardescis dare operam quomodo animam tuam facias sponsam Dei, sedeas secūdum Prophetam solitarius quoniam leuasti te suprate, volens Angelorum Domino desponsari. An non supra te adhærere Deo, atq; vnū spiritum esse cum eo? Sede namq; solitarius sicut turtur, nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine ceterorum, etiamq; obliuiscere populum tuum & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. O sancta anima sola esto, vt soli omnium serues teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos: secede ab amicis & ab intimis, & ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus ceteris? Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed deuotione, sed spiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Christus Dominus, spiritusque requirit non solitudinem corporis: quanquam interdum & corpore non otiosè te separas, cum oportunè potes, præsertim tempore orationis.* Et infrà: *Solus es si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suscipiunt, si fastidias quod multi desiderant, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum: alioquin nec si corpore solus es, solus es. Videsne posse te esse solum etiam inter multos, & inter multos cum solus es: solus es in quacunq; hominum conuerseris frequentia, tantum caue alienæ cōuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex.* Hucusque Bernardus.

Bern. ser. 40 in Cant.

Ier. lament. cap. 3.

Tren. 3. Psalm. 44.

Vincent. l. 16 Histor. c. 62.

Amet igitur & quærat homo deuotus solitudinē, non tantum interiorem, sed & exteriorem: certum enim est, vnam iuuari ab altera. De Abbate Arsenio memoriæ proditum est, quod audierit vocē de cælo, dicentem sibi: *Arseni, fuge, tace, quiesce.* Existimet vnusquisq; idē & sibi dictum esse, fugiatq; omnia genera commerciorum, societatum, conuersationum, colloquiorum, consolationū, visitationum, etiam amicorum & parentum, nisi aut charitas id, aut necessitas postulet. Appetat homo semper esse solus, secum murmuret, sibi viuat, & cum Deo fabuletur, qui est amator solitudinis.

Ne quis autem existimet, vitam talem esse melācolia, & tristitia plenam: tanto lætior est & delectabilior, quanto dulcior est societas, & familiaritas cū Deo, quàm ea, quæ cum hominibus colitur. Hanc ob causam dicit alibi Hieronymus. *Mihi oppidum carcer est, & solitudo Paradisus.* Et Bernardus: *Cum quo Deus est, nunquam minus solus est, quam cum solus est: tunc enim liberè fruitur gaudio suo, tunc suus est ad fruendum Deo in se, & se in Deo,* &c. Qui iucundior esse potest in hac peregrinatione Paradisus, illo, quē Deus promittit animæ deuotæ; sibiq; intentæ, cùm dicit: *Ecce ego lactabo illam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius, & dabo ei vineores eius ex eodem loco, & vallem. Achor ad aperiendam spem, & canet tibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.*

Hier. in ep. ad Rust. nihil Christiano fælicius. Bernard. in Epist.

Oscæ. 2. 14.

Ista cantica & hymni sunt animæ de terra vel mūdo hoc ascendentis, & paulatim magis magisq; crescentis in amore cognitioneq; sui Creatoris. Hi sunt

dies

dies iuuentutis spiritualis, quando amor est fortior & vehementior. Canuntur ista cantica in solitudine, & valle Achor, quod est conturbationis, per quam intelligitur humilitas contritionis: ibi enim primũ aperitur animæ via ad spem, & ibi accipit peccatorũ remissionem: ibi canit & laudat suum Creatorem, eo quod tam potenti & pia manu illam ex hoc mũdo eruit. Hæc est merces, quam Deus dat amicis suis pro molestijs solitudinis.

Hæc solitudo non tantum vtilis est ad Deuotionem, sed ad alias quoq; virtutes omnes: amputat enim omnes peccandi occasiones, quæ in contubernijs hominum solent accidere: maximè autem occasiones lapsuum linguæ: quales sunt infinitæ. Optimè suadet igitur Seneca, quærendam esse solitudinem illi, qui vult innocentiam suam custodire. *Seneca.*

NONO, PLVRIMVM FACIVNT ad Deuotionis incrementa tempora, & certa constituta hora.

CAPVT XII.

OMnia, quæ hactenus dicta sunt, potissimum spectant ad cordis custodiam, quæ non solum mater est puræ orationis, sed & reliquarum virtutum omnium. Quæ verò deinceps dicturi sumus, præcipuè ad Deuotionem, de quo nobis modò sermo est, excitandã, pertinent. Horum primum est, vt homo deuotus quotidie sua sibi præscribat tempora, horasq; certas sibi constituat, ad orandum, vt solus cum solo Deo loquatur. Faciebat hoc Propheta Daniel, de quo dicit Scriptura, quod fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalẽ tribus tẽporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo suo. Idem faciebat Dauid, qui in noctibus leuabat manus suas, & in matutinis meditabatur de Domino, vt de seipso in multis Psalmorũ locis testatur: in quorũ vno ait, se septies in die laudem dixisse Domino, ex quo loco sumpsit Ecclesia, quod instituit septem horas canonicas, in quibus inuocaretur nomen Domini. Lucas scribit de primis illis Christi fidelibus, quos primitiua habuit Ecclesia, quod quotidie perdurabant vnanimiter in tẽplo in oratione, & circa vesperũ reuertebantur domum, vbi sacrã Communionẽ percipiebant, cum exultatione, & simplicitate cordis, pleni consolationibus Spiritus S. De his, qui in illorum locum successerũt, scribit Plinius ad Imperatorẽ Traianum, Christianos esse gentem innocentem, vitiorum & offensarum expertem, nec aliud habere peccatum, quam quod antelucanos cogerent cœtus, in quibus hymnos & laudes canebant, in honorẽ hominis cuiusdã, nomine Christi, qui crucifixus erat in Palœstina. Quid multis? scribitur de omnibus Sanctis, quod maiorẽ vigiliarum noctis partem in exercitijs spiritualibus, orationibus, contemplationibus, & lectionibus transegerunt, adimplentes illud Dauidis: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Horum omnium longè præstantius est exemplum Saluatoris, de quo scribunt Euangelistæ, quod interdiu occupatus fuerit in miraculis faciendis, & regno Dei annunciando: noctè verò in vigilijs & orationibus perseuerauerit.

Certa tẽpora orandi quotidie statuẽda. *Dan. 6.* *Psalm. 118.* *Act. 2.* *Plin. in ep. ad Traianũ. hist. Eccles. Nicephor. l. 2. c. 17. Et Tertul. in Apolog. c. 2* *Psalm. 133. 2*

Idẽ non tantum ad Religiosos & Religiosas pertinet, vt quidam garriunt: sed ad omnes eos, quicunque cupiunt Deo frui, & ad vitæ perfectionem venire. Vt simile faciat, hortatur D. Hieron. nobilem quandam fœminam, nomine Celantiam, his verbis: *Ita habeto solicitudinem domus, vt aliquam tamen vacationem animæ tribuas. Eligatur tibi oportunus, & aliquantum à familiæ strepitu remotus locus, in quem tu, velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus, secreti tranquillitate componas. Tantum ibi sit diuinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, tã firma & pressa de futuris cogitatio, vt omnes reliqui temporis occupationes facilè hac vacatione pensẽs. Nec hoc ideo dicimus, quo te retrahamus à tuis, imò id agimus, vt ibi discas, ibiq; mediteris, qualem tuis præbere te debeas.* Hæc ille. *Hier. in ep. ad Celant. cap. 6.*

Quod si autem me rogaueris, quoties in die ad hoc studium te conuertes, certam tibi regulam non possum præscribere: non enim omnium eadẽ est temporis & præparationis occasio. Memento tamen sæpissimè commendari in lege duo sacrificia quotidiana, matutinum & vespertinum, quæ omnis Christianus spiritualiter debet offerre, ijs tẽporibus abstrahens sese à rebus externis, vt vacet laudibus diuinis. Vt quẽadmodum bis vacamus in die corporis refectioni, in prandio scilicet, & in cœna: sic etiã animæ bis suũ demus nutrimentũ: cum ea nõ sit minoris dignitatis, quã corpus: nec minus est animæ suus cibus necessarius, quã corpori suus, imò etiã magis. Corpori necessariũ est alimentũ ordinariũ, eo quod calor naturalis consumit semper substantiã hominis: & propterea necesse est, vt ex vna parte reparetur, quod consumitur ex alia: sic anima in se pestilentialẽ habet calorem (qui est cupiditas, malaue appetituum nostrorum inclinatio) consumentem omne bonum: propterea necesse est reparari quotidie per deuotionem, quod per noxium illum calorem absumitur. *Duo sacrific. cia quotidiana.*

Sciendum etiam est, naturam humanam per peccatum esse corruptã, ad omnia terrena propensam, quæ suo pondere trahit hominẽ ad se, vt dicit Sapiẽs: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantẽ.* Propterea quemadmodum hi, qui horologij curam habent, pondera solent quotidiè bis in altũ trahere: nã proprio suo motu paulatim descendunt, & ima petunt: sic qui volunt animã conseruare rectã, & bene ordinatã, debent vt minimum bis in die pondera illius erigere, atq; eleuare: cùm misera natura sit adeò ad infirma hæc propẽsa, vt semper deorsum nitatur. *Sap. 9. 15.* *Simile.*

Ah quam manifestè hoc sentiunt quotidiè, qui orant. Quoties homo finita oratione matutina existimat pondus horologij sui in cælum sublatum, omnemq; se suã intentionẽ & voluntatem sursum habere: adeò vt videatur hæc terrena ne dignari aspectu: & paulò post, vbi se ad cõmercia diurna conuerterit, & cum hominibus negotiari inceperit: vbi vesper aduenerit, sentit põdus in terrã recidisse, hoc est, sentit spiritum suum adeò in terrã demissum, & inclinatum ad res terrenas, quasi nunquã antea sublenatus fuisset. Qui vult igitur horologium vitæ suæ habere semper ordinatum, semper pondera illius sursum eleuet. Ita tamen vt absit violentia.

Qui non habent commoditatem, aut ocium, vt se colligant ad orandum bis in die, saltem dent operam, vt orent semel. Quod & si ne hoc quidem facere possint, nescio quod consilium ipsis dabo aliud, nisi vt recurrãt ad Orationes illas breues, de quibus antea diximus, quæ possunt omni occupationum & negotiorum generi intermisceri. Memini enim me vidisse istarum vsu bonos & pios spiritus esse sustentatos, quorũ conditio, viuendi modus, & infirmitas prolixius orare non permittebat: quãuis hoc genus orationum diu subsistere nequeat, si desit aliarũ precum profundiorum & prolixiorum fundamentum. *Ad orationes iaculatorias recurrendum ijs qui diu orare nõ possunt.*

DECIMVM, QVOD DEVOTIONEM accendit, est Continuatio, & perseuerantia in bonis exercitijs.

CAPVT XIII.

VT autẽ exercitium hoc vtile sit, notandũ est, hoc loco requiri continuationẽ & diuturnam

in eo

in eo perseuerantiam. Inueniuntur enim nonnulli, qui nunquam rei inceptæ finem imponunt, sed semper texunt atq; retexunt (quod aiunt) telam Penelopes. Hi viam hanc sibi proponentes, in ea biduum hærent, aut triduum, mox defatigantur, & obliuiscuntur illius, adeò, vt cum reuertuntur ad hoc, quod inceperunt, tam frigidi sunt, & tam longè à semetipsis remoti, quàm si nunquam incepissent, aut nunquam, ne per somnium audiuissent, quid sit oratio. Conuertuntur igitur ad noua proposita, iterum nouum exercitium eligũt, cumq; aliquousq; progressi sunt, aut propter lassitudinem, aut quia existimant iam satis desudatum esse, reuertuntur ad requiem, & obliuiscuntur laboris. Atq; ita vitam suam consumunt ædificando, destruẽdo, & saxum (vt dicitur) Sisyphi voluendo, quod cum ad medium mõtis extulit, repente deorsum labitur, atq; ita recipiendo & prouoluendo omne æum terit.

Virgil. Æneid. 6.

Tales sunt qui ex minima, leuissimaq; occasione deserunt suas orationes, exercitiaq; laudabilia: quibus sæpe accidit (sicut ipsa ego experientia probaui) vt dum proponunt orationem, duobus aut tribus tantum diebus intermittere, per totam vitam intermittant. Cùm enim ad eam redire volunt, ianuam non inueniunt: fitq; illis via quotidie difficilior manent igitur foris, & ad consuetudines vitæ pristinæ reuertuntur. Homo enim sine Oratione, & sine exercitio spirituali, est quasi Sampson sine capillis: qui confestim amittit vires, manetq; debilis, & infirmus, instar aliorum hominum, periclitaturq; vehementer, ne in manus inimicorum suorum incidat.

Iudic. 16.

Proinde oportet nos esse stabiles in hoc exercitio: certum enim est, quod ex constantia atq; ordine illius, omnis nostra vita dependet. In corporibus cælestibus contemplare, quantam seruant constantiam in suo cursu & motu, quem nunquam mutarunt à tempore, quo creata sunt. Cum enim essent futuræ causæ, à quibus totius mundi administratio penderet, necessum erat in iis esse magnam cõstantiam, vt mundus semper esset ordinatus. Ita cum ab hoc exercitio spirituali dependeat totius vitæ spiritualis series & ordo, vt ipsa docet experientia, æquum est, vt qui ordinatam vult esse vitam suam, ordinatas habeat, & bene compositas causas, à quibus ordo illius dependet.

Dan 6.

Vide qua constantia Propheta Daniel tria ista orandi tempora seruauit, cùm nec timore mortis, nec contradictione suorum inimicorum, ab ordine susceptо potuerit auerti: adeò vt maluerit capitis periculo sese exponere, quam filum orationis interrũpere. Sic & homo deuotus debet sibi tam firmiter proponere, & inuiolabiliter statuere, velle se cõsuetis horis Deo vacare, vt potius deficiat in omnibus alijs suis negotijs, quæ Deum non concernunt, quam in hoc vno tantopere à Deo commendato. Imitare naturalem Serpentum prudentiam, qui abscondẽtes caput, totum corpus præbent percussori, vt amisso eo, quod minus est, conseruent id quod maius est. Imitare prudentiã sanctissimi Patriarchæ Iacob, qui reuersus ex Mesopotamia, excepturus fratrem suũ, quem vehementer metuebat, præmisit oues, boues, & camelos, cum omni substantia: inde posuit ancillã vtramq;, & filios earum: post illos Liam, & filios eius: Rachel autem, & Ioseph, tamquam thesauros dilectissimos, & pretiosissimos nouissimo & securissimo loco constituit: significans malle se periclitari omnia cætera, quam duo illa capita, quæ tanti faciebat. Dic mihi serue Dei, quid habes in mundo, quod tanti faciendũ est, quanti Rachel & Ioseph iste? Quid est Rachel, nisi vita contemplatiua. Quid Ioseph, nisi filius ille spiritualis, qui ex illa nascitur, quæ est innocentia, & puritas vitæ? quare maioris faciẽdus est

Simile.

Gen 32, & 33

ille thesaurus, quã quætuis alia iactura rerum tẽporalium: ita sentiendum est, vt hæc perdere malis, quã in illis deficere. Itaq; mi frater, veniat, & abeat, quicquid vult, Rachaelem tuam, & tuum semper serua Iosephum. Noli eos imitari, qui orationes, exercitia, & res spirituales habent quasi prætextum suæ negligentiæ, & quoties aliquid agendum, aut amittendum est, semper exponunt periculo spirituali, vt custodiant, & tueantur temporale.

Noui personã piam, quæ quoties audit signũ horæ, qua consueuit ad orationẽ se conuertere, in eo ipso puncto, (vt de sanctis illis Ægypti Patribus dicitur) relictis omnibus ad sũm progreditur exercitiũ. Cum aliquando cum alia religiosa persona sermonẽ conferret, cuius cõuersatione delectabatur, mox, vt horæ, signum audiuit, digressa est ab illa, sermone abrupto, dicens. Si hodie ordinariũ meum pensum omisero, propter causam hanc, cras ob aliã omittam (quilibet enim dies sũũ secũ adfert impedimẽtum) & sic progrediens, mille cõmittã errores. Idipsum & alio tẽpore mihi accidit ab eadẽ persona, in qua tales cõcurrebant circumstantiæ, vt hoc faciens, nullũ tamen specimen vanitatis præberet, sed maximæ ædificationis: atq; ita vix ter in anno defecit in sanctissimo illo suo exercitio. Adduxi verò exẽplum hoc in gratiã negligentium, fructus verò quos ex hac perseuerantia consecuta est, non audeo commemorare. Tempora enim hæc tam iniqua sunt, & inuida, vt non ferant viuentium virtutes prædicari: quemadmodum multorum sanctorum exempla testantur.

Exemplum insignis deuotionis.

Hac continuatione & perseuerantia, tam in exercitijs Orationis, quam in diligentia & ordine vitæ, vt ait Bonauentura, non est quicquã in mundo, quod celerius hominẽ ad fastigium perfectionis adducit: viator enim qui quotidie paululũ progreditur, si in eo perseueret, cito perueniret ad finẽ itineris: sed si deficiat, & paulò post de nouo incipiat, omnem vitam in eo consumet, nec vnquam ad finem itineris sui perueniet.

Simile.

Quod si aliquando offeratur casus, qui in hac vita non potest recusari, talis sit, vt dux, qui præcedit, è conspectu non amittatur, ne voluntas ambulandi pereat. Similiter, si quãdoq; cadas, & tanquã debilis deficias, noli animũ despondere, nec spẽ abijcere: sed etsi millies in die cecideris, millies resurge, & reuertere: nectе filũ filo, quo loco ruptũ erat, noli ad principiũ redire, hoc .n. faciens opus omne perturbabis.

Nec tantum necesse est in ipsis exercitijs esse constantiam: sed & in modo illorum. Sunt enim quidã, qui non deficiunt in quotidiano penso: sed quotidie mutant consilium, hodie viam hanc ingrediuntur, & cras aliam: atq; hoc modo instabiles in suis sensibus, nulla in re constantiam retinent. Aliquando incipiunt à Passione: paulò post eam deserunt, & aliam assumunt meditationem, vel exercitium. Nonnunquam ascendunt in cælum, relinquunt sacram humanitatem, & progrediuntur ad celsitudinem diuinitatis. Quidam relinquunt hæc omnia, & incipiunt à memoria peccatorum: ita vt nunquã rem inceptã prosequantur, & nunquam ad finem dietæ suæ perueniant, ad quem absq; dubio multo celerius venissent, si eandem viam prosecuti fuissent, etiamsi non adeo recta erat & compendiosa: Accidit his quod canibus venaticis, qui duos insectantur lepores, & tandem neutrum capiunt: difficulter herba crescit, quæ sæpe transplantatur, & vulnus tardius sanatur, cuius remedia quotidie alterantur.

Non esse exercitia mutanda.

Simile. Cassian l 14 collat. cap 6.

Cùm verò multæ & diuersæ viæ sint, per quas homo ad Deum tendit, multiq; modi considerationũ, quibus spiritus exaltatur ad illum: videat vnusquisque, ecquis suo proposito magis est idoneus, & eum sequatur: est enim illud maximè consultum.

Ca-

Caueat autem ne in multorum incidat errorem, qui cum in vno aliquo exercitio Deum inuenerunt, negant esse aliud, præter illud solum, quod nihil aliud est, quam negare vias, quibus itur ad Deum, esse plures: cum Spiritus S. qui Dux est, vnumquemq; ducat per viam suam, quam videt ei esse commodiorem, & vtiliorem.

VNDECIMO AVGENT DEVOtionem tempus, & similes circunstantiæ.

CAPVT XIV.

MVLTVM iuuabunt ea, quæ superius posita sunt, tempus, locus, dispositio, & figura corporalis eius, qui orat, cum alijs circunstantijs, quorum singula sunt quasi stimuli, Deuotionem excitantes, maximè in tyronibus & incipientibus: qui quemadmodum non sunt planè spirituales, magis opus habent subsidio, & auxilio rerum corporalium, vt cor ad Deum eleuetur.

Bern Ser. 30 in Cantic. Inter omnia tempus orationis maximè conueniés est media nox, vt testatur Bernardus in quodam Sermone: *Tempus*, ait, *feriatum commodius, aptiusq; maximè autem cum profundum nocturnus sopor inducit silentium, tunc planè liberior exit, puriorq; oratio: Con-*

Thren. 2, 19 *surgite in nocte*, inquit, Proph. *in principio vigiliarum tuarum & effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Quam secura de nocte ascendit oratio, solo arbitro Deo, sanctoq; Angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam? Quam grata & lucida verecundo coloreta rubore? Quam serena & placida nullo interturbata clamore, vel strepitu quam denique munda & sincera, nullo respersa puluere terrenæ*

Cant. 3. *solicitudinis: nulla aspicientis laude, vel adulatione tentata. Propter hoc ergo sponsa non minus verecundè, quem cautè & lecti sui secretum petebat, & noctis: orare (hoc est) Verbum quærere volens.* Hæc Bernardus.

Qui media nocte surgere non possunt, operam dent, vt paululum ante ortum solis surgant, vti monet Sapiens: *Quoniam*, inquit, *oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis te adorare.*

Sap. 16, 18. Exod. 16. Manè collegerunt filij Israel delicatum illud manna, habens in se omnis saporis suauitatem. Manè dicit Dauid in multis Psalm. se surrexisse, ad laudandum Deum. De iusto dicitur, *quod cor suum tradit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit eũ, & in conspectu Altissimi deprecabitur.*

Eccli. 39, 6. Manè in descensu roris cælestis decidet etiam gratia Spiritus S. in corda eorum, qui de Deo meditantur, per quam defendi potuit ab ardore Solis, & à Dæmonio meridiano. Denique tempus illud tam conueniens est ad vacandum Deo, vt ea oportunitate oblectatus

Prou. 11, 27. Sap. dixerit: *Bene consurgit diluculo, qui quærit bona*, vel summum bonum. Est enim hoc tempus omniũ totius diei conuenientissimum, aptissimumque ad colloquendum cum Deo, & salutis nostræ negocia tractanda tunc enim omnes animæ nostræ potentiæ alacriores sunt, & ad hoc officium magis præparatæ. Visus magis collectus, stomachus exoneratus, caput somno refocillatum, tempus quietum, & cor ieiunum atque liberum à cogitationibus & negotijs diurnis.

Quæ prosunt ad maturè surgendum à somno. Ad surgendum maturius, multum proderit breuis cœna, durus lectus & subinde in vestibus dormire: omnia enim hæc faciunt somnum breuiorem, & tempus orationis longius. E contrario, cùm cœna est longa, lectusq; mollis: cum enim multum est digerendum, multum est edormiendum, & lectus mollior difficilius relinquitur.

Cum autem vel propter ætatem, vel propter infirmitatem, aut amicorum præsentiam, vel societatem homo ea hora surgere non poterit, non omittat tamen paululum euigilare, & in corde suo, quæ Dei sunt, meditari. Non enim absurdum est in tali necessitate oratorium facere de lecto, quemadmodum faciebat sanctus ille Propheta, qui dicebat: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratũ meum rigabo.*

Psal. 6, 7. Quemadmodum enim non est inconueniens orantem sedere, cùm debilitas corporis aliũ modum non fert: sic nec iacere in lecto, cùm adest necessitas, aut iusta ratio. Cor tuum flectatur, & prosternatur in conspectu Dei: corpus eum situm habeat, quem potest: ea enim optima corporis compositio est, quæ deuotionem non impedit. Si fieri poterit, homo debilis semiuectitus sit, & in lecto sedeat, si mala corporis dispositio excuset eum, quod surgere non potest.

Nec tacendum est, quod orationi matutinæ multum proderit, si homo antequam ad somnum sese componat, aliquamdiu orauerit: manè namque inueniet in corde suo fructum eius sementis, quam præcedenti vespere seret. Optimè igitur facturus est homo, si quotidie cubitum ierit cum sancta cogitatione, quemadmodum is, qui vesperi carbones cineribus tegit, vt tanto facilius queat manè cùm surgit, focum struere, & rogum accendere. Ad melius autem conseruandum ignem hunc, vtile est, vt quotiescunque noctu expergisceris, confestim cor ad Deum eleues, dicendo: *Gloria Patri, &c.* aut aliũ versiculum similem: iuuabit enim hoc plurimum, non tantùm ad hoc quod dicimus, sed etiam ad fuganda phantasmata, & impudicas cogitationes, quę à Diabolo immittuntur: solet enim is hominem hoc tempore magis, quam alias infestare. Quare & B. Hieron. dicit, in sanctum Dauidis lectulum, quem lachrymis per singulas noctes rigare solet, Diabolũ cum omni voluptatum suarum pompa accessum habuisse.

Simile.

S. Hieron. in Psal. 6 & ep. ad Oceanum.

Mane autem cum expergiscimur, vix oculos aperiamus, quin cor in memoria Dei effundetur, prius quam alia externa cogitatio illud præoccupet: anima enim illo tempore tam tenera est & tam bene disposita, vt primam quæ sese offert cogitationem arripiat: adeoque firmiter eam apprehendit, vt vix inde queat dimoueri, aut alia admitti. Satius igitur est, mox recurrere ad semen bonum, ne terram cordis nostri occupet malum. Tanti momenti est consilium hoc, vt totius diei istius administratio, ab hoc momento dependeat. Etenim eo hoc modo excepto, omnis oratio matutina erit feruentior, & deuotior: nec dubium, qualis est oratio matutina, talem fore totius diei seriem: iuxta id quod scriptum est, in lib. Iob: *Si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.*

Manè cum expergiscimur statim de Deo cogitandum.

Iob. 8, 5.

Similiter locus obscurus, & solitarius, conueniẽtissimus est orationi. Dominus enim noster exibat nocte ad orandum in locis desertis, non quod ipsi opus erat isto apparatu, & oportunitate: sed vt nobis daret exemplum, quid nos facere debeamus. Nam si obscuritas non multum prodesset, nec cor per oculos diuagaretur, non increpasset B. Antonius Solẽ, cum oriebatur: impediebat enim sui iubaris claritate contemplationis suæ attentionem.

Locus orationi aptus.

Cassian. l. 9. Collat. c. 31.

Quin etiam & figura, & dispositio corporis multum adfert subsidij, in eleuando spiritu, & deuotione excitanda. Eam ob causam Ecclesia tot ceremonias, & gestus in sancto missæ sacrificio instituit: omnia enim hæc conducunt ad deuotionem augendã. Sic Sacerdos aliquando componit se in modum figuræ crucis: aliquando in genua procumbit, non-

Dispositio corporis in oratione seruanda.

nunquam corpus inclinat, &c. omnia hæc interiorẽ deuotionem magis excitant Saluator noster (etsi necessum ei non fuit) aliquando Patrem orauit, in terram prostratus: aliquando oculis in cælum eleuatis. Simile quid legitur de B. Martino, qui moriturus dicebat: Sinite me oculos in cælum attollere, vt spiritus meus rectè pergat ad Dominum. De patrib. Ægypti scribit Cassianus, quod sæpe in medijs matutinis prostrarunt sese in terram, cum admirabili deuotione adorantes Dominũ: & confestim magna facilitate sese erexerint, vt hoc ipsum non tam corporis refocillatio visum fuerit, quàm diuinæ Maiestatis adoratio, atque reuerentia. Archiepiscopus Florentinus Patris nostri Sanct. Dominici varios gestus, corporisque dispositiones commemorat, quibus ille vir sanctus in exercitijs suarum orationum vti consueuit: quamuis, vt homo perfectus, ijs non egeret.

Cassia. l. 2. De institutis cœnobiorum c. 7.

Interim. 3. parte Hist. tit. 23. c. 2. §. 1.

Secundum hæc exempla debet, qui orat, similibus nonnunquam vti gestibus, & ceremonijs, vt cor suũ facilius ad Deum eleuetur: cùm videamus non contemnendos, ex eo fructus deriuari. Bonum est si quis aliquam diu cum profundissima spiritus humilitate prostratus iaceat in terra, adorans immensam illam Maiestatem, cum omnibus beatorum spiritibus, qui similiter adorant illam: procidentes, & mittentes coronas suas ante thronum Dei & Agni: dantes Deo gloriam, & quidquid habent, id illi acceptũ ferentes. Vtilis quoque, & laudata ceremonia est in modum Crucis orare: quemadmodum Sacerdos facit in Missa, & quemadmodum Saluator ipse in cruce orauit, cum patri sacrificium, pro totius mundi peccatis, obtulit. Oculos in cælum leuare, maximè cum diuinas reuelationes in nobis descendere sentimus, de quibus D. Bona. scribit in Mystica sua Theolog, multum quoque laudatur: quæ ceremoniæ, cum ijs Saluator ipse toties vsus sit, non debent reprehendi, sed obseruari, tanquam exempla ab ipso nostro Præceptore nobis relicta. Quamuis enim Deus vbiq; præsens sit, proprius tamen locus eius cœlum est, in quo ea facit opera, quæ alijs in locis non facit.

Apoc. 4.

Ceremonia in orando non reprehendenda. S. Bonau. part. 2.

Admonendus autem hic lector est, non semper opus esse, vt quis flexis oret genibus: cùm hoc modo sæpe deuotio nostra impediatur ob dolorem, debilitatemq; corporis. Verum quidem est, bonum esse pati in Oratione aliqualem afflictionem, cùm tanta pertulerit Dominus pro peccatis nostris in suo sacrificio: tamen non est iste primarius fructus orationis, in comparatione namque luminis, & suauitatis virtutis, quam in oratione confert Deus, exiguum sanè quid est dolor, & exercitatio corporalis. Talis igitur sit inter orandum corporis compositio, quæ conducit sanitati, & vt anima sit quieta atque intenta soli Deo: maximè si tempus prolixius sit, duarum scilicet aut trium (vt quibusdam mos est) horarum, cùm pauci inueniantur, qui pœnam atque dolorem tam diuturnum, sine deuotionis (quæ præcipuè in hoc exercitio requiritur) diminutione possint perferre.

Scio quidem omnia hæc exigua esse: conducunt tamen ad finem nobis propositum. Quemadmodum enim Rhetores, qui perfectam orationem volunt formare, nõ sunt contenti docendis rebus, quę vires sunt & orationis nerui: sed alijs etiam vtuntur modis, quæ non sunt de orationis substantia: vt sunt cõpositio, vocalium & consonantium concursio, tropi, scemata, &c. hæc enim faciunt, vt oratio sit perfecta: sic & nos formamus hic aliam orationem cælestem, quam in conspectu diuinæ Maiestatis declamitabimus: æquum igitur est, nihil siue multum, siue parũ ad eius essentiam & perfectionem faciat, omittatur: præsertim cum nihil in hoc genere disciplinæ inueniatur, quod parum, vel exiguum debeat appellari.

DVODECIMVM, QVOD AD DEuotionem excitandam facit, est corporalis asperitas, vel exercitatio.

CAPVT XV.

PRæter omnia quæ hactenus dicta sunt, vtiles etiam sunt ad deuotionem excitandam afflictiones, & molestiæ corporales: vt sunt ieiunium, disciplina, cilicium, vigiliæ, durus lectus, & sobria, vel tenuis mensa. Primò quia huiusmodi exercitia sunt fomenta Orationis & Deuotionis: secundò, quia bases sunt, quibus innituntur: tertiò, propter communem regulam: Deum scilicet vnicuique dare gratiam, prout ad eam percipiendam dispositus est. Nemo enim inficiari potest, quin is magis dispositus est, qui spiritu & corpore simul se præparat, quam qui spiritu tantùm.

Communis Regula.

Sciendum hic est, duos esse præparationis, seu ad gratiam recipiendam dispositionis modos: vnum falsum, & alterum verum. Falsus est, cùm homo verbo tenus, & desiderio valdè tepido Deum quærit, sine veris & internis animæ gemitibus. Et hæc est ratio, cur multi Deum quærunt, & non inueniunt: petunt, & non accipiunt. Atqui in hoc exili suo desiderio viuunt semper, & nunquam Deũm inueniunt: quia non quærunt illum ex toto corde: quemadmodum quæri debet ab his, qui desiderant illum inuenire, iuxta illud Prophetæ: *Queritis me, & inuenietis cum quæsieritis me in toto corde vestro.*

Duo præparandi ad Orationem modi.

I.

Deut. 4. Hier. 29. 13.

Secundus dispositionis modus est, quem hic significat Propheta: nimirum cùm quis Deum quærit, cũ vero, & interno desiderio, cordisque afflictione. De quo Deus loquitur per Prophetam Ioelem, cùm ait: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum.* Quo loco notandum est, quod sicut malum, si foris non appareat, aut non videatur, vel verè malum non est, vel exiguum: sic interior spiritus afflictio, nisi foras prorumpat, & corpus etiam affligat, aut est ficta, aut valde exigua. Sed quæ tam vehemẽter affligit spiritum, vt etiam corpus affligat, ea est vera appellanda afflictio, & de tali agit Propheta.

II.

Ioel. 2, 12.

Qui tali affectu Deum quærit certus sit quia Deus se non absconder, sed inuenietur ab illo. Sic quæsiuerunt eum Niniuitæ, cùm ieiunarunt planxerunt, & cilicijs induti sunt: quare & tandem eum inuenerũt. Sic propheta Daniel eum quæsiuit, vt testatur de seipso: *In diebus illis*, inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum: sed neque vnguento vnctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Quo tempore peracto, dicit sibi apparuisse Angelum specie terribili, quem ibidẽ describit inter alia dicentem: *Noli metuere Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum, ad intelligendũ vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos.* Vide quàm apertè hoc loco testatur scriptura, quid possit deuota oratio, cùm ei corporalis coniuncta est afflictio.

Ionæ. 3.

Daniel. 10, 2.

Ibid. v. 12.

Legimus de Sancta illa Peccatrice Euangelica, quod lachrymis perfusa quæsiuit Dominum in sepulchro: quare & ante omnes alios consolationem meruit, quia præ omnibus maiori cum affectu Dominum quæsiuit.

Ioan. 20.

Sed quid dico de lachrymis tam pijs, cùm cilicium peruersi Regis Achab potuerit diuinos oculos

3. Reg. 21.

& pectus permouere, & reuocare, seu differre sententiam, in se & domum suam pronunciatam?

Denique, quotiescunq; Scriptura commemorat filios Israel sese afflixisse, ieiunasse, & ad Deum clamasse, addit quod exauditi sunt, & à malo, quo tenebantur, liberati: ex quo manifestissimè liquet, magna hæc esse ad Deum inueniendum subsidia.

S. Bonau. li. medit. ca. 6. & 12 B. Elizabetha.

Pro huius rei confirmatione obseruandum est, quod S. Bonauentura scribit in Meditationibus vitæ Christi: vbi refert quodam tempore Beatam Virginem apparuisse Sanctæ Elizabethæ viduæ, eiq; inter alia dixisse: *Crede mihi filia, nulla ferè gratia descendit in animam hominis, nisi per orationem, afflictionem, & corporalem tribulationem.*

Vnde dolor animi in oratione oritur.

Multa sunt genera afflictionum & asperitatum vitæ, Deo gratissima, & ad consequendam gratiam conuenientissima, quæ suam trahunt originem ex immenso dolore, quo torquetur anima, eò quod summam bonitatem offendit, necnon & ex impatienti animæ desiderio. Lachrymæ autem & afflictiones istæ, quæ ex charitate & humilitate deriuantur, Deo sunt longè gratissimæ, teste Propheta, qui ait: *Non mortui qui sunt in Inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem & iustificationem Domino: sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam & iustitiam Domino.*

Bar. 2, 17.

Non fert pium & paternum illud pectus Dei, animam amore & desiderio sui sponsi afflictam, diu desolari, & solatio destitui: sed adiuuat eam, & consolatur. Cum mater videt puerulum flentem, & lachrymis crepundia petentem, non fert cor eius diu pueri sui petitionem prorogari, ipsumque fletu macerari: sed confestim dat, quod petit, & ob cuius absentiam plorabat. Quid igitur faciet ille, qui sese multo maiori quàm cū matris affectu, obtulit pro Israel: qui dicit: *etiamsi mater oblita fuerit infantis sui, ego tamen non obliuiscar tui?* Quid faciet, si non aperiat pectus suæ gratiæ, & sinum suæ misericordiæ, & impleat nos, qui ipse dicit: *Ad ubera mea portabimini, & super genua mea blandientur vobis?*

Esai. 49, 15.

Esai. 66, 12.

Hoc modo diuinam gratiam debent quærere, quicunque volunt illam inuenire: sed & si sic quæsierint, certi sint, quia inuenient. Hoc enim sæpe in suis Prouerbijs pollicetur Salomon: vt cùm dicit, eos qui quotidie vigilant ad fores Sapientiæ, & obseruant postes ostij eius, tandem inuenturos: insinuans hoc modo loquendi, quod is, qui eam inuenire vult, debet etiam quærere quomodo quærenda est. is autem quærit illam, vt quæri debet, qui eam quærit, non tãtum cum spiritus desiderio, sed etiam cum corporis afflictione. Obseruandum autem hic omnia ista fieri debere cum prudentia & discretione, de quibus proprio loco disseruimus.

Prou. 8, 34.

DECIMOTERTIO ET VLTIMO DEuotionem quoque augent opera misericordiæ.

CAPVT XVI.

OPERA quoq; misericordiæ præter fructum & meritum suum nõ parum subsidij adferunt deuotioni. Quamuis enim prima fronte videantur animam reddere tepidiorem, propter varias, quæ in ijs exercendis sunt, occupationes: tamen haud aliud adferunt detrimẽtum, quàm quod aqua Iustrica, vel aspergillo candenti cris laminæ aspersa, solet inferre: quæ etsi laminam videatur refrigerare, tandem tamen vehementius eam facit ardere. Etenim quemadmodum Deus tam fidelis est tantusque amicus misericordiæ & eorum, qui misericordes sunt: sic etiam curam gerit, vt fidelis & pius seruus suus in Oratione sua non impediatur, qui surgit à mensa, vt proximi sui succurrat necessitati. Propterea dicebat Angelus Thobiæ: *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* Et paulo post: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prãdium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

Simile.

Tob. 12, 8.

Ibid. v. 12.

Nec tantum debes necessitati charitatis postponere cibum corporalem, sed etiam (si opus sit) spiritualem. Etenim, vt Bernard. asserit, qui relinquit cõsolationem spiritualem, vt succurrat proximo suo, quoties hoc facit, toties spiritualiter animam suam ponit pro illo. Sed & hoc quodammodo est *Anathema fieri* à Christo pro fratribus: hoc est ad tempus separari à cõuersatione, & suauissimo comitatu Christi, vt proximo benefiat. Ceterùm, qui paululum à Christo hoc modo separantur, tandem omnia bona simul copiosius accipiunt: Deus enim tandem remetitur illis propria mensura, faciens misericordiam his, qui misericordiam fecerunt cum proximis suis, & corpora eorum pauerunt: iuxta illud Salomonis: *Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.*

S. Bern. serm. 51. & 57. in Cãt.

Rom. 9, 3.

S. Aug. li. 19. de ciuitate Dei, c. 19.

Prou. 11, 25.

DE IIS QVÆ IMPEDIVNT Deuotionem.

CAPVT XVII.

CVM abundè satis iam dictum sit de rebus, quæ deuotione excitant, augentque: ordo postulat, vt etiam de ijs dicamus, quæ solent illam impedire: vt vndique studijs, exercitijsque piorum hominum consulamus.

DE PRIMO IMPEDIMENTO deuotionis, quod est peccatum veniale.

PRIMVM & principale omnium impedimentorum, de quibus nunc agemus, est peccatum: non tantum mortale (de eo siquidem nemo dubitat, quin impedit omne bonum in anima) sed etiam veniale. Venialium enim peccatorum propriũ est refrigerare Charitatem, & proinde quoque deuotionem. Adeo vt non extinguant quidem penitus Charitatem, tamen alas præscindant, quibus volitat: & licet animam non planè occidant, debilitant tamen eius alacritatem bonamque dispositionem, qua cum operatur; debilemque efficiunt, hominem, & tardum ad omne bonum.

Venalium peccatorum proprium est Charitatem frigefacere.

Oportet igitur vt homo deuotus perpetuum bellum gerat cum hoc peccatorum genere, quod etsi exiguum videatur, non est tamen habendum tale, cùm Deus id prohibeat. Nam vt optime dictum est à B. Hieronymo, non tam videndum quid mandatur, quàm quis ille sit, qui mandat; nimirum Deum ipsum; qui vti sine dubio paruus non est, ita nullum mandatum paruum dedit, licet inter ipsa mandata sit differentia: cùm etiam non ignoremus, de vnoquoque verbo ocioso in die iudicij reddendam esse rationem. Qui enim timet Deum, nihil negligit, quantumuis exiguum illud sit.

S. Hieron. epist. ad Celantiam vetus scripturæ celebrata sententia. Matth. 12. Eccl. 7.

Præterea videndum est, debere magnam animæ puritatem inesse, in quam Deus infundet pretiosissimũ deuotionis vnguentum: gemma namque non terræ, sed auro includitur: nec Deus pretiosum balsamum suum condit, nisi in animã puram, & ab omni pecca-

peccato immunem. Ideoque necesse est vt homo semper habeat in manu subtilissimum cribrum, vel subcerniculum, & omnia opera bene cribret, discernatque, & diligenter perspiciat, qua intentione & quomodo singula facit, vt in omnibus sit purus à vanitate, & peccato.

Diligenter autem vitanda est eorum opinio, qui solent dicere: hoc non est peccatũ mortale: non est ergo magni momenti, nec sub præceptũ cadit. Quis seruus aliquando apud se Ietatuit, nolle aliquid facere, quod Dominus illi præcipit, nisi prius illud præcipiat strictum vibrans manu gladium, mortisq; pœnam interminetur? Aut quæ mulier dicet marito suo; Nolo tibi esse vxor mala, nec fidem coniugalem polluam: interim tamẽ in reliquis agere volo, quod mihi placet: etiam si idipsum tibi displicere cognouero? Quis vellet, aut posset cum tali muliere habitare? Tales profectò sunt ij, qui flocci faciunt omne quod in Scripturis sacris prohibetur, nisi addatur pœna mortis, & sub præceptum cadat: in reliquis omnibus securi sunt, eaq; leuiter, & sine vllo scrupulo percurrunt. Huiusmodi homines lapsui sunt proximi: notum enim est peccatum veniale dispositionem esse ad mortale: qui enim teste Ecclesiastico, *spernit modica, paulatim decidet.* Habeat igitur vnusquisque hoc saltem pro certissima coniectura quod est in gratia, nimirum si timeat peccatum mortale, quod tollit gratiam; & veniale, quod disponit, vt tollatur. Quemadmodum enim corpus viuens nõ tantum mortem horret, sed etiam febres, vulnera, imo, quemcunque pruritum vel scabiem, quamuis leuissimam; sic anima, quæ viuit in gratia, non solũ timet peccatum lethale, quod mortem adfert: sed etiam quodcunque genus peccati venialis, quod ad illam disponit.

Simile. Simile. Eccl. 91, 1.

Debet itaque, quicunque serio deuotioni studere vult, vitare omne peccatum veniale, & tunc eleuare manus puras in oratione: vt semper in eo viuat feruor Charitatis.

SECVNDVM IMPEDIMENTVM est remorsus conscientiæ.

CAPVT XVIII.

CONTRARIVM præcedenti impedimentum est nimia scrupulositas, nimiaq; pœna, dolor, & anxietas cordis, quam quidam concipiunt ex peccato veniali, in quod fortè lapsi sunt. Hæc enim nonnunquam plus adferunt detrimenti, quàm ipsum peccatum. Cum enim proprium sit culpæ cõscientiæ remorsum adferre, inueniuntur quidam huic malo tantopere obnoxij, vt corda illorũ summa impleantur amaritudine, tristitia, & dolore; nec iam frui queant diuina illa suauitate & quiete, quam oratio requirit.

Præterea cum peccatum sit instar lethalis veneni, quod celerrimè vsque ad cor diffunditur, atque animi parit deliquium, mortemq; adfert, sunt nonnulli, qui cadentes in aliquod delictum, ita confestim animo deficiunt, vt internas vires omnes amittant, quas ad bene operandum prius conceperant. Quemadmodum enim nihil est, quod magis nos extimulet ad bonum, quam vigor & robur cordis; sic etiam non est, quod ardorem magis in nobis extinguit, quã debilitas & languor eiusdem cordis. Hanc ob causam SS. quondam Patres in Eremo sitos solent monere discipulos, vt semper hoc robore, animiq; fortitudine armati starent ac nam que mediante, homo quasi firmissimo baculo nititur, præparatus ad omnia quæ sunt agenda: cui contrarium accedit, qui animum demittunt vel abijciunt. Quare communis multorum est sententia, multos plus damni accipere ex indiscreta peccati æstimatione, quam ex ipso peccato.

Hic indiscretus conscientiæ remorsus nascitur aliquando à pusillanimitate: aliquando verò à secreta quadam superbia, quæ tacitè persuadet homini se aliquid esse, & quod propterea non debuisset in talẽ defectum incidere: cui contrarium suggerit humilitas: huic enim non mirũ est si indefectus labatur, semper enim suam debilitatem ob oculos habet, eamque meditatur. Deriuatur etiam hęc pusillanimitas nonnunquam ex eo, quod homo non cognoscit gratiam Redemptionis Christi, neque virtutem medicinæ nouit, quã ille nobis in sua passione & morte ad remedium huius deliquij & timoris reliquit.

Vnde nimius remorsus conscientiæ nascatur.

Primum igitur aduersus malum hoc remedium sit, Dominũ illum pretiumque meritorum eius cognoscere, ne vnquam spem misericordiæ diuinæ abijciamus, siue in magnis peccatis, siue in paruis. Hãc spem fouet B. Ioannes, cùm ait: *Filioli hæc scribo vobis vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Quæ igitur diffidentia, te sub istis alis, & meritis tanti Intercessoris infestabit? Omnia quotquot in mũdo sunt peccata, si cum meritis Christi comparentur, nihil aliud sunt, quàm leuissimæ paleæ in ignem iectæ. Cur igitur animum despondes, cui talis satisfactio & merita talia tam liberaliter offeruntur?

1. *Remedium contra nimiam scrupulositatem.* 1. Ioan. 2, 1. Chrysost. Hom. 25. de via recta.

Dices, quia omni die, ne dicam omni hora pecco, nec vnquam memet emendo. Dic mihi, si Christus quotidie pro peccatis tuis, quæ quotidie committis, pateretur; an rationi consentaneum esset, si desperes? Respondebis, non fore. Certò igitur tibi persuasum sit, non minus vtilem esse mortem illam iãdudum transactam, quam si ea quotidie fieret: dicit enim Apost. quod summus ille Sacerdos vna oblatione; quam in cruce obtulit, consummauit in sempiternum sanctificatos: eam enim in sacrificio nobis reliquit, vt sit medicina & thesaurus noster perpetuus. Hebr. 10.

Obijcies iterum; Quotidie pecco, non obstante quod quotidie tot me cumulat Deus gratijs: ideoq; non possum non diffidere, & à spe deficere. Dico tibi in veritate, quemadmodum nihil potest inueniri quod malitiam hominis plus manifestat, quàm modus ille peccata multiplicandi fluentibus incessanter diuinis beneficijs: sic etiam nihil inuenitur in quo plus eluceat diuinæ bonitatis magnitudo, quàm in eo, quod Deus sine fine sua pluit beneficia in eum, qui sine fine peccare nõ erubescit. Peccata nostra, inquit Paulus, diuinam bonitatem magis illustrant: non enim in cœlo, nec in terra, nec in auibus, nec in piscib. nec denique in herbis & floribus vsque adeo excellit, fulgetque pulchritudo & nobilitas viscerum & cordis Dei, quàm in eo, quod suffert & remittit peccata. Si enim prudenter & dextrè noueris vti pernicioso peccati gustu, quasi veneno aliquo, poteris ex eo medicamentũ componere ascendendo ex illo ad supremam illam bonitatem, quæ tanta cum benignitate suffert tua peccata, licet tot & tanta sunt, vt ipse qui facis ferre nequeas, & licet tu ferendo fatigeris, Deus tamen ignoscendo non fatigatur. Mella igitur huius considerationis amaræ pillulæ illinantur, vt amaritudo nimia, quæ in ijs est, non gustetur. Quod si fiat, percipies nonnunquam maiorem suauitatem ex consideratione huius bonitatis, quam amaritudinis ex meditatione propriæ malitiæ. Quapropter in hoc casu tibi faciendum est, quod facit fidelis aliquis seruus: qui etsi rudis sit & ignauus, bonum tamen & pium habeat Dominum, si in delictũ aliquod incidat, ab vna parte incipit trepidare propter peccatũ, & ab altera parte memor est quod Dominum

Ex multitudine peccatorum bonitas Dei cognoscitur. Rom. 3.

minum habet tam clementem, qui toties peccanti ignouit, inde sperat, quod eadem facilitate, qua præcedentia peccata solet remittere, etiã præsentia dissimulabit. Cùm igitur horum recordatur, timorem & dolorem quem patiebat memoria culpæ, vertit in lætitiam, quam sentit ex bonitatis sui Domini consideratione. Similis esse debet tua consideratio, quotiescunque affligit te nimius dolor culpæ: hoc enim faciens, conficies tibi theriacam de veneno, & erues oculos inimici, eumque proprio gladio iugulabis, & accipies occasionẽ magis armandi te ex ijs rebus, quæ solent esse causæ maioris timoris & trepidationis. Per hunc canalem si aquam deriueueris, duas insignes irrigabis virtutes, charitatem & humilitatẽ: dum ex culpa, in quam incidisti, captas occasionem te humiliandi: manifestius tuam agnoscens miseriã; & amandi illum amore ardentiori, in cuius bonitate tantopere confidis, certoque tibi persuades quod peccata tua tibi condonabit.

Duo peccatorum venialiũ genera.

Præterea secundum est, esse duo peccatorum venialium genera, plurimum inter sese differẽtia. Sunt enim quidam peccantes, inuiti, contra propositũ & deliberationem suam, ex mera debilitate, aut negligentia; vel ex fomite, seu malo habitu, qui remanet in anima, sæpe hominem ad malum trahens, antequam id animaduertit. Alij conscientiæ sunt laxioris, quibus cũ videatur satis esse, si abstineant à peccatis mortalibus, de venialibus minus sunt soliciti, nec ea velle fugere proponunt: sed volunt edere, bibere, obambulare, & confabulari, vt horas fallant, quibus rebus multum temporis inutiliter consumunt, & in multa sæpè peccata venialia incidunt, quæ difficillime in tanto ocio & securitate animi possunt euitari, His, inquit, Henricus Harpius, quãdiu in illo proposito permanent, nunquam peccata illã condonabuntur, etiamsi ea sæpè confiterantur: non enim habent verum propositum vitam corrigendi, sed potius in vitæ dissolutione perseuerandi.

Floruit. an. 1460.

Negari non potest, quin huiusmodi homines viuunt in summo periculo: nã si B. Thomæ credamus, qui non habet verum propositũ prævalendi, seu peccata etiam venialia superandi, viuit, in magno damnationis discrimine. Quemadmodum enim is, qui in medio fluminis impetuosi iacet, volens pedes firmare, & tuto loco stare, si non laboret vt erigat se, periculum est, quod ab aquis absorbebitur: sic in hac vita spirituali, quæ est instar fluminis profundi & difficilis, viuit in multis periculis deficiendi, qui non totis viribus contendit in illa proficere. Qui verò priori modo peccant, hoc est (vt diximus) siue ex oblitione, siue ex negligentia, hi facilius ad se reuertuntur, & veniam impetrant: non enim est in potestate hominis, quantumuis perfectus est, omnia peccatorum genera vitare: nam vt Sapiens ait, etiam *septies in die cadit iustus*, & toties resurgit. Et B. August. Nullus Sanctus & iustus, ait, caret peccato: nec tamẽ ex hoc desinit esse iustus, vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatem.

S. Thomas 2, 2. qu. 186. art. 2.

Prou. 24, 16. Aug. de dogmat. Eccl.

Apostolus volens has, & alias peccatorum differentias significare, dicit, super fundamentum Ecclesiæ, quod est Christus, quosdam superædificare aurũ, argentum, lapides pretiosos: alios ligna. fœnum, stipulam: & vniuscuiusque opus fore manifestandum. *Dies enim Domini*, inquit, *declarabit: quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit.* Qui superædificarunt aurum, argentum, lapides pretiosos, non est quod ignem metuant: qui verò ædificarunt ligna, fœnum, & stipulas, horum opera non potuerunt non ardere: sic tamẽ, vt lignum diutius fœno, & fœnum ardeat diutius stipula, quæ in ictu oculi consumitur.

1. Cor. 3, 12.

Ex quibus rebus possumus intelligere differentias, quæ reperiuntur in peccatis venialibus, & in pœnis eorum, quibus in purgatorio plectentur. Sunt enim quædam peccata instar ligni, imperfectorum scilicet & eorum, qui prius incipiunt: ea durant in igne tempore longiori: alia sunt sicut fœnum leuiora, eorum scilicet, qui plus profecerunt: quæ citius purgantur, quædam denique sunt, vt leuissimæ paleæ, quæ sunt perfectorum, & minimo tempore in igne durabunt: citissimè namque expurgantur. Tale peccatum est verbum otiosum, indiscretio, obliuio aut negligentia aliqua in re parui momenti; in quos defectus non rarò incidunt etiam perfecti & sancti: non igitur æquum est imperfectos desperare, si aliquando tali modo peccauerint.

S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 39.

Prolixior hic quidẽ tractatus est, vt pusillanimis, & qui desperant, efficacia tradantur remedia. Sed quia homo tã cœca & imbecillis creatura est, vt sæpe de medicina faciat venenum, & nescit vnum extremum sic fugere, vt nõ incidat in aliud; visum est mihi admonere in fine emplastrum hoc non esse ordinatum pro illis, qui nimis sunt audaces & confidentes, sed pro pusillanimis. Proinde si homo audax & debilis velit hoc sumere, non faciet aliud, quàm si pharmacum ad sanitatem hominis frigidi confectum sumat, & vtatur illo pro hominis calidi incolumitate.

Similiter non hic præcipitur pusillanimis, vt semper abstineant à dolore & conscientiæ ob peccata remorsu, qui est quasi salutaris pudor & tormentum, quo retrahimur ne ad eadem reuertamur: sed ita, vt non perturbent pacem cordis, quod centrum est, & locus, in quo Deus requiescit. Bonus est dolor peccati, sed modum suum debet habere, ne ad extremorum alterum deficiat. Propterea monet Apostol. Corinthios, vt pœnitentem quendam consolentur; non quod tristitiam & dolorem de peccatis inutilẽ, aut malum existimauit, quem ibidem tot laudat rationibus, sed ne pœnitens ille nimia tristitia absorbetur, & deficeret is, qui sic affligebatur. Atque hoc est quod & nos hoc loco docemus.

2. Cor. 2.

TERTIVM IMPEDIMENTVM est nimia scrupulositas.

CAPVT XIX.

SCRVPVLI, qui similiter à peccatis oriuntur, solent vehementer impedire deuotionem, propter maximã inquietudinem, quã secum adferũt. Scrupulosi namque semper tristes incedunt, arescunt, & à seipsis consumuntur, siue consenserint siue non: siue orarint siue non orarint, siue confessi fuerint, siue nõ fuerint: & sic in alijs rebus similibus, quæ maximè impediunt pacem & tranquillitatem cordis, in quo Deus commoratur. Nam si lectulus, in quo sponsus cælestis cubat, sit floridus, vt in Canticis dicitur, quomodo poterit ille quiescere in corde, quod totum scrupulis est oppletum & solicitudinibus, quæ quasi spinæ sunt & vrticæ? Sed quia nõ sufficit dixisse tollẽdos esse scrupulos, nisi remediũ detur contra illos, ideo tam de vno, quã de altero dicamus necesse est, ne doctrina hæc mutili sit & imperfecta.

Cant. 1.

Causæ scrupulositatis.

Causę horum scrupulorũ vel anxietatũ varię sunt, vti & varia sunt eorum remedia. Deus enim aliquãdo hanc passionem in suis relinquit, quemadmodum & alios dolores atq; tribulationes, vt sint velut lima, seu purgatorium pro peccatis, aut vt meritum maius, & corona nobilior illis præparetur. Et proinde non est maior consolatio, vel remediũ istis hominibus præter id, q, generaliter dari solet in omni laborum & tribulationum genere, cuiusmodi remedijs plena est vniuersa Scriptura. Aliquando nascuntur ex melancholia, quæ est humor quidam dispo-

scrus

situs ad mouendam imaginationem, & appetitum, cum diuersis passionibus tristitiæ, & superuacanei timoris, ex quibus deinde nascuntur varij scrupuli, & inquietudines conscientiæ. Porrò quando scrupulositas illa oritur ex humore illo melancholico, tunc vtilior est (vt dicit B. Hieron.) doctrina Hippocratis, quàm ea, quæ potest à nobis adferri. Quidam etiam scrupuli suam habent originem ex amore proprio, & ex eo quod non possunt homines distinguere inter cogitationem cordis, & consensum voluntatis: ideoque non rarò accidit, vt vnum capiant pro alio, & credant sese peccasse, cùm non peccârunt. Nimius enim amor, quo homo semetipsum complectitur, facit, vt homo vehementer metuat id, ex quo timet periculum: & nimius ille timor cum prædicta ignorantia coniunctus, sæpe facit timere, vbi non est timor. Sed & nonnunquam arte Dæmonis huiusmodi difficultates & scrupuli excitantur, qui cùm timorem Dei à Christianorum animabus non potest auferre, id agit, vt illo abutantur, & timeant non vera pericula, sed falsa, & apparentia. Ita vt si nequeat exiccare venam aquæ viuæ, quam Deus scaturire facit in animabus nostris, studiosè allaborat, vt ea loco indebito erumpat, ne salutiferæ virtutum plantæ irrigentur. Hæc fuit astutia crudelis illius Tyranni Holofernis, qui obsidens ciuitatem. Bethulienſem, cum fontes eorum exciccare non posset, incidi fecit aquæductum, per quem aqua in vrbẽ influebat, vt sic aquam per diuerticula & anfractus fluens, habitatoribus nullum vsum præberet. Quinetiam & ex eo quis fit scrupulosus, quia necdum plenè cognoscit bonitatem Dei nostri, nec illius desiderium ingens, quo salutem sitit hominum, & præcipuè illorum, qui petunt illam. Quare profecto valde iniurij sunt, & iniqui erga diuinam bonitatem huiusmodi homines scrupulosi: nec id sentiunt de Deo, quod erat sentiendum: sed agunt cum Deo tãquam cum Iudice aliquo doloso, qui quærit cauillationes, & calumnias, vt neget accusato iustitiam. Ignorant isti quanto cum desiderio Deus appetit salutem hominum, non obstante quod norunt tormentum, quo cruciauit illum sitis ista in cruce pendentem: quę sitis magis eum afflixit, quàm ipsa crux non enim de cruce, sed de siti illa conquestus est, Minus etiam intelligũt, quid Deus potissimum postulet ab homine pro gratiarum actione; cor scilicet optimè dispositum, & promptum ad omnia tribulationum genera sufferenda, potius, quam vt Deum velit offendere. Etenim si homo illud probè sciret, & tale propositum in se inueniret, quemadmodum per gratiam Dei inueniunt, qui ne pro totius mundi pretio vnum peccatum mortale committerent, non tam facilè scrupulos & anxietates illas admitteret: non ignorans habere sese in anima pignus amicitiæ tam diues, & benevolentiam Dei tam copiosam.

S. Hieron. in fine edist. ad Algasian.

Iudith. 7.

Simile.

Remedia cõtra scrupulositatem. I.

Inter alia remedia quæ solent dari contra scrupulositatem, primum & principale est, submittere sese humiliter aliorum iudicio, & ab alijs regi nõ recusare, Etenim Dominus noster, qui non deficit in rebus necessarijs, & qui nulli creaturæ negat, quod ad sui facit conseruationem, hoc remedium voluit contra dolorem illum esse efficacissimum, hoc, est, cùm homo non potest propria se ratione moderari, alterius regatur prudentia. In tali enim statu homo non sibi ipsi debet credere, quia suspectus est, nec suijpsius esse debet medicus, licet alioquin doctissimus: quia est infirmus. Propterea vult Dominus, vt alius ei medeatur: cui obedire debet per omnia, si dignum aliquem tali officio inuenerit. Et si fortè errauerit consiliarius in eo quo dixit: non tamen errabit, cui consilium datum est: iubetur enim vt eo in casu consilium illius sequatur.

Iuuat etiam ad medelam huius doloris, omnibus viribus eniti, ne (quantum fieri potest) vllis scrupulis detur locus, neq; vt obediatur ijs in his, quæ præcipiunt. Quemadmodum enim modus, qui seruari debet in pericul is à pecoribus arcendis optimus est, si non patiamur ea illa locis pascere periculosis: sic etiam necesse est, vt fiat si auertere velimus pericula cordis scrupulosi: præsertim cùm sciamus scrupulos esse eius qualitatis, vt vna eademque opera, qua vni, portã aperimus, aperiamus etiã & alijs, ita vt homo toto vitæ suę tẽpore in hac scrupulositate permaneat & consenescas. His autem, qui ab hac difficultate cupiunt liberari, non ãda est doctrina Caietani, in summa sua, vbi agit de ijs, qui scrupulosi sunt circa confessionem: quæ est res valde familiaris, & in quam spirituales sæpe solent impingere: est autem hæc: Non requiri tam necessariò à scrupuloso vt omne id confiteatur, de quo dubitat, an confessus est, an minus: quam requiritur ab eo, qui scrupulosus non est. Demus exempla. Si scrupulosus non sim, & dubitẽ an peccatum aliquod confessus sum, aut non confessus: aut si horarias preces absoluerim, nec ne: dũ formaliter dubius sum, obligatus sum me ab hoc dubio expedire, ne fortè me periculo peccati mortalis exponam. Sed si scrupulosus fuero, non sufficit quodcunque dubium, ad obligandum me: probabiliter enim credere possum, passiones scrupulositatis, quemadmodum me sæpe faciunt timere, vbi non est timor, ita me quoque facere dubitare, vbi non erat dubitandum. Ideoque valde bene consulitur scrupuloso, vt postquam confessus est semel mediocri præparatione, & conscientiæ examine præuio, non iam admittat aliquam dubitationem, quæ sese offert de confessione peracta: sed potius dicat; Præ nisi mediocre examen antequam ad confessionem veni: credo omninò quod sicut alia omnia peccata dixi, sic etiam me hoc dixisse, aut dicere voluisse de quo nunc dubito, siue id factum sit distinctè & expressè, siue saltem sub certa aliqua specie, quæ complectitur hoc peccatum, cum alijs similibus, licet non singula seorsim enumerauerim: & hoc mihi sufficere debet. Nam si in pelagus & baratrum scrupulorum semel incidero, nunquam ex eo me potero expedire, magnumque animæ meæ damnum incurram, & ineptum me reddam, deficiamque in omni exercitio orationis, aliarumq; virtutum: quod nautiquam consultum est. Hanc ob causam tam rationabilem, volo mihi persuadere, quod satisfeci conscientiæ, & non dare occasionem nouo defectui. Hoc modo quicunque scrupulus est auferendus, & præsertim ab eo qui sentit in anima sua sanctum illud propositũ, de quo diximus. Etenim ille, qui cor habet paratum, ad omne id quod Deus mandat & qui velit (si necesse esset) omnia sua peccata in publico foro cõfiteri, cùm fecit quod potuit, omnemque diligentiam adhibuit, quam ob causam timeret? Etsi fortè fortuna etiam peccatum aliquod non esset cõfessus, neque ob hoc timere debet: ratio enim subiecta illum consolabitur: Deus non instituit confessionem vt illa quæret animas nostras; sed vt subleuaret, atque exoneraret eas: & sine dubio non erit subleuatio, sed illaqueatio, si tãta onera confessioni alligasset, quanta scrupulosi imaginantur. Et quia nescire differentiam, quæ est inter cogitationem & consensum, diximus etiam causam esse scrupulositatis, operæ pretium facturi sumus, si huic etiam difficultati subueniamus. Sciendum igitur est, posse aliquã peruersam cogitationem in hominẽ cadere, aliquo horum quatuor modorum, hoc est, si se non extollat cogitatio nimium, sed homo statim recurrat ad timorem Dei, aut ad repræsentationem, seu memoriam Christi crucifixi, & cogitationem illam statim

Simile.

II.

Confessio ad quid instituta.

III.

expellat: in tali casu cogitatio ista non erit peccatū, sed potius meritum, quia inimicus vincitur. Sed si quis in ista cogitatione aliquamdiu immoretur, ista mora culpabilis est, & peccatum erit veniale grauius aut leuius secundum moræ quantitatem. Et in confessione huius excessus, non est necesse pœnitentem dicere minutatim omne quod cogitauit, vt quidam faciunt; sed satis est significare genus peccati, & dicere: Confiteor quia pollui me cogitatione immunda luxuria, vel iræ, vel vanæ gloriæ &c. Quam non statim repuli à me, vti facere debebā; sed aliquamdiu in illa commoratus sum. Porrò fires eò progrediatur, vt homo etiam consentiat cogitationi, iamque opere perficere statuat, si detur locus & oportunitas, iam manifestūm est peccatum mortale: & necesse est, vt illud confiteatur. Expedit illud nouisse; talis enim consensus est res adeò fœda, & vulgaris, frequens, omnibusq; hominibus communis, vt quiuis facilè (modò velit) possit cognoscere, quæ sit differentia inter cogitationem simplicem, & consensum illius deliberatum: hic enim quid aliud est, quàm Deum manifesta ignominia afficere, & hominem signatum Dei charactere, eiusque nomine insignitum velle contra illum insurgere, & mandata eius violare.

Consensus deliberatus.

Cogitatio morosa quæ

Est & alius gradus præcedenti subtilior, quem Theologi vocant Cogitationem morosam: estque consensus deliberatus, non in opere externo, sed in delectatione cogitationis internæ; hoc est, quando homo data opera inhæret cogitationi, eaq; sese oblectat licet externo non cupiat opere perficere: de quo dicere solent Hispani; licet in diuersorio quis non bibat, tamen in eo gaudet conuersari. Hic solet fere cespitare scrupulosi, & occasiones accipere suorum scrupulorum. Ad consolationum horum notandum est, quod, vt hoc genus delectationis peccatum sit mortale, requiri, vt sit in eo consensus deliberatus, vt velit homo delectari, & occupari in aliqua re, quæ per se peccatum est mortale: per deliberatum intelligo, quando homo cum firmo proposito vult se oblectare cogitatione rei immundæ: aut cum videt sese in talem cogitationem lapsum, eam nō statim abijcit. Fit enim vt homo nonnunquam quasi prodatur, quando eo quod cogitat ex inopinato inebriatur, postea verò aperiens oculos, & cognoscens quid cogitat, illud à se expellit: hīc mortale peccatū non est, non enim hic aderat consensus deliberatus. Præterea, si quis, postquam iā animaduertit id quod cogitat, studet illam cogitationem supprimere, nec tam citò potest, quàm vellet, eò quod cor illecebris illis, quas cogitat captum est, & inescatum, ita vt difficulter possit illas excutere, etiam non peccat mortaliter: oritur enim hoc ex impetu passionis præcedentis, quæ vti non erat peccatum, quia nec erat voluntarium: sic etiam non erit omne id, quod ex illa sequitur: quia si causa peccatum non fuerit, neque effectus erit, qui causam necessariò sequebatur.

Sed quia in hac materia multa minuta dicēda sunt, de quibus copiosius agunt Theologi, id solū hīc dicam (cuius illorum vnus etiam meminit) peccatum hoc communiter non cadere, nisi in hominem sine anima, hoc est, qui viuit sine timore Dei, & qui, etiam si desinat peccare, non tamen illud facit respectu cōscientiæ, sed honoris, aut mundi, aut proprij commodi: Hic enim cūm non ausit peccare publicè, id facit quod potest, oblectans se cogitatione rerum turpiū, & fruens illa delectatione fantastica, & idea, vel imagine figurata, vt aliquo modo sibi satisfiat.

His alijsque similibus studijs poterit homo mederi scrupulositatis suæ dolori: qui etsi in quibusdā videatur esse incurabilis, tamē reuera curari potest: maximè in his, qui humiliter sese alterius subijciunt iudicio: tales enim sæpe vidimus curatos, & pristinæ sanitati restitutos.

QVARTVM IMPEDIMENTVM *de quacunque alia amaritudine, cordis q, tristitia.*

CAPVT XX.

NON solùm tædium, quod nascitur ex scrupulis, sed generaliter quęuis displicentia & amaritudo cordis, quæ procedit ab ira, acedia, aut quacunq; ex alia simili radice, magnū adfert impedimentum deuotioni. Etenim cùm dulcedo & amaritudo sint contraria, certum est difficillimum, imò impossibile esse, in vno eodemq; corde amaritudinem peccati, & suauitatem deuotionis, (quæ suauior est omnibus alijs animarum cupedijs) posse simul commorari. Quare dicebat S. Augustinus, *Vides quia cor tuum est vas plenum felle: proinde si cupias id implere melle, necesse est vt prius effundas omne fel.* Et B. Apostolus monet, vt expurgemus, & eijciamus ex cordibus nostris omnes tristitias, & amaritudines; quæ vti pugnant cum charitate, ita etiam extingunt omnem feruorem eius, & gaudium deuotionis. Locus proprius, cui inhabitat Deus, est anima pacifica, & mansueta: ideoque oportet inde omne id exturbetur, quod pacem illam & tranquillitatem perturbat: ne cælestis ille hospes ex ea migret. Ideoque oportet nos semper armari bono proposito, nolle nos vnquam in posterum aperire ianuam alicui cogitationi tædiosæ, vel amaræ: & si fortè aliquando quædam in domum nostram irrepat, simus expediti & alacres, ad eam eijciendam: *iactantes* vt ait Propheta, *omnem cogitatum nostrum in Deum*, & dilatantes cor nostrum, ad excipiendum & ferendum omne genus tribulationis, cum fortissima fide & spe.

Augustin.

Ephes 4.

Psal. 54.

QVINTVM IMPEDIMENTVM *est consolatio externa, seu sensus externos oblectans.*

CAPVT XXI.

QVATVOR impedimenta prædicta quandam inter sese habent affinitatem: aut enim peccata sunt, aut talia, ex quib. peccata generantur. Nunc addemus & alia, quæ etsi differant nonnihil à præcedentibus, tamen æq; noxia sunt studio deuotionis. Inter hæc nequaquā minima est amor & dulcedo consolationum rerum externarum, vel sensuū, quæ omninò occludunt ianuam amori & dulcedini rerum spiritualium, Quemadmodū enim nemo vocat chirurgum ad ædes hominis sani, sed ad domum vulnerati: sic communiter non mittit Deus Spiritum suum, qui Paracletus, hoc est. Consolator dicitur, ad ædes cōsolatione & gaudio inani fruentium, sed desolatorū, & afflictorū ob illius amorem. *Date*, inquit Salomon, *siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Ad curandum igitur dolorem istum, instituit Deus hanc medicinā, quam non mittit in domum sani, sed infirmi. *Delicatares*, inquit Bernardus, *est consolatio: nec datur ei, qui quærit illam extra Deum.* Mulier casta & legitima, quæ digna est amari sola, iniuriam sibi fieri putat, si simul cū alijs ametur. Sic & Deus. Huius rei figurā habemus in Exodo: neq; enim dabatur Israelitis manna, tātam in se habens suauitatem, in deserto, priusquā farina, ex Ægypto allata, fuit absumpta sic nec homini dabitur panis ille Angelorum in hoc exilio, quamdiu non renunciauerit omnibus delectationibus, & consolationibus huius mundi.

Simile.

Spiritus S. non mittitur nisi ad desolatos.

Prou. 31. 6.

Vide Bonauent. lib. 3. Pharetræ. lib. 3. de Imitat. Chr. c. 38.

Simile.

Exod. 16.

Iniquissima nouerca est consolatio humana, si quis

quis eam assumat pro diuina : ideoque necesse est, vt ea eijciatur foras , ne fortè impedimento sit alteri.

Contrarium faciunt illi, qui ab vna parte volunt participare de suauitate, & consolatione diuina, in Oratione: & absoluto hoc exercitio volunt frui oblectationibus, commercijs, & conuersationibus hominum: qui volunt epulari & biberè lautè , vestiri splendidè, & in summis delitijs viuere: qui denique Deo sic frui volunt, vt nolint etiam mundi delicias amittere. Cogitent illi, & certo sibi persuadeant, se nunquam in via Dei profecturos, quādiu hoc modo
Leuit. 11. claudicantes ambulant. Aues qui simul & natant & volant in sacris literis pro immundis habentur. Et quid nobis significant aues illæ? sanè nil aliud, nisi animā hominis delicati, quæ vult natare in aqua suarū deliciarū, oblectationumq;, & simul contemplari res excelsas & diuinas. Nemo seipsum fallat quēadmodū enim lux & tenebræ simul esse nō possunt, sic nec consolationes diuinæ & humanæ. Similiter in eodē homine pugnant inter se caro & spiritus, & qui bonis vnius frui vult, necesse est, vt alterius bellū indicat, & persequatur. Quemadmodū illi, qui monasterium volunt ingredi, & monachū profiteri, prius renunciare debent præbendis & beneficijs , alijsque diuitijs quas possident: (alioquin enim admitti non possent) sic oportet vt repudium mittat omnibus consolationibus terrenis , qui vult admitti ad cælestes: Intellexit hoc optimè Propheta Dauid, cum ait,
Psalm. 76, 3. *Renuit anima mea consolari* (rebus terrenis) *memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum*, fuitque ea delectatio tanta, *vt defecerit spiritus meus*. Anne bona hæc fuit permutatio : an Prophetam dices hic deceptum, cùm pro consolationibus tam exiguis & ridiculis, acceperit consolationes tam amplas , quibus repletum cor, earum magnitudinem non potuit tolerare?

Hæc est causa, quare multi accedunt & sedent iuxta fontem istarum deliciarum, sine vllis delicijs aAlijs: sinus enim animarum suarum refertos habent
Deut. 5. delitijs illis æternis. Deus æmulator est, & zelo maximo diligit animas nostras, vt ipse fatetur: ideoque non vult alias delectationes & amores externos admitti, nec suis misceri. Quicunq; igitur vult copiosè frui consolationibus diuinis, sequatur consilium Augustini: *Omnia relinquat homo, vt recipiat omnia: omnia enim inueniet in Deo, qui omnia relinquit propter*
Aug. de Imit. l. 3, c. 37. *Deum*.

SEXTVM IMPEDIMENTVM EST nimia solicitudo.

CAPVT XXII.

IMpedimento delectationum cōtrarium est illud solicitudinis nimiæ, non minus tamen, quā istud, noxium: solicitudines enim & voluptates (vt ait
Matth. 13. Luc. 8. 7. Christus *sunt spinæ, quæ suffocant verbum Dei*. Quare non immeritò dictum est à D. Bernardo , necessitatem & cupiditatem duas esse præcipuas radices malorum omniū, quæ sunt in mundo. Omnia enim
Duæ radices omnium malorum. mala, quæ in mundo perpetrantur, fiunt , aut vt necessitas euitetur, quæ pœnam affert, aut vt aliqua delectatio obtineatur, quæ generat lætitiam. Igitur solicitudines illius necessitatis tam deuotionis gustū, quam Orationis quietem impediunt : ita enim impugnant cor, vt non permittant hominem aliud cogitare, præter causam ex qua nascuntur: quæ semper vrget, pungitque cor, & pulsat ianuam , nec desistit, quamdiu non impetrat , quod quærit. Quis igitur poterit dormire, vel quiescere in medio tot muscarum, vesparum, & ranarū, quæ sunt in terra Ægypti?
Exod. 8. Cant. 3. Esset hic sanè opus illa obsecratione sponsi in Cantis, vt Sponsa captet hunc somnum vitæ , inter tot, tamque varias rerum perturbationes.

Sed dices: Ecquod mihi dabis remedium, quo succrescentes illas solicitudines euellā, aut suffocē : quæ tantopere cor meum exagitant? Præsentissimum remedium est, vt omni conamine studeas (quantum possibile est) animum tuum abstrahere ab omni amore sensuali rerum creatarum, ex illo enim amore pullulant omnes solicitudines, & curæ, vt iam antea dictum est. Proinde si velis omnem curarum strepitum conquiescere, vel potius extirpare, optimū medium est, si labores, vt in te moriantur omnes externi & alieni amores, ad conficiendum enim saltum illum, qualis est in hac vita posse viuere sine solicitudine, multa requiruntur. In hac breui tamen sententia, sola illa doctrina continetur. Noli amare, & non affligeris : non delectari in creaturis, nisi secundum Deum. Crede mihi, vbi hoc locum habet, ibi locum habet delectatio: amori verò & delectationi in creaturis graue tributum indictum est, & multo maiores sunt dolores partus, quàm conceptionis. *Remedium contra superfluas solicitudines.*

Aliud remedium est: si omnes illas curas in vnius Dei humeros conijciamus : certò certius sperantes, Deum omnia optimè dispositurum, quæcunque illi concrediderimus: hoc .n. præcipit, vt omnia nostra negotia deponamus apud illū; & nostra cura sola sit, quomodo mādata eius obseruabimus. Sic fecit Spōsa in Canticis, quare dicit, *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*: ille mihi, vt mihi procuret necessaria: & Cant. 6, 8. ego illi , vt ego faciam quidquid pertinet ad illius cultum & obsequium ; quibus verbis insinuatur , si homo seipsum totum impendat obsequio creatoris, quod ille vicissim totus occupabitur in necessitatib. creaturarum subleuandis. Vocatur enim lex Dei in scripturis pactum, non aliam ob causam, quam quia *Lex Dei cur pactum dicatur.* talis in ea cōuentio fit inter Deum & hominē. Quādo quæso pactum hoc violauit Deus? Quando fidem datam fefellit? Cum hac sola legatione misit S. Frāciscus suos fratres, vt securè negotiarentur , dicens: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Psal. 54, 23. Quotusquisq; Christianorum est , etiam inter pios, qui hoc ex animo potest facere? *Multi homines*, ait Salomon, *misericordes vocantur , virum autem fidelē quis inueniet ?* Prou. 20, 6. Hæc est vna ex virtutibus vero Christiano maximè proprijs, hæc iucundissimam generat pacem, in hac Deus probat & examinat hominem, & hæc est , quam homo non potest sibi suis viribus cōparare, sed à Spiritu S. debet impetrari , cum non nisi ex speciali gratia Dei cuiquā tribuatur. Nō omniū est habere fidem illam Susannæ, quæ ad mortem
Dan. 13. condemnata in medio saxorum & hostiū, cum aqua vsq; ad labia pertenisset, & laqueus vsq; ad collum, cor habuit tranquillum & securum, & per spem, qua confidebat in Domino.

Dices fortassis ; Quid faciam , vt virtutem illam *Quæstio.* consequar? Sequere Deum cum Chananæa illa, vsq; *Responsio.* ad finē, non deficiat lachryma in oculis tuis : labora Matth. 15. sine intermissione, donec inueneris margaritā hanc pretiosam. Considera quoq; quam bonus est Deus, & quam fidelis his, qui sperant in eo: qualis fuit Dauidi, Abrahamo, Iacobo, & cæteris quàm plurimis. *In te*, dicit Propheta , *speranerunt patres nostri , in te speranerūt Dominō & liberasti eos. Ad te clamauerūt* Psal. 21, 5. *& salui facti sunt, in te speranerunt & nō sunt cōfusi. Respicite filij nationes hominū*, ait Sapiens, *& scitote, quia nullus speranit in Domino , & confusus est. Quis enim* Eccl. 2, 12. *permansit in mandatis eius, & derelictus est ?* Vis exemplo ostendam, quam magna est fidelitas Dei erga illos, qui sperant in eo ? Vide quam fidelis fuit seruus Dei Loth duobus illis hospitibus quos exceperat in domum suam, cùm obtulerit etiam sceleratis illis Sodomitis duas filias suas virgines , vt abu-

terentur illis, pro sua libidine: tantùm vt saluarentur isti duo peregrini, qui confiderant ei: non allegans aliam rationem, quàm: *Ingressi sunt sub vmbra culminis mei*, solis meis verbis confisi: & ne illa fiducia fallantur, ecce habeo duas filias, quæ necdũ cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini illis, sicut vobis placuerit: dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia fidei meæ se cõcrediderunt. Quid tibi videtur de hac fidelitate? Sed quanto putas maior est fidelitas Dei? Quæ perfectò est in Creatura, quæ non inuenitur modis infinitis excellentior in Creatore? tanto maior est fidelitas Dei fidelitate hominis, quanto maior est eius bonitas hominis bonitate. Etsi hucusq; pertingat fidelitas hominis, quo quæso pertinget illa diuina? Sequere per omnia & in omnibus negotijs & cogitationibus consilium S. Augustini, qui dicit: *Iacta te super Dominum, & noli timere, quod percutiet te, vel quod cadere te permittet: sed enutriet te, medebitur tibi, & saluabit te.*

Gen. 19, 8.

S. Aug. l. 8. Confes. c. 11

SEPTIMVM IMPEDIMENTVM, est occupationum, & præcipuè studiorum & speculationum multitudo.

CAPVT XXIII.

QVemadmodum impediunt solicitudines & anxietates spiritus, sic etiam impediunt deuotionem occupationes, & labores corporis, cùm nimij sunt: illæ enim opprimunt spiritum, quo minus queat orare: hæc tempus suffurantur, vt spacium non habeat orandi, atque ita duplicia hæc impedimenta faciunt, vt homo nec tempus habeat, nec spiritum, quo vacet huic exercitio. Et quamuis omnes occupationes externæ generant hoc impedimentum, præcipuè tamen id agit occupatio studij & literarum: etiamsi sit Theologiæ, cùm ordinatur ob solam Theoriam. Vna enim ex occupationibus maximè contrarijs deuotioni, est illa Theoria, seu speculatio intellectus: quæ exugit omnem virtutem animæ: facit desolatam & aridam relinquit voluntatem, vt Deum nec gustet, nec sentiat. Aliæ namque occupationes, quæ purè sunt corporales, vt sunt fodere, pastinare, aut simile quid agere, non obstant, quo minus in spiritu tractentur ea, quæ sunt deuotionis. Sic Patres in eremo agriculturam exercebant sportas, crates, & storeas ex viminibus texebant, etiam inter psallendum & orandum. Occupationibus verò intellectus cum ijs, quæ voluntatis sunt, malè conuenit: nisi sic ordinentur, vt seruiant huic exercitio, non impediant illud: id quod Sanctis accidit, cum studerent: qui per studium illud non amittebant, sed potius inueniebant & excitabant suam deuotionem.

Studia etiã optima impediunt deuotionem.

Occupationes manuũ minus lædũt

Sed in vtraque occupatione seruanda est mensura, ne id quod minus est, obsit ei quod maius est: hoc est, ne Martha obsit Mariæ, quæ optimam partem elegit. Ideo monet B. Franciscus fratres suos in regula, vt sic laborent, ne spiritum deuotionis extinguant: cui omnia debent subseruire. Et Sapiens ait, *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu sapientiam percipiet: quia sapientia replebitur.* Hanc sententiam confirmant omnes Philosophi Gentiles, qui dicunt animam fieri sapientem otio, & quiete interiore: nec tantùm interiore passionum, sed & exteriore occupationũ: Hæc enim duo simul semper coniuncta esse debent. Quemadmodum enim aqua tranquilla aptior est magisq; disposita ad repræsentandas omnium rerum imagines, haud aliter quàm speculum: sic etiam in anima tranquilla & quieta pulcherrimè cuncta repræsentantur. Hanc ob causam omnem diligentiam adhibet Diabolus, vt corda hominum mille modis occupationum turbet, moueatque: fingens & pingens in ijs diuersas vitæ necessitates falsas, vt ijs occupata & submersa, non habeant tempus, vel animum Deum inuocandi. Idem typicè fecisse legimus Pharaonem filijs Israel, qui cùm dicerent sibi mandatum à Deo, vt irẽt in desertum, & sacrificarent ei: respondit, eos otiari, & vacare ab operibus, volentes hanc nouam fingere deuotionem & sanctitatem: iussitque eos opprimi operibus, & explere ea, ne Domini Dei sui recordarentur. O quot habet nunc princeps mundi huius operibus vanitatis immersos, quos cogit in omni terra stipulas quærere, & nocte, dieq; in terra & luto ventosas ædificare turres? qui ne minimum quidem temporis habent, aut oportunitatis, vt vacent Deo, & sacrificent illi sacrificium Orationis: totum enim vitæ suæ tempus consumunt in operibus Pharaonis.

Luc. 10.

Eccl. 38, 25.

Exod. 5.

Quid excluſit ab euangelico illo conuiuio tres inuitatos, nisi occupationes nimiæ, & superfluæ solicitudines: Primus dicebat: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam*: alius: *Iuga boum quinque emi. & eo probare illa.* Tertius, *vxorem duxi*: eius, & familiæ meæ cura non patitur, vt veniam. Atque ita pariter omnes excluſi sunt ab hoc sanctissimo conuiuio. Hinc est quod homines occupati semper operibus illis terrenis, & à conuersatione Dei secluſi, paulatim toti fiant carnales, & in rebus ad propriam salutem spectantibus insensibiles.

Luc. 14, 18.

Vt autem hoc verum esse credas, audi quãta cum efficacia, & verborum vehementia testatur illud B. Bernardus ad Papam Eugenium scribens: *Hinc prorsus, hinc*, ait, *tibi timui semper & timeo: ne dilato remedio dolorem non sustinens, periculo te irreuocabiliter desperatus immergas.*

Bern. l. 1. de consideratione.

Vereor inquam ne in medijs occupationibus (quoniam multæ sunt) dum diffidis finem, sontem dures: & ita sensim teipsum quodammodo sensu priues iusti vtilisque doloris. Multo prudentius te illis subtrahas vel ad tempus: quam patiare trahi ab ipsis: & duci certè paulatim quo tu non vis. Quæris quo? ad cor durum. Nec pergas quærere quod illud sit: si non expauisti: tuum hoc est. Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret: quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est: nisi quem fortè miserans Deus abstulit ab eo iuxta Prophetam cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur: nec pietate mollitur: nec mouetur precibus: minis non cedit: flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sauum: inuerecundum ad turpia: impauidum ad pericula: inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens: præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est cui præteritorum præter sõlas iniurias nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit: Futurorum nulla nisi fortè ad vlciscendum prospectio seu præparatio est. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. En quo trahere te habent hæc occupationes maledicta, si tamen pergis vt cœpisti, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens. Per dis tempus, & silicet nunc alterum me tibi exhibere Ietro, tu quoque in his stulto labore consumeris, qua non sunt nisi afflictio spiritus, euiscerationi mentis, euacuatio gratiæ.

Duritiei cordis describitur.

Ezech. 11.

Ex quibus liquet, quã magnum periculum creãt nimiæ occupationes, & similiter, quanta cùm discretione, & temperantia negocia quæque, etiam si sancta sint, debeant acceptari: cùm videamus etiam occupationes summo Pontificatui annexas, quæ iustæ videntur, & necessariæ, vocari ab hoc Sanctissimo viro maledictas: qui dicit etiam eas stultos esse labores, & perditiones temporum, non quidẽ semper, sed

sed cùm indiscretè suscipiuntur. Ideoque necesse est, vt homo exactè mensuret, seu ponderet vires spiritus sui: vt secundum qualitatem illarum imponat sibi onus occupationum, alioquin si excedat onus vires, quid expectandum aliud, nisi ruina, seu lapsus portantis;

Ad hoc facilius perficiendum, duæ aliæ insignes virtutes sunt necessariæ: discretio & fortitudo. Discretio est cognitio mensuræ, vel potentię virium nostrarum, & dispensationis quotidianæ temporis & exercitij nostri, qua cum vitam nostram sic ordinare debemus, vt per omnia sit composita. Quo cognito opus est insigni constantia & fortitudine, ad repellenda, reijciendaq; omnia negotia externa, quæ sese offerunt. sed nec plus oneris, salua tamen semper obedientia, nobis imponamus, quàm humeri nostri ferre possunt. Qui enim se precibus, & importunis aliorum interpellationibus, aut alijs modis sinunt expugnari, vt pluribus negotijs sese implicent, postea sub onere cadunt, & nec vni, nec alteri possunt satisfacere: serò tandem sapiunt, & sentiunt, quanta indiscreta sua arrogantia damna incurrerunt.

Ante omnia vocationi Dei satisfaciendum.

Ad hanc victoriam conducit etiam suprema illa virtus, ad quam pertinet sequi in omnibus, & per omnia beneplacitũ, & vocationem Dei: qui nos semper vocat ad mortificationem nostrarum passionum & ad exercitia, quibus illa cõparatur: nec vult, neq; acceptat alia obsequia externa, nisi prius vocationi suæ satisfiat. Ideoq; seruus Domini semper debet ante oculos habere dictum illud Saulis, ad Dauidẽ, cùm filiam suam illi sponderet, & Dauid sese indignum regijs nuptijs diceret, vocans se pauperem & tenuem: *Non habet*, inquit, *Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis.* Si itaque Rex terrenus diuitijs alterius non egeat, quantò minus Rex ille cælestis egebit, qui vno solo nutu potest vniuersum mundum euertere? sed nihil ille vult aliud, quàm vt fiat vltio de inimicis suis, qui sunt peccata, & passiones: horũ præputia sibi dari vult, vt circuncidantur, & mortificentur vires illorum. Et quia idipsum vix fieri potest sine exercitio orationis & meditationis, illud præcipuè sibi reddi postulat Deus ante omnia alia obsequia, ad quæ non sumus obstricti. Porrò quia in mundo tot sunt ataxiæ, atque perturbationes, fortè non minima illarum causa erit, quod homines nolunt seruire Domino Deo, quomodo ille seruiri vult sed quomodo sibi placet.

1.Reg.18,25.

Sunt autem quædam, quæ in principio facilè possunt repelli: sed cùm homo iam ea in se recepit, non cùm vult, potest abijcere: & cùm se videt reti vndiq; inuolutum, etiam si cupiat non potest se expedire: omnino itaq; necesse est, vt maxima vtatur prudentia, veniens periculum eminus præsentiscat, armetq; sese prius quàm malum ingruit, *& ante languorem medicinam adhibeat*, vt ait Sapiens.

Eccl.18,20.

Rationibus id probari non est necessum omnibus enim in locis inueniet homo multorum imprudentum, inconsideratorumq; exempla, qui cùm incauti fuerint in principio, non ponderantes onus, & obligationẽ, quam in humeros tuos recipiebant: postea sub pondere defecerunt, & serò suam imprudentiã agnouerunt, lugentes, & lamentantes tardè nimis, quod tempori erat fugiendum, vel emendandum.

Qui sub obedientia viuunt, ijs longa hac in parte deliberatione opus non est: obedientia namq; liberat hominem ab hoc dubio, & excusat tam in his occupationibus, quàm in multis alijs: ideoq; magnũ ea bonum est, licet non omnibus cognitum. Sed hic diligenter attendendum est, ne aliquando sub colore & prætextu obedientiæ nostræ voluntati satisfaciamus. Sæpè namque fit vt multi sese ab hoc sancto exercitio excusent, dicentes, sibi imperatum esse, vt studeant, concionentur, aut simile, quid agant: quapropter negant se posse vacare Deo, nec sibi suppetere tempus, ad id faciendum. Tales non parum falluntur. Non enim excogitari potest maius in Ecclesia Dei onus, neque maioris obligationis & ponderis, quàm illud summi Pontificatus, à quo vniuersale mundi bonum dependet: nihilominus scribit S. Bernardus pulcherrimos & doctissimos illos libros de Consideratione ad Eugenium Papam, in quibus id vnicè agit, vt persuadeat ei, ne se totum externis negotijs immergat: sed quotidie aliquid temporis negotijs & curis vniuersalibus totius Ecclesiæ suffuretur, quo vacet huic exercitio, sine quo nihil ordinatè fieri potest. Inter alia multa his verbis Papam alloquitur. *Nunc autem quia dies mali sunt, sufficit interim admonitum esse, non totum te nec semper dare actioni: sed considerationi aliquid tui & cordis, & temporis sequestrare. Hoc autem dico necessitatem intuens, non æquitatem, quanquam non sit præter æquum necessitati cedere. Nam si liceret quod deceret, absolutè per omnia, & in omnibus præferendam, & vel solam vel maximè colendam eam, quæ ad omnia valet, id est pietatem, prorsus irrefragibilis ratio monstrat. Quid sit pietas quæris? Vacare considerationi. Dicas forsitan in hoc dissentire me ab illo, qui pietatem definiuit cultum Dei. Non est ita. Si bene consideras, illius sensum meis expressi verbis, & sit tamen ex parte. Quid tam pertinens ad cultum Dei: quam quod ipse hortatur in psalmo, vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Quod sanè in partibus considerationis præcipuum est. Quid deniq; tam ad omnia valens, quam quæ ipsius quoque actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit: præagendo quodammodo & præordinando, quę agenda sunt: Necessariò sanè: ne fortè quæ & præuisa & præmeditata poterant esse proficuo: præcipitata magis periculo fiant. Quod tibimet, si recorderis in ipsis actionibus causarum, & in magnis quibusq; negotijs, magnarumuè consilijs rerum frequenter accidisse non ambigo.

S. Bern ad P. Eugenium l. considerat.

Lib. 1. de considerat.

Vacandum est contemplationi Prælato.

Psal.45,11.

Videtur igitur nullum officium, aut obedientiã vllam in tantum hominem obligare, vt non licitum sit illi, tantum temporis subtrahere, quantum necessarium est ad spiritum recolligendum, Deo vacandum, & vitam bene ordinandam: hæc omnia mediante contemplatione consequimur: quemadmodũ idem Sanctus latius ostendit, post verba paulo ante à nobis allegata: quæ omnia, ne nimis prolixi simus, hoc loco recensere supersedebimus.

Quare, quantumuis hoc exercitium in genere pertineat ad omnes homines, tamen præ ceteris conuenit ijs, qui ratione status & conditionis suæ cæteris debẽt esse perfectiores: quales sunt Episcopi, & Religiosi: quorum professio est, ad hunc finem aspirare. Sic & aliæ obedientiæ seruandæ sunt, vt semper respiciant ad illã primã obedientiã, quæ nunquam est intermittenda, aut postponenda: sed semper inuãda aliquo exercitio orationis, aut contemplationis: vt homo suo tempore recolligat spiritũ, examinet cõscientiam, cõponat vitã, curet vulnera, muniat se cõtra quotidiana pericula, & imploret ardenti desiderio fauorem, gratiamque diuinam.

Non est seruitus in vniuerso mundo tam dura, & subiecta, quæ negat homini necessitates naturales, vt sunt edere, dormire, & sumere quæ sunt vitæ corporali necessaria. Similiter & animæ opus est suo pabulo, seu nutrimento, & sumno spirituali: vtroq; autẽ fruitur in silentio orationis. Omnes igitur obedientiæ cum hac moderatione piè sunt interpretandæ. Habet autem hoc præcipuè locum in obedientijs illis, quæ certum tempus non requirunt: sed temporis successu perficiuntur, vt sunt studere, prædicare, tegere,

Nulla seruitus tã stricta quæ debeat impedi re orationẽ.

Cautela.

regere &c. non autem de illis, quæ certis horis iniungitur. Illi verò qui nolunt hanc regulam obseruare, saltem sese non excusent obedientiæ prætextu, dicentes se amore illius otium non habere, vt vacét deuotioni: nulla enim istarum obedientiarum tantam habet vim, vt debeat hominem priuare rebus, ad vltimum finem, qui est perfectio à nobis initio promissa, nos adducentibus.

Quousq; filij parentibus hac in re debeant obedire.

Quod de Religiosis dico etiam de filijs, & filiabus, qui sub potestate parentum sunt, intelligi volo, si fortè durius ab ijs tractentur, eò quod subinde orationibus sese dedant. Etsi enim licitum non sit nō obedire, vel reluctari parentibus: licitum tamen est, nonnunquam huic exercitio paululum incumbere: ne fortè incidāt in periculosam illam cordis duritiē, de qua superius dictum est. Hominis namq; miseria tanta est, mundus tam peruersus, & pericula tam frequentia sunt, vt si paululum à Deo elongemur, statim grauissimum adsit periculum. Sed & cor nostrum adeò in carnem propendet, vt separatum à Deo, qui totus est spiritus, confestim caro fiat.

OCTAVVM IMPEDIMENTVM, *quod est vitium curiositatis.*

CAPVT XXIV.

Curiositas multis modis fit.

OBest etiā plurimum deuotioni vitium curiositatis, quod multis modis fieri potest: Est enim curiositatis quædā species, quæ indagare cupit opera, vitā, & cōmercia hominum aliorum: quæ præterquam quod grauat cor vanis cogitationibus, etiā illud varijs imaginationibus & appetitibus implicat tollitq; pacem & serenitatem conscientiæ. Vitium hoc proprium esse solet hominum otiosorum, qui cum propijs rebus & negotijs studere nolint, aliorum dictis & factis occupantur.

Est alia curiositatis species, intellectui proprius, eorum scilicet qui solo appetitu sciendi legūt historias profanas, & libros Ethnicorum, inutilesq; rerū. Antiquitates, &c. Similiter & illi hoc modo curiosi dicuntur, qui animos suos applicant ad legendum auctores grauiores, non tamen ea intentione, vt veram ex ijs sibi comparent sapientiam: sed ex eadem curiositate, quærentes in illis tantum artificium, & eloquentiam, pompamq; & strepitum verborum, aut sententiā aliquam elegantiorē & curiosiorem, quam coram alijs inaniter recitent, nullum ex ea sibi ipsis referuantes emolumentum. De his ait Sapiēs *Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.* Illud profectò certissimum indicium est ingenij, animique inordinati. Nam vt Beatus Augustinus ait, res ingenij boni & generosi est, non amare verba in verbis, sed veritatem, quæ in ijs latitat.

Eccl. 21, 17.

S. Aug. l. 1. de doctrina Christ. c. 18. & 19 l. 2. c. 41. & epist. 56.

Præterea & alia est curiositas quædam, quæ est appetitus inordinatus multorum, qui volunt omnia sua nimis esse exquisita, elaborata, polita, & munda nimis, tā in ædibus, quā in vestibus, supellectilibus, libris, imaginibus, alijsq; similibus ornamentis, quæ non possunt appeti, neq; conseruari sine magna diligentia. Cumq; fiunt aliter, quàm nos volumus, fieri non potest, quin nobis displicent, cruciant animū nostrum, & eò nos deducunt, vt cogitemus de ijs reijciendis, aut denuò reficiendis. Quod cùm fit, amittitur pax & quies conscientiæ, & homo rebus vanis totus immergitur. Dubium non est, quin istud maximum est deuotionis impedimentum: ea enim animum requirit planè quietum, & ab omnibus impedimentis liberum. Sciens autem Diabolus impedimentum hoc tam magnum esse, omnes vires intendit, (sicut quidam Doctor ait) vt cuiuscunq; status, & ætatis homines, hoc vitio implicet: seculares solicitando & incitando, vt prima illorum cura sit, nouа & exotica genera vestimentorum, supellectiliū, similiumq; rerum excogitare, & introducere. Religiosos verò, vt operam dent, quo templa, monasteria, & ornamenta illorum sint curiosa, & pretiosa: idque sub vmbra pietatis, dum persuadet illis, seruos Dei quæcunq; mereri, omnique honore dignos esse: atque ideo vitiosum non esse, nec indecorum, pulcherrima domicilia ædificare, superbas sedes cōstruere, vt in ijs habitent cum gaudio & lætitia. Tales homines sanctorum, spiritualiumque. Virorum doctrinas, aut non legerunt, aut malè obseruarunt: veri enim serui Dei parum curant hæc, imò contemnunt, & ab ijs abhorrent, tanquam à rebus, quæ nec quæri possunt, nec conseruari, sine distractione cordis, & iactura temporis, quæ duo maximoperè deuotionis exercitio contrariantur, quemadmodum enim deuotio est res delicatissima: sic leuissima re impeditur, & amittitur. Etenim si S. Antonio Contemplationem impediuerint radij solares, manè exorti: quanto magis oberunt inquietæ cogitationes quærendi, & conseruandi bona terrena, quæ pennas habent & alas, ex oculis nostris auolandi.

Deuotio requirit animū quietū.

Cassian. l. 9. Collat. c. 31.

Hanc ob causam præter multas alias plurimum commendanda est paupertas Euangelica, ad quam pertinet, omnē hanc curiositatem vno ictu præscindere, ad exemplum illius, qui cùm esset Dominus omnium creaturarum, non habuit cùm nascebatur alium lectum, præter durum præsepe, nec domum aliam, præter stabulum publicum.

NONVM IMPEDIMENTVM EST, *si bona exercitia interrumpantur.*

CAPVT XXV.

SImiliter magnum, & valdè frequens Deuotionis impedimentum est, sæpe filium bonorum exercitiorum, sine legitima causa interrūpere. Sciendum enim est, inter omnes humani cordis miserias, vnam ex præcipuis esse, quod (cùm tā promptum sit & alacre, ad quodcunq; malū tā tardū est, & remissum ad omne bonum. Etenim in malo non requiritur aliud ad inflāmandum cor nostrum imò & corpus nostrum, quàm cogitatio leuissima, quæ confestim euanescit: ad affectum verò bonum, qualis est deuotio oportet nos cœlos & terras scrutari, & ab omnibus, quæ nobis à Deo data sunt, auxilium petere. De homine dicitur, quod est *spiritus vadens & non rediens*, vadit enim post vanitates, & res corruptibiles, magna cum facilitate, non redit autē ab illis, nisi cum summa difficultate. Certè, si homines nossent vti ratione inter omnes miserias nostras nullam magis sentirent, nullam magis admirarentur. Ideoq; omnibus neruis contendendum est, vt deuotio conseruetur: quēadmodum enim facillimum est deuotionem conseruare, sic difficillimum est eam semel amissam recuperare.

Cor nostrum ad malum facilè, ad bonū difficilè inclinatur.

Psal. 77, 39.

Quamobrem non sine causa dicimus, magnum in hoc negotio impedimentum esse, si filum bonorum exercitiorum abrumpatur. Cùm enim homo postea redire vult ad seipsum, tam in idoneum se deprehendit, & ad deuotionem ineptum, quàm si eam nūquā, ne in limine salutasset. Accidit enim illi, quod olim D. Petro legimus accidisse, cùm diceret: *Præceptor totam noctem laborantes nihil cepimus* Idem vsu venit his, qui in hoc exercitio sunt negligentes, vt dicit optimè D. Bernardus his verbis: *Quoties in oratione cor eleuare vis, & incassum? quoties moues, nec promoues? quoties conaris, & non datur vltra? eniteris, & non paris? tentas, & abriperis? & vbicunque incipis, deficis? & dum orduris, succidunt te? Omnis hæc difficultas oritur ex eo, quod intermisso deuotionis exercitio, cor tuū refrixit: ideoq; iusto Dei iudicio hæc*

Luc. 5, 5.

Bern. de consider. ad Eugeniū l. 5.

pœna

Vide hic Hister. c. 96.

panas sibi infligitur: eò quod accepta gratia abusus es, vt saltem hoc supplicio admonitus, gratiam post recuperatam cautius conserues. Pulchrè docet hoc Salomon insigni hac similitudine; *Si retusum,* inquit, *fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.* Quæ verba, etsi diuersos habeant sensus, & varijs queant rebus applicari; appositissimè tamen de studio deuotionis, & diuinarum scripturarum intelliguntur: de quibus & ipse D. Hiero. explicauit. Ipsa enim docet experientia, quod si quandoq; homo vsum deuotionis & feruorem spiritus amiserit, quanta opus est molestia, antequã recuperentur: quos cũ recepit, admonitus id agat, vt diligentissimè bona tanta conseruet; ne in simile infortunium recidat.

Eccl 10, 10.

Continuus vsus deuotionis illum auget.

Porrò, quemadmodum interruptio illius exercitij multum impedit deuotionẽ: sic ẽcontrario continuus illius vsus plurimũ conducit, ad eã comparandã. Arbor quæ suo tẽpore irrigatur, crescit, & fructũ profert: Puer qui lac habet, & vbera, quotiescunque desiderat, præparata, augetur, & maior fit: Artium liberalium studiosus, si sæpe repetat lectionẽ, & diligenter præceptoris sui scholã frequentet, breuissimo tempore venit ad perfectionẽ artium, quibus studet: sic ecõtrariò, qui studium diu multumq; interrũpit aut tardè, aut nunquã doctus euadit. Cũ. n. post aliquot tempus denuo ad studia reuertitur, oblitus est eorum, quæ prius didicerat: atq; ita in incipiendo ætatem consumit.

Similium inductio.

Verùm quidem est, cùm mora breuis est, vel ob aliquam piã & legitimã causam, Deum subinde citius, quòd amissum est, restituere. Hinc est quod seruus fidelis & obediens aliquando sentit Orationem suã ingeminatam, postquã obedientiã suã absoluit. Sed & hoc extra controuersiã est, minori cũ periculo in hac intermissione ambulare perfectos, quam incipientes: hi. n. tanquã pauperiores, & magis famelici si quotidie non laborent, non manducabunt. Qui verò ditiores sunt, & perfectiores, semper in se habent substantiã, vnde aliquandiu viuere possunt, etiamsi nihil aliud lucrifaciant. Existimo igitur vnã ex præcipuis differentijs, quæ sunt inter perfectos & imperfectos hanc esse, quod nimirum perfecti sunt quasi arbores in terra viuida plantati, quæ etsi per aliquot dies nõ rigentur, conseruant tamen suã viriditatẽ, & fructum proferunt: imperfecti verò sunt instar arborum, in loco sicco & arenoso stantium, quibus si quotidie aqua non affundatur, omnis perit viror & pulchritudo, quam habebant: ex quò facilè foris videtur, virtutem & humorem illis intus defuisse. Talis est hodie maior deuotorum pars, at priores illi admodum rari sunt & pauci.

Intermissio deuotionis minus obest perfectis, quam imperfectis.

Quia verò de hac materia diximus alio loco sufficiunt ea, quæ hic commemorauimus: commẽdamus interim deuotionis studioso continuationem & perseuerantiam in pijs exercitijs: & vt vitam ad modũ horologij bene ordinati instituat, singula faciendo tempore suo, & allaborando quantum fieri potest, ne filum, seu continuatio deuotionis interrumpatur.

IMPEDIMENTVM DECIMVM EST in delicijs, nimioq; cibo & potu situm.

CAPVT XXVI.

Porrò notum est impedimentum aliud in hac via, quod in nimijs delicijs, superfluoq; cibo & potu situm est. Ideo semper in Scripturis cõiunguntur, Ieiunium & oratio, tanquam duo fratres: ob eandemque causam Sancti Patres, qui sese in eremis abdiderunt, vt contemplationi vacarent, tam austeri fuerunt in suis ieiunijs, & abstinentijs.

Videmus enim, quemadmodum ieiunium corporale eleuat spiritum ad Deum, sic vice versa potus cibiq; superfluitatem eundem deijcere, & cursum impedire Ratio est, quia leuare spiritum ad contemplandam illam lucem æternam, & se componere ad recipiendas influentias, splendoresq; illius, est res tã ardua, & tã supernaturalis, vt (teste Augustino) necesse sit hominẽ omnes suas vires in vnum cõtrahere, vt summum robur adhibeat in hac ascensione, si, quò tendit, velit peruenire. Ascensus enim tam altus requirit hominem valdè leuem & gracilem, liberumq; ab omni pondere deorsum trahente. Contrariatur huic gracilitati superfluitas cibi & potus, quæ nõ vno, sed multis modis impedit hũc ascẽsum.

S. Aug. l. de Virginitate & in Ps. 85.

Cibus & potus nimius multis modis impedit ascẽsum animæ.

I.

Primò, quia bona pars potentiarum animæ in opere digestionis occupatur, in quo natura ipsa, quasi ius suum exigit, & vult omnes potentias & vires in hoc officium suum faciant. Hinc est, quod homines, postquam bene ederunt & biberunt, sunt grauiores, somnolentiores, & ad quodcunq; studium considerationis, seu deuotionis ineptiores.

II.

Secundò, quia fumus & vapor tanquam de olla bulliente ascendit ad cerebrum, in quo est sedes potentiæ in operibus contemplationis primas partes agentis, totamq; partem illam quasi obscura nebula cooperit, impeditq; potentiæ illius operationem: & consequenter etiam intellectus. Hinc nata est illa Græcorum sententia, quam B. Hieronymus in quadam epistola citat: *Plenus venter non gignit sensum tenuem.* Contra de Iulio Cæsare scribitur, quod sobrius & ieiunus ad Imperium Romanum accesserit: quo genere loquendi significatur, quod magna cum consideratione & prudentia huic negotio manum admouit. Hoc enim proprium hominum sobriorum & ieiunorum.

Hier. Epist. ad Nepotianum.

III.

Tertiò, quia naturaliter videmus nimium cibum & potum sumptum solicitare cor hominis ad res vanas scilicet ad fabulandum, cachinnandum, iocandũ ludendum, aliaq; similia. Etenim quemadmodum spiritus, cùm plenus est deuotione, inuitat cor ad spiritualia & diuina: sic corpus plenum cibis trahit idẽ ad corporalia & vana. Huc facit illud Gregorij: *Ex saturitate corporis inane gaudium, nugæ, multiloquia, carnalitates, crassius intellectus, & similia nascuntur.* Ex quibus verbis liquet, quàm noxium sit hoc vitiũ ad finem hunc, quẽ nos proponimus hoc libro, properanti, ecõtra quàm vtilis sit virtus opposita, ieiunium scilicet & temperantia. Astipulatur ei Chrys. Leues, ait, ieiunium pennas producit, vt in sublime anima feratur, & summa contemplari queat, voluptatibusq;, & omnibus, quæ in hoc mundo habentur suauia, superior fiat. Veluti leuiores naues maria velocius transeunt, & multis oneribus grauatæ submerguntur: ita ieiunium quidem leuiorem reddens mentem, efficit vt facilius huius vitæ pelagus transmittat, & in cœlum, atque ea quæ in cœlo sunt, respiciat, & nihili faciat præsentia: sed vt vmbras, & si quid minus diffugere sentiat. Ecõtrariò verò nimiũ edere & bibere, somnolentum facit spiritum, & corpus aggrauat, captiuatque animam, & mille miserijs subijcit.

Saturitatis effectus.

Greg. l. 1. in Iob cap. 9.

S. Chrysost. Hom. 54. in Matthæum.

Simile.

Potissimum verò cœnæ longæ noxię sunt, & damnosæ huic exercitio, primò, quia absumunt tempus sacris vigilijs consecratum, & quo tempore pascendæ erant animæ corpus ingurgitant: & postea cum stomachum onerarunt cibo & potu, homo non potest media nocte surgere, nec orare tempore matutino quæ duo tempora ad hoc exercitium sunt vtilissima. Nam teste Basilio: *quemadmodum miles, qui nimium oneratus est difficulter arma potest tractare, ita & impeditur monachus in vigilijs, cum escarum largitate seruescit.*

Cœnæ prolixæ noxia.

Simile.

S. Basil. l. 2. serm. 2.

Nõ solum nimium manducare, sed & nimis splẽdidè & delicatè manducare, nimis opipara cõuiuia, festaque similia, pestes sunt huius exercitij præsentissimæ,

tissimæ. Quà enim in re temporis fit maior iactura? vbi spiritus fit inordinatior? vbi totus homo magis dissoluitur, quam inter huiusmodi voluptates & conuiuia? illic homo calore vini, sapore dapum, & iucunditate conuiuantium accensus, non erubescit effutire, quidquid in buccam venit: verba sequitur cor & affectus, atque ibi homo in partes infinitas diffunditur. Quantum temporis hic amittitur? in quanta sese coniiciunt pericula? quàm multa faciunt indecora, maximè illi, quorum professio est, ista ne quidem nominare? quot sunt media, & quot circunstantias quærunt huiusmodi, vt in ijs iugiter perseuerent? quoties accidit illis vt propter hæc amittant pacem, charitatem, & concordiam? Optimè intellexit hoc magnus ille Sapiens, cùm toties horum meminerit in Prouerbijs, tanquam is, qui re ipsa didicerat, quanta mala delicias subsequerentur. Dicit

Prou. 21, 17. enim, *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui autem amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Et alibi; *Noli*

Prou 23,20. *esse in conuiuijs potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur*, vel secundum Pagninum, *Pauperes efficientur, & vestibus scissis induere faciet dormitatio.* Rursus alio in loco maiori cum feruore commemorat, quæ mala vitium

Ibid. ver. 29 hoc sequuntur? *Cui*, inquit, *væ? cuius patriva? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Hæc omnia aliaque plura mala secum adfert hoc vitium, quare Sapiens tandem hãc

Prou. 20, 1. materiam concludens ait: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunq; his delectatur non erit sapiens.* Ratio in promptu est: certissimum enim est, veram ad sapientiam viam esse per lachrymas, & mortificationem passionum, quæ in omnibus & per omnia contrariantur delitijs corporis, cogitationibusque & appetitibus voluptatum illius. Quemadmodum enim (teste Chrysostomo) ignis non potest

Simile. accendi, nec conseruari in materia humida: ita nec compunctio in delitijs & voluptatibus corporis: hęc enim duo ita sese mutuò sunt contraria, vt vnum interficiat aliud: vnum enim est mater planctus, aliud risus, vnum stringit cor, aliud laxat.

Regula generalis. Sit igitur hæc regula generalis: Seruus Dei memor amarissimi fellis & aceti, quod filius Dei gustauit in cruce ex amore, quo nos complectebatur, contentus sit cibis vilioribus, eosque sumat ea cum moderatione, vt semper aptus sit ad spiritum in cœlos eleuandum, & quemuis spiritualem cibum manducandum: ita vt nullum onus corporis vel cibi grauet, aut deorsum trahat. Reminiscatur perfectionẽ vitæ Christianæ esse perpetuam orationem, & commercium cum Deo. Cuius igitur officium est habere spiritum ad Deum eleuatum, is etiam debet habere spiritum & corpus ad illud dispositum.

Quod si citharœdus operam suam elocasset, vt tota die fidibus caneret, nonne eas iugiter temperatas & concordes habere deberet? Et si venator toto die venari vellet, anne oporteat vt semper & canes, & falcones ad manum habeat? Age igitur cùm vita perfecti Christiani non sit aliud, quàm iugis venatio Dei, & gratiæ ipsius iugisque harmonia spiritus interioris, quæ fit per Orationem, qui hùic exercitio vacabit, oportet vt eius spiritus & corpus ad illud

Hieron epist. ad Lætam. apta sint & dispositа. Hoc est quod B. Hieronym. suadet cuidam Virgini, dicens: *Cibus puellæ oluscul⁊ sit, & similia: rarò pisciculi. Sic comedat vt semper esuriat, vt statim post cibum possit legere, & orare.* Monet

Epist. ad Furiam. idem melius esse semper in edendo bibendoque eãdem regulam seruare, quàm nunc vela ieiunij nimium explicare, ita vt corpus debilitetur; & mox iterum habenas laxare gulę, adeò vt homo concidat.

Idem & alio loco, verbis tamen alijs, dicit: *Parcus cibus, & venter semper esuriens triduanis ieiunijs præfertur, & melius est quotidie parum, quam semel satis sumere. Pluuia illa optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus & nimius imber in præceps arua subuertit. Quando ergo comedis, cogita quod tibi orandum, & illicò legendum sit.* Hæc ille.

Qui tali cum temperantia viuunt, magnos temporum thesauros habebunt, & in paucis diebus lõgam vitam viuent: totum enim tempus vitæ illorũ vtile est, & nihil frustra perit. Ideò vir iustus citò licet moriatur, longam tamen habet vitam: singulis enim horis proficit, & singulis vitæ momentis quæstum facit. Mali verò, & quorum Deus venter est, circumferunt semper animam in vita mortuam, & sepultam onere nimij cibi & potus: atque ita vitam pene omnem consumunt in laxandis cincturis, digerendisque, & concoquendis cibis superfluis, horisque somni extrahendis. Viuunt itaque tanquam Epicurei, & quasi populus, non ad aliud, quàm ad edendum, bibendumque, & ventrem impinguandũ natus: nulli alij exercitio intenti, nec temporis, nec alterius cuiusque rei rationem habentes. Quomodo itaque dicere quis poterit, hos vitam longam aut saltem vitam hominis viuere, cùm vix vna hora faciant quid dignum generositate, nobilitateque humana?

IMPEDIMENTVM VNDECIMVM de mala dispositione & corporis delitate.

CAPVT XXVII.

COntrarium priori impedimentum (teste D. Bernardo) est nimia abstinentia, & debilitas corporis, aut alia quæcunque mala dispositio vel necessitas, siue sit fames, siue sitis, siue frigus, siue æstus, siue denique aliud aliquid accidens. Tanta enim societas & amicitia est inter animam & corpus, vt cùm hoc malè dispositum est, aut quacunque re indiget, illa nequeat sese ad diuina contemplanda liberè satis eleuare: saltem cum quiete & tranquillitate, dolor enim amici sui auocat, & inquietat illã, eoque reuocat, vbi dolet: nec concedit, vt aliud aliquid agat, nisi Deus ex speciali gratia cum eo dispẽset: quemadmodum non rarò facere consueuit. *Bern. Serm. 23. in Cant.*

Oportet igitur vt homo deuotus eam seruet moderationem & temperantiam in castigando, exercendoque corpore suo, ne superfluis delicijs illud fiat crassum, & ineptum: neq; nimio rigore debilitetur, adeo vt sub onere succumbat. Etenim quemadmodum in cithara id obseruandum est, ne fides nimium sint intensæ, neuè nimium sint remissæ (tunc enim aut rumperentur, aut sonum ederent inconditum) sic in hac cælesti Musica, oportet ne corpus nimium sit fame maceratum, neuè vt nimis sit impinguatum vel abdomine grauatum: vtrumque, enim plurimum obest huic exercitio. Hãc ob causam iussit Deus in veteri lege omnibus sacrificijs sal, per *Leuit. 2.* quod discretionem intelligimus, aspergendum vt insinuaret, nullum sibi sacrificium nostrum (quantumuis magnum) gratum esse, nisi sale, hoc est, sapore discretionis condiatur. *S. Greg. l. 20. moral. c. 30 23.*

Sed quia difficile est medium tenere, & caro semper seipsam quærit, ideo necessum est, vt semper in his casibus opinio propria sit homini suspecta: & si ad aliquod extremorum deflectendum sit, satius semper est, vt illud eligatur, quod carni maximè aduersatur, quàm quod illi blanditur, & arridet: quantũcũq; enim illam refrenamus, tamẽ captabit occasionem suis appetitibus aliquando semel satisfaciendi: nec satis est, si subinde suis necessitatibus defraudentur; sed semper vigilandum est: nisi enim diligenter vigila-

vigilaueris, aliàs multo plura, eaque superflua suffurabitur.

DE QVIBVSDAM ALIIS IMPEDIMENTIS particularibus.

CAPVT XXVIII.

HÆC impedimenta sunt generalia, quæ communiter omnibus in via deuotionis solent occurrere. Sunt & alia particularia, iuxta conditiones naturales, & affectiones cuiuscunque. Quemadmodum videmus quosdam naturaliter tã studiosos & diligentes in eo, quod facere decreuerunt, vt si vel minimum quid aliud faciendum sit, tam diu quiescere nequeant: imo ne noctu quidem dormire, priusquam, quod proposuerunt, absoluerint: ideoque nunquam illis vacat in oratione perseuerare.

Alij sunt quasi lunatici, quibus nonnunquam oboritur celeritas & feruor animi tam magnus, vt nequeant se continere, nisi confestim satisfaciant suo appetitui, etsi ipsum Deum relinqueret, nec ore cõpellarent. Illud est hominum qui appetitibus ducuntur, & qui voluntati suæ semper satisfacere consueuerunt, qui instar mulierum vtrum gerentium immoderatis appetitionibus titillantur, adeoque subiecti sunt illi vitio, propter malum habitum, quẽ longo vsu induerunt, vt nisi confestim satisfiat suis affectibus, videantur aut morituri, aut in morbum lapsuri. Hos Diabolus facilè auocat ab orationis exercitio, trahens eos post appetitus suos, quasi catena ligatos, iuxta id, quod legitur de quodã Monacho, in monasterio D. Benedicti professo, qui nullo modo poterat in oratione quiescere, & quo tempore ceteri Monachi in oratione perseuerabant, hic ad alias occupationes conuertebatur. Paulò post orans D. Benedictus vidit in spiritu procerum & deformẽ Æthiopem, qui accedens ad monachum illum, manu apprehendit, & violenter à loco orationis traxit & abduxit: Eodem modo credendum est Diabolũ nostris malis affectibus vti, vt ex ijs catenam conficiat, quo trahat nos, & à sancto hoc exercitio abducat. Quotiescunq; igitur seruus Domini hoc sentit, certo sibi persuadeat (licet non videat) opus hoc esse Diaboli, qui nobiscum agere vult, quod egit cum Monacho prædicto.

Super omnia verò impediméta particularia, plerunque magis obest amor inordinatus rei alicuius, quam toto animo, totoque affectu complectitur. Sciendum hic est, vix esse aliquem in mũdo tam religiosum, aut à passionibus liberum, vt non habeat aliquod idolum, cui seruit, quod adorat: hoc est, rem aliquam, in quam tota eius fertur affectio; cuique amori & passioni vt satisfaciat, non agat omnia quæ potest. Quorundam animus in litteris studioq; scientiæ vel eloquentiæ absorptus est: & in ijs omnem operam suam collocant: ita vt nihil aliud in mundo quærant, ad nihil aliud respiciant, quàm ad hanc: existimantes nihil hoc studio maius, nihil hominis generositate nobilitateque dignius. Alios trahit appetitus honoris mundani, aut fauor principum & magnatum, bonorumue temporalium amplę possessiones. Videbis nonnullos, qui in eo toti sunt, vt thesauros ingentes cumulent, primogenituram aliquam insignem instituant, vt sit aliquis familiæ domusque nobilis auctor, & fundator. Non pauci, quorum animus minus est generosus, tum se felices fore existimant, si pecunię quandam summam corraserint, qua vel hereditatem, vel officium aliquod sibi coemant. Alij sunt qui nulla de re magis cogitant, quam de præclaro aliquo matrimonio, vel pro seipsis, vel pro aliquo suorum, siue is sit filius, siue filia, siue etiam cõsobrina: Hoc enim impetrato, nihil esse, quod amplius desiderari poterit arbitrantur. Quidam denique alijs affectionibus & desiderijs rapiuntur, & cõstringuntur: non aliter, quam bestiæ ligantur ad præsepe, singuli suis peculiaribus capistris. Cumque semel passionibus istis aditum ad cor suum patefecerunt, eueſtigio eodem cum studio & amore, quo finem vltimum homines amplectuntur, quærunt & sectantur media, quibus id quod appetunt, consequantur. Ideo quidam noctes atque dies libris voluendis incumbunt, vt ad finem veniant optatum: Alij facultatibus quærendis studeant, quamdiu viuunt. Alij ad negociationes animum applicant, aut aliud quid agunt, quo sese obtenturos, quod quęrunt, existimant. Postquam enim radici locum semel dederint, etiam omnibus ramis inde pullulantibus, velint, nolint, locum dare coguntur. Hæ sunt absque dubio herbæ noxiæ, hæ spinæ illæ Euangelicæ, quæ Matth. 13. suffocant semen verbi Dei. Homo enim istis negocijs tam superuacanea solicitudine implicatus, nec tempus, nec animum habet liberum, vt vacet Deo. Accidit igitur non rarò, vt hominem orantem Dæmon confestim interturbet, ab oratione abducat, de cœlo in terram præcipitet: sed & nonnunquam eum trahit, vt sese conuertat ad agendum id, quod pellicit & intuitat affectus animi, seu passio: adeo vt cũ vocat illum Deus ad mensam, ad amplexus, ad blanditias suas, & ad participationẽ spiritus sui, venire nolit, vocem Domini contemnat, & res vanas, ad quas appetitus vocat, sectetur. Ergo qui sic Deum quærit, certus sit, quod numquam illum inueniet. *Nemo enim*, teste Saluatore, *potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Qui verò contrarium facere volunt, similes sunt colonis illis, & neophytis Samariæ, ab Assyriorum Rege in terram introductis, de quibus ait Scriptura, *quod coluerunt Dominum; Diis quoque suis seruiebant.* His dicendum est illud Prophetæ Samuelis ad filios Israel; *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli & eruet vos de manu Philistiim.* Quid si homines diligenter intuerentur, quantum est id, quod debetur Deo, & quàm exiguũ est, quod cor humanum dare potest: agnoscat manifestè, diuidi illic non posse, vbi tantum debetur, & tam parum potest dari. *Coangustatum est*, ait Esaias, *stratum: ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest.* Videtur illud perspicuè in angustia cordis humani, quod Deum simul & mundum capere non potest.

Matt. 6, 24.

4. Reg. 17, 33.

1. Reg. 7, 3.

Esaiæ 28, 20.

Quis negat illum infelici iunctum matrimonio, qui conijcit oculos suos in aliam quàm in propriam vxorem? ita malè iunctus est Sapientiæ diuinæ, cuius animus externis amoribus irretitur: Age igitur, mi frater, fac castus amator cælestis illius Sponsæ sis: caue infidelis Sponsus, aut adulter sis illi deuotæ Sapientiæ: caue introducas in domum tuam pellicem. In veritate namque dico, non esse iuuenculam, quæ tãtopere labefactat & restringuit amorem coniugum, & quæ sic furatur & consumit quidquid habent, quàm quælibet harum affectionum, quando nimis sunt inordinatæ: restringuit amorem Dei, & omne bonum illius absumit.

Cor liberum ab omni appetitu offerendum.

Oportet igitur in hac via ambulare volentem omnes affectiones extraneas ex animo eradicare, & cor suum offerre Deo, tanquam materiam primam, nudam ab omni forma, vt Deus ipse, quidquid vult, illi imprimat sine vlla contradictione. Hæc est illa resignatio, à magistris vitæ spiritualis tantopere laudata, ad quam pertinet offerre Deo cor liberum, & ab omnibus affectibus, desiderijsque mundanis ex-

peditum: ne quid in eo sit, quod sistat influentias, & impediat operationes Spiritus sancti.

Animaduertendum hîc est, duo requiri in cuiusque operis perfectione, vnum quod agit, alterum quod patitur: vnum quod imperat, alterum quod paret. Si cupias vt Deus opus suum in te perficiat, vide quomodo duo hęc sint eligenda. Quia namque
Matt. 22, 21. indecorũ est vt Deus obediat, & tu imperes, *da Cæsari quæ sunt Cæsaris; & Deo quæ sunt Dei.* hoc est, Deo permitte vt te gubernet, te dirigat, & in te quod vult operetur: tu autem manum tuam illius manu, instar particulam cretæ, quæ non reluctatur, manu scribentis subijce. Non est autem alia lucta nec alia resistentia præter eam; quæ ab affectionibus & voluntate, earumque operibus & negotijs mouetur.

Quia verò in hac vita non possumus omninò ab omnibus occupationibus & exercitijs externis esse liberi, id saltem agamus, ne animus ijs obruatur, imo semper affectus diuinæ Sapientiæ sceptrum in manu habeat, omnibusq; studijs nostris dominetur. Dicamus semper ex toto corde nostro illud Sapien-
Sap. 8, 2. tis; *Hanc amaui, & exquisiui eam, à iuuentute mea, & quæsiui sponsam eam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* Hic est vltimus finis noster, hæc est certitudo nostræ felicitatis, ad hoc creati sumus, & propter hoc creata sunt omnia. Omni tempore quod in eo consumimus, cogitemus nos viuere, & quodcunque tempus sine illo nobis elabitur) modò legitima non subsit causa) id nobis perijsse existimemus.

Omnia negotia nostra reliqua corpore potius, quam spiritu, & manibus potius, quàm corde tracte-
1. Cor. 7, 29. mus, iuxta consilium Apostoli, dicentis: *Hoc itaque dico fratres, tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt tanquam non possidentes: & qui vtuntur tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Cùm itaque omnia hæc tam breuia sint & caduca, non merentur amari affectu atque amore illo, quo summum illud bonum amari dignum est.

Tanti hoc momenti est, vt ab eo solo dependeat ordo vitæ spiritualis, vti apertè monstratur hoc argumento: In operibus moralibus finis, radix est & fundamentum eius, quod agendum est. debitis igitur modis & locis ordinatis finibus reliqua omnia erunt ordinata: sin autem fines inordinati sint, & mutati, seu peruersi, omnia peruersa erunt & inordinata. Imaginare igitur, & firmissimè tibi propone, præcipuum vitæ tuæ fundamentum esse conuersatione, & familiare cum Deo commercium; cogita hoc tuũ esse gaudium, hanc tuam hæreditatem, hunc tuum thesaurum, hoc summum tuum bonum; claude oculos tuos omnibus rebus alijs, & subiectis ijs pedibus tuis, hoc vnum enitere, totum vt te Deo deuoueas. Hoc enim studium (vti diximus) finis est, in quem creati sumus: Hoc est opus optimum, quod à creatura fieri potest, hæc optima pars quam elegit
Luc. 10. Maria: hæc Deo est gratissima: hæc eius cultui conuenientissima: hoc opus est vitæ contemplatiuæ, quæ præstantior est & perfectior actiua: hic denique exercetur cor nostrum in amore Dei actuali, qui omniũ operum nostrorum est optimum. dicit enim B. Thomas, interiorem charitatis affectum excellentissimum, maximèq; meritorium actũ esse, omniũ aliorũ, qui ab homine proficiscuntur. Cui itaq; meliori studio, cui nobiliori occupationi potes animum tuũ applicare? Quod si amicus sis scientiæ, & veram cupias edoceri Sapientiam; securus esto, Deus amicos suos & familiares hic docet arcana, & quæ omnem superant Philosophiam. Præterea sapientia, quam hic tradit Deus, tam sublimis est, & excellens, vt omne aurum, hoc est humana sapientia in comparatione huius sit, quasi grantum arenæ, & argentum omne cum hac collatu, quasi lutum. Præterea quem-
Sapien. 7. admodum huic fini nec potestis, nec debetis alium anteponere, sic nec exercitijs medijsque, quibus is finis acquiritur, alia negotia occupationesue aliæ sunt anteponenda. Quidquid in mundo est, accidentale est, & instabile: solus amor Dei natet super omnia, dominetur & prænaleat omnibus, regnet super omnia. Non est peccatum aliquod grauius, quam Dagon collocare iuxta arcam fœderis, id quod fecerũt
1. Reg. 5. Philisthijm: sed statuenda est arca fœderis, in loco eminentiori, Dagon verò in terra iaceat pronus ante arcam Domini. Hoc ordine & serie finis amore compositio, omnis vita erit ordinata: amore verò finis inordinato, tota vita erit confusa & perturbata.

DE COMMUNIORIBUS QVIBVS-dam tentationibus, qua Orationis studiosos solent magis infestare.

CAPVT XXIX.

TEMPVS & locus nunc postulant, vt de communionibus tentationibus agamus, quę hominibus deuotis plurimum negotij solent facessere, deque remedijs aduersus illas vsurpandis.

DE PRIMA ET MAXIME VSITATA tentatione, quæ est defectus consolationum spiritualium.

PRIMA, & multorum communis tentatio est, nimius dolor, qui multos affligit, cùm sensibilis deuotio & consolationes spirituales & deficiunt, nec sentiuntur. Quidam enim cùm neque has, neque lachrymas inueniunt, in suis exercitijs sic turbantur, vt incidant in tentationem pusillanimitatis, & diffidentiæ: arbitrantes Deum sibi iratum, nec amare amplius, quibus solita negat gaudia, & consueta solatia.

Sunt alij qui deficientibus consolationibus diuinis statim ad humanas conuertuntur, & incipiunt clamare ad portam carnis, quando iam ostium sibi sentiunt obseratum. adeo vt non diutius perseueret huiusmodi in via Dei, quam quousque fluunt dulcedines, & consolationes diuinæ: subtractis illis, subito ab incepto resiliunt, & obliuiscuntur curæ sui ipsorum. Ex his nullus vtilitatis fructus exspectãdus, quamdiu hoc modo vacillant. Sunt enim quasi inutile illud semen in Euangelio, quod cecidit super
Matth. 13. petram, exortumque, quamdiu humorem aquæ æ- Simile. stiualis habuit, creuit: sed humore deficiente, quia nec radicem habebat, nec fundamentum firmum, orto sole æstiuauit, & exaruit. Tales nunquam stabilitatem aut fundamentum vllum habent in suo modo viuendi: quemadmodum enim mare crescit crescente Luna, & decrescit illa decrescente: sic illi flu- Simile. xu & refluxu consolationum spiritualium reguntur: nunc sensus habent collectos, nunc sparsos: nunc deuoti sunt, nunc indeuoti, & dissoluti: nunc quieti, nunc inquieti: cùm enim non habeant aliam basim & constantiam, quam consolationum diuinarum, non possunt esse stabiles, aut constantes in suo modo viuendi.

Nonnulli similiter sunt, qui cùm non inueniunt in orationibus suis lachrymas illas, eamque compunctionem, quam optant, conantur illam vi extorquere, & quasi brachiorum fortitudine exprimere: qui quo magis laborant, tanto fiunt duriores, magisque desolati. Quod piè sic disposuit Dominus, vt intelligant

telligant non esse hanc aquam sanguinis, sed cœli: & quod non viribus humanis paratur, sed cum humilitate & patientia expectatur, quando, & quomodo Dominus eam dare vult: ille enim est, vti in Iob
Iob.26,8.32. scribitur, *qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum, qui in manibus suis abscondit lucem & præcipit ei, vt rursus adueniat.*

Sed vt manifestius declaretur, quod dictum est, placet hoc loco ponere causas, propter quas Deus nonnunquam subtrahit; negatque suis spirituales consolationes, & quid isto tempore faciendum est.

RATIONES SEV CAVSÆ, OB quas Deus amicis suis subinde negat spirituales consolationes.

CAPVT XXX.

SCIENDVM ante omnia hoc loco est, Deum non semper tollere consolationes à seruis suis, quia culpæ eorum hoc meruerunt: aut etiam ad damnum eorum: sed frequenter ob alias causas.

I. Inter has prima est, vt conseruetur salus, & vita iustorum. Fit enim non rarò, vt tanta sit gaudij consolationisque magnitudo, quę in oratione cum lumine & cognitione sentitur: quæque ibi à Deo de sua bonitate, sapietia, & pulchritudine datur, vt si diu duraret, nec debile corpus ferre posset, nec ipsi recordarentur, quid corporis necessitas postulat: sed negligerent sibi subuenire. Ideo benignus ille Dominus aufert aliquamdiu ab illis consolationes, & dulcedinem, vt restaurent corporis debilitatem, atque ita sine miraculo vita conseruetur: qua comite, maiorem, augustioremque coronam sibi comparent.

II. Subinde facit hoc, vt humilitas conseruetur, vt cognoscamus bonum illud cùm habemus non esse nostrum, sed illius posteaquam nō quando volumus
S.Bonau. li. 3 Ikiner. & lib.solliloq. c.3. & 4. semper habemus, sed quando Deo placet, illud nobis datur. Eam ob causam ait S. Bonauentura, sæpè negatur cùm quæritur; & conceditur, cùm non expectatur: vt ex eo constet esse illud opus diuinæ gratiæ.

III. Similiter aufert Deus suas consolationes, vt nos probet: hoc est, vt videat si omni tempore fideles ei
Prou.17,17. sumus amici; tam in aduersitate, quàm in prosperitate: & an seruiamus ei ob proprium nostrum commodū, an potius ad gloriam, & amorem eius. *Amicus enim verus*, vt ait Salomon, *omni tempore diligit, & frater in angustijs comprobatur.* Aliquando Deus hoc facit, vt hoc modo tollat occasionem, ne homo occupetur in exercitio vitæ contemplatiuæ; idooque
Mal.107,2. descendat ad actiuam, in qua etiam exerceri nos oportet, vt dexteri simus, & experti in omni virtutū genere, vtque dicere nobis liceat cum Propheta: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: bis dicit paratum, vt significet cor suum paratum ad consolationes vitæ contemplatiuæ, nec non & ad molestias vitæ actiuæ, ad dulcedinem amoris diuini, & ad labores amoris proximi, ad crucem, & ad regnum, ad cœnandum cum Domino in mensa illius, & ad descendendum cum illo in prælium.

Hoc est quod monet Sapiens, cùm ait: *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.*
Eccl.4,36. Non enim parati tantùm esse debemus accipere diuinas gratias; sed etiam immolari pro illo, si sit necessarium. Felix anima cuius cor ita dispositum est, quæque existens in illa perfecta subiectione fruitur perfecta libertate; tanquam perfecta Dei famula, & sane omnium rerum Domina: omnia enim sibi subiecit, nec aliquid eius pacem potest interturbare. Non omnium est ad eam perfectionis gradum peruenire: dicit enim B. Gregorius, paucorum esse, qui
S. Greg. in Registro. li. 4.ep.37. c.8 iud.3. veniunt ad eam dexteritatem quam Aoth ille habuit, de quo dicit Scriptura: quod vtraque manu pro dextera vtebatur: qui figura est hominum perfectorum, qui non minus dextri sunt & expediti ad labores & opera vitæ actiuæ, quā ad delicias & dulcedinem vitæ contemplatiuæ, quod sanè quàm paucissimis concessum est.

V. Accidit etiam vt inueniantur personæ quædam piæ, quæ ferè semper in continua cordis ariditate viuunt, idque non semper culpa sua, sed quia sic placet Domino, qui electos suos non semper circumducere vult per viam eandem, nec eodem modo saluare: sed multis, ijsque diuersis, vt sic magis eluceſcat sapientia, & prouidentia, per varios modos, quibus vtitur in salute suorum electorum promouenda.

Ideo non semper eodem modo operatur, quemadmodum ij qui ad vnum aliquod exemplar, & typū quid faciunt: sed modis diuersis & multis, tanquā is qui liber est & facere potest quid, & quomodo suæ diuinæ placet Maiestati. Ita vt quemadmodum ipsō est infinita virtus: sic diuersissimas habet vias salutem nostram operandi. Scio, inquit Doctor quidam, hanc doctrinam multis tepidis & ignauis fore graram: solent enim hanc sibi sumere, tanquam prætextum, & velum suæ negligentiæ, dicentes dispensatione diuina, non sua negligentia deuotionē se nullam sentire, cùm tamē causa defectus huius sit, quod oscitantes & tardi sunt in orationibus, abstineantq; se ab omni bono exercitio: nec velint pulsare ostium illius, qui nunquā preces eorum aspernatur, qui feruenter orant: sed dat ijs, quod petunt, aut saltē, quod ipsis conueniens est, & salutare.

Præter rationes commemoratas, alia est nequaquam minima, nimirum quia Deus vult electos suos ad summum perfectionis gradum extollere. Ignorandum enim non est, consolationes spirituales esse infantium cibum & dulce lac, quo Deus nutrit suos, atque à mundi voluptatib. auocat, vt harum voluptatum dulcedine inescati, alias omnes oblectationes contēnant, & amoris diuini dulcedine capti, omnem amorem huius mundi abijciant: Alioquin enim homines (quia maxima est hominum imbecillitas) nunquam possent induci, vt vni amori renuncient, nisi alium inuenerint dulciorem, incundioré, & excellentiorem: quo capti, iam sponte deserant priorem. *Deus negat suis consolationes, vt sint perfectiores.*

Hanc ob causam videmus plerunq; maiores, sensibiliores q; esse consolationes incipientium, quam eorum, qui iam aliquo modo exercitati sunt: videt enim Deus tyronibus eas maximè esse necessarias, & proinde pro qualitate morbi, prouidet illis remedia. Ceterum vbi iam nonnihil adoleuerint, & cibo hoc nutriti creuerint, vult Deus, vt iam desinant esse pueri, à lacte abstineant, & solidiore cibo vescantur:
1 Cor.13,11. *Cum essem paruulus*, inquit Apostolus, *loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir euacuaui quæ erant paruuli.* Sic videmus inter aues, & animalia bruta, postquam primum excluſit pullos mater in nido, quærit eis, vnà cum patre cibum, quem implumibus adhuc pullis in os ingerit, sine vlla eorum molestia vel labore: sed cum iam adolescunt, plumasque & pennas habent, prouocant eos parentes ad volandū, vt ipsi victum quæritent, vitamque deserant imperfectam, & desidiosam, melioremque auspicentur. Idem cum spiritualib. suis filijs agit bonus ille Deus, qui vt auctor est naturæ, & gratiæ; sic in vtraque vno eodemq; modo operatur. Ob hanc autem mutationem, non debet minui deuotio, & amor bonorum erga Deum: sed potius augeri, & in præstantiorem mutari: etenim etsi amor ille erat dulcior, hic tamē est fortior: ille feruentior, hic tranquillior: ille maior in carne hic maior in spiritu; vt homo dicere

2.Cor.5.16. posit cum Apostolo: *Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.*

Cum homo ad hunc statum peruenit, nõ iam deficit amplius in tribulationibus, etsi consolationes ipsæ deficiant: imò diligenter vigilat, & sui ipsius custodiæ intentus est: siue consolationes mittantur, siue non mittantur. Ad hunc perfectionis gradum meritò debent omnes amatores Dei aspirare: ad quẽ si aliquãdo perueniant, reddant Domino maximas gratias, qui excusit eos ex fascijs infantilibus, & ad

Gen.21,8. statum perduxit securiorem: *Creuit puer*, ait scriptura, *& ablactatus est, fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Diligenter hoc loco notandum est, Patriarcham non fecisse conuiuium, quo die puer natus est, cùm tota familia propter natiuitatem Isaac exultaret, sed quo die ablactatus est, cũ iam plangeret puer, & vbera matris postularet, in quibus fugere iam volens, illitam amaritudinem degustauit. Quanto maius & splendidius conuiuium faciet æternus ille Pater, cum viderit filios suos ab omnibus voluptatibus, non tantum carnalibus, & mundanis; sed etiam spiritualibus ablactatos? Luc.15,10. *Magnum gaudium* inquit Dominus, *erit in cœlo coram Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente*; licet vinea adhuc in flore sit, & à leuissima pruina facilè obrigeat. Cùm autem periculum illud euaserit, & botros ferre cœperit, tunc cantant Angeli psalmos graduales: tunc enim anima iuncta est per ordinem suum primo perfectionis gradui, vsque ad vltimum. Primus est operari, & in bono perseuerare, quamdiu inuenit consolationes: vltimus verò est, idem facere, siue consolationibus fruatur, siue non fruatur. Anima enim quę verè Deum amat, nihil potest illi gratius facere, quàm vt patiẽter ferat, si quãdo Deus ei dulcedinem illam, illiusque gustus suauitatem subtrahat. Huius rei magnam rationem habuisse Dauidem, ex eo patet, quod iurat per diuinam hanc consolationem, dicens; Psal.130,2. *Domine si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meã; sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea* q.d. nisi humilis fuero, veniat tale flagellũ super me, vt à te deferar, & derelinquar, non aliter atqui puer ablactatus, ab vberibusque matris suæ depulsus. Quanta igitur erit animæ illius perfectio, quę veniens ad vbera diuinarum consolationum, inuenit illa nonnunquam iuxta suam opinionem arida, & tamen patienter id fert; atque nihilominus in sua innocentia perseuerat?

Mirum igitur non est, si sit coram Angelis gaudium in cœlis, quando vident iustos in terris omni consolatione destitutos: videt enim Isaac pannis infantilibus ereptum, & à lacte depulsum, nunc in virum perfectum paulatim euadere. Hominibus, qui ad hunc gradum venerunt, solet Deus partem largiri suorum secretorum, tanquã ijs, qui perfecti sunt: iuxta illud luculentissimum Esaiæ testimonium;

Esaiæ 28,9. *Quem docebit Deus scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus*, hoc est, illos qui amore Dei omnib. voluptatibus renunciârunt, non tantùm temporalibus, sed etiam spiritualibus.

Has aliasq; similes ob causas Deus seruis suis nonnunquam consolationes spirituales subtrahit: atque ex ijs patet sæpe fieri id sine hominis culpa, vt & sponsa ipsa in Canticis testatur, his verbis; Cant.5.6. *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat: atq; transierat: quæsiui & non inueni illũ, vocaui, & non respondit mihi.* Pessulum quo clauserat ostium suum aperuerat, significans (vt B. Gregorius ait) se fecisse, quod facere potuit, & debuit, quantumq; in se erat, ad recipiendum sponsum suum: cor suum in amorem Christi, quod prius durum erat, soluens, & sponso pulsanti ad ostium, introitum, remotis omnibus fluxis voluptatibus, liberum faciens. Et tamen non inuenit illum, quia sic sæpè disponit Deus, propter maius bonum electorum, vt dictum est.

Gregor. in cap 5. Cantic.

Stella quæ duxit Reges ex Oriente, non semper antecedebat eos: sed nonnunquam sese abscõdebat, Matth.2. & paulò post iterum videbatur: tamen vtrumque erat ad illorum beneficium. Cùm primò apparuit, inuitabat eos ad adorationem noui Regis; cùm postea disparuit, fecit eos in quærendo loco, vbi nouus ille Rex nasceretur, diligentiores: & cum denuò apparuit, ingeminauit eorum gaudium, duxitque eos recta via, donec staret supra domum, in qua Christus erat.

Sed quid dico stellam Regibus absconditam, cũ Christus filius annorum duodecim innocentissimæ Matri sese subtraxit? quid meruerat cur filium suum Luc.2. perderet? Sed amisit mater illum ad nostram consolationem: quæsiuit ad nostrum exemplum, & inuenit ad nostrum remedium. Quæsiuit illum cum dolore & diligentia: inuenit illum cum ineffabili gaudio & lætitia in vtroque non diminutus est, imò creuit (licet modis differentibus) amor: in absentia enim crescebat desiderium, & in præsentia gaudium. Hoc modo verus Sol iustitiæ nonnunquam oritur, & ad nos accedit: aliquando rursus à nostro climate aberrat. vtrumque tamen beneficium nostrum est, & reparatio vitæ nostræ.

Frumentum in terra iactum, eget aliquo tempo- Simile. re vt congeletur, & induretur: aliquo etiã vt molliatur, & calesiat. neutrum illi obest: rigore namque & duritia altiores, in terram mittit radices; mollitiè verò & calore elicitur, & crescit super terrã. Si toto tempore calefactum fuisset granum, sine radice & sine fundamento excreuisset, leuique vento deijceretur. Vtrumque igitur necessarium est, vnum, vt crescat, alterum vt radices agat. Vtraque tempestas animabus etiam nostris est necessaria, vt crescant in charitate, & radicentur in humilitate. Quoties igitur frigescunt, & exiccantur, cognoscant suam paupertatem, fiantque humiliores. Quoties verò à Deo visitantur, gustent eius ineffabilem dulcedinem, & amore illius amplius accendantur. Cùm itaq; oporteat hominem & Deum, & seipsum cognoscere (vna enim cognitio sine altera non sufficit) necessum est, vt duo sunt tempora, duabus his cognitionibus assignata: vnum in quo homo per experientiam suam agnoscat miseriam; aliud in quo per eandem experientiam diuinam addiscat misericordiam, vt hac cognitione magis eleuetur in amore Dei, illa verò semetipsum humilius contemnat.

S.Augus. li. 2. soliloq. c.2 & S. Anton. ep.6.

Ex his patet, quam grauiter hallucinantur, qui abijciunt suum exercitium, ab eoque recedunt, cum non statim inuenerunt diuinas consolationes quando quærunt & appetunt eas. Indignum est, vt quis appetat Deum sibi catena sic deuinctum habere, vt quotiescunque vult, eum quasi ex manicis extrahat: adeò, vt si non statim adsit, iam amplius eum quærere non velit. Non immeritò sanctissima illa vidua Iudith eos increpauit, qui constituerant ter- Iudith. 8,11. minum, in quo nisi Deus ipsis opem ferret, iam deliberauerãt vlterius non esse expectandum. *Qui estis vos*, inquit, *qui tentatis Deum? non est iste sermo qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* Eadem reprehensione digni sunt, qui statim Deũ inuenire volunt, cùm quærunt illum: & nisi confestim inueniant illum, absque mota desperant, & amplius eum quærere dedignantur.

QUID

QVID HOMO FACERE DEBEAT cùm diuinarum consolationum fluxus sistitur.

CAPVT XXXI.

CVM te diuinis consolationibus vides destitutum, nõ debes intermittere solitum orationis exercitium, etsi illud insipidum tibi videatur. Imo debes tunc in conspectum Domini, tanquam reus & culpabilis venire, examinare, magnaque diligentia conscientiam tuam discutere, & inquirere, si forte tua culpa consolationes Spiritus S. amiseris. Quod si rem ita sese habere intellexeris, proijce te humiliter ad pedes illius cum sancta illa peccatrice, & verere cum publicano tuos oculos in cœlum attollere: iacta temetipsum in viscera infinitæ illius charitatis, supplicans ei cum summa fiducia, vt tibi, ignoscat, & ostendat diuitias inæstimabilis suæ patientiæ & misericordiæ: tam in expectando, quàm in ignoscendo ei, à quo toties ad iram prouocatus est. Hoc si feceris, fructum ex tua siccitate, imò etiam ex tua culpa erues captãs ex ijs occasionem humiliandi te, dum vides quantitatem tuorum peccatorum; & amplius Deum amandi, dum vides quot & quanta tibi remittat. Sed & cautior & oculatior in posterũ eris, ne dormias, aut securus sis in pugna, cùm ingruit: hæc enim communis est vtilitas, quam iusti ex suis lapsibus capiunt.

Ioan. 19. Luc. 18.

Id faciendũ in oratione quod possumus.

Quamuis etiam eo tempore non sentias in tuis exercitijs aliquam dulcedinem; non tamen debes te ab illis abstinere: nõ enim necesse est, vt semper dulce sit, quod est vtile: sæpe namque contrarium fit. Quid enim fiet de infirmo, si se totum à cibis abstineat, eo quod saporem in ijs non inueniat? oportet aliquando sine gustu comedat, vt paulatim vna cum sanitate gustum recuperet. Id saltem experientia docet, quod homo, quoties in oratione perseuerat cum aliquali attentione, & diligentia, faciens exiguum illud, quod potest, tandem exeat lætus, & cõsolatione plenus. vidēs exiguum illud quod à parte sua fecit, & intelligens multum posse illum coram Domino, qui omne quod potest, facit, licet parum possit. Non obtulit vidua illa paupercula, plus quã æra minuta duo, & tamen sententia Christi laudata est præ omnibus alijs diuitibus, qui multo plura obtulerant. Non enim respicit Dominus ad quantitatem doni oblati, sed potiſimum ad facultatem, voluntatemque offerentis. Multum dat, qui cupit dare satis, qui dat illud quod habet, qui nihil sibi retinet, qui nihil quod in se est omittit. Quid magnum est orare, cùm plurimæ adsint consolationes? id faciet etiam quicunque homo mundanus. Difficile est cùm deuotio est parua orationem tũc multam, maioremque humilitatem, patientiam, & in bonis operibus habere perseuerentiam. Non in eo præcipua laus nauclerj posita est, si nouerit bene gubernare clauum, cùm mare tranquillum est: sed cùm tempestas ingruit, posse tunc vela explicare, vel contrahere, clauum tenere, nauem gubernare, industria fortunam superare, & vim venti arte vincere, hoc demum laudabile est.

Luc. 21.

Simile.

Cùm ab sunt cõsolationes, tunc diligentius vigilandum est.

Secundò necesse est illo tempore, vt maior in te sit timor, & diligentia, quam reliquis temporibus: stadum tunc est super speculam, & ad custodiam suijpsius vigilandum: ponderanda & examinanda sunt cum maiori atrentione verba, opera, cogitationes, aliaq; nostra omnia. Etenim quia tunc deficit spirituale gaudiũ, quod est quasi primarius remus, in nostra hac nauigatione vsurpandus, supplendum est illud diligentia & attentione; licet hæc gratia quoque sit. & nequaquam minima. Cum in eo te statu constitutum videris (vt ait San. Bernardus) vi-

dendum est an dormiant excubiæ, quæ te custodiebant: an ceciderit murus, qui te defendebat, tunc enim omnis spes in armis est collocanda. Non enim tunc murus te defendet, sed arma, & pugnandi dexteritas. O quanta est gloria illius animæ, quæ se defendit sine scuto, & præliatur sine armis, & fortis est sine fortitudine, pugnans sola vires accipit, sine auxilio?

Inter omnes viros fortes Dauid Banaias maximè laudatur, qui interfecit leonem in diebus niuis. Magna gloria est occidere leonem: sed multò maior eum tempore hyemali interficere, quando manus obtiguerunt frigore, & gladium vix stringere potuerunt. Quare cùm anima est tota frigida, & congelata, non sentit in se feruorem charitatis, quem alijs temporibus sentire consuetit: si tamen illo tempore fortiter pugnet cum leone rugiente, vincatque illum, anne digna est quæ fortibus veri Dauid, hoc est, Iesu Christi annumeretur? Nõ est maior laus in hoc mundo, quàm virtutem Saluatoris imitari: inter virtutes autem eius, præcipua numeratur quod pertulit ea, quæ passus est, non habens in inferiori animæ suæ parte vel minimam consolationem. Qui igitur sic patitur, & sic pugnat, tanto perfectior erit imitator Christi, quanto remotior erit ab omni consolatione. Illud est bibere calicem obedientiæ merum, & sine vllo alio liquore admixto, qui aliquo modo amaritudinem eius posset temperare, nisi sola virtutis fortitudine.

2. Reg. 23.

Hic est verus lydius lapis, in quo probatur, quis aurum, quis plumbum: quis verus Dei amicus, quis falsus sit. Dic mihi, vtra fidelior erit vxor & dignior quæ à marito suo in pretio habeatur, ea quę quod iustum est facit, habent maritum suum quotidie ante oculos, à quo singulis pene horis nouis beneficijs & voluptatibus afficitur: an ea quæ longissimè à marito remota, vix multis litteris, vnam ab illo accipit epistolam, & nihilominus in amore & fide illius perseuerat? Multo igitur glorioſior erit anima illa, quæ multis diebus à Sponso suo separata, suam tamen conseruat innocentiam, dicens cum Propheta Iob; *Etiam si me occiderit, in eo sperabo.*

Simile.

Iob. 13. 15.

Non est bona terra, quæ si non continuè irrigetur, fructum non facit, nec sementem fouet: sed quæ & solis ardores, & imbres, & siccitates perferens, nihilominus conseruat depositum, fouetque, & nutrit, quod ei commendatum erat, ea laudatur. Magni faciendus est amicus, qui tempore tribulationis à fide non recedit: illi verò, qui Christum sequuntur, quamdiu comedunt de pane illius, & postea retrocedunt: illi inquam veri eius amici dicendi non sunt, sed sui ipsius, & proprij sui commodi.

Simile.

CONTRA EOS QVI CONTEMNUNT, & irrident diuinas consolationes?

CAPVT XXXII.

OMNIA, quæ hactenus dicta sunt, necessaria sunt ad sanãdum dolorem eorum, qui desperant, animoque defidunt, cùm negatur illis deuotio sensibilis (vt vocant) & consolatio spiritualis. Quia verò malitia nostra tanta est, vt sæpe de medicina faciat venenum, dum quod huic morbo destinatum erat, applicant alteri; admonendum hoc loco est, id quod hactenus diximus, non dictum esse, vt fiant homines ex eo repidiores, & negligentiores: sed tantum, vt robur & animus addatur his, qui pusillanimes sunt & desperant. Inueniuntur enim aliqui, qui ex hac doctrina sumunt occasionem diuinas consolationes, & exercitia, quibus illæ acquiruntur, quasi nullius momenti vel pretij, contemnendi, dicentes, sanctitatem & perfectionem vitæ Christianę,

Ne homines seipsos condemnent cõsolationes diuinas contemnunt.

non consistere in consolationibus spiritualibus, sed in virtute. Nihil magis odit homo, quam si propria sua condemnetur sententia: & quia superbi, qui nunquam gustarunt, quid Deus sit, per id quod sunt, condemnabuntur; si verum sit aliquam sanctitatem in diuinis cõsolationibus positam esse, verè seipsos cõdemnarent. Inuenerunt itaque medium vt scilicet eneruent, & contemnant diuinas consolationes, ne in seipsis habeant, quo confundantur: videntes se tã nudos, & ab omnibus istis consolationibus tam longè remotos. O miseri vos, quia non gustastis, quàm suauis est Dominus: & multo miseriores, qui vt excusetis vestram negligentiam, disseminatis erroris noui pestilentiam, obnubilantes lumen veritatis, ne videatur vestræ malitiæ confessio, atque ita absconditis clauem scientiæ, vt nec ipsi cœlum intretis, nec alios intrare permittatis: clauditis enim illis viam duobus erroribus, quos in schola negligentiæ vestrę didicistis.

Psal. 33.

Dicite mihi, quo colore fucatis hanc vestram doctrinam, vt tam parui pendatis spirituales consolationes? mementote doctrinam hanc non esse traditam à negligentibus & ignauis (quales vos estis) sed ab ijs, qui pusillanimes sunt, & debiles: quique animum statim despondent, cùm auxilium illud non inueniunt. Si arrogans quispiam & præsumptuosus senserit in se consolationem, & fortitudinem, quæ virture verbi Dei datur timidis, & qui modicæ fidei sunt, ad quid aliud proderit illi, nisi vt fiat peior? Si venenum quod mater posuit in angulo domus suæ: vt glires interficiat, à filijs absumatur, & comedatur: nonne erit in exitiũ domus suæ, quod fecerat, vt esset in beneficium illius? Eodem modo flagitiosi illi homines, peruertunt omnes pias doctrinas: abutentes ijs pro se, quæ pro alijs traduntur: & studiose id agentes semper, vt habeant, quo vitæ suæ dissolutionem defendant.

Simile.

Consolationes diuinæ ad quid vtiles.

Dicitis in consolationibus spiritualibus non consistere sanctitatem: Verum quidem est, non consistit ijs sanctitas, sed magnum adferunt ad sanctitatem adiumentum: non est in ijs sita perfectio, sed præcipua sunt iustrumenta ad perfectionem consequendam.

Dicitis consolationes has potius esse partes præmij, quã meriti, & hoc verũ est: sed prẹmium hoc visum, & per experientiam gustatum, accendit, & excitat cor ad labores, idque desiderio tanti boni consequendi. Quemadmodum enim lapis celerius mouetur cum centro suo appropinquat (vt Philosophi dicunt) eò quod gustare iam incipit, & præsentisce re virtutem & conuenientiam loci sui naturalis: sic & cor humanum à Deo creatum, fortius mouetur, quando iam incipit sentire, & gustare aliquid de suo Creatore.

Dicitis perfectionem vitæ Christianę non esse positam in multis consolationibus, sed in patienter sufferendo, quando illa negantur. Nec hoc inficiari possum: sed vnà cum hac patientia, iungi debet magna diligentia: vt recuperetur amissa gratia, nõ propter eam quam habet dulcedinem, sed propter eam, qua nos laboramus, necessitatem: vt quotis tempore prompti simus, ad diuinum cultum & ministeriũ. Etenim nisi maximi fuissent stimuli, qui incitant hominem ad currendam viam Domini cum alacritate, non dixisset Propheta Dauid; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum:* quod sit per gaudium & lætitiam spiritualem: estque gaudium hoc vnum ex præcipuis Spiritus S. fructibus, quo dilatatur cor nostrũ, & ad omne bonum excitatur. Etenim quemadmodum voluptas naturalis præcipuũ incentiuum est, & causa omnium actionum naturæ: sic voluptas spiritualis, causa est omnium operum gratiæ. Ideo dictum est à Poëta; *trahit sua quemque voluptas.*

Psal. 118. 32.

Vt igitur hanc materiam concludam; dico oportere nos eo modo inter hæc duo extrema incedere, vt cùm gratia diuinarum consolationum abest, animum non despondeamus, nec desperemus de Deo: nec etiam securi omninò simus, quando amisimus illam: non omittamus omnia tentare, pati & agere quæ possumus, vt illam recuperemus.

DE SECVNDA TENTATIONE, importunarum scilicet cogitationum bello.

CAPVT XXXIII.

SIMILITER gratuis tentatio est, & non multum differens à præcedenti, molestia & bellum importunarum cogitationum, quæ sese ingerũt orationis tempore, faciuntque vt homo subinde exercitium suum deserat; atque illud est, quod Diabolus hac sua tentatione quærebat. Vnde autem hæc pœna hominibus infligitur nescio, nisi forte ex eo, quod homines sunt: ea enim debilitas naturæ nostræ, in quo statu nunc est, innascitur. Dices fortassis pœnam hanc non esse naturæ, quam habemus, sed peccati, quod committimus, dum enim homo cum Deo sermocinatur, sæpe tergum illi obuertit, ab eoque discessum meditatur. Ad hoc respondeo: Si id accidat propria tua culpa, & voluntate, meritò puniris: nusquam enim melior locus est pœnę, quàm vbi est culpa. Sed quoties id vsu venit, non tua, sed ipsius naturæ culpa (quod sæpe contingit) non est æquum, vt pœnam sustineas, cum manifestum sit, in te non esse culpam. Natura enim humana per peccatum adeo est inordinata, vt vires, & animæ potentiæ inferiores, parti superiori, in qua est voluntas & ratio, perfecte non obediant. Hinc est quod appetitus sensitiuus diuersis sæpe passionibus & cupiditatibus partem illam superiorem exagitat, nec est in nostra potestate, primos istos motus impedire. Sed & imaginatio, quæ est alia non dissimilis potentia, suffuratur aliquando corpus, & erepit clam sine licentia domo, sentientibus quidem nobis, sed impedire non valentibus. Hoc est adeò naturale, & familiare, vt quantumuis homines perfecti sint, non tamen omnino ab hac passione possint immunes esse. Omnes Ægypti plagæ, aut sublatæ sunt; aut mitigatæ per Orationem Moysis; Ciniphes tamen seu muscæ non leguntur sublatę: vt insinuetur, quantumuis homines perfecti sunt, & ab omnibus malis atq; peccatis liberi. ciniphes tamen, quæ magis importunæ sunt, quam noxiæ, non omnino auferuntur. Homo tamen hoc æquo ferat animo, & recordetur, sicut primi motus, qui præcedunt rationem, culpam non aggrauant, sic nec genus hoc cogitationum, quæ abeuunt & redeunt sine consensu nostro: vtrumq; enim vitium est naturæ, non personæ.

Imaginatio sæpe domo eri pot nobis inuitis.

Exod. 8.

Cogitationes subitaneæ non sunt peccata.

Notandum hic est, quemadmodum in alijs conditionibus & proprietatibus naturalibus, vna vehementior est altera: non enim minor est differentia animorum, quàm vultuum (in quibus natura demõstrat, magnam varietatem & artificium) sic etiam importunitatem illam cogitationum naturaliter veni molestiorem esse, quàm alteri neque ob hoc vnus alio est sanctior, aut vnus alio minus sanctus: sed ille sanctior erit, qui fortius contra semetipsum pugnat; & ille minus sanctus, qui cor suum in medijs istis cogitationibus seruat magis pacatum, & minus illa inquietudine afficitur, atq; in ijs, quæ facienda sunt, est remissior.

Qui hac in re debilior est, non debet desperare: sed econtrariò magis semetipsum consolari: etenim

quò

quò pauperiores sunt homines, eo plus iuris habent quam diuites, ad petenda auxilia à xenodochijs & nosocomijs: sic, quò quis peius affectus est, eo iustiorē causam habet à nosocomio diuinæ misericordiæ opē implorandi. Dicit enim Apostolus, Spiritum S. cui optimè notum est quā parū possumus, adiuuare infirmitatē nostram, idq; eo fidelius, quò maior est nostra necessitas, quemadmodum facit bonus paterfamilias, qui porrigit famulo infirmiori cibos delicatiores, etiamsi minus ipsi sint vtiles: non quia est reliquis dignior, sed quia pauperior, aut in maiori necessitate constitutus.

Rom. 8.

Simile.

Propter has itaque causas concludimus, hominē non debere sē nimio dolore affligerè, quando diuersis istis cogitationibus impugnatur: etenim hoc Deū non adeò offendit, sed potius ad misericordiam & compassionem mouet, dum videt quantoperè corrupta sit natura nostra per peccatum: posteaquam vix possumus cor ad cœlum eleuare, nisi mox cogitationes mundanæ illud deprimant, deorsumq; trahant. Quam ob causam credendum est, quēadmodū pater, qui filium habet freneticum, plangit & dolet cum audit filium prudenter secum loqui, & subitò videt deficere, atq; in furorem verti: sic pium patrē cæleſtem dolere, (si fieri posset) cum videt tantā esse naturæ nostræ corruptionem, vt eo ipso tempore, cū secum sapienter sermocinamur, subitò cōuertamur, & per mille cogitationes diuagemur. Qui ergo ad orationem accessurus est, debet ante omnia cogitationes, & curas omnes abijcere, & solus sine comite cum Moyse in montem ascendere, vt cum Deo loquatur, *clauſaq; ostio cubiculi ſui* (vt ait Saluator) *debet orare Patrem in abſcondito.* Quod si nihil ominus tunc etiā venerint super te ciniphes & muscę, de quibus diximus: fac quod olim fecit Abraham, qui cùm sacrificium Deo immolaret, & volucres super cadauera descenderent, abegit eas: vt sacrificium eius esset mundum. *Idem ſi tu quoque feceris, certus eſto* (inquit Gulielmus Parisiensis) *multò plus mereberis in hac pugna, quam ſi Deum ipſum in ſumma guſtares dulcedine, & Diabolus, qui lætus acceſſerat, triſtis & confuſus reuertetur, unde venerat: quiq; volebat te perdere, occaſionem dabit maioris gloriæ.* Quare si mens tua sit casta, & pura, si non accedas Deum, vt tuæ satisfacias voluntati, sed illius amori, nec respicias ad domum amati: sed ad ipsum amatum, non subest vlla causa, cur contristeris: dabit enim tibi quod desideras, & hoc quod ipsi maximè placet, etiamsi non sit adeò delectabile.

Exod. 24. Matth. 6, 6. Genes. 15.

Guil. Parisi. vixit anno. 1230.

Notandum autem hoc loco est, luctam hanc cum cogitationibus istis non debere nimijs fieri laboribus, agitationeq; spiritus nimia, vt quidam faciunt imprudenter, qui existimant huic malo mederi se posse magna, vehementiq; attentione: & sese in hac lucta tantopere exagitant, vt tandem & caput, & pectus fatigent, lædantque. Vnde oritur, vt diu in oratione perseuerare non possint: & cùm semel illam deseruerunt, naturaliter abhorreāt ab ea, atq; ad eā redire vereantur, tanquam ad rem dolore & labore plenam.

Iste est error maximus: non enim negotium est fortitudinis, & violentiæ, sed potius humilitatis, & gratiæ. Optimum igitur remedium est, vt homo in hoc termino constitutus, se conuertat ad Dominum sine scrupulo, & sine timore vllo (non enim hoc peccatum est, aut si sit, leuissimum tamen est) dicat humiliter; Respice Domine, quis ego sum? quid expectas ab hoc stercore, nisi fœculentissimum odorem? Quid expectas ab hac terra, ore tuo maledicta, & & à te excommunicata, nisi spinas & tribulos? Hic enim fructus est, quem ipsa solet producere, nisi tu Domine aliter mandaueris. Hoc dicto reuertatur homo ad præcedens suum exercitium, & exspectet cum patientia visitationem Domini, qui tardare non consueuit.

Vt autem hoc melius intelligatur, obseruandum hoc loco est, cor nostrum esse instar lacus cœnosi, qui multos vapores crassos exhalat, quib. aerem sic obnubilat, vt vix aliquid in eo perspicuum videri liceat: sed quando sol oritur, paulatim vapores illos resoluit, donec oēs disparuerint, cœlumque clarū sit & serenum. Eandem esse naturam cordis nostri, idemque remedium ad dissipandas nebulas cogitationum, ab illo prodeuntes, omninò credendum est. Consilium igitur optimum vtilissimumq; est, ne statim, cùm istæ nebulæ crassiores apparent, animum abijciamus: sed patientes simus, & longanimes: paulatim enim succedet in animam calor deuotionis: qui cum ingressus est, resoluet nebulas cogitationū, & cœlum cordis nostri sudum serenumque reddet. Quo peracto post horam circiter, erit summa tranquillitas, & quies ab omni præcedenti labore. Qui hoc modo negotium istud peragunt, non sentiunt in eo pœnam aliquam, sed potius pacem & consolationē maximā: nec solùm non recusant ad orationē redire, sicut illi priores, sed finita vix vna oratione, statim cogitant de alia: & negotijs alijs, vel postpositis, vel celerrimè peractis, prima quacunq; occasione ad eam reuertuntur, tanquā ad rem summę voluptatis: scriptum est enim, *Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient.* Hæc igitur ratio est, cur quidam fugiunt labores orationis, tanquam rei molestæ, & tædiosæ, alij verò perseuerant in ea, quasi in re delectabili, quod optimè norunt, qui experientia didicerunt, quod nos hoc loco docuimus.

Eccl. 24, 29.

DE TERTIA TENTATIONE COgitationum blaſphemia, atque infidelitatis.

CAPVT XXXIV.

SVnt & aliæ cogitationes periculosiores, & importuniores præcedentibus: quæ specialiter solent impugnare eos, qui primum hanc viam ingrediuntur: sunt q; cogitationes infidelitatis, & blasphemiæ. Homines enim carnales, quorum cogitationes & desideria tota sunt carnalia, etiamsi cōuertantur ad Dominum, non possunt statim obliuiſci figurarum, & similitudinum earum rerum, quas in mundo viderunt. Quemadmodum enim Rachel cū exiret de terra sua abstulit secū idola domus patris sui, sic illi exeant licet de mundo, secum tamen adferunt imagines, & figuras mundi: & cùm sese dant contemplationi rerum spiritualium, statim sese repræsentant res carnales & mundanæ.

Genes. 31.

Sunt qui scandalizantur, & tantum in hac tentatione damnum accipiunt, vt arbitrentur se perditos, & à Deo reprobatos, videntes sese tā horribili genere tentationum impugnari, & subinde vinci: idq; sine dubio maximus error est. Nam quanto longior abest homo à consensu, vel delectatione istius tentationis, tāto etiam longior abest à culpa, omne enim periculū tentationis istius positum est in delectatione, & cōsensu. Non est igitur signum reprobationis, sed sunt causæ naturales, & consequentes statum, in quo quis viuit, dispositionēq; & habitus cordis humani. Videmus quotidiana experientia, si quādo in domo, aut officina aliqua, fœtidum quid, pessimiq; odoris aliquandiu latuerit, aut repositum fuerit, remanet fœtor ille, quantumuis res ipsæ, quæ exhalarunt illum, iamdudum fores eiectæ sint. Nec mirum, si homo eructet illud, quod semper comedit, & si loquatur idioma, quo semper vsus est. Imo credendum est, quod sicuti habitus cogitandi semper res malas, sic sibi obstrictum tenet hominem, vt

non possit cogitare quæ bona sunt: sic è contrario vsus rerum bonarum ita mutat hominem, vt nequeat cogitare ea, quæ mala sunt.

Quæ supra nos sunt non esse discutienda.

Similiter in ipso eodem principio solent homines impugnare multæ cogitationes fidei, maximè intellectum hominũ curiosorum, & nondũ mortificatorum: quibus vsu venit idẽ, quod ciui alicui plebeio, qui veniens in palatium Regis, in quo sunt varia domicilia, sedes & supellectilia, non potest satis mirari, tanquam is, qui similia nunquã vidit, & quærit quid est hoc? quid est illud? Sic homo creatus & institutus ad cognoscendum, cunctaq; rationis angustia dimetiendum, & non fide amplectendum: assuetusq; cogitare ea, quæ nõ excedunt limites, capacitatemq; naturæ, cùm subitò ducitur, vt videat palatia Regis Salomonis, magnitudinem mysteriorum, & mirabilia domus regalis, inuenit tot noua, & rationis suæ capacitatẽ excedentia, vt nec mirari secum, nec seipsum interrogare desinat: Quid est? hoc? quid est illud? quid opus erat Deum hominem fieri & pati? aliaq; similia. Hæ sunt considerationes, hæ quæstiones ignobiles, rudis illius & plebeij, rusticique hominis, mapalibus suis assueti, mensuraque rerum quibus assuetus est metiri volentis magna & mirabilia diuinæ Sapientiæ.

Similis.

Necesse igitur est, vt homo, memor humilis & abiectæ suæ conditionis, cogitet semper, maximam esse præsumptionem, velle Deum seipso mensurare, & res diuinas humanis comparare. Etenim magnitudo rerum diuinarum tanta est, & tam mirabilis, vt non excedat solum omne id quod homo potest facere; sed & omne id, quod potest intelligere, aut mẽte cõprehendere. Præterea, quẽadmodũ infinita est distantia inter esse diuinum & esse creatũ: sic infinita est distantia inter operationes vtriusq; qualis enim est modus essentiæ talis etiã est modus operationis. Sapientissimus erat Salomon, fatetur tamen hominem non posse integram dare rationẽ alicuius rei à Deo factæ, quantumuis exigua illa sit: quomodo igitur rationem reddet operum gratiæ, qui nõ potest dare naturæ, cùm illa his multò sint excellentiora?

Eccl. 11, 5. *Quomodo non cognoscis tu, ait, quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnãtis?* ad-

Hier. in Eccl. & epist. ad Ctheliphon. dit Hier.) *nec quomodo ex vno vili elemento corpus hominis in diuersas effigies, artusq; varietur. & de eodem semine aliud mollescat in carnibus, aliud durescat in ossibus, aliud in venis palpitet: & aliud ligetur in neruis, ita opera Dei scire non poteris, qui factor est omniũ.*

Considerans igitur homo illud, debet secum in omni humilitate verba hæc Sapientis dicere: *Si difficile æstimemus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inueniamus cum labore: quæ in cælis sunt quis inuestigabit? Quis enim hominum potest scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Sed quid mirandum hominem non posse scrutari opera diuini artificij, cùm sæpè non possit comprehendere aliorum hominum opera, qui sunt eiusdem secum

Sap. 9. 16.

Chrys. Hom. 2. in Genes. naturæ? Si quis vas vitreum, inquit Chrysostomus, & pretiosum ostendat alteri, qui nunquam vitrum vidit, & dicat ei, Pulchrum illud vas factum est ex certa quadam herba, & arena: & quod plus est, solo hominis afflatu: alter id nec credere poterit, nec intelligere, quomodo illud sit possibile. Si homo itaque non potest intellectus sui inopia intelligere artificium, & opera aliorum hominum, quid præsumit inuestigare se posse artificium, & opera illius Domini, qui ficti dicitur. Admirabilis ita etiam omnia opera eius sunt admirabilia? Sed quid dico de operibus aliorum hominum? Dic mihi quomodo apes ædificant cellulas suas? fauos suos, & mel quomodo conficiunt? aranea quomodo texit telam suam, & bombix net sericum? Quare si vermium opera non intelligas, nec imitari poteris, quot illi faciunt, quid frustra torques temetipsum, vt scruteris & comprehendas tuo intellectu opera diuina?

Proinde summa hic discretione opus est, vt homo considerans ab vna parte, quanta est vilitas humana ab altera verò quanta est excellentia & celsitudo diuina, sequatur consilium Ecclesiastici, dicentis: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris:* Eccl. 3, 22. *sed quæ præcepit tibi Deus, ea cogita semper: & in pluribus operib. eius ne fueris curiosus: non est enim necessarium, ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius, non eris curiosus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.*

Quomodo diuina scrutanda sunt.

Igitur qui intrare vult diuinorum illud operum sanctuarium, intrare debet cum magna humilitate, & reuerentia, habens oculos simplices colũbæ, & nõ altuti serpentis: cor autẽ simplicis discipuli, non temerarij iudicis. Paruus esto puerulus: tales enim solet Deus sua docere secreta. Noli in omnibus quærere quare Deus hoc aut illud ita fecerit? Verbũ enim illud *quare* verbũ serpentis est, & principium nostræ perditionis. Claude oculos rationis, & aperi oculos fidei: fides enim instrumentum est, quo solo diuina sunt contẽplanda & scrutanda. Ad considerandа opera humana, vtilis est oculus rationis: in diuinis verò rudis est, & inutilis, nisi gratia cœlesti adiuuetur.

Quamuis hæc omnia ad omnes in genere pertineant, maximè tamen pertinent ad incipientes, quibus tanquam discipulis & pueruli ante omnia credendum est, deinde exercitatiores & adultiores facti, iã tunc poterunt determinare & iudicare. Quẽadmodum enim puer, quamdiu prima discit elemẽta, credere debet, quod dicit præceptor, nec interrogare, cur illa litera dicatur a, & ista b: Postea verò cũ iam didicit literas & syllabas connectere, vocesque formare singulorum rationem licebit interrogare: Sic qui incipit considerare, atq; discere hoc mysterium, primum credere debet illud, quod ei proponitur: deinde paulatim progrediatur ad cõtemplandã admirabilem singulorum conuenientiam. Qui aliter faciunt, nunquam intelligent, iuxta illud Prophetæ: *Nisi credideritis non intelligetis.* Esai. 7, 9.

Simile.

DE QVARTA TENTATIONE, NIMIO scilicet timore.

CAPVT XXXV.

SOlet etiam quosdam, & maximè fœminas, turbare timor, quo minus nocte audeant adire loca secreta, & ab hominum commercio separata ad orandum. Cæterum non est remedium efficacius ad amorem illum superandum, quàm si homo forti sit animo, & in exercitio suo perseueret: tentationis enim id genus non vincitur fugiendo, sed pugnando: imò credimus plerumq; fugiendo timorem crescere, pugnando verò minui & expelli. Quemadmodum igitur equos timidos, non in stabulo & timore suo detinemus, sed vi frænorũ, & calcarium inuitos ducimus per loca, à quibus abhorrent, & quę metuunt: sic etiam cogendus est animus timidus, & meticulosus, vt sic tandem vanum suum timorem exuat.

Timor fugiendo augetur.

Simile.

Sed quæro ab illis, qui sic metuunt. Quid timetis, & cur timetis? si dixeritis, timere vos ea, quæ alterius vitæ sunt: certum est, nihil posse nocere vobis, nisi cum consensu & licentia communis omnium Domini. Quod si ille vos punire voluerit, vbique id facere potest: & si punire noluerit, nihil quærentibus vobis nocere prodest loci oportunitas: nemo enim sine illo potest vos lædere. Si dixeritis quia Diabolum metuitis: non minus accisa est eius potentia, quam aliorum: eius enim vires non extendunt se

Diaboli vires accisa.

latius,

latiùs, quàm vult diuina prouidentia. Leo qui interfecit Prophetam inobedientem redeuntem de Bethel, non lacerauit cadauer mortui, nec læsit asinum eius. Cumque venissent qui sepelirent eum, inuenerunt cadauer in via proiectum, & asinum, & leonem stantem iuxta cadauer: non comedit leo de cadauere, nec læsit asinum in qua figura adumbratur, quàm coarctata, & suis limitibus circumscripta est rugientis illius Leonis in hominem potentia, nec posse illum vires suas vlterius extendere, quàm præcepit illi Deus.

3. Reg. 13.

Angelorum custodia.

Et quid de Angelorum custodia dicam, quæ semper est in circuitu nostro? Quomodo poterit homo timere talibus excubijs, & tot propugnatoribus munitus? Timebat seruus Elisei, videns domum Domini sui ab hostibus obsessam. Et aperuit Dominus oculos eius, & vidit & ecce mons plenus equorum & curuum igneorum in circuitu Elisei. Etiamsi tu Propheta non sis, sufficit vt viuas in timore Dei, vt particeps sis illius custodiæ, iuxta illud Prophetæ: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Norunt profectò Dæmones huius custodiæ fortitudinem, posteaquam vnus eorum colloquens cum Deo, dicebat: *Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamq; substantiam per circuitum* ne quis ei nocere possit? Respice quomodo fratres adultiores, iuniores in brachijs portãt, cum adhuc paruuli sunt: & quomodo custodiunt eos, cum summa cura & prouidentia, eodem modo felices illi spiritus, qui sunt quasi fratres nostri maiores, custodiunt nos, qui sumus tanquam fratres eorum iuniores, & paruuli: portantq; nos in brachijs suis, vt ait Dauid. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnib. vijs tuis: In manibus suis portabunt te ne forte offendas ad lapidẽ pedẽ tuum.* Ceterum parum sit Angelos nos in manib. suis portare, cũ illud ipsum Dominus, & creator noster ipse faciat, vti testatur apud Prophetã, dicens: *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierũt quod curarẽ illos.* Idem est quod dicit per Prophetam Zachariã: *Qui tangit vos tangit pupillam oculi mei.* Et apud eundem dicit, se fore nobis murũ igneum, circundantem nos vndiq;. Quid igitur metuis, ô homo, tali muro circumseptus? an æquum sit vt somnijs & phantasmatib. tuis potius credas, quã verbis & promissionibus diuinis?

Psalm. 33. 8.

Iob 1. 9.

Similc.

Angeli nos in brachijs portant.

Psal. 90. 12.

Osee. 11. 3.

Zach. 2. 8.

Debebat animum tuum securum facere studium orandi, potius quàm quæuis alia exercitia: vbi enim oratio fit, ibi (iuxta sententiam Sanctorum) maximè præsentes sunt Angeli, vt iuuent nos inter orandum, orationes nostras in conspectum Domini transportent, ab inimico nos defendant, & ab omnibus alijs, quæ sanctum illud silentium possent interturbare, tueantur, iuxta illud quod dicit Sponsus in Canticis. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* In quibus verbis imponitur silentium, non tantùm Diabolis, sed omnibus etiam mundi creaturis, vt non impediant Sponsam Christi, & dulcem eius contemplationis somnum: auctoritasq; Sanctorum Angelorum interponitur, qui per capreas, cerosque, tam ob velocitatem, quam ob perspicacitatem eorum, intelliguntur, vt ait D. Bernardus.

Cant. 3. 5.

S. Bern. serm. 12. in Cant.

Hæc & similia cogitanda sunt istis meticulosis, non tantùm cum metus impugnat, sed etiam cum extra metum sunt, cùm enim affectus ille procedat ab errore, & falsa imaginatione, si præoccupet portum illum cognitio veritatis, error & mendacium stationem in eo non inuenient.

QVINTA TENTATIO, QVAE EST superfluus somnus:

CAPVT XXXVI.

SOmnus quoque multis solet orationis tempore molestus esse. Procedit autem is nonnunquã ex necessitate, aliquando ex infirmitate: quandoq; ex pigritia, & aliquando ab ipso Dœmone immittitur, cui nihil iucundius, quàm vt bonũ hoc possit impedire. Cum ex necessitate oritur, nõ negandum est corpori, quod suum est: ne impediat illud vicissim, quod nostrum est. Magna enim naturæ vis est, & non vult fraudari rebus ad se pertinentibus. Sed cùm ex infirmitate nascitur, ne turbetur homo: non enim subest aliqua culpa, nec omnino se vinci patiatur, sed faciat ex parte sua, quod modestè potest: nunc vtendo industria, nunc aliquali violentia, ne omninò pereat oratio, sine qua vix aliquid in hac vita potest haberi securum.

Causæ somni varię.

Sed quando prodit ex ignauia, aut à Diabolo immittitur, iam aliud adhibendum est remedium: ieiunium scilicet, disciplina, aut alia aliqua vitæ austeritas, quæ excitat, pungitque carnem, vt sic somnus excutiatur. Potissimum autem iuuat hic ieiunium: somnus enim, & cibus fere semper coniunguntur, & simul incedunt: ita vt post superfluum cibum sequatur multus somnus, & post cibum moderatum somnus quoque moderatus: quantumque cibo detrahitur, tantùm ferè detrahitur & somno. Scribitur de Sancto Basilio, quod integras sæpe noctes transegerit insomnis: erat enim in edendo temperantissimus. Et hæc fuit causa, cur Sancti tamdiu, multumq; vigilare potuerunt, erant enim maximi ieiunatores.

S. Basil in vita S. Greg. Nazian.

Denique maximum huic malo, sicut & ceteris omnibus remedium est, opem ab illo petere, qui paratus est semper dare, si sint qui velint petere. Nulli enim creaturæ, siue in mari, siue in terra, negatur eius prouidentia, multo minus negabitur homini ad imaginem & similitudinem eius creato. Simus igitur humiles & fideles, atq; perseueremus in roganda misericordia: quod si fecerimus, ille nobis fideliter, quod petimus, dabit: iuxta illud: *Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis*, cui enim fides & spes nõ deficiunt, hunc promissiones Dei non fallent.

Eccl 33. 3.

Hæc sunt quæ de nimio somno dicenda videbantur, qui non tantùm fugiendus est ob amorem orationis, sed etiam propter tempus, quod inutiliter in eo consumitur. Nam si otiosum verbum vnum peccatum sit, & tale quidem peccatum, cuius ratio erit reddenda in die iudicij: quomodo credibile est, temporis non exigendam rationem, quod quis tam inutiliter dormiendo perdit? in quo vigilare, orare, legere, aliaq; opera, quib. coronã cœlestis gloriæ meremur, facere potuisset? Et secundum regulam Medicorum, sufficiunt sex aut septem horæ, vt satisfiat necessitati corporali. Quid igitur ô Christiane, & tu potissimum religiose, hybernis noctibus, quarum singulæ quasi anni sunt, tam diu agis in lecto, stertẽs, dormiens, & inutiliter tempus transigens, voluẽdo te, & reuoluendo, non aliter atque ostium in cardine vertitur, nunc in hoc, nunc in illud latus, cum interim animo totum cælũ posses peragrare, omnes Angelorum choros lustrare, & ipsam Dei gloriam contemplari? Illud autem peius est, quod nunc pessimus hic mos adeo increbuit, vt nemo peccatum esse arbitretur, nec in conscientia sua sentiat, quod tantam temporis iacturam facit, tam multa bona dormiendo perdit, quæ interea sibi vigilando comparare potuisset.

ALIAE

ALIAE DVAE TENTATIONES, inter se contrariæ, ex opusculo Seraphini Firmani de oratione interna, cap. 21. desumptæ.

CAPVT XXXVII.

ALiæ duæ tentationes contrariæ inter seſe reperiuntur, quas vnà cum suis remedijs quomodo ea primum à Seraphino Firmano scripta sunt, hoc loco ponendas existimaui, ad clarioré eorum, qui deuotionem appetunt, intelligentiam, & salubrius eorum consilium.

Harum tentationum prior est desperatio: quæ tibi offert velut impossibile, vt ad tantam pertingas celsitudinem: quare animum despondendo, te cogit operi cedere. Aliud est è diuerso præsumptio: quæ persuadet, ad finem te iam peruenisse, cùm vix bene sis in limine. Vtraq; fraudaris perfectione. Ideo armari te oportet spe à dextris, à sinistris timore: vt illa veluti stimulus ad cursum te excitet, hoc veluti fræno temperêre. *S. Bern. ser. 6 in Psalm. 90.*

Si desperationem vis vincere: quæ oritur vel è tuarum infirmitate virium, aut ab operis difficultate, considera hoc muneris non tua ex industria: sed diuina potissimum largitate tibi concessum iri: vt adeo fidentius eâ te speres cõsequuturum, quo minus tuæ eò pertingent vires. Quare hoc tibi impedimentum magno erit vsui: necesse est enim, si huc debeas pertingere, omninò tui diffidas ipsius. Si igitur nequam insusurrat, te minus esse sufficientem, ideoque minimè hoc aggredi itineris, responde tua factu iri insufficientia, vt multo sis aptior diuino recipiendo subsidio, quem penes nihil est aut impossibile, aut difficile. Si diu hoc perstitisti in orationis studio, neque te quicquam vides profeciſſe, ideoq; posthac & animum despondes, recogita Deũ sæpè gratiam retardare, quo melius sui agnoscatur muneris, quoque maiorem elargiatur. Cuius in argumentum, voluit è mulieribus diu sterilibus homines educere præcellentiores: vti fuêre Isaac, Sampson, Samuel, Io. Bapt. Nicolaus, & alij quam plurimi. Quo te ipsum solare exemplo, sæpe enim multorum labor annorum vna proditur die.

Si tua te terret fragilitas, Diaboli impetus, præsentis malignitas temporis & quidquid te retro cõpellit, recogita longè plures esse qui tibi adsistunt, & numero & valore. Ita de Eliseo legimus, quod cùm ab hostili se videret circumseptum exercitu, non extimuit, prout Giezi eius puer. Videbat enim alia ex parte fortiorem sibi suppetias aduenisse exercitum. *4. Reg. 6.* Et certè, si videres Angelos omnes, & Sanctos, Deũque ipsum tui præstolari finẽ certaminis, coronamque offerre, nihil penderes, si vel totus aduersum te insurgeret infernus: immò & amplius gauderes, quo præsentius impugnarêre, vt fidentiorem te ostenderes: Pauli exemplo, qui omnem aduersus se prouocans creaturam dicebat: *Quis me separabit à charitate Christi:* ac si diceret, vim non agnosco, neq; in terris, neq; in cœlo quæ ab eo me possit dimouere. *Rom. 8. 35.*

Nõ minoris est periculi, persuasum, habere, quod iam peruenerís, quàm peruentionem desperare. Ideo huc quoque tibi afferam remedium. In primis potes ex hoc elicere veneno antidotum, conficereq; non esse efficatius argumentum, quod longè absis, quam in animum inducere, quod iam peruenerís. Qui enim iam peruenerunt, in dies magis passus accelerant, nihili pendentes quod conquisierunt, eius comparatione quod supereſt. Ita Paulus quæ retrò erant obliuiscebatur: & quo in anteriora se magis extendebat, eò feruentiori accendebatur desiderio: vti velocius mouetur lapis, quo suo appropinquat centro. Porrò si cogites obiectum illud quo approperas esse infinitum, semper te inde iudicabis inopẽ, etsi multis adornarere munerum charismatibus. At si totum te arbitraris possidere, scito mentem tuam non nisi finiti quicquam vnquam degustasse. *Philipp. 3.*

Multa alia afferre possem documenta, deijciendæ arroganti nostræ præsumptioni: sed iam ad finem tendens, hoc vnum tibi derelinquo præceptionis, vt si vis perspicere, quàm à vera absis oratione, illos cõtemplare, qui clari extitêre contemplatores: quorũ comparationẽ videbis instar pygmæi ad celsum gigantem.

Et vt mittamus Christi exemplum & Virginis, quoniam ex excedenti repercutiunt luce aciem oculorum nostrorum: quædã alia colligemus exẽpla. In primis verò quo rapiebatur celsitudinis Paulus, vbi ipsemet ignorabat in corpore, an extra corpus fuerit? Verè cum creatis omnibus seipsum quoque transcenderat, omninoq; erat in Deum absorptus. *Multa exempla perfectorum Paulus. 2. Cor. 12.*

Magdalenam legimus sæpius in die aëra subleuatam fuisse: tantaq; erat vis spiritus, vt corpus redderet absq; grauitate. Antonius cùm sæpe totam noctẽ transegisset diuinæ contemplationi: superuenienti die conquerebatur & dicebat: ô sol nimis præpropere ad nos redijsti: tuaq; contristor luce, quoniam à suauissima me præpedis veri solis contemplatione. Legere est & de Arsenio, sæpe illum orationi inuentum fuisse instar ignis ardentissimum, cogita quãto intus ardebat eius spiritus igne, si vel in corpus redundabat apparens flamma. *Magdalena. Marul. l. 2. c. 4. Sabel. l. 2. c. 6. Antonius. Cassian. l. 9. Collat. c. 31. Arsenius. Vinc. libr. Hist. mirab. cap. 63.*

Abbas Siluanus, post excedentia, quæ illum intus absorbebãt, lumina, sibi ipsi redditus, vultum operiebat: &, Occludimini, dicebat, lumina mea: quid amplius huius vultis aspicere mundi, vbi quicquam non est pulchri? *Siluanus. Idem Vinc. l. 10. c. 66.*

Perstitit Abbas Bessarion quatuor decim dies & totidem noctes, immobilis semper in diuina contẽplatione. Hieronymus integras nonnunquam hebdomadas extra mundum Angelicos inter diuersabatur Choros: suiq; ipsius factus compos, fieri nõ posse dicebat, vt humana eloqueretur lingua quod ipse conspexerat. *Bessarion. Hieronymus*

Quid Gregorium loquemur: qui cùm ad supremã assumptus esset sedem, non aliter ingemiscebat, à dulci contemplationis quiete raptum se in molestissimas mundi occupationes, ac si nauta à tranquillo portu in sæuissimam ageretur tempestatem? *Gregorius.*

Bernardus adeò nõnunquam erat introuersus, vt vbi ageret non aduerteret. Quare quadam die cum lacum quendam præterequitasset, nunquam sensit se illum vel vidisse. *Bernardus. Fr Ioan de Bylli Tom 2 l. 2. de Hym. Spiritalibus*

Non desunt huic argumento exempla temporib. nostris vicinora. Doctor, qui dicitur Angelicus, sæpe fuit visus à terra subleuatus, lucentem capiti gerens stellam. Franciscus appellatus Seraphicus, nunc ad hominis staturã, in aëra videbatur raptus, nunc ad arborum summitatẽ: adeò aliquando subleuabatur vt vix inter nubes conspiceretur. Si hæc capis, erit vnde te nihil agnoscat. Si verò videntur supra fidẽ, vel melius potes te à tanta cognoscere perfectione longinquum: quando nedum reipsa eam non assequeris, sed nec fide capis. *c. 4. Thomas Aquinas. Marul. l. 2. c. 4. & Sab. l. 2. c. 6. Franciscus.*

Multi, quò propriam tegant inertiam, non amplius id esse dicunt temporis: ac si non amplius ille esset Deus, aut iam nos non exigeret, vt tunc, perfectos: ideò libet inter vetera, nonnulla & recensere recentiorum exempla. *Exempla recentia.*

Non multis ab hinc annis fuit Rauennæ Virgo Margarita, quæ præter alia clarissima suæ sanctitatis argumenta, quadraginta totos annos adeo fuit Deo subleuata, vt toto illo tẽpore nunquã gustum sensérit terreni cibi. Osanna Mantuæ Virgo, sæpe à sensibus rapiebatur, cùm nõ posset angusto adeò vasculo *Margarita Rauenna Virgo. Osanna Mãtuana.*

spiri-

spiritus amplitudo cohiberi. Helena Bononiensis Virgo celeberrima, nisi sæpè vel asperrima hyeme frigida pectus refrigerasset aqua, nimio defecisset præferuore. Et si superstites etiam vellem meminisse, optima non deessent argumenta. Verùm horum pietas, etsi longè foret excellentior, solet adhuc viuentibus minus digna haberi fides. Etenim si de Regina Sabę dicat Scriptura, quod defecit eius spiritus, nec spiritum vltra habuit, videns opera Salomonis: quid fiet animæ, cui Spiritus S. oculos aperuit, per illam diuinam lucem, vt videat, non magnitudinẽ operum Salomonis, qui fuit homo terrenus: sed operum Dei, in quibus tot videnda sunt mirabilia? operum, inquam, tam naturæ, quàm gratiæ, & gloriæ? Imò mirandum est, quomodo possunt viuere, qui hæc vident magnalia, qualia Spiritus S. suis amicis & familiaribus solet manifestare. Ex his igitur exẽplis facilè cognoscis, quod erras, & quãta tibi adhuc restat via: cum tam longè absis ab istius perfectionis gradu. Atque ita ex vno efficieris humilior, videns quia erras: & ex altero diligentior, videns quid tibi desit, si velis vniri perfectè cum illo, qui est infinitæ magnitudinis pelagus.

Helena Bononiensis.

3. Reg. 10.

TENTATIO OCTAVA, QVAE EST nimius studendi sapiendiq; appetitus.

CAPVT XXXVIII.

POst omnes istas tentationes, aliæ duæ sequũtur, inter sese simillimæ, tantoq; maiores præcedentibus, quanto maiorẽ habent virtutis colorem: quibus quàm plurimi homines decipiuntur, potissimum illi, qui ardenti ori zelo & desiderio commune bonum quærunt. De his nunc agemus.

Prima est nimius appetitus, quo multi tenentur ad studia, & amorem scientiarum, sub prætextu, vt iuuent alios. Dico appetitum nimium, nã cum moderatus est, & rationi consentaneus, non est tentatio, sed virtus admodum laudabilis, & exercitium vtilissimum, quod in omni hominum genere laudatur, maximè in iuuenibus, qui illo studio iuuentutẽ suã exercent, multa per illud vitia fugiunt, & illud addiscunt, quo & sibi, & alijs bene possunt consulere. Sed nisi temperatè quis eo vtatur, multum profectò obest deuotioni. Nec magnopere mirandum est, rẽ adeò laudabilẽ, tam noxiam fieri posse, nisi moderatè fiat: nõ enim hoc nouum aut insolens est, si quis dicat excessum omnium rerum, quantumuis vtiliũ & necessariarum, esse noxium. Quid magis necessarium quàm edere, bibere, exercitium temperatum, & medicamenta corporalia, Omnia hæc bona sunt & necessaria, sed nisi moderatè sumantur, noxia sunt, & damnum inferunt.

Omnia immoderata noxia.

Idem dicamus de nimio studio, sciendique appetentia, quæ profectò iniqua est orationis nouerca: Studium enim hoc requirit omne tempus totumq; hominem tenet occupatum. *Etenim* (vt dicit quidã Philosophus) *tempus est sapiens, omnia enim manifestat, & facit homines sapientes.* Similiter studium orationis & contemplationis totum tempus postulat, totumq; hominem, & eum quidem liberum, planeq; ab omni alia occupatione expeditum, vt Deo possit commodius vacare. Magna igitur est æmulatio inter hæc duo studia, vtrum potiores partes debeat obtinere: non minor qualis erat olim inter Liam, & Rachaëlem, vtra plus iuris in virum habebat.

Tertul. in Apolog. c. 8.

Magna æmulatio laboriosi studij sciẽdi & orandi.

Adhæc studium (præterquam quod aut totum tẽpus, aut maiorem eius partem requirat, propter plurima, quæ aut requirenda sunt, aut contemplanda: præter laborem quoq;, qui in eo exanthlandus est) etiam exercitium est, quod (maximè si theoreticum sit) solet exiccare teneritudinem cordis, succumque deuotionis. Nam vna cum occupationib. merè corporalibus, etiam spiritus commodè Deo potest haberi intentus: sed cùm spiritus omnem suam virtutẽ impendit parti intellectuali, voluntas planè manet otiosa, & quasi mortua, vt vix scintillula deuotionis in homine inueniatur. Ob has itaq; causãs diximus supra, studium plurimum obesse deuotioni: tum quia plurimum temporis absumit, tum etiam, quia exiccat spiritum, & vtrumque impedit hoc exercitium.

Sunt prętereà quidam homines, qui hac tentatione fortissimè impugnantur, idque ob singulares cõmoditates, quas habet Diabolus in hac tentatione ad hominem infestandum. Desiderium enim sciẽdi (vt ait Aristoteles) in omnibus hominibus est valde naturale, adeò etiam, vt non habuerit Diabolus escã dulciorem, qua caperet duos illos protoplastos, quã sciendi appetitum: dicebat enim, eos fore sicut Deos, scientes bonum & malum. Et sanè fortassis, quia tunc tam fœliciter hac esca piscatus est, etiam nunc sibi bonam capturam eiusdem escæ suauitate pollicetur: sperans fore, vt nos filij parentibus admodum similes, in id impingamus, in quod illi impegerunt, atque ita fallamur eadem via, qua illi decepti sunt: licet perspicuo exemplo, atque ipsa rei experientia didicerimus, quam amarus illius viæ est exitus.

Gen. 3.

Ad naturalem hunc appetitum accedit nobilitas exercitij, & suauitas, quæ in eo est. Apparet enim nõ inueniri exercitia hominis (vtpote creaturę rationalis) nobilitate digniora, ijs, quæ perfectiorẽ reddunt, magisq; exacuunt potiorẽ eius partem, nimirum rationem, quæ quotidiè perfectior fit continuò litterarum vsu. Suauitas autem ista tam ingens, cõtinua, & secura est, vt Philosophus quidam non sit veritus dicere: Sine studio litterarum, nescio an quid in hac vita suaue inueniatur.

Crescit etiam appetitus ille, appetitu propriæ excellentiæ accedente, qui potentissimus est. Dubium enim non est, quin vnum ex præcipuis medijs, quibus ad honores euehimur, est Sapientia. Et quia iste amor intimis hominum visceribus innatus est, id studet vnicè, vt ad medium illud, quo comparatur honos, hoc est, ad doctrinam & sapientiam peruenias. His additus prætextus pietatis, & titulus boni communis, quod tali studio promouetur: estque illud bonum meritò cunctis appetendum; maximè autem perfectioribus, qui illud super omnia solent desiderare. Contingit igitur, vt non rarò sub vmbra & colore huius boni communis, homo proprio appetitui & inclinationi nimium indulgeat: dicens, & sibijpsi persuadens, se purè propter Deum facere, quod facit ob naturalem inclinationem, aut vile commodum. *Multi enim* (vt dicit D. Bernardus) *sunt fines cur homo scire desiderat. Sunt namq; qui scire volunt eo fine tantùm, vt sciant, & turpis curiositas est, & sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est: & sunt item qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi gratia, pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Sed sunt quoq; qui scire desiderant, vt ædificent, & charitas est. Et item sunt, qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est. Omnes isti fines appetitum mouere possunt, & in horum electione sæpe fallitur homo, quia non animaduertit, quod præcipuè mouere debeat: atq; hic error est admodum periculosus.*

Sciẽdi studiũ nobilitate homini dignũ.

Bern. ser. 36. in Cantic. Varij sciendi fines.

Vt autem ad propositum reuertamur, si tot sint, quæ alliciunt cor nostrũ ad hoc exercitium, quis erit adeò mortificatus, & quis constans adeò, qui poterit tot importunis solicitationibus resistere? Si ab vna parte inuitet te naturalis sciendi appetitus, etiã naturalis studendi delectatio, nobilitas quoq; exercitij, & ambitio, vel honoris cupiditas, qui per hoc studium comparatur: ab altera verò partè meritum obe-

obedientiæ, vtilitasq; nostra, & ecclesiæ, fucum inducant & ornare videantur, iustumq; facere, quis erit adeò fortis, & discretus, qui tam multiplici catena stringi, duciq́ue sese non patietur?

Ideò dixi magnam hanc esse tentationem: habet enim multiplices vncinos, quibus corda hominum apprehendit, & post se trahit. O quoties homo in oratione flexis genibus sedet, imò nonnunquam inter choros Angelorum, & statim sese offerunt istæ imagines, solicitantes, vt celeriter finem orationi imponat, & festinet ad opus studij quotidiani: legat ceptã lectionem, librum qui in manibus est absoluat, denique ne diem sibi patiatur elabi sine aliquo doctrinæ incremento, etiamsi nulla, vel exigua ex hoc studio speretur vtilitas,

Aliquando tanta est huius appetitus violentia, vt misera nonnunquam anima cœlum pro terra det, aurum pro scoria permutet, & apertas abundantes gratiæ Dei portas, propter sterilem venam humanæ sapientiæ inueniendam, relinquat. O si scirent, qui istud faciunt, quanta sunt quæ Deus potest docere, idq; quàm exiguo temporis spatio, & quàm parum est quod humanum ingenium suo potest sibi labore comparare, in eoq́ue quantum temporis est insumẽdum? Sed etsi multum esset quod homo suo studio potest addiscere, nihil tamen, aut valde parum illi hoc proderet sine sapientia diuina. *Si quis*, ait Sapiẽs, *erit consummatus* (s. in doctrina) *inter filios hominũ, si ab illo abfuerit sapientia tua, ô Domine, in nihilum computabitur.* Huic non dissimile est illud Augustini? *Infœlix ille homo, qui scit omnia, te autem ô Domine, nescit, beatus ille qui te scit, etiam si illa nesciat, qui verò & te & illa nouit, nõ propter illa beatior, sed propter te solum beatus est. Quis nescit vnam sententiam, quam docuit Omnipotens præstantiorem esse, omnibus libris, totaq; huius mundi sapientia, & quidquid Philosophi docere potuerunt? Scientia mundi,* ait Augustinus, *inflat: Dei verò sapientia non inflat, sed amat, non facit hominem superbum & arrogantem, sed humilem & compunctum. Quod si in hora illa, in qua Deus me actualiter docet, ei tergũ obvertero, eumq́; adhuc verba in ore suo habentem, deseram, & terrenos magistros quæram, an non magistro illi cœlesti maximam faciam iniuriam? an eius doctrinam non spernam? anne humanam sapientiã diuinæ anteponam? O quam difficulter poterit Spiritus Sanctus ad illum peruenire, qui tam parui eundem facit.*

Sap 9. 6.

Aug lib. 5. confes. c. 4.

S Aug ep. 54 56 & 119 & l. Specul Pec. cat. c. 6 & l. de doctrina Christ. c. 42.

Quod si pauci essent, qui in hoc errant, minor esset mea querela. Sed quid dicam, cùm totus fere mundus in hoc errore iaceat sepultus? Destricto Megallanico narrant quidam, ex tribus nauibus vnam ferè in eo perire: sed in hoc pelago ex cœtum vix vna seruatur. O quot auditores & discipulos habet hodie mundus, & quam paucos Christus? Et (quod auditu luctuosius est) illi qui recenter mundum reliquerũt, & religiosam aliquam vitam in ordine amplexi sunt eo ipso tempore, quo huic disciplinæ vacandum erat, quo vetus homo cum omnibus suis appetitibus erat exuendus, nouusq́ue induendus, non aliter atq; hoc opus esset paucorum dierum, & exigui momenti, vix vbi oculos aperuerunt, Deumq́ue agnouerũt, sese confestim ad Philosophos Ethnicos, & humana studia conuertunt, in quibus multis annis, ne Christi quidem nominis semel audiunt mentionem. Quę studia, etsi propter mutationem temporum, & hæreticorum importunitatem quodammodo sint necessaria: tamen pro pœnis vitæ nostræ sunt æstimanda: cùm tantam temporis nostri partem suffurentur, & tot annos nos faciant à dulcissimis Christi amplexibus extorres. Præsertim vbi consideremus omnia scripta, omnemq́ue doctrinam Ethnicorum, teste Nazianzeno, esse tanquam flagella, & plagas Ægypti, quæ propter peccata nostra Ecclesiam ingressa sunt.

Reprehendit religiosos qui statim post conuersionẽ humanis seu dijs operam dant.

Ethnicorum studia Ægypti plaga.

Nunc verò, quia misera vitæ nostræ conditio nos in hanc necessitatem impulit, expectandum est conueniens tempus, vt isti studio operam demus: hoc est, ante omnia laboremus, vt opera primùm bene sint fundata, & ædificium virtutis firmiter structum: maximè in tyronibus, vt pondus huius studij sine damno ferre possint. Sed cum opera adhuc tenera sunt, & iuuenis adhuc lacte Christi nutritur, hunc ab vberibus eius ad philosophorum Ethnicorum siliquas auocari, vbi nihil præter argutias & sophismata inuenitur, dolendum est. Etenim, dic mihi quæso, si bene consideremus, quid aliud hoc est, quã quod olim fecit Pharao, vt populum Dei perderet, cùm mandaret omnes masculos statim natos in aquas Ægypti abijciendos, & submergendos, & quid aliud audimus his nostris temporibus, quàm vix aliquem in Christo renatum, antequam incipiat crescere, nouumq́ue noui hominis robur accipiat, subitò vsq; ad oculos in has aquas præcipitari, vt suffocetur, & spiritum, quem acceperat, amittat?

Exod. 1.

Omnia tempus habent, ait Sapiens, *tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* Hoc certò tempus est amplexandi Deum, & amplexu illo cõparandi amorem adeò tenacem, vt multæ aquæ nõ possint illum extinguere. Postea veniet tempus longè fieri ab amplexibus, vt proximi nostri vtilitati studeamus.

Eccl. 3. 8.

Cant. 8.

Quid aliud significare voluit Deus, cùm iubet hominem, qui vxorem duxit ad bellum non procedere, nec ei quippiam necessitatis iniungendum publicæ? quid, quod prohibet in primogenito bouis arandum, ouiumq́ue primogenita tondenda, nisi genus illud primogenitorum, de quo hic agimus, debere liberum esse ab omni onere & obligatione, vt omne robur suum, & quicquid habet, soli proprio beneficio impendat? Contra mandata hæc omnia faciunt, qui tempus veræ sapientiæ studio suffurantur, & humanæ illud impendunt.

Deut. 24.

Deut. 15.

REMEDIA CONTRA HANC tentationem.

CAPVT XXXIX.

PRimum remedium contra hanc tentationem est, diligenter considerare, quanto virtus excellentior est sapientia, & quanto excellentior sapientia diuina est humana: vt hinc videat homo, quam est rationi consentaneum, plus laboris & temporis impendere vni, quàm alteri. Vis vno verbo id dicam? Audi quid dicat Sapiens; *Quam magnus qui inuenit sapientiam, & scientiam? sed non est super timentem Dominum, timor Domini super omnia se superposuit.* Audi & illud Augustini, *Scientiam terrestrium cœlestiumq; rerum magni æstimare solet genus humanũ in quo profectò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos, laudabilior q́; est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quam qui ea non respecta, vias syderum scrutatur, etiam cogniturus, aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipse, qua via ingrediatur ad salutem, ac firmitatem suam.*

I.

Eccl. 25. 13.

Aug. In præmio l. 4 de Trinit. & 4. Confess. c. 3. & 4.

Habeat sapientia mundi omnem excellentiam, quam desiderat: non potest tamen vel hanc vnam miseriam maximam effugere, vt non omnis vtilitas, quæ ex ea speratur, vna cum vita pereat. Quid miserabilius, quàm cum tantis sumptibus & laboribus quærere, quod tam citò perit? Hæc est causa, cur quodam Philosophus, teste Hieronymo, lachrymabatur: cùm enim iam moriturus esset exhorruit, inuitusq́ue diem obijt eo ipso tempore, quo prius sapere incipiebat. Etenim si quod damnum, si qua iactura in hoc mundo sit deploranda, certè ea mors est

Nepotian. Epist. Petis à me.

Cicero ep. 10. ad Atticum.

est viri sapientis: tunc enim in terram abijcitur vas omni secretorum mirabiliumque genere plenum. Quod cum ita sit, summa profecto erit sapientia, sequi consilium Saluatoris, dicentis; *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque erugo, neque tinea demolitur; & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* His sic sese habentibus, multo erit vtilius actibus Charitatis vacare, quam intellectus speculationi: fructus enim vnius durat semper, alterius verò cum vita finitur. Matth. 6, 19.

III.

Præterea memento quod in die iudicij, vt quidã Sanctus ait, non interrogaberis, quid legeris: sed quid feceris: & numquàm politè locuti sumus, sed quàm bene viximus. Hæc est consideratio, quæ bene examinata, sufficit ad conuincendam eorum imprudentiam, qui nimia laborant humanæ scientiæ concupiscentia. Etenim dic mihi quæso, quid est in mundo nobis certius, & quod nunquam, nos fallet, quam bene viuere, & solicitum ambulare cum Deo? quid illi gratius charitate? Hæc est quæ sola illi placet, & ob quam placent illi omnia. Hæc est secundũ cuius regulam examinabimur, & iudicabimur: secundum cuius mensuram præmium nobis retribuetur. Hoc adeò verum est, vt si quis homo, non dico deuoralset omnes huius mundi scientias; sed omnes mundi nationes ad fidem conuertisset; Deus autem in abiectissima quadam vetula, quæ tanta non fecisset, plus tamen charitatis inueniret, dubium non est, quin hanc illi præferret: potiorque pars huius esset in cælo, quàm illius: Secundum hanc regulam dubitare nemo potest, quin in ea erit vita melior, & illud Deo magis acceptum exercitium, quod plus habet efficaciæ ad charitatem comparandam. Cumque extra controuersiam sit, exercitia, actusque vitæ contẽplatiuæ, ad illam virtutem magis conducere, quàm quæuis alia, etiam illa reliquis omnibus erunt præstantiora, & securiora. O quot homines hoc nostro tempore inueniuntur, qui nũquam didicerunt, quid sit syllogismus, nec animam vnã conuerterunt; qui tamen pretiosiores sunt in conspectu Dei magnis sapientibus verbisque concionatoribus? Quare mi frater, si de salute tua securus esse velis, ecce hæc tibi via certa, & secura, per quam potes ambulare. Illud autem non dico, vt omninò relinquas studium, sed vt moderatè illo vtaris: quod vno verbo monet. D. August. *Non simus*, ait, *in disputationibus prompti, & in orationibus pigri.*

Melior corã Deo indoctus cũ charitate, quàm doctus sine charitate.

Aug. de bono perseuerantiæ.

Ad hæc tota lex, & omnis ratio naturalis docet, debere nos sic studium litterarum instituere (quemadmodum alia omnia) ne nosmetipsos nimium obligemus, nec meliora propter hoc omittamus. Dicit enim Chrysostomus; magnam esse hominis damnationem, ornare, & polire linguam, vitam autem nec componere, nec ordinare: parum enim refert qualiter ornatus est sermo: plurimum autem, quæ vitæ sit constitutio. Quæ itaque maior excogitari potest insania, quàm tot labores rei nullius pretij impendere: rem verò maximi momenti omnino negligere?

S. Chrysost. Hom. 7. in 1 Corinth. lib. 4. de Sacerd. lib. 3. contra vitæ monasticæ Contempt. Item Hom. 30 in Act. Item. de consid. li. 2.

Hoc est quod tam seriò monet S. Bernardus, scribens ad Papam Eugenium, *Ate*: inquit, *tua consideratio inchoet ne frustra extendatur in alia te neglecto. Quid tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? Et si sapiens sis; deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantum verò? vt quidem sentirem ego: totum. Noueris licet omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens.*

Quicquid struxeris extra te, erit instar congesti pulueris ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi sapiens erit, & bibet de fonte putei sui primus ipse. A te proinde incipiat tua consideratio, non solùm autem, sed & in te finiatur. Quocunque euagetur, ad te reuocaueris eam cũm salutis fructu. Tu primus tibi, tu vltimus. Sume exemplum de summo omnium patre, verbum suum & remittente, & retinente. Verbum tuum consideratio tua. Quod si procedit, non recedat. Sic progrediatur, vt nõ egrediatur. Sic exeat. vt non deferat. In acquisitione salutis nemo tibi germanior vnico matris tuæ. Contra salutem propriam cogites nihil. Minus dixi contra, præter dixisse debueram. Quicquid se considerationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum.

Hoc solum debebat mouere studiosos, vt sic sese dent studio atque vtilitati proximi, ne obsint saluti propriæ: caueantq; diligenter, vt dum alijs prodesse cudiunt, seipsos non fallant, etiamsi vtilitas proximi, ob hoc minor esset: lex enim charitatis non permittit cuiquam nos benefacere, cum manifesto dãno & malo proprio. Sed quid erit, si probauero, non tantum minui vtilitatem proximi, sed incredibili modo augeri, vnamque solam & optimam viam iuuandi proximum esse ante omnia iuuare semetipsum.

Bona vita optima proximi instructio.

Crede mihi, frater, si reuera proximo cupias prodesse, non est medium aliud conuenientius ad hoc, quàm bona vita, & exercitium orationis & meditationis, quo nobis illam comparamus. Quam doctrinam multis quidem rationibus probare possemus; sed ob breuitatem voluminis, paucas hic posuisse sufficiet.

I.

Prima est, omnibus manifestum est, verum & proprium instrumentum, quo iuuamus proximum, esse veram sapientiam. Ad hanc autem consequendam, quid vtilius timore Dei? probata vita? & quotidiano virtutum vsu atque experientia? Oratione quoque & continua diuinæ legis meditatione? Quid adeo frequens in sacra Scriptura, quam; *Initium Sapientiæ timor Domini &*, *Plenitudo omnis Sapientiæ idem timor est.* Imò sine hoc medio impossibile est hanc virtutem obtinere: id quod apertè satis testatur B. Augustin. his verbis: *Multos reperimus negligentissimos iustitiæ, & ausdissimos sapientiæ: hos docet scriptura diuina peruenire non posse ad id, quod appetunt, nisi seruando quod negligunt. Fili*, inquit, *concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Dominus præbebit illam tibi.* Sapientia Dei gratia est, & principale donum Spiritus sancti; ideoque celerius & facilius acquiritur lachrymis; quàm disputationibus: Orationibus, quàm altercationibus. Rectè igitur Augustinus; *Qui didicerunt à Domino Iesu Christo mites esse, & humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quàm legendo & audiendo.* Quid si sapientia sit principale instrumentum ad iuuandum alios, quomodo non erunt & media quibus illa comparatur; de quibus iam diximus?

Psal. 110, 10. Prou. 1. & 9. Eccles. 1, 20. Iob. 28, 28.

Auguſt. in Psalm. 118. sermon. 17.

Eccles. 1, 23.

Auguſt. de verbis Apoſt. & li. 7. Confeſs c. 21.

II.

Secunda ratio est: Animas ad Deum conuertere est opus nobilissimum & supernaturale: per hoc enim deprauata eorum natura, qui malè viuunt, vincitur: & mala consuetudo, quę ipsa natura vix est debilior, quodque maius est, ipsa potentia Diaboli, qui possidet, & fortissimè captiua tenet suorum corda, superantur. Vt autem tantæ vires opprimantur, necesse est vt adsit potentia maior, quæ non in terra, sed in cœlo reperitur: quæ non tam acquiritur studio, labore, & speculatione, quam lachrymis, gemitibus, & bonæ vitæ meritis. Hinc est, vt qui ad Deum conuertuntur, non minus sint filij lachrymarum, quàm verborum: ita vt oratio non minorem habeat partem in conuersatione, quàm quæuis oratoris disertissimi concio. Quare, quemadmodum oratio

Exod. 17.

Moysis potius victoriam peperit aduersus Amalech, quàm omnes gladij qui stringebantur; sic credendũ est, non esse minorem partem orationis, clamorisq; veri prædicatoris in hac victoria, quàm omnium aliarum vocum & verborum, quantumuis acuta sint & ornata.

III. Tertia ratio est, quia (vt ipsa testatur experientia) turpius & grauius peccant homines corruptione suorum affectuum, & passionum, quam ignorantia veritatis. Ergo quicunque alijs conuertendis, affectionibusque reformandis operam dat, debet voluntatem potius mouere, quàm intellectum erudire: ideoque docent omnes eloquentiæ magistri, non esse huius mali præsentius remedium, quàm vt ipse prior moueatur ad id, quo alterum moueri vult. Hoc est quod dicit Quintillianus: *Summa*, inquit, *huius rei (quantum ego existimo) in hoc consistit, vt si alios mouere velimus, ipsi prius moueamur.* Et paulo inferius; *Tali ex animo proferri debet oratio, quæ mouebit. Nã quo fieri potest, vt doleat alter, qui audit, nisi ego prius doleam, qui loquor: quomodo irascetur ille, qui videt me alium ad iram velle accendere, & ipse non irascar? quomodo lachrymabitur, qui me siccis oculis dicere conspicit? Fieri hoc non potest. Nihil enim accendit aut ardere facit quam ignis: nihil aliud humectat quàm aqua: nec quisquam alteri calorem potest communicare, quem ipse non habet.* Secundum igitur illud Quintiliani, quis dubitat, quin homo deuotus, qui nocte dieque nil aliud facit, quàm plangit, & in lege Domini meditatur, melior est, & ad docendum aptior, alio quamtumuis sapiente, qui nunquam expertus est, quid sit vnam lachrymulam pro amore Dei fudisse?

Greg. lib. 3. mora c. 7. *Vt alium moueas ipse prior moueat necesse est.*

Quintil. lib. 8. Institut.

IIII. Adde etiam eloquentiam, teste Cicerone, quę admirationem non parit, nullius esse pretij. Et si talis requiratur eloquentia, ad tractandum res humanas, quanta putas requiretur, in agendis rebus diuinis, hominibusque ex peccatis eruendis, inimicorumq; viribus repellendis, qui vt sunt supernaturales, sic spiritum & eloquentiam exigunt supernaturalem? Ad consequendum igitur hoc eloquentiæ genus, certum est, nihil esse vtilius diuino Spiritu, atque ita loqui, vt scintillæ Spiritus illius rutilent in sermonibus, quos loquimur. Cùm enim Spiritus iste omnẽ naturæ facultatem excedat, nihil est, quod magis allicit, suspendit, atque in admirationem rapit hominum corda, quàm vna eius scintilla: ex ea enim confestim agnoscitur virtus & fortitudo Spiritus sancti atque ita humiliantur homines, dicentes cum Magis Pharaonis; *Digitus Dei hic est.*

Exod. 8, 19.

His omnibus iungitur aliud adminiculum multo mirabilius, exemplum nimirum vitæ illius, qui concionatur. Non enim maius argumentum est, vt credatur id quod quis dicit, quam vt videatur quod quis agit idem, quod dicit; & vita ipsa cum doctrina conueniat. Inter omnes sanè conciones ea est vtilissima, & efficacissima, qua auditor maximè ædificatur, qua homo amplius proficit. Quare cùm sanctitas vitæ quoque sit supernaturalis & diuina, iusti sint quasi linguæ & sedes Spiritus S. omnes homines naturaliter eos certo quodammodo venerationis & honore plus quàm humano prosequuntur, vident audiuntque eos, non vt homines, sed sicut Angelos; non quasi habitatores terræ, sed veluti ciues cælorũ, eorumque opera suspiciunt, vt Sancti Spiritus reliquias. Hæc omnia bene considerata, ostendunt satis dilucidè, quàm vtile compendium sit ad iuuandos, erudiendosq; in via virtutis alios, si ipse Magister pius sit, & virtutem colat. Dicunt enim Philosophi, quod simile sibi simile generat; homo hominem, & bestia bestiam producit. Quid igitur efficacius erit ad generandam virtutem, ipsa virtute?

Proinde illi, qui Deum ex animo quærunt, & non seipsos, non debent respicere ad honorem, vel ad libertatem, vel ad dignitatem, vel ad magisterium, vel ad auctoritatem aliquam: sed tantùm ad ædificationem, atque ita tandem eò deuenient, vt dicant illud Apost. ad Timothæum; *Attende tibi & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies: & eos qui te audiunt.* Prima cura debet esse de temetipso, secunda de studio & doctrina, atque ita demum promittitur, sapientiam tuam fore vtilem ad iuuandos alios. Id adeo verum est; vt quemadmodum arbores, quæ largius crescunt pro semetipsis, etiam fructuosius sint suis Dominis: sic concionator quo doctior, & magis pius in se, eò quoque vtilior est alijs: & secundum qualitatem fructũ suorum; erit quoque vtilitas auditorum.

1. Tim. 4.

Simile.

NONA TENTATIO EST ZELVS indiscretus, desideriumque nimis vehemens alijs succurrendi.

CAPVT XL.

NON multum à præcedenti tentatione differt indiscretum quorundam desiderium, quo quidam flagrant in proximo suo iuuando, cum propriæ salutis incommodo. Hæc est vna ex periculosioribus tentationibus, quæ in hac vita nobis occurrunt. Omnes enim aliæ sunt in propatulo, & videri possunt ab omnibus, quid, & quales sunt. Hæc autem aspectu tam blando se offert, & tam honesta videtur, vt quis putet nihil aliud posse optari, nec quicquam fuci subesse. Est & hæc tentatio tanto maior, quanto magis virtute præditus est is, qui tentatur: quanto enim magis virtutem amat, tanto magis in vtilitatem proximi, bonumque commune propendet. Quemadmodum enim Deo nihil magis naturale est, quàm benefacere cunctis creaturis: sic quicunq; plus participat de spiritu & bonitate Dei, etiam ad benefaciendum alijs est propensior: ita vt nihil magis dominetur in cordibus bonorum, quàm impatiens, continuumque desiderium omnes bonos faciendi, atque in omnibus rebus ijs succurrendi.

Hanc ob causam callidissimus ille & inueteratus hominum seductor, hac in re semper iustis molestus est: existimans nihil esse commodius ad decipiendos eos, præter id, ad quod sua sponte sunt maximè inclinati. Atque ita videmus multos in res arduas & difficiles præcipitari, oneraque in se suscipere, quæ vires & potentiam eorum superant, idque sub prætextu & colore huius auxilij.

Ideoque à nullo desiderio nobis cauere magis debemus, quam ab illo, quod sub fuco & imagine illius boni, illiusq; virtutis in animos nostros irrepit; mouere namque potest illud nos bellum gratissimum. Sanctus Iosue, videns Angelum Dei in exercitu, non prius illi credidit, quàm interrogasset; *Noster es? an aduersariorum?* Ita & nos non omni cogitationi fidere debemus, etsi bona videatur, scimus enim Angelum Satanæ sese nonnunquã transformare in Angelum lucis. Id quod frequentius agit in hoc opere, quam in alio: eò quod veniat huc sub colore pietatis, & quasi volens inuitare ad charitatem. Meritò igitur dicebant Patres in Eremo, sæpe Diabolum religiosos ab exercitio Orationis reuocare, ratione verisimiliter bona: dum persuadet ijs iustam subesse causam, cur hoc aut illud faciant, dum interim subest nulla.

Ios. 5.

2. Cor. 11.

Non sufficit igitur hic videre tantùm qualitatem & conditionem operis, sed etiam omnes circunstantias, quæ iuxta regulam prudentiæ sunt considerandæ. Inter alia verò, & præ cæteris cauendũ est,

vt ita

vt ita proximo prodesse studeamus, ne sit cum damno proprio, iuxta illud Ecclesiastici; *Recupera proximum secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Et quamuis sufficiunt aduersus malum hoc remedia superiori capite posita, placuit tamẽ ijs addere quoque opinionem Diui Bernardi, qui hac de re scribit Eugenio Papæ, atque inter alia dicit: *Audi ergo quid redarguam: quid suadeam. Si quod vinis & sapis totum das actioni, considerationi nihil: laudo te: in hoc non laudo. Puto quod & nemo non a Salomone audierit: Qui minoratur actu, percipiet sapientiam. Certè nec ipsi actioni expedit, considerationi non præuenire. Sitem totus vis esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est: laudo humanitatem: sed si plena sit. Quomodo autem plena te excluso? Et tu homo es. Ergo vt integra sit & plena humanitas colligat & te intra se sinus qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodest iuxta verbum Domini: si vniuersos lucreris, te vnum perdens? quamobrem cùm omnes te habeant: esto etiam tu ex habentibus vnus. Quid solus fraudaris munere tui? Vsquequo vadens spiritus, & non rediens? Vsquequo non recipis te & ipse inter alios vice tua? Sapientibus & insipientibus debitor es: & soli negas te tibi? Stultus & sapiens, seruus & liber, dues & pauper, vir & fœmina, senex & iuuenis, clericus & laicus, iustus & impius, omnes pariter participant te: omnes de fonte publico bibunt pectore tuo: & tu seorsum sitiens stabis? Si maledictus qui partem suam facit deteriorem: quid ille qui se penitus reddit expertem? Sanè deriuentur aquæ tuæ in plateas: homines & iumenta & pecora bibant ex eis: quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas: sed inter cæteros bibe tu de fonte putei tui. Alienus,* inquit, *non bibat ex eo. Nunquid tu alienus? Cui non alienus, si tibi es? denique qui sibi nequam, cui bonus?*

Ecc. 29, 27.

Bernard. lib. 1. de consid.

Eccl. 38, v. 25.

Matth. 16.

Genes. 24. S. Bernard. epist. 84, & Ioan. de Lyli. Homo 2. de Sym. spiritalib. Hym. 80.

Huc vsque sunt verba Bernardi, quæ sufficire possunt ad conuincendum id, quod dicimus: & vt ex ijs intelligamus, magnos amatores & procuratores salutis alterius, sui ipsorum immemores esse non debere: sed magna diligentia propriam salutem curare. Quin etiam & quanta prudentia opus est, in hoc negotio rite instituendo? ne indiscreto feruore charitatis, nimiaque cupiditate spiritualis lucri decipiamur. Qua in re imitanda est descriptio Virginum prudentum in Euangelio, quæ rogantibus fatuis, vt olei sui portionem sibi communicarent, dixerunt; *Ne forte nobis & vobis deficiat: Ite potius ad ementes & vendentes, & emite vobis.*

Matth. 25, 9.

Quare si tibi sit animus imitari prudentiam harum Virginum, ita fac negocium conscientiæ alterius, ne propria negligas: sed ijs curandis semper tibi tempus suppetat. Quod si me interrogaueris, quanto tempore opus est huic studio? respondeo tanto, quantum satis est ad reducendum feruentem deuotionis affectum, quod est ambulare spiritu, iuxta consilium Pauli: Vt autem sciatis quid sit ambulare spiritu, & quæ ex eo sequatur vtilitas, dicam non aliud quàm ambulare hominem spiritu, esse magis magisque ad Deum accedere, & in Deum potius; quàm in seipsum tendere: ita vt habeat cor, non iam dispositione & affectibus naturæ (qui à seipso sunt) distortum; sed ijs eleuatum, qui à deuotione actuali proficiscuntur, qua cum ambulat, hoc enim genus dispositionis, non à carne vel sanguine est, sed à virtute Spiritus Sancti, & continuo amoris, timorisque Dei affectu. Hinc est vt quemadmodum Dei affectu. Hinc est vt quemadmodum cor principium est omnium operum nostrorum; sic iuxta qualitatem & affectum cordis etiam sit qualitas, & affectio nostrorum operum, ex illo prodeuntium: id quod videmus in aqua, ex suo fonte scaturiente, si fons sit turbidus, erit & aqua turbida: si limpidus: & clarus, erit aqua clara, sic experimur quotidie ex corde composito & ordinato, opera composita & ordinata fluere; ex inordinato, verò, inordinata, iuxta illud Saluatoris: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro malum.*

Galat. 5.

Simile.

Luc. 6, 45.

Cum itaque cor nostrum radix sit, & principium omnis nostri boni: omnis noster labor in eo esse debet, vt tam diu in prolixa profundaq; oratione maneamus, donec cor ita afficiatur, vt in se collectum semper maneat in deuotione. Ad quod impetrandũ non sufficit qualiscunq; oratio; sed oportet vt sit lõga & profunda. vt quemadmodũ area matutino tẽpore bene irrigata toto illo die cõseruat, & ab ardore solis defendit herbas, in ea plantatas, sua refrigeratione suauiq; temperie: sic anima iusti sit suo tempore irrigata, & per orationem in Deo absorpta: vt semper habeat in se continuum deuotionis refrigerium, quo ab amore mundi defendatur. Debet igitur deuotio nostra esse quasi fluuius ille, de quo ait Scriptura quod egrediebatur de loco voluptatis irrigans vniuersam superficiem terræ. De corde namque nostro, vbi locus est deliciarum Dei, egredi oportet fluuium Deuotionis, adeo exundantem, vt sufficiat ad omnia opera nostra irriganda.

Simile.

Genes. 2.

Hoc est vitæ genus, quo Sancti omnes vsi sunt: hic est apex totius vitæ spiritualis: hæc est viuendi ratio, quæ homines efficit spirituales & diuinos; hæc est illa, quæ omnia opera humana in pondere, numero, & mensura disponit. Hæc denique illa est, quæ facit nos ambulare innixos firmissimo baculo, & vigilare ab omni parte, vt cauti simus in omnibus, & vndiq; defendamur. Omnino itaq; nobis persuadeamus, nunquam Deo gratum esse, si quis se adeo negotijs alterius, quantumuis magni momenti immergat, vt amittat tempus, quod proprię saluti procurandæ, orationiq; exercitio erat impendendũ. Nam etsi aliorum negocia quoque oportet esse ordinata, suasque horas habere & tempora statuta (vt ex Bernardo audiuimus) non tamen eam requirunt temporis mensuram, quam exigit hæc continua diligentia, qua id efficitur, vt spiritus semper sit vnitus Deo, semperque in illum feratur.

Addamus denique & hoc (quod meo quidem iudicio maximè facit ad propositum) si in rei veritate nihil æque appetas, atq; iuuare proximum, charitatiq; seruire; respiciasque statum, in quo nunc sunt res humanæ, calamitatemq; & necessitatem Ecclesiæ, iunge concioni tuæ orationem. Non enim mundus sola iuuatur admonitione, sed etiam oratione, concionibus enim admonetur populus, vt à vitijs abstineat, orationibus verò impetratur à Deo gratia, cuius ope vita emendatur.

Concioni iungenda oratio.

Hæc itaque regula seruetur, si errare non velis in isto negotio, quod si tibi iniuncta sit diuini verbi administratio, caue ne te implices rebus temporalibus amplius, quàm vires tuæ ferant, etiam si charitatis species pulcherrima sese ostentet. Quamuis enim Apostoli fuerunt Spiritu sancto repleti, reiecerũt tamen à se omne onus huiusmodi, adeo vt ne mensæ pauperum seruire voluerint, nemo ergo plus de se præsumat, aut onera externa in se suscipiat. Quare in Carthaginensi Concilio quarto mandatur, vt Episcopus gubernationem viduarum & pupillorum, atq; peregrinorũ non per semetipsum, sed per Archipresbyterum atque Archidiaconum agat. Similiter ne tuitionem testamentorum suscipiat, vt ipse liberius posset vacare lectioni, orationi & prædicationi. Sed & exemplum huius rei habemus in ipso Saluatore, qui cùm rogaretur à quodam, fratri suo vt iuberet diuidere secum hæreditatem, respondit; *Homo quis me constituit iudicem atque diuisorem super vos?*

Act. 6.

Concil. Carthag. 4. can. 17. & 18.

Luc. 12, 14.

vos? Hanc ob causam primitiuæ Ecclesiæ Prælati, nõ permittebant, vt quis de clericis & ministris Dei tutor aut curator alicuius testamenti constitueretur. Quare cùm quidam moriebatur relinquens sacerdotem curatorem sui testamenti, suffragijs omnib. Ecclesiæ priuabatur, vti patet in quadam epistola D. Cypriani.

Cyp lib. 1. Epist. 9.

S. Vincent. in specul. doctrinæ lib. 7. c. 135.

ADMONITIONES QVAEDAM. *IN HOC EXERCITIO CONTRA fraudes veteris inimici nostri obseruandæ.*

CAPVT XLI.

HACTENVS de communioribus quibusdã tentationibus, quæ orantes infestare solent, egimus: dabimus nunc aliquod admonitiones & documenta, in hac via obseruanda. Et quamuis in fine primæ partis aliquot posuerimus; tamẽ, quoniam cum solum in finem illa posita sunt, vt orare nos doceant, hic alia ponere placuit, quæ declararent insidias, & artes inimici nostri Diaboli, qui multifariè, multisq; modis solet decipere hos, qui in ista via ambulant, conuertens medicamina in præsentissima venena, facientsque eos in ipso portu naufragari.

Nihil adeo bonum, quo non abuti potest humana malitia.

Ante omnia igitur præsupponamus, nihil in hoc mundo posse inueniri adeò bonum, & vtile, quo nõ potest ad malum abuti humana malitia. Quare & ex ipsa Dei bonitate, & misericordia, Christiq; passione captant mali occasiones, in malitia sua perseuerandi. Nec ab his tantùm, sed ab ipsa virtute, qua nemo abuti potest, suas secuti passiones, sumunt non rarò oportunitatem peccandi. Videmus enim multos ex ieiunio, abstinentia, scientia, castitate, aliisque virtutibus huiusmodi occasiones desumere superbiendi, & magna de se præsumendi: vertentes in materiã & occasionem mali, quod per se tam excellens & præstans erat bonum. Quare dicit Sanctus Ambrosius; *Quemadmodum quidem intelligo castitatem magnum esse bonum, sic timeo furem superbiæ, ne fortè quod bonum erat sibi furetur.*

S. Amb. lib. de Virginitate.

Proinde non adeo miror, si quandoq; virtus Meditationis alicui inutili sit, aut damnum inferat ei, qui nescit illa conuenienter vti. Cæterum quemadmodum intolerabilis erit insania velle studium Castitatis, aut alterius virtutis, vel scientiæ relinquere, non aliam ob causam, quàm quod quidam illo abutuntur, & ex eo in vanam gloriam extolluntur, sic etiam stultum erit ob quorũdam abusum nolle meditationibus incumbere. Nihil enim sub cœlo est, quo non possumus malè vti.

Omnis virtus vitium habet aliquod annexum, virtutis habens similitudinẽ.

Ad intelligendum illud melius, sciendum est, nullam inueniri virtutem, quæ non habet iuxta se se vitium, aliquam virtutis similitudinem præ se ferens. Etenim prudentia vanam scientiam habet, cũ imagine veræ prudentiæ; Iustitia crudelitatem; Fortitudo temeritatem; Liberalitas prodigalitatem; Humilitas pusillanimitatem; Affabilitas leuitatem; Spes præsumptionem, Zelus malam discretionem. Timor diffidentiam; & sic in cæteris; adeo vt quemadmodum in omnibus rebus tam artificialibus, quã naturalibus inueniantur quædam veræ, & quædam apparentes, quæ quidem veræ videntur, nõ sunt autem: est enim aurum verum, est & falsum; moneta vera, & moneta falsa; gemmæ veræ, & gemmæ adulterinæ: sic etiam inter virtutes quædam veræ sunt, & quædam apparentes; quæ veræ videntur & non sunt.

Hæc est igitur maxima difficultas, quæ in via virtutis potest reperiri, quæque tyronibus, & qui nondum sunt exercitati, materiam erroris solet præbere, multi namque vitium pro virtute amplectuntur: vti quotidie videmus homines decipi, recipientes monetam falsam pro vera, propter similitudinem quæ est inter vtramque. Hoc est quod dicit Apostolus; *Angelum Satanæ nonnunquam in Angelum lucis sese trãsfigurare:* ita enim sæpenumerò nos fallit, obtrudendo vitium virtutis specie coloratum. Sed quemadmodum diximus, vti malum est si homo abstineat sese ab exercitio virtutum; eò quod metuat, ne in vitia fortasis ruat affinia: sic etiam perniciosum est, ab officio meditandi desistere; sed metuenda potius (si abstineat) sunt vitia, & pericula, quæ fortasis ex eo possent promanare, manifestum enim est, nullum statum, nullumque viuendi modũ in mundo reperiri, qui non habet aliquod periculum annexum: quare vita nostra omnis non immerito dici posset periculum vnum, & vna continua tentatio. Ne igitur quis à semetipso excœcetur, seu fallatur, vtile erit digito quasi omnia periculorum, insidiarum, & impostrarum genera monstrari, & quid in singulis agendum, monere.

1. Cor. 11.

Iob. 7.

ADMONITIO PRIMA DE DIgnitate, & fructu orationis vocalis.

CAPVT XLII.

SIT igitur prima admonitio hæc: qui in precio habent orationem mentalem, cauere debent ne vocalem contemnant, aut quasi inutilem reijciant. Manifestum siquidem est, quantum ad ipsam virtutis substantiam, nullam esse inter hanc & illam orationem differentiam. Inuocare namque Deum corde solo, aut corde & ore simul, nihil facit ad meritum, vel ad efficaciam orationis. Addere namque voci cordis vocem oris, quod Deus creauit, vt eo laudaretur ipse & glorificaretur, quomodo fieri potest, vt deroget quicquam dignitati operis, aut essentialem aliquam importet differentiam? Quemadmodum fit vt homo quispiam confiteatur verbis, & alius scripto, eò quod loqui non potest, vtriusque eadem tamen est confessio, nec inter duas illas confessiones inueniri potest essentialis differentia; sic & oratio, quæ est diuinarum laudum confessio, seu (vt propriè magis loquamur) petitio quædam à Deo rei cuiusdam necessariæ: siue illa petitio fiat verbis internis, siue externis quæ sunt imagines rerum internarum, nulla constitui potest essentialis inter hanc & illam differentia.

Vocalis oratio non differt à mentali.

Vtilis est hic orandi modus ad excitandam deuotionem, & inflammandum cor, maximè cum tepidũ est, & dissparsum; atque proinde ad volandum & natandum suis viribus ineptum: verba enim dulcia atque deuota, sententiæque graues, quæ in illo reperiuntur, ad id perficiendum efficacia sunt, si cum humilitate, attentioneq; recitentur. Hanc ob causam verba Dei ignis appellantur in scripturis; habent enim virtutem calefaciendi corda nostra, & accendẽdi in illis ignem amoris diuini. Habent præterea voces (maximè cùm diuina canuntur officia) naturalem quandam vim deuotionem generandi, vt B. Augustt. fatetur, qui audiens psalmodias & Ecclesiæ cantica miris modis se intus accensum dicit.

Verba Dei cur ignis appellantur. Ierem. 23.

Inueniuntur præterea homines nonnulli, eius spiritus & cõplexionis, vt nequeant vel ad momentum cogitationes suas in Deo immotas retinere: quibus conuenientissimus est hic orandi modus, vt per illum queant (sequentes sensum & stylum verborum) Deo corde vacare, & cũ illo colloqui. Etenim cũ nequeant suis verbis illum alloqui, eique suas necessitates commodis verbis explicare, optimum est remedium, si fulciantur verbis Sanctorum, ipsque & spiritus

spiritus & deuotio illorum regatur, vt per istud medium commodius inopiam suam Deo exponát. Admonendi autem hoc loco sunt Christiani oratores, vt instituentes orationem, faciant illud cum tanta deuotione & attentione, quanta in illorum viribus est: hinc enim omnis fructus & efficacia orationis dependet. In Dei enim auribus, teste Bernardo, desiderium vehemens, clamor magnus est: remissa autem intentio, vox submissa: ad cordis enim potius vocem, quàm ad corporis aures eius apertæ sunt. Bernard. in quib. sent.

Ex his intelligi potest quàm steriles sint quorundam hominum tam Ecclesiasticorum, quàm secularium orationes, qui tanta cum festinatione horas & psalmos recitant, vt nequaquam cum Deo sermocinari videantur. Neque enim tam inconsideratè & frigidè cum hominibus acturi essent, si quid serio velint impetrare: teste namque Salomone, *cum obsecrationibus loquitur pauper, & diues affatur rigidè.* Prou. 18, 23. Qui enim apertè agnoscit suam inopiam & miseriam, & in ijs seriò cupit subleuari; quemadmodum cupit illud ex toto corde, sic orat ex toto corde, extremaque cum attentione clamat cum Propheta, dicens: *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* Psal. 118, 145. Vtinam homines intelligerent, atque meminissent, quo tempore orationibus vacant quo cum loquuntur, & de quibus negocijs loquuntur. Si enim intelligerent sibi sermonem esse cum suprema illa Maiestate, in cuius conspectu Angeli contremiscunt, & sese agere cum illo de maximo negocio, hoc est de remissione peccatorum, & animarum suarum salute, oculi eorum aperirentur, & viderent indecorum, imò iniquum esse sese cum tali Domino de tam arduis negocijs tam oscitanter sermocinari, eoque modo alloqui, qualis ne seruum alloquerentur, si quid ab illo curatum velint. Hos tacitè reprehendit S. Bernardus, cum ait: *Illud breuiter dico, nonnullos, vt arbitror, experiri interdum in oratione ariditatem & hebetudinem quandam mentis, vt solis orantes labijs, non satis attendant, neque quæ dicant, neque cui loquantur, pro eo quod velut ex consuetudine quadam cum minus digna reuerentia & solicitudine accesserunt.* Bernard. in quib. sent.

Oportet igitur vt in omnibus actionibus nostris vigilemus, maximè verò in orationibus: *licet enim omni hora, & in omni loco,* ait idem Bernardus, *oculi Domini nos speculentur, maximè tamen in oratione: licet enim semper videamur, sed tunc etiam præsentamus nos, & ostendimus quasi facie ad faciem cum Domino colloquentes.* Et in alio loco: *Periculum est, si fuerit oratio nimis timida; maius periculum est, si fuerit temeraria; tertium periculũ est, si sit oratio tepida, & non ex viua affectione procedens. Timida siquidem oratio cælum non penetrat; quia restringit animum timor immoderatus, vt oratio nedum ascendere, sed nec procedere queat. Tepida verò in ascensu languescit & deficit, eo quod non habeat vigorem. Temeraria ascendit quidem, sed resilit: resistitur enim ei, nec tantum non obtinet gratiam, sed meretur offensam: quæ verò fidelis, & humilis, & feruens oratio fuerit, cælum sine dubio penetrabit. Vnde certum est quod vacua redire non possit.* Hæc ille. Illi verò, qui non orant, aut orare nolunt, alio modo quam eo, de quo antea diximus, hoc est cum ista celeritate, oscitantia & disparsione cordis, non ferunt si quando hoc illis dicatur: putant enim monetæ quam habent imaginem hoc modo

vilescere, & pretium illius aut minui,
aut contemni.
(:)

Bernardus in Epist. & serm. de 4. modis orandi. Ser. 4. de quadrag. qui incipit Quia ieiunij Quadr.

Granat. Opusc. spirituale.

ADMONITIO SECVNDA DE dignitate & fructu ceremoniarum sacrarum operumque externorum.

CAPVT XLIII.

PRÆCEPTVM secundum, quod ab homine deuoto debet obseruari, est, vt, quemadmodum in pretio debet habere orationem vocalem (vti dictum est) sic etiam omnes ceremonias sanctas, operaque exteriora colat, & obseruet. Etenim præter necessitatem vel voti, vel alterius præcepti (quo ad eorum obseruationem teneri fortassis possemus) ad multa nobis vtilia sunt, tanquam ea, quæ iuuant nos plurimum, vt excitentur corda nostra deuotione & reuerentia rerum diuinarum. Quemadmodum enim anima nostra quamdiu in hoc corpore moratur, omnia per portas sensuum percipit eoque modo concipit illas, quo repræsentantur: ita summum auxilium est, ad digne percipiendum res diuinas, magnificentissimeque de illis sentiendum maiestas sacrarum ceremoniarum, quæ conferunt auctoritatem rebus diuinis, mouentque hominem magis ad venerationem illarum, quod ipsa docet experientia, vestes enim & insignia regalia, magnusque comitatus, quem habent magnates huius seculi, mouent homines ad reuerentiam; vt tales loco Principum habeant. Patet hoc etiam in ceremonijs missæ solennioris, & in septimana sancta, in Baptismo, Eucharistia, sacro Ordine, præcipuè autem in consecratione Episcoporum, & in solennitate diuinorum officiorum. Omnia enim hæc vehementer excitant in cordib. nostris religiosum timorem, & magnam erga res diuinas reuerentiam. Hanc ob causam supremus ille Magister, & mundi Gubernator instituit Sacramenta Ecclesiæ in rebus visibilibus, vt det gratiam inuisibilem. Quemadmodum enim ea instituit pro homine, qui est creatura mixta ex corpore, & anima; hoc est, parte visibili & inuisibili composita: sic etiam instituta sunt, vt nos erudirent, vt aspectus, seu præsentia illius quod videtur, excitaret deuotionem, & reuerentiam illius; quod non videtur.

Ceremonia & opera externa in pretio habenda.

Cur Christus Sacramenta instituit in rebus visibilibus.

Præterea omnes ceremoniæ sacræ, exercitiaq; exteriora (præterquam quod per se sunt opera sancta, & ex virtute manantia) conducunt vehementer ad acquirendas & conseruandas virtutes interiores. Quemadmodum enim accidentia plurimum faciũt ad conseruationem substantiæ (sine quibus ipsa cõseruari non potest) sic ceremoniæ, operaque externa multum iuuant ad conseruandam charitatem & innocentiam, quæ principalis est animæ nostræ thesaurus. Eodem modo, quia homo est creatura constans ex anima & corpore, oportet vt cum vtroque seruiat Deo, impendens animam illius amori, & cognitioni: corpus verò, & omnia illius membra, sensusque rebus ad eius obsequium pertinentibus, vt omnia quæ ex Deo sunt, Deo quoq; seruiãt. Hoc modo fit homo purum & perfectum holocaustum, cùm totus & integer, nulla parte excepta, impenditur sui Creatoris obsequio. impleturque mandatum Apostoli, qui vult corpora nostra offerri Deo in sacrificium viuum, & acceptabile; iubetque corpora, spiritus, & animas nostras (hoc est omne quod in homine est) conseruari in omni puritate, & perfectione, pro gloria Dei. Obstricti quoque sumus Deo vt seruiamus ei, cùm omnibus quæ in nobis sunt: non est igitur æquum, vt corpus cum omnibus membris, & sensibus suis sese ab hac obedientia subtrahat: imò iubet ipse Apostolus, vt quemadmodum tempore cæcitatis nostræ *exhibuimus membra nostra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhi-* Rom. 6, 13. Augustin.

Psal 149. & lib. 10. de Ciuit. Dei c. 19. *In Angelis requiruntur obsequia meræ spiritualia: in hominibus mixta.*

beamus membra nostra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Hinc apparet, sicut Angeli sunt puri spiritus, sic etiam requiri ab ijs pura obsequia, & seruitia spiritualia: sed ab hominibus, quia sunt spiritus corporibus inclusi, simul cum operibus spiritualibus, quæ sunt principalia, requiri etiam seruitia, operaque corporalia.

Nemo dicat, hoc genus operum esse tantum necessarium incipientibus, & non etiam perfectis (præter enim obligationem, qua teneri possent vtrique ratione voti, vel præcepti) eædem rationes quæ monere debent illos, etiam hos merito mouere debebant: ita tamen, vt magis necessaria sint debilibus, quàm perfectioribus. Quemadmodum enim arbor iam firmiter radicata in terra, minori cum damno ferre potest defectum aquę, & culturæ, quàm ea, quę nuper admodum est plantata: sic homo perfectus & bene fundatus in virtutibus, exteriorum operum defectum facilius fert, quàm ille, qui infirmus adhuc est, & vix incepit. Quemadmodum infirmo, & ei qui fatur est, plurib. opus est saporibus, ciborumque alterationibus, ad excitandum appetitum, quàm ei, qui sanus est & famelicus: sic etiam pluribus externis operibus, & adiumentis opus est illi, qui debilis est, & intrinsecus infirmus. Ex his concluditur, ceremonias sacras, & similia exteriora non tantum non obesse perfectis, sed facere, vt cibus ipsorum spiritualis tanto sit delicatior, quanto amplius illis conditur. Cumque verum sit, hominem, quantumuis perfectum, debere se imperfectum existimare, nisi velit per superbiam suam amittere, quicquid habebat: sequitur, omnes debere hæc adminicula atque remedia quærere, qui sunt perfecti, vel non imperfecti, tanquam sibi necessaria.

ADMONITIO TERTIA, DE REuerentia, & obedientia, quæ debetur Doctoribus & concionatoribus Ecclesiæ.

CAPVT XLIIII.

ADMONITIO tertia sit, etsi homines spirituales familiariter cum Deo conuersentur, eumque magistrum habeant suæ ignorantiæ;

Deut. 33, 2. iuxta illud Prophetæ, qui dicit, *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius*: non tamen flocci faciant, sed in summa veneratione habeant Magistros Ecclesiæ Dei, cuius verbi ministri sunt. Sunt. n. instrumenta & organa Spiritus S. riuuli quoque & aquæductus; per quos aqua sapientiæ in hortum Ecclesiæ deriuatur: de quibus scriptum est: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent*

Mal. 2, 6. *ex ore eius.* Quod si Moyses, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur, non spreuerit consilium sui soceri

Exod. 18. Ietro, qui erat homo Ethnicus: quis erit tam arrogans, qui confidens in familiaritate quam habet cũ Deo, doctrinam ministrorum & dispensatorum eius aspernabitur? Quæ maior superbia poterit excogitari? aut quæ maior causa, ob quam homo debeat à Deo derelinqui, à Diabolo falli, & sibi ipsi relinqui. Quod si Apostolus Paulus Ierosolymam profectus sit, vt Euangelium suum, quod in tertio cælo didicerat, cum reliquis Apostolis socijs suis conferret, quis proprio suo spiritui confidet, nisi conferat cum eo, quod ex ministris Ecclesiæ Christi didicit? Ordo quem seruat diuina Sapientia in administratione mundi, est, res inferiores per superiores gubernare, & honorare ministros, quos ad id opus constituit: vultque vt semper ad eos curramus, gratiamq;

Act. 10, 44. per manus eorum recipiamus. Scriptum est, *loquente Petro cecidisse Spiritum S. super omnes, qui audiebant verbum.* eodem modo quotidie adhuc inuisibiliter descendit idẽ Spiritus, super omnes eos, qui humiliter audiunt verbum Dei ex ore ministrorũ ejus.

Neque hic videndum est, an ministri sint boni vel mali; sed tantum, an instrumenta sint & organa Dei. Nõ enim vilius est aurum, quod in carbonibus reperitur, quàm quod inter lapides pretiosos: nec minoris efficaciæ est medicina, quæ bibitur ex vase luteo, quàm quæ ex alabastro. Quamobrem seruus Dei in omnibus quæ ad salutem suam pertinent, non debet agere quicquam sine consilio eius, qui dare potest: etiamsi habeat spiritum maximè eleuatum: Deus enim, qui magister est humilium, per medium illius plus lucis conferet, quam per quodcunque aliud. Ita legimus de quodam veterum illorum patrum in Ægypto qui multis continuis diebus orauerat Deum, vt dignaretur sibi soluere dubium quoddam, quod animo conceperat. Cumque nihil impetraret, statuit alium accedere Monachum, qui in eodem deserto morabatur, vt eum consuleret. Vix foras prodierat, cùm subitò Angelum inuenit, qui, quod scire cupiebat, ei exposuit: addens, quod per illam humilitatem maiorem & clariorem dubij sui declarationem meruerat, quàm omnibus, quas fecerat, orationibus. Et ratio in promptu est: cùm enim Ecclesia suos habeat ministros, qui populum docent, quos præter scientiam aquisitam Spiritus S. sæpe illuminat, & ad loquendum ea, quæ ipsi non intelligunt, mouet: id quod Caiphę accidit, eo quod esset Pontifex illius anni: erit sanè tentare Deum, si quod ordinaria via possum acquirere, id per solam orationem consequi præsumam. Matth. 8. Simile.

Verum est ad determinationem rerum spiritualium plus temporis requiri: sunt enim hinc necessaria præter doctrinam Charitas, & timor Dei, Scientia enim multum illuminat, sed amplius illa charitas, maximè in rebus spiritualibus, quæ simul cum theoria, postulant etiam praxin earum rerum.

Dona igitur & gratias particulares Dei dulcedinemque mannæ illius absconditæ, nemo perfectè cognoscit, nisi qui ipse gustauit. Ideo dicit Psalmista;

Psal. 36, 30. *Os iusti meditabitur sapientiam, & in lingua eius loquetur iudicium, lex Dei eius in corde ipsius.* Et Eccle-

Eccl. 37, 18. siasticus, *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circunspectores, sedẽtes in excelso ad speculandum.* Id potissimum locum habet in materijs spiritualibus, & causis particularibus. Decisiones enim fidei, contractuum humanorum, decretorum, mandatorum Ecclesiasticorum, & similium rerum, optime norunt Doctores & Magistri illius facultatis: eædemque res spirituales diligentissime sunt examinendæ, vt videatur, si cum regula diuinę scripturæ concordent. In alijs verò rebus cognoscendis, quærant deuoti homines (quantum fieri potest) doctos & bonæ conscientiæ. Nihil enim periculosius est in mundo, nec plus attulit detrimenti, quam scientia sine timore Dei: vbi enim est doctrina sine illa correctione, ibi est animi elatio, & superbia: vbi autem superbia, ibi tenebræ, ibi ignorantia, ibi diuina reprobatio. Ex eo fonte natæ sunt omnes hæreses præsentes & præteritæ, cum infinitis alijs malis & dissolutionibus vitæ humanæ. Quamobrem ait Sapiens; *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi*

Eccl. 6, 6. *vnus è mille.* Talem cum inueneris, communica cum eo causas tuas omnes, cum humilitate & fiducia: & noli quotidie tibi nouos magistros cõciliare: id enim sæpe confusionem parit, estq; hominum inconstantium, & eorum, qui circumeunt, quærentes opiniones suis similes, nec quiescunt, donec eas inuenerunt. Quibus inuentis dicunt, quod aliorum reguntur consilio, cùm reuera proprio suo regantur. Ex quibus apparet, non esse rem exigui momenti, nosse bonum consilium eligere, & fortè non minoris, quam dare.

(:)

ADMO-

ADMONITIO QVARTA, DE DIscretione, quæ requiritur ad examinanda bona proposita.

CAPVT XLV.

ADmonitio quarta nõ multum differens à priori, est: Quantumuis oratio deuota sit fons bonorum desideriorum: ibi enim propter cõsiderationem perfectionum & beneficiorum Dei, ardet ignis charitatis, ex qua scintillæ bonorum desideriorum exiliunt: non debet tamen homo omnibus istis desiderijs nimium confidere, præcipitans sese in omnia quæ concupiscit, non faciens antea id, quod Ioannes monet: *Nolite omni spiritui credere,* 1. Ioan. 4. *sed probate spiritus, si ex Deo sint:* sæpè namque vitium virtute tegitur: sæpè lupus sub pelle ouina furit: & Satanas sese in Angelum lucis transfigurat. Sciendũ igitur est, quod, quomodo natura, quę indidit homini appetitus ad conseruationem vitæ naturalis, etiã dedit rationem, vt regat & moderetur illos (alioquin essent ipsi vitæ noxij) sic Spiritus Sanctus, qui excitat in iustis desideria spiritualia, ad conseruationem vitæ spiritualis, addit quoq; discretionem, quæ desideria illa regat, examinet, & moderetur: vt sic temperata ad operationes mittantur. Hoc autẽ quia multi homines spirituales non faciunt, sæpè res aliquas moliuntur, quæ optatum nõ sortiuntur affectũ ex quo apparet eos deceptos esse, credentes enim desiderium suum esse bonum, putabãt omnia tam esse secura, vt clausis etiam oculis, quod meditabantur, perficere potuissent.

Quare nihil adeò necessarium est, quam vt homo subinde bona sua desideria, zelumq; examinet, quæ quanto speciosiorem habent boni figuram, tanto facilius sub calore boni possunt fallere. Ob hoc voluit Deus in veteri testamento, omnibus sacrificijs sal adhiberi, vt insinuaret, omnia sacrificia operũ nostrorum debere esse salita, seu condita discretione. Quare & Persarũ Rex, qui iussit Israelitis omnia quæ ad cultum & ædificationem templi pertinebant, in põdere & mensura dari, mandauit, vt sal daretur sine mensura, ob summam eius necessitatem: cum in omnibus operibus nostris nobis opus sit salè discretionis. Nam cùm ea sit oculus animæ, non possumus pedem commodè mouere, sine ista discretione.

Leuit. 2.

1. Esd. 7. Artaxerxes.

ADMONITIO QVINTA, QVOD SIMUL cum oratione debet homo exerceri in omnibus virtutibus alijs.

CAPVT XLVI.

ADmonendus est deuotionis amator quintò, quod etsi oratio sit excellens virtus (per eam enim consequimur Spiritum Dei, & gratiam illius, qui fons est bonorum nostrorum omnium: & cum ea concurrunt actus multarum virtutum, vt antea dictum est) non tamen ob hoc debet homo desistere, quo minus omnem suam fortitudinem in ceteris etiam virtutibus comparandis impendat, tã vt satisfaciat officio suo, ad quod tenetur, quàm etiam, vt paulatim acquirat habitum earum. Etenim quantumuis feruor charitatis deuotionis magnus sit stimulus: remittente tamen sese nonnihil illo feruore (quod sæpè fit etiam sine mortali peccato interueniente) confestim surgunt, & caput eleuãt passiones naturales, nisi continuò virtutum exercitio refrænentur: & facilè præcipitant hominẽ in quamcunq; debilitatem, vel leuitatem. Proinde necessarium est, vt præter subsidiũ quod petitur ab oratione, etiam ipsi actus, & exercitia virtutum nobis auxilientur: vt vsu & continuatione illarũ, paulatim habitum nobis comparemus, atq; ita affectus & perturbationes animi refrænentur, vt facilius fiat exercitium virtutum non solum ad gaudium & dulcedinem deuotionis, sed etiam vt virtutum vsu passiones vincantur.

Quod si homo in executione operum illorum, & maximè in virtute Misericordiæ nonnunquam distrahatur, & à spiritu quasi relinquatur: non ob hoc animum despondeat, neque cogitet, sese in hac negociatione aliquid amisisse, aut in alio exercitio maiorem fructum facturum: quemadmodam cogitant nonnulli, qui nesciunt in quo consistat vera virtus, tum quia non est mirandũ, quod distracti multis negocijs turbamur, eorundemque negotiorum cõuersationumq; & commerciorum hominum occupationibus obruimur: tum etiam, quia id quod dulce est, non semper est salutare: imò sæpè contrarium euenit, videmus enim nõ minus prodesse infirmo comedere cum horrore vel nausea, quam sano cũ appetitu & auiditate? nec minus vtile est medicamentum catharticum, licet amarum, quàm cibus alius quantumuis dulcis. Simile.

Plurimum hallucinantur, qui ex gustu, vel dulcedine iudicant operum dignitatem: & sæpè accidit tales non operari eo fine, quo operandum erat, nimirum vt fiat voluntas Dei, sed vt fiat propria: non vt ament & quærant Deum, sed semetipsum. Mallẽ nonnunquam habere distractionẽ & siccitatem obedientium, quam attentionem quorundam deuotorum, solet enim ferè semper id quod amarũ est, nostræque voluntati contrarium, magis esse securum. Non debes hic terreri, nõnunquam enim leues aliquot defectus & næui, in hoc negotio solẽt interuenire, vt sunt verba otiosa, &c. à quibus immunẽ se putat, qui ab his exercitijs abstinet: quẽadmodum enim mirandum non est, si nunquam vulneretur, qui nunquã in pugnam venit: sic etiam mirandum non est, si subinde leuiter vulneretur, qui in acie decertat. Optimè nouit Dominus noster omnes nostras debilitates, ideoque vult, vt exerceamus nos in omni opere bono: nec miratur si habeat plãtas pedum madidas is, qui super aquas ambulat, aut manus paululum denigratas, qui picẽ tangit: hoc est, si paululum humanitatis contrahat is, qui cum hominibus conuersatur, propter bonum ipsorum hominum, hoc enim est fieri spiritualiter anathema pro illis. Et hic credendum est Dominum facilè veniã daturum delictis tam exiguis, mercedemq; bonis eorum operibus, ita vt nec bonis operibus desint sua præmia, nec leuibus delictis indulgentia. Simile. *Quid sit fieri anathema pro fratrib.*

SEXTA ADMONITIO, QVOD ILli qui multum orant, non debent contemnere hos, qui minus orant.

CAPVT XLVII.

SExtò admonendi sunt homines pij, qui in orationis exercitio frequẽtes sunt, atq; in eo singulari modo à Deo visitantur, consolationesque multas ab eo percipiunt, ne iudicent, neq; parui faciant hos, qui in eo sunt tardiores aut tepidiores. Sũt enim nonnulli (atque vtinam Deus det eos nõ multos esse) qui quia nonnunquam lachrymantur, & sentiunt aliquam consolationem, quam secundùm iudicium suum non habent alij, existimant sese meliores, & alijs magis spirituales: imò nonnunquam contemnunt eos, vt homines carnales, & sensibus deditos, qui non gustant, nec sentiunt Deum. Dumque arbitrantur hanc cordis teneritudinem, quàm habent, esse certum signum diuinæ gratiæ, securi viuunt, insolescunt, & extolluntur: dicentes idem, quod olim mater Sampsonis dixit marito suo, vt metum tolleret, quam conceperat ex eo, quod Angelum vidisset: metuebat enim se moriturũ, cui illa: *Si Dominus nos voluisset occidere, de manibus nostris* Iud. 13, 23. *Consolationes Dei multis causa mali.*

holocaustum & libamina non suscepisset, neq; ostendisset nobis hæc omnia, neq; ea quæ sunt ventura, dixisset. Ita videntur & illi dicere in cordibus suis quod si non essemus in gratia Dei, non has consolationes nobis Deus immitteret.

Hic considerandum est, tales consolationes, motusque spiritus non ipsas esse virtutes, sed instrumẽta & auxilia, quibus virtutes comparantur: ita vt sint virtuti, quod calcaria currenti, arma pugnanti, liber studenti, & catharticum medicamentum huic, qui cupit purgari. Ceterum quid iuuant calcaria, si quis nolit currere? quid arma, si pugnare quis non velit? quod liber studenti, si non aperiat: quid vẽtrifluum medicamentum huic, qui quidem purgatur, & tamen optatam non consequitur sanitatem? Imò omnia hæc magis oneri sunt ei, cui non proficiunt ad bonum: strictior enim ob illa reddenda erit ratio. Si enim nosse tantùm Deum bonumque non operari, circunstantia sit, quæ causam hominis negligentis faciat multo grauiorem, vt omnes scriptuuræ testantur: quid faciet iustus & dulcedo Dei, quid consolationes Spiritus Sancti, quæ etiam satis erant, ex hominibus Angelos facere? Si is qui talentum vnum acceperat, vt cũ eo negotiaretur, & fodit illud, atq; ob id grauiter punitus sit, quid fiet huic cui quinque talenta data sunt, & fodit illa? Si pater familias mercenariorum gregem conduxisset, vt in vinea sua laborent ea conditione, vt manè in ædibus suis ientaculum sumant, inde ad labores abeant: quod si post sumptum liberale, lautumque ientaculum, non ad vineam, sed ad forum se conferant, vt in eo spacientur, & otientur, an non grauissimè offenderetur, indignaretur que pater familias, si inuenerit illos? Quæso quid est illa refectio spiritualis, quam Deus dat suis in oratione, nisi ientaculum, quo cum vult eos præuenire, & corroborare, vt alteriores sint ad laborandum in sua vinea? Si itaque post sumptum ientaculum hoc, laborare noluero, idque ea cum opinione, quod Deus mihi debuit id, quod manducaui (cùm ego interim illi labores vineæ debeam) quomodo non ero illusor eius Maiestatis? Etenim si homo (cùm iam propter alterius bona extollitur) cognoscat furtum suum, & ob hoc semetipsum humiliter, minus peccat, sed qui præter furtum, etiam arbitratur se alijs esse meliorem, cùm sit fur ceteris maior, id sanè non est tolerandum. Hinc nascitur aliud malum, quod illi nimirum, qui huc venerunt, fiant etiam incorrigibiles, aliorumque consilia contemnant. Nemo enim eos audet corripere, quia foris ostẽtant maximam sanctimoniæ speciem, neq; alicuius correptionem ferunt: existimant enim sese in virtutibus omnes præcedere, qui non sentiunt idẽ quod illi. Ex quo manifestè liquet, quàm exigua ratione vtantur homines in æstimandis rerum dignitatibus, dum gloriantur in eo ex quo maiorem habent rationem metuendi.

Matth. 25. Simile.

Consolationes Spiritus vnde sint.

Vt autem hoc melius intelligatur, notandum est, has consolationes & dulcedines spirituales, ex trib. causis posse deriuari. Aliquando namque procedunt à Spiritu S. vti iam dictum est, qui hoc modo vult homines ablactare, ab vberibus mundi, & fortitudinem dare, ad difficultates virtutũ superandas. Nonnunquam oriuntur ex ipsa nobilitate studiorum, & materiarum, quas tractamus, & cogitamus: tales erant delectationes Philosophorum, quando cõtemplabantur varietatem, & fortitudinem, & artificium rerum creatarum, atque hinc ascendebant ad contẽplationem Dei, & substantiæ separatæ, in qua (teste Aristotele) inueniuntur summę delectationes, idque ob dignitatem & nobilitatem talium rerum. Atque ita sunt nonnulli, qui contemplantes opera Dei, tam gratiæ, quàm naturæ: aut legentes sacras Scripturas, Doctorumque Ecclesiæ libros, summam percipiunt voluptatem & dulcedinem. Res enim, quas legunt, & cogitant, quemadmodum sunt altissimæ & nobilissimæ: sic etiam sunt dulcissimæ, & ad generandam voluptatem potentissimæ. Ceterum si nil aliud sit, quod delectat (quemadmodum sæpè solet fieri) omne id naturale est, non iuuat, non sufficit ad salutem. Similiter sunt nonnulli (vt Doctor quidam ait) qui ex natura sua dulcem habẽt & suauem affectum, in summo bono, quod est Deus. Ceterum tales, inquit ille, sibi cauere debent, ne fallantur, putantes se tantũ habere charitatis, quãtum suauitatis, tantũm enim habet vnusquisq; de illa virtute, quantum laborat, & negat semetipsum propter amorem Dei. *Charitas enim* vt ait B. Gregorius) *non est otiosa, sed operatur res maximas, si vera sit: si autem non operetur, non est vera charitas.*

Charitas nõ est otiosa. B. Gre. Hom. 30. in Euang.

Possunt etiam nonnunquam & consolationes illæ immitti à spiritu maligno, vt per eas decipiat, & superbire faciat homines: dum persuadent sibi, se aliquid esse: aut vt detineat eos in aliquo errore, seu peccato: quemadmodum agit cum hæreticis, quibus suggerit maximam dulcedinem in legendis S. Scripturis, vt isto pignore arctius eos constringat, & in errore detineat. Idem agit cum aliquibus Christianis, vt faciat eos (sicut dixi) magis inflatos, minusq; aliorum consilijs subiectos, vt ita toti reddantur incorrigibiles.

His sic sese habentibus, facilè animaduertimus, quocunq; ex principio consolationes oriuntur, hominem nõ habere rationem superbiendi, vel nimiũ gloriandi. Nam si à Spiritu sancto sint, non est quod homo sese extollat: sed potius timeat, ob rationem quæ pro illis exigetur, vt diximus. Si oriantur ex solis rebus naturalibus, & sint merè naturales (quales erant illæ Philosophorum) nec præmium habent, nec supplicium: quia nec meritum habent boni, nec mali: sed solius naturæ sunt. Quod si autem à Spiritu maligno immittantur, multò magis homini timendum est, tanquam illi, qui hæret inter cornua tauri. Quomodo enim non meritò timebit auicula, quæ stat in loco, vbi proposita est esca aucupis, vbi videt quidem cibum, laqueum autem qui illi tenditur, nõ videt? Ita vt in vno non sit causa superbiendi, & in altero vehementer metuendi.

Simile.

Esto tamen, sint omnes consolationes istæ à Deo: considerare tamen debemus fauores, & gratias illas non dari nobis, vt extollamur, proximum aspernemur: sed potius, vt feruentius Deum amemus & corã alijs humiliemur. Alioquin enim dona Dei nõ recipimus ad vtilitatem, sed iudicium, & condemnationem: si proximum despiciamus.

Præterea statuendum est Ecclesiam Christianam esse perfectissimum corpus, in quo sunt membra diuersa, differentibus singulis in figura, & officio omnia tamen esse necessaria, ad ministerium & ornamentum corporis. Necessarium enim est, vt in mystico Ecclesiæ corpore sit varietas membrorum: hoc est diuersorum statuum & officiorum, ne sit defectus in ministerijs, ipsaque Ecclesia pulchra sit tota. Erat enim & tunica Iosephi polymita, hoc est variorum colorũ: vt significetur varietas ministrorum, & spirituum, qui in illa sunt: qui quidem omnes ad beatã vitam properant, sed singuli suas per semitas. Quẽadmodum enim à circumferẽtia circuli multæ sunt lineæ tendentes ad centrũ: sic multæ quoq; viæ sunt, quæ dicunt ad cælum, quod communis omnium felicitatis est centrum.

Omnes homines vnum corpus.

Genes. 37.

Simile.

Quare quidam ad hoc centrum tendunt per viã orationis & meditationis: alij per viam prædicationis: alij per pœnitentiæ, alij per patientię in aduersis, quidam per abstinentiæ, nonnulli per paupertatis:

aliqui

aliqui per humilitatis, hi per religionis & regularis obseruantiæ, illi per operum misericordiæ, atq; alij per alias vias, qui omnes ad vnum eundemq; locum festinant.

Quod cùm ita sit, cur tibi persuades viam tuam esse meliorem & securiorem via aliorum? Quis tibi dedit hanc securitatẽ? Si Deus solus ponderet spiritus, & scrutetur corda, quis tibi dedit licentiam hãc bilancem assumendi, & in hac cathedra sedendi, lãcemq; tuam deprimendi? Non est ille quidem tã feruidius in Oratione, quàm tu: potest nihilominus fieri (licet tu Iudex illius non sis cõstitutus) vt sit te patientior, humilior, obedientior, vt plus habeat charitatis, plus misericordiæ, quam tu: atq; ita superet te in alijs virtutibus, quæ sunt magis laudabiles. Nõ tot madet lachrymis, quot tu: nec sentit, quod tu sentis. Et quid scis tu vnde fluant istæ lachrymæ, & sensus ille vnde sit? etenim licet regulariter loquendo sint à Deo, potest tamen fieri, vt sint ã spiritu alieno: potest fieri, vt potius sint naturæ, quàm gratiæ: hoc est, vt potius deriuentur à teneritudine, molliq; cordis cõplexione, quam à spiritu Dei. Porrò sint licet ab illo spiritu, non in his consistit summa perfectionis: sed sunt tantùm instrumenta perfectionis: non in his est victoria pugnæ, sed arma sunt ad eam comparandam: non in ijs sita est nostra salus, sed media sunt ad salutem consequendam. Bonum enim hominis non consistit in instrumentis & apparatibus ad illud destinatis, sed in bono eorum vsu. Ridiculum esset, si quis dixerit, eum qui plus ceteris comedit, etiã plus fodere: fieri enim potest, vt qui minus comedit, plus laboret: cùm vnum necessario non sequatur aliud. Eodem modo Oratio & consolatio Dei ordinantur ad amorem Dei consequendum: sunt tamen nonnulli, qui hac gratia non bene vtuntur, & qui aqua ad irrigãdas virtutum plantas data, ad proprias delicias fouendas abutuntur: hoc est, qui aquam & cõsolationes acceptas, vt per eas tenderent vlterius in amorem Dei, conuertunt ad propriam refocillationem & suiipsorum amorem.

Neminem iudicare debemus, multo minus personas Ecclesiasticas, religiosas, & quæ viuunt in virtutum professione. Contemptus enim earum generat in anima vermẽ admodum noxium, qui non solum rodit personas, sed etiã status ipsos: quod principium est, & porta multorum malorum. Nec publicare, & in foro venditare debemus fratrum delicta etiam si viderimus, memores maledictionis. Noe, quã imprecatus est filio suo, eo quod non cooperuerat pudendã patris sui: sed potius sequamur reuerẽtiam aliorum duorum fratrum, qui discretè, & cum honore texerit illa. Hunc spiritum habuit magnus ille Imperator Constantinus, inter cuius laudes ea præcipuè numeratur, quod is dixerit: *Si sacerdotem in aliquo crimine deprehenderem, ego illum pallio meo operirem, ne ab aliquo agnosceretur.* Hic propriè zelus est, & Christi spiritus: sed gestire, triumphare, vel indignari, cùm aliquis seruorum Dei lapsus est, id proprium est Antichristi, quem imitantur omnes, qui sunt membra illius.

Genes. 9.

Pregiũ Constantini dictum. Niceph. li 8. c.16. Euseb. l.10.

Nec ob culpam vnius, vel paucorum, statim damnandi sunt omnes: hoc enim summæ est ignorantiæ: vt si quis ob duas aut tres fœminas, quæ videbantur bonæ, sed in adulterio deprehendantur, vellet omnes maritatas adulteras dicere, & iudicare. Qui extra carnem sunt, semper aut boni sunt, aut mali: semper stant, aut iacent: sed qui adhuc in carne morãtur horum est cadere, & rursum resurgere. Quod si in ipso cælo, in Paradyso, in schola Christi, & in collegio septem Diaconorum Ecclesiæ ab Apostolis electorũ fuerit, qui ceciderit, qui inobediens fuerit, qui Dominum suum vendiderit, & qui à fide defecerit: an mirum sit, si simile quid in alijs statibus & congregationibus inueniatur? Culpa eorum, qui ex locis tam excelsis cadunt, non minuit, sed auget dignitatem eorum, qui in ijs perseuerant.

Simile.

ADMONITIO SEPTIMA, OMNE genus singularitatis esse vitandum.

CAPVT XLVIII.

ADmonitio septima sit, vt homo deuotus sic viuat, sic latitet, vt nemo (quantum fieri potest) cum cognoscat: hoc etiam studiosè agat, vt vitet omne genus singularitatis, tam in vestibus, quã in alijs quibuscunq; suis actionibus, & moribus agẽdi, cum alijs hominibus, quantum fieri potest, sine offensa Dei, iuxta consilium Senecæ ad amicum suũ scribentis: Facies, inquit, & figura exterior sit communis cum alijs hominibus: interior verò ab alijs differat.

Ad hanc monitionem pertinet, vt sit locus Orationis talis, qualem indicat Saluator, cùm dicit: *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscõdito, reddet tibi.* Hoc dico, etsi multi feliciter orent in Ecclesia, plurimumq; iuuentur Eucharistiæ præsentia (quæ sanè magnum orantib. fert subsidium) quod optimè facere possunt & commodissimè religiosi & religiosæ, qui habitant in domo Domini: aliæq; personæ bonæ & securæ qualitatis: sunt tamen alij, quibus conuenientior est locus ad orandum secretus, quàm publicus: tam ob periculũ vanæ gloriæ, quàm propter obligationem, qua domi desidere tenentur.

Locus ad orandũ secretus eligẽdus. Matth. 6.6.

Potissimum autem puellis & iuuenculis tutissimus portus est locus secretus, & ab oculis mundi absconditus. Faciant homines deuoti de suis angulis oratoria, & adorent ibi Deum in spiritu & veritate. Cum enim & Ionas orauerit in ventre piscis, & S. Ioan. Baptista in ventre Matris, certè non est locus aliquis, qui non est conueniens ad orandũ Deũ in illo. In hac sententia fuit Propheta, cùm diceret: *In deserta, inuia, & inaquosa sic in Sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Psalm. 62.2.

Vitia, quæ secundum Salomonem & Apostolum Paulum in fœminis potissimum sunt reprehendẽda, hæc numerantur: Curiositas, otium, garrulitas, & inquietudo, seu instabilitas: quod scilicet in eodem loco diu stare non possunt. Quæ vitia quia non corrigunt, legẽ Dei transgrediuntur, & studiũ deuotionis deserunt. Hæc vna ratio sufficit, vt illi, qui verè desiderant gloriam Dei, diligenter sibi attendant, ne alicui dent: occasionem virtutem calumniandi, cum toties moneat Apost. nequidquã agamus, quo in minimo vel doctrina, vel nomẽ Christi blasphemetur. Ne quis autem hinc occasionem sumat defendendi fœminas, quæ non veniunt ad templa, vt sacrificium Missæ audiant diebus, quibus id Ecclesia mandauit: aliud enim est tollere necessitatem, aliud resecare superfluum. Hoc enim mandat Ecclesia, illud docuerunt Sancti: atq; inter alios D. Hieronymus, qui in epistolis suis sæpissimè commendat solitudinem fœminarum.

Vitia fœminarum.

Ob eandem causam eædem quoq; personæ magna vti debent discretione in frequentando Cõmunionẽ. Etsi enim Christiani in primitiua Ecclesia quotidiè communicauerint: tamen non statim id nunc imitandum est, quia non erat tunc nota singularitatis, facere id quod omnes faciebãt: quemadmodum non est nota singularitatis vestri veste candida, in loco, vbi omnes eodem colore vestiuntur.

Quando & quoties communicandũ.

Præterea non debent homines spirituales omnem suam vtilitatem constituere in rebus, quæ non sunt in manibus suis, & quæ multis modis possunt impediri,

pediri. Notandum enim est, mille modis impediri posse Communionis frequentiam, aut per defectum ministri, vel apparatuum, qui ad illam requiruntur. Quod si igitur in eo bonum omne nostrum constituamus, cadente fundamento, totum ruet ædificiũ. Debet igitur homo alijs infinitis vti medijs, quæ faciunt ad conseruationem & augmentum virtutum, ijsque adiungere Sacramenti huius frequentiam, suis ad hoc statutis diebus: quidam accedant singulis mensibus, alij singulis septimanis, quod est consilium Augustini, alij rarius, aut sæpius iuxta festiuitates Ecclesiæ, vel desiderium & famem, qua sanctissimum hoc appetunt Sacramentum: iuxta ætatem quoq;, deuotionem, & statum vniuscuiusque, secundum iudicium prudentis Confessarij, prout homo de proprijs suis à Deo perceptis beneficijs potest sumere coniecturam.

Consiliũ Augustini communicare se mel in hebdomada.

Hoc ideo dico, quia experientia didici, & vidi homines, qui quasi summam suæ perfectionis ponebant in huius Sacramenti frequentia: qui (vt multa sese offerunt in vita humana) cum impediebãtur, statim debilitabatur eorum deuotio, non aliter, quam arbor, quæ singulis septimanis solet irrigari, subtracta aqua confestim aresçit.

Simile.

Hæc admonitio potissimum ad mulieres pertinet, ætatis suspectæ, licet nec de his, vti nec de alijs regula dari potest tam generalis, vt nullam habeat exceptionem.

ADMONITIO OCTAVA, FVGIENdam esse nimiam conuersationem, tam virorum, quam mulierum.

CAPVT XLIX.

OCtaua sit admonitio, omni cum studio fugiẽdam esse nimiam conuersationem, tam virorum, quàm mulierum: quantumuis etiam pij sunt, & spirituales: sæpe enim fit, vt ait B. Thomas, quod amor spiritualis, mutatur in carnalem, propter similitudinem vnius cum altero.

Aug. de cohabitatione clericorũ & mulierũ, seu de singulari, cleticorum.

Hoc ipsum sæpe, & seriò inculcatur à S. Patribus. D. Augustinus ait: *Audeo dicere qui non vult fugere familiaritatem & conuersationem fœminarum, is sine dubio tandem cadet.* Et alio loco. *Grauem inimicum sortita est castitas, cui non solum resistendum, sed dimisso fræno longius fugiendum. Nec eo minus fœminæ fugiendæ sunt, quia religiosæ videntur: quia quanto religiosiores, tanto citius alliciunt, & sub prætextu pietatis, latet viscus libidinis, experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior: cedros Lybani, Duces gregum, sub hac peste cecidisse memini, de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosij vel Hieronimi turpitudine.* Et paulò infrà: *Quanti, & quales Episcopi & Clerici post confessionum & victoriarum calcata certamina: post magnalia & signa mirabilia vsquequaq; monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cùm volunt in naui fragili nauigare? Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, id est luxuria, quæ cum sit vilis, & misera, de magnis efficit prædam.*

Hom. in Epist. ad Nepot.

Consentit B. Hieronymus: *Omnes*, inquit, *puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige, nec in præterita castitate confidas, neque enim sanctior Dauide, neque Salomone potes esse sapiẽtior. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione eiecit mulier.*

Et Sanctus Isidorus: *Positus*, ait: *iuxta serpentem, non eris diu securus: & iuxta ignem, etiam si ferreus sis, calefies:* D. autem Bernardus vehementius eos perstringit, qui cum mulieribus sunt assidui. *Cum fœmina semper esse*, inquit, *& non cognoscere fœminam, non ne plus est, quàm mortuum suscitare? quod minus est non potes, & quod maius est vis credam tibi?* Dicit hoc Bernardus, siue vt nos terreat, siue quod in rei veritate sic est. Sit vtcunque velis vehementer saltẽ metuendum est, quod tantus vir sic vrget.

Bet. in Cãt. serm. 65.

Ob has igitur voces, atq; Sanctorum consilia, seruus Dei, qui tam ingentem thesaurum portat in vase fictili, incedere debet, mente in pectus deiecto, mortificans sese in omnibus membris suis, in medio securitatis metues, metus enim ille maiorẽ parit securitatem. Notandum hic est id, quod D. Hieron. dicit: non fidendum esse castitati præteritæ: nihil enim adeo vicinum est periculo, quam nimia confidentia. Legimus de vno celebriũ illorũ D. Francisci sociorum, qui vocabatur F. Rutgerus, is magnũ habens castitatis donum, nõ aliter fugiebat, & sese occultabat ab omnib. occasionibus & periculis mali, quàm si non fuisset eo infirmior, & debilior in vniuerso terrarum orbe. Cumq; eius Confessarius rogaret cur id faceret: non enim ignorare se quia animã haberet purissimam: respondit, hanc puritatem sibi à Deo datam ob magnam diligentiã, quam adhibebat in seipso custodiendo: quod si, ait, hac in parre mei ipsius oblitus fuero, quis scit an etiam Deus mei obliuiscetur: Hoc exemplum imitentur veri amatores huius virtutis, si cupiant liberari à multis laqueis & periculis, quæ sese in hoc studio solent offerre.

F. Rutgerus.

Nec tantùm fugiendum est omne genus familiaritatis, & nimiæ conuersationis: sed etiam omnes occasiones & commercia, quæ ad illam disponunt, qui enim vult auferre finem, etiam media debet tollere, quæ ad finem disponunt. Et quamuis res ipsa speciem habeat & colorem boni, semper tamen cogitet homo necesse est, aduersarium nostrum non dormire, & quod tunc venenum est proximum, cum illi plus mellis admiscuit.

Hanc ob causam bonum esse videtur, ne mulier nimis strictam obedientiam promittat patri spirituali: nisi fortè is approbatus sit ab Ecclesia. Quamuis enim videtur hoc posse admitti alicui, de qua nullum metuendum est periculum: tamen generaliter omnib. non expedit: sæpè namq; latet anguis in herba, & amicitia, quæ incipit à spiritu, non rarò in carne consummatur: aurumq; temporis diuturnitate in scoriam vertitur.

ADMONITIO NONA, QVOD VNVSquisq; ante omnia id agere debet, vt satisfaciat, sui status obligationi.

CAPVT L.

NOna & principalis admonitio est, vt homo deuotus habeat pro principali suæ vitæ fundamento, ante omnia satisfacere his, ad quæ sui status ratione obligatur, quo facto totum tẽpus, quomodo vult, diuino cultui distribuat & impẽdat. Etenim sciendũ est, quod oratio propriè loquendo non est aliud, quã petitio, in qua petimus à Deo gratiam, ad satisfaciendũ eius mandatis, & implendam eius voluntatem, tanquam ij, qui cognoscimus infirmitatẽ nostram, & quã non sufficientes sumus ad id præstandum. Significat illud Propheta, cùm dicit: *Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam:* quasi diceret: Quia desideraui obseruare mandata tua, idque non poteram sine ope gratiæ & spiritus tui, quem tu das humiliter petentibus te: ob hoc aperio os meum in oratione, & rogo te, da mihi gratiã spiritus tui, vt illius auxilio adiutus, seruare possim mandata tua, quod vnicum desideraui.

Psal. 118, 131.

Quod cùm ita sit, patet diuinorum mandatorum obseruationẽ debere initium esse cogitationum nostrarum, sed omnis oratio, & quicquid ab ea dependet, ad illum finem est dirigendum. Sub hac prima obli-

obligatione continetur, quidquid pertinet ad statũ cuiusque: vt sunt quæ spectant ad Coniugem, ad Religiosum, ad Episcopum, ad Iudicem, ad Dominũ, ad Clientem, denique ad vnumquemque in suo statu. Quẽadmodum enim illi status instituti sunt à Deo: sic etiam leges, statuta, & obligationes eorum ab eo instituta sunt. Qui ergo leges violat, ordinationi diuinæ resistit. Iccirco vas illud electionis, & sacrarium Spiritus S. toties sub finem omnium penè suarum epistolarum tantum temporis insumit, vt moneat vnumquẽque, quid suus status postulat, hoc est, quid filius debet patri, quid pater filio: quid item vir vxori, quid vxor viro, quid seruus domino, quid dominus seruo, & sic in cæteris.

Oratio instituitur, vt obedientia obseruetur.

Age igitur, si istæ leges & obligationes à Deo sint, quæ maior confusio, quàm si sic orationi (per quam auxilium petimus ad legem Dei obseruandam) vacemus, vt interim legis obseruationem negligamus? Quid hoc aliud est, quam finem relinquere propter medium? portum propter nauigationem? sanitatem propter medicinam, cuius beneficio sanitatẽ adipiscimur? Quid hoc aliud est, quàm velle significare hominẽ in oratione plus se quærere, quàm Deum? sibi ipsi satisfacere potius velle, quã Deo? relinquit enim Deum ob amorem proprium: hoc est, relinquit id quod Deus mandat, vt faciat id, quod sibi placet.

Denique hoc nihil aliud est, quam omnino non intelligere, quid sit oratio: nec ad quid est instituta, postquam propter illam relinquitur; quod erat quærendum. Appositissimè dicebat quidam S. Francisci socius alteri cuidam Religioso, conquerenti de obedientia, & cogitanti eam deserere, quia impediebat orationem: Frater, inquit ille, tu eam habes cogitationem, quia nescis quid sit oratio. Profectò paucis verbis dixit omnia. Nam si omnis energia, & vis orationis in eo posita sit, vt acquiratur spiritus & fortitudo, ad obseruanda Dei mandata: quæ ignorantia est, ipsam diuinæ legis obseruantiam deserere, & ad orationem recurrere? Quemadmodum faber nouit ferrum prius calefaciendum esse, & macerandum, quàm cudendum aut in eo laborandum: sic sumenda est oratio ad macerandum cor, atq; id, ad diuinæ legis obseruantiam promptum efficiendum. Hic igitur primus & præcipuus finis est, ad quem Oratio vera & perfecta est dirigenda.

Simile.

Ad declarandum illud manifestissima exempla, & argumenta in Scripturis habemus: nullum autem illustrius inueni diuino illo psalmo: *Beati immaculati in via Domini*, qui tam magnus est, vt Ecclesia illum partita sit in psalmos vndecim, & canat per omnes horas matutinas minores: sunt enim in eo centum septuaginta sex versus: inter quos vix vnus est, in quo non fit mentio legis, vel mandatorum, vel iustificationum, vel viarum Dei, vel verborum eius: quę omnia idem significant, aliquando petitur intellectus ad intelligendum legem Domini: aliquando gratia, vt eadẽ obseruetur: nonnunquam enumerantur maximi fructus, qui manent obseruãtes eam, & mala contraria, quæ violatoribus denunciantur: subinde quoq; declarat Propheta, quomodo omnis thesaurus, omnis amor, omnis delectatio, & cogitatio in ea posita sibi fuerant.

Psalm. 118, 1.

Totus itaq; Psalmus, omniaq; verba & considerationes illius, eum in finem diriguntur, vt ex eo intelligat seruus Dei, non habendum in hoc mundo finem alium, hæreditatẽ aliam, aliam gloriam, nec thesaurum alium, præter legis diuinæ obseruationẽ: in eumq; finem omnia momenta vitæ nostræ, omnes considerationes, atq; adeo exercitia orationum nostrarũ huc dirigenda. Quod si hæc nostra debeat esse intentio, ecquid plus illi contrarium est, quã propter orationem deserere ipsum finem Orationis? Non hoc fecit D. Bernardus, qui ex industria, bonaque voluntate postposuit nonnunquam, non tantùm orationes, sed etiam altissimas contemplationes, vt munus docendi exequeretur (erat enim hoc ipsi iniunctum) vt testatur in quodam sermone his verbis: *Si quando sanè comperi profecisse aliquos vestrum ex meis monitis: tunc non me piguit, fateor, curam prætulisse sermonis proprio otio & quieti. Patienter auellor ab infœcundæ Rachaelis amplexibus, vt de Lia mihi exuberent fructus profectuum vestrorum. Minimè prorsus pigebit me intermisse quietis, pro cura sermonis, cùm videro in vobis germinare semen meum, atque ex eo augeri incrementa frugum iustitiæ vestræ: Charitas enim, quæ non quærit quæ sua sunt, id mihi tam dudum facilè persuasit, nil scilicet desiderabilium meorum vestris præferre vtilitatibus. Orare, legere, scribere, meditari, & si qua sunt alia spiritualis studij lucra, hæc arbitratus sum propter vos detrimenta.* Hæc ille: Et in alio sermone: *Non igitur putes, frater, de propria amore quietis sanctæ obedientiæ actibus, senio rumùe traditionibus præiudicium vllatenus faciendũ. Alioquin non dormiet tecum sponsus in lecto vno: illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque vrticis asperxisti. Propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatus non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui, tantus obedientiæ amator, vt mori, quam non obedire maluerit. Sed neq; approbat tuæ contemplationis inane otium,* &c.

Orationem aliquando propter bonũ publicũ postponendam.

Bern serm. in 51. Cant.

Serm. 46. in Cant.

Porrò quemadmodum ad hoc signum debemus dirigere nostras Orationes: ita etiam debemus examinare fructum orationum. Etenim extra controuersiã est, fructum orationum esse obseruantiam legis diuinæ: id quod apertè significat Propheta, qui cũ de homine iusto dixisset, *quod in lege Domini meditatur die ac nocte*, mox subiungit: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, & fructum suum dabit in tempore suo:* qui fructus sanè non est alius, quàm diuinorum mandatorum custodia: adeo vt de continua meditatione legis, ipsius legis nascatur obseruantia. Itaque, frater, cuius officiũ est legem hanc sanctam meditari, si aliquando tempus sese offerat faciendi id, quod lex iubet, esto prõptus ad id præstandum: & hinc agnosces, an cum fructu legem Domini sis meditatus. Faciat Iudex officium suum, & princeps suum: fungatur munere suo Episcopus, Religiosus, Maritus, Vxor, Seruus, Dominus, Filius, & Pater: vnusquisq; quod suũ est, fideliter exequatur, quando offert sese occasio manum alicui operi admouendi, & obligationi status sui satisfaciendi. Quod si videat se tardum, & non recta via incedere, cogitet se abuti hoc exercitio, & non fore sibi medicinam hanc vtilẽ, quia non consequitur finem, ad quem erat ordinata. Etenim si finis fuerit per illud cõsequi spiritum alacrẽ, feruoremq; nouum, cuius beneficio adimpleret legem Domini: quomodo is, qui tam inuitus, aut tam oscitanter legem Dei obseruat, aut qui omnino non obseruat, spiritum hunc, aut deuotionẽ obtinuisse dicẽdus est? deuotio enim nihil aliud est, quàm promptitudo animi, ad facienda hæc omnia, quæ Deus mandauit.

Fructus orationis est legis obseruantia.

Psal. 1, 2.

Hoc errore maior pars mundi nostro tempore laborat: Videmus enim quam plurimos, qui, ne exiguam aliquã subeant molestiam: quę officij sui sunt, planè negligunt, cùm scandalo multorum, & propria suipsorum iniuria. Demus ad horum numerũ non pertinere illos, qui verè deuoti sunt, & huic studio sese dederunt ex puro amore Dei, illi tamen, qui susceperunt hoc exercitium pro oblectamento, vel pro honore, aut refocillatione: vel pro maiori auctoritate captanda, vel simili scopo, ad numerum hunc referuntur. Hi sunt propter quos virtus malè audit, & exercitiũ orationis diffamatur: dum

iudicant

iudicant homines non ex natura rei, sed ex personis, nec respiciunt vsum, sed abusum.

Optimè hoc intellexit, & præuenire voluit Apostolus, scribens ad Titum, præcipiensq; illi, vt instaret oportunè, importunè, moneretque singulos officium suum facere. Cumq; ad fœminas iam nuptas veniisset, ait: *Adolescentulas hortare, vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castæ, sobriæ sint: domus curam habentes: benignè subditæ viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei.* Tit. 2, 4. Vides in hoc capite, quàm apertè S. Apostolus vnumquemque monet sui officij, proponens eis non tantùm quid facere debeant, habeant nimirum curam domus suæ, &c. Sed etiam à quo debeant abstinere: nimirum ne blasphemetur verbum Dei, ne scandalizetur proximus, &c. quod fit, quotiescunque aliquis peccat in his, quæ sui sunt officij.

Cæterum quia materia hæc admodum est necessaria, pro maiori declaratione subiungam etiam doctrinam admonitionis subsequentis, in qua copiosius tractabo de fine, qui in hoc sancto exercitio spectandus est: & de erroribus, qui in eo committuntur.

ADMONITIO DECIMA, DE FINE in hoc exercitio spectando.

CAPVT LI.

A fine totum opus dependet

ADmonitio decima versetur circa finem, qui seruandus est in hoc exercitio. Cùm enim finis sit principalis operum moralium circumstantia, radix & fundamentum omnium sequentiũ, si in eo peccetur, totum opus erroneum est, sin autem bonus sit, totum opus bonum erit.

Mortificatio appetituum præcipuum Christiani officium.

Notandum igitur hic est, præcipuam vitæ Christianæ partem esse mortificationem appetituum, & propriæ voluntatis. Finis enim huius vitæ est charitas, & ex illa charitate nascitur generalis obedientia omnium diuinorum præceptorum, perfectissimaq; cum voluntate diuina conformitas: id quod apertè satis testatur Christus in Euangelio, dicens: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioan. 14, 23. Et paulò ante: *Qui habet mãdata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Hinc est, vt vnum idemque esse videatur perfectus amor, & perfecta obedientia: qui enim amat, non potest non facere quod præcipit is, quem amat: qui autem odit mandata illius, quem odit, contemnit.

Simile.

Ad hoc igitur genus obedientiæ requiritur ante omnia mortificatio, & negatio propriæ voluntatis. Quemadmodum enim surculus arbori non potest inseri, nisi prius ramus abscindatur, cui est inserendus: ita cordi nostro non potest inseri diuina voluntas, nisi prius abscindatur humana, vbi duæ voluntates istæ inter se sunt contrariæ. Hoc est officium mortificationis, & vsus virtutum moralium, quæ circa hoc potissimum versantur. Maior enim pars earum in hoc est, vt aliquam harum passionum refrænet, vt locum det actionibus virtutum, in quibus consistit diuinæ legis custodia. Ex quibus omnibus sequitur, finem totius huius negotij esse amorem, obedientiam, & mortificationem omnium nostrarũ malarum affectionum: vt pauciss̃imis verbis docet Ecclesiasticus, dicens: *Filij sapientiæ Ecclesia iustorum & natio eorum obedientia & dilectio.* Eccl. 3, 1. Quibus verbis significat, præcipuos iustitiæ fructus duos esse: filius enim primogenitus est amor Dei, ex quo deinde nascitur obedientia voluntatis illius: cui vt satisfiat, necesse est, vt negetur nostra: quod est officium proprium mortificationis. Hanc ob causam Sancti omnes tanti fecerunt mortificationem: ipsa enim est prima porta, & cardo ceterorum omnium.

Officiũ mortificationis est voluntatẽ propriam occidere.

Hæc est illa Crux, quam Saluator tantopere cõmendat in Euangelio, in qua occidi debent omnes nostri appetitus inordinati, quemadmodum fecerunt, & faciunt omnes illi, de quibus dicit Apostolus: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerũt, cum vitijs & concupiscentijs.* Matth. 16. Luc. 9. Galat. 5, 24.

Cum itaque Crux illa res sit tanti ponderis, & carni nostræ adeo exosa, cumque ea quæ tam ardua sunt, præstari non possint, sine magna fortitudine, & res insipidæ manducari non possint sine aliquo sapore, instituta est oratio, in qua vtrumque reperitur. Per orationem enim consequimur fortitudinem, vt pugnemus aduersus Amalech nostrum inimicum, & per hanc confertur diuina gratia, quæ sola potest omnia: in ea exercetur & accenditur charitas, quæ mater est omnium virtutum, & per hanc aperiuntur quotidie nostri oculi ad diuinam cognitionem: in ea deniq; communicatur nobis gaudium Spiritus sancti, per quod via Domini nobis efficitur dulcissima atque suauissima: iuxta illud Prophetæ: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Psal. 118, 32.

Per orationẽ quid consequamur.

Hanc ob causam ab omnibus Sanctis tam impense laudatur oratio: non tantum propter id, quod in se est (quamuis etiam sit actus Religionis, quæ est virtutum moralium excellentissima) sed etiam, & quidem potissimum, propter incomparabile subsidium & auxilium, quod adfert ad prædictum finem contendentibus. Ita vt non tam celebretur, quia finis est, quàm quia præcipuum medium est ad finem: non tam quia sanitas est, quàm quia medicina est, inducens sanitatem. Quod si quis igitur assiduus esset in oratione, & tamen in moribus dissolutus, nec virtuti operam daret, videretur is haud multum differre ab infirmo, qui semper vtitur medicamentis, nec vnquam melius habet, sed in eadẽ infirmitate permanet: is duplici modo miser est, primo propter molestiam & dolorem infirmitatis: secundo propter continuum medicamentorum horrorem.

Orationi est finis, sed mediũ ad finem.

Illud principium est vel axioma admodum vniuersale, & verum; per quod vnusquisque facilè potest intelligere varios errorum modos, qui in hac parte solent committi. Sunt enim quidam, qui cùm inueniunt in oratione suauitatem, & in mortificatione difficultatem, relinquunt illud quod difficilè est, & amplectuntur id quod facilè est: respuunt amarum, & sumunt quod est dulce, atque adeò se totos dant orationibus, vt flocci faciant mortificationem. Cor enim humanum auidum est, & amicum omnis oblectationis, adeò, vt quidam Philosophi asserere non erubuerint, Voluptatem esse finem vltimum, & centrum felicitatis humanæ: Ceteri omnes affirmauerint, eam esse omnium malorum escam: mediante namque voluptatum desiderio, plurimi sese in omnia vitia præcipitant. Quid? tam potens est appetitus humanus, vt quemadmodum aqua naturali suo motu semper fluit deorsum, & si quis fluxum eius volet impedire, nihil proficit, ipsa enim rimulam quærit, qua perrumpat, sic & cor nostrum ad omne voluptatum genus semper propendet, vt, si imponatur ei silentium, & vnum aliquid negetur: confestim tumultuetur, & nunc huc, nunc illuc se vertat, quærens exitum, nec quiescit, donec suæ libidini satisfiat. Optimè igitur dictum est à quodã Doctore, quod natura subtilis est, & in omnibus quærit semetipsam: etiam in ijs, qui perfectiores sunt & diuinores. Et rectè vocat illam subtilem, quia summa cum modestia, atque adeò, vt ne sentiatur quidem, penetrat, quo vult: & ingerit sese, vbi non vocatur, vt scrutetur, si quid inueniat, quod sibi aut iucundum est, aut vtile, quo frui, aut in quo posset quiescere.

Propter orationis dulcedinẽ quidam respuũt mortificationis amaritudinẽ Epicuri.

Simile.

Natura, subtilis est.

Hinc potior errorum pars (qui in hac via solent occur-

occurrere) nascitur. Oritur hinc primo corruptio intentionis bonorum operum, quę facimus: quorum vnicus & principalis finis est Deus: huic fini reclamat atque aduersatur appetitus sensualis, qui semper quærit aliquid, quo sese potest oblectare. Atque illud præcipuum est, quod corrumpit opera nostra, facitque, vt aqua non sit omninò pura. Hinc est vt multi viuant in errore, putantes se multa opera bona fecisse, in ministerio Domini: quę cùm veniunt ad strictum Dei iudicium, vt examinentur, liquidò patet; non esse aurum purum quod adferunt, sed scoria permixtum, multoque cæno amoris proprij infertum.

Ex hoc fonte quoque scaturit, quod multi in exercitijs orationum, lectionum, meditationum & cæt. nihil aliud venantur, quàm delectationem, vel gaudium quoddam spirituale, & in eo constituunt summam sui desiderij persuadentes sibi ipsis, quia est delectatio spiritualis; iam sese in tuto nauigare, nec posse subesse periculum, nisi delectatio sit carnalis: & non animaduertunt etiam hic suum habere posse locum (vt quidam Doctor ait) amorem propriũ, gulam spiritualem, auaritiam, aliosque similes appetitus: & fortasse tanto amplius, quantò delectationes istæ sunt maiores, magisque desideratæ. Saltem id certum est, omnis huius mali radicem esse amorem proprium, qui semper oculum habet immobiliter fixum in proprium commodum: sit nunc in hac, nunc in illa materia: hoc est, siue commodum hoc ex delectatione, siue ex falsa speretur opinione nisi quod maior est culpa, & minor error, quando delectatio est turpis & inhonesta: minor verò culpa, & maior error, quando culpa non est in desiderio, sed in opinione: cum scilicet homo plus expectat, vel maiori in pretio habet: quod appetit, quàm rei natura in se complectitur.

Quod si forte mihi dixeris, non esse multos qui hoc modo falluntur: neminem enim esse tam cœcũ qui solam intendit delectationem in exercitio suarum orationum & studiorum, Respondeo, nimis multos esse eos, qui in hac parte falluntur: videmus enim per experientiam, multos adeo assiduos esse in hoc studio, atque exercitio, vt si quando offeratur opus aliquod charitatis, vel obedientiæ, aut molestiæ corporalis, confestim obuertunt humeros, & cuiuis alteri illud potius imponunt, quàm ipsi velint subire. Illud autem manifestum signum est, tales nõ purè Dei beneplacitum, eiusque voluntatem quærere. Cùm enim offert sese id, quod Deo placere sciunt, auertunt sese, & conuertuntur ad id, quod sibi dulce est haud aliter, quam si nihil Deo acceptum esset, nisi idem gratum sit etiam hominibus: cùm ferè semper contrarium verum sit, vt minus scilicet placeat hominibus, quod Deo est gratius.

Qui sic Deo seruiunt, eumque amant talem in finem, nondum omninò spiritum adoptionis filiorum Dei acceperunt: sed seruorum tantùm, ideòque potius appellandi sunt mercenarij, quam filij: primaria namque eorum intentio est proprium cõmodum, Profectò, mi Domine nondum tuam cognoscit bonitatem, qui te sic amat: & necdum scit ille quantum vales, aut quid es, qui hoc modo quærit aliquid extra te. Qui te sic amat, non te amat amore casto & puro, qualis est amor sponsæ erga spõsum, sed amore ficto, & mercenario, qualis est meretricum, quæ magis respiciunt ad commodum aut voluptatem, quàm ad personas quas amant. Quid quæso turpius quàm amare Deum tali cum amore.

Oritur & hinc alius error, nequaquam leuis, cùm scilicet magni facimus exercitium orationis (vti diximus) & mortificationis contemnimus. Etenim quia in vno est voluptas, & in alio dolor, cor autem humanum hanc respuat, illam appetat, amplectitur id quod delectat, & reijcit id quod cruciat. Hæc est causa, quod multos videmus diligentes in audiendis concionibus, & sacris, prolixos esse & copiosos in oratione Dominica & salutatione Angelica repetenda; sæpe confiteri & communicare: libenter de Deo loqui, & non minus libenter aliquid de illo audire; cum spiritualibus & pijs hominibus conuersari, tamen pro nos esse ad iram, cupiditatem, ambitionem, & obstinatos in propria voluntate: nec cedere vel culmen latum à suo iure volunt nec alios detractare desinunt. Gaudent & quærunt splendidè conuiuari, delicate viuere, edere & bibere quæ sunt optima; corpus suum vestire magnificè, & tractare molliter: nihilominus volunt Deo deuoti viuere, & cum eo familiaritatem atque commercium habere. Hinc est, vt si aliquando solitam dulcedinem in oratione non inueniant, quam appetunt, confestim animum abijciunt, patientiam perdunt, lachrymantur, quia in oratione lachrymari non possunt: & vberrimè fundunt, non quidem lachrymas deuotionis, sed impatientiæ. Et tales quidem, qui hanc ob causam flent, non lachrymantur, quia se vident plenos ita superbia, auaritia, amore proprio, alijsque vitijs pluribus; vacuos autem humilitate, charitate, & alijs virtutibus, magis quàm sunt illæ lachrymæ, necessarijs.

Aliusmul-torum qui deuoti vide-ri volunt.

Progreditur illud negotium eousque vt quidam eorum tanto habeant in pretio suam deuotionem, quod veram iustitiam aut negligunt, aut contemnunt: cui tamen lege diuina sunt obstricti. Existimant sese grauissimè diliquisse, si quotidie sacrum non audiant: si preces, quas ipsi sibi statuerunt, absoluerint & deuotioni calendarij sui non satisfecerint: quare nec edere possunt, nec dormire; cùm interim suauiter dormiant, habentes arculas pretiosissimis vestimentis & pecunijs otiosis plenas; non considerantes tot pauperes esse & nudos, fame & frigore contabescentes. Nec adimit illis somnum conscientia plena defectibus, aut debitorum oneribus grauata: quæ cùm possint, tamen non reddunt. Quin etiam cùm multis iam annis ob odium inueteratũ proximum non salutarunt, cum magno communis populi scandalo: nec ea quæ status sui, vel familiæ sunt, curarunt, tamen in vtramque possunt aurem dormire. Quod si aliquando sese aliquid horum offerat, maximè si quam molestiam, vel difficultatem habeat adiunctam; respuunt illud, manum retrahunt, & extricantes sese, dicunt, hoc corpore cor suum distrahi, & deuotionem suam impediri; vacanteque orationi, non videt hoc aliud nihil esse, quàm caput deserere propter pedes: maioris enim faciunt quietem cordis, quæ disponit ad orationem, quàm obedientiam diuinæ legis, ad quam ipsa disponitur oratio. Verisimile est tales nunquam legisse illud Saluatoris; *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, is intrabit in regnum cœlorum.* Matth. 7. 21.

Hæc deuotio sine fundamento iustitiæ est vnus ex primarijs erroribus. qui in hac via solent homini occurrere: sed & ex vniuersalioribus est: destruit enim in omnibus, & per omnia vitam spiritualem. Etenim cùm finis huius vitæ sit diuinæ legis satisfactio, & medium, per quod tendimus in illum finem sit oratio (vt iam sæpe dictum est) error hic sanè peruertit istum ordinem; ex fine facit medium, & ex medio finem, atque ita confundit omnia.

Vtinam pauci essent, qui hac in parte hallucinãtur: sed vereor, ne cùm regnum amoris proprij sit latissimum, etiam pestis hæc quæ ex illo nascitur sit valdè

valde generalis; licet in vna parte plus grassetur; quàm in alia: pauci tamen sunt, qui planè ab ea sunt liberi.

Nemo autem cogitet hanc doctrinam contrariã esse illi, quam antea tradidimus, contra polyprogmosinem seu nimiam externorum occupationem: etenim illa arguit eos qui omnino dei sunt studium orationis, vt solis vacent occupationibus externis: hęc autem est contraria extremo alteri, pugnatque cum his, qui sic orationibus sese dediderunt, vt nulli omnino occupationi externæ velint se immiscere, etiamsi ea sit necessaria: nisi quis velit orationum suarum ordinem euertere. Vtrumque extremum est, à quo semper virtus abhorret, quæ in medio consistit. Non enim debent occupationes esse tot & tantæ, vt suffocent, orationem: nec oratio tanti debet fieri, vt propter illam opera virtutum, & quæ sunt officij nostri negligantur.

DE REMEDIO CONTRA omnia hæc errorum genera vtilissimo.

CAPVT LII.

QVI vult igitur ab omnibus his erroribus liberari, constituat sibi vltimum finem laborũ, molestiarumque suarum omnium obseruantiam legis Dei, & sanctissimæ voluntatis illius, mortificationemque voluntatis propriæ: vtatur orationis dulcedine, ad temperandum amaritudinis calicem, certoque sibi persuadeat, quanto quis plus biberit de hoc calice, tanto plus se profecisse, & quanto minus biberit, tanto minus etiam profecisse. Animaduertat diligenter, quantum proficiat quotidie in humilitate tam interiore, quã exteriore: quomodo fert iniurias, quæ sibi fiunt; quomodo nouit aliorum debilitati succurrere, & proximi necessitati subuenire; quomodo condolet alteri; quomodo proximi delictis non indignatur; didicitque sperare in Domino, quando tribulationes ingruunt; quomodo linguam moderatur, cor custodit, carnem cũ omnibus concupiscentijs suis refrænat; quomodo nouit se regere, tam in aduersis, quàm in prosperis, ne in his animum despondeat, in illis extollatur. Quomodo se gerit in omnibus cum grauitate & discretione. Ante omnia verò hæc diligenter consideret, si mortuus sit amor honoris, voluptatum, & mundi aliorumque affectuum similium. & secundum normam, quam quisque in his obseruauerit, iudicetur: non autem secundum quantitatem dulcedinis, quam quis in oratione percipit.

Mortificatio necessaria.

Quod si verum finem nostrum velimus assequi, non satis esse nobis debet, tantum ad orationem respicere: sed oportet vno oculo, & quidem principali, mortificationem intueri, & altero orationem. Id si fecerimus, tandem ad veram contemplationem veniemus alioquin nil proderit oratio, sine mortificatione: nec mortificatio perfecta poterit haberi, sine orationis subsidio. Sunt enim oratio & mortificatio tanquam duæ sorores, quarum vna succurrit alteri, in omnibus quæ sunt agenda.

Duo altaria in templo Salomonis quid 2. Parat. 4. & 8. Exod 30.

Quæ duæ virtutes præfiguratæ sunt per duo altaria, quæ erant in templo Salomonis, in quorum vno semper immolabantur sacrificia; in altero nil nisi incensum offerebatur. Per altare sacrificij, in quo diuersa quotidie occidebantur. & immolabantur animalia, intelligitur mortificatio, cuius officium est, sacrificare, & amputare capita nostrorum appetitum: per illud autem incensi, oratio insinuatur: quæ instar incensi seu fumi igne amoris diuini ascendit è cordibus nostris vsque ad cælum: ibique nostra cum Deo peragit negotia. Quicunque igitur hoc modo desiderat esse templum Dei viui, habeat in anima sua duo ista altaria: vnum in parte illius superiori, vbi semper fumat incensum orationis, & meditationis vt impleatur illud psalmographi: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*: alterum in parte inferiori, vbi semper offerat sacrificia de concupiscentijs, & appetitibus suis: vt fiat illud Apostoli; *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationẽ, immundiciam, libidinem, concupiscentiam malam & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* Hæc est illa myrrha, de qua loquitur sponsa in Canticis; *Vadam*, ait, *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Quemadmodum enim per thus oratio, sic per myrrham intelligitur mortificatio: quæ quidem nostro palato est amarissima, sed in conspectu Dei pretiosissima simul & odore gratissima. Nec sane caret mysterio, quod monti attribuitur myrrha, & colli incensum: fortè vt insinuetur; quanto excellentior est oratione mortificatio, tam in difficultate, quàm in dignitate. Quemadmodum enim mortificatio vniuersalis appetituum omnium est difficilior oratione, ita etiam est excellentior, & magis necessaria. Et quemadmodum collis est via ad montem, mediumque ad ascendendum, sic oratio via est, & ascẽsus ad mortificationem.

Pſal. 18,15. Coloſ 3,5. Cant. 4,6. Pſal. 140. *Mortificatio difficilis.*

Admonendus igitur est seruus Dei, vt quanto maior illi affulget suauitas in oratione, tanto alacrius se cingat, & præparet ad maiores tribulationes: considerans omnino æquũ esse, vt patiatur pro Domino, à quo tã suauiter & molliter tractatur: animaduertatq; illas ipsas consolationes, quas mittit, esse respirationes, quæ dantur, vt postea maiori cum animo in prælium reuertatur.

Et verè notandum hic est, quod eo ipso tempore, quo Dominus in monte transfigurabatur, quo facies eius vt sol splendebat, & vestimenta eius candida vt nix facta sunt: eo, inquam, ipso tempore in medio tantorum gaudiorum, loquebatur de ijs, quæ passurus erat in Hierusalem. Quid negotium passionis cum transfiguratione fuit commune? Si musica in luctu importuna sit narratio: eritne quoque luctus importuna narratio in musica, & communi gaudio? Habet quidem hoc locum in festiuitatibus huius mundi: sed non in solemnitatibus diuinis, vbi tribuuntur consolationes propter tribulationes propter tormentum; & propter crucem transfiguratio. adeò vt quotiescunque seruus Dei sentit aliquam cõsolationem, certò sibi persuadere debeat, se citari, & ad nouum bellum prouocari, & quemadmodum istæ consolationes hominem obligant ad tribulationes; ita cogitandum est, nos ad tribulationes vocari, quoties sentimus nos consolari. Proinde quemadmodum diligens viator, qui intrat in diuersorium, vt sumat ientaculum; comedit, & simul sollicitus est, de eo, quod restat adhuc, itinere peragendo: ita vt corpore quidem sit in hospitio, corde verò & animo versetur in itinere: sic & seruus Dei, quando procedit ad orandum ab vna parte fruatur diuina dulcedine, & ab alia consideret molestias, & tribulationes adhuc amore illius (à quo tam suauiter demulcetur, & qui non vult aliquem comedere panem suum, nisi in sudore vultus sui) ferendas.

Chriſtus in Transfiguratione gloria loquitur de paſſione. Matth. 17. Luc. 9. *Simile.*

Summa igitur istius negotij sit; vt ante omnia scribamus in cordibus nostris hæc verba Saluatoris: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Et quia Crux illa vix tolli potest, nisi fortitudine; gaudioq; orationis accedente: ideo recipimus nos ad hanc virtutem, tanquã ad fidelissimam ducem, præsentissimumq; remedium, quod nos ad istum finem perducit. Ideoq; nõ negatur, sed cõceditur nobis, quod desideramus: largiturque nobis Deus spirituales consolationes: nõ vt in ijs requiescamus, sed vt ijs refocillemur, animusque

Luc. 9, 23.

musque nobis addatur, cuius robore, vsque ad sum-
mum glorioſi montis huius faſtigium contendamus.
Hoc eſt quod optabat & orabat Propheta, cùm dice-
ret: *Lætifica animam serui tui quoniam ad te, Domine,*
Pſal. 85, 4. Pſal. 62, 5. *animam meam leuaui.* Et in alio loco, *Sicut adipe &*
pinguedine (ſic deuotione) *repleatur anima mea, &*
labijs exultationis laudabit os meum. Hoc itaque mo-
do, & hunc in finem, vti debemus diuinis conſola-
tionibus: non tantùm vt ijs delectemur, ſed potius,
vt ijs affligamur: quomodo vtebatur illis anima
Prou. 31, 27. ſancta, de qua dicitur. *Cõſideauit ſemitas domus ſuæ;*
& panem otioſa non comedit.

ADMONITIO VNDECIMA, VI-ſiones & reuelationes non appetendas.

CAPVT LIII.

EX ijs, quæ hactenus dicta ſunt, etiam hoc con-
cluditur; Si non debeamus conſolationes, de-
lectationeſque ſpirituales quærere, vt ijs im-
moremur, ijſque tantum delectemur, multo minus
appetendæ ſunt reuelationes, viſiones, inſpiratio-
nes, aut ſimilia; huiuſmodi enim ſunt vera princi-
pia diabolicarum illuſionum, Nec metuat homo, ſe
Deo fore hac in re inobedientem, ſi occludat his re-
bus portas omnes: nouit enim ille, ſi quando velit a-
liquid homini reuelare, aditum inuenire, portaſque
eo modo recludere, vt homo dubitare non poſsit,
1. Reg. 3. ſed certò ſciat, Deum adeſſe. Sic egit cum Samuele
adhuc puero, quando ſemel, iterum, & tertio voca-
uit illum: dixitque omnia, quæ illum ſcire volebat,
adeò manifeſtè, vt nullus eſſet ſcrupulus relictus,
nec iam Propheta de ſua legatione dubitaret.

ADMONITIO DVODECIMA, non reuelandas eſſe diuinas gratias.

CAPVT LIIII.

ADMONENDVS etiam eſt tyro noſter occul-
tandos eſſe tacendoſque fauores, gratias, &
beneficia, quæ Deus ſubinde amicis ſuis in i-
pſorum orationibus ſolet exhibere. Illud tanti mo-
S. Bernard. in fine epiſt. ad fratres de monte Dei Eſaiæ. D. Franciſcus. menti eſt, vt homo deuotus, iuxta conſilium D. Ber-
nardi, in parietibus cellulæ ſuæ ſcriptam habere de-
beat ſententiam Prophetæ: *Secretum meum mihi ſe-*
cretum meum mihi. Glorioſum illum Franciſcum
ſcribunt tam tacitum fuiſſe in his rebus, vt non tan-
tum alijs noluerit reuelare fauores & gratias ſibi à
Deo exhibitas; ſed inſuper tanta cum diſsimulatione,
& modeſtia, tam in verbis, quàm in tota corpo-
ris compoſitione ex oratione reuertebatur, vt nihil
eorum quæ in pectore gerebat, agnoſcere potuiſſes.

Aliter faciunt nonnulli, qui cõfeſtim buccis ple-
nis crepitant ſuam deuotionem, & non poſſunt qui-
eſcere, niſi magnis clamoribus & ſingultibus foris
prodant, quid intus ſentiunt. Id (ait quidam Do-
ctor) non ex magnitudine deuotionis procedit, ſed
ex incapacitate cordis: id quod pueris ſæpe accidit,
quando illis aut veſtimenta noua, aut calcei dantur
noui: qui continere ſeſe non poſſunt, quin obuijs il-
Simile. la quibuſcunque oſtentent. Quo autem amplius ho-
mines iſti perceptas gratias reuelant, eò magis ina-
Simile. nes fiunt & vacui. Quemadmodum enim ignis, &
quod odoriferum eſt, quo magis tegitur & includi-
tur, eò magis, diutiuſque calorem & odorem conſer-
uat: ſic amor Dei & deuotio.

Sunt & alij, qui ſub prætextu charitatis, etiam
cum ſecreto leuitatis periculo, reuelant amicis ſuis
omnia bona, quæ à Deo percipiunt. non animaduer-
tentes multo maiori cum diligentia celanda eſſe bo-
na quæ habemus, propter periculum vanæ gloriæ,
quàm peccata, quæ perpetramus, propter infamiam.

Hanc ob cauſam ſeruandum eſt ſecretum in o-
mnibus rebus, in quibus ſcimus latere occaſionem
aliquam vanitatis, aut periculi: id quod inſinuare
voluit Saluator, cùm iuſsit diſcipulos celare myſte-
Matth. 17. rium glorioſæ ſuæ transfigurationis. quod & in alijs
pleriſque miraculis obſeruauit. fecit autem hoc non
ob periculum quod ſibi metuebat, ſed ad exemplũ,
vt nos idem faceremus. Imitatus eſt hoc glorioſus
Pater noſter S. Dominicus, qui cùm manifeſtiſsi-
S. Dominicus. mum, celeberrimumque in reſuſcitando mortuo fe-
ciſſet miraculum, audiuit à quodam Cardinale, illu-
ſtre hoc eſſe miraculum, vtiliſsimumque fore, tam
ad gloriam Dei manifeſtandam; quàm ad fidem cõ-
firmandam, ſi miraculum illud diuulgaretur. Cui
reſpondit S. Dominicus; ſe nunquam iſti conſilio
aſſenſurum; imò ſe prius in terram infidelium abitu-
rum, quàm conſentiret. Tam procul aberat ob om-
ni ſuperbia in eo, quod certo certius ſciebat eſſe opus
Dei: idque ex mera ſua humilitate, aut propter ex-
emplum noſtrum celari hoc voluit, occultans tan-
quam verus humilis ſuum periculum, & nobis tan-
quam pius Pater relinquens exemplum.

ADMONITIO DECIMA TERTIA, de timore & reuerentia, quæ in conſpectu Domini cùm conſiſtimus ſunt ſeruanda.

CAPVT LV.

PRÆTEREA & hoc obſeruet homo, vt cum
Deo agens in oratione, id quàm poteſt maxi-
ma faciat cum humilitate, & reuerentia: adeò
vt licet anima quaſi in delicijs à Deo habeatur, infi-
nitiſque gratijs & blanditijs ab eo cumuletur, iam-
que ad eum peruenerit ſtatum vt dicere poſsit cum
Sponſa: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius am-*
Cant. 2, 6. *plexabitur me:* oculos tamen ſuos introrſum voluat,
vilitatem ſuam aſpiciat, alas ſuas contrahat, humi-
lieturque, & coram tanta Maieſtate contremiſcat.
Hoc eſt, quod Propheta dicit: *Seruite Domino in ti-*
Pſal. 2, 11. *more, & exultate ei cum tremore.* Nouum ſanè & in-
auditum quid eſt, exultatio ſeu gaudium cum tre-
more: ſed vtrumque neceſſarium eſt, cum tantæ bo-
nitatis & Maieſtatis Dominum accedimus. & quan-
to erit anima purior, tanto erit humilitas hæc acce-
Eccl. 26, 19. ptior: ſcriptum eſt enim: *Gratia ſuper gratiam mulier*
ſancta & pudorata.

Nec putet homo ignem amoris iſto affectu timo-
ris extingui: ſed certo credat, nihil hic aliud agi, quã
aquam in ardentem caminum effundi, vt ardeat fer-
uentius. Cùm enim anima ex vna parte contempla-
tur immenſitatem magnitudinis diuinæ, & ex altera
parte abyſſum propriæ vilitatis; quanto magis me-
tuit ſibi ob hanc differentiam, tanto amplius admi-
ratur incomparabilem illam Dei bonitatem, qui ſe-
Prou 8. ſe adeo dimittit, vt non erubeſcat creaturam tam vi-
lem in delicijs habere. Porro quantum creſcit admi-
ratio diuinæ bonitatis, tantum creſcit amor, gaudiũ,
& gratulatio tanti beneficij, cum alijs, omnibus fru-
ctibus & Spiritus S. ſtimulus, qui ſemper in huiuſ-
modi animabus ſolet habitare: id quod ſignificat E-
Eſaiæ 66, 2 ſaias dicens; *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum*
& contritum ſpiritu, & trementem ſermones
meos? Illud eſt ſpiritualiter in conuiuio nouiſsimum
locum tenere, iuxta conſilium Saluatoris; mox enim
venit Dominus conuiuij, & dicit inuitato; *Amice*
Luc. 14, 10. *aſcende ſuperius. Quia omnis qui ſe humiliat, exalta-*
Iacob. 4. S Auguſt. li. 3. de doctrina Chriſt. cap. 23, 24. *bitur: & qui ſeſe exaltat, humiliabitur.* Quid ſi con-
uiuia iſte tam gratus ſit in oculis hominum; quanto
gratior erit in oculis Dei, cuius natura eſt reſi-
ſtere ſuperbis, & dare gratiam
humilibus?

ADMONITIO DECIMA QVARTA, quibusdam temporibus copiosius & diutius orandum, quàm alijs.

CAPVT LVI.

S Hieron. epist. ad Demet. & ad Eustochium Item ad Letam.

DIximus antea seruum Domini debere quotidie statuta quædam orandi tempora sibi præscribere, quemadmodum olim Danielem fecisse legimus; qui ter in die positis genibus orabat. Idem & Dauidem fecisse ex eo liquet, quod ait; *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo; & exaudiet vocem meam.* Nunc autem addimus præter ordinarium cuiusque diei tempus, etiam certis horis debere hominem sese expedire omnibus alijs negotijs, etiam spiritualibus; vt totus vacet orationi, & meditationi: deturque animæ cibus vberior, ad reparationem illius, quòd à quotidianis defectibus erat absumptum, & recuperetur fortitudo, ad vlterius progrediẽdum. Quemadmodum enim filij huius seculi præter refectionem quotidianam, habent festa sua extra ordinaria, suaq; symposia, in quibus modum aliarum refectionum solent excedere: sic etiam oportet, vt iusti præter orationem quotidianam habeant suas festiuitates, epulaque spiritualia, in quibus anima comedat, non ad mensuram (vt alijs temporibus) sed repleatur, & ingurgitetur diuina dulcedine, vbertateque domus Dei. Sic legimus de Abbate Arsenio, quod singulis septimanis vnum sibi constituit diem, & ferè semper sabbathum, quo solet ab occasu solis, ad ortum vsque, sine intermissione Deum deprecari.

Dan 6. Psal. 54, 18.

Simile.

Abbas Arsenius orat per totam noctem.

Videmus naturam non esse contentam rore, qui tota nocte decidit in terram: sed pluit insuper, & quidem copiosè, non vnam tantum, sed duas & plures subinde septimanas continuas: sic enim necessum est, vt cœli subinde erga terram sint liberaliores, atque ita inebrient eam, vt nec Sol, nec venti possint illam exiccare. Sic & anima nostra præter communem & quotidianam rorem, peculiaria quædam habere debet tempora, in quibus oculi nostri nil aliud agant, quàm vberrimas deuotionis pluant lachrymas, quibus ita virtutibus, & liquore Spiritus S. impleatur anima, vt tribulationes omnes, omnesque mundi huius venti nequeant illam exiccare.

Simile.

Etsi consilium hoc quocunque tempore, potissimum verò in præcipuis anni solennitatibus, sit laudabile: tempore tamen tribulationis, aut post longum iter confectum, aut denique post negotiorum quorundam perturbationem, nõ minus est necessarium, quam recreatio, corporisque refocillatio post longam infirmitatem. Aliter enim non poterit homo ad se reuerti, nec restaurari, nisi tantum temporis impendat vt in viam redeat quantum absumpsit cùm à via aberraret: præsertim cum sciamus deuotionem earum rerum esse, quæ facillimè amittuntur, amissæ verò difficillimè recuperantur.

Quanti ponderis sit consilium hoc, non facilè quis poterit explicare: fieri enim potest, vt sæpe maiora dona & gratiæ recipiantur in vno illorum temporum, quàm magnis multorum dierum molestijs. Sed & secundum Theologos, vnus aliquis actus cũ feruore factus, magis auget charitatem, quàm multi cum torpore & remissione. Id si locum habeat in alijs virtutum actibus, habebit certè in oratione, quæ magis negotiatur cum Deo per viam misericordiæ, quàm per viam iustitiæ: ideoque potest esse tam feruens & profunda, vt plus impetret vno die, quàm remissa & tepida multis annis. Talis fuit oratio Sarræ coniugis Tobiæ, de qua dicit Scriptura, quod tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit; sed in oratione persistens, cum lachrymis Deum est deprecata. Tertia autem die, cùm orationem suam sensit exauditam, pro liberatione sua cœpit Deo gratias agere. Credibile tamen est eam sæpissimè iam antea Deum orasse, idemque à Deo poposcisse (est enim iustorum mos vsitatissimus in omni tribulatione ad Deum recurrere) sed tunc potissimum exauditas esse preces illius in conspectu gloriæ summi Dei, ait scriptura: instantia namque, & perseuerantia tam diuturni temporis, addit orationi vim & calorem, quibus ad cœlum vsque est eleuata.

In 2, 2. q. 24. a. 6.

Sacra coniunx Tobiæ.

Tob. 3.

Anna quoque mater Samuelis, ob similem quandam iniuriam orauit tanto cum feruore & oratione, vt sacerdos Heli videns gestus, motum labiorum, vultusque dispositionem, æstimauerit eam temulentam, & exire templo iusserit. Cum autem oratio illius incalesceret, efficacissima fuit ad impetrandum id, quod petijt: surrexit, & abijt inde læta & secura, nec in posterum vultus eius est in diuersa mutatus: quia spem, quã conceperat, non amisit, donec adimpletum vidit, quod desiderabat.

Anna mater Samuelis. 1. Reg. 1.

Referunt historiæ Ecclesiasticæ, de Alexandro Constantinopolitano, Episcopo, quod cùm Arrius Constantinopolim venisset; iamque mandato Constantinii in communionem Ecclesiæ recipiendus esset, Sanctus Episcopus non ignorans fucatas rationes, & fraudem, qua Arrius in subscribendo Nicæno concilio vsus erat, in graue certamen deuenit. Huc accedebant minæ Eusebij Episcopi Nicomediæ, Arrianorum causæ patrocinantis. In his angustijs positus Alexander, priusquam Arrium in Ecclesiæ communionem reciperet, in templum Pacis secessit, se solum occludens, & ad altare progressus, humi coram sacra mensa se in faciem prostrauit, cum lachrymis Deum orauit, per multas noctes, diesque continuas in ijs rebus versatus est. Oratio autem talis fuit, O Deus, inquit, largire, vt si Arrij opinio vera est, ipse diem disceptationi præstitutam neutiquam videam: sin autem fides, quam ego teneo: vera est, Arrius, omnium istorum malorum auctor, debitas, suæ impietatis pœnas luat. Tandem statutus aderat dies egreditur Arrius Eusebij fautoribus stipatus toto mundo aspiciente, & expectante, quem finem habitura esset vel constantia Alexandri, vel superbia Eusebij & Arrij. Hic in perditos Arrij conatus mox vindicatum est. Arrio conscientia metum incutit, metus aluum laxat, ad latrinam iuxta forum Constantini secedit, ac simul cum excrementis anus subitò delabitur; magna sanguinis copia sequitur; viscera tenuia pariter effluunt, cum ipso splene & iecore, fœtida simul anima effunditur, & dignam suis blasphemijs continuo mortem oppetit.

Socratis hist. Eccles. lib. 1. cap. 2. Theodor. lib. 2. c. 14. Niceph. lib. c. 31 & Sozom. lib. 1. c. 38. & alij.

Oratio Alexandri Episc. Constant.

Arrij mors.

Latius hæc referre voluimus, vt inclaresceret magis ingentes illi fructus qui ex longa & profunda oratione percipiuntur: qui etiam excellentiores solent esse, cùm procedunt ab aliqua tribulatione, aut simili tentatione, hæ namque succendunt, incitantque cor illius, qui orat: maioremque addunt acrimoniam; quemadmodum accidit Sancto illi, qui dicebat; *Laboraui clamans, rauca facta sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum.* Certus sum plurimas gratias per hanc viam collatas esse, & plurimas etiamnum conferri: ideoque non est necessarium in hac admonitione diutius hærere; sufficit enim experientia: eorum, qui hoc modo perseuerarunt: qui re ipsa didicerunt, quam copiosi fructus ex tali oratione percipiuntur.

Psal. 68. 4

(:)

DECIMA SEXTA ADMONITIO, de discretione, quæ in orationis exercitio debet adhiberi.

CAPVT LVII.

INueniuntur quidam, qui iudicij & discretionis defectu in suis exercitijs laborant, cùm omnia inter eos, & Deum ipsum, prosperè succedunt: quorum prosperitas tandem ipsis est offendiculo, & occasionem magnorum adfert periculorum. Sunt enim multi, quibus videntur gratiæ plenis dari manibus, hi cùm tam suauem & iucundam sentiunt Domini conuersationem, adeò sese huic exercitio immergunt: tantoque tempore in oratione, vigilijs, alijsque corporalibus asperitatibus perdurant, vt natura tandem ingentem hanc molem non ferens, succumbat. Hinc est vt multi laborent stomachi debilitate, alij cephalalgia, hemicrania, & vertigine: quibus morbis adeo affliguntur, vt inepti sint, non tantùm ad exercitia corporalia perferenda: sed etiam ad orandum. Oportet igitur multa considerare, maximè in principijs, quando feruores & consolationes sunt maiores: experientia verò & discretio minor: vt ita ambulare discamus, ne in medio itinere deficiamus.

Quæstio. Ex his peti potest responsio, ad graue quoddam dubium, à Diuo Bonauentura motum: nimirum, quid debeant illi facere, qui ab vna parte sæpe à Deo visitantur, multisque gratijs & beneficijs ab illo cumulantur in hoc exercitio: ab altera verò parte vires non habent, & sanitas corporis obstat, quò minus in ijs diu possint perseuerare? Videtur enim portas occludendas non esse: gratijs namque à Deo oblatis porta non est claudenda, nec voci illius est resistendum: & tamen habendum esse respectum *Responsio.* necessitatis naturæ, corporisque debilitatis. Cui dubio respondet idem Sanctus, licet cum magna humilitate, atque timore dicens; Videtur quidem melius esse amare Deum, eoque frui sine intermissione, etsi non tanto cum feruore, & vehementia; quàm nimio calore & dulcedine affluere, gratias plenis manibus accipere: ne fortè paulò post incidas in periculum omnia hæc aut diminutum iri, aut planè amittenda esse. Multos enim noui, inquit, qui postquàm sanitatem suam, per talem exercendi modum amiserant, postea sese reficientes, & languori corporum suorū consulere volentes, eò deuenerunt, vt non tantum vixerint in posterum delicatius, sed & dissolutius. Ad euitandum igitur illud periculum, melius est quotidie paululum procedere, & lento gradu, à minori ad maius progredi; donec ad perfectionem veneris; quam paulatim deficere, donec reuertaris ad
Prou. 20, 21. Prou. 13, 11. dissolutionem: scriptum est enim; *Hæreditas ad quā festinatur in initio, in fine benedictione caret.* Et; *Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.*

S. Bernar. li. 23. in Cant. & ser. 49. Ex his patet, quàm necessaria est virtus discretionis, non tantum vt occurratur huic inconuenienti (quod tamen magnum est & valde commune) sed etiam multis alijs. Ideoque necesse est, vt petamus semper à Domino lucem, cum omni humilitate, &
Psal. 24, 5. perseuerantia, dicendo cum Propheta; *Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die.*

Contra eos, qui sub specie discretionis viuunt delicatius. Aliud extremum contrarium priori est hominū delicatorum, qui sub specie discretionis subtrahunt corpus omnigenis laboribus: quod etsi in omni genere personarum sit valde damnosum, maximè tamen in nouitijs: quare optimè dictum est à S. Bernardo: Animalem discretum, nouitium prudentem, incipientem sapientem, & iuuenem incipientem volentemque tractari vt senex, in cella diu posse consi-

S. Bernar. li. de comm. & dispens.

stere, in congregatione diu posse durare impossibile est, Malum indicium est, si mustum aut vinum, cùm recens est, nimis defecatum vel clarum sit: & si puer recens natus, omnia membra sua articulosque omnes & iuncturas nimis habeat distinctas, & speciosas: est enim hoc signum debilitatis subsecuturæ. *simile.*

Nec facilè est iudicare, vtrum horum extremorū sit magis periculosum: nisi quod indiscretio, teste Gersone, magis est incurabilis; quamdiu enim corpus sanum est, spes est remedij: sed cum nimia indiscretione labefactatum est, nullius boni iam spes est reliqua.

DECIMA SEPTIMA ADMONITIO: quod non solum studere debemus orationi, sed & ceteris virtutibus omnibus.

CAPVT LVIII.

EST & aliud periculum in hac via & fortasis maius etiam præcedentibus: est autē tale. Multi homines, postquam aliquoties experti sunt inæstimabilem virtutem orationis, iamque reipsa didicerunt, totum cursum vitæ spiritualis ab ea pendere, existimant orationem solam sufficere, atque in ea vna salutis summam esse collocatam: ex quo sequitur, quod aliarum virtutum obliuiscuntur, & de nulla amplius soliciti sunt: adeò, vt quò profundius mens in oratione absorbetur, tanto amplius aliarum virtutum obliuiscantur, atque ita volentes præcipuam corporis partem nimia cum diligentia tegere & occultare, ceteras omnes obijciant & exponant hostis insidijs & verberibus. Hinc etiam est, quod cùm aliæ virtutes sint quasi fundamentum orationis; fundamento hoc sublato, etiam quidquid superstructum est ruere debeat: & proinde quamdiu homo nimium tribuit huic virtuti, minus in ea proficiet. Certum enim est, quod quomodo oratio disponit ad mortificationem, sic vice versa (vt ostendimus antea) mortificatio, ceteræque virtutes omnes disponunt ad orationem, atque ideo vna sine alia difficulter inuenitur. Dic mihi quod genus orationis esse potest, nisi in corde sit, in lingua, in oculis, & in omnibus sensibus, tam exterioribus, quàm interioribus diligens custodia? quæ oratio potest esse, si corpus cibis sit refertum, animaque varijs cogitationibus mundique desiderijs scateat? Frustra igitur laborant, & se discrutiant homines, qui vnam virtutem insectantur, & alias omnes negligunt: adeo enim virtutes inter se connexæ sunt, vt vix vna profectò inueniatur sine alijs omnibus, aut omnes sine vna.

Vita nostra actiones horologio sunt similes. Hinc apparet, totum hoc nostrum negotium non esse dissimile artificioso, & bene ordinato horologio, in quo diuersæ sunt rotulæ, atque iuncturæ: inter quas est ea proportio, vt si vna vel modicum saltem impediatur, totum opus quiescat, & inordinatum sit: atque ita locum habet illud prouerbij: Amissa solea, cadit equus, & cadente equo, cadit etiam qui insidet: eodem modo & hîc, ex leuissima socordia tota dignitas, totumque bonum, & fructus qui ex eo sperabantur planè omittuntur. Quoties accidit, vt homo manè surgens, si negligat cordis sui custodiā, & alicui inani cogitationi, negotioue mundano locum det, postea nequeat illud abijcere, aut in oratione illius horæ cum tranquillitate diu persistere? Hinc sequitur, vt ordinata bene oratione matutina (quæ est quasi directrix omnium rerum illo die agendarum) bene ordinatus sit totus dies, & feliciter succedat, quidquid in illo die fecerimus. Similiter & hinc consequens est, orationem matutinam disponere ad vespertinam, & vespertinam vicissim ad matutinam: concinnitas enim vnius, concinnitas est alterius, si autem vnum fuerit inordinatum, faci-

lè & aliud, & quidquid ex eo dependet, sit inordinatum, atque ita totum horologium turbatur, ad quod componendum denuo laborandum est, multique dies elabuntur, antequam homo ad se reuertatur. Quod si interim noua tempestas oriatur, aut noua aliqua occasio noui impedimenti ibi est periculum, & ruina maxima. Et si diligenter inquisieris, quæ sit sementis magni incommodi, non inuenies subinde aliud, quam exiguam aliquam negligentiã: quod scilicet admiseris aliquam cogitationem, non quidem malam, sed ilti negotio & tempori inconuenientem.

Sæpe quidem permittit Deus huiusmodi casus, vt seruos suos faciat cautiores, & in omnibus rebus circumspectos, non tantum in arduis & maioribus, sed etiam in minoribus: quamuis enim hæc in se sint exigua, magna tamen sunt, ratione illius, quod disponunt hominem ad maiora & propterea dicit scriptura: *Qui timet Deum, de omnibus curam habet*: tam de paruis, quam de magnis: parua enim paulatim ad magna adducunt, nec parua sine magnis possunt conseruari. Eccl. 7, 19.

Debet igitur seruus Dei non ad vnam solam virtutem, quantumuis magnam, respicere: sed ad omnes simul: quemadmodum enim vna fides in testudine non facit harmoniam, sed omnes simul: sic vna virtus sola non sufficit ad faciendam hanc spiritualem consonantiam, sed si omnes simul consonent. Simile.

Etsi ea omnes (vt diximus) vtiles sint ad præsentem nostram hanc materiam, particulariter tamen conducunt custodia cordis, & sensuum: compositio hominis exterioris, temperantia in edendo, bibendo, loquendo, aliaque omnia (de quibus diximus antea) iuuant deuotionem: quique non habet harum rationem, nunquam poterit ad perfectam orationem peruenire.

ADMONITIO DECIMA OCTAVA, exercitium hoc non arte arripiendum: sed magna cum humilitate & fiducia.

CAPVT LIX.

ADmonendus etiam hoc loco deuotionis amator, est omnia quæ hactenus dicta sunt ad deuotionem excitandam, sumenda esse tanquã sint præparationes quædam, quibus homo ad diuinam gratiam percipiendam præparatur: omnem fiduciam de proprijs viribus atq; meritis abijciendo, eamque in solum Deum reponendo. Dico autem hoc quia sunt homines nonnulli, qui de omnibus his regulis & documentis faciunt artem quandam, existimantes quemadmodum is qui artificium aliquod addiscit, si regulas suas bene obseruet, fit elegans artifex: sic etiam eum, qui has nostras regulas bene obseruat, virtute illarum obtenturum quod appetit: non animaduertentes, hoc nihil aliud esse, quã artem facere de gratia, & regulis humani artificij attribuere hoc, quod est purum donum & misericordia Domini.

Huius autem erroris occasionem dederunt doctrinæ quorundam libellorum spiritualium, tã prosa, quàm rithmis scriptorum: qui suas regulas suumque docendi modum tam impensè laudant, vt quidam arbitrentur, beneficio illorum, sine vlla altera gratia, obtineri posse, quod desiderant. Non aliter atque Chymista aliquis, docturus: quomodo aurũ chymicum est faciendum, discipulo porrigit hanc aut illam materiam, & dicit sic & sic illam coques, & confestim aurum purum habebis, sic illi dicunt, hoc & illud fac hoc, & illo modo loquere, & confestim habebis amorem, atque gratiam Dei. Modus ille docendi pessimus est, & alienus valde à stylo & grauitate Sanctorum Doctorum: nec non & indignus honore gratiæ diuinæ. Cùm enim totum negotium hoc gratia est & misericordia Dei; oportet tractari, non quasi artis sit, sed quasi gratiæ: vt eo modo percipiens homo q; petit, sciat primarium medium, quo quis se debet ad hoc disponere; profundam esse humilitatem, & propriæ miseriæ cognitionem, cum firmissima spe diuinæ misericordiæ: vt ex cognitione vtriusq; cõtinuæ fluant lachrymæ, & orationes procedant: quibus homo comitatus intrat per portã humilitatis, & accipit quod appetit per humilitatem, agitque Deo gratias cum humilitate: non habendo aliqualem fiduciam, vel in seipso, vel in exercitijs aut operibus suis proprijs. Simile.

Quod etsi verũ sit, non tamen excludit hæc admonitio vel doctrina nostros labores, aut id quod agere debemus nos. Etenim licet qui plantat, & qui rigat, non sit idem qui incrementum dat, sed Deus: vult nihilominus ille nos plantare & rigare, vt ipse det incrementum. Nemo dubitat, quin nihil æquè ducem & consilium requirit, atqui vita spiritualis: maximè verò in orationis gaudio: quod vtì magis delicatum est, & diuinum: sic etiam plura consilia requirit, & documenta. Et quemadmodum iniquum est, vt exercitium orandi doceatur velut ars, ne offendatur gratia: ita etiam oportet admoneri hominem in omnibus his, quæ necessaria sunt, ne in hac via labatur & peccet. Videmus enim quosdam post multos annos in hoc exercitio parum proficere, & alios qui vitam suam transigunt in recitandis innumeris orationibus vocalibus, qui tamen rarissimè seriò, quæ Dei sunt, aut quæ ipsi loquuntur, cogitant. Vtriusque igitur admonendus erat lector, vt labores illius sint magis fructuosi. 2. Cor. 3.

ADMONITIO DECIMA NONA, de alio genere orationum & meditationum, quæ solent vsurpari ab his qui magis sunt exercitati.

CAPVT LX.

NOtandum quoque hic est, meditationes, quas per dies septimanæ in exercitijs distribuimus, potissimum in gratiam eorum, qui prius incipiunt, à nobis conscriptas esse, vt habeant quasi filũ, cuius ductum sequantur, ne in labyrintho hoc, viaq; planè ignota adhuc errent. Postquã autem iam profecerint, non est necesse, vt eodem semper tramite currant, sed oportet eos ire, quo Spiritus Sanctus ducit, qui solet discipulos suos ex priori schola ad altiorem reuocare. Itaq; sunt, qui relictis illis considerationib. pergunt ad meditationes diuinarũ perfectionũ, mirabilium Dei, beneficiorumq; illius, vtijs meditandis quotidie magis magisq; proficiant, & crescant in amore illius, qui infinitè bonus est, omnis boni largitor, & admirabilis in omnibus suis operibus. Sunt alij, qui sese sacræ scripturæ, quæ pelagus est infinitorum mirabilium, dant meditationi, quémadmodum fecerunt multi Sancti Doctores, multiq; in eremis Anachoretæ.

Sunt & alij, qui copiosam satis habent materiã meditandi in ijs rebus, quæ ipsis acciderunt, & quæ in ijs & alijs experti sunt: siue ea sint opera gratiæ, siue iudicij & iustitiæ diuinæ. Nam si homo aperiat oculos, & velit à capite ad calcem, vel à conceptione & natiuitate sua ad diẽ hunc vitã suam diligenter scrutari, tot, & tanta in seipso inueniet meditanda, tam de beneficijs & prouidentia, qua Deus illum obseruauit, quam etiam de periculis, à quibus eum conseruauit, de blanditijs etiam & fauoribus, quibus orga eum vsus est, vt nunquã materia meditandi sit defutura, Sed quid dicam de admirabilibus Dei iudicijs, quæ quotidie contingunt? de laplib. inopinatis multorum, qui se maximoperè securos existimabant? de supplicijs illius iustitiæ? de miraculis eius prouidentiæ? de operibus gratiæ, quam videmus quotidie mirabilia in seruis eius operari? Non sedeat homo quasi

mo quasi lapis super lapidē, sed intueatur & obseruet omnia, quæ fiunt in magno hoc spectaculo & theatro domus Domini, quæ semper aliquid profert noui, in quo licet meditari.

Sunt & alij adhuc liberiores, quibus Deus clausit venam nimiæ speculationis, & aperit illam affectionis, vt tranquillo & quieto intellectu recreetur, & exultet voluntas in Deo solo, impendens semetipsam totam in amore & gaudio summi boni. Hic est status cōtemplationis perfectissimus, ad quem semper debemus aspirare, in quo homo non quærit tanquam in via, per meditationem amoris incētiua: sed in quo tanquam in patria iam amore fruitur desiderato, & iam inuento, atq; in eo tanquam in fine suo quiescit, dicens cum Sponsa: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* In hoc meditandi statu, & labor est minor, & maius est gaudium, vtilitasque maior. Et quia labor meditandi minor est, poterit tempus recollectionis, seu præparationis, paulo esse longius, sine corporis tamen defatigatione. Sic in oratione sua perseuerans Moyses manibus in cælum eleuatis victoriam contra Amalech impetrauit.

Cant. 3. 4.

Exod. 17.

ADMONITIO VIGESIMA ET VLtima, hoc exercitium omni hominum generi non conuenire.

CAPVT LXI.

PRæterea notandum est, licet nouitijs vtilissimum erit, si sese in meditationibus à nobis in exercitijs traditis exerceant, tamen non est hoc necessarium omninò: minus etiam possibile cunctis hominibus. Sunt enim multi, qui propter infirmitatem, maximè capitis, non possunt sine magno periculo & damno suæ sanitatis sese huic exercitio dedere: potissimum autem si sint nouitij, illi enim, qui, dum sani essent, in his sese exercuerunt, possunt etiā tempore infirmitatis maiori cum difficultate in ijs perseuerare. Alij adeò sese emancipārunt, & occupationibus externis sunt obstricti, vt nequeant illa sine peccato relinquere: nec suppetit illis tempus, vt sese colligant, aut ad hæc exercitia sese accingant. Sunt alij, qui animam habent adeò inquietam, indeuotam, & siccam, vt quamcunq; adhibent diligentiam, nihil illis prodesse videatur. Hi non debent confestim à sua petitione decedere, sed perseuerare semper, clamantes ad portam illius, qui humiliter perseuerantibus & inuocantibus se non deest. Quod si autem viderint hanc portam sibi non aperiri, nō debent contristari: sed meminisse spiritum orationis mentalis esse donum, quod Dominus noster dat cui vult, & cum ipsis non datur, contenti sint, & recitent orationes aliquot vocales, aut legant textū Passionis Dominicæ, & quomodo incipiunt orare, sic pergant, sed breuiter in singulis meditando mysterijs habeāt deuotam aliquam imaginē sibi propositam: omnia enim hæc iuuabunt eorum deuotionem. Proderit etiam legere deuotos aliquot & spirituales libellos: ita tamen, vt tractim legant, & magna cum attentione, faciendo (vt alias diximus) distinctiones, & articulos: & in locis vtilioribus nonnihil hærendo, mētemq; ibidē ad Domiuum nostrum eleuando, iuxta id, quod locus ipse requirit. Illud est optimū remedium, quod dari potest cordibus aridis, & indeuotis: his enim medijs solet nonnunquam Deus homines euehere ad altius meditandi studium.

Sunt iterum alij, qui totum vitæ suæ tempus insumunt peccatis suis recogitandis: nec audent in passione Christi, aut alia re simili, vnde gaudium & fortitudinem possent sibi comparare, meditari. Hi, vt antea diximus, in eo non confortantur, & intellectus eorū versatur in ignorantia, quod & D. Bernardus fatetur: Præterquam enim quod in illo exercitio facilè potest aliqua tentatio desperationis incidere, iniquum etiam est seruos Dei semper tam tristes & desolatos incedere.

Contrarium faciunt illi, qui primo die, quo incipiunt, peccatorum suorum planè obliuiscuntur, & leuitate cordis sui volunt confestim euolare ad altiora cogitanda. His lapsus est proximus, vti & domui sine fundamento. Qui si postea velint reuerti ad meditandū humiliora, non possunt, nec modū inueniūt eò quod iam delicatiorib. sunt assueti, atq; ita vtroque carent: hoc est, nec ambulant, nec volant. Operæpretium itaq; facturi sumus, si in exordio potius occupemur peccatis recogitandis, quàm alijs rebus, quātumuis etiam quis deuotus sit: deinde paulatim pergamus, relinquentes hanc cogitationem, & appropinquantes quotidie magis magisq; illi sacratæ passioni, licet nunquam esse debeamus sine vtriusq; cogitatione.

Quod si aliquis inueniatur, qui in nulla rerum prædictarum deuotionis succum inuenerit, & qui magis appetit alia meditari: ea nunc consideret, quæ ad mortem, mox quæ ad infernum pertinent: postea quæ ad cælum, aut aliud quodcunque occurrit, non abijciat illud à se, sed inter portam, quam inuenit apertam: est enim ea per quam Deus vult eum intrare.

CONCLVSIO TOTIVS libri.

CAPVT LXII.

HVcusque tractauimus, Christiane Lector, in hoc primo libro quatuor illa, quæ initio libri promisimus, hoc est, diximus de ijs quæ excitant & promouent deuotionem: & de ijs, quæ impediunt illam: similiter de tentationibus communioribus, quæ in hac via solent occurrere, & de admonitionibus quibusdam, seu consilijs in hoc exercitio seruandis. Scio quidem alia infinita dicenda adhuc esse, sed remitto deinceps lectorem ad Magisterium Sancti Spiritus, & quotidianam experientiam, quā etiam sibi magistram debet assumere, qui feliciter in hac via vult ambulare. Propositum enim meum non fuit aliud, quàm vt hoc opere meo nouitios in viam hanc adducerem, qui vbi eam ingressi fuerint, sentient experiētiam vtiliorem sibi magistram, quā omnes humanæ possunt esse scripturæ: quæ quia loquuntur in genere, non possunt dicere, quid cuique accidat in specie. Ideoq; vult Apostolus, seruos Dei non esse imprudentes: sed intelligentes, & cautè ambulantes, vt per hæc, & per alia media intelligamus, quæ sit voluntas Dei. Ephes. 5.

Iuuat etiam, vt homo cum omni humilitate & deuotione petat semper à Domino lucem, vt à Spiritu illius ducatur, veniens in conspectum illius instar infantis, qui aliud nihil scit, quàm lachrymis suam testari necessitatem: verbis autem effari non potest, quid sibi necessarium est.

Quod si quis arbitretur nimia, nimisq; ardua esse, quæ nos hic præcepimus: is certo credat Deū in momento orationis solere omnes istas molestias incredibili gaudio, & fortitudine in via virtutis necessaria compensare: quod tanti momenti est, vt omnia huius mundi prospera, quæ possunt nobis occurrere, omnesque voluptates corporales, aut fauores, honoresue mundi huius omnes in vnum congregati nō sic consolentur, non sic exhilarent, atq; duarum horarum profunda oratio.

Nec est ratio, cur animum despōdere debeamus, eo quod multa sunt, quæ ad hoc exercitium requiruntur: manifestum enim est, quemadmodum anima corpori infusa, sufficit ad viuificanda omnia membra, eaque ad sua singula officia tam multa

& varia mouenda: sic & gratiam Spiritus S. quæ est forma supernaturalis & diuina, vbi intrauerit animam, sufficere ad mouẽdam illam, vt societ omnia vitæ spiritualis officia, illuminat enim intellectum, & docet quid, & quando faciendum est: mouet etiã voluntatem, cum omnibus potentijs suis inferioribus, ad omne id, quod fieri necesse est. Ob eam causam dicit Sapiens, Spiritum diuinum esse vnicum & multiplicem: etsi enim vnicus est in substantia, in operibus tamen suis est multiplex: est enim is, qui cuncta potest, cuncta docet, cuncta operatur. Ita vt non consequamur perfectionem virtutum per ea media, eamq; naturæ vim tantùm, quibus illam cõsecuti sunt Ethnicorum Philosophi: quia Spiritum hunc non habebant, suis viribus in singulis seorsim virtutibus desudare, & sese multum affligere debuerunt: Veri autem Christiani, & filij Dei, præter sua exercitia propria, habent aliud principale remedium, quod est Spiritus adoptionis, & semen cœleste, quod in animabus nostris verarum virtutum copiosos fructus producit.

Sapient. 7.

FINIS LIBRI SECVNDI DE ORATIONE ET Meditatione.

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS, DE ORATIONE ET MEDITATIONE.

LIBRI TERTII.

PROOEMIVM.

TAndem de fructibus & vtilitate Orationis tractandum esse existimaui, ad operis enim huius perfectionem pertinet, tum vt animi lectorum ad hanc virtutem excitentur, tum etiam, vt alacriores fiant ad molestias & labores perferendos, quos huius exercitij secum adfert perseuerantia. Etenim quemadmodum illi, qui annunciant Iubilæum, & proclamant indulgentias Apostolicas, id studiosè agunt, vt laudent, & demonstrent gratias, quæ in ijs conferuntur: vt homines intellecta magnitudine rerum, quæ promittuntur, non recusent facere, quod iubentur: sic in exercitio orationis, in qua molestiam & difficultatem esse negari omninò non potest, medicamentum per se amarum melle necessariò est dulcorandum: quod fiet, si ob oculos constituamus excellentissimos effectus, vberrimosq; fructus huius virtutis: vt hac dulcedine, & spe inescati homines, alacriores sint ad illam arripiendam. Voco illam amarum medicamentum, quia (vt quidam ex Sanctis illis Anachoretis dicere solet) continuum exercitium orationis est res maximè laboriosa omnium, quæ in hac vita spirituali reperiuntur. Id quod ex sequentibus rationibus patebit.

Variæ difficultates in orando.

Prima.

Primò, quia sanctum hoc exercitium requirit tributum quotidianum ordinarij temporis, in quo fieri debet, vti diximus, & qualis erat mos Danielis. Facere autem illud continuè, est ob nullam difficultatem intermittere, atque hoc opus, hic labor est. Tot enim, & tam variæ sunt occupationes, necessitates, & negotia vitæ huius, vt si non omne saltem potiorem temporis partem auferant, maximè si homo aut labore manuum, aut studiorum exercitio, aut negotiatione victum debeat sibi, suisque comparare. Homo igitur tot rebus immersus, magnanimus sit oportet, vt superet istas difficultates, tollat impedimenta, omniaque postponat: vt inueniat tempus huic sanctæ occupationi: quod aliarum virtutum non adeò strictè requirere videntur, quarum multæ breuissimo tempore, quædam vno solo actu voluntatis expediuntur.

Secũda difficultas.

Occurrit & alia difficultas: quemadmodum enim oratio requirit certum tempus, ita etiam postulat conuenientem locum, vbi fiat. Etsi enim homo in omni loco mentem ad Deum possit leuare, tamen his, qui adhuc imperfectiores sunt, opus est loco à sprepitu hominum remotiore, vt melius orent. Quamobrem Sancti secesserunt in solitudines, & loca deserta, vt in ijs orarent. Fecit idem Sanctus Sanctorum, non quia commoditas ista fuerit ei necessaria, sed vt nobis daret exemplum. Hanc autem præparationem & commoditatem non omnes in suis habere possunt ædibus, quæ cùm factæ sint in vsum hominum mundanorum, vt in ijs agantur, quæ mundi sunt, rarò locum habent, vbi ea tractentur, quæ Dei sunt, quamobrem multi orandi vsum negligunt.

Tertia difficultas.

Tertiò, magnam parit difficultatem imaginationis nostræ instabilitas, quæ quidem est animæ nostræ potentia, rationi quàm maximè inobediens. Hinc est, vt licet in orando & celebrando firmissimè proposuerimus cogitationes nostras in Deo fixas mordicus retinere, imaginatio tamen sine licentia ex ædibus nostris egrediatur, potioriq; temporis parte vagetur: quod si paulò post reuertatur, iterum mox disparet, in modum anguillæ, quæ de manibus nostris erepit. Hinc maxima difficultas in hac actione oritur. Tantus enim est conflictus cogitationum, quæ tunc hominem obruunt, vt instar densissimi pulueris offuscent oculos animæ, atque diuinam visionem impediant; adeò, vt cùm duæ res necessariæ sint ad hoc exercitium, tempus scilicet & cor, multitudo negotiorum tempus, cogitationum verò cor suffuretur: non enim ob hæc duo possumus tranquillè cum Deo colloqui, & hæc pugna cogitationum magis magisque à Diabolis accenditur, ait enim Origenes: Obsistunt verè Dæmones & contrariæ potestates in oratione, primo per illud, ne talis inueniatur, qui in orationis agone desudat, vt leuet puras manus sine ira. Quod & si quis obtinere potuerit, vt sine ira sit, vix est vt effugiat esse sine disceptatione, hoc est sine superfluis & vanis

Orig. lib. 10 cap. 15.

cogita-

cogitationibus. Vix enim inuenies vt oranti cuiquam non aliquid inanis & alienæ cogitationis occurrat, & intentionem, qua in Deum mens dirigitur, declinet ac frangat, neq; eã per quæ non cõpetit rapiat.

S.Tho. 2.2. q.84. art.13. Demus licet Orationem non fraudari suis fructibus, etiam si deficiat in attentione, modò id nõ fiat culpa nostra, vt ait B. Thomas, tamen fraudatur gustu & dulcedine rerum diuinarum, quam secum solet afferre, cùm sit cum attentione. Atq; hic est vnus ex primarijs illius effectibus.

Quarta difficultas. Est & alia difficultas huic non dissimilis, siccitas nimirum cordis, & defectus deuotionis: atq; hinc sæpè labor & dolor. Quemadmodum enim iucundum est nauigare, cum mare tranquillum est, & ventus secundus, ita difficile est & durum, cùm mare procellosum, & ventus est contrarius: tunc enim aut cursus est obliquandus, aut summa contentione remorum æstus, ventusque superandus: sic iucundissimum est orare, quamdiu ventus Spiritus Sancti prosper aspirat, & flatus deuotionis suauiter afflat: valdè autem molestum est, vbi hæc abfuerint. Tunc enim quasi violentia industriæ humanæ deuotio quærenda est, omniaque media tentanda. Clamandum quoque humiliter ad ostium diuinæ misericordiæ, cuius beneficio datur, & sæpè instar Iacob bona noctis pars luctando cum Deo consumenda: donec ille motus nostra perseuerantia, & molestiarum misertus, tandem desideratam suam nobis det benedictionem. Genes.34.

Præterea, si bene consideremus, orare nihil aliud esse, quàm cum Deo colloqui, & proinde agere cum eo, qui non videtur, sequitur negotium hoc esse fidei, in qua fieri non potest, quin maior, quàm in alijs virtutibus sit difficultas. Etenim si loquaris eminus cum aliquo viro, & tu videas illum, atque ille vicissim videat te: alter etiam alterum audiat, ille intelligeret quæ tu diceres, atque tu quæ ille, hoc minus molestum esset: sed qui horam vnam aut duas stat in loco solitario, & loquitur cum eo, quem non videt, non audit, qui non respondet, id molestum est, & tædiosum. Quare videtur hominibus adhuc mundo deditis orantes se loqui cum aere & vento, maximè cùm deest animi deuotio, quæ loco responsi est: cùm etiam turba cogitationum importuna est, cum curæ & varia negotia molestant, & (quod sæpè fit) cum ad hæc accedit corporis mala dispositio, aut aeris intemperies, vt cum nimius est æstus. Omnia enim hæc & animum perturbant, & fastidium pariunt oranti. Cum itaque verus orator per hæc omnia debeat transire, & cum tam pauci sint, qui hoc feliciter faciunt, pauci profectò erunt veri oratores, & multi, qui postquam cœperunt, è medio itinere turpiter reuertuntur.

Ex hoc oritur alia difficultas non minor, nimirum deberi adhibere remedia, quibus imaginatio tollitur, & deuotio comparatur. Requiritur enim ad hoc magnum silentium, omnium sensuum custodia, in seipsum conuersio, appetituum mortificatio, piorum librorum lectio, & similia: quæ omnia faciunt, vt cor sit circumspectum, & attentum, ne vnquam cùm ad Deum est eleuandum, sit malè dispositum. Necessum igitur est, vt omnes portæ occludantur, omnesq; viæ, quæ quasi infinitæ sunt, per quas turbari potest cor, & distrahi, sepiuntur. Quemadmodum enim cor per se delicatum est, & tenerum, ita etiam multa sunt in hoc mundo, quæ turbant illud. Quare de magno illo Antonio legimus, quod aliquando cùm videret se impugnari à varietate cogitationum suarum, dixit: Cupio Domine saluari, & cogitationes meæ non permittunt. Si dixerit illud homo tam Sanctus, & qui tam alienus erat ab omnibus his distractionibus, qui viuebat in eremo, in summa vitæ puritate: quid facient illi, qui viuunt in medio foro mundi huius, vbi coguntur tam sæpè videre, audire, & tractare illa, quæ postea se repræsentant animo, cum orandũ est, & orantẽ interturbant? S.Athan. de vita S. Ant. & Ant. florent. Parte. 2 Hist. tit. 15. c.3. §.4.

Porrò vtilis hic est abstinentia, quæ ad hoc sanctum exercitium requiritur; ideo & tempus maximè oportunum orationi nox est, iuxta illud Prophetæ. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, & illud Psalmographi: In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino. Quamobrem beatissimus ille Franciscus appellabat fratrem quendam contemplatiuum, & deuotum Cicadam noctis, quia potiorem noctis partem consumebat in summi Dei laudibus decantandis. Oportet enim vt corpus & stomachus sint bene temperata, & ab omni fumo & onere ciborum, qui obscurant intellectum, grauant corpus, somnum inducunt, & voluntatem potius ad ridendum & fabulandum, quam ad orandum & plangendum inuitant, libera. Meritò ergo dicitur, quemadmodum fides in cithara inutiles sunt ad bene sonandum, quamdiu non sunt ab omni humiditate naturali siccæ, & à debilitate, quam habent à corpore animalis liberæ, sint etiam bene extensæ, & in cithara compositæ: sic & ineptum est ad musicam Orationis corpus delicatum, vino obrutum, & ciborum varietate distentum. Oportet igitur corpus siccum sit, & liberum ab omni hoc onere, virtuteq; abstinentiæ maceratum, vt magis idoneum sit ad hoc negotium: potissimum autem debet homo deuotus parcè cœnare, si cupiat noctis cicada dici, vt sit lucis isto tempore, ne exercitium hoc impediatur. Treu.2. & Iament.2. Psal.133.1.

Ex longa namque cœna, similibusq; rebus nascitur lucta cogitationum, quæ fatigat hominem in oratione: imagines enim rerum, quæ intrant per fenestras sensuum, offerunt sese, & impediunt visum, ne, quæ Dei sunt, possint videri, & quod peius est faciunt id non tantum quasi imagines. sed tanquam semina, quæ producunt, & generant alias infinitas imagines, & figuras, quæ hominem intus conturbant. Quamobrem non raro accidit, vt cum homo vult orare, hora & amplius elabatur, prius quàm cor componitur, & temperatur, vt fit ad orandum idoneum. Simile.

Erunt fortassis qui me reprehẽdent, dicentes Quid agis: Tunc vis agere de laudib. orationis, vt homines ad illã inuites, & nunc ponis tot difficultates, quæ terrent illos, & ab orãdi studio reddũt alienos? Necessariũ est hoc vt faciã, vt intelligatur causa, quæ mouit me ad acuendũ calamũ in hac virtute laudanda est aũt ea, nõ tantũ vtilitas & excellẽtia illius, sed etiã difficultas magna, quæ superari nõ potest: nisi dignitas eius cognoscatur. Quẽadmodũ n. ædificia, quæ sustinẽt magnũ põdus nõ possunt subsistere, nisi magnis trabibus fulciãtur: sic virtutes, quæ multas habẽt difficultates annexas, nõ possũt sustineri, nisi magna laude interueniẽte: vt cõsideratio dignitatis, & vtilitatis laborẽ reddat faciliorẽ: & sanè qui bonus erit Architectus spiritualis huius ædificij, hoc modo iacere debet fũdamẽtũ. Alioquin. n. humanũ cor adeo sibijpsi amicũ, & laborib. inimicum,

micum, non poterit ad res tam laboriosas subeundas induci, nisi prius proponatur vtilitas tanta, quæ omnem laborem & difficultatem superat. Quemadmodum enim his qui à medicamentis abhorrent, solemus persuadere maximos desideratæ sanitatis fructus, vt amor vnius vincat horrorem alterius: sic & in hac re faciendum est. Nemo itaque existimet nos nimis esse prolixos in Orationis laudibus describendis; præter vtilitatem enim, etiam difficultas laudes istas postulat, vt ope illarum pondus huius ædificij sustentetur. Illis enim qui vtramque, hoc est, vtilitatem & difficultatem experti sunt, laudes istæ nimiæ non videbuntur.

Virtutes orationi affines.

Huc accedit quod laudare virtutem Orationis, non est eam solam laudare, sed omnes alias virtutes simul, quæ in comitatu illius inueniuntur. Cum oratione namque vera & perfecta, quam hic laudabimus, coniuncta est fides, spes, charitas, humilitas patientia, timor Dei, aliæque virtutes multæ, sine quibus nunquam reperitur, vt initio exercitorum copiosè satis à nobis demonstratum est, quæ virtutes omni commendatione maiores sunt. Hæc est principalis ratio, ob quam ad perfectionem huius operis (vt diximus) necessaria nobis visa est, hæc de laudibus orationis tractatio. Quarum laudum nulla ad solam orationem mentalem est restringenda, sed ad orationem in genere referendæ sunt omnes, vt de quacunque oratione intelligantur, siue ea corde solo fiat, siue corde simul & ore. Si namque debita fiat cum attentione & deuotione, nec auget, nec minuit dignitatem & efficaciam orationis, siue hoc, siue illo modo instituatur.

Oratio ieiunium & Eleemosyna coniunctæ virtutes sūt.

Luc. 2, 37.

Act. 10, 4. Tob. 12, 8.

Sciendum autem hoc loco est, vt oratio reddatur perfectior, duas ei virtutes iungendas esse, Ieiunium, scilicet atque Eleemosynam, quæ sunt quasi alæ duæ, quibus oratio facilius in cœlum euolat. Et quantum ad primam, Ieiunium scilicet, mille scripturarum diuinarum locis illud cum Oratione coniunctum inuenitur. cum sæpissimè legamus de filijs Israel, quod tribulationibus circumuenti, statim se conuerterunt ad ieiunium, planctum, & Orationem: quibus medijs ab hostibus sunt liberati. Similiter & in Euangelio legimus de sanctissima illa vidua filia Phanuelis Anna, quod non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte & die, In actibus verò Apostolorum, Eleemosyna cum oratione iungitur, vbi Angelus dicit Cornelio centurioni: Orationes tuæ, & Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Eadem tres virtutes passim in libro Tobiæ iunctæ reperiuntur, vt cùm Raphael dicit: Bona est oratio cum Ieiunio & Eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere.

Per Orationē, Ieiuniū & Eleemosynā homo se & omnia sua Deo immolat.

Matt. 7, 2.

Ratio, quare Virtutes istæ tres in scripturis Sacris toties simul positæ reperiuntur, hæc est, per eas namque offertur Deo perfectissimum holocaustum, dum se, & sua omnia homo in his tribus immolat suo Creatori. Per Eleemosynam enim offert suas diuitias, per Ieiunium corpus, per Orationem animam, atque ita nihil reliquum est, neque in homine, neque extra illum, quod per tres istas virtutes Deo non sanctificatur. Neque coniunctio illa mysterio carere videtur, imò conuenientissimè quasi Moscho, succinum (quod reddit illum pretiosiorem) miscetur. Ieiunium enim pertinet ad Orationem, quomodo compositio fidium ad citharæ pulsum: per edendi namque temperantiam disponuntur corpus & spiritus, vt Deo melius vacare possint. Eleemosyna verò diuerso modo conducit ad orationem: facit enim vt homo non veniat in conspectum Dei vacuus, & ne Orationes illius ficcæ videantur: ascendunt enim vna cùm obsequio Deo perquàm gratissimo. Mouet etiam diuinam pietatem, vt misericordiam faciat, & audiat preces eius, qui misericordiam fecit proximo suo, & audiuit preces illius, cùm inuocabatur, certi namque sumus, quod mensura qua mensi fuerimus, remetietur nobis. Hanc ob causam, licet titulus libri sit de oratione, tamen visum est mihi non absre fore de his duabus virtutibus hic etiam agere, quæ namque in praxin simul veniunt, eadem & in theoriam simul non inepte venire possunt.

DE

DE ORATIONE ET MEDITATIONE.

LIBER TERTIVS.

IN QVO TRACTATVR DE ORATIONE, IEiunio, & Eleemosyna.

DE VIRTVTE ET EXCELLENTIA orationis.

CAPVT I.

CVM propositum nobis sit hoc loco ex professo agere de virtute & laudibus Orationis, pariterque de orandi necessitate, quæ nobis omnibus in hac lachrymarum valle, & loco exilij communis est, operæ pretium me facturum existimo, si dixero prius, quid sit Oratio, & quid per eam intelligamus. Sciendum igitur Orationem propriè loquendo, esse petitionem, per quam petimus à Deo omne id, quod ad salutem nostram conducit. Orare igitur, nil aliud est, quàm petere, & clamare non ad ostia hominum, sed ad ianuam diuinæ misericordiæ. Etenim cùm homo per peccatum natus sit pauper & nudus, vnum ex principalibus remedijs, quæ Deus nobis in auxilium tantæ paupertatis reliquit, est, petere, & mendicare ad portam diuinæ pietatis. Illud est propriè Oratio.

Quid sit oratio propriè.

Cæterum communi & largiori significatione sumitur hoc vocabulum, pro quacunque sancta cogitatione, & eleuatione cordis nostri ad Deum: iuxta quam significationem, non Petitio tantum, sed etiã Meditatio, Consideratio, & Contemplatio vocatur Oratio: & similiter, quicunq; sanctus affectus, & desiderium in Deum hanc habet appellationem, quẽadmodum dicit Augustinus his verbis: Desiderium tuum tua est Oratio, & continuum desiderium, continua Oratio est.

Latior orationis significatio.

S. Aug. in vers. Psalm. Domine ante te omne desiderium.

In hac significatione sumimus hic orationem, & de illo Orationis genere hic dicturi sumus: illud præmonentes, nos non de quocunque orationis, vel meditationis genere velle agere: sed de illa tantùm, quæ ex charitate venit formata: sine qua nulla virtus, vel formam, vel vitam, vel meritum, vel valorẽ habet coram Domino: est enim Charitas non tantũ forma fidei, sed & Orationis, omniumq; virtutum aliarum. Secundum hanc vltimam significationem sumit, describitq; Orationem Simon de Cassia, his verbis: Oratio est in terrestri corpore incorporea operatio, aspectus immotus animæ in fide Deum aspiciens, ordo rationalis animæ ad Deum, cui studio subdit: consistentia animæ ante Deum, allocutio diuinas aures pulsans: suauis clamor in sensu cordis, negatio omnium (dũ agitur) corporalium actionũ: restrictio sensuum, obliuio omnis creaturæ, portus vago spiritui, præsentatio sui corã iudice: dijudicatio sui ad mortẽ æternam, diffidentia suarum actionum, præuẽtio ante aduentum: id est, iudiciũ, ante diuinũ iudicium: verum animæ speculum, luminare splendidissimum: lux inuisibilis ad actionem inuisibilem: vmbra æstuantem refrigerans: iactatio sui in Deum, nihil volendo, nisi quod illi fuerit gratum. Hactenus Simon de Cassia.

Charitas omnium virtutũ forma. Simon de Cassian. c 26 de gestis Christ.

Iuxta doctrinam hanc, dicimus, quod Oratio est cordis nostri ad Deum eleuatio, qua mediãte appropinquamus illi, & vnũ quid cum illo efficimur. Oratio est eleuatio animæ supra se, & super omnia quæ creata sunt, vnio cum Deo, & in profundum immẽsæ suauitatis, & amoris diuini pelagus immersio. Oratio est exitus animi, ad recipiendum Deum cùm venit ad illam: trahit eum ad se, tãquam vicinũ, hospitio excipit in se, tanquã in suo templo, ibi posidet eum, amat eum, & fruitur eo. Oratio est statio animæ in præsentia Dei, & Dei in præsentia animæ, dũ aspicit ille animam oculis misericordiæ, & hæc Deũ oculis humilitatis: qui aspectus maioris est virtutis & fœcunditatis, quã ille omnium stellarũ & Planetarũ cœli. Oratio est cathedra spiritualis, in qua anima sedet ad pedes Domini, audiens doctrinã eius, & recipiens influentias eius misericordiæ, dicens cũ Sponsa in Canticis: *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Ibi, vt S. Bonauentura dicit accendit Deus animã suo amore: vngit sua gratia: quæ sic vncta & eleuata in spiritu, contẽplatur, & contemplãdo amat, & amando gustat, & gustando quiescit, & in ista quiete omni fruitur gloria, quę in hoc mundo potest haberi. Oratio itaq; est cibus animæ, deliciæ & amplexus Dei, osculũ pacis inter Sponsũ & Sponsã, sabbathũ spirituale, in quo Deus dulciter requiescit: & domus sãcta Libani, in qua verus Salomõ suis fruitur delicijs, cũ filijs hominũ. Oratio est reparatio animæ quotidiè deficiẽtis, speculũ clarissimũ, in quo Deus cognoscitur: cognoscitur & homo, cũ omnib. suis næuis, imperfectionibus, & miserijs. Oratio est exercitiũ quotidianũ multarũ virtutũ, mortificatio appetitũ sensualiũ, fonsq; omnis boni propositi, & desiderij. Oratio est lac incipientiũ, cib. proficientiũ, viaticum

Damasc. l 3. l. de fide orthodox. c. 24

varia descriptiones orationis.

Cant 5, 6. S. Bonauen. l. Pharetra.

Prouerb. 8.

viaticum peregrinantium, portus periclitantium, & adminiculum triumphantium. Oratio est medicina infirmorum, gaudium afflictorum, fortitudo debilium, remedium peccatorum, delectatio iustorum, auxilium viuorum, suffragium mortuorum, & commune totius Ecclesiæ auxilium. Oratio est porta regalis, per quam ad cor Dei ingredimur, primitiæ futuræ gloriæ: manna in se habens omnis dulcedinis suauitatem, & scala Iacob, quæ cœlum terræ iungit, per quam Angeli, qui sunt equites spirituales, ascendunt & descendunt, portantes libellos supplices nostros ad Deum, & reportantes ad nos negotiorum nostrorum expeditiones. Atq; hoc est, quod in præsenti libro per Orationem intelligi volumus, deque tali oratione tractare nostrum hic est institutum. Quare ante omnia videndum, quid de ea diuersis in locis sacræ paginæ prædicent.

Genes. 28.

DE ORATIONE S. SCRIPTVRAE testimonia.

CAPVT II.

QVicunque Sacram Scripturam diligenter legit, in qua via, quæ ducit ad cœlum, diuinitus est tradita, inueniet nihil reperiri, quod feruētius laudatur Orationis vsu: Ecclesiast. dicit, *Non impediaris orare semper.* Et Esai. *Qui reminiscimini Domini, & ne taceatis, & ne detis silentium ei.* Prophetā Regius in multis Psalm. suorum locis, ante omnia commendat Orationem, meditationem, & cōtinuum laudum Diuinarum vsum. Quodque omnia testimonia transcendit, ipse noster Saluator & Dominus in omnibus penè Euangelij locis, hoc exercitium laudat, vt cùm dicit: *Vigilate itaq; omni tempore orantes, vt digni habeamus fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Apud Marcum idem cum maximo præcipit affectu: *Videte*, inquit, *vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit.* Nec tantum verbis, sed potius exemplis commendat nobis hoc exercitium, cùm toties integras noctes in montibus & locis desertis, hæserit, perseuerans, vt aiunt Euangelistæ, in Orationibus: & certum est illud eum non fecisse (vt ait Ambros.) ex necessitate, sibi implorans auxilium: sed nobis dare volens exemplum.

Ecclī. 18, 27.
Esaī. 62, 6.
Luc. 21, 36.
Marc. 13, 33.
Luc. 6.

Sed quid dicam de Apostolo Paulo? in qua suarum epistolarum non laudatur oratio? in illa ad Thessalonicenses dicit; *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei.* Et ad Philippenses: *Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Ad Colossenses quoque, *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Deinde discipulo suo Timotheo ter in vna eademq; epistola commendat hoc exercitium atque ita commendat illud, vt sit primum documentum, quod inter alia mandat illi, populum Christianum docere: *Obsecro*, inquit, *primum omniū fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnib. qui in sublimitate positi sunt, vt quietam & trāquillam vitam agamus.* Et paulò inferius eodem capite: *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione.* Et capite quintò: *Quæ verè vidua est, & desolata, speret in Deum, instet obsecrationibus, & orationibus nocte & die.* Hæc & huiusmodi plurima in illis epistolis leguntur, quæ certissimum perhibent testimonium necessitatis huius virtutis: continuationis quoque, & perseuerantiæ, quæ in ea est retinenda.

Philip. 4, 6.
Colos. 4, 2.
1. Tim. 2, 1.
1. Tim. 5, 5.

Denique tam proprium hoc opus est Christianorum, vt voluerit Deus, illo Christianos ab omnibus huius mundi nationibus distinguendos, vt ipse ostēdit apud Esaiam; *Domus mea*, inquit, *domus Orationis vocabitur cunctis populis*: significans hāc fore notam populi Christiani, vnde cognosceretur per vniuersum mundum. Aliæ namque gentes, quemadmodum viuunt de terra, sic omnis eorum habitatio & negotiatio est in terra: sed hæc noua gens, quemadmodum viuit de cœlo, hoc est de auxilio & gratia Dei, à quo expectantur omnia bona: sic omnis eorū habitatio, & principale commercium habere debet in cœlo. Hæc & similia testimonia in diuersis scripturæ, tam veteris, quàm noui instrumenti locis reperiuntur: præceteris autem magna & multa orationis laus est in libro Psalmorum, qui solus sufficit ad animos nostros hoc studio inflammandos, & illius tam vtilitatem, quàm necessitatem demonstrādam. Sed quia Doctores sunt veri interpretes diuinarum Scripturarum (non enim studio, & diligentia solùm humana, sed experientia potius, & vsu ipsarum vi tutum ac cœlesti lumine illustrati earum. Intelligentiam didicerunt) horum sententias & opiniones de hac materia proferamus.

Oratio propria nota

Christianorum. Esai. 56, 7.

DE ORATIONIS EXCELLENTIA Patrum testimonia.

CAPVT III.

AD. Chrysost. incipiamus, qui in tractatu quodam probare volens Orationem principium, & causam magni boni esse, sic inquit: Quid enim possit inueniri sanctius his, qui cum Deo commercium habent? quid porrò iustius? quid ornatius? quid sapientius? Etenim si qui cum sapientibus viris colloqui solent, propter assiduam consuetudinem: breui sic transmutantur, vt illorum prudentiam referant: quid dicere conuenit, de his qui cum Deo colloquia miscent, ei sua vota deferentes? Quanta sapientia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate replet illos precatio & obsecratio? proinde nequaquam aberrauit à verò, si quis affirmet deprecationē esse omnis virtutis, & iustitiæ, neque quicquam eorum, quæ conferunt ad pietatem venire posse in animum, cui non adsit deprecatio & obsecratio. Sed quemadmodum ciuitas quæ muris cincta non est, facilè venit in potestatem hostium propterea quod prorsus absit id, quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & animam non munitam precibus, diabolus facilè in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Et paulò inferius: Iā verò si quis dicat animæ neruos esse deprecationem, mea quidem sententia, videbitur verum dicere: nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, viuit, stat, & compactum est, adeò, vt si neruos incideris, vniuersam corporis harmoniam dissolueris: itidem animæ per sanctas preces sibi constant, & compinguntur, ac pietatis cursum facilè peragunt. Quod si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris, vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio: per hanc datur velut ex aquis subuolare, cœlumque transcendere, ac proximum fieri.

Chrys. lib. 1 de Orando Deum.

Non minus illustre testimonium est Ioannis Climaci, qui de eadem virtute differens, sic ait: *Oratio secundum qualitatem quidem suam, coniunctio atq; vnio est hominum & Dei: secundum actionem verò constantia mundi, reconciliatio Dei, lachrymarum mater, earumq; item filia, peccatorum propitiatio, tentationū pons, tribulationum interpositus paries, bellorum confractio, Angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum ministra, profectus inuisibilis, nutrimētum animæ, mentis illuminatio, desperationis amputatio, fidei demonstratio, tristitiæ solutio, monachorum di-*

Climacus in scala Paradisi gradu. 28.

uitiæ, solitariorum thesaurus, iræ imminutio, speculum profectus, mensurarum iudicium, status insinuatio, futurorum reuelatio, flentibus clementiæ significatio. Oratio eis qui rectè orant, curia, & iudicium, & tribunal domini ante futurum tribunal est. Exurgentes audiamus sacram hanc virtutem reginam, excelsa ad nos voce clamantem ac dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris*, plagisque vestris medicinã: *iugum enim meum suaue est*, & peccata sanat maxima. Matth. 11, 28.

Adstipulatur his S. Basilius; qui cum homo orationis esset maximus, & sæpè noctem cum die orando iungeret; ita de oratione, sub nomine psalmi, loquitur: Psalmus Dæmones fugat, Angelos ad adiutorium salutis inuitat: scutum est in nocturnis terroribus diurnorum requies laborum, cautela pueris, iuuenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor: desertas habitari facit vrbes, sobrietatem docet, incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum. De Ber. quid dicam? is adeò in hac virtute semetipsum exercens, & orationi totus deditus, sic de illa scriptum reliquit; Quid vtilius oratione, quæ sacrificium est Deo, Angelis musica, conuiuium Sanctis, auxilium orantibus, vnguentum contritis, remedium pœnitentibus, telum hostibus, dux errantibus? Et in alio loco: Nil est quod dulcius in hac vita sentitur, maiore cũ gaudio percipitur, corda hominum fortius ab amore mundi disiungit: nihil animum contra tentationes munit potentius, nihil hominem ad quæuis bona opera facienda, & quasuis tribulationes perferendas reddit alacriorem studio contemplationis vel orationis. Idem etiam alibi: Nemo vestrum fratres, ait, paruipendat orationem suam. Dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus non paruipendit eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet eam in suo libro. Et vnum è duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nouerit nobis esse vtilius. Neque huius Sanctissimi Viri pauca testimonia, sed integros libros de laudibus orationis adferre possemus. Certum enim est, celebres illos de Consideratione libros Eugenio Papæ inscriptos, hunc in finem esse ab illo cõpositos, in quibus magna & stupenda de hoc exercitio cõmemorat. Quod si fortassis parum esse tibi videatur, quod dictum est: audi etiam quid S. Bonauentura, Doctor suauissimus, & grauissimus, dicit: Beatitudo, inquit, hominis non in alio consistit, quam in summi boni fruitione. Summum autẽ bonum supra nos est. Nec quis potest esse felix, nisi supra semetipsum & super omne quod est naturale, eleuetur. Eleuatio quoque illa fieri non potest, nisi mediante aliqua virtute supernaturali, quæ hominem eo modo extollat. Hæc virtus est diuina gratia, quæ datur omni petenti eam cum humili & deuoto corde. Atque hoc est suspirare in hac lachrymarum valle, pro summo illo bono, quod iusti quotidie faciunt per feruentes orationes. Oratio igitur videtur initium esse nostræ felicitatis, & eleuationis spiritus nostri ad Deum: & proinde exordium omnis boni. Hæc Bonauentura. Pro quorum verborum intelligentia sciendum, quod vti homo creatus est ad finem supernaturalem, qui est videre & contemplari Deum: sit & medium ad finem illum consequendũ oportet, vt sic supernaturale, vt proportio talis sit inter causam & effectum; qualis est inter medium & finem. Medium autem hoc est excellentia & puritas vitæ Christianæ, quam docent sacræ Scripturæ. Ad hoc autem vitæ genus nemo potest pertingere, nisi per opem diuinæ gratiæ, quæ præter Sacramenta particulariter per orationes confertur, quemadmodum Christus ait: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Matth. 7.

Basil. Hexameron. li. 9.

Lib. 5. de Charitate.

Bern ser. 5. de Quadr.

S. Bonau. li. Inuestigũ mentis in Deum. c. 1.

Ex quibus verbis liquet, quam efficax est oratio, ad obtinendam gratiam: & per consequens, ad vltimum finem, adeoque omnem perfectionem comparãdam. Hoc ipsum declarat idem gloriosus Doctor copiosius adhuc, in libro de Meditatione Vitæ Christi, vbi de hac virtute sic loquitur: Si vis patienter tolerare aduersa, sis homo orationis: si vis tentationes & tribulationes superare, sis homo orationis: si vis prauas affectiones conculcare, sis homo orationis: si vis astutias Satanæ cognoscere, ac eius fallacias vitare, sis homo orationis: si vis lætanter viuere in opere Dei, & laboris ac afflictionis viam incedere, sis homo orationis: si vis vanas muscas cogitationum effugare, sis homo orationis: si vis animam tuam sanctis & bonis cogitationibus, desiderijs, feruoribus, & deuotionibus impinguare, sis homo orationis: si vis cor tuum virili spiritu & constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, sis homo orationis. Denique si vitia extirpare, & virtutibus tribui, sis homo orationis. In ea enim recipitur S. Spiritus vnctio, quæ de omnibus mentem docet. Item si vis ad contemplationem ascendere, & frui amplexibus Sponsi, sis homo orationis. Ad eam namque contemplationem, & cœlestium degustationem, per orationis exercitium deuenitur. Vides quam magnæ potentiæ & virtutis sit oratio. Ad quorum omnium confirmationem, omissis scripturarum probationibus, hoc tibi sit pro efficaci probatione, quod audimus & videmus quotidie per experientias illiteratos, & simplices, prædicta, & alia plura maiora per virtutem orationis fuisse adeptos. Bonauent. Medit. Vitæ Christi cap. 35.

Sed nec minus illustre testimonium est illud Laurentij Iustiniani, Doctoris Deuotissimi, qui de hac virtute agens, sic inquit: In orationis exercitio purgatur à peccatis anima, pascitur charitas, illuminatur fides, corroboratur spes, exhilaratur spiritus, sedantur viscera, pacatur cor, detegitur veritas, vincitur tentatio, expellitur tristitia, renouantur sensus, sanatur virtus debilitata, fugatur animi tepor, reprimitur vitiorum furor; & in oratione rutilant vitæ carbones cælestium desideriorum; ardetque flamma diuini amoris. Magnæ & multæ sunt orationis prærogatiuæ; magna eius sunt priuilegia. Illi patent cæli, illi reuelantur secreta, illi aures Domini semper sunt apertæ. Laurent. Iustin. ord. Cælestin. vixit a. 1410.

Quicunque igitur legit hæc testimonia, & præcipuè quæ ex sacris Scripturis protulimus, non potest non confiteri orationem esse rem pretiosissimam, & efficacissimam. Etenim Spiritus S. qui est auctor Scripturæ sacræ, nunquam tantis encomijs eam extulisset, nisi summi fuisset momenti, maximeq; necessaria, & sanè sic est: sit enim quicunque vult, & consideret diligenter naturam & officium huius virtutis, omniumque rerum ad eam pertinentium, inueniet non vnam tantum viam, sed multas, multaque & excellentissima auxilia in omni gradu, ad percipiendas virtutes omnes omnesque perfectiones. Mirandum igitur non est, quare tantopere laudetur in Scripturis oratio: sed potius mirandum est, si aliquod inueniatur capitulum, in quo illius mentio non fiat: cùm tam sit excellens quid, & pretiosum. Sed quia intellectus noster eius est naturæ, vt non sit contentus, si res ipsas sciat, nisi & causas sciat earum, operæ pretium facturi sumus, si principales causas hic subijciamus, quare virtus hæc tantum habeat ad omnes alias momentum.

ORATIONEM CONVENIENTISSIMUM ESSE MEDIUM AD VITA PERFECTIONEM CONSEQUENDAM.

CAPVT IIII.

SCiendum itaque est, omnes causas iuxta Philosophorum regulam operari secundum subiecti dispositionem, seu materiæ, in qua operantur, præparationem. Patet hoc in igne, qui multo citius & facilius accendit lignum siccũ: & in sigillo, quod quo cera mollior est & tenerior, eo perfectius suam in ea exprimit imaginem. Cum igitur Deus sit vniuersalis omnium bonorum causa, auctor quoque & donator omnium gratiarum, certum est, quod quò magis homo sese ad illam percipiendam præparat, eò plus gratiæ recipiat. Secundum hanc doctrinam, quicunque diligenter inspicit naturam orationis, inueniet eã debito modo factam, nihil aliud esse, quàm dispositionem & præparationem conuenientissimam ad gratiam. Per orationem enim homo præsentatus conspectui Dei, tanquam veri medici, cui detegit omnia vulnera sua, & à quo medelã flagitat, omnes titulos, causas, & rationes quas habet allegat, vt sunt merita Christi, & misericordia eiusdem Domini: ficque ab vna parte suam immensam miseriam cõfitetur, & ab altera parte infinitam Dei misericordiam profitetur, humiliterque veniam à suo Creatore deprecatur. Omnia hæc fiunt in oratione deuota: estque ea procul dubio conuenientissima dispositio, ex parte creaturæ, ad obtinendam gratiam Creatoris. Eam ob causam Augustinus inter omnes alias virtutes potissimum Orationi tribuit hanc acquirendæ gratiæ dignitatem: quemadmodũ testatur his verbis; Credamus neminem ad veram salutem peruenire, nisi Deus eum vocauerit: neque aliquem iam vocatum operari, quod ad salutem esse necessarium, nisi Deus illum adiuuerit: nec denique adiumentum hoc cuiquam dari, nisi qui per Orationes prius illud implorauerit. Ex quibus verbis patet impetrare fauorem Dei, & auxilium diuinæ gratiæ proprium esse Orationis, eique specialiter tribuendum: non quod ignorauerit D. Augustinus, etiam per alias omnes virtutum actiones in charitate factas similiter gratiam impetrari; sed vt doceat potissimum per orationem acquiri: eius enim propriũ munus est petere, & impetrare est quasi præmium & finis illius, vt Saluator ipse significat, dicens: *Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester de cælis dabit spiritum bonum petentibus se?*

Auguſt. li. de Dogmat. Eccl. c. 55.

Luc. 11, 13.

Neque exiguum est argumentum huius virtutis, videre duas illas principales glorias, & testimonia Christi Iesũ, quæ perhibuit illi oranti pater in Transfiguratione, & in Baptismo. In Transfiguratione namque dicit Lucas, dum oraret factam speciem vultus eius aliam, instar Solis resplenduisse, & vestimenta eius alba facta, & in modum niuis canduisse.

Luc. 9.

Luc. 3, 21.

De Baptismo refert idem Lucas; *Iesu baptizato & orante apertum est cælum, & descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cælo facta est; Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacuit.* Ex eo manifestum igitur est, homines orantes orationis & gratiæ, quæ tunc confertur, virtute in alios homines spiritualiter transfigurari: ibidemque propriè accipi spiritum columbæ, qui est ipsa gratia Spiritus S. hæc operantis.

Concludens igitur hanc rationem dico, cùm omnis vitæ Christianæ perfectio nascatur ex gratia, cumque oratio sit tam conueniens dispositio & medium ad gratiam impetrandam, negari non posse, quin quò frequentior est orationis virtus, eò etiam plus gratiæ conferatur: ita vt crescente orationis virtute, similiter crescant gratiarum diuitiæ, & per consequens omnes virtutes & perfectiones.

ORATIONE HOMINEM VNIRI DEO.

CAPVT V.

SEcundò manifestum etiam est, quod oratio debito modo facta nõ est aliud, quàm hominis ad Deum appropinquatio, & spiritus vtriusq; vnio. Notum autem est, in hac vnione potissimam perfectionis nostræ partem consistere. Nam (vt Philosophi dicunt) perfectio omnium creaturarũ est Deus; & proinde tanto perfectior erit aliqua creatura, quanto est Deo vicinior. Accedimus autem ad Deũ non passibus corporis, sed spiritus, quibus in Deum tendimus, illi appropinquamus, & participes illius efficimur. Hoc est quod D. Augustinus ait; Tanto, inquit, perfectius à creatura recedimus, quanto plus ad eum, qui præstantior est cunctis creaturis, accedimus: cui appropinquamus non ambulando, sed amando, hoc est, non passibus corporis, sed cordis affectibus. Quemadmodum igitur vera Oratio nõ est aliud, quàm cordis nostri ad Deum appropinquatio, certum est, quo propius ad Deum homo accedit, eo plus participat de illius luce & charitate fietque diebus singulis perfectior, & Deo similior. Quo quis propius ad candelam accedit, hoc plus videt; & quò vicinior est igni, hoc magis calescit: cum enim elementum hoc tam nobile sit, & actiuum, suæque virtutis communicatiuum, vix ad illud quicquam accedit, cui non omnia sua communicare incipit: nec aliquid sibi reseruat, donec totum sibi simile reddiderit. Si faciat hoc ignis, eò quod elementum sit tam actiuum, & nobile, quid faciet ille, qui infinitis modis nobilior est, & suijpsius communicatiuus, seu diffusiuus; omnibusque creaturis, etiam nobilissimis magis actiuus? O, si obstaculum & impedimentum in nobis non sit, quanto nobilius erit, quod de illo percipiemus, eo quod ignis dat sibi appropinquãti: Quoniam hoc ipsum optimè nouerat Dauid, hortatur nos, vt cum omni diligentia ad Deum accedamus; *Accedite*, inquit, *ad eum, & illuminamini.* Quæ autem, & qualis hæc lux sit docet Propheta, cum ait: *In dextera eius ignea lex, & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.*

S. Aug. in Prologo Pſal. 99. & Tract. 26. in Ioan.

Pſal. 33. 6.

Deut. 33. 2.

Hinc est, vt si etiam cum omnibus nostris impedimentis, & erroribus facti etiam tanquam trunci virides, per mediũ Orationis ad Deum accedamus, sentire confestim incipiamus nouum caloré, & gaudium nouum in animabus nostris: è contrariò verò maximum teporem & frigus, si ab illo recedamus. Ratio huius est, quia Deus est fons lucis, & caloris; Quemadmodum igitur is, qui ad ignem accedit, extemplò sentit & accipit in se calorem, atque iucunditatem ignis: sed qui ab eo recedit, paulatim refrigescit, & post duas circiter horas, totus frigidus est: ab ipsa namq; caloris causa recedit, sic & ijs accidit, qui segregant se à diuino hoc igne & exercitio, vel appropinquant illi; vt experientia docet quotidiana. Vis illud apertius, & vno exemplo doceam? Vides eos qui exotici muris stercora, vel zibetum contingunt, odoriferum extemplò quiddam in se recipere: adeò vt vix manus ab illis remotæ iã plenę sint odore illius, quod contigerunt: ita imaginare Deum esse fontem infiniti odoris & suauitatis: & proinde quoties ad illum accedimus, eumque cum intimo spiritus nostri contingimus, confestim incipit in nobis redolere quiddam eius infinitatis, virtutis, & suauitatis. Simile quid accidisse Moysi legimus, qui ex diuino colloquio in monte tanta cum claritate, & vultus sui splendore descendit, vt filij Israël non potuerint in faciem eius intueri: qui splendor ei accreuit ex consortio sermonis Domini. Quid igitur

Exod. 34.

igitur in laudem huius virtutis dici posset magnificentius, quàm per illam hominem cum Deo conferentem, spiritualiter in Deum transformari, propter amorem & similitudinem vitæ diuinæ, imaginemq; & figuram hominis amittere, & effigiem Dei assumere? etenim quod repræsentatur in figura corporis, similiter operatur quotidie in anima illorum, qui iugiter agunt, & cum Deo conuersantur.

Est etiam hoc loco notanda figura illius splendoris faciei Moysis, quæ fuit in modum cornuum, in quibus consistit fortitudo animalium: vt significetur hominem ab oratione redire non tantum pulchrum & splendidum, sed armatum etiam & fortem contra omnem potentiam, & fortitudinem inimici: vtrumque enim pertinet ad gratiam & deuotionem, quæ particulariter per orationem acquiruntur.

PER ORATIONEM INTELLECTUS nobilitatur.

CAPVT VI.

PRæterea est & Orationis officium Deum contemplari, quod supra modum nobilitat, reddit què perfectissimos oculos contemplantis: nã vt Aristoteles dicit, vna ex maximis differentijs sensibilium atque intelligibiliũ est, quod sensibilia cùm vehementia sunt & excellentia, corrũpunt sensum: quemadmodum in subita & magna luce fieri videmus, quæ excæcat oculos, & in vehementi sono, qui aures obtundit. Intelligibilia verò quantò sunt excellentiora, tantò amplius intellectum perficiunt contemplantis: qui vti fit imperfectus & vilis in rebus humilibus & abiectis cogitandis, sic è contrariò perfectus fit, & nobilis, cum alta & excellentia meditatur: potissimum verò cum Deum ipsum, qui omnium rerum est præstantissimus, contemplatur. Quare mirandum non est, Orationem tantas habere partes in animabus nobilitandis, est enim illius munus oculos in illum conijcere, à quo, cùm intuemur eum & contemplamur, omnis nobilitas & perfectio nostra deriuatur. Experimur enim re ipsa, cùm intuemur rem oculis gratam, vt virens floridumque pratum, vel nitidum speculum visum, nostrum exhilarari, atque corroborari. Quid igitur fiet, si in nitidissimum istud speculum, sine macula diuinæ Maiestatis intueamur, quod tantam habet virtutem & efficaciam ad consolandum & roborandum visum sẽ contemplantis?

Aspectus Dei quàm potens.

Etenim visu nostro Deum inuitamus ad videndum, & dum intuemur illum, facimus vt ipse vicissim intueatur nos, cuius aspectus omne bonum in nobis operatur. Dic mihi quid aliud voluit indicare Deus, cùm dicit; *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos: videte me, & ego videbo vos?* Quamuis oculi Dei sint semper super nos, potissimum tamen tunc sunt, cùm oramus, vt ait D. Bernardus: tunc enim illi repræsentamur, & conuertimus faciem ad faciem, vt cũ eo colloquamur: ideoq; tunc præcipuè in nos diuinæ exundant influentiæ, radijque illius præsentiæ. Etenim si oculi cęlorum qui sunt Sol, Luna, & stellę, tantam vim habeant influendi, & lucem, virtutemque suam in corpora hæc inferiora instillandi iuxta diuersitatem aspectuum, quo & se inuicẽ, & nos intuentur, quanto maiorem habebunt efficaciam oculi diuini in animas nostras, lucem & gratiam instillandi. Et si de Basiliscis dicatur, quod solo visu interficiunt hominem, quanto potentiores erunt oculi Dei ad vitam tribuendam his, quos intuentur? scimus enim Deum potentiorem esse ad saluandum, quàm omnes creaturæ ad perdendum. Talibus oculis Christus intuebatur Petrum negantem se, & statim peccata sua defleuit. Talibus oculis aspici cupiebat Dauid, cum diceret; *Aspice in me, Domine, & miserere mei.* Tali aspectu se respecturum promittit Deus omnes legem suam obseruantes, dicens; *Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini & firmabo pactum meum vobiscum.* Tali cum aspectu & te sine dubio intuebitur, si tu respexeris illum, teque coram illo stiteris in oratione.

Psal. 118. 132.

Leuit. 26. 9.

Quare & vna ex primarijs rebus, quas potissimum laudant spiritualis vitæ magistri, est, semper in conspectu Dei ambulare, aut saltem oculos cordis persæpè ad illum leuare; quotiescunque enim hoc fit, homo sensibiliter accipere videtur refrigerium, auram, & quasi influentiam gratiæ, cuius beneficio anima in semetipsa colligitur, componitur, confirmatur, & bono stabilitur.

ORATIO ANIMARVM NOstrarum cibus est.

CAPVT VII.

TRes illæ prædictæ rationes sunt cognatæ & affines: nascuntur enim quasi ex eodem fonte, qui est intueri Deum, appropinquare illi, aut disponere sese ad consequendum gratiam, quæ omnia complectitur. Ceterum præter iam dictas, aliam non minus admirandam proprietatem habet Oratio, quod scilicet est exercitium, & propria conseruatio animarum, quæ viuunt, & exercentur in contemplationibus. Hæc ratio ex vna parte valdè est efficax, & ex altera vehementer dulcis ad contemplandum. Est enim sine dubio dulce admodum meditari nobilitatem huius cibi, & considerare, quomodo anima viuit per Deum, & quomodo alimentum illius est contemplatio rerum diuinarum. Cum autem dicimus animam viuere hoc cibo, intelligimus eam hoc mediante sustentari, recreari, confortari, & in vita spirituali crescere: quos effectus cibus quoque naturalis in corporibus sumentium solet operari.

Vt autem quod dicimus melius intelligas, sciendum est, omnia creata viuentia certum suum habere nutrimentum, quo viuunt, singula in suo genere. Quædam enim eorum viuunt de terra, quædam de aqua, quædam de aëre: sunt & nonnũlla, quæ ex igne viuere dicũtur. Alia, quæ ceteris nobiliora sunt, & excellentiora, viuunt alio cibo nobiliori, qui Deus ipse est: quo sustentantur ipsi Angeli, quomodo vnus eorum fatetur dicens; *Ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor:* qui sanè non alius est, quàm visio Dei & contemplatio illius.

Tob 12. 19.

Cùm igitur anima nostra substantia sit spiritualis, vti & angelorum, necessariò confiteri debemus, eandem pariter eodem cibo, qui Deus est, nutriri: ideò viuit quemadmodũ & illi viuunt, Dei visione, & illius contẽplatione: nisi quod qualis est visio, talis sit vita: & quia visio Angelorũ est clara, nostra verò obscura, ideò vita eorũ est perfecta, nostra verò imperfecta: & quemadmodũ eorum vocatur vita gloriæ, sic nostra gratiæ vita nuncupatur. Præterea vita gratiæ, de qua hic loquimur, sustentatur consideratione rerum diuinarum: non enim est vita corporalis, sed spiritualis, quæ est viuere in charitate & amore: vita namque spiritualis animæ in amore Dei consistit.

Age itaque, si in hoc amore ponamus vitæ modum, quid est, quod plus iuuat ad accendendum & augendum hunc amorem, quàm continua consideratio perfectionum & beneficiorum Dei? certum enim est, vti ignis nutritur ligno: sic diuinam hanc flammam nutriri ligno huius considerationis suprædictæ: quæ non est aliud, si benè rem inspiciamus, quàm fax, qua diuina flamma magis exuscitatur.

S. Bern. ser. de orandi modo. Quatuor mihi. in fine & in Reg. S. Benedicti c. 19.

Hoc autem est id, quod in orationis exercitio tractatur; animam scilicet considerationè potissimum alit: vita enim eius amor est, & non potest aliquid reperiri, quo magis amor ille accenditur, quàm continua consideratio perfectionis rei amatæ.

Quod si vlterius progrediaris, inuenies non solũ charitatem, sed omnes alias virtutes nobiliores hoc cibo nutriri, vt sunt; Fides, Spes, Humilitas, Patientia, Timor Dei, Contritio peccatorum, Contẽptus mundi, & virtutes aliæ. Etenim dic mihi, qua re purior sit magisque corroboratur Fides, quam cõsideratione suauissimæ harmoniæ mysteriorum, quæ in illo repræsentantur, rerumque admirandarum & magnarum, quę in illa prędicantur? Qua re Spes magis augetur, quàm consideratione bonitatis, misericordiæ, & prouidentiæ paternæ Dei, dignitatis quoque, & efficaciæ meritorum Christi? Qua re timor Dei magis excitatur, quàm profunda consideratione iustitiæ Dei, & iudiciorum illius? suppliciorum quoque, & pœnarum, quæ exercet in hoc mundo? Qua re dolor peccatorũ magis reuiuiscit, quam cogitatione magnitudinis & multitudinis eorum? altitudinis quoque illius Maiestatis, contra quam cõmissa sunt? Qua re humilitas & contemptus suiipsius magis fundatur, quàm continua consideratione propriæ vilitatis, & miseriæ? Qua re patientia magis confirmatur, quàm meditatione passionũ Christi, & omnium Sanctorum? magnitudinis quoque gloriæ tribulationem sustinentibus promissæ? Denique mundi contemptum, quid magis in nobis generat, quam contemplatio breuitatis, fragillitatis, vanitatis, & impostura earum rerum, quæ in mundo sunt? Videtur igitur oleum, quo lampas omnium harum virtutum fouetur, & conseruatur, esse considerationes singulas rerum prædictarum, etenim iuxta regulam philosophorum, ipsa consideratio intellectualis, quæ facit ad excitandos illos effectus in voluntate, etiam facit ad conseruationem & augmentum eorum.

S. Augusti. li. 6. Confess. c. 16.

Ezech. 1.

Hanc ob causam, nõ sine magno mysterio describuntur Ezechielis animalia, oculis plena: cum videamus vitam spiritualem esse debere plenam oculis, & considetationibus: his enim conseruantur omnes virtutes, in quibus hæc vita consistit: non tantum illæ quæ sunt in intellectu (hoc enim manifestum est) sed etiam illæ, quarum sedes est in voluntate. Intellectus enim (si dicere liceat) est quasi follis voluntatis; cognitione namque & consideratione præstantiæ rei, excitantur omnes vapores & flammæ affectuum in amore illius.

Oratio medicina est nostrorum vulnerum.

Progredere, si lubeat, adhuc vlterius, & inuenies Orationem non tantum esse cibum animarum nostrarum, sed & medicinam nostrorum vulnerum. Vix enim est exercitium, quo magis illa detegũtur, dilucidiusque conspiciuntur, & facilius sanantur, quàm Oratione. Quemadmodum enim obscurum iuxta clarum, & curuum iuxta rectum positum magis eluescit: sic anima posita iuxta præsentiam Dei, quæ lux est, & omnium rerum regula, confestim omnes defectus conspiciuntur, & remedia petuntur ab illo, qui vti caput est omnis rectitudinis & pulchritudinis, sic remedium est contra omnes miserias & calamitates.

IN ORATIONE DVLCEDInes Dei gustantur.

CAPVT VIII.

PRæter ea quæ hactenus dicta sunt aliam adhuc habet oratio dignitatem & excellentiam, quæ est, gustare in illa spirituales delicias, & diuinã suauitatem. Estque non exiguum hoc ad virtutem subsidium, primariusque fructus, & donum Spiritus S. adeo vt ab eo peculiari modo voluerit denominari, dum paracletus, hoc est consolator dicitur: eius enim principale officium est animas consolari, tantisque, & tam mirabilibus illas delicijs reficere, vt ijs captæ, atque inescatæ facilè respuant omnes externas voluptates. Hoc officium exercet Spiritus S. potissimum in oratione, quo modo ipse promittit seruis suis per Esaiam, dicens; *Adducam eos in monte sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.* Etenim teste Bernardo orando bibitur vinum spirituale, lætificans cor hominis: vinum scilicet Spiritus S. quod inebriat mentem, & carnalium voluptatum infundit obliuione: humectãs interiora arentis cõscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra: fidem roborans, spem confortans, vegetans, ordinansque charitatem, & impinguans mores. Esa 56, 7. Bernard. serm. 18. in Cant.

Quam magnæ sint illæ deliciæ, & quàm dulce sit illud manna, nemo scire potest, qui non probauit. Ideoq; non est necesse multum temporis consumere in illo explicando: qui enim iam gustauit, huic opus non est vt dicatur, qui autem non gustauit, quantũcunque demonstretur ei, nõ intelliget. Quidam Ecclesiæ Doctor dicit has delicias omnes voluptates mundi multis parasangis vincere: etiamsi omnes simul in cor hominis infunderentur. Sed & Propheta non alienus fuisse ab hac opinione videtur, cùm dixit: *O Domine quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te?* Et alio loco? *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuũ.* Quibus verbis significat tantas fuisse delectationes, vt non tantùm spiritus, qui immediate percipit illas, sed etiam caro & totus homo, cum omnibus suis potentijs, & sensibus exultauerit, partemque habuerit in illa festiuitate. Nam, vt Doctor quidam ait, vsque ad molem corporis homo exultat in hoc exercitio: cessant inquietæ cogitationes, tacent omnia: ardet cor, gaudet anima, reuiuiscit & memoria; illuminatur intellectus, & totus spiritus desiderio illius beatificæ visionis ascendit, & eleuatur super seipsum. Psal. 30, 20. Psal. 83, 3.

Igitur diuinæ illæ deliciæ sunt principale instrumentum, quo Deus animam sursum à terra in cœlũ eleuat, omniaque mundana facit contemnere. Quẽadmodum enim primi homines dicuntur glandes reliquisse, cùm frumenti vsum inuenissent: sic anima nostra nullo negocio respuit voluptates carnis, postquam illas spiritus gustauit. Vnde liquet diuinam Sapientiam hac in parte fungi munere fidelis matris erga infantem suum: qui nactus partem cibi alicuius noxij, incipit illam comedere; illa non videns modũ quo auferat (incipit enim statim plorare) aliud quid salubre magis, magisque delicatum sumit, illudque infanti porrigit manducandum: qui cùm hoc gustauit, facilius eripi sibi patitur, quod noxium erat noua dulcedine illectus. Eadem arte erga nos vtitur pater cælestis: optimè namque nouit ille nostram auaritiam, & cupiditatem: & scit nos nihil dare velle nisi reddatur aliud: ideoque offert delicias spirituales, vt per illas respuamus carnales, quare non est aliud medium conuenientius ad id, quod iam diximus; vbi enim spiritualia semel gustauimus, desipiunt, teste Bernardo, cuncta carnalia. Simile.

Propterea vehementer admirandum est, quod homines non volunt contemnere bona hæc falsa, & periculosa, atque amplecti illud summum non studeant, cum tam facili negocio possent id sibi comparare. Cùm enim diligẽter omnia considero, nõ inuenio amplius, quã tres passus, quibus ad Deũ licet peruenire, omnes ad transiliendos faciles. Primus enim non est difficilis, modò homo per aliquot dies exiguũ temporis sibi suffuretur quotidie, quo vacet orationibus & meditationibus. Qui autem hoc debito S. Bernard. li. 5. serm. de Ascens. S. Greg. Hom. 37. in Euang. *Tribus passibus itur ad Deum.*

debito modo fecerit, iam quasi præparatus erit ad passum secũdum, qui est, vt cor suum paulatim maceret, rebusque terrenis euacuet, eoque adducat, vt guttulam diuinæ salutis prælibet. Quo facto iam matrimonium est peractum: alio enim opus non est, Matth.13. quàm vt sapiens mercator inuenta pretiosa margarita vendat omne quod possidet, eamque sibi comparet. Non enim aliud requiritur, quàm vt homo eminus diuinam suauitatem odoratu percipiat, quò Cant.1,4. dicere possit cum Sponsa in Canticis, *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Etenim non tanta venatico cani additur agilitas, vbi vestigium illi feræ suboluit, quanta incitatur anima, postquam cœpit odorem & vestigia cœlestis illius suauitatis percipere. O si quis tibi, frater, nunc posset planè persuadere hoc negocium, quo absolute posses intelligere, quàm exigua via est, qua itur ad gustandum Deum, & quàm facilè tibi est, vbi nunc eum gustaueris, omnibus renunciare delectationibus, hac vna iam inescato. Crede mihi, non est Deus in exorabilis, nec adesse tardat inuocantibus eum ex toto corde: non enim sine magno spiritu & veritate dictum Psal.144,18. est illud Psalmographi; *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.*

Oro te, mi frater, præpara te, vt probes verà ne sint quæ dicimus, idque corde humili & simplici, & videbis mirabilia magna, atque obstupesces, quemadmodum illi, qui gustarunt ea: nec desines eos reprehendere, qui tanta bona non diligunt, aut contemnunt. Quadraginta dies tibi constituo ad hauriendum tibi aquam ligni. (si ægrotus fueris) noli edere, vel solem aut lunam intueri, cum dubia spe sanitatis: & non sit tibi durum modicos tolerare labores pro sanitate recuperanda. Respice quæso, & vide ab hoc momento pendere vitæ tuæ æternitatem, teque hanc vnam remissionem consecutum posse dicere cum Sapiente; *Modicum laboraui, & inueni mihi* Eccl.51,35. *magnam requiem.* Video quidem laborem hunc non esse omnia, sed omnium principium, & magnam totius partem.

ORATIONE IMPETRATVR deuotio.

CAPVT IX.

IVuat præterea studium Orationis, non ad spirituales tantum consolationes atque dulcedines, sed & ad Deuotionem impetrandam. Quæ autẽ inter Deuotionem & spirituales consolationes est differentia, dictum est à nobis in principio libri secũdi huius operis. Nunc autem sciendum est, eundem Spiritum sanctum, qui est auctor & largitor istarum consolationum, vt suos corroboret, nutriatque in hoc deserto, etiam auctorem esse, & donatorẽ huius cœlestis affectus, quem Deuotionem appellamus, estq; promptitudo voluntatis, & incentiuũ ad omnia, quæ pertinent ad cultum diuinum. Sed quanta sit vis & efficacia huius affectus ad benè operandum, nemo facilè cognoscit, nisi qui probauit: quemadmodum nec ille nouit, quanta sit magnitudo suauitatis diuinarum consolationum, qui nõ ipse eas gustauit: vtrumque enim est opus Spiritus S. Potest illud exemplis probari: Quemadmodũ enim infirmus Simile. cum appetitum aut nullum habet, aut fastidiosum ad nullos respicit cibos, qui illi proponuntur: sed recipiens sanitatẽ, recipit & edendi appetitũ: imò subinde fame canina stomachus furit, & vix vllis cibis expletur: sic cum homo omni destitutus est deuotione, omni etiã appetitu boni destituitur, vt ad nullã virtutẽ aspiret. Postquã verò per misericordiã Dei, perq; exercitia & media conuenientia recipit veram deuotionem, tam ingentem etiam recipit appetitũ, & cupiditatem boni, vt quantumcunq; fecerit, nunquã tamen pro magnitudine desiderij, quo Deo cupit placere, satietur. Iste autem nouus appetitus, hæc promptitudo & boni cupiditas propriè est, quam Deuotionem appellamus: quæ maximus stimulus est, & calcar ad virtutem, primariumque instrumẽtum charitatis, quo nos ad bene operandum incitat, vt in principio libri secundi copiosius ostendimus.

Porrò si verum sit, quemadmodum isto loco ex auctoritate S. Thomæ probauimus affectum hunc nasci ex meditatione & consideratione rerũ diuinarum; facillimè videtur, quantum subsidij adfert hoc exercitium ad omnes virtutes: cùm per illud acquiratur vera Deuotio, quæ est commune incentiuum, stimulus & calcar omnium earum. Ceterum qui nõ intelligit, aut non credit hoc, nullo efficatiori argumento poterit conuinci, quàm si remittatur, vt ipse probet: ante altare horam vnam, aut alteram nocte sedeat, cum Deo ibidem conuersetur, & sermocinetur in spiritu, deplorans sua peccata, & misericordiã implorans: surgensq; diligenter attendat, qualis inde discedat, & discat, quantum sibi prodesset, si continenter hoc faceret: subitò enim illi oculi aperientur, & agnoscet quàm exigua sunt, quę nos hic dicimus in virtutis huius commendationem. S.Thomas 2,2.q.82.

Ex hoc apparet, quam turpiter errant aliqui Prę-lati, qui constituunt summam, & quasi totum sui regiminis modũ in exercitijs exterioribus tãtum; nullam, vel paruam interiorum habentes rationem: nõ videntes primarium medium ad ea veniendi, quæ ipsi prætendunt à se negligi & prætermitti. Sed date mihi cor deuotum & collectum, & ego vicissim tibi dabo corpus compositum, ad Ieiunium & silentium pronum, modumq; & mensuram seruans in omnib. Quemadmodum enim sanitas membrorum interiorum redundat statim in colorem, & imaginem hominis exteriorem; sic cor & animus compositus extemplò formatcreatque corpus moderatum, & totum hominem exteriorem benè compositum. Quare D. Bonauentura docens Religiosum modum in omni conuersatione, motuq; exteriori seruandum, iubet eum obseruare figuram & compositionem eã, eamque mensuram & grauitatem, quam habet cum ex deuota quadam ad se redit oratione. S.Bonau. in speculo disciplinæ.

Sed & in modo virtutes operandi maxima est differentia, inter eum qui oratione feruet atque deuotione, & eum qui vtraque destituitur. Etenim qui spiritu deuotionis inflammatus, omnia sua facit cũ deuotione, feruore, gaudio, & intentionis puritate, quasi in Deo omnia & Deum in omnibus conspicere videtur. Qui verò, quid sit deuotio ignorat, quasi aridus est intus, & omnia quæ facit siccitate plena sunt. Vel saltem non habebit partem in illa Prophetæ benedictione, qui ait: *Memor sit Dominus omnis* Psal.19,4. *sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat.* quæ verba D. Gregorius explicans ait; Holocaustum siccum, & opus bonum quod non humectant orationis lachrymę: holocaustum verò pingue, bonum est, quod cum humili corde fit, & deuotionis lachrymis perfunditur. S. Gregor. Hom. 20. in Ezechiel in fine.

QVÆ HACTENVS DICTA SVNT experientia probantur.

CAPVT X.

HÆc sunt præcipua media quibus vtitur Oratio, vt hominem omni virtutum supellectile beatum faciat. Confirmat hoc præter rationes supradictas, etiam quotidiana experientia, quæ manifestissimè & multo accuratius hoc docet, quàm quæ hactenus à nobis dicta sunt. Constat enim præcipuum medium, cuius ope homines in

cognitionem virtutis herbarum, gemmarum, aliarumque rerum similium venerunt, experientiam esse: quam obseruarunt homines ijs tempore necessitatis vtentes sic & principale medium, per quod efficaciam Orationis cognouimus est vtilitas, quæ inuenta est in his, qui frequentius huic exercitio incumbunt.

Omnia hæc experimentis quotidianis deprehensa sunt: quo gradu incedit oratio, eodem incedit vita: & quo modo progrediuntur exercitia spiritualia, eodem progreditur & vita spiritualis, quæ ex ijs deriuatur. Quemadmodum enim mare sequitur motū Lunæ; à cuius Planetæ vi sic dependet, vt ea crescēte mare crescat, & decrescente decrescat: atque per omnia Lunæ motum sequatur, perinde atque equus sequitur habenæ ductum secundum arbitrium sessoris: sic etiam videmus perfectionem vitæ Christianæ pendere ab Orationis virtute, quæ cum benè est ordinata, vita quoque ordinata est: cùm verò inordinata est, omnia sunt inordinata denique iuxta orationis argumentum & decrementum crescit & decrescit spiritus, totiusque vitæ nostræ harmonia. Nec est quod quis illud admiretur. Nam si deuotio semper adiuncta sit deuotæ orationi, & deuotio faciat hominem promptum & expeditum ad omnes alias virtutes, vt ait D. Thomas, mirum non est si crescente oratione crescat deuotio: & homo in se omnia supradicta experiatur. Adumbrauit hoc Deus pulcherrimè in illa Moysis oratione in monte, populo cum Amalechitis pugnante; vbi probatum est victoriam bellicam non à viribus & armis pugnantium, sed ab oratione Prophetæ dependisse adeò vt crescente vel decrescente manuum eleuatione, creuerit & decreuerit populi fortitudo, qua in re Deus voluit significare, quod victoria nostrarum passionum & tentationum, omniumque nostrorum aduersariorū comes est virtutis, & fortitudinis orationis, eaque ad modum orationis procedit.

Notandū etiam hic est, quod, prout manus Moysis aut remittebantur, aut eleuabantur etiam victoria vel minuebatur, vel augebatur, in vtramque partem vacillans: cum autem intellexisset periculum hoc inuenit remedium, vt manus orantis sustentarentur, & firmarentur: atque ita confestim de hostibus Israëlitæ triumpharunt. Ita & Christianus intelligat, quod quamdiu vacillat ipse in hoc exercitio; vacillabit etiam & victoria contra suas passiones: sin autem continuus esse victor cupiat, contendat semper cor & manus per orationes in altum eleuare, quantum illud humana patitur infirmitas: in eoque studio tam diu persistat, donec perfectam victoriam ab inimicis suis reportet. Tunc poterit cantare cum Propheta; *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.* Ex quibus verbis colligitur orationem magnum esse ad perfectam victoriam contra inimicos nostros omnes obtinendam auxilium; vti & idem Propheta manifestius alio loco testatur, dicens; *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.*

Ostendamus illud adhuc dilucidius. Omnes qui vacant orationibus, experiuntur quotidie, quod cū exercitia sua sunt ordinata, & ijsdem incedunt passibus, debitumque illis tribuitur tempus; omnis etiam vita est regularis & ordinata: conscientia eorū adeò mundatur, spiritus adeò exultat, cor ita cōfortatur, & anima eorum tot proposita bona & desideria sancta eructat, vt nemo facilè credat. Sentiunt in se præsentiam Dei, virtutem gratiæ illius quasi alterius humeris portarentur, & in alis Aquilarum deferrentur: quasi denique Deus eos duceret per viam, quam promittit Dominus apud Ierem. cùm ait; *Et adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea.* Ierem. 31.

Postquam verò filum suorum exercitiorum per negligentiam præciderint, anima paulatim debilitatur, & maceratur, amittitq; vigorem & pinguedinem pristinam. extemplo nescio quomodo omnia bona proposita sanctæq; cogitationes disparent, & expergiscuntur omnes passiones. quæ prius erant sopitæ & quasi sepultæ Statim homo repletur vanis gaudijs, & leuitate cordis: amat fabulas, risus, iocos, & similes oblectationes, vanitatesque. Sed & quod amplius est, è vestigiò vana gloria, ira, inuidia, ambitio, aliaq; vitia omnia, quæ paulò ante erant quasi mortua insurgunt perinde, atque carbones, qui cinere tecti extincti putabantur, paululum verò afflati & cineribus excussis detecti, incipiunt splendere & reuiuiscere. Simile.

Vtrumque hunc statum expertus esse Propheta videtur, cùm ait: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternū. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Prius illud dixit spiritu repleto deuotione, cùm nullum bellum intestinum sentiebat: posterius verò cùm deuotione destitutus, passiones denuò impugnabant. Psal. 29.7.

Qui diligenter singula, quæ in hoc negotio occurrunt, examinat, & discutit, eaq; cōparatione quadā vult explicare, deprehendet, quod anima quæ deuotione plena est, non multum differt à viatore, qui proficiscitur vel ambulat in densissima, obscurissimaq; nebula: qua durante nihil videt, præter nebulam, & non tantum videt alia, sed vix semetipsum videt. Vbi verò solares radij nebulam incipiunt penetrare, & dissoluere, paulatim incipiunt sese obuia quæq; ostentare, apparent, licet confuse, turres, mōtes, arbores, quæ prius non videbantur: cum verò nebula iam planè disparuit, omnia ad pristinam figuram reuertuntur, Sic & deuotionem dicimus esse nebulā quandam spiritualem, quam Deus excitat in anima iusti: quæ tam admirabilis virtutis est, vt quàm diu ipsa durat, vix aliquid præter Deum videatur: & in omnibus homo Deum videre se putat, adeoq; occupatus est ista cogitatione, vt suiipsius vix recordetur. Fortassis hæc illa nebula est, de qua Salomon dicit: *Dominus dixit, vt inhabitet in nebula.* Certū enim est, quod Salomon non loquitur ibi tantum de nebula materiali (quę enim est causa cur Deus potius in nebula, quàm in alia creatura inhabitaret;) sed de alia nebula spirituali, quæ quasi fumus ascendit de incenso Orationis cùm ipsa in cordibus nostris ardet igne Charitatis accensa. Cùm enim anima plena est illo fumo, tunc verè dici potest Deum in illa inhabitare, & effectus illius præsentiæ est ista omnium rerū obliuio, soliusq; Dei memoria. Sed cùm sanctus ille furor cessat, hoc est, cùm deuotio nostra culpa perit, confestim aperiuntur oculi malitiæ, incipimusq; videre & audire passiones, & tentationes, quæ prius propter Dei præsentiam erant sopitæ: sed & malitiosa nostræ carnis vulpes excitatur, quam nunc homo mortuam credebat, omnesq; affectus & perturbationes malæ, de quibus superius egimus, incipiunt nobis negocium facessere. Simile. 3. Reg. 8. 12.

Quicunque igitur ab hac molestia esse cupit immunis, studeat cor plenum isto fumo deuotionis semper circumferre, sufficit enim ille non tantum ad pellendas tentationes inimici, sed & subinde facit, vt eædem non sentiantur. Fortè etiam idem fumus est de quo Angelus ad Tobiam: *Cordis eius particulā si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere ita vt vltra non accedat ad eos.* Contende igitur & tu cor tuum super carbones diuini amoris ponere, concipi atque diuinam illam flammā, & videbis statim, quo- Tob. 6. 8.

modo

Simile.

S. Thomas 2, 2. a. 82. art. 3.

Exod. 17.

Psal. 15. 8.

Psal. 24. 15.

Exod. 32.

modo fumus deuotionis, qui exit, omnes tentationes & molestias inimicorum ab anima eijciat atq; expellat.

Aliud experimentū per orationē homines mitari.

Audi & aliud experimentum priori non dissimile, quod præcedentia magis cõfirmat: subitam nimirum mutationem, quàm operatur Oratio in his, qui illius sunt studiosi. Fit enim non rarò, vt homo sit distractus, desolatus, ineptus, & tardus ad omne bonũ: qui cum orare incipit, & in oratione perseuerat post horam vnam aut alteram tantam in se mutationem sentit, vt existimet se prius hominem fuisse, nunc Angelum esse, & humanos defectus omnes exuisse.

Simile.

Euenit igitur illis, quod solet his, qui plantas rigant: quæ cùm diebus aliquot aquam non recipiunt, flaccescunt, virorem amittunt: & quasi mori videntur: sed si denuò rigentur, & aqua radicibus affundatur, exiguo tempore reuirescunt, adeoq; gratæ fiũt & pulchræ, vt vix easdẽ esse quis existimet. Idem vsu venit quotidiè in oratione: fateri namq; debemus eam esse spiritualẽ irrigationem animarum nostrarũ omniumq; virtutum, plantarũ: videmus enim omnes homines per illam renouari, atque reuirescere. Sed & terra sine aqua sterilis est, & malè disposita, cùm verò rigatur, statim herbis & floribus vestitur, omnibusq; suauiter arridet: sic anima sine oratione, est quasi terra sine aqua, vt Dauid ait: quæ producit herbas tenues, aridas, & exiguæ virtutis: sed cũ hac irrigatione perfunditur, actutum reuirescit omnis vitæ spiritualis nouitas nouo cum splendore & pulchritudine.

Psalm. 142.

Ex his patet quot modis & vijs Oratio prodest ad omnia virtutum & perfectionum genera consequẽda. Est enim ea (vt dictum est) quæ disponit ad gratiam obtinendam, quæ adducit nos ad Deum, eius nos facit participes, & cor nostrum eleuat ad contẽplandam eius pulchritudinem. Oratio cibus est & nutrimentum omnium virtutum. Est primariũ præsidium & instrumentum, quod habet fides, per quod nobis diuina mysteria insinuat, Oratio fons est omnium spiritualium deliciarum, in cuius comitatu sunt contemplationes & desideria summi boni frequentissima, in quo bono vltima nostra consistit felicitas. In omnibus his auxiliatur nobis Oratio, omnesq; nobis has ianuas aperit, vt bono illo impleamur. Quod si horum singula nos diuites facere & beare poterunt, quid fiet si omnia simul accipiamus? Prætereo multas alias excellẽtes huius virtutis prærogatiuas, tã ipsi proprias, quam cum alijs cõmunes. Est enim opus meritorium, sicut & aliæ omnes, si ex charitate proficiscatur, est & impetratoria illius, quod petitur, si fiat cum fiducia, & ex fide sincera. Hæc & alia multa sciens omitto, ne volumen hoc in immensum excrescat. Omnia enim hæc virtutum amatoribus sunt consideranda, vt intelligant quã ingens hic est thesaurus, quam salutare exercitium, & quàm meritò dictum est à Saluatore, *Oportet semper orare, & non deficere.*

Luc. 18. 1. 1. Thess. 5.

Sufficiant igitur hæc, vt magna vtilitas Orationis cognoscatur. Reliquum est, vt de necessitate orandi differamus, vt vtroq; cor nostrum amore virtutis illius inflammetur.

SECVNDA PARS DE NECESSITATE Orationis.

CAPVT XI.

S. Thom. 1. part. art. 3. & 2. part. art. 4 in fine.

CVm de vtilitate huius virtutis abundè satis dixerimus, nunc ad necessitatem veniamus: solet enim ea hominem potissimum ad officium faciendum permouere tanquam quæ obsidet hominem, & quasi fame quadã cogit. Si quis autem scire velit, quæ sit illa necessitas, dico cũ B. Thoma, duob. modis aliquid dici necessarium: aut quia impossibile est aliquid fieri sine illo, aut quia non potest fieri tam cõmodè. De priore modo nobis nunc sermo nõ est: sed secundò modo dicimus orationem esse necessariã, licet aliquo modo participet etiã de modo priori: inueniuntur enim quædam in hac virtute, quæ absolutè necessaria sunt, & sub præceptum cadunt: de hac necessitate non tam copiosè tractabimus, quã de illa secũda: ea enim simul cum vtilitate prædicta magis excitat hominem ad virtutem Orationis amplectendam.

Hæc igitur necessitas oritur ex paupertate & miseria, in quam homo per peccatum incidit, atque ex diuersitate status, in quo nunc est, & in quo Deus eũ primò creauit. Etenim si in illo primo statu permansisset, non adeò necessariæ fuissent hæ machinæ, nec tot opus argumentis fuisset, quibus cor eius ad Deũ flecteretur, & ad contemplationem rerum cœlestiũ eleuaretur. Nam quemadmodum Aquila natura sua semper alta petit, & in excelsis nidum struit: sic homo, si in primo statu permansisset, semper versatus fuisset in contemplationibus rerum sublimiũ, & diuinarum, atq; in ijs habuisset suas delicias, & suam habitationem. Sed postquam maledictioni antiqui illius serpentis subiectus fuit, quę est, vt super pectus suum gradiatur, & terram comedat cunctis diebus vitæ suæ: mox cœlum terra commutauit, totusq; terrenus effectus est. Terram amat, terram comedit, de terra loquitur, in terra suum thesaurum habet repositum: atque ita radices suas in terram mittit, vt vix vllis catenis vel epagonibus inde queat extrahi.

Simile.

Genes. 3. Homo post peccatũ nihil nisi terrena cogitat.

Quam magna autem hæc sit necessitas, non potest intelligere, nisi is, cui cognita est magna humanæ naturæ, in quam lapsa est per peccatum, inopia, quę tã ta est, vt nullis verbis satis queat explicari. Scriptum est, quod aperti sunt oculi primorum parentum, & quod cognouerunt sese nudos esse. Ex quibus verbis facilè colligitur misera spoliatio, extrema nuditas, & paupertas, in quam genus humanum per peccatum precipitatum est, spoliatus est enim omni gratia, originali iustitia, & omnibus donis gratuitis, quæ à Deo acceperat. Ceterum si amissis gratuitis, in naturalibus adhuc sanus & integer mansisset, magnum profectò fuisset solatium, sed & in ijs adeò corruptus est, & debilitatus, vt à planta pedis, vsque ad verticem capitis nihil sanum fuerit inuentum: adeò vt de homine dici meritò queat illud Propheticum: *Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius: & sicut Oleum in ossib. eius* Satis fuisset dixisse, hominem maledictionẽ induisse, eaq; à capite ad calces tectum esse (magna enim ea erat miseria) sed nequis existimaret exteriora saltem esse maledicta interioribus sanis & integris, addit, *intrasse sicut aqua in interiora eius*, vt significet nihil neq; foris, neque intus esse à maledictione immune, & liberum. Porrò quia aqua minus penetrat, ne putare quis posset fortasiis aliquid adhuc in homine absconditum latere, quod illi maledictioni non esset obnoxium, subiungit Propheta: *Et sicut oleum in ossibus eius*, oleum enim omniũ liquorum est maximè penetratiuum: Maledictio igitur vt oleum intrauit in ossa, quæ secretiores & magis absconditæ partes hominis sunt: Maledictio pertingit vsq; ad medullam hoc est ad intima & secretissima quæq; animæ, aut ad partẽ eius maximè spiritualem quam Mentem appellamus, Angelis vicinã, & ad imaginẽ Dei factã, quæ vti spiritus est, sic naturaliter amat spiritualia, quæ verò carnis sunt, odit. Illa etiã per peccatũ contaminata & afflicta ad carnalia propendet. Itaque cum in homine tres partes primariæ sint, corpus, anima, & spiritus omnes infectæ sunt, debilitatæ, & vitiatę per peccatum: maledictio enim tanquam vestis operit carnem cum suis sensibus, &

Status hominis post peccatum.

Gen. 3.

Esai. 4.

Psal. 108. 18.

Nihil in homine sanum.

aquæ instar intrat in animam cum omnibus eius passionibus,& quasi oleum penetrat intima spiritus cũ ijs potentijs:quamobrem intellectus est cœcus, voluntas infirma,liberũ arbitrium debile, memoriaq; corrupta,& sui Creatoris oblita.

Cùm itaque homo ex omni parte corruptus sit, perditus,& quasi caro factus, quomodo poterit obseruare legem Domini,quæ tota est spiritualis? *Scimus,* ait Apostolus,*quod lex spiritualis est: ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* Quæ enim proportio est inter legem spiritualem:& hominem carnalem? Quam habere potest aptitudinẽ bestia,quæ tota caro est,vt viuat secundum præscriptum legis, quæ tota est spiritus?Si homo itaq; per peccatum similis factus sit bestiæ ad carnem planè propẽsus, quã poterit habere aptitudinem ad obseruandã legem, quæ planè spiritus est? quæ lex est Angelorũ &omninò diuina? Imò tam ineptus & inidoneus est ad legis obseruantiam,vt nec opus vllum facere,nec verbum vllum proferre queat Deo gratum,nisi foris specialis accedat gratia.

Rom. 7, 14.

Ex his patet(si ab vna parte consideraueris corpus hominis)nec in mari,nec in terra , nec in aëre creaturã vllã reperiri,tot necessitatibus,infirmitatibus,&miserijs subiectam quot ipse homo subijcitur: rursus si ab altera parte animam inspexeris, inuenies eã tam languidã,& miserabilem , vt vix queat os suum aperire,ad nomen Iesu dignè inuocandum. Ex his videre licet vbi,& qualis fuerit homo statim à Deo creatus,& in quas miserias per peccatum prolapsus sit. Talem profecto medicinã merebatur ingratitudo & arrogãs illa in suũ Creatorẽ proteruia. Creauerat Deus illum in summa prosperitate, honore,& beatitudine,atq; ex eo captauit occasionem superbiendi,quare meritò relictus est tam miserabilis,nudus,omniq; bono destitutus , vt paupertate sua fieret humilis,& necessitate diligens , necessitatisq; remedium magis placeret.

Dic mihi quod remedium dari potest homini in statu tam deplorato?Quæro,quod remedium habere potest homo:vt viuat,qui nec patrimoniũ habet, sibi relictum,nec facultatem,nec scientiam, nec aptitudinem ad aliquid lucri faciendum? Dices mihi, huic nihil reliquum esse,quã vt mendicet,atq; ostiatim stipem propter amorem Dei petat. Idem remedium homini relictum est postquã peccauit. Etenim in eadẽ ille positus est necessitate , ideoq; non habet vllum aliud solatium,nisi vt mendicet & clamet ad portas diuinæ misericordiæ,humiliter suam paupertatem agnoscens,petensq; Eleemosynam, & dicens cum Propheta: *Ego mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei.*

Psal.39.18.1

Amplius à te quæram. Quod remedium est pullo mox ouo excluso,nec alas habenti,nec pennas, nec aliquid quo seipsum alat vel sustentet?certũ est,quia non est illi aliud,quàm pipere , gemere, vociferari, atq;aëra suo ploratu implere, parentumque viscera solicitare,vt auolent & victum quæritent.Et homo si per peccatum factus sit multo nudior,&pauperior tali pullo,quod aliud habet remediũ, quàm vt clamet noctẽ dieque ad Deum itanquam verum parentem suum,ab eoque auxilium petat? Hoc est quod pius ille Rex Ezechias indicat,cùm dicit: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo:meditabor* (seu gemam) *vt columba*,quasi diceret,quemadmodum pullus hirũdinis videns se tam inopem & nudũ nihil aliud meditatur & agit,quàm vt ploret, gemat, vociferetur, & ad patrẽ suum clamet,vt ipse sibi necessaria procuret:sic ego Domine,videns meipsum omni gratia nudatum , omni spirituali fortitudine destitutum, nullis virtutum plumis ornatum,alas nullas ad volandum habente:deniq; tam inidoneum ad omnia, quæ mihi conueniunt,vt ne pedem mouere queam, iuxta tuum beneplacitum,sine tuo auxilio: quid aliud facere possum,quam imitari huius pulli diligẽtiam,& clamare ad te,qui meus pater,& meus creator,vt venias ad nidũ meũ,& adferas,quæ mihi sunt necessaria?Quid aliud faciã,quàm vt gemitus & suspiria instar columbæ ad te mittã , sine intermissione plorando,& lamentando meam condemnationem, paupertatem,& peccata,petendo cum lachrymis & gemitibus tantorum malorum remedia?

Similc,

Esai.38.14.

Hoc itaq; solum & vnicum est remedium, quod relictum est homini post ingens illud naufragium, & depopulationẽ,quo saluari potest,& adiuuari. Itaq; , mi frater,generale remedium,quo poteris obtinere à Deo,quidquid velis , est gemitus & Oratio. Si petas amicitiam &gratiã,adsit gemitus& Oratio: si remissionem peccatorum,adsit gemitus & Oratio: si passionum mortificationẽ,adsit gemitus & Oratio: si consolationem spiritualem,adsit gemitus & Oratio:si subsidium rerum temporalium , adsit gemitus & Oratio. Denique si remedium cupias contra iram & furorẽ Domini:similiter gemendum est & orandum.Dic mihi quid aliud egit Moyses,cùm Deus iratus vellet populum perdere in deserto , nisi quod manus illius ligauit oratione? Iccirco plangebat & lamentabatur quidam Propheta,dicens, non fuisse aliquem suo tempore,qui talibus armis iræ Dei resisteret,& qui orationibus eius manus vinciret. *Non est* ait,*qui inuocet nomen tuum,qui consurgat & teneat te:abscondisti faciem tuam à nobis &c.* Igitur si Deum placare cupias,eiusq; furorem mitigare, humiliter in clamore & oratione perseuera,& confide,quoniã sic Deum placabis.Deus enim nunquam magis mũdo huic succensus fuit,quã cum aquis diluuij genus hominum pene deleuit:quo tempore Noë missit columbam ex arca, vt videret si iam cessassent aquæ super faciẽ terræ:quæ licet priori vice vacua rediret, posteriori tamen reuersa ramum oliuæ virentibus folijs in ore attulit: qui signum erat diuinæ misericordiæ.Quare & tu frater quotiescunq; intellexeris Deum tibi iratum esse:emitte ex arca,quæ in intimo tui cordis est,gemitum columbæ,& stude,si poteris, vt is habeat duas alas,vnã Ieiunij,& alterã Eleemosynæ:& noli diffidere,licet initio tibi videatur redire vacuus,tandẽ enim,si perseueraueris,portabit tibi ramũ oliuæ in ore,qui certissimum erit tibi diuinæ misericordiæ indicium.Sic fecit idem Rex Ezechias, de quo paulò ante locuti sumus,cùm Deus illi sententiam mortis per Prophetam iussit denunciari , qui tantum potuit lachrymis & gemitibus, vt priusquã Propheta eius exiret palatio,Deus latam sententiã reuocauerit,& quindecim annos vitæ illius addiderit. Similiter fecit & Dauid, in illo celebri Psalmo pœnitentiali,in quem commẽtatus Cassiodorus ait: Oratio posita est,per quam ira Dei suspenditur, venia procuratur,pœna refugitur , & præmiorum largitas impetratur:cum Deo loquitur,cũ Iudice fabulatur,præsentẽ sibi facit quem videre non præualet, ad penetralia Iudicis precator admittitur , & nullus inde respuitur,nisi qui in ea tepidus inuenitur.

Exod.32,

Esa.64,17.

Genes.8.

S. Aug. ex. posit in Psa. 42. in fine.

Esaiæ.38.

4.Reg.20.

Cassiod. in Psalm.50.

Nec tantum vtilis est oratio ad impetrãdam peccatorum remissionem,sed & armatura est, ad superandas omnes inimicorũ tentationes. Probatur hoc exemplo.Quod si castrum aliquod ab hostibus esset obsessum,atque ita oppugnaretur,vt qui in præsidio essent illud defendere non possent: in hoc periculo si miles quispiam clam erepens,cum summa festinatione ad Regem contendat,illi periculum exponẽs, & suppetias postulans,quas Rex confestim mittens, castrum ab obsidione liberet:is vnus miles diceretur plus fecisse,quã omnes reliqui.Potẽtia namq; & audacia,qua ille vsus est,maior causa defensionis fuit,

quàm

quã omnia arma & machinationes bellicæ. Et quid est aliud Oratio, quàm celerrimus cursor, quem mittimus è terris ad cœlum, vt imploremus auxilium à Deo tempore tentationis? Quoties accidit: vt omnes nostræ vires deficiant in animæ nostræ defensione, dum stat vt peccato consentiat, ille cursor nouas adfert cœlitus vires, nouasq; copias ad castrum animæ nostræ defendendum. Quoties vsu venit, vt cor iam deficiat, & sub onere tribulationis succumbat: ita vt omne robur, omnisq; virtus animæ illud nequeant subleuare? si verò tunc deficiente iam spiritu nostro inuocemus Deum, incipimus reuiuiscere, & erigimus caput noua fortitudine, quam cœlitus attulit Oratio, corroborati? Ideoque non ineptè comparatur Oratio isti militi, qui euaserat, nunciauitq; Abram captum Lot fratrem suum, & quinq; Reges, qui cum eo erant, fusos in prælio. Quare sanctissimus Patriarcha numeratis expeditis vernaculis suis, diuisisq; copijs socijs irruit super hostes, percussitq; eos & prædam recuperauit, Lot quoque, & omnes captiuos alios libertati restituit. Idem videmus & orationem facere quotidie: ipsa enim est, quæ vadit ad Deum, & redit ab illo, & nunciat ei quid hic agitur: nec contenta vires impetrasse ad pugnandum, etiam iubet vt ipse Deus arma corripiat, & nobiscum in prælium descendat, dicens: *Apprehende arma, & scutum Domine, & exurge in adiutorium mihi.* Et in alio loco idem prolixius ait Propheta: *Circundederunt me dolores mortis: torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.* Vide quæso quàm insignis ille sit nuncius, qui tanta cum celeritate ex terris in cœlos proficiscitur, quiq; inde tam expeditum & secretum deducit auxilium. Meritò igitur Beatus ille Hieronymus miratur, & exclamat, de virtute Orationis & lachrymarum scribens: O lachryma, inquit, humilis tua est potentia, tuum regnum, tribunal iudicis non vereris, amicorũ tuorum accusatoribus filetium imponis, non est qui te accedere vetet, si sola intraueris vacua nõ redibis: magis crucias Diabolum, quã pœna infernalis. Quid plura? vincis inuincibilẽ, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis. Hactenus Hieronymus, quæ verba satis manifestè declarant summam huius virtutis potentiam, quàm confirmat etiam Oratio Ioſue, quę fecit Solem stare in medio cœli, *obediente*, vt ait Scriptura, *Deo voci hominis*.

Genes. 14.

Psal. 34, 2.

Psalm. 17, 5

Hier. in Epi. ad Rusticũ: Quod genotum.

Ios. 10, 14.

PROBANTVR HAEC OMNIA EXemplis Sanctorum.

CAPVT XII.

QVæ hactenus dicta sunt, possumus quàm pluribus Sanctorum exemplis demonstrare. Hęc est enim præcipua causa præter alias, cur Sancti huic orationis exercitio tantoperè dediti fuerint, & Sanctus Sanctorum, cui nulla incumbebat orandi necessitas, orauit frequenter, vt nobis daret exemplum. Tali cum initio prædicationem Euangelij auspicatus est, orans & ieiunans diebus quadraginta in deserto: & cum tali ad passionem oblatus est, ter orans in horto, & discipulos suos ad idem exercitium inuitans, vt tutiores essent in illo periculo. In primitiua Ecclesia exercitiũ hoc primarium erat, & quotidianum apud Christianos: & tali præparatione se se ad Spiritum Sanctum accipiendum disposuerunt: in eo occupati sunt post illũ acceptum maiorem dici partem in templo consumentes, *perseuerantes*, vt ait Lucas, *in orationibus*. Inter Apostolos de S. Bartholomæo dicitur, quod centies interdiu, & centies nocte genua flectens orauerit. De S. Iacobo fratre Domini scriptum est, eius genua, eò quod tam assidue, tũ ad Deum augustè sanctèq; adorandum, tùm ad veniam precibus populo exposcendam, procumbebat, cameli instar tuberculis contractis obduruisse. De alijs Apostolis in genere dicitur, quod curam viduarum & pauperum alijs Discipulis reliquerunt, vt ipsi ab omni occupatione, quantumuis sancta, liberi vacare possent officio prædicationis & orationis. Quod si cũ tanta instantia & perseuerantia mendicauerint, & implorauerint gratiam illi, qui tam copiosè iam eã receperant, quid nos facere debemus, nos inopes & desolati.

Christus.

Act. 2.

Acto. 2, 42. S Barth. Egesip. apud Euseb. lib. 2. hist. Eccl. cap. 23.

S. Iacobus.

Act. 6.

Quid dicam de alijs Sanctis, tam noui, quàm veteris testamenti? Magnus ille amicus Dei Moyses, de seipso scribit, quod quadraginta diebus ac noctibus iacuerit coram Domino, & deprecatus fuerit, ne deleret populum, sicut erat comminatus. Et rex Dauid inter tot, tantaq; negotia, quanta regni cura solet secum adferre, septies in die laudem dixit Domino, eumq; deprecatus est Gloriosus Ecclesiæ Doctor S. Hieronymus de seipso scribit, quod orãdo & clamãdo diem sæpè cum nocte iunxerit, nec prius à pectoris verberibus cessauerit, quàm rediret, Domino increpante, cordis tranquillitas. Notæ sunt profundæ contemplationes & orationes D. Francisci, qui eas noluit, aut propter officium concionãdi, aut propter animas conuertendas intermittere, nisi singulari reuelatione Dei mandatum ei fuisset, vt verbum Domini annunciaret. Et B. ille pater S. Dominicus eius coætaneus, eo modo tempus suum diuidebat, vt interdiu vacaret proximo, & noctu Deo: ideoq; tam fructifera fuit eius doctrina: nocte siquidem emebat, quod in die vendebat: & prius cum Deo negociabatur, deinde cum hominibus.

Moyses. Deut. 9.

Dauid.

S Hie Epist. 22. ad Eustochium, & Epist. ad Heliod. & Rusticum.

S. Francisc.

S. Dominicus.

Neq; desunt huius virtutis exempla in debili fœminarum sexu, imò quanto sexus ille est infirmior, tanto est deuotior, humilior, & ad orãdum pronior. De sancta illa Phanuelis vidua Anna scribit Beatus Lucas, *quod de templo nunquam decesserit, ieiunijs & orationibus nocte & die seruiens Domino vsq; ad annũ ætatis octuagesimum quartum.* Quo meruit videre Saluatorem Iesum in eodem templo, & filium Dei in brachijs matris suæ, atque ante ipsum Ioannẽ Baptistam esse tanti mysterij prædicatricem. De multis nobilissimis fœminis scribit B. Hieronymus, quod Sol occidens eas in oratione reliquit, & postridiè rursum oriens, vt nouum diem adueheret in eodem loco illas orantes inuenit.

Exempla fœminarum

Anna Phanuelis. F. Luc. 2, 37.

De B. Trasilla amita sua refert Gregorius, cùm vita functam lauare vellent, genibus, cubitisq; concretam callorum duritiem apparuisse (vt antea de B. Iacobo dictum est) palamq; factum exanimi iã corporis indicio, quanta illi adhuc viuenti sanctarum precum cura, studiumq; fuerit. Sed neq; coniugatis, quò minus orationi animum intendant, maritalem thorũ impedimento esse, Elizabeth Lantgrauij Turingiæ Principis vxor, Regis Hungariæ filia, suo ostendit exemplo. Impetrata enim à viro noctis continentia, ad orationem secedebat, super pauimento distento tapetulo cubitans, ne mollius iacenti altior somnus horas interciperet orandi. Nemo autẽ quidquam horum miretur, deliciæ namq; & fructus huius exercitij tàm dulcia sunt, & magna, vt postquam anima semel ea gustauerit, non recusет vllos labores quantumuis difficiles & molestos.

Trasilla. Greg. l. 4. Dialogorũ c. 16.

S. Elizabeth Conrad in vita Elizabeth.

Nec sic quidem exemplis huius virtutis recensendis finem imponemus. Est enim hoc cõmune omniũ Sanctorum exercitium, quamobrem multi mundum reliquerunt, & ad loca deserta, solitariaque se contulerunt, in quibus deliciæ illis fuerunt vesci crudis herbis, tanquã bestiæ, tantum vt haberent locum

Luc.10. cum & tempus orandi. Hæc est illa melior pars, quàm elegit Maria, quæ ipso Saluatore iudice præposita est excellentibus istis operibus misericordiæ, quę Martha faciebat. Etenim per medium huius exercitij tantam perfectionem & conscientiæ puritatē nobis comparamus, vt homo super se eleuetur, & Deo fiat similis.

Orationibus quid potuerunt Sancti. Bona quæ per orationem acquiruntur quis explicabit? Quæ miracula facta sunt in mundo, quæ per orationem facta nō sunt? quanti exercitus fusi, quot potentissimi hostes victi per orationes? Qua alia medicina & virtute Sancti curarunt infirmos, eiecerunt dæmones, vicerunt mortem, domuerunt feras belluas, extinxerunt flammas, elementorum naturam inuerterunt, stellarumq; cursum mutarunt, nisi per orationes? Quibus armis pugnarunt, & victoriam pepererunt Moyses, Iosue, Gedeon, Iephte, Dauid, Ezechias, Iosaphat, Asa, & nobiles Machabæi, si non oratione? Quare non immeritò clamabat Eliseus ad Eliam per turbinem in cælum ascendentem, *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius:* 4.Reg 2, 12. hoc est, vt quædam Glossa dicit, qui potes plus orationib. tuis pro huius regni defensione, quàm omnes currus & potentiæ mundi. Orationes enim arma sunt Christianorum contra omnes inimicos visibiles & inuisibiles.

Ex his omnibus cuilibet manifestum sit, quanta nobis incumbit orādi necessitas, vt impetremus bona nobis vtilia non tantùm, sed & necessaria, & per consequens, quàm salutare est illud Christi consilium, Luc.18,1. *Oportet semper orare, & non deficere.* Cùm enim oratio sit tanquàm principalis ianua, per quam ad omnia bonorum genera intramus, & instrumentum generale Christianorū ad omnia vtile, quid erit Christianus sine Oratione, miles sine armis, scriptor sine calamo, & faber sine ferramentis? Concludendo itaque hāc materiam dico, Christianum, qui ad perfectionem aspirat, ante omnia debere hoc vnum agere, vt benè disponat, ordinetq; vitæ suæ negotiationem: hoc est, vt quærat semper & vbiq; tempus & oportunitatem cum Deo in orationibus negociandi.

Nec tantùm occupationes temporales, sed & spirituales etiam grauissimæ ita debent ordinari, & disponi, vt semper detur locus & tempus orationi tantùm quantùm necessarium est ad vitæ nostrę reparationem: vt supra dictum est. Etenim si oratio sit, vti *Oratio instrumentum est Christianorū, quod non debet negligi.* diximus, generale instrumentum, quo Christianus vtitur in omni sua operatione, nemo autem debitor (iuxta Theologos) tàm strictè teneatur debitū reddere, vt etiam debeat instrumenta sua vendere, quibuscum lucrari potest, quod creditori det (alioquin enim nec debita reddere, nec vitam posset sustētare: retinens autem illa potest vtrumque) etiam nec lex Charitatis, nec alicuius officij onus, ita obligat Christianum, vt cogat eum studium Orationis (quod est quasi generale instrumentum veri Christiani) intermittere. Sine illo enim nec officium suum commodè potest facere, nec semetipsum in vita spirituali conseruare, sed cum moderato illius vsu poterit vtrumque: vt probat S. Bernardus scribens ad Papam Eugenium.

TERTIA PARS DE CONTINVATIONE & perseuerantia in Oratione.

CAPVT XIII.

IN omnibus testimonijs Orationis, quæ hactenus à nobis allegata sunt, non tantum iubemur orare, sed & orare semper. Docent hoc manifestissimè verba Christi: Luc.18,1. *Oportet semper orare, & non deficere.* Qua in re duo nobis occurrunt dubia: vnum, qui fieri potest vt quis tanto tempore perseueret in Oratione, aliud, cur hoc adeò necessarium sit? *Dubia duo*

Quantum ad prius dubium, videntes quidam difficultatem, quæ est in hac continuatione & Orationis perseuerantia, propter multas huius vitæ occupationes, dixerunt, hanc continuationem intelligēdam de benè operando: quod homo facere debet sine intermissione. Optimè namq; orat, qui semper facit bonum. Certum est etiam bonum opus bonam esse orationem. Cùm enim exercitiū Orationis principaliter ad illum finem sit ordinatum, semper orat, qui semper facit opera bona. Ceterum non hoc voluit Dominus his verbis significare: scopus enim & intentio illius arguunt, eum non loqui de benè operando, sed orando, vti videmus in exemplo viduæ, quæ molesta erat, & importuna iudici, cupiens vindicari de suo aduersario. Nam si de benè operando Luc.18. sermonem instituere voluisset, dixisset vtriq; oportet semper benè operari, & nō oportet semper orare. *Responsio ad primū dubiū.*

Itaq; textus ille, cum omnibus alijs supradictis, debent intelligi de oratione: nec in hoc mandato aliquid est mutandum, non enim hic mandatur res impossibilis, sed possibilis: quæ est Orare cum omni instantia, & continuatione, reijciēdo cuncta, quæ nō sunt Deus, quotiescunq; exercitium hoc impediunt. Est autem modus ille loquendi vsitatus, vt dicatur aliquid fieri semper, quod fit omni tempore, in quo commodè fieri potest. Vt cùm de homine iusto dicitur, quod meditatur in lege Domini die ac nocte, nō Psalm.1. intelligimus cōtinuationem Mathematicā, sed qualis cōmuniter intelligi solet: hoc est, cum ea cōtinuatione, & perseuerantia, qua commodè fieri potest. Est autem hæc cōtinuatio facilior, quā homines carnales arbitrantur. Nam si homo correptus sit amore pecuniæ, aut alicuius formosæ mulieris, semper co- Simile. gitabundus meditatur, quod amat: non interdiu, nō noctu, non vigilans, non dormiens potest à se abijcere cogitationē illam, etiamsi nōnunquā sibi ipsi vim inferat, vt ab illa liberetur, quid igitur arduū, quod anima amore diuinæ pulchritudinis tacta, vix nequeat oculos ab illa auertere, ibiq; cor suum habeat semper, vbi thesaurus eius est?

Alij orationis tempore vtuntur tanquam medicina, tantumque sumunt de illo, quantum de hac. *Oratio medicina sumenda.* Quēadmodum enim medicina ea quantitate sumēda est, quæ sufficit ad malum superandum, & sanitatē restituendā: ita etiā cùm Oratio sit medicina spiritualis, qua plagis animarū medemur, tantum etiam de ea sumendum est, quantùm satis est ad ea vulnera curanda, & spiritum benè viuendi recuperandum. Proinde non potest vna omnib. mensura præscribi, Matth.6. & Luc.12. sed sumi debet secundum quantitatē passionum cuiuscunq;: & prout minora sunt, aut maiora pericula *Vni quam alteri oratio magis necessaria.* in quibus aliquis versatur, etiam maior aut minor est huius virtutis necessitas. Docet enim experiētia nonnullos agros melius ceteris siccitatē perferre, & Simile. exigua pluuia, vel aqua copiosos fructus reddere: alios è contrariò aquæ defectu desolari, & exiccari: sic & quædam inueniuntur corda, adeò fertilia, & à diuina gratia impinguata, vt exigua cū oratione sēper incedant optimè composita, atq; ordinata: alia è contrariò tam sterilia, & ad malum inclinata, vt statim, vbi hoc beneficio destituuntur, amittant omnē leporem, vigoremq; spiritualem, quem habebant antea. Negari autem nō potest, quin his magis opus est virtutis illius auxilio, quasi hominibus magis infirmis, quibus vsus medicinæ magis est necessarius. Eandem quoque necessitatem, quam pericula gene- Simile. rant interna, etiam pericula creant externa: quemadmodum enim necesse est, vt magis armatus sit is, qui versatur inter hostes, eo, qui inter amicos habi-

tat: vt-

tat: vtiq; amplius vestitum sit corpus hyeme, quàm æstate: ita oportet hominem magis orationibus armari, qui viuit inter peccandi occasiones & pericula quã qui extra illa degunt, secundum id quod docet Saluator suos discipulos, quibus iussit orare & vigilare cum summa diligentia, cùm in summo versãbantur periculo.

Tractemus igitur nunc de necessitate illius in oratione continuationis, & perseuerantiæ: quæ necessitas non ita absolutè sumenda est, nisi præsupponas hominem velle viuere spiritualiter, & ad perfectionẽ vitæ spiritualis peruenire. De hac enim principaliter deinceps agemus.

Quam necessarium igitur sit hoc exercitium homini, qui hoc modo cupit viuere, non sine difficultate potest explicari. Solus is cui dati sunt oculi à Deo, vt videat infirmitatem, & miseriam suam, in qua natura iacet per peccatum, vt supra diximus, dimersa: & qui peruenit ad extremam paupertatem, quique pedes in profundo hoc pelago habet constitutos: ille, ille potest scire, quàm necessarium est homini diuinum auxilium, & petere cuncta ab illo, qui solus potest dare. Illud habeat quasi fundamẽtum & principium, qui cupit magnitudinem huius necessitatis iusto pondere trutinare.

Hac via procedendo, ante omnia scire debes, appetitum nostrum, per peccatum ita inordinatum, & perditum esse, vt semper propendeat, hominemque inclinet ad amorem rerum dulcium, & quæ carni gratæ sunt: nullam habẽs rationẽ eorum, quæ à Deo
Rom. 7 mandata sunt. Nam, vt Apostolus dicit, lex quæ in membris nostris est, repugnat legi mẽtis & Dei. Peruersus ille vicinus quẽ habemus intus in ipsis ianuis, semper concupiscit ea, quæ delectant, vt sunt honores, diuitiæ, voluptates, & similia: idq; tanto cum ardore & concupiscentia, vt non sic æstuet mons Ætna quẽadmodum homo igne suorum appetituum, & cupiditatum nonnunquam vtitur. Hæc enim est illa fornax Babylonica, cuius flamma effundebatur cubitis quadraginta nouẽ, incendens & cõburens omnes exceptis ijs, qui conseruantur virtute admirabilis illius aquæ gratiæ, quam promittit Deus, dicẽs:
Esa. 43, 2. *Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne nõ combureris, & flãma non ardebit te.* Si itaq; appetitus ille semper irritet, atque incitet ad malum annè omninò erit necessarium, vt ei opponatur, qui semper solicitus sit, qui inuitet eos ad bonum, & trahat nos à malo. Et si ille malis suis passionibus & cupiditatibus decoquat, & absumat omnia bona proposita, affectusq; animæ nostræ, annè æquum erit, vt sit qui reparet, atque restauret quod absumptum est, iustumue, vt cum tam sit continua atq; ordinaria decessio, etiam continua sit accessio, ne homo prorsus consumatur?

Quod si homo quispiam à fine penderet, essetque qui illum semper pedibus deorsum traheret, & non esset, qui brachijs sursum leuaret, an non homo ille præfocaretur, atque strangularetur? Ita si caro cor nostrum semper trahat deprimatque ad terram, nec sit qui illud ad cælum eleuet, quid hinc aliud expectandum, nisi vt contrà spiritum præualeat caro, & homo totus fiat carnalis? Memento eius quod dicit
Ioan. 3, 6. Saluator, *quod nascitur ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.*

Quod si verum sit carnem semper appetere iuxta naturam suam, quæ sunt carnalia, nec non & seipsam propter illa contemnere, nisi ex altera parte sit spiritus contrarius huic carni, & affectus spiritualis oppositus sensuali, qui dissoluit, quod ille facit, & contra dicit ei quod ille dicit, inque oppositam partem trahit hominem, quid tandem de homine fiet aliud, nisi vt fiat totus caro? Hunc bonum affectum secum adfert Oratio, & Deuotio, quæ hominem è terris ad cælos eleuant, spiritualium rerum amore accendũt, implent cor bonis desiderijs, faciuntq; illum contẽnere omnes delectationes sensuales: animam denique fortitudine, luce, iucũditate, alijsq; infinitis bonis propositis & affectionibus induunt, contrarijs illis, quæ à carne generantur. Hoc modo carnis ardores rore Spiritus S. refrigerantur, iuxta illud Eccle-
Eccl. 43, 24. siastici: *Ros obtians ab ardore veniẽti humilem efficiet eum*, vel furorem eius temperabit, ideoque oportet semper orare, & nõ deficere, vt quemadmodum ardor carnis est perpetuus, ita & perpetuum sit orationis refrigerium, quo ille moderatur & temperatur.

Vt autem hoc melius intelligas, vide singularem *Simile.* & admirabilem prouidentiam naturæ, qua cor tuetur. Cum enim cor sit calidissimum (sic enim conueniebat, cùm illud totum corpus calefaciat) ne nimio suo calore consumeretur, dedit illi natura perpetuũ flabellum, seu refrigerium, pulmonem scilicet, qui perpetuo solis instar spiritum attrahit, redditque, & calorem leniter refrigerans cor ab eius vehementia defendit. Nõ inueni huc vsq; exemplum, quod meo quidem iudicio pulchrius declarat, quam necessaria sit animæ nostræ Orationis refrigeratio. Quis enim poterit negare, nos in sinu cordis nostri habere vehementissimum ardorem, omnia depascentem, qui est concupiscentia, quàm Theologi Fomitem peccati solent appellare? Et quid aliud facit ardor ille die nocteque, quàm quod accendit, vrit, & flamma sua depopulatur omne bonum, quod in animab. nostris inuenitur? Si itaq; non esset illi additum hoc refrigeratorium, quod temperat ardores afflatu Spiritus S. & rore Deuotionis, quis tandem esset finis illius febris & ardoris? consumeret sanè, & eneruaret omnem animæ fortitudinem. Ideoque oportet nos sæpius os spiritus nostri ad Deum per orationes aperire, vt petamus & attrahamus illum aërem, Prophetã imitantes, quid dicebat: *Os meum aperui, & attraxi* Psal. 118, 131. *spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Quib. verbis significat, sicut homo in aperiendo os suum attrahit hunc aërem materialem, quo cor eius refrigeratur, & vehementia caloris naturalis temperatur, sic etiã quoties aperimus os animæ nostræ (modo ea dispositа est, præmissis ad Deum suspirijs & orationibus, quibus gratia illius imploratur) recipimus afflatum illius Spiritus S. quo mediante refrigerantur ardores appetitus nostri, & vita spiritalis ab omni detrimento præseruatur.

Addam & aliam rationem; quæ ex eodem principio deriuatur, ad cõfirmationem eorum, quæ prædicta sunt. Nemo ignorat quin vnum eorum, quæ requiruntur ad vitam spiritalem, est actualis Deuotio, est enim Deuotio nihil aliud, quam (sicut antea Lib. 1. cap. 1. dictum est) promptitudo & alacritas ad omne bonum: igitur homo deuotus is est, qui expeditus est, promptus & præparatus ad omne genus boni. Proinde si hoc appellãueris Deuotionem, certum est eã nequaquam esse minimam earum rerum, quæ pertinent ad vitam spiritualem. Porrò indubitatum est, Deuotionem hanc perpetuam esse filiam, & comitẽ Orationis: nascitur enim ex eleuatione spiritus ad Deum, qui (est enim ignis viuus charitatis) statim cõmunicat diuinum suum calorem his, qui ad illum accedunt. Ex quibus patet Deuotionem non esse rẽ naturalem homini in statu, in quo nunc est: sed supernaturalem, nec à natura, sed à gratia, & vnione cum Deo deriuari.

Præterea si illud principium eius sit, dubium non *Simile.* est, quin is qui semper vult esse deuotus, semper debeat vniri cum Deo, vt semper iste sibi calor cõmunicetur. Exẽplum petamus ab aqua: quam si calidã semper voluerimus, igni semper debemus applicare

nam si

nam si ab igne to llamus, statim ad naturale frigus reuertitur. Cùm enim frigus hoc illi sit naturale, calor autem accidentalis, vt ad motum naturalem redeat, nulla est opus externi alicuius applicatione. ad hoc enim propria forma sufficit. Vt autem in ea calor, qui non est naturalis, conseruetur, necessum est, vt semper cum causa illius caloris igne scilicet, coniungatur. Eodē modo Deuotio & feruor actualis oritur ex eo, quod spiritus noster vnitur cum Deo per meditationem vel contemplationem actualem, vt ait D. Thomas. Qui igitur semper in ea Deuotione actuali cupit perseuerare, ei laborandum est, vt quantùm fieri potest, spiritus nunquam non cum Deo vniatur: atque ita quod cupit impetrabit. Qui autem in hoc supinus est, & negligens, is etiam tepidus erit in hoc diuino feruore: & secundum dispositionem causæ, subsequetur effectus. Et hæc vera est ratio, cur tam facilè refrigescit in nobis cœlestis ille feruor: id quod singulis penè horis experimur. Quēadmodum enim aqua licet calidissima, si tollatur ab igne, paulatim ad naturalem redit dispositionem sic & anima nostra ab igne illo diuino seiuncta, vnde omnis illi calor Deuotionis proueniebat, paulatim tepescit. Vides igitur satis perspicuè, quantoperè laborandum est, ne cor nostrum ab illo igne cœlesti separetur, cùm habeamus illud tam miserabile, desolatum, frigidum, & quod à prunis illis ablatum, tam facilè congelatur.

Ex corde pẽ det tota vita spiritualis.

Ad maiorem huius rationis confirmationem, scien-dum est. vnum ex præcipuis consilijs & documentis vitæ spiritualis esse, vt totis viribus suis homo cõtendat semper in spiritu ambulare, si vitam cupiat viuere spiritualem. Cùm enim cor principium sit omnium operum nostrorum, quale cor erit, talia erunt & opera, quæ de illo procedunt. Si fuerit deuotum, & bene compositum, omnia quæ exeunt opera ordinata erunt, & composita: si fuerit inordinatum, & minus deuotum, inordinata quoque, & minus deuota ex illo procedent opera. Quemadmodum igitur hortulanus in eò curam omnem ponit, vt terra semper sit tenera, benè culta, & humida; vt fructum faciat: est enim natura sua sicca & frigida, quàm dispositionem difficulter exuit: & proinde minus apta est ad fructus producendos, nisi beneficio aquæ subleuetur: ita seruus Dei ante omnia operam det, vt cor suum semper alienum sit ab illa dispositione, quam habet à corruptione peccati; sed plenum semper sit illa humiditate, & fœcunditate, quam recipit ab Oratione & Deuotione, vt semper apta sit & disposita ad plurimos fructus producendos. Vt autem cor hoc modo dispositum diu permaneat, opus est continua & perseueranti Oratione. Qui enim semper habere vult actualem deuotionem, oportet vt is semper versetur in oratione, quæ causa est deuotionis.

Simile.

Adijciam adhuc præcedentibus aliam rationem, quæ ex eodem quoque fundamento, quod in initio proposuimus, elicitur. Non ignorant Christiani hominem per se non posse consequi finem, ad quem creatus est: sed nec media ipsa quibus ad finem illum peruenitur, quæ sunt virtus & gratia; nisi ex speciali fauore & auxilio cœlitus detur. In huius rei figuram dixit olim Moyses filijs Israël; *Terram ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi: vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: sed montosa est, & campestris: de cœlo expectans pluuias, quam Dominus tuus semper inuisit. & oculi illius in ea sunt a principio anni vsque ad finem eius, vt dent pluuiam & rorem ordinarium.*

Deut. 11, 10.

Differentia piorum & impiorum.

Optimè ex his colligitur differentia, quæ est inter populum Dei, & filios huius mundi: inter Christianos & Philosophos Ethnicos. Philosophi namque ignorârunt, quid sit gratia, quid spiritus Dei, quid res supernaturalis: ideoque spem suam omnem habebant in sua industria, studio, atque diligentia posi-tam: & mediantibus illis putabant se consecuturos, quod quærebant: virtutem scilicet atque felicitatē: Christianus verò clariori luce, sanioribusque oculis intuetur statum naturæ, nec illi, nec vllis suis studijs, ingenio, vel industriæ confidit: quasi mediantibus illis ad finem suum possit peruenire. Didicit enim ex sacris eloquijs, carnem esse, quicquid ex carne nascitur: omnem carnem fœnum esse, & gloriam eius omnem, quasi florem campi. Denique omnem eius fortitudinem non esse aliud, quam quod Propheta dicit: *Concipietis ardorem & parietis stipulam.* Perfectus itaque Christianus totus à cœlo dependet, ibi repositus est eius thesaurus, inde ventos expectat, inde Solem & pluuiam, quorum ope crescat sementis suarum tribulationum, & virtutum plantatio. Hâc ob causam Philosophus potissimum fodit quamcunque terram cænosam, vt inueniat aquam turbidam: studet, legitque semper in sua Philosophia. putat enim se per illam felicem fore. Christiani verò studium est, oculos ad cœlum leuare, atque inde gratiam & ventum Spiritus S. expectare, & cum Propheta dicere; *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram,* quasi diceret; Alij homines cùm necessitate aliqua circumuenti periclitantur, oculos suos declinant in terram: in ea enim radices eorum fixæ sunt, & spes omnis reposita: ego verò tanquàm homo, qui omnem suam salutem de cælis expectat, & non è terris, eò meos oculos leuo, & dirigo, vnde mihi venturū auxiliū cõfido. Quot verò modis vna spes ab altera superatur, idem Propheta docet; *Hi in curribus,* inquit, *& hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus: ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.* Hanc Christianæ spei excellentiam non immeritò miratur Propheta cùm dicit; *Quis sicut Israel tu saluatus es in Domino salute æterna? non confundemini, & non erubescetis vsque in seculum seculi.* Quemadmodum enim brachium Dei potentius est omni brachio carnali: sic Dei salus omnem quoque salutem vincit humanam.

Ioan. 2. 1. Pet. 2. Esa. 40.

Esa. 32, 11.

Psal. 120, 1.

Psal. 19, 8.

Esa. 45, 17.

Quod cùm ita sit, omnino æquum est, vt vnum ex primarijs Christianorum studijs sit, oculos ad Deum eleuare, & semper cum illo vniri: vt quemadmodū omnia dependent ab illo, sic semper de beneficijs & influentijs eius participemus. Hanc ob causam Doctor quidam ait; Quemadmodum radij solares necessariò cum sole debent coniungi, vt in luce atque splendore conseruentur, quem habent; ita necesse est vt anima nostra semper sit iuncta Deo, qui largitor est & conseruator omnium bonorum suorum, vt viuat, & conseruetur in illa luce, atque splendore admirabili, inque diuino illo calore, & deuotione actuali, quam ab illo recipit.

Simile.

Vt autem hoc melius intelligatur, imaginemur in hoc mundo vno duos esse mundos, vnum visibilem & corporeum, in quo sunt omnia corpora: & alium inuisibilem, atque incorporeum, in quo sunt omnes animæ. Quemadmodum ergo mundus visibilis & corporeus regitur à cælo, ideoque illi debet esse continuus, vt per continuationem istam, inquit Aristoteles, vbique corporibus cœlestibus pateat accessus: sic inuisibilis mundus, & incorporeus regitur à Deo: quare necesse est, vt ei semper iungatur, & vnione seu coniunctione hac mediante, percipiat radios & influentias lucis illius.

Exemplum ab arbore.

Adhuc manifestius illud declaremus. Vides arborem, vt conseruet pulchritudinem & perfectionē, quam requirit eius natura, necessariò debere in cam-

po

po aliquo stare patente, omnibusque ventis, cæliq; influentijs expositō. Cùm enim à cœlo regatur, ab eoque virtutem omnem recipiat, oportet ita plantata sit, vt liberè communibus istis beneficijs queat gaudere. Etenim si steterit in loco vbi aër illi nec solem, nec lunam queat præbere: nec crescet, nec fructum aliquem profert. Simili modo cùm omne bonum quod animæ nostræ habent, procedat ab altissimo & spiritualissimo illo cœlo, Deo nimirum; necessarium etiam est, vt tam liberæ sint, solutæ; & semper (vt oportet) diuinis radijs expositæ, vt pateat cœlestibus influentijs ad eas accessus; vt videntes Deum, videantur ab illo: amantes, amentur: clamātes, exaudiantur: & extēdentes semper brachia suorum desideriorum ad Deum, ipse vicissim eas amplectatur & recipiat. Cuius contrarium faciunt illi, qui in morem alicuius arboris obscuræ & vmbrosæ, cor semper habent sepultum in negotijs huius mundi: qui sicut nunquam Deum vident nec oculos ad cœlum tollunt: sic nūquam aëre vitali fruuntur, nec aqua, nec res cæli in illos decidit. Dicam idem breuius, licet alio exemplo humiliori. Vides gallinam ouis suis incubantem, ea primò calefacere; deinde mediante caloris illius virtute animare: donec tandem pullum excludat. eodem modo & anima humiliter perseuerans sub alis Dei in oratione, particeps fit caloris spiritus illius, quo mediante paulatim amittit, quod erit, veterisque Adami mores exuit, & particeps fit illius, quod à Deo est, ita vt continuatio illius caloris; ex quo pullum faciat: huius verò ex homine, Deum per gratiam: hoc est, ex humano diuinum.

Exemplum à gallina ouis incubāte.

Cæterum diligenter aduerte: gallina quæ ouis suis incubat, cum magna patientia in nido perseuerat: Nam si se moueat, abeat, oua relinquat, vt frigefiāt, nunquam pulli prodibunt: sic oportet vt anima cælestis illius transformationis cupida, perseueret sub diuinis illis alis, vt ibi requiescat, ibi dormiat, ibi cantet, ibi ploret, ibi denique nidum suum faciat, & perpetuā habitationem, dicens cum Propheta; *Passer inuenit sibi domum & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos.* Caueat etiam ne nimis frequenter diuinus ille calor refrigescat. Nam si instabilis sit, & in nido suo non permaneat, rarò, aut nunquam pullus in lucem prodibit.

Psal. 83, 4.

Dices fortasis, arduum hoc esse, & non pertinere ad quemlibet, sed ad solos perfectos. Sic est: ceterum quid pecco, si tibi nunc vno digito viæ illius terminū demonstrauero, vt videas semitam, quæ tibi calcanda est, si velis ad perfectionem progredi? Si non poteris ad hanc continuationem peruenire nec manus immotas & stabiles in Oratione tenere, vt Moyses fecit: saltem quod potes fac, & quò plus feceris, eò maiorem inuenies gratiam. Qui ad virtutē aspirat, & suspirat, vt minimum duo sibi tempora constituat, quibus huic studio vacet, vt in principio diximus: alioquin enim, quomodo poterit dici virtutis studiosus, si non habeat studio atque exercitio virtutis constituta tempora? Etenim dic mihi, si quis velit artē vel scientiam aliquam addidiscere, & interrogauerit omnes totius mundi magistros, illius artis gnaros, quid faciendum sibi esset, ad facilè discendum, quod appetit: quid possent respondere, nisi statuendas esse quotidiè duas aut tres horas: plures etiam, si occupationes aliæ patiantur, quibus huic arti operā det aut legendo, aut meditando, aut cum magistro suo colloquendo: ea enim sola via est, qua poterit ad id quod petit peruenire. Hoc commune est, & ordinarium medium, quod habemus ad scientiam aliquam ad discendam.

Exod. 17.

Saltem duo quotidie tēpora Orationi danda.

Simile.

His sic se habentibus, quomodo virtutem, quę ars est artium, & scientia scientiarum, sine studio poterit quis sibi comparare? Sed quid est Oratio, si fiat, vt fieri debet, nisi verum virtutis studium & exercitiū? An non homo in illa vita suam ordinat, atque componit? an non opera sua perlustrat, culpas suas examinat, lugens in ea, & emendationem promitteus, gratiamque, ad satisfaciendum promissioni, à Domino flagitans? Et quid est hoc si benè consideretur, nisi ad pedes Doctoris virtutum sedere, & lectionē de virtutibus excipere? Quid est hoc aliud, quàm quod homo faciens officium suum, aliquo modo Deum obligat, vt & ille faciat suum, & fidem liberet: vt concurrentibus diligentia & gratia, homo quotidie in vitæ, morumq; emendatione magis magisque adiuuetur? Hoc est quod tam expressè significat Ecclesiasticus, dicens; *Qui timent Dominum præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas vestras.* Etenim oculis diuinis in Oratione præsentari, & in conspectu Dei examinare conscientiam, vitamq; ordinare, & cum eo de emendatione illius agere, quid aliud est, quàm studium virtutis & exercitium, quo sanctificat homo animam suam, eamque reparat? Illud se fecisse testatur Dauid, cum ait; *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Sed quando facimus hoc nisi cum nosipsos intus colligimus, examinamus nostros defectus, corrigimus nostram vitā, oramusq; Deum, vt det gratiam, ad emendandam illam, & verrat mundetq; domum nostræ conscientiæ? Ibi sedet homo ad pedes cœlestis illius magistri, ibiq; doctrinam eius audit; dicens cum Propheta; *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniā loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor.* His enim qui sic conuertuntur ad cor, hoc est, seipsos colligunt, & secretum animi aduocant, Deus cœlestem suam doctrinam tradit: nec tantum docet eos, sed & quietem spiritus in illos infundit, & pacem interiorem, quā nemo præter illum dare potest, restituit.

Ecclesiast. 2, 20.

Psal. 76, 7.

Psal. 84, 9.

Cum itaque vnicum hoc medium sit, ad virtutem comparandam, quid est, ò homo, vt cùm nulla ars, nulla scientia, sine studio acquiratur, solam virtutē sine studio atque exercitio te posse consequi arbitreris? Merito dictum est ab Ecclesiastico: *Qui conseruat legem multiplicat Orationem.* Quemadmodum enim ille, qui magnus esse desiderat Philosophus vel Doctor, id agit, vt maximè sit studiosus: sic qui in virtutibus cupit esse perfectior, in orationibus sese exerceat: præterquam enim quod per Orationem diuinam gratiam impetramus, ipsa etiam studium est, & exercitium virtutis perfectissimum.

Eccl. 35, 1.

CONCLVSIO OMNIVM EORVM quæ de Oratione hactenus dicta sunt.

CAPVT XIII.

QVia in hoc tractatu multa dicta sunt circa Orationem, quamuis omnia ad vnum propositum (vt nimirum intelligatur magna illius virtus & excellentia) nunc concludam, & intentionem meam obiter appositā quadam comparatione declarabo. Vultis igttur in paucis verbis intelligere, quàm necessarium est homini perfecto semper stare in conspectu Dei & oculos in illo fixos habere (hoc enim est quod continuam vocamus Orationem) videat proportionem, & necessitudinem, quam habet Luna cum Sole, cuius præsentia semper est illi necessaria: hoc enim exemplum totū propositum nostrū quàm pulcherrimè ostendit. Inuenies igitur primò Lunam nullam habere lucem vel claritatem à semetipsa: sed mutuatur & accipit illam à Sole: sic & anima nostra nullam claritatem, nullam virtutem, nullam gratiam, nullam merendi aptitudinem ha-

Exemplo Solis & Lunæ declaratur necessitas Orationis.

bet à semetipsa, sed quidquid boni habet, recipit à Sole iustitiæ, qui est Christus Saluator noster.

Secundo videbis Lunam lumen situm à Sole recipere, secundum aspectum quo Solem intuetur: cũ enim tota totum illum aspicit, tota illuminatur, & plena dicitur: cùm verò imperfectè Solem intuetur, & ex obliquo, plus etiam, aut minus luminis ab illo percipit. Sic & anima nostra secundum dispositionem in qua est, cum in Oratione & contemplatione Deum intuetur, recipit quoque claritatem & influentias lucis, & gratiæ diuinæ: si enim de pleno in plenum intueatur, quæ est quasi perfectissima ad illum conuersio, tota vestitur lumine, & claritate: sin autem imperfectè tantum aspiciat illum, & ex obliquo; hoc est, cum minori conuersione, imperfectè quoque de illo lumine participiat. Hoc adeò verum est, vt plurima etiam ad confirmationem illius possent adferri, sed ne longiores simus, ad ea quę restant progredimur.

Tertio inuenies Lunam operari in his inferioribus corporibus iuxta formam luminis, quod à Sole accipit: crescunt enim & decrescunt illius effectus, prout ipsum lumen crescit aut decrescit: eodem quoque modo, vt diximus antea, secundum augmentum vel decrementum gratiæ, quæ per Orationem acquiritur, crescunt & decrescunt virtutum actiones, quæ ab illa procedunt: ita vt quo tenore atque ordine progreditur Oratio, eodem etiam omnia reliqua progrediantur: sic tamen, vt non excludamus alia media, per quæ gratia comparatur.

Quartò & vltimò deprehendes, si quid Lunæ opponatur, quod turbat aspectum & impedit, quo minus Solem potest intueri (vt cùm terra sese inter vtrumque interponit) statim defectum patitur, & lumine destituitur, vt patet in eclipsi; magnamq; partem efficaciæ suæ in operando, quàm mediante lumine habebit, amittit. idem fit in anima nostra, si qua res terrena oculis eius obijciatur, quo minus diuinissimum, clarissimumque. Solem potest intueri: quod fit, quoties ob cogitationes & occupationes rerum terrenarum de Deo minus cogitamus, extemplò defectum luminis patitur, eclipsis conspicitur, obscuratur tota, omnemque splendorem, gaudium, & feruorem spiritus, cum alijs omnibus affectibus, qui ex illo cælesti aspectu fluebant, amittit. Qui vult igitur animam suam semper conseruare clarã, lætam, & deuotam ad omne bonum, habeat oculos suos semper in Deo fixos, nec auertat illos ab eo, quãtum fieri potest: nam si semper illum aspiciat, semper fruetur illius claritatis lumine, & gratiarum influentijs.

Ceterum in fine huius tractatus operæ pretium erit, ad memoriam reuocare documenta, vel admonitiones, quas in fine libri secundi posuimus: saltem eas, in quibus reprehenduntur illi, qui huic virtuti sese dedunt sine iustitiæ fundamento. Inueniuntur enim nonnulli, qui experti nonnunquam maximas vtilitates, quas percipit anima ex familiaritate & commercio cum Deo, & videntes, quemadmodum cera ad Solem purgatur, & quotidie candidior fit: sic animam purificari, & sanctificari in præsentia Dei, dum calores & radios illius lucis percipit. videntes, inquam, hoc, tanti faciunt hanc virtutem, vt existiment eam solam ad salutem sufficere, atque interim aliarum virtutum obliuiscuntur. Hinc oritur vt illi (cum virtutes adeò inter se connexæ sint, & quasi concatenatæ, vt vna sine alijs perfectè nequeat haberi) quemadmodum negligentes sunt in vna, etiam negligentes sunt in alia: vnde neutram perfectè consequuntur: hanc, quia vt habeant non dant operam: illã, quia sine hac non potest obtineri. Accidit enim hic, quod in corpore humano solet accidere: quemadmodum enim in nullo vnum membrum ad conseruationem totius necessario requirit officium alterius: pedes enim oculorum, & oculi pedum, manus quoque stomachi, & stomachus manuum eget ministerio sic virtutes, quæ sunt animæ nostræ membra spiritualia, opus habent obsequio mutuo, quo deficiente deficiunt etiam ipsæ virtutes. Proinde qui optat impostura inimici subterfugere, non ad solam virtutem respiciat; sed etiam ad omnes alias, quemadmodum enim perfectio Christiana dependet ab Oratione: sic ipsa Oratio, per quam consequimur perfectionem sine perfectione non comparatur: alterius sic altera poscit opem. Simile.

Moneo præterea, cùm principalis orationis gloria sit, quod efficacissimum medium est ad impetrãdam gratiam; & virtutem: vt is, qui in illa exercitatus est, semper considerationes & petitiones suas dirigat ad hunc finem potius quam ad aliam aliquam considerationem, vt supra quoque monuimus, atq; omni re pro sua cuiusque dignitate atque natura vtatur: quod si fecerit, multos dolos & fraudes euadet. Similitudine res fiat manifestior. Quemadmodum is qui vadit in vineam, vt pastinet, ad pastinandum vadit, non ad ientandum: tamen ientaculum sumit, & comedit suo tempore, vt fortior sit, & in opere queat perseuerare: sic oportet vt seruus Dei proponat sibi finem vitę suę virtutum perfectionem: quæ quia sine Orationis auxilio non potest acquiri, accedat etiam ad illud auxilium, & seruet istud, vt possit in hoc labore perseuerare.

Multa quoque alia in gratiam huius virtutis dici possent, sed ea omnia reijcio in vsum & experientiã eorum, qui in ea exercitati sunt, vt videat lector, quàm exigua sint, quæ in commendationem Orationis diximus: atque ex eo intelligat iustissimè dictũ à Saluatore, *Oportet semper orare, & non deficere*, vt perseuerantes quotidie in gratia petenda mereamur post hoc miserum & diuturnum exilium gloria frui sempiterna. Luc. 18, 1.

FINIS PRIMI TRACTATVS DE ORATIONE.

TRACTATVS SECVNDVS.

De virtute Ieiunij & asperitate corporali.

Simile.

QVM abunde iam satis dixerimus de Oratione, reliquum est vt etiam de ieiunio, orationis indiuiduo comite, dicamus. Vt enim citharæ sono coniuncta esse debet fidium compositio; sic etiam bona hominis dispositio, iungi debet orationis officio: quæ quidem dispositio potissimum per ieiunium & abstinentiam comparatur. Cum enim corpus grauatum est cibo, ineptum est ad orandum: nec anima illius facile in cœlum eleuatur.

Vt au-

Vt autem commodius hanc materiam tractemus, videtur mihi necessium, vt prius omnem potentiam & malitiã carnis tollamus, & in medium adferamus omnia quæ repugnant illi, quod volumus hîc docere. Reluctatur enim huic primò corrupta natura, sibiipsius amica: repugnat debilitas nostræ humanitatis: obstrepit inclinatio nostrorum appetiuũ: quæ est amica mollis lectuli, pretiosæ vestis, & delicatæ mensæ, adeo vt huius gratia mundus vertatur, bibantur venti, & vastissima defatigentur æquora. Præterea ieiunio aduersatur mala viuendi consuetudo: omnes enim fere, quotquot sumus, ad manducandum, bibendum, & delicatè nutriendum corpus nostrum, nobis amicissimum, sumus quàm propensissimi. Pugnare igitur cum tam potenti natura, quæ etiam vi diuturnæ cõsuetudinis est armata, quid aliud est quàm ventis aduersis nauigare? Veniet enim vnus & dicet; Ego consueui bis aut ter in die comedere, & nisi id fecero, latrant interiora, dolet mihi caput, dormire non possum. Alius dicet, se delicatiorem esse, in dignitate constitutum, magnam partem auctoritatis suæ in magnificis apparatibus, & corporis delicijs positam: nolle igitur sese tot hominum moribus contrarium facere; tum vt satisfaciat suo appetitui, tum etiam ne amittat suam auctoritatem. Alij alias infinitas causas adferunt, quibus Philosophia carnis, sub specie boni, suas voluptates studet conseruare, & sua consilia defendere.

Quæ ieiunio sint contraria.

Huic malo quod remedium opponemus? Non video aliud, præter id, quod communiter habere solemus in omnibus rebus asperis, & difficilibus. Cum enim mercenario fastidium parit labor, mercator timet pericula magis, & miles belli dubios metuit euentus, vt alacriores & promptiores fiant ad sua munia obeunda, statuunt sibi ob oculos amissionem mercedis, iacturamque lucri, vel stipendij: & respectu illius, omnes labores, vitæque pericula contemnũt. Hoc modo iactu sagittæ vnius inuenitur alia, & vno affectu alius excitatur: amor enim lucri, laboris vincit formidinem.

Similium inductio.

Iste modus est, quo nos hic procedere decreuimus: vnicuique ob oculos constituentes præcipuos fructus, & maximas vtilitates Ieiunij, vt amore & desiderio lucri, timor difficultatis vincatur. Et si id ita perfecero, vt mea culpa non sit, si non persuasero, omninò arbitror neminem fore tam cœcum, tam sui ipsius inimicum, qui non sponte, & prompto animo Ieiunij molestias amplexabitur, vt tantis bonis fruatur.

PARS PRIMA, DE BONIS SPIritualibus, quæ ieiunio comparantur: Et primo ieiunium esse opus meritorium & satisfactorium pro peccatis præteritis.

CAPVT XV.

INcipiens igitur ab excellentia huius virtutis, dicam primò, quid habet cum alijs virtutib. commune: deinde in quibus alias etiã virtutes superat. Quod habet cum illis commune est; quia ieiunare & carnem macerare opus meritorium est, tam gratiæ, quàm gloriæ: qualia sunt alia omnium virtutum opera, si fiant ex charitate. Est enim Ieiunium alijs virtutibus simile, cùm sit opus virtutis temperantiæ: similiter & opus est obedientiæ, cùm fit propter mãdatum Ecclesiæ; adeò vt singulis diebus quibus ieiunamus, certum gratiæ gradum, & coronam vnam gloriæ, quæ illi gratiæ conuenit, mereamur, propter famem enim temporalem satiabimur in æternum: & pro labore vnius diei, habituri sumus quietem, in omne æuum duraturam. Hæc est prima excellentia, quam habet Ieiunium cum alijs virtutibus communem.

Ieiunium opus est meritorium.

Habet & aliam specialem, quia est opus satisfactorium: quia per ieiunium satisfacimus Deo pro peccatis præteritis, & eluimus delicta, quorum remissionem quotidie rogamus, cùm dicimus; *Dimitte nobis debita nostra.* Effectus iste, licet alijs etiam virtutibus communis sit, magis propriè tamen à Concilijs, & Sanctis Doctoribus tribus his, Ieiunio, Eleemosynæ, & Orationi tribuitur: his enim tribus operibus satisfacimus Deo, eò quod carnem nostrã affligunt; nec est medium magis conueniens satisfaciendi pro delictis culpæ, quàm voluntarius dolor pœnæ. Vt autem hoc melius intelligamus, sciendum est, quemadmodum is, qui legem Reip. violat, luere debet pœnam delicto illo constitutam: sic etiam is qui legem Dei transgreditur, reus est certæ alicuius pœnæ, quam illi diuina iustitia constituit. Pœna hęc, aut in futuro luenda est: hoc est, aut in Inferno, aut in Purgatorio, aut in hoc Mundo. In Inferno plectuntur peccatores pœna æterna: in Purgatorio pœna, non quidem æterna, sed tam graui atque intolerabili, vt D. Augustinus non vereatur dicere, miro modo grauem esse, & omnem pœnam excellere, quàm vnquam aliquis passus est in hoc seculo: nunquam in carne tantam inuentam pœnam, ait, licet mirabilia passi sint Martyres, & multi nequiter iniqui, tanta sustinuerint supplicia: imò etiam maiorẽ esse omnibus ijs, quæ Saluator in cruce passus est: quę illis superioribus grauiora sunt: tamen nec hæc, nec illa ad acerbitatem pœnarum Purgatorij perueniunt.

Ieiunium est opus satisfactorium.

Matth. 6, 12.

Fundamentum & doctrina de satisfactione.

Aug. de vera & falsa pœnitentia cap. 28, & in Psal. 37.

Ab his tam acerbis & horrendis pœnis liberant Ieiunia, & corporis asperitates: sint licet infinitis modis leuiora. Non enim hic Deus respicit tantum magnitudinem doloris, sed potius voluntatem dolentis: Pati enim in hoc mundo voluntarium est, in futuro autem necessarium. vna autem pœna voluntaria in hac vita, sine comparatione plus valet, quàm mille necessariæ, quas in futura vita quis patitur.

Ceterum dicet aliquis; Sacramentum Pœnitentiæ hac in re non esse tam efficax, quàm Baptismus, qui tollit omnia, hominemque tam à pœna, quàm culpa absoluit. Huic respondemus, magnam esse differentiam inter hæc duo Sacramenta: Sacramentum enim Baptismi, est spiritualis regeneratio, & natiuitas hominis interioris: adeò vt quemadmodum id, quod denuo nascitur, desinit esse quod erat prius, & recipit aliud esse: ita vt nihil in eo maneat, quod erat prius: vt cùm ex semine nascitur arbor, semen desinit esse, & arbor recipit aliud esse: sic homo, cum spiritualiter nascitur, interit totus homo vetus, qui erat prius, quique erat filius iræ, & incipit alius esse homo nouus, qui filius est gratiæ; atque ita liber est tam à pœna, quam à culpa. Sacramentum verò pœnitentiæ nos liberat à peccatis præteritis, eodem modo quo regeneratio: sed quomodo medicina, quæ nonnunquam perfectè sanat, aliquando nõ: & liberat à quibusdam reliquijs infirmitatis præteritæ, quæ diuturnitate temporis, & bonæ dietæ vsu, planè tollitur: sic & pœnitentia, aliquando sanat perfectè, liberans hominem à culpa, & à pœna, cũ contritio perfectissima miscetur; qualis fuit illa Magdalenæ, & quorundam aliorum: aliquando verò cùm contritio non est adeò perfecta, etsi tollat culpam, pœnam tamen non tollit: & extra controuersiam est, eam aut in hoc sęculo, aut in futuro purgandam esse. Habemus huius veritatis exemplum in rebus humanis. Si enim eques aut miles quispiam in Regem delinquat, tam grauiter, vt mortis supplicio dignus sit: potest ea Regi præstare obsequia, vt eius iterum gratiam, & generalem delicti condonationem demereatur: aut si non tantum, potest id

Differentia inter Sacramentum Baptismi & pœnitentia.

Simile.

Simile.

agere, quo quidem Regem sibi faciat placatum non tamen absolutam remissionem, sed commutationem pœnæ mortis, in exilium aliquod annorum, mereatur. Sic legimus quondam Dauidem Absaloni filio suo fecisse: qui cum fratrem suum. Ammon occidisset, incidit in indignationem patris, & postquam triennio exulasset, veniã à patre impetrauit; tali tamen conditione, vt patris palatium non intraret, & faciem eius non videret. Eodem modo cùm contritio pœnitentis non est omninò perfecta, Deus per virtutem Sacramẽti remittit homini culpam simul, & æternam pœnam, quam merebatur; nõ vult tamen huiusmodi statim cœleste suum palatium intrare, aut in conspectum suum venire, quamdiu non est perfectè purgatus, siue in hac vita, siue in altera.

2. Reg. 13. & 14.

Hæc autem satisfactio, vel purgatio potissimum fit per molestias Ieiunij, omniumque asperitatum corporalium, quæ sunt quasi lima rubiginem peccatorum abradens, & fornax, in qua animæ nostræ purificantur, scoriaq;, & quodcunque aliud extraneũ metallum ab ijs separatur: vt sic purificatæ (quasi aurum purissimum) intrent in supernam illam ciuitatem, quæ tota est ex auro mundissimo, vt ait Ioannes, & in quam non intrabit aliquid coninquinatũ.

Apoc. 21.

Tali modo, tantisque laboribus & molestijs pœnituerunt Niniuitæ: sic illi diuinam iram placarunt, & rescinderunt pronunciatam contra se sententiam, abstuleruntque gladium quod capitibus suis imminebat: instituentes, & proclamantes per totam ciuitatem Ieiunium tam durum, & tam vniuersale, vt simile mundus numquam viderit: mandatum enim erat, non tantum vt homines ieiunarent, sed etiam vt iumenta, & boues, & pecora non gustarent quicquam nec pascerentur, nec quicquam biberent: sed vt omnia simul clamarent cum fortitudine ad Dominum. Fuit autem hæc pœnitentia tam potens & efficax, vt viderit Deus opera eorum & misertus fuerit super malitia quam locutus fuerat, vt faceret eis, iramque suam in misericordiam conuertit.

Ionæ 3, 10. *Niniuitarum Ieiunium.*

3. Reg. 21.

Non minus admirabilis fuit illa Regis Achab, qui & idololatra erat, & homicida: cum enim mandato Dei per Prophetam reprehenderetur, humiliauit, & afflixit se, operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco: atq; illo pœnitentiæ modo sententiam Iudicis suspendit, & impetrauit, ne malum quod locutus erat Dominus contra illum, in diebus eius induceretur. Hanc ob causam Sancta mater Ecclesia his exemplis edocta, primum diem quadragesimæ, quo tempore filios suos ad pœnitentiam hortatur, ab hoc generali prœconio auspicatur;

Ioel. 2, 15. *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtũ &c.* quasi diceret; Cessent deliciæ & voluptates mũdi; plangat vnusquisque, & affligat carnem suam, vt satisfaciat Deo pro peccatis, quę carnis ope perpetrauit. Æquum enim est, ait Gregorius, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debet & concessa, & se reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquisse. Hic est igitur secundus fructus, & secunda virtutis huius excellentia: placare scilicet Deum, eique pro peccatis satisfacere.

Greg. hom. 36. in Euan. & lib. 5 moral. in verb. Iob. ca. 3. Nõne silui.

IEIVNIVM AMICA EST ORATIONIS: homo namque ieiunus ad orandum aptior est, quam qui cibis expletus est.

CAPVT XVI.

PRæterea quoque & aliud habet, quod scilicet amica est orationis, vt obiter antea attigimus: cùm etiam Scriptura diuina sæpissimè duas istas virtutes coniungat, vt in illo Dauidis: *Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.* Ratio huius affinitatis est constantia, & aptitudo, quam in omni exercitio spirituali habet homo ieiunus, & ab omni onere ciborum liber. Tunc enim corpus aptum est ad seruiendum spiritui, & spiritus leuis est ad volandum vsque in cœlũ, sine vllo corporis impedimento. Alioquin enim (vt S. Basilius ait) sicut miles plurimo onere prægrauatus, impeditur ad bellum: ita & impeditur Monachus in vigilijs, cùm escarum largitate feruescit.

Psal. 34, 13.

S. Basil. lib. 2. serm. de Ieiun.

Et S. Bernardus, hæc omnia paucis comprehendens, ait: Abstinebo à vino, quia in vino luxuria est; aut si infirmus sum, modico vtar, iuxta consilium Apostoli, Abstinebo & à carnibus, nedum mihi nimis carnem nutriunt, simul & carnis nutriant vitia. Panem etiam ipsum cum mensura studebo sumere; ne onerato ventre, stare ad adorandum tædeat. Homo enim cibo repletus, aptior est ad ridendum, quã ad plangendũ: promptior ad dormiendum, quam ad vigilandum: procliuior ad fabulandum cum hominibus, quàm ad sermocinandum cum Deo, vel Angelis eius. Ex crasso enim alimento, ait idem Basilius, euaporationes fuliginosæ remittuntur, & instar densæ nubis illuminationes, quæ à Spiritu S. in mentem accedunt, dirimunt, ac intercipiunt. Moyses quadraginta diebus ac noctibus nec edit, nec bibit, cum ad montem accederet cum Deo collocuturus, & in animam suam recepturus radios, atque influentias illius diuini luminis. Id facere non potuit sine ope huius virtutis. Est enim Ieiunium quasi ala orationis, qua in cælum è terris eleuatur, ait S. Basilius. Et Bernardus ita virtutes has mutuam opem inter sese distribuere affirmat; vt oratio virtutem impetret ieiunandi, & ieiunium gratiam pro mereatur orandi. Ieiunium orationem roboret, oratio ieiunium sanctificet, & Deo repræsentet. Quid enim ait, Ieiunium nobis proderit, si relinquatur in terra? Subleuetur penna quadam orationis. Etenim teste Isidoro, hoc demum perfectum est & rationabile Ieiunium, quando noster homo exterior ieiunat, & interior orat: facilius enim per Ieiunium Oratio penetrat cœlum, adeò vt quemadmodum Falco vel accipiter, non est aptus ad venandum, nisi sit exercitatus & ieiunus: sic etiam minus dispositus est homo ad euolandum in cœlum, si non adsit hæc Ieiunij præparatio.

Bernard. in Cantic. Ephes. 5. 1. Tim. 5.

Basil. concio. 1. de Ieiunio.

Exod. 34, 19.

Bern. serm. 4. de quadrag.

Isidor. li. 2. de summo bono c. 44. Simile.

IEIVNIVM DIVINIS NOS CONSOLATIONIBVS PRÆPARAT.

CAPVT XVII.

ALiam adhuc excellentiam habet eadem virtus: est enim conuenientissimum medium Deo, & consolationibus spiritualibus fruendi: quod sane magnum beneficium est ad contemnendas omnes sensuum oblectationes. Cum enim officium Spiritus Sancti sit, consolari eos, qui pro amore Dei sunt desolati, cum videt animam respuere, & quasi abijcere, consolationes carnis, confestim submittit eas, quæ sunt spirituales. Cum enim anima non potest viuere sine aliqua delectatione, æquũ est, vt eis, qui ob amorem Dei renunciant omnibus oblectationibus terrenis, cælestes reddantur. Hoc. innuere videtur Spiritus S. cùm ait; *Date siceram mœrentibus, & vinũ his, qui amaro sunt animo: bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Cœleste namq; vinũ illud, quo sancti Apostoli ipso die Pentecostes inebriati sunt, nõ datur his, qui pleni sunt vino consolationis mundanæ, sed qui propter amorem Dei, ab hoc sese abstinent: quẽadmodum enim nemo mittit medicum ad ædes hominis sani, sed ægroti; sic Spiritus S. consolator

Prou. 31, 6.

Act. 2.

non

non mittitur ad eos qui saturi sunt, & consolationibus affluunt: sed ad eos, qui desolantur & propter Deum affliguntur.

Præterea, cum Deus promiserit se inueniendum ab his, qui quærunt illum: modò quærant in amaritudine cordis; ij præsertim, qui quærunt eum ita, vt non solum quærant verbis orationum (quæ multis in promptu sunt) aut oculorum lachrymis (quæ similiter multis facilè fluunt) sed etiam cum ieiunijs, vitæque asperitate, quæ sunt huiusmodi, vt affligant & crucient, & in omnibus non inueniuntur. Mater quæ nutrit infantem, non toties illi vbera præbet, quoties infans postulat illa, sed cùm videt eum plangere, & affligi propter defectum lactis, tum demũ continere se non potest, quin vbera promat, & infanti offerat. Sic diuina illa Sapientia, qui viscera sua tenerius quàm mater diligit, vt ait Propheta; & si aliquando non respondeat, cùm vocatur verbis & clamoribus, cùm tamen dolores clamoribus, & afflictiones orationibus adduntur, tunc diutius tacere non potest: tunc demum lachrymas eorum in lætitiam conuertit, & facit eos cantare cum Propheta; *Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Isa. 49.

Psal. 93. 19.

IEIVNIVM EXCITAT IN NOBIS DEI MEMORIAM.

CAPVT XVIII.

PRæter hanc excellentiam, habet adhuc aliam, quæ est quasi stimulus & incentiuum ad memoriam Christi Saluatoris excitandam, vt cor sæpissimè ad illum eleuetur. Cum enim cruciat fames, nauseam pareunt cibi insipidi, vexat vestis aspera, durities lectuli affligit, aut quæcunque alia species pœnitentiæ molestat, quid aliud aget is, qui hæc amore Christi sponte, & lubens amplectitur, quam vt tollat oculos suos ad ipsum Christum, in cruce pendentem, factum exemplar omnium tribulationum, amaritudinum, & dolorum; vt consoletur semetipsum, magnosque animos sumat, innocẽtiam videns pati pro peccato, iustitiam pro culpa, sanitatem pro infirmitate, Deum pro homine? Quid faciet, nisi vt confortetur, & exultet, videns se aliquo modo similem Christo suo Domino, offerensq; ei sacrificium de semetipso, & orans humiliter gratiam, ne vnquam in cursu suo deficiat? Has cogitationes & considerationes solent in nobis excitare afflictiones & asperitates illæ corporales, natura enim ipsa tribulationibus illis afflicta, propensa est ad quærendum remedium; & gratia dicit, non esse aliud conuenientius quàm memoria & exemplum Saluatoris. E contrariò verò, satietas & abundantia solet inducere Dei, rerumque diuinarum obliuionem; id quod ipse Deus testatur apud Oseam, dicẽs; *Iuxta pascua sua adimpleti sunt. & saturati sunt: eleuauerunt cor suum & obliti sunt mei.* Quemadmodum enim fames & necessitas faciunt hominem inuocare Deum, & illius meminisse: sic è contrariò satietas & abundantia faciunt obliuiscì illius, iuxta id quod idem Dominus insinuat, per alium Prophetã dicens; *Vitam manus tuæ inuenisti*: hoc est vitæ necessaria in manibus tuis inuenisti: *propterea non rogasti*: non enim solet mendicare, qui nullius eget subsidio.

Osee 13. 9.

Isa. 57. 10.

IEIVNIVM AVGET SAPIENTIAM & DISCRETIONEM.

CAPVT XIX.

EST & aliud, quod virtutem hanc commendat: vtilis enim est, & plurimum conducit ad sapientiam & discretionem comparandam; quas duas virtutes contraria gula dissipat, & corrumpit. Hæc est enim communis doctrina Sanctorum, non esse peccatum aliud, quod magis obscurat & hebetat intellectum, quàm gula. Appositè igitur quidam Doctor ait: quemadmodum in hoc mundo maiori, cùm multi crassi vapores de terra ascendunt (quod tempore hyemali frequens est) obscuratur aër, & impletur nubibus, quæ impediunt aciem oculorum, ne videat lumen cælorum: sic etiam in mũdo minori (qui est homo) cum stomachus cibis est oppletus, attolluntur & ascendunt in caput vapores quidã crassi & graues, qui offuscant, & obscurant virtutes animæ, quas vocant animales: & seruiunt intellectui in suis operationibus: hinc est vt operationes eius sint imperfectiores propter defectum instrumentorum, quæ in ijs concurrere debebant.

Simile. Nilus Orat. 1. in Peccata.

Huc accedit, quod cùm stomachus sit isto modo grauatus, statim eò confluunt omnes spiritus & animæ potentiæ, vt perficiant opus digestionis, & tunc, vti calones & lixæ in culina, tumultuantur, adeò vt homo nequeat hanc turbam impedire: animæ namque vegetatiuę vires liberi arbitrij dominio non subijciuntur? Ideoque omnis penè animæ virtus digestionis opere occupatur; ita vt non nisi difficillimè & cum summa violentia leuari queat, ad diuinas res contemplandas. Hæc est causa, cor homines tam prompti & idonei sunt, ad quodcunque studium, & speculationem, tempore matutino, cum iam concoctio facta est, & anima officium hoc suum fecit: tardiores verò, & somnolentiores post sumptum ientaculum, aut cœnam longiorem. Pinguis enim venter, vt ait Beatus Hieronymus, non gignit sensum tenuem. Hanc ob causam omnes illi Sancti Monachi, qui mirum in modum dediti erant cõtemplationi, fuerunt incredibili abstinentia celebres, vt leuiores essent, & huic exercitio aptiores. Ex hoc patet, quàm conueniens est hæc virtus ad defendendã augendamque hominis dignitatem. Quemadmodũ enim homo nunquam minus est homo, quam cùm multo cibo vel potu est obrutus (vix enim tunc potest officium facere homini proprium, quod est contemplari, & intelligere) sic nunquam magis est homo, & suijpsius dominus, quàm cùm liber est ab illo impedimento, & totus vacare potest huic muneri. Hanc ob causam sapientissimus ille Salomon, licet tam diues esset in sapientia, dicit se cogitasse in corde suo, abstrahere à vino carnem suam, vt animam suam transferret ad sapientiam. Hunc imitatus Sanctus Dominicus decem annis eadem vsus est abstinentia, vt aptior esset & expeditior ad studium eiusdem sapientiæ: sciebat enim Vir Sanctus, ebriosos (vt ait Augustinus) non absorbere vinum, sed à vino absorberi: suffuratur enim vinum sensus eorum, & amittunt homines id, quod hominem constituit: non est in illis ratio vlla, non vllum vitæ gerendæ consilium, nec vlla artium, nec gestorum, aut lectionum memoria, aut industriæ prouidentia est. Et quid dicã de tribus illis sanctissimis adolescentibus in Babylonia; qui contempserunt dapes, & vina pretiosa, quæ ex mensa Regis adferebantur, & contenti leguminibus atque aqua, meruerunt ad tantam peruenire sapientiam?

Hieron. in Epist. ad Nepot.

Eccles. 2.

Aug. Lib. de pœnitentia.

Idem ad sacras virgines.

Daniel. 1.

Eodem modo eam acquisiuit sibi Sanctus Bernardus, cum interim exiguo tempore literis humanioribus operam dedisset. Beneficio abstinentiæ tam sapiens factus est S. Gregorius, qui nihil præter cruda legumina comedebat, quæ felix illius Mater Sancta Siluia illi mittebat. Sic & B. Hieronymus, qui tanta vixit in abstinentia, vt de seipso scribit; & S. Basilius, qui cum esset concionator celeberrimus, & orator atque theologus omnium quos habuit mundus eloquentissimus, disertissimusque, in dormiendo tamẽ & vestiendo se fuit abstinentissimus: vna enim sola veste nudam carnem tegebat, & semper humi dormiebat:

S. Hieron. epist. ad Eustoch. S. Basil.

miebat: imò potius quasi totis noctibus vigilabat, & in sanctis exercitijs perseuerabat. Omnes isti gloriosi Doctores, adeò in sapientia celebres, non minores fuerunt in abstinentia, quam in sapientia: sciebant enim quàm necessaria erat vna virtus ad comparandam aliam.

IEIVNIVM ORATIONI IVNctum impetrat à Deo quicquid vult.

CAPVT XX.

PRæter omnes iam dictas commendationes huius virtutis, alia adhuc inuenitur, ob quam non minus, quàm ob præcedentes est amanda. Cum sorore namque sua Oratione (dum vna adiuuat aliam) penetrat cælos, & expugnat misericordiam Dei, atq; impetrat quodcunq; vult. Aperit diuinos thesauros, & patent illi ferè semper cælorum ostia: nam, vt quidam Sanctus dicere solet, est ieiunantibus via cælorum tam trita, vt iam familiares sint ianitoribus, qui toties illis liberũ dant accessum, quoties illum postulant. Quis poterit hic commemorare victorias, reuelationes, consolationes, virtutes & dona, quæ obtinuerunt homines Orationis & Ieiunij beneficio? Daniel trium hebdomadarum diebus luxit, panem non comedit, caro & vinum non introierunt in os eius: sed neque vnguento vnctus est, toto autem illo tempore orauit, & propterea dignus fuit, cui diuina mysteria reuelarentur. Per hoc Ieiunium idem rabidam leonum rugientium famẽ vicit, & ipsos leones ieiunare docuit, in puteum demissus, cùm data non sit illis licentia, sanctissima viri membra, propter Ieiunium contingere. His armis castissima Iudith caput Holophernis præscidit, & liberauit populum Israëliticum à misera illa hostiũ seruitute. Eadem virtute placauit iram Regis Assueri Hester, dum ieiunaret ipsa, & omnes eius famuli, totusq; populus cum illa, & sic euasit crudelem Regis sententiam, vt caput illius, qui autor erat sententiæ, pedibus suis conculcauerit. Filij Israel quoties ad Deum conuersi sunt in Ieiunijs & orationibus, an non liberati sunt ab omnibus calamitatibus & miserijs, quæ circumuenerant illos? Heliæ Prophetæ, ait Ambrosius, ieiuno ore vox emissa cælum clausit, vt tribus annis & sex mensibus nec ros, nec pluuia ceciderit super terram: Ieiunus filium viduæ ab interis resuscitauit; ieiunus pluuias ore deposuit; ieiunus ignes de cœlo; ieiunus curru raptus est ad cœlum, & quadraginta dierum ieiunio diuinam acquisiuit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus ieiunauit. Ieiunio ore statuit fluenta Iordanis, & redũdantem fluminis alueum repente siccatum pulueruleuto transmigrat vestigio. Merito illum cœlo dignum diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore: quoniam cœlestem vitam viuebat in corpore ac supernæ vsum conuersationis exhibeat in terris.

Dan. 10.

Dan. 6.

Iudith. 9.

Hest. 4.

3. Reg. 17. 18. & 19.

Ambros. li. de Helia & Ieiunio c. 2. 4. Reg. 1, & 2.

Exod. 32.

Moysem etiã (vt ait S. Basilius) per ieiunium ad montem accessisse cognouimus. Non enim ausus fuisset verticẽ fumantem adire, neque confisus fuisset ingredi in caliginem, si non ieiunio fuisset armatus. Per ieiunium mandatum accepit, digito Dei in laminis scriptum: & supernè quidem ieiunium legislationis causa erat, infernè verò gulositas ad idolorũ cultum insaniebat. Sedebat enim populus, ait scriptura, ad edendum & bibendum, & surgebat ad ludendũ. Quadraginta dierum perseuerantiam ieiunantis ac orantis serui, vnica ebrietas inutilem reddidit. Nam tabulas digito Dei scriptas, quas ieiuniũ accepit, eas ebrietas contriuit, cùm indignum iudicaret Prophetа, ebrioso populo leges à Deo ferri.

Basilius Oratione 1. de Ieiunio.

Exod. 19.

Exod. 32.

Quid magnum victorem Sampsonem inuictum reddidit? nonne ieiunium cum quo in vtero matris conceptus est? Ieiunium ipsum instar nutricis enutriuit, Ieiunium virum effecit, quod videlicet Angelus matri præcepit: *Quæcunque procedunt de vite, non edat, & vinum ac siceram, hoc est, omnem potũ inebriantem non bibat.* Ioannis Baptistæ vita quid aliud quam perpetuũ Ieiunium fuit? Nõ enim lectum habebat, non mensam, non terram arandam, non bouẽ aratorem, non frumentum, non pistorem, non aliud quidquam ad vitam humanam necessarium: quare ab ipso Saluatore inter natos mulierum maximus appellatur. Paulum vnà cum alijs etiam Ieiunium, quod inter gloriam super tribulationibus fuis recensuit, ad tertiũ cœlum euexit, vbi vidit admirãda Dei mysteria. Hæc aliaque mirabilia dicit S. Basilius Ieiunium operari: nam vt idem dicit in eadẽ concione, Ieiuniũ Prophetas generat, potentes roborat, legislatores sapientiam docet. Ieiunium est animæ bonum propugnaculum, corpori securus cohabitator, scutum fortiter agentibus, exercitium athletis. Hoc tentationes remouet, hoc vngit ad pietatem, sobrietatis comes, castitatis custos, temperantiæ opifex, in bellis viriliter agit, in pace quietem docet. Ieiunium Deo dicatum sanctificat, sacerdotem perficit, custodit infantes, temperatos reddit adolescentes, reuerendum facit senem. Venerabilior enim est canicies Ieiunio ornata. Ieiunium mulieribus est mundus conuenientissimus, virorum frænum, coniugij propugnaculum, virginitatis nutrix. Ieiuniũ seruis est requies laborum, diuitibus medicus noxæ ex satietate inductæ, ægrotis sanitatis mater, itinerantibus viaticum, simul habitantium commensalis.

Iud. 13. 14.

Matth. 3.

Matth. 11. 2. Cor. 12.

Basil. conci. 2. de Ieiun.

Hæ aliæque plurimæ virtutes de Ieiunio prædicantur: non quod ipsum solum illarum omnium causa est, sed quia magnum ad illas præbet subsidiũ & auxilium: non est enim quicquam tam arduum, aut magnum, ad quod non est vtile Ieiunium. Ipse Saluator & Dominus noster, cùm prædicationẽ Euangelij vellet auspicari, præparauit se prius Ieiunio & oratione quadraginta dierum: nõ quod illa præparatio illi esset necessaria, sed vt doceret vix vllam virtutem nos obtinere posse, aut feliciter exordiri nisi per Ieiunium.

Matth. 4. 2.

IEIVNIVM CHRISTO NOS conformes reddit.

CAPVT XXI.

SVfficerent quidem ea, quæ hactenus dicta sunt; ad virtutis huius commendationem: at non his terminis laudes illius circumscribuntur: sed vlterius adhuc progrediuntur. Hæc enim virtus cum suis cognatis & affinibus, quæ sunt omnes asperitates, & afflictiones corporales, potissimum nos Christo similes facit; qui vnicum est exemplar & speculum omnis perfectionis. Etenim Vita Christi, vt constat iam omnibus, à præsepio vsque ad crucem vna fuit & perpetua crux: non tantum quia semper illi ante oculos versabatur crux, omniaque tormenta, quæ illum manebant: sed quia doloribus, exilijs, asperitatibus, persecutionibus, lachrymis, paupertate, alijsque tribulationibus fuit plenissima, ita vt Propheta Esaias appellauerit illum Virum dolorum: & Propheta Dauid in persona eiusdem Domini dixerit: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus.* Cum itaque vita Domini nostri sit perfectissimum exemplar, & speculum perfectionis: is erit sanè perfectior, qui erit ei similior, & (generaliter loquendo) is erit ei similior, qui maiora patitur illius amore, inter quæ nequaquam vltimum locum habent corporales asperitates: cum etiam Diuus Apostolus suis tribulationibus annumeret vigilias, ieiunia, famem, frigus, nuditatem.

Esaiæ 53. Psal 87. 16.

2. Cor. 11.

Quæ

Quæ omnia pati quoque debent, qui cupiunt esse viua membra Christi, vt idem Apostolus asserit: *Qui sunt Christi, ait, carnem suam crucifixerunt, cum vitijs & concupiscentijs.* Ad hanc crucem inuitat nos Apostolus Petrus, cùm ait, *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armabimini: si enim compatimur*, inquit Paulus, *& conglorificabimur.* Hæc est illa gloria prædestinatorum, quos ab æterno prædestinatos à Deo dicit idem Apostolus, conformes fieri imaginis filij sui, tam in hac vita, quàm in altera: in hac bibendo calicem dolorum & passionum eius, in altera bibendo calicem gloriæ & deliciarum illius.

Gal. 5, 24.

1. Petr. 3, 21.

Rom. 8.

Etsi autem varij modi sint hunc calicem bibendi, nullus tamē facilior est, nullus vsitatior, nullus magis in promptu, quàm affligere & durius tractare proprium corpus. Vt hoc enim fiat, opus nō est Pharisæis, Diocletianis, Antichristis, aut alijs persecutoribus Crucis, non est necesse cum Apostolo Paulo per vniuersum orbem discurrere, & sustinere varia tribulationum genera, vnusquisq; enim calicē hunc in propriis ædibus suis bibere potest, si sibijpsi velit esse Diocletianus, hoc est, carnifex & tortor proprij sui corporis.

SECVNDA PARS DE BONIS CORporalibus, quæ per abstinentiam vel Ieiunium comparantur: & primò vitam conseruari & prolongari per abstinentiam.

CAPVT XXII.

AD hæc, aliaq; multa vtile est Ieiunium, & corporis nostri seuerior tractatio, quæ sola sufficere possent, cur veri virtutum amatores illud debebant amplecti, cùm viam sternat, & iuuet ad alias virtutes obtinendas. Ceterùm reperiuntur homines nonnulli tam carnales, vt non curent hæc spiritualia, nisi etiam videant aliquid carnale: hoc est, mercedē vel commodum aliquod corporale. Et de hoc potissimum inter nos & illos est differentia. Licet enim vjrtutes ferè omnes ad omnia sint vtiles, tā ad corporalia, quā ad spiritualia: in hac tamē, quā in alijs luculentius id verum esse, potest demonstrari. Quam ob causam, etsi rationis ductū, sine fide tantum sequeremur, debemus hanc virtutē amare, & in pretio habere, quēadmodū & Ethnici multi sine fidei lumine habuerunt. Vt autē hoc liqueat manifestius, dicamus inter bona corporalia potiora esse sanitatē, vitā, diuitias, honores, voluptates, & corporis cōmoditates. Et quid erit tandē si probauerimus hęc omnia in Ieiunio inesse? Sufficiet hæc vna ratio, cur amatores suijpsius, etiam oporteat esse amatores alicuius rei, quæ tantoperè suo proposito conducit.

Incipientes igitur à vita, quæ inter bona corporalia primo loco recēsetur, dic mihi, quid est efficaciùs ad conseruandam & prolongandam vitā humanam Ieiunio & abstinentia? Confer omnia medicamenta, dietas, herbarum virtutes, & lapides pretiosos, quæ sunt, aut fuerunt vnquam in mundo, & quorum meminerunt Medici, cum vna sola abstinentia, & confitebuntur Medici, ad conseruandam & prolongandam vitam hanc vnam virtutem esse potentiorē quam omnia mundi Pharmaca sine illa. Et non tantùm Medici, sed idem asserit ipsa Scriptura sacra: *Noli*, ait Ecclesiasticus, *auidus esse in omni epulatione & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Dicit hoc Scriptura sed & sine Scriptura & sine medicina, idipsum docet quotidiana experientia: videmus enim quam citissimè vitam finire homines gulæ deditos: diutissimè verò viuere, qui abstinentes sunt & temperati. Si consideraueris vitam sanctorum illorum Monachorum antiquorum, qui viuebant in desertis vbi nullus erat ciborū luxus, aut curiositas: intelliges tantò longiorē fuisse vitam ipsorum, quanto maior fuit ipsorum abstinentia: vt videas quàm meritò dixerit Sapiens: *Qui autem abstinens est, adijciet vitā.* De Galeno Medicorum Principe fertur, quod longissimæ vitæ fuit: ad centesimum enim & vigesimū annum peruenit: & causam fuisse dicunt hanc, quod nunquam satur à mensa surrexit.

Hie. in fine epist. ad Algasiam.

Ecclesiast. 37, 32.

Ecclesiast. 37, 34.

Sed quid opus est ad antiqua illa exempla confugere? possumus enim quotidiana & præsentia allegare. In regno Granatensi videmus quotidiè vitam nouorum Christianorum multò prolixiorē esse, quā fuit illorum veterum: & causa non est alia, quam horum temperantia & parcitas in edendo & bibendo: illorum veterum verò luxus & intemperantia. Cùm enim eodem fruantur aëre, & in vno eodemq; habitent climate, in vna eademq; regione, nō potest alia dari causa, quam cibi & potus eorum, qui nunc sunt, temperantia. Multi enim eorum contenti sunt aqua frigida, & cibis vilissimis, facilisque concoctionis: nec grauant naturam onere nimio, nec calorem naturalem extinguunt nimis multis iniectis lignis, nec occasionem dant nutriendis malis humoribus nimia ciborum superfluitate: atque ideo viuunt sani ad multos annos. Quod si scire cupias rationem, ea non est alia (vt dicunt Philosophi) quàm quod omnes causæ inferiores, quando aliquid operantur, consumuntur, & debilitantur: id quod videmus in cultris, serris, alijsque instrumentis: quæ quantò plus secant, vel operantur, tantò amplius hebetantur, aciemq; amittunt, & consumuntur. Cùm itaq; calor naturalis coquit & digerit cibos, quos comedimus; si nimium illi digerēdum demus, languescit, & virtutem suam amittit. Cumq; vita naturalis consistat in illo calore, quanto amplius eius vis consumitur, tanto magis vita abbreuiatur.

Imò si de hac materia subtilius disserere velimus, inueniemus non tantùm hoc modo vitam crescere: sed quanto temperatior est vita nostra, tanto minus etiam est tempus somni, quod requiritur ab cibum digerendum: & quanto breuior est somnus, tanto lōgior est vita. Vita enim nostra non est aliud, quam vigilia: nec somnus aliud, quàm imago mortis: quare quamdiu homines somno sepulti iacent, iam non viui, sed mortui sunt appellandi. Videmus, autē homines qui parum comedunt, etiam parum dormire: pauci namq; vapores & fumi in capita eorum ascendunt, qui somnum inducunt. De Sancto Basilio legimus, quod integras noctes vigilauerit: erat enim vir incredibilis abstinentiæ, de quo dicere possumus, quod vixerit diutius, quā alius quispiam eiusdē ętatis: minus enim dormierat, & plus vigilauerat.

Breuis somnus longam facit vitam.

Quod si discreti & æqui iudices esse velimus in hac materia, inueniemus adhuc aliam viam, quare vita eorum, qui abstinentes sunt, solet esse prolixior, & præsertim si loquamur de vita rationali, quæ propriè est humana. Vita enim hominis est quæ consumitur in operibus rationis & intellectus, vt quæ occupatur legendo, scribendo, disputando, orando, meditādo, & similibus studijs: certum enim est hominē ferijs esurialibus plus temporis & otij habere, quàm alijs diebus. Tempus enim matutinum, quod optimum est diei, prolixius est, eo quod prandium fit serius: in cœna verò absumitur hora vna, & post cœnam in fabulando duæ: quod ferè fit: tres illas horas consumit is, qui ieiunat in bonis studijs & exercitijs. Vides ab omni parte, & diuersis ex causis vitam humanam crescere per abstinentiam. Nec est apud me causa ista vltima in paruo pretio: cùm existimem illam esse præcipuam, cur Sancti (quibus religio erat

momentum temporis frustra perdere, cùm in singulis maxima quæq; merebantur) tantò cum amore & desiderio Ieiunium amplexi sint: nimirum, quia tẽpus illis reddebat & longius, & liberius ab omni externo impedimento: Hanc esse causam existimo, cur multi Sancti Doctores, quantumuis essent occupati innumeris negocijs, ad officia sua pertinentibus, (vt videre est in B. Augustino, qui erat Episcopus, & B. Gregorio, qui erat Põtifex Maximus, alijsq; multis) præter illa potuerunt tamen tot, tamq; præclara scribere volumina: continuus enim vsus huius virtutis faciebat, vt semper ipsis otium & tempus superesset, tam ad hæc, quam ad exercitia Orationum & contemplationum.

S. Chrysost. Hom. 88 ad pop. Athenien. in fine Hom. de Iona Prophet: factũ est verbum.

ABSTINENTIAM ET IEIVNIVM *sanitati plurimum prodesse.*

CAPVT XXIII.

PRodest etiam plurimum abstinentia, non tantùm vitæ prolongandæ, sed etiam sanitati, vitæ comiti, conseruãdæ. Testatur hoc celeberrimus inter Medicos Hipocrates, dicens: Optimum remedium conseruandæ valetudinis esse. cibis non impleri, & labores, exercitiaq; corporis nõ horrere. Ratio in promptu est. Etenim, vt diximus, quæ infirmitas est, quam non generat ciborum abundantia? Cum enim virtus caloris naturalis, cuius est concoquere, sit finita (quæ non potest operari in momento) si antequam prius ingesti cibi concocti sunt alij & alij ingerãtur, fit vt in massam putrefactam malorum humorum confluant, quæ est causa & fons diuersorum morborum.

Non satis est ad euitãdum hoc malum, si cibi sint delicati & pretiosi, modò sint multi: dicũt enim Medici tantùm referre: vt sibi sint modici: quod etiam cibi rudes & crassi minus obsint si parcè sumantur, quam nimium delicati & pretiosi, si præter modum sumantur.

Exemplũ podagrici sola abstinentia sanati.

Ad maiorem huius rei confirmationem, referam hoc loco historiam quandam veram, quæ ad nostrã venit notitiam quo tempore hæc scribebamus. In quadam Italiæ Prouincia homo quidam erat podagricus simul & chiragricus, qui totus erat cõtractus, & qui ne mẽbrum habebat quod officium facere potuit: nec potuit inueniri medicina, vel remediũ quo poterat sanari, aut dolores eius, quibus continuè cruciabatur, vel modicum mitigari. Accidit paulò post eum infensissimum nactum inimicum in illa Prouincia, qui insidias ei tam diu struxit, donec tandem voti compos factus, eum comprehenderet. Cumque iamdudum illum interficere desiderauerat, in turrim coniecit, & præcepit ei quotidie exiguam particulam panis, & vasculum aquæ porrigi: ita vt sufficiens esset id alimenti ad sustẽdandum captiuum annis quatuor. Quib. finitis res illius Prouinciæ mutatæ sunt eum in modum, vt captiuus hic è carcere eductus, libertati sit restitutus: sed longè alius vinculis exiuit, quam intrauerat: exiuit enim incolumis, sanus, & liber ab omni malo: formosus instar rosæ, & omnium membrorum potens. Vixit, viuitq; adhuc, quotidie laudans Deum, & orãs illum pro eo, à quo in carcerem erat coniectus: quia dum proponeret eũ interficere lenta morte, liberauit eum à lentiore, in qua viuebat, reddiditq; illi sanitatem, & vitã tribuit diuturnam. Potest quidem hoc non immeritò recẽseri inter miracula virtutis abstinentiæ, quæ simjlia sæpe facit, reddens hominibus sanitatem, quã nulla industria, nulla mundi medicamenta reddere potuerunt, vt ex his exemplis intelligat homo Christianus, quanti vtilis sit abstinentia, cùm in ijs quæ ad salutem animæ, tum etiam in his, quæ ad corporis sanitatem pertinent.

ABSTINENTIAM ET IEIVNIVM *honores augere & conseruare.*

CAPVT XXIV.

SEd relicta sanitate & vita veniamus ad honores, quos multi maioris faciunt quam vitam ipsam. Quis quæso non videt, quam honesta res est homo temperans, & in edendo, bibendoq; modum seruans, quam è contrario vilis, abiectus, & turpis est parasitus, mensarum assecla, & gulosus, qui nihil aliud somniat, nihil cogitat, nihil loquitur, nisi de ijs, quæ ad ventrem saginandum pertinent? Quid efficit hominem magis brutum, & porcis, lupis, atq; vrsis, bestijs vilissimis similem, quàm voratorem esse, & helluonẽ? ebriosum esse, & in nimio potu profusum? quid turpius? quid ignominiosius? quid hominis dignitate indignis? Esto, sit aliquis qui non eousque bibit, vt rationis vsum amittat, qui tamen multi vini amicus est, & nimium eius gustu delectatur, subinde dulcedine vini deceptus, aut ad extremum venit, aut ad id, quod extremo proximum est, & quod æque pene malum est. Quod enim parum distat ab aliquo extremo, inquit Philosophus, nihil distare videtur. Nec sine causa adeò despecti sunt homines huic vitio dediti. Quid enim magni ab illo expectãdum est, qui felicitatem suam in re tam abiecta & vili constituit? Cum enim & in addiscendis, & in tractandis rebus magnis sæpe labor immensus sit necessarius (imò nulla res, siue ad litteras, siue ad arma, siue ad negocia spectet publica, perficitur sine labore) illi adeo procliues sunt, & quasi captiuati ab hoc vitio, vt viuere non posse videantur sine illo. Hinc est, vt nec ardua & magna audeant addiscere, nec addiscentes in ijs possint perseuerare. Confestim enim recurrit appetitus, & vitium gulę, cuius ob diuturnam consuetudinẽ iam facti serui sunt. Hanc ob causam dicit Suetonius: Neminem minus metuendum, quã qui de solo victu cogitat. Intellexit hoc optimè magnus ille Imperator Iulius Cęsar, tanquam is, qui vixerat, & exercitatus erat in laboribus ferendis: cum enim quidã amici eius monerent, vt caueret sibi à quibusdam diuitibus, & magnæ auctoritatis in Repu. Romana viris, ait, se nõ timere homines rubicundos, crassos & obesos: sed quosdã alios pallidos & graciles, Brutum & Cassium innuens: nec eum fefellit ista suspicio: ab illis enim tandem Cæsar trucidatus est.

ABSTINENTIAM ET IEIVNIVM *ad opes augendas, & conseruandas vtilem esse.*

CAPVT XXV.

ADdam & aliud: cõmune dictum est honores & opes, vel honestatem & vtilitatem malè conuenire, nec in vno subiecto simul stare posse, honor enim opum est consumptor, vtilitas verò est earũ conseruatrix: nihilominus & honestas & vtilitas in hac virtute sic iungũtur, vt cui magis seruiat vix possit agnosci. Qua enim in re homines magis dissipant, & dilapidant sua patrimonia, atq; facultates suas, ita vt obæratos relinquãt hæredes, quam in opiparis cõuiuijs, & magnificis epulis? suptus enim, quos faciunt in alijs rebus, præterquã quod in vsum aliorũ reuertuntur, non cadunt aut mittuntur, vt hi, in secessum. Porrò sumptus illi fiũt rarius, hi verò ordinarij sunt, & quotidiani: nõ est patrimoniũ, nõ est hæreditas, quæ sufficit illorũ ingluuiei & sustẽtationi. Etenim si vna aquæ gutta, quæ paulatim, sed continuè decidit, totum montem queat excauare, quid faciet tubus aut fluens canalis? hoc est, impensæ tam diuturnæ, amplæ, & assiduæ, quas illi impendunt tam splendidis & magnificis conuiuijs instruendis?

Hanc

Hanc ob causam scribit Cicero de Catilina, quod bona paterna dissipauerat, quodq; æs grande alienũ conflauerat: & iam iudicia declinabat, atque in egestate viuebat.

Prou. 21, 17. Eandem ob causam dicit Sapiens: *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* Et in alio loco. *Noli esse in conuiuijs potatorũ,*

Prou. 23, 20. *nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescẽdum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Age igitur si tam potens sit gula ad dissipandas facultates, necessario sequitur, temperantiam conseruare & multiplicare, quod illa Domina consumptrix tam turpiter prodigit.

ABSTINENTIAM AD IVCVNDItatem commoditatemq; vitæ quoque conducere.

CAPVT XXVI.

VIdendum nunc est, an hæc virtus, quæ ad omnia vtilis est, etiam ad dulcedinem & cõmoditatem corporalẽ faciat. Quis hoc credat locũ habere in abstinentia? Scio id eos non credere, qui omnia tantùm superficialiter examinant: sed qui prudenter res considerant, apertè videbunt, abstinentiã non minus ad dulcedinem vitæ, corporisq; cõmoditates, quam ad alia conducere. Gustus enim & delectatio edendi, non consistit in quantitate & multitudine ciborum: illi enim potius nauseam pariunt, & fastidium: vnde prouerbiũ, bouẽ saturum edacẽ non esse. Etenim ea ipsa natura, quæ conseruatrix est sui indiuidui, posuit voluptatẽ in edẽdo, quantũ est necessarium: eandẽ ob causam eandẽ nauseam miscuit omni superfluitati, ita vt magis obsit sanitati sumere nimium, quam necessarium, & minus parit voluptatem sola ciborum qualitas, quantumuis ij pretiosi sint: videmus enim eosdem insipidos esse infirmis, eo quod non habent palatum dispositum, sed à malis humoribus corruptum.

Principalis causa gustus & dulcedinis est bona dispositio potentiæ vel instrumenti. Videmus enim acutè videre ex eo procedere, quod organum visus, id est, oculus ad videndũ bene dispositus est. Idẽ de auditu, odoratu, & alijs sensibus externis dici potest, sic etiam sapor & gustus ciborum procedit à bona dispositione palati, quod organum gustus est. Testatur hoc Scriptura, cum ait, *Nonne auris verba dijudicat,*

Iob 12, 11. *& fauces comedentis saporem?* Hinc sequitur, quanto melius dispositum & purificatum est organũ, quale est eorum, qui sani sunt, & qui habent appetitum comedendi, tanto gustus eorũ qui comedunt erit suauior. Quare bene dictum est à Salomone: *Anima sa-*

Prou. 27, 7. *turata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarũ pro dulci sumet.* Sensit hoc olim Darius Rex, qui cũ in fuga aquam turbidam & cadaueribus inquinatã bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundius, nunquã

Cic. lib. 5. Tus. quæs. enim, aut perrarò, sitiens biberat. In hanc sententiam exponit Chrysostomus illum versiculum Moysis:

Deut. 32, 13. *Vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo.* Tanta enim erat populi sitis in deserto, vt postquam ea restinguere cœpisset aqua ex saxo profluente, eã dulciorem melle iudicauerit, ob maximam sitim quã passus fuerat. Ex quibus omnibus manifestæ liquet, vt quis iucundè, & cùm gustu edat & bibat, id potius in fame, quam in delicijs ciborum positũ esse: quod & ipsa docet experientia: multo enim maiori cum gustu comedit partem panis is, qui defessus est, & esurit, quam diues & satur perdices & lepores.

His sic se habentibus, homo gulosus & vorax, qui nõ expectat famem, vel edendi appetitum (edit enim potius ex vitio, quàm ex necessitate) sed edit sine modo, & regula, donec amplius ingurgitare nõ potest, quam quæso potest habere voluptate? Sed è contrario vide hominẽ sobrium, & abstinentem, qui non manducat ex vitio, sed ex necessitate, quanto maior est necessitas, tanto etiã maior est ei voluptas: ea enim, vt diximus, prouenit magis ex bona dispositione palati, quàm ex delicijs ciborum. Ceterùm, si postquam manducarunt, vtrumq; aspexeris, hic maximam inuenies differentiam: vorax enim, tempestas, baratrumq; macelli postquam ventrem onerauit, satur, expletus, & plenus sudat, eructatq; ob nimiã ciborum quantitatẽ: pœnitet eum tantæ voracitatis: proponit se in posterum tam immoderatè non manducaturum: imò quod omnium peius est, ignauus est, & inutilis, trunco quam homini similior: ineptus ad omnes operationes intellectus, & discretionis. E contrariò qui moderatè comedit, hilaris, expeditus, & aptus est: suijpsius Dominus, ad omnia quæ vult facienda.

Sed quid erit si vlterius progrediaris, & somnum quoq; vnius cum somno alterius cõferas? Gluto vel manducus pro vnius horæ malo prandio vel cœna, tota nocte horarum decem malè mulctatur & affligitur. Quid enim aliud tota nocte agit, quã gemere, sudare, in lecto de vno latere in aliud se voluere, & reuoluere: ita vt tranquillè dormire, vel vnius horæ quiete frui non possit: dum à cruda indigestione misere vexatur, & acerbitate stomachi cruciatur, atque ita hæret dubius, quid aget, dum neque dormire potest neque commodè vigilare? Neq; mirandum hoc est: quam enim quietem habere potest miser homo, in cuius stomacho inter se pugnant quatuor elemẽta, tanta ciborum inter se contrariantium varietate? In tali homine verum esse videmus, quod ait Basilius: Grauatus venter non solum ad cursum, sed et- Basil. cõc. 2. de ieiunio. iam somnum ineptus est. Quod si subinde modicum dormiat, modicum id erit inquietum, laboriosum, plenum turpibus phantasijs, & imaginationibus. Manè cùm expergiscitur & surgit, somnolentus est, grauis, malè dispositus, & ignauus ob noctis inquietudinem, & capitis dolorem: adeò vt meritò, dictum videas à Sapiente: *Dulcis est somnus operanti: siue pa-* Eccles 5, 11. *rum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit illum dormire*, Et Ecclesiasticus: *Quam sufficiens* Eccl. 31, 22. *est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem. Vigilia & cholera & tortura viro infrunito: somnus sanitatis in homine parco, dormiet vsque in mane, & anima illius cum ipso delectabitur.* An tibi videatur dulcedinem & gustum illius cœnæ nocte tam difficili & molesta bene compensari? aut exiguum illum gustum dignum existimas, qui tam longo tormento redimatur?

Quod si vlterius rem indagare velis videbis infirmitates laboriosissimas, in quas incidunt homines dissoluti, & voluptatibus dediti: tormẽta quoq; medicorum, quibus subiecti sunt, quibus perspectis, an non videas delicias & voluptates vnius vitæ, & miserias alterius? ne autem existimes ea, quæ hactenus dicta sunt, mea esse commenta, audi B. Chrysostomum: Hi verò, inquit, qui in delicijs & luxuria vitã Chrys. Homil. quod nemo lædi- ducũt, resoluta quidem corpora, & omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta, quibusque ad cumulum malorum podagræ tremor, & immatura senectus succedit: & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis. Sensus autem ipsi tardi, graues, obtusi, & quodammodo iam sepulti. Et si aliquid voluptatis, aliquid iucunditatis habent, quis hæc iucunda dicat, & grata, qui tamen nouerit quid sit iucunditas & voluptas? A prudentibus enim ita definitur, quia hæc sit sola voluptas, cùm quis desiderijs suis fruitur.

Vbi

Vbi verò frui desiderijs non potest, dum vel ægritudo non sinit, vel satietas ipsa desiderari nõ facit, quæ onerosa efficit abundantia, sine dubio & voluptas eis pariter, & iucunditas perit. Manifestum enim est non delicias cibi, sed appetitum præcipuam esse voluptatis causam. Ad maiorem horum confirmationem, addit idem Chrysostomus: Conferamus mensam diuitis & mediocris, & discutiamus vtrosq; cõuiuas: qui magis, quæso, sint, qui puram veramque vtriusque mensæ capiunt voluptatem. Illi nam qui tota die attritis, & lassescentibus cubitis recumbunt, & cœnas prandijs iungunt, quique ventris distẽtione rumpuntur, atque oppressione ciborum suorum premuntur: in quorum corpore vini insudatione velut naufragij cuiusdam fluctibus obruta anima necatur, vbi neq; oculus, neq; lingua, neq; pes proprijs deseruit officijs: sed omnia membra corporis vini vinculis iacent vincta grauius, quàm catenis: vbi nõ sopor eis ipse ad quietem datur, neq; ad salubritatẽ cedit, sed exterriti somnijs insanientibus & furentib. deteriores fiunt, & quasi sponte dæmones superducant animæ suæ, & spectaculum omnibus, etiam ipsis famulis suis fiunt: nihil agnoscunt eorum quæ videtur, nihil sentiunt, nihil norunt, dicere aliquid & audire non possunt, sed latera fœdissima portantur de accubitis ad lectos.

Quæ tibi itaque videtur in his esse iucunditas: potest fortasis esse aliqua quãdiu edunt & bibunt, atq; aliquam voluptatis vmbram percipiunt: sed illam postea magna redimunt pœnitentia: quẽadmodum & ijs accidit, qui ardentissima febri correpti, nulla temporis habita ratione, magnum sumũt aquæ haustum: quæ etsi aliquamdiu ipsis iucunda est, & suauis, postea tamen fit amarissima, propter accidentia, & angustias, quæ subsequuntur, vna cũ infirmitatis augmento. Idem accidit illis miseris, post longas eorũ cœnas, & prolixa conuiuia. Ex his videre est, quod, qui istud per mediũ quærunt voluptatẽ, nihil minus inueniant, quàm quod quærunt. Quare Cicero ait: Cõsidera sudantes, ructantes, refertos epulis, tanquã opimos boues: tum intelliges qui voluptatem maximè sequuntur, eos minimè consequi: iucunditatemq; victus esse in desiderio, non in satietate.

Cic. l. 5. Tuscu. quæst. & l. 1. offic. Si considerare velimus.

Sed quid in re manifesta pluribus vtor testimonijs? Epicurei ipsi, qui omnẽ felicitatem in edendo, bibendoq; constituebant, parcè & vilibus cibis vescendum dicebant. Horum enim magister Epicurus elegantes, opiparasq; dapes aspernabatur, ac libros suos omnes oleribus & pomis referst, dixitq; vescẽdum esse vilibus cibis. Quod itaq; testimonium maius desiderare posses, cum habeas hic illius, qui omnem felicitatem in voluptate constituebat?

Frãc. Senẽs. l. 5. de instit. Reipub. Lactant. lib. 3. cap. 17.

Quod cùm ita sit, dic mihi quæso, ad quid vtilis est gula, si etiam voluptati obsit corporali? Optimè dictum est à Seneca contra diuitias disputante: Ad quid, inquit, vtiles sunt diuitiæ, si ne à fame quidem diuitiarũ liberent? Idem & nos de gula dicere possumus: Ad quid vtilis gulæ voluptas, si voluptatem nõ pariat? Certum enim est, quod in plurimis est noxia, vt iam probatum est. Si ergo quicquam excogitari possit, cui vtilis est, vna voluptas erat: cui cùm etiam non prosit, sed obsit, ad quid conducet?

Seneca Epist. 15.

Contra hæc omnia quis posset obijcere. Omnia hæc vera sunt, sed virtus abstinentię cum ad Religiosos pertinere videatur, & homines priuatos, minus conuenit personis publicis, & qui regna atq; prouincias administrant: horũ enim est mensas habere splẽdidas, & magnificas, vt eorum conseruetur auctoritas. Dicere quidem hoc posset stulta mundi Philosophia, iudiciumq; & prudentia humana, aliud autem nos docet non tantùm Euangelium, sed etiã Historiæ prophanę. Lege historias Titi Liuij & Salustij nobilissimorum, verissimorumq; historicorum, & inuenies in illis, quomodo celeberrima illa Romanorum Resp. floruit, creuit, & totum sibi mundũ subegit, quãdiu in ipsa floruerunt abstinẽtia, disciplina, & temperantia in omnibus rebus. Quamdiu Fabricij & Curij vescebantur leguminibus, quæ seminabant, & relicto aratro ad arma veniebant, Roma de omnib. populis triumphabat. Sed cũ disciplina corrũpi cœpit, cum abstinentiæ gula, ebrietas, luxusq; temperantiæ, & austeritati vitę carnis delitiæ succesfere, mox homines effœminati luxu, corruptiq; cupiditate & otio, quod bellum subsecutum est, languentes omnia amiserunt, quæ fortissimi viri victores armis subegerant. Adeo vt quod tẽperantia cum tanta gloria acquisierat, intemperantia cum tanta ignominia perdiderit, & quos totius mũdi nationes vincere non poterant, hos vna corporis voluptas vicerit.

Nec tantum Respublica Romana, sed omnes aliæ Respublicæ, ordines, & religiones, quæ vsq; huc perditæ sunt, & à veteri perfectione sua degenerarunt, per luxum & gulam primùm præcipites ire cœperũt vt ex probatis liquet historijs. Sed quid dico cõgregationes illas particulares, cum D. Hieronymus nõ vereatur dicere, eandem Ecclesiam, quam Christus suo sanguine fundauit, hanc fortunam expertã esse? Adeo vt abstinentia non tantùm non inutilis sit ad Rerumpub. conseruationem, sed etiam quam vtilissima. Hoc adeo verùm est, vt dicat magnus ille Sapiens: *Væ tibi terra cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt. Beata vero terra, cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Huic sententiæ Salomonis consonat illa Prophetæ Esaiæ. Dicit enim Salomon, *Væ terræ cuius Principes manè comedunt:* Propheta verò id multo asperius dicit: *Væ*, inquit, *qui consurgitis manè ad ebrietatẽ sectandam, & potandum vsq; ad vesperam vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobilis eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absq; vllo termino, & descendunt fortes eius, & populus eius, & sublimes glorioiq; eius ad eum.* Hactenus Esaias. An igitur tibi videatur illam Rempub. bene gubernari per id, per quod Deus apud Prophetam dicit eam destrui? Etsi inter alias vnam illius rationem scire velis, dic mihi, quæ virtus Rerumpub. rectorib. magis propria, magisq; necessaria est prudẽtia, & sapientia? & quid prudẽtiæ magis aduersatur, quàm gula & intemperãtia? Etenim (vt idẽ Salomõ ait) *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunq; his delectatur, non erit sapiens.* Hæc enim pretiosa gemma sapientiæ non inuenitur (vt ait Iob) in terra suauiter viuentium, sed in terra eorum, qui se affligunt pro illa. Quare quemadmodum aurum & argentum non inuenitur in terra pinguj, & culta: sed in syluis, montibus, & locis asperis: sic aurũ veræ sapientiæ non inuenitur in pectoribus hominum vitiosorum, & delicatorum, sed in mentibus temperantium, & abstinentium. Et si prudentia atque sapientia propria virtus sit Principum & Gubernatorum, vt ait Aristoteles, atque ea sit quæ habenas in manu gerit, mundiq; gubernaculum, si & ab illa virtute quam longissimè absint, qui vitio corporis deseruiunt, quod proprium est brutorum: quid poterit cum hac dignitate magis pugnare, quam hoc vitiũ?

Esa. 5. ii. Eccl. 10. 16. Prou. 20. 1. Iob 28. Simile. Arist. lib. 3. Polit. & 6. Ethic.

Vides igitur, mi frater, ad quanta bona tam publica, quàm priuata vtilis est temperantia.

PARS

PARS TERTIA: DE MALIS, A quibus nos præseruat & liberat abstinentia.

CAPVT XXVII.

Temperãtia vtilis contra tentationes.

NOn satis est huic tam præstãti virtuti manum ad tot, tantaq; bona præbere, sed à multis etiam, maximisq; liberat malis & incõmodis. Vtilis enim est aduersus omnia tentationum genera quacunq; ex parte veniant quod sanè magnũ & generale remedium est aduersus omnia malorum genera. Quãobrem Dominus ille, qui nobis datus est, vt esset speculum & exemplar omnium virtutum, quo tempore ductus est in desertum, vt tentaretur à Diabolo, quadraginta dierũ Ieiunio sese muniuit: non quod illi opus erat hac armatura, sed vt doceret nos, & suo exemplo ostenderet, ieiunium esse cõtra tentationes inimici remedium tutissimum. Matth. 4.

Ieiunij vtile contra amorẽ proprium.

Iuuat etiam contra principalem radicem omniũ malorum, quæ est amor proprius, qui ciuitatem Babylonis ædificat. Quemadmodum enim amor ille crescit & augetur actuum suorum exercitio, & diuturna consuetudine illorum, hoc est, longo vsu edẽdi splendidè, bibendi superfluè, & corpus tractandi molliter: sic è cõtrario decrescit & minuitur per exercitium contrarium, hoc est, per rigorem & corporis asperiorem tractationem: ex causis enim contrarijs, effectus sequuntur contrarij.

1. Timoth 6

Vtile quoq; ieiunium est, contra aliam pestilentialem, & generalem radicem omnium malorũ (sic enim vocat illam Apostolus) quæ est cupiditas diuitiarum, vel auaritia: quæ non est efficax, vbi dominatur hæc virtus. Certum enim est, diuitias non amari propter se, sed propter ea quæ per eas nobis cõparamus, qualia sunt omnia, quæ ad voluptates & delicias carnis nostræ pertinẽt. Hæc est causa cur pecuniã amant homines: ijs enim contẽptis, quis vsus pecuniarum, aut cur eas quis velit appetere? ad quid vtilis sano medicina, quia nõ eget? Qui igitur, & virtutis, & discretionis, & timoris Domini beneficio didicit omnes vanitates & delicias contẽnere, cupitq; omnia sibi esse vilia & aspera, cur vellet appetere diuitias, quę ad nihil aliud sunt vtiles? Hoc modo paulatim arescit radix ista, hoc modo extinguitur ignis cupiditatis, hoc modo vsi sunt omnes Sancti in extirpãda radice tã noxia vitã viuentes, austerã, & corpori blandimenta omnia subtrahentes. Nec Sancti tantũ, sed etiam multi Philosophi, qui contenti rebus vilibus & abiectis, non habebant cur diuitias appeterent. Scitum est illud quod Cynicus quidã Philosophus Aristippo, Dionysij Tyranni Siciliæ parasito respondit. Cum enim Cynico olera ad cibum lauanti dixisset Aristippus: Si Dionysio adulari velles, ista non ederes. Cui ille respondit: Imò, si ista edere velles, Dionysio adulari nolles. Quẽadmodum igitur impossibile est, contẽnere diuitias ei, qui appetit delicias (vnũ enim sequitur aliud) sic facilè diuitias cõtemnit, qui austeritatẽ vitæ diligit, & paucis cõtentus est. Restat nunc tertium, de quo Ieiuniũ absolutè triumphat, vitium scilicet gulæ, omnis peccati carnalis irritamẽtum: quod vitium nullo modo potest habitare, vbi regnat temperantia: certum enim est duo contraria non posse simul in eodẽ habitare subiecto. Ceterum quã magnum & detestabile sit vitiũ hoc, inter alia multa docet nos exemplum diuitis Epulonis in Euangelio, de quo sic dicit S. Basilius: Basil. Con. 1. de Ieiu. Timeo, inquit, exemplum diuitis: illum deliciæ vitæ igni tradiderunt: non enim ob iniustitiam, sed propter mollẽ ac delicatam vitã accusatus, in igni torrebatur. Id ita esse arguit responsum Abrahæ, qui dixit: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu autem cruciaris.* Luc. 16, 25. Non obscurius huius vitij malitiam ostendit Paulus, cùm dicit: *Multi ambulant, quos sæpè dixi vobis (nũc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus: quorum Deus vẽter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt:* Phil. 3, 18. hoc est, qui gloriantur in ijs rebus, in quibus cõfundi & erubescere debebant. An igitur exiguum peccatum esse tibi videatur, ventrem Deum suum facere, & in spiritualem istam idolatriam incidere? Notandum autem est Apostolum bis tantùm in omnibus, quas scripsit, epistolis, se flẽdo scribere posuisse: Semel cum reprehẽdit in Corinthijs peccata & scismata, in quæ prolapsi erant: secundo autẽ hoc loco Philippensibus scribens, arguens nonnullos, quod gulam sectarentur, quæ nonnunquã eò insaniæ proruit, vt spiritualem idololatriam committere non vereatur, dum ventrem suum Deum facit, constituẽs finem suum vltimum, hoc est, omnẽ felicitatẽ suam, in tam turpi voluptate, & omnia sua, in hunc finem dirigens. Id adeò mouit Apostolum, vt sine lachrymis scribere non potuerit, tanquam is, qui naturam illius mali habebat optimè perspectam. 1. Cor. 5.

Quamuis hæc meritò timenda sunt, multo magis tamen metuenda sunt flagella Dei, quæ populo suo propter malum hoc solet immittere. Cùm Israel exijsset Ægypto, veniens in desertum, maximo, inordinatoque appetitu carnes desiderauit, factusq; est ingratus, & Deo obtrepens. Satisfecit quidẽ Deus eorum appetitui, & carnes ipsis misit: sed audi quãti ipsis constiterit hæc delectatio. *Adhuc*, ait Scriptura, *carnes in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusq; est locus iste, Sepulchra concupiscentiæ.* Num. 11, 33. Ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat. Quæ fuit ista concupiscentia? non fuit sanè diuitiarum, non vxoris proximi, sed carnis, cucumerum, & peponum: quæ quidem in lege illorum non erãt prohibita: sed mala licet non essent, malus tamen & inordinatus erat eorum appetitus, in ijs enim vltimum finem constituebant, ideo tam graui supplicio puniti sunt.

Quam habent hic excusationem Christiani, qui temporibus prohibitis à carnibus non abstinent non tã propter necessitatẽ, quam vanitatem, inobedientiam, aut petulantiam, idq; potissimum ijs temporibus, quibus maximè abstinendum esset, ne hæreticis conformes esse videamur. Si Deus tã grauiter punierit appetitum hunc, in tempore, quo non erat prohibitus: quid faciet eo tempore, quo vetat illum Ecclesia, & scandalum, malumq; præbet exẽplum proximis? Animaduerte quæso, quam longè distat iudicium Dei, à iudicijs hominum. Quis enim nostrum tantum malum censeret, tam cõmune desiderium, quale est illud, quod homines isti habuerunt, vt carnes manducarent, maximè cum tot annis non manducauerant? Sed quod leue est in statera iudicij humani, graue nonnunquã est in illa iudicij diuini, & repentina, grauiq; pœna mulctatur. Quod si autem idẽ Deus, qui tunc fuit, etiam nunc sit, & si eodẽ iudicio, quo tunc humanas actiones ponderauit, etiam nunc ponderet, licet non vti tunc, etiam nunc iram suã confestim in homines effundat, perpende tecum, quàm intolerabile erit supplicium in die vindictæ, & quã seuera sententia, quæ pronunciabitur contra tot inuentiones condimentorum, cupediarum, embãmatum, liquaminum, moretorumque, quę omnia adinuenit ingeniosa hominũ curiositas & appetitus corporis quibus irritatur & prouocatur luxuria & in quibus tam ampla consumuntur patrimonia, quibus tãta pauperum & egentium turba potuerat subueniri? O Domine mi, quam iusta erit ira tua in die illo? & quã æqua iudicia tua sine misericordia aduersum eos, qui tã crudeles, & in te, & in tuos pauperes

extite-

extiterunt, vt essent pij & in propria corporales liberales.

Non tantum ista calamitas, sed aliæ quoque innumerabiles inundarunt, & adhuc inundant quotidiè in hoc mundo, ob enorme illud gulæ peccatum. Ceterum, dic mihi quæso, quæ maior potest excogitari miseria, quàm illa, quæ in genus humanum venit propter peccatum primi hominis? & quod peccatum Genes. 3. illud, nisi quod transgressus est mãdatum Dei, quod datum erat illi, ne comederet de fructu arboris vetitæ? Quamuis enim intrinsecus alia peccata præcesserunt, extrinsecus tamen nihil visum est, nisi præceptum abstinentiæ & præuaricatio gulæ. Propter gulã amisit Esau primogenituram, quia pro vili pulmẽto vendidit illam fratri. Propter gulam, inter alia, Sodomitæ in extremum lapsi sunt exitium. Gula fecit Genes. 25. Ezech. 16. Loth incestuosum, & quem Sodomorum incendia Genes. 19. comburere non potuerunt, vinum accendit, & in tãtam redegit miseriam. Gula Noëmum in terrã nudum prostrauit, & filio deridendi patrem occasionẽ Genes. 9. dedit. Gula caput Ioannis Baptistæ abstulit: non enim ausus fuisset crudelis ille Tyrannus tale mandatum spiculatori dare, nisi victus fuisset ab alio tyranno potentiori, nimirum vino. Marc. 6.

Hæc, aliaq; mala in mundum ex hoc vitio redundarunt, quare B. Ioannes Climacus illam vocat hostium nostrorum præceptorem, vitiorum ianuã, ruinam Adæ, Esau perniciem, interitum Israelitarum, Climacus gradu 14. Noë turpitudinem, Gomorrhæorum proditorem, Loth crimen, filiorum Heli exterminatorem, inquinationum ducem. Omnia hæc nomina digna est vt habeat, omnium enim horum malorum fuit causa. Quod cùm ita sit, magno profectò in pretio habenda est abstinentia, quæ conterit caput illius Serpentis, à quo tot noxij & exitiosi proceduntfilij.

CONCLVSIO OMNIVM EORVM quæ hoc tractatu dicta sunt.

CAPVT XXVIII.

HAbemus itaque hic vniuersale medicamentũ, efficax contra omnia vitiorum genera. Valet enim Ieiunium cõtra quatuor primarias peccatorum rãdices, quæ sunt tentationes inimici, amor proprius, concupiscentia & gula: contra omnia hæc efficacissimum remedium est hæc virtus, & quidem primas tres supprimit vehemẽter, & debilitat: quartum verò prorsus extirpat. Habemus etiam non quod solum vitia nos superare iuuat, sed etiam cuius beneficio virtutes omnes possumus nobis comparare: nam, vt Sanctus quidam ait, frustra laborat vt reliquas virtutes acquirat, qui abstinentiam non possidet: hæc enim alijs omnibus viam sternit.

Habemus etiam exempla Sanctorum omnium, præcipuè verò Sanctorum illorum Anachoretarum, qui in abstinentia supra fidem humanam admirabiles fuerunt. Quod si ergo virtus ista tam familiaris fuerit Sanctis omnibus, quos iustos, & à Spiritu S. Matth. 3. ductos esse nouimus, ante alios autem omnes illi glorioso prodromo Christi, qui tam singularis fuit in abstinentia: facilè videmus, quam sit necessaria, & in oculis Dei grata res abstinentia. Habemus denique non tantum exempla, sed etiam præclarissima Sanctorum testimonia, quæ nos ad hanc virtutem inuitant. B. enim Ioannes Climacus, homo singularis sanctitatis & abstinentiæ, de ieiunio differens, ait: Ieiunium est naturę violentia, circumcisio suauitatis *Climacus in scala Paradisi gradu 14.* faucium, incentiuorum omnium abscisio, malarum cogitationum amputatio, insomniorum liberatio, orationis munditia, insigne lumen animæ, mentis custodia, obcęcationis solutio, compunctionis ianua, suspirium humile, læta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occasio, obedientiæ custos, somni alleuiatio, sanitas corporis, tranquillitatis auctor, peccatorum remissio, paradysi porta, & deliciæ. Hæc omnia de Ieiunio prædicantur: in omnibus enim his Ieiunium nobis opitulatur, suaque virtute ad ea nos disponit, & omnibus illis contraria est gula, infensissimaque inimica. Non minus illustre est testimoniũ D. Augustini in quodam sermone dicentis: Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit. Ieiunij verbositatem non amat, diuitias superfluitatem iudicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat hominem seipsum intelligere, quod est infirmũ & fragile. Hucusque Augustinus. Quod si alios audire velis, non minus dulces, & deuotos, audi quid ille, qui pro diuitijs eloquentiæ suæ meretur nomen Chrysologi, de hac virtute sentiat: Ieiunium, ait, est vitiorum mors, vita virtutum: Ieiunium, est pax corporis, membrorum decus, & ornamentum vitæ. Ieiunium est robur mentium, vigor animarum. Ieiunium est castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Ieiunium est schola meritorum, Ecclesiasticæ vitæ viaticum salutare. Ieiunium est inuictus Christianæ militiæ principatus. Sufficiant hæc dixisse in laudem & commendationem huius virtutis: vt homines illius amore capiantur, etiam si nulla essent Ecclesiæ præcepta, quæ ad eã nos obstringerent.

Aug. ser. de Ieiunio. citat per S. Thom. 2.2. Quæst. 147. art. 1.

Petrus Rauennas Chrysol. ser. de Ieunio & Elemos.

Secundum hanc doctrinam, quid quæso esse posset in hoc mundo, quod ieiunio non potest cõparari? Vtile est Ieiunium ad omnes virtutes consequendas, vtile est ad omnia vitia propulsanda, vtile est ad bona corporalia, qualia sunt vita, sanitas, honores, diuitiæ. Ita vt vtile sit ad omnia, tam ea quæ ad corpus, quàm ea quæ ad animam pertinent, vtile est ad hanc vitam, vtile est & ad futuram. Quis igitur adeò cœcus, quis adeò sibijpsi inimicus, qui non velit emere merces tam quæstuosas? Quis non lubens velit vmbram tam vanæ, turpis, exiguæ & breuis delectationis cum margarita tam pretiosa & ad omnia vtili permutare?

Hoc vnum sufficere debebat, ad inflammandum cor nostrum amore huius virtutis, etiam si nihil aliud singulare sibi annexum haberet. Nunc autem accedit ad hæc obedientia Sanctæ Matris Ecclesiæ, ijs diebus, quibus ipsa ieiunandum esse præcepit, & tũc crescit ieiunij pulchritudo: quod enim erat prius voluntarium, tunc fit necessarium, & quod prius erat consilij, fit præcepti: quod prius erat deuotio, fit obligatio, & quod prius erat actus virtutis temperãtiæ, fit opus obedientiæ, quæ multo sublimior virtus est, dicente Domino: quod: *Melior est obedientia,* 1 Reg. 15. 22. *quam sacrificium.* Cum tamen sacrificium actus sit religionis, quæ inter virtutes morales est excellentissima: obedientia enim semper secum adducit necessitatem, quam religio non semper habet adiunctam.

Ceterùm, vt in hoc casu fit opus maioris meriti, sic eius transgressio maiorem meretur pœnam. Quare comedere, quod per se peccatum non erat, iltis diebus prohibitis peccatum fit, nec quodcunq; peccatum, sed mortale. Offertur hic nobis materia lugendi & plorandi, cùm videamus tam necessarium & vtile mandatum à nostri temporis Christianis tã leuiter contemni, & procaciter violari, quos non mouet exemplum Christi ieiunantis, nec auctoritas Ecclesiæ præcipientis, nec peccatorum multitudo, quibus obnoxij sunt, nec superbia carnis, cui tam est necessarium, nec denique timor tam magni mali, quale est peccatum mortale, quod incurrunt illi, qui habentes ætatem, & potentiam ieiunandi, tamẽ

non

non ieiunant. Vt enim rationes alias omnes omittamus, solum peccatum hoc eos terrere debebat, & sufficere, vt malint omnia potius & huius & futuræ vitæ tormenta ferre, quàm vnum peccatum mortale committere: posteaquam manifestum sit, malum hoc esse multo maius, quam omnia mala pœnæ in vnum congesta, etiam Infernalium. Quamobrem optimè dixit Beatus Anselmus in libro de Similitudinibus: Si hinc, ait, peccati pudorem, & illinc gehennæ cernerem horrorem, & necessario vni eorum deberem immergi, prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm sordidè pollutus cælorum regna tenere. Adeò abominantur & detestantur peccatum, qui nouerunt illius naturam, & didicerunt illius interiora perspicere. Quod cùm ita sit, facilè vides quàm lamentabilis res sit, videre tot homines, tanta cum facilitate peccare, maximè in materia obedientiæ, contra mandatum Ecclesiæ delinquentes.

Anselm. lib. de Similitudinibus.

Horum pœna non erit alia, quàm illius auari Epulonis, qui noluit macerare carnem, & ieiunare, totam vitam in voluptatibus consumens, in ijsque felicitatem suam constituens. Ideoque semper & in secula seculorum ieiunabit; supplex orans, vt detur vna sola aquæ gutta, & non dabitur ei. Scriptum enim est, *Qui timent pruinam, irruet super eos nix*: hoc est, qui ex nimio amore, quo carnem suam diligebant, timuerunt illam in hoc seculo modicum castigare, patientur æterna tormenta in futuro, qui timet hîc modicum ieiunare, ieiunabit ibi semper, qui timet hîc austeritatem pœnitentiæ, faciet ibi pœnitentiam æternam & tamen infructuosam. Requirebat quidem materia, vt hoc loco aliquid de modo, quem seruare debet homo in vsu huius virtutis, diceremus: Sed quia de eo multa dicenda veniunt, & liber hic prolixior, quàm volebamus factus est, alij loco quæ desunt reseruabimus.

Luc. 16.

Iob. 6, 19.

TRACTATVS TERTIVS.

DE ELEEMOSYNA ET MISERICORDIA.

CAPVT XXX.

Ignorantia rerum diuinarum radix omnium.

COMMVNIS omnium Sanctorum sententia est, vnam è præcipuis causis humanæ perditionis esse, defectum cognitionis, & considerationis rerum diuinarum. Quare Saluator noster huius mundi mala deplorans, hanc ignorantiam potissimum deplorauit, dicens; *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac hora*: significans defectum istius cognitionis esse omnium aliorum malorum radicē. Ratio illius est, quod cum res diuinę tam arduæ, sublimes, potentesque, & tantæ virtutis sint, non possint non producere maximos effectus, & alterationes in cordibus nostris, si paulo profundius considerentur. Non alienus erat ab hac opinione Propheta, cùm diceret; *Gens absque consilio est, & sine prudentia: Vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent*: vtinam considerarent, & in operibus Dei philosopharentur. hoc enim facientes oculi eorum aperientur, & à malis abstinerent se, in quibus nunc iacent immersi. Nec minus sensit id Propheta, qui dicebat; *Audi populе stulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis, & aures & non auditis*. Et meritò vocat eos stultos, non quia nec ingenium, nec cor habebant, (habebant enim mille corda ad intelligendas res mundanas) sed quoniam erant tā bruti & stupidi in his, quæ erant Dei, vt cor habere non viderentur. atque ita dicit eos habuisse oculos, & non vidisse; aures, & non audiuisse: quia tot oculos & aures habentes ad audienda, videndaque mundana, cæci erant, & surdi in rebus ad salutem pertinentibus.

Luc. 19, 42.

Deut. 32, 28.

Item. 5, 21.

Ab hac materia placuit mihi tractatum hunc exordiri, in quo dicendum mihi est de virtute misericordiæ. Certus enim sum, quod si homines diligenter considerarent ea, quæ Scripturæ Sacræ & Sancti patres de hac virtute prædicant, non esset necesse peculiarem de illa tractatum conscribere. Quemadmodum enim non est necesse hominibus commendare vitæ suæ conseruandæ diligentiam (sufficit enim ad hoc diligentia, quàm habent naturæ instinctu:) ita minus esset necesse virtutem hanc commēdare, quia in ea consistit magna pars vitæ, salutisque nostræ. Ideoq; non agam hic aliud, quam vt referam obiter ea, quæ sacra Scriptura & Doctores de hac virtute dicunt: nam si intelligerent homines, satis esset non dico tantum vt exerceant, quomodo oportet, misericordiam, sed ipsi vltro discurrerent, quærerent vbique, & ex latibulis eruerent pauperes & mendicos, vt misericordiam cum ipsis facerent, & non negligerent tanti boni occasionem.

Simile.

Vt autem impetremus hoc ab hominibus, quantumuis etiam sui amantibus, minus erit nobis negotij, quàm ad virtutē Orationis, de qua superius egimus, persuadendam: non obstante quod illic verbis tantum hic facto opus est: in Oratione siquidē multæ difficultates sunt superandæ; in Eleemosyna verò vna sola difficultas est, paululum scilicet de facultatibus suis propter Deum amittere. In ceteris enim virtus hæc tam est pulchra, honesta, amabilis, & hominibus omnibus pretiosa, vt nulla alia sit in hoc mundo maiori in honore vel pretio. Adeo vt multi nullum Dei habentes respectum, tantùm vt bene audiant apud homines, auramque popularem captent, erga proximos pij sunt & liberales. Nihil igitur huic virtuti contrariatur, præter auaritiam, aut concupiscentiam diuitiarum, & dicere se habere filios, famulos, domesticos, totamque familiam alendam; nolle quoque tollere, quod multo suo labore quæsuit, ex ore suorum, & dare externis. Id autē dictum est. Nabal Carmeli, qui dixit seruis Dauid petentibus ab eo aliquid comeatus, ne Dominus eorum in deserto fame moreretur; *Tollam*, ait, *panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio vnde sint?*

Vnum tantū contrarium habet Eleemosyna auaritiam.

1. Reg. 25, 11.

Hanc vnicam esse difficultatem arbitror, quæ multos retrahit ab huius virtutis exercitio: nec vnquam induci potero, vt aliter credam. Sed inter Christianos aduersus hanc difficultatem valere debebat sola Dei auctoritas, ad occludendos istis difficultatibus oculos, & permouendos homines, vt hic cæci sint, & audiant, faciantque tantum quod ille præcipit, vt monet Sanctus Basilius in quadam homilia. Si duos habeas panes, & mendicus venerit ad ostium tuum, da illi alterum propter amorem Dei. Et cum dedisti illi, leua manus tuas in cælum, & dic pia hæc & dulcia verba; Domine Deus, panem hunc do propter amorem tuum, proprio cum damno & periculo: maioris tamen facio mandatum tuum, quàm vtilitatem meam, & de modico meo quod habeo, do altari non habenti. Sola fidelitatis & o-

bedientiæ illius pulchritudo, satis erit ad vincendam exiguam hanc difficultatem.

Posset etiam ei opponi huius virtutis excellentia: est enim misericordia vna ex pulcherrimis, Deo gratissimis, & pluribus locis commendatis à diuina Scriptura virtutibus. Etenim licet Charitas omniũ virtutum sit excellentissima, nihil tamen hoc minuit misericordiæ dignitatem, sed auget illam. Neque separamus hic misericordiam à charitate, imò coniungimus eas, tanquam flumen cum fonte, ex quo deriuatur: atque ita differentia, quàm insignis quidam Doctor inter vtramq; virtutum constituit, hæc est: quod charitas est flumen bonitatis scaturiens ex fonte, & recurrens in sinum eius: sed misericordia flumen est ex fonte scaturiens, & vniuersam terræ superficiem irrigans. Præterea charitas, vt charitas, nil aliud agit, quam quod bona sua communicat cũ alijs; misericordia verò etiam aliena mala facit sua, & in se recipit: adeò vt misericordia non sit contenta bona sua dedisse alteri, quod proprium est charitatis: sed addit aliquid amplius, nimirum, quia dat etiam seipsam, ex dolore & compassione, quod proprium est misericordiæ.

Charitas fons, misericordia flumina.

Hæc consideratio cum præcedenti soluere meritò debebant difficultatem, quam diximus in vsu misericordiæ reperiri. Etenim si Ethnici solo virtutis amore, hoc est pulchritudine, quàm in illa spectabant, aliud aliquod præmium sibi non proponentes, alijs benefecerint, quanto magis eadem pulchritudo satis esse debebat Christianis? Sed nolo modo hoc argumento causam meam tueri, sed alia via negotium deducere, quæ magis arridet voluntati carnis, & vtilitatis propriæ concupiscentiæ euidentissimis rationibus probando, sine vlla comparatione maiora esse lucra atque emolumenta, damna verò minora, quæ dandis Eleemosynis percipiuntur, quã omne id, quod posset homo negandis illis lucrifacere. Vt autem hoc melius intelligas, suspende librã, & in vnam lancem mitte damnum aut iacturam tẽporalem, quæ ab vna parte sit, & in alteram mitte auxilia cum fructibus tam spiritualibus, quam temporalibus, quæ pro iactura ista redduntur: vt videas quid horum duorum sit præponendum alteri, & ane æquum sit, vnum pro alio periclitari. Nec dubito quin facta hac collatione, si modò iudex æquus sis, non tantum in lucro deputabis misericordiam ratione facultatum tuarum: sed obstupesces, vt omnes ij faciunt, qui naturam huius virtutis sciunt & intelligunt: non vẽdentes tantùm opes suas, sed etiam semetipsos, vt dent Eleemosynas; vti non pauci Sanctorum fecerunt.

MISERICORDIA DEO FACIT homines similes & familiares.

CAPVT XXX.

POstquam in vnam lancem misimus damnum, quod diximus, mittamus in aliam primam excellentiã, qua claret hæc virtus, & est hæc, quod nimirum homines Deo facit similes, idque in re maximè glorioſa, quæ in illo reperitur, scilicet misericordia. extra controuersiam namque est, maximam perfectionem, quæ in homine reperitur, esse, quod similis est suo Creatori: & quanto plus habet istius similitudinis, tanto etiam est perfectior. Certum etiã est, vnam ex præcipuis rebus, quæ diuinæ naturæ propriæ sunt, esse misericordiam: vt patet in oratione Ecclesiæ, *Deus, cuius proprium est misereri & parcere, &c.* Dicit illius proprium esse misereri, quia quẽadmodum ad omnem creaturam, vt creaturam, pertinet esse miseram, pauperem, & multarum rerum egentem; quare & illius est accipere, non dare: sic è contrario, quia Deus est infinitè diues, & potens, ad illum tantum per excellentiam pertinet dare, & nõ accipere: ideoq; proprium illi est misereri, & ignoscere: & non solum proprium est hoc illi, sed (quantum ad nos) inter perfectiones quas habet, respectu creaturarum, vt ait D. Thomas, est omnium gloriosissima: ob quam nobis debet esse charior, propter quam potissimum vult honorari, & ex qua vult agnosci. Sic in magnifica illa visione, in qua Moyses vidit in monte gloriam Dei transeuntem ante se (vbi creditur vidisse ipsam essentiam, & pulchritudinem, in qua vidit tot & tantas perfectiones illius) hæc est; quam maximè commendauit, clamans elata voce, & dicens; *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem ac scelera atque peccata.* Hæ sunt voces, hæc testimonia, quę Sanctus Propheta huic dedit Domino post tam magnam & glorioſam visionem: quæ nihil aliud sunt, quàm laudes & proclamationes illius misericordiæ. Quantæ autem, & quam magnæ sunt istæ misericordiæ verbis explicari non potest: etenim hanc ob bausam dicimus plenos esse cœlos & terras gloria illius, quia pleni sunt illius misericordia: cùm etiam secundum Ecclesiasticum; *Miseratio hominis sit circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem.*

D. Thom. 22. q. 30. a. 1

Exod. 34. 6.

Eccl. 18. 11.

Deo propriũ est misereri.

Age igitur super hanc virtutem Deo appropinquamus, & tanta gloria sit illi similem effici, quanta erit excellentia huius virtutis misericordiæ, quæ hominem Deo reddit similem? Hoc tanto præmio proposito Dominus nos in Euangelio, ad exercitiũ huius virtutis inuitat, dicens; *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est*: quæ verba exponens B. Greg. Nazianzenus ait; O homo da aliquid Deo, quo te gratũ ostendas; atq; inter illos recesearis, qui benefacere possunt: & nõ eos, qui beneficio indigeãt, quo in alienas manus respicias, sed alij in tuas. Non substantia solum ditescas, sed pietate: nõ solum auro, & virtute: vel ideo melior appareas, quo propinquo honorabilior fias. Labora vt Deo similis efficiaris, misericordiam illius imitando: nihil enim adeò diuinum habet homo, quàm benefacere. Hæc est itaque prima excellentia, quam in bilancem mittimus, nimirum, quod homo per misericordiam Deo similis efficitur: quam excellentiam nequaquã parui æstimabit is, qui dicebat; *Magna est gloria Dominum imitari, & illi assimilari.*

Luc. 6. 36.

Greg. Nazian. orat. de cura paup. habenda.

Eccl. 23. 38.

Huic excellentiæ additur alia, quæ & illam subsequitur, familiaritas & necessitudo nimirum, quam misericordes habent cum Deo, ratione illius similitudinis, de qua paulo ante diximus. Cum enim similitudo amorem pariat (dicimus enim omne animal amare sibi simile) si homo misericors Deo tam similis sit, per consequens etiam plurimum ab illo amabitur. Probat enim Aristoteles hac ratione hominẽ sapientem, & contemplationi rerum diuinarum deditum, plurimum à Deo adamari: talis enim, ait, in suo viuendi genere maximam habet cum illo similitudinẽ. Similiter cùm Deus sit infinitè misericors; certum est, quod amat omnes, quos pallio misericordiæ videt ornatos, tanquam legitimos suos filios, & creaturas sibi similes. Quid itaque gloriosius, quid illo dignius? Si tanti faciant homines vbi se insinuauerint in amicitias suorum Principum, & tam laudabile putent, si cum ipsis conuersentur; quanto maioris æstimanda est virtus illa, cuius beneficio domestici, & intimi amici Dei, eiusque bonitatis efficimur; tanto arctioris necessitudinis vinculo illi coniuncti, quando illi sumus in misericordia similiores.

Per Eleemosynam Deo reddimur similares.

Arist. in Ethic.

MISE-

MISERICORDES DIGNI SVNT quibus à Deo vicissim misericordia fiat.

CAPVT XXXI.

ADiungam isti gratiæ tertiam, huic virtuti maximè propriam: omnes scilicet misericordes, iustam habere causam, cur Deus in illos vicissim debeat esse misericors: eo quod ipsi erga proximum misericordes extiterunt, cuius rei multa in Scripturis habemus chirographa, & subscriptiones obligatorias. Alibi dicit Dominus; *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth.5, 7. Et in alio loco; *Ex substantia tua fac Eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Tob.4,7. Eccl.4,10. Ecclesiast. ait; *In iudicio esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quàm mater.* Prou.12, 25. Et Salomon; *Anima quæ bene dicit impinguabitur, & qui inebriat,* (exatiat alios) *ipse quoq; inebriabitur,* à Deo. Hæc, aliaque plurima testimonia demonstrant, quàm paratus est Dominus misericordiã facere cum his, qui misericordes sunt: atqui hoc summum bonum est, quod in hac vita quis posset desiderare. Non contentus simplici promissione Spiritus S. vlterius progreditur, Deum tradens obsidem, vel seruum homini misericordi: secundùm id quod ex duabus auctoritatibus Salomonis simul iunctis colligitur. Vna est; Prou.19, 17. *Fœneratur Domino, qui miseretur:* Alia; *Qui accipit mutuum seruus est fœnerantis.* Prou.22,7. Quod si vtrumque verum sit, negari non potest, Deum esse quasi obsidem illius, qui pauperi miseretur: talis enim fœneratur Domino. Quid quæso certius, quid iucundius, quàm talem habere obsidem, & seruum (si dicere liceat) qualis ipse Deus est? Et quid desiderabilius, quàm claues diuinorum eius viscerum habere in manibus nostris, quibus misericordiæ illius thesauros ipsi possumus aperire? Eas enim sine dubio misericors in manibus suis habet, iuxta illud Nazianzeni: In manibus nostris est, vt Deus nobis misericors sit. Misericordes simus nos erga proximos nostros, & ipse misericors erit erga nos: cuius misericordia si nobis negetur, quis nostri miserebitur? Misericordiam igitur exhibeamus proximis nostris, & Deus misericors erit nobis. Quare quid optari posset præstantius?

MISERICORDIA PECCATORVM remissionem habet sibi annexam.

CAPVT XXXII.

EST & aliud misericordiæ priuilegium, nequaquam contemnendum, quod scilicet annexam habet peccatorum remissionem. Etenim licet multa sint media, quibus peccatorum remissionem accipimus, vnum tamen ex certissimis & maximè præcipuis est misericordia. Cuius rei non minora in Scripturis habemus testimonia. Dicit enim *Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis.* Eccl.3.33. Et alibi; *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu* (pauperis) *maximam indignationem* Prou.21,14. (Dei.) Rursus alio loco; *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Tob. 4, 11. Denique & Dominus ipse in Euangelio vno verbo hęc omnia complectitur, dicens; *Veruntamen quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc.11,41. Hæc cùm optimè intelligeret Prophetа Daniel, non habuit aliud consilium, quod dare potuit Regi Babyloniæ, cùm audisset sententiam cœlitus in illum pronunciatam, præter hoc; *Consiliũ,* Dan.4,24. ait, *meum Rex placeat tibi, & peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Est igitur primarium remissionis peccatorum impetrandæ remedium Eleemosyna, qua deficiente, periclitatur, qui illam postulat. Frustra namque manus extendit, ait quidam Doctor, vt peccata sibi condonari petat is, qui non extendit illas ad proximum, succurrens illi, vbi potuit in necessitate. Cui astipulatur alius quidam Doctor inquiens; Si pauperes nõ essent, tanta & tot peccata Deus non dimitteret. Sunt enim pauperes medici nostrorum vulnerum, & manus quas extendunt ad nos, remedia nostra sunt. Non tantæ virtutis est medicus ad sanandum corpus nostrum, cùm manus exerit, & emplastrum apponit, quantæ sunt pauperes ad sanandas animas nostras, quando manus aperiunt, ad accipiendam nostram Eleemosynam. Date igitur Eleemosynam, cùm non ignoretis peccata in conspectu illius euanescere, vt & Propheta testatur, cum dicit, Sacerdotes comedere peccata populi: per merita namque Eleemosynarum, quas illi recipiebant à populo, populus vicissim accipiebat remissionem peccatorum, quæ perpetrârat. Osee.4.

ELEEMOSYNA OPVS EST meritorium.

CAPVT XXXIII.

NEque virtus hæc tantum liberat hominem à peccatis præteritis, sed etiam nouis hominẽ ditat meritis: thesauri namq; eius tanti sunt, vt ipsa sit modus & ratio omnes & singulos beandi, atque ditandi. Ratio est; opera namque misericordiæ, prout pœnam habent adiunctam, sunt satisfactoria, & quatenus fiunt ex charitate, sunt meritoria: atque ita modo priori soluit quod debet, posteriori augetur id quod habebat. De vtroq; insignem figuram habemus in historia Elisei; & paupercule viduę, quam petentem auxilium, vt posset mariti sui creditoribus satisfacere, Propheta rogauit; *Dic mihi quid habes in domo tua?* cui respondit illa: *Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, nisi parũ olei, quo vngar.* 4.Reg. 42. Iussit autem Propheta illam mutuò petere ab omnibus vicinis suis vasa vacua, non pauca: deinde ingredi domum ostium claudere, manere ibi cum filijs, atque oleum quod habebat, mittere in omnia vasa illa. Fecit mulier vt iussa erat, filij adferebant vasa, & illa infundebat oleum. Virtute verò & benedictione Dei oleum sic creuit, vt omnia vasa fuerint impleta, & mulier habuerit vnde redderet creditoribus suis; ipsaque cum filijs honestè posset viuere. Et quid est hoc nisi manifesta figura eius, quod virtus hæc operatur? Reuera namq; quantumuis inops est anima, modò non desit ei exiguum illud olei misericordiæ, & si eadem, qua mulier hæc, industria nouerit parum illud in necessitates pauperum effundere, idque tam secretè, vt *sinistra manus nesciat, quid facit dextera,* Matth.6, 3. securus sit, quia multiplicabitur fructus & meritum eius: condonabuntur ei peccata præterita, & nouis meritis cumulabitur. Hoc est quod Propheta dicit; *Dispersit: dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* Psal.111, 9. Ob eandẽ illam causam Apostolus Eleemosynam semen appellat, dicens; *Qui parcè seminat, parcè & metet: qui* 2.Cor.9, 6. *seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Vt significet, vti semen quod seminatur (licet nil aliud videatur quàm abiectio & dissipatio bonorum) non abijcitur, sed multiplicatur: sic & abiectio facultatum, quæ fit propter amorem Dei, non perditur, sed accrescit: adeo vt reddatur centuplum & Matth.19. postea quoque vita sempiterna. Hanc ob causam monet Salomon; *Mitte panem tuum,* inquit, *super* Eccl.11.1. *transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum.* Nihil magis perire putatur, quam quod in rapidum flumen abijcitur: talis autem videtur & Eleemosyna homini mundo huic dedito; sub finem autem

autem cursus sui inuenietur fructus illius, quando homo in hora mortis eius comitatu stipabitur, & postea in altera vita præmium illius recipiet. Hæc enim est candela, quæ debet præcedere, seu præferri: & quæ lumen debet nobis præbere, cùm per illam ignotam & obscuram alterius vitæ regionem eundũ erit, per quam nemo viuentium proficiscitur. Hanc ob causam Propheta Esaias, postquam commendauit exercitium operum misericordiæ, confestim subiungit; *Tunc anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Dei colliget te.* Vnus enim ex præcipuis titulis, cuius vigore petenda & expectanda est gloria Dei, est, ante se præferre meritum istius misericordiæ. Ex quo patet, quàm vtilis est negotiatio hæc, ad transferendum in cœlum thesaurum nostrum, & in aliã vitam comportandum, quæ in hac velimus nolimus erunt relinquenda. Hinc est illa passim celebrata D. Ambrosij sententia; Non sunt bona hominis, quæ secum ferre non potest. Sola misericordia est comes defunctorum. Adeò vt in illo die, quo Principes & Monarchæ se solos; & ab omni comitatu & magnificentia status sui derelictos inuenient, sola illos misericordia comitabitur, nec tantum comitabitur, sed & defendet illos in iudicio, vt postea dicemus. Optimè igitur, dictum est à Gregorio Theologo; Possideamus animas nostras in Eleemosynis, impertiamur pauperibus ex bonis nostris quæ hic possidemus, vt ditemur illis quæ illic sunt: da partem & animæ, ac nõ carni soli: da partẽ & Deo, ac non solum mundo auser aliquid à carne, idq; sanctifica spiritui: rape aliquid de igne, & longe remoue à flamma depascente: rape à tyranno & cõcrede Domino da partem illi, à quo plura habes: da omnia ei, qui tibi omnia largitur. nunquam magnificentiam Dei superabis, etiamsi cuncta quæ possides, relinquas: etiãsi facultatibus tuis teipsum adijcias. siquidem Deo dare, accipere est. Idem est q, Dominus noster dicit in Euangelio; *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque rugo, neq; tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt & furãtur.* Et in alio loco; *Facite vobis sacculos qui non veterascunt: thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Idem alijs verbis alibi repetit, dicens; *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis*: hoc est; de diuitijs, quibus homines ferè iniquè abutuntur: *Vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ex quibus locis manifestissimè, liquet, quomodo in hoc genere contractus, multo maius est quod homo accipit, quam quod dat. Quamobrem inquit B. Augustinus; Memor esto, ô homo nõ tantum illius quod das, sed etiam eius, qui accipit. Dicet enim tibi pauper: Vide ô homo, quia non est minus quod ego tibi do accipiendo, quàm quod tu das mihi erogando. Nisi. n. esset qui à te acciperet Eleemosynam, nõ dares terrã, & reciperes cœlum. Noli in me respicere, sed in eum, qui fecit & te & me: quia enim audisti me, pete ab illo quod vis, & ipse audiet te. Age igitur gratias illi, qui pro tam vili pretio dedit tibi comparare rem tã pretiosam. Da terrena, & recipies cœlestia; da temporalia, & recipies æterna. Nemo igitur dicat se dare pauperi: verius enim dici potest, quod potius sibiipsi dat, quam pauperi. hæc August.

Esai. 58, 8.

Ambr. in quodam ser.

Greg. Nazian. orat. 10.

Matth. 6, 19.

Luc. 12, 33.

Luc. 16, 9.

Augustin.

Age igitur, quæ melior commutatio, vel quę quęstuosior posset inueniri negotiatio? Damus enim terrã, & recipimus cœlũ: damus panem hominum, & recipimus panem Angelorum: damus vas aquæ frigidæ, & recipimus fontem aquæ viuæ: damus deniq; quod non possumus retinere, & expectamus quod nemo potest à nobis tollere. Quare igitur facultates nostras, nostrumque thesaurum nõ transferimus eò, vbi semper sumus victuri. Quæ stultitia est, inquit Chrysostomus, illic reliquere, vnde exiturus es; & illic non præmittere, quo iturus es? illic ergo substantiam tuam colloca, vbi patriam es habiturus. Ideò reliquit tibi Dominus remedium in manibus pauperum, qui sunt harum facultatum numularij, & harum mercium institores, arculæ thesaurorũ Christi, & terra fertilis Isaac, quæ reddit fructum centuplum. Ex quo cognoscitur horum bonorum eam esse conditionem, cum disperguntur optimè custodiri, & cum inordinatè custodiuntur, dispargi. Iuxta hanc igitur fidei veritatem, quid quæso vtilius, quid magis necessarium, quàm dare homines quidquid habent, pro tam liberali & opulenta spe; cum etiam id quod verbum Dei promittit, multo certius sit, quam quod ipsi nos in manibus habemus?

Super illud Matth. 6. Nolite thesau.

Genes. 16.

Greg. li. 8. epist. 20.

HOMINI MISERICORDI DEBEtur auxilium in tribulationibus, & orans Deum exauditur.

CAPVT XXXIV.

CÆterum vtilitatibus prædictis, & bonis tam magnis adiũgam alia magis particularia, quæ nobis Eleemosynę beneficio possumus nos cõparare. Vnum eorum est auxilium Dei in tribulatione, quod profecto magna cũ ratione homini misericordi debetur. Dicit enim Saluator, qua mensura mensi fuerimus, quod eadem remetietur nobis: equũ ergo est, vt qui succurrit proximo suo in tribulationibus, quibus ille obruitur, eidẽ etiam succurratur à Deo in suis. Et si hominis grati & amici fidelis sit, reddere suo tempore, beneficium illi, à quo beneficium accepit, & auxiliari à quo auxilium cum periclitaretur accepit, quid non faciet fidelissimus ille Dominus, qui toties dixit, beneficium quod fit pauperi, sibijpsi fieri? istud repræsentant admirabili quodam modo benedictiones, quas Propheta Regius Spiritu S. plenus, in quodam Psalmo hominibus, qui misericordes sunt, optat dicens; *Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Et quæ maiores benedictiones, quæue meliores precationes possent optare pro mercede sua, qui sunt misericordes? Meditare quęso, quanto affectu fuerit Propheta erga virtutem hanc, cum hæc precaretur ijs, qui ista virtute exornabantur? Nec talia precatus est ijs sine causa; sed quia non ignorabat hanc mercedem illis à Domino constitutam. Scriptũ enim est; *Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit.* Et in alio loco dicit idem Ecclesiasticus; quod Deus prospector est eius, qui reddit gratiam, & quod in posterum meminit, & in tempore casus sui inueniet firmamentum. Idem promittit Dominus apud Esaiam, cum dicit; *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies:* declarans manifestè quod quoties homo erit in angustia & tribulatione, adeò vt à nulla circumquaq; parte appareat radius lucis, vel spei minimæ, tùc visitabitur, & consolationes à Deo accipiet tantas, vt angustiarum tenebræ vertantur subito in lucẽ prosperitatis, quasi meridianam. Patet hoc in Eleemosynis Tobiæ, quarum beneficio meruit liberari à maximis tenebris, non tantum cæcitatis corporis, sed etiam ab alijs omnibus angustijs & tribulationibus, quæ illum obruebant; æquum enim omninò erat, vt à Deo iuuaretur, qui toties antea proximum

Matth. 4.

Matth. 25.

Psal. 40, 2.

Eccl. 40, 24.

Eccl. 3.

Esai. 58, 10.

mum iuuârat. Ita accidit viro huic sanctissimo; & idé euenturum suo modo omnib. qui misericordiã amant, intelligebat idem, cùm filio suo virtutem hanc commendans, diceret; *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum libenter impartiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Tob.4.9.

Huic gratiæ accedit alia, priori non dissimilis: hominem scilicet propter Eleemosynas à Deo in orationibus suis exaudiri. Idque ob eandem rationem. Quemadmodum enim tu exaudisti voces pauperũ clamantium ad te: ita etiam Deus audiet voces tuas, cùm clamaueris ad eum, Ideo namque Esaias, cùm dixisset; *Frange esurienti panem tuum & egenos vagosque induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum, &c.* addit; *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet; Ecce adsum; quia misericors sum: ait Dominus.* Quasi diceret; Quia natura mea misericors sum naturaliter misericordia delector, & misericordes diligo: ideoque eadem moneta illos remunero; hoc est, sicut illi audiunt clamores pauperum, sic & ipsi à me audiuntur. Nec tantũ exaudiuntur, cùm clamant, sed & cùm tacuerint: misericordia namque ipsorum clamabit pro illis, iuxta illud Ecclesiastici; *Conclude Eleemosynam in sinu, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* E contrariò verò, qui non exaudit pauperes clamantes à Deo quoque non audiretur: teste Salomone dicente; *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Esai.58.7. Eccl.29.5. Prou.21.13.

MISERICORDES IN DIE IVDICII vitam æternam recipient.

CAPVT XXXV.

QVis posset amplius desiderare? tamen præter hæc maius quid, & quod maiori in pretio est habendum, subijciemus: præmium scilicet æternæ vitæ, & defensionẽ, iis qui misericordes sunt, in die iudicij præparatam. O quàm securi, & quanta cum fiducia stabunt in illa die coram Iudice, qui misericordia vestiti inuenientur? Dicit enim S. Tobias; *Fiducia magna erit coram summo Deo Eleemosyna omnibus facientibus eam.* Si Dæmones contra eos resurrexerint, virtus hæc eos defendet: teste Ecclesiastico, qui dicit; *Eleemosynam super scutum potentis, & super lanceam aduersum inimicum nostrum pugnaturam.* Et si Deus ipse condemnauerit eos, & dixerit se reperire in eis septem peccatorum mortalium vestigia, respondebunt; Domine pro septé istis peccatis mortalibus, offerimus tibi septem opera misericordiæ, in quibus nosipsos amore tui semper exercuimus. Tu dixisti; *Beati sunt misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Tu dixisti; *In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.* Tu dixisti; *Eleemosyna liberat à morte, & non patietur animam ire in tenebras.* Tu dixisti; *Superexaltat misericordia iudicium iustitiæ tuæ*; quos enim condemnat iudiciũ, absoluit misericordia. Serua igitur Domine quod promisisti, & glorificare in veritate verborum tuorum, atque misericors estó his, qui misericordiam fecerunt. Quid dicemus amplius? Tu sanctissimo ore tuo affirmasti, quod in die iudicij segregabis agnos ab hœdis, hoc est, bonos à malis; & quod bonis dices; *Venite benedicti patris mei & cæt. esurijui enim &c. dedistis mihi &c.* & ego reddam mercedem vobis. Quæ maior remuneratio posset cogitari? Quam fortunati erunt qui audient ex ore filij Dei vocem hanc iucundam, & melle dulciorem: *Venite benedicti patris mei?* Sola vox illa debebat nos, non tantũ ad misericordiam mouere, sed insuper inuitare, vt currentes per mare, per terras, quæramus pauperes, quibuscum misericordiam facere possemus, vt in illo die vocem hanc audire mereamur. Tob.4.12. Eccl.29.18. Matth.5.7. Matth.7.2. Tob.4.11. Iacob.2. Matt.25.34. Matt.25.34.

Granat. Opusc. spiritual.

Sed quid sibi vult, vt cùm tot opera bona sint, quibus æternam vitam meremur, hic solius misericordiæ fiat mentio? Multa hic sunt considerandã. Primò admiranda est hoc loco diuina Sapientia, quæ cognoscens magnam hominum auaritiam (quæ proprio suo semper inhiat lucro) tantum illis præmium proposuit, vt inuitaret eos ad misericordiam; quò vel magnitudo præmij duritiem cordis emolliret. Videtur etiam hic ineffabilis Dei liberalitas, summumque illius desiderium, quo nostram appetit salutem. Offeret enim nobis summum bonum, pro infimo & abiectissimo. Summum enim bonum est gloria beatorum, & infimum est pecunia: vnum tamen dat pro alio, hoc est pretiosissimum pro vilissimo. Dat denique pro pecunia, quod ipse nequaquam emit pecunia, sed suo sanguine comparauit. Offertur etiam hic admirabilis bonitas, charitas, & prudentia Dei; qui cùm intelligeret, necesse fore, vt pauperes essent in mundo (vtile enim erat hoc & illis, & nobis: vt illi patiendo, & nos compatiendo; illi per patientiam, nos per misericordiam regnum cœlorum mereremur) voluit etiam & illis, & nobis esse in promptu remedium, quod tam liberali promissione nobis commendauit, dicens; *Quam diu fecistis vni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis.* Si enim Rex quispiam peregrè proficiscatur, & magnatibus regni dilectissimum & vnicum filium suũ velit commendare, quo alio verbo posset hoc facere, quàm dicendo; Quod huic dilecto filio meo feceritis, & facere poteritis, id omne mihi facietis, & tantas à me gratias recipietis, quantas si ipsi mihi fecissetis? Quo dulciori verbo potuisset Dominus noster causam pauperum commendasse, quam seipsum in locum eorum constituendo, & causam pauperum suam faciendo? O admiranda paupertatis excellentia, cũ ea in persona Dei repræsentetur, adeò vt Deus ipse abscondat se in paupere, & manum quidem extendat pauper, Deus verò quod datur, & idem ipse qui mercedem pollicetur, accipiat. Si pauperes essent Reges & Principes terræ, non admirarer, si tantopere cõmendarentur: sed cum sint peripsemata & feces mundi, q. se Deus illis comparat, eosq; suo loco statuit, quæ potest esse maior nobilitas, bonitas, & misericordia? *Quare in inquibus æternam vitam meremur, hic solius misericordiæ fiat mentio?* Simile. Matt.25.40.

Hæc est igitur vna ex præcipuis laudibus, quæ de illa virtute prædicantur. vt illa interueniente hominis causa iustificetur, in die iudicij. Eã ob causam dicit Apostolus, virtutem hanc vtilem esse ad omnia; *habet enim promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ:* in quæ verba sic ait Glossa; Omnis summa disciplinæ nostræ in misericordia & pietate est, quam sequens si lubricum quid carnis patitur, vapulabit: si quis autem solum exercitiũ corporis habuit, perennes pœnas patietur. Quod intelligendũ nõ est de his, qui in Eleemosynis confidunt, & in peccatis perseuerant: hi enim abutuntur (vt ait Apostolus) benignitate & patientia Dei, quæ expectat illos ad pœnitentiam. Vnde B. Gregorius ait; Qui indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam à nequitia nõ custodit, rem suam, Deo tribuit, & se peccato. Hoc quod minus est obtulit Creatori, & hoc quod maius est seruauit iniquitati. Non igitur hic promittitur salus his, qui cum hac spe perseuerant in peccatis: sed ostenditur his verbis quãta sit excellentia huius virtutis inter omnes alias, & quanta ceteris potentior ad consequendum regnum cœlorum. Hoc, & quidé apertius dicit B. Hieronymus; Non memini me legisse, ait, mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri, Quod si ita sit, magna profectò virtus est Eleemosyna, inquit Doctor quidam, posteaquam tanta cum 1.Tim.4.8. Rom.7. Greg.lib.19. moral. & 3. parte Pastoral.ca.11. Hieron.epi. ad Nepot.

fiducia suos amatores in regnum cœlorum introducat. Est. n. ianitoribus eius regni excubijsq; illius palatij notissima, nec tantũ notissima sed etiã gratissima. quãobrem tanta cũ fiducia portã aperiunt omnibus his, à quib. illa fuit in honore habita. Nã si illa potuit Deum è cœlis in terram deducere, multo facilius poterit hominem è terris in cœlos adducere. Et in alio loco idem Doctor ait: Admirandum sanè est; quod pauper aliquis cæcus accipiens Eleemosynam à nobis, nos ducere potest ad cœlum, & qui innixus muro vix sine lapsu potest ambulare, nobis potest viam ad cœlum monstrare. Sed hanc potentiam dedit illi virtus misericordiæ. Communiter etiam afferunt Doctores, Seruatorem nostrum ob hãc causam, non aliunde, quàm à monte Olueti in cœlum ascendere voluisse: insinuans virtutem misericordiæ, per montem illum significatam, eam esse, quæ homines in cœlos facit ascendere. Eodem modo scribitur de Rege Salomone, qui iussit fieri ostiola duo de lignis oliuarum, per quæ in Sancta Sanctorum Pontifex ingrediebatur: vt similiter significetur, quod per exercitium operum misericordiæ, per arborem istam significatæ, homines debent intrare in regnum Dei. Si itaque omnia desideria nostra, si omnis nostra spes tendat ad portas istas, & in hoc studio tantopere nos iuuet misericordia, quis erit adeò durus, & suijpsius inimicus, qui non libenter velit paucorum denariorum facere iacturam, vt comparet sibi thesaurum tam inæstimabilem?

Cur Dominus à monte Olueti voluit ascendere cœlum.

3. Reg. 6.

ELEEMOSYNAS NON VTILES tantum; sed & necessarias.

CAPVT XXXVI.

CÆterum posset fortasis quispiam dicere omnes gratiæ prædictæ (licet maximæ sint) inuitant quidem, sed non compellunt ad misericordiam faciendam. Vt autem hæc obiectio locum non habeat, adiungam prædictis necessitatem, quæ compellit eos omnes ad misericordiam, qui habent dandi potestatem. Hanc necessitatem prædicant & testantur omnes Scripturæ Sacræ tam præcedentes, quam subsequentes Etenim is Dominus, qui vocabit misericordes ad regnum patris sui, propter opera misericordiæ, quæ fecerunt, idem reijciet crudeles & inhumanos ab hoc regno, eo quod opera illa non fecerunt, dicetque: *Ite maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi cibum, &c.* Ex quo liquet, quod quemadmodum misericordia vni aperit portum regni cœlorum si crudelitas & inhumanitas alteri eandem claudit: nam vt Iacobus Apostolus dicit; *Iudicium sine misericordia erit illi, qui non fecit misericordiam.* Quid igitur proderit homini, si fuerit iustus, & non sit misericors? Infelix hominis vita, quocunque in precio sit (ait Augustinus) si sit à te Domine iudicata. Infelix etiã ille, qui non fecit misericordiam, quia sine misericordia iudicabitur. Idem alijs verbis ait Basilius; Non misertus es, non inuenies misericordiam: non aperuisti domum, repudiaberis à regno. Non dedisti panem, non accipies vitam æternam. Et in alio loco? Securus esto, fructus quos metes similes erunt semini quod seminasti amaritudinem, amaritudinem metes. Seminasti crudelitatem metes. Fugisti misericordiam, misericordia fugiet à te. detestatus es pauperem, detestabitur vicissim ille te, qui propter homines pauper factus est.

Matth. 5.

Matt. 25, 41.

Iacob. 2, 6.

Aug serm. 50, de tempore.

Basil. ora. ad diuites.

Istæ, similesque aliæ comminationes, etsi communiter pertineant ad omnes, qui facultatem habent dandi, & non dant (si magna aliqua id requirat proximi necessitas, licet non sit extrema) potissimũ tamen ad diuites pertinent, qui habentes arcas plenas diuitijs, & pauperes sinunt inedia perire. Hos repræsentat dives ille Epulo in Euangelio, qui tam inhumanus fuit in Lazarum fame morientem, vt micas de mensa sua cadentes illi negauerit. Memento, ait Augustinus, quid purpurato diuiti cõtigerit: qui nõ ideo damnatus est, quod aliena tulerit, sed quod egenti pauperi sua non tribuerit: & in inferno positus, ad petenda minima peruenit, qui hic paruane. gauit. Tales etiam diuites auari per alium illum diuitem Euangelicum notantur, cui vberes fructus cũ ager attulerat, non egit Deo gratias, sed cogitauit intra se dicens, *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare*: quæ verba pro concione tractans S. Basilius ait: O absurditatem, si suillam haberes animam, quid aliud quã hoc ipsum annunciare potuisses? Destrue omnem domum, auaritiæ custodem: subuerte fornices, demolire muros, ostende soli frumentum carioſum: educ ex carcere vinctam opulentiam, duc in triumphum tenebrosa mammonę habitacula. Habes horrea, si voles, domos pauperum; reconde tibi ipsi thesauros in cœlum. Quid est quod impedit largitionẽ? Non adest indigus? non sunt plena horrea? non paratæ merces? non præceptum clarum? esuriens consumitur, nudus riget. Vnam nosti vocem; Non habeo, neque dabo: sum enim pauper. Reuera pauper es, & omnis boni inops; pauper dilectione, pauper humanitate, pauper fide in Deũ, pauper æterna spe. Cui, inquis, iniuriam facio si mea retineo, atque conseruo? Qualia dic mihi tua? vnde accepta in vitam intulisti? Si à casu spontaneo dicis, impius es. Cur ergo tu dives es, ille verò egenus? Profecto omninò quo & tu bonitatis ac fidelis dispensationis mercedem accipias, dans Eleemosynas, & ille ob magna patientiæ certamina præmia ferat. Vide igitur quid facias, qui non solum detines, quæ tua sunt: sed etiam quæ sunt proximi. Esurientis est panis, quem tu detines; nudi est pallium, quod tu in vestiario conseruas; discalceati est calceus, qui apud te computrescit; indigentis est argentum, quod apud te defossum est. Videsne diuitias esse redemptiones animarum, & qui seruat, eas perdere: qui verò perdit propter Deum; eas conseruare? Vidi quosdam qui ieiunabant, orabant, & commissa peccata deflebant: denique in omni genere virtutum sese exercebant, quę sine pecunia poterant exerceri: & tamen ne denarium quidem erogare volebant pro amore Dei: habẽtes nihilominus diuitias superfluas multas. Quid proderit illis omnium reliquarum virtutum obseruantia, cum sine misericordia non possint regnum Dei possidere? Omnia hęc verba sunt S. Basilij diuersis ex locis collecta, quæ quidem manifestè ostendũt, summam huius virtutis necessitatem, præsertim in his, qui potestatem habent misericordiam faciendi. Etenim si non moueant omnes excellentiæ, atq; insignes gratiæ paulò ante commemoratæ, ad inflammandos animos nostros amore tantæ virtutis, sufficiat saltem necessitas, quæ vincit omnia.

Luc. 16.

Augusti. de consti. dis. Virtu. Idem Greg. Hom. 40. in Euan. 8. Luc. 16.

Luc. 12, 19.

Homil. in illud Destruam horrea mea.

Notandum.

Ad maiorem autem huius confirmationem, subnectam his metuendam Diui Ioannis sententiam: *Qui habuerit*, inquit, *substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Quid hac sententia magis horrendum? si enim verum sit argumentum, eum non habere charitatem, qui proximo non opitulatur in sua necessitate, quid fiet de diuitibus huius mundi, qui hæc tam facilè cõtemnunt? Vbi enim non est charitas, non est gratia: vbi verò non est gratia, ibi quoque non erit gloria,

1. Ioan. 17.

Proinde quomodo securè & suauiter viuere poterit, qui in tanto versatur periculo?

ELEE.

ELEEMOSYNIS DANDIS ETIAM bona temporalia augeri.

CAPVT XXXVII.

EX omnibus his euidētissimè colligitur, in quā-to pretio habenda sit virtus, ad tam multa vtilis. Et sanè oportet vt sit cor valdè durum, auarum, & inops omnis misericordiæ, quod tot promissionibus ad misericordiā non mouetur. Quod si autē quis adeo sit cœcus, & suipsius amator, & iniquus rerum æstimator, vt maioris faciat vtilitatē bonorū temporalium, quam ea quæ hactenus dicta sunt: ita vt nihil versetur in corde illius, præter temporale cōmodum: neq; in hoc, si placeat, ab illo dissentire volumus: imò quod optant plenis illi manibus largiremur. Est enim tā excelsa & admirabilis diuina bonitas, & cura illius, qua est erga illos, qui benè operantur, vt ijs non in futura tantū vita, sed etiā in præsenti suā mercedē assignauerit. Nouum hoc & inauditum videtur, tamē non minus hoc, quā alia, diuinarū scripturarum testimonijs possumus probare. Neq; ad id probandum allegare tantū volumus testimonia legis veteris, aut celebre illud ca. vigesimū octauum Deutero. vbi promittuntur tā insignes benedictiones, & amplæ prosperitates in hoc seculo cūctis legis obseruatoribus (erat enim hoc valdè commune in illo rerum statu) sed citabo etiā verba Salomonis: vbi dicit: *Honora Deum de tua substantia, & de primitijs omnium frugū tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Præter hanc promissionē habemus etiam aliā, quæ ait: *Qui dat pauperi, non indigebit, qui despicit deprecantem, substinebit penuriā.* Eandē sententiā & alio loco alijs̄q; verbis habet Salomon, cum dicit: *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper sunt in egestate.* Testatur idem B. Apostol. manifestissimè, scribens ad discipulum suum Timotheum, cum ait: *Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habēs vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Videsne quomodo hinc inde omnibus qui misericordes sunt omnia prospera tam in hac, quam in illa futura vita promittūtur? Si itaq; cor tuum non moueatur ad hanc virtutem promissionib. bonorum spiritualiū, habes hic quod appetis, bona scilicet temporalia, quæ similiter promittuntur ei, qui dat, quod habet, propter amorem Dei. Eam ob causam suadet Sapiens, vt demus partes septē, nec non & octo de facultatibus nostris, propter Deum: septē ad consequēda bona quæ pertinēt ad hanc vitā, quæ significatur per numerum dierum septimanæ: & octo, quæ vnitate numerum illum excedunt, ad impetranda bona alterius vitæ, quæ per illū numerū designatur. Deniq; omnia illa testimonia nihil aliud dicunt, quam quod Christus ipse postea confirmauit, inquiens: *Date, & dabitur vobis.*

Deut. 28.
Prou. 3, 9.
Prou. 28, 27.
Prou. 11, 24.
1. Tim. 4, 7.
Eccl. 17.
Luc. 6, 38.

Ostendit hoc manifestissimè Dominus noster, qui hoc typicè promisit in vidua, quæ cum Helia exiguū illud, quod habebat, diuisit: nimirum quantum pugillus capere poterat farinæ, & paululum olei in lecytho: quod sibi & filio tempore famis reseruarat: nihilominus cum Propheta ab illa Eleemosynā petijt, prius Prophetæ, quam sibi prandium parauit, & non dedit ei de multo exiguum, sed exiguum illud dedit totum: & dum fame propemodum moritur filius, prius Prophetæ dat, quod comedat, quam filio, & paulò post in tā magna rerum penuria, prius sensit diuinā misericordiam, quam vitæ necessitatē. Sed per hanc fidem & liberalitatem meruit, vt nec hydria farinæ defecerit, nec lecythus olei diminutus sit vsq; ad diem, in qua Dominus pluuiam dedit super faciem terræ. Vides hic matrem non subtraxisse filio, quod dedit Prophetę: imò per istud medium copiosius dedisse. Et hęc bona vidua, inquit Cyprianus, non cognouit Christum, non audierat eius doctrinam, non erat eius sanguine redempta: eius carnem non ederat, eius sanguinem non biberat, & tamen adeò pia extitit, vt in illa facilè videatur quam turpe sit diuitem esse, & in Ecclesia Christi viuere, nihilominus inhumanum esse: cum hæc vidua gentilis vel ethnica, tanta sit vsus pietate.

3. Reg. 17.

Cyprian l. 8 Serm. de Eleemosyna.

Neq; illud est solum & vnicum exemplum, quo confirmare possumus hanc veritatem: sed plenæ talibus exemplis sunt omnes Scripturæ, & Sanctorum vitæ, in quibus legimus diuitias, quæ tali cum fide & charitate fuerunt distributæ, non esse diminutas, sed mirum in modum auctas: qua in re non voluit Dominus ostendere magnitudinem suæ bonitatis, & fidelitatis, qua est erga illos, qui aliquid boni amore sui faciunt: & vt confirmet veritatem suæ sententię, qua dicit: *Date & dabitur vobis.*

Luc. 6, 38.

Quæro nunc ex te, mi frater, Credin, hæc esse vera? Si dixeris: Non certè fidem nō habes, & Christianus non es, quia verbis Christi fidem non adhibes. Si dixeris quod credis: confiteri debes te dando Eleemosynam nihil amittere tuarum substantiarum, sed eas multiplicare, non solùm spiritualiter, sed etiam corporaliter. Et licet tu id non videas, necessariò tamen credere debes, ita se rem habere, cùm Deus id locutus sit. Sed dic mihi, cur credis Deum esse trinū & vnum? Dices, quia Deus hoc dixit, atque id mihi sufficit vt credam. Et idem Deus qui dixit hoc, etiā dicit, quod *qui dat pauperi, non indigebit.* Si credideris vnum, licet omnem superet rationem, cur aliud non credis, etiamsi tu modum non intelligas? Sin autem crediderīs hoc firmiter, cur auarus es, & parcus in distribuēdis bonis tuis, cùm fides tibi dicat, diuitias distributas & erogatas multiplicari? Quia scis semē in terra multiplicandum, abijcis illud cum fiducia, licet te spes subinde fallat: quod si autem firmius adhuc credas, Eleemosynam quam erogas, esse semen quod seminas, & quod in cœlo & in terra multiplicabitur, cur adeò sordidus & auarus es in hoc semine seminādo, cum in alio tā sis liberalis? Si dixeris te in distribuendis diuitijs tuis non videre, quomodo possibile est, eas multiplicari posse: respondeo: minus te videre, quomodo Deus trinus est & vnus. Si credas hoc, quia Deus dixit: etiam illud credere debes, quia non minus illud, quam hoc idem Deus testificatus est: & auctoritatem eandem, quam habet illud, etiā hoc habet: licet vnum credatur sine sumptibus, alterum non. Propter hanc itaque solam rationem, aut negare fidem debes, aut confiteri verum esse, quod Scriptura dicit: *Qui dat pauperi non indigebit.* Si itaque Deus & fides hac in re securum te faciant, si nō moueant te spiritualia commoda, cur non mouent, quæ appetis tantopere, temporalia? Vides vndiq; te inexcusabilem esse: si desideres bona spiritualia, ecce offerimus tibi copiæ cornu: si temporalia, eadem quoq; promittit Dominus mensura superabundāti: vtilis enim est hæc virtus ad consequenda bona vitę, quæ nunc est, & futuræ: quid igitur prætendere, quo te fuco poteris excusare, quo minus Eleemosynas des, & misericordiam facias?

Luc. 6, 38. Dilemmate vrget Eleemosynā dandā, & diuitias nihilominus augeri.

Prou. 28, 27.

Prou. 28, 27.

PROBATVR MAIORA ESSE QVAE per Eleemosynas restituuntur commoda, quam damna, quæ dantes accipiunt.

CAPVT XXXVIII.

REuertamur nunc ad principiū, & conferamus inter se ea quę præposuimus: mittamus in vnā lancem damnum, quod sequitur Eleemosynā, & in alteram bona omnia, quæ verbum Domini promittit his, qui erogant eam: vt videas, si hæc

digna sint, pro qua illud subeatur. Mittamus primò excellentiam, quæ hic acquiritur: fieri nimirum similem Deo in glorioſiſſima re, quæ in Deo verſus hominem inuenitur: nempe miſericordia: præterea familiariter ab illo amari, tanquam à perſona ſibi ſimili, quæ eſt excellentia ſecunda. Huic addamus tãtum habere ius, & tot nominibus dignos eſſe diuina miſericordia illos, qui cum hominibus miſericordiã fecerũt: cui etiam ſubijciamus alia bona omnia, quæ poſt illud ſequuntur, vt ſunt remiſſio peccatorum, augmentum meritorum, theſaurus in alia vita, auxilium in tribulationibus, efficacia orationum, defenſio in die Iudicij, ſalus & vita perpetua, & omnibus iſtis iungamus etiã bonorum temporalium proſperitatem, & augmentum, quæ promittit Deus omnibus ijs, qui ſua cum pauperibus partiuntur. Hæc omnia iaceãt in vna lance, in alteram mittamus modicum illud damnum, & exiguam ſubſtantiæ iacturam, quo facto videamus, an iuſtum & æquum ſit, vt homo modico illi damno temporali tantã bonorum copiam poſtponat, & tot ſimul bona propter illud vnum amittat.

Neſcio quis adeò velit eſſe impudens, vt hæc altius inſpiciens, & profundius examinans, velit eſſe tenax & auarus, cùm tam opulenta illi à Deo offerantur patrimonia. Dixi ab initio defectum lucis, & cõſiderationis primariam eſſe malorum noſtrorum cauſam. Etenim quis erit ille, qui ſtatuẽs hæc omnia ante oculos ſuos, non in lucro velit deputare, quidquid amittit pro tantorum bonorum abundantia? Quæ iactura poteſt eſſe tanta, quæ non abundanter tot bonis compenſabitur? Quod cum ita ſit, mirandũ ſanè eſt, quotidie inter Chriſtianos cupiditatẽ hominum adeò accendi, & Charitatem eum in modum refrigeſcere. Omninò mihi perſuadeò, ſi Ethnici hæc intelligerent, execrarentur, & deteſtarentur nos, tãquam gentẽ habentem fidẽ huius veritatis, & nolentem tantis frui bonis: vtpote quę minimè tam inclyta ſpe ſeſe dignam exhibet, quemadmodum plurimi Sancti fecerunt.

Ceterum ſi quis tam deploratè cæcus ſit, & obſtinatus, vt velit adhuc vrgere detrimentum rei ſuæ familiaris, & filiorum ſuorum prouiſionẽ, atq; dicere: Propterea ſe non poſſe in Eleemoſynis dãdis eſſe liberalem, quia prolem habet hæredẽ, audiat quid dicat B. Cyprianus: Metuis, ait, ne fortè patrimonium tuum deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis: & neſcis miſer quia dum times ne res familiaris fortè deficiat, vita ipſa & ſalus deficit: & dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non reſpicis quod ipſe minuaris amator magis Mammonæ quã animæ tuę, vt dum times ne pro te patrimonium tuum perdas, ipſe pro patrimonio tuo pereas. Et ideò benè Apoſtolus clamat & dicit: *Nihil intulimus in hunc mundum, verùm nec auferre poſſumus: habentes autem exhibitionem & tegumentum, his contenti ſimus. Nã qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in muſcipulas, & in deſideria multa & nociua, quæ mergunt hominẽ in perditionem & interitum: Radix enim omnium malorum cupiditas eſt, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inſeruierunt ſe doloribus multis.* Metuis ne patrimonium tuum fortè deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis? quando enim factum eſt vt iuſto poſſent deeſſe ſubſidia, cùm ſcriptum ſit: *Non occidet fame Dominus animam iuſti?* Helias in ſolitudine coruis miniſtrantib. paſcitur: & Danieli in lacu ad leonum prędã iuſſu regis incluſo, prandium diuinitus apparatur: & tu metuis ne operanti & Deum promerenti deſit alimentum? quando ipſe in Euangelio ad exprobrationẽ eorum, quibus mens dubia eſt & fides partua, conteſtetur & dicat: *Aſpicite volatilia cœli, quoniam non ſeminant, neq; metunt, neque colligunt in horrea, & pater veſter cœleſtis alit illa, nonne vos pluris eſtis illis?* Volucres Deus paſcit, & paſſeribus alimenta diuina præſtantur, & quibus nullus diuinæ rei ſenſus eſt, eis nec potus nec cibus deeſt. Tu Chriſtiano, tu Dei ſeruo, tu operibus bonis dedito, tu domino ſuo charo aliquid putas defuturum? Nam ſi putas quia qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur, aut eis terrena deerunt, quibus cœleſtia & diuina tribuuntur. Vnde hæc incredula cogitatio? & vnde impia & ſacrilega iſta meditatio? quid facit in domo fidei perfidum pectus? quid qui Chriſto omnino non credit, appellatur & dicitur Chriſtianus? Quid tibi iſtis ineptis & ſtultis cogitationibus plaudis, quaſi metu & ſolicitudine futurorum ab operibus retarderis? quid vmbras & præſtigias quaſdam vanæ excuſationis obtẽdis? Confitere imò quæ vera ſunt, & quia ſcientes nõ poteſt fallere, ſecreta & abdita mentis exprome. Obſederunt animum tuum ſterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine veritatis carnale pectus alta & profunda auaritiæ caligo cæcauit: pecuniæ tuę captiuus & ſeruus es: cathenis cupiditatis & vinculis alligatus es, & quẽ iam ſoluerat Chriſtus, denuò vinctus es: ſeruas pecuniã, quæ te ſeruata non ſeruat: patrimonium cumulas, quod te pondere ſuo onerat, nec meminiſti quid Deus reſponderit diuiti exuberantium fructuum copiã ſtulta exultatione iactãti: ſtultè, inquit hac nocte expoſtulatur anima tua à te, quæ ergo præparaſti, cui erunt? quid diuitijs tuis ſolus incubas? quid in pœnam tuam patrimonij tui põdus exaggeras, vt quo locupletior ſeculo fueris, pauperior Deo fias? Reditus tuos diuide cum Domino Deo tuo: fructus tuos partire cum Chriſto: factibi ex poſſeſſionum terreſtrium prouentu Chriſtũ participem, vt & ille te ſibi faciat regnorum cœleſtium cohæredem. Intuere in Euangelio viduam præceptorum cœleſtium memorem, inter ipſas preſſuras & anguſtias egeſtatis operantẽ, in gazophylacium duo quæ ſola ſibi minuta fuerãt, mittentem. Quam cum animaduerteret Dominus & videret, non de patrimonio, ſed de animo opus eius examinans; & conſiderans non quantum, ſed ex quanto dediſſet, reſpõdit & dixit: *Amẽ dico vobis, quoniam vidua iſta plus omnibus miſit in dona Dei.* Pudeat diuites ſterilitatis atque infelicitatis ſuæ: vidua & inops vidua in opere inuenitur. Cumq; vniuerſa quę dantur, pupillis & viduis conferantur, dat illa quã oportebat accipere, vt ſciamus quæ pœna diuitẽ ſterilem maneat cũ hoc ipſo documento operari etiam pauperes debebant. Atq; vt intelligamus hæc omnia Deo dari, & cùm quiſq; hæc facit, Deũ promereri, Chriſtus illud Dei dona appellat, & in dona Dei viduam duos quadrãtes miſiſſe ſignificat, vt magis ac magis poſſit eſſe manifeſtum, quia *qui miſeretur pauperis, Deo fœnerat.*

Sed enim multi ſunt in domo liberi, & retardat te numeroſitas filiorum, quo minus largiter bonis operibus inſiſtas: atqui hoc ipſo operari amplius debes, quo multorum pugnorum pater es, plures ſunt pro quibus Deum depreceris. Multorum delicta redimenda ſunt, multorũ precandæ conſcientiæ, multorum animæ redimendæ. Vt in hac vita ſeculari alendis ſuſtinẽdiſq; pignoribus quo maior eſt numerus, hoc maior eſt & ſumptus: ita & in vita ſpirituali atq; cœleſti, quo amplior fuerit pignorũ copia, eſſe & operum debet maior impenſa. Sic & Iob ſacrificia numeroſa pro liberis offerebat, quãtuſq; erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hoſtiarum. Et quoniam quotidie deeſſe nõ poteſt quod peccetur in cõſpectu Dei, ſacrificia quotidiana non deerant, quibus poſſent peccata tergi, probat diuina ſcriptura dicens: Iob homo verus & iuſtus habuit filios ſeptem & filias tres, & emundabat

Cypr. ſer. 1.

1. Tim. 6, 7.

Cupiditas radix malorum.

Prou. 18. 3. Reg. 17. Dan. 14.

Matth. 6, 26

Luc. 12.

Marc. 12, 43.

Prou. 19, 17.

Filiorũ numeroſitas liberalitatem & Eleemoſynas minuit.

Iob 1.

dabat illos, offerens pro eis hostias Deo secundum numerum illorum, & pro peccatis eorum vitulum vnum. Si ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam & paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes vt filios tuos Deo iusta operatione commendes. Nec enim liberis tuis cogites patrem, qui & temporarius & infernus est: sed illum pares qui æternus & firmus filiorum spiritualium pater est. Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus seruas: ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes iniurias seculares diuina maiestate protector. Patrimonium Deo creditũ nec respublica eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forẽsis euertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur. Hoc est charis pignoribus in posterum prouidere, hoc est futuris hæredibus paterna pietate cõsulere. Omnia hęc sunt D. Cypriani, ex quibus liquet, quam iniqua est eorum excusatio, qui ob nimiam filiorum suorũ solicitudinẽ, nolunt pauperibus succurrere. Idẽ conqueritur D. Augustinus cùm ait: Christus petit, & nõ accipit, & obtendis nomen pietatis crudelibus vocibus, & dicis: Ecquid seruo filijs meis? Christum illi oppono, filios suos mihi opponit. Istane iustitia magna, vt habeat vnde luxurietur filius, egeat Dominus tuus? *Cum enim vni ex minimis meis fecisti mihi fecisti*: Non legisti? non timuisti? Ecce, quis eget: & quos filios tuos numeras? Postremò numera filios tuos: Adde vnum inter illos Dominum Deum tuũ. Vnum habes? sit ille secundus: duos habes? sit ille quartus. Nihil horũ vis? Hactenus Augustinus. Quid quæso poterit ad hæc respõdere cupiditas humana? Sed & præter hæc alia adhuc dicenda sunt.

Cyprian. Serm. Multa & Magna. Aug. in lib. de dono disciplinę. & li. de decem chordis. c. 13

Matt. 25, 43.

QVIA DEVS FACTVS EST PRO nobis pauper, nos etiam pro Deo pauperes fieri æquum est.

CAPVT XXXIX.

PRæter ea namque, quæ dicta sunt, alia ratio est, quæ nos ad misericordiam meritò debet permouere. Etsi enim virtus hęc adeò sit necessaria ad nostram salutem, & tot, tamq; insignia ad consequendas res tã spirituales, quã temporales secũ adferat auxilia, vna tamen obligatio, qua Domino nostro sumus deuincti ob magnam misericordiam quã ab illo recepimus, sufficit, vt misericordiæ veri efficiamur amatores, etiã si nihil aliud nos vrgeret. Ad hanc autẽ rationem stabiliendã plurimum facit D. Paulus, vbi Corinthijs hanc virtutem commendat, dicens: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, vt illius inopia vos diuites essetis*. Agedum, si Deus propter homines egenus factus sit, an iniquum si homo fiat egenus propter Deum? Si Deus semetipsum vænum exposuit pro hominibus, quid mirum si homo propter Deum aliquid de sua vẽdat substantia? Quis ausus erit negare partem panis ei, qui semetipsum pro illo vendidit? Quis non velit exigua premi paupertate, amore illius, qui vitam suam pro nobis obtulit? Etenim (vt D. Bernardus ait) Si quis millies seipsum immolaret pro illo Domino, non satis faceret eius beneficio. Quæ enim proportio inter vitam Dei, & vitam hominis? Quis recusabit partẽ panis ei, cui tantus est debitor? Quomodo non erubescẽt, qui Dominum hunc agnoscunt Creatorem, Redemptorẽ, & Glorificatorem, atq; tã exiguum illi præstant obsequium, cui interim tanta debent? Hæc est consideratio, quia glorioſus ille Cyprianus confundere nititur Christianos, videns quam exiguam habẽt rationẽ sui Domini, cum filij huius seculi tanta faciant & patiantur pro suo Principe Diabolo.

1. Cor. 8, 9

S. Bern. libr. Sct. de quadruplici debito. Et de interiori domo. c. 38 & lib. 3. Med.

Atque, ait, vt pigros & steriles & cupiditate nũmaria nihil circa fructum salutis operantes magis pudeat, vt plus conscientiã sordidã dedecoris ac turpitudinis suæ robur cædat, ponat vnusquisq; ante oculos suos diabolum cum seruis suis, id est, cum populo proditionis & mortis in medium prosilire, plebem Christi præsente & iudicante ipso comparationis examine prouocare, dicẽtem: Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinẽ fudi, nec familiam meam precio passionis & crucis redemi: sed nec regnum cœleste illis promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuo reuoco, & munera mihi quam precioſa, quam grandia, quam nimio & longo tempore quæsita sumptuosissimis apparatib. comparãt, rebus suis vel obligatis in muneris apparatione, vel venditis, ac nisi æditio honesta successerit, conuitijs ac sibilis eijciuntur, & furore populari nõnunquã penè lapidantur? Tuos tales munerarios Christe demõstra, illos diuites, illos copioſis opibus affluentes, an in Ecclesia præsidente & spectante te eiusmodi munus ædant, oppignoratis vel distractis rebus suis, imò ad cœlestes thesauros mutata in melius possessione translatis? In istis munerib. hominũ caducis atq; terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi & potus solatio sustinetur, cuncta inter furorem ædentis & spectantis errorem prodiga & stulta voluptatum frustrãtium vanitate depereunt. Illic in pauperib. tuis tu vestiris, & pasceris, tu æternam vitã operantibus polliceris, & vix tui meis pereuntibus adæquãtur, qui à te diuinis mercedibus & præmijs cœlestibus honorantur. Quid ad hæc respõdemus fratres chariſsimi? Sacrilega sterilitate & quadam tenebrarum nocte coopertas diuitum mentes, qua ratione defendimus? qua excusatione purgamus? qui zabuli seruis minores sumus, vt Christo pro pretio passionis & sanguinis, vicem non immodicis rependamus? Hæc Cyprianus, quod vnum sanè satis est, etiam si reliqua omnia omittamus, ad confundendos homines, eosq; largiores in proximos suos faciendos.

Cyprian. Serm. 1. de Eleemos.

EXEMPLA VIRORVM ET MVlierum, qui in misericordia fuerunt celebriores.

CAPVT XL.

HÆc mouerunt Sanctos, vt extrema quæque tentare voluerint, huic saltem debito vt satisfacerent, sicut eorum vitæ testantur. Ita legimus de S. Elizabetha Regis Hungariæ filia, quæ vidua post obitum mariti omnia sua pauperibus alendis, & zenodochijs deseruiendis impendit: adeò, vt tandem labore manuum suarum sibi victum quęrere debuerit. De S. Paula scribit B. Hiero. quod liberalitas eius excedebat modum: & increpata ab eodẽ Hieronymo dixerit, se pro Dei nomine cuncta facere, & hoc habere voti, vt mendicans ipsa moreretur, vt vnum nummum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena sindone inuolueretur. De Sancto Exuperio Tholosanæ vrbis Episcopo, scribit idẽ Doctor, quod esuriens pascebat alios, & ore pallente ieiunijs, fame torquebatur aliena: omnemq; substantiã Christi viscęribus erogabat. Nihil illo ditius, ait Hieronymus qui, corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat vitro: qui auaritiam eiecit à templo, & cathedras vendentiũ euertit. Simili misericordia claruisse D. Ambrosium, & Augustinum ferunt, celeberrimos Ecclesiæ Doctores: qui calices & vasa Ecclesiæ vendiderunt, captiuisq; & pauperibus pecuniã erogarunt. Et quid dicam de multorum aliorum Sãctorum misericordia, qui non habentes quo pauperibus subuenirent, proprijs se vestibus spoliarunt, & pauperibus obuijs dederunt, dicentes, se malle sine vestibus, quàm sine misericordia viuere?

Elisabetha. Conradus in vita illius.

S. Paula. Hier. Ep. 7. c. 7. & ep. ad Eustoch. Si multa corp.

S. *Exuperius* Hier. Epist. ad Rusticũ monach.

S. Amb. l. 2. Offic. c. 28. S. Aug. l. 37. Serm. ad Fratres Eremyt.

Quid

S. Dominicus. Quid dicam de glorioso nostro Patre Dominico, qui cùm omnes libros suos vendidisset, omniaq; alia quæ habebat, & pauperibus dedisset, obuiam habuit viduam, petentem Eleemosynam, qua filium suum redimeret: cumque vir sanctus, quod daret, non haberet, obtulit semetipsum, vt venderetur. Quod autem Sanctus hic facere desiderauit, fecit Paulinus Episcopus Nolanus, vt scribit de illo B. Greg. Cùm enim sanctus ille Episcopus omnia sua consumpserat in captiuis redimendis: nihilq; amplius haberet, seipsum barbaro cuidam vendidit, eiusq; hortulanus factus, pecunia quam acceperat, captiuum viduæ filium redemit.

S. Paulinus. Greg in Dialogis.

Tob. 1. Huiusmodi exempla passim in sacris inueniuntur Scripturis. Tobias vir eximiæ fuit misericordiæ: ideoque tot, & tanta per Angeli ministerium à Deo recepit.

Luc. 19. Zachæus genere Ethnicus adeò fuit misericors, vt dimidium bonorum suorum dederit pauperibus, ideoque filius Abrahæ meruit appellari, & quod amplius est, Dominum totius orbis hospitem in ædibus suis recipere.

Actor. 9. Sed & sancta illa fœmina Tabitha, quæ tam benigna & liberalis erat in viduas & pauperes, meruit post mortem ab Apostolorum Principe ad vitam reuocari. Possem hoc loco multa adhuc alia Sanctorum, Sanctarumq; exempla commemorare, sed cui nõ sufficiunt hæc, nescio quid ei satis esse posset. Expedit igitur, vt his omissis ad modum, qui in dandis Eleemosynis seruandus est, pergamus.

DE MODO IN ELEEMOSYNIS dandis seruando, & qui potissimum eas dare teneantur.

CAPVT XLI.

SCiendum hic est, eum qui vult Eleemosynas erogare, iuxta Sanctorum Patrum doctrinã, hæc quę sequuntur obseruare debere: si tamen benè, & ordinatè hac vti velit virtute.

I. Primum est, vt sit liberalis & copiosus in benefaciendo, hoc est, vt non sit sicut nonnulli, qui possent euadere, nihil, quàm aliquid dare mallent: sed & quod dant, videntur potius dare, vt liberentur ab importunitate pauperum, & tædio, quo ab illis afficiuntur, quàm vt eorum succurrant necessitati. De ijs qui hoc modo tribuunt, sic loquitur Augustinus: Qui dat Eleemosynam, vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viscera indigentis, & rem, & meritum perdit. Ea etiam est conditio, cuius meminit

Aug. super Psal. 42. in fine.

2. Cor. 9, 6. D. Paulus, vbi dicit: *Fratres, qui parcè seminat, parcè & metet, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Certum quidem est, hanc misericordiam non tam æstimandam & ponderandam ex quantitate operis, quam ex desiderio cordis. Hinc

Ambr. in Offic. Aug in Ioãnem. S. Ambrosius: Affectus dantis collatorem aut diuitem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit. Et S. Augustinus: Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis plena est bona voluntate. Ideo S. Hieronymus dicit: Neminem Apostolis pauperiorem fuisse, neminem tantum pro Domino dereliquisse: idque propter magnum desiderium plura relinquendi. Astipulatur his B. Leo: Nulli, inquit, paruus est census, cui magnus est animus: nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis. Maiora quidem sunt impendia diuitum, & minora mediocrum: sed nec discrepat fructus operum, vbi non deest affectus operantium. Adeò vt si non sit æqualis facultas, æqualis tamen esse possit pietas: liberalitas enim fidelius non æstimatur ex magnitudine doni, sed ex quantitate beneuolentiæ.

Hier. l. 1. in Matth. in illud venite post me Epist. ad

Leo Papa in Apparit. Domin.

II. Secunda conditio, quæ hoc loco requiritur, videtur esse præcedenti contraria, tamen nequaquam sic est: vna enim virtus, alij non potest contrariari. Est autem hæc, vt in dando seruetur discretio, seu moderatio: ne liberalitas mutetur in prodigalitatem, si detur cui dandum non est, aut plus detur, quã dari debuit. Hoc enim est liberalitatem liberalitate (vt ait B. Hieronymus) perdere. Hæc etiam est Apostoli conditio, qui dicit: non debere nos ita distribuere, vt alijs sit remissio, alijs tribulatio: hoc est, vt alij saturi sint, alij fame pereant: *sed ex æqualitate ait, vt ei qui accipit subueniatur, & qui dat, non depauperetur.* Hæc conditio ponitur, quia non defuerunt, qui postquam nimis liberales fuerant in erogandis proprijs, postea ipsi necessitate circumuenti, aliena abstulerunt.

S. Ambr. l. 1. Offic. c. 30.

2. Cor. 8, 13.

III. Tertia conditio est, Dare cum hilaritate, & prõpta voluntate: quemadmodum legimus Dauidem olim obtulisse Principibus regni, omne id quod offerri voluit ad ædificationem templi: & ad similem dandi promptitudinem eos vicissim exhortatus est, qui hilari cum affectu dederunt in opera domus domini auri & argenti talenta multa, & lapides pretiosos plurimos. Ob quorum liberalitatem Dauid agit Domino gratias. Ad quam conditionẽ similiter nos exhortatur Apostolus, cùm dicit, Eleemosynam dãdam non ex tristitia, vel ex necessitate: *hilarem enim,* inquit, *datorem diligit Deus.* Idem est consilium D. Petri, qui vult nos esse hospitales sine murmuratione. Est autem hæc conditio adeò necessaria, vt opus nostrum placeat Deo, meritum nostræ Eleemosynæ copiosius sit, vt Deus magis illam æstimet ex promptitudine, & voluntatis hilaritate, quàm ex doni magnitudine, vt diximus.

1. Par. 29.

2. Cor. 9, 7.

1. Pet. 4.

IV. Quarta conditio, quæ huic etiam nonnihil aduersari videtur, cùm tamen non aduersetur, est: Eleemosynam dare ex sympathia, seu cõpassione cordis. Hanc conditionem potissimum habuit Christus in omnibus operibus misericordiæ, quæ fecit: ideoque pluribus in locis scribunt Euangelistæ, misericordia motum hoc aut illud fecisse. Sed & summum & præclarissimum opus misericordiæ, quod fecit, redemptio scilicet generis humani, dicit Zacharias in suo Cantico, quod processit ex viscеribus misericordiæ, *in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Eandem conditionem obseruauit in omnibus operibus suis Iob, qui cùm enumerasset omnes modos pietatis, quos exercuerat, tandem subiungit: *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.*

Luc. 7.

Luc. 1, 78.

Iob 30, 25.

V. Quinta conditio est, quod Eleemosyna debet dari clam. duobus autem hoc modis intelligitur? Primo, vt nõ principaliter fiat propter mundũ, sed propter Deũ. Secundo modo, vt fiat secretè, & seorsum pauperibus pudibundus: & qui mendicare erubescunt. Nonnunquã & alijs vt vanę gloriæ tollatur occasio: consultum quamuis sit subinde etiam fieri manifestè, vt mũdus videat, nos facere quod Christianos decet. Hanc conditionem sæpe cõmendat nobis Magister ille cœlestis in Euangelio, tam impensè, vt velit etiam sinistrã manum nostrã nescire, quid faciat dextra: vt sic fiat Eleemosyna nostra in abscõdito, & Pater noster qui videt in abscondito, reddat nobis in manifesto. De his autẽ qui contrarium faciunt, dicit, quod mercedem suam receperunt in hoc mundo. Causa verò cur Dominus noster secretum hoc tantopere commendat, hæc est, quia nimirum optimè exploratam habet arteriã cordis nostri, & nouit quã pensi sumus ad vanã gloriam, quamq; subtile sit vitium hoc, quod nõ rarò antequã sentimus, subintrat cor nostrum, ibidemq; nõ leuia parit dãna: quare nõ immeritò Saluator nobis secretum hoc adeò commẽdauit. Vana nãq; gloria, si Bernardo credimus, leuiter volat, leuiter penetrat, sed nõ leue infligit vulnus,

Matth. 6.

S. Bet. Ser. 6. in Psal. Qui habitat.

nus, citò interficit. Verum quidem est Prælatos & personas, quæ ratione officij sui tenentur, dare Eleemosynas, quemadmodum debent euitare scandalum, sic etiam posse & debere suas Eleemosynas dare in manifesto: ita tamen, vt intentio pura & recta maneat coram Domino.

VI. Sexta conditio est, vt is qui Eleemosynam daturus est, det subitò, sine longa mora: tanto enim donum eius coram Domino præstantius, quãto mora erit breuior. Communi namq; Prouerb. dicitur, Bis dat qui citò dat. Hæc est conditio Sapientis, qui ait: *Ne dicas amico tuo vade, & reuertere, & cras dabo tibi, si statim possis dare.* Signum enim hoc & indicium est, talem hominem non libenter dare, nec dici potest, quod dedit, qui post importunas dat preces, & postulationes. Vulgare namque dictum est, Carissimè cõstat, quod precibus emptum est. Exemplum habemus in Patriarcha Abraham, qui vti promptus fuit & celeris in sacrificando proprio filio (surrexit enim media nocte vt offerret eum) sic etiam minimè tardus fuit in operibus misericordiæ. Cum enim vidisset tres viros in Mambre transeuntes ostium tabernaculi eius, festinanter ad armentum cucurrit, tulitq; inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditq; puero, qui festinauit & coxit illum, magnaque celeritate conuiuium hospitibus præparauit. Hæc conditio cùm tanti momenti sit, quid dicemus de illis, qui differunt Eleemosynas post mortem? Sic facere voluit mater Sanctæ Luciæ, cui optimè respondit Sanctissima Virgo: Parum est dare Deo, quod nobiscum auferre non possumus. Da itaque in vita, quod antea dedit tibi Christus.

Prou. 3, 28.

Genes. 22.

Gen. 18.

Eosdem quoque reprehendit D. Basilius: Dicunt, ait, vbi per omnem vitam meam diuitijs vsus fuero, post vitæ finem successores faciam ex cognatis & affinibus meis pauperes, tabulis publicis ac testamentis dominos bonorum meorum declaratos. Cùm nõ amplius eris inter homines, tunc humanus ac liberalis fies? cùm te mortuum videro, tunc fratris amãtem appellabo? Magna tibi gratia liberalitatis emerget, quod in sepulchro iacens, & in terram resolutus, largus & magnanimus ad faciendas expensas factus es? Nemo post solutas nundinas negotiatur, neque qui post certamina accedit coronatur: neque qui post bellum venit, laudem assequitur. Quis vas erit modi finiendi vitæ? Quot violentis periculorum incursibus rapti sunt, quibus ne vocem quidem edere permissum est? &c.

Oratione ad Diuites.

VII. Septima conditio est, quamuis subesse posset ratio personas examinandi, quibus dare decreuimus: ne fortè subtrahatur veris pauperibus, & detur falsis: nolunt tamen Patres nos esse nimis curiosos examinatores alterius paupertatis, quales quidam sunt, qui ad regendam auaritiam suam, curiosissimè res aliorum rimantur, & necessitatem pauperum, quantum possunt, extenuant. Hæc est conditio D. Gregorij Nazianzeni, qui ait: Nolite examinare nimia cum diligentia quis dignus aut indignus sit Eleemosyna, quam dare vis: subinde namque melius est dare indigno propter amorem digni, quàm periclitari vt fraudetur dignus, propter suspicionem indigni. Idem confirmat S. Ambro. in quadam Epistola: Misericordia, inquit, non de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire: iuuare pauperem, non examinare iustitiam, Commune est prouerbiũ, ibi esse Deum, vbi auditur vox eius, quare si tu (vt æquum est) nihil præter Deum respicias, in vnoquolibet qui te orat, illum inuenies.

Orat. 16.

Amb. in Epist. 1 vbi citat de S. Bonauen. tit. Pharetra cap. 49.

VIII. Octaua conditio est, vt Eleemosyna non sit de bonis alterius, quales nonnulli dant: talis enim non est dicenda Eleemosyna, sed sacrilegium. De hac enim scriptum est: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.* Odit huiusmodi Eleemosynam Deus eum in modum, vt vnus ex præcipuis titulis, in quibus gloriatur, sit, quod ait: *Ego sum Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.*

Eccl. 34, 24.

Esai. 61. 8.

IX. Nona conditio est (vt negotium hoc maiori fiat cum suauitate) si quando se offerat occasio misericordiam faciendi, consideremus hæc tria: quis petat, quid petat, & pro quo petat. Qui enim petit non est pauper, sed Christus in paupere: vt testatur B. Hier. Quotiescunque, ait, extendis manum ad pauperem, toties ad Christum ipsum extendis, id quod petit, tuum non est, sed suum: si enim Christus sit hæres & Dominus omnium, etiam ad illum pertinent & tu & vita tua, & facultates tuæ omnes: omnia enim hæc in manibus eius posita sunt. Sed si cõsideres pro quo petat, petit potius pro te, quam pro se: pro se namque petit terrena, pro te cœlestia: vt dixit Dominus iuuenis: *Si vis esse perfectus, vade, & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo.*

Hieron.

Matt. 19, 21.

Hæc sunt præcipuæ conditiones, quas obseruare debet homo misericors, vt eius misericordia omniũ bonorum eorum, quæ in hoc tractatu enumerauimus, sit meritoria: & Oratio huic misericordiæ iuncta, vt celerius in cœlum volabit, ibiq; misericordiam inueniet, atq; in conspectu Domini, quod vult, impetrabit.

FINIS LIBRI TERTII DE ORATIONE ET Meditatione.

DE

DE ORATIONE ET MEDITATIONE.

LIBER QVARTVS.

SIVE SPECVLVM HVMANÆ vitæ.

PROLOGVS, ET BREVIS MEDITANDI modus.

OMnia prætereunt, præter amare Deum. Sapientia cùm contemplata iam esset, & longo vsu experta rerum omnium varietatem, nec vllam, aut sane exiguam rerum creatarum in hoc mundo reperisset constantiam, plurimos autem appetitus, & inexplebilem hominum sitim, quæ ad illa, quæ transitoria sunt, appetenda quasi vi quadam impellit, tandem exclamat: Vanitas vanitatum, & vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. Deinde omnia quæ in mundo sunt percurrens, saluberrimo quodam consilio disputationem suam concludit, dicens: Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dices: Non mihi placent: antequam obtenebrescant & Sol & lumen, & stellæ, & Luna, & reuertantur nubes post pluuiam. Deum time, & mandata eius obserua. Hoc est omnis homo.

Eccl. 1, 2.

Eccl. 12, 1.

Et quia ab hoc consilio tota dependet salus animarum nostrarum, omnisq; nostra beatitudo, conuenientissimè dictum est à B. Gregorio. Nullum omnipotenti tale sacrificium, quale est zelus animarum: vt scilicet quis illis salutaribus doctrinis viam cœlestis gloriæ demonstret. *Motus igitur ego hoc zelo, licet indignus ad docendum breuem hunc tractatum ex diuersis sanctorum doctorum auctoritatibus collegi, vt anima peccatorum sordibus immersa his documentis, & sanctissimorum virorum auctoritatibus comuncta, atque à Spiritu S. illuminata, ad Creatorem & Redemptorem suum, tanquam ouis vagans & perdita reuerteretur, statum suum, errores, & pericula, in quibus versatur in hoc seculo, dum in peccatis perseverat, vel tandem cognosceret, contritionis dolore tacta ad Deum rediret, rediens pœnitentiam ageret, pœnitens denique cum omnibus Sanctis gloriam & beatitudinẽ cœlestem possideret, ad quam condita & creata est.* Ad hanc autem non alia via peruenitur, quàm ea de qua dicit propheta: Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.

Gre. Homil. 22. in Ezech.

Isai. 30, 21.

Volens igitur homo Christianus post hanc felicem viam, ad desideratum peruenire diuersorium, necesse est præter orationes & exercitia communia, adhibere quoque diligentiam, vt cor ad Deum eleuetur, non tantum in omni loco, sed in omni quoque tempore, & in omni negotio cogitationes pijs contemplationibus occupatas homo circumferat. Quemadmodum apis pulchritudine colorum & odorum suauitate illecta, de singulis floribus aliquid delibat secumq; ad fauos suos adfert, vt mel conficiat; sic oportet seruum Dei omnia creata, quæ menti præsentantur sumere, tanquam calcaria quædam ad deuotionem, & amorem Dei incitantia, ea sine intermissione ruminans in corde suo, cum multa dulcedine.

Simile.

Hoc studio illud tandem consequamur, vt in altari cordis nostri semper ardeat ignis amoris diuini, dum semper pijs & deuotis orationibus & meditationibus occupamur.

Manè igitur statim vbi expergiscimur, occludamus portam omnibus cogitationibus terrenis, ita vt ante omnia Dominus noster admittatur, offeramus ei primitias illius diei, & colloquentes cum eo, triafaciamus.

Quid manè agendum.

Primò gratias age illi pro quiete, nocte illa tibi concessa, & quod liberauit te ab omni phantasmate, & à laqueis inimici, proq; alijs omnibus beneficijs creationis, conseruationis, vocationis, & redemptionis: quod te ad fidem suam vocauit, quod bonas inspirationes tibi instillauit, quod liberauit te ab omni malo, quod tanto tempore tanta cum patientia & misericordia te ad pœnitentiam expectauit. Denique pro alijs beneficijs omnibus habe illi gratias quàm potes maximas.

Deinde offer illi omne id, quod isto die facies aut patieris, omnes labores tuos, omnes passus, omnia exercitia,

citia, & breuiter omne id quod facturus es, aut quo die illo occupaberis. Offer similiter temetipsum cum omnibus tuis, vt omnia redundent in gloriã eius, vt ille in omnibus faciat, & de omnibus disponat, quod sanctissimæ voluntati illius placebit, non aliter atque si propria illius essent negotia.

Tertiò pete gratiam, ne quid illo die committas, quod diuinæ illius contrarium est Maiestati. Roga vt det tibi auxilium contra omnia peccata, & potissimum illa, ad quæ soles magis propendere, vt sunt ira, vana gloria, in verbis dissolutio, & similia: firmo armans te proposito contra omnia vitiorum genera.

Vesperi quid agendum.

Vesperi antequam cubitum decedas, examina teipsum in iudicio, & reuoca in memoriam, quicquid illo die fecisti, dixisti, vel cogitasti contra diuinam voluntatem; omnem tuam negligentiam, torporem, & acediam circa diuinum cultum, & quod tam neguiter Domini Dei tui oblitus es.

Dicta paulò post generali confessione, ora Deum, vt omnes errores, omniaque commissa delicta tibi ignoscat, & gratiam qua te emendes largiatur. Incumbens lecto compone te ad modum, quo iacebis in sepulchro, & perpendens paululum situm, & figuram quam in tumulo corpus tuum habebit, recita quoddam responsorium, aut Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, vti solet fieri ad sepulchra mortuorum.

Quando hora sonat.

Quotiescunque nocte expergiscaris, dic Gloria Patri & filio & cæt. aut aliquid simile, & quotiescunq; horæ signum audis, dic: Benedicta sit hora, in qua Dominus meus Iesus Christus natus & mortuus est pro nobis: O Domine in hora mortis memento mei. Et considera quomodo vita tua iam hora breuior est, quam ante, & tela tua paulatim finitur.

Mensæ accubiturus quid agendum.

Quando mensæ accubiturus es, aut à mensa surrecturus, memento semper exempli Domini nostri: eleua cor tuum ad Deum tuum, considera quomodo ille est, qui dat tibi cibum & potum, & qui creauit omnia in vsum tuum: redde illi gratias pro cibis, quos dat, perpende quot homines fame pene moriuntur, quibus tu tanto beatior es: recordare quanta cum facilitate possides tu, quod alij vix magnis periculis & laboribus possunt conquirere.

Oratio contra tentationes.

Quando à Tentatore Diabolo impugnaris, optimum remedium est, si confestim recurras ad Crucem, & in ea Iesum Christum pendentem, immaniter flagellatum, spinis coronatum, in Cruce extensum, & non habentem speciem neque decorem: sanguinis pretiosi riuulis è toto corpore scaturientibus. Recordare præcipuam causam, cur illic pendeat Dominus tuus, non aliam esse, quàm vt regnum peccati destrueret. Ora illum cum deuotione, ne permittat rem tam odiosam, in corde aut oculis tuis dominari: quam ipse tantis sumptibus & laboribus relegauit, atque destruxit: & dic; O Domine mi tu pendes hic in ligno, vt ego non peccem: & non sufficiet mihi hoc vt peccatum fugiam? Oro te Domine mi, per sacratissima illa tua vulnera, noli permittere, vt vnquam à te derelinquar, cùm ad te veniam, imò Domine, monstra mihi optimum portum in quo possum saluari. Si tu reprobaueris me, quo vadam? quid faciam? quid de me fiet? quis me defendet? Adiuua me Domine mi & tuere me ab illo Dracone, cùm nihil possim sine te.

Erit etiam consultum, vt nonnunquam signes te signaculo Sanctæ Crucis, aut saltem hoc signo per celerem cogitationem munias intus cor tuum. Quod si hæc feceris, tentationes erunt tibi materia & occasiones nobilioris, angustioris que coronæ, facientque vt mens tua crebrius ad Deum eleuetur, & Diabolus, qui spe victoriæ inductus venerat, turpiter victus fugiat. Inter omnia exercitia ista plurimum commendantur suspiria, quæ maximorum desideriorum sunt indicia, quibus anima à Spiritu S. præuenta, & amore Dei vulnerata suspirat, & ardenti desiderio ad amorem Dei anhelat, ideoque amorem hunc sine intermissione, magnaque petit instantia.

Hæc meditatio, & sanctum hoc exercitium tam vtile est, vt si fiat assiduè, siue sit inter manducandum, bibendum, eundum, vel laborandum, sæpè maioris sit dignitatis & efficaciæ, quàm alia exercitia prolixa, & orationes copiosæ.

Exercitium hoc commodius, & vtilius fit desiderijs & gemitibus interioribus, quàm verbis: verba tamen etiam adiuuant semper, quæ potest homo nonnunquam in hunc, aut similem modum proferre.

Oratio.

O bone Iesu, O dulcedo cordis mei: O vita animæ, quando tibi in omnibus, & per omnia placebo? quando mihi ipsi perfectè moriar? quando præferam te ceteris omnibus creaturis: quando non viuet amplius in me quicquam præter te Domine? Miserere mei Domine, & adiuua me. Tua vulnera Domine, tanquam rosas vernantes saluto, absconde me Domine in illis, & laua me in illis, vt per omnia mundus sim, & amore tuo inflammatus, O Domine Deus, O principium admirabile, ô pietas amabilis charitatis, ô carissima lux intellectus mei, ô quies meæ voluntatis, quando te ardenter amabo? Dignare Domino traijcere animam meã amoris tui iaculo, dignare me tibi consociari, vt vnum quid tecum fiam. O desiderium meum: ô spes mea: ô refrigerium meum. Ah si anima mea digna tuis esset amplexibus, vt omnis torpor, omnisque te por meus ab igne tui amoris anima absumatur. O anima animæ meæ: ô vita vitæ meæ te totum desidero, & me totum tibi offero, totum toti, vnum vni, & vnicum vnico. O si locum haberet in me quod tu Patri dixisti: Pater sancte, sint vnum sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.

Ian. 17, 11.

Nihil aliud volo, nihil aliud desiderio, nihil aliud à te peto, tu namque solus mihi sufficis. Tu meus es Pater, tu mea mater, tu defensor, tu ductor, tu omne bonum meum. Tu es totus amabilis, totus delectabilis, totus fidelis. Quis vnquam tam liberalis fuit, vt dederit semetipsum? quis vnquam tam tenerè dilexit, vt semetipsum pro vili creatura in mortem tradiderit? Quis tam humilis, qui adeo minuit & humiliauit suam Maiestatem? O Domine, qui neminem despicis, neminem fastidis, neminem repellis qui te quærit: imò vocas, & excitas, vt obuia procedat: tuæ namque delitiæ sunt esse cum filijs hominum.

Tibi Domine benedicunt Angeli, quid inueniſti in nobis aliud, quàm sordes peccatorum? Quare voluisti nobiscum esse vsque in consummationem seculi? Annon sufficiebat tibi, quod pro nobis passus, etiam Sa-

cramenta nobis in medicinam, & Angelos in socios & tutores reliqueras? Etsi nos quidem tantis beneficijs simus ingrati, tamen inter nos habitare voluisti, tàm bonus enim es, vt non possis temetipsum negare.

Faciamus igitur Domine (si sic tibi placeat) pactum: tu habe curam mei, & ego curam habebo tui. Fac mecum Domine, quod tibi placet: tu enim scis quid desit mihi, & quid mihi expediat: tuus esse volo, non alterius. Da mihi gratiam Domine, ne quicquam præter te quæram, aut desiderem: & vt totum me tibi offeram.

O ignis, qui me accendis: ô charitas, quæ me inflammas: ô lumen me illuminans: ô requies mea: ô vita mea: ô amor meus, qui semper ardes, & nunquam extingueris: quando te perfectè redamabo? quando te nudis animæ meæ brachijs amplexabor? quando me & mundum vniuersum amore tui contemnam? Quando anima mea cum omnibus potentijs, & viribus eius tecum vnietur? quando in abyssо tui amoris absorbebor?

Dulcissime, amantissime, pulcherrime, sapientissime, ditissime, nobilissime, pretiosissime, & dignissime qui ameris & adoreris, quando sic te amabo, vt in amore tuo totus iaceam absorptus? O vita animæ meæ, quæ vt me viuificares mortem subijsti, & moriens mortem occidisti: occide quoque Domine & me, hoc est, omnes meas peruersas ad malum pronitates; voluntatem quoque propriam, & quidquid impedit, quo minus tu mecum viuas. Postquam autem me sic occidisti. fac me tecum viuere, per amorem, & bona opera: vt obseruem fideliter omnia tua mandata, iussaque superiorum meorum, & ea solùm sequar, quæ sunt spiritus.

O benignissime Iesu, da mihi perfectam renunciationem, atque odium peccati: perfectam quoque cordis ad te conuersionem, vt omnes meæ cogitationes, omniaque mea desideria in te solo, & circa te solum versentur. O vita, sine qua morior; ô veritas, sine qua fallor: ô via, sine qua deuio; ô salus, sine qua pereo: ô lumen, sine quo in tenebris ambulo. Noli Domine, noli permittere, vt vnquã à te diuellar: in te enim solo viuo, & sine te morior: in te saluus, & sine te perditus sum: in te aliquid sum, extra te nihil sum: quemadmodum manifestius declarabo in sequentibus considerationibus, quæ mihi erunt tanquam lucidissimum speculum, quod immotis oculis inspiciens, magnitudinem & multitudinem miseriarum mearum videbo.

EXERCITIVM MENTALE, IN SEPTEM MEDITATIONES DISTRIBVTVM: QVAE TOTIDEM SEPTIMANÆ DIEBUS POSSUNT ACCOMMODARI.

MEDITATIO PRIMA, DE MISERIA, IN qua creatus est homo.

Iere. 20, 18. PROPHETA Ieremias propriæ conditionis deplorans miseriam, ait; *Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem & dolorem & consumerentur in confusione dies mei?* Si Propheta in vtero matris sanctificatus tam lamentabiliter de seipso loquatur, quid dicam ego miser & infelix, à matre mea in peccatis natus & conceptus? Optimè nobis consuluit Hugo de S. Victore; O homo, ait, disce teipsum cognoscere: Melior es si teipsum cognoscas, quàm sit te neglecto cursus syderum, vires herbarũ, complexiones hominum, naturas animalium, cœlestium omnium & terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, & seipsos nesciunt, cùm tamen summa Philosophia sit cognitio sui.

Hugo lib. 3. de anima.

Quid fuerit homo antequam fuit natus.

Considera itaque ô homo, quid eras antequam nascereris? quid iam natus es donec moriaris? & quid post mortem futurus es? Antequam nascebaris, ecquid eras aliud, quàm immunda & turpis materia, de corruptione carnis, in putredine delitiarum, in ardore libidinis, & quod peius est, in corruptione peccati concepta? Perpende quali cibo nutritus es, in vtero matris tuæ conceptus: sane non alio, quàm sanguine immundo, menstruoso, & noxio; qui manet in fœminis à conceptione, vt eo fœtus in vtero nutriatur. Qui sanguis, quam immundus & virulentus est, docent Philosophi naturales, asserentes, quod si tetigerit herbam, ea marcescit; si arbores, fructum amplius non proferunt, & si canes lambant, confestim in rabiẽ vertuntur. Memento quod Deus te de limo terræ plasmauit, quæ omnium elementorum est vilissima. Stellas & Planetas creauit exigne, volucres ex aëre, pisces ex aqua: homines & cetera animalia ex terræ limo. Confer itaque te piscibus, & bestijs ex aqua natis, & inuenies te vilioris, abiectioris que conditionis, atque naturæ, quàm illæ sunt. Si volucres intueare, & quæ in aëre viuunt, creaturas, neque his comparandus es; si Planetarum, stellarum, aliarum rerum ex igne factarum naturã consideres, multo tua erit ignobilior. Non potes cœlestibus comparari, nec terrestribus anteponi: sed si te brutis animalibus conferas, in his solis aliquã tui similitudinem, & cognationem inuenies, teste Sapiente, qui dicit, eundem esse interitum hominũ & iumentorum, atque æquam vtriusque conditionem. Non habet enim homo, quo ad corpus aliquid amplius, quam brutum cùm vterque de terra plasmatus sit, & per mortem vterque vicissim in terram reuertatur. Eccl. 3.

Recordare quod cùm nascereris, in hunc miserabilem mundum plorans effusus es, & eiulatu tenero, quasi præscius, labores timores, & dolores, & quod peius est, mortem ipsam defleuisti. Quare si forsan altiori & nobiliori loco natus sis, nec memineris quàm vile tuum fuerit principium, & origo quàm abiecta: si pulchritudo vultus & formæ, si dispositio corporis, si fauor populi, si feruor iuuentutis, & diuitiarum affluentia cognitionẽ tui à te abstulerint, scire nihilominus cupias, quid homo sit, audi gloriosissimum Patrem nostrũ B. August. stellam atque lumen Doctorum Ecclesiæ, audi quid dicat: Miser, inquit, quid sum nisi vas plenũ stercore & corruptione? D. August.

vel-

vermis fœtens & deteſtandus? pauper, nudus, ſubiectus multis neceſsitatibus? qui neſcio vnde venerim, & quò vadam. Miſer & mortalis, cuius dies vt vmbra fugiunt, cuius vita creſcit & decreſcit vt Luna, & tanquam folium in arbore nunc virens, & cras areſcens. Sũ terra, miſeria, filius iræ, & vas indignationis atque reprobationis. In immundicia peccatorum natus, viuo in miſeria & labore, moriar deniq; in dolore & anguſtia. Et D. Bernardus: Nihil aliud eſt caro, inquit, cum qua tibi tanta ſocietas, niſi ſpuma caro facta, fragili veſtita decore: ſed erit, quando erit cadauer miſerum, & putridum, & cibus vermiũ. Nam quantumcunque excolatur, ſemper caro eſt. Si diligenter conſideres, quid per os & nares, ceteroſque corporis meatus egrediatur, vilius ſterquilinium nunquam vidiſti. Attende homo quid fuiſti ante ortum, & quid es ab ortu, vſque ad occaſum: atque quid eris poſt hanc vitam. Profecto fuiſti quod non eras, poſtea de vili materia in viliſsimo panno inuolutus, menſtruali ſanguine in vtero materno fuiſti nutritus. Tunica fuit pellis ſecundina, ſic indutus & ornatus veniſti ad nos.

D. Bernar. in medit.

Nec memor es quàm ſit vilis origo tui?
Forma, fauor populi, feruor iuuenilis, opeſque,
Surripuere tibi, noſcere quid ſit homo?

Nihil aliud eſt homo, quàm ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, & cibus vermium:

Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror;
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Innocẽtius de miſeria vitæ humanæ.

Hactenus D. Bernardus, cui aſtipulatur B. Papa Innocentius: O indignitas, ait, & vilitas conditionis humanæ. Conſiderate plantas & arbores, omnes producunt frondes, flores, & fructus odore & ſapore ſuaues: miſer autem homo, producit peſtiferos & ingratos odores: & qualis eſt arbor, tales ſunt fructus: non poteſt enim arbor mala, fructus facere bonos.

Matth. 7, 18.

Vis autem manifeſtius adhuc ſcire, quid ſit homo, poſtquam natus eſt? audi patientiſsimum Iobũ:

Iob. 14, 1.

Homo, inquit, *natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miſerijs: qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit ſicut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Quid hominum quærimus teſtimonia? Deum ipſum interrogemus, & dicet:

Gen. 3. Iob 34, 15.

Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

Hanc cognitionem habebat S. Iob, cum diceret Deo:

Iob. 10. 9.

Memẽto Domine, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.

Quid ſuperbis homo lutee? quid inſoleſcis ô puluis? vnde laudari vis ô cinis, cuius conceptio eſt culpa, natiuitas pœna, vita labor, mors neceſsitas? Quid tam delicatè nutris corpus? cur tam pretioſis ornas veſtibus, quod paulò poſt à vermibus comedetur in ſepulchro? cur non potius animam bonis exornas operibus, quæ à manibus Angelorum Deo in cœlis offeretur? Cur animam tuam contemnis, & carni tantopere blandiris? ecce confuſionem & ordinem inuerſum; anima, quæ debebat dominari, ſeruit carni. & caro, quæ debebat ſeruire, dominatur. Cur pateris vt Domina facta ſit famula, & famula imperium Dominæ ſibi vſurpet? Neſcis quia caro tua inimica domeſtica ſit animæ tuæ, quæ ſub ſpecie amicitiæ, crudelior eſt quouis hoſte crudeliſsimo? Cum foues & delicatè nutris illam, hoſtem tibi ipſi creas: cùm ornas & blandiris illi, inimicum in te armas: cum precioſis veſtibus, & exoticis ferarum pellibus illam induis, animam tuam omni veſtimento cœleſti ſpoliaſti.

Tertiò conſidera peccator, quid, & qualis futurus es, cùm viuere deſines. Nihil aliud profectò eris quã miſerum & fœtidum cadauer, habitatio & cibus vermium. Corpora eorum, qui ex hac vita migrârunt, ſi placeat, intuere, & nihil inuenies in illa, præter cineres, vermes, fœtorem, & horrorem. Quod tu modò es, fuerunt illi, & quod illi ſunt, tu modò futurus es. Fuerunt homines, vt tu nunc es: ederunt & biberunt, quo modo tu nunc edis & bibis; Duxerunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcenderunt. Vide quomodò caro in tantis delitijs nutrita, iam vermibus eſca iacet in ſepulchro: & quomodo infelix anima deſcendit, vt fomes ſit infernalis illius incendij, ſine aliqua ſpe, fore, vt curſus tormentorum & pœnarum vnquam finiatur. Quid proderit illis tunc vana gloria? breue gaudium, & potentia mundi huius quid illis conferet? quam tunc illis vtilitatem adferent delitię carnales, & concupiſcentia diuitiarum? Vbi tunc riſus & ioci? vbi iactantia & falſi gaudij præſumptio? O in quàm graues miſerias poſt breuem voluptatem lapſi ſunt? à falſa exultatione ceciderunt in miſeriam, & carnificinam perennem. Quod illis accidit, & tibi poteſt accidere: tu enim & homo es, & ex puluere atque cinere compactus atque formatus, vt illi fuerunt: homo de humo, limus de limo, & in puluerem atque cinerem poſt obitum reuerteris, & neſcis vbi, quando, & quomodo. Quare cum te mors vbique expectet, ſi ſapias, & tu illam viciſsim in omni tempore & loco expecta. Meminerint amatores huius ſeculi, inquit Iſidorus, quam breuis ſit huius ſeculi beatitudo, quam exilis ſit eius gloria, quã debilis & caduca potentia. Dic mihi, ſi poteris, vbi ſunt præteritorum temporum Reges, Principes, Imperatores? vbi diuites mundi, & potentes huius ſeculi? Omnes ſicut vmbra tranſierunt, tanquam ſomnus euanuerunt, & ſi quis eos quærat, non inueniet. Quid ſi dicamus: Regum & Principum illorum nõnullos ſeſe perpetuò victuros, morituros autem nunquam exiſtimaſſe? O cæci & ignari, ecce non eſt ita, ecce aliter res accidit, quia vos ſicut homines mortui eſtis, & defecit vita veſtra, ſicut aliorum Principum, qui fuerunt ante vos. Quæ ſit hominis conditio poſt mortem, optimè docet S. Bernardus; Quid cadauere, inquit, magis fœtidum? quid homine mortuo magis horrendum? qui vultu venuſto, & ſtatura formoſa erat dum viueret, poſt mortẽ aſpectu horrendo iacet: hominem enim mortuum ſequitur vermis, putredo, & horror. Quod cùm ita ſit, quid proſunt diuitiæ, delitiæ, & honores? Nec diuitiæ liberant à morte, nec à vermibus delitiæ, nec honores à putredine. Et S. Chryſoſt. dicit: Num vidiſti quoſdam qui in delitijs, in ebrietatibus, in reliquo huius vitæ ludibrio mortui ſunt? Vbi nunc ſunt, qui pridem videlicet per forum tumidi ſuperbia, cum multis affectatoribus ſe mouebant; qui ſericis induti veſtimentis, vnguentum olentes, arridentes paraſito, & ſemper affixi ſcenæ, vbi nunc illorum eſt phãtaſia? ſublata eſt. Cœnarum ſumptus immodicus, riſus, quies animæ, cogitationis diffuſio, vita mollis, otioſa, luxu perdita, vbi nunc? Euolarunt omnia. Quid ex corpore factum eſt, quod pridem tanto famulitio, tam exquiſita munditia abundabat? Abijt nimirum ad ſepulchrum. Contemplare puluerem, cineres, vermes, eius formæ ſpeciem, & amarè ſuſpirabis.

Iob. 21.

Iſidorus.

Bernardus.

Chryſoſt. epiſt. ad Theodor. lapſ.

Intuere cum diligentia & admirare illorum ſingula monumenta, ſcrutare ſepulchra, cineres atque oſſa euolue, nihil præter cineres hic inuenies: nihil præter reliquias vermium, qui corpora eorum comederunt, reperturus es. & vide qualis nunc ſit finis eorum, licet in delitijs & gloria vixerunt in hoc ſeculo. Faxit Deus, vt hæc diligenter conſideres, nec vnquam memoriæ tuæ excidant. Sed (proh dolor) infelices filij Adæ, poſtpoſitis veris & ſalutarib. ſtudijs, caduca quærunt & tranſitoria. Tu itaque, mi frater,

frater, si semper in corde tuo mediteris, & consideres miseriam, vilitatemque huius vitæ, humilis eris, & superbiam detestaberis, cum non ignores superbiã esse tesseram, ex qua filij Diaboli cognoscuntur: *Ipse enim est*: vt B. Iob ait, *Rex super omnes filios superbiæ.* Confirmat hoc Gregorius; Euidentissimum, ait, reproborum signum est superbia: ac contra humilitas electorum. Cum ergo quam quisque habeat, cognoscitur, sub quo rege militet inuenitur. Vnusquisque enim quasi quendam titulum portat operis, quo facilè ostendat, sub cuius seruiat potestate rectoris, hoc est Christi, an Diaboli. O maledicta superbia, Deo exosa simul & hominibus. Hæc Luciferum cælo exturbauit: Adamum Paradiso: Pharaonem cum exercitu suo in mari rubro submersit: Saulem regno priuauit: Nabuchodonozorem in bestiam transformauit, & Antiochum teterrima vilissimaque morte consumpsit.

Damen rex superbiæ. Iob. 41. Greg. lib. 34. Moral. c. 13.

Esa. 14. Gen. 3. Exod. 14. 1. Reg. 16. Daniel. 4. 2. Machab. 6

MEDITATIO SECVNDA, DE PECcato; & quæ incommoda ex illo generantur.

QVi facit peccatum, inquit dilectus ille Deo discipulus, *ex Diabolo est: quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera peccati.* Peccatum pondus est adeò graue, vt nec cœlum, nec terra queant illud sustinere, sed cum auctore suo descendit ad inferna. Omne autem dictum, factum, & concupitum contra legem Dei, iuxta B. Augustinum peccatum est: quod non aliter, atqui infernus ipse vitari debet ab omnibus ijs, qui ad cœleste regnum aspirant: idque ob tres causas, quarum prima est, quia displicet Deo: secunda, quia placet Diabolo: tertia quia noxium est, & multa adfert homini incommoda.

1. Ioan. 3, 8.

Peccatum obtria vitandum.

I. Primo, inquam; vitare peccatum debes, quia vehementer illud tuo displicet Creatori, quo loco cõsiderandum est, quid Deus propter peccatum fecit. Nemo ignorat Deum propter peccatum opera manuum suarum destruxisse, propter peccatum Angelos de cœlo præcipitasse, homines Paradiso terrestri expulisse, & vniuersum genus humanum aquarum eluuie deleuisse, vt liber Geneseos testatur. Alij Reges & Imperatores, vt iniuriam ab hostibus sibi illatis vindicent, eorum vastant regna atque dominia: Deus autem propriũ suum regnum euertit, eò, quod peccatum in illud intrauerat. Nec tantùm peccatum odit Deus, sed & omne id quod quocunq; modo ad peccatum pertinet. Homines etsi vinum vappum sit, non ideò tamen vasa argentea in quibus est, abijciũt, sed ijs reseruatis, vinum effundunt: Deus verò non tantum peccatum, sed & vasa, in quibus est, quæ sunt creaturæ atque rationales animæ, ad similitudinem suam factæ, pretioso suo sanguine redemptæ, vnà cũ peccato in profundissimum Inferni Oceanum præcipitat. Vnde Sapiens: *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Dicit patientissimus ille Iob: *Diluculo me visitas, & subito probas me.* Qua itaque in re spes mea est, aut in quo cõfidam, nisi in sola misericordia Dei, & in spe cœlestis gratiæ? Quamuis enim inter probos habitem, quamuis religiosis, deuotis, & amicis fidelibus conuiuam, si libros sanctos, tractatus pios, hymnos suaues legam, & canam, parũ mihi proderint, parũ valent, si me fauor Dei destituat, & meæ me paupertati relinquat. Non est aliud itaq; remedium, quã patientiã amplecti, negare meipsum, & totũ diuinæ me offerre voluntati. Non est vsquã homo adeo religiosus, qui nõ subinde sentiat diuina consolatione se priuatum, & feruorem sibi spiritus deesse. Non est, vel fuit vnquam Sanctus, quem tentatio aliquando non apprehendit. Verè non est sublimi illa de Deo contemplatione dignus, qui non antea variis pro amore Dei tribulationibus est exercitatus. Solet ferè semper tentatio præcedens, signum esse, consolationem in foribus adesse. Quare & cœlestis consolatio promittitur his, qui sunt in tentationibus probati, quod asserit scriptura, cum dicit: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Quare Deus nec in cœlo, nec in terra tam charum, fidelem, & familiarem habet amicum, quem non lethaliter odit, si in illo peccatum lethale inuenerit. Quapropter etsi Christus D. Petrum feruentius ceteris Apostolis amabat, nihilominus condemnasset illum, si in illo peccato, cum ter Dominum negauerat, mortem obiisset.

Esa. 14. Gen. 3. Gen. 7.

Sap. 14, 9. Iob. 7, 18.

Apoc. 2, 7.

Secundò, quod Deus peccatum odit, ex eo liquet, quod vnigenitum filium suum pro peccatis hominum mori voluit, cuius rei testimonium perhibet Esa. dicens: *Propter scelus populi mei percussi eum* Et sanè ipse Dei filius, vt interficeret peccatum, propriam animam suam in mortem tradidit, vt idem Propheta dicit. Quis autem inuentus est vnquam tanta in hostes suos ira æstuans, qui, vt lædat hostẽ, vnigenitum occideret filium?

Esa. 53, 8. Ibidem.

Deus vbique peccatum persequitur.

Tertiò, Deum capitaliter odisse peccatum ex eo patet, quod persecutus est illud ab initio mundi, ad finem, non in vno loco, sed vbicunque illud inuenit. Reperit illud in cœlo, & statim exterminauit; cum vidisset illud in terris remansisse, in propria venit persona, vt inde quoque eijceret, & tandem in extremo iudicio peccatum Inferni terminis, tanquam loco suo naturali concludet, teste Propheta, qui ait; *Et proijciet in profundum maris, omnia peccata nostra.*

Mich. 7, 19.

Quartò, quantopere displiceant Deo peccatum, arguit hæc similitudo; Valde abominabile crimen sit necesse est, ob quod mater dilectissimum sibi filium in ardentem rogum conijceret, nec inde postea leuaret: Ita sanè magnum aliquid sit oportet, atque Deo vehementer exosum, propter quod filios suos in flammas perpetuas proijcit, si in illis peccatum inueniat; quos tamen adeò dilexit, vt mori pro illis non recusauerit. Habes itaque hic ô peccatrix anima, quam exosum & abominabile Deo sit omne peccatum. Quare si Deo placere cupias, necesse est, vt à peccato immunem te conserues, adeo, vt ne minimum illud in te locum occupet. Erit enim infidelis mulier, quæ in lectum suum alium virum præter maritum admittit, maximè autem, si admissus ille sit inimicus, & à quo multa incommoda sunt expectanda: ita & infidelis illa anima est, quæ ex industria, & voluntariè locum dat peccato, quod Christus Redemptor noster verus sponsus animarum nostrarum tanto prosequitur odio: quod illi tot peperit incommoda, tot damna, tot tormenta; propter quod nudus in crucem sublatus est. Qua re lubet hic imitari Prophetam Regium, & dicere; *Cor mundum in me crea Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.*

Simile. Simile. Pſal. 50, 11.

II. Secundam rationem cur peccatum, præcipuè mortale, fugiendum est, diximus esse, quia exhilarat hostem antiquum nostrum Diabolum: quod tribus ex signis colligitur. Primum est, quia nihil est in rerum natura, quo sic afficitur: non quærit aurum, non argentum, non lapides pretiosos, sed animas, quemadmodum in Genesi adumbratur, vbi dicit Rex Sodomorum in persona Diaboli; *Da mihi animas, & cetera tolle tibi.* Beatus Gregorius idem affirmat: Cogita Diabolum non aliud agere, quam decipere & perdere animam cuiuscunque: nam quemadmodum accipiter nihil æquè desiderat, atque cor alterius auis, quam persequitur: sic Diabolus desiderat animam peccatoris.

Peccatum exhilarat Diabolum.

Gen. 14, 21. Gregorius.

Secun-

Secundum signum, quo cognoscimus Diabolum peccatum amare, est continua tentatio, qua homines oppugnat, nec vnquam fatigatur hominem ad peccatum solicitare. Sex enim annorum iam millia ferè sunt, quibus huic vni studio incubuit, vt peccet, & hominem peccare faciat: nec defatigatur, imo nouos quotidie peccandi modos inuenit, alacrior fit, & in nouos hominem errores quotidie seducit, quemadmodum in libro Iob videmus. Cùm enim Deus eum rogasset, vnde veniret? respondit: *Circuiui terram, & perambulaui illam.* Adeò enim occupatus est in peccato promouendo, vt dormiendi tempus illi non suppetat, sicut testatur Iob; *Qui comedunt me, ait, non dormiunt.*

Iob. 1, 7.

Iob. 30, 27.

Tertium signum placere peccatum Diabolo, ex eo peti potest, quod nunquam peccatis potest satiari. Quamuis enim infinita hominum millia, propter impietatem, & peccatorum turpitudinem ad inferos descenderunt, quorum Diabolus auctor est, non tamen satiatur, sed famelicus semper *circumit, tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret*, vti beatus Petrus in sua testatur Canonica. Nec tantum esurit, & sitit, vt in libro Iob dicitur: *Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habebit fiduciam, quod Iordanis influet in os eius.* Os eius infernus est, & fluuius qui in os eius influit, peccatores sunt, qui magno cū impetu, tanquam rapidissima flumina, currunt ad fauces, quos & ille cupit summo cum desiderio absorbere. In vitis Patrum refertur. Principem Dæmoniorum, quendam ex suis satellitibus laudasse; atq; honorasse: imò coronatum in solio sedere præcepisse, eò quod ad peccatum luxuriæ perduxisset monachum, cui quadraginta annos insidias struxerat, nec vnquam ad peccatum inducere poterat. Plange itaque & lamentare, ô peccatrix anima, quam amarissimè, cùm toties iam fatales inimicos tuos, tuo ipsius damno mortaliter peccando exhilaraueris, & loco illius, puram confessionem, dignamque satisfactionem, redde, vt Deus & Angeli vicissim lætentur. *Etenim* verè *gaudium erit coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.*

1. Pet. 5, 8.

Iob. 40, 18.

Luc. 15, 10.

III. Damna ex peccatis in animam venientia.

Tertia principalis ratio, ob quàm fugiendum est peccatum, ingens damnum est, quod ex eo percipimus. Primò enim per peccatum auertimur, & elongamur à Deo, eiusque inimici efficimur. Hoc est quod dicit Esaias; *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius ne exaudiret.* Sed & beati omnes cœlestis illius patriæ, si peccare possent atque peccarent, de cœlo in imam inferni abyssum caderent, amicitiamque quam cum Deo habent, amitterent. Hinc Augustinus. Si delinquat in te fidelis amicus, dignum iudicas, qui reprehendatur: quanto magis dignus es tu, si in Deum omnipotentem & benignissimum patrem peccaueris?

I. Esaiæ 59, 2.

Augustin.

II.

Secundò peccatum auctorem suum reum constituit infernalium tormentorum. Et quia lex diuina non multum differt ab humana, quod lex humana facit in corporibus, hoc etiam diuina in animabus operatur. Animaduerte igitur quomodo lex humana transgressorem mandati seu Maiestatis Regiæ cōtemptorem, reum mortis agit; vt in Esdra scriptum est, vbi commemoratur Darium Regem, cum decretum de reædificando templo Hierosolymitano diuulgasset, ad finem adiecisse: *A me ergo positum est decretum: Vt omnis homo qui mutauerit hanc iussionē, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem eius publicetur.* Lignum autē hoc, est propria conscientia. Simile exemplum habemus in Hester, vbi Assuerus iubet Aamanum in furcam tolli. Hæc est sententia Dei, quam pronunciabit contra eos, qui in peccatis vixisse deprehendentur in illa die: quare & in furcam infernalem tollentur.

1. Esd. 6, 11.

Hester 7.

III.

Tertium damnum est, quod peccatū spoliat hominem in hac vita omnibus gratiarum bonis, & in futuro seculo gloria: quare & Salomon dicit: *Miseros facit populos peccatum.* Neque ideo tantum peccator miser est, quia non habet: sed quia etiam perdit semetipsum, & suam libertatem? seruum se facit, & captiuum Diaboli, nec quicquam potest mereri, nec spiritalem quæstum vllum facere: non enim in hoc statu potest aliquod opus meritorium, aut Deo gratum operari. Eo quoq; pauperior est, quia non tantum bona, quæ ipse facit, non prosunt, sed nec ab alijs potest salus animæ illius promoueri. Non enim viuit nisi solo corpore. Sceleratus namque homo, teste Boëthio, non est viuus, sed mortuus: per peccatum enim sese à luce separauit, & exceçatur. Idem testatur Sophonias: *Et ambulabunt*, ait, *vt cæci, quia Domino peccauerunt:* & Dauid; *Nescierunt, neq; intellexerunt: in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Graphicè magis Esaias in persona peccatorum: *Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis, quasi mortui.* Peccatum idem est in anima, quod putrefactio in pomo: quemadmodum enim illa saporem, odorem, calorem, totumque pomi corrumpit vigorem: ita & peccatum tollit ab anima dignitatem gratiæ, odorem bonæ famæ, colorem suæ pulchritudinis. Hanc ob causam Esai. peccatores comparat luto platearum. Aug. quoque asserit, canem mortuū minus fœtere in naribus hominum, quàm peccatrix anima corā Deo, & Angelis. Idem quoque in sermone quodam, volens hominem à via peccatorum reuocare, ait: Quid prodest, si omnia sint in ædibus tuis bona, ipse autem bonus non sis? Quid enim vis mali, dic mihi, in omnibus actibus tuis, cogitationibus, cupiditatibus? In terra non vis segetem malam, non vis vtique malā, sed bonam arborem, equum, seruum: bonum amicum, bonum filium, vxorem bonam. Sed quid hæc magna commemorem, quando non vis vestem malam habere, sed bonam, caligam denique ipsam nō vis nisi bonam? Aut da mihi aliquid te velle, quod malum est, nec te velle aliquid bonum? Puto villam malam non vis, sed bonam: solam animam malam vis? Quid te offendisti? Quid de te tu ipse male meruisti? Inter bona tua non vis esse malum, nisi te solum? Oro te saltem caligis tuis vitam antepone. Omnia quæ tibi ob oculos versantur bona sunt, pulchra sunt, & elegantia, omniaque a te diliguntur, & qui fieri potest, vt ipse velis esse malus, vilis, immundus, & abiectus? Si omnia, quæ in ædibus tuis sunt, loqui possent, clamarent alta voce, & dicerent: Si tu velis nos esse bona, & nos etiā dominum bonū volumus, & contra te ad Deum vociferarentur: O bone Deus, tu dedisti huic tot bona, tantasque diuitias, cùm tamen malus sit, quid prodest illi, quod habet, cùm non possideat Dominum, qui ista tribuit illi?

Ioan. 3, 8.

Ioan. 8.

Psal. 81, 3.

Esaiæ 59, 10.

Simile.

Esa. 10.

Auguſt. ſer. 144. de temp.

Quartum damnum est, quia peccatum facit hominem brutum pecus, vel bestiam. Propterea dicebat Boëtius: Si ab homine bono bonitatem auferas, erit bestia. Et in Ethicis ait Aristoteles, talē hominē bestijs peiorem. Nec dissentit ab his scriptura sacra, cum dicit: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

IV.

Boet. Lib. 4. de consola.

Philos.

Psal. 48, 13.

Quintum damnum est, quia peccatum facit hominem filium, & seruum Diaboli: hinc est illud Ioannis: *Qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Et Dominus ait in Euangelio: *Vos ex patre Diabolo estis.* Quam igitur infelix es, ô peccator, qui tanta sentis

V.

1. Ioan. 3, 8.

Ioan. 8.

damna: miserere itaque animæ tuæ, & noli illam peccatis onerare.

His omnibus sic sese habentibus, memento homo, & agnosce tria hæc maxima mala, quæ peccata tibi pariunt: vt sunt, offensa Dei, gaudium Diaboli, & damnum infernale. Considera præterea nobilitatem animæ tuæ, & quam periculosa sunt tua vulnera, quæ non nisi sanguine, vulneribusque filij Dei sanari potuerunt? Nisi animæ tuæ vulnera fuissent in æternum lethalia, non fuisset pro ijs mortuus Dei filius. Noli ergo contemnere, & floccifacere concupiscentias animæ tuæ, quas tanti fecit illa suprema Dei Maiestas. Ille vberrimas fudit pro te lachrymas, tu lectum tuum laua per singulas noctes, & lachrymis tuis continuaque contritione riga. Ille effudit pro te sanguinem suum: tu effunde tuum per assiduã cordis & spiritus afflictionẽ. Noli attendere quid corpus appetat, sed aduerte quid anima quærat: dicit enim B. Gregorius, vbi corpus modicum viuit in delitijs, ibi anima perpetuis cruciatur tormentis. Quanto autem magis in hac vita affligitur corpus, tanto amplius exultat spiritus in altera. Optimè ergo monet D. Augustinus: Abnegemus propriam voluptatem propter Iesum Christum; semel enim ea erit deferenda nec placet Deo, quod propter bona temporalia perdimus æterna. Si tibi permitteretur annis aliquot in delitijs huius carnis viuere, hac cõditione, vt postea oculi tibi eruerentur, aut vt omnibus delitijs priuatus cum fame, siti, omnique afflictione & miseria luctarêre, nunquam te huiusmodi delitias optaturum exiltimo. Quid quæso est vita hæc? Verè non est spacium vnius mensis. quid mensis dico? non horæ, non momenti, si cum illa æterna beatitudine aut tormentis inferni, quæ finem non habent, & quibus non possunt similes excogitari conferatur.

Gregor.

Augustin.

TERTIA MEDITATIO, QUAM *periculosum sit differre pœnitentiam.*

Matt. 16, 24. Luc. 9, 24.

REdemptor noster omnes nos inuitans ad pœnitentiam, ait: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam.* Necesse est, vt omnes peccatores hanc crucem tollant, & cum perseuerantia portent, si cupiant cum Christo Iesu regnare. Quare B. Hieronymus scribens ad Susannam, ait; pœnitentiã debere peccatis aut parem esse, aut maiorem. Necessaria est, inquit, pœnitẽtia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat. Et B. Augustinus: Quicunque vult saluus esse, oportet vt saltem lachrymis contritionis, & cordis lauetur, cum post baptismum mundus factus sit ab omnibus sordibus, quas peccando contraxit. Quod si dixeris, durum esse sermonem hunc, nec posse te mundum deserere, nec carnem odisse, nec corpus castigare: audi quid dicatur, non à me, sed à B. Hieronymo: Difficile, imo impossibile est, vt præsentibus quis & futuris fruatur bonis: vt hic ventrem illic mentem impleat: vt de delicijs transeat ad delicias: vt in vtroque seculo primus sit, & in cœlo, & in terra appareat gloriosus. Quam sententiam confirmat D. Gregorius: Multi, inquit, cupiunt volare de iustitia exilij præsentis vitæ, ad cœleste gaudium: interim nolunt huius mundi deserere voluptates. Gratia Christi Iesu illos vocat, sed concupiscentia seculi retinet. Cupiunt mori cum iustis, & non volunt viuere cum illis: huiusmodi peribunt in æternum, quia opera eorum sequentur eos. Asperitas vitæ B. Ioan. inquit D. Bernardus, dura mortis est sententia peccatoribus: qui cum nullus eo maior inter natos mulierum surrexisset, innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic afflixit & vos induti festinatis byssо, & purpura, & splendide epulari? O homo nequam, non est hæc ad cœlum via regia. Memento diuitis illius Epulonis, qui fuit tantorum bonorum Dominus, qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur splendidè, postea vero non potuit habere guttulam aquæ, qua linguã suam refocillaret in medijs inferni flammis positus. Perpende hîc amice mi, & pœnitentiam age dum tẽpus tibi suppetit. Audi B. Gregorium: Deus etsi pœnitenti veniam spopondit, peccanti tamen crastinũ non promisit. Pœnitentia est præterita peccata plangere, & futura non admittere. Quare optimè dictũ est à B. Augustino: inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata: nihil valet à malis veniam poscere, & mala denuo iterare.

Hieron. in Epist. ad Susan.

Hieron. in Epist. ad Iulianam c. 4.

Bern. serm. de Io. Bap. Matth. 11.

Luc. 16.

Vera pœnitentia August. in Soliloq.

Ad maiorem horum omnium intelligentiam notandum est, veram pœnitentiam tribus partibus constare, quæ sunt, cordis contritio, oris confessio, & operum satisfactio. Tribus enim modis in Deum peccauimus, cogitationum delectatione, imprudentia linguæ, atque operum superbia: & hæc tria tribus contrarijs remedijs curanda sunt, delectatio cogitationum dolore, & contritione cordis: imprudentia loquendi oris confessione, & superbia operationis integra satisfactione. De tribus itaque his partibus agamus, & quidem de contritione prius, quæ est dolor voluntarie de peccatis assumptus, cũ proposito confitendi, satisfaciendi, & in posterum non peccandi. Debet autem contritio quatuor habere gradus, secundum Bernardum. Porro, inquit, ex integro sensum recuperasse te scias, si tuam conscientiam quadruplici sentis compunctione morderi, pudore gemino, & gemino timore. Igitur in tua pro te lamentatione, cogita Deum factorem tuum, cogita patrem tuum, & beneficum, cogita Dominum tuũ, ad omnia reus es. plange per singula; ad primum & vltimum respondeat timor tuus, & ad duo media pudor. Esto quod dissimulet pater, ignoscat benefícus: sed non Dominus & creator. Et qui parcit filio, non parcit figmento, non parcit seruo nequam, &c. Offendimus Deum Dominum nostrum, & creatorem omnium: turpius offendimus patrem nostrum cœlestem, adeò beneficum, qui nos sustentat, qui nutrimentum dat. qua in re peiores sumus canibus, qui amant & sequntur hos, à quibus aluntur; turpissimè autem Deum offendimus, Deum, quia peccando crucifigimus, quantum in nobis est, denuo nostrum Redemptorem, qui sanguine suo pretiosissimo nos redemit, & ab omnibus laqueis atque catenis peccatorum, à crudelitate Dæmonum, à pœnis infernalibus liberauit. Debemus autem de tribus conteri, de peccato scilicet commisso, de bono omisso, & de tempore amisso. De dignitate contritionis loquitur Augustin. Plus valet contritio cordis, quàm toto orbe peregrinari. & Cassianus in Psal. *Ad Dominum cum tribulaver*, inquit, Dominus nescit differre, quem compuncto corde sibi senserit supplicare. Chrysost. quoque: Sola, inquit, est compunctio, quæ facit hominẽ horrescere purpuram, desiderare cilicium, iustè operari, amare lachrymas, fugere risum.

Pœnitentia partes tres.

Contritio quid sit.

Bern. serm. 16. in Cant.

August. Cassianus in Psal. 119.

Chrysost. de compunctione cordis.

De Confessione, quæ est altera pars pœnitentiæ, dicit B. Augustinus, quod est salus animarum dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutũ, oppugnatrix Dæmonum, pauor inferni, obstaculum Diaboli. O sancta atq; admirabilis confessio, tu obstruis os inferni, & aperis portis paradisi. & alibi: Qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc Diabolus non habet iterũ accusare in die iudicij, si tamen confitens pœnitendo deleat, quæ fecit: nec iterum renouet, quæ egit. Sed væ nobis, quod cum tanta sint pœnitentiæ bona, tam pauci inueniantur, qui illam suscipiunt.

Confessio. Serm. 30. ad fratres in eremo.

Serm. 56. de tempore.

Hinc

Hinc Deus queritur apud Hieremiam, dicens: *Nemo quod bonum est loquitur: nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: quid feci?* Audi quid Beatus Isidorus dicit: Confessio est, per quam animæ morbus latens, spe consequendæ veniæ, in Dei laudem aperitur. De qua virtute dicit Ambrosius: Cùm confessio procedit ab homine, cessat Dei vindicta. Et Cassiodorus: Iesus Christus non est Iudex, sed Aduocatus eorum, qui per propriam confessionem seipsos accusant. Leo verò Papa his astipulatur: Non remanet, inquit, in iudicio condemnandum, quod fuerit confessione purgatum. Age igitur, mi frater, sequere consilium Esaiæ, *dic tu iniquitates tua prior, vt iustificeris.* Principium enim iustitiæ peccatorum est confessio: si integrè sacerdoti confitearis omnia tua peccata quorum habes memoriam: ille enim habet te absoluendi potestatem. Noli verò huic sacerdoti partem vnam, & alteri alteram confiteri: tunc enim neuter te posset absoluere, vt dicit S. Bernardus. Qui diuidit confessionem suam in varias diuisiones, non meretur veniam: hypocrisis est in confessione peccata diuidere, vel ea extenuare, & non dicere, sicut oportet. Qui enim sic confitentur, loco absolutionis quam expectant, incidunt in excommunicationem, & loco benedictionis accipiunt maledictionem. Talis diuisio frequenter ex vana gloria nascitur: volentes enim videri boni, magna dicunt flagitia, atque crimina his, qui eos non cognoscunt, & leuiora reddunt ijs, quibuscum conuersantur familiarius. De his dicit B. August. non dignus est laude qui diuidit confessionem, vni dicens, quod alteri cupit celatum: talis enim ex hypocrisi laudat semetipsum.

Ieremi. 8, 6. *Isidor. lib. de Etym.* *Leo in sermon.* *Esai. 43, 26* *Confessio integra sit.*

De satisfactione, quæ tertia pars est pœnitentiæ, sic loquitur B. Augustinus: Satisfactio est peccatorũ causas excidere, & suggestionibus eorum aditum non indulgere. Gregor. sic: Nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoq; quas dileximus, è contrario oppositis lamentis insequamur. Consentit Chrysostomus: Reconciliatio, inquit, æqualis esse debet offensæ præcedenti: Oportet vt tam promptus sis ad plangendum, quam ad peccandum, & qualis fuit intentio peccandi, talis esse debet deuotio pœnitendi: magna enim peccata, magnum quoque requirunt planctum & dolorem. Quare & Eusebius ait: Non leui agendum est contritione, vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur: nec transitoria opus est satisfactione, pro malis illis, propter quę paratus est ignis æternus. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis, ad sanandos ipsius cordis dolores. Tota incumbendum est spiritus contritione, vt vetusta mala, tanquam sagittæ quædam, de conscientia debellentur. Non sufficit summis labijs dicere: Peccaui, parce, remitte. Ad nos confestim satisfaciendo defatigati, respicimus retro, instar vxoris Loth: quare diligenter considerandæ sunt verba B. Bernardi. Qui, inquit, perfectè norit onus peccati, & animæ suæ plagas, aut parum, aut nihil sentiet pœnas corporis, nec erunt ei molestæ: certò sciens, quod per illas peccata delentur cõmissa, & vitatur illud, ad quod cõmittẽdum iam homo dispositus erat, & paratus. Hinc ait B. August. scribens in Psal. *Miserere mei Deus*: Multi, inquit, sunt quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis insania. De vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis? Nonne putridum nudum fœdius, & putidius est? Confuge ergo ad Medicum, age pœnitentiam, dic: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum ante me est semper: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.*

Satisfactio. *Aug. in Soliloq.* *Greg.* *Chrysost.* *Euseb. Hom. 5. ad Monachos.* *Gen 19.* *August. in Psalm. 50.* *Ibid. v. 5.*

Satisfactio consistit in tribus: Oratione scilicet, Eleemosyna, atque Ieiunio, quæ quasi antidota sunt, contra totidem vitia capitalia, quibus Deum offendimus: atque tria hæc vitia nascuntur ex tribus præcipuis animarum nostrarum inimicis. Superbia ex Diabolo, auaritia ex mundo, luxuria de propria carne nostra generatur: de quibus sic dicit B. Ioannes: *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Oratio cõprimit superbiam, Eleemosyna pellit auaritiam, & Ieiunium coërcet luxuriam. Porrò peccamus semper aut contra Deum, & oratio vicissim omni illi peccato opponitur, quia cum Deo reconciliamur, teste Sapiente: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat:* Aut peccamus contra nos ipsos, & contra tale peccatum efficax est ieiunium, iuxta illud Augustini: Refrenate carnem vestrã ieiunio & abstinentia. Aut peccamus contra proximũ, & hic valet Eleemosyna, de qua dicit Saluator apud Lucam: *Facite Eleemosynas, & omnia munda sunt vobis:* sicut enim aqua extinguit ignem, sic Eleemosyna peccatum. Eleemosyna namque dicitur aqua Dei, & præceptum misericordiæ nobis à filio Dei mandatum.

reb. cõsistat: satisfactio. *1. Ioan. 2, 10* *Eccl. 35, 21.* *Luc. 11, 41.*

Quare tribus de causis Eleemosynas dare, atque opera charitatis facere sumus obstricti: Primò, quia misericordia redimit culpam: vnde Salomon: *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* Meminit scriptura viduæ illius pauperculæ, quæ habẽs modicũ olei, & faciens misericordiã, impleuit omnia vasa vacua, debitumq; omne suum creditorib. reddidit: vsq; adeò est oleum illud multiplicatum. Vasa hæc vacua sunt pauperes, quos in ædes nostras debemus introducere, iuxta illud Esai. *Frange esurienti panem & egenos, vagosq; deduc in domum tuam: & si videris nudum, operi eum, & carnem tuam non despexeris.* Simile est consilium Thobiæ, ad filium dicentis: *Ex substantia tua fac Eleemosynam. & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguũ fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Atque hoc modo pauxillum illud olei misericordiæ, abundabit cum augmento meriti atq; gratiæ: ita vt habiturus sit peccator, quo satisfaciat Deo suo creditori, pro omnibus peccatis.

Locus de Eleemosyna effectibus. *Prou. 16, 6.* *4. Reg. 4.* *Esai. 58, 7.* *Tob. 6, 7.*

Præterea multiplicat Eleemosyna bona temporalia, quẽadmodum testatur Gregorius, dicens: Terrena seruando amittimus, largiendo seruamus, & alibi: Quicquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum: quia quod datur, multiplicato fine dubio fructu recipitur. Huius rei exemplum habemus in libris Regum, vbi viduæ, quæ Prophetam Eliam alebat multiplicatur oleum & farina: ex quo manifestum fit, pauperes potius cibare hos, qui Eleemosynam faciunt, quàm ab illis cibantur.

Greg. lib. 18. Moral. c. 19. *4. Reg. 4.*

Tertiò, quia Eleemosyna est opus misericordiæ, animam cum claritate ad cælum deducit, teste Ambrosio, qui ait: Non sunt bona hominis, quæ secũ ferre non potest. Sola misericordia est comes defunctorum. O quã bonus & necessarius comes est morientibus Eleemosyna? Noli ergo talem comitem aspernari, qui quasi aduocatus præcedit te, non sequitur: quemadmodũ miseri illi, qui nolunt extendere manum ad faciendas Eleemosynas in vita sua: nõ dissimiles illis, qui faciũt lumẽ à tergo portari, quos Sapiens reprehendit, dicens: *Ne dicas amico tuo: Vade & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.*

Prou. 3, 28.

Qui diues est etiam tria cõsiderare debet in Eleemosynis faciendis, quorũ primum est: Deum ipsum esse, qui Eleemosynã petit, eumq; misericordiam illam eo loco habere, quo habiturus esset, si ipsi sibi

Quibus in *Tria in Eleemosynis spectanda.*

facta esset: iuxta id, quod Christus ait in Euangelio. Matt.25,40. *Quod vni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Deus itaque pro pauperibus ſtipem mendicat à diuite, à quo dies vicisſim quotidie orat regnum cœlorum. Qui igitur negauerit pauperi Eleemoſynam, ipſo petente Deo, vehementer timendum eſt, ne Deus vicisſim illi deneget regnum cœlorum, nec audiat eum clamantem: iuxta illud Salomonis: Prou.21, 13. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.*

Secundum, quod dies Eleemoſynam daturus, debet cogitare, eſt: Deum id pro paupere flagitare, quod ſuum eſt, cum ſit Dominus omnium, quæ poſſidemus, quare profectò ingratiſſimus ſit oportet. qui pauperi negat Eleemoſynã neceſſariam. Longè erat ab hac ingratitudine Dauid, cũ diceret: 1.Para.29,11 *Tua eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, & victoria, & tibi laus. Cuncta enim quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra, tua ſunt: tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes Principes. Tua diuitiæ, & tua eſt gloria. Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*: Eò verò magis iſta cogitatio nos ad Eleemoſynã debet incitare, quia Deus quod damus, recipit redditque Aug. in Ep. non ſimplum, ſed centuplum. Hoc eſt quod B. Aug. dicit: Si vis eſſe mercator optimus, fœnerator egregius: da quod non potes retinere, vt recipias quod non poteris amittere: da modicum, vt recipias centuplum, da temporalẽ poſſeſſionem, vt conſequaris hæreditatẽ æternam. Non eſt itaq; tantum ingratus, ſed demens etiã, qui non vult dare Deo ſuos reditus, vt tanto cùm fœnore recipiat: cum id iudæi, & Ethnici, & Mauri libẽter faciant. Quare reſipiſce chariſſime, & collige theſauros miſericordiæ in loco tuto, in cœleſti ſecuritate, & non in terrenis periculis. Cõſidera cor auari eſſe puteum ſine fundo, quanto amplius recipit, tanto amplius concupiſcit: nec vnquam Eccl. 5,9. ſatiatur, vt Sapiens ait: *Auarus non implebitur pecunia.* Væ qui theſaurizant in terra: affligitur enim cor eorum, eo quod diuitijs frui nequeant, & ſeruent cũ periculo, eaſque velint, nolint, aliquando debebunt relinquere, & pœnas luere in inferno. Theſauriza tu chariſſimè, in propria terra, quę eſt cælum, vbi viues ſemper: & noli ſpem habere fruendi his, quæ in terra ſunt relinquenda, arbitrare hæc tua eſſe bona, quę in pauperes erogaſti: non enim ſunt bona propria, quæ quis ſecum ferre non poteſt. Audi quid dicat B. Ambr. in Offic. Ambroſius: Nihil tam commendat Chriſtianũ, quam miſeratio charitatis. Et B. Hieronym. Non memini Hier. ad Nepotianum. me legiſſe mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri. S. Leo de apparit. Domini. Sed & Sanctus Leo hanc virtutem commendans: Recipiet à Deo, inquit, fructus integros, à quo pauper ſine ſolatio non recedit. Miſericordiæ virtus tanta eſt, vt ſine illa, etſi aliæ ſint, prodeſſe non poſſint. Quamuis enim aliquis fidelis ſit, & caſtus, & ſobrius & alijs maioribus ornatus nominibus: ſi miſericors tamen non ſit, miſericordiam non meretur. Atqui hæc ſatis eſſe debent, ad flectendos hominum animos, vt hanc tertiam pœnitentiæ partem, ſcilicet ſatisfactionem, prompti atque alacres ſuſcipiant.

De hac pœnitẽtia, vt ad propoſitum reuertamur, Matt.10, 38. Saluator dicit: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Quod ſi verum ſit, meritò facienda eſt pœnitentia, quam citò fieri poteſt, imò in ipſa iuuentute: tunc enim & nobis vtilior eſt & Deo gratior quẽadmodum docet Sapientia: Eccl.12,1. *Memẽto, ait, Creatoris tui, in dieb. iuuentutis tuæ, antequã veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de* Eccl.5. *quibus dicas, Non mihi placent.* Fili conuerti ad Dominum, nõ tardes & ne differas de die in diẽ ne ſubito veniat ira eius, & te condemnet, atq; in tempore vindictæ diſperdat te. Ne decipiare maledicti illius Satanæ ſuggeſtionibus, qui tibi ſpẽ ſuggerit vitæ lõgioris, & pœnitentiæ ſub mortẽ faciendæ, vt ex improuiſo te opprimat, & extinguat, vti Sapiens dicit: Eccl.29.24. *Repromiſſio nequiſſima longioris vitæ multos perdidit dirigentes, & commouit illos quaſi fluctus maris.* Mala Repromiſſio vitæ, longioris mala. eſt, quia rationi aduerſatur, & iuſtitiæ: peior, quia eſt ipſi peccatori contraria, peſſima & nequiſſima, ſeu maledicta, quia cũ voluntate diuina militat. Malam eſſe & contrariã rationi & iuſtitiæ trib. probatur exemplis. Primò, contra iuſtitiã erit, ſi quis habẽs multa iumenta, inter quę grauiorẽ ſarcinã poteſt diuidere, totã vni, eiq; debiliori & ſeniori imponat. Talis eſt is, qui totũ onus pœnitentiæ, omniumq; peccatorum in iuuentute cõmiſſorum debili reſeruat ſenectuti, quæ impar eſt oneri, nec illud poteſt portare. De huiuſmodi dicit B. Iſidor. Qui perdunt tempus pœnitentiæ ſine fructu, fruſtra petunt à Domino ianuã ſibi aperiri, ſed & Propheta Malachias huic maledictionẽ denunciat: Malac.1,14. *Maledictus, ait, doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Secundò, ſtolidior & iniuſtior eſſe videtur is, qui cum ſanus eſt & robuſtus, non vult portare onus exiguum, ſed mauult expectare, dũ onus grauius eſt, ipſe verò infirmior. Talis eſt qui nõ portat onus pœnitentiæ in iuuentute, & quam diu leue & exiguum eſt: ſed differt vſque ad ſenium, quando ipſe erit debilior & onus grauius. Huius rei exemplum eſt in lib. Patrum: quidã enim cædens ligna faſcẽ conſtruebat, deinde tentat ſi portare poſſet: videſ autẽ ſe oneri non eſſe parẽ, plura ligna cædit, faſcẽq; maiorem facit, & quo minus faſcem leuare potuit, eo maiorem reddidit. Eodem modo & peccatores faciunt, qui prorogantes tempus pœnitentiæ, onus peccatorum amplificant. Nam quemadmodum S. Gregorius dicit, Peccatum quod per pœnitentiam Gregor. ſtatim nõ expiatur, aliud ſuo pondere ſecum trahit. Tertiò, anne manifeſtè iniuſtus & demens quis erit, III. qui totum ſuæ vitæ tempus, omnes ſumptus, omnẽque ſuam diligentiam in ædibus extruendis conſumit, in quibus tamẽ habitare non eſt animus: domũ autem in qua commorari decreuit, omnibus ſuis viribus demolitur? iſtè ſanè contra iudicium rationis ageret, dignuſq; eſſet, qui ſtolidus & inſanus dicatur. Ita facit peccator, qui prorogans ſuã cõuerſionẽ, vſq; ad horã mortis, ædificat ſibi habitaculũ in profundo inferni, vbi tamen habitare non cupit. Metue itaq; dictum illud. Qui facit contra conſcientiam, ædificat in inferno.

Secundo in longitudinis vitæ promiſſione peius Repromiſſio vitæ peior. aliquid videtur, cum etiam ſit in præiudicium ipſius peccatoris. Et hoc duobus probatur exemplis. Primum eſt, quia ſi quis malit eſſe infirmus, quã ſanus, ſeruus, quam liber: pauper, quam quibuſuis diuitijs affluens: talis ſibi ipſe eſſet cõtrarius: huic ſimilis eſt peccator, quia mauult in peccato, quod eſt ſpiritalis quædam infirmitas, viuere, imò mortuus eſſe, quàm ſanus & robuſtus. Quare peccator crudelior in ſeipſum eſt: mauult enim eſſe mortuus, quàm viuus: infirmus, quàm ſanus: ſeruus, quàm liber, quomodo Ioann.8,34. eſt apud Ioannem: *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*: Et B. Auguſt. Bonus etiam ſi ſeruit, liber eſt: malus autem, & ſi regnat, ſeruus eſt, neque eſt vnius hominis, ſed (quod grauius eſt) tot dominorum, quot vitiorum. Secundum exemplum eſt debitoris qui aliquam pecuniæ ſummam in vſuram accepit: tanto enim plus creſcit debitum, & vſura, quãto ille ſolutionẽ diutius prorogat, & quanto minus ſufficiẽs eſt ad ſoluendũ, tanto eſt negligẽtior, vt ſe ab vſura illa liberet: certè is ſibi ipſi inutilis eſt, & dãnum infert: talis eſt peccator, qui in peccatis perſeuerans, quo diu-

diutius in his permanet, tãto amplius accrescit vsura culpæ: & tanto maiora soluet aliquando pœnarũ debita, hinc B. Ioannes ait in sua Apocal. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormẽtum & luctum.* Apoc. 18,7.

Retromissio vitæ longioris pessima.

Tertiò, promissionem vitæ longioris diximus esse pessimam, & maledictã: maxime, quia directè militat contra bonitatẽ Domini nostri Iesu Christi idque liquet ex tribus exemplis, quorum primum est:

I. Si quis famulus toto vitæ suæ tempore sit inobediẽs suo Domino, cui tamen fideliter seruire obstrictus est, multis ab illo acceptis beneficijs: seruiat autem heri sui infensissimo inimico, & tandem sub finẽ vitę suæ reuertatur ad herum, vt ei tunc famuletur, cui hactenus semper fuit obstreperus, putasne seruitutem illam Domino gratam fore & acceptam? Talis est peccator, qui postquam toto vitæ suæ curriculo

II. Dominum Deum offendit, eiusq; aduersario, militauit, tandem in senectute decrepita reuerti vult, vt Deo seruiat. Secundum: Si aliquis à Domino suo multa accepisset dona, aut magnum pecuniæ vim, ea lege, vt mercaturam exerceat, & summam sua diligentia augeat, ille autem in cõtemptum Domini sui pecuniam prodigaliter abijciat: is profectò & contra Domini sui bonitatem, & contra propriam vtilitatem qeccaret, atq; ingratus haberetur. Huic non dissimilis est peccator, qui à Deo anima & corpore, cum omnibus sensibus, potẽtijs, bonis externis longoq; vitæ spatio, & alijs beneficijs acceptis, eadẽ omnia dissipat, & inutiliter consumit: idque in vituperium & iniuriam sui Domini. Creatoris & Redẽptoris: multis & varijs modis peccando, & bonitatẽ Dei offendendo: bona omnia dilapidando, & primò animæ, quæ data est illi, & commendata, tanquam pretiosissimus thesaurus. Quare dicebat B. Gregorius: Væ si talentum mihi à Domino creditum, hoc est animam meam, pretioso sanguine immaculati agni illius redemptam negligenter custodiero, secũdo temporis, de quo idem Gregorius, non est momẽtum tẽporis, cuius non erit tibi reddenda ratio. Tertium exemplum. Si quis sit minister, cui incumbit officium dispensandi bona sui Domini: bonum autem panem, bonum vinum, & bona edulia daret externis & hostibus sui Domini: Domino autem ipsi panẽ mucidum, cibos insulsos, carnes putrefactas, pisces corruptos apponeret, atque vinum aut vappum, aut acidum infunderet: seruus ille vtiq; malè cũ Domino suo conueniret. Huic similis est miser peccator, qui mundo & Diabolo, qui sunt inimici Christi Iesu Domini sui, optimum florem vitæ iuuentutis, & fortitudinis suæ, pessimam autem partem vitæ, sterilem & inutilem senectutem offert suo Deo & Domino. Non sic fecit Dauid, qui de seipso dicit: *Fortitudinem meam ad te custodiam Domine*, & Sapiens dicit se à iuuentute Sapientiam, quæ est vera virtus, quæsiuisse. De omnibus autem his, qui differunt pœnitentiã, dicit S. Gregorius: Satis alienus est à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempora senectutis expectat. Metuendum est enim nedum sperat misericordiam incidat in iudicium, Nulla enim dies est in eius potestate, & proinde vnusquisque sequi debet consilium Isidori, & conuertere sese cum omni, qua potest, diligentia & festinatione ad Dominum: nam si tardauerit, volet aliquando, & non poterit. Quæ cum ita sint, charissimè, age pœnitentiam cum omni celeritate, & noli tardare, ne in fine vitæ cum virginibus istis fatuis reproberis.

III. Gregor. Pſal.38,10. Sap.8,2. Gregor. in Moral.

QVARTA MEDITATIO DE CONtemptu mundi, & quanto odio quantaq; diligentia sit fugiendus.

DIcit glorioſus ille Ioannes: *Fratres, nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mũdo sunt. Si quis enim diligit mundum, non est charitas patris in eo: & mundus transit, & concupiſcentia eius.* B. Aug. exponens hunc locum, ait: Quid vis, vtrum amare temporalia, & transire cum tempore: an Christum amare, & viuere in æternum? Si amaueris seculum hoc, consumet te: non enim potest defendere suos amatores. 1.Ioan.2,15. Aug Tract. 2. in Epist. Ioannis.

Mundus, homo excommunicatus.

Mundus hic est quasi homo excommunicatus: quẽadmodum enim Ecclesia non orat pro excõmunicato: ita Iesus Christus non orat pro mundo, etsi orauerit pro ijs, à quo crucifigebãtur. Ah quam magna est dementia seruire tali Domino, qui in fine seruitutis non solet aliud dare stipendium quam nuditatem. Ita Saladinus magnus Babyloniæ Soldanus, Asiæ domitor, morti proximus, videns iam nullam vitæ spem superesse, iussit accersiri suum signiferum, quem ita allocutus est: Tu cõsueuisti portare vexillum regium cum proficiscerer in bellum: nunc etiã mortis meæ signum porta: quod est tritum hoc linteamen: defer illud per omnes plateas Damasci, & clama: Ecce moritur Rex totius Orientis, & nihil aliud ex omnibus spolijs & trophæis suis aufert secũ, præter tritum hoc linteamen. Simile quid legitur, de Rege quodam Lotharingiæ, adhuc adolescente: qui in articulo mortis constitutus, in magnificentissimo suo palatio, & ædibus superbis iacens, dixit alta voce, vt ab omnibus audiretur: O Domine Iesu Christe, quam meritò mundus est contemnendus. Vide in quàm magnificis hic ædibus & palatijs vixi, nunc infelix quo vadam hac nocte, & quod habiturus sum diuersorium, aut quod hospitium mihi præparatur, ignoro. Fuge itaq; peccator, fuge mũdum: primò, quia te in tanta deserit inopia & miseria, nã vt B. Iacobus ait, *amicitia mundi huius inimica est Dei. Quicunque ergo voluerit amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur.* Et B. Greg. Homo tanto vicinior est Deo, quãto longius est ab amore mundi separatus. Ob hanc causam Dominus extra ciuitatẽ voluit offerri, vt significaret, se nõ habere partem in mundo: & quicunque vult particeps esse fructuum suæ passionis, hunc debere nuncium remittere mũdo, & ab omni humana conuersatione separari, si nõ actu, saltem desiderio: hoc est, quod Deus iubet per Prophetam: *Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisq; animam suam.* Babylon, secundum expositionem B. Hieronymi, domus confusionis dicitur, quæ est mundus iste, in quo vbiq; regnat confusio, tã in clericis, quàm in laicis: tam in religiosis, quam in secularibus: tam in senibus, quam in iuuenibus: tam in viris, quam fœminis. Optimè itaque dictum est à Beato Ioanne in sua Canonica: *Mundus totus in maligno positus est.* Propterea rectè consulit D. Bernard. dicens: Fugite de medio Babylonis, fugite, & saluate animas vestras, Conuolate ad vrbes refugij, vbi positis & de præteritis agere pœnitentiã, & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriam, fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia peccatorũ, non pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat. *Non* enim *condignæ sunt passiones huius temporis, ad præteritam culpam, quæ remittitur*: non ad præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur: non ad futuram gloriam, quæ promittitur. Deniq; nulla est tanta amaritudo, quam nõ Prophetica farina dulcoret, quam non sapidam reddat sapiẽtia ligni vitæ.

Saladini fatũ & dictũ.

Iac. 4, 4. Gregor. Ier. 51,6. Hieronym. in 7. cap. Mich. 1.Ioan.5,19. Bern. de cõuersione ad cleric. ca. 1. Rom. 8,18.

Sciendum autẽ est: mundum quatuor ob causas esse fugiendum, quarum prima est: quia sapientes & viri

Mundū quatuor ob causas fugiendū.

& viri circumspecti solent fugere loca contagiosa, & fœtida, maximè si infirmi sint, aut aliquam infirmitatem metuant. Talis locus est mundus, qui multa habet mala, atque peccatorum morbos, nec non & multas in eo videmus sordes, quæ contaminant animas nostras: est enim ipsum peccatum morbus contagiosus, ideoque meritò omne malorum hominum consortium fugere debemus: non enim expedit, vt sanus cohabitet elephantiaco: ait enim Sapiens: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicat superbo, induit superbiam.* Certè (ait B. Hieron.) nil tam nocet homini, quam mala societas. Talis enim efficitur homo: qualiū societate fruitur. Nunquam cum agno lupus habitat. Vir certè castus luxuriosi societatem fugit. Plus quàm impossibile puto virum diutius in bonis permanere operibus, qui malorum assidua conuersatione vtitur. *Cùm sancto,* ait Psalmista, *sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruerteris.* Sicut enim mala conuersatio nocet, ita bona prodest. Nihil potest huic comparari thesauro. Qui bonam inuenit societatem, vitam inuenit, diuitijs affluit. Certè verè dicam: perrarò homo vel bonus, vel malus efficitur, nisi ob societatis causam. Pueri cor tanquam tabula, in qua nihil pictum est, fore dicitur. Illud ergo quod à societate recipit, vsque ad senectam retinet, siue bonū, siue malum sit. Hæc B. Hier. morti iam vicinus. Cum itaq; mundus tam malus sit, debemus illum fugere, non aliter atqui malum vicinum, qui potest magnum nobis sua vicinitate malum inferre, peccatisq; & peccatoribus suis, quorum plenus est quam plurimùm obesse.

Ecclı 13,1. Hier. To 9. Epist. Euse. ad Damasū de morte Hieron.

Psal. 17, 27.

Secūda causa cur mundus fugiēdus

Secunda causa, ob quam mundum debemus fugere, est, quia prudentes & sapientes vitant loca, in quibus hostium timent insidias, ne fortè in illorum manus incidant: & hoc est præmium quod mundus reddit suis amatoribus: quia tradit eos tandem in manus Diabolorum hostium suorum. Huc referenda sunt verba traditoris Iudæ, quibus vendidit & tradidit filium Dei, dicens: *Quemcunque ego osculatus fuero, & cui pacē dedero, ipse est, tenete eum.* Quæ verba mundus quoque dicit ad Dæmones: Cui ego dedero osculum pacis, diuitiarum, voluptatum & honorum, tenete eum, ligate eum fortiter in inferno. Quare non immeritò dicit Beatus Gregorius: Manifestum perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens fauet effectus, & nulla contrarietas impedit, quod mens peruersa concepit, & D. Hieronymus: Manifestum indicium dānationis est amari à mundo, frui prosperis, atque habere omnia, quæ voluntas appetit. Certum itaq; est, plurimum falli in via felicitatis inuenienda, qui per diuitias & voluptates existimat se posse intrare in gloriam, & regnum cœlorum.

Matt. 26. 48

Greg. in Moral.

Tertia causa.

Tertia causa, ob quam mundum fugere debemus hæc est: sapientes enim & prudentes fugiunt loca periculosa, quale est mare, in quo cum timore nauigatur. Vnde Sapiens: *Qui nauigant mare, narrant pericula eius.* Mundum hunc esse mare magnum & spatiosum testatur Dauid: in quo maior pars nauigantium perit. Patet hoc, quia teste Bernardo multi in illo pereunt, & pauci saluantur. Mūdus est quasi Oceanus, in quo ex quatuor nauibus vix vna seruatur, & quemadmodum diluuium, in quo tot hominum millia sunt submersa, & tam pauci saluati: & quemadmodum fornax Babylonicus accensus igne infernali, in quo homo vnico verbo ignis iracundiæ accenditur, & solo visu atq; intuitu ardet luxuria, flagrat auaritia.

Eccl. 42, 26. *Mundus mare est.*

Quarta causa.

Quarta causa, cur mūdus relinqui debeat, est, quia omnis qui prudens est, admonitus locum fugere debet, in quo capitalis eius habitat inimicus. Locus ille mundus, in quo Diabolus habitat, capitalis noster inimicus: ille in hoc mūdo suum habet regnum, qui nobis semper exitum minatur, & sitit mortem nostram. A mundo itaq;, tanquam à Diabolo fugiamus iuxta consilium Sapientis: *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi.* Eccl. 9, 18.

His itaq; rationibus propositis sapiamus, videmus enim manifestè ex ijs, quæ dicta sunt, mundum alio modo melius vinci non posse, quam fugiendo. Huius rei exemplum habemus in vitis Patrum de B. Achrimo: qui cùm Imperator aliquandiu fuerat, in palatio stans, ita Deum precabatur: Domine rogo te, ostende mihi, viam salutis. Et vox de cœlo audita est, dicens: Achrime, fuge homines, & saluus eris. Ille audita hac voce cōfestim monachus factus est. Alio tempore eādem orationem dicens, audiuit vocē dicentem: Fuge, vince, tace, & quiesce. Et sanè hæ sunt radices, hæc sunt fundamenta nō peccandi. Fugiendo enim vincitur concupiscentia carnis, tacendo superbia vitæ, & quiete auaritia habendiq; desiderium superatur. Beatus Isidorus admonens nos, vt mundum contemnamus, ait: Si vis quietè viuere, noli quicquam desiderare in hoc seculo: abijce à te quicquid sanctum tuum potest impedire propositū. Mortuus esto mundo, & proinde tāquam mortuus, noli ambire gloriam: & viues in tranquillitate, tuis contentus. Sperne in vita, quod in morte non potes retinere. De fallaci hac vita dicit B. Augustinus: Vita hæc vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita Immunda, vita domina malorum: regina superborum, plena miserijs & erroribus: quæ non est vita dicenda, sed mors in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diuersis generibus mortis. Vita fragilis, vita caduca quæ quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit, vita fallax, & vmbratica, plena laqueis mortis. Licet his, alijsq; sit respersa amaritudinibus (proh dolor) quam plurimos capit suis illecebris, & quam multos suis falsis promissionib. decipit? Et cū ita per se sit falsa & amara, vt etiam suos cæcos amatores latere non valeat tamen infinitā stultorū multitudinē aureo calice, quem in manu habet, potat & planè inebriat. Felices illi, & ipsi rari, qui familiaritatem eius recusant: perfunctoria gaudia spernunt: societatē abijciunt, ne cum pereunte deceptrice, & ipsi perire cogātur. Hęc ille: Ecce, inquit Bernardus, mundus clamat, ego deficiā, & caro clamat, ego inficiā. Vtrū igitur, ô miserrimè peccator, sequi vis? Mūdum deficientē, an carnem inficientem? Vtrūq; malum est: sequere igitur Christum reficientē. Quod si omnia hæc, mi frater, quæ hactenus legisti, te nō moueant: audi quid idem insignis ille doctor Ecclesiæ Bernardus dicat de mundi amatoribus. Væ, ait, infelicibus illis, quibus præparatus est dolor intolerabilis, fœtor incōparabilis, timor horribilis. Væ quib. præparatus est locus, vbi nihil aliud audietur, nisi fletus & planctus gemitus & vlulatus, mœrores atq; stridores dentium: vbi nihil videbitur nisi vermis, & laruales facies tortorum, atq; teterrima monstra dęmoniorū, ibi inuocabunt mortē, & non veniet, quærent, & non inueniēt: ibi nullus ordo, sed perpetuus inhabitat horror. Quantus timor, quantus mœror, quantus planctus erit, quando peccatores à cōgregatione iustorū separabuntur, & potestati Dæmonum tradentur, cū quib. in æterna gehennæ supplicia prę-cipitabuntur, sine spe vnquā videndi faciem Domini, aut gloriam cœlestem: sine vlla etiam spe, vnquā tormentis illis exeundi: vbi nec tortores defatigabuntur, nec tormenta cessabunt vnquam: vbi mors non morietur, nec vita vllum adferet gaudium? Dic mihi peccator, inquit B. Hieronym. si habeamus sapientiam Salomonis, si pulchritudinem Absolonis, si forti-

Aug. in Medit.

Isidor.

Bernardus. In meditat.

Hier. in 17. cap. Matth.

fortitudinem Sampsonis, si longæuitatem Enoch, si diuitias Cræsi, si fœlicitatem Octauiani: quid prosunt hæc, cum tandem caro dabitur vermibus, & anima dæmonibus cum diuite sine fine cruciãda? Debet etiam incitare te ad contemptum mundi, & rerum, quæ in eo sunt, breuitas temporis, & vitæ, atque
Gregorius. mors incerta. Quare dicit B. Greg. Reproborum mẽtes idcirco multa nequiter agunt, quia se hic viuere diutius arbitrantur. Iusti verò dum breuitatem vitæ suæ considerant, elationis & immunditiæ culpas declinant. De huius vitæ breuitate dicit S. Iacobus:
Iac. 4, 14. *Quæ est vita nostra? vapor est ad modicum apparens.*
Aug. in Psal. 36. Et Augustinus: Si toto illo tempore viueres, ex quo Adam de paradiso emissus est, vsque in hodiernum diem, certè videres vitam tuam non fuisse diuturnã, quæ sic euolasset: vnius autem hominis vita quanta est? adde quãtos libet annos, duc longissimam senecturem, quid ergo? Nonne hora matutina est? Ergo longe sit dies iudicij: tuus certè vltimus dies longè abesse non potest, ad hoc te præpara: qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ. Hæc ille & alio loco. Omne tempus quo hic viuitur, tollitur à vita: ita vt præsens vita nõ sit aliud, quàm breuis via, per quam itur ad mortem, in qua nemo diu potest hærere, nec tardius ambulare: sed oportet quotidiè
Seneca Epi. 59. pensum itineris absoluere. Fluunt omnia, inquit Seneca, atq; assidua diminutione atq; adiectione sunt. Nemo nostrum idem est in senecture, quod fuit iuuenis. Nemo est manè qui fuit pridiè. Corpora nostra rapiuntur fluminum more: quicquid vides currit cum tempore. Nihil ex ijs, quæ videmus manet? ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum, & a-
Lib. de consol. ad Ma. cap. 22. libi: Vrgent opus suum fata, & nobis sensum necis nostræ auferunt: quoque facilius subrepat mors, sub ipso vitæ nomine latet. Infantiã in se pueritia conuertit, pueritiam pubertas, iuuentutem senectus abstulit. Incremẽta ipsa, si bene computes, damna sunt. Si hæc omnia, frater charissime, consideraueris, auribus audieris, & in animo ruminaueris, dices te potius ad mortem currere, quam de longa vita posse sperare.

QVINTA MEDITATIO, DE GLORIA & magnificentia huius mundi vanitate.

Baruch. 3, 16 PRopheta Baruch volens detegere summum & intolerabile vanæ gloriæ, diuitiarum, atq; mũdi huius ludibrium, fallaciamq; ait: *Vbi sunt princeps gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? Qui in auibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum. Qui argentum fabricant, & solliciti sunt, & non est inuentio operum eorum? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum exsurrexerunt.* Vbi sunt inuicti & victores gentium, qui tantos triumphos, tanta festa & conuiuia solent apparare? vbi sunt Imperatores & Duces exercituum: vbi domitores equorũ, aliorũq; animalium? Vbi sunt iudices, Tyranni, & prædones? nihil iam nisi puluis & cinis. Ecce & iterum ecce, inspice ipsorum sepulchra, vter hic dines, vter pauper? vter fortis, vter debilis? volue ossa & reuolue, distingue si poteris diuitem à paupere, fortẽ à debili, formosum à deformi. Quare, mi frater, vel tandem hac scriptura moniti sapiamus: & luce meridiana clarius cognoscemus, omnem gloriam humanam vndecũque veniat nobis esse fugiendam. Primò: quia natu-
Mundana felicitas cur fugienda. ra sua vilis est: secundò, quia fallax est in suis promissionibus: tertiò, quia valdè inanis, vana, fragilis, caduca, & momentanea est: quartò, quia maligna est in reddẽdo præmio. Primò dico, gloriam humanam fugiendam esse, quia natura & conditione sua vilis est: vti patet in libro primo Machabæorum, vbi Mathathias iam moriens dicit filijs suis: *A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus & vermis est.* Quid turpius, quid fœdius in hoc mundo stercore? quid vilius vermibus? Si itaq; omnis humana gloria in stercore consistat, non est ea appetenda, sed fugienda. Gloria humana, vt dicit Philosophus,
1 Mach 2, 62.
Simile. est quasi corruptio, seu caries ligni, quod etiam ipsa nos docet experientia: nocte enim teredo splẽdet & crepitat, interdiu verò cognoscitur esse vermis & putredo: sic & vana gloria in huius vitæ nocte splendet magna cum pompa, & in oculos debilium, qui non cognoscunt iudicare, nisi externa, influit cum admiratione. Sed quando veniet illa clara dies iudicij, in qua Deus reuelabit abscõdita tenebrarũ animæ nostræ, & secreta consilia cordis nostri manifestabit: tũc illi, qui nunc videntur felices & glorioſi, cognoscentur putridi, viles, & sine vlla spe salutis. Quare potẽtes illi similes sunt noctuis, quæ volantes in tenebris lumen aliquod à se diffundere videntur, orta verò luce nigræ sunt. Quod si glorioſi illi in suis diuitijs vilissimis, & graueolenti fœtore carnis suæ, quę in cinerem reuertetur, & qui efferuntur & superbiunt in nobilitate generis, potentia, & dignitate sua, alios despicientes, oculos haberent, viderent profectò se abiectos, viles, atros & putridos. Quare induci non possum, vt credã, quin si hæc cogitarent, confestim è cordibus suis omnem terrenam huius mundi gloriã
Hier. Epist. ad Iul. c. 4. eijcerent: scientes, quia, teste Hier. impossibile est, vt in vtroq; seculo quis primus sit, & in cœlo & in terra appareat glorioſus.

Gloria mũdi inconstans. Secundo vitanda est gloria huius mundi (vti diximus) quia fragilis, & sine aliqua constantia est, aut fundamento: ideoq; similis esse videtur fumo, aut vapori, qui quanto altius eleuatur, tanto minus videtur: & flori boni odoris & pulchritudinis, qui breuissimo tempore modicum splendente sole exsiccatur: paruoq; venti flatu tollitur, omnemq; odoré & pulchritudinem amittit. Tale quid est gloria mũdi, de qua dicebat Esaias: *Omnis caro fœnum, & omnis*
Esa. 40, 6. *gloria eius tanquam flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos; & occidit gloria eius.* Tales sunt amatores huius gloriæ temporalis: meritò comparandi fœno, quod in tectis nascitur: hodie viride est, & manè non videtur. Quamobrẽ dicit Sapiens. *Omnis potentatus breuis vita: sic & rex hodie est, & cras moritur.*
Eccl. 10, 11. Dic mihi, vbi est gloria Regis Assueri, qui imperabat centũ viginti prouincijs? Vbi est gloria magni illius Alexandri, in cuius conspectu terra siluit, cui & omnes Tyranni & Reges facti sunt in tributum vt patet ex 1. Machabæorum libro? Vbi est gloria magni
1. Mach. 1. illius imperij, qua cũ vicit, & sibi subiecit, quasi omnia mundi regna quæ erãt in circuitu terræ? Vbi sunt omnes principes mundi, qui dominabãtur hominibus & bestijs? transierunt tanquam peregrinus & hospes vnius diei. Verè nullus eorũ remansit, & omnes dies eorum consumpti sunt in vanitate, & anni eorũ transierunt velociter. Mors neminem veretur: rapit omnes sine vllo discrimine: est enim fera maledicta, qui nemini parcit tollit regem & mendicum, facit omnes æquales.

Gloria mũdi fallax est. Tertiò, fugienda est huius mundi gloria, quia fallax est, & nihil seruat eorum, quæ promittit: sed omnes in hac vita decipit. Quos non Principum & Imperatorum eluſit, promittens illis vitam longeuam, honores pacificos, imperiũ securũ, cũ tamen nequeat vitam vna hora prorogare? Quis in temporali gloria par fuit Alexandro, qui nullo in prælio succubuit, nunquã non victoriam ab hostibus reportauit, exigua manu maximas copias fudit, nunquã vrbem oppugnauit, quam non cepit, nec vlla fuit prouincia, quæ illius non paruit imperio? Sed cum iam abso-

absolutus victor esse videbatur, & reliquam ætatis partem in pace viueret, momento temporis veneno sublatus est. Dic mihi cur venaris, & insectaris mundi gloriam, quæ tibi non potest in morte succurrere?

Gloria mundi maligna in retributione.

Quartò (vt dixi) fugienda est humana gloria, quia maligna est in retributione, aut præmio conferendo: promittens enim gloriam ad æterna perducit supplicia, & perpetuam retribuit confusionem, quare dicit Deus per Prophetam: *Gloriam eorum in ignominiam conuertam*: ita etiam potentia eorum in infirmitatem, sapientia in stultitiam, & voluptates in tormenta commutabuntur. Etenim secundum quãtitatem culpæ, etiam erit quantitas suppliciorum, quibus exagitabuntur. Hinc Diuus Hieronymus sic alloquitur amatores fugacis, fallacisque huius gloriæ: Væ vobis miseris, qui contenditis per viam diuitiarum & voluptatum in cœlum venire, & non intelligitis quod Saluator dicit: *Facilius esse Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum*. Mementote hanc esse diuinam sententiam, & verba illius, qui dicit: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Plangite miseri, & inconstantiores omni vento: nobiles tantũ & potentes fortunæ solius beneficio: verè autem abiecti, & cæci præ fumo vanitatis, falsorum honorum, & huius mundi dignitatum. Non videtis breuitatẽ temporis, quod mors hac nocte fortassis vitæ tuæ filum abrumpet, & cruciaberis perpetuò in inferno, vbi viues semper, sine fine moriens, imò plus moriẽs quam omnes homines in hoc mundo? vbi nulla dabitur requies, sed tormenta semper viuent in vltionem, vbi non tantum excarnificaberis cum hominibus, sed etiam cum Dæmonibus? Tanto enim maior erit ibi tua pœna, quanto maior fuit hic gloria, quãtoque maioribus in delitijs vixisti. Vide quomodo Saluator noster, summa & incommutabilis veritas, cuius omnia actio & dictio nostra est instructio, inter duodecim Apostolos, quos elegerat, vnum tantum voluerit esse Bartholomæum nobilem, & vnum esse Matthæum diuitem: alios omnes elegit pauperes, & piscatores: vt significaret huius mundi nobiles & diuites difficulter saluari, dignosque cœlo fieri.

Oseæ 4, 7.

Hieronym.

Matt. 19, 24.

Matt. 24, 35.

Etenim si per vnum solum peccatum mortale homo reus gehennæ constituatur: quomodo saluabitur diues, gloriæ popularis auidus, captans mortalem huius vitæ famam, quæ aliud nihil est, quã vas sordidum omnium peccatorum, plenum superbia & luxuria, plenum auaritia in diuitibus, potentibus, & nobilibus huius seculi; Isti sunt fures, qui pauperibus rapiunt, vnde viuerent, qui comedunt labores eorum, pedibus illos conculcantes, & interficientes: cùm tamen Deus eos maxima diuitiarum beauerit affluentia, vt inde pauperes alerent, ijsque præessent, qui opibus immersi, & delicatis, pretiosisque cibis distenti, videntes ante palatia sua miseros, pauperes, nudos, fame & frigore morientes, manum eis non porrigunt, nec vlla misericordia mouentur: sed ludis, iocis, festis, conuiuijsque suis intenti, pauperum, quorum cura ipsis toties in scripturis committitur, obliuiscuntur, nec ipsius Dei nisi fortè leuiter, recordantur. Credant illi certò certius, & horum meminerint, cùm experientur, quod grauissima & strictissima ab illis exigetur ratio, cur pauperibus non distribuerunt, quæ sibi fuere superflua: & si nequeant eam dare, nec sese purgare, in profundissimis Inferni puteis eorum animæ luent pœnas intolerabiles. O quàm facilè peccant, & quàm citò pœnis inuoluuntur hi, qui non considerant, quomodo moriendum est, aut quomodo Deus eos iudicabit? O verè incauti & infelices, qui horum sunt immemores, & Dæmonis tentationibus non resistunt: Ausim affirmare, quod si Deum agnoscerent iudicem, & cogitarent se morituros, non peccarent, saltem cum tanta securitate, omni timore excluso. Nunc autem, etsi ad templum veniant, non id faciunt, vt diuinum audiant officium, sed vt videant vanitatem, pulchritudinẽ, aut pretiosa mulierum vestimenta. Hæc est eorum cogitatio, hæc eorum intentio, hæc eorum concio, hæc eorum Missa est. Ibi loquuntur & conferunt quomodo poterunt diuitias cumulare, ibi disputant de vario ritu vestiendi, ibi sese mutuò inuitant ad sympolia & inhonesta gulæ oblectamenta, de quibus dicit Bernard. O miseri quid facitis, qui ante tẽpus occiditis animas vestras, & corpora vestra corrumpitis? Dicite mihi, vnde nascitur infirmitas, vnde subita iuuenum mors oritur, nisi ex magna ciborum abundantia, & coitu immoderato? O miseri, quia putatis vos posse Deum eludere, & reuera vosmetipsos decipitis, qui negligitis animas vestras vt in delitijs enutriatis vestra corpora: vtrumque occiditis ante tempus constitutum. Voluptas & gaudiũ vestrum exiguo tempore, quo viuitis, durabit, & post mortem lamentationes & tormenta cum Dæmonibus in inferno sine vllo fine duratura sunt: ibi erit pudor & tormentum confusionis: ibi non erunt conuiuia pretiosa & vina delicata: ibi cum auaro Epulone, qui in hoc seculo epulabatur splendidè, flagitabis guttam aquæ frigidæ, & non dabitur vobis: ibi enim nemo colliget, aut metet, quod in hoc mundo non seminauit. Quid igitur facis infelix? cur nõ resipiscis? cur vitam non emendas? O cor petra durius, quid moraris? quid differs pœnitentiam tuorum peccatorum? cur prorogas conuersionem? Respicè, quia mors venit, currens velociter, ad auferendum te: Diabolus stat paratus, vt rapiat animam tuam, & vermes auidè carnem tuam expectant, quã tu tam delicatis cibis saginasti, vt annonam illis adueheres copiosiorem, & suauiorem, atque in die illo animæ vnita pinguis infernalibus aris inferat holocaustum. Non venit tibi in mentem horrendus ille dies iudicij, in quo tu non tantum rationem reddes strictissimam tuæ superbiæ, gulæ, luxuriæ, inanis gloriæ vanitatis, & temporis inutiliter transacti: sed & de omni verbo otioso? Caue ne incidas in horrendam illam sententiam, quam filius Dei non iam agnus, sed Leo in maledictos pronunciabit, dicens: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius*. Vide, inquit Bernardus, ô mundane peccator, quàm longè aberras à via, si in hoc seculo quæras honores, voluptates, & gloriam: non enim hic inuenies vnquam, quod te poterit satiare. Si verum gaudium, & gloriam veram appetas, recta via ad cœlum contende, vbi sunt meliora & meliora gaudia, quàm oculus vnquam vidit, quã auris vnquam audiuit, aut quam in cor hominis vnquam ascenderunt, æterna, perpetua: propter illa, te oro, hæc transitoria respue.

Bernard.

Luc. 16.

Matt. 25, 41. Bernard.

1. Cor. 2, 9.

Sed quid dicemus de his, qui nec timore, nec amore Dei, nec mortis metu, nec infernalium tormẽtorum horrore induci possunt, vt peccare desinant, immò quos pœnitet non adesse facultatem & occasionem tam peruerse viuendi, quàm alioquin vellẽt: vt in omnibus suæ libidini satisfaciant? O infelices, qui ridetis in hoc seculo, & plorabitis in futuro. Væ vobis, qui momentanea gaudia desideratis, quia tormenta patiemini vicissim æterna. Modicum tempus adhuc superest: implete mensuram vestrarum iniquitatum, & misericordiarum, vt copiosior veniat in vos Dei indignatio. Gaudete paululum, indulgete nugis, fabulis, lusibus, mendacijs, contentionibus, & inimicitijs, nec aliquod vobis frustra tẽpus excidat. Quid agitis? Corradite filijs vestris diuitias, honores & do-

& dominia: magnificate nobilitatem, & famam pro illis, vt & illi facere possint? quod vos facere desijstis, & perficere, quod vos incepistis: vt nos vnà cum illis maioribus tormentis cruciemini.

Obiectio. Sed dicet fortasis quispiam: Deus benignus est, misericors est, recipit omnem peccatorem ex corde ad se reuertentem, & ignoscit ijs quidquid deliquerunt. *Responsio.* Verum est, frater, & quidem benignior est, quam tu credis, cum tam patienter ferat peccatores, & spacium ipsis ad pœnitendum benignus largiatur, vt sese possint emendare: & si reuertantur, suscipit illos benignius. Sed scire te velim, vti benignus est in perferendo, expectando, & ignoscendo; ita quoque iustum esse, in castigando, & puniendo. Si dixeris: Etsi homo tota vita peccet nec aliquid boni faciat, si in articulo mortis agat pœnitentiam, Deus omnia illi peccata condonabit. O frater, quam vanum est illud solatium? quam falsa est illa cogitatio? ex centum namque peccatorum millibus, qui pœnitentiam vsque in horam mortis differunt, vix vnus saluatur, & remissionem peccatorum impetrat. Homo in peccato natus, nunquam viuens secundum legem Domini, sine cognitione illius, nolens audire verbum Dei, nesciens quid sit peccatum, aut pœnitentia, immersus negotijs & curis huius seculi: afflictus desiderio filiorum, quos relinquit: dolore suarum diuitiarum, quas deserit: sine spe vnquam amplius illis fruendi cruciatus, quam potest agere pœnitentiam: qui si spes vlla conualescendi affulgeret, nequaquam de pœnitentia solicitus esset? Ex quibus infero, eum qui in iuuentute sua, & dum sanus est, nec timet, nec erubescit Deum offendere, indignum esse, cui in agone mortis peccata remittantur. Etenim dic mihi, quæ est illa pœnitentia, quam facit homo, cùm iam palam videt, se diutius viuere non posse? imò, qui si ad pristinam reuertetur sanitatem, dissolutius, quàm antea viueret? Ego sanè paucos admodum diuites noui, qui in articulo mortis pœnitentiam egerant, & conualescentes corpore, anima non facti sunt peiores, quàm antea. Illud mihi iam fixum, & omnino persuasum est, cum lõga experientia idipsum obseruauerim, eos qui semper sine vllo timore peccarunt, & nunquam sani voluerunt nuncium voluptatibus remittere, rarò, & difficillimè felicem sortiri exitum, vt dicit B. Hieronymus. Quare, mi frater, si qua in te sit discretio, & si aliquod lumen rationis tibi adhuc reliquum sit aspernare, & relinque diuitias, honores, & inanem huius mundi gloriam, propter illum, qui te creauit, & super omnia excelsus est. Quid proderit tibi, si vniuersum mundum lucreris, animæ autem tuæ iacturam feceris? Scio profecto honores & gloriã huius seculi esse impediméta gratiæ, & quod peius est, corruptelas æternæ salutis. Nusquam enim legitur quenquam per voluptates & illecebras huius mundi ad æternam gloriam transisse. O quam vana & fallax est gloria, quam homines aucupantur, & cupiunt ab inuicem, & non à Deo? Qui cupit omnibus anteferri, huic metuẽdum, ne quo gradus est altior, eo aliquando casus sit grauior. Ciuis & incola cœli erat Angelus ille, qui dicebat. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium similis ero altissimo:* sed factus Diabolus in infernum, in profundũ lacus delapsus est. Optimè itaque dictum est à B. Aug. O quàm felix est, cuius cor solo cœlestis gloriæ flagrat desiderio? qui prosperitate non extollitur, nec aduersitate deijcitur? qui quemadmodum nil habet in mundo quod amat, ita non habet quod timet? Quid est gloria huius mundi aliud, quam aurium quædam titillatio? O quam maledictus est, inquit Anselmus, & ingratus, qui quærit gloriam huius seculi? Nullus honor acquiritur sine molestia, nulla dignitas sine perturbatione, nulla celsitudo sine vanitate. Proinde tu, mi frater, si consideraueris magnum quod sequitur mũdanam gloriam periculum, sine dubio fugies omnẽ huius seculi vanitatem: tantummodo cœlesti beatitudine frui desiderabis, quam omnes sancti tantis laboribus atque afflictionibus consecuti sunt, & nunc maiori fruuntur cum gaudio.

Quam periculosum pœnitentiam vsque ad mortem differre.

Esai. 14, 13.

August.

Anselm.

SEXTA MEDITATIO, QVO MODO MORS EST METUENDA: & CHRISTIANUS ITA VIVERE DEBET, NE MORS VNQUAM ILLUM INVENIAT IMPARATUM.

MEMOR esto, inquit Sapiens, *quoniam mors non tardat*: eius autem memoria multorum bonorum mater est: dicit enim idem Sapiens: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Et S. Bernardus: Magna est beatitudo cõtinua mortis memoria. Hanc secum homo semper circumferat, & nunquam peccabit. Et B. August. Nihil est, quod hominem efficacius à peccatis abstrahit, quam continua mortis meditatio. Hæc facit hominem demissum, atque humilem: parit contemptum rerum terrenarum, & hominem inducit, vt onus pœnitentiæ suscipiat. Sed & B. Hieronymus his subscribit: Qui, inquit, cogitat se moriturum, facile contemnit omnia contemnit vitæ superbiam, qui recordatur paulò post se in terram abijciendum: qui enim scit se mox omnium pedibus subijciendum, non cupit extolli, aut super alios eleuari. contemnit oculorũ concupiscentiam, qui memor est, se cõfestim omnia relicturum. Maximè autem contemnit concupiscẽtiam carnis, qui corpus suum post paululum à vermibus terræ comestum iri perpendit. Vtinam, inquit Hieronymus, Reges, terræ principes, & diuitiarum huius mundi possessores cogitarent, quomodo post breue temporis spatium ex magnificis suis palatijs efferentur, & in arctissimam domum inferentur: ex palatijs splendidis & illustribus, in sepulchrum caliginosum: ex palatijs deauratis, pulcherrimis & iucundissimis floribus atque imaginibus depictis, in sepulchrum vermibus scatens, fœtoreque redolens intolerabili: ex palatijs omni supellectili, atque huius mundi diuitijs refertis in sepulchrum vanum, & vacuum: ex palatijs, in quibus filiorum & famulorum turba quotidie assistebat, in sepulchrum solitarium, desertum, & ab omni hominum societate segregatum. Dic mihi, vbi omnis illa gloria & pompa præterita remansit? vbi multitudo famulorum, & comitum, qui illos sequebantur? vbi splendida & delicata conuiuia? Vere modicum hic gaudebant, & in palatijs, in medijs huius mundi delitijs viuebant: nunc gaudent & comedunt de illis vermes in sepulchro.

Ecclesiast. 14, 12.

Ecclesiast. 7, 40.

Bernard.

August.

Hieron.

Finalis pœnitentia rarò vera.

De hac memoria mortis scribit Petrus Damianus, ad quandam Comitissam dicens; O si nos semper cogitaremus, Domina, quam horrendo timore, crudeli remorsu, & atrocibus stimulis conscientiæ in illo mortis articulo misera lancinatur anima, iam iã ex ergastulo carnis egressura. Recordabitur vitiorũ & peccatorum commissorum, quæ tam strictè prohibita sunt: Videbit præcepta Dei, quæ partim propter negligentiam, partim ex contemptu non obseruauit: dolebit tempus sine fructu transactum, quod illi, vt pœnitentiam ageret, erat concessum: planget, quia iam serò intelliget ineuitabilem, immutabilemque suæ condemnationis vindictam. Cogetur carnem deserere, cupiet tempus præteritũ reuocare, & non poterit, nec exaudietur. Retrò respiciens, videbit omne tempus vitæ suæ, tanquam transitum vnius semitæ. Ante se videns tam longum

Petrus Damianus ad Comitissã.

æternitatis æuum, planget, & eiulabit, quod in tam breui temporis spatio noluit sibi comparare tantam gloriam, qua Sancti fruentur in æternum: lamentabitur, quod pro tam exigua & momentanea voluptate, amiserit perpetuam cœlestis suauitatis dulcedinem. Dolebit & erubescet, quod ob carnem, quæ vermibus erit esca obijcienda, contempsit animam, quæ inter choros Angelorum fuerat eleuanda. Eleuans radios sui intellectus, & considerans illas immortales cœli diuitias, videnscque quod illas huius vitæ miserijs commutauit, affligetur & confundetur. Cum verò suos in huius mundi vanitates, terræque obscuritates oculos conuerterit, admirabitur claritatem luminis, supra se rutilantis, & manifestè cognoscet mundum: hunc noctem & tenebras esse.

Mortis antecedentia.

Pectus incipiet palpitare, frons obdurabitur, vnde & sudor frigidus erumpet: pupillæ oculorum caligabunt, aures surdescent, nasus exacuetur, nares replebuntur putredine, vultus liuescet, os contrahetur, labia pallescent, manus frigescent, pulsus languescet, modo cesse intermittens, modò formicans, modò vermiculans: pedes rigescent, & tota caro ad corruptionem vertetur.

Quæ morientes vastant.

Aduenientibus his proximis mortis officijs, & signis antecedentibus, etiam propius accedent mala opera, quæ fecit, verba quæ locutus est, & cogitationes quas habuit: operaque & verba, & cogitationes erunt testes aduersus miserum peccatorem: stabunt in conspectu illius: & si videre noluerit, ad videndū tamen ea cogetur. Ibi præsentes erunt ab vno latere Dæmones, & ab altero Angeli: hi consolabuntur morientem, illi accusabunt, auideque expectabunt vtrique, vt secum eum auferant. Si in illo fuerint signa pietatis & contritionis lætabitur visis Angelis, & ex dulci isto comitatu animum exeundi arripiet. A sinistra verò parte si adfuerit tam obscura & odiosa peccatorum multitudo, tam immunda & fœtida, vt iudex fœtorem fere nequeat, tunc anima misera statim præ timore deficiet conturbabitur vi impetus velocis, & compelletur de miseræ carnis ergastulo discedere: Tunc anima curret ad os, ad oculos, ad aures, ad nares, quærens qua poterit exire, inuenietq; omnia clausa: deniq; vi erumpens, vbi iam exierit, circumspiciet, omnemque in partem oculos vertes, & videns se condemnatam maledicet semetipsam, clamans: O anima maledicta excommunicati, furis, latronis, adulteri, fœneratoris. Cumque infelix visura sit candida ni, & sine macula vestem, sibi in baptismo datam, nigriorem esse pice, suspirabit, & gemet magno cum stridore & eiulatu, dicens? Heu mihi misera, quis mihi vestem meam commutauit? erat ea niue candidior, & ecce nunc pice atrior est. Tunc aderit confestim Diabolus, qui illudet ei, & dicet? Noli mirari anima mea, ecce ego sum, qui tibi vestem hanc præparaui: qua veste maior pars mundi induta est: cui tu semper obtemperasti, cui credidisti, cui tu mecum studuisti, mea consilia semper & in omnibus secuta: ideoq; mecum sine fine in regno hoc infernali habitabis: vbi est tristitia sine gaudio, fames sine cibo, sitis sine potu, tenebræ sine luce, fœtor sine odore grato, dolor sine consolatione, planctus sine solatio, lachrymæ sine refocillatione, stridor sine silentio, vlulatus, sine concentu, ignis ardes sine refrigerio, ventus ingens sine tranquillitate, æstus sine termino, omne malū sine vllo bono. Surge igitur amica mea, & veni mecum: ecce omnes Angeli infernales tibi obuiam procedunt. Aderit etiam tunc Angelus Dei, cui anima fuerat commendata, dicens; Felices illi, qui in hoc mundo vestem suam non macularunt. O infelix anima, ô Dæmonū amica, ô maledicta creatura Dei omnipotentis. Astiti tibi semper, & non vidisti me. Ego te admonui semper, & tu audire me noluisti: optima tibi cōsilia suggessi, & credere mihi noluisti. I nunc igitur ad pœnas inferni, in manus Dæmonum: I ad loca tormentorum, quæ tibi pro tuis meritis sunt præparata.

Quis poterit explicare multitudinem spirituum malignorum: qui stabunt circumspicientes, & cum magna rabie accurrentes, corripientesq; infelicem animā, cū maxima amaritudine ad pœnas insultantesq;, & illudentes ei procaciter dicent; O quā infernales superba huc vsq; fuisti? quā laute & splendidè epulata es? quā curiosè vestita? quàm fortis & felix semper fuisti? dic modò cur non edis, cur non bibis, cur non magnificè vestiris? cur modò nō ludis & exultas cum vxoribus, liberis & amicis? Tunc misera anima corpori suo maledicet, inquiens: O templum Diaboli, cuius opera me contaminarunt: ô terra maledicta, ô inhabitatio Satanæ, surge nunc & veni mecum, videbisq; locum tormentorum tibi præparatū: in quo ego habitabo vsque ad aduentum Iudicis sine te: Tunc autem & tu quoque huc venies, & mecum cruciaberis in æternum. Maledicti sint oculi tui, qui lucem veritatis, & viam iustitiæ videre noluerunt: maledictæ sint aures tuæ, quæ verba æternæ vitæ renuerunt audire: maledictæ nares tuæ, quæ suauissimum virtutis odorem olfacere dedignatæ sunt. Maledicta sint tua labia, lingua, & os tuum sit maledictum, quod nec gaudium gloriæ voluit gustare, nec suum Creatorem laudare. Maledictę sint manus tuę, quæ pauperibus Eleemosynas negarunt. Maledicta sint viscera cordis tui, quæ tot, & tam immundas, cogitationes, consiliaq; pepererunt. Maledicti sint pedes tui, qui Ecclesiam Iesu Christi noluerunt frequētare. Maledicta sint tua membra, quæ nunquā opera pœnitentiæ fecerunt. Maledicta sint opera tua, quæ tam crudelia, & nunquam finienda meruēre tormenta.

Anima maledicet corpori.

Considera itaque, mi frater, à quantis periculis & timoribus temetipsum iam poteris liberare, si nunc timore mortis ita viuere contendas, vt cum ipsa venerit, possis dicere cum Dauide: *In manus tuas Domine commendo spiritum meū.* Disce igitur nunc mori mundo, vt viuas cum Iesu Christo. Disce nunc omnia contemnere, vt possis liberè cum Christo Iesu intrare, & frui cunctis bonis illius gloriæ. Castiga nunc corpus tuum pœnitentia, vt tunc firmissimam inuenias fiduciam O quàm felix & prudens ille est, qui laborat esse talis, qualis esse cupiet in dubio illo mortis articulo. Omnibus itaque viribus tuis ad hoc contende: nescis enim quando tibi erit moriendum, nec quid post mortē tibi sit euenturum. Noli confidere vel amicis, vel filijs tuis: ipsi enim citius, quàm putas, tui obliuiscentur: & nisi ipse nunc omnia disponas, quis postea pro te disponet? Esto solicitus: est enim melius tempori prospicere, & præuenire diem illum bonis præparatis, quā opem & subsidium ab alio expectare. Collige itaque nunc bona immortalia: da Eleemosynas in hac vita, fac nunc vt sancti illi, & beati tui sint amici, vt te hinc discedentem recipiant in æterna sua tabernacula. dicit namq; gloriosus ille Doctor Ecclesiæ B. Gregorius, cogitanda nobis semper esse magna cum diligentia, multisque cum lachrymis meditanda opera, quæ à nobis iudex seculi exiget, cū illa mortis hora ingruet. Et S. Bernardus: Quis ille pauor erit, ait, ô anima mea, cum dimissis omnibus, quorum tibi est tam iucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens penitus incognitam illā regionem, occursantia tibi enteruatim teterrima illa mōstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis iuuabit? quis deducet? Felix autē anima illa, quæ fiducialiter inimicis suis

Psal. 30. 6.

Gregorius.

Bernard. Ser. de diuersis, cuius initium, Dignum valde est.

loque-

loquetur in porta: Quid hic astas cruenta best ia? Nihil in me funesta reperies: quæ ab Angelis excipietur, à Dæmonum violentia defendetur, & in sinum Abrahæ deportabitur. De morte & via peccatorum alibi quoque dicit S. Bernardus; Mors peccatorum pessima. Et audi vnde pessima: Mala siquidem est mundi amissione: peior in carnis separatione: pessima in vermis, igniſque duplici contritione. Omnium quoque pessima est, quia anima separabitur à diuina visione, & aspectu Dei perpetuo cum summa confusione priuabitur. Considera mi frater charissime, & animaduerte, quod mortem nemo potest fugere, nec horam scire, nec tempus à Deo constitutum mutare. Bona autem mors iusti propter requiē à laboribus; melior propter nouitatem vitæ: optima propter securitatem æternitatis.

Bernard. Epist. 106.

MEDITATIO SEPTIMA DE gaudio Beatorum in cœlo, & damnatorum supplicijs in Inferno.

O Peccatrix anima, si tibi vilia, & nullius pretij videantur hæc terrena; tolle oculos, & intuere cœlestia: cerne cum summa diligentia, quanta sunt, quæ Deus Electis præparauit. Ea enim tanta sunt, vt teste Beato Paulo, nec oculus viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis ascenderit. Sciendum itaq; est, tot & tantas esse beatæ vitæ delicias, vt nullus eas Arithmeticus queat enumerare, nullus Geometer metiri, nullus Grammaticus, Dialecticus, aut Rhetor verbis aut rationibus explicare: cùm eorum magnitudinem ne oculus viderit, nec auris audierit, nec ea in cor hominis ascenderit. Ibi gaudebunt Sancti, circundati gloria, essentiam diuinam supra se conspicientes, infra se pulchritudinē cœlorum & omnium creaturarum videntes, in se gaudentes animæ, atque corporis gloria: denique circum se Angelorum & Beatorum societatem cernentes. Hinc est, quod Beatus Anselmus dicit, quatuordecim esse beatitudinis partes, quas finito generali examine, perfectius omnes electi habebunt: septem corporum, & totidem animarum: quarum prima est pulchritudo: in illa siquidem vita pulchritudo iustorum Solis pulchritudini, qui septempliciter, quàm modò est, splendidior erit, adæquabitur. Vnde scriptum est: *Fulgebunt iusti sicut Sol in conspectu Dei.* Secunda erit agilitas, quæ Angelorum par erit: à cœlo enim ad terram, & à terra ad cœlum citius mouebuntur, quàm digitus manuum nostrarū. Huius quoque velocitatis exemplum in radio Solis licet intueri, qui statim orto Sole in plaga Orientali, pertingit vsque ad vltima plagæ Occidentalis: vt in eo perpendamus, non esse impossibile, quod de nostra dicimus futura velocitate, præsertim cum rebus animatis soleat maior inesse velocitas, quàm inanimatis. Tertia pars beatitudinis fortitudo dicitur: præstabunt enim viribus quicunque meruerint supernis ciuibus annumerari, in tantum, vt nullatenus eis quisquam obsistere valeat, vel si mouendo quid, aut euertendo voluerit à suo statu, quin ilicò cedat. Nec in eo quod dicimus maiori laborabunt conatu, quam nos modo in oculorum nostrorū motu. Etenim tanta erit eorum fortitudo, quanta est Angelorum, quibuscum lætantur: quemadmodū enim æqualis erit eorum gloria, sic paria erunt & ipsa dona. Quarta erit secura libertas: sicut enim Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest, vel constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè: ita non erit aliquod obstaculum, quod sanctos retardabit: nulla clausula, quæ illis vllatenus obstabit: nec elementum aliquod, quod illis resistet. Quinta pars beatitudinis est sanitas: quæ tanta erit, vt etiam iusti, teste Bernardo, eam alijs queant communicare, & conferre. De hac sanitate iustorū, quid melius dici potest, quàm quod Psalmista canit: *Salus, inquiens, iustorum à Domino.* Quibus autem fuerit à Domino vera sanitas, quæ subrepere potest infirmitas, quę non erit subiecta illis, qui admirabili & sensibili sanitatis dulcedine circundantur, atque implentur? quorum sanitas impedit & reijcit à se omne id, quod quo quomodo potest infirmitatis adferre suspicionem. Sextum beatitudinis donum est ineffabilis, quædam delectatio, quæ bonos inebriabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit. quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa, & cuncta singulatim, singulaque membra eorum, in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis sensu replebuntur, vt verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur: ita vt stet attonitus, stupefactus, & quasi à statu mentis dimotus: eruntque ea, quibus fruetur tanta, vt maiora nequeat desiderare. Septima pars erit longæuitas, seu perpetua vita: si enim quis bene vixerit nunc, tunc viuet quantum, & Deus. Vnde scriptum est; *Iusti in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.*

1. Cor. 2, 9.

Anselm. lib. de similitud. à cap. 47 vsque ad 74.

Septem dona corporum beatorum.

Splendor. Matth. 13, 43.

Agilitas.

Similc.

Fortitudo.

Libertas.

Sanitas.

Psal. 36, 29.

Delectatio.

Longæuitas.

Sap. 5, 16.

Animæ quoq; septem partes, seu dona beatitudinis habebunt, quæ non minus, quàm corporum sunt gloriosa. Primum est sapientia, qua anima nostra in illa gloria donabitur: maiorem enim sapientiā habebit illic anima simplicis & ignobilis ciuis, aut agricolæ, quam hic habuerunt, aut habebunt omnes Philosophi, & Sapientes huius mundi. Tanta enim in futura vita bonis erit sapientia, vt eòrum, quæ scire voluerint, nihil sit, quod ignorent. Bonis enim perfecta, quæ Deus est, sapientia replebitur, eamque facie ad faciem intuebitur. Quam cum ita perspexerit, totius creaturæ naturam videbit, quæ in Deo melius quam in seipsa consistit: Tunc iusti scient, omnia quæ Deus fecit scienda, tam ea, quæ præterita, quā quæ postmodum sunt futura. Ibi à singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur: nec quenquā omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit. Secundum beatitudinis animæ donum erit amicitia omnium tanquam membrorum vnius corporis, cuius caput est Christus. Bonum enim quemq; sic Deus omnesq; alij diligent boni, vt cum habere odio vltra non possint. Quantum namque quisque seipsum, tātum, & tamdiu diliget & alterum. Attamen ista trāsi, & contemplare ipsum, per quē hæc bona tibi peruenēre, & percipies, quia ille plus te quā tu teipsum, & quàm omnes alij se, incomparabiliter amabit: & tu super teipsum, & super omnes alios ineffabili quadam suauitate amabis illum. Tertium erit concordia: Corpus enim & anima cuiuscunque sancti, quæ in hac vita dissident, tunc inter se optimè conuenient; imò concordiæ tantæ erunt omnes iusti, quantæ in præsenti sunt oculi nostri. Sicut enim oculus vnus verti non potest, quo non vertatur & alius: sed in eandem partem semper ambo voluuntur: Sic corpus & anima, vel etiam societas illa iustorum, nihil poterunt velle diuersum: sed eandem semper voluntatem habebunt. Corpus enim vnum erimus, Ecclesia vna erimus, sponsa Christi erimus, quicunque ibi erimus. Ipsa Dei voluntas non erit à tua diuersa: sed sicut tu quod ille, ita & ille volet in cunctis, quod tu: caput namque à suo corpore quomodo discreparet? Quartum est honor: Hic enim nati de putredine carnis, multis replemur miserijs, in quibus constitutos, & omni solatio destitutos, omniumque infirmitatū passionibus obnoxios, ac peccatorum & corruptibilitatis vlcerib. plenos, sola misericordia ductos accipiet Deus, & curabit nos, & sanitati restitutos, orna-

Animarum beatarum dona septem. Sapientia.

Amicitia.

Concordia.

Simile.

Honor.

mentis perfectæ iustitiæ & incorruptibilitatis ornabit; adductosq; in filios suos sibi adoptabit, regni sui consortes efficiet, atque hæredes, filioq; suo vnigenito sibi per omnia coæquali & coomnipotenti, cōcorporales statuet, & cohæredes: omnique creaturæ iubebit, vt in omni quod volemus nobis obediat, vocatosque nos nomine suo Deos faciet. Ipse enim dicit: *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Quintum animæ donum erit potentia: Bonū enim quodcunque facere voluerit, poterit: quoniam ipsum omnipotentem in omnibus suę voluntati concordantem habebit. Sextum erit securitas: Bonus enim in illa beatitudine quicquid voluerit, habebit, & nihil ex eo se amissurum timebit, quia nec ipse ea sua spōte amittere volet nec Deus illa nolenti auferet, nec aliquis alius Deo fortior superueniens, ea tollet ab illo, Deo & ipso non volente. Septimum & vltimū animæ in illa æterna beatitudine donum erit gaudium perfectum, & quale nemo potest comprehendere: erunt enim ibi millies millia, decies millena millia, & plus quam decies millies centena millia millium iustorum, quos nemo poterit numerare, & omnes vna eademque gaudebunt beatitudine: nec quispiam erit, qui minus ob alterius, quàm ob propriā gaudebit felicitatem. Super hæc omnia admirabili quodam gaudio exultabunt, videntes Deum, quem plus quam seipsos amant, amare plus ipsos quàm ipsi sese. Gaudium igitur erit eis intus & extra: gaudium sursum & deorsum: gaudium circum circa: gaudium vbique plenum.

Psal. 81. 6. *Potentia.*

Securitas.

Perfectum gaudium.

Sed quemadmodum iusti ob tātam beatitudinis & lætitiæ plenitudinem gaudebunt: sic è contrario peccatores ineffabili tormento cruciabuntur. Quēadmodū enim pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, & æternitas materia sunt lætitiæ iustis: ita vice versa turpitudo, ponderositas, imbecillitas, seruitus, infirmitas, anxietas, & continua mors, maximis cruciatibus peccatores excarnificabunt. Vere enim securitas illa æternitatis, & vita qua iusti delectabuntur, vt fruantur semper bonis, quæ possident, sceleratis erit maxima & perpetua pœna, in qua semper inuenient, quod magis oderint. Quid de sapientia dicemus? quæ vt gaudium erit & honor bonis, ita etiam id, quod sciuerunt, & scient mali, erit illis dolor & confusio: amicitia, quæ cum gaudio in iustis est coniuncta, peccatorib. erit magna discordia, & tormentorum afflictio: erit enim ipsis maxima cum creaturis, ijs potissimum, quas in hoc seculo, amarunt, discordia, & creaturis vicissim cum illis. Sed & loco potentiæ bonorum, tanta erit malorum impotētia, vt nihil quod velint agere poterint: atq; ex honore Sanctorū in illos perpetua redundabit confusio. Porrò quemadmodū amici Dei erunt securi, quod bona sua non amittent, ita inimici Dei amittent spem omnem, q; cruentur aliquādo malis, in quibus viuunt: qui cùm essent creati, vt gloria cœlesti fruerentur, nunc in societatem Dæmonum abibunt. Deniq; loco æterni & ineffabilis gaudij bonorum, mali summa replebuntur tristitia, quia omnes miseriæ partes, quibus se circumseptos sentient ineuitabiliter sine fine patientur & indesinenter. Hæc, sed copiosius Anselmus.

In hac beatitudine, vt B. Augustinus ait, Deus omnes sensus beatorum inæstimabili satiabit dulcedine, erit enim omnium eorū obiectum: oculis erit speculum; melos aurib.; mel palato; balsamum optimum naribus; pretiosissimus flos manibus: ad hoc enim Deus homo factus est, vt omnis homo accipiat per eum beatitudinem interiorem animæ, in contēplatione diuinitatis illius; & exteriorem corporis, in visione humanitatis. Breuiter iuxta B. Augustinum & Gregorium tanta ibi erit iustitiæ pulchritudo & gloria lucis æternæ, vt si quotidie nos oporteret tormenta perferre, si ipsam gehennam longo temporetolerare, vt Christum in gloria sua, vel vno tantum die videre possemus, & sanctis eius sociari, dignū profecto esset pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæque gloriæ participes efficiamur. Non igitur absque ratione, neque exiguo cum desiderio dictum est à Psalmographo, *Melior est dies vna in atrijs tuis Domine super millia.* Et à Diuo Bernardo: Quis poterit comprehendere in hac vita, quanta erit gloria beatorum in futura, qui videbunt Deum, & semper erunt cum illo? qui omnia est in omnibus? qui est summum bonum? in quo est summa felicitas & gaudium? Ibi est veritas, libertas, amor, & charitas perfecta; ibi erit æterna societas, & perpetua securitas.

Auguſt.

Auguſt. in Manu. c. 15.

Pſal. 83. 11. *Bernard.*

Rectè ergo dicit B. Augustinus, O gaudium super omne gaudium, hominem videre faciēm Dei, qui ipsum creauit, redemit, & glorificauit: verè gaudium hoc Angelorum est, & Sanctorum. Nam vt Beatus Gregorius inquit, Deus pulchritudinis tam est admirabilis, vt Angeli, qui sedent supra solem, desiderent in illum prospicere. Non est ibi, inquit Augustinus, malus, neque malitia: non est aduersarius & impugnans, nec est vlla peccati illecebra. nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum improperium, causatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla discordia; sed est ibi pax summa, charitas plena, iubilatio & laus Dei æterna, sine fine secura requies, & gaudium semper in Spiritu sancto. Audisti, ô anima mea, quàm immensa sint gaudia, quā infinitæ lætitiæ, quàm incomprehensibilis lux illius cœlestis ciuitatis. O fœlix gaudiū, ô exultatio Sanctorum, qui vident & possident ipsum Deum semper etsi quotidie oportuit eos tormenta perferre, & longo tempore pati, vt Christum in gloria sua & Sanctorum Angelorum societate videre mererentur, leuia tamen illis fuerunt hæc omnia: tantùm vt participes essent tantorum bonorum: & inæstimabilis illius gloriæ. Relinquamus igitur, ô anima mea, omnium terrenarum rerum cupiditatem, expellamus ex intimis cordis nostri penetralibus lætitiam malarum cogitationum, & accensi amore integro illius cœlestis gaudij, reuertamur ad ciuitatem cœlestem, in qua scripti sumus & ciues decreti, sicut domestici Dei, & hæredes eius, cohæredes autem Christi. Si quæras quomodo istud pòtest fieri, vel quibus medijs, quibusue auxilijs: Audi: Res ista posita est in potestate volentis, & facientis. Regnum cœlorum vim patitur, regnum cœlorum, ô homo, non quærit aliud pretium, nisi teipsum: tantum enim valet, quantum es: te da, & habebis illud. Quid turbaris de pretio? Christus semetipsum tradidit, vt acquireret te regnum Deo patri, ita tu temetipsum da, vt sis regnum eius, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, sed spiritus in acquisitione vitæ.

Auguſt.

Rom. 8.

Aug. Manual. c. 16.

O Peccatrix anima, ô anima plena miserijs; si quæ dixi tibi de excellentia & immensitate cœlestis gaudij, quo electi Deo perpetuò fruuntur, te necdum moueant, ad comparandum tibi illud tum per pœnitentiam, tum etiam per diuinam gratiam: considera queso cum maximo timore miserrimam conditionem, intolerabiles pœnas, ineffabiliaq; tormenta. Inferni, obscuræ illius & Diaboliæ ciuitatis, vt timore illius considerationis, ex toto corde ad Dominum conuertaris. Initio itaq; scindū est, secundum diuersitatem peccatorum, esse etiam pœnarum varietatem. Nam vt B. Gregorius asserit, vnus gehennæ ignis credendus est, sed non vno modo omnes cruciat peccatores; vnusquisque enim

Pœna inſer. nt diuerſa.

Lib. 4. Dia. ca. 43. & Moral. lib.

9. cap. 27. Simile.

enim quãtum exigit culpa, tantam illic sentiet pœnam. sicut in hoc mundo multi sub vno sole consistunt, nec tamen eiusdem solis æquanimiter ardorẽ sentiunt, quia alius plus æstuat, alius autem minus: ita illic in vno igne, nõ vnus est modus incendij, quia quod hic diuersitas corporum (aliter enim ignis vrit paleas, aliter lignum, aliter ferrum) hoc illic agit diuersitas peccatorum: vt & ignem non dissimilem habeat, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. Ignis ille accendetur ab ira Iudicis, ardebitque perpetuò, nec opus erit vt semel accensus secundo

Iob. 20, 26. accendatur: teste Iob, qui ait, *Deuorabit eum ignis, qui non succendetur*, vel vt Pagninus vertit, *in extinguibilis*.

De crudelitate ignis illius dicebat B. Sebastianus cùm iuxta eum staret Angelus Domini, audiõs illum; Tanta est differentia materialis ignis, & ignis illius infernalis, quanta est ignis ad parietẽ picti, & ignis naturalis. Lucebit ignis ille nonnihil, non tamen lux illa damnatis erit solatio, sed pœnæ maiori. Vnde B. Isidor. In inferno, inquit, obscura quædam erit claritas, per quàm damnati videbuntur: non vt in ea lætentur, sed magis crucientur, dum vnus videt alium. Tunc enim videbunt mali secum in pœnis cruciari, quos in hoc seculo amore inordinato dilexerunt, vt luant nunc pœnas iuxta qualitatẽ illius culpæ, & amor ille carnalis, qui amori diuino præferebatur, æquali vindicta in oculis eorum puniatur.

Lucebit ignis inferni ad tormentum.

Vide Greg. lib. 9. Mor. cap. 49.

An damnati videant beatos. Gregor. Hom. 40. in Euang.

Hoc modo quoq; soluitur dubium, quo quæri solet, an damnati videant gloriam Sanctorum. Cui quæstioni respondet Beatus Gregorius hoc modo? Vt ergo peccatores in supplicio amplius puniantur, & eorum vident gloriam, quos contempserunt, & de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amauerunt: Credendum enim est, quod ante retributionem extremi iudicij iniusti in requie quosdã iustos conspiciunt, vt eos vidẽtes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Iusti verò in tormẽtis semper intuentur iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer euaserunt, tantoque maiores redemptori suo gratias referunt, quanto vident in alijs, quod ipsi perpeti, si essent relicti, potuerunt. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud iustorum animum fuscat aspecta pœna reproborum: quia vbi iam compassio miseriæ non erit, minui proculdubio beatorum lætitia non valebit. Quid autem mirum, si, dum iusti iniustorum tormenta conspiciunt, hoc eis veniat in obsequium gaudiorum: quando & in pictura niger color substernitur vt albus, vel rubens clarior videatur? Nam sicut dictum est, tanto bonis sua gaudia excrescunt, quanto eorum oculis damnatorum mala subteriacent, quæ euaserunt. Nõ miserebitur pater beatus damnati filij, nec vxor cõtristabit maritum. Videbunt damnati vsque ad iudicium gloriam iustorũ, non quod cognoscent, qualis illa sit, sed tantum intelligent in æstimabile esse gaudium. eritque illis talis intelligentia dolor, pœna, & inuidia: & post iudicium vsque in æternum ista visione priuabuntur: quod summum erit illis tormentum, semper enim recordabuntur illius gloriæ, quam antea viderunt, & sentient: se indignos, qui talem gloriam conspicient.

An damnati videãt quid in hoc mundo fiat.

Hic occurrit alia quæstio, an dãnati videant, quid in hoc mundo fiat? cui quæstioni respondet B. Gregorius in Moralibus, dicens: Nescient an filij sui sint nobiles, an ignobiles. Quemadmodum nec viui sciunt, vbi sint animæ mortuorum. Ignorant quales sunt, quos in hoc mundo reliquerunt: vita enim animæ à corpore est seiuncta. Animas verò iustorum credimus scire, quicquid in hoc mundo fit idipsum & videre. intuentur enim lucem diuinæ essentiæ, in qua resplendent omnia.

An damnati omnes secum damnari optabunt.

Tertiò dubitatur, an damnati optent omnes in Infernum descendere? cui dubio respondetur: Vti sancti perfectissimum habent amorem & charitatẽ, ita damnati odio, inimicitiaque flagrant in omnes. Quare quemadmodum Sancti lætantur alterius bono, sic damnati oderũt illud, nec aliquid inuenitur, quo magis dolent, quàm Sanctorum gloria: & propterea vellent quidem omnes esse damnatos, tantaque æstuant inuidia, vt etiam parentibus gloriam suam inuideant: licet minus quam alijs hominibus: scĩunt enim quo propinquiores sibi sunt, qui damnãtur: eò maius quoque suum fore supplicium. Quod etsi sciant, tantum tamen ipsorum est odium, vt malint magna pati tormenta cum multis, quàm parua cum paucis.

Hãc ob causam dives Epulo noluit suos fratres damnari.

An damnati memoriam præteritorum sint habituri.

Quartò quæri solet, an damnati memores erunt eorum, quę in hac vita fecerunt: & respondet D. Bernar. affirmatiuè: dicitq; illa memoria magis eos cruciandos, dum recordantur malorum, quæ perpetrarunt, ob quæ nunc affliguntur, & bona quæ omiserunt: & quorum merito vitam potuissent sibi comparare sempiternã. Hinc patet in inferno duo esse pœnarum genera: vnum damni, alterum sensus, vt loquuntur Theologi. Prioris meminit Christus, cùm ait; *Omnis arbor quæ non facit fructum, excidetur.* & posterioris, cùm addit: *Et in ignem mittetur.* De pœna sensus loquitur Gregorius; cùm ait: In Inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cedentium, horrida visio Dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum. Erunt itaque miseri damnati pleni omnis afflictionis, & doloris: in oculis enim habebunt lachrymas, in dentibus stridorem, in naribus fœtorem, in ore eiulatus, in gula gemitus, in auribus timores, in manibus & pedibus catenas, in omnibus membris æternos ignis ardores. Quare Beatus Augustinus non immerito vocat infernum spelũcam, omni pœnarum & miseriarum varietate plenã: Hanc ob causam ait Propheta: *Vnusquisque ad proximũ suum stupebit; facies cõbustæ vultus eorũ: et enim nigræ fiunt*, vt ait Baruch, *facies eorum, à fumo, qui in domo fit.* Potest & magnitudo pœnarum infernalium colligi ex planctu continuo, & tremore, qui nascitur ex desiderio mortis, quæ non venit, quare manducabunt linguas suas, & blasphemabunt Creatorẽ suum, quod testatur Beatus Ioannes, cum ait; *Commanducauerunt linguas suas dolore, & blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus suis.* Tanta erit tormentorum istorum crudelitas, vt despecta vita, quam omnes tantopere solent amare, petituri sint mortem, quã omnes oderunt, idq; cum ardenti desiderio, eodem Ioanne teste, qui ait; *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Quid igitur faciemus, ait Chrysost. Non enim erit ibi aliud quàm planctus, tremor & gemitus: sera erit illic omnis pœnitentia, deerunt auxilia, crescent pœnæ, atq; nulla ex parte solatium lucis aut claritatis expectatur. O qui tremores, quæ viscerum concussiones, quæ membrorum lassitudo, quæ tormenta omnium sensuum erit illis, qui in his pœnis æstuabunt? Nullo sermone quisquam explicabit, quantum malum, quantumq; supplicium, sit, inquit Chrysost. priuari diuina visione. Sunt quidã absurdi iudicij, qui duntaxat amant effugisse gehennam. Contra ego multo durius esse tormentum quoddã assero, quam gehenna est: hoc est, non assecutum esse tantam gloriam, & illinc elapsum esse. Nec opinior equidem tanto dolore lugendum esse de malis gehennæ, quanto necesse est casum deplorare, quod

Duplex pœna inferni. Matth. 3, 10.

Greg. in lud. ibi erit Actus oculorum, &c.

Esa. 13, 8. Baruch. 6, 20.

Apoc. 16, 10

Apoc. 9, 6.

Chrysost. Epist. de reparat. lapsi ad Theod.

de cœlo excidimus: qui est nimirum cruciatus omnium durissimus. Intolerabilis est gehenna, & illa pœna: tamen licet quis innumeras ponat gehennas, tale nil dicet, quale est illa felici excidere gloria, à Christo odio haberi, audire: *Nescio vos*. Etenim infinita satius est fulmina sustinere, quàm illam mitè faciem nos auersantem videre, & tranquillum oculum in nos respicere non sufferentem. Nunquam autem hoc patiamur, ô vnigenite Dei, & B. Virginis fili, nec vllam vnquam capiamus experientiam huius irreparabilis pœnæ. Væ autem nobis, qui non cogitamus imminens hoc malum: imò tanquam securi, immundi, negligentes sine vlla solicitudine, magna celeritate properamus, vt malum hoc inueniamus.

Matt. 25. 12. Hom. 47. ad pop. Antioch.

Virum iustũ peccatum momenta neũ æterna pœna puniri. Gregor. Lib. 4. Moral. c. 12.

Ad dicet aliquis: sine fine puniri non debet culpa cum fine. Iustus nimirum est omnipotens Deus, & quod finito peccato commissum est, Infinito non debet puniri tormento. Cui respondet D. Gregorius quod is recte diceret, si Iudex iustus districtusque veniens non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo tunc cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine viuere, vt sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nã magis appetit peccare, quàm viuere: & ideo hic semper viuere cupiunt, vt nunquam desinant peccare cùm viuunt. Ad districti ergo Iudicis iustitiam pertinet, vt nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato: & nullus detur iniquo terminus vltionis, qui quam diu valuit habere, noluit terminum criminis: hæc ille. Alia ratio hæc est: Quanto maior est persona, in quam quis delinquit, tanto quoque maior est iniuria, atque offensa, tantoque maius meretur supplicium: vt Aristot. & Chrysost. asseuerant. Tanta enim est iniuria, quanta est persona, cui iniuria facta est. Si persona nobilis est, exigua offensa fit magna; & si persona vilis sit, & plebeia, peccatum magnum, quasi parvum censetur. Quia itaque Deus infinitus est in potentia, & bonitate, iniuria, quæ illi infertur, est infinita: æquum itaque est, vt infinita quoque & perpetua sit pœna, qua plectitur. Quare, charissime frater mi, videns & intelligens hæc, eaque animo tuo assiduè voluens, esto solicitus de animę tuæ salute. Semper oculi tui intueantur crudelitatem & magnitudinem tormentorum in inferno: meditare semper, quæ vtilia sunt, & animæ tuæ salutifera melius est enim sine intermissione lugere peccata tua, & Deum veniam postulare cùm fructu in hoc seculo, quàm deflere postea in immensa illa inferni flamma sine vlla vtilitate, seu remedio. In breui hoc itaque tempore potes per lachrymas & pœnitentiam omnium delictorum tuorum impetrare veniam. Plange paululum in hoc mundo, ne postea plangas sine fine: humiliare hic paululum, ne postea humilieris vsque ad tenebras exteriores, & flammas gehennæ sempiternas. Beatus qui vigilat in hoc seculo, & contendit, vt dignus inueniatur in die iudicij iustorum consortio. Miser ille, qui sua se culpa indignum facit ista gloria Tunc enim Deus in nubibus assumet iustos, & secũ in æterna introducet gaudia. Peccatores verò à Dæmonibus in ignem æternum rapientur. Quis dabit aquas capiti meo, & oculis meis fontes lachrymarum noctes atque dies scaturientes, vt defleam memetipsum, orando Saluatorem meum, vt det mihi, ne in illa hora indignus inueniar, cum ipse venerit ad iudicandum; ne audiam horrendam illam sententiam; *Discedite à me maledicti in ignem æternum: Non noui vos*: sed dignus sim audire dulcem illam vocem; *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum*? Ad quod perducat me Dominus meus Iesus Christus, per merita sacratissimæ passionis suæ, sacratissimæque Virginis matris suæ Mariæ. Amen. Matt. 25. 41.

Arist. 7. Ethicorum.

FINIS.

DE SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO

TRACTATVS VTILISSIMVS, IN QVO AGITVR DE PRAEPARATIONE AD FREQVENTEM COMMVNIONEM; DE gratia, quam huius Sacramenti beneficio consequimur; & de admirandis effectibus, quos in multis pijs Sancta Communio diuersis temporibus est operata.

CONTEMPLATIONES ET PRÆPARATIONES PRÆMITTENDA volentibus hoc Sacramentum dignè sumere.

CAPVT I.

ENTER omnia exercitia vitę spiritualis, nullum tam est excellens, diuinum, aut certum, securumque ad summum bonum consequendum, & sanctissimam cum Deo vnionem impetrandã, quàm frequenter corde puro & pio sumere sanctissimum Christi corpus. Quare homini cuidã Sancto, cupienti à Deo doceri, à quibus, quando & qua deuotione hoc Sacramentum esset sumendum? respõdit Dominus: ille, qui quod suum est, non possidet cum affectione, nec quod suum non est, concupiscit: & ille, cui placent omnia quæ ego facio, hic capax est gratiæ huius Sacramenti. Non est necesse vt qui has conditiones habet, expectet donec sensibili deuotione perfundatur. Sed consideret quanto in Deũ flagret amore: quam sua sit perfecta voluntas, & quanta cũ diligentia diuinã quærat gloriã. Dicã clarius: non respiciat ad id q, sentit, sed ad id quo feratur voluntas & intentio. Vnusquisq; ergo qui ad hoc Sacramentũ securè vult accedere, in omnib. reb. suis mundam habeat ab omni peccato conscientiã. Deinde omnes affectus & desideria sua penitus in Deũ dirigat, adeò vt nihil agat, aut appetat cor eius, præter solũ Deũ & gratiam diuinã. abijciat præterea & expellat omnia negotia & res vniuersas, quas nouerit Deo displicere. Qui .n. cum Deo cõmoratur, sentiet amorẽ & reuerentiã erga hoc Sacramentũ in se augmentari, & per diuturnã cũ eo cõuersationẽ sine dubio timor omnis in illo paulatim euanescet. Quare qui in seipso hęc, quę diximus, sentit, quò frequẽtius ad sacrã Synaxin accedit, eò melius & laudabilius, vtiliusq; facturus est. Nec facilè permittet Deus, vt tãta gratia ab hoc homine auertatur, quia delitię illius sunt, esse cũ filijs hominũ. Sed & cũ quis se frigidum, segnẽ, absq; desiderio & deuotione erga cœlestẽ hũc cibum esse deprehendit, non ob hoc debet à communione

Quis dignus communione.

Prou. 8. *Imperfectiones non abstineant homine.*

munione abstinere (modò conscientiam non habeat peccatis commaculatã) tunc enim vel maximè fortissimus ille cibus est necessarius, in quo copiosissimè omnem inueniet sanctitatem, amorem, aliasque res omnes, quibus opus est, si tantùm cum desiderio & oratione Deo adhæreat, atque ad accipiendum hũc cibum procedat. Non enim in vlla re inueniet, aut cõsequetur gratiam tam copiosam, quam in hoc diuinissimo Sacramento est percepturus: quia omnes animæ vires & appetitus dispersi colliguntur ab efficacia præsentiæ corporis Domini nostri Iesu Christi. Virtute siquidem huius Sacramẽti debiles fortiores fiunt, distracti ad interiora reducuntur, liberi ab impedimentis rerum tẽporalium inflãmãtur desiderijs cælestibus, corroborantur rebus diuinis, ab animarũ suarum inhabitatore sanctissimo, & hospite liberalissimo: & vt paucis dicã, vniuersum corpus renouatur & restauratur à sacrosanctissimo corpore Saluatoris. Præter hæc omnia per virtutẽ huius Sacramenti transformamur in Deũ, atq; vnione perfectissima cum illo miscemur, adeo vt quæ ipsius sunt in nostra cõuertantur, corpus eius vnum fit cũ corpore nostro & cor eius vnum cum corde nostro, similiter mẽbra & sensus omnes, amor autẽ, voluntas, & omnes vires nostræ tam rectà in Deum feruntur, vt & in anima & in corpore hæc alteratio sentiatur.

Ima ex cõmunione profluentia.

Quando itaq; homo se miserum, pauperẽ & peccatis plenum agnoscit, accedat humiliter ad thesaurum hunc: in quo sunt omnes diuitiæ, prosperitates, atq; delectationes & proculdubio cognoscet, quod per hoc Sacramentum opulentior fit, & omni sua paupertate miserijsq; sublatis mirum in modum ditetur. Accurrens itaq; cogitationibus suis ad Deum, dicat in semetipso: O plus quàm dulcissimè Domine Deus, ecce tanta est iniquitatum mearum magnitudo, vt nec ego corrigere illa, nec pro illis tibi queam satisfacere. Propterea dilectissimum filium tuum sumere cupio, qui perfectissimum in ara crucis pro me tibi obtulit sacrificium. Idẽ & ego offero tibi nũc pro peccatis meis, vt ille satisfaciat pro me. Scio enim quod nihil aliud est, aut in cœlo, aut in terra, quod magis tibi placet, & quod aliquo modo possit pro me tibi debitum rependere. Desidero quoq;, ô cœlestis pater, eundẽ tuum filium percipere, vt eo modo tibi queã gratificari, eumq; tibi reddere pro omnib. donis, gratijs & beneficijs huc vsq; à te perceptis, quibus me adeò deuictum tenes, vt sufficientes gratiarum actiones aliter tibi referre nunquam potero.

Oratio qua filius patri offertur.

Considerans deinde quam propensus sis ad malũ, & quam tardus ad bonum, dic: O pater æterne, cupio cum summo desiderio amantissimum tibi filium accipere, ad offerendum illum tibi pro me, vt per illius fauorẽ & potentiam possim superare inimicos meos, Dæmonium, Mundum, & Carnem. Volo prẽterea, fidelissime Pater Filium tuum suscipere, vt illius diuitiæ succurrant meę paupertati, infinita illius bonitas meã expellat malitiã, incõprehẽsibilis ipsius diuinitas restauret, perfectamq; faciat humanã meã naturam, per peccata corruptam & debilitatam, Deniq; & amantissimum filium tuum desidero, Pater suauissimè, vt ipso Mediatore me tibi proximum facias assidere, ibiq; me retineas non aliter, atqui olim Filius tuus pro me in cruce detentus est: de qua noluit descendere, priusquam me perfectè sibi comparasset, atq; me tibi reconciliasset. Per cuius charitatẽ tibi supplico, vt digneris me adiuuare, meque tibi tam arctè constringere, vt nunquam te deseram, etiãsi totum terrarum orbem à te declinare viderem. Et hæc omnia peto, amantissimè Pater, non pro me tantum, sed & pro omnibus illis, quibus aliquo debito sum obligatus, imò pro omnibus hominibus viuis & defunctis.

Alia.

Consideret post hæc magnitudinem & maiestatẽ Domini illius, quem in hoc Sacramento suscipiet: & quã indignus homo sit illo, imò quod secũdum merita sua multò dignior sit inferno, quam in se recipere Dominum supremæ Maiestatis. Reuocet in memoriã quomodo Sanctissima Virgo Mater, Deo dignissima, nõ habens peccatum aut maculã, turbata sit & contremuit, legationẽ cœlestem ab Angelo accipiens, quod esset conceptura Dei filium. Et B. Ioãnes Baptista Præcursor Domini reueritus est, & expauit, cum iuberetur sanctissimã Christi carnẽ manibus tãgere, & fluentis Iordanis lauare. Quanta igitur maiori cum ratione nos infelices & miseri peccatores eundem Dominum cum timore & tremore excipere debemus, & cum summa reuerentia custodire?

Luc. 2.

Matth. 3.

Qui itaq; toto animo desiderat, & contendit totis viribus à peccatis suis expiari, ab omni vitio, imperfectionib. & næuis liberari, ditari autẽ gratijs & virtutibus, & redire ad suum principium: eum in modum vitã suam disponat & moderetur, vt dignus sit sæpius hoc augustissimo Corporis & Sanguinis Christi Sacramento exsatiari, & hoc modo intimè cum glorioßissimo Deo vniri, nõ secus atq; si exigua aquæ guttula in vini dolium mittatur: Adeò vt omnes simul creaturæ in vnam massam collectæ, non possint inuenire distinctionem, interuallum, aut interstitiũ aliquod inter Animam talem, & ipsum Deum.

Simile.

Mirabilis vnio.

Etsi non sentiat homo hanc in se vnionem, ne tamen se torqueat multum: sed firma fide credat Christo dicenti: *Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo:* & quanto minus sentit Deum, tanto maiori cum fiducia credat illi: tũc enim fides eius erit perfectior, & ampliora percipiet à Deo præmia: si tamen quod in se est id faciat. Sed plurimi inueniuntur (proh dolor) homines, in quibus tam firma constansque fides desideratur.

Ioan. 6, 54.

Dicet fortassis quispiam: Qui de me tam magnifica sperare aut credere possem, qui tot vitijs me obnoxium, & tam procliuẽ ad peccandũ video? Hoc enim quotidiana me docet experiẽtia. Sed necesse est vt vnusquisq; in semetipso res duas consideret, quas etiã ipse habuit noster Dominus Iesus Christus, superiorẽ nimirum vim animæ, & inferiorem: quam sensualitatem vocant. Superior vis animæ Christi semper conseruauit & possedit beatitudinem, hac semper fruebatur: inferior verò eodẽ tempore erat in summis afflictionibus, & duello cum pœna decertabat, & tamen neutra impediuit alterã in opere aut officio suo. Eodem modo & nobiscum agitur, nimirum superiores nostræ vires sunt eleuatæ semper, & cum Deo cõiunctæ: omnes verò afflictiones & labores sunt in corpore, & in sensibus inferioribus. Vis apertius dicã, spiritus vegetus & alacer, potenter & liberè se exaltat, & cum velocitate iugiter ad Deũ currit. Ea siquidem quę ex spiritu profluunt, nullam habent cum ijs, quæ carnis sunt, communionẽ. Sensus enim pertinent ad passiones corporis, vt sunt fames, sitis, frigus, angustia, timor molestia, & alia, quæ partim delectabilia sunt, partim tristia & doloré inferentia, partim ad voluptatem, partim ad ægritudinem pertinent. Et sanè, quanto quis maiori cum difficultate victoriam adipiscitur, tãto ea fruetur glorioßius, & quo pugna, qua quis vitia debellat, est acerbior, eo virtus victoris est celebrior, & qui vicit oculis Dei gratior.

Duo in singulis hominibus consideranda.

Si velimus itaque precioßissimum corpus Domini dignè sumere, videamus diligenter an superiores animæ vires sint ad Deũ erectæ, & in Deo fixæ: id est, an voluntas nostra eum appetat, eum amet, eumq; pro nulla re mundi velit permutare: probemus nos qua cum fidelitate seruimus illi, & cum quanta constantia illi seruire decreuimus. Itaque examinemus

nosmetipsos non secundùm, quod sentimus, sed secundum propositum & intentionem cordis nostri. Etenim qui facit hoc, non tantum Sacramentum corporis Domini, sed & ingentem simul accipit illã gratiam, quæ in Sacramento latet, quantò frequentius ad illud accedit, tãtò copiosiori gratia donatur. Potest & illud toties iterare cum feruenti animo, ardenti desiderio, & stabili intentione, vt, si prius fuerit æqualis Angelis, qui sunt in primo ordine, exaltetur paulò post à Deo de ordinem secũdum, inde ad tertium, & sic deinceps, donec tandem ex octauo choro ad nonũ, qui Seraphinorũ est, promoueatur. Quapropter ausim dicere, quod si duo essent homines Sancti, & in perfectione vitæ æquales, vnus tamẽ altero frequentius ad sacrã synaxin accederet, corpus Christi sumeret, & sanguinem eius potaret crebrius, idq; dignè, vel ex hoc solo vti Sol stellis, ita hic alteri claritate præluceret, iungereturq; Deo multò maiori familiaritate.

Dignitas, quæ cõfertur homini per Sacramentũ

Nõ spiritualiter tantum sed Sacramẽtaliter quoq; communicãdum.

Sciendum quoq; est, quod glorioſi fructus huius Sacramenti non consistunt, nec acquiruntur sola sacramentali: sed etiam spirituali cordis sitibundi, humilis, & ad hoc sacramentum deuotè anhelantis cõmunione. Potest enim illud homo recipere spiritualiter vbiq;, siue sit sanus, siue infirmus: idq; millies in die, & frequentius etiam cum tanta fide & amore, vt gratijs Dei tam opulenter cumuletur, quã si Sacramẽtaliter illud accepisset. Sed quamuis id ita sit, debes tamen vt minimum sumere Sacramentaliter, quoties id vel Ecclesia præcipit, vel quoties ad id tua te inuitat deuotio. Et quamuis non sentit homo ardorem desiderij sui, præparet se tamen cum diligentia, & disponat se, eamque vitam viuat, vt dignus sit illud recipere quotidie. Ex eo cõsequetur in hoc seculo veram sanctitatem & in futuro beatitudinẽ æternam assequetur. Sequi enim & imitari hic Deum ipsum est sanctitas: & assequi illum, est beatitudo.

DE FREQVENTIA COMMVnionis, & admirandis illius fructibus.

CAPVT II.

SÆpissimè interpellatus sum, Fratres in Christo Iesu, varijsq; precibus rogatus, vt breuẽ aliquẽ tractatum scriberem, de modo, qui obseruãdus est in frequentanda Sacrosancta communione, deq; vtilitate illius. Nolui tam iustas preces reijcere, vt exhortarer pios homines, ad frequentiorẽ vsum huius salutiferi & diuini Sacramenti: contra opinionẽ quorundam Idiotarum, qui vituperant & calũniantur hanc frequentiam laudabilemq; vsum spiritualium & deuotorum hominum. Ego verò Sanctos Doctores imitatus dico, quod quẽadmodum sæpius ad hanc Synaxin accedere est mortiferum, omniq; reprehensione dignum in illis, qui lethalibus peccatis sunt obnoxij: sic vicè versa est salutiferum, & omni laude dignum in illis, qui humiliter & castè in statu gratiæ viuunt. Etenim in primitiua Ecclesia, cũ fideles & Catholici Christiani quotidiè communicabant, tantus erat feruor charitatis, & talis perfectio spiritalis, vt Martyres nec torméta, nec crudelissimã mortẽ pro Christo oppetere formidarent, idq; propter virtutem Sanctissimi Sacramenti, quod quotidiè percipiebant.

Opinio auctoris de frequenti communione.

Effectus frequentis communionis.

Etsi Augustinus non laudet, nec vituperet etiã in illis, qui sunt sine sensu peccatorum, omni die hoc Sacramentum sumere: nihilominus alio quodam loco dicit: Cæterum si peccata tanta non sunt, vt excommunicandus quispiam homo iudicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare. Sunt enim nonnulli, qui quotidiè communicant, sunt qui certis diebus corpus Dominicum assumũt, sunt etiam qui ex humilitate & timore quodam frequenter communicare non audent. Omnes isti bene faciunt, omnes merentur plurimum, omnes Dominum honorant: iuxta sententiam B. Augustini cuius verba sunt: Neuter eorum (& qui corpus Domini quotidie sumit, & qui propter humilitatem non nisi rarò accedit) exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramẽtum certatim honorare cõtendunt. Neq; enim litigauerunt inter se, aut quispiam eorum alteri præposuit, Zachæus & ille Centurio: cùm alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum: Alter dicit: *Nõ sum dignus vt intres sub tectum meum.* Ambo Saluatorem honorantes, diuerso & quasi contrario modò ambo peccatis miseri: ambo misericordiam consecuti. Cæterum huiusmodi metus non rarò procedit ex pusillanimitate, negligentia, aut insidijs, vanaq; Dæmonis inuidi persuasione, secundum communẽ Doctorum opinionem. Multò itaq; melius est animæ Christo deuotæ sæpius cum amore cœlestẽ hunc cibum sumere, quàm præ timore ab illo abstinere. Redemptor enim noster aliud tributum aut vectigal à nobis non exigit, quam charitatem, quæ sola est perfectio & finis legis. Quare vir quidam Sanctus, Qui te, ait, perfectè amat, ô dulcissimè Domine, perpurgat primum semetipsum: deinde currit ad te, & sine hoc tuo cœlesti cibo viuere se nequaquam posse arbitratur.

Aug. de Eccles. dog. c. 3

Aug. Tõ. 2. ep. 118. c. 3. ad Ioan.

Aug. ibid.

Luc. 19. Matth. 8, 8.

Et alius quidam: Laudabilius est, inquit, ex amore Sacramenti & confidentia misericordiæ Dei sæpius accedere, quã ex timore vel scrupulis diu se ab hoc eodem Sacramento quodammodo excõmunicatum facere. Quare & D. Bernardus optimè dixit: Qui quotidiè vult in passione Domini meditari, debet & quotidiè sanctissimum illius cibum sumere, sed & excellentissimus ille Doctor B. Ambrosius: Quotidiè, inquit, iste cibus sumitur in remediũ quotidianæ infirmitatis. Et alio loco: qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Et sanè, non est remedium aliquod efficacius, ad recreandam & cõsolandam animam, eamq; ad gratiam vnde excidit reducendam, quam pura hæc, & humilis frequentatio diuini illius Sacramenti.

Gerson in tract. 9. super mag.

Amb. l. 5. de Sacram. c. 4 lib. 4. de Sacram. c. 6.

Quemadmodum enim corpus mortale & caducũ fragili & terreno cibo sustentatur, sic anima immortalis pascitur, & recreatur, hoc salutifero & diuino pabulo: & qui desiderat vniri atq; coniungi cum suo Creatore, debet eo modo vitam suam instituere, vt dignus sit omni die ad sanctissimũ hoc Epulũ accedere: & quemadmodum Apostolus ait, *vnus Spiritus fieri cum Deo Creatore*, & Redemptore suo. Quod & in Euangelio confirmatur, vbi dicit ipse Seruator: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinẽ, in me manet, & ego in illo.* Quia per Communionem sanctissimi Corporis & Sanguinis Iesu Christi, anima munda, & amore diuino inflammata, transformatur & vnitur tota cum Domino. Sic dicebat Apostolus de seipso, plenus iam ingenti charitate, totus in Creatore transfusus. *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.* Quamobrem iuxta S. Dionysium, natura diuini amoris transformat & coniungit amatũ cum amante, non secundum essentiã rei, sed secundum effectum. Signum veri huius amoris nusquam manifestius deprehenditur, quam in hac vnione sacramentali. Animæ siquidem præ amore cœlestis sui Sponsi languenti, non potest bene esse in Deo, sine huius salutaris cibi suauitate. Et propter hoc dicebat B. Augustinus: Si quotidiè sumas hoc Sacramentum, omni tempore Deus tecum erit, & tu in his quæ ad salutem tuam pertinent eris expeditior & alacrior.

1. Cor. 6, 17.

Ioan. 6, 54.

Gal. 2, 20.

Amoris diuini vis.

De diuinis nominib. cap. 4.

Augustin.

DE

DE BENEFICIIS ET VTILITATIbus, quæ profluunt ex digna huius sanctissimi cibi frequentatione.

CAPVT III.

Frequens vsus Eucharistiæ vtilissimus.

VIsitata & recepta Doctorum est opinio efficaciorē esse ad consequendam, augendam, & conseruandam gratiā, Confessionis & Cōmunionis frequentationem omnibus alijs Sacramentis & ceremonijs, tantum propter frequentiam & renouationē eiusdem gratiæ diuinæ. Nostra enim iustificatio & perfectio consistit in fuga malorum, & appetitu bonorum: iuxta illud Prophetæ: *Declina à malo, & fac bonum.* Sicut itaq; per Sacramentū Pœnitentiæ peccata vitantur, ita per Eucharistiam colligitur & coniungitur anima Christo. Quia realiter continet ipsum Redemptorē, omnis gratiæ fontem, quem alia Sacramenta non habent. Hinc est quod frequentando hoc Sacramentum deuotio crescit, & feruor magis augetur: anima enim purificata & mūdata per pœnitentiam, & per sanctas meditationes, tota in diuino amore accenditur, & in suijpsius, omniumq; rerum huius mundi contēptum venit. Hinc occulto & admirabili modo accrescunt dono gratiæ, & amor diuinus, simul cū promptitudine bonæ voluntatis, ad omne opus sanctum. Itaque cum diuino quodam amore & puritate cordis Sāctissimum hoc Sacramentum crebrius sumēdo, eò dignitatis homo peruenit, vt dicente Apostolo, vnus spiritus cū Creatore suo efficiatur: non eo modò, quo Redemptor noster vnigenitus eius filius, qui in Euangelio dicit: *Ego & Pater vnum sumus*, id est, vna substantia, vna natura, vna essentia, sed per participationē & magnitudinē amoris conuertitur & transformatur in Deū sicut alibi dicit Augustinus: Crede & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.

Psal. 36, 27. Eucharistia omnibus Sacramentorū nobilissimum.

1. Cor. 6.

Ioan. 10, 30.

Augusti. de confess. l. 2.

Simile.

Et sanè sicut nebula aut fumus densior, quanto plus in altum eleuatur, tanto magis rarescit, spissior fit, & cœlo similior: ita anima sæpius hoc sanctissimo cibo recreata, fugiente & disparente nebula voluptatum, & terrenarum rerum appetitus, exaltatur super omnes res humanas, & appropinquat Deo, coniungitq; se cum Creatore: quia Sanctus hic Panis vnū est cū Diuinitate, sicuti carbo accensus cū igne, à quo accensus est. Quia enim Deus ignis est, in amorē sui rapit, accenditq;, & illuminat eos, qui verè diligunt illum, ideoq; scriptum est: *Accedite ad eum & illuminamini.*

Psalm. 33, 6.

Propterea salutare consilium est, & felix consuetudo, efficax aduersus omne genus peccatorum, quę quotidie committuntur, & contra omnes assultus Cacodæmonum sæpius Sacram Communionem iterare. Hoc enim facientes non tantum omnia gratiarum dona, sed & omnium bonorum & donorum auctorem & datorem ipsum in se recipient. Hic enim panis viuus est vitæ, in quo nihil desideratur, & qui dignè manducat hunc panem, gratia vitæ sempiternæ repletur, cuius rei fidem nobis facit infallibilis illa veritas, dicens. *Qui manducat panem istum viuet in æternum.*

Ioann. 6, 58.

Hieronym.

Exclamat hic D. Hieronymus: O nobile conuiuiū, in quo sub specie panis & vini totus Christus percipitur, Deus simul & homo. O cibus sanctissimus, quem manducans homo Deus fit, dicente Propheta: *Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes.*

Psalm. 81, 6.

Effectus Eucharistiæ.

Frequentia enim cœlestis huius panis mundat animam, amoreq; diuino inflāmat, & similē facit rei amatæ. Expelluntur hoc modo omnia venialia vel leuia peccata, fugantur mortalia, crescunt virtutes, & sancta desideria conseruantur: infunditur gratiæ plenitudo, recreatur & lætatur anima infinita dulcedine, pietas augmentatur, spes & fiducia corroborantur, compunctio cordis & humilitas infunditur, charitas, quæ vinculum perfectionis est, incredibili modo accenditur: & vt simul omnia dicam, omnia bona, quæ verè bona sunt, nobis per frequentem huius Sacramenti sumptionem copiosè donantur. Eucharistia illuminat intellectum, inflammat voluntatem, memoriam dulcedine spirituali oblectat, & proinde totam animam recreat, & confirmat contra omnium visibilium & inuisibilium inimicorum impugnationes. Iccirco quidā Sanctissimus Doctor asserit, quod quoties quis potest se sancto hoc cibo recreare, atq; volens illū negligit aut contēnit, maximè si sacerdos sit, toties quantū in se est augustissimæ Trinitati laudē & gloriā suam suffuratur: Angelos lætitia, peccatores indulgentia, iustos remedio contra vitia & augmento gratiæ, qui verò in purgatorio sunt refrigerio priuat & destituit. Spoliat quoq; Ecclesiā singulari beneficio Christi, sibijpsi autē medicinam & remedium animæ subtrahit, non auferendo, quod auferre, & non conferendo, quod conferre debebat. Dicit enim Propheta: *Comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.*

Qui Eucharistiā percipere nō vult quāta mala & alijs & sibi infert.

Esai. 55, 2.

O benignissimè Iesū, quam magna & inæstimabilis est tua charitas, qui dedisti corpus tuum in cibū, & sanguinē in potum: animā verò tuam in redēptionem nostram, qui tamen miserrimi atq; infœlicissimi eramus peccatores. Propterea te recipimus, benignissimè Domine, in memoriam mirabilium tuorum, vt immensorum tuorum beneficiorum iugis in nobis habitet memoria, acerbissimæque, quam pro nobis suscepisti, passionis recordatio. Cibus iste pignus nobis est incredibilis tui amoris: O fœlix anima, quanta tua est facta dignitas tanti hospitis inhabitatione? Si quādo princeps terræ ad te diuertetur, inq; ædibus tuis hospitium eligat, quid non facis? quibus non auleis parietes vestis? quam non pretiosam congeris supellectilem, vt niteant omnia, vt nihil immundum, nihil populare, nihil non magnificum cōspiciatur? quid itaq; facturus es si Dominus Deus tuus apud te cupiat diuersari, & honesto loco collocari? Felix illa anima, dicit mellifluus ille Bernardus, quæ quotidiè mundat cor suum, vt recipiat Dominum suū, & in illud collocet ipsum. Tu autē, ò anima, ne ingrata es, si non velis semper excubare, præparata & digna ad suscipiendum Creatorē tuum cuius delitiæ sunt habitare cum filijs hominum: atq; iccirco elegit plus beatitudinem tuam, quam habitaculum suum super cæleste: in tantum enim dilexit te, vt animam suam pro te posuerit, tradideritq; semetipse occidendum.

Prou. 8.

QVID SIT QVOD ANIMAM DEuotam potissimum trahat ad hoc Sacratissimum Sacramentum.

CAPVT IV.

Varij varias ob causas Eucharistiam frequentent sumunt.

SVnt qui ad huius Sacramenti frequentem vsum incitantur ducti amore diuino, vt continua memoria passionis Dominicæ, quasi trabali clauo in anima fixa, permaneret, certò scientes, nihil hominē facere Deo magis amabilem, & homini vicissim Deum, quàm opus Redemptionis nostræ. Alij sunt, qui, quod ignari sunt quomodo gratiam possint consequi, hoc faciunt, vt per mediatorē Christū, cui patet nihil negare potest, cōsilium possint diuinum impetrare. Quidam conuiuium hoc adeunt, quia desiderant iugiter cū animæ suæ dilectissimo Sponso coniungi, propter suauissimum saporem, quem ex hoc altissimo percipiunt Sacramento, quo si vel vnius diei spatio frustrentur, aut destituantur, existimant se desolatos esse, nec vllam consolationem admittunt. Nonnulli de hoc Sacramento participiant, quia

I.

II.

III.

IV.

quia debilitatē & fragilitatem propriæ naturæ sentiunt,& cognoscunt,cupiuntq; vt per hoc Sacramētum Redemptor ipsis medicus sit, in omni tribulatione,non tantùm corporali, sed potissimum spiritali. Virtute enim frequentioris huius Sacramenti vsus,multi liberati sunt à maximis tribulationibus,

V. periculis,miserijs & oppressionibus.Sunt & quidam qui(nec immeritò)sumunt mysticum hunc cibum, vt ab omnibus peccatis expientur. Per clementiam enim benignissimi Redemptoris,Sacramentum hoc efficax est,ad emundandum nos, ab omni peccato, præcedente tamen debita contritione, & confessione.Sunt denique, qui sacramentum hoc percipiunt

VI. sæpius vt gratias agant immensoCreatori,ne videātur ingrati tam magnis beneficijs, quibus singulis diebus,ne dicam horis,& momentis,à Deo cumulātur.Nulla enim dignior,nulla magnificentior,nulla excellentior,nulla Deo potest reddi pro suis beneficijs, quæ nobis impartitur quotidie, remuneratio gratior,quā pro amore,& cum amore illius, hoc salutari cibo piè, deuotè,& frequenter vti.Illud considerans Propheta dicebat: *Quid retribuam Domino,*

Psal.115, 12. *pro omnib. quæ retribuit mihi?Calicē salutaris accipiā, & nomen Domini inuocabo.* Hoc est, offeram æterno Patri vniuersa merita passionis, vnigeniti filij eius Saluatoris nostri Iesu Christi,cui donū aliquod maius offerri non potest, etiā si quis mille mundos ipsi dare & posset,& vellet.In hoc enim Sacramento offertur Factor & Redēptor vniuersorum. Præter hæc omnia verò Sanctissimus iste cibus dignè sumptus, confert etiam admirabile refrigerium, quietemque sempiternam omnibus fidelib.defunctis,insigne verò solamen viuis.Nulla enim res maiori cū efficacia inclinat animum Creatoris & Patris omnipotentis, quam innocentissimus sanguis chari & dilecti filij eius vnigeniti,pro nobis effusus : manifestum enim est,vbicunq; in hoc sacrificio fit memoria dominicæ passionis,ibi Christum ipsum semper pro nobis apud Patrem intercedere. Et quemadmodum fructus arboris vitæ,conferebat vitam immortalem sumentibus illum: sic qui frequenter ad communionem accedunt,varia,eaque diuina dona percipiunt:cor eorum illuminatur,sapientia ipsis infunditur, anima exhilaratur,corpus corroboratur,omniaq; desideria illorum felicē sortiuntur euentum. Nam quēadmodum testatur Sapiens,hic panis est,*omne delectamen-*

Sap.16,20. *tum in se habens,& omnis saporis suauitatē.* Propterea Aug Ser.28 de verbis Domini. mouet optimè B. Augustinus tanta cum humilitate nos viuere debere, vt quotidie cibum mensæ illius sacratissimæ mereamur accipere.

DE VARIIS DONIS ET GRATIIS,quæ fluunt ex hoc Sacratissimo Sacramento.

CAPVT V.

Bernard. ABsorptus in consideratione admirabilis virtutis sancti huius conuiuij, mellifluus ille Bernardus,exclamauit dicens:O ingens & inæstimabile Sacramentum: discе Christiane in quantum obligaris tuum amare Creatorem,qui dedit tibi carnem suam in cibum,sanguinem suum in potum, animam in pretium,& aquā lateris in lauacrū peccatorum tuorum. O sacratissimum & cœleste mysterium,gratia super omnem gratiam. Pretiosissimum corpus Redemptoris nostri Iesu Christi est medicina ægrotis,via peregrinis,fortitudo infirmis, lætitia sanis,consolatio miseris, pauperibus verò refugium, diuitibus consilium,& præsens auxilium his,qui periclitantur. Virtute illius homo mansuetus efficitur per correctionem,patiens in labore, ardens in amore,sagax in negotio salutis,promptus ad obedientiā prudens in opere, deuotus in oratione, humilis & assiduus in omni opere bono.In hoc enim Sacramēto accipitur ille:de quo scriptum est in Euangelio:

Luc.6,19. *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de eo exibat,quæ sanabat omnes.* Si per solum contractum Vis Sacramenti Eucharistiæ. sanabantur illi ab infirmitate,quanto magis hi, qui dignè frequentant diuinum illud & mysticū corpus benigni Redemptoris nostri communicādo, ab omni vitio animæ & corporis emundabuntur ? Hoc est quod dicit vas illud electionis Paulus : *Nam si sanguis taurorum & hircorum,& cinis inuencæ aspergens*

Hebr 9,13. *inquinatos sanctificat,ad carnis purificationem, quāto magis sanguis Christi,qui per spiritum æternum semetipsum obtulit immaculatum Deo?* Promanant quoq; ex sancta hac communione plurima bonorum spiritualiū desideria,& datur hic robur ad refrenandas concupiscentias malas,sensusque rebelles domandos.Præter hæc omnia verò cibus hic mysticus victoriā contra omnes inimicos visibiles & inuisibiles tribuit. Quam ob causam ille Spiritus S. Phonascus optimè modulatur:*Parasti in conspectu meo mensam aduer-* Psalm.22,5. *sus eos qui tribulant me.* Dæmones enim adire non possunt locum nec appropinquare illi, in quo Christus habitat virtute huius sanctissimi Sacramenti,sæpius etiam lux intellectus & sapientiæ accrescit, de quo scriptum est.*Cibabit eum pane vitæ & intellectus,* Intellectū & sapientiā auget. Eccl.15,3. *& aquæ sapientiæ salutaris potabit illum.* Hinc est quod antiqui illi Patres ad tantā spiritalis vitæ perfectionem peruenerunt:quia tædium illis erat viuere sine hoc cibo quotidiano. Sed postquam hæc frequentia cœpit deficere,subitò etiam fides,spes,charitas,&omnes virtutes cum operibus sanctis defecerunt,atq; ideò meritò à Deo relinquimur, affligimur, opprimimur,& varijs tribulationib.malisq; exagitamur. Quia vita nostra non est talis, vt possimus digni esse frequenter de hoc pane manducare, in quo est fons vitæ beatæ,quæ sanat infirmos, errantes in viam iustitiæ reducit,è tenebris ad lucem adducit, & è profundo peccatorum ad pacem & reconciliationē spiritualem perducit.

Notandum autem hic est, duas potissimum res plurimū tibi prodesse posse,ad Sacrosanctū hoc Sacramentum dignè recipiendum:vtChristo nimirum morienti compatiaris,temetipsum verò humilies & abijcias ante oculos illius,quem percepturus es, cōsiderando & pensitando propriam miseriam, bonitatemq; & charitatem æterni Dei,qui non dedignatur vilissimum seruum suum,tā nobili cibo pascere. Et in hac consideratione intellectus tuus est eleuandus,omnesq; animæ potentiæ exercendæ. Duo quæ in cōmunione sunt necessaria.

DE PRAEPARATIONE QVAE REquiritur ante communionem.

CAPVT VI.

DIcit Apostolus,*Probet autem homo seipsum, &* 1 Cor.11,28. *sic de pane illo edat,& de calice illo bibat. Nam qui edit aut bibit indignè,iudicium sibi edit & bibit,non diudicans corpus Domini.* Necesse est qui ad hoc Sacramentum velit accedere, præparationē debitam præmittat, diligentissimum scilicet examen conscientiæ,cum dolore & odio peccatorum cōmissorum,cum humili reuerentia,pura affectione, contemptu sui ipsius, desiderio vitæ cœlestis, & virtutum augmento,quibus addatur cōtinua gratiarum actio:in innocentia quoq; & contemplatione perseuerantia:præcedat & contritio atque confessio cum Ieiunio,Eleemosyna, & Oratione : hoc est quod Apostolus dicit:*Probet autem seipsum homo.* q. d. examinet prius conscientiam suam,& præparet se bene: deinde edat de pane hoc,& de calice hoc bibat.Meo quidem iudicio,vt minimum,ante communionem tres dies requiruntur,quibus feruor spiritus excitetur,mens ab omni immunda & terrena cogitatione depur- Meditanda ante cōmunionem.

depurgetur, tota ad suum Creatorem eleuetur, consideret autem immensum beneficium nostræ Redemptionis, & habeat sine intermissione ante oculos animæ suæ dulcissimum Iesum nudum pendentem pro nobis in duro Crucis ligno: recordetur & quomodo caro illa virginea flagris est lacerata, sanguis innocentissimus profusus pro nobis: memor sit illius mirifici sudoris, quomodo guttæ & glumæ sanguinis per vestes decurrentes terram humectarunt: memor sit diuinæ illius faciei liuidæ, & ex plagis & alapis sugilatæ: memor sit immundæ saliuæ, mucci & fœculentissimorum oris excrementorum; memor denique sit sereniss imæ, sanctissimæque frontis spinis confixæ & laniatæ. Contempletur delicata & tenera eius membra durissimis clauis cruci compaginata: amabile pectus eius ad cor vsque confossum: nectarea labra & mellifluam linguam felle & aceto amaricatam: sacras aures blasphemijs, iniurijs & conuitijs oppletas, & hoc ordine omnia tormenta pœnasque percurrat, donec tandem ad ignominiosissimam æquè & acerbissimam mortem quam pro nobis oppetijt, perueniat. Porro per totum diē, quo communicat, quantum potest, debet eorum, quæ nunc enumeratimus, recordari, corde afflicto, & facie tristi incedens, dicensq; cum Apostolo: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Post cōmunionē obseruanda.

Gal. 6, 14.

Est & admodum huic actioni conueniens silentium, maximè verò eo die quo mensam Dominicā adijsti. Ideo dicebat Propheta Ieremias: *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* Necessarium quoque est in die communionis, vt omnia prædicta sint cum humili & deuota oratione, lectione sacræ Scripturæ, & pia contemplatione coniuncta: aut ad minimum breui & benigno colloquio de rebus maximè vtilibus, necessarijs, ijsue quæ pertinent ad honorem Dei & proximorum vtilitatem. Præcidaneis ferijs debet communicaturus, quantum potest, ieiunare, in reuerentiam tanti Domini, & hora matutina orationi diligenter incumbere. Hora enim illa ad orādum est accommodatissima, eaq; ferè semper Dominus orasse legitur: Propterea Sapientia clamat apud Salomonem: *qui manè vigilant ad me, inuenient me.*

Thren. 3, 26.

Prou. 8, 17.

Postquam diuinum hunc cibum susceptisti, consultum est, vt ad locum secretiorem & plenum spiritali lætitia te conferas: ibi considerabis effectus tam sublimis Sacramenti, cogitabis quod Pater & Creator omnium habitat in te, & tibi promittit vitā ęternā. Meditaberis immensam eius charitatem, in memoriam reuocabis, & *recogitabis*, vt ait sanctissimus ille Rex, *omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ.* Firmiter quoq; proponesque nolle posthac Deum offendere, sed in eius amore perseuerare, cum simplicitate cordis, & cum timore; nouā verò vitā auspicari & in ea progredi semper, quæ fundata est in charitate & oratione humili: execrari & procul abijcere omnes consolationes terrenas, & vnire te cū Deo ardentissimi amoris affectu. Etenim, iuxta sententiam Augustini, qui amat in rem amatam cōuertitur: propterea dicit idem Sanctus, si amor tuus sit terrenus, tu terra es: si verò cœlestis, cœlum: si totus sis Deo deuotus, per participationem & similitudinem transformaberis in Deum, qui in te habitat, & in quo vicissim habitas tu. Quare in hoc admirabili Sacramēto animaduertendum est, quod cùm tota substantia panis in corpus Redemptoris nostri Iesu Christi trāsmutetur, debet is, qui cibo hoc pasci vult, totus ab amore mundi in amorem Dei conuerti: sicuti enim Christus totus est in cœlo, & totus in hoc Sacramento, modo quodam supernaturali, & nobis incōprehensibili: ita qui cōmunicat, corpore quidem in terra, anima verò totus debet esse in cœlo, ibiq; iugiter conuersari.

Isai. 38, 15

Notāda quæ sequuntur.

I.

Considerare præterea debet, quòd sicuti accidentia panis, id est quantitas, albedo, & sapor nō inhęrēt substantiæ panis, sed sustinentur, & conseruantur virtute diuina: sic debet homo humiliter credere, quod omnes virtutes suæ, bonaque opera, non quidem à seipso dependent aut dimanant, sed à bonitate diuina.

II.

Et veluti cùm franguntur accidentia, nō quidem frangitur sacratissimum Christi corpus (illud enim modo inuisibili inest Sacramento) ita debet anima nostra infracta & indiuisa consistere, per amorem cū Christo Iesu: nec vinci vlla impatientia, cùm ingruit tribulationum tempestas, sed inuicta constantia ferre omnem fortunam aduersam, & gloriari cum Apostolo in infirmitatibus: nec aliam consolationem desiderare, quàm adhærere & coniungi Christo Domino atq; redēptori suo: & dicere, O dulcis Domine quàm dignus es amari, timeri, & honorari à me peccatore? ô quàm ardenti affectione & inde fatigabili labore meritò deberem contendere, vt tecum vniar Pater & Redemptor mi? postquam in tantum me amaueris, eoq; honore & dignitate insigniueris, vt possim vnus tecum fieri, idq; ratione intimæ familiaris cuiusdam coniunctionis. Tibi dulcissime Domine acceptū fero quidquid habeo: omnia mea tibi debentur, vita, virtus, intellectus, voluntas, omnesq; potentiæ meæ interiores & exteriores. Ex te enim est omne bonum meum, quod si tecum nō sim, omnia hæc mihi deficient, & in summa viuam omnium rerum paupertate.

III.

1. Cor. 12.

DE GRATIA ET CONSIDERATIONE huius Sanctissimi Sacramenti.

CAPVT VII.

QVo frequentius homo sanctum hoc Sacramētum sumit, eò magis crescit in amore Iesu Christi, vnitate corporis copulatur cum illo, & aequirit maiorem gratiam, virtutem, & fortitudinem, ad sufferēdas ōmnigenas tentationes. Proprius autem illius effectus est, deuotam & humilem creaturam trāsformare in Creatorem. Cælestis hic cibus spiritualiter intrat in cor, & ardentissima charitate affectum accendit, disponens vitam ad emendationē & deuotionē. Nonnunquā tanta est gratia quæ in hoc Sacramento datur, vt non tantùm anima, sed & corpus admirabili modo exultet, recreatum hoc cibo, & corroboratum.

Deploranda itaq; plurimum est nostra socordia, & supina negligentia, vt qui non maiori cū studio & affectione contendimus ad donum hoc cœleste recipiendum, in quo consistit omnis spes & consolatio eorum, qui saluantur. O durities & cœcitas cordis humani, quæ non amplecteris donum tam immensum. O anima pia exulta, & gratias age Deo tuo, de tam singulari, & nobili consolatione, quam tibi reliquit in hac valle lachrymarum: quotiescūq; enim sumitur hoc Sacramentum, memoria fit tuæ redemptionis, & particeps efficeris omnium Christi meritorum. Dic itaq;, ô Domine mi, confiteor vilitatem & magnam miseriam meam, tuam autē cognosco bonitatem & infinitam misericordiam. Laudo te & gratias ago tuæ immensæ charitati, eo quod tantum in me beneficium contulisti, sola gratia tua, nō meritis meis permotus. Venio ad te Redēptor mi, soli tuæ clementiæ cōfidens, te laudo, tibi benedico semper, me autē humilio & abijcio in profundissimam abyssum? non enim sum dignus terram intueri, & tu dignaris temetipsum mihi dare, corpus quidem ad manducandum, sanguinem verò ad bibendum.

Quid

Quid ni hoc Sacramentum singularis est animæ consolatio, quæ quasi hospes est & peregrina in hoc miserabili corpore? est enim hoc quasi comes & Dux animæ in hoc mundo. Defendit illam ab inimicis, vitijs, & peccatis: assistit fideliter in hora mortis, & deducit illam, prius per confessionem expiatam, in gloriam cœlestem. Si voces hoc Sacramentum hostiam, sacraficium intelligis, quale Sacerdos offert Deo pro peccatis populi, & animabus in purgatorio pœnas luentibus. Si Eucharistiam appelles, bonam gratiam dicis, quia qui dignè recipit corpus Seruatoris nostri Iesu Christi, recipit hic gratiam, & in cælo gloriã. O ingens admiratio tuæ erga nos pietatis: quod tu Dominus Deus Creator vniuersorum non dedignaris venire ad animam pauperculam, vt veste cooperias illam in sua nuditate, & consoleris in suis miserijs. O fœlix anima quæ digna es tuum excipere Creatorem. O quam Magnificus hospes in tuo moratur habitaculo? O quanta gratia ditaberis? Qui enim humiliter accedit ad fontem suauitatis, quomodo non reportabit magnam dulcedinẽ? Aut qui sæpius adit luculentissimum ignem, quomodo non calescet? O Domine Deus & Saluator mi, da vt effectus nostræ salutis crescant, huius Sancti mysterij frequentia. Et sanè iuxta quorundam Doctorum opinionem non est Sacrificium sublimius, nec satisfactio pro peccatis nostris maior, nec ad gratiam impetrandam obsequium aliquod apud Deum magis meritorium, quam offerre seipsum purè cum hoc sacrificio corporis & sanguinis Iesu Christi Redemptoris nostri, siue communicando, siue deotè & dignè celebrando. Faciat itaq; homo viribus suis quod potest, & quæ suarum partiũ sunt, nec dubitet quin copiosa omnis generis gratia subsequetur.

QVOMODO HOMO SEIPSVM OFferet Deo, & quæ deotio requiratur in huius Sacramenti sumptione.

CAPVT VIII.

Plena voluntatis resignatio necessaria.

QVemadmodum Saluator noster Christus Iesus obtulit sese æterno Patri totum, ita vt nihil restaret à parte sua, quo minus abundè per omnia patri fit satisfactum pro nobis. Ita & nos debemus toti in hoc sacrificio offerri, cum omni desiderio cordis nostri, & negare omnem nostram voluntatem eius solius amore. Finge Christum coram adesse, & ita tecum agere: Vide, & attende quomodo ego meipsum obtulerim Patri pro te, quomodo corpus meum dederim tibi in cibum, & sanguinem meum in potum propinauerim, vt sicuti ego totus sum tuus, ita & tu totus meus esses: & certènisi teipsum totum abnegaueris, offendes voluntatẽ meam sacrificium tuum non erit mihi acceptum, nec optatam gratiam consequeris. Propterea pauci sunt verè vera luce illuminati: quoniam pauci reperiuntur, qui propriæ norunt toti suæ voluntati renunciare, & offerre semetipsos acceptabile Deo sacrificium, hoc est, offerre semetipsos, sine vlla sui reseruatione, & dedicare se totos Deo, cum profundissima humilitate, & puritate cordis, dicendo: Domine mi offero me totum diuinæ tuæ Maiestati, ardentissimo tui amore inflammatus. Serua quæso animam meam, quam tu preciosissimo & innocentissimo tuo sanguine comparasti: fac mecum secundum misericordiam tuam, & peccatorum meorum noli meminisse nec iniquitatum mearum recordari.

Cauendũ ne Angelus Sathanas fallat.

Notandum autem quod tentationes & illusiones diabolicæ non debeant te à Sanctissima communione abstrahere, vel auertere: sed quo sint illæ infestiores, eò ad Sacramentum hoc accurres & feruentius & sæpius. Sequere consilium sapientissimi, & contemne scrupulos qui impediunt fluxum gratiæ diuinæ, & affectum tuum bonum aut perdunt, aut faciunt langueſcere. Contende ne vlla occupatio aut tribulatio te ab hoc bono diuellat. Veni cum amore, & noli differre præ timore: dimitte debitoribus tuis, & his qui iniurijs te diuexarunt, & omnia debita tua tibi dimittentur: O quam felix & beatus est ille, qui sic viuit, & cum tali puritate conseruat suam conscientiam: vt per Confessionem mundatus & præparatus, dignus sit ad hæc angustissima mysteria participanda quotidie admitti: Si quando senseris te deuotionem aut nullam, aut exiguam habere, caue ne Acediæ præda fias: sed ad profundam humilitatem recurre. Deus enim nonnunquam vno momento largitur quod multo negauit tempore: & sæpè dat in fine, quod in principio dare non expediebat. Quod si homo semper acciperet gratiam pro suo desiderio & appetitu, non placeret, non tanti illam faceret: nec tantum illum iuuaret: sed cum tandem post longa desideria, multaque preces conceditur, tunc optata venit, tunc chara est, & pretiosa. Propterea necesse est, vt homo cum summa humilitate gratiam deuotionis petat, eamque patienter expectet, & si quando illam tibi Deus negauerit, aut clam à te abstulerit, id peccatis tuis impropera. Parua siquidem res sæpè aufert & occultat gratiam, quo minus ad te possit deriuari. Quod si verò omne impedimentum perfectè sublatum sit, percipies abundanter omnia, quę ad salutem tuam sunt necessaria. Cum autem temetipsum totum Creatori tuo deuoueris, idque ex toto corde tuo, nec alium quæsieris præter illum, illiusque sanctam voluntatem, confestim senties in te veram pacem, & iucundissimam consolationem: & quanto longius te à rebus terrenis separaueris, teq; mortificaueris perfectius, tanto percipies gratiã copiosius: tunc cor tuum deuotione & pietate inundabit, tunc gustabis mirabilia Dei, potissimum verò in hoc Sanctissimo Sacramento sumendo. Quando verò tibi gratia deuotionis data erit, gratias age diuinę maiestati, non quasi tuis meritis detur, sed quasi sola Dei misericordia tibi concedatur. Præpara Domino tuo hospitium dignum pro viribus tuis, ante communionem, & post illam, mundum & inuiolatum illud custodi, licet ipse non prę paratione tua illectus sed sola pietate & misericordia sua motus, ad mysticam suam te mensam admiserit.

Gratiã non largitur Deus semper ad voluntatem nostrum.

DE SINGVLARIBVS GRATIIS, & mirificis quibusdam fauoribus aut beneficijs, exhibitis ijs, qui dignè ad Sacramentum hoc frequenter accedere desiderarunt.

CAPVT IX.

QVemadmodum illi qui assiduè sumunt hoc Sacramentum indignè: non ad salutem sumunt, sed ad iudicium & damnationem: sic contriti, pij, deuoti, & humiles sugunt ex illo gratiã & vitam beatam. Legimus de Episcopo quodam Narniæ (quæ ciuitas est Hetruriæ) Cassio nomine, qui solet quotidie communicare, quod per reuelationem ei mãdatum fuit, vt in opere hoc sancto perseueraret, habiturum enim se pro quotidiana illa communione vitam æternam. Cumque iam dies statutus morti adesset, accipiens Sanctiss. hoc Sacramentum, sine aliquo dolore, facie verò læta obijt, & spiritus beatus in cœlum receptus est.

Greg. ho. 37. in Euang. & lib. 4. c. 16. Dial.

Alius quidam religiosus nomine Liberalis, Helidori Altinensis Episcopi discipulus, pia sua consuetudine singulis diebus Dominicis cum summa mentis attentione, ardentique amore ad Sacram Synaxin adibat, cuius solius virtute multos annos semetipsum sustinuit, nullo alio planè vsus nutrimento. Ita vt fortitudine cibi huius in terrestri corpore vitã vixerit prorsus cœlestem & Angelicam. Idipsum & alijs pijs hominibus legimus euenisse.

Alius

Alius Sacerdos Bauo dictus, vitæ sanctimonia clarus, Gandauensis Cœnobij clericus, non habens opportunitatem communicandi, aut pio sanctoque desiderio suo satisfaciendi, in quodam suo morbo S. Sacramentum ex manibus Angelorum percepit, quia benignissimus Redemptor noster non fert, vt fideles & dilecti serui sui, tam desiderato & salutari cibo destituantur.

In vita Onuphrii, quæ habetur inter vitas patrum.

Onuphrius Anachoreta Sanctissimus in Thebaide Ægypti, à Paphnutio rogatus, anne dominico vel sabbatho die communionem ab aliquo perciperet (erat enim ab omni cætu Christianorum remotissimus) respondit, omni die Dominico & Sabbatho Angelum Domini paratum inuenio, sacrosanctum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi secum deferentem: de cuius manu mihi pretiosissima donantur munera, vitæque meæ salus perpetua. Sed & Britanniæ Sacerdos Maiorus appellatus, qui cùm summo communicandi desiderio teneretur, iamque in oratione quasi absorptus esset, ter vno die miraculo insigni ab Angelorum manibus hoc Sacramentum accepit, qui sub finem vitæ visibiliter apparentes id manifestarunt.

In vitis patrum.

Marcus scriptor quidam in Ægypto, vir pius & illuminatus, cum cuperet sæpius communicare, nec haberet toties, quoties vellet, Sacerdotis copiam, stans quodam die in templo, æstuans intus Sacramẽti huius desiderio, vidit in altari manum sibi Eucharistiam porrigentem: accurrensque illud ore excepit.

Hila. Arc. Tom. 1. Suri.

Honorato Ambianensi Episcopo pro humilitate sua hæsitanti, recepturusne esset sanctum Dominicum hoc, an verò potius abstineret, à quadam imagine Redemptoris in altari depicta, idipsum in os miraculosè immissum est.

Pauca hæc exempla volui commemorare, ad confirmationem earum rationum, auctoritatum & argumentorum, quæ hactenus à nobis producta in medium fuerunt: contra quorundam sciolorum opinionem, dicentium, non esse laudabilem frequentem istum vsum Eucharistiæ. Dico autem ego non ex auctoritate propria (indignus enim sum ego & peccator miserrimus) sed ex iudicio gratissimorum Doctorum, quod humilis & deuota anima, quæ sine omni vel actu, vel proposito peccati mortalis est, nõ potest quippiam vel meritorium magis, vel gratum Deo præstare, quàm si ex abundantia diuini amoris, dignè salutare Sacramentum hoc frequenter accedat, in qua iugis & viua passionis Redemptoris nostri memoria renouatur. qui, volens ostendere quàm vtile esset & necessarium hoc Sacramentum, dicit in Euangelio, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Nemo enim venit ad patrem nisi per me.*

Agnosce spiritum Dei, vnde loquuntur hæretici.

Ioan. 6, 53.

Cum itaque cœlestis panis hic omni ex parte sit perfectissimus, dat sine dubio dignè percipientibus perfectionem vitæ præsentis, & gloriam eius, quam expectamus. Ideoque illi qui in primitiua Ecclesia quotidie mystico hoc cibo vtebantur, perseuerabant in doctrina Apostolorum, assidui in orationibus, ad cœlestia iugiter suspirabant, diuinorum eloquiorũ obseruantissimi: humiles in timore Dei, feruentes in charitate, tantaque in perfectione viuebant vt eos non humanam, sed cœlestem & Angelicam vitam viuere dixisses. Postquam verò refrigescere cœpit & minui hæc frequentia, diminutæ sunt similiter & virtus, & gratia, & omnis perfectio. Antiquus enim humani generis hostis, absente benignissimo Redẽptore nostro, arripit audaciam, & armat semetipsum contra illos, qui non frequentant hunc cibum cœlestem: facitque eos peccare, atque labi in diuersas tentationes. Optimè itaque dictum est ab Innocen-

Innocent.

tio Papa: Per Crucis mysterium eripit nos Deus à potestate peccati, per Eucharistiæ Sacramentum eripit nos à voluntate peccandi: Nam Eucharistia, si dignè sumatur, à malo liberat, in bono confirmat, venialia delet, mortalia cauet. Augustinus quoque in sermone de Altari: Iteratur quotidie hæc oblatio. licet Christus semel passus sit, quod quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest: & ideo, quia quotidie labimur, Christus pro nobis mysticè immolatur. Et paulò post: Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimur: Ascripta, per quam omnes adscribimur in cœlo: Rata, per quam in visceribus Christi censemur: Rationalis, per quam à bestiali sensu exuimur: Acceptabilis, vt qui nobis displicemus, per eam acceptabiles eius vnico filio simus. Hausit D. Augustin. hanc doctrinam ex optimo suo Magistro, cuius verba sunt: Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur; qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Medicina enim spiritualis est, quæ cum reuerentia gustata, purificat sibi deuotum.

de mysteriis missæ li. 4. c. 44.

August. de Sacramento Altaris. Ambr. de Sacramentis lib. 4. cap. 6. Ambr. in 11. c. 1. ad Cor.

Cæterum, vt nihil salutarius, nihil fructuosius, nihil iucundius, nihil denique magis consolatorium animæ humilis, mundæ, & deuotæ potest inueniri, huius mystici panis præsentia. Ita vice versa, his qui tales non sunt, sed immundi, superbi, lasciui, & carnales, hoc Sacramentum mortiferum est, & præsentissimum adfert exitium. Nihil itaque debet esse purius, & ab omni peccato alienius anima illa, quæ sæpius vult ad hanc mensam diuinam accedere, Regemque & Creatorem totius vniuersi possidere. Absit ab ea non tantum actus, sed & voluntas peccandi: sit perpurgata ab omni peccato cõmisso per lachrymas, ieiunia, eleemosynas & orationes: confidat non meritis suis, sed infinitæ misericordiæ Dei. Quæ sic præparata est anima, accedat, secundùm Augustinum ad Eucharistiam intrepida & secura. Inueniet enim ineffabilem hic gratiam, & beneficia sine numero: coniungetur Deo, & vnum quid cum dulcissimo & benignissimo Redemptore suo Christo Iesu efficietur: gustabit etiam aliquo modo in hac valle lachrymarum suauitatem futuræ vitæ, quam postea in societate Sanctorum, & gloria cœlesti possidebit per infinita seculorum secula. Amen.

August. In lib. de Eccl. dogm. Tom. 3. c. 53.

PARAPHRASIS.

PSALMI QVINQVAGESIMI.

Miserere mei Deus.

Varia Dei nomina.

O Domine, qui cùm esses creator & factor vniuersæ mundi machinæ, & omnia essent tua, & manuum tuarum opera, voluisti nihilominus tantummodo vocari Deus Abraham, Isaac, & Iacob ex quibus oriundus erat electus tuus populus Israhel, licet ingratissimus: In cuius populi fauorem potentiam tuam ostendisti, magna & mirabilia operatus es, tam in debellandis hostibus illius victoriis omni admiratione plenis, quam in Sole medio cursu sistendo mare, saxa durissima, & flumina subijciendo eorum obedientiæ. qui sub tuis vexillis militabant. quare & tu quoque Deus fortis, & Deus exercituum appellatus es. Ceterum cum populus ille rebellis & duræ ceruicis esset, tu quoque te terribilem & ferocem ostendisti, & rexisti in virga ferrea, timore & tremore: qui amore & benuolentia regi, & in officio manere nolebant, horrendis, & quidẽ celerrimis supplicijs vindicans,

Exod. 3.

1. Reg. 17. Iosue. 10. Exod. 14, 17. Esa. 6. Apoc. 4. Psal. 92. Psal. 113.

& vlciscens eos, qui tuam ausi sunt offendere Maiestatem; adeo vt appellari quoque cœperis Deus
2.Reg.17. vltionis: ita vt ad nominis tui appellationem non tantum homines: sed etiam mare & elementa contremuerint.

Et quamdiu furor tuus per vnigenitum filium tuũ placatus non esset, eum in modum portæ cœli clausæ manebãt, vt nulli etiam iustissimo, paterent. Neque peccatores considerantes suam indignitatem & peccata grauissima, videntesque non esse portas alias in hoc mundo reseratas, præter illas iustitiæ, atque vltionis, ausi erant tibi appropinquare: sciebant enim secundùm morem suum euntes se ad petendũ remedium, inuenturos damnationes: euntes pro salute imploranda, mortem reperturos: quia ignis consumens appellabãre.

Hoc timore perculsi nonnulli, ô Domine, obambulabant quasi desperantes, nullam inueniendæ misericordiæ spem habentes. Alij per ignorantiam à te separati, tanquam oues sine pastore errabant, balantes in hoc mundo. Ideo dicebat Dauid; *Dic animæ meæ salus tua ego sum*; quasi diceret: Aures habeo plenas nominibus & titulis tremendis, veniat tempus, in quo tuipse nomine tuo nouo promittas salutem animæ meæ. Et hoc quidem erit, quando Iesus,
Luc.1. hoc est Saluator appellaberis. Hoc dixit olim Dauid in persona omnium.

Ceterum postquam tu recordatus es misericordiæ tuæ, & promissionum Patribus factarum, fore nimirum, vt tu ipse humanitatem & miseriam nostram indueres, cùm, inquam, exijsti ex aula potentiæ, & iustitiæ tuæ, & ad nos veniẽs transmigrasti ad
2.Cor.1. palatiũ tuæ benignitatis & misericordiæ, adimpleuisti quod omnibus promiseras, Primus autem magnus ille imitator & Apostolus filij tui Iesũ Christi Domini nostri, te cæpit appellare patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis. Patrem, vt
Abac.3. significaret, quod tanquam Pater voluisti nos adiuuare: Deum, quia potes quemuis adiuuare.

Adeo vt iam peccatores videntes te ex aula seueritatis tuæ exijsse, & in palatium misericordiarum & consolationum tuarum venisse, videntes te veste sua circumquaque amictum, & domesticum suum factum: non iam amplius ire volunt quasi vagi & desolati, sed vniti Sanctissimæ tuæ Ecclesiæ, cum sincera fide & spe firma ad thronum tuum veniunt, peccatorum suorum remissionem petentes.

Feci sti Domine, quemadmodum facere solet venator, qui ne terreat feram, induit colorem montis: posteaquam & tu assumpseris vestimenta terræ, in qua viuebant illi, quos tanquam venator apprehendere cupiebas. Quemadmodum enim ostendisti omnipotentiam tuam in rebus præteritis, præliando & vindicando: ita voluisti ostendere nunc te misericordem ignoscendo. Etenim remittere illatam iniuriam, non minor, imò maior est gloria, quàm illã vindicare. Non est igitur, nec esse potest peccatum tam magnum, quod tu non facillimè pœnitenti condonas.

Si peccator fuisset tam infelix, vt cõsiderans peccatorum suorum magnitudinem, non etiam aspexisset infinitam tuam potentiam & bonitatem, de
Gen.4.15. venia desperasset, & dixisset illud, quod olim dixit primus frater noster Cain, & ad imitationem eius Iudas, hoc est; *Maior est iniquitas mea, quam vt veniã merear*, & sibi ipsi violentas manus intulisset.

Psal.120. Lætetur igitur nunc, & oculos ad cœlos leuet, vnde venire debet auxilium omnibus his, qui in tribulationibus & miserijs huius mundi reperiuntur. Aperiat oculos animæ suæ per fidem, & videat in circuitu signa & vexilla erecta: non vexilla bellorum, vltionum, & iustitiæ: sed misera-

tionum, misericordiarum, remissionum, & amicitiarũ, seu reconciliationum eorum, qui appetunt eã in veritate. Videat honorari & exaltari in hoc palatio illos, qui solebant illius esse hostes & inimici.

Videbit tibi in gratiam receptam Magdalenam peccatricem celeberrimam. Videbit tibi humiliatos, Luc.7. qui credebant se in summo sanctitatis & sapientiæ residere fastigio; & exaltatos, qui se peccatores, nullius meriti, & humiles fatebantur. Videbit illic S. Petrum peccatorem, & Magistri sui periurum ne- Luc.22. gatorem factum Ecclesiæ Principem. Videbit S. Paulum lupum & persecutorem Gregis, factum vas e- Act.4. lectionis.

Veniant, veniant igitur peccatores omnes ad hoc misericordiæ palatium: & firmiter credant, neminem posthac ita peccare, vel peccare posse, vt nequeat peccatorum impetrare suorum indulgentiã: nec inueniri tantas inimicitias, vt non sit paratus, promptus, & facilis ad reconciliationem & amicitiam recursus.

Quare ego me sentiens peccatorum pondere grauatum, atque in miseriarum pelagus lapsum, desideransque vel maximè visum oculorũ animæ meæ, quos errores & peccata enormia mihi clauserunt, maiori ardore atque siti gratiam tuam, refrigeriũque tuum desiderans, quam ceruus, quem venator persequitur, fontes aquarum, venio ad thronum gratiæ tuæ, supplicans tibi Domine, cum illa humilita- Psal.41. te, qua venire potest peccator quiuis maximus, cognoscens suam indignitatem, & merita nulla, idque ante oculos illius, qui semel dedit esse & viuere, & iterum cum hæc per peccatum amiserat, & per pœnitentiam reuersus est, redemit: ante maiestatem illius, qui solo verbo suo, hoc est, Sapientia, omnia de nihilo creauit, & fecit: ante illum, in cuius potestate est, non tantum mille alios mundos creare, sed ea quoque facere, quæ nec Angeli, nec aliqua potest creatura cogitare. Ante hunc, inquã, venio, & dico:

Miserere mei Deus.

Et quia, mi Domine, nulla mea sunt merita, quorum respectu id audeam petere (Non tantum enim tua misericordia sum indignus, sed insuper pœnas infernales omnes quoq; meritus sum) peto hoc

Secundum magnam misericordiam tuam.

secundum quam, si bene consideremus, quomodo tu illa semper vsus es erga peccatores, existimo, & prorsus credo, te magis paratum, & faciliorem esse ad ignoscendum, quam ego propter fragilitatem meam ad peccandum. Et quia peccata mea sic excreuerunt, & eum in modum aucta sunt, vt in conspectum diuinæ tuæ Maiestatis venerint, ecce in manibus meis fuit labi posse, & mea culpa lapsus sum: sed resurgere non est in potestate mea, nisi tu singulari gratia tua me subleues: oro igitur vt mei misereris,

secundum multitudinem miserationum tuarum,

tibi inquam supplico, vt memor quoties misericors & pius in peccatores extitisti, & quot eorum iustos & sanctos effecisti, etiam igne charitatis tuæ, qui (vt ait Propheta) ipse tu es, vocans te ignem qui consumit, purges, comburas & consumas omnes iniquitates, omnesque imperfectiones meas: faciens me ex frigidissimo peccatore ardentissimum amatorem, & imitatorem tui tuorumq; præceptorum & mandatorum. Nec solùm me purga à peccatis meis præteritis, sed

Amplius lauame ab iniquitatibus meis, & à peccatis meis munda me.

Ita me laua Domine, & ita munda omnia interiora mea, ne quid in me maneat, q, ad nouũ peccatũ solicitet. Da mihi fortitudinẽ, mundũ, Diabolũ, & carnẽ superandi, ne denuò ad errores priſtinos reuertar.

Et quia

Et quia scio Domine, neminem viuere, qui in tuo
Psal. 142. conspectu, tuaque præsentia potest per seipsum iustificari; teque tantum hoc velle, vt qui cupit obtinere peccatorum suorum remissionem, agnoscat & confiteatur se peccatorem, gemat, & peccata commissa defleat: Ego tanquam talis dico:

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Cognosco, inquam, iniquitatem meam, & confiteor illam, non solum ore externo, sed & interno. Etsi enim sint, qui hypocrisi vana, aut alio vitio maculati sub pietatis vmbra homines decipiant, nemo tamen te Domine sub specie sanctitatis exterioris potest fallere, si aliud gerat intrinsecus. Didici per experientiam, vnicuique peccatum interius esse contrarium, quod sine intermissione accusat, & conscientiam instar vermis corrodit: è cuius remorsu oritur horrenda vox illa damnatorum, qui dicūt: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* Confitebantur antiquitus Ethnici errores suos
Sap. 5. Marti, Veneri, Ioui, Mercurio, & alijs Dijs vanis, & poëtis fictis: & hodie peccant multi eo quod habent diuitias, honores, & gloriam huius mundi, & confitentur se peccasse contra hæc omnia, eò quod erraruerunt, & per medium illorum ad desiderium suum non peruenerunt: Ego autem Domine hæc omnia contemno, & fateor, quia.

Tibi soli peccaui, & malum contra te feci.

Omnia enim peccata mea contra te sunt, tanquam contra Dominum, factorem, & conseruatorem omnium: cui vt tali obstrictus sum, & mala mea tegi non possunt: sed aperta sunt oculis tuæ diuinitatis, cui omnia, tam in cœlo, quàm in abysso & profundo maris sunt manifesta. Et quidem errores atque peccata mea tot & tanta sunt, vt quidam in eadem mecum damnatione existentes, & omnipotentiam tuā non considerantes, sed te secundum fragilitatem & inconstantiam suam dimetientes; peruersis suis cogitationibus in iudicium contra te descenderint, di-
Gen. 4, 15. centes; *Maiores sunt iniquitates meæ, quam vt veniā mereamur*: & fidem verbis atque promissionibus tuis non habentes, existimant te vt iracundum, & crudelem, supplicia & vindictam, non gratiam & veniā cogitare. Et tales cùm videbunt quod tu, Domine mi, remittes mihi iniquitates meas, erunt victi, & in iudicijs suis confusi, atque cognoscent illud,
Isa. 55. 9. quod tu per Prophetam dixisti; nimirum, *quod sicut exaltantur cœli à terra; sic exaltatæ sunt viæ tuæ à vijs hominum, & cogitationes tuæ, à cogitationibus eorum.* Miserere itaque mei Domine, & dele iniquitatem meam.

Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Quod si autem ad obtinendam meorum peccatorū remissionem necessaria sit eorum maior cognitio, aut si ea prima ab origine repetere aliquod habeat indicium excusationis, dico, Domine, & vt rem manifestam confiteor, quia

In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:

idque propter antiquam transgressionem patris nostri Adæ, quam transfudit in omnem suam posteritatem: quæ & nos obnoxios reddidit primò morti corporali, inde & spiritali: cui vtrique morti subiaceremus adhuc, nisi secundus & cœlestis Adam Christus, Dominus noster filius tuus pretioso suo sanguine ab ijs nos liberasset, doctrinaque & exemplis suis nos instituisset, & veram viam demonstrasset, qua ad
Genes. 3. illum primum innocentiæ statum, in quo creati sumus in horto deliciarum, possumus redire.

Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Cùm enim sis summa & ineffabilis veritas, quam dilexisti, & quæ grata est omnibus tuis, eam obseruādo secundum promissiones tuas, dedisti illum desideratum gentibus, & in lege promissum, hoc est, temetipsum, vt sine timore inimicorum nostrorum li- Luc. 1.
berati seruiamus tibi, non amore illo antiquo seruili, qui erat timor vindictæ & vltionis: sed amore filiali, tanquam Domino & Patri, qui nunquam cessat in nos filios suos sua pluere beneficia. Quem amorem & nomen filiorum adepti sumus per Iesum Christum, filium tuum, Dominum nostrum: per virtutem enim meritorum eius, & quia ipse voluit noster esse frater in hoc mundo, dedit nobis fiduciam, vt audeamus te Patrem appellare, quemadmodum & tu nos filios appellas, non quidem naturales: ille enim est vnigenitus & naturalis tuus filius, vnaque tecum substantia; sed nos adoptiui filij sumus, per quam adoptionem, si nos officium nostrum faciamus, venimus ad hæreditatem regni cum illo, ideoque nobis vt talibus

Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti.

hoc est, mysteria nostræ redemptionis, quæ tanto tempore, & tam immenso studio nec Socrates, nec Aristoteles, nec Plato, nec denique alius quispiam Græcorum aut Romanorum Philosophorum potuit inuenire: Imò omnia illa, in quibus isti existimabant vltimum finem & beatitudinem collocatam, tu ostendisti meram esse stultitiam: & quod illi stul- Ioan. 4.
tum arbitrabantur, tu demonstrasti veram esse sapientiam, vt declararet, quàm parum humanę possunt vires, sine tuo auxilio, & dares exemplum, ne quis in posterum suæ confidat potentiæ: sed offerentibus tibi cum humilitate miseriam & fragilitatem suam, tu reddas gaudium & fortitudinem: & qui sincero animo suam tibi offert ignorantiam, hunc impleas sapientia: qui denique se offert vt peccatorem & humiliatum, hunc iustifices. Quod cùm ita sit, oro te Domine.

Vt aspergas me hyssopo, & mundabor: laua me, & super niuem dealbabor.

laua me Domine aqua fontis illius, cuius tubi saliūt in vitam æternam; quā tu mulieri Samaritanæ promisisti, & hysopo gratiæ tuæ me asperge: igne charitatis tuæ absume omnes meæ fragilitatis errores, omnemque meam malitiam, tunc mundus ero ab omnibus peccatis: tunc redibo ad statum innocentiæ, tunc purior, tunc candidior ero niue candidissima. Tunc

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

Tunc omnes sensus mei, qui hucusque seruierunt mundo, carni, & Diabolo: qui immersi iacebant voluptatibus, & delicijs mundanis, qui potius dolores, miseriæ, afflictiones, & confusiones appellādæ sunt, recipient à te gaudium, lætitiam, & quietem: incipientque audire & gustare, quàm bonus Domine & suauis est ille tuus Spiritus his, qui seruiunt tibi cum humilitate. Degustato illo tuo Spiritu, caro & ossa mea nunc humiliata, quia rebus terrenis & vilibus seruierunt, cum exultatione redibunt ad obedientiam spiritus; gustabunt alta mysteria tuorum operum, & cognoscent magnam partem tuæ magnificentiæ, qua vsus es, & vteris quotidie in hoc mundo, cum omnibus nationibus: quare odio implacabili ea quæ transierunt persequuntur, & quod olim vt dulce appetebant, nunc amarum iudicant: quod autem tunc vt amarum respuebant, nunc vt dulce appetunt aguntque tibi gratias immortales, quod eruisti eos ex profunditate, & abundantia miseriarū,

in quibus sub specie voluptatis & lætitiæ falsæ volutabantur: quia verò nunc tua gratia Domine veni ad cognitionem, & odium peccatorum meorum, præcipuâ scilicet viâ meæ salutis, te pecor Domine.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Faciem inquam tuam diuinam, cuius contemplatio & visio est vita æterna: noli mecum agere secundùm merita mea, sed aspice me oculis tuæ misericordiæ, & aufer à me omnem iniquitatem. Purga me Domine, & munda me, non tantum à præteritis, sed & ab omnibus quæ mihi possent in posterum obuenire.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Auferà me cor lapideum, quod hucusque se oblectauit contemplatione & amore rerum abiectarum, immundarumque: ideoque immundum est, & inquinatum: hoc oro Domine auferà me, & dignare in me aliud creare mundum, purum, & castum. Auferà me spiritum superbiæ, vanæ gloriæ, auaritiæ, luxuriæ, aliorumque multorum vitiorum & seruitutis, qui hactenus in visceribus meis regnauit, & renoua in illis spiritum rectum, mansuetum, humilem, cupidum, & sitientem omnis iustitiæ. Scis autem Domine, quia nos tantum modicum terræ, & massa iniquitatis sumus, & quia, nisi tu manu tua fulcias & sustentes nos, facere non possumus, præter id quod terrenum est, ideo rogo;

Ne proijcias me à facie tua, & spiritum S. tuum ne auferas à me.

Psal. 22, 1. sed semper dirige & conserua me dextera tua: vt dicere possim, quod olim Propheta dixit; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Noli à me auferre Spiritum Sanctum tuum, verum afflictorum consolatorem, qui est via veritatis omnibus his, qui ingrediuntur cæcum huius mundi labyrinthum, deuij, perditi, & desolati: imò potius Domine

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Da mihi gratiam, vt meditando in ijs, quæ pro salute nostra fecisti & facis quotidie, & respiciendo voluntatem tuam, qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, fruar vero illo gaudio, & quiete, qua fruuntur illi, qui condemnati ad mortem æternam, audiunt sibi peccata dimitti: non ab his, qui potestatem non habent, sed ab omnipotente, qui non potest fallere, nec falli: qui vti non potest mori, sic in verbo suo potest deficere. Auferà me Domine spiritum seruitutis, cuius imperio hactenus parui, & confirma me in gratia & amore tuo, per spiritum regium, non subiectum carni, mundo, vel Diabolo: sed liberum, vt possumus seruire tibi cum

Galat. 5. gaudio, in perfectione operum iustitiæ, in libertate Euangelica, & spirituali: in quam à Christo Domino nostro filio tuo sumus restituti. Et tunc Domine confirmatus per tuam misericordiam, non tantum ero liber, & ab omni peccato immunis: sed descendam in campum, tanquam magnanimus præliator, & Dux, &

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur: qui videntes me ex iniquo iustum, ex debili potentem, ex seruo liberum, ex subdito filium tuum adoptiuum factum, & animaduertentes hoc non effectum viribus humanis, sed diuinis, conuertentur ex toto corde, & tota anima sua ad te. Sed oro, Domine mi, & Deus salutis meæ, dum versor inter malos, flagitiosos, & crudeles illos, noli permittere, vt ego similiter cum illis peccem, aut vt illorum maculæ me quoque coinquinent: Sed

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea iustitiam tuam

Quemadmodum Sol radijs suis omnia penetrat; Simile. munda & immunda, & non tantùm non commaculatur, sed quod maculatum est purgat, & emaculat: sic ego radijs & ardore charitatis tuæ vestitus, transeam, verser inter illos immundos homines mundus, & sine macula. Id si mihi tribuas, & lingua mea dirigatur & gubernetur gratia & auxilio tuo, plantabit iustitiam tuam in cordibus illorum: & cũ illi existimabunt hoc opus esse mecum, cum tuum sit per me, errabunt. Ego enim tanquam ex me non sum sufficiens illud facere, sed ne verbum quidem proloqui, sine ope & gratia tua intercueniente. Vt igitur agnoscant hoc; & tibi dent laudem, tibi debitam, non mihi,

Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Et nunc Domine offero tibi spiritum meum afflictum, & tribulatum, eo quod offendi te, cui addo quoque propositum me emendandi. Quod sacrificiũ tibi placere scio, atq; esse illud quod tu requiris,

Quoniam si voluisses sacrificium (aliud) *dedissem vtique, holocaustis non delectaberis.*

Nunc enim venit tempus, in quo tibi non placent, nec placebunt vnquam in posterum holocausta, & sacrificia ceremonialia, tu enim Spiritus es, & in spiritu vis adorari, Ideoque

Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non despicies.

Sed quoniam non ignoro neminem in hoc mundo, quamdiu viuit, serò nimis venire ad gratiam & misericordiam tuam inuocandam: sed te semper, & vbique paratum ad dandum illam nobis, ideo iterum te rogo;

Benigne fac in bonitate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem.

Benignè Domine mecum fac, & misericorditer, in bona tua voluntate, & da mihi gratiam, vt fatiscentes & diruti muri animæ, qui nullam hostium vim possunt sustinere, vel excludere, denuò reædificentur interius, vt offeram te vera opera iustitiæ interioris, quæ extetioris mox subsequentur, vt signa sint interioris. Inde postea tanquam ex viuo fonte scaturiet ædificatio proximi, ex quo duplici operum genere fiet harmonia dulcis, & grata diuinæ tuæ Maiestati, & sacrificium coniunctum illi, in quo tibi com- Matth. 3. placuisse dixisti;

Tunc enim acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Hæc omnia, inquam, Domine, vt victimam nouam imponent super altare tuum, de qua victima dixit Propheta; *Placebit Domino super vitulum nouellum,* Psal. 68, 32. *cornua producentem & vngulas,* hoc est humanitatem Christi Redemptoris nostri filij tui, & sacrificiũ illius. cuius meritis opera nostra prius indigna, & nullius pretij, facta sunt digna, & æternæ vitæ meritoria.

Ad hunc modum igitur Domine, & ego, & mecum alij qui peccatores fuimus, viuentes in cultu & seruitio tuo dicemus:

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, &c.

laudabimus & glorificabimus te semper in hoc mũdo, & in altero, tanquam Patrem, Creatorem & factorem omnium; & Filium tuum, Sapientiã diuinã, tanquam illum, per quem meruimus vocari, & esse tui filij, & Spiritum S. tanquam gratiæ Doctorem, Consolatorem, & in omni bono proposito Patronũ & Ductorem. Qui in distinctione personarũ, in Trinitate perfecta, in vnitate substantiæ, & in Maiestate viuunt & regnant, sine principio, sine fine per omnia secula seculorum, Amen.

ORA-

ORATIO DEVOTISSIMA DE NOMINE IESV.

O Bone Ieſu, ô dulcis Ieſu, ô Ieſu fili virginis Mariæ, plene pietatis & miſericordiæ. ô dulcis Ieſu miſerere mei, ſecundum infinitam tuã bonitatem. ô benigne Ieſu, ego indignus peccator oro te, per pretioſum illum tuum ſanguinem, quem tu effundere voluiſti in Cruce, pro iniquis & peccatoribus, vt laues me ab omnibus peccatis meis, & non deſpicias ſeruum tuum, qui humiliter orat, & inuocat hoc ſanctiſsimum nomen Ieſu. Hoc nomen tuum Ieſu nomen dulce eſt, imò quouis nectare & ambroſia dulcius; hoc nomen tuum Ieſu nomen eſt ſalutiferum. Quid eſt Ieſus, niſi Saluator? Igitur, ô bone Ieſu, qui tua bonitate me creaſti, & tuo pretioſo ſanguine me redemiſti, ne patiare, vt anima mea propter peccata mea multa & magna ad inferos deducatur, Iniquitates meæ, ô bone Ieſu, non condemnent animam meam, ab infinita bonitate tua creatam. Agnoſce in me bone Ieſu; quod tuum eſt: hoc eſt, animam meam: aufer à me quod alienum eſt, peccata ſcilicet & iniquitates omnes. O bone Ieſu, miſerere mei, quamdiu ſum in hoc mundo, ne condemner in illo tremendo iudicij die. O bone Ieſu. ſi peruerſus ego peccator meruero pro tua iuſtitia dãnari, propter grauia mea, & enormia peccata, appello humiliter à ſeuera tua iuſtitia, ad piam tuam miſericordiam: confidens omninò, quod tu Domine mi Ieſu pius eris, & miſerebrris animæ meæ, tanquã Pater pius, & Deus miſericors. Quæ vtilitas tibi, ô bone Ieſu, in carne mea, ſi anima mea deſcendat in Infernum? Certum enim eſt, Domine; quia in Inferno nemo confitebitur ſancto nomini tuo Ieſu. O miſericordiſsime Ieſu, pius eſto in nos. O dulciſsime Ieſu, libera nos ab omni tribulatione & anguſtia noſtra. O optime Ieſu, clemens eſto nobis peccatoribus. O ſacratiſsime Ieſu, fac animas noſtras electis tuis in cœlo ſociari. O Ieſu maximè pie, ſalus omnium eorum qui ſperant in te, confortanos. O Ieſu, fili ſanctiſsimæ Virginis Mariæ, da nobis tuam miſericordiam, gratiam, ſapientiam, charitatem, caſtitatem, humilitatem, & patientiam in omni aduerſitate noſtra, vt poſsimus ſemper benedicere, glorificare, honorare, & laudare Ieſum, Amen. *Pater noſter, Aue Maria.*

R. P. F.

LVDOVICI GRANATENSIS, ORDINIS S. DOMINICI.

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANÆ,

PROLOGVS.

QVemadmodum varia sunt hominum iudicia, variaque Scriptorum studia atq; oblectationes, Christiane Lector, sic etiam diuersæ sunt materiæ, atque argumenta, in quibus pertractandis desudârunt. Quidam enim eloquentiæ studiosi, huc omnes ingenij vires intenderunt, vt Oratorem facerent perfectum, educantes illum ab infantia per omnes gradus, & disciplinas illius facultatis, donec ad summitatem fastigij artis illius euexerint. Alij simili cura & diligentia id egerunt, vt formarent exquisitum Principem: quidam, vt belli Ducem, vel militem: nonnulli, vt Aulicum. Atque ita singuli extollere atq; scriptis suis illustrare studuerũt id, quod potissimùm amabant, atque in pretio habebant. Est autem extra controuersiam, inter omnes res humanas nihil esse dignius, nihil pretiosius, nihil diuinius homine Christiano: qui cùm ad finem creatus sit supernaturalem, etiam vitam vnit supernaturalem: quare & à Sanctis appellatur Homo cælestis, aut Angelus terrestris. Si aliæ itaque facultates, quæ tanto minores sunt, quantò finis earum minor est, & vilior, Auctores inuenerint, qui summo cũ studio docuerunt ea, quæ à principio primo, vsq; ad finem vltimum ad illas facultates pertinebant: an non rationi consentaneum erit, etiã in hac cælesti professione inueniri, qui idipsum faciant, quod illi fecerunt? præsertim cũ quantò reliquis sublimior est, tanto difficilius addiscatur, tantoq; magis necessariò scriptorem & doctorem requirat? Illud est, Christiane Lector, quod multis abhinc annis cupiui, videre scilicet librum aliquem, qui ex professo tractaret, de perfecto Christiano formando: seu qui summam eorum, quæ ad professionem huius vitæ cælestis pertinent, complecteretur. Quemadmodum enim boni artifices id curant, vt habeant omnia instrumenta, quæ pertinent ad opificia sua; & qui arti vel scientiæ alicui operam dant, eos sibi libros conquirunt, qui omnia, quæ artis illius sunt, continent, vt in vno aliquo loco memoria magis collecta remaneat: sic etiam meo quidem iudicio fieri debet, in hac arte artium, & scientia scientiarum. Habentes enim hanc commoditatem illi, qui ex animo, & verè Deo seruire cupiunt, facilè inuenirent lucem, & doctrinam ad vitam suam bene instituendam vtilem. Sed & Confessarij & Concionatores communis boni zelo æstuantes, haberent in promptu, quod auditores suos docere possent, vt sciant, quid ad eorum perfectionem pertineat.

Non me latet quidẽ huius instituti multos hodie libros passim inueniri, optimis, catholicisq; doctrinis scatentes: sed maior eorum pars vnum solum finem habent sibi propositum, nec volunt in opusculis tam exiguis ad omnia simul tractanda constringi. Quinetiam & Catechismi, qui sunt quasi compendia doctrinæ Christianæ, licet tractent omnia, quæ ad illam pertinent, quia tamen substantiam eorum tantum, & quæ ad intelligentiam solam faciunt, declarant, eorum doctrina magis est rhetoretica, quã practica; hoc est, aptior ad illuminandum intellectum, quàm ad mouendam voluntatem, vt virtutum vsu ese exerceat.

Has ob causas ego, diuina gratia, piorumque librorum auxilio fretus, mihi proposui, quidquid alij diuersis in locis, de variis materijs tractarunt, in vnum hoc opus colligere, & ex diuersis corradere, quidquid ad formandum perfectum Christianum pertinet: circumducens illum per omnes gradus, omniaque exercitia huius vitæ, incipiendo à prima conuersione, & ad vltimam perfectionem adducendo. In hoc igitur lapicidas imitabor, qui ingens saxum rude & impolitum à monte aliquo cædentes, illud paulatim scalpris suis accidunt, formant, & perfectam ex eo statuam tandem efficiunt. In primo namque libro proponam horrendas Inferni pœnas, incomparabilem cæli gloriam, immensa bona, quæ secum affert virtus, & plurimas obligationes, quibus deuincti sumus, vt Virtutem sequamur: vt his moti, proponamus vitijs renunciare, & ad cultum, obsequiumque Creatoris, & Domini reuerti. Hoc propo-

Ordo & materia horum septem librorum.

II.

sito

sito iam concepto, & firmato, statim in initio vitæ huius necessarium est Sacramentum Pœnitentiæ: quare mox in secundo libro docetur, quomodo pœnitentia sit facienda, vbi multæ traduntur orationes, & considerationes vtiles ad mouendum dolorem, & detestationem peccatorum præteritorum: docetur etiam eodem libro, quomodo eadem peccata Confessario sunt detegenda, vtilique, & debita Satisfactione expianda. Post Confessionem sequitur Communio, ideoq; mox subijcitur liber tertius, in quo demonstratur modus, quo se homo debet ad dignè communicandum præparare, eaq; ponuntur, quæ ad id requiruntur: vna cum orationibus, ante & post Communionem dicendis. Vbi iam homo Sacramenta hæc percepit, oportet vt emendatio vitæ sequatur: ideo liber quartus additur, qui de ea ex professo tractat. Quia verò nonnulli reperiuntur, quibus satis est fecisse illa, quæ ad salutem suam sunt necessaria, alij verò, qui vlterius progredi volunt, & ad perfectionem aspirant, qui non contenti onere præceptorum, humeros etiam suos iugo consiliorum subijciunt; ideo in hoc libro quarto duas tradimus bene viuendi regulas, vnam communem, pro prioribus, alteram strictiorem, & magis spiritualem, pro posterioribus. Porrò cùm impossibile sit, aliquem bonam vitam auspicari, vel in ea perseuerare, sine diuinæ gratiæ subsidio, quod per orationem impetratur: ideo post bene viuendi regulas, & documenta, in sequenti libro, ordine quinto, tractatur de Oratione. Sed cùm duæ sint orationis species, vna quæ vote fit, altera quæ mente, (quare hanc mentalem, illam vocalem appellant) de vocali in quinto dicemus, vbi multæ & diuersæ Orationes, ad varios effectus, & vsus vitæ Christianæ traduntur; quinetiam & conditiones bonæ orationis enumerantur. De mentali verò in sexto libro disserimus, vbi tantum agitur de materia illius orationis, quæ est consideratio principalium mysteriorum vitæ Christi Saluatoris. De cæteris enim, quæ ad hanc materiam pertinent, copiosè satis dictum est in libris de Oratione, & Meditatione. His omnibus ritè peractis, nihil reliquum est, quam vt addatur perfectio, quæ consistit in amore Dei, de quo agimus in libro septimo, vbi ea omnia traduntur, quæ supremæ huic virtuti acquirendæ conducunt, quæq; illam impediunt. Considerationes quoq; & Orationes subiungimus, in quibus se exercere debet, quicunq; ad amorem hunc aspirat.

III. IV. V. VI. VII.

Hæc est, Christiane Lector, series & ordo totius vitæ Christianæ, quæ in has septem partes distribuitur, ad quas reducitur omne id, quod hæc cælestis docet philosophia. Porrò cum quatuor primi libri versentur circa doctrinam eorum, quæ sunt faciendi: postremi verò tres magis pertineant ad exercitium orationis, & amoris Dei: visum fuit mihi opus in duo volumina partiri, vt quilibet secundum volumen semper in sinu suo sine magna difficultate queat circumferre, cùm adeo necessarium sit in omni loco, & tempore. Quia verò omnes istæ materiæ tantùm obiter hic tractantur, placuit mihi opus ipsum appellare MEMORIALE, *quod est Commentarius, in quem homines breuiter solent referre, quid quotidie agere debeant, quamuis non ea est operis huius breuitas, vt aliquid omittatur eorum, quæ spectant ad hoc argumentum. Fateor quidem materiam hanc esse copiosissimam, de qua multa dici & scribi vtiliter possent: sed ea nos alijs scriptoribus relinquimus. Quod si Deus vitam nobis dederit longiorem (quæ velocissimè instar cursoris dilabitur) possemus harum materiarum quasdam, potissimum eas, quæ hic de modo bene viuendi, de Amore Dei, & de Vita Saluatoris dicuntur, tractare copiosius.*

Hic posset Author fecit: primò in lib. 2. Ducis iuncat, secundo in primo addicto Memoriale, tertiùm secundo adiuncto.

Et licet id quod nos hic molimur, hoc est, perfectum Christianum formare, sit opus Spiritus sancti, tamen quemadmodum gratia Dei non excludit nostram industriam, imò hæc duo necessariò concurrunt: sic interior Dei institutio non excludit exteriorem hominum, sed eam necessariò requirit. Officium autem hoc præ cæteris pertinet ad Sacerdotes, & ministros Ecclesiæ, quibus præcipit Deus, vt doceant, & instruant homines in lege sua. Ideo inter ornamenta summi Sacerdotis erat Rationale, quod in pectore gerebat: hinc insculptum erat, Doctrina & Veritas: *quæ duo in pectore Aaronis esse voluit Deus, vt ex illo, tanquam ex fonte reliqui homines doctrinam & veritatem haurirent. Illud autem officium tantum est, vt Moyses, secutus consilium Ietro soceri sui, hoc sibi reseruauerit. Dicebat enim Ietro, Moysen stulto labore consumi: eligeret viros prudentes de plebe, qui iudicarent populum in rebus leuioribus, & negotijs temporalibus:* Esto tu, *ait*, in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum: ostendasque populo ceremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. *Quia verò Sacerdotes nonnulli postea officium hoc neglexerunt, & intermiserunt, increpauit eos Deus per Prophetam dicens:* Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliuiscar & filiorum tuorum ego. *Sed & Deus apud Esaiam minatur populo, & tanquam maximum flagellum hæc illi denunciant:* Ecce ego addam, *ait*, vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium abscondetur eis.*

Exod. 18, 30.

Exod. 18, 19.

Osc. 4, 6.

Isai. 29, 4.

Age igitur, si hic tanquam maximum & stupendum supplicium seu flagellum Dei ponatur, quod auferatur sapientia à maioribus, erit sanè etiam magnum flagellum, si à minoribus auferatur: lumine namque intellectus (quod totam hanc choream ducit, & est quasi primaria rota huius horologij, quæ regit & moderatur vitam Christianam) sublato quid aliud sperandum, quam cæcitas, ignorantia, & alia mille mala? Dicit Dominus apud Esaiam: Non est enim populus sapiens: propterea non miserebitur eius, qui fecit eum: & qui formauit eum, non parcet ei. *Et in alio loco:* Propterea captiuus ductus est populus meus, quia nō habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. *Confirmat hæc Propheta Baruch, dicens captiuitatis filiorum Israel, & dispersionis eorum causam esse, quod dereliquerant fontem sapientiæ. Eidem causæ quoque tribuit perditionem & interitum Gigantium, dicens:* Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.

Isa. 27, 11.

Isai. 5, 13.

Baruch. 3, 28.

Coloss 3,15. *Huic malo Paulus remedium volens adhibere, scribit Colossensibus:* Verbum Christi, *inquit*, habiter in vobis abundanter in omni sapientia, docentes & commonentes vosmetipsos, &c. *Non est enim officium, aut opificium tam exiguum & vile, quod non requirat instructorem, & ductorem, qui modum, viamq; monstret illo bene fungendi, quantò magis igitur huic opus erit, cum officium omnium maximum sit & difficillimum, quo quis discit seruire & placere Deo, regnum cœlorum mereri, & contra omnes insidias, impostoras, & vires Dæmonum præualere? Quomodo homo rudis & ignarus tanti momenti negocium scire poterit, nisi illi & minæ, & promissiones Dei, & causæ, ob quas Deo seruire obstringitur, proponantur? Quomodo quis exactè poterit confiteri, nisi prius doceatur, quot, & quæ partes sunt Sacramenti Confessionis? Quomodo compungi, & peccatorum suorum pœnitentiam agere poterit, nisi præmittantur causæ, & incentiua dolorem excitantia? Quomodo dignè & vtiliter communicabit, nisi exponantur illi quæcunque ad Communionem pertinent? Quomodo poterit vitam suam bene instituere, virtutes amplecti, vitia fugere, nisi prius sciat media, quibus illæ comparantur, hæc repelluntur? nisi & dolos, atque laqueos inimici habeat perspectos? Quomodo faciet orationem fructuosam, vtilem, & suas virtutes atque conditiones habentem, nisi prius fuerit edoctus? Quomodo consequetur amorem Dei, si ignoret media, quibus illum nobis comparamus, & quæ solent impedire, quo minus ad illum perueniamus: exercitia quoque, ad hunc finem inuenta, nisi optimè nouerit? Doctrina igitur & institutione nobis opus est ad hæc omnia consequenda:* quam de ventre matris nostræ progredientes nobiscum non adferimus: imò tales potius nascimur, vt non
Ioan. 9. *immeritò possimus comparari homini illi Euangelico, qui cæcus erat à natiuitate.*

Licet autem Concionatorum sit hanc cæcitatem verbi diuini lumine curare: non illi tamen vbique adsunt, nec omnes materiam tam necessariam tractant semper: nec possunt in genere loquentes, ad species descendere, quod tamen hæc moralis disciplina necessario requirit, cuius exercitium cum versetur circa particularia, particularem quoque doctrinam exigit, quæ non ita commodè suggestu potest populo proponi. Ob omnes itaque causas prædictas vtilissima est piorum librorum lectio, sunt enim illi quasi concionatores muti, qui etsi prolixiores sunt, fastidium tamen & tædium non pariunt, (possunt enim cum placet lectori finem facere suæ concionis) nec relinquunt auditorem ieiunum, neque orationem suam, antequam satiatus est auditor, abrumpunt, in nostra enim potestate est lectionem quamdiu volumus continuare.

Sed quis vnquam dignè satis poterit fructum verbi diuini explicare? est enim lumen illuminans intellectum, ignis inflammans voluntatem, malleus conterens duritiem cordis, gladius præscindens quidquid nimium est in affectibus nostris, lux illuminans nos in omnibus vijs nostris, semen fructus vitæ æternæ, cibus denique & nutrimentum alens, oblectans, impinguans, & corroborans animam nostram in Deo. Omnibus his fructibus is gaudet, qui libros pios legit. Tanta est lux & fructus lectionis, vt sæpe ipsa experientia didicerimus, homines illius beneficio ad emendationem vitæ peruenisse. Cum enim interrogarentur, quæ esset causa, & quod principium mutationis tam subitæ, responderunt, quod legentes hunc aut illum librum ad vitam mutandam animum adiecerint. Quid Eunuchus ille Reginæ Candacis? an non per lectio-
Actor. 8. *nem Esaiæ Prophetæ, interpretante quod legerat Philippo, conuersus est? Sed & præclarum opus illud,*
4. Reg. 22. *quod fecit pius Rex Iosias in regno suo, nonne suum habuit initium ex lectione libri, quem miserat illi Sacerdos Helcias, vt in libris Regum fusius narratur? Sed & magna atque admirabilis conuersio D. Augu-*
Aug. Lib. 8 Confess. c. 6 *stini, an non suam ex libri cuiusdam sancti lectione traxit originem? Scribit enim is ipse in octauo libro suarum Confessionum rem memoratu dignam, quam etiam hoc loco referendam existimaui. Dicit enim militem quendam Africanum, nomine Potitianum ad se venisse, & multa de S. Antonio Ægyptio monacho retulisse: inter alia verò incidit, inquit Augustinus, vt diceret, nescio quando se & tres alios suos contubernales apud Treueros, cùm Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos: atque illic, vt fortè combinati spatiabantur, vnum secum seorsim, & alios duos seorsim, pariterq; digressos. Sed illos vagabundos irruisse in quandam casam: vbi habitabant serui Dei, spiritu pauperes, qualium est regnum cœlorum: & inuenisse ibi codicem, in quo scripta erat Vita Antonij, quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia seculari seruire Deo. Erat autem ex eis, quos dicunt agentes in rebus. Tunc subitò repletus amore sancto, & sobrio pudore, iratus item sibi, conecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei causa militamus? Maiorne esse potest spes nostra in palatio, quam vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumq; periculis? & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud erit? Amicus autem Dei si esse voluero, ecce nunc fixo. Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit, & voluit fluctus cordis sui, irfremuit aliquando, & discreuit, decreuitque meliora: iamque tuus ait amico suo; Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui: & hoc ex hora hac: In hoc loco aggredior, te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis, tantæq; militiæ. Et ambo iam Dei seruifacti ædificabant turrim sumptu idoneo, relinquendi omnia, & sequendi Dominum. Quod autem magis mirandum erat, habebant ambo sponsas, quæ postea quam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ virginitatem Deo. Hactenus Augustinus, quod exemplum tantæ apud ipsum fuit efficacie, vt vultu & mente turbatus*
Ibid. cap. 8, *intuserit Alipium amicum suum, & exclamauerit; Quid patimur? Quid est hoc? Quid audisti? Surgunt*
Ibid. cap. 12. *indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine? Cum hoc tumultu pectoris, inquit Sanctus, cessi in hortum hospitij nostri, & sub quadam fici arbore strauime, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile*

ceptabile sacrificium tibi Domine. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu Domine vsquequo? Vsquequo irasceris in finem? ne memor fueris iniquitatum nostrarũ antiquarum. *Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu cras & cras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebrò repetentis quasi pueri, an puellæ nescio: Tolle, lege: tolle, lege. Represso impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi nisi vt aperirem codicem, & legerem quod primum caput inuenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex Euangelica lectione, cui forte superuenerat, admonitus fuerit, quasi sibi diceretur, quod legebatur:* Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me, *& tali oraculo confestim ad te Deum conuersum esse. Itaque concitus redij ad eum locum, vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostolicum, inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei:* Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in concupiscentijs. *Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Hæc ille.*

Psal. 6, 4. Psal. 78, 5 Matth. 18, 21 Rom. 11, 13.

Ex quibus Augustini verbis facilè patet, quam insignes conuersiones ex lectione suum sumpserunt initium: amicorum scilicet Potitiani, Augustini, & ipsius S. Antonij: quibus etiam aliorum multorum veterum & recentium adiungi possent, qui in principio per lectionem conuersi sunt: sed omittimus eas, ne simus æquo prolixiores: talia enim, & tanta sunt mysteria, quæ Christiana Religio passim hominibus proponit, vt ad mouenda hominum corda sint potentissima: nec mirum sit, ea tantas mutationes operari in quocunq; homine, qui legit ea cum attentione.

Hæc sancta lectio non tantum vtilis est ad excitandos dormientes, vt iam antea demonstrauimus: sed etiam ad eos, qui iam euigilarunt, conseruandos: hanc enim ob causam verbum Domini per totam Scripturã appellatur panis, aut nutrimentum: sustentat enim, & conseruat animas in vita spirituali, non aliter atque panis materialis ipsum corpus alit & conseruat. Porrò, quamuis verbum hoc omni tempore non minus est necessarium, quam ipse panis: tamen hoc nostro seculo magis, quam vnquam antea, necessarium est: antiquitus enim Parochi, & Sacerdotes adeò feruentes erant, & soliciti in ministerio verbi, vt eorum cura sufficiens esset, ad conseruandos in pietate fideles, & infideles conuertendos, sine vlteriori lectione. Nunc autem (pro dolor) Parochi, & reliqui Curiones existimant se ad nihil aliud obligari, quam ad Sacramenta administranda, & Sacrum suo tempore dicendum, hoc facientes pleriq; in villis, & pagis, etiam in quibusdam oppidis, putant se bellè officium fecisse. Proinde quanto magis in hoc deficimus nostro tempore, tanto magis est necessarium, vt bonorum Ministrorum raritatem piorum librorum lectione frequentiori sarciamus.

Accipe igitur, Christiane Lector, exile hoc donum, quod exiguo sumptu & breui temporis spatio defectũ hunc poterit supplere: erit enim tibi Concionator, qui te ad bene viuendum exhortabitur: erit Confessionale, ostendens tibi modum bene confitendi, erit tibi dux ad Sacramentum Eucharistiæ dignè frequentandum, erit doctrina, erudiens te in via virtutis, erit liber deuotionis, ex quo licebit tibi recitare tuas orationes, erit deniq; materia meditandi copiosissima. In his autem vniuersa philosophia consistit Christiana. Et si quam laudem hæc doctrina mereatur, ea est, quod tam vniuersalis est; & quia tractat de omnibus ijs, quæ ad quẽcunq; Christianum pertinent, tam incipientem, quam proficientem. Quod si, quanta fuit diligentia, & quantus labor omnes has materias in vnam massam redigendi, & stylo facili, suaui, atque ad excitandos appetitus infirmorum apto (quali nos hic vtimur) conscribendi, tantus etiam futurus sit fructus, qui ex hoc labore paulatim eruetur, nobis ipsi gratulabimur, nec laborum, molestiarumq; nos pœnitebit: non enim est labor aliquis corporalis tam magnus, qui cum minimo fructu & vtilitate spirituali potest aliquo modo comparari.

FINIS PROLOGI.

MEMO-

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANAE.

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS.

LIBER PRIMVS.

IN QVO CONTINETVR VTILISSIMA AD BENE viuendum exhortatio.

De supplicijs scelerate & impiè viuentibus à Deo præparatis.

CAPVT I.

Supplicioru cõminatione Deus peccatores ad pœnitentiam reuocat.

INTER multa & diuersa media, quibus vti solet Omnipotens, ad refrænanda & mollienda hominũ corda, eaq; ad mandatorum suorum obseruantiam conuertẽda, vnum, idq; nequaquam minimum, est quod proponere consueuit illis supplicia, pœnasque horribiles, quas transgressoribus legis, atque sibi immorigeris constituit. Quamuis enim huic malo non exiguum adfert remedium Spes futurorum bonorum, quæ in alia vita iustis & bonis sunt præparata, communiter tamen vehementius afficere nos solent tristia, quam quæ læta sunt, & iucunda. Experientia siquidem, ipsa sæpe didicimus, non adeò nos honores exhilarare, quàm contristant iniuriæ: nec tantùm delectare sanitatem, quantum dolet infirmitas: per malum enim quod in vno inuenitur, bonum quod in altero contrario est, facilè deprehenditur: quemadmodum nemo melius nouit, quam bonum sit sanum & incolumem esse, illo, qui re ipsa expertus est quid sit ægrotare, vel infirmari: Res enim quo magis sentitur, noſque vehementius afficit, eò etiam magis suam nobis prodit naturam. Idcirco Patrum nostrorum priscis temporibus hoc remedio Deus frequẽtius, quàm cæteris vti aduersùm peccata consueuit: sicut manifestissimè id Prophetarum nobis indicant scripturæ, quæ terroribus scatent, plenaq; minarum sunt, quibus Dominus noster dura hominum corda conterere, & refrænare nisus est: vt pœnarum magnitudine & multitudine territa, mandatis suis obedirent, & sanctæ legi ipsius subijcerentur. Sic olim mandauit Ieremiæ Prophetæ, vt tolleret volumen libri, & in eo scriberet minas & calamitates omnes, quas locutus erat ad Prophetam, ex diebus Iosiæ, vsq; ad diem istum: quodq; legeret omnia quæ scripsisset, audiente populo, & coram vniuerso Iuda, qui veniebant de ciuitatibus. Si fortè audientibus illis omnia mala, quæ cogitabat Deus facere illis, reuersus fuisset vnusquisque à via sua pessimâ, & ipse propitius esset iniquitatibus & peccatis illorum, iramque suam contineret, quam nunc simul in ipsos effundere decreuerat. Dicit autem Scriptura, quod cùm Propheta mandato Dei satisfeciſſet, minasque diuinas coram omni populo, Principibusque legisset, *obstupuerunt vnusquisque ad proximum suum*, & quasi attoniti sese mutuò intuentes, præ nimio timore, ex verbis Prophetæ concepto, toto corpore contremuerunt. Et isto quidem remedio Deus in veteri lege vtebatur, nec minus etiam in lege gratiæ frequenter vsus est: in qua dixit Apostolus: *Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* Quamobrem & Prodromo illi Christi Ioanni similis quoque legatio data est ad homines huius seculi perferenda, vt diceret nimirũ, securim ad arboris radicem positam esse, omnem arborem non facientem fructum bonum excindendã, & in ignem mittendam. Similiter & quod alius venisset se fortior, & potentior: cuius ventilabrum in manu eius, vt purgaret aream suam, triticum congregaret in horreum suum, & paleas combureret igne inextinguibili. Hæc fuit prædicatio, hæc legationis mandata, quæ sanctus ille Præcursor in hunc mundum detulit. Fuit autem hominibus sermonis istius tonitruum tam insolens, & formido, quam ex illo conceperunt, tam ingens, vt certatim ad eum currerent homines cuiusuis ordinis & conditionis, etiam Pharisæi, & Publicani, imò & milites, hominum genus barbarum, & de rebus spiritualibus, minus solicitum, interrogantes virum sanctum, quid facerent, vt vnusquisque in vocatione sua saluus fieret, & horrendas, quas prædicabat, comminationes euitare posset. Tantus erat terror & metus populi, ex illo sermone Ioannis conceptus. Hoc ipsum est, Frater mi, quod & nos Dei legationem obeuntes, in hoc præsenti tractatu proponere tibi, & declarare constituimus: & si non cum tanto spiritu, & vitæ sanctitate, tamẽ (quod magis proposito nostro cõducit) cum

Ieremi. 36, 2.

Ibid. v. 16.

Rom. 1, 18.

Luc. 3. Matth. 3.

Propositio huius libri.

cum pari veritate, & certitudine: nihil enim differt Fides & Euangelium, quod S. Ioannns prædicauit, ab illo, quod nos profitemur.

De pœnarũ infernalium grauitate.

Vis itaque frater, vt dicam appositissimis, & quàm fieri potest verbis breuissimis, quanta, & quã intolerabilis est pœna, quæ in sacris literis hominibus sceleratis & reprobis denunciatur: Cogita cum animo tuo, quod sicuti præmium iustis promissum vniuersale bonum est, in quo, tanquam in cornucopiæ bona omnia simul coagmentata reperiuntur, ita supplicium, peccatoribus præparatum, est malum vniuersale, in quo omnia mala, & suppliciorum genera in vnum coaceruata deprehenduntur. Vt autem hoc melius intelligatur, sciendum est, omnia mala vitæ præsentis singularia tantum esse, & proinde cum patimur, vnus tantum sensus, aut membrum vnum patitur, aut si plura, saltem non omnia patiuntur: quemadmodum (exempli gratia) idipsum patet in corporis humani diuersis infirmitatibus, vnus enim oculum habet affectum, alius capitis dolore vexatur, tertius fastidio stomachi laborat, quartus verò cardialgia cruciatur, & alij alijs morbis affliguntur: nemo autem illorum in omnibus membris simul cruciatur, sed in quibusdam tantùm. Nihilominus videmus quotidie, quantus sit dolor, quantaque pœna, quam vnum solum istorum malorum secum adfert, & quam inquietas noctes ille ducit, qui vno tantum cruciatu aliquo diuexatur, etiam si vel dentis vnius dolore affligatur. Sed fingamus hominem aliquem esse, qui malo aliquo cruciatur tam vniuersali, vt ne membrum vnum, ne sensum vnum interiorem, vel exteriorem, habeat à tormentis grauissimis immunem, vt qui vno eodemque tempore patiatur acerbissimos dolores capitis, dentium, stomachi, cordis, & vt simul omnia dicam, qui in omnibus membris, articulis, iuncturisque corporis sui intolerabilibus pœnis discruciatur: imaginemur hunc tantis in doloribus constitutum, singulis membris peculiares suos dolores habentibus, in lecto distentum iacere: quod quæso martyrium, quæ tormenta possent illis esse paria? quid isto posset homine miserabilius excogitari? quid te ad sympathiam & misericordiæ viscera posset efficacius commouere, quod si canem pari modo afflictum alibi in platea videres cum morte luctantem, nonne saltem ad compassionem, quantumuis durus, flectereris? Tale itaque, frater mi, (si tamen aliquo modo hæc inter se conferri possint) est id, quod damnati in infelici isto loco, non vna nocte, sed sine fine, in omni æternitate patientur. Quemadmodum enim illi cum omnibus membris, & sensibus suis Dominum Deum offenderunt, eaque omnia arma exhibuerunt iniustitiæ, ad seruiendum peccato: sic Deus vicissim constituit, vt ea omnia iterum puniantur suo singula peculiari tormento. Ibi itaque oculi impudici & lasciui cruciabuntur horribili Dæmonum aspectu; aures, incondito stridore & gemitu, qui in isto loco resonabunt; odoratus, intolerabili fœtore, ex immundo sordido, & pestilenti hoc loco exhalante; gustus, rabidissima fame, sitique ardentissima; tactus, & omnia corporis membra, frigore & igni ineffabili excarnificabuntur: Imaginatio patietur ab apprehensione præsentium dolorum, memoria verò, à recordatione præteritarum voluptatum, & intellectus, à consideratione bonorum amissorum, & malorum, ad quæ nunc miseri deuenerunt.

Simile.

Omnia membra cruciabuntur, sua cuique suo peculiari supplicio.

Istam pœnarum multitudinem & diuersitatem indicat sacra Scriptura, cùm dicit, in Inferno fore famam & sitim, planctum & stridorem dentium, gladios ancipites, spiritus ad faciendam vindictam creatos, vermes, serpentes, scorpiones, malleos, absynthium, aquam felle mixtam, spiritus tempestatum, & id genus alia, per quæ significat multitudinem terribilium & horrendorum suppliciorũ, quæ ibi manent condemnatos. Erunt præterea in loco isto tenebræ, tam interiores, quam exteriores, tam in anima, quàm in corpore, quæ densiores erunt & obscuriores illis Ægyptiacis, de quibus Scriptura dicit: quod manibus palpari potuerunt. Erit illic ignis, non sicut ignis noster, qui cruciat aliquandiu, & paulò post deficiente fomento extinguitur, sed erit ignis talis, qualis isti loco conueniet, qui multum nimirum affliget, & finem ardendi nunquam est habiturus. Si itaque hæc vera sint, quomodo fieri potest, vt illi, qui credunt, & confitentur hæc omnia, tam magna, atque inaudita viuant incuria atque vecordia? quæ potest esse molestia, quis labor tam ingens, quem non lubens vellet homo sustinere, vt vel minimum saltem prædictorum posset subterfugere? Cur itaque ad euitandum grande, æternumque hoc malum, exiguum & dulcem laborem, qualis est virtutis cultura, recusamus? Satis profectò esset hoc vnum consideranti seriò, totamque mentem, & omnem cogitatum huc aduertenti, ad animi deliquium, seu ecstasim quandam inducendam. Et si in tantis tormentis esset tantummodo spes aliqua finis, seu refocillationis, aut decrementi, damnati consolationem aliquam haberent: sed horum nihil concedetur illis, erunt enim ibi perpetuo clausæ portæ, per quas aut consolatio, aut spes minima posset fortassis intrare. In omnibus huius mundi calamitatibus & miserijs semper aliquod inuenitur refugium, ex quo, qui patiũtur, aliquam saltem nonnunquam consolationem percipiunt, nunc ratio, nunc tempus, nunc amici, nunc alij qui simili malo affliguntur, nunc denique spes finis adfert aliquod refrigerium patienti. Sed in hoc solo tormentorum genere, portæ prorsus occlusæ, omnes consolationum aditus sunt intercepti: adeò vt non sit, quod vlla ex parte miseri illi aut refrigerium, aut opem expectent: neque ex cælo, neque ex terra, neque ex rebus præsentibus, neque ex futuris, neque ex alia aliqua re. Sed quocunque oculos flectent, videbunt sagittas in se torqueri, & omnes creaturas aduersus se coniurasse arbitrabuntur: imò & sibi ipsi crudelissimi carnifices & tortores erunt. Hæc est angustia, hic dolor, & anxietas, quæ perditos & infelices illos faciunt apud Prophetam lamentari, & dicere, *Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* In quamcunque enim partem oculos voluent, nouas semper dolorum causas inuenient, consolationem verò nullam. Dicit Euangelista, quod, quæ paratæ erant virgines, intrauerunt in domum Sponsi, & quod subitò clausa est ianua. O obseratio perpetua: ô claustrum sempiternum: ô porta quæ nunquam aperieris: quasi apertè diceret: Clausa est iam ianua veniæ, ianua indulgentiæ, ianua misericordiæ, ianua consolationis, ianua intercessionis, ianua spei, ianua gratiæ, ianua meriti, & quid multis? clausa est ianua bonorum omnium. Sex diebus, & non amplius collegerunt olim Israelitæ manna, sed in septimo (hoc est, Sabbatho) non reperiebatur, propterea debuit hoc die ieiunare is, qui de huius diei annona solicitus antè non fuerat. *Propter frigus,* inquit Sapiens, *piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi,* & in alio loco dicit: *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius est confusionis.* Quæ autem maior inueniri potest confusio, quam diuitis illius Epulonis, qui micis de mensa sua cadentibus cœlorum abundantiam potuit sibi comparare, & qui nolens dare rem tam

Omnis sensuum pœna.

Exod 10. Ignis infernalis.

In inferno nulla spes, cõsolatio, vel refrigerium.

Psal. 114, 3.

Matth. 25.

Exod. 16.

Prou. 20. 4.

Prou. 10, 5.

Luc. 16.

tam vilis pretij, ad tantam peruenit inopiam, vt in extrema sua paupertate quæsierit, quæretque semper, & mendicans petet aquæ guttulam, & nunquam dabitur illi? Semper lugens vociferabitur:

Luc. 16,24. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Quid minus aut vilius petere potuisset? Non ausus est vas, aut situlam integram aqua plenam petere, & quod magis admirandum est, non orauit, vt manum integram in aquam intingeret, sed tantum digiti extremitatem, vt ea sola linguam attingeret, atque irroraret: sed nec exiguum illud beneficium potuit impetrare. Ex hoc manifestum est, quam arctè clausa est ianua omnis consolationis, quamque vniuersale est hoc Interdictum, vel excommunicatio, vbi tam exilis petitio locum non potuit inuenire. Præterea quocunque voluent oculos, in quamcunque partem extendent manus, nusquam consolationem inuenient, quantumuis paruam. Quemadmodum

Simile. ille qui in mare lapsus, vndis inuoluitur, non inueniens vbi pedem figat, sæpius manus in omnem plagam frustra iactat, quia nil quam liquidam & fugitiuam aquam apprehendit, quæ fallit eum & eludit: ita & infelices isti in hoc loco, quando dimersi iacebunt in hoc miseriarum pelago, agonizantes, & pugnantes semper cum morte, nec remedium inuenient, nec refugium, in quo poterunt sese fundare.

Æternitas pœnarum. Hæc igitur est omnium aliarum pœnarum maxima, qua in hoc infelici loco damnati cruciabuntur. Quia si pœna hæc determinatum tempus haberet, quo finiretur, (etiam si istud mille, imò millies millium annorum esset) hoc ipsis consolationem aliquam adferret: (nulla enim res verè magna est quæ finem habet) sed finem non habebit. Ideoque illorum pœnæ æternitati Diuinæ diuturnitate pares erunt: tamdiu durabunt eorum miseriæ, quamdiu gloria Dei perdurabit: & quamdiu viuet Deus, tamdiu illi morientur: quando verò Deus cessauerit esse quod est, tunc illi amplius non patientur, quod patiuntur. O vita mortifera, ô mors immortalis. Ne-

Miseria, dãnatorum nec mors nec vita dicenda. scio quo te nomine appellabo, an vitæ, an verò mortis. si vita sis, cur occidis? si mors sis, quomodo semper duras? neutro te nomine dignabor: in vtraque enim, & morte scilicet & vita, boni quippiam inuenitur: in vita enim requies est, & in morte terminus, (quæ duo non exiguum in tribulatione adferunt solatium) tu verò nec requiem habes, nec finem. Quid igitur es? tu malum es vitæ, malum es & mortis: à morte enim cruciatus habes sine fine, & à vita sumis durationem sine requie. Spoliauit Deus vitam & mortem bonis, quæ in ijs erant, & quidquid erat reliquum in te transfudit ad augmentum tormentorũ

Psalm. 74. quibus mali in Inferno exagitabuntur. O amara potio, ô venenosæ fæces calicis Domini, de quo bibent omnes peccatores terræ.

In hanc itaque, frater mi, durationem, seu potius æternitatem oculos, animumque conuerte, & tanquam animal mundum rumina hunc æternitatis articulum. Vt autem commodiore methodo id facias

Simile. diligenter considera pœnas, & afflictiones alicuius infirmi. qui nocte vna aliqua cruciatur, præsertim si dolor iste magnus sit, & vehemens infirmitas. Intuere quoties in lecto se voluit & reuoluit, quantas habet anxietates, quæ tormenta, quos cruciatus sentit: quam illi nox ista longa videtur, quoties horas numerat, & quam magna vnaquæque illarum illi accidit. Hęc autem omnia temperat auroræ desiderium, quæ tamen aut nihil, aut parum poterit eius dolores mitigare. Si quæ diximus tam atrocia videantur, & à multis habeantur; qualia erunt, quæ in æterna illa nocte peccatores manent, quæ nec diem habebit, nec spem vllam auroræ venturæ? O profunda obscuritas, ô nox æterna, ô nox maledicta labijs Dei, & Sanctorum omnium, in qua lux desiderabitur, nec veniet vnquam: in qua lucis aurora nunquam orietur. Nunc itaque contemplare, quale tormenti genus erit, viuere semper in tali nocte, non quidem in molli cubando lectulo, vt infirmus iste, sed in fornace horribilibus flammis æstuante? cuius humeri poterunt tale incendum perferre? O verè tremenda res. Si mittas extremitatem digiti in ignem, ibiq; per spatium vnius salutationis Angelicæ detineas, tormentum videtur esse intolerabile, quantum igitur erit tormentum toto corpore, & anima tota in medio ignis illius viui (cuius cõparatione ignis noster quasi pictus esse videtur) perpetuo torreri? Estne scientia & intellectus in mundo? habentne homines cerebrũ sanum? intelliguntne quid hæc significet oratio? an fortè credunt hæc esse Poetarum commenta? cogitantne hæc ad ipsos pertinere? an potius de alijs dici arbitrantur, vel ad fallendas horas proferri? Nequaquam, frater, nequaquam. Nihil enim de hac materia dici potest, quod non manifestius ipsa fides dictitat.

Huic malo coniunctum est aliud, non minus, quod prædictæ pœnæ semper in eodem permanebũt statu, sine vlla diminutione. Omnes res quæ sub cœlo sunt, voluuntur & vertuntur cum cœlo, nec vnquam in vno statu permanent, sed semper vel ascendunt, vel descendunt. Mare & flumina suum habẽt incrementum & decrementum, tempus, ætas, & fortunæ hominum & regnorum in continuo motu sunt. Non inuenitur febris aliqua tam vehemens, quæ non habet suam diminutionem, nec dolor tam acutus, qui postquam sæpius auctus est, tandem non fit tolerabilior. Quid multis? nullum est malum, nulla est tribulatio, quam non paulatim tempus aut mitigat, aut tollit, iuxta prouerbium: Nulla res exiccatur citius humana lachryma, sola pœna infernalis viget viretque semper: hæc sola febris declinationem non habet: solus ardor iste nec auroram cognoscit, nec crepusculum vespertinum. Quadraginta diebus, & quadraginta noctibus continuè, eodẽq; modo pluit tempore diluuij super terram, potuitq; hæc pluuia totum inundare mundum: ibi autẽ perpetuo pluet lanceas, & sagittas iræ, & indignationis Domini in terra illa infœlici sine intermissione vsq; in secula seculorum.

Nulla erit in pœnis infernalibus diminutio.

Genes. 7.

Est autem hoc vsque adeò verum, vt supplicium, quo cruciabuntur illic peccatores pro peccatis venialibus, non minus erit æternum, quàm illud, quod mortalibus constitutum est. Quamuis enim peccatum veniale æterna pœna plecti non deberet: nihilominus, quia in isto statu nulla exspectanda est liberatio, nec alicuius peccati remissio, & quia tempus satisfactionis iam elapsum est, propterea manẽdum erit in illa pœna in vno eodemque statu, sine vllo fine. Quod itaque potest esse maius tormentum, quæ pœna intolerabilior, quàm pati semper eodem modo, sine vlla pœnarum mutatione? Quantumuis etiã

Similes. delicatus, & opiparus est cibus aliquis, si comedatur continuè, fastidium parit, & nauseam. Non enim cibus vnquam fuit delicatior Manna, quod Deus po-

Num. 11. & 21. pulo Israelitico cælitus dedit in deserto: sed quia quotidie illud edebant, fastidire quasi leuissimum cibum, & nauseare cœperunt. Quin & vulgare est illud: Viam planam, & commodam, plus adferre viatori molestiæ, quam subinde alia aspera, & montosa: quia varietas etiam in ipsa molestia, vel pœna refrigerium est. Dic igitur mihi, si dapes, etiam delicatissimæ assiduè eodem modo coctæ, atque sumptæ fastidium pariant, & pœnam, quale genus fastidij

erit

erit illud, quod tam horribiles pœnas habebit adiunctas, durans in eodem statu perpetuò? Quid sentient infelices illi, quando videbunt sese adeò à Deo relictos esse, & abiectos, vt etiam ne vnius peccati venialis indulgentia pœnas eorum sit mitigaturus? Tantus erit furor eorum, tã impatiens illorum rabies, qua contra Deum insanient, quod nunquam cessabunt maledicere, & sanctum eius nomen blasphemare.

Vermis conscientiæ.

Ad omnes pœnas istas accedet quoque perpetuus ille vastator & depopulator animarum, Vermis scilicet conscientiæ, cuius tam frequens in Scripturis
Isa. 66, 24. est mentio. De quo dicitur; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Vermis iste nihil aliud est, quàm rabida quædam displicentia, & infructuosa pœnitentia, qua æstuabunt in hoc loco damnati: recordando tempus, & opportunitates varias, quas in hoc mundo habuerunt, quarum beneficio hæc tormenta vitare potuerunt, & tamen elabi frustra passi sunt. Quando itaque infelix peccator in his miserijs se constitutum deprehendet, & recordabitur, quot dies, & anni sine fructu sibi transierunt, quoties huius periculi admonitus fuit, & nullam horum omnium rationem habuit; cùm hæc inquam recordabitur, quid sentiet? quæ quærelarum vndæ, quod solicitudinum, & anxietatum pelagus in corde illius miseri fremet atque tumultuabitur? An non legisti in Euangelio: *Ibi erit fletus,*
Luc. 13, 28. *& stridor dentium?* Hæ itaque & huiusmodi aliæ erunt causæ tantorum dolorum.

Famem Ægyptiorum cum inopia damnatorũ confert.

Vt autem melius intelligas quod dictum est, quãtique id momenti est cognoscas, propone tibi hoc, aut simile exemplum. Reuocemus in memoriam Iosephi Patriarchæ historiam, magnamque famem vniuersæ terræ Ægypti, quæ septem annos continuos durauit: quam præcesserat (vt ait Scriptura) maxima frumenti abundantia, quę septem præcedentibus annis fuerat, adeo vt fruges arenæ maris coæquarentur, & copia mensuram excederet. Finitis autem septem annis istis, subsecuti sunt alij septem, in quibus tanta fuit sterilitas, vt in primo illorum vniuersa Ægyptus venerit ad Regem Pharaonem, clamando & vociferando petens alimentum. Cumque Rex omnes ad Iosephum misisset, ille, accepta pecunia omni quam habebant, aperuit horrea, & dedit illis annonam. Quæ cùm absumpta esset, anno
Gen. 47, 15. sequente reuersi sunt, & dixerunt Iosepho: *Da nobis panes: quare morimur coram te deficiente pecunia?* Quibus ille respondit: *Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis.* Quæ cũ adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & asinis. His iterum consumptis venerunt ad Iosephum tertio, dicentes: *Non celamus domino nostro, quod deficiente pecunia, pecora simul defecerũt: nec clam te est, quod absque corporibus & terra nihil habeamus. Cur ergo moriemur te vidẽte? & nos, & terra nostra* (Ex omnibus enim bonis hæc tantum supererant) *tui erimus: eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.* Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas ob magnitudinem famis. Sumamus hinc quæ ad nostrum faciunt propositum. Dic mihi precor, quo putas animo fuerunt homines illi miseri, quando recordabantur priorum annorum illorum fertilium, & videbant, quàm exiguo pretio potuissent huic malo occurrisse, & thesaurum tori vitæ sufficientem sibi cumulasse? Quanta cum ratione potuerunt lamentari, & se ipsos increpare, dicentes: O infelices nos, quàm facili negotio potuissemus ea comparare, quę nobis suffecissent, & noluimus. Quod si prænoniti non fuissemus, excusanda fortasis foret nostra vecordia, & supina negligẽtia: sed cũ prænoniti simus, cognouerimusq; ex initijs annorum fertilium, Diuinatorem illum verum dixisse; viderimus insuper, quanta cũ solicitudine propola Regius frumentum, quodcunque potuit collegit, & in horrea recondit; (quod satis esse nobis debuisset, ad intelligendũ id q, subsecutum est) nihilominus tam supini & socordes fuerimus, quam poterimus excusationem comminisci? O quàm pretiosum & carum esset nunc id, quod isto tempore tam inutiliter prodegimus? & quantas diuitias potuissemus nobis comparare nunc annona illa, quam tunc prodigaliter abliguriuimus? Vbi erat tunc ratio nostra? vbi cerebrum, vbi cor, vbi sensus, quod tantam opportunitatem nostris rebvtilem non fecimus? Has, & huiusmodi plures accusationes aduersus seipsos potuerunt adduxisse isti infelices: & credo eos toto septennio tanquam desperatos & semetipsos execrantes circumijsse, negligentiam & malam suam securitatẽ admirantes.

Lamentatio damnati.

Dic autẽ mihi, frater, quid est hoc, quod diximus, si cũ illo conferamus; quod modo tractamus, aliud, quàm vmbra cum veritate compara? Fames illa septem tantùm annorum fuit; fames verò inferni erit perpetua. Contra illam fuit remedium, licet difficile & carum; contra hanc verò nullum remediũ poterit adferri: illa potuit diuitijs, & pecunia redimi; hæc verò nulla re quantũuis pretiosa. hoc suppliciũ nunquam tolletur, hæc pœna erit incommutabilis, hæc deniq; sententia est irreuocabilis. Transacto illo septennio, cœperunt Ægyptij caput erigere, & ex miseria rursum emergere, sed qui semel huc intrauerit, vt puniatur, nullam in posterum quietem habebit. Si itaq; totis septẽ istis annis Ægyptij in summo mœrore, & angustia spiritus fuerunt; in quanta fluctuabit angustia ille, qui nullam expectat consolationẽ, aut redemptionẽ? O quàm optata res esset, si singuli, dum in hac vita sunt, diligenter perpenderent, quomodo damnati in Inferno seipsos mordebunt, lacerabunt, & cruciabunt, exclamantes: O me miserum & infelicem, quot tempora, & quas opportunitates habui, quæ frustra mihi elapsa sunt? Fuit tempus, in quo hausto aquæ frigidæ æternam mihi gloriæ coronã potui redimere, & quod plus est, ijs ipsis operibus; quæ ad mortalẽ vitam erant necessaria, vitam æternam licebat mihi promereri: & quomodo in futura non prospexi? Quomodo rebus præsentibus memetipsum decepi? cur annos tam fertiles & opimos, in quibus meipsum beare potuissem, tam inutiliter consumpsi? Quod si inter Ethnicos vixissem, & non credidissem aliam nobis sortẽ esse præter nasci, & mori, essem fortasis excusandus, & dicere possem; Ignorabam quid mihi restabat: Sed viuens inter Christianos Christianus ipse, & credens horam hanc venturam, temptusq; illud toties mihi ab Ecclesia prædictũ sit; videns insuper multos admonitionibus illis motos, sese in hanc horam præparasse, sibiq; comparasse ea, quæ ad futuram vitam erant necessaria, quã sua diligentia magis mihi comprobabant ea, quæ in Ecclesia prædicabantur: q,, inquam, ad omnes has admonitiones & exempla obsurdui, volens sine vlla molestia, & labore in cælum assumi, quid meritus sum hac mea impietate aliud, quam torqueri, & cruciari semper? O Furiæ infernales, lacerate & vorate viscera mea, id enim meritus sum: dignus sum qui rabida fame semper insaniam, eò q, tempore fertili de annona mihi comparanda non fuerim solicitus. Indignus sum qui messem colligam, eo q, non seminaui: indignus habere, eò quòd non potui custodire. Nefas est rogare nũc, & petere, q, cùm vltro offerretur, petulanter contempsi: Meritò nũc frustra suspiro, & sine fructu plango, & plangam, quandiu Deus erit Deus: meritò vermis iste cõ-

scientiæ rodit, & depascit interiora mea recordando, & ob oculos constituendo exiguum illud, quod nunc lucrifeci; & illud, quod amisi, multò autem plus hoc quod mihi comparare potuissem cum exiguo illo, quod perdere tunc aut cui renunciare nolebam. Iste itaque est vermis immortalis, qui semper illic, & sine intermissione consumet viscera damnatorum: quæ vna ex maximis pœnis erit, quam in isto loco luent peccatores.

Pœnæ particulares.

Obstupescès fortassis, Christiane Lector tantam pœnarum diuersitatem legens, quantam huc vsque commemorauimus; existimabisque forsitan, præter superiores, aliam adferri non posse: sed non deficiet fortitudo brachij diuini, vt infinitis alijs modis inimicos suos castiget. Pœnæ siquidem prædictæ omnes generales sunt, & omnibus communes: sed præter has, aliæ sunt particulares; quia punietur illic vnusquisq; secundùm qualitatem suorum peccatorũ. Secundùm hanc iustitiæ formam, superbi illic humiliabuntur, & omnibus erunt ludibrio, pleni cõfusione: auari omnium rerum extrema cruciabuntur penuria: gulosi & epulones perpetua fame, & siti torquebuntur: luxuriosi semper in istis flammis infernalibus ardebunt, quas sibi accenderunt: qui verò vitam omnem in illecebris duxerunt, nihilque aliud in hoc mundo venati sunt, quàm voluptates, illic sine fine plangent, & in dolore lamentabuntur.

Horrendum exemplum.

Quia verò exempla plurimum animos solent cõmouere, non supersedebo hic vnum ex multis adferre, huic materiæ conueniens, vt quæ dicimus profundiùs corda nostra penetrent. Scribitur de viro quodam sancto, qui vidit in spiritu pœnam hominis rerum huius mundi studiosi, & carnalis, hoc modo: Principiò vidit Cacodæmones animam illius hominis iam vita functi rapere, & cum maximo tripudio & gaudio ad Principem tenebrarum adducere, qui in igneâ sedebat sella, prædam, quæ in via erat exspectans. Quæ cum iam præsentata esset; surrexit Princeps, & dixit infelici huic hospiti: Volo, inquit te magnifico sedili isto honorare, posteaquã tanto in honore apud homines fuisti, & semper gloriam ambiuisti. Extemplo postquam sedisset, alta voce, & lamentabili clamore molestum honorem istum defleuit. Mox alij horrendi & deformes spiritus aderant, obtuleruntq; illi poculum amarissimo fœtidissimoq; potu plenũ, & coegerunt eũ bibere, dicẽtes; Ita decet: fuisti enim amicus nobilissimorũ, delicatissimorum vinorum: pr ba nunc vinum illud, quod nos bibimus in hac regione. Deinde alij duo subsecuti sunt, qui tubas duas igni & flammis ardentibus plenas habebant, easque auribus eius applicantes, cœperunt flammam & ignem in vtramque aurem flare, clamantes & vociferantes: Hoc refrigerium, & hunc concentum tibi præparauimus: sciebamus enim te cùm viueres muficarum harmoniarum singularem fuisse amatorem. Post hos alij duo venerunt, serpentibus & viperis onerati, quas in pectus illius inijcientes, in interiora miserabilis istius hominis immiserunt, dicentes: Quia fuisti appetitor amplexuum & osculorum formosarum fœminarum, his nunc voluptatibus te oblecta: his fruere istarum loco quas in mundo habuisti. Optime enim dictum est à Propheta: *In mensura contra mensuram iudicabis eam.* Ibi enim dabitur mensura contra mensuram, quando damnatus quispiam sic castigabitur, vt ex varietate & proportione pœnarum resplendeat ordo & sapientia diuinæ iustitiæ. Exhibuit Deus spectaculum hoc viro sancto ad nostram doctrinam, & admonitionem. Non quod huiusmodi materiales pœnæ sunt in Inferno; sed vt ex illo quodammodo varietatem & multitudinem pœnarum infernalium intelligeremus. Quarum etiam

Isa. 27, 8.

Ethnici (vnde autem hauserunt ignorõ) notitiam aliquam habuerunt. Cùm enim Poëta in mentione harum pœnarum incidisset, incepit, tanquã de opere virib. & eloquentiæ suæ neruis impare, exclamare.

Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Virg. Æneid. 6.

Poeta fuit ille, qui sic canit: in hoc autem loco nõ vt Poeta, sed vt Propheta, vel Euangelista loquitur.

Cùm itaque hæc sic euentura sint, vt diximus; quis est, qui oculis fidei hæc quasi conspiciens, non volet folium (quod aiunt) vertere; & qui in ventura sibi tempora prouidere non incipiet? Vbi iudicij nostrum? vbi ratio? vbi amor saltem proprius, qui semper quæ sibi iucunda sunt & vtilia quærit, vitat autem & fugit quæ sunt noxia? Adeòne homo in bestiam degenerauit, vt non intelligat, non cognoscat, nisi quæ ante pedes, aut quæ præsentia sint? habeme etiam oculos, quibus potest quæ ventura sunt prospicere? *Surdi audite*, inquit Esaias, *& cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus, nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui venundatus est? & quis cæcus, nisi seruus Domini? Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies?* Si non credas hæc, quomodo Christianus appellaberis? & si credas, nec tibi caueas, quomodo homo præditus ratione diceris? Dicit Aristoteles hanc esse differentiam inter Opinionem & Imaginationem, quòd sola imaginatio timorem generare non potest; opinionem solam posse affirmat, quia si imaginatus fuero quippiam mihi euenturũ, non sufficit hoc ad timorem mihi incutiendum, nisi probabile aliquid accedat quod opinionem aut fidem mihi faciat, illud verum esse; tunc enim timor subsequitur. Hinc nascitur timor ille, quo cum incedunt homicidæ, propter suspicionem, qua opinantur, semper & vbique sibi insidias ab hostibus strui. Si itaque sola opinio & suspicio periculi sufficiat ad timorem creandum, etiam in ijs qui fortissimi sunt; quomodo certitudo & fides tam magnorũ malorum, quæ omnem superant scientiam & opinionem, tremere nos non facient? Si videris te nunc tot annos impiè vixisse, & quod iam iam (saltem secundùm præsentem iustitiam) ad hæc supplicia damnatus es; quodque (vt suspicor) non maiorem diligentiam adhibebis in posterum ad vitam tuam emendandam, quàm hactenus adhibuisti; quomodo, cùm tanto in periculo sis, repentinus te dolor non obruit; aut timor anxius non inuadit, dum vides statum, in quo viuis; supplicia, quæ tibi præparata sunt; tempus quod sine fructu tibi elabitur; & pœnitentiam, in qua viues ob hæc sine fine? Existimo nullum posse iudicium inueniri; quod tam crassam cæcitatem possit, aut velit excusare:

Isa. 42, 18.

Aristot. lib. 2. de Anima, sect. 154. *Imaginatio. nis & Opinionis differentia.*

DE GLORIA BEATORVM.

CAPVT II.

NE quid autem desit, quod moueat cor nostrum ad virtutem; post horrenda supplicia, intolerandaque tormenta, quæ Benedictus Deus peccatoribus denunciat; proponendum est etiam præmium bonorum, gloria scilicet atque immortalis vita, qua beati fruuntur, quæ magnam habet efficaciam, vt hominem ad virtutem inuitet. Non est lingua, vel humana, vel Angelica, quæ digne satis exprimere potest, quale futurum sit illud præmium, qualis & illa vita. Vt autem gustum aliquem, & qualemcunque illius percipiatis cognitionem, referam obiter quæ de illo scripsit B. Augustinus in quibusdam suarum Meditationum: O tu vita, inquit, quàm præparauit Deus ijs qui diligunt eum, vita viualis, vita beata, vita pulchra, vita munda,

August. in Meditat. cap. 22.

vita

vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis plenissima, vbi nō est aduersarius impugnās, vbi nulla peccati illecebra, vbi est amor perfectus, & timor nullus, vbi dies æternus, & vnus omniū spiritus, vbi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vita cibo mens sine defectu satiatur. Libet me tuæ intendere claritati, delectant me bona tua auido corde: quantò plus valeo mecum considerare, tanto plus amore tui langueo, tui vehementi desiderio, tuique dulci memoria admodum delector. O tu vita dulcissima, ô regnum verè beatum, carens morte vacans fine, cui nulla tēpora succedunt per æuum: vbi continuus sine nocte dies nescit habere tēpus, vbi victor miles illis hymnidicis Angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion; Nobile perpetua caput amplectente corona. Vtinam concessa mihi peccatorum venia, moxque hac carnis sarcina depositā, in tua gaudia veram requiem habiturus intrarem, & tuæ ciuitatis præclara ac speciosa mœnia, coronam vitę de manu Domini accepturus ingrederer; vt illis sanctissimis choris interessem, & cū beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assisterem, vt præsentem Christi vultum cernerem, vt illud summum & ineffabile & in circunscriptum lumen semper aspicerem. Felix anima quæ terreno resoluta corpore libera cælum petit, secura & tranquilla nō timet hostem, nec mortem. Felix & in secula felix anima mea, si post mortem corporalem intueri meruero gloriam tuam, maiestatem tuam, pulchritudinem tuam, portas & muros & plateas tuas, mansiones tuas multas, nobilissimos ciues tuos, & fortissimum Regem tuum in decore suo. Muri namque tui ex lapidibus pretiosis, portæ tuæ ex margaritis optimis, plateæ tuæ ex auro purissimo, in quibus iucundum Alleluia sine intermissione concinitur: mansiones tuæ multæ quadris lapidibus fundatę, sapphiris constructæ laterculis coopertæ aureis, in quas nullus ingreditur, nisi mundus, nullus inhabitat inquinatus. Speciosa facta es & suauis in delicijs tuis, mater Hierusalem. Nihil in te tale, quale hic patimur: qualia in hac misera vita cernimus. Multum differunt ab his, quæ indies in hac miserabili vita ob oculos versantur. Non sunt in te tenebræ, aut nox, aut quęlibet tēporis mutatio. Non lucet in te lux lucernę, aut splendor lunæ, vel iubar stellarū, sed Deus de Deo, lux de luce, Sol iustitiæ semper illuminat te. Agnus candidus & immaculatus, lucidum & pulcherrimum est lumen tuum. Idem Rex Regum in medio tui: & pueri eius in circuitu eius. Ibi hymni dici Angelorum chori: ibi societas supernorum ciuium: ibi dulcis solennitas omnium ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium: ibi Prophetarum prouidus chorus: ibi duodenus Apostolorum numerus: ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus: ibi sanctorum Confessorum sacer cōuentus, ibi veri & perfecti Monachi: ibi sanctæ mulieres, quæ voluptates seculi, & sexus infirmitatem vicerunt: ibi pueri, & puellæ, qui laqueos huius mundi sacris moribus fugientes, tempus suum transegerunt in omnibus virtutibus; ibi sunt oues & agni, qui iam huius voluptatis laqueos euaserunt exultant omnes in proprijs mansionibus, dispar est gloria singulorum; sed communis est lætitia omnium. Plena & perfecta regnat charitas; quia Deus est ibi omnia in omnibus, quem sine fine vident, & semper videndo in eius amore ardent, amant, & laudant: Laudant & amant: omne opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore. Felix ego & verè in perpetuum felix, si post resolutionem huius corpusculi audire meruero illa cantica cælestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis supernæ patriæ ciuibus, beatorumque spirituum agminibus. Fortunatus ego nimiumque beatus, si & ego ipse meruero cantare ea, & assistere Regi meo, Deo meo, & duci meo, & cernere eum in gloria sua, sicut ipse polliceri dignatus est dicens: *Pater volo vt quos dedisti mihi, sint mecum, vt videant claritatem meam, quam habui apud te ante constitutionem mundi.* Hactenus Augustinus. Ioan. 17, 24.

Dic mihi quæso frater, qualis futura est illa dies, quæ fores tuas; finito peregrinationis huius cursu, pulsabit, vt te (si modo in timore Dei vixeris) à morte ad immortalitatem transferat? In qua timere consueuerunt alij, tu caput leuare incipies: quoniam appropinquabit redemptio tua. Egredere quæso paulisper (ait B. Hieron. ad Eustochium virginem scribens) de carcere, & præsentis laboris tibi ante oculos pinge mercedem, quā nec oculus vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit. Qualis erit illa dies, cùm tibi virgo Maria choris occurret comitata virgineis? cùm post rubrum mare submerso exercitu Pharaonis tympanum tenens præcinet responsūris; *Cantemus Domino: gloriosè enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare?* Tunc & ipse sponsus occurret, & dicet; *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: Iam hyems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Tunc & Angeli mirabūtur & dicent; *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliţijs affluens, innixa super dilectum suum? &c.* Qualis erit lætitia, qua anima tua perfundetur in illa hora, cùm ante thronum beatissimæ Trinitatis præsentatur Angelorum adducta manibus, præcipue illius, qui tibi cùm viueres datus fuit à Deo custos, cui tu vt fidele depositum eras commendatus? cùm ille, vnà cum collegis suis, narrabit opera tua bona, afflictiones etiam & cruces, quas pro amore De sustinuisti? Scribit S. Lucas in Actis, quod cùm sancta illa Eleemosynaria Tabitha obijsset, omnes viduæ & pauperes circunsteterint D. Petrum, flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes quas faciebat illis Tabitha. Quo spectaculo motus Apostolus, orauit pro ea Dominum, & oratione sua piam fœminam ad vitam reuocauit. Quam itaque lætitiam, quod gaudium sentiet anima tua, cum beati illi spiritus te circunstabunt, & in conspectu diuinæ maiestatis throni prædicabunt omnia opera tua bona, atque ordine, quasi ex catalogo, recitabunt omnes tuas Eleemosynas, Orationes, Ieiunia, vitæ innocentiam, iniuriarum tolerantiam, in tribulationibus patientiam, in delicijs temperantiam, cum cæteris virtutibus, & bonis operibus omnibus, quæ, dum viueres, operatus es? O quale tibi tunc retribuetur gaudium, pro omnibus bonis, in quibus hic desudasti? quàm perspicuè tunc agnosces pretium, dignitatem, & excellentiam virtutum? Illic obediens narrabit victorias, illic virtus suum recipiet præmium, & bonus secundùm meritum suum honoribus afficietur. Præterea, quanta voluptas erit illa, cùm salua naui in tutissimum iam portum appulsus, oculis tuis lustrabis longam, & periculosam tuam nauigationem: cùm videbis tempestates, quibus paulò antè iactabaris; angustias viarum, quas superasti, piratarumque & prædonum infestinationes, quibus eras expositus, & saluus elapsus es? Ibi cantabis canticum Prophetæ; *Nisi quia Dominus adiuuit me; paulò minus habitasset in inferno anima mea.* Præsertim postquam videbis tot in mundo committi peccata, tam innumerabiles animas quotidie ad inferos demergi; & in tanta tamen multitudine damnatorū,

Hieron. ad Eustoch. de custod. virg.
1. Cor. 2.
Exod. 15, 1.
Cant. 2, 10.
Cant. 8, 5.
Angeli narrabunt virtutes tuas coram Deo.
Actor. 9.
Pericula huius vita in cælo audiri maioris erunt materia.
Psal. 93, 17.

Deum voluisse, vt tu de numero esses electorum & eorum, quibus obtigit sors illa beatissima.

Solennitates in cælo ob nouos fratres quotidie venientes.

Qualis erit exultatio videre solennitates & triumphos, qui quotidie celebrantur nouis fratribus aduenientibus; qui deuicto mundo, & peregrinationis suæ cursu feliciter peracto, veniunt, vt cum cæteris coronentur? O quale erit gaudium aspicere quòd sedes vacuæ nouis incolis replentur, quod ciuitas cælestis ædificatur, quòd muri Hierusalem restaurantur? O quanta cum alacritate & iubilo tota cælestis curia obuijs vinis recipit eos, qui ex mundo hoc venientes onusti spolijs, humani generis hostibus detractis, accurrunt? Illuc enim cum equite triumphante victrix intrabit fœmina, quæ vnà cum mundo fragilis quoque suæ carnis conditionem deuicit: huc tenerrimæ virgines, innocentesque puellæ pro Christi nomine martyrium passæ duplici triumpho, mundi scilicet, & carnis, insignes accelerabunt, purpureis rosis, lilijs candidissimis interlucentibus redimitæ. Huc itidem iuuenes; in primo flore vernantes adolescentuli, cum immatura ætate pueris, qui teneros annos discretione, aliisque suis virtutibus superarunt, aduenient, virginalis suæ puritatis præmium recepturi. Illic inuenient suos amicos, illic agnoscent suos præceptores, illic parentes salutabunt, illic parentes vicissim filios amplectentur, pacem precabuntur, præsentem illis gloriam, & felicem aduentum gratulabuntur; inque mutua ruent oscula. O quam dulcis tunc erit fructus virtutis, cuius radicem in hoc mundo tanquam

Comparationes.

amarissimam multi fastidiunt? Dulcis est vmbra Sole feruente meridiano; dulcis est fons viatori defatigato; dulcis est somnus & requies lasso famulo:

Securitas cælestis.

multò verò dulcior erit Sanctis post molestissimum hoc bellum pax nunquam interitura; post varia pericula securitas, perennis; post lassitudinem præteritarum tribulationum quies æterna. Tunc erit bellum finitum, tunc non erit amplius necesse, vt quis

Exod. 13.

armatus incedat à dextris, & à sinistris. Ascenderunt filij Israel armati in terram promissionis: sed postquam iam terram erant ingressi, arma posuerunt, obliti sunt timoris, & rumoris belli; habitabat

3. Reg. 4.

vnusquisque absque vllo timore sub vite sua, & sub ficu sua, & erat pax ex omni parte in circuitu. Illic poterunt oculi vigilijs defatigati quiescere; hîc tutum erit excubanti Prophetæ (qui super custodiam suam stabat, & fixerat gradum super munitionem) descendere, & stationem suam deserere. Hic licitum erit B. Patri Hieronymo à vigilijs & verberibus cessare quibus pectus suum in orationibus noctes atque dies fatigabat; dum summa contentione, animoque infracto Satanæ importunis tentationibus resisteret. Non hic animæ beatæ sentient amplius metuenda sanguinolenti hostis illius arma: non hic locus erit tortuosi draconis illius insidijs? non hic fœtet venenosi visus extendit reguli, nec sibilus auditur serpentis antiqui: sed regionem hanc sancti Spiritus mollis perflat aura, & gloria Dei locum hunc illeminat. Hæc est regio pacis & securitatis supra omnia elementa posita, quò nec nebulæ, nec tempestates impetuosæ perueniunt. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Beati omnes*, inquit Tobias, *qui diligunt*

Psal. 86. 9.
Tob. 13. 18.

te, & qui gaudent super pace tua. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Hierusalem ciuitatem suam. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Hierusalem. Porta Hierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur: & per vicos eius Alleluia cantabitur. O iucunda patria, ô dulcis gloria, ô beata societas, quid facient illi tam felices, & vt te fruantur electi? Videtur esse præsumptio, si quis te desideret, sine tui tamen desiderio nemo viuere potest. O filij Adæ, ô posteritas misera & cæca, oues timidæ, & perditæ: si hæc sit portio vestra, quò tenditis? quid facitis? cur tanta bona ob exiguum laborem respuitis? Audi quid dicat B. Augustinus: O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possemus, & Sanctis eius sociari; nònne dignum esset pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur? Insidientur ergo Dæmones, parent suas tentationes: frangant corpus ieiunia, premant carnem vestimenta, labores grauent, vigiliæ exsiccent, clamet in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incruet, conscientia murmuret, calor vrat, corpus doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus: ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum. Quæ enim erit iustorum gloria? quam grandis Sanctorum lætitia, cùm vnaquæque facies fulgebit vt Sol? Hactenus B. Augustinus,

August. in Manuali cap. 15.

Nunc amator mundi stultissime, quære titulos & honores, ædifica domos superbas & alta palatia; extende terminos hæreditatis tuæ, impera, si placet, regnis & vniuersò mundo; omnia hæc ne quidem minimis illorum, quæ exspectat seruus Dei, sunt comparanda: hîc enim ea recepturus est, quæ mundus dare non potest, & gaudebit ijs bonis, quæ semper sunt duratura. Tu cum omnibus diuitijs tuis vnà cum Epulone diuite, in Inferno sepelieris: hic verò cũ Lazaro ab Angelis in sinum Abrahæ deportabitur.

Luc. 16.

DE BONIS, QVÆ DEVS PROMISIT Iustis etiam in hoc seculo. CAP. III.

QVòd si fortè dixeris, omnia bona & mala hactenus commemorata, ad futurũ pertinere seculũ; desiderare autem te aliquid videre, quod moueat cor tuum in vita præsenti; (solet .n. visus non nisi obiecto præsenti moueri) etiam in hoc desiderio tuo satisfaciam. Etsi .n. Deus noster vinum optimũ, dapesq; lautissimas vsq; ad finem conuiuij reseruauerit; non tamen suos ieiunos & famelicos dimittit in hoc itinere. Scit enim nos sine aliqua refectione ambulare non posse. Quare cùm Abrahæ dixit; *Noli timere Abrã, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* duo illi promisit, quorum primum est, q̃ futurus esset illi protector, & defensor in omnibus vijs huius vitæ: secundum, q̃ esset illi quoque merces gloriæ, quæ vsque ad vitam futuram reseruatur. Quam ingens autem sit illa prima promissio, quantaque bona in se contineat, nemo exactè potest cognoscere, nisi qui summa cũ diligẽtia sacras Scripturas euoluit, atq; perlegit: eæ namq; nihil tã frequenter repetunt, nihil adeò exaggerant, quàm beneuolentiã, fauores, blanditias, & beneficia quæ suis Deus electis promittit in hoc seculo. Audi quid hac de re scribit Salomon; *Beatus*, inquit, *homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia, melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius. pretiosior est cunctis opibus: & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextra eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ. Lignũ vitæ est his qui apprehenderint eã: & qui tenuerit eã, beatus. Dominus sapientia fundauit terrã, stabiliuit cælos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore cõcrescunt. Fili mi, ne effluãt hæc ab oculis tuis. Custodi legẽ atq; consiliũ: & erit vita animæ tuæ, & gratia faciẽ tuis, tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget, si dormieris, non timebis,*

Gen. 15. 1.

Prou. 3. Bona iusti promissa.

& sua-

& suauis erit somnus tuus. Hæc itaque est, mi frater, suauitas, hæc via bonorũ: illa verò, in qua ambulant mali, quã longè ab hac differat, audi quæso ex eadẽ Scriptura: *Via peccantiũ*, ait Ecclesiasticus, *cõplanata lapidibus: & in finẽ illorũ Inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Eccl. 21, 11. Via malorũ.

An igitur vtile & bonum tibi videatur, viam Domini relinquere, & ad viam huius mundi conuerti; cùm tanta sit inter eas differentia, non tantùm in fine earum, sed etiam in initio, & in medio? Quæ igitur maior amentia, quàm cùm vno tormento malle sibi comparare aliud, & non potius cum vna requie requiem alteram? Præterea, vt videas magnitudinẽ huius requiei, & multitudinem bonorum, quæ hoc vnum bonum comitantur, oro te, vt attentè audias, quod ipse Deus & Dominus noster promittit per Esaiam his, qui obseruant legem eius, iuxta sensum verborum, quem quidam Doctores hoc loco reddiderunt. *Tunc*, cùm hæc & illa feceris, quæ præcepi vobis, ait, *erumpet quasi manè lumen tuum*; id est, Sol iustitiæ, qui dissipabit omnes omnium errorum & tristitiarum tuarum nebulas: *& sanitas tua citius orietur*; & quasi lucerna, *anteibit faciem tuam iustitia tua*, bonorum operum, *& gloria Domini colliget te*; hoc est circundabit te ab omni parte. *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet; Ecce adsum*, paratus ad omnia quæ cupis, *Tunc orietur in tenebris* tribulationum & angustiarum huius vitæ *lux tua*; auxilium scilicet diuinum, quod consolabitur te: *& tenebræ tuæ erunt sicut meridies*: sic enim tecum aget Dominus, vt eædem calamitates & miseriæ peccatorum præcedentium, sint tibi occasiones maioris felicitatis. *Et requiem tibi dabit Dominus*, veramque pacem animæ tuę, in tempore quoque famis, & sterilitatis erit tibi satietas, ac abundantia: *& ossa tua liberabit* à morte, atque igne sempiterno. *& eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Et ædificabuntur in te deserta seculorum*; hoc est, restaurabitur quod multis annis in te dirutũ & desertum fuit, vt fundamentis bene iactis, conseruetur à generatione in generationem. *Si auerteris à sabbatho pedem tuum: facere voluntatem tuam, in die sancto meo*: si sanctificaueris dies festos, non faciens in illis voluntatem tuam, meæ contrariam: sed obseruans & faciens omni cum studio in ijs quod ego præcipio tunc faciendũ; *tunc delectaberis super Domino*, cuius delicię superant omnem mundi voluptatem, *& sustollam te super omnem altitudinem terræ*, ait Dominus: ad statum scilicet vitæ felicissimum, ad quem non poterit appropinquare inconstans fortunæ dominatus, & imperium naturę humanæ: deniq; *& cibabo te hæreditate Iacob*, pretiosissima quam Iacob Patri tuo promisi, quæ est beatitudo gloriæ, finẽ nunquam habituræ: *os enim Domini locutum est.* Esa. 58, 8. Ibid. v. 9. ver. 10. Ibidem. ver. 11. ver. 12. ver. 13. ver. 14. Ibid. Ibid.

Hæc sunt bona, quæ Deus seruis suis pollicetur, quorum etsi quædam sint futuri seculi, maior tamen eorum pars præsentis sunt: qualis est noua illa lux, & splendor cælestis; satietas & abundantia omnium verorum bonorum, refugium in omni necessitate ad Deum; Dei ad omnes preces & petitiones eorũ præsentia, pax & quies conscientiæ, custodia & prouidentia diuina, hortus deliciarum; hoc est, viror & pulchritudo gratiarum; fons ille, cuius non deficiũt aquæ; hoc est, prouisio & abundantia rerum omniũ deliciæ, quæ superant omnes voluptates humanas, & eleuatio spiritus, ad quam nulla vis naturæ humanæ potest pertingere. Omnia hæc sunt beneficia, quæ promittit Deus seruis suis: omnia hæc sunt opera illius misericordię effectus eius gratiæ, testimonia eius amoris, & blanditiæ paternæ prouidentiæ, qua Deus suos custodit & fouet. De singulis horum tot, tantaque dici possunt, vt non permittat breuitas huius compendij de singulis seorsim disserere. Facit hoc auctor in lib. 1. parte 2. Ducis Peccat.

His omnibus itaque bonis, & in hac, & in futura vita fruuntur iusti, atque omnibus his mali & iniusti frustrantur: ex quo luce meridiana clarius patet, quanta est inter hos & illos differentia: cùm tam opulentæ sint bonorum diuitiæ, & tam deploratæ malorum inopiæ. Si enim diligẽter consideraueris verba prædicta, conditionem etiam & statum bonorum & malorũ, inuenies illos in gratia Dei viuere: hos verò omni eius gratia excidisse; illos eius esse amicos, hos inimicos, illos in luce ambulare, hos in tenebris sedere; illos frui consolationibus Angelicis, hos filiquis porcorum delectari; illos esse verè liberos & suijpsorum dominos, Dæmoniorum, propriarumque passionum seruos; illos in continua pace, hos in bello continuo viuere: illos exhilarat testimonium bonæ conscientiæ; hos vermis semper mordet atque exagitat: illi in tribulationibus constantes sunt, & in statu suo perseuerant; hi tanquam leues paleæ à vento rapiuntur: illi semper securi sunt, anchora diuinæ spei stabiliti; hi semper fluctuantes, mobiles, & fortunæ ludibrio expositi: illorũ orationes Deo gratæ sunt, & acceptæ, horum ingratæ & execrabiles: mors illorum est quieta, pacifica, & pretiosa in conspectu Domini; horum inquieta, anxia, & plena timoris: denique illi viuunt tanquam filij sub tutela & protectione Dei, & suauiter sub vmbra pastoralis eius prouidentiæ dormiunt; hi verò tanta prouidẽtia indigni & priuati, tanquam oues sine pastore circumeunt, omnibus periculis & tribulationibus huius mundi expositi. *Differentia bonorum & malorum.*

Et si virtus omnia hæc secum adferat bona, qui fit, vt tantum bonum non amplectaris? quid potes adferre, quo tuam excuses negligẽtiam? An dices, quia hæc vera non sunt? Non valet excusatio. vides enim hæc omnia in verbo Dei fundata, & Scripturæ sanctæ testimonijs corroborari. An potius dices, hæc bona esse exigua, paruique momenti? Id dicere non potes, cum iam satis probatum sit, ea maiora esse, quàm quæ vnquam homo potuit desiderare. Dices fortasis; te tuijpsius esse inimicum, & hæc bona non desiderare. Neque hoc dici potest, cùm homo naturaliter sit amicus suijpsius, & voluntas humana bonum ipsum habeat pro obiecto, quod finis est omnis sui desiderij. Si pro excusatione adferas, quod non intelligis, neque bona hæc vnquam gustasti: nec hoc te excusat, quo minùs culpabilis sis: fidem enim horum habes, licet non habeas gustum, vel experientiam. gustus quidem per peccatum amittitur, fides non amittitur. Fides est testimonium verius, securius, & melius quàm aliæ omnes experientiæ, mundique testimonia. Quomodo igitur non mentieris? quomodo cunctorũ testimonijs non contradices? cur non potiùs fidei credes, quàm opinioni propriòve iudicio? O vtinam saperes, & te in manus Dei proijceres, eique confideres, quàm dilucide mox videres huius oraculi veritatem, huius thesauri magnitudinem: videres quantis in tenebris ambulant huius mundi amatores, eò quòd non quærunt bona tam eximia; videres denique quanta cum ratione Saluator cunctos ad hanc viuendi rationem inuitat, dicens; *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meũ suaue est, & onus meũ leue.* Non est Deus fallax, nec minus promissis suis præstat, nec exaggerat ea quæ promittit. Quare fugis igitur requiẽ? cur à pace atque suauitate abhorres? cur aspernaris fauores, blãditias, & dulces voces tui pastoris? cur audes virtutẽ à te repellere, quæ tãtas habet repromissiones, manu Domini subsignatas? Multò minora audierat Regina Saba de Salomone, & venit ab vltimis mũdi finibus, *Varia excusationes malorum diluuntur.* Matt. 11, 28. 2. Paral. 9.

vt videret quæ audierat. Heu cur tu, cùm tot & tam magnifica, tamque certa de virtute audieris, reformidas exiguum subire laborẽ, vt harum rerum veritatem experiaris? Spera, frater mi, in Domino, & verbo illius confide: commenda te manibus illius, atque aspernare exiguum, imò nihil illud, quod te remoratur: & videbis virtutem cum suis meritis famam ipsam superare, nihilque esse, quod de illa dicitur, si cum rei veritate conferatur.

HOMINEM NON DEBERE CONuersionem suam de die in diem differre, cùm vita peracta reddenda sit ratio strictissimis.

CAPVT IV.

AGe itaque, mi frater, si ex vna parte tot, & tam efficaces sint rationes, quæ nos ad emendandam vitam compellunt, atque ex altera parte nullam habeamus iustam excusationem, quæ quo minùs vita mutanda sit; conuincit: dic mihi, quamdiu pœnitentiam prorogas? quando tandem semel meliorem viuendi modum auspicaberis? Intuere quæso vitam præteritam, & scrutare annos omnes quibus vixisti, ætatem in qua nunc viuis respice, atque intelliges nunc tempus esse, imò præterisse, in quo pro nonnullis criminibus erat Deo satisfaciendum. Memento te Christianum esse, aqua baptismatis regeneratum, habere te Deum patrem, Ecclesiam matrem, Euangelij lacte, doctrina scilicet Apostolica & Euangelica nutritum, imò, quod nobilius est, tremendo altaris Sacramento cibatum, & his omnibus te nihil meliorem effectum, sed non minùs dissolutè vixisse, quàm si Ethnicus fuisses, nec vllam cognitionem Dei habuisses. Etenim dic mihi, quod genus peccati est, quod non perpetrasti? quæ arbor vetita est, ad quam oculos non leuasti? quod pratum, quod non pertransijt tua luxuria? quid vnquam oculis tuis oblatum, quod non concupiuisti? cui vnquam appetitui restitisti, memor Dei & Christianæ professionis? Quid amplius agere potuisses, si fidem non habuisses? si aliam vitam præter hanc nullam expectares? si Iudicium illud strictum Dei non esset metuendum? quid fuit vita tua, nisi continua tela peccatorum? sterquilinium vitiorũ? via spinis obsita, & iugis inobedientia Dei? Quo cũ vixisti hactenus, nisi cum appetitibus tuis, cum carne tua, cum ambitione tua, cum mundo? Hi tu fuêre Dij, hæc idola tua, quibus seruiuisti, quos coluisti. Dic mihi, quam habuisti rationem legis diuinæ, & obedientiæ illius? forsan non magis illum timuisti, quam si ligneus fuisset Deus. Certum enim est, multos esse Christianos, qui eadem cum facilitate, qua peccarent, si crederent Deum non esse, nunc etiam peccant, non obstante quod esse Deum profitentur; & non minùs delinquunt credentes hoc, quam delinquerent credentes illud: & quæ maior potest Maiestati tam excelsæ fieri iniuria? Credens denique omnia, quæ Christiana religio credenda proponit. ita vixisti, quemadmodum alius quiuis viueret, qui totam fidem nostram fabulam anilem, & nugas maximè ridiculas existimaret.

Maiestas Dei considerãda.

Quod si te non terreat multitudo peccatorũ præteritorum, & facilitas qua cum ea commisisti; quomodo saltem non mouet te maiestas & Celsitudo illius, contra quem peccasti? Leua oculos tuos, & aspice immensitatem atque magnitudinem illius Domini, quem adorant cælorum potestates, ante cuius Maiestatem prosternitur, quidquid mundi tenet ambitus, in cuius præsentia omne id, quod creatum est, nihil est aliud quàm leuis palea; & vide quàm indignum sit, quod abiectissimus vermiculus, sicut tu es, toties ausus fuerit offendere, atque ad iram oculos tantæ Maiestatis prouocare.

Considera tremendam iustitiæ eius magnitudinem, & supplicia tam memoranda, quæ ab initio vsque huc in mundo exercuit, & quibuscum peccata persecutus est, non solùm in particularibus personis, sed in integris etiam ciuitatibus, regnis, & prouincijs, imò in mundo vniuerso; nec in mundo solùm, sed & in cælo; non tantùm in extraneis & peccatoribus, sed etiam in innocentissimo filio suo, qui voluit satisfacere, quidquid nos debebamus. Porrò si illud factum sit in ligno viridi, & pro peccatis aliorum; in arido, & pro peccatis proprijs quid fiet? Quid itaque stolidius, quid imprudentius fieri potest, quã quod homuncio vilissimus audeat illudere Domino, qui manus habet tam potentes, vt si eas extenderit, atque eum tetigerit, exiguo quodam ictu illum in profundum Tartari potest præcipitare?

Supplicia Dei meditanda.

Luc. 23.

Animaduerte præterea patientiam huius Domini; qui tanto tempore expectat, quanto illum offendisti: & si tu post tantas diuitias & longanimitatem patientiæ, qua cum hucusque te expectauit, perseueres in abutendo illius misericordia, iraque eius prouocanda; gladium suum vibrabit, arcum suum tendet, in quo parauit vasa mortis, & sagittas suas in te iaciet.

Psal. 7.

Profunditatem & abyssum iudiciorum illius perpende, quorum legimus & quotidie videmus stupenda miracula atque exempla. Videamus Salomonem post tam admirandam sapientiam, post edita tria millia parabolarum, post profundissima mysteria Canticorum conscripta, ante idola prostratũ, & à Deo reprobatum. Videamus vnum ex septem illius primitiuæ Ecclesiæ Diaconis sancti Spiritus numine & lumine plenis, factum non tantum hæreticũ, sed hæresiarcham, & hæreseos auctorem atq; patrẽ. Videmus quotidie multas stellas de cælo in terrã miserabili lapsu cadere, in volutabro volui, siliquasque porcorum manducare, qui paulò ante ad mensam Dei accumbentes Angelorum panè nutriebantur. Quod si iusti ob occultam aliquam superbiam, negligentiam, aut ingratitudine eum in modũ à Deo, cui plurimos annos fideliter seruierant, sint reprobati; quid tibi expectandam est, qui aliud nihil in vita fecisti, quàm quòd Deum iugiter offendisti?

Iudicia Dei

3 Reg. 11. Nicolaus. Act. 6. Apoc. 2.

Videamus itaque nunc, qui hoc modo vixit, nõne æquum esset, vt vel tandem peccata peccatis cumulare, & debita debitis coniungere cessaret? nõne fas, vt nunc inciperet placare Deum, & exonerare suam animam? nònne ratio postulat, vt sufficiat, q̃ huc vsque datum est mundo, & carni, & Diabolo; & aliquid etiam eorum, quæ restant, detur illi, qui dedit omnia? nonne iustum esset, post tam diuturnũ tempus, & tantas iniurias Deo irrogatas, tandem metuere diuinam iustitiam, quæ quantò maiori cum patientia tolerat peccata, tantò maioribus tormentis, grauioriq̃ iustitia postea illa castigat? an non sit merito timendum; tanto tempore in peccatis permanere, tam diu in mala Dei gratia viuere? tam potentem habere aduersarium, qui ex pio patre factus est iudex & inimicus? nònne metuendum est, ne malæ consuetudinis violentia vertatur in naturam, atque ex ea peccandi oriatur necessitas, vel paululum minus? nònne verendum, ne paulatim in maiorã decidas, & in reprobum sensum tradaris, in quem cùm homo lapsus est, non iam vllam habet alicuius rei rationem, quantumuis ea magna sit. Dicebat Iacob Patriarcha socero suo Labano: Quatuordecim annis seruiui tibi: & omnis possessio tua in manibus meis fuit, negotia domestica omnia hactenus administraui, iustum est igitur vt aliquando prouideã domui meæ. Et tu si tot annis huic mundo, & huic vitæ seruieris, an non æquum sit, vt iam tandem incipias etiã animæ tuæ prouidere, &

Rom. 1.

Genes. 30.

pro

pro futura aliquid vita lucrari? Non est quicquam breuius, aut fragilius, vita humana. Quod si tam solicitè studeas rebus huic vitæ tam fragili necessarijs, cur non etiam ijs rebus aliquam operam dabis, quæ perpetuo sunt duraturæ?

CONCLVSIO OMNIVM EORVM quæ hactenus dicta sunt.

CAPVT V.

HÆc omnia cùm ita sint, oro te nunc, mi frater, per sanguinem Iesu Christi, vt recorderis tui ipsius, memineris te esse Christianum, & quod firmissimè credas omnia quæ fides nostra prædicat. Fides autem hæc dictitat, tibi constitutum esse Iudicem, cuius oculis omnes gressus atq; momenta vitæ tuæ sunt præsentia: & certus esto, venturum aliquando tempus, quo exiget ille rationem omnium à te vsque ad verbum otiosum. Hæc fides docet, hominem cum moritur non prorsus interire, sed post hanc vitam temporalem residuam esse aliam æternam: animas cum corporibus non mori, sed sepultis in terra corporibus animas proficisci in aliam nouã regionem, & in mundum nouum, vbi habebunt sortem & societatem, quam vita & mores in hoc mundo meruerunt. Fides hæc asserit, præmium virtutis, & pœnam peccati tam arduam atque magnam esse, vt si totus mundus libris esset plenus, & omnes creaturæ essent scriptores, prius defatigarentur scriptores, & mundus finiretur, quam deesset, quod de horum vtroque dici posset, aut quid in se contineant, pro rerum magnitudine scriberetur. Eadem fides tradit tam magna esse debita, quæ Deo debemus, & tam illustria beneficia, quæ ab eo percepimus, vt si homo tot annos viueret, quot arenæ sunt in Oceani littore, exiguum quid esset, omnes illos in sola Dei seruitute consumere. Fides deniq; eadem tibi testatur, Virtutem esse rem tam pretiosam, vt omnes thesauri huius mundi, & omne id quod cor humanum aut desiderare potest, aut imaginari, non sit aliquo modo cum ea comparandum.

Quid fides Christiana doceat.

Matth. 12.

Matth. 25.

Sap. 7.

Quod si tot, & tanta nos ad virtutem inuitent, quid est, quod tam rari & pauci illius amatores & studiosi reperiantur? Si homines vtilitate moueantur, quæ maior vtilitas, quam vita æterna? Si timore pœnæ, quæ pœna terribilior illa infernali? Si ratione debiti atque obligationis, seu beneficiorum, quod maius debitum illo, quo Deo sumus obligati, tam ratione illius, quod ipse in se est, quam quod ab illo recepimus? Si moueat timor periculi, quod maius periculum morte, cuius hora est adeò incerta, & ratio tam stricta? Si pax, libertas, tranquillitas spiritus & suauitas vitæ ab vniuerso mundo desiderentur, manifestum est, omnia hæc abundantius inueniri in vitâ, quæ secundum virtutis præscriptum ducitur, quam quæ iuxta proprium arbitrium & passiones humanas viuitur: quoniam homo creatus est rationalis, non autem bestialis & expers rationis. Quod si hæc omnia videantur exiguum ad persuadendam virtutem habere momentum, an non sufficiet videre Deum propter hoc de cœlo in terram descendisse, & hominem factum? cumq; sex diebus vniuersum creauerit terrarum orbem, triginta annos in reformando, redimendoque consumpsit, & vitam amisit. Moritur Deus, vt peccatum moriatur, & nos volumus, vt viuat in cordibus nostris id, cui vt vitam auferret ipse Dei filius mortuus est? & quid dicam amplius? Rationes in hoc vno multæ sunt: non enim dico Christum in cruce pendentem contemplandũ, sed quocunque oculos vertimus, inueniemus omnia vociferari, & nos ad hoc bonum vocare: non enim creatura in hoc mundo est, si bene consideretur, quæ nos ad amorem & cultum communis Domini non inuitet: adeò vt quot sunt in mundo creaturæ, tot sint concionatores, libri, rationes, & voces, quæ ad id officium nos excitant atque inuitant. Quomodo itaque possibile est, vt tot voces, tot promissiones, tot minæ non sufficiant vt ad illum reducamur? Quid potuit Deus amplius facere, quam fecit, & liberalius promittere, quam promisit? & seuerius minari, quam minatus est, vt nos ad se trahat, & à peccatis abducat? Et tantáne adhuc est hominum arrogantia aut, vt melius dicam, adeòne sunt homines incantati, vt habentes fidem, non metuant toto vitæ tempore in peccatis computrescere? cubitum ire, & surgere cum peccato, & per omnia genera peccatorum extendi? idque adeò sine omni tempore & scrupulo, vt nec ob id somnus ab oculis eorum fugiat, nec edendi appetitus pereat, haud secus quam si omnia quæ credunt, essent somnia, aut quod Euangelistæ scribunt, mendacia? Dic mihi proditor, dic mihi perpetuis inferni virtidicibus flammis arsure titio, quid amplius facere posses, etiam si omnia illa, quæ credis, essent mendacia? Video siquidem te timore iustitiæ humanæ, atque pœnæ temporalis aliquo modo tuos appetitus refrænare, sed non video quod timore Dei te abstineas ab aliqua re, ad quam tua te trahit voluptas, aut temperes te à vindicta, aut factas id quod ille præcepit, aut prætermittas omne id perficere, quod appetis, si non desit perficiendi potestas. Dic mihi cæce & fatue, in tali securitate quid facit vermis conscientiæ? vbi est fides? vbi est cerebrum? vbi iudicium? vbi ratio, quæ sola tibi tanquam homini est residua? quomodo potes non timere tam magna, certa, & vera pericula? Quod si quis tibi dapes aliquas apposuisset, & alius quidam, licet mendax, præmoneret eas veneno esse infectas, auderesne eas probare vel gustare, etiam si essent delicatissimæ & suauissimæ, & mendacem crederes, qui de hoc te præmonuisset? Et si Prophetæ, Apostoli, Euãgelistæ, atque adeò Deus ipse clamat atque dicit; *Mors in olla*, &c. Mors est in isto cibo, ô miser homo, mors est in hac exigua voluptate, quã tibi Diabolus proponit, qui fieri potest, vt non verearis proprijs manibus mortem sumere, & perditionem propriam potare? Quid hic facit ratiocinatio? quid iudicium, quid ratio, quam habes? vbi eius lux? vbi ipsius acuta acies, posteaquam non abscindit vel minimam partem tuorum vitiorum? O miser, phrenetice, insensate, stupore percusse, ab inimico damnate ad perpetuas tenebras interiores, & exteriores, de illis siquidem ad has breuissimus est transitus, cæce ad videndum propriam miseriam, ignare ad intelligendum proprium damnum, & durior adamante, qui non sentis malleum diuinorum verborum? O millies miserande, digne quem omnes lugeant, non alijs lachrymis, quam fudit ille pro tua perditione, dicendo: *O si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*, quæ ad tranquillitatem, quæ ad diuitias Deus tibi præparauit: *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*. O miserum diem tuæ natiuitatis, miseriorem verò mortis, quæ initium erit tuæ perditionis. Heu quantò esset melius tè nunquam fuisse natum, quam perpetuò esse damnatum? Quã præstaret te non esse baptizatum, nec fidem suscepisse? quia enim illa abusus es, erit maior tua damnatio. Etenim si lumen rationis sufficiat, vt faciat Philosophos inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, vt dicit Apostolus: quanto minus excusabilis erit, qui accepto fidei lumine, & aqua baptismatis, toties aperuit os ad percipiẽdum ipsum Deũ, atque quotidie audiuit diuinam illius doctrinam, si nõ agat aliquid amplius quam illi Philosophi? Quid ex omnibus his, quæ dicta sunt hactenus, aliud est concludendum, quam non esse intellectum, sapien-

4. Reg. 4. 40.

Luc. 19. 42.

Marc. 14.

Rom. 1.

tiam, aut consilium aliud in mundo, quàm vt relictis omnibus impedimentis, atque occupationibus huius vitæ, sequamur illam vnicam & certam semitam, quæ ducit nos ad veram pacem, & vitam æternam. Ad hoc inuitat nos ratio, æquitas, & lex, ad hoc vocat nos cælum, terra, infernus, vita, mors, iustitia & misericordia Dei: ad hoc specialiter nos exhortatur Spiritus Sanctus per os Ecclesiastici dicẽtis: *Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsq; ad canos inuenies sapientiam. Quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad eam, & sustine* vel expecta *cum patientia bonos fructus illius: in opere enim ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius. Audi fili, & accipe consilium intellectus, & ne abijcias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum, subijce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius. In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserua vias eius. Inuestiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam: in nouissimis enim inuenies requiem in ea: & conuertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ; decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris.* Huiusq; Ecclesiasticus, ex quibus verbis aliquo modo intelligitur. quanta sit pulchritudo, quantæ deliciæ, quanta liberalitas, quantæ diuitiæ veræ sapientiæ, quæ est ipsa virtus, & cognitio Dei, de qua nobis sermo est. Quod si hæc omnia non sufficiant ad expugnandum cor tuum, leua oculos in altum, & noli respicere ad aquas huius mundi, quæ pereunt, & euanescũt: sed respice ad Dominum illum', qui pendet in Cruce, moriens & satisfaciens pro tuis peccatis: pendet illic, qua forma vides, fixis duris clauis pedibus, te expectans, expansis brachijs, vt te recipiat, inclinato capite, vt tanquam filio prodigo noua pacis præbeat oscula. Ex cruce te vocat, si fortè illum audias: tot vocibus ad te clamat, quot vulnera gerit in toto suo corpore. Inclina itaq;, mi frater, aures tuas, & vide: Quòd si execrabilis sit oratio eius, qui non audit clamorem pauperum, multò minus audietur, qui hic surdus est, talesque voces atque lamentationes non audit. Igitur si proposueris has voces audire, voluerisque vitam tuam emendare, & pœnitentiam agere veram, liber qui sequitur, viam modumque tibi demonstrabit, quo pacto hoc debeat fieri.

Eccl. 6, 18.

Luc. 15.

FINIS LIBRI PRIMI MEMORIALIS.

MEMO-

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANÆ,

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS:

LIBER SECVNDVS.

IN QVO TRACTATVR DE SACRAmento Pænitentiæ.

PROLOGVS HVIVS LIBRI.

INTER omnia mala, quæ hoc tempore in mundo reperiuntur, nihil maiori dignum est commiseratione & dolore, quam modus pessimus, quem multi Christiani in suis Confessionibus, quando eis mandat Ecclesia, sequuntur. Videmus enim plerosque (ijs exceptis, qui in Dei timore viuunt, & animarum suarum curam habent) pessimè sese ad Sacramentum præparare, & sine vlla pœnitentia, conscientiarumque suarum discussione ad Confessionem accedere: vnde fit, vt finita Confessione, & Communione peracta, confestim redeant ad vomitum, & septimana pœnitentiæ necdum elapsa, ad idem cœnum, in quo antea volutabantur, reuertantur: & tanquam canes iterum resorbeant, quod semel euomuerunt. Iste profectò magnus est contemptus Dei, Ecclesiæque, & ministrorum illius, atque Sacramentorum: & videtur hoc aliud non esse, quàm quotannis Deo velle illudere, dum iniuriarum & delictorum in diuinam eius Maiestatem commissorum veniam petunt, correctionem vitæ suæ promittentes, & paulò post in ictu oculi plura atq; turpiora crimina committunt.

Pœna, quam merentur tales, est illa quam Deus illis immittit, estque omnium quæ excogitari possunt, maxima, nimirum non visitare iniquitatem eorum. sed relinquere illos in desiderijs suis, & vitæ suæ stultitia, donec mors veniat: quo tempore contingit illis, quod euenire solet his, qui nunquam veram pœnitentiam vsque ad illam horam fecerunt: quorum finis (ordinariè loquendo, vt Apostolus ait) erit secundùm opera ipsorum, de quibus nunquam veram, sed falsam semper egerunt pœnitentiam, quorum fortè ipse Dominus luget per Prophetam, dicens: Et in omnibus his non est reuersa (peccatrix anima) in toto corde suo, sed in mendacio. Vocat autem hic mendacium, falsam pœnitentiam, quam tales faciunt: quæ quidem videtur esse pœnitentia, & non est: quia non Deum, sed seipsos fallunt: existimant enim se veram egisse pœnitentiam, cùm omne quod fecerunt, nullius coram Deo sit pretij seu momenti.

2. Cor. 11.

Ieremi. 3, 10.

Si quis autem ex toto corde ad Dominum velit conuerti, & pœnitentiam facere veram, huic in hac parte paucis verbis ostendemus, quid facere debeat: proponendo magis communes admonitiones & doctrinas, quas Doctores in hoc tradere solent: quæ etsi Theologis cognitæ sint, simplicioribus tamen, ad quorum ædificationem hæc scripsimus, occultæ sunt & ignotæ: atq; proinde operæ pretium me facturum existimaui, si eos in pœnitentiæ doctrina erudiero. Sciendum itaque est Sacramentum hoc tres partes primarias habere: Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. In singulis quid agendum sit ijs, qui absolutam & perfectam agere volunt pœnitentiam, breuiter demonstrabimus.

Pœnitentiæ partes tres.

DE

DE PRIMA PARTE POENITENTIÆ,

QVAE EST CONTRITIO, ET DE medijs, quibus ad illam peruenitur.

CAPVT I.

QVicunque cupit ex toto corde conuerti ad Deum, & qui, cognita vanitate huius seculi, atque obligatione, qua ad cultum Creatoris & Redemptoris sui obstrictus est, cum filio prodigo ad ædes paternas redire desiderat, scire debet, primam portam, per quam ingredi oportet, esse Contritionē. Luc. 15.

Prima pœnitentiæ porta contritio. Psal. 50. 19. Hæc est pretiosissimum & gratissimum sacrificium, quod Deo potest offerri, iuxta illud Prophetæ: *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies.*

Contritionis duæ partes. Diuiditur hæc Contritio in duas partes principales: vna est dolor de peccatis præteritis, altera propositum vitandi futura. Ratio hæc est; Contritio enim propriè loquendo, est odium & displicentia peccati, super omnia detestabilis, quatenus illud diuinam offendit Maiestatem. Quare qui detestationem vel odium hoc consecutus est, tam à peccatis præteritis, quàm à futuris abhorret: non minus enim hæc, quam illa diuinam Maiestatem offendunt. Nemo autem potest abolere præterita, nisi pœniteat & doleat: neque fugere futura, nisi proponat, quam potest firmissimè, peccata non iterare. Ex hoc liquet,

Aug. de medicina pœnit. ad agendam pœnitentiam (vt Augustinus ait) non sufficere mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

Secundum hanc itaque doctrinam primum, quod in verò pœnitente requiritur, est dolor, & contritio peccatorum, vt faciat quod ille pœnitens faciebat, qui dicebat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Doloris autem & amaritudinis huius primaria causa non debet esse, quia Infernum peccatis suis meruit, & cœlum amisit, cum alijs omnibus bonis, quæ per peccata solent amitti: (quamuis id malum non est) sed quia perdidit & offendit Deum. Et quemadmodum Deus dignus est, qui ametur & colatur super omnia, ita mihi rationi maximè consentaneum videtur, vt cùm perdiderimus, atque offenderimus illum, id super omnia sentiamus: maxima siquidem offensio, maximum requirit sensum: & maxima perditio, maximum adfert dolorem. Vertum quidem est, quod pietas Domini nostri, & desiderium quo nostram desiderat salutem tam ingens est, quod etsi dolor noster tantus non sit, quantus esse debebat, tamen coniunctus cum virtute Sacramenti (quod gratiam confert ad consequēdum illum, modo quis obicem non ponat) sufficit

In 4. dist. 17. qu 2. Simile. ad salutem. Et hoc est quod communiter dicere solent Theologi: Sacramenta nouæ legis facere de attrito contritum, quēadmodum enim candela recens extincta, & adhuc fumans, exiguo flatu rursus accēditur, & ex mortua reuiuiscit: sic anima, quæ virtute attritionis fumat, licet accensa non sit, accedente flatu & virtute Sacramenti, mox tota accenditur, & mortua reuiuiscit. Quæ autem sit attritio, quæ istud in homine operatur, nemo scit, nisi Dominus ille, cui nihil est absconditum.

Notandum etiam est, pro consolatione debilium, quod dolor iste, quem hic requirimus, non necessariò semper talis esse debet, quales sunt alij dolores sensibiles, qui sunt in parte animæ nostræ sensitiua, & qui in lachrymas resoluuntur: potest enim sine illis verus esse dolor, & compunctio, quando voluntas nostra super omnia peccatum detestatur, & ab eo abhorret: quod sæpè fit sine lachrymis, & sine isto genere doloris. Quomodo autem, & quibus medijs ad istum dolorem perueniamus, suo loco dicemus.

Secunda pars huius Contritionis est, firmum ac stabile propositum, nunquam Deum vllo peccato mortali in posterum offendendi. Debet autem & hoc propositum, vti & dolor, non principaliter propter cœlum, aut infernum, aut aliud aliquod proprium commodum fieri: sed ob purum amorē Dei, quemadmodum videmus honestam & fidelem cō- Simile. iugem in corde suo proponere, mortem potius velle se oppetere, quam fidem marito datā violare, non tam propter timorem, aut vtilitatem, quæ ex eo posset deriuari, quàm propter amorem, quo maritū diligit: quamuis timor & desiderium illud non sint reprehendenda, sed vtilia, laudabilia, & dona ipsius Dei. *Firmū propositum.*

Porrò quemadmodum homo obligatur ad statuendum sibi firmum propositum, peccata futura euitandi, ita etiam necessarium est, vt à præsentibus separetur, in quibus viuit, si sint mortalia: alioquin enim Confessio non esset Confessio, sed sacrilegiū & iniuria Sacramenti. & per consequens, tam qui confiteretur, quàm qui confitentem absolueret, sacrilegus esset, & in Sacramentum blasphemus: essetque huiusmodi confessio non veterū peccatorum expiatio, sed nouorum additio. Qui itaq; ex medicina nō vult sibi facere venenum, non abuti in propriam cōdemnationem pharmaco, quod Deus instituit ad remedium, omnib. neruis contendat relinquere quodcunque peccatum mortale, in quo fortassis adhuc iacet immersus. Propterea qui odit & veram fouet cū proximo inimicitiam, debet malam illam voluntatem exuere, & reconciliari illi, & alloquio eum dignari, si id illi denegasset: nisi aliquod notabile scandalum subsequeretur, secundùm iudicium prudētis Confessarij: vt cum quis in te peccauit, & petit sibi ignosci in foro conscientiæ, & tu illi negaueris: tali namq; modo offendis illum, & prouocas ad odium & iram in te.

Sic etiam qui detinet rem alienam inuito domino, tenetur ad restitutionem confestim: Confestim dico, quia si statim restituere potest, statim restituere debet: nec sufficit voluntas postea restituendi, aut in testamento vt reddatur cauendi, si reddere statim poterit, etiamsi egere ipse debeat: præsertim si creditor in simili, aut alia necessitate sit constitutus. Et quia circa hanc de restitutione materiam multa veniunt dicenda, etiam frequentissimè in ea peccatur à malis debitoribus: qui vult igitur seruare liberam & securam suam conscientiam, consulat eos, qui possunt eum, ne hic decipiatur, conseruare: & meminerit, non solum se obligatum ad restitutionē illius quod abstulit, aut damni illati: sed etiam dāni, quod sua causa ab alio fuit illatum, siue quia iniuriæ fuit socius, siue quia consilium dederit, aut consensum: siue quia malefactorem in ædes suas vt malefactorem recepit, siue quod rem ablatam à persona suspecta emerit, siue in domo sua absconderit, aut malum non impedierit, si is sit, qui debuit, & potuit impedire. Omnes enim & singuli illi tenentur ad solidam restitutionem: cumq; vnus horum restituit, alij vicissim obligati sunt reddere huic, qui pro ipsis satisfecit. *Restitutio statim facienda.* *Qui teneantur ad restitutionem.*

Quod de bonis externis diximus, etiam intelligendum est de restitutione famæ: vt si diuulgauero graue & tamen secretum delictum proximi. Item *Restitutio famæ.*

de re-

de restitutione honoris, vt si alicui iniurius fuero verbis, aut factis. Primò debet homo restituere proximo famam, honestis verbis laudando, quem priùs vituperauit, si ex eo fructus aliquis expectetur: secundò necesse est satisfacere personæ offensæ, aut ab ea veniam petendo, aut iniuriam compensando, aut vtroq; modo, cum casus id postulat, secundum iudicium prudentis Cõfessarij. In his igitur tribus, bonis, fama, & honore, tenemur ad restitutionem: & in singulis horũ debet homo diligenter attendere, quàm iustis titulis obstringitur ad conscientiam suam his exonerandam.

Occasiones vitandæ.

Sic qui negotium aliquod habent inhonestum, aut turpe propositum, aut illicitam affectionem, debent sese ab hac pestilentia liberare, si gratia huius Sacramenti cupiant gaudere. Nec sufficit cor & voluntatem à peccato separare, nisi etiam tollantur occasiones: alioquin peccata difficulter tolluntur. Qua in re decipiuntur multi, qui intẽtionem & propositum suum iustificantes, putant sese extra periculum esse, etiam in medijs peccandi occasionibus: & ignorant quia in ædibus reseruatur semen peccatorum, quod suo tempore germinabit. Hanc ob causam dicit Sanctus Bernardus: Quotidie conuersari vis cum fœminis; & continens vis putari? Esto & sis, sed ego suspicione non careo. Scandalo mihi es, tolle scandali causam, quo te probes verum, vt iactitas, Euangelij æmulatorem. Qui scandalizauerit vnum de ecclesia, nonne Euangelium condemnat illum? Tu ecclesiam scandalizas. Vehementer igitur metuendum est illud eiusdem Bernardi: Cum fœmina semper esse, & fœminam non cognoscere, nonne plus est, quam mortuum suscitare? Quod minus est non potes, & quod maius est vis credam tibi?

Bern. Ser. 65 in Cant.

Matth. 18.

Ibidem.

Propterea necesse est occasiones peccandi omnes tolli, præsertim cùm velum pudoris, aut verecundiæ laceratum & ablatum, viaq; ad vitia semel est aperta: patente namq; porta, (moraliter loquendo) impossibile est malum vlteriùs non procedere. Quòd si mihi dixeris, difficilè tibi esse occasiones fugere, si enim hoc faceres, debere te ædibus tuis excludere hanc aut aliam personam, cui obligatus es, aut quæ tibi vtilis est, vel necessaria. Huic obiectioni quod respondeam aliud non habeo, quam illud Saluatoris: *Si pes tuus, vel manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te. Melius est enim debilem vel claudum ad vitam ingredi, quã duas manus, vel duos pedes habentem mitti in gehennam.* Verum quidem est, medicinam hanc esse amaram: sed quemadmodum quædam infirmitates corporales curari nõ possunt, nisi ferro & igni, sic vt nonnunquam membrum integrum abscindatur, vt corpus ipsum conseruetur: ita quidam morbi sunt spirituales, qui præter illud non habent remedium aliud. Neque in eo culpanda est lex Dei, quæ rectissima est, & suauissima: sed tu, qui verecundiam exuisti, & peccatis viam fecisti, ausus irritare, & prouocare feram belluam in sua spelunca, cùm tu pedes non habeas quibus effugias, aut locum ad quem te recipias. Proinde non est iniquum, vt patiaris, quod meritus es, & colligas fructum, quem seminasti, magnamque molestiam sentias in eijciendo hoste, quem vltro admisisti.

Matth. 18, 8. Marc. 9, 45.

Simile.

Hæc sunt, quæ pertinent ad duas principales partes Contritionis: nunc de medijs agendum est, quibus hæc virtus comparatur, & præcipuè prior eius pars, dolor scilicet & compunctio peccatorum præteritorum.

DE PRAECIPVIS AD CONTRITIONEM perueniendi medijs, particulariter verò de dolore peccatorum.

CAPVT II.

QVi verè & ex animo pretiosissimam hanc Cõtritionis gemmam sibi comparare desiderat, sciat oportet, hanc ante omnia à Deo esse postulandam, idque cum omni humilitate atque instantia. Vt enim hominem omnium peccatorum suorum pœniteat, pro quantitate doloris requisita, specialis quædam est Dei gratia, & donum singulare, omnes vires & facultates humanæ naturæ superans. Natura enim hæc per peccatum originale ordine & rectitudine sua naturali, in qua Deus illam creauit, priuata est. Creauerat enim Deus eam rectam, & eleuatam ad Deum per amorem: Peccatum verò flexit illam & inclinauit ad se, hoc est, ad amorem rerum visibilium, quas amat supra Deum, & maiori in pretio quam Deum ipsum habet. Etenim quemadmodum homo, qui de ventre matris suæ nascitur in curuatus, seu gibbosus, nullam potest inuenire medicinam, aut virtutem naturalem, cuius vi posset ad naturalem rectitudinem restitui: ita etiam cùm nostra voluntas nata est cum hoc spirituali gibbo, atque incuruatione, nemo est qui eam ad rectitudinem potest reducere, & ad Deum sic erigere, vt eum super omnia diligat, nisi Deus ipse, qui creauit eam. Quemadmodum ergo homo non potest hunc omnia transcendentem amorem acquirere sine Deo, sic nec super omnia potest dolere de peccato sine speciali dono & auxilio eiusdem Dei: vnum enim ab alio dependet. Quare non immeritò dixit Christus: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Venire namq; ad Christum nihil aliud est, quam amare Christum super omnia, & super omnia peccatum odisse. Talem verò amorem, & dolorem talem, nemo potest habere de seipso, vti conuenit nisi Deus illum donauerit.

Simile.

Ioan. 6, 44.

Cùm itaque Deus sic agit cum peccatore, maxima est gratia, maximumque bonum, quod illi fieri potest: quantò enim maius est bonum gloriæ, quam gratiæ, tantò maius est hominem è peccatis eximere & in gratiam restituere, quàm nunc in gratia existenti gloriam conferre: multò enim maior est distantia inter peccatum & gratiam, quàm inter gratiam & gloriam. D. Thomas differens de operibus diuinis ait, maius esse opus iustificare peccatorem, quàm creare mundum. Totius enim mundi creatio non est aliud quàm bonum limitatum & finitum, vti & alia creata omnia: sed iustificatio hominis, est diuinitatis & gloriæ Dei quædam participatio, quod bonum est infinitum. Si itaque sit opus Dei, & opus tam magnum, sequitur petendam hanc misericordiam ab eo cum summa humilitate & instantia, perseuerando in hac petitione cum pia illa Chananæa, dicendo: *Fili Dauid miserere mei, quia filia mea malè à dæmonio vexatur.* Et licet subinde Dominus initio austerum se & difficilem præbeat, (vti & mulieri huic sese præbuit) non debemus tamen ob hoc animum despondere, ab incepto resilire, aut ab oratione vel petitione desistere: ob eam namque causam Dominus se talem huic mulieri exhibuit, vt nos haberemus exemplum, non esse diffidendum, cum simile quid nobis in petitionibus nostris occurrit: sed potiùs vt perseueremus, sicut illa fecit, certi quoniam impetrabimus, quod illa impetrauit, dicit enim Apostolus. *Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.* Vt autem illud facilius & commodiùs fiat, deuotas aliquot Considerationes & orationes subijciemus, vt qui per se cum Deo colloqui non possunt, necessitatemq; illi

S. Thom. 12 q. 113. art. 9.

Matt. 15, 22.

2. Tim. 2.

suam

suam aperire, harum auxilio misericordiã Dei quærere, atq; inuocare discant.

Secundum medium.

Secundum medium est, vt homo semetipsum recolligat, mentemque suam aduocet in loco & tempore conuenienti, omniaque percurrat atque meditetur, quæ valent ad compunctionem atque dolorem hunc excitandum: quanto siquidem amplius intuebitur causas, tantò maiores sese offerent rationes plangendi, & tantò efficacius malum suum sentiet. Non enim frustra natura disposuit eundem sensum, cuius officium est videre, etiam esse lachrymãdi instrumẽtum: ex vno enim sequitur alterum, qui namq; benè videt, bene plangit: hoc est, qui nouit mala inspicere, vt inspicienda sunt, is etiam nouit illa plangere, quomodo sunt plangenda. Aperiat itaq; homo oculos, & flectat illos primò in multitudine suorum peccatorum, deinde in Deum, cui peccauit: vtrumq; enim dicet ei quam iustas & æquas habeat dolendi rationes.

DE QVIBVSDAM CONSIDERATIONIBVS, quæ hominem ad dolorẽ & odium peccatorum excitant, & primò de ipsorum multitudine.

CAPVT III.

SI itaque animum tuum ad dolorem peccatorum tuorum vis prouocare, debes ante omnia totius vitæ peractæ curriculum tibi ante oculos statuere: hoc est, omnia peccata, quæ in illa commisisti, & quam turpiter beneficijs & gratijs à Deo perceptis abusus es. Et quia peccatum est à summo bono & fine vltimo, ad quem homo creatus est, declinatio: considera primò finem hunc, & videbis manifestissimè, quot modis aberrasti à fine illo, ad quem Deus hominem in hoc mundo creauit: qui sanè fuit, non vt vineas plantaret, nõ vt superba ædificia struere t, non vt diuitias cumularet, & in delicijs viueret: (quod opera quorundam videntur innuere) sed vt Deum cognosceret, illum amaret, eius mandata seruaret, atq; per illud medium acquireret summum bonum, cuius gratia creatus est. Hanc ob causam dedit ei legem, secundùm quam viueret, gratiam, cuius ope legem posset obseruare. Sacramenta, quæ illi administrarentur, doctores, qui illum erudirent, inspirationes, quæ ad virtutem prouocarẽt: dedit quoque seipsum in pretium, & in remedium aduersus omnia malorum genera. Ob hoc quoq; dedit illi bona naturalia, hoc est, vitam, sanitatem, fortitudinem, potentias animæ, sensus & membra corporis: vt hæc omnia cultui diuino, cui mancipatus est, impenderet. Eandem ob causam tribuit ei quoq; bona quæ vocantur fortunæ, vt cum ijs vitam conseruaret, inde peteret quæcunq; sunt necessaria, aliorumque succurreret inopiæ ad gloriæ suæ meritum atq; augmentum.

Quid sit peccatum.

Finis vltimus quis.

Hæc, aliaque sunt bona & auxilia, quæ Dominus tibi contulit, vt ope illorum agnosceres, & diligeres eum, atq; cum illis ei famulareris. Perpende igitur quomodo omnibus his beneficijs vsus sis, & quomodo omnes has leges & obligationes obseruaueris. Si primò finem inspicias, ad quem creatus es, & illud, quod tu feceris, consideres, apertè videbis quàm extra viam ambulaueris, & procul à scopo aberraueris. Ille namq; creauit te pro seipso, vt omnem intellectum tuum, omnem memoriam, omnem voluntatem in illum dirigeres, fidem, spem, & charitatem tuam in illo collocatam haberes: tu verò: neglectis his omnibus, temetipsum totum vilitati creaturarũ, ipso Creatore spreto, impendisti: tribuens ijs, quod soli Creatori debebatur. Creaturas tantummodo amasti, adorasti, & in ijs fidem, spem, quietem, & cõsolationem omnem repositam habuisti: illud facies, creaturis dedisti, quod proprium erat Creatoris, & in rebus terrenis posuisti, quod in cœlestibus erat ponendum.

Quomodo in primũ præceptum peccamus.

Per eandem considerationem quoq; videbis, quã malè obseruasti primum legis diuinæ mandatum, quod huc pertinet. Cõsidera parum, quomodo hucusque oblitus sis huius Domini, cùm eius in omni vita tua vix semel memor fueris: vide quàm ingratus fuisti illius beneficijs, vix aliqua pro ijs reddita gratiarum actione: quàm negligens fuisti in præceptis diuinis obseruandis, toties ea transgressus: quàm tepidè dilexisti eum, qui tàm ardenti amore dignus est, dum nimium huius mundi, & quæ in eo sunt amore immersus es: denique quam parum reueritus es summam illam Maiestatem, qui vilissimos huius mundi vermiculos timere non desinis. Præterea quoties iurasti, peieraſti, & nomen Domini Dei tui in vanum sumpsisti, trahens illud per impurum os tuum, in testimonium tuæ perfidiæ, atque mendacij. Perpende quomodo dies festos sanctificasti, qui ad glorificandum, laudandumq; Deum, & ad peccata lugenda sunt instituti: dum eosdem dies expectares, vt peccata peccatis cumulares, & Dæmoni festa celebrares.

In 2. præceptum.

In 3. præceptum.

Animaduerte, quomodo honorasti patres naturales, & spiritales, hoc est superiores tuos: cùm eorum leges & mandata tam exiguo apud te in pretio fuerint. Quis amor & fraternitas cum proximo tuo tibi intercessit, cùm toties ad defendendum mordicus honorem tuum, propriasque nugas, illum pedibus conculcaueris, contempseris, inhumaniter habueris, atque illius mortem desideraueris. Quomodo corpus tuum custodisti, & animam à vitijs carnalibus immaculatam seruasti: cùm toties eam opere, locutione, cogitatione, desiderijs, & voluntarijs delectationibus contaminaueris, templumque à Deo in habitaculum sibi sanctificatum prophanaueris. Quis enumerare posset dissolutiones tuorum oculorum, turpitudines tuarum cogitationum, obscœnitates tuorum verborum, pompam vestium, nugas & iocos, conuersationes & malignas inuentiones? Quid de furtis, de auaritia tua dicam, cùm nihil adoraueris magis, quam denarium, in eo constituens vltimũ finem tuum, seruiens illi, amans illum, & propter illum faciens, quod propter solum Deum erat faciendum? Quis poterit commemorare dissolutiones tuæ linguæ, murmurationes, calumnias, iniurias, adulationes, maledictiones & mendacia, cùm omnis vita & conuersatio tua in ijs sint consumptæ?

In 4. præceptum.

Post diuina mandata, similiter septem illa peccata, quæ capitalia nominantur, percurre, & videbis quàm enormiter in singulis eorum peccaſti: quanta fuerit ambitio, præsumptio, vana gloria, & superbia cordis tui, quanta verborum tuorum iactantia, & vanitas operum: quanta fuit ira, & inuidia, quantæ blãditiæ: & illecebræ tui corporis: quam magna tua fuerit socordia, negligentia, & ad omne opus bonũ tarditas, ad omne verò malum promptitudo & alacritas.

Vide similiter & examina tuam conscientiam in operibus misericordiæ tam spiritualibus, quam corporalibus, quam exiguam eorum habueris rationẽ, quam parum tibi alterius necessitas & miseria cordi fuerit, cùm tã anxiè temetipsum in omnibus quæsieris.

Ingredere deinceps abyssum diuinorum beneficiorum, & dic mihi quæso, quomodo ijs vsus es? vita, quam Deus tibi largitus est, quibus rebus fuit occupata? ingenium, vires, & naturalis habitus quid operata sunt? diuitiæ, aliaque bona temporalia quibus rebus seruierunt? Profectò, si verum fateri velis, omnia hæc absumpsisti in vanitate & offensis diuinis,

uinis; ita vt bona, quæ ab illo recepisti, verteris in arma, quibus illum oppugnares, vt quo loco maiora præstare debebas obsequia, ibi grauiora commiseris peccata; inde sumens occasionem offendendi Dominum vnde tenerius amandi materia erat desumenda. Deniquè tam dissolute vixisti, quàm si nullo nomine vel titulo esses Deo tuo obligatus; non aliter atque nihil à Deo vnquam accepisses, aut quasi temetipsum plasmauisses, nec à Deo in omnibus, & per omnia dependeres.

Qui haberet itaque oculos vt videret istas miserias, & agnosceret quàm perdita, & deuia sit sua cõuersatio, quàm malè reddidit quod debebat, quàm rarò mandata Dei sui obseruauit, quot & quã enormia peccata perpetrauit; nõnne par esset, vt totus resolueretur in lachrymas, considerans tanta mala? Quid sentiet, qui hæc non senserit? quam ob rem plãget, qui ob hæc plangere non poterit? Quis autem adeò cæcus est, qui non videat tam magnam iacturam, quam ipse fecit in omnibus bonis animæ suæ?

SECVNDA CONSIDERATIO, EA-rum scilicet rerum, quæ per peccatum amittuntur.

CAPVT IV.

POst considerationem multitudinis peccatorum tuorum, vtile est etiam perpendere, quid per peccatum amiseris: hoc enim modo agnosces, quæ & quanta diuinitus tibi donata sunt, & quoties illa rursum perdidisti, vt hac saltem via ad dolorem & pœnitentiàm exciteris, cum in nulla re dolor vtiliùs collocetur, quàm in hac, Beatus enim Chrysostomus asserit nihil in mundo esse, quod amissum dolore potest recuperari, præter illud, quod peccando amittimus; quare in omnibus alijs rebus dolor inutilis est, hac vna excepta. Qui itaque dolorem hunc adeò salutarem sibi conciliare appetit, cum omni humilitate cogitet, quid per vnum peccatum mortale perdidit, & confestim intelliget, quàm iustam habeat dolendi causam. Chrysost.

1. Primò enim per mortale paccatum amittitur gratia Spiritus sancti, quæ vnum ex præcipuis donis est, quæ Deus in hac vita puræ creaturæ potest dare. A-
2. mittitur quoque charitas & amor Dei, quæ semper eandem gratiam comitantur. Quod si magnum sit alicuius Principis terreni gratia atque amicitia excidere, quantò ampliùs erit gratiam Regis cæli &
3. terræ amittere? Pereunt itidem virtutes infusæ, & dona Spiritus sancti, quibuscum anima compta atque exornata, pulcherrima in conspectu Domini apparebat, & armata & roborata erat contra om-
4. nem potentiam & fortitudinem inimici. Amittitur etiam hæreditas regni cælestis, quæ ab ipsa gratia
Rom. 6. prouenit: quandoquidem, vt dicit Apostolus, gloria
5. per gratiam datur. Perditur quoque Spiritus adoptionis, qui nos filios Dei constituit, & hoc modo nobis animum & cor filiorum erga ipsum tribuit: & simul cum hoc spiritu amittitur ille affectus, sese vt filios decet gerendi, & cura ac prouidentia paterna, qua Deus illos potissimùm obseruat, quos pro filijs suis recepit: quæ similiter ex præstansissimis bonis
6. est, quæ homini in hoc seculo donantur. Tollitur vnà pax & serenitas bonæ conscientiæ cum consolationibus & auxilijs sancti Spiritus, fructibusque & meritis bonorum omnium, quæ tota vita vsque ad horam illam feliciter, & summis cum molestijs per-
7. acta sunt. Amittitur etiam communio bonorum omnium totius Ecclesiæ, quorum homo non sic particeps est, sicut antea solet esse, cùm adhuc in gratia permanebat. Omnia hæc per vnum peccatum mortale perduntur: hoc autem vicissim lucrifacit, vt semper ad pœnas infernales cõdemnatus remaneat, & de libro vitæ pro eo tempore deletus; ex filio Dei factus seruus Diaboli, & qui erat antea templum & sedes sanctissimæ Trinitatis, spelunca latronum, & nidus basiliscorum. Inter omnia verò damna hæc nullum maius est, nec pluribus lachrymis deplo-
8. randum, quàm Deum ipsum amisisse: illud enim omnium aliorum incommodorum radix est & origo: perdidisse namque Deum, est, non habere Deum specialem patrem, tutorem, pastorem, defensorem, atque ex benignissimo patre in seueriss imum Iudicem conuertisse. Qui itaque tantum bonum amisit Osee. 9. nunquidne habet iustam causam lamentandi? *Noli lætari Israel*, inquit Propheta, *noli exultare sicut populi: quia fornicatus es à Deo tuo.* Filij Dan cùm no- Iudic. 18. uas sedes armati quærerent, ad expeditionem ciuitatis Lais profecti, venerunt in domum Michæ, ibidéque idolum conflatile inuenerunt, quod secum abstulerunt. Michas re cognita cum ijs qui secum habitabant, insecutus est eos post tergum, clamans & eiulans: cumque respexissent, qui illud idolũ rapuerant dixerunt ei: *Quid tibi vis? cur clamas?* Qui re- Ibid. spondit, *Deos meos, quos mihi feci, tulistis: & dicitis,* vers. 23. *Quid tibi est?* Si miser ille adeò lamentabatur, quia Deum, quem sibi ipse fecerat ex metallo, amiserat, & iustissimam se lachrymandi causam habere arbitrabatur; quid facere debet Christianus, qui certo certius scit, toties se Deum; non falsum, & à se factum, sed verum Deum, qui omnia fecit, amisisse, quoties lethaliter peccauit? Cum igitur tam magnum bonum, vnà cum omnibus alijs, per peccatum amittatur, vides iustissimam habere lugendi causam illum, qui tanta bona perdidit, & ex tantis diuitijs, tantaque gloria, in tam profundum miseriarum pelagus prolapsus est. quomodo igitur non plãget? quomodo non confundetur is, qui in tanta mala sese præcipitauit? Aperi oculos, ô anima misera, dicit quidam Doctor, & vide quid fuisti olim, & Anselmus. quid nunc es: quo loco fuisti tunc, & quo nunc es. Eras sponsa altissimi; eras templum Dei viui; eras vas electionis; eras thalamus æterni Regis: eras thronus veri Salomonis; eras sedes Sapientiæ; eras soror Angelorum; eras hæres cælorum. Ecce cùm omnia hæc fueris, quæ dixi, quoties dico? Eras, eras: toties tibi lachrymandum est, dum subitam tuam cogitas mutationem. Sponsa Dei, facta est adultera Diaboli; templum Spiritus sancti, mutatum est in speluncam latronum, vas electionis, in vas corruptionis; thalamus Christi, in volutabrum porcorũ; sedes Dei, in cathedram pestilentiæ; soror Angelorum, in sociam Dæmonum: & quæ instar columbæ volitabat per cælum, nunc tanquam serpens reptat in terra. Plange itaque super te, ô anima misera; plange, quia te plangunt cæli, quia te plangunt Angeli, quia te plangunt omnes Sancti: te plangunt lachrymæ D. Pauli, quia peccasti, & mali, quod com- Philip. 3. misisti, pœnitentiam non egisti: te plangunt lachrymæ Prophetarum, quia vident in te venturam diuinam iustitiam: te denique potius, quàm ruinas & rudera verbis Hierosolymitanæ, plangunt threni illi Ieremiæ dicentis: *Quomodo sola sedes ciuitas plena* Thren. 1. *populo?* quia videt nobilem illam ciuitatem Israel de cælo cecidisse, & quia videt quòd filia Sion omnem pulchritudinem suam amisit, dicit; *Et egressus est à filia Sion omnis decor eius.*

TERTIA CONSIDERATIO, DE Maiestate diuina, contra cuius bonitatem peccamus.

CAPVT V.

QVod si vlteriùs progrediaris, & consideres magnitudinem atque bonitatem Dei, contra quem peccasti, inuenies & hic maiorem doloris materiam: certum enim est, quòd quantò per-

sona, in quam peccatur, nobilior est, tantò peccatum maius est. Hinc est, vt si persona offensa sit infinitæ dignitatis, erit etiam offensa in illam facta infinitæ grauitatis. Quare quò penitius homo inspicit, atque cognoscit diuinam Maiestatem, eò clarius intelligit malitiam & grauitatem suorum peccatorum. Leua igitur oculos, & vide, si potes, quàm magna sit nobilitas, opulentia, dignitas, sapientia, pulchritudo, gloria, bonitas, & potentia Domini Dei tui; & quàm multis vinculis omnes creaturæ sint illi obstrictæ, & quodammodo ex hac consideratione cognoscès magnitudinem culpæ, quam incurristi, atque peccati in illum commissi.

Inter omnes verò has magnificentias atque perfectiones Dei, plus cæteris animum pœnitentis solet mouere diuina bonitas, præsertim in eo, qui aliqualem illius habet experientiam & cognitionem: quæ bonitas etsi in alijs pluribus rebus queat cognosci, præcipuè tamen eius vis & natura declaratur in inæstimabili beneficio incarnationis, & passionis filij Dei, atque in institutione sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, in quo pro nobis offertur quotidie, & nobiscum manens sese nobis communicat. Potest hoc specialius atque dilucidius intelligi ex modo, quo Dominus ille suos electos & chariores excipit amicos: quos non rarò cum tam immensis visitat consolationibus, cum tantis fauoribus, tanta luce, tanta pacis & lætitiæ spiritalis abundantia, vt nonnunquam subiectum humanum non ferat impetum tantarum consolationum. Ita legimus de quodam sanctorum illorum Patrum in Eremo, qui subinde stans in oratione clamabat, dicens: Domine suspende nonnihil fluxum tuarum consolationum. & alio tempore: Domine mi, ait, discede nonnihil à me: non enim ferre possum tuæ dulcedinis magnitudinem. Iste igitur Dominus est, hi eius fauores, blanditiæ, & beneficia, quæ solent à tali bonitate, nobilitate, suauitate & misericordia deriuari. Nec mirum est, quod propinat his calicem suarum deliciarum, qui pro ipsis calicem passionis bibit. B. Effrem.

Quis igitur ille erit, qui sibi ante oculos constituens tantam bonitatẽ, & in memoriã reuocans quoties illam offenderit, non lugeat merito, imò non desideret omnium hominum oculos ad deflendum enorme malum hoc? Scribit B. Ioannes Climacus de quodam ex antiquis illis monachis, qui ob delictũ aliquod fortè à se commissum, petijt à Patre monasterij ad domum Pœnitentium, quam carcerem appellabant, damnari, impossibile esse clamans illuc non proficisci. Habita licentia (quamuis inuito Patre erat enim miseratione dignus) ocyùs aduolat ad pœnitentes, additurque illis socius ad luctum promptus atque mœroris particeps. Igitur doloris gladio percussus in corde, quem diuina charitas acuerat, octauo postquam eò peruenerat die, migrauit ad Dominum. Vide quæsò quàm ingens fuerit iste dolor, qui tam breui spatio vitam potuit extinguere, & animam à corpore separare. Hoc modo sentiunt peccatum suum hi, quorum oculos aperit Deus, vt cognoscant ingentem malitiam, quæ in peccato est. Si sanctus ille Pœnitens ob vnum solum peccatum, quod commiserat tantum senserit dolorem, quantum meritò sentire deberet is, qui maiorem vitæ partem in peccatis traduxit, peccata peccatis addendo, & offensas in Deum multiplicando? Climacus gradu 5.

QVARTA CONSIDERATIO, DE INiuria, quæ fit Deo per peccatum.

CAPVT VI.

COnsideranda quoque est præter ea, quæ dicta sunt, summa iniuria, quæ Deo per peccatum irrogatur, vt vel hinc hintelligamus, quãtopere nobis dolendum sit. Quotiescunque enim peccamus, practicum illud iudicium in corde nostro exercetur, licet subinde non sentiamus: proponitur ab vna parte commoditas peccati, hoc est, delectatio, aut vtilitas, ob quam peccamus: & ab altera parte offensa, qua Deum prouocamus, & amicitia, quæ per peccatum amittitur: ita vt in vnam lancem mittatur Deus, & in alteram temporalis vtilitas, aut momentanea voluptas homo autem stans in medio eligit potiùs diuinæ amicitię iacturam, quàm exiguã vtilitate aut voluptate carere.

Quid posset horrendum magis excogitari? quid indignius Maiestate tam sublimi, quàm præponere illi rem adeò vilem & abiectam? Quid similius esse potest illi Iudæorum peruersitati, qui cùm in sua potestate haberent, aut Iesum, aut Barrabam iudicio mortis eximere, maluerunt Barrabam quàm Christum eligere? Quid hoc aliud est, quam (quantum ad peccatum nostrum) coronam & gloriam, quæ debetur Deo tanquam vltimo fini, rapere, & imponere vel vtilitati, vel voluptati? Qui enim maioris æstimat voluptatem quàm Deum, & quantum in se est illam Deo præponit, tollit dignitatem vltimi finis à Deo, & dat voluptati: atque hoc est coronam subtrahere Creatori, & dare creaturę. Quid turpius quid intolerabilius, quid potest esse indignius? Præcipit Deus, vt obstupescant cæli, & sceleris illius indignitatem admirentur, dicens: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus, Duo enim mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere nõ valent aquas.* Quicunque igitur perpendit, quam innumeris vicibus iniuriam hanc diuinæ Maiestati intulit, quomodo non contremiscet? quomodo non optabit, vt oculi sui in fontes lachrymarum vertantur, quibus noctes atque dies peccata sua defleat? Respice itaque miser, & vide cui peccasti, & quàm ob causam peccasti: quid repudiasti, & quid amplexus es: quid perdidisti, & quid lucratus es: & erubesce dum tempus est, ne in diuino iudicio æternaliter confundaris. Matth. 27. Mar. 15. Hier. 2. 12.

QVINTA CONSIDERATIO, DE Odio, quo Deus peccatum prosequitur.

CAPVT VII.

IVuabit etiam ad consequendum sanctissimum hunc dolorem, & peccati odium, summa cum intentione intueri magnitudinem odij, quo Deus peccatum prosequitur: quod adeò magnum est, vt nullus id humanus capiat intellectus. Certissimum enim est, quòd si quis omnes creatos intellectus in vnum conflaret, & ex omnibus linguis vnam fabricaret? nec intellectus ille comprehendere, nec lingua ista posset odij istius magnitudinem explicare. Ratio in promptu est: quantò enim quis melior est, tantò magis bonitatem diligit, oditq; malum. Cùm itaque Deus bonus sit, nec tantùm bonus, sed infinitè bonus, sequitur quod infinito amore bonitatẽ diligat, odioque infinito malitiam prosequatur: quarè & bonitatem æterna gloria remunerat, malitiam verò supplicijs æternis, æternorumque bonorum priuatione castigat: Iuxta illud Euangelij: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Matt. 25. 44 Et præterea certum est, Deum peccatum detestari quantopere detestandum est, hoc est, secundum malitiam & deformitatẽ, quæ in eo est: & quia hæc malitia est infinita, quia Deo, cuius maiestas infinita est, opponitur; inde sequitur, odium, quo Deus affectus est in peccatum, esse quoque infinitum.

Ad intelligendam autem magnitudinem huius odij, vtilissimum erit diligẽter animaduertere quorundam horrendorum supplicio rum exempla, quibus

bus Deus in hoc mundo peccatum puniuit: ex operibus enim cor cognoscitur; sic & ex magnitudine pœnæ diuinæ aliquo modo cognoscemus magnitudinem odij, quo Deus peccatum detestatur. Dic mihi quæso, quale fuit supplicium pulcherrimi illius Angeli, & sociorum eius, de quo ait Esaias: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* &c. Obvnum namque peccatum ex nobilissima creatura factus est omnium, quæ in inferno sunt, teterrimus; & qui antea erat Deo amicissimus, factus est illi inimicissimus. Quæ pœna fuit illa Protoplasti cum omni sua prosteritate? & illa mundi vniuersi diluuio submersi? quæ ciuitatum istarum quinque igne cælitus demisso exustarum? quæ illius Heli ob solam in castigandis filijs negligentiam? Saulis quoque propter inobedientiam? Dauidis propter adulterium? Nabuchodonozoris ob superbiam? Ananiæ & Saphiræ propter auaritiam? Denique qualis est illa pœna inferni, quæ in æternum durabit, & propria est peccantium? Sed omissis istis omnibus; quæ & quanta fuit illa, quam Pater vnigeniti Filij sui humeris propter peccata mundi imposuit? Hæc vna maiori digna est admiratione, quàm omnes prædictæ in vnum congestæ, propter infinitam dignitatem personæ, quæ illam sustinuit. Horum omnium suppliciorum singula (si diligenter discutiantur) plurimum lucis adferent, vt intelligat quis admirabilem diuinæ iustitiæ rigorem, & summum odium, quo peccatum prosequitur: qua consideratione cor nostrum timore Dei, dolore quoque & peccati detestatione configetur. Etenim tanto horrore atque odio peccatum est dignum, quanto cum Deus ipse illud execratur. Sed cùm neque tu, néque alius quispiam tam perfectè queàt illud odisse, saltem detestare quantum potes, & semper Deum precare, vt odium hoc in te augeat: in eo enim magna pars pœnitentiæ, iustitiæque Christianæ consistit.

Esa. 14, 12.
Genes. 3.
Genes. 7.
Genes. 19.
1. Reg. 3.
1. Reg. 15.
2. Reg. 12.
Dan. 4.
Actor. 5.

SEXTA CONSIDERATIO, DE morte, & quæ post illam sequuntur.

CAPVT VIII.

SImiliter & memoria pœnarum infernalium, quæ tam horribiles sunt, & Iudicij vniuersalis, quod valde rigidum erit, & præcipue mortis nostræ, quæ omnibus horis nobis imminet, meritò nos ad dolorem & timorem peccatorum nostrorũ mouere deberent: cùm singula horum per se tanta mala minentur peccatoribus, quę eò viciniora sunt, quo minus vitæ nobis superest. Cùm enim homo ad hunc terminum venerit, (cogitare autem vnusquisque debet, cum in foribus esse) quid faciet? quid dicet? quid sentiet? Tunc quisque reproborum dicere poterit: O anima mea, ecce venit finis tuæ superbiæ, tuæ vanitatis, tuæ stultitiæ, & tuarum voluptatum, quas amplius amasti, quàm Deum ipsum, & quibus morem potiùs quàm illi gessisti, cùm propter illas toties Deum offenderis. Vbi es nunc vanitas & superbia mea? quò vos nunc subduxistis deliciæ atque voluptates meæ? quid mihi dedistis? quod præmium, quam mercedem mihi retribuistis pro tot annorum obsequio, quibus vos colui, vobis inseruiui? cæleste regnum vobis commutaui, propter vos cælum amisi, & infernum recepi; infinita bona perdidi, & perpetuam Dæmonum societatem expecto, quid igitur est, quod in solatium tantorum malorum mihi reliquistis? Hæc si sic se habeant, si omnes istæ spinæ & remorsus conscientiæ cor tuum illo tẽpore lancinaturi sint, (& sine fructu fortasis) quãtò satius erit nunc cum magna tua vtilitate aliquid pati, dolere, & compungi? Intra igitur nunc tecum in iudicium, vt in hora illa coram Deo iudicatus compareas.

Non absre erit hoc loco recensere, quæ Seraphinus Firmanus hac de materia scribit. Meditatio, inquit, mortis vtilissima est, cùm quòd omnem abrũpit inordinatum sensus affectum; tum etiam quòd est facilior, quando & oculis cerni possit, & manibus palpari; quin dicere possumus nos semper in nobismetipsis mortem circumferre, nunquamq; non mori, cùm corpus habeamus corruptioni obnoxium, quodq; nunquam non mutatur, & nunquam in eodem statu permanet: instar fluminis; cuius eandem non potes partem ostendere, quoniam dum ostendis iam non est eadem. Sunt qui mortis fugiant memoriam, ne fiant tristes: hoc verò cùm fugiant, nunquam non amplius contristantur. Quibus optimè fuerit consultum, vt vel amplecterentur: quoniam quò magis frequentatur, eò maiorem inducit fiduciam, temperatque & propellit timorem ac tristitiã. Hoc autem est rationi consentaneum, quandoquidem vitiosas refrænat affectiones, sensumq; mortificat, ne rationi rebellet. Vnde desiderium proficiscitur alterius vitæ, quò virtuosis anima se præparat operibus, sicque suauem inducit Dei gustum.

Seraph. Firman. de interna Orat. cap. 7.

Hinc credo Paulum ampliori mortis desiderio captum, quàm alij vitæ: proficiscebaturque Agatha ad martyrium, tanquam ad epulas inuitata, glorianter & lætissimè. Porrò si huiuscemodi initio dura & horribilis est recordatio, non ideo est fugienda. Ita enim si faceret auarus, nunquam pecunias compararet. Mors quò videtur initio difficilior, eò maiorem affert demum iucunditatem, fitq; indies suauior. Si quis deliberatè vellet non mori, omnino à Christo abesset. Ea enim non esset præditus charitate, quæ inuisibilia frui desiderat futuræ vitæ bona. Careret & spe, quæ ad futura extenditur. Vacuus esset & fidei, quoniam si alterius crederet vitæ bona, non vellet hic semper morari. Vnde eorum est vox huiuscemodi: Quid teneam in præsenti noui: futura non sum expertus. Certæ igitur in statu agunt damnationis.

Multa possunt circa mortem considerari, quæ interim meditanti occurrunt: tamen volens quædam colligere, aio: Si vitam vis mutare, persuadeas tibi quantum potes, manè cùm surgis è strato nouissimam esse illam tibi diem: itaque domui tuę intra teipsum dispone, ac si verè esset nouissima. Neque vero hæc erit deceptio, quin imò alias si credideris, falli quidem poteris. Si enim potest indies te mors aggredi, tuum est, vt & illam indies præstolêre. Ego verò tibi affirmo, nõ illum poteris non negligenter diem transigere, nisi admitare in mentem vt inducas, illum tibi esse extremum.

Recogita itaque mortis tempus, quod cùm sit incertum, nunquam non debes expectare: vti dictum est. Causam recogita, quæ sexcentis potest esse ex locis, intus ac extrà: ita vt nulla non possis in te expresse illam contueri. Recogita modum: qua in re profuerit admodum, adesse cuipiam morienti, extremosque illos contemplari casus: vbi lassum corpus iacet derelictum; languida, vice marmoris grauia, vix mouentur membra; supremæ exudant partes, extremæ frigefiunt; viuidum immutat facies colorem in pallorem; caua stillant lumina, spumat os, crassescit lingua, anhelat guttur, anhelum quassatur pectus, liuescunt labra, nigrescunt dentes. Breuiter, resolutum corpus vniuersum, amarissimo cum suspirio, ab anima derelictum, ex homine fit vilissimum cadauer.

Qua in morte cogitanda.

Iam copiosa tibi aderit materies, vt hoc tibijpsi accommodes spectaculum; comminiscens, de salute tua desperasse Medicos, circunsidereque lecto & affines & amicos: quorum è præsentia magis torquebere. O quàm erit illa discessio amara. Iam solari

te non poterunt opes, sed pœnam augebunt: honores nil proderunt, sed ita inuitus eos derelinques, quemadmodum illis immodice afficiebaris: præteritis è delectationibus nihil aliud quàm oblatrantem referes conscientiam.

Iam verò quid hîc ages? quî habebit se anima tua? egredi è corpore erit intolerabile, manere impossibile, procraſtinare non dabitur, recurrere non poterit ad priſtina sensuum oblectamenta, iam insensilium: sibi verò ipsi reddita, propriam horresceret præ timore deformitatem? seque ipsam, si fieri posset, vellet effugere: horrendis se circunseptam videbit monstris, suis nempe peccatis, quos nunquam non patietur persequutores: momentum videt fuisse præteritum, sine fine futurum, Tum verò cum Propheta dicere poteris: *Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* Psal. 17, 4.

Fructus memoriæ mortis. Eccl. 1, 16. Ita mortem recogitando, multos consequêris fructus: Primum Deum timere cogêris, quod initium est sapientiæ: dehinc & sedulo ages, ne te adoriatur incautum: propriam etiam agnoscere te faciet miseriam, cuius ignitione vti extinguitur superbia, ita & humilitas fundatur, omnis custos virtutis: facile & à te abscedet inordinatus rerũ terrenarum affectus; mortis enim recordatione cognosces nihil tuum esse, quod recum non possis auferre. Summa, hoc prosequendo exercitium, timor in amorem conuertitur; morsque adeò tibi non videbitur ex pœna & priuatione vitæ corporalis horribilis, quantum alia ex parte frugifera, & delectabilis; quod tantis finem imponat miseriis, perenniq; det initium vitæ: neque verò poteris contristari, cùm compertum habeas, deficiente corpore in sepulchro, beari animam in cælo, viua cum spe vitam resurgendi ad immortalem.

SEPTIMA CONSIDERATIO, DE extremo Iudicio.

CAPVT IX.

CVm animus noſtrer in rei occursum horribilis totus in seipsum colligatur, omnemque interim aliam abijciat cogitationem; Ideo longè vtiliſsimum fuerit exercitium, præsertim conuerſionis initio, huiusce modi in argumentis exerceri, hac enim ratione mens vaga, tum ex timore, tum ex stupore distractionem vitat, interneque stabilitur.

Si mors, vt diximus, retractata, vim habet varias vniendi cogitationes, multò magis quod mortem consequitur, extremum nempe Iudicium, & pœnæ Tartareæ. Quæ si sæpe recogitabis fiet tibi quod ait Sapiens: *Memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7, 41. Non abs re dicebat Hieronymus: Si comedo, vel bibo, vel quid aliud ago, semper mihi videtur auribus meis insonare vox illa terribilis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Quod quam futurum sit horribile, non est quod verbis tentemus aperire. quicquid enim est terribile, illius comparatione nihil est. Multa Deus ostendit in terris iudicia, vt fuit vniuersi submersio per aquas diluuij, Sodomorum incensio per ignem, Ægypti plaga multiplex, terræ hiatus in deserto; quæ omnia simul composita, eius comparatione quod in nouiſsimo die præstolamur, habent se vt vmbra ad veritatem. Gen. 7. Gen. 19. Exod. 8, 9, 10.

Si per hanc vis considerationem tibi reddi ipsi; concipe primum, quam fieri potest, iudicantis Christi conditionem: cuius non aliud præ se ferat aspectus, quàm vindictam; vt in priore eius aduentu aliud non præ se tulit, quàm mansuetudinem. A quo, quippe sapientiſsimo, non dabitur appellatio: cumque sit potentiſsimus, eripi non poterit: cumque sit Deus scientiarum, deliteſcere minimè fas erit, vel causari: cumque infinitè odiat peccatum, vel minima non manebit culpa indiscussa. Tunc tibi de tot erit reddenda ratio causis, vt vel vnaquæque sufficeret te perturbare. Iam quis tot poterit facere satis, quæ exigentur, rationibus? quî tempus insumpsisti? quî corpus gubernasti? quî moderatus sensus omnes? quî cor custodisti? quî diuinis respondisti inspirationibus? quî tot gratus extitisti beneficijs? Qua sanè in accusatione tot erunt testes, quod creaturæ: quæ tùc ita omnes conturbabuntur, vt, si fieri posset, vel immortales præ timore morerentur.

Magnus erit tremor ardentem conspicere mundũm, ruentia ædificia, trementem terram, conturbari elementa, Solẽ obscurari, & Lunam, & stellas; mori videntem omnem creaturam, sepulchra aperiri, audire tubam extrema canentem, parari thronum, contremiscere populos, aperiri conscientias, horrendos videre cacodæmonas, succensamque inferni fornacem. Sed præ omnibus erit importabile, signum in aere conspicere Crucis, cum vniuersis passionis insignijs, audireque Iudicem tantam inimicis suis improperantem tragœdam: quibus longè minùs esset intolerabilis gehenna, quàm audire, ab ipso se perpetuo anathemate feriri, atque maledici.

OCTAVA CONSIDERATIO, QVÆ est diuinorum beneficiorum.

CAPVT X.

PRæter hæc omnia, mirum in modum augetur iste dolor & horror consideratione multitudinis diuinorum beneficiorum: quo enim diligentiùs & profundiùs considerabis, quam bonus sit Dominus erga te, eò magis confunderis, animaduertens, quàm tu sis peruersus in illum. Hac via Prophetæ plerunque solent populum Dei ad dolorem peccatorum inducere; & hinc Nathan exaggerauit peccatum Dauidis; cum antequam illum ob adulterium, in quod ceciderat, reprehenderet, gratias proposuit, & beneficia quæ à Deo receperat. a. Reg. 12.

Ad eundem modum & tu in memoriam reuocare poteris multitudinem diuinorum beneficiorum, specialiter verò creationis, conseruationis, redemptionis, baptiſmi, vocationis, & diuinarum inspirationum; præseruationis quoque à malo, & alia beneficia plurima, quibus te Dominus affecit: si namque computum tuum bene institues, inuenies quot creaturę sunt in cælo, & in terra, tot esse illius beneficia; & quot membra & sensus in corpore tuo, tot esse illius beneficia; & quot motus in vita tua, tot esse illius beneficia; denique panis quem manducas, terra quam pedibus calcas, Sol qui te calefacit, cælum quod te illuminat, cum omnibus alijs rebus, illius sunt beneficia, & vt vno verbo dicam, omnia bona & mala, quæ in mundo sunt, illius sunt beneficia: omnia enim bona hæc creata sunt in vsum tuũ, & ab omnibus malis illis te liberauit, aut saltem à piuribus: certum enim est, non esse malum in mundo, quod vnus homo patitur, quod non etiam alius pati possit.

Age igitur, quam ob causam magis dolendum est, quam quod tanto tempore vixisti in tam magna obliuione, & neglectu talis Domini, in cuius brachijs portabaris? cuius vberibus nutriebaris? cuius spiritu viuebas? cuius Sol te calefaciebat? cuius prouidentia te conseruabat? in quo denique eras, viuebas, & mouebaris? Quæ maior malignitas, quam sine intermissione illum offendere, qui sine intermissione tibi benefaciebat? & tot mala retribuere huic, qui te tot bonis cumulabat? Sed & quæ malitia potest inueniri maior, quam irritare & offendere Dominum illum, qui pro te vias tam laboriosas ambulauit? qui toties ieiunauit? tot molestias, iniurias, opprobria, infamias, tot & tantos dolores Act. 17.

pro te

pro te sustinuit? tot lachrymas fudit? tot orationes pro te Patri obtulit? Ipse enim est, qui hæc omnia pro peccatis nostris passus est; tum vt satisfaceret pro illis, tum etiam, vt hoc modo significaret, quanto Deus odio peccatum prosequatur, cùm tanta fecerit, vt illud destrueret. Vide igitur quam iustę subsint causæ, vt in lachrymas resoluaris, dum vides quoties percussisti, flagellasti, & crucifixisti talem Dominum, qui hæc omnia pro te sustinuit.

Cùm igitur homo ab vna parte considerauerit admirandam hanc pietatem, & liberalitatem Domini erga se; ab altera verò parte magnam suam ingratitudinem, & immorigerum suum in Deum animum; conuertat sese ad illum corde contrito, & humiliato, dicatque sequentes Orationes.

ORATIO AD EXCITANDAM IN *anima compunctionem & dolorem peccatorum.*

CAPVT XI.

O Vnigenite fili Dei, magna & ineffabilia sunt Domine mi, tua beneficia, quæ à te percepi: tu me de puluere & limo terræ assumpsisti, & animam meam de nihilo ad imaginem & similitudinem tuam creasti, gloriæque tuæ capacem fecisti. Tu mihi intellectum, memoriam, voluntatem, liberum arbitrium, cum omnibus membris ac sensibus dedisti, vt cum ijs te & cognoscerem & amarem. Tu me custodisti in angustijs vteri matris meæ, ne in illis sine Baptismo præfocarer. Tu me post tot peccata, vsque in præsentem diem patienter sustinuisti: cùm interim multi alij sint, qui minùs peccauerunt, quàm ego, & tamen quia illos hucusque expectare noluisti, nunc forsitan in Inferno torquẽtur. Et super hæc omnia placuit tibi incarnari, & inter homines pro me conuersari, pro me affligi & tribulari, sudore sanguineo perfundi, capi, ligari, palmis cædi, conspui, illudi, blasphemari, candida & purpurea veste vt morio vestiri: pro me voluisti flagellis lacerari, spinis coronari, arundine percuti, oculis velari, ad mortem damnari, & ad locum supplicij duci, habens in humeris crucem, cui duris clauis affixus es, interque latrones duos suspensus, & pro malefactore iudicatus, felle & aceto potatus, denique morte crudelissima extinctus es. Hoc modo, Domine, cum tantis laboribus & doloribus me redemisti, & tamen ego vilissimus & peruersissimus peccator, tot beneficijs ingratus, toties nunc denuò te percussi, & peccatis meis in crucem egi: quare dignus sum, vt omnes creaturæ insurgant in me, & vindictam sumant de tuis iniurijs.

Quid præterea dicam de abusu tuorum Sacramẽtorum, & medicamentorum, quæ mihi pretioso tuo sanguine, & instituisti, & comparasti? Tu me in sancto Baptismate abluisti, & pro tuo suscepisti: ibi in filium adoptiuum sum receptus, & quasi templũ tuum consecratus; ibi tanquam Sacerdos, Rex, & athleta, cui cum inimico luctandum esset, inunctus; ibi animam meam tibi desponsasti, & contulisti mihi omnem nobilitatem, quæ ad hanc dignitatem requirebatur. Sed quomodo his omnibus beneficijs & ornamentis à te acceptis vsus sum? Quas cogitationes habui de istis diuitijs cõseruandis? Tu me suscepisti pro tuo filio, & ego factus sum seruus peccati: tu me in templum tuum sanctificasti, & ego me feci habitationem Dæmonum: tu me armasti vt generosum militem, & ego defeci, & ad inimicos tuos transfugi: tu me Regem fecisti, & ego in regno, quod mihi dedisti, superbiui: sponsasti animam meã tibi in perpetua charitate, & ego magis amaui vanitatem, quàm veritatem; plus creaturas, quàm Creatorem. Æquum sanè esset, ô Domine, vt flere, plangere, & lamentari incepissem, cũ hæc omnia cõmisi.

Hoc illud est quod tanto tempore à me expectasti, quanto mihi vitam dedisti: toties enim me vocasti, & tamdiu me sustinuisti; percussisti me, & iterum mihi blanditus es; omnes vias modosque tentasti, vt me ad te retraheres. Me expectasti, & ego tua patientia sum abusus; me vocasti, & ego ad tuas voces obsurdui: tu mihi dedisti tempus pœnitentiæ, & ego illud in mea superbia consumpsi: tu percussisti me, & ego non sensi; tu afflixisti me, & ego nolui suscipere correctionem: tu sudasti & laborasti, vt me mundares, & ego lotus non sum: tu igne me probasti, & rubigo vitiorum meorum non est extersa: flagellis tuis, & tuis blanditijs induratus sum, ingratus his, rebellis istis.

Nihilominus, Domine, cùm tot & tanta pro me passus fis, præcepisti mihi ne desperarem, nec tibi diffiderem: Conuerto igitur me totum ad tuam misericordiam, & supplico tibi, da mihi gratiam, vt possim meipsum emendare: quò sic in posterum tibi placeam, tibique seruiam, ne vnquam me rursum à te separem: sed tibi semper adhæream, per omnia secula seculorum. Amen.

ALIA ORATIO AD IMPETRAN- *dam peccatorum remissionem.*

CAPVT XII.

O Supreme Factor omnium rerum creatarum, cùm mecum cogito, quam grauiter infinitã tuam Maiestatem meis peccatis offendi, horreo, & insaniam meam detestor; considerans quàm benignum, & venerabilem patrem reliqui; execror ingratitudinem meam, cùm video de quàm nobili libertate in seruitutem tam miseram prolapsus sum; maledico inconstantiæ meæ, & nescio quid mihi ante oculos statuam, nisi iudicium & infernum: iustitia enim tua, quàm fugere non possum, terret meã conscientiam. E contrario, cùm intueor immensam tuam misericordiam, quæ, secundùm Prophetæ tui testimonium, superat omnia opera tua; mox aura iucundissima spei me refocillat, animamque meam nimis debilem corroborat: quemadmodum enim antea desperabam, sic inuenio hîc remissionẽ peccatorum ab illo, qui in Prophetarum suorum scriptis toties inuitat peccatores ad pœnitentiam, dicens: *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat.* Sed & Filius tuus vnigenitus multis similitudinibus ostendit, quàm paratus es ad ignoscendum his, qui pœnitentiam agunt. Illud significauit per denarium amissum, & repertum; per ouem perditam, & in humeris pastoris ad ouile relatam: potissimum autem per filium prodigum, cuius imaginem in me agnosco: ego enim ille sum, qui verè Patrem meum amantissimum deserui, omnem substantiam meam dissipaui; qui obediens appetitibus carnis meæ, mandatorum tuorum obedientiam fugi, & in turpissimam peccati captiuitatem cecidi: nunc in extrema necessitate constitutus, ex qua quis me eruet planè ignoro, nisi is quem deseruí.

Psal. 144.

Ezech. 18, 32.

Luc. 15.

Recipe igitur, Domine, per tuam misericordiam me humilem seruum tuum, à te remissionem supplicitèr petentem: postquam in hanc vsque horam me tam benigniter expectasti, non sum dignus qui oculos meos in cælum tollam, vel te patrem meum appellem: tamen quia verè pater meus es, dignare me paternis oculis intueri, solus enim aspectus tuus mortuos viuificat, & omnes errantes ad sese retrahit: hanc enim qualemcunque pœnitentiam, quàm nunc habeo, habere non potuissem, nisi tu me respexisses. Quando vagans à te aberraueram, de cælo tuo altissimo eminus me respexisti, oculosque mihi aperuisti, vt memet ipse intuerer, conscientiam meã

scrutarer, & me tantis malis exundantem conspicerem. Veni ergo Domine ad recipiendum me; da mihi cognitionem & memoriam innocentiæ perditæ. Non peto amplexus tuos, non tuos, non oscula tua; non oro vt des splendidam illam vestem, qua indui soleo, non antiquæ meæ dignitatis annulum : non precor vt me recipias in statum & dignitatem tuorum filiorum, sed gratulabor mihi, si me inter mercenarios domus tuæ, stigmate tuo notatos & vinculis tuis ligatos numeraueris, ne vnquam in posterũ te fugiam. Non erit mihi molestum, etiamsi in hac vita vnus sim ex contemptissimis domus tuæ famulis, saltem ne me in perpetuum à te separes.

Exaudi me itaque, pie Pater, & da mihi gratiam vnigeniti Filij tui, & mortis illius merita mihi communica. Da mihi Spiritum tuum, vt purificet cor meum, & corroboret illud in gratia tua ; ne denuo per ignorantiam meam reuertatur ad illud exiliũ, vnde tua me gratia reuocauit. Qui viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

ALIA ORATIO PRO REMISSIONE PECCATORUM.

CAPVT XIII.

Hæc oratio, Christiane Lector, per aliquot dies continuos recitari debet cum omni attentione & deuotione, ab his, qui anhelant ad veram contritionem, & peccatorum remissionem: in ea namque videbit, quàm iustis nominibus Deo est obligatus, & quam serio pœnitere debet, qui talem Dominum offendit.

Hier. 9. QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam noctes, atque dies peccata mea, meamque ingratitudinem in Deum Creatorem meum? Multa inueniuntur, omnipotens Domine mi, quæ compungunt animos hominum eosque ad cognitionem suorum peccatorum adducunt: sed nihil tam efficax est, quàm consideratio magnitudinis tuæ bonitatis, & multitudinis tuorum beneficiorum, etiam erga ipsos peccatores. Vt igitur anima mea miserrima vel sic confundatur & erubescat, incipiam, Domine, bonorum tuorum, meorum verò malorum nonnulla commemorare, vt vel hinc manifestius conspiciatur, quis tu sis & quis ego; qualis tu erga me fuisti, & qualis ego in te.

Fuit aliquando, mi Domine, quando non eram; & tu mihi esse dedisti, & me ex limo terræ assumpsisti, creans me ad imaginem & similitudinem tuam: deinde ab vtero matris meæ tu factus es Deus meus; à primo namque momento, quo esse cœpi, vsque in præsentem diem, tu es Pater meus, tu Redemptor, tu defensor, & omne bonum meum. Tu creasti corpus meum cum omnibus membris & sensibus meis; tu creasti animam meam cum omnibus suis potentijs, & vsque huc vitam meam tuæ prouidentiæ beneficijs conseruasti.

Omnia hæc (licet per se magna sint, imò penè omnia) exigua tamen sunt pro tua magnitudine. Cæterùm quia gratis hæc habebas, nullo magno empta pretio, aliud mihi dare voluisti, quod constat tibi pretio maximo, vt magis me tibi obligares. Descendisti de cælo in terram, vt inuenires me, quærens me in omnibus vijs, in quibus me amiseram. Humanitate tua naturam meam nobilitasti; tua captiuitate à vinculis meis me liberasti, à potentia Dæmonis me vindicasti, tradens te in manus peccatorum; & peccatum meum destruxisti, formam peccatoris assumens: Voluisti me tibi obstringere tanta gratia, allicere hoc beneficio, spem meam corroborare tantis meritis, & detestationem peccati in me generare, ostendens mihi, quanta fecisti, quanta tulisti, vt regnum peccati euerteres. Viuas prunas mortuis carbonibus cordis mei super imposuisti, vt tanta multitudine beneficiorum, quæ in hoc vno continentur, obrutus, eum amarem, qui tanta pro me fecit, & tantum mihi amorem exhibuit.

Ecce, Domine, redemisti me: sed illud quid mihi prodesset, nisi baptizatus fuissem? In tanta infidelium multitudine, qui per totum orbem diffusi sunt, voluisti me esse in numero fidelium, & eorum, quibus tam felix sors obtigit, vt sint nimirum tui filij, aqua sancti Baptismatis regenerati: Illic pro tuo assumptus sum, & illic admirabilis ille contractus celebratus, seu fœdus initum est, vt tu meus esses Dominus, & ego tuus seruus; tu meus pater, & ego tuus filius; & sic quasi inter nos contenderemus, tu, vt patris officio erga me fungereris, & ego, vt seruitia filij tibi præstarem. Quid dicam de alijs Sacramentis, quæ in remediũ meorum malorum instituisti, faciens medicamentum plagis meis ex sanguine tuo?

Cum omnibus his subsidijs & auxilijs tanta fuit mea malitia, quod illam primam meam gratiam innocentiæ amisi; & tua vicissim tanta fuit misericordia, quod vsque huc patienter me sustinuisti. O spes mea, & remedium meum, quomodo potero sine lachrymis meminisse, quoties potuisti me occidere, & nihil mihi mali accidit? Quot animarum millia fortè nunc ardent in inferno, quæ minùs peccârunt, quàm ego peccaui, & non ardeo? Quid factum esset de me, si quo tempore illos abstulisti, etiã me abstulisses? quàm strictum fuisset mihi præparatũ iudicium, si iustitia me tot delictis grauatum deprehendisset? Quis tunc, ô Domine, ligauit manus tuæ iustitiæ? quis, cum ego dormiebam, pro me deprecatus est? quis continuit flagellum indignationis tuæ, quando ego illam meis peccatis prouocabam? quid tibi placuit in me, cur mitiùs mecum ageres, quàm cum illis, qui in medijs periculis, atque adeò in feruore iuuentutis, è medio sublati sunt? Peccata mea clamabant contra me, & tu obturabas aurem tuam ne audires: malitia mea contra te crescebat quotidie, & tua vicissim quotidie erga me crescebat misericordia: ego peccabam, tu me expectabas; ego fugiebam, tu me insequebaris; ego defatigabar te offendendo, tu defatigabaris me expectando; non aliter, atque si peccata mea fuissent beneficia, non offensæ: sic & in medio peccatorum multas à te bonas inspirationes, multasque pias reprehensiones accipiebam, quæ reprehendebant, arguebantque vitæ meæ dissolutionem. Quoties me vocasti, & intus me intimasti, dicens; *Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego recipiam te.* Quoties me hac & simili voce amoris vocasti? quoties etiam me timore & minis terruisti, reducens mihi ad memoriam periculum mortis, & rigorem diuinæ iustitiæ? Quot concionatorum & confessariorum genera instituisti, vt suis verbis & consilijs me excitarent, & adiuuarent? Quoties me non verbis subsecutus es, intuitans me tuis beneficijs, & castigans me tuis flagellis, intercludens mihi vias omnes venatorum more, ne quà fugere, aut me à te possem subducere? Hier. 3. t.

Quid igitur nunc retribuam tibi, Domine, pro omnibus his, quæ retribuisti mihi? Quia me creasti; debeo tibi omne quod sum; fecisti enim omnia: quia me conseruasti, debeo tibi omne quod sum, & viuo; omnia enim conseruas : & quia mihi temetipsum dedisti in præmium, quid reddam tibi? Si omnium Angelorum vitæ & hominum essent meæ, & tibi omnes in sacrificium offerrem, quid esset hęc oblatio, si vni sanguinis, quem pro me effudisti, guttulæ comparetur?

Quis

Quis igitur dabit lachrymas oculis meis, vt plãgam ingratitudinem meam, iniquamq; meam pro tot beneficijs tuis retributionem? Da mihi ergo Domine, auxiliũ, da mihi gratiã, vt debito modo meas in te queam iniquitates confiteri. Ego sum infœlix ille, ego (licet talem me non geram) sum creatura tua, ad tuam imaginem & similitudinem facta: agnosce hanc figuram, tua enim est: aufer id quod ego feci, & inuenies id quod tu pia manu tua fecisti. Ego vires omnes meas intendi, vt tibi iniuriam facerẽ, & te offendi ipsis operib. manuum tuarum. Pedes mei veloces fuerunt ad malum: manus meæ fuerunt ad auaritiã extensæ: oculi mei dissoluti ad omnẽ vanitatem: & aures meæ semper nugis & mendacijs patuerunt. Nobilissimã illam partem animæ meæ, quæ oculos habebat ad contemplandum te, à pulchritudine tua auerti, & ad flores miserabilis huius vitæ cõuerti: quæ noctes atq; dies meditari debebat tua mãdata, iam noctes atq; dies meditata est, quib. modis illa transgrederetur. Deprauato sic intellectu, quid faceret voluntas? Tu, Deus meus illam diuitijs cælestibus inuitaueras, at illa terrã cælo commutauit, expandens brachia, quæ tibi erant consecrata, creaturarum amori. Hoc est, Domine, præmium, hic ille fructus, quẽ sensus, quos tu crealti, produxerunt. Ah quid potero miser respondere, si mecum in iudicium intraueris, & dixeris mihi: *Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es mihi in pranum vinea aliena?* Hier. 2, 21.

Quòd si ad primam interrogationem hanc respõdere non potero, quomodo ad secundam, de beneficio conseruationis, respondebo? tu, Domine mi, tua prouidentia conseruasti hunc, qui nihil aliud meditabatur, quam quomodo mandata tua transgrederetur, quomodo seruos tuos persequeretur, quomodo Ecclesiam tuam offenderet, & quomodo regnum peccati contra te muniret. Mouebas linguã, quæ te blasphemabat: regebas membra, quæ te offendebant: & dabas manducare ei, qui seruis tuis insidiabatur: adeò vt non tantum ingratus fuerim tuis beneficijs, sed etiam ipsa beneficia in arma, quibus te oppugnaui, conuerterim. Omnes creaturas in vsum meum condideras, vt illo beneficio illectus, amarem te: & ego illas adulteraui, cum toties te per illas offenderim. Malui donum, quàm donantem, & vnde sumenda erat occasio tuæ pulchritudinis cognoscendæ, inde excæcatus sum, & non leuaui oculos meos, vt viderem quanto pulchrior esset Creator ipse creatura. Omnia dedisti mihi, vt me tibi redderem: & omnia mihi seruierunt: sed ego nunquam tibi aut gloriam, aut tributum debitum reddidi. Illæ semper ad meum obsequium paratæ fuerunt, (id enim illis præcepisti) at ego semper in hoc fui, vt te offenderem, & ad hoc omnibus rebus abusus fui: tu dedisti mihi sanitatem, & Diabolus fructus illius collegit: tu dedisti mihi fortitudinem, & ego illam in inimici tui obsequio impendi. Quid dicam? quare tot genera calamitatum & miseriarũ, quas passim in alijs hominibus vidi, non suffecêre mihi, vt vel ex ijs cognoscerem, omnia mala aliorum mea esse beneficia? ab omnibus enim illis liberasti me. An igitur licitum culpiam sit pro beneficio accepto vt ingratum se exhibeat? & quis ille qui non debet gratiarum actionem pro beneficio accepto? Si feritas Leonum & Serpentum beneficijs leniatur, quare non erunt, ô Domine, tua sufficientia, vt doment & leniant me? vt vel aliquando possim dicere: *Metuamus Dominum Deum nostrũ, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo: plenitudinem annuæ messis, custodientem nobis.* Ioann. 5, 24.

Sufficiebat verè mihi, Domine, vt cognoscerem tuum Esse; quòd tanto tempore Esse meum sustinuisti, etiam si aliam demonstrationem, vel aliud testimonium tuæ bonitatis non haberem. Quòd si tam stricta futura sit ratio, quæ pro rebus istis, quæ magno tibi non constant, postulabitur, qualis erit illa, quam exiges pro his, quæ pretioso tuo sanguine tibi comparasti? quomodo consilia tua peruerti? quomodo violaui mysterium incarnationis tuæ? tu factus es homo, vt me faceres Deum: & ego vilitatis meæ amator, me feci bestiam, & filium Diaboli: descendisti in terram, vt me adduceres in cælum: & ego indignus tali vocatione, quasi qui non merebar, non cognoui illam, & sub cœno meæ vilitatis submersus remansi: tu me liberasti, & ego denuò veterem me in captiuitatem tradidi: tu me resuscitasti, & ego denuò mortem amplexus sum: tu me tecum concorporaueras, & ego me denuò cum Dæmonio coniunxi. Tot, & tanta beneficia non hoc apud me potuerunt, vt te agnoscerẽ: nec tot amoris argumenta, vt te redamarem: nec tot merita, vt in te sperarẽ: nec talis iustitia, quæ in tua passione refulsit, vt te timerem. Tu te humiliasti vsque ad puluerem terræ: & ego effero me superbia: tu nudus pendes in cruce, & auaritiæ meæ totus mundus non sufficit: tibi, qui Deus es, alapas in faciem dederunt: meam vestem si quis tangat, irascor, qui tantùm vermis quidam sum vilissimus.

Quid dicam, Seruator mi? ecce quam magna est misericordia & charitas tua erga me: mori voluisti, vt mea peccata occideres, & ego confidens in eadem misericordia, bonitate, & amore, peccare in te non sum veritus? Hem quæ maior esse poterit blasphemia? Ego ex tua bonitate occasionem sumpsi in mea malitia perseuerandi: ex illo eodem medio, quo tu vsus es, vt peccatum occideres, ego occasionem captaui peccatum in me resuscitandi. Sic, sic, Domine, tua consilia peruerti, & inueni inuentiones meæ malignitati ex tua misericordia. Quia tu eras tam bonus, ego arbitrabar mihi impunè licere, si malus essem: & quia mihi tot contuleras beneficia, existimaui licere mihi totidem offensiones & iniurias tibi reddere: adeò vt medicamenta ipsa, quæ tu instituueras contra peccatum, ego in occasiones peccandi conuerterim: & gladium, quem mihi dedisti, vt me defenderem, & contra inimicos meos dimicarem, hunc in me acuerim, vt vitam mihi ipsi eriperem. Denique tu vt dominaueris viuis & mortuis, mori voluisti, vt (Apostolo teste) qui viuunt iam non viuant sibi, sed tibi, qui mori dignatus es pro illis: & ego vt filius Iezabel, sumpsi eandem mortem quasi medium quo me tuis bonis priuarem, fugiens à tuo seruitio, & faciens me mancipium tuorum inimicorum. Heu quid meretur, qui talia fecit? Si canes comederunt carnes illius Iezabel pro peccato hoc, quomodo meæ poterunt integræ permanere, qui idem omnino feci? Et si Apostolus adeò exaggerat cordis humani malitiam, eo quod ex ipsa lege sumpsit occasionem violandi legem, quantò maior erit malitia, ex gratia si quis accipiat occasionem ipsam gratiam offendendi? 2. Cor. 5. 4. Reg. 9. Rom. 9.

O patientissime Domine, qui alapas pro peccatoribus sustinuisti: sed multò patientior qui ipsos suffers peccatores: cæterum durabit semper illa tua patientia? Memini quid dixisti per Prophetam Esaiam: *Tacui, semper silui, patiens fui: sicut parturiens loquar.* Video quòd terra quæ non dat fructum, postquam pluuiam accepit, quasi excommunicata manet, atque maledicta, & quod vinea, quæ licet bene culta sit, pro vuis tamen producit labruscas, iussu tuo destructa est, & data in direptionem. Igitur, ô sarmentum inutile & infructuosum, vt quid non timeS Esa. 42, 14.

mes vocem potentis illius agricolæ, seu vinitoris, qui aufert palmites non facientes fructum, & in ignem proijcit? *Omnem palmitem in me non ferentem fructũ,* Ioan. 15. ait ipse, *tollet eum Pater meus, & in ignem mittet.* Vbi habebat iudicium, qui tale iudicium non metuebat? quàm surdus erat, qui tales voces non audiebat? quâ profundum dormiebat, qui tali tonitru tantarum minarum non excitabatur? Oblectabat me habitatio hæc terrena, tam indigna anima mea, inter spinas ambulare iucũdum erat mihi: ignis mearum passionum vrebat me, concupiscentiarum mearum spinæ me pungebant: distractiones cogitationum mearum me diuidebant: me conscientiæ meæ vermis mordebat: & omnia hæc libertatem & solatium existimabam esse: tot, tantaq; mala pacem nominabam. O quam ignarus etiam & rudis in cognitione meipsius & quam durus atq; intractabilis in tuo cultu atque obsequio?

Quid faciam, mi Domine, quid faciam? Fateor me dignum non esse, qui veniam in conspectum tuum, nec mereri, vt oculos tollam ad aspiciẽdum te. Quò autem ibo, & à facie tua quò fugiam? Nonne tu es Pater meus, & quidem Pater misericordiarum, quæ nec terminum habent, nec mensuram? etsi enim ego iamdudum filius esse desierim, tu tamẽ vsq; huc Pater esse non desinis: & licet ego multa fecerim digna cur me condemnes: tu tamen modum non amisisti, quo me salues. Quid igitur aliud faciam, nisi vt me ante pedes tuos prosternam, & misericordiam petã? quem inuocabo? quis mihi succurret nisi tu? Nonne tu Creator meus, Plasmator meus, Gubernator meus, Redemptor meus, Liberator meus, Rex meus Pastor meus. Sacerdos meus, & meum Sacrificium? Quò igitur ibo, quò fugiam, nisi ad te? si tu me repellas, quis me suscipiet? si tu me reijcias, ad quem confugiam? Agnosce, Domine, errantem hanc ouiculam à te: ecce venio totus vulneratus, tu potes me sanare: totus cæcus, tu me potes illuminare: totus mortuus, tu me potes suscitare: totus leprosus, tu
Psal. 50, 9. me potes mundare. *Asperges me Domine hyssopo & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.* Maior est misericordia tua, quam mea iniquitas, maior tua clemẽtia, quàm mea malitia: & tu potes plus remittere, quam ego peccare. Noli me igitur, Domine, noli me repellere: ne respicias multitudinẽ meorum peccatorum, sed multitudinem tuarum misericordiarum, tu qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

DE MAGNIS FRVCTIBVS Veræ Contritionis.

CAPVT. XIV.

HÆ sunt, Christiane Lector, orationes & considerationes, ad hanc tam magnam Contritionis gratiam consequendam vtiles: in qua tractanda prolixior fui, eò quòd clauis sit & fundamẽtum omnium reliquarum Pœnitentiæ partium, omnisque boni nostri. Has igitur legat homo tempore debito, & conuenienti, summa cum animi attentione, & præparatione: idque in loco aliquo solitario: sæpe namque accidit, vt quemadmodum oraturus in initio deuotionem non habet, quam tamen inter orandum inuenit: sic incipiens has orationes, aut considerationes legere sine contritione, in medio lectionis eam inueniat, totusque conteratur. Itaque sicut legimus apud Lucam, Dominum, dum oraret, transfiguratum esse: sic in oratione magnæ nonnunquam fiunt in anima mutationes, dum datur in fine orationis, quod in initio non habebatur. Ideoque dicitur, quòd finis orationis melior est principio.

Sæpè in progressu orationis datur deuotio, quæ in initio deerat Luc. 9.

Eccl. 52.

Cùm igitur pœnitens siue per hanc, siue per aliam viam contritionem consequitur, eo ipso momento recipit gratiam Spiritus Sancti, imò & ipsum Spiritum, hospitem, nutricium, & rectorem suæ vitæ, vt quasi prudens & fidelis nauclerus pœnitentem securè, per procellosum huius mundi pelagus, in optatum portum perducat. In eadem ipsa hora pœnitens perfectè cum Christo vnitur, quasi membrum viuum cum suo capite: vt sic illi vnitus particeps fiat gratiarum eius influentiæ, meritorumque & laborum vitæ illius, mortisque sanctissimæ. Confestim quoque suscipitur & adoptatur in filium Dei, & hæres regni illius nominatur: quinetiam vt filius tractatur, dum ipse Deus curam eius suscipit & prouidentiam, quam habere solet erga omnes, qui illius sunt, & quos ad hanc dignitatem extollit. Ibi recipit pius pater in domum suam filium prodigum, Luc. 15. iubetque illum indui stola prima, hoc est, veste prioris gratiæ: eique dari annulum arcanorum diuinæ sapientiæ, id est, nouam cognitionem rerum diuinarum, quæ occultæ sunt, & ab oculis huius mundi absconditæ.

Gaudium in cœlis ob pœnitentem.

In illa hora exultant cœli, & canunt Angeli, iudantq; Deum in excelsis: & festos dies agunt in aula illa cœlesti, ob conuersionem noui fratris: omnes quoq; creaturæ, quæ antè contristabantur, propter offensam Creatoris, & creaturæ amissionem: tunc lętantur, & dulce cantant Alleluia, ob nouam illius reparationem. Inter omnes autem bonus ille Pastor, qui tot laboribus & molestijs perditam ouem suam quæsiuit, & inuenit, illam in humeris suis ad ouile reportat, & conuocans amicos & vicinos suos, dicit: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Luc. 15, 6.

Quantò maior contritio præcedit, tãtò maiores gratiæ sequuntur.

Notandum hic est, quò maior est contritio & humilitas pœnitentis, tantò maiorem esse dispositionem ad percipiendam sublimiorem gratiam: sed & magnitudo contritionis indicium solet esse maioris misericordiæ: in ædificijs enim, si fundamenta iaciantur profundiùs, cognoscimus ipsum ædificium fore excelsius, & maius: & arbor quæ radices suas mittere solet in terram profundiùs, ea quoque altiùs in cœlum excrescere consueuit: sic & benignissimus Deus, quando præuenit hominem maiori cum humilitate atque pœnitentia vitæ anteactæ, certum dat indicium, se quoque ad maiorem illum disponere gratiam. *Iustitia & iudicium præparatio sedis eius,* Simile. Psalm. 88, 15. ait Propheta: ad iudicium pertinet examen causæ, ad iustitiam executio sententiæ. Anima igitur, quæ vtrumque facit, quæ intrat in iudicium cum semetipsa, & humiliter agnoscit, quid commiserit, quod scilicet Creatorem propter creaturas contempsit, huic conformiter exequitur sententiam, hoc est, quemadmodum spreuit Deum, & eius honorem atque gloriam, quantum potuit, maculauit, sic nunc semetipsam humiliat, abnegat, & vsque in terram abijcit: dolet quòd inordinato amore sese in creaturis oblectauit: & pro hac oblectatione vicissim seipsam castigat, talis inquam anima præparatur, vt sit sedes Domini, & domus diuinæ illius sapientiæ, quæ ad illam venire, & habitationem suam in illa vult facere.

Duo pedes Dei qui sint.

Duos pedes, inquit D. Bernardus, habet Deus: vnum timoris, alterum amoris: cumque in animam ingredi vult, timoris pedem solet præmittere, inde amoris subsequitur: & quantò maior est timor, qui præcedit, tantò etiam maior est amor, qui sequitur. *Dominus enim mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* 1. Reg. 2, 6. Hæc enim communis est cõsuetudo Dei nostri, vt cùm homo tam ingenti timore & dolore ob peccata sua concutitur, vt iam videatur in ipso inferno stare, subitò Deus pro sua misericordia liberat eum, resuscitat eum, & tantas mittit

illi

illi consolationes, quanti fuerunt dolores, quibus antea affligebatur.

Cum itaque, mi frater, turbari te ista diffidentia senseris, ne ob hoc desperes: sed memento quòd tunc tibi datur potio catarctica, seu purgatio, qua sumpta fies sanior: quod lauaris aqua forti, vt fias nitidior, & quod in fornacem mitteris, vt omnis rubigo vitiorum extergatur. Tunc inuocare debes Dominum cũ Propheta, & dicere: *Commouisti, Domine terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est*, & mox senties in te, quod idem Propheta dicit: *Terra tremuit, & quieuit, cùm exurgeret in iudicium Deus*: quando enim ipse iudicium, de quo paulò ante diximus, in te exercebis, tremet terra animæ tuæ timore & horrore iustitiæ diuinæ: & paulò post quiescet pace & spe, quam Dominus dabit pro sua misericordia, *qui abluit sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauat de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris*, infundens in animam primò timorem per spiritum iudicij, & diuinæ iustitiæ: deinde consolationes tribuens per spiritum amoris, & per spem diuinæ misericordiæ. Audijt Helias spiritum grandem & fortem, subuertentem montes, & conterentem petras: & post spiritum, commotionem: & post commotionem, ignem: & post hanc tempestatem subsecutus est sibilus auræ tenuis, in quo veniebat Deus.

Psal. 59. 4.

Psal. 75. 9.

Esa. 4. 4.

3. Reg. 19.

Hic est ordo, quem Dominus noster communiter seruat in conuersione animæ, estque idem, quem etiam in mundi sanctificatione obseruauit: quæ primò susscepit legem, & postea Euangelium: sic & anima primò laboribus, molestijs & rigore legis debet exerceri: deinde verò consolationem & pacem Euangelicam percipit. Operatio legis est timor & tremor, quem significabat terræ motus, & tremor, quo cum in monte Sinai lex data est: operatio verò Euangelij est consolatio, & sanctificatio, quæ initium habuit, cùm datus est Spiritus Sanctus in die Pentecostes, in monte Sion. Qui itaq; venire vult ad montem Sion, oportet vt priùs transeat per montem Synai: hoc est, qui desiderat spiritum amoris recipere, necesse est vt is priùs habeat spiritum timoris: & qui in anima sua cupit sentire operationem & consolationem Euangelij, oportet vt priùs transeat operationem & timorem legis. Animæ autem, quæ sic est dispositã, promittuntur, & offerũtur omnes gratiæ & thesauri Euãgelici, vt testatur Propheta, cùm in persona Saluatoris loquitur, dicens: *Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgẽtiam, & clausis apertionẽ: Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes: Vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Vides hic, mi frater, quot metaphoris adũbrantur ab vna parte opera legis, & pœnitentiæ: ab altera verò Euangelij, & gratiæ: & quomodo pro prioribus posteriora promittuntur. Qui vult itaque palatium Christi ingredi, & in cellam vinariam sapientis illius Salomonis introduci, sciat necesse est: amaritudinem pœnitentiæ: & afflictionem laborum portas illius esse: & qui aliunde vult ingredi, is fur est & latro. Ascende igitur, mi frater, cum Sponsa, primo in montem myrrhæ: hoc est: ad amaritudinẽ doloris & mortificationis, & confestim audies verba quæ sequuntur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Terror legis præcedit, cõsolatio Euãgelij sequitur.

Exod. 19.

Actor. 2.

Esai. 61. 1.

Cant. 3. 7.

Verum quidem est, Dominum nonnunquam hũc ordinem inuertere, & præuenire, quos ad se trahere vult, primò cum benedictionibus dulcedinis, ne tergiuersentur, néve terreantur vulnere diffidentiæ, & timore pœnitentiæ: postquam tamen eos confirmauit, & corroborauit, statim mittit in illos spiritum incredibilis doloris: post quem sequitur gratia pacis & consolationis, de qua iam diximus. Idipsum & Dominus significat, vbi loquitur de anima verè pœnitentis apud Oseam dicens: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem: & loquar ad cor eius, & dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem: & canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ.* Primò inquit lac spiritualis dulcedinis illi dabit: deinde vallem Achor, hoc est, cõmotionẽ, & amaritudinẽ pœnitentiæ: & tandẽ post vallem Achor, reddet illi cantica iuuentutis suæ: quæ sunt gaudia & exultationes animæ, in se recipientis pignus noui amoris, & gratiæ, quod Dominus dat tãquam arrham futuri matrimonij, & primitias subsecutuæ gloriæ.

Ose. 2. 14.

Notandum hoc loco est, eundem hunc ordinem, quem hic posuimus, & quem ostendimus Deum cõmuniter obseruare in conuertendo peccatore, ferè obseruari quoq; in profectu vnius gratiæ ad alterã; quoties scilicet homo de vna gratia minori, ad alteram maiorem ascendit. Cùm enim Dominus noster animam aliquam ad altiora vult extollere, disponit illam priùs per gemitus, desideria, timores, dolores, afflictiones spiritus, & labores corporis, vt det ei dona sua: volens vt semper hyems pluuijs & tempestatibus plena præcedat, antequam floridum & fructuosum ver donorum gratiarumq; suarum veniat: & quantò maiores futuræ sunt gratiæ, tantò maiores solent esse afflictiones & desideria, quæ præcedunt illas. Nemo igitur desperet, neq; doloribus obruatur, cùm se in hoc statu deprehendit: sed potius gaudeat, atq; hinc coniecturam, indiciumq; sumat magnarum gratiarum, quas Dominus mox illi dare decreuit.

A minori gratia ad maiorẽ non nisi dolore præuio ascenditur.

SECVNDA PARS
POENITENTIÆ, QVÆ EST Confessio.

IN CONFESSIONE SEPTEM SVNT obseruanda.

CAPVT I.

QVVM de prima parte pœnitentiæ, hoc est, de Contritione, abundè satis dictũ sit: æquum est, vt ad secundam pergamus, quæ est Confessio. Qui itaque debito modo vult confiteri (quod paucissimi norunt) postquam fecit ea, quæ hactenus dicta sunt de Contritione, debet septem alia circa Confessionem obseruare, de quibus ordine dicemus.

Admonitio prima.

PRimò requiritur certum temporis spatium, antequam pœnitens ad Confessionem veniat, vt in eo conscientiam suam examinet, & ad memoriam reuocet omnia peccata sua præterita, maximè si multi dies interceserint, ex quo vltimò confessus est: qua in re, vt quidam Doctor monet, ea adhibenda est cura & solicitudo, qua quis vteretur in negotio graui & maximi momenti: nam si verum fateri velimus, inter omnia negotia seria non est aliud grauius & maioris ponderis. Est autem hæc diligentia tantopere necessaria, quòd sine hac Confessio inutilis atque nullius esset pretij: quemadmodum & illa, in qua pœnitens sciens, & ex industria peccatum aliquod silentio tegeret, nec confiteretur: idem enim est, (vt aiunt Doctores) peccatum aliquod data opera reticere, & tam negligẽter, nullaque præmissa præparatione ad Confessionem veni-

Examinãda ante Confessionem conscientia.

Scotus.

Cõfessio sine præuia præparatione est nulla.

venire, ita vt fieri non possit, quin aliquid omittatur. Hæc doctrina adeò necessaria est, vt in omnibus triuijs debeat meritò proclamari, & in plateis omnibus prædicari, cùm tam multi homines turpiter in ea hallucinentur, qui venientes ad templum, procidunt ad genua sacerdotis, sine vlla præuia præparatione, vel examine: quique præter sacrilegium, quod committunt, de nouo confiteri obstringuntur, dum aliquid omiserint, aut data opera celauerint, vt paulò ante dictum est. In eo enim casu non recordari, aut alicuius non meminisse, non excusat, sed accusat: cùm illud non ex defectu naturali, sed ex notabili negligentia ipsius personæ oriatur. Ne itaque homo in illud inconueniens incidat, debet (vti diximus) sese præparare, atque conscientiam suam prius examinare. Modus autem & ordo examinis huius fieri potest secundùm ordinem & numerum præceptorum Dei, & peccatorum mortalium, considerando quoties in singulis peccauerimus, cogitatione, locutione, opere: additis etiam suis circumstantijs, quæ cum peccatis huiusmodi concurrunt, si quæ sint, quæ necessariò debent in Confessione exprimi: de quibus omnibus paulò pòst latius agemus.

Quomodo conscientia examinanda.

ADMONITIO SECVNDA.

CAPVT II.

Numerus peccatorum exprimẽdus.

SEcundo admoneatur pœnitens, vt veniens ad Confessionem etiam exprimat numerum peccatorum: scire enim vnusquisque debet, quoties hoc aut illud peccatum commisit: nisi enim numerus exprimatur, non erit integra Confessio: & si numerum distinctè non recordetur, tamen aliquatenus, prout illi possibile erit, paulò vel plus vel minus dicat, prout nieminerit. Quod si nequaquam recordetur, & sit peccatum durans, seu perseuerans, quale est inimicitia, vel odium, vel peccatum carnis, dicat saltem quanto tempore illi fuerit obnoxius: ex eo enim aliquo modo numerus peccatorum potest diuinari, quæ tanto tempore committi potuerunt. Cæterum, si sit peccatum quod continuam actionem non habet, sed multoties committitur, vt sunt peierare, detrectare, maledicere, vel quid simile, nec illi occurrat numerus, quoties tale perpetrauit, dicat saltem sibi illud esse familiare, & aut quoties offerebatur occasio in illud se incidisse, aut aliquoties illi restitisse: sufficit enim medicum hoc modo intelligere dispositionem infirmi, vt sciat illi mederi.

ADMONITIO TERTIA, DE CIRcumstantijs in Confessione.

CAPVT III.

Circũstantiæ dicẽdæ sunt.

NOn sufficit confiteri species & numerum peccatorum, sed & necesse est etiam circumstantias illorum confiteri, cùm tales sunt, vt repugnent alicui mandatorum Dei, vel Ecclesiæ, aut cùm notabiliter peccatum aggrauant, etiamsi speciem non mutent. Etenim licet operatio peccati mortalis sit vna, potest tamen accedere eius qualitatis turpitudo, quæ necessariò in Confessione sit exprimenda: exempli gratia, si quis furetur arma ad occidendum aliquem, cuius vxorem concupiscit: hic liquet furtum vnam esse operationem, & proinde peccatum vnum, sed opus illud duas secum adfert alias turpitudines, nimirum velle occidere, & adulterium committere, quæ pugnant cum duobus illis mandatis: *Non occides, & non concupisces vxorem proximi tui.* Huiusmodi circumstantiæ, quæ sic aggrauant peccatum, necessariò debent in Confessione exprimi. Aliæ verò circunstantiæ, quæ non sunt eius naturæ & qualitatis, vt sunt murmurare in templo, facere delictum aliquod in die ieiunij, vel festo, possunt sine periculo taceri: quamuis illas etiam confiteri consilij sit, quemadmodum & peccata venialia recensere. Quia verò aliquantulum difficile est, posse inter has & illas circumstantias differentiam inuenire, nos eas hic commemorabimus, ad quas exprimendas homo communiter obligatur. Primò in peccatis carnalibus necesse est exprimi personam, qua cum peccasti: nam vt variæ sunt personarum qualitates, ita quoque ipsa peccata sunt diuersa: peccare namque cum soluta, simplex est fornicatio: cum coniugata, adulterium, cum honesta virgine, stuprum, cum sanguine coniuncta, incestus, cum religiosa vel Deo consecrata, sacrilegium, vel adulterium spirituale. Semper igitur peccatum hoc pronunciari debet, addita simili circumstantia, non tantum quando committitur actu, sed etiam cum sola vel cogitatione, vel desiderio perpetratur: apud Deum enim, & hoc, & illud peccatum est. In hoc peccatorum genere, & in similibus, debet quoq; exprimi circumstantia scandali: per scandalum autem hoc loco intelligimus, cum quis siue opere, siue verbo malo dedit alteri occasionem peccandi, vt cùm quis fœminam ad peccandum inuitat, cum quis alterum ad lusum alearum, ad vindictam ab hoste sumendam &c. excitat. Sed & in peccatis carnalibus, præter ea quæ iam antè dicta sunt, exprimi quoque debet, an per vim commissum sit, an verò qua cum peccasti consentiente: in illo enim scandalum est, peccatum sanè grauissimum: in hoc non. Dici quoque debet, an peccaueris in tali loco, & in præsentia talium personarum, vt malo tuo exemplo dederis alteri simile quid faciendi occasionem: vt si homo alicuius auctoritatis extra necessitatem carnes comedat, in die quo non licet: aut aliud aliquod peccatum committat, præsentib. ijs, qui ad simile quid possent prouocari: in hoc enim casu necesse est, vt confiteatur circunstantiam scandali, & mali exempli, quod alteri dedit. Hæc & huiusmodi obseruare debent domini, qui in ędibus suis mensas aleatorum ferunt, patres quoque & matres, quorum dicta & facta sunt leges filiorum: necesse enim est, vt maiores ea faciant quæ minores licitè possunt imitari. Saul semetipsum gladio suo interfecit: quod cum vidisset armiger illius, ipse quoque gladium euaginauit, & in eum irruens, se quoque occidit, existimans se non peccare, si faceret idem, quod Rex suus iam antea fecerat, licet semetipsum interimeret. Necesse quoque subinde est, dicere circumstantiam loci sacri, & præcipuè tribus in casibus, nimirum furto, sanguinis effusione, & seminis humani eiectione, & quando vnum vel alterum est cum peccato: horum enim vnumquodque propter locum mutat speciem peccati, & sacrilegium efficit, quod est peccatum grauius. Similiter si quis votum emiserit, aut iuramentum, se aliquid facturum, aut non facturum, atq; idem facere vel nõ facere speciali Dei mandato illi præceptum esset, vt non iurare, vel occidere, vel fornicari, &c. nihilominus postea contrarium faceret, teneretur ad exprimendam circunstantiam illius voti, vel iuramẽti facti: etenim ista circumstantia facit, vt quod erat peccatum ratione vnius, etiam peccatum fiat ratione alterius.

Persona qualitas qua ei peccasti exprimenda.

Circunstãtia scandali exprimenda.

Locus dicendus.

1. Reg. 31.

Quãdo locus facer exprimendus.

Iuramẽtũ aut votum malum.

Exod. 20. 13.

QVARTA ADMONITIO: NON ESse necessarium, vt quis aliud confiteatur, quam peccati speciem.

CAPVT IV.

QVarta admonitio est, vt quis, obseruatis ijs, quæ de numero, & circunstantijs peccatorum diximus, aliud nihil agat, quam solam peccati spe-

ti speciem confiteatur: hoc est, nomen quo appellatur, vt furtum, odium, adulterium, & similia. Ex quo primùm infertur, non esse necessarium pro declaratione alicuius peccati, totam historiam facti contexere: sed sufficit nomen peccati dixisse, & quoties illud commisit, omissa historia quomodo factũ est. Quam cautelam si pœnitentes obseruauerint, poterunt optimè, & quidem breuissimè multa confiteri peccata, reducentes singula ad suas species, & dicentes: Mille furta commisi, tot occidi, toties adulterium commisi &c. Vt autem homo id commodius facere discat, meminerit, cum vult historiam aliquam commemorare, id non alio tendere, quam vt semetipsum incuset de aliquo peccato, quod (dũ id ageret, quod narrat) commisit. Excerpat igitur ex illa historia, quod commisit, & in eo se accuset, vt oportet. Quod si hoc facere non poterit, faciat eo modo, quo potest. Deus enim à nemine postulat, quod non scit, aut non potest. Hinc etiam infertur, non esse necessarium minutatim referre omnia quomodo, & qua ratione peccatum commissum sit, maximè si sit carnale: sed sufficit dixisse solam speciem illius, vt diximus: & licet hæc materia turpis sit, tamen ad remedium nostræ turpitudinis erit necesse, hic pauca dicere de hac obscœnitate, & honestas aures nonnihil offendere, de hoc peccato paulò particulariùs differendo.

Non integra historiam narrandam.

Non esse minutatim quaque dicendo.

Peccata carnalia quomodo confitenda.

Pro intelligentia huius obseruandum est, peccatum aliquod turpe & inhonestum posse committi, vel cogitatione, vel locutione, vel tactu, vel opere consummato. Si fuerit commissum opere consummato, sufficit dixisse nomen operis, hoc est perpetraui adulterium, aut incestum, aut simplicem fornicationem, idque toties, non addendo maiorem particularitatem, quæ intelligitur ex ipsa operationis specie. Si tactu, satis est dicere, toties inhonestè talem personam attigi, nec opus est addere in tali loco, aut quomodo, nisi post tactum aliquid esset subsecutum, quod peccati speciem mutaret. Si locutione, sufficit dicere: toties inhonesta locutus sum, ad prouocandum meipsum aut alium ad malũ, ad oblectandum aut recreãdum memetipsum, in illis nec requiritur, vt exprimas, locutus sum hoc, aut illud: Si cogitatione peccaueris, sufficit dicere: toties turpia cogitaui, & in ijs consensi, aut delectatus sum, nec requiritur vt adijciatur, cogitaui tale, vel tale quid: id quod nonnulli faciunt cum maximo suo pudore, sine Sacramenti necessitate.

Hæc omnia sunt adeò manifesta, quod superfluũ esset de ijs mẽtionem facere, nisi contrarium fieri videremus: sed inueniuntur quidam adeò rudes, atq; cæci, vt etiam in meridiè lucerna illis opus sit. Scrupulosi verò alium modum declarandi suas cogitationes quęrere non debent: sufficit enim eo modo eas manifestasse quem Doctores Ecclesiæ sufficere docuerũt: isto modo contenti esse debent, nec ad alium sunt obligati.

ADMONITIO QVINTA: QVOMODO confiteri quis debeat peccata cogitationis.

CAPVT V.

Cogitationes esse quadruplices.

QVia verò in confitendis peccatis cogitationis specialis sese offert difficultas, explicabo breuiter, quomodo hic agendum sit. Sciendum itaq; est, prauas cogitationes esse quadrifarias: quarum primæ confestim euanescunt: secundæ aliquamdiu durant: tertiæ sunt cum consensu opere adimplendi: quartæ cum voluntaria seu deliberata delectatione: & in ijs nos oblectamus. Quantũ ad primas,

I. certum est illas non esse peccata, sed coronas & merita, proinde in confessionem non veniunt, etiamsi lucta cum illis duraret integrum diẽ: cùm enim homo ijs resistit, & viriliter cum illis pugnat, non peccat, sed coronam meretur. Quo ad secundas: peccata

II. sunt venialia, plus minusve grauia, iuxta quantitatẽ temporis, quo quis in ijs permansit. Et modus confitendi cogitationes istiusmodi hic est: Confiteor me habuisse cogitationem inhonestam, iræ, odij &c. & non reieci illam tali cum diligentia, quali debebam, sed aliquandiu in ea commoratus sum. Quod spectat

III. ad tertias, hoc est, cum consensus accedit, & iam sententia stat velle malam cogitationem opere perficere, etsi postea factum non subsequatur, certum est peccatum esse, & eiusdem speciei, cuius fuisset opus subsecutum. Nam, vt Theologi loquuntur, actus exterior nihil addit essentialiter ad actum interiorem. *lib. 2. qu. 10. art. 4.*

IV. Ad quartum cogitationum genus, cùm quis volens in mala cogitatione aliquandiu perseuerat, ex ea captans voluptatem aliquam, etsi non sit illi animus opere quod cogitat perficere: dico etiam esse peccatũ mortale, quod Theologi appellant delectationem morosam, hoc est, vt Hispani dicunt. Si non bibam in taberna, tamen animo in illa me oblecto. Est autẽ hoc genus peccati familiare quibusdam hominibus malis, pecuinis moribus, & amicis voluptatum seu delectationum sensualium. Quamuis enim non sit illud actu in peccato consentire, tamen est, consentire in delectatione illius, & sese in manifestissimum periculum etiam in opere consentiendi præcipitare. Intelligitur hoc, cùm quis sentiens vel animaduertens hanc cogitationem, eam non confestim repellit. Etenim si statim, vbi animaduertit, eam flammam conetur extinguere, non erit peccatum mortale, quia non componit animum ad id, quod cogitabat. Verũ quidem est esse peccatum veniale: debebat enim homo vigilare, & solicitè mẽtem custodire, ne qua huiusmodi subrepat cogitatio. Potest autem hoc genus peccati in omnibus criminum mortalium speciebus accidere, cum tamen communiter in peccatis carnalibus, & in vindictæ cupiditate locum soleat habere, quæ cæteris magis incentiua sunt, & contagiosa. In hoc peccati genere sæpe solent impingere homines inhonesti, & vitijs dediti: qui non habent opportunitatem opere, quod malè desiderant, adimplendi: ideoq; faciunt quod possunt: hoc est, voluuntur suis cogitationibus in vòluptatum sterquilinio, cùm vel honor, & existimatio eorum actum ipsum impediat vel viæ ad opus ipsum intercludantur, eo quod nimis diligenter obseruantur. Huic quoq; periculo vicini sunt illi, qui illicito quodam amore, vel alio inhonesto affectu capti sunt, ob summam violentiam, quam habet affectus ille in cordibus humanis excarnificandis: potest enim quocunq; vult animum hominis flectere, atq; in re, quam amat fixum, immotumq; quam diu vult, detinere. Nihil itaq; periculosius potest inueniri, quam tali alicui affectioni locum dare: qui enim hoc agit, is crudelissimum tyrannum in ædes suas recipit, destructoremq; innocentiæ, & occasionem, incentiuumq; multorum peccatorum admittit. Periclitantur etiam hic, qui versantur in contractibus matrimonij: quamuis enim delectationes iam copulatorum sint licitæ, ante copulam tamẽ licitæ non sunt: delectatio enim est præsens, & copula futura, quæ multis adhuc modis potest impediri. Idcircò licita non est delectatio, quæ ante cõtractum matrimonium captatur.

Delectatio morosa quale peccatum.

His quatuor cogitationum differentijs bene intellectis, non erit difficilè de ijs confiteri, si exprimat pœnitens, an in ijs aliquamdiu hęserit, an consensus accesserit, aut morosam delectationem in ijs captauerit.

ADMONITIO SEXTA, VT POENITENS parcat famæ proximi.

CAPVT VI.

SExta admonitio est, vt pœnitens studeat famæ proximi sui consulere, eo modo peccata sua cõfitens, vt non simul aliorum detegat, neminem nominans, sed tantùm dicens: Peccaui cum personâ coniugata vel soluta, &c. Quod si autem circunstantia personæ talis sit, vt per eam Confessarius possit personã cognoscere, debebit in eo casu pœnitens aliũ quærere, qui personam non nouit: vt hoc modo inconueniens illud euitetur, quod si id fieri nequeat, tunc (cùm Confessarius eius sit qualitatis) circunstãtia dicatur, non enim est illud diffamare propriè, sed peccatum manifestare.

Pœnitẽs se nõ excusset, nec ea dicat quæ non fecit.

Admonendus etiam est hic pœnitens, vt non excusset sua peccata, nec ea dicat, quæ fortasse non fecit, nec dubia pro certis proferat, nec certa pro dubijs, sed singula suo loco referat in nullam partem deuians.

Qualis Confessarius eligendus.

Vltimo loco pœnitens monendus est, vt conetur non minus bonum medicum animæ sibi eligere, quã corporis eligeret, si infirmaretur. Multum enim interest, qualis ille sit: Confessarium siquidem ignarum & rudem quærere, nihil aliud est, quàm quærere ducem, à quo quis ad infernum ducatur. Nam, teste Saluatore: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* & qui illud faciunt, non sine maximo sunt periculo: namque, teste Chrysostomo, non excusat eos ignorantia, qui veritatem inuenire potuissent. si quærere voluissent: si enim veritas est salus & vita eorum, qui cognoscunt eam, non est æquum, vt ipsa quærat aliquem, sed ab omnibus potiùs quæratur.

Matt. 15, 14.

Chrysost.

DE CASIBVS, IN QVIBVS CONFESSIO nullius est momenti, & denuo debet iterari.

CAPVT II.

VT autem manifestiùs appareat, quanti ponderis sint singula, quæ diximus, vtilissimum erit hic summatim recensere casus magis communes, in quibus Confessio est nulla, ita vt ea necessariò repeti debeat. Quorum primus est, cùm pœnitens

Casus I. dixit in Confessione mendacium in peccati lethalis

II. materia. Secundus, si data opera peccatum aliquod mortale celauerit: illud autem intelligendum est, cùm pœnitens sciebat esse peccatum mortale, quod tacuit: secus autem si illud ignorauerit, & postea cognouerit: tunc enim sufficit si in proxima Confessione sese accuset, nec tenetur ad eandem Confessionem repetendam, etiamsi ignorantia fuerit talis, vt non excusauerit illum à peccato mortali, cùm delinqueret. Tertius casus est, si multo tempore confessus nõ

III. sit, & nullo præmisso conscientiæ suæ examine ad

In admonitione prima Confessionem veniat: in hoc enim casu obliuio non excusat pœnitentem, sed grauius accusat, quemadmodum suprà demonstratum est. Quartus, cùm pœnitens ante Confessionem firmum propositum peccata, quibus obnoxius est, relinquendi non fecit, vti

IV. solet dici de inimicitijs, inueteratis odijs, carnali voluptate, & similibus peccatis, in quibus hactenus vixit: aut cùm non vult restituere, quod possidet iniustè. Quintus, cùm est in excommunicatione, & non

V. studuit priùs absolui, & communioni restitui. Sextus

VI. casus est, si Confessarius indoctus indocto obtigerit pœnitenti, & difficiles casus in Cõfessione sint decidendi: in eo namq; casu fieri non potest, quin error committatur, & proinde maiori cura hic opus est, vti suprà diximus.

Nota. Notandum autem hic est, in quocunque horum casuum, in quo Confessio debet iterari, si eidem fiat Confessario, non esse necessarium omnia peccata repetere, quæ dixisti priùs, si istorum ille memor sit, sed sufficit dicere: Omnium peccatorum, quę tali die paternitati vestræ confessus sum, reum me iterum agnosco, & præter illa confiteor etiam me peccasse, hoc aut illud faciendo, propter quod confessio est repetenda.

Et quia multi non sine causa dubitare possent, an semper hæc omnia obseruauerint, & in nullo defecerint optimè, consultissimeq; iudicio meo facturus est homo, vt semel saltem in vita sua generalem reddat Confessionem, vt per illam tollantur omnes negligentiæ, atque in posterum maiorem curam suijpsius habeat.

Cæterum ad iuuãdam memoriam hic breue Memoriale peccatorum subijciemus, vt illius beneficio pœnitens suam faciliùs queat examinare conscientiam, & sese ad hoc Sacramentum præparare, quæ est prima admonitio ex ijs, quas suprà tradidimus. Ponemus autem hic non innumerabiles modos exquisitissimorum criminum, vt multi faciunt, sed ea tantum breuiter perstringemus, quæ hominibus familiaria magis sunt, & communia.

MEMORIALE PECCATORVM.

DE QVIBVSDAM ACCVSATIONIBVS initio Confessionis præmittendis.

CAPVT VIII.

PRimò dicet, se non cum ea præparatione ad Sacramentum accedere, quæ requiritur, hoc est, non cum eo dolore & compunctione peccatorum, non cum tam firmo proposito emendandæ vitæ, quo cum deberet: Quod non examinauit tam diligenter suam conscientiam, nec peccata præmeditatus est, vt deceret: Quòd cum communicauerit, nec ante, nec post communionem tam fuerit ab omnibus exterioribus abstractus, animoque præsens & pius, quàm tale Sacramentum postulabat: Quod pœnitentiam sibi à Confessario iniunctam non perfecerit debita cum diligentia & deuotione? Quod non ita perfectè satisfecerit Confessarij præceptis: & hic exprimendum est, si peculiariter iusserit aliquid restitui, votum reddi, peccatum aliquod relinqui, vel periculosam occasionẽ fugere, in quibus Confessario non obediuit: hocita dici debet, vt melius cognoscat Confessarius quomodo in eo se cum Pœnitente gerere debeat.

Deinde incipiat peccata commemorare secundum ordinem, qui sequitur.

CONTRA PRIMVM PRÆCEPTVM.

DILIGES DOMINVM DEVM tuum, &c.

QVM Deus tribus virtutibus Theologicis, vt ait B. Augustinus, colatur, Fide, Spe, & Charitate: dicendum hic est, de operibus ijs contrarijs: & primò debet pœnitens confiteri, in quibus CIRCA FIDEM deliquit: An in aliquo duodecim articulorum fidei dubitauerit; *Dubius enim in fide infidelis*

delis est. Si non dubitauerit, an saltem vacillauerit, an in re aliqua nonnunquam titubauerit; atque hoc est veniale. An quæsierit temere, & conatus fuerit curiosè indagare, quæ sunt fidei. An fidem adhibuerit somnijs, augurijs, sortilegijs, fascinationibus; aut an his vsus sit. An superstitiosas chartas, obscura & ignota vocabula circunferat. An aliqua pia exercitia malo aut vano fine fecerit, exempli gratia, vt aliquis moriatur, &c.

Circa Blasphemiam, quæ ad fidem pertinet, culpam suam fateatur. An blasphemauerit Deum, vel Sanctos eius. An indignatus fuerit, vel iratus Deo: an contrà illum murmurauerit, aut nimis impatienter luxerit suas tribulationes à Deo immissas: tanquam ille nec iustus esset, nec misericors. An cum indignatione mortem desiderauerit, vel inuocauerit: aut si dixerit sibi non placere vitam quam Deus illi largiebatur.

Circa Spem videat, an in tribulationibus & angustijs, quæ occurrunt in hac vita, fiduciam illam in Domino Deo nostro habuerit, quam habere debet, cum auxilio & consolatione, quam viua spes solet secum adferre. An econtrario omnem fiduciã in creaturis collocauerit, & in fauore & patrocinio huius mundi. An de peccatorum suorum remissione; aut emendatione vitæ suæ desperauerit. An econtrario propter nimiam præsumptionem de misericordia Dei in peccatis perseueraverit, aut pœnitentiam vsque ad senectutem, aut ad horam mortis prorogauerit.

Circa Charitatem: An amauerit Deum super omnia, ex toto corde, tota anima, totis viribus, quemadmodum id Deus à nobis postulat. An bona opera, quæ fecit, ob vtilitatem aliquam, aut propter aliquem respectum humanum potius fecit, quam propter amorem Dei. An solicitus fuerit, vt se Deo quotidie commendaret. An gratias egerit Deo pro beneficijs ab eo perceptis, præcipue verò quia ab eo creatus est, redemptus, Christianus factus, & non Turca, Sarracenus, aut hæreticus. An oret more Christianorum & secundum præscriptum doctrinæ Christianæ. An persecutus fuerit seruos Dei, & illos qui confitentur, communicant & orant frequentius: si scandalizauerit eos, aut contra illos murmurauerit. An seipsum periculo Deum offendendi exposuerit, faciens ea, de quibus dubitabat, essent ne peccata mortalia, an verò non.

CONTRA SECVNDVM PRAECEPTVM.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

AN scienter falso iurauerit, an dubitando, nec inquirendo verumne esset, an falsum, quod iurabat. An iureiurando promiserit, & postea fidem non soluit, aut non habuerit intentionem seruandi fidem, cùm iurabat. An iurauerit minas intentans subditis suis, non habens intentionem præstandi opere, quod verbis iurabat. Quòd si autem postea visum ipsi fuerit, expedire suis ignoscere, & conuenientius esse vti misericordia, quàm rigore, non obligatur ad hoc obseruandum. An iurauerit comminando his, qui non erant eius subditi, se facturum quod esset peccatum mortale. An iurauerit se nolle bonum aliquod facere, vt est mutuum dare, iniuriam proximo ignoscere, infirmos visitare, concionari, &c. Illud iuramentum non ligat, vti nec id quod sequitur. An iurauerit se malum aliquod perpetraturum. Hic etiam considerandum est iuramentum maledictionis, quod frequens est, & valde vitatum, si in illud incideris. An causam præbuerit alicui falso iurandi, aut non seruandi iuramentum licite factum. An familiare sit sibi sæpe iurare: est enim hoc valde periculosum, & periurio proximum, vnde tales sæpe falso iurant. An reprehenderit suos filios, aut subditos, cùm eos audit sæpius iurare.

Circa Vota: An votum aliquod violauerit, aut distulerit æquo diutiùs illius executionem. An vouerit se alicui iniuriam illaturum, aut saltem non profuturum, nec bene facturum: quæ vota non obligant. Et in commutatione voti diligenter attendat, vt seruetur æqualitas, aut commutatum maius sit eo, quod antea vouerat: alioquin enim commutatio non erit iusta, si hoc modo fieri potest.

CONTRA TERTIVM PRAECEPTVM.

Memento vt diem Sabbathi sanctifices.

AN non sanctificauerit festa, faciens, aut fieri præcipiens in illis opera seruilia, etiam si res esset exigua. An sine legitima causa illis diebus neglexerit integram audire Missam. An in Missa, aliisque officijs & locis sacris steterit sine debita reuerentia: aut eò tempore liberius huc illuc circunspexerit, fabulatus fuerit, riserit, murmurauerit. An ijsdem diebus compulerit proles, famulos, alioscque subditos, vt sacrificio Missæ interessent. An Festiuitates Ecclesiæ vanis & inutilibus exercitijs transegerit. An negligens fuerit in audiendis concionibus. An excommunicatus diuinis officijs interfuerit, aut aliqua Sacramenta perceperit.

CONTRA QVARTVM PRAECEPTVM.

Honora patrem tuum & matrem tuam &c.

IN hoc præcepto tractatur primò de cura filiorum erga parentes, & parentum erga filios. Secundò, de cura seruorum erga dominos, & dominorum erga suos seruos, & clientes. Tertiò, de cura Prælatorum erga subditos, & horum erga illos. Quartò, de cura vxorum erga maritos, & maritorũ erga vxores. Quintò, de cura socerorum erga generos, & generorum erga soceros, omnium enim horum quasi vna est regula. Sed & hoc loco pœnitens sese debet examinare, quomodo sese gesserit erga seniores & benefactores.

Videat igitur primò filius, an contempserit, maledixerit ve suo patri, vel matri. An illis fuerit inobediens in rebus licitis. An illis opem tulerit in necessitatibus eorum. An patris vnquã puduerit, eò quòd vilis & pauper esset. An mortem eorum propter hæreditatem desiderauerit.

Perpendant vicissim patres, an habuerint debitam curam suorum filiorum, præcipuè verò vt orationem Dominicam, Symbolum, & Christianam doctrinam doceantur. An corripuerint & castigauerint eos, cùm officium non fecerunt, aut malorum consortio adhæserunt. An eos honestis occupationibus exercuerint, ne otiarentur, aut vagarentur. An eos in immodicis delicijs educauerint, & nimium eorum voluntati indulserint, in omnibus eorum appetitus sequentes.

Idem considerandum erit dominis erga suos seruos, & subditos eodem ordine; & præter ea videant quoque an dederint eis sufficienter necessaria; etiam an ægrotantibus illis medicum aduocauerint, & eos curare studuerint. An in infirmitate curauerint eos Sacramentis Ecclesiæ muniri. An permiserint eos in odijs atque inimicitijs, aut alio grauiori peccato diu perseuerare, cùm remedium adhibere potuerint.

Inter soceros & generos, aut nurus diligenter attendi debet, an sint inter eos malæ passiones, iurgia, maledicta, vnius vel alterius mortis desiderium propter hæreditatis possessionem.

Inter coniuges, animaduertat maritus, an malè tractauerit vxorem: an verbo aut opere læserit, an necessaria illi non dederit. Videat vxor, an maritum suum malè habuerit, aut non obediendo, aut ei iniuriam inferendo, aut denique ad impatientiam prouocando atque ad blasphemiam adigendo. An fuerit sine causa zelotypa.

Subditus consideret, an inobediens fuerit suis maioribus, eorumque legibus & præceptis. An corde illos spreuerit. An murmurauerit contra eos, aut de ijs conquestus fuerit. An malo sine illorum actus temere iudicauerit, dicens eos fecisse aut ex affectu, aut propter commodum proprium, vel similem respectum humanum. An senes contempserit, aut non honorauerit, aut eos habuerit ludibrio, irritauerit, vel ad indignationem prouocauerit. An ingratus fuerit suis benefactoribus, immemor acceptorum beneficiorum, aut (quod peius est) an pro bono malum reddiderit.

CONTRA QVINTVM PRAECEPTVM.

Non occides.

QVantum ad animam, perpendat primo, an spiritualiter occiderit proximum suum, incitando illum, consiliumve aut occasionem illi dando ad peccandum lethaliter: atque hoc est peccatum scandali. An fuerit illi socius, fautor, vel adiutor in re aliqua mala.

Quantum ad corpus, an quempiam occiderit; an mortem proximi procurauerit, vel desideranerit, aut Deum precatus sit, vt illum tolleret. An vero & deliberato quempiam odio prosequatur, sese de illo cupiens vindicare; & quamdiu in illo odio vixerit. An aliquem non salutauerit, vel ei non locutus fuerit cum scandalo proximi. An auctor fuerit seditionis, vel cuidam huiusmodi auctori fauerit. An alicui non subito suo verbis minatus fuerit. An humiliter veniam petenti noluerit ignoscere, saltem in foro conscientiæ. An cum quempiam dictis aut factis offendisset, neque per se, neque per alium, vt sibi ignosceretur, petere voluerit, aut pro iniuria vel offensa non sufficienter satisfecerit.

CONTRA SEXTVM PRAECEPTVM.

Non mœchaberis.

ETsi quis in omni peccato queat delinquere cogitatione, locutione, & opere; tamen illud in hoc solet magis expresse vsuuenire quàm in alijs. Debet autem homo in vnoquoque illorum triũ generum exprimere qualitates & circunstantias eorum cum quibus peccauit, sicut suprà diximus.

Secundum ordinem itaque illum debet homo circa cogitationes confiteri, an fuerit negligens in resistendo, aut repellendo confestim huiusmodi malas cogitationes. An consenserit, cupiens opere perficere, si adfuisset opportunitas & facultas. An morosam delectationem habuerit in istis cogitationibus, ijs sese tanquam opere oblectans.

Circa verba. An verba inhonesta vel obscœna locutus fuerit, vel ijs delectatus sit. An verbis scriptis, muneribus, aut per tertiam personam aliquam ad peccatum prouocauerit.

Circa opera. An actualiter contra mandatum hoc peccauerit. An peccauerit si non actu, tamen inhonesto tactu proprij vel alterius corporis. Si data opera semetipsum polluerit, aut in somno pollutionem nocturnam senserit: de qua iudicandum est secundùm causam præcedentem, & dolorem seu voluptatem subsequentem. An aliquid fecerit, quo alium ad idem peccatum prouocaret; exempli gratia, ornando & vestiendo sese curiosiùs, in locis publicis & fenestris sese ostentando, frequentando loca in quibus videretur, &c. An promissionibus de præsenti vel futuro alterius castitatem violauerit. An occasiones huius peccati fugere noluerit, vt sunt societates, conuersationesque periculosæ, & in ijsdem ædibus cohabitationes, quæ omnium occasionum sunt maximæ. An legerit libros impudicos, quorum lectione ad peccatum potuit accendi. An ieiunijs, orationibus, Sacramentis, alijsque spiritualibus remedijs, quando hoc vitio valde tentatus fuit, se armauerit. Inter coniuges; an sibi mutuo debitum reddiderint. An aliquo modo fœtus generationem impedierint. An ordinem debitum, & naturale vas seruauerint, aut extra vas sese polluerint. An cognouerit vxoris suæ consanguineam in gradu prohibito. Iste namque casus impedit matrimonium, si ante illud acciderit; si postea, non potest debitum matrimoniale petere, nisi præuia Prælati sui dispensatione.

CONTRA SEPTIMVM PRAECEPTVM.

Non furtum facies.

AN aliquid alterius, siue per fraudem, siue per rapinam, vsuram, aut Simoniam abstulerit. An aliquid inuito domino suo detineat, & nõ restituat. Nec sufficit habere propositum restituendi postea, nisi statim restituat, etiam cum incommodo aliquorum, quæ ipsius statum decent. An mercedem suorum domesticorum, vel mercenariorum, aut mercatorum detineat contra voluntatem illorum. An inuenta, quæque in manus suas inscio vero domino inciderint, restituerit. An emendo vel vendendo cuiquam fecerit imposituram in mercibus, pretio, pondere, vel mensura. An emerit quicquam ab eo, qui vendere non potuit; vt sunt serui, minorennes, &c. An aliquid acceperit ab eo, qui dare non potuit. An eò, quòd emptor paratam pecuniam non daret, sed credi aliquamdiu sibi peteret, rem vltra iustum pretium vendiderit, nullam aliam habens legitimam causam secundum iudicium prudentis Confessarij. An contraxerit eum alijs ad lucrum & damnum, capitali semper saluo. An aliquem inter ludendum deceperit, & lucrum fecerit. An luserit pro tanta summa quæ ipsius conditionem excederet. An luserit cum ijs, qui minorennes adhuc erant, pro rebus quas amittere non potuerint. An inter ludendum iurauerit, rixam mouerit, aut cuiquam maledixerit. An officio, pro cuius functione stipendium sibi numeratur, fideliter satisfecerit, siue sit mercenarius, aut œconomus, aut quæstor alicuius domini tales enim tenentur ad restitutionem damni sua incuria & negligentia accepti. An existens distributor publicorum officiorum, aut beneficiorum, aut similium rerum, personas acceperit, ea ex fauore, & non secundum legem iustitiæ distributiuæ contulerit. An impetrauerit vt in gratiam sui beneficium, vel officium cuiquam datum sit indigno.

An decimas Ecclesiæ fideliter soluerit.

CON.

CONTRA OCTAVVM PRAECEPTVM.

Non dices falsum testimonium.

PRæceptum illud duos habet maximos ramos: in vno pendent peccata, quæ fiunt in iudicijs à iudicibus, procuratoribus, testibus, aduocatis, actoribus, & reis: in altero pendent infamiæ; detractiones, murmura, derisiones, ludibria, iudicia temeraria, suspiciones, mendacia, & adulationes. Quantum ad primum ramum, consideret pœnitens, an sit Iudex, Procurator, testis, &c. & secundùm illud culpam suam agnoscat, si in officio suo deliquerit. Quantum ad secundum ramum, videat pœnitens, An falsum dixerit testimonium. An mulier ex zelotypia, vel ira maledixerit alteri, dicens eam esse pessimam fœminam, lenam, venefícam, aut furem, si quid in suis ædibus desideretur, vel amittatur; etenim & hoc falsum est testimonium, si sine debita & legitima causa dicatur. An de aliquo malum dixerit ex mala voluntate, & cum intentione eidem malefaciendi, quod peccatum dicitur detractio. An occultum proximi peccatum diuulgauerit, ob quod ille infamis posset haberi, licet intentione lædendi proximum non fecerit; & licet verum sit quod dixit, tenetur nihilominus ad restitutionem famæ proximi, quam læsit. An voluntarie suas aures præbuerit detractatori, vel ei patrocinatus in illo fuerit. An famam proximi sui non defenderit, cum diffamabatur, sciens eum innocẽtem. An malum quid dixerit, quod ab alio leuiter audierat. An de alterius vita conquestus sit. Si proximi defectus naturales seu morales irriserit. An temere iudicauerit dicta vel facta proximi; in malam partem interpretando, quod in bonam potuit interpretari: An (quod peius est) alijs pro rei veritate narrauerit, quod temere in corde suo suspicatus erat, vel iudicauerat. An pronus sit ad suspiciones, ex leuissima re captans occasiones ad male iudicandum. An iurgia, & dissensiones inter proximos seminauerit, vnum aduersus alium incitando, vnius defectus alteri significando, vnde subinde grauissima nascuntur odia. An mendacium aliquod locutus sit in præiudicium aut vtilitatem proximi, vel aliam ob causam. An falsis informationibus obtinuerit, quod per modum iustitiæ non potuit. An secreta sibi credita reuelauerit. An aliorum literas illis inscijs aperuerit.

NOVVM ET DECIMVM PRÆCEPTVM IN SEXTO ET SEPTIMO explicantur.

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBVS SEV MORTALIBVS.

ET PRIMO DE SVPERBIA.

CAPVT IX.

Quid superbia. Filiæ superbiæ.

SVPERBIA est appetitus proprię excellentiæ. De hoc peccato multa oriuntur alia, inter quæ præcipua sunt, Vana gloria, Ambitio, Præsumptio, Iactantia, & Hypocrisis. De his singulis culpam suam dicere potest pœnitens modo sequenti.

Circa vanam gloriam. An gloriatus fuerit in rebus malis; vt sunt, si vindicauerit sese ab iniuria; si percusserit, si ignominia alium affecerit. An gloriatus fuerit in rebus vanis, & non dignus gloria; vt in faciei venustate, corporis elegantia, in personæ dotibus, in multitudine subditorum, diuitijs, nobilitate, alijsue rebus similibus, quæ parui sunt momenti. An superbierit in rebus bonis, & gloria dignis; vt sunt, Virtus, Scientia, Prudentia; cùm harum rerum gloria soli Deo debeatur. An adulationibus, aut humanis laudibus inflatus fuerit, superfluam delectationem ex ijs aucupando & gloriam, quę Deo debetur, non reddendo.

Circa ambitionem. An fuerit ambitiosus, & præter modum honoris gloriæque cupidus; feceritne propter hanc cupiditatem, quod facere non debebat. An adeò timuerit infamiam, conuitia, vel hominum detractiones, vt propter ea vitanda fecerit, quod faciendum non erat, aut non fecerit, quod erat faciendum. An propter hominum obloquia prętermiserit aliquod opus bonum facere; vt Confiteri, Communicare, Missam audire, cum bonis conuersari, &c.

Circa præsumptionem. An ex vanitate existimet se esse quod non est, cupiens videri studiosior, prudẽtior, & nobilior, quàm est. An sibi adscribat quod est, & Deo gloriam non det. An confidat proprijs viribus corporis, aut animæ dotibus, Sapientiæ, Virtuti, &c. An eam ob causam consilia, correctiones, & castigationes contempserit. An eandem ob causam defectus suos defenderit, & quæsierit excusationes in peccatis. An ne victus victori cederet, falsam suam opinionem mordicus defenderit, atque rei veritati præponi voluerit. An alium contempserit, flocci fecerit, dicens aliquid in illius contemptum. An tali cum præsumptione irriserit, & ludificauerit aliorum ignorantias & defectus.

Circa Hypocrisin. An voluerit videri, quod non erat, aut sanctior quàm est, vt honoretur, & pro pio ab hominibus habeatur.

Circa Iactantiam. An gloriatus fuerit, aut seipsum, vel sua ex vnitate laudauerit. An iactauerit proprium peccatum; vt si mulierem aliquam violauerit, aut alteri iniuriatus sit, vel male quempiam tractauerit. An exultauerit & laudauerit seipsum ob aliquid, quod non fecit, maximè si illud cum peccato coniunctum sit, vt videatur vir fortis & strenus & magni fiat ab hominibus.

II. CIRCA AVARITIAM.

AN auarus sit, & sordidus, diuitiasque cumulet sine modo, & rationabili causa: an e contrario prodigus sit, & suorum dilapidator. An absumat & decoquat, plus quàm possideat, ideoque seipsum perdat; nec curet rem domesticam, seruis, ancillis, & filijs necessaria non prouideat, vel monachos, aut ecclesiasticos eos volentes, nolentes faciat. An nimio & inordinato affectu diligat pecuniam, atque ita diuitijs intentus sit, vt Dei, & salutis animę suæ obliuiscatur. An alicuius mortem optauerit propter hæreditatem, aut aliud emolumentum, quod ex ea sibi venturum sperabat.

III. CIRCA LVXVRIAM.

DE hoc peccato dictum est antea in sexto Præcepto.

IV. CONTRA IRAM.

CONsideret primò, An sibijpsi iratus fuerit propriam mortem cupiens, & inuocans. An ex ira & furore semetipsum percusserit. An seipsum Dæmonio deuouerit. An maledictionem aut supplicium sibijpsi imprecatus sit.

Circa proximum. An absque legitima causa proximo iratus, vel indignatus sit. An ex ira vel furore aliquid locutus sit. An ex ira ignominiosa verba locutus sit, aut probra in aliquem iecerit; vt si quem-

piam furem, ebriosum, stupidum, asinum, &c. appellauerit, qui non erat ei subiectus, aut seruus, tunc est mortale. An ex ira cuiquam defectus suos exprobauerit, vehementia correptionis in conuitia delatus. An ex eadem ira dixerit aliquid, vel manifestauerit alterius peccatum illo absente. An maledixerit & Diabolo deuouerit creaturam Dei, aut sententiam mortis in aliquem ferri postulauerit, siue is sit subditus, siue non: quamuis inter hos sit differentia peccati. An fuerit perfidus & male moratus in suis verbis, & perfidijs. An iram quæ in corde latebat, in opere exhibuerit, verberando & percutiendo alios.

V. CIRCA GVLAM.

An statuta Ecclesiæ ieiunia violauerit. An in diebus prohibitis sine legitima causa carnes comederit. An vel tantum, vel talia ciborum genera sumpserit, vt sanitas corporis inde læsa fuerit. An nimium biberit, aut nimis sæpe, aut nimia cũ voluptate & gula. An sit valde appetens pretiosorum, & qui curiosè apparantur, ciborum, & in illis multum expendit.

VI. DE INVIDIA.

An deliberato animo doluerit ob bonum alterius: aut quia in aliqua re ab alio vinceretur, ægro animo tulerit, quemadmodum si alicuius ægrè ferat alium sibi præferri, potiori loco esse, & melius tractari, quam ipse tractatur, &c. An gauisus fuerit alterius malo, cùm videret eum honoris, famę &c. iacturam facere. An mala disseminauerit de proximo. vt eius personam redderet odiosam, vel infamem; vt alterius damno sua crescat existimatio. An occultum aliquem proximi defectum diuulgauerit, vt si forte sua crimina fiant manifesta, facilius negligatur. Similiter an doluerit, si quando bonum de proximo suo audiret prædicari.

VII. DE ACEDIA.

An omiserit aliquod bonum opus ex pigritia; vt sunt audire Missam, dicere officium, maximè cùm sint talia, ad quæ persoluenda tenebatur. An opera Dei fecit oscitanter, tepidè vel frigidè. An inconstans fuerit in bono proposito perficiendo. An ob leuem aliquam occasionem, deuotionem, & sancta exercitia intermiserit. An illa de die in diem differat. An diutius quam ipsi opus erat dormierit. An tempus inutiliter consumpserit in vanis cogitationibus, otiosis verbis, & inutilibus operibus. An impatiens fuerit, & nimis effœminatus in ferendis aduersitatibus. An econtrariò nimiùm cristas erexerit, & superbierit in prosperitatibus, fauoribus, & felici successu rerum mundanarum, quæ illi obtigerunt, nec gloriam dederit Deo largitori.

DE OPERIBVS MISERICORDIÆ.

Circa opera misericordiæ dicat culpam suam primò, si fuerit negligens in operibus spiritualibus misericordiæ, & specialiter in consulendis, admonendis, & corripiendis ijs, quos simili aliquo modo potuisset adiuuare, maximè autem eos, quibus hoc beneficium debebat. Quod si hoc aliquãdo fecerit, an tali cum indignatione, & tam exili cũ moderatione, fecerit, vt plus obfuerit, quàm profuerit. An condoluerit mundo propter infinita mala, calamitates, & hæreses, quæ nunc in mundo vigent, & an Deum rogauerit, vt ea minuantur aut tollantur.

Circa opera misericordiæ corporalia discutiat vitam suam, & videat, an proximis suis subuenerit, opemq; tulerit in ipsorum necessitatibus, & si eleemosynas pauperibus erogauerit, secundum facultatum suarum quantitatem. An illis vnquam indignatus sit, & stomachatus in eos murmurauerit, malum responsum illis dederit, importunus fuerit, aut irriserit.

DE ALIQVIBVS ALIIS PARTICULARIBVS ACCVSATIONIBVS.

CAPVT X.

Post accusationes, quæ omni hominum statui communes sunt, reperiuntur aliæ particulares, huic; vel illi statui & personæ propriæ; vt sunt, Episcopi, Pastores, Clerici, Religiosi, Mercatores, Medici, Procuratores, Iudices, Testes, Domini clientum, Patres familias, & similes alij: qui post examen prædictum, etiam sese examinare debent in ijs, quæ ad suum pertinent officium. Atque ita Prælati, & qui curam habent animarum, debent culpam suã fateri, si non resederint in sua Ecclesia, si negligentes fuerint in cura, quam susceperunt: quòd exiguos fructus fecerint in grege suo doctrina, exemplo, & oratione. Clerici, quomodo celebrauerint, & diuinum officium dixerint. Religiosi, quomodo votis suis satisfecerint, & ordinis sui statuta obseruauerint. Iudices, si personam in iudicio respexerint, aut si in fauorem alicuius iustitiam suspenderint, aut alicui iniustitiam fecerint. Procuratores, si causam iniustã defenderint, si curauerint sententiam prorogari, aut si negligentes fuerint in susceptis negotijs. Rei aut Actores, si petierint iniusta, aut extenderint litis suæ terminos contra leges iustitiæ: si suppresserint, aut ruperint scripta, quæ illam declarant: si peruerterint Iudices, eòsve muneribus, fauoribus, & promissionibus corruperint. Testes, an verum expresè iurauerint, sine cautela & calumnia. Mercatores, si mercaturam licitè & iustè exercuerint; an vnquam merces vendiderint, aut emerint iniustè. Similiter & omnes alij, vnusquisque secundum qualitatem sui status & conditionis.

DOCTRINA GENERALIS AD COGNOSCENDVM QVOD SIT PECCATVM MORTALE, QVOD VENIALE.

CAPVT XI.

In omnibus peccatorum speciebus, quæ hactenus à nobis cõmemoratæ sunt, necesse est scire, quod sit peccatum mortale, quod veniale, vt intelligamus necessariò debere nos confiteri peccata mortalia; sed veniale confiteri, aut non confiteri liberum esse. Quia verò illud difficulter paucis verbis potest declarari, sufficiet modò aliquot generales regulas in hunc vsum tradidisse, in reliquis pœnitentem ad iudicium prudentis Confessarij remittimus.

Prima regula, quæ hac in re tradi solet, valde generalis est nimirum: *Omne quod pugnat cum charitate, est peccatum mortale.* Per charitatem autem hic intelligimus amorem Dei, atque proximi. Secundũ hanc regulam igitur, omne id, quod aduersatur honori diuino, bonoque proximi in re alicuius momenti, erit peccatum mortale; vt sunt, illius honori detrahere, bona eius auferre, & similia. hæc enim extingunt charitatem, in qua consistit vita spiritualis animæ. Propterea vocatur peccatum mortale, quia vitam spiritualem tollit. Quidquid autem non est contra charitatem, sed extra ipsam, est peccatum veniale; vt sunt verba otiosa sine damno alterius, aut vana quædam gloria, aut ira, aut acedia, aut gula, hoc est, comedere vltra necessitatem, & similia.

Regula I. Ex qua cognoscitur peccatum mortale ne sit aut veniale.

Secunda regula magis particularis est hæc: *Omne id quod contrarium est alicui præcepto diuino, vel Ecclesiæ, peccatum est mortale*; vt si quis faciat contra præceptũ, *Non furtum facies; Non mœchaberis, &c.*

Regula II.

Vel

Vel contra præceptum Eccleſiæ, quod præcipit ſoluere decimas, confiteri & communicare vt minimũ ſemel in anno, idque circa feſtum Paſchatis, &c.

Mortale fieri poſſe veniale.

Cæterum hic diligenter notandum eſt, id quod natura ſua mortale peccatum eſt, poſſe aliquando eſſe veniale, propter alteram harum cauſarum, aut quia exigui eſt ponderis, vt qui vuam, pomum, aut quid ſimile furetur: aut quia eſt opus imperfectum, eò quòd non fiat ex deliberatione, & conſenſu integro; quemadmodum ſæpe fit in malis cogitationibus non conſentiendo, & tamen non reſiſtendo tanta fortitudine, quanta cum fieri debebat, ideoque quod natura ſua peccatum erat mortale, propter imperfectionem operis tantùm eſt veniale.

Præcepta quomodo obligant.

Amplius hic obſeruandum eſt tria eſſe mandatorum genera: quædam enim ſunt negatiua, vt, *Non occides*. hæc obligant ſemper, & pro ſemper, vt loquuntur Theologi, hoc eſt, in omni tempore. Alia ſunt affirmatiua, vt dandam eſſe eleemoſynam, cõtritionem peccatorum habendam, Deum ſuper omnia diligendum: & hæc obligant ſemper, non tamen pro ſemper, ſed in tempore neceſsitatis: tunc enim obligant. Sunt & alia quædam partim affirmatiua, partim negatiua, vt eſt Reſtitutio rei alienæ: illud namque mandatum præcipit, vt reſtituatur, & vetat ne detineatur quod alterius eſt; & huiuſmodi præcepta obligant ſemper, & pro ſemper. Propterea non ſufficit, quòd is, qui ad reſtitutionem alicuius rei tenetur, proponat ſe aliquando illud redditurum, ſed neceſſe eſt, vt eueſtigio reſtituat, vt non retineat alienum inuito domino: hoc enim mandatum eſt negatiuum, quod obligat (vt diximus) ſemper, & in omni tempore.

TERTIA PARS POENITENTIÆ, QVÆ EST SATISFACTIO.

CAPVT I.

POST Contritionem & Confeſsionem ſequitur Satisfactio, quæ eſt tertia pars Pœnitentiæ, cuius eſt ſatisfacere honori Domini pro iniuria illius nomini illata, vindictam ſumendo de ſemetipſo pro tali offenſa. Rationem huius Satisfactionis alibi tradidimus, cùm de ieiunio nobis ſermo eſſet, licet eadem hìc breuiter repetamus, prout huic congruit inſtituto. Ad intelligentiam itaque huius materiæ ſciendum eſt, quòd quemadmodum is, qui violat vel tranſgreditur legem politicam, tenetur ad pœnam præuaricatoribus legis conſtitutam: ſic etiam ille, qui non obſeruat legem diuinam, obligatur ad certas pœnas cõſtitutas à diuina iuſtitia his, qui legẽ Dei tranſgrediuntur. Pœnæ iſtæ nobis luendæ ſunt in hac vita, aut in altera; hoc eſt, in Inferno, aut in purgatorio aut hoc mũdo. In Inferno luẽdę ſunt pœnæ ſempiternæ: in Purgatorio, licet æternæ pœnæ nõ ſunt tantæ nihilominus & tam intenſæ ſunt, q, teſte Auguſtino excellant omnem pœnã, quam quis vnquam paſſus eſt in hac vita. Nunquam in terra, inquit inuenta eſt tanta pœna, licet mirabilia martyres paſsi ſint tormenta. Ab hac igitur tam horrenda pœna liberat nos ieiunium, & aliæ corporis aſperitates, etſi abſque vlla comparatione minores ſint: cùm Deus hac in re non tam reſpiciat ad magnitudinem operis & laboris, quàm ad voluntatem laborantis: quod enim quis hìc patitur, voluntarium eſt, ſed quod in futuro patietur, erit neceſſarium. Hinc eſt vt pœna voluntaria vitæ præſentis multò præſtantior fit, & coram Deo maioris meriti, quàm in futura vita multa ſupplicia neceſſaria.

Lib. 3. de Oratio. & Medita.

Simile.

Auguſt. de vera & falſa Pœniten. cap. 17.

Sed dices fortaſsis; Pater nunquid Sacramentum Pœnitentiæ delet omne peccatum, ſicut Sacramentum Baptiſmi, quod tollit culpam ſimul & pœnam? Huic quæſtioni reſpondeo, Magnam eſſe inter Pœnitentiam & Baptiſmum differentiam: Sacramentum enim Baptiſmi eſt ſpiritualis regeneratio & natiuitas hominis interioris: adeò vt quemadmodum id, quod denuo naſcitur, deſinit eſſe quod erat prius, & recipit aliud eſſe, ita vt nihil in eo maneat, quod erat priùs; vt cùm ex ſemine naſcitur arbor, ſemen eſſe deſinit, & arbor recipit aliud eſſe: ſic homo, cùm ſpiritualiter naſcitur, interit totus homo vetus, qui priùs erat, (qui erat filius iræ, & perditionis) & incipit alius eſſe homo nouus, hoc eſt, filius gratiæ, atque liber tam à pœna, quàm à culpa. Sacramentum verò Pœnitentiæ non liberat à peccatis præteritis, eo modo quo regeneratio, ſed quomodo medicina; quæ nonnunquam perfectè ſanat, aliquando non, ſed relinquit quaſdam reliquias infirmitatis præteritæ, quæ diuturnitate temporis, & bonæ diætæ vſu planè tolluntur: ſic & pœnitentia, aliquando ſanat perfectè, liberans hominem à culpa, & à pœna, cùm contritio perfectiſsima miſcetur: qualis fuit illa Magdalenæ, & quorundam aliorum: aliquando verò, cùm contritio non eſt adeò perfecta, etſi tollat omnem culpam, pœnam tamen non omnem tollit: & extra controuerſiam eſt, eam aut in hoc ſeculo, aut in futuro purgandam eſſe. Habemus huius veritatis exemplum etiam in rebus humanis. Si enim eques aut miles quiſpiam in Regem delinquat tam grauiter, vt mortis ſupplicio dignus ſit, poteſt ea Regi præſtare obſequia, vt eius gratiam iterum, & generalem delicti condonationem mereatur: aut ſi non tantum, poteſt id agere, quo quidem Regem ſibi faciat placatum, non tamen abſolutam remiſsionem, ſed commutationem pœnæ mortis in exilium aliquot annorum mereatur. Sic legimus quondam Dauidem Abſoloni filio ſuo feciſſe: nam cùm fratrem ſuum Amnon occidiſſet, incidit in indignationem patris & poſtquam triennio exulaſſet, veniam à patre impetrauit; tali tamen conditione, vt patris palatium non intraret, & faciem eius non videret. Eodem modo cum contritio pœnitentis non eſt omnino perfecta, Deus per virtutem huius Sacramenti remittit homini culpam ſimul, & æternam pœnam, quam merebatur; non vult tamen huiuſmodi ſtatim cæleſte ſuum palatium intrare, aut in conſpectum ſuum venire, quamdiu non eſt perfectè purgatus; ſiue in hac vita, ſiue in altera.

Differentia inter Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ.

Simile.

Simile.

Simile.

2 Reg. 13. & 14.

Eodem modo Deus quoque fecit ipſi Dauidi, cui ob confeſsionem & magnam pœnitentiam ignouit culpam adulterij commiſsi, eumque recepit in gratiam, quam amiſerat: & tamen poſtea multa immiſit illi flagella, multaſque calamitates ob peccatum iam condonatum. Quod peccatum verius vnquam fuit remiſſum illo Moyſis & Aaronis, ad aquas contradictionis? tamen licet remiſſum eſſet, manſit pœna, à diuina Iuſtitia contra illos pronunciata; nimirum quod non intrauerint in terram promiſsionis. Id ſæpenumero & in hoc Sacramento vſu venit, in quo per virtutem paſsionis Chriſti, quæ operatur in illo, remittitur culpa, & redditur diuina gratia: manet tamen homo propter imperfectam contritionem obligatus ad certam aliquam pœnam, quàm ſtatuit illi diuina Iuſtitia. Et quamuis multa virtutum opera inueniantur, quæ faciunt ad minuendam & tollendam pœnam illam; præcipuè tamen ea opera ad hoc conducunt, quæ aſpera ſunt & dura carni, atque affligunt illam. Caro enim, vt inquit B. Gregorius, cum ſuis delectationibus & appetitibus

2. Reg. 11. & 14.

Num. 20.

quia hominem ad peccatum adduxit, æquum est, vt castigata & afflicta liberet iterum ab illo: & cùm, vt placeamus illi, displiceamus Deo, etiam omnino rationi est consentaneum, vt affligamus & cruciemus illam, quo vel sic iterum Deo placeamus.

DE ORIGINE ET CAVSA *Satisfactionis.*

CAPVT II.

CVm viderimus necessitatem Satisfactionis, videamus nunc originem, & principium illius, vt melius intelligamus, cuius qualitatis esse debeat. Hoc vt commodiùs faciamus, meminisse debemus illius, quod diximus antea, nimirum veram pœnitentiam, & gratiam conuersionis in peccatore maximam esse gratiam, & misericordiam, quæ potest homini contingere in hac vita. Etenim licet gloria præstantior sit quam gratia; hæc enim est gratia incepta, illa verò gratia consummata: tamen maior est gratia, qua Deus liberat hominem à peccato, & in statum gratiæ adducit, quàm qua postea in gratia constituto dat gloriam. Præterea, quemadmodum Baptismus, qui porta est omnium Sacramentorum, & principium humanæ regenerationis, secũ adfert omnes virtutes, & dona Spiritus sancti, illius gratiæ coniuncta, à quo bona hæc omnia descendũt: sic vera pœnitentia, quæ est principium nostræ resurrectionis, secum adfert eadem omnia dona atque thesauros, peculiariter autem nouam producit lucem & cognitionem rerum spiritualium, & diuinarum, ad quarum claritatem homo antea cæcutiebat, tanquam is, qui stabat in regione tenebrarum, & in vmbra mortis. Adfert etiam nouam charitatem & amorem Dei, quæ forma est veræ pœnitentiæ, omniumque virtutum; mirabilesque affectus & sensus, ad hanc virtutem pertinentes, in animabus nostris generat. Quemadmodum enim amor naturalis principium est omnium affectuum & passionum naturalium; sic amor Dei supernaturalis, est causa omnium affectuum & sensuum spiritualium, & tantò efficacior causa, quanto amor ille maior est. Et sicut variæ differentesque gratiæ sunt conuersionis, in vno maiores, vt illa in B. Augustino fuit, & S. Paulo, multisque alijs; in alijs minores quemadmodum ferè solent esse ordinariæ, & quotidianæ: ita etiam maiores, aut minores sunt affectus & motiones interiores, quas hæc virtus generat.

Vera pœnitentia effectus.

Simile.

Producit igitur hæc virtus in anima tam magnum dolorem, & compunctionem, eò quòd Deum offendit, vt mallet homo mille tormentorum genera sustinere, quàm talem Deum offendisse. Generat quoque maximum timorem diuinæ Maiestatis: videt enim quòd illam offendit, atque ad iram prouocauit tam infinitis peccatis, propter quæ nouit sese incurrisse illius indignationem. Profert etiam summum pudorem, ita vt erubescat in diuinæ Maiestatis conspectum venire: quemadmodum est pudor ille, quẽ fœmina haberet, quę maritum offendisset, à quo post peccatum dimissum iterum in domum reciperetur: sicut erat ille, qui publicanum Euangelicum cohibebat, quo minus oculos in cælum auderet attollere. Adfert etiam secum ingens desiderium satisfaciendi Deo per conuenientem pœnitentiam, propter iniuriam illi irrogatam; necnon & desiderium sumendi vindictam ab ea quæ fuit occasio & causa istius iniuriæ, propria nimirum carne. Cum enim homo considerat carnem esse, quæ cum desiderijs & appetitibus suis sua sit extendere brachia ad inordinatũ amorẽ creaturarũ, atq; renunciare amori, obedientiæq; legitimi sponsi, & Domini sui, adeò illi irascitur, vt cupiat illam dilaniare, & mille tormentis tanquã omnium malorũ suorum causam dilacerare.

Dolor veri pœnitentis

Simile.

Luc. 18.

Desiderium sumendi de se vindicta.

Caro mali causa.

Vt autem hoc melius intelligamus, imaginemur quid esset factura casta mulier, si absenti cuidam nobili viro nupta, persuaderetur à lena quadam alium esse virum suum; ipsaque credula cum illo habitaret, ipsoque vt sponso proprio vteretur. Dic mihi quæso, quomodo ferret hanc impostu ram meliùs edocta, quomodo tractaret hanc impuram lenam? quid faceret? quid diceret? quem animum conciperet contra illam? Parum sanè videretur illi, sanguinem potare & carnes dilaniare illius, à qua sic esset decepta, & turpitudine tam intolerabili maculata. Anima igitur, cui Deus oculos aperuit, & cui nouam lucem dedit, cuius beneficio manifestè videt, quis sit verus suus & legitimus sponsus, quis vltimus finis suus, ad quem est creata: videt etiam ex altera parte se errore & impostura lenæ illius, hoc est, propriæ carnis eò deuenisse, vt extenderet amoris sui brachia ad creaturas, eas amplectendo, & prosequẽdo amore illo, qui soli debetur Creatori: anima, inquam hæc, dum videt huius adulterij causam esse carnem suam, quomodo poterit se à vindicta continere? quomodo poterit eam non affligere, & cruciare, vt iniuriam hanc vlciscatur? Hinc oriuntur excessus illi, quibus seipsos affligunt pœnitentes quidam in initio suæ conuersionis, quos nulla vi à disciplinis, cilicijs, ieiunijs, & similibus corporis asperitatibus posset quis prohibere: adeò, vt multi excedant modum, & lædant sanitatem, si non curent, vt magnum in hoc iudicium & discretionem adhibeant. Talis erat spiritus pœnitentiæ, quem indicat Iob his verbis, vbi dicit; *Peccaui, quid faciam tibi O custos hominum?* quasi diceret, iuxta B. Augustini expositionem; Confiteor tibi Domine peccatũ meũ, & dolor quem propter illud patior tantus est, vt non recusem vel maxima sustinere supplicia: iube mi Domine, quid me facere velis: paratum iam me tibi ad omne, quod de me facere voles, offero, quod enim offeram tibi non habeo aliud, quàm cor dispositum ad omnia facienda, quæ tu præcipies si me iubebis viuis torreri flammis, aut vt corpus meum in minutissimas partes discerpatur, aut vt aliud quodcunque tormentum crudelissimum subeam, ecce paratum cor meum ad hæc omnia. Offero igitur me manibus & pedibus ligatum, & proiectum in terram ante pedes tuos; non fugio, ad alium iudicem à sententia tua non appello, ad aliud tribunal non recurro, non me excuso, non supplico, nõ cupio vt pœnam mihi minuas, sed iudices & condemnes me secundum tuam voluntatem. Tu sis gladius, ego ero caro, seca & scinde vbi tibi placet, saltem vt remittas mihi peccatum quo te offendi. Eodem modo etiam Dauid sese affligebat in quodam Psalmo, cùm dicit; *Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Cor meum conturbatum est &c.* Psal. 37. 9.

Et sic etiam affligere, humiliare, & castigare deberent carnem suam, qui talem Dominum offenderunt: nam, vt B. Augustinus dicit, anima, quæ contra voluntatem Dei Creatorem suum contemnendo, semetipsam in creaturis amore inordinato oblectauit, meritò purgatur & affligitur voluntarijs pœnis, pro voluntarijs delectationibus, quibus sese luce priuauit. Et quia naturaliter culpę debetur pœna, qua corrigitur, & in ordinem redigitur: æquum est, vt vltro amplectatur pœnas, qui non veritus est tantam committere culpam: & quoniam homo peccando aspernatus est summum bonum, vilissimaq; cum creatura permutauit, (quod profectò maxima iniuria & contemptus est supremæ illius Maiestatis) iustum est, vt sese voluntariè humiliet, contemnat, atque ad puluerem vsque abijciat, qui habuit tantum De-

August.

tum Dominum tam vili existimatione. Hoc igitur modo studeant satisfacere Deo hi, quibus à Domino aperiuntur oculi cœlesti illo lumine, quo cum agnoscentes immensam magnitudinem diuinæ bonitatis, in ea etiam agnoscunt magnitudinem suæ malitiæ, & propterea ad satisfactionem anhelant.

Ad confirmationem huius, ad exemplum etiam, & confusionem quorundam nostri seculi hominum, qui hac in re nimis frigidi sunt: referam hoc loco partem historiæ cuiusdam, de rigore, & austeritate mirabili quorundam Sanctorum pœnitentium, quos vidit Ioannes Climacus in quodam monasterio, quã historiam hic vir sanctus, tanquam testis oculatus, his verbis refert.

Climacus in Scala Paradisi gradu 5.

Cùm, inquit, peruenissem ad pœnitentium monasterium, imò verò ad religionem fugientium, vidi reuera (si dicere id audeam) quæ negligentis oculus non vidit, auris que desidiosi non audiuit, & in cor pigri hominis non ascenderunt, res & verba quæ Deo vim inferre possent, habitus & studia quæ ipsius clementiam celerrimè flecterent. Quosdam enim ex reis illis vidi noctibus totis vsque manè sub diu stare peruigiles, pedesque immobiles tenere: cumque somno miserabiliter depressi agitarentur, vim naturæ inferre, nullamque sibi ipsis requiem omninò indulgere, sed seipsos increpare, ignominijsque & contumelijs afficere atque excitare. Alios miserabiliter in cœlum intuentes, & illic adiutorium cum gemitu & suspirijs & vocibus inuocantes. Alios in oratione existentes, ac reorum in morem vinctis post terga manibus humi luridas facies suas inclinantes, indignosque se qui in cœlum aspicerent vociferantes, nec quicquam ad Deum dicere orando præ cogitationum & conscientiæ hæsitatione præsumentes, neque quomodo vel vnde orationem facerent præsumentes, solamque animam tacitam, mutamque mentem Deo offerentes, tenebris ac desperatione plenam. Nonnullos in pauimento strato cilicio & cinere sedentes, ac faciem genibus operientes, frontemque in terram collidentes. Alios iugiter pectora tundentes, animamque suam ac vitam suspirio ingenti reuocantes. Ex his alij quidem pauimentum madefaciebant lachrymis: alij verò, quia lachrymarum imbres non haberent, seipsos miserabiliter lamentabantur. Plurimi, vt fieri in mortibus solet, super animabus suis vlulatum diræ vocis emittebant, angustiam cordis ferre non valentes. Alij ex intimo corde rugiebant, atque intra os gemitus sonum cohibeant. Interdum verò cùm se continere non possent, repentè exclamabant. Vide ego illic nonnullos habitu & cogitatione & actu quasi à semetipsis excessissent, ac stuporem mentis incurrissent, veluti æneos quosdam summo ex mœrore effectos, totos tenebris obsitos, & ad omnia vitæ huius veluti insensibiles factos. Mentem quippe iam in humilitatis abyssum demerserant, ac mœroris igne oculorum lachrymas exiccauerant. Alios item mœstos sedere, atque in terram fixis obtutibus stare perspexi, caputque assiduè mouere, & leonum in morem ex intimo corde rugitum ac gemitum emittere. Ex his alij pleni spe remissionem omnimodam inquirentes orabant. Alij ex ineffabili humilitate indignos se remissione iudicabant, nec omnino posse Deo rationem reddere clamabant. Quidam hic excruciari, vt illic misericordiam consequerentur à Domino supplices poscebant. Plerique ex conscientiæ onere attriti ac depressi, satis sibi ex intimis esse dicebant, si vel supplicijs eximerentur, regnoque non potirentur. Vidi illic animas humiles contritas, & præ graui pondere incuruatas ac deiectas, quæ vocibus illis suis ad Deum emissis, lapides quoque ipsos ad compunctionis sensum emollire potuissent. Ita enim defixis in terram luminibus aiebant: Nouimus sanè, nouimus, omnibus iam pœnis atque cruciatibus nos esse dignissimos. Et meritò quidem, neque enim idonei iam sumus, qui pro debitorum nostrorum multitudine satisfacere possumus, etiam si orbem vniuersum, vt pro nobis lugeat, conuocauerimus. Illud solum oramus, istud deprecamur, id tota animi intentione supplicamus, ne in ira tua arguas nos, neque in furore tuo corripias nos, neque iustissimi iudicij tui legibus excrucies nos, sed parcius & misericordius. Satis enim nobis est ingenti illa tua, acterribili comminatione, supplicijsque illis occultis, ignotis atque inauditis liberari. Neque enim, vt pœnis omnino liberemur, petere audemus. Qua enim facie, quo animo id audeamus, qui professionem nostram violauimus, eamque post priorem clementissimamque remissionem sordidauimus? Illic profectò, ô dulcissimi amici, illic verba Dauid rebus ipsis cerneretis impleta, ærumnis affectos homines, atque vsque in finem vitæ incuruatos, totisque diebus mœstos incedentes, & ex putrefactis corporis partibus fœtorem exhalantes, qui quasi sine vlla carnis cura degerent, obliuiscebantur comedere panem suum, potumq; aquæ cum gemitu miscebant, & cinerem cum pane manducabant. Adhæserant illorum ossa carni, ipsique vt fœnum exaruerant, nec quicquam apud illos audiuisses, nisi hæc verba: Væ, væ me miserum, me miserum. Iustè, iustè, parce, parce Domine. Nõnulli, Miserere, dicebant. Alij verò rursus miserabilius clamabant: Ignosce, ignosce Domine, si possibile est. Vidisses in illis æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alij sub ardentissimo Solis æstu seipsos cruciabant. Alij contrà acerrimo frigore se affligebant. Quidam modicum aquæ degustantes, ne omnino siti exarescerent, ita quiescebant. Nonnulli cùm panis exiguum quid accepissent, reliquum manu longiùs proijciebant, indignos se qui rationali cibo vescerentur asserentes, quippe qui irrationabiliter egissent. Quem aqud illos locum risus habere poterat? quem otiosus sermo? quem iracundia? quem furor? Nec enim quod in hominibus iracundia esset sciebant, adeò luctus furorem omnem penitus extinxerat. Vbi apud illos contradictio? vbi festiuitas? vbi confidentia? vbi corporis obsequium & cura? vbi vel vestigium inanis gloriæ? vbi deliciarum expectatio? vbi tenuis vini cogitatio? vbi pomorum degustatio? vbi feruentis ollæ solatium? vbi gulæ vlla illecebra? Horum enim omnium apud illos spes nulla erat. Non terrenæ cuiusquam rei cura agebantur. Non iudicare vllum omnino hominem didicerant. Nihil horum penitus in illis inuenisses. Cæterum iugiter ad Dominum clamabant, solaque orationis vox audiebatur. Alij enim pectus validè manibus cædentes, quasi iam ad ipsam astarent cœli ianuam ad Dominum dicebant: Aperi nobis iudex ianuam. Aperi nobis, ex quo illam nobis ipsi per peccatum clausimus. Clamabat alius: *Ostende faciem tuam tantum, & salui erimus.* Alius econtra: *Appare his qui in tenebris & vmbra mortis sedent, humilibus tui.* Alius rursus: *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ*, quia pauperes perimus, quia desperauimus, quia nimiũ defecimus. Nõnulli autẽ aiebant: Putásne apparebit Dominus vltra super nos? Alij verò: Num pertransijt anima nostra debitum intolerabile? Alij putasne adijciet Dominus vltra consolari nos? Putas illum audiemus dicentem nobis, qui sumus in vinculis insolubilibus. Exite: & qui in inferno pœnitentiæ sedemus, Laxamini. Putasne clamor noster ad aures Domini ingressus est? Cuncti verò sedebant semper ante ocu-

Psal. rel.

Psal. 89. Psalm. 106. Psalm. 78. Psal. 49.

los suos mortem accendentes ac dicentes: Quid putatis continget? Quænam erit illa sententia? quis finis nolter? Putas erit reuocatio? num supereſt vlla spes veniæ mœstis? humilibus? reis? Num valuit oratio nostra ingredi ante conspectum Domini? aut meritò repudiata est, abiecta atque confusa? Aut si fortè intrauit, quantum peregit? quantum placauit Deum? quantum profecit? quantum operata est? Emissa quippe ex immundis corporibus & labijs, parum virium habere potuit. Putas omnino reconciliauit iudicem? an ex parte? An vulnerum vel medietas deleta est? Quippe maxima cùm sint, plurimis & laboribus & sudoribus & doloribus indigent. Putas appropinquauerunt nobis Angeli custodes nostri? an adhuc longius à nobis stãt? Nisi enim illi appropient nobis, inutilis & infructuosus est omnis labor noster. Neque enim habet vim confidentiæ oratio nostra, neque pennas munditiæ, vt ingredi ad Deum possit, nisi hanc è proximo assumant Angeli qui nobis præsunt, eamque offerant Domino. Nonnunquam verò hæsitantes huiusmodi ad inuicem dicebant: Num fratres aliquid proficimus? num petitione nostra potiemur? num iterum susscipit? num aperit? Alij verò ad ista respondebant: Quis nouit, vt dixerunt Niniuitæ, fratres nostri, si fortè pœniteat Deus, atque ab ingenti illa pœnitentia nos liberet? tamen quod nostri muneris est non negligamus. Et si quidem ille aperuerit, bene est. Si verò alias, benedictus Dominus, iustè exclusit nos: Verùntamen perseueremus pulsantes, vsque ad finem vitæ nostræ. Forsitan improbitati nostræ ac perseuerantiæ cedens aperiet, benignus quippe & misericors est. His atque huiusmodi seipsos exhortantes atque excitantes aiebant: Curramus, fratres, curramus: cursu enim opus est, & vehementi cursu, quoniam cœtu nostro decoro atque optimo excidimus. Curramus, neque huic carni nostræ sordidæ atque nequam parcamus fratres, sed occidamus illam, sicut priùs occidit nos. Sic beati illi rei faciebant. Genua illis ex perpetuo orationis vsu obcalluerant. Oculi defecti atque defatigati intus profundè recesserant, pilis omnibus ciliorum amissis. Genæ ardentium feruore lachrymarum adustæ videbantur, facies marcescentes ac pallidæ squallebant, nihilque à mortuis in comparatione differebant. Pectora tunsionum ictibus dolebant, liuidaque sanguinem ex crebris illisionibus emittebant. Vbi lecti vsus? vbi indumenti munditia & firmitas? Omnia ibi discissa erant & sordida, ac pediculis operta. Quid autem est eorum, qui à dæmonibus arripiuntur, si illis conferatur, afflictio? quid mortuos plangentium amaritudo? quid mœror in exilio degentium? quid parricidij reorum pœna? Nihil sanè est illorum pœna suppliciumque quo inuiti afficiuntur, si voluntariæ illorum pœnæ conferantur. Sed quæso, fratres, ne ea quæ dicta sunt fabulas existimemus. Rogabant nonnunquam isti magnum illum iudicem, pastorem dico, inter homines angelum, vt ferrum ac torques collo ac manibus imponeret, pedesque patientium constringeret ligno, nec eos priùs inde solueret, quam sepulchrum succederet. Imò verò nec sepulchrum quidem. Neque enim profectò hanc quoque beatorum illorum reuera mirabilem ad Deum charitatem atque pœnitentiam abscondam. Quoties ad Dominum profecturi & incorrupto tribunali iudicis sistendi erant, felices illi regionis pœnitentium ciues, hoc per eum qui sibi præerat adiurantes à magno illo summis precibus petebant, ne sepultura humana dignarentur, sed brutorum instar, aut fluuialibus vndis traderentur, aut in campum proiecti bestijs deuorandi permitterẽtur. Quod etiam nonnunquam fecit illorum precibus obtemperans discretionis lucerna, iubens illos omni psalmodia omnique honore priuatos proijci. Cùm verò extrema illorum hora aduenisset, terribile omnino, miserandumque spectaculum cerneres. Nam cùm eum qui se præcedebat efflare iam animam sensissent socij, adhuc sensu integro vigente, circumstabant illum siti æstuantes, & lugentes, ac desiderio pleni, miserabili omnino habitu mœstioreque sermone capita sua commouentes, efflantem iam animam interrogabant, misericordiaque flagrantes aiebant ad illum: Quid est frater? quonam modo tecum agitur? quid dicis? quid speras? quid suspicaris? percepisti ne ex labore tuo quod quærebas? aut non valuisti? peruenisti ad portum, aut nondum potitus es spe tua? Accepisti certam aliquam fiduciam, an adhuc incerta spe fluctuas? consecutus es libertatem, an agitatur, ambigitque cogitatio? Sensisti aliquam in corde tuo lucem, an tenebris adhuc & ignominiæ confusione plenum est? vllane tibi vox intrinsecus facta est, dicens: *Ecce sanus effectus es?* aut, *Dimittuntur tibi peccata?* aut, *Fides tua te saluum fecit?* Illam ne tibi adhuc vocem audire videris, qua dicitur: *Conuertantur peccatores in infernum?* &, *Ligatis manibus, & pedibus mittite illum in tenebras?* &, *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei?* Quid ais frater? Dic nobis, oramus, vt & nos scire possumus, quid nam illic nos maneat. Tuum quippe tempus iã clausum est, aliudq; de cætero in æternum non inuenies. Ad hæc quidẽ alij dormientium: *Benedictus*, aiebant, *Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Alij verò illud gemẽtes dicebant: *Forsitan pertranſibit anima nostra aquam intolerabilem.* Quod nondum confidentes aiebant, sed considerantes, quã sit pauendum illud terribile incertumq; iudicium. Alij verò etiam mœstus quiddam respondebant ac dicebant: Væ animæ illi, quæ non seruauit, professionem suam integram & immaculatam, hac enim hora sciet, quid illi præparatum sit.

Ionæ. 3.

Matth. 9.

Psal. 9. Matth. 22. Esa. 26.

Psal. 23.

Quæ ergo omnia cùm apud illos audissem & vidissem, parum abfuit quin desperatione absorberer, cum meam intuerer malitiam & negligentiam, eãque Sanctorum illorum afflictioni compararem. Quænam verò qualisve erat eius loci facies & habitatio? Tota tenebrosa erat, informis, fœtida, sordida, squallida. Carcer enim & condemnatio rectissimè appellabatur. Ipsa denique vel sola loci contemplatio perfectæ pœnitentiæ ac luctus magistra erat. Sed ea quæ alijs difficilia atque impossibilia videntur, eis qui virtute ac spiritualibus diuitijs se excidisse meminerunt, grata sunt & amabilia, sitque eorum perfacilis assumptio. Anima enim quæ priori confidentia priuata, spe consequendæ beatæ tranquillitatis excidit, sigillumque castitatis aperuit, diuitijsque gratiarum spoliata, & diuina consolatione destituta est, pactumque & placitum Domini violauit, extinxitque iam in se decorum lachrymarum ignem, quoties horum memoria tangitur, quæ per suam negligentiam se amisisse retinet, acerrimo dolore compuncta & vulnerata, non solum quos prædiximus labores, cum omni studio & alacritate susscipit, verùm etiam seipsam mactare per exercitationis magnitudinem contendit: si tamen in illa charitatis ac timoris Domini fauilla vlla derelicta est. Huiusmodi profectò erant beati illi, hoc enim secũ in animo voluentes, virtutisque qua exciderant altitudinem cõsiderantes: Memorati sumus (aiebant) dierum antiquorum, ignitique illius studij nostri. Alij ad Dominum clamabant: *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ*, quas ostendisti animæ nostræ in fortitudine tua? *Memor esto opprobrij*, & laboris *seruorum tuorum*. Alius verò: *Quis*, aiebat, *mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies,*

Psalm. 88.

Iob 29.

quibus

quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna eius super caput meum? Sicque priores omnes virtutes suas memorabant, atque ista infantium more plorabant, dicentes: Vbi est orationis puritas? vbi huius certissima fiducia? vbi dulces lachrymæ in amaritudine? Ecce vbi sunt? Vbi intimæ munditiæ & castitatis spes? Vbi beatissimæ ac placidissimæ quietis expectatio? Vbi syncera ad pastorem fides? Vbi rationis illius in nobis efficacia & virtus? Perierunt ista omnia, & quasi nunquam visa sint defecerunt, vtq; nunquam fuerint, ita deleta sunt & perdita. Ista cum gemitu & lamētatione prosequentes, ita demū alij vt à dæmonio arriperentur orabant. Alij vt morbum inciderent precibus à Domino poscebant. Plurimi oculos amittere, miserandumq; omnibus spectaculum fieri optabant. Nonnulli paralytici fieri, & languorem corporis contrahere, solùm ne futura supplicia experiri cogerentur, cupiebant. Ego autem, ô amici, nescio, quo pacto diutiùs inter lugentes versatus sum, totoque animo in illorum admiratione suspensus, meipsum continere non potui. Sed vt ad id, vnde aberrarat, redeat oratio, cùm triginta dies in custodia illa perseuerassem impatiens, in magnum illud cœnobium, ad magnum Patrem reuersus sum, qui vt me aspexit immutata facie, totumq; veluti attonitum, agnouit sapientissimus immutationis causam, & ait ad me: Quid est Pater Ioannes? Vidistine laborantium certamina? Ad quem ego: Vidi, inquam, Pater, vidi & admiratus sum, fœlicioresque existimaui, qui post lapsum ita lugent, quam qui nunquam lapsi sunt, & seipsos non sic deflent. Hactenus Ioannes Climacus: qui hæc omnia, aliaque admiranda, & horrore plena fatetur se proprijs oculis suis vidisse.

Hanc tam prolixam historiam hoc loco recensere volui, ob multas causas. Primò, vt confundamur & humiliemur, videntes exiguum affectum, & tepidos hominum animos, in ijs, quæ ad pœnitentiam spectant, hoc nostro seculo: quod sanè fiet, si nostra exercitia cum illorum antiquorum conferamus. Secundò, vt videamus quo sese extendit charitas, & lux Spiritus sancti, quæ semper est parata omnibus fidelibus Christianis, tam his qui nunc sunt, quàm qui fuerunt, & erunt aliquando: si velint semetipsos castigare, &, vt illi fecerunt, affligere. Tertiò, vt hac spe & exemplo inuitati faciamus aliquid amplius, quàm fecimus hactenus, maximè cum audiamus sanctos illos Patres tanta fecisse: Cum tamen illi nec alia corpora quàm nos habuerint, nec alium Dominum & protectorem in suis tribulationibus, quā nos habemus, ideo namque maiora proponimus, ne, quæ minora sunt, nobis videantur impossibilia. Verum quidem est, non debere nos animum despondere, si non statim faciamus, quod Sancti illi fecerunt: quemadmodum enim in humano corpore multa membra sunt, vnum alio nobilius: & in cœlo diuersæ sunt mansiones, vna sublimior altera: sic in Ecclesia diuersi sunt gradus meritorum, diuersæ vitæ, & pœnitentiæ diuersæ, quæ ad illud disponunt: & quod ad vnum vitæ genus requiritur, id non statim necessarium est ad aliud. Neque statim contendere debemus, vt faciamus omne id, quod Sancti illi fecerunt: multa namque proponuntur potiùs ad admirationem, quàm ad imitationem: quod enim Giganti quadrat, id non conuenit etiam nano: & quod spiritum excelsum decet, id non semper conuenit etiam humili.

DE TRIBVS PRIMARIIS OPERIBVS, quibus Deo pro peccatis satisfacimus.

CAPVT III.

CVM proprium sit operibus affligentibus, & quæ non nisi cum pœna fiunt, (pœnalia vocant Scholastici) satisfacere: hinc est vt tria secundum doctrinam Patrum & Ecclesiæ, opera satisfactoria numerentur, Ieiunium, Eleemosyna, & Oratio: hæc enim opera, præterquam quod sancta sunt, etiam molestiam & pœnam habent adiunctam carnemque affligunt: & sic per pœnam doloris pro delectatione culpæ satisfaciunt. Præterea cùm in homine tria sint principalia, quibus frequentiùs Deum offendimus, diuitiæ corpus, & anima: æquum est, vt ijsdem etiam Deum placemus, eiq; satisfaciamus, & de vnoquoq; offeramus illi sacrificium, quod tribus his virtutibus fieri consueuit: Eleemosyna, per quam diuitias offerimus: Ieiunio per quod corpus: & Oratione, per quam animam immolamus. Deniq; cum peccata omnia fiant aut contra Deum, aut contra nosipsos, aut contra proximum: etiam tres istas personas totidem virtutes respiciunt. Ieiunium enim ad nos, diuitiæ ad proximum, & oratio pertinet ad Deum ipsum.

Magna triū operum horū conuenientia.

DE PRIMO SATISFACTIONIS opere, quod est Ieiunium.

CAPVT IV.

QVi igitur vult Deo veraciter & ex toto corde satisfacere, debet sese præcipuè in his tribus virtutibus exercere: incipiens à Ieiunio, quòd (vt diximus) cum dolore pœnę pro delectatione culpæ satisfacit, & carnem castigat, quæ sæpe fons est, origo & mater omnium nostrorum peccatorum. Ieiunio enim, vt D. Bernardus dicit, quo ab ipsis quoq; licitis abstinemus, ea nobis, quæ priùs commisimus illicita, condonantur. Quid verò est condonari commissa, nisi ieiunio breui ieiunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, vbi nullus cibus est, cōsolatio nulla, terminus nullus, vbi guttam aquæ dies postulat, & accipere non meretur. Bonum ergo est & salutare ieiunium, quo redimūtur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solum autem abolitio est peccatorum, sed & extirpatio vitiorum: non solùm obtinet veniam, sed meretur gratiam: non solùm delet peccata præterita, quæ commisimus, sed & repellit futura, quæ committere poteramus. Ieiunium enim, vt Petrus Rauennas ait, est vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, mēbrorum decus. Est ieiunium robur mentium, vigor animarum. Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Est ieiuniū schola meritorum, ecclesiasticæ vitæ viaticum salutare. Est ieiunium inuictus Christianę militię principatus. Et alibi: Ieiunium scimus esse Dei arcem, Christi castrum, murum Spiritus sancti, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum, Ieiunium, ait Augustinus, purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscētiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit. Ieiunium est frænum appetituum, mortificatio passionum, disciplina vitæ, temperantia cupiditatis. Ieiunium est frater paupertatis, filius patientiæ, mater castitatis, socius orationis, culter amoris propriį, custos nostræ salutis, remedium placandi Deum & gratiam impetrandi efficaciſſimum. Ieiunio Deum iratum placarunt Niniuitæ: ad ieiunium tanquā ad sacrum asylū in omni sua tribulatione confugiebant filij Israel: ieiunio tres adolescentes illi sese tuebantur à furore Regis

Bern. in Ser. 4. de Quadrag.

Luc. 16.

Petr. Chrysol. Serm. de ieiun. & eleemos.

Aug. de ieiunio.

Ioan. 8. 2. Reg. 7. & alibi. Dan. 1.

4. Reg. 2. Exod. 34. Matth. 4. Marc. 1.

Regis Babyloniæ: ieiunans Helias in igneo curru ad cœlos raptus est: ieiunans Moyses legem accepit: ieiunando Filius Dei ad Euangelij prædicationem se præparauit, nõ ob necessitatem suam, sed exemplum nostrum.

Quare qui pro peccatis Deo vult satisfacere, vindictam sumere de inimicis suis, & omnibus his frui priuilegijs, armetur forti & sancto suijpsius odio, hoc est, sumat arma contra propriam carnem suam: exerceat iustitiam, & castiget eam ieiunio, vigilijs, disciplinis, cilicijs, asperitate vestium, duritie lecti, & quacunque potest vitæ austeritate: His enim medijs non tantum Deo satisfaciet, verùm etiam gloriosiorem de hostibus reportabit victoriam, & corpus spiritumq; suum faciet templum viuum Spiritus sancti.

In castigãda carne adhibẽ da discretio. Leuit. 3.

Facienda tamen hæc omnia sunt cum solicita discretione, atque moderatione, vt ita opprimamus hostem ne occidamus hominem, & subiectum ipsum perdamus, quo nobis opus est in cultu diuino perageendo. Hanc ob causam iubebat Dominus in omnibus antiquæ legis sacrificijs offerri sal, ad significandum discretionem & temperantiam in omnib. spiritualibus sacrificijs obseruandam. Huius discretionis defectu multi homines pij defatigantur, syntexi debilitantur, & in medio itinere deficiunt: quapropter tandem ad recuperandam sanitatem ab exercitijs spiritualibus abstinere, & (quod peius est) ipsam quoque virtutem, quæ ab ijs dependet, deferere coguntur.

DE SECVNDO SATISFACTIONIS opere, Eleemosyna.

CAPVT V.

Ieiunij sine Eleemosyna quid. Augustin. in Psalm. 42.

VT Ieiunium magis sit meritorium, necesse est illi adiungere opera misericordiæ: nam teste Beato Augustino, Ieiunium sine charitate & eleemosyna, est lampas sine oleo. Et alio loco idem Sanctus dicit: Noli putare ieiunium sufficere. Ieiunium te castigat, non alterum reficit. Fructuosæ erunt angustiæ tuæ, si alteri præstiteris latitudinem. Ita ieiuna, vt alio manducante pransum te gaudeas, propter orationes, vt exaudiaris. Ibi enim ait: *Adhuc loquente te dicam, Ecce adsum*: si fregeris ex animo esurienti panem. Vis orationem tuam volare ad Deum? Facilli duas alas ieiunium & eleemosynam. Hæc ille. Consentit Petrus Rauennas: Ieiunium, ait, quamuis auferat vitiorum morbos, carnis amputet passiones, criminum causas propellat: tamen sine misericordiæ vnguento, sine pietatis riuo, sine eleemosynæ sumptu, perfectam salutem mẽtibus non reponit. Ieiunium sanat vulnera peccatorum, sed cicatrices illorum sine misericordiæ balsamo non tollit. *Eleemosyna*, inquit Tobias, *ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et Ecclesiasticus, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*, quem locum exponens B. Ambrosius: Magna, ait, est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum: vt quamuis offensus, quamuis criminibus prouocatus Deus, cogatur liberare eleemosynis, quem proposuerat punire peccatis. Et D. Augustinus dicit: Quemadmodum ignis inferni extinguitur salutiferi aqua Baptismi, ita & incendia peccatorum eleemosynis, operibusque iustitiæ extinguuntur: adeò vt peccatorum remissio, quæ semel data est in Baptismo, detur quotidie per eleemosynam, tanquam per secundum Baptismum. Verum quidem est, hanc comparationem non per omnia esse similem: magna tamen laus est & gloria eleemosynæ, quòd cum lauacro illo cælesti comparatur: cum illud fons sit, & ianua vitæ æternæ. Quare & Propheta Daniel remedium, quo Nabuchodonozorem Babyloniæ Regem ab illa seuera sententia, tanquam fulmen cælitus missa, liberaret, aliud non inuenit, quàm quod consuluit ei, vt ad sacram eleemosynæ anchoram cõfugeret, dicens: *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Optimè namq; intelligebat sanctissimus Propheta, quàm magnum haberet momentum ad impetrandam misericordiam apud Deum, misericorditer agere cum proximo: cùm certum sit, qua mensura mensi fuerimus, eadem nobis remetietur. Et ideò in die iudicij opera misericordię in maximo erunt prętio, posteaquam secundum ea omnis nostra vita iudicabitur, vt ait Dominus apud Matthæum. In cuius verba inquit B. Augustinus: Scriptum est: *Redime peccata tua eleemosynis.* Propterea Dominus noster potissimum rationẽ habebit eleemosynarum, cũ ad iudicandum veniet, mercedem daturus vnicuiq;. Dicet enim: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: quia esurijui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere*, &c. quasi diceret: Difficile est, vt si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inueniã vnde vos damnẽ: sed ite in regnũ *Esurijui enim, & dedistis mihi manducare.* Non ergo itis in regnũ, quia non peccastis: sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis. Rursus & illis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Non inde vos damno vnde putatis: sed *quia esurijui, & non dedistis mihi manducare.* Si enim ab omnibus illis vestris factis auersi, & ad me conuersi, illa omnia crimina, atq; peccata eleemosynis redemissetis: ipsæ eleemosynæ modò liberarent vos, & à reatu tantorum criminum absoluerent. Hæc Augustinus. Nec minus illustrè est testimoniũ Petri Chrysologi: Admiratione, inquit, dignum est, si quis videat quam acceptus sit Deo panis, qui datur pauperi. In regno cœli coram omnibus Angelis, in conuentu resurgentium, quòd Abel passus sit, quod mundum conseruauit Noe, quòd Abraham fidem seruauit, quod Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem Iesu primus ascendit, Deus tacet: & clamat solum, quod pauper comedit, dicens: *Esurijui, & dedistis mihi manducare.* Qui enim misericors est, misericordia dignus est. Quare & D. Ioannes Chrysostomus efficaciam & pulchritudinem huius virtutis admiratus ait: Eleemosyna amica Deo consistit, & semper ei propinqua est: pro quibuscunque voluerit facilè minus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem: huic cum multa fiducia portæ cæli aperiuntur, & velut Regina intrante, nullus ianitorum, nullus custodum, qui assistunt, audent dicere: Quæ tu es, vel vnde? sed omnes eam è regione suscipiunt. Virgo est habens alas aureas, circumscripta per omnia venustate: sed succincta, vultum habens candidum, atq; mansuetum pẽnata est, & leuis, & semper ante solium regale consistit.

Pet. Chrysolog. Ser. de Ieiun. & Eleemos. Tob. 4. Eccl. 3. Amb. Ser. 15 *Comparatio Eleemosynæ & Baptismi.* Petrus Rauennas in quodam Sermone. Genes. 4. Genes. 8. Genes. 15. Exod. 24. & 34. Chrysost. homil. 9. in Matth.

Cùm itaq; virtutis huius tanta sit vis & efficacia, qui vult Deo satisfacere, & misericordiam eius impetrare, induatur hac veste, exerceat se in operibus misericordiæ: condoleat miserijs pauperum, succurrens illis, si sit in sua potestate, eleemosynis: si potestas defuerit, consilio, Industria, oratione, & intercessione: si nec id poterit, saltem subueniat eis compassione, vt enim Gregorius dicit, non minus dat, qui ex corde proximo compatitur, quàm qui de opibus suis illi tribuit: qui enim exteriora largitur, rẽ extra se positam tribuit: qui autem fletum vel compassionem, aliquid suijpsius dat. Notandum igitur

Varia Eleemosynarum genera. Gregor. 20. Moral. c. 17.

hic

hic est illud Augustini: Multa sunt genera eleemosynarum, quæ cũ facimus, adiuuamur vt nobis dimittantur peccata: sed ea nihil maius est, quã cũ ex corde dimittimus peccata. Astipulatur illi Petrus Rauẽnas: O homo, inquit, memento quia sine peccato viuere non potes, & vis tibi semper peccata dimitti: alteri ergo tantùm ignosce, quantum ignoscì cupis tibi: quod si feceris, certus esto, quod dimittente te alteri, dimittetur & tibi. Nõ dissimile est, quod ait Cæsarius his verbis: Qui non habet quo captiuos redimat, aut nudos vestiat: studeat proximum ex animo nõ odisse, nec malum inimicis pro malo reddere, sed potius amet eos, & oret pro illis, magnamq; spem in misericordia & promissis Domini sui habeat, dicens: Da mihi Domine, quia dedi: dimitte mihi, quia dimisi.

August. in anchrid. cap. 7. & 71.

Petr. Chrysologus.

Cæsarius.

DE TERTIO SATISFACTIONIS opere, quod est Oratio.

CAPVT VI.

PRæter ieiunium & eleemosynam vtilis est etiã Oratio, non tantùm ad tertiam Pœnitẽtiæ partem, quæ est Satisfactio, sed etiam ad primam, scilicet Contritionem. Per orationem enim Deus ꝛæpissimè infundit spiritum contritum in animã peccatoris, & per illam peccatorum quoq; remissio impetratur: quandoquidem huius subsidio & publicanus ille Euãgelicus, & filius prodigus eam impetrarunt. Quare vt per orationem ad Deum reuertamur, hortatur Propheta dicens: *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem auferinquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Hoc genere verborum agit Oratio cum Deo, & mansuetum reddit pectus illud diuinũ, superbis adamante durius, & humilibus pœnitentibusq; cera mollius. Dic mihi, quis vnquam ab initio vsq; huc fuit, qui tali ex corde clamans ad Dominũ, nõ sensit exemplo in anima sua signa atq; indicia illius clementiæ? Hoc est, quod ipse per Prophetã pollicetur, dicens: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*

Luc. 18. Luc. 15. Osee. 14.

Pectus Deo mitis super his durũ, humilibus molle.

Ioel. 2.

Vt autem oratio faciliùs in cœlum feratur, necesse est, vt ei duas illas alas addamus, de quibus iam egimus, ieiunij scilicet & eleemosynæ: vt ope illarũ leuiùs volitet, nec quiescat, priusquam veniat in cõspectum Domini. Ratio huius vnionis & confraternitatis est hæc, quia misericordia facit: vt oratio non veniat ante Dominum vacua, & ne dicatur oratio ficca: & faciens homo misericordiam cum proximo, prouocat Deum, vt eandem etiam faciat secum, vti docet Beatus Ioannes Climacus: Misericors esto vehementer, ait, si oratio tibi reuera cordi sit. In ipsa enim centuplum accipiemus hic, & quod sequitur in futuro. q. d. quia tu misericorditer exaudisti proximum amore Dei, etiam ille misericorditer exaudiet te. Ieiunium verò iuuat orationem, hominem ad illam disponens: cum enim corpus liberum est, & nullo ciborum onere grauatum, leuius efficitur ad volandum in altum. Ieiunantis igitur oratio, prꝛterquã quod magis est satisfactoria, spiritualior etiam est, & purior: quam ob causam idem Climacus ait: Mẽs ieiunantis cum sobrietate orat, intemperantis autẽ impletur immundis imaginibus. Quemadmodum autem ieiunium adiuuat orationem, ita vicissim oratio ieiunium: quare optimè dictum est à B. Bernardo: Oratio virtutem impetrat ieiunandi, & ieiuniũ gratiam promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat, oratio ieiunium sanctificat, & Deo repræsentat: ita vt fortitudinem, qua opus est homini ad castigandum corpus, det gustus & spiritus orationis, cum vtraq; virtus hæc in se recipiat partem oneris, cuius est capax, in sanctificatione hominis: vt enim Hieronymus testatur, Ieiunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis.

Aug. in Psalm. 42.

Climac. gradu 28.

Climac. gradu 14.

Bernard. in Serm.

Dubium igitur non est, quin secundum hanc doctrinam Oratio (prꝛterquam quod est opus Satisfactionis, & ad hunc pertinet tractatum) etiam opus sit meritorium, deuotionemque impetret & producat. In quantum est satisfactoria, per orationem reddimus debita nostrorum peccatorum: quatenus est meritoria, promeremur illius beneficio augmentum gratiæ atque gloriæ. In quantum est impetratoria, consequimur per illam quod humiliter petebamus: quatenus creat & producit in nobis deuotionem, accipimus nouam lucem, gustum, & suauitatem Dei, renouationem boni propositi atque desiderij, pacem & tranquillitatem animi, fortitudinem & promptitudinem bene operandi. Illud est, quod propriè deuotionem appellamus. Quatuor hos fructus secum adfert virtus orationis, & propterea expedit, vt in ea nos cum perseuerantia omniq; animi attentione exerceamus: Quia verò de hac Virtute copiosius alio loco tractauimus: hic aliud nihil agemus, quam vt Christianum lectorẽ mittamus ad Considerationes, & Orationes, quas tradidimus antea, cum de Cõtritione agebamus: vt in ijs sese aliquot diebus ante & post Confessionẽ exerceat, quo sic dolor & pœnitentia peccatorum magis excitetur, & Deo pro illis satisfiat. Hoc enim institutum & propositum nostrum hic est. Quia verò inter alia multa vtilissima est diuinorum beneficiorum & peccatorum consideratio, in ea Christianus potissimum exerceatur, vt alias diximus. Vbi verò iam aliquamdiu huic exercitio dederit operam, potest sibi prospicere de alijs orationum & considerationum generibus, quæ ponuntur in libris de Oratione: vt hac exercitiorum varietate plus lucis & dulcedinis, minusq; tædij atq; fastidij in rebus sacris percipiat.

Orationis effectus.

In lib. de Oratione & meditat.

SEQVITVR BREVIS MODVS CONfitendi, in gratiam eorum, qui frequenter ad hoc Sacramentum accedunt.

CAPVT VII.

CVM tractauerimus iam de Confessione pro ijs, qui rarò confitentur, dicemus nunc de modo quo præparare sese ad confitendum, & examinare debent hi, qui ꝛæpius confitentur, qui multis ꝛæpe scrupulis discruciantur, cùm non rarò examinantes suas cõscientias, nihil inueniant, quod cõfiteri debeant. Cùm enim ab vna parte credant & sciant pro certo, se à peccatis nõ esse planè immunes & ab altera parte nullum crimen inueniant, cõqueruntur & torquẽtur in animo, putantq; se nunquam bene confiteri.

Huius rei duæ possunt reddi rationes: vna est, quòd difficillimè potest homo seipsum, & omnes conscientiæ suæ angulos cognoscere: non enim frustra dictum est à Propheta: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Altera ratio seu causa est, quia peccata iustorum (qui, teste Sapiente, *septies quoq; in die cadunt*) potiùs sunt peccata omissionis, quam commissionis, quæ difficulter admodum cognoscuntur.

Psalm. 18.

Prou. 24.

Pro horum intelligentia sciendum est, quod omnia peccata fiunt vel commissione, hoc est, opere aliquo malo commisso: vt sunt furari, occidere, mœchari, &c. aut omissione: cũ scilicet bonum aliquod opus facere negligimus: vt si Deum non amemus, si ieiunia, si pensum horarum, si diuinum officium, &c. intermittamus. Horum duorum genera peccatorum cùm prima consistant in actione, facilè percipiuntur, & cognoscuntur. Alia verò, quia non cõsistunt in faciendo, sed in facere (vt ita loquar) omitten-

Omne peccatũ fit aut omissione aut commissione.

mittendo, difficiliora sunt: quod enim non est, non potest videri, aut non facilè sese manifestat. Propterea mirandum non est, personas spirituales (maximè si simplices sint) non inuenire subinde peccata, quibus obnoxij sunt, cùm huiusmodi rarò incidant in peccata commissionis, atq; alia, quæ sunt omissionis, difficilè cognoscãtur. Hinc oritur, vt, dum quod confiteantur non inueniant, perturbẽtur & affligantur.

Peccata omissionis tripliciter fiunt.

Ad remedium huius difficultatis visum est mihi hoc loco in gratiam talium hominum hoc Memoriale in medium adferre, in quo potissimum omissionis peccata enumerantur. Quia verò peccata hæc præcipuè aut in Deum, aut in nos ipsos, aut in proximum fiunt: nos etiam hunc ordinem sequemur, & in tres partes diuidemus, vt commodiùs de triplici hac negligentia disseramus. Horum autem delictorum, etsi nonulla vix sint venialia, sunt tamen omnia defectus, & imperfectiones, & nonnunquam etiam peccata venialia. Quare qui ad perfectionem aspirant, non debent hæc in Confessione omittere, sed confiteri, si non semper, (neque enim hoc necesse est) saltem aliquando, & maximè in festis solennioribus, ne semper superflua sua prolixitate Confessario molesti sint. Alijs temporibus potest vnusquisque hinc desumere, quæ maximè faciunt ad propositum, ad conscientiam suam exonerandam.

SEQVITVR MEMORIALE.

POst generalem Confessionem, priusquam incipiat particularem suorum peccatorum enumerationem, de quatuor sequẽtibus culpam suam dicat.

Primò, quod ad hoc Sacramentum non veniat cũ debita præparatione: & quod tãtam in examine suæ conscientiæ diligentiam non adhibuerit, quanta requirebatur, sicut suprà diximus.

Secundò, quod dolorem & contritionem de peccatis non habuit tantam, neq; etiam tam firmũ propositum illa in posterum vitandi, quam & quantam habere debuit.

Tertiò, quod non accessit ad tremendum illud Eucharistiæ Sacramentum cum tali puritate conscientiæ atque deuotione, qualem illud Sacramentum postulabat: quodque post Communionem non eam mentis quietem & deuotionem seruauerit, quam tanti hospitis & Domini requirebat aduentus.

Quartò, quod debita cum diligentia vitam suam non emendauit, quodq; de die in diem in Dei cultu & pietate non profecit: sed quod in antiqua tepiditate & negligentia substitit, forsan etiam retrogressus est.

Post hæc ad alia procedat iuxta ordinem sequentem.

ERGA DEVM.

DEO sumus obligati ad habendas tres illas virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem: & in singulis earum potest culpam suam dicere, hoc modo.

Circa Charitatem, quod Deum non amauit ex toto corde, & tota anima sua, prout debuit: sed quòd amorem suum potiùs collocauit in creaturis, & mundi huius vanitatibus, neglecto Creatore.

Circa Fidem, fidem se non habuisse tam firmam, quã Christiana iubet professio: nec studuisse confestim à se repellere fantasias & cogitationes dubias, quas in rebus fidei Diabolus subinde obijciebat.

Circa Spem, quòd in tribulationibus & angustijs occurrentib. cum firma spe & fiducia ad Deũ non confugit, quodq; subindè inordinatè doluit, animumque despondit, quod ex desperatione ortum est.

Circa Puritatem intentionis, quòd opus Domini non fecerit cum intentionis puritate tantùm propter amorem Dei: sed subinde vt videretur, subinde ex vsu, nõnunquam quia appetitui suo placebant, & conueniebant: aliquando etiam propter vtilitatem & commodum proprium.

Confiteatur, quia tardus fuit & neligens in satisfaciendo diuinis vocationibus & inspirationibus, sæpe resistens Spiritui sancto, exiguum fugiens laborem & molestiam. Est autem hæc culpa valde spiritualis & secreta, maximeq; digna, quæ nunquam nõ grauet nostram conscientiam, & in Confessione exprimatur.

Similiter quòd gratus non fuit diuinis beneficijs, vti debuit: quod debitas pro illis Domino non reddidit gratiarum actiones: quòd ex illis non sumpsit occasionem Deum feruentiùs amandi, & tantorum bonorum largitori fideliùs seruiendi.

Quòd sæpè Dei sui oblitus fuit, & ex corde suo tanquam exulem exclusit, quem semper ante oculos habere, & in cuius conspectu ambulare perpetuò debebat.

Circa Patientiam in aduersis: quòd aduersa minùs patienter sustinuit, quod non æquanimiter illa de manu Domini susceptit tanquam in suam sibi vtilitatem immissa, nec debitas pro illis reddidit Deo gratias. Hoc paulò specialius & fusius cæteris poterit explicare, si conscientiam discuciet.

Confiteatur etiam, quod sacrificium Missæ, diuinumq; officium, & loca sacra rariùs frequentauit: & in ijs atq; in ipsius sanctissimi Sacramenti præsentia debitæ non vacauit deuotioni.

ERGA SEIPSVM.

HOmo constat ex multis partibus: habet enim corpus cum omnibus suis sensibus, & animam cum omnibus suis appetitibus, & spiritum cũ omnibus suis potentijs, hoc est, intellectu, memoria & voluntate: & sic potest peccare contra rectitudinem & ordinem, quem in singulis debebat obseruare.

Primò igitur confiteatur, quòd corpus suum non eo rigore & asperitate, quo debuit, tractauit, vt in edendo, bibendo, vestiendo, dormiendo, & alijs similib. rebus: sed quod illud in delicijs nutriuit, ei blanditus sit, & suijpsius fuerit amicus.

Secundò, quod tam imaginationem, quã reliquos sensus negligenter custodiuit, neque refrænauit, vti par erat: sed quod vagus fuit, & circa sensus variè diffusus: vt in audiendis, videndis, loquendis, imaginandis rebus otiosis, & vanis: quæ postea causam præbuerunt, quod in corde suo, & attentione orationis parum collectus fuit.

Tertiò, quod affectus suos non mortificauit, nec voluntati suæ contraria fecit, vt debebat, sed secutus est illam; & in omnibus ei obediuit: quod non fuit tã humilis in corde & opere, quam æquum erat: quod vilem se & miserum non agnoscit, vt est, nec se pro merito tractat.

Quartò, quod tepidus & ignauus fuit in Orationibus, & quod nõ raro in medio Orationis existens, filum illius ob causam leuissimam abrupit, nec debita cum attentione & deuotione precibus vacauit.

ERGA

ERGA PROXIMVM.

CONfiteatur initio, quòd proximum debito amore, & iuxta Dei præceptum requisito, non amauit.

Quod non subuenit ei in sua necessitate tanto fauore & auxilio, quanto debuit & potuit. Quod eius miserijs non ita condoluit, nec Deum pro illo precatus est, vt debebat.

Quod non debito & conuenienti zelo exarsit, publicas videns Ecclesiæ calamitates, vt sunt hæreses, bella, persecutiones, &c. & quod Deo illas ex toro corde, totisque viribus non commendauit.

Qui subsunt Superiorum potestatibus, dicant se obedientiam & reuerentiam ijs non exhibuisse, quã debebant: qui autem præsunt inferioribus, filijs, famulis, & subditis, quod eos non docuerunt, corripuerunt, necessaria quæque illis non dederunt, nec debita cura eos obseruarunt.

CIRCA PECCATA COMMISSIONIS.

POstquam sic enumerata sunt peccata omissionis, statim subijciat pœnitens illa, quæ dicuntur commissionis; percurrens decem Præcepta, & septem peccata mortalia; aut capitalia, in singulis ea exprimens, quæ conscientiam pungunt. Quòd si breuitati studeat, tantum dicat, quæ cogitatione, locutione, & opere commisit. Deinde confiteatur ea, quæ pertinent ad statum & officium, quo fungitur; ea proferens, quæ contra regulam, & obligationem sui status commisit: vt si Religiosus sit, an violauerit aliquod trium votorum, aut statutum aliquod trium votorum, aut statutum aliquod suæ regulæ. Iudex, Medicus, Mercator, Aduocatus, &c. an in ijs quæ ad suam pertinent professionem, deliquerit.

Omnibus his accusationibus absolutis, concludat suam Confessionem, dicens; Horum, aliorumque omnium peccatorum, quæ cogitatione, locutione, & opere commisi, me reum confiteor: & Deo culpam meam dico, petens à te Pater, qui diuina fungeris hac in parte auctoritate, absolutionem, & pœnitentiam pro illis agendam.

FINIS LIBRI SECVNDI.

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANÆ,

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS:

LIBER TERTIVS.

IN QVO AGITVR DE MODO PRÆparandi sese ad sacram Communionem.

DE PRÆPARATIONE, QVÆ REQVIRITVR AB ijs, qui volunt digne communicare.

CAPVT I.

POSTEAQVAM de Sacramento Confessionis satis iam diximus, æquum est, vt & de Communione, quæ Confessionem sequi solet, similiter agamus. Primum autem de quo hîc dicendũ erat, virtutes sunt & admirabiles huius sanctissimi Sacramenti effectus: sed quoniam infinita sunt, quæ de illa materia dici possunt, nec breuitas institutinostri tã latos cãpos recipit: tantũ hîc de præparatione adeuntibus hoc sacrosanctũ Mysterium necessaria primò differemus; inde etiam de effectibus quædam subijciemus. Quæ sanè materia tam vtilis est, & necessaria, vt pro qualitate & quantitate præparationis, detur qualitas & quantitas gratiæ, quæ in illo infinitæ virtutis est Sacramento. Dico virtutis infinitæ: continet enim in se Christum qui fons est gratiæ, & particeps fit homo per illud omnium meritorum Passionis Dominicæ, quæ similiter nec modum habent nec numerum. Proinde quantò maior est præparatio, qua cum ad hoc Sacramentum accedimus, tantò maior erit & gratia, quam in illo percipimus.

Similc. Videmus, quod is, qui ad mare aut flumen venit, vt aquam hauriat, tantum haurit, quantum vas aut vrna potest capere, quàm adfert: non enim ex parte maris vel fluminis erit aquæ defectus, si non sit ex parte vasis minus capientis. Idipsum accidit ijs, qui ad diuinum hoc Sacramentum veniunt, quod est quasi mare omnium gratiarum: atque ideò hic illud vsu venit: quod à Psalmographò dicitur; *Aperi os tuum, & implebo illud.* Psal. 80, 11.

2. de Anima 24. Simile. Præterea Philosophorum est regula: Causas omnes operari secundùm subiecti dispositionem. Sic ignis ardet in ligno sicco, & non in viridi: illud enim ad ardendum dispositum est, hoc verò non. Cùm igitur Christus sit in hoc Sacramento, qui generalis est causa omnium gratiarum, manifestum est, quòd secundùm dispositionem animæ percipientis illum, in ea quoque operetur, & gratias suas communicet. Docet hoc experientia eos, qui sæpe celebrant, & communicant, qui quotidie sentiunt se fructum & deuotionem tantam ex hoc Sacramento percipere, quanta erat præparatio, qua cum ad illud veniebãt.

Non tantum experientia huius fructus, sed & timor damni nostri meritò nos excitare debet ad diligentissimam præparationem. Est enim commune omnibus Sacramentis gratiæ, vt quemadmodum incredibile conferunt subsidium digne recipientibus; ita & summo possint esse detrimento illis, qui indigne percipiunt, iuxta illud cuiusdam Doctoris: Simile. Quemadmodum Sol, aqua, & aër plantas crescere faciunt, & splendidiores reddunt, quamdiu illæ virides sunt, & in terra viuas radices habent; sic econtrario si radix mortua sit, aut ex terra euulsa, ipsæ eædem causæ & influentiæ magis illas exiccant, & putrefaciunt: sic & sanctissimum hoc Sacramentum (quod causa est omnium gratiarum) crescere facit, & meliores reddit animas, quæ viuæ sunt, & in charitate radicatæ; quæ autem eiusmodi non sunt, econtrario magis per illud ipsum Sacramentum exsiccantur, indurantur, & peiores fiunt: non quia Sacramentum malum est, sed quia malè præparati illud accipiunt.

Est & illud valde conueniens naturæ huius Sacramenti, quod verè est spiritale animarum alimẽtum: Simile. quemadmodum enim corporalis ciborum manducatio sustentat, augetque corpus sanum, plurimumque obest eidem infirmo, noxijsque humoribus pleno; quare & Medici istis temporibus huiusmodi præcipiunt abstinere, diætamque præscribunt: ita cibus ille diuinus ob eandem causam vera vita est eorum, qui sani sunt, & occasio mortis aliorum, iuxta diuersitatem bonæ vel malæ præparationis. *A præparatione pendet vt Sacramentum alicui prosit vel obsit.*

Qualis autem debeat esse præparatio, quæ requiritur ad hoc tantum mysterium, ipsa philosophia, & ordo naturalis demonstrat. Videmus enim formas naturales, quo sunt excellentiores, eò nobiliores requirere dispositiones: manifestè videtur hoc in cibo corporali, de quo loquimur: priùs digeritur & præparatur in stomacho, vt transeat ad iecur; in illo iterum disponitur forma quadam nobiliori sanguinis, vt pergat ad cor; & ibi tandem in aliam formam nobiliorem mutatur, vt ascendat ad cerebrum, vbi vltimam suam accipit perfectionem: ita vt in singulis istorum locorum mutetur, & perfectior fiat, vt formam recipiat nobiliorem: idque tali cum ordine, vt perfectio formæ præcedentis, fiat dispositio ad sequentem, & quod est terminus vnius, fiat dispositio alterius. Præsupponendum igitur hic est, eandem proportionem, eundemque ordinem etiam requiri in rebus spiritualibus, potissimum verò in Sacramentis: quæ quanto nobiliora sunt & excellentiora, tanto accurationem postulant præparationem, & maiorem puritatem ab his, qui sunt ea percepturi. Sunt enim quædam Sacramenta, quæ vt dignè recipiantur, tantum requirunt dolorem & pœnitentiam peccatorum, sine necessaria confessione: hoc verò Sacramentum, de quo nos modo loquimur, tantæ puritatis est & excellentiæ, (eo quòd Deus ipse in illo latitat) vt præter iam dicta, exigat aliud etiam Sacramentum; nimirum Confessionis, (si mortale peccatum præcesserit) sed & post Confessionem etiam actualem deuotionem & reuerentiam, vt dignè magis illud recipiatur. Porrò hæc deuotio non potest esse sine actuali attentione, & consideratione rerum diuinarum: proinde decet, illo tempore vt homo ex anima sua eijciat omnem imaginationem & cogitationem rerum mundanarum, vt liberè, & sine impedimento soli possit Deo vacare. Ex quo colligitur, non sufficere, vt homo eo tempore purus sit & immunis ab omni peccato, sed & totis viribus debet laborare, vt similiter mundus sit ab omnibus cogitationibus & curis, quæ quoquo modo possent impedire hanc deuotionem.

tiora, eo magis requiruntur præparationum. *Requiritur Confessio.* *Actualis deuotio.*

Id autem optimè declarat solitudo illa, qua cum Moyses ascendit montem, vt cum Deo colloqueretur; cui mandatum fuit, solus vt ad summitatem ascenderet, & ne ad montem aliquis aut homo, aut bestia accederet, sed ipse solus. Huic solitudini addidit Dominus nebulam, & obscuritatem magnam, in quam Moyses intrans cum Deo locuturus erat; vt & nebula; & solitudo auferrent ex aspectu omne id, quidquid non erat Deus, cùm ipsum Deum esset allocuturus. Sciendum igitur est, eodem modo accedendum esse ad Deum illi, qui digne cupit ad illum venire; hoc est, cum corde solitario, collecto, omniumque rerum terrenarum oblito, atque in Deum transformato: ita vt sibi persuadeat, nihil esse in hoc mundo præter Deum, & seipsum. Idem quoque Propheta hoc ipsum insinuauit, exuendo calceos suos, antequam pedem in illa terra figeret; quo typo Deus voluit indicare, eum qui ad se venire vult, oportere discalceatum esse, & nudum ab omni re mortali atque terrena. Exod. 24. Exod. 3.

Etsi verò hoc impossibile videatur humanæ naturæ, non est tamen impossibile Charitati, & gratiæ diuinæ: Nam, vt Sponsa in Canticis ait, *Fortis est vt mors dilectio.* sicut enim mors corporalis facit corpus insensibile, vt nihil quod mundi est sentiat: sic perfecta Charitas adeò occupat cor hominis, atq; in Deum transfert, vt faciat illud obliuisci omnium rerum, præter ipsum Deum. Cant. 8.

Verum quidem est; hanc mortem non esse omnium, sed solius Sponsæ huius cęlestis; hoc est, animę quæ meretur hanc dignitatem: proponitur tamen & requiritur ab omnibus ob dignitatem huius Sacramenti, quod quemadmodum est panis Angelorum, sic etiam exigit à recipientibus Angelicam puritatem. Contentus tamen est Dominus, si aliquam huius mortis partem habeamus; nimirum, si faciamus quod possumus, ad habendam illam omnium rerum obliuionem, actualemque deuotionem & attentionem.

Vt autem particulariùs de hac præparatione differamus, dico curandum esse illi, qui dignè; & quomodo debet, cupit ad sanctissimum hoc Sacramentum accedere, vt ea, quæ sequuntur, secum adferat.

(:)

Sacramenta quo excellentiora.

PRI-

PRIMVM, QVOD AD DIGNE communicandum requiritur, est puritas conscientiæ.

CAPVT II.

Nemo digne se potest præparare sine Deo.

PRimum quod ad dignè communicandum requiritur, est, vt homo cum summa humilitate cognoscat, nullam diligentiam, neque humanam, neque Angelicam huic præparationi sufficere, nisi manus Domini interueniat, quæ specialiter nobis in hoc affectu opem ferat: sicut enim nemo se potest disponere ad augmentum gratiæ, sine gratia; sic multò minus se disponere potest quis ad recipiendum dignè Deum, sine ipso Deo. Quamobrem necesse est, vt inuocetur humilibus ardentibusque desiderijs, vt manu sua dirigat & purget domum, in qua ipse diuersabitur. Videmus, si quando Rex ad aliquem pagum proficiscatur, vt ibidem aliquãdiu commoretur, non expectat donec rustici eius hospitium præparent, atque exornent, cùm illi ad hoc minus apti sint: sed ipse suos, qui à cubiculis sunt, præmittit, cum præparamentis, supellectilibusque sua Maiestate dignis. His sic se habentibus, optima datur nobis occasio Domino isti supplicandi, vt, postquam pro immensa sua bonitate & misericordia velit ad domum nostram diuerti, huic gratiæ dignetur quoque adiungere aliam, mittere nimirum Spiritum sanctum, cum omnibus suis cubicularijs, totaque virtutum & donorum omnium supellectile; vt hoc modo gratia & virtute omnipotentis Dei præparetur domus, in qua Deus ipse diuersabitur.

Simile.

Vt autem hoc debito modo fiat, primum quod requiritur, est puritas conscientiæ, vt simus ab omni peccato mortali mundi. quamobrem dicit Propheta; *Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine*: per manus intelligens culpas operum, & per altare mensam Eucharisticam. Hanc etiam ob causam tam horrendum minatur Apostolus dicens: *Qui manducat & bibit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quibus verbis innuit Apostolus, eos, qui cum mortali peccato accedunt ad hoc Sacramentum, simile peccatum illi committere, quod commiserunt, qui Christum crucifixerunt: cùm vtrique peccent contra idem corpus & sanguinem, licet diuersimodè.

Psal. 25.

1. Cor. 11. 29.

Præterea, quid ex coniunctione rerum inter sese pugnantium, vt sunt Christus & Peccator, expectandum est, nisi corruptio vnius vel alterius; res enim vnius naturæ facilè iunguntur, vt ferrum ferro, & aqua aquæ: sed quæ contrariæ sunt, vt aqua & ignis, nullo modo possunt commisceri, nisi vna corrumpatur ab altera. Cùm igitur per medium huius sanctissimi Sacramenti coniungatur peccator homo cũ Christo, quid ex ea coniunctione sperandum est, nisi corruptio partis debilioris? quomodo enim bonum malo miscebitur? quomodo pulchrum deformi? humile superbo? benignum iracundo? misericors crudeli coniungetur? Omnino itaque ratio postulat, vt aliqua sit similitudo inter Christum & Christianum, vt hic digne cum illo queat coniungi. Omnis autem similitudo per peccatum tollitur, si nõ priùs per pœnitentiam expurgetur.

Odium & immunditia huic Sacramento potissimum aduersantur.

Porrò licet omnia peccata mortalia istud faciant, duo tamen inter reliqua illud potentiùs & manifestiùs operantur, quæ præcipuè repugnãt huius Sacramenti conditioni: Odium scilicet, atque turpitudo. Quantum enim ad primum, Sacramentum hoc, est Sacramentum amoris, & vnionis: fideles enim in eo participant de vno eodemque cibo & spiritu, cuius virtute fideles vnum quid per amorem efficiuntur. Et ad hoc significandum dicit Augustinus Christum Sacramentum hoc instituisse sub ijs speciebus, quæ ex multis vnum quid fiunt; vt sunt panis & vinum: ex multis enim granis fit panis vnus, & ex multis acinis confluit vinum vnum: vt nobis insinuaret, Sacramentum, quod in duabus his speciebus administrabatur, operari in illis, qui id recipiebant, eundem effectum, qui est, ex multis cordibus vnum cor efficere, omnibus eundem spiritum, quando illud recipiunt, impertiendo. Quod cùm ita sit, quid magis præter rationem, quàm ad Sacramentum vnionis percipiendum; animo accedere diuiso? Quid hoc aliud est quàm petere à Chirurgo, vt ab vna parte cutem vulneri obducat, ab altera verò refricet, semperq; crudum conseruet? Non minùs absurdum est, nos venire ad sumendam hanc medicinam spiritualem, quæ eius virtutis est, vt plagas odij, malæque voluntatis sanet, atque animos per inimicitias diuisos coniungat? interim ab altera parte effectui huic obicem ponere, atque odijs particularibus & dissensionibus vnionem pacis, quam generat hæc medicina, dissoluere seu violare.

Quicunque igitur hoc inconueniens desiderat euitare, non præsumat ad hanc mensam accedere, nisi eius sit intentionis, vt cupiat satisfacere mandato Saluatoris, dicentis; *Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & deinde veniens offeres munus tuum, &c.* Cum hoc itaque satisfactionis modo, aut cum illius, vt minimum, proposito (secundũ iudicium prudentis Confessarij) debet homo ad cœlestem hanc mensam accedere: qui enim aliter accesserit, certum est, quod Dominus conuiuij illi dicet; *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* hoc est, charitatem, quæ, vt Apostolus dicit, *Operit multitudinem peccatorum.* Sed & timere debet, vt non habens quod respondeat, audiat etiam quod sequitur; *Ligatis manibus & pedibus proijcite illum in tenebras exteriores.*

Matth. 5, 24.

Matt. 22. 12.

1. Pet. 4. 8.

Luxuria contraria Eucharistiæ.

Alterum peccatum huic Sacramento contrarium est, quæcunq; turpitudo, seu luxuria. Sacramentum enim hoc, quod continet in se carnem illam virginalem, in purissimis beatæ Mariæ Virginis visceribus generatam, requirit tantam puritatem, & munditiem corporis ac animæ, vt Sancti etiam habeant pro impedimento, quo minùs Sacramentum hoc aliquis sumere debeat, vmbram aliquam delectationis, aut somnium voluptatis carnalis; nisi aut obedientia, aut insignis aliqua festiuitas ad communicandum hominem obstringeret. Imò D. Bernardus suadet, non tantum abstinere à communione post huiusmodi somnium, sed nec celebranti Sacerdoti inseruire, tanta est puritas, quam istud mysterium requirit. Etenim si Apostoli consilium sit, vt coniuges à vita coniugali abstineant, tantum vt vacent orationi; quantò magis abstinendum erit accessuris ad tremendum hoc mysterium, in quo Deus ipse corporaliter sumitur? Et si in veteri lege solum somnium turpe secluserit hominem per integrum diẽ à tabernaculis, & populi societate; quantò magis à Communione & participatione ipsius Dei remouebit? Et non solùm decet, nos ad hoc Sacramentum accedentes immunes esse à peccatis mortalibus, sed etiam mundos à venialibus. Genus enim hoc peccatorum licet ignem Charitatis non extinguat, debilitat tamen feruorem deuotionis, quæ optima est ad hoc Sacramentum præparatio. Ad expurganda verò peccata hæc, operæ pretium facturi sumus, si ante Communionem Confessionis Sacramentum præmittamus, aut saltem dolorem atque contritionem de illis, vel aliqua alia sancta amoris deuotionisve exercitia, vt cum ipsis restituatur feruor, & actualis

1. Cor. 7, 5.

Deut. 23 10.

Communicaturi etiam mundi sint à venialibus peccatis.

ctualis deuotio, quæ per similia peccata deperditur. Qui autem, omnia hæc neglexerit, nec vnum eorum saltem fecerit, non erit immunis à graui peccato veniali, multumque decedet illi à suauitate & refectione huius Sacramenti, qui primarius & proprius est effectus, quem operatur in animabus eorum, qui bene præparati illud accipiunt. Qui autem in peccatum mortale lapsus est, is debet necessario, præter contritionem & dolorem prædictum, etiam Sacramentaliter confiteri: nisi velit nouum mortale peccatum incurrere, quemadmodum in Concilio Tridentino Patres testati sunt.

Sess. 13. ca. 7.

DE SECVNDO, QVOD REQVIRITVR IN Communione, puritate scilicet intentionis.

CAPVT III.

SEcundum, quod requiritur in digne communicando, est actualis puritas intentionis; vt scilicet ad Sacramentum accedat homo fine bono, & intentione debita. Cum enim intentio nostra sit primaria nostrarum actionum circunstantia, ea vt omnibus in rebus adsit necessarium est, maximè verò in hoc Sacramento, vt non peruertamns res diuinas, alio fine illas vsurpando, quam quo institutæ sunt. Vt autem, quæ dicimus, melius intelligantur, hoc loco fines quosdam laudabiles, quosdam illaudabiles, qui faciunt aut indignam ipsam Communionẽ, hic enumerabimus, vt quid sequendum, quid fugiendum sit, manifestius intelligamus.

Fines quidam mali in communione vitandi.

I. Reperiuntur enim Sacerdotes nonnulli, qui principaliter mouentur ad celebrandum priuato commodo aut lucro, quod ex sacrificio sperant se accepturos. Isti mihi similes esse videntur duobus illis filijs Aaron, qui obtulerunt Deo sacrificium in igne alieno: non enim mouet eos ad celebrandum ignis amoris diuini, sed ardor & cupiditas denarij. Quare quemadmodum ignis tunc egressus est de sanctuario, & deuorauit vtrumque; sic & hic quoq; metuendum est, ne simili modo absorbeantur.

Leuit. 10, 1. Num. 3.

II. Alij inueniuntur, qui communicant quia aliter facere non possunt, mera vi, aut timore pœnæ adacti, (sicut nonnulli mali Christiani faciunt, qui non audent transgredi mandatum Ecclesiæ de semel saltem in anno, idque circa festum Paschæ communicando) qui mensam Domini adeunt, tanquam capillis tracti, & tanquam is, qui ad crucem rapitur. Tales deberent meminisse, non fuisse licitum indutum sacco vel habitu seruili Regis Assueri aulam intrare: ita modo non licere cuiquam hoc palatium ingredi, & sacrosanctum illud Sacramentum animo & corde seruili indutum sumere. Quod ex amore institutum est, ex amore debet sumi: non enim est rationi consonum, vt ex animo prorsus seruili sumatur, quod ex amore paterno institutum est. Meritò timere debet, qui hoc modo sese ad hæc sancta ingerit, ne aliquando audiat illud Euangelicum: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?*

Esther. 1.

Matth. 22.

III. Alij reperiuntur etiam, qui ad Communionem veniunt, vt faciant, quod alios facere vident, sine aliquo desiderio, nec præmissa præparatione, nec vitæ prioris emendatione, quæ hic requiruntur. Et ab his non multum differunt illi, qui ex sola consuetudine certis quibusdam diebus communicandi, ad sacram Synaxin accedunt, sine debita deuotione. Animaduertere deberent illi, quamuis consuetudo hæc bona sit, non tamen esse negotium istud huiusmodi, quod ex sola fieri debet consuetudine; sed ob fructum, qui ex eo speratur, & cum præparatione, quæ ad fructus eos promerendos requiritur.

IV. Nonnulli ad sanctam hanc mensam accedunt cum quodam desideriolo spirituali, hoc est, cum appetitu & desiderio quodam sumendi in hoc Sacramento suauitatem quandam & sensibilem deuotionem, eam sibi tãquam vltimum finem huius operationis proponentes, nec dirigunt hanc deuotionis speciem ad finem debitum, qui est amplecti mortificationem & Crucem Christi, Deoque maiori cum fortitudine & voluntatis promptitudine seruire.

Verus finis Communionis.

Omnes hi fines mali sunt, & quasi quædam falsæ portæ, per quas introeunt mali, vt furentur tanquã latrones, non vt mercedem accipiant vt fideles serui sui Domini. Ingrediamur itaque nos per portam, per quam ingressi sunt Sancti, studeamus habere intentionem illam, quam Sancti habuerunt, quæ non vniformis est, sed diuersimoda, vt pulchre docet Bonauentura his verbis:

Varius finis boni.

Diuersis autem affectibus & intentionibus diuersi ad communicandum trahuntur, vel ad celebrandum: Aliquos trahit amor Dei, vt dilectum ad se sæpius inuitent, eumque in semetipsis delectabiliter amplexentur. Aliquos propriæ infirmitatis intuitus, vt eum quasi medicum ad se vocent, per quem ab infirmitate curentur. Aliquos conscientia delictorum suorum, vt per eum quasi per hostiam placationis; ab omnibus peccatis expiati purgentur. Aliquos pressura alicuius tribulationis, vt per eum, qui omnia potest, ab omni aduersitate citiùs liberentur, & tutiùs protegantur. Aliquos desiderium alicuius gratiæ, vel beneficij impetrandi per eum; cui Pater nihil negare potest, pro se intercedentem. Aliquos gratiarum actio pro beneficijs diuinis, cum nihil dignius habeat reddere Domino pro omnibus, quæ nobis tribuit, quàm calicem Salutaris, id est, Iesum accipere. Aliquos laus & honor Dei, & Sanctorum, cum non habeamus maius, quo possimus vel Sanctos pro sua dignitate laudare, quam Christum immolare Deo Patri. Aliquos charitas & compassio proximorum, cum pro salute viuorum & requie defunctorum nihil efficaciùs interpellat, quam sanguis Christi pro nobis effusus: hoc est summum auxilium nostrum, cum oramus Deum & illum intercessorem inuocamus, qui nos Patri reconciliauit, & semper interpellat pro nobis. Hæc Bonauentura.

Bonauentura de processu Religiosa ca. 22.

Psal. 115.

Ioan. 16.

Qui cupit igitur puram & rectam intentionem reperire, qua cum ad communionem accedat, quærat vnum ex his finibus magis sibi conuenientem, & in eum dirigat omnem suam intentionem. Multò autem melius erit & vtilius, omnes hos fines, qui sunt quasi fructus admirabiles huius Sacramenti, nobis simul ante oculos statuere, & mediante hoc mysterio omnium simul participes fieri. Primarius autem & proprius finis est, mediante hoc Sacramento, in quo Christus realiter inest, in anima nostra, Christi spiritum recipere, cuius beneficio transformemur in illum, viuamusque quomodo vixit ille; hoc est, cum illa charitate, humilitate, patientia, obedientia, paupertate spiritus, mortificatione corporis, & contemptu mundi, cum quibus omnibus & Christus vixit. Hoc enim est manducare & bibere Christum, spiritualiter transformari in illum, & vnum quid cum illo fieri, per imitationem vitæ illius, quẽadmodum fecerat is, qui dicebat. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Proprius finis.

Gal. 2. 20.

Hic igitur principalis noster finis sit: sed & præterea necesse est, vt faciamus quod ille præcipit; hoc est, renouemus in hoc Sacramento memoriam suæ passionis, & debitas reddamus gratiarum actiones pro inæstimabili beneficio nostræ redemptionis.

DE TERTIO, QVOD REQVIRITVR in huius Sacramenti sumptione, actuali nimirum deuotione.

CAPVT IV.

TErtium, quod Sacramentum hoc requirit, est actualis deuotio. Sciendum enim est, venera-

bili-

Effectus huius sacramenti communis, & proprius. 3. q. 79. 4. dist. 12.

rabile hoc Sacramentum (vti & reliqua omnia) effectum habere quendam communem; & alium proprium. Communis est, quòd confert gratiam, qui etiam effectus est reliquorum Sacramentorum nouæ legis: propriùs verò est, quem Theologi vocant spiritualem refectionem? hoc est, nouum robur, seu nutrimentum ad bene operandum, gustusque quidam & suauitas rerum diuinarum, quæ in eo percipiuntur. *Simile.* Quemadmodum enim cibus corporalis non tantum sustentat vitam comedentis, sed simul dat fortitudinem, & dulcedinem gustus inter manducandum: sic & ille cibus diuinus non tantum conseruat vitam spiritualem per gratiã quam confert, sed simul dat robur spiritui, & dulcedinem animæ palato, idque per virtutem propriam. Est autem hæc dulcedo vel delectatio, teste B. Thoma, tam magna, (saltem in ijs, qui palatum animæ habent mundum & purgatum) vt nemo id verbis queat vllis assequi: gustatur enim hic dulcedo spiritualis in ipso fonte, qui Christus est Saluator noster, fons omnis suauitatis.

Vt itaque frui quis possit hoc tanto beneficio, dicimus, requiri actualem deuotionem. Cùm enim sit necessarium, vt similitudo quædam sit inter formam & præparationem, quæ ad illam requiritur; non potest inueniri conuenientior præparatio ad percipiendum augmentum deuotionis, quàm ipsa actualis deuotio. Videmus enim per experientiam maximam præparationem, quam potest habere lignum ad ardendum, esse, vt sit calidum & siccum, quæ sunt ipsius ignis qualitates.

Quid sit actualis deuotio.

Et si me interrogaueris, quid sit hæc actualis deuotio? nescio quomodo graphicè magis potero definire, quàm si dixero eam esse quasi aquam pretiosam, quæ ex diuersis, ijsque odoriferis herbis est distillata, multos habens suaues & diuersos odores: est enim hæc deuotio affectus quidam spiritualis, ex alijs affectibus & desiderijs spiritualibus & sanctis compositus, quibus anima ad venerabile hoc Sacramentum accedentis plena esse debet. Dicit enim S. Ambrosius: *Ambros. In præparatione ad Missam.* Quanta contritione cordis & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate atque animi puritate illud diuinũ est & cæleste mysterium celebrandum, Domine Deus, vbi caro tua in veritate sumitur? vbi sanguis tuus in veritate bibitur? vbi summis ima, humanis diuina iunguntur? Vbi adest sanctorum præsentia Angelorum? vbi tu es Sacerdos & Sacrificium mirabiliter & ineffabiliter? Quis dignè hoc celebrare mysterium potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum?

Vt autem ad particularem magis tractationem huius deuotionis, quæ hoc loco requiritur, descendamus; dico, si satisfacere velimus ex parte nostra, ijs quæ exigit conditio atque nobilitas huius Sacramenti; æquum est, vt ex vna parte accedamus cum summa humilitate & reuerentia; ex altera verò cum ardentissimo amore atque fiducia; ex tertia denique cum impatienti fame & desiderio panis huius supercælestis. Omnes affectus hos postulat excellentia huius Sacramenti, & singuli horum affectuum suam habent considerationem ad nos excitandum.

Maiestas Dei quanta.

Primò itaque ad extimulandum timorem & reuerentiam, debet homo oculos suos attollere ad considerationem immensitatis atque magnitudinis Domini, qui in hoc Sacramento continetur: cùm vere atque realiter sub sacratissimo hoc velo, & sub specie panis illius contineatur diuina illa Maiestas, creatrix, & gubernatrix mundi huius: in cuius conspectu tremunt columnæ cæli, in cuius præ- *Iob 26, 11.*

sentia prosternuntur omnes creaturæ; quem laudant astra matutina, & iubilant omnes filij Dei; cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur; in cuius conspectu cæli mundi non sunt; in cuius comparatione admirabilis. Vniuersi fabrica, teste Sapiente, est tanquam momentum stateræ, & gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. Quomodo igitur non timebit illum is, qui certissimis oculis fidei cernit se accedere ad mensam hanc, vt in se recipiat Dominum tantæ Maiestatis? *Iob 28. Idem 15. 25. Sap. 11.*

Nihil hîc dico de magnitudine iudicij, de iustitiæ districtione, de odio & detestatione, quibus malos prosequitur; de ijs tantum mihi sermo est, quæ sublimitatem atque celsitudinem tantæ Maiestatis cõcernunt: vt non solùm peccator, sed iustus intelligat, quantas timoris causas habet cum ad communionem accedit. Neque etiam nimium confidere debet aliquis virtuti huius Sacramenti, quæ est vita animæ, vt omnino securus sit: nam (sicut diximus) fieri potest, vt sit ad iudicium & condemnationem illius, qui minùs bene præparatus illud accipit. Miserunt filij Israël Arcam testamenti, cum Philisthijm certamen offerre vellent? sibi in præsentia illius Arcæ pugnantibus certam victoriam promittentes: quod non tantùm non euenit, sed pene omnes in prælio ceciderunt, & interfecti sunt, & ipsa quoque arca capta est: adeò vt multò maius fuerit damnum, quod acceperunt Arca præsente, quàm antè acceperant illa absente: atque ita quod imaginabantur sibi fore auxilio, virtute Arcæ considerata idipsum fuit illis ruinæ & exitio, propter impiam & Deo exosam vitam eorum. Idem quoque accidit magno illi amico Regis Assueri Aman, qui cum esset inuitatus à Regina ad conuiuium, sibi gratulabatur, & id loco magnæ felicitatis habebat: sed mutata est sors in illo enim conuiuio de morte Aman tractatum est, & de regali epulo atque mensa splendidissima subito ad supplicium raptus, & in crucem actus est. Hac igitur de causa exclamat Apostolus, dicens: *Probet autem semetipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit.* Non enim tractat corpus Domini quomodo tractari debet. Etenim si Arca fœderis (quæ nihil aliud erat, quam figura huius Sacramenti) tantam requirebat reuerentiam; quanta putas ipsi Sacramento debebitur? Legimus Dominum ex Bethsamitis, eò quòd curiosius Arcam tantum essent intuiti, quinquaginta millia hominum occidisse: quid igitur erit sine aliquo respectu recipere illud, quod per ipsam Arcã est designatum? Cum Arca hæc filijs Israel viam per fluenta Iordanis patefaceret, sedulò præcepit illis Dominus, ne quis appropinquaret ad ipsam: sed vt inter eos, & Arcam, spatium esset duum cubitorum millium; ne illos Deus occideret. Age, mi frater, si tanta debebat exhiberi reuerentia illi Arcæ, quæ tantum vmbra fuit huius mysterij; quæ requiretur reuerentia, vt quis recipiat in se Dominum ipsum, qui per Arcam illam significabatur: præsertim si is seipsum intueatur, & recordetur secundùm naturam se nihil esse; secundùm culpam verò minus quàm nihil, cùm peccatum minus sit, quàm nihil? Quàm ergo iustas metuendi causas habet is, qui toties nihil factus est? qui tot peccata commisit? tot libidinibus, turpitudinibusque, & abominationibus sese polluit? quomodo poterit non timere, tantum excepturus Dominum in cor, quod toties factum est habitatio draconum, & nidus serpentum atque Basiliscorum. *Esther. 7. 1. Reg. 4. 1. Cor. 11. 1. Reg. 6. Iosue 3.*

Tali itaque consideratione debet homo, quantum poterit, cor suum humiliare, & redire cum fi- *Humilitas*

quomodo paratur. Luc. 15. lio prodigo ad ædes benignissimi sui patris, clamans & dicens: *Pater, peccaui in cælum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis.* Veniat cum corde publicani illius Euangelici, qui nõ audebat ad altare appropinquare, nec oculos in cælum leuare, sed stans à longe, & Luc. 18. percutiens pectus suum; dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Simile. Veniat quali cum corde veniret ad maritum fœmina, quæ iura fidemque thori violasset, cum post impetratam veniam ad domum mariti sui reuerteretur: quæ (si quis in ea pudor esset) oculos non auderet leuare, vt maritum intueretur; dũ hinc infidelitatis suæ, in quam impegit, recordaretur; illinc autem mariti nobilitatem, qui post tantum crimen illam recepit, animo perpenderet: hoc enim reuera & multò amplius facit cælestis ille spõsus, quoties in hoc Sacramento admittit ad ædes suas, ad mẽsam quoque suam, imò & ad amplexus suos animã, quæ relicto vero sponso suo, cum Dæmonibus mœchata est, faciens eorum voluntatem, & tandem ad illum post liminio reuertitur. His similibusque meditationibus humilitas & reuerentia, quæ in hoc Sacramento necessaria sunt, in animabus nostris generantur.

Amor & fiducia quomodo generantur. Matth. 9. Amor autem & fiducia accendentur, ab altera parte considerando, quanta est Maiestas & iustitia huius Domini, & quantum eius in peccata & iniquitates odium, tantam eius esse bonitatem, misericordiam, & pietatem qua est in peccatores ipsos: hæc enim fecit, vt de cælo in terram descenderet, & carne nostra se vestiret; vt oberraret, & discurreret per vicos & plateas, quærendo eos, & cum ipsis comedendo: hæc fecit vt diceret, cibum suum esse illorum Matth. 4. salutem: propter illos ieiunauit, sudauit, laborauit, vigilauit, infinitasque persecutiones & contradictiones Luc. 6. mundi sustinuit; pro illis ambulabat, & prædicabat interdiu: pro illis noctu vigilabat, & orabat; pro illis viscera sua aperta tenebat, adeò vt iam neminem amplius repudiet, nec à se repellat, quantumuis ille miser sit, & omnibus abominabilis. Deniq; tam ardenter eorum sitijt salutem & redemptione, vt non cessauerit, priusquam in crucem inter duos latrones suspensus, omnem suum pro illis sanguinem profunderet, saltem vt eos saluos videret atque redemptos. *Cur institutum hoc Sacramentum.* Neque hoc contentus, vt finito huius vitæ mortalis curriculo, non deesset, quod vicem eius in terris suppleret, instituit diuinum hoc Sacramentum, in quo is ipse est, vt homines, quibus opus est medicina, horis omnibus haberent eandem portam & officinam apertam, vnde petere possẽt remedium. Adeo vt ea ipsa causa, quæ mouit illum vt mortem oppeteret, eadem quoque, vt institueret hoc Sacramentum, mouerit. Quemadmodum enim amor causa fuit, vt Christus è cælo in terram descenderet, effecitque vt in manus peccatorum se traderet: sic idem amor est, qui facit illum hac via iterum in mundum redire, & manibus eorundem peccatorum attrectari. Ex quo manifestum fit, non fuisse operis tam immensi ex parte Dei causam aliam, præter infinitam & incomparabilem illius charitatem; neque ex parte nostra aliam, præter summam necessitatem nostram, quæ propter incredibilem nostram miseriam ingentem eius misericordiam necessario requirebat.

Sacramentũ hoc iustis & peccatoribus commune. Hinc est, quod diuinum hoc Sacramentum iustorum & peccatorum commune est remedium: cum non tantum cibus sit eorum, qui sani sunt, sed & infirmorum; non viuentium tantum ita, sed & resurrectio mortuorum, dicente Augustino: Panis hic non tantum sustentat quos viuos inuenit, sed resuscitat etiam sæpe illos qui mortui sunt.

Sacramentũ Quomodo itaque me poterit quisquam impedire vel separare ab huius mysterij participatione? *Hoc Xenodochium quo ordinatur.* Hoc Xenodochium quoddam regale est, institutum ex mera bonitate & misericordia diuina, & dotatũ sanguine Christi; vt sit vniuersale refugium omniũ infirmorum, & egentium. Qua igitur de causa, quòd infirmus sim, me ab eo excluſum esse arbitrabor? imò ob hanc eandem causam, quia infirmus sum, si sanitatem desidero, magis constringor & impellor illuc accedere: quoniã si infirmus sum, illic me curabũt; si debilis sum, illic me cõfortabunt; si cæcus sum, illic me illuminabunt; si pauper sum, illic me ditabunt; si famelicus sum, illic me satiabunt; si denique nudus sum, illic vestient me, meãq; tegent nuditatẽ.

Infirmi hic Sacramenti magis quam fortium necessarium. Hoc est illud, quod aut non intelligunt, aut nolũt intelligere, qui similibus excusationibus & se, & alios abstrahunt à frequentia huius Sacramenti, non videntes diuinum hoc mysterium institutum esse, non tantum pro nutrimento eorum qui sani sunt, & iustorum fortitudine; sed & pro remedio & sustentatione pœnitentium. Ille maximè hoc Sacramento indiget, qui maxima laborat debilitate; & proinde multò minùs sine illo viuere potest debilis, quam fortis: qui enim fortis est, diutius perseuerare potest sine ope huius Sacramenti; sed qui imbecillis est, languidus, & infirmus, qui auertens oculos paululum à Deo, confestim incipit cadere: qui inquam talis est, quod aliud habere poterit refugium, si non iuuetur hoc auxilio?

Hanc ob causam Saluator singulari modo miserebatur huic hominum generi, cùm in figura huius mysterij dixit: *Si dimisero eos ieiunos in domum* Mat. 8. *suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt.* Etenim sine dubio, quemadmodum tunc magis periclitabantur illi, qui de longè venerant, quàm alij, quorum patria erat vicinior, eò quod pluribus diebus in itinere perseuerarant: sic etiam magis opus est hoc Sacramento ijs, qui debiliores sunt, & ab amoris diuini perfectione remotiores. Proinde quia panis hic cælestis institutus est ad remedium illorum, non est præsumptio, sed consilium saluberrimum, vt qui redemptionem suam quærit, Redemptorem accedat, & medicinam, quam ad hoc non minori cum amore, quàm sanguinis sui pretio instituit, sumat.

Quin vna ex magnis hominum culpis, & cuius nomine magis grauabuntur in die Iudicij, in Christi sanguine erit: hoc est, quia noluerunt vti remedijs, per pretiosissimum Christi sanguinẽ institutis, quorum maximum est hoc Sacramentũ. Si Rex quispiã Simile. celeberrimum erexisset Nosocomium, omniaq; necessaria abundè ad hoc contulisset, vt in eo infirmi quiq; curarentur; absoluto verò iam opere non sine maxima diligentia, & incredibili sumptu, si nemo inueniretur, qui vellet in eo curari, nonne doleret, & indignè hoc ferret, videns omnes operas & impẽsas suas perijsse? Non minus igitur indignatur Rex ille cælestis, si postquam instituit & præparauit proprio suo sanguine tam ingens & pretiosum remediũ, nos eo vti, & curari non velimus: eo enim modo, quantum in nobis est, omnes eius labores, molestias & sumptus facimus irrita. Hoc est illud peccati genus, quod Dominus innuit in Euangelica de cœna parabola, quando paratis iam vniuersis, misit vocare inuitatos, illi autem venire noluerunt: in quos terribilem illam excommunicationis sententiam intonuit: *Dico, inquiens, vobis, quod nemo virorum il-* Luc. 14. *lorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*

Quod cùm ita sit, quam mihi dabis excusationẽ, cur ad conuiuium hoc non velis accedere? Si dixeris, quia peccator es; non iam peccator est ille, qui iustus esse cupit, & iam horret amplius peccator esse & appellari: nam teste Hieronymo, peccata præ- Hieron.

terita

terita non damnant, si non delectent. Si dixeris te lapsum esse; non potest ille dici lapsus, qui dolet se cecidisse, & extendit manum suam, vt subleuetur. Si dixeris indignum esse te, qui appropinques mysterio tam sublimi; imprudens es, & stolidus, si tibi persuadeas aliquem in hoc mundo reperiri, qui planè dignus sit, vt ad hoc Sacramentum accedat: ideò namque voluit Dominus infantes & pueros ad se venire, vt ex eo magis eluceseeret gloria bonitatis eius; qui etiam se paruulis communicare non erubescit. Quòd si hæc bene consideraueris, intelliges manifestissimè, te non solùm non offendere Dominum, si illi appropinques: sed multò potiùs te illum offendere, quòd non vis vti remedio, & medicina, quam in vsum nostrum instituit. His igitur & similibus cõsiderationibus excitatur, & inflammatur desiderio, quo cum ad hoc sanctissimum Sacramentum debemus accedere.

Matth. 19.

Tertius affectus, hoc est, fames & desiderium cælestis huius panis, excitatur considerando influentias & virtutes huius Sacramenti nobilissimi, ac effectus quos in animabus deuotè recipientium operatur. Vt autem dilucidius hoc intelligatur, sciendum est, Deum, quemadmodum homini primo Adamo, qui fuit origo & principium omnium nostrorum malorum, secundum hominem opposuit, qui fuit Christus Iesus, fontem & exordium omnium nostrorum bonorum: sic pernicioso illius arboris fructui, qui fuit origo malorum nostrorum omnium cibum sanctissimi huius Sacramenti, quod omnium bonorum fons est? opposuisse. Quare sicut omnia mala, quæ nata erant ex illa primi Adami inobedientia, curata sunt per obedientiam secundi: sic omnium malorum, quæ à pernicioso illo cibo generata sunt, remedium est sanctissimum hoc Sacramentum: est enim quasi spiritualis quædam theriaca, consilio sapientissimi illius medici mundi, ad remedium humanæ naturæ, veneno & afflatu antiqui illius Serpentis infectæ, ordinata.

Genes. 3.

Luc. 2.

Secundùm hanc itaque doctrinam, si quis scire cupiat, quot bona secum adferat sanctissimus hic cibus, numeret mala quæ de altero illo vetito suam trahunt originem. Propter hoc enim, vti dictum fuit de illo cibo, *In quacunque die comederis ex ea, morte morieris*: sic ecõtrario dictum est de pane hoc cælesti: *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Vides itaque, mi frater, quomodo hic cibus directè alteri opponitur, tanquam medicina contra illum dolorem ordinata. Hoc vnum est medium, quo ex parte aliqui sanctissimi huius Sacramenti effectus cognoscuntur.

Genes. 2.

Ioan. 6.

Alterum medium est consideratio illius, quod in hoc Sacramento continetur: exiitit enim in eo realiter, & verè ipsa caro Christi, quæ cùm vnita sit Verbo diuino, etiam particeps est virtutis & influentiæ illius? quemadmodum ferrum ignitum & candens de ipsius ignis natura participat. Quamobrem dixit S. Ioannes Damascenus: Verbum illud æternum, quod vitam largitur rebus omnibus, humanæ carni coniunctum fecit eam vitæ datricem: hinc est, quòd Sacramentum hoc continet in se virtutes & effectus omnes ipsius Christi, cùm in eo accipiatur caro Christi, quæ vnita Verbo diuino, participat omnes virtutes eiusdem Verbi. Hinc facilè poteris cognoscere, quod operatur in te Dominus iste, cùm tu illum recipis: Venit enim vt condecoret te sua præsentia, vngat te sua gratia, sanet te sua misericordia, lauet te suo sanguine, resuscitet te sua morte, illuminet te sua luce, inflammet te suo amore, oblectet te infinita sua suauitate, animam tuam sibi despondeat, faciatque te participem sui spiritus, & omnium eorũ, quæ per carnem illam, quam tibi dat, in cruce promeritus est: atque ita diuinum hoc Sacramentum dimittit peccata præterita, & conseruat hominem à futuris: passiones refrænat, tentationes minuit, deuotionem excitat, fidem illuminat, charitatem accendit, confirmat spem, corroborat nostram debilitatem, restaurat vires, exhilarat conscientiam, facit hominem participem omnium meritorum Christi: denique arrham dat æternæ vitæ. Iste est panis, qui confortat cor hominis, qui sustinet viatores, eleuat lapsos, corroborat debiles, armat fortes, consolatur afflictos, illuminat ignorantes, inflammat tepidos, excitat ignauos, sanat infirmos, & communis est omnibus in necessitate cõstitutis. Si itaque tot & tam admirandi sunt effectus huius Sacramenti, si talis amor & bonitas eius, qui instituit illud; quis poterit non summo cum desiderio tot & tantas opes desiderare? quis non apperet cibum tam excellentem?

Effectus huius Sacramenti.

Psal. 103.

Sacramentũ hoc omnibus est cõmune.

Quamuis autem Sacramẽtum hoc tantæ sit dignitatis, non tamen ob eam causam homo debet ab illo se abstinere, suam considerans indignitatem, atque inopiam. Nam (vt suprà dictum est) pro pauperibus thesaurus ille apertus est, & pro infirmis composita est hæc medicina; pro indigentibus collatum est hoc auxilium, & pro famelicis cibus ille datus est. Verũ quidem est, panem hunc esse panem Angelorum; sed & panis etiam est pœnitentium: est quidem cibus sanorum; sed & medicina quoque est male habentiũ: est quidem conuiuium regale; sed & refectio etiã est laborantium: nutrimẽtum quidem est robustorum; sed & lac est infantium: ita vt hoc Sacramentum omnibus omnia sit. Nemo igitur quantumcunque imperfectus abstinere debet hac medicina, qui ex toto corde appetit sanitatem: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*: & propter illos potissimũ venit Christus in mundum, & propter illos potissimùm venit in hoc Sacramentum. Qua igitur fame, quo desiderio, qua cũ exultatione deberes eum expectare, & excipere, qui venit, vt tantas tibi gratias largiatur? Respice desiderium antiquorum istorum Patrum, quo aduentum huius Domini expectabãt, clamando & vociferando cælos disrumpentes, orantes, vt vel tandem veniret: quare & *Desideratus cunctis gentibus* appellatus est. Igitur si idem Dominus sit qui venturus est in animam tuam, vt faciat in ipsa, quod in mundo fecit; nam (teste D. Thoma) sicut visibiliter veniens in mundum vitam gratiæ contulit mundo, ita in hominem sacramẽtaliter veniens, vitam gratiæ operatur in ipso; quamobrem eodem cũ desiderio illum non expectabis aut desiderabis? Perpende quoque desiderium Apostolorum expectantium aduentum Spiritus sancti, cogita eorum orationes & clamores, quibus postulabant & expectabant illum: & colliges ex ijs, quantopere tu debes hunc aduentum appetere, cùm in ipso eundem Spiritum speres percipere, licet alia ratione. Intuere similiter qua cum affectione mulier coniugata, & numerosa prole, multarumque rerum necessitate grauata, mariti sui in India negotiantis aduentum præstolatur, è cuius reditu omnem consolationem, opem, societatem, honorem, omniumque malorum suorum remedium & finem sibi pollicetur. Qui fieri itaque poterit, vt non simili, quin & maiori, ardentiorique cupiditate dulcissimi animæ tuæ sponsi, qui venit ex India cælesti, pretiosiores merces, pluraque omnis generis bona secum adferens, quàm totus mundus possidet, vt ea tibi donet, aduentum desideres? Hæ, similesque aliæ considerationes deseruiunt ad excitandam in anima deuotionem actualem, quàm diximus, quæ ob hoc diuinum Sacramentum requiritur.

Ioan. Damascen.

Matth. 9.

Agg. 2.

S. Thom. 3. q. 79. art. 1.

Actor. 1.

Simile.

HOMINEM DEBERE CERTVM tempus sibi deligere, vt vacet supradictæ præparationi.

CAPVT V.

VT igitur homo tali se modo possit præparare, necesse est aliquot sibi dies constituat ante sacram Communionem, in quibus sanctissimis illis considerationibus operam det: vt scilicet sese purificet, conscientiam suam mundet interueniente examine, atque pœnitentia suorum peccatorum, Confitendo eadem sacramentaliter. In quo nonnullorum Sacerdotum valde reprehendenda est audacia, qui nihil horum facientes, quocunque loco sunt, surgunt, & ad altare accedunt, fabulantes, ridentes, occupati, secularibusque negotijs distracti: ita vt qua securitate atque incuria eunt ad comedendum panem materialem, eadem accedant mensam Domini, vt sumant panem Angelorum: quæ sanè valde magna abominatio est. Atque hæc est causa, cur post tot annos, quibus hac medicina vtuntur, tam parum ipsius vsu adiuti esse deprehenduntur. Alioquin, si quoties Missam celebrarunt, recepissent notabile aliquod gratiæ augmentum, certum est, quod qui viginti annis celebrarunt, ingentem gratiarum thesaurum iam collegissent: quod sanè sic se habere non existimo, cùm ijdem sint, qui antea fuerunt; æquè sensuales & indeuoti, imò nonnunquam facti peiores. Quid igitur formidandum magis est, quam quotidie fontem gratiarum, & mensam Angelorum accedere, quotidie officinam omnis medicinæ adire, & post tot annos æquè sitibundum, famelicum, debilem & infirmum inueniri?

Abusus quorundam Sacerdotum.

Nec minùs reprehendendi sunt quidam mali Christiani, qui postquam vixerunt in omni genere vitiorum, cùm in fine anni ad Confessionem veniunt, vix desierunt mille turpissimorum peccatorum genera dixisse, cùm à pedibus Confessarij surgentes, mensæ Dominicæ accumbunt, ad manducandum panem Angelorum; quod non nisi cum Angelica puritate fieri (si posset) debebat. Nónne igitur omnino deceret, vt aliquot dies primùm consumeret homo in placando Deo, in lauanda lachrymis & planctibus domo, in quam Deum excipere decreuit? Nónne æquum esset, vigilias festo præmittere, & sese ad tantam solemnitatem præparare? Si filijs Israel mandatum fuit à Moyse, vt priusquam legem Dei acciperent, integro triduo se præpararent, vestes lauarent, & ab vxoribus suis se continerent: quantò maiora his facienda essent ad accipiendum ipsum Deum, datorem non tantùm legis, sed gratiæ, quæ maior est lege? Quomodo igitur memoria peccatorum adhuc recenti, fœtente adhuc eorum turpitudine; & fumigante vix extincta peccandi libidine, audet homo appropinquare mysterio tantæ puritatis, & Dominum accipere tantæ Maiestatis?

Exod. 19.

Hic magnus est abusus multarum personarum, quem si quis velit iusto pondere (non in statera Chanaan, de qua dicit Propheta; *In manu eius statera dolosa*: sed pondere sanctuarij, hoc est, iudicio Dei & ipsius Sanctorum pensiculare, legat Sermonem D. Cypriani De lapsis, & ibi videbit quanta reprehensione digni sunt, qui sic mysterio hoc abutuntur. Scribens enim de Christianis, qui paulò pòst quàm ipsis Dæmonibus sacrificauerant, ad communionem veniebant, sic ait; A Diaboli aris reuertentes, ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus intruduntur, quando occurrat Scriptura diuinà, & clamet & dicat. *Omnis mundus manducabit carnem: & anima quæcunque manducauerit ex carne salutaris sacrificij, quod est Domini, immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo.* Apostolus item testatur, & dicit: *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non potestis mensæ Domini communicare, & mensæ Dæmoniorum.* Idē contumacibus & peruicacibus comminatur & denunciat dicens: *Quicunque ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur corpori eius & sanguini: & plùs modò in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cū Dominum negauerūt. Hæc Cyprianus. Quibus verbis an quid dici poterit magis metuendum? Video quidem, & facilè animaduerto, esse hoc loco quandā exaggerationem: nihilominus ex eo facilè cognoscitur, quid Sanctus ille de intolerabili nostra audacia & quotidiana temeritate censuerit.

Cypr. ser. de lapsis.

Leuit. 7.

2. Cor. 11.

Quòd si mihi dixeris, te reconciliatum Deo per præcedentem Confessionem: fāteor. non tamen æquum est, vt ea ipsa hora, qua euomuisti execranda illa tua peccata, Dominum Deum tuum percipias, nisi priùs aliquamdiu lachrymando, dolendo, & conscientiam tuam mūdando te purgaueris, vt maiori cum puritate ad Communionem venias. Septē diebus separata fuit Maria soror Moysis, ne castra Dei ingrederetur, non obstante quòd eam pœnituisset, & peccatum ei iam dimissum fuisset. Toto triennio non venit in palatium patris sui Absolon, quamuis iam pridem cædes in fratrem Amnon commissa ei condonata esset. Quòd si illa ob patrem suum offensum, etiam venia iam obtenta, tribus annis à patris conspectu abstinuerit; putásne æquum est, vt & tu vel tribus diebus abstineas, qui multò grauiùs patrem cælestem offendisti? qui non semel, sed sæpissimè Filium eius dilectissimum peccatis tuis crucifixisti, & occidisti?

Num. 12.

2. Reg. 14.

Et si rursus dices, te isto tempore à peccatis abstinere non posse, & proinde meliùs esse statim à Confessione ad Communionem accedere, priusquam noua peccata faciant te denuò indignum hoc mysterio: Ad hoc respondeo, quòd si peccata tua sint venialia, non te faciunt indignum; *Septies enim in die cadit iustus:* & huic malo facilè remedium adhibetur. Sed si metuas, vel credas, fore peccata mortalia, quod maius esse potest periculum, aut quæ peior præparatio, quàm ad Communionem venire, conscientia tam labili, & tam exigua cum firmitate, quam tu habes, non confidens quia solo triduo sine peccato mortali viuere poteris? Vbi est igitur firmum propositum, quòd nolebas Deum in posterum offendere, ne in vitæ quidem constitutus periculo? Vbi est amor Dei super omnia, qui magis, quàm quidquid in mundo est, peccatum auersatur? Non adeò debiles sunt vires gratiæ, nec tam leuiter perpetratur peccatum mortale, quin si homo adhiberet ex parte sua mediocrem aliquatenus diligentiam, posset multis diebus & annis, imò tota vita absque hoc peccatorum genere viuere, adiutus gratia Dei, quę illam quærenti nunquam deerit. Sed velle ad hoc homines carnales & sensuales licet per tam breue spatium obligare, est perinde ac si quis magnum fluuium à cursu suo naturali (quem multo iam tempore effecerit) aliò vellet diuertere, quod sanè erit difficile: atque si per vim artémve forsan inde eum dimoueris, subitò si quà poterit denuò perrumpens, ad priorem alueum se recipiet. Eundem in modum qui tamdiu in miserabili illa libertate quidquid lubet faciendi, ac dicendi, viuere consueuerunt, nec non animo omnium appetitum habenas laxare, velle, inquam, ab hac

Prou. 24.

Ose. 12.

via

via illos reuocare, & obligare vt resistât illis passionum motibus, ipsis tormentum est tam magnum, quòd horam illam non videant, qua ab obligatione ea se possent liberare, & in cursum pristinæ libertatis restituere, ideoque sic festinant quò hoc pondere liberati ad soliram vitæ libertatem redeant: vt si penitius rem inspicias, causa eius festinationis non sit aliud quàm tormentum magnum quod sentiunt dum boni esse obligantur ad tres solùm dies, ita in malo obdurauerunt. O infelices vos, quomodo vos saluos & eorum qui tam fideliter certarunt socios fore præsumitis, cùm extraneum arbitramini per tres modò dies scutum virtutis, armaque militiæ huius spiritualis portare; quando (teste Apostolo) *Non coronetur, nisi qui legitimè certauerit.* 2.Tim.2.

Neque tamen quis arbitrabitur hæc aduersari ijs, quæ suprà sunt dicta de confidentia cum qua debemus mysterium hoc accedere: quia illud dicitur ad animandos pusillanimes & debiles, qui nimio & indiscreto timore ab hoc Sacramento abstinent; hoc verò ad refrænandos audaces, non quidem vt ab hoc remedio se abstrahant, sed quò cum maiore puritate & præparatione illud adeant. At qualis esse illa præparatio debeat, vltra supradicta, sequens capitulum declarabit particulariùs.

QVID FACIENDVM SIT ANTE Communionem.

CAPVT VI.

QVI vult circa hoc Sacramentum facere quod debet, certum temporis spatium, vt diximus, sibi statuat, in quo ea exequatur quæ pertinent ad præparationem. Vt autem hac de re disseramus familiariùs cum his qui frequenter communicant; dico quòd bonum erit, si, vti Moyses filijs Israel mandauit, sicut suprà diximus, vt triduo antè quam legem accepturi essent, se præpararent, sic & illi idem tempus sumant, quo sese præparent, vt sint apti & dispositi ad accipiendum Dominum, qui venit vt tradat legem, non mortis, sed vitæ; non literæ, sed spiritus; non timoris, sed amoris. Magnæ verè res confusionis est, videre, diuina referente Scriptura, quod fœminæ regis Assueri, semel tantùm in eius conspectum venturæ, faciebant; dicit enim quòd sex menses impendebant, quibus oleo se myrtino vngerent, & alijs sex quibusdam pigmentis aromatibus vterentur. Si igitur tantum fiebat ad obtinendam gratiam apud hominem terrenum; quid fieri deberet ad obtinendam gratiam in conspectu Dei? Vnam ex præcipuis laudibus B. Mariæ, quibus eam Angelus commendabat, indicat, cum dicit: *Inuenisti gratiam apud Deum.* An igitur magnum esset, tantum facere pro hac dignitate, quantum fiebat pro illa vanitate? An magnum esset, si totam vitam nostram impenderemus in præparando nos, vt veniremus in gratiam & fauorem Dei; cùm audiamus miseras istas fœminas totam vitam consumpsisse, vt in gratiam vnius hominis mortalis venirent? Sed quoniam hoc non fit, saltem triduo illo, de quo diximus, nos præparare incipiamus ad tam magnum mysterium, facientes omne illud quod in nostris viribus positum est. Si autem interrogaueris me, quid illud sit? Dico primum esse, vt toto hoc tempore solicitè ambules, & diligentiorem tui curam habeas, caueasque in omni opere & conuersatione tua, ne quid committas, quod oculos Dei possit offendere, non tantùm mortaliter, sed nec venialiter, quantum fieri potest. Nec tantùm declinare debemus à peccatis ipsis, sed etiam ab omnibus occasionibus eorum, vt sunt risus, vana conuersatio, & omnia illa, quæ rarò sine peccato fiunt: non aliter atque mulier compta & ornata, cùm die solenni mundum muliebrem induit, vt in publicum prodeat, diligentissimè caueat, ne manum extendat ad ea, quibus possit contaminari: ita & nos isto tempore solicitè magis quàm alio ambulare debemus: ita & vestiri, vt digni simus venire ad suscipiendum Regem Angelorum, & mensæ illius accumbere.

Exod.19. Triduo ante communionem præparatur homo.

Hester.2.

Luc.1.

Quid isto triduo faciendum.

Ante omnia diligenti cura toto hoc tempore lingua custodiatur, caueaturque ne verba proferat otiosa, multò minùs criminosa: vt ianua magis pura & munda conseruetur, per quam cælestis illa hostia ad animam nostram intrabit: & multò etiam magis cor custodiatur ab omni immunda, vana, & inquieta cogitatione purum: turpe enim est, & indecorum, in lecto vbi Deus ipse cubabit, aliquid inueniri, quod diuinos eius oculos possit offendere. Et quia locus Deo proprius est pax (*In pace enim*, ait Psalmista, *locus eius*) æquum erit, vt isto tempore exulent à nobis omnes inquietudines, & animi perturbationes: lectus enim cælestis Sponsi (vt ait Sponsa in Canticis) floridus est, & proinde spinæ & tribuli motuum & cogitationum debent euelli & eradicari. Si autem necessariò sint huiusmodi negotia tractanda, ea discretione & modo tractentur, vt cor nostrum ipsis non adhæreat, nec pax & quies animæ interturbetur. *Custodia linguæ.* Psal.45. Cant.4.

Porrò si vnquam aliàs, certè his diebus exercitijs spititualibus, vt sunt meditationes & orationes, assiduè vacare debemus: hæc enim incensa sunt, hæc thura & thymiamata boni odoris, quibus domus suffitur, in qua hic hospes cælestis diuersabitur. Cogitationes autem nostræ tribus his diebus potissimùm occupentur in tribus illis generibus meditationum, de quibus suprà dictum est, quæ ad timorem, amorem, & appetitum cælestis huius panis in nobis excitandum conducunt. Etiam non absre erit ad sanctissimam Trinitatem his diebus pias orationes fundere, singulis diebus singulas personas in Diuinitate compellando, vt largiatur illam gratiam & puritatem, quam dignitas tanti Sacramenti requirit. Inde etiam ad sanctissimam & immaculatam Virginem recurramus, supplicantes illi, vt per meritum illius deuotionis, cum qua filiũ Dei in virginali vtero concepit. & cum qua postea iam natum brachijs amplexa est, gratiam nobis impetret, vt & nos eundem in animam nostram digne recipere possimus: & oremus similiter per deuotionem illam, cum qua post Ascensionem sui filij cõmunicare, carnemque & sanguinem sui filij sumere consuenit, amorem & gratiam nobis apud filium obtineat, vt & nos eum ita sumamus. Faciendo autem hoc, non erit etiam inutile, vt diligenter inspiciamus fidem, deuotionem, amorem, lachrymas, & gaudium, cum quibus sacratissima Virgo communicabat, & sumebat corpus dilecti sui filij, tectum velamine specierum sacramentalium, quamdiu adhuc differebatur manifesta visio eius pulchritudinis. Considerare enim diligenter, & accuratè pensitare magnitudinem & sublimitatem fidei, amorisque illius Virginis (id est, cum quanta firmitate, constantia, & certitudine credidit, quod in isto sacrato pane verè erat pretiosissimum corpus sui filij, & quàm ardens in illa fuit desiderium videndi illum, & amplexibus eius fruendi) est aliquo modo gustare lætitiam, & magnitudinem admirationis, ardoremque pietatis sentire, qui in virgineo illo pectore, quo tempore communicabat, latuerunt. Petamus igitur ab illa aliquam huius deuotionis scintillam: ea enim satis erit nobis ad dignè hoc conuiuium adeundum.

Vesperi, cùm manè communicaturus eris, laudabile

Vesperi non cœnandum, cũ postridie communicãdum erit.

bile est non cœnare; aut valde moderatam cœnam sumere, nec post illam fabulis vacare vel hominum congregationibus interesse; vt hoc modo somnus magis quietus sit & purus, vtque expeditior sis ad noctis illius partem in istis & alijs similibus exercitijs impendendam, quæ magis magisque animum præparant in diem subsequentem. Quando incumbis ante somnum in bonis cogitationibus & imaginationibus perseuera, Deum rogans, vt ista nocte liberet te ab omnibus phantasijs, & illusionibus Sathanæ, vt maiori cum puritate corporis & animæ mensam Dominicam adire possis. Sed & quotiescunq; expergisceris, mox ad eandem cogitationem & orationem recurre. Manè vix adhuc oculis apertis, puta te in brachijs Christi crucifixi iacere, & memoria passionis Dominicæ te occupa, in qua toto isto die præcipuum studium nostrum ponemus, considerantes immensum & ineffabilem amorem, quo filius Dei sese pro nobis in ara crucis obtulit, & dorsum suum percutientibus dedit, pro furtis nostris flagellandum: Charitatem quoque, qua motus sese nobis in hac mensa propinat, in remedium omnium defectuum nostrorum.

Passio Domini meditanda quo die communicamus.

Quoniam enim Sacramentum hoc institutum est in memoriam passionis Dominicæ, vtilissima, & Deo gratissima, quam isto die habere possumus, cogitatio & meditatio erit, de passione Seruatoris, vt hoc modo intentioni & voluntati Testatoris satisfaciamus.

QVID COMMVNICATVRVS FACERE debeat ipso Communionis tempore, & post illam.

CAPVT VII.

POstquam iam declarauimus quid agendum sit ante Communionem; nunc breuiter perstringemus, quid facere debeat homo, cùm communicat, & quid, postquam communicauit.

Tempore Communionis, accessurus iam ad altare, existima audire te vocem illam Euangelicam: *Ecce sponsus venit: exite obuiam illi:* exite vt excipiatis illum. Verè enim in nullo alio Sacramento tam manifestè Deus se sponsum animarum nostrarum esse ostendit, quàm in Eucharistia. Effectus siquidem huius Sacramenti est copula & vnio animæ cũ Deo, vt fiat ex duobus quid vnum: quod est propriè Matrimonium spirituale. Idcirco vt dignè Sponsum hunc possis excipere, necesse est diligenter considerare, quomodo ille venit, vt talis & tu illi obuiam procedere possis. Venit autem ille ad te plenus charitatis, suauitatis, bonitatis & misericordiæ; dicens quòd desiderio magno desiderauerit hoc Pascha mundcare tecum, in quo paschalis ille Agnus comeditur. Tu itaque exi in occursum illi, & excipe eum cum omni quantum fieri potest deuotione, amore, timore, reuerentia, & gaudio: exis enim ad recipiendum verum Sponsum animæ tuæ, Deum tuum, Creatorem tuum, Dominum tuum, & summum bonum tuum. Considera magnitudinem deuotionis & exultationis, qua cum sanctus ille Simeõ puerulum Iesum in brachia sua recepit, quando à Matre Virgine offerebatur; ob huius enim visionis desiderium solum vitæ prorogationem optauerat. Tali cum desiderio & deuotione procedas oportet, qui venis vt in sanctissimo hoc Sacramento eundem Dominum percipias. Perpende quoque deuotionem & gaudium, cum quo mater Ioannis Baptistæ Dominum hunc in ædes suas excepit, cùm diceret verba hæc deuotionis plena; *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Omnino itaque decet, vt & tu pari cum deuotione Dominum tuum percipias, dicens cum sanctissima hac fœmina; Vnde mihi tam eximium donum, vt tu Dominus Angelorum, & gloria cæli, ad me venire digneris? O Pater, ô Pastor, ô Domine, ô Deus meus & omne bonum meum, cui non satis fuit, me creasse ad tuam similitudinem, & tuo me sanguine redemisse: sed voluisti insuper venire ad me, & in me quiescere; voluisti me in te transformare, & facere me tecum vnum, quasi tu à me dependeres, & ego non potiùs à te. Vnde hæc mihi Domine mi? an fortasse per merita mea? an quia bonorum meorum egeas? Non verè Domine: sed per solam bonitatem & misericordiam tuam, quibus permotus tu magis delectaris habitare mecum, quàm ego tecum. Ego enim te desidero, quia miser & miserabilis sum; tu verò quæris me, quia misericors es: ego tanquam expectans à te beneficia; tu tanquam promptus ad dandum: & quia tu plus desideras dare, quàm ego recipere; & quia tu liberalior es, quàm ego indigus, hinc fit, vt tu magis delecteris venire ad me, quam ego ad te. Propterea dixisti; *Delitiæ meæ, esse cum filijs hominum.* Quê admodum enim naturalis appetitus & delectatio auium est volare, & piscium natare: ita naturalis Summi Boni voluptas est, benefacere, & omnibus sese communicare.

Matth. 25.

Quis & qualis ad nos venit cogitandum

Luc. 22.

Luc. 2.

Luc. 1.

Prouer. 8. Simile.

In his & similibus cogitationibus debet homo totum cor suum occupare antè & postquam cælestem hospitem in cubile animæ suæ receperit, vt deuotionem per illas nutriat, quæ maximè illo tempore requiritur. Sed quia Sponsus hic summæ maiestatis & dignitatis Rex est, vult vt sponsa sua sit verecunda. Proinde oportet vt hæc deuotio & lætitia cum magna reuerentia, & humilitate sit permixta; considerando dignitatem illius, quem recipit, & indignitatem illius, qui eum recipit. Sic enim adimplebitur quod dicit Psalmista: *Seruite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore.* Ad timorem & reuerentiam hanc in nobis excitandam, vtilis erit locus ille Scripturæ, in quo Dominus legẽ populo daturus prohibet, ne quis hominum aut bestiarũ monti, in quo legem daret, appropinquaret; addendo minas, vt præuaricator lapidaretur. Quinetiã ipse Aaron, quãuis summus esset Sacerdos, & electus à Deo, cum alijs præcipuis viris, quibus data erat ascendẽdi montem licentia, ad colloquium Dei admitti nõ potuit, sed mandatum est illis, vt eminus adorarẽt Dominum, & non appropinquarent illi: Moyses solus admissus est. Hæc diligenter inspiciẽs homo aduocet animum suum, & omnes vires atque potentias eius colligat, humillimoq; corde ad terrã, imò ad abyssum vsq; descendat, quando Dominũ tantæ Maiestatis in sinum corporis & animæ suæ recepturus est.

Reuerentia & humilitas iungenda.

Psal. 2.

Exod. 19.

Exod. 24.

Postquam consecratam hostiam hanc recepit, eam aliquantulum in ore suo retineat, donec paulũlũ humectetur, vt possit faciliùs diglutiri. Fit enim nonnunquam, vt hac cautela non vtentibus adhæreat palato, tantamq; pariat in reuellendo molestiam, & curam, vt impediat ne cogitet aut meditetur homo, quę sunt illo tempore meditanda. Caueat quoque, ne statim post Communionem expuat, nisi fortè magna instet necessitas: nec tunc quidem vbique promiscuè, sed in loco mundo & puro, à publica via, & pedibus hominum remoto. Nec post Communionem confestim comedat: quamuis enim hoc peccatum non sit, est tamen quædam irreuerentia, speciebus sacramentalibus adhuc integris & nõdum digestis in pectore existentibus, alium cibum prophanum superingerere. Maximè cùm tepus illud post Communionem optimum sit & commodissimum, ad tractandum cum Deo negotia saluris nostræ, & ad suauiter Deum in corde nostro amplectendum. Manebit ergo tunc homo in templo, aut in loco vbi sacro sanctum hoc Sacramentum accepit,

Accepta Eucharistia quid faciendum.

gratias

gratias agens Domino pro isto beneficio, occupans cor suum in sanctis cogitationibus & orationibus, quas eum in finem huic libro subiungemus. Nec pessimam quorundam imitemur consuetudinem, qui statim à Communione ad fabulas, otiosa verba, & inconditos risus conuertuntur: qui mihi magnus abusus esse videtur, & maxima dignus reprehensione. Quæ enim maior potest reperiri incivilitas, quàm mox postquam tantum hospitem in domum tuam excepisti, dorsum illi obuertere, aduentum non gratulari, nolle cum illo sermocinari: sed fugere, & ad inanes fabulas apud alios conuerti?

Notandum. Præterea Caietanus dicit, quòd Sacramentum hoc vires suas exerit in anima, eique virtutem suam communicat, non modò tunc, quando actu recipitur, sed toto tempore quo species Sacramantales in pectore manent: ita vt hîc dici possit illud quod olim de seipso dixit Seruator: *Quamdiu sum in mundo, lux mundi sum.* Ioan. 9. Quod si verum sit, omnino rationi consentaneum est, vt homo toto illo tempore Deo & diuinis rebus occupatus sit; vt sic cælestis hæc gratia illi copiosiùs & abundantiùs tribuatur. Sacramẽtum enim hoc (vt suprà diximus) operatur secundùm dispositionem animæ recipientis. Quoniam verò principales portæ, per quas influentia Spiritus sancti plerunque ad animam solet intrare, sunt intellectus & voluntas; intellectum nimirum maiori luce illuminando, & voluntatem maiori affectu rerũ diuinarum inflammando; non videtur mihi æquum esse, vt istæ portę hoc tempore occludantur: quod tamen faciunt illi, qui in tempore illo dedita opera ad alias res dilabuntur. Quia verò hoc ex præcipuis huius Sacramenti fructibus, & ex delicatissimis mensæ huius missibus vnus est, omnino præter rationem esse existimo, si quis paratis omnibus, sumptoque cęlesti hoc cibo, tunc abeat, cùm stare debebat ad percipiendum in animæ suæ sinum fructus suæ præparationis, & huius sancti Sacramenti.

Quibus exercitiis vacãdum sumpto hoc Sacramento. Si autem interroges me, quibus potissimùm rebus eo tempore meliùs te possis occupare; dico, laudibus diuinis, & exercitijs de amore Dei. Hîc enim (teste Bernardo) suaues amplexus, hîc oscula pacis dulciora super mel & fauũ, hîc dulcis est animæ copula cum Sponso cælesti. Propterea hîc locum habẽt exercitia sanctarum illarum aspirationum, quæ nihil aliud sunt, quàm actiones charitatis, & interna desideria summi boni, vt & illa erant Prophetæ, quando dicebat; *Diligam te Domine fortitudo mea,* Psal. 17. &c. Et: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Psal. 41.

Gratia Deo reddenda. Deinde gratiæ Deo reddendæ sunt pro omnibus beneficijs suis, peculiariter verò pro hoc, in quo ipsum datorem, & omnium bonorum Dominum tibi largitus est. Vt autem diluciditis agnoscas, quàm iustis nominibus ad hoc obligatus sis, memento illius mandati, quod dedit Dominus Moysi, postquam pluisset manna de cælo filijs Israel, vt sumeret vas aureum, & mitteret in illud Manna, reponeretque illud in Arcam fœderis coram Domino, vt seruaretur ibi in futuras generationes; vt successores eorum omnes scirent, quo genere ciborum Dominus decessores eorum quadraginta annos in deserto pauisset. Exod. 16. Dic mihi quæso, quæ comparatio dari potest, inter manna, cibum corruptibilem, & hoc Sacramẽtum, quod est cibus vitæ æternæ? Si itaque Deus ob corruptibilem illum cibum talem gratitudinem & memoriam requirebat; quam gratitudinem, quam memoriam postulabit pro cibo hoc, qui non solùm cibus est vitæ, sed vitæ æternæ? Non est vlla humana eloquentia, quæ hoc possit explicare.

Porrò hoc die standum tibi est super speculam, & habenda custodia tuipsius, qualem requirit tam excelsa hospitalitas, quàm est Deum ipsum in domum animæ tuæ recepisse. Si Propheta Dauid in tanta reuerentia & honore habebat locum illum in quo steterant pedes Domini, vt diceret; *Adorate scabellum pedum eius:* Psal. 98. nónne æquum erit, vt homo veneretur pectus suum, in quo Deum ipsum recepit? Hæc autem veneratio & reuerentia eò potissimùm dirigatur, vt illo die non intret in illud quidquam, quantum fieri potest, quod non est diuinum, aut Deus ipse. Ante omnia die illo obstruetur diligentissimè os furni, ne fortè exeat calor deuotionis, quem ignis diuini amoris post se reliquit: cùm sciamus quàm tener & delicatus sit spiritus deuotionis, qui celerrimè fugit, & non absque multa difficultate reuertitur. Atque hoc modo augustissimum hoc Sacramentum erit causa, cur multis diebus, tam ante, quàm post Communionem erimus à mundanis rebus segregati, soli Deo vacantes. Quemadmodum enim Sol non tunc solùm illuminat mundum, cùm suprà Horizõtem conspicitur, sed horam etiam penè integram ante ortum, & horam penè post occasum lucet: sic & Sol iustitiæ, qui in hoc Sacramento latitat, non tantùm animas nostras illustrat eo momento, quo Sacramentum hoc sumimus, sed etiam ante & post ipsam sumptionem; ante nimirum per spem & desiderium recipiendi, post sumptionem verò memoria ineffabilis beneficij percepti. Vt autem homo illud faciliùs agere possit, in fine huius libri posuimus aliquot Orationes & Meditationes, quæ plurimum proderunt, si eas homo legerit cum omni deuotione: attendendo ad id quod dicitur, & ruminando in ijs, quod videbitur expedire. Simile.

DE VSV SACRAMENTORVM, ET de utilitate quam percipiunt sæpe ad illa accedentes.

CAPVT VIII.

CVM iam tractatum sit de modo, quo nos præparare debeamus ad hoc sanctum Sacramentũ; nunc breuiter dicemus de fructu, quem ex Sacramentis percipere possimus, illa dignè frequentando. Sciendum igitur, Sacramenta legis gratiæ nihil esse aliud, quàm canales, vel aquæductus cælestes, per quos fluenta gratiæ, donaque Spiritus sancti, quæ ex ipso fonte lateris Christi primùm nascuntur, ad nos derivãtur. Igitur qui ad Communionem accedit meminisse debet (vt ait Chrysostomus) se ora profluentibus Christi vulneribus applicare, pretiosum illius sanguinem potare, & se illius mysterij participem facere. Chrysost. hom. 61. ad popul. Antioch.

Sunt Sacramenta hæc medicina & remedium nostræ infirmitatis, quam optimè cognouit ille, qui missus è cælo venit ad eam curandam: quare & nemo meliùs illo scire potuit, quæ remedia illis essent adhibenda. Non enim fas erat, vt habentibus nobis omnia remediorum genera ad corpora nostra curanda, animarum nulla esset medicina instituta: non enim animæ minoribus subiectę sunt infirmitatibus, quàm corpora; nec his minorem curam exigunt, sed eò maiorem, quò corporibus sunt pretiosiores. Qui secus opinatur, is Deum (vt in prouerbio est) facit colligentem cineres, & farinam spargentem: vt qui corporibus infirmis remedia varia statuerit, animarum verò nullam curam habuisset, nec infirmitatibus spiritualibus vllam medicinam composuisset. Hunc igitur in finem instituta sunt Sacramenta legis gratiæ: quæ quia futura erat lex perfecta, & integra, conueniebat, vt perfectum & integrum hominem curaret, & omnia prouideret, quæ ad salutem sunt necessaria. Et hanc ob causam diuersa sunt Sacramenta, quia multæ & variæ sunt animarum nostrarum infirmitates.

Neque

Ad quid cõducit Sacramentum Confessionis.

Neq; solum ad hoc prosunt Sacramenta ex natura sua, sed etiam id quod nos facimus ex parte nostra ad dignè illa susciplenda. Qui enim ad Confessionẽ venit, primò semetipsum incusat de rebus præteritis: & pœnitentiam agit malorum commissorum: humiliat sese ad pedes, vicarij Christi, & petit suorum peccatorum remissionem: proponit emendationem vitæ, & ibi tandem recipitur à Deo in gratiam, perq; manus Ecclesiæ Deo reconciliatur. Omne id vtilissimum est ad bene viuendum: homo enim hic init rationem cum sua conscientia, idque tam subtiliter, quam si in valle inter duos montes incederet, nec ad dextram, nec ad sinistrã posset aberrare: rationemq; habens suijpsius, ob confessionem iam peractam, & futuram, non audet facilè aliquid iterum committere quod malum est.

Huic igitur rei multum conducit Sacramentum Confessionis, cuius necessitatem manifestè videbunt homines, si non minorem habent rationem rerum spiritualium, quàm habent corporalium. Dic mihi, quam ob causam continuè purgas hortum tuum, & quotidiè verris pauimentum domus tuæ, & singulis septimanis lauas indusium tuum, nisi quia horum singula continuè ferè maculantur? Age igitur si viuendo in mundo hoc tam maligno, toties animæ puritas commaculatur, cur non agimus, vt ordinarium sit remedium, cum periculum ipsum sit ordinarium, & quasi quotidianum? cur non lauatur anima singulis septimanis, sicut indusium lauari consueuit? tanto enim maioris momenti est puritas vnius, quã alterius, quanto anima pretiosior est indusio. Videmus etiam quanta cum solicitudine nauigantes obseruant sentinam, vt aquam inde hauriant, quæ semper eò confluit, & maximè quo tempore pluit: id enim nisi facerent, nauis tantam vim aquæ conciperet, vt mole illius deprimeretur, & periret. Si itaque venialia peccata nobis sint tam quotidiana, quæ sunt quasi aquæ guttulæ quædam, quæ cadunt in nauim animæ nostræ, & disponunt tamen ad mortalia, quorum pondere nauis illa deprimitur: an non æquum erit hic semper vigilare, & semper ad remedium horum minorum peccatorum recurrere, ne paulatim in maiora prolabamur, & tandem nauim depressam amittamus, & pereamus?

Simile.

Venialia peccata disponũt ad mortalia.

Videmus etiam naturam corporibus plenis noxijs humoribus viam aliquam aperire, qua effluant, vt purgentur: atque hoc beneficio viuunt, qui alioquin viuere non potuissent. Quare & Medici huiusmodi fluxum sistere non volunt, etiãsi facilè possent, ne remediũ illud naturæ tollant. Quod igitur in hoc casu inuenit remedium corporibus natura, idẽ animabus inuenit diuina gratia, vt cùm quotidiè mali humores peccatorum in ijs nascantur, haberent etiã, quo purgare possent: fontem scilicet Cõfessionis, per quam animæ purgantur ab omnibus noxijs humoribus, qui in illis nascuntur.

DE EFFECTIBVS SACRAE COMmunionis.

CAPVT IX.

Cõseruat vitam anima.

HOC modo purgantur, & sanitatem recuperant animæ per Sacramentum Confessionis. Sanitatem autem & vitam hanc conseruat Sacramentum Eucharistiæ, quod hunc in finem est institutum sub specie cibi & potus: quod quemadmodum proprium cibi est sustentare vitam corporalẽ, sic proprium huius Sacramenti est vitam conseruare spiritualem, quæ consistit in Charitate: vt non deficiat, vel succumbat hæc virtus per multas aduersitates, quas patitur in hoc seculo. Quapropter & Dominus in Euangelio dixit: *Caro mea est verè cibus, & sanguis verè est potus*: quæ verba exponentes Doctores vnanimi consensu dicunt, omnes effectus, quos operatur cibus corporalis in corporibus, etiam operari cibum hunc spiritualem in animabus: sustẽtat enim vitam spiritualem, oblectat gustum interiorem, restaurat fortitudinem supernaturalem, reparat vires debilitatas, corroborat hominem aduersus tentationes inimici, & facit illum de die in diem crescere, donec perueniat ad iustam perfectionem: nisi fortè in homine fuerit obstaculum, vel impedimentum.

Ioann. 6.

Omnia quæ cib. operatur in corporibus Eucharistia operatur in animabus.

Si autem me rogaueris, quomodo fieri potest, vt substantia & cibus corporalis effectum operetur tam spiritualem, vt nimirum conseruet & augeat charitatem, hominemque in vita spirituali sustentet? Ad hoc respondetur, causam huius esse virtutem supernaturalem Sacramentorum, quæ Deus instituit ad remedium nostræ debilitatis, voluitque vt sub signis & formis corporeis ac visibilibus effectus operarentur inuisibiles, quemadmodum liquidò videmus in aqua Baptismatis, quæ exterius lauans corpus, interiùs lauat animam, atque ad statum gratiæ reducit. Idem facit diuinum hoc Sacramentum altaris, in quantum est Sacramentum, & omnium Sacramentorum nobilissimum. Habet autem præter iam dicta duas nobilissimas prærogatiuas, quibus alia longè superat, quibus & cæteris longè sublimius operatur. Harum prima est, quod vna cum carne Christi verus hic Christus est, hoc est, Verbum æternum Dei viui, & vita omnium rerum: qui mediante hoc Sacramento intrat in animam illius, qui communicat, atque in illa operatur effectum hunc tam admirabilem, qui dat vitam spiritualem. Quemadmodum enim Medicus, qui curare vult hominem infirmum, pũluere aliquo medico, miscet illum aqua distillata, atque ita mixtum porrigit illi, vt bibat, vt aqua ista liquida medicamẽtum dirigat ad omnes venas corporis, in quibus operationem suam debet perficere: sic etiam medicus ille cœlestis voluit Verbum diuinum cum carne humana miscere, vt illud sic inter homines, qui caro sunt, habitans, hanc sanitatem & vitam in illis operaretur. Neque Verbum Dei solum per se, sed ipsa quoque caro quam assumpsit, hanc virtutem nobis participat, atque ita quasi instrumẽtum Verbi causa vitæ est, vt antea diximus. Quare Saluator noster cùm filiam Principis Synagogæ suscitauerat, iussit illi cibum apponi, vt manducaret: quo sic beneficio nutrimenti conseruaret vitam, quã illi sua virtute reddiderat: significans conueniens esse, vt animabus per virtutem Sacramenti Confessionis iam resuscitatis administretur diuinus hic cibus, vt vita per vnum Sacramentum accepta, per aliud conseruetur. Ex quo patet, quàm necessaria sint hæc duo Sacramenta ad vitam spiritualem: vnum ad dandam, alterum ad conseruandam. Quare qui ad hanc vitam spiritualem totis viribus contendit, sæpè confiteatur: & qui desiderat illam nunc acceptam conseruare, sæpè communicet oportet.

Quæstio.

Duæ prærogatiuæ huius Sacramenti.

Marc. 5.

Cõfessio dat, communio conseruat vitam.

Quia verò tam pauci sunt hoc nostro tempore, qui hoc faciunt, tam multi reperiuntur, qui spiritualiter moriuntur: ideoq; flamma charitatis iam penè extinguitur, in qua vita illa consistit, eò quod tam frequens hominum turba sit, quæ remedia hunc in finem à Deo instituta vel negligit, vel contemnit. Optimè igitur dictum est à Caietano: In hoc mundo Charitas extra locum suum naturalem est: Naturalis enim locus eius est cœlum, vbi cum summum bonum præsens sit, ardent animæ sine fine in amore Dei: In hoc autem mundo est tanquam exul & peregrina, & extra suum centrum, & locum naturalẽ:

Caietan.

vbi

vbi infinitæ res sese offerunt, quæ illi contrariantur: opus igitur est illi maximis auxilijs & defensionibus, vt conseruetur. Videmus vnam aquæ guttulam in mare proiectam semper in sua specie conseruari: est enim in suo elemento, vbi simul cum alia aqua sibi simili conseruatur: sed si in terram effundatur, confestim ob naturalem elementi siccitatem, quæ illi contrariatur, euanescit & siccatur. Similiter & ciuitas in corde seu meditullio regni alicuius sita, secura est ab hostibus, nec opus est vt habeat præsidia, aut apparatus bellicos, quibus custodiatur: quæ verò in limitibus posita est, nisi firmis præsidijs muniatur, facilè in hostium potestatem venit. In simili igitur periculo versatur Charitas in hoc mundo, vbi est extra suum locum naturalem, in medio hostium suorum. Quare supremo illi Imperatori placuit, nobis hoc Sacramentum relinquere, vt esset reparatio Charitatis quotidiana, de quo optimè potest intelligi illud Psalmographi; *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* Si itaque tot hostium insidijs expositi simus, quid faciemus, si mensam hanc à Deo in hunc finem præparatã non accedamus? O miseros illos, inquit S. Bernardus, qui vocati sunt ad opera fortium: & non vtuntur cibo fortium. Et qui sunt illi, qui ad opera fortium vocati sunt, nisi illi, qui in die, quo baptizati sunt, milites Christi inscripti sunt, hostesque Satanæ, & omnis pompæ illius declarati? Quis autem cibus fortitudinem hanc tribuit aduersus hos inimicos, nisi sanctissimum hoc Sacramentum? de quo dicit Chrysostomus; Tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, facti diabolo terribiles. Hinc est: quòd vbi nostra translatio legit; *Panem Angelorum manducauit homo*, S. Hieronymus verterit, *Panem fortium*: talem namque reuera Sacramentum hoc est, quod per panem illum significatur.

Simile. Simile. Psal. 22. Bernard. Chrysost. homil. 61. ad popul. Psal. 77.

His sic sese habentibus, meritò deplorat S. Bernardus eos, qui vocati sunt ad quotidiana hæc prælia; & cùm non habeant alia arma ad defendendum se commodiora, & vtiliora hoc Sacramento, illo tamen protegi nolunt & defendi, qua ex re nihil aliud sequi potest, nisi lapsus & mors tot animarum, quas videmus hoc nostro seculo perire. Patrum enim nostrorum memoria, & in primordijs nascentis Ecclesiæ Christianæ, virtute huius Sacramenti (quod frequentissimè administrabatur) prævalebant contra omnem rabiem, & immanes tyrannorum furias, vltro vitam suam tortoribus, & carnificibus offerentes. Nunc verò tanta est nostra debilitas, tantaque ignauia nostra, vt vix pedem ad illud suscipiendum moueamus. Qui itaque aduersus tanta pericula & mortem desiderat remedium, huic cælesti mensæ adhæreat, se hoc pane fortium sustentet; & in eo laboret, vt imiteturnon homines huius seculi, sed antiquos illos, si cupiat legitimè certare, & cum illis coronari.

Bernard. 2. Tim. 2.

RESPONDETVR OBIECTIONIBVS quorundam hominum, exiguam salutis suæ rationem habentium.

CAPVT X.

Obiect. 1.

CArnales homines omnes, qui secundùm voluntatis suæ beneplacitum volunt viuere, dicunt: Quid sibi vult tam frequens Confessio, & Communio? sufficit semel in anno confiteri, iuxta præceptum Ecclesiæ. Tales non cognoscunt infirmitatem humanæ naturæ, neque virtutem cælestis huius medicinæ, nec eius necessitatem. Si homo semel tantum in anno infirmaretur, sufficeret semel tantùm vti hoc remedio: sed si tota hominis vita sit quasi vna quædam continua infirmitas, si toties vrat nos incendium & flamma concupiscentiæ, si toties nos infestet flatus superbiæ, vlcus inuidiæ, lepra luxuriæ, & incurabilis morbus odij, fastidiumque rerum spiritualium, & canina fames carnalium; cur volumus sub finem anni curare mala quotidiana remedio tam tardo? Debiliora solent esse medicamenta, cum mala per longas inualuere moras. Quamuis enim Sacramentum Confessionis ex toto sanet, & deleat peccata, non tollit tamen omnes radices eorum, quæ sunt habitus mali, in quibus consentiimus, qui & difficillimè curantur. Quis est homo, cuius domus ardet, aut murus ab hostibus verberatur, qui non nisi in fine anni de restringuendo incendio, aut hostibus occurrendo cogitat? Si ergo caro tot flammis concupiscentiæ ardeat, quod appetitus inordinatos habet; & si Dæmones, qui sunt infensissimi hostes nostri, sine intermissione concutiant muros cordis nostri, aduersus quæ mala non sunt alia remedia conuenientiora his Sacramentis; cur differimus illa vsque ad finem anni, cùm pericula adeò sint quotidiana? Qui hoc facit, is profectò non scit æstimare dignitatem animæ suæ; non cognoscit malitiam & peruersitatem carnis suæ; non virtutem & efficaciam Sacramentorum; non finem ad quem instituta sunt: certum enim est, Sacramentum Confessionis non minus institutum esse ad sanandas animas, & Sacramentum Communionis ad sustentandas eas, quam medicina ad sananda, & panis ad nutrienda corpora.

Simile.

Quòd si dixeris, sub finem anni Deum condonare omnia: quid mihi dices de tyrannide peruersæ consuetudinis, quæ in anima tua iam altissimas egit radices? Quid mihi dices de offensis Dei, quas euitare potuisses, quarum vnaqueque grauior est, quàm iactura mille mundorum? Quid mihi dices de alijs peccatis, quæ ex illo sumpserunt originem? cùm dicat B. Gregorius; Peccatum quòd non statim pœnitentia deletur, mox suo pondere aliud ad se trahit. Quantò verò consultius esset præuenire ne vulnerarentur, quàm accepta vulnera postea curare? Quantò melius esset mulieri adulterium non committere, quàm post commissum à marito impetrare remissionem.

Obiect. 2. Gregor.

Esto, Ecclesia non constringit hominem ad Communionis frequentiam, sed vult vt saltem semel in anno communicet: sed fecit hoc tanquam pia mater, quæ noluit dare debilioribus occasionem indignè communicandi, aut præcepta sua transgrediendi: dum Communio plane omittatur, & negligatur, vt quidam faciunt. ideòque noluit terre legem strictiorem, sed statuit pro debilioribus, vt saltem semel in anno communicent: cùm interim latissimè pandat ianuam, & præparet mensam per totum annum, his qui sunt perfectiores.

Obiect. 3.

Inueniuntur alij, qui hæc optimè norunt, per experientiam quoque didicerunt, quanta sit virtus Sacramentorum: frequenter communicare tamen erubescunt; propter solum mundi respectum. Hi mihi non dissimiles esse videntur illis Pharisæis, de quibus ait Ioannes; quod multi crediderunt in Christũ, sed propter Pharisæos non confitebantur: vt ex synagogis non ejcerentur; *dilexerunt enim*, ait Euangelista, *gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Dic mihi, si credas & confiteare Sacramentum hoc à Christo institutum & relictum esse, quid aliud agis cum illud sumere erubescis, quã quòd pudet te bonum esse Christianum, & Christi discipulum? Similis fuit pudor S. Petri tunc, cùm Dominum suum negaret: metuebat enim ne putaretur esse Christi discipulus, & ideo dicitur, quod negauit illum. Nunc igitur licet regnet Christus in cælo, & adoretur à mundo, erubescunt tamen homines aliquid facere, quo sese ostendãt illius esse discipulos. Ah qualis est

Obiect. 4. Ioan. 12. Matth. 26.

Saluianus. honor, inquit Saluianus, Christi inter Christianos; cùm etiam contemnant eum, & nolint eius videri discipuli? Quò tandem vlterius progredi posset mũdi malitia, cum etiam Religio & virtus hominibus vitio vertatur, & opprobrio sint in hoc seculo: quæ tamen sola meretur honorari, & ob quam omnes leges humanæ & diuinæ honores decreuerunt?

Obiect. 5. Dices mihi, quod verba atque clamores mundi te ab hoc sancto mysterio abstrahunt, & auertunt. Cur metuis mundum, si confitearis inter tres inimicos & persecutores, quos habet anima nostra, vnum, eumque præcipuum esse mundum, qui persecutus est Christum, Apostolos, Prophetas, & Sanctos omnes? quo loco habere debes illum, qui talia fecit, & apertus hostis tuus est declaratus? Cui vnquam placuit consilium sui hostis, & talis hostis, qui lethale semper illi bellum parat? Si itaque inimicus ille te ab vna parte auocet ab hoc mysterio, & Christus ab

Matth. 11. altera parte ad illud te inuitet; dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*; cui parebimus? cuius consilium sequemur? Si vocãte nos mundo simul & Christo mundum sequamur, & à Christo declinemus, quomodo serui Christi vocabimur? Est enim homo seruus illius, cui obedire statuit, & cuius mandatis cupit satisfacere: quod A-

Galat. 1. postolus significat cùm dicit; *Si hominibus placerem, seruus Dei non essem.* Quòd si mundus nos vocaret per consolationes, & Christus per tribulationes, aliquo modo possemus excusari: nunc autem nec hoc

Auguſt. locum habet; sed mundus (vt ait Augustinus) clamat, Deficio; & Christus dicit, Reficio, & tamen infelix anima mea potiùs seruire querit deficienti, quã reficienti. Dic mihi quæso, quid tibi placuit in his verbis mundi? quid illa tibi dederunt, quid auferent à te? sæpe nos miseri bestias imitamur meticulosas, quæ & vmbram & ventum nonnunquam timent. Amor proprius artifex huius timoris est, qui in omnibus modum & viam querit, vt suam retineat commoditatem: qui non tantum fugit pericula vera, sed etiam apparentia, & quæ sibi ipsi fingit. Sed demus iustam hic causam timoris subesse, & persecutiones hominum etiam ad sanguinem & mortem nos petere: cur non sustineremus tribulationem tam exiguam, vt bonis fruamur æternis? An non æquum sit, vt pro tam opulento bono, tam exilem molestiam

Simile. patiaris? Vrsus capta præda mellis facile contemnit apes, os eius aculeis suis crudeliter pungentes; saltẽ vt melle, quod portat, fruatur. Tu igitur qui habes aluearium tot bonis refertum, hostiam scilicet consecratam, fauum, aut panẽ mellis tantæ dulcedinis, quanta reperitur in consolationibus diuini huius cibi; cur tibi graue erit punctiunculas linguarum tolerare maledicentium, vt fruaris tantis delicijs?

Obiect. 6. Sunt & alij non minùs, quàm hi digni reprehensione, qui ob ignauiam, ne se præparent ad hoc Sacramentum, non recipiunt illud, aut Christum in illo, qui summum bonum nostrum est. Qui fit, ó homo, vt tibi thesaurus hic tam vilis videatur, quod tibi tam exiguus labor molestus sit, vt percipias illũ? Attende quæso quantò maiori in pretio fuit apud S.

S. Ignat. Epist. 15 ad Roman. Martyrem Ignatium, qui in quadam suarum epistolarum sic ait: Ignis, crux, bestiarumque constantia, abscisio, separatio, confractio, dissipatioq; membrorum, interitus totius corporis, & flagella diaboli omnia in me veniant, vt Iesum Christum merear adipisci. Si sanctus ille Martyr obtulerit sese omnibus tormentis, & flagellis Dæmonum, vt Christum adipisceretur, qui tibi in hoc Sacramento datur; cur tu tam exiguum laborem reformidas, qualis est confiteri, & temetipsum Deo commendare, vt eodem thesauro fruaris? Quæ maior esse potest insania, quã hominem mori velle fame potius, quam manũ extendat, vt cibum sibi propositum accipiat? Hoc est quod Sapiens dicit: *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* Quid quæso tur- Prou. 19. pius, quid maiori dignum reprehensione? Quam inueniet in hora Iudicij excusationem is, qui tam præsens remedium contempsit, quod tam liberaliter illi, pro tam paruo labore, offerebatur?

Neq; etiam debet se homo excusare sub prætex- Obiect. 7. tu reuerentiæ: dicens, ideo se velle communicare rarius, vt faciat id maiori cum reuerentia. Sciendum enim hîc est, vnum ex mirabilibus huius Sacramenti inter alia plurima esse, licet inter homines nimia familiaritas contemptum pariat, id tamen in hoc Sacramento locum non habere, cum dignè suscipitur. Cùm enim homo in illo gratiã percipiat, quò sæpius ad hoc Sacramentum accedit, eò plus gratiæ consequitur: & quo magis gratia crescit, eò etiam magis crescit amor, timor, deuotio, reuerentia, & omnes aliæ virtutes, quæ ex gratia fluunt, quæque sunt præcipuæ & maximæ præparationes, quæ ad hoc Sacramentum requiruntur. Omnibus his destituitur, qui rarò ad hanc mensam accedit; & ideò cum minori accedit deuotione, atque reuerentia. Probatur idem Differentia delitiarum corporalium & spiritualium. per differentiam, quã ponit D. Gregorius inter deli- Homil. 16. in Euang. cias rerum spiritualium, (hoc est, gustum huius cibi supernaturalis, atque cælestis) & delicias mundi, siue sensuum: Hoc, inquit, fratres charissimi distare inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales deliciæ cùm non habentur, graue desiderium in se accendunt: cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium, per satietatem vertunt. quod liquido patet in homine famelico, & qui exatiatus est. At contra spirituales deliciæ, cùm non habentur, in fastidio sunt; cùm verò habentur, in desiderio: tantò à comedente ampliùs esuriuntur, quãtò & ab esuriente ampliùs comeduntur, iuxta illud quod dixit diuina Sapientia; *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Si itaque de- Eccl. 24. siderium & fames cælestis huius cibi optima sit præparatio, quæ ad illum sumendũ requiritur, illud autem desiderium crescat dulcedine & experientia ipsius cibi; sequitur, quod quanto frequentius sumetur, tãto magis desiderium crescet, & tantò meliori cum præparatione recipietur. Tantò igitur dignius homo communicabit, quantò frequentiùs ad hoc Sacramentum accedet: illi verò qui differunt, & tandẽ post longum temporis interuallum ad diuinũ hoc epulum prorepunt, dum ab vna parte non habent hoc auxilium, & ab altera multis onerantur peccatis, quantò tardiùs recipiunt hoc Sacramentum, tantò minus dignè recipiunt.

Si verò mihi obijcias, esse te peccatorem, & miserum; proinde etiam hoc cibo indignum: Ad hoc respondeo, quòd (si mortali peccato non sis obnoxius) ob eandem rationem, propter quàm à sancto Sacramento abstines, frequentius deberes accedere: est enim Sacramentum hoc remissio peccatorum, nutrimentum languentium, medicina infirmorum, thesaurus paupertum, & commune remedium omnium egentium. Hanc ob causam à Christo Domino nostro fuit institutum, non tantum vt esset cibus viuentium, & fortitudo eorum qui sani sunt; sed etiam vt esset medicina infirmorũ, & resurrectio mortuorum. Quare & Sancti plerique dicunt, Sacramẽtum hoc ex attrito facere contritum, quod perinde est, ac si dicerent; ex mortuo viuum. Memento etiã Christum conuersatum cum publicanis & peccatoribus, & cum ijs manducasse, atque his, qui ob id illum reprehendebant, atque calumniabantur, respõdisse; *Non egent qui sani sunt Medico. &, Non ve-* Mat. 9. *ni vocare iustos sed peccatores.* Luc. 5.

Bonum quidem est, ab hoc Sacramento abstine- *Melius est*

re ex

celere ex amore, quam abstinere ex timore. 3.q.80.art.1.

re ex timore, sed & bonum est ad illud accedere ex amore. vtrumque enim redundat in gloriam & honorem Dei. Cæterum iuxta opinionem D. Thomæ, melius est accedere ex amore, quàm abstinere ex timore absolutè namque loquendo meliora sunt opera amoris quàm timoris. Sic legimus Dauidem, cum vidisset à Domino percussum Oza propter irreuerentiam, qua contrectauerat Arcam fœderis, nō ausum illam in domum suam excipere: sed iussit illā in ædes, Obededon deportari. Postea verò cum cognouisset Dominum benedixisse domui hospitis sui eamque multis bonis auxisse, magis corroboratus est illa prosperitate, quam antea debilitatus infortunio: Arcamque in domum suam transferri iussit, nec illum spes, quam conceperat de Domino, fefellit.

2.Par.13. & 16.

CVR QVIDAM INTER CELEBRANDVM vel communicandum tam exilem sentiunt deuotionem.

CAPVT XI.

Quæstio.

POsset quispiam dicere: Quæ causa est, cur inter eos qui celebrant, vel communicant sæpius, tā pauci inueniantur, qui in animabus suis percipiunt gustum & consolationem, quam percipere deberent, manducantes panem illum cælestem? Alij quoque, qui non tantum non sentiunt ista, sed insuper nullum (vt apparet) in virtutibus progressum faciunt nec vsu huius Sacramenti in perfectione vitę crescunt, sed semper quasi in ijsdem manēt terminis.

Responsio.

Quantum ad prius interrogationis membrum, respondeo, id nonnunquam accidere communicantium culpa, aut quia non erant debito modo ad cōmunicationem præparati aut non viuunt, vt vitæ professio postulat: & proinde mirandum non est, si dulcedinem illam non sentiunt, quàm alij percipiūt, qui digne & bene præparati accedunt: quorum quo gustus orationis purior est, & sanior, eò etiam manifestius rerum diuinarum suauitatem sentiūt. Subinde quoque hoc genus consolationis negatur, non ob culpam personarum, sed ex sola diuina dispensatione: quia sic conuenientius est, & vtilius istis hominibus. Quare quemadmodum sæpe iusti non percipiunt hunc gustum & consolationem in suis orationibus, quibus solent alijs temporibus perfundi, cùm tamen nihil commiserint, cur ista negari debeant, sed vt hoc modo Deus illos purget, probet, exerceat, & humiliet: sic idem quoque in sacra Communione accidit præter culpam eorum, sed ob eorum maiorem vtilitatem.

Bonauent. lib. de processu Religio. ca. 25.

Fit etiam hoc nonnunquam, quòd homo nescit quærere deuotionem cum discretione conuenienti: ideoque eam non inuenit, vt monet D. Bonauentura. Fit, inquit, etiam plerunque studiosis deuotionis, vt dum magis conantur habere deuotionis gratiam, minùs habeant; & cùm vehementius instant, aridiores & duriores corde fiant: sicut in summis festiuitatibus, & deuotis temporibus Passionis Christi, & Natiuitatis, & similibus, & maximè cùm se ad sanctam Communionem studeant solicite præparare. Et multi ex hoc sæpissimè contristantur, & ex ista parte turbati, ex cordis pusillanimitate interpretantur, quòd fortè sint indigni visitatione diuina, & quòd non placent Deo, vt sic indigni & indeuoti ad sacram Communionem accedant: & sic sæpe se subtrahunt à cibò vitæ, & medicina salutis. Hæc ille.

Cur consolatio Spiritus subinde pia negetur.

Potest autem hoc multis ex causis euenire: Subinde propter culpam, subinde sine culpa ex singulari dispositione diuina. Quantum igitur ad præsens negotium, vna primariarum causarum est, quia diebus istis deuotio quæritur studiosius, & quasi cum indiscreta violentia extorquetur. Videtur enim hoc studio tolli animæ libertas, & virtus naturalis obtui, quando homo inordinatè desudat ad eliciendū sucum deuotionis, quasi vi exprimens & extorquens; & si eā non potest statim inuenire, vt desiderat, contristatur, & affligitur; & sic magis induratus, & inhabilis remanet. Vnde fit, quòd quò impetuosiùs cupit se ad deuotionem cogere, eò minùs proficit, & amplius aresçit. Qui enim nimium emungit, sanguinē elicit: qui vbera violentiùs premit ad lac eliciendū, butyrum exprimit: & cùm botri in torculari, vel oliuæ in prælo subitò & vehementer comprimuntur, liquor magis turbidus & insipidus fluit, quàm si paulatim & moderatiùs comprimantur: sic & quò liberior, eò pinguior est deuotionis affectus. Quare alijs temporibus homo sæpe est deuotior, quàm solennioribus istis festiuitatibus: quia tunc spiritus solicitudine & vehementia illius desiderij obruitur: alijs verò temporibus libertati suæ relictus, se sponte eleuat in sublime, & maiori procedens cum puritate & libertate, magis disponitur ad optatam deuotionem percipiendam.

Simile.

Ad secundum interrogationis initio capitis propositæ membrum (nimirum, cur quidam eorum, qui sæpe celebrant, aut communicant, non tantùm non fiunt deuotiores; sed præterquam quod in reliquis virtutibus nihil aut parum videntur proficere, in eadem negligentia & tepiditate permanent) respondet quidam Doctor; quòd, communiter loquendo, ob vnam harum causarum contingere solet: primò quia culpa malæ præparationis obstat, id quod de deuotionis quoque defectu iam diximus. Quia nimirum ad hoc Sacramentum non accedunt cum illo feruore charitatis, & fame panis huius supersubstantialis & cælestis; sed aut ex vsu, aut ex ceremonia, aut ex necessitate; & cùm à mensa Dominica reuertuntur, extemplò aperiunt portam, soluunt linguam, & cor cuicunque appetitui suo dimittunt, sine ratione aut fræno: ita vt nec ante Communionem se conuenienter præparent, nec postea seipsos, corpus, animam, sensusque & potentias eorum debita cura & solicitudine custodiant. Mirandum igitur non est, eos, sicut ieiuni ad hanc mensam accedunt, ita ieiunos inde redire, aut saltem exiguo cum fructu, pro exilis præparationis eorum ratione. Probatur per illud, quod initio huius libri diximus, omnes scilicet causas operari secundum dispositionem, quam inueniunt in subiecto: sic & summum hoc Sacramētum, quod est fons omnium gratiarum, operatur secundum dispositionem, quam inuenit in animabus. atque ita minus operatur in his, qui minus dispositi & præparati sunt.

Respondetur 2. membro.

Secundo solet idem accidere propter quosdam defectus, occultasque & malè mortificatas passiones, quæ latitant adhuc in anima, & hominem trahunt atque circunducunt pro appetituum libidine, perturbantes & impedientes eum in spiritalis vitæ augmento; cuiusmodi sunt, amor proprius, propria voluntas, oblectatio corporis, & sensuum, qui nunquam non quærunt vndecunque possunt illecebras & delectationes, quarum impetu homo à Creatore abstrahitur, & circa creaturas occupatur; ita vt deuotionis fluxus impediatur, & subinde omnino abscindatur, & fons obstruatur, vti videmus in vase luteo malè cocto, quod liquorem infusum malè conseruat, sed vndequaque exundat, donec tandē omnis liquor pereat. Specialiter verò incommodū hoc ijs solet euenire, qui conuersi ad hominum secularium commercia, ridendo, ludendo, omnibusque vanitatibus & inutilibus negotijs vacant. Omnia enim hæc male præparant lectum cælestis illius Sponsi, Amor enim Dei res est nobilissima, atque delicatissima: non igitur corruale admittit, sed

tit, sed solus integram cordis humani possessionem postulat.

AN EXPEDIAT SÆPIVS communicare.

CAPVT XII.

QVoniam in præcedentibus ad frequentem vsum Sacramentorum, & peculiariter sacræ Communionis exhortati sumus; interrogabit forsan aliquis, quoties, & qua frequentia illud sumendum sit. Responsio ad hanc quæstionem partim admodum facilis, partim verò difficillima est. Nam si efficaciam tantùm & virtutem huius Sacramenti consideremus, (cùm in eo Christus verè & integrè contineatur, qui fons est omnium gratiarum, appliceturque nobis per ipsum virtus passionis, quæ infiniti valoris est & inæstimabilis) certum est quod si toties recipere possemus illud, quoties respiramus, toties sane sumere deberemus, vt per illud tãto maiorem gratiam, tantoque plura merita perciperemus. Ex altera verò parte, si consideremus præparationem, & dispositionem, quam Sacramentum hoc requirit, & secundum quam partitur nobis suã virtutem, vt supra dictum est, maximè cùm Sacramentum hoc non sit mortuorum, sed viuentium (edere namque vitam præsupponit) non expedit valde sæpe, communicare, sed secundùm præparationem, quam vnusquisq; habet. Hoc igitur loco multa sunt consideranda.

Ioan. 6.

Primò enim in hoc respiciendus est singulorum status. Homines enim Deo consecrati, vt Sacerdotes, Religiosi, & Virgines vestales, magis præparati sunt (quantum ad statum ipsorum) ad Sacramentũ hoc frequentandum, tanquam qui molestijs & negotijs mundanis minùs sunt occupati. Dico, quantum ad statum ipsorum: quia Dominus nõ rarò supplet defectum status abundantia suæ gratiæ, qui dat cui vult, & quomodo vult in quocunque statu homo constitutus est, vt patet in Dauide, Abrahamo, Iobo, alijsque sanctis Regibus, & Patriarchis, qui maximæ perfectionis fuerunt, quamuis status eorũ parum illis adminiculi ad perfectionem illam contulerit iuuabatur enim à gratia diuina, quæ sola plus potest, quam omnes cuiuscunque status, licet perfectissimi, opportunitates, & subsidia.

Obseruari quoque debet, vt vnusquisque priùs occupationibus, & obligationibus status sui satisfaciat; ne dum operam dat spiritualibus exercitijs, negligat, & omittat, ad quæ ratione status obligatur. Mulieres namq;, quæ maritum & filios habent, quibus debent inseruire; nec non & filias, quas custodire, & domos curare iubentur; sic deuotioni debent vacare, ne interim, quæ officij sunt, & ad quæ obligantur, omittant: illud enim est voluntatis, hæc sunt necessitatis: illa consilij, hæc præcepti. Sed & præcipuum bonæ vitæ fundamentum est, ne vnquam opera iustitiæ, propter ea, quæ gratiæ sunt, omittantur, nam vt sanctus ille Propheta dicit: *Melior est obedientia, quàm victima.* Vocat autem Obediẽtiam, omne id, ad quod sumus obstricti. Sacrificium verò, quidquid est voluntatis, & deuotionis. Et tamen homines plerunque in contrarium propendent, quia magis delectantur his, quæ ex proprio motu & voluntate faciunt, quàm quæ ex alterius voluntate & mandato proficiscuntur. Quod autem dixi de obligatione fœminarum erga maritum, & filios; idem etiam intelligo de filiorum & filiarum debito erga parentes, præsertim si sint pauperes, senes, aut infirmi: illis namque seruire, & opem ferre, ad primum præceptum secundæ tabulæ pertinet, estque primum quod post Deum hominibus debemus. Ad quod etiam incitamur antiquissimo & celeberrimo Ciceroniarium exemplo, quæ parentibus, à quibus genitæ sunt, maxima solicitudine & pietate, vbi iam consenuerunt, ministrant. Hæc obseruet pietatis studiosus, atque ita vsui huius Sacramenti studeat, vt interim obligationes, quæ tanti momenti sunt, non intermittat. Quod si non fecerit, non erit Deo grata illius deuotio.

1. Reg. 15. Eccl. 4. Oseæ 6.

Animaduertat similiter homo consuetudinem, quam circa frequentem Communionem sibi præscribit, quæ talis esse debet, vt in ea queat perseuerare, modumque semel arreptum continuare, vt semper ad illum obseruandum præparatus: sit: arbores enim quæ irrigationi sunt assuetæ, si quando deficiat ista cultura, maximum patiũtur detrimentum, propter defectum illius beneficij, cui nunc adeò erant assuefactæ; imò ob eundem defectum sæpe arescunt, atque emoriuntur: sic & animæ assuefactæ diuino illi & cælesti cibo solent manifestum incommodum accipere, si quando tali beneficio priuentur. Quapropter nonnulli fiunt in vita spirituali tepidiores, & non rarò à proposito incepto resiliunt. Corpora languida si assuefiant alicui medicinæ, atque ea paulò post subtrahatur, plurima mala incurrunt: idem de animabus infirmioribus contingit, si medicinam, qua peccatorum vulnera curantur, desinat continuare. Debet igitur homo hic diligenter ponderare, quam commoditatem & præparationem habet ad frequentandum hoc Sacramentum, vt exercitij huius talem modum sibi præscribat, in quo licebit semper perseuerare: alioquin deficiet in omnibus, si in vsu huius Sacramenti cœperit deficere.

In semel susc epto vsu perseuerandũ. Simile.

Notandum etiam est, viros maiori cum securitate in publicum prodire, quàm mulieres: posse illos ire quocunque volunt ad Sacramenta percipienda, vbicunque ministros inueniunt. Sed & inter mulieres id magis licitum est his, quæ sunt ætate grandiores, quàm quæ iuniores sunt. in ætate namque tenera & suspecta constitutæ (iuxta sententiam SS. Doctorum) domi maneant, & rarò in publicum veniant. Hanc ob causam in veteri quoque lege cautum erat à Deo, quòd viri ter in anno ad templum Domini venirent: Mulieribus verò nil tale vnquam præceptum est. Sciebat enim Dominus, quam periculosum esset, mulierem in publicum prodire. Experta est hoc Dina filia Iacob, quæ cum semel egressa esset, perdidit non tantum semetipsam, sed & terram vniuersam. Quare non sine causa D. Ambrosius tantopere laudat B. Virginem Mariam. Discite, inquit, Virgines non circumcursare per alienas ędes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festinat in publico: cum scilicet abijt in montana, vt salutaret Elizabetham. Non hoc dico, vt Virgines perpetuò certis cancellis claudantur; sed tantùm vt assuescant domi cum Deo agere, & in cubiculis suis illum quærere: exire autem quàm raro possibile est, nisi in maioribus festis, cùm Ecclesia hoc præcipit aut quando vsus huius Sacramenti idipsum postulat, adhibita semper hac moderatione.

Deut. 16. Genes. 34. Ambros. lib. 2. in Lucam.

Dico autem hoc generaliter loquendo; inueniuntur enim quædam puellæ adolescentulæ adhuc, in quibus eæ sunt dotes naturæ, eæque circunstantiæ, quæ omnem suspicionem, periculum, & inconueniens omne excludunt: & huiusmodi generali hac regula non comprehenduntur.

His omnibus diligenter pensitatis, procedat homo, & diligenter secum consulat, quid, & quomodo circa Sacramenti huius frequentiam sit agendum. Nam si hac frequentia fiat magis deuotus, & pius; si circunspectior in loquendo, si diligentior in bene operando, si magis solicitus in suijpsius custodia;

ſtodia; ſi diſcat magis refrænare libidinem, iram, inuidiam, cæteroſque affectus, & animi paſsiones inordinatas etiam leuiores, euidens ſignum eſt, iſti homini ſalutarem eſſe Communionis frequentiam, debetque talis tantò frequentiùs myſticum hunc cibum ſumere, quantò maiores in ſemetipſo fructus ſentit, & commoda. Cæterùm ſi homo nihil horum in ſe ſentiat, euidens ſignum eſt, exiguum eſſe fructum, quem ex hoc Sacramento elicit, & indicium malæ præparationis, qua cum ad illud accedit: & tunc, meo quidem iudicio, vel præparationem debet augere, vel frequentiam minuere.

Sacramenti huius effectus aliquando non ſentiri.

Verum quidem eſt, Sacramentum hoc ſubinde tam occultè operari, vt homo effectus illius vix ſentiat, aut cognoſcat: cum gratia ferè ſemper naturã imitetur, & pedetentim leniterque operetur: vti experimur in planta, quam creſcere quidem non videmus, nec augeri; tandem verò auctam eſſe manifeſtiſsimè cernimus. Quare in hoc caſu homo ſuo iudicio ſtare non debet, ſed negotium omne prudentis & experti Confeſſarij diſcuſsioni committere, atq; illius ſententiam, conſiliumque ſequi.

Eſt autem hoc loco diligenter obſeruandum, nõ ſolùm hoc iudicium ſumendum ab eo, quod homo frequentia Communionis proficit; ſed etiam ex eo, quòd deficit; non ex eo quòd procedit, ſed ex eo quòd recedit: quamuis (teſte Bernardo) In via Domini non progredi, eſt retrogredi; tamen euidentiùs conſpicit homo, cùm retrogreditur, quàm cùm progreditur: quemadmodum & lapis, qui cum maximo impetu è latere montis in vallem ruit, clariùs & manifeſtiùs conſpicitur moueri, quàm is, qui ex valle ſurſum voluitur. Creſcere namque, communiter loquendo difficile eſt, decreſcere verò facile: & citiùs domus euertitur, quàm ædificatur, & ſic manifeſtiùs & citiùs videtur. Ita dico, quod licet homo non intelligat ſe beneficio huius Sacramenti progreſſum, videat tamen ex altera parte, quia retrogreditur, ſi abſtineat à frequenti vſu illius; ſi agnoſcat ſe cadere in multos defectus, ſi debilior fiat ad reſiſtendum tentationibus, tepidior in orationibus, tardior in obedientia, ignauior in operibus miſericordiæ, propenſior ad riſum & verba otioſa, pronior ad iram, impatientior in aduerſis, denique in ſuijpſius cuſtodia negligentior: quando in his omnibus, aut in eorum aliquibus magis ſe delinquere comperit, ſi abſtineat, quàm ſolet cùm frequentiùs ad Dominicam menſam accedit, indicium eſt, homini tali frequentiam Communionis prodeſſe: inter varia namq; indicia progreſsionis in vita ſpirituali, nequaquam minimum eſt, ſolito minùs peccare. Nec minùs neceſſaria eſt medicina, quæ ſanos ab infirmitate præſeruat, quam quæ infirmos ad ſanitatem reducit. Atque hoc ingens ſolatium eſt omnibus ijs, qui non adeò manifeſtè in ſe fructus huius Sacramenti ſentiunt, aut deprehendunt.

Simile.

Porrò licet homo ſæpe incurrat aliqua peccata venialia, non propterea debet ſe ſubducere, & ab hoc ſalutari cibo abſtinere, ſic tamen vt antea pœniteat. Dicit enim Hilarius: Si peccata tanta non ſunt vt excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis & ſanguinis Domini ſeparare. Quinimò vel ob eam cauſam Sacramentum hoc frequentare debeas, cùm vnus effectuum eius ſit, quòd ſimilia peccata tollit, ſine quibus vita hæc duci non poteſt.

De conſec. diſt. 2. c. Si non.

Ex prædictis itaque facilè poterit vnuſquiſque intelligere, quid in frequentia Cõmunionis ſibi ſtatuendum ſit, quoties in anno, aut menſe ad diuinum hoc conuiuium debeat accedere. Quibuſdam enim ſufficit primarijs anni feſtiuitatibus, alijs ſingulis menſibus nonnullis decimoquinto quoque die communicaſſe. Sunt quidam nihilominus: qui iuxta cõſilium D. Auguſtini non ſine fructu ſingulis ſeptimanis myſtico hoc epulo ſaginantur. Hoc autem homini, quantumuis pio & deuoto ſufficere debet: niſi particularis aliqua cauſa vel circunſtantia interueniat, quæ ſæpius etiam communicandum ſuadet. Quemadmodum enim non eſt regula ſine exceptione, ita non eſt doctrina aliqua tam ſolida, vt non habeat aliquam limitationem. Huius opinionis eſt S. Bonauentura in Tractatu, quem ſcripſit de perfectione ad quandam ſororem ſuam, eadem ſtatuens, quæ nos hactenus docuimus, his verbis:

c Quotidie, de conſec. d. ſt. 2.

Sed deſiderat aliquis experiri, vtrum melius ſit ſæpius an rariùs corporis Chriſti ſuſcipere Sacramẽtum? videtur mihi quòd non poſsit ſuper hæc omnibus dari regula vniformis. Varia enim ſunt hominum merita, diuerſa operum ſtudia, multa deſideria, & multiplices ſancti Spiritus operationes in ſingulis, & diuerſi etiam ſtatus in religione. Et ideo ſicut ægrotantibus non poteſt vna forma obſeruari in dandis medicinis corporis, ſiue propter diuerſitates complexionum, aut virium, vel loci, vel temporis, ſeu diætæ, vel aliorum conſideratione, pro quibus aut rarius, aut ſæpius, aut in maiori, aut in minori quantitate ex eadem medicina datur: ita & de medicina, quæ eſt corpus Chriſti, intelligendum eſt. Mundialibus enim curis occupati rariùs poſſunt ſeſe ad illud recipiendum expedire, quàm qui tantum ſpiritualibus curis & ſtudijs ſunt intenti. Et alij magis, alij minùs ſunt circunſpecti in cuſtodia vitæ ſuæ, & morum, & conſcientiæ ſuæ puritate. Aliquando etiam ardentiori deſiderio trahuntur ad illius cibi ſalutarem perceptionem. Alij verò quodammodo terrentur, cùm debent accedere, & niſi conſcientia vrgeret, & conſuetudo religionis induceret, vel timor maioris à Deo elongationis impelleret, valdè rarò accederent ad illud mirificum Sacramentum. Vix tamen aliquis ita religioſus videtur eſſe, & ſanctus, exceptis Sacerdotibus, quin ſemel in hebdomada ſufficiat ei ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa quandoque & rarò plus ſuadeat, vt infirmitas ſuperueniens, vel ſingulariter ſolennis feſtiuitas, vel inuſitatæ deuotionis feruor, & intemperata deſiderij ſitis pro illius ſuſceptione, qui ſolus ſufficit ardorem animæ ſe amantis refrigerare. Et quia talis ardoris impetus non niſi à Spiritu ſancto infunditur, ideo legibus humanæ conſuetudinis & ſtatutis mortalium non arctatur, ſicut aliquos quandoque vidimus, licet paucos, quibus viuere Chriſtus erat, ita vt ſi non frequentiùs pane vitæ reficerentur ſacramentaliter, quaſi videretur vita corporis velle iam deficere, pluribus indicijs prodentibus hunc defectum. Et qui antè tam debiles erant, quòd nec ceſſum directum habere poterant, poſt receptionem illius Sacramenti tantum confortabantur, quaſi nullam antè ſenſerint debilitatem. Manifeſtè iuxta illius ſententiæ veritatem: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus:* quia nullus cibus materialis vel potus poſſet ſic celeriter & efficaciter non ſolùm corpus, ſed etiam animam recreare. Salubre & vtile eſt tamen, quod homo ſæpe ſe ad illius medicamenti ſuſceptionem præparet, & quanta deuotione valet, illud percipere ſtudeat, & poſt perceptionem in ſtudio deuotionis ſe conſeruet attentiùs, maximè religioſi, & qui ſe obtulerunt Deo ~~ad~~ ei perpetuò ſeruiendum. Sic enim erunt in maiori cuſtodia vitæ ſuæ & conſcientiæ, dum & ante, & poſt Euchariſtiæ perceptionem ob reuerentiam ipſius ſtudent magis innocenter viuere, & ſtudio deuotionis frequentiùs intendere. Et licet aliquando tepidè, tamen confidens de miſericordia Dei, fiducialiter ac-

Bonauent li. de proceſſu Relig. c. 21.

An Communionis frequentia ſit laudabilis.

Ioan. 6.

accedat, quia si se indignum reputet, cogitet quòd tantò magis æger necesse habet requirere medicum, quanto magis sentit se ægrotum. Matth. 3. *Non est* enim *opus valentibus medicus.* Nec ideo quæris te iungere Christo, vt eum sanctifices, sed vt sanctificeris ab ipso. Nec propterea prætermittenda est sacra Communio, si quandoque non sentit homo specialem deuotionis gratiam, cùm se ad illam præparare studet, vel cùm in ipsa præparatione nihil, pòst fortè minùs deuotum sentit quàm vellet, quia fortè ex aliqua prædictarum causarum ratione solet illis euenire.

Circa Sacerdotes autem potest hæc forma teneri, vt nec nimis rarò, nec semper continuè & imprætermisse sacram hostiam studeant immolare. Nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreuerentiam, cùm vix aliquis tam deuotus sit, quod semper eadem deuotione ferueat, quod semper illud cum debita reuerentia faciat & cordis ardore, quin aliquando tepeat quantulumcunq;. Nimis etiam raro celebrare, quamuis ex reuerentia soleat aliquando fieri & humilitate, tamen quandoque torporem nutrit, quia minùs circunspectus est homo in omnibus, quasi non indigere videatur sui custodia, cum non proponit accedere ad mensam Christi. Humilitas etiam non est vsquequaque secura, propter quam diu se subtrahit, quia sicut non est dignus sæpe corpus Christi percipere, ita nec semel. Nota. Ideo non recipimus illud, quasi qui digni sumus, sed vt illo nos sæpe visitante, & habitaculum cordis & corporis nostri subintrante, magis ac magis digni efficiamur. Quo enim introierit benedicet 2. Reg. 6. Deus, sicut olim domum Obededom benedixit propter Arcam Domini, in qua manna seruabatur: propter hoc Dauid voluit eam reducere cum benedi- Sap. 8. ctione. & in Sapientia dicitur: *Proposui hanc adducere mihi, sciens quoniam communicabit mecum de bonis suis*: Quæ bona prætereo, quia in scripturis pluribus inueniuntur.

Hactenus Bonauentura, cuius testimonium apud omnes magnæ debet esse auctoritatis: cum gloriosus ille Doctor tam insignis sit, non minus in eruditione, quã in sanctitate & spiritu: & hoc modo scripserunt & senserunt de hac materia plures alij.

Ex his igitur, alijsque rationibus & causis iam dictis, aperte videmus, quàm iniustæ sunt calumniæ, & oblocutiones eorum, qui zelo quodam inordinato, sub prætextu reuerentiæ condemnant, & subinde in concionibus reprehendunt eos, qui sanctissimam Communionem frequentant, & mysticum hunc panem sæpe manducant: etsi enim concedamus nonnunquam hic delinqui, sunt tamen tot, & tam enormes alij abusus in mundo reprehendendi, vt non sit opus in hunc solum debacchari: maximè cùm (si bene animaduertamus) multò grauius malum sit, quo laborat mundus in nimia huius Sacramenti dilatione, quàm in nimia frequentia. Vt autem hoc meliùs intelligatur, diligenter notandum est, (sicut D. Thomas ait) quòd cùm omnis virtus in medio consistat, necessariò duo habeat contraria, vnum per excessum, alterum per defectum, licet ista vitia non semper habeant nomina propria: Sic etiam dicimus quod in vsu Sacramentorum, & omnibus alijs exercitijs spiritualibus esse potest hic excessus, & defectus. Quod cùm ita sit, examinemus rem vlteriùs, & si quæramus vtrum horum duorum extremorum peius sit, inueniemus multò maius esse damnum, quod patitur mundus, eò quòd nimis rarò communicat, quam quòd nimis frequenter & indiscretè: errare enim in excessu, licet error sit, quis tamen non videt, multò maiorem eos committere, qui tam alieni sunt à Sacramentis, in quibus diuinitus reposita sunt medicamenta vulnerum nostrorum, & animarum nostrarum remedia? Quæ causa est, cur homines tam dissolutè ac perditè nunc viuunt, & tam laxam habent conscientiam, nisi quòd tam diu sese abstinent ab hoc pane vitæ? Sed & considera quantum differant homines nostri seculi, qui semel tantum in anno communicant, ab illis antiquis, qui quotidie communicabant, vsque ad tempora beati Anacleti Pontificis, qui primus hanc consuetudinem mutauit; & hinc agnosces quanta sit differentia inter Communionem frequentem, & annuam. Act. 2. cap. Peracta. de Consec. dist. 2.

Quicunque igitur zelo Dei, & Ecclesiæ eius ardet, lamentari meritò & plangere debet, videns homines nunc adeò à Deo, omnibusque diuinis exercitijs alienos: hoc enim primaria causa est & fons omnium malorum nostrorum. Quare quemadmodum illi, Simile. quibus Reipublicæ cura commissa est, etsi non ignorent, tam nimiam annonæ, rerumque temporalium abundantiam, quàm nimium defectum obesse: in hoc tamen diligentiores sunt, ne quicquam deficiat, quàm ne abundantia illis fastidium pariat: ex defectu enim maius, quàm ex abundantia damnum expectatur. Sic quibus Ecclesiæ cura incumbit, in hoc attentiores esse debent, ne spiritualis hic commeatus & medicina deficiat, quàm ne abundet, incomparabili enim modo maius est damnum, quod à defectu proficiscitur, quàm quod ab excessu: & tantò ampliùs, quia nemo potest esse bonus Iudex, qui exteriora videns interiora videre non potest: & temerarius est, qui non viso rei progressu vel effectu, de causa vult iudicare. Et quia de hoc satis dictum est, ponemus aliquas deuotas Orationes, & Meditationes, in quibus se Christianus tam ante, quàm post sacratissimam Communionem poterit occupare. *Defectus periculosior, quam excessus.*

PROEMIVM IN ORATIONES ET MEDITATIONES QVAE SEQVVNTVR, ANTE & post sacram Communionem dicendæ.

Omnia nouæ legis Sacramenta dispositionem & præparationem requirunt, vt dignè suscipiantur: alia tamen alijs maiorem. Sacramentum enim Baptismatis, & extremæ Vnctionis suum præparandi modum postulant; alium verò maiorem Sacramentum Pœnitentiæ, quod compunctionem etiam exigit, & peccatorum omnium commemorationem: summam vero & perfectissimam præparationem Sacramentum Altaris requirit, quia enim Sacramentum hoc omnium aliorum est nobilissimum, etiam à recipiente perfectissimam exigit dispositionem & præparationem. Vt autem hoc melius intelligatur, sciendum est, proprium effectum huius Sacramenti esse refectionem animæ spiritualem, id est, Diuinæ suauitatis gustum internum, cum facilitate bene operandi. Proinde vt quis perfectius hoc tale beneficium consequatur, necesse est vt habeat actualem deuotionem, cum attentione spiritus, quando ad hoc Sacramentum accedit. Etsi enim gratiam aliquam sine tali dispositione poteris percipere, tamen spiritualis hæc refectio omnino hanc dispositionem & deuotionem postulat. Vt itaque mentem in hac pia solicitudine conserues, libera te ab omnibus negotijs & cogitationibus huius seculi. Deinde præpara te primum, non tantum per Sacramentum Confessionis,

sionis, quod hunc in finem est institutum, sed etiam per orationes, lectiones, & meditationes: qui enim hoc facit, deprehendet se tempore Communionis magis purum, deuotum, & rebus diuinis intentum. Sicuti enim lignum siccum facilè admoto igne flammam concipit: sic qui hoc modo præparatus accedit, confestim in corde sentiet accendi flammam diuini illius ignis, qui purificat, inflammat, & hominem in Deum transformat. Ad hunc verò effectum consequendum vtiles erunt Orationes, quæ paulo post sequuntur, tam ante, quam post sacram Communionem recitandæ, & legendæ, non obiter percurrendæ, vel festinanter præcipitandæ, sed tractim & attentè cum tali mora & consideratione dicendæ, qualem tam sublime requirit Mysterium.

ORATIO S. THOMAE AQVINATIS ante Communionem dicenda.

OMnipotens sempiternæ Deus, Ecce accedo ad Sacramentum vnigeniti Filij tui, Domini nostri Iesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cæli & terræ, nudus ad Regem gloriæ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare cœcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, vt panem Angelorum, Regem Regum, Dominum dominantium, tanta suscipiam reuerentia & humilitate, tanta contritione & deuotione, tanta puritate & fide, tali proposito & intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi quæso Dominici corporis & sanguinis non solùm susscipere Sacramentum, sed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mitissimè Deus, da mihi corpus vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic susscipere, vt corpori suo mystico merear incorporari, & inter eius membra connumerari. O amantissimè Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc sic velatum in hac vita susscipere propono, reuelata tandē facie perpetuo contemplari. Qui tecum viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

ALIA DEVOTA ORATIO DICENda ante sacratissimam Communionem.

TE laudo, tibi gratias ago, dulcissimè Domine, Seruator & Redemptor mi, pro tantis tuis beneficijs, quæ in tam vilem & miserabilem creaturam conferre dignatus es. Tibi gratias ago, Domine mi, pro omnibus miserationibus tuis, quib. erga genus humanum vsus es, in mysterio sanctissimæ tuæ incarnationis: præcipuè verò in Natiuitate, Circuncisione, in templo præsentatione, in fuga tua Ægyptiaca, in ieiunio & tentatione, in laboribus & itineribus multis, in prædicationibus & persecutionibus mundi huius, in tormentis & doloribus acerbissimæ tuæ passionis, & in omnibus his, quæ in hoc mundo pro me passus es. Ante omnia verò gratias tibi ago immensas, pro ineffabili tuo amore, qui te pro me pati impulit, qui sanè omnibus operibus tuis sine vlla comparatione maior est. Insuper & quas possum gratias ago, quòd non dedignaris me ad sanctissimam tuam mensam admittere, participemque tui ipsius, & omnium meritorum inæstimabilisque thesauri tuæ passionis facere. O Deus meus, & Saluator meus, quomodo hanc nouam misericordiam tuā potero compensare? Quis es tu, & quis sum ego, quòd tu Dominus supremæ Maiestatis, dignàris te venire in luteum terrenumque habitaculum meum? *Domum tuam Domine decet sanctitudo in secula seculorū:* Psal. 92. cur itaq; venis in domum meam, quæ nunquam nō malignitate abundat? Cœlum hospitium & sedes tua est, & terra scabellum pedum tuorum: quia & cœlum & terram implet gloria tuæ Maiestatis: quomodo itaq; non abhorres ad tam vile hospitiū meū diuerti? *Ergone putandum est*, inquit Salomon, *quòd verè Deus habitet super terram? si enim cœlum & cæli cœlorum te capere non possunt, quantò minus hæc exigua domus mea te non capiet?* 3. Reg 8. O res admiranda, quod qui sedet super Cherubin, & intuetur abyssos, nunc sese vsq; ad hanc abyssum humiliat, & in infimo loco sedem suæ Maiestatis collocat.

Parū tuæ infinitæ bonitati visum est, quòd Angelos nostro ministerio destinasti: ipse ad nos venire voluisti, & in animas nostras intrare: vt proprijs manib. illic negotia nostræ salutis operareris. Ibi tu visitas infirmos, lapsos erigis, doces ignorantes, reducis errantes, quid multis? tu ipse es qui curas ibi vulnera, & languores nostros omnes, non alterius manibus, sed proprijs: non longe petita medicina, sed propria carne, proprioq; tuo sanguine.

O optimè Pastor, quàm abundè satisfeciſti promissioni tuæ, quam olim per Prophetam dedisti dicens: *Ego pascam oues meas, & ego accubare faciā eas.* Ezech 34. Sed quis erit dignus hac gratia? quis erit dignus tanto beneficio? Sola tua misericordia, Domine, nos dignos potest facere bonis tam infinitis: & quoniam sine illa nemo dignus esse potest, illa sit Domine mihi propitia, illa me tantorum mysteriorum faciat participem, faciat & me gratum tā inæstimabili beneficio. Suppleat quæso quidquid mihi deest gratia tua, dimittat mihi omnia peccata mea misericordia tua, prępareat animā meam Spiritus tuus, ditent paupertatem meam merita tua, & eluat omnes maculas animæ meę totiusq; vitę meę sordes sanguis ille tuus pretiosus: vti possim dignè tremendum hoc Sacramentum susscipere.

Exhilarat me, Deus & Domine mi, quoties recordor insignis illius miraculi, quando mortuus Eliseus mortuum cadauer solo attractu corporis sui resuscitauit. Nam si tantum potuit corpus mortuum Prophetæ, quid non poterit corpus viuum omnium Prophetarum Domini? Certus sum, Domine mi, quòd tua potentia non est minor potentia Prophetæ: & fateor quòd anima mea nō minus mortua est, quam corpus hominis illius: nec minoris efficaciæ attactus hic, quàm ille. Quare itaque non debeo simile beneficium expectare? Quare maiora miracula faciet corpus in peccatis conceptum, quam corpus conceptum à Spiritu Sancto? quare maiorem prærogatiuam habebit corpus serui, quam corpus Domini? Quare non resuscitabit sacratum corpus tuum animam, quæ cohæret, aut coniungitur tibi, dum resuscitet ille corpora quæ ab ipso attinguntur? Et quia corpus hoc resuscitatum fuit, etiamsi vitam non petierit, sola virtute ossium Beati Prophetæ: placeat quæso infinitæ misericordiæ tuæ, Domine mi, dare mihi vitam per medium huius Sacramenti petenti, vt iam non viuam ego, sed tu viuas in me. O bone Iesu, per illam inæstimabilem charitatem & amorem, qui te pro me pati fecit, & ignominiosissimam mortem subire, supplex te oro, vt velis me mundare ab omnibus peccatis meis, & vicissim omni virtutum genere, omnibusque meritis tuis me adornare, gratiam insuper mihi donare, vt sanctum hoc Sacramentum tanta cum humilitate & reuerētia, tanto cum timore & tremore, tanto cum dolore, & cum pœnitentia peccatorum meorum tanta, denique tanto cum amore & charitate susscipiam, quantam requirit augustissimum hoc Mysterium. Da mihi, benignissimè Domine mi, eam intentio-

nis puritatem, cum qua dignè ad mensam tuam mysticam accedere possim, ad gloriam nominis sancti tui, & ad remedium omnium infirmitatum & necessitatum mearum; vtque potens sim me defendere his armis contra inimicos meos, meque sustentare hoc cibo in vita spirituali: fac denique me vnum tecum hoc amoris Sacramento interueniente: offerendo tibi hoc sacrificium pro salute omnium fidelium, tam viuorum quàm mortuorum, vt omnes etiam adiuuentur virtute inæstimabili huius Sacramẽti, quod pro salute omnium est institutũ & consecratum: tu qui viuis & regnas in secula seculorũ. Amen.

MEDITATIO DEVOTISSIMA, & ante Communionem vtilissima, qua anima ad timorem & amorem excitatur.

QVis es tu Domine mi, & quis sum ego, qui audeo tibi appropinquare? Quid est homo, quòd possit in se Deum recipere factorem suum & Redemptorem? Quid est homo natura sua, nisi vas corruptionis? filius Dæmonis? hæres Inferni? operator peccatorum? contemptor Dei? & creatura ad omne bonum inepta, ad omne verò malum aptissima, promptissimaque? Quid est homo, nisi animal omnibus in rebus miserabile? in consilijs suis cæcum? in operibus suis inconstans? in appetitibus immundũ? in desiderijs lubricum? in omni re paruum, & in proprijs oculis magnum? Vide Domine, vnde hîc quis sim ego?

Sed tu quis es Domine mi? Tu magnus es sine quantitate, tu bonus sine qualitate, tu sapiens sine mensura, tu æternus sine tempore. Tu es omnipotens in virtute, immensus in sapientia, admirabilis in consilijs, terribilis in iudicijs, perfectus & absolutus in omni virtute.

Quomodo itaque tam vilis & immunda creatura audebit audire & contingere Deum tantæ Maiestatis? *Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Altissimi illi Seraphin cõtrahunt alas suas, & in conspectu tuo fatentur sese papiliones seu vilissimos alios vermiculos. Quæ igitur audacia, quæ temeritas, vt homo vilissima & abiectissima creatura audeat tantum Dominum in se recipere?

Iob. 25. Iob. 26.

Sanctus Ioannes Baptista, in vtero matris suæ sanctificatus, non fuit ausus, cùm baptizaret Dominum, tangere verticem illius: imò indignum se testatus est, qui solueret corrigiam calceamenti. Princeps Apostolorum exclamat dicens: *Exi à me Domine, homo enim peccator sum.* Quomodo ergo audebo ego, qui peccatorum facilè princeps sum, tibi appropinquare? Si panibus propositionis, qui tantùm vmbra erant profundissimi huius mysterij, nemini licuerit vesci, nisi qui mundus erat & sanctificatus: qui potero securus esse ego, qui manduco panem Angelorum, cum tamen tam procul absim ab omni sanctitate?

Luc 3. Ioan. 1. Luc. 5. 1 Reg. 21.

Agnus ille Paschalis, qui erat typus & figura huius Sacramenti, iuxta mandatum Dei comedi debebat cum panibus azymis, & lactucis agrestibus: qui autem comedebant renes accinctos, & calciamenta in pedibus habere debebant; Ah quomodo audebo ego ad verum hunc Agnellum Paschalem accedere, qui nullam harum præparationum habeo? Quid enim aliud panis azymus, quàm puritas sine fermento malitiæ? Quid sunt lactucæ amaræ, nisi vehemens contritio? Vbi est puritas rerum, & pedum mundities, id est, sancta desideria?

Exod. 12.

Timeo Domine, & vehementer timeo, ne fortè malè excipiar in hac mensa, si quid horum mihi desit apparatuum.

Hac mensa prohibitus, imò ab ea reiectus est ille, qui sine veste nuptiali accesserat, (quæ quidem charitas ipsa est) ligatisque manibus & pedibus, in tenebras exteriores proturbatus est. Quid ego aliud nũc expecto, si & ego absque hac veste me in hoc conuiuium ingessero? Matth. 22.

O diuini oculi, quibus aperti sunt & manifesti omnes animæ meæ sinus, & anguli, quid fiet de me, si ante te vacuus & nudus apparuero?

Arcam (quæ figura tantùm fuit huius mysterij) attingere tantum nefas fuit, vt Sacerdos Oza, qui ad eam casum minitantem manum extendit, & tenuit, subitanea morte percussus sit: qui igitur ego non timebo pœnam eandem, si indignè percepero id, cuius Arca illa figura tantùm fuit? 2. Reg. 6.

Bethsamitæ nihil aliud deliquerant, quàm quòd Arcam fœderis curiosius erant intuiti, cùm ea persines eorum deportabatur; & tamen adeò indignatus est Dominus, vt ob eam solam causam septuaginta de populo viros, & quinquaginta millia plebis occiderit. Sed, ô misericordissime Domine, quantò augustius est Sacramentum hoc Arca fœderis? quantò periculosius est recipere te, quàm te videre? 1. Reg. 6.

Quare itaque non meritò horrere & contremiscere debeo, quando venio ad sumẽdum Dominum tantæ maiestatis & iustitiæ? Et si tot causæ sint cur debeam timere tuam magnitudinem, quot erunt rationes metuendi, si perpendam peccatorum meorum multitudinem? Memor enim sum Domine multorum grauiumque criminum meorum, quibus diuinam tuam maiestatem offendi in hoc mundo.

Fuit aliquando (placeat tuæ misericordiæ, quòd hodie non sit) tempus, quando infinitam tuam pulchritudinem, summa obliuione apud me sepultam, minimè amarem; quando puluis creaturarum tuarũ maiori apud me in pretio fuit, quàm thesaurus gratiarum tuarum, & spes gloriæ sempiternę. Lex & regula vitæ meæ erant mea desideria & inordinati appetitus; nullam tui rationem, nullam tui habebam reuerentiam, quoniam te non cognoscebam.

Ego sum *insipiens* ille, qui *dixit in corde suo*; *Non est Deus*: tam dissolutè siquidem aliquamdiu vixi, vt moribus meis profiterer, quòd crederem te aut non esse, aut nihil esse. Non laborani vt in amorem tuum deuenirem, non timui iustitiam tuam, non veritus sum legem tuam preuaricari, gratias quas debui non reddidi tibi; etsi te omnibus in locis præsentem sciebam, non tamen in tuo conspectu peccare securè & grauiter erubui. Quicquid oculi mei desiderarunt, id omne illis permisi, nec cordi meo violentus fui, aut rigidus, quò minùs ipsi delectationes eius subtraherem: & quod genus flagitij est, quo anima mea sese non coinquinauit? Psal. 13.

Quid aliud fuit vniuersa vita mea, quàm assiduũ bellum contra te? quid aliud quam renouatio omnium tormentorum, totiusque tuæ passionis? Quoties ego te pro momentanea voluptate, aut minimo lucro, tanquam alter Iudas vendidi? Veniens itaque nunc vt te percipiam, quid aliud ago, quàm vt osculum tibi cum ipso Iuda præbeam, quo te tradã, postquam iam vendidi? Quid aliud feci, cùm aliàs communicaui, quàm simul cum militibus te illusi, tibiq; insultaui; qui ab vna parte genu flectentes te adorabant, & ab altera arundine te percutiebant?

Quomodo itaq; audebo te recipere, mi Domine in statu tam immundo & flagitioso? tam ero temerarius, vt sacratum corpus tuum reponam in speluncam draconum, & in nidum serpentum? Quid aliud est anima peccatis plena, quàm habitaculum Dæmoniorum? stabulum bestiarum? porcile & cloaca omnis immunditiei?

Quomodo igitur tu requiescis hîc, Domine, qui puritas

puritas es virginalis? & qui fons es omnis pulchritudinis, quomodo in loco tam abominabili poteris habitare? Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut
2.Cor.6. quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? O flos campi, ó lilium conuallium, ô panis Angelorum, quomodo pabulum nunc factus es bestiarum?

Quare diuinum hunc cibum das canibus, & pretiosas margaritas mittis ante porcos? O amator
Matth.7. animarum purarum & mundarum, qui pasceris inCant.2. ter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, quod pabulum tibi dare potero, in hoc corde meo,
Cant.3. vbi nihil crescit præter tribulos & spinas? Lectulus tuus est de lignis Libani, columnæ eius aureæ, reclinatorium tuum aureum, & ascensus purpureus: in cubili cordis mei nihil horum reperitur. quam itaq; sedem tibi illuc intranti ponam? quem lectulum sternam?

Sanctissimum corpus tuum de cruce sublatum mundissimę sindoni fuit inuolutum, atque in sepulchrum nouum positum, in quo nemo adhuc fuerat sepultus: quæ verò pars animæ meæ munda est? quæ noua, in qua te potero sepelire? Quid os meum aliud quàm sepulchrum patens, de quo nihil præter fœtores & corruptiones meorum peccatorum procedit? Quid cor meum, nisi fons pessimorum appetituum & desideriorum? Quid voluntas mea, nisi domus & reclinatorium Dæmonis? Quomodo itaque audebo tibi appropinquare, te recipere, & labijs meis impuris osculari? Nullus angulus est in anima mea qui mundus est, & purus, quique non sępius diuersis peccatorũ generibus est prophanatus. Non habeo itaque sepulchrum mundum & nouum, in quo te condam. O Redemptor & Saluator mi, pudore suffundor, quoties me tali in statu video: erubesco, perpendens qualis ad hoc augustum & regale tuum conuiuium accedo, qualis in amplexus Sponsi cælestis curro, qui stat iterum paratus, vt me benignè recipiat.

ALTERA PARS HVIVS MEDITATIONIS.

AGnosco, Domine, agnosco magnã indignitatem meam, & maxima tua misericordia non est à me abscondita: hæc est quæ mihi suggerit audaciam, & dat fiduciam ad te veniẽdi, qualis qualis etiam sum. Quò enim indignior venio, eò magis glorificaris tu, si non repellas me, aut odio prosequaris creaturam tam immundam.

Matth.11. Domine, tu non soles repellere peccatores, sed vocas eos, & conuertis ad te. Tu es qui dixisti; *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Tu es qui dixisti; *Non opus est sanis medico, sed his qui malè habent.* De te publicè dictũ fuit, quòd publicanos & peccatores recipiebas, & cum illis vescebaris. Domine mi, tu non mutasti naturã, quam tunc habebas, & propterea firmiter credo, quòd etiamnum de cælo vocas illos, quos tunc in terra vocabas.

Quapropter & ego pia ista vocatione illectus, venio ad te, peccatorum pondere prægrauatus, vt tu me exoneres: venio laborans & oneratus proprijs miserijs, & tentationibus, vt tu me reficias. Venio tanquam infirmus ad medicum, vt tu me sanes: tanquam peccator ad iustum, & fontem iustitiæ, vt tu me iustifices. Tu dicis quod recipis peccatores, atque manducas cum illis, & cibus tuus est conuersari cum illis.

Si tantopere delecteris, Domine, talibus conuiuis, ecce habes hîc insignem peccatorem, quo cum potes manducare panem istum. Credo equidem Redemptor mi, multò plus te oblectasse lachrymas illius publicæ peccatricis, quàm superbum epulum tumidi illius Pharisæi; propterea nec despexisti illam, Luc.7. nec à te vt peccatricem repulisti, sed potiùs benignè recepisti, peccata illius dimisisti, & contra assidentiũ calumnias defendisti; pro paucis lachrymarum guttis, multa illi peccata condonasti.

Ecce Domine hîc noua tibi maioris gloriæ offertur occasio, ecce hîc iacet peccator, qui multò quidem clara habet peccata, lachrymas verò multò pauciores. Illa nec prima nec vltima fuit sanctarum tuarum misericordiarum: multas alias similes fecisti tu, & multæ similes restant tibi adhuc faciendæ. Intret nunc hæc in numerum illarum, & recipe in gratiam eum, qui te grauiùs offendit, & qui leuiùs propter offensionem plangit. Non habet hic tot lachrymas vt pedes tuos queat lauare; sed tu tantum sanguinis effudisti, quantum sufficit ad ablutionem peccatorum totius mundi.

Ne indignè feras, Domine mi, quòd talis existẽs, qualem me vides, audeam venire in conspectum tuum. Memento quòd non indignatus es, cùm paupercula illa, quæ sanguinis fluxum patiebatur, clàm ad te venit, quærens remedium suæ infirmitatis, & apprehendens fimbriam vestimentorum tuorum: sed potiùs laudasti illam, & corroborasti dicens: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Nunc ego & maiorem Matth.9. & periculosiorem sanguinis fluxum patiens, quique minùs est curabilis, quid agam? quò me vertam? ad quem ibo, nisi ad te Domine, vt beneficium sanitatis adipiscar?

Domine mi, tu nec officium tuum, nec naturam, & consuetudinẽ tuam mutasti, quam habebas, cùm nobiscum in terris versabaris, etiamsi nunc in cælos abieris, & procul à nobis abesse videaris. Si enim mutatio in te facta esset, alia Scriptura nobis, & alio esset opus Euangelio, quod doceret nos, quid nunc de te credere, quid de te in cælo residente sperare debeamus.

Lego Domine in sanctis tuis Euangelijs, quòd o-Luc.6. mnes, qui malè habebant, ad te confluebant, & quòd omnis turba quæsiuit te tangere, eò quòd virtus exibat de te, & sanabat omnes. Ad te veniebant leprosi, Luc.5. & tu extendebas benedictas manus tuas, & mundabas illos. Ad te veniebant cæci, surdi, paralitici, dæ-Matth.12. moniaci; ad te denique omnia monstra huius mundi confugiebant, & nulli eorum auxilium tuum denegasti. In te solo salus est, in te medicina & remedium malorum omnium. Promptiores tu ad dandam salutem, quàm illi sunt ad poscendam.

Quò itaque ibimus in necessitatibus nostris, Domine, nisi ad te? Verè enim cognosce Domine, quòd diuinum hoc Sacramentum non est tantùm cibus eorum qui sani sunt, sed medicina quoque malè habentium, & infirmorum: non tantùm fortitudo est viuentium, sed & resurrectio mortuorum: non tantùm recreat & oblectat iustos, sed sanat etiam & purificat peccatores.

Vnusquisque accedat huc, & accipiat partem, quę ipsi est salubrior. Veniant iusti & manducent, & lætentur in hac mensa, sonetque vox confessionis eorum & laudis in isto calice salutari.

Nusquam esse possum sine hoc mysterio; nusquam sine illo viuere; & vbicunque sum, non possum me ab illius sumptione excusare: omni enim in loco, omni in re istud mihi est necessarium. Si infirmus sim, hîc me curabo; si sanus, hîc me cõseruabo; si viuus, hîc me cõfortabo; si mortuus, hîc me resuscitabo; si amore diuino ardeã, hîc magis me accendã; si tepidior sim, hîc recalescam. Non timebo etiamsi Dominus me cæcum esse videat, quoniam ille cæ-

Gen.3. cos illuminat: non metuam, licet me lapsum inuenerit; ipse enim labentes erigit. Non fugiam à facie eius, vt quondam fecit Adamus, quantumuis nudus sum; ille enim potest nuditatem meam tegere: non me abscondam, quamuis immundus & plenus peccatis appaream; ille enim est fons misericordiæ: non, licet pauper sim; ille enim Dominus est omnium rerum creatarum.

Non sum anxius quòd illum iniuria afficiam hac mea audacia, sed potiùs occasionem me daturum arbitrabor, vt dum cæteris omnibus sim miserior, dilucidiùs in me resplendeat diuinæ misericordiæ magnitudo, in hoc ipso, quod mihi auxiliabitur. Tenebræ illius qui à natiuitate cæcus fuerat, gloriæ Domini famulabantur: natus enim cæcus erat, vt manifestarentur opera Dei: & miseria meæ conditionis seruiet illi, quoniam in ea magnitudo bonitatis eius elucescet: si nimirum ille, qui tam sublimis est, tam miseram atque inopem creaturam non dedignatur. Maximè cùm hic nulla ratio mei habeatur, sed tantùm meritorum Domini nostri Iesu Christi, propter quæ Pater æternus nobis bene vult, & nos in filios suos adoptat, habetque benignè, vt tales haberi solent.

Ioan 9.

Oro itaq; supplex, & obtestor te nunc Deus meus, Parer Domini nostri Iesu Christi, vt quemadmodum sanctissimus ille Rex Dauid Miphiboseth debilem pedibus ad mensam suã admisit, quia erat filius magni & chari amici illius Ionathæ, volens hoc modo filium honorare, non propter filium ipsum, sed propter merita patris illius; sic & tibi Pater cælestis complaceat, hunc pauperem & immundum peccatorem ad regale tuum conuiuium admittere, non propter se, sed propter merita & honorem magni tui amici Iesu Christi, Domini, & Patris nostri, qui cum tantis doloribus & laboribus pro gloria & honore tuo nos regenerauit in arbore Crucis suæ: qui tecum viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

2.Reg.9.

SEQVVNTVR ALIQVAE ALIAE deuotæ Orationes, & Meditationes, in quibus homo occupari poterit post sacram Communionem.

ORATIO B. THOMÆ AQVINATIS.

GRatias tibi ago Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore & sanguine Filij tui, Domini nostri Iesu Christi. Et precor, vt hæc sancta Communio, non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutatis ad veniam: sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum euacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio: charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ augmẽtatio; cõtra insidias inimicorum omnium, tam visibilium, quàm inuisibilium firma defensio; motuum meorũ tam carnalium, quàm spiritualium perfecta quietatio, in te vno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum Filio tuo & Spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata, & felicitas perfecta: per Christum Dominum nostrum. Amen.

MEDITATIO ALIA INSIGNIS *post Communionem.*

O Deus meus, & misericordia mea, quomodo dignas potero tibi gratias agere, quod tu Rex Regum, & Dominus dominantium non dedignatus es visitare animam meam, & pauperculum miseræ meæ domunculę tectum subire, ibique facere vt tu & ego vnum simus, idq; mediante inæstimabili virtute huius Sacramenti? Quo munere tantum beneficiũ compensabo? quibus officijs tantam tuam bonitatẽ remunerabo? quam gratiam poterit dare creatura misera, pauper, & inops pro munere tam diuite & pretioso? Non enim satis tibi fuit, nos in hoc mysterio participes facere supremæ tuæ Deitatis; sed simul nobis cõmunicare voluisti sanctissimã tuam humanitatem, vnà cum omnibus meritis, quæ per illã & cum illa pro nobis lucrifecisti: dans enim nobis hîc carnẽ & sanguinem tuum, nos etiam participes facis totius thesauri, omniumq; meritorum, quæ eadem carne & sanguine comparasti. O admirabilem cõmunionem: ô thesaurum nullo pretio cõparandum, & hominibus nondum satis cognitum, dignum tamen cuius præconia noctes atque dies in Ecclesia magna decantentur. O clementissime Reparator animarum nostrarum, quibusdam maioribus diuitijs & pretiosioribus monilibus nos locupletare potuisti hoc augustissimo Sacramento? Meritò dixisti Domine in oratione tua, qua sub ipsam passionis horam Patrem interpellasti; *Ego me sanctifico pro eis, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Nouo scilicet modo sanctificandi, sanctificatori difficilliori, & sanctificato faciliori. Tua enim Domine est sanctitas, meus verò fructus sanctitatis: tu laborasti, ego mercedem accipio: tu impensas fecisti, ego lucrũ colligo: tu castigaris, & mihi peccatorũ datur venia: tu amaram potionẽ bibis, & ego amissam sanitatem: cum vita recupero. Pro me satisfecerunt tui dolores, tui claui, tuæ alapæ, spinæ tuæ, & pretiosus ille sanguis tuus, quem pro me effudisti. Me lauant tuæ lachrymæ, me sanant tua vulnera, & pro me satisfaciunt tua flagella. O dites communio, ô fraternitas infinitorum meritorum: ô commercium inæstimabilis thesauri. Quod peculium, aut quam sortem nos in hãc societatem misimus? quid nos deposuimus, vt tam copiosum lucrum ad nos redeat? Non est profectò tantæ felicitatis alia causa, præter tuam bonitatem. Quare Sol illuminat? quare ignis calefacit? cur aqua refrigerat? res in propatulo est: sunt enim hæ naturales eorum proprietates, quòd tales creaturæ tales producunt effectus. Et tibi Domine proprium est ignoscere, tibi misericordiam facere, idque alijs potiùs, quàm tibi ipsi. Tua bonitas nostra est, eaque non qualiscunque sed summa. Vt enim propriũ boni est, esse diffusiuum seu communicatiuum, sanè summum bonum summè quoque erit diffusiuum. Et hęc fecisti nobis, quia totum te nobis dedisti. Nascendo factus es noster frater, nutriendo cibus, moriendo pretium, & regnando præmium. Denique ô anima mea, si vnico verbo complecti velis omnia illa bona, quæ secum adfert tam admirabile Sacramentũ, considera illud quod Dominus ille in hunc mundum attulit, cùm homo factus in mundũ venit. Cùm enim in mundum venit, dedit mundo vitam gratiæ, cum omnibus quæ gratiam subsequuntur: ita & cùm per Sacramentum in animam venit, eandem vitam animæ largitur. O cibum diuinum, per quem filij hominum in filios Dei transformantur, & per quem humanitas omnis in nobis mortificatur, vt viuat in nobis Deus. O panem dulcissimum, dignum qui adoretur, animam, non ventrem nutrientem; cor corroborantem, & corpus non grauantem; spiritum lætifican-

Ioan 17.

tificantem, & intellectũ non conturbante: cuius virtus appetitus nostros moderatur, voluntatem propriã interficit, vt efficax sit in nobis voluntas diuina.

Quas itaque gratiarũ actiones referam, quas laudes tibi cantabo Domine, pro hoc beneficio? Si gratitudo debeat respondere dono, quod quæso gratitudinis genus sufficiet tali dono? Tu dixisti olim famulo tuo Moysi: *Accipe vas aureum & imple illud manna, & abscondes illud in Arca fœderis, & conseruetur ibi in generationes futuras, vt videant cibum, quem comedere feci vos in deserto annos quadraginta.* Si tanti fecisti Domine cibum illum corruptibilem, quẽ dedisti populo in deserto, vt volueris illum seruari ad perpetuam rei memoriam in veneratione; quanto apud nos in honore debet esse cibus incorruptibilis, qui dat vitam æternam his qui eum manducant? Manifestè video differentiam eandem, quæ est inter vnum cibum, & inter alterum, etiam esse inter vnũ beneficium, & inter alterum; & proinde debere eandem quoque esse inter vnam gratitudinem, & alteram. Ille cibus erat terrenus, hic cælestis: ille corporis erat, hic animæ: ille non dabat veram vitam mãducantibus, hic verò dignè sumentibus est vita æterna. Sed quid comparationem hanc vnius ad alterum instituo? quæ enim differentia est inter Creatorem & creaturam, eadem est inter hunc & illum cibum. Si itaque tu Domine talem memoriam & gratitudinem popposceris, eo quod populum tuum cibo corporali & corruptibili nutrieris; quam requires à nobis, quos cibo nutris tanto meliori, quantũ Creator præstat creaturæ? Non est laus, non est gratiarum actio, quæ digna sit hoc beneficio. Cùm itaque diffidam de viribus & facultatibus meis, nec viam, modumque inueniam vllum soluendi quod tibi debeo, nõ est mihi aliud remediũ reliquum, quam accipere cũ Propheta calicẽ salutaris, & inuocare nomen Domini, id est, non remunerare beneficia præterita, sed petere noua, & gratiam supra gratiã postulare. Oro itaque, Domine, vt concedas mihi hoc Sacramentũ accipere in satisfactionem omnium peccatorũ meorum, & ad perfectam emendationem vitæ meæ. Per illud reparetur in me quidquid collapsum est, quidquid mihi deest suppleatur, & paupertas mea diuitijs gratiarum tuarum ditetur. Virtute huius Sacramenti mortifica in me, quidquid diuinis oculis tuis displicet, & fac me conformem tuæ voluntati. Largire mihi Domine, vt per mysterium hoc semper in te perseuerem, teque amem perfectè & perseueranter, vtque semper tibi vnitus & coniunctus maneam, pro gloria & honore sanctissimi nominis tui. Propitius esto Domine omnibus peccatis meis: non meis tantùm, sed & aliorum. Fac Hæreticos & Schismaticos ad vnitatem Ecclesiæ redire: illumina infideles, vt te agnoscant. Succurre afflictis, subueni his qui in tribulationibus sunt: Adiuua omnes pro quibus orare sum obligatus, & hos qui se meis precibus commendarunt. Consolare patrem, matrem, fratres, & sorores, amicos & inimicos meos, cum omnibus qui mihi vnquam benefecerunt. Fac misericordiam cum omnibus illis, pro quibus pretiosum sanguinem tuũ fundere non dubitasti. Da gratiam viuis, & requiem defunctis. Tibi autem sit laus, honor, virtus, & gloria, qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

Exod. 16.

Psal. 115.

SEQVITVR, ALIA DEVOTA Meditatio, in qua sese non sine fructu exercebit homo die illo sacratissimæ Communionis, perpendendo magnitudinem beneficij accepti, & reddendo gratiarum actionem pro illo.

ET si omnes creaturæ, quæ in cælo sunt, Domine, & in terra, linguæ essent, etiã disertissimæ, omnesque promptæ essent ad obsequium meum mihique ad reddendam tibi gratiarum actionem operam suam offerrent, certum est, quòd ne pro minimo tuo beneficio dignas tibi gratias agere possemus. Quòd si ne pro minimo quidem beneficio gratias tibi sufficientes agere potero, etiam tot creaturarum choris mihi assistentibus & auxiliantibus; quid potero solus, pro tot beneficijs, ijsque infinitis modis maioribus? O Deus meus, ô Domine & Seruator mi, quas gratias tibi reddam? quas laudes dicam? quoniam hoc die voluisti me visitare, consolari, & honorare tua præsentia. Sancta illa mater Prodromi tui Ioannis, plena Spiritu sancto, quando per ostium domus suæ vidit intrantem Virginem, in cuius vtero tu, tanquam sponsus in thalamo, requiescebas, expauescens tantæ rei admiratione, exclamauit dicens: *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Quid itaq; faciam ego vilissimus vermiculus, omnium huius mundi peccatorum primus, & maximus? Intrauit ad me hodie hostia cõsecrata, in qua ipse Deus continebatur, qui ad me venit: quanto itaque maiori cum ratione & ego exclamare potero, & dicere; Vnde mihi hoc, vt non mater Dei, sed Deus ipse, Dominus & Creator omnium ad me veniat? Ad me, qui tanto tempore fui receptaculum & vas Sathanæ: ad me, qui toties hunc ipsum Dominum offendi: ad me, qui semper illum spreui, contumelia affeci, & crucifixi: ad me, qui toties illi fel pro suaui potu propinaui, quoties peccaui: cui toties ianuam cordis mei occlusi, quem toties à me repuli? Dignus itaque sum, qui meritò nunquam in posterum hunc Dominum accipiam, eò quòd tam turpiter eũ à me reieci: dignus sum, qui nunquam posthac ad cœnam eius admittar, quoniam venire nolui cùm me vocauit. Luc. 1.

Sed quare ad me, ô Domine? Tu Rex Regum & Dominus dominantium, qui non eges vllus rei creatæ. Cuius sedes est cælum, & cuius regale scabellum est terra: cuius ministri sunt exercitus Angelorum, quem laudant stellæ matutinæ, in cuius manibus sunt omnes fines terrarum. Tu qui sedes super Cherubin, & intueris abyssos, id est, secretissima quæque, & mundo abscondita, penetrans tua sapientia altissima cum profundissimis. Tu Domine incomprehensibilis Maiestatis & magnitudinis venire voluisti hodie in locum tam humilem, abiectum, immundum? An fortè voluisti denuò ad Inferos descendere? an iterum manibus tradi nocentium decreuisti? aut iterum in stabulo bestiarum nasci & in præsepio reclinari, fœnoque aut paleis incubare? Idem sanè tibi animus, eadem voluntas, ni fallor, tibi nunc est, quæ fuit olim: quod enim semel fecisti pro peccatoribus, id quotidie facis pro eisdem. Et siue hoc, siue alio modo me visitaueris, semper id tuæ debebitur misericordiæ. Nunc autem non solùm visitasti me, sed ad me, & in me intrasti, in me manes, me in te transformas, & Vnum quid tecum facis, vnione quadam admirabili & supernaturali, quæ similitudinem & comparationem quandam habet cùm illa diuinissima & altissima communione, quæ est inter te & Patrem tuum. Quemadmodum enim Pater est in te, & tu in Patre; sic qui manducat te, manet in te, & tu in illo: quæ res potest esse mirabilior? Admiratus est quondam Rex Dauid, quòd Deus tanti faceret hominem. *Quid est*, inquit, *homo quòd memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum?* Mirabatur Dauid quòd Deus memor esset hominis; at ego miror quòd ipse homo pro homine factus est, ipse cum homine commoratus est, ipse pro homine mortuus est, seipsum homini manducandum dedit, & Vnum quid cum homine factus est. Mirabatur Rex Salomon, quòd Deus voluit habitare in templo, quod ille tot annis, tot sumptibus, Esa. 66. Psal. 8.

3.Reg.8. tot laboribus ædificarat, dicens; *Ergòne putandum est quòd verè Deus habitet super terram? si enim cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificaui?* Cæterùm multò magis admirandũ est, quòd idem cælorum Deus & Dominus alio excellentiori multò, & nobiliori modo in pauperculam & vilem animulam non exhorrescit venire, in eaque manere; quæ tamen vix vna die tota laborauit, vt sedem illi præpararet. Mirabatur olim totius mundi machina, & obstupescebant omnes creaturę, Deum videntes incarnatum, & hominem factum, descendentem de cælo, & nouem menses continuos in vtero Virginis recubantem. Nec iniuria. Erat enim hoc omnium mirabilium diuinorum maximũ, optimum opus Dei, & beneficium cum nullo alio comparandum. Sed vterus ille virginalis plenus erat Spiritu sancto, splendidior stellis cæli, purior Angelis Paradisi, virtutibus & gratijs magis adornatus, quàm cælum ipsum, quàm terra ipsa cum omni suo apparatu ornatuque, & proinde habitaculum illud erat dignum Deo, à Spiritu sancto præparatum. Sed quòd hic idem Dominus vult habitare in me, qui impurior cœno, aut quouis sterquilinio, qui obscurior sum nocte, & quauis cloaca immundior; quis hoc non ad stuporem vsque admirabitur? Esto, per infinitam bonitatem illius nunc lotus sim; aqua gratiarum illius mundatus sim; Sacramentis illius sanctificatus sim; anne adhuc summa est misericordia, quòd Dominus omnis puritatis, fons candoris & munditiei non abhorret à loco, qui tanto tempore immundus, sordibus & stercoribus, quibus scatebat, penè computruerat? Quem Principum aut Magnatum non præter modum offenderes, si ad mensam eius adferres vas seruitijs nosocomij destinatum, in quo vomitus ægrotantium excipi consueuit, etiam si laueris & mundaueris illud sæpius, vt intus & foris instar niuis candidum esse videatur; Memoria enim præteritarum sordium fastidium confestim parit intuentibus. Quàm immensa itaque est, ô Domine & Saluator mi, tua misericordia, qui non exhorrescis, etiamsi inter alia vasa electionis, ponatur in mensa tua vas corruptionis & putredinis, quò minùs in eo & ex eo comedas. Etsi enim nunc tua gratia mundatum est, remanet tamen in illo recens peccatorum memoria, & pestilens odor, reliquiæ, fæces, & vestigia quæ difficulter ex anima eluuntur. Quomodo itaque tam benignè pateris, vt tale vas in mẽsam tuam inferatur, sitque hierotheca, in qua consecrata illa Hostia recondatur? O Domine, tibi Angeli benedicunt pro tam immensa gratia, & pro tam infinita misericordia; pro tam excellenti opere, & pro tanto bonitatis tuæ argumento. Nemo iam amplius dubitat, sed fatentur omnes, te tuijpsius nunc maximè esse diffusiuum vel communicatiuum: cùm vsque adeò temetipsum humiliaueris, atque omni iuri tuo lubens renunciaueris, tantùm vt nobis beneface-
Simile. res. Nunc abundè satis liquet, quantus sit amor tuus erga genus humanum. *Charitas* enim (vt ait Apostolus) 1.Cor.13. *non est ambitiosa, nec quærit quæ sua sunt*; quia tu non fastidis rem tam sordidam & immundam, qualis est cor hominis peccatoris.

Sed quid tandem erit, si prædictis omnibus adiunxerimus illud, quod admirabile hoc Sacramentum significat & operatur? O quantam lætitiam, & quàm nouum gaudium parit mihi hoc mysterium? Confirmat me in nomine tuo, & contestatur mihi, quòd Pater meus es, & non solùm Pater, sed etiam dulcissimus Sponsus animæ meæ. Scio enim Domine proprium huius Sacramenti effectum, ob quem institutum illud, esse sustentare, & delectare animam spirituali quadam voluptate, & vnum quid eam tecum facere. Quod si ita sit, & ex operibus iudicetur cor; quod quæso cor est, de quo talia bona procedũt? Vnio enim vel copula propriè cõiugum est, nec dulci amplexuum obsequio domini fruitur seruus, nec filius patris, nisi paruulus is sit, tenellus, & vehementer à patre adamatus: sed sponsæ hæc propria sunt, cui oscula & amplexus sponsi debentur. Patris est non tantùm ea procurare filio, quæ ad vitam sustentandam pertinent; sed etiam quæ ad æstimationem eius & honorem, quæ ad viuendi commoditatem & oblectandi se, rec eandique facilitatem faciunt. Talis tantusque amoris effectus, quantus hic est, mundo restabat detegendus, & ad tuum aduentum, lætique Euangelij tempus reseruabatur. Cùm itaque in alijs Sacramentis & beneficijs tuis ostendas te Regem meum esse, te Saluatorem, Pastorem, Aduocatum, Medicum, Magistrum, Tutorem, Redemptorem, Defensorem, & vt simul omnia dicam, te Dominum meum & Deum meum esse: in hoc tamen solo Sacramento (in quo supernaturali quodam modo animæ meæ cõiungeris, vniris, & admirabili quadam voluptate eandem consolaris) apertissimè demonstras, te Sponsum meum, & Patrem meum esse; nec qualemcunque Patrem, sed talem qui tenerrimè filium diligit: quemadmodum Iacob diligebat Benjamin, super omnes fratres illius. Illud mihi Sacra- Genes.44.
mẽti huius effectus testatur, hæc bona noua mihi annunciat. Non fallunt, neque fucata sunt opera tua; sed quod foris pollicentur, intus habent & conferũt. Per hũc itaque effectum causæ bonitatem cognosco, per hoc opus cor tuum iudico, per humanam hanc tractationem tuam, perque benignam hanc tuam consolationem in certissimam cognitionem amoris tui, quo me complecteris, deuenio. Quod enim beneficium maius, quam maiorem gratiam, quam amoris maiorem hac significationem potuisti mihi commonstrare? O materia lætitiæ, ô fons voluptatis, ô vena virtutis, mors vitiorum, panis vitæ, medicina sanitatis, ignis amoris, refectio spiritualis, regale conuiuium, prælibatio totius felicitatis, satietasque cælestis. Quid itaque faciam Domine mi? quas gratiarũ actiones tibi reddam? quo cum amore te diligam? Si enim tu tantus Dominus me vilissimum abiectissimumque vermiculum amare non dedigneris, quomodo ego te altissimum, ditissimum, nobilissimumque animæ meæ sponsum, non redamabo? Amabo itaque te, Domine, desiderabo te, manducabo te, & bibam te. O amoris dulcedo, ô inæstimabilis amor dulcedinis, manducet te anima mea, & omnia interiora mea dulcissimo suauitatis tuæ liquore impleãtur. O Charitas immensa Dei mei, ô dulce mel, suaue lac, panis delectabilis, cibus magnorum, fac me crescere in te, vt dignè possim exultare, & gaudere de te. O satietas & dulcedo voluntatis meæ, ô amor & desiderium cordis mei, quare non totus ardeo amore tuo inflammatus? quare non sum totus instar candentis ferri in amorem transformatus, vt nihil aliud quæram præter purum putum amorẽ? O ignis cælestis, ô flamma dulcis, ô suaue vulnus, ô carcer voluptatis, quare catenis istis non sum cõpeditus? quare sagitta ista confossus non sum? quare igne isto nõ flagro, ita vt viscera mea in amore deficiant, & planè consumantur? Filij Adam, generatio cæca & errore multiplici fluctuãs, quid facitis? quo properatis? quid quæritis? Si quæratis amorem; ecce hic amor est nobilissimus, dulcissimus, & super omnia quæ in mundo sunt, venerandus. Si quæratis voluptates; ecce hic voluptas suauissima, fortissima, & castissima. Si diuitias sectemini; ecce hic thesaurus cæli, pretiũ mũdi, pelagus omnium bonorũ. Si honores ambiatis; ecce hic est Deus, & cum illo Maiestas totius diuinitatis, quæ venit ad æternos honores tibi conciliandum.

SECVN-

Secunda pars huius Meditationis.

AD sacratissimam hanc mensam admissus, & in amplexibus tuis, dulcissime Domine, requiescens, tanta voluptate perfusus, & tot beneficiorum vinculis constrictus, super omnia verò diuino amoris philtro correptus, in posterum renuncio omni delectationi, & amori externo propter amorem hunc. Mundus amplius meus non erit, voluptatibus carnis posthac frui nolo, pompam seculi, eiusque vanitatem non sequar amplius; procùl recedant à me omnia falsa illa, & decipientia nos bona, solum verum illud & vnum bonum apud me commemorabitur. Qui enim manducat panem Angelorum, indignum est vt ille pabulo bestiarum vescatur: qui in sedem animæ suæ recepit Creatorem ipsum, quid necesse vt creaturas etiam recipiat? Si mulier tenuis fortunæ, & ex infima plebe nata Regi vel Magnati cuidam nupserit, actutum vilis eius habitus excutitur, ipsa mores, incessum, & gestus omnes humiles immutat, eaque assumit, quæ conueniunt eius gloriæ, cuius nunc coniunx est. Eodem modo si anima mea admirabili quodam matrimonio iuncta sit tantæ Maiestati, diuino hoc Sacramento interueniente, quomodo sese ad pristinam vilitatem poterit abijcere, humilisque & plebeiæ vitæ vestigijs insistere? quomodo poterit habere ianuas cordis mundo, & his quæ in eo sunt, apertas, qui ipsius mundi Creatorem in se habet commorantem? quomodo locũ dabit in anima sua rebus prophanis, cùm nunc tota consecrata sit & sanctificata præsentia diuina? Non admisit Salomon, vt filia Regis Pharaonis vxor sua habitaret in ædibus suis, eo quòd Arca Domini in illis aliquamdiu seruata fuisset, licet iam alio deducta, non esset amplius apud Salomonem. Si Sapiens ille Rex noluit vt propria coniunx, & coniunx tanti nominis, Regis Pharaonis filia, pedem in locum vbi Arca steterat, inferret, eò quòd Ethnica esset, & veræ veri Dei Religionis ignara: quomodo ego admittere potero, vt res prophanæ & seculares cor meũ subeãt, in quo Deus ipse moratur? quomodo admittam cogitationes & desideria hominum Ethnicorũ, ad lectũ in quo Deus ipse requiescit? Quomodo verba obscœna & vana proferet lingua, per quam Rex Regum paulò antè ad me intrauit? Si idem Rex Salomon atrium templi, eò quòd holocaustũ & sacrificium in illo fecisset, sanctificauerit; ne in posterum res in illo prophanæ tractarentur; quantò magis erit rationi consentaneum, vt & anima mea sanctificetur, ad quam nũc intrauit ille, quem omnia sacrificia & sacramenta legis antiquæ significabant? Quia verò hac benigna tua visitatione, Domine, animam meam tam opulenter ditasti, & honore tam celebri nobilitasti, tribue mihi quæso gratiam tuam concomitantem, cuius virtute & diuitias illas, & honores potero conseruare. Tu neminẽ soles honoribus impartire, cui non etiam auxilium addis gratiæ, quo cũ honores illos tueri potest & cõseruare: proinde quoniam & me honore præsentiæ tuæ dignatus es, obsecro te sanctifica etiam me tua virtute, ne fortè collatus mihi honor excidat. Sic enim soles facere in omni loco, ad quem ingrederis. Ingressus es virginalem vterum sanctissimæ Matris tuæ, & quomodo inæstimabili gloria illam exaltasti, sic etiam inæstimabilem gratiam illi contulisti, quò gloriam illam tueretur & conseruaret. Intrasti mundum hunc, vt cum hominibus conuersareris, & quemadmodum mundum tuo aduentu nobilitasti, ita & illum reparasti, atque illuminasti tua gratia. Ingressus es infernum, & infernum in paradisum conuertisti, beatos faciens tua gloria, quos honorauerat tua visitatione. Denique cùm figura Sacramenti huius, quæ fuit Arca fœderis, intrauit in domum Obededom Gethei, ex templo benedixisti Obededom, & omnem domum eius, volens hospitalitatem istam diuite præmio remunerare. Quia verò tuæ bonitati placuit Domine vile tectum animæ meæ subire, & ibidem diuersari, incipe quæso benedicere domui serui tui, & da mihi gratiam, vt honorem istum possim defendere, te dignum me faciens habitaculum. Placuit tibi Domine, vt ego essem quasi sanctum illud sepulchrum, in quo corpus tuum à morte fuit depositum: da mihi etiam habere omnes illius sepulchri proprietates, vt digno præstem obsequio id, cuius officium refero. Da mihi petræ firmitatem: da sudarium humilitatis; da myrrhæ mortificationem, qua cum appetitus meos prauos, & voluntatem rebellem occidam, vt tibi totus viuam. Placuit tibi vt essem quasi Arca fœderis in qua tu habitasti; da mihi gratiam, vt quẽadmodum pretiosissimum quod in Arca fuit monile decalogi fuêre tabulæ, ita & in corde meo nihil sit prius, nihil antiquius, quàm sanctissimæ legis tuæ desiderium & meditatio. Tu voluisti mihi in hoc Sacramento ostendere, quòd Pater meus es; vt filium enim me tractasti, & non filium qualemcunque, sed eum qui tenerrimè à patre suo diligitur: da mihi gratiam precor, vt huic tanto beneficio dignè queam respondere, amando te non solum fortiter, sed dilectione tam tenera, vt omnia viscera mea intus liquescant amore tui, & vt ad solam memoriam tui nominis animus & cor meum deficiant. Da mihi etiam spiritum & cor erga te filiale, qui est spiritus obedientiæ, reuerentiæ, amoris & confidentiæ, vt in omnibus meis tribulationibus ad te confugiam, tãta cum fiducia & securitate, quanta cum solet fidelis filius ad patrem recurrere, quem plurimum amat. Et super hæc omnia voluisti mihi palam in hoc Sacramento denunciare amorem Sponsi ad Sponsam, & tanquam Sponsus animam meam contrectare. Da itaque mihi Domine tale cor erga te, quod amet te amore tam fideli, & forti, vt nihil sit sub Sole, quod me possit à te segregare. Dulcissime Sponse animæ meæ extende brachia tua candida, & amore casto plena, tam arctè me constringe, vt nunquam nequa in vita, neque in more à te diuellar. Ad vnionem hãc formandam diuinum illud Sacramentum instituisti: sciebas enim multò securiùs tutiusque creaturam in te, quam in seipsa manere: qui enim in te manet, manet in Deo; qui verò manet in se, manet in debili creatura. Aquæ gutta, quæ sola est, & seorsim per se manet, breui tempore siccatur, & ab aere absumitur: in mare verò recidens, & manens iuncta suo principio, in suo statu manet aut semper, aut quàm diutissimè. Abducitaque me Domine à meipso, & recipe me in te: in te enim viuo, in me verò morior: in te sanus sum, in me verò infirmus: in te stabilis sum & constans, in me vacillo, & tanquam fumus euanesco. Ne discedas à me *Domine, mane nobiscum*, ô bone Iesu, *quoniam aduesperascit*: inclinat iam dies, & nox appropinquat; non vna nox, sed multæ noctes: approperat enim nox mortis, nox mundi, nox peccati, nox tribulationis, nox tentationis, & nox solitudinis cum absentia diuinæ gratiæ: omnes istæ noctes accelerant, vt irruant in nos, vt tenebris suis nos cooperiant; ne deseras neque derelinquas nos fidelis Custos hominum. Ab omni parte lux nos destituit, charitas refrigescit, crescit malitia, & quid nobis restat Domine, si etiã à te deseramur? *Væ nobis*, ait Propheta, *quia declinauit dies quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi*. Quia cùm vera lux, quæ est cognitio Dei & verorum bonorum, fugit, & nos deserit, succedit confestim vmbra falsarum & transitoriarum rerum, quæ magna videtur esse, & digna quam omnes meritò sectentur. Mane itaque nobis-

Simile.

1. Reg. 7.

2. Reg. 7.

1. Reg. 6.

Luc. 24.

Hier. 6.

nobiscum Domine, tu, qui es lux mundi, in qua singula qualia sunt videntur, & cuiusque rei natura cognoscitur: ne forte imitemur illos, qui malũ dicunt bonum, & bonum malum: ponentes dulce in amarum, & amarum in dulce. Magna mihi profectò felicitas accidit hodie, qui te summum bonum in hospitium animæ meæ excepi, & in cubile cordis mei introduxi: nunc enim optima mihi est occasio tecum secretè de rebus salutis meæ agere, audire tua consilia, & tua sequi decreta. Sed non immeritò turpissima notabor ignominia, si tantam commoditatem frustra mihi excidere patiar, aut intercipi. Non te relinquam Domine, tecum ego tota nocte luctabor; nec dimittam te, nisi benedixeris mihi. Muta Domine nomen meum, & da mihi nomen nouum, id est, spiritum nouum, cor & modum viuendi nouum: tange neruum femoris mei, & obstupescat pes vnus, altero incolumi & integro permanente. Claudicet in me amor huius mundi, sano autem & integro pede stet amor tuus, vt extinctis & interfectis in me omnibus alijs amoribus, & desiderijs; te solum diligam, te solum desiderem, te solum cogitem, cũ te solo permaneam, & in te solo habitem; tibi soli viuam, in te omnis voluntas & cogitatio mea firmetur, ad te in omni tribulatione mea confugiam, à te omne solatium & auxilium accipiam; & denique tu Domine totus sis meus, & ego totus sim tuus: Qui viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

Esa. 4.

Genes. 32.

FINIS LIBRI TERTII.

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANÆ,

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS:

LIBER QVARTVS.

IN QVO CONTINENTVR DVÆ PRÆcipuæ Regulæ ad bene viuendum.

PROLOGVS.

POstquam homo ex toto corde ad Deum conuersus est, animamque suam beneficiorum duorum Sacramentorum, de quibus iam diximus, purgauit: necesse est vt statim omnem solicitudinem, omnemque diligentiam eò conuertat, vt vitam suam emendet, ordinemque bene viuendi sibi præscribat, de quo modo in sequentibus Regulis tractabimus.

Quoniam verò sicut natura in suis operationibus à minoribus ad maiora procedit, hoc est, à minus perfectis ad magis perfecta: ita etiam communiter & gratia procedit: quapropter & nos eundem modum procedendi in hac doctrina seruare volentes, decreuimus hic duas Regulas seu modos viuendi præscribere: vnam pro illis, qui iam primùm Deo seruire incipiunt, & ad salutem æternam aspirant: aliam pro illis, qui ad maiora contendunt, & iuuari cupiunt, vt de die in diem vlterius in via virtutis progrediantur.

Pro manifestiore huius cognitione sciendum est, quòd vniuersa bene viuendi doctrina diuiditur à Propheta Regio in duas partes principales; quarum vna est, Declinare à malo: Facere bonum, altera: hoc est, vna in expellendis & extirpandis ab anima cunctis vitijs: & altera in plantando, & animam omnibus virtutibus exornando. Hæc est euidentissima, perfectissimaque diuisio quæ dari potest in hac materia. Harum enim duarum partium obseruantia homo eò venit, vt renouetur, cùm fit noua creatura, destruendo priori parte imaginem terreni, veteriúque Adæ, & reformando posteriori illam noui, hoc est, Saluatoris nostri Iesu Christi. Fit etiam eodem modo homo supernaturalis, & diuinus: Cum enim homo creatus sit ad finem supernaturalem & diuinum, qualis est videre Deum in ipsa eius gloria, & pulchritudine: etiam vita, quæ disponit ad huiusmodi finem, debet esse supernaturalis & diuina: cùm secundum regulam Philosophorum, finis & media eiusdem sint ordinis & proportionis.

Psal. 33.

Arist. 2. Phys. c. 23.

Cum

Cum itaque in exercitio & praxi vitæ, doctrinæque spiritualis hæc duo semper coniuncta sint, (non enim possunt superari vitia sine virtutum auxilio) nos etiam de vtroque tractabimus: vnum tamen ab altero pro maiori distinctione quantum fieri potest separantes.

Admonendus etiam hoc loco est Lector, inter illa quæ tam in hac regula, quàm in alijs similibus doctrinis occurrunt, quædam esse præcepti, quædam consilij seu perfectionis: præcepti sunt ea, quæ mandat Deus, & sancta eius Ecclesia: consilij verò ea, quæ in sacra & diuina Scriptura tanquam salutaria consilia præscribuntur, aut proponuntur: quæ conducunt ad exactiorem præceptorum obseruantiam, maioris que gratiæ adeptionem. Hoc autem valdè necessarium est, vt præmittatur: tum vt homo sciat quid sit necessitatis, quid voluntatis: tum etiam vt intelligat quomodo ad singula est obligatus, atque vt plus diligentiæ ponat in his quæ sunt necessitatis, quàm in ijs, quæ sunt voluntatis: neque vt vnum propter aliud prætermittat, sicut nonnulli faciunt, qui mihi grauiter errare videntur. Ideoque in principio huius regulæ statim paucis verbis dicemus, ad quid obligati sumus: inde multa alia subijciemus, quæ ad obseruantiam illius prosunt, & ad maiorem perfectionem acquirendam conducunt. Quamuis enim sufficit ad salutem præceptorum obseruantia: quia tamen homini in via Domini nequaquam illa satis esse debet, ideo multa alia subnectemus illis prioribus necessarijs: in gratiam eorum, qui iuuari, & in omni virtute semper crescere cupiunt.

REGVLA PRIMA.

PRO TYRONIBVS, QVI INCIPIVNT DEO IAM PRIMVM seruire, & cupiunt saluari.

DE VICTORIA CONTRA PECCATA, ET DE REmedijs eorundem.

CAPVT I.

QVI verè & ex toto corde Deo seruire cupit, animamque suam saluare, is sciat oportet, summam huius negotij tam ardui (in cuius comparatione omnia negotia reliqua, sint licet de vniuersi orbis terrarum imperio, quasi nulla sunt) in vno solo essentialiter consistere; vt nimirum quis habeat in animo firmum & immutabile propositum, nolle pro quacunque re mundi, non propter diuitias, non propter honores, non propter ipsam vitam, aut aliam rem similem, vel vnum peccatum mortale committere. Vt quemadmodum honesta matrona, & fidelis Centurio vel miles certò sibi statuerunt, malle potiùs mori, quàm tradere suum Regem, illa suum maritum; non aliter bonus Christianus firmiter secum statuere debeat, nolle vnquam suum Dominum & Deum prodere: tunc autem prodit homo Deum, cùm peccatum mortale committit. Ratio est, quia teste Paulo, *Finis præcepti Charitas est*: cui nihil tam ex diametro repugnat, quàm peccatum mortale. Igitur qui mortaliter non peccat, is legem charitatis essentialiter implet.

Vno proposito opus est.

Simile.

1. Tim. 1.

Probatur idem responso, quod Saluator reddidit iuueni sciscitanti, quid faceret vt vitam æternam possideret? cui respõdit Christus, Mandata Dei seruare; ostendens viam & medium ad æternam vitam perueniendi, esse mandatorum diuinorum obseruantiam. Porrò & hoc manifestum est, neminem, qui seruat mandata, peccatum mortale committere: non est enim peccatum hoc aliud, quàm mandatorum Dei præuaricatio. Ex quo infertur, in eo solo essentialiter (vt diximus) consistere diuinę legis obseruantiam, hominisque salutem, vt firmum teneat propositum, nunquam peccatum aliquod committendi, quod consistit in transgressione alicuius decem præceptorum Dei; aut eorum, quæ ab Ecclesia (quæ eius locum tenet) præscripta sunt, quorum communiter quinque numerantur. Dicimus autem hoc, vt Christianus sciat septem illa, quæ mortalia peccata vulgò dicuntur, non semper esse mortalia, nisi habeant adiunctam præuaricationem alicuius supradictorum mandatorum: vt exempli gratia, si

Matth. 19.

Peccatum quando mortale.

Gula tanta sit, vt violetur ieiunium Ecclesiæ, & homo teneatur illud obseruare: cùm Acedia tanta sit, vt propter somnum omittat audire sacrum, quo tempore ad id obligatus est: & Ira tanta, vt in verba iniuriosa, aut proximo damnosa prorumpat: & sic similiter de alijs.

Hæc itaque summa est eorum, quæ facere debet Christianus: & hoc ad salutem sufficit. Sed vt id bene, & integrè seruetur, multæ sunt difficultates, propter laqueorum multitudinem, & periculorum magnitudinem, quæ sunt in hoc mundo; propter rebellionem quoque carnis, & continuas tentationes inimici. Opus est igitur homini subsidio multarum aliarum virtutum, magnaque diligentia, vt perueniat ad id, in quo consistit clauis totius negotij. De illis autem nunc agere proposuimus, demonstrando breuiter ea, quæ ad finem hunc conducunt.

Multa ad seruandum bonum propositum conducunt.

Inter omnia, quæ bonum propositum stabiliunt, est consideratio turpitudinis & malitiæ, quæ est in peccato mortali: cùm id committatur in Dominũ, à quo tam magna atque inæstimabilia beneficia recepimus, & cui tot titulis & nominibus sumus obligati. Est enim Rex & Dominus omnium rerũ creatarum, principium & finis omnium, largitor vniuersalis omnium bonorum, pelagus omnium perfectionum; Creator, Conseruator, Redemptor, Sanctificator & Glorificator generis humani. Ob quæ beneficia cum alijs infinitis, illius ministerio, cultuique nos cum omnibus nostris tenemur obstricti. Qui autem vel vnum peccatum mortale committit, infidelis est, & vinculum obligationis frangit. Ex quibus Gulielmus Parisiensis concludit, in vno peccato mortali quodammodo spiritualiter omnes turpitudines, omnium mundi peccatorum inueniri. Est igitur, vt ille ait, peccatum spiritualis proditio: deficit enim homo per illud à proprio suo Rege & Imperatore, traditque claues fidelitatis promissæ (hoc est, animam suam) hosti, eiusque fiduciarius cliens constituitur. Est itidem sacrilegium: quia peccando contaminatur, & prophanatur viuum templum cordis nostri, quod Deo erat consecratum. Est & Apostasia: recedit enim homo per peccatum à Deo, & tran-

I. Consideratio turpitudinis peccati.

Guil. Paris.

Peccatum est proditio.

Peccatum est sacrilegium

Peccatum est Apostasia Est & adul-

terium. Est & furtũ

& transit ad inimicum eius Diabolum. Est spirituale adulterium: anima enim Deo desponsata, per peccatum datam Creatori fidem violat, & cum creaturis fornicatur, quas inordinato amore diligit. Est spirituale furtum: cum enim tot nominibus, vt diximus, homo Deo debeatur, cùm subtrahit se diuino cultui, & seruit creaturis, quod Dei erat furatur, & dat alteri. Denique cum in vno solo Deo inueniantur omnia nomina, & honorum tituli, qui in omnibus alijs cuiuscunque conditionis creaturis sparsim inueniuntur, idq; infinitis modis præstantiùs, liquet manifestè, solam Dei offensam omnes huius mundi offensas, eadem cum eminentia continere. Quare magna cum ratione sanctus quidam Doctor contra peccatum exclamat: O malum incognitum, ô irreuerentia Dei, ô eius maiestatis contemptus, eius magnitudinis despectio, virtutis mors, gratiæ gladius, summi boni priuatio, æternę felicitatis amissio, intellectus tenebræ, voluntatis præuaricatio, Dæmoniorum venenum, inferni vinculum, mundi ruina, via perditionis, mors eorum qui peccãt, semen Diaboli, porta barathri infernalis, hominum amentia, rete illorum qui tentantur, animarum pestilentia, malorum spirituum imitatio, obscuritas horribilis, fœtor intolerabilis, summa turpitudo, extrema vilitas, bestia ferocissima, damnum incomparabile, vniuersalis denique causa malorum omnium.

Nota hoc loco varias peccati proprietates.

Hæc consideratio est vna ex primarijs, quæ possunt hominem ad odium internum horroremq; peccati permouere. cùi etiam proposito poterunt deseruire ea, quæ supra in materia de Pœnitentia, libro secundo posuimus: vt sunt, quanta per peccatum amittimus; quàm grauiter peccatum odit Deus magna iniuria, qua Deus per peccatum afficitur: cũ reliquis omnibus, quæ isto loco tradidimus, vt hominẽ ad dolorẽ & detestationem peccati adduceremus: omnia illa non minùs huic loco, quàm illi conueniunt: sed quia illic à nobis exposita sunt, non est necesse hic ea repetere.

II. *Peccandi occasiones studiosè vitandas esse.*

Secundum, quod ad hunc effectum promouendum facit, est, vt homo prudenter fugiat peccatorum occasiones, quales sunt suspecta loca, periculosæ conuersationes, multiloquia, liberiores ioci, ludi inhonesti, obtutus defixi, nimia cum hominibus familiaritas, maximè fœminarum, quantumuis sint honestissimæ. Nam si homo per peccatum adeò debilitatus sit, vt à bono sponte cadat, & peccet, licet exteriùs ab altero ad peccandum non prouocetur: quid fiet, si etiam reste occasionis trahatur, dum obiecti præsentia, & peccandi opportunitate inuitatur; cùm verissimum sit, quod dicitur, in thesauro aperto etiam peccare iustum?

Debet igitur verus seruus Dei semper & vbique totis viribus contendere, vt omnes harum occasionum species fugiat, id certò sibi persuadens, hominem (regulariter loquendo) tam diu esse bonum,
2. Reg. 11. quàm diu fugit mali occasionem. Memento Dauid dem fuisse sanctissimum, vno tamen mulieris intuitu, vna peccandi occasione in tantum præcipitium esse delatum, vt eius recordatione tota vita lachrymatus sit. Memento illius filij Salomonis, qui cum sapientissimus esset omnium mortalium, & à Deo
Eccl. 13. tã tenere adamaretur, vt *Dilectus Domini* sit appellatus: familiaritate fœminarum seductus est. Non obstante namque præcepto Domini, quo prohibitum erat Iudæis, ne vxores acciperent filias alienigenarum, ne fortè ab ijs corrumperentur, & Deos
Exod. 34. alienos adorarent: ille se longè ab hoc periculo remotum existimans, multas alienigenas sibi desponsauit, quarum persuasione ad idola perductus est. Deos alienos adorauit; ijsq; magnifica templa ex-
3. Reg. 11. truxit: ob quod peccatum non ipse tantum; sed totum illius perijt regnum. Si tantum valuerit occasio in duobus illis Regibus, vno sanctissimo, altero sapientissimo; quis securum se esse arbitrabitur, qui non fugit occasiones?

Fuge igitur, mi frater, peccandi occasiones, non minùs quàm ipsa peccata. Quod si desiderium & appetitus occasionis alicuius animum tuum titillet, respondе illi, & dic; Si non potes nunc resistere & superare occasionis appetitum, quomodo poteris vincere periculum, quod ex illa orietur, si etiam armetur & robustius fiat occasionis accessione? Animaduerte præterea, quod periculo se exponere absq; necessitate non sit aliud, quam Deum tentare, nec diuino dignum auxilio hunc, qui non facit, quantum in se est, vt illud mereatur.

Inter omnes autem occasionum species, vna est vsitatissima, societas nimirum vel conuersatio malorum: mundus enim hic hominibus peruersis adeò plenus est, vt ad singulos lapidum iactus huiusmodi commercia reperiantur. Talia verò consortia fugiat, qui desiderat non peccare: illa enim est contagiosissima omnium quæ reperiuntur pestilentia: non sic nocet canis in rabiem actus, nec venenosa vipera quàm mala societas: certum enim est, quòd (sicut dicit Apostolus) *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Exaret in corde suo seruus Domini verba Salomonis: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: Amicus stultorum similis efficietur.* Et illud Ecclesiastici; *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui cõmunicauerit superbo induet superbiam.* Hæc diligentia propria est parentum, & præceptorum: horum enim officium est, vt aduigilent; ne discipuli sui malorum contubernio corrumpantur: illorum, ne filij à consortio malorum seducantur, & ne vtrique vno die plus in disciplina morum per sociorum corruptelam deficiant, quam anno integro suo studio proficiant.

1. Cor. 15. Prou. 13. Eccl. 13.

III. *Statim tentationes expellendas.*

Tertium, quod ad hoc conducit, est, vt statim, cùm tentationes ingruunt, & iam sentiuntur, in ipsis initijs repellantur; & opprimatur scintilla malarum cogitationum, priusquam cor accendat: tunc enim cum vtilitate & merito tentationes suffocantur, minimoque labore & molestia. Quod si homo tardior sit in hoc opere, moramque in tentationibus concedat, iam tentationes inualescunt, crescit labor, & victoria subinde frustratur: atque in eo iam nouum peccatum committitur, quod vt minimum semper est veniale, non rarò etiam mortale. Vides nullo negotio flammam extingui, cùm primùm nascitur; & *Simile.* plantam facilè extrahi vel euelli, quæ non ita pridem est plantata: vbi verò longiore mora flamma vires acquisierit, & plantæ tam radices obfirmatæ fuerint; iam illa difficilè extinguitur, & hæc vix maximo cum conamine extrahitur. Facile defendi potest ciuitas, antequam hostes eam ingressi sunt: qui vbi introierunt, & in ea sedem suam firmarunt, inde non nisi cum maxima difficultate possunt expelli. Saxum quoque (vt Philosophus quidam ait) cum in montis vertice iacet, potest ibidem facili negotio detineri, ne cadat; vbi autem cadere iam cœpit, & in motu est, vix magnis viribus à casu remoratur. Ad eundem modum facillimo negotio malæ cogitationes vincuntur, si in initio cum summa diligentia & celeritate ijs resistamus, antequam radices agant, & in corde nostro possessionem capiant.

Modus autem conuenientissimus ijs resistendi est, statim ante oculos animæ statuere figuram Christi crucifixi, cum ijs doloribus & pœnis, quas ipse in cruce pertulit: omnes sanguinis riuos, plagas, & vulnera omnia, quæ in eo fuerunt animo versare, & cogitare omnia hæc Christum passum, vt peccatum

Remedium contra malas cogitationes.

destrue-

destrueret: denique toto ad illum corde conuerso dicere: Domine mi, tũne hic pendes in tantis pœnis & doloribus, vt me à peccatis liberes, & ego iterum te ausim offendere? Ah mi Domine, ne patiaris hoc oro per infinitam tuam misericordiam, & per pretiosissimum illum pro me sparsum sanguinem: da mihi auxilium, & ne derelinquas me: hostes potentissimi in me inermem & debilem irruunt, nec est alius qui pugnet pro me, nisi tu Deus meus.

Oratio.

Proderit etiam nonnunquam, cùm homo solus est, si se munierit signo Crucis, eoque cor suum insignierit, vt signo illo motuque exteriori facilius repellat cogitationem interiorem.

Bernard.

Scribit S. Bernardus de sanctimoniali quadam sui temporis, quæ id frequenter faciebat, quòd postquam sepulta, & post aliquot annos eius sepulchrũ apertum fuisset, visus est digitus ille, quo cum Crucis signum cordi imprimere solebat, integer & incorruptus, toto reliquo corpore absumpto. Scribit & alius quispiã Doctor, in vrbe Argentinensi mortuum Priorem quendam Ordinis Dominicani, qui idem pro more habebat. Eius sepulchrum cùm post aliquot annos aperiretur, inuenta est in osse pectoris, quod cordi superincumbit, forma Crucis quasi sculpta, cuius pes erat acutus, & alia tria brachia, quasi in lilia tria candida desinebant: quo miraculo Deus significare voluit, puritatem, munditiam, & castitatem sanctæ illius animæ, virtute memoriæ, & signo sanctæ Crucis, quo ille multoties pectus solebat munire, vt tentationes Dæmonis abigeret, conseruatam esse. Idem Doctor qui conscribit hoc miraculum, asserit, se tantæ rei nouitate excitum, 40. milliarium iter arripuisse, vt signum hoc videret, & se vidisse suis oculis affirmat. Quia verò Dominus his duobus miraculis voluit significare, quantopere honoret eos, qui honorant suam Crucem: nos omnes idem facere meritò debemus, vt fauorem illius hoc modo nobis comparemus.

IV. Vesperi conscientiam examinãda.

Quartò bonum propositum renouatur, si homo quotidie, priusquam somno se dat, conscientiam suã diligenti scrutinio discutiat, videatque quid opere, verbo, cogitatione, vel alio quocunque modo peccauit. Particulariter autem videat, quibus in rebus lingua lapsus est, an mentitus sit, an creaturas Dei Dæmonio deuouerit, an blasphemias, diras, calumnias, vel detractiones locutus fuerit: an inhonesta vel aculeata verba protulerit, & similia. Quantum ad cogitationes, perpendat qua cum diligentia malis cogitationibus restitit, an in ijs aliquandiu commoratus sit, an ijs sese oblectauerit, an vti fieri debebat instar scintillarum ignis infernalis eas à se reiecerit. Consideret an officio suo satisfecerit, an pensum suum accurauerit, an quæ domus, quæ familiæ sunt, rectè & debitè perfecerit, &c.

Euseb. Emis. Homil. 9. admona.

Probatur hoc consilium à multis Sanctis, atque inter alios ab Emisseno Eusebio, in quadam homilia his verbis: Ideo ipsi nosmetipsos castigemus: quotidie ipsi nobiscum rationem de quotidiana conuersatione faciamus. Alloquatur se insecretis cordis vnaquæque anima, & dicat: Videamus si hunc diem sine peccato, sine inuidia, sine obtrectatione ac murmuratione transegi. Videamus si hodie aliquid quod ad profectum meum, quod ad ædificationem aliorum pertineret, operatus sum. Puto quòd hodie illum incipientem destruxi, hodie seniori meo inobediens fui, mentitus sum, peieraui, ira vel gula victus sum, plus hodie risi, plus cibo & potui, plus otio ac somno, quam decebat, indulsi: minus legi, minus oraui, quàm debui. Quis mihi reddet hunc diem, quem fabulis in vanis perdidi? Ac sic fratres de omnibus negligentijs nostris compungamur in cubilibus, id est, in cordibus nostris. Hæc ille.

Neque hoc examine contentus sit homo, sed adiungat ei specialem aliquam pœnitentiam, secundũ peccati qualitatem, vt in posterum tantò diligentiùs se à peccato simili abstineat. Noui personam quandam, quæ post vespertinum illud examen, inuento in verbo aliquo peccato, vinculum linguę pro pœnitentia injiciebat: alium quoque, qui tam pro illo, quàm pro quocunque alio delicto durissimam capiebat disciplinam, & præter hanc satisfactionem multò magis in anima castigabatur, vehementer metuens simile quid in posterum committere.

Iuuabit etiam proponere velle singulis septimanis vnum peccatum particulare superare: quod vt meliùs fiat, semper stimulum penes se habeat homo, qui huius eum propositi admoneat, vt in nudo corpore aliqua re cingatur, quæ molesta sit, vt pœnã faciat eum officij memorem, ne priusquam perfecerit, quod proposuit, desistat.

Nec turbari, vel desperare debet homo, si subinde cadat: imò si millies cadat vno die, millies eodem resurgat, sperans in ineffabili Dei bonitate & misericordia. Nec animum abijciat, si videat se passiones aliquas omnino superare non posse: sæpe enim post aliquot annos vincitur, quod longo tempore vinci non potuit; vt homo dilucidiùs videat & agnoscat, vnde sit hæc victoria, Sed & Dominus nonnunquam vult, vt maneant aliqui Iebusæi in terra promissionis; hoc est, aliquæ passiones & tentationes in anima nostra, cùm ad virtutis exercitium, tum etiam ad humilitatis conseruationem. Præterea cùm homo mane surgit, armetur noua aliqua oratione & proposito, contra illud peccatum, vel illa peccata, ad quæ se magis sentit propendere, eique parti magis aduigilet, vbi maius metuit instare periculum.

Quare Deus non vult nos omnino à passionibus liberos esse.

V. Peccata venialia vitãda.

Quintò iuuabit hoc propositum, peccata quoque venialia, quàm diligentissimè fieri potest, euitare: ea namque ad mortale disponunt. Quemadmodum illi, qui mortem vehementer metuunt, quantum sieri potest operam dant, vt valetudinem conseruent, & infirmitatem fugiant, quæ ad mortem ipsam disponit; sic etiam illi, qui peccata mortalia (quę mors animæ sunt) cupiunt declinare, debent fugere, in quantum possunt, ipsa venialia, quæ quasi animæ morbi sunt, & viam sternunt ad mortalia. Ego in ea opinione sum, neminem iustorum (communiter loquendo) qui aliquandiu bene vixit, & in gratia perseuerauit, labi in peccatum mortale, nisi qui negligenter semetipsum custodit, & priùs in multa lapsus est peccata venialia, quibus virtus animæ est debilitata, & promeritus est vt Deus manum suam aliquantulum ab eo retraheret. hanc esse inquam existimo causam, cur talis subitò in tentationem lapsus, ab eaque superatus est. Vix enim aliquis, aut subitò fit malus, aut subitò bonus euadit: sed tam malitia, quàm bonitas suos habet gradus, quibus à minoribus ad maiora ascenditur & descenditur. Ideò dicitur in Iob, quòd faciem inimici præcedit egestas. Priusquam enim anima labitur in peccatum mortale venit paupertas, & debilitat eam negligentia atque peccato veniali.

Simile.

Nemo moritur taliter peccat nisi qui venialibus peccatis locum prius dedit.

Iob. 41.

Sed & hoc constat, quod Saluator dicit in Euangelio, *qui in modico est fidelis, supra multa cõstituetur*, & qui diligens est in vitandis peccatis minoribus, etiam erit talis in maioribus. Per peccata autem venialia hic intelligimus otiosa verba, inordinatum risum, præter modum edere, bibere, domire, & similia: quæ etsi magna mala non adferunt, magnum tamen est bonum quod impediunt: obsunt enim deuotioni, & charitatis seruori, quæ facit hominem solicitum, & in cultu diuino diligentem.

Luc. 16.

Sextò non parum in hoc proderit, si caro duriùs *VI.*

Carnem durius tractandam.

tractetur in edendo, bibendo, dormiendo, vestiendo, similibusq; rebus. Cùm enim caro sit quasi fons & incentiuum omnium passionum, & inordinatorum appetituum; quantò erit illa debilior, tantò etiam debiliores erunt passiones, quæ ex ea generantur.

Simile.

Quemadmodum enim in terra sicca & sterili nascuntur plantæ aridæ & pallidæ, nec multum succi habentes; econtrario verò in terra fertili & pingui, maximè si subinde irrigetur, & stercoretur, plantæ crescunt pinguiores, lætiores, & viridiores: tales etiam sunt passiones & appetitus, qui de corpore extenuato, longaque abstinentia macerato proficiscuntur, & illi qui de corpore crasso, & delicijs enutrito, multòque potu & cibo incrassato deriuantur. Qui igitur cupit malos appetitus atterere, & debilitare, operam det, vt prius causas ipsas præscindat.

Manifestum etiam est, carnem hanc esse virtuti omnium infestissimam inimicam: violentia namque suorum appetituum, & desiderio suarū deliciarum, impedit omnia bona exercitia, vt sunt, Oratio, Deuotio, Silentium, Lectio, Ieiunium, & Vigiliæ, cum omnibus alijs. Si itaque assuescamus ei obedire, & appetitibus eius satisfacere, porta omnibus bonis exercitijs occludetur: sin illi didicerimus reluctari, ei fomenta subtrahere, & cum vitiosis affectibus eius pugnare; parta iam victoria, & longo vsu pugnandi habitu iam acquisito, nulla amplius in

Virtus propter carnem difficilis.

virtute resistentia reperietur: non enim est Virtus per se difficilis, & aspera; sed propter carnis corruptionem. Sal itaq; & remedium contra carnem (ne malum exhalet odorem, neve computrescat, & vermes appetituum inordinatorum generet) est virtus abstinentiæ, quæ extenuat exiccatque illam, & spiritui subijcit. Abstinentia enim (vt inquit Doctor quidam) castigat carnem, extollit spiritum, deprimit passiones, satisfacit pro peccatis, & quod amplius est, radicem omnium malorum, quæ est concupiscentia, euellit: cum homo, qui paucis contentus est, non habeat occasionem desiderandi multa. Hæc virtus non tantum liberat ab alijs malis; sed etiam à peruersis cogitationibus, & inquietudinibus, quibus subiacent illi, qui cupiunt lautè haberi, & opiparè tractari: atque ita homo liber & expeditus soli Deo potest vacare. Et hanc ob causam sancti illi Patres in Ægypto adeò huic virtuti dediti fuerunt: nec alius spiritus fuit D. Francisci, qui tantopere laudauit paupertatem corporis & spiritus: tandem enim omnia in vnum recidunt, asperitas illorum, & paupertas huius.

Hanc itaque ob causam verus amator Dei cessare non debet, ne requiem dare oculis suis, donec ad hūc virtutis gradum peruenerit, hoc est, donec corpus

Caro quo modo tractanda.

suum non aliter atque infensum hostem, immanēq; tyrannū tractare nouerit; nō enim in veritate aliud est, quàm tyrannus: aut tanquam seruum infidelem, furem, & malè moratum, cui, vt aiunt, panis dari debet cum fustibus: aut saltem vt filium patre natum probo, honesto, & discreto, absque blanditijs, sed cum rigore, & asperitate; non illi præbendo vnquam vultum hilarem, & vim inferēdo naturali affectui, idq; propter bonum & vtile eiusdē filij. Hoc modo seruus Dei corpus suum tractare debet, & quamdiu ad hanc virtutem non peruenit, parum se profecisse existimet. O felix ille, qui ad hanc metam peruenit, qui sic mortificat corpus suum, qui illud sic trahit fame, sicum, lassum, malè tractatum, somno destitutum, & nutrimento: qui illud cum violentia facit seruire spiritui, qui istis artibus didicit propriam superare, atque vincere naturam. Qui enim hæc facit, non iam viuit secundum carnem & sanguinem, sed secundùm spiritum Christi: nec iam seruit sub lege, & tributo naturæ corruptæ, factus enim est iam liber, & ipsius naturæ dominus: nec iā dicendus est purus homo; factus enim iam est plus quàm homo. Quòd si hæc ita se habeant, ex ijs facilè colligitur mundi perditio, qui aliud nil cogitat, nil meditatur, nil somniat, quam vt corpus, quantum fieri potest, blanditijs, delicijs, & teneritudine educet & nutriat: cum tamen hoc vel maximè Christi repugnet spiritui, & Christianæ vitæ perfectioni.

VII. Linguam caute custodiendam.

Septimò debet, qui vult in bono proposito perseuerare, & in via virtutis progredi, linguam diligēter & caute custodire: ipsa namque Deum frequentissime solemus offendere, cùm lingua membrum valde præceps sit, & celerrimè mille genera verborum effutiat, quorum quædam sunt turpia, iracunda, ambitiosa, vana; quædam ficta, execrationibus, blasphemijs, murmurationibus, adulationibus, & similibus malis referta. Et idcirco dixit Sapiens: *In multiloquio non deerit peccatum.* & alibi; *Mors & vita in manibus linguæ.* Consulto igitur facturus es, si quotiescunque loquendum tibi erit de materia & cum persona tali, vt subsit periculum murmurationis, iactantiæ, mendacij, aut vanæ gloriæ, prius oculos ad Deum leuaueris, illi te commendaueris, & cum Propheta dixeris, *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis.* Nec non & quamdiu loqueris, diligenter ad singula verba attendas, non aliter atque ille, qui flumen aliquod per lapides periculosos, transuersos & lubricos transiturus est, solicitè cauet ne mergatur. Sed quia hæc materia copiosior est, eā proprio suo loco tractabimus.

Prou. 10.
Prou. 18.
Luc
Psal. 140.

VIII. Cor diligenter custodiendum.

Octauo promouebit plurimum hoc exercitium, si diligenter caueatur, ne cor inordinato amore rerum visibilium, vt sunt honores, diuitiæ, filij, parentes, amici, &c. capiatur: amor enim iste quasi causa est omnium peccatorum, tribulationum, tædiorum, passionum, tentationum, & inquietudinum, quæ in hoc mundo reperiuntur. Certissimū enim est, quod B. Gregorius dicit: Quemadmodum summa sapientia est in aucupe, scire quo genere ciborum singulæ volucres delectantur, ad quas captum exit, idemq; cibi genus illis proponere: sic præcipua cura aduersarij nostri Diaboli est, scire ad quod genus cupiditatis potissimum propendemus. Non enim ignorat, quòd (teste Poeta) *trahit sua quemque voluptas*; atque ibi tendit retia, quò scit nostra inclinare corda. Verum quidem est, homines habere rationem, qua reguntur: tamen plerique ductum suorum appetituum sequuntur: qui eam ob causam pedes animæ vocantur, eò quòd ducunt hominem quocunq; volunt. Huc etiam facit illud Augustini: Ponderibus suis aguntur omnia, & loca sua petunt. Pondus nostrum, amor noster, illo ferimur, quocunq; ferimur: si amor noster cælestis, ad cælum; si terrestris, ad terram. Denique quod pondera faciunt in horologio, id faciunt affectus in anima: & secundum illos mouetur. Qui vult vt horologium ordinatè moueatur, id curet necesse est, vt pondera sint bene proportionata: vt nec gratia nimis sint, aut nimis leuia, sed horę spatio accommodata: ita qui viuere vult ordinatè, ad id summa vi eluctari debet, vt affectiones habeat temperatas, & moderatas, quæ norunt vnūquodq; iusto suo pretio æstimare, ordinatoq; & conuenienti amore diligere. Vbi autē eò peruenerit homo, sciat se ad virtutis culmen peruenisse: cùm sciamus magnam virtutis partem in temperandis hoc proportionis genere affectibus consistere.

Gregor. Simile.
Virgil. Eclog. 2.
Affectus sunt animæ pedes. Augustin. lib. 13. Confess. Simile.

Transitoria quomodo amanda.

Cæterùm vt homo id facilius & conuenientiùs agat, in ea semper cogitatione & proposito versetur, vt non velit cor suum amori inordinato rerum visibilium applicare, imò cū contumax illud esse senserit, refrænet illud: non enim debent amari visibilia hæc plus quàm amari merentur; hoc est, amentur

vt pax-

vt parua, incerta, fragilia, momentanea, abstrahendo cor ab illis, & applicando illud summo, vnico, & vero bono. Qui tali affectu amabit temporalia, non contristabitur, cùm desunt: non contabescet ægritudine, cum auferuntur: non committet varia peccatorum genera, quæ solent in conquirendis, augendis, & conseruandis illis committi. In hoc totius negotij vitæ spiritualis summa consistit. Qui enim huic amori renunciauit, is facilè laqueos inimici euadet: qui verò nondum ei renunciauit, is certò sciat, se necdũ Christum imitari cœpisse. Hoc est illud quod copiosè docet apud Lucam Saluator, cum ait: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiẽdum: ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes. Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis Rex iturus cõmittere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decẽ millibus occurrere ei, qui cum viginti millib. venit ad se? alioquin adhuc illo longè agente, legationẽ mittens, rogat ea quæ pacis sunt.* Ex quibus verbis infert Dominus: *Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Cæterũ dic mihi quæsò, quomodo illud dictum Christi sequitur ex præmissis duab. iltis similitudinibus? Omnino enim prima fronte apparet, malam hanc & absurdam esse consequentiam, nec inter sese cõuenire, colligere pecunias ad turrim ædificandam, militesq; conscribendos, & renunciare, omnibus quæ possidemus, vnum enim est colligere, & alterum spargere: tamen comparatio est appositissima. Optimè namq; sciebat cælestis ille magister, in quem finem exercitus colligitur ad pugnandum, & thesaurus ad ædificandum: in eundem etiam ad ædificium & militiam spiritualẽ, paupertatem, omniumq; rerum contẽptum ordinari. Etenim quemadmodum Rex ille, quo numerosiorem habet exercitum, eò securior est ab hostium impressione: sic etiam quantò pauperior est homo, quantoq; ab omnibus rebus huius seculi nudior, tãtò minus opportunitatis habet antiquus humani generis inimicus illum inuadendi. Hanc ob causam D. Franciscus, & innumeri alij Sancti in hoc mundo tã pauperes & nudi vixerunt, vt nõ possidentes aliquid mundanum, non haberent aliquid cum hoc mundo negotij, nec mundus cum illis. Econtrario si homo mundanum aliquid inordinato prosequatur amore, Diabolus ei vno conatu mille tendit laqueos. Quare si id quod amat honor sit, aut diuitiæ, aut simile quid mox offert illi mille modos & vias, quibus illud possit consequi quod amat: vbi autem iam id obtinuit, alias totidem proponit, quibus id crescat & augeatur: quarum viarum quædam licitæ sunt, quædam illicitæ: sed amoris vehemẽtia eum in modum hominem cum sua passione excæcat, vt omnes vias illas putet licitas, ijsque pro sua libidine vtatur. Et si interim donec his medijs vtitur (sicut non rarò solet accidere) quædam interueniant impedimenta, aut alij sint qui idem venantur, quod ille, seque opponant in eadem re appetenda: Dij boni, quanta passionum mox oritur turba, ira, inuidia, maleuolentia, odium, lis, iniuriæ, conuitia, denique turbulentissimum inquietudinum mare confestim immoderata tempestate concutitur. Mouetur itaque primò pars animæ nostræ, quæ dicitur concupiscibilis, cùm toto affectionum suarum exercitu: secundò verò irascibilis, cum omnibus suis turmis, quæ est (vt Philosophi dicunt) vindex & vltrix omnium grauaminum, quæ recipit concupiscibilis: atque hi venti impetuosi tantam excitant tempestatem, tantasque procellas in homine, vt nauim animæ nunc scopulis illidant, nunc vado impactam mille periculis expo-

Luc. 14.

nant. Quare non immeritò dixit Apostolus: *Radix omnium malorum est auaritia*: quòd nõ tantum verũ est in auaritia pecuniæ: sed etiã in alia quacunq; cupiditate, quando est inordinata: quare & causa est omnium horum, & multorum quoque aliorum malorum. 1. Tim. 6.

Confirmat hæc parabola illa Euangelica, quæ agit de conuiuio & nuptijs filij Regis, ad quas venire noluerunt inuitati, sese excusantes: quorum vnus abijt in villã suam, alius verò ad negotiationem suam, vt significetur, amorẽ inordinatum rerum huius seculi adeò cor nostrum inescare, vt contemnat ea quę sunt cælestia, ex quo facilè cognoscitur, quanta cum ratione dixerit Saluator noster: non esse verè suum discipulum, qui non omni rerum mundanarum amori priùs renunciauit. Matt. 22. Luc. 14. Luc. 14.

Amet igitur homo terrena hæc moderatè, & iuxta consilium Prophetæ, *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Omnem spem suam in Deum iactet, atque ab eo tanquam à verò Patre omnium rerum expectet remedium, contentus ijs quæ Deus largitur, & statu in quo est, nec id esse appetat, quod Dominus negat. Qui verò appetituum suorum impetum sequuntur, certò sciant, quòd non tantùm non consequentur, quod venantur: sed etsi consequuti fuerint, illud non retinebunt, & prẽterea multa enormia incurrent peccata, atq; ita non tantùm amittent bona vitæ præsentis, sed & futuræ. Quare prudenter monet Sapiens: *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum*. Psalm. 61. Prou. 23.

IX *Lectione pia confirmari bonũ propositũ. Verbum Dei quam necessarium.*

Nono bonum quoque propositum lectione librorum piorum & vtilium plurimum corroboratur: vtilissimum enim hoc est, quemadmodum & inaniũ rerum lectio solet esse pestilentissima. Verbum enim Dei est nostra lux, medicina, cibus, & dux. Verbum Dei implet voluntatem nostram bonis desiderijs, & iuuat ad colligendos dispersos & distractos animi sensus, excitatque in nobis deuotionem, cùm ea sopita est, vel mortua: & prætera hoc pellitur otium, omnium vitiorum origo, vt postea dicemus. Denique vt cibus corporalis necessarius est ad conseruationem vitæ naturalis: sic verbum Dei necessarium est ad conseruandam vitam spiritualem. Ideoque dicit B. Hieronymus: Cibus animæ est die ac nocte in lege Domini meditari: hoc enim exercitio pascitur intellectus cognitione veritatis, voluntas amore atque dulcedine illius. Cum autem intellectus & voluntas sint quasi duæ primariæ horologij (hoc est, bene institutæ vitæ) rotulæ, si illæ ordinatè incedant & moueantur, totum reliquum, quod ab ipsis dependet, erit ordinatissimum. In lectione autem sancta videt homo suos defectus, medetur suis scrupulis, inuenit remedia in tribulationibus seruanda, salutaria dantur ei consilia, cognoscit multa mysteria, corroboratur exemplo virtutis, legendo fructus ipsius. Hanc ob causam Salomon eam tantis laudibus extulit in suis Prouerbijs. *Cõserua*, inquit, *fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legẽ matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo. Cum ambulaueris gradiantur tecum: cum dormieris, custodiat te, & vigilans loquere cum eis: quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ.* Prou. 6.

Vt autem lectio hæc fructuosa sit & vtilis, obseruandum est, ne nimis sit præpropera, neq; ob solam curiositatem instituatur: sed econtrario, vt cum humilitate & emendandæ vitæ desiderio fiat. Talis enim lectio parum differt à meditatione, quamuis in hac singula diligentiùs discutiuntur, & ruminantur, & maiori cum commoditate digeruntur, quam fieri potest ab his, qui soli lectioni incumbunt: ideoque non minorem fructum facit lector, quam medita-

tor. Etenim illuminatio intellectus, quæ ex lectione percipitur, confestim descendit ad voluntatẽ, aliasq; potentias animæ: quemadmodum motus primi mobilis secum rapit, & circumuoluit omnes sphæras inferiores.

Multa simul non esse legenda.

Amet igitur homo lectionem librorum sacrorum, orationem tamen lectioni anteponat. Caueat ne multa legat eodem tempore, ne fortè lectionis diuturnitate spiritus, qui recreari debebat, amplius defatigetur.

Semper verbum Dei sumat cum fame spirituali, de ore cuiuscunq;, id est, quantumuis ineleganti vel impolito sermone prolatum. Vbi autem se illud sine gustu percipere intelligit, humilietur, & culpam potiùs tribuat suo palato, quàm dicentis aut scribentis ignorantiæ: credens se sua culpa meritum, quòd verbum Dei non audit eo modo, quo sibi placeret.

X. *Semper se in conspectu Dei stare existimando.*

Decimo vtilissimum est, ad bonum propositum conseruandum, si semper se in conspectu Domini stare, atque ambulare existimauerit: hoc est, eum sibi ante oculos statuerit, tanquam testem omnium operum nostrorum, iudicem vitæ nostræ, & sustentatorem nostræ infirmitatis, petendo ab eo tanquam à potentissimo, Domino auxilium gratiæ, cum deuotione, breuibusque orationibus, ne in aliqua re peccemus. Sic olim fecit Dauid, quando ait: *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Psal. 24. Et alio loco, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Psal. 15. Verum quidem est, hanc animi continuam attentionem non tantùm habendam in Deum, sed etiam in vitæ nostræ moderationem: ita vt vno oculo Deum semper intueamur, ad eum reuertendum, gratiamque ab eo petendam: altero consideremus opera nostra, ne in aliqua re ab ipsius obedientia deuiare nos contingat. Huiusmodi vigilantia & solicitudo vtilissimus est timor, optimumq; vitæ nostræ frænum.

Sed hic notandum est, hanc solicitudinem & attentionem tum maximè habendam, cùm negotium aliquod periculosum nobis est aggrediendum, aut talis actio suscipienda, in qua fortassis delinquere possemus: vt cùm aliquis solitarius, nec multùm in publicum prodire assuetus, accessurus est hominem iracundum, vel furiosum, vt cum eo loquatur, aut negotietur: item cùm ad mensam est accumbendum cùm ad sacrificium Missæ, vel diuinum officium, accedendum, (in quo metuendum est, ne illi interfit non debita cura, diligentia, vel attentione) in singulis enim horum consultò facturus est homo, si non nisi animo bene præparato, & contra omnia, quæ possunt imminere pericula, satis armato, ad ea accedat. *Simile.* Quemadmodum igitur ij, qui in itinere sunt, cùm via quædam lubrica vel periculosa occurrit, sese ad illam superandam præparant, cingunt se, & alia cum attentione incedunt, quàm antea faciebant, cùm via erat planior & facilior: sic & hic conuenit, vt alia vsurpetur diligentia, alijs orationum generibus insistatur, cùm pericula ingruunt, quàm cùm nihil mali metuẽdum. Videmus etiam, & quotidiana docet experientia, magis temperantem, sobrium, & modestum esse in mensa, qui munitus cõtra tentationes gulæ accedit, quam alius, qui nulla præparatione præuia in patinas inuolat. Qui consiliũ hoc obseruat, à multis peccatis præseruabitur: & hoc Eccl. 18. Ecclesiasticus docet, quando dicit: *Ante languorem adhibe medicinam*, id est, contra imminentia pericula præparatus esto.

XI. *Tollendum otium.*

Vndecimo, qui propositum suum non vult labefactari, fugiat otium causam omnium vitiorum. Hocadeò certum est remedium, vt inter quatuor illa propter quæ Sodomam perijsse dicit Propheta Ezechiel, etiam otium recenseatur. *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius.* Ezech. 16. Est similiter doctrina primorum illorum Patrum in eremo, Monachum occupatum vnam tantùm habere tentationem: otiosum verò multas: ab omni enim parte inuenit Diabolus occasiones ad eum per portas otij inuadẽdum. Ita vt, si bene consideremus, otium duo habeat mala, propter quæ meritò bonis omnibus est execrandũ. Vnum est, quia, vt supra dictum, omnibus malis portam aperit: aliud, quia omnibus bonis portam claudit. Cùm enim nullum bonum in mũdo reperiatur, quod labore non comparetur, siue virtus sit, siue scientia, siue honor, siue diuitiæ, si quis igitur inimicus laborum sit, hic abijcit instrumentum generale, quo bona omnia acquiruntur. Quis itaque vitium hoc non detestetur, quod duo tam periculosa secum adfert mala? *Simile.* Quod maius malum in ciuitate posset esse, quam si duas portas haberet, vnam, per quam ingrederentur boni; alteram, per quam mali admitterentur: prior autem semper maneret clausa, posterior verò noctes atque dies pateret, qualis est terribilis illa ciuitas inferorum? Talis est igitur anima hominis otiosi, qui portam habet apertam omnibus malis, clausam verò bonis vniuersis: cùm natura sic comparatum sit, vt nullum bonum quis assequatur sine labore, cuius est ille inimicus. *Nihil sine labore.* Operam igitur det homo, sic vitam suam vt instituat, & sic momenta temporis expendat, ne vnquam sit otiosus. Pauperes, & qui tenuioris sunt fortunæ, occupentur in suis opificijs, & in officinis desudent: quibus verò labore isto opus non est, non possunt habere, vel dulciores, vel vtiliores, vel moderatiores occupationes, post communicationem cum Deo, & rei domesticæ suæ administrationem, quàm pijs & vtilibus libris legendis operam suam impendere. Scribit de Anachoretis veteribus Casianus, pro re maximi momenti ab ipsis habitum, atque ad obseruantiam virtutis & religionis vtilissimum, si Monachus ab omni hominum commercio separatus, & cuius labores ad nihil erant vtiles, tamen non otiaretur, sed semper manibus laboraret, annoque euoluto omnes labores suos concremaret, vt cellulas suas euacuaret, nouaq; faceret. Dicit etiam Casianus, labores manuum orationes interiores non impediuisse: manibus enim laborantes corde Dominum deprecabantur. *Monachi quantoperè otium sint detestati.*

XII. *Bonum propositum conseruari solitudine.*

Duodecimum ad bonum propositum conseruandum remedium, est solitudo, innocentiæ custos: ea enim vno ictu omnes occasiones peccatorum amputat: tollit enim ab oculis, & sensibus exterioribus omnibus obiecta, & incentiua eorum. Illud est remedium quod B. Arsenio cælitus datum est, cùm audiret vocem, dicentem sibi: Arseni fuge, tace, & quiesce. Studeat igitur seruus Dei sæpe solus esse, & paulatim à se repellere, quãtum fieri poterit, omnes visitationes, conuersationes, & commercia mundi: in talibus enim aut rarò, aut nunquam desunt murmura, mendacia, vaniloquia, adulationes, aliaq; similia: quæ etsi non semper peccata sunt, animam nihilominus deuotione relinquunt vacuam, imaginibusq; & figuris eorum, quæ vidit & audiuit, perturbant, quæ tempore orationis sese repræsentant, & puritatem illius contaminant. Quòd si aliqui indignè ferant suum consortium contemni, ferat hoc seruus Dei pro amore illius, cui militat: melius enim est hominem offensum habere quam Deum. Cumq; Martyres & alij Sancti omnes tanta passi sint pro regno cœlorum, ne nobis sit durum tantillum pro eodem regno tolerare: maximè si consideremus in hac re nullam esse, vel exiguam difficultatem, damnum

autem

autem quod ex altera parte posset ad nos deriuari, esse lõge maximum: hoc enim nostro peruersissimo seculo adeò mundus, adeò homines, adeoq; illorum colloquia & consortia sunt corrupta, vt vix aliquis possit ijs vti sine periculo.

Ad maiorem confirmationem huius remedij facit, quod hominis Christiani est, mundum contemnere: nemo enim simul potest esse amicus mundi, & Dei; nemo simul & mundo potest & Deo placere, cum diuersæ sint viæ, mores, opera, & intentiones vtriusq;. *Coangustatum est enim stratum*, ait Prophe- Esai. 28.
ta, *ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumq; non potest operire*, Deum scilicet & mundum. Consultũ igitur est, vt seruus Dei proponat mundi amicitiæ renunciare, à mundo sese abstinere, mundique iudicia vilipendere, cùm scandalum actiuum non præbet: nam si ea iusta trutina pensiculentur, sunt infantium terriculamenta, & res flocci faciendæ. Denique qui magni æstimat mundum, nõ potest esse verus seruus Dei. Ait enim Apostolus: *Si hominibus placerẽ, seruus* Galat. 3.
Dei non essem. Eius enim homo fit seruus, cui placere & cuius voluntati satisfacere desiderat.

Alia remedia ad cõfirmandũ bonũ propositum. Post hæc remedia generalia, quæ sunt efficacissima, sunt alia non minùs vtilia, vt sunt vsus Sacramẽtorum, Oratio, & Eleemosyna: principale namque remedium contra peccatum est gratia, teste Apostolo: & hæc tria media sunt optima, & efficacissima ad gratiam impetrandam, licet differenter. Sacramenta namq; dant gratiam, Oratio petit, Eleemosyna meretur: atque id tali modo, vt sola Sacramenta dent, sola Oratio petat: sed non sola Eleemosyna mereatur: eam enim simul cùm hac multa alia bona opera merentur, licet id eleemosynæ peculiariter attribuatur: est enim conueniens remuneratio, vt is qui vtitur misericordia erga proximum, in cõspectu Dei misericordiam inueniat. Atque ita Eleemosyna non tantùm satisfacit pro peccatis commissis, sed etiam facit vt homo abstineat à nouis committendis. Quare dicit Ecclesiasticus: *Eleemosyna viri quasi sacculus* Eccl. 29.
cum ipso & gratiam hominis quasi pupillam cõseruabit. Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.

Quantum ad Sacramenta, quis non videt illa esse quasi medicamenta cælestia, à Deo contra peccatum instituta? remedia nostræ debilitatis? incentiua charitatis? stimulos deuotionis? auxilia nostræ miseriæ, & thesauros diuinæ gratiæ? De tribus his remedijs multa essent dicenda; sed quia in secundo & tertio libro huius Memorialis iam diximus de Sacramentis, & de Oratione in quinto tractamus: de Eleemosyna verò inter opera satisfactoria iam tractauimus, tanquam de vno illorum: nihil hic amplius de illis dicemus, sed remittimus Christianum Lectorem ad loca prædicta, eumq; monemus, vnam ex primarijs petitionibus à Deo in oratione postulandis hanc esse debere, vt potiùs vitam nostram suis manibus tollat, & faciat de nobis quicquid velit, quàm vt nos sinat in aliquod peccatum mortale incidere: & ad maiorem confirmationem huius petat in omnibus suis orationibus, vt Deus illi det triplicem amorem, & triplex odium: amorẽ scilicet Dei, amorem molestiarum & tribulationum, atq; amorẽ virtutum: triplex verò odium, peccati scilicet, propriæ voluntatis, & propriæ carnis, cùm hæc duo posteriora sint peccatorũ causæ, cum inordinatè diligũtur. Ad mortificandũ verò peruersum illum amorẽ, debet homo incessanter à Deo petere sanctum hoc odium, & studiosè curare, vt mala tractatio suijpsius, cum petitione sua conueniat, hæc enim est clauis omnium. Cæterum hac de re latiùs agemus in fine huius operis.

Tripliceamorẽ & triplex odium à Deo petendum.

Etin l. 3 de Oratione.

Habes igitur hic, Christiane Lector, sedecim genera remediorum contra quodcunque peccatum mortale, in quibus consistit bona pars philosophiæ Christianæ, quæ potissimum in hunc finem est instituta. Sunt & alia remedia particularia, contra particularia vitia, de quibus hic agere nolumus, ne simus præter modum prolixiores. Pro conclusione tamen omnium supradictorum, admonendus es hic, pie Lector, operæpretium te facturum, si quatuor hæc mãdes memoriæ, eaque tibi in omni re curæ sint: castigare scilicet corpus, custodire linguam, mortificare appetitum, & habere semper spiritum collectum rebusque diuinis occupatum: his enim quatuor modis quatuor principales hominis partes reformantur: caro scilicet, lingua, cor, & intellectus: quibus reformatis, & in ordinem redactis, totus homo erit reformatus, & omnes offensæ diuinæ tollentur, atque hic scopus est & finis, quem hoc libro nobis proposuimus. *Quatuor vtro pio facienda.*

DE COMMVNIBVS QVIBVSDAM tentationibus eorum qui Deo primùm seruire incipiunt, præsertim in Religione.

CAPVT II.

OPtimè monet Ecclesiasticus, *ante languorem vt medicinam adhibeamus*: omnis quoq; Philosophorum doctrina præcipit, vt homo semper paratus sit, & venientia eminus pericula præuideat, priusquam illum nihil minùs cogitantem obruant. Quare consultò me facturum arbitratus sum, si in fine huius Regulæ breuiter impugnationes, tentationesq; nonnullas recensuero, quæ solẽt occurrere his, qui primum ad seruitutem Domini accedunt, saltẽ vt sciant esse tentationes: multum enim hoc iuuabit ad illas superandas. Quemadmodum enim venatores, aucupes, & piscatores, cùm retia trahunt aut tẽdunt, id studiosè agunt, vt non retia, vel laquei videantur, sed esca: sic Dæmones, quantum possunt, id agunt, vt tentationes suæ non tentationes, sed rationes esse videantur: & propterea dixi plurimum ad superandas tentationes valere, vt cognoscantur & præuideantur. Eccl. 18. Simile. *Cognoscere tẽtationem, est eam superare.*

Quicunq; igitur huic nouæ militiæ ascriptus est, ante, omnia certò apud se statuat, multas impugnationes, tentationesq; Dæmonum sibi fore perferendas: quare non sine ratione monet Sapiens: *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & prapara animam tuam ad tentationem*. Eccl. 2.

Omnium harum tentationum prima est Fidei: cum enim homo vsque in hanc horam somnolentus fuerit, & inconsideratus circa ea, quæ erant fidei, postquam nunc oculos incipit aperire, & videre mysteria illius, confestim (tanquam peregrinus in terra aliena) incipit vacillare in rebus, quæ illi proponuntur, propter exiguam lucem & cognitionem, quam de ipsis habet. Accidit igitur illi, quod nouo solet opifici: qui veniens ad officinam alicuius artificis, vbi plurima videt instrumentorum, ferramentorumq; genera, nescies ad quid vtilia sunt, miratur, & incipit rogare: Hoc cui rei seruit? & illud cui? donec paulatim videns vsum singulorum, mirari desinat, ad cognitionẽ venit, & rationi, vsuiq; maximè consentanea iudicat, quæ vt absurda primum mirabatur. *Prima tentatio est fidei.* Simile.

Alia tentatio est blasphemiæ, quæ repræsentat res turpes, & detestandas, quando componit se ad meditandum cælestia. Portans enim imaginẽ mundi plenam simulachris & figuris ipsius, non ita confestim potest abijcere, quod tanto tempore in eo sculptum permanserat, atque ita loco specierum & figurarum spiritualium, ingerunt sese carnales, quæ molestissimæ sunt his, qui illas patiuntur. Optimus autem *2. Tentatio blasphemiæ.*

autem modus hanc tentationem vincendi est, eam contemnere, & flocci facere: cùm reuera potiùs sint inanes terrores inimici, quàm vera pericula.

3 tentatio scrupulorũ. Simile.

Alia tentatio est scrupulorum: qui deriuantur ex ignorantia, qua tyrones rerum spiritalium adhuc laborant: & propterea incedunt tanquam ij, qui nocte ambulant, & ad singulos passus casum metuunt. Hoc autem communiter ex eo nascitur, quia nesciunt inter cogitare & consentire distinguere: & proinde putant se in omni quod cogitant, etiam consentire.

4. scandali.

Alia est, quia facillimè in quacunque re scandalizantur, quam vident contrariam mentis suæ conceptui, tanquam illi, qui nunc incipiunt oculos suos aperire, & considerare, quanta res sit Deo seruire: atque ideo quemadmodum primum incipiunt, sic plurimum admirantur hos, qui contrarium faciunt: ideoque turbantur & indignantur, nec iam agnoscunt, quanta est imbecillitas humana, vel altitudo diuinorum iudiciorum: necdum etiam intelligunt, quid sit illud Gregorij: Vera sanctitas habet compassionem, falsa verò & imperfecta indignationem.

5. Regule & statutorum.

Alia est, quia offenduntur & scandalizantur etiam regulis & statutis suæ professionis, & volunt fieri iudices atq; censores eorum, quæ in regula præcipiuntur. Hæc tẽtatio plerunq; manat ex intellectu superbo & elato: qui suæ plus sapientiæ confidunt, quàm Patrum experientiæ, qui regulam instituerunt. Hæc tentatio non multum differt ab ea antiqui humani generis inimici, interrogãtis: *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno Paradysi?*

Genes 3.

Prou. 1.

Monet igitur Sapiens, ne despiciamus parabolas (hoc est, altiores, & proinde obscuriores doctrinas) Sapientium: nihil enim dicunt sine mysterio, etsi nos subinde minus intelligamus. Puer cùm primum incipit legere, credit quod illi dicitur, nec rogat, quare hoc, vel quare illud? hoc enim paulatim fit, & cum tempore. Sinat igitur homo se regi secundùm iudicium aliorum, & suum integrè resignet: viuat potius fide & obedientia, quam ratione, dicens cùm Propheta: *Vt iumentũ factus sum apud te, & ego semper tecum.* Qui non vult huic obedire consilio, non perseuerabit in religione, nec vnquam pacem tranquillitatemve cordis habebit.

Simile.

Psal. 72.

6. Spiritualium consolationum.

Alia est, Spirituales consolationes inordinatè appetere, & contristari præter modum, quando illæ vel subtrahuntur, vel negantur: aut etiam arbitrari se cæteris meliorem esse, si adsint, perfectionem viæ consolationum magnitudine dimetiendo: cum amen ea non sit vera illius mensura: sed charitas, & post illam mortificatio passionum, & virtutum profectus: hæc enim duo posteriora vera sunt auctæ charitatis indicia. Inueniuntur & alij, qui deficientibus consolationibus spiritualibus, quærunt sensuales: atque hoc malum non minus est illo superiore.

7. Tentatio.

Alia est, reuelare visitationes & gratias, quæ dantur à Deo: manifestare alijs, quod erat celandũ: præconem verbi, vel concionatorem esse velle ante tempus: magistrum fieri, antequam discipulus fuit: atq; omne id sub specie virtutis: non considerando, arborem fructum suum dare in tẽpore suo, propriumq; officium incipientium esse, digito labellum compescere, & animæ suæ cultu operam dare.

Psal. 1.

8. Tentatio.

Alia valde frequens & vsitata est, quod quis inquietus est, & mutandi locum desiderio plurimum impugnatur, dum sibi persuadet, se alio in loco quietius deuotiusq; posse viuere. Talis autem ignorat, in mutatione loci, non animum, sed aërem mutari: iuxta illud Poëtæ, *Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.* Quocunq; enim homo pergit, se ipsum semper secum adducit: hoc est, cor secũ adfert peccatis corruptũ; ex quo sine intermissione deriuãtur miseriæ atque perturbationes: hoc non sanatur mutatione loci, sed cauterio mortificationis, & vnguẽto deuotionis, quæ sic mutat cor hominis, vt quãdiu durat odoris illius suauitas, non sentiatur fœtor, qui ex isto carnis nostræ exhalat sterquilinio. Optimus igitur modus seipsum fugiendi est, ad Deũ confugere, & cum eo familiariter agere: cùm enim in illo per naturalem amorem; & deuotionem manet, absens est à seipso.

Horat. Epist. 1.

9. Tentatio.

Alia est præter modum nouo gustu & feruore spiritus implicari, in indiscretis vigilijs, orationibus, solitudine, & abstinentijs: quibus rebus & visus infirmatur, & caput cum stomacho debilitatur, redditurque nouus tyro ineptus & inhabilis quamdiu viuit, ad exercitia spiritualia: quod ego iam sæpe factum obseruaui. Alij in graues incidunt morbos, qui partim delicijs in morbo adhiberi solitis, partim bonorum exercitiorum defectu, quæ ob morbi grauitatem omittuntur, in eas tentationes abducuntur, vt virtutem facilè deserant, gratia & fortitudine deuotionis destituti. Alij delicijs tempore morbi assuefacti, in illa peruersa consuetudine perseuerant. Nonnulli per hanc occasionem, ait Bonauentura, eo deueniunt, vt non tantum indiscretè delicias ament, & delicatè viuant, sed etiam dissolutè, infirmitatem capientes in occasionem, & largam licentiam satisfaciendi omnibus suis appetitibus & carnis illecebris. Sunt etiam qui per nimiam peccant discretionem, fugientes quemcunque honestum laborem, ob periculi metum: dicentes ad salutem suã satis esse, si à peccatis mortalibus abstineant, etiamsi alia sese austeritate vitæ non exerceant, de quibus dicit Bernardus: Animalem discretum, nouitium prudentem, incipientem sapiẽtem, in cella diu posse consistere, in congregatione posse durare impossibile est.

Bernard. de amore Dei.

Communis tentatio Nouitiorum.

Præterea magis communis nouitiorum tentatio est, ab inœpta via resilire, & ad seculum redire. Ad hoc Diabolus illum mille dolis impellit. Aliquãdo fortissimis tentationibus carnis proponit illi matrimonium, tanquam portum securum, & vitam quietam, (cùm reuera sit pelagus continuarum tribulationum, & tempestatum) allegans ei ad hoc comprobandum exẽpla multorum Patriarcharum, qui in hoc statu vixerunt sanctissimè: vt autem facilius id credat, persuadet ei habiturum eum sociam suis moribus conuenientem, eiusdem secum cordis & animi, quodque filios enutriet in timore Domini: statuit ei quoque ob oculos eleemosynas, quas poterit in illo statu erogare: eas autem in Ordine facere non posse, dicens illas magni esse ponderis, vt quis securus sit in die Iudicij. Subinde contrario modo altioribus cogitationibus Diabolus nouitium studet eludere, proponens illi strictiores Ordines, præcipuè Carthusianorum: facit autem id, vt illo capistro à religione abductum, & extra cancellos deprehensum diglutiat, & deuoret. Nonnunquam præter discretionem nouitium inflammat, pellicitque ad solitudinem, iuxta exempla veterum illorum Anachoretarum, in deserto viuentium, vt extra societatem in viam solitariam abductum, vmbra & consilio spiritualis patris destitutum, citiùs vincat & superet.

Tentationes boni speciem habentes periculosissimæ.

Sed inter omnes tentationum species illæ sunt periculosiores, quæ sub colore boni, laruaque virtutis sese offerunt: ea enim quæ manifesta sunt mala, semper secum adferunt suam turpitudinem, & suam inscriptionem, ex qua cognoscuntur, vt ab ijs abhorreamus: quæ verò boni habent quandam apparentiam, sunt magis periculosa: sub vmbra namque virtutis magis fallunt, ideoque Aduersarius noster his potiùs

potiùs vtitur ad seruos Dei tentandos. Sciens enim ipsis decretum esse, vt fugiãt malum, & amplectantur bonum; id agit, vt peccati venenũ ipsis cum falso melle permixtum propinet. Qua in re videtur simillimus esse illis inimicis Prophetæ Danielis, qui cupientes illum apud Regem calumniari, atque in odium eius adducere, vt occideretur, cùm varijs id medijs agere frustra tentassent, tandem consilium inuenerunt, dicentes; *Non inueniemus huic Danieli aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui.* quam viam quoque tentarunt, sed frustra. Deus enim erat protector serui sui. Eodem ferè modo semper tentat Diabolus homines pios, & in hac via illis tendit laqueos. Necesse igitur est, vt homo semper seipsum obseruet, & probet in affectione atque amore rerũ, quæ bonæ videntur: etsi enim in simplici affectu peccatum non sit, in nimia tamen cupiditate peccatum est. Oportet igitur vt omnis amor inordinatus suspectus sit; quod enim nimium est, in quacunque materia metuendum est.

Dan. 6.

Hæ sunt communiores & frequentiores tentationes eorum, qui Deo seruire incipiunt: quarum remedium est humilitas, obedientia, oratio, confessio, prudentia boni Confessarij, qui instar sapientis nauclerj est, cui incumbit nauẽ per medios fluctus procellosi maris huius mundi, vbi tumultuantur venti malorum spirituum, qui magnas tempestates concitant, in securitatis portum dirigere. Super omnia verò Deus est, qui nouit infirmitatem nostram, suaque nobis gratia succurrit, & circunducit nos per viam securiorem, ne in terram Philistijm veniamus, ijsque nobis ex Ægypto proficiscentibus bellũ moueant; qui denique fidelis est, *nec patitur nos*, vt Apostolus ait, *tentari supra id quod possumus: sed facit cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere.* Postremò remedia quoque contra has omnes tentationes illa eadem sunt, quæ paulò antè dedimus contra ipsa peccata: non enim sunt conuenientiora contra tentationes peccatorum arma, ijs, quibus ipsa peccata oppugnantur & superantur. Et hæc sufficiant quãtum ad primam Regulam eorum, qui Deo seruire incipiunt.

Remedia contra tentationes.

Exod. 3.

1. Cor. 10.

Contra omnia vitiorum genera & tentationes pulcherrima quoque tradit auctor remedia, lib. 2. Ducis peccat. priorib. 13. capitibus.

REGVLA SECVNDA,

AD BENE VIVENDVM VTILIS, HIS POTISSIMVM, QVI in vita Christiana sunt prouectiores.

FINEM HVIVS DOCTRINÆ esse imitationem Christi.

CAPVT I.

QVoniam nonnulli reperiuntur, quibus non satis est, fecisse quod ad salutem eorum necessarium est, sed vlteriùs progredi cupiunt, & in vita virtutis iuuari; necessarium est, vt pro ipsis etiam aliqua documenta ponamus. Ijs sequens Regula deseruire poterit; vltra illud, quod in fine huius operis, scilicet in septimo libro, dicemus.

Et quia finis cuiusque rei regula est, iuxta quam dirigatur; ideo sicut in Regula præcedenti vnum finem posuimus, (qui fuit, quoduis peccatum mortale euitare) ita in præsenti alium ponemus, hoc est, imitationem Christi; cùm ad hunc finem tota vita Christiana ordinetur. Et quamuis in hac secũda Regula nonnulla ex præcedentibus repetuntur, non ideo tempus perditur: ibi enim posita sunt tanquã media, & hîc conducent ad euitandũ peccatum, (quod in altera velut principalis finis erat) & iuxta hoc ibi magis declarauimus; & hîc ob alterum finem repetuntur, & propterea particulariùs tractantur.

Huic igitur conuenienter, primum, & magis generale documentum, & finis huius doctrinæ, est illud quod Saluator dicit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, sic & vos faciatis.* Quẽadmodum enim qui discunt scribere, exemplar pulcherrimarum literarum sui Magistri manu exaratum solent sibi proponere, vt secundùm illud literas formare discant: sic qui Christianè viuere volunt, his vt proponatur exemplar vitæ perfectum ducis & regulæ loco, necessum est. Quia verò nullum aut perfectius, aut conuenientius inuenitur, quàm vita Christi, qui nobis in mundo datus fuit, magister, & exemplar omnium virtutum: vtilissimum est, vt quidquid ille fecit, & dixit in sua vita, ad exemplũ & remedium vitæ nostræ, id omne nobis in formanda vita nostra proponamus. Etenim manifestum est, vti omnis perfectio effectus in eo sita est, vt imitetur & similis sit suæ causæ; sicut verbi gratia, perfectio discipuli est, imitari suum præceptorem: sic omnis perfectio creaturæ rationalis, est imitari, & assimilari, quantum fieri potest, suo Creatori. Ad hanc imitationem inuitat nos Dominus in omni Scriptura. In vno loco dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* In alio loco: *Estote misericordes, quoniam Pater vester misericors est.* In alio rursùm: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

Ioan. 13. Simile.

Leuit 19.

Luc. 6.

Matth. 5.

Modò cùm omnis perfectio creaturæ consistat in imitatione Creatoris; ad aliquid verò imitandum necesse sit, vt id videatur? Deus autem videri non posit in propria natura, & gloria: hanc ob causam (inter multas alias) Dei filius induit naturam humanam, vt eo modo videremus, quod imitaremur; hoc est, vt videre possemus, quomodo cum hominibus conuersatus est in hoc mundo, quid dixerit, quibus actionibus operam dederit, quo animo fuerit in aduersis, & prosperis, quid egerit in solitudine, in conuersatione, cum amicis, cum inimicis, cum maioribus, cum minoribus: denique vt videremus perfectionem illius virtutum, charitatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, mansuetudinis, paupertatis, ieiuniorum, orationum, lachrymarum, vigiliarum, concionum, laborum, zelum animarũ, amorem proximi, rigorem & asperitatem erga seipsum, & benignitatem ac pietatem erga proximum. Hæc igitur fuit inter alias causa vna ipsius in mũdum aduentus: ideo namque Deus homo factus est, vt homo fieret Deus; vt non solùm per auditum, sed & per visum; non tantùm per verba, sed per exemplum etiam illius homo, quomodo digne Deo viuere posset, disceret. Hoc est, quod Propheta dicit: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbũ post tergũ monentis: Hæc est via, ambulate in ea,*

Deus cur homo factus

Esa. 30.

in ea, & non declinetis, neque ad dextram, neque ad sinistram. Per hoc enim mysterium non tantùm aures nostræ audierunt, & perceperunt doctrinam Dei, sed etiam oculi nostri personam eius viderunt, scilicet Verbum Dei incarnatum, & Deum in homine, vt homo discat ab eo, quomodo Deum debeat imitari, & non diffidat fieri se posse Deum, cùm videat Deũ factum hominem.

Secundùm hanc itaque doctrinam, qui Christo erit similior in omnibus his virtutibus, is erit perfectior: atque id potissimùm agit Spiritus Dei, qui habitat in animabus iustorũ. Non est pictor aliquis, inquit Doctor quidam, qui tam solicitus est, vt faciat imaginem naturæ similem, quàm Spiritus Dei, vt faciat electos suos similes Christo crucifixo: sciens hanc esse maximam perfectionem & gloriam, quæ potest in hac vita acquiri.

Spiritus Dei id agit in nobis, vt nos Christo faciat similes.

Obiectio.

Dices fortasis; Si vera sint quæ doces, dic mihi sodes, quomodo potero imitari virtutes filij Dei? Ego homo sum, ille Deus est: ego sum abyssus imperfectionum, ille abyssus virtutum: quomodo igitur possim ego sic exaltari, vt tam immensam imiter puritatem?

Responsio.

Ad hoc respondeo, mi frater, hominem à seipso non posse ad similitudinem tam sublimem extolli; sed per virtutem spiritus Dei, in illo habitantis. Datur enim hominibus Spiritus ille, vt virtute eius queant viuere vitam diuinam, & iam non facere opera hominũ, sed Dei, cùm Spiritũ Dei habeant in se habitantem. Non esset impossibile, vt quis loqueretur sicut Cicero, si spiritum haberet Ciceronis; & disputaret instar Aristotelis, si spiritum haberet Aristotelis: sic etiam minùs erit impossibile imitari suo modo virtutes, vitamque Dei, vbi homo Spiritum Dei acceperit. Non est mirandum, vnam rem participare naturam alterius, cùm simul miscentur: sic enim videmus cibum insipidum conditum sale, fieri sapidum, melle dulcem, aromatibus odoriferum. Eodẽ modo mirum non est, si dixerimus hominem fieri diuinum, cùm de spiritu diuino participat. Vtrumque docet Saluator, cùm ait: *'Quod ex carne natũ est, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* quibus verbis apertè testatur, fieri non posse, vt caro virtute sua fiat aliud, quàm caro: non autem impossibile, vt fiat spiritus, virtute & præsentia spiritus diuini adiuta. Ita vt à participatione huius spiritus (tanquã à semine cælesti) nascantur omnes filij Dei: & proinde mirum non est, si tanquam filij conformentur patri, vitamque diuinam viuant, cùm diuinum spiritũ acceperint. cuius rei testimonium perhibet vnus eorum, qui dicit: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Nec magis admirandum est, quòd aliquo modo Dij appellantur: quomodo Propheta eos nominat, cùm dicit: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes:* parum enim est eos participare de nomine Dei, qui participes sunt similitudinis & spiritus illius.

Simile.

Simile.

Ioan. 3.

2. Cor. 3.

Psal 81.

Cur Christus homo factus.

Hanc tantam dignitatem vt daret, venit ipse Dei filius, & hæc præcipua eius aduentus est causa: propterea namq; humiliatus est, & verus homo factus, vt ille, qui verus erat homo, fieret Deus, non per naturam, sed per gratiam: atque ita ille ex vna parte est causa (quam vocamus exemplarem) omnis nostræ perfectionis; ipse namque vita sua sanctissima insculpsit cordibus nostris imaginem vitæ perfectissimæ: ab altera parte similiter est causa meritoria; est enim ille, qui suæ incarnationis mysterio, & passionis suæ sacrificio nobis tantam dignitatem acquisiuit.

Hoc itaque primum documentum vitæ nostræ sit, & hic finis illius, ad quam inuitat nos Apostolus Petrus, cùm dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur.* Idem à nobis postulat Euangelista Ioannes his verbis: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare:* Quid est, inquit Prosper, ambulare vt Christus ambulauit, nisi contemnere omnia prospera, quæ ipse contempsit? non timere aduersa, quæ ipse passus est? docere quod ille docuit sperare quod ille promisit? benefacere ingratis? non reddere malũ maledicis? orare pro inimicis? misericordiam facere cum peruersis? ad se trahere cõtradicentes? humiliter sufferre superbos? denique, vt Apostolus ait, mori carni, & viuere Deo?

1. Pet. 2.

1. Ioan. 2.

Prosper. Quid sit ambulare sicut Christus ambulauit.

Hæc & multa alia similia imitatio Christi in se complectitur: sed quia documentum hoc valde est generale, descendemus ad particularia, tractando de vsu & exercitio Virtutum, quemadmodum in exordio sumus polliciti.

Rom 8.

DE EXERCITIO ET VSV virtutum.

CAPVT II.

INter virtutes has prima & principalis est Charitas, quæ est quasi arbor vitæ in medio Paradisi, Ad hanc pertinet amare Deum super omnia, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus nostris, Hoc est primum & maximum mandatum in lege; hæc est regina omniũ virtutum, hæc est principium & finis totius vitæ Christianæ: hæc est vita & anima omnium operum nostrorum, sine qua nec fides, nec spes, nec prophetia, nec martyrium, nec reliquæ virtutes alicuius meriti sunt, aut dignitatis.

De Charitate.

Matth. 22.

Ad hanc diuinam virtutem adipiscendam inter alia multa particulariter tria requiruntur. Primum est, animam ab omnibus appetitibus, inordinatisq; passionibus atque peccatis, quæ ab illis procedunt, emaculare. Scriptum est enim; *In malenolam animã non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Illi ergo qui Deum amare desiderant, studeant à se remouere omne peccatum, non tantum lethale, sed (quantum fieri potest) etiam veniale: quantò enim nitidius est speculum, tantò clariùs in se radios solares excipit: sic & anima quantò purior est, tantò plus participat de claritate & radijs diuini amoris.

Ad Charitatem obtinendam quæ requirantur.

I. Peccatis expurgatio. Sept. 1.

Simile.

Secundum, quod ad hoc requiritur, est, vt homo, quàm fieri potest frequentissimè se, sensusque suos colligat, & componat se ad considerandum & meditandum ea, quæ possunt aliquo modo ad amandum Deũ permouere. Hoc enim faciens inueniet omnes simul amoris causas, quæ sparsim in omnibus creaturis reperiuntur, in vno solo Deo coniunctim reperiri, idque in summo gradu perfectionis. Et quia Philosophi dicunt, bonum naturæ suæ esse amabile, & vnumquemque amare proprium bonum suum; hinc est quòd duo potissimùm nos mouent ad diuinum amorem, magnitudo scilicet diuinarum perfectionum, & multitudo beneficiorum eius. De vtroque proprijs suis locis tractabimus: & simul cum his oportet etiam considerare magnum amorem, quo nos Deus complectitur, & quid illi debemus, quia noster Pater, noster frater, noster Rex, noster Dominus, noster Deus, & vltimus finis noster est. Sed & Sponsus animarum nostrarum dicitur, ideoque dignus est amari amore infinito, cùm talis sit amor finis vltimi. Quò igitur profundior, & maior erit harum rerum meditatio, eò erit obiectum ipsum amabilius: qui vult ergo in hoc amore proficere, multũ debet huic considerationi tempus impartiri.

II. Meditatio.

Duo nos faciunt amare Deum.

Est

III. Oratio.

Est & aliud medium breuius & compendiosius, cùm scilicet anima vulnerata, & à dulcedine tanti Domini præoccupata, & eius pulchritudine inflammata petit sine intermissione, cum magna assiduitate, ab eo, qui solus hunc potest dare thesaurum, vt eum largiri sibi dignetur: cùm videatur via certior & expeditior ad thesaurum hunc consequendum, illum petere, quàm paulatim vi meditationis exprimere. Quo in casu maioris facienda erit oratio, quã meditatio. Ora igitur, & pete cum ardentissimo desiderio, sine intermissione, pretiosam hanc margaritam: quod vt cõmodiùs facias, oportet in promptu habeas verba quædam dulcia, & amore plena, quibuscum anima deuota desiderium hoc offerat Deo. De quibus verbis, vti & de omnibus alijs, quæ ad hanc virtutem pertinent, proprio suo loco de amore Dei fusiùs agemus. Certus autem esto, nullum istorum verborum, aut gemituum fore frustraneũ. In lib. 7. Cùm enim Dominus noster tam magnus sit & liberalis, semper dabit per huiusmodi nouam deuotionem, aut nouam lucem, aut nouum amorem, aut nouam gratiam; aut ad se trahet cor cum feruentiori amore, & maiori efficacia; aut maiori illud gaudio perfundet; aut denique in salutari cœpto illud confirmabit. Noli itaque frater, noli per exiguam negligentiam bona tam magna perdere, quæ omni momento tibi posses comparare.

IV. Puritas intentionis.

Pertinet etiam ad eandem charitatem, purificare oculum intentionis in omnibus actionibus nostris, vt non quæramus in illis proprium commodum, aut honorem, aut oblectationem; sed beneplacitum & voluntatem Dei: ita vt omne quod facimus, (vel pro nostra, vel pro alterius voluntate) id faciamus non coacti, aut ex pura ceremonia, aut ex necessitate, aut vt hominibus placeamus, aut alio aliquo mundi respectu; sed purè propter amorem Dei; sicut bona vxor suo seruit marito, non propter proprium commodum, quod ab illo sperat; sed propter amorem, quo illum complectitur. In quo necesse est animam tam esse fidelem, & castam, vt quemadmodum pia & honesta coniunx non aliam ob causam comit se, & ornat, quàm vt oculis mariti sui placeat: sic anima virtutum ornamenta assumat, tantùm vt oculis placeat Dei. Non ideo dico illicitum esse operari propter præmium æternæ vitæ; imò id sanctum est, & laudabile: sed quia quanto liberior est homo ab omni genere lucri, & puriùs Deo placere cupit, tanto etiam eius opera erunt perfectiora, & per consequens tantò plus merebitur. Quare non ineleganter dictũ est à S. Bernardo: Purus amor mercenarius non est; purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit. Et in alio loco; Non sine præmio diligitur Deus; etsi absque præmio diligendus sit; vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. quippe non quærit quæ sua sunt; affectus enim amoris non est contractus venditionis.

Simile. Bernard. Serm. 23. in Cant. Lib. de diligendo Deo.

Nec tantum in principio, aut fine operum, debet homo hanc intentionem habere; sed etiam cùm opus ipsum facit, sic facere debet, vt semper illud offerat Deo, & actualiter Deum amet: vt etiam operans videatur non minùs amare, & orare, quàm operari: Et hoc modo non erit distractus in opere, quod faciet: sic enim Sancti operabantur, & hac ratione in operibus suis non distrahebantur. Et sic dicitur de Sponsa in Canticis, quòd odor vestimentorum eius erat sicut odor thuris. per vestem enim animæ virtutem intelligimus, qua ipsa exornatur: & per thus, quod igni impositum in altum suaui cum odore ascendit, orationem: quæ cùm fiat in terris, in cælo solet operari. Cùm igitur legimus vestem sponsæ odorem thuris exhalasse, insinuatur, illam sic opera virtutum exercuisse, quòd ea non minùs orationes, quàm operationes, propter magnitudinem deuotionis, qua cum operabatur, visa sunt. Videmus quòd mater, cùm lauat pedes filij, aut mariti peregrè venientis, simul & seruit illi, & amat illum, seruiendoque & amando simul gaudet, & singularem ex ministerio, quod facit, gustum atque dulcedinẽ percipit. Tali igitur modo cor nostrum affectum & dispositum esse debet, cum Deo Creatori nostro aliquod obsequium præstamus: & sic faciendo vestes nostræ pariter hoc incenso spirituali redolebunt.

Cant. 4. Si &c.

Vnde operum nostrorum dignitas. Simile.

Quod homo sic facit, magni est meriti: meritum namque operum nostrorum potissimum dependet ab intentionis, amoris, & deuotionis, cum qua fiunt, puritate. Quemadmodum enim in nummis, non tam pondus, aut numerum, quàm metallum consideramus: paululum enim auri pretiosius est multo cupro: sic in bonis operibus non tam æstimanda est ipsorum multitudo, quàm amor & deuotio quibuscum fiunt: vti æra minuta duo testantur, quæ vidua Euangelica in gazophylacium misit; ea enim maioris æstimauit Christus, quam magna multorum diuitum munera. sic etiam accidet, vt bonum aliquod opus ex bona voluntate, charitate, & deuotione factum, maioris æstimetur in conspectu Dei, quàm multa alia, alio modo facta. Ita vt, quemadmodum vna feruens oratio plus impetrat à Deo, quam tepidæ multæ; sic vnum opus bonum factum cum deuotione, & feruore, multò plus mereatur, quàm alia multa, quæ non eo modo fiunt. Et hoc diligenter considerare deberent illi, qui viuunt in statu, vt teneantur semper opera bona facere, vt diligenter attendant, quomodo faciant ea, & ne extollantur quòd faciunt multa bona opera, sinon faciant ea cum multo amore, & deuotione.

Mar. 12. Luc. 21. Simile.

Charitas proximi.

Pertinet ad eandem Charitatem amare non tantùm Deum, sed etiam proximum, propter Deum: cùm enim Charitatis sit amare Deum, & omnia quæ Dei sunt; atque inter ea præcipuum sit animal rationale, factum ad imaginem Dei, & redemptum illius sanguine; hinc fit, vt ex qua radice & habitu nascitur amor Dei, ex eadem etiam amor proximi propter Deum nascatur. quemadmodũ dici solet apud Hispanos; Amat canem propter dominum eius: & apud Belgas; Amat nutricem propter filiam. Proinde aiunt Doctores, Charitatem esse habitum vnum, duos actus habentem: amare scilicet Deum propter se, & proximum propter Deum. Is enim est causa finalis, ob quam proximum amare debemus. Atque hæc causa sola mouere nos debet ad amandum illum, licet alioquin amore nostro indignissimum: non enim illum respicere, nec propter illum ipsum amare debemus; sed propter amorem illius Domini, qui eum creauit, & redemit, quique præcepit, vt proximum propter sui amorem diligamus. Licet enim amoris in illo causa nulla sit, in Deo tamen sunt infinitæ, propter quas dignus est, vt non tantum amemus proximos nostros propter illum: sed etiam, vt omnes molestias, & tormenta huius mundi animo prompto pro illo perferamus: ita vt si in proximo non sint amoris causæ, in Deo tamen sit harum causarum copia.

Ad amorem proximi quid requiratur.

Hic amor requirit à nobis, vt nulli malum reddamus, de nullo malè loquamur, neminem malè vel temere iudicemus, famam proximi non lædamus, eius defectus celemus: imò potiùs ora detrahentium illi obturemus, & obstruamus.

Nec sufficit alicui iniuriam seu malum aliquod non facere: sed etiam necesse est omnibus benefacere; opem omnibus ferre; omnibus bene consulere: omnibus offensas condonare; ab omnibus, quos offendimus, veniam orare; & super hæc omnia, one-

ra, iniurias, simplicitatem; nævos & defectus omniũ sustinere: iuxta illud Apostoli: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Hoc est illud quod charitas requirit, in qua consistunt lex & Prophetæ: sine qua qui vellet religionem aliquam condere, nihil aliud ageret, quàm is, qui corpus viuum formare vellet sine anima: quod contradictionem includit.

Galat. 6.

Matth. 22.

Secunda virtus, est Spes.

Altera virtus, soror Charitatis, est Spes: licet virtus hæc in Christo non fuerit, multò etiam minus Fides: habebat enim his maiora & excellentiora. Ad hanc pertinet Deum respicere vt Patrem, & erga eum cor habere filij: cũ reuera sicut nemo in hoc mundo est, qui dignus sit appellari bonus, si cũ Deo conferatur: sic etiam nullus est pater, qui tanto amore complectatur suos filios, quãto pater noster Deus nos complectitur. Sic etiam omnia quæ in hoc mundo euenient, siue prospera, siue aduersa sint, crede, quia sunt optima & saluti tuæ conducibilia, (cùm ne passer quidem cadat sine illius prouidentia) & in omnibus rebus ad illius gremium recurre, explicans & detegens omnes tuas tribulationes in eius conspectu; sperans in immensam eius liberalitatem, & in promissionum illius fidelitatem, atque in arrhabonem beneficiorum ab illo perceptorum: super omnia verò in merita dilecti eius filij, sperans fideliter, licet peccator sis, & miserrimus, Dominum tamen tibi propitium fore, & quando minimè expectabis, tunc omnia ad commodum tuum dispositurum: & propterea semper versetur in animo illud Dauidicum; *Ego autem mendicus sum & pauper: sed Dominus solicitus est mei.* Quod si homo diligenter scripturas Psalmorum, Prophetarum, & Euangeliorum percurrat, inueniet omnes plenas huiusmodi diuinæ prouidentiæ, & spei nostræ: quæ de die in diẽ animum hominis erigunt, vt in omni necessitate atque tribulatione sua speret in Domino. Sed & mihi crede, nunquam veram habebit pacem, animique tranquillitatem, qui non hoc ante omnia agit, vt habeat hanc fiduciam & securitatem. sine hac enim omnia illum inquietabunt, perturbabunt, & solicitudine perpetua exagitabunt: si autem hæc adsit, nihil illum turbare poterit, cùm Deum habeat defensorem.

Matth. 10.

Psal. 39.

Tertia virtus est humilitas.

Alia virtus est humilitas, tam interior, quàm exterior: quæ est radix & fundamentum omnium virtutum aliarum. Hæc adeò dilucidè in persona, & vita nostri Saluatoris enituit, vt in ea potissimum iuberemur illum imitari, quando dixit, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Caietanus in hunc locum commentatus, ait in his duabus virtutibus totam philosophiam Christianam consistere: humilitas enim disponit animam nostram ad dona Dei recipienda, & mansuetudo nos aptos reddit ad suauiter cum hominibus conuersandum.

Matth. 11.

Ad hanc virtutem pertinet, vt homo se reputet creaturam vilem, abiectam, miseram, imò totius mundi miserrimam: indignam pane quo vescitur, terra quam pedibus calcat, aere in quo respirat: nec maioris seipsum faciat, quàm fœtidum & abominabile cadauer, scatens vermibus, cuius fœtorem ne ipse quidem potest tolerare, & ob quod omnes oculos auertunt, & nares obturant, ne fœtorem olfaciant, horroremve videant. Hoc vt faciamus, atque sic existimemus, & tibi frater, & mihi connenit, (ait beatus Vincentius) magis tamen mihi, quam tibi. est enim omnis vita mea immunda, & fœtida: sum totus coinquinatus: corpus meum, & anima mea, & omne quicquid in me est, immundum est, & abominabile, propter peccatorum meorum corruptionem: & quod peius est, non obscuris argumentis deprehendo, turpitudinem, horrorem atque immunditiam hanc quotidie in me augeri. Debet autem anima fidelis hanc immunditiem in se sentire, cum magno pudore; cùm illa conspicua sit ei, cuius oculi penetrant quæque secretissima. Dolere quoque debet, quàm potest maximè, propter peccata in Deũ commissa; quodque gratiam diuinam amisit, quam, cùm aqua Baptismatis lauaretur, acceperat: doleat inquam nõ aliter, quàm si ante districtum illud Dei tribunal stans crederet, se, vti fœtet in conspectu Dei, sic etiam in conspectu & hominum & Angelorum fœtere: atque ita confusus, & pudore atque rubore plenus, in conspectu eorum incedat: & si perpendet diligenter, quid diuina Maiestas mereatur, & quot nominibus illi est obligatus, cùm tantas misericordias, tantaque beneficia ab ipsa perceperit, & quàm malè tam hoc, quam istud ei compensauit, imò quòd loco seruitutis & obsequij debiti tot iniurias, opprobriaque reddidit, tam turpiter illam contempsit; videbit se dignum, in quem creaturæ omnes insurgant, de quo vindictam sumant, quem membratim discerpant, & deuorent: eo quòd tam grauiter offendit communem omnium Creatorem & Dominum. Ob hanc itaque causam vltro desideret vilipendi, aspernari, & ab omnibus contemni: omnia conuitia, opprobria, infamias, iniurias, & aduersa quæque ingruentia patienter ferat: hæc illi non minùs grata sint, quàm solet esse homini vindicta, quam de lethali suo inimico sumit. necesse est enim, vt nõ minùs se de seipso vindicet, eò quòd Deũ suum offendit. Pertinet etiam ad eandem humilitatem, vt sibiipsi diffidat, omnibusque viribus suis; seseque in omnibus conuertat, & iactet in brachia pauperrimi, despectissimi, & pro amore sui mortui Christi, vt tandem eo perfectionis veniat; ne in omnibus opprobrijs, iniurijs, contumelijs omnibusque aduersis, quæ illius amore patietur, alius sit, quàm mortuus.

B. Vincentius de iudicio.

Porro quia æquum omnino est, vt talis sit figura & compositio hominis exterioris, qualis est interioris: oportet, vt quemadmodum interior, secundum iudicium suum, in vltimo huius mundi loco stat, & omnium se vilissimum existimat; sic etiam ad imitationem Christi exterior abijciatur, & humilietur, adeò vt, si fieri posset, omnium lauaret pedes. In vestibus quoque, in incessu, sermone, conuersatione, in ædibus, mensis, reliquisque omnibus (seruata tamen discretione) exterior homo sit interiori simillimus: ne homo à seipso differat, aut duplex fiat, peccetque in illud Ecclesiastici; *Non accipias faciem contra faciem.*

Eccl. 4.

Quarta virtus castitas. Matth. 22.

Cum sancta hac humilitate secura stat Castitas, quæ propriè dicenda est virtus Angelica, ipso Saluatore teste. Dico castitatem iunctam humilitati stare securam: hac enim virtute deficiente, altera in magno periculo versatur; sicut optimè dictum est ab Anselmo; Cùm superbia non potest destruere humilitatem, eam euertit luxuria: & quando luxuria nõ potest expugnare castitatem, expugnat eam superbia: quæ etsi omnium virtutum sit tinea, potissimũ tamen est castitatis. Qui igitur vult verè castus esse, is suam castitatem iungat huic sanctæ humilitati, hoc enim modo eam tutiorem seruabit.

Ad hanc virtutem pertinet, cor & corpus (si fieri posset) habere Angelicũ; & fugere, quantum licet, omnes conuersationes, aspectus, commercia, & amicitias, quæ quoquo modo possint illi obesse, quantumuis etiam hominum spiritualium. Nam (vt optimè dictum est à B. Thoma) amor spiritualis saepe mutatur in carnalem, propter similitudinem, quæ est inter vtrunque.

B. Thom. Opusc. 24.

Eiusdem quoque virtutis est, vt quotiescunq; impura cogitatio cor hominis ingreditur, statim & eodem

dem momento illam magna cum diligentia eliminet, atque repellat; non aliter atque si ignitus esset carbo, vt alias diximus; studeatque vt sit tam castus, & Deo fidelis, vt habeat oculos, si fieri posset; sic occlusos, ne videat quicquam, quo omnium Datorem possit offendere: & cum sese offeret occasio aliquid aspiciendi, dicat in corde suo dulciter; Domine mi, nolo mihi oculi mei seruiãt, vt videam aliquid, quo tuos possem offendere. Ne placeat quæso bonæ voluntati tuæ, vt oculis meis, quos mihi dedisti, & quos luce tua illuminasti, vt ijs opera tua contempler, tanquam armis, quibus te offendam, abutar. Qui honestè & debita cum diligentia custodiet oculos suos, certus sit, quòd & Deus vicissim custodiet illum, multasque tentationes & pericula euadet, atque in magna pace viuet. *Oratio.*

Pars etiam castitatis est, vt homo contendat, cor suum sic vnitum, & Deo subiectum semper habere, ne quo inordinato affectu creaturam aliquam vanam aut transitoriam appetat: circumferat illud tãquam verè mortuum mundo, tanquam surdum & cæcũ, quod nihil gestit audire, vel videre, nisi quod vtile est, & necessarium. Neque tantum cor & corpus castum esse debet; sed etiam casti sint oculi, casta verba, conuersationes, vestimenta, somnus, cibus & potus, vt mox dicemus. Perfecta enim castitas omnia vult esse casta: & si nonnunquam vnum quid minus castum sit, tota castitas periclitatur.

Ad castitatem pertinet temperantia. Climac. Grad. 14.

Ad hanc virtutem (inter alia) conducit plurimũ in edendo bibendoque temperantia: etenim (vt Ioannes Climacus ait) escarum satietas fornicationis est mater: qui leonem blanda demulcet manu, nonnunquam illum mansuefacit: qui verò corpus obsequijs fouet, ipsum amplius efferabit. Ad acquirendã igitur hanc virtutem, aduigilare debet homo, vt dãdo corpori suum nutrimentum, non oneretur stomachus, & spiritus nimia cibi & potus quantitate: sed sumat vtrumque moderatè, non quærens in ijs aut suauitatem, aut delectationem; sed solum vt naturæ necessitati satisfiat. Licet naturaliter gustus aliquis inter edendum percipiatur; non tamen studio ille procurandus est, nec sapor in cibis ex industria quæri debet, aut inter manducandum, quæ delicatoria sunt, eligi: sed buccellas omnes promiscuas, quas homo sumit, in pretiosissimum condimentum sanguinis Christi Redemptoris nostri intingat, & ex dulcissimis fontibus vulnerum eius hauriat, quod bibat: capiat potius cibos communes, & viliores, quàm delicatos, & pretiosos; recordando quod Christus Dominus noster in Cruce pro eo fel & acetum gustauit. Meminerit etiam qui vescitur cibis vilioribus, & parui pretij, si nimia sumat illos cum auiditate & delectatione, quòd meritum perdit abstinentiæ; quæ non tam in qualitate cibi, quàm in modo edendi consistit. Fieri enim potest (ait Augustinus) vt sine aliquo vitio crapulæ vel voracitatis pretiosissimo cibo vtatur sapiens: insipiens autem fœdissima gulæ flamma in cibum vilissimum inardescat. Non consistit igitur peccatum gulæ in qualitate ciborum, sed in inordinata delectatione. Debet igitur amator vitæ spiritualis, sine intermissione, cũ sua sensualitate luctari, negans illi prudenter, quod illa poscit imprudenter. Debet autem sic carnem suam castigare, ne intereat natura, aut eius complexio indiscreto abstinentiæ rigore debilitetur, dum solius iudicij sui impetum quis sequitur. In omnibus enim optima est sanctæ discretionis mensura, & in omnibus standum est consilijs piorum & sapientum. Secundum hanc regulam despicienda est omnis vanitas, & curiositas in vestitu, in supellectilibus, & ijs quæ ad lectulos & cubilia pertinent. *Augustin. doctrina Christi.*

Sexta virtus Hanc virtutem sequitur quasi eius soror Silentiũ, innocentiæ mater, clauis discretionis, socia castitatis, custos deuotionis, & ornamentum iuuentutis. Ad consequendam hanc virtutem tam excellẽtem, debet seruus Dei ante omnia diligenter aduigilare, ne vnquam ex ore eius prodeant verba noxia, vel inhonesta: neque etiam aures præbeat his, qui ea loquuntur; imò potiùs huiusmodi sermones interrumpat, cum maxima, discretione, modoque quo potest optimo: abhorreat prorsus ab omni mendacio, ab adulatione, & ijs quæ vanam gloriam prouocant. Non sit in verbis suis nimis asper, sed dulcis, & amabilis: non sint verba nimis composita, sed plana, & simplicia. Caueat sibi quam diligentissimè à verbis otiosis, propter tempus, quod interea amittitur, & potissimum à ridiculis & ineptis fabulis: eæ namq; deuotionem extinguunt. Duo itaque à quibus hîc potissimum sibi cauere debet, sunt, bene loqui de seipso, & male de altero: vt magis itaque securus sit ab his periculis, quiescat, & (vt neq; in charitatem, aut obedientiam peccet) silentium voluntarium seruet: sic tamen, vt silentium eius alijs non sit tædiosum, aut molestum: cumque loquendum erit, breuis sit, quam maximè licet, sermo: loquatur autem cautè, & cum discretione: & antequam os aperiat, statuat secum, nihil extra propositum proloqui. *silentium.*

Alijs ne facilè contradicat, neque iuramentis in sermone vtatur: sed postquam bis terve affirmauit id, quod verum arbitratur, nec ab alijs recipitur, eos in sua relinquat opinione, & taceat, quasi nil aliud sciret: nisi fortè hoc ipsius silentium aperte obesset diuinæ gloriæ. Ne sit in suis opinionibus obstinatus, nec in ijs quæ refert nimis pertinax; neque id quod scit nimia asseueratione affirmet, sed cum modestia & temperantia dicendo; Puto hoc aut illud sic sese habere: aut, Hoc ita est, ni fallor &c.

Septem circunstantiæ in loquendo seruanda.

Ne autem in hac re tanti momenti erret, neque barbarismum (vt aiunt Grammatici) committat in hoc idiomate spirituali, seruus Dei debet has septẽ circunstantias diligenter obseruare, quando erit ei loquendum. Prima, est materia de qua loquetur: oportet autem ea sit de rebus bonis, vtilibus, & necessarijs, non de malis, inutilibus, noxijs. Secunda, I. II. est finis, cur loquitur: non ex hypocrisi, obstinatione, vanitate, aut iactantia; sed cum simplicitate, humilitate, in finem honestum & necessarium. Tertia, III. est modus, quo loquitur: is sit non cum dissolutione, ex abrupto, confusè, aut affectatè, fœminea quadam voce, & fictis blanditijs, sed tractim cum mansuetudine & grauitate; licet ea non debeat esse nimia, sed cum suauitate mixta, qualis dicitur fuisse grauitas S. Basilij: potissimum autem sermo mulierum magis planus esse debet, & mansuetus, is enim (vt aiũt) esse debet instar aquæ, quæ vt bona sit, nullum oportet habere saporem. Similiter non absque ratione affectatè loqui reprehenditur; maximè in ijs, qui id agunt ea intentione, vt videantur discreti, prudentes, & eloquentes: quod in viro magnum est vitium, & in fœminis grande periculum. Quarta circumstãtia, est personæ, quæ loquitur, multa namque loqui iunioribus non licet: imò in illis silentium cum verecundia maximum est ornamentum: nec minus etiam ornamentum est in puellis & virginibus, quibus loquitur S. Ambrosius: Attende tibi virgo in verbis tuis, quæ profers: sæpe namque indecorum est virgini, de rebus multis, licet bonis, loqui, aut disceptare. Quinta est, vt consideretur persona, qua cum loquimur: præsentibus enim ijs, qui sunt sapientiores, & seniores, non omnibus loqui conuenit: nisi fortè cum id aliter fieri nequit, aut quando necessitas requirit. Sexta est, consideratio loci, in quo loquendũ est: sunt enim loca alia ad loquendum, alia ad tacendum dicata: in Ecclesijs enim, & similibus locis, fa- IV. V. VI. *Ambros.*

VII. bulari non licet. Septimà, est respectus temporis, in
Eccl.3. quo loquimur: est enim (vt Salomon ait) tempus tacendi, & tempus loquendi. Hæc enim ex primarijs prudentiæ partibus vna est, maximè quando volumus admonere, consulere, vel arguere: in omni namque re obseruandum est tempus & opportunitas, in hac autem maximè; sine qua cassa est & sterilis omnis admonitio. De illis autem, qui opportunè
Prou. 25. & debito tempore loquuntur, ait Sapiens: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Qui nõ vult in sermone suo dèlinquere, has circunstantias debet obseruare: qui enim in harum aliqua deficit, errat, & in regulam bene loquendi peccat. Cumque difficillimum sit in aliquè horum defectuum non impingere, optimum erit remedium, ad portum silentij nauem dirigere, in quo nullum est ex his periculis.

Septima virtus, est mortificatio propriæ voluntatis, vel obedientia.

Postquam lingua mortificata, & temperata erit hoc modo, etiam propria voluntas est mortificanda, quæ est quasi altera clauis bonæ vitæ; vt autem hoc commodiùs fiat, vtilissima erit obedientia; vnum enim inter exercitia, quorum hîc maxima habenda est ratio, hæc virtus est: cùm non ignoremus, perfectam voluntatis mortificationem sacrificium esse Deo gratissimum. Vnumquodque opus simpliciter ex obedientia factum (licet exigui per se sit pretij) susçipit Deus, & præmio, tanquà excellens quid remuneratur. Nihil autem (quantumuis magnum sit) placere ei potest, si inobedientiam vel Dei vel hominum habeat adiunctam. Obtemperet igitur seruus Dei alacriter, & animo deuoto suis maioribus: reuereatur, & honoret illos propter Deum, honorem enim, quo ex seipsis digni fortè non sunt, officij sui ratione merentur. Obediat similiter æqualibus, & etiam inferioribus, in rebus licitis & honestis.

Lætetur & exultet cùm corripitur, admonetur, vel eruditur à quolibet: nec sese cõtumaciter, ac superbè aduersus illos, qui eum corripiunt, defendat: sed imitando suum Dominum, potiùs sufferat & taceat: nisi fortè ex eius silentio notabile scandalum posset subsequi. Fiat inferior omnibus creaturis propter Deum. Sed & licet magnas consolationes, & gratias ab illo perciperet, ne tamen animo efferatur, nec se alijs præstantiorem arbitretur: si enim verum fateri velit, omne donum optimum est à patre luminum; à seipso nil habet miser homo, præter peccatũ.

Iacob. 1. Quinetiam assuescat quascunq; iniurias, opprobria, derisiones, calumnias, afflictiones, & damna, quæ Deus permittit vt illi eueniant, sine tædio & murmure sustinere, sine vlla hæsitatione credens, Deum hæc non nisi ex iusta & bona sua dispositione immittere. Ideò nec indignari debet, nec male precari hominibus, per quorum manus hæc veniunt: imò potiùs se Deo assimilans, erga illos benevolum se & mansuetum præbeat. Neminem temere iudicet, nec metiatur hominem iuxta miseram & corruptibilem corporis formam extrinsecam; sed secũdùm incomprehensibilem animæ dignitatem, quæ ad imaginem Dei facta est. Nemini se exhibeat morosum, iracundum, amarum, sed tã in familiari cõuersatione, quàm in verbis, & responsionibus sit affabilis, & benignus omnibus, cum mansueta gravitate. Aliorum defectum patienter ferat. Illos tamẽ, qui honorem Dei contaminant, cum omni diligentia, atque benevolentia, vt sese emendent, placidè admoneat; siue per seipsum, siue per alios, si quem inde fructum expectet. Detestetur peccatum in homine, & non hominem propter peccatum: homo enim opus Dei est, peccatum autem opus hominis. Sit paratus, vt, cum opus est, omnibus benefaciat, etiam ijs, qui ipsi malè volunt; & condoleat tam his, qui malè agunt, quam qui mala patiuntur. Ante omnia sympathia, seu compassione tactus, misereatur animarum defunctorum, quæ in Purgatorio cruciantur, & mundantur, Dominumque pro illis deprecetur: vt autem facilius doleat ob mala alterius, imaginetur se in loco & statu eorum esse qui patiuntur: & sentiat ita mala aliorum, sicut sua propria sentiret. Nemini inuideat, cum nullo rixetur, bene de omnibus opinetur: quòd si aliquando malæ suspiciones animum subeant, mox inde expellat. Neminẽ contemnat, peccatorem nullum despiciat: qui enim hodie peruersus est, cras per Dei gratiam fortè conuertetur. Propositum firmum & stabile faciat, nolle se in posterum quemquam iudicare, aliorumque dicta & facta in bonam partem interpretari discat, cum simplici & benigno corde omnia & singula videns atque audiens.

Non turbetur quoque propter mala & infortunia passim in hoc mundo emergẽtia: sed in omni re confidat diuinæ prouidentiæ, sine qua ne passer vnus laqueo capitur. Commendet eidem diuinæ prouidentiæ tam semetipsum, quàm omnia sua, humili cum fiducia sperans in Domino, tam bono & fideli: in quacunque tribulatione ad illum feruentissimis precibus recurrens, vt monet Propheta, dicens: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* ideoque licet nonnunquam internæ consolationes subtrahantur, insuper & grauissimè affligatur, non tamen à sancto suo proposito resiliat, sed perseueret in conspectu Domini, cum humilitate, & spe, non quærendo vanas consolationes, quibus sese oblectet: ille enim consolabitur eum.

Matth. 10.

Psal. 54.

Si malignus spiritus immittat in cor illius peruersas & detestandas aliquas cogitationes, nihil illas curet, sed confestim oculos animæ claudat: multò enim facilius in hoc certamine victoriam reportabit illas despiciendo, quàm eas magni faciendo, aut cum ipsis pugnando. Neque arbitretur vulnus esse sagittæ, cui statim restitit, & mox à se repellit. In hoc enim peccatum non committitur, quod confiteri debeat: etsi enim ad peccata confitendum sit obligatus, non tamen peccatorum tentationes, quibus non consensit, confiteri tenetur. Immundæ cogitationes non contaminant hominem, quando non accedit delectatio: aliud enim est malum sentire, & aliud malo consentire. Sed & sciendum est, multos Sanctos sæpe maximos ardores vitiorum carnis pertulisse, quos tamen & ratione & voluntate à se reiecerunt.

Vera deuotio in quo consistit.

Non est existimandum vitæ sanctitatem in eo consistere, quòd quis in anima magnas consolationes & dulcedines percipit; sed nec teneritudo spiritus, qua quidam nullo negotio in lachrymas resoluuntur, pro vera & certa deuotione habẽda est; hæc enim, & huiusmodi nonnunquam inter hæreticos & paganos reperiuntur: vera autem deuotio, est prompta voluntas, qua homo sese offert ad omnia, quæcunque ad honorem & obsequium Dei pertinent. Hæc semper fertilis est, nec vnquam suo fructu destituitur, licet anima ficca est, & cor sterile. quare spiritualis homo non debet inordinatè dulcedines illas internas appetere; sed in vtrumq; paratus esse debet, & ad recipiendum illas, si dentur; & ad carendum ijs, si negentur, prout Deo placuerit. Si Deo visum fuerit, vt cum consoletur, recipiat gratiam cum humilitate, & gratiarum actione; caueatque ne dono tam incomparabili, tantum ad suam vtatur consolationem; nec ita lætetur ob donum, vt obliuiscatur Donatoris. Sit autem non minus purus & simplex, non minùs humilis & promptus, cũ visitatur à Deo, quã erat cũ non visitabatur. Neq; securus esse, aut sic in datis debet quiescere, quemadmodum in ipso Datore quiescendum est, qui finis vltimus omnium

nium nostrum constituitur. Quantumuis exigua sit gratia, quæ accipitur, semper tamen se illa iudicet indignum; imò semper existimet se pœnis quam cõsolatione digniorem. Si aut canens, aut legens diuinum officium, non poterit eam habere mentis attẽtionem, quam optat; non perturbetur, neque diffidat, aut putet orationes factas corde distracto esse steriles & infructuosas, Deoq; ingratas, cùm is, qui orat distractiones illas inuitus patitur; facitque alacri animo quidquid potest, offerens Deo bonam voluntatem, & perseuerans in orationibus, cum omni cura & diligentia. Non sit igitur impatiens, aut inquietus, nec turbetur nimis; sed resignans sese in manus Dei, confortetur: est enim Dominus noster tam bonus & pius, vt benignè sustineat eos, qui loquentes secum in oratione, retinent in cordibus suis ea, quæ sunt præsentia & conspectu illius indigna. Dicat igitur; Domine tu scis, quia cor meum distractum diuersis in partibus diuagatur, & millè loca pererrat; miserere, miserere mei vilissimi peccatoris: O bone Iesu responde pro me, & quidquid mihi deest supplere quæso ne dedigneris. Ego propter infirmitatem meam ruinæ sum proximus: sustine me, & non cadam. Sed quid dicam, cum tam debilis sim & infirmus: tu autem cadentem me millies benignus adhuc expectes? Disponat quoque se & desideret sæpe communicare pro gloria Dei, quod si nequiret sacramentaliter communicare, quoties desiderat, non turbetur; sed subijciens sese diuinæ voluntati, præparet sese ad recipiendam sanctam Communionem spiritualiter; nemo enim poterit impedire, ne quis ad Dominum accedat, eumque spiritualiter recipiat, etiam si millies vno die hoc facere vellet.

Oratio, cum caret distractionem.

Vesperi conscientiam examinandam.

Vesperi omnes sensus, animæque potentias colligat, examinans diligenter, quomodo diem illum transegit, vt suprà diximus; quo facto, incumbat, & honestè sese ad dormiendum componat, vt somnus (si fieri possit) eum de Deo dulciter meditantem inueniat, & pia eius desideria teneat, vt reddat cùm expergiscetur. Manè autem euigilans statim cor ad Deum eleuet, primasque cogitationes suas cum verbis ad Deum Creatorem suum dirigat, dicens: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* & mox: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.* Hoc igitur modo debet homo sese præparare ad recipiendũ & continuandum gratiam deuotionis, quæ nunquam est intermittenda. Si autem ob confusionem & distractionem spiritus, homo tam libere nequeat ad Deum conuerti, aut si dormienti impudica & turpia obrepant insomnia: non ob hoc turbetur, & indiscretè tristetur: sed mox cum euigilauerit, & ad vsum suæ rationis redierit, detestetur hanc turpitudinem, quam somniauit, & cum humilitate & patientia molestiam, quam in somno passus est, sustineat.

Psal. 62.

Venialia peccata fugienda.

Fugiat nõ solum peccata grauiora, sed etiam minimas negligentias, cum omni cura & solicitudine: si enim illi curæ non sit vitare omnia, quæ Deo displicent, & omnia quæ impediunt, eiusque amorem retardant, nunquam perfectam puritatem, pacemq; interiorem consequetur. Et quamuis istæ negligentiæ parui momenti sint, nihilominus ex paruis illis, si negligerentur, maiora paulatim pullularent. Non enim est inimicus tam vilis & impotens, qui nocere non possit, si contemnatur. Quare non immeritò D. Gregorius; Nonnunquam, ait, in parua deterius, quam in maiori culpa peccatur. Maior enim, quò citius, quia culpa est, cognoscitur, eò etiam celerius emendatur: minor verò dum quasi nulla creditur, eò peius, quò & securius in vsu retinetur.

Greg. in Pastor.

Quid faciendum cum peccamus leuiter.

Non tamen ideo spem abijcere debet homo, cùm aliquot horum peccatorum committit, neq; à conspectu Dei fugiat: sed reuertatur ad illum cum humilitate, & fiducia, & tractet cum illo de malo, quod fecit, & de sua ingratitudine, & plangens & lachrymas fundens vberrimas, & dolens quod talẽ Dominum offendit: & non tantum conuertat oculos ad profundam suam miseriam, sed consideret simul immensam Dei misericordiam, qua nunquam destituuntur, qui ex toto corde ad illam recurrunt. Pro integra verò satisfactione, & emendatione suorum peccatorum, offerat æterno Patri sanctissimam vitam, & crudelissimam mortem vnigeniti eius Filij, & petat obnixe ab eodem Filio, vt ipse dignetur maculas peccatorum suorum, pretioso sanguine suo in cruce effuso eluere. Quo facto, confidat, & prosequatur vitam suam cum eodem spiritu & affectu, quem habebat antequam peccaret.

Non diffidẽdum, cum aliquos defectus vincere nõ possumus.

Non expauescat, aut animum despondeat, si nullo modo poterit vincere, aut superare quosdam suos defectus, & passiones: sed commendans sese diuinæ misericordiæ, & in sinum eius recurrens, perseueret cum humilitate & patientia, nunquam desperans: & si centies in die caderet, centies cum spe veniæ resurgat, proponens velle se horis singulis fieri vigilantiorem, & magis æd ea, quæ debet, attentum. Non tamen confidat in suis viribus, sed in bonitate & misericordia Dei, & in fauore gratiæ illius, quæ nunquam denegatur ei, qui pro sua parte facit quod debet.

Affectus ordinatos esse debere.

Debet quoque omnes animæ suæ affectus hoc modo habere ordinatos, & ad Deum directos, vt Deus sit illis omnia in omnibus: illum solum intueantur, & omnia in illo. Non conijciat oculos in illa, nec cupiat illis frui, ob illud quod sunt; sed respiciat ômnia in Deo, considerans id quod in illis est præcipuum, nimirum, quod à Deo deriuantur, & aliquid eius repræsentant. Hoc modo gustus & delectatio creaturarum erit non modò purior, sed etiam suauior & maior. Commendet omnia opera sua diuinæ sapientiæ, vt ipsa ea dirigat & perficiat. Ipsi Saluatori & æterno eius Patri offerat perpetuas laudes, pro totius Ecclesiæ salute, iunctas & concorporatas Christi sanctissimis operibus & exercitijs: tunc enim opera & exercitia nostra erunt nobilissima, Deoque gratissima: ab heroicis enim Christi operibus (ad quorum similitudinem facta sunt, & propter quæ gratia datur) mirum in modum nobilitantur, atque inæstimabilem dignitatem recipiunt. Propterea monet Apostolus, vt offeramus Deo sacrificium bonorum operum, vt per Christum Deo sint accepta. Quamcunque igitur rem agit aut patitur, magnam aut paruam, interiorem vel exteriorem, offerat Deo, vt valorem & dignitatem suam à valore & dignitate sacratissimæ Redemptoris passionis accipiant.

Discrete omnia agenda.

Non sit præceps & festinus in rebus agendis; neque eas nimio cum affectu aggrediatur, faciens se captiuum & seruum earum: sed studeat semper cor suum in vera libertate conseruare. Non sequatur impetuosos animi sui motus, etiam in rebus optimis: sed cum ratione & consideratione prudenter agat, vt semper sit dominus suarum passionum, & affectuum. Neque confidat, existimans affectus suos, & stimulos esse bonos: nulla enim virtus est virtus, nisi adsit discretio: imò ipse amor Dei (humaniter loquendo) erit noxius sine discretione. Discretè igitur reijciat, quidquid dare posset occasionem amittendi, aut impediendi pacem & quietem interiorem: diligentissimè autem expellat infrænes iræ, auaritiæ, voluptatis, timoris, lætitiæ gestientis, ægritudinis, amoris, odij, aliorumque vitiorum passiones: hæ namque præ cæteris pacem animi tollunt.

Remouenda

Non minùs necesse est, vt homo à se eliminet o-

quæ pacem impediunt.

mnes vanos & indiscretos scrupulos, & denique quamcunque cogitationem superuacaneam, quæ quoquo modo potest animi pacē turbare. Non perturbetur vnquam ob inconueniens aliquod, quod accidit; in fine namque omnia temporalia sunt trāsitoria: ita vt omnis perditio temporalis nil aliud sit, quàm representatio, vel ante tempus debiti solutio. Denique sic separando tam intellectum, quàm affectum à rebus transitorijs & mundanis, omnes vires & potentias intus in vnum colligat, ibique sine intermissione cum Deo communicet atque negotietur.

In omni tempore & loco, cum magna reuerentia consideret Dei præsentiam: ipse enim omnibus horis, & in omnibus locis præsens est, vt loquatur cum illo, non aliter atque cum amico, exponens ei fidelia sua desideria, affectusque inflammatos. Discat conferre negotia sua cum eo ipso, solus cum solo; ea namque cum Deo familiaritas incomparabiles adferet vtilitates. Nec animum despondeat, nec spem abijciat, videns cor suum Euripo mutabilius & inconstantius; & quod difficulter possunt cogitationes in Deo fixæ detineri: sed sequatur constanter, & refrænet illas, coerceatque vt regia via ingrediantur: cùm enim post aliqualem laborem iam huic itineri assuefactæ sunt, in posterum erit non solùm facilè, & iucundum in Deo, & in rebus diuinis meditari: sed non poterit vna hora esse absque tali meditatione: & si quando anima diuagetur, statim ad primum exercitium reuertatur, dicens; Vbi eras anima mea? quò te proripueras? quid nacta es? quid tibi comparasti? quid interea dum à Domino tuo separata diuagaris lucrifecisti aliud, quàm temporis iacturam & cordis distractionem? Caue posthac domo erepas, diuerticula quæras, & à Domino tuo diuageris quasi vagabunda; cùm nihil sit quod minùs decet tam magni Domini sponsam, quàm hæc distractio.

Imaginem Christi Crucifixi semper ante oculos habendam.

Constituat sibi ante oculos imaginem Christi crucifixi, & imprimat illam quàm potest profundissimè cordis sui centro; salutans illum, & exhibens debitam reuerentiam, cum interiore deuotione, sanctissimis illius vulneribus, & æterna memoria dignissimis; cumque amabili & humili audacia abscondatur in illis. Vbi verò totus intellectus sic occupatus est hac vitæ, mortisque Redemptoris nostri imaginatione, nullus extraneis imaginationibus locus erit; sed foras eijcientur omnes imaginationes & cogitationes inutiles, & tanquam clauus clauo pellentur. Adeò quòd homo ille, quantum in hac vita possibile est, semper secū habitabit, animo præsens, & corde ab omnibus rebus transitorijs abstracto, semper secum meditabitur, semper Deum contemplabitur, dulcia & amabilia cum eo miscebit colloquia: & maximam existimabit esse iacturam, si separetur vel breuissimo temporis spatio ab illo summo bono, in quo bona omnia reperiuntur.

QVID HOMO DEBEAT DEO, SIBI ipsi, & proximo.

CAPVT III.

CVm iam de virtutibus in genere locuti fuerimus, aliud capitulum subiungemus, in quo magis particulariter de ipsis agemus, reducentes omnia, de quibus hactenus disseruimus, ad tria principalia capita vel obligationes, quibus omnis Christianus deuinctus est; hoc est, dicemus obiter, quid homo debeat Deo, quid sibijpsi, quid proximo: quæ tres iustitiæ partes sunt, in quibus Propheta Micheas omnium virtutum summam constituit. cum dicit; *Indicabo tibi, O homo, quid sit bonum, &* Mich. 6.

quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Horum primum, *facere* scilicet *iudicium*, ad hominem ipsum spectat: secundum, *amare misericordiam*, ad proximum: & tertium, quod est *solicitè ambulare cum Deo*, ad cultum & reuerentiam ipsius Dei pertinet.

Incipientes igitur ab harum obligationum maxima, dicimus diligenter hic notandum esse, sicut inter gemmas quædam naturaliter reliquis sunt excellentiores, vt sunt adamantes, pyropi, smaragdi &c. sic inter virtutes quasdam inueniri, quæ naturaliter sunt sine vlla comparatione reliquis præstantiores, cum circa Deum ipsum versentur, & propterea Theologicæ vocantur: quibus adiungere possumus timorem, & reuerentiā Dei, ac Religionem, quæ obiectum habet venerationem Dei, cum alijs omnibus, quæ ad diuinum cultum spectant. Hænō tantum inter alias virtutes sunt nobiliores, sed illarum quoque causæ sunt, & origines: ideoq; in comparatione cum reliquis virtutibus idem sunt, quod cæli, si cum omnibus creaturis inferioribus, quæ à motu illorum dependent, conferantur. Quare qui ad fastigium, vitæque Christianæ perfectionem contendit, licet id agere debet, vt habeat in se virtutes omnes connexas, (quemadmodum enim necessarium est, vt in cithara fides omnes inter sese sint aptatæ & compositæ, si sonum edet concinnum; sic etiam oportet omnes virtutes simul adesse inter sese compositas, vt fiat bonæ vitæ suauis harmonia) tamen ante omnia studere debet, vt crescat, & proficiat in illis virtutibus supradictis: quantò enim magis in illis profecerit, tantò erit perfectior. Credo equidem hanc ob causam multos ex veteribus illis Patriarchis, tam perfectos in virtutibus fuisse, sicut Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, & alij similes: nam etsi coniugati, diuitesque erant, & proinde externis rebus implicati, secularibusque cogitationibus, & domesticis negotijs occupati, fuerunt tamen sanctissimi, cùm haberent sanctissimas illas virtutes; vt manifestè satis liquet in fide & obedientia Abrahæ; in amore, subiectione, deuotione, & spe atque fiducia quam habebat Rex Dauid in Domino, qui non aliter in omni sua tribulatione confugiebat ad illum, & in eo sperabat, quàm filius in patre, imò etiam multò ampliùs, cùm diceret; *Pater meus & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me.* Psal. 26.

Virtutes aliis aliis nobiliores.

Deus plus quam pater noster.

Ad comparandas igitur istas virtutes tam excellentes, non inuenio mediū aliquod conuenientius, quàm persuadere animo nostro, & quàm possumus studiosissimè huc cor nostrum dirigere, Deum esse verum Patrem nostrum, & plus quam Patrem: quia nec in affectu paterno, nec in prouidentia, nec in amore quispiā cum illo potest comparari, cum nemo præter illum nos creauerit, nec aliquis tā benevolus & beneficus sit, quàm ipse: cumq; illud firmiter crediderimus, studeamus semper ad illum respicere, non alijs oculis, quā filiolus patrē suum solet intueri; hoc est, corde pleno dilectione, tenerrimo, humillimo, eiusq; sanctæ voluntati obedientissimo; corde, spe in omni tribulatione solidato, & sub alis paternæ prouidentiæ latitante. Istis oculis, & isto corde homo debet intueri Deum, quotiescunq; illius meminerit. Et hoc facere debet, quotiescunque poterit die ac nocte: vt hoc modo progrediatur cum fauore & gratia diuina paulatim creando in anima sua cor tale, sicut faciebat Propheta, cum diceret; *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.* *Anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te.* Talis conditio cordis & affectus erga Deum verbis expli- Esa. 26.

cari

cari non potest, nec solis humanis viribus potest acquiri: ideoque is tantum nouit, quid sit, qui probauit: & ille solus possidet, qui accepit. Ideoque homo debet tale cor erga Deum sine intermissione supplex ab eodem petere, & sperare, quod tandem accipiet: confidens in verbo illius, qui dixit: *Si vos, cùm sitis*
Matth. 7. *mali, nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis Pater vester, qui in cælis est, dabit spiritum bonum petentibus se?* Spiritus ille est, de quo ait Apostolus: *Non*
Rom. 8. *accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Is alius non est, quam perfectissimum, & omnibus numeris absolutum cor erga Deũ, quale filius habet erga patrem, amando illũ cum omni reuerentia & obedientia, recurrendo ad illum in omni tribulatione; & sperando in eo, tãquam in verissimo & fidelissimo Patre. Tale cor promittit Deus apud Ezechielem, dicens: *Dabo vobis cor nouum, & spiritũ*
Ezech. 36. *nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideũ de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meũ ponã in medio vestri: & faciã vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.* Nec tantùm hic Propheta, sed omnes simul Prophetæ vnanimi voce nil crebriùs, quam hunc spiritũ filij promittunt, quem acciperemus per vnigeniti Filij Dei merita, & idem singulari modo datus est in ipso die Pentecostes.

In tract. B. Vinc. de Vita spirit. Septem de bonum Deo.

Beatus Vincentius ad particularia magis descendens, sic ait: Debes præcipuè septiformi affectu exerceri ad Dominum, scilicet amore ardentissimo, timore summo, honore debito, zelo constantissimo, & illis debet adiungi gratiarum actio, & vox laudis, omnimodæ obedientiæ promptitudo, & suauitatis diuinæ pro posse degustatio. Et ideò continuè debes ista septem deuotè petere à Deo, vtpote dicendo: Bone Iesu, fac vt totis medullis amem te, summè timeam, reuerear, & pro omni honore tuo fortissimè zeler: ita quod omne tuum opprobrium tanquam tuæ gloriæ zelotypus vehementissimè exhorrescam: & potissimè si in me, aut à me, vel pro me facta tibi sint opprobria vlla Deus meus. Da etiam, vt tuum dominium tanquam tua creatura humiliter adorem & recognoscam, & de omnibus beneficijs à te mihi impensis gratias semper agam, & hoc cum summa gratitudine cordis. Da etiam, vt in omnibus semper te benedicam, laudem & magnificem, & hoc cum summo iubilo & tripudio cordis, & tibi in omnibus obtemperans & obediens semper reficiar dulcissima tua & ineffabili suauitate, quasi cum Sãctis tuis, Angelis, & Apostolis tuæ mẽsæ assistẽs, licet omnino indignus & ingratus reperiar. Qui cum Patre & Spiritu sancto, &c.

Septẽ quæ debemus nobis ipsi.

Debet etiã circa seipsum exerceri alio septiformi affectu. Primò scilicet, quod totus de suis vitijs & defectibus cõfundatur. Secundò, vt peccata sua tanquã Dei offensiua, & suipsius maculatiua, acutissimo & acerbissimo dolore plangat & deploret. Tertiò, humiliatio sui & conculcatio cum contemptu, vt scilicet totis viribus se sicut rẽ vilissimam & fœtidissimã spernat & contemni appetat, vt dictum est. Quartò, rigore seuerissimo, vt scilicet corpus suum asperrimè maceret, & macerari appetat, tanquam peccato fœtidum, imò tanquam latrinam & sentinam & tumulum omnium fœtidatum. Quintò, ira implacabili contra omnia vitia sua, & contra radices & inclinationes vitiorum suorum. Sextò, vigore peruigili & strenuo, vt scilicet omnes sensus, actus, & potẽtias suas, semper cum quadam viriliſſima strenuitate in omne bonum teneat peruigiles & attentas. Septimò, discretione perfectæ modestiæ siue moderantiæ, vt scilicet in omnibus districtissimè seruet mensuram & modum, videlicet inter nimium & non satis, vt scilicet nihil sit in eo superfluum, nihil diminutum aut defectiuũ, nec plusquam debet, aut minùs quam deceat.

Septem quæ debemus proximo.

Debet etiam circa proximum se exercere alio septiformi affectu. Primò quidem per piam compassionem, vt scilicet ita sentiat aliorum mala & incommoda, sicut sua. Secundò, per dulcem congratulationem, vt scilicet de aliorum bonis lætetur, sicut de suis. Tertiò, per tranquillam supportationem & condonationem, vt scilicet molestias & iniurias ab alijs illatas patienter toleret, & ex corde indulgeat & condonet. Quartò, per benignam affabilitatem, vt scilicet sit ad omnes benignus, & omnibus bonum affectet & optet, & talem se exhibeat in gestibus suis & verbis. Quintò, per reuerentiam humilem, scilicet vt omnes sibi præferat, & omnes reuereatur, & omnibus ex corde se subdat, tanquam dominis suis. Sextò, per concordiam vnanimem: vt scilicet, quantum in se est, & quantum secundum Deũ potest esse, vnum sentiat cum omnibus, & ita sentiat se esse omnes, & illos se, & omnium rectum velle pro suo reputet, & econtra. Septimò, per Christiformem sui pro omnibus oblationem, scilicet vt ad instar Christi pro omnium salute sit paratus & solicitus ponere vitam suam, & die nocteque orat: & laborare, vt omnes in Christo inuiscerentur, & Christus in eis. Sed tamen ne ex hoc credatur, quòd vitia hominum nõ sint pro toto posse cauenda & fugienda. Sciendum quòd quandocunque ex societate malorum hominum vel imperfectorum esset periculum, vel occasio retrahens, vel impediens à perfectione, vel feruore prædictarum virtutum, debes à talibus sicut à serpentibus vel draconibus elongari. Non enim est carbo ita ignitus, quin in aqua frigescat, aut tepescat sic ecõtra, vix est carbo ita frigidus, quin aceruo carbonum ardentium accẽdatur. Alias vbi periculum huiusmodi non imminet, in mera simplicitate debes aliorum non videre defectus, aut si videas per cõpassionem supportare vt tuos. Hactenus verba sunt B. Vincentij.

Laus charitatis.

Sed quia radix & fundamentum omnium harum virtutum est charitas & misericordia in proximum: necesse est, vt in ea potissimum homo sese exerceat qui Deo placere desiderat: ea enim est quæ in Scripturis sacris inter alias maximè commendatur. Apud Prophetam Zachariam quærentibus Iudæis an hoc vel illo die ieiunandum & flẽdum esset, vt legẽ Domini obseruarent, eique placerent, respondit Deus:
Iudicium verum iudicate: & misericordiam & miseri- Zach. 7.
rationes facite vnusquisq; cum fratre suo. Et viduã & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari, & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Sic enim placebitis mihi, & legem meam obseruabitis. Nec minùs eadem virtus laudatur apud Esaiam, vbi Dominus ait per os Prophetæ: *Hæc est requies mea,* Esa. 28.
reficere lassum, & hoc meum refrigerium. Nescio sanè quibus verbis virtutem hanc nobis ampliùs cõmendare possit Deus, cùm semetipsum in locũ pauperis substituat, suamq; consolationem & refrigerium appellet, quidquid sit afflicto & pauperi. Super omnia verò summam mihi parit admirationẽ, quod apud Ezechielem legitur, vbi Dominus commemorans peccata, ob quæ infamis illa Sodomorum ciuitas in extremum exitium deuenit, ea ad quinq; genera reducit, dicens: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ,* Ezech. 16.
superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant. Quæ peiora dici possent de hoc vitio, cùm Deus ipse hoc vltimo loco ponat inter ea, ob quæ miseri illi in malorum omnium extremum prolapsi sunt. Quis igitur exitus manet illos, qui thesaurum thesauro cumulant, & nihilominùs securè viuunt:

non animaduertentes se in eadem esse cùm Sodomitis damnatione? Hæc aliaq; huiusmodi dicunt Prophetæ.

Euangelium verò, quòd lex amoris est, ecquid dicet? Quid magis in fauorem & commendationem huius virtutis dici posset, quàm quod Dominus omnem rationem, totumq; fundamentum Iudicij finalis constituet in eo, si quis fecerit aut non fecerit
Matth. 25. opera misericordiæ? Quid magnificentius dici posset de hoc negotio, quàm quod sequitur in eodem contextu. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*? Quid grauius? quam in his duobus præceptis, in amore Dei scilicet & proximi, legem & Prophetas o-
Matth. 22. mnes consistere? In vltima quoque concione sua, quã habuit Dominus in cœna, ecquid magis commẽdat nobis, quam charitatis & beneuolentiam erga proxi-
Ioan. 15. mum? *Hoc est præceptum meum*, inquit, *vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, & paulò post, *In hoc cognoscent*
Ibidem. *omnes quòd discipuli mei istis, si dilectionem adinuicem habueritis*. Nec contentus quòd tanto cum affectu eis virtutem hanc commendasset, mox orat Patrem, vt executionem huius mandati ipsis per gratiam suam
Ioan. 17. concedat. *Pater*, inquit, *sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos; vt credat mundus, quòd tu me miſisti*, significans his verbis, charitatem & amorẽ inter Christianos tantum esse debere, atq; adeò ab omnibus ijs, quæ à carne & sanguine sperari possent, tam longè alienum, vt sit certissimum argumentum ad intellectus hominum cõuincendos, vt credant, non esse possibile, quod homines non essent cælestes, qui talem haberent inter se charitatem. Omnia hæc declarant, summam esse debere charitatem, & misericordiam nostram erga proximum, & quomodo illi in suis necessitatibus subuenire debeamus, vti iam antea declarauimus, cùm de charitate tractaremus.

Ad obseruanda omnia supradicta, necesse est, vt homo cor habeat semper attentum, solicitum, & perpetuo timore & vigilantia munitum, ne deficiat in aliquo eorum, quæ hactenus à nobis commemorata sunt. Oportet autem timor ille sit tam viuus, tã profundus, atque adeò continuus, ne homo sit vnquam supinus aut negligens in ijs, quæ sui sunt officij: sed vt sit perpetuus stimulus, & incentiuum ad quamcunq; aliam virtutem. Solicitam illam & continuam cogitationem homo ad omnia sua negotia secum adferat. Atq; hæc est tertia illa pars, ad quam hortatur nos Propheta, cum vult nos solicitos ambulare cum Deo. *Indicabo*, inquit, *tibi, ô homo, quid sit*
Mich. 6. *bonũ, & quid Dominus requirat à te: vtiq; facere iudicium, diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.*

Hæ itaque, mi frater, primariæ virtutes huius vitæ cœlestis sunt: hi sunt flores huius Paradisi, hæ stellæ huius cœli: & hæc est imago reformata & renouata ad similitudinem Christi. Debet enim talis esse vita Christianorum, vt sit exemplum sanctitatis, cõtionator mutus, lux mundi, argumentum & testimonium fidei, speculum in quo reluceat gloria Dei, multò clarius, quàm in alijs creaturis: sicut hoc significauit Propheta Esaias, quando dixit: *Et vocabun-*
Esa. 61. *tur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.*

DE DVODECIM PRAECIPVIS studijs, quibus seruus Dei potissimum debet incumbere.

CAPVT IV.

QVoniam multi cupiunt primaria vitæ spiritualis capita secum semper circumferre: placuit ad finem huius partis principalia quędam adijcere, quæ seruus Dei debet facere, quædam etiã, à quib. præcipuè debet abstinere, vt in hoc breui summario, quasi in catalogo videat, quid officium requirit.

Primum igitur eorum, quæ facienda sunt illud est, I.
nimirum, vt semper Deũ sibi ob oculos statuat, semperq; in illius præsentia versetur: est enim res manifestissima, secundum doctrinã Sanctorum, nunquam hominem moueri ad aliquid agendum, quod Deo gratum est, nisi ab eo præueniatur, nisi priùs ab ipso Deo moueatur, & intus tangatur. Quod si hoc nequeat homo facere continuè, saltem sæpius in die, & sæpius in nocte eleuet cor suum ad Deum, breuibus & humilibus, deuotisq; orationibus, atq; suspirijs, eius semper implorans auxilium & amorem, tanquã ille, qui nihil potest sine ope diuina.

Secundum: Quacunque ex re, quam audit, videt, II.
aut legit, aliquam semper deuotã, & ad amorem inflammantem eruat considerationem, qua cum poterit creare, & sustentare in se dulcem illum panẽ cęlestis mellis; hoc est, amoris diuini, tanquam apis, quæ Simile.
ex singulis floribus aliquid legit, quod fauos implet & alueare auget. Adeò vt quemadmodum magnus ignis conuertit in ignem quidquid in illũ conijcitur, Aliud.
etiam si aqua sit, aut ferrum: sic pariter cor eius amoris diuini flamma accensum ardere debet, vt omnia quæ in mundo reperiũtur, illi sint materiæ & stimuli amoris, cuiuscunque etiam sint qualitatis.

Tertium est: Si quando homo ceciderit in defectũ III.
& distractionem cordis, non exanimetur, nec sub onere deficiat: sed humili & deuota conuersione ad Dominum reuertatur, agnoscens summam suã miseriam, & diuinæ misericordiæ magnitudinem, & faciens quantum ex parte sua poterit, vt quã primũ ad pristinum statum redeat, & in via semel incepta progrediatur.

Quartum: Vt omnibus in actionibus suis id agat, IV.
vt adsit puritas intentionis. Quamobrem oportet, vt diligenter examinet cuncta sua opera, verba, & cogitationes: obseruetque diligenter, quæ sua in singulis est intentio, id curans, vt ea semper rectificetur & dirigatur, vt tendat ad gloriam Dei, non semel tantũ in die, sed quoties nouum aliquod opus est auspicaturus.

Quintum: Vt semper armatus incedat, etiã tem- V.
pore pacis, & præparatus ad excipiendum cum humilitate & mansuetudine omnia, quæ ingruere possunt, aduersa, sint licet subitanea & improuisa. Etenim ira, quamuis aliquando vtilis est, rarò tamẽ habet bonum exitum, semperq; conscientiæ relinquit post se scrupulum & timorem, an modum excellerit, an non &c. Ita vt ira sit vna earum passionũ, sine qua mimori cum præiudicio potest seruus Dei crescere, & in perfectione vitæ augeri. Quare dubium nõ est, quin qui passionem hanc deuinceret, in magna semper pace viueret.

Sextum: Si non sit aut Paterfamilias, aut Prelatus VI.
nũquam ad alterius defectus respiciat, sed suos semper obseruet. Prius enim semper secum adfert indignationẽ, superbiam, iudicium temerariũ, inquietudinẽ conscientiæ, zelum indiscretũ, aliaq; plura, quæ cor hominis cõturbant: posterius verò confusionem parit propriæ conscientiæ, humilitatem, timorem Dei. & cordis tranquillitatem.

Septimũ: Vt nõ tantùm anima, sed & corpore quã VII.
longissimè absit ab omnib. reb. trãsitorijs, & ad Deũ ex toto corde fugiat: quãtò enim studiosiùs in hoc sese exercebit, tantò minus de homine habebit: tãtoq; ampliùs de Deo participabit: qui enim amat trãsitoria, etiã cùm ijs transit: qui autẽ cor suum in Deo fixũ habet, etiã illius firmitudinis & stabilitatis erit particeps. Caueat etiam sibi à multis negotijs, si sint immoderata, etiam si mala nõ sint: distrahũt enim cor, nec permittunt illud in Deo perfectè quiescere.

Octa-

VIII. Octauum: Vt semper sibi ob oculos statuat vitam Christi: in eius sanctissima passione, conuersatione, doctrina, laboribus, & afflictionibus, quantum potest, meditetur, vt possit eius tam illustria exempla virtutum imitari: humiliatus nimirum, charitatis, misericordiæ, obedientiæ, paupertatis, asperitatis vitæ, contemptus mundi, amoris nostræ salutis, sicut initio huius libri diximus.

IX. Nonum: Laboret semper pro viribus suis, vt propriam abneget voluntatem, resignans illam in manus Dei, non aliter, atq; faciunt illi, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum alteri resignat: ita vt in se voluntas propria planè sit mortua, & viuat voluntas Dei, vt non regnet ipse, sed Deus in ipso. Debet autē hoc fieri in quacunq; re aduersa vel prospera, tristi vel lęta, dulci vel amara, &c.

X. Decimum: Vt in omni sua tribulatione, cogitationibus & negotijs, humiliter ad Deum recurrat magna cum spe, cum animo & corde filij, cùm tam potentem & pium habeat Patrem: omnia illius cōmendans prouidentiæ, accipiens omnia tanquam à manibus ipsius: abijciens à se omnem fastidiosam, tædiosamque cogitationem, omnia in sinum illius profundens.

Vndecimum: Vt gratus sit Domino & largitori omnium beneficiorum perceptorū, eiq; semper agat gratias, tam de paruis, quàm de magnis, non tam respiciens ad dona, quàm ad dignitatem, affectumque illius, qui dat: non enim minori cum amore dat parua, quàm magna.

XII. Duodecimum: Vt magnanimo & generoso spiritu amputet atq; abijciat à se omnia quę quoquo modo possunt hominē in via perfectionis impedire, siue ea sint corporalia, siue sint spiritualia: vt sunt, inordinatus amor aliquarum personarum, libri, studia, cōuersationes, exercitia, familiaritates hominum, quā. tumuis spiritualium, vbi videbit hæc cor suum perturbare & perfectioni, ad quam totis neruis contendit, impedimento esse.

DE DVODECIM DEFECTIBVS seruo Dei magna diligentia vitandis.

CAPVT V.

MVlti defectus reperiuntur, qui progressum in vita spirituali impediunt, propterea q; multi post multos annos ijdem sunt, qui semper fuerunt: huiusmodi nos duodecim hic recēsebimus, vt in ijs, tāquam in speculo, possit homo videre suos nævos, causasque in suo progressu impedientes cognoscere, atq; hoc modo remedium adhibere.

I. Primus eorum defectuum est, cùm homo inordinato conamine sese applicat ad exercitia & studia exteriora: ideoq; sæpe priuatur visitationibus & consolationibus interioribus: nemo enim extra se inuenit, quod intra se quærere debet.

II. Secundus: cùm homo quærit inordinatè omnibus esse comis, affabilis, & amicus: hinc enim oritur, vt nequeat sese ab occupationibus, rebus, & personis ijs abstinere, cum erat abstinendum: atq; hoc modo & tempus amittit, & sæpe deficit in suis exercitijs, hominibus cupiens nimis studiosè satisfacere: fitq; plerunq;, vt quanto magis cupiat placere hominibus, tanto minus placeat Deo.

III. Tertius, cum aliquando minus humilis est coram Deo, sed audacior, quam par erat: vnde paulatim amittit spiritualem verecundiā, quæ requiritur, quæque est filia humilitatis, & mater progressionis spiritualis.

IV. Quartus: cùm nonnunquam nimis est procax, & sese nimis inconsiderate negotijs externis immergit, maiori cum animi impetu, quam iudicio & ratione. Hoc modo perit pax & tranquillitas cordis, dū feruor est nimius, ipsaq; negotia malè peraguntur, propter nimiā præcipitationem, scriptum est enim. *Qui festinus est pedibus, offendit.* Oportet igitur in omnib. Prou. 19. rebus iudicium sit maturum, & tranquillum: tale namq; fidelis amicus est, & socius prudentiæ.

V. Quintus, cùm subinde magna de se, deq; sua virtute præsumit, licet eā non satis cognoscat: atq; ideo vna cùm Pharisęo clam contemnit alios, & se ijs me- Luc. 18. liorem arbitratur, perditq; humilitatem, omnium virtutum fundamentum.

VI. Sextus: cùm pronus est ad alios iudicandum, aliorumq; facta condemnanda: proinde in charitate refrigescit: quanto enim magis exaggerat aliorum mala, tantò magis acuit gladium, quo charitatem oppugnat, quæ quidem augetur bona opinione, quam de proximo habemus.

VII. Septimus: cùm magnam amoris sui partem fixam retinet in rebus transitorijs, & proinde plurimum languet in amore diuino.

VIII. Octauus: cùm valde tepidus & ignauus est in exercitijs orationum, incipiens ea cum pigritia, procedens in ijs cum negligētia, & finiens sine vllo fructu: quare sæpissimè diuinis visitationibus & augmento deuotionis destituitur.

IX. Nonus: cùm admodū lentus est & negligens circa propriam mortificationem, & victoriā sui ipsius: vnde oritur, vt Deo viuere nequeat, qui viuit sibi ipsi, & minùs in Deum potest transformari, qui in seipso non est mortificatus.

X. Decimus: cùm in seipso non est collectus, sed planè distractus, & sensibus dissipatus: quare homo iste nec tantum de seipso cognoscit, quantum scire debebat: nec sese contemnere nouit, nec examinare, sicut debet.

XI. Vndecimus: cùm nimius est sui ipsius, & suæ voluntatis propriæ amicus, proprijq; commodi studiosus: quamobrem non potest seipsum abnegare, nec Crucem suam tollere, nec mortificare suam naturā: atq; ita ad perfectionem vitæ Euangelicæ non potest attingere.

XII. Duodecimus: cum leuis est & inconstans in bonis propositis: mutans ea facilè, & quacunq; occasione, quæ offertur: vnde oritur, vt deficiente perseuerantia, quæ sola opus ad finem perducit, omne tempus consumat, in incipiēdo: nec proficiat in vita spirituali, Atque hæc causa est, cur aliqui inueniuntur, sicut vites illæ quæ quidem quotannis fructum proferunt, sed nunquam, aut rarò maturum.

FINIS LIBRI QVARTI.

MEMO-

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANÆ,

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS:

LIBER QVINTVS.

IN QVO AGITVR DE ORATIONE, quæ ore, vel voce fit: ideoque vocalis à quibusdam dicitur.

PROLOGVS.

VEriſsima, Chriſtiane Lector, & excellens D. Auguſtini eſt ſententia; Lex data eſt, vt gratia quæreretur: gratia autem data eſt, vt lex impleretur. Neque enim ſuo vitio non implebatur lex, ſed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam fuit ſanandum. Digna profectò tali auctore ſententia: in qua breuiter quaſi tota ſumma Chriſtianæ philoſophiæ comprehenditur: cum declaret naturam & conditionem legis Dei, virtutemque & neceſſitatem gratiæ, oſtendit etiam media per quæ gratiam adipiſcamur: inter quæ Oratio eſt, nequaquam infimum. Aug. de ſpiritu & litera cap. 19.

Cùm igitur præcedenti libro Regulas aliquot, & bene viuendi documenta tradiderimus, (quæ ad legem pertinent) reliquum eſt, vt nũc agamus de Oratione, per quam acquiritur gratia: cuius eſt dare nouam fortitudinem ad bene viuendum, vt dilucidius capitulo ſequenti probabimus.

Et quamuis gratiam conferre proprium ſit Sacramentorum: tamen quia ſecundo & tertio libro de ijs abundè ſatis dixerimus, hic de illis nihil amplius dicemus. Quia verò duo genera ſunt Orationis: vnum quod corde tantum fit, & vocatur internum, ſeu mentale, vt vocant, aliud verò, quod voci interiori mentis iungit etiam exteriorem verbi: de hac agemus præſenti hoc libro quinto, de illa verò Oratione mentis ſexto libro ex profeſſo tractabimus: vt homo ſciat quomodo in vtroque orandi modo ſe gerere debeat.

DE DIFFICVLTATE, QVÆ EST IN LEGIS OBSERVATIONE: quod remedium quo mitigatur illa difficultas, eſt gratia: & quomodo gratia per orationem impetratur.

CAPVT I.

DVo ſunt neceſſaria (Chriſtiane lector) ad bene viuendum: ſcire nimirum, & poſſe: hoc eſt, ſcire quid agere debeamus ad bene viuendum, & poſſe, ſeu vires habere ad perficiendum. Horum prius (vt paulò antè diximus) pertinet ad legem: poſterius ad gratiam Euangelij, lex enim docet quid bonum, quid malum eſt, ſed Euangelium dat gratiam, cuius ope bonum ſectamur, & malum fugimus. Ita vt à lege habeamus ſcire, & à gratia poſſe: lex illuminat intellectum, gratia mouet voluntatem: lex monſtrat viam quæ ducit ad cœlum, ſed gratia dat fortitudinem in ea ambulandi: illa eſt quaſi corpus, hæc quaſi anima, ſeu ſpiritus, quæ corpori dat vitam: illam habemus à Deo per Moyſen, hanc autem Deus nobis largitus eſt per vnigenitum ſuum Filium, teſte Ioanne, qui ait, Legem per Moyſen datam eſſe, gratiam & veritatem per Ieſum Chriſtum factam eſſe. Ioan. 1.

Legis & gratiæ differentia.

Inter has duas partes, ad bene viuendum neceſſarias,

sarias, posterior tantò est excellentior, & magis necessaria priori, quantò spiritus plus est corpore, & Euangelium lege. Ratio hæc est, quia homines non tam peccant ex eo quod ignorant, quid bonum, quid malum est, (ad hoc enim sufficit lumen naturale) quàm ex eo quòd appetitus noster corruptus est, qui fugit bonum, & sequitur malum, amplectitur quod damnat, & fugit quod laudat: meliora videt, & probat, deteriora sequitur. Atque ita fit, quod Apostolus dicit: *Non enim quod volo bonum hoc ago: sed quod odi malum hoc facio.* Huius mali causa est dulcedo, quam arbitrantur homines vitio inesse: & nescio quæ amaritudo, quam existimant virtuti cõiunctam: propterea inuitati & allecti ab vno, ab altero verò abhorrentes, sequuntur illud quod dulce videtur, & fugiunt quod amarum putant: quamuis hoc verè bonum sit, & conducibile. Ideoque meritò dicimus hominibus ad sectandas virtutes magis necessariam esse potentiam, quam scientiam: cùm omnes intelligant & cognoscant bonum, sed non omnes sequantur illud, propter difficultatem quam ibi inueniunt.

Rom. 7.

Cur homines à virtutibus abhorrẽt, & vitia sequũtur.

Hanc in re videtur homo versari in eadem dispositione, eodemque statu, in quo est infirmus, qui gustũ & palatum habet adeò corruptum, & inordinatum, vt nequeat inuenire cibum sibi gratum, & placentẽ, præter eos, qui noxij sunt, & sanitati suæ contrarij. Huic enim cum cibus proponitur, & vt comedat rogatur, cum promissione quod sanitatem hoc modo recuperabit, intelliget quidem id sic se habere, & verum esse, quod dicitur: tamen non edet, non quia ignorat hoc vtile sibi fore, sed quia persuadere sibi nõ potest, vt comedat, propter fastidium, quo à cibo illo abhorret. Talis factus est homo post peccatum: scit enim vitam & salutem suam in obseruatione mandatorum Dei consistere: tamen dicit sibi cibum istum non sapere. Videt manifestissimè vitam animæ suæ consistere in charitate, castitate, humilitate, patientia, temperãtia, atq; alijs virtutibus: abhorret nihilominus ab illis, & appetit contraria: vt sunt immunditia, vana gloria, arrogantia, gula, aliaq; vitia & sensuales delectationes.

Símile.

Posset autem quis interrogare: Quare virtus homini tam difficilis videtur: cum sit illi tam naturalis? cumque homo sit creatura rationalis, & virtus rationi sit consentanea: cur rationali creaturæ videtur difficile, quod cum ratione optimè conuenit? Non est equo molestum currere, nec aui volare, nec pisci natare: imò hæc illis iucunda sunt, eò quod naturæ istarum creaturarum conueniunt. Si itaq; naturæ rationalis creaturæ tam sit conforme secundũ rationem viuere, (quod est viuere secundum virtutẽ) cur homini virtuti consentanea vita difficilis videri poterit? Huic interrogationi responderi potest: Si natura humana adhuc persisteret in bona illa dispositione, & integritate, in qua Deus illam creauit, non videretur homini virtutis exercitium difficile: sed valde suaue & iucundum. Sed quia per peccatũ excidit ex illo statu felicissimo, & facta est languida, atq; infirma, mirandum non est, quod facere non potest, cum infirma sit, quod facilè fecisset, si robusta & sana esset. Videmus hominem, qui incolumis est, saltare, currere, ascendere, descendere, & facere quidquid vult, quorum tamen nihil potest, cùm infirmus est, nisi cum maxima difficultate.

Virtus cur difficilis.

Mirandum itaque non est, si virtus difficilis, & amara videatur homini, in hoc statu miserrimo, cùm in illo altero facilis & iucunda visa fuisset, tanquam res naturæ suæ conuenientissima. Dicit enim Augustinus, palato infirmo & corrupto amarus est & insipidus cibus, qui sano & integro dulcis est, & iucundus; & infirmis oculis molesta est lux, quæ sanis grata est, & amabilis. Ex his facilè videtur, omnes maledictiones, quas Deus locutus est Protoplastis, postquam peccassent, non minùs spiritualiter, quàm corporaliter intelligendas esse. Dixit enim mulieri, quod ex illo die pareret filios suos in dolore, cùm antea nescíret quid dolor esset. Quæ maledictio non minus locum habet in partu spirituali bonorum operum, quàm in partu filiorum materiali. Si enim homo non peccasset, opera bona fecisset, non tantùm sine labore, sed etiam cum summa delectatione, quod nunc non facit: peccatum enim corrumpendo & perturbando naturam, omnia virtutum opera fecit difficilia. Ad virum quoque dixit Deus: *in sudore vultus tui vesceris pane tuo*: quod etiam verũ est in sensu spirituali, videmus enim quanta cũ molestia & afflictione operamur virtutes, quæ verus animarum nostrarum cibus sunt, cùm ante peccatum easdẽ operati essemus cum maxima suauitate, & facilitate. In carne quoq; nostra maledictio terræ dominatur, de qua dixit Deus, quòd spinas & tribulos produceret. Quis enim nostrum non videt, hãc maledictionẽ in misera carne nostra locum habere? quæ terra inueniri potest, quæ tot spinas producat, tot tribulos germinet, sicut ipsa? Et si scire cupias, quæ sint istæ spinæ, qui isti tribuli, audi quid dicat S. Paulus: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia*, quæ omnia vocat Apostolus opera carnis: quia horum omnium radix est in carne nostra per peccatum corrupta, atq; hæ sunt veræ spinæ, ab hac terra productæ, & hæc maxima est maledictio, cui per peccatum obnoxia facta est.

Gen. 3.

Gen. 3.

Galat. 5.

Hi sunt fructus, quos caro nostra producit ex se: quod si alios proferat, necesse est id faciat cum labore & sudore vultus nostri: adeò vt experientia nos doceat, terram hanc materialem, si non colatur, si sudor & labor non accesserit, nihil proferre præter spinas, tribulos, lolium, lappas, & similes herbas inutiles: si autem producet herbas vtiles, & fructuosas, necessarium esse laborem & sudorem agricolæ: qui debet priùs arare, occare, seminare, & curas alias adhibere. Ad eundem modum terra carnis nostræ à seipsa, & sine cultura, producit spinas vitiorum, & tribulos inordinatorum appetituum: si autem velis eã flores & fructus virtutum producere, opus est labore, industria, diligentia, atq; è cœlo & terra misso auxilio. Hæc igitur est ratio difficultatis, quæ in virtute reperitur, præter aliam illam prauæ consuetudinis, quæ in nonnullis vsu longiori est corroborata, qua natura, per se corrupta, magis in malo obduratur, & ad peccandum fortior efficitur.

QVOMODO GRATIA CONFERT vires ad legem Domini obseruandam.

CAPVT II.

QVæres fortassis iterum, & dices: Si hæc ita sunt, quod igitur erit remedium ad difficultatem hanc superandam? Hanc quæstionem mouet Apostolus, & ipse mox soluit. Postquam enim copiosissimè exposuisset, quæ sit malitia, & rebellio nostræ carnis, tandem capite septimo Epistolæ ad Romanos, in fine sic ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* hoc est, de carne hac morti peccati subiecta? Respondet ipse dicens: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominũ nostrum*, Dominus enim Saluator noster non alium in finẽ in mundũ venit, quã vt naturam reformaret, vulnera nostra sanaret, & vt noster esset protector, Saluator, auxilium & remedium nostrum: vt per gratiam secundi Adæ recuperaremus, quod per peccatum primi perdi-

Rom. 7.

dideramus. Quemadmodum enim hic per inobedientiam & superbiã suam corrupit, & destruxit naturam, sic verus Adam, Christus Iesus, per suam humilitatem & obedientiam eandem sanauit, & restaurauit. Illud autem fit mediante gratia, quã confert homini, ex merito suæ passionis: illa enim gratia est, quæ naturam reformat, animæ nostræ veram imaginem restituit, vestit, exornat, & gratiam facit in oculis Dei: hæc est, quæ virtutibus & habitibus à se productis medetur nostris malis, sanat nostra vulnera, illuminat nostrum intellectum, inflammat nostram voluntatem, corroborat nostram debilitatem refrænat nostros appetitus, reprimit malas nostras inclinationes, reddit gustum rerum spiritualium, & fastidium parit rerum carnalium: atque hoc modo suaue fit onus, & leue iugum legis diuinæ. Quemadmodum enim ex animæ nostræ essentia fluunt potentiæ, quibuscum operatur: sic de essentia gratiæ (quæ quasi anima vitæ spiritualis est) procedunt omnes virtutes, & dona Spiritus sancti: quæ diffusa, & distributa per singulas animæ nostræ potentias, reformãt, aptasq; reddunt illas, vt virtutes operentur: adeò, vt quæ priùs erant quasi ligatæ, & ineptæ ad bene operandum, nunc alacres sint, & expeditæ, ad omne bonum faciendum. Quare non absq; ratione Theologi comparant virtutes & habitus illos cœlestes vnctioni illi, qua axes curruum liniuntur: quemadmodum enim rotæ circa axem mouẽtur facillimè post illam vnctionem: sic animæ nostræ potentiæ suauiter, & magna cum facilitate mouentur ad omnem virtutẽ operandam, postquam vnctæ sunt sancti Spiritus vnctione. Verum quidem est, hæc effectum sortiri in quibusdam maiorem, in alijs minorem, secundùm quantitatem, qua vnicuiq; cœlestis hæc gratia communicatur.

Effectus gratia.

Simile.

Hoc igitur modo virtute diuinæ gratiæ vincitur omnis difficultas, quæ reperitur in onere legis diuinæ portando, id quod Propheta pauciſſimis verbis ostendit, cum dicit: *Et computrescet iugũ à facie olei*: insinuans istis verbis, onus legis Dei fore leuius per virtutem gratiæ, quam per sanctum oleum intelligit. Dicit idem quoque Propheta in alio loco: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Vides itaq; quomodo virtus gratiæ corroborat, & alacres facit homines, ad currendum viam mandatorum Dei? Cùm dicit Propheta, quòd mutabunt fortitudinem, apertè ostendit illos, qui priùs habebant fortitudinem hominis, (postquam spiritum & auxilium Dei acceperint) habituros aliam fortitudinem, ab ipso Deo datam, per quã sic mutabuntur, vt qui antea erant alacres & prompti ad faciendum malum, debiles autem & ignaui ad bonum: nunc econtrario ignaui sint ad malum, fortes autem & alacres ad bonum. Idem promittit Dominus per Ieremiam, cùm dicit, sẽ mundo daturum aliam legem, à priori longè diuersam: scriptam non in tabulis lapideis, sed in ipsis visceribus, & cordibus humanis mediante virtute Spiritus sancti, qui illuminaret homines, atque ita erudiret in lege Dei, vt amore illius inflammarentur, commouerentur, & excitarentur ardentissimo desiderio illam obseruandi. Videamus igitur quæso, an dilucidioribus, disertioribusque verbis explicare potuisset conditionem gratiæ, subsidiumque & auxilium, quod ex eius beneficio in nos deriuatur, ad bene operandum, virtutibus ac donis, quæ ex ea procedunt, mediantibus?

Esa. 10.

Esa. 40.

Ierem. 31.

Inter virtutes autem & dona hæc plurimum ad bene operandum conducunt hæc tria, Charitas, deuotio, & gaudium spirituale, inter multas enim & præstantissimas prærogatiuas Charitatis, hæc vna est, quod facit iugum Domini suaue, & onus eius leue: vt Augustinus testatur his verbis: Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Quæ posteriora verba quoque repetit S. Bernardus, qui & alio loco dicit: Seruitus mea, ô bone Iesu, vix vnius est horæ, & si prolixior sit, facit amor, vt non sentiam. Hoc adeò verum est, vt dicat S. Basilius in quadam epistola: Delectabilior est labor cum amore, quàm quæuis alia res per se delectabilis, sine amore. Quam ob causam appositissimè D. Bernardus charitatem comparat rotis vehiculi, quod cùm rotas non habet, vix loco moueri potest: si autem rotas suas habuerit, non tantùm pondere rotarum non immobilius & grauius fit: sed multò leuius, & ad mouendum facilius. Sed etiam amor Dei, etsi onus sit grauissimum, maximaque obligatio nobis à Deo imposita, tale tamen onus est, quod non tantùm nos non grauat, sed in cæteris quoque oneribus ferendis nos plurimum adiuuat: quemadmodum plumæ & pennæ in auibus, etsi pondus suum habeant, faciunt tamen, vt ipsæ leuiores sint, & aptiores ad volandum.

Aug. de sancta Viduitate.

Simile.

Simile.

Tria ad virtutem necessaria.

Secundum, quod singulari modo ad impetrandã gratiam conducit, est deuotio: hoc ad intelligẽdum est difficilius præcedentibus illi, qui expertus nõ est. Etsi enim quis per experientiam non didicit, quid sit amare Deum, potest nihilominus quodammodo ex aliorum amorum natura & huius quoq; conditionẽ intelligere. Sed deuotio (cum sit virtus supernaturalis, affectusq; & motus interior sancti Spiritus) quomodo cognosci poterit, aut sciri, quid sit, ab illo, qui nunquã probauit illa, aut expertus est, quantumuis etiã & multa legat, & multa de eius natura audiat? Non obstante tamen hoc, nos (gratia Dei adiuuãte) tantum de illa dicemus, quantum verbis exprimi potest.

Deuotionem ad virtutem necessariam.

Sciendum igitur est, Deuotionem esse promptitudinem, & dexteritatem supernaturalem, quam Spiritus sanctus immediatè creat in anima hominis deuoti, qua promptus, dexter, & alacris efficitur, ad omnia illa præstanda, quæ ad diuinum cultum pertinent: adeò, vt qui priùs ineptus & ignauus erat, nec bona opera facere, nisi inuitus, poterat, per deuotionem (accedente Spiritus sancti virtute) accipiat nouum robur, ad faciendum eadem opera, non cum ignauia, inuito animo, aut multo labore: sed cum incredibili alacritate, voluptate, & facilitate: non cũ fastidio & nausea, sed cum summo gustu, & suauitate: non cum tristitia, sed cum lætitia: non coactè, sed promptè, & hilari animo, & bona voluntate. Ex his liquet, deuotionem opponi pigritiæ vel acediæ: quæadmodum enim acedia facit hominem tardum, & inuitum, tergiuersantemque ad opera bona, & Deo grata: sic econtrario deuotio facit promptum, alacrem, & voluntatem. Quemadmodum igitur Fides supernaturalis virtus est, quæ intellectui persuadet, vt firmiter credat ea, quæ fidei sunt; (etsi præter omnem rationem sint) & quemadmodum charitas virtus est, inclinans voluntatem ad amandum Deum super omnia, nostraque & nos ipsos eum in finem dirigendos: sic deuotio est affectus, & motus supernaturalis, quæ inducit eandem voluntatem, vt faciat omnia, quæ ad diuinum cultum, & obsequium pertinent, cum alacritate, animiq; promptitudine. Huius rei exemplum habemus in viatore, qui fame promodum enectus, pedem vix ampliùs mouere potest: is veniens ad diuersorium, & paululum quiescens, & sese refocillans, existimat sibi nouam animã infundi: sentitq; tantum robur, tantamque fortitudinem, & sic renouatur, ad perferendos labores itineris,

Quid sit deuotio.

Simile.

neris, quod adhuc reliquum est, vt exiliens, & stans in pedibus lætus atque alacris sese ad viam iterum accingat, dicens suis comitibus; Eamus. Eandem mutationem: quam operatur cibus, & quies corporalis in corpore viatoris etiam operatur deuotio (quæ est quasi spiritualis quædam refectio) in anima, quam possidet. Animaduerte quoque promptitudinem matris, quæ dilectum habet filium infirmum in lecto decumbentem, ad faciendum omnia quę ad sanitatem eius recuperandam sint necessaria, quantumuis etiam difficilia sint: & quantam anxietatem, & quam promptam voluntatem habeat pauper, auarus, fœnerator, ad tentanda quælibet, vnde lucri aliquid expectat: & sic ex his quotidianis & familiaribus exemplis intelligere poteris, quæ sit cõditio effectus huius supernaturalis, quem Spiritus sanctus operatur in animabus vere deuotorum. Illi enim cùm se ab hoc effectu moueri sentiunt, tam agiles fiunt & prompti ad omnia ea facienda, quę norunt esse Deo grata, vt non contenti simplici & communi diuinorum mandatorum onere, addant etiã, tãquam appendices, alios spontaneos labores, quos quidam supererogationes appellant, & cùm hæc omnia desiderio illorum non satisfaciant, sæpe etiam sanguinem fundere cupiunt, & propriam vitam pro amore Dei reddere.

similc.

Hoc igitur, mi frater, est deuotio, quantum verbis potest explicari, Nimirum quædam est refectio interioris hominis, refocillatio & corroboratio spiritualis, ros cælestis, afflatus Spiritus sancti, splendor fidei, stimulus charitatis, radius diuinæ lucis, de quo nascitur bonus ille voluntatis affectus. Pulchrè igitur à quodam religioso Doctore dictum est; Quid est deuotio, nisi fons aquæ viuæ, qui irrigat omnia nostra exercitia spiritualia? vinum cæleste, quod cor hominis exhilarat? pretiosissimum balsamum, quod passionum nostrarum sanat vulnera? cibus animæ, quo in bono sustentatur? spiritualis lingua, qua cum Deo sermocinamur? cæleste manna, quod in se habet omnis saporis suauitatem? & denique fauus mellis, non à fucis siluestribus, sed apibus spiritualibus per flores vitæ Christi volitantibus confectum, Ex quibus patet, deuotionem esse medicamentum, & vnctionem, ad communem infirmitatem naturæ humanæ curandam compositum. Status enim, in quem est homo per peccatum lapsus, non dissimilis est ab eo, in quo est infirmus, qui palatum habet corruptum, & appetitum edendi penitus amisit, vt antea diximus. Quemadmodum igitur ille curandus est, atque eò reducendus, vt appetitus reparetur, gustum rerum salubrium recipiat, & noxia quæque fastidire incipiat: sic animarum nostrarum cura consistit in reparatione appetitus rerum spiritualium; id quod facit deuotio, cùm hæc tantam vim & energiam habeat ad restituendum & excitandum hunc appetitum in rebus bonis, eundemque debilitandum & extinguendum in noxijs & malis: ex eadem enim radice, qua oritur vnum, alterum quoque generatur.

simile.

Non minùs ad hoc idem vtile est spirituale gaudium, quod (vt B. Thomas inquit) eiusdem deuotionis est effectus, & vnus ex præcipuis Spiritus sancti fructibus, vt Paulus testatur. Gaudium hoc facit nos cum lætitia currere viam mandatorum Dei, iuxta illud Prophetæ; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* quæ latitudo oritur ex lætitia, sicuti angustia & compressio ex tristitia & dolore. Sed quid dico mandata Dei; cùm non illa tãtum, sed omnes tribulationes, angustias, & afflictiones huius seculi martyribus dulces & iucundas fecerit hoc gaudium spirituale? Affirmat hoc B. Augustinus, cùm ait: Tua dulcedo Domine Stephano lapides torrentis dulcorauit. Tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcem fecit. Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat &c. & paulò pòst: Hanc tuam dulcedinem ineffabilem & illa gustauerat Virgo, de qua legimus, quòd lætissima & glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas inuitata. Hanc, vt reor, & ipse gustauerat, qui dicebat; *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quã abscondisti timentibus te?* Quiq; mouebat: *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Huc vsque Augustinus. Hæc dulcedo facit vt omnes aliæ suauitates, mundique vanæ delectationes contemnantur. Cùm enim (vt Bernardus ait) suauitatem spiritualẽ aliquis gustauit, statim omnis caro, id est, carnalis delectatio desipit, & quasi contemnitur. Nato Isaac, dixit Sara ad Abraham: *Eyce ancillam hanc, & filiũ eius: non enim erit hæres filius ancillæ cũ filio meo Isaac.* Et licet Abrahæ verbum hoc displiceret, Deus tamẽ petitionem vxoris eius probauit, & sic iussit vt exequeretur. Quid sibi vult hoc? Antequam Isaac nasceretur, Ismael erat in summo pretio, & in maximis educabatur delicijs, & blanditiis: nato verò Isaac, contemnitur, & domo paterna expellitur. Quid hoc aliud significat, quàm quòd per Isaac (qui est vxoris legitimæ & dominæ filius, risumque sonat) adumbratur gaudium spirituale: per Ismaelem verò filium ancillæ (quæ significat carnem nostram) insinuatur gaudium carnale? Quamdiu igitur homines nondum gustarunt, aut per experientiam cognouerunt magnitudinẽ voluptatum spiritualium, quæ per Isaac sunt significatæ, magno habent in pretio delectationes carnales, quia meliores non agnoscunt. Sed cùm Deus illis oculos nonnihil aperit, & facit vt sano cũ palato & purgato stomacho cæleste hoc manna degustent, confestim sordent illis omnes deliciæ mundanæ, & omnes sensuum oblectationes aspernantur: & eijciendo foras filium ancillæ, gaudium scilicet carnale, solus Isaac filius liberæ in ædibus manet, gaudium scilicet spiritus. ex quo patet, quantæ virtutis illud gaudium sit, tam ad contemnendas carnales voluptates, quàm ad viam mandatorum Dei maiori cum facilitate percurrendum.

Act. 5. Psal. 30. Psal. 33. *Pulcherrima allegoria.* Genes. 22.

Hæ sunt igitur, frater mi, quatuor rotæ præcipuæ, quæ currum hunc virtutis promouent: hæc sunt præcipua (post Sacramenta) media à diuina prouidentia ordinata ad naturæ nostræ sanitatem, & appetitus nostri reparationem: ad viam etiam quæ ducit ad cælum planiorem, & iugum Domini leuius faciendum.

ORATIONEM ESSE MEDIUM, per quod impetramus Gratiam, Charitatem, & Deuotionem.

CAPVT III.

SI me fortè interroges, quid ex omnibus ijs, quæ hactenus dicta sunt, velim cõcludere, cùm propositum nostrum sit hîc de Oratione disserere? Respondeo, me non inuenisse aliquod medium conuenientius, ad vtilitatem & necessitatem huius virtutis demonstrandam. Si enim materia virtutum tam sit difficilis, vt superius à nobis ostensum est, & ad superandam hanc difficultatem Gratia, Charitas, Deuotio, & Gaudium spirituale potissimùm conducant: quanta quæsò erit virtus & efficacia Orationis, cuius beneficio hæc omnia, quæ prædicta sunt, consequimur?

Et quidem primò, præcipuum quod inueniri potest medium; ad impetrandam gratiam, est eam cũ maxima instantia petere ab illo, qui dare potest: cũ

Gratia per orationem impetratur.

Rom. 10. ipſe, teſte Apoſtolo, *dives ſit in omnes qui inuocant illum.* Per quam igitur virtutem aliam expectamus illam, quàm per orationem? Oratio enim, præterquã quòd opus meritorium eſt, (ſicut ſunt & omnia alia virtutum opera in charitate facta) etiam eſt impetratorium: ſicut enim proprium illius officium eſt petere, ita illi tanquam proprium præmium & meritum reſpondet, vt impetret: quemadmodum & Luc. 11. Chriſtus ipſe promittit, dicens: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.* Quid dilucidius? quid liberalius? quid ad conſolationem noſtram magis dici poterat? Etenim, vt Chryſoſtomus ait, Deus non negabit opem petenti, cùm ipſe vt oremus nos incitet: & corroboret: & clarum eſt argumentum, ad dandum eſſe paratum, qui toties exhortatur & ad orandum nos Pſal. 65. inuitat. Quare & Dauid; *Benedictus Deus*, ait, *qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.* Quæ verba exponens Auguſtinus ait; Quãdiu Deus non tollit à te orationem tuam, non amouebit à te miſericordiam ſuam: qui enim tibi dat ſpiritum vt ores, etiam dabit q, eodem cum ſpiritu poſtulabis. Idem Dominus alio loco maiori cum ſuauitate nos Luc. 11. ad orandum prouocans, ait; *Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: nũquid propiſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ouũ: nunquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quantò magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Vides igitur manifeſtè medium, per quod ſpiritũ bonum (qui eſt Spiritus ſanctus, qui per gratiam datur) accipimus, eſſe, illum petere. Deniq; medium hoc tanta proportione huic fini accommodabatur, vt Auguſtin. dicere non vereatur; Nullum credimus Auguſt. de Dogmat. Eccleſ. ad ſalutem, niſi Deo inuitante venire nullum inuitatũ ſalutem ſuam, niſi auxiliante Deo operari: nullum niſi orantem auxilium promereri. Dicit hoc B. Auguſtinus, non q, ignoraret alia etiam eſſe media, quib. diuina gratia impetratur, ſed vt ſignificet, hoc eſſe proprium, & inter omnia huic effectui conuenientiſsimum. Cùm enim gratia ſit donum Dei, rectiſſima ad illam impetrandam eſt via, oculis in cælum ſublatis illam petere, & cum Propheta dicere: Pſal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.*

Oratione acquiritur charitas. Oratio præterea non minùs efficax eſt ad charitatem comparandam, quàm ad gratiam impetrandam: cùm oratio ſit petitio earum rerum, quæ nobis vtiles ſunt, & neceſſariæ: eſt & cordis noſtri ad Deũ eleuatio. Etenim ſuperiùs à nobis demonſtratum eſt, duo eſſe media, per quæ amorem Dei poſſumus nobis comparare; vnum eſt, conſiderare magnitudinem perfectionum & beneficiorum Dei, (horum enim conſideratio reddit illum nobis amabilem) aliud eſt, virtutem hanc maxima aſsiduitate, continuis orationibus, & ſummo deſiderio petere: cùm vtrumque, tam conſideratio, quam petitio, ad orationem pertineat. Ex quo patet, cum orationis officium ſit cor ad Deum eleuare, gratiamque & mercedem implorare; conſequens eſſe, quod oratio eſt conuenientiſsimum & per omnia accommodatum medium ad obtinendam hanc virtutem charitatis, quæ duobus iſtis modis, vt diximus, acquiritur.

Huc accedit, quòd ſi conuerſatio & familiare cũ aliquo colloquium magnum eſſe ſoleat amoris incentiuum, & occaſio; oratio autem nil aliud ſit, quã colloqui & conuerſari cum Deo; quid poterit eſſe aptiùs & commodiùs ad amorem Dei conſequendũ, quàm cum ipſo aut ſemper, aut ſæpe ſermones miſcere, negotiari, & conuerſari?

Adhæc ſi Deus ipſe realiter ignis amoris ſit, & orare nil aliud ſit, quam Deo appropinquare: ſequitur, quòd qui propiùs ad ignem illum accedet, magis inflammabitur, magiſq; calefiet. Si enim hic ignis materialis, eò quod elementum eſt tam nobile, non poteſt negare calorem ſuum ad eũ accedẽti: quid faciet Dominus illa, qui infinitis modis nobilior, melior, & ſui magis communicatiuus eſt? Ideo dicit B. Auguſtinus: Si homo cupiat aliquid eſſe, oportet Auguſt. appropinquet & adhæreat illi, à quo habet ipſum eſſe. Hinc eſt, vt ſi quando ſe ab illo ſeparet, obſcurus fiat, & deformis: ſi autem ad illum reuertatur, rurſus illuminetur, & pulchrior ſit: recedens ab illo fiat frigidus, accedens verò inflammetur.

Quinetiam cùm amor ille ſanctus ſit affectus & motus voluntatis: cumque voluntas ſit potentia cæca, quæ non mouetur, niſi præcedant actus aliquot intellectus: neceſſe eſt, vt conſiderationes aliquot intellectus præmittantur, quæ affectum hunc in voluntate accendant. Id autem pertinet ad orationem, quatenus eſt cordis ad Deum eleuatio, vt diximus, ex quibus omnibus patet, quàm vtilis eſt virtus hæc ad charitatem in nobis excitandam.

Oratio deuotionem generat. S. Thom. 2. 2. quæſt. 82. Porrò non minus etiam conducit oratio ad adipiſcendam veram deuotionem, quę tertia virtus eſt, viam hanc nobis complanans: videturque id eius proprium eſſe officium. Ex quo namque alio fonte vena deuotionis ſcaturit, niſi ex oratione, rerumque diuinarum conſideratione? Hoc eſt quod D. Thomas docet, qui vbi de cauſis deuotionis agit, dicit eas eſſe duas: vnam extrinſecam, (quem Deum aut Spiritum ſanctum eſſe dicit, qui ſanctum & cæleſtem hunc affectum inſpirat) aliam intrinſecam, & hanc ait eſſe meditationem, vel rerum diuinarum conſiderationem. Cùm enim deuotio ſit ſanctus affectus, & motus voluntatis? voluntas autem, vt diximus, potentia ſit cæca, quæ regulariter non mouetur, niſi aliqua lux & conſideratio intellectus præcedat: ſequitur neceſſarium eſſe, vt præcedat aliqua conſideratio, vt affectus ille deuotionis naſcatur, licet hoc ſolum non ſufficiat: ideoque iungitur huic alia cauſa extrinſeca, quàm diximus eſſe Spiritum ſanctum, qui nunquam deeſt officium ſuum facienti: & hoc modo concurrit cum illis, qui humiliter rerum diuinarum conſiderationibus ſtudent, ad affectum hunc in ipſis excitandum.

Cur deuotio propria Spiritus ſancto aſcribatur. Quòd ſi quæſieris à me, cur ſanctus ille Doctor affectum hunc potiùs, quàm alios Spiritui ſancto adſcribit, cùm negari non debeat, quin omnes alij habitus & actus virtutum infuſarum ab eodem Spiritu procedant? Ad hanc quæſtionem dico, quod etſi hoc verum ſit, tamen, quia deuotio (quæ primus actus eſt Religionis) eſt res tam vniuerſalis & nobilis, peculiari quodam modo auctor illius Spiritus ſanctus dicitur & aſsignatur. Deuotioni namque non ſatis eſt hominem ad vnum particulare opus virtutis amplectendum commouiſſe, (ſicut aliæ virtutes faciunt) ſed inclinat illum generaliter ad omnia virtutum opera cum promptiſsima voluntate: hoc eſt, ad omnia quę pertinent ad cultum diuinum: ingens autem ille, & mirabilis affectus, qui ſane arduum & excellens quid eſt, non datur ſine ſingulari Spiritus ſancti auxilio.

Poteſt autem quod diximus aliquo modo per hoc exemplum intelligi. Doctores aſſerunt, & quidem bene, hominem non poſſe Deum amare ſuper omnia naturalibus ſolum viribus, cùm interim alia opera bona moralia ijſdem poſsit operari: licet ea nõ ſint meritoria. Sed amare Deum ſuper omnia, eſt inſtar retis omnia purgantis, atque poſt ſe trahentis: & proinde nemo hoc modo illum poteſt amare, niſi qui omnia opera ſua refert & dirigit ad Deum, omniaq;

niaq; amore Dei lubens contemnit, & despicit: atq; hæc determinatio adeò generalis est & nobilis, vt nemo eam verè habere possit sine diuino auxilio. Eadem dicimus & de deuotione, cuius proprietas naturalis est, facere vt voluntas hominis sit expedita, prompta & voluntaria, non tantum ad vnum aut duo opera bona; sed ad omnia opera, quæ ad obsequium Dei pertinent, (qualia sunt omnia opera virtutum) ideoq; opus est illi auxilio, & singulari motu Spiritus sancti, si productura actum tam generalem & generosum. Ex quibus clarè patet, deuotionem, licet actus sit vnius virtutis, Religionis scilicet, esse nihilominus stimulum & excitatricem omnium virtutum.

Iste solet esse effectus diuini Spiritus, quem operatur in oratione, (cùm tamen debito modo fit) in qua sæpe accidit corda eorum, qui orant, modo quodam admirabili sic transformari, vt in initio orationis tepidi, ignaui, & debiles ad aliquod bonum faciendum, post horam vnam, qua ibi perseuerant, humiliter ad portam diuinæ misericordiæ clamando, tam fortes, sedulí, & procliues ad omne bonum efficiantur, adeoque à priori homine mutentur, vt vix queant à seipsis agnosci. Adeò vt inter ea quæ dicuntur opera gratiæ, & mirabilia videntur in oculis hominum, nequaquam minimum sit hæc tam magna & subita mutatio. Et tamen opus hoc miraculo caret, (sit licet supernaturale, vt miracula sunt) modus enim quo fit, non est miraculosus; sed ordinarius, & naturalis, quomodo Deus communiter sua opera facere consueuit.

Quartum verò auxilium, quod est gaudium spirituale, vnde deriuatur, nisi ex eodem fonte quo deuotio, hoc est, ab eadē Oratione? Docet hoc Deus ipse apud Esaiam Prophetam dicens: *Adducam eos in montem sanctum meum. & lætificabo eos in domo orationis meæ.* Etenim orando (sicut S. Bernard. dicit) bibitur illud vinū spirituale, quod lætificat cor hominis; vinum scilicet Spiritus sancti, quod inebriat cor nostrum, & facit vt omnium aliarum voluptatum carnalium obliuiscatur.

Esa. 56.

Bernard. in Epist.

Verum quidem est, non omne genus orationis hanc vim habere. Oratio enim (iuxta D. Thomam) etsi possit esse meritoria & impetratoria, etiam deficiente actuali intentione, cùm tamen non accidit hoc culpa orantis: nihilominus eadem intentio est necessaria ad alteram proprietatem orationis, quatenus scilicet causa est deuotionis, & huius gaudij spiritualis: quod, vt Diuus Thomas ait, est refectio animæ, & suauitas cælestis: ad hos autem effectus, vt iam dixi, necessario requiritur hæc actualis intentio.

CONCLVSIO OMNIVM PRÆDICTORVM, cum exemplis nonnullis Sanctorum.

CAPVT IV.

VIdes igitur, mihi frater, quàm vtilis sit Oratio ad quatuor hæc, de quibus iam egimus, consequenda: quæ ad legem Domini obseruandam quam maximè sunt necessaria. Ex quo etiam facilè patet, quàm vtile & necessarium sit virtutis huius cōtinuum exercitium homini, si eas vires habere cupiat, quibus legem Dei obseruare possit. Nec minùs ex his liquet, quàm appositè post multas admoniones & regulas bene viuendi, libro præcedēti traditas, nūc de oratione agamus: cùm difficultas, quæ est in vno, alterius ope minuatur, & subleuetur. ex quibus omnibus id demum consequens est, desiderium adimplendi legem Dei, orationis vsum requirere: vt auxilio vnius onus alterius faciliùs feramus. Quamobrē ait Ecclesiasticus; *Qui conseruat legem multiplicat orationem*: cognoscens enim necessariam sibi opem orationis, ad superandam legis difficultatem, non minus anxius & sedulus est in vno, quàm in altero. Huc faciunt verba Ecclesiastici, alio loco posita: *Non impediaris orare semper, & ne veteris vsque ad mortem iustificari; quoniam merces Dei manet in æternum.* Nota quā pulchrè duo hæc simul coniunxit, semper orare, & semper bene operari: vt ostendat vtriusque necessitatem.

Eccl. 33.

Eccl. 18.

Facilè quoque ex his videmus, si oratio sit sterilis, hoc est, sine bonorum operum adiuncto exercitio, perfectam orationem non fore: imo potiùs fore antiqui hostis ludibrium. Cùm enim ex præcipuis laudibus orationis sit, quod ad omnem virtutem, atque adeò ad omnia bona opera viam sternit: si hæc desint, iam oratio primario suo fructu priuabitur. *Discedat* igitur *ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*, vt ait Apostolus. Nec sufficiat homini, si malum non faciat: sed laboret etiam, vt faciat omne bonum quod potest, & sic demum perfectam reddet orationem. Secundum hoc ait D. Augustinus in quodā Sermone; Quo vultu audes petere à Deo, quæ tibi promisit; qui nō facis quæ tibi præcepit? Fac priùs quod iubet, deinde pete quę promisit. Et Chrysostomus: Qui orat & peccat, Deum non orat, sed inhonorat.

2. Tim. 2.

August. in Sermonib.

Chrysost.

Omnia quæ hactenus à nobis dicta sunt, D. Augustinus hac breui comprehendit sententia; Lex iubet, gratia obseruat, & oratio mediante fide impetrat. Ex qua sententia id potest inferri; Legem scilicet per se non agere aliud quàm mandare, ostendo nobis quid agere debeamus; vires autem ad perficiendum non dare: Gratiam autem Spiritus sancti vires dare mediāte habitu virtutum ab ipsa procedentium; & gratiam illam per orationem obtineri, si viua & firma spe petatur. Tertium hoc idē Augustinus alio loco dilucidiùs explicat, dicens; Spiritus gratiæ facit, quòd fidem habemus: & fides orando gratiam impetrat, vt legem Domini possimus obseruare. Hæ itaque sunt principales virtutes & proprietates orationis, quæ ad propositum nostrum faciunt: habet & alias multas, de quibus alijs locis copiosius egimus: quare hoc loco nil ampliùs dicturus sum, præter illud Simonis de Cassia insigne orationis elogium: qui commendaturus orationem, ait: Oratio est in terrestri corpore incorporea operatio; aspectus immotus animæ in fide Deum aspiciens; ordo rationalis animæ ad Deum, cui se studio subdit; consistentia animæ ante Deum; allocutio diuinas aures pulsans; suauis clamor in sensu cordis; negatio omnium (dum agitur) corporalium actionum; restrictio sensuum, obliuio sui, & omnis creaturæ; portus vago spiritui; præsentatio sui coram iudice, diiudicatio sui ad mortem æternam, diffidentia suarum actionum, præuentio ante aduentum, id est, iudicium ante diuinum iudicium; verum animæ speculum; luminare splendidissimum; lux inuisibilis ad actionem inuisibilem; vmbra æstuantem refrigerans: iactatio sui in Deum, nihil volendo, nisi quod illi fuerit gratum. Hactenus Simon de Cassia. Omnia hæc (singula tamen suo proprio modo) conueniunt orationi: quæ tum demum perfecta est, vt quidam ex Anachoretis dixit, cum is, qui orat, de se non cogitat: sæpe namque vsu venit, quod oratis sui ipsius, & quidquid Deus non est, obliuiscitur.

Simon à Cassia.

Ob has igitur, aliasque vtilitates plurimas, quæ ex oratione percipiuntur, sancti illi Patres adeò fuerūt orationi dediti: sicut in eorum historijs legimus.

Dic mihi quæso, quid aliud in deserto fecerint Patres illi, cùm sportas suas texerent, quàm orationi vacabant? Quid primus eorum Paulus eremita septuaginta annis, quibus in eremo habitauit, nec hominem videns, nec visus ab homine, nisi quòd nocte & die orationi & contemplationi operam dedit? Qua intentione B. Hilarion decies cellam suam mutauit, vt remotior esset ab hominum strepitu, nisi vt assiduè studeret ieiunijs, Psalmis, hymnis, orationibus, & contemplationibus? Quid aliud egerunt omnes alij sancti monachi Anachoretæ, hoc est, solitarij dicti, quàm quòd semper officio Angelorum fungebantur; hoc est, res diuinas contemplabantur? An non legamus in libris Hester, Iudith, Tobiæ, Regum, & nobilium illorum Machabæorum, incredibilia beneficia per orationem esse impetrata? Quid virilem animum dedit sanctæ illi Iudith, quo celebre illud factum adire ausa est, vt Holoferni caput abscinderet, nisi oratio? Cùm ciuitas eius obsideretur ab exercitu Assyriorum, Sacerdotes & populus à senibus vsque ad pueros vna cum Iudith orabant Dominum. Cumque exiret in campum, nihil aliud ciuibus suis præcepit, quàm vt orarent: sed & cum in medio inimicorum versaretur, nocte & ante lucem egrediebatur foras, ad orandum & deprecandum Dominum; quin etiam ipso momento, quo pugionem euaginauit ad abscindendum caput Tyranni, fœmineum brachium oratione confirmauit; quo abscisso incolumis in vrbem reuersa est.

Iudith. 8, 12. & 13.

Quòd si fortè dixeris, omnes Sanctos, & maximè illos qui in eremis vixerunt, maiorem ad exercitium hoc commoditatem habuisse, nihil aliud habentes quod agerent: proponam tibi virum alium, quo non fuit in mundo magis occupatus, Sanctum scilicet Dominicum, qui non obstantibus tot negotijs, quę illi circumstrepebant, ad orationis fastigium peruenit: adeo vt in medio foro negotiorum, quæ charitas proximi postulabat, non desierit orare, & contemplari, sicut monachi in eremo facere consueuerunt. Quare non immeritò dici poterit de Sancto illo, quod ait Sapiens; *Quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, ipse fuit.* Mirũ profecto videtur in vno eodemque viro inueniri duas res adeo diuersas & pugnantes, quales sunt cypressus alta & sterilis, atque oliua humilis & fructuosa. Vtraque tamen huic beato Patri competit; quasi Oliua enim fructifera produxit oleum misericordiæ, pro proximo exercens sese in vita actiua: & quasi Cypressus, quę semper sursum tendit, contemplationibus, orationibus, & amoris motibus in cælum ferebatur. Atque ita vtriusque arboris pulchritudinem consecutus est, vnius fertilitatem, omissa humilitate; & alterius celsitudinem, relicta sterilitate imitatus. Sed quam continuæ fuerint huius viri sancti orationes, & quot modos orandi habuerit, dignum est homines non ignorare; & potissimum illos, qui nomen filiorum eius habent, vt dulcior & efficacior sit illis memoria exempli tanti Patris. De continua oratione huius Sancti, & de modis quibus in orando vtebatur, scribit Sanctus Antoninus, in tertia parte suæ historiæ: cuius verba hæc sunt: Licet autem quasi tota vita beati Dominici posset dici oratio, tamen extra horas canonicas nouem modos seruabat orandi, exterioribus actibus ad interiorem deuotionem excitandam. Horum primus erat inclinando se ante altare profundè capite & renibus, ac si per altare significaretur Christus, ante quẽ se humiliari ostendebat: sciens, quia oratio humiliantis se penetrat nubes. Sic & fratres admonebat inclinari, cùm transirent ante imaginem Crucifixi humiliati pro nobis.

D Dominici latus abo-randi studio.

Eccl. 50.

B Antoni nus parte tertia suæ historiæ.

Nouem modi orandi D. Dominici.

I.

Eccl. 35.

II. Secundùs modus orandi exterior erat, quia prostratus erat totus in terram super faciem suam. Sicut & Christus in horto orans procedit in faciem suam, cùm sanguineum sudorem emisit. Et in corde suo compunctus se ipsum erubescens, aliquando etiam altè dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et iterum in Psal. *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.* Et ad hunc fratres exhortans modum inducebat exemplum Magorum, qui procidentes adorauerunt puerum Iesum: adijciens, quòd etsi ipsi peccata non haberent, pro alijs reducibilibus ad pœnitentiam exorarent.

Psal. 50. Psal. 43. Matth. 2.

III. Tertius modus erat, quod stabat erectus, & cum disciplina se in spatulis catena percutiebat, dicens: *Disciplina tua correxit me in finem: disciplina tua ipsa me docebit* Et in memoriam & imitationem aliquale eius exempli, statuit Ordo in profestis diebus disciplinas dari virgulis ligneis cũ Psal. *Miserere*, pro peccatis suis & alienis, pro eleemosynis eis collatis.

Psal. 17. Psal.

IV. Quartus modus erat genu flectendi, seu genuflectiones frequentandi, sicut leprosus Euangelicus secundùm Marcum genu flexo ante Christum dicebat: *Domine si vis, potes me mundare.* Et Stephanus positis genibus in terra orabat, dicens; *Domine Iesu suscipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum.* Et non poterat continere aliquando vocem suam, sed audiebatur à fratribus dicens: *Adte Domine clamaui. Deus meus, ne sileas à me, ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacũ* Quãdoque loquebatur in corde, & vox penitus non audiebatur, & quiescebat in genuflexione stupefactus animo aliquando diu valde. Et aliquando videbatur in ipso modo, aspectu eius intellectu penetrasse cælum, atque citò videbatur exhilaratus gaudio extergens lachrymas defluentes, & multùm compositè atque agiliter mouebatur, etiam sursum erigendo se, & genuflectendo.

Mat. 1. Actor. 7. Psal. 27.

V. Quintus modus orandi est, quia stabat aliquando erectus ante altare toto corpore super pedes suos, non appodiatùs, ne hærens alicui rei, habens aliquando ante pectus suum manus expansas ad modum libri aperti. Et ita se habebat in modo standi, quasi ante Deum legeret valde reuerenter & deuotè. Et videbatur tunc in oratione meditari eloquia Dei, & velut sibijpsi dulciter enarrare. Ad quod facit id Psal. exemplum: *Stetit Phinees & orauit, & cessauit quassatio.* Quandoque iungebat manus inuicem, extendens fortiter, & ante oculos complosos constringens seipsum, & aliquando manus ad humeros eleuans, sicut moris est sacerdotis, cùm celebrat Missam, ac si vellet aures figere ad aliquid percipiendum diligentiùs.

Psal. 105.

VI. Sextus modus est, quòd aliquando manibus & vlnis expansis ad similitudinem crucis, vehementer extensus & rectus erat secundum possibilitatem suam, quomodo orauit, quando resuscitauit Napuleonem à mortuis Romæ in ecclesia sancti Xisti. Eleuatus etiam à terra fuit ab astantibus visus. Hoc modo Christus orauerat, quando pendens in cruce cum lachrymis, & clamore valido secundum Apostolũ ad Hebr. *Exauditus est pro sua reuerentia.* Et id Psal. *Tota die expandi ad te manus meas.*

Heb. 5. Psal. 87.

VII. Septimus modus erat, quòd aliquando orando totus erigebatur ad cælum, per modum sagittæ erectæ de arcu extenso proiectæ sursum in directum, eleuatis manibus sursum supra caput fortiter extensis, atque coniunctis inuicem, vel aliquantulum ampliatis quasi ad aliquid recipiendum de cælo. Et creditur, quod augebatur tunc ei gratia, & rapiebatur, & impetrabat à Deo pro Ordine dona, & gratias. In illo autem modo orandi sanctus Pater non diu stabat, sed reuertebatur in seipsum, quasi de longinquo

veniens,

veniens,& velut peregrinus mundo videbatur. Orans autem sic, aliquando auditus est à fratribus dicens: *Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Psal. 27.

VIII. Octauus modus erat, quod post Horas canonicas, vel sumptionem cibi & gratias, delibutus spiritu deuotionis, quam hauserat ex diuinis verbis dictis in horis, vel in lectione mensæ, citò ponebat se ad locum aliquem solitudinis in cella, vel alibi, vt legeret, vel oraret, & sedebat quietus, & expendebat librum aliquem ante faciem suã munitus signo Crucis, & legebat, & afficiebatur mente dulciter ac si audiret Dominum loquentem, sicut in Psal. dicitur: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Psal. 84. Et quasi cum socio disputaret, nutibus & mente, modò impatiens videbatur, non quietus auditor disceptare, & luctari, & arridere simul, & flere, & intuitum figere, & submittere, & iterum loqui silenter, & pectus tundere. Mos iste erat viro Dei ex lectione superferri ad orationem, & ex meditatione ad contẽplationem. Et cùm solitarius legeret, venerabatur librum, inclinabat se, & aliquando osculabatur, præcipuè Euangelia; aliquando ponebat faciem in manibus: quandoque capitio velabat.

IX. Nonus modus est, quando discurrebat de patria ad patriam, maximè in locis solitarijs, ludebat cum meditationibus suis: dicens aliquando socijs. Scriptum est in Osea: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Osee 2. Vnde & à socio declinabat, vel præibat, vel potiùs sequebatur eum à longè. Et mors erat ei in tali oratione & meditatione, ac si abigeret fauillas & muscas à facie sua, & muniebat se sæpe signo Crucis. Et putabant fratres, quòd in isto modo orãdi Pater sanctus adeptus sit medullam intelligẽtiæ sacrorum eloquiorum. Hactenus Antoninus.

Hi sunt itaque modi orandi, hæc exercitia, hæc exempla viri illius sanctissimi. Nescio profectò quid hic primum dicam, aut quid primum mirabor. Miror cùm animaduerto magnum ardorem, magnamque dulcedinẽ, quam habuit sanctus hic Pater, cùm tam perseueranter, & assiduè orauit; quia nec interdiu, neque noctu, neque ambulans, neque stans, neque cibum sumens, neque post cibum sumptum vnquam orationem intermisit, nec vnquam orando defatigatus est: imò ne quidem vnquam diuinis colloquijs potuit satiari. Maior considerans tantam delicatissimorum ciborum, suauissimorumque condimentorum diuersitatem: quæ nunquam fastidium adferunt, etiamsi semper de vno eodemque ferculo comedas: imò videtur quò quis amplius edit, eò magis appetitum rerum spiritualium varietate excitari. Sed penè obstupesco, cum video magnam dexteritatem fortissimi huius ducis, qui tam sinistra, quàm dextera manu pugnabat: videmus enim eum non segniorem in iuuando proximo, quam in sermonibus cum Deo miscendis: ita vt vnum exercitium aliud non impediret. Angelicum sanè est, sic cum hominibus negotiari posse, atque interim contemplationem rerum diuinarum non intermittere: & tamen Angelus hic terrestris, & homo cælestis adeò fixos atque immotos oculos in Deo habebat, vt nec in regimine totius suæ Religionis, nec in sacrarum literarum studio, nec in concionandi munere, nec in audiendis confessionibus, nec inter disputandum cum hæreticis, nec inter eundum, nec tot inter negotia & occupationes, ad quæ officij sui ratione tenebatur, vnio beatissimi spiritus eius cum Deo vnquam fuerit interrupta. Sed etsi subinde aliquantisper fuit hæc coniunctio impedita, credendum tamen est, eum confestim reuersum ad secreta cordis penetralia, & instar ardentis facis discurrisse, ad modum illorum animalium, quæ vidit Ezechiel, tanquam enim inuictus miles ad perfectissimum & beatissimum illum statum peruenerat, qui ex duobus illis vitæ generibus, actiuæ & contemplatiuæ, vnum constituit, sine damno vel incommodo vnius vel alterius; imò in quo vna alteram iuuat, altera alteri opitulatur. Exercitium enim bonorum operum efficaciorem reddebat eius orationem; & deuotio, quam ex oratione hauriebat, faciebat illum in bonis operibus alacriorem. Quinimò oratione meliùs erigebat negotia suæ administrationis: prius enim cum Deo sermocinabatur, & ipsa oratione officium concionandi moderabatur. virtute nãque oratiouis proferebat verba deuotionis spiritu animata, & instar titionum in fornace diuini amoris ignita. Ezech. 1.

Qui Sanctorum igitur exempla vult imitari, & in exercitijs virtutum proficere, assiduus sit in oratione. Oratio enim stimulus est ad omnia exercitia reliqua: eius enim beneficio impetratur Gratia, Charitas, Deuotio, & spirituale gaudium: quæ faciunt hominem aptum, & idoneum ad omnes alias virtutes.

DE SEX CONDITIONIBVS, QVAS bona Oratio habere debet.

CAPVT V.

COmmunis Doctorum omnium est sententia operum nostrorum dignitatem & meritum, non tam à substantia eorum, quàm à modo, quo fiunt, procedere. Quare vnus ipsorum valde subtiliter & appositè dixit, Deum non tam remunerare verba, quàm aduerbia: quasi diceret; Deum non tam respicere quid facimus, quàm quomodo facimus; id est, qua cum charitate, & deuotione facimus. Quod etsi verum sit in omni opere nostro, potissimùm tamen locum habet in Oratione, quæ si non fiat modo, & circunstantijs quibus oportet, nullius erit pretij vel momenti. Quare B. Iacobus optimè dixit; *Petitis, & non accipitis: eò quòd malè petatis.* Iacob. 4. Et Propheta Regius admonens nos ad psallendũ Domino, ait: *Psallite Domino nostro, psallite:* sed addit; *psallite sapienter.* Pal. 50. Ob defectum huius sapientiæ Dominus respondit ad orationem filiorũ Zebedæi: *Nescitis quid petatis.* Matth 20. Hanc ob causam dicit S. Bernardus in quodam Sermone, quod licet in omnibus operibus nostris, quæ facimus, opus sit magna attentione, atque vigilantia, oratio tamen præ cæteris vtramque requirit. Bernard. Ratio hæc est; quòd etsi inueniantur. quædam ciborum genera, quæ per se bona sunt, requirunt tamen aliquod condimentum, & aromata quædam, quibus efficiuntur gratiora: sic Oratio, quæ etsi per se est virtus valde laudabilis, opus tamen habet auxilio aliarum quarundam virtutum, vt mediantibus illis vltimam suã consequatur perfectionem. Simile. Requirit enim Charitatem, vt sit opus meritorium; & spem, vt quod petit, impetret: & quandam speciem attentionis, vt sit oratio. maximè verò postulat attentionem actualem, vt per illam consequatur gaudium spirituale, cũ deuotione; sicut latiùs in sequenti capitulo declarabimus. Omnes hæ virtutes sunt quasi formæ orationis, quarum singulæ dant orationi propriam suam perfectionem, atque ideo necesse est, vt ab omnibus his adiuuetur, vt sit perfecta. Hinc est quod D. Bernardus ait in quodam Sermone; Periculum est, si fuerit oratio nimis timida: maius periculum est, si fuerit temeraria: tertium periculum est, si sit oratio tepida, & non ex viua affectione procedens. Timida siquidem oratio cælum non penetrat, quia restringit animum timor

Non à substantia sed à modo aigmatem operũ nostrorum petenda.

Quas virtutes requirat oratio.

Bernard. Ser. 4. de Quadrag.

immoderatus, vt oratio non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida verò in ascensu lãgueſcit,& deficit,eò quòd non habeat vigorem. Temeraria ascendit quidem,sed resilit: resistitur enim ei:nec tantùm non obtinet gratiam, sed meretur offensam. Quæ verò fidelis, & humilis, & feruens oratio fuerit,cælum sine dubio penetrabit: vnde certum est quòd vacua redire non possit. Hæcille. Ex quibus verbis facilè colligimus, orationi aliarũ virtutum auxilium (vt diximus) esse necessarium. Idẽ Hilar. etiam significat D. Hilarius, cùm ait; Despiciuntur orationes leues,diffidentes,inutiles, seculi curis anxiæ,& rerum corporalium desiderijs implicatæ, bonorum operum fructibus infœcundæ. Quare si in oratione omnia horum defectuum genera locum habere possint;certum est,contrariarum virtutum præsentiam esse necessariam, qua vitia illa repellantur, vt oratio sit pura & perfecta.

PRIMA CONDITIO, EST attentio.

CAPVT VI.

IActo hoc fundamento, operæ prætium facturi sumus, si specialiter magis exponamus, quæ sint conditiones, quas oratio, vt perfecta sit, habere debet. Inter quas hæc prima est, vt fiat ex spiritu & cum attentione. Hanc conditionem vt habeat,iubet Matth.6. Dominus,cùm ait; *Tu autem cum oraueris; intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Quibus verbis monemur,vt orationis tẽpore omnes cogitationes & solicitudines rerum terrenarum abijciamus, atque ex anima nostra expellamus:vt omni attentione libera, & cũ spiritu præsenti vni soli Deo vacare possimus,in silẽtio & quiete. Cùm enim orare nil aliud sit,quam cum Deo colloqui, & cum eo de maximis negotijs (qualia sunt ea,quæ salutem nostram concernunt) tractare; facilè quis intelligit,quanta cum reuerentia & attentione hoc fieri debeat. Etenim si quis locuturus cũ Rege aliquo terreno, de negotijs huius seculi, non nisi præsenti animo, summaque adeat cum reuerentia; quantò magis par est, vt idem & nos faciamus,cum Rege cœlesti de cœlestibus negotijs locuturi? In huius 2.Paral.3. rei figuram legimus de duobus Cherubin, qui à Salomone positi fuerunt ad Arcæ testamenti latera, quod stabant erectis pedibus,& alæ eorum erant expansæ; vt significetur cor hominis debere eleuari, & ab omnibus rebus terrenis separari, cùm ad Deum vult accedere,& de negotijs cælestibus tractare.

Nemo autem hac attentione sola debet esse contentus;sed in hoc laborare debet, vt attentio illa cũ spiritu coniungatur;qui nihil aliud est, quàm vehemens quidam affectus, & desiderium obtinẽdi illud quod petimus: cùm id etiã aliquid sit, quod ad cultum Dei pertinet. Ad hoc inuitat nos Paulus, cùm iubet nos orare in spiritu semper. Illud autem orare in spiritu dicitur: quia sic orare est motus, & speciale donum Spiritus sancti:de quo idem Apostolus di- Rom.8. cit, quod facit Sanctos orare gemitibus inenarrabilibus. Talis oratio non solet redire vacua propter dignitatem sancti Spiritus, qui excitat illam & in- Psal.9. flammat. Quapropter ait Propheta; *Desiderium pau-* Psal.118. *perum exaudiuit Dominus.* Et in alio loco: *Clamaui in toto corde meo,exaudi me Domine.* Quod ideo Propheta dixit,quia non ignorabat illud clamare in toto corde potissimam esse causam, cur Deus nos exGreg. audiat. Huc facit illud Gregorij; Tantò minùs quis clamat,quantò minùs desiderat;& tantò fortiùs cælos voce penetrat,auresque Dei pulsat, quantò ampliùs desiderium suum coram illo dilatat.

Hæc prima conditio pertinet ad substantiam orationis:si enim illa esset sine omni attentione, potiùs Cassian. distractio,quàm oratio vocari posset. Affirmat hoc Cassianus: Parum, inquit, orat, qui non orat, nisi quamdiu genua flectit: qui autem genua flectit, & volens animo distractus est, nihil orat. De illis, qui sic orant, ait B. Chrysostomus; Tu non audis ora- Chrysost.in homil. tionem tuam, & Deum vis audire precem tuam? Flecto,inquis,genua:Curuasti quidem genua in Ecclesia; sed mens tua foris vagabatur: corpus tuum intus in Ecclesia, sed animus tuus foris: os quidem loquebatur;sed mens vsuras cogitabat. Talis oratio gratiam à Deo non impetrat, imò nonnunquã peccatum est, maximè cum homo ad orationem accedit sine vlla reuerentia & attentione. Vt enim Ca- Caietan. ietanus ait, quãuis homo non teneatur vt oret semper nihilominus cùm orat,(orare namque nihil aliud est, quam cum Deo sermocinari) oportet, vt cũ reuerentia & attentione loquatur. Et si voluntariè, & dedita opera hoc non faciat,non excusatur à peccato,saltem veniali. Non alienus est ab hac sententia D. Basilius;qui citatur à D. Thoma: is enim vult diuinum adiutorium non petendum esse frigidè,vel oscitanter,& corde distracto: qui enim illud sic petit,non modo non obtinebit,sed potiùs Deo displicebit. Atq; ideo meritò reprehendẽdi sunt quidam, & maximè Religiosi,qui recitant officium diuinum, aut alias orationes,tanta cum festinatione, & tam exigua cum attentione & reuerentia, vt videantur potiùs recitare versus Virgilianos,quam cogitare se cum Deo colloqui, eius auxilium implorare. Tales si paululum animaduerterent, quo cum, & de quibus rebus loquerentur, alij fortasis loquendi modo assuescerent.

Verum quidem est, quòd quando hæc distractio cordis non ex culpa orantis proficiscitur; cum facit is,quod potest;sed à vitio naturæ, quæ non omnino subiecta est orationi; tunc non solùm non est peccatum,sed suum etiam habet meritum,Quamuis,vt Doctores aiunt,oratio tres habeat insignes fructus; meretur enim gratiam, impetrat auxilium Dei, & deuotionem producit:ad solum tamen vltimũ horũ fructuum necessariò requiritur actualis attentio:deuotio namq; procedit ab actuali consideratione, & intelligentia rerum diuinarum: ad duos autem priores, mereri scilicet,& impetrare gratiam, sufficit bona voluntas, & intentio, qua cum homo ad orationem venit,non obstante quòd animus inter orandum in varias cogitationes diffunditur, si tamen id non fiat cum culpa orantis. Hæc doctrina vtilis est personis humilibus & deuotis, quæ solent præter modum affligi, & cruciari, cùm vident se non posse seruare cor suum quietum & attentum, cùm orant; licet id naturale sit omnibus hominibus,propter vitium ipsius naturæ corruptæ. Quare illos qui alia inuiti patiuntur,consolatur Ioannes Climacus: No- Io. Climac. li,inquit,tristari & mœrore nimio confici, si dum oras subtilissimè inimicus subrepat, animiq́ intentionem clam,vt fur, auertat: sed bono animo esto, dum semper lubricam reuocas mentem. Angelis enim solis datum est huiusmodi non patere furibus.

Actualis deuotio non semper ad orationem necessaria.

Hæc etsi vera sint, debet nihilominus homo deuotus nõ tantũ laborare vt abigat importunas illas vanarum cogitationum musc̃as, cùm orat;sed & vitam suam sic moderari debet, ne dentur cogitationibus huiusmodi occasiones, vt in orationibus molestæ sint.Multum iuuat orationis puritatem,inquit Beda homi- Venerabilis Beda, si in omni loco vel tempore nos lia Dominica 2.Quadr. ab actibus temperemus illicitis: si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus & linguam.Quæcunque enim sæpiùs agere, loqui, vel audire solemus, eadem necesse est sæpius ad animũ quasi solitam propriamque recurrant ad sedem: & sicut volutabra sues palustria, columbæ limpida solent frequentare fluenta,ita cogitationes immundæ impuram

impuram mentem perturbant, castam spiritales sanctificant.

SECVNDA CONDITIO ORATIONIS, est humilitas.

CAPVT VII.

Ecl. 35. SEcunda conditio Orationis, est humilitas, de qua Ecclesiasticus dicit: *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Ad hãc virtutem facilè adducitur, qui cognoscit extremam suam nuditatem & paupertatem, aut, vt melius dicam, profundissimam miseriarum abyssum, in quam post peccatum lapsus est homo, vna cum omnibus ijs, quæ ipse postea per propriam suam malitiam addidit. Homo enim per peccatum factus est sicut viator ille, de quo legimus in Euangelio, quòd descendendo ab Ierusalem in Hierico inciderit in latrones, qui spoliauerunt illum, & plagis superimpositis abierunt, semiuiuo relicto. Idem accidit homini per peccatum: spoliatus enim est omnibus bonis gratiæ, vulneratus insuper in omnibus bonis naturæ. Intellectus obscuratus est, voluntas facta infirma, liberum arbitrium debile, memoria vaga & dispersa, imaginatio inquieta, appetitus rebellis, sensus curiosi, caro denique ad omnem turpitudinem & voluptatem inclinata. Præterea totus homo factus est aptissimus ad omne malum, ineptissimus ad omne bonum promptus ad damnationem, piger & tardus ad salutẽ. Dic mihi quæso, quid boni sperandum est de infante vel puerulo, indomito & furioso insidente equo, debilissimasque habenas in manu habente, atque in via montosa, plenaque præcipitijs equitante? Memento in eodem statu hominem gratia destitutum viuere: appetitus enim eius est tanquam equus ferus & indomitus: ratio, quæ illum regere debeat, & moderari, tam obscura est atque debilis: & liberum arbitrium, quo eum tanquam fræno cohibere debet, adeò infirmatum, totusque mundus tot præcipitijs & laqueis plenus est, vt non tendi, sed pluere videantur: quod quæso maius periculum, quæ maior paupertas, quæ maior miseria potest excogitari? Denique homo tam miser est, vt vnum solum verbum, vnum solum bonum propositum aut desiderium, aut cogitationem Deo gratam non queat habere à se ipso, nisi à Deo iuuetur. Si in peccatum incidat, inde se ipse nõ potest leuare, nisi leuet ipsum Deus: eleuatus non potest aliquid boni facere, nisi accedat gratia, cum alijs virtutibus ab ipsa promanantibus. Sed nec illa omnia sufficiunt, vt opus inceptum ad finem optatum perueniat: sed opus est nouo auxilio & gratia, vt quis in opere vsq; ad finem perseueret. Ex his facilè videri potest, quàm grauiter natura est vulnerata, & malè tractata, cùm tantis & tot emplastris opus sit, vt sanetur. Quemadmodum domus antiqua, quæ ab omni parte ruinam minatur, omnia genera fulcrorum & sustentationum requirit, quibus incumbat, ne corruat: sic & natura. Qui itaq; tot partibus & modis debilitatus est, & lãguidus, an non æquum est, vt vociferetur cum Propheta, & dicat: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animã meam? Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, id est, non inuenio cui pes innitatur.

Si prædictis malis addantur ea, quæ vnusquisq; facit ipse, cum iactura quã incurrit anima, tum à proprijs peccatis, tum etiam à peruerso mundi huius cõmercio, qui semper armatus vitijs & malis exemplis instat: videturne tibi omnib. his simul iunctis, te meritò dicere posse cum Propheta: *Saluum me fac Deus quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum*?

Hæc igitur profunda & exacta propriæ miseriæ cognitio facit hominem spiritu humili deprecari. Quid enim aliud debet facere pauper eleemosynam mendicans? quid debilis fortitudinem, nudus vestimenta, peccator remissionem, seruus libertatẽ, infirmus sanitatẽ implorans? Adeò vt quo quis miseriam & paupertatem suam agnoscit euidentius, eò etiam ampliùs moueatur ad inuocandum Deũ, & eius misericordiam implorandã. Quemadmodum medicus à mane ad vesperam clamat, nec mendicare vnquã cessat: sic homo quò humilior est, & propriam inopiã manifestius agnoscit, eò fortius impellitur ad orandum Deum sine intermissione, petendo humiliter illius misericordiæ eleemosynam. Oportet autem hominem optimè fundatum esse in hac cognitione, tã ex ijs quæ de hac materia legit, quàm ex quotidiana experiẽtia suę fragilitatis, vt quasi oculis videat, atq; manibus palpet hanc extremam suam miseriam & paupertatem.

Simile.

Animaduertendum præterea hoc loco est, nos nõ tantùm ob magnitudinem nostræ miseriæ, sed etiam ob immensam Dei Maiestatem humiliari debere, cùm ad eam accedimus, vt alloquamur: sicut pulchrè nos docet D. Bernardus dicens: Si verum sit, (vt sanè est) millia millium Angelorum seruire Domino, & decies centena millia illi astare, ah quanta cum reuerentia, quanta cum humilitate debet rana paupercula de lacuna sua exire, vt offerat sese ante conspectum tantæ Maiestatis? Tali cum spiritu orabat ille Publicanus Euangelicus, qui non audebat oculos suos ad cœlum attollere, ideoq; meruit iustificari. Cum simili spiritu humiliatus est ante Dominũ Achab Rex idololatra, & pessimus, obtinuitque per humilitatem, quod non debebatur ei per iustitiam. Sed quid dicam, ipsum Dei filium simili humilitatis spiritu orasse, cùm in horto prostratus in terram Patrem ter orauit? qua exteriori figura interiorem humilitatem voluit insinuare. Si itaq; sic sese humiliauit tanta innocẽtia, & suprema celsitudo, cùm Patrẽ orauit: quò sese abijciet, aut quomodo sese humiliabit, sentina omnis immunditiei, & vitiorum mundi totius cloaca?

Bernard. Luc. 18. 3. Reg. 21.

DE TERTIAE BONAE ORATIONIS conditione, fide scilicet seu fiducia.

CAPVT VIII.

POst humilitatem conuenienter sequitur fides, seu fiducia, vel spes, quæ est tertia Orationis cõditio. Humilitas enim docet, quòd non debemus in nobisipsis confidere: sed fides dictat, quòd in Deo confidere debemus: humilitas eximit nos de vno errore, indicans nobis vbi non est remedium: fides verò eripit nos ex altero, commonstrans vbi remedium est inueniendum. Hanc conditionem exigit à nobis Apostolus Iacobus, cùm dicit: *Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui aliter fecerit, non existimet quòd aliquid accipiet à Domino.* Quanta vis fidei sit in oratione, Saluator ipse declarat apud Marcum, cùm ait: *Omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Vides igitur quã necessaria sit fides illa, seu impetrãdi fiducia in oratione. Ex his colligitur, orationem ex charitate habere quòd meretur, & à fide quòd impetrat. Quemadmodum igitur secundum mensuram charitatis est mensura merendi, sic secundum mensuram fidei erit mẽsura impetrãdi. Dicit B. Cyprianus in epistola quadã ad Donatum: Quãtum vas fidei capaciùs afferimus, tantum gratię inundantis haurimus: Dei enim misericordia velut inexhaustus quidã bonorum fons est, à quo plus hauriet, qui capacius fidei vas ad illum affert.

Iacob. 1. Marc. 11. Cyp. epi. ad Donatum.

Huius rei, inter multa alia, tria exempla habemus in Euangelio. Princeps ille Synagogæ credebat, si

Exẽpla tria, quib. ostẽdetur, tãtò nobis abundãtiorem dari gratiã quãtò maior est ipsa fides.

Dominus veniret in domum suam, & manum filiæ imponeret, eam sanandam: fecit Dominus, quod ille cupiebat, & eam sanitati restituit. Sed fœmina quæ fluxum sanguinis patiebatur vlteriùs progressa est, & credidit se, si vestimenti illius fimbriam tangeret, sanandam: & secundùm fidem factum est illi. Centurio verò adhuc anteriùs processit, credens quòd omissis illis omnibus, Saluator sola voce puerũ suum posset sanare: & secundùm quantitatem fidei, gratiam impetrauit. In quibus exemplis liquidè videtur, quantò maior est fiducia eius qui orat, tantò efficaciorem esse orationem ad impetrandum quod postulat.

Obiectio.

Dices fortassis: Quomodo tantam fiduciam habere potero, qui ne minimum Deo præstiti obsequium? Huic scrupulo respondetur, fundamentum & basin huius fidei, non sola esse hominis merita, sed potissimum merita Saluatoris, magnitudinemque bonitatis & misericordiæ diuinæ. Porrò si me interroges, quanta sit illa misericordia & bonitas Dei: dico, posse te eam cognoscere ex immensitate diuinę

Eccl. 2.

substantiæ. *Secundum enim magnitudinem ipsius*, ait Sapiens, *sic & misericordia eius*. Vt enim ille infinitè magnus est, sic etiam infinitè misericors est, & quemadmodum ille infinitas habet diuitias distribuendas, sic & infinitam habet distribuendi liberalitatẽ. Alioquin enim magna esset imperfectio, & dissonãtia in diuina illa substantia, si haberet infinita bona danda, & non haberet infinitum animum & dandi benuolentiam. Porrò licet omnes diuinæ perfectiones sint in eo vnum quid, & inter se æquales, negari tamen non potest, quin in operibus misericordiæ sit ditissimus & copiosissimus. Esto, fecerit multa & magna opera ad ostendendam magnitudinem aliarum virtutum & perfectionum, multò tamen plura & illustriora fecit ad commonstrandam suã bonitatẽ & misericordiam. Etenim vt ostenderet magnitudinem suæ potentiæ & sapientiæ, mũdum creauit: ad exhibendam magnitudinẽ sui rigoris & iustitiæ, mundum vniuersum diluuio perdidit: sed ad declarandam magnitudinem suæ misericordiæ mori voluit, & pro amore suo pretiosissimum sanguinẽ fundere. Hem quantò maius opus existimas Deum mori, quàm hominem? quantò magis arduum est Deum pro mundo pati, quàm mundum creare? Idcircò in illa admirabili visione, in qua Moyses vidit gloriam Domini in monte, inter maximas perfectiones & raritates, quæ illic apparuerunt, ea fuit, quam sentiens vociferabatur, dicens: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multa miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atq; peccata, nullusq; apud te per se innocens est.*

Exod. 34.

Hanc ob causam cantat Ecclesia, Deus, cuius propriũ est misereri & parcere. Nõ quia reliquæ virtutes & perfectiones illi propriæ nõ sint: sed quia hoc est opus bonitatis & misericordiæ, quã ille maximo habet in pretio, & vnde potissimũ vult laudari: sed & tale est opus hoc, quod maximè ostendit magnitudinem potentiæ & gloriæ illius: cũ perfecta misericordia ad eum solum pertineat, qui liber est ab omni miseria.

Quare, mi frater, quotiescunque Dominum hunc accessurus es ad remissionem peccatorum & misericordiam flagitandam, noli desperare, noli animum despondere, noli arbitrari te importunum esse, aut quòd postules aliquid, quod aut cũ honore Dei pugnet, aut quod præter illius naturã vel consuetudinẽ sit: sed potiùs existima, te oblaturũ illi materiã laudis, & occasionem faciendi rem commendabilem, glorioſam, & naturæ illius per omnia conueniente.

Simile.

Quemadmodum enim naturale est Soli illuminare, & igni ardere, & niui esse frigidam: sic, imò multò magis, naturale est infinitæ illi bonitati, omnibus creaturis suis benefacere.

Nequaquam etiam volo, vt existimes Deum indignari, sicut homines faciunt, cùm importunius rogãtur, qui molestè ferũt, quòd ab ipsis petatur, quòd enim dant, hoc ipsis decedit: sed quia Deo non decedit, quod habet, etiã si nobis det: ideò non offenditur importunis nostris precibus. Hinc dicit Augustinus: Non tu accipiendo proficis, & Deus in dando deficit, quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem adferas: fons vincit sitientem.

Aug. de ver. bis Apostol. li. cap. 10.

Secundum huius fidei seu fiduciæ fundamentum diximus esse merita Christi, qui est noster Saluator, Redẽptor, Aduocatus, Mediator, Rex, Sacerdos, & nostrũ sacrificium. *Nec est aliud nomen sub cœlo datũ, in quo nos oporteat saluos fieri, præter nomẽ hoc.* Etenim quemadmodum Deus noluit in mundo plures esse quam vnum Solem, qui lumen suum haberet in se, & à quo reliquæ stellæ omnes suũ lumen acciperent: ita noluit in mundo esse nisi vnum solum sanctificatorem, quo mediante sancti essent illi qui facerent opera bona. Hoc igitur est illud nomen, in quo toties iubemur in Euangelio, à Patre gratiam petere: dum promittitur nobis, quidquid in nomine illius (hoc est, per merita illius) petierimus, id omne nobis datum iri. Nec eo contẽtus idem Dominus, docuit nos certa verba, quibus eãdem gratiam nos petere vult: talia sunt Oratio, quam Dominicam appellamus. Quam orationem æterno Patri possumus offerre, dicentes, quòd id facere iussi sumus à suo Filio, & in signum illius hæc verba nos ab ipso Filio edoctos esse, vt ijs gratiam & misericordiam postularemus: sed & ipsum Patrem, id verum esse, ex stylo facilè cognoscere posse. Simile quid olim fecit Thamar, cum à Socero suo exuri, vt meretrix, iuberetur: mittens enim illi annulum, & baculum, fecit ei fidem, quòd ab illo conceperat, & hoc liberata à damnationis sententia Soceri, & iustificata est. Eodem modo & nos æterno Patri supplicare debemus, vt agnoscat, cuius sunt verba, quæ ad illum proferimus: iubeatque, vt ab eodem mediante reuocetur condemnationis nostræ sententia: vt amore illius obtineamus id, quod nos ipsi non meremur. Illud igitur templum viuum est veri Salomonis, & hoc altare, in quo quæcunque preces offeruntur, gratæ sunt Deo: vt ipse testatur apud Prophetam dicens: *Holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo.* Quod altare profectò non est aliud, quàm sacratissima Christi humanitas. Hæc erat causa cur Deus tanto quondam zelo voluit vnum tantùm esse altare sacrificiorum in Israel, imò in vniuerso mundo: vt significaret vnum esse solum summum sacrificiũ, vnum summum altare, vnum summum Sacerdotem, in quo altari, & per quem Sacerdotem omnia nostra sacrificia illi essent accepta, qui Christus ipse est.

Similis Deus. *Matth. 7.* *Marc. 11.* *Ioan. 14.* *Matth. 6.* *Genes. 38.* *Altare Dei quod.* *Esa. 56.*

Vt autem meliùs intelligas, quàm ingens sit ille thesaurus, lætериsque, & scias Deo debitam reddere gratiarum actionem, proferam exemplum, quod non minimam lucem, & cognitionem huius thesauri tibi dabit. Non multos ante dies homo quidam probus volens beneficium aliquod à Principe quodam petere, scripsit libellum supplicem, in quo enumerauit ordine cuncta obsequia, singularia quædam beneficia, & diuersis temporibus atque locis à patre suo, eiusdem Principis iussu & imperio gesta: quæ cum commemorasset, atque verbis diserтis amplificasset hæc merita, petijt magna cum instantia præmium, & remunerationem illorum, non aliter atque si propria fuissent. Similis huic nostra quoque causa est, & idem modus agendi noster est cum Deo, quem & seruare debemus. Omnes enim qui in statu

Exempli.

gra-

Quomodo fumus filij Dei. Esa. 63. 1 Cor. 15. Marc. 14. Luc. 22.

gratiæ sunt, filij Christi sunt adoptiui, & ille noster Pater est, sicut & Esaias illum vocat: ille est noster secundus Adam, vt ab Apostolo nuncupatur: per consequens igitur nos illius sumus hæredes legitimi, non ab intestato, sed per testamentum, quod die Iouis in vltima cœna sua condidit, & confirmauit, non sanguine hircorum, sed suo proprio, quem effusurum se ait pro nobis, atque ita hæredes nos constituit. Magnum itaque ius habemus postulandi mercedem laborum & dolorum eius: idq; summa cum auctoritate atque fiducia. Omne enim id, quod ille in hoc mundo sustinuit, & passus est; omnia vestigia illius, omnes vias duras quas ambulauit, non pro se, sed pro nobis fecit, sustinuit, & ambulauit: pro nobis incarnatus est, & pro nobis natus: pro nobis laborauit, ieiunauit, sudauit, prædicauit, famem & sitim sustinuit, pro nobis denique mortuus est: omnium autem horum nos per testamentum suum hæredes instituit: horum enim nihil ipse egebat, vt solueret, quod debebat, (cùm ipse fuerit semper innocentissimus) neq; ijs opus erat illi, vt gratiã & gloriã consequeretur, ipse enim Deus erat. Sic & Iacob consecutus est benedictioné, quæ non debebatur illi, non ob aliud, quam quia vestitus erat vestibus primogeniti, cui meritò debebatur: cur non igitur & nos gratiæ benedictionem obtinebimus, etiamsi nobis non debeatur, cùm ius & actionem Vnigeniti filij, cui illa iura debetur, habeamus?

Christi merita sunt nostra.

Gen. 27.

Vides igitur, mi frater, hæc esse primaria fundamenta spei Christianæ, præter verborum Dei veritatem, in quibus auxilium & subsidium suum promisit omnibus ad eum confugientibus: quemadmodũ vniuersa testatur Scriptura. Huius spei atque fiduciæ proprium est, vt claasis oculis nos omnesq; actus nostros ad manus Domini remittamus, cumq; nos omnia media licita tentauerimus, orantes vt nobis suam misericordiam largiatur, nobisq; eam det per instrumentum sue prouidentie, omnino secuti simus & contenti in omnibus quæ nobis eueniunt: certi, si nos ipsos manibus bonitatis illius resignauerimus, in conspectumque eius venerimus, & libellum illi supplicem, precesque nostras obtulerimus, omnia bene successura: nec aliud requiri, quàm vt firmiter speremus in infinita eius sapientia, etiamsi nos non intelligamus, aut comprehendere possimus: cùm non dubitemus misericordiam & verba eius fallere non posse.

DE QVARTA CONDITIONE, QVAE est, vt orationi bona opera sint adiuncta.

CAPVT IX.

CEterum obseruandum hoc loco est, non satis esse orationem tali fide suffultam, nisi etiam bona opera addantur, & bona vita illam comitetur. Etenim licet ineffabilis Dei misericordia sese subinde eò extendat, vt peccatorem exaudiat, qui non est in statu gratiæ, concedendo illi per misericordiam, quod non debebatur per iustitiam: nihilominus cõmuniter loquendo pòssumus dicere, quòd est verissima illa sententia Euangelica, quondam à cœco prolata: *Scimus autem quia peccatores non audit Deus: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Hæc est generalis Dei lex, in multis sacræ Scripturæ locis repetita. Sanctus Ioannes in sua Canonica: *Charissimi*, inquit, *si cor nostrum non reprehẽderit nos: fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.* Et S. Paulus, *Volo*, ait, *viros orare in omni loco, leuãtes puras manus sine ira & disceptatione.* Et S. Petrus iubet viros tractare suas vxores, tanquam infirmiora vascula, impartientes illis honorem, tanquam coheredibus vitæ, vt non impediantur orationes eorũ, si fortè habeant cor inquietum & plenum passionibus & per consequens in idoneum ad negotia sua cũ Deo tractanda. Dauid quoq; in Psalmis suis dicit: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Deus.* Sed & Dominus ipse multò euidentiùs hoc asserit, & maiori cum affectu, per os Prophetæ Esaiæ, cum ait: *Cũ extenderitis manus vestras,* (ad orandum) *auertã oculos meos à vobis: & cũ multiplicaueritis orationem, non audiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus.* Hoc est, Quando feciſtis hæc omnia, reprehendite me, vel conquerimini de me, si nõ exaudiero vestras orationes. Vides igitur hic puritatem vitæ, & societatẽ bonorum operum ad orationẽ requiri. Ad idẽ apertiùs adhuc cõmonstrandũ Deus præcepit, vt quotiescunq; Sacerdos ingressurus esset Sanctuarium ad orandũ, laminã auri in fronte gereret, in qua scriptum erat: *Sanctum Domino*, hoc est, Sanctitas debetur Domino. Quinetiam vt haberet in pectore Rationale iudicij, cui erat inscriptum: *Veritas & Iudicium*, vt per illud insinuaretur, fundamentum, & principalem apparatum orationis sacerdotalis esse debere, Sanctitatẽ, Doctrinã, & Veritatem: sine his enim oratio inops est & nuda. In figurã huius legimus, quòd cùm Propheta Heliseus præciperet Regi Ioas, arcu sagittam mittere, (ad significandum hac actione victoriam, quam Deus ei daturus esset cõtra Regẽ Syriæ) manus suas manib. Regis superimposuit, & hoc modo iussit sagittam iacere: ex quo intelligitur, opus esse, vt duæ manus in omni opere nostro cõcurrant, Dei & nostræ: manus nostræ debent operari, Dei verò nostras adiuuare, & auxiliũ hoc meretur, qui in omni actione manus suas manib. Domini coniungit. Sed etsi omnia opera nostra succurrant orationi, duo tamen huic propria sunt, & quasi maximè affinia, Ieiunium & Eleemosyna, quę sunt tanquã alæ duæ, quib. oratio in cœlum volitat. Cùm lex enim Domini sit, quod qua mensura alijs mensi fuerimus, eadem remetietur nobis, eodẽ modo per misericordiã, quam exhibemus proximo, misericordia Dei nos dignos facimus. Ieiuniũ verò alio modo iuuat orationẽ: primò, quia temperat corpus nutrimenti parsimonia, facitq; illud leuius, vt cum oratione ad cælum possit leuari. Secundò, quia cùm castiget carnẽ, ne spiritui repugnet, iam incipit facere homo, quod in se est: & sic meretur, vt Deus etiam cœptum opus sua gratia secundet. Præterea, qui hoc modo Deum quærit, & hunc in finẽ corpus suum duriùs tractat, vim faciens amori proprio, videtur eum seriò, debitoq; more quærere: nec dubitandũ est, qui sic Deum quærit, inueniet. Sed quia de trib. illis virtutibus, hoc est, Ieiunio, Eleemosyna, & Oratione (quæ sunt tria Satisfactionis opera) suo loco tractauimus, cùm de pœnitentia tractabamus, non erit necesse nunc latiùs de illis agere.

Esa. 1.

Exod. 28.

Elegans allegoria. 4. Reg. 13.

Ieiunium & Eleemosyna iuuant orationem. Matth. 6.

Lib. 2. & in lib. de Oratione & meditat. 3.

DE QVINTA CONDITIONE, QVID petendum sit.

CAPVT X.

QVinta conditio, pertinens ad Orationem, versatur circa ea, quæ petenda sunt. Et si homo attentè considerabit, quanta sit magnitudo illius Domini, ad quem venimus mercedem petituri, cognoscet verè à tam magno Domino, bonorumq; nostrorum tam cupido, non nisi magna petenda, qualia sunt bona omnia spiritualia, & æterna: omnia enim reliqua, quæ pro hac vita peti possunt, nullius momenti sunt, cum ipsa vita nihil sit. Verum quidem

Temporalia quomodo petenda.

Ioan. 9.

1 Ioan. 3.

1 Tim. 2. 1 Pet. 3.

quidem est, etsi temporalia sua natura nihil sunt: cùm tamen seruiant spiritualibus, aliquid dici possunt, atque hac ratione licebit ea petere, negotium tamen omne remittẽdo ad manus Domini, qui melius scit quæ nobis necessaria sunt, quam nos ipsi. Fit nonnũquam, vt quod secundùm iudicium nostrum vtile videbatur, secundum iudicium Dei noxium prorsus sit, & damnabile: ideoque negat per misericordiam, quod per seueritatem conderet. Hoc est, quod Augustinus dicit: Malè vsurus eo quod vult accipere, Deo potiùs miserante non accipit. Proinde si hæc ab illo petuntur, vnde homo læditur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. Et alio loco: Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit vtilius, magis nouit medicus, quàm ægrotus. Petamus itaque hæc temporalia cum conditione, omnia remittentes ad benignitatem & prouidentiam paternam Domini nostri: spiritualia verò petamus absolutè, omni remota conditione. Inter omnia autem alia primò petamus remissionem peccatorum: secundò stabile & firmum propositum in posterum mortaliter non peccandi: tertiò ad particularia descendamus, & rogemus Deum, vt largiatur nobis eas virtutes, quæ nobis maximè sunt necessariæ: quales sunt Charitas, Humilitas, Patientia, Obedientia, Victoria de nobis ipsis, & similes virtutes aliæ. In numerum harum virtutum etiam referatur gratia supplicandi vel petendi, (quæ est virtus Orationis) quæ donum Dei est, sicut testatur Gregorius his verbis: Sancti quò arctiùs Deo inhærent, ab ipso accipiunt, vt ab ipso petant quod eum facere velle nouerunt: sic sitim & aquam habent ab eodem. Implorandum quoque est auxilium pro omni statu, pro viris Ecclesiasticis, pro Principibus Christianis, pro Patre, Matre, cognatis, amicis, & benefactoribus. Similiter orandum est pro omnibus pauperibus, infirmis, captiuis, & pro omnibus in necessitate constitutis: pro omnibus infidelibus, hæreticis, malis Christianis: & vt simul dicam omnia, pro omnibus hominibus, etiam pro defunctis: hæc enim oratio Deo est gratissima: qui enim tam tenerè diligit homines à se creatos & redemptos, semper pro illis orari gaudet. Ideò dicit S. Gregorius: Quisquis pro alio intercedere nititur, sibi potiùs ex charitate suffragatur: & pro se tantò citiùs exaudiri meretur, quantò deuotiùs pro alio intercedit. Et Chrysost. super Matth. Pro se orare necessitas cogit, pro alijs autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum est oratio, non quã necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.

Aug. Super illud. *Quodcũque petieritis.*

In sentent. Prosp.

Spiritualia quomodo petenda.

Greg. In Moral.

Greg. In Moral.

DE SEXTA ORATIONIS CONDITIONE, quæ est in orando patientia.

CAPVT XI.

VLtimam Orationis conditionem dicemus esse patientiam, & perseuerantiam, quæ nobis orãtibus est necessaria, ne deficiamus, aut à petendo desistamus, quantumcunque Dominus exaudire nos differat. Imò hac in parte, quò diutius petitio nostra differtur, eò (si sic dicere liceat) debemus esse pertinaciores & importuniores: vt possimus dicere cum B. Iob: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Huius conditionis admonet nos Saluator in Euãgelio, proponens nobis similitudinem amici, qui media nocte ibat ad alium amicum suum tres panes ab eo petens: venerat enim peregrinus ad illum de via, & nõ habebat quod apponeret illi. Alter autẽ excusans se dicebat: *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, nõ possum surgere & dare tibi. Et si ille* (inquit Christus,) *perseuerauerit pulsans: dico vobis, etsi nõ dabit illi surgens eò quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quot quot habet necessarios.* Qua similitudine Christus insinuat, quòd si perseueremus clamãtes ad ianuam diuinæ misericordiæ, id quod propter amicitiã impetrare non possumus, propter importunitatẽ impetrabimus. Tanta est apud Deum vis perseuerãtiæ. Hæc virtus admodum necessaria est in orationibus. Differt enim Dominus nonnunquã gratiã, quam petimus, aut vt probet fidem nostram: (si fortè tarditate moti remedium quæramus vijs illicitis & iniustis) aut vt manifestiùs cognoscamus summã nostram miseriam, aut vt feruorẽ deuotionis in nobis hac dilatione magis accedat: aut quia nobis sic expedit: aut deniq; aliam ob causam ipsi soli cognitã. His de causis itaq; virtus hæc in oratione est valde necessaria. Quinetiam vt conseruetur fructus illius, & ne tentatio tantum bonum nobis è manibus tollat: sunt enim aliqui qui exiguo tempore disponuntur ad orandum, & in eo magnã vim ponunt, qui etsi in alijs rebus laborem & molestiam norunt sufferre, prorogationem tamen desiderij sustinere nequeunt: cadũt igitur animo, nec in oratione procedunt. Oportet igitur vt homo discat modum & stylum Domino vsitatum: ipse namq; prorogat nõnunquam remedij vsq; ad extremum periculum, cùm omnis humani auxilij spes iam perijt: quemadmodum S. Susannæ, & Dauidi quondam accidisse legimus, cùm Saul eũ in monte obsessum tenebat: nec nõ & ciuitati Bethulienſi ab Assyrijs vndequaque cinctæ. Nonnunquam videtur homini quòd Deus ipsius sit oblitus, aut obsurduerit, aut quasi dormiat: cuius somni figura fuit, quòd Saluator in nauicula periclitantibus discipulis dormiebat: & hoc intelligendum est, nõ quod Deus, vt Deus, vnquam possit dormire, sed vt hoc modo destitutio & obliuio significetur. Aliquando enim res vlteriùs procedit, quia subinde videtur Deus non tantùm dormire, sed irasci insuper, & hominem quasi reprobare vel abijcere: quemamodum clarè adumbratum est in petitione Chananææ, quã Christus quasi à se reiecit, durioribus verbis illi respondens: quod & Dauid sibi contigisse insinuat in Psalmo octuagesimo septimo: in quo Propheta magnum terrorem & pauorem concepisse videtur, & se quasi abiectum à Deo conqueritur: Nihilominus ab oratione non desistebat, sed potiùs orandi studium ingeminabat: & qui priùs interdiu tantùm misericordiam Dei petebat, illo tempore noctem diei iungebat, dicens: *Domine Deus salutis meæ in die clamaui, & nocte coram te.* Non posset autem hoc facere homo mortalis, nisi idem Dominus, qui nos terret, iterum animum addat: idem qui reijcit, iterum inuitet, & qui videtur fugare, vicissim ad se vocet, hinc timorem incutiens, illinc spem addens. Facit etiam huc vt consideretur, quòd virtutes & dona quæ sæpè petimus à Deo, sunt inæstimabilia, & maximi pretij: ideò velle Deum, vt ardenter, sæpè & diu petantur, atque desiderentur: vt homo ea magni faciat, in honore habeat, & debitas Deo gratias pro tot tantisque diuitijs & thesauris reddat. Cùm igitur Deus non rarò ob omnes causas suprà dictas differat petitiones suorum implere, hinc fit, vt videatur eis ipsorum quasi oblitus, & altis vocibus clament & dicant: *Exurge Domine, quare dormis? exurge, & ne repellas in finem.* Audi Prophetam Abacuc, quomodo prophetiam suam exorditur: *Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, & non saluabis?* Quæ verba expositurus Sanctus Hieronymus ait: Quomodo si ægrotus & æstuans febribus aquam frigidam postulet, atque dicat ad medi-

Iob 13.

Luc. 11.

Cur non statim omnis exaudiat Deus.

Dan. 13. 1. Reg. 18.

Iudith 5.

Matth. 8.

Matth. 15.

Psal. 87.

Psalm. 43.

Abac. 1.

Hier. in c. 1. Abac.

medicum. Vim patior, crucior, vror, exanimor, vsquequo medice clamabo, & non exaudies? Et respondeat ei sapientissimus & clementissimus medicus: Scio quo tempore debeam dare quod postulas: non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua contra te petit. Ita & Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera atq; mensuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet, & magis prouocet ad rogandum, & quasi igne excoctum iustiorem & puriorem faciat. Quod intelligens Apostolus secundùm id quod misericordiam est consecutus à Domino, ait: *Non deficimus in tribulationibus.* Et cum Hieremia dicit: *Tribulationem & miseriam inuocabo.* Vt quomodo alius inuocat Deum erui à miseria mundi: sic sanctus vir & bellator inuictus ad exercendum se & probandum, tribulationem & miseriam venire desideret. Hæc ille. Ideo quod sanctus ille Propheta optabat in suum commodum, idem diuina disponit prouidentia in prorogatione nostrarum precum, priusquam eas exaudit. 2. Cor. 4.

Remedium itaque in omnibus his præsentissimũ est perseuerantia, cum fiducia, vel spe coniuncta: quę firmari debet in bonitate & misericordia illius Domini, qui omnia dirigit & disponit ad vtilitatem suorum electorum, vt dicit Apostolus: & quemadmodum ille scit, quod dare debet: sic etiam nouit tempus quo dari conuenit, vel dandum est. Vnde Gregorius: Omnipotens ille Dominus, qui quid expedit nobis optimè cognoscit, nonnunquam simulat se non audire, quod quis orat, vt postea faciat, quod vtilius est: vt vita purgetur per pœnitẽtiam, vt quies pacis, quæ in hac vita non inuenitur, in altera quæratur. Et in alio loco: Nemo qui tardiùs auditur, credat quod à superna cura negligatur. Sæpe enim nostra desideria, quia celeriter non fiunt, exaudiuntur: & quòd impleri concitè petimus, ex ipsa meliùs tarditate prosperetur. Sæpè vox nostra eo perficitur, quòd differtur: & cum superficietenus petitio negligitur, vota nostra altiùs in cogitationum radice cõplentur: sicut & semina messium gelu pressa solidãtur, & quò ad superficiem tardiùs exeunt, eò ad frugẽ multipliciora consurgunt. Desideria itaq; nostra dilatione extẽduntur, vt proficiant, proficiunt, vt ad hoc, quod perceptura sunt, conualescant, exercitãtur in certamine, vt maioribus cumulentur præmijs in retributione, labor protrahitur pugnæ, vt crescat corona victoriæ. Gregor. In Moral. Lib. 16. Moral. c. 6.

Hęc est vna species perseuerantiæ in oratione, quę requirit assiduitatem multorum dierum. Est & alia species non minùs necessaria, vt scilicet diutius vno eodemq; tempore in oratione perseueremus, quemadmodum fuit illa Saluatoris nostri in horto, vbi cũ factus esset in agonia, *orabat*, ait Euangelista *prolixius*. Res magni momenti est, si habeamus hoc genus perseuerantiæ, vt in hoc exercitio maneamus diutius, maiorem percipiamus fructum, fastidium vincamus, & laborem prolixitatis orandi superemus. Luc. 22.

Simile. Quemadmodum enim illi qui puteum fodiunt, quò profundiùs descendunt, eò plus inueniunt humoris, & tandem inueniunt venam aquæ viuæ: sic & illi qui orant, quò diutius in hoc exercitio perseuerant, eò dlus fructus faciunt: dicit enim Sapiens: *Melior est finis orationis, quam initium.* Oratio enim (sicut & omnia reliqua) principium habet, medium, & finẽ. Homo qui sese componit ad orandum, teporem sentit in principio, conflictumque cogitationum, quæ magnum fastidium pariunt: in medio incipit percipere quendam deuotionis calorem, qui animam aliquantulum consolatur: in fine autem experitur quietem admirabilem, & cœlestem suauitatem. Adeò vt quemadmodum rogus, qui ex lignis viridibus Eccl. 7. Orationis principium, medium & finis.

structus est, non facilè ignem concipit, sed laborat aliquamdiu, donec tandem subitò accendatur, & ardeat: sic etiam securus est ille, qui paulatim ignem deuotionis accendit, adeò vt qui in initio erat quasi extinctus, in medio paulò ampliùs viuat, in fine totus inardescat. Diabolus verò qui non ignorat hoc, laborat quantum potest, vt tantum bonum impediat. Vtque id faciat (dicit Sanctus Basilius) mille fingit causas, & mille genera necessitatum cõminiscitur, vt huiusmodi occasionibus auocet hominẽ ab oratione, & paulatim in suam trahat nassam, funiculis ad hoc vtens aliquarum rationum apparentiũ. At nos tanquam præmoniti de hoc periculo, debemus armati eius artibus resistere, & perseuerare in hoc exercitio, clamantes ad portam diuinæ misericordiæ. Sanctus Hieronymus in quadam epistola ad Eustochium scribens, de sua in oratione perseuerantia, sic ait: Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino imperante tranquillitas. Quis igitur erit is, qui perseuerans continuè misericordiam Domini implorando non impetrabit quidlibet ab illo, qui pelagus est infinitæ bonitatis & clementiæ? Hier. in Epi. ad Eustoch.

Existimo sanè, quod hactenus diximus, sufficere debere, vt intelligatur, quas conditiones bona oratio habere debeat. Quòd si autem nimium tibi videatur, quod præcipitur, verte oculos tuos, & vide quid tibi promittitur: sine dubio namque fructus huius virtutis tantus est, vt nemo, qui non probauit, posset credere. Omissis igitur omnibus alijs argumẽtis, audiui quondam de diuersis, qui memores temporis præteriti, quo nesciebant quid esset oratio, & præsentis temporis, quo iam vti hoc exercitio cœperunt, videntesq; dispositionem cordis, quæ erat illo tempore, & quam nunc in se deprehendebant, non faciebant finem laudandi Dominum, & admirabantur, considerantes passiones & tormenta, quibus tunc vel ob leuissimam causam perturbantur, & ex altera parte gustantes pacem & quietem, quib. nunc fruebantur, non obstante quacunque tribulatione, qua mundus eos exagitabat. Vnde per hanc, & per alias mutationes similes, quas in semetipsis deprehendebant, & sentiebant, agnoscebant virtutem, omnipotentiam, & bonitatem Dei. Quare modo quodam admirabili in fide confirmabantur, in charitate inflammabantur, & in spe corroborabantur. Ex eo quoq; oriebatur, quòd crescentes in his virtutibus, quæ sunt fontes omnium aliarum, quotidie plus merebantur, & perfectionis statum propiùs accedebant.

DE TEMPORE QVO DVRARE debet Oratio.

CAPVT XII.

CVm iam de conditionibus Orationis disseruerimus, oportet vt dicamus etiam aliquid de tempore, quo fieri debet. Sanctus Basilius hãc mouet quæstionem, & idem respondet, dicens: Orationis tempus esse ipsam hominis vitam: adeò vt non assignet orationi tempus aliquod certum: voluit enim orationem omni tempore fieri, vt eius doctrina non esset absimilis illius Saluatoris: *Oportet orare semper, & non deficere*, licet id præceptum non sit, sed consilium tantùm. Quæ verba quomodo intelligenda sint, in alijs libris nostris declaranimus. Non enim hoc intelligitur de continuatione Mathematica, sed sicut intelligi debent res morales: hoc est, cum ea assiduitate, quæ possibilis est, & quam necessitas atque occupationes huius vitæ permittunt. Inter has tamen occupationes non deerit semper aliquantulum temporis spatium, quo eleuetur cor ad Deum, & semper in eius versetur præsentia, Basil. Luc. 18.

tia,(ipse enim in omni loco præsens est) quare & orationem diximus esse cordis ad Deum eleuationē: quæ potest fieri in omni loco & tempore. Testatur hoc magna illa & insignis legatio, quam Moyses acceperat à Deo ad filios Israel deferendam, cùm iam è monte Sinai reuerteretur, post prolixum cum Deo colloquium, cuius legationis hæc erat summa: *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta.* Hæc fuit legatio Prophetæ. Sed videamus nunc quæso quid sit, quod Deus hic promittit: & quid intelligit per regnum sacerdotale, & gentem sanctam. Scimus quia officium Sacerdotum est orare, iratum Deum placare, & illi sacrificium offerre. Et hoc erat primarium officium quod Deus requirebat à populo, quem ille sibi elegerat: adeò vt voluerit omnes esse Sacerdotes, non ordine, dignitate, & ministerio sacerdotali: sed imitatione officij huius primarij Sacerdotum, quod in colendo, orandoque Deo consistit. In hoc volebat populum suum à reliquis orbis terrarum nationibus differre: illæ namque non habentes tam fidelem Ducem & potentem defensorem, omnes vires suas in defendēdis Rebuspublicis collocabant, tanquam populus, qui in fortitudine brachij sui viuebat. Sed populi illius qui potissimum in brachio Dei viuebat, propriū officium & exercitium debebat esse, orare, colere, & pacare Deum: hoc enim faciens mereretur defensionem illius, qui semper curam huius populi habebat. Ex hoc liquet, præcipua Christianorum arma esse Religionem, & orationem? quòd apertè confessus est Ioas Rex Israel, licet idolatra, qui lugens mortem Helisei, (in quo omnem spem victoriæ suæ collocatam habebat) ait, *Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga eius*: vel, vt alia versio habet, *currus Israel & militia eius*, hoc est, vt glossa habet: Tu potentior es ad defensionem Israel, quàm militia cum curribus bellicis. Hoc itaque officium est, quod postulabat Deus, & hoc est præmium, quod promittebat. Et sanè si voluerit tales esse fideles illius temporis, multò ampliùs vult etiam tales esse eos, qui nunc sunt, cùm viuant in statu maioris perfectionis. Non ergo mirandum est D. Basilium tam latè extendere terminos orationis, & assignare illi totam hominis vitam, cum ea regi & defendi debeat per orationem.

Exod. 19.

4. Reg. 13. Rab. Salō.

Basil.

Idem itaque Basilius ex generali ista doctrina ad particularia magis descendens, sic ait: Adueniente aurora, initium diei demus orationi, laudantes Creatorem omnium rerum, cum canticis & hymnis spiritualibus: cùm Sol incipit radios suos per mundum dispargere, nos manum ijs rebus admoueamus, quæ nos decent: idque fiat accedentibus pijs cogitationibus & orationibus, quæ sint nobis instar salis condientes omnes actiones & labores nostros, vt suaiores nobis esse videantur. In alio verò loco sic inquit, Desidens in mensa, ora: assumens panem, ei qui præbuit gratiam persolue. Vino debilitatem corporis fulciens, memineris eius, qui donum tibi dedit ad lętitiam cordis & consolationem infirmitatum. Præterijt necessarius ciborum vsus, memoria tamen benefactoris ne prætereat. Vbi tunicam induis, gratias age largitori. Vbi pallium circūdas, auge dilectionē in Deum: qui & hyemi & æstati conuenientia tegumenta nobis largitus est, quæq; tum vitam nostram conseruant, tum turpitudinem velant. Completa est dies, age gratias ei, qui Solem in ministerium operū diurnorum nobis donauit: ignem verò ad illuminādam noctem, & inseruiendum reliquis vitæ neçessitatibus nobis exhibuit. Nox verò alia nobis orationis argumenta propinet. Quum respexeris ad cælum, & ad syderum pulchritudinem intentos oculos habueris, ora ad Dominum visibilium, & adora Deum optimum vniuersorum opificem, qui omnia in sapientia fecit. Quum videris omnem animantium naturam somno detentam, rursus adora eum, qui etiam inuitè nos per somnum à laborum assiduitate soluit, & à parua requie rursus ad virium vigorem reducit. Nox igitur non sit velut propria quædam ac tota & præcipua somni sors. Neque per insensibilitatem in somno dimidiam vitæ partem inutilem tibi esse patiaris. Sed diuidatur tibi noctis tempus in somnum & orationem. Sed & somni ipsi meditationes sint pietatis. Solent enim ferè imaginationes in somno diurnarum curarum esse resonātiæ. Qualia enim sunt vitæ nostræ studia, talia necesse est esse etiam insomnia. Sic indesinenter orabis nō in verbis orationem explens, sed per totam vitæ cōuersationem teipsum Deo coniungens, vt assidua & indesinens oratio sit vita tua. Hactenus Sanctus Basilius, ex quibus verbis facilè videtur incredibilis huius Sancti Monachi deuotio. De hoc exercitio latiùs ait Beatus Hieronymus: Nec cibi sumantur nisi oratione præmissa: nec recedatur à mensa, nisi referatur Creatori gratia. Noctibus bis terque surgendum, reuoluenda quæ de Scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospitio armet oratio: regredientibus de platea oratio occurrat, ante quam sessio: nec priùs corpusculum requiescat, quàm anima pascatur. Exercitium hoc orandi Ioannes Climacus quoque commendat in Monachis sui temporis, qui summo studio id agebant, vt in omni loco & tempore cor ad Deum haberent eleuatum. Et ne quando hic deficerent, (cum cor humanum ponderē suo facilè ad terrena recidat) dicit Sanctus ille, quod multi eorum, qui in monasterijs habitabant, in vsu habebant inuicem certis indicijs, nutibus, & signis ad orandum excitare, monere & exhortari, siue in mensa sedentes, siue in ædibus sibi mutuo occurrentes, siue in loco aliquo conuenientes. Quid potuit esse dulcius & deuotius? Ex his omnibus facilè cognoscimus, quanta sit diligentia, & quot inuentiones excogitent serui Dei feruore spiritus, ne illius vnquā obliuiscantur.

Hier. ſ. Epiſt. 22. ad Euſtochium.

Idē Concione 2. de gratiarum actione.

Sed reuertentes ad nostrum propositum, dicimus illud esse tempus quod D. Basilius orationi tribuit: atque idipsum obseruare debet, quicunque verè, & ex toto corde sese cultui & seruitio diuino mancipauit, & deouuit: licet enim nunquam ad hanc continuationem veniat, non tamen nimis longè ab illa aberit: & tantò propius accedet, quātò magis in hoc studio laborabit. Debet autem quilibet Christianus pro viribus suis contendere, vt quotidiè tantum tēporis det orationi, quantum sufficit ad seruandum cor suum quietum, deuotum, & in Domino corroboratum, ad omnia quæ illi incumbunt facienda: adeò vt quemadmodum filij Israel colligebant tantum mannæ, quod Dominus illis dabat in deserto, quantum illo die, quo colligebant, sufficiebat: sic & nos studeamus tantùm deuotionis quotidie nobis parare, quantum sufficit illo die ad vitæ spiritualis conseruationem: non despondendo animum in laboribus & molestijs, neque in peccatis procedendo: idem enim quod operabatur Manna in sustentatione vitæ corporalis, operatur quoque oratio & deuotio in vita spirituali: & quemadmodum in illa vita erat calor naturalis, cui opus erat auxilio istius sustētationis: sic in hac inuenitur calor pestilentialis, tam naturæ corruptæ, quam vitæ ipsius humanæ, cui non minùs quàm illi necessaria est continua hæc reparatio. Id D. Gregorius docet in suo Pastorali: Hocritè agitur,

Greg. Paſtoralis part. 11. cap.

Pastoralis part. 2. ca. 11.

agitur, inquit, si supernæ formidinis & dilectionis spiritu afflatus, studiosè quotidie sacri eloquij præcepta meditetur: vt in eo vim solicitudinis, & erga cælestem vitam prouidæ circumspectionis, quam humanæ conuersationis vsus indesinenter destruit, diuinæ admonitionis verba restaurent: & qui ad vetustatem vitæ per societatem secularium ducitur, ad amorem semper spiritualis patriæ compunctionis aspiratione renouetur. Valde namque inter humana verba cor defluit. Hæc D. Gregorius. Iuxta cuius doctrinam seruus Dei suijpsius rationem habere debet, & secundùm statum vitæ quem ambit, diligenter obseruare suam conscientiam: post quam considerationem sic bilancem moderetur, vt quod ab vna parte malè expendit praua carnis inclinatio, id restauret spiritus deuotio: & quod amisimus per conuersationem hominum, id per Dei conuersationem recuperemus.

Vt autem id commodiùs agamus, consultissimũ erit habere quasdam horas interdiu & noctu constitutas, vt sine impedimento aliquo liceat nobis magis integrè vacare diuino cultui: sæpe namque cor nostrum adeò deditum est deuotioni, propter spiritum, qui ab illo exercitio deriuatur, vt gaudeat semper in illa perseuerare, & inuitè portam aperit cuiquam rei, qua posset illam impedire: adeò vt quemadmodum corpus robustum sit per vim alimẽti, quod semel aut bis in die sumit, ita etiam anima per virtutem cælestis huius cibi corroboretur. Ad id verò duo tempora potissimũ laudantur, matutinũ scilicet, atq; vespertinũ: vt aliàs ostendimus. Huius rei fidem facit Propheta, cùm dicit; *Anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te.* Et Psalmista: *Sic memor fui tui super stratum meum: in matutinis meditabor in te.* hoc est, in verbis & mysterijs legis tuæ. Et profectò res notatu digna, Regem tantum, qui tot negotijs tam belli quàm pacis erat impeditus, habuisse cor tam liberum, & ab omnibus rebus huius seculi abstractum, vt primas & optimas suarum cogitationum manè potuerit offerre Deo, non tantum ad orandũ, (quod breuiter facere potuisset) sed etiam ad meditandum verba & opera Dei; quod & tempus quidẽ longius, & cor poscit tranquillius. Præterea licet Regum negotia tanti sint momenti, & tantum requirunt temporis, tamen bonus ille Rex non se excusauit, nec tergiuersatus est: sed tantum temporis, idque ex optima diei parte, sibi desumpsit, quantum satis erat ad sua negotia eum Deo pertractanda. hoc enim agens prudentiùs & faciliùs ea quoque peragebat, quæ interdiu in reliquis ad regnum pertinentibus erant facienda.

Simile.

Ma. 26.

Psal. 62.

Vt autem oratio matutina sit perfectiot & vtilior, plurimum pendet ab oratione vespertina: illa enim ad matutinam disponit. Ratio est, quia dum relinquitur cor occupatum in sanctis cogitationibus, remanet quasi locus præparatus orationi sequenti, atque ideo solet esse purior & deuotior. Qui ergo hoc facere vult, studeat vt cubitum eat atque incumbat cum sancta quadam occupatione vel cogitatione, & cùm nocte expergiscitur, eam renouet, magis autem manè cùm euigilat. Oportet enim vt prima cogitatio sit de Deo, sedem ea in corde figat, possessionem capiat, & cæteras omnes cogitationes intrare volentes excludat: eo namque tempore anima inuenitur tam prompta & disposita, vt primam quamque rem occurrentem sic apprehendat, postea vt nequeat nisi difficillimè repelli. Quamobrem non immeritò dicit S. Augustinus; Ne cor tuum elongetur vnquam à Deo, siue dies sit, siue nox: sed statim vbi somnus ab oculis tuis fugerit, fac statim sensus omnes euigilent ad orationem. Fructus exigui laboris huius tantus est, vt homo totiùs diei vitam habeat optimè dispositam atq; ordinatam, si manè orationem suam perfectè absoluerit. Huc facit illud Ioannis Climaci, qui refert vnum ex illis antiquis Anachoretis dicere solicitum; se in oratione matutina cursum totius diei conspicere: quali enim modo oratio illa præcedebat, tali cætera omnia isto die sequebantur.

August.

DE DVPLICI ORATIONE, MENtis & vocis, seu (vt quidam loquuntur) mentali & vocali.

CAPVT XIII.

DIcendum nunc aliquid est de duplici Orationum genere; quarum vna fit corde tantùm, ideoque mentalis à quibusdam appellatur. Hoc modo oramus, cùm diligenter cogitamus ea, quæ Dei sunt, omnemque necessitatem nostram offerimus in conspectum illius Domini, qui tam bene idioma cordis intelligit, quàm linguæ loquelam. De hac oratione in proximè sequenti libro agemus, licet quoqus in alijs libris de ea tractauerimus. Habemus & aliud genus orationis, in quo voci cordis verba etiam vocalia adiunguntur, & hanc orationẽ appellant vocalem. Hæc oratio vtilissima est omni hominum generi, potissimum autem incipientibus, si tali attentione & deuotione instituatur, qualem requirit. In hac enim oratione deuotio multa habet, quæ eam excitant; vt sunt verba Dei, quæ instar dulcium sagittarum feriunt cor, vt dicit Augustinus, & tanquam carbones spirituales accendunt & inflammant illud amore diuino, vt inquit Hieronymus. Proinde qui ex ignorantia non habent meditandi materiam, aut quia non habent deuotionem, nequeunt inuenire verba quibus Deum compellant, percurrunt verba Dei, & hoc modo ducunt, eleuantque paulatim spiritum suum, quomodo infantes se paruo aliquo vehiculo, eum in vsum facto, applicant, & ad eius motum mouentur, dum per se moueri aut incedere nequeant. Idem accidit his, qui dum non possunt proprijs verbis cum Deo loqui, aliorum verbis vtuntur, quibuscum excitant accenduntque suam deuotionem. Cumque solicitudines & tribulationes huius vitæ mortalis, tanquã plumbi massa aggrauant cor nostrum, & in terram vsq; deprimunt, tunc verba sancta & deuota subleuant illud, & in cælum extollunt: lectio enim apprehendit & captiuat intellectum nostrum, nec sinit tunc animum euagari, & circa externa occupari.

Simile.

Neque oratio hæc tantum incipientibus vtilis est, sed etiam prouectioribus & perfectioribus in via Domini, maximè autem cùm sunt impediti negotijs, occupationibus, itineribus, infirmitatibus, aut rebus alijs similibus, quæ non permittunt spiritum liberè ad Deum transuolare: in talibus enim casibus verba sancta & deuota incendunt ac stimulant deuotionem. Sic legitur de beato Augustino, quòd decimo, antequam moreretur, die iussit sibi septem Psalmos Pœnitentiales scribi, & ad parietem sibi oppositum suspendi, quos iugiter legebat, vberrimas lachrymas inter legendum effundens. Eadem intentione Mater Ecclesia plena Spiritu sancto instituit Psalmodias, aliaque officia diuina ad excitandam deuotionem eorum, qui orant, cælestibus illis vocibus: vbi non tantùm virtus, sensusque verborum, sed etiam suauitas & harmonia vocum penetrant cor, & ad deuotionem adducunt: vti legimus de eodem Augustino, quod copiosas lachrymas profundebat, & maximam dulcedinem gustabat, quotiescunque cantica, hymnosque Ecclesiæ tanta cum suauitate decantari audiebat. Musica enim naturaliter tam delectabilis est animæ nostræ, teste Philo-

Virtus Psalmodiæ.

sopho, vt infantium etiam, in cunis adhuc iacentiũ, animos deliniat: qui dulcedine vocum maternarũ, eum in finem dulciter canentium, soporantur. Cæterum quemadmodum verba sancta prosunt ad dormientem deuotionem excitandam, sic excitatæ iam & accensæ possunt nonnunquam obesse. Etenim cùm anima stat eleuata & suspensa in sublimi illo affectu, aut dulci sensu, aut timore Dei, aut in operum eius admiratione, tunc vellet quieta in illo affectu, quem Spiritus sanctus ei dedit, permanere, nec inde exire; ideoque tunc aut cogitare, aut loqui aliud quippiam magnum illi adfert fastidium. Et quantò amplius vires animæ coniunguntur ad fruendum suauitate, quam Deus ei largitur, tantò magis lingua obstupescit, cæteraque membra & sensus manent immobilia, ita vt nequeant officium suum facere, nec alteri operam dare. Igitur si quando homo in hoc statu & dispositione existens sentiat voces & verba suam aliquo modo impedire deuotionem, debet ea confestim intermittere, vt dicit B. Thomas: iniquum enim esset, si id, quod pro deuotione institutum est, contra illam militaret.

Vocalis oratio nonnunquam pro dest, nonnunquam obest, deuotioni.

Thom. 2. 2. q. 83. a. 12.

Ex his patet quasdam deuotas personas grauiter errare, quæ dum ex libellis suis orationes aliquas recitant, & Deus interea particularem aliquam deuotionem illis infundit: vident quidem tunc procedẽdo gustum & sensum illius deuotionis diuinitùs datæ impediri, pergunt nihilominus, & suam prosequuntur intentionem; non animaduertentes illud esse fugere ab eo, quod quærunt; & abijcere, quod in manibus iam habebant; certum enim est omnem orationem institutam, vt acquiratur deuotio; verbaque deuota tantò maiorem aut minorem facere fructum, quantò minùs aut magis huic conducunt proposito. Obseruandum tamen est, hoc non intelligi de orationibus publicis, quæ institutæ sunt ad ædificationem populi; nec de illis, ad quas dicẽdas homo siue per votum, siue per aliud vinculum obstrictus est: sed de illis tantum, quas homo sibi ipsi recitandas eligit, ad excitandam ijs suam deuotionem.

Abusus quorundam orantium.

Quia verò homo in principio orationis ferè solet esse frigidus, in medio verò paululum incalescere, & in fine inflammari: vtile mihi consilium videtur, vt cum id vsu venit (vsu venire autem vel semper, vel plerunque solet) incipiat ab oratione vocali, & desinat in mentalem: recitans primò preces eum in vsum collectas, & consuetas: deinde cùm deuotio incipit calescere, transeat ad alterum orandi modum, meditando locum aliquem vel articulum Vitæ Saluatoris, aut eius aliquod beneficium, aut colloquendo cum eo, aut pro beneficijs acceptis illi gratias agendo, aut aliqua alia ab eo petendo. Hæc admonitio mihi videtur magni esse momenti, præsertim ijs qui incipiunt: est enim deuotio gratia, ad quã non facilis patet accessus, vt antea dictum est.

A vocali incipiendum, & in mentali desinendum.

Quæ diximus hactenus, sufficient pro huius libri introductione: in quo posuimus varia Precum genera diuersis temporibus & rebus accommodata, in quibus diuersas virtutes à Deo petimus, vt in ipsis patebit. Sunt autem inter eas preces quatuordecim præcipuæ: septem, in quibus breuiter commemorãtur articuli & mysteria Vitæ Passionisque Christi; & totidem tractant de operibus & exercitijs primarum virtutum, quarum officia sunt amare & timere Deum, in illo sperare, illi pro acceptis beneficijs gratias agere, atque propter eius perfectiones hymnos ac laudes decantare. Quæ omnes Orationes diuidi possunt per singulos septimanæ dies, ab his quibus tempus suppetit: vt deuotiores fiant, eademque sæpè repetere non cogantur, quæ res fastidium parit.

Vltimò dico, quod antea dixi, studeat orans, vt sua oratio habeat conditiones antea positas, si frui velit admirandis vtilitatibus, quæ de hac virtute prædicantur. Nisi enim hoc fecerit, aut nullum, aut exiguum fructum capiet ex suis precibus: sicut & quotidie videmus multos multum orare, & tamen tam pleni sunt passionibus, cupiditatibus, vanitatibus & ambitionibus, quàm si nunquam verè intellexissent, quid sit orare: omittunt enim conditiones paulò antè enumeratas: qui defectus non est orationis, sed negligentiæ illorum, qui oratione vti nesciunt, atque hoc diligentissimè hic est obseruandum.

QVÆDAM ORATIONES DEVOTÆ, QVIBVS PRIMARIA VITAE ET MORTIS CHRISTI SALVATORIS NOSTRI MYSTERIA breuiter comprehenduntur.

QVÆ ORATIONES DISTRIBVI POSSVNT, ET SINGVLA singulis septimanæ diebus accommodari; vt commodius intelligantur, & ruminentur, quæ in singulis continentur mysteria.

PRIMA ORATIO DE VITA SALVATORIS.

1 Christus de cælo descẽdit & concipitur in vtero Virginis. Luc. 1.

IMmortales, ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod amore mei de regali tuo palatio, atque ex altissimo Patris sinu, in hanc vallem miseriarum descendisti, & in sanctissimo castissimæ Virginis Matris tuæ vtero carnem humanam assumpsisti. Oro te Domine, vt cor meum tibi præpares habitaculum, eumque in finem id omnigenis virtutum floribus adornes, vt tu solus perpetuo in illo habites. Vtinam, Domine, tuæ placeret bonitati, vt tale esset cor meum, ne vererer te inuitare: sed vt in me venires habitatum, & ego te mererer recipere suauiter, tuque in eodem corde requiesceres sine fine dulciter. O si te amplexari possem brachijs amoris tam potentis, vt nunquam à te aut cogitatione, aut affectione diuellerer.

Ago tibi gratias dulcissime Iesu, quia postquam conceptus es in vtero gloriosæ Virginis Mariæ, voluisti eam per montana visitare cognatam suam Elisabeth, vt salutaret eam, eiq; tempore partus ministraret. Tu non dedignatus es gloriosissimis matris tuæ visceribus nouem mẽsibus claudi: ideoq; te oro, da mihi veræ humilitatis gratiam, & dignare meillam cordis mei penetralibus imprimere, vt illius beneficio semper me paratum inuenias in rebus ad tuũ ministerium pertinentibus. Fac Domine, vt cor meũ res humanas semper fastidiat, & te suum habere habitatorem & Dominum perpetuo desideret.

2 Maria visitat cognatã. Luc. 1.

Ago

3. *Christus nascitur.* Luc. 2.

Ago tibi gratias, suauissime Iesu mi, qui de sacratissima Virgine sine dolore, & puritatis virginalis damno natus es: quæque te natum mox in præsepe posuit, vt pauperem, & mortalem, teque humiliter adorauit, vt Deum, & omnium Creatorem. Precor diuinam tuam misericordiam, vt digneris continuè nasci in me, per nouum charitatis ardorem: & vt vnicum sis meum desiderium, sola satietas, & firma spes cordis mei. Placeat tuæ bonitati, vt te solũ semper quæram, de te semper cogitem, te solum amore ardentissimo diligam.

4. *Christus pannis involuitur.* Luc. 2.

Infinitas ago tibi gratias, ô dulcis Iesu, quòd in intensissimo natus frigoris horrore, non dedignatus es vilissimis inuolui pannis, & virgineum lac de gloriosæ Matris pectore sugere, & quasi simplex & innocens pusio Virginis papillas lambere, cùm verè Deus esses omnipotens. Concede mihi, Domine, vt in conspectu tuo semper verus sim infantulus humilitate, & verè pauper spiritu. Da vt amore tuo non recusem ferre quæcunque aspera & laboriosa; nihil amem in hoc mundo præter te; nihil in hoc mundo præter te desiderem possidere.

5. *Christus à pastoribus adoratur.* Luc. 2.

Gratias ago tibi, benigne Iesu, quòd statim cùm natus esses iucundissimis Angelorum canticis concelebrari voluisti, & à pastoribus maximo cum gaudio & admiratione adorari. Da mihi gratiam, Domine, vt iugiter in tuis laudibus cum gaudio perseuerem, vtque te in societate pastorum diligenter quæram, & quærendo te inueniam, & inuentum te in æternum possideam.

6. *Christus circumciditur, & Iesus vocatur.* Luc. 2.

Laudare semper, & glorificare, bone Iesu, quòd octauo die (secundùm consuetudinem aliorum infantum) circuncidi voluisti, & in ætate illa tenerrima sanguinem amore mei fundere cœpisti: vtq; me ineffabili consolatione beares, Iesus vocatus es. Supplico tibi, Domine, vt digneris me referre in album electorum tuorum, & nomen meum in libro beatorum scribere: vtque omnem superfluitatem animæ meæ circuncidas; hoc est, otiosa & noxia verba, opera iniqua, cum impuris, inanibusque cogitationibus abscindas. Redemptor mi, tu vocaris Iesus, hoc est, Saluator; tibi enim soli conuenit dare salutem. Idcirco peto à te Domine, vt suauissimi huius nominis memoria expellat à me omnem inordinatam pusillanimitatem & torporem, & mihi misericordiæ tuæ spem firmam tribuat, & defendat me ab omnibus inimicorum meorum persecutionibus.

7. *Iesu à Magis adoratus.* Matth. 2.

Gratias ago tibi, dulcissime Iesu, qui à magis, te ex intima deuotione, fideque sincera quærentibus, inuentus es; idque stella coruscante ductore; qui ante te genibus aduoluti obtulerunt aurum, thus, & myrrham. Concede mihi, Domine, vt te in consortio istorum sanctissimorum Regum quæram, non in Bethlehem, sed in cordis mei præsepio, in eoque inuentum te adorem in spiritu & veritate; offeram tibi aurum splendentis charitatis, incensum deuotionis, & myrrham perfectæ mortificationis. Da mihi denique gratiam, vt omnes vires, omnemque animi fortitudinẽ imitandæ sanctissimæ vitæ tuæ promptus & alacris impendam.

8. *Iesus in templo præsentatur.* Luc. 2.

Ago tibi gratias, Domine Iesu Christe, qui vt dares nobis exemplum obedientiæ, atque humilitatis, voluisti legi amore nostri subijci; & ad templum in brachijs sanctissimæ Matris tuæ deferri; & pro te oblationem non diuitis, sed pauperis offerri. Quare iustus & senex ille Simeon, cum Anna Prophetissa, ob tuam præsentiam exultantes, celeberrimum tuæ gloriæ dederunt testimonium. Placeat bonæ voluntati tuæ, Domine, ne vnquam in posterum cor meũ subintret vel minima vanitatis cogitatio. Ah quant beatus essem, si à me omne genus præsumptionis exularet, omnisque appetitus mundani fauoris, cum toto mei ipsius amore inordinato extinctus esset. Dignare mihi gratiam tuam largiri, vt mihi ab omni humana laude caueam, omnibusque me hominibus subijciam, ijsque non inuitus obediam.

9. *Iesus in Ægyptũ fugit.* Matth. 2.

Ago tibi gratias, dulcis Iesu, quia cùm esses adhuc paruulus, persecutionem sustinere incepisti, vna cũ charissima tua Matre, nec dedignatus es in Ægyptũ fugere. Da mihi gratiam, vt in omnibus persecutionum mearum tempestatibus, in omnibus meis tribulationibus & tentationibus ad te fugiam, te quæram, te solum inuocem: & quotiescunque prædicta mihi de manibus tuis aduenient, fac, Domine, vt eà cum gaudio suscipiam, & trãquillo corde sufferam, tibi continuas agens gratias pro omnibus quæ tibi de me statuere placebit.

10. *Iesus sedet inter Doctores.* Luc. 2.

Gratias quoque infinitas ago tibi, Domine Iesu, quia charissima tua Mater cum maximo te dolore quæsiuit, cùm tu in templo remansisti, & post tres dies cum summo gaudio te in medio Doctorum sedentem inuenit, quos audiebas, & interrogabas cum incredibili sapientia. Ah, Domine, pro tua sola bonitate, da mihi, vt nunquam ego separer à te, nec tu à me. Expelle à me omnem socordiam & torporem; extermina frigiditatem animi, quæ tibi tantopere displicet; & da mihi perfectam deuotionem, & ardentem tuo iustitiæ sitim, quæ ita possideat cor meũ, vt nunquam lassus, nunquam seruiendo tibi sim satiatus. Paternoster. Aue Maria.

SECVNDA AD IESVM

ORATIO.

11. *Iesus baptizatur.* Matth. 3. Marc 1. Luc. 3.

AGo tibi gratias, dulcissime Iesu, qui Iordanis fluenta ingressus, voluisti manu Præcursoris tui Ioannis baptizari. Dignare me, Domine, per merita tua purificare in hac vita, & ab omnibus vitijs meis me mundare, & inebriare amore tuo, & cælestis patriæ desiderio. Fac me antequam anima mea ex huius carnis exeat ergastulo talem, qualem me esse vis, vt discedens ex hac peregrinatione, confestim tecum sim: vt te semper videam, te semper fruar in beata illa æternitate, quæ finem nullum agnoscit.

12 *Iesus in deserto tentatur à Diabolo.* Matth 4. Luc. 4.

Gratias sine fine tibi ago, benigne Iesu, quòd agens in deserto, priusquam Euangelium prædicare cœpisti, inter animalia fera vixisti, & perseuerans in ieiunio quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vigilansque in continuis orationibus & suspirijs, postea voluisti à Satana tentari: & postquam victor extitisti, venerunt Angeli, & ministrarunt tibi. Concede mihi Domine, vt cum tua gratia possim castigare carnem meam, & omnes vitiosos affectus spiritui submittere, vtque cum dono perseuerantiæ me exerceam ieiunijs, vigilijs, & orationibus, alijsque omnibus exercitijs spiritualibus. Præcipuè autem, Domine, concede mihi, vt auxilio tuæ gratiæ liber sim à vitio gulæ, & ab omnibus alijs laqueis, & impugnationibus Diaboli; nulla tentatio aduersum me prævaleat, nulla me à te separet; imò fac Domine, vt omnia hæc mihi maiorem præbeant occasionem arctius me tibi adiungendi, & vniendi.

13 *Iesus diuersis laboribus & necessitatibus affligitur.* Matth. 8.

Ago tibi gratias, dulcis Iesu, qui amore mei afflictus es in hoc mundo multis doloribus, & diuersis necessitatibus, æstu, frigore, siti, fame, lassitudine, & sudoribus: varijs itineribus, vigilijs, persecutionibus, & tribulationibus cuiuscunque generis. Da mihi, Domine, vt pro amore tuo cum gaudio omnes aduersitates, tanquam à manibus tuis mihi venientes suscipiam, easque magna cum patientia perferam. Da, vt in quacunque re prospera vel aduersa, tristi vel læta, turbida vel trãquilla, semper in te perseue-

rem, nec latum vnguem à te discedam, vt in omni re tua fiat voluntas, non mea.

14 *Iesus orat & prædicat.* Matth 4. 9. Ago tibi gratias, suauissime Iesu, quia plurima passus es, dum animæ meæ quæris conuersionem & salutem, tanquam verus Pastor & Saluator mundi, pernoctando in orationibus, fatigando te in itineribus, cælestem promulgando doctrinam, de prouincia in prouinciam, de ciuitate in ciuitatem, de castello in castellum discurrendo; in nulla re officium boni pastoris omittendo. Quæso, Domine, hanc impartire mihi gratiam, vt de cætero nunquam tardus aut ignauus in tuo inueniar seruitio; sed vt semper promptus & alacris sim ad omne bonum agendum, Da, vt salutem omnium ardentissimè sitiam, & zelum honoris tui semper habeam, in eoq; me totum occupem.

15 *Iesus cũ hominibus cõuersatur.* Matt. 4 8 9. 14. 15. 20 21. Gratias ago tibi, benigne Iesu, eò quòd conuersando cum hominibus benignè illos consolari voluisti, & pro magna tua misericordia infirmitates eorum curare. Da mihi, Domine, cor pia quadam affectione in omnes plenum, vt omnibus compatiar, quos in afflictionibus videbo. Fac quoque, Domine, vt aliorum miserias meas esse existimem, vtque sincero corde, & sine aliqua passione aliorum imperfectiones feram, opemque illis pro posse meo feram in omni illorum necessitate. O Domine, purga perfectè mentem meam ab omnibus vitiosis passionibus, & ab omnibus malis desiderijs, quę in illa dominantur; vt ab his omnibus malis sanata, omnibusque impedimentis his immunis, liberrimè in cælum euolet, nec priùs quiescat; quàm ex purissimo amore mereatur ad diuinos tuos amplexus peruenire.

16 *Iesus pluri ma pro nobis patitur.* Matt 11. 12. 21. 22. Ago tibi gratias, bone Iesu, quòd propter amorẽ tuum, quo me complexus es, innumeras injurias, blasphemias, calumnias, & persecutiones ab ijs potissimum, quos infinitis afficiebas beneficijs, perpessus es. Obsecro, Domine, largire mihi cor verè simplex, & innocens vt inimicos meos diligam, & malum illorum ex corde mihi doleat, semper eos, si qua in re delinquant, excusem; vt reddendo bonum pro malo, tuæ perfectæ charitatis, tuæque patientiæ sim verus imitator.

17 *Iesus in Hierusalem venit.* Matth. 21. Ago tibi gratias, dilectissime Iesu, quòd venisti in Ierusalem humilis, & mansuetus sedens super asinam, & canentibus ijs, qui obuiam tibi procedebãt, iucundissimis hymnis, & glorioſis laudibus, tu lachrymas amaritudine plenas effudisti, quas dolor de tam celebris vrbis destructione, & de tot animarum perditione conceptus, exprimebat. Da mihi, Domine intrinsecam quandam meipsius cognitionem, vt apertè meam vilitatem agnoscam, & me profundè humiliem: meipsum adeò contemnam, ne posthac mihi adulationes, aut commendationes hominum placeant; sed vt assiduus maneam in plangendis tam meis, quàm proximi mei peccatis, omne illius malum meum malum reputans. Pater noster. Aue Maria.

TERTIA AD IESVM
ORATIO.

18 *Iesus in cœna pedes suorum lauat.* Ioan. 13. AGo tibi gratias, Domine Iesu Christe, quia vt legi veteri finem imponeres, Agnum paschalem in Ierusalem cum discipulis tuis manducasti; dansque illis exemplum maximæ humilitatis, & ineffabilis amoris, positis genibus pedes omnium lauisti extergens eos linteo, quo prę cinctus eras. Oro te, Domine, penetret exemplum hoc cor meum, & ejiciat ex eo quamcunque prę sumptionem, & superbiam, quæ in ipso reperitur. Da mihi, Domine, profundissimam humilitatem, cuius beneficio gaudeã omnibus subijci, sine altercatione. Adde & perfectã obedientiam, qua cum integrè tuis mandatis satisfaciam, vnà cum præceptis eorum, qui præsunt in tuo nomine. Excita in me feruentissimam charitatem, qua te pure diligam, & per amorem tuum omnem homines amem.

Ago tibi gratias, dulcis Iesu, quòd ex charitate tua excellentissima instituisti Sacramentum corporis & sanguinis tui, quodque ex admirabili quadam liberalitate te nobis donasti in cibum: nec te piguit corporaliter nobiscum in hoc mundo, vsque in consummationem seculi permanere. Ah, Domine, excita precor in me viuum desiderium, & ardentissimã famem venerabilis huius Sacramenti. Concede mihi gratiam, vt ad hanc vitæ mensam accedam susceptur us te cum amore casto, humilitate profunda, cordis puritate, & mentis sinceritate. Da etiam, vt anima mea sic te sitiat, sic amore tuo vulneretur, vt tandem merear diuinis tuis frui voluptatibus, pro honore & gloria tui nominis.

19 *Iesus Eucharistiam instituit.* Luc. 22.

Ago tibi gratias, melliflue Iesu, quòd volens exire mundo, admonuisti, & consolatus es tuos discipulos, idque verbis amore sancto plenis, nec minùs ardenti oratione illos Patri commendasti, ostendẽs quanto amore illos complectebaris, & omnes eos, qui per eorũ doctrinam essent in te crediturí. Oro, Domine, sentiat cor meum dulcedinem in tuis verbis, & vt illa mihi dulciora semper sint super mel & fauum: viuat in pectore meo spiritus tuæ affectionibus plenę exhortationis, vt me totum in tuum amorem transformem. Dirige omnes actiones meas, vt in me, & de me tua semper fiat voluntas.

20 *Christus suis in cœnacum solatur.* Ioan. 17.

Gratias ago tibi, dilectissime Iesu, quod procidẽs in terram, extensis brachijs Patrem precatus es, te totum ad manus illius resignans, petens vt in omnibus, non tua, sed Patris tui voluntas fieret. Obsecro, Domine, da mihi gratiam, vt in omni angustia & necessitate mea per orationem ad te curram; neque totum tuæ concredam prouidentiæ, sine meæ voluntatis electione, aut alicuius proprij commodi expectatione. Ne fugiam vnquam aduersitates, neque propter illas à bono cœpto meo resiliam: sed quidquid mihi superuenerit, id animo accipiam pacato, tanquam id quod à pijs tuis manibus donatur, ferendo omnia corde humili & quieto.

21 *Iesus in horto Patrem orat* Matth. 26.

Ago tibi gratias, ô pie Iesu, quòd ab armatis militibus capi, & funibus tanquam homo sceleratus; & maleficus vinciri voluisti, inde ad Annam duci, & eius iudicio sisti non horruisti. O stupenda mei Redemptoris mansuetudo: dum apprehenderis, dum ligaris, dum illuderis, dum malè tractaris, non lamentaris, non murmuras, non reluctaris: sed tacendo sequeris vestigia illorum, qui te ducunt, imò trahunt, & fatigant, obtemperas imperantibus tibi, & summa cum patientia perfers tormenta, quibus cruciaris. O Domine, ne inuideas mihi, vt exemplum tale, & tantæ virtutis in me resplendeat, pro gloria & honore nominis tui sanctissimi.

22 *Iesus capitur.* Matth 26.

Gratias ago tibi, ô Iesu amabilis, Rex cæli & terræ, quia stans ante superbum & inflatum Pontificem, non aliter atque si homo vilis & abiectus fuisses, percussus es, & patientissimè crudelem alapam tulisti, quam vnus ex impijs illis ministris tibi in faciem impegit. Precor te, Domine, mortifica in me omnes efferuescentes impetus iræ, omnem indignationem comprime, omne odium tolle, omnemque scintillam cupiditatis vindictæ extingue; vt cùm injuria me quis afficiat, non perturbet, de vindicta non cogitem: sed omnia patienter sufferens, pro amore tuo, reddam bonum omnibus, qui mihi malefaciunt. Pater noster. Aue Maria.

23 *Iesu alapa in faciem percutitur.* Matth. 26.

(.)

QVAR-

QVARTA AD IESVM ORATIO.

24 *Iesus nocte qua captus est variis modis diuexatur.* Matth. 26.

GRatias tibi ago, dulcis Iesu, qui in nocte passionis tuæ irrisus, & delusus, à tuis inimicis pugnis percussus, & calcibus protritus, diuersisq; iniuriarum modis diuexatus es. Tu scis, Domine mi, quam graue & molestum mihi est, vel minimam iniuriam perpeti; tu scis me virtutem habere nullã, voluntatem meam esse tardam, & omne bonum desiderium in me frigere. O Domine, pro tua misericordia meam adiuua infirmitatem, da mihi gratiam, ne ad quemcunque aduersitatis impetum animus meus demittatur, & quasi humi serpere videatur. Succurre mihi, ne deficiam sub onere tribulationum, quæ mihi superuenient, nec iniuriæ ab alijs irrogatæ mihi stomachum faciant: sed in omnibus gratias agens tibi, omnia ad honorem & gloriam nominis tui referam.

25 *Iesus coram Pilato accusatur.* Matth. 27.

Ago tibi gratias, Domine Iesu, quòd stans ante Præsidem Pontium Pilatum, ad falsas querelas & accusationes non respondisti: sed quasi agnus mansuetus, qui non aperit os suum, & coram tondentibus obmutescit, sic tanquam aure surda omnia præterijsti. Concede mihi Domine, ne oblocutiones, murmura, & detractationes mihi bilem moueant: sed vt exemplo tuo edoctus, omnes qui me iniuriantur & diffamant tacendo vincam. Largire mihi perfectæ humilitatis gratiam, vt nec laudari ab hominibus appetam, nec propter te vituperari metuã.

26 *Iesus ad Herodem ducitur.* Luc. 23.

Ago tibi gratias, clementissime Iesu, quòd in summo strepitu & furore populi, iussu Pilati ductus es ad Regem Herodem. Tribue mihi fortitudinem, vt persecutiones me non confundant, nec inimicorum iniuriæ ad iracundiam incitent, nec eorum impudentia me faciat erubescere: sed omnia quæque cum mansuetudine feram, & tacendo vincam, vt in patientia mea possideam animam meam; secundum sanctorum mandatorum tuorum præscriptum.

27 *Iesus coram Herode accusatur.* Luc. 23.

Gratias ago tibi, Iesu pie, quod ante Herodem stans & de multis criminibus & flagitijs à Pontificibus & Sacerdotibus accusatus, ad nullum respondere voluisti; sed silendo causam tuam iustificasti. Da mihi, Domine, dexteritatem linguam meam, refrænãdi, ne mihi vnquam incesset cupiditas, otiosa, vana, vel turpia loquendi; nec in rebus sterilibus & infructuosis narrandis tempus inutiliter consumam: sed concede, vt nihil præterquam quod iustũ, quod honestum, quod vtile est, mea lingua sonet, quodque diuinæ tuæ voluntati est consonum. Fac vt detester vitium maledicendi, & de omnibus bona audire, & loqui lubeat.

28 *Iesus Barrabæ scelerator iudicatur.* Matth. 17. Luc. 2.

Ago tibi gratias, dulcis Iesu, quod comparatus cũ infami & seditioso latrone Barraba, illo peior iudicatus es, vitaque indignior; adeò vt homicida libertate donatus, & tu auctor vitæ ad mortem sis condemnatus. O Rex æternæ gloriæ, qua quæso potuisset affici tua Maiestas maiori ignominia? Hic, Domine, hic liquet te esse lapidem illum viuum, reprobatum ab hominibus, quem sibi Deus elegit, & fecit in caput anguli. Placeat tibi, Domine, ne tibi quicquam anteponam, nec te quoquam permutem: sed omnia tibi comparata sint mihi tanquam stercora. Da, ne venenum inuidiæ vnquam animum meum inficiat; sed in te semper quiescam, & in te omnem meam salutem constituam.

29 *Iesus flagellatur.* Matth. 29. Luc. 29. Ioan. 19.

Ago tibi gratias, amantissime Iesu, quòd spoliatus vestimentis tuis sacram illam & virgineam carnem nudam conspici passus es: inde funibus duris ad columnam ligatus, horrendis flagellis eandem carnem dilaniari voluisti; vt tuis vulneribus nostra vulnera sanares. O Domine, spolia cor meum omnibus immundis cogitationibus; exue me veterem hominem, cum omnibus operibus suis, & indue me nouum, qui creatus est ad imaginem & similitudinem tuam, in iustitia & sanctitate: & da mihi, vt cum omni patientia & humilitate paternæ tuæ visitationis flagella sustineam.

30 *Iesus coronatur.* Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. Ioan. 19.

Ago tibi gratias, benigne Iesu, quod post tot vulnera, tot liuores in immani illa flagellatione accepta, post sanguinem tam copiosum toto corpore effusum, varijs modis illusus & subsannatus es. Ad maiorem verò ignominiam tuam purpurea te chlamyde circundederunt, & plectentes coronam de spinis, imposuerunt eam capiti tuo, arundinem in manu pro sceptro dederunt, flectentesque genua, Regem te salutarunt, (imò ludificarunt) dicentes: *Aue Rex Iudæorum.* Fac Domine, vt memoria istius miserrimæ tragœdiæ cordi meo imprimatur, nec vnquam inde deleatur: transfige illud ardentissimæ charitatis tuæ sagittis, vt te solum amem, de te solo cogitem, in te solo requiescam, nec tribulationes, angustię, vel persecutiones vllę me à te separent; nec ægrè sustineam, si quando propter te cõtemptui sim, & ab hominibus flocci fiam.

31 *Iesus crucem portat.* Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Ago tibi gratias, dulcis Iesu, quòd post tot labores, angustias, tribulationes, sannas, & vulnera pro me perpessa, voluisti etiam crucem tuam in fractis tuis humeris vsque in montem Caluariæ supplicij locum portare: idque cum summo labore, & lassitudine, præ nimia ponderis grauitate, exhaustiq; corporis debilitate. Largire mihi, Domine, vt alacri & deuoto corde crucem tuam amplectar, negando memetipsum, & exemplum virtutum tuarum feruenti charitate imitando, vt te humiliter in mortem subsequi merear.

32 *Iesus crucem baiulans fœminas alloquitur.* Luc. 23.

Ago tibi gratias, ô bone Iesu, qui in hoc laborioso itinere, quando crucifigendus educebaris, lamentantes fœminas beniguiter exhortatus es, ne super te, sed super se, & super filios suos plangerent. Da Domine, vt & ego pias compassionis & amoris lachrymas fundam, adeò copiosè, vt durities cordis mei liquefiat, & acceptabile in conspectu Maiestatis tuæ reddatur. Concede mihi Domine, vt sanctissimi tui amoris flammis accensus, partui, aut nihili faciam res mundanas; te verò solum diligam, & in te sine fine requiescam. Amen. Pater noster Aue Maria.

QVINTA AD IESVM ORATIO.

33 *Iesu acetum propinatur felle mixtũ.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

AGo tibi gratias, benigne Iesu, quòd lassus, & viribus exhaustus, nimio Crucis tuæ pressus pondere, ad locum sacrificij tandem venisti: vbi inuentus es totus afflictus, siti penè enecatus, quo tempore scelerati & barbari illi satellites acetum tibi felle mixtum bibendum obtulerunt. Placeat tibi; Dòmine, hujus poculi memoria in me extinguatur inordinata gulæ concupiscentia, carnisque delectatio: & fac ne vllo vnquam tempore turpibus & illicitis delectationibus consensum præbeam. Sed largire mihi honestissimam, maximeque necessariam temperantiæ virtutem, tam in edendo, quàm in bibendo, alijsque rebus seruandam: vt refrænatis omnibus gulæ appetitionibus, tè solum esuriam, te solum sitiam, in te solo sit omnis mea voluptas.

34 *Iesus vestibus spoliatur.* Matth. 27. Marc. 15.

Ago tibi gratias, benedicte Iesu, qui denuò vestimentis tuis spoliatus, nudus coram omni populo stetisti, vbi omnia vulnera tua detractis vestibus, quæ concreto sanguine carni adhærebant, recruduerunt, & renouata sunt: ex quibus iterum vberrimus sanguis effluxit, non sine dolorum tuorum redintegratione.

tione. Largire mihi, Domine, verum paupertatis amorem, ne vnquam ob rerum mundanarum defectum contrister: sed cum omni patientia perferam inopiam, & huius vitæ necessitates. Spolia, Domine, cor meum omnibus imaginationibus & afflictionibus terrenis, & renoua in me quotidie viua sancti amoris tui desideria.

35 *Iesus crucifigitur.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Ago tibi gratias, Iesu bone, qui crudeliter funibus in diuersa raptus & distractus es, cum te crucifigere volebant, ita vt omnes sanctissimi tui corporis iuncturæ locis naturalibus emotæ sint: sed & perpessus es, vt sanctæ manus, sanctique pedes tui duris crassisque clauis foderentur, & cruci hererent affixi. Da mihi, Domine, vt semper animo fideli & grato memor sim ardentissimæ illius tuæ charitatis, qua motus, tam benigne tua brachia extendisti, & manus tuas aperuisti, vt foderentur, pedesque tuos accommodasti, vt duro clauo perterebrarentur. Age, Domine exurge, & vulnera cor meum perfecta charitate; eodem amoris tui clauo sensus meos omnes transfige, ne vnquam meæ cogitationes & desideria à te separentur.

36 *Iesus in cruce pendet.*

Gratias tibi ago, ô sancte Iesu, quod trium horarum spatio pependisti in crucis ligno, multis, intolerabilibusque opprobrijs exagitatus, sanguinem copiosè profundens, in omnibusque membris tuis immensos dolores sustinens. Affige, Domine, eidem ligno miseram animam meam, quæ iacet humi, & purga illam ab omni peccatorum & appetituum immunditia, lauans illam fluentibus tui sanguinis riuulis. O sanguis, qui vitam tribuis & salutem. Ne dedigneris, Domine, illo me lauare sanguine, sanctificare, & purificare me liquore illo pretiosissimo. Offer illum, Domine, summo Patri tuo in perfectã satisfactionem, & remedium omnium malorum meorum. Oro te, cõcede mihi, vt merear corde meo bibere, & lingua animæ meæ lambere pretiosas diuini illius sanguinis guttulas, vt gustem ibi quam suauis tuus est spiritus, & quam dulcis ille tuus liquor pretiosissimus.

37 *Iesus pendet inter duos latrones.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Ago tibi gratias, dulcis Iesu, qui amore mei suspẽdi in medio duorum latronum voluisti, & pro tali etiam haberi: vt hac tua incredibili humilitate & patientia superbiam & impatientiam nostram sanares, & plane destrueres. Oro te, Domine, exalta spiritum meum, vt omnia quæ in hoc mundo cernuntur despiciam, & te solum aspiciam, te solum amem, nunquam de alio quam de te cogitem, ad te suspirem, de te loquar, in te me oblectem, & omnis mea actio sit semper in te, & extra te nihil sit, quod animum meum queat satiare.

38 *Iesus pro crucifigentibus se orat.* Luc. 23.

Ago tibi gratias, dilecte Iesu, qui fuisti tam bonus in illos, qui erant pessimi, qui etiam pro ijs, qui crucifigebant te, Patrem oraueris, dicens, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Da mihi gratiam, Domine, vt habeam veram patientiam & mãsuetudinem, quibus armatus (iuxta exemplũ quod mihi dedisti, & mandatum quod mihi reliquisti) inimicos meos diligam: & benefaciam his, qui mihi malefaciunt, & orem te pro ijs, vt illis omnem iniuriam ex animo ignoscas.

39 *Iesus in cruce irridetur.* Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23.

Ago tibi gratias, benigne Iesu, qui derisus & despectus es ab inimicis tuis, & tot blasphemijs atque iniurijs exceptus es, etiam eo tempore, quo doloribus & angustijs in cruce affligebaris ineffabilibus. Concede mihi gratiam, Domine, vt memor illius humilitatis & patientiæ, qua cum tantos dolores, & tanta sustinuisti opprobria, ego quoque simili patientia quamcunque aduersitatem perferam, tecum in cruce patientiæ vsque ad mortem perseuerans. Nullus tentationis impetus: nulla tribulationis tempestas, nullæ iniuriarum procellæ me ab incepto bono proposito abducant; nec mors, nec vita, nec præsentia, nec futura, nec aliqua creatura me à te separet.

40 *Iesus latroni paradisum pollicetur.* Luc. 23.

Gratias ago tibi, optime Iesu, qui etiam blasphemias & sannas vnius latronis perpessus es, & qui alteri confitenti sua peccata, & pia fide tuam innocentiam prædicanti, gloriam Paradisi promisisti. O beatum me, si vnquam tam felix fierem, vt mererer oculis tuæ misericordiæ respici, quibuscum fortunatum illum latronem aspexisti: & auxilio tuæ gratiæ tam innocenter viuerem, vt sub finem vitæ meæ dignus essem audire dulcissimum illud verbum tuũ; *Hodie mecum eris in Paradiso.* Pater noster. Aue Maria.

SEXTA AD IESVM

ORATIO.

GRatias quas possum maximas ago tibi, Domine Iesu, quòd ex arbore crucis aspiciens Matrem tuam plenam doloribus, & afflictionibus, lachrymisque perfusam, misertus conditionis illius, eam dilecto tuo Discipulo Ioanni commendasti: deinde & illum matri commendasti, & nos omnes in persona illius. Da mihi, Domine, vt amem & honorem hanc beatam Virginem amore ardentissimo, vt, cum eam matris loco habeam, merear, vt illa me in filium suscipiat, atque vt talem me tractet. Da mihi illam Aduocatam in omnibus necessitatibus meis, maximè autem in hora mortis meæ.

41 *Iesus matrẽ discipulo commendat.* Ioan. 19.

Ago tibi gratias, dulcissime Iesu, quòd apertis vulneribus, capite spinis coronato, manibus & pedibus cruci affixis, dixisti: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Operare Domine in me, vt in omnibus meis aduersitatibus & tentationibus ad te pium Patrem confugiam, & de meipso diffidens, tibi soli confidam, & me totum ad manus tuas resignem. Peto, Domine, vt vulneres interiora animæ meæ tuorum vulnerum memoria: fac vt ea imprimantur intimis meis præcordijs, & ita me tuo sanguine inebria, vt de alio non cogitem, nec aliũ præter te quæram: vt quærens inueniam te, & possideam te in æternum.

42 *Iesus à Patre se derelictum queritur.* Matth. 27. Marc. 15.

Ago tibi gratias, Domine Iesu Christe, qui corpus habens debilitatum, & præ grauissimis tormentis, nimiaque sanguinis effusione siccum, vehementissime sitisti, ardensque nimio desiderio salutis nostræ dixisti; *Sitio.* Da mihi, Domine, vt ardentissime tuum sitiam honorem, & animarum omnium salutem; in eo me totum occupem, conformem me sanctæ tuæ voluntati, faciens quantum mihi secundùm statum meum concedetur. Oro te, ne vllus amor rerum transitoriarum me corripiat, nulla creatura me in periculosos laqueos trahat: imò omnia quæ amari digna sunt, amore tui diligam, te autem plus omnibus amem, & in te solo quietem inueniam.

43 *Iesus in cruce sitit.* Ioan. 19.

Ago tibi gratias, ô misericordissime Iesu, quòd in hora mortis tuæ; vt sitim restingueres; voluisti ori tuo applicari spongiam aceto plenam; vt gustando amarum illud refrigerium, in afflictissimo illo tuo statu, æterno Patri satisfaceres pro omni nostra intemperantia & voluptate, nobisque mirabile paupertatis exemplum relinqueres. Tribue mihi gratiam, vt amore tui contemnam omnes saporum delicias, & epulas exquisitiores; & vt contentus sim id cum modestia & temperantia solum edere & bibere, quod sufficit ad huius corpusculi sustẽtationem, tibi reddens pro illo infinitas gratias. Purifica & sana palatum animæ meæ, vt quicquid tibi gra-

44 *Iesus in cruce fel bibit.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

bi gratum est, id mihi dulce sit; & quicquid tibi displicet, id mihi non sapiat, sed fastidium pariat.

45 *Iesu Redemptionis nostræ operi finem imposuit.* Ago tibi gratias, Iesu amator generis humani ferventissime, quòd tam absolutè, & ordine tam concinno nostræ Redemptionis operi finem imposuisti, offerens temetipsum sacrificium viuum in altari Crucis, pro peccatis mundi. Oro te, Redemptor mi, vt tu solus esse digneris signaculum cordis mei, & scopus mearum cogitationum, verborum, & operum: vt in omnibus rebus cum pura & casta intentione solum spectem, & agam, quod honor tuus postulat, nihil autem extra te mihi placeat, aut aliquid præter te desiderem. Tribue quæso, ne posthac vnquam ignauus aut lassus fiam in tuo ministerio: sed vt renouato quotidie in me feruore spiritus, in te laudando, tibique seruiendo magis magisque crescat diligentia.

46. *Iesus emittit spiritum.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Ago tibi gratias, dulcis Iesu, qui cùm voluisti mortem vocasti, & venerabili tuo capite inclinato, spiritum tuum in manus Patris tui commendatum è carne migrare iussisti: qua in re declarasti, te verum illum esse pastorem, qui posuisti animam pro ouibus tuis. Da mihi, Domine, vt omnibus peccatis & vitijs mortuus, tibi soli viuam; vt vitæ huius cursu in charitate peracto, confestim ad te, qui es verus animarũ nostrarum Paradisus, ingrediar.

47 *Iesu latus lancea aperitur.* Ioan. 19. Gratias ago tibi, mansuetissime Iesu, qui voluisti diuinum pectus tuum à quodam milite lancea aperiri, ex quo sanguis & aqua ad lauandas & viuificandas animas nostras exiuit. Placeat tibi, Domine, sic cor meum sancti amoris tui lancea ferire, vt nihil queam velle, quod non idem & tu vis. Ingrediatur, Domine, anima mea vulnus pectoris tui, & pergat vsque ad sedem tuæ charitatis, & thesaurum tuæ diuinitatis: vt ibi adorem te Deum meum, pro me crucifixum, & mortuum; & reijciens à memoria mea omnium rerum visibilium figuras, ad te solum respiciam, & te solum in omni re præsentem habeam.

48. *Iesu sepelitur.* Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Ago tibi gratias, dilecte Iesu, qui cum magno planctu amicorum tuorum de cruce sublatus es, pretiosissimisque vnguentis delibutus, in syndone munda inuolutus, & in alienum sepulchrum illatus es. O Domine, sepeli tecum omnes sensus meos, omnesque vires & appetitus meos, vt tibi forti amoris vinculo coniunctus, sim quasi attonitus, & in omnibus rebus tibi contrarijs quasi extra me raptus: E contrario verò in rebus quæ tibi placent, sim totus viuax, promptus & alacer, in te solo vnico Redemptore meo, & thesauro animæ meæ oblecter. Paternoster Aua Maria.

SEPTIMA AD IESVM ORATIO.

49 *Iesus descendit ad inferos.* Ago tibi gratias, dulcis Iesu, qui cum potentia descendisti ad Inferos, ibique fortitudinem Satanæ debellasti, & cum tua præsentia sanctos Patres, qui ibidem captiui detinebantur, exhilarasti: & educens illos ex tenebris, ad perpetua Paradisi gaudia adduxisti. Oro te, Domine, vt virtus passionis & sanguinis tui descendat super animas patris, matris, cognatorum, amicorum, & benefactorum meorum, omniumque fidelium defunctorum, vt à pœnis Purgatorij liberatæ, in æternam beatitudinem recipiantur.

50. *Iesus resurgit à mortuis.* Mat h. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20. Ago tibi gratias, bone Iesu, qui victorioſus exiens è sepulchro cum nobilissimo triumpho post victam & interfectam mortem tertia die resurrexisti, & indutus glorioso corpore, immensoque splendore amictus, amicos tuos visitans, eos incredibili gaudio perfudisti. Cõcede mihi quoque Domine, vt à morte vitiorum, & veteris conuersationis resuscitatus, in nouitate vitę ambulem, eaque sola quæram, quæ alta sunt & sublimia, non autem vilia, & trãsitoria: vt cùm tu vera Vita secundò appariturus es in terris, ego tecum appaream in tua gloria.

51 *Iesus in cælum ascendit* Marc. 16. Luc. 24. Act. 1. Gratias ago tibi, ó pie Iesu, qui transactis quadraginta diebus post tuam resurrectionem, aspicientibus Discipulis tuis gloriosus & triumphans in cælũ ascendisti: vbi sedens à dexteris Patris vitiis & regnas in secula seculorum. Placeat bonitati tuæ, Domine, vt anima mea langueat amore tui, & fastidiat omnia quæ sunt in mundo; semper ad te aspiret, desiderans cęlestia, eaque continua & feruenti voluntate appetat. Nihil illam exhilaret, nihil afficiat, nisi te solum Dominum meum & Deum meum.

52 *Iesus Spiritum S. misit.* Act. 2. Ago tibi gratias, amantissime Iesu, quòd Spiritum sanctum tuum misisti super electos tuos, qui in oratione perseuerabant: eosque misisti prædicare, & docere gentes per vniuersum mundum. Supplico tibi, Domine, purifica interiora cordis mei, & da mihi veram puritatem & munditiem conscientiæ; vt idẽ Consolator inueniens in ea gratum habitaculum adornet illud, & vberrimis gratiarum suarum donis illud pulchrum & formosum faciat: ille me solus consoletur, me confirmet, me regat, & sit totus mei possessor.

53. *Iesus ad iudicium veniet.* Gratias ago tibi, benigne Iesu, qui quando veneris in nouissimo die ad iudicandum orbem terrarum daturus es vnicuique secundum operum suorũ merita, vel præmium, vel supplicium. Pie Domine mi, da mihi gratiam, vt anima mea innocenter huius miseræ vitæ curriculum peragens, secundùm sanctã tuam voluntatem, tandem huius corporis ergastulo multis meritis & virtutibus ornata exeat, vt pro tua misericordia in gloriæ tuæ domicilium recipiatur: vbi sine fine te laudet, & in consortio Sanctorum omnium benedicat in secula seculorum. Amen. Pater noster Aue Maria.

SEQVVNTVR ORATIONES

SEPTEM, QVÆ PERTINENT AD CVLTVM ET VENERATIONEM Domini Dei nostri: aguntque de perfectionibus, & operibus eius sanctissimæ diuinitatis.

PRÆLVDIVM AD INTELLIGENDVM MODVM, ET intentionem Orationum sequentium.

Prou. 23. QVando sederis, vt comedas cum Principe (*inquit Salomon*) diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam. *Eodem modo quæ vult cum Deo commercium habere, &*

cum eo in Oratione negotiari, ante omnia debet oculos suos in Deum conijcere, cum quo ipsi loquendum est; & diligenter considerare illius magnitudinem. Oportet enim tale sit cor, talis q; affectus orantis erga Deum, qualia sunt, quæ illi erunt proponenda. Leua igitur humiliter oculos tuos in cælum, & contemplare illum in throno suæ Maiestatis, super omnes creaturas sedentem: & memento hunc illum esse, in cuius vestimentis & fimbrijs scriptus est titulus dignitatis eius, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Meditare hunc esse infinitè perfectum, pulchrum, gratiosum, bonum, misericordem, iustum, terribilem, gloriosum & admirabilem; & quomodo ipse benignissimus Pater, liberalissimus Benefactor, clementissimus q; Redemptor, & Saluator est.

Post quam illum hoc modo consideraſti, manibus pedibus q; quantum potes comitere, vt totis viribus, & affectibus istis titulis eius respondeas; & inuenies in quãtum Deus est eum dignum esse qui adoretur: in quantũ infinitè perfectus & gloriosus, dignũ qui laudetur. Quatenus optimus est & benignissimus, dignum fatebere qui ametur: quatenus iustissimus & terribilis, dignum qui timeatur. Quia Rex est & Dominus vniuersorum, æquum est, vt ei obediatur; & propter beneficia ab illo percepta benedicere semper illi, & gratias agere meritò debemus. Cùm sit Creator & Redemptor noster, dignus est, cui nosipsos totos offeramus qui totí sumus illius; & quia noster Aduocatus & Saluator, inuitamur, vt in omni necessitate nostra ad illum confugiamus.

Hos & similes virtutum actus rationalis creatura debet tantæ Creatoris suæ excellentiæ: ita vt diuinitati eius debeatur adoratio; perfectioni eius, laus; beneficijs, gratitudo; bonitati, amor; iustitiæ, timor; misericordiæ, spes; Maiestati, obedientia; omnium rerum possessioni, cunctorum oblatio; & continuo illius adiuuandi & ignoscendi efficio debetur, vt omnia ab illo petantur, Hæ sunt virtutes, hi affectus, quibus nos illi Domino respondere, eumq; honorare debemus: qui quemadmodum est omnia, sic etiam vult honorari, & timeri cum omnibus affectibus & sensibus nostris: qui etsi exerceantur, & concurrant in omni opere bono, quod pro amore Dei suscipitur, peculiariter tamen exercentur in Oratione, in qua de omnibus illis rebus tractatur.

Ad hunc igitur finem istæ septem Orationes, quæ sequuntur, compositæ sunt: vt huic obligationi quodammodo satisfiat: Sunt autem desumptæ ex diuersis Patrum & Prophetarum dictis; præcipuè verò ex Psalmis, & D. Augustino. Et quia iustus in initio est accusator sui primaq; porta, per quam ad Deum ingredimur, est pœnitentia, & humilitas; homo antequam orare incipiat, confiteri debet, & generalem Confessionem, aut aliquem ex septem Psalmis pœnitentialibus, quàm potest deuotissime recitare: quo facto, poterit Orationem suam exordiri.

Prouc. 11.

PRIMA ORATIO.

IN QVA CREATVRA HVMILITER adorat suum Creatorem, considerans magnitudinem Maiestatis illius, ob quam adorari tanquam verus Deus meretur.

Luc. 18. Luc. 7.

SI Publicanus ille Euangelicus non audebat oculos suos ad cælum leuare, sed à longe tãs pectus suum percutiebat, dicens; *Deus propitius esto mihi peccatori*: Et si peccatrix illa sancta non ausa est in conspectũ Domini venire, sed stans retro secus pedes eius lachrymis ab oculis suis defluentibus peccatorũ suorum remissionem impetrauit. Si sanctus ille Patriarcha Abraham, volens cum te Deo sermonẽ miscere, dicebat; *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.* Si illi omnes tam humiles, tuique reuerentes fuerunt, in conspectum diuinæ Maiestatis tuæ venientes, cùm tamen fuerint, qui erant: quid faciet pauper & miserrimus peccator, qualis ego

Genes. 18.

sum? quid faciet puluis & cinis? quid faciet abyssus omnium miseriarum & peccatorum? Sed quia, mi Domine, non possum obtinere timorem illum, illamque reuerentiam, quæ tantæ Maiestati debetur, nisi meos oculos in ea figam; da igitur mihi licentiam, vt audeam oculos meos ad te tollere, nec splendor gloriæ tuæ aspectus mei fragilitatem impediat. Video quidem te esse magnum illum Deum, qui omnem intellectus nostri captum transcendit. Scio nullum intellectum creatum te posse comprehendere: & quamuis hoc ita sit, non possum tamen facere quicquam vtilius, quàm vt oculos in te figam meos.

Igitur ô Summe, Omnipotentissime, Misericordissime, Iustissime, Pulcherrime, Fortissime, Stabilissime, Simplicissime, Perfectissime, Incomprehensibilis, Secretissime, & tamen omnibus præsens; Inuisibilis, & videns omnia; Immutabilis, omnia mutans, & renouans, quem spatia non dilatant, nec angustiæ coarctant, nec varietas mutat, nec corruptio perdit, nec tristia conturbant, nec læta mouent in sua essentia: cui nec obliuio tollit, nec memoria quicquam addit, nec præterita præterierunt, nec futura succedent: cui nihil dedit principium, nec tempus augmentum, nec finem quicquam daturum est: viuis enim & regnas in æternum. Tu es ille qui possides omnia, à termino vsque ad terminum, & qui cuncta disponis suauiter. Tu es ille, qui creasti omnia, sine vlla necessitate; & conseruas omnia, sine labore; & tegis omnia, sine molestia; & moues omnia, ipse immobilis. Tu totus es oculus, totus pes, totus manus; tu enim vides, sustines, & operaris omnia. Tu in omnibus es, nec tamen conclusus; tu extra omnia, nec tamen diffũctus; tu sub: omnibus, nec tamen subiectus; tu super omnia, nec tamen eleuatus. Tu es summus & verus Deus, summa & vera vita, à qua, & per quam vitam habent, & viuunt omnia. Tu Domine es ipsa bonitas, & pulchritudo, à qua, & per quam pulchrum & bonum est omne, quod pulchrum & bonum est. Tu es ille, qui iubes nos quærere, & das inuenire; iubes pulsare, & aperis, quando te inuocamus. Tu es ille, à quo recedere cadere est; & cui appropinquare est resurgere; & in quo stare est in æternum durare. Tu es ille, quem nemo deserit nisi insipiens, nemo quærit nisi vocatus, nemo inuenit nisi purgatus. Tu es ille, quem cognoscere est viuere; cui seruire regnare est; quem laudare salus est, & tu ipse gaudium es laudantium te. Quid ego itaque, Rex mi, & Saluator mi, quid ego dicam? ego inquam miser vermiculus quid dicam de tanta laudum tuarum magnitudine? Dicam id quod tui Prophetæ tui Spiritus numine afflati dixerunt; *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo pẽderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Quis adiuuit Spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & eruditit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi? Ecce Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum statera reputatæ sunt: ecce, Insulæ quasi puluis exiguus. Et ligna Libani non sufficient ad succendendũ, & animalia eius non sufficient ad holocaustũ, Omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Et enim si in præsentia Solis omnes stellæ cæli non lucent, imò sunt tanquam non essent, cùm tamen & ille, & hæ creaturæ sint; quid erunt omnia creata in cõspectu tuo, qui Creator es totius Vniuersi?

Esa. 40. Sap. 11.

Igitur, ô Domine, te principaliter adoro cum humilitate profunda, & reuerentia tibi debita, cumque illa adoratione latriæ, quæ tibi soli debetur, nulli autem creaturæ: quo cultu adorant te Dominationes

nes cæleſtes,& omnes mundi creaturæ: quarũ licet multæ non cognoſcant te,non poſſunt tamen non adorare te illarum ſingulæ in ſuo genere,& ſuo modo diuinitatis tuæ ſceptro homagium offerre,tuamque magnitudinem cognoſcere:tu enim ſolus es Deus deorum,tu ſolus Dominus dominantium,& cauſarum Cauſa. Tu es A & O,principium & Finis omnium rerum.Tu principium es ſine principio,& ſine fine finis.Tu ſolus es ille qui es:omnia namque alia, quantumuis præſtantia,habent eſſe ab alio mutuatũ eſſe autem tuum eſſe ſummum,perfectum,vniuerſale,& quod à nullo alio dependet. Ideoque meritò diceris eſſe,qui es:quia quicquid creatum eſt, non habet eſſe,ſi tecum conferatur.

Quare,Domine, agnoſcens ego omnia hæc magna & mirabilia, proſtratus ante pedes diuinæ tuæ præſentiæ, cum omni, qua poſſum, humilitate te adoro,quomodo adorant te beati illi ſpiritus, qui procidentes ante ſedentem in throno Maieſtatis Apoc.5. tuæ,& mittentes coronas ſuas ante pedes tuos, adorant te,& confitentur omnia,quæ habent, à te procedere.Sic & ego Domine,qui ſum omnium creaturarum viliſsimus,adoro te,& millies te veneror,cõfitẽs,quia tu es meus verus Deus,& Dominus,quodque omne id quod ſum,& in me inuenio,vt eſſe, viuere,& ſpirare,totum tuum eſt; atque ideo omnes creaturas inuoco,vt ſimul mecum te laudẽt, te adorent,te glorificent,diuino illo cantico Prophetæ,dicentis;*Venite exultemus Domino,iubilemus Deo ſaluta-*
ri noſtro. Præoccupemus faciem eius in confeſsione,
& in pſalmis iubilemus ei. Quoniam Deus magnus Do- Pſal.95.
minus,& Rex magnus ſuper omnes deos. Quia in manu eius ſunt fines terræ, & altitudines montium ipſius ſunt. Quoniam ipſius eſt mare,& ipſe fecit illud:& ſiccã manus eius formauerunt. Venite,adoremus & procidamus,& ploremus ante Dominũ qui fecit nos:quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, & nos populus paſcuæ eius,& oues,manus eius.

Quamobrem,Domine mi,cùm tu adeò dignus ſis, qui adoreris,& honoreris, da mihi gratiam, vt ſine intermiſsione adorem te:non tantùm verbis,& lingua;ſed corde etiam,opere,&tota vita mea.Tu qui viuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Paternoſter Aue Maria.

SECVNDA ORATIO.

IN QVA HOMO SESE HVMILIAT & conſideratione magnitudinis Dei,eiuſque iuſtitiæ obſtupeſcit.

QVemadmodum tibi ſoli,mi Domine,debetur adoratio, tanquam Deo vero;ſic etiam ſummus tibi debetur timor,& reuerentia, quemadmodum ipſe teſtaris in Euangelio,dicens; *Nolite* Matth. 10.
timere eos,qui corpus occidunt,animam autem nõ poſſunt occidere:ſed potiùs timete eum, qui poteſt & ani-
mam,& corpus perdere in gehennam. Idipſum nos do- In Matut. in 3 Nocturno.
cet Eccleſia,cùm cantat in Officio de Angelis; In cõſpectu Gentium nolite timere:vos enim in cordibus veſtris adorate & timete Dominum: Angelus enim eius vobiſcum eſt.

Fac igitur,Domine,vt anima mea te timeat; non enim minùs dignus es timore,quam amore, cùm ſis vti infinitè miſericors,ita etiam infinitè iuſtus : & quemadmodum opera tuæ miſericordiæ ſunt innumerabilia, ſic etiam opera iuſtitiæ tuæ non habent numerum : & quod magis metuendũ eſt, ſine comparatione plura ſunt vaſa iræ, quam miſericordiæ; cùm damnandorum numerus ſit frequentiſsimus, ſaluandorum rariſsimus. Sic igitur in me operare Domine,vt te timeam propter magnitudinem tuæ iuſtitiæ,& propter iudiciorum tuorum profunditatem; propter celſitudinem tuæ Maieſtatis, & propter immenſitatem tuæ magnitudinis;propter multitudinem meorum peccatorum,propter inconſideratam meam audaciam,& ſuper omnia propter rebellionem, qua tuis ſanctis inſpirationibus reluctatus ſum.Æquum igitur eſt, vt timeam in conſpectu illius, ante quem columnæ cæli & vniuerſæ terræ ambitus contremiſcunt. Quis igitur non timeat te Rex gentium?quem non attonitum reddet verbum tuum per Prophetam olim prolatum; *Me,* inquit, Ierem.5.
nõ timebitis,& à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari,præceptum ſempiternum quod nõ
præteribit:& commouebuntur,& non poterunt: & intumeſcent fluctus eius,& non tranſibunt illud.

Si igitur omnes creaturæ, tam in cælo, quàm in terra,te ſic timeant,& reuerantur,tibique ſic obediant; quid faciam ego miſerrimus peccator, quid faciam ego cinis & puluis?Si Angeli contremiſcant, cùm te adorant, tuasque laudes modulantur; cur non contremiſcet cor meum, quando eodem occupatur officio? Ah miſerum me, quomodo ſic indurauit cor meum, vt non infinitas profundat lachrymas, quoties ſeruus loquitur cum Domino? creatura cum Creatore?homo cum Deo? ille qui de terra formatus eſt,cum eo qui omnia fecit de nihilo?

Da etiam,Domine,vt te metuam propter iudiciorum tuorum,quæ iam ab initio mundi vſq; huc exercuiſti, magnitudinem & profunditatem. Iud.ciũ magnum fuit caſus totius generis humani, propter culpam vnius. Anne fuerit magnum iudicium vniuerſi orbis terrarum extinctio, per aquas diluuij introducta?Magnum fuit iudicium tuum electio Iacob, & Eſaũ reprobatio; deſperatio Iudæ, & Pauli vocatio; abiectio Iudæorum, & Gentium adoptatio, aliaque multa ſimilia;quæ licet homo ignoret, ſæpe tamen illi occurrunt. Super omnia vero metuendum iudicium eſt, videre tot nationes in ſuperficie terræ habitantes, quæ ſedent in regione, & in vmbra mortis, & in tenebris infidelitatis: de interioribus tenebris, ad exteriores properantes; & de tribulationibus temporalibus, ad æterna tormenta progredientes.

Te itaque timere debeo, Domine mi, propter magnitudinem iudiciorum tuorum, quia incertus ſum,an & ego de numero eorũ ſim,qui à te reprobati,& à lumine fidei tuæ repulſi ſunt,*Si enim iuſtus vix* 1.Pet.4.
ſaluabitur,impius & peccator vbi parebunt? Si innocentiſsimus ille Iob Deum ſemper ſicut tumentes ſuper ſe fluctus timuerit; quomodo nõ timebit is, qui longiſsimè abeſt ab innocentia? Si Ieremias in vtero matris ſuæ ſanctificatus, adeò timuerit iram tuam, vt non inueniret angulum,in quo ſeſe abſconderet; quid faciet ille, qui in peccatis conceptus, & peccatis obnoxius de vtero matris progreſſus, poſtea prioribus tot noua accumulauit?

Ob hæc igitur,Domine,& ob infinitas meas iniquitates volo, & debeo te timere: quia ſcio me cum illis ante tribunal tuum venturum,cum inconſpectu Aug. ca. 4. Medit.
tuo ignis exardeſcet, & in circuitu tuo tempeſtas valida ingruerit: cùm aduocaueris cælum deſuper, & terram diſcernere populum tuum.Et ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ,tot agminibus Angelorum patebunt vniuerſa ſcelera mea, non ſolùm actuum,ſed etiam cogitationum, ſimulque locutionum. Tot iudicibus inops aſtabo, quot me præceſſerunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerũt bene viuendi exempla. Tot conuincar teſtibus, quot me monuerunt proficuis ſermonibus, ſeque imitandos iuſtis dederunt actionibus. Domine mi, non ſuppetit quid dicam, non occurrit quid reſpõdeam.Et quum iam interſim ſæuo illi diſcrimini,

torquer

torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarctat auaritia, accusat superbia, consumit inuidia, inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas obiurgat, discordia dissipat, ira perturbat, leuitas dissoluit, torpor opprimit, hypocrysis fallit, adulatio frangit, fauor attollit, calumnia pungit. Ecce liberator meus de gentibus iracundis. Ecce cum quibus vixi à die natiuitatis meæ, quibus & studui, quibus & fidem seruaui. Ipsa me quæ dilexeram studia, damnant: quæ laudaueram, vituperant. Hi sunt quibus acquieui amici, quibus parui magistri, & quibus seruiui, domini: consules, quibus credidi: ciues, quibus cohabitaui: domestici, quibus consensi. *Non intres tamen, ô Domine, in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu*
Psalm. 143. *tuo omnis viuens.* quem enim inuenies iustum, ô Domine, si remota pietate iudicaueris? Igitur prostratus ante pedes pietatis tuæ, corde humili & contrito
Psal. 6. dicam cum Propheta; *Domine ne in furore tuo arguas me: neque ira tua corripias me. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo? Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Adiuua me igitur Domine, qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

TERTIA ORATIO.

QUÆ AGIT DE LAUDIBUS DIUINIS; & in qua multæ recensentur diuinæ perfectiones.

REdemptor mi Iesu Christe, æquum omnino & rationi planè consentaneum est, vt totam vitam meam exercitio pœnitentiæ & timoris impendam, cùm tam iustas habeam & plangendi, & metuendi causas. Quemadmodum igitur magnitudo gloriæ tuæ me impellit ad colendum & adorandum te: sic etiam iubet, vt laudem & glorificem te.
Psalm. 64. *Te enim decet hymnus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem*; eò quòd pelagus es omnium perfectionum, & mare sapientiæ, potentiæ, pulchritudinis, magnitudinis diuitiarum, suauitatis, Maiestatisque abyssus: in qua sunt omnes perfectiones & pulchritudines omnium creaturarum, quæ in cælo, & in terra sunt: & singulæ perfectiones istæ in summo gradu, & fastigio in te inueniuntur. Tibi collata omnis pulchritudo, deformitas est; omnes diuitiæ, paupertas; omnis fortitudo, debilitas; omnis sapientia, ignorantia; omnis dulcedo, amaritudo; & vt paucis multa concludam, omnia quæ in cælo, & in terra sunt, multò minùs in tuo conspectu fulgent, quàm exigua candela in splendore Solis.

Tu in omni re perfectus es, sine aliqua deformitate; magnus, sine quantitate; bonus, sine qualitate; fortis, sine infirmitate; verus, sine falsitate; sine loco vbique præsens; sine diuisione in omni loco totus. In magnitudine es infinitus, in virtute omnipotens, in bonitate summus, in sapientia inæstimabilis, in consilijs terribilis, in iudicijs iustus, in cogitationibus secretus, in verbis verus, in operibus sanctus, in misericordia copiosus, erga peccatores patiens, erga pœnitentes pius.

Sed quid potissimùm de sapientia tua dicam, nisi id quod olim dixit Propheta; *Domine ne intellexisti*
Psal. 138. *cogitationes meas de longe: semitam meam & funiculum meum inuestigasti. Et omnes vias prænidisti: quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Oculi enim eius* (inquit Sapiens) *super vias hominum, &* Iob 34. *omnes gressus eorum considerat. Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.*

Sed quid dicam de magnitudine tuæ potentiæ? dicam quod olim dixit Propheta me docens: *Deus autem rex noster ante secula, operatus est salutem in me-* Psal. 73. *dio terræ. Tu confirmasti in virtute tua 3 contribulasti capita draconum in aquis. Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum. Tu dirupisti fontes & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan. Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram & Solem. Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & ver tu plasmasti ea.* Et in alio loco dicit idem Propheta: *Domine*
Psal 88. *Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris; motum autē fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: aquilonē & mare tu creasti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.* Cognouit
Iob 12. hanc tuam omnipotentiam B. Iobus, cum ait: *Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertet terram. Apud ipsum est fortitudo & sapiētia: ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Balthēu regum dissoluit, & præcingit funē renes eorum, Ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat (cōmutans labium veracium, & doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant releuans. Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis. Qui multiplicat gētes, & perdit eas, & subuersas in integrum restituit.*

Hæc, ô Domine, sunt testimonia tuæ magnitudi- Iob 35. nis: & quid de diuitijs tuæ gloriæ, deq; vera tuæ fœlicitatis dicam? *Si peccaueris*, inquit Scriptura *quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? porrò si iustè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet? Homini qui similis tui est nocebit impietas tua, & filium hominis iuuabit iustitia tua.* Sed tu, Domine, talis es, & tam beatus, vt bonorum alterius nō egeas: talem ego te confiteor, pro tali re laudo, & glorifico nomen sanctum tuū. Infunde lumen cordi meo, & da verba in ore meo, vt cor meum tuam magnitudinem semper cogitet, & os meum in laudibus tuis superabundet. Sed quia laus hæc non est pulchra in ore peccatoris, ideo rogo Angelos cœli omnes, omnesq; mundi creaturas, vt te vna mecum laudent, meamq; suppleant inopiam, inuitans illas ad id glorioso illo cum cantico, quod cecinere pueri in medijs flammis fornacis illius Babylonicæ, dicentes: *Benedictus es Domine Deus Patrum* Dan. 3. *nostrorum, & laudabilis & superexaltatus in secula: & benedictum nomen gloriæ tuæ, sanctum, & laudabile, & superexaltatum in omnib. seculis. Benedictus es in throno regni tui, & superlaudabilis & superexaltatus in secula. Benedictus es qui intueris abyssos, & sedes super Cherubin, & laudabilis & superexaltatus in secula.*

Bene-

QVARTA ORATIO.

IN QVA DEO PRO ACCEPTIS beneficiis aguntur gratiæ.

GRatias ago tibi, Domine Deus, pro vniuersis beneficiis & gratijs in me collatis, iam inde à primo die, quo in vtero matris meæ conceptus sum, vsque in hanc horam præsentem: & pro amore tuo, quo ab æterno me dilexisti, cùmme primò creare, redimere, & tuum facere decreuisti; mihique dare omne id, quod huc vsque dedisti: quidquid enim habeo, & quidquid accepturum me spero, id omne tuum est. Tuum est corpus meũ, cum omnibus suis membris, & sensibus: tua est anima mea, cum omnibus viribus & potentijs suis: tuæ sunt omnes horæ, tua momenta omnia, quibus huc vsque vixi: tua est fortitudo & sanitas, quam mihi largitus es: tuum est cælum, tua est terra, quæ me sustentant: tuus est Sol, Luna, & stellæ. Tui sunt agri, tuæ aues, tui pisces, tua animalia, & omnes creaturæ, quæ mihi seruiunt secundùm tuum mandatum.

Omnia hæc tua sunt, & pro his omnibus immortales, & infinitas tibi Domine habeo gratias: nihilominus multò maiores adhuc tibi ago, eò quòd ipse meus esse voluisti: totum enim te pro me obtulisti, & in remedium meum impartiuisti. Amore mei inductus carnem induisti; pro me in stabulo natus, & in præsepe positus es: propter me vilibus panniculis inuolutus, & octaua die circunciſus es: propter me in Ægyptum profugus deportatus es, propter me denique, & propter meam salutem tentatus es, persecutionem passus es, flagellatus es, spinis coronatus es, iniurijs & ignominijs exceptus es, ad mortem dãnatus es. Quid multis? tandem salutiferæ Crucis ligno affixus & suspensus es. Sed antea pro me orasti, ieiunasti, vigilasti, lachrymatus es, huc illuc discurristi, & maiora opprobria atque tormenta passus es, quàm quis vnquam antea sustinuit, aut postea sustinebit.

Ad vtilitatem meam instituisti Sacramentorum tuorum medicamenta, confortans me liquore tui pretiosissimi sanguinis, sanctissimaque carne tua in Eucharistiæ Sacramento me nutriens: quo in Sacramento tu Deus meus es mea reparatio, mea conseruatio, mea fortitudo, & mea delectatio: hoc tu mihi dedisti, vt sit mihi pignus spei meæ, & testimonium inæstimabilis tui in me amoris.

Pro omnibus his gratias ago tibi, quàm possum maximas, dicens ex toto corde cum Propheta Regio; *Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Faciens misericordias Dominus: & iudicium omnibus iniuriam patientibus. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas. Miserator & misericors Dominus: longanimis & multum misericors. Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundùm altitudinem cæli à terra: corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam cognouit figmentum nostrum, Recordatus est quoniam pulvis sumus homo sicut fœnum dies eius: tanquam flos agri sic efflorebit, Quoniam spiritus pertransibit in illo & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum. Misericordia autẽ Domini ab æterno & vsque in æternum super timentes eum. Et iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius. Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Dominus in cælo parauit sedem suã: & regnum ipsius omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, faciẽtes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius qui facitis voluntatem eius. Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Paternoster Aue Maria.

Psal. 102.

QVINTA ORATIO.

IN QVA PETIMVS A DEO Charitatem.

SI obligatio, qua benefactoribus nostris pro acceptis beneficijs deuincti sumus, tanta sit; & si singula beneficia sint quasi faces, & amoris incẽtiua; si iuxta multitudinem lignorum, ignis aut rogi quoque sit magnitudo: quantus, ò Domine, meritò ignis amoris in præcordijs meis flagrare debebit, si ligna beneficiorum tot sint, quæ succendunt & nutriunt illum? Si mundus vniuersus tam visibilis, quàm inuisibilis, cum omnibus quæ in eo reperiuntur, sint mera tua erga me beneficia, quàm ingens erit amoris flamma, quæ in illis debebat rutilare: Atque id tãtò ampliùs, quia non debeo te solùm amare ob ista beneficia: sed etiam, quia in te reperiuntur omnes amandi causæ & rationes, quæ in cunctis sunt creaturis, & singulæ quidem in summo perfectionis gradu.

Si namque bonitatem consideremus, quis te melior inuenitur? si respiciamus pulchritudinem, tu es pulcherrimus, in quem Angeli prospicere desiderãt. Si quæramus benignitatem & suauitatem, quis te suauior & benignior inuenitur? Si appetamus diuitias & sapientiam, quis ditior, & sapientior quàm tu? Si amicitiam, quis amabit aliquid magis quàm illum, qui pro nobis animam suam posuit?

Si autem ad beneficia reuertamur, à quo est omne id quod habemus, nisi à te? Quid de spe dicemus? cùm à te solo, & à tua misericordia speremus, & expectemus quidquid nobis deest. Si naturaliter tam ingens amor debeatur patribus carnalibus: quis magis pater illo, de quo dicitur? *Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus enim est Pater vester, qui in cælis est?* Si sponsi tã tenerè à sponsis suis diligantur? quis est sponsus animæ meæ, præter te Domine? aut quis replebit sinum cordis mei, & desideria mea satiabit nisi tu? Si Philosophi dicant, vltimum finem amore diligi infinito: quis est principium meum, quis minimus finis meus, nisi tu Domine? Vnde enim originis traxi & quò vadam, vt perficiar, nisi à te, & in tei A quo est omne id quod habeo, & à quo spero me recepturum ea quibus mihi opus est, nisi à te? Denique si similitudo sit amoris causa: ad cuiusimaginem & similitudinem creata est anima mea, si non ad tuam? Age, si solus iste titulus, & singuli supradictorũ sint amoris incentiua: quale debet esse id, quod ex omnibus illis simul iunctis deriuabitur? Sanè, quantò abundantius est mare cunctis fluminibus, quæ intrant in illud, & quantò illud vincit magnitudine: tantò etiam abundantior, & tantò maior atque præstantior est amor tuus cæteris omnibus amoribus externis. Matth. 23.

Tam iustas, Domine, causas, tam æquas amandi te rationes cùm habeam: cur te non debeam ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, & ex totis visceribus amare? O spes mea, gloria mea, gaudium meum, ô amabile principium meum, ô satietas & sufficientia mea, quando erit illa dies, cùm te verè &

ex tota

ex tota anima mea diligam? Quando me tibi gratũ in omnibus rebus exhibebo? quando mortuum in me sentiam omne id, quod tibi aduersatur? quando ero totus tuus? quando desinam esse meus? quando veniet illa hora, in qua nihil præter te in me viuet? quando me totum amore tui inflammatum videbo? quando rapies me cum impetu, quando inebriabis me, & me totum in te transferes? Quando videbo felicem illum diem, quo sublatis omnibus impedimẽtis & perturbationibus, facies, vt vnus spiritus tecũ sim, nec in posterum à te diuellar?

Ah Domine, quanti constat tibi, quòd mihi benefacias? quid ex domo tua aufers? quid ex diuitijs tuis amittis? Cur, ô Domine, ira tua cũ misericordia tua erga me pugnat, cùm tu pelagus sis infinitæ liberalitatis & clementiæ? Cur iniquitates meæ tuam superabunt bonitatem? cur mea peccata fortiora erunt ad me condemnandum, quàm tua bonitas ad saluãdum? Si exigas dolorem à me & pœnitentiam: ecce adeò mihi dolet, quòd te offendi, vt optarem potiùs millies me mortem oppetijsse, quàm quòd vel minimam tibi iniuriam irrogaui. Si pœnam postules, vt tibi satisfiat: ecce hic miserum corpus meum castiga & furorem indignationis tuæ ergà illud exatia: saltem ne mihi amorem tui deneges. Non peto aurum, non argentum, non aliud aliquid creatum: nihil enim horum præter te, me potest satiare, & sine amore tui omnia mihi paupertas sunt. Amorem desidero, amorem quæro, amorem te peto, pro tuo amore ad te suspiro: da mihi hunc tuum amorem, & sufficit mihi. Quousque hanc gratiam mihi concedere differes, ô Domine mi? Cur non succurres mihi, videns me noctes atque dies affligi? Quamdiu obliuiscéris mei? quamdiu auertes faciem tuam à me? quamdiu anima mea ab hac anxietate atque desiderio exagitabitur? Respice in me Domine, & miserere mei. Nõ ero vt des mihi panem filiorum in abundantia, sed micas tantùm vt des oro, quæ cadunt à diuite & opipara mensa tua. Ecce Domine venio ante conspectũ tuum, tanquam pauper & famelicus caniculus ad mensam diuitis: intueor in faciem tuam, os tuum obseruo, video quid, & quomodo manducas, filiosque tuos cibo cœlestis tuæ gloriæ pascis: diuersis modis blanditiarum in corde meo vtor, vt saltem te ad compassionem mei commoueam. Vides, Domine, quòd opes huius mundi non satiant me, te solum volo, te quæro, faciem tuam videre desidero, ad amorem tui semper & vbique aspirabo, & cum Propheta cantabo: *Diligam te, Domine fortitudo mea:* Psalm. 17. *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adiutor meus, sperabo in eum protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis saluus ero. Gloria Patri & Filio &c.* Pater noster. Aue Maria.

SEXTA ORATIO.

IN QVA CREATVRA SE DEVOuet, atq; offert suo Creatori omnem obedientiam, in eum spem omnem suam collocans.

DOmine Deus meus, omnes rationes quæ me ad amorem tui obligant, etiam in te sperare me compellunt. In quem enim sperare debeã, nisi in eum, qui me tam tenerè diligit? in eum, qui me tot beneficijs cumulauit? in eum, qui tanta pro me passus est? in eum, qui me toties vocauit, tanto tẽpore expectauit, sustinuit, & ab omni malo liberauit? In quem sperabo, nisi in eum, qui est infinitè misericors, pius, amabilis, benignus, patiens, & qui tam promptus est ad ignoscendum? In quem sperabo, nisi in eum, qui est Pater meus, & Pater omnipotens: Pater, vt amet me: & omnipotẽs, vt opem ferat meæ necessitati? Pater, vt velit, omnipotens, vt possit mihi benefacere? Pater cui maior cura est, & prouidentia de suis filijs spiritualibus, quàm alicui patri de filijs suis carnalibus? In quem denique sperabo, nisi in eũ, qui in omnibus ferè scripturis suis mihi præcipit, vt appropinquem illi, sperem in illo, & mihi plurima præmia, milleque fauores promittit, si istud fecero: & propter hæc dedit mihi pignori veritatem suam, verbum suum, benefacta plurima præterita, tormenta quæ pro me passus est, sanguinem suum amore mei effusum, in confirmationẽ istius veritatis? Quid non sperabo à Domino tantæ bonitatis, & Deo tam verò? à Deo qui me tantopere dilexit, quòd amore mei induit carnem humanam, & mortalem, passusque est tormenta varia, flagella, percussiones, & tandem mortem in Cruce oppetijt, solo amore mei victus? Nec illi hæc omnia sufficiebant, nisi etiam ad vtilitatem meam seipsum sub exigua hostia mihi in cibum relinqueret. Quomodo igitur à me fugere poterit, quando eum quæram, qui tam diligenter me quæsiuit, quamdiu illum fugiebam? Quomodo poterit mihi negare indulgentiam, cùm eam peto, qui illam mihi impetrauit, quando non petebam? Quomodo mihi negabit remedium iam, cùm gratis dare potest, cùm illud mihi tanta diligentia acquisiuit tunc, cùm tam caro comparauit pretio? Ob has igitur omnes causas in illum sperabo, atque in omni mea tribulatione & necessitate, cum fiducia in comitatu Regis & Prophetæ cantabo: *Dominus illuminatio* Psal. 26. *mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.*

Quia verò Spes secura non est sine Obedientia, sicut in Psalmis dicitur: *Sacrificate sacrificium iusti-* Psal. 4. *tiæ, & sperate in Domino.* proinde, Domine, concede mihi, vt spei misericordiæ tuæ adiungam mandatorum tuorum obedientiam, non enim minùs debeo tibi obedientiam hanc, quàm reliqua omnia. Tu enim es meus Imperator, tu Rex & Dominus meus, cui obediunt cœli, terra, mare, & omnes aliæ creaturæ, quæ semper obseruarunt, & obseruabunt legem mandatorum tuorum. Fac igitur, Domine in bona voluntate tua, vt & ego quoq; obediam tibi, & quidem diligentius illis, cùm maiores habeã obediendi rationes. Fac, ô mi Rex, vt morem tibi gerã, mandataque tua, & leges tuas sanctissimas integrè obseruem. Dominare tu in me, Domine, non ampliùs regnet in me mundus, cum suo Principe: non regnet in me caro, non propria mea voluntas, sed tua, expelle omnes istos tyrannos, inuasores regni, & sedis tuæ, fures tuæ gloriæ, euersores tuæ iustitiæ. Tu solus impera, tu solus omnia dispone, tu solus & sceptrum tuum agnoscatur: tibi & sceptro tuo obtemperetur, vt voluntas tua fiat in terris, sicut & in cœlo. Quando erit ille dies, quando me liberum ab istis tyrannis videbo? Quando non audientur in anima mea aliæ voces, quam tuæ? Quando sic sceptrum Madian cõteretur, armaque & vires hostium meorum sic debilitabuntur, vt in obseruatione legis tuæ, voluntatisque sanctæ tuæ satisfactione nullam in me sentiam contradictionem? Quando tam tranquillum erit illud mare? tam serenum illud cœlum? quando adeò mortificatæ & sopitæ erunt meæ passiones, vt fluctus nullos, nullas nubes, nullas turbas in me inueniam, quæ regnum tuum in me possent perturbare: sed altam pacem, tranquillitatem, & legis tuæ obedientiã reperiam? Impartire mihi, Domine, hanc obedientiam, aut (vt melius dicam) largire mihi istud in cor

meum

meum ius & dominium, vt illud mihi obediens tibi nunquam obstreperum sit, sed in omnibus subijciatur.

Porrò quemadmodum tibi obedire, & parere obstrictus sum: sic etiam donare & offerre me tibi debeo, & ad manus tuas me resignare: quia tuus totus sum. Tuus inquam sum. idq; iustissimas ob causas: tuus, qui creasti me, & esse, quod habeo, mihi dedisti: tuus, quia me in hoc esse conseruasti, prouidentiæq; tuę beneficijs & officijs me cumulasti: tuus, quia me ex seruitute in libertatem asseruisti, non auro, aut argento, sed pretioso sanguine tuo: sum denique; tuus, quia toties me redemisti, quoties ex peccato aliquo me eruisti. Si itaq; tot nominibus tuus sim, & tu vicissim meus sis Rex, meus Dominus, meus Redemptor, & liberator meus; ecce cõuerto me, vt dem tibi quod tuum est, hoc est meipsum: tardo me tibi in mancipium & seruum; ecce do tibi claues, & dominium meæ voluntatis, vt post hac amplius nec meus sim, nec alterius, sed totus tuus: vt non viuam mihi, sed vt seruiam tibi: adeo vt siue comedã, siue bibam, siue quid aliud agam, omnia ad gloriam tuam referam. Me tibi sisto, vt disponas de me, sicut de tuo, secundùm voluntatem tuam. Si velis me viuere, mori, sanum aut infirmum esse, diuité aut pauperem esse, laudatum vel illaudatum esse, in omnibus me tibi offero: in manus tuas me resigno, possessioni mei ipsius renuncio, vt post hac non sim meus, sed tuus: donec id quod tuum est per iustitiam, etiam sit tuum cum mea voluntate, idque non semel, sed vbique & semper. Amen. Pater noster. Aue Maria.

SEPTIMA ORATIO.

QVA PETITVR A DEO, QVIDQVID ad nostram salutem conducit.

INfinitas ago tibi gratias, Domine Deus omnipotens, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, quia tu ipse animũ nobis addidisti, vt à te misericordiam flagitaremus, cum diceres per vnigenitum filium tuum; *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Spem quoq; nostram erexisti, dicens per Prophetã; *Non est Deus iustus & Saluator prater me. Conuertimini ad me omnes fines terræ, & salui eritis.* Age igitur, Domine, si tu ipse nos vocas, & inuitas, & expãdis brachia tua, vt ad te curramus; cur non speremus te nos recepturos? Tu non es, Domine, sicut homines, qui cùm dant depauperantur; ideoque inuiti rogantur. Tu, Domine, talis non es; quia quemadmodum tibi nihil decedit cùm omnia largiris, sic etiam iniquo animo non fers, cum rogaris: ideoque petere à te misericordiam, non est importunitas, sed obedientia: tu enim, vt te peteremus, præcepisti. Illud est te honorare, te glorificare: dum enim oramus te, profitemur te Deũ, te vniuersalem Dominum, te donatorem omnium: à quo peti debent omnia, cum tu solus sis, qui potest dare omnia. Imò tu ipse hoc sacrificij genus tibi offerri præcepisti, dicens; *Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.*

Motus igitur, Domine, hoc benignissimo mandato tuo, venio ad te, & precor, vt des mihi omne id, quod tibi debeo; hoc est, vt te adorem, te timeam, te reuerear, te laudem, tibi pro beneficijs tuis gratias agam, te amem ex toto corde, in te omnem spem meam ponam, tuis sanctis mandatis obediam, me totum offeram tibi, tuis me manibus totum commendem, atque eo modo & has, & similes gratias à te petere discam, vt semper foris ante oculos meos, & intus in corde meo tuam gloriam, & animæ meæ salutem constituam.

Oro etiam te, Domine, vt mihi concedas peccatorum meorum remissionem, veram contritionem, & pœnitentiam: & da mihi gratiam, ne in posterum offendam te deniò, neque ijs peccatis, quæ hactenus mihi familiaria fuerunt; neque alijs quibuscunque: potissimùm verò gratiam peto à te, & virtutem ad castigandam meam carnem, refrænãdam linguam, mortificandos cordis appetitus, dispersas imaginationis meæ cogitationes colligendas: vt sic totus reformatus, & renouatus, merear esse viuum templũ, & gratum, in quo moreris, habitaculum. Largire mihi virtutes etiam illas, quibus habitaculum tuum non solum purgetur, & mundetur, sed etiã ornetur: vt sunt nominis sancti tui timor, firma spes, profunda humilitas, integra patientia, clara discretio, paupertas spiritus, perfecta obedientia, cõtinua fortitudo, & diligentia in omnibus rebus, quæ ad tuum cultum & obsequium pertinent: ante omnia vero ardentissima charitas, tam erga te, quàm erga proximum.

Et quia scio me omnibus his indignum, & nihil horum meruisse; memor esto Domine misericordiæ tuæ. Memorare, quòd non vis mortem peccatoris, vt ipse testatus es: sed vt conuertatur & viuat. Recordare, quia non venit vnigenitus Filius in mundũ vocare iustos, sed peccatores. Memento quãta fecit, quanta passus est, à die natiuitatis suæ, vsque dum in Cruce moreretur: quorum omnium nihil passus est pro se, sed amore mei: quæ omnia, clementissime Pater, offero tibi in sacrificium pro peccatis meis, & pro omnibus necessitatibus meis; & quicquid flagito, in nomine illius, & non in nomine meo flagito. Quia de te dicitur, quod honoras patres in filijs, & vni parcis propter alium; (quemadmodum & Dauid fecit honorans Miphiboseth propter patrem eius Ionathan) honora igitur & tu vnigenitum Filiũ tuũ, benefaciens mihi propter amorem illius: quia ipse meus est Pater, & secundus Adam meus; & ego filius illius, licet immorigerus. Aspice, Domine, quia ego ad te confugio: venio ad ostium misericordiæ tuæ, expono tibi paupertatem meam, detego tibi vulnera mea tanquam vero Medico; & cum tali spiritu inuoco te, & in conspectu tuo effundens animã meam, orationem, à Dauide quõdam compositam, dico; *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuũ Deus meus sperantem in te. Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Quoniam tu Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ in die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me. Non est similis tui in dijs Domine: & non est secundum opera tua. Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.*

Luc. 11.

Isa. 45.

Psal. 85.

Psal. 49.

SEQVITVR ORATIO DEVOTISsima matutino tempore dicenda: in qua homo considerans diuinis beneficijs, & vinculis quibus Deo obstrictus est, humiliter eius Maiestati gratias agit, pro omnibus, & se illi offert, eiusq; gratiam petit.

DEus, Deus meus, ad te de luce vigilo; dicit sanctissimus Rex Dauid, in quodam Psalmo: & Psal. 62.

Tt paulò

paulò post addit: *Sic memor fuit tui super stratũ meũ, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.* Et ego, Domine mi, manè ad te vigilare volo, cum sancto Rege hoc. Illud sit primum meorum negotiorum, & principium mearum cogitationum: ad id enim agendum potissimum deuinctus sum: hic finis est ad quẽ creatus sum, vnà cum alijs rebus, vt sunt laudare, glorificare, exaltare sanctum nomẽ tuum: tu enim principium es, & finis omnium rerũ. Principium dico, sine principio, & sine fine finis. Quemadmodum enim nemo potuit creare quicquam sine te, ita creari non potuit aliquid per alium, quàm per te: vt tibi omnia seruirent, omnia te laudarent, omnia gloriam tuam prædicarent.

Tu es vniuersalis omnium bonorum largitor; quum nullum bonum inueniatur naturæ, vel gratiæ, corpori:, vel animæ, quod non originaliter à te deriuetur, qui fons es vniuersalis omnium bonorũ. Tu es pelagus quoddam omnium perfectionum, omnis magnitudinis abyssus, infinitæ bonitatis & misericordiæ mare, infinitæ pulchritudinis imago. Tu es Deus deorum, Sanctus sanctorum, Rex regũ, Dominus dominorum, Causa causarum, Ens entium, Vita viuentium, ordo Vniuersi, pulchritudo mundi, gloria cæli. Tu es Creator meus, qui me de nihilo creasti ad imaginem & similitudinem tuam. Tu es meus Conseruator, qui me tua prouidentia conseruas, ne in nihilum redigar. Tu es meus Sanctificator, qui me per gratiam tuã ad digniora extollis. Tu es meus Glorificator, quia me creasti, vt tua gloria fruerer. Tu meus impulsor, adiutor, defensor, præseruator, pastor, & benefactor. Tu es meus Rex, meus Pater, meus Sponsus. Tu es centrum animæ meæ, vltimus finis meus, in quo consistit omnis mea felicitas, beatitudo, & vltima vitæ meæ perfectio. Tu mihi es omnia in quantum Deus es.

1. Cor. 1. In quantum verò homo es, tu meus es Redemptor, Saluator, liberator. Tu es, Apostolo teste, mea sapientia, mea iustitia, mea sanctificatio, mea redemptio, meum sacrificium, meus agnus, meus sacerdos, meus Aduocatus, meus intercessor, meus pastor, meus magister, meum exemplum, mea fortitudo, mea consolatio. Tu es vniuersalis omnium malorũ meorum medicus: tu enim sanasti meam superbiam cum tua humilitate, meam auaritiam tua paupertate, meas voluptates tuis doloribus, meam iram tua mãsuetudine; meam inuidiam tua charitate, meã gulam tuo felle & aceto, quod amore mei bibisti: pigritiam meam tua diligentia, & immensis pro me exantlatis laboribus. Amore mei ieiunasti, huc illuc discurristi, sudasti, vigilasti, orasti, lachrymatus es, in exilium eiectus, persecutiones passus, derisus, subsannatus, consputus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, plus cæteris hominibus huius mundi afflictus, & tandem mortuus es.

Omnia hæc, Domine, beneficia tua sunt, pro quibus tibi deuinctus sum, quæ & rationes sunt, ob quas meipsum tibi debeo; & vincula sunt, quibus me cõprehensum & ligatum tenes. Quid retribuam tibi Domine pro omnibus quæ retribuisti mihi? quo munere, aut quibus obsequijs tantas gratias mihi exhibitas compensabo? Certus enim sum, etsi omnia corda hominum solus haberem, & cum omnibus te solum amarem, non possem ne minimum tibi debitũ reddere: quomodo igitur pro tot, & tantis tibi satisfaciam? quomodo negare tibi potero illud vnum, quod habeo, pro omnibus, cum tantum tibi debeam pro singulis exhibitis mihi beneficijs? Quid dicam Domine mi? quid faciam? Non possum aliud dicere vel facere, quàm infinitas tibi reddere gratias pro tanta beneficiorum tuorum multitudine, & orare omnes creaturas, quæ sunt in cælo, & in terra, vt me adiuuent laudare te, & gratias habere tibi, quas ego solus non possum. Cantemus igitur canticum, quod cecinerunt tres pueri in ardenti fornace Babylonis, dicentes; *Benedicite omnia opera Domini Domino,* Dan. 3. *laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite Angeli Domini Domino, laudate & superexaltate cũ in secula. Benedicite cæli Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino, laudate, & superexaltate eum in secula.* (Et sic deinceps vsque ad finem Cantici.)

Nec tibi tantum debitor sum omnium harum benedictionum, & laudum, quia tuus totus sum: sed etiam meipsum tibi debeo. cùm tuus tam iustis sim rationibus. In India noua sæpe homo hominem rubro emit pileo, & homo tam vili emptus pretio, adeò emptori subijcitur, adeò in potestatem eius transit, & illi seruus fit, vt ne momenti temporis, ne vnius teruncij sit dominus: cumque emptori placet, aliquando ædibus includitur, & in vincula conijcitur: quòd si obedire nolit, percutit eum, flagellat, & fustibus cædit, eique stigmata inurit, & pro libidine sua illum tractat. Ego igitur, Domine, qui tot titulis, nominibus & rationibus tuus sum, quia me creasti, & pretioso tuo sanguine redemisti; quia me conseruas in omni puncto & momento vitæ meæ, adeò vt sine te manũ, aut pedem mouere, aut aliud quicquam agere non possim: quomodo me à tua seruitute potero liberare? quomodo potero tibi negare, quod tuum est? quomodo potero meipsius esse dominus, viuendo secundum voluntatem meam, cum tot modis tuus sim?

Humiliter igitur agnoscens debitum meum, in posterum me offero, & me totum tibi trado in perpetuum seruum & mancipium tuum: similiter & omnia tibi offero, quæ hodie, aut in reliqua vita mea cogitabo, dicam, aut faciam: nec non & omnia, quæ amore tui sufferã: ita vt esus, potus, somnus, & quicquid agam, id omne fiat ad laudem, honorem, & gloriam tui nominis. Super omnia hæc immolo tibi memetipsum, ne posthac sim meus, sed tuus; & non viuam amplius secundùm meam voluntatem, nec laborem mihi, nec quæram me: sed vt in omnibus, & per omnia quæram te, tuæ paream voluntati, & in tuo assiduus sim obsequio: adeò vt quotiescunque contrarium fecero, agnoscam me esse furem, & alieni raptorem, cum suffuratus fuero obsequium & obedientiam, quam tam multis titulis iustè tibi debeo.

Sed quia tam grande debitum reddere non possum sine tua gratia; oro te, Domine mi, vt in hoc me iuues, & crees in me cor nouum, quod non æstimet suum, ne quidem temporis momentum, quod non tuo impendat seruitio. Da mihi quoque voluntatẽ, cui nihil magis sit in desiderio, quàm obseruare diuina mandata tua, tuæque voluntati parere. Largire mihi quoque intellectum & memoriam, quæ nunquam tui obliuiscatur. Præterea tribue frænum linguæ meæ, custodiam oculis meis, sinceram puritatẽ cordi meo, asperitatem carni meę, mortificationem omnibus appetitibus meis, cunctisque sensualitatis affectibus. Denique da mihi profundam humilitatem cordis, & cum ea patientiam, obedientiam, mãsuetudinem, castitatem, veram discretionem, spiritus paupertatem, zelum amoris tui, amorem erga proximum, & sinceram compassionem in tribulationibus illius. Tu qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

ADMONITIO PRO ORATIONE præcedente.

ADmonendus est hic Christianus lector, non esse necessariũ, vt præcedẽs Oratio semper verbotenus legatur; sed debet homo diligenter considerare

siderare partes, sensum, & energiam illius; deinde ad cor suum reuerti, imaginando & ruminando verba, quæ illi sua administrabit deuotio. Sic enim oratio hæc erit semper quasi nona, & nouos affectus deuotionis in corde excitabit. Obseruandum igitur est fundamentum huius orationis esse considerationē beneficiorum Dei, quorum nomine nos tantopere Deo sumus obligati. Hæc beneficia debent cum maxima attentione perpendi, cum in memoriam incidunt, vt cor liquefiat, & moueatur ad amorem & cultum illius Domini, cui se tantum agnoscit debitorem. Quæ debita si perfectè cognoscerentur ab homine, videret se tot beneficijs oneratum, & tantis vinculis ligatum, vt sine magna difficultate sciret se exercere in alijs tribus huius orationis partibus hoc est, in gratiarum actione, oblatione quæ fit Deo, & in petitione.

Potest & petitio prolixiùs extendi, quàm à nobis posita est: si descendamus ad singula quæque in specie, quæ nobis necessaria sunt, quæque pro nobis, vel pro proximo petere volumus. Tandem possumus hærere quamdiu volumus in vltima petitione, quæ est de charitate: quæ petitio est vtilior, dulcior, & magis deuota cæteris omnibus.

Hæc admonitio vel eò est magis necessaria, quia ordinata est pro matutino tempore, cùm homo surgit è lecto, quod etiam multi faciunt ante auroram. Et cum discursum in hoc exercitio mētalem faciat, non erit opus lumine, vt legat: sed in obscuro, collectis omnibus animæ viribus, singulos huius exercitij articulos meliùs poterit percurrere. Cùm autē Canticum trium puerorum recitat, animaduertat in Scriptura ad singulos versus repeti, *Laudate & superexaltate eum in secula.* quæ verba magnæ virtutis sunt, & deuotionis: præsertim in corde hominis experti, quid sit amare Deum: adeò vt quoties repetuntur, toties noua sagitta charitatis cor veri deuoti transfigat. Qui autem totum Canticum dicere non vult partem ei dicere licebit. Quod si autem homo plura dicere velit, & copiosiùs Domino benedicere, percurrat omnes choros Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, Virginum & Viduarum: inuocet omnes hos, & oret vt secum glorificent atque laudent communem Dominum, repetendo in singulis; *Laudate & superexaltate eum in secula.*

ORATIO QVA PETITVR PECcatorum remissio.

O Pater omnipotens, totus pius & misericors, ego miserrimus peccator ante pedes tuos humi iacens, confiteor maxima peccata & crimina, quibus te, benignissime Pater, offendi. Confiteor quoque magnam ingratitudinem meam, quod tam paruipendi inæstimabilia infinitaque beneficia tua mihi collata, tantum mihi amorem, tantamque benignitatem mihi exhibendo, & tanto tempore me expectando, vt ad te conuersus pœnitentiam agerem, ne in profundam inferni ruerem abyssum, pro vt peccata mea meruerāt; imò quòd me semper ad iustitiam inuitasti, & ad hoc gratiam tuam obtulisti. O Domine mi, quoties pulsasti ianuam cordis mei multifarijs tuis inspirationibus? quoties me beneficijs prouocasti? quoties blanditijs me inuitasti? quoties me tribulationibus & calamitatibus percussisti? ni hilominus te semper à me reieci, tibi dorsum verti & tu tamen pro infinita tua patientia me sustinuisti. Fateor, Domine, iustè & meritò me in imum inferni deturbare potuisses: sed pro sola tua clementia iræ tuæ impetum cohibuisti, quam tamen tot modis in me prouocaueram. Profectò, dulcissime Pater mi, mirandum vehementer est, cor meum dolore non disrumpi, cùm hæc omnia mecum perpendo. Indignus sum qui creatura tua dicar; quem terra diutius sustineat, cui terra fructus producat, quib. victitem. Stupor, & omnium rerum admiratio maxima est, quòd omnes creaturæ non insurrexerint in me, & iniuriam communi omnium Domino à me illatam non vindicauerint. Tu tamen, clementissime Pater, miserere mei, & aperi mihi viscera infinitæ tuæ pietatis: ignosce mihi quod conuersionem meā ad te tam diu prorogaui. Aperi mihi benignum & paternum pectus tuum, & da mihi nutrimentum quod filijs tuis dare consueuisti. Supplico tibi, Domine, vt nunc illud opereri, in me, propter quod me hactenus expectasti.

Confiteor ex animo, Domine, me omnium qui in mundo sunt peccatorum peccatorem esse maximū: nihilominus tuæ bonitati confido. Etenim peccata mea etsi numerari non possint, tua tamen misericordia est infinita. O Pater amantissimè, si vis, potes me mundare. Sana me, Domine, & sanabor, quia confiteor me tibi peccasse. Memor esto verborum tuorum, quæ plena sunt consolatione, quæque per os Prophetæ tui quondam locutus es; *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Quare, ô pie Pater, huic tuæ promissioni confisus ex toto corde conuertor ad te, haud secus quàm si me solum vocasses, & me solum dulci hoc verbo inuitasses. Ierem. 3.

Confiteor quòd misera & infelix sum creatura. Ego sum filius ille prodigus, qui me segregaui à te Patre luminum, à quo omne bonum deriuatur: & tanquam ouis perdita à tuo grege aberraui: turpiter dissipans gratiam, quam mihi contuleras. Dereliqui te fontem aquæ viuæ, & fodi mihi cisternas, & bibi aquas turbidas, plenas amaris consolationibus, & quæ breui tempore exsiccantur: cùm certum sit omnes consolationes, & voluptates huius mundi instar fumi euanescere. Dereliqui te panem vitæ, glandesque & siliquas à porcis conculcatas & protritas comedi; pessimos affectus & brutos appetitus meos secutus. Segregaui me à te summo bono, secutusque sum terrena & transitoria, quæ me perdiderunt. Nūc autē, Pater mi, tibi supplico; ne memineris iniuriarum, contumeliarumque à me tibi factarum: idque supplico non per merita mea, sed per merita, labores, dolores & seruitia vnigeniti Fili tui, quæ pro me fecit, & sustinuit.

Et tu, Vnigenite summi Patris Fili, Domine & Saluator mi, miserere mei. Omnes meas iniquitates, omnem iniuriam, ignominiam, iram, superbiam, auaririam, inobedientiam, impudentiam, præsumptionem, cum omnibus alijs malis, quibus te irritaui, in tuam benignitatem, clementiam, & sacratissima tua vulnera, quæ pro me recepisti, proijcio: & me totum tibi reddo, tuæque gratiæ commendo. Tu es omnis spes mea, tu es auxilium & fortitudo mea. Quantum me turbant. & confundunt mea peccata, tantum me exhilarat, & consolatur tua bonitas, & infinita passionis tuæ merita. Et quamuis peccata mea sunt grandia, & innumerabilia: tamen in comparatione tuæ misericordiæ pauca sunt, & exigua. Hanc ob causam tuæ confiteor bonitati, & spero quod perire me non permittes, quē creasti ad tuam imaginem & similitudinem, & propter quem te nostræ naturæ, carnisque & sanguinis nostri fecisti participem. Spero denique me à te non condemnatum iri, posteaquam me tot laboribus & molestijs, tamque caro pretio redemisti. Tu qui viuis & regnas per omnia secula seculorum.

Amen.

AD IESVM PRO ACCEPTIS BENEFICIIS GRATIARVM ACTIO.

AGo tibi gratias, dulciſsime Ieſu, quia me creaſti ad tuam imaginem & ſimilitudinem; pro iſto corpore, quod mihi dediſti, cum omnibus ſuis ſenſibus; & pro iſta anima, cum omnibus ſuis potentijs, vt cum ijs te cognoſcam, & te diligam. Da mihi gratiam, Domine, ita tibi Creatori & Patri meo cæleſti ſeruiendi, vt mortificatis omnibus paſſionibus & affectionibus meis vitioſis, reformetur in me imago tua, quum tu creaſti, & ego tibi in innocentia vitæ ſimilis efficiar.

Ago tibi gratias pro beneficio conſeruationis: quia idem ipſe tu, qui me creaſti, in iſta eſſentia me ſemper conſeruas, quam tu mihi dediſti. ago inſuper tibi gratias, quia pro eadem conſeruatione creaſti omnia, quæ in mundo reperiuntur: cælum, terrã, mare; Solem, Lunam, ſtellas, animalia, piſces, aues, arbores, denique & omnes alias creaturas; quarum quaſdam creaſti ad me conſeruandum, quaſdam ad me ſanandum, aliquas ad me recreandum, nonnullas ad me docendum, reliquas ad me caſtigandum. Oro te, Domine, da mihi gratiam, vt ſic omnibus his vtar in hoc mundo. ſicut oportet, & in eum vſum, in quem tu ipſe creaſti, hoc eſt, vt per illas veniã in cognitionem tui veri mei Dei ac Domini, & vt ex ijs admiratio in corde meo excitetur, & amor ſancti nominis tui accendatur.

Ago tibi gratias, Domine Ieſu, pro beneficio redemptionis: hoc eſt, pro incomprehenſibili illa bonitate, & pro extrema illa miſericordia, qua in me vſus es; pro ardentiſsima quoque illa charitate, qua me redemiſti, deſcendens in terram, vt me leuares in cælum; factus homo, vt me faceres Deum; oppetens mortem crudelem, vt ego veram haberem vitam. Ago tibi gratias pro humilitate incarnationis tuæ, pro paupertate natiuitatis, pro ſanguine circunciſionis, pro fuga in Ægyptum, pro ieiunio in deſerto, pro vigilijs in orationibus, pro paupertate denique, humilitate, & miſeria totius vitæ tuæ ſanctiſſimæ. Ago tibi gratias pro laboribus, ignominijs, & opprobrijs, quæ pro me in mœſtiſsima atque ignominioſa morte tua ſuſtinuiſti. Ago tibi gratias pro oratione in horto, pro ſudore ſanguineo, pro tua captiuitate, pro alapis, pro ſputis, pro blaſphemijs, pro flagellis, pro corona ſpinea, pro veſte purpurea, pro conuitijs, pro felle, pro aceto, pro clauis, pro lancea, pro cruce, & pro morte, quam pro me & ſalute mea obiiſti.

Ago tibi gratias, dulciſsime Ieſu, quòd iam inde ab incunabilis meis in gremium Eccleſiæ tuæ me recepiſti, in fide Catholica me educaſti, Chriſtianum me feciſti, animam & corpus meũ vſque huc ſuſtentaſti, & conſeruaſti. Oro pietatem tuam, concede mihi, vt tu ſolus ſis ſuauiſsimus cordis mei cibus, & anima mea ſemper ſitiat te fontẽ aquæ viuæ; vt peracto huius peregrinationis curſu, in tua beatitudine liceat mihi gaudere, & guſtare de abundantiſsimo flumine deliciarum, quod procedit de te fonte vitæ & omnium bonorum.

Ago tibi gratias, amantiſsime Ieſu, qui vſque in præſentem diem ſine mea prudentia me liberaſti à multis & maximis periculis, tam animæ, quàm corporis; cùm interim dignus eram à te negligi, & reprobari. Ago tibi gratias, quòd cum ſopitus, ſepultuſque iacebam in peccatorum meorum ſtercoribus, me tanta cum patientia ad pœnitentiam expectaſti, non obſtante quòd toties te offendi, & ſanctis tuis inſpirationibus reſtiti. Largire mihi, Domine, vt in poſterum te ſequar humili cum affectione, cumque omni promptitudine & obedientia diuinas tuas inſpirationes obſeruem & amplectar, & omnium viſibilium amorem ex corde meo expellam, vt totus in tua ſeruitute occupatus in poſterum à te non diuellar.

Ago tibi gratias, Domine, præter omnia beneficia hæc, quod pro ſalute mea, & in remedium vulnerum meorum, tot, & tam admiranda inſtituiſti Sacramenta, & tot inſpirationibus me viſitaſti; pro beatitudine quoque gloriæ, quam mihi præparaſti, ſi me ipſe meis peccatis indignum non fecero.

Hæc ſunt, Domine, beneficia communia, quorũ ego memini: plurima ſunt alia, quorum nec memini, nec quæ intelligo, pro quibus non minores tibi debeo gratias, quam pro modo commemoratis: imò tantò maiores, quantò manifeſtiùs in ijs tuæ cognoſcitur bonitatis magnitudo; quia quò tempore dormiebam, tu vigilabas ad defendendũ me à mille periculis, & multis me gratijs onerandum. Pro quibus omnibus, vti æquum eſt, vt remiſsionem à te petam, non tantum peccatorum, quæ mihi nota ſunt, ſed etiam eorum, quæ ſunt mihi incognita: ſic etiam æquum eſt, vt tibi gratias agam, quas poſſum maximas, non tantùm pro beneficijs, quæ mihi cognita ſunt, ſed etiam pro ijs, quæ ſunt mihi incognita: ideoque te adoro te laudo, tibi in omnibus & pro omnibus benedico. Da mihi, Redemptor mi, vt ſic omnibus his beneficijs in poſterum vti diſcam, ne ſint mihi occaſiones ſuperbiæ & ignauiæ; ſed maioris humilitatis & gratitudinis, & maius in me tui cultus deſiderium accendant. Tu qui viuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

ORATIO, IN QVA HOMO OFFERT *Deo omnes labores & merita Chriſti noſtri Saluatoris, vt per ea gratiam conſequatur.*

QVid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? qua re tanta beneficia compẽſabo? quid tibi pro tanta miſericordia reddam? ô quam iniquè meritis tam liberalis & pij benefactoris reſpondi. Semper ingratus fui tuis beneficijs; ſemper tuis inſpirationibus obicem, & impedimentum poſui; culpam culpæ, & peccatum peccato addidi.

Confiteor, Domine, quòd non ſum dignus vocari filius tuus, etſi ego te Patrem agnoſcam; tu enim verè Pater meus es, tu es ſpes mea, vt verus fons miſericordiæ, qui non repellis peccatores ad te confugientes, ſed recipis, lauas, & reficis illos. Ecce igitur adiutor mi, vide quomodo ego, qui ſum omnium creaturarum pauperrimus, ad te venio, nihil aliud adferens, quam pondus meorum peccatorum.

Ecce me ante pedes tuæ pietatis proſterno, petens humiliter miſericordiam: ignoſce mihi quæſo, O firma ſpes mea, ſalua me pro tua infinita clementia. O dulcis Ieſu, in remiſsionem meorum peccatorum offero tibi immenſam illam charitatẽ, qua tu Deus infinitæ Maieſtatis motus, non dedignatus es pro me incarnari, homo fieri, & in hoc mundo triginta tribus annis, in multis tribulationibus, perſecutionibus, contradictionibus, moleſtijs & laboribus viuere.

Offero tibi lethalem illam anguſtiam, ſudorem illum ſanguineum, & agonem illum, qui cor tuum angebat, & affligebat, cùm in horto iacens in terra Patrem deprecaberis. Offero tibi ardens illud deſiderium, quo deſiderabas pro nobis pati, quando te ſponte in manus inimicorum tuorum in ſacrificium

pro

pro nobis tradidisti. Offero tibi tuas pressuras, flagella, iniurias, blasphemias, alapas, verbera, sputa & saliuas ex ore tuorum inimicorũ excreatas, aliaque omnia tormenta, quæ in ædibus Annæ & Caiphæ tota illa nocte nostri causa pertulisti. Offero tibi omnia hæc, rogans infinitam tuam bonitatem, vt per merita illorum mihi condones omnia mea peccata, animam meam purifices, & tandem ad vitam æternam perducas.

Offero tibi quoque humilitatem illam & patientiam inæstimabilem, quàm exhibuisti, dũ te spinis coronarent, & ad maius ludibrium purpurea te clamyde circũdarent, & irridentes te salutarent, & in faciem tuam expuerent, atque arundine, quam in manu habebas, lancinatum & saucium caput tuum percuterent.

Offero tibi afflictam corporis tui lassitudinem, sanguinea vestigia, & onus graue Crucis, quod delicatis & fractis tuis humeris portabis. Offero tibi sitim illam, quam crucifigendus passus es; omniaq; alia tormenta, quæ mansueto corde sustinuisti. Omnia hæc offero tibi, cum maximis gratijs, quas pro mea infirmitate tibi possum habere: orans immensam tuam pietatem, vt per horum merita remittas mihi mea peccata, animam meam purifices, & ad æternam vitam perducas.

Dulcis Iesu mi, in satisfactionẽ pro peccatis meis offero tibi crudelissimos dolores, quos passus es, cũ milites vestem tuam carni & ossibus concreto sanguine agglutinatam crudeliter corpori tuo detraherent, & omnia vulnera, in flagellatione tua accepta, renouarentur: quando in crucem proiectus, manus, pedesque sanctissimo ligno clauibus compaginari passus es, & omnes articuli atque membrorum iuncturæ locis suis naturalibus emotæ sunt. Cùm pretiosus ille tuus sanguis, tanquam riui de fontibus, ex sanctis tuis vulneribus scaturiret. Omnes guttulas istius pretiosi sanguinis tibi offero.

Offero tibi illam benignitatem & mansuetudinem, qua cum sustinuisti omnes contradictiones, & impiorum conuitia, qui mouentes capita sua te subsannabant, dum tu pro illis Patrem orabas, eosque coram illo excusabas. Offero tibi quoque horrenda illa tormenta, quæ pertulisti, quando totus afflictionibus, cruciatibus, & doloribus in prædam datus omni consolatione externa & interna priuatus, & à Deo atque hominibus derelictus, miserrimè cruci affixus, inter cælum & terram, medius inter duos nequissimos latrones pendebas.

Offero tibi intolerabilem sitim, quã in cruce patiebaris, humilitatemque & reuerentiam illam, qua cum spiritum tuum inclinato capite Patri commẽdasti. Offero tibi salutiferum illum sanguinem, qui tam copiose ex latere tuo, lancea aperto, profluxit. Omnia hæc offero tibi, quanta cum possum gratiarum actione; & oro te, remitte mihi peccata mea, animam meam purifica, eamque tandem perduc ad vitam æternam. Vbi tu viuis cum Patre & Spiritu sancto, per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO AD DEVM, ET OMNES Sanctos, in qua necessaria tam nobis, quàm proximo petuntur.

Ad Patrem. BEnigniſsime Pater, pie Pater, & misericors Pater, miserere mei. In remissionem meorum, totiusque mundi peccatorum, offero tibi vitam, passionem & mortem Vnigeniti tui Filij. Offero tibi quicquid ille in hoc mundo vel fecit, vel passus est pro nostra salute. Offero tibi omnia merita dulcissimæ Matris illius, omniumque Sanctorum, vt illorũ amore mihi ignoscas, misereariſ mei, æternamque vitam mihi concedas.

Ad Filium. Pie Iesu, Redemptor mi, miserere mei. Gratias tibi ago pro infinita misericordiarum tuarum multitudine, & pro gratijs tuis, quæ numerum non habent, quas tribuisti, & tribuis quotidie misero & indigno mihi peccatori. Oro te clementissime Domine, fac me participem tuorum meritorum, vt tibi concorporatus, vnumq; tecum per amorem & imitationem sanctissimæ vitæ tuæ factus, te, tanquam palmes in vite, frui merear: posteaquam tu sis vera vitis, & vita omnium fidelium.

Ad Spiritum S. Spiritus Sancte Consolator, adiuua me Domine mi. Commendo tibi animam meam, corpus meum, & omnia mea. In manus tuas commendo progressum & finem vitæ meæ. Da mihi, vt illã in tuo cultu & obsequio peragam: veram faciens meorũ peccatorum pœnitentiam, priusquam anima mea ex hoc corporis migret ergastulo. Cæcus & infirmus ego, quamdiu viuo in hoc mundo, facilè in laqueos affectionum mearum incido, erro facilè, facile decipior: ideo me tibi commendo, & tuæ protectioni me submitto. Ah Domine, pauperum hunc & nudũ famulum tuum defende, custodi illũ ab omni malo. Doce & illumina intellectum meum, guberna animam meam, tege corpus meum, corrobora spiritum meum contra inordinatam fragilitatem cordis mei. Concede mihi fidem certam, spem firmam, charitatem puram & perfectam. Fac vt cum dulcedine te amem, & vt in omni loco & tempore tuam faciam voluntatem.

Ad sanctiss. Trinitatem. Adoro, benedico, & glorifico te, O Sancta Trinitas omnipotens Deus, Pater, Fili, & Spiritus sancte: ecce me tuæ diuinæ Maiestati sisto, & me tuæ sanctissimæ atque irreuocabili voluntati trado. Oro te, Domine, remoue à me & ab omnibus fidelib. Christianis, quicquid tibi displicet: redde quod gratũ est in oculis tuis, & fac vt tales efficiamur, quales nos esse desideras. Commendo tibi patrem meum, matrem, fratres, sorores, filios, cognatos, benefactores, amicos, familiares, vicinos, omnesque illos, qui se meis orationibus commendarunt, aut pro quibus orare debeo. Commendo tibi sanctam tuam Ecclesiam Catholicam; fac Domine mi, vt omnes te cognoscant, omnes te colant, omnes te diligant, & vicissim à te diligantur. Reduc errantes in viam bonam, hæreses destrue, conuerte omnes ad veram fidem, qui non habent sancti tui nominis cognitionem. Dona nobis pacem, & conserua nos in ipsa, quomodo tibi placet, & nobis est vtile. Recrea & consolare omnes qui sunt in tribulatione, quique in miserijs, tentationibus, perturbationibus, & afflictionibus tam corporalibus, quam spiritualibus viuunt. Denique omnes creaturas tuæ protectioni cõmendo, vt viuis tribuas gratiam, & defunctis æternam requiem.

Ad S. virginem. Salue candidum & pulcherrimum formosi veris lilium, sanctissima Virgo Maria. Salue rosa diuinæ suauitatis odorifera. Salue integerrima viola, plena cælesti gratia, plena venustate: de qua nasci voluit, & lactari paruulus Iesus Christus Dei Filius, Rex cælorum inclytus, splendor Patris gloriæ, & figura eius substantiæ. Impetra, ô Domina mea, mihi ab Vnigenito Filio tuo omne quod noueris animæ meæ necessarium. Adiuua, pia Mater, fragilitatem meã in omnibus meis tentationibus, & calamitatibus, præcipuè verò in hora mortis meæ; vt per tuum auxilium & subsidium securus esse merear in vltimo illo & periculoso certamine.

Ad Angelũ custodem. O beati Spiritus Angelici, qui suauissima melodia communem glorificatis Dominum, & beata eius præsentia semper fruimini, misereminì mei: & præsertim tu sancte Angele custos animæ meæ, & corporis mei, qui specialiter, commendatus sum: oro

te, vt fideliter, & diligenter officium tuum facias, & me ab omni malo visibili & inuisibili custodias.

Ad omnes Sanctos.

O omnes Sancti & Sanctæ Dei, qui iam transistis turbulentum pelagus huius mortalitatis, & peruenistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis, & pacis, atq; iam fieri meruistis consortes cælestium virtutum. Securi estis de vobis, soliciti estote de nobis. Estote procuratores & aduocati mei; orate Dominum pro me, vt vestris orationibus & meritis nunc gratiam impetrem, & in hora mortis salua naue, & integris mercibus securum perpetuæ gloriæ portum possim introire: vbi vos cum Deo sine fine regnatis. Amen.

ORATIO S. THOMÆ AQUINATIS *pro impetrandis omnigenis virtutibus.*

S. Thomas Aquinas hanc quotidie orasse fertur.

CONcede mihi quæso omnipotens & misericors Deus, quæ tibi placita sunt diligenter & ardēter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, & perfectè adimplere.

Ad laudem & gloriam nominis tui ordina statū meum, & quod à me requiris vt faciam, tribue vt sciam, possim, & velim: & da exequi vt oportet, & expedit saluti animæ meæ.

Via mihi quæso ad te sit tuta, recta & consummata, non deficiens inter prospera, & aduersa, vt in illis non extollar, & in istis non deprimar. Vt in prosperis gratias tibi referam, & in aduersis seruem patientiam. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoueat ad te, vel quod abducat à te: Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in charitate da facere, & quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere, non ex consuetudine, sed ad te referre cum deuotione.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara sint mihi omnia tua, & tu Deus plus quàm omnia. Tædeat me gaudij, quod est sine te, nec cupiā aliquid, quod est extra te. Delectet me omnis labor, qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ non est in te.

Frequenter & feruenter da mihi dulcissime Domine cor meum ad te dirigere, & defectionem meā eum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me Dens humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine grauitate, agilem sine leuitate, veracem sine duplicitate, te timentem sine desperatione, in te sperantem sine præsumptione: castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, diligere sine simulatione, ipsumque ædificare verbo & exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi dulcissime Iesu cor peruigil, quod nulla à te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da inuictum, quod nulla fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vendicet violenta delectatio; & da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te inuenientem, conuersationem tibi placētem, perseuerantiam te dulciter & fiducialiter expectantem, fiduciam te feliciter amplectentem, tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficijs in via vti per gratiam, & gaudijs tuis in patria frui per gloriam. Amen.

ORATIO AD SPIRITVM *sanctum.*

OSancte Spiritus Paraclete, qui in die Pentecostes super Apostolos descendisti, charitateque & gratia, & sapientia eorum impleuisti pectora: Oro te per illam ineffabilem misericordiam & liberalitatem, dignare sinum animæ meæ implere tua gratia, ineffabilique dulcedine amoris tui interiora mea viscera.

Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium. Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium. Veni consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. Veni medice languentium; Veni purgator criminum; Veni fortitudo fragilium. Veni peccantium remedium; Veni Doctor humilium; Veni destructor superbientium. Veni omnium viuentium singulare decus, morientium vnica salus. Veni Deus meus, & adorna tibi thalamum, in quo digne te cum omnibus diuitijs & misericordijs suscipiam. Inebria me dono sapientiæ; illumina me dono intellectus; rege me dono consilij; confirma me dono fortitudinis; instrue me dono scientiæ; vulnera me dono pietatis; & transfige cor meum dono sancti tui timoris.

O dulcissime amator mundorum cordium, vre & inflamma omnia mea viscera igne amoris tui suauissimo. vt accensa in te rapiantur, & in te ferantur, qui es vltimus finis, & omnium bonorum abyssus.

O dulcissime sanctarum animarum amator, cùm tu, Domine, non ignores, quòd per me, & à me nihil possum, extende piam manum tuam super me, & fac, vt exeam à me, & perueniam ad te. Proinde, Domine, abijce in terram, mortifica, extingue, & dissolue in me quicquid vis, vt in omnibus me tuæ voluntati facias conformem. Vt in posterum sit vita mea perfectum coram te sacrificium, seu potiùs holocaustum, quod tui amoris igne totum comburatur.

O quis mihi dabit, vt ad summum illud bonum tandem admittar? Respice Domine, respice, & vide, quomodo hæc paupercula creatura ad te nocte dieque suspirat, anima dico mea, anima mea ad te sitit Deum viuum. Quando veniam & apparebo ante faciem gratiæ tuæ? quando intrabo in locum admirabilem tabernaculi tui, vt perueniam ad domum Dei mei? quando me adimplebis lætitia vultus tui? quando præsentia tuæ gloriæ satiabor? quando per te liberabor ab omni tentatione, & transgrediar huius mortalitatis parietem? O fons æterni splendoris reduc me, Domine, ad abyssum æterni boni, à quo creatus sum; vt ibi cognoscam te, sicut & cognitus sum, & te diligam, sicuti à te dilectus sum: vtque te videam, teque fruar in societate omnium electorum cælestium, quemadmodum & tu me vidisti ab æterno, Amen.

ORATIO SUB MISSA DISCENDA:

In qua Patri mors Vnigeniti filij sui offertur. Ex diuersis D. Augustini locis concinnata.

OClementissime, supremeque cœli & terræ Creator, quamuis ego vilissimus sum, & omniū peccatorum maximè detestabilis, tamen vnà cum Ecclesia offero tibi pretiosissimum sacrificium, Vnigenitum scilicet Filium tuum, pro omnib. meis peccatis, quæ vsq; huc cōmisi, & pro beneficijs omnibus, quæ hactenus à te percepi. Aspice pie Pater pissimum Filium, pro me tam impia passum. Respice clementissime Rex quis patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem vt seruum redimeres filium tradidisti? Nunquid non auctor vitæ hic est, qui vt ouis ad occisionem ductus, tibique vsque ad mortem

Ex Aug. Meditat. cap. 6.

obediens

obediens factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire? Recole totius salutis dispensator, quia hic est ille, quem etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti. Verè hæc est tua Deitas, quæ meam induit naturam, crucis ascendit patibulum, quæ in assumpta carne triste tulit supplicium. Reduc Domine Deus meus, oculos tuæ Maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum toto corpore extensum: Cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrauerunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renoua me lacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in via tua, diris confixa clauis: & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis. Oro te, Rex Sanctorum, per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc Redemptorem meum: fac me currere viam mandatorum tuorum, vt ei valeã spiritu vniri, qui mea non horruit carne vestiri. Nunquid non attendis, pie Pater, adolescentis Filij charissimi caput, niuea ceruice deflexa, pretiosissimam resolutum in mortem? Aspice mitissime Conditor dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis vnda. Specta glorioſe Genitor gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea est substantia. Conspicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriã. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.

Ex cap. 5. Ecce hic est Aduocatus meus apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine, quia proprio refulget perfusus cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens & perfecta, in odorem suauitatis oblata & accepta. Ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit: qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobrijs affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & liuores nostros suo liuore sanauit.

In cap. 7. Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quid commisisti amantissime iuuenis, vt adeò durè tractareris? Quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occasionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitiũ. Ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispositio. Peccat iniquus, & punitur iustus: delinquit reus & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat seruus, exoluit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagrauit charitas? quo processit pietas? quo excreuit benignitas; quò peruenit cõpassio? Ego enim iniquè egi, tu pœna mulctaris: ego facinus admisi, tu vltione plecteris. Ego superbiui tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediẽs extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis.

Ex cap. 8. Ecce omnipotens Deus, Pater Domini mei, dispone benignus, quo miserearis mei, quoniam quicquid pretiosius inueni, deuotè obtuli: quicquid charius repperi, suppliciter præsentaui. Direxi tibi Aduocatum meum, dilectum Filium tuum. Amplectere serenus pastorem, & respice misericors allatã proprijs humeris ouem. Oro te pie Pater, da mihi, vt per hãc orationem merear illum habere Aduocatum, quem nullo meo merito, sed ex pura tua gratia mihi dedisti Redemptorem. Amen.

ALIA ORATIO SVB MISSA, *aut alio quocunq; tempore legenda.*

ADoro, laudo, glorifico te, Domine Iesu Christe, benedico & gratias ago tibi, Fili Dei viui, quia voluisti sanctissima & tenerrima mẽbra tua tam immaniter pro me affligi, & lacerari. Benedico singulis & omnibus illis, pro amore & honore tui. Saluete pedes Domini mei, pro me extensi, laniati, & duris clauis transfixi. Saluete genua, toties pro me in terram posita, & toties eundo defatigata. Salue pectus floridum, amore mei totum mutatum, & liuoribus vulneribusq; deformatum. Salue latus sacratissimum, lancea pro salute mea crudeliter apertum. Salue cor amabile, pium, & suaue, durissimo pro me ferro traiectum. Salue dorsum sanctissimum, multis flagellis laceratum, & multis plagis dilaniatum. Saluete charissima brachia, amore mei extensa, & cruci affixa. Saluete manus delicatæ, pro salute mea clauis perfossæ. Saluete humeri candidissimi, pro me fugillati; & asperrimo Crucis pondere contusi. Salue collum niueum, & os mellifluum, pro me aceti & fellis amaritudine repletum. Et vos aures benignissimæ saluete, quę propter me tot iniurijs, conuitijs & blasphemijs fuistis oppletæ, & grauiter offensæ. Saluete oculi beati, qui pro me tot lachrymarum riuulos effudistis. Salue caput nobile, spinis immaniter lancinatum, vt me corona gloriæ condecorares.

Clementissime Iesu, saluto pretiosum corpus tuũ vniuersum, quod pro salute mea flagellatum, vulneratum, crucifixum, mortuum, & sepultum est. Salue pretiosissime sanguis, qui effusus, & pro me Patri oblatus es. Salue anima nobilissima nostri Saluatoris, quæ afflicta & angustiata es, vt ego maiori fruerer lætitia. O dilectissime Domine, oro te per sacratissima membra tua, vt mea sanctifices, & ab omni sorde emacules, quibus cum tuã Maiestatem offendi, malis meis seruiens appetitibus. Oro Domine, ignosce mihi, tu qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

SEQVVNTVR ORATIONES SEPTEM *ad Sacratissimam Virginem Mariam, quibus deuotum Memoriale vitæ illius sanctissimæ continetur. Possunt autem orationes istæ diuidi in singulas septimanæ dies, vt quotidie deuotio noua oratione renouetur.*

PRIMA ORATIO.

SAlue sanctissima Virgo Maria, quæ à Deo in Matrẽ electa es ante omnia secula. Tu es illa B. Mulier, de qua Rex cæli & terræ, vt genus humanum redimeret, carnem voluit assumere. Tu es illa pia Mediatrix, inter Deum & homines, cuius intercessione cœlum terræ iungitur, quæq; alta sunt & pretiosa, cum humilibus & abiectis. Tu es Dux vitæ nostræ, tu porta diuinæ gratiæ, tu es securus ille portus maris huius mundi procelloſi. Obsecro te, mea Domina, vt peccatorum meum remissionem mihi impetres, gratiamq; obtineas, vt ex toto corde meo diligam, & honorem Filiũ tuum, Dominum meum, vna cum te Matre misericordiæ.

Salue Maria, quæ cum intimo cordis desiderio tot seculis ab antiquis illis Patribus es expectata, quæque diuersis typis & figuris es adumbrata, nec

non & manifestis prophetijs & reuelationibus promissa. Recipe me, gloriosa Virgo, in famulum tuum: fac, vt & ego sim in numero eorum, quos tu amas, & in tuo castissimo pectore adscriptos habes, quos tu doces, dirigis, & defendis in omni eorum necessitate.

Salue Maria, quæ ad stuporem vsque adeò facta es pulchra in vtero Matris tuæ, idque à summo illo Deo, qui te adornauit omni perfectionum & gratiarum genere. O Virgo generosa, Virgo candida, electa ex millibus, ne me repellas Domina, etiamsi indignus sim; sed potiùs audi me miserum ad te clamãtem, & pauperem te quærentem; adiuua eum, qui spem omnem suam in te collocauit.

Salue Maria, cuius natiuitas tantopere desiderata, & tam diu ab omnibus gentibus expectata, noua luce nouoq; gaudio mundum exhilaratuit. O innocentissima Virgo, fac me innocentem, & tolle à me quicquid purissimis oculis tuis displicet. Esto mihi misericors, quia ab ipsis incunabulis creuit tecum misericordia.

Salue Maria, in quam Deus omnem pulchritudinem corporalem, omnemque gratiam spiritualem infudit; qua cum de gratam fecit omnibus populis. O Virgo gratiosissima, & formosissima, oro te, vt intercessione tua anima mea ornamentis spiritualibus ornetur: insere in cor meum viuum affectum puritatis & castitatis, vt in omni re tibi placeam, tuusque sim verus seruus & imitator.

Salue Maria, quæ à sanctissimis parentibus tuis in templum adducta, Domino fuisti præsentata, & eius cultu atque ministerio dedicata: vbi vitam vixisti angelicam, in omni re pia, beneplacens, suauis, grata & accepta Domino. Da mihi, vt sentiam in me odorem sanctissimæ tuæ conuersationis; vt ita vitã, ne (quantum fieri potest) aliquo modo displiceam, aut molestus sim alicui hominum, nullum offendã, nulli sim scandalo: sed omnes in me consolationem inueniant, & ad amorem Dei, mundique contemptũ per me prouocentur.

Salue Maria Virgo, & virginum omnium Antesignana, quæ te totam Deo consecrans, inusitato exemplo, hilari animo, & deliberata voluntate virginitatem vouisti. Tu vera imago es perfectæ castitatis, & puritatis; cuius sanctissima & castissima cõuersatio cælesti quodam lumine penetrabat corda videntium, viuumque amorem castitatis & puritatis in illis creabat. Oro te, vt à Filio tuo mihi impetres veram animæ & corporis puritatem, vt me nulla turpitudo coinquinet; nullum me vitium possideat, nulli delectationi sensuali assensum præbeam: sed spretis omnibus blanditijs & cupiditatibus carnis, omnis mea voluptas in vnico tuo sit benedicto Filio.

Salue Maria, quæ in sacris tuis studijs & exercitijs contemplationum à Deo consolabaris, per Angelorum ministerium, cum gaudio admirabili conscientiæ tuæ puritatis. Intercede pro me, vt detur mihi amor silentij & quietis, cum iugi desiderio, sanctis orationibus, lectionibus, alijsque spiritualibus exercitijs vacandi. cum animæ meæ sinceritate & trãquillitate: & fac, vt ista si cura semper mea, quamdiu in misero huius corporis ergastulo detinebor.

Matth. 1. Luc. 1. Salue Maria, quæ cùm esses Virgo, desponsata es virgini Ioseph, idque consilio & prædestinatione diuina. Ne patiare beatissima Virgo, & Mater, vt vnquam à te discedam; sed oculis tuis benignissimis me semper obserua. Quemadmodum enim ille, quẽ tu iratis oculis intueris, non potest semper viuere; sic ille, quem tu benigno aspicis lumine, non potest perpetuò perire. Accipe quæso animam te amantẽ, & seruã in te sperantem. Esto mihi semper pia, vt te mediatrice gratiam inueniam apud Dominum, qui te elegit.

Salue Maria, quæ in medio profundissimæ contẽplationis ab Angelo Gabriele humiliter es salutata, dum meditationibus diuinis intenta sedes in tuo cubiculo; vbi ab illo edocta particeps facta es diuinorũ mysteriorum, & consiliorum. Vtinam omne gaudiũ meum in te sæpe salutando, tibique obsequium meũ deferendo consisteret. Det mihi Deus, ne quid in me inueniatur, quod oculos tuos offendat, oculos, inquam, tuos, Angelorum oculis puriores. Luc. 1.

Salue Maria, quæ in castissimis tuis visceribus Filium Dei concepisti: ô beata, & felix super omnes alias fœminas: dic mihi, quod gaudium, quam consolationem sensisti illa hora, in cordis tui arcanis penetralibus, quanta dulcedine beata tua liquefacta est anima, quando vena aquæ viuæ, & principium omnis dulcedinis in sanctissimum thalamum tuum intrauit, & purissimam carnem tuam induit? Laudo te, & glorifico Virgo gloriosa, colo & veneror humillimè intemerata illa & intacta viscera, atque obsecro, vt donum puritatis castitatisq; in anima mea augere digneris. Luc. 1.

Salue Maria, quæ portans Regem gloriæ tuo clausum vtero, abijsti in montana Iudeæ cum festinatione, & cognatam tuam Elisabetham visitasti. Visita quoque animam meam, & fac, vt cunctis diebus vitæ meæ fideliter tibi seruiam, teque ex toto corde diligam. Amen.

SECVNDA ORATIO.

DE VITA B. MARIÆ Virginis.

AVe Maria, purissima & delicatissima Domina: quæ grauida, cum Ioseph sponso tuo à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid iuisti, vt censum solueres, quem omnes alij pendebant. Da mihi gratiam, vt patienter feram miserias huius exilij, semperque cogitationes meas ad cęleste illud Bethleemiticum habitaculum habeam eleuatas, vbi est verus ille vitæ panis Iesus Christus salus nostra. Luc. 2.

Aue Maria, quæ ex itinere defatigata, cùm pariendi tempus instaret, non inuenisti locum in diuersorio vbi quiesceres: sed pro puerperij lectulo ad stabulum omnibus ventis aerisque procellis peruium diuertisti, in quo Regem cæli peperisti. Oro te, vt in memoriam illius gaudij, quod illa hora in te sensisti, animæ meæ affectiones modereris, vt nihil vitiosè diligam, nullum vitium mihi dominetur: imò fac, vt tanquam hospes & peregrinus semper ad æternam illam ciuitatem suspirem, & in Deo solo requiem quærendo inueniam. Luc. 2.

Aue Maria, quæ sine dolore, aut sine Virginitatis tuæ læsione Saluatorem mundi, & gaudium cęli peperisti. Tu simul es Virgo, & Mater; tu es templum veri Salomonis: tu es arca & sanctuarium Dei: tu es porta clausa, quam vidit Ezechiel, tu es hortus conclusus, & cælestis Sponsi fons signatus. Imple Domina cor meum, omnesque sensus meos tua gratia: vt hoc subsidio renouatus, in posterum vitam viuam & tibi, & Filio tuo gratissimam. Matth. 1. Luc. 2.

Aue Maria, quæ filiolum tuum pusionem dulcissimum, & ventris tui fructum delicatissimum, laceris fasciis & panniculis inuoluisti, & in præsepio reclinasti. Desidero, ô mea Domina, vt amor tui sic cor meum occupet, & pulchritudo tua sic animam meã exornet, vt tanquam infans recens natus efficiar, atque in quacunque tribulatione à te iuuer, tuisque beneficijs refici merear. Luc. 2.

Aue Maria, quæ purissimum virginei tui pectoris lac infantulo Iesu propinasti, eumque niueis tuis brachijs

brachijs amplexa dulciter oſculatum adoraſti. Concede mihi Domina mea, vt tribulationibus & miſerijs huius vitæ oppreſſus, ad maternæ pietatis tuæ ſinum recurram, & ſpiritualis conſolationis lacte tuo beneficio recreatus, omnes alias vani & fallacis mũdi huius conſolationes deſpiciam.

Luc. 2. Aue Maria, quæ poſt quadraginta dies Ieſum in templo præſentaſti, vbi ſanctus ille Senex Simeon eum in brachijs excepit, & dulce illud canticum, lachrymis tamen permixtum, cecinit, exponens tibi dolores, tribulationes, & perſecutiones Filio tuo prę paratas, tibiq; prædicens, quòd gladius doloris tuam pertranſiret animam. Obſecro te Mater ſanctiſsima, vt intercedas pro me apud Filium tuum, quò mihi detur imitatorem eſſe longæ huius crucis patientiæ, omnes tribulationes, quas mihi Deus immittet patienter ferens, & hoc argumento agnoſcens ſummam quam mihi facit, gratiam.

Matth. 2. Aue Maria, quæ cùm eſſes ab Angelo admonita, quomodo Rex Herodes, inſtar canis rabidi circumibat, quærens filiolum tuum Ieſum, vt occideret illum, & ideo patriam deſerere, & in Ægyptum fugere deberes; vt iſti furori locum dares, media nocte ſurrexiſti, patriam, domùmque reliquiſti, cum paupercula, quam habebas ſuppellectili vniuerſa, & in Ægyptum tum abiiſti: vbi ſeptem annos inter Barbaros & infideles peregrina & paupercula, cum incredibili habitaſti patientia. Da mihi gratiam, ô Regina cæli, vt in hoc itinere pio tibi individuus ſim ſocius, tuam patientiam, humilitatem, & paupertatem imitando, atque in hoc mundo non aliter atque peregrinus viuendo.

Luc. 2. Aue Maria, quæ cum Ieſu annos nato duodecim ad templum aſcendiſti, eumque ſine tua culpa perdidiſti, & cum maximo dolore atque diligentia quæ ſuiſti; tandem verò in templo, in medio Doctorum diſputantem cum ſummo gaudio inueniſti. Concede mihi Virgo benedicta, vt quotieſcunque gratiam deuotionis meæ culpa perdidero, eadem cum diligẽtia quæram, quærens inueniam, inuentamque maiori cum cura cuſtodiam, vt illius beneficio promptior ſim ad obſequium mei Creatoris. Amen.

TERTIA ORATIO.

DE VITA B. MARIÆ Virginis.

AVe Maria, quæ ſumma cum diligentia nutriuiſti & educaſti Saluatorem noſtrum Ieſum, in infantia, teneraque ſua ætate: poſtea verò in iuuentute & ætate virili eundẽ deuote ſecuta es, cũ Regnum Dei populo annunciaret. Da mihi gratiam vt ſpretis omnibus rebus tranſitorijs, te amem, te ſequar, & ſemper ad tuam præſentiam aſpirem,

Aue Maria, quæ ex doloribus & perſecutionibus Filij tui incredibiles dolores concepiſti, maximamque de ignominioſa illius morte compaſsionem. Da mihi gratiam, vt eundem Dominum pro omnibus, quæ amore mei fecit, & ſuſtinuit, ſemper laudem & glorificem, atque amore illius accenſus, omnibus afflictis & dolentibus ex animo compatiar.

Luc. 2. Aue Maria, cuius animam dolotis gladius pertranſiuit, quando iuxta Crucẽ ſtabas, lachrymis tota perfuſa, & pijs mœſtisque oculis tuis crudeliſsima vulnera, copioſumq; ſanguinem Filij tui, profluentem conſpiciebas. Patere, ô Domina mea, vt iuxta crucem tecum ſemper maneam, deuotaque mente paſsionem Filij tui, Redemptoris mei, colam & adorem.

Ioan. 19. Aue dulciſsima Maria, quæ eodem tempore ſtans ſub Cruce, audiiſti triſtiſsimum illud ſanctiſsimi Filij tui verbum? *Mulier ecce filius tuus*: quo dicto te in ſua abſentia dilecto ſuo Diſcipulo Ioanni commẽdabat; tibi Filium, illi Matrem conſtituens. Audiuiſti & in eodem loco, quòd ſitiebat; nec tibi datum fuit, vt ei modicum aquæ poſſes, ne in ipſo mortis articulo propinare: imò aceto & felle amariſsimo illũ vidiſti potari. Vidiſti ſimiliter ſummo cũ dolore Filium tuum Patri ſpiritum redere: Filium tuum dico, quem tu tanto amore complectebaris. Denique & ſacratiſsimum latus eius lancea aperiri conſpexiſti, quod vulnus non ille quidem ſentiebat, qui mortuus erat; ſed puriſsimum & maternum pectus & cor tuum, quod etſi mortuum erat in rebus huius ſeculi, in dolore tamen & pœnis Filij tui dilectiſsimi plus quàm viuebat. Per dolores illos omnes acerbiſsimos oro te, ô Virgo ſanctiſsima, vt vulneres cor meum compaſsione atque memoria omnium dolorũ, quos Redemptor meus pro me pertulit, meque participẽ omnium illorum fructuum faciat, ne vnquam amittam remedium mea culpa, quod ille mihi comparauit ſua gratia.

Aue Maria, quæ incredibili conſolatione & dulcedine perfuſa; nouaque mentis reparatione in triũphali illa filij tui Ieſu Reſurrectione refocillata es: quæque poſt aſcenſionem illius in cælum ſuper omnes choros Angelorum es exaltata, & in regali throno, tanquam Regina & Domina omnium creaturarum nunc ſedes. Quare & nos humiliter oramus te Aduocatam, & Matrem noſtram, vt tu fidelem noſtri curam habeas, atq; ante Filij tui tribunal ſic cauſam noſtram agas, vt cùm venerit viuos & mortuos iudicaturus, per tuam interceſsionem à morte ſempiterna liberemur, & à dextris, inter eos qui in perpetuum regnabunt, collocemur. Amen.

QVARTA ORATIO.

AD GLORIOSAM VIRGINEM Mariam.

AVe Domina excellentiſsima, poſt Deum inter omnes Sanctos ſanctiſsima Maria, quæ cum virginitate Matris, & maternitate Virginis admirabili modo Ieſum Chriſtum mundi Saluatorẽ peperiſti. Tu es templum Dei gratioſiſsimum, tu ſacrarium Spiritus ſancti, tu ſecretum ſanctiſsimæ Trinitatis cubile. Tui filij palma, ô beata Virgo, terræ ambitus continetur: per te viui recreantur, & tui dulciſsimi nominis memoria defunctorum animæ refocillantur. Inclina, ô pia Mater, aures tuæ miſericordiæ ad orationem viliſsimi tui famuli, & ſanctitatis tuæ radijs omnem vitiorum meorum obſcuritatem diſcute, vt ſic reformatus tibi gratus ſim, tuiſque oculis puriſsimis placeam.

Aue benigna Mater miſericordiæ.

Aue Reparatrix gratiæ & veniæ. Quis te non amaret? quis te non honoraret? quis ſe tibi non commendaret? Tu es lux noſtra in rebus dubijs, in mœſtis conſolatio, in anguſtijs recreatio, in periculis & tentationibus fidele auxilium. Tu es poſt vnigenitũ tuum Filium certa ſalus & ſpes noſtra. Beati qui te amant, & qui per ſanctitatem vitæ familiares tibi fiunt, & deuoti famuli. Commendo animam & corpus meum tuæ pietati. Rege, doce, dirige, & defende me in omnibus ſecundùm tuam voluntatem, ô ſolum vitæ meæ refugium.

Aue magnificum atrium, & nobile Imperatoris æterni palatium. Tu es illa mulier amabilis, pia, prudens, elegans, generoſa, & digna ſuper omnes creaturas honorari. Tu es illa Regina cæli, rutilans vt aurora, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis Dæmonibus vt caſtrorum acies ordinata. Da mihi quæſo gratiam, vt in omnibus huius vitæ tempeſtatibus ad te ſemper reſpiciam, vt omnia viſibilia contemnendo, pulcherrimas delicias, & delicatas pulchritudines cæleſtis illius habitationis aſsiduè contemplet.

Aue

Aue splendidissima stella, & clarissima lux Maria, de qua natus est Sol iustitiæ Christus, Saluator noster. Tu es Virgo super omnem pulchritudinem formosa: tu mater super omnem honestarem gratiosa, quæ benignissimis oculis sanctam Filij tui Ecclesiam, quacunque in mundi parte illa sit, intueris. Dulce tuum nomẽ reficit laborantes, serena lux tua illuminat cæcos, suauis odor virtutum tuarum exhilarat iustos, & benedictus fructus ventris tui virginalis beatos satiat. Tu post Deum prima laudem omnem cum hominum, tum Angelorum mereris. Ora pro me, Domina, vt tuis precibus adiuta, Deum deorum, & te Dominam dominarum videre merear in Sion; hoc est, in æterna gloria.

Aue beata Mater, plena superna clementia & consolatione; qua mediante venit in mundum cælestis illa benedictio, æternæque felicitatis gratia; in te & de te carnem assumpsit; deque tuo virginali ventre exiuit Iesus, dulcis ille pusio, vnicus nostræ salutis auctor suauissimus, pulcherrimus, nobilissimus inter omnes filios hominum. Tu religiosa memoriæ consolaris afflictos; tu casta contemplatione lætificas Sanctos; tu perfecta iuuocentia adiuuas peccatores. Impetra mihi perfectam cordis puritatem, vt me etiam in album referas eorum, qui digni sunt à te adamari, & ab vnigenito Filio tuo diligi.

Aue Maria Virgo formosissima, Virgo Sole clarior, melle dulcior, balsamo suauior, rosa pulchrior lilio candidior, & viola suaueolentior. Tu es fons Paradisi, puteus aquæ viuæ, thronus veri Salomonis, vas purissimum omni amaritudine vacuum, atque omni consolatione plenum. Dominus te creauit. Virginem sine macula; Dominus te elegit ancillam humilem; Dominus te amauit tanquam Sponsam nobilissimam. Tu es generis humani gloria, tu pulchritudo & ornamentum totius Vniuersi. Ne auertas faciem tuam à me peccatore, imò te precor ex sordido fac me mundum, ex peccatore iustum, ex ignauo diligentem, ex tepido feruentem, ex arido deuotum.

Aue secura spes de seipsis diffidentium, omnium derelictorum adiutrix potentissima, quam tuus Filius tanto prosequitur honore, vt nihil eorum quæ petis deneget, & omne præstet; quod desideras. Tu clauem habes thesauri cælestis. Tu es Cherubin honoratior, tu Seraphin sublimior; tu es gloria & honor generis humani. Omnes ætates & generationes te beatam dicunt, omnes creaturæ tui nominis gloriam prædicant. Tu super Angelorum choros es exaltata, te tanquam vere nouo rosæ, & flores alij & lilia stipant conuallium. Sana me, ô beata, & sanus ero; & benedicam tibi in secula seculorum. Amen.

QVINTA ORATIO.
AD GLORIOSAM VIRGINEM Mariam.

AVe Maria lætitia cæli, & exultatio terræ. Tu es illa sereniſsima luminis Mater, quæ amabiliter animas omnium amantium te illuminas. Tu es illa dulcissima pietatis Mater, quæ fideles tuos famulos ad gloriosa cæli feliciter perducis habitacula. Tu es illa columba formosa, quæ iuxta aquarum fluenta sedes, cuius vestimenta incredibilis spirant odoris suauitatem. Ad te faciem meam leuo cæli Reginam; ad te oculi cordis mei suspiciunt; in te confidit anima mea. Miserere mei, quia post vnigenitum Filium tuum in te omnis mea salus consistit.

Aue Maria, Mater Dei, munda, & ab omni peccato me tuis precibus libera.

Aue certissimum præsidium omnium te inuocantium, Tu es arx fortissima, in cuius meditullio securi sunt omnes ad te confugientes: tu es fidelissima propugnatrix omnium te laudantium; tu es lucida nubes appetituum nostrorum ardores temperans; tu es ros delectabilis cupiditatis nostræ ignem extinguens. Tu es illa clauis ex margaritis & gemmis fabricata, quæ portas Paradisi reserat. Tu es flos inter spinas, tu lilium conuallium, tu lætitia oculorum ad te respicientium; tu tota es amabilis, tota delectabilis, tota candida, & tota benigna. Succurre mihi dulcissima Aduocata mea, & post fluctus huius seculi perduc me ad portum æternæ beatitudinis.

Aue laus Prophetarum, honor Apostolorum, fortitudo Martyrum, Confessorum & Virginum: tu es palma iustitiæ pulcherrima, lilium castitatis nitidissimum; tu hortus cælestium deliciarum amœnissimus: tu es Arca testamenti, in qua Manna latet absconditum; tu es terra benedicta, quæ produxisti fructum Arboris vitæ; tu es petra, de qua fluxerunt aquæ viuæ rituli. O Virgo beata, purifica cor meum, & munda iliud ab omnibus peccatorum sordibus. Remoue à me omne quod tibi displicet, animam meam ab omnibus terrenis affectionibus libera; rerumque cælestium amore inflamma, ad gloriam tuam, & vnigeniti Filij tui honorem perpetuum.

Aue gemma pretiosissima, humani generis margarita singularis: tota pulchra es Virgo sanctissima, & macula non est in te: tu es vas electionis, tu gratiarum omnium armarium. Tu fidem Patriarcharum superas, tu scientiam Prophetarum, tu zelum Apostolorum vincis: tu in patientia Martyribus sublimior; tu in temperantia Confessoribus præstantior; tu in humilitate & innocentia Virginibus excellentior; tu pretiosissimis gemmis exornata es, adeò vt cælestis aulæ principes admirentur, & suspiciant: tu es Sol clarissimus, qui eclipsin, aut defectum nullum patitur: in terra existens illum inasti cælum, & nunc è cælo illuminas terram, mundique tenebras, & nubila dissipas. Noli me spernere, ô spes mea, auxiliare, & opem fer huic misero peccatori in omnibus suis necessitatibus.

Aue Virgo sacratissima, & inter omnes mulieres omnis benedictionis genere benedicta. Tu es pratũ iucundissimum æternis vernans floribus: tu es rosa pulcherrima odorem suauitatis reddens inæstimabilem: tu es rutilans stella Iacob, quæ cælum & terram illustras: tu es virga Iesse, quæ mundum lætificas. Omnes Angeli tuam mirantur pulchritudinem, omnes faciem tuam videre gestiunt. Aspice, Domina, lachrymas meas, meaque suspiria exaudi: visita, & cõsolare seruum tuum inutilem, veniamque illi peccatorum suorum exora.

Aue singulare cæli ornamentum: aue terrarum optata reparatio.

Aue Regis æterni Mater, millies felix & beata. Tu post Vnigentium Filium tuum omnibus rebus dominaris. Tibi omnes ætates & generationes caput inclinant, tuis pedibus se terrarum substernit ambitus. Post ineffabilem enim, & summam Trinitatem nil dignius te, nil pulchrius habet cæleste palatium. Dæmones cùm nomen tuum audiunt, contremiscunt; cùm splendor tuus se detegit, tenebræ diffugiunt; portæque cæli ad nutum tuum aperiuntur. Tu es vera spes Christianorum, post Iesum Christum tuũ Filium: tu es Regina misericordiæ, tu vitæ dulcedo. Ego miser Euæ filius, in hanc missus lachrymarum vallem, ad te suspiro. Adiuua me Domina me in meis laboribus: defende me in meis periculis, in infirmitate mea me confirma, & Iesum benedictum fructum ventris tui, mihi post hoc exilium ostende: qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

SEXTA

SEXTA ORATIO.

AD VIRGINEM MARIAM

AVe secretum Spiritus sancti cubiculum, diuini Verbi sacrum tabernaculum.

Aue Mater sanctissima, quæ Angelorum gaudium, salutemque hominum Iesum Christum peperisti: natumque laceris pauniculis inuoluisti, brachijs tuis amplexata es, lacte purissimo pectoris tui nitidissimi nutriuisti: osculis denique, amplexibus, & maternis blanditijs fouisti. Oro te Virgo gloriosa, per misericordem illum tuum animum, & per solicitam tuam curam & diligentiam, qua filiolum tuũ vnigenitum curauisti, vt causam meam coram illo perores, faciasque, vt omnia peccata mea deleantur, & veniam illorum consequar. Adiuua me, mea Gubernatrix, quamdiu in hoc periculoso mari fluctuo; maximè autem in fine vitæ meæ; vt illuminatus, & à te ductus, ad portum cælestis Hierusalem feliciter possim peruenire.

Aue serenissima, & suauissima Maria, Mater mũdi Saluatoris. Tu es illa turtur castissima, cuius vox in auribus Altissimi sonat iucundissimè. Tu es illa columba honestissima, cuius pium murmur aut gemitus mirum in modum sancto placet Spiritui; ô Virgo gratiosa, Virgo admirabilis pulchritudinis, illumina tenebras interiores animæ meæ lucis tuæ radio, vt vitiorum meorum obscuritate sublata magnitudinem virtutis tuæ merear contemplari.

Aue Maria Virgo pia.

Aue porta Orientis semper clausa, per quam intrauit ad nos in hanc terram omnium Filiorum hominum speciosissimus. Conuerte Domina, conuerte ad me benuolos illos virginei tui vultus oculos, & omnes tenebras meæ cæcitatis aufer à me, aduentus tui claritate: animam meam ab omni re terrena dissiunge, eam in pura magnitudinis tuæ contemplatione suspende, & dulcissimum fac liquorem æternæ felicitatis prælibare.

Aue solitudinis amatrix, & diligens quietis interioris custos.

Aue Virgo honestate admirabili, ineffabilique sapientia decora: ô Virgo electa, Virgo inter omnes filias Hierusalem formosa, collige sparsos serui tui sensus sparsumque & distractum spiritum meum in te fac quiescere. Tu es sacratissimum diuinitatis tabernaculum, tu es deliciarum hortus, ex quo prodijt flos ille pulcherrimus & vnicus Iesus Christus, Saluator animarum nostrarum.

Aue profundissimæ humilitatis viola, rosa charitatis, & purissimum castitatis lilium.

Aue ô generosa Mater summi Creatoris, Virgo delicata & suauis; fac vt vnguentorum & aromatum tuorum iucundissimus odor in nares meas ascendat, spiritus meus te nocte sentiat, & viscera mea interdiu tecum lætentur. Da, vt cor meum erga te dulciter afficiatur, anima mea te amet amore intimo, & in laudibus tuis semper occupetur absque fastidio. Tu es floridus cælestis Sponsi thalamus, tu es Angelorũ paradisus iucundissimus; tu diuinorum Sacramentorum armarium; tu Mater, tu filia, tu sponsa es Dei altissimi. Tu mea semper eris spes, tu meum refugium, tu vitæ meæ protectrix vnica. Amen.

SEPTIMA ORATIO.

AD BEATAM VIRGINEM Mariam.

OGloriosa & beata Virgo, quomodo ausa erit oratio mea in tuum venire conspectum, cùm gratiã omnẽ, quã sacratissima mihi meruerat Filij tui Redẽptoris mei passio, mea iniquitate meaque socordia tam turpiter amiserim? Nihilominus etsi peccator sim maximus, cùm tamen æqua mea sit petitio, audeo rogare te, vt audias me. O Regina cæli, supplico tibi, Filium tuum precare, vt pro infinita sua bonitate & misericordia crimina mea mihi ignoscat. Id licet non merear, cùm indignus sim, mihi tamen hoc indulgeat, ne mea culpa pereat, quod ille ad suam imaginem & similitudinem creauit. Tu es lux in tenebris, tu Sanctorum es speculum; tu es spes peccatorum. Omnes generationes benedicũt tibi, omnes desolati inuocant te, omnes boni te contemplantur, omnes creaturæ in te exultant; Angeli quidem in cælo propter tuam præsentiam, animæ defunctorum in Purgatorij supplicijs ob tuum refrigerium, & homines in terra adhuc exules ob spẽ quam de te concepерunt.

Omnes ad te clamitant, & tu respondes omnibus, intercedis pro omnibus. At ego indignus peccator, quid faciam, vt tuam mihi conciliem gratiam? Sentio quòd peccatum meum me conturbat, exiguum meum meritum me affligit, malitia mea mihi os obstruit. Oro te, ô Virgo pretiosissima, per grauem illum & lethalem dolorem, quo tuus affligebatur animus, cùm dilectissimum Filium tuum crucis trabe oneratum, ad locum supplicij progredi conspiceres; vt omnes inordinatos appetitus meos & tetationes omnes in me interficias, ne propter iniquitatem meam ego perdam, quod ille suo sanguine mihi comparauit.

Piæ illæ lachrymæ, quas tu copiosè profudisti, cùm tuum sequereris Filium, rogo, semper in meis versentur cogitationibus; vt eas meditando tanta lachrymarum fluenta oculis meis erumpant, quæ sufficiant ad eluendas peccatorum meorum maculas. Etenim quis peccator ausus erit coram æterno Iudice sine te comparere; qui etsi placabilis sit & mansuetus in sustinendo & expectando iustus tamen est & seuerus in puniendo? Quis erit adeò iustus, vt in districto illo iudicio tuo non egeat auxilio? Quid fiet de me, Virgo sacratissima, si tua intercessione illud non recuperauero, quod meo peccato perdidi? Magnum quid peto, si mea intuear crimina; sed exiguum est, si tuam spectauero potentiam. Nihil est illud quod ego possum petere, si conferas illi, quod tu potes dare vel impetrare.

Emenda vitam meam, ô Regina Angelorum, omnia opera mea sic dirige, vt (licet sum indignus) à te merear exaudiri. In me tuam ostende misericordiam, vt per id omnes te boni prædicent, omnes in te mali sperent. Dolores & cruciatus illi, quos tu in dilecti Filij tui Redẽptoris nostri Iesu Christi passione sustinuisti, semper in conspectu meo sint, & pœnæ tuæ, cordis mei solatia. Auxilium tuum non auferatur à me, pietas tua non desit mihi, mihi nec memoria tui in me vnquam intermoriatur. Si tu me Domina, derelinquas, quis me suscipiet? si tu obliuiscaris mei, quis mei recordabitur? si tu, quæ stella maris es, & peccatorum dux, me non illumines, quò tandem vadam? quid de me fiet? Ne me ab inimico tentari patiare, & si me tentauerit, saltem ne cadam: & si cecidero, eleua me. Quis vnquam te inuocauit, & exauditus non est? Quis vnquam rem æquam à te petijt, quam non impetrauit? Quis vnquam seruiuit tibi, quem non liberaliter, & magnificè remuneratus?

Da mihi Virgo benedicta, vt sentiam in me admirationem illam, quæ te corripuit, cùm pretiosissimum Filium tuum de cruce sublatũ brachijs tuis excepisti, intuens sanctissimã illam faciem, quam adorant Angeli, tam turpiter ab istis sceleratis & flagitiosis hominibus conspurcatam, & cùm videres barbaram illam crudelitatem, quam passa erat iusti innocentis,

centia, vt satisfaceret pro peccatoris inobedientia, verè gladius doloris animam tuam pertransiuit. O Regina cæli, videor mihi videre, quomodo tunc tẽporis stetisti brachijs quidem expãsis, sed oculis deficientibus, capite demisso, vultu palido, maiori animi dolore cruciata, quàm quis vnquam in carne sensit, aut sentiet in posterum. Hæreant semper in corde meo verba illa mœstissima, quæ forsitan dixisti ad eos, qui te intuebantur: O vos omnes qui transistis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus? vt virtute verborũ illorum merear à te exaudiri.

Transfige animam meam illo doloris gladio, qui tuam pertransiuit, quando lacerum & dilaniatum corpus Filij tui in sepulchrum intulisti; vt semper & vbique memor sim me terram esse, & in terrã reuersurum, ne me decipiat perituri huius mundi gloria. Immitte in cor meũ, vt memor sim, quoties in monumentum respexisti, in quo pretiosissimus ille thesaurus erat reconditus; vt & tu vicissim nõ dedigneris ad meas respicere petitiones. Contemplatio tuæ solitudinis, mea sit indiuidua socia, de illa loquor, ô beata Virgo, in qua nocte illa tristis & mœrens viuebas, cùm nihil apud te, aut in te viueret, præter dolores, cruciatus, & afflictiones ineffabiles; cùm aquas amarissimarum lachrymarum tuarum biberes, & cibũ tristissimarum rerũ recordationis manducares; vt & ego plangendo peccata mea per tuas istas angustias, quas in his terris sustinuisti, aliquando merear tuam illam videre gloriam, qua nunc in cælesti frueris consortio, & frueris in secula seculorum.

Amen.

FINIS LIBRI QVINTI.

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANÆ,

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS:

LIBER SEXTVS.

IN QVO AGITVR DE ORATIONE,

interna, seu mentis, quam mentalem vocant, & de præcipuis misterijs vitæ Mortis & Resurrectionis nostri Saluatoris.

PROOEMIVM.

PRogredientes in nostro Memoriali, cùm hucusque tractauerimus de Oratione vocis, quam vocalem nominant, estq́; facilior, & apud omnes omnium conditionum homines vsitatior, operæ pretium facturi sumus, si nunc de Oratione mentis, seu mentali agamus: quæ paulò difficilior est, ideoq́; potissimùm eorum est, qui in spiritu magis sunt exercitati. Hunc ordinem naturam ipsam seruare videmus, ascendentem semper à facilioribus ad difficiliora, ideoque par est, vt ars, quæ naturæ imitatrix est, eodem ordine procedat, in hac maximè parte. Quemadmodum enim plantis adhuc recentibus & teneris opus est palo, seu fulcro aliquo, quo sustineantur, rectiusque & pulchrius excrescant, cùm autem adoleuerint & grandiores factæ sunt, ope illa non indigent, suis enim iam proprijs viribus sustinentur: sic & nouitij atque tyrones Christi, cùm ad vitam spiritualem incipiunt nasci, & sermones cum Deo miscere volunt, necesse est vt habeant auxilium aliquod orationis vocalis, vt beneficio illius, cor ad eum eleuent, & loqui discante. Postquam autem fundati sunt, & in amore illius radicati, cùm paululum deuotionis conceperint, iam ipsa suppeditat verba, & docet, quomodo cum Deo loquendum & conuersandum sit. Et quia de hoc Orationis genere in libris de Oratione & Meditatione prolixè satis disseruimus, hic nihil, nisi de materia ipsius dicemus, hoc est, de rebus, in quibus nostra consideratio potest vtiliter exerceri, & occupari. Quare tractabimus hic de præcipuis mysterijs Vitæ Christi & de alijs quibusdam rebus, de quibus in illis libris, aut parum, aut nihil diximus.

De

DE FRVCTIBVS ORATIONIS mentis seu meditationis.

CAPVT I.

DIximus alias nullam inter orationem mentalem & vocalem inueniri essentialem differentiam: vtraque enim est actus nobilissimæ illius virtutis, quam Religionem vocamus: & vtraque vnum idemque habet officium, stipem scilicet, vel eleemosynam à Deo emendicare: licet vna medicet corde tantum, altera corde simul & ore. Ita vt aliqua accidentalis dari posset differentia in modo scilicet, seu circunstantia, qua quæque peragitur. Etenim cùm verum sit, deuotionem & spiritum quibuscum orationem proferimus, esse quasi vitam orationis: sequitur, vnam alia tantò fore nobiliorem, quantò facta fuerit feruentiori spiritu, & maiori cum deuotione. Ita vt si quis legerit Rosarium, aut aliam Orationem ex aliquo libro cum maiori & feruentiori spiritu atque deuotione, quàm alius quispiam meditatur, huius etiam oratio erit efficacior, & alterius oratione fructuosior. Hoc enim modo orare, causam, cur audire mereatur, habet adiunctam: iuxta illud Psalmi: *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* Et in alio loco: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus*: hoc est, orationem quam ex spiritu recitauit. Orare namque ex spiritu, nihil aliud est, quàm petere aliquid cum intimis suspirijs, & cordis desiderio, vti diximus. Talis fuit oratio Annæ matris Samuelis; quæ cum se ab æmula sua affligi videret, orauit ad Dominum amaro animo, flens largiter, factumque est, vt præ nimia spiritus vehementia tales ederet gestus, qui Heli Sacerdoti suspicionem faciebant eam temulentam esse: & sane temulenta erat, non vino vitis, vt ipse arbitrabatur: sed vino deuotionis, quod calcatum erat in torculari animi sui prælo tribulationis.

Psal. 118. Psal. 9. 1. Reg. 1.

Quam vtilis sit meditatio. Cæterum notandum hîc est, nos appellare Orationem mentalem, quam etiam Meditationem & Considerationem rerum diuinarum dicimus: etiamsi cùm illis occupamur nihil petamus. Et quidem negari non potest, quin ea Consideratio sit longè vtilissima. Quemadmodum enim speculatio & studium humanæ scientiæ, principale medium est ad ipsam scientiam consequendam: sic Consideratio rerum diuinarum, est medium vtilissimum ad diuinam Sapientiam comparandam, quæ primarium est Spiritus sancti donum, ad quod omnia dona alia sunt ordinata. Præterea hæc Consideratio est vtile medium, per quod veram consequimur deuotionẽ, quæ facit hominem promptum & alacrem ad omnem virtutẽ: quòd sanè vehementer exaggerat laudem & excellentiam huius exercitij. Hic modus orandi aliam adhuc secum adfert vtilitatem, non minorem: quòd scilicet magis ruminat, & digerit res spirituales. Qui enim orat ex libro, vel ad Rosariũ, (vt vocant) leniùs & facilius orationem percurrit, donec ad finem illius, terminumque ordinariæ deuotionis perueniat: qui autem considerat, vel meditatur, non est solicitus de tempore: sed hoc agit, vt vni inhæreat scripturæ verbo, aut vni Vitæ Christi mysterio, & in eo omnes animi vires exercet, q̃ aliquando tam diu durat, vt de S. Francisco legamus, quod per integram noctem huic vacans exercitio, tantùm meditatus sit in hac vna sententia: *Da mihi Deus, vt & te & me cognoscam.* Melius est vnã aliquam sententiam hoc modo considerare, quàm plurimas cum celeritate percurrere. Qui ex libro orationem recitat, potest idipsum quoq; facere, quotiescunque dulcis & deuotus locus occurrit, subsistens paululum & sensim sese componens ad meditandum id quod Spiritus sanctus suggerit. Hanc ob causam videmus nonnullos bonam temporis partem in sola oratione Dominica, vel Symbolo Apostolorum dicendo consumere, cùm occupantur mysterijs ijs considerandis, quæ ibi occurrunt: idque faciunt cum maxima sua vtilitate: Et hic modus orandi (præterquam quòd omni hominum generi est accommodatissimus) etiam magnæ est vtilitatis, & fructus adfert non pœnitendos; & est idem quem in præsentia laudamus, ac docemus.

Similc.

DE MATERIA ORATIONIS mentalis.

CAPVT II.

ET quia per Orationem mẽtalem intelligimus etiam considerationem rerum cælestium, vt paulò antè diximus, optimè facturi sumus, si nunc dicamus, quæ sit materia huius Considerationis: hoc enim est proprium huius loci argumentum. Ad quod breuiter respondeo, omne id, quod potest mouere cor nostrum, siue ad amorem, siue ad timorem Dei, siue etiam ad vitandum peccatum, & mũdi contemptum, id omne materiam esse huius Considerationis. Talia sunt omnia Scripturæ loca, omnes vitæ atque exempla Sanctorum, vniuersa denique huius mundi machina, & quotquot in creaturæ inueniuntur: spiritualis enim homo & deuotus ex singulis horum eruet materiam Considerationis, vel meditationis. Inter omnia verò D. Thomas duo nominat: dicit enim ad veram deuotionem duplicem inducere Considerationem, vnam quæ est ex parte diuinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius; alteram ex parte hominis considerantis proprios defectus: vna excitat dilectionem, altera excludit præsumptionem; prior generat charitatem, posterior humilitatem; vna mittit radices in profundum, alia facit nos in altum excrescere: vtraque vero ad vitæ spiritualis profectum est necessaria. Ad maiorem verò huius rei declarationem subiungam hîc verba Caietani in hunc Diui Thomæ articulum, quæ diligenter sunt notanda. In hoc tertio (inquit) articulo nota causas deuotionis intrinsecas, duas scilicet, alteram ex parte meditationis Dei, & beneficiorum suorum; alteram ex parte meditationis propriorum defectuum. In prima sunt bonitas, misericordia, charitas, &c. Dei erga hominem, & me, beneficiaque creationis ad imaginem suam, redemptionis, Baptismi, inspirationum, vocationum per se, vel alios, expectationis ad pœnitentiam, Eucharistiæ, præseruationis à tot periculis animæ & corporis, Angelicæ custodiæ, & reliquorum beneficiorum singularium. In secunda sunt defectus culpæ, & pœnæ, tam in præterito quàm in præsenti; labilitas ad peccandum, dissipatio propriæ substantiæ, assuefaciendo cogitatus & voluntates & inclinationes aliarum suarum virium ad malum, habitatio in regione longinqua ab amicitia & conuersatione diuina; peruersitas affectus magis temporalia, quàm spiritualia commoda vel incommoda sentiens, nuditas à virtutibus, vulnera ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, & concupiscentiæ; vincula manuum & pedum, operum scilicet & affectuum: in tenebris, in fœtoribus, in amaritudinibus esse, nec horrere: vocem pastoris interiùs non agnoscere: & quod omnibus peius est, Deum pro inimico & hoste toties elegisse mortaliter peccando, & propterea tantam eidem iniuriam fecisse, vt pro Deo refutatus sit, factusque noster Deus sit venter, aut pecunia, aut delectatio, &c. Ex huiusmodi namque meditationibus, quæ quotidianæ esse debent religiosis & spiritualibus personis, (omisso vocalium orationum multiloquio voluntario) deuotio, aliæque consequenter

Thom. 2. 2 quæst. 82. art. 3.

Caietan in 2 2. q. 82. art. 3.

Causa deuotionis.

gignuntur virtutes: nec religiosi, aut religiosæ, seu spiritualis etiam nomine vocari potest, qui saltem semel in die ad huiusmodi se non transfert. Quomodo namque effectus absque causa, finis absque medio insularis portus absque nauigatione haberi nequit: sic nec religio in actu, absque frequentatis actibus suarum causarum, mediorum, ac vehiculorum. Hucusque verba sunt Caietani, ex quibus liquet, quanto Doctor ille in pretio habuit hoc exercitium meditationis.

Simile.

Dicit enim primo, quotidiana harum rerum consideratione generari deuotionem, & per consequens omnes virtutes, quarum stimulus est deuotio. Secundo dicit, indignos esse nomine Religiosi, aut hominis spiritualis, qui non vt minimum semel in die sese disponit ad incumbendum huic sancto exercitio. Tertio dicit, vti finem sine medijs consequi nemo potest; sic nec puritatem aliquis, aut perfectionem Religionis, sine orandi & meditandi exercitio, sibi vnquam comparabit: cum hoc sit causa illius. Cum autem dicit, omisso vocalium orationū multiloquio voluntario, non debet intelligi quasi reprehenderet vsum orationis vocalis: non enim est hominis sapientis, & qui mentis suæ compos est, laudare orationem mentalem, & vocalem contemnere. Nam si sanctum sit, Deum inuocare corde; quomodo potest non esse sanctum voci cordis etiam adiungere vocem oris, & linguæ ad laudandum Dominum creatæ? Dicit autem hoc, non vt reprehendat vsum orationum vocalium, sed abusum quorūdam hominum, qui tanta cum festinatione, sine attentione orationes recitant, vt ex hoc orandi modo, vel nullum, vel exiguum fructum percipiant: imò loco fructus non rarò damnum capiunt: quod fit, cū accedunt homines ad Deum, vt cum eo sermocinentur, & non faciunt hoc ea cum reuerentia, & animi attentione, alijsque circunstantijs, quæ adesse debebant, vt idem Doctor latius exponit in Summa peccatorum. Et vtinam pauci essent, qui hoc errore obnoxij sunt. Sed qui animaduertit, quomodo multi Sacerdotes & Religiosi huius ætatis & legunt, & canunt sua officia, tam publicè, quàm priuatim, exiguum etiam fructum, atque deuotionem quam inde percipiunt manifestissimè videbit, quàm iusta de causa reprehendat hic Doctor, non vsum, sed abusum istius generis orandi. Quotiescunque hanc Caietani doctrinam (Christiane Lector) lego, vel perpendo, vehementer admiror, Doctorem istum in tā paucis verbis, omnia exercitia, totamque quasi doctrinam complexum: quicunque enim libros illos legerit cum attentione, intelliget facilè etiā in verbis differre videantur, in re tamen nil amplius dici, quā hic Doctor nos istis verbis docet: nec maiorem aut laudem, aut auctoritatem suis exercitijs alios tribuere, quam hic tribuit. Ex quo clarè liquet, Ecclesiā ab vno & eodem Spiritu regi, & omnes famulos Domini eundem habere præceptorem: cùm omnes ingrediantur eandem viam, vt ad eundem perueniant terminum. Fac tu quod Doctor ille præcipit, (hoc est, constitue tibi quotidie certum aliquod tempus, in quo & peccata tua euoluas, & beneficia Dei, præcipuè illud Redemptionis, ad quam pertinent præcipua Vitæ Christi mysteria, mediteris) & tanquam animal purum stude ruminare singula dicta, & acta Vitæ Saluatoris; nam neque Rosaria B. Mariæ, neque omnes orationes ex libris spiritualibus recitatæ, aliud efficere volunt. Omnia hæc sunt vnus idemque cibus; sed quemadmodum accidit in saporibus, vt vni placeat cibus hoc modo coctus, alteri illo: sic & hic vsu venire solet. Legat qui potest Opuscula S. Bonauenturæ, qui fuit Doctor insignis in literis, in deuotione, & in gubernandi prudentia, (qui decimo tertio post professionem suam anno, factus est Generalis sui ordinis, & postea Cardinalis) & videbit ibi quot genera coxit ciborum gloriosus ille Sanctus de vna Vita & Passione Christi, docens eam nunc meditari per horas diei, nunc per dies septimanæ: alicubi eam in hymnos & orationes conuertens, quæ vocaliter dici possunt, & alio loco per modum arboris vitæ Crucifixi explicans. Et hæc omnia faciebat benedictus ille sanctus, cum quia non ignorabat, quam vtile esset hoc exercitium; tum etiam, quia intelligebat diuersa esse hominum palata; ideoque tam diuersimodè illud coquebat, & præparabat. Pro declaratione fructus, qui hinc nascitur, nihil hoc loco dicturus sum aliud, quàm quod idem Doctor dicit, suo scilicet tempore experientia compertum esse, quàm plurimos homines per medium huius exercitij incredibili modo profecisse. Idem & nos dicere possumus: fit enim quicunque vult, & intueatur hoc factum oculis puris, videbit omnes homines, qui Horas sibi cōstituerunt in his sanctis meditationibus & considerationibus sese exercendi, ferè quotidie magis magisque in pietate & via virtutis proficere, promptiores fieri ad quæcunque opera misericordiæ præstanda, ad quemcunque Dei cultū subeundum, ad asperrimos quosque labores pœnitentiæ ferendos, & ad omnem curam; ne amplius Deum offendant, adhibendam.

Laus B. Bonauenturæ.

Non reprehendere Caietanum orationē vocalem.

Simile.

CONCLVSIO OMNIVM SVPRADICTORVM.

CAPVT III.

SEcundum hanc doctrinā, habemus hic tria rerum genera, quæ materiam Considerationis seu meditationis possumus appellare. Primum est de perfectionibus diuinis, vt sunt Bonitas, Charitas, Pulchritudo, Iustitia, Misericordia, & Prouidentia Dei, cum omnibus alijs illius perfectionibus. Secundum est de beneficijs diuinis, præcipuè verò de beneficio Redemptionis: ad quod pertinent omnes articuli & mysteria Vitæ nostri Saluatoris; horum namque singula partes sunt summi illius beneficij. Tertium est de cognitione suijpsius, hoc est, de proprijs defectibus, & miserijs; vnde nascitur contemptus suijpsius, & virtus humilitatis, quæ virtutum omnium est fundamentum.

Triplex materia meditationis.

Inter quas considerationes prima, quæ est de diuinis perfectionibus, (ea enim vtilissima est ad excitandum in nobis amorem Dei) referabitur libro septimo; de reliquis autem hoc libro agemus; ex his enim potest homo, tanquam ex publico ærario, materiam considerandi sumere, quotiescunque voluerit huic diuinæ philosophiæ operam dare, & in ea sese exercere.

Quia verò nonnulli tot, tamq; diuersis negotijs distrahuntur, vt huic studio non amplius, quàm semel in die vacare queant, his licitum erit quotidie vnum aut duos articulos de Vita Christi, aut diuinis beneficijs eligere, & paulatim progredi, donec tandem totam Vitam Christi, omniaque eius beneficia percurrant: cumque iam absoluerint, ad principia reuertantur, & denuo incipiant eadem iterum meditantes, & in hac rota vel circulo vitam suam consumant: Spiritus enim sanctus semper ijs nouas dulcedines administrabit. Hæc imaginatio est velut Zodiacus spiritualis, in quo debemus gradatim procedere: cumque totum circulum peragrauerimus, à primo iterum gradu est incipiendum: ab hoc enim progressu & motu spirituali omne bonum nostrum dependet, quemadmodum à motu Solis in Zodiaco totus mundus inferior administratur.

Simile.

Qui verò non adeò obruuntur istis occupationibus externis, (vt sunt homines Ecclesiastici, & Religiosi,

gioſi, quorum eſt ſemper vacare Deo, & pro peccatis populi Deum deprecari; aliæque perſonæ etiam ab his negotijs liberæ & expeditæ) poſſunt vt minimum bis aut ter in die ad hoc ſtudium mentem applicare, eo modo hæc myſteria diuidentes, vt habeant omni tempore certos articulos meditandos: curſu autem hoc abſoluto, (vt paulò antè diximus) iterum à principio poſſunt auſpicari. Cauſa, cur materia hoc faciendi tam copioſa traditur, eſt, ne faſtidium ſubrepat eadem nobis quotidie meditantibus: facilè namq; id nauſeam pareret his, qui minùs perfecti ſunt. Econtrario nouitas & varietas myſteriorum plurimum iuuat & excitat deuotionem, vt ait B. Thomas in quodam opuſculo. Hinc eſt, quòd nouitij nonnunquam in principio ſuæ conuerſionis maiori æſtuant feruore, atque ſenſibili dulcedine Dei perfunduntur, quam tamen poſtea, cùm profecerint, non ſentiunt: nouitas enim, & magnitudo cognitionis rerum, quas antea non erant experti, maiorem in illis excitat ſenſum, & admirationem.

DE QVINQVE PARTIBVS HVIVS ſancti exercitij.

CAPVT IV.

QVamuis materia principalis Orationis, de qua hîc agimus, eſt conſideratio rerum prædictarũ; poteſt tamen, & debet alijs rebus coniungi, illi & præmittendis & ſubijciendis. Debet enim deuota præcedere præparatio, qua homo diſponitur, vt aptus ſit ad ſanctum hoc exercitium aggrediendũ: ſequi autem debent tria, gratiarum ſcilicet actio, oblatio, & petitio: de quibus hîc breuiter agemus, cùm in alio loco de illis latiùs tractauerimus. *Lib. 3 de Orat & Med. cap. & ſeq.*

Quantum ad primam igitur partem, quæ eſt præparatio, neceſſe eſt vt homo prolixum temporis ſpatium, horaſque conuenientes quærat, iuxta conditionem & vitæ ſuæ ſtatum. Tempus conueniens eſt media nox, & hora matutina: locus tantò commodior eſt, quantò ab hominibus eſt remotior, magis ſolitarius, & obſcurus: in tali enim tempore & loco cor manet collectum, dũ non habet, quò ſeſe per viſum diffundat. In hoc loco conſtitutus homo muniat cor & frontem ſigno ſanctæ Crucis, eleuet oculos animę ſuæ, & tria conſideret. Primum eſt, quid petere velit; ſecundum quid velit facere; tertium, cum quo velit ſermocinari. *Tempus & locus conuenient.*

Quantum ad primum, ſi conſideret quid velit petere, comperiet ſe venire petitum gratiam, & gloriã, cum omnibus alijs rebus, quæ ad hæc duo conducunt: quæ ſanè longè præſtantiſsimæ ſunt, & cæteris omnibus quæ peti poſſunt nobiliores. Vt autem hæc petitio ſit efficax, neceſſe eſt, vt habeat adiunctas omnes conditiones præcedenti libro commemoratas; potiſsimum autem magnam attentionem, & cordis humilitatem, vt dictum eſt: hæc enim faciunt, vt petitio vacua non reuertatur. *Quid petet oraturus.*

Si progrediaris vlteriùs, & animaduertas, quid facere decreuiſti; intelliges te venire, vt ſpiritum deuotionis tibi per conſiderationem rerum diuinarum compares, (is enim conſiderationis effectus eſt) atq; hîc videbis pluribus opus eſſe, quàm in præcedenti: ad aliquid enim impetrandum ſufficit ſola attentio, quam virtualem vocant, etiamſi deſit actualis: ſed ad impetrandam deuotionem, vt S. Thomas ait, nõ ſufficit iſta attentio: quia ſanctus ille affectus procedit ab actuali deuotione, & conſideratione rerum diuinarum. Ex quo patet, quanta cum attentione & diligentia huic negotio vacandum & aduigilandũ eſt, ne cor noſtrum diffundatur: alioquin enim non impetrabis quod poſtulas. *Quid faciet*

Si ad tertium te conuertas, & videas quo cum loquaturus es; inuenies quòd veniſti ad loquendum cũ illa ſuprema Maieſtate, quæ cælos & terras implet, atque hîc ſtatim admoneberis, non modo cum quãta attentione, ſed etiam cum quanta humilitate & reuerentia loqui debeas, in re tanti momenti; & cum Domino tam potenti & magno. Vt autem hoc dilucidius fiat, meliuſque intelligas, ſciendum eſt, nos cùm oramus non ventis loqui; nec illum cui loquimur longè à nobis abeſſe. Conſtituamus igitur ante oculos præſentiam illius Domini, qui in omni loco præſens eſt, non tantum potentia, ſed etiam reali eſſentia. Vbicunque enim inuenitur aliquid habens Eſſe, ibi etiam & ille inuenitur, tanquam cauſa & fons illius eſſe; dans illud omnibus creaturis. cauſa enim & effectus neceſſariò ſimul ſunt, & vnũ aliud tangit: Ideoque neceſſe eſt Deum in omni loco præſentem eſſe, quemadmodum olim Helias profitebatur, cùm diceret, *Viuit Dominus Deus exercituum, ante cuius conſpectum ſto.* Eodem modo & tu cogitare debes illum orationibus tuis adeſſe, verba tua quę profers audire, deuotionem tuam reſpicere, & in ea delectari. etenim etſi ille generaliter omnibus rebus aſsiſtat, ſingulari tamen modo adeſt his, qui orant; ſicut Scriptura teſtatur, dicens; *Non eſt tam grandis natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut adeſt Deus noſter cunctis obſecrationib. noſtris.* Quod aliud quæris teſtimonium, vt certus ſis, (licèt carnalibus oculis non videas) Deum te & videre & audire? Deũ inquam illum, qui tam potens, & tam pius eſt ad ſuccurrendum tibi in tuis anguſtijs, & vitæ neceſsitatibus? Cum itaque ſteteris in conſpectu illius, oportet illi profundiſsimam exhibeas reuerentiam autem hîc appello agnitionem, & venerationem Maieſtatis illius, qua cum, vt loquaris, veniſti. Oportet igitur oculos paululum in altum tollas, & cogites quã magna, infinita, immenſa, omnipotens, ſapiens, bona, pulchra, & in cæteris omnibus perfectionibus excellens eſt tanti Domini Maieſtas, quæ tranſcendit omnem humanum intellectum. Talis conſideratio faciet, vt te tanquam puluerẽ terrę humilies, vt cõtrahas alas tuas, atque deſcendas vſque ad abyſſum in conſpectu tantæ Maieſtatis. Eadem faciet, vt ſtes cum timore & tremore ante talem Dominum: quãtò enim plenius erit cor tuum iſto timore, tantò minùs diuagabitur, & in cogitationes extraneas rapietur. *Quo cum loquatur.* *1. Reg. 17.* *Deut. 4.*

Exhibita hac reuerentia, quia iuſtus in initio eſt accuſator ſuiipſius, neceſſe eſt, vt homo incipiat ſua confiteri peccata, reuocans ea ad memoriam, & diſcutiens vitam præteritam: orans humiliter vt Deus ſibi largiatur indulgentiam, fiatque clemens Iudex is, cum quo de ſuis tractabit negotijs. Vtile igitur erit hîc cum deuotione recitare generalem Confeſſionem, aut Pſalmum, *Miſerere mei Deus*: vel aliud quid ſimile, vt per huiuſmodi ſancta verba excitetur langtuor & tepiditas, quàm ſolet habere mens in orationis exordio. Nec tantũ petat à Deo remiſſionem ſuorum peccatorum, ſed etiam auxilium, vt in illo exiguo temporis ſpatio, quo cum Deo ſermonem miſcere decreuit, orationem ſuam faciat cum illo timore & reuerentia, quæ tantæ Maieſtati debetur: cum illa quoque attentione & humilitate, quæ requiritur ad ſanctum Spiritum, gratiamque deuotionis, quæ datur omnibus in hoc ſancto exercitio perſeuerantibus, recipiendam. *Confeſſio generalis vtilis.*

Hæc ſufficiant, quantum ad præparationem, in qua poteſt homo vela, quàm late vult in ſui ſuorum que miſeriarum cognitione, extendere; vt poſtea declarabitur. Vtiliſsimum quoque erit in hac præparatione, ſi animus fuerit diſtractior, eundem recolligere per lectionem deuoti alicuius libri, aut per aliquam orationem vocalem, vt ſuperiùs diximus.

huiusmodi namque solent animum attentum reddere, maximè cum orationes deuote recitantur.

DE MEDITATIONE.
CAPVT V.

POst hanc præparationem sequitur Meditatio, aut consideratio alicuius rerum capite præcedenti commemoratarum, hoc est alicuius mysterij Vitæ Saluatoris, aut alterius beneficij diuini: est enim id quasi fundamentum & substantia huius exercitij. Quia verò primaria considerationis huius materia est Vita nostri Saluatoris, vtile erit, si hîc doceamus, quomodo ea est instituenda. Consultò igitur facturus est homo, si vel in hoc, vel in alio quodam libro priùs legat contextum, vel locum Vitæ Christi, in quo vult meditari; nisi fortè summam eius memoria complectatur, aut iam antea legerit. Cùm deinde vult eundem locum ruminare, & in corde suo tractare, debet imaginari mysterium hoc ob oculos suos versari, fingens in imaginatione sua se præsentem, vbi, quæ meditanda sunt, aguntur: ad hoc enim à Deo nobis data est hæc potentia.

Operam quoque det, vt hîc præsens astet corde humili, compassione, amore, & deuotione pleno: contentus eadem contemplari cũ simplicitate absque superflua speculatione: sanctumque mysterium quod habet sibi propositum, cum præcipuis eius circunstantijs meditari. Huiusmodi autem circunstantiæ (si de Vita & Passione Domini agamus,) sunt quatuor, quis scilicet patitur, pro quo patitur, causa ob quam patitur, & modus quo patitur. Quis infinita Dei Maiestas. Pro quo? pro homine creatura ingratissima, & in quã nulla beneficij memoria. Quæ causa? sola eius bonitas & misericordia. Quomodo? cum immensa humilitate, charitate, mansuetudine, patientia & obedientia. Hæ sunt primariæ circunstantiæ, quæ nobis in his mysterijs sunt cõsiderandæ.

Quæ in Passione Domini meditanda.

Notandum autem hîc est, quòd etsi sanctum hoc exercitium sit intellectus & voluntatis simul, (intellectus enim considerat & scrutatur rem, voluntas autem eadem afficitur & dulcedinem percipit) multò tamen maior habenda est ratio exercitij voluntatis, quã intellectus, cùm illud hoc sit fructuosius, Ratio est; quia passim multi docti viri inueniuntur, qui altissima & præclarissima de Deo cognoscunt; & tamen vel nihil, vel parum amant illum. Et multi Philosophi (ait Paulus) fuerunt in mundo, qui cognouerunt Deum, sed non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Nos igitur hîc non tã cognitionem de Deo speculatiuam, (licet & hæc bona sit) quàm amorem & timorem illius; odium & detestationem peccati; contemptum mundi, & sui ipsius; gaudium Spiritus sancti, & internam deuotionem, cum similibus affectibus nobis comparare contendimus: hæc enim, & huiusmodi sunt opera atque motus voluntatis, in quibus consistit omne bonum.

Voluntas in meditatione magis, quàm intellectus, exercenda.

Rom. 1.

Sed quia voluntas (vt alibi diximus) est potentia cæca, quæ non potest operari, nisi quis ei lucem præferat, aut opus intellectus procedat, qualecunque illud sit; ideo nobis hic intellectu opus est, vt illuminet, ducat, & incitet voluntatem ad hos sanctos affectus piasque motiones. Quemadmodum acus igitur necessaria est in consuendo, non quod illa consuit, sed filum: & filum pannum non intrat sine acu: sic etiam necessarius est vsus intellectus voluntatis operationi: sic tamen, vt id quod præcipue intendimus, sit opus voluntatis: quamuis non ignorem hãc comparationem non esse per omnia conuenientem, sed quatenus vnum est medium alterius. Quare sicut ingens esset error, si homo totum tempus suum cõsumeret, omnesque labores suos impenderet in cõsequendis medijs, sine ipso neglecto: sic etiam ille quorundam error est, qui ad sacra ista mysteria meditanda accedentes, magis intellectu quàm voluntate operantur: videnturque magis studere ad prædicandum, quàm meditari ad orandum, vt diuinis rebus afficiantur.

Simile.

Vt igitur homo inconueniens illud fugiat, contendat quantum potest, vt sensus, motusque voluntatis suæ sanctis istis mysterijs applicet, in ijs meditans humili, deuoto, amoris, timorisq; pleno, & omnino ad Deum conuerso spiritu, quo cum tractet, & negotia sua peragat: hic enim principalis fructus est, & finis huius exercitij. Vt autem hoc verùm esse intelligas, memento quòd Angeli in Christi natiuitate non annunciârunt pacem hominibus boni intellectus, sed bonæ voluntatis, in cuius reformatione consistit nostra sanctificatio; videmus enim frequenter inueniri bonum intellectum absque bona voluntate; sed nunquam bonam voluntatem absq; sano intellectu. Istud documentum seruandum est, non tantum quoties homo conuertitur ad meditandum de Deo: sed & quoties interdiu ac noctu cor ad illum leuat, applicando confestim voluntatem cum omni humilitate & reuerentia, cumque omni amore & deuotione possibili. Sed & certus sit, vbi assuefactus fuerit huic consuetudini, breuissimo tempore maximos fructus faciet: postquam enim cor habitum illius induerit, inueniet nidum & sedem Domino tam iucundam & gratam, vt nunquam in posterum viuat sine pace, calore, & consolatione quæ illi communicabuntur.

Perseuerandum in meditatione.

Quòd si, postquam homo aliquod horum mysteriorum meditatus fuerit, modo & affectu iam dicto; nihilominus cor eius siccũ & frigidum permaneat, animum non despondeat: Dominus enim sæpe maximas solet elargiri gratias his, qui fideliter, & cum patientia expectant eius visitationem, faciuntque mediocre illud, quod possunt; nec rarò tarditatem sui aduentus insigni aliqua gratia compensat. Neq; etiam fatiget se homo, vt deuotionem violenter exprimat; sed contentus sit (vt diximus) humili & simplici horum mysteriorum contemplatione, præsens astet Domino, atque perseueret apud illum in omnibus his pijs itineribus, passionisque mysterijs, quam ille pro nobis sustinuit. Nolo etiam eum exanimari, aut desperare, si quando diuersis cogitationibus oppugnetur: non enim semper est in potestate hominis ijs non infestari, nec personæ culpa semper, sed sæpe naturæ corruptæ vitio subrepunt. Aduigilet igitur semper, vt faciat officium suum, propellens cogitationes illas à se, & viriliter cum illis decertans.

Sed nec homo statim exercitium suum debet intermittere, si prima vice, cùm pulsat, deuotio non detur: sæpe namque datur in fine, quod in principio negabatur, his, qui fideliter perseuerant, & in hoc consistit cardo totius negotij. Aduigila itaque, mi frater firmiter & constanter perseuera, memor gratias, quas Deus vel tandem largitur his, qui in hoc exercitio perdurant, tantas esse, vt etiam multorum annorum labor hic dici possit optimè collocatus.

Causa aridi tatis spiritu.

Veruntamen nec hoc inficiari possum, quia vna (inter multas alias) ex primarijs causis huius ariditatis est, habere cor nimis intricatum & immersum rebus externis: quare homo id non nisi tardè & difficulter internis applicare potest: necesse igitur est, vt, quantum fieri potest, cor habeat diuinis rebus occupatum: si enim in se habeat calorem & deuotionem illam, facilè accendetur & eleuabitur ad meditationem rerum cælestium. Vt id commodiùs fiat, duo sunt vtilissima: Primum est ordinaria lectio librorum spiritualium & deuotorum, quæ cor hominis materijs quæ in illis continentur occupatum detinet:

detinet: secundum & magis principale est, solicitè cogitare, se semper ante conspectum Dei stare, & id agere, vt nunquam Deum non videat, & vicissim à Deo videatur: quin etiam non minùs noctu, quàm interdiu cor sæpe ad Deum per breuem aliquam oratiunculam eleuet, capta ex ipsa re, quam videt, vel tractat, occasione debet enim homo suas preces & considerationes habere dispositas, & in ordinem redactas, vt quando cubitum secedit, quando surgit, quando vult prandere, cœnare, loqui, negotiari; quando tentatur, vel hora sonat, quoties videt virides campos, florentia prata, cælum stellis rutilans; vel quando malum aliquod cernit in proximo, siue illud sit corporale, siue spirituale, semper habeat in promptu quod oret, aut meditetur: vt singula quæque obuia incitent illum & moueant, vt cor suum ad Deum eleuet: his enim facibus ignis diuini amoris intus in animo facilè accenditur & conseruatur.

Simile. Quemadmodum enim lignum aridum facilè accenditur; & confestim flammam concipit: sic etiam nullo negotio accenditur deuotio in corde, quod continuo vsu perpetuæ orationis, lectionis, & rerum diuinarum meditationis feruet.

DE GRATIARVM ACTIONE.
CAPVT VI.

POst meditationem subiungi potest deuota gratiarum actio, tam pro hoc mysterio, vel beneficio, de quo iam meditatus es, quàm pro beneficijs alijs, tam generalibus, quàm specialibus; tam manifestis, quàm occultis, de quibus postea latius dicemus. Quod vt fiat expeditiùs, omnes creaturæ cæli & terræ possunt inuocari, vt omnes tecum gratias agant, & benedicant communi omnium Domino, pro tantis beneficijs: sicut antea docuimus in libro præcedenti, in quadam oratione tempore matutino dicenda.

DE OBLATIONE.
CAPVT VII.

POst gratiarum actionem sequatur deuota oblatio sui ipsius, & omnium eorum quæ fecimus in hoc mundo, vt omnia sint ad gloriam & honorem Domini nostri: finita namque memoria & recordatione beneficiorum, subitò cor ipsum in petitionem erumpit, & dicit cum Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Psal. 115. Ex quo patet, quòd homo certo aliquo modo debet offerre semetipsum, & omnia sua, vt respondeat, quàtum in se est, diuinæ liberalitati, & sic semetipsum dedere suo Domino, vt sit quasi mancipium vel seruus catenis vinctus, faciens volùtatem Domini, abnegansque propriam. Ante omnia verò possunt, imò debent offerri labores, molestiæ, tribulationes, & merita Christi Saluatoris nostri, quæ est dignissima, & efficacissima oblatio, maximique meriti omniũ, quæ Deo possunt immolari: quæ & tota est nostra, cùm Dominus & Patronus eorum noster sit. Ille est nostra caro, noster sanguis, nostra salus, nostra redemptio; qui nos per testamentum suum fecit hæredes omnium laborum & meritorum suorum. Atque ita possumus vnum meritum post aliud enumerare, offerendo illa æterno Patri ex parte nostra, pro satisfactione omnium nostrorum peccatorum, pro remedio nostrarum miseriarum, & ad gloriam nominis illius sanctissimi.

DE PETITIONE.
CAPVT VIII.

HIs ita peractis, fieri potest petitio rerum ad salutem nostram necessariarum: sicut demonstratum est in libro præcedenti in secundo capite, & quinta conditione, vbi de Oratione differitur. Sed obseruandum hìc est, vt procedentes in his quinque partibus, quantum fieri potest, humiliter cum Deo, in cuius conspectu stamus, loquamur. Loqui enim cum tantæ Maiestatis Domino extollit magis spiritum, & requirit maiorem attentionem, maioremque reuerentiam & deuotionem, ratione personæ, qua cum loquimur, quàm si loquamur cum propria anima nostra, aut sanctum aliquid cogitemus, ruminantes illud in nobisipsis; vt cùm quis cogitat de morte, de iudicio, de pœnis inferni, aut similibus rebus.

Quare & inter quinque partes prædictas tres vltimæ, gratiarum actio, oblatio, & petitio sunt nobiliores: non enim illæ possunt exerceri nisi actualiter cũ Deo loquendo, siue gratias illi agendo, siue mercedem ab illo petendo, siue seipsum offerendo. Hoc autem (vt diximus) extollit spiritum, & quasi dirigit illum, vt ad Dominum, qui in altis habitat, possit peruenire. Debet igitur homo diligenter attendere, vt in præparatione, & meditatione; similiter vbicunque poterit, eodem modo cum Deo sermocinetur. Hæ sunt, Christiane Lector præcipuæ partes, quas Oratio potest habere; quæ multis in locis diuinæ Scripturæ, & in doctrina sanctorum Patrum (quorum testimonia hic nõ pono, ne prolixior sim) commendantur. Has itaq; connectat homo, coniũgat & meditationis vel orationis tempore vsurpet: in ijsq; sese exerceat, vt iam dictum est, licet breuiter, eò quòd latiùs egimus de his partibus in alio libro de Oratione & Meditatione.

ADMONITIO AD LEctorem.
CAPVT IX.

ADmonendus est hìc Lector, nos hìc ordinem harum partium tradidisse, non quasi generalem legem, aut publicum edictum promulgantes, semper & inuiolabiliter obseruandum: sed vt nouitios & tyrones in hanc viã duceremus. Postquam enim eam semel ingressi sunt, postquam semel in cellam vinariam Sponsi sunt introducti, experientia & deuotio illos meliùs docebit, quid in hoc exercitio erit faciendum. Docet enim experientia, si nihil aliud agas, quam Nouitio commẽdes Orationem & meditationem, non monstrans illi viã, nec materiam, modumq; huius exercitij exponens, mittes quidem illum ad meditandum, sed corde vago & abstracto sine fundamento, vel vlla stabilitate. Qualis meditandi modus, etsi consideratio sit, non tamen est ex fructuosissimis & vtilissimis, de quibus hìc nobis sermo est. Sciendum igitur est (ait Richardus) sub nomine considerationis tria comprehendi, cogitationem, meditationem, & contẽplationem: quæ sic inter sese differunt, vt Cogitatio discurrat sine labore & fructu, aut saltem exiguo cum labore & fructu; Meditatio verò solida stet in vna re, cum labore & fructu: sed Contemplatio firma quidem stet in vna re & immobilis, laboriosaque non sit, maximos tamen fructus habeat adiunctos. *Cogitatio, meditatio, & consideratio quomodo differunt.*

Ex hac distinctione facilè colligitur, quàm parum prodest illud genus cogitationis, quod non habens materiam certam, vel stabilem intentionem, discurrit per diuersas imaginationes, de vna mox in aliam cogitationem diffluens, sine firmitate, stabilitate, & attentione; non diligens & solicita, nunc in hoc, nũc in illo sensu hærens, & tractans hoc negotium tanto cum languore & tepore, vt facillimè omni imaginatione circunducatur. Vtile igitur & conueniens est, vt saltem in principio sit vna materia determi-

nata: sint & certa quædam huic exercitio statuta tẽpora, ab alijs occupationibus diurnis exempta, quæ soli Deo sint dedicata & consecrata: quemadmodũ Ecclesia habet sua publicis orationibus & diuinis officijs deputata.

Sciendum tamen est, hæc non tam strictè præcipi, vt si quis contrarium fecerit, mox peccasse dicendus sit: extra enim tempus & locum ad hoc cõstitutum, potest etiam homo cor & spiritum suum ad Deum eleuare, tam per has, quàm per alias meditationes, quæ mouent hominem ad deuotionem. Cum enim hic finis sit, qui proponitur, quicquid fit vt ad istum finem perueniatur, non est dicendum huic exercitio repugnare, vel ab eo tanquam noxium auferendũ. Est igitur inter communia, quæ hîc tradi solent documenta, illud nequaquam infimum, vt quotiescũque homo occupatur in aliqua consideratione, ex eaque maiores euidenter fructus, maioremq; dulcedinem percipiat, quàm in alia quacunque; hanc cæteris anteponat: per ipsam enim facilius finem, qui quæritur, hoc est, deuotionem assequetur.

Ordo sequendus in hoc exercitio.

Secundum hanc igitur doctrinam Confessarij, & Patres spirituales, qui volunt introducere in hoc exercitium eos, qui cupiunt in illo proficere, hunc ordinem sequi poterunt. Primò debent prælegendo vel narrando omnes præcipuos articulos Vitæ Christi percurrere, deinde repetere, & monstrare loca, in quibus potissimum potuerunt philosophari: sic tamen, ne à vita Christi aberrent, vt postea dicetur. Vt autem idipsum tenacius hæreat memoriæ, optimum consilium est (vbi tamen id commodè fieri potest) vt quotidie discipulos præcedentem lectionem recitare iubeant, & primõ dicere historiã mysterij, deinde articulos de quibus erat meditandum. Vidi enim, & experientia didici, quosdam hoc modo breuissimo tempore factos exercitatissimos, plurimumque profecisse.

Cumque initio sic instituti, & in viam introducti sunt, facilè deinde per se considerare possunt, & notare articulos, vel meditationes super eosdem, quibus nonnunquam ad imitationem exemplorum Christi moueantur; subinde vt agant ei gratias pro acceptis eius beneficijs, aliquando vt doloribus eius compatiantur, nunc vt amore & deuotione accendantur in illum Dominum, qui ipsos tantopere dilexit: quandoque ad alios affectus & motus similes.

Hoc breui præludio, Christiane Lector, præmisso, nunc incipiamus tractare materiam Meditationis, vel orationis mentalis, de qua maximè in hoc libro dicemus. Inter omnes verò materias, quæ ad hoc propositum spectant, præcipua est Vita nostri Saluatoris: ea enim maiorem cæteris cognitionem dat bonitatis, iustitiæ, misericordiæ, & prouidentiæ Dei, charitatisque erga [illegible]oximum: de ea igitur potissimum hîc tractabimus, illa tamen breuitate, quę huic Memoriali conuenit, licet materia sit opulentissima, copiosissima, & diuinissima omnium, de quibus aliquid dicere quis posset.

SEQVITVR DEVOTVM MEMoriale principalium mysteriorum Vitæ nostri Saluatoris, in quo primò tractatur de consideratione horum diuinorum mysteriorum.

CAPVT X.

MAteria, de qua nobis sermo est, requirit quidem, vt priusquam de consideratione Vitæ Saluatoris agamus aliquid de fructibus huius exercitij præmittamus. Cæterùm quia hac de re plurima dicenda sunt, & breuitas, quam nos sequimur, id non patiatur: id solum hîc dicam, Considerationem hanc maximè intellectum nostrum illuminare, & maiorem de Deo cognitionem in nobis generare, quæ principium est nostræ felicitatis. Ratio est, quia non cognoscimus Deum in hac vita per ea, quantò ipsa sunt excellentiora & maiora. Cum igitur nemo ambigat, quòd inter omnia opera hæc, longè nobilissimum, & sine comparatione maximũ est illud humanitatis Christi Saluatoris nostri, (qui factus est homo propter amorem hominum) etiam opus hoc maximè illustrat & detegit magnitudinẽ diuinarum perfectionum, hoc est, Dei Sapientiam, Bonitatem, Charitatem, Misericordiam, Iustitiam, Prouidentiam, Benignitatem, aliasque eius perfectiones: adeo, vt humanitas Christi scala illa mystica, quam vidit Iacob, per quam Angeli ascendebant & descendebant: per humanitatem enim Saluatoris homines pij ascendunt ad cognitionem Dei, & similiter per illam descendunt ad cognitionem sui-ipsius.

Opus Radi proximum maxime illuminat intellectum.

Genes. 28.

Habet hæc consideratio aliam quoque proprietatem, quæ generaliter vtilis est omnibus personis, tam incipientibus, quàm perfectis: est enim arbor vitæ, quæ stat in medio Paradisi Ecclesiæ, habens ramos altos, & humiles; Alti rami sunt in vsum perfectorum, qui per illos ascendunt vsque ad contemplationem diuinarum perfectionum, quas iam diximus; humiles verò rami sunt pro paruulis, & tyronibus, qui in illis contemplantur magnitudinem dolorum Christi, & turpitudinem propriorum peccatorum, vt ad dolorem & contritionem eorundẽ moueantur. Hoc vnum est ex proprijs exercitijs veri Christiani; ire scilicet post Christum semper, & sequi Agnum, quocunque ierit. Hoc est, quod docet Esaias, iuxta translationem Chaldaicam, dicens; *Iustos fore cingulum renum Christi, & semper in circuitu illius ambulaturos.* Id spiritualiter fit, cùm nunquam se à Christo separant, nec illum ex conspectu suo amittunt: iungentes sese illi in omni via sua, & cogitantes de eo ad singulos articulos, singulaque mysteria vitæ illius sanctissimæ. Verè namque Christus nil aliud est (loquor cum ijs qui gustum habent spiritualẽ) quam vnguentum effusum & suauissimũ, vt ait Sponsa; q, in omnibus & singulis locis, quæ consideras, de se diffundit odoré suauissimum sanctitatis, humilitatis, charitatis, deuotionis; compassionis, mansuetudinis, aliarumq; virtutum omnium. Ex hoc oritur, vt quemadmodum vnguentarij, aut hi, qui odoriferum quid in manibus circumferunt, semper olent id quod attrectant: sic Christianus, qui tale cum Christo commercium habet, etiam participet de odore vnguenti illius, hoc est, assimiletur illi in humilitate, charitate, patientia, obedientia, alijsque eius virtutibus.

Considerationis passionis arborem medio Paradisi.

Esa. 11.

Simile.

Hunc igitur in finem præsens liber conscriptus est, qui de primarijs articulis & mysterijs Vitæ Iesu Christi loquitur, proponens initio vniuscuiusque mysterij historiam propriam, deinde illam breui & piæ considerationi applicans, vt animæ deuotæ via ad longiorem meditationem aperiatur. Quarum quædam faciunt ad excitandam deuotionem, quædam ad generandam sympathian, aliæ ad imitationem Christi persuadendam; nonnullæ ad mouendos lectores, vt Deum ardenter ament, eique pro beneficijs illius gratias agant; aliæ denique ad alios similes affectus producendos.

In hoc libro, inter multa alia, quæ scripsit D. Bonauentura, vnum eius opusculum, cui titulus est Meditationes Vitæ Christi, quàs cuidam fororum suarum scripsit: & aliud Arbor Vitæ Crucifixi appellatum, & ad eundem effectum seu finem ab eodem Doctore compositum, vsurpaui, eorumque seriem

secutus

secutus sum. In eam autē breuitatem materiā hanc reduxi, vt in sinu portari queat, id quod semper in corde & pectore portandum est, vt homo possit dicere cum Sponsa in Canticis: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea mihi commorabitur.* Sed priusquā ad particularē horum mysteriorū tractationem veniam, volui breue aliquod præludium de Incarnatione Christi præmittere: ea enim multū lucis ad considerationem & intelligentiam vitæ illius sanctissimæ est allatura. Cant. 5.

DE PRÆCIPVIS MYSTERIIS SANctissimæ Vitæ, Mortis acerbissimæ, & glorioſissimæ Resurrectionis Iesu Christi Domini & Saluatoris nostri.

DE ANNVNCIATIONE, SEV legatione Angelica ad gloriosam Virginem Mariam.

CAPVT XI.

INcipientes itaq; discurrere per singulos articulos, & præcipua mysteria Vitæ Saluatoris nostri, primum quod mihi occurrit, est Angelica ad B. Virginem Mariam legatio. Hic ante omnia æquum est, vt conuertamus oculos ad puritatem & sanctitatem huius sanctissimæ Virginis, quam Deus ab æterno elegit, vt ex ea carnem assumeret. Quemadmodum enim cum decreuisset primum hominem Adamum creare, ante omnia domicilium condidit, & præparauit, in quo moraretur, Paradisum scilicet terrestrē: sic cum secundum hominem, qui fuit Christus, mittere voluit, prius locum præparauit, in quo diuersaretur, corpus scilicet atque animam Virginis gloriosæ. Et quemadmodum primo Adamo terreno domicilium terrenum conueniebat: sic illi, qui de cœlo descenderat, non alia domus, quàm cœlestis erat assignanda: hoc est, ornata & præparata virtutibus, & donis cœlestibus. Et quia conditio Dei est, facere res ipsas tales, qualis est finis, in quem eas facit: sic cùm Virgo hæc electa sit ad supremam (excepta humanitate Filij Dei) dignitatem, quæ potest inueniri, vt scilicet mater eius esset: sic etiam maxima ei concessa est sanctitas & perfectio, quæ post illum reperitur. *Creationis hominis & incarnationis Christi collatio.*

Et quia Mater erat Sancti Sāctorum, etiam ei modo quodam admirabili datæ sunt omnes gratiæ, & priuilegia, quæ vnquam concessa sunt Sanctis omnibus. Sunt præterea illi quoque donata septem maximæ dignitatis, præ cæteris, priuilegia. Primum, & omnium maximum est, quod facta est Mater Dei. Secundum, quod in se nullum genus malarum passionum, inordinatorúmve appetituum vnquam sensit. Tertium, quòd sexaginta & amplius annis, quibus vixit, peccatum vnum non commisit: peccatum dico non tantùm lethale, sed nec veniale: quòd sanè omnia mirabilia transcendit. Quartum, quòd concepit à Spiritu sancto. Quintum, quod peperit sine dolore, & sine puritatis virginalis detrimento. Sextum est, quod assumpta est in cœlum corpore simul & anima: adeò vt corpus eius nullam corruptionem senserit. Septimum est, quod sedet ad dexteram sui Filij in altissimo loco gloriæ, qualis nunquam puræ concessus est, aut concedetur creaturæ. *Septē priuilegia B. Mariæ.*

Age igitur cum hæc Virgo tot priuilegijs & eminentijs super omnes Sanctos esset dotata & nobilitata; tot gratijs quoque plena, quam iucundum fuisset spectaculum vidisse vitam, quam in hoc mundo duxit? Quam admirabile & omni stupore plenum, eius videre Puritatem, Charitatem, Humilitatem, Benignitatem, Honestatem, Misericordiam & Discretionem, cùm omnibus alijs virtutibus, quæ in vita illius emicabant pulchrius & diluciduis quam Smaragdi & Pyropi? Quanta fuisset gratia videre illam in hoc mundo cum hominibus degere, atque inter illos viuere, nihilominus in cœlis commercium habere, & cum Angelis conuersari? Quantus fuisset stupor videre illius exercitia, lachrymas, vigilias, abstinentiam, orationes, in quibus dies noctesque integras cum Deo conuersando absumebat? Quid admirabilius, quàm quod sexaginta & amplius annis vitæ suæ conuersata cum hominibus, viuensque in corpore fami, aliisque necessitatibus corporis subdito, præter bene viuendi ordinem nihil peccauit, nec in edendo, bibendo, dormiendo, loquendo, nec in alia quapiam re limites virtutis & honestatis excessit, habens semper omnes animæ suæ potentias, memoriam, intellectum, voluntatem, & intentionem in Deo repositam? Quam plena charitate & delitijs cœlestibus erat illa, quæ sic perseuerauit, indissolubili amoris & suauitatis vinculo cum Deo vnita? Denique vita, puritas, & pulchritudo animæ tanta erat, vt qui haberet oculos ad videndum illā, manifestius posset ex illa cognoscere sapientiā, potentiam, & bonitatem Dei, qui animam talē creauerat, quàm ex vniuersa huius mundi fabrica & pulchritudine.

Præparata igitur hac domo, quæ est Paradisus ille deliciarum prædictus, in vsum huius secundi Adami, postquam venit plenitudo temporis, quod à sapientia diuina constitutum erat mundi remedio, missus est Angelus Gabriel ad hanc Virginem gratia plenam, omnium quæ inueniebantur pulcherrimam & purissimam, ex omnibus huius mundi creaturis electam: æquum enim erat, vt ea, quæ futura erat Mater Saluatoris huius seculi, talis esset. Deinde Legatus ille cœlestis, postquam debita cum reuerentia Virginem salutasset, eique quid à Deo in mandatis haberet exposuisset, dixissetq; modū, quo mysterium hoc fieri debebat: scilicet non ope humana, sed superueniente Spiritu sancto, confestim Virgo verbis, omni humilitate plenis, & deuota obedientia in legationem cœlestem consensit, & eodem ipso momento verus & omnipotens Deus intrauit in viscera illius, factusque est homo, vt homo fieret Deus. *Mittitur Angelus.*

Primò igitur licet hic conuenientiā huius medij, quod diuina sapientia elegit ad nostram salutē restaurandam, contemplari. Est enim hæc consideratio vna ex illis, quæ abripiunt cor humanum in admirationem ineffabilis huius sapientiæ diuinæ, quę tam conuenienti medio atq; via opus salutis nostræ aggressa est: atq; in hāc admirationem abductus homo debet illi gratias agere, tam pro beneficio quod contulit, quàm pro medio, per quod contulit: magis etiā pro amore, cum quo contulit, qui sine comparatione cæteris omnibus maior est.

Considera quoque hic inæstimabilem Dei Charitatem, qui quo tempore nos dormiebamus, & nihil minus quam de salute nostra cogitabamus, cùm nec orationibus, nec sacrificijs Deo pro remedio nostro supplicabamus, ipse de nobis succurrendo fuit solicitus: cumq; id facere posset modis multis & diuersis voluit hunc eligere sibi tam laboriosum & amarum, quiq; tam caro illi constat pretio, eò quòd esset saluti nostræ conuenientissimus. De hac Charitate loquitur ipse Christus in Euangelio: *Sic Deus dilexit mundum, ait, vt Filium suum vnigenitum daret,* vt per fidem & charitatem erga illum habeamus vitam æternam. *Charitas Dei.* Ioan. 3.

Considera quoque admirabilem modestiam & silentium huius Virginis, quæ tota verecunda, vix vnum verbum necessarium respondit, post tam lon-

gam legationem, quam ex ore Archangeli iam audierat.

Maria timet laudari. Perpende quoque profundam eius humilitatem, quæ licet meritò posset timere, videns coram se Angelum cum tanta claritate, non tamen vllam huius timoris facit mentionem, nec aliquod eius dat indicium, nisi cum se ab Angelo laudari sensit, & plenam gratia salutari: benedictam quoq; inter mulieres appellari. Verè enim humilis nihil magis admiratur, nihil magis extimescit, quàm cum se audit cõmendari, humanæ siquidem laudes fures sunt, qui humilitatis thesaurum furantur.

Castitatis amor Mariæ. Animaduerte præterea inæstimabilem amorem, quo hæc Virgo Castitatem complectebatur, cũ ipsa fuit prima quę in hoc mũdo inusitatum hoc votum emisit, non habens exemplum vllum quod imitaretur. Quantus autem esset eius amor erga virtutem, hanc, vel ex eo patet, quòd cum offerebatur illi tam ingens dignitas, qualis est esse matrem Dei: nihilominus propter gloriam & excellentiam huius virtutis aliquantulum tergiuersata est, & (vt Bernardus ait) displicuit illi, metuens ne in voto virginalis castitatis, quod vouerat, dispensaretur.

Viua fides Mariæ. Luc. 1. Noli præterire viuam eius fidem, ob quam laudata fuit ab Elisabetha: nec immeritò, credidit enim ea quæ omni humano intellectui absurda atq; incredibilia videbantur. Quod si Apostolus tantopere laudat fidem Abrahę, eò quòd credidit fœminam sterilẽ parituram, cur non magis nos fidem huius Virginis laudabimus, quæ credidit, & Virginem paritura, & Deum humanam carnem assumpturum, quodq; hæc omnia fierent solo Spiritu sancto superueniẽte, absq; vllo humano commercio? Disces hic, ô homo fragilis, & credere, & in omnibus verbis atq; promissionibus Dei sperare, etsi humano intellectui incredibilia videantur.

Gal 3.

Denique post omnia, quæ in hoc dulcissimo dialogo vltro citroq; dicta & gesta sunt, meditare quãta cum humilitate & obedientia gloriosa Virgo sese tradidit in manus Domini, dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Super omnia verò consideratione dignissimæ sunt exultationes, cogitationes, motus & iubila, quæ in purissimo illo pectore concipiebantur in aduentu sancti Spiritus, per incarnationem Verbi, per nouam hanc dignitatẽ & gloriam quæ illi offerebatur, per salutem mundi iam instantem: deniq; per magna & admirabilia opera, quæ in stupendo hoc mysterio reuelata sunt, & quæ in eius persona Spiritus sanctus operatus est. Sed cuius intellectus capere poterit omnia, quæ in hoc glorioso mysterio contigerunt?

Luc. 1.

DE VISITATIONE B. MARIÆ.

CAPVT XII.

POstquam Archangelus Gabriel suam legationem absoluisset, atque inter cætera B. Virgini nunciasset, quod cognata eius Elisabetha in senectute sua filium concepisset, *Maria*, vt Lucas refert, statim ab Angeli discessu, *abijt in montana cũ festinatione in ciuitatẽ Iudæ: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me.* Tres hic præter Filium Dei, qui operatur hæc mirabilia, personas habemus, quarum actiones & verba considerare debemus: Infantulum scilicet Ioannem, eius Matrem, in cuius ille erat vtero, & glorioſam Virginem Mariam.

Luc. 1.

In Ioanne nota inusitatum & supernaturalem sensum lætitiæ: eo enim ipso momento vsum rationis accepit, dataque est illi vera cognitio Domini sui, qui etiam adhuc vtero materno tenebatur inclusus, vna cum mysterio ineffabilis illius incarnationis. Gaudium verò, quod illius animula ex hac cognitione percepit, tam grande fuit, vt fecerit eum exultare, vel salire in ventre Matris vetulæ. Ex quo liquet manifestè, quanta fuerit lux & lætitia illius infantis: cùm non potuerint illæ sola anima contineri, sed etiam in carnes, vel corpusculum redũdarint, & sese inusitato saltu vel motu manifestarint. Ex quo miraculo facilè conuincitur magnitudo beneficij Incarnationis Filij Dei, postquam tali genere exultationis & reuerentiæ voluerit ab Infantulo hoc celebrari. Ex illo etiam per consequens patet, quid debeat homo illi iam factus adultus & perfectus, cùm Infans vtero matris concluſus, hoc ei obsequium exhibuerit.

In Ioanne quid considerandum.

In matre verò animaduertitur magnitudo admirationis & gaudij tam sanctæ fœminæ, ob subitum & insperatum tantæ lucis splendorem: id est, ob cognitionem rerum adeò mirabilium, quæ ibidem illi sunt reuelatæ: postquam eo ipso momento ineffabili quodam modo edocta est omne mysterium Euãgelij, & Redemptionis generis humani. Prima enim illa cognouit Dominam hanc esse matrem Dei: & quòd concepisset eum de Spiritu sancto: Filium Dei illius viscеribus esse incluſum, & Messiam in mundum venturum, eiusque aduentu genus humanum redemptum iri. Intellexit hic desideria Patriarcharum, prædicationes Prophetarum, spem totius seculi præsentis, præteriti, & futuri iam iam fore adimplendam. Hic agnouit profundissimum mysterium Trinitatis: quoniam didicit Filium Dei esse conceptum Spiritu sancto operante: atque proinde debuit etiam cognouisse personarum distinctionem, hoc est, Patrem, cuius Filius erat incarnatus: Filium, qui carnem humanam assumpserat, & Spiritum sanctum, cuius virtute peractum fuerat hoc Sacramentum.

In Elisabetha quid considerãdi.

Quæ cùm ita sint, perpende tecum, mi frater, quale gaudium, & qualem lætitiam sensit pium illud cor splendore tam sublimium & incomparabilium mysteriorum illustratum? maximè verò si consideres differentiam, quæ est inter institutionem ipsius Dei, & illam quæ ab homine proficiscitur, hæc enim communiter nil aliud agit, quam intellectum illuminat, voluntatem non mouet: illa verò tantæ virtutis est, vt quantum illuminat intellectum, tantum moueat etiam voluntatem, ad sentiendum magnitudinem rerum ab intellectu perceptarum. Si itaque tanti fuerint in sanctissimæ huius fœminæ intellectu splendores, quanti quæso fuerunt in ipsius voluntate ardores? hoc est, quanta fuit lætitia, voluptas, suauitas & admiratio huius Sacramenti? Non est humana eloquentia qua hæc omnia, vt reipsa fuerunt, verbis potest assequi. Hinc patet quam magnifica dona dat Deus amicis suis, etiam in hoc seculo, postquam tali modo suos visitat, & rerum tam admirabilium sensu recreat. Omnia hæc indicat Euangelista vnico verbo, cùm dicit, quod *exclamauit Elisabeth voce magna*: magnitudo enim vocis illius, testatur magnitudinem affectus, à quo vox procedebat.

Sed cum iam satis perspectum nobis sit cor sanctæ huius fœminæ, ad beatissimam Virginem pergamus, vt & illius cor exploremus, & verba admirãdi illius Cantici, quod de hoc mysterio cecinit, paululum examinemus.

In Maria quid considerandum.

Medi-

Meditare itaq; quantum fuerit inæstimabile illud gaudium, quo accensa fuit Virgo & Mater semper benedicta Maria in hac secunda confirmatione & testimonio mirabilium, quæ Deus erat in illa operatus, & quales fuerint eo ipso tempore sensus motusq; animæ illius. Credo equidem, quòd præ cordis lætitiæ magnitudine immensiq; beneficij cognitione, vberrimas effuderit lachrymas, quando latente vi Spiritus sancti impulsa, cœpit diuinum hoc Canticum modulari: *Magnificat anima mea Dominum* &c. Quis poterit enarrare, quantopere hoc carmine Deum laudauit, eumque in corde suo magnificauit? quomodo exultauerit spiritus eius in illa: postquam se obumbratam videret & plenam tot gratijs & donis tam suspiciendis. O Beata Virgo, ô fœlix Domina, quid quæso sensit pium cor tuum, cùm lingua in hæc verba erupit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Fecit mihi magna qui potens est*, &c. Quæ ampla, quæ admiranda sunt ista, Virgo gloriosa? Non est concessum nobis, vt minutatim illa inuestigemus: sed solùm vt admiremur, & recreemur, & quasi attoniti simus, quando de illis cogitamus. O beata sors iustorum, qui tam sublimi modo à Deo visitantur, quique consolationibus tam diuinis permulcentur.

Perpende etiam, quàm exactam misericordiæ & gratiæ diuinæ habuerit cognitionem, & medij per quod illa obtinetur: quod est humilitas: in his enim duobus prædicandis totum Canticum insumit. Cùm enim tam fœliciter cum hac virtute fuisset negotiata, non potuit in illius laudibus decantandis linguã continere, vt omnibus hominibus gratiam diuinam implorantibus, testatum faceret, non esse viam aliam obtinendi illam, quam per virtutem humilitatis.

Nec minori studio cogitationes tuas conuerte ad dignitatem & excellentiam huius Virginis: Postquam enim vox salutationis illius (quæ fortè fuit, *Dominus benedicat tibi, Dominus tecum*, aut similis) in auribus Elisabethæ sonuit, statim Deus fuit cum illa, modo illo tam singulari, & repleta est gratiã Spiritus sancti, per quam tam ardua & abscondita mysteria cognouit. Non aliter atque Deus in principio creationis mundi, cùm dixit: *Fiat lux*, continuò *facta est*, sic cum virgo dixit: *Dominus tecum*: aut Dominus te saluam faciat, mox intrauit Deus lux & salus in animam illius sanctæ Vetulæ, vna cum voce Mariæ: etiamsi operationum istarum modi diuersi fuerunt: Deus enim operatus est præcipiendo, tanquam Creator: Maria verò precando & supplicando, vel optando tanquam sanctissima creatura. In hoc cognosces, quanti sit momenti, quod Beata Virgo nostra sit Aduocata: & quam vtile sit eius intercessionem implorare: cum tanti ponderis sint eius verba in conspectu Domini, tantamque vim & efficaciam habeat apud Deum illius oratio, ad impetrandam salutem: non enim credendum est, vel existimandum, eam nunc minus posse in cœlo gloriosam, quam potuit olim in terris adhuc mortalitati subiecta.

Gen. 1.

DE REVELATIONE VIRGINITATIS & conceptionis B. Mariæ.

CAPVT XIII.

REuersa domum B. Virgine Maria, cum Ioseph non obscuris indicijs didicisset, eam esse grauidam, *noluit*, ait Euangelista, *illam traducere, sed eam voluit occultè dimittere*, cùm ecce Angelus Dei apparuit illi in somnis, eique admirabile illud mysterium reuelauit.

Matth. 1.

Circa hæc primò cõsideranda est tribulatio & anxietas, quam Beata Virgo illo tempore perpessa est, videns dilectum Sponsum suum vsq; adeò turbatũ, & afflictum, qui eius tristitiæ tam iustã habebat causam & occasionem. Ex hac consideratione intelliges quomodo Deus nonnunquam suos aliquamdiu derelinquere videtur, eosq; probat magnis angustijs & tribulationibus, vt exerceat eorum fidem, spem, & charitatem: vt conseruet eorum humilitatẽ, & probet patientiam; quæ virtutes in tribulationibus crescunt, & perfectiores fiunt, quemadmodum aurum in igne purificatur, & ignis afflatu venti magis magisque inardescit.

Patientia & silentium Mariæ.

Meditare quoque patientiam & silentium, quo cum sacra Virgo hanc tribulationem sustinuit: cùm neque per illam pacem suæ conscientiæ, nec humilitatem animæ suæ perdiderit, neque etiam secretum huius magni mysterij propalauerit, cùm tamen tam probatum potuisset adferre testimonium, quale fuit illud Elisabethæ: & hoc præter innocentiam & puritatem vitæ, tam longæ ab omni suspicione. Nihil horum fecit, sed assidua in oratione tantùm causam suam Deo commendauit, & in hac, alijsque rebus omnibus sese diuinæ prouidentiæ tradidit.

Fiducia Mariæ.

Perpende similiter magnitudinẽ eius fidei & spei; cùm in re tam difficili (in qua humana prudentia nõ inuenisset exitum) non tantùm non desperauit, sed etiã auxilium expectauit, cum maxima fiducia, certò sibi persuadens, vnde venerat mysterium, inde quoq; venturum subsidium: & qui auctor erat vnius, hunc etiam inuẽtorem fore alterius: cùm opera Domini mutila non sint, aut imperfecta: sed absoluta sint, & longè perfectissima. Ex vtroq; autem horum agnoscès veritatem illius sententiæ, quam olim Propheta locutus est: *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Psal. 33.

Sanctitas Ioseph.

Considera quoq; sanctitatem boni illius Senis Ioseph, qui cum tam magnam occasionem haberet eã traducendi, & innocentem cõdemnandi, & cùm lex ipsa gladiũ illi in manum daret, noluit tamen accusando Virginem manus suas sanguine cõmaculare, cùm tamen omnino illi persuasum esset, reã hãc esse: sed maluit per vniuersum terrarum orbem errare & diuagari, quam accusatione & lite ius suũ prosequi, atq; defendere. Vera enim iustitia plena est misericordia, & vera charitas nunquam in lucro deputat, quod cũ alterius malo permixtum est. Ex quo patet, quàm familiaris est bonis misericordia, & quàm bene dictũ est à Sapiente: *Nouit iustus iumẽtorũ suorum animas, viscera autem impiorũ crudelia.* Opus hoc videtur non esse hominis, sed Angeli. Dæmonum enim est malefacere his, qui non merentur: hominũ autem malefacere his qui digni sunt & merẽtur, sed Angelorũ, non facere malum etiam illis qui merẽtur. Talis erat beatus hic & nouus Angelus terrestris, etsi gloriosa Virgo tam aliena fuerit ab omni culpa. Prou. 12.

Inde mentem quoque conuerte ad reuelationem huic sancto Patriarchę factam, vt intelligas, quomodo Deus flagellat & blanditur, mortificat & viuificat, humiliat & exaltat, & quomodo verũ est illud, quod dicit Apostolus: *Nouit Dominus pios de tẽtatione eripere.* Quò loco tibi offertur materia considerãdi, quã ingens fuerit lætitia, & admiratio, quã Sãctus ille concepit, cũ inuenit innocentiã, vbi illã tantopere desiderabat: at non tantũ inuenit innocentiã, vt iã illam non dimitteret, sed dignitatẽ etiã & gloriã ad retinendã illã cum maiori reuerẽtia. Quas putas gratiarum actiones reddidit? quas laudes bonus ille Senex Deo decantauit, posteaquam sic illũ illuminauerat, ex errore exemerat, à pœna & fastidio liberauerat, tã longè à vano proposito, quod conceperat animo, separauerat, eumq; in custodem & depositariũ tanti thesauri elegerat? Quomodo confestim recurrit, &

1. Reg. 2.

2. Pet. 2.

rit,& gloriosam Virginē(quæ fortè tunc in oratione erat,vigilias mæutinas celebrās,& Deum, vt in hac angustia ferret opem, deprecans) studiosè quærens, cumq; lachrymis deuotionis ante pedes eius procūbens,orans suppex suspicionis,quam de illa conceperat,indulgentiam,& reuelationem sibi factam ab Angelo commemorans.

Quantum quæso tunc fuit gaudium Virginis sanctissimæ,videntis hinc summam fidelitatem Dei erga suos amicos,cum in tribulatione sunt: illinc verò sanctissimum Sponsum suum ex omni tribulatione sua ereptum,& lachrymas eius in gaudium conuersas,cuius dolor tantò erat ei acerbior, quantò tenerius illum diligebat? Etsi enim illum, quoad vsum matrimonij,pro viro non agnoscebat,tamen quo ad amorem & reuerentiam coniugalem nō fuit vnquā inuentum cor vxoris,quòd sincerius dilexit maritū, corde huius Virginis. Sed & si (vt Ecclesiasticus ait) Eccl.35. *speciosa sit misericordia Dei in tempore tribulationis:* qui & quales hic motus excitati sunt à pulchritudine huius misericordiæ,in tempore tam immensæ tribulationis? O quas matutinas laudes isti duo hic decantarunt? quantis cum lachrymis officium hoc celebrarunt? & quantas gratiarum actiones Deo pro hac eius misericordia reddiderunt?

DE NATIVITATE SALVATORIS.

CAPVT XIV.

Luc.2. IN *diebus illis*, inquit Euangelista, *exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Et ibant omnes vt profiterentur*, & censum darent Imperio Romano,*singuli in ciuitatem suam. Ascēdit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth,in Iudæam ciuitatem Dauid,quæ vocatur Bethlehē:eo quod esset de domo & familia Dauid,vt profiteretur cū Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi,impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum,& pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* Hæc est summa historiæ supremi huius mysterij.

Cant.3. *Egredimini nunc*, inquit Sponsa in Canticis,*& videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate,quo coronauit illum mater sua,in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*, O animæ religiosæ & amatrices Christi,egredimini de omnibus cogitationibus, & negotijs huius mundi,collectisq; omnibus potentijs & sensibus,accedite ad contemplandum verum Salomonem,cœli & terræ pacificatorem,non in diademate,quo coronauit illum Pater eius,quando genuit illum ab æterno:sed in diademate,quo coronauit illum mater illius,cùm peperit illum in tempore,eumq; nostra humanitate vestiuit. Venite & videte Filium Dei,non in sinu Patris,sed in brachijs Matris:non inter choros Angelorum,sed in medio duorum animalium:non sedentem à dextris Maiestatis in excelsis,sed positum in præsepio bouis & asini, nō tonantem & fulminantem in aëre,sed vagientem & trementem præ frigore in stabulo. Venite ad celebrandum diem desponsationis eius, in quo processit de thalamo virginali desponsatus naturæ humanæ, vinculo matrimonij tam arcto & indissolubili, quod nec in vita, nec in morte vnquam poterit dissolui. Hic est dies secretæ lætitiæ cordis eius, quando exterius vagijt sicut infans, interius autem exultauit ob nostram salutem tanquam Redemptor.

Itineris dif. ficultas. Sed vt bono ordine in hoc mysterio procedamus, considera primo labores & molestias, quas gloriosa Virgo sustinuit in hoc itinere,quod à Nazareth,vsq; Bethlehem confecit. Iter enim erat longum, viatores pauperes,quibus male prouisum erat: Virgo delicata,& vicina partui: tempus ad proficiscendum incommodum,propter ventos,turbines, procellas, & asperrima frigora,propter hospitij defectum,cum omnia loca plena essent,præ itinerantium multitudine,qui vndequaque confluebant, vt satisfacerent mandato Cæsaris.

Et tu itaque Mariam in spiritu comitare in sancto hoc itinere, cum sanctitate & simplicitate puerili, cumq; humili & deuoto corde illius pia sequere vestigia: adiuua in quibus poteris sanctos istos peregrinos,& vide quomodo nonnunquam cum Deo sermocinantur: subinde sibi inuicem loquuntur, nunc orantes,nunc inter sese confabulantes: atq; sic alterando exercitia molestum hoc iter conficiunt. Iunge te,frater,illis socium itineris,& laborum, vt & gaudij,& gloriæ huius mysterij aliquādo socius esse digneris.

Deinde animaduerte extremam paupertatem & humilitatem,quam Rex ille cœlestis sibi in hoc mūdo elegit,cùm nasceretur: considera pauperculam domum,pauperculum lectum,pauperculam matrē, & supellectilia paupercula,imò tam vilia,vt eorum maior pars,quorum hic vsus erat,non tantùm fuerit pauperrima & humillima,sed etiam (vt Bernardus ait) mutuata:& à quibus? à brutis animalibus. Tale fuit palatium quod elegit huius mundi Saluator;tales fuerunt illius deliciæ,tales blanditiæ,quas habuit in sancta sua natiuitate. *Paupertas Christi nascentis.*

O Domine(inquit S.Cyprianus) quam admirabile est nomen tuum? verè tu es Deus,qui facis mirabilia. Non modo huius mundi staturam admiror, non stabilitatem terræ, cum ea complectatur volubile firmamentum:non singulos dies,non Lunæ defectum & incrementum,non Solem semper integrū & laborem eius perpetuum,non temporum vicissitudines,in quibus quædam arent,quæda virēt,& quæ mortua modo videntur,deinceps reuiuiscunt;miror Deum in vtero Virginis,miror omnipotētem in cunabulis,miror quo modo Verbo Dei caro adhæserit, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumētum induerit, miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis,& tam lentos processus ad obediētiam Saluatoris. In breui poterat patrari negotium, & poterat tantus labor abbreuiari ad solum Christi verbum,sicut factus mundus, & dispositа cuncta ad eius imperium. Sed elementario mundo dignior est rationabilis homo,quod ex eo,quod in eius seruitiū facta sunt omnia,facilè creditur. In cæteris quocunque modo aliquæ satisfaciunt rationes, hic solus me complectitur stupor,& cum Abacuc cano: *Domine audiui auditum tuum,& timui; Domine consideraui opera tua,& expaui.* Verè expauisti Propheta: non enim res est maiori digna stupore, quàm quæ hic ab Euāgelista paucis verbis cōmemoratur. *Peperit*, inquit,*filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit,& reclinauit eum in præsepio,quia non erat ei locus in diuersorio.* *Cypri. Sermone de natiuitate Domini.* Abac.3. secundum LXX. Luc.2.

O mysterium magna dignum veneratione, ôres potius gustanda, quàm narranda: potiùs silentio & admiratione,quam verbis explicanda. Quid potest esse magis admirabile, quam videre Dominum illum,quem laudant stellæ matutinæ,qui sedet super Cherubin,qui volat super pennas ventorum,qui tribus digitis appendit terræ ambitum, cuius sedes cœlum est,& cuius scabellum pedum est terra, ad tantā venire voluisse paupertatem,vt cum nasceretur(nasci autem voluit in hoc mundo) mater eum in præsepio coacta sit reclinare,non habens locum alium, vbi poneret eum? Quæ vnquam mulier tam vilis & pauper,ad tantam venit paupertatem,vt non habēs

locum

locum alium, impulsa sit filium sutum in præsepe reponere? Quis duo hæc extrema tam longè à se inuicem distantia, qualia sunt Deus & præsepe, coniunget? Quid vilius præsepio, locus enim est bestiarum, & quid excelsius, quid pretiosius potest inueniri Deo qui sedet super Cherubin? Quomodo fieri potest, vt homo à ratione sensus sui non dimoueatur, considerans hæc duo extrema tam diuersa? Deus in stabulo? Deus in præsepio? Deus vagiens & tremens præ frigore, inuolutus vt potuit pannis vilibus & abiectis? O Rex gloriæ: ô speculum innocentiæ, quid sibi vult hæc species, & istæ lachrymæ quid significant? Cur frigore contremiscis? cur nudus iaces? cur tributum pendis, & satisfacis pro nostris peccatis, pœnam eorũ sustinens? O charitas, ô pietas, ô misericordia incomprehensibilis Dei nostri: quid faciam mi Deus? quas gratias tibi reddam? quid pro tanta misericordia retribuam? Qua cum humilitate potero tam profundæ humilitati respondere? quo cum amore amori tãto? qua cum gratiarum actione, vel alio gratitudinis affectu tantũ beneficium potero mihi demereri? Video me vndiq; tot vinculis obligatum, deprehendo me quasi fluctibus beneficiorum tuorum obrutum, nec video quomodo reddam vicissitudinem.

Antea mihi videbatur, eum mille infernis dignũ esse, qui te offendebat: nunc autem post tot, & tantas gratias, tantaque beneficia, fateor non posse supplicium excogitari dignum illo, qui te non amat. Benedictum sit semper sanctum nomen tuum, Deus mi, postquam me tam mollibus funiculis constrinxeris, & arte tam dulci cor meum ad te traxeris: illud tantis beneficijs amore tui inflammare, in spe tua confirmare, ad amorem laborum, paupertatis, humilitatisque, ad contemptum mundi & desiderium crucis excitare volueris. Sed deflectamus oculos nonnihil ab hoc sancto præsepio, & intueamur thesaurum in illo reconditum: relinquamus fauum & ceram, & gustemus mel ipsum, quod in cera latitat.

Suauitas Christi. Considera igitur ineffabilem suauitatem & misericordiam Saluatoris, quæ singulari modo promicat in hac illius ætate, in hac membrorum teneritudine, & in hac forma infantili, quæ foris videtur & apparet. Gloriosus Deus, ait quidam Doctor, pendet ab vberibus Virginis: manus & pedes eius stringuntur fasciis: & nonnunquam ijs euolutus sanctas manus, felicesque per angustum lectulum extendit: arridet matri, vt solent infantuli, & sic blanditur, atq; oculos suos voluit atque reuoluit, vt intueatur eam. Et sanè, licet ipse pelagus fuerit suauitatis, tamen eius suauitate adhuc aliquid addidit membrorum teneritudo. Hæc dulcedo est incomparabilis, hæc pietas est ineffabilis, dum cogito me videre Deum verum, qui me creauit, infantem propter me factũ.

Psal. 47. *Magnus es & laudabilis nimis*, ait Propheta: nos autem nunc dicere possumus: Paruulus es & amabilis nimis.

Postquam filiolum iam contemplati sumus, oculos ad Matrem conuertamus, quæ nequaquam minima huius mysterij pars est. Considera igitur lætitiam, deuotionem, lachrymas, & diligentiam huius Virgunculæ, & vide quomodo hic ipsa perfectè fungatur officio Marthæ, & Mariæ. Vide quanta cum diligentia & solicitudine famulatur & inseruit huic puerulo: brachijs suis illum complectitur, fasciis illũ inuoluit, & euoluit: adorat, osculatur, & lactat. Omnia hæc plena sunt gaudio: nullus enim in hoc partu dolor fuit. Non locus ibi erat lauacris, ait Cyprianus, quæ solent pueperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læserat: quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate: & tamen consuetudinem sequens, vt legi satisfaceret, quasi cum alijs mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit, & depositi oneris lassitudinem professa, oblatæ quieti patuit, & in diebus separationis non se à thoro Ioseph, qui eam nunquam tetigit, sed ab ingressu templi, & cæteris quæ lex prohibebat, contmuit. Vltro maturus ab arbore baiula fructus elapsus est: nec oportuit vellicari, quod spontè prodibat. Nihil in hac re petijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram. Spiritu sancto obumbrante incẽdium originale extinctum est, ideoque innoxiam afflig, non decuit, nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs; quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Eratque ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum nec antè, nec deinceps meruit obtinere, quòd erat simul mater & Virgo singulis titulis insignita. Vnde & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria; quæ carnis & mentis integritate insignis, spiritali & corporali, intus & extrà Christi præsentia fruebatur. Ornamenta quæ deerant, etiam si adessent, non haberent oculos inspectores: quia præsentia paruuli, sic eorum qui aderant, Ioseph, & si quis fortè alius ibi erat, oculos occupârat, sic illuminauerat animos, sic corda illexerat, vt in hoc summo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus esset euagari & mendicari per partes, quod simul in se vno fidelibus omnipotens infantia præsentabat. Angelica sanè non est credendum ibi ministeria defuisse; nec recesserat à venerabili pectore matris Spiritus sanctus ad verbũm Gabrielis elapsus. Possidebat domum suam; & templum quod sibi consecrauerat adornabat. Seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat: lætificabant consolationes huiusmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiscentiarum ludibria abigebat; legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritũs affligebat. Paruulus sugens vbera pura alimonia vtebatur, & fons sacri pectoris defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Hactenus Cyprianus.

Postea licebit oculos eleuare, & intueri exercitus Angelorum canentium, atque inde pastorum turmas adorantium, laudando cum illis communem Dominum, eumque cum illis adorando. Si enim Angeli, tanto cum concursu & deuotione laudent Dominum, eique gratias agant pro redemptione atque salute cælitus descendente, non sibi, sed hominibus; quid nõ ipsi homines facere debent, qui redempti sunt? Si illi gratias agant pro gratia atque misericordia alteri exhibita; quid non faciet homo, qui ipsa redemptus est?

DE CIRCVMCISIONE Domini.

CAPVT XV.

REfert Euangelista, quòd *consummatis octo diebus vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius IESVS: quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Luc. 2.

Circa mysterium hoc primò considerandum venit, quantos dolores delicatissima & tenerrima caro Iesu senserit in hoc nouo martyrio, quod tantum erat, maximè octauo die, vt interdum aliqui inde morerentur. Ex hoc paret, quàm iusto titulo deuinctus es huic Domino, qui tam cito tantos dolores pro te pati cœpit, & tam asperam subire pro peccatis tuis pœnitentiam. Memento quomodo primo natiuitatis suæ die fudit lachrymas, & octauo sanguinem; vt videas charitatem eius non defatigari, & hominem ipsi semper pluris constare. *Dolor Circuncisionis.*

Cyprian. Ser. de Natiuit.

Considera

Dolor Matris & Ioseph.

Considera quoq; dolorem & lachrymas iusti Senis Ioseph, qui tam tenerè pusionem hunc adamabat multò verò magis dolorem Matris, quæ sine comparatione magis illum diligebat. O quanta vsi sunt diligentia, quàm tenere blanditi sunt illi, ne ploraret: etsi enim Deus verus erat, dolorem tamen sensit, & tanquam verus homo plorauit, cogita quanta cum reuerentia sanctas illas reliquias collegerunt, & pretiosum illum sanguinem exceperunt, cuius pretium & dignitatem optimè nouerant.

Iesum serò prædicat citò patitur.

Meditare quoque, quàm serò cœpit Christus prædicare, & quàm citò pati: trigesimo namq; anno prædicationem auspicatus est, octauo verò die Circuncisionem sustinuit, & officium Redemptoris exorsus est. Vide quomodo sponsus sanguinis, incipit pro spōsa sua Ecclesia sanguinē suum effundere: & quomodo secundus Adam exiens de Paradiso vētris virginalis, incipit probare & experiri bonum & malū, quasi vnus ex nobis.

Exod. 4.

Perpende quoq; quomodo prudens ille Mercator, & Redemptor generis humani, arrhabonem dedit pretij subsecuturi, effundens aliquantulum sanguinis, vt esset pignus copiosioris aliquando effundēdi. Ex hoc facilè cognosces quanto cum desiderio in hunc mundum venit, postquam tam subitò cœpit thesaurum hunc erogare, vt te redimeret. Adora igitur anima mea, & venerare has sanguinis guttulas, in quibus consistit pretium tuæ salutis, licet vna sola suffecisset: sed misericordia Dei pro peccatis nostris sic abundanter satisfacere voluit.

Nominis Iesu efficacia.

Contemplare quoq; datum esse puerulo nomen Iesu, hoc est, Saluator, vt si imago vel forma peccatoris te contristabat, sanctissimum & efficacissimum nomen Saluatoris exhilararet, atque animum adderet. Benedic itaque anima mea, amplectere atq; exosculare dulcissimum nomen hoc melle dulcius, & oleo mollius: medicamentum quouis balsamo magis præsentaneum, nomen cunctis mundi viribus potentius. Hoc est nomen illud quod desiderabant Patriarchæ, ad quod suspirabant Prophetæ, quod decātabant & repetebant Psalmi, & hymni omnium huius seculi generationum. Hoc est nomen quod adorant Angeli, metuunt Dæmones, à quo fugiunt contrariæ potestates, cuius inuocatione saluantur peccatores. O nomen dulce, nomen suaue, nomen gloriosum. O si liceret mihi te semper aureis literis in medio corde exaratum circunferre. O homo fragilis & modicæ fidei, si non sufficit benignitas filioli recens nati, vt adhæreas illi: sufficiat virtus & efficacia huius nominis, ne fugias ab illo. Accede ad illum cum gaudio, atque illi inseparabiliter adhære: dicens cū deuotissimo illo Anselmo: O Iesu, per honorem sanctissimi nominis tui te oro, esto mihi Iesus: quid enim aliud est Iesus, quàm Saluator: Ostende igitur in me sanctissimi nominis huius efficaciam, & per illud da mihi veram salutem.

Anselm.

DE MAGORVM ADORATIONE.

CAPVT XVI.

INter miracula, quæ nato Domino contigerunt, nequaquam minimum fuit, quod apparuit noua stella in Oriente, nouam lucem, quæ in mundum venerat, vt illuminaret sedentes in tenebris, & habitantes in regione & vmbra mortis, significans. Non ignorantes igitur Magi, qui erant in illa regione, per instinctum Spiritus sancti, quod hæc stella significabat: confestim se itineri accinxerunt, & relicta patria profecti sunt, vt quærerent & adorarent hunc Dominum. Cumque venissent Hierosolymam, quærebant de loco natiuitatis eius, dicentes: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Cumque ibi instructi essent de loco, abierunt. *Et ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos, vsq; dum veniens staret supra, vbi erat puer. Et intrantes domum, inuenerunt puerū, in brachijs matris suæ, & procidentes in terram, adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.*

Matth. 2.

Ex his facilè potes cognoscere bonitatem & charitatem ineffabilem huius Domini, qui vix natus in mundo, cœpit lumen suum diffundere, & diuitias suas mundo largiri, stellæ nouæ ductu aduocans homines ex regionibus tam longinquis, vt adorarent ipsum: vt intelligas quòd non fugiet ab his, qui quærunt illum cum diligentia, qui tanta cum solicitudine quæsiuit ipse hos, qui de se non cogitabant. Hic tibi primò considerandæ venit deuotio, perseuerātia, fides, & oblatio sanctorum Magorum: quoniam in quouis horum multa sunt quæ perpendere & imitari possimus.

Deuotio Magorum.

Initio igitur considera magnitudinem deuotionis quæ Magos istos ex regionibus tam longè dissitis excitos, ad tam molestum & arduum iter suscipiendū, tot labores, sumptus, pericula subeunda mouit: tantùm vt adorarent hunc Dominum, & præsentia illius fruerentur. Qua in re non parum tua damnatur ignauia, qui interdum ne minimum laborem subeas tantum beneficium negligis, & contemnis, dum scilicet ad domum Dei non venis, vbi eundem Dominum posses conspicere, eius præsentia frui, eumq; in animam tuam, per sacram Communionem, percipere.

Perseuerantia & constantia Magorum.

Intuere quoq; illorum perseuerantiam, qui cœlesti ductu destituti, animum non desponderunt, aut vnde venerant reuersi sunt: sed cœptum iter immutabili proposito perfecerunt, omni vtentes industria atque diligentia, cum iam à cœlesti relinquerentur indice. Habemus hic illustre exemplum, non debere nos spem abijcere, aut animo deficere, si quando in bonis exercitijs nostris radijs intimæ deuotionis, lucis quoq; & interni gaudij suauitate destituamur: imò oportere nos perseuerando, & pia nostra exercitia continuando, semper vlterius progredi, facientes quod in nobis est, & nihil hæsitantes, quin lux consolationis, quam habebamus antea, reuertetur, vt iuxta mandatum Dei nos iterum visitet, sicut stella hæc sanctissimos Reges illuminauit: iuxta illud Iob. *In manibus suis abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat. Annuntiat de eo amico suo, quòd possessio eius sit.*

Iob 36.

Fides Magorum.

Considera quoq; incredibilem horum Principū fidem, qui intrantes in pauperrimum & vilissimum hoc stabulum, nullum videntes apparatum, aut indicium aliquod regale: tamen non dubitarunt, imò crediderunt, quòd puer ille Rex erat verus, & Dominus totius Vniuersi: atque ideo procidentes in terram, adorârunt illum cum summa reuerentia. Magna fuit fides boni Latronis, qui in medio iniuriarū & opprobriorum Crucis confessus est regnum Crucifixi. Sed magna etiam fuit horum Magorum, cùm in tanta paupertate & humilitate agnouerunt, & adorarunt Maiestatem & diuinitatem. O admirabilis pueritia, cuius incunabilis astant Angeli, cui famulantur stellæ, quem timent Reges, & ante quem amatores sapientiæ in terram procidunt. O beatum præsepe, altera sedes Dei cœlestis: vbi non lucent accensæ tædæ, sed coruscantes stellæ. O palatium cælestе, ô fœlix rugurium, in quo non habitant Reges diademate coronati, sed Christus ipse incarnatus, qui pro regali throno durum habet præsepe, & pro palatio auro incrustato, stabulum fumo deformatū; ornatum tamen & cœlesti splendore illustratum.

Post

Oblatio Magorum.

Post hæc animum aliquantisper conuerte ad oblationem, quam glorioſi Principes illi ſuæ fidei adiunxerunt; ſcientes quia fides non debet eſſe nuda & ſola, ſed bonis operibus aſſociata. Quod ſi minutim diſcutiamus, & perſcrutemur myſterium huius oblationis, inueniemus in hac totius iuſtitiæ Chriſtianæ ſummam eſſe reconditam. Tria enim ſunt præcipua, quibus conſtat hæc iuſtitia. Quorum primum eſt, vt homo faciat quod debet Deo; ſecundum, quod ſibijpſi; tertium, quod proximo: & qui ſpiritualiter offert hæc tria, quæ ſancti illi Magi obtulerunt, omnibus huius iuſtitiæ partibus ſatisfacit.

Thus.

Per thus enim intelligitur Oratio, quæ eſt actus Religionis, ad quam pertinet adorare Deum, eumque honorare. Ideo dicebat Propheta, *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.*

Pſal. 140. Simile.

Quemadmodum enim incenſum cum odore ſuauitatis in altum aſcendit, ſic oratio de terra in cælum aſcendit cum magna ſuauitate Deo acceptiſsima.

Myrrha.

Per myrrham, quæ partim eſt amara, partim ſalubris, & odoris optimi, intelligimus mortificationem noſtrorum appetituum & paſsionum, quæ ſanè amara eſt carni, ſed ſuauis & ſalubris noſtro ſpiritui.

Aurum.

Per aurum inſinuatur Charitas; quemadmodum enim aurum omnium metallorum eſt pretioſiſsimum, ſic Charitas omnium virtutum eſt excellentiſsima. Qui igitur Deo reddere vult, quod illi debet, offerat ei thus, hoc eſt, cor deuotum, & à terra in cælum per continuam ſancti nominis eius memoriã eleuatum: hoc enim eſt incenſum, vel thus offerre, cuius odor ſemper aſcendit. Qui autem ſibijpſi vult ſatisfacere, offerat myrrham mortificationis, caſtigans proprium corpus, refrænans linguam, coercens ſenſus, & mortificans omnes appetitus: hæc enim eſt myrrha odoris ſuauiſsimi in conſpectu Dei, licet amara ſit, & noſtra caro hanc faſtidiat. Qui præterea vult proximo ſuo reddere, quod illi debet, offerat aurum charitatis, diuidens de ſua ſubſtantia his, qui in neceſsitate poſiti ſunt; ſufferens eos, qui diſſolutæ & inordinatæ vitæ ſunt, eorum offendicula diſsimulans, eis peccata ignoſcens, omneſque tractans per quàm benigniſsimè. Qui vult itaque bonus eſſe Chriſtianus, huic neceſſe eſt vt habeat tria corda in vno corde; vnum erga Deum, alterum erga ſeipſum, tertium erga proximum: hoc eſt, erga Deum oportet vt habeat cor deuotiſsimum & humillimum; erga ſeipſum ſeuerum, aſperum, & rigidum; erga proximum liberaliſsimum & benigniſsimum. Beatus ille qui adorat Trinitatem in vnitate; & beatus ille qui poſsidet hæc tria cordium genera in corde vno.

Triacorda in vno habeat Chriſtianus.

Gaudium Mariæ.

Denique & circa myſterium iſtud poteſt conſiderari, quàm magnum fuit gaudium, quod concepit hæc glorioſa Virgo, cùm vidit deuotionem & fidem ſanctorum illorum Regum, extendens animi viſum interiorem in futuram ſpem, quam beatæ & felices illæ primitię pollicebantur: cernenſque nouum gloriæ ſui filij teſtimonium, præter alia multa præterita, vt ſunt Filius ſine patre, Virgo & mater, partus ſine dolore, cantus Angelorum, adoratio paſtorum, & nunc tantorum Principum oblatio, qui ab extremis terrarum oris illuc venerant. Quanta quæſo lætitia eius anima perfuſa eſt? quibus dulcedinis lachrymis oculi eius rorârunt? ardores cordis & animi iubila tantò maiora fuerunt, quantò ipſa manifeſtiùs iam videbat cognitionem Dei per mundum latiùs diffundi; Eccleſiam fundari; omniaque mirabilia adimpleri, quæ iam antea Prophetę fuerant vaticinati. Quæ tanto igitur cum deſiderio diuinæ inhabitat gloriæ, & generis humani ſaluti; quantopere putas gauiſa eſt, cum iam primitias operis tam ardui coram cerneret? Si ſpiritus adeò exultauerit in Deo ſalutari eius tunc, cùm nudam tantum haberet promiſsionem; quantò magis exultauit, cùm iam, quod promiſſum fuerat, videret tam felicibus auſpicijs adimpleri?

DE PVRIFICATIONE B. Virginis.

CAPVT XVII.

CONſummatis quadraginta diebus purificationis; *ſecundùm legem Moyſi*, ait Euangeliſta, *tulerunt*. Maria & Ioſeph *illum* Ieſum *in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino: ſicut ſcriptum eſt in lege Domini*. Cumq; veniſſent in templum, accepit puerum in vlnas ſuas Simeon, homo ſenex, iuſtus, & timoratus, qui diu expectauerat conſolationẽ Iſrael. Ibidem quoque cognitus eſt & adoratus ab illa ſancta vidua, filia Phanuelis Anna, quæ & ipſa hora ſuperuenit. Luc. 2.

Humilitas Mariæ.

In hoc myſterio primò licebit contemplari profundiſsimam ſanctæ Virginis humilitatem, quæ etſi in partu, & poſt partum mundior & purior manſit ipſis ſtellis cæli, tamen legi purificationis & oblationis, quam offerebant mulieres immundæ, ſeſe ſubijcere non eſt dedignata. Ex quo facilè colligitur, quàm diuerſæ ſunt viæ filij, & matris huius, à vijs noſtris. Nos enim peccatores eſſe volumus, & peccatores videri nolumùs. Chriſtus vero & mater eius peccatores eſſe nolunt, & tamen tales videri non dedignantur. De filio namque dicitur, quòd conſummatis octo diebus ſeſe remedio circunciſionis ſubiecit; quod ſignum erat peccatoris: de matre autem hîc dicitur, quòd completis quadraginta diebus legi purificationis, quæ erat oblatio immundarum mulierum, ſeſe ſubdidit.

Offertur pro nobis Ieſus.

Deinde conſidera humilitatem & charitatem Filij Dei: qui eodem die amore noſtri oblatus eſt in templo, & datus eſt oblatio ſuauiſsima & oculis paternis acceptiſsima; vt nos haberemus hanc nouam rationem in omnibus noſtris neceſsitatibus & petitionibus allegandam: vt ſcilicet oblationem haberemus, munuſque tam diues & opulentum illi quotidie pro nobis offerendum. Notandum etiam hic eſt, quàm prompto animo glorioſa Virgo primogenitum ſuum & vnigenitum filium Deo pro mundi ſalute obtulit; tanquam ea, quæ plena erat charitate, & tantopere ſalutem mundi deſiderabat, & pretium quoque ac dignitatem illius oblationis, quæ pro mundo offerebatur, optimè cognoſcebat. Sed & magis notanda eſt promptitudo & alacritas voluntatis, qua cum ipſe Vnigenitus Dei Filius illic æterno ſuo Patri, pro ſalute hominum ſe offerebat; tanquam ille, qui tam ardenter amabat, & ſalutem generis humani ſitiebat: qui amore illius de cælo in terram deſcendit, humanæque carnis tegumento indutus eſt, & annis triginta tribus eandem ſalutem hominum quæſiuit; atque tandem pro illa in crucẽ ſubleuatus eſt: quin & dicere ſolitus eſt, conuerſionem & ſalutem hominum cibum & potum ſuum eſſe, idemque ardens ſalutis huius deſiderium oſtendit ſiti illa, quam pendens in cruce patiebatur. Ille igitur, qui hunc in modum amabat & deſiderabat hominum ſalutem, quàm promptè putas ſe obtulerit æterno Patri, vt eam ſalutem tandem recuperaret? Alij patres cùm ſeſe extremis neceſsitatibus circunuentos conſpiciunt, vendunt proprios filios, chara ſua pignora; quidam etiam eorum occiderunt illos, vt illorum carnibus ſeſe ſuſtentarent: hic benignus Pater venit de cælo, vẽdidit ſemetipſum, & in mortem traditus eſt pro ſalute ſuorum filiorum!

Legalis oblatio Mariæ.

Leuit. 15.

Animaduerte quoque Matrem Mariam huic oblationi tam pretioſæ aliam addere, nullius, vel exigui pretij, duos ſcilicet pullos columbarum, aut par turtu-

Merita nostra meritis Christi iungenda.

turturum, sicut lex Dei offerri præcipiebat: vt hinc discas obsequia, cultumque tuum; licet vilia & exiguæ dignitatis, iungere meritis Christi, vt per valorem & dignitatem horum tua recipiantur, & Deo pretiosa atque accepta sint. Hedera frutex est qui suis viribus in altum excrescere non potest; sed iungit se arbori, vel muro, quo tanquam fulcro nititur, & in tantam ascendit celsitudinem, quanta arboris est, vel muri, cui adhæret. Eodem modo etiam humilitas operum nostrorum ascendit, si applicemus huic arbori Vitæ, quæ stat in medio Paradisi Ecclesiæ, Christo scilicet Domino nostro. Connecte igitur orationes tuas orationibus illius; misce lachrymas tuas lachrymis illius; ieiunia & vigilias tuas iunge illius; & sic iuncta & commixta Deo simul offer, vt id quod per se est exiguij pretij, accedentibus illis fiat pretiosissimum. Aquæ gutta per se non est aliud, quàm aqua; in vini tamen dolium effusa, statim nobiliorem naturam induit, & fit vinum. Idem accidit operibus nostris, quæ quatenus nostra sunt, exiguæ sunt dignitatis; sed cum operibus Christi permixta fiunt inæstimabilis pretij, ratione gratiæ, quæ per Christum confertur.

Simile.

Turtur cur offertur.

Aduerte similiter oblationem hanc fuisse par turturum, volucrum scilicet, quæ loco cantus gemunt; vt hinc intelligas vitam Sanctorum in hoc mundo nihil aliud esse, quàm gemitum, & volatum; atque vnum ex alio sequi: ex volatu namque considerationis sequitur gemitus compunctionis. Qui enim sine intermissione considerat suam à Deo absentiã, miserias huius seculi, peregrinationem huius exilij, cum peccatis, periculis, & impostoris huius mũdi; quomodo potest non continuè gemere? quomodo

Psal. 41.

potest vel saltem cum Propheta non dicere; *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?*

Gaudium Simeonis.

Post hæc meditare quanta fuit lætitia Simeonis, vbi vidit præsentem hunc puerum, quæ profecto lætitia maior fuit, quàm verbis potest explicari, Quãdo enim sanctus ille Senex, qui tanto zelo diuini honoris, animarumque salutis æstuabat, qui tanto cum desiderio cupiebat ante obitum suum videre faciem eius, in cuius aspectu respirant omnes sancti Patres, & in cuius aduentu salus & medela omniũ seculorum consistebat; cùm inquam ille puerum vidit, & in vlnas suas accepit, perque reuelationem Spiritus sancti cognouit, in hoc paruo corpusculo totam diuinam Maiestatem latitare; vidit etiam in comitatu talis filij talem Matrem, tantam consolationem in anima sua, per aspectum duorum istorum luminum, & per cognitionem talium, tantorumque mirabilium concepit, vt nulla lingua, nulla posset illam humana exprimere eloquentia. O quam iucundum fuisset videre lachrymas, quæ præ cordis deuotione ex oculis eius fluebant? colorem & compositionem vultus, æstumque animi, cum cecinit dulce istud Canticum, quo summa continetur Euangelij? O Domine, quàm felices sunt illi, qui te amant, & tibi seruiunt? quàm bene labores eorum collocantur? antequam enim veniant ad remunerationem futuræ vitæ, perfectam mercedem & consolationem recipiunt in præsenti.

Postquam aliquamdiu contemplationi Senis huius Simeonis immoratus es, reuertere ad cor sacræ Virginis, atque inuenies illud hinc plenum inæstimabili gaudio, & admiratione, audiendo quæ de Filio dicebantur, illinc inuenies plenum tristitia, gaudio tamen permixta: tristitia namque oriebatur ex inaudito illo Simeonis vaticinio, quod de Filio prædicebat; fore inquiens illum signũ, in quod mũdus, & omnes homines carnales mitterent tela furoris sui, & in omnibus, quibus possent, illi contradicerent; quæ cum fierent, cor matris gladium doloris transiturum.

Cur Iesus Matrem in tão sua natiuitate voluit contristari.

Ah Domine, quare tam citò voluisti innocentissimæ tuæ Matri hæc infausta nunciari; quæ illi quasi assiduus gladius, & continuum in hac vita esset martyrium? Quare non poterat hoc mysterium silentio tegi, donec ipsum tempus reuelaret, vt tunc pia Virgo martyr tantùm, & non toto vitæ suæ tempore esset? Cur tibi non sufficiebat gloriosam tuam Matrem semper esse Virginem, etiamsi non etiam semper martyr esset? Cur affligis hanc, quæ te tam ardenter amat? quæ tam studiosè tibi insetuit? quæ nunquam tibi fecit, quod fuit dignum reprehensione, multò minus castigatione? Verè Domine, verè tu castigas, quia amas, ne defraudes illam merito patientiæ, gloria spiritualis huius martyrij, exercitio virtutis, imitatione tui, & præmio laborum: qui quantò sunt maiores, tantò sunt maiori corona digniores. Nemo igitur tribulationes detestetur, nemo crucem abhorreat, nemo existimet se a Deo derelictum, quando se videt afflictum. omnium enim creaturarum Deo dilectissima, omnium maximè fuit afflicta & cruciata.

DE FVGA IN ÆGYPTVM.

CAPVT XVIII.

POstquam sancti Magi alia via, quàm venerant, in terram suam reuersi essent, iuxta Angeli admonitionem: videns Herodes quoniam illusus esset, vanaque esse indicia, & se nihil certi de nouo Rege nato posse rescisci, iratus est valdè, & statuit occidere omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus, quod didicerat à Magis, vt inter ipsos illum perimeret, quem extinctum cupiebat. Tũc *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph,* Matth. 2. *dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum: & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte: & secessit in Ægyptum: & erat ibi septem annis vsque ad obitum Herodis. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini iterum apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens; Surge, & accipe puerum & matrem, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.*

Terror Matris.

Hic considerare licebit subitum pauorem & terrorem, quo Virgo cortepta est, audito hoc nouo oraculo, tristique nuncio post tanta gaudia præcedẽtia: intelligens Regem tam potentem circumire, vt quærat & occidat dilectissimum suum filiolum. Ah quàm solicita fuit & diligens, vt pretiosum hunc thesaurum incolumem & illæsum abduceret? Quãtas lachrymas fudit in hoc itinere? quoties suis lachrymis genas & ora filij, quem in gremio fouebat, humectauit? Non dubito quin facilè cognouerit hæc esse initia tristis illius Simeonis vaticinij, quod non aliud minabatur, quam persecutiones & tribulationes, quas Dominus in hoc mundo pateretur. Considera itaque quanta cum festinatione puerum rapuit, amplexa est, & terris illis excesit, cognatos & amicos omnes deserens, proprias ædes, & quidquid in illis erat, relinquens; vt conseruaret eum, qui vnus omnibus his erat pretiosior.

Paupertas sanctæ huius familiæ.

Perpende etiam tecum labores & molestias, quas pauperes isti viatores in hoc periculoso itinere perpetiebantur, maximè cùm de necessarijs tam malè illis prouisum esset; tum quia pauperes erant, tum

etiam

etiam quia fugam præcipitanter accelerabant. Multò autem maiora & consideratione digniora sunt, quæ in hoc septem annorum exilio sustinuerunt; idque in terra idololatrica, & Ethnica, in qua tantò minor erat charitas & humanitas in peregrinos, quantò maior erat inhumanitas erga incolas & cõcives. Huc accedebat, quòd mater erat adeò pauper cula, quòd cùm agnum non haberet, in die suæ purificationis offerre debuit par turturum, aut duos pullos columbarum, quæ erat pauperum oblatio.

Viuebant igitur illic tanquam peregrini in maxima paupertate & necessitate: abstrusi in angulum aliquem remotum, non habentes quempiam cuius familiaritate vterentur: quamuis optimè contenti, & interna quadam in lætitia viuerent, eò quòd thesaurum hunc pretiosum inuiolatum & saluum possiderent. Ex hoc loco sumi potest occasio meditandi, quomodo suos Deus tractat amicos, quos in hoc mundo diligit vel maximè; quomodo illos castigat, probat, exercet in hac vita, vt blandiatur, consoletur, & coronet in futura.

Contemplare quoque quàm citò incipiat in exilium relegari, persecutiones pati, & contradictiones noster Dominus; vt illi, qui membra eius sunt, vel hinc intelligant, nihil sibi maius à mundo expectandum esse, quàm Dominus eorum expectauit, & expertus est. Conuerte etiam oculos tuos ad crudelitatem sceleratissimi Regis illius, qui nõ exhorruit, videns innocentem sanguinem tam copiosè fundi: ex quo facilè videbis, quàm detestabile vitium est ambitio, & regnandi cupiditas: tantum enim potuit in hoc Tyranno, vt non timuerit tot infantium millia truculenta quadam barbarie iugulare, vt eum solum occideret, quem regni sui æmulum metuebat. Hoc exemplo admonitum volo te, frater mundanos honores fuge, falsasque & apparentes diuitias contemne, ne tibi sint occasiones in similia cadendi præcipitia.

Ambitionis malum.

Natum vix in corde nostro Christũ multi Herodes quærunt occidere.

Aspice quomodo vix nato Christo Herodes armat se ad occidendum illum: atque ex eo disces, quòd vix natus erit in corde tuo Christus, cum subitò exurgent Herodes multi, qui vitæ illius insidientur. Statim enim mundus cum suis persecutionibus, caro cum suis blanditijs & delicijs, falsi amici cum noxijs suis consilijs, Dæmones cum suis artibus & impostoris te violenter à bono tuo proposito retrahere molientur, id autem quid aliud est, quàm velle Christum recens in te natum trucidare? Fuge igitur cum sancta muliere in Apocalypsi in desertũ; hoc est, solitudinem, & ab hominum consortio loca remotiora, maximè autem tibi caue ab his, qui nocere possunt. Vides Christum securius vixisse in Ægypto, quàm in Iudæa; hoc est, in terra infidelium, quàm in regione credentium. Sæpe namque Christianus securior est inter Ethnicos, quàm inter malos & carnales Christianos: minus enim periculosus est inimicus publicus, quàm insidiator & hostis secretus: & minùs obest lupus in forma lupi, quã in pelle ouina. Ideo dicit Apostolus; *Scripsi vobis in epistola. Ne commisceamini fornicarijs. non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere.*

Apoc. 12.

Christus securior inter idololatras Ægyptios quã Iudæos. Nota.

1. Cor. 5.

Cum itaque Saluator in Ægyptum venerit, ne sit tibi graue sancto huic sodalitio te socium addere, exilijque comitem, quod amore tui sustinuerunt; imo volo promittas te fore fidelem socium: non enim minus erit meritum tuum, si quandoque illos inuisas pia quadam meditatione, quàm si corporaliter illis adfuisses.

Scriptura non refert quid in Ægypto fecerint; poteris tamen ipse multa hîc imaginari, multaque considerare, quæ faciunt ad puritiam Saluatoris, vt omnia moueant te ad deuotionem. Similiter & imaginari licebit, te de die in diem cum illis proficisci, cum in terram suam reuertuntur. Adiuua illos nonnunquam ijs quæ in via sunt necessaria: subinde loquere cum Matre de rebus ad dulcissimum eius filium pertinentibus: nonnunquam adblandire gratiosissimo puerulo, & precare illũ, vt te in catalogum electorum suorum referat, & tibi suam det benedictionem. Hac eius consuetudine gaudium in corde tuo excitabitur, & illa familiaritate veri Solis iustitiæ accipies lumen & calorem deuotionis.

Consummatis tandem septem annis, & Herode mortuo, mater cum filio redijt in terram suam: vt hinc videas citissimè finiri impiorum felicitatem, nec tardiorem habere finem bonorum tribulationes: prosperitatem malorum æternas sequi tribulationes, tribulationes verò bonorum lætitiam sine fine duraturam generare. Testatur hoc Deus apud Prophetam, dicens; *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis cõgregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.*

Malorum felicitas & bonorum miseria breues sunt.

Esa. 54.

DE IESV DVODECIM ANNOS NATO, & in templo à parentibus inuento.

CAPVT XIX.

CVm factus esset puer Iesus *annorum duodecim, ascendentibus illis* matre cum reliquis cognatis *in Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus* in templo: *& non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos* sapientissimè. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius.* Luc. 2.

Hic potes considerare doloris magnitudinem, quo sacratissima Virgo ob amissum filium afficiebatur. Vt autem hic dolor, quantus fuerit, melius intelligatur, sciendum est, tres affectus in corde Virginis fuisse, tantos, & tam admirabiles, vt omnem humanam transcendant eloquentiam. Horum primus fuit amor, quo filium suum complectebatur. In eo autem omnes amãdi causæ, quæ inueniri possunt, idque in altissimo perfectionis gradu, cõcurrebant. Inuenitur enim amor naturæ, amor gratiæ, & amor iustitiæ. Amor naturalis in Maria fuit maior, quàm in alio quopiam fuit, aut erit vnquam. Erat enim matris vnici filij, qui maximus fuit, quem Dauid potuit excogitare, quando voluit exprimere suam erga Ionathan amicum integerrimum dilectionem. *Sicut mater vnicum amat filium suum*, ait, *ita ego te diligebam.* Erat itaque amor Virginis maximus, eò quod erat matris in vnicum filium, eumque sine patre, & illius conditionis, vt similis sit nunquam inuentus. Amor quoque gratiæ in nullo potest maior inueniri, saltem in hoc seculo, quàm fuit in Maria: nulli enim creaturæ data est gratia tam copiosa, quã habuit Virgo hæc gloriosa: secundum autem quantitatem gratiæ, data est ei quantitas amoris & charitatis erga filium. Tertius amor, quem iustitiæ nũcupauimus, is est, qui debetur rei amatæ, secundum

Dolor Mariæ.

Tres affectus in Maria. Primus.

Amor in Maria triplex Naturalis.

2. Reg. 2.

Amor gratiæ.

Amor infiniti.

perfectiones illius. Et is sanè amor tantus fuit in Maria, vt maior esse non potuerit: quem enim amabat, is non tantùm erat filius hominis, sed & filius Dei, omnibus numeris perfectissimus; ideoque dignus, qui ad amaretur amore infinito, si fieri posset. Si itaque filius quispiam, quò profectior, eò maiori dignus est amore; dic mihi quæso, quanto fuit amore dignus ille, qui fuit infinitè perfectus? Tria itaque hæc amoris principalia flumina vbi confluũt, quantas aquarum abyssos efficient? tres hi rogi vel ignes ardentissimi vbi commiscentur, amor scilicet naturalis, gratiæ, & iustitiæ, id est, amor in Deum, in filium, & in talem filium, quàm magnam flammam excitabunt?

Secundus affectus.

Secundus affectus, qui hunc sequitur, summa erat lætitia & incredibile gaudium, quod beata Virgo capiebat ex præsentia talis filij. Lætitia enim ex præsentia & fruitione rei amatæ nascitur: & quantò maior est amor, tantò etiam maior est ista lætitia. Quæ itaque tanto amore erga filium suum æstuabat, quanto putat etiam gaudio exultabat, habens eundem filium vbiq; præsentem, videns quotidie mensæ suæ accumbentem, audiens eius sermones, fruens illius aspectus dulcedine? Videre enim faciem diuinam, oculos serenos; staturam corporis decoram, Maiestatemq; eius altissimam, ineffabili Virginem gaudio perfundebat. Ah quoties mensæ accubuit non comedens, sed stupefacta intuens eum comedentem, qui Angelorum choros nutrit & sustentat? Quoties integras noctes insomnis transegit, flexis iuxta lectulum filioli genibus, eum dormire conspiciens, qui vigilabat vt vniuersum custodiret terrarũ orbem? Si sola huius Domini memoria sufficiebat, vt olim somnum ab oculis Prophetæ auferret, qui dicebat; *Anima mea desiderauit te in nocte*: & si legimus de quibusdam Sanctis, quod contemplantes perfectionem & pulchritudinem huius Domini extra se lati, & à sensibus suis dimoti, tanquam mortui, subinde quoque in aerem eleuati sint, (vti de S. Antonio, Francisco, Thoma, & alijs multis memoriæ proditum est) quid putas huic Dominæ, quæ præ omnibus Sanctis gratiæ & charitatis copia est cumulata, quæ Sanctum Sanctorum semper habeat præsentem, quid inquam huic putas accidisse? Quanta fuit illius attentio? quanta mentis eleuatio? qui stimuli? quæ incentiua? quantus gaudiorum & voluptatum torrens? an lingua inuenietur, quæ id exprimere possit?

Esa. 26.

Tertius affectus. Luc. 2. Matth. 2.

Ex magnitudine verò amoris & gaudij, non est nunc difficile tertij affectus magnitudinem colligere, qui duos præcedentes sequitur, magnitudinem scilicet doloris, quem sensit beata Virgo, cùm se ex improuiso priuatam vidit tanto thesauro; maximè cùm recordaretur vaticinij Simeonis, persecutionis Herodis, fugæ in Ægyptum, pauoris quem ob Archelaum conceperat, omnia enim hæc minabantur aut portendebant magnum aliquod malum. Refert sacra Scriptura de matre iunioris Tobiæ, quòd cùm ille in legatione, quàm à patre acceperat, diutius, quàm parentes existimauerant, hæreret, irremediabilibus lachrymis fleuerit, dicens: *Heu heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ?* Si illa mater tantum sentiebat dolorem, quantum hanc sensisse existimas? Quæ comparatio hîc est Matris ad matrem, Filij ad filiũ, thesauri ad thesaurum, damni ad damnum? Quæ differentia erat vnius ad alterum, erat etiam doloris ad dolorem. Sed quid putas, quòd gloriosa Virgo hoc tempore faceret? quot suspiria edebat, quantas lachrymas fundebat? quot discursus, & orationes faciebat? Arbitraris, quod hoc tempore mandu caret, aut biberet, aut dormire posset, quamdiu non inueniebat quem anima eius diligebat? Nec dubium, quin sine intermissione hæc aut similia verba repeteret; O fili mi, cur me deseruisti? vbi manebis? vbi manducabis? vbi dormies, aut vbi requiescis? O mansuetissime Agnelle, quomodo potuisti cor afflictæ matris tuæ tam acuto gladio transfigere? Tri- Genes. 22.
duum datum est Patriarchæ Abrahæ, postquam mandatum de immolando filio suo accepisset, vt interea pius & benignus pater decoqueret dolorem, qui ex morte charissimi Filij sui nasceretur: totidem dati sunt & optimæ Matri huic, vt lugeat, doleatque ob absentiam Filij sui vnici, sibique dilectissimi.

Tob. 10.

O Domine, quid sibi vult hoc? tu cor eius affligis, quæ te tam tenerè diligit? Quanta cum diligentia occasiones captasti, vt dares illi materiam maiorum meritorum, & illustrioris coronæ? dedisti inquam illi materiam patiendi, orandi, timendi, sperandi, se humiliandi, & semper ad te in tribulationibus fugiendi, vt eius exemplo edocti, nos simile faceremus.

Post dolorem benedictæ Virginis, meditare quãta cum diligentia eadem sanctissima mulier circuibat, quærens thesaurum amissum, & obuios quosque interrogans, num quis vidisset, quem eius anima diligebat. Quærebat autem illum potissimum (vt ait Euangelista) inter cognatos & notos, & non inuenit illum; & ex eo discs, Christum non inueniri in affectibus, voluntate propria, carnis aut sanguinis blanditijs & delicijs; sed in mortificatione horum omnium. *Quem docebit Dominus sapientiam, ait Propheta, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Ideò dicitur filiæ Regis; *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.*

Christum non inuenitur inter cognatos. Esa. 28. Psal. 44.

Cùm autem Virgo Filium inter cognatos, & notos non inuenit, reuersa est in templum, vnde exierat vt quæreret illum: ibique eum inuenit sedentem in medio Doctorum, audientem & interrogantem eos suauiter; cum maximo stupore illorum, qui aderant: & ait illi: *Fili quare fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Ad te, Christiane, mihi sermo est, qui puerum hunc quæris amissum; hoc est; feruorem deuotionis, qui euanuit, dulcedinemque diuinæ familiaritatis, quæ in te languescit, quam gustasti, & cuius adhuc memor es: ne tibi persuadeas, quod inuenies illam, nisi quæras, quomodo Virgo mater quæsiuit, hoc est, cum maximo dolore, atque diligentia. Propheta Regius multos versiculos doloris repetit, sæpiusque ingemiscit in illo celebri Psalmo pœnitentiæ, & tandem dicit: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Prudentissimè dictum est à quodam Doctore, cuius nullus est labor, nulla merces est: cuius magna merces, eius magnæ curæ. Illa gloriosa mulier in Apocalypsi non peperit, nisi cum maximo dolore: vt scias te non consecuturum dulces perfectionis fructus, nisi per durum & amarum partum afflictionis & orationis. Propterea dicit S. Bonauentura, communiter loquendo nullam animæ singularem conferri gratiam, nisi per viam afflictionis & orationis.

Luc. 2. *Deuotio amissa quomodo quærenda.* Psal. 50. Apoc. 12.

Finita iam tandem disputatione, Iesus exiuit templo, & cum parentibus domum redijt, illis obediẽs, licet creaturis: non obstante quòd ipse omnium rerum creatarum erat Dominus. Humiliare igitur puluis & cinis, ô homo, & disce hoc exemplo obedire

bedire non tantum æqualibus & maioribus, sed etiam minoribus te & inferioribus, idque amore huius Domini. Sed quid sibi vult, quod obediens illis in omnibus, tanta nihilominus cum libertate dixerit; *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Ex quo loco intelligitur, Philosophiã Christianam multas virtutes simul connectere, quæ tamen in specie videntur inter se contrariæ: vt sunt humilitas, & magnanimitas; grauitas, & suauitas; obedientia, & libertas; zelus, & discretio; iustitia, & misericordia; cum alijs quibusdam huius generis. Cũ igitur aut ratio, aut honor Dei id requirit, verus Christianus debet magnificari, & super omne quod humanum est volitare; iterumq; cùm res postulat sese omnium creaturarum pedibus substernere: quemadmodum Apostolus fecit, qui subinde se facit formicam, nonnunquam elephantem: quandoque sese omnium pedibus subijcit, aliquando super vniuersum mundum fertur, secundùm rei atq; negotij qualitatem.

Philosophia Christiana multas virtutes connectit, quæ videntur contrariæ.

DE BAPTISMO SALVATORIS.

CAPVT XX.

POst duodecimum annum, vsque ad trigesimũ, nihil de vita Saluatoris in Euangelio scriptum inuenitur. Totum enim illud tempus vni insigni voluit consecrare lectioni, quã ante omnia scire nos oportebat; Silentium enim triginta annis illis tacendo nos docuit: etsi enim iam inde ab incunabulis esset plenus sapientia, non tamen ante trigesimum annum prædicare voluit. Triginta igitur annis tacuit, qui tribus tantum prædicauit; vt hinc intelligas, quantum temporis dedicauit silentio, & quàm parum prædicationis officio. Nos verò, inquit S. Bernardus, plenis buccis loqui semper volumus. Si arbitremur nos aliquid scire, silere non possumus: existimamus enim nos nihil scire, nisi & id sciant alij: ita vt scientiam nostram, quantumuis exiguam, circumquaque per vias & plateas circunferamus, & venditemus.

Christus annis 30 nos docuit silentiũ.

Matth. 3. Peractis igitur annis triginta, *venit Dominus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.* Hic perpendere licet, quàm inops, solus, & sine vllo famulitio Christus hoc iter confecit, (nondum enim habebat Apostolos, qui eum sequebantur) & cõspice quomodo hic stat inter publicanos, peccatores, & Pharisæos, quasi vnus ex illis: expectans donec ad ipsum ventum esset, vt & cum cæteris baptizaretur. Quis hæc cogitans non humiliabatur vsque ad puluerem terræ? quis audebit se iustificare, extolli, alijs se præferre? Sed tu, ô pulchritudo cæli, fons puritatis & vitæ, quid tibi & baptismo vel lauacro immunditiei? quid tibi & remedio peccatorum, qui sine peccato conceptus es? Non æquum erat, vt hæc admiranda humilitas transiret sine mãgna gloria, præsertim cùm natura Dei sit, humiliare superbos, & exaltare humiles. Idem & hic accidit. Aperti enim sunt cæli, & Spiritus sanctus descendit sicut columba, & venit super eum. Sed & magnifica vox Patris audita est, dicens; *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, illum audite.* Idem ferè in omnibus Vitæ Christi articulis licet obseruare: vbicunq; sese maximè humiliauit, ibi maximè glorificatus est. Nascitur in stabulo, & cantant Angeli in cælo: circunciditur tanquam peccator, & nomẽ Iesu, hoc est, Saluatoris mundi imponitur. Moritur in cruce inter duos latrones, obscuratur autem Sol & Luna, tremit terra, & petræ scinduntur: mortui resuscitãtur, & elementa omnia alterantur. Sic & in hoc mysterio, hîc baptizatur tanquam peccator, illic proclamatur pro filio Dei. Hinc omnes intelligunt, qui membra eius sunt, quòd nunquam sese humiliabũt pro amore Dei, quin vicissim honorabuntur & glorificabuntur ab eodem Deo.

Semper humiliati Christi quædam additur magnificentia.
Luc. 2.
Ibid.
Luc. 23.

DE IEIVNIO ET TENTATIONE Saluatoris.

CAPVT XXI.

POst sacrum Baptismatis mysteriũ, & post glorioſum illud Patris testimonium, *Iesus ductus est à Spiritu* sancto *in desertum, vt tentaretur à Diabolo.* Quæ conuenientia est inter hæc duo mysteria? in vno significantur labores, tribulationes & solitudo deserti: in altero laudes cælestes, & testimonia diuina. In vno tentationes Diaboli, in altero fauor Spiritus sancti. Primum hîc obseruandum est, Deum, cùm seruis suis singularem exhibet gratiam, id non eò facere, vt eos securos reddat; sed vt ad maiores labores fortes & aptos efficiat. Eodem modo & veredarius aut equestris viator equum suum bene curat, vt robustior sit, & celerior in itinere: & centurio armat animatq; militem suum, vt ad maiora mittat illum pericula. Sic & ille qui videtur ita à Deo visitari, non ideo securiorem se existimet, sed ad magis ardua & molesta perferenda arbitretur se vocari.

Dei mos tractandi electos.

Hoc loco potissimum considerãdum est, quòd Saluator, priusquam ad Euangelij prædicationem accederet, sese præparauerit ieiunio quadraginta dierum, & solitudine deserti: fecit autem hoc, vt ostenderet quàm arduum sit negotium salutis animarumque cura: postquam Dominus ipse, qui summè perfectus erat, sine vlla necessitate voluerit sese tanto cum apparatu ad officium istud obeundum aptare. Et ex eo intelligere poterunt, qui in simili officio sunt, in quibus debeant sese exercere, priusquam ad exequẽda, quæ ipsis incũbunt, opera manus extẽdant. Nullus enim debet ad publicum concionandi munus assumi, nisi prius bene sit exercitatus in secreto contemplationis. Dicit enim Gregorius: Securum exire foras nemini, qui non prius est bene exercitatus intus. Sciendum itaque Sanctos tria genera bene & piè viuendi assignare: vnum purè actiuum, quod vt plurimum versatur circa opera misericordiæ: aliud purè contemplatiuum, priori perfectius, quod occupatur in orationibus & contemplationibus, nisi cum obedientia, aut necessitas charitatis aliud postulauerit: tertium, q, & omnium perfectissimum, ex duobus alijs compositum est, & partem capit ab vno, partem ab alio; qualis fuit vita Apostolorum, & qualis debet esse vita omnium prædicatorum. Ordo autem, qui in his viuendi generibus seruandus est, teste Bonauentura & alijs Doctoribus, hic est, vt communiter loquendo nemo transeat ad secundum, nisi prius optimè exercitatus sit in primo: nemo ad tertium procedat, nisi priùs felices progressus fecerit in secundo. Propterea bene dictum est à Gregorio, quòd veri prædicatores debent priùs per orationem colligere id, quod postea spargent per prædicationem. Vera itaque magistra bonorum prædicatorum (post scientiam ad munus hoc necessariam) est solitudo; vbi Deus loquitur verba ad cor, quæ de corde exeunt, & reuelat secretà sapientiæ his, qui verè humiles sunt.

Cur Christus ieiunauit.

Gregor.

Tria viuendi genera: actiuum, contemplatiuũ, & mixtum.

Diligamus itaque solitudinem, quam Christus suo exemplo sanctificauit: is enim qui cum hominibus non conuersatur, plerunque cum Deo conuersatur. O miseria præsentis seculi, ô lamentanda tẽpora: vbi nũc sunt deserta Ægypti? vbi eremi Thebaidis, Scythiæ & Palæstinæ; quæ quondam incolebantur ab innumeris Anachoretis & Eremitis, quæ frequentissima in illis habebant monasteria? Vbi nunc desertum illud, de quo dicit Propheta: *Dominus po-*

Solitudo est amanda.

Esa. 52.

nius ponit desertum quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini? Vbi nunc sunt flores illi semper vernantes, qui crescebant in terra deserta, & sine aqua? Homines loca deserta reliquerunt, & sese prædam voluptatibus huius vitæ tradiderunt.

Desertum est & in homine.

Cæterum cùm tibi non sit opportunitas eundi in eremum, (quia via illa vepribus & dumis est septa) fac sit desertum spiritale in te, constringe & moderare sensus, appetitus refræna, & intra in teipsum, quia & Deus illuc intrabit. In deserto Moyses vidit gloriam Dei: & in hoc deserto spirituali docet, instruit & visitat Deus suos amicos. Sed intraturus desertum hoc operæ pretium est, vt ascendas cũ Moyse montem Domini: id est, relinquas humilitatem terræ, & eleues cor tuum ad res cælestes. Vt autem tutiùs & facilius ad summitatem huius montis volites, fac tibi alas duas; Orationem, & Ieiunium, quod est maximè necessarium in oratione: ventris enim pleni mens difficulter sursum eleuatur. Ideoque si in hoc deserto existens, non habueris has alas, notabit te sententia Philosophi: *Homo viuens in solitudine, aut angelus est, aut bestia.*

Cur Christus ieiunauit.

Ieiunauit caro illa sanctissima, quæ nesciebat quid esset reluctari spiritui, vt & tua ieiunaret, quæ peruersa est, & ardentibus flammis instar fornacis Babylonicæ exæstuat. Perpende quomodo opera exteriora Christi initium habeant à ieiunio: primum enim bellum Christiani est contra peccatum gulæ; quam qui vincere non contendit, frustra cum alijs confligit. Nec solùm ieiunauit, sed & orauit, & pugnauit cum nostro aduersario: quæ omnia ad nostram vtilitatem facta sunt. Solitudo illius nostrum est exemplum; Oratio eius nostrum remedium; Ieiunium eius satisfactio pro culpis nostris; & pugna cum aduersario nostro, debilitatio & captiuitas est inimici nostri Diaboli.

Itaque, mi frater, Christo iungere, eique adhæresce: esto illi comes indiuiduus in omnibus exercitijs & afflictionibus his, tui causa susceptis. Aguntur enim hîc tua negotia, soluuntur hîc tua debita. Imitare pro viribus hîc & vbique Dominum tuum, ora cum illo, ieiuna cum illo, pugna cum illo, & in deserto cum illo habita: adde tua exercitia exercitijs illius, labores tuos laboribus illius, vt per hoc medium omnis tua actio Deo grata sit & accepta.

DE PRÆDICATIONE, DOCTRINA, & admirandis Christi operibus.

CAPVT XXII.

POst Baptismum, & elapsos quadraginta dies quibus ieiunauit, cœpit Saluator cum hominibus conuersari; officio prædicationis operã dare; & admirandis operibus suis, quæ faciebat, toti mundo, quis esset, ostendere. Quo loco quatuor potissimũ sunt consideranda; sublimitas doctrinę, exempla virtutum, labores & difficultates viarum, atque beneficia quæ mundo contulit.

Quatuor in actionibus Christi meditanda.

Doctrina Christi qualis.

Quantum ad primum, notandum est, altitudinẽ doctrinæ Christi (de qua specialiter in Euangelio agitur) tam altam esse, & tam perfectam, vt perfectiorem imaginari nemo possit. Quod vt melius intelligas, obseruandum est, magnam hanc & admirabilem totius Vniuersi machinam, in duos creaturarum ordines diuidi: quarum aliæ sunt spirituales, vt Angeli; aliæ corporales, vt cæli, & quidquid sub illis est: homo medius est inter vtrasque, & de vtroq; ordine aliquid participat. Habet enim cum his corpus, vti omnes res corporales habent; & cum istis spiritum, vti Angeli. Potest igitur homo vel huic, vel illi ordini sese adiungere, prout velit; aut imitãdo puritatem & perfectionem Angelorum, (habet enim spiritum, cuius virtute id cum illis facere potestas est) aut sequendo turpitudinem, & vitam brutorum animalium; posteaquam corpus habeat, sensusque & appetitus ab illis non multum diuersos; quamuis ad priorem viuendi modum necessario requiritur cæleste adiutorium. Quemadmodum enim qui & Physicam didicit, & Chirurgiam, in vtralibet potest sese exercere, pro sua voluntate; sic & homo; qui carnem habet & spiritum, potest fieri aut totus carnalis vel animalis, tradendo seipsum in omnibus rebus carni & voluptatibus eius; aut totus spiritalis, inclinando se ad opera spiritus, sicut communiter omnes Sancti facti sunt. Philosophi, & potissimum Platonici, non ignorantes hoc, definierunt omnem hominis perfectionem consistere in moriendo, seu mortificando, quantum fieri potest, partem brutam; quæ in ipso est, (fugiendo & contemnendo voluptates, & appetitus malos; omnia bona terrena, & materialia, in quibus luxuriatur ista pars, non accipiendo plus de illis, quàm extrema requirit necessitas) & in viuendo secundùm præscriptum alterius partis, nimirum spiritalis & diuinæ, quæ similiter in homine est, (in qua voluntas est & intellectus) occupando duas istas potentias nobilissimas ijs exercitijs, quibus Angelica vacat natura, id est, in cognoscendo & amando summum bonum, eodemque fruendo: commiscendo sese hoc modo illi, & transformando se per amorem illud, quæ est altissima, nobilissima, & diuinissima res, ad quam humana potest natura ascendere. Refert S. Augustinus quẽdam Philosophum Platonicum dicere solitum, quòd perfectio & beatitudo hominis consistebat partim in purissima & perfectissima separatione ab omni materia, ab omni re terrena & sensibili; partim in commixtione & vnione cum summo illo Patre, per cognitionem, & amorem, & actualem contemplationem: sic enim Platonici Deũ appellant. Ad eundem modum & Plato asserit in Phædone, hominem vniri, & fieri spiritualiter vnũ quid, non tantum cum supremis illis intelligentijs, (qui nobis Angeli dicuntur) sed etiam cum supremo illo intellectu non creato, qui Deus est, ita tamẽ, vt talis non sit, aut natura, aut essentia; sed participatione illius sanctitatis, felicitatis, & puritatis. Vti patet in ferro, quod in ignem mittitur, non desinit quidem illud esse ferrum, & tamen ignitur, candescit, & de proprietate ignis participat.

reliquas creaturas medium.

Simile.

Platonicorũ de perfectione hominis sententia.

Simile.

Obiectio.

Sed si obieceris; Quomodo verisimile est, vt homo in hac vita ad tantam possit pertingere puritatem, vt Deo & Angelis illius queat similis effici; occupando sese in quibus illi occupantur? Angeli enim corpus non habent, quo possint defatigari, aut cui debeant inseruire & prouidere: & proinde possunt liberè sursum ferri, & semper rebus spiritalibus vacare, tanquam creaturæ merè spirituales: quod hominibus facere concessum non est, propter onus corporis, cuius famulatui & seruitio multum debent. Huic obiectioni breuiter respondetur, quòd Sancti studiosè semper allaborarunt, quàm minimum corporis seruitio tribuere, imò tam parum, vt (licet corporis appetitui contrarium erat) vix sufficeret ad vitam tuendam, & naturam sustentandam, cum incredibili parcitate: vt cùm corpus omnino negligere non possent, talem exhiberent illi curam, quæ quasi nulla putaretur: atque ita neque nomen spiritualis amiserunt, neque indigni facti sunt, qui Angeli terrestres, aut homines cælestes appellarentur.

Responsio.

I. homo inter Angelos & reliquas creaturas medium.

Hæc est itaque, vt dixi, maxima perfectio, ad quam creaturæ in hac vita positæ peruenire concedi-

Perfectio Christiana.

tur: hæc est illa, quam præcipuè tradidit Filius Dei in præ-

in prædicatione & doctrina sua: & hæc est illa, quam communiter omnes Sancti quæsierunt: maximè illi, qui relicto mundo & omnibus ijs quæ in illo possidebant, vastis nemoribus, & locis desertis sese abdiderunt, corporis necessitati caricis palmarum, fructibus, herbis, radicibus, & rebus parum melioribus satisfacientes, toto spiritu contemplationibus & amori rerum cæleſtium, more Angelorum, vacabant. Hæc est perfectio vitæ Euangelicæ, cuius formam egregriè expresserunt non tantùm Apostoli, sed & alij homines sancti viri & fœminæ Apostolici & Euangelici, ex quorum numero fuit B. Franciscus, qui perfectissimè renunciauit omnibus rebus temporalibus, & mundo ipsi: viuens in summa paupertate & miseria, occupatus per omnem vitam amore & contemplatione rerum æternarum: quibus meditandis non diem tantum, sed magnam noctis etiam partem impēdit. Qui itaq; noscere cupit summam philosophiæ Euangelicæ: sciat eam non esse aliam, prēter eā, quæ paucis verbis iam commemoratis comprehenditur: est autē id maximum genus perfectionis, quod fingi potest aut excogitari. Quemadmodum enim nihil in mundo inuenitur melius ipso Deo, sic nulla doctrina melior aut perfectior inueniri potest illa, quæ docet, relictis & spretis omnibus terrenis, vniri, & vnus spiritus fieri cum ipso Deo, modo iam antè explicato.

Omnes virtutes requiri ad hanc perfectionē.

Sed vt admiranda hæc transformatio fiat, necessariò virtutes omnes adesse debent, quædam vt iuuent nos cùm à mundo separamur: quædam vt opē ferant, quò facilius cum Deo coniungamur: quædam vt mortificent & occidant in nobis passiones & affectus rerum terrenarum: illæ vt accendant amorem rerum cœlestium: istæ auferant impedimenta in ascendendo: nonnullæ vt scalas admoueant, quo liceat facilius ascendere, de quibus omnibus diuina tractant Euangelia. Quoniam verò inter istas virtutes gradus sunt & ordines, (aliæ enim plus, aliæ minus iuuant) Euangelium agit de sublimioribus, & his quæ in via salutis maximè vtiles sunt: vt sunt Fides, Spes, Charitas: deinde etiam de humilitate, castitate, mansuetudine, patientia, obedientia, eleemosyna, misericordia, oratione, ieiunio, bona intentione, puritate cordis, paupertate spiritus, contemptu mundi, mortificatione appetituum, amore crucis, negatione suijpsius & propriæ voluntatis, alijsque similibus virtutibus, quas studiosè appetere debet is, qui cupit esse miles Euangelicus, verusque discipulus & imitator Christi.

Vt autem facilius has virtutes consequaris, intuere diligenter in omnibus exempla vitæ Saluatoris, vbi inuenies omnes istas virtutes luculentius expositas operibus, quam alibi verbis. Sciebat enim optimè Dominus ille, multò compendiosiorem esse ad virtutes viā operibus, quā verbis doceri.

Virtutes in vita Christi elucentes.

Porrò quamuis omnium virtutum exempla in sanctissima Christi vita cernuntur, singulariter tamē emicant in ea humilitas profundissima, magnitudo charitatis, suauitas mansuetudinis, dulcedo conuersationis, benignitas verborum, patientia, & moderatio in omnibus rebus.

Multa præterea considerāda sunt in discursu, laboribus, & molestijs, quas huc illuc currendo sustinuit, dum cogitas quomodo mundum peragrauit, vbiq; animarum salutem quæsuit, de prouincia in prouinciam, de ciuitate in ciuitate, de villa in villā, nunc Iudæam, nunc Galilæam, nunc Samariam percurrens.

Meditare igitur quanta cum charitate bonus ille Pastor perambulabat montes & valles, quærens ouem perditam, vt ad gregem reduceret, portans illam in humeris suis: quantas tribulationes, æstus, frigora, persecutiones, contradictiones, paupertatē, lassitudinem, atque calumnias Pharisæorum sustinebat in suo negotio procedens, prædicans interdiu, & orans noctu: semperque nostræ saluti intentus, tanquam Pater, Pastor, Saluator & Redemptor noster.

Conuersatio Christi cum peccatoribus

Perpende etiam quàm benignè cum peccatoribus conuersatus est, eorum ædes ingrediens, bibens edensq; cum ipsis, vt amore sui illos inescaret, dulci sua conuersatione ad se traheret, suisq; beneficijs alliceret, suis exemplis eos inuitaret, & sua doctrina erudiret. Testis huius misericordiæ est Matthæus publicanus, testis Zachæus publicanorum princeps: testis est illa peccatrix fœmina, & alia illa adultera, quibus omnibus tam benignè peccata condonauit. Matth. 9. Luc. 19. Luc. 7. Ioan. 8.

Beneficia Christi mundo collata.

Non minùs considerāda sunt magna illa beneficia, quæ contulit mundo in his itineribus, sanans infirmos, illuminans cæcos, mundans leprosos; consolidans paralyticos, eijciens Dæmones, resuscitans mortuos, & quod plus est, eripiēs peccatores ex manibus inimici. Hoc modo Dominus cum hominibus conuersatus est: sic per omnes istas prouincias cucurrit, benefaciens omnibus. Et sanè conueniens erat, vt sic cum hominibus conuersaretur is, qui factus erat homo solo amore hominum: & sic decebat illū viuere in hoc mundo, qui de cælo in terram venerat, vt visitaret mundum. Par erat, vt eius doctrina esset talis, & talis eius vita, exempla, opera, & beneficia eius talia, vt in eis ostenderetur magnitudo potentiæ & bonitatis illius. Si enim Deum erat necesse incarnari, & cum hominibus conuersari, æquum erat, vt talis eius esset aduentus, & talis abitus eius: talis esset successus, & talis fructus illius.

DE SAMARITANA, CHANANÆA, Magdalena, & Adultera.

CAPVT XXIII.

ET si omnia opera & beneficia Saluatoris valdè sint considerāda, tamē inter alia insignis illius misericordia, quam impartitus est quatuor illis mulieribus, Samaritanæ scilicet, Chananææ, Magdalenæ, & Adulteræ, singularem exigit cōsiderationem. Pro cuius intelligentia sciendum est, quòd (vti ab Ecclesiastico disputatum est) finis in quem Deus omnia fecit opera sua, tam quæ naturæ sunt quàm quæ gratiæ, non est alius quàm manifestatio gloriæ illius: hoc est, vt declararet & ostenderet magnas & admirabiles sint & infinitæ, vti ipse infinitus est, præcipuè tamen in duo genera distribuuntur. Quædam enim pertinent ad eius misericordiam, quædam ad iustitiam: & sic quædam efficiunt vt ipse ametur, quædam vt timeatur. Ioan. 4. Matth. 15. Luc. 7. Ioan. 8.

Finis operum Dei.

Hæc duo perfectionum genera quamuis spectantur in omnibus operibus illius, in quibus semper inuenitur misericordia cum iustitia permixta: tamen aliqua sunt, in quibus misericordia superat iustitiā: quædam, in quibus misericordia à iustitia superatur. Iustitia insigniter monstratur in supplicio Angeli, qui superbia elatus fuit: in Protoplastis mandatum obedientiæ violantibus: in vniuerso mundo aquis diluuij submerso: deniq; in omnibus illis qui condemnandi sunt, quos propterea Apostolus vasa iræ appellauit. Magnitudo verò misericordiæ elucet in omnibus electis, & in beneficijs quæ Deus exhibet illis, ad electionis suæ munus exequendum, qui propterea vasa misericordiæ dicuntur.

Iustitia & misericordia in operibus Dei quomodo luceant. Esa. 14. Gen. 3. Gen. 7. Rom. 9.

Ad maiorem verò declarationem harum duarum

Duo aduentus Christi.

perfectionum, obseruandum est, Dominum duo insigniora tempora determinasse, & duo quoque operum genera, quæ sunt duo aduentus eius in hunc mundum, determinasse: vnum ad ostendendam suæ iustitiæ magnitudinem, qui erit aduentus secundus, cũ venturus est iudicare viuos & mortuos: & alterum ad demonstrandam infinitam suam bonitatẽ & misericordiam, qui fuit aduentus primus in carnem, ad peragendum opus nostræ redemptionis, quem aduentum Rex Dauid desiderabat, cùm diceret: *Psal.84.* *Ostende nobis Domine misericordiã tuam, & salutare tuũ da nobis.* Sciebat enim necesse esse, vt ista Dei misericordia mundo fieret manifesta in isto aduentu, & per ista opera. Filius enim Dei non alio fine & scopo in hunc mundum venit, quàm vt traderet hominibus cognitionem misericordiæ diuinæ, & Patris æterni, qui est ipsa misericordia. Propterea dixit cuidã discipulorũ suorũ: *Ioan.14.* *Philippe qui videt me, videt & Patrem meũ,* & paulò antè: *Si cognouissetis me, cognouissetis vtiq; & Patrem meum, & amodo cognoscetis eum, & vidistis eũ.* quasi dixisset, Paulò post illũ perfectius cognoscetis, cum Spiritus sanctus venerit in vos, vobisq; maius lumen diuinæ cognitionis infuderit: & nunc vidistis, postquam vidistis me in hoc mundo conuersari cum hominibus, in tanta mansuetudine, bonitate, & misericordia: talis enim est Pater meus, qualis ego sum? & si ipse in mundum venisset, eodem modo cum hominibus vixisset, quomodo ego vixi: eademque docuisset, quæ ego docui vos, omne siquidem illud quod ego dico, & operor, ille loquitur & operatur in me.

Per Filium cognoscitur Pater.

Quapropter omnis qui cupit cognoscere qualis & quanta sit bonitas & misericordia Patris æterni, oculos conijciat in Vnigenitum eius Filium, qui est imago perfectissima, non tantùm substantiæ & pulchritudinis, sed bonitatis quoq; & misericordiæ illius: quam vt patefaceret hominibus in terra, sicut Angelis eam declarat in cœlo, incarnatus est, vt semper esset tam hominibus, quam Angelis imago gloriæ Dei: hoc enim est filij, vt sit imago & effigies patris. Conuertat itaq; homo oculos suos in Dominum hunc, & consideret incarnationem, natiuitatem, vitam, mortem, & labores viasq; illius in hoc mundo: omnia enim hæc plena sunt bonitate & misericordia: vt hinc cognoscas, quam multas habeas rationes illum ex toto corde amandi: & sperandi in illũ quotiescunq; tribulationum tempestas ingruit: tam infinita enim bonitas infinitum requirit vicissim amorẽ: posteaquam obiectum voluntatis sit bonitas. Pietas autem & misericordia tam magna omnẽ exigit nostram fiduciam, alioquin frustra laudat misericordiam Dei, qui tempore necessitatis non nouit, sperare in illam: ille autem sperare non nouit, qui despondet animum in tribulatione, & non confidit Orationi.

Quod si hanc misericordiam exactius discutere, & de ea meditari velis particulariùs, (omissis alijs sanctissimæ eius vitæ operibus) diligenter scrutare & examina historias quatuor illarum mulierum, quarum mentio superiùs à nobis facta est, & in singulis ipsarum videbis, tanquam in speculo, pietatẽ & misericordiam huius nobilissimi & benignissimi Domini, quam quantò perfectius agnosces, tantò ampliùs in te crescet amor & fiducia.

DE MVLIERE SAMARITANA. CAPVT XXIV.

IN hac mulieris Samaritanæ historia, eleganter nobis exprimitur ineffabilis, ardẽsq; sitis illa, qua Saluator æstuauit ob nostram salutem reparandã: quæ profectò sitis omnem eloquentiam superat. De S. Catharina Senensi legitur, quod quotiescunque verbi Dei concionatores ædes suas transire conspiceret, foras prodibat, & procumbens magna cum reuerentia vestigia pedum illorum osculabatur. Cumque interrogaretur cur id faceret: respondit, sibi à Deo reuelatam esse pulchritudinem animæ in statu gratiæ constitutæ: & proinde felicissimos esse homines, qui conuertendis animabus operam darẽt: proinde se non posse exosculari terram, quam huiusmodi viri pedibus suis conculcarant. Si virgo hæc pro ratione modici luminis & gratiæ, quam habebat: tanto zelo exarserit: quantus debebat esse zelus illius, qui ipse fons est omnis gratiæ? qui tam incredibilis est animarum amator? qui veniebat vt esset Pater futuri seculi? cuius viscera comedebat zelus honoris Dei? Magnus hic amor eum de cœlo in terram detraxit. Hic eum solicitum reddebat, excitabat, laborare, sudare, defatigari, & huc illuc cursitare faciebat, vt animas quæreret atque saluaret. *Catharina Senensis fe-mina.*

Hãc ob causam venit in ciuitatem Samariæ, tempore meridiano, totus defatigatus, famelicus, sitibundus, & sudore perfusus. Ecce nostram ob causam requies est defatigata, refrigerium sudauit, panis Angelorum esurijt, & fons vitæ sitiuit: sedit super puteum fons aquæ viuæ, eo modo quo quiuis alius homo pauper, lassus, sudore madidus, & miserabilis sedisset. Noli autem hic, mi frater, existimare Christum illic sedisse vt biberet (non enim vlla mentio fit in Euangelio quòd biberit) sed captans occasionem vnius animulæ lucrifaciendæ, quæ aquatum veniret, cui felices insidias struebat, laqueumque tendebat. Quamuis enim lassus erat & impotens ad eundum, lassus tamen non erat ad bene operandum. Venit itaq; ad puteum mulier quædam peccatrix, quã Dominus tanquam defatigatus orauit, vt aquæ hausturã sibi præberet, offerens illi vicissim gratiam, desiderãs, sitiensque salutem illius: *Mulier*, inquit, *da mihi bibere.* *Ioann.4.*

Considerandum hic est quomodo omnium rerum creatarum Dominus, qui Verbum & æterna Patris est Sapientia, sese composuit ad colloquendum familiariter cum illa muliere. Animaduerte quæso quàm benigne loquitur, quàm prudenter docet, quã piè mulierem ab errore liberat, illuminat, & ad quæstiones illius respondens, inuitat illam sua gratia, additq; stimulos vt plura interroget, licet quid quæreret non intelligebat. Quod si fecisset hæc personæ publicæ, magni nominis & auctoritatis Heroinæ, res tantæ non esset admirationis, sed totum hunc dialogum habuit cum muliercula plebeia, Samaritana, idololatra, quinque virorum coniuge, & quæ ipso eo tempore adhuc in peccato viuebat: quæ omnia sanè mundo sordent, & tamen Dominus non dedignatus est, tam benignè cum illa sermocinari: nec tantum cum illa sermocinatur, sed etiam quis esset ipse manifestè illi significat: vix enim locus in Euangelio reperitur vbi se manifestiùs prodit. Huc accedit, quod alia maiore gratia mulierem nobilitauit, de Samaritana namque Euangelistam fecit, & Apostolam Samariæ. Et hæc omnia fecit mulieri, quæ ad puteum venerat, tantùm vt situlam aquæ sibi hauriret, non habenti aliud quicquam in animo, quæ nihil minùs cogitabat vel quæsiuit, quam quod inuenit.

O admirabilia Dei iudicia, ô secreta bonitatis, & sapientiæ. Quis non videt hic magnitudinem bonitatis, & misericordiæ tanti Domini? Ecquid in hoc opere inuenitur, quod nõ est pura gratia, pura bonitas, pura misericordia? Vbi enim nihil reperitur ex parte hominis, quod dignũ est præmio, (vt interim de cõtrarijs nihil dicã) quid aliud poterit esse ex parte Dei, quã sola bonitas & misericordia? Etne quid deesset

deesset huic misericordiæ, tanta cũ voluptate, & tam prompto animo Christus illam operatus est, vt cùm venissent Discipuli, atq; illum ad comedendũ inuitassent, responderit, *Ego cibũ habeo manducare, quem vos nescitis.* Rogantibus autem illis qualis iste cibus esset, ait: *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius*: salutem scilicet hominum. Quis igitur ex hoc opere, atq; ex his verbis nõ intelliget magnitudinem bonitatis & misericordiæ Domini nostri Iesu Christi, cui salus nostra cibo atq; potũ chatior est?

DE CHANANÆA. CAPVT XXV.

NOn minùs ostenditur hæc Domini nostri misericordia in exemplo mulieris Chananææ, quæ etsi exteriùs aliquam videtur habere cum illa Samaritana differentiam, vnum tamen idemq; opus fuit salutis, licet media sint diuersa. *Egressus* enim *Iesus de Iudæa, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, processit illi obuiam,* & recepit ab eo sanitatem filiæ, quam petebat: vt intelligas, si homo faciat quæ facere debet, Deum non defuturum, sed opem laturum, vt veram salutem & sanitatem animæ accipiat. Nec sufficit, hominem operari, si Deus non adiuuet: nec Deum adiuuare, si homo non operetur: vtrumque enim est necessarium, id quod Propheta insinuat, dicens: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Cæterum hæc gratia, & adiutorium cœleste non semper eodem modo diuiditur, sed prout disponit & ordinat sapientia & misericordia diuina. Quibusdam enim datur cum tanta facilitate, vt portam intrare non quæsita videatur: alijs autem nõ conceditur, nisi priùs magnis quærat laboribus. Ita vt nonnulli Deum quærant, alij à Deo quærantur. His euenit, quòd ijs euenire solet, qui thesaurum inueniunt, quem non quærebant: illi instar mercatoris illius sunt, qui quærebat bonam margaritam, & tandem inuenit illam. Horum clarum exemplum habemus in his duabus fœminis: quarum vna nullo labore reperit illud, quod non quærebat, altera multis precibus summaq; humilitate tandem quod voluit impetrauit. Et quamuis in illa prælucere diuina misericordia, & in hac iustitia magis spectari videatur: tamen in hac non minor fuit misericordia, quàm in illa: Deum enim quærere cum fide, humilitate & perseuerantia, donum quoq; Dei est, & opus misericordiæ illius.

Matth. 15.

Psal. 125.

Gratia diuersimodè datur.

Simile.

Quisquis igitur Deum hoc modo quærere vult, & scire cupit, quomodo quærendus sit: hanc peccatricẽ intueatur, & quærat Deum sicut illa quæsiuit, & inueniet sicut illa inuenit. Quomodo quæsiuit illum? cum magna fide, ardenti charitate, profunda humilitate, inuicta patientia, & longa perseuerantia: clamauit, sequuta est, importuna fuit, perseuerauit, sustulit, confidit, humiliata est, abiecit sese ad pedes Iesu, & impetrauit quod desiderabat. Eodem modo & tu quære, & certus esto, quòd etsi idololatra, etsi Chananæus fueris, tandem eum inuenies. *Quæretis me, & inuenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro; inquit Dominus.* Quærere autem Dominum in corde, est quærere eum cum fide, cum humilitate, cum patientia, cum perseuerantia, & cum oratione continua, vt eum hæc mulier quæsiuit.

Quomodo Christus quærendus.

DE MAGDALENA. CAPVT XXVI.

NEc splendorem suæ bonitatis & misericordiæ Saluator occultauit in conuersione Magdalenæ, Quomodo enim conuerti potuisset fœmina vitæ tam perditæ: tanta cùm contritione & feruore, nisi Dominus illam excitasset, illuminasset, & sua misericordia præuenisset? Quare non immeritò dicit Gregorius: Quid miramur fratres, Mariam venientem, an Dominum susципientem? Susципiente dicam, an trahentem? Sed melius trahentem dicam & susципientem: quia nimirum ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem susцepit foris.

Greg. Hom. 13. in Euãg.

Cùm ergo Iesus ingressus esset domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius (præ pudore namq; in conspectum eius venire non audebat) *cœpit lachrymis rigare pedes eius; & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes, & vnguento vngebat.* Quæ inuentio, quis modus satisfaciendi & pœnitẽdi posset excogitari magis propria, & conueniens huic vitę generi? Cui non suborientur lachrymæ, quis non mouebitur ad pœnitentiam hoc nouo modo pœnitendi? Motus sanè est D. Grego. de hac Peccatrice sermonem instituens, & in hæc verba erumpit: Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitẽtia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeũ pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Considerauit namq; quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingressa est, non iussa venit, & inter epulas lachrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit. Statim enim vbi turpitudinis suæ maculas aspexit, lauanda ad fontem misericordiæ cucurrit, conuiuãtes non erubuit. Nam quia semetipsam grauiter erubescebat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris. Attulit alabastrum vnguenti & stans retro secus pedes Iesu, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat: & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Liquet quod illicitis actibus priùs mulier intenta, vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter adhibuerat, hoc iã Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitẽtiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum: vt totum Deo seruiret in pœnitẽtia, quicquid ex se Deum contempserat in culpa.

Luc. 7.

Omnib. membris suis vtitur ad obsequium Christi, quib. antea eundem offenderat.

Quis non videt igitur quanta hæc fuit pœnitẽtia, & quanta gratia atq; misericordia Dei, qui primarius fuit excitator & causa ipsius? Quod ergo caput, qui oculi, quod cor potuisset tantos profundere lachrymarum riuulos, qui sufficerent ad Christi pedes lauandos? & quod ingeniũ potuisset excogitare hãc nouam intentionem eosdem pedes tergẽdi, capillis, nisi incredibilis amor, quem Christus in eius anima accenderat, vires & lumen dedisset? Et vnde hoc tãtum donum, in tam indigna creatura, nisi ex immensa bonitate, & misericordia Dei? Sed necdum hæc tanta pœnitentia calumniantis & maledici Pharisæi os obstruere potuit, quò minus hanc peccatricẽ condemnaret. Sed etsi mulier tacuerit, Christus tamen eius causam susцepit defendendam: vt ex hoc cognoscamus, quàm diuersa sunt hominum & Dei iudicia, & quàm salutaris est excusatio, quæ subticetur, vt ipse Deus causam defendat.

DE MVLIERE ADVLTERA. CAPVT XXVII.

IN casu mulieris adulteræ non deerit tibi simile argumentum, si mentem conuertas ad incomprehensibilem suauitatem & misericordiam Dei,

Ioan. 7.

quæ

quæ viam dedit calumnijs aduersariorum Christi, vt eum per dolos & insidias interrogarent frustra. Talis enim erat vita eius, talis doctrina, talis eius opera & verba, vt eius aduersarij existimauerint, impossibile fore, vt verbum condemnationis ex eius ore prodiret.

Dan.6. Hostes Danielis insidias illi struentes, & occasiones calumniandi captantes, nihil in illo inuenerunt, quàm quod ter in die Deum suum adoraret. Idem euenit hostibus & inimicis Saluatoris, qui etsi vbiq; & semper eum obseruarent, tamen nullam calumniandi causam inuenire potuerunt, præter eius mansuetudinem & misericordiam, quam tentantes mulierem hanc adduxerunt, vt si eam pro sua misericordia indemnem pronunciare ausus esset, præuaricatæ legis Mosaicæ reus haberetur. Sciebant enim Dominum ad misericordiam propensissimum. Hæc est quàm toties in Euangelio laudauit. Vbi enim quæso vnquàm tam magnificè & tanta cum exaggeratione aliam virtutem prædicauit vti hanc, cùm diceret: *Quod fecistis vni ex fratribus meis minimis, id mihi fecistis?* Matth. 25. Idipsum & apud Prophetam Esaiam, licet alijs verbis dicit: *Hæc requies mea, reficere lassum, & hoc est meum refrigerium.* Esa. 28. In Euangelio legitur, quòd cùm Dominus iret per Samariam, & Samaritani eum nollent recipere, discipuli ob id indignati contra illù populum, Saluatori dixerunt: *Domine vis dicamus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Luc.9. Quibus Dominus cum solita sua mansuetudine & misericordia respondit: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Hanc eã. dem misericordiam Domini Propheta Esaias in spiritu prænidit, cùm de conditionibus Messiæ loquens dixit: *Non clamabit, neq; accipiet personam nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Esa.42. Id quod manifestè cernitur in sententia huius Adulteræ, cùm diceret: *Mulier, vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine.* Dixit iterũ Dominus: *Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.* Hoc est quod Propheta voluit significare, dicens, quòd calamum quassatũ non conterit, & linũ fumigans non extinguit, indicans magnitudinẽ misericordiæ diuinæ, qua vti debuit in primo suo aduentu.

Necessarium est autem, mi frater, vt & talia sint viscera tua, talia sint opera tua, talia sint verba tua, si velis esse formosa Christi effigies. Non enim contẽtus est D. Paulus nobis commendasse misericordiã: sed dicit etiam, vt induamur nos misericordiæ viscera tanquam filij Dei. Coloss. 3.

Considera nunc quomodo cum mundo ageretur si omnes hoc essemus induti vestimẽto. Dicimus hoc ideo, vt mediantibus istis tam egregijs operib. cognoscamus, quantum sit pelagus illud diuinæ bonitatis & misericordiæ Seruatoris, quæ relucet in hoc opere quam manifestissimè, posteaquã (vti dictũ est) nos Deum agnoscere nequeamus in hac vita, per se ipsum, sed ex operibus suis, eo modo, quo causæ per effectus suos cognoscuntur. Obseruandum tamẽ hic est, hanc diuinæ misericordiæ cognitionem non eo spectare, vt occasio nobis detur in peccatis perseuerãdi, (quemadmodum peruersi homines faciunt) promittentes sibi nimium, nimiumq; securè peccantes magnitudine misericordiæ freti: qua tãquam instrumento suæ iniquitatis abutuntur, quæ sanè maxima est blasphemia. *Deus cognoscitur ex suis operibus.*

Sed quorsum hæc omnia tam lõgo repetita principio? Vt horum cognitio sit nobis stimulus, incitans ad amandam tantam bonitatem, & sperandum in tanta misericordia: bonitas enim amorem, & misericordia spem requirit. Qua in re peccare videmus multos: dico de illis, qui cum alias virtutes possideant, postquam in aliquam inciderunt tribulationem, videntur nunquam legisse, vel audiuisse quicquam de hac bonitate & misericordia. Spem omnem vnà cum animo abijciunt, & omnino desperant, tanquam ij, qui nihil vnquam de Philosophia Christiana didicerunt: ignorantes omnes Psalmos & totam Scripturam sacram hanc misericordiam magnificentissimè commendare: vt in tempore tribulationis speremus in illa, ne orantes animum despondeamus, cùm certissimum pignus habeamus Verbum Dei.

Obseruandum quoq; est, non sic semper misericordiam Dei meditandam, & præ oculis habendam esse, vt interim eius iustitiæ obliuiscamur: nec si iustitiæ meminerimus, vt misericordiæ rationem non habeamus, vt nec spes sit sine timore, nec timor sine spe. Hi enim sunt, vt ait D. Bernardus, tanquam gemini pedes Dei, & oportet vt vtrumq; apprehendamus, atque adoremus: minimè autem vnum sine altero, vt spes sine timore non degeneret in præsumptionem, & timor sine spe in desperationem. Ideo dicit Propheta: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine,* Psal. 100. sciebat enim quam periculosum erat vnum cantare sine altero, misericordiam scilicet sine iudicio, aut iudicium sine misericordia: vt spes nõ sit nimis confidens, nec timor nimis abiectus & pusillanimis.

DE TRANSFIGURATIONE DOMINI.

CAPVT XXVIII.

INter omnes articulos principales vitæ Saluatoris nostri, est valde insignis & deuotus ille de gloriosa ipsius transfiguratione: cum assumptis tribus suis discipulis, quos maximè amabat, quiq; illi erant familiariores, ascendit montem, ibiq; dum oraret, *transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Matth.17. Luc.9. Marc.9.

Considera hic primùm artificiosum inuentum, quo Dominus vsus est in hominibus ad se trahendis. Animaduertebat homines plus moueri gustu bonorum præsentium, quàm promissione futurorum: iuxta illud Sapientis: *Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias.* Eccl. 6. Propterea cum iã multoties Apostolis prædicasset, & dixisset quòd merces illorum esset magna in regno cœlorum, & quòd sessuri essent super duodecim sedes, & iudicaturi duodecim tribus Israel, & his similia: nunc dedit eis aliqualem gustum illius mercedis, vt ostendens præmium victoriæ pugnantibus adderet ipsis animum, & corroboraret eos ad pugnandum fortiùs. Non autem monstrauit hic illis optimam partẽ promissionis, (quæ est essentialis gloria beatorum) eò quòd illa omnem sensum superat: sed dedit ipsis gustãdam minimam partem accidentalis, quæ est claritas & pulchritudo corporum glorioforum. Fecit autẽ hoc non absq; ratione. Etenim caro hæc impedit, quo minus illam viam ambulare possimus: caro hæc segniores simus ad crucem portãdam, nos interturbat. Proinde conueniens erat, vt ad excitandam & animandam eam, monstraretur illi magnitudo istius gloriæ, vt per illam confortaretur magis ad labores perferendos. Quare si animum despondeas, quando iuberis mortificare, & crucifigere carnem tuam; confortare iterum, memor verborum Apostoli dicentis; *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Philip 3. *Inuentũ Dei.* *Mercedis magnitudo nos fortiter laborare facit.*

Considera etiam, quomodo Saluator glorioſum hoc

hoc festum celebrauit in monte solitario, & ab omni hominum strepitu, mundanoq; tumultu remoto, quod tamen potuisset celebrare in valle aut loco publico: fecit autem hoc, vt intelligas, quòd homines non solent beneficium illud transfigurationis consequi in publico negotiorum huius mundi, sed in solitudine, & corde ad se conuerso: nec in valle obscœna, & lutosa appetituum brutorum, sed in monte mortificationis, hoc est, in victoria sensualiũ passionum. In hoc siquidem solitario monte Christus transfiguratur, & pulchritudo Dei videtur, arrha Spiritus sancti accipitur, prælibatur guttula fluminis illius, quod lætificat ciuitatem Dei: datur deniq; experimentum pretiosissimi vini illius, quod inebriat habitatores cœli. O mi frater, si semel ad verticem mõtis huius peruenires, quomodo ex toto corde clamares cum S. Petro: *Domine bonum est nos hic esse*, quasi diceret: Domine commutemus omnia monte hoc; Demus omnia bona, omnesque delicias mundi, pro bonis huius deserti. Dicit autem Euangelista, quòd nesciebat Petrus quid diceret, vt intelligas, quanta sit istius voluptatis magnitudo: quanta vis illius vini cœlestis, posteaquam sic mentem hominis suffuderit, sic hominem extra se rapiat, & à statu rationis dimoueat: cùm Petrus ita esset ecstaticus, vt quid diceret nesciret: nec recordaretur rerum humanarum, propter magnitudinem suauitatis illius, qua ibi fruebatur. Noluisset ab hoc monte separari, sed voluisset sine intermissione bibere suauissimum illum liquorem: ideoque dicebat; *Domine bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Si S. Petrus hoc dicebat, cum non nisi guttulam istius vini cœlestis bibisset, viuens adhuc in exilio huius mundi, in corpore mortali, quid dixisset, si pleno ore, & ad satietatem bibisset de illo torrente voluptatis, qui lætificat ciuitatem Dei? Si vna mica istius mensæ cœlestis ita satiauit, & ditauit, vt nihil desideraverit præter cõtinuationem istorum bonorum: quid fecisset, si illi frui licuisset abundantissima mensa eorum, qui vident Deum, fruuntur eo, & quorum cibus ipse Deus? Ex his itaque admirandis rebus intelliges, vitam iustorum nõ esse omnino crucem aut tormentum in hoc mundo: benignissimus enim ille Dominus, & Pater noster, qui curam eorum gerit, nouit eos in tempore opportuno consolari, & visitare quando necesse est, dans etiã illis in hac vita prælibare futuram, vt nõ cadant sub onere, nec deficiant in via.

Perpende & hoc, quod Christus transfiguratus est, cùm oraret, vt ex eo discas, quòd animæ deuotæ solent sæpe transfigurari spiritualiter in oratione, accipientes illic nouum spiritum, nouam lucem, nouum refrigerium, nouam vitæ puritatem, cor deniq; tam firmum & robustum, tamq; differens à priore illo, vt videatur nõ amplius esse idem quod antè erat: Deus enim mutat & transfigurat illud.

Deniq; etiam animaduerte, de quo in medio huius transfigurationis tractetur: scilicet de tribulationibus, quæ in Hierusalem sustinendæ sunt: vt ex eo intelligas finem, propter quem Dominus has gratias exhibet, quodq; debẽt similes esse cogitationes atq; proposita serui Dei in isto tempore, nimirum habere propositum & desiderium patiendi, & vitam, si necesse sit, amittendi propter tantum bonum, quod illi monstratum fuit, & adeò dignum est, vt & hoc, & multò plus pro eo sit faciendum. Ita vt, quãdo Deus communicabit homini suas dulcedines, tunc cogitare debeat de doloribus, qui amore illius sunt perferendi: talia enim dona talem postulant gratiam & remunerationem.

Cur transfiguratio facta in monte & loco solitario.

Matth. 17.

Vita iustorũ non est crux.

Cur Christus transfiguratus, cum oraret.

Cur in medio transfigurationis de tribulatione agatur.

IN SACRAM DOMINI NOSTRI IESU Christi Passionem PRAEFATIO.

IN QVA TRACTATVR DE MODO in Passione Dominica meditanda seruando.

CAPVT XXIX.

POstquam hucusq; breuiter tractauimus de præcipuis Vitæ Saluatoris nostri mysterijs: nunc ordo postulat, vt eam cum breuitate mysteria Passionis eius discutiamus. Cuius consideratio tantæ est efficaciæ, virtutis, & consolationis in animabus iustorum, vt multo tempore nobis esset opus, si hanc materiam absolutè & pro sua dignitate velimus tractare. Quare talem tractationem commodiori loco reseruantes, hic obiter ostendemus, quomodo in considerationibus & meditationib. nobis est procedendum, vt maiorem nobis fructum adferat eius discussio. Inueniuntur enim nõnulli, qui cùm Dominicæ Passionis contemplationi vacant, nihil aliud intendunt, quàm vt sympathia & compassione vulnerum atq; dolorum Christi, quæ pro nobis sustinuit, tangantur. Quod etsi per se bonum est, & sanctum, non est tamen fructus primarius, qui ex hac arbore vitæ solet decerpi.

Sex modi meditandi Passionem Domini.

1. Modus per cõpassionem.

Sciendum igitur est, præter compassionem alia quinq; adhuc esse consideranda, cum sacratam passionem Domini meditamur, quemadmodum in alio libro copiosius à nobis demonstratum est. Possumus enim primò per passionis meditationem cor nostrũ ad dolorem & contritionem peccatorum nostrorum permouere: cui rei Passio Domini multum conducet: quidquid enim passus est Christus, id omne propter peccata nostra passus est. Nam si peccata in hoc mundo non fuissent, non tam pretioso fuisset opus remedio: ita vt peccata tum mea, tum tua, tum omnium malorum hominum fuerint carnifices & tortores, qui ligarunt, flagellarunt, coronârunt, & crucifixerunt vnigenitum Dei Filium. Disces igitur hinc quam iusta subest ratio, vt vel tandem sentias grauitatem, & malignitatem tuorum peccatorum: cùm reuera causæ fuerint tantorum dolorum: non quia Filium Dei pati coegerunt, sed quia ex illis occasionem sumpsit diuina iustitia, tam seueram postulandi satisfactionem. Nec tantum vt abhorreamus à peccato & fugiamus illud: sed etiam vt virtutes amplectamur, magna nobis datur occasio in virtutibus Domini, quæ si vspiam alias, certè in sacratissima eius Passione excellentissimo quodã modo elucent: quæ virtutes nobis semper ante oculos habẽdæ sunt, vt ad imitationẽ earundẽ prouocemur, potissimum autẽ eius humilitas, patientia, obedientia, benignitas mansuetudo, silentium, & aliæ plures: hic enim meditandi modus est altissimus, & vtilissimus, per viam scilicet imitationis.

Lib. 1. de Orat. & Meditat.

2. Modus per contritionẽ.

3 Modus per imitationẽ.

Nonnunquam oculos cõsiderationis nostræ vertere debemus ad magnitudinẽ beneficiorum, quæ in sua Passione Dominus nobis contulit, considerando, quantum amauit, & quanta donauit: & quã magno constat illi, quod donauit, cum pluribus aliis circunstantijs, vt alias docuimus: quo vel sic tandem in gratiarum actionem erumpamus.

4. Modus per gratiarum actionem.

Quandoque non abs re facturi sumus, si oculos leuemus ad ipsius Dei cognitionem, & meditemur magnitudinem bonitatis, misericordiæ, iustitiæ, benignitatis, præcipuè verò ardentissimæ illius charitatis, quæ in nulla re magis, quam in sacra passione spectatur. Etenim cum maioris argumentum amoris sit, mala sustinere pro amico, quam bona dare, & & Deus vtrumq; te potuerit: quia non habebant homines absolutam ipsius amoris cognitionem, placuit diuinæ bonitati eam naturam induere, in qua pati

5. Modus per amorem.

pati posset mala, & tanta mala, vt non posset homo in posterum de amore illius dubitare, & sic tantopere amantem redamaret.

6 Modus per conuenientiã nostræ redẽptionis.

Aliquando discutienda quoque, & animaduertenda est altitudo diuini consilij, & conuenientia huius medij, quod diuina sapientia elegit ad genus humanum redimendum: hoc est, vt satisfaceret pro nostris peccatis, vt inflammaret nostram charitatẽ, vt corroboraret nostram patientiam, vt confirmaret nostram spem, vt tolleret nostram superbiam, auaritiam, inhonestasque voluptates, & inclinaret animas nostras ad virtutem humilitatis contemptum mundi, horrorem peccati, amorem crucis, & alias similes virtutes.

Habemus itaq; hic sex modos Dominicam Passionẽ meditandi: primus est per viam compassionis, secundus per compunctionis: tertius imitationis: quartus gratiarum actionis: quintus amoris: sextus admirationis sapientię atq; consilij diuini. In singulis enim horum modorum inueniemus stimulos, & incentiua nonnulla, & sic in singulos passionis articulos, atq; in omnes illos modos debemus oculos vicissim extendere, nunc in hunc, nunc in illum, prout Spiritus sanctus viam aperiet. Verum quidẽ est, horũ modorum aliquos conuenientiores esse vni hominũ generi, quàm alteri: primus enim & secundus nouitijs & tyronibus sunt vtiliores, quibus compassio & præteritorum peccatorum pœnitẽtia magis cõgruit: Qui verò prouectiores sunt, his magis conueniunt reliqui, vtpote qui hominem magis excitant, atque amore Dei inflammant, licet & hi, & isti modi omnibus sint vtilissimi.

Obseruatio.

Obseruandum autem hic est, fundamentum omnium harum considerationum esse, vt intelligamus, & (quãtum fieri potest) penetremus magnitudinem dolorum Christi. Quantò enim manifestius intelligemus horum dolorum magnitudinem, tantò maiores motus compassionis in nobis excitabuntur: cũ certum sit magnam passionem magnam compassionem mereri. Sic & quantò maiores fuerunt dolores, quos pertulit Christus, vt regnum peccati destrueret, tantò maior in nobis excitabitur affectus, ad detestandum id, cuius ruina & euersio Christo tam caro & amaro cõstat pretio. Magnitudo quoq; virtutum eius excellentius enitet in magnitudine dolorum eius, cum extra controuersiam sit, eam patientiam esse maiorem, quæ plus sustinet, & illam humilitatem excellentiorem, quæ grauiori sese submittit oneri: & sic in alijs virtutibus. Nec meo quidem iudicio minùs aptus est hic motus ad maiorem dilectionem in homine accendendam: si enim Christum amare debeamus ob id, quod pro nobis passus est: quantò grauior erit eius passio, tantò magis ad amorem eius erimus obligati. Ex eo quoq; magnitudo huius beneficij colligitur: quantò enim Christo maioris constat nostra redemptio, tantò maiores illi debemus gratiarum actiones. Ad cognitionem Dei quoque vtilis est hæc consideratio, hoc est, vt ex magnitudine dolorum Christi agnoscamus magnitudinem charitatis, bonitatis, misericordiæ, & iustitiæ, quorum omnium cognitio humana corda ad amorem & timorem Dei', atque ad mandatorum eius obseruantiam solet permouere. Quantò enim exactiùs intelligemus acerbitatem & magnitudinem dolorum eius, tantò manifestiùs videbimus, quàm magna fuit charitas, quæ tanta patitur: & bonitas, quæ adeò sese effudit, & misericordia, quæ sponte tantas in se recepit miserias: & iustitia, quæ tam inclementer vindicauit culpam, etiam in propria sua persona.

Magnitudinis dolorum Christi consideratio ad quid vtilis.

Ex quibus clarè liquet, fundamentum harum cõsiderationum esse dolorum Christi magnitudinis cognitionem. Cùm igitur pedem in hac cognitione bene fixerimus, non deerit nobis occasio & motus, ad reliqua omnia prædicta bene perãgenda: nunc hoc; paulò post illud. Et prout anima sese in his considerationibus fixam inuenerit; etiam in his aut modicum, aut diu perseuerabit. Non enim semper necesse est omnes istas considerationes simul percurrere: sed proponuntur omnes, quia omnes bonæ sunt, & sanctæ: vt illi qui non inueniunt gustum in vna, transmigrent ad aliam. Quare non absre fore arbitratus sum, si priusquam mysteria sanctissimæ Christi Passionis aggrediamur, breuiter agamus de acerbitate, & magnitudine dolorum, quos Christus in illa sustinuit, & de causis illius, de quibus copiosius actum est in libris de oratione & Meditatione. *Lib. prim. circa fin.*

DE MAGNITVDINE DOLORVM Christi.

CAPVT XXX.

QVærit D. Thomas in tertia parte Summæ suæ; Vtrum dolor passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus? Ad quod idem respondet, dicens: Dolores quos Christus passus est, excesserunt omnes dolores, quos homines pati possunt in hac vita. Hanc conclusionem probat multis rationibus. *S. Tho. 3. p. q. 46. art. 6. Probatur dolor Christi omnibus maximum.*

Prima est, magnitudo charitatis Christi, (quæ erat omnium maxima) quæ fecit illum amare, & desiderare gloriam magni Dei, & redemptionem generis humani, summo cum desiderio. Quantò autem maiores dolores patiebatur pro peccatis, tantò magis satisfaciebat honori Dei offenso, & copiosiùs redimebat hominem reum. Ideo voluit suos dolores esse grauissimos, vt & redemptio esset perfectissima. *1. Ratio.*

Secundo magnitudo doloris Christi potest considerari ex doloris & tristitiæ puritate. Nam in alijs patientibus mitigatur tristitia interior, & etiam dolor exterior, ex aliqua consideratione rationis, per quandam deriuationem, seu redundantiam à superioribus viribus ad inferiores. Vnde Martyres aliquando cum gaudio passi sunt. In Christo autem patiente hoc locum non habuit, quia vnicuiq; virium permisit agere, quod est sibi proprium, erant igitur Christo clausæ omnes ianuę, per quas aliqua lux, aut consolatio ad illum potuisset peruenire: atque ita manibus quasi vinctis totus oblatus est tormentis, vt sine contradictione, aut aliqua mitigatione licitum fuerit illis eum excarnificare, quantumcunq; voluerunt & potuerunt. *2. Ratio.*

Tertia causa doloris fuit, perceptibilitas, ait Thomas, patientis, & secundum animam, & secundum corpus. Nam & secundum corpus erat optimæ complexionis, cum corpus eius fuerit formatum miraculosè, operatione Spiritus sancti, & ideo in eo maximè viguit sensus tactus, ex cuius perceptione sequitur dolor. Proinde Christus cæteris hominibus fuit delicatior, & dolores magis, quàm alij solent, sensit. *3. Ratio.*

Præterea vehementer illum affligebat memoria & compassio benedictę Matris suę: cuius animã bene sciebat gladium doloris acutiorem, quam vnquam Martyr sensit, transiturum. Etenim quemadmodum non fuit aliquis Martyr, qui propriam vitam tam amaret, quam illa vitam Filij: sic nec Martyr quispiã tanto cum dolore propriam mortem tulit, quanto hæc mater mortem Filij sui. *4. Ratio.*

Affligebat etiam eum naturaliter repræsentatio & memoria mortis propriæ: sicut enim amor vitæ naturalis est, sic & horror mortis est naturalis, & tãtò ma- *5. Ratio.*

tò magis, quanto dignior est vita, vt ametur. Quam ob causam dicit Aristoteles, sapientem plurimùm amare vitam propriam: scit enim sapiens talem vitam amore dignam esse. Quod si verum sit, perpende tecum, quanto cum feruore Christus vitam suam amauit, quam sciebat omnium creaturarum vita nobiliorem.

Hæ igitur causæ dolorum tam impensè animam Christi sanctissimam afflixerunt, vt nullis id verbis queat enarrari. ex quibus facilè cognoscitur, multò grauiores fuisse dolores animæ, quàm corporis: & multò acerbiorem fuisse passionem intuisibilem, quam intus patiebatur, illa visibili, quam foris sustinebat.

Christus in omnibus membris & partibus passus est.

Adhæc ipsum genus mortis fuit acerbissimum, atque crudelissimum, vt infra dicemus. His adde, quòd in ipsa morte concurrebant tot iniuriarum & tormentorum genera, quòd non fuit quicquam in sancta eius humanitate (superiori animæ parte excepta) in quo Dominus singulare tormentum non pateretur. Sustinuit namque in anima sua sanctissima dolores iam prædictos; & in corpore hos, de quibus paulò post dicturi sumus. Passus est in fama, dum falsa testimonia de illo dicuntur, & ignominiosi tituli scribuntur, quibus ad mortem condemnatur. Passus est in honore, dum tot genera ludibriorum, opprobriorum, & iniuriarum tolerat. Passus est in bonis temporalibus, quæ tantum erant paupercula vestimenta quæ habebat, quibus etiam spoliatur, & nudus in crucem suspenditur. Passus est in amicis, qui omnes fugientes, deseruerunt eum, atque in potestate hostium reliquerunt. Passus denique est in singulis sensibus & membris sanctissimi sui corporis, quorum vnumquodque peculiare suum tormentum sustinuit. Caput spinis fuit lancinatum, oculi lachrymis obtenebrati, aures iniuriarum tormentis oppletæ, maxillæ alapis percussæ, facies sputo & turpissimis oris excrementis deturpata, lingua felle & aceto cruciata, barba vellicata, manus clauis perforatæ, latus apertum lancea, humeri flagris fracti & lacerati, pedes duris clauis transfixi; totum denique corpus cruentatum, laniatum, articulis suis motum, & luxatum, atque extensum in cruce. Vt quemadmodum omnia membra mystici corporis eius erant vulnerata & flagellata; sic omnia illa veri & naturalis vulnerarentur, & tormenta sua sustinerent. Quemadmodum igitur talis fuerat nostra peruersitas & malitia, quòd cum omnibus rebus, quæ in nobis, vel circa nos sunt, cum omnibus sensibus & mẽbris nostris Deum offenderamus; sic & satisfactio Christi fuit huiusmodi, vt in omnibus suis cruciatus sit, quia nos cum omnibus nostris peccaueramus.

Multitudo & varietas tormentorũ.

Creuit etiam pœna continuatione, & multitudine tormentorum, quæ pertulit Saluator ab illa hora, qua captus est, ad illam vsque, in qua spiritum suum Patri in cruce reddidit: toto enim hoc tempore omnes in illo cruciando fuerunt occupati, singuli suo modo. Vnus eum comprehendit, alter ligauit, tertius accusauit, quartus derisit, quintus alapas dedit, sextus flagellauit, septimus coronauit, octauus arundine percussit. Condemnatum alij vestibus induerunt, alij exuerunt, nonnulli blasphemauerunt, quidam crucem eius humeris imposuerunt. Omnes denique in hoc toti erant, vt nouis & exquisitissimis tormentis eum excarnificarent: ducebant illum & reducebant de vno iudice ad alium, de vno tribunali ad aliud, de vno Pontifice ad alium trahebant, haud secus quàm si latro vel malefactor publicus fuisset. O Rex gloriæ, quanta debemus tibi, Domine, pro tot inuentionibus & suppliciorum generibus, quæ pro nobis passus es. Hæc igitur, & huiusmodi plura ostendunt manifestè, dolores, quos Saluator sustinuit, omnes dolores huius mundi, quos vsque in diem hunc sustinuerunt, aut in posterum homines sustinebunt, multis modis superare.

Vtilitates considerationis passionis Christi.

Quem itaque fructum ex hac pia consideratione colligemus? magnum sanè & inæstimabilem. Quicquid enim Christiana nos philosophia docet, id ipsum, & quidem breuiter, docet Crux Christi; quidquid operatur lex & Euangelium, (conferens nobis cognitionem boni, & amorem illius) id omne suo modo, tradit & operatur sanctæ Crucis philosophia. Ex ea namque primò melius, quàm ex omnibus mundi addiscitur magnitudo & malitia peccati, dum consideramus, quid Dei Filius passus est, & quid fecit, vt peccatum destrueret. Ex ea cognoscitur pœnarum infernalium grauitas, cùm ipse Dominus voluerit tantarum pœnarum gehennam ingredi, vt nos à gehennæ pœnis & doloribus liberaret. Ex ea cognoscitur, quàm immensa sunt bona, cùm gratiæ, tum gloriæ: cùm tam pretioso & magnifico fuerit opus merito, ad ea recuperanda, postquam iustè fuerant amissa. Ex ea cognoscitur dignitas hominis, & pretium animæ, dum consideramus, quanti faciat illam Deus, postquam tam caro pretio perditam redemerit. Per eam facilius, quam per quiduis aliud, peruenimus in cognitionem Dei, non qualem habuerunt Philosophi, (quibus ea cognitio parum profuit, cùm nihil eius agnouerint, quàm omnipotentiam & sapientiam, quarum vestigia sunt in ipsis rebus creatis) sed talem, qualem habere decet homines sanctos, & religiosos: vt cognoscamus eius bonitatem, charitatem, misericordiam, prouidentiam, & iustitiam: harum enim cognitio generat in animabus nostris amorem & timorem Dei, spem misericordiæ, & obedientiam mandatorum eius, in quibus summa atque caput Religionis veræ consistit.

Sed & diuinæ perfectiones quam dilucidè spectentur in hoc Crucis mysterio, hæc docet ratio. Bonitatis enim est communicare, & dare seipsam alteri; amoris, amato benefacere; misericordiæ, miserias & mala miserabilis in se recipere; iustitiæ, seuerè delicta & culpas reorum vindicare. Id si verũ sit, dic age, quæ maior potest inueniri bonitas illa, quæ sese eò demisit, vt seipsam homini communicauerit? vnum quid cum illo facta est? Quæ maior charitas, quàm alterum participem facere bonorum omnium, quæ possidet? Quæ maior misericordia, quàm in se suscipere miserias omnes, omniaque humana debita? Quæ inquam maior misericordia, quàm Deum in suos humeros excipere flagella, quæ nostra furta & rapinæ merebantur? pati crucem nostram? nostrum bibere calicem? pro nostris peccatis cruciari? ob nostram superbiam illudi? ob nostram cupiditatem in cruce spoliari? denique totum potestatibus tenebrarum tradi, vt homines à tenebris liberaret? An misericordia vnquã maior hac esse posset? Nec minor est iustitia, quæ in hoc opere elucescit. Quæ namque iustitia posset esse maior, quàm quod Deus tam inaudito genere supplicij vindicare voluit hominum peccata in dilectissimo & innocẽtissimo suo Filio? iustissimus enim iudex sit oportet, qui proprio filio suo non ignoscit, aut parcit, si crimen alterius in se receperit.

Quod cùm ita sit, quis talem non timebit iustitiã? quis non sperabit in talem misericordiam? quis non amabit talem bonitatem? Non erat profectò possibile homini maiores stimulos atque incentiua amoris, timoris, obedientiæ, & spei proponere, quàm hîc proposita sunt. si alicuius animum non molliant atque expugnent hæc, nescio quid mollire vel expugnare poterit.

Denique exempla ad imitandas alias virtutes, maximè autem humilitatem, obedientiam, patientiam, mansuetudinem spiritus, paupertatem &c. quanta & quam perfecta hic nobis delineantur? Simile. Exempla enim virtutum (vt D. Thomas ait) tantò sunt efficaciora, quantò personæ sunt digniores. Quis enim auderet equitare, si videat Regem suum pedibus incedere? aut in molli iacere lecto, Rege ad pugnam properante? Age si tantum possunt alicuius Regis exempla, qui non minùs homo mortalis est quam nos: quantò plus poterunt exempla Maiestatis illius Regiæ, qui tanta pro nobis & fecit & pertulit? præsertim cùm exempla Christi aliam præter hanc etiam habeant dignitatem & efficaciam admirabilem: exempla enim eius, exempla sunt simul & beneficia, remedia, medicamenta, atque incentiua charitatis, deuotionis, & omnium virtutum.

Agamus igitur immortales gratias Domino pro hoc beneficio tam incomparabili: hoc est, tam pro eo, quod nobis contulit, quã pro eo, quo nobis id comparauit; potissimum verò pro magna illa qua nos dilexit charitate: multò enim plus amauit, quã passus est; & multò plus passus fuisset, si necessitas id postulasset. Pro tribus his æternas gratias agere Domino nostro debemus; & quia nihil habemus ex nobisipsis, quod illi reddere possumus, id saltem contendamus, vt omnis vita nostra ipsius sit, cùm tota illius nostra fuerit. Hoc breui exordio præmisso, nunc primarios articulos Dominicæ Passionis breuiter discutiamus, ab illius in vrbem Hierosolymitanam ingressu in die Palmarum incipientes: is enim initium fuit, & passionis exordium.

DE INTROITV CHRISTI IN HIERUSALEM, & de Palmarum festo.

CAPVT XXXI.

APpropinquante iam tempore, quo Christus Saluator noster in sacrificium pro salute mũdi immolari decreuerat, quemadmodum nõ coactus, sed sponte voluit sacrificari, sic etiam sponte ad locum sacrificij, vrbem scilicet Hierosolymitanam venit; vt in ciuitate & in die illo, quo mysticus agnus immolabatur, verus etiam immolaretur: & vbi toties iam antea fuerant occisi Prophetæ, ibi quoque Prophetarum Dominus occideretur: atque vt vbi paulò antè tanto cum honore acceptus erat, ibidem condemnaretur, & crucifigeretur: vt eius passio tantò esset ignominiosior, quantò locus erat magis publicus, & dies solennior. Hanc ob causam qui villam Bethlehem locum elegerat natiuitati, nunc ciuitatem Ierusalem eligit locum sacrificio; vt gloria natiuitatis absconderetur in abiecto oppidulo Bethlehem; ignominia verò passionis in Vrbe Hierosolymitana magis diuulgaretur.

Matth. 21. Ioan. 12.

Iesus humili loco natus, celebri vero passus.

Matth. 2. Lucæ 2.

Ingrediens igitur ciuitatem, receptus fuit cum maxima solennitate, cum ramis oliuarum, & palmarum multis vestimenta sua in via sternentibus, & magna voce clamantibus, *Benedictus qui venit in nomine Domini: O sanna in altissimis.* Hic primò cõsideranda venit magnitudo charitatis Domini nostri, gaudiumque & promptitudo voluntatis, qua cũ festinabat, vt morti pro nobis offerretur: cùm in hoc die voluerit recipi cum tanta festiuitate, in signum lætitiæ, quæ in corde illius versabatur, cum videret quòd iam in foribus erat hora nostræ redemptionis. Sic & de S. Agatha legitur, quod lætissimè, & glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas intitata agonem suum Domino commendabat. Qua igitur cum promptitudine, & deuotione putas iuerit is, qui tantò maiorem habuit charitatem, & gratiã, cum proficiscebatur ad executionem operis nostræ redemptionis, pro obedientia & honore eiusdem Dei? Ex quo clare disces, quanta cum alacritate & promptitudine voluntatis debeas in eius seruitium incumbere, posteaquam ille tanta cum voluptate opus redemptionis tuæ peregerit, recordando illius Apostolici; *Hilarem datorem diligit Deus.* & dicti Prophetæ: *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.*

Matth. 21. Ioan. 12.

B. Agatha

2. Cor. 9. Ierem. 48.

Deinde & verba prophetiæ, quibus hic introitus præfiguratur, diligenter expende. *Exulta*, inquit, *satis filia Sion, iubila filia Ierusalem. Ecce Rex tuus venit tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* Verba hæc magnæ sunt consolationis: dicit enim; *Rex tuus*, & *tibi*; quasi diceret, Regem hunc totum fore tuum, omnesque labores & molestias eius fore in tuum vsum. Tibi venit, tibi nascitur, tibi laborat, tibi ieiunat, tibi orat, tibi viuit, tibi moritur, tibi denique resuscitatur, & in cælos ascendit. Nec offendat te nomen Regis: quia Rex iste non est sicut alij Reges huius seculi, qui potius sibi regunt, & suæ studentvtilitati, quàm subditorum; hos depauperantes vt ipsi ditescant, & vitam eorum exponentes periculo, vt suam conseruent. Hic nouus Rex non isto modo dominabitur: ipse namque suo dispendio te ditabit, te suo sanguine defendet, tibi vitam dabit, propriam pro te ponens. Hoc enim est quod ipse dicit apud Ioannem, sibi datam potestatem super omnẽ carnem, vt omnibus suis daret vitam æternam. Hic est ille Principatus, de quo loquitur Propheta: *Et factus est principatus super humerum eius*, & non super humeros populi: vt labor & onus illius sit, fructus vero & vtilitas nostra.

Zach. 9.

Ioan. 17.

Esa. 9.

Dicit præterea, quòd *venit mansuetus, sedens super asinam*: qui sane equitatus est pauperrimus: ita quòd Deus vltionis, qui sedet super Cherubin, qui volat super pennas ventorum, cui millia millium Angelorum ministrant, & decies millies centena assistunt, hic idem nunc venit mansuetus & humilis, qualis nobis hic offertur: vt non fugias eum, sicut olim Adam in Paradiso terrestri, & populus Iudaicus cum lex daretur: sed vt appropinques illi, teque illi iungas, videns eum ex leone in agnum conuersum: Cùm enim hactenus cor tuum non dilectuerit vi suæ potentiæ, vel magnitudine suæ Maiestatis: nunc illud expugnare vult & superare magnitudine suę humilitatis, & amoris sui fortitudine. Hic nouus oppugnandi modus est, hæc noua bella, quæ elegit Dominus, sicut ait illa sancta Prophetissa: quibus portas hostium ipse subuertit, & hominum animos expugnauit. Hoc nobis in celebri hoc Christi in vrbem introitu adumbratur, cui tota ciuitas mota, vt ait Euangelista, processit obuiam, accipientesque ramos palmarum & oliuarum, qui præcedebãt, & sequebantur, atque sternentes vestimenta sua in via, canebant, & salutem æternam acclamabant.

Genes. 3. Exod. 20.

Nouum belli genus Christus adiuuit.

Iud. 5.

Quid aliud hic insinuat Spiritus sanctus, quàm quòd Dominus, qui quondam pugnauit aduersus hunc mundum rigore, diluuio, ferro, igne, cædibus, terroribus, & minis: nec vnquam homines ad deditionem compellere potuit: nunc nouum belli genus elegit, procedens non supplicijs, sed beneficijs: non rigore, sed amore; non ira, sed beneuolentia: non Maiestate, sed humilitate: denique inimicos non occidendo, sed pro illis moriendo: quo modo præliandi id nunc obtinuit, vt cordibus eorum dominetur, atque omnia traxerit ad se, sicut ait in Euangelio: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*: non vi vncinorum, & harpaginum: sed catenis charitatis, & funiculis Adæ: non flagellis & pœnis, sed bonis operibus & beneficijs.

Ioan. 12.

Tunc

Tunc igitur inceperunt homines, alij cædere palmarum & oliuarum ramos, seipsos bonis proprijs spoliantes, & in operibus pietatis atque misericordiæ, quæ per oliuas significantur, erogantes: alij verò ausi maiora, vestimenta sua exuebant, & in via sternebant, qua Christus veniret: & hi sunt illi, qui per mortificationem appetituum suorum, propriæque voluntatis, castigando, & durius tractando carnem suam, morte proprij corporis seruiunt honori illius Domini: quemadmodum fuerunt innumerabiles Martyres, qui sese in terra sterni, & corpora sua membratim discerpi pro gloria atque confessione Dei non sunt veriti.

Tribus virtutum generibus Domino obuiam procedere debemus.

In quo tria virtutum genera nobis commendantur, quibuscum obuiam procedere Domino, eumq; recipere debemus, quando spiritualiter in animas nostras venit. Prima est oratio, significata per illos, quia elata voce Dominum laudabant, & salutem ab illo deprecabantur. Secunda est eleemosyna, & opera misericordiæ, quæ per eos insinuantur, qui cædebant ab arboribus ramos oliuarum: quia per oliuam (vt diximus) intelligitur in Scripturis misericordia. Tertia est mortificatio carnis, & contemptus sui ipsius, quæ designatur per hos, qui sternunt in via vestimenta sua, vt conculcentur, & pedibus terantur pro honore Christi. Harum virtutum prima, quæ est oratio, debetur Deo; secunda scilicet misericordia, proximo; & tertia, quæ est mortificatio sibiipsi. Hæ sunt tres spirituales cruces, quas quiuis Christianus semper portare debet. Mane namque, mox vbi expergiscitur, Deo reddat gratias, & cursum illius diei Domino commendet: quod vbi peregit, mox tollat has tres cruces, hoc est, tres istas maximas obligationes; & his oneratus tota die incedat cum perpetua attentione, vt cuique harum satisfaciat, gerens erga Deum cor deuotissimum; erga proximum beneficentissimum; & in semetipsum seueriss imum, castigando corpus suum, linguam refrænando, & omnes appetitus suos mortificando.

Inconstantia mundi.

Præter hæc omnia maximum nobis hîc datur argumentum mundi inconstantiæ, commodaque offertur occasio mundum fugiendi, eiusque gloriam contemnendi; quæ & vanissima est, & suos amatores tandem in extrema adducit pericula. Vis igitur videre quanti faciendus est honor ille, & illa gloria? Intuere hoc loco honorem, quem mundus exhibet Domino, & videbis eundem mundum, qui illum hîc recipit tanta cum pompa, post quinque dies eum Barraba peiorem censere, & magnis clamoribus ad mortem petere, clamando & vociferando; *Crucifige, crucifige, crucifige.* Qui itaque hodie extollebat illum, & laudabat tanquam filium Dauid; hoc est, tanquam Sanctum Sanctorum; cras omnium hominum pessimum, vitaque vel ipso Barraba indigniorem iudicabat. Dic sedes, ecquod exemplum habere posses manifestius, ad intelligendum quid sit mundi gloria, & quo loco habendum sit testimonium & iudicium hominum? Ecquid leuius, cæcius, infidelius, inconstantius, quàm iudicium & testimonium mundi? Hodie ait, cras negat; hodie laudat, cras vituperat; hodie leuiter extollit super nubes, & cras maiori cum leuitate vsque ad abyssum deijcit: hodie dicit, *Osanna filio Dauid*, cras Barraba iudicat magis sceleratum. Tale est iudicium huius beluæ multorum capitum, fallacis huius monstri, in quo nec fidelitas vlla est, nec veritas: quod nec hominum vitæ parcit, nec famæ, nec fortunis, nisi ob commodum proprium: sicut nec aliquem honorat, nisi vtilitas quædã inde ad se deriuetur. Nulli bonus est mundus, nisi huic, qui erga ipsum prodigus est, etiam si ille Paganus sit, vel Ethnicus, & nulli malus, nisi à quo secundum merita sua tractatur, etiam si is miracula faciat. non enim alia mensura virtutem metitur, quàm proprio commodo. Sed de illius fallacijs & impostur is quid dicam? Cui vnquam fidem datam seruauit? Cui vnquam quod promisit dedit? Quo cum diu amicitiam fouit? Cui diu quod dederat vti permisit? Cui vnquam vinum vendidit, quod non esset aqua dilutum, & mille mixturis vitiatum? In eo tantum constans est & fidelis, quòd nulli fidelis est. Mundus perfidus ille Iudas est, qui osculo suum amicum hostibus prodit, & occidendũ tradit. Mundus est infidelis ille Ioab, qui benignè amplectitur amicum, quem salutat in dolo, & clam interficit. Promittit vinum, & dat acerum; promittit pacem, & clam fouet bellum: malè seruatur, peius acquiritur: periculosum est mundum tenere, & relinquere difficile. O munde peruersissime, falsus promissor es, & verus impostor: publicus adulator es, & secretus proditor: in principio dulcis es, & in fine amarus: in vultu benignus es, in manibus crudelis: in beneficijs auarus es, & in doloribus prodigus: exterius pulcher es, interius nil pulchritudinis est in te: aspectu floridus es, & sub floribus spinæ sunt.

Matth 26.

2. Reg 3.

Luc. 23.

DE LOTIONE PEDVM Apostolorum.

CAPVT XXXII.

CVm Saluator mundi ad extremum vitæ venit, antequam sacræ suæ passionis iniret certamen, atque Apostolis suis vltimum vale diceret, voluit ipsemet proprijs manibus suis sordidos eorum pedes lauare: sanctissimum Sacramentum altaris instituere: & concionem suauitate, doctrina, & consolatione plenam illis proponere. Talis enim gratia, & talis finis suauitati & charitati talis Domini conueniebat. Ait igitur Euangelista: *Ante diẽ Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius vt transiret ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.* Hactenus Euangelista.

Ioan 13.

Cùm multa in actu tam notabili sint considerandа, primum quod nobis offertur, est exemplum hoc inæstimabilis humilitatis Filij Dei: cuius magnitudinem Euangelista statim in initio huius Euangelij cœpit recensere; vt dilucidiùs videretur magnitudo illius humilitatis, cum tanta maiestate comparata, quasi dixisset: Hic Dominus, qui sciebat omnia, hic qui erat filius Dei, hic qui venerat à Deo, & ad Deũ reuertebatur: Hic, in cuius manus Pater dederat omnia, cælum, terram, infernum, vitam, mortem, Angelos, homines, Dæmones, & denique omnia: Hic qui tam magnus erat in Maiestate, tam magnus factus est in humilitate, vt nec magnitudo suæ potentiæ fecerit illum hoc officium contemnere: nec præsentia mortis fecerit eum huius obsequij obliuisci: nec altitudo Maiestatis eum continuerit, quo minùs tam vile ministerium subiret: quod sanè vnum ex vilissimis est, quod seruis solet imperari: tãquam seruus itaque vestibus se spoliauit, & cinxit, & aquam in peluim misit: & ipse propris suis manibus, quæ cælum & terram crearant, in quas posuerat Pater æternus omnia, *cœpit lauare pedes* quorũ? pauperum piscatorum, & quod plus est, pedes omnium hominum nequissimi Iudæ proditoris sui, à quo iam erat venditus. O immensa bonitas, ô suprema charitas, ô

tas, ô ineffabilis humilitas filij Dei. Quis non obstupesceret, videns Creatorem mundi, gloriam Angelorum, Regem cælorum, Dominum omnium rerũ creatarum, prostratum ante pedes piscatorum, imò ante pedes Iudæ? Non illi satis erat de cælo in terras descendisse, non illi sufficiebat quod homo factus erat: sed amplius humiliari voluit. *Cum enim Deus esset, exinaniuit se* (ait Apostolus) non tantum hominis & *serui formam accipiens*.

Philiph. 2.

Luc. 7. Mirabatur Pharisæus, qui Christum ad conuiuiũ inuitauerat, videns quòd Iesus pedes suos à muliere peccatrice attrectari sineret: existimans indignum hoc esse Propheta. Si tu indignum arbitraris, ô Pharisæe, quod Propheta pedes suos tangi à peccatrice non dedignatur; quid faceres, si crederes Prophetam hunc fuisse Deum, & quòd nihilominus pedes suos peccatrici extenderet, vt attrectaret illos? Quod si tibi id admiratione dignum videretur, dic mihi quæso, quid faceres, si crederes hunc Deum esse, (vt sanè erat) & videres eum non tantum permittere, vt pedes sui tangerentur à peccatoribus, sed etiam eum ipsum conspicere in terra prostratum, ante pedes peccatorum vt vermiculum reptare, eosque suis manibus lauare? Quanto maior est Deus Propheta? & quanto maius est lauare pedes alterius, quàm permittere, vt pedes sui ab altero lauentur? Quãtò magis igitur obstupuisses, & attonitus admiratus fuisses, si hæc vidisses & credidisses? Credo equidem & Angelos ipsos stupefactos, & attonitos astitisse, cùm tam immensam, extremamque humilitatem viderunt.

Officia charitatis per se, non per alios facere debet homo.

Posuit vestimenta sua, dicit Euangelista. *O* ingratitudo & magna miseria generis humani. Deus ponit omnia impedimenta, vt magis expeditè seruiat hominibus; cur non eadem tollit homo, vt seruiat Deo? Si cælum ita sese ad terram inclinat, cur se terra non inclinabit ad cælum? Si abyssus misericordiæ inclinat sese ad abyssum miseriæ, cur non inclinabit se abyssus miseriæ ad abyssum misericordiæ? Ipse se cinxit, ipse aquam in peluim misit, ipse pedes suorũ Apostolorum lauit: vt hinc exemplum sumant virtutum amatores. & illi, quibus animarum cura incumbit, ne committant alijs officia charitatis, sed ipsi manus ad omnia extendant. Si homo sibijpsi, & non alteri mercedem dari cupiat: etiam ipse virtutum officia debet facere, non alijs committere.

Lucæ 22. Considera quæso quàm conuenienti tempore hanc actionem suam Christus instituit. Disputabant enim & altercabantur inter sese discipuli, quis eorum maior esset. De eadem re iam antea quoque litigauerant, nec admonitione Domini, quam tunc verbis dederat, erant curati: ideoque vt sanaret hãc eorum infirmitatem; aliam adhibuit medicinam efficaciorem, opera scilicet ipsa, faciens inter illos, & pro illis, opus hoc tam magnæ humilitatis, præter ea quæ hactenus fecerat, & adhuc facturus erat: Dominus enim non ignorabat, quàm erat hominibus hæc virtus necessaria, & quam difficilis esset eis obseruatu, propter maximam quam habet in se contradictionem: ideoque voluit infirmitatem talem medicamento sanare adeo efficaci.

Nec tantum dedit ibi Saluator exemplum humilitatis, sed etiam charitatis: lauare namque pedes, non est tantùm seruitium, sed etiam amoris significatio: idque fecit Dominus pedibus suorum amicorum, pridie quam pedes sui clauis erant perforandi, & proprio sanguine lauandi: vt intelligas quàm seuera & dura charitas est in seipsam, & quàm benigna in proximum. Hoc igitur exemplum charitatis & humilitatis, quasi mandatum Dominus reliquit omnibus amicis suis, in suo testamento, præcipiens illis in illa hora extrema, vt exemplum hoc acceptarent, sese mutuo amarent, & tractarent illo modo quò ipse tractauerat eos. Ecquæ alia lex, ecquod aliud mandatum esset expectandum ab illo pectore charitate & misericordia tam pleno? quod magis illi proprium? Quod aliud mandatum relinqueret pater filijs suis in hora mortis suæ, nisi vt se mutuo diligerent? Mandatum hoc dedit sanctus Ioseph fratribus suis, cum illos ad patrem remitteret, *Ite*, ait, *in pace, & ne irascamini in via*. Mandatum hoc fuit veri fratris, verè fi atres suos amantis, & bonum atque commodũ desiderantis, cum & ipse Dominus ad demonstrandum eundem amorem erga homines hîc idem præceptũ dederit, (quod propter excellentiam mandatum dicitur) in quo præcipit id quod ad pacem nostram, commodum nostrum, & consolationem nostram erat conuenientissimum: adeò, vt si mundus mandatum hoc obseruaret, viuerent sanè homines non aliter atque in paradiso. In quo spectatur natura mandatorum Dei: talia enim sunt, & humano generi tam vtilia, vt si penitius ea perscruteris, inuenias nos Deo magis obstrictos propter ea quæ nobis præcepit, quam Deum nobis, propter suorum mandatorum obseruantiam: excepto namque cælesti præmio, non potuit aliquid mandari in hoc mundo magis nobis vtile atque conducibile, quàm mandatum hoc, quod nobis in vltima sua cœna pro testamento reliquit.

Genes. 45.

DE INSTITVTIONE SANCTISSIMI Eucharistiæ Sacramenti.

CAPVT XXXIII.

INter omnia signa charitatis, quę Dominus noster nobis in hoc mundo reliquit, tanquam excellentissimum merito numeratur sanctissimi Sacramenti altaris institutio. Quamobrem ait Ioannes; *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finẽ dilexit eos*. Cùm enim iam vitæ finis immineret, exhibuit, quo amore electos suos complecteretur, dum maius illis beneficium præstat, maius amoris sui symbolũ illis relinquit, quam vnquam sperari potuisset.

Ioan. 13.

Vt autem debito modo intelligamus hæc verba, quæ sunt quasi huius mysterij & eorum quæ sequuntur fundamentum: id statuendum est, non reperiri linguam creatam, quæ possit enarrare magnitudinem amoris, quo Christus æternum Patrem suum dilexit, & consequenter etiam homines, quos illi commendauerat. Erant enim gratiæ dona atque beneficia, quæ Dominus noster, quatenus erat homo, ab illo supremo Patre acceperat, infinita, quẽadmodũ & sanctissimę animę illius gratia erat infinita, vnde charitas quoque infinita procedebat: quare & amor, qui omnibus his respondebat, tantus fuit, vt nec intellectus humanus, nec Angelicus possit eum comprehendere. Cum igitur proprium sit amoris, quod desiderat labores & dolores pati pro eo, quod amat: sequitur etiam esse impossibile, vt quis comprehendat magnitudinem desiderij, quo Christus intus æstuabat, vt biberet calicem mortis proque gloria Dei, atque hominum salute (quam tantopere pro amore suo desiderabat) pateretur. Hic itaque diuinus amor, qui tanto tempore quasi tectus, inclusus, & vinctus fuerat, quo minùs omne id faceret, quod optabat, & poterat, hodie reseratis portis emissus est, dataq; ei potestas, vt disponeret, faceret, pateretur pro gloria Dei, hominumq; salute, quicquid vellet. Accepta igitur hac licentia, primũ quod fecit, fuit, quia portas aperuit omnibus doloribus & tormentis suæ passionis, vt coniunctis viribus simul animam eius sanctissimam apprehensione quadam, & repræsentatione inuaderent: deinde corpus quoque aggrederentur. Fuerunt autem dolores illi tam

Amoris Christi magnitudo.

vehemen-

vehementes, vt eorum imaginatio, & sola memoria fuerit sufficiens sanguineum sudorem in terram decurrentem exprimere.

Idem amor fecit vt se omnino offerret manibus peccatorum: & eum ad columnam ligauit, caput eius spinis coronauit, crucē eius humeris imposuit, & eidem tandem eum affixit. Idem amor fecit, vt manus suas ligandas protenderet, maxillas percutiendas præberet, barbam suam vellicandam daret, humeros suos flagellis non subtraheret, manus & pedes cruci compaginandos extenderet, pretiosum pectus lancea transfigendum præberet; omnia denique membra, omnesque sensus varijs tormētis subijceret. Hinc, frater, hinc dolorum Christi mensura sumenda est, non à furore Iudæorum, qui nequaquā amori suo potuit æquiparari; nec à multitudine nostrorum peccatorum, vna enim sanguinis illius guttula satis erat ad illa eluenda; sed solum ab amoris illius magnitudine.

Amor Christi causa institutæ Eucharistiæ.

Super hæc omnia verò idem amor Christum mouit, vt instituereet admirabile Sacramentum, quod quacunque parte consideraueris, flammas & radios amoris de se spargit. Ergo qui scire vult quantus fuerit erga nos amor Dei, in hoc diuinum Sacramentum oculos suos conijciat, discutiatque operationes & causas, propter quas institutum est. Illa namque subministrabunt ipsi vera, certaque signa ingentis illius amoris, qui ardebat in pectore illo, ex quo diuinum illud Sacramentum prodijt. Omnia siquidē indicia & signa veri & perfecti amoris inueniuntur in hoc diuino Sacramento.

Omnia indicia veri amoris in hoc Sacramento inueniuntur.

Primum enim signum veri amoris est, vnionem optare, & facere se vnum quid, cum eo quod amat. Hinc est quod is qui amat, omnes sensus suos, omnes animæ potentias, memoriam, intellectum, voluntatem, & imaginationem transfert in rem amatam; ita vt actu non in amante, sed in amato inueniantur. Non iniuria itaque amorem quis alienationem mētis à semetipsa posit appellare, quæ oritur ex eo, quod homo est quasi transformatus, seu transfusus in rem amatam. Hunc autem præcipuum amoris effectum exhibuit Christus in hoc Sacramento: præcipuus enim inter alios fines, propter quos illud Christus instituit, hic est, vt homo ipsi concorporetur, & vnum quid fiat cum illo. Propterea Sacramentum hoc sub specie cibi instituit: quemadmodum enim cibus, & is qui cibum comedit, vnum fiunt; sic etiam Christus, & is qui eum in hoc Sacramento sumit, commiscentur, & vnum efficiuntur. Testatur id ipse qui instituit; *Qui manducat meam carnem*, ait, *& meum sanguinem bibit, in me manet, & ego in eo.* Fit autem hoc per participationem vnius eiusdemque spiritus, qui est inter vtrunque, quasi inter duos idē esset cor, & anima eadem: ex quo procedit vnus idemque modus viuendi, & consequenter eadem gloria, etsi in gradibus differentibus. Quę res pluris debet æstimari, quam hæc?

Simile.

Ioan. 6.

Secundum signum veri amoris.

Secundum signum veri amoris est, benefacere illi, quem quis amat, eumque facere participem omnium eorum, quæ possidet, cùm ei cor suum, & seipsum dederit. Verus enim amor nunquam otiosus est: sed semper & vbique laborat, quærens occasiones, vt beneficijs cumulet, quem amat. Sed quæ maiora beneficia, quæ dona possunt esse pretiosiora his, quæ Christus nobis elargitur in hoc Sacramento? Datur enim hic caro & sanguis ipsiusmet Christi, & præmia, omniaque merita, quæ per carnem, & cum carne illa acquisiuit: Ita vt hic detur fauus vnà cum melle, & panis simul cum obsonio, id est, Christus simul cum omnibus suis laboribus, doloribus, tormentis, & meritis, quorum omnium participes efficimur per virtutem huius Sacramenti, secundum dispositionem & præparationem eius qui sumit. Vnde quemadmodum anima nostra contingens carnem, quæ descendit ab Adamo, quando Deus illam creat & corpori infundit, confestim particeps fit omnium malorum & miseriarum, quibus Adam humanum genus inuoluit; sic contra cùm illa per dignam communionem attingit carnem Christi, particeps fit omnium bonorum, meritorum; & thesaurorum Christi. Atque hæc est causa, cur Sacramentum hoc Communio dicitur; per hoc enim mysterium bonus Iesus nobis communicat, non tantum carnem & sanguinem suum, sed etiam omnia merita, quæ per sacrificium eiusdem carnis & sanguinis acquiruntur.

Simile.

Cur Eucharistia Communio dicatur.

Tertia operatio, & signum amoris est, optare semper in memoria eius versari, quem quis amat, vt amatus semper amantis recordetur: & ob hanc causam, ij qui sese mutuo amant, quando separantur, alter alteri monumentum seu pignus amoris relinquit, quod refricat amici memoriam. Ob eundem itaque finem etiam Christus hoc Sacramentum instituit, vt in absentia sua esset μνημόσυνον suæ personæ, sacratissimæque suæ passionis. Ideoque cum iam illud instituisset, dixit; *Hoc quotiescunque feceritis*, id est, quotiescunque corpus meum offeretis, sumetis, & alijs distribuetis, *facite in meam commemorationem*: estote memores incredibilis, quo vos complexus sum, amoris, omnium bonorum, quæ in vos abunde profudi, magnorum cruciatuum, quos pro vobis sustinui. Quantum amorem credimus quod ille gerebat erga nos, qui huiusmodi requirit à nobis memoriam amoris sui, per tale signum & monumentum?

Tertium amoris signū.

Luc. 22.

1. Cor. 11.

Et non contentus verus amor sola memoria, requirit etiam amorem reciprocum, omnēmque mercedem & remunerationem contemnit, si non redametur: & nonnunquam illud desiderium tam vehemens est, vt quærat cibos incantatos, & buccellas artificiosas, philtra quoque seu pocula amatoria, vt amorem excitet, si forte videat nullum in amato amoris indicium esse. Vsque ad hoc ergo signum etiam supremus ille amor Dei peruenit: desiderans enim vicissim amari à nobis, hanc buccellam nobis temperauit, quæ certis verbis consecratur, quam qui digne suscipit, confestim incalescit, & amore vulneratur. Quid igitur vnquam admirabilius quàm hoc inueniri potest.

Quartum amoris signū.

Quinta operatio & signum amoris, quando amor est tenerrimus, est desiderium ea dandi quæ iucunda sunt, & dulcia, & quærendi ea quæ ad hunc finem sunt accommodata: quemadmodum patres facere solent filiolis suis paruulis, bullas, enšiculos, coralia, crepitacula, fasciolas, aliaque crepundia, quæ ad gustum & recreationem illorum faciunt, donantes. Idem supremus hîc fecit amator hominum sanctissimum hoc Sacramentum instituens, cuius præcipuus effectus est, præbere spiritalem refectionem & consolationem animabus puris & mundis; quæ ex eo tantum gaudium & dulcedinem percipiunt, (vt B. Thomas dicit) quod nulla hoc potest lingua explicari. Tu autem, mi frater, considera tempus, quo benignissimus ille Dominus nobis cibum tam suauem & delicatum voluit præparare, pridie scilicet quàm pateretur, cùm maxima tormenta, maximique dolores mundi ei præparabantur: Ita vt dum ei parabantur dolores, ipse pararet hos sapores: quando ei præparabatur fel, ipse præpararet mel, quando ei excogitabant diuersa tormentorum genera, ipse diuinum hoc instituereet solatium: nec potuit præsentia mortis, tantorumque tormentorum, quæ ei præparabantur, ita cor eius occupare, vt auerterent illud à beneficio concepto & prædestinato. Verè dignum

Quintum indicium amoris.

Cant. 8. ctum est, *Fortis vt mors dilectio: multæ* enim *aquæ* & rapidissimi torrentes passionum & dolorum *non potuerunt extinguere*, sed nec obscurare flammam diuini amoris.

Sextum signum amoris. Tob. 5. Gen. 37. & 45. Vltimum signum amoris est, dilecti sui præsentiam desiderare, nec posse patienter ferre illius absentiam. Id perspicuè videbit is, qui leget quid passa sit mater Tobiæ, propter absentiã filij sui; & quid fecerit Patriarcha Iacob, vt videret filium suum Ioseph: in illa enim ætate centum & triginta annorũ, cum omni familia & possessione sua, relicta terra Chanaan, in Ægyptum profectus est, vt oculis suis videret, quem amabat, antequam moreretur. Veri enim amoris conditio est, quærere semper præsentiã dilecti, eiusque societate velle semper frui. Ob eam igitur causam & diuinus amator noster admirabile hoc Sacramentum instituit, in quo ipse realiter & substantialiter præsens adest: vt quamdiu hoc Sacramentum esset, & ille pariter in mundo inter nos habitaret, non obstante quòd in cælum ascendit, & ad dextram Patris sedet. Atq; hoc irrefragabile argumentum est amoris sui, & desiderij quod habebat vt nobiscum esset. Magnitudo enim amoris eius tã longam absentiæ moram non ferebat.

Opus hoc Saluatoris erga nos, fuit opus maximi honoris, maximæ vtilitatis, maximæ consolationis, optimæque medicinæ, quod nobis in hoc mundo potuit relinqui; vt oculos nostros haberemus semper ad ipsum eleuatos, in omnibus necessitatibus ad ipsum confugeremus, cum eoque facie ad faciem loqueremur, quoties id foret necessarium: cuius præsentia nostram excitaret deuotionem, nostram augeret reuerentiam, nostram corroboraret spem, nostrum accenderet amorẽ. Amplificare volens Moyses honorem populi Israel dicebat; *Deut. 4.* *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Si sic locutus sit vir ille sanctus ante huius Sacramenti institutionem, quid nunc diceret de nobis qui habemus Deum præsentem, qui videt nos, & a nobis videtur: quo cum facie ad faciem conuersamur? Verè magnum quid operatus est Deus, instituens hoc Sacramentum, vt eum reciperemus in nobis: magnum etiam quid fecit, quòd voluit nos eum perpetuo in nostra societate, in locis sacris habere præsentem. O felices & beati Christiani, qui quotidie possunt hæc loca sancta frequentare, & stare in præsentia Domini, cum eoque ore ad os sermocinari; feliciores verò Sacerdotes, & Religiosi, qui in ipsis ecclesijs habitant, possuntque eadem præsentia frui, diu noctuque familiariter cum Deo conuersando. Vides igitur quomodo omnia signa perfecti amoris in hoc diuino Sacramento concurrunt, idque in gradu perfectissimo: adeò vt de amoris illius magnitudine dubitandi locus nullus relinquatur, cùm tantis, tamque euidentibus signis atque argumentis illũm demonstrauerit. Ex quo facilè cognosces Deum non minorem esse in amore, quàm in cæteris suis operibus. Quemadmodum enim magnus est in retribuendo, in consolando, & in castigando; sic etiam magnus est in amando. Age igitur quis maior thesaurus, quæ maior posset esse consolatio, quam hæc? certum enim est quod summum bonum, quod Dominus noster creaturæ potest præstare, est, quod amat illam. Amor enim (vt Theologi dicunt) est præcipuum quod datur donum: à quo omnia alia dona tanquam riuuli à fonte, aut velut effectus à causa nascuntur.

Amor donorũ Dei maximum.

Quod cùm ita sit, dic mihi quæso, quas maiores diuitias, quam consolationem maiorem possunt serui Dei habere, quàm quòd sciunt se sic à Deo diligi? licet enim amoris illius non potest euidens haberi notitia, nisi Deus reuelauerit, sunt tamen multæ cõiecturæ, ex quibus is amor quodammodo colligitur: vt si quis longo tempore immunem se seruet à peccato mortali. hoc enim sufficere debet ad maximã consolationem in homine per similem notitiam generandam; nec tantùm consolationem, sed etiam maximos stimulos atque incentiua, tam ad amandum Deum, quàm ad sperandum in illo. Etenim si nihil aptius sit ad accendendum ignem vnum, quã ignis alter; qua re quæso cõuenientius poterit in cordibus nostris accendi ignis amoris, quàm igne amoris tam immensi? Et si nihil sit efficacius ad spem nostram corroborandam, quam si non ignoremus, sed certò sciamus nos amari ab eo, qui potest nobis subuenire; quomodo non sperabimus in eo, qui tam impensè nos amat? quid poterit negare nobis is, qui dedit semetipsum? & qui tam tenerè nos amauit, cum præcipuum donum sit amor?

Diuini amoris indicium.

Simile.

Est tamen & aliud signum, quod declarat magnitudinem huius amoris. Cùm enim donum illud tam ingens sit, si datum esset personis, quæ mererentur, aut quæ gratæ essent, aut quæ dignè vti nossent, non fuisset adeò mirandum: sed dari multis, qui tam malè illud agnoscunt, qui tam ingrati sunt, quique tam turpiter eo abutuntur, aut tam exiguum inde sibi fructum percipiunt, illud sanè opus est charitatis & misericordiæ singularis. Voluisti, Domine, magnitudinem tuæ charitatis mundo exhibere, & nouisti hoc facere quàm conuenientissimè: ad illum namque finem quæsiuisti creaturam tam ingratam, & tam indignam, qualis ego sum; vt tantò manifestiùs magnitudo tuæ gratiæ luceret, quãtò esset persona hæc indignior. Pictores cum pingere volunt imaginem candidam vel albam, campum faciunt nigrum, vt albedo iuxta suum contrarium posita, tantò magis elucescat. Eodem & tu Domine vsus es artificio, imò gratia cùm creatura tam indigna, qualis est homo: vt indignitati huius creaturæ magnitudo tuæ gratiæ collata magis esset conspicua. Dic mihi quæso, Rex gloriæ, quid boni in hoc homine reperisti, ob quod illum tam tenerè diligis, & tam solicitè quæris ab illo redamari? O res admiranda, ó ingens stupor: si omnis tua essentia, omnisque tua gloria dependeret ab homine, sicuti homo ipse cum omnibus suis à te dependet, quid amplius desiderare posses, quàm vt ab illo diligereris? Res est profectò admiratione dignissima, imò prodigiosa, quòd cùm omnis mea salus, omnis mea gloria, omnis beatitudo mea in te sit, te ego nihilominus fugiam, & quòd tu, qui in nullis rebus me indiges, tanto me amore prosequeris.

Aliud signũ amoris.

Simile.

Nec minus est huius charitatis argumentum ipsa species, sub qua Dominus hic voluit manere nobiscum: si enim mansisset in propria forma, mansisset quasi volens coli. quia verò mansit in forma panis, remansit vt manducaretur simul, & coleretur: vt per vnum fides, per alterum charitas exerceretur. Vocatur autem panis vitæ; est enim ipsa vita in figura panis: panis naturalis paulatim post longam digestionem dat vitam comedenti; hunc verò qui dignè comedit, in momento vitam recipit: in hoc enim ipsa vita manducatur. Ita vt si abhorreas ab hoc cibo, quia viuus est; accede nihilominus ad illum, quia panis est: & si tibi vilis sit quia panis est, memẽto in pretio habendum esse, quia viuus est.

Cur panis vocatur.

DE ORATIONE DOMINI IN HORto, eiusque Agonia.

CAPVT XXXIIII.

PEractis iam cœnæ mysterijs, & finito sermone, quem Saluator post ipsam habuit, dicunt Euangelistæ, quòd surrexit, & iuit ad hortum Gethse- Ioan. 18. Matth. 26.

Gethsemani, vt oraret priusquam certamen suæ passionis iniret.

Vbi primum considerare poteris, quomodo finita illa mystica cœna, & cum ipsa etiam sacrificijs antiquæ legis, nouaq; illis institutis: Saluator aperuit portas omnibus doloribus & tormentis, vt omnia agminatim irrueret in animam eius sanctissimã, priusquam corpus tortoribus traderetur. Et quemadmodum Euangelistæ dicunt, tres ex charioribus suis discipulis secum assumpsit, *& cœpit expauescere, dolere, & grauiter angi; & dixit illis: Tristis est anima mea vsq; ad mortem*; hoc est, anima mea tam plena est mœrore, & tristitia lethali, vt moriendum mihi omnino esset, nisi vita mea maioribus supplicijs reseruaretur. Et progressus pusillum ab eis, ad iactum fermè lapidis, positis genibus procidit in faciem suã, prostratus in terram, & orauit, vt si possibile esset, transiret ab eo calix: & cùm tertiò eadem orasset, sanctissima illius anima tantum mœrorem, tantamq; afflictionem sensit, quanta non est ab orbe condito audita. Testes fuerunt istæ pretiosæ sanguinis guttæ, quæ decurrebant in terram: Tam enim inusitatus sudandi modus, qualem nunquam mundus vidit, testatur, quod illa tristitia & agonia maior fuit, quam quis posset imaginari. Quis enim vnquã dici audijt, aut quis se legisse meminit, aliquem tam copiosum sudasse sanguinem, vt toto corpore decurreret in terram? Verè sudor iste exterior, interioris erat agoniæ indicium, qua cum anima ipsius luctabatur: postquam à primis mundi iactis fundamẽtis similis sudor visus non sit, & proinde nec similis dolor inuentus.

Matth. 26.

Miraculosus sudor Christi, doloris eius indicium.

Prima causa doloris Christi.

Causæ doloris huius multæ fuerunt. Vna enim fuit perfectissima apprehẽsio omnium dolorum, & tormentorum, quæ illi erant præparata: quæ omnia tam distinctè & tam manifestè illi sunt repræsentata & exhibita, vt ijsdẽ ibi intus in anima (si dici possit) flagellatus, consputus, cæsus, illusus, coronatus, dãnatusq; sit & crucifixus: ita vt grauissimos dolores in inferiori animæ parte senserit, ex ista repræsentatione, videns ordine cuncta, quæ, & quomodo essent peragenda.

Secunda causa.

Fuit etiam alia causa maior, magnitudo scilicet doloris, quem concepit ex repræsentatione, & memoria omnium peccatorum nostrorum. Cùm enim ipse pro sua misericordia se voluerit offerre, vt satisfaceret Patri pro ipsis, æquum erat, vt ante hanc satisfactionem hunc dolorem pateretur. Propterea sibi ob oculos posuit omnes iniquitates, & abominationes mundi, tam præteritas, quam futuras: sicut etiam eorum, qui erant condemnandi. Et ex omnib. illis tantum cepit dolorem, quanta fuit illius charitas, & zelus honoris Patris sui. Ita vt quẽadmodum hic zelus & charitas ponderari non possunt, sic etiã omne pondus dolores isti superarint. Etenim si Dauid videns hominum peccata, ita doluerit, vt dixerit: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuã*: quid putas fecit Saluator, cuius amor tantò erat maior amore Dauidis, & qui infinitis modis plura vidit illo, & maiora crimina, cùm versabantur ante oculos eius omnia peccata omnium seculorum, præteritorum, præsentium, & futurorũ? Hi erant illi tauri, & canes furiosi, qui frustatim dilaniabant animam illius sanctissimam, erantq; multò crudeliores ijs, qui paulò pòst in corpus fæuierũt: de quibus ipse lamentatur in Psalmis: *Circundederunt, ait, me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Hæc itaque fuit causa vna doloris illius principalis.

Psal. 118.

Psal. 21.

Tertia causa.

Alia causa erat peccatum, & perditio populi illius, qui propter peccatum hoc tam enorme tam diris plectendus erat supplicijs. Qui casus multò maiorem Christo ægritudinem & dolorẽ intulit, quam propria mors. Hic erat calix (secundùm expositionem B. Hieronymi) quem benedictus ille Dominus recusabat bibere, quando Patri æterno supplicabat, vt, si possibile esset, aliud proponeret medium, quo mundus redimeretur: ne populus eius antiquus tam horrẽdum scelus committeret, propter quod in extremam ruinam esset prolapsurus.

Hæ aliæque cogitationes & imaginationes, adeò in oratione illa benedictam ipsius animã afflixerũt, vt etiam tam admirabilem & inauditum ex omnibus membris sudorem elicuerint. Sed ô bone Iesu, ô benigne Domine, quæ afflictio est hæc tam vehemens? quod onus tã graue? quæ infirmitas est hæc, quæ tibi pro sudore guttas viui sanguinis exprimit? Infirmitas nostra est: sed tu sudas, vt eam corrobores: Nos infirmi sumus, & tu medicamentum sumis. Tu dietam obseruasti, quam promerita erat gula nostra, quando pro nobis ieiunasti. Et tuo corpore extractus est sanguis, quem nostra peccata effundi meruerant. Tu potionem catarcticam bibisti nostræ sensualitati debitam, quando felle & aceto potatus es: deniq; ad liberandum nos ab omni dolore, tu hypocaustum ardẽtissimæ tuæ charitatis intrare voluisti, vt sanguinis tui copiosas guttas, glumosq; sudares. Quid tibi retribuemus Domine, pro illo remedij genere, nobis tam vili, tibi verò tam caro pretio comparato?

Cur Christus voluerit sanguinem sudare.

Considera itaque, ô homo, quantum debeas tuo Domino; vide quæ sit illius conditio & status in hoc tempore: vide quomodo hic iacet in terra charitate tui vulneratus, tot angustijs circundatus, tot anxietatibus circumseptus, mœrens & expauescens ad instantis mortis præsentem imaginem: nunc à Patre ad Discipulos abiens, nunc à Discipulis ad Patrem rediens, vbiq; inueniens portas consolationis obseratas. Pater enim non exaudiebat orationem, quam pro parte innocentissimæ suæ carnis fuderat in conspectu illius: Discipuli dormiebant, donec Iudas cũ principibus sacerdotum ira & rabie exæstuantibus, inuidiaq; plenis venirent. Sed præter id quod omnibus his modis desolatus esset, etiam à seipso relinquebatur. nec enim à diuinitate sua, nec à superiori parte animæ suæ vllam consolationem percipiebat. Ita quod Pater dedit Filio suo dilectissimo bibendũ calicem passionis merum planè, sine vlla admixta consolatione. Quare in Psalmis conqueritur dicens: *In me transierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbauerunt me. Circundederunt me sicut aqua: tota die circundederunt me simul. Elongasti à me amicum & proximum: & notos meos à miseria.* Bene dicit, *transierũt*, quia firmatæ non erant: non enim iram tanquã peccator merebatur: sed sicut medicus, & saluator peccatorum. Illud autem tam graue onus, cuius imaginatio tantùm sudare te fecit sanguinem, quis humeris tuis imposuit, ô Agne innocentissime? Quis te vulnerauit Domine? quæ guttæ sanguinis sunt illæ, quæ pluunt de tuis genis? Non video hic carnifices adesse, qui te lanient, non hic videntur indicia flagellorum, nec spinarũ, nec clauorum, nec crucis: Video Domine, & agnosco, quod tua charitas voluit primùm effundere sanguinem tuũ sine gladio, sine carnifice, sine tortore: vt intelligatur, eam esse quæ viam aperit omnibus alijs persecutoribus.

Christus absque omni solatio relictus.

Psal. 87.

Non tantùm, mi frater, hoc loco tristissimam habemus compassionis materiam, sed & exemplum orationis. Hic enim potissimum docet nos supremus ille noster Doctor, quod in omnibus nostris necessitatibus debemus ad Deum refugere, tanquam ad Patrem misericordiarũ: qui nobis sæpe tribulationes immittit, vt moueat nos & excitet, quo alacrius ad ipsum curramus, ipsaque experientia discamus

Quid hoc loco nos doceat Christus.

scamus paternam eius prouidentiam in omni nostra tribulatione & afflictione. Docet nos etiam in oratione perseuerare, & non confestim orationem deserere, cùm tardius exaudimur quàm volebamus: sed potiùs vt perseueremus, vti Saluator noster fecit, qui orationem eandem ter repetiuit: sæpe enim quod initio negatur, in fine conceditur. Discimus & hic ab vna parte, nos orare debere cum magna spe, & ab altera parte, cum magna obedientia, omnia nostra referentes ad diuinam voluntatem. Spes firmatur in ijs verbis: *Pater mi*, quod verbum est maximi affectus, maximæq; fiduciæ, obedientia spectatur in eo, quod dicit: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Idem & nos in nostris orationibus dicere debemus.

Matth. 26.

DE CAPTIVITATE CHRISTI.

CAPVT XXXV.

POsthæc considera, quomodo finita oratione aduenit agmen virorum armatorum, & cum illis multi principes Sacerdotum, & Pharisæi, ad comprehendendum mansuetissimum Agnum Iesum: non enim fidebant in hoc negotio ministrorum & militum, seu mercenariorum suorũ fidelitati, (ne accideret iterum, quod alias, cùm ad prędicationem Christi conuertebantur, meminerant accidisse) sed ipsimet sese adiunxerunt, adeò suæ malitiæ confidẽtes, vt non dubitarent, se nec sermonibus, nec miraculis, nec quapiam alia re permouendos, quò minus effectum darent, quod statutum erat. Qui itaq; maximi erant in dignitate, maximi quoq; fuerunt in malitia: postquam non erubuerunt tam scelerato & diabolico Iesẽ officio emancipare. Ex hoc discces, quod quemadmodum vinum quò melius est, eò cũ acescit, fit acetum fortius: sic illi, qui secundum statũ suum sublimiores sunt, Deoq; magis vicini, (vt sunt omnes viri Ecclesiastici, & Deo dicati) quando deficiunt & cadunt, omnium hominum fiũt pessimi, cuius etiam rei in Angelis exemplum habemus: qui enim nobilissimus erat Angelus, peccando sceleratissimus factus est Diabolus.

Simile.

Veniebat Iudas tanquam Dux istius exercitus, lapsus iam vti alter Lucifer de excelso statu Ecclesiæ, in profundissimam abyssum iniquitatis, factus primus eorum, qui in mortem Domini coniurarunt. Considera itaque ad quam extremitatem malorum peruenit hic miser, eò quòd non restitit auaritiæ suæ principijs. Væ tibi Christiane, si tu etiam ei non resteteris. Quid enim de te expectandum erit, qui nõ habes istas virtutum occasiones, quas Iudas habuit, cũ tu non in tali schola edocearis, nec tanta miracula videas, nec cum tali Magistro, aut talibus condiscipulis conuerseris? quid dico expectare de te poteris, si non omni ex parte vigilaueris?

Dederat illis traditor signum, dicens: Quemcunq; osculatus fuero; ipse est: tenete eum, & ducite cautè. Qua quæso esca cõuenientiori potuerunt tẽdi laquei Magistro dulcissimo, & fonti charitatis? quo signo alio debuit agnosci & tradi ille, quam symbolo amoris? Accepit Dominus hoc subdolum & crudele osculũ, vt illa via cum dulcedine & mansuetudine duritiem indomiti illius cordis emolliret: sed remedia animos obstinatos & peruersos non iuuant. Sed tu anima mea perpende, quòd si mansuetus ille Agnus nõ recusauit perfidum illud osculum eius, qui tam crudeliter eum vendiderat, quomodo recusabit internum osculum eius, qui amat illum ex totis præcordijs? Vt autem humana præsumptio cognosceret, nõ posse quicquam contra diuinam potentiam efficax inueniri: Saluator, priusquam eum apprehenderent, vno solo verbo omnes hostium suorum cohortes in terram prostrauit: quamuis ipsi tanquam cæci, & obstinati in sua malitia, nollent etiam hoc miraculo conuerti. Ex quo poteris cognoscere, quæ sit conditio hominis à Deo derelicti, & quàm incurabilis est animus obstinatus, si ipse non adhibeat medicinam, postquam hæc tam efficax medicina sanare non potuit eos, quos ipse reprobarat. Maledictus sit furor ille pertinax & obfirmatus, qui inflexus non est tam magno miraculo conspecto, nec placatus tanti beneficij dulcedine.

Conditio hominis à Deo derelicti.

Dominus autem hora illa non tantùm potentiam suam, sed & misericordiam simul ostendit, sanans auriculam ministri, quam S. Petrus amputarat. Examinanda quoque diligenter sunt verba Saluatoris, quæ S. Petro dicta sunt: *Conuerte*, inquit, *gladium in vaginam; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An non vis vt bibam calicem; quem dedit mihi Pater?* Hoc est scutum generale, quo sese Christianus tueri debet in omnibus suis tribulationibus & periculis, quæ ei occurrent, omne enim durum quodcũq; immiserit Pater æternus, Calix est, & vult vt bibamus illum, vt sit exercitium & purgatorium nostrum.

Confessus est illud quondam B. Iob, cùm se tam miserè mulctatum videret à Diabolo: *Dominus dedit, Dominus*, inquit, *abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomẽ Domini benedictum.* Idem & Propheta regius cõfitebatur, cum Semei calumniaretur illum, & malediceret: *Dimitte*, inquit, *eum vt maledicat; Dominus enim præcepit ei, vt malediceret David.* Si autem omnes aduersitates sint calices Patris, nulla sanè relicta nobis est ampliùs excusatio, quo minus sumamus potionem hanc extersoriam, tam sapientis Medici, qui & nomen habet, & animũ Patris. Neq; fugienda est potionis huius amaritudo, posteaquam labia dulcissimi Filij Dei, in quibus diffusa fuit omnis gratia, illam prælibarunt & edulcorarunt.

Calix Domini bibendus. Iob 1. 2. Reg 16.

Restituta Malcho auricula, Discipuli fugerunt. Secuti sunt illum ad cœnam, sed ad passionem sequi detrectant. Inter epulas socij sunt, in tribulatione fugiunt, & Dominum solum relinquunt. Hac in parte pleriq; omnes Apostolos imitamur: omnes enim tribulationes deuitamus, & relinquimus Christum ad crucis supplicium euntem: sed pergentem ad Regnum, certatim omnes sequi desideramus. Et si quandoque sequamur illum, facimus illud à longè, (vt discipuli faciebant) hoc est, ea quę exigui sunt momenti amore Christi toleramus. Sed ô Domine, Apostoli fugiebãt à te propter periculum quod imminere sibi cernebant: ego autem fugio non imminente periculo, nec tantùm non imminente periculo, sed videns etiam periculum, quod incurro à te fugiens: vbi enim à te recedo, lux obscuratur, pax turbatur, & vita cum omnibus bonis amittitur. Quocirca vides Domine, quanto maior mea quam eorum sit culpa.

Fuga Discipulorum.

Cum discipuli Dominum deseruissent, turba illa luporum, fame acrabie inaudita furentium & frementium Agnum mansuetum, & sine macula, iam solum in manibus illorum relictum, inuaserunt. Sed quis poterit audire sine dolore, quomodo gens illa crudelis sacrilegas manus suas extendit, & mansuetissimum Dominum ligauit, qui nec contradicebat, nec sese defendebat: Ah quam miserabile fuisset spectaculum, videre quo modo & furore, & quanto clamore eum sic ligatum ducebant? fuisset etiam res stupenda & horrore plena, vidisse populi cõcursum, qui discurrebat per plateas, qua sceleratissimos illos nebulones transituros esse suspicabantur, vt tantum viderent Dominum, quem illi ad ædes Pontificis trahebant. O quantus dolor occupauit tunc animos discipulorum, videntium dulcissimum suum Magistrum, à sua societate separatum abduci tantò cum furo-

furore? quod autem potissimum dolebat illis, erat quòd vnus ipsorum vendiderat & tradiderat illum: imò & ipsum Iudam ita pœnituit facti, vt desperans seipsum suspenderit. Quis itaq; erit tam inhumanus, quis tã durus, quis tã barbarus, vt non moueatur ad sympathian & cõpassionẽ, si & oculos & mentẽ cõuertat in Dominum tantæ sanctitatis, qui tot & tam ingentia bona toti isti prouinciæ præstiterat, Dæmonia eijciendo, infirmos sanando, tam inauditam & mirabilem doctrinam prædicando? quis inquã erit, qui misericordia non commouebitur, videns eum tanta cum confusione vinctis manibus, & fune collo circumligato, per publicas plateas incõdito tumultu & concursu hominum circunduci? O corda crudelia, quomodo non potest ad pietatem vos mouere tanta mansuetudo? quomodo potestis malefacere huic, qui vos tot beneficijs cumulauit? Quare non respicitis ad magnã illam innocentiã & mansuetudinẽ cum prouocatus à vobis ad indignationem tot iniuriarum modis, nec minetur, nec lamentetur, nec indignetur, tam immani vestra petulantia & crudelitate lacessitus?

DE PRÆSENTATIONE DOMINI ante Pontifices Annam & Caipham, & de pœnis atq; afflictionibus, quibus ea nocte exagitatus est.

CAPVT XXXV.

Ioan. 18. Matth. 26.

SAluator captus, vt iam dictum est, magno strepitu, clamore, & tumultu ad Annam ductus est: erat enim ille socer Caiphæ, qui erat Pontifex illius anni.

Considera hic primùm intolerabilem iniuriam, quam sustinuit Dominus in ædibus sceleratí huius soceri Pontificis. Interrogatus enim de discipulis, & de doctrina sua, cùm respondisset se palam loquutum esse, & in Synagogis publicè docuisse, interrogandos esse eos qui ipsum audierant: adstans maledictus quidam seruus illius peruersi Pontificis, dedit ei alapam, dicens: *Succine respondes Pontifici?* Nunc considerare potes, quomodo scelestus ille vna cum alijs, qui præsentes erant, cachinnati sint, cùm Dominum tam grauiter cæsum viderent: & ecõtrario qui Domino bene volebãt, (si qui illic fuerint) vehemẽter contristatos esse, summo cum dolore sufferentes tantæ dignitatis virum, tamq; innocentem, tanta affici iniuria.

Obserua etiam quã magna cum charitate & mãsuetudine Dominus alloquitur hunc, à quo percussus erat, dicens: *Si male locutus sum, perhibe testimonium de malo: sin bene, cur me cædis?* quasi apertè dixisset: Tu iniuriam intulisti mihi: nihil enim mali meritum cædis.

Ad Caiphã ducitur.

Ex ædibus Annæ perductus est deinde Saluator ad Caipham, qua in via quantis iniurijs, ludibrijs, calumnijs, verberibus Christum diuexarũt, quis potest explicare? Nec putandum est Dominum in palatio Caiphæ humanius exceptum esse, maximè cùm interrogaretur quis esset. Nam ibi non vnus tantùm, sed plurimi qui astabant innocentissimum Agnũ inuaserunt, tanquam lupi rabiosi & famelici, omnes simul in illum impetum faciẽtes, eumq; sine vlla misericordia percutientes. Quidam illorum alapas ei dabant, quidam pugnos impingebant, alij faciem eius conspuebant, nonnulli capitis capillos trahebãt, & barbam vellebant: nec deerant qui calumnias, maledicta & blasphemias in illum congerebant. Adeò vt facies illa sanctissima, quam adorant Angeli, quæ sua venustate aulam cœlestem exhilarat, nunc fœdetur hic virulento sputo, saliua, muco, alijsq; ex imo pectore excreatis sordibus, atq; excrementis deturpata, colaphis & pugnis suggillata, illusionibus onerata, & velo, ad maioris ignominiæ notam, tecta. Quid multis? Dominus vniuersorum ibi tanquam sacrilegus & blasphemus tractatur, stans nihilominus & vultu & pectore sereno, incredibili patientia tolerans omnem iniuriam.

Varijs iniurijs Christus lacessitur.

Etsi omnia hæc magna compassione sint digna, non minus tamen illud est, quod Lucas refert, milites nimirum, & qui excubias agebant, ob exisse faciẽ eius, palmasq; dedisse, & dixisse: *Vaticinare nobis Christe, quis est, qui te percussit?* aliaq; multa conuitiantes dixisse in illum: quæ quidem omnia nõ sunt ab Euangelista expressa: sed partim ex singulari patientia Christi, eiusq; charitate: partim ex crudeli & immani furore cordium illorum barbarorum, quæ à Diabolo incitabantur, facilè colligere possumus, qualis ista Christo nox fuerit, & quantas iniurias, dolores, verba, aliaq; supplicia & tormenta passus sit à crudeli & immani illo populo.

Facies Iesu velatur. Luc. 22.

DE PRÆSENTATIONE SALVAtoris ante Pilatum, deq; flagellatione eiusdem.

CAPVT XXXVI.

FInita illa misera, & doloribus, laboribusq; plena nocte, in qua Saluator Iesus Christus tot & tantas iniurias passus est in palatijs duorum istorum flagitiosissimorum Pontificum, manè vinctum abduxerunt in prætorium Pontij Pilati, qui illius prouinciæ à Romanis constitutus erat Præses, cum magna instantia postulantes, & vrgentes, vt eũ morte condemnaret. Cùm autem eum magnis & horrendis clamoribus accusarent, & mille testimonia falsa & mendacia contra illum proferrent: benignissimus Saluator inter tantas vocum & clamorũ confusiones stabat tanquam Agnus mansuetissimus in manibus tondentis, non se excusans, nõ defendẽs, verbum nullum respondens: adeò vt ipse Iudex miraretur, tantam videns grauitatem, tantumq; silentium in medio calumniantium & clamantium tumultu. Pilatus autem etsi sciret Iudæos Christum ex inuidia tradidisse, tamen pusillanimitate, & timore humano victus, iussit Christum innocentũ flagellari: existimans eo supplicio furorem inimicorum eius placari posse. Pronunciata hac crudeli sententia, ecce ministri iniquitatis cum rabie quadam apprehendentes Saluatorem, vestibus spoliarunt, & duris funibus quàm strictissimè ad columnã alligarunt, cœperuntq; purissimam illam carnem percutere, & immaniter flagellare, plagam plagæ, liuorem liuori, & vulnus vulneri addentes. Riui sanguinis ab humeris illis sacratissimis in terram decurrebant, & confluentes circa columnã lacunas sanguinis faciebant. Ah quid potest cogitari crudelius? quæ nominari maior potest iniuria? Virgis enim cædi, nõ est supplicium hominũ ingenuorũ, & nobilium, sed seruorũ, furum, & publicorum malefactorum. Propterea lege cautũ erat apud Romanos, ne quis ciuis Romanus, quantumuis graue delictum admisisset, virgis cæderetur: quòd hoc supplicij genus ignominiosum esset, quo nõ nisi vilissimi homines plectebãtur. Quare Cicero in Oratione quadam inuehitur in tyrannidem cuiusdam iudicis Siculi, qui ciuem Romanum virgis ecciderat: vnde ille, cùm se tanta iniuria affici videret, dum cæderetur, assiduè clamabat: Ciuis Romanus ego sum. Si tantum ergo piaculum olim fuerit ciuem Romanũ flagellare, aut virgis cædere, dic mihi, anima mea, quale erit spectaculum videre Dominum totius Vniuersi, ad columnã ligatum, instar publici malefactoris flagellari? Ah quid inter sese dixerũt Angeli, qui tam manifestè cognorunt Maiestatẽ hujus Domini, cùm ita virgis & flagellis

Christus flagellatur.

Cic. In Verren.

gellis laniatum viderunt? Quid illud est, ô summe Rex? quæ pœna ista? quod supplicium hoc? quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commisisti? Certum est, mi Domine, quòd furta & scelera mea, mea flagitia, & peccata mea, non tua, causæ sunt tuæ flagellationis: quemadmodum enim pro tua charitate assumpsisti meam humanitatem, sic etiam cum illa assumpsisti omnia demerita & debita illius: ideo nunc tam diris modis castigaris, tamq; horrenda perfers tormenta, quæ toti mundo testatum faciunt, quis ego sim, & quis tu. Quis enim ego sum? nisi qui tam enormia peccata perpetraui, quæ tam horrendo supplicio expiari debuerunt? & quis tu: postquam tanta tua fuerit charitas, vt tantas peccatorum meorum pœnas in te receperis? Quantus fuerit plagarum numerus in illa flagellatione, ab Euangelistis non exprimitur: sed multitudo peccatorum nostrorum, & crudelitas infernaliũ istarum furiarum, quibus vna erat voluptas sanguinem fundere, & quibus poterant tormentis excruciare Dominum, numerum hunc tanquam expressis literis indicant. O homo insensatè, ô pusillanimis, attende paululum, & vide, quam iustas hic habeas rationes amandi, timendiq; Dominum hunc, & in eum sperandi: quinetiam & quam æquum est vt ei condoleas, & compatiaris. Ad amandum permoueberis, videns quàm multa, quamq; crudelia pro te passus est: ad timendum incitaberis, animaduertens, quàm grauiter Deus peccatum vindicauit, etiam in vnigenito suo Filio: ad spem erigeris, considerans copiosam redemptionem & satisfactionẽ nobis huius flagellationis beneficio partam: ad compassionẽ deniq; impellit te magnitudo tormentorum, & copiosus sanguis ibi effusus.

Nostra peccata Iesum flagellarunt.

DE CORONA SPINEA, ET VERBIS Pilati, Ecce Homo.

CAPVT XXXVII.

FInito immani illo flagellationis tormento, aliud mox subsecutum est non minus barbarum & ignominiosum: coronatio nimirum, seu spineæ coronæ impositio. *Milites*, aiunt Euangelistæ, *abduxerunt eum intrò in atrium prætorij; & conuocantes ad eum totam cohortem, exutum induunt purpura, siue chlamyde coccinea, & plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & genu flexo ante eum illudentes ei, cœperunt salutare dicentes: Aue Rex Iudæorũ.* Magnum sanè tormentum, sed & ingens cõtumelia. Multæ spinæ in terebrando capite fractæ sunt, quædã (vt dicit Bernardus) penetrarunt vsq; ad ossa, disrũpentes & perturbantes multis locis sacratissimum illius cerebrum. Nec contenti ignominioso hoc dolore, chlamyde purpurea circundederunt illum, quę tunc temporis erat vestis regia. & loco sceptri, arundinem in manu dederunt, & genua flectentes, alapas ei impegerunt, expuentes in faciem eius, & dicentes: *Aue Rex Iudæorum*. Impossibile profectò videtur, tantam crudelitatis machinationem in corde humano posse inueniri, vel excogitari: erat enim tale tormentum hoc, vt si quis capitalem hostem suum eo excarnificari vidisset, ad emolliendum quoduis cor durum sufficisset. Sed quia Diabolus erat inuentor, & qui patiebatur, Deus erat: & illa maligna gẽs non vllo tormentorum genere satiabatur, propter inueteratum odium, quo Christum prosequebatur: sic suprema hęc pietas non volebat contenta esse minoribus cruciatibus, propter magnitudinem sui amoris.

Matth 27. Marc. 15. Ioan. 19.

Non possum sanè dijudicare, fuerit ne maior iniuria & contumelia, qua Saluatorem affecerunt, an verò maius fuerit tormentum, quod ille sustinuit. Vsitatũ etenim est apud nos, vt sceleratis & reis hominibus iam condemnatis pileus, in mytræ modum confectus, imponatur, quo supplicium ipsorum magis sit ignominiosum: hoc etsi probrosum admodum sit, tamen nec sanguinem elicit, nec cum dolore aliquo coniunctum est. Corona verò spinea, quæ cerebrum etiam perfoderet, & ex vna parte tam magnũ opprobrium, ab altera verò dolorem afferret intolerabilem, cruciari, quis vnquam se vel vidisse, vel legisse recordatur? Non satis erat crudelitati & feritati barbarorum istorum hominum, Saluatorem affligere supplicijs vsitatis & ordinarijs: sed nouas artes, modosq; tormentorum excogitarunt, antea non visos: quibus ita illudebatur, vt vnà cum opprobrio pœnam quoque sentiret intolerabilem.

Mos Hebræorum.

Sed quid de alijs admixtionibus dicemus, quæ amaræ huic potioni affusæ sunt: chlamyde scilicet purpurea, Regum ornamento, qua circundatus, & arundine, quæ sceptri loco in manu data est? quòd genua quoque flectentes illuserunt ei, percutientes caput eius arundine, & colaphis faciem eius fatigãtes? Quando vnquam ab orbe condito visum est tale supplicium? talis audita inuentio? tam crudele & sanguinolentum tormenti genus excogitatum? Tale quid nec in omnibus Martyrum certaminibus legitur, nec in supplicijs malefactorum: in quibus etsi multa & diuersa crudelitatis genera reperiantur huic tamen similis inuentio, aut illusio tam grauibus tormentis permixta, non inuenitur. Cæterum omnia hæc Domino huic seruabantur, qui vt satisfaceret pro peccatis hominum, magnitudine dolorum suorum nostras soluebat voluptates, & opprobrio ignominiæ suæ superbiam & vanitatem vitæ nostræ redimebat. In quo etiam pulcherrimè declaratur magnitudo bonitatis & charitatis illius, qui mori noluit vulgari morte, sed elegit mortis genus acerbissimum, ignominiosissimum, & iniuriarum plenissimum, voluitque vt in eo caderet omnis iniuria & ignominia, vt per illud magnitudo Charitatis ipsius fieret manifestior, & Redemptio nostra copiosior. Fuisse autem hoc opus immensæ illius charitatis & bonitatis, hac ratione perspicuè satis liquet. Testatum enim est omnibus bonitatem & charitatẽ Christi sine comparatione maiorem esse malitia, atq; odio diaboli: sed si odium & malitia illa tãta fuerint, vt ea iniuriarum genera potuerint inuenire: debuit etiam tanta esse Christi charitas & bonitas, vt sufficerent his non sufferendis tantùm, sed & vltrò appetendis.

Cur Christus morte tam acerba mori voluit.

Cùm igitur Præses abundè iam satis perspectam haberet Christi innocentiam, cerneretque non eius culpa, sed inimicorum inuidia eum ad mortem postulari: omnes ingenij sui neruos intẽdit, vt illum de manibus eorum liberaret. Vt autem hoc commodiùs efficere posset, visum fuit, Dominum tam misèrè tractatum, tam lacerum, liuidum, & cruentum foras producere, & populo furioso spectandum exhibere. Adeò enim percussus, adeò flagellatus erat, & dilaniatus, vt vel solus aspectus (vti Pilatus arbitrabatur) populũ ad misericordiam posset permouere. Sed tu, ô anima mea, huc accurre, tristi huic spectaculo assiste, & absens tanquam præsens contemplare figuram & speciẽ, in qua Dominus tuus populo exhibitus est. Aspicè quam horrendo & miserabili vultu hic stat ille, qui est gloria æterni Patris, & speculum pulchritudinis illius. Vide quanto cum pudore & confusione producitur in conspectum tantæ multitudinis, amictus veste ludicra, ligatus manibus, corona spinea redimitus, sceptrum arundineum habens in manu, toto corpore lacero, & sanguine perfuso. Considera quomodo facies illa diuina fugillata, pug-

Christus populo præsentatur.

ta, pugnisq; & alapis contusa tumuit, sputo fœdata, spinis lacerata, tota sanguine delibuta, qui sine intermissione ex coronæ puncturis defluebat. Cùm enim innocens ille Agnus ligatis staret manibus, non potuit abstergere sanguinem in oculos passim stillantē, erantq; duo ista cœli lumina tanquam cæca præ sanguine, qui circum oculos concrescebat. Deniq; aspectus & figura illius talis erat, vt non ille amplius esse videretur, qui erat, imò vt vix hominis formam referret, & imaginis potius hominis miserabiliter & crudeliter excarnificati figuram habuit, quā immanium istorum pictorum, iniustiq; iudicis manus depinxerant: vt hæc tam miserabilis figura suijpsius esset aduocata coram inimicis suis.

DE COMPARATIONE CHRISTI & Barrabæ.

CAPVT XXXVIII.

PRædictis opprobrijs & iniurijs aliud adhuc accessit, maius fortassis omnibus alijs, quæ toto passionis tempore Christo sunt illata. In festo enim Paschatis consueuerat Præses turbæ dimittere vnum vinctum, quemcunq; postulassent. Habebat autem tunc vinctum insignem quendam latronem, qui dicebatur Barrabas. Erat autem ille propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidiū missus in carcerem, cuius mortem omnes meritò postulare debuissent. Pilatus igitur captans omnem occasionem Christum dimittendi, prodijt ad populum, & dixit: *Vtrum vultis dimittam vobis? Barrabā, an Iesum, qui dicitur Christus?* putabant enim populum non postulaturum hominem nequissimum, & proinde pro Christo intercessurum. Cùm enim is qui conferebatur homo esset perditissimus, & longiori vita indignus, non arbitrabatur Iudęos tam fore ignaros, cœcos, & ab omni lege, iure, & religione alienos, vt hominem seditiosum, sicarium, & homicidam, homini adeò mansueto, qui mortuos resuscitabat, & liberalissimus erat, in hac optione præferrent, aut illum hoc vita digniorem iudicarent. Hoc modo Pilatus se liberare posse innocentem existimauit.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Vides hic primò, quousque sese extendit humilitas Saluatoris: cùm hic Barrabæ factus sit competitor: & non dedignatus censuræ & iudicio populi committere, vter ipsorum melior, vter vita longiori dignior esset habendus. Sed res vlteriùs etiam progreditur: cùm enim vtriq; deducti essent in iudiciū, Dominus innocens fuit condemnatus: & Barrabas reus absolutus, & liberatus. Quis non præ admiratione stupebit, tantam videns humilitatem & abiectionem filij Dei? Videtur hic se magis abiecisse & humiliasse, quàm in ipsa cruce. Cruci enim affixus est tanquam malefactor & reus, in societate latronum, tanquam esset vnus ex illis: Sed hic facta comparatione cum hoc scelerato, communi sententia, & publica populi voce nequior & deterior eo iudicatus est. O Rex gloriæ, quomodo se potuit humilitas tua magis humiliare? quo tua deuenit patientia & charitas? Dic mihi, ô homo, quanta putas quòd esset nostra superbia, quæ non nisi tam extrema potuit sanari humilitate? quid autem, si nec etiam hac ipsa velis eam sanari? Dic & hoc mihi, quanti in posterū censuram & iudicium mundi huius facturus es, cùm videas hic manifestè mundum in iudicādo tam turpiter errasse? Nec tantùm in hac re, sed in omni iudicio & condemnatione Apostolorum, Prophetarū, & Martyrum præposterè semper iudicauit, & turpissimè hallucinatus est. Quòd si famulum tuum semel mentitum deprehēdas, quidquid in posterum dicit, id omnē tibi suspectum est: semper enim ēum mētiri credis. Quam nos ergo fidem adhibebimus mundo, cùm in tot deprehensus sit mendacijs, quot Sanctos condemnauit? Inter omnia verò minimè ei credere debemus propter hoc terribile & impudens mendacium, quo filium Dei Barraba peiorem æstimauit. Sine dubio vel solum hoc nobis sufficere deberet, vt & oculos in posterum claudamus, & aures obturemus, ne videamus acta, vel audiamus dicta huius beluæ multorum capitum, tam furiosæ, tam cæcæ, & tā inordinatæ in omnibus iudicijs & censuris suis.

Iudicium mundi perversum.

Simile.

QVOMODO SALVATOR CRVCEM in humeris suis vsq; ad montem Caluariæ portauit.

CAPVT XXXIX.

QVia verò hæc omnia inexplebilem Iudæorum rabiem satiare non potuerunt, pronunciata est tandem sententia, vt innocens moreretur. Vt autem eius tormenta vndiq; crescerent, statuerūt vt ipse crucem, in qua moreretur, ad locum supplicij baiularet. Arripuerunt itaq; crudeles illi carnifices lignum illud sanctum (quod iuxta quosdā quindecim pedes habebat in longitudinè) & imposuerūt illud humeris Saluatoris: qui ob tantas molestias, quas illo die & nocte præterita passus erat, & ob copiosum sanguinem, quem effuderat, vix pedibus insistere, vix ipsum corpus potuit sustentare: nihilominus illum terribili ligni crucis pondere onerārunt. Fuit hæc noua inuentio, fuit nouum crudelitatis genus, antea nec auditum, nec vsitatum. Generalis enim quasi consuetudo est, cùm aliquis extremo multandus est supplicio, vt quoad fieri potest instrumēta abscondantur, quibus est interficiendus: & propterea qui capite plectendi sunt, horum oculi velantur, ne gladium, aut ictum venientem videant. Hic autem tanta cum Agno hoc mansuetissimò crudelitate vsi sunt, vt non solùm non absconderint crucem sed eam humeris ipsius impositam, baiulare coegerint, vt eam videndo anima pœnam sentiret, & pondere corpus dolorē perciperet: & sic duas pateretur cruces, priùs quàm in vna figeretur. Non legitur idē duobus latronibus, qui simul cum illo crucifigendi erant, imperatum esse: nam etsi in crucē mori deberent, crucem tamen in humeris suis portare non cogebantur. Volebant enim hoc nouo inuento significare Iudęi, culpam Christi, latronum culpa grauiorē: cùm pœna atrocior esset. Quæ itaq; maior iniuria potest excogitari? quæ res maiorem meretur compassionem? O Domine Iesu, quis mihi dedisset, vt potuissem te adiuuare in laborioso isto itinere; Tota nocte vigilasti, & ministri illi, imò crudeles carnifices, vnius momenti requiem tibi non concesserunt, imò certatim, nunc hic, nunc ille te discruciauit, diuexādo & defatigando te omnes lassati sunt: pugnos & alapas tibi infregerunt, in faciem expuerunt, barbam vulserunt, mille iniurias & conuitia in te congerentes. Tandem post longum illud martyrium, post debilitatum te, post sanguinem è corpore tuo flagellis & spinis maiori ex parte extractum, delicatissimos humeros tuos graui & ponderoso crucis ligno, sine vlla misericordia onerarunt, & sic oneratum ad locū supplicij duxerunt. O tenerrimum corpus, quod onus illud est, quod tu nūc portas? quò vadis Domine cum graui isto pondere? quid sibi volunt hæc doloris insignia? Quid hoc noui est? tune ipse in humeris tuis portas instrumenta tuæ passionis? Contemplare, ô anima Christiana, Dominum tuum per viam hanc prorepentem: rationem habe terribilis istius oneris, quod humeris suis gerit, & cogita te magnam oneris illius partem esse, te in ligno crucis illius sedere cum ponde-

Matth. 27. Luc. 23 Ioan. 19.

Cur Christo crux imposita.

pondere peccatorum tuorum, quorum singula grauiora sunt mundo vniuerso: age itaq; optimo illi pastori gratias, quod ouem perditam in humeris suis portauit, vt ad ouile reduceret.

Homines spirituales & deuoti solent hoc loco contemplari, quomodo Dominus in laboriosa illa via frequenter respirauit præ grauitate oneris, nonnunquam etiam in terram lapsus est. Etsi autem Euangelistæ id manifestè non exprimant, verisimile tamen est, omnino ita factum. Ad summam enim debilitatem venerat, crudelissimè flagellatus erat, bonam partem sanguinis profuderat, corona quoq; spinea caput præter modum debilitârat, tota insuper noctè nihil quieuerat, magnitudo & grauitas crucis vires eius superabant, via erat aspera & accliuis, diuinitatis virtute adiuuari noluit, sed patienter ferre, quidquid crudeles illi tyranni & carnifices excogitare potuerunt. Quid verò magis indignum, quod tristus & miserabilius esse potest spectaculum, quàm videre Saluatorem mundi graui cruce oneratum, sub pondere deficere, & in terram prolabi? Quod cor adeò durum, barbarum, & ab omni compassione erit alienum, quod videns Dominum tam præcipitem in terram cadere, adeò percussum & malè tractatum, dolore nimio non deficiat? maximè autè si animaduerterit in hoc onere multò plus ponderis attulisse peccata nostra, quàm crucis moles ipsa?

Maria filio occurrit.

Est & hoc loco aliud spectaculum considerandũ, non minùs tristè quàm illud præcedens: quod est occursus afflictæ Matris, & patientis Filij? eius enim adhuc reliquum est monimentum, quod nostro tẽpore adhuc Hierosolymis conspicitur. Sed quæ lingua poterit enarrare, quàm ingens est iste dolor nostri Saluatoris, quando vidit benedictam Matrem suam? Hunc dolorem auxit eius prouidentia: sciebat enim optimè, quòd acutissimus ille gladius doloris iam materna viscera sanctissimæ Virginis transibat: quæ tenerrimè amabatur ab illo, eo modo quo verus filius matrem suam amare debet, & præsertim matrem talem, qualis erat illa. Qui dolores, quę passiones, quæ tormenta possent excogitari, quæ benedictæ Virginis animam non inuaserunt, quando innocentem Agnum vidit in medio illorum luporum rapacium, gerentem coronam illam horridam in capite, crucem in humeris, vultu adeò liuido & suggillato, tantumque ab illo qui heri erat mutato: in quo tanquam expressis literis legebantur omnia & singula quæ passus erat supplicia: & quod maius est, cùm audiuit condemnatum, & nunc educi, vt in crucem rapiatur? O quàm viua imagine eius memoriæ repræsentatum est Senis illius venerandi Simeonis vaticinium, & quàm perspicuè vidit hic adimpletos omnes dolores, quos sanctus ille vir prædixerat? Vbi sunt nunc, ô benedicta Virgo, magnificæ pollicitationes istæ, quas Angelus Domini cœlitus attulit, & ratas fore promisit, cùm diceret. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*? Vbi est nunc regnum illud? vbi corona? vbi sceptrum? vbi sedes regalis in domo Dauid? Discant hic illi, qui sperant in Domino, quanta cum patientia & longanimitate debeant expectare promissionum diuinarum executionem: memores illius quod dicit Esaias: *Qui crediderit, non festinet.* Tam enim in hoc, quàm in alijs exemplis videbit homo, quòd Deus differt subinde promissionum suarum executionem: quapropter multi animum despondent, spem omnem abijcientes ob illam moram. Quemadmodum videmus Deum longo tempore distulisse regnũ Dauid, quod erat pollicitus se ipsi daturum: multis priùs tribulationibus & periculis illum exercens: ita & manifestationem & magnificentiam regni Christi, Regis veri & Domini in domo Dauid, quæ est Ecclesia Christiana, per regnum Dauid præfigurata, multis diebus & annis distulit. Quare Propheta nos admonet, dicens: *Et apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Et Apostolus in sua ad Hebræos Epistola docet, patientiam nobis necessariam esse, vt voluntatem Dei facientes, reportemus promissionem. *Adhuc enim modicum*, ait, *aliquantulumque, qui venturus est, veniet, & non tardabit.* Et meritò: sine enim fundamento patientiæ spes & fiducia collabuntur.

Luc. 1.

Deus differt pollicitationes suas.

Esa. 28.

1. Reg. 18.

Abac. 2.

Hebr. 10.

Comitare itaque, ô anima mea, Dominum cum gloriosa Virgine in tristi hoc itinere: audi calũnias, maledicta, & blasphemias, quibus illum exagitant; auxiliare illi in cruce ferenda, compassione illius quod patitur: admisce tuas lachrymas lachrymis piarum illarum mulierum, quæ amore illius plangebant, & diligenter obserua dictum Saluatoris, *Si in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid fiet?* Noli subducere te ex comitatu sanctissimæ Virginis, & dilecti Discipuli, donec ad locum Crucis perueneris, penetrent, si fieri possit, cogitationes tuæ corda illorum vt intelligas doloris & tristitiæ, quæ occupauerant illos, magnitudinem. Nam si Dominus noster tam misericorditer ductus sit in hac via, vt ipsius aspectus corda mulierum illarum, quę non nouerant illum, permouerit, & in lachrymas resoluerit: quanta putas amaritudine cor Matris fuit repletum, quæ amabat eum amore tam magno, & incomparabili? Et ex hoc cognosces, quomodo Deus in hoc seculo tractat suos amicos & familiares: & quòd illi, qui verorum amicorum illius albo cupiunt adscribi, legem amicitiæ illius seruare debent, per quam transierunt omnes quotquot eum verè amauerunt.

Luc. 23.

QVOMODO SALVATOR CRVCI fixus est.

CAPVT XL.

POstquam Saluator in montem Caluariæ venisset, exuitur omnibus vestimentis suis: quæ carni adhærebant, concreto sanguine vulneribus multifarijs in flagellatione acceptis agglutinata: ea cùm à Christo detraherent, verisimile est tanta cum crudelitate fecisse illud carnifices, quòd omnibus vulneribus renouatis copiosissimus iterum sanguis effluxit. Quid potuit hic facere benedictus Dominus, cùm se sic nudum, & à vertice ad calcem dilaniatum videret? Verisimile est, illum ante omnia oculos ad cœlum eleuasse, Patrique gratias egisse, quòd tandem eò ventum esset, vt nudus, pudibundus, infamis, opprobrio repletus, & lacero corpore, sub dio ventis & frigori expositus, in conspectu omnium inimicorum suorũ staret, vt satisfaceret amori, quo genus humanum complectebatur. Stantem, & toto corpore trementem Saluatorem corripiunt, & in lignum crucis, quod præparatum in terra iacebat, prosternunt: ille autem tanquam agnus innocens non reluctatus est, sed obediuit eorum crudeli mandato, manus porrexit, deditque ligno duro atq; aspero clauis compaginandas, pedes quoq; extendit, & ita composuit, vt commodè cruci possent affigi.

Matth. 27.

Iesum spoliatur vestimẽtis suis.

In crucem Iesum prosternunt.

Cùm itaque Saluator hoc modo in cruce distensus, supinus, & oculis in cœlum eleuatis iaceret, quid pium ipsius cor meditabatur? quid cogitabat? quid intus dicebat? Probabile omnino est, totum eum ad æternum suum Patrem conuersum, in hæc verba pro-

prorupisse: O Pater æterne gratias ago infinitæ tuæ bonitati, pro operibus, quæ per me toto vitæ meæ curriculo fecisti. Cùm itaque nunc iuxta beneplacitum tuum numerus dierum meorum impletus sit, ecce reuertor ad te, non per aliam viam, quam crucis. Tu decreuisti, vt mortem hanc pro generis humani salute subirem: ecce venio, vt faciam quod vis, obediens tuo mandato, & offerens vitam meam tibi in sacrificium. Iacens in hoc lecto Saluator extẽsus, venit vnus ex satellitibus & ministris illis iniquitatis, habens clauum crassum & hebetem cum malleo, ponensque acumen illius in medio palmæ dexteræ Saluatoris, cœpit malleo percutere; cuius pondere clauus per venas, neruos, & cartilaginem manus transiens, lignum crucis ingreditur, donec fixus stetit & immobilis. Aures benedictæ Virginis ictus malleorum istorum audierunt, & crebras istas percussiones in medio cordis acceperunt: oculi quoque illius spectaculum hoc intueri potuerunt, mori non potuerunt. Verè clauus iste cor Virginis transiuit, & omnia illius viscera trãsfixit. Magnitudo doloris vulneris illius cor & neruos corporis omnes in partem manus perforatæ traxit, & pondus corporis retraxit. Christo itaque toto ad illam partem conuerso, mox alius adest carnifex, qui sinistram corripiens, cùm facto prius foramini, eò quòd breuior esset, applicare non posset, iniecto fune compages brachiorum & pectoris ita distraxit, vt membris naturalibus suis locis emotis, hiante pectore, & mesopleurijs subsidentibus, costæ & cætera ossa omnia (vti à Propheta prædictum erat) minimo labore potuerint dinumerari. Eadem crudelitate vsi sunt in extendendis & affigendis pedibus: atque hoc modo corpus cruci adhæsit compaginatum, vt nec os, nec iunctura, nec compago fuerit, quę non aut luxata sit, aut suo loco emota.

Tormentum crucis maximum.

Hoc tormentum crucis omnium tormentorum corporalium, quæ Christus toto passionis tempore sustinuit, maximum fuit. Mors enim crucis omniũ suppliciorum, quæ illo tempore in vsu fuerunt, erat acerbissimum. Manus siquidem & pedes corporis partes sunt, in quibus concursus est multorum ossium, neruorum & venarum, quæ sunt instrumenta & organa tactus: proinde & vulnera, quæ partibus illis infliguntur, vt difficilius sanantur, ita & dolorem afferunt acerbiorem. Præterea, genus hoc supplicij non tam cito extinguit hominem, aut pœnarum acerbitatem abrumpit, quàm cætera: sed lentissimum est, & non tantum ad interficiendos & necandos condemnatos, sed eosdem etiam diu in pœnis detinendos inuentum. Totius moles corporis in aëre à solis clauis pendens, naturaliter deorsum labitur, & inferiora petit; quò fit vt caro laceretur, & nerui rumpantur, ita vt vulnera singulis momentis dilatentur, & dolor in infinitum augeatur, adeò vt si brutum aliquod animal in his tormẽtis penderet, hominem sine dubio ad misericordiam moueret. Præterea & inimici Domini nostri tam insolentes erant, vt eo ipso passionis tempore, quo pendebat in cruce, mouerent capita sua, conuitia in illum iacerent, & subsannarent illudentes illum inter sese. Quid hoc aliud erat, quàm in cruda vulnera salis acrimoniam injcere, & quem clauis crucifixerant, nunc linguis crucifigere virulentis?

Illuditur Christus in cruce pendens.

Sed non finiunt hic dolores & tormenta Christi: maiora restant adhuc: nec enim feruori charitatis illius, nec inimicorum furori hæc sufficiebant. Præcedentibus itaque supplicijs aliud adiunxerunt, nouam scilicet, & non visam antea crudelitatem. Cũ enim Christus exhausto plane sanguine, venis exsiccatis, gutture & lingua arescente, anhela siti arderet, afflicta voce clamauit; *Sitio.* Audientes illud

Christus sitit.

satellites, & qui iuxta crucem erant milites nequissimi, tam crudeles & inhumani fuerunt, vt spongiã impleuerint aceto, & felle, quam arundini imposuerunt ori illius obtulerunt. Quæ maior potest excogitari crudelitas, quàm talem dare potum homini in tanta necessitate constituto: negare vel paululum aquæ morti vicino? In hoc cernitur, quod benignissimus Dominus noluit aliquod esse corporis sui mẽbrum, quod non proprio, & singulari suo tormento cruciaretur: & propterea voluit, vt lingua suam quoque pœnam sustineret, postquam iam alia omnia membra suam pertulissent. Sed si supremus ille Dominus ad tantam venerit paupertatem, vt nostris necessitatibus subueniret; quis poterit fieri, vt Christianus hoc medio redẽptus, hoc exemplo edoctus, hoc magno beneficio obligatus, omnem beatitudinem & felicitatem suam ponat in delicijs & voluptatibus carnis: & non optet potius pati, & contribulari; pro honore & imitatione Iesu Christi?

Considerandum hic est, quod etsi Christi passio fuerit tam acerba, vt diximus: non paucioribus tamen & minoribus iniurijs fuit, quàm doloribus plena: atque ita nunc corpus patitur, nunc fama: nunc vita periclitatur, nunc honor eius & existimatio. Mors enim quã subijt fugit ignominiosissima, mori enim in cruce iltis seculis erat supplicium furum & latronum: locus erat inhonestus: erat enim locus publicus, supplicijs malefactorum dicatus: infamis erat societas; medius enim inter duos latrones pependit: & vt nihil deesset, erat magna solennitas; præcidaneus siquidem dies erat magnæ solennitatis paschalis, quo tempore multæ & variæ nationes ex diuersis prouincijs Hierosolymis conueniebant. Ad maiorem quoque confusionem & ignominiam pudicissimus ille iuuenis nudus omnino in cruce pependit, quæ sanè res magni pudoris est, cordi præsertim nobili & benè morato. Ex quibus omnibus clare patet, quòd in sacratissima Saluatoris passione intolerabilis dolor, turpissima infamia, & extrema reperitur paupertas. Nec immeritò conuenientissimus enim is modus erat nostris vulneribus curandis. Erat enim futura illius passio culter, imò mors ipsa philautiæ, seu amoris priuati, qui radix est omnium vitiorum: ex qua tres rami pullulant, maximè pernicioſi, vt sunt appetitus honoris, diuitiarum, & voluptatum: vel ambitio, auaritia, & voluptas carnis: quæ tria sunt quasi esca omnium aliorum peccatorum. Contra appetitum honoris, in passione Christi summa fuit ignominia: contra effrænem diuitiarum cupiditatem, extrema fuit paupertas: denique contra voluptatem, dolor fuit intolerabilis. Atque ita arbor illa amoris proprij, quæ arbor mortis est, arescit, & extinguitur benedicto illo arboris vitæ fructu, quæ generalis est medicina contra omnia mala: cuius folia, vt ait Ioannes, *sunt ad sanitatem gentium.*

Mors Christi plena ignominijs.

Mors Christi, amoris proprij mors.

Apoc. 22.

Sed auertentes parumper oculos nostros à Filio, sanctissimam Matrem intueamur, quæ omnibus supradictis supplicijs præsens astitit. O benedicta Virgo, quomodo pium cor tuum affectum fuit, in hac hora lamentabili? quandoquidem cum tantis cruciatibus filij tui præsens esses, & de calice illius nõ parum biberes, vidisti proprijs oculis illud corpus sanctissimum, quod tu tam caste conceperas, & adeò suauiter educaueras, totiesq; cum summa dulcedine in brachijs tuis portaueras, vidisti dico illud flagellis laceratum, spinis transfixum, alapis & pugnis liuidum, clauis perforatum, in aëra cum cruce eleuatum, proprio pondere afflictum, aceto denique & felle potatum. Vidisti etiam oculis spiritualibus sanctissimam animam illius plenam felle omnium amaritudinum mundi, quæ tunc contristaba-

Apostrophe ad Matrem Virginem.

tur, turbabatur, ãnguſtiabatur, & in extremo erat articulo iam iam à corpore diſcedendi conſtituta: ita vt in ſumma eſſet anguſtia, partim propter viuaciſsimum ſenſum ſuorum dolorum: partim propter offenſas & peccata hominum; partim propter compaſsionem noſtrarum miſeriarum; partim denique propter dolorem, quem concipiebat, videns te Matrem omnibus doloribus & tormentis ſuis præſentem. Erat profectò tunc anima afflictæ Matris ſpiritualiter crucifixa cũ Filio ſuo, & transfixa gladio doloris acutiſsimo: bibit quoque amariſsimum fel cum aceto ſpiritualiter, quod ille prius biberat corporaliter. Ibi illa vidit perfectè impletum, quidquid ſanctus ille Simeon prædixerat, tam de perſecutionibus, quas Filius in hoc mundo pateretur: quàm de doloribus, qui benedictum cor matris trãſfigerent. Ibi illa vidit immenſam bonitatem Dei, magnitudinem illius iuſtitiæ, malitiam peccati, pretium mundi, & quo in pretio ſunt apud illum tribulationes, quæ cum patientia perferuntur, poſteaquam eaſdem amicis ſuis tam liberaliter impertiatur.

Luc. 2.

Septem verba Chriſti in cruce.

Poſt hæc meditari poteris in ſeptem illis verbis, quæ Redemptor tuus in Cruce pronunciauit: præſertim cùm verba, quæ homines morituri in fine vitæ proferunt, notari diligenter, & memoriæ mandari conſueuerint: maximè ſi ſint parentum amicorum, aut cognatorum noſtrorum. Quia igitur omnium ſapientum ſapientiſsimus, omnium amicorũ amiciſsimus, & omnium patrum pater amantiſsimus ſeptem verba in vltimo vitæ ſuæ momento locutus eſt, æquum eſt vt nos, qui eius filij ſumus ſpirituales, eadem ſemper in memoria circunferamus, in ijſque ſemper meditemur.

Conſidera igitur quanta cum charitate commendauit inimicos ſuos æterno Patri; quanta cum bonitate confitentem recepit latronem; quo cum affectu commendauit Matrem chariſsimo ſuo diſcipulo Ioanni; quanta ſiti & ardore oſtendit ſalutis noſtræ, quo æſtuabat, deſiderium; quàm mœſta voce orauit, & coram paterna Maieſtate ſuas anguſtias teſtatus eſt: quomodo Patri obediens fuit ad mortem vſque; quomodo denique ſpiritum ſuum in benedictas manus illius commendauit. Dubium non eſt, quin in horum verborum ſingulis peculiaria lateant virtutum documenta. In primo namque commendatur charitas erga inimicos; in ſecũdo, miſericordia erga peccatores; in tertio, pietas erga parentes; in quarto, deſiderium ſalutis omnium; in quinto, oratio in tribulationibus; in ſexto, virtus obedientiæ & perſeuerantiæ; in ſeptimo, reſignatio omnium in manus Dei, in qua ſumma totius noſtræ perfectionis conſiſtit. Cum hoc vltimo verbo Dominus vitam finijt, & opus Redemptionis abſoluit, obedientiæque illi commiſſæ ſatisfecit. Tanquam igitur verus obedientiæ filius, inclinato capite, paululumque ab illo honorato crucis titulo reflexo, ſpiritum ſuum in manus Patris commendauit.

Ieſus moritur.

Tunc velum templi ſciſſum eſt, terra tremuit, petræ diſſectæ ſunt, monumenta aperta, & multi mortui reſuſcitati. Atque ſic omnium hominũ pulcherrimus fractis oculis, facie mœſta & pallida, peius quàm vllus vnquam hominum tractatus, moritur, factus eſt holocauſtum odoris ſuauiſsimi pro hominibus, vt iram Patris, quam ipſi meruerant, mitigaret. Vide igitur, ô Pater ſancte, de tuo ſanctuario in faciem Chriſti tui: aſpice ſanctiſsimam hoſtiam hanc, quam offert tibi ſummus Pontifex pro peccatis noſtris. Conſidera & tu homo redempte, qualis & quam magnus ille eſt, qui pendet in cruce, cuius mors mortuos reſuſcitat; cuius tranſitum plangunt cæli, cuius dolores ſentiunt ſaxa & omnia elementa. Igitur, ô cor humanum, durum certè es & crudele, ſi tale ſpectaculum habens ob oculos non terreat te timor, non moueat te compaſsio, non humiliet te pietas.

DE VVLNERE LATERIS CHRISTI lancea perforati, deque illius ſepultura.

CAPVT XLI.

QVaſi non ſuffeciſſent immania illa tormenta, quibus hactenus viuum Chriſti corpus fuerat excarnificatum, etiam in mortuum illi ſcelerati fæuire voluerunt, vt ſanguinolentam rabiem ſuam exatiarent. Cum itaque Ieſus expiraſſet, vnus ex militibus lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua, in baptiſma & lauacrum totius mundi. Exurge nunc, exurge O Sponſa Chriſti, & fac nidum tuum tanquam columba in foraminibus petræ, vt iugiter habites in illis: ædifica hîc vt paſſer domum tuam, tanquam turtur illic abſconde pullos tuos.

Cant. 4. Ieie. 48. Pſal. 83.

In veteri lege Deus mandabat, tres ciuitates in terra promiſsionis ſeligere, vt eſſent loca refugij his, qui malefecerant. In noua verò lege loca refugij, quę peccatoribus patent, ſunt pretioſiſsima Chriſti vulnera, in quibus ſecuri latitant ab omnibus periculis & perſecutionibus mundi. Præcipuè tamen ad hoc vulnus lateris conducit, olim per feneſtram, quam in latere arcæ facere Noemo iuſſerat Deus, præfiguratum; vt per illam intrarent cuncta animalia, quæ cuperent ab aquis diluuij conſeruari. Omnes igitur afflicti, omnes tribulati ab aquis turbidis & amaris procelloſi huius ſeculi, omnes veræ tranquillitatis & pacis amatores recipiant ſe ad portum hunc; intrent ſecuram hanc arcam, ſubeant apertam feneſtram pretioſiſsimi illius pectoris. Hæc fortiſsima ſit arx veſtra, hæc ſedes veſtra, paradiſus veſter, & templũ veſtrum, in quo perpetuo requieſcere licebit.

Deut. 19. *Vulnera Chriſti refugia Chriſtianorum.*

Poſt hæc conſiderandum eſt, quanta cum compaſsione & deuotione ſancti homines illi ſanctiſsimum Chriſti corpus ab arbore Crucis depoſuerunt: quantis cum lachrymis & doloribus illud afflicta Mater in brachia ſua ſuſcepit: quam vberes item lachrymas dilectus ille Diſcipulus cum Magdalena, alijſque pijs fœminis, quę adfuêre, profudit: quomodo ſacrum illud corpus aromatibus conditum, inuolutum eſt in ſyndone munda, ſudario caput eius ligatum, & tandem in hortum, adeoque in ipſum ſepulchrum illatum eſt. In horto incepit Chriſti paſſio, & in horto eadem paſsio finitur: atq; ita Dominus nos liberat à peccato, in horto Paradiſi commiſſo, & nos perducit ad hortum cæleſtem. Oro te, ô bone Ieſu, concede mihi gratiam (etſi indignus ſim) cùm mœſtiſsimis hiſce exequijs intereſſe non meruerim, tantum vt eaſdem liceat in corde meo vera cum fide & charitate meditari & contemplari; probando, guſtandoque aliquam ſaltem particulam luctus & mœroris ſanctiſsimæ Virginis, & beatæ Magdalenæ, quem illo die de te habuerunt.

Ieſus à cruce deponitur.

Hæc eſt, mi frater, ſumma ſacræ paſsionis; hæ ſunt plagæ, hæc vulnera, quæ filius Dei pro nobis excepit. Hæc igitur ſit gloria noſtra cuſtodia, orationes & lamentationes noſtræ omni tempore vitæ noſtræ, ſicut erant deuotiſsimi illius Bernardi, & S. Bonauenturæ; qui de hac materia ſcribens, ait; O paſsio amabilis, O mors delectabilis, ſi ego lignum Crucis fuiſſem, & in me pedes manuſque boni illius Ieſu confixi ſtetiſſent, dixiſſem hominibus illis, qui illũ de cruce depoſuerũt; Nolo ſeparari à Domino meo: ſepelite me cum illo, ne longius abſim ab illo. Sed quicquid facere non poſſum cum corpore, faciam cum corde: O quàm bonum eſt cum Chriſto crucifixo

fixo crucifixi? Tres in illo sedes volo collocare, vnã in pedibus, alteram in manibus, & tertiam, eamque perpetuam in pretioso illius pectore. Ibi volo respirare, quiescere, dormire, & orare. Ibi loquar illi ad cor, & ipse dabit mihi quidquid ab eo petiero. O iucundissima vulnera benignissimi mei Redemptoris. Ingressus aliquando apertis oculis in illa, sensi scaturientem ex illis sanguinem, visum mihi ademisse; cumque nihil præter sanguinem viderem, vlteriùs paulatim manus intromisi, donec ad viscera charitatis illius peruenissem: in quibus ita irretitus sum, vt posthac inde exire non possim. Habitabo in ipsis semper, eorum commeatu me sustentabo, bibam de liquoris illius dulcedine, qui tam suauis est, vt nec sciam, nec possim explicare. Magnus subinde me pauor inuadit, ne fortè hoc iucundo habitaculo excidam, & consolationes, quibus nunc fruor, amittam: firma nihilominus spes mihi remanet, quod cùm vulnera semper pateant, per ea reuerti mihi liceat, vt perpetuum mihi sit in illis habitaculum. O beata lancea, O felices claui, qui viam vitæ nobis reseraſtis. Si mihi licuisset hoc lancea ferrum esse, non exiuissem è pectore diuino, sed potius dixissem; *Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam* sedem. Hucusq; Bonauentura. Psal. 131.

Ecce hic anima mea Saluatorem in Cruce, ecce vbi dormit, vbi quiescit, vbi pascit gregem suum sub vmbra in meridie. Habes hîc pabulum vitæ tuæ, habes hîc medicinam vulnerum tuorum, remedium ignorantiæ, satisfactionem pro peccatis, speculum in quo videbis omnes tuos næuos & defectus. Hoc est illud speculum, quod in templo seruari voluit Dominus, vt in illud inspicerent Sacerdotes, priusquam aliquid in templo attrectarent. Anima enim deuota inspiciens, in crucem Domini, & considerans virtutes & perfectiones eius, qui pendet in illa, videt manifestiùs quàm in nitidissimo speculo imperfectiones & defectus vitæ suæ. O speculum terssissimum, clarum omnibus virtutibus: O quam apertè per te in cruce pendẽtem omnia mea vitia & peccata manifestantur? Crux illa lugubris damnat omnes inordinatos meos appetitus, & delectationes. Illa cum nuda sit, reprehendit meam abundantiam: spinea illa Corona meos luxus & inanes pompas arguit: Acetum & fel illud amarissimum cibi potusq; mei curiositatem insectantur: Brachia illa extensa ad recipiendum & amplexãdum omnes promiscuè amicos & inimicos, odium & iracundiam meam condemnant: Oratio illa, quam pro persecutoribus tuis ad patrem præmisisti, accusat iram & indignationẽ meam aduersus inimicos meos: Cor tuum apertum omnibus, etiam ipsis hostibus, qui illud transfixerunt, conuincit duritiem cordis mei, quod clausum manet, etiam in necessitatibus fratrum & proximorum meorũ: Oculi illi pallidi & madentes lachrymis pro peccatis meis effluentibus, vanitatẽ & dissolutionem meorum oculorum castigant: Aures quoque illæ, quæ tanta cum patientia sustinuerunt opprobria, conuitia, calumnias, & blasphemias, magnitudinẽ impatientiæ meæ, quæ læuissimo subinde verbo turbatur, confundit. Est itaque, Domine, tota persona tua, à pedibus vsque ad caput, tanquam nitidissimum speculum perfectionis, & imago pulcherrima virtutum omnium. Hic præcipuè eluceſcunt virtutes illæ quatuor Charitas, Patientia, Obedientia, & Humilitas: quibus tanquã quatuor pretiosissimis gemmis, cuatuor Crucis brachia exornasti. Quarum (teste S. Bernardo) Charitas omnium est suprema: Humilitas, tanquam fundamentum virtutum omnium, infima. Obedientia ad dexterum latus, & Patientia ad sinistrum. Quatuor his gemmis, Domine, hoc glorioſum vexillum exornasti; commonstrans in ipso te tam patientem in tormentis, tam humilem in iniurijs, hominibus tam amabilem, & Deo tam obedientem. Exod. 38.

Habes itaque hîc, O anima mea, quod te doceat, habes quod te reprehendat, habes quod te consoletur: vulnera siquidem Christi faciunt hæc omnia, & virtutes has omnes operantur. Docent studioſos, corrigunt negligentes, sanant infirmos, debiles atque diffidentes corroborant. Contentus igitur esto, Pater cælestis, quod obedientia, eius satisfaciat pro me, & mea inobedientia, qua Maiestatem tuam toties offendi; eius humilitas, pro mea superbia; eius patientia, pro mea impatientia; eius liberalitas, pro mea auaritia: eius denique labores & dolores, pro meis delicijs & voluptatibus. Offero tibi mortem illius immeritam, pro morte quam ego debeo; pœnas eius, pro pœnis, quas ego mereor; eius denique perfectam satisfactionem, pro debitis omnibus meorum peccatorum. Omnia enim quæ mihi desunt, ille liberaliter suppleuit. Et quia tu Domine non soles bis iudicare in idipsum, aut vnũ crimen duplici pœna plectere: cùm peccata mea semel in illo puniueris, noli ea in me punire iterum in æternum: sed gratiam tuam mihi largire, vt plangens & castigans ea laboribus & doloribus huius vitæ, merear perpetuo cum eo regnare in cælesti gloria. Amen.

DE RESVRRECTIONE. CAPVT XLII.

PEracto certamine passionis, cùm iam Draco infernalis arbitrabatur, sese victoriam contra immaculatum Agnum obtinuisse; incepit potentia diuinitatis in eius anima resplendere; qua cum fortissimus Leo de tribu Iuda descendit ad inferos, & cùm vicisset & comprehendisset fortem illum armatum, diripuit diuitem prædam, quam ibi clausam detinebat: vt postquam Tyrannus ille ausus fuisset primarium caput inuadere sine ratione, perderet omne ius suum, quod in membris habere videbatur. Tunc verus Sampson, moriendo occidit suos inimicos. Tunc Agnus ille immaculatus in sanguine testamenti sui emisit vinctos suos de lacu, in quo non est aqua. Tunc verus Dauid Goliæ caput proprio ense illius abscidit, cum Saluator morte sua mortis auctorem superauit, qui omnes homines suo premebat imperio. Impetrata igitur hac glorioſa victoria, Auctor vitæ, cùm mortem destruxisset, tertia die à morte resurrexit, & quasi verus Ioseph de captiuitate inferni, per voluntatem & imperium summi Regis exiuit, capillis mortalitatis iam attõsis, veste pulchritudinis & immortalitatis indutus. Matth. 28. Mar. 15. Ioan. 20. Apoc. 5. Iudic. 16. Zach. 9. 1. Reg. 17. Genes. 41.

Hic poteris tecum perpendere magna gaudia omnium apparitionum, quæ in illo glorioſo die acciderunt; vt sunt gaudium sanctorum Patrum in limbo, quos ante omnes Dominus visitauit, & ex tenebroſo illo carcere eduxit; gaudium sanctarum fœminarum, quæ ad sepulchrum venerunt, vt vngerent Iesum: gaudium denique omnium Discipulorum, qui adeò desolati erant propter absentiam sui Magistri, & nunc in resuscitatione illius exultarunt.

Incipiens igitur à primo gaudio, considera quam ingens fuerit sanctorum Patrum in Limbo lætitia, in illo die, propter visitationem & præsentiam sui liberatoris: cogita quantas illi gratias reddiderint pro salute tanto tempore expectata, & tam diu desiderata. Dicere solent illi, qui ex India Orientali in Hispaniam redeunt, se labores & molestias peractæ nauigationis optimè collocatas existimare, propter magnam lætitiam, quam sentiunt, dum in patriam suam reuertuntur. Si nauigatio vnius anni hoc facit quid *Gaudium Patrum in limbo.* *Simile.*

cit; quid quæso fecit captiuitas & exilium duorum, trium, aut quatuor annorum millium, in die illo, quo tantam gratiam Sancti illi receperunt, dum viderunt se nunc venisse in portum terræ viuentium?

Gaudium Mariæ.

Extremum autem gaudium, quo gloriosa Virgo in die illa perfusa est, filium suum videns resuscitatum, quis vnquam poterit enarrare? certum enim est, quòd quemadmodum in die passionis cæteris omnibus maiorem sensit dolorem, sic etiam in die resurrectionis maiori affectata est gaudio. Quale putas gaudium, qualis fuit lætitia in corde Virginis intactæ, dum videt coram filium viuum, & gloriosum, omnibus illis Patribus concomitantibus? quàm fuêre dulces illi amplexus? oscula quàm suauia? lachrymæ quàm copiosæ? & desiderium cum illo abeundi, si licuisset, quàm ardens?

Gaudium sanctarum mulierum.

Quid dicemus de gaudio sanctarum mulierum, specialiter autem illius (Magdalenæ) quæ perseuerabat plangendo iuxta monumentum, quando ad pedes eius prostrata, vidit illum in forma tam gloriosa? Considera quod post matrem, primo apparuit illi, quæ plus amauit, perseuerauit, planxit, & maiori cum solicitudine quæsiuit; vt hoc exemplo discas, te sine dubio Deum inuenturum, si quæsieris illum cum ijsdem lachrymis, & eadem cum diligentia.

Discipulorũ fragilitas.

Licebit etiam hîc meditari discipulorum fragilitatem, qui tam subito diffidentes, fidem abiecerunt, scandalo Passionis offensi: & ex illo considera quam magna est nostra miseria, & quam exiguum est, quod fidem nostram sæpe labefactat, etiam tunc, cum firmissimè nos credere, & de fide certissimos esse arbitramur. Ab altera parte animaduerte bonitatem, & paternam Domini prouidentiam, qui suos non derelinquit in finem: sed subitò consolatur illos, & recreatione suæ visitationis atque præsentiæ adiuuat. Ipse optimè nouit fragilitatem nostram, nouit figmentum nostrum, nouit ex qua materia sumus compositi: *nec sinit nos tentari supra id quod possumus*. Quinquies suis apparuit eo ipso die, quo resurrexit: & triduum illud sepulturæ suæ in horas quadraginta contraxit, si ab illa hora, qua in cruce spiritum emisit initium numerandi sumamus (quæ horæ nondum dies constituunt naturales duos) & loco mœstitiæ horarum quadraginta dedit lætitiam quadraginta dierum: vt ex eo intelligatur, quàm pius est erga suos, & quantò promptior in consolando, quàm in affligendo.

1. Cor. 10.

Luc. 24.

Considera quoque, quomodo duobus illis Discipulis in Emaus euntibus sub specie peregrini apparuit: vide quàm comem & affabilem se illis præbuit, quam familiariter se illis iunxit, quàm suauiter coram illis simulabat, quam amicabiliter tandem se prodidit, cum melle dulcedinem in ore illorum relinquens. Fac igitur, vt & tua conuersatio, tuaque colloquia sint horum duorum Discipulorum colloquijs similia, euolue, & tecum eũ dolore perpende, quod illi inter sese loquebantur (de molestijs scilicet & doloribus passionis Christi) & certò crede, quia non deerit tibi illius præsentia, sicut nec ipsis defuit.

DE ASCENSIONE.
CAPVT XLIII.

TRansactis quadraginta diebus, eduxit Iesus Discipulos suos in Bethaniam, & montem Olineti, suauiterque illis vna cũ benedicta Matre sua valedixit. *Eleuatis autem manibus benedixit illis & videntibus illis eleuatus est in cælum, & suscepit illum nubes ab oculis eorum.* Duxit autem secum captiuitatem, quam liberauerat, faciens eos ciues cælestis palatij, & habitatores domus Dei. Sed quæ lingua posset explicare, quanto cum gaudio, quanto cum iubilo, quanta cum harmonia, & laudantium atq; canentium concentu augustus ille Triumphator, in supernam illam ciuitatem receptus est? quæ festa, quæ solemnitates illic celebratæ sunt? quam iucundum fuit videre homines & Angelos simul iunctos ambulare per cælestem illam ciuitatem, & vacuas sedes replere? humanitatem autem Christi super omnes choros Angelorum ascendere, atq; ad dexteram Patris sedere? Omnia hæc consideratione digna sunt, vt hinc cognoscatur, quam bene expenduntur labores & tribulationes, quæ amore Dei sustinentur: & quomodo ille, qui sese infra omnes creaturas humiliauit, & plus quàm omnes passus est, ibi super omnes fuit eleuatus.

Mar. 16.

In hoc tam glorioso mysterio poteris primò meditari, quomodo Dominus hanc suam ascensionem voluit prorogare vsque ad quadragesimum diem: primò, vt Discipulos suos confirmaret in fide & spe resurrectionis: deinde, vt paulatim sine illo viuere, & absentiam dulcis illius commercij patienter ferre assuescerent. Nam si se statim illis subtraxisset, non poterat fieri quin acerbissimum concipierent dolorem. Igitur vt mater puerum suum quẽ nutrit paulatim ab vberibus desuefacit, nec statim omninò à lacte depellit; (natura namque non fert subitam hanc mutationem) sic nec æquum erat, vt Discipulis Christi statim post resurrectionem dulcissimæ conuersationis eius lac simul subtraheretur: sed satius erat illos mollius tractare, & Christũ paulatim subduci, vsque ad aduentum Spiritus sancti, qui eos omnino ab his papillis desuefactos, iam panem durum cum crustis faceret manducare. Qua in re mirabiliter elucet diuina prouidentia, & varius modus suos diuersis temporibus tractandi, debilibus blandiendo, & fortiores exercendo, lac præbet paruulis, & subtrahit adultis; hos consolatur, illos tentat & probat: atque sic vnumquemque tractat iuxta id quod expedit. Ita vt non subsit causa, cur aliquis glorietur, cùm Deus ei adblanditur; est enim id signum debilitatis, quæ in illo est: nec vt desolatus animum despondeat; hoc enim sæpe fortitudinis est argumentum.

Cur Christus ascensionem suam vsque ad diem quadragesimum voluit prorogare. Sumit.

Elapsis igitur his quadraginta diebus videntibus Discipulis in cælum ascendit. Oportebat enim illos esse testes tanti mysterij: & nemo potest conuenientius testimonium dare de operibus Dei, quam ille, qui scit per experientiam. Si tu veraciter scire cupias quàm bonus, quàm dulcis, quàm suauis sit Deus erga suos; quanta sit efficacia & vis eius gratiæ, amoris, consolationis, & deliciarum eius; quæ re ex illis, qui hæc probârunt, & experti sunt: ipsi enim verum possunt horum omnium dare testimonium.

Cur videntibus Discipulis eleuatus est.

Voluit etiam Dominus Discipulos abitum suum in cælum videre, vt sequerentur illum oculis, & spiritu; vt abitus eius corda eorum affligeret, & eius absentia faceret illos quasi solitarios. hoc enim erat ad gratiam recipiendam præparatio conuenientissima. Heliseus spiritum Heliæ duplicem petijt, & responsum est illi à Magistro suo: *Si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti.* Eodem modo & illi hæredes Spiritus Christi erunt, qui dolore ob Christi absentiam afficiuntur, & remanentes in hoc mundo, ad eius præsentiam anhelant. Nam Spiritus sanctus amat amatores Christi, atque eum in modum amat, vt non sit illi gratior apparatus, quem querit in communicatione suæ gratiæ, quàm est amor iste. Senfit hoc sancta peccatrix illa, de qua dictum fuit; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Aliaratio.

4. Reg. 2.

Luc. 7.

Cogitandum etiam hîc est, qualis fuit illa solitudo, quantus dolor, quã continuæ lachrymæ sanctissimæ Virginis, dilecti Discipuli, Magdalenæ, omniumque

Dolor omnium videntium.

umque Apostolorum, cum viderent discedere, atq; ante oculos suos disparere eum, qui corda omnium ipsorum ad se rapuerat? Id verbis explicari non potest. Dicitur nihilominus, quod *regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno*, respectu scilicet illius quod amabant: amor enim qui fecit illos tristari ob eius discessum, idem fecit eos non minùs lætari ob eius gloriam; cùm verus amor nõ curet ea quæ sua sunt, sed quæ sunt amati. Non tamen ob hæc cogitandũ est, etsi Dominus discesserit ab hominibus, & regnet in cælis, ideo illum filiorum suorum, quos in hoc mundo reliquit oblitum esse: quemadmodum enim nos tunc iuuit suis laboribus: ita nunc nos iuuat sua intercessione, faciendo in terra officium Redemptoris, & in cælo officium Aduocati. *Talis enim decebat vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Qui sedens ad dexteram Patris monstrat ibi accepta pro nobis vulnera & plagas: gubernans ex illa sede mysticum corpus suum Ecclesiæ, diuidens hominibus diuersa dona, vt concorporet illos, sibiq; similes efficiat. Proinde quemadmodum ille (qui caput nostrum est) afflictus fuit, & martyrium pro nobis passus est in hoc mundo, idq; diuersis tormentis; ita voluit etiam corpus suum sic pati, vt non sit deformitas, aut iniqua proportio inter caput & ipsa membra. Esset enim magna dissonantia, si caput varijs tormentis cruciaretur, & membra in delicijs fouerentur: & si, cùm caput adeò humiliaretur, membra vellent adorari: cùm denique caput nõ haberet, cui inclinaret, membra vellent esse domini vniuersorũ. Hanc ob causam ita disposuit diuina sapientia, vt omnes Sancti, qui vnquam fuerunt in Ecclesia iam inde ab initio mundi, probarentur, & diuersis tribulationum & laborum generibus exercerentur. Eandẽ viam calcare quoque debent omnia alia membra Christi viua, vsque ad diem iudicij: quemadmodum ante nos eam Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Monachi, Anachoretæ, & Virgines calcarunt; cum id ita fieri velit Dominus altissimus, vt tandem omnes cantent cum Propheta, & dicant, *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Ad eum modum Pontifex noster Iesus Christus sedens in cælesti sede, regit vniuersum corpus suum mysticum, Ecclesiam. Proinde Pater cælestis omnis lingua benedicat tibi & pro maximo hoc dono, quo donasti nobis vnigenitum Filium tuum, tibi gratias agat; eò quòd ex vna parte noster est Gubernator, & ex altera noster Aduocatus: tales enim, & tantæ erant nostræ miseriæ, vt præter illum nemo potuisset remedium adhibuisse.

Eorum gaudium.

In cælo sedens nostri non obliuiscitur.

Hebr. 7.

Cur Ecclesia debet affligi.

Psal. 65.

DE ADVENTV DOMINI AD iudicium.

CAPVT XLIIII.

POst hanc ad cælum ascensionem, ea ipsa hora affirmarunt Angeli, quòd Iesus, qui assumptus erat ab illis in cælum, sic rediret ad iudicandũ mundum, quemadmodum viderãt eum euntem in cælum: significantes nos ita debere cogitare de misericordia prioris aduentus, ne obliuiscamur rigoris & iustitiæ posterioris: vt ea memoria esset frænum & correctio nostræ vitæ. Quàm erit illud iudicium terribile, verbis non potest exponi. Multa namque alia iudicia particularia exercuit Deus in hoc mundo; vt cum totum genus humanum aquis diluuj perdidit; cum aperuit terram in deserto, & absorpsit peccatores; cùm ignem de cælo pluit super Sodomam, Gomorrham, & alias vicinas ciuitates: sed omnia iudicia illa cum hoc, quod in nouissimo illo die fiet, comparata, non plus efficiunt, quàm si conferas vmbram cum veritate.

Act. 1.

Iugis memoria extremi iudicij, Iudicij huius magnitudo. Genes. 7. Num. 6. Genes. 19.

Vt autem intelligamus aliquid de huius diei terribilitate, considera primùm horrenda signa quæ præcedent, quæ erunt in Sole, in Luna, in stellis, in mari, & super terram. Et sicut in Euangelio dicitur, *erit in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Memento terribilis illius tubæ, cuius sonitus per omnes mundi plagas audietur: & horrendæ vocis Angeli dicentis; *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* Perpende tecum animo, quantus horror erit videre omnes mortuos resurgere; hos ex terris, illos ex mari prodire, & omnes in proprijs suis corporibus, quibus in hoc mundo vixerunt: vt recipiant mercedem iuxta bonum aut malum, quod in hoc seculo fuerint operati. Hoc autem erit omni admiratione dignũ, cum mortuorum corporum quædam in terram, quę dam in cineres redacta sint; quædam etiam à piscibus, & terræ bestijs deuorata; alia denique in minutissimas partes dissecta, nonnulla etiam ab ipsis hominibus deuorata; Deum nihilominus non ignoraturum, quid vnicuique proprium erit, tam in ossibus, quàm in carne, reliquisque omnibus, & vnicuique suum daturum, ità vt vnum cum altero non confundatur.

Signa præcedentia. Luc. 21.

Tuba.

1. Thes. 4.

Nonne quoque horrendum erit videre mundum ardere? passim ædificia corruere? terram tremere? omnia elementa alterari? obscurari Solem, Lunam, & stellas? mori omnes creaturas? aperiri sepulchra? audire clangorem tubæ? patere gentes? aperiri omnium conscientias? videre horrenda monstra Dæmonum, & ignem infernalem accensum?

Super omnia verò metuendum erit, regium illud vexillum Crucis in cælo erectum videre, cum alijs Christi passionis insignibus: & audire Dominum inimicis suis exprobrare, atque objicere omnia quæ pro illis passus est. Considera etiam Iudicis aduentum. & metum quo concutientur mali, cùm videbunt Iudicem venientem in tanta Maiestate: adeò vt montes ipsos oraturi sint, vt cadant, & colles, vt operiant illos, ne videant iram Iudicis. Considera separationem quæ fiet omnium hominum: dum humiles & mansueti ad dexteram manum constituentur; superbi autem & inobedientes ad sinistram: & formidinem atque timorem, qui potentioribus huius mundi superuenient, quando videbunt pauperes & humiles, quos ipsi spreuerunt, iam euectos & exaltatos.

Signum crucis in cælo.

Iudicis Maiestas. Luc. 23.

Meditare reddendæ rationis rigorem, quæ postulabitur illic ab operibus vniuscuiusque, cum habeamus in Euangelio, quòd in die iudicij reddenda erit ratio de omni verbo otioso. Et si exactius scire velis, quàm stricta ratio illic erit reddẽda, aspice terribilitatem Iudicis Christi, cuius aspectus non aliud præ se feret, quàm vindictam; licet in primo aduẽtu nil aliud quam misericordiam ostentaret. Ab hoc Iudice non licebit appellare, quia ipse est supremus Iudex: & quia est potentissimus, non licebit cuiquã eius manus effugere: quia verò Deus est scientiarũ, nihil illi poterit esse occultum: quia denique nihil magis illi displicet quàm peccatum, nullus defectus relinquetur inultus. Tunc tibi reddenda erit ratio de tot rebus, quarum minima sufficiens erit, vt tortorib. tradaris. Quis poterit tot debita soluere, quot ibi exigentur? Ibi interrogaberis quomodo tempus tuum consumpsisti: quomodo corpus tuum tractasti: quomodo sensus tuos refrænasti: quomodo cor custodiuisti: quomodo diuinis inspirationibus respondisti: quomodo beneficijs Dei vsus es, & quas gratias ei pro illis reddidisti.

Ratio reddenda. Matth. 12.

In hac expostulatione vel accusatione tot erunt testes, quot sunt creaturæ, quibus abusus es: quæ in

Testes.

illa hora eum in modum te turbabunt, vt si foret possibile ipsi immortales pauore morerentur in illo momento. Præterea quã horribile erit, in illa hora cum malus videbit se ab omni parte tot angustijs obsideri? quoctunq; namque oculos voluet, videbit vndiq; causas timoris & tremoris. Sursum erit Iudex iratus, deorsum Infernus apertus, ab vno latere peccata quæ accusant, ab altero Dæmones, vt auferant ad æterna tormenta parati. Foris ardebit mundus intus mordebit conscientia. Quando igitur se in tot angustijs constitutum videbit quo vadet? quid faciet? quid dicet?

1. Pet. 4. Abscondi est impossibile, prodire intolerabile: *Iustus enim si vix saluabitur, peccator vbi parebit.*

Matth. 25. Vltimò perpende horrendum illud tonitruũ, quo sententia pronunciabitur: cuius summa hæc est; *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Esurijt enim, & non dedisti mihi manducare: sitiui, & non dedisti mihi potum* &c. cognosces dignitatem operũ misericordiæ, & videbis quantum erit gaudium & tranquillitas animi eius, qui pius fuit in proximum: illic enim Deus erit quasi anchora illius: & econtrario videbitur tormentum, dolor, & anxietas eius, qui quia noluit dare de illo, quod supererat ei, & tamen nolens volens relinquere debuit, iam se perpetuo condemnatum, cæloque excluſum, & sibi æternos ignes paratos videbit.

DE POENIS INFERNI.
CAPVT XLV.

DAta hac sententia, iusti ibunt in vitam æternã, iniusti verò in ignem æternum. Vt autem cõditionem huius pœnæ intelligas, imaginare qualis sit locus ille Inferni, idque per aliquas similitudines & cõiecturas, quas nobis Sancti reliquerunt. Imaginare igitur Infernum esse obscuritatem horribilem, & lacum abominabilem: qui sub terra est: puteum profundissimum flammis ignis plenum. Imaginare ciuitatem esse terribilem plenam confusione, cuius ciues laniant carnes suas die ac nocte; idque vlulatibus & stridoribus horrendis, præ rabie atque furore dolorum, quos patiuntur.

Locus inferni qualis.

Pœnarum magnitudo.

Perpende quoque pœnarum acerbitatem, quibus illic mali cruciantur, earumque multitudinem, & perpetuitatem. Quantum ad acerbitatem, cogita quã intolerabile tormentum erit ardens ille ignis, qui ardebit, & continue cruciabit, nec vnquam ardere desinet. Idem statuere debes de intolerabili frigore, deque fœtore & immunditia, quæ in illo abominabili loco inueniuntur. Magnitudo illarum pœnarum colligitur ex stridore dentium, ex gemitu & planctu, ex furore & blasphemia, quæ resonat in illo loco, vt ait Scriptura. Multitudinem etiam harum pœnarum cõsidera, quia illic est ignis, qui non extinguitur, & frigus, quod non potest ferri; fœtor horribilis, & tenebræ palpabiles, quales erant illæ Ægyptiacæ, imò multò densiores & obscuriores. Ibi patientur & torquebuntur omnes sensus, quorum vnusquisque proprium suum habebit tormentum. Oculi aspectu terribilium Dæmonum, aures perpetuis gemitibus & lamentabili vociferatione damnatæ illius societatis, & crudelium tortorum, (qui nunquam vel torquendo fatigantur, vel discunt quid sit pietas) qui obtundent aures illorum miserorum stridoribus horrẽdis, dicentes; Vbi nunc est gloria & fastus, tui status, & dignitatis? vbi exercitus famulorum, & adulatorum, qui te longo agmine sequebantur? Patietur gustus, patietur tactus cum reliquis sensibus omnibus. Nec minùs affligentur omnia membra quæ fuerunt peccatorum instrumenta, & arma, vnumquodque tamen secundum qualitatem sui meriti.

Matth. 13.

Exod 10.

Post pœnas exteriores corporis, conuerte mentem tuam ad pœnas interiores animæ, maximè ad vermem illum, qui nunquam moritur; qui est perpetuus conscientiæ remorsus, propter vitam male peractam. Sed quis erit sufficiens, vt comprehendat quantus erit dolor & furor, qui malos illic exagitabit, vbi viderint quàm exiguo cum labore liberari potuissent à tam immensis, intolerabilibusque tormentis? Erit etiam nequaquam exigua pœna memoria prosperitatis, & voluptatum præteritarum, quæ illos dicere coget illud Sapientiæ; *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquã vmbra, & quasi nuncius præcurrens.* Sap. 5.

Vermis conscientia.

Esa. 66.

Istæ pœnæ profecto sunt grauissimæ: tamen non minus molesta erit societas damnatorum, & obscurissima atque mœstissima nox, quæ operit eos. Supero omnia verò hæc dici non potest, quam grauis erit eorum dolor, ob perditum Deum, sine spe illum vnquã recuperandi. quæ pœna tantò superat omnes alias pœnas sensibiles, quantò pulchritudo Dei maior est, & gratior turpitudine atque immunditia inferni.

Æternitas.

Meditare quoque tempus, quo hæc tormenta durabunt, quæ præterquam quod tam magna, tam vniuersalia, & tam continua sunt, (non est enim in illis interuallum, quies, aut vlla diminutio) etiam finẽ non habebunt. nec post mille, nec post centum millia, nec post centena millia millium annorum: Non enim erit illic aut terminus, aut finis, aut redemptio, aut appellatio, aut annus Iubilæus, aut locus pœnitentiæ, aut remissio culpæ: sed perpetuus dolor & desperatio omnium seculorum. Ita vt si infelices damnati sperarent, fore, vt post exhaustum magnum Oceanum, si millesimo quoque anno vna guttula inde depromeretur, aliquam haberent pœnarum diminutionem, id ipsis magno foret solatio: finem enim hunc, etsi tardissimum, pro fine tamen haberent, & cum gaudio expectarent: sed miseris illis ne tantillum quidem spei relictum est. Dic mihi, ô homo stulte, & vitæ inordinatæ, si digitum tantum vnum super carbonem ponens, ibique ad spatium vnius Symboli Apostolici detineas, pro summo æstimes dolore atq; tormento, adeò vt nõ sit quicquã in mũdo, q̃ non faceres, vt hunc dolorẽ fugias: quare nõ laboras modicum, ne totus & anima & corpore in ardenti illa fornace sepeliaris, quæ durabit in seculorum secula?

DE GLORIA CÆLESTI.
CAPVT XLVI.

QVemadmodum mali condemnabuntur ad pœnas inferni, sic econtrario boni coronãbuntur, & ad gloriam Paradisi adducentur. Vt autem commodius contempleris magnitudinem huius gloriæ, imaginare primò, qualis sit locus ipse: idque per similitudines & coniecturas, quibus Sancti illum secundum capacitatẽ ingenij nostri descripserunt. Finge itaque animo tuo ciuitatem totam ex auro purissimo constructam, lapidibus & gemmis miro quodã artificio intertextis, & singulas eius portas ex vna gemma excisas. Imaginare quoque planitiem maximam & spatiosissimam, omnigenis floribus consitã, omniq; voluptate, quæ potest excogitari, exundantem: in ea perpetuum ver esse, nec ullam ibi succedere mutationem: hortos illic conspici iucundissimos, floridos, & virides, in quibus spirat continuus odor inæstimabilis suauitatis.

Cæli locus qualis.

Postquam hoc modo locum es contemplatus, considera porro quanta erit gloria videre illam beatissimã Trinitatem, quæ est perfectissima imago, in qua resplendet omnis pulchritudo, omnis nobilitas, omnis, quã quis potest imaginari, bonitas: & omnis quæ potest inueniri perfectio: in cuius visione habes omne id, quod quæris, & gustabis omne id quod appetes, secundùm mensuram gloriæ, quam accipies. Hic enim est liber, qui liber Vitæ dicitur? cuius origo est æterna, cuius essentia est incorruptibilis, cuius cognitio est vita, cuius doctrina est facilis, cuius scientia est suauis

Visio Trinitatis.

suauis, cuius profunditas nō potest mensurari, cuius literæ nō possūt expūgi, cuius verba nō possūt explicari.

Visio humanitatis Christi.

Deinde meditare secundā gloriā, quæ sequitur hāc, estq; manifesta visio sacratissimę humanitatis Christi qui ꝓ salute nostra in crucē raptus est, & ꝓpter gloriā nostrā nūc sedet in cælo. Animaduerte quomodo hac in re superiores sumus ipsis Angelis, videmus .n. reuera & eorū & nostrū Dominū esse hominē, non Angelum, licet alioquin sit omnia in omnibus.

Dotes corporis.

Contemplare deinde gaudium, quod anima cōcipiet ex societate omnium aliorum Sanctorum, qui sunt innumerabiles: de quorum lætitia tu quoq; non minùs, quam ipsi lætaberis: magnitudo enim charitatis, quæ illic regnat, faciet omnia bona communia, & quicquid non habueris in te, id in ipsis inuenies.

Dotes animæ.

Sed & singulares illas dotes in memoriā reuoca, quas illic Sanctorū accipiēt corpora ꝓ mercede, quia serui fideles fuerūt, vt sunt immortalitas, impassibilitas, agilitas, & pulchritudo tāta, vt verbis nequeat explicari. Dotes animæ nō erunt minores: quales sunt sapiētia perfecta in intellectu, absq; vlla ignorantia, gaudiū pfectū in volūtate, absq; omni tristitia, aliaq; bona inæstimabilia, quæ illic recipiēt. Hoc in loco potest homo pius immorari, & ꝓcedere quousq; volet: hic potest visū extendere, considerando horū bonorū sibi reseruatorū magnitudinē. Quātopere te obstrictū putas Domino, qui te ad tātorū bonorū possessionem creauit? nec solū creauit, sed & redemit, vsq; ad diem præsentē expectauit, semperq; tibi sua gratia auxiliatur, vt hanc coronā consequaris? O q̄ beatū est regnū illud, in quo Sācti oēs regnat cū Christo, cuius lex est Veritas, cuius pax est Charitas, cuius vita est Æternitas? Regnū hoc nō diuiditur ꝓpter multitudinē regnantiū, nec minus fit ꝓpter frequētiā participātiū, nec ꝓpter numerū cōfunditur, nec ꝓpter varietatē ordo perturbatur, nec angustius fit ꝓpter locū, nec variatur p motū, nec alteratur in tēpore, ꝓ alterat omnia: sed durabit sine fine p omnia secula seculorū, Amen.

PRAELVDIVM IN TRACTATVM DE COgnitione sui ipsius.

IN principio huius sexti libri diximus, secundum doctrinā D. Thomæ duo genera cōsiderationū inuenīri, ad deuotionē excitandā vtilissima. Primum est perfectionū & beneficiorū diuinorū; aliud culpæ & miseriæ humanæ. Harū cōsiderationū quædā pertinēt ad cognitionē Dei, aliæ ad cognitionē sui ipsius: atq; ita quædā faciūt ad accēdendam charitatē, quædā vero ad generandā humilitatē: quarundā ope homo radices in virtute figit, aliarū in ipsa crescit; & fit perfectior. Hactenus egimus de maximo beneficio Dei, quod est Redēptionis, quæ totā vitā nostri Saluatoris cōplectitur; estq; excellētissima & suauissima considerandi materia. De alijs porrò beneficijs & perfectionib. Dei tractabimus in lib. sequēti, vbi de amore Dei sumus acturi, cui maximè seruit horū consideratio. Reliquum igitur est, vt pro cōclusione huius libri hic aliquid dicatur de cognitione sui ipsius, ex qua (vt iā diximus) oritur virtus humilitatis, quæ est fundamētū omnū aliarū virtutū, & quæ præparat Deo sedē in anima nostra (libēter enim ille habitat in cordib. humiliū) & expellit ab ipsa omnē sumū præsumptionis, & superbiæ; quæ primaria sunt deuotionis impedimēta. Ad consequendā igitur hāc virtutē duo sunt potissimum homini considerāda, huic proposito quā vtilissima. Primū est multitudo miseriarū, & malorū, quæ habet à semetipso; aliud, hominē nihil boni habere quod sūū est, & quòd à Deo nō accepit. In prima consideratione videbit quā nudus & pauper est: in altera quā grauiter cæsus & vulneratus est. In vna videbit quomodo nihil habet, cur debeat, aut possit gloriari, 1. Cor. 4. *cum Apostolus dicat, nos nihil habere; quod à Deo non accepimus: & in altera cernet, quàm iustam causam habeat sese humiliandi, & abnegandi; cùm tantas miserias in se deprehendat.*

PARS PRIMA HVIVS EXERCITII. CAPVT XLVII.

QVantum ad primā partē huius exercitij, ad cōsiderationē scilicet miseriarū malorumq; propriorū attinet, multa hic profectò dicēda sunt, cum homo in hac materia miseriarū & malorum sit ditissimus. Cùm .n. cōpositus sit ex anima & corpore, laborat etiā malis tā animæ quā corporis. Inter animę mala, quæ grauiora sunt, & maiora, quædā sunt omnibus hominibus cōmunia, tanquam mala naturalia, quædam sunt particularia, & vnicuiq; propria: inter quæ nonnulla sunt vitæ peractæ, in quæ incidimus iā antea, quædā præsentis, in quæ quotidie impingimus. De omnibus his hic ordine dicemus, licet breuiter & succinctē, viamq; sternemus in hac philosophia tam Christiana & vtili philosophari volentibus.

De malis corporis. CAP. XLVIII.

Tria considerāda.

INcipiēs igitur à malis corporis, poteris hic breuiter cōsiderare tria, quid scilicet eris antequā nascereris, quid, cū iā natus esses, & quid eris post mortē. Primò antequā nascereris fuisti materia immūda, I.
fœtida, atque indigna quæ nominetur: ex quo facilè poteris cognoscere, quale est opus ex tali materia cōpositum, cum nullus effectus sua causa sit excellētior.

Postquā natus es, si noueris omnia diligēter & lynceis oculis explorare atq; intueri, tā quæ in homine, q̄ quę extra illū sunt, inuenies te sterquilinium esse niue tectū: sepulchrū foris dealbatum, intus autē plenum putredine atq; corruptione: saccum plenum miseriarum & infirmitatum: deniq; omnib. creaturis debiliorē, expositum mille periculis, cuius miseriæ, casus, infortunia, morbi, aliaq; accidentia multitudine maris arenā superant. Poteris hic, si velis, oculos tuæ considerationis ad humanæ vitæ miseriā conuertere, quæ est breuis, incerta, fragilis, volubilis, fallax, & misera imò fragilior est vase vitreo: de quib. conditionibus alio loco tractauimus copiosiùs. Nō tamen omittam hoc loco pro confirmatione huius veritatis narrare, Lib. 1. de Or. & Meditat. vespertina meditatione secunda.
q̄, quō tēpore hæc scribebā, fama in hac vrbe percrebuit, in oppidū quoddā nomine Azurara, farcinā pannorū laneorū illatā esse, quæ ex alio quodā loco peste infecto erat illuc aduecta. Ea sola sic potuit aērē inficere, vt ipso quasi momēto octuaginta homines peste perierint, & triginta adhuc periclitētur, cū morte luctātes. Metuebant etiā accolæ, ꝙ totum regnū ea lue infectum fuisset, nisi cōfestim opportunū adhibitum fuisset remedium. Dic mihi quæso, ꝙ vas terreum, ꝙ vitrum, quæ araneę tela potest esse fragilior. quęq; faciliùs rūpatur, & pereat q̄ nostra vita? cū ea tot sit subiecta periculis, & tā exigua res sufficiat ad illā extinguendā? Vbi sunt illi, qui tā altas turres & magnifica palatia volunt tam fragili superstruere fundamento. Qua promissione fretus, spē tuam in tā longa extēdis tempora, cùm vita nostra tam fragilis sit & dubia?

Sed ad propositum reuertamur. Si consideres quid III.
post mortem eris, & si tibi aliter non occurrat, accede aliquod sepulchrum, & intuere cadauer, ꝙ iā triduo tantum, aut quatriduo sepultum fuit: considera colorem, odorē, horrorem, deformitatē, & miserabilem aspectum, atq; figuram eius, ibiq; discès, quid sit corpus mortuum, & videbis quā parum differat ab equo mortuo, qui in cœno iacens, scaturit vermibus, & tātum fœtorē exhalat, vt prætereuntes oculos claudāt, nares obstruant, & celeriter transeant, ne videāt, aut olfaciant pestilentialem istum putorem. Hic finis & mitræ, & coronæ, & sceptri, & diadematis, in hoc cōuertitur omnis gloria & pulchritudo mundi. Et corpora quæ paulò antè, cum adhuc viuebāt, in tātis delicijs nutriebātur, quib. nihil deerat, quæ tāto erāt in honore, tam magnificè & curiosè vestiebantur: tot exoticis odorib. spirabant, cuius voluptatib. seruiebant terræ & maria, cum omnib. delicijs Orientis &

Occidētis, eò deueniunt, vt sint omnium, quæ mundus habet, turpissima, abominabilissima, fœditissima, & quæ humanis oculis conspiciantur indigna. Quemadmodū enim in mundo nō reperitur animal formosius, & potētius homine viuo: sic nec deformius, nec fragilius inuenitur eodē homine vita functo.

DE MALIS ANIMÆ; ET PRIMO de illis, quæ cunctis hominibus sunt communia.

CAPVT XLIX.

Et hic tria meditanda.

QVantum ad miserias & mala interiora, quæ sunt animæ; tria quoque veniunt discutienda: mala scilicet humanæ naturæ communia, quæ ad omnes pertinent; deinde propria, tam in vita anteacta, priusquā te Deus vocaret, quā in præsenti, si fortè iam ab illo vocatus sis. Quantum ad illa prima sciendum est nō reperiri linguā aliquam humanam, quæ possit declarare paupertatem & ataxian, in qua natura humana post peccatum remansit; & quā idonea est, ad aliquod bonū opus peragendum, nisi peculiari quodā modo à Spiritu sancto iuuetur.

I.

Inter omnia verò mala seu miserias huiusmodi, quatuor sunt, quæ potissimum hoc loco possunt cōsiderari, & quæ sunt quasi aliarum omnium miseriarum radices & fontes. Prima est, quia homo in peccato conceptus est: quæ est illa miseria, quam Dauid in sui excusationem adferebat, dicens; *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Vocat hoc loco peccatum originale iniquitates, & peccata; quāuis enim illud (vt quidam Doctor bene annotauit) vnum tantum peccatum sit actu, potentia tamen est omnia: ex hac enim mala radice, tanquā ex veneno mortifero, nascuntur omnia alia peccata; & hinc est, cur via virtutis tā est difficilis, sicut & Iob agnouit, cùm dixit; *Quis potest mundum facere de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es?* Quemadmodum enim lana tincta difficillimè ad pristinum reducitur colorem, cum is, aut vix, aut nunquā eluatur; sic mala inclinatio ad peccatum, cuius principium fundamētum est in homine (hoc est, in materia hominis) antequā homo est, nemo potest vincere, nisi peculiariter à Domino adiuuetur. Et si inclinationes & consuetudines, quæ à puero addiscuntur, postea difficulter in desuetudinem veniant; quid fiet de his, quæ multo sunt antiquiores, quæ tecum ex vtero matris prodierūt? quarum radix & principium ipso etiam homine est antiquius, cùm tempore conceptionis in ipsa hominis fabrica, vnà cum materia infusæ sint.

Originale peccata. Psal. 50.

Iob 14. Simile.

Potentiarum animæ perturbatio. Simile.

Ex præcedenti miseria nascitur alia maior, quæ est corruptio, ataxia, vel ordo perturbatus omnium virium & potentiarum hominis. Quemadmodum enim fermentum, additum massæ, totam illam penetrat, & in suam naturam vertit, nisi statim ab ea remoueatur; & quemadmodum venenum haustum sese actutum diffundit in omnia corporis membra, omniaque inficit: sic etiam fermentum & venenum illius peccati se sparsit per omnes animæ nostræ potentias, omnibusque suam malignitatem communicauit. Sic intellectus, qui est omnium potentiarū præcipua, obscuratus remansit & stupidus ad intelligenda ea, quæ Dei sunt; liberum arbitrium infirmatum; voluntas ad bene operandum debilitata: appetitus omnes violentiores & potētiores ad malè agendum effecti; memoria vaga, imaginatio inquieta, sensus curiosi, caroque immūda & ad malum propensa relicta est. Inter omnes autem potentias animæ videbis non esse instabiliorem, & magis inquietam imaginatione, quæ rationi semper reluctatur, cùm vix Symbolum Apostolicum semel possimus recitare, cogitationibus nostris in Deo immotè permanentibus: sed priusquam sentimus, euagatur, & totum mundum sine vlla requie pererrat; adeò vt vix inueniatur folium, quod omni vento sic moueatur, vt imaginatio nostra mouetur quocunque casu interueniente. Quid dicā de appetitus nostri perturbatione? quod sterquilinium vsquam reperitur tam immundum, quæ cloaca tam obscœna, quæ tam intolerabiles à se fœtores diffundat? ob quod meritò dictum est ab Ecclesiastico? *Quid nequius, quàm quod excogitauit caro & sanguis?* Quis enim vnquam posset excogitare, vel explicare multitudinem turpitudinum, inuentiones oblectationū & voluptatum, quæ singulis momentis in eo exoriuntur? Imaginatio videtur cantare, & appetitus ad eius mensuram saltat: Quotquot enim figuras, & quotquot obiecta imaginatio appetitui repræsentat, ad tot sese extendit desiderium affectionis, nisi statim accedente ratione refrænetur.

Appetitus perturbatio.

Eccl. 17.

Si vlteriùs progrediaris, & quæ forinsecus sunt, vt sensus exteriores, contempleris, considerēsque pericula, quibus anima nostra est exposita propter solum visum, intelliges quàm iusta de causa dictum est ab Ecclesiastico; *Nequius oculo quid creatum est?* post quam nullum inueniatur malum, quod ex visu non traxerit originem? Causa omnium horum fuit amissio iustitiæ originalis & gratiæ per peccatum. Quemadmodum enim caro sale conseruatur à putredine, sine quo statim putrefit, & vermes producit: sic humana cœlesti hoc dono conseruatur naturà; illo autem per peccatum amisso, iam omnes hominis potentiæ turbatæ sunt & inordinatæ. Hinc est cur ipsæ ad omne malum sint præcipites, & ad omne bonum tardæ & pigræ; nisi diuina mediante gratia sint reformatæ & reparatæ.

Eccl. 31.

Ex eadem radice nascitur tyrannis amoris proprij, originalis peccati primogeniti: vnum enim auertit se ab amore Dei, alterum se conuertit ad amorem suijpsius, amando se plus, quam omnes creaturas, imò quam ipsum Deum. D. Thomas dicit, quòd hic inordinatus amor in omnia peccata mundi ingreditur, & fomes est omniū. Nemo enim peccat, nisi per aliquod apparens bonum, quod inordinato amore prosequitur, anteponens illud Deo, & sanctorum mandatorum eius obedientiæ.

Amor proprius.

D. Thomas.

Radix hæc alia mille mala germinat, quæ causæ sunt nostræ perditionis. Hinc deriuatur, quòd homo tam diligens est in rebus proprijs, & tam negligens in diuinis: quòd honorem proprium manibus pedibusque propugnat, Dei autem honorem nihili facit; tam feruens sit in procuranda vtilitate propria, & tam tepidus in diuino seruitio: tantos perferat labores, vt quæ sua sunt quærat: pro amore verò Dei vix pedem mouere velit: tanta faciat pro sanitate corporis, cùm parum aut nihil agere velit pro salute animæ: tam tenax in admittendis temporalibus, tam prodigus in spiritualibus abijciendis: tantus omnium voluptatum amicus, & tam infensus virtutum hostis: tantopere hominum oculos reuereatur, & tam parum diuinos illos curet: tanta cum anxietate quærat quæ sunt huius vitæ, & quæ alterius vitæ sunt negligat: doleat, si amittat aliquid corporale; nec vllam habeat rationem, si cōmittat peccatum mortale. Denique hinc oritur, quod homo tam facilis & promptus est ad omne malum, & tam difficilis & tardus ad bonum: quòd ad malum tenuissimo filo, & quauis minima trahitur occasione, ad bonum verò capessendum, non vocibus Ecclesiæ, non promissionibus & minis Dei; non omnibus beneficijs & mysterijs Christi; non tormentis omnibus, quæ sustinuit pro illius redemptione, (huc enim omnia spectabant) potest permoueri.

Vis autem vt exemplo tanquam digito tibi demonstrem, quanta sit facilitas & agilitas, quæ in nobis est ad faciendum malum, & quæ pigritia & tarditas

ditas ad faciendum bonum? perpende quanto opus est tempore, quot laboribus & difficultatibus, antequam cor tuum scintillulam deuotionis & feruoris spiritus concipiat: & quâ facilè, cùm iam accensum est, extinguitur, siquidè in ictu oculi vel verbo vno amittatur & euanescat. E contrariò si imaginationi tuæ repræsentetur vna mala cogitatio, etiam si id fiat quasi in transitu, statim non tantùm appetitus, sed & corpus ipsum inflammatur, & tam feruenter æstuat, vt necesse sit illam cogitationem totis viribus repellere: ita vt mala cogitatio potiùs videatur ignis, quàm cogitatio, cùm tam exiguo tempore captiuet animum, & ignè in corde accendat. Ex quibus liquet facilè, quàm corrupta manserit natura, quam ad omne malum dispositа, & ad omne bonum inidonea: cùm ad hoc sit quasi lignum viride, & madidum: ad illud verò quasi aridum, quod ignem facillimè concipit: & sic in vno sufficit vna sola scintilla, vt subitò accendatur; in alterò verò vix multo tempore, magnis laboribus, & copioso igne accenditur.

Ex hac magna perturbatione, & ruina creaturæ rationalis, procedit alia miseria magna, quòd homo scilicet eò deuenit, vt degeneret à suæ naturæ generositate, & fiat bestia. Hęc est illa miseria, quam deplorabat Propheta, cùm diceret: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus: & similis factus est illis.* Vt enim alias similitudines omittamus, videmus quòd sicut bestiæ nihil aliud amant, nihil aliud quærunt, nihil aliud desiderant, quàm bona temporalia (aliorum enim nō sunt capaces) sic maiorem partem hominum ad eam stupiditatem per culpam suam deuenisse, in qua viuunt illæ per naturam: nihil enim aliud cogitant, nihil desiderant, non est aliud eorum commercium, alteri rei non student, nihil aliud addiscunt, nisi quę ad bona spectant terrena, nunquam cogitantes, vel quòd homines sunt, vel quòd rationem habent, aut fidem, aut legem: nec se expectare aliam post hanc, vitam: sed quasi veræ bestiæ inutiliter tempus transigunt, omne bonum & malum commoditate corporis dimetientes.

Psal. 48.

Hoc modo viuunt non tantùm omnes infideles, & hęretici, quorum infinitus est numerus, sed etiam maior pars Christianorum, exceptis ijs, qui viuunt in timore Domini. Esto, habeant illi omnes rationē, exerceant illam, & faciant eius beneficio: quæ non faciunt bestiæ: dic mihi quæso, ad quid illis ratio, nisi vt sit serua, & quasi culinaria corporis ancilla: sirq; inuentrix non tantùm mille vanitatum, & voluptatum huius mundi: sed omnis etiam crudelitatis & iniquitatis? quamobrem miser homo fit bestia, idq; non tantùm magis est culpabile, sed etiam noxium: bestiæ namq, simpliciter bestiæ sunt, sed homo talis dupliciter bestia fit: appetitu namq; erat bestia, & nunc etiam bestia fit ratione, faciens eam seruire soli huic appetitui, & segregans eam ab obsequio diuino. Huius rei quondam Philosophum puduit, qui dicebat: Maior sum & ad maiora genitus, quàm vt mancipium sim mei corporis. Quid miserius, & maiori dignum compassione, quā videre hominem baptizatum (qui pignus accepit, vt posset, si velit, super ipsos Angelos volitare) eò deuenire, vt propria sua voluntate fiat bestijs simillimus? à quo celsiori gradu, in quem profundiorem locum decidere potuisset?

Homo dissolutè viuens, duplex est bestia.

Seneca Epist. 66.

Imaginare itaq; mi frater, hominē in tali post peccatum statu permansisse, factum scilicet bestijs simile, (non obstāte quòd in tali fuerat honore creatus) omnibus bonis gratiæ spoliatum, in naturalib. sauciatum & debilitatum, è paradiso eiectum, & in hūc mūdum relegatum, inimicum Dei, filium iræ, separatum ab omnib. bonis gloriæ: talis de ventre matris procedit, hæc enim est hæreditas, quam pater Adam illi reliquit.

Denique si tibi animus sit, vt videas conditionem & figuram, quam habet homo in hoc statu, vide qualis factus est Iob, cùm diuina dispensatione Dæmonis potestati traditus est. Primò rapiuntur illi diuitiæ, abiguntur & comburuntur armenta, ruunt ædificia, opprimuntur filij, percussus est ipse à capite ad pedes vlcere pessimo, nec habuit vbi sederet, nisi in sterquilinio: nec reliquum fuit illi quicquā, præter testam, aut vasis rupti particulam, qua saniem radebat. In similem statum Diabolus animam nostrā perduxit per peccatum: sicut corpus sancti illius viri, quia ei potestas à Deo concessa fuit; ita vt homo relictus fuerit omnibus bonis gratiæ spoliatus, & in omnibus bonis naturæ vulneratus: eiectus è paradiso, & missus in sterquilinium huius mundi: sic vt nō habeat quo vulnerum suorum spiritualium saniem (quæ sunt malæ inclinationes) radat, quàm particulam vasis, hoc est, modicum liberi arbitrij: etsi enim habeat libertatem non consentiendi aliquamdiu peccato: non habet tamen eam, vt queat impedire, quò minus aliquando ab omni genere malarum cogitationum oppugnetur. Debet igitur homo in cōspectum Dei venire talis, qualem hic descripsimus, aut qualis erat ille Lazarus Euangelicus, totus vlcerosus, cupiens saturari micis, de opulenta mensa diuinæ misericordiæ cadentibus, ad miseriarum suarum remedium.

Iob. 1. & 2.

Luc. 16.

DE MALIS CVIVSQVE PROprijs, vitæ tam præsentis, quam præteritæ.

CAPVT XLIX.

POstquam hoc modo consideraueris mala Naturæ humanæ, verte oculos ad particularia propriæ tuæ personæ, tam ad ea quibus laboras in vita præsenti, quàm quibus olim laborasti: vt ex ijs cognoscas, quantoperè miseriam tuam auxisti, & amplificasti: cùm id quod natum erat debile & inordinatum propter peccatum originale, tu magis debilitaueris, totum luxaueris peccatis tuis actualibus, atq; peccandi consuetudine. Non enim inuenitur quicquam magis rationali creaturæ contrarium, quàm rectæ rationi dissentaneè viuere; propterea, quemadmodum nihil magis destruit vnum contrarium, quàm si aliud accedat: sic nihil magis corrumpit humanam naturam, quàm vsus & malæ vitæ consuetudo.

Conuerte igitur oculos aliquantisper ad vitam præteritam, (quando longiùs eras à Deo separatus) & inuenies fortasiis, quod toto illo tempore vixisti cum conscientia tam inordinata; & dissoluta, quasi fuisses homo nō habens Dei cognitionem, aut bestia sine fræno: cùm ires quò appetitus tui te ducebant, tanquam filius huius seculi, seruusq; peccati, & Diaboli, & quasi Ethnicus, nec Deum habens, nec legē. Esto, enim fidem habuisti: non tamen ideò aliter faciebas cùm eam haberes, quàm fecisses, si illam non habuisses: blasphemabas, peierabas, maledicebas, furabaris, & quidquid videbas concupiscebas, quasi Deum non habuisses, nec vnquam cogitasses, quòd præter nasci, viuere, & mori aliquid in rerum natura esset: cum videamus plerosque, in quibus non nascitur lumen gratiæ, sic ferè viuere: non habentes aliam legem, quam illam membrorum & appetituū, nec aliud respicere, quam oculos huius mundi: nec alium habere Deum, quàm ventrem plenum, cum infinitis vanitatibus eorum: nec aliud æstimare bonum, vel malum esse, nisi quod corpori vel placet, vel displicet.

Vbi

Vbi hoc modo mala vitæ prꝛeteritę diſcuſſeris, debes ad ea venire quæ ſunt præſentis, hoc eſt, ad defectus & mala quotidiana: quæ in promptu habenda ſunt, atq; adeò in memoria quaſi ad certum numerum ſubducta: vt non aliter quàm infirmus medico omnia membra & loca ſui corporis oſtendit, in quibus dolorem aliquem ſentit: ſic tu quoq; tua Deo exhibeas, vt ijs medicinam adhibeat, & ſanitatem reſtituat. *Simile.*

Examina igitur temetipſum, & vide, an ſis iracundus, delicioſus, vanæ gloriæ cupidus, curioſus, inſtabilis in bonis propoſitis, inuidus, guloſus, malignus, duplex, appetitibus nimium tribuens, prꝛeſumptuoſus, ambitioſus, homo tui cerebri, piger, detractor, inhumanus, malè moratus, faſtidioſus, inconſideratus, magnus tui ipſius amicus, tenax & durus in omnibus tuis affectibus, obſtinatus in propria voluntate, & ſimilibus alijs caſibus. Hæc enim cognitio, eſt clauis & fons veræ humilitatis, & ſpiritualis vtilitatis: ſine hac enim cognitione nemo poteſt eſſe verè humilis, nec ſcire quod debeat à Deo petere, aut quomodo curandæ erunt ſpirituales animæ infirmitates.

SECVNDA PARS HVIVS EXERCITII.

QVOMODO BONA OMNIA, QVÆ habemus à Deo ſunt.

CAPVT L.

POſtquam modo ſupradicto conſideraueris omnes has miſerias, & mala, quæ ex nobis ſunt: reſtat conſiderandum, omnia bona, quæ in nobis ſunt, à ſolo Deo eſſe collata; vt manifeſtius videas quid ſis ex teipſo, & quid ex beneficio diuino: vt ex parte tua ſis humilis, & ex parte Dei gratus. *Triplicia bona hominis.* Reducuntur autem hæc omnia bona ad tria genera: ſunt enim bona quædam naturæ, quædam gratiæ, quædam fortunæ, vt mundus ea vocat. Percurre hęc omnia, & videbis apertè, omnia hæc eſſe à Deo, & nihil horum à temetipſo, niſi ſolum peccatum, & ipſum. *Nihil.*

Incipiendo igitur ab ijs, quæ ſunt naturę primum *Bona naturæ* eſt ipſum Eſſe: quod eſt fundamentum omnium aliorum bonorum: omnia enim alia pertinent ad eſſe, & illud præſupponunt. Conſidera igitur quomodo anima rationalis, quam tu habes, & quæ dat tibi eſſe eſt beneficium, & opus manuum Dei, quæ ab eo creata eſt ex nihilo. Quid eſt. *Nihil?* Contemptiſſima & viliſſima rerum omnium, quæ poſſunt excogitari. *Nihil*, minus eſt lapide, minus palea, minus atomo, qui in radijs ſolaribus ſolet conſpici, & denique nihil. Imaginare igitur. *Nihil* hoc, quaſi tenebras obſcuriſſimas, abyſſum profundiſſimam, quæ ſub omnibus creaturis eſt, in loco mundi infimo. Hùc deſcendendum tibi eſt, quia hic locus tuus eſt, hæc res tua: quia illud eras, antequam te Deus crearet: & illud fuiſti ab æterno, exceptis paucis diebus illis, qui à creatione tua fluxerunt. Faciens hoc, obſeruabis mandatum illud Euangelij, in quo prꝛecipitur, vt nouiſſimo loco ſedeamus, cum ad conuiuium inuitabimur. Sedens igitur in loco hoc iuxta ipſum Nihil, imaginare te Nihil hoc eſſe, & hunc eſſe locum naturalem tibi conuenientem, & per conſequens, hic eſſe tuum centrum, in quo anima tua debet quieſcere per cognitionem hujus veritatis: nihil enim magis tibi proprium eſt, nec aliquid tibi conuenientius illo Nihil. Quemadmodum enim Deo nihil magis conuenit, quàm Eſſe: ſic nihil magis proprium eſt creaturæ, vt creatu æ quàm non eſſe. Hæc igitur res proxima in hoc mundo vicina tua eſt, hæc cognata tua, tibiq́ue ſimillima: & vbi, tanquam in ſpeculo, videre tibi licebit, quid ſis. Hãc ob cauſam Iob *Quid ſit Nihil.* *Luc. 14.* ſedens in ſterquilinio plenus vlceribus, & ſcatens vermibus, dicebat: *Putredini dixi, Pater meus es: Mater mea, & ſoror mea, vermibus.* Sic & tu cũ reipſa videas, quòd ex te Nihil es, illud Nihil amplectere, & dic: Tu mea mater es, tu mea ſoror es, nuſquã enim reperiuntur duæ ſorores adeo ſibi ſimiles, ſicut vnum Nihil alteri. Sede igitur in hoc loco trãquillè, & cum ſilentio: niſi enim totus cæcutias, hinc videbis & intelliges, quidquid tibi ſcitu erit neceſſarium. *Iob 17. Nihil, eſt mater nr. ſtra.*

Primò videbis, omne id, quod poſt iſtud Nihil eſt in te, hoc eſt, corpus, animam, vitam, ſanitatem, fortitudinem, rationem & diſcretionem, cum alijs omnibus habitibus, potentijs, & facultatibus naturalibus, cum omni quod in te bonum eſt reliquum, omne id ab alio profectum eſſe, omne id purum & merum donũ Dei eſſe. Deinde videbis, quantopere debeas amare, laudare, colere, obedire, & gratias agere illi, qui tibi tanta dona contulit gratis, ex ſola ſua bonitate, & miſericordia. Nihil enim illud nihil merebatur. Poſtea diſces, quàm longè debeas eſſe ab omni prꝛeſumptione, ambitione, ſuperbia, vana gloria, & tuipſius exiſtimatione. Quemadmodũ enim is, qui videt equũ ſtratum & ornatum auro & holoſerico, ſcit illa non eſſe equi, vel ex eius natura: ſed ſtratum eſſe, externumq́; & ſuperimpoſitum ornamentum, ideoq́; non habere equum cur glorietur: ſic & tu iam intelligis, omne id quod habes, prꝛeter ipſum Nihil, alterius eſſe, & tibi à Deo communicatum: ideoq́ue te cauſam gloriandi nullam habere. *Quam vtilis eſt hac conſideratio.* *Simile.*

In eodem quoque loco ſtans, cognoſces errorem & negligentiam hominum, vanitatemq́; cogitationum eorum, qui adeò obliti ſunt originis, & principij ſui, (hoc eſt, eius, à quo acceperunt omnia) & ſeipſos tam miſerè fallunt in cognitione ſuipſorũ. Hac conſideratione ſi te tanquam proprio pede metiaris, humiliabis tuas cogitationes, vela contrahes, alas ſuperbiæ prꝛeſcindes, teq́ue Deo ſubijcies, & in eo centrum inuenies, locumq́ue refugij, & ſecurum portum, in quo poteris ſaluari, quotieſcunque fluctus vanæ gloriæ ſuo impetu naufragium cordi minantur: & cognoſces experientia, non reperiri in rerum natura duo loca humano cordi magis conuenientia, quã Deum; & Nihil: in his enim duobus tantùm ſecurè quieſcit, & in cæteris omnibus tribulationem inuenit. In his duob. locis dico ſecurus eſt: quia in vno quieſcit in charitate: hoc eſt, in Deo: & in altero ſtat in humilitate, & in veritate: ſtat enim in vera ſuipſius cognitione. Vide igitur, mi frater, vnde ſit Eſſe illud, quod tu habes. Omnia autem reliqua bona naturæ, quis inficiari poteſt, quin ſint ab eiuſdem naturæ Domino & auctore? Quòd ſi velis oculos tuos latiùs extendere, inuenies omnia quæ ſunt in hoc mundo ſub cœlo, cũ cœlis ipſis, eſſe partes huius beneficij: omne enim (in ſuo tamẽ vnũquodq́; ordine) quidquid creatum eſt, noſtro ſeruit vſui & conſeruationi. *Duo ſint loca mani certa loca.*

Bona deinde quæ mundus fortunę vocat, nõ ſunt à fortuna, quia non eſt in mundo fortuna: ſed Deus ea ſolus dat: quemadmodum Eccleſiaſticus apertè teſtatur his verbis: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Quamuis enim videantur huiuſmodi homini accidere per alias cauſas ſecundas: manifeſtum tamen eſt, & certum, nihil fieri in hac magna mundi Reipublica, niſi iuſſu & ordinatione ſummi illius Imperatoris, qui illam moderatur. Ideoq́; dicit S. Baſilius, ſummã totius philoſophiæ Chriſtianæ hãc eſſe, vt attribuamus cauſas omnium rerum tam magnarum, quam paruarum ipſi Deo: cùm euidens & manifeſtum ſit ex Euangelio, paſſerem vnum in terram non cadere ſine illius diſpenſatione, & voluntate. *Bona fortu na.* *Eccl. 11.* *Baſilius.* *Matth. 10*

Bona

Vera gratia.

Bona denique, quæ gratiæ nuncupamus, vnde sint & à quo, ipsum nomen declarat: ex pura scilicet gratia & misericordia Dei. Etenim (vt iam suprà declarauimus) homo per peccatum tam pauper & nudus factus est, tamque ineptus ad omne bonum, vt ex semetipso nihil prorsus boni queat operari, nec manum, ad aliquam actionem bonam mittere, nec os aperire, vt Iesum nominet: nisi Deus ipse ad hoc eũ excitet, & illi manũ per gratiã suã porrigat: adeò vt quotquot bona desideria, cogitationes, & proposita in tota vita habuit, & adhuc habet, omnia dona eius sint, & misericordiæ. Quòd si velis omnia bona gratiæ, quæ nobis dantur, vt nobiscum salutem nostram operentur, percurrere, videbis omnia esse meras gratias atque misericordias diuinas. Inter quas prima est prædestinationis, quæ prima est

Prædestinatio.

gratia, & reliquarum omnium fundamentum. Hanc enim puram esse gratiam & misericordiam, extra controuersiam est: cum nullum præsupponat meritum, imò ipsa prior sit omni meritò, ex solo diuinæ voluntatis beneplacito. Secunda, est gratia

Vocatio.

vocationis & iustificationis, per quam Deus hominem eruit ex peccato, & reducit ad statum gratiæ, & ex inimico facit amicum. Hanc etiam puram esse gratiã, & quæ nullo datur merito præuio, vel ex eo patet: quia cùm homo viuit in malo statu, & inimicus Dei est, non potest aliquid facere, quo tanta bona mereatur. Tertia, est gratia, quam concomitantem vocant Theologi, quæ bonam vitam comitatur, facitque, vt opera nostra sint Deo grata, vitamque æternam mereantur: quæ etsi ex merito sit, gratia tamen esse non desinit, cùm ipsum meritum sit ex gratia. Quarta, est gratia, seu si mauis donum,

Gratia concomitans.

Perseuerantia

perseuerantiæ, qua in bona vita vsque ad finem perseueramus, ita vt in via non deficiamus: & hęc etiam est gratia, atque misericordia Dei: imò tale gratiæ genus est, vt non cadat sub meritum: nemo enim operari potest, per quod tantum bonum mereatur. Omnia prædicta nihil vel parũ prosunt, sine hac gratia. Non enim quæruntur, inquit Hieronymus, in

Hieron. ad Furiam.

Christianis initia, sed finis: Paulus malè cœpit, sed bene finiuit: Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Quinta, est gloria. gratia sanè cõsummata: & hæc etiam est gratia, per gratiam enim, inquit Apostolus, datur vita æterna. In alijs gratiarũ

Gloria æterna. Rom. 6.

generibus, quæ gratiæ gratis datæ dicuntur, si quam harũ habueris, ipsum nomen indicat, quòd per gratiam dantur: & per consequens in omnibus & propter omnes istas etiã Deo tanquam datori sumus obligati. Vides ne igitur quomodo quæ sunt intus & foris, in te & circa te, omnia Dei sint?

Gratia gratis data.

Quid ex hoc sequitur? Vt posthac Deum intuearis, & consideres vt fontem & originẽ tuijpsius, omniumq; quæ in te, & circa te sunt, atque adeò totius quod es, aut esse poteris: & consequenter ne amodo aliquid tribuas tuę industriæ, aut viribus tuis, sed Deo tantùm, ab illo enim solo procedit, quidquid fuisti, quidquid es, & quidquid speras te aliquando futurum.

Deus vt vniuersalis causa aspiciendus.

Quibus igitur oculis hunc talem Dominum intueberis? Dabo tibi hoc loco similitudinem quandã, vt ex ea faciliùs intelligas, quid tibi erit faciendum: ex qua etiam disces, quòd ex illo aspectus genere omnes veri Solis iustitiæ influentiæ in animas nostras deriuantur. Intuere igitur Deum, quomodo effectus omnes causas suas, à quibus omne illorum esse procedit, intuentur: quibus illi semper maximam obedientiam exhibent, seseq; illis submittunt: Deus enim vniuersalis causa est omnium causarum. Intuere illum sicut filius patrem, qui est initium suæ essentiæ: quia Deus est noster Pater, & plus quã Pater, origo quoque & principium nostræ essentiæ. Intuere illum tanquam sponsa sponsum suum, à quo dependent omnia illius bona, tam præsentia, quàm futura: Deus enim est verus sponsus noster, datque perfectionem & plenitudinem animabus nostris. Intuere illum sicut corpus animam, à qua recipit vitã, dignitatem, & pulchritudinem, quam habet: Deus enim est anima animæ nostræ, & vita vitæ nostræ. Intuere illum sicut terra naturaliter cœlum intuetur, à quo recipit omnem fertilitatem, & pulchritudinem suam: Deus est enim spirituale cœlum, quod illuminat & gubernat nos, & à quo vita nostra procedit. Intuere illum sicut radij Solis ipsum Solẽ intuentur, à quo deriuantur, & per quem conseruantur: Deus enim est qui dedit nobis hoc esse quod habemus, & qui conservat illud. Intuere denique illum oculis illis, quibus sacratissima Christi humanitas Verbum diuinum intuetur, quo cum est vnita, & à quo recipit omnem perfectionem, quam habet, vsque ad ipsum Esse, quo cum sustentatur, qui aspectus est humilior, castior, amabilior, & fidelior, quam intellectus humanus potest comprehendere. Conare igitur vt hunc aspectum aliquo modo imiteris, secundum auxilium & spiritum Domini, quem tibi dabit.

Si itáque omne tuum Esse, atq; omne bonum tuũ præsens, præteritum, & futurum ab hoc Domino procedat, ad quem respicies? quem timebis? cui placebis? cui obedies? quem laudabis? quem reuerebere? in quem sperabis? cui fidem & fidelitatem seruabis, nisi illi, aut propter illum? Expelle igitur à te omnem respectum humanum, valeant omnes ceremoniæ terrenæ: nihil enim tibi cum illis, nec illis aliquid tecum negotij est: sed solus Creator omnium est respiciendus. Conuerte igitur te ex toto corde ad hunc Dominum, & dic: Domine si tu sis initium & finis meus, quem alium amabo præter te? si tu sis Rex meus, & Dominus meus, cui morem geram præter te? si in manibus tuis consistat omne bonum & malum meum, quem timebo, quem reuerebor, præter te? si à tua pia & liberali manu omne bonum quod habeo acceperim, & omne quod mihi deest accepturum me sperem, in quo sperabo? cui confidam? si tu solus sis mihi Pater, Dominus, Creator, Gubernator, & Redemptor, ad quem in omni mea necessitate confugiam, nisi ad te? Si à te acceperim, & accipio adhuc quotidie tot bona, quẽ laudabo, & cui gratias agam nisi tibi? Si famuli dominis suis seruiant tanta cum fide, & diligentia, etiam in reb. molestissimis & periculosissimis, propter id, quod ab illis acceperunt, aut accepturos se sperant: ego, qui tãto maiora à te accepi, tantoq; maiora adhuc expecto, cur tibi, ô Domine mi, non seruiam, cum multò maiori fidelitate, diligentia, & solicitudine, idq; in rebus maioribus & difficilioribus, cum tu, mi Domine, & multò plura mereare, & ego multò plura tibi debeã: sed & absq; comparatione plus sit, quod adhuc à te spero & expecto?

Oratio.

GRATIARVM ACTIO.

CAPVT LI.

OMnia quæ diximus hactenus, pertinent ad cognitionem suijpsius: post quæ nunc sequi possunt tres illæ partes, de quibus paulò post initium huius libri diximus, quæ in quocunque orationis exercitio debent vsurpari: vt sunt gratiarum actio, oblatio, & petitio: quæ præterquam quòd sunt vtilissimæ, & ad essentiam huius exercitij pertinent, etiam adeò inter se sunt coniunctæ, & simul quasi concatenatæ, vt vna earum mirabili quadam consequentia promanet ex alia. In principio namque exercitij nullus introitus est conuenientior, quàm

quàm accusatio & cognitio suijpsius: sic enim intramus per portam humilitatis, vt diximus. Post hanc cognitionem nihil magis conducit ad propositum, quàm gratiarum actio, pro beneficijs à Deo perceptis; Cùm enim homo considerauit se ex parte sua nihil esse, idque iam quasi manibus tangit, tunc aperiuntur oculi, & videt manifestè, omnè id quod habet, præter ipsum Nihil, non esse suum, sed alterius: idque datum sibi esse ex sola gratia diuina. Quanto autem euidentius hoc agnoscit, tantò maiores illi ex corde gratias depromet. Quemadmodum excubitores in altissimas turres, & speculas collocantur, vt omnem circunquaq; regionem lustrent: sic econtrariò qui vult lustrare Deum, & quæ Dei sunt, debet descendere in infimum mundi locum, vbi habitat Nihil, de quo formatus est: ibi enim constitutus, videbit luculentissimè omnia, quæ habet esse Dei: omnia dico, præter Nihil.

Dissimile.

Oblatio.

Post hanc gratiarum actionem pro rebus acceptis conuenienter sequitur oblatio, qua reddimus aliquid nostrum illi, à quo tanta accepimus. Et quia non possumus aliquid reddere dignius, & gratius meritis atque laboribus Christi, æquum est, vt per huiusmodi merita magnas à Deo gratias flagitemus: ideoque optimo ordine post oblationem sequitur petitio, quæ est vltima pars huius exercitij.

Petitio.

Habet exercitium hoc aliam quoque commoditatem: sicuti enim breue est pro ijs qui alijs rebus occupati sunt, sic etiam prolixum esse potest deuotis & pijs: in singulis enim harum partium multa sunt, quę possunt considerari, tam in cognitione suijpsius, quam in gratiarum actione, & consideratione diuinorum beneficiorum, quæ tot & tanta sunt. Idē possumus dicere de oblatione: nam in hac licebit omnes passionis articulos percurrere, ex singulis desumendo, quod Patri pro se offerat. Neq; pauciora in petitione occurrent, cùm tot & tantis rebus indigeamus.

Tandem admonendi mihi videntur illi, quibus maius otium est, & maiores cupiunt in via Domini facere progressus: posse nimirum illos bis singulis diebus ad exercitium hoc sese componere. Primò, vt cogitent aliquid de Vita Christi: & secundò, vt examinent suam conscientiam, vacentq; cognitioni suijpsius: eo ordine, qui à nobis iam traditus est: aut alio, qui magis illis placebit. Quod si verò propter priuata vel publica negotia, & occupationes externas, aut similem ob causam legitimam, non poterunt nisi semel in die sese huic exercitio dedere, incipiant à cognitione suijpsius, cùm iustus in initio sit accusator sui) deinde transeat ad considerationem Vitæ Christi, hæc enim est vniuersalior, & copiosior materia considerationis, & meditationis.

FINIS LIBRI SEXTI.

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANÆ,

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS:

LIBER SEPTIMVS.

QVI TRACTAT DE AMORE DEI, IN quo consistit Christianæ vitæ perfectio.

QVID SIT CHARITAS, DEQVE FRVCTIBVS ET excellentijs eiusdem.

CAPVT PRIMVM.

QVoniam primaria nostra in hoc opere fuit intentio, perfectum & absolutum formare Christianum, omnibus virtutibus & conditionibus, ad nomen illud requisitis, ornatum: huc vsque egimus de omnib. alijs virtutibus ad id pertinentibus, reliquum est, vt nunc de principali & prima virtute quæ Charitas est, agamus: in ea enim consistit perfectio vitæ Christianę, atq; vna cū perfectione huius etiam acquiritur perfectio vitæ illius. Dicemus igitur primo de virtutis huius excellentia, deinde de perfectione illius: & tandem media quædam trademus, quibus ista perfectio comparatur.

De quibus hoc libro dicturus est.

Quan-

Prosp. de Vita contempla. lib. 3. cap. 12. Quid sit Charitas.

Quantum ad primum, sciendum est, quod Charitas, (vt B. Prosper illam describit) est recta voluntas, ab omnibus terrenis, ac præsentibus prorsus auersa: iuncta Deo inseparabiliter, & vnita: igne quodam sancti Spiritus, à quo est, & ad quem refertur, incensa? inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia nulli vitio mutabilitatis obnoxia, supra omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, anima sanctarum mentium, causa meritorum bonorum, præmium perfectorũ. In peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instruit, spem desperatis inspirat, pacificas mentes inhabitat: fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in Martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus. Hactenus verba Prosperi: ex quibus manifestè liquet, quid Charitas est, & quanti sunt fructus eius, atque excellentiæ.

Cætertum maius adhuc illo est, quod omniũ virtutum est maxima, imò finis, & summa earum. Huius rei argumentum habemus in supremis illis spiritibus, qui Seraphin appellantur, in quibus peculiari modo relucet charitas; & magis quàm in alijs Angelorum choris, ideoque supremum inter illos locum sortiuntur: quia in illa virtute excellunt, quæ omnibus virtutibus est altior. Cum hoc ordine, inquit S. Gregorius, conuenire quodam modo omnes, qui in hoc mundo ardent amore Dei inflammati. Sunt, ait, nonnulli, qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant: nihil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abijciunt, cuncta temporalia mente transcendunt: amant & ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt: amando ardent, loquendo & alios accendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciũt. Quid ergo illos nisi Seraphin dixerim, quorum cor in igne conuersum lucet & vrit: quia & mentium oculos ad superna illuminant, & eos compungendo in fletibus vitiorum rubiginem purgant. Hactenus Gregorius.

Gregor. Hom. 34. in Euang.

Deus est charitas.

Habet etiam Charitas aliam excellentiam, nempe quòd, teste Augustino, Deus ipse charitas dicitur: vnde & magnam habet cum Deo similitudinem. Quemadmodum igitur Deus est vniuersale bonũ, omnia in se continens: sic & Charitas est quid vniuersale, vtilis enim est, & bona ad omnia, omnibusque dat vitam & perfectionem. Charitas enim principaliter facit hominem sanctum: etenim, iuxta dictum Bernardi, tanta est sanctitas, quanta Charitas; & tantò quis sanctior, quantò est Deo charior. Charitas item facit hominem sapientem, iuxta illud Psalmographi: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Quapropter Augustinus dicit: Qui vult Deum cognoscere, quomodo cognosci vult, eique gratum est, amet eum, & cognoscat. Charitas itidé præ omnibus alijs virtutibus Prælatos dignos efficit eo nomine. Quare volens Christus S. Petrum caput & principem suæ Ecclesiæ constituere, in nulla re alia eum examinauit, præterquam in charitate, ter dicens ei; *Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce oues meas.* Charitas quoq; facit homines Martyres: quotquot enim ab orbe condito martyrio coronati sunt, ab hac virtute impulsi sunt, roburque suum ab hac mutuati sunt; cùm, teste Augustino, nihil in hoc mũdo inueniatur amore potentius. Charitas etiam virgines facit: Castus enim est ille, (vt inquit S. Ioannes Climacus,) qui virtute vnius amoris alium vincit, & igne spiritus ignem carnis superat, & extinguit. Amor victoriam homini parit in omni sua tentatione: Vnde Petrus Rauennas: Nihil durum, nihil amarum, nihil graue, nihil lethale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœnæ, quæ mortes amorem prævalent superare perfecti? amor est impenetrabilis lorica, respuit iacula, gladium excutit, periculis insultat, mortem irridet: si amor est, vincit omnia. Ama ergo, ô homo, Deum: ama totus, vt possis omnia sine labore vincere, & delere peccata. Teneræ militiæ est, & delicati conflictus, amoris solius dulcedine de cunctis criminib. reportare victoriam. Denique Charitas est perfecta & integra legis & Prophetarum obseruantia, vt testatur Apostolus, dicens; *Finis præcepti est Charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.*

Pfal. 18. Auguſt.

Ioan. 20.

Auguſt.

Climacus.

Petrus Rauennas.

1 Tim. 1.

Comparatur etiam amor Dei cum ipso Deo, in proprietate, & nobilitate, quas cum ipso Deo habet communes. Amor enim nobilis est, (vt quidam Doctor ait) & generosus, est sapiens, pulcher, & rerum mirabilium opifex: est dulcis, fructuosus, fortis, simplex, castus, inexpugnabilis, & omnium rerum victor. Amor totus est lætus, totus gratiosus, delectabilis totus, & totus amabilis. Amor penetrat & frangit, exaltat & humiliat, vincit omnes difficultates. Amor altus est & profundus, vulnerat & sanat, occidit & viuificat; non potest occultari, nec cõpensari nisi amore, & pro amore dat omnia: non enim vult, nec quærit aliud, quàm amorem. Cor perfectè amantis semper meditatur in amore, semper lingua sua de amore disserit, semper amorem ad mentem reuocat: semper intellectum amor illuminat, semper voluntatem inflammat, animam sanctificat, & totum hominem in Deum transformat.

His sic se habentibus, æquũ omnino est, vt omne studium, omnisque nostra diligentia eo conferatur, vt hanc virtutem consequamur, cùm tantas, & tam præcellentes virtutes habeat sibi adiunctas. Hoc Saluator olim docuit sanctam quandam animam, cui inter multa alia notanda, etiã hæc dixit: Quando recitatura es orationem Dominicam, sume hæc verba; *Fiat voluntas tua*; & omnibus viribus tuis contende, voluntatem tuam voluntati diuinæ conformare: idque in rebus omnibus tam prosperis, quàm aduersis, prout ipse disponet. Cumque leges Angelicam salutationem, accipe nomen Iesu, atque illud fixum semper hæreat tuis præcordijs: vt Iesus sit tibi clypeus, dux, & fortitudo in vitæ huius curriculo, & in omni tua necessitate. Ex reliqua tota diuina Scriptura elige voculam illã Amorem: qua occupata semper incedes recta, pura, eleuata, solicita, & diligens. Amor enim potens est omnia facere sine labore, sine timore, sine lassitudine, sine tædio; adeò vt amore conditum ipsum martyriũ dulce fiat & suaue. Non potest verbis exprimi, vel minima virtutis huius scintilla, aut vis minima, sicut nec minimum opus eius. Amor iuuabit te ad consumendum omnes malas inclinationes, omnesque appetitus peruersos rerum huius vitæ.

Inter omnia virtutis huius præconia nullum magis ad eius amorem & desiderium inuitat, quàm quòd in eo non tantum consistit perfectio vitæ Christianæ, sed etiam maxima pars felicitatis, & beatitudinis, quam humanum cor in hac vita potest consequi. Nam, vt dicit Boetius, Tota vita mortalium, quæ tam diuersis negotijs & laboribus occupatur, non aliud quærit omnibus his medijs, quàm finem vnum, quæ est felicitas & beatitudo, quã tuum demum homo inuenit, cum bonum assecutus est, in quo alia bona sunt omnia. Cùm itaque voluntas inueniat in illo cuncta, iam nullam habet quærendi occasionem, præter id quod inuenit: nec alia potest

appetere; satiatã namque est ijs, quæ desiderabat. Bonum hoc aliud esse non potest præter Deum; ideoque extra illum non potest perfecta quies inueniri, nec potest aliquod esse bonum, quod in illo nõ reperiatur. Etsi bonum hoc potissimum nobis reseruetur in alteram vitam, cùm Deum perfectè per gloriam possidebimus; aliquo tamen modo etiam in hac vita possumus illo frui, dum possidemus Deũ minùs perfectè per gratiam. Ad hunc modum S. Bernardus ostendit quod eo frueretur & possideret, cùm in Tractatu, quem de amore Dei scripsit, sic dixit; Habitans in domo solitudinis tanquam animal solitarium, quod domicilium suum habet in terra sterili, & deserta, vbi sentire inciperem ventum tui amoris, os meum aperui, & attraxi spiritum; & cũ aliquando starem quasi oculis clausis, & ad te suspirarem, Domine, misisti in os meum id, quod omnino me scire non oportet. Percepi gustũ, percepi dulcedinem, & mirum in modum confortatus sum: adeo vt si mihi perfectè datum fuisset, non esset quod amplius desiderarem. Hactenus Bernardus, à cuius verbis non dissonant illa Sponsi in Canticis: Ego *dormio, & cor meum vigilat*. Quid enim hæc aliud sibi volunt, quàm sicut is qui dormit toto somni tẽpore in silentio est, & omnes eius sensus à suis officijs suspensi sunt, (non enim audit, non videt, non loquitur, non quicquam desiderat) sic semetipsum Deus nonnunquam communicat animæ, cum tanta suauitate & amore, & effundit super illam quasi fluuium pacis, quo eum in modum impletur, & satiatur, vt omnia desideria & cogitationes huius vitę in illa dormiant: non enim magis de illis solicita est quam is qui dormit.

Cant. 5 *Charitas somnus dicitur.*

Nec contentus effectum hunc vocare somnum, in alio loco eiusdem libri vocat mortẽ, dicens; *Fortis vt mors dilectio.* quæ verba explicans vir quidam sanctus, ait tantam esse vim & potentiam amoris Dei, cum is perfectus est, vt voluptatis suæ magnitudine perimat omnes animæ nostræ potentias, faciatque eas quasi obstupescere, imò in omnibus appetitibus & desiderijs rerum mundanarum mortuas. Hæc est proprietas illius charitatis, quam Sancti vocant violentam. Gaudium enim & suauitas, quã tale genus charitatis secum adfert, talis & tanta est, vt superet, suauiter tamen, omnes vires animæ nostræ, easque abstrahat ab omni amore & gustu rerum terrenarum, atque in Deum transmutet.

Cant. 8. *Charitas mors dicitur.*

Eadem quoque Charitas alio nomine vocatur vulnerans, adeò enim vulnerat, adeo transfigit cor, quod quemadmodum is, qui vulneratus est, non potest non cogitare de dolore vulneris: sic etiam qui hoc amore vulneratus est, difficulter aliud potest cogitare, quàm id quod amat. Si enim mentionem doloris, cùm acutus & vehemens est, non possit hominis cogitatio subterfugere; quomodo non etiam delectatio, cùm vehemens est, hominis cogitationes in se conuertet, cùm non minor sit vnius, quàm alterius contrarij violentia? Sic de quodam veterum illorum Anachoretarum legimus, quod cũ alius quidam ad eum venisset, petens aliquid sibi vsui dari ex sua cella, nescio quid, ingressus est, vt illud quęreret: cumq; iam quærere incepisset, mox eius oblitus est: & regressus denuò, quid esset, quod peterat, interrogauit: & cùm id ter aut quater ei contigisset, tandẽ dixit ad illum, qui petebat, vt ipse ingrederetur, & quod petebat, quæreret: non poterat enim vel ad momentum memoria illius retinere, quod alter poscebat, adeò animus erat eius in Deo suspensus, & absorptus. Nec sanè hoc mirum est; spiritualia namque tantæ sunt dignitatis, atque nobilitatis, vt anima lumine Spiritus sancti irradiata, si ea probè intelligat, eorum naturam habeat perspectam, & dulcedinem eorum gustauerit, vix aliquid ad hanc vitam pertinens dignetur intueri, quantumuis excellens illud sit. De B. Syluano Abbate scribitur, quod post excedentia, quę illum intus absorbebant, lumina, sibijpsi redditus, vultum opperiebat, &, Occludimini, dicebat, lumina mea: quid amplius huius vultis aspicere mundi, vbi quicquã non est pulchri? & simul claudens oculos, indigna iudicabat ea quæ in mundo sunt, vel solo aspectu. Quæ exempla sunt hæc, & quæ argumenta, vt intelligamus, quo vergat huius amoris efficacia, quousque dulcedo, & satietas cœlestis huius affectus sese extendat? Si cupias aliud exemplum: audi quid S. Hieronymus de exercitijs & delectationibus, quibus eum exercebat Deus, & satiabat animam eius, quamdiu morabatur in deserto, Solis (vt ipse ait) ardoribus exustus; Sic vbi, inquit, cõcaua vallium, aspera mõtium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus: ibi illud miserrimæ carnis ergastulum: &, vt ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensque cantabam; *Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Hæc scribit Eustochio Virgini. Ad alias etiam Virgines Deo consecratas hac de re scribens ait: Experto itaque seni deuotè consulenti credite filiæ. Si semel gustastis quàm dulcis est Dominus, ad quem accedentes poteritis ab eo illud audire: *Venite & ostendam vobis omne bonum*: & tunc ostendet vobis talia, qualia non nisi mentes assuetæ norunt. Scio quid loquor charissimæ. Nam vt meam insipientiam loquar: ego homunculus sic abiectus: sic vilis in domo Domini: adhuc viuens in corpore Angelorum choris sæpe interfui: de corporeis per hebdomadas nihil sentiens, diuinæ visionis intuitu post multorum fortè dierum spatia, præscius futurorum, redditus corpori flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam? quid inenarrabilis delectationis sentiebam; testis est ipsa Trinitas, quam cernebã nescio quo intuitu. Testes sunt & ipsi beati spiritus qui aderant. Testis est etiã conscientia mea: qui tantis bonis ipse fruebar, quot & qualia nescit proferre mollicies corporis mei. Non potest ad tantæ cõtemplationis dulcedinem cor secularibus plenum negotijs aspirare: sed oportet vt seculo moriatur, & soli Deo per tantas meditationes & desideria superius inhæreat. Vnde *granum frumenti cadens in terram, nisi mortuum fuerit, semper sic solum manet* vt cecidit: *quod si moriatur, fructum plurimum adfert.*

Charitas vulnerans quæ.

Epist. 22. ad Eustoc. cap. 3.

Cant. 1.

Tom. 9. in regula monachorum ca. 16. & 17.

Exod. 33.

Ioan. 12.

Quid dicam de S. Thoma de Aquino, qui aliquando adeo Deo erat intentus, vt corpore nonnunquam spiritum sequente, à terra in altum subleuaretur, & subinde extra seipsum raptus, quasi sensum non haberet? Accidit quodam tempore, vt stans in loco secreto, candelam accensam manu teneret, diuturnitate temporis consumpta est candela, manumque adusit, nec tamen sensit ille: cuius rei testimonia erant vestigia flammæ. & ignis, quæ in manu eius remansere. Alio tempore cum ignito cauterio adurendus erat, sese profundæ orationi dedit, atque ita in spiritu raptus est, vt ignem planè non senserit.

Thomas de Aquino.

Quod si hoc admiremini, multò magis admirabimini illud Aristotelis, qui, vbi agit de sublimi viri sapientis contemplatione, dicit, vitam sapientis eò subinde pertingere, vt similis efficiatur primo suo principio: hoc est, Deo. Quibus verbis significat, illã nonnunquam participare de similitudine pacis trãquillitatis, & felicitatis, in qua semper viuit ipse Deus. Si potuit hoc dicere, qui ignorabat quid esset gratia, aut amor supernaturalis, à Spiritu sancto infusus, quid merito dicant illi, qui possidẽt, & cognoscunt

Contemplatione homem Deo similem fieri.

scunt Spiritus sancti operationes ? Si enim habitus naturales, si diligentia & sapientia humana ad tantum perfectionis statum hominem possunt eleuare, vt dicatur Deo assimilari, dum in tanta viuit quiete, animique satietate omnibus omnium desideriorum portis occlusis; quousque putas gratiæ & dona Spiritus sancti, & Euangelica perfectio hominem subleuabunt? Quòd cùm ita sit, putasne æquum & rationi consentaneum esse, vt homo vendat omnia quæ habet, pretiosamque sibi hanc margaritam cõparet? Si enim homines tanta patiantur, & faciant pro imperfectis huius vitæ bonis, quæ potius accendunt, quàm restinguunt animæ nostræ sitim; quid nõ faciendum nobis est pro bono tam præstanti, quod tam abundanter satiat appetitum nostrum, atque aliorum omnium bonorum ardens desiderium? An diuitem tu iudicas, ait Augustinus, qui aurum habet in arca, & diues non erit, qui Deum habet in conscientia?

Hæc est vna ex præcipuis rationibus, inter multas alias, quæ mouere nos debet, ne quiescamus, priusquam tam diuitem & opulentum thesaurum fuerimus consecuti. Ad hoc inuitat nos quidam Doctor verbis suauibus, & prægnanti ratione. Cùm ait, verum sit, solum Deum, qui est infinitum & summum bonum, animæ rationalis desiderium sedare posse; meritò sanè quilibet homo auidè spiritualis debet viræ perfectionem desiderare, vt mediante illa summo huic bono vniatur, & particeps fiat illius. Si nãque homo ad hanc metam peruenire, reciperet sane in se Deum cum gratia superabundanti, qui sua lætitia atque præsentia auferret ab anima illa omnẽ paupertatem & miseriam, faceretque illam diuitẽ, & veris diuitijs abundantem, atque ineffabili gaudio perfunderet. Præterea nec homo cuperet postea quærere vanas & falsas voluptates: mox enim omne quod Deus non est illi desiperet, nauseamque pareret atque fastidium.

Nihil potest implere nostram voluntatem præter Deum.

Videmus rationalem spiritum tam capacem & nobilem esse, vt nullo caduco bono queat satiari: extra controuersiam enim est, id quod minus est, nõ posse implere quod maius est. Indubitatum quoq; est, cælum, terram, mare, & omnia visibilia, homine multò esse minora, ideoque nihil illorum, nec omnia simul sinum voluntatis eius possunt implere. Solus Deus infinite maior est homine, ideoque solo Deo satiatur, & non re aliqua minori. Sed nec Angeli hoc possunt; licet enim maiores sint natura, minores tamen sunt capacitate. Quamdiu igitur homo non possidet summum illud bonum, atque id amplexibus amoris complectitur, semper erit distractus, inquietus, morosus, esuriet semper, nec inueniet veram satietatem. Et licet omnibus huius mundi possessionibus & diuitijs afflueret, omnibusque voluptatibus eius frueretur; non habebit tamẽ tranquillitatem quam quærit, nisi diuinum hunc amorem habeat.

Postquam autem summum hoc bonum inuenerit, facilè repudiabit omnes creaturas, & dicet cum Propheta Regio; *Mihi autem adhærere Deo bonũ est*: & cum Propheta Iob; *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies*. Talis homo iã extra se nõ quærit consolationes, frenas: scit enim se intus possidere illum, qui est pelagus inæstimabilis consolationis, & vera gloria, quã potest humanum cor desiderare. Sed & probatæ cognitionis Dei dulcedine adeo captus est, & inescatus, tantaque cum claritate penetrat veritatem mysteriorum fidei, vt si omnes homines mundi ei dicerent; Falleris miser, erras, quæ enim fidei tuæ sunt, & quæ tu vera esse arbitraris, vera non sunt: ille nihilominus cum immobili constantia responderet; Vos estis miseri, vos erratis, quod enim ego credo, summa veritas est. Illud sine vlla hæsitatione responderet, non tantum per lumẽ & habitum fidei, quæ inclinant eum ad hanc confessionem, sed etiam per experientiam, & gustum, quem de Deo percepit; qui adeò magnus & admirabilis est, vt si aliquando intret in animam cum donorum suorum abundantia, semper signum & specimen sui in ea relinquat.

Psal. 72. Iob. 29.

Verum fidei

nostræ argumentum.

Illi etiam qui hoc modo cum Deo vniti sunt, non possunt non esse eius amici, & intimi familiares: & proinde non rarò in vna hora plura bona solent impetrare Ecclesiæ, quàm alij multi annis plurimis. Tales etiam fruuntur admirabili tranquillitate, & libertate animi, quæ extollit illos super omnes curas, & perturbationes seculi, super omnem timorẽ mortis, inferni, & purgatorij & super omnes calamitates, quæ in hac vita solent oboriri: adhærentes enim Deo, & in illius protectione viuentes, cuncta pedibus suis habent subiecta; ideoque nec hominũ conuersatio, nec exteriores occupationes eos ab interiori præsentia Dei possunt auellere: iam enim dicerunt, longoque vsu assueuerunt vnitatẽ & simplicitatem spiritus in negotiorum multitudine cõseruare: dum perpetua communione, & reali cum Deo conuersatione constabiliti sunt. Hinc fit quòd ex omnibus rebus, quas videt, vel audiunt, occasionem captant animum ad Deum subleuandi: in omnibus enim illis amore & intentione sua nil aliud, quam Deum quærunt. Qui sic occupantur, & vniuntur Deo, sunt quasi extra se positi, videntes res quasi cæci, & audientes tanquam surdi, & loquentes tanquam muti: cum enim totum spiritum habeant in Deum translatum, ambulant inter creaturas tanquam si ijs non adessent. Hoc modo viuunt vitam Angelicam, supernaturalem; quare nõ absurdè appellari possent terrestres Angeli: versante nãque in terris solo corpore, omnia reliqua in cælo morantur. Talis fuit spiritus, vita, & conuersatio omnium Sanctorum, ad quorum imitationem omnes fideles suam intentionem & desiderium dirigere meritò deberent.

Qui in charitate sunt, ex omnibus rebus captãt occasionem de Deo cogitandi.

Notandum autem hoc loco est, non omnem gradum Charitatis homini hanc pacem & tranquillitatem, de qua hîc agimus, conciliare posse; sed tantũ Charitatem perfectam. Sciendum igitur est, virtutẽ hanc; quemadmodum quotidie magis, magisq; crescit, sic etiam maiores & nobiliores quotidie in anima operari effectus. Primò enim (quando Deus illam ordinat) secum adfert experientia probatam cognitionẽ bonitatis, suauitatis, & nobilitatis Dei; ex qua cognitione gignitur ardens voluntatis inflãmatio; ex inflammatione hac admirabilis quædam delectatio; ex delectatione verò ardentissimũ Dei desiderium; ex desiderio noua satietas; ex satietate inebriatio; ex illa securitas, & perfecta quies in Deo, in qua anima nostra acquiescit in Deo, & cum illo spirituale suum celebrat Sabbathum.

Gradus perfectionis.

In quo ostenditur, octo hos gradus eum inter se habere ordinem, vt vnus alteri viam sternat, & qui præcedit viam paret subsequenti. Primus enim gradus, qui est probabilis, seu per experientiam probata, cognitio Dei, primaria porta est, per quam dona & beneficia Dei in animam ingrediuntur, eamque mirum in modum locupletant. Ab hac enim cognitione, quæ est in intellectu, licet ex gustu voluntatis deriuata, procedit magna inflammatio, feruentissimusque ignis accenditur in ipsa voluntate, quo ardet in amore illius immensæ bonitatis, & benignitatis, quæ hîc innotescunt. Ab hoc igne procedit suauissima delectatio, quæ est Manna illud absconditum, cuius naturam nemo scit, nisi qui ipse eam expertus est. Hęc delectatio per naturalem proprie-

I. *Cognitio Dei per experientiam.*

II. *Ardens inflammatio.*

III. *Delectatio.*

tatem sequitur amorem, & procedit ab illo, quemadmodum lux naturaliter à Sole. Hæc est vnum ex primarijs instrumentis, quibus Deus hominem ex hoc mundo solet eruere, & ab omnibus sensualibus delectationibus ablactare: tot enim nominibus reliquis omnibus voluptatibus est præstantior, vt qui eam expertus est, iã nullo negotio reliquas omnes fastidiat. Et quia spiritualia tã sunt excellentia atq; diuina, vt quantò ampliùs habentur, tantò ampliùs desiderentur: ex prælibatione illorum oritur ardens desiderium possidendi tam insigne thesaurum, eoq; suauiter fruendi, in nullis etenim rebus anima suauitatem & quietẽ reperit, nisi in his. Quia verò scit, bonum hoc non impetrari, nisi laboribus, asperitate vitæ, & imitatione illius Domini, qui ait; *Ego sum via, vita & veritas; nemo venit ad Patrem, nisi per me*: aliud hinc non minus ardens desiderium excitatur, non tantum meditandi, sed etiam imitandi vitam huius Domini, atque ambulandi in via, qua ille ambulauit: passus huius viæ sunt humilitas, patientia, obedientia, paupertas, asperitas vitæ, mansuetudo, misericordia, & similia. Huic desiderio succedit satietas tanta, quanta potest haberi in hac vita. Deus enim non accendit in suis desideria, vt crucier eos, sed vt disponat eos ad maiora. Et quemadmodùm ille est qui occidit & viuificat, sic etiam ille est, qui in suis excitat desideria, & qui tribuit satietatem: cum qua generatur in anima fastidium rerum terrenarũ tam ingens, vt eas omnes iam pedibus proterat, & conculcet: iamque tranquilla sit, & contenta delicatissimo hoc cibo, in quo reperit omnem delectationem & dulcedinẽ: atq; experientia ipsa cognoscit, rationalem creaturam in nulla re alia perfectã inuenire posse quietem, nisi in illo solo. Post hunc gradum tam sublimem sequitur spiritualis quædam ebrietas, quæ superat etiam satietatem: ad quam Sponsus Sponsam inuitat in Canticis: & sic inebriata anima omnium rerum transitoriarum, etiam suiipsius aliquando obliuiscitur; dum submersa atque absorpta est in abysso infinitæ bonitatis, & suauitatis diuinæ.

Hanc spiritualem ebrietatem septimus gradus sequitur, quæ est securitas licet: non perfecta, qualis est illa gloriæ; sed qualis in hac vita potest haberi, quæ & omnium opinione maior est. In hac securitate constitutus homo cantat hilariter cum Propheta (iuxta translationem S. Hieronymi) *Tu Domine fecisti vt securus habitem in fiducia.* Qui enim per hoc medium expertus est immensam Dei bonitatem, & paternam illius prouidentiam, admirabilem percipit securitatem, & spem ex hac prouidentia, adeò vt iam cum summa fiducia dicat illa verba Prophetæ: *Deus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Ex hac igitur tam magna securitate fluit animæ trãquillitas, quæ est perfecta quies, & gaudium spirituale, silentiũ interius, in pectore Domini recubitus, & pax illa, de qua dicit Apostolus, q, omnem sensum exuperat. Non enim humanus inuenitur intellectus, qui possit capere, quid illa sit, nisi qui probauit, & expertus est. Felicitatem horum duorũ vltimorum graduũ promisit electis suis Deus, cum per Prophetam dixit; *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Hoc est, mi frater, regnum Dei in terra, & Paradisus voluptatis, quo frui possumus in hoc exilio: hic est thesaurus ille absconditus ab oculis mundi, in agro Euangelico, quem vt emeret prudens ille mercator omnia sua vendidit.

Quis erit itaque, qui cum audiat hæc insolita, & sciat diuinam gratiam tam promptam & paratam esse sibi, quàm omnibus Sanctis, non contendat per hanc portam ingredi, vt tãto bono in hac vita fruatur? O miseri, ó cæci Adæ filij, cur tantis laboribus, & tot locis quæritis, quod tam facilè in Deo totum simul inuenitur? *Viæ Sion profectò lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem*; ad hoc festum, ad hoc spirituale sabbathum, in quo fidelis anima lætatur, & in Deo quiescit. Si enim verum sit, quod ex Boetio superius allegauimus, omnes labores & cogitationes hominum ad vnum scopum tendere, vt scilicet inueniant quietem & satietatem voluntatũ suarum quam extra Deum impossibile est inuenire; (ille enim vltimus noster finis est) quæ stultitia est igitur, extra naturalem locum eam quærere? Proficiscuntur quidam ad Indos, emetiuntur terras & æquora, quærentes ea in quibus quietem sperant se inuenturos: & non intelligunt miseri quantus error sit extra se quærere, quod in se quærere debebant. An non Christus ait; *Regnum Dei intra vos est?* Et quid est aliud hoc regnum, quàm (vt Apostolus ait) *Iustitia, pax & gaudium Spiritus sancti*? Iustitia enim radix est huius boni, pax autem & gaudium fructus sunt, de hac radice prodeũtes, in quibus felicitas nostra consistit. Significant hoc duo nomina Melchisedech, qui dicebatur Rex iustitiæ, & Rex pacis: quæ duo sic connexa sunt, vt nũquam inueniatur pax sine iustitia, nec iustitia sine pace: adeò vt frustra laboret, qui quærit pacem & gaudium verum, absque iustitia & bona conscientia.

Quidam non obscurè hoc intelligentes, incipiunt sese ad quærendum Deum disponere: sed non cum illa humilitate, & simplicitate; nec cum illo proposito, quale opus hoc requirit: atque hi non habentes profundam radicem firmi propositi amãdi Deũ, orto Sole mox exiccantur; victi enim ab exigua difficultate, quam in ipso exordio sentiunt, mox resiliunt, & cœptum opus deserunt. Alij sunt, qui sæpe cadunt, & mox resurgunt: aliquando desperant, & mox animum resumunt: Qui sic cadentes & resurgentes, eò tandem deueniunt, vt accedente diuina gratia propositum stabiliant, & feliciter ad finem perueniant. Alij dicunt, Sufficit, si viuamus sicut alij: quid opus est hac singularitate, cùm fine illa etiam saluari possimus?

Hoc modo fluctuant homines in his principijs: voluntas enim carnalis & spiritualis inter se confligunt, & amor mundi cum amore Dei luctatur. Quia verò amor mundanus initio valde fortis est, magis amori diuino resistit: non enim vellet nidum suum relinquere, & ius suum, quod iam inde à natiuitate in homine habuit, deserere. Negari quoque non potest; diuortium hoc esse molestum & difficile, cum sit partium, quæ tam potentes sunt: sed gratia Dei, prompta voluntas, & perseuerantia vincunt omnia. Cum enim exercitia spiritualia continuantur, paullatim superior pars animæ corroboratur, & potentior fit inferiori; adeò vt superior pars magis sentiat & gustet suauitatem Dei, & inferior amore mundi, eiusque voluptate destituatur: atque ita natura corrupta subijcitur fortitudini & virtuti diuinæ gratiæ. Exercitium namque deuotarum lectionum, sanctarum orationum, & piarum meditationum (si continuatur) purificat cor, atque illud purificatum incipit degustare, quàm suauis est Dominus: quod vbi gustauerit, iam omnia carnalia despiunt, dulcedinem amittunt; & homo confestim cum summa alacritate currit viã Dei, in odore vnguentorũ eius.

Perseuerante igitur homine in suis exercitijs, crescunt semper bona desideria, atque inuenitur nouum pabulum, quo sustentantur: cùm in nulla re maior reperiatur admirationis materia, seu delectationis causa. Gratia hæc igitur potiùs acquiritur

intima

IIII. *Ardens desiderium.*

Ioan. 14.

V. *Satietas.*

Fastidium rerum terrenarum.

VI. *Spiritualis ebrietas.*

VII. *Securitas.*

Cant. 5.

Psal. 45.

VIII. *Animæ trãquillitas.*

Philip. 4.

Esa. 32.

Matth. 13.

Errare omnes qui feli-

citatem & quietem extra se quærunt.

Thren. 1.

Luc. 17.

Rom. 14.

Varia hominum studia in perfectione quærenda.

Difficultas huius negotij.

intima compunctione, quàm profunda speculatione; suspirijs, quàm argumentis, lachrymis, quàm verbis denique potius oratione, quam lectione: quâuis deuota lectio vtilis est, & valde fructuosa.

QVOMODO PERFECTIO VITÆ Christianæ consistit in perfectione Charitatis: & quid sit perfectio Charitatis.

CAPVT II.

COmmunis Doctorum sententia est, quod perfectio vitæ Christianæ consistit in perfectione Charitatis: quamobrem & Paulus quodam loco Charitatem vocat vinculum perfectionis; & in alio loco, finem legis. Ratio huius est, quia tunc res in sua est perfectione, (vt dicit S. Thomas) quando ad suum peruenit terminum, finemque vltimum, ad quem creata est: tunc enim altiùs ascendere non potest; quia venit eò, quò peruenire potuit. Scimus etiam, vltimum finem, & quasi centrum rationalis creaturæ, esse Deum, in quo solo inuenitur omne illud, quod humanus intellectus potest intelligere: & quid humana voluntas potest amare, vel appetere, tanquam bonum vniuersale, quod complectitur omnia. Ex quo consequens est, quod in hac virtute erit particulariter huius creaturæ perfectio, cuius officium est vnire hominem cũ hoc summo bono, & vnum quid cum illo facere; quod proprium officium est Charitatis, quę vnit hominem cum Deo per amorem, & vnum cum eo efficit, vt testatur Euangelista Ioannes, dicens: *Deus est Charitas, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ex quo patet, quòd cùm Charitas sit inter alias virtutes, quæ vnit animam nostram cum Deo, & quæ adducit eam ad suum centrum, & facit vt vltimum finem suum consequatur, etiam esse illam, in qua consistit perfectio vitæ Christianæ. Quare prout illa magis aut minus est perfecta, erit etiã magis aut minus perfecta vita Christiana. Adeò vt qui perfectus est in charitate, perfectus etiam sit in hac vita.

Coloss. 3. Rom. 10.

1. Ioan. 4.

In quo consistit Charitatis perfectio.

Rogabis me fortasis, in quo consistat illa Charitatis perfectio? Ad hoc respondet idem S. Doctor, tres ponens gradus aut species perfectionis, quæ in hac virtute inueniuntur. Prima est solius Dei, secunda Beatorum in patria, tertia peregrinantium in hac vita per gratiam ad Deum. Prima & summa perfectionis species, quæ ad Deum pertinet, est, qua Deus tantum diligitur, ait Thomas, quantum diligibilis est. Nemo autem hoc facere potest solo Deo excepto: quemadmodum enim ille solus seipsum perfectè cognoscit, sic etiam solus perfectè se amat. Secunda perfectio est eorum, qui vident Deum facie ad faciem in sua pulchritudine: qui amant eum ex totis viribus suis actualiter, & sine intermissione.

Primus gradus charitatis.

Thom. 2. 2. q. 184. Art. 2.

Secundus gradus.

Simile.

Quemadmodum enim ille qui habet oculos apertos, non potest non videre obiectum, quod in cõspectu eius est: sic volnntas, habens summum bonum coram se, tanquam obiectum, non potest non amare illud actualiter semper, & ex omnibus suis viribus, atque potentijs: excellentia enim huius boni, tali modo eum ad se conuertit, & attrahit, quod nõ potest facere, quin illud assiduè hac vehementia amet. Tertia perfectio est eorum, qui Deum amant in hac vita: hæc autem charitas etsi nequeat ad hanc beatorum perfectionem ascendere: contendit tamen, quantum potest, vt quam proximè ad illam accedat: ideoque allaborat abijcere à se non tantùm omnia peccata, sed etiam vniuersa impedimenta, quæ possent illum ab actualiter Deum amando semouere, aut affectum eius tepefacere. Cum autem hæc omnia nascantur ex amoris proprij concupiscẽtia, ideo continuum bellum & concertatio est charitati cum hac concupiscentia; & secundum qualitatem, quantitatemque victoriæ passionis illius, determinatur quantitas, & qualitas perfectionis. Hoc est quod Augustinus dicit: Venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas. Consistit ergo perfectio amoris Dei in amoris proprij mortificatione: hic enim effectus est, qui causam illam sequitur: licet nec ista mortificatio potest in hac vita omnibus numeris esse absoluta seu planè perfecta, nam, vt idem Sanctus dicit, Concupiscentia minui potest, consumi non potest in hac vita. Ex his igitur concludit B. Thomas, Charitatem perfectam huius vitæ esse illam, quæ potenter resistit, & excludit à se omne id, quod tepidat, animamque ab actuali amore Dei reuocat: qualia sunt omnia peccata, omniaque alia impedimenta, quæ ex parte amoris proprij auertunt hominem à continuatione & exercitio huius amoris: vt quò magis inflammatur affectus charitatis, quoque arctiùs cum Deo per actualem amorem vnitur, tantò fortiùs resistat omni amori alieno, qui ab hoc amore nos abducit. Sed & tantò erit Charitas perfectior, quantò est similior ei, quam habent Beati in cælo, qui actualiter sine intermissione & totis viribus ardent in amore diuino.

Tertius gradus.

August. lib. 83. quæst.

Lib. 5. contra Iulianum.

Hoc est igitur exemplar, quod proponitur ad amandum Deum: & huc respicit præceptum, quod vult nos amare Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus nostris: non quòd mandatum hoc ad amussim queat a nobis obseruari, vel impleri in hac vita, sed vt sciamus, quem ad scopum debeamus collimare, omnesque actiones, intentionesq; vitæ nostræ dirigere. Secundum hanc doctrinam S. Thomas asserit perfectionem Charitatis, quæ in hac vita potest haberi, esse, cùm homo studium suum deputat ad vacandum Deo, & rebus diuinis, prætermissis alijs, nisi quantum necessitas status, vel ordinis sui, & præsentis vitæ requirit.

Luc. 10.

Tho. 2. 2. q. 24. art. 3.

Hæc veritas adeò magna est, vt etiam ipsi Philosophi, sine lumine Fidei, solo rationis vsu eã agnouerint. Vnus enim eorum dicebat: Principium & finis perfectæ & beatæ vitæ, est continua contemplatio Dei, interiorque complexio, & voluntatis nostræ erga eum ardens affectio. Quare cùm anima in illa solidis radicibus firmata sit, conseruabitur, & consequetur perfectionem illam, ad quam à Deo creata est. Ideò cum separabitur ab illa, exiccabitur, & marcescet, sicut ramus ab arbore dissectus, qui statim viriditatem, & pulchritudinem suam amittit. Hæc Ethnicus dicere potuit: vt videas, quanta vis sit huius veritatis.

Cùm igitur homo in hac mortali vita ad eum amoris gradum peruenerit, vt aspernando omnia trãsitoria, nihil illi sapiat, nec sentiat aliquam inordinatam delectationem; sed omnis eius oblectatio, omnis amor, cogitationes omnes, omniaque desideria eius sunt in solo Deo, idque cum tanta continuatione, vt semper, aut ferè semper, cor eius in Deo sit absorptum, nullam consolationem foris inueniat, omni autem solatio in solo Deo fruatur: cũ hoc modo morietur rebus omnibus, soli Deo viuet, & magnitudine amoris sui de omnibus alijs amoribus triumphabit: tunc verè introducetur in cellaria pretiosorum vinorum veri Salomonis, vbi inebriatus vino huius amoris, obliuiscetur omnium creaturarum, imò suijpsius, præ nimia charitatis vehementia.

Scio quidem paucos ad hunc gradum posse peruenire, & necessitates vitæ, debita iustitiæ, & charitatem ipsam sæpe requirere, vt subinde Deum (si sic loqui liceat) propter Deum relinquamus: nihilominus hoc ita dicitur, vt videamus terminum, ad quem quantum poterimus, appropinquare debemus. Etenim etsi nullus eum perfectè attingat, illi tamen

tamen propiùs accedent, qui extendent animos & proposita sua ad res maiores; quam illi, qui desiderijs suis in humiliori loco scopum constituunt. Huc facit illa cuiusdam Sapientis sententia; In omnibus rebus bonis appetenda sunt summa, vt saltem consequamur media. Cum hoc affectu & desiderio dicebat Bernardus; Moriatur Domine anima mea, non tantum morte iustorum, sed & Angelorum: hoc est, sit anima mea in rebus huius seculi sic mortua, & tam perfectè ab ipsis abstracta, quàm sunt, non tantum iusti, sed ipsi etiam (si fieri posset) Angeli. Accensum enim & ardens desiderium, propriarum virium rationem non habet, nec terminos agnoscit, nec se ratione metitur, ideoque non tantum possibilia desiderat, (non enim potestatem suam respicit) sed ad omne quod vult, appetitum suum extendit.

Amor vires non ponderat sed summa appetit.

Hunc amorem Theologi mystici vocant vnitiuum: eius enim natura est hc vnire & conglutinare amantem cum re amata, vt non inueniat extra illam quietem, aut consolationem vllam: ideoque cor eius semper quem amat intuetur. Talis erat amor, quem sanctus Propheta in figura tribuit Beniamin, cum diceret; *Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Hæc est amoris diuini proprietas, vt nectat hoc vinculum: idque tanto arctius & coniunctius, quantò ipse est fortior, vt dicit B. Dionysius. Talem fuisse amorem suum, multis Psalmorum locis testatur Propheta Dauid: nonnunquam enim dicit, quod anima sua adhærebat Deo? & aliàs, quod Dominum semper habebat in conspectu suo, & oculos suos semper ad eum cõuersos. Talis etiam erat amor Esaiæ, quando dicebat; *Nomen tuum, & memoriale tuum, in desiderio animæ meæ. Anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te.* Similis quoque erat amor D. Bernardi, de quo scribitur, quod initio suæ conuersionis, adeo in Deum raptus erat, adeoque vsum sensuum amiserat, vt sæpe ignoraret quid ederet, quomodo vestitus erat, quo loco esset, aut quo iret: adeo spiritus eius erat vnitus Deo, & ad cælestia raptus. Hæc enim naturalis est proprietas amoris, cum perfectus est, vt cor amantis vniat cum re amata: nodus autem & vinculum indissolubile vnionis huius, est inæstimabilis suauitas & iucunditas, quæ ex eodem amore procedit, tanquam naturalis eius proprietas: quæ eum in modum cor vi suæ dulcedinis mouet, vt arduum atque difficile sit illi, rem amatam derelinquere: cum præter illam nihil ei sapiat. Et proinde de S. Augustino commemoratur, quod illi externa omnia sordebant, propter incredibilem, quam in Deo, eiusq; habitaculi pulchritudine, reperiebat suauitatem. Neque hoc mirandum est: qui enim semel lumine sancti Spiritus illustratus cognouit, quàm magna est bonitas & pulchritudo Dei, pietasque & mansuetudo eius, qua est in suos electos, ei hęc quæ narrauimus incredibilia non videbuntur: sed multo plura de tanta bonitate, charitate, & nobilitate expectabit. Nemo quoque perfectionem Sanctorum (sicut nec potentiam amoris) meriti debet sua cum ignauia, infirmitate, & negligentia: sed cum perfectione Dei, & amore suijpsius. Si enim homines, qui filios habent, dicant, neminem scire posse, quàm chari sint parentibus liberi, præter illos, qui ipsi liberos habent idque commune sit & familiare cunctis, quomodo qui scire poterit, quid supernaturalis amor Dei est, nisi is, qui ipse illo amore ardet, atque inflammatus est?

Deut. 33.

Psal. 62. 41. & 21.

Esa. 26.

Simile.

His præmissis, liquet verissimè dictum à quodam Doctore: primarium serui Dei studium esse debere, vt totus charitati incumbat, nec ab hoc conatu sese diuelli patiatur, priusquam anima cum Deo per Orationem, & Contemplationem, & actualem amorem fuerit vnita: atque hoc est quod hactenus declarauimus. Vt autem ad hoc perueniamus, media nonnulla sunt necessaria, per quæ tanquam per gradus ad hoc fastigium licebit ascendere: de ipsis in reliquo huius tractatus breuiter tractabimus; qui in duas principales partes diuidetur. In prima agemus de ijs, quæ conducunt ad amoris diuini consecutionem, & quæ impediunt illum: in secunda Orationes & Considerationes quasdam ponemus, tam de beneficijs Dei, quàm de perfectionibus illius: vt ipsis cor nostrum excitetur, & amore huius Domini inflammetur.

PRIMA PARS HVIVS TRACTATVS.

De ijs quæ promouent, & impediunt amorem Dei.

DE GENERALI REMEDIO CONSEQVENDI AMOREM DEI, ardentissimo scilicet amandi desiderio.

CAPVT III.

QVum ostenderimus finem vitæ Christianæ consistere in amore Dei, consequęs est, vt dicamus nunc, quibus medijs amorem illũ consequi licebit: aut vt melius dicam, quibus modis Deus amorem illum solet animabus communicare: vt ex hoc intelligat homo, quomodo sese debeat præparare ad tantum beneficium à Deo accipiendum; faciens officium suum, & cooperans ei.

Quamobrem initio præsupponendum est, nullam humanam diligentiam solam sufficere ad hanc sibi virtutem comparandam? est enim gratuitum opus Dei, & maximè primarium inter omnia dona illius. Fatetur hoc Apostolus scribens Romanis: *Charitas*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Spiritus enim sanctus (qui inter personas diuinas essentialiter amor est) descendit in animam iusti, influitque, & creat in ipsa hunc habitum cælestem, qui inclinat & mouet hominem ad amandum Deum. Quare quemadmodum idem Spiritus habitu Fidei mediante inducit intellectum nostrum, vt assentiatur omnibus illis, quę dicit Deus: sic habitus hic Charitatis mouet voluntatem nostram (quæ in amore Dei tota facta erat frigida) vt amet eum super omnia, quæ amari possunt.

Amor Dei gratuitum donum.

Rom. 5.

Homines millè artificijs & machinationibus olim quęsierunt modos amorem conciliandi, vbi amor non erat, idque ad corrumpendas animas, easque vitijs inuoluendas. Age igitur cùm diuina illa bonitas, & summa prouidentia, non minùs ingeniosa sit, & diligens in nouis artibus inueniendis, idque in rebus optimis, quàm mali in pessimis: non est mirandum, quod creat hunc habitum supernaturalem

turalem in cordibus hominum, ad accendendum in ijs amorem rerum supernaturalium & inuisibilium, quæ priùs erant frigida & omni calore diuino destituta.

Quomodo Deus hoc desiderium in electis accendat.

Sciendum igitur, magis communem, & ordinarium modum, quo vtitur Dominus ad augendam & perfectam faciendam in electis suis hanc virtutem, esse, quòd dat illis notum & insolitum gustum, & probabilem cognitionem diuinæ gratiæ, suauitatisque, & pulchritudinis huius virtutis, ad accendendum in anima summum ipsius desiderium, & alacritatem pro illius consecutione laborandi, quàm fieri potest, diligentissimè. Qua in re Deus œnopolas imitatur, qui volentes vendere delicatissimum vinum, haustum priùs emptori præbandum, vel pitissandum propinant: vt bonitate mercimonij illectus, in emendo sit alacrior. Idipsum nobis in figura matrimonium Patriarchæ Iacob cum Rachel repræsentat; qui vidit primùm pulchritudinem illius Virginis; ex eoque aspectu nata est in corde eius quædam cupiditas matrimonij contrahendi cũ ea, & eum impulit dicere patri illius: *Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septẽ annis, & visi sunt ei pauci dies, propter amoris magnitudinem.* Quid aliud hoc significat, nisi illud, quod legitur in Canticis; *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eã.* Audi igitur, frater, hoc vinũ, & hæc Rachel, vnum idemque sunt. Vinũ enim hoc Charitas est, & Rachel figura est diuinæ cõtemplationis, quæ ad eandem charitatem ordinatur. Hoc est vinum illud, quod Dominus ex aqua fecit in nuptijs: illud est vinum ad quod inuitat amicos suos, cùm dicit; *Bibite amici & inebriamini charissimi.* illud deniq; vinum est, de quo ait Dauid: *Calix meus inebrians quàm præclarus est.* Hoc vltimum verbum in textu Hebraico non inuenitur, vbi Psalmista tantùm dicit, *Calix meus inebriãs*, nec vlteriùs quid addit: non enim inuenit verba, quibus eloqueretur quod cor sentiebat: ideoque voluit quasi vmbra tegere, quod coloribus non potuit exprimere.

Simile. *Gen. 29.* *Cant. 8.* *Cant. 5.* *Psal. 22.*

Primò igitur Dominus, quando vult suos in hac virtute crescere, instillat in animos eorũ guttulam immensæ suauitatis huius vini: hoc est, donat illis cognitionem, non humanam, sed diuinam; non naturalem, sed supernaturalem; non speculatiuam, sed practicam, qua gustat homo dulcedinem ineffabilem; & pulchritudinem stupendam huius virtutis: simul etiam intelligit eam Reginam esse omniũ virtutum, & mortem omnium vitiorum; quemadmodum & hominem super omnes cælos exaltat, Deo coniungit, & participem facit cælestis suauitatis: vt præuentus benedictionibus dulcedinis, & viatico isto cibatus, viso mercimonij talis pretio, totis neruis contendat, vt eam consequatur. Dat itaque Deus homini, quasi specimen, & præludium gratis, & sine vllo labore: vt alliciat eum, prouocetque ad cætera sibi comparanda, Propterea legitur. Iacob Rachelẽ priùs sibi sponsam elegisse, & postea septem annos secutos esse, quibus pro illa patri seruiuit. Sic etiã mercator primò vinum gratis experitur, & gustat: reliquum verò iusto pretio redimit.

Deus dat electis specimen suæ suauitatis, vt nos ad laborem inuitet.

Ad hunc igitur modũ post cognitionem supradictam sequitur in anima feruentissimum desiderium huius virtutis, quod etiam speciale donum Dei est, quemadmodum & cognitio, ex qua nascitur. Sed quàm ingẽs hoc desiderium in quibusdam personis sit, vix reperitur comparatio, qua possit explicari. Magnũ pecuniæ desiderium est in auaro, magnum honoris in ambitioso: neuter enim, vt suo desiderio satisfaciat, quiescit vnquam; sed mundum sursum ac deorsum vertit: nihil tamen eorum desiderium est in cõparatione illius, de quo nos hic agimus; quòd vti procedit ex principio nobiliori, altioremque finem respicit, sic etiã sine comparatione maius est. Illo desiderio æstuabat Sapiens, cùm de hac virtute loquens, dicebat; *Hanc amaui, & exquisiui eã à iuuẽtute mea, & quæsiui sponsam eam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* Quibus verbis significat, quòd quemadmodũ homo qui deperit virginẽ, (vti de Amnon correpto amore Thamar filiæ Dauidis sororis suæ scribitur) nec edit, nec bibit, nec dormit, nec quiescit sed semper nouis occupatur cogitationibus, (vulnus enim interni affectus nullam quietem admittit) nec laborem metuit, nec periculum occurrit vllum, cui sese nõ alacri animo hac de causa exponat; nec idoneus reperitur ad aliud cuiquam negotium, quàm hoc: in ipso enim omnes cogitationes, omnesque sensus habet occupatos: sic etiam qui simili desiderio sponsam hanc cælestem, quæ est diuina Sapientia, vel Charitas, deamat, nihil nisi de ea cogitat: nihil pluris æstimat, nihil magis desiderat, nihil maiori eum importunitate petit; nullum fugit laborem, nullum horret periculum, pro amore eius subire. Anima igitur, quæ instar Ceruę huius amoris sagitta vulnerata est, quæ feruenter hoc ardet desiderio, quia primitias & arrham Spiritus sancti iam accepit, & palato mundo, beneque purgato guttulam ineffabilis suauitatis, & diuinæ bonitatis gustauit: talis inquam anima non potest vllo modo quiescere, donec ad fontem aquæ viuæ peruenit, cuius iam guttam prælibauit: sed & quemadmodum Canis odorus, lentè segniterque incedit, quamdiu vestigium feræ non inuenit; inuento verò eo, veternum excutit, accenditur ardore indagandi, & summa cum velocitate nunc huc, nunc illuc currit, quærẽdo quod naribus sentit, nec quiescit priusquam feram inuenit: sic anima: postquam semel verè sibi suboluit infinita suauitas, sine vlla quiete aut intermissione currit in odorem pretiosi illius vnguenti.

Simile. *Sap. 8.* *Simile.* *2. Reg. 13.*

Hoc modo præcipit Deus nos quærere, & sic quærenti pollicetur quòd inueniet: sic enim ait; *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Quæ verba sic explicat Eusebius Emissenus: Petamus orando, quæramus laborando, pulsemus desiderando, pulsemus proficiendo, pulsemus perseuerando, & in spem cælestium promissorum tanto incitemur studio, tantoq; inardescamus affectu, vt cũ præmiorum dignitate desideriorũ magnitudo concordet. Non vult Deus noster bona sua nimia inueniendi facilitate vilescere: pretiosa & concupiscibilis merces, cupidum amatorem & auidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorũ munerum repromissor non vult in opere suo tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit in deuotum. Lentum enim & parum gratũ quærere gratiam diuini muneris, maxima est iniuria remuneratoris. Ergo totis licet & animæ & corporis laboribus desudemus, totis iicei obedientiæ viribus exerceamur: nihil tamen condignum merito pro cælestibus bonis compẽsare & offerre valebimus. Pulsemus ergo charissimi, in quantũ possumus, quia nõ possumus quantum debemus. Sub finem eiusdem homiliæ, idem Doctor, ad eundem ardorem idemque desiderium reuersus, ait: Ipsa apprehẽdendi auiditas, ipsa cõsuetudo proficiendi semper nos ad maiora prouocabit: & vbi viderit Deus deuotionem animi, ardentiorem insinuabit affectum: & quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adiutorium: quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tãtum ille addet ad gloriam: iuxta illud, *Qui habet, dabitur illi, & superabundabit.* & alio loco dicit: *Posui adiutoriũ super potentẽ.* Gratia ergo de gratia nascitur, & profectus profectibus seruiunt,

Luc. 11. *Euseb. Emiss. Hom. 3 ad Manichos.* *Matth. 13.* *Psal. 88.*

nunt, lucra lucris, & merita meritis lucrum faciunt: vt quantò quis plus acquirere cœperit, tantò plus conetur & delectetur inquirere, vt acquisitionis lucrum, acquirendi nutriat appetitum. Qui tali igitur modo quærit, dubium non est, quin inueniet, Ille autem qui florem huius desiderij non habet etiam de suauissimo eius fructu non participabit. Optimè namque dictum à Bernardo: Quemadmodum fides disponit ad perfectam cognitionem, sic desiderium disponit ad verum amorem. Et quemadmodum Propheta dicit: *Nisi credideritis, non intelligetis*: sic etiam dici potest.

Bernar. in Epist.

Esa. 7.

Accensum igitur hoc desiderium primum semen est huius arboris vitæ, vt apertis verbis testatur Sapiens: *Initium*, inquit, *illius verissima est disciplinæ cõcupiscẽtia*. Hoc enim desiderium vtile est ad omnia media, laboresque omnes pro amore consequendo exantlandos. Qui enim verè desiderat, nec laborem sentit, nec difficultatem, vt quidam Sapiens dicere consueuit. Tale desiderium erat Dauidis, cùm anhelans dicebat; *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum stratus mei, Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob*. Hanc ob causam nobile desiderium hoc pulcherrimus flos est, ex quo cælestis ille fructus generatur: hic vesper est, & finis huius festiuitatis, vt Salomon testatur, cum ait; *Si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliget timorem Domini*. Hæc omnia S. Bonauentura paucissimis verbis comprehendit, dicens: Et cæleste hoc donum nemo habet, nisi qui apprehendit: & nemo apprehendit, nisi qui desiderat: & nemo desiderat, nisi qui priùs igne sancti Spiritus correptus est, quem ignem Christus venit in terram mittere.

Pſal. 131.

Prou. 2.

DE ALIIS MEDIIS PARTICVlaribus, ad amorem Dei consequendum vtilissimis.

CAPVT IV.

DEsiderium igitur hoc, vti iam diximus, radix est, à qua omnes rami virtutum nascuntur, quæ ad impetrandum hoc bonum tam optatum requiruntur. Impatientia enim desiderij, nõ cõcedit animo requiem, sed excitat, incitatque illum sine intermissione, vt quocunque potest modo curet habere, quod desiderat.

DE ORATIONIBVS ET INSPIRAtionibus pro amore Dei impetrando.

PRimò igitur cùm homo sciat desideratum hoc bonum esse in potestate Dei, & quòd Deus est, qui in suis manibus abscondit lucem, (vt est in libro Iob) & præcipit ei vt rursùs adueniat; nõ ignoret etiam vnum ex primarijs mediis, quibus gratiæ diuinitus impetrantur, esse feruentem Orationem, iuxta illud Psalmi; *Propè est Dominus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate*: hoc est, ex intimo & sincero cordis desiderio, ita vt considerans illud homo, tanta cum importunitate Deo supplicet, vt neque interdiu, neque noctu, neque in tempore orationis, neque extra illud, imò inter ipsa opera & negotia externa non cesset gemere, & suspirare tanquam columba, nec vnquam satiari posse videatur pia Patris sui viscera pulsando, gratiamque hãc implorando. Imò tam plenus est homo iste affectione tali, vt nec edere, nec bibere, nec stare, nec incedere, nec vigilare, nec dormire vnquam illi libitum sit: tantùm eiulatibus & planctibus implet cælum, clamans ad portas vnde auxilium sibi sperat venturũ, implorans etiam opem gloriosæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum, vt in hoc negotio succurrant. Non quiescit, non est tranquillus, non videtur sibi viuere, quamdiu hoc thesauro se destitutum sentit. Cum hac anxietate & solicitudine venit in conspectum Dei, dicens cum Leproso Euangelico; *Domine si vis potes mundare* animam meam ab omnibus peccatis suis, & potes illam tanquam aurum in igne amoris tui purgare, Si velles, posses pauperem confestim locupletare. Si velles posses me lætissimum facere, omniumque qui in mundo sunt beatissimum. Quid oberit tibi, Domine, si tantum bonum mihi præstiteris? quid ex eo tibi incommodi? quam rerum tuarum iacturam facies? Age igitur Domine, cùm tu sis pelagus infinitæ bonitatis, liberalitatis, & diuitiarum; cur misericordias tuas in ira tua erga me detines? Cur iniquitates meæ tua bonitate sunt potentiores? cur potiùs me mea damnabunt peccata, quàm tua me saluabit misericordia? Si contritionem, si satisfactionem criminum meorum à me exigis; ecce in tantum me delictorum pœnitet, & sic me peccata cruciant, vt mallem me mille mortis genera subijsse, quàm cõtra te peccasse. Si postulas satisfactionem; ecce tibi corpus hoc, effunde in illud iram tuam, exerce pœnas indignationis tuæ in illo quas libet, saltem ne amore tuum mihi deneges. Da itaque, vt amem te Deus meus, fortitudo mea, refrigerium meum, liberator meus, adiutorium meum; & spes mea. Te solũ quæro, te solum desidero, ad te solũ clamo Domine mi: tu enim & primum meũ principium es, tu finis vltimus. Res huius vitæ me non satiant: nullam habẽt suauitatem, stabilitatem, & firmitudinem nullam. Quidquid præter te video, paupertas est; sine te quidquid vsquam gentium est, aqua mihi turbida est, & salsa, quę sitim non restinguit, sed accendit. Te solum quæro, te volo, tuam faciem solùm, Domine mi, desidero, te oro, ne charitatem tuam elongaueris à me.

Pſal. 144.

Matth. 8. Oratio pia.

His, alijsque similibus clamoribus, quos desiderium ipsum animæ, ab amore iam præuentæ, suggerit, homo sine intermissione aures Domini solicitat: cumque pia illa Chananæa, & amico illo importuno Euangelico nunquam cessat gratiam hanc postulare. Vtilissimum, conuenientissimumq; ad hoc medium est, si homo induat cor & spiritũ pauperis mendici, (id quod Rex Dauid fecit, qui nonnunquã se orphanum & pupillum, aliquando infirmũ, nunc mendicum vocat, nunc pauperem & desolatum) talique affectu demisso & humili clamet Deum, & eleemosynam hãc petat. Non debet mendicos imitari in sola diligentia, & continuatione orandi; sed etiam in omnibus alijs affectibus, gestibus, & actionibus, quibus illi vtuntur. Considera quomodo illi incedunt vlcerosi, scabiosi, infirmi, famelici, sitibundi, calore, æstuantes, aut frigore contabescẽtes, alijsque multis calamitatibus oppressi, vix orto sole vsque in multam noctem quærentes stipem, qua lasrantem ventris rabiem compescãt. Aspice quàm patienter tota die stant expectantes exiguam eleemosynam, quæ sæpe illis non datur. Si patiãtur hæc illi propter exiguum panis frustulum, quo corpus alitur; an æquum non sit te simile quid pati pro pane Angelorum, quo anima sustentatur? Intuere quomodo pauperes quærant loca ad mendicandum commodiora opportunioraque, vt sunt Ecclesiæ, & domus eorum, qui ad dandas eleemosynas sunt proniores: huc omnes confluũt, stipem petituri. Sic & mendicus spiritualis quærit locum silentij, & solitudinis; qui conuenientissimus est ad orandum, & petendum eleemosynã à Deo: & hinc se postea conuertit ad Sanctos, qui sunt tanquam pij diuites, vt ab ipsis etiam auxilium petat. Vide quoque quomodo mendicus tegit bonum quod habet, (si tamẽ aliquid

Orans pauperem mendicum debet imitari.

aliquid habeat)& ostendit, detegitque scabiē, vulnera, membra affecta,& distorta; vt ad sympathian & misericordiam moueat eos, quos nouit sibi posse opitulari: sic etiam mendicus spiritualis non detegat in oratione diuitias quas habet, vt superbus ille Luc.18. Pharisæus faciebat; sed plagas,& miserias peccatorum cum humili Publicano ostendat, vt ipsa suarū miseriarum confessione, & exhibitione, diuinam prouocet misericordiam. Denique vt medicus nulla in re alia tempus suum à crepusculo matutino ad vespertinum terit, præterquam in mendicando & ostiatim panem quæritando, obseruans occasiones occurrentes,& quidquid huic expedit negotio: sic spiritualis hic mendicus id vnicè agit, quantum fieri potest, vt tota vita sua sit quædam continua oratio; ex omniq́ue re occasionē captat, vt in hoc desiderio magis accendatur, in oratione perseueret, & cor iugiter ad Deū eleuet. Cùm pulchritudinē mundi, omniumque creaturarū, quæ in ipso sunt, intueatur; cōsideret quàm pulcher sit ipse Creator, qui creauit hæc omnia;& quantò maiorē admirationē, & amorē eius præsentia sit generatura; atque hoc modo mouetur ad postulandum hunc amorem cum maiori assiduitate. Si videt rem aliquam turpē, statim recordatur, non posse dari quicquam turpius anima, quæ amore Dei non est insignita; ideoq́; precatur Deum, ne sinat in se tantam turpitudinem inueniri. Denique quot creaturæ sunt in cælo, & in terra, tot sibi credit à Deo exhibita esse beneficia, bonitatisque illius specimina, persuadetque sibi omnes illas creaturas dicere,& imperare, vt petat,& perseueranter postulet amorem tanti Creatoris & Domini.

Ex omni re captat orādi occasionem homo pius.

Vt autē hoc accuratiùs fiat, vtilissimum est, quòd homo semper in promptu habeat breues nonnullas orationes, quæ semper in ore animæ versari debent, quibuscum hunc amorē à Domino petat, quo impetrato in eum magis accendatur. Verba enim Dei sunt tanquā incentiua cælestis huius ignis. Huiusmodi autem Orationes aliquot ad huius tractatus finem subijciemus. Verum quidem est, conuenientissimas orationes, quæ in hac materia possunt inueniri, illas esse, quas desiderium ipsum & fames huius gratiæ dictat & suggerit, tanto magis, quantò desiderium illud est feruentius. Deuotio namque, teste Bernardo, est lingua animæ: cùm itaque anima deuota est, eloquentissimè nouit miserias suas exponere,& causam suam corā Deo perorare. Cæterū quando non est in illo deuotionis statu, tūc Orationes ab alijs traditæ sunt vtilissimæ, vt testatur Augustinus: qui eū in finem suum se Manuale scripsisse dicit; in quo multæ ex his Orationibus inueniuntur. Illud igitur primum & precipuum est exercitium, quod ex sancto illo desiderio deriuatur, quodq́; maximopere laudatur ab ijs qui de hac materia scripserunt, tanquam efficacissimum medium ad perfectionem huius virtutis impetrandam. Sint licet alia media quàm plurima, quibus amor ille crescit & perficitur: nullo tamen vberiùs & conuenientius crescit, quàm proprijs suis actibus, (hoc est, ipso amandi exercitio) tantoq́ue ampliùs, quantò ipsi sunt feruentiores & vehementiores. Quemadmodum enim clauus vno magno mallei ictu fortiùs impellitur, quàm multis paruis: sic amor plùs crescit vno heroïco & vehementi facto, actuq́ue virtutis, quàm multis tepidis & remissis. Sed etsi & horum frequēti vsu amor crescat; tamen eorundem vsu homo tepidus fit & ignauus, tandemque eò deuenit, vt periclitetur, ne amorem omnino perdat: quod ne fiat, summopere cauendum est. Cùm autem hæc desideria, & accensæ orationes, de quibus nos loquimur, aut actus sint amoris, aut saltem ijs proximæ; sequitur, eas huic proposito plurimùm conducere: quare & ab omnibus magistris huius mysticæ Theologiæ laudantur.

Simile.

DE COLLECTIONE SENSVVM, ET fuga multorum negotiorum, seu multiplicis studij.

CAPVT V.

DEuotus hic Orator sciat etiam, cùm oratio debeat esse attenta & deuota, oportere, quòd sit separata & remota à multitudine negotiorum non necessariorū,& sensus cohibeantur, præsertim visus,& auditus; vtrunque enim horū suffocat spiritum multitudine negotiorum, cogitationumque,& rerum diuersitate, quæ per horum sensuum ostia in animam nostram ingrediuntur. Ideoque contendat homo, quantum potest, in seipso includi, segregans sese, quoad fieri potest,à multitudine occupationum non necessariarum, recolligésque sensus,& potentias animæ suæ, vt hoc modo sibijpsi vnitus integer sit, animo non diuisus, eleuetque cor suum purè ad Deum, dicereque, & deuoueat illud totum suo Creatori. Ad hoc inuitat nos Anselmus, dicens; Fuge occupationes tuas, absconde te à tumultuosis cogitationibus tuis. Abijce onerosas curas, postpone laboriosas dissensiones tuas. Vaca Deo,& requiesce in eo. Intra cubiculum mentis tuæ, exclude omnia præter Deum,& quæ iuuant ad quærendum eum. Diligenter autem hic attende, vt tali modo hæc facias, ne inimici tui derideant sabbatha tua, hoc est, quietem tuæ contemplationis. Propterea labora, sic vt vaces Deo, vt non solùm intellectu videas illum, sed voluntate etiam eum gustes: tunc enim sine vllo negotio spernes omnes alias res propter illum. Nemo enim (vt Richardus ait) externa bona potest contemnere, qui nondum gustauit interna; nec vnquam gustabit interna, nisi paulatim reliquerit externa. In tantum igitur homo deuotus abstrahat cor suum ab externis,& applicet internis, ab internis item mittat ad superna, vt omnis conuersatio sua sit in Deo: quod propriū est illorum, qui ad perfectionem adspirant.

Anſel. ca. 2. Proſol.

DE IEIVNIO, DISCIPLINA, ET aliis vitæ austeritatibus.

CAPVT VI.

SCire præterea debet Orator hic spiritualis, orationes ieiunijs, disciplinis, & afflictionibus corporalibus iunctas efficacissimas esse ad promerendum apud Deum; sicut fuerunt illæ Prophetæ Danielis ob eam causam, vt ipse Angelus illi reuelauit. Propterea quædam religiosa persona apositissimè dixit, nullius esse pretij, quod nullo acquiritur labore: & propterea quod pretiosum est, magno quoque debet redimi. Omnino enim videtur nec hominum securitati, nec diuinæ conuenire dignitati, vt vili pretio comparentur, quæ maxima cum diligentia debent conseruari. Rectè ergo dicit Eusebius Emissenus: Qui non scit beneficium desiderare, idem nescit conseruare: & periclitatur gratia, quando non quæritur cum diligentia. Ratio & ordo, quem Deus constituit in rebus, est, vt inter causas & effectus, inter media & finē, inter formam & dispositiones, quæ debent præcedere, sit quædam proportio. Cùm igitur finis & forma, quā nos quærimus, tam sit excellens, (& per amorem enim Dei, Deum ipsum acquirimus) quis labor, quæ diligentia, quis sudor nimius esse potest, si cum hoc fine cōparetur? Respondeat igitur ad gratiam diligentia, & labor par sit præmio. Non vult Deus bona sua in

Dan.10.

Euſeb. Emiſſ.

Nil ſine Labore comparatur.

nobis

nobis vilescere: dederit licet aliquando ei, qui non quærebat & excitauerit, qui dormiebat, (quod Paulo & alijs contigit) generaliter tamen loquendo nulli dat, nisi qui in veritate quærit; nec verè quærit, nisi qui quærit cum afflictione corporis & animæ. Porrò quia gratia quæ petitur, non in vsum solius animæ petitur, sed & totius hominis; iustum est, vt totus pro eo laboret homo; anima scilicet cum desiderijs, & corpus cum afflictionibus; vt hoc modo socij sint passionum, qui futuri sunt socij gloriæ.

Intelligens igitur hæc cupidus amoris Dei, incipit statim sese ad omnia laborum & afflictionum offerre genera, qualia sunt ieiunia, vigiliæ, cilicia, disciplinæ; & similes aliæ asperitates: atque illis eum in modum delectatur, vt ferat labores sine labore non enim laborem; sed fructum intuetur; nec computat quod patitur, sed causam propter quam patitur, quæ est amor Dei: cuius dulcedine delinitus, omnes labores & afflictiones minores multò existimat quàm omnia, quæ Iacob amore Rachelis sustinuit.

DE OPERIBVS MISERICORDIÆ. CAPVT VII.

Psal 33. NOn ignorat etiam Orator spiritualis, de quo sermo sit, clauem huius negotij esse, vt gratus sit Deo, & faciat sanctam eius voluntatẽ. *Oculi enim Domini*, ait Dauid, *super iustos, & aures eius ad preces eorum*. Solet enim Deus amare, à quibus amatur; audire, à quibus auditur; & facere voluntatem eorum, qui faciunt voluntatem illius. Videt itaq; vnum ex operibus, quæ præcipuè placent Domino, & quæ ante omnia ipse commendat, esse, Proximo in necessitatibus opitulari, infirmos visitare, afflictos consolari, adiuuare qui sunt impotentes; cùm dicat Saluator, se esse, cui hæc beneficia fiunt, & sibi fieri, quod amore suo fit. Iustus igitur cũ hæc perpendit, totus in spiritu exultat, propter occasiones quas habet: potest enim in creaturis Creatorem ipsum in suis habere manibus: summam credit esse gratiam, & eius iudicat esse prouidentiæ, quòd pauperes in mundo reperiuntur, cùm in ipsis habeamus Dominum, & ijs mediantibus reseretur ianua, & sternatur via, qua illum in domum suam recipiat, eique seruiat, qui tantum bonum largiri potest.

Tali cum proposito, & tali cum persuasione seruit pauperi, non vt pauperi, nec considerat eum, vt talem: sed respicit personam quam repræsentat, eique cum eadem seruit alacritate & deuotione. Oculis enim fidei, quos habet, non videt personam pauperis, sed considerat verba illius, qui dixit; *Quod fecistis vni ex his minimis fratribus meis, id mihi fecistis*. Quemadmodum enim ille, cui negotium est cũ maximo aliquo Rege huius seculi, summum existimat beneficium, si aliquis illius aulicus, & familiaris amicus ex via ad ædes suas declinet, hospitiumq; petat: (sperat enim opera hospitis illius negotia sua ad bonum finem perductum iri) sic etiam faciunt illi, qui pauperes Christi introducunt in domum suã, quorum ope sperant se fauorem & gratiam in conspectu cælestis illius Regis inuenturos.

Matth. 25. Simile.

Quod si etiam pauperes sint, qui hoc faciunt, nũquam tamen pauperes se ad benefaciendum existimant: desiderium enim dandi facit eos diuites, & ita nunc hinc, nunc illinc semper quærunt quod tribuant. Nam sicuti dicitur, quòd lusori nunquam desit quod ludat; (quia voluntas ludendi quam habet, facit vt nummos etiam sub terra inueniat) sic qui cupidus est benefaciendi, quantumuis pauper est, nunquam illi deerit benefaciendi modus. Si facultates deficiant, promptam nihilominus habet voluntatem, & personam ipsam, qua cum potest seruire pauperi, & laborare pro eo: quod sæpe maioris est momenti.

DE AMORE PAVPERTATIS, DE persecutione, & contemptu pro amore Dei. CAPVT VIII.

Similitudo est amoris causa.

DIdicit quoque deuotus noster Orator, similitudinem esse causam amoris; vnum autem eorum, quæ Deo maximè placent, hominemque Deo magis similem efficiunt, esse tribulationes, persecutiones, iniurias, & paupertatem pro amore eius prompto & alacri animo sustinere. Quare considerans, quòd vniuersa Christi vita fuit quasi pelagus tribulationum, laborum, dolorum, paupertatis & persecutionum, tanto nonnunquam harum rerum desiderio inflammatur, vt homines mundi tali cum cupiditate diuitias, & quietem non appetant, quanta ille tribulationes pro amore Dei. Sic legimus de glorioso Patre S. Francisco, quòd maiori cum affectu quærebat, & amabat paupertatem, quàm auari diuitias: & de B. Dominico, quòd quemadmodum ceruus desiderat ad fontes aquarum, sic ille ad martyrium anhelabat. Et quasi vnum tantùm martyrium commune nõn satisfacere potuisset eius desiderio, optabat martyrium particulare, quo singula eius membra possent torqueri, & laniari, vt vel sic perfectior esse Christi posset imitator.

B. Franciscus amat paupertatẽ plus quam alij diuitias. B. Dominicus optat martyrium.

Fateor non esse hanc perfectionem omnium, tamen omnibus proponitur, vt exemplis rerum tam sublimium excitemur, ad arripienda minora primùm, inde ad audenda maiora; vt sic paulatim ad illa perfectiora veniamus. Id autem tantò commodiùs faciemus, quantò cum maiori spiritus alacritate illa amplectemur: quò enim labores magis sunt voluntarij, eò minori cum tædio perferuntur. Dicunt Scriptores Crocodillum esse animal ferum, qui persequentem fugit, & fugientem persequitur. Eius naturæ quoque sunt labores, & tribulationes huius vitæ: non enim molesta sunt & dura his, qui pro amore Dei vltro ea amplectuntur, & quærunt: sed tribulant & affligunt eos, qui fugiunt: afflictio namque non consistit in magnitudine laboris, sed in repugnantia voluntatis.

Hoc animatus spiritu seruus Dei aspernatur illud, quod mundus suspicit; & pedibus calcat, quod mundus adorat; vt sunt honores, diuitiæ, & similia? & desiderat potiùs vituperari, & contemni propter Christum: non quiescit, priusquam se videt in hoc statu constitutũ; nec amorẽ suum verum existimat, quamdiu nõ est tribulationis igne probatus. Lætatur paupertate, cõtemnit abundantiã, abijcit illam quantum potest, & dolet cùm illud facere non potest. In quocunque statu viuit, paupertatis sectandæ occasionem inuenit, resecans semper superflua, & tantùm ea sumens, quæ sunt necessaria. Commemorant quidam de canibus AEgypti, quòd bibentes de Nilo flumine, aquam vno cum spiritu hauriũt, quã celerrimè currentes, propter metum venenosorum animalium quæ sub aqua latitant. Eodem modo rebus necessarijs vtuntur Dei serui, ad vitæ conseruationem, capientes inde parcè, non plenis buccis, sed obiter extremis tantùm labris, ne cor auiditate & inordinato amore ipsarum capiatur.

Simile.

DE PACE CORDIS, ET IN Deo fiducia. CAPVT IX.

HAbens hic Orator noster oculos purificatos, & vestes mundas, cùm iam secum determinauit mundo nuncium remittere, & pompæ illius vniuersæ mori, nolens iam amplius adorare Deos

re Deos alienos, nec auxilium ab ijs vllum sperare, (non enim vult metere vbi non seminauit, nec accipere ab eo qui non debet) considerans inquam hoc, & videns ab altera parte vitam humanam multis expositam necessitatibus, & miserijs, atque egere multis fulcris, quibus sustentetur: ideo proponit omnem suam spem in eum conijcere, ob cuius amorem renunciauit omnibus; certo certiùs credens, eum tam bonum & fidelem esse, tantam suorum habere curam, (sicut omnes Scripturæ testantur) quod solus ille in omni necessitate sufficiet. Hoc autem faciens, non cogitat se derelictum iri, nec in aere ædificare: imò tantò est securior, quantò manifestiùs videt, se hoc medio maius adiutorium inuenisse. Arripit quoque animũ, & cõfortatur in hoc proposito, dum legit Psalmos, aut alias Scripturas sanctas, in quibus vix capitulũ inuenitur, in quo Deus opem, gratiã, & prouidentiam omnibus illis non promittit, qui in illo confidũt: interim nec otiatur, nec vocationé suam negligit, nec officium suum intermittit: hoc enim esset Deum tentare. Eo igitur subsidio nixus, diues est in paupertate, affluens rerũ in necessitate, securus in periculis, pacificus in aduersitatibus, dicens cũ Apostolo: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* 2. Tim. 1. Quotiescunque illi tribulationes & difficultates oboriuntur, attollit oculos suos in montes, vnde venit auxilium illi: scit enim, quòd non dormit, neque dormitat qui custodit Israel: ideoq; dormit securè, sciens quòd habet custodiã potentem, & præsidium fidele. Hoc modo per virtutem spei consequitur pacem cordis, quæ ad vnionem & contemplationem diuinam est dispositio maximè propria. Confidens enim Domino in omnibus rebus, quæ occurrunt, & credens quòd ab illo eximetur è luto, nõ turbatur, nec affligitur; ideò dispersus per Ægyptũ non vagatur, quærens paleas; nec elongatur à rebus quæ pertinẽt ad amorem Dei. Quæ pax quàm ingẽs bonum sit, nesciunt mali: cùm enim non habeant hanc viuam spem in Domino, omnia eos accidentia perturbant, inquietos faciunt, eisque cor suffurãtur: quia namque cor rebus fortuitis apposuerunt, patiuntur omnes alterationes, & incommoda, quibus illæ ipsæ sunt obnoxiæ.

DE AMORIS DIVINI PRÆCIpuis Impedimentis; & primò de amore proprio.

CAPVT X.

QVæ hactenus à nobis dicta sunt, iuuant nos vt ad amorem Dei veniamus. Sed nõ sufficit ea procurare quæ in hoc nobis prosunt, nisi laboremus repellere, quæ impedimentum nobis in eo afferunt. Horũ autem primũ & præcipuũ (vnde reliqua omnia sua ducunt originẽ) est amor proprius; hoc est, amor inordinatus, & sensualis, quo nos corpus nostrum complectimur. Cuius victoria & mortificatio tam est necessaria ad obtinendum amorem Dei, vt in gradu, quo vincimus amorem proprium, in eodem consequamur alium, hoc est, diuinũ; sicut in principio Tractatus declaratũ est. Vbi diximus, quòd ad perfectionem Charitatis in hac vita pertinet perfecta mortificatio & victoria concupiscentiæ; (quæ non est aliud quàm amor proprius) hæc enim est venenũ Charitatis, vt dicit S. Augustinus: idcirco qui volet proficere in amore Dei, opus est, quod semper cum amore proprio bellum gerat. Huius rei causæ multæ sunt, quas scire debemus, vt intelligamus manifestius, quanti hæc res momenti sit. Quapropter obseruandum hoc loco est, id quod Philosophus quidam dicere solebat: Qui verè amat, non potest amare perfectè, nisi rem vnam solam: capacitas enim cordis humani tam exigua est, vt dum occupatur in vna re, de alia vix possit esse solicitus. Adeò vt quemadmodũ vna eademque terra non potest simul diuersas producere sementes: ita vnum idemque cor humanum non est capax diuersorum amorũ, maximè si sint contrarij. Quid autem magis contrarium, quàm amor Dei & amor proprius? Amor enim proprius omnia quærit sibi, omnia facit & ordinat in finem suum, & se quasi vltimum finem omnium constituit. Sed contrariò amor Dei omnia ordinat in Deũ; & negat & crucifigit semetipsum, ob amorem illius. Proinde quemadmodum fines hi inter se sunt contrarij, sic omnes alij affectus omniaque opera alia sunt inter se contraria, quæ ex amoribus illis procedunt: ita vt omnino sit impossibile, duos illos amores in vno eodemque corde simul consistere. Quomodo enim simul stare poterunt amor Dei, & amor mundi? amor terrenus, & amor cęlestis? amor carnis, & amor spiritus? amor proprius, & amor diuinus? Quæ enim conuentio veritatis ad vanitatẽ? rerum temporalium ad æternas? sublimiũ ad humiles? dulciũ ad amaras? quietarum ad inquietas? quæ denique pars spiritualium cum carnalibus? Ideo prudenter dictum est à Ioãne Climaco: Quemadmodum impossibile est vno eodemque oculo simul & cœlum intueri, & terram; ita etiam impossibile est vno corde simul amare cælestia & terrena. Intellexerunt hoc nonnulli Philosophi: quod vt significarent, imaginabantur, mundum in duas partes, quasi hemisphæria diuisum, in quarum vna fingebant reposita esse bona æterna, in altera verò transitoria: & hominem constitutũ in medio tanquam in Horizonte vtriusque hemisphærij, hoc est, inter tẽpus & æternitatẽ: cùm enim corpus corruptibile habeat, rebus terrenis congruit; cùm verò animam immortalem, rebus æternis. Eo præsuppositio, pergebant hoc modo philosophari: Quemadmodum, is qui in hoc hemisphærio, vel super hunc Horizonta stat, non potest ea videre quæ sunt in altero oppositio; neque ij qui in altero degunt, vident quid in hoc fiat: sic & homo, qui stat in hemisphęrio rerum temporalium, non potest videre quæ sunt æterna; nec is, qui in parte rerum æternarum est, intueri potest ea, aut ijs occupari quæ sunt transitoria. Hinc fit, quòd homines spirituales viuunt soli Deo occupati, in eo absorpti, & quasi mũdi totius obliti: econtrariò verò carnales adeò mundo sunt immersi, vt omnino sint immemores Dei: hi enim stant in medio mundo temporis, illi in altero medio æternitatis. Simile. Simile. Simile.

Age igitur cùm anima nostra sit constituta inter duas illas extremitates tam differentes, vt sunt æternitas & tempus Creator & Creatura: si conuertatur, inquit Augustinus, ad Creatorem, erit clara, & in ipso consolidata: si verò conuertatur ad creaturas, erit obscura, deformis, & vilis. Imaginabatur sanctus hic Doctor, quòd quemadmodum res aliqua posita inter zebetum aut vnguentum aliquod odoriferum, atque inter pessimi odoris cœnum, si coniungatur zebeto, olet zebetum; sin autem cœno, cœnum olet: sic anima, inter Deum & creaturas constituta, id refert, cui se coniungit: quod Apostolus confirmat, dicens: *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim* inquit *duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus* (cum eo) *est.* 1. Cor. 6.

Nec tantùm amor proprius impedit amorẽ Dei, ob hanc solam causam, hoc est, quia finem & media habent contraria: sed etiã ob causas alias diuersas. Etenim præterquam quòd amor ille est generalis causa omnium peccatorum, & impedimentum omnium virtutum, quæ duo mala maxima sunt, & amori diuino maximè contraria: impedit etiam, quia

Amor prõprius amori diuino tempus suffuratur.

Vnam rem mandam.

quia tempus omne consumit in quærendis illis, quæ vtilia sunt & dulcia corpori. Quemadmodum enim pisces, aues, aliaque animalia bruta tota vita sua nihil aliud agunt, præterquam vt vitam suam conseruent; cùm meliorum, excellentiorumque rerum non sint capaces: sic amatores sui ipsius non cogitant ea quæ sunt alterius vitæ, quàm præsentis; nec habent in pretio quicquam aliud, præter hoc, quod ad vitam præsentem pertinet. Et quia nil aliud meditantur, & querunt, deest illis tempus, nec otium supereſt, vt vacent exercitijs ad amorem Dei pertinentibus, vt sunt lectio, oratio, meditatio, confessio, communio, & studium earum rerum, quæ ad Charitatem pertinent.

Amor proprius amorẽ Dei impedit suis molestijs

Impedit etiam hic amor proprius amorem Dei sua inquietudine, laboribusque & molestijs, quæ occupationes eædem secum adferunt: nunquam enim huius mundi negotia sine molestijs expediuntur: ideo anima misera perturbatur, affligitur, pacem, libertatem, & puritatem cordis amittit; quòd cor mollis & floridus lectus est, in quo verus Salomon cubat. Hoc modo malæ plantæ impediunt bonas, eas suffocando, ne crescere possint: vt ostendit Saluator in illa parabola seminantis, in qua dicit bonum semen, quod inter spinas cecidit, à spinis simul exortis suffocatum: & spinas illas dicit esse solicitudines, diuitias & voluptates huius vitæ, afflictionesque rerum temporalium, quas malus hic amor secum affert.

Cant. 6.

Luc. 8.

Amor proprius amorẽ Dei impedit suis delicijs.

Impedit quoque idem amor amorem Dei superfluis suis delicijs: magni enim sui amatores valde sunt delicati, & amici voluptatum: qui etsi non laudant sententiam Epicuri verbis, (qui beatitudinem in delicijs positam asserebat) operibus tamen cõfirmant: in omni enim vita sua de nulla re alia sunt soliciti. Proinde semper nouas voluptates animo voluunt, & querunt; nunc in venationibus, nũc in musica, subinde in choreis, aliquando in aleatorio, sphęristerio, aut similibus ludis; quandoque in conuiuijs, denique nonnunquam in conuersationibus omnino mundanis, & carnalibus, alijsque rebus similibus, fugientes solitudinem, animique collectionẽ: sunt amici ventris, inimici crucis: quos tædet silentij, quibus odio est pia lectio, & qui ne ad momẽtum in oratione possunt perseuerare. Qui sic voluptatibus est immersus, quomodo vacabit exercitijs ad amorem Dei spectantibus? Amor enim Dei non est hominum delicatorum, effœminatorumque, sed virilium, & magnanimorum. *Mulier illa*, quã describit Salomon, *manum suam misit ad fortia: Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.* Illi verò econtrario nolunt armari, nolunt scutum arripere: & cum molestia colluctari: cùm non inueniantur in hoc mundo maiora contraria, quàm amor laborum & amor voluptatum: & quia verus amor Dei non nisi laboribus comparatur, quomodo eum consequetur ille, cuius vita tota in voluptatibus consistit?

Pro. 31.

Seruus igitur Dei, qui didicit veritatem huius Philosophiæ, subitò in arenam prosiliat, arma contra seipsum corripiat, incipiatque pugnare sub signo regio nobilis illius vexilliferi, qui dicit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quòd si verò scire cupias, quæ sit illa crux: dico, non esse aliam, præter illam, de qua dicit Apostolus? *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Nec aliud est negare seipsum, quàm contradicere omnibus suis appetitibus, malisque inclinationibus, & propriæ voluntati, quotiescunque voluntati Dei contrariatur: hoc enim est abnegare semetipsum, nullam habere sui, sed solius Dei rationem.

Matth. 16.

Galat. 5. Quid sit abnegare se metipsum.

DE MORTIFICATIONE PROPRIÆ VOLUNTATIS.

CAPVT XI.

SEcundum, nec superiori minus impedimentum charitatis, est propria voluntas, & sensualitas; quam D. Bernardus fontem appellat omnium vitiorum: quibus nil magis charitati aduersatur. Præterea neque diuinæ voluntati potest homo perfectè satisfacere, nisi priùs interficiat suam, quæ plerunque solet diuinæ contrariari.

Sciens igitur hoc seruus & amator Dei, statuat spiritualis fieri Nazaræus (hoc est, homo deuotus Deo, seu consecratus) idque non definito aliquo tẽpore, sed per omnem vitam, vt non ampliùs viuat sibi ipsi, sed Deo; nec ampliùs habeat sui ipsius rationem, sed Dei: & hæc est mors spiritualis, quam toties commendat Apostolus, dicens, nos esse mundo mortuos, vt viuamus Christo. Id insinuarunt illa legis sacrificia, quæ vocabantur holocausta: in quibus animal totum comburebatur, Deoque immolabatur. Tales sunt igitur illi, qui proprium corpus, animam, & voluntatem Deo sic sacrificarunt, vt nihil sibi reseruent: omnia enim Creatori obtulerunt. Ita quòd sicut calix, aut Corporale (vt vocant) vbi semel consecrata sunt, non possunt vsibus profanis seruire: sic homo semel Deo consecratus, desiderat semper se sic Deo dedicatum, ne quocunque alio negocio ab illo separetur: atque ideo statuit in posterum nolle aut suus esse, aut alterius; sed solius Dei: nec semetipsum cupit quærere, nec propriæ volũtati, vel appetitib. satisfacere nõ facere quod mũdus suadet; sed solius voluntatẽ Dei adimplere, æstimans furtum esse spirituale, alia re, quàm diuino cultu, & obsequio vacare, cùm semel spoliatus sit semetipso, & consecratus Deo. Si quis hoc nimium esse arbitretur, istamque philosophiam esse nimis arduam; meminerit nos cursum nostrum iam penè absoluisse & loqui de vita perfecta, ad quam hic gradus pertinet. Ideo queri nemo debet, si viam illi monstrauerimus: non enim obligamus, aut cogimus quemquam in illa ambulare.

Holocaustũ spirituale.

Propositum enim Autoris est perficiendum formare Christum.

QVOMODO QVÆCVNQVE PECcatorum genera debeant euitari.

CAPVT XII.

CAusa propter quam tantopere damnamus amorem proprium: propriamque volũtatem. est, quia sunt præcipuæ radices, fontes & origines omnium peccatorum: ideoque multo maiori odio prosequi debemus ipsa peccata, quàm causas eorum; quæ vitiosæ non essent, nisi vitiosos producerent effectus. Igitur qui quærit amorem Dei, meminisse debet illius quod scriptum est; *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Nihil enim magis contrarium est huic amori, quàm peccatum: quod si mortale sit, charitatem planè extinguit; si veniale, feruorem refrigerat, & disponit hominem, vt in eo charitas paulatim extinguatur. Vnum est, quasi mors, alterum quasi morbus mortem inferens: vnũ est quasi ignis ad truncum arboris admotus; alterũ tanquam si quis corticem trunco detrahat, vt arbor langueat, intermoriatur, & inepta fiat ad fructus proferendos.

Psal. 96.

Præterea consideret homo, quærentem amare Deum id agere, vt faciat animam suam domicilium & sedem Dei: scimus verò domum Domini decere sanctitudinem, iustitiamque *& iudicium præparationem sedis eius*, vt dicit Propheta. Sed quid est sanctitudo,

Verus amator Dei curat, vt anima sua sit laudes Dei.

Psal. 88.

ctitudo, nisi mundities, & puritas conscientiæ? & quid est iustitia & iudicium, nisi vt homo diligenter examinet vitam suam, & vigilet pro animæ suæ cõseruatione, ne quid faciat quod legi iustitiæ contrarietur? Hæc est præcipua præparatio sedis, & domus Domini: etenim (vt B. Augustinus ait) Dominus tam nobilis dignus est, qui excipiatur in domo pulchra, & optimè adornata. Omnis igitur nostra intentio, omnis nostra actio in hoc vno sit, vt hæc animæ puritas integrè conseruetur. Memini me legisse de persona quadam pia & sancta, quæ huic studio sic incumbebat, vt sæpissimè in die clamaret: Puritas, puritas. Sciebat enim scriptum esse: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Continue igitur homo aduigilet, vt videat vbi pedem animæ suæ figat, ne cadat. Dico continue; inueniuntur enim quidam, qui aliquantulo temporis huic rei intenti sunt, sed paulò pòst ab incepto desistunt, exiguo tempore sui curam habent; sed in hoc proposito non permanent: cùm enim in eo difficultas particularis sit, opus est etiam speciali cura, & adhiberi debet particularis diligentia. Quod vt fiat, licet homo generaliter debeat esse vigilans in omni parte, & semper cum sancto timore & solicitudine incedere, tanquam qui in medio hostium versatur: oportet tamen eum particularem habere cordis & linguæ, hoc est, cogitationum & verborum, custodiam: hi enim sunt duo portus principales, in quibus omnia peccata suas habent stationes: & qui hos diligenter custodit, animam suam conseruabit in multa puritate. De vno enim dicit Salomon: *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* De altero verò alio loco idem ait; *Qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam.*

Psal. 38.

Matth. 5.

Prou. 4.

Prou. 21.

CONCLVSIO OMNIVM SVPRA-dictorum.

CAPVT XIII.

EX ijs quæ hactenus dicta sunt clarè patet, duo principalia media, ad obtinendam diuinam hanc vnionem, quæ per amorem fit, esse Orationem, & mortificationem. Mortificatio enim propellit ab homine quicquid contrarium est Deo: Oratio verò vnit hominem cum Deo, eique similè facit. Quemadmodum enim præcipuum medium, vt ferrum efficiatur ignis, est illud igni coniungere, sic vnum ex præcipuis modis transformandi hominem in Deum, per participationem eiusdem illius spiritus, est habere semper cor cum illo vnitum. Proinde hæc causa est, cur in libro Canticorum fiat mentio particularis illarum duarum virtutum: illæ namque sunt, quæ hominem ad hanc dignitatem præcipuè extollunt. Quam rem ipsi Angeli admirãtes interrogant, & dicunt; *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Quo loco faciens mentionem omnium rerum odoriferarum, significat vniuersitatem virtutum, quæ requiruntur ad hunc ascensum: faciens verò specialem mentionem myrrhæ & thuris, siue incensi, quæ sunt mortificatio & oratio; significat duas istas virtutes singulari modo conducere ad hanc transformationem. Vna enim occidit in homine quidquid in eo contrarium Deo inuenitur; altera vnit eum, facitq; eundem spiritum cum Deo. In his igitur virtutibus homo se simul exerceat, semper implorans gratiam Dei, fortemque se & alacrem præbens in hac palæstra, non enim sufficit orare tantùm, nisi & laboremus: nec laborem possumus continuare, nec molestiam vincere, si non oremus.

Oratio & mortificatio duo media ad vnionem Dei comparanda. Simile.

Cant. 4.

Repetentes igitur omnia quæ dicta sunt, dico nos posse quodam modo totam materiam huius ascensionis comparare arbori perfectæ: cuius radix est primus ille gustus, cognitioque dulcedinis, & pulchritudinis inæstimabilis, tam amoris Dei, quã ipsius Dei: lux enim hæc totius rei principium est. Truncus qui ex illa radice prodit, est ardentissimũ, & accensum illud desiderium consequendi bonum tam pretiosum. Rami sunt omnes aliæ virtutes & diligentiæ prędictæ, quę ex tali desiderio pullulant. Fructus verò, est perfectio Charitatis & vnionis diuinæ, quæ finis est nostræ perfectionis. Comparatio.

Hoc ita esse, commonstratur apertè in libro Sapientiæ, præsupponendo Sapientiam, de qua in isto libro tractatur, esse quasi Charitatem ipsam, de qua hîc agimus: eo excepto, quod Charitas refert principaliter actum voluntatis, & præsupponit illum actum intellectus: sed Sapientia refert actum intellectus, coniunctum amori & dulcedini voluntatis. Considera nunc quomodo Sapiens incipit sexto & septimo capite Sapientiam laudare, admiranda cõmemorans de illa, vt incitet huiusmodi commendatione ad desiderium rei tam excellentis: Et subitò ait se accensum fuisse maximo illius desiderio, ita vt in hæc verba erumpat; *Hanc* Sapientiam *amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea, & quæsiui sponsam eam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* Et paulò antè: *Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam.* Vides hîc quantopere exaggerat magnitudinẽ desiderij, quo æstuabat, & thesaurum illum appetebat? Ex hoc desiderio nata est diligentia, quam in ea quęrenda collocauit, omnibus medijs vtens, quæ ad hoc requirebantur: ideoque subiungit dicens: *Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo, adij Dominum, & deprecatus sum eum,* vt mihi tanti boni possessionem largiretur, *& daret mihi sedium suarum assistricem sapientiam.* Nota hîc quod dicit se quæsiuisse illam, vt intelligeremus solicitudinem, & diligentiam suæ inquisitionis, diuersitatemque mediorum, quibus quærebat; insinuans quod, quemadmodum illi, qui fortissimum aliquod propugnaculum obsederunt, circundant illud & lustrant vndique, quærentes locum cæteris debiliorem, vbi illud oppugnent, & per quem poterunt intrare: sic anima huius boni desiderio capta, cum diligentissima semper solicitudine & cogitatione circumit, considerans media, quibus illud posit acquirere. Sap. 6. & 7. Sap. 8. Sap. 7. Simile.

Et quia inter omnia media hæc vnum, idque maximè principale, est Oratio, (cùm enim ipsa sit donum Dei, per hoc medium præcipuè cum eo tractari debet) homo confestim operam det huic sancto exercitio, & dicat; *Deus patrum meorum, & Domine misericordiæ, da mihi sedium tuarum assistricẽ Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam seruus tuus sum ego. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur* &c. Sed & Sapiens vtrumque, hoc est, desiderium, & orationem, apertius cõiungit, dicens; *Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus inuocaui, & venit in me spiritus Sapientiæ.* Sap. 9. Oratio.

Vides igitur ex cognitione nasci desiderium, & ex desiderio mox orationem, & alia media omnia, quibus tantum bonum acquiritur. Hæ itaque sunt principales partes arboris vitæ, & hi quos iam enumerauimus gradus sunt, quibus ad Charitatis perfectionem ascenditur.

ADMONITIONES QVÆDAM omnibus ad amorem Dei aspirantibus necessariæ: & primo de humili cognitione sui ipsius.

CAPVT XIIII.

PRæter ea quæ hactenus dicta sunt, non abs re nos facturos existimo, si hoc loco quasdam admonitiones posuerimus, vtiles ijs, qui in hac semita versantur. Inter quas prima erit, quòd si quis instar illius negotiatoris Euangelici quærat pretiosam hanc margaritam, sciat is, non sufficere omnia diuendere quæ sunt in domo sua, omnia pro industria sua facere, omnia pro illa dare, nisi speciale diuinæ gratiæ atque misericordiæ auxilium accedat. Matth. 13.

Dicit enim Propheta: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Si id locum habeat in bonis quæ fortunæ dicuntur: quanto magis in bonis gratiæ locum habebit, quæ potissimum à diuina voluntate dependent? Agnoscat igitur homo, solum Deum esse largitorem horum bonorum, distributoremque & diuisorem harum diuitiarum. *In manibus abscondit lucem & præcipit ei vt rursus adueniat.* Ideoq; omnis spes in eo est collocanda, quia donum illius solius est. Psal. 126. Iob. 36.

Debet etiam homo cognoscere, quòd quemadmodum omnis lux, & claritas Lunæ eo modo à Sole procedit, vt solo aspectu illam illuminet, & non aspiciens illam, non illustret: sic etiam omnis claritas & pulchritudo spiritualis animæ nostræ procedit à Deo, vt nisi is aspexerit illam, pereat, nec queat subsistere. Huius rei testes sint Dauid & Salomon, pater, & filius, homines sanctissimi, à quibus cum hic Sol iustitiæ oculos suos nonnihil auertisset, vnus tulit alterius viri vxorem, alter Deos adorauit alienos, & idola inuocauit. 2. Reg. 11. 3. Reg. 12.

Memor itaq; sit homo illius, quod toties in Scripturis sacris reperitur, tanquam lutum in manu figuli, sic nos in manibus Dei versari, ideoque necesse est, nos humiliari sub potenti manu Dei, vt ille nos exaltet in die visitationis. Humiliter igitur aduolutis genibus eius cognoscamus nostram paupertatem, fateamur nos in peccato conceptos, ab omni parte nos esse negligentes, & ad bonum tardos: filios parentum pauperum, & nudorum: Deum autem esse illum, qui vult, & potest nos facilè ditare, & nuditatem nostram vestire. Humilis hæc nostri cognitio est principium & fundamentum humilitatis, omniumque virtutum, potissimum verò charitatis: quemadmodum aquæ de montibus fluunt in valles: sic omnes diuinæ gratiæ in corda humilium, quia, vt dicit Apostolus, *Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam.* Diffidens itaque homo sibijpsi, omnem spiritum suum, omnes cogitationes & totam spem suam in Deum conuertat: in eo confidat, eum inuocet, in eo quiescat, in eo glorietur, & super firmam illam petram domicilium suum ædificet. *Quis ex vobis timens Dominum* (ait Propheta) *audiens vocem serui sui: qui ambulauit in tenebris, & non est ei lumẽ? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Oportet igitur hominem se super firmam hãc columnam fundare, & non super fragilem baculum Pharaonis: hoc est, non super fortitudinem & potentiam carnis, sed soli Deo nitatur. Eccl 33. Rom 9. 1. Pet. 5. Psal. 50. 1. Pet. 5. Esa. 50.

DE TIMORE DEI.

CAPVT XV.

HVmilitati huic & spei iungi debet sanctus & religiosus Timor, qui ex eodem oritur principio: scilicet, vt homo cogitet quàm sit pauper, nudus, & miserabilis: quàm ineptus, rudis & fragilis à seipso; & quam necessario à Deo debeat sustentari, si nolit cadere. Ideo dicit Apostolus: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini: memores quia finis & principium dependet à voluntate Dei.* Quasi clarè diceret; Semper estote cum metu, diligenter cauentes, ne oculos illius Domini offendatis, à quo toti dependetis: cùm summa omnis boni vestri ab eo deriuetur. Si quis staret in altissima turri, & alium quempiam è funi pendentem in manibus haberet, ita vt si manus aperiat, mox in profundissimum is, quem pendentẽ sustinet, ruere deberet præcipitiũ, perpende quo animo esset ille, qui in tali versaretur periculo? quam vehementer timeret? quanta obedientia coleret illum, qui eum sic tenet suspensum? quomodo illi adblandiretur? quàm procul abesset ab omni conuitio? quàm studiosè caueret: ne quid ageret aut diceret, quo eum, à quo tenetur: posset offendere? Eodem modo considerare deberet homo, se filo suspensum à Deo sustentari, hoc est, eius paterna prouidentia: ideoq; cum summo timore cauere semper debet, ne quid faciat, q̃ displiceat ei, qui tanta bona præstare potest, aut tanta mala infligere. Timor etiam ille nò tantum iungi debet omnibus rebus, quas aget, adeoq̃ toti vitæ: sed etiam ipsis exercitijs deuotionis, in quibus quantò quis est deuotior, quantoque Deum sibi cõperit magis fauentem & blandientem, tantò debet esse humilior, verecundior, & timidior, considerans magnitudinem maiestatis, in cuius conspectu stat, & qua cum ei negotium est: imitando deuotionem S. Augustini, qui didicerat exultare & lætari coram Domino cum timore & tremore, vt de seipso testatur. Philip. 2. Simile. *Timor etiã in bonis exercitijs habendus.*

DE PVRITATE INTENTIONIS IN exercitijs pietatis seruanda.

CAPVT XVI.

ANte omnia conducit plurimum, vt homo cõsideret intentionem, quam habet in his sanctis exercitijs: cùm enim Dominus aliquoties visitet suos consolationibus maximis, faciatque illos gustare abundantiam admirabilis suæ suauitatis: hinc fit, quod amor proprius (qui naturaliter est omnis generis, delectationum amicus) illectus gustu & dulcedine huius panis cælestis, facit quantum scit propter ipsum requiri, nihil aliud quærens, quàm propriam voluptatem & consolationem, quemadmodum & in alijs omnibus rebus agit, quæ ipsi iucundæ sunt. Hoc autem, si bene consideretur, non est Deũ quærere, sed semetipsum, sub Dei prætextu; est laborare pro propria quiete, est ieiunare ad suum beneplacitum: est plus agere pro dono, quã pro donatore, est denique diuinis abuti beneficijs, cùm ex eo, quod ille dedit vt ei seruiremus, nos occasionem capiamus nostro appetitui satisfaciendi. Id licet non semper peccatum sit, negari tamen non potest, quòd semper est imperfectio. Quid videretur tibi de homine, cui das cibum, potum, & pecuniam, vt ad aliquam ciuitatẽ eat, curaturus ibi tua negotia: ipse verò, postquam edit, bibit, & pecuniã consumpsit, iniunctum sibi negotium non expediret, neciter perficeret? Simile quid faciunt, qui recipientes has à Deo gratias, vt seruiant ei, quæ quidem gratiæ tanquam incentiua sunt ad virtutes, & stimuli ad amorem eius, ijs abutuntur, & conuertunt in proprias oblectationes, & requiem, nec per medium earum directè tendunt in Deum. Hoc aliquando tam occultè fit, vt, qui cadit in hunc errorem, ipse non intelligat, aut videat: videns enim opera bona quæ facit exterius, putat talem quoque esse intentionem internam. Cæterum non est ita; *Seruire Deo ob voluptatẽ internam mala intentio est.*

natura

natura enim amoris proprij valdè subtilis est, & penetrat omnia, etiamsi non intelligamus, aut sentiamus. Ideoque verus amator Dei huiusmodi opera debet habere suspecta, rectam ante omnia faciens suam intentionem, & hoc agens, vt quærat Deum purè, propter amorem ipsius Dei, cum quanta sinceritate & puritate possibilè est: & non dubitet certissimum signum esse, quod Deum inuenturus sit, si illum hoc modo quærat. Confirmat hoc sanctus Bernardus his verbis: Si nolumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseueranter: vt nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, nec ab illo ad aliud conuertamur. Facilius est enim cælum & terram transire, quam vt sic quærens non inueniat: sic petens, non accipiat: sic pulsanti non aperiatur.

Bern. ser. ad Fratres 2.

Intentiones quales habendæ.

Vis autem adhuc dicam particularius, quæ debeat esse intentio, & quis finis habendus est in his exercitijs? finis hic est, vt seruentur Dei præcepta, vt fiat Dei voluntas, vt abnegetur propria: exterminetur amor proprius, introducatur diuinus; mortificentur appetitus sensuales, proficiat homo in via virtutum, contendat laborare plus omnibus, & in propris cogitationibus sit minimus omnium: denique cum omnis suspicio huius mali ex amore proprio nascatur, huic amori acerrimum & perpetuũ bellum denunciet, impetretque hunc in finem opẽ & consolationes Dei: hoc enim fine licitum est, & sanctum, implorare, & petere has consolationes: alioquin periculosum est, vt supra declarauimus.

Sed præterea qui his consolationibus debito cum modo vult vti, oportet vt in vtrumque sit paratus, siue consolationes istæ negentur, siue dentur: commendans se humiliter diuinis manibus, accipiens illud cum gratiarum actione, quidquid Domino dare placebit: ipse enim plus nobis nos amat, melius nouit quibus opus est nobis, quam ipsi nouimus nos, & paratior est ad dandum, quam nos ad accipiendum. Hoc est igitur præcipuum punctum huius doctrinæ.

DE DISCRETIONE IN TALIBUS exercitijs seruanda.

CAPVT XVII.

NEcesse est etiam, vt seruetur discretio & temperantia, tam in rigore asperitatis corporalis, quàm in vsu exercitiorum spiritualium: inueniuntur enim quidam, quibus Deus abundanter sua dona largitur: qui vbi gustarunt hanc cælestem suauitatem, sic erga illam inflammantur, adeoque feruenter alijs exercitijs operam dant, quibus comparatur, vt subinde obliuiscantur panem suum comedere: hoc est, obliuiscuntur aliquando naturæ debilitati succurrere, somnum, nutrimentũ, & alia quæ necessaria sunt, sibi subtrahentes. Quare paulatim amittunt sanitatem, & fiunt tales, vt neque ad hæc, neque ad alia sint idonei. Talibus igitur opus est freno discretionis, vt ita vtantur diuinis gratijs, ne tentent Deum: dum volunt eum per miraculum conseruare, quod ipsi alijs modis licitis conseruare possunt. Qui per mare nauigant, sæpe periclitantur, non tantum quando tempestas ingruit, sed etiam cùm nimia est malacia, seu tranquillitas: sic & ipsa hæc prosperitas aliquando potest esse occasio lapsus, si homo nesciat illa vti cum timore & discretione. Valde laudabilis est feruor spiritus, & diligentia, mater omnium rerum bonarum: sed nimium in quactunq; re est periculosum. Oportet igitur homo de pane hoc edat, & de fonte illo cælesti bibat moderatè, memor, non minus in cibis cælestibus, quàm terrenis inueniri gulam & inordinatum appetitum. Hoc autem dicitur his, quibus gratia datur vberrimè, non ijs: quibus guttatim instillatur.

Simile.

Hæc discretio non tantum vtilis est ad hunc effectum, sed & ad multas res alias: & præcipuè ad celanda, quàm commodè fieri potest, exercitia pia & virtutum proposita: Nã, vt S. Bernardus dicit, maior est adhibenda diligentia in celanda virtute, quã vitijs abscondendis: aut propter periculum vanæ gloriæ, quæ valde frequens est, noxia quoque & secreta: aut ad euitanda iudicia & contradictiones mundi, qui semper fuit inimicus virtutum, quique hunc in eo est statti, quod vellet aut non inueniri virtutem, aut si inueniatur, esse inuisibilem; cùm solo illius conspectu offendatur.

DE CONTINVATIONE ET PERSEuerantia in bonis exercitijs.

CAPVT XVIII.

VLtima admonitio sit circa perseuerantiam, quæ requiritur in his sanctis exercitijs, si cupiamus ad optatum finem peruenire: in ijs enim ad duo maximè difficilia, & supernaturalia, quibus difficiliora in mundo non inueniuntur, animum intendimus: quorum vnum est, ex anima nostra amorem proprium cum omni exercitu suo exterminare; alterum, regnum originalis peccati, quo cum nascimur, destruere, & introducere amorem diuinum, & regnum Dei, quod per gratiam datur; & hoc non est aliud, quam confligere & pugnare cũ propria natura corrupta, qua nihil reperitur inexpugnabilius in mundo. Etenim violentia inclinationum naturalium tanta est, vt si *Naturam expellas furca, tamen vsque recurrat.* habent enim radices suas in ipsis nostris humoribus fixas: ideoq; licet ramos sæpissimè amputemus, confestim tamen renascuntur. Sunt quasi canes gulosi & famelici, qui etsi fustibus ex ædibus expellantur, per vnam ianuam excurrunt, per aliam reuertuntur. Videmus durissimum saxum, quod licet ignis feruore excoctum amittat naturalem frigiditatem, & in calcem vertatur, aliam induat naturam, & speciem, simul & nomen pristinum mutet: modico tamen arenæ permixtum, statim redit ad antiquam duritiẽ, & ad propriam naturam reuertitur: vt ex eo intelligamus, quanta est in omnibus naturæ vis. Si igitur hoc ita se habet, non minus potẽs est natura amoris proprij, imò hæc prima est, & maxima nostrarum inclinationum naturalium, ideoque magna gratia, magnaque opus est diligentia, ad illam superandam. Cæterùm non est quicquam in hoc mundo tam arduum & difficile, ad quod nõ pertingat perseuerantia, diuina gratia suffulta. Quod ædificium tam excelsum & magnum, quod non absoluatur paulatim, lapidem lapidi superaddendo? Quæ via tam longa, quæ non tandem finiatur, quotidie aliquantulum progrediendo? Lapicida qui vult marmoreum aliquod saxum excauare, aut vrnarium facere, etsi singulis ictibus scalpro modicum quid de saxo auferat: si tamen perseueret, post paucos dies ad finem operis sui perueniet. Age itaque si tantum possit perseuerantia sine gratia; quanto plus poterit ab illa adiuta?

Natura vis. Horatius.

Simile.

Perseuerantia perficit omnia.

Perseueret igitur homo in hoc tam glorioso cœpto, continuans semper proposita & exercitia sua bona, nunc cum deuotione, nunc absque deuotione: post paucos enim dies intelliget, videbitque fructum suorum laborum, & acquiret maiorem fortitudinem in illis perseuerandi. Videmus capillos faciliùs pecti quotidie, cùm facilè discriminantur, & pecten sine difficultate cæsariem intrat & exit, quàm si rarò pectantur: tunc enim pecten deglabrat potiùs verticem, quàm pectit: sic & facilius est bona exercitia continuare, quàm intermittere: cum

Simile.

enim humanum cor assuevit deuotioni, & pietati, bona ea consuetudo paulatim quasi vertitur in naturam, incipitque percipere gustum & voluptatem in eo, quod primum difficile videbatur. Et si forte occupationes, infirmitates corporales, aut ariditas spiritus ei molestæ sint, eumque ab hac semita abducant, & distrahant; statim tamen reuertatur, captet occasionem ad persequendum quod cœpit, nec remoretur aut seducatur à quoquam contrario, quod occurrit: recordetur pacti, quod inijt cum Domino illo, qui est abyssus pietatis, optimeque nouit nostras infirmitates: neque negare potest, neque abscondere sese inquirentibus illum in veritate, licet nonnunquam nec sentiatur, nec videatur.

DE PRÆCIPVIS SIGNIS PROfectus nostri spiritualis.

CAPVT XIX.

QVæ hactenus dicta sunt, sufficiunt, vt facem præferant, & ducant eos, qui ad perfectionem Charitatis concendunt: etsi materia tam fertilis sit, & copiosa, vt vberiorem meritò postulet tractationem: non tamen vt latius agamus titulus & breuitas Memorialis patitur. Quod si aliquis illorum, qui in hac via ambulant, scire cupiat quantum profecit, inter multa, quatuor præcipua signa, vel indicia dabimus, ex quibus id quod quærit, non difficulter intelliget.

Primum signum.

Primum est; si eum percipit gustum & suauitatem in rebus diuinis, (maximè in colloquio & familiaritate Dei) vt non solùm in tempore & exercitio orationis, sed in omni tempore, & in quocunque exercitio pro maiori parte cor habeat in Deo absorptum, cum humili & dulci attentione, ita vt suauitatem, aut gustus dulcedinem sentiat nullam in rebus quæ extra Deum sunt. Hæc enim est proprietas amoris, qui dicitur Vnitiuus, vt suprà dictũ est. Talis erat amor illius virginis, de qua canit Ecclesia, quod Euangelium Christi semper gerebat in pectore, & non diebus neque noctibus vacabat à colloquijs diuinis & oratione.

S. Cæcilia.

Secundum signum.

Secundum signum, est feruor & viuum desiderium affligendi, & malè tractandi proprium corpus ieiunijs, cilicijs, vigilijs, disciplinis, alijsque similibus corporalibus asperitatibus propter amorem Dei. Est enim hoc argumentum, quòd amor diuinus amorem proprium superat: ex quo desiderium illud affligendi corpus proprium nascitur. Illud autẽ desiderium longè abesse solet ab his, qui seipsos amãt: non enim induci possunt, vt affligant, quod tam ardenter amant. Sed econtrario videmus, quod omnes Sancti generatim fuerunt promptissimi ad hunc rigorem, & asperitatem malis tractationibus propria corpora affligendi; saltem illi qui ætatem & vires habuerunt, vt id possent facere: tanquam qui tã remoti erant ab amore proprio, quod iam ad sanctum sui odium peruenissent.

Tertium signum.

Tertium signum, est ingens feruor, & ardens amor in proximum, maximaque diligẽtia illum adiuuandi, eique opem ferendi in omnibus molestijs & tribulationibus ex visceribus charitatis, puraque & simplici voluntate, & verbis atque operibus extraordinarijs, & differentibus ab his, quibus vti solent homines alij: ita vt, qui feruorem hunc habebit, iam dicere possit cum Magia Pharaonis, *Digitus Dei est hic*: animus enim talis, & opus tale non inuenitur inter homines: nec est proprietas carnis & sanguinis; sed spiritus Dei, cuius odor incipit illic percipi. Hoc esse iudicium perfectionis amoris Dei, ex eo fit manifestum: quia non potest amor Dei crescere, nisi etiam amor proximi simul crescat: sunt enim duo actus, ex vno procedentes habitu, sicut rami duo de vna eademque radice pullulantes: ob id, si crescente radice vnus crescit ramus, necessario alter crescat oportet: & cum adeò creuerit, fieri non potest quin augmentum aliquo modo per fructum manifestetur. Exod. 8.

Quartum signum, est feruens desiderium pro amore Dei sufferendi tribulationes, paupertatem, persecutiones, despectus, ludibria, iniurias, imò & sanguinis pro charitate Dei effusionem. Cum enim multi gradus sint in charitate, quidã alijs sunt maiores, & perfectiores: atque is dignior est, qui paratus est honores, diuitias, vitam, atque omnia reliqua pro amore Dei cum gaudio profundere: cùm enim hæc tria sint amoris proprij obiecta præcipua, postquam homo iam eò peruenit, vt nõ tantum patienter ferat harum rerum iacturam, sed insuper anxiè, magnoque cum desiderio eandem expectat, atque optat, signum est, amorem proprium iam mortuum, & amorem Dei potentissimè in eo dominari, cùm idola amoris proprij absque vlla contradictione reijciat & contemnat. *Quartum signum.*

Hæc sunt quatuor primaria perfectionis, & absolutæ charitatis signa, quæ multi in initio suæ conuersionis experti sunt; potissimùm illi, qui misericorditer cum abundantia lachrymarum, & benedictionibus dulcedinis à Deo præuenti sunt: quæ hæc & similia secum adferent. Veruntamen pauci inueniuntur, qui norunt hunc thesaurum cautè custodire, & ad finem vsq; in bono suo proposito, cœptoque perseuerare. Post hæc namque prospera initia sæpe deficiunt in bonis suis exercitijs, aut per propriam negligentiam, aut per occultam quãdam superbiam; aut quia se nimijs occupationibus obruunt, quibus spiritus suffocatur; subinde quoque ob longam infirmitatem, post quam non reuertuntur (vt sæpè fit) ad pristinum feruorem: denique non rarò quia nimia, nimisque indiscreta sciendi tument ambitione: adeo vt exercitia deuotionis negligantur: quare mirum non est, si ficci & aridi, sint corde, quia obliti sunt comedere panem suum. Qui itaque ad hunc terminum peruenit, habeat semper in corde suo hæc verba Ioannis; *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Qui facient hoc, quotidie proficient, & de virtute in virtutem ibunt, donec ad perfectionem venerint, vbi fruentur ijs, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Qui verò aliter faciunt, præterquam quòd amittunt id quod habent, etiam perpetuam ariditatem, frigiditatemque spiritus incurrunt, & plangunt quoties recordantur eius, quod amiserunt: volentesque redire ad pristinum statum, viam non inueniunt: hæc enim pœna à iusto iudicio Dei statuta est ijs, qui ignorant acceptam semel gratiam custodire. Inueniuntur quoque nonnulli, qui post omnes gratias istas incidunt in multò maiora mala; quod sanè infaustum reprobationis signum est, iuxta illud Ecclesiastici; *Qui transgreditur à iustitia ad peccatum Deus parauit eum ad rompheam.* Apoc. 3. Eccl. 26.

Cur multi à bene cœpto deficiunt.

(:)

SECVN-

SECVNDA PARS LIBRI SEPTIMI,

In qua traduntur aliquot Orationes, & meditationes, quæ seruiunt ad amorem Dei in cordibus nostris accendendum.

HVIVS PARTIS PRAEFATIO.

POstquam iam domus est præparata, & conscientia virtutibus, modisque supradictis mundata, operæ pretium est, vt cor ad Deũ feruentissimis quibusdam orationibus & meditationibus eleuemus, quæ prouocent illud ad eius amorem & inflamment. Si enim ignis materialis tam liberaliter communicat suum calorem omni rei, quæ ad illum accedit, eò quod omnium elementorum est nobilissimum, & maximè actiuum: quanto magis id faciet Deus, qui vt est infinitis modis nobilior, ita est sui quoque ipsius, & donorum suorum multo magis diffusiuus.

Huius præceptos sancti Doctores duos tradunt modos. Vnum appellant scholasticum, qui fit considerando cuncta quæ cor nostrum amore diuino possunt inflammare: qualia sunt specialiter beneficia, perfectionesque Dei: horum enim singula nos inuitant, vt amemus Dominum, qui tam dignus est amari, & à quo tot bona recepimus. Alterum modum vocant mysticum, qui fit orando, obsecrando, & petendo ab eodem Domino cœleste hoc donum & beneficium, idque orationibus ardentissimis, inflammatoque desiderio: illud enim vere ipsius donum est, imo donorum illius maximum, quod nemo dare præter illum potest: dat autem lubens petenti cum perseuerantia & instantia quam meretur: certissimum enim est nunquam suo officio defuturum, qui dat, si suo non desit, qui petit. Debet igitur homo in his petitionibus per duos modos prædictos perseuerare, magis autem per secundum, quàm per primum: is enim & succinctior est, & efficacior. Quia vero non omnes sciunt, quomodo hæc considerabunt, donumque hoc modo conuenienti petent, ponuntur hic aliquot meditationes, tam de beneficijs Dei, quàm de illius perfectionibus, cum quibusdam ignitis deuotisque orationibus, in quibus se exercere possint, saltem in initio, qui desiderant in hac virtute proficere. Post exercitium namque hoc, tempus, experientia, & Spiritus sanctus, qui verus est huius Philosophiæ magister, optimè docebunt quid deinceps agendum erit. Et licet orationes atque considerationes hæ scriptæ necessariæ sint sæpe, & in multis propositis; cum maiore tamen ferè semper feruore atque deuotione fiunt, cùm ex corde procedunt, ijs verbis, quæ dictabit ipsa deuotio. Quia verò hoc fundamentum est omnium, debet homo potissimum ijs vti mediis, quæ in hoc exercitio sunt vtilissima. Laudatur autem hic ordo, vt exordiamur hoc exercitium à meditationibus & orationibus scriptis: cùm autem cor nonnihil inflammatur, tyro reliqua per seipsum peragat, aut quocunque se modo magis sentit excitari, ita tamen, vt orationes sint quasi scintillæ vitæ, exilientes ab inflammato illo desiderio, de quo antea diximus.

SEQVITVR DEVOTA BENEFICIORUM DIUINORUM CONSIDERATIO.

CAPVT I.

INter ea quæ solent animos potissimùm ad amorem excitare, perceptorum beneficiorum est cõsideratio: quemadmodum enim homo naturaliter amat semetipsum, sic etiam amat eum, à quo sibi bene fit. Atque ista lex amoris adeò est naturalis, vt etiam animalia bruta, tygrides, leones, serpentes, dracones, & omnia alia, suos agnoscant benefactores, ijsque pro suis viribus exhibent gratitudinem. Quòd si id bestiæ faciant, quid oportet homines facere, qui lumen habent & vsum rationis, cuius ope & benefactorem cognoscere, & beneficium possunt iusto pondere trutinare? Quod si hæc gratitudo, atque amor hic debeatur communibus beneficijs, quid quæso debebitur beneficijs diuinis, quæ tot & tanta sunt, vt nec in nobis, nec extra nos, nec à natura, nec à gratia quicquã boni habeamus, quod non sit Dei beneficium? Hæc beneficia licet non habeant numerum, vt tamẽ subueniamus aliquo modo memoriæ, ad decem ea possumus ordines reducere, qui per Psalterium illud decachordum significantur, in quo diuinas laudes Rex Dauid psallere consueuit; agens Deo gratias, pro beneficijs ab illo perceptis. Primum igitur beneficium est Creationis, secundum Conseruationis, tertium Redemptionis, quartum Baptismi, quintum Vocationis, sextum diuinarum Inspirationum, septimum à malis Præseruationis, octauum Sacramentorum, nonum Beneficiorum particularium, decimum Beatitudinis promissæ gloriæ. In horum beneficiorum singulis multa quidem essent dicenda: nunc autem obiter ipsa percurram, vt vis & magnitudo cognoscatur beneficij, quęque gratiarum actio & amor illi debeatur.

Benefactores amare naturale est.

Decem Dei beneficia.

Horum beneficiorum primum, omniumque aliorum fundamentum est, quòd Deus nos ad imaginem & similitudinem suam creauit: adeo vt tot anni transierint, quibus eras nihil, imò ab æterno fuisti nihil, quod sanè minùs est, quàm formica, quam vermis, quàm lapis; quid enim minus quàm nihil? & sic permanere in æternum potuisses, nec deterior fuisset mundus, si nunquam creatus fuisses, quàm nunc est. Cumque hoc ita se haberet, placuit diuinæ bonitati, sine vllo tuo merito, sola sua misericordia, & mera sua gratia, te ex illa abysso, & profundissimis illis tenebris, in quibus ab æterno iacebas, eruere, essentiam tibi dare, & aliquid te facere: non quidem lapidem, non arborem, non auem, non serpentem: sed hominem, inter omnes creaturas mundi nobilissimam. Quo in beneficio dedit tibi hoc corpus, cum omnibus suis membris, & sensibus; quorũ dignitas tunc demum cognoscitur, cùm corpus illorum aliquo priuatur: dedit & animam rationalem, cum omnibus suis potentijs, factam ad imaginem & similitudinem suam: hoc est, immortalem, incorruptibilem, intelligentem, ipsiusque Dei & beatitudinis eius cãpacem. Ex quo facilè colliges, quòd si tanta patri & matri debeas, eo quod instrumenta solummodo fuerunt Dei in corporis tui formatione; multò maiora debes ipsi Deo, qui plasmauit & illos, & te; quique sine ipsis animam tuam creauit, sine qua corpus tuum non esset aliud, quàm brutum pecus, truncus inutilis, & moles carnis immundissima.

Beneficium Creationis.

Secundum beneficium, est Conseruatio: non enim Deus tantum ex nihilo fecit te aliquid esse per creatio-

Beneficium conseruationis.

creationem; sed in ea quam dedit essentia te conseruat, adeò vt si manum suam à te, vel ad momentum retraheret, in idem nihil, quod eras priùs, necessario recideres. Quemadmodum enim Sol è seipso radios in hoc aëre producit, atque eosdem in illa essentia, quam dedit, conseruat: sic etiam Dominus noster nos, de non esse, ad esse perduxit, & in eodem esse nos postea conseruat: ita vt det, & quod semel dedit, semper conseruet, quod idem est, atque si absque intermissione nouum crearet. Hunc in finem omnia, quæ in mundo conspiciuntur, creata sunt, cũ singula in suo genere hominis conseruationi subseruire videantur. Quædam enim sunt ad hominem nutriendum, quædam ad vestiendum, quædam ad docendum, quædam ad castigandum, quædam denique ad illum sanandum: oportet namque vt in domo boni patrisfamilias inueniantur omnia. Et sanè consideranda hic est liberalitas & abundantia, qua cum hic benignus Dominus nobis de omnibus his rebus prouidit. Quot genera ciborum creauit ad nos alendos? quot pellium & tegumentorum ad nos vestiendos? quot herbarum ad nos curandos? quod denique rerum diuersarum formas & species ad nos recreandos? Quædam enim pascunt oculos, vt flores, & colorum varietates: quædam oblectant aures, vt harmoniæ musices, & auium cantus: quædam recreant nares, vt odores, & aromatum variæ species: quædam denique os & palatum afficiunt, vt infinita fructuum, piscium, volucrum, & animalium genera. Omnia enim hæc magis sunt in vsum hominis, quam in proprium condita, magisq; sunt & viuunt homini, quam sibijpsis. Considera igitur quàm liberalis & beneficus est Deus in hac re erga te, & quot beneficiorum genera in hoc vno beneficio tibi præstitit: in eo enim omnes huius mundi creaturæ comprehenduntur, quæ in vsum & obsequium tuum conditæ sunt: non enim vlla harum ipse Deus egebat. Sed & parum illi fuit, quod quæ in terris sunt tibi seruirent, nisi etiam cælestes illæ creaturæ, vt Sol, Luna, stellæ, & Planetæ, idem facerent. Præterea ordinauit etiam, vt creaturæ quæ supra cælos existunt, quales sunt Angeli, videntes faciem illius, & ad gloriam eius creati, tibi famularentur, & ad tui custodiam mitterentur.

Simile.

Beneficium Redemptionis.

Tertium beneficium, est Redemptionis, quod excedit, & superat omnem humanam eloquentiã. Si enim in eo hæc quinque consideraueris, quid scilicet Dominus in hoc beneficio dederit: medium, per quod dedit: amorem, cum quo dedit: personam, quæ dedit: & personam quæ accepit: singula horum in stuporem & summam admirationem te rapient: atque intelliges, nec donum posse maius esse, nec medium conuenientius, nec amorem feruentiorẽ, nec personam quæ dedit digniorem, nec personam quæ accepit (exceptis Dæmonibus) viliorem & abiectiorem. In singulis horum multa sunt meditanda, potissimum autem amoris magnitudo, quo cũ Dominus operatus est hæc omnia: paratus enim erat infinitis numeris plura & crudeliora pati, quam passus est, si necessarium fuisset. Similiter & multa hic perpendenda occurrunt in modo, quem elegit, vt opus hoc perficeret; qui fuit, quod omnia mala nostra in se recepit, & omnia bona sua nobis tribuit. Huc faciunt omnia mysteria, & singuli vitæ, mortisq; illius sanctissimæ articuli: quorum singuli singulæ sunt partes huius beneficij, imò singuli per se, singula sunt beneficia, eaque maxima. Huc spectat humilitas incarnationis, paupertas natiuitatis, sanguis circumcisionis, fuga in Ægyptum, ieiunium in deserto, discursiones, vigiliæ, labores, persecutiones, dolores, & mortis angustiæ: quæ tanta fuerunt: vt nemo vnquam similia perpessus sit: pro quibus omnibus & singulis infinitæ Domino reddendæ sunt gratiæ, qui nos tam asperis vijs quæsiuit, & tam caro pretio redemit: quæ omnia non aliam ob causam fecit, & passus est, quàm vt manifestissimum nobis amoris sui erga nos daret testimonium, & vt nos isto medio ad similem dilectionem excitaret.

Beneficium Baptismi.

Quartum beneficium est Baptismi, per quod infinitæ pietatis & misericordiæ Dominus, sine vllo nostro merito præcedenti, sed sola motus sua clemẽtia, dignatus est nos lauare aqua illa, quæ de pretioso illius latere profluxit: eaque eluere omnes animarum nostrarum maculas, nosque ab inimicorum nostrorum, peccati, inferni, Diaboli, & mortis, tyrãnide liberare: faciens nos templum viuum, & suum habitaculum: donãs nobis spiritum adoptionis, per quem in numerum filiorum Dei assumimur: dãs insuper nobis omnia ornamenta, quæ ad illam dignitatem requiruntur, (vt sunt gratiæ, virtutes infusæ, & dona Spiritus sancti) quibus compti & ornati formosi apparemus in conspectu Domini, nouamque accipimus fortitudinem, vt de Diabolo parta victoria triumphemus, & finem, ad quem creati sumus, hoc est, cælestis regni beatitudinem consequamur. Quid igitur Domino pro hoc beneficio retribues? Quid dabis ei, qui in tanta multitudine Barbarorũ, Infidelium, Turcarum, Maurorum, & Ethnicorum, qui lapides, ligna, & serpentes adorant, te voluit esse Christianum? quique te recepit in gremium Ecclesiæ, in hæreditatem domus suæ, & in arcam veri Noe, ne cum cæteris huius mundi generationibus in infidelitatis diluuio perires, in quo singulis penè momentis tot pereunt animarum millia? Animaduerte quęso, quot animas Deus creauerit eo ipso die, quo tuam creauit, quarum quædam in Turciã, quędam in Indiam, nonnullæ in Barbariam, & aliæ in alias infidelium terras missæ sunt; quodque eadem sors etiam animæ tuæ obtingere potuisset: cæterum benignissimus ille Dominus noluit alibi funiculũ tuum cadere, quàm in Paradiso, & gremio Ecclesiæ, quæ est domus filiorum Dei, & suorum prædestinatorum. Perpende nunc, quid dignum tanto munere huic benefactori poteris retribuere?

Beneficium vocationis.

Quintum beneficium diximus esse Vocationem: per hoc vocabulum autem vocationis intelligo, si aliquamdiu inordinatè, dissolutè, & absque vllo timore Dei vixeris, nunc autem ad meliorem frugem conuersus aliter viuas, & totis viribus tuis contendas, ne quod peccatum mortale committas. Hoc est quod vocationem appello, est enim ea coniectura certissima, quod ad gratiam vocatus es, non enim ea mutatio videtur aut carnis esse, aut sanguinis; sed dexteræ excelsi. Situ igitur aliquando vixeris in illo miserabili statu, & Deus te nullo tuo merito, sed per solam misericordiam suam potẽti manu sua ex illo statu eruerit, & in statum meliorem miserit, in quo nũc es, quàm gratiam illi pro hoc reddes beneficio? Etenim si bene scrutatus fueris, non inuenies vnum tantum, sed multa simul beneficia in hoc vno comprehensa. Vnum namque beneficium fuit, quòd tanto te tempore patienter ad pœnitentiã expectauit, nec vitæ huius stamina præcidit, cùm adhuc in illo damnationis statu perditus iacebas: cùm interim aliorum stamina ruperit, qui fortè nunc in infimo ardent & cruciantur Inferni barathro. Aliud beneficium fuit, quod tot tua sustinuit scelera, tot præsumptiones, tantam tuam turpitudinem, tam præfractam inobedientiam, & tot tua flagitia, quæ in illo tuo malo statu tanta cum patientia supportauit. Aliud beneficium fuit, quod loco multorum, quibus eras dignus, suppliciorum, tot admonitionibus & documentis te excitauit, tot magistros, Verbi sui præcones, ad te misit, tot pijs inspirationibus inuitauit,

tauit, & vt periculum fugeres, exhortatus est. Beneficium etiam fuit, quod te vocauit voce tam efficaci, vt potuerit vincula, quibus eras ligatus rumpere; vitiorum scilicet delectationem, Dæmonis potentiam, & malæ consuetudinis violentiam: qui funiculus triplex est, quo Diabolus sua volet vincire mancipia, qui difficilè rumpitur. Aliud denique beneficium fuit, quod tanquam filium prodigum te in domum suam recepit, tot peccata tibi remisit, (si modò remissa tibi sint, quod vtinam Deus tibi concedat) viamque ad cælum tibi planam & facilem reddidit; atque aliud cor tibi dedit, cui iam dulce est, quod prius amarum videbatur, & amarum nūc tibi videtur, quod priùs dulcissimum esse iudicabas: vt sic posses in bono perseuerare. Super omnia verò notatu dignum est, quod hæc omnia fecerit Deus ex pura gratia, meraque misericordia, sine vllo tuo merito præcedenti: non enim in illo statu, in quo sopitus iacebas, antea aliquid agere poteras in conspectu diuinæ illius maiestatis dignū merito vel præmio. Quod putas animarum millia modo torquentur forsitan in Inferno, eò quod Dominus tanta non vsus est erga illas misericordia, nec tā singulare præstitit illis beneficium? quia, dico, aut illas tanto tempore non expectauit, aut tanta cum patientia non sustinuit, aut quia tam potenter eas non vocauit, aut denique quia tam copiosa gratia illas non confirmauit? Cæterum dic mihi quæso, quid tu amplius fecisti, quā illi fecerunt? quare meruisti, vt tu esses illis felicior? Si ambo vnum idemq; iugum traxeritis, si in vno eodemq; lecto dormieritis, (hoc est, si eodem delicto aut peccato fueritis ambo implicati) qua re meritus es, vt tu ad gloriam voceris, ille pœnis inferni asseruetur, cùm ambo eidem errori fueritis obnoxij? Cur tu electus es, vt sis vas honoris in mensa Domini, alter autem reprobatus, vt sit vas ignominiæ, & seruiat Dæmonibus? Percurre transactas ætates omnes, subduc numerū puerorum, & iuuenum, quos habuisti vicinos, amicos, aut socios tuorum criminum; qui fortè perseuerarunt, & mortui sunt in illo statu, ex quo Deus te eripuit: considera diligenter quàm magna fuit hæc misericordia, quod perseuerantibus aliis in illo misero statu, Deus te ex illo periculo clementer exemit, qui tamen in eadem cum ipsis cymba nauigasti. Cōuertere igitur ad Deum, & dic; Ah Domine, quid in me vidisti? in quo mihi obligatus es? q, obsequiū tibi vnquam feci? vnde mihi venit tantum bonum? qua re mertui Domine, quod relictis illis in tenebris, mihi lucis tuę radium misisti? quid tibi reddam, Domine, pro hoc beneficio? quibus tibi verbis gratiarū dicam actiones pro hac misericordia? Lingua mea & cor meum laudent te, & omnia ossa mea dicant, *Domine quis similis tibi?* Quis potuisset hanc facere mutationem præter te? Quis me potuisset è faucibus draconis illius infernalis liberare, nisi tua misericordia? quid poterat mihi dulce amarum, & amarum dulce facere, nisi tua potentia? *Confitemini Domino* (ait Propheta) *quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* Cui vis vt confitear, ô Propheta, & quis dignè poterit eius laudes enunciare? Respondet Propheta; *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici.* Illi enim, illi præcipuè linguam habebunt doctam ad laudandū Dominū, qui immensum hoc beneficium experti sunt.

Psal. 106.

Beneficium diuinarum inspirationū.

Sextum, beneficium est diuinarum Inspirationū, bonorumq; propositorum, quæ Dominus homini immittit, quibuscum eum continuè incitat, & ad bene operandum vocat. Quemadmodum enim cor humanum sine intermissione de se in omnia corporis membra spiritum & calorem diffundit; sic Spiritus sanctus (qui iuxta D. Thomam est quasi cor Ecclesiæ) iugiter pias inspirationes, & bona proposita mittit in animas eorum, quos inhabitat. Secundum hanc igitur doctrinam, quotquot vnquā opera bona fecisti, quotquot bona proposita & desideria vnquam habuisti, quotquot vnquam lachrymas fudisti, quotquot consolationes Spiritus sancti recepisti, quotquot passus pios ambulasti, quantum lumen & gustum de Deo habuisti, quotquot bona cogitasti, quotquot sancta negotia expediuisti, omnia hæc diuina sunt beneficia. Quemadmodum enim omnes guttæ, quæ in terram decidunt, ex mari suam habēt originem, (mare namque omnium aquarum fons est) sic etiam quotquot bonorum genera ab hominibus procedunt, omnia ab vniuersorum bonorum abysso, qui est Deus, deriuantur. Quemadmodum enim homini infirmo & valetudinario, qui multum infestatur à somno, adiungitur aliquis iuxta lectum sedens, qui frequenter illum admoneat, ne dormiat: ita debemus imaginari Spititum sanctum nostro lateri astare, & hocidem nobis præstare officium: facit autem hoc tot vijs & modis, tamque continuè, vt videatur ab alijs omnibus negotijs feriari, & huic soli incumbere. Quotiescunq; igitur homo se moueri sentit interiùs, & se admoneri vt euigilet, Deiq; memor sit, aut manus ad aliquod opus bonum mittat, confestim agnoscat visitationem ac beneficium diuinæ præsentiæ, & exhibeat illi in anima sua maximam reuerentiam, agatque pro inæstimabili hoc dono gratias, & se ad executionem illius, ad quod vocatur, accingat.

Simile.

Simile.

Beneficium præseruationis.

Septimum beneficium est à multis malis præseruatio, seu defensio: in hoc beneficio comprehendū tur omnia malorum genera, quæ in hoc mundo reperiūtur, à quibus Dominus nos, pro sua misericordia, liberauit. Inter hæc mala quædam sunt Naturæ, quædam fortunæ, quædam denique culpæ qualia sunt omnia peccata. Certò igitur statuendum est, nō inueniri aliquod malum in vno homine, quod non etiam in alio possit locum habere: quandoquidem homo est sicut ille, filius Adæ sicut ille, in peccatis conceptus sicut ille; eiusdem denique naturæ, eiusdemque culpæ, & proinde eidē quoq; miseriæ subiectus. Iuxta hanc igitur rationem omnino tibi persuadeas oportet, omnia mala, quæ in mundo sunt, esse tibi beneficia: in singula namque ipsorum incurrere potuisses, nisi Deus pro sua misericordia te ab illis præseruasset. Videbis vnum esse cæcum, aliū claudum, tertium mutilatum; hunc podagricum, illum hernia, istum calculo cruciari: quidam in carceribus computrescunt, nonnulli seruitute premuntur intolerabili: alij ad triremes, alij ad furcas condemnantur; aut alijs malis, quæ quotidie occurrunt, implicantur. Quotiescunque vides hoc, flecte genua cordis tui, leua manus ad cælum, oculosque ad Deū tuum, & dic: Domine ob hoc tibi arctius deuinctus sum. Benedictum sit semper nomen sanctum tuum: Fateor, Domine, fateor, non minùs mihi malū hoc potuisset euenire, quàm huic, aut illi: & si mihi euenisset, forsitan patientiam perdidissem, & mortem desideraßem; lubensque omnes mundi thesauros dedissem, vt à malo illo liberari potuissem; quinetiam pedes illius osculatus essem, qui me ex illo malo eripere potuisset, imò me illi seruū tradidissem. Osculor igitur pedes tuos, O dulcissime Domine mi, & me tibi perpetuum seruum mancipo, atque infinitas gratias ago, eò quod tua misericordia sic vitam meam direxit, & custodiuit, vt ab omnibus istis malis immunis essem.

Beneficium Sacramentorum.

Octauum beneficium est Sacramentorum, potissimum autē Confessionis & Communionis, quibus frequentius: quā cæteris, vtimur. Animaduerte igitur & perpende, quid huic Domino debeas, qui prē-

tiosi sui lateris fontem tibi semper offert apertum, & scaturientem, vt immergaris in illo, & animam tuam, quoties peccatorum sordibus est inquinata, in eo lotam emacules. Quid est Sacramentum Confessionis, nisi fons limpidissimus, ad eluendas nostras maculas? medicina præsentissima ad sanandas nostras infirmitates? mediumque efficacissimum, per quod Deo reconciliamur meritò sanguinis Christi? Dic mihi, si ad mortem aliquam ignominiosam esses condemnatus, siue vt virgis per publicas plateas cædereris, siue vt in furcam tollereris, quidam verò amicus tuus, ex mera sua generositate & sympathia, in locum tuum descenderet, & ignominiam virgarum aut furcæ in sese pro te reciperet; quid si illum nudum, vinctis à tergo manibus, collo funibus implicato, virgis immaniter cædi videres, quibus id oculis intuereris? quid illi pro hoc beneficio non deberes? Idem in Sacramento Confessionis fieri cogitandum est. Tu enim propter peccata tua ad mortem perpetuam damnatus eras: filius autem Dei tui misertus, peccata tua in se recepit, flagellaque & sententiam, quæ te manebant, ipse sustinuit: atque in virtute illius satisfactionis Deus Sacerdoti mandauit, vt te ab æterna pœna absoluat: quia debitum tuum soluit, & pœnam tuam luit ipse Dei filius. Quo igitur corde, quo amore, quibus oculis illum intueberis, qui tanta fecit & passus est pro te: & quid non æquum est vt facias vicissim pro illo? Sed quid dicemus de Sacramento Communionis? Hoc est Sacramentum Sacramentorum, mysterium mysteriorũ, beneficium beneficiorum, & mirabilium diuinorũ memoria. Hoc est Sacramentum gratiæ, charitatis, amoris, vnionis, deuotionis, remissionis & omniũ bonorum: hîc homo visitatur à Deo, hîc honoratur diuina præsentia, hîc templũ viuum corporis Christi efficitur, hîc gratia datur in maxima abundantia, hîc suauitas diuina in proprio fonte gustatur, hîc diuini amoris ardor accenditur, hîc anima verum & legitimum Sponsum suum amplectitur, ex quo admirabiles delectationes in illa exurgunt. Hoc est viaticum, cum quo ad cælum est proficiscendum: hic est panis, qui confortat cor eorum, qui laborant in vinea Domini. Hic renouantur bona proposita, hîc reuiriscunt bona desideria, hîc crescit deuotio, hîc lachrymarum fontes aperiuntur, hîc animæ iuuentus renouatur, hic anima Christo pascitur, qui proprium illius est pabulum, & summũ bonum, quo frui potest in hoc seculo. Manducare namque Christum, non est aliud, quàm spiritus illius, sanguinis illius, gratiæ illius, meritorumque & laborum illius fieri participem. Quemadmodum enim qui manducat, suum facit, quod manducat; sic qui Christum manducat, spiritum & gratiam Christi sibi applicat; vt sic in illum transformatus; eisdem oculis à Patre respiciatur, quibus filium ipsũ adspicit; non iam ampliùs vt hospes & peregrinus, sed vt filius; non quidem natura, sed adoptione & gratia. quid igitur Domino pro tanto beneficio retribuemus?

Confessio. *Simile.* *Eucharistia*

Beneficia particularia.

Omnia beneficia, de quibus hactenus egimus, omnibus fere communia sunt Christianis: restat nũc, vt de quibusdam particularibus & occultis dicamus, quæ vnusquisque seorsim accepit: quæ vti ab alijs intelligi non possunt: sic ab ijs, qui illa receperunt, ignorari nequeũt. Percurre igitur tria illa bonorum genera, quæ in homine inueniuntur: vt sunt bona naturæ, fortunæ, atque gratiæ: & perpende in quibus reliquos homines superas, ijsque præstantior es, atque agnosces etiam pro illis te Deo debitorem esse. Quantum ad bona quæ à natura sunt; considera naturales habitus & aptitudines quas tibi dedit, qualia sunt ingenium, conditio, naturalis discretio, parentes, patria, genus, familia, fortitudo, sanitas, vita, & alia plurima: omnia hæc particularia sunt beneficia. Quantum ad bona fortunæ: cogita diuitias, quas tibi largitus est, honores, dignitates, officia, & similia: quæ quidem nobiscum non generantur: sed à diuina nobis prouidentia postea data sunt: licet mundus ea fortunæ bona solet nuncupare. Quantum ad bona gratiæ; hic diligenter attendendum est, an aliquod singulare bonum acceperis à Domino, vt sunt lachrymæ, deuotio, castitas, charitas, contemptus diuitiarum, officiorum, & dignitatis: an contentus fueris sorte quam Deus ipse dedit. Examina temetipsum, an longo tempore te à lethali peccato custodiuerit; quod maximum profectò indicium est diuinæ gratiæ. Reuoca in memoriã pericula, tentationes, & tribulationes, quæ omnia ope misericordiæ atque prouidentiæ Dei superasti, cũ alijs rebus similibus. Bonis gratiæ coniunge quoque apparatus omnes, omniaq; auxilia, quæ Deus tibi ad bene viuendum contulit: vt sunt Magistri, Cõfessarij, concionatores, amici, socij, doctrina, officiũ, & status, in quo te collocauit. Cõsidera an Sacerdos sis, an coniugatus, aut fortè ab onere matrimonij liber, & si cum hoc contentus viuis & securus, quod maius bonum est quã primũ. Ante omnia aũt considera, an sis Religiosus, maximè in aliqua prouincia & monasterio, in quo regularis viget obseruantia. Etenim si in mundo quicquã inueniatur, q̃ cælo poterit assimilari, id sanè communis est congregatio, vitæq; Religiosæ obseruantia. Sunt & alia beneficia, his præmissis, occultiora; quæ ab ijs non cognoscuntur, quibus data sunt. Infundit enim Dominus aliquando suas gratias tam occultè & tacitè, vt ipse qui recipit, non intelligat, teste Iobo, qui ait; *Si venerit ad me, non videbo: si abierit, non intelligã.* Ita legimus de Moyse, qui descendens de monte, faciem habebat splendentem, & lucem quã secum adferebat, nõ videbat, donec populus id illi significaret. Quòd autem Dominus hoc facit, duplex est misericordia, est enim securitas à periculo superbiæ; vtque gratia in nobis securiùs habitet, ita nobiscũ agit Deus. Quod quid aliud est, quã dare alicui thesaurum, & arculã addere, in qua potest custodiri? Porrò quemadmodum dona quædam sunt occulta, sic etiã sunt à malis occultæ præseruationes, à quibus homo præseruatus, præseruari se non intelligit. Quid scis quæso, si aliquando fortè decreueris ire per hanc plateam, in quã tibi occasio alicuius mali posset offerri, vt Dauidi, & Dominus impedit illud, aut mox animum mutat, vt relicta via priori, aliam ingrediaris, & sic à periculo libereris? Quoties nobiscũ agit Deus, quomodo cum D. Petro egit, cum diceret: *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Quoties Deus paterna sua prouidentia ingruentia nobis pericula præuidit, & Dæmoni viam præclusit? atque aduersarij nostri vires fregit, ne aduersum nos præualeret? Non minus igitur ad agendum Deo gratias obligati sumus pro beneficijs illis occultis, quàm pro manifestis: imò etiam magis. Dicit enim Doctor quidam: Sicut Dominum peccatorum occultorum indulgẽtiam petere debemus, sic etiam pro occultis beneficijs illi gratias agere par est.

Iob. 9. Exod 34. 2. Reg 11. Luc. 22.

Decimum, est beneficium glorificationis, quæ in futuro promittitur re, & nunc possidetur spe. Hic potest homo cor suũ quantũ placet dilatare, in considerando tam magnifico præmio: visumque suum, quantum potest, extendere in magnitudinem bonorũ sibi reseruatorum contemplando. Ascende igitur, frater mi, cũ spiritu in hanc nobilẽ regionem, & considera diligenter quid erit videre pulchritudinem supernæ illius ciuitatis, muros & portas ex gemmis & lapi-

Beneficium glorificationis.

& lapidibus pretiosis constructas, plateas auro purissimo stratas, & fontes aquæ viuæ? Quanta voluptas erit videre nouem choros Angelorum in suas hierarchias distributos, tã pulchros, glorioſos, bene ordinatos, & adeo resplendentes? Quanta erit delectatio videre Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum exercitus? At multò iucundius erit videre gloriosissimam Virginẽ Mariam, super omnes choros Angelorum exaltatam: iucundissimum verò, & quo iucundius nemo quid potest imaginari, erit sacratissimam illam Christi Domini, & fratris nostri humanitatem, à dextris Patris sedentem, sine intermissione pro nobis orantem, nostraque negotia coram tribunali sanctissimæ Trinitatis agentem, conspicere. Quæ lætitia, quod gaudium, quæ admiratio erit videre illũ, in quo videntur omnia? in quo fruimur omnibus? intelligimus omnia? possidemus omnia? Quid erit denique immensam illam videre lucem infinitam pulchritudinem, diuitiarum pelagus, deliciarum abyssum, & viuum bonorum omnium fontem? Quid erit audire cõcentus & harmonias illas musicas, illis accumbere mensis, obambulare per istas plateas, conuersari cum istis ciuibus tã nobilibus, tam sanctis, tam formosis, tam sapientibus? Quid igitur non debes Domino, qui te ad tanta bona creauit? qui te redemit? qui te huc vsque expectauit? qui ibi tot, tamque diuersa præbet subsidia, vt ad hanc coronam peruenias?

Proinde infinitas atque immortales Deo gratias, pro tot, tantisque beneficijs, omni iure agere debebis. Vt autem id maiori cum attentione possis facere, vtilissimum erit in hac gratiarum actione procedere, sermones cum ipso Deo miscendo, & verba tua ad ipsum dirigendo. Etenim (vt supra innuimus) cor magis est attentum, spiritus magis eleuatus, & animus magis religiosus, cum hæc omnia considerat, & simul cum Deo sermocinatur; quàm cùm ea secum solùm meditatur. Colloquiumque cum suprema illa Maiestate actus est, qui spiritum hominis eleuat: ita vt minus diuagetur, minus torpescat, & non tam facilè cuilibet pateat imaginationi: timor enim & reuerentia illius, quo cum loquitur, cor retinet in officio, & mentem reddit magis attentam. Postquam homo ad hunc modum gratias egit, poterit omnes simul creaturas, tam quæ in cælis, quàm quæ in terris sunt, inuitare, vt secum laudent hunc Dominum, & benedicant illi, qui tam misericorditer & liberaliter secum egit. Vtile ad hoc erit subsequens Canticum, si cum ardentissimo diuinæ gloriæ desiderio pronuncietur.

CANTICVM.

CAPVT II.

BEnedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Angeli & Archangeli Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Virtutes & Dominationes Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Principatus & Potestas Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Throni, super quos sedens iudicat Dominus, Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Patriarchæ & Prophetæ Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Apostoli & Euangelistæ, fundatores Ecclesiæ Domini Domino, laudare & superexaltate eum in secula.

Benedicite glorioſi & triumphales exercitus Martyrum Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Põtifices sancti, & beati Confessores Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite sancti Monachi, Anachoretæ, & eremi cultores Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite cæli Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite stellæ cæli Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Sol & Luna serenissima mundi lumina Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite aquæ & niues Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite noctes & dies Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite frigus & æstas Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite arbores, herbæ, fructus, & omnia germinantia in terra Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite rores & pruina Domino, laudate & superexaltate eum secula.

Benedicite fulgura & tonitrua Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite omnes volucres cæli Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite pisces & omnia quæ mouentur in aquis Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite montes & valles Domino, laudate, & superexaltate eum in secula.

Benedicite saltus & syluæ Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite fontes & flumina Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite omnes bestiæ syluestres, & domesticæ Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicant omnia opera Domini Domino, laudent & superexaltent eum in secula.

Benedictio, claritas, sapientia, gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo sit Deo nostro, per omnia secula seculorum. Amen.

SEQVVNTVR SEPTEM ORATIONES deuotæ ad impetrandum amorem Dei vtiles.

CAPVT III.

POst prædictam de beneficijs diuinis considerationem, sequuntur adhuc aliæ septem, cum de perfectionibus Dei, tum etiam de amore illius, quo homines complectitur: nihil enim magis ad amandum prouocat, quàm amari. Quia vero amor hic, quem Dominus erga nos gerit, potissimũ emicat in oratione Dominica, in qua dicitur apertè, Deum esse Patrem nostrum, & nos eius esse filios adoptiuos; post tres primas orationes sequentes, quæ sunt de perfectionibus Dei, aliæ tres sequuntur de oratione Dominica; quibus subijci potest alia, qua feruenti quodam desiderio petit homo à Deo verũ & perfectum eius amorem; vt harum numerus septenarius, septem diebus septimanæ queat accommodari, cùm singulæ dies propriam suam habeant orationem, ne sit necesse eandem orationem quotidie repetere. Ad finem autem singularum precationum iterum, repeti potest præcedens Canticum,

& omnes Creaturæ, vt iuuent nos laudare Dominum, possunt inuitari. Hoc efficacissimum est medium, vt amor noster erga Deum inflammetur. Cũ enim amare nihil aliud sit, quàm bene velle illi, quẽ amamus, (is enim præcipuus est amoris effectus) certè nihil gratius, nihil excellentius illi Domino possumus optare, quàm vt benedicatur & laudetur ab omnibus suis creaturis. Cùm enim omnibus bonis plenus sit, hoc solo (si sic dicere liceat) eget: quãuis id nullum in eo defectum faciat, cùm ipse non egeat, sed potiùs nos, qui ad hoc illi sumus deuinctissimi.

Ad hoc autem faciliùs faciendum, & maiori cum deuotione, habemus aliquot Psalmos in Dauidis Psalterio. Quemadmodum enim septem sunt Psalmi notissimi ad pœnitentiam vtiles, quare & Pœnitentiales dicuntur; sic alij septem sunt diuinis laudibus accommodati, quos encomiasticos appellare possumus sunt autem hi: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ* &c. *Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus* &c. *Exultabo te Deus meus rex* &c. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus* &c. *Lauda anima mea Dominum* &c. *Lauda Hierusalem Dominum* &c. *Laudate Dominum de cœlis* &c. Horum Psalmorum primi duo canuntur in matutinis precibus, diebus Sabbathinis; quinque reliqui circa finem Psalterij reperiuntur. Potest igitur deuotus amator Dei animum suum diuinis istis verbis excitare, quoties vult; dicendo sub finem singularum sequentium septem Orationum, vnum illorum Psalmorum; aut si id facere non poterit, licebit (vt diximus) vnamquamque cum præcedenti Cantico concludere, aut Canticum Ambrosij & Augustini; *Te Deum laudamus*, singulis subijcere.

Psal. 132. Psal. 133. Psal. 144. Psal. 146. Psal. 145. Psal. 147. Psal. 148.

PRIMA ORATIO.

DE PERFECTIONIBVS DIVINIS.

CAPVT IV.

Psal. 17. *Diligam te Domine* (inquit Propheta) *fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum.* Si voluntas nostra, Domine, adhuc in illa perseueraret puritate, in qua tu illam condidisti, & donis gratiæ tuæ locupletasti, non mihi tot considerationibus & stimulis opus esset, vt ad amorem tuum inclinaretur: cibus namque delicatus famelico propositus vltro inuitat eum ad manducandum. Postquam autem gustus noster per peccatum corruptus est, varia condimenta, diuersique sapores meditationum & considerationũ sunt necessaria, vt panis Angelorum ei dulcis efficiatur, & ad manducandum inuitet; quandoquidem tam propensus est ad cibos & delectationes bestiarum. Quia tamen conditio voluntatis nostræ est amare quæuis excellentiora, & perfectiora; ecce, Domine, nunc volo meos oculos leuare, vt perfectionum tuarum lucem atque admirabilem tuam essentiam intueantur, vt per illud medium tepiditas cordis mei in amore tui accendatur.

Percurre igitur, ô anima mea, percurre tanquam apis diligentissima omnes perfectionum flores, qui in isto horto concluso iucundissimè vernant inside singulis, & collige ibi rorem æternæ suauitatis, quo te enutrias, & impleas sinum tuum dulcedine cælestis illius liquoris. Da mihi, Domine, vt amem te ex toto corde meo, tota anima, & totis viribus, quemadmodum amari vis, & præcipis: cùm enim infinitè perfectus sis, ideo amore dignus es infinito. In te solo reperiuntur omnes perfectiones & pulchritudines omnium creaturarum; & quidquid per vniuersum hunc mundum, quem tu condidisti, pulchri sparsim cernitur, id omne in te, & quidẽ multò præstantius reperitur. Etenim si tu creaturis omnes, quas ipsæ habent, perfectiones dederis; & nemo illud dare possit, quod ipse non habet: necesse est, vt in te omne id insit, quod illi dedisti, quod creasti.

Quod si in hoc orbe terrarum vnus tantum esset Imperator, cuius iurisdictioni subessent innumeri Vicarij, gubernatores, proreges, & magistratus ab illo creati & constituti: certum est, omnes iurisdictiones & principatus illorum inferiorum sublimiori & perfectiori modo fore in illo summo & vnico principatu, à quo omnes alij procedunt. Cùm itaq; tu, Domine, supremus sis Imperator & Monarcha mundi huius, cumque Creator sis omnium perfectionum, quæ in illo reperiuntur: necesse est omnes eas inueniri in te, qui omnes condidisti.

Videmus similiter, Magistrum aut Pædagogum, cuius officium est docere discipulum, & sapientem efficere, oportere, vt ipse sapiens sit, & doctus, si discipulus debeat talis euadere. Sed si tu, Deus meus, omnia dirigas in vltimam suam perfectionem, necesse est, quod in te copiosissimè inueniatur illud, quod creaturis tuis communicas. Hanc ob causam diuina Scriptura te tam varijs nominibus appellat, vt hac ratione multitudinem infinitarum perfectionum tuarum significet: aliquando enim te vocat Solem, Lucem, & Mare; nonnunquam Aquilam, Leonem, & Agnum: subinde Panem cæli, Aquam vitæ, Stellam matutinam: quibusdam in locis etiam Flos campi, Lilium conuallium, & alijs similibus nominibus nuncuparis. Cùm enim tu, ô Domine mi, sis mare omnium perfectionum, cumque omnes creaturæ tam inopes sint, si tecum conferantur, Scriptura tam varijs vtitur comparationibus, vt significet multis vocabulis, quod vno exprimere poterat. Quare non ineptè dictum est à quibusdam Philosophis, te nulli rei commodius posse assimilari, quàm ipsi mundo, quem tu condidisti: hac tamen conditione, vt omne quod materiale & imperfectum est in mundo tollatur, & omnis perfectio tibi adscribatur. Quemadmodum enim cum dicimus hanc vel illam statuam hominis imaginem esse, non volumus significare lapidem, lignum, aut æs illud, ex quo facta est, imaginem hominis esse, sed figuram solam hominem repræsentare: sic cùm dicimus hunc mundum tui esse imaginem, necesse est, vt omne tollamus materiale, corruptibile, & imperfectum: tibique omne, quod perfectum est, attribuamus. Hoc modo rectè dicimus mundum inter omnia potissimùm tibi similem esse: quemadmodum enim in hoc mundo visibili sunt omnia, sic etiam in te sunt, & quidem modo longè præstantiore: adeò vt tu sis mundus omnium perfectionum, pulchritudinis, & omnipotentiæ, mundus bonitatis, suauitatis, iustitiæ, misericordiæ, omniumque diuitiarum. Quare quemadmodum omnia quæ in mundo existunt, præsentia sunt mundo, adeò vt nihil in eo sit reconditum, nihil vsque eo arcanum, quod præsens illi non adest: ita nihil est quod diuinis tuis oculis non sit præsens, nihil enim magnitudinis tuæ sinum, nihil infinitam tuam sapientiam potest fugere. Propterea dicit Propheta; *Quo ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Si igitur mundus complectitur Psal. 138.

ctitur & continet in se omnia; multò perfectiùs omnipotentia ea complectitur: ideoque nulla est elabēdi rimula, nec tuam datur fugere diuinam potentiā: neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus quoniam Deus Iudex est, & scrutatur omnia, videt omnia. Psal. 74.

Quemadmodum igitur hominem parvum appellamus mundum, comparatione huius magni, totus enim ille magnus mundus in homine reperitur: ita dicimus te, ô Domine mundum esse maximū, à te enim tanquam effectus à causa, & tanquam opus ab opifice, minor hic processit. Quidquid igitur boni in hoc minori mundo inuenitur, id omne perfectius inuenitur in te: in illo enim tanquam in creatura omnia sunt imperfecta, in te verò, tanquam in Creatore omnipotente, sunt perfectissima: in ipso sunt omnia corporaliter, & transitorie, tanquam corruptibilia; in te vero sunt spiritualiter, æternaliter, & modo supernaturali, ac diuino: in Deo enim omnia Deus sunt. Ab hoc igitur mundo immensō prodijt hic paruus, pulcher à pulcherrimo, dives à ditissimo, perfectus à perfectissimo: visibilis ab inuisibili, temporalis ab æterno. Quamuis igitur mūdus hic factus fuit ex nihilo, quantum ad materiā, non tamen ex nihilo factus est, quantum ad formā exemplarem: formatus enim est iuxta formam, figuram, & prototypum, quod erat in te. Quemadmodū enim in semine alicuius arboris, modo quodam occulto & incomprehensibili, tota arbor est: sic in te (qui principium & architectus mundi es) totus mundus est; qui à te egressus est: nisi quòd arbor sit in semine. tanquam in causa materiali, ideoque confusè & imperfectè, quemadmodum literæ sunt in atramento, & domus in lapidibus, calce, lignis, & alijs rebus; ex quibus construitur: in te autem totus mundus est, tanquam in causa efficiente, & formali: ideoque in te perfectius & distinctius est mundus, quàm in semetipso. Et (si liceat magna paruis, & humilibus excelsa comparare) quemadmodum in officina celebris alicuius Typographi, præter ipsum magistrum qui præest, & prælum regit, diuersi sunt typi, & variæ literarum formæ, quędam magnæ, quædam paruæ, nonnullæ simplices, aliæ ornamentis varijs per circuitum expolitæ, aliaq; genera diuersa: sic ego, Domine mi, sic tuum contemplor diuinum intellectum, tanquam maximam & regiam officinam, ex qua prodijt vniuersi mundi typographica delineatio: & in te non tantum recondita est virtus efficiens, & omnium rerum operatrix: sed etiam infinitæ formarum differentiæ, & figuræ pulcherrimæ, iuxta quas etiam prodierunt species & formę omnium rerum creatarum, quas videmus, & non videmus: licet istæ formæ, quantumuis etiam multæ sint & variæ, in te multæ non sint, sed vna forma sola; quæ est essentia tua simplicissima, quam diuersæ creaturæ participant, modis diuersis. Adeò vt extra te nulla inueniatur creatura: quæ non habeat formam & imaginem suam in te, ad quam formata est. Hæ sunt illæ Ideæ, quas Philosophi in diuino tuo intellectu constituebant, quæ sunt tanquam typi & literarum formæ, quæ in officina Typographi visuntur: quibus excusus est mundus hic pulcherrimus, eademque facilitate mundi adhuc mille excudi potuissent: ad omnes enim illos producendos erant formæ & perfectiones in te.

Cùm tu igitur, ô Domine mi, dederis omnibus rebus essentiam & perfectionem, omnino consequēs est, omnes illas etiam in te esse; idque modo plane mirabili. In te sunt perfectiones omnium Angelorum, magnitudo cælorum, splendor Solis, Lunæ, & Stellarum; virtutes Planetarum, pulchritudo camporum, venustas florum, amœnitas vallium, claritas fontium, dulcedo saporum, suauitās odorum, sapientia sapientum, fortitudo fortium, sanctitas omnium Sanctorum. Quicunque igitur te fruetur, fruetur sanè omnibus, & omnia in te videbit perfectiùs, quàm si ea in proprijs videret naturis, & substantijs: quare & cognitio nostra dicitur cognitio nocturna, illa autem quæ in te est, diurna, imò meridiana.

Porro si perfectio rerum omnium tam sit amabilis, quāto magis tu eris amabilissimus, Domine mi, in quo reperiuntur omnes perfectiones in tam superfluenti abundantia? Da igitur mihi gratiam, Domine mi, vt diligam te, si nō quantum diligi mereris, saltem quantum mihi in hac vita est possibile, diligam te ex toto corde meo, tota anima, & totis viribus, O dulcissime, benignissime, amantissime, pulcherrime, charissime, suauissime, altissime; O admirabilis, ineffabilis, inæstimabilis, incomparabilis; O potens, magnifice, liberalis, incomprehensibilis, infinite, immense omnipotens, O tu qui es totus pius, totus amabilis, melle dulcior, nive candidior, omni voluptate delectabilior, omni liquore delicato suauior, auro & gēmis pretiosior: sed quid dico, cùm omnia hæc dico? Tu es Deus meus, vita mea, vnica spes mea, misericordia mea maxima, dulcedo mea beata: O totus amabilis, O totus dulcis, O totus delectabilis. Da mihi, Domine, vt in te solo gaudeam, in te solo quiescam, te semper amē, tibi sine intermissione seruiam, de te cogitem vigilans interdiu, de te somniem noctu dormiens: vt ego sim semper tuus, & tu meus, per omnia secula seculorum. Amen.

SECVNDA ORATIO.

DE IISDEM PERFECTIONIBVS diuinis.

CAPVT V.

DA, vt te diligam, Domine mi, Creator mi propter nobilissimam tuam & perfectissimam essentiam: quæ tam propria & naturalis in te est, vt nullus queat capere intellectus quicquam, quod non es. Nisi enim tu esses, nihil esset: omne enim quod est, à te dependet. Esse autem tuum à nemine dependet, nisi à teipso: non enim est esse ab alio acceptum aut mutuatum, sed proprium: ideoq; nec limitatum est, nec certa mensura comprehensum: sed vniuersale, & infinitum: quoniam in se omnes essentias comprehendit.

Diligam etiam te, Domine mi, quoniam tu es ordo & regula (vt quidam Philosophus ait) rerum omnium, omniumque substantiarum mensura: singulæ namque substantiæ, quantò propius ad te accedunt, & plus de te participant, tanto sunt nobiliores, & in esse suo perfectiores. Inter quas illæ, quæ tantùm sunt, infimo loco ponuntur, vt sunt elementa: his paulò altiores sunt, quæ sunt & viuunt, vt plantæ: his etiam præstantiores sunt, quæ, præterquam quod sunt & viuunt, etiam sentiunt, vt animalia: inter quæ nobiliora sunt, quæ præter hæc omnia etiam intelligunt, vt homines, atque inter illos nobilissimi, qui sunt in gratia & charitate: sunt enim tibi viciniores, & plus de te participant: quādoquidem, sicut Euangelista tuus dixit; *Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan. 4.

Diligam etiam te, Domine, quia tu solus causa es omnium rerū maximè vniuersalis: id quod & Philosophi solo naturalis rationis ductu cognouerunt, cùm viderent esse impossibile, quòd in causis ordine quodam sibi succedentibus in infinitum procederetur;

deretur; sed oportere tandem omnes vnum habere scopum, & finiri in vna prima causa, vnde illæ processissent, & à qua mouerentur, quæ quasi primaria rota est in horologio, à qua mouentur omnes aliæ, aut primum Reipub. caput, à quod dependent omnes causæ inferiores: & hoc idem tu es in hac magna mundi Republica.

Diligam præterea te, Domine mi: tu enim es vita felicissima, & auctor omnium viuëtium. Si enim præstantius est, quod vitam habet, eo quod non habet; tu autem omnium rerum sis præstantissimus, necessariò sequitur, quòd vitam habes: & si melior sit vita rationalis, quàm irrationalis, etiam consequens erit, te vitam habere rationalem, & super omnem intellectum intellectualem. Similiter si melior sit vita felix & beata, quàm infelix & misera, etiam dicam vitam tuã esse felicem; & quia tu maximus es & optimus, etiam vita tua super omnes alias vitas erit felicissima. Da igitur mihi, Domiue, vt te diligam: quia tu es fons beatitudinis & vitæ, à quo vitam perceperunt omnia quæ viuunt; in quo viuimus, mouemur, & sumus; à quo, & per quem viuunt omnia, quæ viuunt feliciter.

Diligam te, Domine, quia potentissimus es conseruator & sustentatur omnium rerum creatarum; quę vti à non esse ad esse peruenire non potuerunt sine te, sic etiam sine te in eodem esse non possunt conseruari. Tu es qui sedes super cælorum thronos, & intueris abyssos. Tu (vt dicit Propheta) *tribus digitis* (hoc est, magnitudine tuæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis) *appendis molem terræ; & libras in ponderemontes, & colles in statera. Tu circundedisti mare terminis suis, & posuisti illi vectes & ostia, & dixisti, Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* De te meritò canit magnus ille Philosophus Christianus in suis carminibus.

Esa. 40.

Boet lib. 3 de Philos. metro 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cælique sator qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisq; manens das cuncta moueri.
Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis
Arida conueniant liquidis: ne purior ignis
Euolet, aut mersas deducant pondera terras.

& infra:

——tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Amare te debeo, mi Domine, quia fons es sapientiæ, à quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri procedunt. Quemadmodum enim Sol vniuersalis principium est, & causa omnis in mũdo lucis, cuius beneficio videmus omnia, quę videri possunt: sic tu lux es inuisibilis, & Sol nostri intellectus, à quo lumẽ eius deriuatur, cuius ope intelligimus omnia, quæ possunt intelligi. Tu es ratio & ordo rerum; tu es ille, qui secundùm rectissimæ voluntatis tuæ regulam, omnia in gradu, loco, & ordine constituisti, prout tibi placuit. Tu creaturas quasdam plasmasti corporales, quasdam spirituales, nonnullas etiã de vtroque participantes. Quasdam fecisti corruptibiles, quasdam incorruptibiles; quasdam simplices, alias compositas; quasdam vt regãt, alias vt regantur; quasdam vt gignant, alias vt gignantur; quasdam vt sint altissimæ & nobilissimæ; alias vt viles sint & abiectæ; nonnullas vt medię sint iuter vtrasque, prout tibi visum fuit perfectioni totius Vniuersi conuenire. Tu similiter omnibus loca sua decreuisti, iuxta conditionem & naturam vniuscuiusque: tu quædam in excelsis, quædam in profundis, quædam in cælis, quædam in terris, quædam inter vtrumq; collocasti: ne locus in mũdo vacuus inueniretur; sed omnia manuum tuarũ operibus essent repleta; & quæque res sortiretur locum suæ naturæ conuenientem. Hoc modo quasi res infinitas valde diuersas ad eundem finem ordinasti; & ex omnibus his concentum & harmoniam composuisti suauissimam, mundum tam pulchrum, Rempub. tam perfectam, vt nihil inueniatur, cum quo possit comparari. Si itaque sapientia res sit adeò pretiosa, & bonum tam ingens; tua autem, Domine mi, tam magna existat, sicut vniuersitas omnium operum tuorum testatur; cur te non colam & venerabor? cur te non ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus amabo? Cur mihi omnia, quæ creata sunt, non erunt glorię tuæ testimonia? quare non erunt mihi specula tuæ pulchritudinis? tuæ sapientiæ præconia? amoris tui incentiua, & voces quæ me ad amandum te excitent?

Da mihi, Domine, vt diligam te etiam, quia tu es bonitas essentialis & infinita: non enim bonus es qualitate, sed ipsa essentia: adeò vt tua natura sit ipsa bonitas, quæ manifestissimè ex tuis cognoscitur operibus: tantò enim res aliqua melior est, quantò magis est suijpsius communicatiua; qualis est Sol inter creaturas corporales, qui lumen suũ communicat tam liberaliter, & caloris sui radios per vniuersum mundum diffundit. Cæterum quid tam liberale & suijpsius diffusiuum, vel in cælo, vel in terra inuenitur, quàm tu es Domine mi? Quæ dari potest creatura tam exigua, quæ nõ aliquid tui habet, imò nõ est plena tuis diuitijs? nulla enim aliud habet patrimonium, aut aliud esse præter id, quod à te accepit: adeò vt tu sis thesaurus totius mundi, summũ & maximè vniuersale bonũ. Hinc fit, vt quemadmodum omnes creaturæ naturaliter suam desiderant perfectionem, propriumque bonum suum? ita omnes desiderent, quàm proximè possunt, ad te accedere, & de te aliquid participare, qui illarum es perfectio, & bonum ipsum: adeò vt etiam materia prima, (quæ est omnium vilissima, abiectissima, & ab omni essentia nudissima, rerum à te creatarum) cùm tam inops sit omnis essentiæ, essentiã tam auidè expectet, & ad illam suspiret: saltem vt aliquid de te participet, & in aliqua re tibi similis efficiatur. Si creatura tam vilis & inops, quæ nec oculos habet ad te contemplandum, nec voluntatem ad te amandum, nec absolutam habet essentiam, vt aliquid esse & dici possit, (cùm omnium rerum tam vacua sit & nuda) tui tamen non obliuiscatur, nec amoris tui naturali desiderio destituatur; ah quid non ego facere meritò debeam, mi Deus; postquam dederis mihi oculos rationis ad agnoscendũ te, & cor ad amandum te; imò qui me onerasti omnibus omnium creaturarum, quæ in mundo sunt, donis & gratijs, quare & Microcosmum, hoc est, paruum mundum, Philosophi me nuncuparunt? Qui tantum accepit, & tantum debet, & tantum videt, & adiutus tua gratia te tantum amare potest, quomodo possibile est, quòd se in amoris tui stadio à materia prima superari permittat? Concede igitur mihi, ò Domine mi, vt te diligam, per infinitam bonitatẽ, quæ in te habitat, quæ est amoris causa fortissima, à qua omne bonum procedit. Quemadmodum enim propria Solis conditio est illuminare, & ignis calefacere; sic, & multò ampliùs summæ tuæ bonitatis proprietas est, omnibus benefacere, & temetipsum omnibus communicare. Quis igitur adeò sibijpsi velit esse inimicus, vt nolit amare tam præclaram bonitatem, à qua tot bona in omnès deriuantur?

Omnes omnino propter mansuetudinem, quæ in te prędicatur, inquit S. Bernardus, currimus post te Domine Iesu, audientes quòd non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem Latronem, non lachrymantem peccatri-

Bernar. Serm. 23. in Cant.

catricem, non Cananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in teloneo, non supplicantem publicanum, non negantem Discipulum, non persecutorem Discipulorum, non ipsos tuos crucifixores. Post te igitur in odorem vnguentorum tuorum currimus: nihil enim in hoc mundo reperitur suauius, nihil amabilius, nihil dulcius, O Domine, quàm tu.

Cùm tu itaque pelagus sis tam immensum, imò mundus tantarum perfectionum, & virtutum, quomodo te non ex toto corde, & totis viribus meis adamabo? Et si singulæ tuæ perfectiones, eo quod infinitæ sunt, amore dignæ sunt infinito; quo amore potero diligere illum, cuius perfectiones nec modū habent, nec numerum, sed immensæ sunt & infinitæ? Qua lingua te laudabo? quibus verbis tuam magnitudinem prædicabo? quibus visceribus bonitatē tuam amabo? Debitum video, sed & video debitoris paupertatem. Oro te, Domine, & obtestor, vt tu suppleas, quod mihi deest. Cum enim tu tanto dignus sis amore, & tam districtè mihi præcipias, vt te diligam, da mihi cor nouum, quo te sic diligere possim, vt diligi vis, & præcipis: tibi enim soli debetur amor infinitus, perpetua laus, æterna gloria, summa potentia, regnum perpetuum, & imperium sine fine, per omnia secula seculorum. Amen.

TERTIA ORATIO,

DE IISDEM PERFECTIONIbus diuinis.

CAPVT VI.

SI inter omnia, quæ prouocant ad amorem, efficacissimum sit pulchritudo; cur non meritò amabo te, Domine mi, qui fons es omnis pulchritudinis & decoris? Tu es pulchritudo vniuersæ mundi machinæ: quidquid enim in illa pulchrum est, id tu creasti: pulchritudinem tuam mirantur Sol & Luna, in faciem tuam conspicere desiderant Angeli, in cuius visione consistit vltima felicitas, & gloria omnium Spirituum supernorum. A te suam acceperunt pulchritudinem volucres, flores, fontes, campi flumina, maria, nemora, syluæ, arbores, terra, montes, valles, & alia quæcunque. Tu ornasti cælum stellis, aerem auibus, aquam piscibus, prata floribus, & terram infinita plantarum atq; animalium varietate; in omni loco mundi tu pulcher es, quia vbique tuæ pulchritudinis conspiciuntur indicia. In cælo tu es pulchritudo gloriæ, in inferno iustitiæ, in bonis gratiæ, in malis patientiæ.

Amare quoque te debeo, Domine mi, quia omnium rerum es perfectio. Tu laus es Angelorū, præmium Sanctorum, spes Patriarcharum, lumen Prophetarum, gaudium Apostolorum, corona Martyrum, gloria Confessorum, puritas Virginum, & salus omnium Electorum. Omnes beati spiritus laudant te: à facie tua columnæ cæli contremiscunt: te honorant & reuerentur omnes mundi creaturæ. Tu replēs omnia, & non dilataris: tu penetras omnia, & non moueris: tu in omnibus rebus es, & nulla concluderis. Tu creasti omnia absque necessitate, tu gubernas omnia sine labore, tu mutas omnia, & non mutaris. Tu solus iudicas sine errore, tu castigas sine passione: tu dona distribuis, & nihil thesauro tuo decedit. Si enim mare tantam aquæ vim per terram diffundendo non diminuatur, cum tamen infinitum non sit; quomodo thesauri tui minuentur, cum sint infiniti? Tu solus es tibi & omnibus rebus sufficientissimus. Qui te igitur habet, is habet omnia, & qui te non habet, etiamsi omnia habeat reliqua, nihil habet, & pauper est, & nudus, & miser, & miserabilis.

Omnes istæ perfectiones, & laudes, cum infinitis alijs, in te, Domine mi, inueniuntur, quas nec intellectus potest assequi, nec lingua mortalis pronunciare: maxima enim laus, quam de te potest humilitas nostra prædicare, est, quòd dicimus te incomprehēsibilem esse, & cum silentio (vt quidam Philosophus ait) te coli & adorari debere: hanc supremam gloriam tuæ substantiæ damus, dicentes illam solā esse infinitam in essentia, in omnipotentia, in sapientia, in bonitate, in pulchritudine, & in omnibus reliquis: & quemadmodum illa infinita est in omnibus rebus, sic etiam nostro non potest intellectu comprehendi, multò etiam minùs lingua nostra mortali explicari.

Quare quemadmodum, si mare sine fundo inueniretur, & in illud descendens per milliaria mille, duo millia, & (si placeat) decies centena millia trāsierit, nunquam eo perueniret, vt non infinita restarent milliaria peragranda: sic etiam vbi intellectus humanus in consideratione tuarum excellentiarum fundum se inuenisse arbitratur, cāpus sese mox offert immensus adhuc transeundus. Tu enim es magnus ille Deus, de quo scriptū est; *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias eius? aut quis potest ei dicere, Operatus es iniquitatem? Memento quod ignores opus eius de quo cecinerunt viri. Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inæstimabilis.* Ex quibus verbis manifestè colligitur, quod in omni re ineffabilis es, & incomprehensibilis. Iob. 11. Iob. 36.

Tu Domine maior es omni magnitudine, quam possumus fingere vel imaginari: tu sublimior omni altitudine, quam possumus animo concipere, vel contemplari: tu pretiosior & dignior omni pretio & dignitate, quam diligere, quam desiderare, qua frui possumus. Tuæ namque magnitudinis immensitas omnia superat: adeo vt tu (Dionysio teste) incomprehensibilis sis omni creaturæ. Nō enim sensus humanus, non imaginatio, non opinio, non ratio, aut alia quæcunque vis creata potest te comprehendere. Cūmq; immensitas tua superet omnem sensum nostrum & intellectum, hæc erit, Domine mi, optima nostra confessio, & maxima tua laus, si dixerimus te incomprehensibilem.

Idipsum & Philosophi confessi sunt, quorum vnus illud testatur his verbis. Si verba (inquit) Platonis diligenter examines, inuenies Deum esse substantiam tam nobilem & sublimem, vt omnem eloquentiam, omnem cogitationem transcendat. Et si quid dixeris de illo, aliquid eius, nō eum dices. Poteris dicere quod causa est omnium rerum: sed quid sit, & quomodo sit, nullus potest intellectus comprehendere. Intellectus enim noster mox recidit ad res humanas: & quidquid intelligimus, hoc nostro modo intelligimus, existimantes omnia esse sicuti nos sumus, & eo se modo habere: quicquid enim nō est, vt nos sumus, id nequaquam possumus intelligere, nec cōiecturis assequi. Sit igitur hæc prima primi principij veritas, & prima confessio: agnoscere scilicet Deum esse incomprehensibilem. Deinde cū illum adoraueris, eum ineffabilem & incomprehensibilem appellans, secundus honor, quem offeres illi, erit confiteri, quod commune est omnium rerum desiderium: tertius autem erit, quod principium est & causa earundem.

Quòd si Philosophus sine fidei lumine hæc dicere, &

re, & intelligere potuit, quid non ratio postulat, ô Domine vt dicat is, qui per testimonium verborum tuorum manifestissimam habet tui cognitionem? Si tu desiderium sis omnium rerum, (omnia enim inueniunt in te, quod appetunt; quodque ipsis est necessarium, cum tu sis omnium finis vniuersalis) quomodo ego solus ero inter omnia, qui te non desiderem? O vniuersale mundi bonum, O vltime finis; ad quem creata est anima mea, patieris hoc, vt tale in mundo reperiatur monstrum, vt omnibus te desiderantibus & amantibus, ego solus te non desiderem & amem? O Deus meus, Creator omnium, cur te omni amore non diligam? Tu es Deus meus verus, Pater meus sanctus, Dominus meus pius, Imperator meus magnus, amator meus pulcher, panis meus viuus, sacerdos meus æternus, sacrificium meum immaculatum, lumen meum verum, dulcedo mea sancta, sapientia mea infallibilis, simplicitas mea pura, hæreditas mea opulenta, misericordia mea magna, redemptio mea integra, spes mea secura, charitas mea perfecta, vita mea æterna, gaudium meum, & beatitudo infinita.

Si tu igitur, Domine, sis mihi hæc omnia, qui potero te non ex totis viscеribus meis, totoque corde diligere? O gaudium & requies mea, O voluptas & delectatio mea; oro te Creator mi, vt dilates cor meum in amore tui, vt omnes vires meæ & sensus cognoscant & experiantur, quàm dulce sit liquefieri; natare, & submergi in amoris tui fluctibus. Dicit Dan 7. Propheta, se vidisse, quòd fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie Dei. O Domine mi, fac, vt in illo fluuio natem: mitte me in ipsius decursum, vt secum me rapiat, ne posthac in mundo conspiciar, sed totus consumptus in hunc amoris fluuium transformer. Hæc mea sit petitio, hoc continuum meum studium, hoc luce opus sit, ea somnia nocte: nihil oculis meis videam, quod non sit mihi stimulus & incentiuum amoris. Da mihi, vt hæc cogitatio semper in me maneat, hoc vltimum verbum sit, cum quo vitam meam finiam: quandoquidem sunt beati qui in te moriuntur, & ille moritur in te, qui dum viuit, amat te.

PRIMA MEDITATIO

IN ORATIONEM DOMINICAM.

CAPVT VII.

Cicero. DOmine Deus meus, Sapiens quidam mundi huius dixit, eloquentiam quæ non rapit animos auditorum in admirationem, eloquentiæ nomine indignam esse: Quibus verbis indicare voluit, ad facultatem, & ingenium hominis mortalis pertinere, vt orationes, rationesque suas ea cum dexteritate & artificio proferat & ornet, vt admirationem quandam in animis auditorum pariant. Quod si hominis ingenium ad hanc perfectionem potest peruenire, qualis (mi Domine) operum tuorum perfectio erit? Extra controuersiam enim est, quod sicut vna causa differt ab alia: sic vnus effectus etiam ab alio differt, & opus ab opere. Si igitur tua potentia, tua bonitas, & tua sapientia tam longe superent omnem potentiam & sapientiam humanam; quanto erunt obsecro maiora, potiora, & magis admiranda tua opera operibus humanis?

Ex hoc intelligo, Domine, hanc tibi naturaliter inesse conditionem, vt facias opera, quæ nulla humana eloquentia proferre, nec vllus capere potest intellectus, & quibus omnis laus est inferior. Oportet enim opera tua tibi assimilari: quemadmodum igitur tu es infinitè sapiens, potens, & bonus, & per consequens incomprehensibilis; sic etiam & opera tua (maximè quæ sunt bonitatis & misericordiæ, quæ apud te sunt reliquis pretiosiora) necesse est vt talia sint in suo gradu, vt omnes intellectus, qui ea attente considerabunt, stent attoniti, & à mentis statu dimoueantur. Si enim illud accidit Reginæ Sabæ, videnti opera Salomonis, qui homo mortalis erat, sicut vnusquisque nostrum: quanto maiorem stuporem & admirationem parient opera illius infinitæ sapientiæ & bonitatis, quæ regnat in æternum? 3 Reg. 10.

Horum operum primum est & principale mysterium vnigeniti Filij tui Incarnationis, sacratissimæ deinde Passionis, & sacrosanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, quod ad sui memoriam in hoc mundo nobis miseris reliquit, institutio. Ad horum quoque numerum pertinet, quod tu Deus, & immensæ Maiestatis Dominus, nos in filios adoptare, & Pater noster dici, & esse voluisti. Hoc enim nomine Filius tuus iubet nos te appellare, & nobis filiorum nomē per omnem Scripturam Euangelij sui tribuit. Dicit Matth. 6. enim: *Scit Pater vester quia his omnibus indigetis.* Et paulò antè; *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa.* Et alibi; *Non est voluntas ante Patrem vestrum, vt pereat vnus de pusillis illis.* Alio loco iubet, discipulis suis dicatur; *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meū, & Deem vestrum. Propter quam causam,* ait Apostolus, Saluator noster *non confunditur fratres eos appellare, dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Insignem hanc & illustrem nominis dignitatem vnigenitus Filius tuus mysterio incarnationis & passionis suæ nobis acquisiuit, dicente eodem Apostolo; *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filij: misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* Non dedit igitur nudum nomen, sed etiam spiritum & cor filiorum; infundens in animas nostras eundem spiritum, qui modo excellentissimo habitauit in sua, vt habitante illo etiam in animabus nostris, participes efficeremur eiusdem dignitatis, & gloriosi tituli. Confirmat idem S. Ioannes, dicens; *Quotquot receperunt* Christum, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*: qui scilicet accepta hac dignitate, non iam ampliùs viuunt secundum desideria & appetitus carnis & sanguinis: sed in puritate & sanctitate, sicut decet Dei filios. Matth. 11. Galat. 4. Ioan. 1.

Ne autem existimaremus hanc dignitatem Patris esse tantum dignitatem nominis, & non rei; vel amoris, adiunxit idem Filius tuus, & ait; *Patrem nolite vobis vocare super terram: vnus est enim Pater vester qui in cælis est.* significans in comparatione amoris & prouidentiæ paternæ, quàm tu habes erga homines, omnes alios amores, & prouidentias nullius esse momenti: cum manifestissimum sit, nullum vnquam patrem filijs suis tanta bona præparasse, aut tantum pro illis acquirendis laborasse, quantum tu: tu enim prædestinasti nos ad tuam gloriam, & Filiū tuum in mortem tradidisti, vt gloriam illam nobis redimeres. Meritò igitur Dauid dixit; *Pater meus & mater mea dereliquerunt me. Dominus autē assumpsit me.* Et Propheta Esaias; *Tu Domine Pater noster es, & Abraham nescuit nos, & Israel ignorauit nos.* Sed & tu ipse Domine per os eiusdem Prophetæ dixisti: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Matth. 23. Psal. 26. Esa. 63. 16. Esa. 49.

Secundum magnam igitur hanc & ineffabilem misericordiam, O Domine, Filius etiam tuus suggerit

gerit nobis fiduciam, & dat licentiam, imò præcipit nobis vt orantes te dicamus; *Pater noster qui es in cælis.* O regale verbum, O verbum dulce, verbum deuotionis & consolationis inæstimabilis. Quis vnquam O Domine mi, ausus fuisset te hoc nomine compellare, nisi vnigenitus Filius tuus hanc nobis licentiam tribuisset? Quis es tu Deus meus, & quis sum ego, cur te Patrem appellare debeam? Tu es, qui es? & ego sum, qui non sum: imò mundus hic vniuersus tam ingens, quem tu creasti, in conspectu tuo nihil est. Quid magis igitur admirandum, & quæ maior esse potest misericordia, quàm quòd tu Deus infinitæ Maiestatis, Rex Regũ, Dominus Dominantium, Sanctus Sanctorum, Deus Deorum, Angelorum gloria, & Beatorum gaudium, meus Pater esse voluisti, & me in filium adoptare, qui nihil sum quam immundum sterquilinium, miser vermiculus, & peruersa creatura? O admirabilem pietatem, O longitudinem, latitudinem, altitudinem & profunditatem charitatis & bonitatis Dei.

Pater noster. O verbum consolationis, verbum amoris, verbum fiduciæ. Quid tibi retribuemus, Domine, pro hac gratia? quibus verbis hanc misericordiam exaltabimus? cuius intellectus non obstupescet, considerans talem & tantam liberalitatem?

Pater noster. Ecquod mel inuenitur tam dulce, lac tam suaue, balsamum tam odoriferum, quam verbum hoc? Igitur audebo te Patrem nuncupare, Creator mi? O inæstimabile gaudium, O dulcedo ineffabilis. Quid amplius facere poteras Domine? Quid ampliùs optare, quid pretiosius desiderare poteram, quàm te Deum meum habere Patrem? O quàm bene magnitudinem huius gratiæ intelligebat Euangelista, cum dixit; *Vtdete qualem charitatem nobis dedit Pater, vt Filij Dei nominemur & simus.* 1.Ioan.3. hoc est, Non fuit ei satis nobis dedisse nomen & titulum filij, sed dedit etiam nos esse veros filios, & filiorum donauit nobis prerogatiuam, atque dignitatẽ: vt essemus certi, quòd ille Pater noster est; cum nõ inueniatur pater sine filio, nec filius sine patre: ita quod Pater nos accepit pro filijs, & Filius pro fratribus, & Spiritus sanctus pro tẽplis viuis & suis sacrarijs. Quæ gloria maior, quæ dignitas esse potest præstantior? Dixit quidam Philosophus, lucrum esse omnium rerum in hoc mundo dulcissimum: omnes enim labores hominum eius amore leues fieri solent, & dulces. Quod si autem maximum quod excogitari potest lucrum sit, Deum habere Patrem, idque non tantum nomine, sed effectu etiam & re; quid potest in mũdo esse dulcius, quid suauius, quid delectabilius? Vox hęc *Pater* vulnerat cor, commouent interiora viscera, confortat spiritum, exhilarat animam, elicit lachrymarum fontes.

Pater noster. O verbum compendiosum, ô verbum abbreuiatum, quod fecit Dominus super terram. 1.Cor.2. Dicebat Apostolus, se nihil scire præter Christum, & hunc crucifixum: & merito, in eo namque mysterio comprehunduntur omnia, quæ sciri possunt. Et ego, Domine, aliud scire non desidero, præter hanc scientiam: nihil aliud cupio, quam hoc gratum verbum.

Pater noster. Hoc volo legere, in hoc studere, in hoc die ac nocte meditari: hoc enim mihi sufficit. Si homo dicatur mundus minor, quia in eo per compendium inuenitur, quidquid per latissimam hanc mundi machinam diffusum videtur: sic etiam hoc verbum sapientia dici poterit compendiosa: in eo namque clauditur, quicquid tota Scriptura docet, in duas enim partes ea commodè diuidi potest, in promissiones scilicet, & petitiones: vna enim in eo occupatur, vt petat ab homine reddi Deo, quod Deo debetur: & altera, vt promittat homini morigero & obedienti gratiam & fauorem. Vna igitur pars docet illud, quod facere debemus: altera illud, quod debemus sperare. Sed quæ promissio reperitur, quæ non comprehendatur sub nomine Patris? & quæ obligationes inueniuntur, quæ non intelligantur sub verbo hoc Filij? Quæ igitur bona, quam gratiam, quam curam & prouidentiam non sperabo ab illo, qui verè Pater vocatur?

Si enim Pater meus sit, omnino & naturæ, & rationi conueniens est, vt me amet, necessaria mihi largiatur, me dirigat, me iuuet, me defendat, mihi consulat, me doceat, me honoret, me faciat hæredem; & me, cùm opus erit, vt Pater castiget: quis enim filium, quem pater non castigat? Viuete igitur sub tutela & prouidentia talis Patris, conditio est suauis, seruitus libera, custodia perfecta, timor lętus, castigatio mollis, paupertas opulenta, possessio secura. Patris enim est omnes solicitudines, curas, & labores in se recipere; & nihilominus fructum eorum cum filio diuidere.

Præterea si Pater hic sit Deus omnipotens, & omnium rerum creatarum Dominus: quid mihi deesse poterit, cum talem Patrem habeam? scio enim quia filij partem habent in omnibus rebus patris. Quæ tribulatio, quæ tempestas me turbare poterit, si Deum Patrem habeam? Si inimici mei me persequantur, ille me defendet; si bonis me temporalibus exuerint, ille mihi necessaria procurabit; si in aliquo dubio verser, ille me docebit: si ambulauero in tenebris, & in vmbra mortis, ille mihi dux erit: si contra me falsum testimonium dicatur, ille pro me respondebit: si insurgant aduersum me castra, non timebo, quia tu Domine mecum es. Quæ itaque gloria maior, quis honor excellentior, quæ misericordia liberalior hac esse potest? Prima dignitas, quæ in rerum natura inuenitur, est esse filium Dei per naturam: secunda, esse filium Dei per gratiam. Et quia impossibile erat plures, quàm vnum, esse filios Dei per naturam, tu Domine mi nos secundo loco constituisti, faciens nos filios tuos per gratiam; qua dignitate maior inueniri non potest.

Videmus igitur omnes promissiones tuas simul iunctas sub hoc verbo comprehendi, imò plura significari, quàm omnibus alijs simul: siquidẽ multò maius est quod tu, Domine, Pater noster esse dignaris, quam omnia reliqua, quæ absque hoc dare nobis posses. Cùm enim tu sis Pater noster, & nos tui filij, hæredes sumus bonorum tuorum, omniumque diuitiarum tuarum cum Vnigenito & naturali tuo filio participes.

Docet me etiam hoc verbum, non solum quid sperandum, sed etiam quid mihi faciendum est: quẽadmodum enim tu meus es Pater, sic ego vicissim tuus sum filius: non tantùm nomine, sed & re: ex quo sequitur, etiam me obligatum esse ad opera boni filij facienda, quemadmodum & tu facis officium boni Patris. Quod si ita sit, debeo te profectò vt Patrem amare, vt Patrem colere, vt Patrem honorare, vt Patri obedire, & in te, tanquam in fidelissimo Patre, omnem spem & fiduciam meam collocare: ad te tãquam ad benignissimum Patrem, in omni mea tribulatione recurrere; honorem tuum zelare, & eum vt chari Patris debeo, vbicunque & quandocunq; potero, promouere: tibi puro amore, purissimaq; intentione, vt filius Patri seruire: me totum in manus tuas, tanquã in manus Patris commendare; omnes castigationes & correctiones tuas tanquam à charissimo Patre immissas patienter, & cum gaudio sustinere: denique omnes meas cogitationes & curas in te, tanquam in verum Patrem, conijcere. Omnia hæc nomen filij meritò à me postulat, & ego tibi

tanquam vero Patri; ad omnia hæc deuinctus sum. Et quia in his comprehenditur summa omnium, quæ mihi præcipis in vniuersis tuis Scripturis: sequitur me in hoc verbo totam habere doctrinam tuam abbreuiatam, & toto vitæ meæ tempore mihi in ipso studendum esse.

Cæterum manifestiora hæc erunt, si secundū verbum primum iungamus, dicentes; *Pater noster*: nō enim voluit vnigenitus Filius tuus, vt diceremus: *Pater mi*, neque in tota oratione hac *meum aut tuū* inuenitur: sed *nostrum*: voluit enim omnibus dignitatis huius gloriam esse communem, vt omnes essemus per gratiam, quod ille est per naturam. Cum itaque dicimus, *Pater noster*, disertis verbis fatemur, omnes nos esse fratres, tanquam vnius eiusdēque Patris filios: debemus igitur singulos vt fratres, & te vt vniuersalem omnium Patrem amare. In his igitur duobus verbis mentio fit amoris Dei & proximi, in quibus duobus mandatis Lex & Prophetæ consistunt. Quæ igitur doctrina poterat esse sublimior, & quæ compendiosior, quæ duobus verbis apertissimè docet, quidquid ad salutem nostram scire opus est?

Præterea non tantum me docent hæc verba, quæ me scire oportet, & quod facere debeo, & sperare; sed etiam sternunt mihi viam ad pœnitentiam, & aperiunt mihi portas spei, quando illas mihi mea peccata occluserunt. Non enim ob hoc animum despondebo, nec fiduciam & spem abijciam: sed potiùs exemplum filij illius prodigi imitabor; reuertar ad te Patrem meum cum verbis & pudore, quo
Luc.15. cum ille reuersus est, & dicam; *Pater mi, peccaui in te, & in cælum ipsum.*

Filius ille postquam portionem substantiæ, quæ illum contingebat, accepisset, recessit abs te, & peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè: omnes enim diuitiæ, quæ sine prouidētia cælestis Patris possidentur, malè pereunt; ita vt diuitiæ sine te filium spoliauerint, eum ex gremio Patris sui raperint, ex ædibus suis eiecerint, exulare fecerint, famam eius bonam maculauerint, castitatis eius florē decerpserint, & subulcum effecerint: vt propria miseria doceret eum, & agnoscere faceret, quam imprudenter fecerat, qui à tali Patre discesserat; & per malum, quod patiebatur, cognosceret bonum, quod amiserat: adeò vt hic miser in se reuersus postea di-
Ibid. xerit, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundāt panibus: ego autem hic fame pereo.* Vt rediret ad Patrem suum, priùs reuersus est in se: quia longius à se recessit, cùm patrem suum deseruit. Et sanè longissimè à se recessit, postquam & filij, & hominis dignitate amissa, comparatus est iumentis insipiētibus, similis factus est illis, & siliquis, quas porci manducabant, ventrem suum implebat. Adeo vt miser ille in se reuersus, statuerit, ad te Patrem suum redire. Sed quo vultu, qua fiducia, qua spe ad te reuersus est? Non alia profecto, quàm quod sciebat te Patrem nostrum esse: licet enim ille filij dignitatem amiserat, tu tamen pietatem & beneuolentiam Patris nō abieceras. Pater igitur mox, vt filium vidit ad se reuersum, eius peccatum texit, personam iudicis dissimulauit, vt officium Patris faceret, iram in misericordiam commutauit, & ostendit se malle filij cōuersionem, quam eius interitum. Accurrens igitur cecidit super collum eius, osculum pacis præbuit, & statim stola prima illum indui mandauit. Non interrogauit: Vnde venis? vbi latuisti? quid de substantia actum est, quam tecum abstulisti? cur tantum honorem, tam turpi ignominia commutasti? nihil horum interrogauit; neque enim amoris vehementia videt in amato defectus. Nescit Pater quid sit misericordia tarda, confestim iubet annulum dari in manum eius, non enim contentus primam innocētiam illi reddidisse, hoc etiā honoris symbolo vult eum nobilitare. Mandat & calceamenta dari in pedes eius, vt denuò in via iustitiæ ambulet, quam deseruerat: & vt liqueret, ad quam extremam paupertatem venerat, postquam à Patre suo discesserat, cū etiam sine calceis redierit. Mandauit etiam occidi vitulum saginatum: & cur non alium vitulum, quā saginatum? reditus filij festiuitatem solennem facere vult, & hoc indicio magnitudinem amoris sui erga eum demonstrare.

Hoc exemplo motus ego, Domine, & tantæ charitatis significatione inuitatus, post tot circuitiones & vagos errores meos, cum omni humilitate & pudore, quātum mihi possibile est, ad te Deum meum reuertor, dicens cum hoc filio prodigo; *Pater peccaui in cælum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Hæc verba dicam, Domine, & si eodem, quo ille, affectu ea dixero, spero antequam orationem meam absoluero, occurres mihi, cades super collum meum, & osculaberis me osculo pacis: hæc enim de viscēribus paternis spes est, quod omni studio hoc aget, quo filium perditum ad se reuocet, & si opus sit, etiam trahat.

Optimè dictum est à quodā Doctore, quòd quē admodum quando auis pullum suum nido excidisse, & periclitari videt, non quiescit, nisi priùs ad nidum reduxerit: sed & si fortè viderit bestiam accedere, vt deuoret eum, aduoluat confestim, strepitū facit, circumuolitans vociferatur, & facit quod facere potest, vt liberet illum. Sic Pater æternus solicitus est de salute nostra: medetur nostris infirmitatibus, & persequitur feras bestias, (hoc est, cacodæmones) reducit filios suos ad nidum, iniuriarum obliuiscitur, nec quiescit, priusquam ad pœnitentiam reuertantur. Et præter hæc omnia non cessat vnquam eos admonere, tanquam verus Pater, nec desinit ijs consulere, & in viam salutis dirigere. Quemadmodum enim si quis lucem diei videre cupiat, non accēdit lucernam, vt quærat eam: ipse enim dies quærenti se offert, & in oculos eius influit: sic quicunque vult oculos ad cælum leuare, & Patrem intueri, nūquam serena hæc lux ei deerit, quæ se communicat omnibus.

SECVNDA MEDITATIO, CAPVT VIII.

In qua sequitur Orationis Dominicæ explicatio. Qui es in cælis.

POst primum verbum, quod est, *Pater noster*, sequitur secundum non minus dulce, nec minùs copiosum, nec minùs breue, quàm præcedens. Si enim tu, Domine, qui Deus meus, Pater meus, hæreditas mea es, in cælis sis. quid mihi cum terra, cum totum meum thesaurum habeam in cælis? Et si tu Pater meus sis in cælis, ego sanè hospes & peregrinus sum in mundo: nec in terris habeo ciuitatē manentem, & stabilem: sed obambulo quasi exul quærens veram patriam meam. Et quia peregrinus, qui ad patriam iter facit, solo corpore in eo versatur, omnes autem curas & solicitudines suas habet in patria, vbi domicilium & habitatio eius est: sic ego, Domine, qui peregrinus sum, quamdiu disiungor à te, quo cor meum & omnes cogitationes, curasque meas dirigam, nisi ad te?

Verbum hoc etiam spem meā corroborat, & securiorem reddit meam portionem. Et enim si tu Pater meus in cælis sis, ius in eosdem cælos habeo, pedem iam alterum in isto diuersorio posui, cum tu ibi eo habites,

habites, & ipse illic sis paterfamilias. Vbi habitabunt filij, nisi vbi Pater eorum habitat? vbi erunt membra, nisi vbi caput est? vbi congregabuntur aquilæ, nisi vbi corpus inuenitur? Pater nunquam excludet eum domo sua, cui titulum filij & hæredis largitus est.

Præterea verbum hoc magnificat animam meã, & super omnia quæ in mundo sunt exaltat. Quæ nãque maior animi satietas, quæ optari posset gloria magnificentior, quàm habitare in terra, & Patrem habere in cælo, eóque mediante eiusdem cæli Regem constitui? O vos qui honores & gloriam concupiscitis, quid illam quæritis in fumo, quem ventus à facie terræ dispergit? Cur contemnitis gloriam & honorem tam grandem, vt est filios Regis cælestis esse? Si autem hoc non creditis, quomodo estis Christiani? sin verò creditis, quomodo fieri potest, vt honores vanos quæratis cum tanta difficultate, qui tam subito euanescunt? An non sit melius acceptare verum hunc honorem, qui gratis, & sine vllo pretio vobis offertur?

Psal. 31. *Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde*; quia pretiosissimum pignus vobis in cælo repositum est, & Deum Patrem habetis. Assumam igitur, ô Domine mi, pennas aquilæ, rerum vilitatem, atque ad te in altum volabo: qui namque potero magni facere quę sunt in terris, cùm hæredem cælorum me constitutum videam? quomodo potero faciem meam conuertere ad brutas & immundas huius mundi voluptates, aut diuitias terrenas & momentaneas, qui beneficio Patris mei cælestium regnorum possessor factus sum? Id mihi turpius ac magis ignominiosum esset, quàm si Regis alicuius filius equilia purgaret, aut strigillando victum sibi quæreret. Quod si primogenitus Regis, etsi possessionem regni nondum acceperit, propter ius tamen quod in regnum paternum habet, tanto in honore & pretio habeatur: ego qui simile ius ex adoptione & verbo Dei viui habeo, non ad regnum transitorium, aut mundanum, sed ad regnum æternum & cæleste; cur me diuitem & felicem non dicam, cui talis spes & expectatio data est.

Sanctificetur nomen tuum.

OQuam pulchro ordine sequitur hæc petitio? *Sanctificetur nomen tuum.* Etenim si iam in filium tuum adoptatus sim, quid magis mei est officij, quàm vt sancti nominis tui gloriam, victoriã regni tui, & obseruantiam tuæ voluntatis, vbique & semper promoueam? Quid enim hęc petitio aliud sibi vult, quàm vt accepta iam noua filij dignitate, ad possessionem procedã, & quæ filio conueniunt, ea cum ratione & honestate perficiam? Quemadmodum enim homo, vbi in Regem, Prælatum, aut alium magistratum electus est, confestim dignitatis illius possessionem accipit, atq; incipit ea cogitare, quæ ad officium suum videntur pertinere: sic ego, Domine, postquam gratia tua nouam hanc dignitatem accepi, statim ad possessionem aspirare incipio, & ad executionem eiusdem, faciens, & cupiens id, quod tãti patris filium decet: hoc est, desiderare, & procurare nominis tui sanctificationem, gloriæq; regni tui propagationem, vt sic illud manifestum fiat vniuerso mundo, ab omnibus adoretur & glorificetur: cùm homo faciẽs hoc suis propriis rebus studeat, & certò sciat quòd gloria patris gloria quoq; est filij, vt inquit Sapiens.

Prou. 17.

Et si natura & proprietas boni filij sit, amare patrem, & amor transformet amantem in rem amatam, (adeo vt oblitus suiipsius, omne studium in eo ponat, vt procuret ac desideret illud quod amatus appetit, non minus pro eo, quã pro semetipso) quid ego Domine, cum per amorem in te totus sim trãsformatus, aliud velle aut desid erare debeam, quam quod tu ipse vis, & desideras? Cumque non sit, quod tu magis desideras, quam sancti nominis tui gloriã, (non enim est quidquam maiori desiderio dignum) quid aliud agere debeo, quàm vt vbique & semper hanc gloriam desiderem & promoueam?

Scio, Domine, quia bonorum meorum non eges: nam etsi mortalium lingua taceret, omnes creaturæ vociferantur, & prædicant gloriam tuam, seseque mutuo ad laudem tuã exhortantur, vt dicit in Psalmis suis Dauid. Si enim spiritus Angelicos intueamur, semper illi tuam gloriam celebrant, & laudes tuas decantant. Si vertamus nos ad mirabilem illã cælorum compositionem, & serenis oculis consideremus eorum mirabilia, concordiam pugnantium inter se elementorum, fluxum & refluxum maris, fontium scaturigines, perpetuos fluminum decursus, tantam arborum varietatem, tantam herbarũ diuersitatem, tot animalium species, & tot aliarum rerum miracula, quæ modum & numerum non habent, singula secundum propriam virtutem naturalem, prout tibi dare placuit: omnia hæc, quæ perpetuò ante nostros versantur oculos, quid aliud dicũt, & prædicant, quam gloriam & magnificentiam tui nominis? Omnia hæc quasi viua voce clamant, te solum viuum Deum, te solum omnipotentem, sapientem, bonum, & misericordem, solum iustum, verum, admirabilem, & solum dignum, qui sine intermissione laueris. Psal. 18.

Inter omnes verò has creaturas homo maximè obligatus est ad sanctificandum, & celebrandũ nomen sanctum tuum. Cùm enim ipse solus in se acceperit omnes aptitudines, & perfectiones omnium aliarum creaturarum, (quare & microcosmus, seu minor mundus appellatur) & earum singulæ nomẽ tuum sanctificare pro parte sua, quam acceperunt, teneantur; quanta erit obligatio illius, qui omnia simul accepit, & in cuius vsum atque gratiam creata sunt omnia, quæ in hoc visibili mundo conspiciuntur?

Ex toto igitur corde mi Domine, opto & desidero, vt nomen tuum in vniuerso mundo sanctificetur; adeò vt omnes linguæ, & nationes, & sexus, & ætates, & personarum qualitates, in omni loco conueniant ad laudandum & glorificandum sanctum nomen tuum. O Domine mi, non peto à te diuitias terrenas, non honores mundi, non delectationes carnis, sed tantùm oro, vt nomen tuum sanctificetur, & glorificetur per vniuersum terrarum orbem. Sit hęc prima & maxima petitio mea, hęc mea principalis sit cogitatio, hic æstus & impetus meorum desideriorum. Amor enim qui tibi debetur, oportet vt omnium amorum sit fortissimus. Et si gloriam & honorem hunc petam post præsens seculum, da mihi Domine, vt non ad meum tantum commodum petam, sed ad tuam gloriam, beatosque iudicem omnes regni tui habitatores & incolas, quia ipsi tẽ laudabunt, te glorificabunt, tibi benedicent per omnia secula seculorum.

Adueniat regnum tuum.

VIdes, Domine, multos Reges, aut potiùs Tyrannos nobis dominari: Diabolum cum sua superbia, mundũ cũ sua pompa, carnem cũ suis delicijs & blanditijs, & propriam voluntatem cum suis appetitibus. Omnes hi crudelissimi Tyrãni tyrannidem exercuerunt, & regno tuo vim inferre, atque iurisdictionem tuam accidere moliti sunt, solicitantes nos semper, vt sua voluntas fiat, & secundum leges suas, tuis spretis, viuamus.

Quare, O cæleſtis Rex, corrige hanc ataxiam corruptam, hunc ordiné inuerte, & noli amplius permittere, vt crudelis hæc tyrannis in tuo regno dominetur. Eijciantur iſti Tyranni, diſsipentur inimici tui, & à præſentia tua fugiant omnes, qui te oderunt. Impera tu, Domine mi, tu ſolus rege, tuũ ſceptrum & regnum tuum à nobis tantùm agnoſcatur. Voluntas tua ſit noſtra lex, & verbum tuum lumen noſtrum, præcepta tua ſint noſtra gaudia; quòd tui ſumus ſint noſtræ diuitiæ, & pro nomine atque amore tuo pari noſtra ſit gloria.

Rege nos, Domine, tua prouidentia, defende nos tua dextera, duc nos tuo ſpiritu, doce & inſtrue nos tuo verbo, moderare nos tuis legibus, locupleta nos tuis donis, & caſtiga nos manu tua miſericordi. Fac ne mundus, caro, Diabolus, propria voluntas amodo locum in nobis habeant. Longè fac Principem mundi huius à nob's: tu ſolus in me dominare, tu ſolus mihi impera, tu ſolus habita in anima mea, & regnum tuum totum cor meum occupet. Tu ſolus eſto lumen intellectus mei, vt refectio voluntatis meæ; te ſolum quærat, te ſolum petat, te ſolum deſideret anima mea: cur omnia percurro; cur diuerſis rebus diſtrahor, cũ ſolum regnum tuum mihi ſufficiat? Da igitur mihi hanc gratiam, Domine mi, ne in poſterum de alio cogitem, aliud nihil deſiderem, aliud nihil quæram, præter regnum tuum: in eo ſit mea occupatio, in eo ſit omnis mea conuerſatio. Tu ſolus bonus es, tu ſolus pulcher, tu ſolus amabilis, tu ſolus animarum noſtrarum amator es: ideoque tu Domine ſolus regna, tu ſolus dominare, tu ſolus guberna me, & in voluntate tua dirige. Pectus meum in te ſolo recreetur, cor meum in te ſolo quieſcat: fac, vt ad te curram, vltimum finem meũ, centrum & regnum meum, in quo animæ puræ & ſanctæ quieſcunt.

Adueniat etiam regnum tuum, quod finis eſt omnis ſpei noſtræ, & communis deſideriorum noſtrorũ portus, vbi videbimus te Regem & Patrem noſtrũ, ac tua pulchritudine, & præſentia tua, ſine termino fruemur. Quod enim proprium magis & naturale deſiderium filiorum eſſe poteſt, quam velle videre Patrem ſuum in regno ſuo? O Deus meus, quando veniet hora illa? quando dies illa veniet? quando lucem tuam videbo? quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Quando videbo aurea illa palatia, portos illos æternis floribus conſitos? fontes illos vitæ? portas illas & muros ex gemmis & lapidibus pretioſis extructos? choros illos Angelorum, & virginum, qui ſequuntur immaculatum agnum quocunque iuerit? cantores illos & cantatrices, qui perpetuis carminibus & hymnis celebrant, & laudant ſummum Regem, atque communem omnium Patrem? O Ieruſalem mater noſtra, quando te luſtrabo? quando erit illa dies, in qua clamabo ad portas tuas? quando videbo muros tuos ex iaſpide elaboratos? quando audiam voces cantantium & laudantium in te reſonantes? *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Hoc naturale filiorum eſt deſiderium, & proprietas aquæ illius ſalientis in vitam æternam, eleuantis corda hominum è terris ad cælum. Hæc erat aqua illa, quæ efficiebat, vt S. Ignatius, cùm duceretur ad martyrium, diceret, Meus amor crucifixus eſt. Non eſt in me ignis quippiam amans, ſed aqua viua, ſaliens in me, intus mihi dicit: Veni ad Patrem. Hic eſt ille communis Pater, quem deſideramus, & ad quem ſuſpiramus in hoc exilio clamantes, & dicentes; Domine *adueniat regnum tuum.*

Pſal. 83.

Pſal. 41.

Ignatius in Epiſt. ad Romanos.

Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.

HÆc eſt voluntas tua, inquit Cyprianus, quam Chriſtus, vnigenitus tuus filius, & fecit & docuit: Humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iuſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, iniuriam facere non noſſe, & factam poſſe tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater eſt, timere in illo q. Deus eſt; Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis ille quidquam præpoſuit; charitati eius inſeparabiliter adhærere, cruci eius fortiter ac fidenter aſſiſtere: quando de eius nomine & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam qua confitemur; in quæſtione fiduciam, qua congredimur: in morte patientiam, qua coronamur: hoc eſt cohæredem Chriſti eſſe velle, hoc eſt præceptum Dei facere, hoc eſt voluntatem Patris adimplere. Hactenus Cyprianus.

Cyprian. Ser. 6. de Orat. Dominica.

Hoc igitur, O Domine, peto, hoc deſidero, aliud non quæro, quàm vt in me, & per me tua voluntas fiat; & vt tuus ſim totus, & me totum tuo impendam obſequio. Non cupio vt poſthac aliquid fiat ſecundùm arbitrium vel appetitum meum, neq; quæ mea ſunt volo quærere; nolo quicquam agere quod ſuadet affectus erga cognatos & amicos: non verebor quid mundus dicat, non quid caro & ſanguis hortentur: non reſpiciã quid amarum ſit, quid dulce, quid honorabile, quid ignominioſum, quid facile, quid difficile: ſed omnis mea in poſterum ſit intentio, ſanctam tuam facere voluntatem. Illud me tantum lætificet, illud ſolum ſuaue mihi ſit, in eo ſit mihi omnis animæ conſolatio: atque nihil aliud vnquam cupiam, nec alium mihi ſcopum proponam, quam tuam facere voluntatem. Illud omne ſolùm me facere poſſe vellem, quod tuæ conuenit Maieſtati.

Verè, Domine, ſi etiam in minutiſsimas partes diſſectus eſſem, pro amore tui, id mihi iucundius eſſe deberet, quam ſi cunctis mundi fruerer voluptatibus niſi fortè voluptates illæ in maiorem tui nominis gloriam redundarent: tunc enim non deſiderarem voluptates propter voluptates, ſed propter tuum ſolummodo obſequium: non enim rationem habere debeo meæ, ſed tuæ voluntatis. Quid mihi dulcius, quid amabilius eſſe poteſt, quam vt totus in tuo amore liquefiam? O quanta mihi eſſet delectatio, ſi pro amore & honore tuo poſſem aliquid durum & aſperum tolerare? Hoc eſt gaudium Angelorum, deſiderium Sanctorum, exultatio iuſtorum; tibi ſcilicet perfectè ſeruire, cum tua ſancta voluntate in omnibus conformari, & ad tuum ſemper honorem reſpicere. Scio enim, Domine, Angelos & Sanctorum animas magis ob magnificentiam honoris tui, quam ob propriæ gloriæ magnitudinem exultare.

Quemadmodum igitur voluntas tua obſeruatur ac perfectè fit in cælo, ſic etiam impleatur ac fiat in terra: ità vt omnes eam cum maximo cordis feruore ſequamur, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, per aduerſa & proſpera, omnibus alijs voluntatibus renunciantes, quæ cum tua non conueniunt: quia tu ſolus es noſter Deus, tu ſolus noſter Pater, tu ſolus Rex Regum, & Dominus Dominantium: ideoque tibi ſumma debetur obedientia, perfecta reuerentia, & perpetua gloria cum laude ſempiterna.

Amen.

MEDI-

MEDITATIO TERTIA

IN ORATIONEM DOMINICAM.

CAPVT IX.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

NOn difficilè cognoscimus, Domine, te perfectæ orationis huius esse Magistrum, cum petitiones hæ omnes tam pulchro se inuicem sequantur ordine. Quid maiori cum appetitu debeant filij optare, quam honorem sui Patris, prosperitatem regni illius, & voluntatis eius obseruantiam? Proprietas itidem filiorum est, (maximè cùm paruuli adhuc sunt) à patre suo panem petere. Verbum hoc sæpe repetitur ab illis, maximè cum esuriunt; tunc enim obsecrant voce lamentabili, qua paterna mouent viscera, & faciunt, vt panem ipsis distribuat.

Igitur, O Pater cælestis, ego tanquam vnus filiorum tuorum, ætate quidem prouectior, sed meritis paruulus, famelicus, & multis necessitatibus expositus, panem à te peto, idque cum libertate, qua filij sunt erga suos parentes, hoc est, alimentum ad sustentationem huius vitæ, in quam me vocasti, à te flagito.

Quia vero in me duæ substantiæ sunt, vna corporalis, altera spiritualis: ideo panem peto pro vtraque. Pro corporali panem peto terrenum, pro spirituali verò panem cælestem, qui est panis Angelorum, qui tanquam creaturæ spirituales non alio viuunt nutrimento, quam te ipso, qui cibus es spiritualium substantiarum. Quare & ego, O Pater mi, qui hactenus sedi in Ægypto, inter putridas ollas plenas carne mundanarum voluptatum, iam despiciens hoc pabulum bestiarum, ad te suspiro, à te panem Angelorum, qui de cælo venit, flagito. Hunc quæro, hunc volo, hunc humiliter à te peto. O amor inæstimabilis, O misericordia inaudita, Deus Deorum, Dominus Dominorum, præmium Sanctorum, gaudium Angelorum, Verbum Patris, Sapientia æterna, Lux mundi, Sol cæli meus cibus factus est. Quid amplius desiderare, quid maioris possum æstimare? Procul igitur à me sit delectari in rebus huius mundi, postquam iam inuenerim cibum tã pretiosum delectabilem, & salutiferum: quem etsi non semper possum sumere sacramentaliter, semper tamen debeo sumere spiritualiter, habitante semper spiritu meo in eo per amorem & continuam recordationem. Miraculum sanè magnum est, cor humanum pro suauitate huius cibi non deficere, vel liquefieri.

Postquam autem tu, O bone Iesu, iam factus sis cibus meus, & refectio mea, te solum volo manducare, tui solius appetitum cum insatiabili desiderio habere volo. Si enim solus odor tuus totum potest mundum sustentare; quantò magis poterit tua refectio? Si omnes viuamus & sustentemur verbo de ore tuo præcedenti, quantò magis viuent animæ nostræ per sacramentalem refectionem corporis tui? Sed, ô Domine, qui fieri potest, vt corda nostra non deficiant à tua præsentia? qui fit vt anima mea non sic absorbebatur in te, vt sui ipsius, & omnium aliorum præ tui amore obliuiscatur? Si res terrenæ, imò earum tantum imagines & figuræ adeò nonnunquã cor meum absorbeant, vt me planè faciant tui obliuisci; qui fit, vt etiam realis tua præsentia, sic mihi non dominetur, vt tui amore, quæ mundi sunt, obliuiscar?

Da igitur hodie nobis, O cælestis Pater, hunc panem, vt possideamus illum nunc & in perpetuum. Memento, Domine, filium tuum Vnigenitum panem hunc vocasse quotidianum, & præcipere, vt hodie petamus. Dic mihi, O bone Iesu, cur tam anxiè & solicitè vis nobis adesse, vt præcipias nos hodie te petere, & non vsque in crastinum expectare? quid in nobis vidisti, quod adeò amore nostri ardes, vt vnum diem non velis expectare? Si amor ille, quo nos complecteris, adeo te vrgeat, vt tantam morulam non feras, nec aduentum nostrum ne tantillum velis differri, sed confestim nobiscum esse velis, cũ tibi in hoc nullum sit positum commodum: quantò magis solicitos oporteret esse nos, qui vermiculi sumus abiectissimi, & tantum inde lucrum capimus, vt tibi iungamur, qui summum bonum es, speculũ sine macula, & gaudium Angelorum?

Et postquam tu, O bone Iesu, vt hîc ostendis, non vis negotium hoc differre, nos etiam prorogare nõ cupimus: & quia mandas, vt hodie, & non in futurum petamus, ecce hodie petimus hanc gratiam, & hodie speramus nos eam consecuturos. Alioquin enim doctrina tua inutilis esset, nec sibi constaret, si hodie peteremus, & obtinere non possemus. Cum igitur cupiamus te hodie possidere, & tu hodie venire ad nos desideres: veni, & in cor nostrum illabere. Tu Domine totus inflammatus es amore nostri, & cor nostrum vicissim ardet amore tui. Et quia pondus amoris te ducit ad nos, & nos ad te traducit: fac Domine, vt sublatis omnibus impedimentis, anima mea tanto te amore amplectatur, vt in amplexibus tuis quasi deliquium patiatur, ex gustu ineffabilis tuæ suauitatis & dulcedinis: & quia vis vt te petamus quotidie, (vis enim esse nobiscum perpetuo) nos etiam tecum semper esse cupimus, nec vnquam à te diuelli, qui cibus es suauissimus, animarumque mundarum Sponsus dulcissimus.

Dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

O Bone Iesu, licet tu benignè admodum, & cũ magna instantia offers te nobis in pane hoc quotidiano, vereor tamen ad te accedere. Timeo conuiuium Reginæ Hester, ne mihi accidat, quod Aman accidit, qui inuitatus ab illa, paulò post ob delicta sua suspensus est. Et quamuis, O Domine mi, hanc non esse tuam intentionem sat sciam, metuo tamen malam meam dispositionẽ propter multitudinem meorum peccatorum, quæ super numerum arenæ maris multiplicata sunt. Quis enim vnquam poterit subducere multitudinem vanarum mearum cogitationum, malorum meorum operũ, inordinatorumque meorum verborum? siquidem vix iusti norunt suam linguam refrænare? Peccata verò transgressionis, & omissionis quis numerabit? quid igitur faciam, Domine, in hoc certamine? Tu quidem ab vna parte me inuitas ad mensam tuam, Angeli me vocant, fames me stimulat, vt accedam: sed sentio ab altera parte meorum peccatorũ multitudinem, quæ me retrahit, & animum despondere facit. Quia verò mihi licentiam dedisti, vt te Patrẽ appellarem, veniam ad te cum pœnitentia, & affectu filij, petamque peccatorum meorum remissionem, quæ merito debita nomino. Qui enim furatus quod alterius est, debitor illius est: cumque nos, cum omnibus quæ habemus, tui simus, eaque in cultum & obsequium tuum expendere debeamus, id non tantum non fecimus, sed etiam cum omnibus, & in omnibus te offendimus: ideoque manifestum est, nos tui seruitij & honoris, quem tibi negamus, esse debitores. Esther. 7.

Dimitte igitur, O Domine, nobis hæc debita, cũ præcipias nobis eorum remissionem petere. O ad-

mirabilis clementia Domini nostri: cùm nos eum despexerimus, & rebus tam vilibus & abiectis permutauerimus, ille nihilominus ipse iubet, vt indulgentiam petamus, & cùm ipse lætus sit, pacem tamẽ offert, & reconciliationem. Hanc misericordiam non exhibuit Angelis, qui peccauerunt: perseuerãt enim, & perseuerabunt semper in suis iniquitatibus. Sed tu, Domine, cum habeas satisfactionem tã immensam pro debitis nostris, sanguinem scilicet vnigeniti Filij tui, vis nos remissionem à te postulare. Dimitte igitur omnes offensas nostras, quemadmodum & nos dimittimus illis, qui nos offenderunt, O felix offensa, ô beatum debitum, quod postquam nos dimiserimus, illud in iudicium pro nobis allegare possumus, & ratione illius remissionem petere.

Quapropter non debemus contristari, cùm homines nos offendunt, persequuntur, & omne malum aduersum nos dicunt vel faciunt; sed deberemus lætari potius in eo, & vltro desiderare: dum enim nos has iniurias dimittimus, possumus faciliùs veniam obtinere offensarum, quas in Deum committimus. Nec oportet dubitare, sed certò certiùs credendum est, hanc allegationem, quam docet hîc noster Iudex & aduocatus, maximi corã illo esse momenti. Ideo Rex Dauid patienter tulit omnia maledicta & iniurias Semei, qui ei maledicebat: sciebat enim hoc iuuare vt cum Deo reconciliaretur. 2. Reg. 16.

Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo. Amen.

QVid prodest mihi, Domine, si dimittãtur mihi debita antiqua, & denuo noua contraham? quid prodest me lauari à mortuis, si lotus iterũ cadauer tangam? Quare, Domine mi, si permiseris nos tentari ad nostram humilitatem, exercitiũ, patientiam, & coronam augendam; denique vt in medijs tentationibus constituti & afflicti ad te, tanquam ad Patrem nostrum, recurramus: noli saltem permittere, vt à tentationibus vincamur. Fragilitas nostra tanta est, vt non possimus non cadere, sine tua gratia; quam vbi acceperimus, non possumus perseuerare sine tuo singulari auxilio: datur enim multis gratia, sed non omnibus perseuerantia.

Vides, Domine, quàm multi sunt inimici nostri, & quot insidiæ nobis struuntur. Caro est inimica domestica, contínua, & familiaris. Mundus est illusor, impostor, mendax, & proditor. Dæmon est crudelis, fortis, astutus, & in impugnando exercitatissimus. Inter tantas igitur copias hostium meorum constitutus, inter tot carnis nostræ fautores, & inter tot spiritus persecutores relictus, quid faciam Domine, si tu me deseras? Quid faciet infelix ouicula, inter tot lupos? creatura infirma, inter tot hostiles gladios? quid faciam Domine? non inuenio aliud remedium, quàm vt te inuocem, ad te clamem, tanquam pullus hirundinis, ad te gemam & suspirem sicut columba? Quid faciam, nisi vt leuem oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi?

Eleuo igitur oculos meos ad te, qui habitas in cælis; ad te leuo animam meam, Deus meus; in te spero, ne confundar in æternum: intende in adiutoriũ meum & noli tardare. *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me?* Psal. 12. *Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium?* Psal. 118. Quando planè liber ero ab illis, & perueniam ad te? Quando erit, vt nemo amplius me possit à te separare? Quando mortuus ero rebus omnibus, quæ sunt in hoc seculo, imò & mihijpsi, vt liberius properem ad te? Quando rerum omnium obliuiscar, vt sensus & cogitationes meæ in te solo, & circa te occupentur? Quando omnia præter te mihi sordebunt? Quando ero totus tuus ex mea voluntate, cùm tuus totus sim ex iustitia?

O Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, da mihi hanc gratiam, vt moriar omnibus meis affectibus, & moriar etiam mihijpsi, omnibusque inimicis meis, tibi autem solum viuam. O Pater, O Rex, O Domine, O summum bonum meum, & centrum animæ meæ, da vt habitem in te, quiescam in te, nec aliam gloriam, aut thesaurum habeã præter te solum. Pro cunctis his gratijs interpellamus te, per amorem vnigeniti Filij tui, qui est noster aduocatus, sacerdos, sacrificium, & patronus coram te. *Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam*, vt ait Propheta, *sed in miserationibus tuis multis*, & in meritis Filij tui Domini nostri: quidquid enim ille fecit, & quidquid passus est in hoc mundo, id omne pro nobis fecit & passus est. Per eum itaque oramus te, vt liberes nos. Per eum creasti omnia: & per eum recuperasti, quæ perdita erant. Per eum creasti hominem ad imaginem & similitudinem tuam: & ad eandem imaginem hominem per eum restituisti. Ille fundamentum est nostræ iustitiæ, nostrorum meritorum causa: ille apud te noster est intercessor, aduocatus nostrarum causarum, & præcipuum robur nostræ spei. Per hunc itaque petimus omnes has gratias: quod enim non debetur nostræ iustitiæ, id debetur illius gratiæ. Si in nobis nihil boni inueneris, ecce in illo nihil inuenies mali. Si ex parte nostra desint merita, ex parte eius abundant. Per eum igitur te oramus, per eum tibi supplicamus, honora illum in nobis: quod enim nobis tribuis, hoc ipsum tribuis illi: & quidquid datur membris, id omne datur capiti, cuius membra sunt. Et si à nobis ipsis nihil habeamus, quod tibi offeramus, ne tamen vacui veniamus in tuum conspectũ, immolamus tibi Filium tuum, cum omnibus eius laboribus & obsequijs, quæ tibi præstitit à præsepio ad crucem vsque: nos enim omnium horum sumus participes. His muneribus, & hoc pignore freti ad te venimus, & à te misericordiam, per iustitiam petimus: iustitiam, si Filium tuum respexeris; misericordiam, si nos intuearis.

Sed super hæc omnia, O Pater æterne, considera & attende nos venire missos à Filio tuo, qui nobis præcepit petere à te in nomine suo, & ad hoc tradidit nobis verba tibi cognita, & familiaria: quæ nunc recitauimus. Agnosce illa, Domine: sunt enim verba Filij tui, quæ nobis reliquit ad nostram salutem. Recordare quòd quãdo prudens illa mulier de Thecua petijt à Dauide veniam filio eiusdem Dauidis Absoloni, mox vt intellexit Rex, illam petitionem ex mandato Ioab supremi exercitus sui Imperatoris institutam, concesit quod petijt, & placatus est: quare & idem Ioab Regi gratias egit, confessus hãc gratiam non factam mulieri, quæ eam petebat, sed sibiipsi. Sic ego, Domine mittor hîc ab vnigenito Filio, ille est qui posuit mihi hæc verba in ore meo, vt ea coram te proferrem: ille est qui te orat per me; & quod mihi tribuis, hoc tribuis illi, & ille tibi gratias reddet immortales. 2. Reg. 14.

Memento quoque, Domine, quòd non damnasti, sed laudasti malum illum bonorum tuorum dispẽsatorem, quòd fecerat sibi amicos, qui eum, vbi ad egestatem veniret, iuuarent, & in tabernacula sua reciperent. Quare & ego, qui creaturarum omnium sum pauperrimus, qui opes tuas malè expendi & dilapidaui, Filio tuo me adiungere laboro, quo per eum præualeam, vt cùm ipse tam inops meritorum sim, eius merita mihi subsidio sint & me adiuuent. Et quia adeò magni momenti est in conspectum tuum non venire sine spirituali fratre nostro Benia- Luc. 16.

min,

iamin, (hoc est, vnigenito Filio tuo) ecce eum, ecce habemus eum hic, & offerimus eum tibi, vt eius intercessione benignè à te exaudiamur. Et tu vnigenite Fili Dei, qui etiam filius hominis es, extende supernos brachium tuum, tu enim es noster protector, & tuo pallio tege nuditatem & paupertatem nostram, & ne repellas à tua gratia, quos tuæ naturæ fecisti fratres & socios. Qui viuis & regnas cum Patre & sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.

VLTIMA ORATIO, PRO IMPE-trando amore Dei, quæ incipit; Si obligatio qua benefactoribus &c. *habetur libro quinto pagina 491.*

FINIS MEMORIALIS CHRISTIANÆ VITÆ, MICHAELE AB ISSELT INTERPRETE.

Sequens Epistola beneuole Lector, dedicatoria est Memorialis; quare ad pag. 378. referenda.

SERENISSIMÆ DOMINÆ MARIÆ, INFANTI LVSITANIAE, F. LVDOVICVS GRANATENSIS.

S. P.

ANTE dies non ita multos, Serenissima Domina, Maiestati vestræ Memoriale hoc vitæ Christianæ dedicaui, non ignorans me Christianissimæ Catholicissimæque vitæ illius nihil pretiosius, nihil gratius offerre potuisse hoc opere, in quo talis materia tractatur. Diuino autem fauore, Serenissimique nominis vestri auspicijs opus hoc omnibus tam gratum & acceptum fuit, vt in hac sola ciuitate Vlyssiponensi (in qua diuina gratia vnitas & sinceritas fidei, cum deuotione & religione fidelium mirum in modum viget) tota editio distracta sit & vendita. Cumque Typographus ad secundam editionem sese accingeret, rogauit me, vt priorem perlustrarem, & si alibi peccatum esset, id emendarem. Quod dum facio, multa mihi noua occurrebant, quæ ad propositum meum facere videbantur tam appositè, vt continere me non potuerim, quin ea suis locis inserem. Quo factum est, vt liber sic creuerit quod licet pristinum nomen retineat, nouus tamen non immeritò videri possit: maximè cùm alios exiguos Tractatus nonnullos, in hac vrbe excusos, huic operi adiecerim: vt fieret vnum corpus absolutum, ad vnum finem ordinatum, vt postea dicetur, ipsaque opuscula meliùs conseruarentur, quæ alioquin diuisa & nimis parua cùm sint, facilè intercidere & perire potuissent. Sed quemadmodum opus hoc in lucem prodire volui, sic etiam cupio, vt sub glorioso Maiestatis tuæ nomine prodeat semper, vt in subsequentibus editionibus idem sit successus, qui in prima: omnibusque hominibus nostri labores sint magis accepti. Deus Opt. ter Max. Serenissimam Maiestatem tuam, cum statu regni totius, quàm diutissimè seruet incolumem, & tandem ex hac vita ad cælestem curiam transferat.

REVE-

REVERENDAE DOMINAE ANNAE DE CRVCE ORDINIS S. CLARÆ IN COENOBIO DE MONSIGLIA F. LVDOVICVS GRANATENSIS.

LENTE Rpræcipuas Christianæ doctrinæ partes, Reuerenda Domina, magis fructuosæ, & deuotæ sunt illæ, quæ tractant de Amore Dei, & mysterijs vitæ ac mortis nostri Seruatoris: quæ sic inter se connexæ sunt, vt vna ad alteram quàm plurimum adferat adiumenti. Tria namque præcipue voluntatem nostram ad amandum Deum prouocant: incomprehensibilis scilicet eius bonitas, immensa eius charitas, & inæstimabilia eius beneficia: quæ taliter in vita Christi inueniuntur, vt in nulla re creata perfectius. Nullum enim est opus, in quo Deus mundo maiorem exhiberet bonitatem, aut maiorem detegeret amorem & charitatem, aut maiora cõferret beneficia, quàm in sanctissima eius vita & passione: & sic cupidi huius diuini amoris in nulla parte maiores ad illum stimulos & incentiua inuenient.

De his duabus materijs in nostro Memoriali vitæ Christianæ tractaui, sed breuiuscule, pro rationis istius nominis Memorialis. Cum autem materia tam vtilis ad vitam Christianam sit, adeoq; multa de illa veniant scribenda, vt breuior sit hominis vita, quam vt quis satis exactè de illa scribere possit: operæ pretium me facturum existimaui, si breuitatem illam prolixiori tractatione suppleam, latiusque materiam hanc extendam, in gratiam eorum, qui fructum facere cupiunt. Cæterum in primo horum duorum tractatuum, qui est de Amore Dei, non satis fuit mihi, vulgariter, & communi modo de hoc amore scribere: sed agere volui de eius perfectione, deque præcipuis medijs, quibus acquiritur. Sciendum enim est, finem, vt nos docet Apostolus, vitæ Christianæ, & omnium mandatorum Dei, ac vniuersorum consiliorum sacri Euangelij, esse hunc sanctum Amorem. Omnia enim illa sunt quasi media & scalæ, quibus ad illum ascenditur. Vnde sequitur, vt quemadmodum finis vitæ Christianæ est amor ille, sic vltima perfectio eiusdem vitæ sit perfectio huius amoris: qui cùm perfectus erit, etiam perfecta hominis illius, in quo est, vita dicetur.

Quapropter in hoc eodem libro etiam tractatur de perfectione vitæ Christianæ, ad quam licet non omnes obstringantur, omnium tamen est ad illam aspirare: multò namque maiorem fructum & progressum in virtutibus facient illi, qui perfectionem hanc sibi proponunt, quàm qui medium quoddam vitæ genus sibi ob oculos constituunt, nec vlterius procedere cupiunt.

Cogitanti itaque mihi, cui potissimum hunc librum, qui de perfectione vitæ huius agit, dedicarem, non alius sese obtulit, cui hæc doctrina magis competeret, quàm R. V. quandoquidem totus mundus testis est exemplorum virtutum, & perfectionis, quæ in omni vita sua edidit: quorum & ego ipse à primis annis testis esse possum oculatus. Etenim prætermissis duabus vitæ conditionibus, virginitate scilicet atq; coniugio, in quibus Dominus noster seminauit fructus, quos nunc colligit: postquam Deus illustrem Comitem de Feria, cuius nomen tam in terra, quam in cælo erit perpetuo glorioſum, ex hac vita ad se euocauit, relinquentem te viduam annorum viginti quatuor, statim reliquisti omnia, quæ mundo relinqui poterant, & præterea filiam educandam; habitumque S. Claræ animo prompto, & incredibili deuotione assumpsisti, vt iam non corpore tantum, sed & anima habitu illo induta videreris. Inde in cellulam te abdidisti, quæ vnam tantum habet feneſtram, è qua prospectus est in summum altare templi, vbi sanctissimum Sacramentum asseruatur: maiorem temporis partem transigens in præsentia summi illius Domini, contemplando illum sub specie panis velatum, donec tandem venerit hora, in qua videbis eum, fueris que illo nudo, omni velamine detracto in gloria. Nec contenta quòd in eius semper versaris præsentia, frequentissimè quoque illum recipis in animam: hoc modo te de promissione futuræ gloriæ securam faciens arrha, quæ in diuino hoc Sacramento confertur. B. Hieronymus scribit de quadam nobili virgine Romana, quod in vrbe turbida inuenerit eremum monachorum: Vestra verò Reuerentia in medio totius illius tam illustris familiæ, filiæ quoque & nepotum, quibus Dominus te beauit, inuenit desertum & solitudinem monachorum: mundum docens, veram & perfectam solitudinem non consistere in loco, sed in corde. Solus est, qui

est, qui cum Deo est solus est qui secum habitat: solus est, qui sibi intentus viuit: solus est, qui ex corde suo affectus omnes huius seculi eiecit, extra mundum namque iam est, qui nihil mundanum appetit, & qui non habet vnde aut dolorem, aut gaudium percipiat ex rebus ijs, quas non amat. Vbi enim non est amor, ibi nec dolor est, nec cogitatio, nec pœna, nec tribulatio.

Accipiat igitur R. V. exiguum hoc munusculum, quod etsi exile & parui pretij sit ex se: tamen plurimum valebit, si animus offerentis respiciatur. Particeps etiam istius sit Comitissa de Piego, cui, vt filiæ talis matris, non poterit non hæc ipsa doctrina placere: similiter & Domina de Torosa, & D. Abbatissa cum omnibus alijs monialibus sancti illius monasterij, in quo diuinus amor multo melius exercetur, quam in hoc libro docetur. Omnium harum me debitorem agnosco iam pridem fuisse, & omnibus offero exiguum hoc munusculum, cum aliud non habeam quo debitum hoc dissoluere possim. Cæterum Dominus *ille, qui cùm nihil deberet, pro omnibus satisfecit, suppleat quod ex parte mea deest, qui & R. V. in sancto suo timore & amore quam diuitissimè conseruet incolumem. Vlyssiponæ, 25. Iunij, anno à partu Virginis M. D. LXXIV.*

AD CHRISTIANVM LECTOREM
F. LVDOVICVS GRANATENSIS.

Scripsi præteritis diebus, Christiane Lector, librum, cuius titulus est: Memoriale vitæ Christianæ: in quo mea fuit intentio, perfectum formare Christianum: euehendo illum per omnes gradus, à principio conuersionis vsque ad vltimam perfectionem: quæ quidem in charitatis perfectione, hoc est, in amore Dei consistit; vbi declarauimus, quid in quocunque gradu faciendum est. Sed quia materia tam multa complectebatur, non potuerunt omnia, nisi breuiter tractari, quemadmodum & ipsum nomen Memoriale insinuat: sperans interim Dominum vitam mihi longiorem daturum, vt aliquas materias prolixius, prout requirunt, tractare possem. Id quod ex parte factum est: Libri enim de Oratione & Meditatione, & Dux peccatorum, ad hoc quoque deseruiunt. Sed nunc adiungere mihi visum est duos alios tractatus, vnum de Amore Dei, qui spectat ad librum Memorialis septimum: in quo de eadem agitur materia: sed hic disseritur prolixius & copiosius: Alterum de quibusdam articulis, & deuotis mysterijs vitæ nostri Saluatoris, qui respondet libro sexto Memorialis, in quo breuiter hæc mysteria fuerunt tractata: hic autem vberius: quemadmodum enim hæc sacra mysteria plena sunt deuotionis & suauitatis, sic etiam conueniens erat ea tractari magis enucleate.

Nemo autem existimet superfluum esse duos tractatus scribere de amore Dei: tot enim & tanta veniunt de huius virtutis excellentia, de rebus ad eam pertinentibus, & ad eam acquirendam iuuantibus, eamque contra impedientibus: item de obligationibus, deque stimulis & incentiuis, quæ nos ad amandum Creatorem mouere debent, dicenda: vt licet infiniti libri de hac materia scriberentur, nunquam omnia possent exprimi, quæ de illa dicenda essent. Quin etiam obseruabo (quantum per memoriam potero) ne repetam in hoc libro, quæ in altero semel dicta sunt, etsi eodem procedam ordine: id enim ipsius materiæ natura requirit. Et cùm videamus propter peccata nostra quotidie tot nouos libros fabulosis & mendacibus bellis, amoribus, alijsque historijs & figmentis, veteribus addi, vnde nullus redit ad lectorem fructus, nisi vanitas, inhonestas, & perditio temporis: cur reprehendendum esset, si libris de Amore Dei, deque operibus vitæ illius sanctissimæ (in cuius contemplatione magna pars beatitudinis nostræ in hac vita consistit) quotidie noui tractatus accrescant, qui quasi noui stimuli sunt amoris Dei, omniumque virtutum. Quantus autem sit huius lectionis fructus, docet S. Bernardus in tractatu quodam, quem scripsit ad quandam Sororem suam, dignum sane tali auctore, & spiritu tali, in quo disserens de lectione, sic ait; Per orationem mundamur à peccatis, per lectionem docemur, quid faciamus. Vtrunque bonum est, si licet. Si verò non licet, melius est orare quàm legere. Nam cum oramus, cum Deo loquimur: cum legimus, Deus nobiscum loquitur. Soror charissima, si vis cum Deo semper esse, semper ora, & semper lege. Valde nobis est necessaria lectio diuina. Nam per lectionem discimus quid facere, quid cauere, quo tendere debeamus. Vnde dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. *Per lectionem sensus & intellectus augentur. Lectio nos ad orationem instruit, & ad operationem. Lectio nos informat ad actiuam & contemplatiuam vitam: ideo dicitur in Psalmis:* Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. *Lectio & oratio sunt arma, quibus diabolus expugnatur, hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur. Per orationem & lectionem vitia destruuntur, & virtutes in anima nutriuntur. Ancilla Dei semper debet orare & legere. Vnde legitur in Psalmis:* Tunc non confundar, cùm perspexero in mandatis tuis. *Igitur dilecta mihi soror in Christo, insiste orationi frequenter, perseuera in meditatione scripturarum, in lege Dei esto assidua, habeto studium in diuinis legibus, vsus legendi sit tibi frequens, lectio sit tibi quotidiana legis meditatio. Lectio demit errorem vitæ, subtrahit hominem à vanitate mundi. Hactenus sunt verba D. Bernardi, quæ meritò silentium imponere deberent his, qui spiritualium & piorum librorum reprehendunt lectionem: in qua acquiritur cognitio viæ Domini, quæ & ab hoc Sancto, & à S. Hieronymo in omnibus eius Epistolis, similiter & à multis alijs sanctis Doctoribus nobis commendatur.*

Bernar. de modo bene viuendi Serm. 50.

Psal. 118.

Psal. 1.

Psal. 118.

Posite

Posito interim casu, librum hunc (in quantum tractat de Amore Dei, in quo consistit perfectio vitæ Christianæ, de qua hic etiam agitur) ad homines potissimum religiosos pertinere, qui ratione status sui tenentur ad perfectionem vitæ contendere: non tamen desunt plurimi, qui extra statum hunc, ad eãdem perfectionem aspirant, magna cum vitæ puritate, etiamsi ad eam non obligantur. Gratia enim Dei tam potens est, & tam mirabilis, vt etiamsi vitæ genus non iuuet eos, (imò partim impediat) tamen virtute sua queat omnia status istius impedimenta perfringere, & superare. Imò sæpe auctor gratiæ, vt demonstret suam potentiam, extollit ad maximam perfectionem hos, qui plurimis inuoluuntur impedimentis. Quemadmodum enim elegit rudes piscatores, ad mundum conuertendum, volens vt in eo maximè reluceret suæ virtutis magnitudo: sic etiam sæpe eligit personas, quæ exiguum habent à vitæ suæ statu ad perfectionem adminiculum, vt ostendat in illis efficaciam & potentiam suæ gratiæ.

Hoc modo inueniuntur quotidie in Ecclesia Christi viri & mulieres, cuiuscunque status & conditionis, parui & magni, pauperes & diuites, cælibes & coniugati, qui cum magna vitæ puritate ad huius vitæ perfectionem contendunt, status sui impedimenta diuina adiuti gratia vincentes. adeò vt, quemadmodum

Rom. 5. *Apostolus, vbi loquitur de malitia communis humani generis peccati, ait, ibi abundare gratiam, vbi abundauit peccatum: sic in quo statu maiora sunt impedimenta, Dominus sæpe fauorem gratiæ suæ sic multiplicat, vt facilè possint homines ea superare. Et enim dic mihi quæso, vbi reperiuntur maiora impedimenta, quàm in statu ac vita Regum? & tamen legimus multos fuisse sanctissimos Reges, quorum festa celebrat Ecclesia? Taceo de Regibus veteris testamenti, Dauide, Iosaphat, Ezechia, & Iosia, qui sanctissimi fuerunt & felicissimi. In nouo testamento habemus Ludouicum Regem Franciæ, & alium S. Ludouicum filium Regis Arragoniæ, & Siciliæ: habemus S. Elisabetham viduam, filiam Regis Vngariæ, & S. Reginam Portugalliæ, quæ vsque in hodiernum diem manifestissimis claret miraculis, quibus libri pleni sunt.*

Vide Osberc. apud Surium Tomo 1. *Habemus & S. Eduardum Angliæ Regem, in quo optime reluxit diuinæ gratiæ potentia. Cum enim esset iuuenis, haberet que nobilissimam vxorem Egicam, tali matrimonio dignam, de communi consensu vtriusque votum fecerunt perpetuæ virginitatis: viuentes & simul conuersantes toto vitæ tempore, in amore sincerissimo coniugij, cum vitæ huius puritate perseuerârunt. Et cùm D. Bernardus dicat, maius esse miraculum, maritum & vxorem suspectæ ætatis simul viuere, & castitatem seruare, quàm mortuum resuscitare; hi tamen ambo iuuenculi conuersantes semper in media pompa, & regalis vitæ apparatu: opem ipsis ferente diuina gratia, vsque ad extremum vitæ suæ diem castitatem conseruare potuerunt. Omnes igitur Christiani auxilio diuinæ gratiæ confisi, debent ad perfectionem huius vitæ aspirare: etsi enim ad eam nõ peruenerint, minus tamen humili loco stabunt, si ad altiora tendant: quàm si stantes loco humillimo, non optarent vlterius progredi, eò magis, quia semper plus est quod desideramus & petimus, quàm quod facimus.*

Porrò quamuis plurimum iuuat in vitæ perfectione renunciare omnibus rebus transitorijs, & mundanis, vt quis nudus nudum sequatur Christum, magisque expeditus sit ad resignandum se soli amori & obsequio diuino: hæc tamen renunciatio non tam consistit in abdicatione bonorum, quàm in refrenatione affectuum inordinatorum, quibus bona illa appetuntur & possidentur: ij enim potissimum sancta impediunt proposita. Erant ditissimi Reges illi, de quibus paulò ante diximus, & diuites fuêre multi ex sanctis illis Patriarchis, qualis fuit Abraham pater omnium credentium, (sic enim vocat eum Apostolus) qui potuit cognato suo mittere exercitum trecentorum octodecim vernaculorum illi seruientium: tamen ob hoc imperfectiores non fuerunt, etiamsi bona tanta possidebant: non enim ijs apponebant cor, nec affectus suos in ijs

Rom. 4. Psal. 61. *habebant immersos. Faciamus igitur quod monet Propheta; Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Cum enim cor ab hoc affectu liberum est, diuitiæ non oberunt in via perfectionis.*

Notandum autem hoc loco est, etsi liber hic inscribitur De perfectione amoris Dei, nihilominus tamen in eo de perfectione vitæ Christianæ quoque tractari. Quemadmodum enim finis totius legis, & omnium consiliorum vitæ Euangelicæ est amor Dei: sic in perfectione huius amoris eadem vita consistit. Id quod in progressu huius libri aperte patebit: omnia enim documenta, quæ viam ad amoris perfectionem tradunt, etiam faciunt ad eiusdem vitæ perfectionem assequendam. Vt enim alias perfectæ vitæ definitiones prætereamus, ea est vita perfecta, qualẽ describit S. Hieronymus, tractans de sanctis illis Ægypti patribus, de quibus asserit, quod viuebant in carne, non aliter atque si extra carnem fuissent. Adeo, vt mortui mundo, soli Deo viuerent: hoc est, mortui carni, solo spiritu viuebant vitam spiritualem, & diuinam magis quàm humanam.

Quod vt melius intelligatur, notanda est hic differentia, quæ est inter homines carnales, & spirituales. Officium carnalium est, omnem amorem cogitationes, intentionem, & desideria sua ponere in pompis & delicijs corporis, nec amplius cogitare de anima, quam si eam non haberent: econtrario verò intentio hominum spiritualium (vti nomen ipsum declarat) est, vacare & operam dare puritati spiritus, illuminando intellectum suum lumine & consideratione primæ veritatis, rerumque æternarum, ornandoque voluntatem suam omnibus virtutibus & donis Spiritus sancti, tantum tribuendo corpori, quantum, vt viuat, requirit necessitas, parcè hoc etiam illi dando, & in certa mensura. Imago vitæ huius perfectissima fuit repræsentata in Christo, Apostolis, & omnibus illis Anachoretis: qui despectis omnibus huius mundi rebus, soli studebant contemplationi, & amori Creatoris. Posterioribus seculis eiusdem vitæ specimen in B. Francisco, perfectissimo imitatore vitæ Euangelicæ satis eluxit: qui contemptis omnibus huius seculi negotijs, terrenisque cogitationibus, noctes atque dies contemplationibus rerum cælestium vacabat, in terra exercens officium, quo Angeli funguntur in cælo. Voluit igitur Spiritus sanctus in hoc glorioso Confessore perfectionem vitæ huius ad viuum exprimere, vt sine dubio mihi videatur viuus commentarius, tam huius, quàm perfectionis Euangelicæ, qui non verbis, sed operibus ostendit dilucidius conditionem vitæ huius, quàm alij

commen-

commentarij multis paginis & voluminibus. Quemadmodum enim multò perfectius cognoscit figuram & & situm vrbis Romæ qui oculis eam vidit, quam qui in aliquo libro verbis declaratam legit: ita melius intelligit conditionem vitæ Euangelicæ, qui videt Sanctum aliquem eam vita sua exprimentem, quàm qui legit aliquem commentatorem, qui eam multis literis & libris docet atque describit.

Iuxta hanc itaque doctrinam vita perfecta est illa, quam nos docet istud exemplum: hoc est, esse in terris corpore, & spiritu habitare in cælis: viuere inter homines, & conuersari cum Angelis. Vita perfecta est spiritualiter participare de illa benedictione data Patriarchæ Iacob, cùm ex contactu Angeli vno pede claudicauit, altero sano & integro. Per duos enim hos pedes duplex amor, proprius scilicet, & diuinus, intelligitur. Tunc igitur homo particeps erit huius benedictionis, cum pede amoris proprij claudicabit, altero illo amoris Dei sano & integro. Necessarium autem est id ita fieri: nisi enim debilis & claudus sit inordinatus amor sui ipsius, non poterit esse integer in anima nostra amor diuinus.

Ex hoc itaque exemplo fit manifestum, vnum idemque esse tractare de perfectione vitæ Christianæ, & de perfectione charitatis, quandoquidem vtrunque ad eundem finem ordinatur, & per eadem media in eundem finem tendit: quicquid igitur requiritur ad perfectionem huius vitæ, idem requiritur etiam ad perfectionem charitatis. Et quamuis de hac materia non deberet scribere, nisi qui perfectus esset, siquidem (vt Sapiens dicit) Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: non ob id tamen inconueniens est, quòd imperfectus aliquis, legens scripta sanctorum, quæ hac de re tractant, possit colligere, & in ordinem redigere, quæ ipsi circa hoc literis mandata reliquerunt. Id quod ego in hoc Tractatu, ad gloriam Domini nostri, & ædificationem fidelium efficere conabor. Eccl. 43.

Illud autem in fine huius Prologi monere visum est, quòd, quicunque hunc librum vult cum fructu legere, eiusque idioma intelligere, prius bene debeat esse exercitatus in ijs quæ præceduns; pœnitentia nimirum, oratione, deuotione, & meditatione: vt animam aliquam scintillam amoris diuini conceperit, sine qua difficillimè poterit huius virtutis doctrinam intelligere: quod D. Bernardus testatur his verbis: Si quis horum, quæ ad amorem Dei pertinent, cupit adipisci notitiam, amet. Alioquin frustra ad audiendum, legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non nouit idioma; nec Latinè loquentem, qui Latinus non est, & ita de cæteris: sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Bernard. Serm. 79. super Cantic.

ADIVNCTI

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANÆ,

R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS:

INTERPRETE MICHAELE AB ISSELT.

LIBER PRIMVS.

IN QVO TRACTATVR DE AMORE DEI, in quo consistit perfectio vitæ Christianæ.

DE NOVEM MAXIMIS PRÆROGATIVIS, SEV EXCELLENTIJS Amoris Dei.

CAPVT I.

ANTEQVAM de exercitijs, & medijs, quibus amor Dei acquiritur, agere incipiamus, vtile erit aliquid de fructibus & prærogatiuis huius amoris præmittere, vt qui ad illum totis viribus aspirat, cui rei studeat, non ignoret: certi enim sumus, magnitudine præmij, laborum difficultatem minuendam. Postquam enim eum erit consecutus, non dubito, quin dicet cum Sponsa in Canticis: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Consultum igitur omnino est, vt cum forti illa muliere in Prouerbijs Salomonis gustemus priùs & videamus: *quia bona est negotiatio nostra*, nec tergiuersemur dare pro illa, quod postulatur. Nemo autem existimet exiguo scripto posse comprehendi, quicquid hæc virtus meretur? imò nescio an melius sit, eam silentio honorare, quam de illius laudibus non sat dignè disputare. Cùm enim Charitas sit finis & perfectio omnium mandatorum, quidquid scriptum est, tam in sacris literis, quam in Sanctorum libris, aut Charitas est, aut ad charitatem pertinet. Ex quo facilè colligitur, quâ exiguum est, quod de singulari hac virtute dici potest, cùm omne id, quod de illa scriptum est, & scribi vnquam poterit, non futurum sit sufficiens, ad magnitudinis illius pelagus exhauriendum. Breuiter igitur hîc aliquot eius insigniores prærogatiuas referemus, quibus alias virtutes omnes antecedit: ex ijs enim quodam modo cognoscetur quid ipsa sit.

Cant. 8.

Prou. 31. *De charitate quam parũ dici potest.*

Prima prærogatiua. Charitas est Regina virtutũ aliarũ.

Prima est, quia (iuxta phrasin Theologorum loquendo) Regina est virtutum, omnibusq; alijs excellentior. Quod vt bene intelligatur, sciendum est, virtutes Theologicas (vt sunt Fides, Spes, Charitas) principatum habere super omnes alias, eo quod honorant, & respiciunt Deum, tanquam finem supernaturalẽ, & ad eum hominem ordinant, licet modis diuersis. Fides enim respicit Deum tanquã primam veritatem, tribuẽs firmum & integrum assensum omnibus rebus, quæ per illum reuelatæ sunt: Spes respicit Deum tanquam altissimum, & summum bonum, quod homo se assecuturũ sperat, diuina gratia, & bonorum operum meritis suffultum. Sed Charitas intuetur Deum tanquam summũ bonum, dignum quod ametur propter illud, quod est, idque amore summo. Is autem modus respiciendi, & honorandi Deũ est excellentissimus: & propterea Charitas Fide & Spe nobilior est. Fides enim intuetur Deum cum obscuritate, & quasi sub velo: Spes verò, tanquam bonum arduum, quod necdum etiã possidetur, sed cuius possessio speratur: & Deũ respicit cum aliquali vtilitate, seu proprio commodo; appetit enim eum ob propriam perfectionem, & hoc in suo genere pertinet ad amorẽ, quẽ Theologi appellant concupiscibilem: Charitas verò amat Deum amore veræ amicitiæ, hoc est, puro, & nullius vtilitatis spe permisto. De quo dicit Bernardus: Amor purus seipso contentus est, præmium non quærit. Hoc amoris modo anima in se Deum possidet: conditio enim perfecti amoris est, omnibus sensibus occupari in re amata, & cum illa vniri, & in illam transformari: & sic Deo per amorem conglutinari, vel incorporari: iuxta illud Ioannis: *Deus Charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Qui vnionis cum summo bono modus, eo quod

Bernard. de diligendo Deo.

1. Ioan. 4.

eò quòd intimus sit, facit, quòd Charitas omnium virtutum est excellentissima: quod & Augustinus insinuat, cùm dicit; Nihil est pretiosius anima, quæ possidet charitatem: nisi Dominus ipse, qui charitatem dedit. Ex quo colligitur, si hæc virtus omnium virtutum sit excellentissima, etiam opera & exercitia illius omnibus aliarum virtutum exercitijs esse excellentiora. Ea enim opera excellentiora sunt, quæ ab excellêtiori principio & habitu procedunt, quare si habitus Charitatis optimus sit omnium habituum spiritualium: sequitur, quod actus huius virtutis, qui est amare Deum actualiter, erit optimus actus, & maximè meritorius, omnium aliorum actuum. Neq; derogat hæc ratio singulari martyrij excellentiæ & prærogatiuæ, quæ in hac vita est: quod enim martyrium Deo tam est acceptum, non id habet ex se, sed ratione charitatis, quæ facit illud acceptum, & Deo gratum, sine qua martyrium non erit martyrium, sed, vt Apostolus indicat, tormentum inutile. 1.Cor.13.

Secunda Charitatis prærogatiua.

Secunda Charitatis prærogatiua est, quod non tantum omnibus est excellentior: sed quia finis est omnium virtutum, omnium mandatorum, & consiliorum diuinorum, quæ omnia ad hunc finem ordinata sunt: adeò, vt quemadmodum cibus ad sustentandum corpus, vestimentum ad tegendam nuditatem, & medicina ad sanitatem data est: sic tota lex Dei ordinata sit ad amorem proximi, propter amorem Dei. Nec sola lex Dei, omnesq; Scripturæ diuinæ, sed & creaturæ omnes, tam in cælo, quam in terra, hoc est, vniuersa hæc magna mundi machina ad hunc eundem finem ordinata: in hunc enim finem præcipuè creata est. Intelligat igitur homo, quot titulis obstrictus sit ad amandum Deum; cùm eo fine manibus Domini formatus sit, ad eum finem viuat; in eum finem cælum, aër, terra, mare, & omnes creaturæ illi famulentur. Omnia hæc, quantum in se est, infructuosa facit, & frustranea, si amori diuino non incumbat.

Tertia Charitatis prærogatiua. Simile.

Tertia prærogatiua est, quod Charitas non tantũ finis est omnium aliarum virtutum: sed etiam anima, vita, & perfectio omnium illarum. Quare, quêadmodum corpus sine anima corpus quidem est, sed vitam non habet: sic & virtus sine charitate, quamuis bonus habitus animi sit, vitam tamen non habet, nec pretium, nec meritum coram Domino, neque ad satisfaciendum ei pro peccatis, neq; ad gratiam promerendam, neq; denique ad gloriam comparandam; quamuis tamen vtilis sit ad alia nonnulla. Ratio est, quia cum homo ipse Deo non est gratus, neque opera eius grata Deo esse possunt. Præterea, quemadmodum homo non tenetur æstimare, q, propter se, aut in gratiam sui non fit: sic nec Deus æstimat ea opera, quantumuis etiam excellêtia, quãdo non fiunt propter amorem sui. Etenim si velis ieiunare, eleemosynam dare, castitatẽ, iustitiam, & patientiam colere, nihil autem horum facere propter Deum, (quemadmodum & multi Philosophi gentiles fecerunt) qua de causa Deus hæc respiceret, aut remuneraret? Quare virtus hæc tantæ est excellentiæ, vt sola per se pulchra sit, & in oculis Dei accepta extra quam nihil est, quod illi placeat. Quare

Charitas cum filio Dei comparatur.

& Charitas aliquo modo cum Filio Dei potest comparari. Quemadmodum enim nõ est creatura rationalis, nec in cælo, nec in terra, in qua beneplacitum est Deo, præterquam in dilectissimo Filio suo: sic nulla virtus, nulla actio est tam excellens, quæ placeat Deo, nisi charitatem habeat adiũctam, & illius

Charitas principium est omnium meritorum.

pulchritudine condecoretur. Propterea non immeritò virtus hæc appellatur radix, & principium omnium meritorum, totiusq; vitæ spiritualis: quidquid enim alicuius pretij est in conspectu Domini, id dignitatem suam habet ex charitate. Ita vt, q, radix ârbori, q, anima corpori, quod Sol mundo est; hoc omne est; charitas cordi Christiani. Non virent rami, nisi cũ radicibus adhærent: non viuunt membra, nisi viuificentur ab anima, nec mundus lucem haberet, si Sol auferretur: sic & opera nostra nec vitam, nec meritum, nec lucem habebunt, nisi quantum charitas illis tribuit. Huius rei multis verbis fidem facit D. Paulus, cum ait: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes trãsferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatẽ autem non habuero: nihil mihi prodest.* Vides igitur ex his apertissimè, virtutes omnes, omniaq; dona Dei, quæ sunt alicuius pretij, omnem suam dignitatem à charitate mutuare. 1.Cor.13.

Charitas opera indifferentia facit meritoria.

Porro non tantum opera virtutum in charitate facta placent Deo, sed & ea, quæ indifferentia vocantur, & quæ naturalia sunt, necessariaq; ad vitæ sustentationem, modò sint charitate animata, Deo grata sunt, & accepta: Ita vt sine charitate aurum virtutum, fiat lutum, & lutum cuiuscunque operis, quantumuis abiecti, fiat aurum cum charitate. Propterea dicit Augustinus: Ama, & fac quod vis: si tacueris, tace propter amorẽ: si loquaris, loquere propter amorem: si ignoueris alicui, ignosce propter amorem: si castigaueris, castiga propter amorẽ: quidquid enim ex amore fit, id omne meritorium est coram Domino. Quid igitur amore potest esse diuinius, qui opera quoque indifferentia facit diuina? Diximus supra charitatem esse aurum; nunc etiam dicimus tale aurum esse, quod omne id, quod tãgit, aurum facit. Quod darent homines pro tali arte Chymica, cuius beneficio omne metallum possent in aurum conuertere? Quo igitur in pretio habenda est virtus hæc, quæ ex plumbo facit aurum, ex ferro facit aurum? volo dicere omne opus quãtumuis vile æternæ vitæ meritorium fieri, per charitatem.

Hanc ob causam summa nostra cogitatio, assiduumque studium esse deberet, vt adimpleamus illud Apostoli: *Omnia vestra fiant in charitate.* adeò vt, siue manducemus, siue bibamus, (vt idem alio loco ait) siue aliud quid faciamus, omnia in gloriam Dei faciamus. quasi diceret; Quidquid facitis, quantũcumque humile sit, in charitate facite, vt sit meritorium. Non erat in templo Salomonis quicquam, quod auro non esset vestitum: sic & in anima nostra non deberet esse aliquid, quod non esset vestitum charitate. 1.Cor 16. 1.Cor.9. 3.Reg 10.

Charitas opera aliena facit sua.

Huius virtutis efficacia latius adhuc sese extendit: non enim opera tantum indifferentia facit sua; sed etiam aliena facit propria. Hoc est quod D. Gregorius ait; Charitas aliena bona amando facit sua, inuidia autem eadem odio habendo, in pectoris sui vertit vulnera. Discant igitur hic inuidi, quanta sit virtus charitatis, quæ sine molestia molestias aliorum facit proprias.

Charitas omnia merita Christi & Ecclesiæ facit nostra.

Necdum his terminis clauditur charitatis efficacia: non enim bona tãtum proximi facit nostra: sed etiam nos facit participes omnium bonorum Christi, totiusque Ecclesiæ, quæ corpus est Christi mysticum: Quia igitur Charitas vnit, connectitque corpus cum capite, & caput cum corpore, hoc est Christum cum Ecclesia: sequitur, charitatem esse illam, quæ facit vt bona vnius sint etiam alterius; quemadmodum & salus communis totius corporis, est beneficium singulorum membrorum.

Quarta prã-

Quarta Charitatis prærogatiua est, quòd non tã-

rogatiua. Charitatis.

tùm vita est omnium virtutum: sed etiam stimulus, & calcar, vel incentiuum, excitans in nobis cæteras omnes: vocat enim omnes ad suum exercitium, & vt officij sui memores sint hortatur. Ex amore namque Dei (quando magnus est) nascitur feruentissimum desiderium Deo placendi, & sanctæ illius voluntati satisfaciendi: quia verò Christianus scit nihil gratum esse Deo, nisi obedientiam, & obseruantiam diuinorum mãdatorum, operaque virtutum, ijs confestim operam dat, magnaq; alacritate sese exercet in ijs, quæ spectant ad diuinum obsequium: adeò vt quemadmodum sponsa, aut matrona nupta, quæ deperit maritum suum, quò plùs illum amat, eò diligentius studet ea facere, quæ marito suo nouit esse grata, tam in re domestica, quam in propriæ personæ cultura: sic anima, quæ ex toto corde cælesti sponso placere desiderat, quærit omnem illã munditiem atque ornatum, quibus scit eum delectari. Quia verò nouit nullum illi cultum & ornatum gratiorem esse virtutum syntheſi, sine vlla mora illam induit, & hoc mundo muliebri sese exornat. Qua in re charitas magnam etiam cum ipso Deo, quem amat, habet similitudinem: quemadmodum enim ille, cum vnus sit, & simplicissimus in sua essentia, tamen est omnia in perfectione, & omnipotentia: sic & charitas in suo genere, in potestate sua, suoque quasi imperio subiectas habet virtutes omnes. Quare & Apostolus illi omnes virtutes attribuit, sicut paulò post videbimus. Quãuis enim eius filiæ propriè non sint, (vt quę duos tantum proprios filios habet, qui sunt Amor Dei, & Amor proximi) tamen omnes hæ creaturæ illius sunt, & obediunt eius imperio. Vt aũt hoc dilucidius intelligamus, possumus imaginari duas arbores, vnã mortis, alteram vitæ; vnam vitiorum, alteram virtutũ; vnius eiusdemque inter se proportionis. In arbore mortis (sicut & in omnibus alijs arboribus) sunt radices, rami, & fructus: radix, est peccatum originale, q, (vt Theologi loquuntur) actu peccatum est vnum, potentia verò omnia: truncus, est amor proprius, cùm est inordinatus: rami, sunt omnes passiones & desideria inordinata, quæ ex amore illo inordinato procedunt: fructus, sunt vitia, & mala opera, quæ ex malis istis desiderijs oriuntur. Hic est modus & constitutio arboris mortis: & similis est arboris vitæ. Huius enim arboris radix, est gratia Spiritus sancti: truncus ex radice natus, est Charitas: rami, sunt virtutes, quibus omnibus (vt iam diximus) charitas dominatur: ex his virtutibus deinde fructus bonorum operum nascuntur, & diuinorum mandatorum obseruantia. Bene igitur dictum est à Paulo, *Plenitudo legis est dilectio.* &, *Qui diligit proximum, legem impleuit*, Optimè igitur D. Gregorius; Amor Dei, inquit, nunquam est otiosus: si namq; verus sit, semper operatur grandia. Ergo & optimè igni comparatur, qui omnium elementorum est maximè actiuus, quantò enim amor Dei est vehementior, magisque desiderio amatæ rei æstuat, tantò minùs quiescit, magisq; cupit ei, quem amat, placere. Non dissimilè est illud Augustini; Mihi videtur q, definitio breuis & vera virtutis est, ordo amoris. Ille enim verè virtute præditus est, qui omnia iusto amoris diligit pondere, amans singula illa amoris mensura, qua debent amari, & non amplius.

Similc.

Charitas similis Deo.

Filiæ charitatis.

Exemplum ab arbore sumptum.

Rom. 13.

Hinc est, vt qui amorem hunc habet, seruet in omnibus rebus modum, iuxta illud eiusdem Augustini: Charitas in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat: in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres latissima, inter falsos patientissima. Et in alio loco; Charitas inter opprobria secura est, inter odia benefica est: inter iras placida est, inter insidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate respirans.

August. Sermo. de laude charitatis.

Idem Ibid.

Sed iucundius est omnes hos fructus ex ore ipsius Apostoli audire, qui laudans hanc virtutem, eique imperium & dominium tribuens in alias omnes, de quibus modo agimus, sic ait: *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam; non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nũquam excidit.* Quæ verba D. Bernardus sic explicat: Charitas in aduersitatibus non deficit, quia patiens est: in iniurijs non quærit vindictam, quia benigna est: aliena prosperitate non torquetur, quia non æmulatur, aut inuidet: remorsum conscientiæ non habet, quia non agit perperam: honoribus non inflatur, quia non est superba: opprobrio non confunditur, quia non est ambitiosa: à concupiscentia non vincitur, quia non quærit quæ sua sunt: passionibus iniurię non turbatur, quia non irritatur: nihil suspectum habet, quia non cogitat de quoquam malum: non gaudet de malo alterius, quia non gaudet super iniquitate: erroribus non fallitur, congaudet enim veritati: persecutionibus non frangitur, quia omnia suffert; incredulitate non obduratur, quia omnia credit: desperatione non deijcitur, quia omnia sperat: nec mors ipsa potest mutare charitatem, quãuis enim omnia omnium aliarum virtutum opera post mortem in gloria cessant, charitas tamen nunquam excidit. O virtus inuincibilis, quæ victi sti ipsũ omnium rerum Dominum, & eũ cui subiecta sunt omnia, iugo tuo subiecisti, cùm victus amore nimio opprobrium factus est hominum, & abiectio plebis. Præ amoris namque magnitudine, quo nos complectebatur, non voluit iram suam in misericordia diutius retinere: sed obtulit vitam suam amantissimã inimicis, pro amicorum suorum dilectione. Hactenus Bernardus. Quæ verba, etsi nihil esset aliud, sufficiebant ad corda nostra amore tantæ virtutis, quæ tot, tamq; excellentia secum adfert bona, inflammanda.

1. Cor. 13.

D. Bernard.

Psal. 21.

Ex iam dictis infertur, quod sicut virtus hæc stimulus est omnium aliarum virtutum, sic etiam gladius est, quo resecantur omnia vitia: quemadmodũ enim placere cupit Deo virtutes operando, hæ enim illi gratæ sunt: sic etiam metuit; ne Deo displiceat, ideoq; fugit omnia vitia: hęc enim sola illi displicet.

Etsi charitas tam magnus sit stimulus & adiumẽtum ad omnes virtutes, ad vnam tamen potissimũ nos excitat, generalem scilicet fortitudinem, quæ laborem & molestiam omnium aliarum virtutum patienter suffert. Hæc fortitudo adeo propria est amori Dei, vt illa nihil sit in mundo fortius. Aggreditur namque hic amor dininus ardua, labores non recusat, obdurat in periculis, confortat animos debiles, addit calcearia ignauis, audere facit pusillanimes: difficultates enim non ratione metitur, sed desiderio.

Charitas generalem in nobis creat fortitudinẽ.

Ratio huius est, quia effectus naturaliter sequuntur naturam suarum causarum: quantò autem causæ sunt potentiores & fortiores, tanto etiam vehementiores sunt effectus, qui ab illis procedunt. Cũ itaque finis omnium causarum prima sit, & principalis, (ea enim alias omnes ad operandum mouet) hinc est, vt quantò maior est amor finis, tantò fortiùs agant omnes aliæ causæ, ab illo fine motæ, ad finis illius consecutionem. Quare quantò maior est amor, quo quis pecunias, aut honores, aut studia literarum appetit, tanto maiores impendit labores, vt quod appetit adipiscatur. Ita quod, quemadmodum aqua dicitur tantum ascendere, quantum

descen-

descendit, aut quantum super se pondus habet: sic dicere possumus, in omnibus negotijs tantum esse fortitudinis, quantum est amoris. Huius rei argumentum habemus in ipsis animalibus rationis expertibus, quæ quantumuis infirma sunt, obijciunt tamen non rarò sese venabulis & spiculis venatorum, vt fœtus suos defendant amore suppeditante fortitudinem, & illum animum, quem ipsa natura negauit. Vehemens enim amor semper contemnit pericula, & in rem amatam toto fertur desiderio: propterea sese facilè in præsens conijcit discrimen, vt suos à periculo conseruet, atque proprij dispendij metum spernit: non enim sibi metuit, sed alteri.

Ex his igitur apertè patet, quomodo amor Dei sit causa fortitudinis, & quod tantò quis promptior erit & expeditior ad quæuis mala perferenda, quantò amor in eo erit vehementior. Quid aliud sibi vult illud Canticorum; *Fortis vt mors dilectio*? Quid fortius morte, quid potentius? quæ arma huc vsque contra mortem prævaluerunt? de quo illa non triumphauit? Quemadmodum igitur mors victrix omnium rerum est: sic amor Dei vincit omnia; posteaquam etiam ipsa mors, omnium rerum victrix, ab hoc amore vincitur: verus enim amator Dei mori potest, vincì non potest. Quis negabit B. Laurentium triumphatorem mortis, flammarum, & omnis huius mundi tyrannidis? omnia enim arma in illum sunt expedita, extrema quæque tentarunt, vt amorem & constantiam eius expugnarent: sed victa mors est, extinctæ flammæ, corpus lassatum: fides verò, charitas, & animi eius fortitudo, etiam in medijs tormentorum furijs, non minus immota & infracta mansit, quàm adamantis acies: quæ priusquam frangitur, incudem & malleos lædit, aut penetrat, & brachia tundentium fatigat. Vnde orta est illa vox Datiani, qui postquam omnia tormentorum genera in corpore gloriosissimi martyris Vincentij exercuisset, admiratus tantam constantiam, & stupefactus, clamauit: Victi sumus? Vnde inquâ vox illa orta, nisi ab inexpugnabili charitatis fortitudine? victa namque morte, victo tyranno, martyr inuictus exultabat. Nulla enim victoria gloriosior, quàm cum aduersarius ipse victum sese fatetur.

Amor mortis fortior. Cant. 8.

B. Laurentij fortitudo.

Cæterum si parum tibi videatur, charitatem de morte triumphare, respice quoque quòd superat & vincit omnem vim & potentiam huius mundi. Dicat autem illud magnus ille Christi amator, qui & verè mortem ipsam, & omnem mundi potestatem vicit. Dicit enim sic; *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* (*sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.*) *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neq; virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundũ, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Hucusque D. Paulus. in quibus verbis nescio quid primum admirabor, fortitudinemne & firmum Apostoli propositum, an verò fortitudinem & excellentiam ipsius charitatis, quæ tantum in omnes creaturas habet imperium, quas omnes vincit, cuius tanta est potentia, vt ex creatura omnium maximè debili, tantò magis damnum metuente, quantò est sui commodi studiosior, homine scilicet, faciat toto mundo potentiorem.

Rom. 8.

Psal. 43.

Cæterum quid fortitudinem charitatis cum creaturarum fortitudine confero, cum etiam de ipso omnium creaturarum Domino triumphauerit? Quis enim eum ex summo cælo in hanc miseriarum vallem detraxit? Quis illum ad columnam alligauit? Quis manus & pedes eius duris clauis transfixit? Quis eum seruum & ministrum hominum fecit? Quis illum fecit truncum cæli cum trunco crucis coniungere, nisi Amor nostræ redemptionis? Quare ieiunauit, sudauit, laborauit, vigilauit, mortuus est, nisi propter eundem Amorem? O charitas, quãta est tua potentia? si Deum viceris, hominem quomodo non superabis? O dulcis Tyranne, quantis blanditijs & adulationibus corroboras animos hominum, vt audeant res maximas? Hæc est illa fortitudo, quam promiserat Dominus Discipulis suis in die Pentecostes, cùm Spiritus sanctus in illos descenderet, qui vt verus & essentialis amor est, in linguis igneis venit: *Sedete*, ait, *in ciuitate quoad vsque induamini virtute ex alto.* Induamini, inquit, vt significet hunc sanctum amorem, esse quasi loricam, vel armaturam, quæ totum hominem tegit, à vertice ad calcem vsque, ita vt nulla pars corporis nuda ictibus hostium remaneat.

Charitas de Deo triumphauit.

Luc. 24.

Verum igitur est, quod Doctor quidam sanctus circa hanc materiam de amore diuino asserit, dicés; Fortitudo cordis est amor Dei; amor enim verus & legitimus semper fortis est, nescit cedere; pericula non timet, labores non recusat, mittit manum ad factu difficilia, sustinet patienter contraria, dolores non sentit, semperque progreditur cum desiderio proficiendi. Si insurgant castra, si eum tentent vitia, si totus mundus in illum armetur, si veram habeat charitatem, nũquam vincetur. Et quod super hæc omnia vel maximè mirandum est, charitas non tantum potens est, & fortis in alios, sed etiam in ipsum sui possessorem. Exemplo sit mater, quæ plurimum diligit filium suum vnicum, quæque seipsam multum exagitat, vt filium quocunque modo diuitem faciat. Quid amor in illa est, nisi crudelis tyrannus? & quid illa, nisi serua illius, quem amat? Quæ durior captiuitas, quàm non edere, non bibere, non dormire, non viuere sibi, sed alij? Contemnit omnes voluptates, omnia postponit negotia, crescunt ei curæ, solicitudines, & dolores, peiusque tractatur, quàm serui & captiui: laborat & cruciatur die ac nocte, nec vllum ex eo commodum expectat sibi, sed alij. Hæc eius est vtilitas, & his rebus delectatur: dulcius est enim bonum illius prò quo laborat, quàm id quod patitur in laboribus amarũ. In felle inuenit mel, & in laboribus requiem. Videtur igitur in mundo nil esse dulcius, nil fortius, nil crudelius, nil magis pium amore. Dulcis est cordi amanti: fortis est ad tolerandos labores: crudelis est sibijpsi; pius est illi, quem amat. Meritò igitur D. Bernardus nos ad amorem huius virtutis, quæ tot secum adfert bona, inuitat, dicens: Sectamini Fratres charitatem, quæ expellit timorem, quæ nõ sentit laborẽ, quæ non spectat merita, quæ non quærit præmium, & tamen plus ad virtutem allicit, quàm reliqua omnia.

Exemplum.

Bernard.

Ex eodem principio infertur, Charitatem non tantum esse fortem ad patiendum pro eo quem amat, sed etiam maximè liberalem ad dandum ea, quæ habet, alteri, cùm sibijpsi sit auara. Testes sunt patres, qui sese spoliant omnibus quæ habent, vt filios ditent: & sese exuunt, vt vestiant illos: imo & ipsa animalia bruta pabulum suis faucibus euomũt, vt habeant pulli quod edant. Hinc sequitur, quòd is qui Deum plus amat, quàm semetipsum, etiam omnia quæ habet, magis habeat Deo, quàm sibimetipsi. Ex illo fonte fluit puritas intentionis, quàm tales habent in suis operibus, quæ virtus est altissima: etenim cùm illi Deum plus quàm seipsos diligunt, & Deo magis quàm sibi bene volunt, non sunt mer-

Charitas ad ijs liberalis, sibi auara est.

cenarij, neque faciunt quicquam in proprium commodum: nec Deum ordinant ad se, nec honorem, aut aliud quidquam sibi quærunt: sed omnia volunt & quærunt illi, quem diligunt plùs quàm semetipsos. Et quantò liberiores sunt à concupiscentia, tantò pleniores sunt charitate; & tantò plus lucrantur, quantò minùs lucrum respiciunt: quantò longius absunt à spiritu mercenarij, tantò maior eorum est merces: non enim datur illis merces vt mercenarijs, sed hæreditas, vt filijs, ex thesauris paternis. Ideo dicit Bernardus: Vacua vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est.

Bern. de diligendo Deo.

Sexta charitatis prærogatiua.

Sexta Charitatis prærogatiua (quando valde est accensa) est lætitia, & gaudium spirituale. Quemadmodum enim a Sole procedit lux, & ab igne calor: sic gaudium oritur ex præsentia rei amatæ. Gaudium autem hoc vnus est ex fructibus Spiritus sancti, qui ob hoc Paracletus, hoc est, Consolator dicitur, eo quòd officium illius sit, animas, quæ propter amorem Dei dura patiuntur, recreare, & consolari. Hæ consolationes & deliciæ multis parasangis huius mundi voluptates antecedunt. Primo, quia magis propriæ sunt, & conuenientes hominis naturæ, qui creatura est rationalis: quo titulo tantò digniores etiam sunt omnibus alijs delicijs, quantò parti competunt nobiliori. Sunt enim deliciæ nobilissimarum potentiarum, quæ sunt in homine, intellectus nimirum & voluntatis: quę quantò omnibus alijs potentijs sunt nobiliores, tantò voluptatum maiorum sunt capaciores. Secundo, quia delectationes, quæ ex amore Dei fluunt, non sunt delectationes naturæ, sed gratiæ: deriuantur enim ex donis Spiritus sancti, & potissimum ex gratia, quæ cæteris gratijs est sublimior, & proinde secum trahit altissimas, & nobilissimas delectationes. Tertiò, quia deliciæ istæ non sunt creaturarum, quæ finitæ sunt, & limitatæ, sed ipsius Domini & Creatoris omnium creaturarum, qui vniuersale, & infinitum bonum est, & proinde sufficiens ad excitanda maiora gaudia, maioresque delectationes: ita vt hoc gaudium ab omni parte sit cæteris excellentius; siue subiectum spectes, siue potentias, siue causas, siue ipsum obiectum: quod est æternum illud & summum bonum, quod in se continet summam perfectionem: & sic est nostra vltima perfectio, in qua cõsistit omnis nostra beatitudo, & sufficientia: maxima enim satietas, quam creatura possit habere, est peruenire ad centrum suum, & vltimum suum finẽ, qui terminus est omnis desiderij: & sicut nihil amplius potest desiderare cùm abest, ita de nullo potest amplius gaudere, cùm adest. Cum igitur Deus sit summum bonum, vltimus finis, & velut centrum creaturarum rationalium, acquirere summum bonum erit etiam plena satietas, & animæ sufficientia: quod non excipitur brachijs, sed complexibus, hoc est, vnione sanctissimi huius amoris.

Consolationes Dei potiores consolationibus mundi.

1.

2.

3.

4. Est & alia huius rei ratio, nimirum quod delectatio vel lætitia oritur ex acquisitione boni desiderati. Nam, vt S. Thomas ait, desiderium est motus cordis, cuius terminus est bonum desideratum: cumque motus ille ad terminum suum peruenit, necessario cor quiescit, & exaltat in illo. Est autem hoc loco notandum (vt idem Doctor ait) talem fore lætitiam, quale est bonum ipsum acquisitum. Quia verò omnia bona huius vitæ sunt finita & particularia, etiam gaudium, ex ijs resultans, erit finitum: ex altera verò parte quia Deus est bonum vniuersale, in quo solo inueniuntur omnia bona, ideo & gaudium, quod ex eo percipitur, sine comparatione multò maius est, quam omnia bona mundi huius simul iuncta. Nulli autem hoc mirũ videatur, quia si Sol, quæ pura est creatura, est maior pars lucis huius mundi, quàm omnes stellæ simul, (non enim hæ splendent in præsentia illius) quid mirandum est, quòd Creator solus sufficiens magis est ad exhilarandum, dulcedineque perfundendum cor, quàm omnes creaturæ simul? Imò maxima est hominum dementia, quietem extra Deum quærere. Certissimum namque, & indubitatum est, creaturam non posse habere quietam & perfectam satietatem, extra suum centrum, aut vltimum suum finem: quamdiu namque extra illum est, semper plorat & suspirat. Similiter & id verum est, vltimum finem, ad quẽ creatus est homo, Deum esse. Si igitur non potest homo esse beatus, quamdiu non fruitur vltimo finẽ, qui Deus est; quæ maior stoliditas, quàm quærere perfectum gaudium, animique satietatem extra Deum finem suum vltimum?

S. Thom.

Quamuis autem perfectio huius gaudij non nisi in alia vita sit, (vbi perfectius videbimus bonum hoc, eoque fruemur) nihilominus communicat hoc aliquatenus Deus familiaribus & amicis suis, etiam in hac lachrymarum valle, tanquam primitias, & micas quasdam mensæ illius cælestis, ad consolationem afflictorum, & solatium eorum, qui pro amore illius patiũtur. Hinc est, quòd cùm dulcis & amabilis ille Dominus vult animam verè quærentem & amantem se consolari, illuminat prius intellectum luce tam magna, & inflammat voluntatem amore & gaudio Spiritus sancti tanto, vt eorum abundantia redundet etiam in partem animæ inferiorem, ita vt dicere possit cum Dauide: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Ostendunt hoc manifestissimè exempla multorum Sanctorum, quibus diuina tam fuêre dulcia, & mundana tam amara, vt omnia hæc abiecerint & contempserint, illa verò amplexi sint: fugientes in eremum, facti bestiarum socij, habentes herbas pro cibo, & cauernas atque speluncas pro domibus; quod sanè toto vitæ tempore continuare, & tolerare non potuissent, nisi maiorem consolationem inuenissent in eo, quod Deus dabat, quàm in illo quod in mundo reliquerant. Neque hoc mirandum est: si enim multi Philosophi renunciauerint mundo cum omnibus, quæ in mundo sunt; vt liberius vacare possent rerum naturalium contemplationi, ob summam, quam in ea voluptatem inueniebant: quid mirum, idem facere magnos illos Dei amatores, propter contemplationem rerum supernaturalium, & diuinarum, donis Spiritus sancti & gratia illius adiutos?

Perfectum gaudium in cælo dabitur, hic autem primitiæ dantur.

Psal. 83.

Ex hac prærogatiua sequitur alia non minor, hæc nimirum, quòd sicut mel non solum dulce est in se, sed & cibos alios, quibus miscetur; dulces etiam facit: sic Charitas non tantum suauis est in se, sed suaue leueque facit onus mandatorum Dei: adeò namque immotos habet oculos in re amata, vt cùm intelligit tribulationes esse media, per quæ, quod amat, acquiritur, etiam ipsas amet tribulationes. Nõ enim tribulationes, vt tribulationes, considerat, sed tanquam media, ad rem amatam perueniendi: ideoq; plus gaudij, quã doloris, ex illis percipit. Quare dicit optimè S. Augustinus: Qui amat, aut non laborat, aut ipsum amat laborem. Et alio loco: Nullo modo onerosi sunt labores amantium: sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium. Et S. Bernardus dicit: Dulce & suaue illud esse videtur, quod præcipit dilectio, & allicit amor. Nam nulla ibi apparet difficultas, vbi est charitas: nullus ibi labor, vbi verus est amor. Leue præceptum, suaue præceptum, & dulce præceptum. Ad portandum leue, ad amplectendum suaue, ad tenendum dulce, & delectabile.

Septima prærogatiua.

Augustin. de sancta Virginit.

Bernard. Serm. 14. in Cœna Domini.

Magnum & arduum erat septem annis per montes & valles, per aspera & prærupta loca errare, atque

Genes. 29. que greges pascere: totum autem hoc leue visum fuit patriarchæ Iacob, propter amorem suæ Rachelis. Quantò igitur leuior erit animæ, amore diuino plenæ, labor virtutis, quando considerat ex eo se summum bonum consecuturam, & Sponsum habituram rerum omnium Creatorem? Talis erat spiritus & deuotio Bernardi, cùm diceret: Fateor, non sustinui pondus diei, & æstus: sed iugum suaue & onus leue: pro beneplacito patrisfamilias porto opus meum, vix vnius horæ, & si plus, præ amore non sentio. Dulcissima sane res est, quæ potest omnia dulcia facere; & si quid sit, quod id poterit, sanè Amor Dei erit; sicut idem Sanctus ait: O dulcis Iesu, inquit, amor nunquam otiosus est in his qui te amant. Tui meminisse dulcius est melle, de te cogitare cibus est suauissimus, de te loqui satietas est perfecta, de te meditari consolatio absoluta, & tibi adhærere vita est durabilis.

Bernard.

Matth. 11. Ex iam dictis intelligetur veritas illius dicti Saluatoris: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Onus enim Domini, lex eius est; & perfectio legis amor est: amor autem suauis est, & tam suauis, vt omnia quoque suauia faciat: & quamuis iugum & onus appelletur, tale tamen onus est, quale sunt auiũ pennæ, quæ non tantum non grauant, sed & leuiores illas faciunt ad volandum. Recte ergo Bernardus: Bona lex charitas, & suauis, quæ non solum leuiter, suauiterque portatur: sed & mercenàriorum, seruorumque leges portabiles ac leues reddit. Et alibi; O iugum sancti amoris, quàm dulciter capis, glorioſe illaqueas, suauiter premis, delectabiliter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis?

Bernard. de diligendo Deo, sub finem.

Quæ virtus igitur illa magis desiderabilis, quæ omnes alias reddit suaues & delectabiles? Ob solam dulcedinem, quam homines inueniunt in vitijs, à virtutibus abhorrent: existimantes vitia cum omnibus suis malis, esse dulcia: virtutes autem cum omnibus bonis suis, amaras, inescati igitur cibo delectationis, amplectuntur vitia, & fugiunt virtutes. Quantò igitur in pretio habenda est virtus hæc, quæ mel miscet reliquis omnibus, difficultatemque & asperitatem omnem, quam habent, tollit? Quid hoc aliud est, quam hominem quodam modo reducere ad imaginem felicissimi illius status innocentiæ, in quo terra producebat fructum sine labore, & mulier pariebat sine dolore: hoc est, in quo homo sine sudore vultus sui colliget fructus virtutis, & sine dolore partus proferet fructus bonorum operum?

Obuia charitatis prærogatiua.

Habet & Charitas aliam prærogatiuam nobilissimam, quia hominem cum Deo vnit, & in Deum transformat. Quid enim est amor (vt inquit S. Augustinus) nisi quædam vita, duo aliqua copulans: amantem scilicet, & quod amatur? Quapropter Philosophi hanc inter voluntatem & intellectum constituunt differentiam, quòd intellectus cùm operatur, facit rem sibi similem, ità tamen, vt ex materiali faciat spirituale, & intellectualem, secundũ certam proportionem, per quam potest intelligi: at voluntas econtrario, cùm aliquid amat, fit illi similis; ipsa tota enim in illud transformatur. ex quo patet, intellectum esse quasi sigillum, quod in qualibet re, quam premit, suam relinquit imaginem: voluntatem verò tanquam ceram, quæ confestim apprehendit figuram eius, quo cum premitur. Hoc est, quod Augustinus dicit: Talis est quisque, qualis eius dilectio est. Terram diligis? terra es; Deum diligis? quid dicam? Deus es. *Ego*, inquit, *dixi, Dij estis.*

August in Canon. Ioan. 10.

Quando homo in Deum transformatur.

Cæterum ad intelligendum hoc, necesse est vt præsupponamus, hanc transformationem non esse naturalem, sed spiritualem; non enim mutatur natura vnius rei in aliam: sed mutãtur corda, affectus, desideria, & tota vita. Exempli gratia: Mater aliqua diligit filium suum plus quàm semetipsam. Dic mihi, quid poterit filius facere pro semetipso, quod mater non facit pro illo? Filius ratione amoris quo diligit seipsum, semper studet suæ vtilitati, & in eo vitam suam consumit. Quid minus facit mater, quę illum tam tenerè amat? Omnis eius cura, & omnis eius cogitatio est in illo, & pro illo: id agit quod illi scit fore vtile, damnum illius damnum suum æstimat: cogitationes illius cogitationes suas facit; affligunt eam dolores illius, flet quando flet ille; lætatur cum lætatur ille: iniurias filij sibi putat irrogari: infirmatur filius, & mater infirmatur: adeò vt quemadmodum vmbra corporis imitatur omne id quod facit corpus, & sequitur eius motus atque figuras: sic etiam si videre possemus duo illa corda, cerneremus quale vnum est, sic & alterum esse, accidentiaque & motus, quæ in vno mutantur, in alio quoque mutari. Id adeo naturale est, & ordinarium, vt videatur homo suijpsius propriæque naturæ oblitus. Videmus enim matrem suijpsius obliuisci, vt recordetur sui filij: & spoliare se, vt filium suum faciat diuitem. Vnde liquet, eam magis esse in filio, quàm in semetipsa: cum suijpsius obliuiscatur, & se deserat propter illum: ideoque optimè dictum est à Platone: Qui verè amat, mortuus est in proprio corpore, & viuit in alieno. Simile.

Anima igitur, quæ sic Deum amat, transformatur in illum, ita vt quidquid ille vult, & ipsa velit; & quidquid Deo displicet, & animæ displiceat: quidquid ille vel amat, vel odit, idem & illa amet, atque oderit; nec rationem habet sui, aut vtilitatis propriæ; non quærit honorem suum, non vt sibi satisfiat, sed honorem Dei, & vt Deo satisfiat studet. Atque ita in omnibus, & per omnia vnum habet velle, & nolle cum Deo, vniusque cum eo est voluntatis: & mutata voluntate, confestim mutatur & vita, & omnia opera, quæ ab illa procedunt. Quemadmodum enim cùm ramus ab arbore resecatur, & alius inseritur surculus, fructus qui in illo surculo nascuntur, non iam amplius sunt naturæ illius resecati rami, sed inserti surculi: sic abscissa voluntate hominis, & insẽrta illa Dei, fructus verborum, operum, & cogitationum, quæ ab illa procedunt, non sapiunt iam amplius voluntatem hominis antiquam, sed Dei nouam. Adeò vt quemadmodum ferrum in ignem iniectum, proprietatem & conditionem ignis induit, & tamen ferrum esse non desinit: sic homo qui eum in modum ardet in amore Dei, particeps fit puritatis & sanctitatis Dei, licet homo esse non desinat. Hoc est quod S. Dionysius refert de S. Paulo: Amor, inquit, vim habet vniendi res inter se, nec sinit, vt qui amat sit dominus suijpsius; sed transit in rem amatam. Idcirco magnus ille amator dicebat; *Viuo iam non ego, viuit autem in me Christus.* Simile. Simile. Galat. 2.

Eadem transformatio probatur & alia ratione. Naturale namque est homini omnibus neruis, viribusque suis contendere, vt transformetur in rem amatam. Qui enim plurimũ amat virtutem, id agit, vt fiat virtute præditus, & totus studiosus: qui amat literas, vt literatus; qui arma, vt miles: qui aleas, vt bonus aleator: sic magnus amator Dei operam dat, vt obseruet & faciat quod idem Deus præcipit, cùm dicit; *Estote sancti, quia ego sanctus sum.* Leuit. 20.

Manifestiùs id etiam fiet, si consideremus imperium, quod habet amor in voluntatem, & voluntas in omnes alias hominis potentias: quod enim est Rex in suo regno, id voluntas est in homine. Proinde cùm voluntas inclinat in aliquam rem, mox secũ trahit omne id, quod habet in suo regno. Quem- *Imperium voluntatis in hominem.*

Simile. admodum igitur cælum primum suo motu rapit secum omnes alias sphæras inferiores: sic voluntas secum rapit omnes alias potentias animę, memoriam, intellectum, desiderium, membra corporis, & omnia reliqua, quæ in homine sunt. Cùm igitur voluntas toti dominetur homini, & amor dominetur voluntati, (quo enim amor inclinat, illuc & voluntas inclinat) sequitur, quod cui adhæret amor, ei & voluntas adhæreat: ipsumque apprehendit totus homo, cum omnibus quæ in regno illius sunt: & fit talis, quale est id, quod amat. Hinc est, vt si quis amet vitia, fiat vitiosus, si mundum, fiat mundanus, si carnem, carnalis; si spiritum, spiritualis. Quidquid enim amplectitur amor, id etiam amplectitur homo cum omnibus suis potentijs: atque hoc sufficit, vt fiat homo talis, qualis est res, quam amat. Ideo dicit Propheta, vbi loquitur de ijs, qui peccârant Deo;

Osee 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

Si igitur amor vim habeat efficiendæ huius transformationis, quàm sublimis res erit amor Dei, cum anima per illum transformetur in Deum? An poterit illa maiorem habere excellẽtiam, maiorem gloriam aut maiorem hac dignitatem? Quò potest homo se vertere, vbi plus lucri inueniat? quò potest ascendere, quo magis desideret? quid facere poterit, quò magis nobilitetur, quàm amando Deum, & participando maximam illam nobilitatem Dei, eiusque puritatem? Potest hoc ipsum homo quotidie in seipso experiri, quando adhæret Deo: si enim in hoc exercitio vel ab vna saltẽ huius amoris scintillula tangatur, mox sentit in se noua proposita, nouaque desideria vitæ in melius commutandæ. Vides igitur quantopere amor Dei nobilitabit animã, in qua perpetuò quiescit, cùm etiam sic nobilitet eam tantùm transeundo.

Habet & alias innumeras prærogatiuas virtus hæc charitatis, quas si commemorare omnes vellẽ, opus hoc in infinitum procederet: ideoq; finem huic materiæ imponam, dicendo quod sicut hæc virtus maior est omnibus alijs virtutibus, & finis omnium; sic & illa est, in qua essentialiter consistit perfectio vitæ Christianæ, & à qua mensura sumitur tam perfectionis, quam iusti in hâc vita sunt assecuti; quàm gloriæ, quàm accipient in altera. Hoc est quod D.

Bernard. Bernardus ait, cum de quantitate animæ differit: Quę magnam, inquit, habet charitatem, magna est; quæ paruam, parua; quæ nullam, nulla est. Ideo &

1. Cor. 13. Apostolus dicit; *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Ita vt si vetula quædam in fine mortis inueniretur maiorem habens charitatem, quàm alius quidam, qui etiam multa miracula fecisset, multasque animas conuertisset, sine dubio maiorem haberet in cælo gloriam essentialem, eò quod maiorem ha-

S. Thomas. buisset in terris charitatem: nam, vt D. Thomas ait, plura sustinuisse, & plures animas conuertisse, non pertinet ad gloriam essentialem, sed accidentalem. Qui autem maiorem habuit charitatem, maius habebit præmium essentiale, iuxta illud Au-

August. gustini: Non multitudo tribulationum, non longa seruitus, sed maior charitas maius facit meritum & præmium.

Neque illud mirandum est: etsi enim omne id, quod homo facit ex partè sua exiguum sit, si comparetur cum illo quod à Deo recipit; tamen cum illo & multa facit, & multa dat, qui multum amat: amãdo enim & seipsum dat, & quam fieri potest maximum præstat obsequium. Quemadmodũ enim voluntas (iuxta id quod diximus) est regina & domina omnium quæ in homine sunt, sic & amor dominus est voluntatis, qui plenè offert etiam voluntatẽ cum omnibus quæ habet, quamdiu aliquid offerendum est: atque hæc oblatio debetur soli Deo, in ea namque homo omnes vires omnemque suam intendit potentiam: ideoque Deus respondet huic seruitio quemadmodum est, dando illi omnia, qui se totum dat ipsi.

Hæc doctrina magnæ consolationis est apud pauperes, qui quod dent non habent; & apud illos, qui nec literis, nec ingenio, nec laboribus corporis (aut quia senes sunt, aut quia debiles) possunt magna Deo exhibere obsequia: sine enim his multum amare possunt Deum; multum potest, qui multum amat; multumque dat, qui dat semetipsum: & multum facit, qui multum facere desiderat: coram Deo namque, qui cor intuetur, nõ minus valet bona voluntas, quàm bonum opus. Si non poteris facere multum, desidera multum, & ama multũ: in amore namque facies omnia. Si pauper sis, nec eleemosynas dare poteris, esto diues in amore, desidera illas dare, & crede quia dedisti. Non habes qui te torqueat, & cruciet propter Deum; desidera ex toto corde sic propter Deum tractari, & eris quasi martyr in oculis Dei. Aliud namque est (inquit Cyprianus) animum martyrio deesse, & aliud animo defuisse martyrium: illud namque humanæ infirmitatis est, hoc verò diuinæ dispensationis.

Cyprianus in Epist. ad Hilarium. Ecce igitur, Christiane lector, ad quanta, & qua præstantia vtilis est Charitas: est enim omnium virtutum maxima, omnium finis, omnium vita, omnium perfectio, & omnium summa. Dicunt Theologi: quòd amor inordinatus suijpsius, fons est, & principium omnium peccatorũ. Cum igitur amor Dei ex diametro pugnet cum illo, sequitur quod amor Dei est gladius, quo peccata omnia amputantur, & principium vniuersale virtutum omnium. Quis igitur cum omni diligentia sibi comparare non velit medicinam ad omnia infirmitatum genera tam efficacem? quis quærere non velit virtutem, quæ conducit ad omnes virtutes alias consequendas? O admiranda virtus, radix omnium virtutum, filia gratiæ primogenita, magistra sanctitatis, speculum religionis, pondus meriti, vestis nuptialis, hæreditas oculorum Dei, clauis paradisi, conseruatio animæ, dulcedo cordis, fortitudo pugnantium, corona vincentium, soror veritatis, mater sapientiæ, socia Sanctorum, gaudium Angelorum, formido Dæmonum, victoria vitiorum, plenitudo omnis perfectionis. Sine te languẽt humanæ vires, obscuratur intellectus, mortua est fides, vanè præsumit confidentia, omnis boni amittitur meritum, & vinculum amoris fraterni rumpitur: tecum autem homo fortis stat in tentationibus, humilis in prosperitatibus, & securus in aduersitatibus.

Si igitur virtus hæc tot & tanta secum adferat cõmoda, an non est æquũ vt sapiens mercator Euangelicus inuenta hac margarita vendat omnia quæ habet, & emat illam? Quæ exercitia, quæ mortificationes, quæ tribulationes poterunt inueniri, quæ impẽdantur huius magaritæ consecutioni, non videbuntur optimè collocata? Multum est, quod requiritur: sed quid illud totum est, quod homo præstare potest, cum Deo comparatum, qui per amorem pos- 1. Ioan. 4.
sidetur? *Deus charitas est*, (inquit Ioannes) *& qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Deus*, inquit Bernardus, *est charitas*: quid pretiosius? *& qui manet in charitate, in Deo manet*: quid est securius? *& Deus in eo*: quid delectabilius? An parum tibi videatur, quod dicitur, *Deus est charitas*? parum est, Deum *in nobis manere*? Soli charitati hoc conuenit priuilegium, vt Deus charitas dicatur. Nõ enim dicitur; Deus est humilitas, Deus est castitas, Deus est obedientia. Cùm enim virtutes omnes aliæ dona Dei sint, sola hæc inter omnes virtutes hoc gaudet pri-

det priuilegio, vt & donum Dei sit, & Deus appelletur.

Quid erit igitur omne hoc, quod datur pro charitate, nisi exigua quædam particula totius? id est, parua particula rerum creatarum, qui est totus homo, pro Creatore totius vniuersi? Quis non dicet ex toto corde illud, quod magnus quidam amator istius virtutis olim scripsit; O charitas, si scirem, quãta est tua dignitas, darem omnia, quæ à me petere posses. Sed sine dubio dignitas tua excedit omne id, quod ego possideo, & in me pretium non inuenio te dignum. Nihilominus dabo omne quod habeo. Et cùm omnia dedero, nihil me dedisse arbitrabor. Dabo lubens omnes carnis meæ voluptates, omnesque cordis mei oblectationes, vt te mihi comparem: tu enim sola mihi eris amabilior, tu vtilior, tu delectabilior, tu suauior istis omnibus. Tu enim es quæ magis exhilaras, tu quæ magis satias, tu quæ securiùs defendis, & tu quæ dulcius recreas. Tu denique es, quæ animas nostras impinguas, & ad Deum eleuas.

Præter omnia autem hactenus dicta notandũ est, quod tractaturi in hoc libro de perfectione Charitatis, (in qua perfectio vitæ Christianæ consistit) necessario multa exigere debemus ab amatore illius, quæ sunt valde sublimia, spiritualia, & difficilia quidem naturæ, sed facilia gratiæ diuinæ. Etenim cũ illa perfectio consistat in vnione hominis cum Deo, (quæ fit per imitationem & similitudinem ipsius Dei) fieri non potest, quin multa sint necessaria spiritualia, priusquam sic adhærere Deo possumus, vt vnus cum illo spiritus efficiamur. Nemo tamen ob hoc tergiuersetur, aut fugiat: neminem enim ad hãc perfectionem cogimus, sed monemus eos, qui sponte ad illam aspirant: (licet omnes ad eam aspirare deberent) cùm enim nullum nobis modum constituamus in desiderijs bonorum temporalium, multò minùs modum in cælestibus & spiritualibus appetendis constituere nobis debebamus.

DE PRÆCIPVIS MEDIIS, QVIBVS diuinus amor acquiritur.

CAPVT II.

CVm iam plurima, eaque præclarissima, de Charitate dixerimus, animosque hominum amore tam pretiosæ margaritę accenderimus, scire tandem cupit homo viam, modumque illam sibi comparandi. Ad hoc igitur conducet, quidquid deinceps toto libro hoc tradetur. Ante omnia ergo necessarium est, vt intelligatur natura & conditio finis, quem nobis proposuimus: qui non est alius, quam amor Dei. Explicemus igitur primò, quæ sit conditio huius amoris: ea profecto non est alia, quã hominem vnire & transformare in Deum, cùm interipsum & Deum idem velle & nolle sit, imitando quantum fieri potest eius sanctitatem & puritatem. Hoc præcipit ipse Dominus in multis Scripturæ locis, vt cum dicit; *Estote sancti, quia ego sanctus sum.* Nec tantum sacræ literæ volunt nos ad hunc finem vitam nostram dirigere, & secundum hanc primam regulam, quæ infallibilis est, instituere: sed etiam humana huc peruenit Philosophia. Plato enim in Dialogo, cui titulus est Theæteus, idem dicit in persona Socratis, his verbis: Quamobrem danda est opera, vt hinc illuc quàm celerrimè fugiamus. Fuga autem est, vt Deo quàm proximè fieri poterit assimilemur, atque conformemur. Deo autem assimilat iustitia, & sanctitas, cum sapientia coniuncta. Deus nusquam nequaquam iniustus est: sed quantũ fieri potest iustissimus. Deo autem nihil similius est, quàm cum ex nobis hominibus aliquis quam iustissimus est. In hoc nimirum & vera hominis præstantia versatur. quantum verò inde abscedit nullitas, & huiusmodi inertia, atque imbecillitas, vt hominis nomen amittat, certè existit. huius enim cognitio, & sapientia, & vera virtus est. Hactenus Plato. Ex quibus satis liquet, etiam humanam rationem inuenisse, atque ratiocinando tandem eò venisse, vt nobiscum sentiat, perfectionem hominis in imitatione & similitudine summæ illius sanctitatis & puritatis, à qua ipsa rationalis creatura procedit, consistere.

Leuit. 20.

Plato in Theæteo.

Ex hoc igitur principio facilè intelliguntur media, quæ ad hunc finem consequendum requiruntur. Si n. finis sit imitatio & similitudo Dei, & nulla res possit eo procedere, vt aliquid suum sit, quod omnino non est: certum est, præcipuum medium, quod ad hanc imitationem requiritur, esse abnegare nosipsos, proprietates, & imperfectiones veteris hominis, vt induatur nouus, qui creatus est ad imaginem & similitudinem Dei. Quemadmodum enim (vt dici solet) non potest esse generatio, nisi præcedat corruptio: (non enim fructus nascitur, nisi priùs granum corrumpatur) sic non potest homo fieri diuinus, nisi prius desierit esse humanus: hoc est, nisi priùs (quoad fieri potest) exuat omnem debilitatem & imperfectionem humanam. Sic videmus quod homo sapiens esse non potest, nisi prius desinat esse ignorans: nec sanus, nisi absit prius infirmitas: nec iustus, nisi pellatur antea iniustitia: nec diuinus, nisi hoc sensu desinat esse humanus. In omni motu duo tantum sunt termini: vnus à quo, & alter ad quem: nec aliquid ad vnum accedere potest, nisi priùs recedat ab altero. Si itaque homo in hoc spirituali motu tendat à se in Deum, non poterit ad Deum peruenire, nisi priùs abneget & relinquat semetipsum. Ignis ex ligno ignem facere non potest, nisi priùs exudet humiditatem, frigiditatem, & omne id quod ignis formæ contrarium est: nec homo in peccatis conceptus, carneque & sanguine circundatus, eò peruenire potest, vt transformetur, & imitetur sanctitatem, puritatemque diuinam, nisi antea superet, atque vincat impedimenta, & quidquid huic sanctitati atque puritati aduersatur. Id autem potissimè facit omnipotens gratia Domini, qui ob hanc causam in Scripturis appellatur ignis consumens: eius enim officium est consumere omnes imperfectiones, omniaque impedimenta hominis, eumque ab omni peccatorum scoria purgare, vt se illi communicet. Eius enim natura est, (vt Dionysius ait) omnia ad se trahere, & ad omnia semetipsum diffundere.

Simile.

Simile.

Deut. 4.

Deus ignis consumens est.

Sed quia idem Dominus, etsi creauit hominem sine homine, non tamen sanctificat hominem sine homine: hoc est, non sanctificat hominem, nisi is ex parte sua conferat, quod potest, aratrum vna cum Deo trahendo, & manus suas cum Dei manu coniungendo: hinc est, vt cùm Deus in eo est, vt consumat omne malum quod in homine est, etiam homo debeat totis viribus suis contendere, vt opus Dei promoueat, idemque faciat: hoc est, mortificet atq; consumat omne id, quod impedit in se Dei similitudinem, vt ad optatam vnionem & similitudinem eius tandem veniat. Videmus eos, qui in monte siluestri hortos sibi faciunt, ante omnia siluestres & steriles arbores excindere, atque eradicare; deinde plantare fructiferas, & domesticas. Idem & ille facere debet, qui ex anima sua vult facere Deo viridariũ, & paradisum deliciarum: debet enim priùs spinas & tribulos vitiorum, malarumq; inclinationum, quibuscũ huic vnioni malè conuenit, euellere, quo facto, poterit mox inserere nouas virtutũ, quascunq; vult, plantas, maximè autẽ huius, de qua nunc nobis sermo est, (quæ est quasi arbor vitæ,

Hominem Deo debere cooperari.

Simile.

in me-

in medio paradisi) à quo omnes aliæ procedunt, sicut supra declaratum est.

Gen. 21. Gen. 18. Negotium hoc olim in natiuitate Isaac adumbratum reperitur, qui (vt Scriptura dicit) tunc natus est, cum Saræ muliebria defecerant. Hoc licet scriptum est, vt ostenderetur, fœminam hanc filium suum concepisse & peperisse miraculosè, & præter naturam: mysticè tamen etiam in eo nobis significatur, tunc animam religiosam concipere & parere verum Isaac, id est, gaudium spirituale, filium legitimum charitatis, cum incipiunt in ea deficere illæ infirmitates imperfectiones, & superfluitates corruptæ naturæ. Cùm enim ex homine carnali fiet spiritualis, aut (vt melius dicam) ex homine Deus per amorem, (proprium enim amoris est amantem in rem amatam transformare) oportet omnino priùs destrui carnem, & hominem sensualem: deinde generatur spiritualis. Proinde quemadmodum ille, qui per artem Chymicam ex ære vult aurum facere, necessariò debet priùs æs soluere, atque corrumpere, vt postea (si hoc fieri posset) in aurum mutetur: sic & nos cùm moliamur in hac spirituali Chymia ex terra cælum, ex carne spiritum, & ex homine Deum facere, ante omnia debemus vnum extremum destruere, vt alterum succedat.

Simile.

Cassianus Collatione prima. Ex his colligitur verum esse, quod communiter sancti Doctores solent dicere, atq; inter alios Cassianus, in prima suarum Collationum: puritatem scilicet cordis primarium esse medium, quo ad amorem Dei peruenitur: ad hanc autem pertinet eijcere ex anima nostra omne id, quod impedit hunc sanctum amorem; vt est omne animale, terrenum, & quidquid denique Deo vel contrarium est, vel dissimile. In horum numerum ingreditur primò purificatio & mortificatio amoris proprij: secundo voluntatis propriæ, quæ proprij amoris soror est: tertio peccatorum: quartò perturbationum & affectuum animæ; quintò inordinatarum cogitationum: sextò nimiarum occupationum, superfluorũque negotiorum: septimo mortificatio omnium aliarum superfluitatum, malarumque hominis inclinationum; octauo denique intentionis impuritatum, sub quibus continetur omne genus commodi, tam spiritualis, quàm temporalis purificatio: de quibus omnibus ordine suis capitulis deinceps agemus.

Quæ necessaria sint ad amorem Dei consequendum.

Mortificatis igitur omnibus his superfluitatibus, carnisque nostræ cupiditatibus, efflorescit subitò, & regnat spiritus: iamque dispositus est siue ipse accedere velit ad Deum per amorem, siue Deus ad ipsum per gratiam. Quemadmodum enim lapis in sublimi positus, sublatis impedimentis, quæ istic illum extra naturalem locum detinent, mox deorsum labitur, & ad locum naturalem reuertitur: sic anima nostra, quæ est substantia spiritualis, vinculis appetituum ruptis, quæ detinent illam rerum terrenarum amore captiuam, confestim, diuina gratia succurrente, (tanquam spiritualis substantia, atque soror Angelorum) fertur in res spirituales, suæ dignitati & naturæ conditioni conformes, easque vltro amplectitur.

Simile.

1. Cor. 6. Etsi hoc sufficeret, vt anima ad amorem sui Creatoris eleuaretur, tamen quædam exercitia, & quasdam considerationes adiungemus: quæ eam magis diuino hoc amore inflamment, & ad eandem mortificationem adiuuent. Cum enim verum sit illud Apostoli; *Qui adhæret Deo, vnus spiritus cum eo fit*: cumque illi adhæreamus, ad eumq; accedamus nõ motu corporis, sed spiritus, hoc est, cum deuotis cõsiderationibus, & affectibus amore plenis: omnino rationi consentaneum erit, nos etiam de illis differre. Hoc enim modo spiritualiter adhærẽdi Deo participat anima quodam modo de radijs illius sanctitatis & splendoris; quibus illuminata tam formosa apparet, atque lucida, quàm nubes aliqua claritate ac lumine Solis illustrata, quæ ipse Sol esse videtur. Quare librum hunc in duas partes principales diuidemus: in priori parte dicemus de ijs, quæ impediunt hanc spiritualem cum Deo vnionem, quæ per charitatem coalescit: in secunda verò agemus de virtutibus, quæ potissimum hanc vnionem promouent, & perficiunt: atque his deuotas meditationes & orationes subijciemus, quæ ad animos nostros illo amore diuino inflammandos erunt vtilissimæ.

Partes & modus libri.

Obseruandum etiam est hoc loco, principalem huius negotij difficultatem non consistere in exercitio amandi Deum, (amare namque Deum opus est incredibilis suauitatis) sed in eliminandis atque ejiciendis ex animabus nostris huius amoris diuini impedimentis: de quibus in priori hac parte agitur. Ad eundem modum videmus omnem difficultatem accendendi lignum, vt fiat ignis, in tollendis ijs, quę repugnant ignis naturæ, vt sunt humiditas, frigiditas, & densi vapores, positam esse: ijs enim sublatis, lignum mox flammam concipit, & luculenter ardet. Idem igitur accidit, cùm cor frigidum, & rebus mundi immersum, igne amoris diuini volumus accendere: hîc enim difficultas non in amando consistit, sed in tollendis ijs, quæ amorem hunc impediunt.

In quo consistat difficultas amoris Dei.

Simile.

Præclarum ex his sequitur documentum, vtile ad cognoscendum & vitandum plurimos errores, qui in hoc negotio possunt committi: nimirum, hominem in hac via non debere profectum suum mensurare suauitate, consolationum multitudine, animi teneritudine, aut lachrymis, quæ subinde fluunt copiosiùs; (licet id sanctum sit & laudabile) sed mortificatione & victoria omnium illarum nouercarũ, de quibus hac prima parte dicemus: vt sunt inordinatus amor proprius, & propria voluntas, cum omnibus appetitibus, qui hinc procedunt. Sunt enim homines nonnulli corde teneriores, qui ad quamcunque cogitationem seu passionis Domini, seu alterius similis rei, in lachrymas resoluuntur, & magnam sentiunt dulcedinem. Sed cum hoc in talibus hominibus potius ex naturali teneritudine cordis, quam ex amore puro suam habeat originem, non possunt ex eo iudicare, quantum profecerunt: sed adiungant illi victoriam proprię voluntatis, appetituumque suorum, & malarum inclinationum.

Vnde profectus in hoc amore dimetiendus.

Animaduertendum etiam est, cùm in exercitijs orationum & considerationum secundæ partis maxima lateat dulcedo, & in illis prima partis magna difficultas, multos ampliùs sectari id quod dulce est, quàm quod amarum: caueat autem hîc discipulus noster, ne tales imitetur: sunt enim huiusmodi multis periculis expositi. sed æqualiter vtrique operam det, vno oculo respiciens mortificationem, altero verò orationes & meditationes: vnius namque exercitij suauitate, alterius amaritudo dulcescet, & labor requie condietur.

DE PRIMO REMEDIO AD Amorem Dei necessario; Amoris scilicet proprij victoria.

CAPVT III.

ANtequam priorem partem hanc aggrediamur, necesse est, præsupponere, quod in felici illo statu, in quo Deus hominem creauit, nihil facilius, nihil magis naturale, nihil suauius illi fuerit, quàm amare suum Conditorem: quid enim magis secundum naturam, quàm creatura suum amare Creatorẽ, effectum causam suam, q; à principio est

pio est ortum suum principium, & partem suum totum à quo processit? Hanc enim ob causam videmus & brachium sese opponere, & ictum gladij excipere, vt caput tueatur: ex quo patet, partem totũ suum plus quàm semetipsam diligere.

Fuit hoc quidem sic natura adhuc integra, nunc verò peccatum sic illam inflexit, & deprauauit, vt homo iam non amplius ambulet, sicut solet: nec possit quod tunc potuit, propter impedimenta plurima, quæ ex illa clade pullularunt. Ille enim, qui ante peccatum Deum magis, quàm semetipsum diligebat, post peccatum semetipsum plus, quàm Deũ diligit: & ab eo tempore vsque huc peccatum originale habuit locum, quod non est aliud, quàm incuruatio quædam, & spirituale adulterium, quo cum nascitur homo erga seipsum optimè affectus, erga Deum vero nullam habens affectionem.

Peccatum originale quid, & vnde.

Amor igitur ille inordinatus cum omnibus alijs affectibus, qui ex illo nascuntur, primarium est in amore Dei impedimentum: trahens enim nos ad se abstrahit nos à Deo; & inuitans nos ad res terrenas facit, vt cælestibus dorsum obuertamus. Itaque si amor ille tollatur è medio, non erit in amore Dei aliquod impedimentum.

Per amorem proprium quid intelligatur.

Amor proprius moderatus bonus.

Secundum hanc igitur doctrinam, qui verè, & ex toto corde amare Deum desiderat, oportet vt apertum bellum amori proprio denunciet. Per amorem autem proprium vbique in hoc tractatu intelligimus inordinatum amorem proprij corporis, & omnium eorum, quæ ad corpus pertinent. Dico autem inordinatum, cum enim ordinatus est, & temperatus, malus non est, sed bonus, & ad conseruationem vitæ necessarius. Non enim rarum est, aut impossibile rem aliquam natura sua bonam esse, & necessariam, quæ tamen cum immoderata est, & inordinata, fit mala & noxia. Sic videmus sanguinem necessarium esse ad vitæ conseruationem, qui tamen si nimius sit, & morbos generat, & vitam nonnunquam extinguit. Idem fit & in calore naturali, in quo cõsistit animalis vita: si tamẽ modum excedat, febres, aliasq; infirmitates producit. Similiter & flumina, cùm intra alueos suos manent, nulli sunt noxia, nec quidquam afferunt detrimenti: cum verò excrescũt, & extra ripas feruntur, inundant omnia loca, quæ perfluunt. Ad eundem modum amor proprius, cum omnibus reliquis affectibus, ex eo pullulantibus, cũ iuxta regulam rationis legisq; diuinæ temperatur, laudabilis est, & virtuti affinis: sed cum ab hac regula declinat, vitiosus est & noxius.

Officium amoris proprij.

Officium & natura huius amoris proprij est, inordinato desiderio quærere quidquid bonum & iucundum est corpori. Sunt autem huiusmodi bona innumerabilia: quare S. Ioannes ea redigit ad tres species, diuitias, honores, & corporis voluptates.

Tria bonorũ corporaliũ genera.

Quemadmodum enim nos quatuor tantum ventos constituimus, qui à quatuor partibus mundi flant, sub quibus tamen alij quàm plurimi comprehenduntur: sic ille tres tantum bonorum corporalium species numerat, sub quibus aliæ infinitæ continentur, quę ad illas referuntur. Sub honoribus enim numerantur officia, dignitates, imperia, dominia, magistratus, immunitates, priuilegia, libertates, prærogatiuæ, fasti, triumphi, pompæ, clientelæ, seruorum agmina, & similia, quæ ad honorem mundanum pertinent.

Sub diuitijs comprehenduntur omnia commodorum, & temporalium vtilitatum genera, vt sunt patrimonia, hæreditates, redditus annui, census, lucra, aliaque infinita eius generis bona.

Voluptas complectitur aliam diuersarum rerum multitudinem, quibus sensus exteriores corporis, & interiores animæ oblectantur. Oculi enim naturaliter varietate & pulchritudine colorum, ædificiorũ, aulæorum, viridariorum, chorearũ, & omni genere pulchritudinis pascuntur. Auditui placent cantus & harmoniæ, tam naturales, quam artificiales, quibus Principum aulæ, & Regum palatia perstrepũt: quorum hæ sunt deliciæ. Odoratus gaudet omni genere vnguentorum, aquarum odoriferarum, suffumigationum, aromatum, quæ vel ad sensum hunc vltro nascuntur, aut ingenio atque arte humana componuntur. Quantum ad gustum, numerari non possunt ciborum & potuum naturalium differentiæ; multò verò minùs eorum, quos humana quotidie comminiscitur industria. Tactus verò quærit lectum mollem, vestem pretiosam, pellibus suffultam, peregrinam, versicolorem, & nouo ritu confectam: quales hæc ætas quotidie nouas excogitat.

Hæc obiecta sequuntur alia magis spiritualia, quę alios sensus magis delicatos afficiunt. Ingenij namque humani curiositati volupe est scire, videre, habere omnia quæque politissima, atque exquisitissima; vt est pretiosa & culta supellex, libri, studia magis curiosa, quàm fructuosa, occupationes varię, conuersationes, salutationes, visitationes, pœmata, versus, rhythmi, & id genus alia, quorum varietate sensus illi oblectantur.

Cùm itaque amare nil aliud sit, quàm bene velle, certum est qui inordinatè seipsum amat, hunc etiã inordinatè sibi aut omnia hæc bona, aut maiorem eorum partem appetere. Hanc ob causam amor ille non ineptè dicitur fœcundissimus: semper enim aliquid noui parturit, & habet omnia bonorum genera, quæ in mundo sunt, sibi obiecta: & sic amor ille non dissimilis est ventri viperæ prægnantis, qui multas alias viperas parit, nõ minùs quàm ipsa mater venenosas. Qui ergo purum & perfectum amorem Dei quærit, debet abijcere & mortificare omnes appetitus & amores hos, quicunque, & quotiescunque modum excedunt: adeò vt singulis & omnibus det libellum repudij, & eijciat ex ædibus suis, quicunque de amore proprio vult triumphare: Quemadmodum enim arbor non potest euelli, nisi prius radices amputentur, quibus hæret terræ: sic arbor hæc mortis; hoc est, inordinati amoris, euelli non potest, nisi præscindantur radices bonorum temporalium, quibus nutritur & sustẽtatur. Quare quemadmodum (vt historiæ nostri temporis commemorant) in recuperatione vrbis Granatensis, prius omnes arces, quæ in circuitu erant, eamque defendebant, expugnatæ sunt: sic etiam ad debellandum amorem tam potentem, necesse est vt paulatim omnes amores reliqui minores, qui ex illo procedunt, eumque tuentur & conseruant, expugnẽtur & vincantur: expellendo omnem amorem rerum transitoriarum, & visibilium, atque cor ad inuisibilia atque æterna transferendo: vt sic in anima nostra regnet amor diuinus, absque vlla contradictione. Alioquin vt impossibile est (inquit Ioannes Climacus) vno eodemque oculo intueri cælum, & terram, sic etiam fieri non potest, vt vna eademque voluntate semetipsum inordinatè quis amet, atque Deum.

Amor proprius fœcundissimus.

Simile.

Climac.

QVO MODO AMOR DEI ET AMOR inordinatus suipsius inter sese non conueniunt.

CAPVT IV.

QVia verò quo certior erit homo doctrinę præcedentis, & minus dubitabit, eo maiori cum alacritate & fortitudine arma corripiet, vt pugnet aduersus hunc Gigantem: nos rationes hic in medium adferemus, ex quibus videatur dissonãtia, & contrarietas horum duorum amorum.

Prima

Prima contrarietas horum duorum amorum.

Prima contrarietas est, quòd (teste D. Augustino) amor proprius est causa omnium peccatorum, quæ in hoc mundo sunt, nec non & idem ædificat ciuitatem Babylonis, eamque nouis quotidie ciuibus adductis (qui sunt filij confusionis) reddit populosam: sicut econtrariò amor Dei ædificat ciuitatem Hierusalem. Nemo enim peccat, nisi spe consequēdi boni, quod amat inordinatè: quemadmodum Iudas peccauit amore triginta denariorum, quos numerârunt illi Iudæi, vt Christum traderet; Dauid concupiscentia pulchritudinis & formæ Bersabeæ; prima nostra mater & gula & concupiscentia fructus vetiti, & sic in cæteris. Omnia igitur desideria, omnesque cupiditates, vt patet, filij sunt & filiæ amoris proprij: is enim est qui inordinatè hæc bona concupiscens claudit oculos, ne videat homo Deū, & legem eius transgrediatur. Si itaque nihil magis repugnet charitati quàm peccatum lethale, (charitas enim est animæ vita, & peccatum mors) quantopere quæso repugnabit id, quod omnium mundi peccatorum fons, origo, & causa est, amor scilicet iste inordinatus? Animaduerte igitur quàm magnū impedimentum amor iste adferat ad huius virtutis adeptionem.

Nemo peccat nisi spe boni alicuius, Matth. 26. 2. Reg. 11. Gen. 3.

II. *Amor proprius contrariatur omnibus alijs virtutibus.*

Alio modo noxius etiam est charitati: non enim solùm incentiuum est ad peccatum: sed etiam impedimentum omnium maximum in consecutione aliarum virtutum, quę animam ad amorem Dei disponunt, ad quod institutæ sunt non aliter, quā medicina ad sanitatem: ratio est, quia (vt vniuersa simul asserit Philosophia) proprium virtutis est exerceri in rebus arduis, & difficilibus: cui contrariatur amor proprius: eius enim natura est omnes labores & difficultates fugere; & proinde necessario quoque fugere debet virtutem, cui difficultas est annexa. Quare quemadmodum cui non sapit quod dulce est; non potest comedere cibos muriaticos, cum rebus dulcioribus, licet illi sint optimi saporis: sic qui capitalis est inimicus laboris & molestiæ, etiam virtutis inimicus est, quātumuis ea laudata sit; semper enim hęc virtuti adiuncta sunt. Hanc ob causam optimè dictum est à Seneca; In regno deliciarum virtus locum non habet. & in alio loco; Amicus sui virtutem despicit.

Virtus ardua.

III. *Mediocritati repugnat.*

Huic etiam adiungitur. quòd maior pars virtutum moralium occupatur in moderandis & temperandis naturalibus affectionibus, coercendo ne ad extrema dilabantur, (ea enim vitiosa sunt) & ad temperatam mediocritatem eas reducendo, in qua virtus consistit. Huic igitur etiam repugnat ataxia, siue intemperatus hic amor: qui vt præceps est, & vehemens in omni suo desiderio, sic etiam omnes eius sunt passiones, quæ ex illo deriuantur: quantò autem illæ vehementiores sunt, & fortiores, tantò minùs virtus eas potest vincere, & in ordinem redigere: velut eques qui insidet equo furioso, effræni, & indomito. Qui itaque tantum adfert impedimētum in adipiscendis virtutibus, is non minus adfert in consequenda charitate, quæ sine illis omnino non potest consistere.

IV. *Orationem impedit.*

Est & alia ratio ad probandum, quod peruersus hic amor amori diuino portas occludit. Quemadmodum enim superius dictum est, vnum ex præcipuis medijs, quibus hæc virtus impetratur, est profunda oratio, & consideratio earum rerum, quæ cor nostrum possunt hoc amore inflammare: huic autem exercitio obicem (quod aiunt) ponit alter iste amor, cū in corde nostro dominatur. Ratio est, quia vbi est amor, ibi est totus homo, cum omnibus suis potentijs & sensibus, ita vt nequeat illinc auelli. Quare qui primus dixit, Vbi est amor, ibi sunt oculi; etsi verum dixerit, parum tamen dixit. Eadem enim ratione, ob quam ibi oculi esse dicuntur, (vt cum voluptate contemplentur id quod amant) ob eandem causam ibi quoque sunt alij sensus, oblectantes se suo modo obiecti præsentia. Imò & voluntas illic erit, qua cum rem amatam amplectimur: & intellectus, qui semper de illa cogitat, & memoria, quæ semper illius recordatur, & lingua, quæ semper loquitur de eo, quod quis amat. Omnes igitur sensus, tam interiores, quàm exteriores amore illo occupantur. Quare Saluator dixit: *Vbi est thesaurus tuus,* (hoc est, id quod amas) *ibi est cor tuum.* id est, voluntas tua, cogitationes tuæ, & quidquid à corde seu voluntate tua dependet. Ante omnia namque amor voluntatem occupat, cogens eam, ne quid aliud velit, quàm quod ipse vult: cumque voluntas sit Regina totius hominis, omniumque virium illius, vbi est voluntas, ibi omnes vires eius, ibi totus homo est. Hinc est vulgare illud dictum, Anima magis est vbi amat, quàm vbi animat. Matth. 6.

Idipsum confirmatur celeberrima illa sententia Augustini, qui dicit; quod pondus est elementis, & corporibus naturalibus, idipsum est amor creaturis rationalibus. Quemadmodum igitur omnes res naturales mouentur iuxta pōdus, quod habent: (quædam enim sursum mouentur, vt aër, & ignis, aliæ deorsum, vt aqua, terra, & omnia corpora grauia) sic etiam omnes creaturæ rationales mouentur iuxta amorem, qui in illis regnat & prædominatur. Vt si prædominetur amor terrenus, omnes motus, omniaque desideria & exercitia sunt terrena: econtrario verò, si prædominabitur amor cælestis, omnia illa erunt cælestia: qualis erat amor Apostoli, qui dicebat: *Nostra conuersatio in cælis est.* Ex quibus liquet, amorem Dei quasi ignem esse, qui semper in sublime ascendit, & non nisi tibi quiescit: alter vero amor est instar grauis terræ, quæ naturaliter deorsum cadit: illic enim est centrum eius, ibique tantum quiescit. Videmus igitur quantam in hominum vita differentiam duo isti amores generant; vnus enim vitam facit omnino terrenam, alter verò cælestem. Auguſt. Philip. 3.

Vt igitur ad propositum nostrum reuertamur, si verum sit, præcipuum medium diuini amoris acquirendi illud esse, vt scilicet homo aduocet omnes potentias animæ suæ, eleuans, & exercens illas in meditando die ac nocte magna & mirabilia Dei, nec non omne id, quod aliquo modo potest nos ad amorem eius excitare; quomodo poterit id homo efficere, qui rerū terrenarum amore plenus est? qui habet intellectum, voluntatem, memoriam, imaginationem, affectus, sensus, & cogitationes in illis immersas & captiuatas? Vbi hic locum vacuum, & nondum occupatum inueniet amor Dei? vbi requiescet? quæ potentiarum seruiet illi, siquidem iam antea omnes amor ille externus præoccupauit? Tabula scripta, vel picta figuram aliquam continens, Simile. vel imaginem, quomodo recipiet aliam, nisi prior illa deleatur? Terra quam agricola conseuit hordeo, quomodo capiet & producet triticum? Sic & cor amore mundi captum, quomodo poterit amorem Dei capere, qui per omnia est illi contrarius? Quare optimè dictum est à Seneca; Qui vere amat, vnam rem solam potest amare. Hinc oritur ingens illa inter amātes zelotypia, in qua vna pars semper suspectum habet amorem, quo diligitur altera, doletque omnem amorem in se non conuerti, seque solam non amari, quod & facilè sentit: quemadmodum & in fontibus; quantò plus aquæ deriuatur per vnum canalem, tantò minus per alium fluit. Iccirco dicit Dominus apud Esaiam, vbi loquitur de animabus quæ reliquerunt illum, amore alieno correptæ: *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat:*

& pal-

& pallium breue vtrumque operire nō poteſt. Hæc ſententia in nulla re melius poteſt verificari; quàm in operibus amoris.

Hinc eſt quòd homines illi ſunt inepti ad amoris diuini exercitia, id quod probat ipſa rerum experientia. Volentes enim cor ſuum pauliſper retrahere, & ad Deum eleuare, mox tanta imaginum, formarum, cogitationumque turba ingruit, vt ne per breuiſſimum quidem temporis ſpatiū cor in Deo maneat immotum: cogitationes enim illæ auocant, & ad ſe retrahunt: imò nonnunquam cor & corpus ſimul ſeducunt, & ad quærenda corporalia, quæ inordinatè diligunt, inuitant: adeo vt Tyranno huic ſatis non ſit captiuaſſe cor & corpus, cum omnibus ſenſibus, & potentijs ſuis: ſed ſuffuratur etiam tempus & horas omnes: neque enim corpus, neque ſpiritus, neque cor ſuæ relinquitur libertati, vt vacent Deo rebuſque diuinis. Sic amator diuitiarum, honorum, ſcientiarum, (quando hæc amat inordinate) & pedibus & animo currit ad omnia genera cōmerciorum, negotiationum, exercitiorumque, quibus ea comparantur, exiſtimans omne tempus ſibi perire, quod iſtis ſtudijs non impenditur.

Sed quid dicam? non tantum hoc modo amor iſte filum ſpiritualium exercitiorum præſcindit, ſed etiam hominem ipſum tardum efficit, rudem, & ignarum. *Animalis enim homo,* inquit Apoſtolus, *non* 1. Cor. 2. *percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* ſi verò nō percipiat, non amat; & ſi non amet, non delectatur: vbi autem non eſt delectatio, non eſt exercitatio, vel operatio: voluptas enim (vt eſt in prouerbio) perficit opus.

Diſtinet etiam amor hîc alio modo diuinum illum amorem: ſolet enim ferè intentionem corrumpere, operumque noſtrorum finem, quæ ſunt talia, qualis eſt ipſe finis, ad quem diriguntur. Proinde, quemadmodum amor Dei omnia ad ipſum Deum dirigit, ita vt Deum conſtituat vltimum finem, cæteraque omnia tanquam media quæ ad illum finem perducunt: ſic e contrario amor proprius ordinat, & conuertit omnia ad bonum ſui domini, & eum facit vltimum ſuum finem. Præterea amor Dei quærit Deum in omnibus rebus, quantumuis cum ſuo dāno: amor autem proprius quærit vbique ſuum commodum, & ſuum honorem, etiam cum iactura rerum diuinarum. Adhæc amor Dei quærit in omnibus placere Deo, facitque illius voluntatem, negādo propriam: amor autem proprius in omnibus quærit proprium beneplacitum, propriamque voluntatem, quamuis illa diuinæ voluntati contrarietur. Hinc eſt, quod amori Dei nil eſt antiquius, nil charius, quàm in omnibus exerceri virtutibus: earum enim beneficio Deum tandem inuenit: amor verò proprius in eo potiſsimùm exercetur, quod ſibi iucundum eſt, & voluptatem adfert, animiq; ſui cupiditatibus ſatisfacit. Ex quibus differentijs luce meridiana clariùs conſpicitur, quàm impoſsibile ſit duos illos amores in vno corde ſimul habitare, cùm vnus alteri ex diametro contrarietur, oportet igitur vt vnus eijciatur, ſi alterum velimus admittere, atque locum in nobis ſortiri. Quemadmodum enim vas plenum aliquo liquore, alium liquorem capere non poteſt, niſi prior ille effundatur, præſertim ſi vnus liquor ſit amarus, & alter dulcis: ſic etiam neceſſe eſt euacuare cor noſtrum amoris proprij amaritudine, ſi amoris diuini dulcedinem velimus infundere. Eleganter hoc Auguſtinus alia docet comparatione, dicens; Imaginare, frater mi, amorem eſſe manum, quæ ſi aliquid teneat, non poteſt aliud accipere: vt autem aliquid aliud accipiat, neceſſe eſt vt id, quod tenet, prius dimittat: Sic qui amat mundum, Deum amare non poteſt: manus namque animæ iam illo amore eſt plena. Geminus igitur amor ille bilancis inſtar eſt, cuius vna lanx ſi ſurſum tendat, neceſſe eſt alteram deorſum cadere: ſi vna eleuetur, fieri non poteſt, quin altera deprimatur. Etenim quantò magis creſcit amor proprius, tantò magis decreſcit amor Dei: & quò magis amor Dei augetur, eo magis amor proprius diminuitur. Ex quibus omnibus facilè colligitur, quàm longè abſunt ab amore Dei magni illi amatores ſuijpſius, vt ſunt homines auari, ambitioſi, luxurioſi, & puſillanimi. etenim hi cùm animo deiecti ſint, & puſillum cor habeant, magni faciunt omnia ſua: cuſtodiunt ea cum timore, & quod amant quærunt cum inordinato deſiderio.

Ne quis autem expaueſcat, vel à præſenti noſtra doctrina, vt nimis graui & ardua abhorreat, conſiderandum eſt, etiam antiquos Philoſophos ſine fidei vel Euangelij lumine, ſine exemplo Chriſti præuio, qualia nos habemus, magnam huius doctrinæ partem intellexiſſe. Plato enim cùm copioſè admodum diſputaſſet de verâ ſapientia, & perfectione hominis, dixiſſetque illam conſiſtere in mortificatione inordinatarum affectionum huius corporis, omniumque ab illo dependentium, vt viuamus (quantum fieri poteſt) optima parte noſtri, hoc eſt, ſolo ſpiritu illum conuertendo ad conſiderationem & amorem Dei; (quemadmodum illæ altiſsimæ ſubſtantiæ faciunt, quæ corporis expertes ſunt) tandem concludit, dicens, abſolutam ſapientiam in duobus conſiſtere, Auerſione ſcilicet, & Conuerſione, hoc eſt, in amore ab omnibus rebus tranſitorijs abſtrahendo, & æternis applicando. Et hanc Platonis ſententiam omnes ſecuti ſunt Philoſophi, qui ex illa ſchola prodierunt. Mirandum igitur non eſt, fidem & lumen Euangelij hanc doctrinam profiteri, quam etiam lumen rationis inuenit.

Philoſophis etiam hanc doctrinam probatam fuiſſe.

In Dialogo Theæteto.

DE MEDIIS ET SVBSIDIIS, QVIbus victoriam de inordinato ſuijpſius amore licet conſequi.

CAPVT V.

CÆterùm ne difficultas hanc tam potentem animi inclinationem ſuperandi nos terreat, animumque deſpondere faciat, operæ prætium me facturum arbitror, ſi hoc loco commemorem, quæ nobis hîc relicta ſunt auxilia. Inter hæc autem primum & præcipuū eſt ipſe amor Dei, qui vt maximè contrarius eſt amori proprio, ſic omnium grauiſsimum illi bellum mouet, & quàm citiſsimè domo expellit. Quemadmodum enim lux matutina noctis abigit tenebras, adeò vt quantò magis lux creſcit, tantò magis decreſcant tenebræ, & tenebrarum diminutio ſit lucis augmentatio: ſic & quātò plus creſcit amor Dei, tantò plus decreſcit amor proprius: & quantò plus amor hic creſcit, tantò amplius ille decreſcit. Idem etiam alio exemplo conuenientiſsimo poteſt declarari: quemadmodum enim vt aër intret per feneſtram, oportet vt priùs aperiatur feneſtra, quàm ipſe aër, qui intrat aperta eodem modo vt intret in animas noſtras amor Dei neceſſe eſt vt priùs eijciatur amor inordinatus: ſed ipſe diuinus amor potiſsimum iuuat hominem, vt omnis amor contrarius ex anima eijciatur. Ratio eſt, quia ſimul cū amore Dei, Deus ipſe ingreditur, & manet cum illo, qui viuit in amore ſuo: & ſimul cum illo quoque ingrediuntur alia bona, & delectationes tantæ dignitatis, atque ſuauitatis, vt homo qui eas ſemel guſtauit, facilè in animum indu-

Auxilia in arduo hoc opere nobis data.

I. *Amor Dei.*

Simile.

Vt amor Dei locum inueniat, proprius eſt expellendus.

Simile.

Aliud.

ócat suum, renuntiare alijs bonis omnibus, vt vnum hoc bonum consequatur; omnesque alias voluptates relinquere, vt hanc vnam sibi comparet: ipsa nãque experientia docet illum, hanc vnam sibi multò esse vtiliorem, quàm omnes alias. Etenim quemadmodum quis ex bona voluntate & lubens renuntiat paruo beneficio, vt consequatur aliud maius: & rusticus facilè desereret aratrum, si sciret se ad altiorem statum & dignitatem vocari: sic homo lubens deserit amorem bonorum temporalium, qui nouit sibi etiam in hac vita danda esse longè excellentiora. Hoc adeò verum est, vt, teste Augustino, vna sola guttula, quæ ex hoc riuo Paradisi hauritur, sufficiat, ad restringuendam sitim omnium bonorum temporalium. Si autem Bernardo credamus, (vt sanè credendum ei est) non tantum guttula ista facit nos fugere desiderium horum bonorum, sed etiam contemptum parit & fastidium illorum. Id ille apertè ostendit; explicans verba illa Canticorum, quibuscum minatur cælestis ille sponsus sponsæ suæ. eamque erudit, dicens: *Si ignoras te O pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Quę enim anima, inquit D. Bernardus, semel à Domino didicit, & accepit intrare ad seipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem eius semper, (spiritus enim est Deus, & qui quærunt eum, oportet eos in spiritu ambulare, & non in carne, vt secundum carnem viuant) talis inquam anima, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliúve ducat, quàm post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potiùs ad molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatẽ; hoc enim est pascere hœdos suos, qui sunt affectus & sensus, iuxta tabernacula pastorum: hoc est, vbi homines carnales pascunt sua desideria, sensuumque suorum oblectationes.

Cant. 1.

Bernard. Serm. 35. in Cant.

Vide nunc quæso, mi frater, quam longe abest vt verus Dei amator amorem suum pro rebus transitorijs, aut mundi voluptatibus velit vel amittere, vel permutare, cum semel pertenerit ad fruendum alijs cõsolationibus tam magnis, vt in comparatione illarum omnes voluptates mundi paulò minùs amaras & duras existimet, ipsis inferni tormentis. Ex quo disces has consolationes, & hæc bona tanta esse, vt in comparatione illorum omnia bona, pro quibus homines huius seculi digladiantur, videantur esse inferni supplicia. Noli itaque, mi frater, animum despondere: ea enim charitas, quã tu quæris, iuuabit te domo expellere eosdem inimicos, qui tibi bellum mouent: cùm (vt iam dictum est) quãtò magis hæc crescit, tantò magis illi decrescant, viresque suas amittant.

II. *Orationis assiduitas.*

Iuuat etiam ad hoc ipsum orationis assiduitas, qua cum acquiritur diuina gratia, quæ potentior est natura damnata; ideoque prævalet atque superat illam. Memento quòd sonitu tubarum sacerdotalium corruerunt muri Hiericho, vt ex eo agnoscas, quod sonitu orationis (quæ propriè est Sacerdotũ) omnes aduersarij nostri prosternuntur, viresque eorum debilitantur. Id ipsa experientia quotidie deprehendunt illi, qui sese huic virtuti dediderunt; cùm toties ab illa reuersi experiuntur animas se habere tam alacres & infractas, vt subinde existiment, se nullis lanceis posse prosterni.

Iosue 6.

III. *Labor hominis quoque requiritur.*

Cæterum inter hæc omnia subsidia non debet homo pigritari; imò debet sese continuo præparare, vt per vitæ puritatem disponatur ad influentias gratiæ percipiendas: ex parte namque eius nihil est, quod viam obstruit: atque ita manus istę duæ simul coniungentur, quæ in omni opere bono necessariò requiruntur, labor scilicet hominis, & gratia Dei. Debet igitur priùs omnis industria, omnis possibilis adhiberi diligentia ad eradicandum ex corde amorem illum noxium. Et quia is hæret tot radicibus, quot habet appetitus bonorum terrenorum; oportet vt seruus Dei omnes illas paulatim cultello amoris, timorisque diuini laboret præscindere.

Secundum hanc igitur doctrinam stude ante omnia mortificare inordinatum amorem honorum, laudum humanarum, & fauoris popularis, quæ leuiùs auolant, quàm ventus, vna cum pompa, dignitate, & fastu mundi: cùm inordinatum harum rerum desiderium nihil aliud sit, quàm idioma huius mundi, opus vanitatis, & ramus superbiæ, quæ fuit prima porta damnationis, quæ aperta est & in cælo, & in paradiso, & nunc stat latè patens in mundo. Ad hoc potissimum iuuat nobilissima virtus humilitatis, radix & fundamentum omnium aliarũ virtutum; sicut superbia omnium aliorum vitiorum, de quibus superiùs dictũ est. Ad hanc pertinet semper eligere locum infimum, tam in existimatione interiori, & contemptu suiipsius, quàm in omni cõtrectatione, & seruitio exteriori: optando potiùs seruire, & lauare pedes aliorum cum Christo, quàm digniorem locum ambire cum Diabolo: habendo tamen rationem decori, quod & personæ, & officij, quo fungitur, auctoritati debetur.

Amor honorum expellendus.

IV. *Humilitas.*

Operam quoque da, vt refrænes inordinatum amorem diuitiarum, cùm iniquum sit amari tantopere bonum, quod non semper remanet ei, qui possidet: nec meliorem facit illum, nec maiorem, nec hilariorem? imò quod multis est materia vitiorum, nutrimentũ deliciarum, stimulus cogitationum, & follis superbiæ, atque præsumptionis. Huc facit virtus euangelicæ paupertatis, quæ est prima inter octo beatitudines, ad quam pertinet non tantum spontaneus diuitiarum huius mundi contemptus, (quem S. Gregorius in medijs diuitiarum copijs habuit) sed etiam amor atque imitatio nuditatis, & paupertatis Christi. Eligere itaque, & affectare debet homo ea omnia, quæ spectant ad vsum vitæ vilioris, & pauperioris: vilem domum, durum lectum, tenuem mensam, rude vestimentum, angustam supellectilem, denique omnia sint talia, vt redoleant paupertatem: semper tamen oculum conijciendo in qualitatem status, & personæ, vt mox dicebamus. Quod si hoc feceris, certò scias, quod præter regnum cælorum (quod Saluator promittit) libet etiam eris à concupiscentia, communi generis humani peste, Ecclesiæ Christianæ exitio, atque vniuersali semine omnium peccatorum, vanarumque huius mundi cogitationum. Cogita præterea, quantò pauperius erit corpus, tantò ditiorem esse spiritum.

Amor diuitiarum mortificandus.

V. *Paupertas Euangelica.*

Contende etiam mortificare omnes sensuum voluptates, tam oculorum, quàm aurium, gustus, tactus, cum omnibus alijs rerum curiosarum, & venustatum appetitibus; faciendo ex cunctis his delectationibus Deo sacrificium, libandoque cum Dauide aquam de cisterna Bethlehem Domino offerendoque cum Abraham filium tam dilectum: voluntariè renuntiando omnibus his voluptatibus, & asperitatem crucis amplectendo. Hoc loco considera quàm durè tractarunt corpora sua Sancti omnes, præsertim ille, qui à Saluatore nominatur inter omnes maximus: vestitus enim erat cilicio, comedebat locustas, & mel siluestre: nunquam vinum aut siceram bibit, & in deserto procùl ab omni oblectamento atque humana consolatione habitabat. Labora quantum potes horum austeritatem imitari;

Amor voluptatum fugiendus.

2. Reg. 23.

Gen. 22.

VI. *Asperitas carnis.*

Matth. 11.

cum

Deus non manifestatur in diuitijs.

cùm manifestum sit, hæc non dari, nisi his, qui sese vt illi affligent. Si enim Spiritus sanctus non descendit in Discipulos, quamdiu in Saluator corporaliter cũ illis versabatur, (noluit enim diuina Sapientia duas illos simul habere consolationes) multò minùs veniet daturus consolationes cęlestes his, qui consolationes captant terrenas. Sciebat hoc optimè S. Iob, quando dicebat, *diuinam Sapientiam* (hoc est, suauem & amabilem Dei cognitionem) *non inuenirii in terra suauiter viuentium.* vt hinc facilè cognoscas, eum longe abesse, vt Deum inueniat, qui quærit illum in hac terra, hoc est, qui delicatè viuit.

Iob. 28.

Hoc modo igitur debet homo quotidie mori in omnibus suis affectibus, vt tandem soli Deo viuat, fiatque totus spiritualis: & quantò spiritualior, tanto Deo similior, qui purus spiritus est; magisque dispositus, vt vniatur, fiatque vnum aliquid cum eo. Præterea, quia hîc proprium nostrum institutũ est, amorem proprium occidere, cõtrarium autem vincinon potest, nisi per alterum contrarium, ideo debemus operam dare, omnibusque neruis & viribus nostris anniti, vt introducamus in animas nostras iustam indignationem, odiumque sanctum carnis nostræ, cum omnibus suis appetitibus: illud enim odium expellit amorem proprium, suum contrarium. Hoc & Saluator docuit, cum dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Quibus verbis commendat Dominus abnegationem suiipsius: atque hæc est vitæ Christianæ crux. Cæterum quia Dominus optimè intelligebat id fieri non posse, nisi amor malus odio bono expellatur, mox subiunxit; *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Ne quis autem expauescat, audiens nos de odio & contemptu suiipsius dicere: sciendum est, nos hîc loqui non de eo, quod opus est, & creatura Dei: sed de eo, quod opus est antiqui serpẽtis, qui venenoso suo afflatu infecit carnem nostrã, in eaque reliquit omnes fomites atque inordinatos affectus, malasque inclinationes, quæ in ea reperiuntur, aduersus hæc omnia efficax est sanctum hoc odium, quod hîc requirimus. Quod etsi propriè pugnet contra has malas inclinationes, quæ à peccato processerunt; quia tamen illæ in carne nostra fixæ sunt, & crescunt cum delicijs illius, ideo malè tractamus illam, tanquam quæ fouet nostros inimicos. Malam verò hanc tractationem, quæ de iusto quodam odio suiipsius procedit, etsi nos odium appellemus, amor tamen est maximus, quo quis potest semetipsum amare. Probat hoc optimè D. Bernardus, qui cum audisset quosdam exhorrescere, eo q, videbant monachos eius tam rigidè & seuere corpora sua tractare, dicentes tales sese capitali odisse odio: respondit vir sanctus, dicens: quod ipsi vere semet suaq. corpora odio prosequebantur, eo quod corpora sua his momentaneis & exiguis rerum sensualium delicijs fouentes æternis ea tormentis mancipabant: Monachos autem reuera sua corpora diligere, qui ea hîc modicè affligebant, vt æternam consequerentur requiem. Pater enim non odit filium infirmum, quando cibos illi subtrahit noxios, aut nimiam prohibet edendi auiditatem: ea enim damnosa sunt: neque etiam odit, cum acriùs illum castigat; vbi id meretur: imò tunc vel maximè amat.

VII. Saluare eodium sui ipsius.

Matth. 16.

Ibid.

Odium sanctũ suiipsius verus amor sui.

Si quis igitur scire volet, quomodo hoc odium sanctum, & amore plenum carnis nostræ in animabus nostris possit generari, sciat id eodem more gigni, quo amor. Quemadmodum enim multiplicãdo actus amoris Dei, gignitur, & fortificatur sanctus ille amor: sic etiam multiplicando opera huius odij (qualia sunt disciplinæ, cilicia, humi cubationes, similesque corporales austeritates) paulatim introducitur & creatur hoc sanctum odium. Qui itaque diuinum hunc amorem desiderat, debet corpus suum duriùs tractare, prout melius, & cum discretione poterit: memor eius, quod de contrarium faciente scriptum est; *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Ne itaque hîc peccemus, necesse est, vt malum hunc seruum duriùs, asperiusq; tractemus in omnibus: in edendo, bibendo, dormiendo, vestiendo, atque in omni re alia: dando illi panem ad mensuram, & disciplinis crebrioribus illum castigando, cilicijs quoque, ieiunijs, duritie lecti, similibusque operibus domando: fictamen, vt habeatur ratio status, sanitatis, & conditionis vniuscuiusque. Debemus autẽ id multò magis facere in rebus non necessarijs, vt creetur habitus in nobis necessarius faciendi res necessarias: quemadmodum faciunt illi, qui sese militiæ dediderunt: hi namque tempore pacis exercent sese in ijs, quæ in bello sibi possunt esse vsui. Et hæc videtur mihi nequaquam causa minima, propter quam Sancti, & potissimum Patres in eremo (qui sæpe plurimis vitæ suæ annis extra periculum & tẽtationes carnis degebant) nunquam destiterunt à consueta vitæ austeritate, carnisque macerationeː non tam propter periculum, quàm ne desuescerent ab exercitio carnem malè tractandi, facientes semper ea, quæ amori proprio aduersabantur.

Prou. 29.

Vt autem homo facilius hanc seueritatem in corpus suum queat exercere, debet considerare, se non esse creaturam irrationalem, quomodo sunt omnes aliæ creaturæ, tam cælestes, quàm terrestres, quæ sunt aut purè spirituales, vt Angeli: aut purè corporales, vt reliquæ omnes: sed quod compositus est ex duabus partibus, vna spirituali, & altera corporali, tam differentibus inter sese, vt Apostolus vocet vnam hominem interiorem, & alteram exteriorem: adeo vt quodammodo vnus homo sit geminus homo, seu in vno homine sint homines duo, tã contrarij in affectibus, quàm in naturis. Corpus enim amat res corporales, & temporales: sed spiritus spirituales, & æternas, vt quæ suæ naturæ conueniunt. Magna itaque pars studij atque exercitij virtutis consistit in eo, vt cogatur pars corporalis obedire spirituali, & relictis appetitibus, fomite, malisque inclinationibus, assimiletur (quantum fieri potest) parti hominis spirituali: sicut fecit Apostolus, qui dicebat, *Castigo corpus meum & in seruitutẽ redigo*, spiritus scilicet, non appetituum. Ita vt corpus suum tractauerit, sicut eques equum suum furiosum, & effrænem; cui tandem industria & magnanimitate dominatur, facitque, vt cogatur ire, quò, & quibus passibus ipsi placet.

Homo interior & exterior.

1. Cor. 9.

Simile.

Ferunt nonnulli Philosophi, qui tantam rationem diuisionis harum duarum partiũ hominis habuerunt, vt dixerint spiritum esse verum hominem, corpus verò nihil aliud esse, quàm vestem, qua homo tegitur, asseuerauerint. Sic memoriæ proditum est de Nicocreonte Tyranno Cypri, qui cum Anaxarchum celeberrimum Philosophum in potestate haberet, memor iniuriæ tempore Alexandri Magni ab eo acceptæ, pistillis eum ferreis in mortario contundi iussit. Quare magnanimus ille Philosophus in hæc verba prorupit: Tunde Anaxarchi manticam, nam Anaxarchum non percutis. Hoc exemplum posui, vt amator perfectionis intelligat diuisionem harum duarum partium hominis, (etsi non eo modo, quo Philosophus ille opinabatur) quando enim spiritus castigat corpus, non in sei-

Philosophi spiritum vocarunt hominem, corpus vestem eius.

Anaxarchi dictum.

Odium hoc quomodo generetur.

pſum ſæuire dicendus eſt, ſed in vicinum ſuum inimicum.

Ad hanc ſeueritatem & odium ſanctum plurimũ conducit, vt diximus, amor Dei: de quo ſcriptum
Cant. 8. eſt in Canticis, quòd fortis eſt ſicut mors. Et ſenſus verborum illorum eſt, quòd ſicut mors ſegregat hominem ab amore & vſu omnium rerum mundanarum: ſic amor Dei habens ſub ſuo imperio ſpiritum noſtrum, illum corroborat, vt ab omni affectu carnis eum in modum ſeparetur, ne ſe ab illius appetitibus, cupiditatibus, prauiſque inclinationibus trahi patiatur: faciatque potiùs, vt caro ſeruiat deſiderijs ſpiritus. Et hoc eſt illud, quod Apoſtolus ſuccinctè, & diuino quodam ſpiritu ſignificauit, cùm di-
Hebr. 4. xit; *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus*: intelligens per animam partem ſenſitiuam, in qua ſunt appetitus noſtri ſenſuales, qui alio nomine dicuntur caro. Quibus verbis Apoſtolus declarauit virtutem Verbi Dei, & gratiæ illius, quæ facit vt ſpiritus noſter diuidatur ab omni appetitu, fomite, & mala inclinatione carnis noſtræ, neque patiatur ſe ſeduci ab illis, ſicuti faciunt ſpiritus hominum ſenſualium, qui ſe totos in omnibus, & per omnia illis permittunt: qui omnem ſuam induſtriam & acumen ingenij eò dirigunt, vt quærant, inueniantque modos omnes, quibus carni blãdiantur, eiuſque appetitibus ſatisfaciant, adeò q,
1. Cor. 6. ſicut idem Apoſtolus dicit, *qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*: ſic adhærens ſpiritus carni noſtræ, decidit à naturali ſua generoſitate, & nobilitate, fitque totus caro. Contrarium facit Verbum Dei, & gratia in omnibus Sanctis, efficiens hanc ſalutarem diuiſionem inter ſpiritum & carnem.

Peculiares aliquot hominum defectus.

Hæc ſunt generalia documenta, quæ vniuerſaliter pertinent ad omnes, eſt enim in omnibus amor quidam proprius. Volo autem & his alia quædam adiungere particularia, propter particulares quoſdam defectus, malaſque inclinationes, quibuſcum aut naſcuntur ſinguli, aut quos longo vſu contrahũt. Etenim licet illi non ſint tam generales, ſicut alij, nihilominus vna ſola praua inclinatio, quæ non refrænatur, poteſt impedire perfectionem, & aperire portam omnibus animæ inimicis. Neceſſe igitur eſt, vt homo ſit diligentiſsimus cenſor omnium ſuorum defectuum, malarumque inclinationum, oretéque Dominum, vt lumen det, cuius beneficio cognoſcat illos: quoſque iam cognouit, his perpetuum bellum indicat, certa cùm ſpe victoriæ. Qui enim po-
Ioan. 2. tuit in Euangelio ex aqua facere vinum, & qui quotidie ex lapidibus ſuſcitat filios Abrahæ: poteſt etiam naturales conditiones mutare in alias, & ex malis facere bonas. Hoc modo igitur, & his exercitijs paulatim vincet homo naturam, & introducetur in animam noſtram ſanctum hoc odium, ſufficiens ad exterminanda omnia contraria, vt ſunt amor inordinatus ſuiipſius, & voluntas propria.

Obiectio.

Sed dices fortè: Quomodo fieri poterit, vt quis poſsit ſemetipſum odiſſe: hoc eſt, proprium corpus ſuum, cuius naturaliter tantus eſt amicus, vt Apo-
Ephes 5. ſtolus dicat: *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit & fouet eam?* Hoc argumentum propriè eſt carnis & ſanguinis; ſpiritus autem & gratia interrogant potiùs, & maiori cum ratione, quomodo fieri poteſt, vt hoc non fiat? Quid enim ſub cælo abominabilius, maiorique dignum eſt odio, quam peccatum? Confer id cum ipſo inferno, & inuenies peccatum maius malum eſſe inferno, & infernum minùs eſſe ſupplicium quàm peccatũ meretur. Sed quæ maior cauſa fuit plurimorum peccatorum, quæ in hoc mundo commiſiſti, quàm propria tua caro? An igitur tibi non videatur res contemptu & odio digna eſſe, quæ tibi fuit occaſio, & incentiuum tot tantorumque malorum? Quoties te in Infernum præcipitauit? Quoties te fecit infinitam illam bonitatem offendere? quot bonis ſpiritualibus te priuauit? quoties ſalutem tuam in periculum adducit? Quomodo itaque non indignaberis contra eã, quæ tot te malis affecit? tot te bonis ſpoliauit? in tot te pericula coniecit? Quod ſi deteſteris Diabolum, eumque capitalem tibi habeas inimicum, propter bella quæ tibi mouet, & detrimenta quibus te affi-
Caro magis quam dæmones nocet. cit: certus eſto, quod omnes ſimul iuncti Dæmones tibi nec tam crudele bellum, nec tam continuum poterunt mouere, quàm tu propria tua carne, quæ tecum viuit. Multò enim debiliores eſſent Dæmonum vires, ſi non ſtaret à partibus eorum Eua, qua adiuti te inuadunt: adeò vt, cum infenſiſsimi hominis inimici ſint Infernus, Diabolus, Mundus, Caro, & Peccatum, quod vltimum maximum eſt; ſecundum locum occupet caro noſtra, quæ mater & ſemẽ eſt peccati: quare & Apoſtolus illam peccatum appellauit. Primum itaque odium veri amatoris Dei
Rom. 8. debet eſſe aduerſus peccatum, ſecũdum contra malas inclinationes propriæ carnis, quæ excitat & irritat peccatum.

Caro omnium peccatorum occaſio.

Sed & hoc dico, quod caro per ſuos appetitus eſt primaria occaſio omnium peccatorum, quæ tu in Deum commiſiſti. Et eadem cum veritate dici poteſt, eandem eſſe cauſam omnium peccatorum, quæ vnquam facta ſunt, quæ fiunt, & quæ fient in mundo. Et quod mundus hoc tempore viuit in tantis delicijs, concupiſcentijs, vanitatibus, diſſolutionibus, adiuuentionibus, voracitatibus, ebrietatibus, fornicationibus, & voluptatibus ſenſualibus, certũ eſt carnem eſſe vnum ex præcipuis fontibus, vnde hæc mala ſcaturiunt: & ipſa eſt, quæ potiſsimum mundum deſtruit, honoremque & gloriam eius, qui creauit illum, obnubilat & explodit.

Caro cauſa paſſionis Chriſti.

Si volueris autem maiori in carnem tuam armari odio, memento vitia, & peccata, quæ ex illa procedunt, Dominum Deum tuum flagellaſſe, ſpinis coronaſſe, illuſiſſe, felle & aceto potaſſe, denique & in crucem egiſſe: cùm extra controuerſiam ſit, ſublato peccato, cauſam nullam fuiſſe, cur Chriſtus pateretur, quod paſſus eſt. Quòd cùm ita ſit, quomodo fieri poteſt, vt tu tam inordinatè ames id, quod tam nequiter & crudeliter in mortem Domini tui coniurauit? Hæc ſi oculo rationis intuearis, videbis magis mirandum eſſe, inueniri qui amet propriam carnem, à qua tanta in eum mala dimanant, quàm inueniri, qui odio habeat illam. Malum autem hoc oritur non à ratione, ſed à vinculo naturæ, quæ facit nos tam tenere amare, quod tam infenſe deberemus odiſſe. Illud mihi diuinitus adumbrari videtur in amore illo, quo Dauid filium ſuum Abſalonem com-
2. Reg. 18. plectebatur; à quo licet magis offenſus eſſet, quàm vnquam pater aliquis à filio, nihilominus curam eius vitæ habuit, & mortem eius acerbiſsimo cum dolore deſleuit. Quod igitur illic faciebat vinculũ naturæ, hoc ipſum hic facit amor inordinatus, quo carnem noſtram diligimus. Non enim illa meretur ampliùs amari quam Abſalon iſte peſsimus omnium, quos mundus vnquam ſuſtinuit, filiorum. Non igitur id ex ordine iuſtitiæ, ſed ex miſerabili ſympathia & compaſsione naturæ deriuatur.

Horuentes ſæpe mancipium brutæ carnis ſumus.

Præterea (vt ab hoc iugo libereris) debes etiam conſiderare, quàm turpe ſit, quòd creatura tam generoſa, qualis eſt homo, (qui capax eſt Dei, & gloriæ illius) eò deueniat ignominiæ, vt fiat mancipium rei tam brutæ, quàm eſt caro, cum omnibus ſuis appetitibus & voluptatibus. Diuino quodam ſpiritu
Seneca. dictum eſt à Seneca; Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipiũ ſim mei corporis. Quid hoc

aliud

aliud est, quàm cum filio prodigo porcos pascere? Quemadmodum enim porci delectantur fœtore luti; sic appetitus carnis nostræ nulla re alia oblectantur, quàm spurcissimo delectationum sensuarium cœno: ideo qui sic viuit, sciat se in oculis Dei cum filio prodigo porcos pascere. Quid igitur indignius generositate atq; nobilitate hominis, qui ad tam sublimia creatus est, quàm vitam in exercitio tam vili absumere: in quo (ob magnam nostram cæcitatem) hodie melior & maior pars mundi occupatur. Quid enim maiori cum studio atque anxietate quærunt, quàm mollitiem, pompam, & illecebras corporis, diuitiasque mundi, vt voti sui fiant compotes, sumptusque suppetant, vt possint quod velint? Aduersus hos nolo allegare quod dicunt Sancti, sed quod Mercurius Trismegistus, Philosophus Ethnicus olim exclamans dixit; O homines in hac terra habitantes, qui mersi, sepultique estis somno, ebrietate & ignorantia: viuite temperatè, fugite delicias, ventrisque seruitutem. Cur sopiti somni bestialis dulcedine, præcipites ad mortem curritis, cùm non desit vobis via & modus immortalitatis consequendæ? Leuate vos supra vos: vos inquam, qui viuitis animarum vestrarum paupertate, tenebrisque ignorantiæ. Exite ex hac obscura luce, corruptionem fugite, & ad immortalitatem tendite. Hæc Mercurius: cuius verba Christianos confundunt, inter quos tot sunt, qui adeò ventris obsequio sunt dediti, vt sub hoc nomine Christi viuant, sicut discipuli Epicuri: qui asserebant beatitudinem in voluptatibus consistere.

Luc. 15

Mercurius Trismegist.

Cùm autem in mentionem insignis huius Philosophi inciderimus, referam & aliam admirabilem eius sententiam, quã citat Lodoicus Cælius, in quarto antiquarum lectionum libro; quam cùm legi, vehementissimè admiratus sum. Cùm enim, quæ hîc à nobis tractatur, sit doctrina sublimior Euangelij, ille paucis verbis exprimit, quantum hîc de hoc sui ipsius odio dicitur, & simul docet modum ad illud perueniendi. Dicit igitur sic; Nisi, ô fili, tuum corpus oderis, teipsum amare nõ potes: quàm primùm verò non te, sed Deum ipsum dilexeris, mentem protinus consequeris. Hanc denique nactus, euestigio scientiam comparabis. Impossibile verò est. vtrisque simul intendere, mortalibus & diuinis. In primis verò quam circumfers vestem, exuere oportet, indumẽtum insciticæ, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, viuam mortem, sensuum cadauer, sepulchrum circumuertile, domesticum denique furem: qui dum blanditur, odit; dum odit, inuidet: vmbraculũ inimicum, ad seipsum raptans deorsum, ne fortè conspiciens veritatis decorem, eius oderis prauitatem. Hactenus sunt verba huius Philosophi, quem veteres in tali habuerunt veneratione, vt ei Trismegisti, hoc est Ter Maximi nomen indiderint. Nec immeritò sic eum appellarunt: quia in medio tenebrarũ gentilitatis ipse tantam lucem inuenit, quanta in his verbis continetur. In quibus notanda sunt nomina, quibus hoc corpus nominat, quod Apostolus corpus mortis vocat: hic autem Philosophus nuncupat illud indumentum insciticæ, mortem viuam, sepulchrum circumuertile, cadauer sensuũ: vt significet animam in eo quasi sepultam esse, & nihilominus ab vna parte ad aliam moueri. Optimè autem appellat indumentum insciticæ: etenim nebula suarum passionum excæcat lumen rationis, vt non videat veritatem. Vocat mortem viuam: viuam, quia sentit; mortem, quia occidit animam detinens illam in se tanquam mortuam: non enim finit illam vti sua generositate, naturęque suæ celsitudine. Sub jicit etiam, Ad seipsum raptans deorsum, ne fortè conspiciens veritatis decorem, eius oderis prauitatem: submersus enim & inuolutus in illo spiritus non se eleuat ad cognoscendam pulchritudinem veritatis; vt tandem aspernetur, & detestetur suum corpus, à quo tanta damna percipit.

Lodoicus Cælius in lib. antiq. lect. cap.

Rom. 7.

Hæ igitur considerationes, si bene intelligantur, creabunt in animabus nostris sanctum hoc odium, vt durius tractemus corpus nostrum, quod vt persuadeamus, hîc nostrum est institutum. Quòd si his omnibus non permoueamur ad hoc odium, saltem corpora nostra tractemus, sicut discretus pater suũ filium: qui ex industria nunquam filio blandum ostendit vultum; imò potiùs seuerum & grauem, exercens eum laboribus, & id cauens, vt in edendo, bibendo, dormiendo, vestiendo, aliisque rebus similibus asperè tractetur, & procùl sint omnes deliciæ, omnisque corporis mollities: vt hoc modo cutis indurescat, callumque obducat in laboribus, & ad omnem actionem, quæ cum virtute & honestate fieri debent, adaptetur: non enim est virtus sine labore, & difficultate.

Sed quia hæc bestia tam effrænis est & indomita, quòd omnia hæc vix sufficient ad coërcendam illam; debet homo aliud quid simile adiungere, quo amor Dei conciliatur. Quemadmodum enim desiderium huius amoris eundem nocte dieque à Domino implorat, simulq; exercetur in consideratione omnium earum rerum, quæ cor nostrum hoc amore possint inflammare; (quales sunt considerationes de beneficijs, & perfectionibus Dei) sic qui vult sibi comparare sanctum hoc odium in anima sua, illud semper à Deo petat, quemadmodum & amorem petit: & sæpe consideret ea, quæ possunt eum ad hoc sanctum odium excitare: qualia sunt multitudo damnorum, à mala hac carne acceptorum, (sicut iam dictum est) vnà cum prauitatibus, corruptionibus, & defectibus, quæ in illa latitant: horum enim singula irritant nos aduersus carnem, idq; magno nostro merito. Hæc omnia, & præcipuè Deus, promouent hoc ministerium, creantq; in nobis salutarem hunc affectum, nõ enim minoris difficultatis negotium est, seipsum odisse, quàm Deum amare.

Erat persona quædam deuota, quæ memor, quòd B. Franciscus desiderans plurimùm Deum cognoscere, vt amaret eum; & semetipsum, vt contemneretur; maiorem noctis partem insumpsit in vna oratione hæc verba repetendo; Deus meus, nouerim te, & nouerim me. Deus meus nouerim te, & nouerim me. Eadem persona memor exempli eiusdem Sancti repetebat in sua oratione similia verba, dicens; Deus meus, amorem & odium; Deus meus, amorem & odium: intelligens per amorem, amorem Dei: & per odium, iustum & salutare illud odium, ac seueritatem aduersus appetitus suæ carnis. Quandoque etiam accipiens disciplinam, eadem verba repetebat toto tempore, quo exercitium illud durabat: petens à Domino nostro sanctũ hunc affectum, & simul exercens sese in opere, quo creatur, hoc est, in castigatione, duriorique tractatione sui corporis. Hic est optimus modus negotiandi cum Domino, oratione, scilicet, quæ fit ore; & opere, quod manu fit.

Nec aliquis admiretur machinas & apparatum hunc, quem produximus cõtra proprium amorem: est enim tam potens, & tam generalis hæc passio, vt hæc omnia, & quidẽ multò plura ad eius expugnationem sint necessaria, vt tandem reducatur ad illam temperantiam, & moderationem, quæ requiritur, ne obsit virtuti. Quemadmodum igitur cùm virgam quæ cursa est inclinamus, & flectimus in partem contrariã, non vt sic maneat, sed vt tandem

illa inflectione recta fiat: sic etiam manum armamus in proprium amorem, non vt omnino perdamus illum, sed vt rectum faciamus, & temperemus, sicut suprà dictum est.

DE PVRIFICATIONE ET MORTIFICATIONE propriæ voluntatis.

CAPVT VI.

POst purificationem & mortificationem amoris proprij, sequitur illa propriæ voluntatis, quæ soror est & filia eiusdē amoris proprij. Erit autē fortasis qui quæret, quæ differētia sit inter amorem proprium, & propriam voluntatem. Huic respondemus, in significatione, in qua nos sumimus hæc duo nomina, amorem proprium (vt diximus) hîc esse inordinatum amorem omnium rerum, quæ spectant ad delicias corporis, & ad excessiuos apparatus, pompamque huius mundi. Sed per propriam voluntatem intelligimus, non tantùm appetitum harum rerum, sed etiam appetitus & inclinationes vehementes, quibus homines etiam in alias res exęstuant. Vnus enim naturaliter propendet ad ludendum, alius procliuis est ad venandum, tertius ad piscandum, quartus ad aucupia; quidam ad ædificandum, confabulandum, cum alijs cōuersandum; alij ad murmurandū, nonnulli ad literas prophanas, ad arma, ad voluptates, & indulgēdum genio, cutemque probè curandam. Sunt qui studeant pompis, fastui, & vanitati; & sunt qui oblectantur lectione librorum de bellis, de equitatibus, de peditatibus cōscripris: quique vno loco diu consistere non possunt; & curiosi sunt? hoc est, cupiunt videre insolita, & scire vitam aliorum. Quidam sunt instar Atheniensium, qui nulla re alia occupantur, quàm vt audiant res nouas: quidam iterū facilè quid apprehendunt, ideoq; nimiū pertinaces in sua voluntate, & impatientes nimiū in his, quę volunt: alij deniq; ad alia infinita propensionum genera inclinantur: quæ quidem tot sunt, quot sunt conditiones hominum; qui quàm differentes sunt in vultibus, tam differentes etiam sunt in moribus, in conditionibus, in peculiaribus appetitibus, & inclinationibus, quæ ab illis procedunt. Hoc igitur est, quod hîc propriam appellamus voluntatem.

Varia hominum studia.

Hæc igitur voluntas non minùs noxia est, nec minùs ad vincendum difficilis, amore proprio: cuius tamen victoria non minùs est necessaria, quàm alterius. Cùm enim summa totius Christianæ religionis consistat in amore Dei, etiam consistit in perfectissima obedientia, & sanctæ illius voluntatis conformitate; quæ proprius effectus est eiusdem amoris diuini. Etenim (vt quidam Sapiens ait) idem velle & nolle id demum vera est amicitia. Sunt namque duæ virtutes istæ tanquam sorores inter sese, adeò vt Dominus ipse quodam loco dicat; *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* & alibi; *Qui seruat mandata mea, hic diligit me.*

Ioan. 14.

Hæc itaque perfectissima obedientia, & cum voluntate Dei conformitas facit hominem verum Dei seruum. Videmus enim optimam cōditionem, quæ in seruo potest desiderari, esse, vt domino sit obedientissimus, faciatque in omnibus, & per omnia voluntatem eius. Sic & seruus Dei debet eandem habere promptitudinem, vt obediat ei in omnibus quæ præcipit, & quæ in diuinis libris comprehenduntur. Nec tantùm obedire debet ei in his, quæ præcipit expressis verbis, sed etiam in ijs, quæ seu per inspirationes, seu per vocationes (si tamen Scripturis diuinis, Sanctorumque doctrinæ non aduersentur) manifestat. Exempli gratia, si homo sentiat se fructum facere in exercitio orationis, aut in vita contemplatiua, & tamen magis inclinatur ad aliud aliquod virtutis opus, in quo anima nō inuenit tantam custodiam, tantum feruorem, tantam à defectibus puritatem, quantam inueniebat in illo priori; indicium profectò magnum est, Deum hominem istum ad prius illud exercitiū potiùs vocare, quàm ad posterius. Quare omnes animi vires eò debet cōuertere, vt vincat in hac parte propriam volūtatem, & propensionem, deseratq; id quod minus est, propter id quod maius est: nisi fuerit contrarium particulari eius officio, aut obligationi. eò quòd videatur hæc esse voluntas Dei, quæ nos semper trahit ad nostram, vt ait Apostolus, sanctificationem. Et non solū in hoc, sed in omni aduersitate, infirmitate, paupertate, solitudine, & siccitate spiritus debemus nos diuinæ volūtati assimilare; nostram ad manus eius resignantes, & prompti semper ad bibendum calicem, quem ille nobis proprinare decreuit.

In quibus homo debet Deo obedire.

Qui hoc faciunt, sunt veri & fideles Dei serui, filijque obedientiæ: inobedientes autem in sacra Scriptura vocantur filij Belial: hoc est, absque iugo: eò quòd rebelles sunt, & duræ ceruicis: qualis erat populus ille, cui dixit Deus pro Prophetam; *Sciui quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea*: & ideo *transgressorem ex vtero* matris tuæ *vocauite.* Vt igitur fugiamus nomen tam ignominiosum, & gaudeamus dignitate tam eximia filiorum obedientiæ, necessaria est abnegatio & propriæ volūtatis mortificatio, quæ nonnunquā adeò solet esse diuinæ voluntati obstrepera, vt dixerit Iob; *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* Quod cùm ita sit, fieri non potest, vt perfectè regnet in nobis voluntas Dei, nisi priùs voluntas nostra moriatur: adeò vt (sicut antea diximus, ad consequendum amorem Dei necessarium esse, vt mortificetur amor proprius, sic vt regnet in nobis voluntas Dei) oporteat ante omnia destrui regnū voluntatis propriæ. Et si simul regnare nequeant ambæ hę voluntates, nec simul viuere; sed omnino necesse sit, vt altera moriatur, & viuat altera: quid rationi magis consentaneum, quàm vt viuat voluntas Dei, & non hominis? Nihil enim conuenientius, quàm priuari nos nostra voluntate, vt dulciùs fiat voluntas Dei. Aurigæ id studiosè agunt vt axes semper bene vncti sint, quò faciùs rotæ vertantur: nos autem, vt voluntas diuina meliùs in nobis adimpleatur sine contradictione, primùm nostram propriam voluntatem expellere debemus.

Filij Belial qui. Iudic. 19.

Esa. 48.

Iob. 7.

Exercitium hoc sancti commendant sub diuersis nominibus: Aliquādo enim vocant abnegationem, nonnunquam mortificationem, subinde resignationem; quę tria vnam eandemq; rem, licet sub nomi-nibus diuersis, significant. Vocant abnegationem, quia negamus nostram voluntatem, & libertatem, quę res est magis intima, magisq; principalis omniū, quæ in nobis sunt, tradendo eam in manus alterius, & renunciando vsui & dominio naturali illius, priuando nosipsos nobis, & alienādo nos à nobis, quod sacrificium profectò est maximum, quod Deo potest offerri. Appellatur etiam mortificatio; mortificamus enim & occidimus proprium nostrum velle, illud Deo immolando. Id enim quia non fit sine dolore, meritò dicitur sacrificium & mortificatio. Nuncupatur & resignatio, atque hoc vocabulum magis est significatiuum: resignat enim se homo ad manus Dei, Deo se subijcit, & se spoliat seipso: quēadmodum facit qui resignat beneficiū aliquod Ecclesiasticum, ad manus sui superioris: illud enim nō est aliud, quàm proprietatem illam, quā antea habebat, tradere in dispositionem & voluntatem superioris. Hoc modo se Sancti sua voluntate spoliārunt, & diuinæ facti sunt subiecti, ita vt quasi semper

Varia nomina abnegationis voluntatis.

per visi sint dicere cum Apostolo: *Domine quid vis me facere?*

Act. 9.

Ad hoc igitur mortificationis exercitium inuitat nos idē Dominus in Euangelio, sub nomine mortificationis, cùm dicit: *Amen amē dico vobis, nisi grānū frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum sōlū manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Vnde liquet, quod in perfecta mortificatione latet veræ vitæ fructus. Qui enim semper moritur in semetipso, semper denuò viuit in Deo: anima autē resignata & mortificata, est quasi acinus vuæ maturæ, & suauis: ea verò quæ talis non est, quasi botrus viridis & agrestis. Nihil potest offerri Deo gratius, propriæ voluntatis renunciatione: nihil enim magis amatur ab homine, quàm illa. Quando igitur homo resistit huic sensuali volūtati, licet in rebus exiguis, proculdubio rem facit Deo gratissimam, obsequiūque illi præstat maximum. Si inferatur in mensam missus aliquis delicatus, vnde licet homini sine peccato comedere, & tamen abstinet se ab eo, idque propter amorem Dei, refrēnans appetitum suum, & abnegans illum, sciat quod magnum exhibet Deo cultum, quemadmodum scribitur de Dauide, quod noluit bibere aquas de cisterna Bethleem, tantopere ab illo desideratas: non quia existimabat se magnū quid facere, quòd effunderet vas aquæ coram Domino; sed quia hoc faciens sacrificabat Deo, & offerebat ei suæ voluntatis desiderium: quod cum esset ingens, etiam existimabat ingens se Deo immolare sacrificium. Si Deus itaque tam exiguam mortificationem remuneret, quid putas præparauit his, qui propter amorem eius omnibus renunciārunt? Vt autem exerceatur in hac virtute, necesse est vt homo sæpe dicat in semetipso; Propter amorem tuum, Domine nolo videre hāc rem, nec illam audire: nolo Domine istas gustare delicias, aut frui hac recreatione: in omnibus enim his merebitur, habitumque negandi propriam volūtatem acquiret. Adeò quòd, sicut iam diximus, plurimum conducit ad mortificationem amoris proprij, suis resistere appetitibus, etiā in rebus licitis: similiter etiam iuuat ad mortificationem propriæ voluntatis, sæpè resistere suis desiderijs in ijsdem rebus. Cùm enim duę istæ passiones adeò inter se sint similes, similia etiam debent esse remedia. Nam sicut amor proprius passio est potentissima, quæ difficillimè vincitur, & quæ sese frequenter miscet omnibus rebus agendis: sic etiam & propria voluntas, quæ est abyssus profundissima, quę vix penetrari & intelligi potest. In multis enim rebus (etiamsi illud non sentiamus) immiscet sese sub diuersis coloribus, nūc sub discretione, nunc sub charitate, nunc sub necessitate, nunc sub misericordia; aliquando sub iustitia, nonnunquam quasi alteri cupiat dare exemplum, aut ne cui sit molestus; subinde sub alijs honestissimis titulis, sub quorum coloribus homo facit potiùs quod vult, quàm quod decet, magis sequitur propriam voluntatem, quàm voluntatem Dei: & sæpe hoc ipse non animaduertit, imò contrarium se facere arbitratur. Hoc autem etsi non semper sit peccatum, tamen error est, dum facientes propriam voluntatem, Dei nos facere voluntatem arbitramur. Quare cùm inimici ijdem sint, & modus oppugnandi idem; oportet quoque vt eadem sit resistendi ratio: hoc est, vt generetur in nobis sanctum odium contra eandem voluntatem; vt abnegemus eam in omnibus, quantum fieri potest; vt spontè optemus potiùs regi ad arbitrium alterius, quàm nostrum, magisque nobis placeat humilis obedientiæ subiectio, quàm libertas propriæ voluntatis: omnia suspecta habendo, ad quæ fertur immodicè nostra voluntas, nisi priùs bene examinentur. Præterea, quidquid euenit, id accipiendum est tanquam de manu Dei, quantumuis id asperum sit & durum; cùm ipse capillos capitis nostri numerauerit, & folium arboris non cadat in terram sine illius voluntate. Dicamus igitur in omni aduersitate cum Saluatore nostro; *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*

2. Reg. 23.

Ioan. 12.

Ioan. 18.

Sanctum odium requiritur ad propriam voluntatem superandam.

Cùm autem victus à propria sua voluntate in aliquem defectum labetur, ingemiscat, & suspiret ex intimo corde: ne tamen ob hoc animum abijciat, sæpius licet hoc in die accidat: sed inuocet Dominū, & dicat; O Domine Deus meus, quàm miser ego sum, siquidem taliter adhuc in me passiones dominantur. O quàm debilem me deprehendo, & languidum: Arbitrabar iam voluntatem meam mortificatam, & heu nunc iterum eam non minùs durā & rebellem experior, quàm antea. Tamen, ó Domine, de tua pietate & gratia non diffido. Miserere mei Domine, & adiuua me: propter amorem tuum ecce nunc iterum propono cautiùs ambulare, meipsum & omnia propter te abnegare. In hunc modum oret, & animum resumat, nec arbitretur se ideo gratiam Dei perdidisse, quòd imperfectus adhuc est: fieri enim non potest, vt acceptus Deo non sit ille, qui ex toto corde laborat, vt perfectus fiat: & beatus ille, qui in medio istorum laborum animam exhabit.

Quid faciendum cùm quis lapsus est.

Video quidem hanc mortificationem in principio esse difficilem; postquam autem homo aliquandiu in ea exercitatus est, statim accedente gratia & ope diuina facilis fit: sicut omnia, quantumuis aspera, vsu atque exercitio fiunt mitiora.

His igitur medijs acquiritur mortificatio propriæ volūtatis: & de illo, qui iam eò peruenit, intelligūtur illa Apostoli verba: *Mortui enim estis, & vita vestra abscōdita est cum Christo, in Deo.* Si vultis autem scire, quando homo huc peruenerit, hoc est, quando quasi mortuus sit; dico, quod tunc erit, quando postponit suam voluntatem voluntati diuinæ; cum repellit à se amorem proprium, quando renunciat mundi voluptatibus, quando mortificat inordinata carnis suæ desideria, cùm se omnium iudicat vilissimum, cùm lubens morem gerit hominibus propter Deum, quando non implicatur cogitationibus superfluis; cùm alterius dicta vel facta non iudicat, sed omne iudicium Domino relinquit, cùm laudatus non exultat, aut vituperatus non contristatur; cùm omnem iniuriam & aduersitatem fert patienter, cùm de nemine conqueritur, & cùm omnibus hominibus aperit sinum cordis sui, & suspicit illos tanquam viua templa Dei. Qui hęc omnia facit, is verè mundo mortuus est, & viuit Deo.

Quis mortuus spiritualiter.

Coloss. 3.

DE MORTIFICATIONE ET *purificatione appetituum, passionum- que naturalium.*

CAPVT VII.

POst mortificatum amorem proprium, propriamque voluntatem, sequuntur passiones & inclinationes, quæ hinc procedunt: quæ etiā mortificandæ sunt, tanquā ex illa radice pullulantes. Vt autem hoc intelligatur, sciendū est, in anima nostra duas esse partes principales; quæ à Theologis vocantur portio superior, & inferior. In superiori (quæ vocatur spiritus & mens) est voluntas, & intellectus, qui regit volūtatem, & quasi oculus illius est. In inferiori est appetitus sensitiuus, cum imaginatione, quæ etiam est quasi oculus huius appetitus, à qua mouetur. In hoc appetitu constituūt Philosophi vndecim affectus, quos nos passiones possumus appellare, aut motus naturales; vt sūt amor, odiū, tristitia, lætitia, desiderium, fuga, timor, inuidia, confidentia,

Portio animæ superior quæ.

Inferior appetitus.

Affectus vndecim.

diffidentia, & ira. Hæ duæ partes, & quasi Respub. sunt in homine: vna est quasi bestiarum, altera est quasi Angelorum. Quidquid enim est in illa parte inferiori, habent etiam bestiæ, & alia animalia, sicut nos. Sciendum autem est, ante peccatum portionem hanc inferiorem perfectè subiectam fuisse superiori, non aliter atque res ignobilior nobiliori, & tanquam naturalis seruus suo domino subijcitur. Per peccatum autem amissa est ista subiectio, quæ per Sacramentum Baptismi non restituitur, etiamsi peccatum deleatur, quod peperit hãc rebellionem: atque ita in nobis remanet ista perturbatio, & rebellio nostrorum appetituum, vt sit materia meriti, & exercitium virtutum.

In quo consistat virtus.

Virtus igitur consistit in victoria & moderatione harum passionum, & ibi consistit etiam pax interior, & vera libertas hominis. Versatur igitur maior pars virtutum moralium in refrænandis, & moderandis his passionibus, specialiter autem fortitudo & temperantia, cum omnibus alijs partibus & speciebus harum virtutum, quæ ab ipsis comprehenduntur. Quemadmodum enim sanitas, & bona corporis dispositio consistit in proportione quatuor qualitatum, & elemẽtorum, ex quibus sumus compositi; infirmitas autem in perturbatione eorũdem: sic etiam sanitas animarum nostrarum spiritualis, bonaque & mala dispositio illarum cõsistit in temperantia, & intemperantia passionum: quæ cùm moderatæ sunt, rectè valemus; cùm immoderatæ, spiritualiter ægrotamus.

Simile.

Debet igitur homo semper aduigilare, vt custodiat has passiones; quemadmodum in figura dicitur, quòd faciebant pastores, quibus Angelus natiuitatem Domini annunciauit; qui vigilabant, & custodiebant vigilias noctis, super gregem suum. Igitur & nos vigilare debemus, & diligenter curam habere harum passionum naturalium, quæ tanquã bestiæ mouentur ad præsentiam cuiuscunque obiecti, non aliter, atque bestiæ: præuenientes sæpe rationem, & eripientes illi prærogatiuam. Et hæ sunt illę quæ faciunt nos similes bestijs, in modo sequendi appetitus, exturbantes nos ex fede & dignitate regali hominum, & facientes tanquam animalia bruta; obliterantes imaginem Dei, & imaginem bestiarum substituentes. Hæ faciunt nos seruos Dæmonum obstreperos Deo, captiuos peccati, mancipia mundi, & subiectos omnibus miserijs & mutationibus illius. Hæ excæcant intellectum, captiuant voluntatem, debilitant liberum arbitrium, turbant pacem conscientiæ, exterminant spiritualem animæ lætitiam, priuant eam vera libertate, impediunt quietem conscientiæ, expellunt ex anima virtutes, & loco earum introducunt vitia: sunt denique causæ, cùm moderatæ non sunt, omnium malorum. Quomodo itaque locum habere poterit amor Dei, vbi passiones dominantur: maximè cùm sint legitimæ filiæ amoris proprij, & arma illius?

Luc. 2.

Quæ mala pariunt appetitus.

Oportet igitur vt prima serui Dei cogitatio sit, hunc appetitum cum omnibus suis passionibus refrænare; quasi equum indomitum, non laxando ei habenas, nec permittendo vt os ad quęcunq; appetit extendat: sed certam illi mensuram præscribendo, ne satietur illis, quæ ei placent. Caueat itaque ne cor suum illaqueetur immoderata affectione rerum visibilium, & bonorum apparentium. Non prosequatur immodica affectione creaturam aliquam, licet bona sit: etsi enim obiectum bonum sit, affectio tamen bona nõ est, cùm est immodica. Videmus enim laminam auri non minùs impedire visum, quàm laminam plumbi. In omnibus rebus quas videbis, studies, ranges, possidebis, aut contrectabis, semper caue ne cor inordinato aliquo affectu capiatur; sive affectus ille sit amoris, sive timoris, sive tristitiæ, sive lætitiæ, sive deniq; iræ: singuli namque horum affectuum oppugnant, turbantque animam, & in ea relinquunt semen, quod producit fructum variarum cogitationum; quæ se repræsentant, & nos inquietos faciunt orationis tempore. Vbi audies aliquam historiam, aut negotium aliquod terrenum; audi id quasi per contemptum, tanquam rem non magni momenti: omne enim, quod est Deus, aut nos ad Deum non adducit: exigui non est pretij. Quemadmodum enim cereus in aquam missus, inde extrahitur tam siccus, quàm erat antea: sic cor serui Dei, etsi versetur in medio mundo, à rebus tamen mundanis nil magis, quam pisces de sale marino contrahit. Natat enim super omnia, nec se sinit vllis fluctibus immergi, instar olei inter omnes liquores, quod illis infusum, semper supernatat. Neque minùs necesse est, vt talis semper cura & cogitatio sit in retrahendo animo à rebus exiguis, quàm à magnis: siquidem non minùs (sicut diximus) animam illaqueat affectus illarum, quàm harum, cùm est inordinatus. Qua in re, inquit Cassianus, decipiuntur multi, qui postquam omnibus huius seculi rebus nuncium miserunt, tandem illaqueantur adeò amore rerum paruarum, vt ob id perturbentur, & animæ suæ pacem amittant interiorem.

Simile.

Qui itaque passiones suas sic temperatas habebit, & refrænatas, hic virtutes morales, quæ consistunt in moderatione earum, inueniet; animam suam reddet tranquillam, eamque veræ Sapientiæ faciet discipulam, quæ in hac quiete reperitur. Inueniet quoque veram libertatem, & animæ pacem interiorem, quæ est fructus iustitiæ, & quæ præparat habitaculum Deo, quem nos quærimus.

DE MORTIFICATIONE MALARUM inclinationum, & de particularibus cuiuscunque defectibus.

CAPVT VIII.

TAnta est debilitas & miseria, in quam natura humana per peccatum lapsa est, vt postquam iam anima ab his passionibus, propriaque voluntate, quæ generaliter in omnibus reperiuntur, purificata est; restent adhuc expugnandi particulares quidam defectus, & prauæ inclinationes, quibuscum singuli nascuntur, aut quas longo vsu acquisiuerunt. Vnde videmus hunc naturaliter procliuem ad iram, illum ad gulam, istum ad acediam, quosdam ad vanam gloriam, nonnullos ad concupiscentiam. Reperiuntur multi temerarij, astuti, malitiosi; alij pusillanimes, inuidi, maledici; quidam sibi placentes, vani, amici ventorum, & auræ popularis. multos videmus naturaliter esse præsumptuosos, propriarum laudum buccinatores, effusos ad quiduis appetendum, & qui impetu quodam feruntur in id, quod desiderant, nec pauciores reperiuntur propriæ opinionis amatores, propriæque sententiæ propugnatores. neque exiguus est eorum numerus, qui capitales sunt molestiarum & laborum inimici, propter nimium amorem, quo proprium corpus diligunt, non volentes illud in re minima contristari. Sed quis poterit enumerare omnia genera defectuum, qui sunt in hominibus, quorum numerus ipsorum hominum numero exæquatur?

Varia variorum inclinationes.

Facilè iam conspicitur, quàm omnia hæc Deo aduersentur, & quam inconcinnus ex his constituatur eius amorilectulus. Oportet itaque omnia hæc vt diuersorio, seu cœnaculo quod Deo præparatur, expellantur: siquidem vna sola inclinatio mala, nõ superata, potest impedire perfectionem, atque alijs hostibus animæ portam aperire. Necesse est igitur, vt homo

vt homo omnium defectuum suorum sit diligentissimus & seuerissimus censor, petatq; sine intermissione lumen à Domino, cuius beneficio posit defectus, affectusque suos liquido cognoscere: petat & fortitudinem, qua illos vincat, & sibi subijciat. Qui enim in Euangelio ex aqua potuit facere vinum, is etiam poterit mutare naturales inclinationes, ijsque præcipere, vt virtuti seruiant. Et quia illic pugna est feruentior, vbi rebellis natura est potentior; oportet etiam vt ibidem maior adsit labor, vigilantia, & fortitudo. Obseruet autē, ne amor proprius impediat cognitionem suijpsius: semper enim est suspectus iudex in causa propria. Gratum ei sit de omnibus suis defectibus admoneri, & cogitet eum, qui hoc facit, magnum sibi aperire thesaurum: nisi enim cognosceret, emendare non posset.

Neque verò contentus eo esse debet, quod semper petit à Domino lumen & fortitudinem, ad cognoscendum, & vincendū: sed oportet vt ipse quoque manum admoueat, pugnet, faciatque omne, quod in eo erit. Manum igitur pectori admoueat, examinet, atque perscrutetur omnes angulos suæ conscientiæ: discutiat omnia sua vitia, ad quæ sese magis propendere nouit, siue ad odium, iram, gulam, acediam, inuidiam, loquacitatem, adulationem, iactantiam, vanam gloriam, leuitatem, cordis facilitatem, & mollitiem: siue ad amorem proprij corporis, superbiam, pusillanimitatem, cordis debilitatem, aut auaritiam, & sic de alijs vitijs omnibus, armetque se, & descendat in arenam ad gloriosam hanc expeditionem (qualis est vincere semetipsum, omnia hæc monstra ex anima eijcere: terram promissionis ab his bestijs venenosis purgare; nec somnum dare oculis, nisi priùs hæc omnia consummauerit) cum laude faciendam. Neque commodiori via poteris vitia, malasque inclinationes tuas exactè cognoscere, quam si studeas contrarias virtutes acquirere. Cum enim virtutem amplectimur, statim prodit se contradictio vitij contrarij. Nunquam enim homo cognoscit vim suorum vitiorum, nisi cùm operam dat, vt ea relinquat, atque ab ijs liberetur.

Examinandam esse cōscientiam.

Iuuabit ad hoc etiam statutis temporibus examinare conscientiam, quod saltem semel in die faciendum est. Intret igitur homo secum in iudicium, omnes malos affectus suos producat, examinet omnia sua verba, opera, cogitationes, & intentiones quas habuit: in illis feruorem quoque & deuotionem, quibuscum singula fecit: castiget se, & pœnitentiam agat pro malefactis, idque aliquo opere satisfactorio conuenienti delicto: oretque sine intermissione Deum, vt gratiam sibi det, cuius ope tandē victor euadat. Nouī quandam personam, quæ sub noctem examinans conscientiam suam, si se in aliquo verbo deliquisse sentiebat, linguam morsu castigabat, volens pœnitentiam agere pro eo, quod perperam erat locuta: & aliam, quæ disciplinam sibi inferebat, pro eo, & quocunque alio delicto. Si quis hæc obseruet, præterquam quod pro culpa satisfacit, etiam animam suam reddit magis ordinatam, & timidam, ne in posterum in eadem, aut similia peccata relabatur. Potest autem vnusquisque suo modo sibijpsi pœnitentiam iniungere, præcedentibus conformem.

Exemplum.

Vtile quoque erit singulis septimanis semel secū inire rationem victoriarum, quas illo tempore obtinuit de particularibus vitijs: & si secum circunferat aliquem admonitorem: vt si carnem nudam cingat aliqua re dura & molesta: quæ est loco monitoris, & stimuli, vt in hoc vel in illo cautè ambulet, atque non dormiat.

Hoc igitur modo tandem eijciet omnes Iebusæos (hoc est, omnia vitia, & malas inclinationes) ex terra promissionis, quæ est ipsa anima: vt in ipsam habitatum veniat Deus: quandoquidem (vt diximus) si non expellamus ex anima nostra quidquid Deo contrarium est, & dissimile, non poterimus in illum transformari.

DE VICTORIA ET PVRIFICATIONE omnium peccatorum.

CAPVT IX.

DIximus hactenus de primarijs radicibus, & fontibus omnium peccatorum, qui sunt amor proprius, propria voluntas, passionesque, & malæ carnis inclinationes. Hi sunt quatuor præcipui venti, qui mare turbant, & terram sursum atque deorsum vertunt. Hæc sunt quasi quatuor elementa, ex quibus cōponuntur omnia mundi peccata. Hæc sunt quatuor flumina, quæ egrediuntur, non de paradiso voluptatis, sed de corruptione peccati, quæque irrigant omnes plantas vitiorum, quæ nascuntur in carne nostra. Et quia abunde iam satis diximus de radicibus, & seminibus malorum; etiam aliquid dicendum est de fructibus eorum, qui sunt ipsa peccata, & mala. Hæc enim maiora secum in animam inferunt damna, & arctiùs obserant portam amori diuino, quem hîc quærimus. Scriptum est enim; *Qui diligitis Dominum, odite malum.* & alibi; *In maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Psal. 96. Sap. 1.

Peccatum duplex.

Cùm autem peccatorum genera duo sint, vnum mortalium, alterum venialium: de mortalibus fusè satis diximus in secundo libro Ducis peccatorum: vbi tractatum est de remedijs septem vitiorum capitaliū. Superest vt de venialibus aliquid dicamus; quæ etsi non deleant charitatem, tollunt tamen feruorem illius, & disponunt ad mortem eius. Obscurant etiam animam, impediunt deuotionem, exanimant cor, præscindunt filum bonorum exercitiorum, distrahunt hominem, & nebulam quandam inter Deum & illum excitant. Oportet igitur, vt vnusquisque diligenter vigilet in custodia sui ipsius tot oculis, sicut illa animalia Ezechielis repræsentant, circunspiciens, & cum omni studio examinans omnia opera, verba, proposita, delideria, & cogitationes suas: ne latum vnguem (si fieri possit) à diuina lege digrediatur. Hęc enim est primaria dispositio, quæ requiritur ad quærendum hunc Dominū, eique hospitium præparandum: iuxta illud Psalmi; *Iustitia & iudicium præparatio sedis tua.* tali enim suppellectili domū suam vult esse ornatam Dominus, qui cum sanctus sit, etiam sanctum requirit tabernaculum, in quo habitabit. *Venialia peccata quæ mala secum adferant.* Ezech. 1. Psal. 88.

Superius diximus, puritatem cordis principale medium esse, ad amorem Dei comparandum: nequaquam autem minima pars huius puritatis est, conscientiam habere mundam, quæ liberat hominem ab omni peccato, & tabernaculum Domini sanctificat. Adamas pretiosus non in annulo ferreo, sed in auro purissimo collocatur: sic etiam cælestis hæc virtus non infunditur animæ immundæ, sed purgatæ & nitidæ. Id multis allegorijs insinuat Ecclesiasticus, dicens: *Dominum Sapientiæ præcepisse, quod habitaret in Iacob, & in Israel hæreditaretur, & in electis suis mitteret radices. Et*, inquit Sapientia, *in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in plenitudine sanctorum detentio mea.* His modis loquendi significat, quàm pura, munda, & immaculata debet esse domus, in qua requiescet diuina Sapientia, & meritò; Quemadmodū enim speculum quo tersius & nitidius est, eò clariùs in eo splendent radij solares: sic etiam quo mundior & purior erit anima, eò magis lucent in ipsa radij Simile. Eccl. 24. Simile.

diuini

diuinæ sapientiæ, & tantò perfectiorem concipiet intelligentiam rerum omnium, idque propter eximiam suam puritatem. Hanc ob causam homo diligentissimam vitæ suæ debet habere rationem, cõsiderando semper vbi pedem figat, ne in præcipitiũ peccati labatur: in omnibus, & ante omnia negotia se præparando, implorandoque gratiam & opem diuinam; maturum præmittendo, iudicium, & diu deliberando, si quid faciendum sit, ne à terminis rationis aberret. Præterea sic sibipsi irascatur, sic se castiget & in ordinem redigat, ne subsidium vitæ spiritalis amittat, ne præscindat filum bonorum exercitiorum: etiamsi nonnunquam incidat in leuem aliquem defectum, sine quibus vita hæc transigi non potest. Naturale namque est, quod peccatum secũ adfert timorem & pauorem, vt dicit Sapiens; *Forsitudo simplicis*, ait, *via Domini: & pauor his qui operantur malum.* Iste pauor cũ adeo naturalis sit peccato, multi sic ab illo absorbentur: quod amittunt vigorem & alacritatem, quibus tamen opus est in continuandis virtutum exercitijs. Ea itaque seruãda est moderatio inter audaciam & timorem, ne timor nimius animum deijciat, neve defectus audaciæ causa sit, cur opus intermittatur.

Peccatum secum adfert timorem. Prou 10.

DE ALIIS IMPEDIMENTIS Amoris Dei, & præcipuè de nimijs occupationibus.

CAPVT X.

HÆc sunt præcipua impedimenta diuinæ charitatis vel amoris. Sed & præter ea, quæ hactenus commemorauimus, alia sunt, quæ virtutem hanc impediunt: quæ quidem facilè nominari, sed non facilè possunt superari. Sit igitur hæc generalis regula: Omne id quod aut dissimile est, aut contrarium Deo, etiam contrarium est eius amori. Cùm enim huius amoris natura sit, vnire animam cum Deo, eamque in illum transformare; & cum vnio similitudinem rerum vniẽdarum præsupponat, sequitur omne id quod impedit similitudinem, etiam impedire vnionem, & per cõsequens, amorem. Sic videmus ignem naturaliter aquæ vniri non posse, cum illi contrarius sit: sic nec aqua oleo; etsi enim contraria non est, oleo tamen dissimilis est. Sed & ferrum cretę non miscetur, propter eandem rationem: illud enim durum est, hæc mollis. Miscetur autẽ commodè vnum oleum cum oleo altero, aut quiuis alius liquor cũ liquore sibi simili.

Generalis regula, qua impedimenta auferuntur amoris Dei.

Simile.

Hanc igitur ob causam necesse est, vt cupidus amoris Dei ex anima sua eijciat, non tantum omnia peccata mortalia, quæ ex diametro pugnant cum amore diuino; sed etiam omnes imperfectiones, & omne id, quod Deo est dissimile, vt sic vniatur anima cum Deo, eique (quantum humanæ conceditur debilitati) similis efficiatur. Huc ascendit intellectus Plotini Philosophi Platonici, qui dicebat; In Deo tres sunt proprietates quæ sunt, esse vnicum, & summum bonum: debet ergo etiam homo in suo genere se talem facere, vt vnus cum ea fiat. Proinde, inquit, qui vult vniri bono, eique similis effici, debet se abstinere ab omnibus rebus malis, & qui summo, abstineat ab omnibus inferioribus: & qui vnico abstineat à multis. Quo loco in paucis verbis tres gradus tradit ad hanc vnionem necessarios. Primus, & maximè necessarius est, abstinere ab omnibus rebus malis: hoc est, ab omnibus peccatis. Secundus & perfectior est, abstinere ab omnibus rebus inferioribus, vilibus, & abiectis, etiamsi malæ non sunt: vt vacare negotijs secularibus, contractibus, commercijsque & negotiationibus. etsi enim hæc illicita non sint, tamen exercitia sunt vilia, abiecta, & seruo Dei indigna: nisi fortè aut obedientia, aut charitas aliud postulent. Tertius est perfectissimus, abstinere scilicet à πολυπραγμοσύνη, hoc est, ab occupationum multitudine: etiamsi nec malæ sint, nec viles, sed bonæ, dummodo sint superfluæ: hoc est, quando occupationes plures sunt & grauiores, quam vt debilitas spiritus & corporis nostri ferre queat. Quapropter sæpe sub onere labimur, spiritus obruitur, & deuotio amittitur. Ob multitudinem namque negotiorum, nec tempus suppetit, nec cor sufficit diuini amoris exercitijs. Pulcherrimè contra hanc nimiam occupationum multitudinem scripsit S. Bernardus ad Eugenium Papam. Ab hac vt nobis caueamus, monet etiam Sapiens, dicens, *Fili, ne in multis sint actus tui*: qui enim in paucis occupatur, in spiritu Sapientiæ plus proficit. Quam sapientiam ille vult nos apprehendere in tempore quietis. Idem quoque præcipit D. Franciscus suis Fratribus in Regula: vt quidem laborent, sed ita, ne tanta sint exercitia, vel occupationes, vt spiritus orationis opprimatur: cui omnia debent subseruire. Quod sanctus ille docet, etiam docuit Seneca, qui multas occupationes vocat summum virtutis impedimentum: ait enim: Nemo vnquam ad bonam perueniet conscientiam, qui præter modum occupatus est. Hoc dicere potuit Philosophus: nec est mirandum. Etenim si virtus maior est omnibus rebus huius mundi, mirum non est, si alias occupationes omnes non necessarias respuat, ad acquirendam rem tam difficilem. Qui itaque auferet è medio tria hæc impedimenta, certus sit, quod ingentem hunc thesaurum consequetur.

Tres gradus vnionis cum Deo.

Bernard. ad Eugen. Eccli. 11.

Nemo aut miretur aut reprehendat, quòd manũ meam in hoc negotio mortificationis adeò defatigaui: experientia namque docet, multos esse vtriusque sexus homines, orationis exercitio, alijsque virtutibus & bonis operibus deditos, qui tamen in propria voluntate sunt obstinati: habentque passiones tam viuas, quàm si nihil ipsis esset cum Deo negotij, & tandem si fortè illos aut extremo tangas digito, erumpunt cum impatientia in conuitia, verbaque maledica, vt ostendit Chrysostomus in libro de Sacerdotio: & quotidiana docet experientia. Hi magis student orationi ex voluptate, aut vitæ dulcedine: quàm ob finem, in quem oratio est instituta, nimirum vt Dei voluntati satisfiat, & propria mortificetur; cum extra controuersiam sit, vnam viuere, alteram mori debere.

Cur auctor in his fuerit prolixior.

Chrysost. de Sacerdotio.

Et si Christiano lectori nimium esse videatur, quod nos requirimus: meminerit, quòd hæc requirimus ab illo, & illum vicissim Deo reddimus. Ratio difficultatis huius, est magnitudo eius, quod quæritur. Etsi enim Dominus sit tam liberalis, & tã communicatiuus suijpsius, omniumque rerum suarum: tamen cum etiam sit infinitè sapiens, & iustus, disponit omnia in numero, pondere, & mensura. Oportet igitur hominem, vt dona tam pretiosa percipiat, ad maximos labores disponi: vt sit aliqua proportio inter id quod datur, & quod accipitur: inter dispositionem, & formam, inter merces, & pretium.

Hæ sunt, Christiane Lector, principales res, quas mortificare & purgare in se anima debet, quæ desiderat vnus fieri cũ Deo spiritus, & introduci in cubile & thalamũ cælestis illius Sponsi. Id multis modis in Scriptura diuina adumbratum est. Primò significatur hoc per generalem illam circuncisionem, qua Deus præcepit Iosuæ, vt omnes filios Israel circunciderent, cùm iam Iordanem transijssent, terramque promissionis essent ingressi. Terra enim promissionis (quò omnes in hac vita proficiscimur per desertum pœnitentiæ) est perfectio charitatis, ad quam nemo perueniet, nisi per generalem circuncisionem amoris proprij, omniumque aliorum malorum

Ioſ. 5.

lorum & imperfectionum, ex eo scaturientium. Hoc est quod Angelus Domini præcepit eidem Iosuæ, vt discalcearet sese, antequam pedem figeret in terrã promissionis: hoc est, regionem amoris Dei. Hoc est Psalterium illud decem chordarum, & tympanum ex membrana pecorum, quæ sumere præcipit Deus in Psalmis, & in quibus vult laudari: hoc est, corpus & anima mortificata, & libera ab omnibus amoribus, & oblectationibus sensualibus: quemadmodum enim chorda & membrana, quæ primas partes habent in his instrumentis, necessariò debẽt esse siccæ, & ab omni humore, quem à corpore animalis traxerunt, liberæ: sic oportet vt homo habeat mortificatam, & exiccatam (quantum fieri potest) humanitatem, & debilitatem, quàm traxit à ventre matris suę, si velit esse instrumentum viuum laudis Dei. Quando fluenta Iordanis siccauerat Dominus, dicitur, quod omnibus Regibus terræ dissolutum est cor, & non remansit in eis spiritus, quodque seipsos & regna sua mox filijs Israel tradiderunt. Sic & Diaboli, cùm vident siccari fluenta nostrarũ passionum, appetituumque sensualium, confestim se victos dedunt, & regionem amoris huius cælestis nostram esse fatentur. Sed ne deficiat homo, existimans rem esse difficilem, aut impossibilem, exuere omnem humanitatem & imbecillitatem: Deus enim ipse iuuabit nos, & potiores partes sustinebit in hoc opere, quod molimur: hoc enim in lege per Prophetam suum promisit his verbis: *Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in corde tuo, & in tota anima tua, vt possitis viuere.* Ex quibus verbis duo possunt erui: primum est, necessariò resecandos esse ramos amoris proprij, vna cũ suis radicibus (quoad fieri potest) omnibus, vt locus detur amori Dei: ea namque circuncisio cordis non est aliud, quam ipsa mortificatio, de qua hucusque nobis sermo fuit. Secundum, quod opus hoc, alioquin supra vires humanas, maximopere iuuat & promouet, est diuina gratia: promittit enim ipse Dominus, se circuncisionem hanc executurum, quam promissionem ipse implet, dando nobis spiritum & fortitudinem, ad circuncidendum, & mortificandum omne id, quod impedit amorem illius. Hic constituemus finẽ prioris huius libri partis, & secundam, prout in exordio polliciti sumus, auspicabimur.

Ioh. 3.

Psal. 80. Psal. 32.

Ioh. 3.

Deus in mortificatiõne potiores partes sustinet.

Deut. 30.

SECVNDA PARS HVIVS LIBRI:

In qua agitur de primarijs virtutibus & exercitijs, quibus amor Dei acquiritur.

DE PRIMO EXERCITIO, CONTINVA SCILICET MEMORIA Dei, & de petitione diuini huius amoris.

CAPVT XI.

DVo in prncipio huius libri diximus ad cõparandam charitatem esse necessaria: vnum est, eliminare ex anima nostra omne id, quod in ea est, vel cõtrarium, vel dissimile Deo: alterum, operam dare, vt eam semper habeamus occupatam, & Deo vnitam per deuota & amoris plena exercitia. Id manifestum fiet hoc exemplo: Videmus eos, qui ex viridi & acerbo fructu Conseruam facere volunt, ante omnia bene coquere, vt eliciant omnem viriditatem & amaritudinem, quam habet naturalem. Quo facto, secũdo coquunt in saccharo, vel in melle, vt quod in prima coctione perdidit amaritudinem, acerbitatemque naturalem, quam habebat, in secunda coctione dulcedinem liquoris, quo conditur, contrahat: Sic etiam vt transformetur homo per amorem in Deum, necesse est primò exuere omne id, quod est contrarium Deo: hoc est, omne malum. Deinde oportet vt Deo iungatur per exercitia orationis, & amoris; per hanc enim coniunctionem fiet vnus spiritus cum Deo. Et quia vsque huc de priori tractauimus, nunc ordo postulat, vt ad posterius progrediamur: hoc est, ad exercitia & media, quibus anima nostra iungitur Deo, quod est finis totius perfectionis.

Simile.

Ante omnia igitur præsupponendum est, quòd (vt quidam Doctor ait) primarium serui Dei studium debet esse, vt anima eius semper Deo per orationem, & actualem amorem adhæreat. Quamdiu enim perseuerauerit in hoc, Sol ille iustitiæ, qui adeò radiorum suæ lucis est communicatiuus, sic eam illuminabit, quòd faciet sibi similem. Etenim per hanc spiritualem conjunctionem tam formosa fit, quam nubes à Sole percussa, eiusque radijs amicta, à quibus eum in modum illuminatur, vt Sol ipse esse videatur. Quod dicimus, in duobus Philosophiæ principijs consistit; quorum vnum est, Omnem causam naturalem id agere, vt effectum faciat sibi similem. Sic videmus ignem vnum, alium ignem producere; vnũ frigus, aliud; vnũ calorem, alium. Idipsum, & inter causas ea facit magis, quæ est potentior & nobilior ad operandũ. Secundum est, quòd omnes hæ causæ operantur, cum habent materiam, in qua operabuntur, iuxta se positã: nam si remotior esset materia, iam causæ non possent operari in illa; ignis enim non calefacit, nisi quis ad illum accedat. His sic se habentibus, cũ dubitare nemo possit, quin inter omnes causas prima, nobilissima, & ad operãdum potentissima, Deus ipse sit; sequitur, Deũ maximè actiuum, suijpsiusque & diuinæ suæ similitudinis maximè communicatiuum esse, his, qui capaces sunt: qualis est homo. Sed hic applicatione opus est, vt scilicet homo se coniungat cum Deo, & influentias diuinæ lucis ipsius excipiat. Hæc cum Deo coniunctio non fit passibus corporis, sed spiritus: coniungendo scilicet intellectum & voluntate nostram cum Deo, per considerationem & amorem. Et quãtò diutius id homo continuabit, in eoque perseuerabit, tantò plus participabit de radijs lucis eius. D. Bernardus ait hoc ipsum quatuor potissimùm exercitijs fieri, lectione scilicet, meditatione, oratione, & contemplatione: quæ sunt tanquam quatuor gradus, quibus homo pius & deuotus ad Deũ ascendit: inter quos hæc est differentia, (vt Doctor quidam ait) quod lectio pedetentim incedit, oratio celeriter currit, meditatio velocissimè

volat,

volat, & contemplatio tandem ad finē itineris peruenit atque in Deo quiescit. Prosunt itaque singula horum exercitiorum ad Deum accedere volentibus: in singulis tamen plus & minus inuenitur. Inter lectiones enim ea facit plus ad propositum, quæ magis est affectuosa, deuota, & plus habet amoris diuini: quales sunt Meditationes S. Augustini, Stimulus amoris S. Bonauenturæ, multique eiusdem Doctoris tractatus alij, quos ille sublimiter scripsit de his materijs spiritualibus. Inter Meditationes verò eæ sunt vtiliores, quæ versantur circa beneficia & perfectiones Dei, omniaq; alia, quæ quoquomodo possunt in nobis amorem diuinum accendere. Inter Orationes eæ commendantur, quibus instantius petitur amor ille diuinus, & maximè quæ fluunt ex ardentissimo illius desiderio. Et de illis, qui cor habent semper sanctis his orationibus occupatum, dicit B. Augustinus in vna sua suarum Meditationū; Beati illi, Domine, quorū spes in te solo est: & quorum vita perpetua est oratio. Magnum hoc profectò est, sed non tam difficilè, quàm quidam arbitrantur. Per orationem enim hic non intelligimus semper flexis genibus in terra orare, aut cum Deo loqui: sufficit enim cor habere collectum, plenum sancto timore & reuerentia: cum perpetua cogitatione & desiderio Deo gratificandi, & ad illum accedendi: quæ res familiarissima est illis, qui se obsequio diuino deuouerunt.

Cæterum inter omnia, quæ huic exercitio conducunt, maximum est ipsum exercitium, & vsus amandi Deum: nobilis enim hæc virtus nulla re alia magis crescit, quàm proprijs actibus: tum quia magis proprij sunt, tum etiam quia sunt excellētiores, magisque meritorij: procedunt enim de excellentissima virtute, quæ est charitas. Quemadmodum enim habitus, qui acquiruntur vsu & exercitio alicuius operis, cum ipsa operatione crescunt, & perfectiores fiunt: (sic enim videmus pingendo fieri pictorem, & scribendo scriptorem) ita & in illis vsu venit, quæ Deus in animam nostram infundit, & præcipuè in hoc nobilissimo amoris sui habitu, licet hic magna sit differentia: meretur enim homo, & auget hanc virtutem Deus: Vnde sequitur, quòd qui continuè magis occupabitur in amando Deo, is magis in hac virtute proficiet.

Hoc igitur conuenientissimum huic negotio est exercitium: & sic ait quidam Doctor, quòd etsi multæ viæ sunt, quibus ad perfectionem peruenitur, tamen compendiosissima & efficacissima est hæc, quā docet S. Dionysius, & multi alij post illum: hoc est, eleuare cor nostrum ad Deum cum affectibus & desiderijs amore ipsius inflammatis, conuersando cum eo, & cum eo colloquendo: incedendo semper collectis animæ viribus in illius conspectu, & eliciendo ex omnibus rebus incentiua quædam, ad illum melius cognoscendum, & feruentius amandum. Exercitium hoc proprium studium est veræ sapientiæ, & mysticæ Theologiæ, quæ non apprehenditur legēdo, aut disputando: sed orando, & puram affectionem ad Deum eleuando, per eundem enim gustum & experientiam suauitatis, bonitatis, & nobilitatis illius agnoscit homo reipsa, quid sit Deus: eo quòd participauit, & in se recepit beneficia & effectus eiusdem Dei: quemadmodū aliquis scit Principem hunc aut illum esse liberalem, non quia legit, aut ex alijs intellexit; sed quia ipse expertus est, diu cum illo conuersatus, multorum beneficiorum, magnæque illius liberalitatis & nobilitatis sensit argumenta. Ex hoc non difficulter intelligitur differentia, quæ est inter Theologiam Scholasticam & mysticam: illa enim apprehēditur actu intellectus, hæc suaui affectu voluntatis; qui deinde communicat, insinuatque intellectui, quàm bonus & suauis est Dominus.

Differentia inter Theologiam scholasticam & mysticam.

Secundum hanc itaque doctrinam, via, per quam peruenitur ad veram sapientiam, est continuum cū Deo commercium habere, cum illo nocte dieque conuersari; sicut sanctissimam illam Virginem Ceciliam quondam fecisse legimus: de qua scriptum est; Virgo gloriosa semper euangelium Christi gerebat in pectore suo, non diebus, neque noctibus: colloquijs diuinis in oratione cessabat. Ad quod exercitium Spiritus sanctus multis nos similitudinibus inuitat in libris Sapientiæ: *Beatus vir qui in sapientia morabitur: & qui in iustitia sua meditabitur: & in sensu cogitabit circunspectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi inuestigator, & in viis illius consistens: qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens: qui requiescit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum statuet casulā suam ad manus illius, & requiescens in casula illius bona per euum: statues filios suos sub tegmine illius, & subramis eius morabitur: protegetur sub tegmine illius à feruore, & in gloria eius requiescet.* Eccl. 14. Pſalm. Omnia hæc verba sunt Spiritus sancti. Vides igitur quot tropis & similitudinibus depingit hic Spiritus sanctus pij hominis, & thesaurum hunc cupientis sibi comparare exercitia: qui postpositis omnibus mundi negotijs, nulli alij studet, quàm vt thesaurum hunc quærat vndique & ex omnibus quæ videt, audit, vel cogitat, occasionem captans, vt de die in diem proficiat in cognitione & amore sui Domini. Hæc fuit vita, hoc studium, hoc continuum Sanctorum exercitiū, & hoc est quod Sapiens dicit; *Vadens post illam quasi inuestigator*, hoc est, quod vocat *respicere per fenestras: in ianuis illius audire: in parietibus illius palum figere, & casulam suam ad manus illius statuere*: continuam scilicet operam dare contemplationi rerum diuinarum, & sub vmbra Dei morari: fruendo scilicet suauiter fructibus & admirandis solatijs huius sapientiæ.

Ad idem exercitium nos inuitat etiam Apostolus, licet dilucidius, & verbis simplicioribus. *Loquentes*, inquit, *vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Ephes. 5. Consilium quod Apostolus hoc loco nobis dat, ipse perfectissime sequebatur: cùm enim omnium hominum esset occupatissimus, sic raptus, & cum Deo vnitus incedebat, vt de seipso testetur, quod omnis sua conuersatio erat in cælis: ibi enim cor eius, ibi omnes eius erant cogitationes. 4. Reg.

Inter omnes laudes hominis iusti, nequaquam minima est, quod canit Ecclesia: Sanctos in terris corpore solum vixisse, omnia autem desideria, omnesque cogitationes eorum in cælis habitasse. Hanc ob causam homines iusti in sacris literis cæli vocantur; liberi enim ab omnibus defectibus & passionibus huius vitæ, tāquam ab impressionibus externis immunes viuunt, & omne eorum commercium, conuersatio, & cogitatio: omnia eorum desideria, gaudium, & spes in cælo reposita sunt, quare non immeritò cæli vocantur: minor enim ipsorum pars in terris habitat, & maior ac melior in cælis commoratur. *Sancti vocantur cæli dicuntur.*

Ob eandem causam dicitur in Psalmo, quod Deus ministros suos facit ignem vrentem. Quemadmodum enim flamma semper tendit sursum, sic iusti semper anhelant & sursum feruntur, tanquam viua flamma ad bona illius qui etis cælestis. Psal. 103.

Etsi nonnunquam negotia huius vitæ animum

trahunt ad terrena, confestim tamen spiritus, qui in illis est, resultat, & fertur iterum ad cœlum, non aliter, atque lignum, quod vi sub aqua mergitur ob naturalem tamē leuitatem confestim sursum emergit: quod enim hic facit natura, hoc illic faciunt boni mores, & gratia diuina, quæ natura longè sunt potentiora. Si enim

Longa dies homini faciat parere leones,

si vsus ex feris animalibus faciat mansueta; quid mirum si gratia, quod humanum est, faciat diuinum, & quod terrenum est, mutet in cæleste?

Secundùm hanc itaque doctrinam debet seruus Dei (si velit esse discipulus huius cælestis Sapientię) in semetipso extruere oratorium, in quo semper vacet Deo; hoc est, semper sic in præsentia Dei versari debet, & talem omnium suorum negotiorum habere curam, vt sibi persuadeat, Deum semper habere se præsentem: ne vnquam mentis illam attentionem, deuotionemque ex illa præsentia natam, penitus amittat. Sic se fecisse indicat Propheta, cùm dicit; *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper:* Psalm. 15. *quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Idem faciat seruus Dei, eleuans semper cor suum ad illum, nō cum impetu & violentia, sed cum tranquillitate & simplicitate, inclinando suauiter spiritum ad supremam illam deitatem. Neque abijciat animum, si viderit aliquando se distrahi ob instabilitatem cordis; sed confestim reuertatur, & recolligat, Deoque illud offerat: præterquam enim quod hoc modo disponetur ad hoc exercitium, etiam vsus ille in naturam conuertetur, neque amplius in colligendo spiritu difficultatem aliquam inueniet: neque vnquam sine tali spiritu inuenietur: quemadmodum pisces ex aqua extractus totis viribus contendit, vt quàm primùm in aquam reuertatur. Meminerit etiam se nihil posse ex semetipso, sed cum diuino subsidio; quod nunquam negatur huic, qui cum tali spiritu humilitatis facit, quod potest. Includatur igitur in semetipso, ibi enim Deum inueniet: qui etsi generaliter est in omnibus rebus, specialiter tamen est in anima rationali, in ea enim, tanquam in propria imagine & figura commoratur. Proinde cum Deus in ipso sit, oportet vt semper viuat in sancto timore, humilitate & reuerentia coram oculis illius: quomodo fecisse videtur Heliseus, cùm dixit: *Viuit Do-* 4. Reg. 3. *minus, in cuius conspectu sto.* Et sæpe eadem repetat: *Dominus præsens adest: Dominus me videt:* vt huiusmodi verbis restituatur diuinæ præsentiæ, quando se sentit ab ea declinasse. Absondatur cum Propheta in Deo, occultetur in eius penetralibus, ibique cōmoretur, tanquam clausus in domo: lætetur q, quod tam facilè potest in se Deum inuenire, & in anima sua tantum bonum possidere.

Cordis particula semper etiam in maximis negotijs Deo relinquenda.

Quod si nonnunquam occupationes & humanæ vitæ negotia tantam deuotionem, animique attentionem non permittant: non tamen ob hoc propositū illud omninò abijciat, sed semper maneat cordis particula, quæ Deum respiciat: id si fecerit, facilius post peractum negotium poterit ad illum redire. Beatus homo quem nec hominum familiaritas, nec alia talia impedimenta, vel strepitus possunt ab hac diuina præsentia dimouere. Id autem fiet, cùm sic in Deo inclusus, & in eo radicatus est, tamque vnitus, & illaqueatus amore illius, vt Deum magis quàm quicquam aliud habeat in conspectu. Sine dubio namque habens animam omnibus rebus, quæ nimium amari possunt, spoliatā, in humilitate stabilitam, nullum Dei donum sibi tribuens, etiamsi in medijs mundi negotijs & occupationibus versetur, nullum inde alicuius momenti damnum accipiet: iuxta id, quod quidam ex sanctis illis Patribus dicere consuetit: Homo perfectus non habet cor terrenis rebus illaqueatum, sed in summitate earum transit; quò velint, eas dilabi sinit, nec sese ijs immiscet, nec examinat aut discutit id, quod ad se non pertinet, dices in semetipso, Deum solum cum omni affectu & attentione quæro: omnia alia currāt & recurrāt, nihil mihi cum ipsis negotij. Qui facit hoc, & in nulla re semetipsum quærit, imò nudus omnia tam prospera, quàm aduersa cum Apostolo pertrāsit, potest omnia sua negotia peragere sine vlla cordis distractione, & in medio laborum atque occupationum tranquillus esse. Nunquam desistat igitur seruus Dei ab hoc sancto exercitio, siue quia inidoneus est, siue quia principium magnam secum adfert molestiam: nō enim insolēs est, initia rei esse difficiliora, cuius tamen progressus vsu & tempore fit facilior. Id autem dico propter eos, qui cùm aliquamdiu in hac palæstra desudarunt, si non statim inueniant quod quærunt, subitò despondent animum, & propositum bonum deserunt, ignorantes ad statum perfectionis contendentibus opus esse longanimitate & perseuerantia, vt post longissima itinera, tādem perueniant ad tertam promissionis: licet quidam reperiantur, quibus viam hanc diuina bonitas facit breuiorem.

Initia difficiliora sunt.

Ad continuandum autem hoc exercitium maiori cum facilitate & suauitate, vtile erit, vt homo habeat in promptu aliquot hymnos, Psalmos, aut versus Dauidicos, aut dicta aliorum Sanctorum, quibus sæpe excitet, eleuetque cor suum ad Deum, quale est illud huius Prophetæ: *Quemadmodum desiderat* Psalm. 41. *cerus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* & versus illius Psalmi: *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus* Psalm. 17. *firmamentum meum, &c.* Nec tantùm hymnorum & psalmorum, sed etiam cuiuscunque rei versiculos, orationes, prosas, verbaque deuota & amore plena ad manum habeat: conuertens sæpè cantilenas prophanas in spirituales, & diuinas, quibus eleuetur & excitetur nocte: sæpeque interdiu repetat, vt colligat cor suum, atque ad Deum extollat; habeatque semper animæ suæ palatium odorifero diuinarum orationum incenso suffitum. Poterit igitur nonnūquam sequentem orationem dicere.

ORATIO AD IMPETRANDVM amorem Dei.

O Bone Iesu, ô salus animæ meæ, quando tibi in omnibus & per omnia placebo? quando amore tui & mihi, & omnibus creaturis moriar? Miserere mei Domine, & adiuua me. Offero me diuinæ tuæ Maiestati, & saluto, quàm possum officiosissimè, rosea tua vulnera. Absconde me Domie in illis, vt sim perfectè mundatus, & amore tui inebriatus. O Domine Deus meus, ô admirabile principium meum, ô clarissima lux intellectus mei, ô quies voluntatis meæ; quando te diligam ardentissimè? O Domine, dignare cor meum dulcissimi amoris tui iaculo transfigere. O omne desiderium meum, omnis spes mea, omne refrigerium meum: ô si anima mea digna esset tota vt amore tui sancto inflammaretur, vt sic omnis tepor eius diuino illo igni absumeretur. O Saluator mi, te desidero, tibi me totum offero, vnum vni, totum toti, vnicum vnico. Nihil præter te volo, nihil præter te desidero, nihil præter te opto: tu nāque solus mihi sufficis, tu meus es Rex, tu meus es Dominus, tu meus es Gubernator, Pater meus, & omnia. Tu totus es amabilis, totus delectabilis, totus fidelis. Quis tā liberalis

est, quã ille, qui pro vili creatura dedit semetipsum? Quis tam humilis, qui magnitudinem suæ Maiestatis eum in modũ extenuaret, imò abijceret? O Domine, qui nullum despicis, nullum aspernaris, nullum qui te quærit repellis; quin potiùs præuenis illum, comitaris illum, subsequeris illum, & viam illi monstras: deliciæ namque tuæ sunt, esse cum filijs hominum. Tibi Domine benedicũt Angeli, & quid inueniſti in nobis præter miserias & peccata, vt voluerís nobiscum permanere vsque ad consummationem seculi? An non satis erat, te pro nobis passum esse, & nobis Sacramenta reliquisse, & Angelos tuos custodes dedisse: quòd etiã ipse, qui Dominus Maiestatis es, nobiscum, & in societate nostra permanere voluisti? Ineamus itaque pactum, (si tibi placet) fiatque inter nos commutatio, tu solicitus esto, vt me adiuues, & ego solicitus ero, vt tibi seruiam: fac mecum quod vis, & scis quod mihi expediat: tuus enim esse volo, & non alterius. Da mihi Domine, vt nihil præter te desiderem, & vt totum me tibi offeram, nec vnquam te deseram. O ignis, qui me inflãmas, ó charitas, quæ me exuris, ó lux, quæ me illuminas, ó requies mea, ô amor, qui semper ardes, & nunquã extingueris, quando te Domine perfectè diligam? quando te nudis animæ meæ brachijs amplexabor? quando despiciam me, & omnia, quæ in mundo sunt, vt liberius amem te? Quando anima mea cum omnibus suis potentijs & viribus tibi vnietur? quãdo erit in amoris tui abyssο mersa & planè absorpta? Dulcissime, amantissime, pulcherrime, sapientissime, ditissime, nobilissime, pretiosissime, & dignissime qui ameris, & adoreris. O vita animę meę, quæ vt mihi vitam dares ipsa mortua es, & moriens mortem interemisti, mortifica me totum, Domine, hoc est, omnes prauas inclinationes meas, propriam voluntatem, & quicquid impedire potest, quò minùs tibi viuam, & tu viuas in me. Postquam me sic mortificaueris, fac me viuere in te, hoc est, in amore & obedientia tui, obseruando fideliter tua, superiorumque meorum præcepta, tuæque voluntati semper satisfaciendo. O bone Iesu, concede mihi Domine, vt detester omnia peccata, ab omni impietate abhorream, & toto corde me ad te conuertam: in te enim solo sunt omnes meæ cogitationes, meaque desideria: in te est mea memoria, meus intellectus, mea voluntas, & omnes vires meæ. Amen.

DE PARTICULARIBUS CUIUSque dici exercitijs, & de feruore quo cum petendus est amor Dei.

CAPVT XII.

DIximus de principali medio, quod requiritur ad amorem Dei, continua scilicet oratione, & amoris exercitio: nunc agendum est de ijs rebus, quæ ad hoc conducunt. Inter quę illud primum est, vt quilibet habeat quotidie saltem duo statuta tempora, quibus in silentio vacet Deo: perseuerando in orationibus & considerationibus, quæ præmittuntur ad inflammandum cor nostrum in amore huius Domini. Per istum enim exercitij quotidiani modum (si debita ratione fiat) facilius cor nostrum collectum, attentumque conseruabitur. Solet enim ex hoc exercitio plerumq; nasci in anima suauis affectus, & impressio tam dulcis, vt faciat obliuiſci omnium aliarum rerũ, & in hac vna perseuerare, in qua tantã inuenit dulcedinem. Quemadmodum illi qui bibũt aquam Padi ex præscripto Medici, bis quotidie certam bibunt quantitatem: deinde quoties interdiu bibere volunt, semper hanc aquam bibunt; eius enim beneficio sanitatem sperant se recuperaturos: sic volentes consequi hãc, quam desideramus gratiam, necesse est habeamus certa quædam tempora, huic sancto exercitio constituta, præter perpetuam cogitationem, qua cum semper ambulare debemus in conspectu Domini, sicut iam diximus.

Sciendum autem est, in hoc sancto exercitio magna opus esse cautela; habenas intellectus esse contrahendas, ne nimium sit speculatiuus, neue vltra modum loquatur, etiam cum Deo, ne fortè impediantur affectus, & motus voluntatis: non enim hîc tam agimus de cognitione, & speculatione Dei, quã de amore illius. Semper itaque laxantes habenas voluntatis contrahere debemus illas intellectus, non permittentes illi maiorem speculandi licentiam, quam quæ sufficit ad illuminandam & ducendam voluntatem, eam simplici cum repræsentatione coram Deo explicantes, vt affectionum brachia extendat, ijsque Deum amplexetur. Hæc admonitio magni momenti est, multi enim huius ignari, in hoc exercitio fiunt potius concionatores, quàm Dei amatores. Cùm enim intellectus sit principalis porta, per quam res in voluntatem nostram ingrediuntur, sæpe vsu venit, vt homo in primo hoc atrio tamdiu remoretur, quòd ad secundum non progreditur: atque ita satiatur quidem intellectus, voluntas verò ieiuna manet atque sicca: ac proinde totus homo vacuus remanet, atque sine vllo fructu. *Actiuam intellectus & moderandæ voluntatis dilatandæ.*

Vt autem melius intelligatur, quantò excellentius est amare Deum, quàm illum cognoscere; referam hîc nobilem quandam sententiam celebris illius Comitis Mirandulæ; qui cum expertus esset, quanto fructuosius est amare Deum, quam illum cognoscere, seu speculari conditionem & naturam Dei, in quadam ad amicum epistola sic scribit; Vide, ó amice, quàm magna est nostra dementia: considera potentiam, quam habemus, vt Deo copulemur, eoque fruamur: multo autem magis est, quòd possumus illum amare cum voluntate, quam id, quòd possumus illum cognoscere cum intellectu: quodque amando illum & plus proficimus, & minùs fatigamur: nostraque obsequia ei sunt magis accepta: & tamen nos tanquam præcipites, multò magis laboramus, vt immoderato studio illum quæramus cum intellectu, quem inuenire non possumus; quam vt quæramus illum cum voluntate, quem si non amemus, cum maximo nostro damno inueniemus. Hactenus Picus Mirandula: ex quibus manifestè cernitur, quantò fructuosiùs & excellentiùs est amare Deum, quàm illum cognoscere: quamuis vtrumque sit necessarium. *Deus voluntate potius quam intellectu immutatur.*

Quod si obijcies mihi sententiam D. Thomæ, qui affirmat beatitudinem Sanctorum in cælis essentialiter in cognitione Dei consistere, per quod videtur excellentius esse illum cognoscere, quàm amare: Respondeo, quòd in cœlo videbimus Deum, sicuti est in semetipso, & hoc sufficit ad beatum faciendũ illum, qui videt: in hac autem vita non videmus illum sicuti est, (hoc est, in propria sua gloria & pulchritudine) sed sicut nobis est possibile, iuxta mensuram nostrę capacitatis, quæ admodum est exigua: quemadmodum videmus cùm Oceanus intrat per angustias freti Athlantici, non irruit tota sua latitudine, quam habet ipse, sed ea quam habet canalis istarum angustiarum, per quam ipse intrat. Ad eundem modum hîc intelligimus Deum, constringentes illum, & coarctantes iuxta mensuram nostri intellectus, qui conspicit spiritualia & diuina, quasi per telam sericam, hoc est, imperfectè. Amor autem Dei non sic: proprium enim amoris est transformare amantem in rem amatam: qui suijpsius oblitus, totus in illam translatus est, & vnum quid cum illa *Obiectio.* *Responsio.* *Similit.*

factus. Ex his liquet quanta differentia est, inter Deum cognoscere, & illum amare: in hac enim vita cognoscimus illum, sicut possumus, sed amamus eum, sicut est. In vno coarctamus Deum iuxta capacitatem nostri intellectus: in altero vero nosipsos dilatamus, & in Deum transformamur, sicut ipse est, idque amoris huius beneficio. Eadem ratione dicitur, melius esse sublimia & diuina amare, quàm cognoscere; cùm meliùs sit inferiora cognoscere, quã amare. intelligentes enim communia & inferiora, nobilitamus ea, & spiritualia facimus, eò quod ista facimus intellectualia, nostroque intellectui accõmodamus: sed amantes ea, voluntatem nostram humiliamus, viliorem facimus, & ignobiliorem, inclinando illam ad res humiles, viles, atque ignobiles. Ecõtrariò verò intelligentes res altas & diuinas, nõ nobilitamus eas, neque amplificamus, sed diminuimus, & constringimus eas, debili nostro intellectui accommodando, vt eas possit capere. Amantes autem illas, non sic: non enim immutamus eas, cùm amamus; imò mutamur in eas, cùm certum sit, talem fieri vnumquemque, qualia sunt quæ amat: si bona bona sint, bonus efficitur, si mala malus. Ex his omnibus facilè cernimus, quantò maiorem adhibere debeamus diligentiam in hac vita, vt amemus Deum, quàm vt cognoscamus illum, & quòd in hunc finem omnia nostra dirigi debeant exercitia.

Quanta attentione orandũ & meditandum.

Animaduertendum quoque est, non satis esse, vt homo statutis temporibus huic sancto exercitio det operam, si ignauus, tepidus, & indeuotus sit: peropera namque remissa & tepida non crescunt habitus virtutum; multò autem minùs charitatis. Oportet igitur vt homo tunc animo præsens sit, cum omni qua potest attentione, & deuotione: licet non debeat illa immoderata exprimi naturæ violentia, quasi deuotio robore & fortitudine brachiorum sit elicienda, cùm donum Dei sit gratuitum, quod datur humilibus, & studiosè vigilantibus. Sciendum autem est, vnum impetum, aut raptum orationis breuis hîc amplius valere, quàm multas orationes languidas, licet prolixiores. Optimè dictum est à quodam Philosopho; nõ esse iustum, qui iusta facit, sed qui iustè. Quòd etsi verum sit in omnibus operibus virtutum, maximè tamen in hoc locum habet: non enim rectè vocari potest iustus, qui diu, aut qui multum orat; sed qui orat cum deuotione: multi enim Sacerdotes quotidie legunt totum diuinum officium, & quod amplius est, celebrant quotidie, & tamen deuoti rectè nuncupari non possunt, eò quòd non faciunt illud cum deuotione. Ex his manifestum fit, quòd nec temporis longitudo, nec prolixitas orationum, nec earum excellentia, causa deuotionis est, sed modus orandi. Huius igitur præcipuè rationem habere debet bonus orator. Ad id autem plurimum valet modus, quo ad orationem præparamur: cætera namque solent fere principium imitari.

Non qui iusta facit, sed qui iuste agit, is iustus est.

Tempus orandi.

Tempus etiam orationis præterquàm quòd esse debet conueniens, sit quàm fieri potest prolixum: præsertim tunc, cũ te secundo vento sentis nauigare, tum enim filum Spiritui sancto, qui venit tibi in adiutorium, nõ est abrumpendum: neque negligenda est tam bona occasio, qua durante multæ possunt insulæ & ciuitates detegi: potest & communis regula nostræ vtilitatis per hanc nouam lucem, nouam gratiam, & nouum ad virtutem subsidium suũ excedere cursum. Hæc admonitio quoq; non exigui ponderis est, per quam homo breui tempore, & exiguis laboribus magnos potest facere fructus.

Cæterùm quia de hac materia (quatenus pertinet ad orationem & deuotionẽ) prolixiùs disseruimus in libris de Oratione & Meditatione, eò nunc Christianum lectorem remittimus, & hîc tantùm tractabimus de ea, quatenus nos iuuat in consecutione amoris diuini. Vt autem exercitium hoc sit fructuosius debet (vt diximus) procedere ex ardentissimo ignis illius cælestis desiderio: quod oritur, cùm Deus præuenit hominem cum benedictionibus dulcedinis, datque illi gustum & experientiam suæ suauitatis & excellentiæ. Vt autem melius intelligatur conditio huius desiderij, ponam hic aliquot exempla: Aspice quomodo qui rem aliquam pretiosam perdidit circumit, quærens illã: non sedet, non quiescit, non edit, non bibit, non dormit, vt quærat quod desiderat. Nõ vult sibi quemquam de alia re loqui; non audit, si quis loquatur, nec obseruat quid dictũ est: totus enim absorptus est ab eo, quod quærit, ita vt vix vlli alij rei possit vacare, aut animum intendere. Si ergo tanta cum anxietate quærat is monile aliquod temporale, quantò cum maiori solicitudine quærenda est pretiosa illa margarita Euangelica? Qui itaque hoc modo quęrit Dominum, portat in se non tantum concionatorem perpetuum, sed etiam continuum motorem, à quo semper ad amãdum Deum mouetur & inclinatur: adeò vt in omnibus rebus, quas conspicit oculis, aut manibus cõtrectat, inueniat stimulos atque huius amoris incẽtiua. Quemadmodum is qui ante oculos habet virtrum viride, omnia quæ videt apparent ei viridia: sic qui cor habet illo correptum amore, omne quod videt, est illi amandi materia, omniaque excitant & inuitant illum ad amandum: quemadmodum & magnus aliquis rogus, quicquid corripit, in ignem conuertit: atque ex omni re materiam sumit, qua fouetur: etiam aquam ipsam, sibi planè contrariam, in ignem conuertit.

Simile.

Aliud.

Continuum igitur hoc studium Deum actualiter amandi, & desiderandi, petendique sine intermissione amorem hunc, perseuerando cum fide, humilitate, & deuotione in hac petitione; clamando & vociferando ex intimis cordis penetralibus ad Deum, & rogando, vel vnam huius diuini ignis largiatur scintillulã, proprium studium, propriaque profelsio est Theologiæ Mysticæ, hoc est, amabilis illius cognitionis Dei, quæ frequentatur non tam discursu intellectus, quàm affectibus, desiderijs, & suspirijs voluntatis: cui nunquam respondere cessat diuina illa bonitas, cum videt animam afflictam, mœstam, & tanquam alteram Magdalenam, in se quærendo desolatam. Idque vel eò promptiùs, quia Dominus ipse est, qui vocat illam, mouetque, & trahit ad se, vt currat in odorem vnguentorum suorum. Quomodo namque possibile erit, vt quid deneget ei qui quærit illum, si ipse moueat eum, & nihil ipsi gratius sit, quàm vt se omnibus communicet?

Professio Theologiæ mystica.

Hoc sanctum exercitium, de quo omnes Theologi mystici loquuntur, vidi manifestissimè exhibitum in quadam paupere fœmina; quæ cùm esset mariti sui culpa omnibus suis bonis à Iudice territorij exuta, & spoliata; videns ad quantam erat redacta inopiam, supplex venit ad dominum, qui diuitias eius tunc possidebat, vt misericordiam peteret: fuitque tanta eius instantia; tantaque petendi assiduitas, tanti eius gemitus, tantæ lachrymæ, tantaque fuêre suspiria æquitate & rationibus fulta; vt vel lapideum cor flectere potuissent. Paucis illis diebus, dum sic sursum atque deorsum cursitat, omnesque interpellat, quos suæ causæ patrocinari posse arbitrabatur, orans, vt secum plangerent, & pro se intercederent: nonnunquam etiam integras noctes ante ostium illius domini excubabat. Quid multis? adeò institit, vt iustitiæ supplex facta tandem obtinuerit, receperitque bona semel adempta. Fuit autem tanta lætitia & voluptas ob facultates recuperatas, vt

Exempla.

vix minùs importuna fuerit in referendis gratijs, quàm antea fuerat in bonis repetendis. Exemplum hoc breuiter declarauit mihi magis conditionem huius sancti exercitij, quàm quod multi Doctores ad longum scripserunt. Mutata namque materia illius iacturæ, si applicetur omnis ista diligentia & desiderium omne ad res æternas, quomodo hic temporalibus accommodantur, nullis laboribus parcet homo, vt maximum hunc thesaurum mereatur. Tale namque debet esse desiderium, tale studium, calor, instantia, & perseuerantia talis, qua cum homo in hoc negotio debet procedere, clamando & pulsando nunc ad hanc, nunc ad illam portam, inuocando gratiam Dei, & fauorem Sanctorum, interpellando omnes intercessores; omnemque mouendo lapidem, humiliando & affligendo se coram omnibus, vt omnes pro illo intercedant: impetrato verò quod petebat, tam gratus esse debet, quàm fuit hæc mulier ob acceptum beneficium.

Rom. 8. Spiritus S. quomodo pro nobis orare dicatur.

Hunc modum petendi, & quærendi Deum, indicat Apostolus, cùm dicit, quòd *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Id autem dicit, non quod Spiritus ipse pro nobis postulat, cùm ipse sit, à quo omnes gratiæ postulantur: sed quia ipse infundit in animas suorum amicorum, familiarium, & seruorum nouam quandam lucem, cuius beneficio cognoscant dignitatem & excellentiam rerum spiritualium, desideriumque adeò rebus ijsdem inflãmatum, vt faciat eos postulare cum ardentissimis votis, suspirijs, & gemitibus illis, qui sunt inenarrabiles. Sed quid mirandum est, eos tanta cum anxietate quærere & postulare thesauros cœlestes, quos iam cognouerunt, cùm homines huius seculi non minori studio quærant puluerem quem proijcit vẽtus à facie terræ? Qui itaque quærit tanto ardore, talibusque cum cogitationibus pretiosam hanc margaritam bono sit animo, quoniam inueniet. Hoc est quod Salomon insinuat, cùm dicit: *Beatus homo qui audit me: qui vigilat ad fores meas quotidie: & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam: & hauriet salutem à Domino.* Et in alio loco: *Qui de luce vigilauerit ad sapientiam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet.*

Prouer. 8.

Sap. 6.

DE PURITATE INTENTIONIS *in operibus bonis.*

CAPVT XIII.

IVuat etiam magnopere in hoc exercitio puritas intentionis, quæ cùm talis est, qualis esse debet, secunda videri posset oratio: ad primam enim illam pertinet, cum volumus bonum aliquod opus aggredi, (quantumcunque necessarium ad hanc vitam) illud actualiter ad Deum dirigere, referendo illud ad gloriam & honorem sancti nominis illius. Facit enim, vt quodcunque opus magni meriti sit coram Domino. Circa hanc autem materiam, tradã hîc admonitionem valde necessariam; est autẽ hæc; Cùm opus aliquod aggressuri sumus, vnde aliquem fructum expectamus generalem, aut particularem proximi, habeamus præ oculis, non quidem principaliter fructum, aut bonum operis successum, sed vt in eo fiat voluntas Dei: ita vt ipsa sit formalis scopus nostrę intentionis. Sicut Mathematici tractant de quantitatibus & figuris corporum, nulla materiæ habita ratione, ex qua composita sunt, siue ea sit aurum, siue argentum, siue quid aliud; hoc enim ad eorum non pertinet considerationem: sic seruus Domini in rebus agendis id principaliter spectet, vt fiat voluntas Dei: & tunc intentio illius erit purior, maioriq́ pace fruetur. Qui enim hoc facit, nõ turbatur, si quando opus forsan impediatur, neq; succes-

Scopus nostri operis sit, vt fiat voluntas Dei Simile.

sum res habeat, nec fructus sequatur, qui expectabatur. Contrarium faciunt, quorum totus affectus & animus est in fructu & vtilitate bonorum operum, quæ fiunt: nam si quocunque modo boni ipsorum desiderij effectus impediatur, perturbantur sæpe inordinatè, & amittunt non tantum pacem interiorem, sed etiam patientiam, & fortè quid grauius patiuntur. Illud autem argumentum est, tales non purè Deum, sed seipsos quæsiuisse: vbi enim fuit affectio, ibi mox tumultuatur perturbatio, cùm spe & desiderio frustratur. Ab hoc incommodo liber est, qui tanquam spiritualis Mathematicus non tam intuetur successum & fructum operum, quàm vt fiat in ipsis omne illud, quod spectat ad gloriam Dei.

Proximus qua intentione amandus.

Eadem quoque regula seruanda est in amore, & obsequio nostrorũ proximorum; vt postpositis omnibus humanis considerationibus, in solum Deum respiciamus, eos tanquam membra & res Dei considerantes. Etenim quemadmodum mater eodem amore, quo diligit filium, etiam diligit omnia quæ sunt filij licet serui sint, & domus illius mancipia: sic ijsdem oculis charitatis, quibus respicimus Deum, etiam intueri debemus proximum, tãquam aliquid Dei; non respicientes in eis rationem aliquam humanam, sed quòd sunt filij Dei, & ab illo nobis cõmendati. Ob hoc dicunt Doctores, Charitatem vnã esse virtutem & habitum, duos verò actus habere, amorem scilicet Dei, & proximi propter Deum. Et quemadmodum est virtus Theologica in vno, cùm Deum respicit, sic etiam est & in altero. O quàm pura & casta erit anima, quę peruenit ad hunc gradum, & proximum suum ad hunc modum, & cum hac simplicitate amabit? Quę talis est, non distrahitur in obsequijs proximi, neq; in cura infirmorum: non enim infirmos intuetur, tanquam infirmos, sed Deum in illis, cuius solius causa facit, quod facit. Sed prẽter hæc omnia necesse est singulari cura seruare puritatem intentionis, quæ requiritur in hoc diuino exercitio, quo cum diuinus amor quæritur; id quod est magni ad hanc rem momenti.

Simile.

DE PURITATE ET CVSTODIA *cordis.*

CAPVT XIIII.

POst puritatem intentionis sequitur puritas & custodia cordis, principale medium à Sanctis assignatum, ad amorem Dei consequendum. Ad hanc puritatem potissimum pertinet mundare animam ab omni genere peccatorum, ab omnibusque occasionibus, & radicibus eorum: vt sunt amor inordinatus suijpsius, propria voluntas, passiones, & malæ inclinationes: de quibus omnibus in principio huius libri tractatum est.

Ad hanc primam puritatem, quæ est quasi essentialis, alia additur, quasi accidẽtalis, licet etiam necessaria in hoc proposito; puritas scilicet non tantum ab omnibus peccatis, sed etiam ab omnibus superfluis cogitationibus, ab omnibus affectibus, & cogitationibus terrenis. Ab omnibus enim his necesse est vt vacuum & purum sit cor, quod Deo replebitur. Cùm enim intellectus noster tam sit angustus, vt non possit vno eodemque momẽto multa simul comprehendere, quod quidem potest intellectus diuinus) necesse est, vt, si velimus quocunq; tempore cum Deo intendere, vacuus sit ab omni eo quod aut non est Deus, aut non est propter Deũ. Et sicut in terra vbi triticum seminamus, aliud semen non seminamus, ne vnum aliud opprimat; sic in corde, in quo Deum volumus semper habitare, non debemus permittere, vt alia sementis fiat præ-

præter ipsum Deum. Persuadeat sibi seruus Dei, se esse (vt verè est) viuum templum Dei, & quemadmodum locus ille omnibus commercijs & negotiationibus terrenis atque prophanis clausus est, eò quod soli Deo consecratus est: sic etiam de corde suo cogitet. Hæc si sic apud se statuat, mundior erit, & diligentiori cura sese conseruabit.

Simile. Oportet igitur, vt prima custodia sit omnium sensuum. Sicut enim illi, qui aut domum, aut vineã volunt custodire, excubias disponunt in omnibus portis, & vbicunque aditus est: sic qui animam immunem & liberam seruare volunt ab omnibus cogitationibus & figuris terrenis, debent in omnibus his portis diligentes excubitores constituere: hinc namque solent ferè semper ingredi omnes imagines, & figuræ: cùm communis Philosophorum sit sententia: Nihil esse in intellectu, quod non priùs ingressum sit per sensus. Quare cùm Deus voluit in
Exod. 19. monte cum Moyse loqui, prius omnem locum densissima nubes cooperuit, ita vt oculi Prophetæ nihil viderent, & ingressus in caliginem hanc, cœpit cum Deo sermocinari. Proinde qui ad perfectam cordis puritatem aspirat, hanc generalem regulam obseruet, vt nec oculos, nec aures, nec linguam habeat, nisi soli Deo, & ad eius obsequium: studeatque procul à se remouere omne id, quod ad hunc finem non tendit.

Si nonnunquam necesse esset vel audire, vel tractare de rebus huius seculi, audiat eas superficie tenus, nec patiatur vt cor ijs illaqueetur; ne imprimantur in eo imagines illarum rerum, & occurrant menti, quando cum Deo agendum erit. Quòd si hoc arduum nimis videatur, cogitet, semper proposita atque desideria ipsis operibus esse debere maiora: ita vt tale quidem debeat esse propositum, & opus
Exempla duo notanda. quàm fieri potest, proximè accedat. Neque hoc adeò impossibile est, vt quidam arbitrantur: vidimus enim personas quasdam, quæ adeò erga res diuinas afficiebantur, adeoque rebus huius seculi erãt mortuæ, quod audientes de ijs sermones fieri, dormire videbantur, non aliter, atque alij dormiunt, cùm aut conciones audiunt, aut aliquis ipsis de Deo loquitur. Vidimus & alios, quorum corda sic erãt Deo clauis charitatis affixa, vt maxima ipsis opus esset violentia, si quando abstrahere debebant animum à cælesti hac suauitate, vt audirent & tractarent negotia humana.

Vi affectus, in cor. Proinde quoque necesse est, vt & nos non nimium cor nostrum affectionibus & cogitationibus terrenis implicemus; cùm certum sit, vbicunque cogitatio & affectus est, ibi etiam cor esse; & imaginationem tam viua cum impressione, vt homo vix vnquam possit non cogitare, quod semel corde apprehendit: ideoque ineptum est cor diuinis occupationibus, cùm domus externis hospitibus est referta.

Imaginatio difficulter mansuescit. Obseruandum autem hic diligenter est, hanc custodiam & collectionem cordis in exordio non posse conseruari sine maxima vi & labore. Imaginatio enim (quæ tanquam bestia siluestris currit, & diuagatur quocunque vult) non ita statim domari & refrænari potest, non potest illi tam subitò locus & præsepe certum præscribi, vbi immota maneat, vsque quo vsu habitum acquisierit. Quare omnino expedit (sicut etiam consulit S. Dionysius) vt sensus cogitationesque nostras comprehendamus, & catenis ferreis ligemus, ne liberè vagentur, quocunque velint, multò minùs per loca illicita; duris clauis, & vinculis eas ad arborem crucis Christi fortiter al-
Externa soluendo quomodo comparanda. ligantes.

Sed quia de hac materia quoque alibi dictum est, nihil iam restat amplius, quàm vt ostendamus, quomodo per hanc solitudinem, & collectionem internam; ad externam peruenire poterimus: vt nimirum quantum fieri potest, fugiamus omnia hominum commercia, omnes visitationes, humana solatia, similiaque, nisi amore Dei fiant: in quibus multum sæpe temporis inutiliter consumitur, vbi lingua sæpe labitur, & anima domum reuertitur plena tot imaginibus & figuris, quòd cùm ad solitam deuotionem redire vult, non potest, nisi maxima cum difficultate: dicitque cum Propheta, non inuenire
Hominum querela coercenda. se cor, dum quærit illud. Quòd si homines hac de re querantur; id surda aure transeundum est: si enim adhoc respicimus, omnis nostra vita in confabulationibus, visitationibus, & commercijs humanis absumetur, & sic nunquam tempus Deo vacandi habebimus.

DE PACE ET QUIETE interiori animæ.

CAPVT XV.

POst puritatem cordis sequitur pax & quies interior animæ; non minus huic proposito necessaria, quàm illa. Hæc est vna ex præcipuis
Galat. 5. Esa. 32. fructibus Spiritus sancti, (sicut dicit Apostolus) & est fructus iustitiæ, (teste Esaia) & magna pars regni Dei, quod intra nos est: quæ est (vt itidem Apostolus
Rom. 14. ait) *iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto*: est denique illa, quæ præparat locum Domino, iuxta illud Psalmi; *In pace locus eius*. Hanc ob causam di-
Psalm. 75. Eccli. 24. citur de illa cælesti Sapientia, quòd *in omnibus requiem quæsiuit, & in hæreditate Domini morabitur*: ibi enim locus eius est. Intellexerunt hoc etiam Philosophi Ethnici, vno omnes ore affirmantes, tum demum animam nostram fieri sapientem, cùm quieta est & tranquilla: hoc est, cùm passiones, & appetitus sensuales mortificati sunt & quieti: tunc enim passiones, non viuunt, quæ inordinatis suis motibus pacem animæ interturbent, oculosque rationis excæcent, sicut illæ, quando conturbatæ sunt, faciunt. Cùm enim proprium sit affectuum rationem excæcare, & libertatem arbitrij diminuere, ijs quiescentibus, intellectus sanus est, & ad cognoscendum bonum expeditus; voluntas quoque libera, ad bonum cognitum amplectendum; atque ita homo fit sapiens & studiosus.

Qui itaque vult animam suam consecrare sedem, & lectum diuinæ sapientiæ, ante omnia studeat habere & conseruare pacem, eamque (vt Propheta
Psalm. 33. monet) non tantùm inquirat, sed & persequatur, donec inueniat: cumque (vt paulò antè diximus) hæc pax sit fructus iustitiæ, necesse est eam ab operibus iustitiæ deriuari: quæ qualia sint, deinceps inquirendum est.

I. Mortificatio passionum, causa pacis interna. Inuenimus itaque pacem hanc nasci ex victoria & mortificatione passionum, de quibus in priore parte dictum est; & sæpe mentionem facimus: ea enim huic paci maximè conducit. Quod enim venti sunt in mari, hoc passiones, hæ sunt in corde nostro: quę eum in modum alterant, concutiunt, & mouent illud inordinatis suis appetitibus, vt quietũ esse nunquam possit. Præcipuè verò id agit ira, pacis inimica, & perturbatrix illius: quæ omnia vertit sursum ac deorsum, quæ turbat tranquillitatem, & quietem animæ, quando foras erumpit. Idem
Propria voluntas turbat pacem. quoque facit propria voluntas, quæ quantò magis in rem aliquam propendet, tantò magis turbatur, & alteratur, cùm impeditur, quod appetit. Idipsum & omnes appetitus nostri, nostraque desideria faciunt, quando vehementiora sunt. Quemadmodum enim gaudium oritur ex eo, quòd consecuti sumus id quod desiderabamus: sic tristitia & perturbatio nascuntur ex eo, quòd voti compotes fieri non po-

tuimus: & vtrumque ventus est, mare nostri cordis perturbans. Hinc est, quòd homines, qui varijs rerum desiderijs æstuant, necessariò in animis suis fouent diuersarum pertubationum & alterationum materias. Ideo dicit Propheta; *Impij quasi mare fer-* Esa 57. *uens, quod quiescere non potest.*

Neque minorem perturbationum materiam præbent alij creaturarum affectus inordinati: vbi enim est affectio, ibi est cor mutationibus cunctis, quas parit illa creatura, subiectum. Extra controuersiam namque est, à parte animæ nostræ, quæ concupiscibilis dicitur, (vnde procedunt omnes affectus, omniaque desideria rerum humanarum) nasci irascibilem, quæ mater est omnium perturbationũ. Qui ergo immunis esse vult à perturbationibus posterioris, abscindat radicem prioris.

II. *Puritas intentionis, pacis causa.*

Secundum, quod conducit ad pacem hanc conseruandam, est puritas illa intentionis, de qua superiùs tractauimus: quæ oculos in solum diuinæ voluntatis beneplacitum conijcit, non respiciens successum aut fructum operis: tunc enim homo non turbatur, si absque sua culpa, bona eius impediantur proposita, piaque intentiones: sciens, eum qui corda scrutatur, bonam suam voluntatem in bonam partem accepturum; ideoque nec turbatur, nec pacẽ amittit; vt in præcedenti capite declaratum est.

III. *Perfecta obedientia parit pacem.*

Tertium, quod magnopere hoc institutum iuuat, est perfectissima illa obedientia, & cum diuina voluntate conformitas (de qua supra tractauimus) quæ omnia in bonam partem interpretatur, omniaque corde æquo accipit, quicquid venit de manu Domini, siue id prosperum, siue aduersum sit: qui enim tam perfectè subiectus erit, & deuotus diuinæ voluntati, non turbatur, quocunque modo res tandem succedat: omnia enim accipit tanquam de sursum venientia. Ideo dicit Sapiens; *Non contristabit* Prouer. 12. *iustum quicquid ei acciderit.* Et in alio loco: *Homo* Eccli. 27. *sanctus in sapientia manet, sicut Sol: nam stultus sicut Luna mutatur.*

IIII. *Fiducia filialis in Deũ, quarta pacis causa.*

Quartum, quod speciali modo facit ad hanc pacem conseruandam, est familiaris, & quasi filij fiducia, quam habent iusti in Deo: (de qua breuiter tractabimus) quæ in quibusdam tanta est, vt non sit filius in hoc mundo, qui in omnibus suis necessitatibus tantum confidit in protectione sui patris, quantum illi in protectione Dei. Sciunt enim non esse patrem in terris hoc dignum nomine, si cum Patre cæ- Luc. 10. lesti conferatur: sciunt Patrem hunc curam gerere, non tantùm omnium ossium, sed etiam capillorum capitum suorum; quodque vnus eorum non cadit, sine eius dispositione & voluntate. Hæc, aliaque sciunt per fidem, sciuntque per experientiam particularium gratiarum, prouidentiæ, & blanditiarum, quibus Deus erga illos vtitur: & adeò sibi prospectũ esse statuunt in omnibus suis necessitatibus, quòd Psal. 22. dulciter canunt cum Propheta; *Dominus regit me*: vel vt alij: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* Et infrà: *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Huiusmodi promissiones habet Scriptura sacra in mille locis, & veritate hac protegitur iustus, tanquam scuto fortissimo: ideoque nec turbatur, nec alteratur à casibus huius vitæ; quicquid enim ablatum fuerit ab ab vna parte, id in rebus maioris momenti à Deo sibi restitutum iri confidit.

Hoc itaque modo *sedebit* (vt ait Esaias) *populus* Isa. 32. *Dei in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* vbi omnia inueniet in illo, qui est omnia in omnibus. Ideò Propheta appositè coniungit pacem cum fiducia; vna enim ex altera derivatur, hoc est, ex fiducia pax: qui enim confidit in Domino, non habet quod timeat. aut cur perturbetur; habet enim Deum defensorem & procuratorem.

Hæc quatuor iuuabunt nos ad conseruandam hanc pacem, quæ est quasi silentium interius animæ, in qua sopitis & tacentibus affectibus inordinatis, dormit cælestis ille sponsus suauiter. Et qui super has quatuor columnas firmauerit hanc virtutem, certus sit quod eam optimè fundauit. Ideo diximus hanc pacem esse fructum iustitiæ: quemadmodum enim ex omnibus beneficijs, quæ fiunt arbori, nascitur fructus illius: sic ex omnibus virtutibus, & præsertim ex his quatuor, oritur pulcherrima pax hæc, & tranquillitas animæ: quæ (vti diximus) locus Dei est proprius; & quasi imago æternæ felicitatis. Hãc ob causam etiam annumeratur octo beatitudinibus Euangelicis, vbi dicitur; *Beati pacifici,* Matth. 5. *quia filij Dei vocabuntur*: quo loco per pacificos, non tantùm intelliguntur illi, qui pacem habent cum proximo; sed multò magis, qui habent pacem cum Deo, & cum seipsis: cum domitis & sopitis passionibus, Deus pacificè, & sine vlla cõtradictione regnet in animabus eorum. Quemadmodum igitur (vt Medici dicunt) ex temperãtia, & proportione quatuor primarum qualitatum sanitas humani corporis nascitur: sic etiam ex moderatione atque temperantia passionum in animabus nostris pulcherrima hæc pax deriuatur.

DE VIRTUTE HUMILITATIS.

CAPVT XVI.

QVamuis præsens liber potissimum tractat de amore Dei, non possum tamen non facere mentionem de virtutibus alijs, quæ peculiariter cõducunt ad illum consequendum. Inter quas humilitas nequaquam vltimum sortitur locũ, quæ est fundamentum omnium virtutum, & præparatio ad omnes gratias percipiendas. Id omnes docent scripturæ, tam veteris, quàm noui testamenti, quæ gratias istas promittunt, nonnunquam humilibus, aliquando paruulis, quandoque pauperibus spiritu: his, & alijs huiusmodi nominibus veros humiles appellando, & dicendo; *Deus resistit superbis, humi-* Iacob. 4. *libus autem dat gratiam.* Ratio est, quia verus humilis, quantò exactius se cognoscit, tantò amplius se colligit, se humiliat, de seipso diffidit: atque hinc occasionem accipit, omnem suam fiduciam in Deo statuendi: quare se disponit, & locum dat Deo, vt in se operetur. Ob eandem causam dicitur humilitas esse fundamentum omnium aliarum virtutum, totiusque ædificij spiritualis: etenim vt domus bene Simile. fundetur, necesse est vt priùs tollatur materia mollis, & lubrica, omnisque terra eruatur, donec durus inueniatur fundus, aptus ad superædificandum. Hoc igitur pertinet ad humilitatem. quæ eruit omne id quod lubricum est, hoc est, debilitatem, & languorem humanæ fortitudinis) & ædificat super Deum, qui est firma petra, super qua ædificium stat immobile. Dico hoc, quia inueniuntur nonnulli, qui desiderantes proficere in via virtutis, tacitè, & quasi id nõ sentientes, magna præsumunt, & in seipsis confidunt: vnus in viuacitate sui ingenij, alius in bona sua conditione, tertius in doctrina, quartus in sapientia; quidam in bonitate naturæ, aliqui in castitate, nonnulli in nobilitate, alij in imperio, quod in alios habent: hic in societate eorum quibuscum conuersatur, ille in ciuilitate, vel bonis moribus, in quibus exercitatus est: existimant enim tales ob hoc, & huiusmodi se in studio virtutis fore excellẽtiores alijs, qui conditiones illas non habent. Verum quidem est, horũ singula in suo genere ad virtutem promouendam conducere, cæterùm sine gra-

Humilitas fundamentũ est omnium virtutum.

tia

tia nihil nisi fumus sunt. Illi igitur qui ob has res sibijpsis plus, quàm alijs tribuunt, & magna sibi promittunt, sciant se in arena ædificare; omne namque id lutum est, & in comparatione gratiæ diuinæ quasi nihil. Qui ergo vult ædificium suum esse firmum & stabile, non confidat huic luto, sed ædificet super Deum solum; qui est lapis ille angularis, de quo loquitur Apostolus, cùm dicit; nos coædificatos in illo, in habitaculum Dei, in Spiritu sancto: quod pertinet ad virtutem humilitatis, & fiduciæ: quarum vna diffidit de se, altera confidit in Deo: atque ita ambę extruunt hoc ædificium, locumque dant Deo, vt fundet atque operetur in illo.

Ephes. 2.

Dei dona sunt infinita.

Vt autem hoc meliùs intelligatur, scire necesse est, quòd à parte Dei gratiæ & misericordiæ illius non sunt finitæ vel limitatæ: quemadmodum enim ille infinitè bonus est, ita infinitè & se, & sua donat & communicat. Quòd si in illo gradu se non communicet, non est defectus in Deo, sed in vase, quod amplius non capit: ita vt misericordia Dei sit quasi oleum viduæ illius Prophetæ Eliśei, quod non defecit, nisi cùm vasa deficerent. Tale est oleum diuinæ misericordiæ, quæ terminis nullis circunscribitur ratione sui, sed ratione subiecti, qui communicatur: quod quò ampliorem præparat sancto huic oleo locum, etiam maiorem accipiet quantitatem. Quòd si me interrogaueris, quomodo locus ille præparatur; respondeo, omnium virtutum exercitio, potissimùm autem illarum duarum, quas diximus; humilitatis scilicet, atque fiduciæ: illa enim homo exonerat, vacuumque facit semetipsum, diffidens de seipso, & hac Deum ad se trahit, confidens in illo: atque ita tam hæc, quàm illa sternunt illi lectum, & locum hunc præparant.

4. Reg. 4.

Locus quomodo gratia Dei paratur.

Sex gradus humilitatis.

Vt itaque primam harum virtutum perfectè obtineamus, humilitatē scilicet, necesse est per omnes eius gradus ascendere: quos etsi diuersi Doctores diuersos enumerant, nos tamen hìc sex præcipuos ponemus. Quorum primus est, vt homo agnoscat omne bonum, quod in se est, (modò aliquid sit) esse à Deo. Quemadmodum enim omnia bona naturæ, quæ habemus, illius sunt: sic etiam & bona gratiæ illius sunt, imò tantò ampliùs hæc, quàm illa, quantò sunt illis præstantiora. Quemadmodum igitur nemo vel pedem mouere, vel aliquod opus naturale potest agere, nisi concurrat prima causa, quæ est Deus: ita non potest opus aliquod facere supernaturale, (hoc est, opus gratiæ) nisi & prima causa supernaturalis, quæ est idem Deus, cum illo cooperetur. Ex quo infertur, quòd omne bonū, tam gratuitum, quàm naturale, referendū est ad suum fontē, qui Deus est, à quo omne bonum procedit; & id maximè, quod maius est. Patet igitur quàm rudes & ignari sunt illi, qui Deo tribuentes opera naturæ, sibijpsis opera gratiæ volunt adscribere, cùm hæc infinitis modis sint illis excellentiora: quod optimum est, sibi; quod vilius, Deo acceptum ferentes.

I.

Sciat itaque homo, quòd sicut non potest dicere; Capillus iste meus est, ego enim illum sine Deo feci: ita non potest dicere, Istud opus bonum ego sine Deo sum operatus. Docet hoc cælestis ille Magister

Ioan. 15.

appositā quadam similitudine, dicens; *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos* opus meritorium facere potestis, *nisi in me manseritis: quia sine me nihil potestis facere.* Hanc doctrinam quoque D. Paulus sæpe inculcat, qui dicit in suis Epistolis, quòd nec operari, nec desiderare, nec cogitare, nec incipere, nec finire sufficiētes sumus aliquid, ad salutem nostram conducens,

1. Cor. 3.

sine Deo, aut ex nobis. *Sed sufficientia nostra,* inquit, *ex Deo est.* Quotiescunque igitur, mi frater, in teipso bonum aliquod sentis desiderium, quotiescumque gemitum, quotiescunq; bonam cogitationem, crede, quia procedit ex singulari vocatione Dei, qui te cupit saluare, qui te mouet ad bene operandum; & talem debes eum agnoscere, eique gratias agere, qui bonum illud largitur. Neque cōtentus sit verus humilis, si habeat illam cognitionem speculatiuā: sed necesse est, vt tam firmiter adhæreat huic veritati, quàm si aut oculis videret, aut manibus palparet. Primus iste humilitatis gradus (inter alios fructus) facit hominem cùm gratum, tum deuotū: gratum, quia videt quid acceperit; deuotum, quia videt quid sibi deest. Armat etiam hominem contra spiritum vanæ gloriæ, & laudum humanarum, adeò vt sæpè cùm se audit commendari, surda transeat aure, & non de se, sed de eo, ad quem laus pertinet, qui est Deus, ista dici existimet.

Vtilitas huius gradus.

II.

SECVNDVS gradus humilitatis est, si homo cognoscat id, quod à Deo habet, (si tamen quid habeat) non se suis viribus sibi comparasse; sed ex mera diuina gratia, Deique misericordia percepisse. Inueniuntur enim nonnulli, qui in primo gradu bene fundati, confitentur quidem id quod habent, à Deo esse; sed tamen in animo suo tacitam fouent persuasionem, se omne id quod habent, suis laboribus, suisque meritis sibi quæsiuisse: cùm tamen verissimum sit, ipsa merita non minùs, quàm quod meritis comparatur, diuinas esse gratias: cùm ne cogitationem, aut desiderium vnum bonum habere possimus, quod non est à Deo. Præterea quod opera nostra ipsum valorem, & meritum, quod habent, non à seipsis habent, sed à gratia, qua cum fiunt: quæ etiam donum Dei est. Quemadmodum enim valor nummi non tantùm est à substantia nummi, sed potissimùm ab imagine, & inscriptione quam habet: sic meritum operum nostrorum, non tam procedit à substantia operum, quàm à gratia diuina, quæ illis valorem tribuit: atque ideo, quotiescunque per illa nobis aliqua gratia datur, semper vna gratia datur propter aliam: quemadmodum si quis amicus tibi det centū aureos, & pro illis postea tibi daret equū; hìc esset simul venditio & donatio, quæstus & gratia: gratia, quia amicus tibi dedit; quæstus, quia pecunia quam dederat, equum ab illo emisti. Vtrumque insinuat Propheta, cùm ait; *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac*: id est, cibum & potum, incipiētium & perfectorum. Quibus verbis, cùm iubet nos emere, significat nostram industriam; cùm autem excludit argentum, & omnem commutationem, indicat gratiam. Totum igitur hoc declarat, hominem nō habere se cur glorietur, existimādo id quod habet à seipso esse: imò potiùs cogitare debet, quòd à se habet infinita peccata, pro quibus totidem infernos meretur: alia omnia, si quæ sunt, desuper sunt à Patre luminum, perque gratiam collata; cùm ipsum meritum sit gratia.

Simile.

Aliud.

Esa. 55.

III.

SED NON sufficiunt hi duo gradus, vt quis verè humilis sit. Sunt enim multi, qui agnoscentes omne bonum esse à Deo, & per gratiā datum: putant tamen se habere plus, quàm habent, aut plus, quàm vicini habere videntur; existimantes in suis ædibus tantùm illucescere, in aliorum perpetuam noctem esse: arbitrātur se magis illuminatos, plus lucis, plus spiritus, plus discretionis, plus virtutis habere, quā habent alij: sibi denique ipsis placent, & pleni sunt bona suijpsius existimatione. Et sanè nonnunquam humani generis hostis hoc ipsis persuadet, tam tacitè, & secretis quibusdam cuniculis hoc illis suggerit, vt ipsi miseri, sic decepti, non sentiant, imò omnino contrarium ipsis videatur. In hoc superbiæ gradu erat ille Pharisæus Euangelicus, qui gratias agebat Deo, quòd non erat sicut cæteri hominum; dicens enim; *Gratias ago*, agnoscebat à Deo esse omne id

Luc. 18.

quod habebat, idq; ad primum humilitatis gradum pertinebat: sed deficiebat in tertio, putans se habere quod non habebat, quodque iccirco melior erat cæteris hominibus. In eodem errore erat miser ille,
Apoc.3. cui dici iussit Dominus in Apocalypsi; *Dicis, quòd dives sum, & locupletatus & nullius egeo. & nescis quia tu es miser. & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Tales sanè sunt illi, qui magna præsumunt de se, & putant se aliquid esse: dum enim hoc cogitant, merentur omnibus spoliari: non enim infallibilius dari potest argumentum, aliquem nihil esse, quàm si glorietur, se aliquid esse.

In remedium igitur huius mali adiungitur gradus humilitatis tertius, ad quem pertinet, vt homo lynceos habeat oculos, quibus aliorum virtutes intueatur; in proprijs autem cæcus sit: tum enim semper in sancto viuet timore, quo cum virtutes sunt securiores. Quamuis enim huius mundi mercimonia tantò diligentiùs & securiùs seruantur, quantò magis eorum dignitas & pretium est cognitum: tamen spiritualia contrà tantò securiora sunt, quantò
Cur Deus suos tentari permittit. minus cognita. Et ob hanc eandem causam idem Dominus sæpe permittit suos magnis & turpibus tentationibus impugnari, vt hoc modo nauicula securiùs cursum suum perficiat. Ideo permittit vt habeant multa in se suspecta, quo istis cogitationibus
IIII. rota vanæ gloriæ frangatur.

HVIC gradus adiungitur quartus; non enim satis est, si homo se pauperem esse agnoscat, & veris bonis inopem: sed etiam necessarium est, vt agnoscat, quàm multis verè malis abundat; hoc est quàm plenus est amore proprio, propriaque voluntate, & opinione propria: quàm viuæ sunt omnes eius passiones, & quàm integræ malæ inclinationes, quàm est inconstans in bonis propositis, quàm facilis in lingua, quàm negligens in custodia cordis, quàm amicus proprij commodi, & appetituum oblectationis. Hæc scire, optima omnium, quæ sunt in mundo, est scientia, necnon & vtilissima: aliæ namque
1.Cor.8. scientiæ (vt ait Apostolus) inflant, hæc verò sola humiliat. Verum quidem est, ad hanc cognitionem nõ sufficere nostrum solum exercitiũ; sed necessariam quoque lucem esse cæli, vt nebula amoris proprij non tollat nobis visum, qui valde cæcus iudex est. Si enim Iudex amicus partium alteri suspectus est, secundum leges; quàtò magis igitur homo in propria causa, qui tantus est suijpsius amicus? Hanc ob causam lucem istam debet à Deo petere, idque cum ea instantia, qua petebat S. Franciscus; qui sæpe in suis orationibus repetebat hæc verba; Deus meus nouerim te, & nouerim me.

V. NEC illi sufficiat, si pro tam inope, & pro tanto habeatur peccatore; sed imaginetur se omniũ peccatorum esse vilissimum: qui gradus præcedenti est altior; etenim (vt Doctor quidam ait) nihil oberit tibi, si te omnium pedibus subijcias; obesse autem potest, si te vel vni præponas. Non enim video melius medium aliud, quàm illud, quo vtebatur idem Sanctus; qui cùm immota mente crederet se omnium peccatorum esse maximum; rogatus, quomodo veritatem istius opinionis posset tueri, respondit; Quòd si Dominus manum suam à me retraxisset, certus sum, quòd omnium hominum essem pernicioſissimus & pessimus: sed & econtrariò, quòd si pessimo peccatori fecisset, quod mihi fecit, is me esset melior & præstantior. Vt autem homo ad hunc gradum perueniat, proderit multùm considerare multitudinem beneficiorum, quæ à Domino nostro percepit, magnumque apparatum, vt ei seruiat, à Deo datum: atque de se iudicare, quòd nec pro vno nec pro altero Deo satisfacit; neque talentum suum debito modo expendit; nec auxilijs sibi datis (vt debebat) vtitur, vt summa virtutum augeatur. Hæc consideratio Sanctos solet vehementer humiliare, scientes se non tantùm peccatorum commissorum, sed etiam bonorum perceptorum rationem reddituros esse. Huc etiam facit consideratio excellentium virtutum, vitæque Sanctorum, qui nunc regnant in cælo, seruorumque nonnullorum Dei, qui viuunt adhuc in terris: (quamdiu enim mundus stabit, non deerunt in Ecclesia personæ, in quibus habitet & operetur Spiritus sanctus) & in comparatione puritatis vitæ illorum, humiliabitur homo, videns quàm longè adhuc abest ab illo gradu virtutis & simplicitatis, ad quem illi ascenderunt. Hæc consideratio tantò magis iuuabit, quãtò magis virtus aliorum stimulabit, propriaque sordebit. Hoc faciebat D. Bernardus, qui cùm in omnium oculis esset magnus, in suis tantùm erat paruus.
Vita Sanctorum cum nostra conferenda.

OMNES isti gradus pertinent ad humilitatem VI. interiorem cordis: quibus addi debet sextus, humilitas scilicet exterior, quæ ab interiori debet procedere. Vera namque humilitas cordis, non tantùm est cognitio suijpsius, sed suijpsius contemptus: contemptus autem ille in eo consistit, vt homo foris ostendat, quid intus de seipso sentit: hoc est, vt quemadmodum intus paruus est in oculis proprijs, sese; indignum iudicat omni honore; sic etiam foris sit & habitus corporis, cultus, sodalitium, apparatus, commercia, cæteraque omnia. Contemnat inanes titulos, recumbat (vt ait Dominus) in nouissimo Luc.14. loco; non dedignetur cum humilibus conuersari; viliora officia subire ne detrectet, memor quòd Filius Dei venit in hunc mundum ministrare, non mi- Matth.20. nistrari: quodque vltimum memoriale, quod in suo nobis reliquit testamento, quo tempore ex hoc mũdo ad Patrem transiret, fuit; *Et vos debetis alter alterius pedes lauare.* & *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor.* Ioan.13. Luc.22. Cæterùm hæc omnia accipienda sunt secundùm regulam discretionis, & prudentiæ, obseruato vbique decoro, quod cuiusque personæ conuenit dignitati, & officij auctoritati: semper tamen magis inclinando ad humilitatem & animi demissionem, quàm ad arrogantiam & fastum, eò quòd hoc securius est, & vanitati cordis nostri magis aduersum. Vltimus hic gradus humilitatis exterioris, quamuis nascatur ab interiore, (vt diximus) auget tamen ipsum fontem, ex qua scaturijt, atque ita vnum alterum adiuuat. Hoc est quod Bernardus dicit; Hu- Bernard. miliatio via est ad humilitatẽ, sicut patientia ad pa- Epist.88. cem, sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam (ait ille) non refugias humiliationis. Nisi enim volueris humiliari, nunquam fies humilis. Et licet ista humiliatio magni momenti sit in omni genere personarum, maioris tamen est in sublimioribus, in illustribus & generosis. Hãc ob causam ait idem Bernardus; Homo in sublimi collocatus, & sublimes, altasque non habere cogitationes, sed cum humilibus conuersari, res est & Deo & hominibus gratissima. Hæc est igitur Philosophia, hæc politia Scholæ & Reipub. Christianæ, quæ omnibus philosophijs & moribus huius seculi aduersatur.

Per hos itaque sex gradus ascendamus ad thronum veri Salomonis, qui est virtus humilitatis, in qua sedet Rex ille pacificus. Hoc est quod D. Augu- August. in stinus dicit; Excelsa est patria, humilis est via: ergo Ioan. qui quærit patriam, quid recusat viam? Sed multò manifestius est testimonium Esaiæ, qui postquam Esa.66. amplificasset magnificentiam domus æternitatis, quam Deus inhabitat, aliam etiam illi domum tribuit multò minorem, cor scilicet humilium. Qui *Cor humilis* enim hanc virtutem habet, is iam sedem Deo & *domus Dei.* omnibus virtutibus præparauit. Is non erit amicus

opinio-

opinionis propriæ, non erit obstinatus, non intractabilis: semper iudicabit & condemnabit semetipsum & non opera proximi sui. Vera namque humilitas non videt defectus aliorum, sed proprios tantùm. Verus humilis semper vult contemni, vult (vt Bernardus ait) vilis reputari, non humilis prædicari. Omnibus se subijcit, omnibus obtemperat, omnes honorat: neminem præter causam reprehendit, non irascitur, non vtitur verbis, motibus, aut gestibus hypocritarum. Curiosè Dei iudicia non examinat, non cupit videri singularis: non est duplicis animi, non est malitiosus: non confidit sibipsi, nec in operibus suis bonis, sed omnem spem suam habet in Deo. Verba, mores, gestus, & aspectus veri humilis sunt mansueta, deuota, dulcia, benigna, & gratiosa. Omnes istas virtutes & fructus secum trahit vera humilitas, vtilis ad omnia. O præpotens virtus, quæ sic erigis lapsos, ditas pauperes, sanas infirmos, illuminas cæcos. Tu facis, vt homines in terris conuersantes possideant cælum, & de abysso peccatorum subleuas ad portas paradisi. Desiderium quo æstuabat Dominus, vt nos sui faceret amatores, traxit illum de cælo in terram, de sinu Patris in intacta viscera Virginis Matris, & in strictum, durumque præsepe abiecit primùm, & inde in crucem rapuit. Tunc potuit ex Deo facere hominem, & nunc potest facere ex homine Deum.

Bern. super Cant.

Hæc igitur tam fructuosa virtus non minùs debetur Deo, quàm charitas: quemadmodum enim charitas debetur Deo ratione infinitæ bonitatis illius: sic etiam debetur illi humilitas & reuerentia ratione infinitæ Maiestatis. Illa requirit, vt amemus illum infinita cum charitate; (si id fieri posset) hæc, vt honoremus, & coram illo humiliemur cum infinita reuerentia. Sed quia nos id capere non possumus, oportet saltem vt in profundissimam abyssum nos proijciamus, quamque fieri potest maximè coram illius diuina Maiestate humiliemur.

SEQVITVR DEVOTVM EXERCITIVM *cognitionis & contemptus suipsius.*

CAPVT XVII.

CVm charitas & humilitas tam sublimen locum habeant in ædificio virtutum spirituali, (vna enim est quasi fundamentum, altera verò quasi tectum huius ædificij) in his duabus debet seruus Dei omnem operam suam collocare. Idcirco, quemadmodum ad adipiscēdam virtutem charitatis in promptu habere debemus certas considerationes & orationes, quę nos in amore nostri Creatoris inflamment: sic & hìc facere debemus, vt moueamur ad cōtemptum nostri ipsorum, in quo consistit humilitas. Exercitium hoc, vt & gratius sit, & maioris pretij, mutuetur à D. Bernardo, magno illo vitæ spiritualis Magistro, qui tractans hanc materiam sic ait; Multæ sunt ab hominibus inuentæ scientiæ: nulla verò, aut maior, aut vtilior est cognitione suijpsius. Non est enim via compendiosior ad cognitionem Dei, quàm cognoscere semetipsum: quod profundissimum exercitium est omnium aliarum scientiarum. Et in alio loco extendens eandem materiam paulò copiosiùs, dicit; Tantam verò gratiam (gustare scilicet dulcedinem spiritualem, & silentium quietis interioris, cum gratia contemplationis) non meretur accipere animus, qui in sui cognitione diu exercitatus & plenè eruditus non est. Frustra enim cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum semetipsum. Priùs enim necesse est vt cognoscas inuisibilia spiritus tui, quàm possis esse idoneus ad cognoscenda inuisibilia Dei: & si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea quę sunt supra te. Præcipuum & principale speculum ad videndum Deum, est animus rationalis inueniens seipsum. Si enim *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*: vbi quæso, quàm in eius imagine cognitionis eius vestigia expressiùs impressa reperiuntur? Tergat ergo speculum suum, mundet spiritum suum, quisquis sitit videre Deum suum. Hoc speculum verus pœnitens non cessat quotidie inspicere, tergere, tenere, & custodire. Inspicere, si aliquid in eo repereat quod Deo displiceat. Tergere, non solùm peccata actionum, verùm etiam cogitationum, vt nihil in eo remaneat quod Deum offendat. Tenere, ne deorsum corruens, terræ per amorem inhæreat, & ne inanium cogitationum puluere sordescat. Custodire, vt ille, cuius tabernaculum est cum hominibus, cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum, qui ad ostium stat, & pulsat, quacunque hora intrare voluerit, receptaculum mundum inueniat.

Cap. 13. Rom. 1.

Et capite sequenti: Exterso igitur speculo, & diu diligenter inspecto, incipit ei quædam diuini luminis claritas interlucere, & immensus quidam insolitæ visionis radius oculis cordis apparere. Ex huius luminis visione animus inflammatus, incipit munda cordis acie superna & interna conspicere, Deum diligere, Deo inhærere: cuncta quæ adsunt, tanquam non sint considerat: cunctis suis affectionibus renunciat: & totus soli incumbit amori, sciens solum illum esse beatum, qui Deum amat. Porrò ad tantam gratiam nunquam pertingit mens per propriam industriam; Dei donum est hoc, non hominis meritum. Sed absq; dubio talem ac tantam gratiam ille accipit, qui deserit curam seculi, & agit curam sui: qui studet se frequenter cogitare, & diligenter agnoscere quid ipse est. Redi ergo ad cor tuum, & diligenter discute teipsum. Considera vnde venis, quò tendis, quomodo viuis, quid agis, vel quid amittis, quantum quotidie proficis, quantum deficis: quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectionibus frequentiùs tangeris, vel quibus tentationum aculeis à maligno spiritu acriùs impugnaris. Cùm totum interioris exterioriſque hominis statum & habitum, in quantum possibile est, plenè cognoueris, & non solùm qualis sis, verùm etiam qualis esse debueras; de cognitione tui poteris subleuari ad contemplationem Dei. Quantum namque quotidie in cognitionem hanc proficis, tantum ad altiora semper tendis. Hæc omnia Bernardus.

Cap. 14.

Cùm autem ex his quæ dicta sunt facilem intelligamus fructum, qui ex hoc exercitio colligitur, reliquum est, vt videamus quomodo illud sit instituendum. Cęterùm ante omnia monendus est huius disciplinæ studiosus, vt fugiat abominandam hæreticorum blasphemiam, tollentium liberum arbitrium, & dicentium insuper, hominem iustum in omni opere bono peccare: intolerabiles hæ sunt blasphemiæ. Deinde quantum potest sese humiliet, atque contemnat: neque enim ita se humiliare & vilipendere potest, vt ad fundum suarum miseriarum pertingat. Cùm enim homo nihil habeat à semetipso, quàm peccatum, & ipsum nihil; quis tantū poterit humiliari, quantum ista duo merentur? Hoc genere examinis & exercitij diuino quodam afflatus spiritu idem Bernardus, eodem in libro, quondam vsus est, nobis specimen illius relinquens. Hęc, inquit, à meipso habeo. Turbauit me ira, lacerauit me inuidia, inflauit superbia. Seniorum meorum imperia nō seruaui, sed iudicaui: de meis negligētijs obiurgatur aut rebellis fui, aut murmuraui. Nō obseruaui in obsequio reuerentiam, in sermone modestiam,

Quomodo exercitium cognitionis suipsius fieri debeat.

Bernard.

Bernard. de interiori domo ca. 12.

Multis capitibus latè hæc agit Bernardus: vnde auctor hæc obiter de sumpsit.

Cap. 35.

ſtiam, in moribus diſciplinam: habui in intentione pertinaciam, in corde duritiem, in ſermocinatione iactantiam. In humilitate fui fallax, in odio pertinax, in iocatione mordax. Subiectionis impatiens, ad opus bonum piger, ad obſequium durus. Temerarius in iudicando, clamoſus in loquendo, faſtidioſus in audiendo, præſumptuoſus in docendo. Sæpe Cap. 36. aliqua iniuria commotus, denſis cogitationum tumultibus in corde premor: hinc inde ſolicitus & cæcus, occaſionē vindictæ de accepta iniuria rimor, conſilia multiplico, & nihil aliud niſi iurgia quę deſunt in corde perago. Cumque qui obuiet nullus adſit, rixas in corde compono, inſidias inuidentium conſidero, & quid contrà iurgij mouere poſsim penſo: exquiro quid reſpondeam. & cùm rem nullam teneam, vacuus litigator elaboro. Sæpiſsimè comedi & bibi non ad neceſsitatem, ſed ad voluptatem: quod neceſsitati ſatis erat, voluptati parum erat: & ſub velamine neceſsitatis, cecidi in laqueos voluptatis. Cogitaui etiam de cibo & potu quando non debui, & vbi non debui, & plus quàm debui. Faci- Cap. 33. liùs vniuſcuiuſq; vitia, quàm virtutes intendo. Cùm aliorum delicta cerno, mea non aſpicio. In meis delictis ſum clemens, in alienis rigore tenere volo. Ad irrogandas cōtumelias ſum validus, ad tolerandas infirmus: ad obediendum piger, ad laceſſendos verò alios importunus. Lingua mea omni fallacia Cap. 30. plena eſt, & nocuit mihi plùs quàm omnia membra. Nam ea quæ audiui vel vidi, nūquam eo modo, quo dicta vel facta ſunt, referre poſſum: ſed alia affirmo pro alijs, & ſępe multa interſero ſuperflua: atque ita vel nimiùm laudando, vel vituperando, ferè quo- Cap. 33. tiens loquor, mentior. Væ mihi quoniam ibi pecco, vbi peccata emendare debeo. nam in eccleſia me deteriorem reperio: ante altaria ſacra deuotè nō ſupplico: vaſa ſacra nō reuerenter tracto: in choro ſum corpore, & in aliquo negotio mente. Nonnunquam in ipſis bonis quæ ago, ad deterius propinquo: quia dum menti lætitiam pariunt, & quandam ſecuritatem gignunt, mens mea ſecura redditur, & in torpore laxatur.

Sed heu miſer, hæc tam ſæpe ſic cōfeſſus, ſurgens, cadens, ſum defeſſus, repeccando totiens, cōfitendo totiens. Sic comedo, bibo, & dormio ſecurus, quaſi iam tranſierim diem mortis, & euaſerim diem iudicij, & tormenta inferni. Sic ludo & rideo, quaſi iam regnem tecum in regno tuo. Heu mihi, qualis vixi, quanta mala feci & dixi? Pudet quòd ſic vixerim, Cap. 35. & quòd natus fuerim. Mallem non eſſe, quàm talis eſſe. Idcirco tædet me viuere: viuere erubeſco, quia parum proficio. Mori timeo, quoniam non ſum paratus. Malo tamen mori & miſericordię Dei me cōmittere & cōmendare, quia benignus & miſericors eſt, quàm de mala mea conuerſatione alicui ſcandalum facere. Deſperare vtiq; potuiſſem, Domine, Cap. 34. propter nimia peccata mea, niſi Verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed deſperare iam non audeo: quoniam ſubditus ille tibi vſq; ad mortem, mortem autē crucis, tulit chirographum peccatorum noſtrorum: & affigens illud cruci, peccatum crucifixit & mortem. Hactenus verba ſunt & meditationes D. Bernardi, in quibus non tantùm oſtēditur nobis modus in cognitione noſtri, & examine vitæ noſtræ ſeruandus, ſed etiam datur exemplū & ſtimulus ad humilitatem: ſi enim vir tam ſanctus eum in modum ſemetipſum accuſat & reprehendit, quid faciemus nos, qui adeò ab illa puritate & ſanctitate ſumus alieni? Sed non ſufficit aut labor noſter, aut noſtra induſtria, ad virtutem hanc obtinendam, ſi non accedat diuina gratia, quæ ſemper à Domino ardentiſsimis votis & deſiderijs eſt petenda: quod non ineptè fieri poterit Oratione ſequenti.

ORATIO AD IMPETRANDAM *à Deo virtutem humilitatis.*

DOmine mi, quis es tu, & quis ſum ego? Tu es Deus magnus, Deus cæli & terræ, Deus Deorum, Rex Regum, & Dominus Dominantiū. Ego ſum vermis, & non homo, fæx hominum, & opprobrium mundi. Tu es ſumma bonitas, ſumma dulcedo, ſumma pulchritudo: tu es gloria Sanctorum, theſaurus opulentiſsimus, vera lux, ſplendor clariſsimus, fons vitæ, vita noſtrarum animarum, lumen cæli, & lumen mundi. Ego autem ſum abyſſus tenebroſa, terra miſerabilis, filius iræ, vas ignominiæ, conceptus in peccatis, natus in miſerijs. Ego ſum ſterquilinium immundum, plenum fœtore & corruptione, infirmus, cæcus, claudus, ſurdus & mutus, omnium rerum bonarum vacuus, miſeriarum verò plenus. Principium meum fuit peccatum, finis meus erit mors, quæ mihi ſtipendium peccati eſt.

O Domine mi, quid ego ſum, niſi vmbra mortis, & vniuerſa vanitas? puteus ſordium, terra ſterilis, & maledicta, cuius fructus ſunt tribuli, ſpinæ, & cōfuſio. Igitur, ô Deus miſericordiarum, propitius eſto pauperrimæ huic animæ, quæ ex ſe nihil eſt, & ratione peccati minus quàm nihil: pelagus vanarum cupiditatum, fons peccatorum, pro quibus ſi pro merito meo iuſtè ſecundùm magnitudinem & multitudinem illorum punirer, tot vtique ſupplicia, & tanta tormenta ſuſtinere deberem, quanta eſt tua, ô Domine, Maieſtas, & magnitudo: ſiquidem tanta eſt culpa, quanta eſt Maieſtas offenſa.

Peccaui Domine ſuper numerum arenæ maris, & non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum mearum. Sed propter manſuetudinem, quæ de te, bone Ieſu, prædicatur, currimus ad te: cùm audiamus, quia non contemnis pauperes, & peccatores non aſpernaris. Memor igitur eſto, Domine, miſericordiarum tuarum antiquarum, & ſana animam meam, quia tu ſalus mea es. O Domine conuerte nunc oculos tuæ miſericordiæ, & opem fer huic pauperi mendico, qui omnium rerum premitur egeſtate. Tanta enim eſt, Domine, paupertas mea, vt ex meipſo verum bonum velle ſine tua voluntate; & quod volo debitè facere non poſsim, niſi tua me adiuuet clementia: quod autem facere poſſum, abſoluere non poſſum, niſi tua me illuminet ſapientia, niſi tua potentia mihi ſuccurrat, niſi tua bonitas me confirmet,

O Domine, quis ego ſum, vt loqui tecū audeam, cùm tu ſis Deus ille magnus, verus, omnipotens, immenſus, æternus, incomprehenſibilis, & Angelicis etiam ſpiritibus admirabilis? O Domine, audi clamores meos, vide lachrymas meas, intellige mea ſuſpiria, & ſuccurre. Illa quæ te mouit, vt me redimeres, pietas, te moueat etiam, vt me audias. Non pereat propter meam impietatem, quod in me operata eſt tua omnipotentia. Quando nō eram, tu me feciſti; cùm erraui, tu me in vitam rectam reduxiſti; cùm eram rudis & ignarus, tu me docuiſti; quando cecidi, tu me ſubleuaſti; quando ſtabam, tu me tenuiſti; quando affligebar, tu me conſolatus es, quando deſperabam, tu mihi animum addidiſti; quando dormiebam, tu me cuſtodiſti; quando eram infirmus, tu me ſanaſti; quando veniebam ad te, tu me benignè recepiſti. Et nunc igitur ad te clamo, Domine, audi me Deus meus.

O dulcis Domine, non ſufficit mihi quod me ſanas, & me mundas, niſi ipſe venias ad me, & mecum habites, vt cuſtodias me. Veni igitur ad me, Deus meus; propitiare mihi dulcis Redemptor mi; tene me tua manu dulcis ſpes mea; amplectere me tuo amore, & ne ſinas me aberrare à te fortitudo, & ſalus mea.

mea. O vita vitæ meæ, sine qua morior, & ad quam suspiro. O vita viuentium, vita te amantium, necessitas magna, quam patior, ad te clamare & vociferari me cogit. Veni Deus meus, veni fortitudo mea, veni spes vnica mea. Aperi, Domine, aures tuas meis clamoribus, & manus tuas meæ paupertati. O excelse & glorioſe Domine, noli contemnere, quod tu creasti ad imaginem & similitudinem tuam, quod tua regis prouidentia, & tuo redemisti sanguine.

O melliflue Domine mi, da mihi oculos, quibus te cognoscam: qui namque te bene cognoscit, etiam amat te: & qui amat te, negligit se, & te plùs amat quàm se. Et hæc est, Domine, ratio, cur te parum diligam, quia te parum cognosco. Veni igitur ad me thesaurus meus pretiosissimus, veni desiderium animæ meæ, veni fortitudo vitæ meæ. O fons dulcedinis, cibus animæ, lumen intellectus, illumina Domine cæcum hunc; ciba famelicum hunc; sana ægrotum hunc; visita captiuum hunc; vestibus indue nudum hunc; & hunc seruum tot tyrannorũ, quot passionibus exagitatur, quot peccata commisit, tui sanguinis lytro redime. Tu enim ipse, Domine, hominibus, creaturis miserrimis præcepisti, vt hæc opera misericordiæ inter se exercerent: tu ergo, qui es abyssus misericordiarum, fac erga me, quod nos erga proximos facere præcepisti. Qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

SECVNDA ADMONITIO DE DISCRETIONE & temperantia, quæ in his sanctis exercitijs est seruanda.

CAPVT XVIII.

SEcunda admonitio versatur circa moderationem & temperantiam, quæ in his sanctis exercitijs debet obseruari. Sunt enim multi, quibus Dominus noster sua dona copiosissimè largitur, qui se eum in modum, & tam effusis habenis his dedunt exercitijs, in orationibus continuis, in seruoribus & consolationibus profusi, vt tandem lædant complexionem, & amittant sanitatem, facientes sese inidoneos tam his, quàm omnibus alijs exercitijs. Accidit etiam hoc persæpe, quãdo accedit neglectus, & mala tractatio corporis, immoderataque attentio, & in oratione violentia, vt cor mundetur, & muscæ vanarum cogitationum abigantur. Hæc enim attentio & violentia, quãdo est immodica, mirum in modũ lædere solet sanitatem. Ratio huius est, vis enim animæ nostræ est quasi aqua fontis, quæ si diuidatur, & per diuersos canales deriuetur, quantò plus per vnum fluit, tantò minus datur alteri. Ad eundem modum si anima nostra tota cum immoderata attentione impendatur considerationibus & occupationibus rerum diuinarum, non erit residuum quod cibos digerat, aut quod corpus regat; & per hanc continuationem tandé complexio labefactatur, & debilitatur. Hac in re peccauit D. Bernardus, qui conqueritur ipse, quòd immoderato rigore abstinentiæ debilitauerat corpus suum adeò, vt non potuerit officijs pietatis & religionis commodè debitoque modo satisfacere, vt in eius Vita latiùs commemoratur.

Simile.

Ob hanc igitur rationem debet homo sui curàm habere in malè tractãdo suo corpore, quemadmodum & in continuatione, feruoreque suorum exercitiorum, vt sic his visitationibus & cõsolationibus Domini nostri sese dedat, vt habeat damni & incõmodi rationem, quod ex nimia atque indiscreta mensura natura posset incurrere: quæ quantò magis se applicat vni officio, tantò minùs seruit alteri. Verùm quidem est, hac in re quibusdam opus esse fræno, quibusdam calcaribus: sunt enim nonnulli nimis amantes sui, & sunt alij nimis parum amantes; proinde vnusquisque mensuram hanc sumat ab amicitia, vel inimicitia suijpsius. Magna igitur hîc consideratione & discretione opus est, ne quis fallatur: & si in alteram partem inclinandum sit, potiùs in rigidiorem, quàm in laxiorem corporis tractationem propendeat, semper enim necesse est, vt natura proprij amoris nobis suspecta sit.

Occurrit hîc graue dubium de nonnullis, quibus Dominus seipsum tam liberaliter, & tanta cum lachrymarum atque cõsolationum abundantia communicat, vt vix cor ad Deum eleuare incipiãt, cùm statim oculi in fontes lachrymarum resoluuntur, & cor in modum ceræ liquescit, ab igne diuini amoris dissolutũ. Iccirco si tales sese dederint huic exercitio, metuendum est, ne periculum (de quo diximus) incurrant: si autem oculos diuinæ gratiæ claudant, (gratiæ dico potissimùm illos præuenienti) videntur resistere Spiritui sancto, & cœlesti Sponso, qui vocat illos. In hoc igitur casu quid faciendum?

Huic dubio respondet D. Bonauentura in quodã tractatu, de perfectione, quem scripsit ad quandam suam sororem. Ad hoc, inquit, saluo meliori iudicio, videtur consulendum nimis debilibus, quòd interdum possunt se vtiliter subtrahere à studio deuotionis, & conatu proprio nõ adhuc instare, nec quasi extorquẽdo exprimant deuotionis affectum, quia tales violenti conatus debilitant etiam validiores. Si autem sine laborioso conatu offert se gratia, & ingerit se illis non quæsita; nec abijciant eam ex toto, nec omnino totos se immergant ei; maximè si vehementer ex hoc debilitari se sentiant: sed temperatè, & in quadam spiritus libertate superficialiter inhæreant; iuxta illud Prouerbiorum; *Mel inuenisti comede quod sufficit tibi*; quod satis est, iuxta virium tuarum mẽsuram. Vtilius enim est ad horam habere temperantiùs gratiam deuotionis, quàm omnino exhaustis viribus, & destructa virtute naturali, totaliter eã perdere, & irrecuperabiliter ea carere: quia sic destructi postea nimis incipiunt sibimet compati, & vt recuperent vires amissas per indiscretionem, non solùm delicatiùs, sed etiam dissolutiùs, quàm expedit, se habere. Hactenus Bonauentura. Et hæc sufficiunt de hac materia. ex quibus homo intelliget, sicut gula quædã est corporalis, ita etiam quandam esse spiritualem, & hominẽ posse tam in hanc, quàm in illam incurrere: licet periculum sit valde inæquale.

Bonauent. de profectu Religionis, processu 7. cap. 21.

Prou 25.

ADMONITIO TERTIA, OMNIBUS virtutibus simul studendum esse ijs qui ad charitatem aspirant; cùm ea sine alijs haberi nequeat.

CAPVT XIX.

QVamuis omnis doctrina huius libri principaliter instituta est ad amorem Dei; non tamen ob hoc debet homo oculos tam immotos in hac vna virtute retinere, vt aliarum obliuiscatur: maximè autem exercitiorum, quæ requiruntur ad seruiendum necessitatibus proximi; qui enim hoc non facit, neutrum assequetur. Cùm enim Charitas Regina sit omniũ virtutum, generalemq; habeat dominationem, & imperium in illas, vt diximus antea; æquum est, vt omnes stent expeditæ ad obediendũ illius mandatis. Quemadmodum enim animę nostrę necessaria sunt instrumenta, & organa sensuum & membrorum, vt operationes suas perficiat; (frustra enim hanc aptitudinẽ haberet, si organa in operatione necessaria deessent) sic etiam charitas necessariò requirit aliarum virtutum opem, vt cùm imperium, officiumque suum exequetur, habeat

habeat alias virtutes sibi ministrantes. Ex quo patet frustra laborare illos, qui hanc virtutem volunt sibi comparare sine auxilio & comitatu aliarũ: cùm hęc Regina & Domina virtutum, nunquam sine gynæceo, nunquam sine regali aula, nunquam sine ministerio aliarum virtutũ inueniatur, quæ sunt quasi pedissequæ ancillæ illius. Aut itaque, mi frater, omnes simul amplecti debes, aut omnes simul deserere: non enim vna datur sine alia.

Virtutes in specie contrariæ.

Et quamuis in omnibus virtutibus desudandum sit, tamen in quibusdam, quæ inter se contrariæ videntur, licet nõ sint, sed valde differentes, plus operæ ponendum est. Exemplo res fiet manifestior. Videmus inter scientias humanas, imò in vna eademque scientia, partem vnã esse theoreticam, quæ circa solam scientiam & contemplationem versatur; alteram practicam, cuius finis est actio vel operatio: quæ tamen partes adeò sunt inter se differentes, vt rarò inueniatur vir adeò doctus, qui in vtraque excellat: sed qui in vna egregiè versatus est, in alia aut parum aut nihil est exercitatus. Sic etiam in virtutibus, vna magis affinis est vitæ contemplatiuæ, vt lectio, oratio, meditatio; alia verò actiuæ, vt sunt opera misericordiæ: quæ virtutes etsi inter se contrariæ non sint, (quemadmodum enim veritas veritati nõ potest esse contraria; sic nec virtus virtuti) adeò tamen inter se sunt differentes, cùm vna sit magis spiritualis, & alia magis corporalis; vna magis theoretica, & alia magis practica; vt rarò inueniantur, qui in vtrisque excellant. Id inter alios affirmat B. Gregorius, dicens, paucos inueniri similes magnanimo illi Aod, de quo Scriptura dicit, quòd erat ambidexter: per quod significatur, rarò inueniri hominem perfectum, & dextrum in operibus vtriusque vitæ, actiuæ scilicet, & contemplatiuæ; propter dissimilitudinem vnius ab altera. Propterea qui vni animum applicârunt, parum proficiunt in altera. qui enim vitam sequuntur contemplatiuam, semper ad modum aquilæ volant ad sublimiora, & cum Deo conuersantur: nunquam nisi cum summo labore & molestia descẽdunt ad humiliora, vt commercium habeant cum hominibus: è contrario illi, qui actiuæ vitæ sunt assuefacti, & in ea iam exercitati, difficulter silentio possunt, animóque collectioni vacare, & in altum euolare.

Iudic. 5.

Rarò inueniuntur qui actiuæ & cõtemplatiuæ vitæ simul idonei sunt.

Qui cupit igitur integrè suo satisfacere officio, & perfectus esse Dei seruus, maioremque habere diuinæ voluntatis, quàm propriæ consolationis rationem, debet esse ad hæc omnia præparatus, dicens cũ Psalmista; *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum:* hoc est, paratum ad volandum in cælum, paratum ad ambulandum in terris: paratum ad quiescendum tecum, & paratum ad laborandum cum proximo, paratum ad fruendum tuis consolationibus, & paratum ad deflendum fratrum meorum miserias: paratum denique ad otium charitatis, & paratum ad negotia, quæ charitatis eiusdem requirit necessitas. Eum in modum debet seruus Dei paratus esse ad omnia, adeò, vt si quandoq; supra cęlos sit eleuatus, descendere debeat, si intelligat fratres suos affligi, & laborare: eos benignè audiendo, & in omnibus, quibus potest, eos iuuando, non respiciens illos in illis, sed Deum ipsum in illis colens, cuius intuitu facit, quidquid facit; agnoscensque', licet in eo suã amittat dulcedinem, non tamen amittere Deũ, sed Deum propter Deum relinquere. Peractio hoc negotio, reuertatur vnde exierat, & prosequatur quod inceperat; non aliter, quàm si nunquam opus suum fuisset interruptum. Sic vidi nõnullos, & præcipuè laicus quidam mihi occurrit religiosus, cuius humeris onus totius cuiusda monasterij incumbebat, neque vnquam otium illi erat à matutinis, vsq; ad serum vesperem; omnia monasterij negotia peragebat cum summa cura & silentio: Absoluto continuo diei labore, se præparabat ad exercitia vespertina, dabatq; se profundis orationibus, & tam prolixis, vt quis existimasset, quòd toto die se ad illud studium præparasset. Hoc modo debet seruus Dei paratus esse ad omnia, non aliter atque equus frænũ habens in ore, quod ductu fræni graditur, in gyrum ducitur, & reuertitur, quemadmodum de sanctis illis animalibus scribit Ezechiel: *Ibant*, inquit, *& reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Sic igitur oportet seruum Dei succurrere proximo, & confestim ad Deum redire; hoc est, ab operibus vitæ actiuæ, ad exercitia contemplatiuæ reuerti.

Psal. 56.

Ezech. 1.

Inter omnes autem alias virtutes potissimùm adesse debet prudentia, & discretio, tanquam dux & lumen aliarum virtutum, & tãquam soror & pedissequa perfectæ charitatis. Charitas namq; gignit feruorem spiritus, & zelum honoris Dei, quibus virtutibus opus est fræno discretionis: maximè feruori, qui sine discretione non est feruor, sed furor. Necesse est igitur, vt huic virtuti semper à dextris stet illa gubernatrix, quę regat & moderetur illam. Etenim & ob hoc in ordinibus cælestis illius Hierarchię, post Seraphin, in quibus feruet charitas, sequũtur Cherubin, in quibus habitat Dei sapiẽtia: vt vel ex eo discamus, quanta vicinitas & quanta cognatio est inter has duas virtutes, eò quòd vna alterius indiget ministerio. Amet igitur verus Dei seruus hanc virtutem, & nihil existimet cum charitate bene conuenire, quod pugnat cum discretione. Illud in verbis, in operibus, in respõsionibus, in moribus, in propositis, in consilijs, & in alijs rebus omnibus præ se ferat: hæc enim facẽ omnibus rebus præfert; & memor sit testimonij, quod B.P.S. Antonius huic virtuti dedit, in collatione quadam, quam cum illis patribus in eremo habuit, in qua multis alijs virtutibus illam præponit.

ADMONITIO QVARTA, DE FORtitudine, & diligentia, quæ requiritur ad diuinum amorem adipiscendum.

CAPVT XX.

DIcit Saluator in Euangelio; qui ædificare vult turrim, eũ priùs computare sumptus, qui necessarij sunt, si habeat tam pecuniam, quàm materiã ad perficiendum. Similiter Rex eiturum committere bellum aduersus alium Regem, priùs explorare vires & potentiam inimici, vt sibi prospiciat de ijs, quę necessaria sunt ad illum subiugandũ. Et cõmuniter, sit quisquis velit, qui aliquid arduum sibi faciendum esse statuit, primùm ponderat magnitudinem illius, vt secundùm eam disponat cætera. Sic & viator, qui latam vult trãsilire fossam, primùm metitur eius latitudinem, vt secundùm eam cursum moderetur, & vim, qua cum erit saltãdum. Omnes istæ comparationes faciunt ad nostrum propositum. Nos enim hic ædificare volumus turrim, cuius cacumen cælos ipsos contingat; estque purus amor Dei, qui non quærit aliquid, pręter ipsum Deum, & in eo quiescit. Hic bellum apertũ molimur contra vniuersum amoris proprij regnum, vt illo deuicto, regnet amor Dei. Hic meditamur saltum, quo maior esse non potest, estq; ab hoc amore proprio, ad amorem Dei: quę duo extrema maximè inter sese contraria sunt, magisq; distant ab inuicem, quàm duo poli mundi. Qui itaque spatium tam latum transiliet, meritò secum considerare debet, quo cursu opus est, & quo spiritu atque fortitudine rem debeat aggredi.

Luc. 14.

Simile.

Ad

Ad intelligentiam huius rei sciendum est, quod status hominis, in quo mansit post peccatum, est tanquam ille alicuius regni, in quo duo essent Reges: vnus legitimus, & naturalis, qui cum omnibus suis asseclis & ministris dearmatus, debilitatusque esset: alter Tyrannus, & alterius dominij vsurpator: qui potens esset, & magno regni huius præesset exercitui, omnemque fortitudinem illius possideret. In hoc casu qui vellet Regem naturalem restituere, duplicem adeat laborem necesse est: primò vt armet inermem, reficiatque debilem; secundò vt armis spoliet armatum, & potentis vires frangat, ne contra legitimum Regem præualeat. Cùm enim & vires & arma sunt æqualia, facili negotio potest vni parti subueniri, & de altera victoria reportari. id quod hic locum non habet propter inæqualitatem partium.

In hoc igitur statu constitutus est homo miser propter peccatum. Etenim vbi primò spiritus, qui est legitimus & naturalis dominus, erat potentissimus, & corpus cum omnibus suis sensibus illi per omnia subiectum atque obediens, nunc vice versa spiritus omninò est debilitatus, & tyrannide premitur indigna: Tyrannus autem corpus est tam potens, cum fortissimis suis appetitibus & passionibus, vt nihil potentius in mundo reperiatur, quod eius vires possit debilitare. Insinuatur hoc per furiosum illum Dæmoniacũ in Euangelio de quo dicitur, quòd neque catenis iam quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpe catenis & compedibus vinctus dirupisset catenas, & compedes cõminuisset. Quæ igitur vincula, quæ catenæ poterunt ligare passiones nostras, nostrorumque appetituum desideria, vt in ordinem redigantur? Quotquot leges Dominus tulit, quotquot promissiones, quotquot minas Scriptura continet, quotquot diluuia & tempestates supplicium Deus in mundum misit; non satis fuerunt ad refrænãdum hunc Tyrannum, donec ipse filius Dei venit, & comprehensum cruci secum affixit.

Corpus vid.

Marc. 5.

Spiritus infirmitas.

E contrario desideria & affectus spiritus nostri quàm infirma sunt, & languida? Cumque desideria hæc materiam habeant bona spiritualia, & cælestia, merebantur sanè plurimùm adamari, & cum studio quæri tanto, quanta ipsa sunt: at nos miseri quanto illa cum tepore & socordia quærimus? quanta cum negligentia? quanta cum tarditate ad illa mouemur? & quàm exiguum est quod pro illis comparãdis dare volumus? cùm interim nulla itinera formidemus, nulla pericula metuamus, à nullis laboribus abhorreamus, pro alijs bonis temporalibus.

Ex his apparet, quàm imparia sunt arma, & vires horum dominorum, licet vnus sit naturalis & legitimus, alter verò Tyrannus: appetitus enim & desideria vnius sunt quasi hominis sani & integri, alterius verò, quasi infirmi & ad desperationem ægrotantis, qui vix verbum potest proferre, aut pedem per seipsum mouere præ debilitate. Dic enim quæso, quæ maior esse potest debilitas, quàm non posse dignè nomen Iesu inuocare, aut pium aliquid cogitare, nisi ex speciali Spiritus sancti gratia? In hac extrema paupertate atque inopia iacet noster spiritus. Sin autem hoc manifestiùs adhuc intelligere voles, propone his duobus appetitibus, carnis scilicet, atque spiritus, obiecta duo, & animaduerte quomodo appetitus sensualis ardebit, carnem desiderando; rationis verò quàm tepidus erit in spiritu appetendo; atque ex hoc facillimè cognosces inæqualitatem vtriusque.

Cùm itaque homo in hac dispositione sit constitutus, natusque, & toto vitæ suæ tempore in hac licentia educatus, quæ virtus poterit hanc ataxiam immutare, vicem vertere, appetitumq; sensualem, quasi mortuum facere, atque insensibilem in omnibus, quæ priùs desiderabat; e contrario verò rationalem excitare, viuificare, & facere vt ardeat in desiderio eorum, in quibus antea quasi mortuus torpebat? Vides igitur hinc magnam huius negotij difficultatem. Ad restituendum namque hominem non satis est confirmare desideria spiritus, nisi etiam simul debilitemus ea, quæ sunt carnis: adeò vt omnia desideria & motus, quę necessariò spiritus noster habere debet in rebus spiritualibus, sint maximè vegeta, prompta, & strenua; quæ verò caro habet, sint debilissima, infirmissimaque, & quasi nulla. Quis igitur poterit duas has tantas facere immutationes? quis ex tam debili faciet fortem, & ex tam forti debilem? Quis potentiam carnis debilitabit, cùm tam strenua sit? & quis reficiet languorem spiritus tam debilem & ignauum? Quis temperabit ignem, & in rorem matutinum cõuertet flammam fornacis Babylonicæ, niuibusque brumalibus calorem tribuet? Quis poterit efficere, vt ignis frigefaciat, & glacies calefaciat? quis, vt ignis deorsum feratur, & terra sursum? Nemo profectò potest hæc, nisi solus Deus: neque alius quispiam potest has duas operari mutationes, de quibus nunc loquimur. Ille solus potest refrænare potentiam carnis, & debilitatem spiritus corroborare: ille solus potest sceptrum auferre de manu amoris proprij, & dare amori diuino: tali nãque modo vindicabitur communis iniuria & tyrannis humanæ naturæ, si imperet, cuius est imperare; & seruiat, cuius est seruire.

Cæterùm etsi hoc opus Dei sit, non tamen ob hoc exiguæ difficultatis negotiũ est in homine, cùm hæ duæ ambarum naturarum adeò inter sese diuersarum (vt sunt spiritus & caro) fieri debeant mutationes, & potentia vnius antiquitate nostræ malitiæ adeò sit aucta. Potest enim aliquo modo dici, hanc esse homine ipso antiquiorem: priùs enim quàm rationalis anima infunditur, homo non est homo; seminarium verò huius malitię est etiam in carne, antequam anima infundatur: cuius infusionis ratione contrahitur peccatum originale, auctor omnium horum malorum. Ex eo namque oritur, vt homo nascatur à Deo auersus, & ad semetipsum conuersus, inordinatè semetipsum plùs, quàm Deum amãdo. Quod cùm ita sit, quis poterit malo mederi tam inueterato? quis poterit expellere possessorem tam antiquum? quis poterit eijcere ex ipsis hominis visceribus, quod origine prius est ipsa perfecta hominis natura?

Malum originalis peccati in homine est, antequam homo est homo.

Indubitatum etiam est, inter res naturales omnium maximè esse naturale, quòd homo amat semetipsum, & quærit id, quod sibi expedit; fugit autem contrarium; vt dicit Tullius. Sicut igitur inter passiones naturales ea est prima, sic etiam & fons est omnium aliarum. Ideo comparatur cum ipsis, sicut cor cum alijs membris corporis; in quo primum viuere, & vltimum est mori: ab eo namque omnia reliqua membra vitam suam sortiuntur. Sic in amore proprio est primum viuere, & vltimum mori: omnes enim passiones ab illo nascuntur, & vitam suam recipiunt.

Cicero in offic.

Et hoc profectò est, quod difficultatem parit in hoc negotio. Cùm enim amor hic tot habeat radices quod genera bonorum desiderat; liquet, quàm difficile erit extirpare hanc arborem, tot radicibus firmatam; cùm omnes illæ priùs sint præscindendæ, quàm arbor potest euelli. Vna enim sola non auulsa, potest arborem retinere, ne cadat. Et sic vidimus nonnullos, quibus, eliminato rerum omnium amore, solus inordinatus amor proprij corporis causa fuit, cur semper in ædibus eorũ maneret amor proprius, maximaque damna crearet.

Obiectio. Sed dices fortasis; Cuius vires sufficient ad tot radices euellendas? tot capita truncanda? cum tot hostibus pugnandum? maximam naturæ potentiam vincendam, & è sinu cordium nostrorum tot affectus, atque desideria nobiscum nata eijcienda? maximè cùm ea tot sint, quot bona sunt, quæ solent desiderari, quorum numerus est infinitus? Quis igitur poterit tot amorum generale facere diuortium? Ad id enim non vnum satis est diuortium, non vna mors, non vna crux: sed tot crucibus opus est, quot sunt res, quas desideramus, si illas inordinato desideremus amore: singula namque hæc desideria cõprehendi, vinciri, & propriæ cruci suæ debent affigi. Quis poterit igitur iustitiam exercere & sæuire, maximè contra tam familiares amicos? Quæ namque creatura est, quæ non amet seipsam? quæ cogitatio viuacior est, quàm possidere omnia quæ iuuant? quam aptitudinem, habitum, & instrumentum ad illa comparanda dedit eis natura, præter hunc tam magnum & potentem amorem? Cuius ergo brachia potentissimum affectuum nostrorum debellabunt? & maximè cùm adeò sit confirmatus, & vsu totius vitæ radicatus? Vix enim aut pedem mouemus, aut manum ad aliquid extendimus, quod non sit opus amoris proprij. Quemadmodum igitur amor Dei nullo actu alio magis crescit, quàm proprio: sic nec amor proprius. Quantis igitur viribus opus est ad euellendum clauum hunc cordi impactum tot ictibus, quot opera sunt amoris propij in hac vita admissa?

Omne illud manifestè satis declarat, quàm magnum est hoc prælium, cùm inimicus ab vna parte tam potens sit, & ab altera parte tam charus: durum enim est arma comprehendere, & pugnare aduersus illum, cui bene volumus; & cuius vulnera non minùs dolent infligenti, quàm accipienti. Non est hoc mundum vincere, sed stellas cæli, & dominari sibique subijcere omnes naturæ corruptæ leges. Cùm enim summa potentia, quam habet natura, & fortissima inclinatio quam indidit omnibus creaturis, sit amare semetipsam; hunc affectum moderari certè opus est summæ difficultatis. Et si vnam vincere *Prou. 16.* posse passionem (vt ait Sapiens) maior sit victoria, quàm multas expugnare ciuitates; qualis erit victoria vnam vicisse passionem, à qua nascuntur omnes aliæ? Si robustissimis brachijs opus sit ad vnum solummodo ramum ab arbore detrahendum; quibus opus erit, ad ipsum truncum arboris eradicandum? Si tantæ molis res sit vnum ex istis inimicis (hoc est, vnam illarum passionum) vincere; quid erit totum exercitum illarum, in cuius meditullio incluſus stat amor proprius, expugnare? Nemo igitur inficiari poterit, hoc prælium omnium totius mũdi esse maximum; ideoque necesse est, vt talis sit animus, qui præliabitur, quale est ipsum prælium.

Error multorum existimantium vitã ad amorem dulcem esse. Fusiùs hac de re disseruimus, ad tollendum errorem multorum, amorem Domini desideratium, qui nihil aliud considerantes, quàm sonum & dulcedinem huius nominis, existimant tale iter fore, qualis est itineris exitus, & proinde nihil hîc esse præter dulcedinem & suauitatem. Qua vana decepti opinione, nec armant se, nec se præparant cum illa fortitudine & alacritate, quæ ad tantum bellum requiritur. Deficiunt igitur in media via, quia non ea animi fortitudine cœperunt ambulare, quæ ad hoc iter conficiendum erat necessaria. Necesse igitur est tales errorem suum agnoscere, & scire, quantumuis portus sit iucundus, nauigationem tamen esse laboriosam: hoc est, licet amor Dei per se sit suauis, viam tamen esse molestissimam; idque ob geminam difficultatem antea dictam; quia scilicet potentia carnis est frangenda, & debilitas spiritus reficienda, roborandaque: illud, vt amor proprius eijciatur; hoc, vt amor Dei introducatur. Quorum cùm vnus tam sit naturalis, & alter tam supernaturalis; nescio quid difficilius est, aut vincere illum qui tantas suppetias accipit à natura, aut hîc introducere, qui tot modis ipsam naturam superat.

Qui itaque cupit ad optatum huius tam difficilis expeditionis finem peruenire, debet illam suscipere ab vna parte cum magna humilitate & fiducia, (vt iam diximus) & ab altera parte cum summa diligentia & fortitudine; proponens, se nolle desistere, vel quiescere, aut somnũ oculis suis dare, priusquam operatum finem conspicit. Sed & certus sit, quemadmodum non coronabitur, nisi qui legitimè *2. Tim. 2.* certauerit; sic coronam amoris Dei non accipiet, nisi regnum amoris proprij priùs euersum fuerit. Filijs Israel non datum est manna de cælo, quamdiu farina Aegypti non erit absumpta: neque alicui dabitur sanitas amoris diuini, nisi qui priùs renunciauerit amoris mundani delicijs. Vtrunque significauit Propheta, cùm ait; *Excutere de puluere, consur-* *Esa. 52.* *ge, sede Ierusalem.* Quibus verbis significat Propheta, oportere priùs à se excutere puluerem terrenarum rerum, & laqueos mundanorum affectuum à collo auferendos esse: quibus peractis, iam tum nos posse sine impedimento surgere ad contemplationem rerum diuinarum, & sedere in requie & solatio illarum. Sic igitur, frater mi, sic per labores venitur ad requiem, per certamen ad coronam, per lachrymas ad gaudium, per victoriam ad libertatem; per amorem denique Dei perfectum, ad contemptum & odium sanctum suijpsius. Credendum etiam est, hanc fortitudinem & diligentiam non tantùm ad principale hoc nostrum propositum, sed ad omnia etiam media huc pertinentia tam esse necessarias, quòd sine illis ne passus quidem cõfici possit in hoc itinere. Media enim, quæ huc spectant, sunt exercitia virtutum, in quibus omnibus cùm sit labor & difficultas, ad omnia quoque necessaria est fortitudo, victrix omnium difficultatum.

Imaginetur itaque homo, Deum sibi, tanquam alteri Moysi dicere; Virgam hanc sume in manu *Exod. 4.* tua, in qua facies signa omnia necessaria ad educendum populum meum ex Aegypto, & in terram promissionis educẽdum. Sic & tu apprehende hanc veram virtutem & fortitudinem in manu tua, & ne proijcias abs te: in virtute namque illius facies omne id, quod necessarium erit ad exeundum è regno amoris proprij, & perueniendum ad regnum amoris Dei. Hæc est sententia tot locis à Salomone in suis Prouerbijs repetita; in quibus semper insectatur pigros & ignauos, diligentes autẽ & strenuos vbique laudat. Quòd si verò me interrogaueris; quomodo potero tot & tantas difficultates, quæ hîc mihi propositæ sunt, superare? Ad hoc tibi respondeo, quòd ipsemet amor Dei, quem quæris, paulatim te adiuuabit, vt superiùs declarauimus, & exẽplis probauimus.

In fine huius Capituli admonitum volo lectorem, cùm verum sit, charitatem nullis alijs rebus amplius crescere, quàm proprijs actibus, (vt antea dictum est) ij namque sunt excellentissimi, & maximè meritorij; notandũ hîc esse, quòd inter omnia charitatis opera, illa magis huic conducunt proposito, quæ sunt seruentiora & perfectiora. Ex quo patet; quàm vtile est seruire Deo cum seruore spiritus, sicut faciunt alacres & diligentes; & non cum tepore vel negligentia, vt faciunt delicatuli, & ignaui. Ideo dixit Sapiens; *Iter pigrorũ quasi sepes spinarum:* *Prouerb. 15.* *via iustorum absque offendiculo.* significans negligentes, cùm laborum sint tanti inimici, quanti suijpsius amici sunt, corpori suo parcere, & labores subterfugientes,

gientes, tam alijs, quàm sibijpsis obesse, ambulant igitur sicut is, qui ambulat inter spinas, attentè & solicitè considerans, vbi pedem figat, ne pungatur. Iusti autem tantam sui curam non habentes, sed in ijs quæ Dei sunt solicite meditantes, leuiter, & securi transeunt omnia aduersa & dubia: saltem vt fiat voluntas Domini. In quibus apertè videtur, difficultatē itineris huius non tam ab ipso itinere, quàm à diligentia vel ignauia itinerantium pendere.

QVINTA ADMONITIO, DE virtute perseuerantiæ.

CAPVT XXI.

Omnia paruis à initijs paulatim perficiuntur.

VLtima admonitio est de virtute perseuerātiæ: quæ singulare donum Dei est, quod sub meritum nō cadit; ipsaque necessaria est ad omne bonum, specialiter autem ad conseruandum & augendum in cordibus nostris diuinum illum amorē, donec ad debitam suam veniat perfectionem. Sic enim videmus plerunque omnia paulatim procedendo, tandem ad propositum finem peruenire. Sic formica æstatis tempore implet suum granarium, vnum granum alteri cumulando. Sic apis replet fauos & cellulas suas melle, de vno flore ad alium volitando, & ex singulis aliquid colligendo. Sic aranea perficit telam suam, qua muscas capit, filum filo paulatim addendo. Sic denique auis construit nidum suum in arboris parte secretiori, vnam paleam alteri copulando. Ita vt materialia licet parua sint, continuatio tamen & perseuerantia faciat opus absolutum.

Hoc igitur modo studiosus diuinę charitatis amator laborare semper debet, vt laborando progrediatur, ad singulos motus ignem igni, amorem amori, deuotionem deuotioni, & virtutem virtuti addendo: continua namque additione illa crescit id, quod desiderat. Quare quemadmodum illi, qui curam omnem huc vertunt, vt thesaurum colligant, vndequaque occasionem captant, vt augeant illum; & quidquid lucrantur, mox in ærarium mittunt; nunc obolum, nunc quadrantem, nunc dimidium thalerum, nunc Philippicum, nunc Coronatum, (singulæ namque horum augent cumulum) sic etiam & verus Dei facere debet amator, captans singulis horis, & ex omnibus rebus mundi occasionem cor ad Deum eleuandi, & augendi amoris sui thesaurum, qui talibus crescit motibus, non aliter, atque thesaurus per cuiuscunque quantitatis additionem. Omnia perfecta & absoluta quæ sunt in hoc mundo, seruiant ei, vt in illis, quasi in speculo, diuinam pulchritudinem contempletur: omnia verò quæ turpia sunt, & abominabilia, peccatorum demōstrant turpitudinem. Omnia bona quæ sunt in mundo accipiat tanquam beneficia Dei: in omnibus enim illis partem habet suam; nec minùs omnia mala, in singula namque & omnia labi miser posset, Deo eum non adiuuante. Hoc modo Sol, Luna, stellæ, campi, montes, valles, flumina, fontes, maria, terra, flores, arbores, aues, dies clarus, nox serena, & quieta, ei occasionem præbebunt laudandi Deum: in omnibus enim vestigium aliquod eius reperitur. Poterunt etiam præterea cor eius excitare ceremoniæ sacræ, officia diuina, dulces voces & cantica Ecclesiæ, quæ resonant iucundissimè, vt ait Augustinus, qui in principio suæ conuersionis mirum in modum Ecclesiæ psalmodijs commotus est. Omnia hæc ei erūt tanquam stimuli, vt ad Deum properet, incitantes, & quasi speculum in quo diuina conspiciatur pulchritudo; quasi libri, in quibus legatur Dei sapientia; quasi prædicatores, qui ei viam cæli ostendant, & collyria, quæ ei oculos aperiant, faciantque eum Dei meminisse.

Porrò, quamuis cor sæpe eleuans ad Deum, non sentiat calorem & deuotionem, quam quærit: non tamē ob hoc existimet se fructu eius frustrari, quòd non sentit: sunt enim nonnunquam fructus arcani inuisibiles, & ab oculis huius mundi absconditi, licèt oculis diuinis conspicui. Imò, quemadmodum arbor crescit occultè, ita vt nemo id animaduertat: sic homo proficit, fructumque facit in sanctis his motibus, adeò clàm, vt ipse fructum non sentiat. Non est enim eorum motuum vnus, qui non mereatur gratiam & gloriam; & cum quo non sit in voluntate nostra quædam impressio, qua inclinatur ad bonum, trahiturque, & ad amorem Dei disponitur. Hanc ob causam dicunt Doctores, sicut ictus bombardæ singuli, quibus muri verberantur, non statim ruinam sternunt; faciscere tamen muros faciunt, & ad ruinam disponunt: sic etiam omnis aquæ guttula, quæ cadit super lapidem, etsi non statim excauet lapidem, facit tamen vt alia & alia subsequente tandem lapis cauetur: (Vnde illud Poëtæ:

Gutta cauat lapidem non vi, sed sæpe cadendo.)

Sic etiam harum cogitationum singulæ, singulaque desideria edulcorant cor nostrum, & disponunt illud ad maiora.

Quæ in re seruāda perseuerantia.

Quòd si me interroges, in quo rerum genere præcipuè seruanda sit hæc perseuerantia; respondeo, in omnibus de quibus hoc libro egimus hactenus: omnes enim illæ huic subseruiunt proposito: in tribus tamen potissimùm. Quarum prima est custodia sui ipsius, quæ in eo consistit, vt homo in omnibus vijs & actionibus seipsum diligenter obseruet, ne forte in cogitationes, verba, vel opera impingat, quæ Dei sunt contraria voluntati. Secunda est, ambulare semper in præsentia Dei, illum semper ante oculos habendo, & cor sæpe ad illum eleuando, cum omni humilitate & reuerentia: idque succinctis orationibus, & amoris motibus. Tertia est, habere certa quædam tempora orationibus & exercitijs manè, meridie, vesperi, nocte, vel quocunque alio tempore statuta. Qua in re id curare diligenter debet perfectionis amator, ne filum hoc interrumpat, aut in hoc instituto deficiat, nisi fortè in causa obedientiæ, aut alterius cuiuspiam similis obligationis.

Et licet in his sæpe nec gustum, nec deuotionem, sed cogitationum strepitum percipiat, non tamen ob hoc desistere debet ab exercitio suo; sed facere quod potest, pugnando cum cogitationibus, & humiliter ad Deum vociferando: & credat quia hæc concertatio erit magnæ coronæ materia: & quamuis fructum hîc nullum sentiat, non tamen proficere desinit, & fortè tantò securiùs, quantò minùs sentit. Memor sit, assiduitatem orationis, in qua cum ardenti desiderio petimus mercedem à Deo, præfiguratam fuisse per luctam illam Patriarchæ Iacob: vocabulum enim luctę nobis insinuat quoddam genus belli, seu pugnæ, quæ sæpe committitur in oratione, ab vna parte perseuerando, & pugnando cum vanis cogitationibus, quę sese offerunt, vt purior nostra sit oratio.

Lucta Iacob significat perseuerantiam in oratione. Genes. 32.

Quòd si aliquando propter necessitatem vitæ ingruentem cogatur filum suorum exercitiorum interrumpere, cùm vita sit (teste Seneca) perpetua seruitus; non ob hoc desistat ab hac intentione, & proposito in corde suo; vt sic possit, finita occupatione, cum maiori facilitate ad Dominum reuerti, ad instar soliciti mercatoris, qui licet ingrediatur hospitium, vt edat, & bibat; semper tamen stat panem habens in ore, & cor in via; cogitans quid fecit, & quid restat adhuc faciendum; adeò vt nec totus manducet, nec totus quiescat; stans enim immotus corpore, spiritu ambulat. Sic & amator Dei nunquam totus

Ob occupationes vitæ non intermittendum orationis studium.

Similc.

tus sit in re aliqua: sed semper aliquam partem non occupatam Deo reseruet: vtatur hoc mundo, tanquam non vteretur; emat, tanquam non possideret; vt nihilquam spiritus eius sic rebus externis absorbeatur, vt planè obliuiscatur negotij sui principalis.

Copiosiùs hac de re disseruimus: sunt enim nonnulli (atque vtinam non essent multi) qui exercitia, propositaque sua certis aliquot diebus continuant, & deinde per quamlibet occasionem, quæ illis offertur, intermittunt: qui peractis negotijs reuertuntur ad initium, reuersique ad laborandum denuo defatigantur; atque ita transit tota eorum vita in principijs. Qui sic ambulant, sunt quasi arbores, quæ sæpe transplantantur: quæ cùm nusquam radices mittant, nusquã crescunt, aut fructum faciunt: sed semper aridæ & steriles in eodẽ statu permanent. Quòd si homo proponeret saxum per viam accliuem in summitatem montis voluere, & cùm iam aliquo vsque peruenisset, defatigaretur, saxumque deorsum reuolui pateretur; inde iterũ sursum voluerit, tandem defatigaretur, & saxum desereret. Tales sunt illi, qui singulis ternis diebus defatigãtur, & iterum incipiunt, & tota eorum vita in hoc consumitur: qui sunt tanquam vites quæ semper habent fructum, nec vnquam ad maturitatem perducunt. Quòd si aliquando velis quiescere, sit quies tua talis, vt si non progrediaris, saltem ne retrogrediaris: reuertarisq; non vt denuo incipias, sed in via iam cœpta progrediaris: hoc namque faciendo, citiùs ad finem optatum peruenies.

Simile.

Aliud à Syspho sumptum.

Gallina quæ pullos ouis excludit, tanta cum perseuerantia illis incubat, vt nec ob cibum, nec ob potum, nec ob multos vermes, qui eam viuam exedunt, oua deserat; imo accidit non rarò, vt mortua super ouis inueniatur: mauult enim mori, quam pati, vt oua refrigescant: tanta est perseuerantia, quam huic animalculo indidit auctor naturæ. Illa autem quę sæpe surgit, & oua frigefieri sinit, nunquam perfectos pullos excludet, & ipsa pro degenere habetur. Hanc igitur perseuerantiam imitari debet verus amator Dei, quantum illi est possibile, si cupiat diuinam vnionem, & animæ suæ cum Deo transformationẽ consequi. Si enim tanta ibi requiratur perseuerantia, vt ex ouis fiant pulli; quanta erit necessaria, vt ex homine fiat Deus? Det igitur operã, vt sub alis huius Domini perseueret, accipiendo semper in animam suam diuini huius amoris influentias: ipse enim est auctor huius transformationis. Cera flaua fit adinstar nitis alba; si diu Soli exponatur, & sic anima iusti, quando perseuerat in præsentia splendorum, Solisque iustitiæ radiorum candescit.

Simile.

ALIAE multæ admonitiones in hac secũda parte tradi potuissent (est enim hæc materia infinita, & sic quasi infinitum est illud, quod de ea scribitur) sed quod hic deest, id Spiritui sancto reseruatur: qui cum non minùs illuminet intellectum, quàm inflammat voluntatem, nec non & oratio, quæ magna vitæ spiritualis est magistra, docebunt. Id facilè credet atque intelliget is, qui ad hoc exercitium cum puritate intentionis, debitaque diligentia accedit. Discit namque experientia, quòd cùm vitam ducit ordinatam, & cor deuotum, attentumque seruat, & ab imaginationibus, affectibus, & cogitationibus mundi liberum, corpusque in edendo & bibendo moderatum; confestim, & facili negotio magnos thesauros, & incomparabiles fructus in oratione inuenit. Cæterùm si in aliquo horum deficiat, statim id sentit; & quærens rationem, recordatur errorum in quos lapsus est: ex eoque discit, quid vtile, quid noxium sibi est; vt vnum sequatur, & alterum fugiat. Et hoc modo oratio (vt diximus) magistra est vitæ spiritualis.

Oratio quòd modo est magistra vitæ spiritualis.

PROOEMIVM IN CONSIDERATIONES SEQVENTES.

HACTENVS *egimus de virtutibus, & admonitionibus, quæ necessariæ videbantur ad conseruandam in animabus nostris continuam Domini nostri memoriam & ad vniendum spiritum nostrum cum illo per considerationem, & amorem actualem: atque hoc est id, quod ad secundam huius libri sectionem pertinebat. Ad maius igitur huius ipsius subsidium, tractemus hîc aliquot Considerationes, quæ cor nostrum moueant ad diuinum hunc amorem. Quia verò superiùs quatuor gradus esse diximus, quibus ad fastigium huius virtutis ascendere nos posse docebamus, inter quos primus & secundus est lectio, & consideratio rerum, quæ cor nostrum amore Dei possunt inflammare, (vt sunt beneficia, & perfectiones Dei) nos subsequentes Considerationes, in quibus de vtrisque agitur, his adiungere volumus. Primæ namque septem Considerationes, quæ hoc loco ponuntur, tractant de septem beneficijs; & aliæ septem de totidem diuinis perfectionibus; quas studiosus amator Dei potest per totidem septimanæ dies diuidere, & suam cuique diei tribuere, vt habeat quotidie nouum cibum, nouosq; stimulos, quibus ad hunc sanctum amorem excitetur.*

Debet autem hæc lectio esse quieta, cum affectu, deuota, & adiunctam habens meditationem, seu considerationem eorum, quæ lecta sunt: profundè namque, & ab ipsa radice considerando rationes & causas, ob quas amare Dominum debeamus, cor amore illius penitus inflammatur. Fructus huius lectionis & considerationis erit, luculentissima in animabus nostris maximorum beneficiorum, perfectionumq; Dei; nec non prægnantium debitorum & rationum, cur Deum amare teneamur, cognitio. Ex qua id consequens erit, vt quoties velis te excitare, & cor tuum ad amorem huius Domini eleuare, maximos habiturus sis stimulos per repræsentationem omnium rationum te ad amandum Deum obligantium.

PRIMA CONSIDERATIO,
De beneficio creationis.
CAPVT XXII.

INter ea quæ solent cor ad amandũ permouere, primum, & principale est, perceptorum beneficiorum consideratio. Ratio huius est, quia (vt Philosophi dicunt) bonum per se est amabile: omnis autem homo propendet ad proprium bonum amandum: qui ergo cor suum cupit amore Dei inflammare, debet sæpe exerceri in considerationibus beneficiorũ eius, quæ vera & propria bona sunt hominis. Quæ beneficia, etsi innumerabilia sint, nos tamẽ hîc ad certum numerum redigemus, pro maiori facilitate eorum, qui in hoc pio exercitio volunt occupari. Et licet de

hac

hac materia egimus multis alijs in locis, (est enim in omnibus bonis intentionibus necessaria) tamen ea tam diues est & copiosa, vt quantum de illa dicitur, semper aliquid noui dicendum supersit. Quæ enim lingua, quæ scriptura sufficere posset, ad exprimendum immensum illud misericordiarum & beneficiorum Dei pelagus? Et in quo alio exercitij genere possumus vtiliùs tempus nostrũ terere, quàm in considerationibus illorum? Tractabimus igitur hoc loco de illis, vt corda nostra amore Dei magis inflamment. Ad intelligendum verò meliùs magnitudinem horum beneficiorum, necesse est oculos priùs attollamus ad considerationem magnitudinis Benefactoris, nostræque vilitatis, & indignitatis: tantò enim maiori in pretio habendum est acceptum beneficiũ, quantò maior est ille, qui dat, & minor qui recipit: præsertim cùm datur ex gratia.

Vnde cognoscatur magnitudo beneficiorum Dei.

Magnitudo Benefactoris

Si quid igitur cupias de magnitudine Benefactoris intelligere, nulla re alia opus est, quàm vt oculos in cælum tollas, & intuearis magnitudinem & pulchritudinem huius operis, quod ille creauit: illud sine verbis tibi enarrabit magnitudinem & potentiam auctoris, qui fecit illud. Magnæ potentiæ sit oportet Dominus ille, qui tantùm volens, & præcipiens fundauit cælos; & qui posset, si vellet, adhuc multa creare cælorum millia, maiorum & meliorum, quàm sunt isti; idque maiori cum facilitate, quàm tu potes oculos vel aperire, vel claudere.

Sapientia Benefactoris.

Non tantùm igitur conspicitur magnitudo sapientię illius in admiranda illa compositione, ordineque, & regularitate motuum vniuersi: sed etiam in singulis eius partibus, & creaturis quibus plenus est, à maiori vsque ad minorem. Nam si consideres artificium & fabricam vnius muscæ, apis, formicæ, aut alterius cuiuspiam animalculi, quantumuis exigui; instrumenta quoque & aptitudinem quam habent eorum singula, vt vitam ijs suam tueantur; videbis in ijs, quæ maximã tibi parient admirationem. Igitur si tam magna sit eius bonitas, eius maiestas, eius pulchritudo, eius misericordia, eius dulcedo, eius benignitas, eiusque clementia: ipse superat omnia quæ dici possunt, & quę ab intellectu creato possunt comprehendi.

Hic itaq; Dominus est tam admirabilis, & tamen ab illo excelso loco suos oculos in te vilissimũ vermiculum conijcit: estq; is qui cum inæstimabili charitate pluit in te sua beneficia. Si tu bene consideres, quis est ille, & quis tu es; non solùm, quia tanta beneficia, sed quia partem panis tibi dat, cùm ipse sit, qui dat, & tu qui accipis, inæstimabili dignum fateberis gratia, propter, excellentiam donatoris. Hoc spiritu & sensu S. Iob beneficia Dei ædmirabatur, cùm dicebat. *Quid est homo, Domine, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Tantùm quod Deus recordatur hominis, & rei tam indignæ, locum dat in sui pectoris sacrario, maximę est admirationis, ei, qui aliquid de magnitudine illius Domini intelliget: quid erit igitur fecisse homini tot & tanta, quot & quanta fecit? Si stupore dignum sit, Deum hominis velle meminisse; quãtò magis omni ecstasi dignius erit, eundem pro homine hominem factum, & crucis supplicium sustinuisse?

Iob. 7.

Tres circunstantiæ in beneficijs considerandæ.

Tres igitur hæ circunstantiæ in singulis beneficijs Dei sunt considerandæ: Quis dat, cui dat, & quare dat. Quis? Deus. Cui? homini. Cur? ex pura gratia, & amore. Hic igitur tam magnus & tam admirabilis Dominus, qui nulla re indiget, nisi semetipso; nec petens, nec sperans aliquid à te, pro sola sua bonitate, & magnificentia, ab æterno, ante omnia secula te, si ex numero sis electorum, amauit, tibiq; (vt Paulus affirmat) benè voluit, & in tempore quod cõstituerat, secundum suum beneplacitum te creauit, vt inæstimabilibus suis beneficijs te cumularet, tandemque te suæ gloriæ faceret participem. Vis autem scire quæ & quanta sunt hæc beneficia, præpara nunc aures animæ tuæ, & incipe audire.

2. Tim. 1.

CONSIDERA primò, quomodo hic tam magnus Dominus ex amore, de quo diximus, eruit te ex non esse, & perduxit ad esse; teque ad imaginem & similitudinem suam creauit. Aperi oculos, vt cognoscas hãc dignitatem, quæ est, non sarculum esse, aut instrumẽtum Creatoris, (vt aliæ creaturæ sunt) sed imaginationem & similitudinem illius: id est, esse substantiam intellectualem, sicut ille est; habere liberum arbitrium, & cognitionem, sicut habet ille: habendo igitur similitudinem cum illo, in modo existendi, viuendi, & operandi; sequitur imaginem te esse ad similitudinem illius infinitæ pulchritudinis factam.

Beneficium creationis.

Vt autem hæc gloria non esset transitoria, & progressu temporis periret, dedit tibi existendi perpetuitatem, vt sic perpetuò beatus esses, & capax immensæ illius æternitatis. Cæteræ namque creaturæ nihil aliud agunt, quàm vt, cùm nascuntur, se mũdo semel ostendant, & deindè paulatim disparent: tu autem à non esse ad esse venisti, vt nunquam in non esse redires, sed semper aëre vitali fruereris.

Perpetuitas hominis.

Hoc si tibi exiguum videatur, philosophare paulum tecum, & ex eo tuam cognosces dignitatem: an enim id parum esse existimes, quòd tãtæ es capacitatis & nobilitatis, vt nulla res creata tuum queat implere desiderium, nisi sola illa infinitæ Maiestatis magnitudo? Vide quęso quàm spatiosis sit tuæ capacitatis sinus, siquidem neque cælum, neq; terra possunt illum implere: sed sola immensa illa æternitas. Hæc excellentia tibi insinuabit, quid es, in quem finem es, quid quærere debes, & ad quem debes aspirare. Solus Deus potest te satiare; omnia reliqua possunt te occupare, sed non satiare. Hunc igitur solutum quære; hic solus est sponsus & centrum animæ tuæ, satietas desideriorum tuorum, & vltimus tuus finis. Hic solus tuus est, & tu illius: si ergo ille cupiat te, tu vicissim illum cupere debes. O animarum nostrarum admiranda dignitas. Rex ille, cuius magnitudinem Sol & Luna admirantur, cuius Maiestatem cæli & terra reuerentur, à cuius sapientia Chori Angelorum illuminantur, à cuius bonitate omnium Sanctorum collegium sustentatur; hic inquam talis, ô anima mea, tecum habitare, & in tuo palatio quiescere desiderat. Adorna igitur thalamum tuum filia Sion, & excipe Regem & Cratorẽ tuum, à cuius præsentia lætabitur, & exultabit omnis tua familia: non enim recedet hospes ille, & hospitam suam, non nisi tranquillam, & multis donis oneratam relinquet. Ideo dicit S. Bernardus: O felix anima, quæ quotidie mundat cor suum, ad Deum in se recipiẽdum; quæ nullius rei iam indigebit, cùm auctorem omnium bonorum possideat. O beata anima, in qua Deus requiem inuenit, & sedem, vt iam dicere possit illud Ecclesiastici; *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Nõ enim negabitur ei requies cæli, quæ Deo locũ quietis in terra prępararuit.

Eccl. 24.

Considera deinde post animã corpus, quod Deus tibi formauit integrum, tot organis & sensibus ornatum: si namque iustus sis istorum donorum æstimator, inuenies tot tibi in vno hoc beneficia præstitisse, quot membra & sensus tibi dedit. Si autem probare volueris, quantũ valeant singula, vide quid damni tibi erit, si vnum eorũ desit: & ex eo colliges magnitudinem beneficij, quod contulit, tibi de omnibus prouidendo. Si forte amitteres oculum quàm sincerè diligeres eũ, qui tibi restitueret? & si ob delictum aliquod mortem mereretis, quàm feruenter amares, qui te conseruaret? Non igitur minori di-

gnus est amore, qui priùs tibi hæc omnia dedit ; & postquam dedit, eadem tibi conseruat, etiamsi tu vt perderes sæpe commeueris, eò quòd illis contra obsequium proximi abusus es.

Si tibi hæc omnia viderentur exigua, intuere, si placeat, magnitudinem amoris, quo cum tibi hæc dedit: certum enim est, quòd non minori cum amore tibi dat parua quàm ea quæ magna sunt. Quemadmodum enim pater non dat filio vestem minori cum charitate & amore', quàm partem hæreditatis; (magnum enim & paruum eodem cum amore dat pater) sic Pater ille æternus non minori cum amore suis filijs dona dat exigua, quàm magna. non igitur minùs amari debet propter illa, quàm propter hæc; cùm vtraque pari cum amore conferat.

Vides itaque, anima mea, quàm iustis nominibus obstricta es Domino, qui te tanto voluit ex amore creare; licet ipse non ignorauerit, quàm præposteras illi actura esses gratias, & quàm grauiter eius esses offensura voluntatem. Gratiarum itaque actiones, quàm potes maximas, illi age, pro hoc beneficio, & confitere, te nec in cælo nec in terris habere Patrem illo veriorem.

SECVNDA CONSIDERATIO,

De beneficio corporalis vitæ conseruationis.

CAPVT XXIII.

COnsidera quoque secũdum beneficium, quod est gubernationis, & conseruationis. Beneficium vnum est, quòd tibi dedit esse; & beneficium aliud est, quòd, postquã esse dedit, illud etiam conseruat: etsi non est alius, qui conseruat, quàm qui dedit. Omnia enim hæc vna manus dat, & de vno oriuntur principio. Si namque Deus vel vno momento ab officio suo vacaret, confestim reuertereris in illud idem Nihil, vnde creatus es. Percurre igitur omnem vitam tuam transactam, & videbis quot beneficia vnum hoc complectitur. Quando adhuc eras in vtero matris tuæ clausus hospitio tam angusto, quis curam tui habuit, quo minùs suffocarêre, & abortiuus fieres, morereris que antequam nascereris: nisi ille, qui te hucusque custodiuit, & hoc beneficio te præuertit, vt tu postea gratias illi ageres, dicens cum Propheta ; *De ventre matris meæ Deus meus es tu. ne discesseris à me.* Psal. 21.

In tempore partus, cùm in lucem hanc effunderis, vbi tot creaturæ inueniuntur, quæ potiùs videntur ad tormenta, quàm ad vitam natæ, quis de te solicitus fuit, vt non etiam ex hoc numero esses? Postea dic mihi quantis ex periculis te liberauit, & à quot repentinis casibus te præseruauit, in quos incidunt homines quotidie, tam mari quàm terra? O si posses considerare, quot harum rerum occasiones auertit Dominus diuina sua prouidentia, amouens à te omnia mala, quæ tibi quocunque modo euenire potuissent; quorum tu non potes habere notitiam. A quot generibus infirmitatum & offensionum te conseruauit, in quæ vides alios homines quotidie ruere? Noli quæso, noli nimis præcipitanter hoc beneficium percurrere; dignum enim est, procul dubio, pro quo Deo maximæ reddantur gratiæ. Dic mihi quæso, ecquod genus infirmitatis, aut infortunij homo quispiam habere potest, quod non habere possit & alter? Si tanquam filius Adæ; omnes eiusdem patris sumus filij: si quia in peccato originali sit conceptus; omnes in eo concepti sumus: si ob peccata actualia; omnes peccatores sumus. Si quia corpus nostrum compositum est ex humoribus contrarijs, quorum contradictiones & bella in caput nostrũ redundant; omnes ex tali massa sumus. Quare igitur ille claudus, & mutilus ille? cur hic cæcus, & iste contractus? cur vnus podagricus, alter ilio- sus est, alijque alijs infinitis morbis diuexantur, ad- eò vt noctes ac dies in gemitibus & suspirijs transigant, sine vlla quiete, vt nec haustum aquæ possint bibere cum lætitia? Tibi autem Dominus tam singularem præstitit gratiam, vt dederit tibi diploma immunitatis ab omnibus malis istis, feceritque te Dominum omnium membrorũ tuorum, vt vitam viuas lætam & iucundam. Non potest alia huius rei dari ratio, quàm sola gratia & misericordia Dei. Quantum igitur debes huic Domino, vel ob hoc solum beneficium?

Nihil vni accidit hominũ, quod non etiam alteri possit contingere.

Si decem essent captiui in aliquo carcere, iamque ad mortem condemnati; tu autem vnus esses ex illis, & Rex tibi vni vitam condonaret, alios in potestate ministrorum iustitiæ relinquens; quid non deberes illi pro tanta gratia? Non est autem hac minor gratia, quòd te, qui non minùs peccatores, quàm homines alij, suppliciaque iustitiæ diuinæ non minùs quàm alij mereris; te inquam Deus ex carnificium manibus eripiat, alios autem in eorum potestate relinquat. Magnum sanè priuilegium hoc est, & peculiari gratiarum actione dignum. Si hoc noueris considerare, omnes infirmitates & miserias huius mundi (quæ superant numerum arenæ maris) propria existimabis beneficia: omnesque erunt tibi quasi stimuli amoris, vt ames illum, qui tanta tibi beneficia contulit, & à tantis te malis liberauit.

Deo ob parua quotidianã gratia debentur.

Præterea non est æquum, vt ob liuiscaris cibi, vel alimenti quotidiani, quo te quotidie nutrit Deus: non enim huius exigui beneficij cum alijs maioribus immemor fuit Patriarcha Iacob. Sed quid mirum, si tanti fecerit hoc beneficium Patriarcha, cùm non minoris fecerit illud Dominus Patriarcharum Christus ipse, qui quotiescunque manducaret, Patri pro cibo, quẽ sumpturus erat, gratias agebat, etiam si panis tantùm esset hordeaceus. Vide quomodo gratias agebat is, qui omni gratia maior erat. Quàm tibi chara, Domine, sunt alia beneficia maiora, cùm etiam paruum hoc tibi tam charum sit? Animadte quantis sumptibus alij nutrimentum corporis sibi comparant; & hinc disces, quantas debes Deo gratias, si fortè tibi Deus illud gratis largiatur. Vnus vescitur illo in sudore vultus sui; alter cum periculo animæ; alius cum perpetuis cogitationibus & afflictionibus spiritus; nonnulli cum periculo vitæ panem suum comedunt: sed & multi sunt, qui etiam omnibus his mediis vsi, vix habent quo se sustententent: & tu fortè quotidie mensam habes omnibus rebus necessarijs instructissimam, aliorum laboribus & industria comparatam. Hoc à Domino petebat Patriarcha Iacob, & ob hoc se toto vitæ suæ tempore diuino cultui deuouebat: & nos videmus ob idipsum hominem homini vt seruum famulari: idcirco multò æquius erat seruire Creatori, qui dat hoc & omnia alia. Gen. 28.

Percurre etiam omnes creaturas mundi: quòd si eas attentè consideres, certò inuenies, quòd tu omnium illarum finis eras, & cunctæ in obsequium & vsum tuum fuerunt creatæ. Vniuersæ illæ sunt tanquam pars hæreditatis, quam tibi Deus assignauit, & velut varij commeatus, ad tuam sustentationem procurati, & quasi supellex ornamentorum, & domus in qua Deus te constituit. Aspice igitur, quàm magna sit illa bonitas, quæ de tantis rebus ei prospexit, qui non meruerat, & deinde etiam, cùm tot culpis malè meritus esset, tamen in beneficiendo perseuerat, sine cessatione. Quoties, te ludente, iurante & peierante, ipse illo momento pluuiam dabit in sata tua, in vineam tuam, & pascua tua, vt tibi tribuat omnes res necessarias, quas (si tibi bene cadit) tu in eius iniuriam & contumeliam expendes?

Quoties,

Quoties, cùm tu dormias, Deus illa hora faciet, vt apes volitent per montes & valles, super hos & illos flores, ad congregandum, & conficiendum tibi fauos mellis, quibus ciberis? O bonitas infinita, ô bonitas immutabilis? quæ cùm tot peccatis & iniquitatibus nec potest obliuiſci illius quod est, nec prętermittere quin conferat in nos beneficia.

Angelorum cura nos ministrantiũ.

Sed non satis fuit Domine tuæ pietati, omnes has creaturas inferiores, quæ sunt in terra, in vsum nostrum conuertisse, nisi etiam sublimiores illas, quæ sunt in cœlis, Angelos scilicet, nobis ministros & custodes constitueres. Magna sanè dignitas est, tales habere auxiliatores, tales defensores, tales magistros, & tales intercessores. O si videre posses, quanta illi cum gloria iungunt sese orantibus, quanta cum solicitudine vigilant pro pugnantibus, & quãta cum deuotione preces nostras offerunt in conspectum Domini, maximi sanè momenti hoc beneficium esse diceres. Ecce igitur quomodo totus hic mundus pro tua millitat conseruatione, & quomodo omnes creaturæ illius sunt quasi vbera nutricis, quibus Deus pręcepit, vt te nutriant. Caue ergo ne tam infans sis, vt videaris ingratus matri, quæ te peperit, pro nutrice, quę te lactat nutrix namq; non enutriret te, nisi mater præciperet. Perdices cognoscunt vocem veræ matris suæ, quæ exclusit oua, deserentesque illam falsam matrem quæ sustulit, & æducabat illos, quærunt veram. Cur igitur & tu mundum non deseris, etiam si te nutriuerit, vt sequaris verum tuum factorem & Creatorem?

Omnia beneficia, quæ conferuntur ceteris creaturis, vni homini conferuntur.

Ex his quæ dicta sunt, apertè patet tot esse beneficia homini collata, quot sunt in mundo creaturæ: cùm omnes in obsequium eius creatæ sint. Vis autem aliam instituere considerationem non minùs vtilẽ, quàm veram inuenies vni homini tot beneficia præstita, quot omnibus in vniuersum simul creaturis, omnia namque beneficia, quæ conferuntur in ilias, verius in hominem, quàm in illas conferuntur. Hæc est verissima & suauissima consideratio omnium, quæ de creaturis possint haberi. Dic mihi, pulchritudo & virtus Solis, Lunæ, stellarum, florum, arborum, & gemmarum, quem magis iuuant? quem magis oblectant? sené an hominem? Odore, pulchritudine, & virtute rosæ quis magis oblectatur, ipsane, an homo? Ipsa profectò habet has dotes, homo verò illis fruitur: quare & homo accipit hoc beneficium, non rosa. Sed dic mihi, cùm paterfamilias precioſam vestem fieri mandat filiæ, beneficium hoc cui fit, vestiné, an filiæ? Vides igitur, aliud esse quod accipit pulchritudinem, & aliud quod gaudet beneficio: pulchritudo namque vestis est, sed beneficium filiæ: ideoque & illa ad gratiarũ actionem obligatur. Si noueris id considerare, omnes pulchritudines & perfectiones creaturarum, tua putabis esse beneficia, cùm omnia hæc facta sint in vsum & commodum tuum, non aliter, atque vestis illa in vsum filiæ: & tandem agnosces alterius beneficium potius esse tuum, quam eius, qui possidetur, & per consequens te gratiarum actionis magis illo debitorem.

Eadem quoque ratio habenda est de aptitudinibus, quas Creator dedit creaturis, ad sui conseruationem & defensionem: si enim illæ omnes sint in obsequium tuum, certum est, omnia beneficia illis facta, tibi esse collata. Si paterfamilias curam suscipiat domus & familiæ filij sui, vt sustentet illam, eique de bonis necessarijs prouideat; quis nescit beneficium hoc plùs esse filij, quàm familiæ, aut, vt apertiùs dicam, potiùs in filium conferri, quàm in familiam? Quod enim (vt Diuus Augustinus ait) non amatur propter se, id non amatur.

Ecce igitur quantò maiora, debes Domino tuo, quàm prius arbitrabaris, cùm videas omnia beneficia creaturis præstita tibi præstari? Hoc est enim quasi sustentare familiam, quæ tibi seruit; hoc bouem pascere, qui pascet te; hoc vestire, calceare, armare, & mederi seruos, qui tibi famulantur. Si itaque hæc omnia fiant propter te, omnia etiam hæc beneficia tua sunt, etiamsi per aliorum manus in te deriuentur. Quare & Propheta inrer diuina beneficia laudat Deum, quòd *producit fœnum iumentis, & herbã seruituti hominum.* Hoc modo intelliges, omnia, quę seruiunt piscibus maris, bestijs terræ, & volatilibus cœli, tibi seruire: tu es enim ille, in cuius gratiam hæc illis seruiunt, & qui de omni re commodum & obsequium percipis. Psal. 103.

Hinc oritur etiam dulcis illa consideratio, quam Apostolus insinuat, cùm dicit, quidquid creaturæ producunt, quidquid laborant, id omne in vsum nostrum redundare. Tibi bombyces nent sericum: tibi arbores frondes & fructus ferunt, tibi hortus, tibi vinea, tibi olea fructificant: tibi semper aqua fluit tibi & perdix & gallina fouet oua. Vt te oblectet, pauo caudam explicat. Propter te habilitas data fuit pullo gallinaceo nondum nato, quòd cùm necdum perfectè formatus sit in ouo, sciat à se viuere, & sepro rua volucri gerere. Denique omnes actiones naturales, omnesq; creaturarum labores, si bene consideres, tua sunt beneficia. Lana quam vellus ouis profert, tuum est beneficium: lac, caseus, & caro quam dat vacca, tuum est beneficium. Vngues & arma, quæ habet accipiter ad venandum apta, tuum est beneficium: cantus philomelæ, aliarumq; auium vere nouo canentium, tuum est beneficium. O quã latus hic tibi campus panditur, in cuius plagas omnes visum licebit extendere, perque omnes creaturas vagari: quicquid enim in illis vides, est quasi scriptum quoddam, ad te dicens: Deo est, quod tibi vult; tibi loquitur, tibi dicit, te vult excitare, tibi vult concionari, te ad se per omnia hæc media trahere. Quare igitur in tot bonitatis eius argumentis non cognoscis illum? cur inter tot beneficia illum non diligis? cur inter tot voces, quibus te vocat, illum non audis? Cur nunquam dicis in corde tuo; Quis est ille, qui me tot beneficijs onerauit? Quis est ille, qui tot modis sese insinuat? Quis est ille, qui tot vijs me in amorem sui trahere conatur? Quis est ille, qui tot argumentis & testimoniis mihi offert sui cognitionem? Quis est ille, qui tanti me fecit, vt omnia in vsum meum creauerit? Quis est ille, qui pro sola bonitate sua, sine vllo meo merito factus est quasi pastor gregis, & armenti mei? defensor meæ familiæ? medicus meorum seruorum? & procurator omnium meorum negotiorum? Quare igitur inter tanta beneficia non amatur? Quomodo, cùm in omnibus sese offerat creaturis, illum non inuenimus? Quomodo tot & tam admirabilia operantem non cognoscimus? Hoc sanè omnium mirabilium est maximè admirabile. Hic enim effectus est corruptionis peccati, vt faciat nos tam cæcos, ne in medio lumine videamus; tamque insensibiles & stupidos, vt in medijs flammis beneficiorum non ardeamus. Miraculum Dei grande fuit, quòd in media fornace Babylonica stantes tres pueri non vrebantur: miraculum quoque grande est, non Dei, sed Diaboli, quòd stantes in medio tot beneficiorum diuinorum, quot sunt creaturæ in hoc mundo, non incalescimus, & corda nostra illius amore, qui tot bonis nos onerauit non inflammantur. Dan. 3.

TERTIA CONSIDERATIO.

De ineffabili beneficio Incarnationis, & Natiuitatis nostri Saluatoris: deque aliis sanctissimæ illius vitæ articulis.

CAPVT XXIV.

ADoro te, Domine mi, Iesu Christe, Rex cœli, lumen mundi, Dominus Dominorum, Princeps pacis, virtus Dei, & sapientia Patris æterni. Adoro te, reconciliator hominum, aduocate peccatorum, refrigerium & refectio laborantium, consolatio afflictorum, præmium iustorum. Adoro te, panis vitæ, medicina animæ, redemptor mundi, gaudium cœli, sacrificium acceptum, hostia pacifica, quæ suauitate & odore tuarum virtutum commouisti oculos æterni Patris, ad respiciendum nostras miserias, ad audiendum nostros gemitus, & ad recipiendum nos in sua gratia. O pie Iesu, ecce venio ad confitendum inæstimabilem hanc pietatem, qua erga nos vsus es, etiam præter omne nostrum meritum: & ad offerendum tibi sacrificium laudis, pro omnibus beneficijs, quibus cumulasti malignam hanc sementem, vasa iræ, filios reprobatos, seruos inutiles, & mortem promeritos. Nos enim cùm tales essemus, quales eramus, declinasti oculos tuos de alto, vt videres nostras miserias, & vidisti afflictionem populi tui, & descendisti, vt liberares eum. Cumque esses verus Dei filius, qui omnia virtute tua sustentas, eaque regis tua sapientia, in cuius nomine flectetur omne genu, non dedignatus es de altissima tuæ potentiæ specula despicere, tenebrosum huius seculi carcerem intueri, te nostrarum miseriarum paricipem facere, & nostrę mortalitatis saccum induere; vt tua potentia nostram tolleres infirmitatem, & nostram mortalitatem in æternitatem mutares, peccata nostra tuo sanguine ablueres, & amissam innocentiam nostræ naturæ restitueres.

Incarnatio Christi.

Neque ad hoc munus obeundum aliquem misisti ex Angelis, ex Cherubin aut Seraphin; sed ipse de voluntate Patris venire voluisti, (cuius infinita bonitas in te, qui imago es, & verbũ eius, reuelata est) non mutando locum quem occupas, sed manifestando te oculis nostris per sanctam tuam humanitatem. Ideo descendisti ex sinu Patris in viscera matris, in quibus sola virtute Spiritus sancti fuisti conceptus, tanto cum miraculo, vt per humanitatem ne punctum quidem gloriæ paternæ perdideris, neque etiam nascendo matris virginitas fuerit violata. O admirabilis & incomprehensibilis contractus. Dominus gloriæ coniunxit altissimam suam diuinitatem cum humilitate nostræ humanitatis; factor creaturæ non dedignatus est formam serui accipere, nec tantum serui, sed & peccatoris. O amantissime Iesu, quæ fuit illa magna charitas, quam tu in hoc opere demonstrasti? Non contentus fuisti, quòd noster eras Dominus, Creator & Protector: sed etiam noster factus es socius, noster frater, nostra caro, & noster sanguis.

Natiuitas Christi.

Hoc modo humiliatus est noster Saluator, & post spatium nouem mensium de ventre virginali in hunc mundum, cum tota multitudine misericordiarum suarum exiuit. Illic reclinant Deum in præsepio, illic extendunt illum in duro & paupere lectulo: inuoluunt eum pannis, feliceque manus & brachia fascijs constringunt. O humilitas ineffabilis, ô paupertas inæstimabilis, ô amor incomprehẽsibilis. Ecce quomodo iacet in præsepio Deus ille tã magnus, qui implet cælos & terrã? quomodo pannis inuoluitur, quem cæli capere non possunt? quomodo pendet ab vberibus Matris, à quo tota creata natura dependet? quomodo paruo lacte pascitur, per quem nec ales esurit? quomodo vagit in cunis, qui tonat in cælis? ad cuius vocem humiliantur, & alas suas colligunt omnes potentiæ Angelicæ? Quare, mi Domine, tam humilis nasci voluisti? tam humilis, inquam, & tam pauper, nisi vt auspicareris primam tuę lectionis doctrinam, quæ est humilitas, principium & fundamentum omnium virtutum?

Quid igitur de hac paupertate dicam? Tu adeò pauper factus es, vt ne paruum quidem angulum proprium habueris, in quo nascereris, in quo parentes potuere diuersari: sed in stabulo, & illud quidẽ matri tuę sanctissimæ à duobus animalibus est commodatum. Quæ creatura vnquam in mundo fuit tam inops rerum, vt prolem suam pepererit in præsepio, inter paleas, & fœnum, inter halitum bestiarum, non habens aliud refrigerium? Tales delicias igitur elegit sibi factor mundi, & tales voluptates habuit facer ille partus. Palatium eius, est stabulum; cunę, præsepium; lectulus, fœnum; & regalis purpura, laceri sunt eius panniculi. Serui non essent contenti tam paupere apparatu. Mater est obstetrix, Domina, nutrix, & serua: illa est quæ seruit filio, illa est quæ lactat, quæ adorat, quæ amplectitur, & pectori suo admouet virginali.

Præterea quod cor erit, Domine mi, quod non mouebitur ad amorem & deuotionem, consideràs non solùm extremam hanc paupertatem, sed etiam amorem inæstimabilem, quem hîc demonstrasti? tam pauper factus tibi, tam diues nobis? Proprium est hominum alios diuites facere sua paupertate: necesse enim est, vt sibi adimant, quod dant alteri. Sed tu, Domine, vt nos diuites faceres, quid opus erat ipse vt inops fieres? Apprehendisti meam humanitatem, vt mihi dares tuam diuinitatem: factus es filius hominis, vt me faceres filium Dei; vt ego fierem per gratiam, quod tu eras ex natura: sed & positus es in præsepio, vt fieres pabulum bestiarum, qui eras panis Angelorum. Quid enim aliud sunt homines, quàm iumenta & bestiæ, de quibus ait Propheta; *Computruerunt iumenta in stercore suo*; hoc est, in corruptione suorum peccatorum? Pro hominibus igitur bestijs factis reclinatus es in præsepio, & factus es fœnum, (omnis enim caro fœnum est) vt te bestiæ in proprio loco inuenirent. Vidisti homines carnales factos, & nihil præter carnem amare posse; ideoque caro factus es, in qua tantam posuisti suauitatem, vt durissimi sit cordis, qui te non ex totis visceribus diligit. Ioel. 1.

Quis igitur poterit explicare labores, quos in hac carne sanctissima passus es? vias plurimas, quas cõfecisti? exempla virtutum, quæ in toto sanctissimæ vitæ tuæ cursu dedisti? Quid aliud fuit vita tua, quã lux & exemplar omnium virtutum perfectissimũ? Cùm igitur cognoscere me volo, in sanctissimam vitam tuam, tanquam in speculum nitidissimum contueor, in eaque manifestissimè video, quid deest mihi. Ibi inuenio veram obedientiam, profundam humilitatem, volũtariam paupertatem, admirabilem patientiam, constantem perseuerantiam, incredibilem longanimitatem, & super omnia incomprehensibilem charitatem, & virtutem illam, qua maximè opus est nostræ miseriæ, magnam scilicet tuam misericordiam. Quid multis? quotquot virtutes possum desiderare, hîc inuenio tanquam in politissima tabula descriptas. Tu es enim liber ille, quẽ vidit Propheta scriptum intus & foris: vita enim tua sanctissima & foris & intus plena est admirabili doctrina virtuteque, & sine dubio qui in hoc libro studebit, eumque adinstar Prophetæ manducabit, aureas in eo buccellas inueniet. *Vita Christi.* Ezech. 2. Apoc. 10.

Igitur,

Igitur, ô clementissime & dulcissime Domine, quid tribuam tibi pro tot beneficijs, quæ retribuisti mihi? Fateor, Domine, si solus ego cunctas filiorum Adæ vitas haberem, omnesque dies & annos seculi, omnes insuper omnium hominum, qui sunt, fuerunt, vel erunt, labores essent mei, nihil esset ad cõpensandum minimum horum beneficiorum. Et quia ego nihil possum, tu autem, Domine, fecisti omnia hęc, oro te, vt hanc vnam gratiam omnibus præcedentibus adiungas, te scilicet vt cognoscam, tantisque tuis beneficijs, & incredibili amori, quo motus in me tot bona contulisti, aliquo modo gratus esse merear: mentem quoque & diligentiam mihi tribuas, vt sciam, & possim tibi fideliter inseruire.

QVARTA CONSIDERATIO.

DE INÆSTIMABILI BENEficio Redemptionis.

CAPVT XXV.

ASserunt sancti Doctores, vt intelligamus aliquid de ineffabili beneficio Passionis & mortis nostri Redemptoris, debere nos diligenter animuertere, nec non & ponderare quatuor has principales circunstantios, quæ in ipsa fuerunt: nimirum quis patitur, quid patitur, pro quo patitur, & cur patitur. Quo namque dilucidiùs qualitatem singularum harum circunstantiarum intelligemus, eò magis crescit in animabus nostris huius operis admiratio, tantoque gratiores erimus pro incomparabili hoc beneficio.

Quatuor circunstantiæ in Redemptione considerandæ.

I. circunstantia qui patitur.

Incipiens igitur à prima, attolle oculos & vide, quis est Dominus ille, qui patitur. Sed quis poterit respondere ad hoc, cum ipse, qui patitur, Deus sit? Ipse solus scit, ipse dixit in verbo æterno, quod Filius suus vnigenitus est: adeò vt quanto remotior est creatura absentia Dei, tantò etiam remotior sit à definitione diuinitatis exprimenda. Quid igitur dicam, ô Domine, quod es? Dicam illud quod ipse cuidam Prophetæ dixisti, *Ego sum, qui sum.* Tu es esse infinitum, quod à nemine, nisi à seipso procedit: & extra te nihil est, quod esse habeat à seipso; sed omnia habent à te, qui es principium & fons omnis essentiæ. Omnis rei essentia tanquam è filio sic pendet à sola tua voluntate. Vniuersum hoc de nihilo fecisti tua omnipotentia; & sine aliquo adiutorio conseruas illud tua bonitate; & in nihilum redigere posses, si velles, vniuersum hoc sola tua voluntate. Tu solus es qui es, & omne id quod est, si cum essentia tua comparetur, esse non habet: stellæ in conspectu tuo non lucent, Angeli, corã te mundi non sunt: omnis pulchritudo tibi collata, maxima est deformitas; omnis potentia, debilitas; omnis scientia, ignorantia; omnis bonitas, malitia; nihil enim bonũ est, præter te. Tu solus es bonus sine defectu, potens sine contradictione, liberalis sine personarum acceptione, iustus sine motu passionis, magnificus sine detrimento, magnus sine comparatione. Tanta est tua pulchritudo, vt qui te conatur dignè laudare, gloriam tuam obscuret. Quid igitur de tua magnitudine, tuaque omnipotentia dicam? Operaris omnia, nec vnquã diuideris: operaris semper, & semper es quietus, es vbicunque vis, & in nulla re desideraris. Hanc magnam tuam potentiam, Domine, declarasti Iobo, exponens illi magnitudinem operum tuorum, his verbis: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases eius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius. Cum me laudarent simul astra matutina. & inbilarent omnes filij Dei? Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens? Per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram? Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui. Vt plueret super terram, absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoretur, Vt impleret inuiam & desolatam, & produceret herbas virentes? Quis est pluuiæ pater? vel quis genuit stillas roris? De cuius vtero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit? Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam? Quis enarrabit calorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet? Quando fundebatur puluis in terra, & gleba compingebantur?*

Exod. 3.

Iob. 38.

Quid dicam igitur de Maiestatis tuæ magnitune? Intueris terram, & facis eam tremere: tangis montes, & fumigant: imperas mari, & exaltat fluctus suos; vocas stellàs, & obediunt voci tuæ. Dominationes & potestates Angelicæ te adorant; altissimi illi Seraphin coram te alas suas colligunt, & se vermiculos esse existimant. Quid igitur dicam, Domine mi? quomodo dicere potero, quis tu es? Tibi, Domine, confitentur opera tua, & Sancti tui benedicunt tibi. Cæli annunciant magnitudinem tuam, & stellæ splendorem tuum: flores campi pulchritudinem tuam, terram tuam prouidentiam, & mare cum fluctibus tuam Maiestatem. Tu absque labore creasti omnia, sine fastidio gubernas omnia, sine lassitudine sustentas omnia, & sine vlla necessitate possides omnia.

II. circunstantia quid patitur.

Igitur, ô Rex meus, det mihi nunc licentiam tua Maiestas, vt audeam dicere; vel (vt dicam meliùs) vt sentire possim id, quod tu, qui talis & tantus es, pro me pati voluisti? Et dum hæc dicam, stent omnes Angelorum chori flexis genibus ante te, gratias agentes tibi, pro omnibus quæ fecisti nobis. Tu tam magnus & admirabilis deiecisti temetipsum de suprema illa gloriæ tuæ celsitudine, in hanc lachrymarum vallem, tanquam homo peccator effectus: in ea passus es famem, sitim, frigus, defatigationes, persecutiones, dolores, & paupertatem eam magnam, vt habentibus, foueas suas vulpibus, & nidulos suos auibus, tu diuitiæ cælorum non habueris, vbi caput reclinares. Natus es in stabulo inter ipsas Luc. 2. bestias, positus es in præsepio, quia deerant cunabula: octauo die signum peccatoris in carne accepisti: mundus confestim cœpit te persequi, ad exteras na- Matth. 2. tiones fugisti, & silentium obscuræ noctis in hac fuga quæsiuisti; non ætatis te excusauit innocentia, nec quies data est delicato illi tuo corpusculo; nec in annis tam teneris otiosa fuit tua pueritia. Crescat corpus, & crescent labores itinerum tuorum? quis tuas vigilias, orationes, pias lachrymas? quis tua ieiunia, tuam paupertatem, famẽ, persecutiones, & illatas ab omnibus aduersariis tuis iniurias poterit enarrare? *Aduersum te loquebantur qui sedebant in* Psal. 68. *porta, & in te psallebant, qui bibebant vinum.* Denique talis & tam misera fuit vita tua, vt meritò dicere potueris cum Propheta; *Pauper sum ego, & in* Psal. 87. *laboribus à iuuentute mea.*

Quid igitur erit, si afflictiones vitę cum tormentis crucis & mortis iungemus? Ibi libertas capta est, liberalitas accusata, innocentia flagellata, pulchritudo saliua & sputo deformata, iustitia condemnata, gloria derisa, vita q; crucifixa & mortua. Ecquid magis stupendum? Deus mortuus? Deus flagellatus? potentia Dei ad columnam ligata? imago Patris à flagitiosis consputa? denique Deus in cruce nudus inter duos latrones toto inspectante mundo suspẽsus? Quid admirandum magis posset excogitari? O altitudo charitatis, ô abyssus humilitatis, ô magnitudo

tudo misericordiæ, ô incomprehensibilis bonitatis pelagus. Ne progrediaris vlteriùs anima mea, quia desunt tibi vires plura cogitandi.

III circunstantia, pro quo patitur.

Quòd si non sufficiant ea quæ dicta sunt, quid fiet, si consideremus pro quibus hæc omnia passus est? Non pro Angelis, aut Archangelis, sed pro homine. Et quid est homo? Si corpus spectes, est animalium omnium miserrimum & debilissimum: si mores, ij sunt multo magis bruti, inconditi, immundi, crudeles & dissoluti, quàm sunt bestiarum. Pro creatura igitur tam vili, abiecta & immunda moritur Deus? Pro illa multitudine serpentum & viperarum, quam vidit D. Petrus in linteo de cælo descendente? Act. 10. Pro illis, qui sunt operibus filij Satanæ, patricidæ, corruptores omnis honestatis & iustitiæ, omnium legum transgressores, & omnis malitiæ inuentores? Pro ingratis, & qui beneficiorum Dei sunt immemores? mandatis eius obstreperi? Maiestati eius rebelles, & in gloriam eius blasphemi? Pro scintilla inferni, cuius cor beneficijs non capitur, minis non mouetur, promissis non trahitur, flagellis non coercetur, vt timeat Deum? Pro homine, qui non cõtentus malitia domestica, & propria, terra & mari quærit exoticas omnes proprietates & turpitudines bestiarum, obseruat, imitatur, imò superat, crudelior tigride, ferocior leone, voracior lupo, venenosior viperis, & astutior serpentibus? Sed nec contentus quod factus est seminarium omnium vitiorum, quæ sunt in terra, etiam ad inferna descẽdit, & ab ipsis Dæmonibus didicit superbiam, inuidiam, blasphemiam, & obdurationem in malo sempiternam. Neque adhuc satis illi est tantam peregrinorum vitiorum multitudinem in ędes suas introduxisse, existimans hoc parum esse, adinuenit ipse nouas iniquitatum species, & luxuriam nec inter Dæmones vnquam visitatam aut visam. Pro talibus hominibus moritur Deus, quorum multi sine proposito & voluptate, defatigati, & iam saturati sua gula, & luxuria, sequuntur vitium, non ob ipsius vitij delectationem, sed ex mera malitia, vsuq; deprauato; quamuis nec pœna careat, nec labore, de quibus loquitur Ieremias, cùm ait; *Vt iniquè agerent, laborauerunt.* Ierem. 9.

Igitur, ô Domine mi, vt sanctifices hunc saccum serpentibus & scorpionibus plenum in cruce moreris? Pro tali creatura, talis Dominus, talia patitur? Meritò concrescere nolter sanguis, & membra contremiscere, totusque attonitus stare deberet homo, quoties tantam cogitat bonitatem. Præparare anima mea, vt consideres quis est ille Deus: deinde humiliare, vt videas quis est homo, & cognoscas quantò maior est hæc misericordia communi hominum opinione. Solet homo vertiginem quandam in capite sentire, quoties de loco aliquo excelso in imum despicit: sed quid excelsus est Deo, & quid imum magis peccatore? anima igitur quæ beneficio diuini luminis cognoscit vtrumque, & in hoc incumbit, vt consideret tantam altitudinem, pro re vilissima, tam humilem factam, spiritum & sensum amittit: nihilque in ea manet residuum, quàm vt vociferetur cum Propheta; *Deficit anima mea in salutare tuum Domine*, hoc est, in modum quem sumpsisti tibi, ad nos saluandum, qui fuit mors Crucis. Psal. 118.

Tibi itaque, mi Rex, misericordia mea, supplico, vt indices mihi, quid mouerit pium cor tuum, & quid vicerit illud, vt tanta pati volueris, pro tam vili creatura. An tua fortè intererat? an maiorem inde gloriam expectabas vel beatitudinem, quàm habebas antea? quid messurum te sperabas, ex tam cara semente? O vera gratia, ô amor sine mercede, ô pura & syncera bonitas. Quid tibi opus erat, ô immense Domine, obsequio formicæ? quem fructum tibi adferre poterat salus hominum? Nõ esses verus Deus, si quid in te augeri, si quid tibi accedere posset. Hoc est quod olim cuidam amico tuo dixisti; *Quis prior dedit mihi, vt retribuam ei?* Omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt. *Priusquam*, ait Propheta, *montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à seculo & vsque in seculum tu es Deus.* Quid sibi vult, Deus es? Es infinitũ Esse, es perfecta beatitudo: es abyssus omnium bonorum, quæ tibi nec à montibus, nec à terra, nec ab alia re aliqua veniunt, sed à teipso. Et quemadmodum tu per infinita sæcula fuisti, sine aliquo huius mundi obsequio; ita etiam in æternum esse poteras, sine alicuius incommodi passione. Non creasti eum, vt tu aliquid illius participares, sed vt illi de tuo communicares. Tam immensum est tuæ beatitudinis pelagijs, vt neque huius mundi, neq; mille aliorum, quos creare potes, accessione, vel exiguum quid posset crescere. Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat: omnes cęli & cælorum virtutes magnificant gloriam tuam, & tamen maior inde non fit. O Oceanum omnium perfectionũ, ô abyssum infinitę gloriæ. Quid ad te nostræ miserię dolores nostri cur te solicitum reddiderunt? Quid tibi & columnæ? flagellis? ludibrijs? & coronæ spineæ? Cur tantæ iniuriæ? tot dolores? *Per viscera* (inquit Propheta) *misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* O pia viscera, ô viscera charitate turgida, ô viscera facta misericordiarum pelagus. Per viscera igitur hæc, & non per commodum, aut necessitatem condoluisti nostris erroribus misertus est nostræ seruitutis, vidisti afflictionem populi tui, & descendisti in medias spinas & tribulos irruens, vt liberares illum. Non quia ipsi mererentur, non quia tui essent amici, sed per sola viscera tuæ misericordiæ & compassionis. Luc. 1.

Non horruisti carnem nostram induere, non exigui corporis nostri angustijs coarctari, non fastidisti humilitatem nostræ naturæ, non miserias nostræ mortalitatis, non duritiem præsepis, non horrorem stabuli, non incommoda mundi, non mortem crucis. Descendisti de cęlo Aquila nobilis & regalis, nõ vt vngues in prædam inijceres, qua te sustentares, sed vt nos vngues in venatione in te inijceremus, vt tua carne nos viueremus & aleremur. Fons amoris increati, si tantam vim inferebat tibi hæc charitas, vt de teipso exire, & creaturam tuam aliquam tibi despõsare volueris, non erit necesse, vt descenderes in terram Philisthijm: erant enim creaturæ & nobiliores, & tibi tam per gratiam, quàm per naturam propinquiores in terra propria, quas tibi iungere poteras. Ibi erant Angelicæ sapientiæ, quas sponsare tibi licebat: cur cum peccatoribus commercium habere voluisti? cur tibi sponsam ex gente incircuncisa, quę te postea in manus inimicorum tuorum traderet, & morte afficeret, accipere voluisti? Quid respondes adhæc Domine, quid respondes? Non aliud, quàm quod respondit Patriarcha qui te præfigurabat, *Hanc volui, quia placuit oculis meis.* Hæc igitur vna & sola est mysterij tam admirandi causa; gratia nimirum, & tuę clementissimæ voluntatis beneplacitum. Iudic. 14.

Quas igitur gratias referemus tibi, Domine, pro hoc beneficio tam immenso? quo amore diligemus eum, qui tam incomprehensibilis bonitatis nobis specimen exhibuit? Quomodo fieri potest, vt sit in mundo, qui te non amet? qui tanti beneficij obliuiscatur? Prius, ô Domine, meiipsius obliuiscar, quam huius beneficij. Claui illi, quibus innocentissimæ tuæ manus cruci fuerunt affixæ, cor meum semper transfigant. Pia illa permutatio, qua tu omnia mala mea assumpsisti, & omnia bona tua mihi reddidisti, nun-

sti nunquam menti meæ excidat. Et quia tu toto, quo vixisti tempore, crucem desideraſti, in qua tandem pro me mortuus es; da, vt toto tempore, quo viuam ego, eandem crucem in corde meo circumferam, vt tibi semper placeam.

QVINTA CONSIDERATIO,

DE BAPTISMO, ET ALIIS SACRAMENTIS, PRÆCIPUÈ VERÒ DE EUCHARISTIA.

CAPVT XXVI.

GRatias ago tibi, clementissimè & benignissime Domine, & Pater mi, quia placuit tibi, me per sanctum baptismi Sacramentum in filium adoptare. Quid enim mihi proderat creatum esse, & hactenus conseruatum in esse naturæ, nisi per Sacramentum hoc regeneratus fuissem in esse gratiæ? Quot sunt creaturæ, quot prouinciæ, quot ciuitates, & regiones, quæ arcano iudicio altissimæ sapientiæ tuæ huius beneficij participes non sunt? De quibus dicere possumus; Non est eis redemptio. non enim gaudent Sacramentis, per quæ nobis meritum tuæ sacratæ passionis applicatur. Sicut enim causæ vniuersales (vt sunt cæli, & Planetæ) necessariò requirunt alias causas particulares, vt particulares producant effectus: sic & tua prouidentia ordinauit, vt vniuersalis nostræ salutis causa, quæ est sacra passio, per Sacramenta in nobis operaretur; quæ sunt quasi causæ particulares, quæ operantur virtute illius vniuersalis, à qua omnia bona nostra procedunt. Quę igitur vtilitas mea, si baptizatus non essem? nulla esset mihi redemptio, salus nulla. Cumque tot sint qui hoc beneficio non fruuntur, & tam pauci, qui illud recipiunt, voluisti ô clementissime Pater, me vnum ex paucis istis esse, cui hæc felicissima sors obtingeret: ita vt dicere mihi liceret cum Propheta; *Funes ceciderunt mihi in præclaris*: hoc est, optima mihi sors in diuidenda terra cecidit: *etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Psal. 15. 6.

Summas igitur, & immortales ago tibi gratias, Domine, pro beneficio hoc tam magno: quemadmodum enim lætor plurimum quod sum Christianus, & non Saracenus, aut Barbarus, aut Iudęus, aut Ethnicus, sic etiã te laudo ex toto corde meo, quod id quod sum, per te sum. Si sapientissimus ille Græciæ Philosophus egerit Deo gratias, quòd esset Græcus, & non Barbarus; licet tota Græcia tunc Idolis seruiret: quantò maiores ego tibi gratias agere debeo, quòd Christianus sum, & non Ethnicus? quòd colo & adoro verum Deum, & non lapides aut ligna, non homines, aut Dæmones?

Cæterùm non fuit satis tuæ pietati, hoc vnum mihi Sacramentum instituisse: sed & alia plura mihi reliquisti. Quemadmodum enim erant miseriæ meæ quàm plurimæ, necessitatesque & dolores mei multi: sic multa etiam esse voluisti tua medicamenta & remedia. Instituisti Sacramentũ, in quo denuo regenerarer; & aliud, per quod iam regeneratus cõfirmarer; tertium, per quod, cùm infirmus factus essem, sanarer; quartum, quo iam pristina valetudine recuperata, & sanus factus nutrirer & sustentarer; quintum, cuius beneficio meas delectationes sensuales refrænarem, sextum, quo vita mea in ordinem redigeretur; & septimum cuius ope salubriter in te obdormirem. In omni re abundè succurrit mihi tua prouidentia, & tanquam is, qui optimè nouit quid desit mihi, de conuenientissimis mihi remedijs prouidisti, licet ea maximo tibi constent: pro singulis enim animam tuam dedisti: pretio namque Dei incarnati reparata est vita hominis perditi.

Sacramentorum enumeratio.

Omissis nunc alijs Sacramentis, videamus quale Sacramentum est illud, cui infudisti virtutem & efficaciam peccata remittendi. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? sunt enim peccata offensæ Dei, & illatæ iniuriæ, quarum ille & pars & Iudex est, cuius est vlcisci, vel condonare. Et tu Domine, hęc peccata dimittendi potestatem dedisti alij homini peccatori, vt ego sum, qui iuxta ædes meas habitat: si enim in te peccauero, vt dignus sim cælesti patria excludi, & ex libro vitæ deleri, ad ædes vicini mei accedo, peccatum meum illi confiteor, peccasse me doleo, vitæ emendationem promitto, & confestim reuertor in gratiam tuam receptus, & libro vitę restitutus. *Sacramentũ Confessionis.*

Quot itinera sunt suscipiẽda, quot labores exantlandi, quot intercessores subornandi, vt homo homini factæ iniuriæ obtineat remissionem? Quantò igitur illa facilius à Deo impetratur? Quot genera martyrij à medicis & chirurgis sunt sustinenda, vt vnum corporis vulnus possit curari? vt verò curetur lethale vulnus animæ, nihil aliud requiritur, quam verè dolere, & pœnitere de peccatis cõmissis, emendationem vitæ proponere, ad ædes Sacerdotis venire, eique peccatum confiteri. O admirabilis clemenria, ô stupenda liberalitas, ô infinitæ misericordiæ viscera. Sed vnde hæc omnia procedunt, Domine, nisi ab illa satisfactione & pœnitentia, quam tu prius fecisti proculpis nostris? Quia tu, Domine, tam copiosè satisfecisti, à me tam parum exigunt: quia iam priùs quàm ego peccaueram, receperant satisfactionem mei delicti. Sed, ô durities & indigna filiorum Adæ ingratitudo, qui etiam hoc pretio nolunt sibi peccatorum indulgentiam comparare. Ad quod minus pretium diuina iustitia poterat deuenire, quàm vt obligaret se ad condonandum culpam, tantùm vt eam confiteare, doleas, & eius te pœniteat?

PORRO de Sacramento ALTARIS, & de beneficijs, quæ nobis in illo conferuntur, quid dicemus? Non poterunt id hominum linguæ, non Angelorum explicare facundia. Ecquid potest esse mirabilius, quam videre Dominum Maiestatis, cuius sedes cælum est, & cuius lectus regalis est terra, cui seruiunt Seraphin, cui famulantur Angeli, cuius domestici sunt omnes creaturæ; inter nos in hac valle lachrymarum habitantem, in hac vastissima eremo socium nostrum effectum, in ecclesijs quasi depositum asseruari; vt sua præsentia nostram adiuuet deuotionem, nostris assistat lachrymis, nobisque significet se in cælo non minus propinquum esse ad audiendas orationes nostras, quàm in terris est. Stat in ecclesijs, vt, quotiescunque volueris, cum eo facie ad faciem colloquaris, eique tribulationes & necessitates tuas exponas, & cor tuum coram illo effundas. Habes illum socium in tuis orationibus, videsque illum coram oculis fidei, qui non minùs pius, quàm potens est eripere te de quacunque tribulatione. *Sacramentũ Eucharistiæ.* *Eucharistia in ecclesia asseruata vsus.*

Non fuit aliud, quã vmbra huius beneficij, quod datum est Iudęis in arca fœderis, & tamen id adeò mirabãtur, vt dixerit sapiens ille Salomon; *Ergòne credibile est vt habitet Deus cũ hominibus super terram? Si cælum & cæli cælorum non te capiunt: quantò magis domus ista quã ædificaui?* O magnæ veneratio- 2. Par. 6.
nis mysteriũ, ô beneficium ineffabili dignum gratitudine. Vtinam homines scirent rectè ponderare beneficia tua, Domine, vt gratias tibi agere nossent, & tibi debitum pro illis obsequium reddere.

Sed nescio quomodo miseri nos cęcutimus, quomodo caligant sic oculi nostri, vt te habitantem in medio nostrũm non cognoscamus? Etenim si cognosceremus donum Dei, & intelligeremus, quis

ille

ille est, qui in medio nostrûm est, quanta cum reuerentia coram illo consisteremus? quanta cum fiducia in conspectu eius preces nostras funderemus? quanta cum alacritate ad loca sacra festinaremus? & quanta cum puritate animas nostras prępparare emus, templum Domini ingressuri? Verè quotiescunque vel eminus locum sacrum videremus, meritò humiliare capita nostra deberemus, eique reuerentiam exhibere: non enim minoris dignitatis est templum materiale, quàm cælum empyreum: cùm idem in vtroque thesaurus inueniatur. Hæc est causa, cur in mundo tot sancti & sanctæ fuerunt, qui noctes atque dies in templis degebant, facientes diuinum officium cum tota illa cælesti curia: idque tanta cum reuerentia, vt nec sedere auderent, nec muro incumbere, etiam si quis inter eos infirmus esset & lassus, (vt de S. Francisco legitur) ob reuerẽtiam, qua locum hunc sacratum venerabantur.

Templum Dei in quanta sit habendum veneratione.

Quis nunc dabit lacrymas capitibus nostris, vt defleamus inconsideratam nostrorum temporum negligentiam, & exiguam reuerentiam eorum qui ante altaria transeunt? O Domine, quî fit, vt mundus te nunquam cognoscat? Venisti in mundum, & mundus te non cognouit: & nunc etiam in mũdo es, & vix te mundus cognoscit. Nos Iudæos damnamus, quòd te stantem in medio eorum non cognouerunt, eò quòd te in forma hominis viderent: & nos ipsos non reprehendimus, quòd te in medio nostrum habitantem non cognoscimus, eò quòd lates sub forma panis. Oro igitur te, ô Christiane Lector. vt hîc oculos tuos aperias, & non miscеas te multitudini populi, qui tam exigua corã Deo versantur cum reuerentia. Valeat plus in te fides, quàm vsus; vincat veritas hominum consuetudinem, timorque & reuerentia Dei inciuilitatem mundi superet. Vide quanta cum reuerentia stant homines coram principibus terræ, & ex eo collige, quid debeatur illius Imperatoris Maiestati, ad cuius oculi nutum cælorum columnæ contremiscunt.

Ioan. 1.

De quodam Alexandri Magni famulo legitur, quòd habens in manu candelam ardentem, lumen Domino suo præbebat. Cumque iam candela penè consumpta esset, digiti illius vri cœperunt: ausus tamen non est candelam deponere, aut aliquod doloris indicium dare, præ timore atque reuerentia sui Regis Alexandri. Si tantum honorem vnus vermiculus exhibeat alteri, quantò maior Deo est exhibendus?

Prætereà considera quomodo eidem Domino non satis est semper in templis & sacris locis stare ad remedium & societatem hominum; sed quòd etiam quotidie descendere vult de cœlo, vt visitet nos sacrificio Missæ, cum innumerabili Angelorum multitudine: vt offeratur pro nobis in conspectu Patris, renoueturque memoria antiquorum eius meritorum: vt noua nobis conferat beneficia, & non tantum propter hoc, sed etiam vt excitet in nobis nouam deuotionem, nouumque gaudium per suam præsentiam, faciatq; nos participes thesaurorum suę passionis, gratiæque suæ. Vide igitur, ô anima mea, quàm venit hæc apis cælestis onusta, è floribus vulnerum suorum collecto melle, vt impleat alueare Ecclesiæ suæ, eique fauos inæstimabilis suauitatis conficiat. Venit plenus virtutibus, gratijs, & sacrę suę passionis meritis, vt sui faciat participes omnes illos, qui sacrificio Missæ animabus puris, & ad talẽ thesaurum percipiendum præparatis, interfunt. Venit tam pius & patiens, vt nemo illic sit tam peruersus, nec tantus eius inimicus, vt ille non sit præparatus, ad eum recipiendum, si propositum habeat sese emendandi. Venit tanta cum liberalitate & copia, vt nemo illic sit tam pauper & inops, nemo tam miser & miserabilis, vt paratus non sit ei dare, non tantùm diuitias suas, sed etiam semetipsum. Quare si homines sensum & cognitionem huius mysterij haberent, longinquis regionibus venire deberent, vt Missæ possent interesse, tantarumque diuitiarũ participes fieri. Si namq; ad sanctum Christi monumẽtum, in quo corpus eius triduo requieuit, videndum, tanta itinera suscipiant homines, & tot maria emetiantur, idque maximo suo cum periculo: si sancti illi Magi ab Oriente in Bethlehem vsque venerint, vt Dominum adorarent in præsepio, cur idem & nos in hoc mysterio non facimus? an minus in hac sacra hostia contineatur, quàm in illo sancto sepulchro, quàm in illo præsepio iacebat?

Sacrificium Missæ.

In Epistola nunc ea. lectione.

Matth. 2.

Et si tanta sit misericordia, quòd hic Dominus venit ad locum, in quo tu illum videas; quantò maior est, quod te ad recipiendum se inuitat? O immensa misericordia, ô ineffabilis, bonitatis communio. Dominus Seraphin, pelagus totius Maiestatis & magnitudinis, cuius vniuersum creatum hoc vna est domus exigua, nõ dedignatur, ô anima mea, non tantùm quotidie visitare te, sed etiam pauperculum tuum ingredi tuguriolum, cœnare tecum, & delicias suas habere tecum, teque thesaurorum suorum facere participem. Semel venit in mundum, in animam verò tuam sæpe venire vult, vt operetur in illa, quod in mundo, cùm venit, operatus est. Quemadmodum enim tunc mundo dedit vitam gratiæ, sic in animam veniens, dat illi vitam eandem, eandemque gratiam, qua cum illuminat eius tenebras, confortat eius infirmitatem, accendit eius tepiditatem, delet culpam, reparat vitam, ditat paupertatem, & honorat totum hominem diuina sua præsentia.

Quid igitur retribuemus tibi, Domine, pro hoc beneficio? In alijs beneficijs dedisti tua, in hoc dedisti te, quod donorum tuorum omnium est maximum: gloriari potes itaque, ô anima mea, cum Sponsa in Canticis dicens; *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Das enim, ô Domine, cuncta nobis simul, personam vnà cum bonis. Dare bona, erat opus liberalissimi Domini: dare autem personam & bona simul, est sponsi amantissimi. Quomodo non liquefiunt igitur nostra interiora. Quomodo non rapiuntur in ecstasin homines (quod Sanctis sæpe accidisse legimus) per inæstimabilem hanc suauitatem? O amantissime & dulcissime animę meæ sponse, ô clementissime Dne, ô benignissime Pater, ô fidelissime Pastor, ô dulcissime Frater, ô iucundissime nostræ peregrinationis comes, laudent te cæli pro hoc beneficio, & omnes creaturæ decantent semper laudes tuas & mirabilia.

Cant. 5.

Sed quid dicam ô Rex mi? quibus verbis exaggerabo hanc tuam bonitatem, quod vita tam incõprehensibli venis in animas tuorum amicorum? nõ iam nos tam miramur te venire, quo venis, quàm vnde venis? Iterum Domine, iterum redis ad iniurias, illis tuæ passionis non dissimiles. Præcipua nãque ignominia, vt ipse dixisti, fuit, quod in manus peccatorum traditus es; & nunc video quòd quotidie multorum malorum sacerdotum manibus contrectaris: illa enim est via, qua sæpe venis in animas tuorum amicorum. Hic transitus non multum differt ab illo, per quẽ semel ad nos venisti, & iterum ad Patrem reuersus es. Semper, Domine, magno tibi constat amor, & nihilominus in amore perseueras, magis illectus amoris dulcedine, quàm territus laboris amaritudine. Tu amasti electos tuos iam inde ab initio tuæ æternitatis, non ignorans quòd amor ille tibi causa mortis esset, & tamen amare non desijsti: & nunc animas nostras ingredi vis, & in ijs

habitare,

habitare, sciens quod iterum manibus peccatorum tradendus es; & tamen non abhorres ab hoc transitu, te licet indigno, vt venias ad illam quietem. Via tua est per Galilæam, & tamen non dedignaris ire per infideles Samaritanos, vt ad desideratam venias Galilæam. O speculum puritatis, in quo refulget pulchritudo Patris, in quod Angeli cupiunt respicere, vt quid non horres quotidie manibus multorũ indignorum Sacerdotum contrectari, & ab illis manducari; cùm talis tua sit puritas, vt etiam stellæ cæli mundæ non sint, si tecum conferantur? Omnia autem hæc vincit tuę bonitatis & amoris tam admirabilis magnitudo, quæ perrumpit omnes has difficultates, vt venias ad animas innocentum & electorum tuorum.

Aperi itaque, ô anima mea, aperi velociter portas cordis tui. Ecce Dominus stat foris pulsans, dulcissimus hic Dominus te vocat, cupit ad te ingredi, cudit tecum cœnare. Noli itaque cunctari, noli tergiuersari; surge, negligentiæ tuæ lectulum relinque, vt accipias salutis tuæ visitationem, quæ tam caro constat ei pretio, qui tibi illam gratis offert. Magna & intoleranda malitia est, mi Domine, nolle nos in hoc incumbere, nolle de lectulo vitiorum nostrorũ surgere, vt præparemus nos ad recipiendum thesaurum tam pretiosum, & medicinam tam efficacem. Non est misericordia maior, quàm tale beneficium gratis dare; nec miseria maior, quàm tantum bonum, tam exiguo labore nolle sibi comparare.

SEXTA CONSIDERATIO.

De beneficio Vocationis & iustificationis.

CAPVT XXVII.

MAgna sunt, ô Domine, cuncta hæc beneficia, sed quid proderunt mihi, nisi ex graui somno me excites, & ad pœnitentiam voces? Tã negligenter gratiam tuam in baptismo mihi datam custodiui, vt tanquam filius prodigus dissipauerim omnem meam substantiam, quam mihi dederas; domum quam tu pro te sanctificasti profanaui, idola mearum voluptatum in illa erigendo, & malitijs meis illam coinquinando.

Fuit aliquando tempus, ô Saluator mi, quo tam cæcus eram & perditus, quasi legem non haberem, & quasi non crederem esse Deum, idcirco non memor eram mortis, non iudicij, non alterius vitæ: & ideo lex quæ me regebat, erant appetitus mei, & quicquid illi desiderabant, id studiosè agebam desiderabant sæpe quod habere non poteram. Sic transierunt anni vitæ meæ, viuente me in tam densis tenebris, vt potuerint manibus, sicuti illæ quondam Aegyptiorum, palpari. O quàm serò te cognoui, æterna lux? ô quam tardè aperui oculos ad antiquam tuam pulchritudinem conspiciendam?

Toto hoc tempore me custodiuisti, sustinuisti, & expectasti; prohibens ne me mors ex improuiso obrueret. O altitudo iudiciorum tuorum; ô magnitudo misericordiæ tuæ. Quot interea mors nihil minùs opinantes oppresit in feruore peccatorum suorum, qui nunc in inferno cruciantur, & sine fine cruciabuntur? & ego qui eram vnus eorum, tua misericordia protectus sum, & vsque in hanc horam seruatus. Quid factum fuisset de me, si illo in tempore vocasses me ad iudicium? quam reddere potuissem in illo statu rationem? O misericordia mea, & redemptio mea, agnosco me non minus debere tibi hac tam longa custodia; (posteaquam sic non sum vnus damnatorum) quàm si inter eos quidem fuissem, & tu me exemisses: Benedicta sit patientia tua, per quam viuo: & benedicta misericordia tua, quæ me tanto tempore custodiuit.

Non tantum protegebas me cùm peccabam; sed sæpe etiam non aliter, atque si amicus tuus fuissem, me visitabas, amabilibusque, & secretis inspirationibus me vocabas, proponens mihi magnitudinem meorum peccatorum, breuitatem huius vitę, & æternitatem futuræ; rigorem tuæ iustitiæ, & clementiam tuæ misericordiæ. In medio iniquitatum mearum subitò occurrebat mihi tua præsentia; adeò vt quando quærebam huius mundi voluptates, quando de allijs Aegypti manducare volebam, tu mihi comedenti buccellas istas lachrymas excuteres. Ego nihil aliud agebam, quàm te offendebam: tu, nihil aliud, quàm me excitabas: ego à te fugiebam, quasi nihil esset me te perdidisse: & tu me quærebas, quasi magnum quid esset te me inuenisse. Sic contendentes multos dies transegimus; tu mihi benefaciendo, & ego tibi malefaciendo; tu de tuis mihi dando, & ego tibi de meis reddendo. Omnia hæc erant voces, quibus suauiter me inuitabas, & me post te trahere volebas. Cæterùm cùm omnes illæ non sufficerent, maxima quædam vox tua in auribus animæ meæ sonuit, qua me tanquam rugitu leonis excitasti, & à morte ad vitam reduxisti. Hæc est vox plena potentiæ & magnificentiæ, de qua Dauid loquitur in Psalmis: non enim minor est tua potentia, quàm misericordia, qua soles vti in hoc opere: est enim maxima misericordia, dimittere peccata; & maxima potentia, peccatores iustificare.

Quot sunt beneficia, quæ in hoc vno includuntur? Hic remittuntur peccata, & datur gratia, & charitas cum omnibus virtutibus, & donis Spiritus sancti. Hic reconciliatur peccator Deo, & ex inimico fit amicus, ex mancipio Diaboli filius Dei, & hæres regni illius. Hic recipitur filius prodigus in domum patris sui: hic redditur stola prima, annulus & calcei; cum omnibus alijs filij ornamentis. Luc. 15.

Non potest aliquis, Domine, in hac vita certus esse de sua iustificatione: nemo enim scit, vtrùm amore dignus sit an odio: potest tamen habere certitudinem aliquam moralem, maiorem aut minorem, secundùm coniecturas & signa gratię tuæ, quæ habet. Inter hæc nequaquam minimum est, hominem ex mala vita, in qua viuebat, erutum, multo iam tempore perseueraſſe sine aliqua conscientia & affectu peccati mortalis. Qui igitur vel per hanc, vel per aliam coniecturam aliqualem suæ iustificationis habet cognitionẽ, debet iustificatori suo gratias agere immortales, & dicere; Benedictus esto semper Domine, omnium bonorum, & tuipsius dator liberalissime: cùm enim essem qui eram, & viuerem sicut viuebam, tu pro tua misericordia dedisti mihi Spiritum gratiæ tuæ, & in eo dedisti mihi præceptorem, nutricium, tutorem, gubernatorem, defensorem, consolatorem, & omne bonum. Hic est signũ adoptionis, arrha futuri matrimonij, & vitę sempiternæ. Hic est auctor gratiæ, qua cum anima, quam tu in sponsam recipis, vestitur fortitudine, atque pulchritudine: vt hac placeat oculis tuis, & illa terribilis sit Dæmonibus. Benedictus sit dies ille, quo talis hospes in domum meam ingressus est, (si modò ingressus sit) & benedicta hora, qua voluntatis meæ portæ adapertæ sunt, ad eum recipiendum. Ille fuit dies meę natiuitatis, ille fuit dies exitus mei de Aegypto. Ille dies fuit mihi paschа natalis, quo Filius Dei natus est in anima mea. Ille dies fuit mihi paschа resurrectionis, in quo resuscitans sum de morte ad vitam. Ille dies fuit mihi paschа. Pentecostes, in quo accepi Spiritũ sanctũ. Maledicat Iob diei suæ conceptionis, & natiuitatis, in eo namque natus erat fœtus peccati, & filius iręe: ego verò lau- Eccles. 6. Iob 3.

dabo secundum diem hunc, & in eo lætabor, petamque vt semper in me viuat memoria illius; postquam in eo placuit Domino, me de profundo pelago peccatorum eripere. Hic est dies, in quo lætantur Angeli propter conuersionem peccatoris: & in quo exultat pia mulier ob inuentum denarium amissum: festumque diem agit bonus pastor propter ouem perditam, nunc iterum repertam; & plangũt Dœmones ob prædam suis dentibus ereptam. Hic est dies ille, in quo Pater æternus hominem in filium recepit, & Filius in fratrem, & Spiritus sanctus in templum consecrauit, Angeli in socium, & cœlestis curia in ciuem adlegit. Si igitur in hoc die canant Angeli, quomodo lingua mea poterit conticescere? cur obmutesceret os meum? vt quid labia mea laudibus non implebuntur? Omnia illa cantica, omnes illæ solennitates & gaudia, omnes illæ gratiarum actiones, quas & Prophetæ & Psalmi ab hominibus postulant, pro aduentu Filij Dei in hunc mundum, debet verus pœnitens offerre pro beneficio suæ conuersionis: tunc enim: ô Domine, venisti pro eo in mundum, quando per hanc vocationem ei mysterium tui aduentus applicasti. Luc. 15.

Cum quo alio tuorum beneficiorum, Domine, poterit hoc beneficium comparari? Magnum fuit beneficium creationis: in eo enim me à non esse, ad esse perduxisti. Sed multò maius fuit illud iustificationis: in eo namque hominem eripis ab esse culpę, & adducis ad esse gratiæ. Illud nos facit homines, hoc facit nos diuinos: in illo enim efficimur filij hominis, in hoc verò filij Dei constituimur. Nec tantùm plus est hominem iustificare, quàm cœlum & terram denuo condere: hoc enim bonum finitum est, & suis terminis circumscriptum: sed gratia iustificationis est infinita, in quantum ad bonum infinitum ordinatur. Magnum est beneficium (quod expectamus) gloriæ, sed non minus est, in suo genere, illud iustificationis: siquidem non minus est ex peccatore facere iustum, quàm ex iusto beatum: cùm maior distantia sit inter peccatum & gratiam, quã inter gratiam & gloriam. Maximum etiam est beneficium Redemptionis. Sed quid prodesset homini, redemptum esse, nisi iustificaretur? Beneficium hoc caro & clauis est omnium aliorum, sine quo cætera non modò non prosunt, sed etiam maioris præbent damnationis materiam.

Si igitur tam ingens sit hoc beneficium vocationis, & ego fortè hoc modo vocatus sim, (possum enim hoc piè diuinare, cùm per tuam misericordiam liberum me deprehendam ab iniquitatibus præteritis, etsi omnino eius rei certus non sim) supplico tibi, Domine, indica mihi, quid causæ fuit, quæ te mouit, vt tanto me bono donares? Quid vidisti in me, quid tibi ita placuit talibus oculis mei intueri? Nihil in me erat à peccato immune. Non te cognoscebam, non te amabam, non tibi seruiebam, nec tui recordabar, factus eram infernus tenebrarum, & iniquitatum. Quid igitur in me aspicere potuisti, ô amator puritatis, vt tanto me bono cumulares? Non possum, Domine, non obstupescere, quoties hæc recolo: non enim inuenio aliam causam præter tuam bonitatem. Quoties autem reminiscor aliorum in peccatis meis sodalium, cùm oẽs essemus peruersi, & ego omnium peruersissimus, eorum nonnullos deseruisti, & me assumpsisti, meque mensę tuæ accumbere fecisti, & dedisti mihi manducare de manna illo abscondito, quod nemo nouit, nisi qui probauit: quoties video, quòd cùm & illi, & ego in carcere Aegyptiaco simul essemus, tu pro beneplacito tuo in me inde extraxisti, vt ad regalem mensam tuam poculo compunctionis ministrarem; illos autem damnasti, vt carnibus eorum vultures infernales pascantur: quoties, inquàm Domine, horum ego recordor, spiritus in me amplius non est, & nescio quomodo laudabo te, quomodo tibi dignas gratiarum actiones decantabo, pro bono tam incomparabili. Nollem aliud quicquam agere quam toto vitę meæ tempore te interrogare; Domine quid vidisti in me? Domine, quid vidisti in me? Domine quid in me vidisti amplius, quàm in alijs; Vt quid me sic vocasti? sic me liberasti? sic me recepisti? sic me aspexisti? (si modò me sic aspexeris) relinquens tot in peccatis qui minùs mali erant quàm ego? Nescio quid dicam: nescio quid faciam, nisi vt reddam tibi gratias immortales pro tanto beneficio, & supplicem tibi, vt liceat mihi verè cum Propheta cantare, & dicere: *Dirupisti vincula mea Domine: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.* Psal. 115.

SEPTIMA CONSIDERATIO.

De beneficio Conseruationis in vita spirituali gratiæ.

CAPVT XXVIII.

QVemadmodum tu solus is es, Domine, qui creasti nos, & fecisti ex nihilo; & tu solus, qui conseruas nos in essentia naturæ, quam dedisti: sic & tu ille es, qui reuerteris cum tuo spiritu ad regenerandum nos in vitam gratiæ; & tu solus ille, qui conseruas gratiam, quam contulisti. Dicit enim Propheta; *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam.* Per te à peccato nos erigimus; per te conseruamur, ne in peccata recidamus. Si ego me erexi, tu mihi manum porrexisti; si nunc sto, tu me tenes ne cadam. Psal. 126.

Quot igitur beneficia vnum hoc in se comprehendit? Quot bona proposita habui, quod pias inspirationes accepi, omnia sunt ex tuo beneficio. Quoties inimicum vici, quoties malas inclinationes & appetitus meos refrænaui, tuum fuit beneficium. Cùm enim verum sit, neminem Iesum quidem posse nominare, sine speciali Spiritus sancti gratia, nec opus aliquod meritorium, quantumuis exiguum facere sine te, quemadmodum nec palmes fructum proferre potest, si à vite sit resectus: certum est, si quod opus bonum ab hoc palmite productum sit, id beneficium esse vitis, cui inhæret. Si quando ieiuno, id à te est: si aliquid patienter suffero, tu mihi fers opem: si aliquando propriam voluntatem abnegabo, tuum id est beneficium. Si nonnunquam lachrymas fudi, aut orationem tibi acceptam feci, fateor, Domine, tuo feci adiutus subsidio. Fateor te omnia opera bona in me operatum esse. Pro omnibus igitur istis gratias tibi ago, & tot beneficiorum me debitorem agnosco, quot tibi obsequia præstiti in hac vita; si quæ tamen præstiterim. 1. Cor. 12.

Quid igitur dicam de occasionibus, & opportunitatibus, à te mihi ad bene viuendum datis? quot concionatores misisti, qui me docerent? quot bonos confessarios mihi dedisti? quot bonos amicos, & socios? quot bona exempla? quot bonos libros, qui me ad bonum excitarent, & stimulum mihi adderent? Etenim talis & tanta est tua prouidentia, quòd etsi mundus tam sit perditus & corruptus, in nullo tamen eius angulo, quantumuis deserto, huiusmodi desunt auxilia seruire tibi volentibus. Quod si verò multum debeat is, qui habuit hæc, ijsque vsus est; multò plus tibi debet ille, qui profecit sine his: tu enim suppleuisti, quod deerat, & omnia hæc officia in te suscepisti, vt in te haberentur tantò auctiora, quanto tu melior es adiutor, & magister alijs sapientior.

Porrò

Porrò quis poterit enarrare pericula, & mala, à quibus me liberasti, in quæ incidere potuissem? Nõ est peccatum tam grande, quod facit vnus homo, quin & alter facere possit. Hanc ob causam omnia hominum peccata meritò possem appellare mea beneficia: in omnia namque illa impingere potuissem, nisi infinita misericordia tua me conseruasset. Quot igitur peccandi occasiones, me ad lapsum, impellere potuissent, (impellere namque Dauidem potuerunt) nisi tu Domine eas amputasses, meam cognoscens infirmitatem? Hæc beneficia, Domine mi, cùm aut priuatiua sint, aut præseruatiua, non tam manifestè possunt cognosci, licet non exiguo habenda sint in pretio: cùm non minus sit beneficiũ, hominem à malo præseruare, quàm boni aliquid illi præstare. Quoties igitur, ô bone Iesu, hac mecum vsus es misericordia? Quoties inimici mei manus ligasti, ne me posset pro sua potentia tentare, aut si tentaret, ne me superaret? Quoties illum repulisti, à me, vt ne accessus illi admitteretur? Quoties antiquum illum serpentem incantasti, vt licet inter viperas & basiliscos ambularem, mihi nocere non possent? Quoties mecum per aquam & ignem transisti, ne aut flamma me combureret, aut aqua suffocaret? Quoties in medio feruorum mundi flammam fornacis Babylonicæ aeris temperati rore mitigasti, & refrigerasti ne me consumeret? Quoties æquissima cum ratione dicere possem verbum illud propheticum: *Impulsus sum, euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me?* Et si quando præ nimia mea infirmitate casus mihi proximus esset, tu benignissimam manum tuam supponebas, ne quid detrimenti acciperet anima mea. Si pedes mei mouebantur, & ego cespitare incipiebam, tu iuuabas me, *& secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Pſal. 117.

Pſal. 93.

Præter hęc omnia, Domine mi, maximum creatur in anima mea gaudium, maximaque bonitatis tuæ admiratio, cùm considero, quoties ego meorũ peccatorum turpitudine meritus sum, vt tu manum tuam à me auferres, quemadmodum à multis alijs abstulisti, & misertus mei, non fecisti. Dubium enim non est, homines multis de causis mœreri, vt à te deserantur. Qui enim superbus est, dignus est qui gratia tua excidat, quòd vtatur ea ad suam superbiam, & vanam gloriam. Ingratus etiam, & qui tua beneficia non agnoscit, dignus est qui gratiam tuam amittat; gratiarum enim actiones non reddit tibi, quas debet. Negligens & ignauus indignus est tua gratia: equum enim est, vt tollatur pondus, & administratio talenti ab eo, qui non vult negotiari. Et qui cogitationibus suis non fugit periculum, sed amat illud, dignus est qui in illud incidat, cùm non facit quod in se est, vt liberetur à Domino. Hæ sunt causæ, Domine, cur tu sæpe multos deseris, & à te deserti in maximos incidunt errores, peccataque enormia, cuius rei quotidiana nobis non desunt exempla. Quomodo igitur credam me ab his delictis esse liberum & immunem? Sæpe namque vana gloria pulsatus, magna de tuis donis præsumpsi, & mihi gloriam tribui, quæ tibi soli debebatur. Ingratus fui tuis beneficijs, negligens & ignauus in ijs ad salutem meam vsurpandis: fui arrogans, & in amandis periculis temerarius. Quas ob causas sæpe merebar à te deseri, & repudiari; vt casus meus pœna esset mœ dementiæ: sed tua patientia tanta fuit, & tã admirabilis, vt negligentias meas dissimulaueris, & oculos tuos ad meas infirmitates occluseris. Vsq; huc me tanta cum pietate sustinuisti, & noluisti, vt tuum mihi auxilium vsquam deesset: licet ego te sæpe offenderem, tibique molestus essem. Dolores etiam & remorsus conscientiæ meæ, quibus exagitatus fuissem, si me omnino deseruisses, nunc conuerto in gratiarũ actiones, & laudum voces, dicendo cum Propheta: *Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.*

Pſal. 114.

SEQVVNTVR SEPTEM ALIAE CONSIDERATIONES DE PERFECTIONIBVS DIVINIS, DEQVE MVLTIS ALIIS RATIONIBVS ET argumentis amorem Domini nostri excitantibus.

PRIMA CONSIDERATIO,

DE PRAECIPVA DEVM AMANDI CAVSA, QVAE EST illius bonitas: in qua homo per opera naturæ, gratiæ, gloriæ, & iustitiæ ducitur in huius supremæ bonitatis cognitionem.

CAPVT XXVIII.

QVANDO tibi, ô Domine, placebit per tuam bonitatem nos in domum tuam introducere, (vbi apertè, & sine figuris pulchritudinem gloriæ tuæ contemplabimur) non habebimus opus speculo creaturarum ad cognoscendum te in illis: tunc enim videbimus te in te, infinitamque bonitatem tuam in semetipsa. Nunc autem quamdiu peregrinamur in hac valle lachrymarum, longè à tua præsentia, dulciqueconsortio tuo remoti, bonitatem tuam cognoscere non possumus, nisi per effectus & opera illius, quæ testimonium perhibent de fonte atque abysso, vnde procedunt: Hanc bonitatem, ô Domine, cognoscere maximè nobis opus est: bonitas etenim prima est & principalis amoris causa. Tu enim Domine, qui creasti omnia in pondere, numero & mensura, atque vnicuique rei suam indidisti legem atque naturam, etiam creasti in nobis voluntatem, sic affectam, vt naturali sua inclinatione diligeret, quod bonum est: adeò quòd quemadmodum color est obiectum visus, & sonus auritum, vel auditus; sic voluntatis nostræ obiectum est bonitas.

Bonitas est obiectum bonitatis.

Inter hanc animæ nostræ potentiam atque bonitatem tam arctum atque legitimum esse matri-

monium voluisti, vt illa affectuum suarum brachia ad aliud quicquam extendere non posset: & si fortè contrarium agit, atque malitiam amplectendo, adulterium contra bonitatem committit, id fit, quòd falso aliquo boni colore decipitur. Ab hac naturali propensione proficiscitur, quòd naturæ quadam vi absentes, & quos non nouimus, amamus, cùm illorum virtutes audientibus nobis commemorantur. Si itaque voluntatis obiectum sit bonitas, & quò quid melius est, eò magis amari mereatur; quanto amore, quantaque dilectione illum amplecti debebo, qui infinitè bonus est, & cuius natura est ipsa bonitas? Bonitas tua, ô Domine, tanta est, quanta tua essentia; quæ cùm infinita sit, sequitur etiam, bonitatem tuam esse infinitam.

Bonitas Dei in operibus naturæ.

Verum quidem est, nos non vidisse magnitudinem tuæ bonitatis, quomodo, & quanta est ea in semetipsa, opera nihilominus tua non tantùm quæ naturæ, sed etiam quæ gratiæ, atq; gloriæ dicuntur, aliquo modo de illa nobis fidem faciunt. Quid enim aliud sunt opera creationis, gubernationis, redemptionis, iustificationis, & glorificationis hominis, quàm meræ tuæ bonitatis testimonia, & quasi scintillulæ quædam ex illa prosilientes? Quid aliud est, quòd vniuersa condidisti, singulisque in suo genere tam liberaliter tuas largitus es perfectiones, nisi argumentū tuæ bonitatis & liberalitatis; Quid aliud est cura illa, quæ tibi de singulis est, vnicuique tribuens quod ad conseruationem, defensionem, & medelam sui est necessarium, quàm bonitatis tuæ testimonium? Cùm enim tanta sit multitudo piscium in mari, auium in aere, quadrupedum in terra, & vermium sub illa; nullum horum animalium tam paruum, neque tam vile atque contemptum est, cuius tu obliuiscaris, & cui ad conseruationem vitæ suæ necessaria non tribuas: idque tanta cum prouidentia, vt passer vnus in terram non cadat sine tua voluntate.

Id autem, in quo magis relucet tua bonitas, est modus felicitatis, vel voluptatis, quam dedisti etiam minimis, vilissimisque mundi creaturis. Video in pascuis, Domine, quomodo hœdi atque agnelli segregari à matribus & patribus suis senioribus, viuacitate & calore quodam inuenili saltant mirabili dexteritate, & lætitia currunt, diuisique in turmas creaturarum rationalium velitationes atq; pugnas imitantur. Video quanta cum dexteritate inter sese luctantur catelli & feles adhuc iuuenes, quātumque gaudium atque voluptatem ex eo percipiunt. Video quantoperè se oblectat cantando philomela, aliæque volucres, vocibus suis suauissimis aera complentes, iubiloque suo quodam modo suam, in qua viuunt, beatitudinem profitētes. Ex his omnibus, Domine, facilè cognosco, quàm immensa est nobilitas & dulcedo cordis tui, cùm tu sis ille, qui tantam voluptatem, tantamque beatitudinem etiam vilibus istis animalculis indidisti. Eadem cùm alacritate natant pisces, ludunt in mari delphines, & volitant per aerem aues, sicut videmus facere hirundines, & alias aues super fluminibus, colludentes, & admiranda quadam leuitate inter sese velitantes. Ex eo non difficulter agnosco, mi Domine, quanta est bonitas & suauitas tua, cùm creaturis tuis omnibus non tantùm dederis ea, quæ ad conseruationem pertinent, sed etiam repleas sinum earum tanta felicitate, & voluptate, quantam potest earum capere natura. Vtrumq; insinuat Propheta, cùm dicit: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorū in tempore opportuno. Aperis tu manū tuam: & imples omne animal benedictione*, hoc est felicitate & gaudio, prout cuiusq; natura capax est.

Psal. 144.

Ecquod igitur maius bonitatis peti posset argumentum, quàm videre Dominum tantę Maiestatis, qui absque vlla necessitate, sed sola sua bonitate inclinat sese, atque in tantum humiliat, vt quasi œconomus, & dispensator auicularum, piscium, & vermiculorum procuret eis vitæ necessaria? neque hoc solo contentus, etiam eò sese demittit, vt tribuat illis quæ iucunda sunt, quibus sese oblectent, excitans in illis motus quosdā voluptatis? Ita quòd quemadmodum tu, Domine, non tantùm habes Esse, sed etiam Esse beatum, sic etiam voluisti creaturas omnes, quantumuis viles & abiectas, de te singulas in suo genere participare, & vtroque frui, vt & essent, & beatæ essent.

Quis igitur ad tantum miraculum non obstupescit? quis hinc non agnoscit infinitam dulcedinem, nobilitatem, liberalitatem diuini cordis, quod sese tam dulce & benignum exhibuit creaturis tam vilibus, vt homo eas pedibus, si quando occurrant, proterat? Quis enim nostrum est, qui sua putaret interesse, musca, vel formica an habeat vitæ suæ necessaria, an verò non, tristis sit, an verò læta? Quis itaque non admirabitur illum tantæ Maiestatis Dominum, in cuius comparatione mundus vniuersus formicæ vnius vix habet quantitatem, non tantùm singularem curam habere vitæ animalculorum, sed etiam oblectationum, atque voluptatum, quibus afficiantur singula, cùm nec laudem vllam, nec gratiarum actionem ab illis expectes? O admiranda bonitas, ô inæstimabilis suauitas. O Deus meus, quāta, & quam incomprehensibilia sunt, quæ in sinu gloriæ tuæ reseruasti fidelibus amicis tuis, cùm tam singularis tibi cura sit de beatitudine vermiū? Quomodo potero ego diffidere de tua prouidentia, & misericordia erga homines, quos tuo sanguine mercatus es, cùm ea non deserat pecora campi.

Deus nūq; cessat benefacere etiam ingratis, & quos eum offendunt.

Si declaret magnitudinem bonitatis tuæ, quòd benefacis creaturis, nullam ex illis expectans vtilitatē: quantò magis eandem arguet benigna illa tua perseuerantia, qua non cessas etiam benefacere his, à quibus singulis penè mōmētis offenderis? Etenim non ignorans, Domine, tot populos & tam varias hominum esse in hoc mundo nationes, quæ nulla gloriæ tuæ tanguntur reuerentia, quęque tibi, quā debent, non exhibent obedientiam, sed potiùs blasphemant nomen sanctum tuum, quodque amplius est, contemnentes te Creatorem omnium, adorant lapides & ligna: nihilominus pascis illarum prouincias fructibus terræ, pecoribus campi, & piscibus maris; beas auri fodinis, argēti fodinis, gemmis pretiosissimis, aliisq; rebus tam ad opulentiam, quàm ad necessitatem pertinentibus, quibus te sine intermissione offendunt. Hæc est illa bonitas & magnificentia, quàm tu significasti in Euangelio dicens; Patrem tuum Solem suum oriri facere super bonos & malos, & pluere super iustos & peccatores. Quis igitur ex hoc non colliget bonitatem & magnificentiam cordis tui; cùm tam benignus sis etiam malis, & ingratis? Quis te non ex totis viribus suis amabit? quis in te spem omnem suam nō collocabit? quis sui ipsius propter te non obliuiscetur? quis non curret post te in odorem talium vnguentorum?

Matth. 5.

Quomodo Bonitas Dei relucet in operibus gratiæ.

Quod si tam dilucidè nobis declarant magnitudinem tuæ bonitatis opera naturæ; quantò magis id facient opera gratiæ? Si eum in modum commendet illam cura, quæ tibi est de animalibus brutis, quantò magis prædicabit illam cura & prouidentia, qua hominem ipsum obseruas & tueris? Cùm autem variæ sint hominum conditiones, variaque genera, in ijs maxime tua bonitas spectatur & prouidentia, qui cæteris miseriores sunt & pauperiores. Vera namque magnitudo est, tueri minimos; & vera potentia est, eos defendere, qui nihil possunt; &

Bonitas Dei in pauperes.

vera

verâ bonitas est, benefacere sine spe vllius retributionis. Quis igitur poterit, ô Domine mi, verbis vllis effari solicitudinem illam, quam ipse geris, & quam nobis etiam commendas, vt habeamus erga pauperes, afflictos, miseros, & eos, qui in necessitate sunt constituti? Quoties in lege, in Prophetis, & in Euangelio repetis hanc curam & solicitudinem? Quanta præmia proposuisti his, qui beneficiunt pauperi, & quàm horrenda minaris supplicia ijs, qui pauperis obliuiscuntur? Qua re nobis causam pauperum atque opera misericordiæ seriò magis commendare potuisses, quàm quòd in die iudicij horum potissimùm habebitur ratio? quòd dabitur aut negabitur regnum cœlorum, prout quisque misericors fuit in pauperes, aut immitis atq; austerus in eosdem? Quid magis negotium hoc exaggerare potuisset, quàm quod tu Domine mi, dixisti. *Quod vni ex minimis fratribus meis fecistis, hoc mihi fecistis?* Matth. 25. E quo pectore verba tantæ pietatis & misericordiæ promi possent, nisi ex eo, quod pelagus est omnis bonitatis & misericordiæ? Si verba & opera sint significationes, & testimonia cordis; quale quæso est cor illud, è quo fluunt hæc verba, & hæc opera proficiscuntur?

Quali igitur cura complecteris orphanos, viduas, peregrinos, & derelictos? Quoties in sacris literis commendas nobis horum protectionem, nec tantum commendas, sed & seuerè præcipis, ne quis illos offendat, vel opprimat? Deut. 14. In vno Deuteronomij capitulo sexies curam pauperum, orphanorum, peregrinorum, & viduarum nobis iniungis, vbi & prohibes, ne quis iudicium eorum peruertat, pretium laboris eorum ante Solis occasum reddatur, pignus Leu. 19. de domo eorum non accipiatur. Eodem modo iubes, vt cùm messuerint, remanentes spicas non colligant, sed pauperibus & peregrinis relinquant. Idem mandatum repetis, cùm ad vindemiam, & olearum collectionem procedis? in omnibus his tanquam pius pater solicitus de pauperibus, viduis, & peregrinis. Et tanquam hoc parum esset, teipsum, qui Rex Regum es, & Dominus Dominantium, titulo alio non minùs honorabili appellari, paterq; Psal. 67. orphanorum, & iudex viduarum dici voluisti. O summa bonitas, ô vera magnitudo, ô infinitæ pietatis viscera, quantò te titulus iste priore illo reddit nobis amabiliorem, magisque mirandum? Prior enim titulus insinuat magnitudinem tuæ maiestatis, hic verò immensitatem tuæ bonitatis: propter quã nobis charior es, quàm propter alia opera tua omnia, quantumuis illa magnifica sint atque illustria. Huius enim bonitatis proprium est, beneuelle pusillis, protegere infirmos, habere curam orphanorum, tueri externos & peregrinos, nec non & velle, vt omnibus his administretur iustitia: semper oculos habendo fixos, non vnde vtilitatem aliquam expectes (quam tu non quæris) sed vbi occasionem habeas magis vtendi tua bonitate.

Sed quid miramur te misereri pauperum, & afflictorum hominum, cùm tua pietas & misericordia sese etiam ad bestias extendat? *Deus etiam iumentorum miseretur.* Incredibili illa misericordia atque indulgentia, qua Niniuitis, post denunciatam mortis sententiam, culpam omnem condonasti, conquerenti Prophetæ de populi salute cuius euersionem anuntiarat, respondisti; *Ego non parcam Niniue ciuitati magne, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & iumenta multa?* Ion. 4. O clementissime, ô dulcissime, ô benignissime Domine, etiam hunc nouum pietatis modum nobis occultare noluisti: sed etiam ostendere, quòd ne bestia moritur, ne brutum animal sanguinem fundit, cui non condoles. Huc vsque progreditur tua misericordia, huc sese extendunt tuæ pietatis viscera. O pie, & millies pie atque misericors Domine, verè magna & admirabilis est tua bonitas: sed & *miserationes tuæ*, vt ait Propheta, *super omnia opera tua*. Psal. 144.

Magnitudinem porrò bonitatis tuæ vltra hæc omnia maximè etiam testatur tua misericordia, qua peccatores prosequeris, tanta cum mansuetudine illos sustinens, tanta cum patientia illos expectans, etiam offensus vocans illos ad veniam, & affectus iniuria ad pacem inuitans; offerens denique illis satisfactionem, & tuorum meritorum opulentissimos thesauros illis aperiens. Quàm facilè ab illis inueniris, quàm citò illos audis, quàm pius es in recipiendo, quàm liberalis in condonando? Ad stuporem vsque miror, Domine, cùm recordor misericordiæ, qua vsus es erga Manassem Regem Iuda, cui post idololatriam inauditem, post sanguinem Sanctorum copiosissimè fusum, post tantas, tamq; horrendas iniquitates, cùm veniam à te peteret, non tantum remisisti peccata omnia, sed insuper illum à durissima captiuitate liberasti, & in regni solium restituisti: non denegans salutem illi, cuius malitia tot animæ perierant, & ob cuius flagitia nobilissima illa Hierosolymorum ciuitas, cum celeberrimo sanctissimoque templo tuo euersa erat, & desolata. *Bonitas Dei in peccatores.* 2. Par. 33.

Tam ingens est hæc bonitas & misericordia, quòd (vt quidam Sanctorum tuorum dicit) neminem contemnis, neminem repellis, neminem deseris, nisi quis prior deserat te. Ideoq; non statim vindicas cùm irascaris; sed qui te ad iram prouocat, hùc benignus obseruas, tueris, beneficijs oneras, & patiens expectas, si fortè ad pœnitentiam reuertatur. Deus meus, & salus mea, ego miser, ego ille sum, qui te offendit, & in tuo conspectu malum fecit: ego iram tuam prouoco, & illa digna sum. Peccaui, & tu me cum patientia sustinuisti offendi te, & me ad pœnitentiam expectasti. Si pœnitentiam ago, tu mihi peccata mea ignoscis; si ad te reuertor, me recipis: & si reditum differo, tu me, donec redeam, præstolaris. Tu errantes in viam reuocas: tu rebelles inuitas; tu negligentes expectas, & quando reuertuntur, illos amplecteris. Doces ignorantem, consolaris afflictum, eleuas lapsum, & ne iterum labatur, sustentas. Tu teipsum das petenti te? inueniris ab eo, qui te quærit: & aperis ostium ad te clamanti.

Quòd si lenitas hæc tua in peccatores magnitudinem bonitatis tuæ nobis ostendat; quantò magis idipsum faciet amor & benignitas, quibus in iustos vteris: quos tu iam in filios adoptasti, amicos & hæredes regni tui effecisti, in quibus singulari quodam modo tuæ bonitatis imago relucet? Hoc inter alia manifestissimum est argumentum, in quo natura tuæ bonitatis conspicitur. Cùm enim proprium boni sit, amare bonos, & detestari malos, vt malos, necessariò sequitur, vt quantò quis melior est, tantò maiori amore complectatur bonos, tantoque capitaliori odio malos, vt malos, detestetur. Tu itaque, Domine, cùm sis non accidentaliter bonus, & bonitas ipsa? quid hinc inferri potest, nisi quòd bonos, & bonitatem eorum amore diligis infinito, malosque & malitiam eorum odio infinito prosequeris? Cùm igitur amor primum sit, maximumque beneficium, radix etiam, & fons omnium aliorum, eumque hic amor, quo tu complecteris illos, qui verè boni sunt, in quorum animabus tu habitas, & in quorum vita imago tuæ bonitatis resplendet, tam ingens sis, & incomprehensibilis: ecquis paucis verbis poterit enarrare magnitudinem gratiarum, & beneficiorũ, quibus tu iustos & bonos soles cumulare? Hoc ipsum procul dubio transcendit omnia, quæ dici, imò quæ credi possunt: credibile est ei qui experimento *Amor & bonitas Dei in iustos.*

didicit, neque alius quispiam verbis id poterit exprimere.

Prouidentia erga bonos.

Vt autem prætereamus alia beneficiorum & gratiarum genera, quis poterit explicare, quanta est prouidentia, curaque paterna, quam erga tuos amicos geris? quomodo exaudis eorum orationes? quomodo consolaris eos in tribulationibus? quomodo sanctificas illos & purificas in eorum vita? quomodo visitas & exhilaras eos in domo orationis? quomodo denique illos & in vita, & in morte soles honorare. Ista sex beneficiorum genera, quæ nobis ostendunt, qualis est tua cum mundis & puris animabus conuersatio, mirum in modum accendunt animos desiderio amandi & colendi Dominum, qui tam blandè, tamque benignè tractat eos, à quibus ex toto corde diligitur.

Simile.

Quemadmodum enim nihil æquè mouet hominem, vt seruiat alicui Principi, quàm audiat eum esse humanissimum, liberalissimum, & fidelissimum erga suos famulos: sic illi, qui legunt Sanctorum vitas, qui scrutantur piorum hominum conscientias, & animaduertunt omnia genera gratiarum, beneficiorum, & blanditiarum, quibus ornat, lactatque illos Dominus, erubescunt ex vna parte, videntes sese ab hoc statu tam longè remotos, & ex altera mouentur desiderio seruiendi Domino, à quo similia beneficia poterunt expectare, si toto corde illi adhæreant: ille namque nec personarum acceptor est, nec potest negare quicquam ei, qui quærit illum.

Incipiendo igitur de cura, quam gerit erga suos Dominus, qualis, & quanta ea est, apertè testantur Psalmi, Prophetæ, & historiæ sacræ: has qui legit, facilè considerabit potissimam Scripturarum partem in hac prouidentia

Eccli.34.

declaranda versari. Qualis est illa prouidentia, docet Ecclesiasticus, cùm ait; *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam & benedictionem.* Hucusque verba sunt Ecclesiastici, vel vt melius dicam Spiritus sancti. Quid igitur magnificentius dici posset? quid ampliùs desiderare, vel sperare posset humanum cor? Quis illos non opulentos, & ter beatos iudicabit, qui tam generali, & tam immensa benedictione comprehenduntur? & quis non optat de illorum esse numero, vt de tanto thesauro possit participare? Sed quæ, & quanta est illa prouidentia, quam idem Dominus promittit per Zachariam Prophetam, cùm dicit; *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei?* An habebat, quod amplius promittere posset? Satis fuisset, si dixisset; Qui tetigerit vos, tanget me; nec aliud erat optandum. Sed Dominus amplius quid inuenit, addens; *Tanget pupillam oculi mei.* Nec minùs iucunda est illa promissio in Psalmo; *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Sicut & illa; *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* & in Euangelio; *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Nescio profectò si magis particularis; & exquisita prouidentia excogitari possit hac, quam diuinæ literæ promittunt. Quis itaque non desiderabit mori pro Domino, qui talem suorum amicorum curam habet, & prouidentiam? & quis non cupiat tendere vnus esse illorum?

Zach.2.

Psal.190.

Psal. 33.

Matth. 10.

Porrò quamuis omnes historiæ sacræ scateant exemplis, in quibus hæc promissio Dei impleta apertè conspicitur, mihi tamen nullum præclariùs esse videtur illo Tobiæ, cuius salutis atque solatij tantam curam habuit Deus, vt singularem Angelum, eumque non ex infimis, in forma viatoris cœlitus miserit, vt comitaretur filium illius longo itinere, totoque illo tempore ambularet cum eo de pago in pagum, de ciuitate in ciuitatem; per omnes mansiones & hospitia comedens & bibens, (prout extrinsecùs apparebat) colloquens, conferensque cum illo familiariter, haud secùs, quàm socius socio suo quo cum peregrinatur. Cumque eius instinctu vxorem duxisset diuitem & honestam, Angelus curam camelorum soceri suscepit, & quasi veredarius assumptis iumentis perrexit in Rages, ciuitatem Mædorum, & accepta pecunia, quem Gabelus Tobiæ debebat, ad eum reuersus est, tandem coniugatum, diuitem, sanum, & incolumem filium ad domum patris reduxit, sanctique cæci oculos aperuit, & materiam illi præbuit lætitiæ ac voluptatis; quamdiu viueret. Quis igitur non videbit ex hoc immensum amorem, quo Deus seruos suos complectitur, curamque & prouidentiam; plus quàm paternam, qua suos amicos obseruat: cum tam inusitatis medijs ad eos consolandos & defendendos vtatur? & quis erit tam cæcus, ac tam infensus sibijpsi inimicus, vt non totis viribus in hoc incumbat, talem vt Dominum ex toto corde diligat, atque ita viuat, vt sub alis atque protectione talis prouidentiæ securè latitare mereatur?

Tob.5.

Tob.9.

Tob.11.

DE ORATIONIBVS iustorum.

CAPVT XXIX.

Quàm attentus sit Deus ad orationes iustorum.

QVID dicam, Domine, de tua in audiendis iustorum orationibus, promptitudine? quid in votis eorum satisfaciendo celeritate? quoties hanc nobis in sacris literis ipse polliceris, vt nostram tollas incredulitatem atque diffidentiam? Quodam loco dicis? *Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum: nunquid porriget illi scorpionem? Si vos ergò cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis Pater vester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Et alio loco; *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate & aperietur vobis.* Multò autem manifestius illud declarant verba Domini apud Euangelistam Ioannem, ex quibus liquet Deum cunctas misericordiarum suarum portas simul aperuisse amicis suis, cùm ait: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* An posset humanum cor, si data esset ei optio, vniuersalius, maiusve beneficium postulare, cùm in his verbis detur ei licentia petendi, quicquid vult, & Deus interponat fidem suam, quòd, quicquid petierit, obtinebit? Hæ sunt promissiones Euangelicæ, à quibus non differunt illæ, quæ passim apud Prophetas inueniuntur. Dicit quodam loco Psal-

Luc.11.

Matt.7.

Ioan.15.

Psal.144. mographus; *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* & alibi; *Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum.* Et alio loco dicit; *Respexit in orationem humilium: & non sprevit preces eorum.* Eodem modo canit Esaias; postquam enim ostendit, quibus virtutibus potissimum Domino seruitur, mox addit præmium, quod dabitur seruientibus illi, dicens; *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te: clamabis, & dicet, Ecce adsum.* Et quasi hoc parum esset, tu ipse, Domine, aliam maiorem atque liberaliorem addis promissionem apud eundem Prophetam, inquiens; *Eritq; antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Valde durus, valdeque cæcus sit necesse est, qui talibus verbis atque promissionibus non flectitur; vt consideret atque intelligat magnam misericordiam & bonitatem, qua vteris erga famulos tuos; quique non lubens omnia perpeti velit, vt in eorum numero esse mereatur.

Pfal. 33. Pfal. 101. Esa. 58. Esa. 65.

De veritate harum promissionum fidem nobis faciunt Sanctorum vitæ, atque inter alia quàm plurima exempla, quæ ad hoc adduci possent, quædam hîc referam, quæ modò mihi occurrunt. Sanctus Pater Dominicus cuidam religioso viro, suoque familiari amico secretò reuelauit, se nihil vnquam à Dei benignitate petiuisse, quod assecutus non fuerit. Amicus audiens illud, respondit; Ora igitur, ô Pater, & pete à Domino Magistrum Conradum, hominem apprimè eruditum, & pietate vitæ celebrem: vtilissimus enim ille tuo posset esse ordini. Placuit sancto viro hæc admonitio, & sequenti nocte rogauit Dominum, vt virum hunc suo daret ordini. Manè facto, cùm preces, quæ Primæ dicuntur, cani cœpissent, sub hymno; *Iam lucis orto sydere*, venit insignis ille Magister Conradus in chorum, & aduolutus genibus sancti Dominici petijt ab illo habitum ordinis: in quo vixit, & tota vita sua sanctissimè perseuerauit. Quis igitur ex hoc non colliget benignitatem & suauitatem Domini, erga homines, & quàm promptus atque expeditus stat ad audiendum orationes, satisfaciendumque desiderijs eorum? Quid dicam de promptitudine, qua exaudiuit orationem beatæ virginis Scholasticæ, sancti Benedicti sororis? quæ vbi cum sancto fratre piè, suauiterque sermonem conferret, iamque nox immineret, sanctum ad monasterium suum reuerti volentem, rogauit, ea nocte vt apud se maneret, cœptumque sermonem absolueret. quod cùm ab illo impetrare non posset, palma faciem texit, & ad Deum orationem fundit: & ecce præter omnem expectationem aër turbari cœpit, tantaque tempestas orta est, vt Sanctus coactus sit, ea nocte apud Virginem manere, & in materia de qua loquebantur, vsque manè perseuerare. Nescio profectò quid hic primò mirari debeam, celeritatemne, qua cum infinita bonitas illa exaudiuit famulam suam, non tantùm in re necessaria, sed etiam in ea, quæ ad solam eius consolationem spectabat; an verò fiduciam huius Virginis, quæ tam breui tempore, tamque succincta oratione ausa est sperare Dominum cælos & elementa moturum, vt hanc consolationem Virgini adferrent. Quantum quæso pignus supernæ illius bonitatis habebat anima illa sancta, & quæ amoris in illam indicia; cùm in tam breui temporis spatio absque vlla hæsitatione sperauerit se acceptiram, quòd petebat? Quid amplius sponsa posset à suo postulare sponso? aut filius à patre dilectissimo? Nec minor hac fuit illa Catharinæ Senensis fiducia: à qua cùm Confessarius illius petijsset, vt suorum peccatorum à Deo peteret remissionem, statim promisit id se facturam: addente illo, se non posse frui quiete, nisi eius veniæ ac remissionis certum obtineret signum: nempe magnam quandam & insolitam contritionem; mox sacra Virgo annuit, se eam illi impetraturam. Abijt is deinde domum, & postridie tantùm dolorem suorum peccatorum sensit, vt timeret etiam cor ipsum & pectus disruptum iri. Quid dicam de fiducia beatæ Dorotheæ? cui cùm Tyrannus dedisset optionem, adoraret idola, aut exquisitissimis tormentis moreretur, respondit Virgo; se mori velle, vt carpere posset rosas & poma in horto sui dilectissimi sponsi. Cumque prolata esset in illam mortis sententia, Officialis Tyranni, nomine Theophilus, illudens Virgini, dixit; Dorothea, quando veneris in hortum sponsi tui, mitte mihi ex rosis & fructibus illis, quos tu dicis in illo reperiri. Illa se facturam promisit. Cumque caput eius ablatum esset, venit confestim Angelus in forma pueri li speciosissimi, atque Theophilo calathum rosis & fructibus plenum obtulit, dicens; Dorothea tibi hos mittit fructus, ex horto sponsi sui decerptos: erat autem mensis Februarius. Huius rei miraculo, vt par erat, stupefactus Theodophilus, mox factus est Christianus, proque fide Christi mortem oppetijt.

S. Catharina Senensis. Vide vitæ eius cap. 49. apud Surium 29. Aprilis.

S. Dorothea.

Sutius in vita eius 6. Febr. cap. 6.

Horum operum singula vehementer sunt admiranda, ex quibus id etiam facillimè cognoscimus, quanta scilicet est promptitudo infinitæ illius bonitatis, vt faciat omne id, quod à bonis petitur. Cæterùm incredibilis illa fiducia, quam illi habent de Deo, vt mox promittant, quod alij petunt, magis etiam bonitatem illam testatur & declarat, quàm opera ipsa. Etenim magna indicia, magnaque pignora bonitatis & amoris Dei in se sentiant necesse est, cùm tanta facilitate, veritate, & securitate promittant illud, quod Deo proprium est, vel dare, vel recusare. Id enim nequaquam auderent facere, nisi maxima argumenta & testimonia, tam immensæ illius, & infinitæ bonitatis, quàm familiaritatis & amoris sibi exhibiti præcessissent. Huius rei exempla alia possemus adferre innumerabilia, cùm historiæ Sanctorum his refertæ sint; sed breuitati nostræ quæ commemorauimus sufficiunt.

Fiducia in Sanctis argumentū est diuinæ bonitatis.

Quòd si hæc bonitas & prouidentia, Domine, dignè satis nequeant explicari, quis poterit eam apto satis stylo describere, quam geris erga illos, qui pro tuo cultu & obsequio malè tractantur, persecutiones & tribulationes patiuntur? Seruitus enim quæ tibi illo tempore fit, maior est, & necessitas magis vrgens. Sed & proprium est veri atque fidelis amici, amico in rebus dubijs & incertis opitulari: quare & tu, Domine, cum fidelissimus sis, maiori gratia, fauore, atque ope talibus succurris. Docet hoc apertè Apostolus tuus, qui post magnas tribulationes quas sustinuerat, ait, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi a Deo quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat*

Bonitas Dei erga eos qui sunt in tribulatione.

2. Cor. 1.

1. *Dominicus semper à Deo exauditus.*

2. *Scholastica.* S. Greg. lib. 2. Dialog.

3. Antonius in Speculo histor. parte 2.

Psal. 93. *consolatio nostra.* Ad eundem modum ait Dauid; *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et in alio loco: *Salus iustorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos: quia speranerunt in eo.* Qui itaq; talibus exemplis (quæ sunt quasi viuæ quædam imagines, diuinæque bonitatis & prouidentiæ specula) instrui vult, ex ipsq; videre, quam vera sunt quæ dicimus, post lectas historias sacras, etiam certamina Martyrum legat, in ipsq; animaduerteret magnitudinem diuinæ huius prouidentiæ. Non enim speculum tam manifestè exprimit figuram intuentis in illud, quàm ibi lucet bonitas, suauitas, fidelitas huius Domini, non tantùm incredibili fortitudine Martyres corroborãdo; sed etiam miraculis manifestissimis euidentissimisque illos iuuando. Aliquando flammas ignis dissipabat, & extinguebat; aliquando leones, aliasq; feras indomitas mansuefaciebat; aliàs carceres illuminabat, vulnera martyrum sanabat; sæpe membra in tormentis amputata aut auulsa restituebat, corpora nuda vestiebat, potestatem illis faciendi miracula dabat; Angelos mittebat, qui sanguinem eorum abstergerent; & quod amplius est, nonnunquam ipsos carnifices his miraculis ad fidem conuertebat. Sic de Iosia, qui Apostolum Iacobum ad tribunal Herodis traxerat, ibiq; eum accusauerat, legimus, quòd cùm Apostolum fortiter martyrium subeuntem vidisset, atque ille iam ad supplicium raperetur, supplex veniam petijt: se Christianum esse professus est, & vna cum Apostolo securi percussus est: cùm paulò ante Iacobus paralyticum sanasset. Quo in exemplo mirabili quodã modo spectatur bonitas & misericordia Saluatoris: quandoquidem infudit fidem, & spiritum martyrij, ei qui infernum meritus fuerat.

Bonitas Dei in Martyres

Euse. lib. 2. hist. Eccles. cap. 8.

Quis legit martyrium B. Agnetis tredecim annorum virginis, & multò magis illud S. Catharinæ octodecim annorum, qui non obstpescat ad tanta miracula, quæ Dominus in illarum certaminibus operatus est? misit illi per columbam quod manducaret, quamdiu erat in carcere: ipse visitauit eam Dominus, & sponsus eius, fortitudinem addidit illi, vt ferre posset, quæcunq; ferenda erant: rotas & nouacula ijs inserta confregit: voce cælitus emissa promisit opem singularem ijs, qui passionis illius recordarentur, eamque in honore haberent: lac ex eius collo pro sanguine post caput abscissum fluere fecit, vt puritatem virginitatis illius ostenderet: Angelos misit, qui corpus eius auferrent, & in monte Sinai, vbi ille legem Moysi dedit, sepelirent: è cuius tumulo scaturire voluit oleum, quo diuersæ infirmitates curantur. Sed & illud magis mirandum est, quòd tantam huic Virgini dedit sapientiam & eloquentiam, vt ad fidem conuerterit Imperatricem, vxorem Tyranni, cuius iussu occidebatur; Porphyrium quoque Tribunum militum, & cum eo milites ducentos. neque hos tantùm; sed disputando cõuicit Philosophos quinquaginta, ex omnibus vicinis regionibus euocatos, quos omnes suis verbis, suaque sapientia gentium idola detestari, & Christum verum Deum profiteri fecit: quorum etiam mors tam gloriosa & admirabilis fuit, vt in ignem maximum detrusi, sic animam exhalarint, vt nec corpora eorum, nec vestimenta, imò ne capillus capitis ambustus sit. Quis non manifestissimè videt in hoc exemplo maximam curam & prouidentiam, qua Deus suos in tribulationibus tuetur & consolatur? Huius singularis prouidentiæ exempla infinita vitas Sanctorum legentibus occurrunt.

Bonitas Dei erga B. Catharinam. Consule vitam S. Catharinæ ex Metaph. apud Sur. 25. Nouemb.

DE PVRITATE VITAE Sanctorum.

CAPVT XXX.

NON minùs spectatur hæc suprema Dei bonitas in puritate vitæ Sãctorum, quæ est donum Dei singulare, & euidentissimum diuinæ in illos prouidentiæ argumentum. Multi horum viuẽtes in carne mortali, & malis affectibus obnoxia, in medio laqueorum & periculorum huius mundi, nec non & tentationum Dæmonum, toto vitæ curriculo in ea perseuerauerunt innocẽtia, vt peccatum mortale nullum committerent: quemadmodum S. Iob de semetipso testatur. Non tantùm ille, sed & alij multi Sancti, qualis fuit gloriosus ille Pater noster S. Dominicus, & S. Thomas Aquinas, cum Catharina Senensi, & alijs huiusmodi, qui ab ipsis incunabulis se Deo cõsecrãrunt: & vsque huc Deus multos habet seruos & ancillas, qui viuunt cum tanta puritate & innocentia, vt omnẽ culpam, quantumuis paruam, detestentur. Etenim (vt S. Bernardus dicit) Spiritus sanctus facit hominem solicitum ambulare cum Deo: scrutatur profunda pectorum, discretor est cogitationum & intentionum cordis: qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, limitaculum patitur residere: sed statim igne subtilissimæ circunspectionis exurit.

Multi sancti absque vllo mortali peccato vixerunt. Iob 17.

Bernardus.

Horum nihil perfectè, & vt rei veritas est, verbis potest explicari: sed multò minùs eloqui possumus magnitudinem gaudiorum & consolationum, quibuscum Spiritus sanctus visitare, exhilarare, confortare, & illuminare familiares suos amicos in domo orationis suæ consueuit. Proinde quæ verba sufficiunt ad pronunciandum quis sit impetus fluminis illius, qui lætificat ciuitatem Dei, & torrentis voluptatis, de quo bibent omnes eam inhabitantes? abundantiam quoque lætitiæ, & gaudij, quod instar thesauri in cordibus eorum cumulatur, dum quotidie gaudium gaudio, lætitia lætitiæ, & lumen lumini accidit: ex quibus ista voluptas nascitur? Hoc nimirum est quod promittit suis apud Esaiam, vbi dicit, quòd implebit splendoribus animas iustorum; è quibus deinceps oriuntur magnæ illæ consolationes, quas idem Propheta pollicetur verbis, quãfieri potest blandissimis, dicens; *Ecce ego declinabo super eum quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentiũ sugetis. Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini.* Quid dulcius, quid dici posset amabilius? Cumque tu, Domine, non sis sicut homines liberalis in verbis, in factis verò tenax & auarus; sed potiùs in his liberalis, in illis parcus; (latiùs enim multò se opera tua, quàm verba extendunt) quid non à te sperabimus, qui verbis tanta polliceris?

Esa 31.

Esa. 66.

Hæc igitur, ô Domine, vna est ratio, quę verè magnitudinem tuæ bonitatis valdè declarat; dum scilicet videmus, quomodo conuersaris cum tuis familiaribus amicis, etiam in hoc exilij loco, & valle lachrymarum, licet homines sæpe viles sint, & contempti, quos mundus aspicere non dignatur. His te frequenter tanto cum gaudio communicas, eos tanta cum dulcedine tractas, tantisque consolationibus visitas, vt infirmitas corporis nonnunquam vim suauitatis ferre nequeat. Quare huiusmodi homines sæpe coguntur dicere illud quod S. Ephrem, pelago diuinarum consolationũ totus immersus, clamabat; Recede paululùm, ô Domine, recede à me: non enim possum magnitudinem suauitatis tuę perferre. Ex quo patet, quàm dulcis & benignus est Dominus in pauperes, & humiles; cum tam blandè agat cum ijs, quos mundus aspernatur. Manifestum etiam

tam hinc fit, quàm magna cum liberalitate communicatur hominibus tua bonitas, cùm donum illud non limitetur mensura donantis, sed angustia recipientis: plus enim daret, si vas inueniret capacius, qui tam diu dat, quamdiu quis capere potest. Cumq; tot Principes & Monarchæ sint in mundo, qui ab omnibus adorantur, res digna cõsideratione est, quo modo tu, Domine, nullã eorum habens rationem, (indigni enim sunt propter superbiam suam) habitationem tuam facis in paupere, vilique tuguriolo, in quo vna tantùm moratur anima pura, & immaculata, vt delitijs istic cum illa fruaris. Si quem Monarcham mũdi videremus in aula sua regali sedentẽ, ab omnibus nobilibus & baronibus palatij apertis capitibus, omnibusq; honorum significationibus coli & adorari: ille autem videns in introitu aulæ pauperem quendam venientem ad se, petentemque iudicium & iustitiam, seu stipem aut eleemosynam, statim relictis cũctis magnatibus illis pauperculum istum benignè exciperet, manum suam illius humeris imponeret, eum sereno vultu intueretur, patienter audiret, & tandem præciperet, vt hospitium ei præberetur, daretuŕq; omne id, quodcunque petierit: quid de hoc Principe diceremus? Diceremus profectò Principem eum iustissimum, nobilissimũ, & clementissimum esse omnium Principum huius mundi: vt qui se tam metuendum præberet potentibus, pauperibus verò & humilibus humilem atq; benignum. Quantò igitur mirabilior est bonitas & magnitudo huius Domini, qui tã rarò visitat superbos, & potentes; diuertit autem ad ædes aniculæ, pauperis, innocentis, & humilis, qui à mundo proteruntur: ibi habitationem suam facit, ibi voluptatem captat, ibi delicijs fruitur. O nobilitas infinita; ô suauitas immensa; ô vera magnitudo; ô bonitas ineffabilis: ô Domine, quàm luculenter hic ostendis magnum te bonorum amatorem esse, cùm hoc modo eos tractas, atque consolaris?

Deus pauperũ maiorum quam Principum huius seculi rationem habet.

Quid dicam igitur cùm tantam habes iustorum rationem, adeoque & in vita, & in morte eos honoras? Ecquis maior esse posset honor, quàm quod dicis, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* Poteras te Domine, appellare Deum cæli, & terræ, & maris: sed titulum illustriorem existimasti, si Deus trium hominum iustorum, quà cæli & terræ Deus vocareris: iste namque titulus magnitudinẽ tuæ bonitatis magis declarat: & vnus homo iustus pretiosior est in conspectu tuo, quàm tota hæc mundi visibilis machina, cùm hanc in iustorum vsum condideris. Quadam die cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram te Domine, affuit inter eos Princeps huius mundi Satan, qui circuiuerat terram, & perambulans eam viderat multa mirabilia; de nulla tamẽ alia re quæsiuisti, quàm de vno homine simplice, & bono, nomine Iob. Hoc ipsum etiam tuam bonitatẽ, curamque paternam erga bonos demonstrat: cùm inter omnia huius mundi magnalia, nihil magnum sit in oculis tuis, tuaque solicitudine dignum, præter homines bonos & iustos.

Exod 3.

Deus manuit iustorũ Deus appellari, quam Deus cæli & terra.

Iob 1.

Bonitas Dei erga iustos ex reliquijs sanctorum colligitur.

Quæ igitur lingua poterit enarrare, quantis honoribus, quantaque gloria cumulas homines iustos, etiam in hoc mundo, cùm volueris reliquias corporum illorum, imò & vestimentorum hîc coli & in magna veneratione haberi? Diuus Gregorius scribit Imperatricem Constantinopolitanam, quæ erat tanquam mundi Domina) Romam legationem misisse, multis precibus petentem caput S. Pauli Apostoli: affectu sanè longè alio, quàm Herodias caput S. Ioannis. Respondit illi sanctus Pontifex, se nequaquam spoliare posse vrbem Romanam tam incomparabili thesauro: sed loco illius se mittere magni pretij chimelion, aliquid scilicet ferrugenis à catena, qua idem Apostolus vinctus Neroni traditus erat, abrasæ. Ecquis maior esse posset bonos, quam hominem mechanicum, laboribus manuũ suarum victitantem, ad tantam à Deo dignitatem euehi, vt huius mundi Monarchæ magni thesauri loco habuerint, aliquid ferri, quod membra illius contigerat? aut quæ maior dignitas illa, quam de eodem Apostolo scribit Lucas, quòd sudaria illius varias hominum infirmitates sanârunt? ita quòd Deus dispensabat in lege naturę, ob amorem panni, qui corpus sui Sancti tetigerat. Act. 19.

Neque tantùm reliquias suorum Apostolorum hoc modo voluit honorare Deus, sed idem quotidie facit sudariolis, semicinctijs, & rebus ijs quæ ossa & cineres attigerunt Sanctorum: qualibus miraculis abundant omnia Patrum monumenta. Qui leget igitur quinque libros de Vita S. Bernardi, à tribus viris celeberrimis, magnarum virtutum illius Sancti oculatis testibus, conscriptos, inueniet in illis ducenta & sexaginta miracula. Inter alia commemoratur, quòd Episcopus quidam Ciuitatis cuiusdam Hispanię Diuo Bernardo nunciauit, se continuo capitis dolore plurimùm affligi: Misit illi Sanctus pileum suum; cumque illud capiti suo imposuisset Episcopus, Deus rationem habens pilei, quod caput famuli sui tetigisset, eodem ipso momento restituit Episcopo perfectam sanitatem. Sed & idem Sanctus, cùm alio tempore cœnasset in ædibus alterius Episcopi, qui sanctitatem huius beati Patris non ignorabat, peracta cœna iussit Episcopus seruari patinam, è qua Sanctus comederat. Posteà cùm in grauem morbum incidisset, iussit sibi cibum in ista patina apponi, comedensque confestim sanatus est. Iudicent nunc homines ex hoc exemplo, quanti faciat Deus bonos, cùm etiam legibus naturæ præcipiat, vt obediant illis, reuereantur atque honorent non tantùm personas ipsas, aut reliquias corporum ipsorum, sed etiam vasa, è quibus non nunquam comederunt. His exemplis alia similia passim in omnibus historijs Sanctorum reperiuntur: quæ omnia quasi viuæ sunt imagines & specula, in quibus immensa Domini nostri bonitas, amor quoque quo Sanctos suos complectitur, & honos, quem illis defert, manifestissimè cõspiciuntur. Hîc est præcipuus fructus, qui ex hac sancta lectione solet elici: multò namque luculentiùs pulchritudo diuinæ bonitatis spectatur in conuersatione illius cum iustis, modoque tractandi illos, quàm in ipsa cælorum totiusque huius mundi fabrica. *Miracula reliquarum S. Bernardi.*

Quòd si cui hæc videantur exigua, quodam nouo honore illos Domine, insuper auxisti; non enim ipsi tantùm, sed & nepotes eorum, atque posteri apud te in pretio & honore sunt. Tu enim ipse dixisti; *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, faciens misericordiam in millia,* id est, mille generationes; *his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Hoc pollicitus es, Domine, & hoc fecisti Abrahamo, Loth fratri eius, Dauidi, aliisque amicis tuis plurimis, quorum filijs & nepotibus (licèt multi eorum idololatræ, & flagitiosi homines fuerint) plurima, eaque maxima beneficia præstitisti, respectu patrum eorum, qui boni & iusti fuerunt. Testatur hoc cælestis illa psaltria in cantico suo, cùm dicit; *Et misericordia a progenie in progenies timentibus eum.* *Bonitas Dei erga iustorũ posteros.* Exod. 20. Luc. 1.

Tantam igitur esse bonitatem, quæ in operibus gratię (de quibus hactenus egimus) reuelatur, historiæ, vitæq; Sanctorum abundè satis testantur. In illis enim impletum cernitur, quod de prouidentia Domini erga suos amicos hactenus à nobis commemoratum est. Possem hic multa exempla in medium adferre,

adferre, sed duo tantùm ex illis, duarum mulierum, quarum vna peccatrix, altera fuit innocens, desumpta, exemplum inquam antiquum Mariæ Magdalenæ, & recens Catharinæ Senensis, huic loco sufficiens. Quid enim mirabilius beneficijs illis, quæ præstitit Dominus sanctæ huic Peccatrici Euangelicæ, post suam resurrectionem? Quid inauditum magis, quam mulierem triginta tribus annis montem vnum incolere, ibidemq; tanto temporis spatio viuere, absque cibo, & potu? quodque maius est, quotidie septies manibus Angelorum in cælum tolli, vbi hymnos & Angelorum cantica cùm audisset, loco suo restitui? Quis non obstupesceret audiens insolitam hanc vitæ nouitatem?

Bonitas Dei erga Magdalenam.

Conuersatio Dei cum Catharina Senensi Vide Suriũ 29. Aprilis.

Dona verò gratiæ, amorisque indicia & priuilegia, quæ in virginem Catharinam Senensem Deus contulit, paucis verbis explicari non possunt. Non igitur abs re erit eius Vitam à Confessario, viro religiosissimo, & quia postea totius Ordinis nostri fuit Generalis, conscriptam legere: multa namq; eorum quæ scripsit ille, ex ipsis Virginis ore audiuit: nonnulla ipse testibus oculis vidit: quædam ab alijs fide dignissimis accepit, atque iureiurando confirmat, se nihil in ea historia dicturum, nisi quod verum est. Multa argumenta diuinæ bonitatis sunt; omnium autem maximum est, quòd Deus amore hominum factus est homo, mortemque pro illis sustinuit: sed vnus hoc, alius illo mouetur, secundum dispositionem & deuotionem vniuscuiusq;. Ego autẽ lubens fateor, vnum eorum, quæ mihi admirationem, imò stuporem penè attulerunt, & quæ maximam illius diuinæ bonitatis atque amoris, quò Deus animam puram & mundam diligit, in me cognitionem peperunt, esse nouas & inusitatas illas gratias, consolationes, & ingentes blanditias, quibus hanc sanctam Virginem quotidiè visitabat. Quodam enim tempore Dominus cor ab ea extraxit, & apud se triduo retinuit; ac tandem in locum suum restituit: Alio eandem Virginem in præsentia suæ matris, & aliorum Sanctorum sibi desponsauit, datoque annulo subarrauit. Cùm quodam die potionem biberet amarissimam, qualem infirmitas eius postulabat, apparuit ei Dominus, & propinauit illi cælestem potionem, ex sacratissimi lateris sui vulnere depromptam. Pauperem quendam nudum cùm vidisset, eique tunicam suam, qua erat induta, dedisset; Dominus ei dedit alteram, qua vestita nunquam postea sensit calorem aut frigus, nũquam æstatem aut hyemem. Alio quodam tempore Dominus petenti illi dedit, vt sentiret partem omnium tormentorum & cruciatuũ, quos ipse in corpore suo sanctissimo passionis tempore sustinuerat. Illud autem omnem admirationem superat, quòd Dominus tam familiariter cum ea versatus est, vt in cellula illius deambulans, Dauidicos cùm ea Psalmos, horasque canonicas, non aliter, quàm vnus Sacerdos cum alio, recitaret. quod sanè omnem fidem humanam excedere videretur, nisi ipsa Virgo suo Confessario dixisset. Quid dicam de magnis eius reuelationibus? de orationum suarum efficacia? de peccatoribus & obstinatis ab illa conuersis? quòd tanto tempore sine cibo & potu, solius sacratissimi corporis Christi virtute vixerit, quæ omnia Pius Papa secundus in bulla Canonizationis illius latiùs commemorat? quid de ecstasi, sensumque defectu, quem patiebatur, quoties communicabat? qui subinde duabus aut tribus horis durans, adeò vehemens erat, vt neque vegetandi corporis, neque mouendi, neque etiam sentiendi vis suis officijs fungeretur; & neque adhibitum ferrum, aut igne sentiret? cùm enim à quodam homine improbo acu in planta pedis puncta esset, non magis sensit, quàm si ex marmore, vel silice condita fuisset? Miracula porrò, quæ facta sunt triduo illo; quo corpus inhumatum manebat, quis poterit recensere? In supra dicta namq; bulla inter alia commemoratur, quandam fœminam, quæ acutissimo morbo cruciabatur, ad corpus eius præ multitudine populi peruenire nõ potuisse; detractum igitur aliquid corpori suo, alijs porrexisse, vt corpori sancto affricaretur: quo facto illud ægro corpori admotum sanitatem restituisse. Quicunque igitur oculos habebit, vt admiranda hæc opera sciat inspicere, facillimè intelliget, quàm incomprehensibilis est amor, quo Deus animam puram & immaculatam diligit; cùm tam suauiter illam tractet, tam magnificè honoret, tam blandè amplectatur, & tam pie consoletur: adde quòd tam benignè purificat & sanctificat, supra cælos ipsos attollit, preces eius tam clementer exaudit, tam denique familiariter cum illa versatur, arcana sua illi cõmunicat, & in omnibus eius voluntati morem gerit. Qui ergo hoc considerabit, ex vna parte mirabitur, videns quomodo Maiestas illa suprema sese demittit ad rem adeò vilem, & abiectam, sicut homo est: ab altera verò parte mirari desinet, considerans non posse minus sperari ab illa infinita, immensa, & incomprehensibili bonitate, quàm talis, tantusque vt sit amor eius erga bonos, talisque familiaritas & conuersatio, quam cum ipsis habet.

Hæc ratio si bene perpendatur, declarat magnitudinem amoris, quo puras, mundasque animas illa summa bonitas complectitur. Sed quidquid lingua profert, aut calamus scribit, longè minus est, quàm vt illum pro sua quantitate possit declarare. In rebus enim huius seculi cùm videmus quempiam omnia quæ fieri possunt pro altero facere, dicimus hominem illum amentem esse, aut non sano cerebro, aut quid simile: quo magnitudinem illius passionis significamus. Cæterùm cùm hæc locum non habeant in infinita illa bonitate & puritate, non habemus vocabulum, quo significare possumus magnitudinem illius amoris, gratiarum, blanditiarumq;, quibus suos Dominus amicos tractare consueuit: ideoque bene dicimus, non posse minus credi de infinita illa bonitate, nisi quòd bonos diligat amore infinito, & tales esse consolationes, quibus eos perfundit.

Bona gloriã diuinam cognoscentes imitari.

QVOD si hæc quę ad bona gratię pertinent, eum in modum ostendant, amplificentque magnitudinem tuæ bonitatis, Domine; quid facient bona gloriæ? si sic tractes amicos tuos in hac valle lachrymarum, quomodo eos in paradiso tuarũ voluptatum tractabis? si sic exhilares illos in via, quid facies in patria? si sic consoleris illos in loco seruitutis, quid facies in illo libertatis? si tales consolationes percipiant, quando faciunt pœnitẽtiam, quid fiet cũ fructum illius metent? si tam suauiter dormiant & requiescant in sinu tuo, dum adhuc armati incedunt, vt pugnent; quid facient, cùm armis abiectis, partaq; victoria triumphabunt? Qualis igitur erit illa bonitas, ô Domine, quam ostẽdes eis illic vbi certus eris, quòd non superbient, quòd magnitudine reuelationum non extollentur? Ibi eis diuinum tuum aspectum dabis contemplandum? ibi vnumquemq; suo peculiari vocabis nomine; ibi facies eos mensæ tuæ accumbere, atque tuis epulis satiari; ibi fient vnum quid tecum; ibi partem hæreditatis tuæ, omniumque bonorum tuorum, hoc est, gloriæ, pulchritudinis, diuinitatis, æternitatis, & beatitudinis tuæ illis conferes, & sic eris omnia in omnibus. Ibi denique, vbi viderint se semper fore securos, & in gratia confirmatos, soluent linguas suas in laudem tuam, & clamabunt cum Propheta; *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit* Psal. 147.

seras

ferâ potestatum tuarum: benedixit filijs tuis in te. Ibi magnitudo bonitatis tuę apertè cognoscitur, ibi sine intermissione canunt cęlestes illi cantores, dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.*

Odium Dei in malos argumentum ipsius bonitatis.

Valde Domine, bonitatem tuam declarat nobis magnitudo huius gloriæ, qua remuneras bonos; amoris etiam & blandimentorum multitudo, quæ exhibes illis in hac vita: sed non minùs hanc ipsam manifestat odium, quo es in malos, & magnitudo pœnæ, quam ipsis in alia vita præparasti. Ex eodem enim principio, è quo nascitur inæstimabilis amor erga bonos, etiã nascitur odium in peruersos: quod odium etiam ad immensam, infinitamque bonitatem tuam pertinet; cuius est infinitè amare bonitatem, & odisse, atque seuerissimè castigare malitiam. Horribiles itaque comminationes, & metuenda illa supplicia, quæ denuncias malis per Prophetas, licet cor nostrum moueant ad timorem, tamen non minùs etiam illud ad amorem mouent: non tantùm enim testimonium reddunt tuæ iustitiæ, sed & tuæ bonitatis: magnitudo enim iræ indignationis tuæ aduersus malitiam, manifestiùs nos facit intelligere, quàm magna est tua bonitas, & quantoperè debet illa diligi.

Sed quid dicam, quòd non tantùm odium hoc in malos id testatur, sed etiam pœna inferni, quam tu illis præparasti? iudicio namque humano terribilius nihil esse videtur, quàm pœna æterna culpam puniri temporalem: neque tamen tali pœna dignè adhuc satis, & pro merito plectitur. Cùm enim tu, ô Domine, abyssus sis misericordiarum, quemadmodum copiosus es in remunerando, sic etiam pius es in castigando: semper enim maior est tua merces nostris laboribus, & minor tua pœna nostris peccatis. Hinc igitur est, quòd ex vna parte pœna tam immanis, & ex altera tam diuturna, qualis est illa Inferni, dicatur esse non tantùm iusta, sed etiam breuis, leuisque pro peccato temporali: quia tam ingens & incomprehensibilis est tua bonitas, vt peccatum in te pro merito puniri nequeat, nisi tormento sempiterno. Quanta igitur erit illa bonitas, quam si quis offendat, dignè castigari non potest, etiam si pœna crucietur æterna? O summa bonitas, ô ineffabilis bonitas, quæ sola iustificas hanc legem, & tua magnitudo extenuat hanc pœnam: ea enim tam magna est, vt supplicium inueniri sufficiens nequeat, quo plectatur is, qui eam offendit.

Vltra ea quæ iam dicta sunt, non videntur posse maiora argumenta & testimonia huius suprem bonitatis dari: certum tamen est, quidquid hactenus dictum est, nihil habere ponderis, si cõparetur cum illo, quod hæc bonitas in mysterio incarnationis filij Dei detegit. Totum nanque hoc, Domine, fuit communicatio quędam bonorum omnium, quę extra te nobis communicari poterant; quæ erant bona naturæ, gratiæ. Fateor, Domine, propter hæc tria bonorum genera non esse aliquid extra te, quod nobis non fuerit communicatum. Essentia verò tua est in te, quæ & propriè tua est, nec potest alteri communicari, nisi is fiat Deus, cui cõmunicatur. Quemadmodum enim est homo, qui essentiam habet humanam; sic & Deus sit necesse est, qui essentiam habet diuinam. Hanc incomprehensibilem gratiam ab æterno statueras homini conferre; nec homini tantùm, sed in homine mundo vniuerso: cùm homo paruus mundus sit. Quid igitur hîc dicere potest homo, ô Deus meus? quomodo non obmutescet, videns stupendum hoc bonitatis tuæ specimen? Quid aliud facere poteras? quid nobis amplius dare? quid potest magis declarare naturam summi boni, quàm summa hæc communicatio? O summum bonum, & dignũ quod amore diligaris infinito: bonitas enim infinita, diligi meretur amore infinito: & quidquid deficit, quò minùs eò perueniat id à iusta sua & perfecta deest mensura: adeò, Domine, vt si haberem corda infinita, cum omnibus illis amare te deberem: & si linguas haberem infinitas, cum omnibus te laudare; si vitas infinitas, omnes in tuum obsequium & cultum expendere; si denique mundos infinitos possem relinquere, id pro amore tui facere deberem. Quia verò id nõ possum, da mihi gratiam, Domine, vt amem te cum ijs omnibus, quibus possum, & amoris huius violentia omnem externum amorem excludam.

Bonitas est obiectum bonitatis.

Omnia hæc, ô anima mea, sunt opera infinitæ illius bonitatis, & quasi scintillæ, quæ ex diuino pectore exilierunt. Quòd si tales itaque sint scintillæ, qualis erit ignis ipse, è quo prosilierunt? si tanti sunt effectus huius summi boni, quantum erit bonum ipsum? Hoc est summum illud & incommutabile bonum, quod nullo loco circunscribitur, nulla nouitate mutatur, non deficit cum tempore, non eget alicuius auxilio; per se namque sufficiens est, per se solum potest, per se solum delectat. Hoc est summũ illud bonum, quod sensibus non percipitur; est enim spirituale, & æternum: sed intellectu cognoscitur, voluntate gustatur, corde sentitur, deuotione quæritur, spe inuenitur, charitate excipitur, & gloria semper possidetur.

SECVNDA CONSIDERATIO,

De secunda causa amoris Dei, magnitudine scilicet pulchritudinis eius.

CAPVT XXXI.

Pulchritudo obiectum voluntatis humanæ.

NON tantùm bonitas, sed etiã vera pulchritudo vehementer mouet corda ad amorẽ. Quare Sapientes nõnulli dicebant, obiectum nostræ voluntatis esse pulchritudinem, eò quòd viderent illam tanta fortitudine atque violentia voluntatem nostram ad se rapere. Si itaque pulchritudo tam amabilis sit, quàm amabilis eris tu, ô Domine, qui pelagus es & fons infinitæ pulchritudinis, è quo omnis pulchritudo dimanat? Pulchritudines creaturarum, ô Domine, particulares sunt, & finitæ: tua verò vniuersalis est, & infinita: in te namque solo clausæ sunt pulchritudines omnium rerum creatarum. Quemadmodum enim Sol clarior, splendidior, & pulchrior est omnibus cæli syderibus simul iunctis, & plus etiam illuminat solùs, quàm omnia illa: sic tu infinitis modis pulchrior es omnibus creaturis, magis potes exhilarare, atq; ad te rapere corda, quàm omnes pariter creaturæ. Pulchritudinem tuam admirantur Sol & Luna, ex tua pulchritudine omnes formæ deriuantur: hac pulchritudine intuenda non satiantur Angeli: in ea enim dilucidiùs vident omnes perfectiones & pulchritudines creaturarum, quàm in ipsis creaturis.

Pulchritudo Angelorum. Apoc. 19.

Sed quid est omnis pulchritudo visibilis, in comparatione illius inuisibilis? Quid est omnis pulchritudo corporum, si cum illa spirituum Angelicorum conferatur, aliud, quàm stella vna cum Sole collata? Vnus Angelus, quem B. Ioannes vidit in magna illa sua reuelatione, tanta fulsit claritate & pulchritudine, vt ceciderit Apostolus in terram, volens eum adorare, nisi fuisset prohibitus. Si igitur tanta pulchritudo creaturæ vnius inuisibilis, vt excedat omnem pulchritudinem visibilem; qualis erit illa, quæ continet etiam in se pulchritudinem omnium creaturarum inuisibilium? Hoc aliquo modo poterit intelligi, si consideremus multitudinem Angelorum, gradus quoq; & ordines perfectionum eorum. Tot sunt numero, vt superent omnem multitudinẽ specierum

cierum creatarum : adeò vt infiniti licet non sint, numerari tamen non possunt, nisi ab illo solo, qui Psal. 146. numerat omnes cæli stellas, & singulas suis nominibus vocat. Porrò etsi tot sint, tamè inter se adeò sunt ordinati, vt secundus ordo habeat omnes perfectiones primi, tertius secundi, & sic deinceps: ita tamen, vt præter illas inferiorum perfectiones, superiores etiam habeant suas peculiares, atque hinc inter illos est differentia. quemadmodum videmus in gradibus & dignitatibus Ecclesiæ, vbi dignitas superioris continet in se omnes dignitates inferioris, & vnã peculiarem amplius: in qua re consistit differentia ordinum Ecclesiæ. Et hoc quidem modo procedit. Hierarchia Ecclesiastica, incipiendo ab infimis ordinibus, quos minores vocant, & procedendo per omnes gradus Ecclesiastícos, vsque ad vltimum, qui est summi Pontificis. Hic idem ordo igitur, qui est in Hierarchia Ecclesiæ militantis, est & in Ecclesia triumphante: ita vt primus chorus sit eorum, qui propriè Angeli dicuntur: secũdus est Archangelorum, qui maiori numero sunt, quã Angeli: quò enim chorus est excellẽtior, eò numerus etiam est maior. Atque hoc modo procedere debemus, per omnes choros, donec perueniamus ad vltimum, siue nonum, qui est Seraphin, quique Deo proximus est, & à primo illo Angelorum remotissimus: qui in se solo habet perfectiones & virtutes omnes omnium Angelorum aliorum: quemadmodum videmus hominem in se continere virtutes & perfectiones essentiales omnium aliorum animalium, quæ illo sunt inferiora.

In Deo sunt omnes pulchritudines.

NVNC igitur, ô Domine, lubet instituere rationem, & ascendere scalam omnium creaturarum, vt videam, quomodo ex illis reluceat inæstimabilis illa pulchritudo, quæ est in te. Initio enim certum est, quòd in te est pulchritudo omnium rerum visibilium; deinde etiam inuisibilium; quæ sine comparatione plures numero sunt, & excellentia maiores: sed & præter has alias adhuc infinitas habes pulchritudines, quæ nulli vnquam creaturæ fuêre communicatæ. Quemadmodum ergo mare magnũ est, non tantùm quia omnium aliorum fluminum aquæ intrant in illud; sed etiam, quia proprias habet, quæ sine comparatione sunt illis copiosiores: sic dicimus, Domine, te mare esse infinitæ pulchritudinis, non solũ enim in te sunt omnes perfectiones & pulchritudines omnium rerum; sed etiam infinitæ aliæ, quæ tuæ magnitudinis propriæ sunt, nulli alteri rei communicatæ; licet in te non sint pulchritudines multę, sed vna simplicissima, eaque infinita.

Simile.

Hoc igitur cùm ita sit, quomodo poterimus intelligere, quæ sit illa pulchritudo, illa imago tã perfecta; illud omnium rerum exemplar, abyssus illa omnium gratiarum, cùm ipsa sola habeat in se præcipuas omnium pulchritudinum coniunctas, præter alias infinitas, quæ propriæ illius sunt? Imago illa Helenæ Reginæ, à celebri illo artifice Apelle depicta fertur fuisse formosissima: Pictor enim pro typo sumpserat sibi quinque virgines statura corporis, lineamentis, & colore pulcherrimas, & de vnaquaque sumpserat sibi, quod erat perfectissimum. Quod si illa imago tam perfecta prodierit, eò quòd exprimeret perfectiones quinq; tantùm formarum; qualis erit illa imago, quæ continet in se perfectiones omnium creaturarum, & præter has proprias sine modo, & numero? Nec Angelorum, nec hominum linguæ possunt hoc explicare. O æternæ lucis claritas: ô speculum diuinæ Maiestatis, sine macula: ô paradise voluptatum omnium. Qualis & quanta erit voluptas, ô Deus, videre te facie ad faciem? videre te lumen in lumine tuo? O felicem diem illum, in quo te videbo, & tuam mihi faciem ostendes, omniaque bona in ipsa mihi dabis inspicienda? ô diem dignum qui redimatur omnibus tribulationibus atque tormentis huius seculi.

Visio pulchritudinis diuinæ beata vita est.

Tua denique pulchritudo talis, & tanta est, vt videre tantùm illam, & illa frui supremos illos cæli Spiritus beatos faciat, sinumque capacitatis eorum repleat: qui ardent perpetuò in amore infinitæ tuæ pulchritudinis, amantes illam ex totis viribus; omni fortitudine sua in hoc incumbentes, nec vnquam cessantes. Immensa namque pulchritudo illis obiecta rapit, trahitque omnes illorum Spirituum vires, adeò vt nihil agere possunt, nisi te actualiter semper, idque amore ineffabili vt diligant. Hoc est quod B. Ioannes in Apocalypsi sua tacitè insinuat, cùm dicit, quatuor illa animalia sancta, quæ stabant ante thronum Dei, requiem non habuisse die ac nocte, dicentia; *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Cùm enim dicit, quod requiem non habebant, significat, quòd omnibus suis viribus atque potentijs non intermittebant amare & laudare Dominum, in quo requies ipsorum omnis erat posita. Apoc. 4.

Sancti quidã in terris ex parte faciẽt officium Angelorum.

Cæterùm quid miramur Angelos in cælo hoc facere, cùm etiam id Sancti in hoc mundi exilio constituti ex parte fecerint? Nam de sancta Clara legitur proditum est, quòd post acceptam à Deo singularem consolationem, & visitationem, peracto iam Epiphaniæ festo, anima eius adeò in Deo absorpta, adeoque à suauitate atque amore illo diuino (cuius experimentum iam perceperat) erat illaqueata, vt multorum dierum spatio non potuerit cum attentione audire, quidquid ei dicebatur: coactaque fuerit magna hic vti violentia, eò quòd sensus omnes erant rapti, & in Deum translati. Sed quid mirum est, si tantæ pulchritudinis visio beatos faciat Angelorum choros, cùm etiam beatum faciat ipsum Angelorum Dominum, qui non habet aliam beatitudinem, quàm vt videat propriam suam pulchritudinem, eaque fruatur? Ad huius rei cognitionem peruenit Aristoteles, Philosophus Ethnicus, hoc inductus argumento; Summum illud bonum, ait, cùm vitam habeat, necesse est in aliqua re sese exerceat: sed non dormit, cùm liberum sit ab omnibus operibus humanis, qualia sunt edere, bibere, & similia: oportet igitur in alio nullo sese exerceat, quàm in contemplatione. Quam igitur rem contemplibitur? an aliquid extra se, cuius contemplatione beatus erit? Nequaquam: nam si tale quid esset, id melius esset, atque nobilius illo: eius enim visio beatum faceret illud summum bonum: & per consequens, hoc Deus esset, non illud. Rectè ergo concluditur; si exercitium summi boni sit contemplari, & contemplando beatum esse; nihil autem contempletur extra se; sequitur, quòd seipsum semper contemplatur, & proinde infinitè beatus est. Qualis igitur illa erit pulchritudo, si intueri illam, & cõtemplari tantummodo beatum faciat, etiam ipsum Deum, impleatque sinum illum, & capacitatem absolutæ felicitatis infinitam? Qualis erit illa pulchritudo, quam Dominus ille ab æterno contemplatur, & in æternũ contemplabitur sine vllo tædio vel lassitudine, vnde & tantam, tamque incomprehẽsibilem capit lætitiam atq; voluptatem, vt quidquid vnquam creauit & creare poterit, nihil esse videatur, si cum illa voluptate conferatur? Quomodo natabit homo in hoc tantæ magnitudinis pelago, cùm ipsa Dei magnitudo in hoc natare valeat?

Visio pulchritudinis diuinæ ipsum Deum beatũ facit.

Instituamus igitur nunc hanc comparationem: Dubium non est, quin omnes pulchritudines huius mundi, & alterius, collatæ cum hac infinita pulchritudine, nihil aliud sunt, quàm gutta aquæ, collata cum immenso pelago; aut minima stella, cum ipso Sole:

Sole: imò minores multò sunt: hæ namque creaturæ sunt finitæ, atque ideo comparationem aliquam admittunt: inter duo verò extrema, quorum vnum finitum est, alterum infinitum, quę potest esse proportio? Sumamus itaque particulam pulchritudinis vnius creaturæ. Videmus quot curas & labores nonnulli homines susceperunt, & quotidie suscipiunt, pro vnius creaturæ pulchritudinis adeptione: non comedunt, non bibunt, non dormiunt, semper de re quam amant, cogitantes: imò nonnunquam & in infirmitatem incidunt, in furorem vertuntur, & vitæ periculum incurrunt. Accidit illis persæpe, quod olim Amnoni, filio Dauidis, ob adamatam sibi sororem Thamar. Si hi igitur tantum patiantur pro exigua scintillula, & vmbra pulchritudinis; quid facerent, si illis proponeretur aliqua pulchritudo adiunctas habens omnes pulchritudines huius mundi, visibilium omnium rerum atque inuisibilium, & illam insuper supremi & inuisibilis mũdi, qui est ipse Deus? an Arithmeticus quispiam horum nobis subducere possit rationem? an aliquis intellectus hæc poterit apprehendere? an quis adeò paciens inuenietur, vt æquo ferat animo, si videat tam ardua fieri pro hac tam vana pulchritudinis vmbra obtinenda, & tam parum desudari, vt infinita & vera illa pulchritudo obtineatur? Si namque tot & tanta fiant pro puluere atque cinere, & pro exiguo flosculo, qui hodie est, & cras emarcescit: quomodo, ô Domine, post te non currimus? quomodo totis te viribus nostris non amamus? quomodo nõ infirmamur cum Sponsa illa in Canticis amore hoc diuino languidi? quomodo possumus comedere, bibere, vel dormire, pulchritudinem illam cogitantes?

1. Reg 13.

Cant. 1.

His sic se habentibus, amem te, Domine, qui pulchritudo es infinita ex totis meis visceribus: amem te mare omnium gratiarum, campum omnium florum, omnium pulchritudinũ imaginem, omniumque perfectionum abyssum. Aperiantur oculi mei, vt videant hanc speciem, & cæteris rebus omnibus claudãtur. Sint mihi, Domine, omnes creaturæ speculum, in quo te contemplari; imago, in qua te videre; scala, per quam ad te ascendere; & liber, in quo tuas magnitudines legere mihi liceat. Aperi, Domine, oculos meos, & inunge illos collyrio tuarũ gratiarum, vt quodammodo scintillulam aliquam tui splendoris mihi videre concedatur. Accẽde in corde meo sitim tui tam ardentem, vt clamem cũ Prophetа; *Quemadmodum desiderat cerous ad fontes aquarũ: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Venite igitur, venite ô amatores Dei, venite ad hunc fontem, bibite diuinũ hunc liquorum, repetite hanc Prophetæ vocem, perseuerate cum illo, dicentes; *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies meas: faciem tuam, Domine, requiram. Ne auertas faciem tuam à me, Domine*, qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

Psal. 41.

Psal. 26.

SEQVITVR INSIGNIS SENTENTIA *Platonis de pulchritudine diuina differentis.*

CAPVT XXXII.

Contemplatio veræ pulchritudinis est beata vita, etiam teste Platone.

QVidquid hoc capite à nobis dictum est, idem ferè affirmat diuinus ille Plato, in persona Socratis, Dialogo, qui inscribitur Conuiuium, in quo tandem concludit, verã Sapientiam, hominisq; beatitudinem, ad quam omnes per multos labores atq; ærumnas contendimus, esse cõtemplationem & amorem veræ, perfectęq; pulchritudinis, quę trahit, allicit, atq; susfuratur cor intuentis illam. Hanc autem pulchritudinem dicit esse in solo Deo: is enim perfectè pulcher est. Id autem probat, declarans cõditiones perfectæ pulchritudinis, quæ extra Deum non reperiuntur. Primò namq; dicit, oportere, vt sit æterna, quæ nec principium habeat, nec finem: quæ nec crescere possit, nec decrescere. Secundò necesse est, vt ex omni parte pulchra sit, ne fortè hic formosa, illic sit deformis: sed vt tota, quanta est, pulchra sit. Tertiò dicit, talem esse debere, quæ non marcescit, non alteratur temporis varietate: hoc est, ne vno tempore formosa, altero deformis esse videatur; sed sibi vbique, & semper constet, omniq; tempore genuinam seruet suam venustatem. Neque vult eam loco mutari, vt in vno loco pulchra, in alio deformis appareat; sed vt in omni loco suam seruet pulchritudinem, totaque sit amabilis. Denique iuxta eundem Platonem, vt sit pulchra, oportet, ne talis sit participatione alicuius pulchritudinis accidentalis, quomodo creaturæ dicuntur pulchræ: sed vt essentialiter pulchra sit: ita vt cuncta participent de pulchritudine eius, ipsa autem de nulla participet. Cumq; omnia diminutioni pulchritudinis subijciãtur, illa non possit subijci, quòd non sit aliquid illa potentius. Positis igitur his cõditionibus, summam sapientiam & felicitatem hominis consistere in cognitione huius summæ, simplicis, & æternę pulchritudinis; adeò, vt qui illam intuebitur, amabit, atq; mirabitur, eiusque amore contemnet omnia, quæ in hoc mundo pulchra, atque amabilia videntur, ille solus sit adeo sapiens & beatus, quòd non deerit illi quicquam perfectæ felicitatis, quæ in hac vita potest apprehendi.

Conditiones vera pulchritudinis.

Hæc est sententia Platonis, in persona Socratis: quodq; mirandum magis est, fatetur ipse Socrates, se philosophiam hanc, quam ille vocat disciplinam amatoriam, à prudentissima quadam fœmina, nomine Diothima, didicisse. Quis igitur Christianus non obstupescet, videns in his verbis ab homine Ethnico primariam Christianæ philosophiæ partem tractari? siquidem ibi finis vitæ nostræ demõstratur; qui consistit in contemplatione, & amore pulchritudinis diuinæ, necnon & mediorum, quibus ad illã peruenitur, vt est contemptus omnium rerum in hoc mundo formosarum, atque amabilium. Quis etiam non aget Domino immensas gratias, videns hanc tam sublimem philosophiam à Platone (qui nõ immeritò diuinus appellatur) inuentam, nostris etiam temporibus, in tot hominibus religiosis, virginibusque spiritu pauperibus, (quæ omnem vanitatem relinquunt, mundoq; libellum repudij mittunt, & omnibus curis & solicitudinibus terrenis renunciant, in hoc totæ incũbentes, vt Deo proximè adhæreant, cor habeant semper occupatum in contemplatione & amore diuinæ huius pulchritudinis, operumque mirabilium ex illa promanantium) locum inuenire, & fructum facere? Hinc etiam manifestum fiet, quod in consideratione præcedenti diximus de pulchritudine nostri Creatoris, & quam efficax illa est in cordibus ad se rapiendis: cùm in ipsa absolutè inueniantur omnes conditiones, quas Philosophus hic requirit in perfecta pulchritudine: quæ alibi nusquã inueniuntur: cognitionemque huius pulchritudinis dicit esse fundamentum disciplinæ, quam ille vocat amatoriam. Hæc est enim illa, quæ modo quodam peculiari animos ad se trahit.

TERTIA CONSIDERATIO,

Continens aliam amoris diuini causam, magnitudinem scilicet amoris quo Deus nos complectitur.

CAPVT XXXIII.

Amor amãtem parit.

DIcit B. Thomas, vt ignis nulla re magis, quàm digne accenditur: sic amor nulla re alia magis, quàm amore excitatur. Est enim amor donũ

primarium, à quo reliqua omnia deriuantur. quemadmodum igitur accepta beneficia mouent ad amandum benefactorem, sic etiam amor, & quidem potèrius id agit, cùm sit omnium beneficiorum causa. Oportet igitur oculos animæ nostræ tollamus ad considerandam amoris magnitudinem, quo Dominus homines diligit. Et quia duo sunt hominum genera, bonorum vnum, alterum malorum? nos hîc de neutro dicemus. De amore namque Dei, quo bonos prosequitur, deque illecebris, quibus illis adblanditur, consolationibusque quibus illos perfundit & honoribus, quibus eos afficit, in prima harum considerationum egimus: quòd autem malos, vt malos, non diligit, ex eo patet, quòd dicitur in sacris literis; *Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius.* Agemus igitur de amore quo Deus homines in genere complectitur quatenus sunt eius creaturæ, quò pertinet desiderium, quo salutem & bonum generis humani appetit.

Sap. 14.

Magnitudinem igitur huius amoris testantur primò omnia beneficia diuina, de quibus disputatum est suprà. Cùm enim proprium amoris sit; bene velle? & benefacere, (vnum enim nascitur ex altero) sequitur magnum eius esse amorem erga nos, quibus tanta bona (vt tibi demonstratum est) contulit. Quicquid igitur isto loco tractatum est de beneficijs diuinis, huc spectat, nec minùs conducit huic proposito, quàm illi, de diuinæ bonitatis magnitudine. Cùm enim bonitas sit fons, à quo fluit amor; cognita fontis amplitudine, etiam cognoscitur, qualis inde fluuius sit oriturus. Tractabimus tamen hîc de tribus indicijs, maximisq; operibus diuini huius amoris, quæ sunt opus creationis, glorificationis, & redemptionis.

A opere creationis ostenditur amor Dei erga nos.

Vt igitur à primo incipiamus, demonstrat illud multis modis amoris diuini flammam, quæ in illo pectore flagrat, atque æstuat. Etenim cum homo sit opus manuum Dei, ad imaginem & similitudinem eius factum, maioris dignitatis, quàm reliqua omnia in hoc mundo visibili creata; quomodo non amabit, quem ipse tanta cum dignitate, atque præ cæteris creaturis præeminentia formauit? Est enim adeò naturale, quòd diligimus opera nostra. vt etiã arborem manibus nostris plantatam, aut insitam, singulari amore diligamus. Cumque suo tempore flores, aut fructus illam proferre cernimus, miro quodam affectu illam præ cæteris obseruamus: alias enim vt extraneas, hanc, vt opus nostrum, intuemur. Cùm itaque hæc sit innata quædam conditio, & proprietas humanæ naturæ, quæ, ô Domine, à te condita est, necessariò quoque hanc perfectionem in re agnoscere debemus. Non enim esse potest aliqua perfectio in creatura, quæ non sit multò perfectius in Creatore. Igitur, ô Domine, si tu ames omnia quæ creasti, tanquam manuum tuarum opera; quantò amplius amabis illum, in cuius vsum reliqua omnia creasti? & si tam tenerè diligas, quæ creasti ad quemcunque typum & formam obiectam; quantò tenerius diliges illum, quem ad imaginem & similitudinem propriam condidisti?

Naturaliter amamus quæ ipsi fecimus.

Esa. 64.

Hæc est vna ex præcipuis causis, quas Esaias Propheta Domino proposuit, cùm dixit; *Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster es tu, & opus manuum tuarum omnes nos.* Et Dauid eandem ob causam sibi diuinam misericordiam pollicebatur, dicens; *Dominus retribuet pro me: Domine misericordia tua in seculum, opera manuum tuarum ne despicias.* Quam etiam ob causam mirabatur Iob, Dominum permittere Diabolo, vt tam immaniter in ipsum sæuiret, cùm esset plasma diuinarum manuum: & si hanc rationem fusius adducit, dicendo; *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: & sic repentè præcipitas me? Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulueremreduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me: ossibus & nerui compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi.* quasi diceret; Cùm hæc ita sint, quare derelinquis Domine, quem formasti? Hæc omnia dicebat vir sanctus, præsupponens eximium amorem illum, quo Deus est erga eum, quem ipse condidit, & qui est opus manuum illius.

Psal. 137.

Iobus.

Cæterùm hîc alia sese offert consideratio magnæ dulcedinis, atque suauitatis. Videmus enim adeò te dilexisse hominem, locoque tam excelso illum apud te esse, quòd mundum hunc magnum, ac penè immensum, quem oculis conspicimus, in eius vsum condidisti. Illud autem verum esse, euidenti hac ratione probatur: Certum enim est, te mundum hunc visibilem creasse, non Angelis, qui Spiritus puri sunt, ideoque corporali non egent loco, in quo habitent, nec cibo corporali, quo nutriantur. Multò minùs hunc mundum tibi condidisti; nulla siquidem re præter temetipsum tibi opus est; ab æterno namque tam gloriosus atque beatus fuisti sine mundo; quàm nunc es, mundo condito. Velle autem dicere, mundum factum in vsum bestiarum, id non hominis est, sed bestiæ: quandoquidem bestiæ non agnoscunt suum Ceatorem, neque aptæ sunt ad reddendam gratiarum actionem benefactori, neque dignæ, pro quibus sapientissimus, & potentissimus ille Architectus fabricam tam immensam conderet. Sequitur igitur, magnum hoc theatrum tanta rerum varietate ornatum, tot luminibus illustratum, in tot sphæras distinctum, quæ omnes tam certis atq; admirabilibus legibus gubernantur, in obsequium, conseruationem, & vsum solius hominis esse conditum: nec non vt esset speculum, in quo contemplaretur homo suum Creatorem; atque liber, in quo leget, & cognosceret sapientiam, omnipotentiam, prouidentiam, & bonitatem illius. Anne igitur magnum amoris diuini erit argumentum, magnaque hominis apud Deum dignitas, quòd pro illo solo domum tam amplam & spatiosam ædificauit? cælos tam magnos condidit? mare tam latè patens fecit? rebus denique tam innumerabilibus corpori tantùm, quæ minor & inferior pars hominis est, prouidit? Si ingens amoris indicium sit patris in filium, quòd amplas ædes, & numerosam illi præparat familiam, vbi certum iam vitæ genus est apprehensurus: quantam dilectionem nobis exhibuit æternus Pater, cùm tales, ac tantas ædes nobis construxit, totumque mundum dedit, vt esset nobis palatium; omnes creaturas in familiam; mare atque terram, vt mensæ nostræ necessaria ex illis peteremus; stellas cæli, vt essent tædæ, lumen nobis tam interdiu, quàm noctu præbentes, quarum nonnullæ (sicut Mathematici dicunt) terra sunt centies maiores. Quàm lati igitur erunt cæli, tot stellarum capaces? & quàm ingens erit mundus, qui tot cælorum sphæris circumdatur? Quis igitur ex his non cognoscit liberalitatem, & amorem talis donatoris? & quis poterit præ gaudio comprehendere, considerans quanto apud Deum in pretio est homo, in cuius vsum ipse tantas ædes adornauit? & quis non ex his animaduertit magnitudinem suæ dignitatis videns se à Deo Regem ac dominum vniuersi mundi constitutum.

Mundum hunc Deus in vsum hominis condidit.

Deus non tantùm ea, quæ necessaria sunt, sed etiã quæ ad voluptatem pertinent, in vsum hominis condidit.

Neque hic, ô Domine, signum atque testimonium tui amoris terminatur, sed vlterius quoque procedit: innumerabilis namq; multitudo rerũ à te creatarum, non tantùm ad vtilitatem, & necessitatem hominum; sed etiam ad recreationem, & consolationem eorundem, id manifestiùs declarat. In illo namque

Simile.

namque ostendis, te liberalem Dominum in seruos tuos procurans illis copiosè, quęcunque ad vsum vitæ sunt necessaria: sed in hunc exhibes amorem patris in filios, filios inquam paruulos, tenerrimeq; adamatos, quibus patres solent ea comparare, quæ ad delicias, recreationemq; eorum pertinent. Quis igitur hîc poterit explicare multitudinem rerum, quas hunc in finem condidisti? quis colorum varietatem, ad oblectandum visum? quis sonorum, vocumque tam hominum, quàm auium, ad demulcendum auditum? quis rosarum, florumq; diuersitatem, ad odoratum afficiendum? quis saporum & ciborum multitudinem, ad gustum recreandum? quis deniq; tot, tamque mirabilia obiecta commemorabit, quę condidisti, Domine, vt in ijs nos refocillantes, atque delectates, in cognitione Creatoris proficeremus: Quæ pictura iucundior cælo stellato? quæ aulæa gratiora campis florentibus, & fluminibus ripis suis cinctis, arboribusq; suis consitis? Quæ pigmenta magis oblectant colore pyropi, topazij, sapphiri, & smaragdi? quæ peristromata magis afficiunt coloribus diuersorum florum, quorum alij lactei sunt, flaui & lutei alij, alij rosei, purpurei, miniati, & cyanei, alij denique alios colores habent? Quod nisi verum esset, non diceret Saluator in Euangelio; *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex illis.* Matth. 6.

Amoris signũ est, quod Deus creaturis sibi.

Cæterùm vt vlteriùs progrediamur in spatioso hoc operum, mirabiliumque tuorum campo, si tam euidens signũ amoris tui sit, quòd creasti hunc mundum tam magnum & formosum, tantaque rerum varietate ornatum, quæ tuum amorem testantur: quantò erit euidentius eiusdẽ amoris tui argumentũ, quòd nos homines creasti propter temetipsum, hoc est, vt nos tui faceres participes? aut vt meliùs dicamus, beatitudinis & gloriæ tuæ capaces nos faceres; quod nulli ex natura potest competere, nisi tibi soli, qui Deus es, hac igitur gratia nos quodammodo Deos fecisti; participes namque diuinæ gloriæ nos effecisti. Accepta enim parte summæ illius gratiæ, qua Verbum per vnionem humanitatem nostram apprehendit, quid maius dari nobis poterat? ad quem excelsiorem honoris gradum ascendere poteramus? Profectò, Domine, quemadmodum non est aliqua gloria magnificentior tua, ita nos dignitatem ampliorem accipere non possumus illa, quam nobis communem fecisti: in qua nec sublimes illi Seraphim, (qui proximè intuentur te, tuaque pulchritudine fruuntur) quantum ad dignitatem finis, nos superant. Et si enim sine comparatione præstent nobis suæ naturæ conditione tamen beatitudinis non præstent: in eundem enim finem atque gloriam, in quam illi creati sunt in cælo, nos etiam creati sumus in terra. Hîc nobis thesauros tuos aperuisti, atque diuitias tuas in nos effudisti; creans nos ad finem tam excelsum, & gloriam tam sublimem, vt neque diuinus, neque humanus intellectus eam queat apprehendere. Quapropter, si ex donis æstimetur amor & animus; qualis ille fuit amor, qui tale cõtulit in nos donum, vt illius omnipotentia non habuerit, quod daret maius? O liberalissime & benignissime Domine, ô vere amator hominum, qui ad tantum bonum eos condidisti. Angeli, Domine, benedicant tibi, cæli & terra laudes tuas annũcient, & homines præcipuè omnem vitam suam in amore, ac obsequio eius impendant, qui illis tantum amorem exhibuit.

Angelis ratione vltimi finis partes sumus.

Amoris indicium est, quod Deus nobis sanguinis sui pretium dedit.

Huic dono aliud maius adiungi non posse videtur: sed infinita tua sapientia, bonitas, atque charitas aliud inuenit: dans scilicet nobis pretium, quo præcedentem gloriam comparare nobis possemus; vnigeniti videlicet filij tui sanguinem: quod donum tam excellens est, vt quemadmodum gloria, quæ pro illo datur, Deus scilicet ipse, non potest esse maior: sic etiam pretium, quo illa comparatur, maius esse nequeat. Vtrumque maximum est: neutrum crescere potest, aut decrescere, augeri vel minui. Si dona itaque & beneficia sint veri amoris indicia, & vera testimonia, ecquod maius dõnum, quàm hoc, poteras nobis dare? In hoc enim solo, Domine, dedisti nobis omnia. In hoc dedisti nobis patrem, matrem, fratrem, magistrum, aduocatum, regem, sacerdotem, & sacrificium: exemplum, doctrinam, iustitiam, sapientiam, sanctificationem, redemptionem, peccatorum veniam, gratiam, gloriam, salutem, vitam, & omne bonum. Ecquod igitur maius, quàm hoc, amoris dari poterat argumentum? Proprius filius tuus, qui in sinu tuo sedet, quique secreta cordis tui nouit; hoc nuncium in mundum attulit, dicens; *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum* (hoc est, credendo amat illum) *non pereat: sed habeat vitam æternam.* Quòd si nobis dedisset talem filium, vel ob hoc solùm, vt cognosceremus, diligeremus, & coloremus illum; summa profectò esset tua misericordia: nunc autem omnem excedit admirationem, quòd dedisti illum nobis vt esset caput atque ærarium nostrum, vt de illo, deque eius pretioso sanguine pecuniam facere possemus pro ista liberatione. Quàm igitur magnũ signum veræ charitatis hoc sit, ipse noster Saluator significat in Euangelio, cùm dicit; *Maiorem hac dilectionem habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quis igitur ex his argumentis non colliget, te nobis optimè velle, quibus tanta bona tribuisti, ad tam eximia creasti, pretiosissimumque thesaurum sanguinis tui in nos effudisti, quo pretiosior inter omnes thesauros diuinos non inueniebatur? Ioan. 3. Ioan. 15.

Institutio Eucharistiæ amoris Dei in nos argumentum.

HIS omnibus amoris diuini signis additur aliud tam efficax, & ingens, vt nulla id lingua humana queat exprimere: quòd scilicet idem Dominus instituit sacrosanctissimum Eucharistiæ Sacramẽtum, vt sit semper in medio nostrũm, habitet in animabus nostris, & vnum quid nos secum faciat. Cùm enim amor sit essentialis vnio duorum animorum aut cordium, maximè proprium amoris est, hanc vnionem desiderare. Ecquod igitur maius amoris indicium, quàm quòd Dominus noster instituit hoc Sacramentum, cuius effectus inter alios est vniri, & misceri cum anima nostra, & vnum nobiscum fieri? Quid magis proprium veri & perfecti amoris esse potest? Sed de hac materia latiùs hoc loco non agemus, cùm de eo iam antea inter diuina beneficia diseruerimus, & libro itidem sequenti de institutione eiusdem Sacramenti latiùs agemus. Hic obiter tantùm mentionem illius facimus, vt si quis velit cor suum ad amorem Domini nostri erigere, per considerationem ineffabilis illius amoris, quo nos complectitur, alijs signis iam commemoratis hoc adiungat: quod tam excellens est, quàm donum ipsum, quod in illo datur: donum scilicet omni dono maius, cùm in eo detur ipse Deus. Quemadmodum itaque non est aliud donum, quod cum hoc non possit comparari: sic etiam non est amor, qui cum hoc amore possit conferri.

Magnus est amor, quo patres suos diligunt filios: tamen non ferunt paterna viscera, vt filius, qui se inuito vxorẽ duxit, aut simile quid fecit, in suum veniat conspectum: viscere verò Patris huius cælestis, etsi homo omnem, quæ cogitari potest, iniuriam illi irrogauerit, si toto corde ad illum reuertatur, non aspernantur eum: sed recipiunt, & vt filio prodigo culpã omnem ignoscunt. Cognoscebat hoc Prophe-

Esa. 63. ta, cùm diceret; *Tu pater noster es, Domine, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: & tu Domine pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum.*

Ex bonitate Dei duo fluunt riuuli. Amor hic nascitur, ô Domine, ex tua bonitate, à qua duo riuuli vtilissimi deriuantur, misericordia scilicet, & amor: vnus, quo curentur nostræ infirmitates; alter, quo bona tua ad nos transfundantur. Si itaque fons est infinitus, quale erit flumen amoris ex illo profluens; Ideoque nec vereor, nec timeo, nec diffido, licet me peccatorem agnoscam, & amore adeò indignum. Quantumlibet enim peruersus sum ego, qui me amat, bonus est, & tam bonus, vt non reijciat peccatores: imò vocet illos ad se, recipiat illos, & comedat cum illis.

Deus ipse amor est. Omnibus his signis, & operibus amoris tui additur aliud, ô Domine, quia scilicet tu ipse Amor es.

1. Ioan. 4. Testatur hoc tuus Euangelista, cùm dicit; *Deus est charitas, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* O res verè dulcis & admirabilis, habere Deum talem, qui totus est Amor, & cuius ipsa natura est charitas. Si iucundum sit videre Solem in sua pulchritudine, quid erit videre Deum totum ardentem, & in ignem amoris conuersum? Quid poterit ignis hic facere aliud, quàm vrere & inflammare? Et quia, mi Domine, te video in medio supremæ illius curiæ, tanquam ignem infinitum, Solemque ardentissimum qui diffundit flammas suas in omnem cæli plagam, vbique omnia penetrat, quia per amorem omnia viuunt & mouentur. Et quemadmodum Sol vehementiùs vrit eos, quibus est propinquior: sic diuinus ille Sol potentiùs vrit, & in ignem vertit altissimos illos Seraphim, qui vt Soli huic sunt proximi, sic amore illius maximè inflammantur.

Simile.

Quòd si hæc omnia, Domine, tam manifestè amoris tui magnitudinem declarent, & amor amorem gignat: quomodo potero te Deum meum ex toto corde meo non redamare? quomodo potero tantæ dilectionis potentiæ reluctari? Quomodo obsurdescam, & insensibilis ero ad tot voces omnium creaturarum, quæ me ad amorem hunc inuitant? Durus & frigidus lapis ignem producit, si chalybe aut ferro sæpe percutiatur: & cor meum tam durum erit, & intractabile, vt tot creaturarũ ictibus percussum, ne amoris quidem scintillulam emittat? Si nihil in mundo sit efficacius ad ignem accendendum, quàm si ignem alium admoueas; cur ignis ille diuini amoris (cùm tam potens sit) cor meum non inflammabit? Probant Philosophi elementum ignis non esse corpus infinitum; nam si tale esset, alia elementa omnia combureret, mundumque vniuersum in se conuerteret. Itaque si tu, Domine mi, ignis sis infinitus, qui poterit cor meum exardescere, cùm in conspectum tuum venerit? Quæ est illa frigiditas, quæ à præsentia tam potentis ignis non incalescit? O Rex gloriæ, noli admittere in hoc mundo rem tam prodigiosam, qualis esset illa, non vri in medio ignis ardentissimi. Vre, Domine, cor meum niue frigidius, & gelu ipso congelatum duriùs, vt amet te ex totis viribus, quomodo tu amari vis, & dignus es, vt ameris: ardeatque amor ille semper, & in secula seculorum, Amen.

Quæ diximus hactenus, ad amorem Dei generalem in omnes homines pertinent: de amore autem speciali, quo diligit bonos, in quibus potissimùm imago sanctitatis, & puritatis illius resplendet, hìc non agemus: primò, quia ad materiam hanc dilucidè & particulariter describendam, magno opus esset volumine, secundò, quia nonnihil de illa iam antea est à nobis tractatum, in prima cõsideratione diuinæ bonitatis; vbi exposuimus curam & prouidentiam paternam, quam erga bonos gerit Dominus: item de puritate vitæ, qua illos reddit illustres; quomodo consolatur & honorat illos, quàm denique promptus est in exaudiendis illorum orationibus. Quemadmodum enim omnia hæc signa sunt diuinæ bonitatis, sic etiam sunt amoris, quo complectitur bonos, indicia.

QVARTA CONSIDERATIO,

De alia causa nos ad amorem Dei impellente, spirituali scilicet cognatione animæ nostræ cum Deo.

CAPVT XXXIV.

COgnatio quoque magnus est ad amorem stimulus: cùm enim homo naturaliter amet semetipsum, necesse est etiam, vt amet quamlibet sui partem. Cognatus autem non est aliud, quàm pars illius, cuius cognatus est. Id apertè magis significatur in vocabulo Latino: Latini namque cognatum appellant consanguineum, hoc est, eiusdem sanguinis participem. Quemadmodum igitur omnes amores sancti nascuntur ex vno solo amore sancto, amore scilicet Dei; (propter illum namque iustus amat, quidquid amat) ita omnes amores naturales oriuntur ab vno amore naturali, qui est amor, quo homo diligit semetipsum; & proindè cunctos etiam amat illos, qui ad suam pertinent cognationem. Iuxta gradum igitur cognationis amor ille aut magnus est, aut paruus. Cùm itaque in hac materia gradus multi sint, tres tamen præ cæteris magis obligant, fratrum scilicet inter se, patrum & filiorum, nec nõ & eorum qui bene coniugati sunt. Primus amor magnus est, secundus maior, tertius maximus: dicit enim Scriptura, propter hunc amorem patrem & matrem relinquendum. Si itaque singuli horum graduum suos habeant ad amorem stimulos, quàm meritò amari debet is, in quo simul omnes isti gradus concurrunt, idque summa cum perfectione? Primò, quam tenerrime amandus est is, qui cùm non esset frater noster per naturam, factus est frater noster per gratiam: qui cùm venditus esset ab illis ipsis, quos ipse fratres elegerat, & ab illis reprobatus, captus, & interfectus, non tantùm non aspernatus est illos, sed reprobatus eos assumpsit, véditus eos emit, mortuus illos resuscitauit, in exilium eiectus eos in patriam reduxit. De primis illis duobus fratribus, qui Romam fundárunt, legitur, quòd vnus alium interfecit: & hic cælestis frater, cùm esset vnicus Dei filius ex natura, fecit nos omnes filios Dei ex gratia; vtque hoc faceret, vitam suam pro nobis dedit. Alij itaque auferunt vitam fratribus suis, vt soli superstites sint in honore atque hæreditate: sed hic frater dedit vitam suam propriam, vt plures in suam hæreditatem fratres adsciscet. O amantissime frater, qua cum cordis dulcedine, & quibus verbis præcepisti sanctæ illi mulieri, vt annunciaret resurrectionem tuam Discipulis, dicens; *Vade ad fratres meos, & dic illis, Ascendo ad Patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum?* Ecquis maior honor potest homini tribui, & quæ maior humilitas Deo? In vno enim nos adeò extulisti, vt nos in societatem tuam vocaueris, faciens, vt pater tuus ex natura, noster etiam pater esset ex gratia: & in altero sicte humiliasti, vt Dominum suprà te admittere nõ verereris, licet ex natura id tibi non deberetur.

Tres gradus cognationis amore maximè gaudent. Genes. 2.

Deus est frater noster. Ioan. 20.

Cæterùm vinculum cogitationis inter patrem & filium arctius est, & proinde magis ad amorem excitat. Cui verò propriè magis competit nomen patris, quàm ipsi Deo? Quid aliud significare voluit Saluator, cùm diceret; *Nolite vobis patrem vocare super terram: vnus enim pater vester est qui in cœlis est?* Et in

Deus est noster pater. Matth. 23.

toto Euangelij contextu, semper hoc nomine Patris vtitur. Sic alibi inquit; *Scit enim Pater vester, quid his omnibus indigetis.* Matth. 6. & paulò ante; *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5. Ad eundem modum nos orationem nostram instituere præcepit, vt dicamus; *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c.* Et per Ieremiam dicit idem Dominus; *In fletu venient: & in misericordia reducam eos: & adducã eos per torrentes aquarum in via rectã, & non impingent in ea: quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est.* Ier. 31. Et paulò pòst: *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius.* Quibus tenerioribus blanditijs cælestis ille Pater affectum erga nos suum explicare poterat? Ne verò existimemus hûc titulum honoris tantùm esse, non rem ipsam, dicit Apostolus, quòd Deus misit in animas suorum filiorum eundem Spiritum sanctum, qui habitauit in anima vnigeniti filij sui, qui affectum & amorem filiorum erga patrem excitat, facitque nos postulare, & inuocare fauorem & protectionem illius, tanta cum fiducia, atque deuotione, quanta cum solent filij ad patrem suum clamare. Quæ igitur maior gloria, quæ dignitas sublimior hac? O dulcem patrem, ô suaue nomen, ô iucundum titulum, ô admirãdum honorem, quem nobis in hoc titulo, Domine, contulisti, qui quò maior est, nos arctiùs ad amandam te reddit obnoxios. Gal. 4.

Deus spõsus animarum nostrarum. Sed superat hæc omnia vinculum & affinitas matrimonij: coniuges enim non iam ampliùs duo sunt, sed vna caro, vel vnum quid ex duobus mixtum. Sicut igitur naturale est amare semetipsum, sic etiam naturale est coniuges amare se mutuò. Sed quis poterit hîc explicare, quot modis spirituale Dei cũ anima matrimonium est illo carnali excellentiùs? Illud corporis est, hoc spiritus: illud hominum, hoc Angelorum: illud vmbra, hoc veritas ipsa: ideoque vnum (vt inquit Apostolus) alterius signum est, & sacramentum. Tres sunt perfectiones atque excellentiæ principales matrimonij, fides, proles, & perpetuitas, ratione vinculi, quod interuenit. Fides in matrimonio corporali sæpe fallitur, vnius vel alterius coniugum adulterio: sed in spirituali nunquam ex parte Dei fallitur: sed etsi à nobis violetur, tã pius est, qui iniuriam accipit, vt adulteram spontè ad reconciliationem reuocet, dicens; *Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamẽ reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Ier. 3. In illo matrimonio sæpe desideratur proles; sed & si fœcũdum sit, filij sæpe carnifices & tormenta sunt suorum parentum: in hoc autem, cùm legitimè celebratur, nascuntur filij benedictionis, & æternæ vitæ largitores: quæ sunt opera bona, quæ ex charitate generantur. Gignuntur filij isti ex vnione animæ atque Dei, non ex anima tantùm sed ex illa tanquam ex principio materiali, & ex Deo, tanquam ex parte & causa principali. Hi sunt filioli masculi, quos detestatur Pharao, quosque summa cum diligentia curat interfici, ne in regnum assumãtur, quod ille per suam superbiam amisit. Exod 1.

Fides matrimonialis. *Proles.*

Vinculum matrimonij. Præterea vinculum matrimoniale carnis non potest esse diuturnum: necessariò namque morte alterius cõiugum soluitur, & Apostolo teste, *mulier, si dormierit vir eius, liberata est à vinculo matrimonij.* 1. Cor. 7. Matrimonium verò spirituale perpetuum est, adeò vt dicat B. Thomas, illud in Baptismo initium habere, vita pia ratificari, & morte consummari: adeò, vt post primam illam vnionem, & in cælis consortium, impossibile sit fieri diuortium. Quis igitur poterit explicare charitatem, delicias, & consolationes huius matrimonij? Qui horum aliquem habere gustum desiderat, legat suauissimum illum Canticorum libellum, inuenietque in eo tot amoris argumenta, & tantam verborum suauitatem Sponsi illius cælestis ad animam Sponsam suam, huius etiam ad illum, vt in maximam rapiatur admirationem, videns quàm benignè summa illa Maiestas sese inclinat ad animam puram, & mundam, quam sibi desponsauit. Quàm stupenda etiam est illa familiaritas, amorisque impetus atque fiducia huius sponsæ, quam ostendit in primis verbis suis, cùm dicit; *Osculetur me osculo oris sui?* quæ verba exponens D. Bernardus, ait: Non ignoro quòd honor Regis iudicium diligit: sed præceps amor nec iudicij præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subijcitur. Rogo, supplicio, flagito; *Osculetur me osculo oris sui.* Et alio loco; Non facit prœmium, non captat beneuolentiam, sed ex abundantia cordis repentè prorumpens nudè frontoseque satis: *Osculetur*, ait, *me osculo oris sui.* Quid enim? Respicit ille terram, & facit eam tremere, & ista se ab eo postulat osculari? Ebriáne est? Ebria prorsus. Sed quantò dulciora sunt verba Sponsi, quibus animam religiosam compellat, & inuitat, dicens; *Surge, propera amica mea, columba mea formosa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra. Surge, amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Quæ verba his suauiora posset quis imaginari? Qualis igitur erit voluptas, qua perfundetur anima, cui tu Domine verba hæc intus in corde loqueris? Tu enim ipse dicis. Delicias tuas esse cũ filijs hominum: quales igitur erunt istæ deliciæ, quas imperties illi animæ, qua cum tam suauiter fabularis? Bern. Serm. 7. in Cant. Cant. 2. Prou. 8.

Si itaque causæ atque rationes omnes amandi, quas enumerauimus, in te Deo meo locũ habeant, idque cum quadam excellentia; quomodo potero te non summo cum amore diligere? Si tu sis frater, pater, & sponsus animæ meæ, quî potero te non ex toto corde amare? Mulier amat sinceriſsimè quem sponsum sibi datum nouit; ab eo namque expectat solatium, commodum, defensionem, salutem, honorem, & ordinem viuendi. A quo hæc omnia sperat anima mea, nisi à te Domine? Tu es mea vtilitas, tu honor, tu thesaurus, tu hæreditas, tu consiliũ, tu salus, tu spes mea: tu denique mihi caput es, & bonorum omnium summa. Crudelis igitur ero in me, si non amauero te. Ille enim (vt inquit B. Augustinus) verè diligit semetipsum, qui te Domine diligit. Augustinus

O anima mea (dicit idem Sanctus) sponsum habes, & non cognoscis illum. Nihil illo pulchrius est, & pulchritudinem eius non vidisti: ille quidem formam vidit tuam, quam nisi vidisset, te non amasset. Quid igitur facies? Videre quidem illũ in hoc tempore non potes, eò quòd absens est: sed ne timeas, non te repudiabit, nec aliqua te afficiet iniuria, respuens amorem tuum, & derelinquens te turpiter in manibus amatorum alienorum. Non te fallet quòd si fortè nunc scire nequeas, quis sit ille sponsus; considera saltem pignus amoris, quod ab illo accepisti, vt vel inde cognoscas, quanto cum affectu ille tibi diligendus est, & qua diligentia tu te debes illi intactã custodire. Multum est quod tibi dedit; sed multò plus est, quod in te diligit. Quid est, ô anima mea, quod tibi sponsus tuus dedit? Mitte oculos tuos in omnes mundi plagas, & vide, si quid sit, in vsum tuum non creatum. Vniuersa natura creata hunc

in finem condita est, vt tibi seruiret, & tuæ voluntati obediret. Quis puras is est, qui creauit hæc? Deus est. Qua fronte igitur beneficium accipis, & benefactorem non agnoscis? O quanta est dementia, nolle amorem tam potentis Domini desiderare: & quanta est ingratitudo, non redamare, qui amat te? Ama igitur illum propter semetipsum, & ama te propter illum: iste namque amor purus est & castus; nihil enim habet turpitudinis, nihil amentiæ, nihil vanitatis, nec transit vnquam. Hactenus D. Augustinus. Eant igitur, anima mea, eant omnes illi, qui volent, & quærant quem ament, & cui seruiant: iam enim didici, quòd hic est verus pater, & sponsus animarū, in cuius obsequio vita viriliter impenditur, saltem vt is possit acquiri.

Obiectio. Sed dices fortasis; Verum est, quòd Dominus hic sponsus est animæ meæ, sed multæ sunt sponsæ, quas ille diligit: & proinde minor erit eius amor, qui inter tam multas diuiditur. Id locum habere potest in hominibus, qui vt in virtutibus, sic etiam in amore deficiunt. Tu autem, Domine, vt omnipotens es in virtutibus, sic etiam sufficis omnibus in dilectione: in vtroque es infinitus, atque ideo nulli potest deficere, quod finem aut terminum non habet, licet inter multos diuidatur. Et quemadmodum nemo ob hoc minùs fruitur Solis lumine, quòd lucet omnibus; sed tantum percipit, quantum si solus esset in mundo: sic cæleſtis ille sponsus non remissiùs amat singulas & vniuersas animas pias, quàm si vna sola esset. Non enim est amator hic sicut Iacob, cuius amor in Liam erat frigidior, ob amorem ardentissimum, quo Rachelem diligebat: sed sicut Deus infinitus, cuius virtus non est minor in singulis, quòd inter multos diuidatur.

QVINTA CONSIDERATIO,

Continent aliam amoris diuini causam, ordinem scilicet inter creaturas & Creatorem: vbi etiam agitur, quomodo Deus est nostra beatitudo, & vltimus finis.

CAPVT XXXV.

PRæcedens consideratio, quæ fundatur in gradibus spiritualis cognationis animæ cum Deo, manifestiùs declaratur per ordinem, qui est inter creaturas rationales, & ipsum Creatorem: estque hic nouus gradus spiritualis agnitionis. Vna igitur harum duarum considerationum explicatur per alteram, & vtraque suis proprijs terminis, & in suo genere cor nostrum diuino amore vehementer inflammat.

Tribus modis aliquid ab alio dependet. Sciendum igitur est, tribus modis aliquid ab alio dependere, eique necessitate quadam coniungi. Aut enim aliquid ab alio dependet, tanquam à suo principio, à quo habet esse; vbi verò iam est, non eget amplius ope sui auctoris, vt in esse suo conseruetur: vt pictura, domus, aut simile quid, postquam perfectū è manibus artificis prodijt. Alia dependent tāquam à sua causa, quoad perfectionem, & complementum suæ essentiæ, vt discipulus à magistro, qui docet illū; aut mulier à marito, à quo recipit, quidquid ad vsum vitæ est necessarium.

Tres hæ causalitates, & dependentiæ rerum, quē admodum arctum efficiunt necessitatis vinculum, & magnam fraternitatem inter res ipsas; sic etiam maximas amoris creant rationes & causas. Hinc est, cur omnes effectus naturaliter amant causas, vnde procedunt, & a quibus sperant se suas perfectiones adepturos. In primo ordine magnus amor est filiorū erga parentes, & parentum erga filios: cuius rei testes sunt ipsa animalia bruta, quæ cibum sibi ipsis subtrahunt, vt proles habeat, quo vescatur: & æpè sese gladijs, hastis, & armis alijs obijciunt, vt fœtus defendant. In ordine secundo magnus est amor & naturalis membrorum erga caput, vt patet ex eo, quòd ictus & verbera, quæ capiti intentantur membra solent obiecta excipere, vt caput suum conseruent. quod nec filij patribus, nec patres filijs facere consueuêre. In tertio gradu maximus quoque amor reperitur, qualis est sponsæ in sponsum suum, à quo expectat in multis esse sui perfectionem. Cùm igitur omnes isti gradus, atque ordines in Deo solo simul iuncti inueniantur, & singuli in summo perfectionis gradu; quo amore diligi debet is, cui ab omni parte adeò simus vniti atque deuincti? Si ille dederit esse, amari debet vt pater à filijs: si cōseruet nos in esse, amari debet sicut caput à membris: & si ille sit, à quo esse nostrum perfici debet, & compleri, amandus est tanquam maritus ab vxore. Cumque omnia hæc ab illo solo speremus, sequitur nos necessariò obstrictos esse, vt amemus eum cum omnibus istis amoribus, & quidem pluribus; cùm ille perfectiùs nobis hæc beneficia communicet, quàm causæ prædictæ suis effectibus. Agnosce igitur, ô anima mea, cuncta hæc debita, cumque certo certius scias, quidquid fuisti, quidquid es, quidquid te fore speras, ab hoc vno Domino pendere, cui tot vinculis obligata es, ama qui te fecit, qui tibi tanta bona confert, & tanta adhuc conferre potest.

Amem igitur te, Domine, quia creatura tua sum, & tu Creator meus, à quo habeo, quidquid sum. Reuertantur aquæ ad locum vnde venerunt, effectus ad causam vnde procedit redeat: conuertatur creatura ad Creatorem suum. tyrānidis species est, si ædificet vnus, & alter, quod ædificatum est, inhabitet: si vnus plantet, & alius fructus colligat. Ne patiare, Domine mi, vt ego hanc iniuriam tibi inferam, vt ego proditionem hanc machiner, nec vt claues diuitiarum tuarū alteri, quàm tibi tradam. Tuus sum, tuus ero, tuus semper esse cupio: recipe me domesticum in domum tuam, & noli repellere à te quem creasti pro te.

Amem etiam te, Domine mi, quia me sustentas & conseruas in illo esse, quod mihi dedisti. Quemadmodum rami arboris nascuntur ex radice, & radix illos in sua conseruat essentia: ita tu, Domine mi, & radix es, & principium, vnde habeo meum esse, & tu idem es, qui me in illo conseruas, & sustines. Cui igitur hæc accepta feram præter te? Rami illi nullam rem creatam magis respiciunt, aut amāt naturaliùs radice à qua pullulant, & quæ illos in sua pulchritudine conseruat: cætera omnia quæ in mundo sunt, seu viuant, siue moriantur, non curant, tantùm si radix vireat, atq; integra permaneat, à qua omne bonum eorum promanat. In quem igitur, ô Domine, oculos meos intendam, quem diligam nisi te? cuius manus me creārunt? cuius prouidentia me tuetur? cuius creaturæ mihi famulantur? per quem sum? per quem viuo? per quem habeo, quidquid habeo, nisi per te, mi Domine, cum sis origo & radix omnis boni mei, atque scrinium omnium meorum thesaurorum? Vinea non tantum ei deseruit, qui plantauit illam, sed etiam ei qui purgat, qui rigat, qui pampinat, & qui cætera facit necessaria, vt in esse suo permaneat. Si tu igitur me plātasti tuis manibus, quando creasti me, si tu conserues me in hoc esse, colens, riganſq; me tua prouidentia; cur alius fructum carperet, præter te? Ego sum hæreditas tua, ego vinea tua, & tu hæres meus es: tibi seruiāt omnes palmites huius vineæ, qui sunt animę meę potētiæ; tibi flores, quæ sunt bona desideria; tibi fructus, qui sunt cuncti mei verba, & opera. Oculi mei benedicant tibi, lingua mea te laudet, manus meæ seruiant tibi, & pedes

pe des mei viam mandatorum tuorum ambulent: viscera mea in amore tuo liquefiant, memoria mea tui nunquam obliuiscatur, intellectus meus te semper contempletur, & voluntas mea in te solo delectetur, atque glorietur. Hæc est vtilitas, hic fructus huius vineæ. Circunduc illi, Domine, murum igneum, occlude omnes portas eius, vt nemo possit ingredi. Adiuro & precor vos omnes creaturas huius mundi, in virtute obedientiæ communis Domini nostri, ne quid tangatis in hac vinea. Omnia, Domine, tua sint, omnia tibi militent, moriantur omnes creaturæ propter amorem hunc, & ego vicissim omnibus moriar creaturis.

Deum perficit quod deest in nobis.

Amem quoque te, Domine, quia tu solus es ille, qui absoluere, seu perficere debes opus, quod auspicatus es, animæ quoque meæ tu vltimam dabis perfectionem. Minoribus creaturis omnibus semel & simul dedisti omnia, quibus egebant: homini verò, quia tam magnæ capacitatis erat multa contulisti cum creares, & multa promisisti in futurum conferenda: vt hac deuinctus necessitate tibi tanquam vniretur, & ad amandum te moueretur, non tantùm ob id quod acceperat, sed & propter id, quod accepturum se confidebat.

Deum vltimum finem nostrum.

Tres istæ considerationes licet magnos habeant ad amorem stumulos, vltima tamen cæteris habet efficaciores: ex ea namque colligitur, te solum meã esse felicitatem, meam beatitudinem, meum finem vltimum, qui amore (vt Philosophi aiunt) diligitur infinito: cum enim appetatur per se, & non ratione alterius, aut ob alium finem, nec regulam habet, nec modum, quo possit limitari. Quis igitur, ô Domine, omnis mea beatitudo, & finis vltimus meus nisi tu? Tu Domine, meta & terminus viarũ mearũ es, tu portus meæ nauigationis, tu finis omniũ meorum desideriorum: quare igitur amore illo te non amabo? Ignis & aer, montes atque rupes euertunt, terramque concutiunt, quando in illis inclusi sunt, vt foras erumpant ad locum suum naturalem: cur ergo non omnes creaturas disrumpam, cur non ruam per ferrum & ignem, donec perueniam ad te, qui locus es quietis meæ, meique refrigerij? Non conuenit receptaculum vasis, nisi cum vase pro quo factum est: quomodo igitur anima mea, cùm sit quasi receptaculum, quod pro te creasti, cum alia re, quam cum te, potest conuenire? Memento igitur, Domine, quomodo ego sum tibi, & tu mihi. Noli ergo me fugere, Domine, vt possim te inuenire. Longum iter facio, sæpe quiesco; sæpe regredior, ne pigeat te, Domine, expectare, qui paribus tecum passibus non potest procedere.

O Deus meus, & salus mea, cur adeò delicatus sum? cur non summa cum alacritate curro ad summum bonum, in quo sunt bona omnia? Quid quæso potest optari quod non inueniatur in hoc bonitatis pelago abundantiùs, quàm in turbidis creaturarum lacunis? Appetunt homines diuitias, honores, vitam prolixiorem, requiem, sapientiam, virtutem, voluptatem, & similia, & quidem tanto appetitu hæc nonnunquam diligunt, vt seipsos perdant. O rudes & stolidi rerum amatores, qui diligitis vmbram, & negligitis veritatem. Itis piscatum in lacubus cœnosis, ipsumque mare deseritis. Si horũ singula digna sint quæ amentur, quantò dignior est ille, qui plus valet his omnibus. Si pater Samuelis vere dicere potuerit vxori suæ flenti quod liberos non haberet: *Nunquid non melior ego tibi sum, quã decem filij?* quantò maiori cum ratione dicere poteris tu animæ iusti; Nunquid ego tibi melior sum quam omnes creaturæ? Quæ namque requies, quæ diuitiæ, quæ deliciæ possunt in creaturis inueniri? quæ non multò copiosiùs in te sint? Voluptates huius mundi sunt carnales, inhonestæ, fallaces, breues, & perituræ: quæruntur labore, possidentur timore, & amittuntur dolore. Paululum durant, & diu cruciant: implent animam, & non satiant; fallunt illam, nec præstant quod promittunt, beatiorem non faciunt, imò magis miserabilem, inquietam, & à Deo, atque semetipsa longiùs remouent, faciuntq; conditionis bestiarum participem. Quapropter B. Augustinus ait; Miser eram, & miser est omnis animus, vindictus amicitia rerum temporalium, & dilaniatur cùm ea amittit, & tunc sentit miseriam, qua miser est, etiam antequam amittit eas. Et alibi; Veh miseræ animæ, quæ Christum non quærit, nec amat, arida manet, & misera. Perdit quòd viuit, qui Deum non diligit. Anima quæ tenõ quærit ac diligit, mundum diligit, peccatis seruit, vitijs subiecta est, nunquam quieta, nunquam secura est. Nemo autem te perdit, nisi qui volens te deserit: sed qui diligit te, intrat in gaudium Domini sui: nec est quod metuat; sed securus, immotusque stabit in eo, qui bonum est infinitum.

Aug. l. 4. Confess.

Idem in Manuell.

Voluptates huius seculi etiá valdè exiguæ sunt: nimis enim particulares sunt, nec afficiunt, nisi sensum vnum: tu autem voluptas es vniuersalis, qui totum hominem spiritualiter oblectas. Ideo magnus ille amator Augustinus dicebat: O Domine, quid est quod diligo, cùm te diligo? non figurã corporis, non diuturnitatem temporis, non splendorẽ Solis gratum his oculis, non consonantiam vocum, non dulcia cantica, non suauitatem florum, non odorum diuersitatem, non manna, non mel, non epulas exquisitissimas, non amplexus rerum corporalium: nihil horum diligo, cùm te Deum meum diligo: imò diligo lucem, vocem, odorem, cibum, amplexus, non huius hominis exterioris, sed interioris: vbi lucet in anima mea, qui loco non circunscribitur: vbi sonat is, cuius vocem ventus non tollit: vbi volat is, qui aera non secat: vbi gustatur is, qui non consumitur, cùm manducatur: vbi apprehenditur is, qui nunquam dimittitur. Hoc amo, cùm Deum meum amo.

Omnes itaque voluptates, & quæcunque amari possunt, in hoc solo Domino sunt, & tam copiosè atque perfectè in illo sunt, vt Sapiens dixerit: *Omnia quæ desiderari possunt, nihil esse in comparatione illius.* Optimè dicit, in comparatione: nam (vt Philosophus ait) non potest esse comparatio, vbi non est communicatio, vel aliqua similitudo. Quæ est itaq; comparatio inter id quod est, & quod non est; Centrum & circumferentia illius non comparantur inter se, licet res finitæ sint. Quæ igitur erit comparatio inter creaturam & Creatorem? inter finitum & infinitum? Age si omnia simul iuncta conferri nequeant cum hoc summo bono, quomodo singula quæque horum amẽtur, eò quòd bona sint, siue diuitiæ sint, siue honores, siue voluptates: is qui est summa gloria, summa opulentia, summa voluptas, quomodo diligetur, nisi summa cum dilectione?

Sap. 7.

Inter Deum & creaturas non est comparatio.

Amem igitur te, Domine, amore arctissimo, feruentissimoque. Extendam omnium affectuum & desideriorum meorũ brachia, vt amplectar te. Spõse dulcissime animæ meæ, à quo bonum omne mihi polliceor hedera vicinam arborem tam fortiter apprehendit, vt singulæ fibræ singula videantur esse brachia, vt tenacius illi adhæreat: hoc enim adminiculo suffulta in altum ascendit, & consequitur suam perfectionem. Ego autem, Domine, cui arbori adhærebo, vt crescam, & quod deest mihi adipiscar, nisi tibi palo securissimo? Non tantum crescit hedera, nec tantum pulchritudinem ramorum suorum dilatat ab arbore subleuata, quantum anima

1. Reg. 1.

crescit in virtutibus & gratijs, quæ à te fulcitur. Cur igitur omnia membra mea non vertentur in brachia, vt omni ex parte te amplectar? cur te non amabo ex tota anima, tota fortitudine, & totis viribus meis? Adiuua me, Domine, & Saluator mi, trahe me in altum post te: pondus namque mortalitatis huius tam graue me trahit ad se. Tu Domine, qui ascendisti arborem crucis, vt omnia traheres ad te: tu qui tam immensa charitate copulasti naturas duas adeò inter se distinctas, vnamque ex illis personam fecisti, vt vnum quid fieres nobiscum; dignare quæso corda nostra tecum vnire charitatis vinculo tam indissolubili, vt vnum tecum fiant: tu enim coniunxisti te nobis, vt nos tecum coniungeremur.

Hæc consideratio mirum in modum humiliat, subijcitque hominem Deo, cùm videt is, quomodo cuncta bona sua, tam præterita, quàm præsentia, & futura à solo Deo dependent. Hac consideratione Dauid motus, animam suam Deo subijciebat, dicens: *In manibus tuis, Domine, sortes meæ.* Vel vt alius interpres vertit; In manibus tuis tempora mea sunt, hoc est, tria illa tempora, ptæteritum, præsens, & futurum. In præterito namque accepi à te esse, quod habeo: in præsenti mihi vitam largiris, & in hoc esse conseruas, quemadmodum Sol radijs lucis ab ipso procedentibus: in futuro verò, quia de manu tua mihi debet prouenire huius esse perfectio, donec peruenero ad vltimũ finem meũ, vbi anima mea inueniet perfectam quietẽ, omnisq; boni supplementum, in te manens vnita & transformata, participans de illa beatitudine, ad quam illam creasti. Et quemadmodum te ex cœlo tuo excelso despiciente me oculis tuæ paternæ pietatis, influunt in animam meam tuæ misericordiæ radij: sic econtrario anima mea te aspiciente cum vera hũmilitate, & reuerentia, tuæ lucis fluxum percipio, non aliter, atque stellæ cœli, aspiciẽtes Solem, ab illo splendorem & virtutem, quam habent, sortiuntur. Si itaq; oculi isti canales sint, quibus virtus tua in animas deriuatur, an non muneris mei erit semper suscipere, & oculos in altum tollere, vt huius virtutis particeps efficiar, dicendo cum Propheta: *Oculi mei semper ad Dominum: quia ipse euellet de laqueo pedes meos:* atque ita aspiciens in illum conuertam oculos eius, vt me vicissim intueatur. Eodem spiritu afflatus Psalmista dicebat: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce, sicuti oculi seruorum in manibus dominorum suorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

Psal. 30.

Psal. 24.

Psal. 122.

SEXTA CONSIDERATIO.

De alia dilectionis causa, quæ est proportio & similitudo, quam habet anima cum Deo.

CAPVT XXXVI.

O Deus meus & misericordia mea: si omnes rationes & causæ dilectionis in te concurrant, idq; in summo perfectionis gradu, cur te non summo perfecto cum amore diligam? Vna sola harum causarum sæpè nos impellit ad insanum alicuius creaturæ amorem, & vt pro ea mortem subire desideremus. Si itaque omnes causæ amoris in te iunctæ reperiantur, & id in tanta perfectione, quis non diliget te? quis non mille mortes pro te volet oppettere? Si consideremus beneficia, nulli plus quàm tibi debemus: si amorem, nemo melius nobis vult, quàm tu: si cognationem, non habet anima nostra coniunctiorem, quàm tecum. Si porrò perfectiones animaduertamus, quis te perfectior? quis te melior? quis te pulchrior? quis te benignior? quis nobilior? quis potentior? quis sapientior? quis ditior? quis suijpsius magis diffusiuus? quis sua liberaliùs cõmunicat? Quid igitur impedit, Domine, cor nostrum, quod non currat ad te? Ecquæ catena tam robusta, vt nos queat impedire, quo minùs ad te properemus? Si amor rerum huius seculi, & omne quod in illo est, nihil aliud sit, quàm flos agri: quomodo poterit materia tam fragilis impetum cursus nostri ad te retardare? An exigua quædam palea lapidem in aëre detinebit, quo minus ad centrum suum recurrat? Cur igitur patiere tu, Domine, vt leuissima palea (neque aliud est quidquid in hoc mundo videtur magnificum) impediat cursum nostrum ad te, qui vltimus finis noster, & centrum animarum nostrarum es?

Similis.

Sed erit forsitan rudis quispiam & ignarus, qui dicet; Verum quidẽ est, omnes has dilectionis causas in Deo reperiri, sed nulla videtur esse in Deo tam sublimi, & homine tam humili proportio, vel similitudo. Deus est altissimus, homo est humillimus: ille est totus spiritus inaccessabilis & incomprehensibilis, homo caro est, & quidem miserabilis. Quæ potest igitur esse proportio inter lutum & aurum, ita vt possit aliquid vinculum amoris esse inter vtrumque? O admirabilis Domine, illud solum restabat: & ne quid amori nostro in te obesset, etiam proportionem & similitudinem amantis & amati inter nos esse voluisti; est enim similitudo vna ex causis dilectionis principalioribus. Cæterùm quo cum anima mea maiorem habere potest similitudinem quam cum te, postquam ad imaginem & similitudinem tuam ipsa creata sit? Cum quo cornostrum maiorem habet proportionem, quàm tecum, qui illud pro te creasti? Inter quę duo maior esse potest similitudo, & proportio, quam inter vas & receptaculum eius? Cumque anima mea creata sit, vt vas electionis sit, in quo tu, Domine, habites, (quare nulla res creata potest implere vas illud, sed tibi soli id reseruatum est) quo cum maiorem habebit similitudinem, quàm te?

Obiectio.

Magna similitudo Dei cum homine.

Maxima profectò similitudo est, Domine, quam inter te & animã nostram esse voluisti; tam in substantia ipsa, & existendi modo, quã in intellectu, & operatione, & omni re alia. Tu es spiritus, & anima nostra spiritus est: tu inuisibilis es, & anima nostra est inuisibilis; tu immortalis, & anima nostra est immortalis: tu intellectum habes, memoriam, & voluntatem; eadem potentias habet & anima nostra. Tu es perfectissima bonitas, sanctitas, & virtus, & anima nostra (nisi diabolus similitudinẽ, quã in ea condidisti, oblitterasset) plena esset virtutibus & bonitate. Sed & in reliquijs illis, qui remanserẽ, certa quædam indicia sunt, & vestigia antiquæ illius pulchritudinis. Hinc oritur naturale boni desiderium, mali pudor, gratitudo pro beneficijs acceptis, & alij tales affectus. Quid de modo existendi dicã, & operandi ratione? Tu cùm sis simplicissimus & inuisibilis, totus es in toto mundo, & totus in singulis eius partibus: sic & anima nostra, cùm sit eiusdẽ conditionis, tota est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte, seu membro. Tu cum sis spiritus purissimus, operaris omnia in omnibus creaturis; tu enim das esse elementis, vitam plantis, sensum animalibus, intellectum hominibus: cumque sis vnus, operaris omnia virtute simplicissima & anima nostra cùm sit substantia spiritualis, operatur in hoc nostro corpore tot, & tam diuersas operationes, vt considerantem omnes diligentius rapiat in admirationem. Ipsa enim dat esse corpori, sicut forma lapidi; & vitam quasi plantis, & sensum tanquam animali. Ipsa tot fungitur officijs in hoc corpore, quot habet ipsum organa, sensus, & membra. Ipsa namque videt oculis, audit auribus, olfacit naribus,

bus, gustat palato, tangit manibus, mouet totum corpus cum omnibus eius membris. Ipsa est quæ intelligit in cerebro, nutrit in hepate, dat calorem omnibus membris. Ipsa denique est, quæ corpore generat, vt equus; & mente contemplatur, vt Angelus. Vna est, & omnibus his fungitur officijs: est spiritus & vacat omnibus his operibus tam corporalibus, quàm spiritualibus, ex quibus facilè conspicitur, quàm similis est suo Creatori. Quapropter licet Angeli maiorem habeant cum Deo similitudinem, quàm animæ nostræ, cùm sint substantiæ purè spirituales, sicut ille: quantùm tamen ad varietatem operationum, quas anima nostra, cùm sit vna, in hoc corpore operatur, dicit Ioannes Damascenus, eam magis præ se ferre similitudinem, & imaginem Dei, quàm Angeli ipsi: eodem enim modo, quo Deus est in toto mundo, anima quoq; nostra est in suo proprio corpore. Hanc ob causam Sapientes penè omnes hominem Microcosmum, id est, minorem mundum appellârunt. Quemadmodum igitur Reges huius mundi, postquam ædificarunt ciuitatem, solent imaginem suam sculpere, & nomen in ea scribere, vt sit operis sui memoriale: sic supremus ille Rex, postquam mundi creationem iam absoluisset, condidit hominem tanquam imaginem eius, quod ipse erat. Quam ob causam maximam statuit pœnam his, qui sanguinem humanum fundunt eò quod homo creatus est ad imaginem & similitudinem illius.

Anima quomodo Dei similitudinem magis vera sortitur quam Angeli.

Simile.

Creator denique omni ex parte infinitus est, anima verò licet hoc modo infinita non sit, capacitate tamen, & duratione est infinita, intellectu quoque & sapientia. Est infinita capacitate: nihil enim illam satiare potest præter Deum solum. Est infinita duratione; viuet enim in æternum, & quâdiu Deus erit Deus. Est infinita in intellectu & sapientia; non enim potest tot & tanta intelligere, vel comprehendere, quin semper adhuc superit virtus plura intelligendi, inueniendi, & quærendi, & licet tot artes, tot scientias inuenerit hominum industria, non tamen exhausta est, nec exhaurietur vnquam, vt non supersit vis plura excogitandi, & in lucem proferendi. Alia enim animalia, quæ instinctu auctoris naturæ tantùm reguntur, non sciunt, aut cognoscunt plura, quàm quæ ad conseruationē naturæ suæ requiruntur: hominis autem cognitio limites vel terminos non habet circunscriptos: non enim inuenit tantum, vt ad maiora se non extēdat. Id profectò res est summæ admirationis, optimeque declarat in intellectu nostro hanc esse infinitam, & profunditatem, cuius finis inueniri non potest, nisi morte interueniente. Quid dicam de artibus, quæ tam probè naturam imitantur? Quid illud est, nisi opera quæ ab humano procedunt intellectu, esse similia illis, quæ à diuino promanant? Si tanta similitudo sit in modo operandi, necesse est quoque sit in modo existendi: singulæ namque res prout sunt, ita & operantur: & qualis modus est existendi, talis est etiam operandi.

Anima quomodo est infinita.

Sit igitur, ô Domine mi, nomen tuum millies benedictum, qui nos tibi tam similes condidisti. Verè duo sumus in vno; verè dicere possumus cum Sponsa in Canticis: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et licet tu tam excelsus sis, nos autem tam humiles, id tamen non impedit, imò auget materiam & causam dilectionis. Multò namque amabilior est similitudo cum inæqualitate proportionata, quàm quæ omni ex parte est æqualis. Maior est amor patrum in filios, & vxoris in maritum, quam amor fratrū inter se, qui omni ex parte sunt æquales. Suauius sonant voces duæ inter se differentes, si ad proportionem reducantur, quam quæ consonæ sunt, & vniformes. Eodem modo cùm tanta sit similitudo & proportio inter te & animam meam, hæc inæqualitas maioris erit mihi dilectionis causa: quò enim res aliqua imperfectior est, eò magis diligit perfectiorem, vt ab ea perfectionem suam consequatur. Quantumlibet igitur, Domine, excelsus es & glorioſus, non tamen ob hoc nostra humilitas tuo conspectu destituetur: in lumine namque tuo te verū lumen videbimus. Et licet magnus nimis sis, non minùs tamen etiam bonus es: & quemadmodum celsitudo tua te facit maximum, sic bonitas tua te efficit humanissimum, quò minùs homines asperneris.

Dissimilitudo quæ est inter Deum & nos, causa maioris dilectionis est. Cant. 2.

Simile.

Hęc omnia cùm vera sint, si in te, Domine, omnes amoris causæ conueniant, quas humanus potest intellectus comprehendere, idque in gradu perfectissimo, quomodo excusari potest, quòd nostra voluntas te non amat tanto cum affectu, quantum dilectio tui requirit? Hæc est, ô Domine, infirmitas, quæ ex illo communi peccato adhæret, quo natura humana est adeò deprauata, adeoq; in semetipsam propensa, vt se plus amet, quàm omnia reliqua, omniaque in suum vsum disponat. Ideoque, Domine, nisi tu sanes naturam cum tua gratia, & nisi tu infundas in animas nostras virtutem charitatis, cum subsidio Spiritus sancti, non possumus te amare amore gratuito, & supernaturali, quali cum diligi vis & mereris. Et cùm tu, Domine, iubeas, vt te amore illo diligam, (quod sine te facere nō possum) da mihi gratiam, vt huic posim debito satisfacere. Da mihi, vt te diligam, si non tam feruenter, quàm tu dignus es, (id enim potest nemo nisi tu ipse) saltem quàm mihi possibile est: hoc est, ex toto corde meo, tota anima mea, tota fortitudine mea, & totis viribus meis: ita vt omnia viscera mea ardeant, & in amore tuo liquefiant. Da mihi, vt diligam te, amore simplici, nulla mihi proposita vtilitate, nihil vt cupiā magis quàm te: da mihi amorem fortem, qui nullum pro te laborem auersetur: amorem alacrem & diligentem qui semper occupetur in rebus ad cultum tuum pertinentibus: amorem vnitiuum, qui non intermittat amare te, nec vnquam separetur à te: amorem incomparabilem, qui omnia contemnat propter te: amorem discretum, qui non excedat legem tuam zelo & feruore immodico. Da, vt te diligam amore ordinato, qui omnia diligat, iuxta dignitatis cuiusq; proportionem, te autem super omnia; amore puro & casto, qui te non appetat, nisi propter te, amore dulci, & suaui, qui in nulla re saporem aut oblectationem inueniat, nisi in te; amore zelosō, qui nihil desideret magis quam tuam gloriam, & nihil magis sentiat, quam ignominiam sancto nomini tuo irrogatam: denique amore tam violento, vt segreget cor meum ab omni re peritura, temporali, & terrena, semperque ad te sublenet, donec transeat ex hoc loco exilij, in patriam illam cœlestem: vbi apertè videns tuæ pulchritudinis magnitudinem, amem te perpetuò cum illis perfectis amatoribus, qui nunquam cessant amare & laudare te Regem Regum, Dominum Dominorum, & Deum Deorū in Sion.

SEPTIMA CONSIDERATIO.

In qua exponitur, quot titulis & nominibus Saluator mundi noster est, nobisq; debetur: & quomodo illud in veteri testamento est prafiguratum.

CAPVT XXXVII.

Vnusquisque diligit & se & sua.

Dicunt Philosophi, bonum esse amabile per se sed quemque bonum suum proprium diligere. Dum namq; homo semetipsum naturaliter amat,

amat, sequitur eum etiam amare sua, tanquam bona propria ad se pertinentia. Quamobrem vnusquisque diligit suas ædes, suam vineam, suos nummos, famulos quoque suos, equos, & quidquid possidet: omnia namque illi seruiunt: ideoque homo, quo affectu semetipsum diligit, etiam omnia diligit, quæ sua sunt. Si tu itaque, mi Domine Deus, non solùm sis summum bonum, sed & bonum meum: Iubet hic considerare, quo in gradu meus es, & quot nominibus meus es: vt hinc manifestiùs cognoscã, quantopere amare te debeo.

Deus nobis est omnia.

Video itaque, mi Deus, quòd Creator meus es, quòd sanctificator, quòd glorificator es: tu enim dedisti mihi esse naturæ, esse gratiæ & esse gloriæ, quod esse summum est, ad quod tamen anima mea, pro infinita tua bonitate, est condita. Quia verò ad finẽ hunc tam sublimem multis opus erat medijs, etiam hæc mihi de tuo largiris. Tu enim meus es adiutor, meus gubernator, defensor, tutor, custos; tu me sustines, tu me excitas, tu me conseruas, tu denique Deus meus es, tu Dominus meus, tu salus, tu spes, tu gloria, tu omne bonum meum.

Quid Christus nobis est ratione humanitatis.

Tu mihi hæc omnia es, ô Domine, tanquam Deus; sed quatenus es homo, multi alij tibi sunt tituli, officia alia, atque alia vincula, quibus tibi sum obstrictus. Cùm enim lapsus hominis per peccatum tã immensus sit, cùm tam grauiter vulneratus, tam multa bona perdiderit, quæ omnia per tuam misericordiam sunt restaurata, tu tibi titulos innumerabiles conciliasti, pro ratione ac multitudine officiorum, quibus in hoc opere functus es. Tu namque meus es reparator; restituisti enim in integrum humanam naturam, quæ per peccatum erat corrupta & debilitata. Tu meus es liberator; tua namq; captiuitate me à tyrannide peccati, mortis, inferni, & Dæmonis hostis mei capitalis vindicasti. Tu meus es redemptor, pretio namq;, & incomparabili thesauro in vsum meum profuso, me à seruitute, in quã per peccatum lapsus eram, redemisti. Tu meus es Rex; regis namque me tuo spiritu, pro me pugnasti, & me ex hostium manibus eruisti. Tu meus es sacerdos, orasti namque, & oras indesinenter, tanquã æternus Sacerdos pro me in conspectu Patris tui cælestis. Tu meum es sacrificium; obtulisti namq; temetipsum in altari crucis, vt mea crimina clemens expiares. Tu meus es aduocatus: cùm enim Diabolus me accusat, & libellum meorum peccatorum Patri tuo porrigit, tu causæ meę patrocinaris; tu deponis de tuo, & supples omne id, quod meæ deest iustitiæ. Tu natus es mediator: es enim Deus simul & homo, amicus hominum, vt verus homo; amicus etiam potens coram Deo, vt verus Dei filius, atque ita te medium interponit inter Deum & homines. Tu meus es pastor, pascis enim & regis animã meã, tanquam ouem gregis tui. Tu meus es cibus: tu enim ipse es, quod mihi das, alimentum in illo diuinissimo Sacramento altaris. Tu meus es Pater, & pater futuri seculi; regenerasti namque me grauibus doloribus in arbore crucis, & per Spiritum tuũ nouam mihi essentiam inspirasti. Tu caput meum es, & quidem vniuersale caput Ecclesiæ, tanquam enim caput verum instillas illi, omnibusque illius membris virtutem, vitam, & sensum spiritualem. Tu verus medicus meus es; sanguine namque tuo vulnera & liuores animæ meæ sanasti. Tu meus es magister: doctrinæ namque tuæ luce viam ad cœlestem patriam mihi demonstrasti. Tu meum es exemplum: non enim verbis tantum, sed multò magis operibus, & vitæ tuæ sanctissimis exemplis in hanc me viam deduxisti. Tu mea es fortitudo, & gaudium: non enim est tribulatio vel dolor tam ingens, quem memoria & consideratio tuorum non faciat mihi dulcem & tolerabilem. Tu meus es honor; & mea gloria, factus namq; homo pro me, fecisti me fratrem tuum, tuæq; naturæ consortem. Tu denique meus Saluator es, & quidem Saluator, qui in omnibus mihi sufficis: perfectissime namque omne id, quod ad salutem meam requirebatur, in medio terræ operatus es. Ignorantiam namque meam tua doctrina illuminasti; debilitatem meã tuis exemplis corroborasti: teporem meum tuis beneficijs inflammasti: animam meam tuis mysterijs erudijsti: paupertatem meam tuis meritis locupletasti: vulnera mea tuis Sacramẽtis curasti: tuis doloribus pro meis voluptatibus satisfecisti: & nunc in cœlis ad dexteram Patris sedens pro me intercedis. Quid multis? tu (vt Apostolus ait) factus es mihi *sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio:* & per consequens, omne bonum. 1. Cor. 1.

Hæc officia atque beneficia ab initio mundi in Patriarchis & Prophetis, in cunctis sacrificijs, ceremonijs, & mysterijs veteris testamenti sunt præfigurata. Tu enim, Domine, es arbor illa vitæ, quæ stabat in medio Paradisi: siquidem tu ipse asseris, quòd cibus es vitæ, & qui te manducat, huic, quòd in æternum viuet, polliceris. Tu es secundus Adã, reparator generis humani, & pater omnium viuẽtium: è cuius latere sponsa tua Ecclesia formata est: cùm omne bonum spirituale, quod habet, à te receperit. Tu es verus Abraham, qui exiuisti de terra tua, & de domo patris tui, vt esses hæres mundi, & Dominus omnium gentium, vt in Psalmis dicitur. Tu verus es Iosue, qui cum virtute brachij tui populum tuum in terrã promissionis (hoc est, in beatitudinem gloriæ) strenuè induxisti: Tu es verus Sampson, qui moriens inimicos tuos interemisti, & morte tua destruxisti illum, qui mortis habebat imperium. Tu es verus Elias, qui in demortui pueri corpus prostratus, magnitudinem tuam contrahẽdo, & similem te illi faciendo, per incarnationem tuam, vitam amissam homini restituisti. Tu es verus Eliseus, qui mortuus mundum mortuum resuscitasti, vbi te contingeret. Tu es verus Salomon, sponsus Ecclesiæ, & Rex pacificus, qui sanguine tuo in cruce effuso cœlo & terræ pacem restituisti, iræ diuinæ tela in te excipiens, & chirographum peccati tuo sanguine obliterans, vniuersalem pacẽ inter cœlum & terram, inter Deum & hominem nobis conciliasti. Tu es arca fœderis, & propitiatorium ex auro purissimo: Tu candelabrum splendidissimum templi, & altare sacrificij: tu enim noster es recõciliator, tu noster pacificator, nostra lux, nostrum altare, in quo offerimus sacrificia orationum, & operum bonorum, vt grata sint & accepta coram Patre tuo cœlesti. Tu denique paschalis agnus es, per quem sumus liberati ab Aegyptiaca seruitute, & captiuitate Principis huius mundi: cuius mors nostram mortem interfecit, cuius sacrificium pro peccatis nostris satisfecit: cuius sanguis nos liberauit ab Angelo percutiente: cuius mansuetudo placauit iram Patris; cuius innocentia nobis veram sanctitatem & iustitiam comparauit. Gen. 2. Ioan. 6. Gen. 2. Gen. 12. Psal. 2. Iud. 16. 4. Reg. 4.

Hæc omnia & quidem plura tu es, Domine mi, omnibus & singulis, & quidem mihi vni. Qua igitur fronte non amabo Dominum, cui tot titulis & beneficijs sum deinctus? Si homines ratione amoris, quo semetipsos diligunt, etiam ament ea quæ sua sunt: cur non etiam ego amabo te, Domine, si te meum esse velim, & quidem meum tot nominibus & tam prægnantib. de causis? Et si pro singulis istis beneficijs tibi totum cor meum debeam, & quidem plura si haberem: ecquid tibi debebo pro his omnibus simul coniunctis? Quæ iniquitas igitur esset, nolle dare cor vnum quod habeo, cui tot etiã alia meri-

meritò deberem? Et si singula horum beneficiorum sint incentiua, atque stimuli dilectionis, nec non & sagittæ corda hominum transfigentes; quomodo ego inter tot incentiua frigidus permanebo, inter tot stimulos, & tot tela quomodo stabo quasi insensibilis? Tibi Domine de corde meo conqueror, tibi de eius infidelitate testificor: tu enim pluens in illud amoris causas innumerabiles, nihil ab illo refers dignum tot obligationibus. O cor ipsis feris ferius, saxo insensibilius, durius adamante, quod tot ictibus non mollitur. Amem igitur te, Domine, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota fortitudine mea, ex toto spiritu meo, & nihil in me sit, quod te non diligat. Si enim omnia tua sint, & tot rationibus tua, quem alium diligam præter te? Et quia diligere bene velle est huic, quem diligimus, tuque, Domine, tot bonis abundes, vt plura tibi optare non possim, quàm habes, etiam vt cor meũ habeas volo, Domine, & pro infinita tua gloria tibi gratias ago, nunquam intermorituras: similiter & hoc volo, vt omnes creaturæ tibi seruiant, te honorent, laudent, glorificent, & vniuersa terra tuis laudibus occupetur. Hoc sit semper meum desiderium hoc cibus, hoc deliciæ meæ, ab omni tempore vt benedicam, & laus tua in ore meo sit semper. Sed quia non est laus pulchra in ore peccatoris, oro Sanctos omnes & Sanctas omnesq; spiritus eiusdem aulæ cœlestis, vt semper te laudent: eorum enim est laudatio.

Canticum. Benedicite igitur omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Angeli & Archangeli benedicite Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Virtutes & Dominationes benedicite Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Principatus & Potestates benedicite Domino, laudate &c. Beati Throni, in quibus sedet & iudicat Dominus, Benedicite Domino, laudate &c. Cherubin & Seraphin, qui viuis flammis exardescitis amore vestri Creatoris, benedicite Domino, laudate &c. Apostoli & Euangelistæ, fundatores Ecclesiæ Christianæ, benedicite Domino, laudate, &c. Gloriosissimi exercitus Martyrum, benedicite Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Virgines inclytæ & continentes omnes benedicite Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Inde subijci potest Canticum trium puerorum, quod incipit: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis & superexaltatus in secula, &* Dan. 3. *Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctũ & laudabile & superexaltatum in omnibus seculis. Benedictus in templo sanctio gloriæ tuæ, & superlaudabilis & supergloriosus in secula, Benedictus es in throno regni tui, & superlaudabilis & superexaltatus in secula. Benedictus es qui intueris abyssos, & sedes super Cherubin, & laudabilis & superexaltatus in secula. Benedictus es in firmamento cœli, & laudabilis, & gloriosus in secula. Benedicite omnia opera Domini Domino laudate & superexaltate eum in secula, &c.* vsque ad finẽ Cantici.

ORATIO DEVOTISSIMA PRO impetrando amore Dei.

CAPVT XXXVIII.

CVruatis genibus cordis mei, prostratus, & absorptus in abyssо vilitatis meæ, cum omni timore atque reuerentia, quæ in vilissimum hunc vermiculum cadere potest, venio in conspectum tuum, ô Deus meus, tanquam pauperrima, atque vilissima huius mundi creatura. Sisto me ibi iuxta fluenta tuæ misericordiæ, iuxta torrentem tuarum gratiarum, ante splendorem veri Solis iustitiæ, cuius radij diffunduntur per vniuersum orbem terrarum, & liberaliter sese communicat omnibus, qui illis non occludunt portas. Ecce datur hic in manus artificis sapientissimi cretæ massa, & truncus rudis atq; impolitus ab arbore præcisus, fac clementissime Pater, ex illo, quod facere decreuisti. Magna est audacia, quòd creatura tam vilis audet petere amorem tam excelsum, & cùm magna sit humilitas mea, vellem aliquid humilius petere) sed quid faciam miser, cùm tu præcipias. vt amẽ te? Tu me creasti, vt te diligerem, & minaris mihi, nisi te diligam: mortuus es, vt te amarem, & præcipis mihi, vt nihil feruentiùs à te petam amore: sed & tantopere à me diligi cupis, vt videns me absque amore tui, institueris Sacramentũ admirabilis virtutis, quo cor meum amore tui inflammaretur. O Saluator mi, quid ego sum respectu tui, quod mihi iubes, vt te diligam, & hunc in finem tot tamq; admirabiles modos viasq; quæsiuisti? Quid ego tibi sum, nisi tribulatio, tormentum, crux? & quid tu mihi es, nisi salus, quies, & omne bonum? Si itaq; tu ames me, qui tibi per omnia sũ molestus: cur ego nõ amabo te, qui mihi in omnib. es vtilis atq; salutaris.

Confisus igitur, ô Domine, in his, tuis amoris pignoribus, & in pio illo mandato, quo vsq; ad finẽ vitæ placuit tibi, tã benignè me inuitare, & præcipere mihi vt diligerẽ, per hanc gratiam aliam similem oro, vt scilicet mihi tribuas, quod me iubes retribuere: non n. possum hoc dare tibi, nisi tu prior dederis mihi. Non ego dignus sum qui diligãte, sed tu dignus es, qui à me diligaris: ideoq; petere nõ audeo vt tu me diligas; sed vt des mihi licentiã, qua fretus amare te audeã. Noli fugere, Domine, noli fugere, ne respuas amari à tuis creaturis amore infinito.

O Deus, qui essentialiter amor es, amor increatus amor infinitus, amor sine mensura, non tantum amator, sed totus amor, à quo procedit amor omniũ Seraphin, & cunctarum creaturarum: nõ aliter, atque lux omnium stellarum à lumine Solis: cur non amabo te? qui potero me non vrere in hoc amoris igne, qui totum mundum, & quicquid in illo est inflammat & penè comburit?

O Deus, qui essentialiter ipsa bonitas, à quo bonum est, quidquid bonum dicitur: à quo omnium creaturarum bonitas (non aliter atq; à mari omnia flumina) deriuatur: in comparatione cuius plus quàm excellentissimæ bonitatis non est aliquid in cœlo, nec in terra, quod bonum dici potest: cur igitur non amabo te cum obiectũ amoris sit bonitas?

Quod si te non amo ob id, quod es in temetipso, cur non amabo te vel ob illud, quod es in me? Filius amat patrẽ, quia ab illo accepit quod est. Mẽbra diligunt caput, & sese morti offerũt pro illo, eò quod per caput in sua essentia conseruantur. Oẽs effectus amant suas causas: ab illis n. acceperunt, quicquid sunt, & ab illis expectãt, quod nondũ habẽt. Ecquis igitur horum desideratur titulorũ, aut deest tibi, ô Deus meus, quò minus tibi omne amoris tributum reddere debeam? Tu mihi dedisti esse, quod habeo, multò perfectiùs, quã mei parentes. Tu me cõseruas in hoc esse, quod dedisti, multò accuratiùs, quã caput mẽbra. Tu absolues in me, quod deest mihi in opere incepto, donec ad vltimũ punctũ perfectionis me adduxeris. Tu es pater, qui me fecisti, tu caput, quod me regit: tu spõsus, qui das animæ meæ perfectã felicitate. Tu architectus es ædificij; tu pictor huius figuræ ad tuam imaginẽ & similitudinẽ factæ, quã etiã perficies. Quidquid habet, à te accepit: quid quid deest ei, id abs te recipere sperat. Quẽadmodũ n. nemo ei potuit dare quod est nisi tu: sic etiã nemo potest perficere, q. restat, nisi tu. Ita vt quidquid habet, quidquid est, quidquid sperat, id omne tuũ sit. Quẽ igitur intuebitur, nisi te, cũ quo rationẽ inibit, nisi tecũ? quib. oculis aspicietur nisi tuis? quò diriget

om nem

Hier. 3. omnem amorem, nisi in illum, qui est omne bonũ eius? *Nunquid* (ait Propheta) *obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ?* Si tu igitur, Domine, sis omne ornamentum, & pulchritudo animę meę, quomodo tui potero obliuiscī? *Quid mihi in cœlo, & à te quid volui super terram? caro mea*

Psal. 27. *deficit, & cor meum: Deus cordis mei, & hæreditas mea in sempiternum.* Filij domus meæ, & omnes creaturæ fueres: & adulteræ coram Deo meo? fugite à me: non enim ego sum, vt seruiam vobis; neq; vos me poteltis consolari.

O amor increate: qui semper ardes, & nunquam extingueris: ô amor, qui semper viuis, & in pectore diuino æstuas. O paterni cordis æternum iaculũ, quod semper feris vultum filij vulnere amoris infiniti: eia vulneret me istud iaculum, inflammet me iste ignis, sequar te dilectum meum, psallam alta voce canticum amoris; deficiat anima mea in tuis laudibus amoris ineffabilis iubilo.

O sanctissime Pater, ô clementissime Fili, ô amantissime Spiritus sancte, quando tu Pater amãtissime habitabis in anima mea, & in secreto cordis mei moraberis atque me totũ possidebis? Quando ero totus tuus, & tu totus meus? Quando erit illud, ô mi Rex? Quanto veniet dies ille? O quando? ô si adesset? Cogitem fortè me illum visurum? O quã ingrata mora, quam odiosa dilatio? Propera ô bone Iesu, propera & noli tardare: reuertere, & curre instar capreæ, hinnulique ceruorum super montes Bethel.

O Deus meus, refrigerium vitæ meæ, lumen oculorum meorum, consolatio in meis tribulationibus, portus meorum desideriorum, paradisus cordis, centrum animæ, pignus gloriæ, socius peregrinationis, gaudium exilij, medicina vulnerum, misericors flagellum meorum peccatorum, magister ignorantiarum, dux viæ, nidus in quo requiescit anima mea, portus in quo seruatur, speculum in quo seipsam contemplatur, baculum cui innititur, lapis super quem ædificatur, & thesaurus pretiosus in quo gloriatur.

Psal. 36. Si tu igitur, Domine mi, sis hæc omnia, quomodo potero tui vnquam obliuiscī? Si non recordatus fuero tui obliuioni detur dextera mea, adhæreat palato lingua mea, si tui oblitus fuero: *Si dedero*

Psal. 131. *somnum oculis meis, ô Trinitas sancta, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam* hunc amorem, donec inueniam *locũ Domino* in corde meo, *tabernaculum Deo Iacob*, qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

ALIA ORATIO PRO AMORE Dei impetrando ex variis D. Augustini verbis compilata.

CAPVT XXXIX.

AMem te, Domine, fortitudo mea: amem te, virtus animæ meæ, amem te semper, ineffabile cordis mei gaudium. Viuam non mihi, sed tibi toto tempore vitæ meæ: quæ cũ magna mea miseria esset perdita, per magnam tuam misericordiam est restituta. Tardè Maiestatem tuam timui, tardè pulchritudinem tuam tam antiquam cognoui; tardè nimis bonitatem tuam sempiternam amare cæpi. Ego te refrigerium meum quærebam, & nõ inueniebam: non enim te rectè quærere didiceram. Quærebam te in his rebus externis, & tu eras in internis. Circuibam omnes regiones & plagas mũdi, & nusquam inueni requiem, quam quærebam: quærebam enim extra me, quod in me erat. Rogabam terram, si Deus meus esset? & respondit mihi, Ascende vlterius, quia ego non sum Deus tuus. Rogabam aerem & ignem, an ipsi essent Dij mei, & responderunt mihi? Ascende vlterius, quia nos non sumus Deus tuus. Quærebam ex Sole, ex Luna, & ex stellis, an quid illorum Deus meus esset? & respondẽrũt mihi vnanimiter. Altiùs ascendas oportet; quia nemo nostrum Deus tuus est. Interrogaui denique creaturas omnes, & clamarunt ad me? Ille qui nos fecit, verus Deus & Dominus tuus est. Vbi est igitur Deus meus? dicite mihi. Vbi quæram illũ? ostendite mihi. In omni loco Deus est, quære illum in temetipso. Ipse implet cælum, implet terram, implet & cor tuum.

Conuersus itaque ad cor meum, cœpi dicere Deo meo; Quomodo huc intrasti, ô Domine mi? per quã portam ingressus es dulcis amor mi? Quærebam ex oculis meis, & dixerunt; Si color non sit, per nos intrare non potuit. Quærebam ex auribus & responderunt; Si sonus non sit, per nos intrare non potuit. Interrogabam sensus alios, & responderunt? Si nihil attulerit secum, quod sentiri potest, per nos ingressus non est. Adeo, Domine, vt tu intus esses, atque sensus non animaduerterint. Ingressus igitur quomodo es animam meam, & non ingressus es per aliquod ostium? Lux tua lucet ita vt locus non comprehendat illam: vox tua sonat, & aer non interuenit: dulcedo tua oblectat, & palatum non afficitur: odor tuus sanctissimus recreat, vbi venti non agitantur: & brachia tua tangunt, vbi nemo potest vnquam cogere. Psal. 7

Vbi eras igitur mi Deus? vbi eras mea lux? vbi eras spes mea? rogabam, & dixit mihi: Ascende in superiores partes cordis tui, & illic Deum inuenies. Verè tu magnus es, qui nostram sapientiam deuicisti. Tu solus potens, & verè beatus. Tu es Rex Regum, & Dominus Dominantium. Tu es immortalis, & lucem habitas inaccessibilem, quam nemo mortalium vidit, aut videbit vnquam, & viuet. Multa dicuntur de te, sed minora semper sunt, & verba facilè deficiũt. Tu enim excedis omne quod dici potest, & omne quod potest cogitari. Illud igitur est Deus meus: qui pro sua sola bonitate & nobilitate creauit omnia, & eadem gubernat omnia, cùm tamen nihil horum ipsi sit necessarium.

Tu amasti me, amor vnice, Domine mi: amasti me priùs, quàm ego amarem te. Tu me creasti ad imaginem & similitudinem tuam, atque in omnes creaturas dominium mihi contulisti. Angelos cœli mihi custodes dedisti, & mandasti illis de me, vt in Psal. 90. manibus suis portarent me. Noluisti me nasci in terra infidelium, sed fidelium: in qua ex aqua & Spiritu sancto regeneratus, & sanctificatus sum. Non dedisti mihi diuitias, nec paupertatem, ne aut superbirem, aut nimis vilescerem: sed dedisti mihi in- Proverb. tellectum & sapientiam, vt te cognoscerem, & amarem. Vocasti me, quando eram perditus, & pulsasti ostium meum, licet ego non responderem. Ego viuebam mihi ipsi, & fortitudini meæ nimium tribuens, cùm tamen non esset fortitudo, sed infirmitas. Volebam currere, & delassabar: atque ideo vbi securum me fore arbitrabar, ibi maximè periclitabar. Recessi à te sicut filius prodigus, & abiui in regionem longinquam, atque inhabitatam, vbi amans vanitatem, vanus factus sum. Cæcus eram, & cæcitatem amabam: seruus eram, & seruitutem diligebam: captus eram, & de captiuitate mea non erat mihi cura: quod amarum erat, id mihi dulce videbatur, & quod dulce, id amarum iudicabam: denique cùm totus essem miser, miseriam meam non agnoscebam.

In hoc perditionis statu cùm essem, oculos tuæ pietatis in me coniecisti, & quamdiu in te peccabã, tamdiu me visitare non dedisti. Cum cecideram, leuasti me: cùm plenus essem ignorantia, docuisti me:

me: cùm venditus & inimicis meis traditus essem, inclinasti cælos, & descendisti, vt redimeres me, & in tantum diuitias meas augere desiderasti, vt in vsum illarum proprium sanguinem tuum dederis. Dilexisti me, Domine, amplius quam vitam tuam: mori namque pro anima mea voluisti. Hoc modo, & pretio tam caro me ab exilio liberasti, atq; à tormentis æternis redemisti: vocasti me nomine meo, & sanguine tuo me consignasti: vt tua memora semper esset in me, & nunquam à corde meo recederet, qui pro me à cruce non discessit.

Cognoscam igitur te, Domine, cognitor mi: cognoscam te virtus animæ meæ: ambulem semper tecum, ô Sol iustitiæ, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam:* inquit Psal. 72. Propheta. Etenim confestim cùm tibi non adhæreo, meque à te auerto ad res perituras me conuerto, vanisque cogitationibus, & verbis inutilibus distrahor. O me miserum igitur & infelicem, quando tã inseperabiliter adhærebo tibi, vt nunquam diuellar à te? Quando cogitationes, verba, & opera mea ab æquitatis & iustitiæ tuæ regula non amplius discrepabunt? Tu Domine solitudinem amas, & ego hominum commercia; tu silentium, ego fabulas; tu veritatem, ego vanitatem; tu puritatem, ego immunditiem.

Oro igitur te, Domine, per temetipsum, vt oculos meos illumines tuo lumine, & cor meum amore tuo vulneres, gressusque meos in viam mandatorum tuorum sic dirigas, vt nunquam ab illa declinem. Libera, Domine, captiuum, vagum in vulnera tua introduc, lapsum de terra eleua, & refice, qui omni ex parte debilitatus est. Da mihi, Domine, cor, quod te semper cogitet; memoriam, quæ tui nunquam obliuiscatur; intellectum, qui te semper contempletur, & voluntatem, quæ te semper diligat.

Ne fugias à corde meo, ab ore meo, & ab operibus meis ne decesseris, vt mihi semper adsis adiutor, & patronus in omni necessitate. Adesto mihi, quia sine te morior: adesto mihi, qui cum tui meminero etiam mortuus reuiuisco. Odor tuus suauissimus me oblectat; memoria tui me sanat; lux tua mihi vitam largitur, & vox tua me refocillat: tunc autem satiabitur anima mea, cum apparuerit gloria tua.

EXPOSTVLATIO IESV CVM HOMINE suapte culpa pereunte: in qua commemorantur omnes causæ amoris, quas (licet in Deo sint) homo in creaturis, rebusque transitorijs, Creatore neglecto, quærit.

CVM mihi sint vni bona, quæ vel frondea tellus,
Vel Olympus ingens continet:
Dicite mortales, quæ vos dementia cepit,
Hæc aucupari vt vnde vis.
Malitis quàm de proprio deposcere fonte
Adeò benigno & obuio?
Mendacesque inuat trepido miseroque tumultu
Vmbras bonorum persequi?
Pauci me, qui sum verè largitor & auctor
Felicitatis, expetant?
Forma rapit multos, me nil formosius vsquam est:
Formam ardet hanc nemo tamen
Suspiciunt cerus, antiquaque stemmata multi,
At me quid est illustrius?
Vt qui sim genitore Deo, Deus ipse profectus,
Genitrice natus Virgine?
Vnde fit, vt mecum vix gestiat vnus & alter
Affinitatem iungere?
Maximus ille ego sum, cæliq; soliq; Monarcha,
Seruire nobis cur pudet?
Dives item & facilis dare magna & multa roganti,
Rogari amo, nemo rogat.
Sumq; vocorq; Patris summi Sapientia: nemo
Me consulit mortalium.
Ipse ego sum æthereis splendorq; decusq; Parentis,
Me nemo stupet aut suspicit.
Sum firmus iuxta ac iucundus amicus amico,
Me pariter ac meas opes,
Candidus atque lubens charis impertio: nemo hanc
Ambit necessitudinem.
Sum via, qua sola cæli itur ad astra, tamen me
Terit viator infrequens.
Cur tandem ignarum dubitat mihi credere vulgus,
Æterna cùm sim veritas?
Pollicitis cur stulte meis diffidere pergis,
Cùm sit nihil fidelius?
Auctor adhæc vitæ cùm sim vnicus, ipsaq; vita,
Cur sordeo mortalibus?
Lux ego sum, cur huc vertunt sua lumina pauci?
Dux, cur grauamur insequi?
Viuendi rectè certissima regula solus,
Aliunde formas cur petunt?
Ipse ego sum solus vera & sine felle voluptas,
Quid est quòd ita fastidior?
Vnica pax animi, quin huc deponitis ægri
Curas edaces pectoris?
Si benefacta truces etiam meminere leones,
Referuntq; bellua vicem,
Respondere ferimerito didicere dracones,
Si meminit officij canis,
Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem,
Cur efferatior feris,
Me me non redamas homo, cui simul omnia feci?
Quem condidi? quem sanguine
Asserui proprio, propriaque à morte recepi
Dispendio vitæ volens?
Si bos agnoscit dominum, si brutus asellus
Agnoscit altorem suum,
Cur me solus homo malè gratus nosse recusat
Et conditorem & vindicem?
Quorsum distraheris per tot dispendia grassans
Laboriosa inertia?
Sum placabilis & pronus miserescere: quin hoc
Miser ad asylum confugis?
Idem implacabilis iustissimus vltor iniqui,
Cur non times offendere?
Corpus ego atque animum nutu sub tartara mitto,
Nostri metum vix vllus habet.
Proinde mei desertor homo socordia sito
Adducet in mortem tua.
Præteritum nihil est, in me reiecito culpam,
Malorum es ipse auctor tibi.
Nam quid adhuc superest, si te neque prouocat ardens
Sui, q; prodiga charitas?
O bis marmoreum pectus, neque mitigat vnquam
Adeò profusa benignitas?
Si neque tantarum vel spes certissima rerum
Expergefacit & allicit?
Si neque tartareæ cohibet for mido gehennæ,
Nec vllus admonet pudor?
Imò si durant magis hæc, adduntq; stuporem
Tam multa tamq; insignia,
Vt facilè immanesq; feras, calibemq; petramq;
Rigore victo molliant,
Quid faciat pietas quibus artibus abstrahat vltro
Deuota morti pectora?
Inuitum seruare nec est mentis puto sanæ,
Et patria prohibet æquitas.

CONCLVSIO TOTIVS LIBRI
summam illius breuiter complectens.

CVm ad finem præsentem hunc librum produxissem, putaui me operæ pretium facturum, si subiunxero documentum aliquod insigne, quod quasi caput & summam omnium eorum, quæ hactenus tradita sunt, complecteretur: vt qui ad diuinum hunc amorem aspirant, semper ante oculos habeant mediũ aliquod, cuius ope obtineant, quod quærunt. Id hoc loco apta quadam similitudine declarabo. Qui huius amoris desiderio æstuat, perpetuum sibi scopum proponat, quomodo poterit Deo totus offerri, non tantum vt sacrificium viuum, sed etiam vt holocaustum verum. Quod vt melius intelligatur, scire oportet, quòd antiquitus in cõmunibus legis sacrificijs animal nec offerebatur totum, nec totum comburebatur, sed certæ quædam & peculiares illius partes. In holocausto verò offerebatur totum animal integrum, & cum omnibus mẽbris eius, vsque ad pellem ipsam: ita vt nihil maneret residuum, quod non offerretur Deo, & in altari non combureretur. Eodem modo sese res habet spiritualiter cum his, qui renunciantes omnibus rebus huius mundi, seipsos totos, cum omnibus sensibus, & potentijs suis diuino cultui deuouerunt: adeò vt sibi leges constituant, quod nec pedem mouebunt, nec quidquam agent, dicent, aut cogitabunt, nisi quod diuinæ legi est consentaneum: illam sibi semper ob oculos præfigentes, tanquam iudicem & testem vitæ suæ, & tanquam vltimum finem, iuxta cuius præscriptum omnes actiones sunt dirigendæ, dicentes cum Propheta? *Dominus in conspectu meo est semper.* Id autem fit, si quocunque tempore, & in omni negotio ita occupemur extrinsecè, semper vt aliqua intellectus particula sit libera, quæ Deo vacet, illumq; contempletur cũ reuerentia & amore, vt in secunda parte quius libri latius declaratũ est.

Hanc viuendi rationem inter alios Doctores plurimùm laudat & describit S. Gregorius Nazianzenus, in apologia fugæ suæ, cùm ad episcopatũ à populo quærebatur, his verbis: Huius itaque rei causas iamdudum auidè expetitas accipite. Maximè quidem inopinato rei euentu perculsus, quemadmodum qui repentinis strepitibus exterrentur, rationem mentemque tenere nequiui: ex eoque factum est, vt pudorem, cui per omne vitæ tempus assueueram, discusserim ac profligarim. Subibat deinde animum meum amor quidam tranquillæ vitæ, atque ab hominum frequentia semotæ; quam cũ iam inde à primis annis adamassem, sic vt vix quispiam alius eorum, qui literis operam dederunt, eãque in maximis grauissimisque periculis Deo voluissem, imò iam etiam hactenus contigissem, quòd velut in limine ac vestibulo essem, factoque periculo vehementius eius amore atque desiderio flagrarem, non tuli me imperiosè cogi, atque in medios tumultus contrudi, ab hacque vita perinde atque ab asylo quodam per vim auelli. Nihil enim fortunatius mihi eo homine esse videbatur, qui clausis compressisque corporis sensibus, atq; extra carnem mundumque positus, in seseq; collectus, nec nisi summa necessitate impellente, quicquam humanarum rerum attingens, atque & secum ipse, & cum Deo colloquens, superiorem rebus in aspectũ cadentibus vitam agit, diuinasque species & imagines puras semper, nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas, in seipso circumfert, ac Dei rerumque diuinarum purum omnino speculum est, inque dies efficitur, luciique lucem, obscuriori videlicet clariorem adiungit, ac iã futuri æui bono fruitur, & cum Angelis versatur, & licet adhuc in terris agens terram deserit, atque à spiritu in cœlo collocatur. Si quis vestrum hoc amore correptus tenetur, quid dicam, intelligit, atque affectui ei, in quem tum incidi, facilè ignoscet. Nã apud plerosq; mortalium ne fidem quidem fortasse oratio hæc nostra inueniet, qui risui etiam atque ludibrio rem eam habere videntur. Hactenus S. Gregorius Nazianzenus, in quibus verbis egregiè suis coloribus depinxit vitam contemplatiuam, eiusque officia: dignitatem quoque & excellentiam illius. Per illam enim homo extollitur, & nobilitatur adeò, vt particeps fiat dignitatis illorum supernorum Spirituum, faciens in terra, quod illi in cælis faciunt sine intermissione.

Greg. Nazianzen. in Apologia fugæ suæ.

Cæterum hoc genus vitæ non omnibus hominibus conuenit, sed ijs, quorum professio est renunciare omnibus rebus seculi, omnemque vitam, actiones, opera, & verba diuinis rebus habere occupata: quamuis etiam extra religionem inueniantur qui cùm filios non habeant, neque familiam, cùm rebus externis minùs distrahantur, tali viuunt in statu, vt si vellent, possent omnem vitam suam in amore diuino, cultuque Creatoris sui consumere, gaudere quoque fructibus & beneficijs eiusdem amoris. Si enim multi Philosophi non habentes lumen fidei, omnibus rebus mundi nuncium miserint, vixerintque in illo tanquam exules & peregrini, vt sese occuparent operum naturæ contemplatione; idque ob eximiam dulcedinem, quam ex illa percipiebant: quid mirum, si id faciant Christiani, ope luminis sancti Spiritus adiuti, opera gratiæ, quæ operibus naturæ multò sunt excellentiora, cõtemplando. Ne autem quod dico incredibile cuiquam videatur, producam in medium locum aliquem ex Platonis Dialogo, cui nomen est Theætetus, cuius mentionem facit Eusebius & Theodoretus, tanquam rem admiratione dignam referentes. Inquit itaque Plato: Dicamus ergo de ipsis Coryphæis: cur enim quis illos, qui infelici & inani quodam studio philosophica tractant commemoret? Primum enim viam ad forum ignorant, neque vbi sit curia, vbi senatus, publicusue alius ciuitatis consessus intelligunt. Leges autem, & ea quæ vocantur plebiscita, aut alia publica scripta, nec vident, nec audiunt. Studia autem factionesque sodalitatum, ac magistratuum publicorumque munerum creationem, & omnia publicas dapes, & cum tibicinis comessationes factitare, ne per insomnium in mentem venit. Quid verò aut bene, aut malè, aut in ciuitate suo tempore geratur, aut olim apud maiores gestum sit, virisve seu mulieribus, magis ipsum fugit; quam vt dicitur, maris arenę. Et se hæc quidem ignorare intelligit: non enim ab illis abstinet eo consilio, vt popularis auræ nomen sibi captet, sed reuera ipsius tantùm corpus in ciuitate est & versatur: mens autem hæc partia ducens & nihili potiùs æstimans, vbique fertur, vt Pindari verbis vtar; & quæ sub terrã sunt, & quæ super terram dimetiens & quæ super cælum astronomiæ rationibus explicans, & omnem vbique rerum naturam, quæ vniuersi ambitu continetur, perueftigans; non vero sese proximis rebus vllo modo submittens. Quemadmodum Thales, dum astrorum contemplationi nimiùm intentus esset, & sursum aspiceret, in puteum prolapsus à Thressa quadam ancilla opportuno, lepidoque dicterio fuit notatus: Illum magno studio velle res cœlestes perutidere; eas verò quæ ante pedes essent ignorare. Quod sane dicterium in omnes quadrat, qui in Philosophiæ studio vitam traducunt: nam huiusmodi homines reuera vicinos & propinquos suos minimè norunt, non tantùm quid agant, sed pene an homines sint, aut aliud animal. At quid sit homo, & quid humanæ naturę cõueniat,

In libr. de præpar. Euang. in Dialogo cui Theætetus nomen

ueniat; quid ab alijs discrepet, quid excellat, quid propriè agat, aut patiatur, negotioso studio satagit, & pertœstigat. Cùm igitur huiusmodi Philosophus seu priuatim, seu publicè rem cum quolibet gerit; cum vel in foro, vel alibi cogitur de ijs rebus, quæ ante pedes sunt, & ob oculos versantur, colloqui, risum mouet non Thresis tantùm, sed & reliquæ turbæ, cùm in puteos, omnemque adeò inuolutarũ difficultatum dubitationem, præ imperitia incidat. Hęc Plato, cuius verba ex vna parte admirationem pariunt, ex altera pudorem, eò quod non posit in nobis gratia, quod in illis potuit Philosophia. Verum quidem est, Sanctos Patres à Spiritu sancto illuminatos, & inflammatos igne charitatis, ad summum huius contemplationis gradum peruenisse: sæpe namque adeò in ecstasin atque amorem rerum cœlestium rapti sunt, vt vsum omnium sensuum amiserint, sicut de multis Sanctis legitur, & præcipuè de B. Thoma; in cuius vita narratur, quòd quodam die contemplationi deditus, stans in monasterio S. Trinitatis, candelam ardentem in manu habuit, quæ cùm pene absumpta esset, digitos eius misèrè combusit; sed sanctus vir adeò in contemplationibus erat absorptus, vt flammam omnino non senserit.

Volui iccirco sub finem huius libri tale exemplum Philosophorum attexere, vt qui amoris diuini desiderio flagrat, animum non despondeat, nec diffidat, se quò tendit, adiuuante Spiritu sancto peruenturum: præsertim cum eò perfectionis ascenderit philosophia humana. Ideo semper ipsi ab oculos versetur id, quod diximus; in hoc scilicet totus incumbat, vt fiat viuum holocaustum; hoc est, vt singula vitæ momenta, omniáque verba & opera tendant in amorem & obsequium sui Creatoris. Quòd si aliquando ab hoc scopo deuiauerit, cogitet se speciem aliquam furti commisisse, circa id, quod Deo obtulit, & mox ad derelictam viam reuertatur.

Mandabat Deus in lege Iudæis, vestimentis suis signum aliquod assuere, vt quotiescunque illud intuerentur, legis mandatorum Dei recordarentur: seseq; colligerent ista memoria, tanquam populus, qui legem hanc profitebatur, & qui ad illius obseruantiam erat consecratus. Hæc erat prouidentia digna illo Dño; qui optimè nouerat, plurimum interesse hominis, legem hanc vt diligenter custodiat. Loco igitur huius signi gerat in mente amator perfectionis verbum hoc HOLOCAVSTVM: memor quod totũ se Deo obtulit, quodq; segregatus est, vt sit viuum & verum holocaustum Domini, hoc est, vt sit homo, qui in nulla re suus est, nec alterius cuiuspiã, præter Deum: qui nec cogitet quippiam, nec loquatur, nec operetur, quod cum diuina lege non congruit, atq; ad augmentũ diuinæ gloriæ non pertinet. Cumque memoria huius verbi subitò sese recolligat, componatq; cor, corpus, & sensus suos, tãquam homo qui deuinctus est, ne in aliqua re legẽ transgrediatur, aut à præsentia sui Domini aberret. Perinde atq; Dominus noster factus est viuum holocaustum propter nos: à primo namque suæ conceptionis momento, vsque ad mortem crucis, non quieuit ad ictum oculi, aut pedem mouit, nisi vbi nostram operabatur salutem: sic etiam amator Dei fiat holocaustum viuum in sui Saluatoris obsequio, modo iam dicto, & sic quodammodo satisfaciet debito suo tam immenso. Quòd si cui hæc nimis ardua videantur, meminerit nos toto hoc libro nil aliud tractare, quàm de perfectione vitæ Christianæ quæ nil aliud includit, quàm vt homo fiat holocaustum viuum Deo, in quo nihil residuum sit, quod non in amore & cultu diuino absumatur.

Ne verò animum penitus abijciant illi, qui tali in statu sunt, vt non possint totum vitæ curriculum & actiones suas eò dirigere, vt toti Deo seruiant, hoc est, vt fiant perfectum holocaustum, in hoc saltem incumbant, vt sint viuum sacrificium, in quo pars interior offerebatur potissimùm Deo: & sic illi studeant, vt cor, & omnis pars animæ interior offeratur Deo, exterior verò operam det rebus ad vitam corporis necessarijs: sic tamen, vt illud primum locum, hoc secundum occupet; illud sit tanquam primarium, hoc tanquam accessorium: illud voluntarium, hoc necessarium. Ita vt quemadmodũ oleum (sicut iam antea dictum est) omnibus alijs liquoribus supernatat: sic amor ille Dei & cogitatio, & desiderium illi seruiendi, omnibus alijs cogitationibus & desiderijs dominetur.

Neque verò nimium affligatur anima, si subinde cor ad Deum eleuans non inueniat statim dulcedinis gustum, quem quærit: siquidem videmus infirmos, qui quasi coacti comedunt sine appetitu paulatim corroborari, & naturam eorum debilitatam restaurari, ac tandem eos cum appetitu manducare. Sed nec horreat quispiam multitudinem documentorum, quæ hoc libro tradidimus, quæ sũt tanquam scalæ, quibus ad summitatem amoris Dei ascenditur: incipiens namque homo sana, puraque intentione facere ex parte sua, quod potest, sentiet mox diuinam bonitatem, & sapientiam sibi non deesse: Pollicetur id Sapiens, cùm dicit: *Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet. Quoniam* (ait) *dignos se ipsa circuit quærens, & in vijs ostendet se illis hilariter & in omni prouidentia occurret illis.* Principium igitur huius sapientiæ magnum ardensque illius est desiderium quiq; à Domino percepit illud iam bonam itineris huius partem peregit. Dignetur hoc omnibus fidelibus concedere is, qui cum Patre & sancto Spiritu viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen. Sap. 6.

(o)

FINIS ADIVNCTI PRIMI.

MEMORIALIS VITAE CHRISTIANAE ADIVNCTVM SECVNDVM CONTINENS MEDITATIONES DEVOTISSIMAS ET VTILISSIMAS.

DE PRAECIPVIS ARTICVLIS, ET MYSTERIIS VITAE Seruatoris nostri Iesu Christi, à Conceptione illius, vsque ad Ascensionem.

Auctore R. P. F. LVDOVICO GRANATENSE: Ordinis Prædicatorum.

INTERPRETE MICHAELE AB ISSELT.

QVAM VTILIS SIT MEDITATIO de vita & morte Seruatoris.

In prologo & meditatione vitæ Christi.

INTER omnia exercitia vitæ spiritualis (si Bonauenturæ credamus) nullum est vtilius, nullum ad altiorem perfectionis gradum potest animam euehere, quam meditatio vitæ & mortis nostri redemptoris. Non enim reperitur quicquam, quod potentiùs nos armat contra vanitates, blanditiasque huius seculi (quemadmodum & contra illius aduersitates & tribulationes) quàm in vita & morte Christi iugiter meditari; id enim præsentissimum, perfectumque est contra hęc mala remedium. Præterea per frequentem hanc meditationem homo sibi conciliat quandam familiaritatem, fiduciam & amorem cum hoc Domino: quæ si adsint facilè contemnuntur omnia, quæ sunt extra Deum in creaturis posita. Quin etiam dic mihi sodes, vbi terrarum inuenies facilius & perfectius virtutem altissimæ paupertatis, profundissimæ humilitatis, perfectissimæ charitatis, obedientiæ, patientiæ, mansuetudinis, & orationis, cum cæteris coniunctis & cognatis virtutibus, quàm in vita Domini virtutum? Quare, vt dicit Sanctus Bernardus, homo qui virtutes sibi vult comparare, frustra laborat, si eas alibi quærat, aut ab alio petat, quàm à Domino virtutum, cuius doctrina est regula prudentiæ, cuius misericordia est opus iustitiæ, cuius vita exemplũ est temperantiæ, cuius mors est vexillum patientiæ. Et in alio loco dicit idem; Vnde nascitur patientia martyrum, nisi ex eo, quòd martyr pia & continua meditatione se abscondit in plagis & vulneribus Christi? Stat in his Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacerato corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed & alacriter, sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea, ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet & negaret.

Bern. Serm. 22. in Cantica.

Vita Christi regula prudentia.

Bern. Serm. 61. in Cant

Martyr vndo.

Ad hunc itaque modum, qui vult (vt quidam Doctor ait) ad veram Dei cognitionem peruenire, qui veram appetit rerum æternarum sapientiam, qui desiderat habere meritorum diuitias & abundantiam, qui cupit ad summum omnium virtutum culmen & fastigium gratiarum ascendere; qui inter aduersitates prosperitatesque mundi huius certum quod optat apprehendere, regiaque inter vtrasque via incedere, incumbat semper horum mysteriorum contemplationi, & eorum in corde semper recordetur. In cruce siquidem Christi humiliat sese superbia, crescit charitas, dilatat se se perseuerantia, spes exurgit, & omnis vita nostra conformis illi redditur, qui amori nostri totum se se nobis conformauit.

Fastidium idem semper meditandi malum.

Inter multas alias causas, exercitijs pietatis contrarias, vna, eaque maxima est, fastidium idem semper cogitandi vel meditandi. Contra fastidium verò hoc non est remedium efficacius mysterijs vitæ atque mortis nostri Redemptoris. In his enim latissimos spaciosissimosque campos habes, qui omnium florum venustate & varietate ornantur: hic conspiciuntur exempla, hic leguntur doctrinæ hic abscondita eruuntur mysteria, hic inuenit homo semper aliquid noui, quò poterit non solùm fastidium tollere, sed intellectum optimè illustrare, & mentis deuotionem excitare. Quæ enim res maiori varietate est distincta, quam vita Seruatoris, si illam ab incarnatione vsque ad gloriosam illius Ascensionem minutatim discutiamus quot hic loca, quot articuli, quot stationes, quot mysteria, quot exempla, quot miracula, quot consilia, quot doctrinæ passim disseminata sunt? quid posset pium cor Christiani desiderare, quod in vita Christi non inuenitur copiosè, & cum spirituali delectatione? quam posset homo virtutem appe-

tere,

tere, cuius hic non præferuntur exempla plurima eaque admiranda?

Varij deuotorum affectus.

In effectibus deuotionis vnius cor propendet ad sympathyan, quam compassionem vocant, alterius ad amorem, huius ad timorem, illius ad spem, quidam ad dolorem peccatorum inclinati sunt: nonnulli ad mirabilia opera Dei contemplanda; alij ad rerum humanarum contemptum: hic mauult odio peccatorum se exercere, illo alio aliquo simili affectu ducitur. Quis quæso horum affectuum est, cuius in Vita Christi stimuli atque incentiua efficacissima non inueniuntur? quibus in affectum illum nō aut manu ducimur, aut calcaribus incitamur. Cui lachrymæ deuotionis in Christi natiuitate? cui cōpassionis in morte? cui amoris deerunt in tota illius vita? Quis non ad stuporem vsque admirabitur profundissimæ humilitatis & ardentissimæ charitatis abyssum, quæ resplendet in omnibus operibus Vitæ Seruatoris? quis non timebit horrendum diuinæ iustitiæ supplicium, quæ adeò in proprium filium desęuijt? Quis versa vice non sperabit considerans merita Christi, & expendens valorem sanguinis tam pretiosi? Et si singula discutias, nihil deliderabitur. Vita Christi est regale conuiuium omni genere cupediarum & ferculorum refertissimum, paradisus omnium delitiarum, hortus floribus venustissimis diuersissimisque consitus, forum omnium rerum venalium.

Proinde nullus est, qui sese poterit excusare, & dicere, nihil esse in Vita Christi, quod sibi aliquid vtilitatis potest adferre, aut suam salutem promouere. Exercitium hoc inter omnia alia est vtilissimum, dulcissimum, sublimioribus sublimissimum humilioribus humillimum, sapientibus maximè profundum, ignorantibus & simplicibus facilè & satis apertum. Etiamsi verò ardua sit & sublimis diuinitatis Christi contemplatio, humanitatis tamen eius est quasi porta, per quam ad diuinitatem ingredimur. Propterea voluit Saluator latus suum aperiri lancea, vt significaret nobis, quòd per feneſtrā vulneris illius intrare debemus ad secretum cordis & sanctuarium diuinitatis ipsius. In illo siquidem diuino vulnere eminentissimo quodammodo; & plus quam in vllis alijs rebus relucent diuina bonitas, misericordia, sapientia, omnipotentia, prouidentia, iustitia, charitas, omniaque alia bona & perfectiones diuinæ.

Humanitas Christi, porta est diuinitatis.

Ad diuinum hoc exercitium iuuant nos exempla & exhortationes Sanctorum, qui tota vita huiusmodi contemplationi studuerunt. De beata virgine Cæcilia memoriæ proditum est, quòd semper Euangelium Christi in pectore gestabat. Non, inquit Bonauentura, intelligendum hoc est, quasi codicem Euangeliorum in sinu portauerit, sed in corde meditando & ruminando assiduè, tanquam animal mundum, doctrinam, & mysteria vitæ Saluatoris.

S. Cæcilia Bonau. In prologo meditationum Vitæ Christi ad Virginem monialem

Non dissimile huic est exemplum sancti Patris nostri Dominici, de quo scriptum est, quod semper circunferebat Euangelium Matthæi, ex quo diuinus ille vir, tanquam de mensa cœlesti sumebat, quod manducaret ipse, quodque manducandum daret filijs, quos Christo genuerat.

S. Dominic.

Sanctus & mellifluus ille Doctor Ecclesiæ Bernardus in hoc extremo totam vitam suam consumpsit, & beneficio illius ad tantam perfectionem vitæ peruenit, quod de seipso testatur, dicens: Et ego, fratres ab ineunte mea conuersione pro acernuo meritorum: quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collecare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei. Primùm videlicet infantilium illarum necessitatum: deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium: quæ in salutem nostri generis silua Euangelica copiosissime noscitur protulisse. Hæc meditari dixi sapientiam, in his iustitiæ mihi perfectionem constituis in his plenitudinem scientiæ, in his diuitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursus suauis vnctio consolationis. Hæc me erigunt in aduersis, in prosperis reprimunt, & inter læta tristiaque vitæ præsentis via regia incedenti, tutum præbent vtrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi Iudicem, dum tremendum potestatibus, mitem humilemque figurant: Dum non solùm placabilem, sed & imitabilem repræsentant eum, qui inaccessabilis est principatibus, terribilis terræ. Propterea hæc mihi in ore frequentet, sicut vos scitis; hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodum familiaria, sicut apparet: hæc in ea sublimior interim Philosophia scire Iesum, & hunc crucifixum. Hactenus Bernardus.

Bern. Serm. 43. in Cant.

Idem Bernardus alio loco: & alijs verbis confirmat: Ego, inquit, fidenter quod ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini: quoniam misericordiæ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Foderunt manus eius & pedes; latusque eius & pedes: latusque eius lancea foraverunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Vorè durissimo; durum enim fuit, quis potuit tot iniurias perferre & calumnias; duriùs, quia tot vulnera; & durissimum, quia tam crudelè genus mortis non exhorruit.

Serm. 63. in Cant.

Refert idem Bernardus, suo tempore floruisse deuotam, & Christo sacram Virginem, totam in meditationibus passionis Dominicæ absorbtam: Hanc consuetudinem habuisse, admodum sibi familiarem, vt in honorem passionis Domini, frequenter pectus signo crucis muniret, atque ita foris & intus gloriosa ista figura relucebat. Volens autem Dominus hominibus manifestare, quàm accepta sibi fuisset illa deuotio, mortua iam & sepulta virgine, putrefactis & absumptis membris omnibus singulari prouidentia pollicem, quo cum crucem formare solebat, ab omni corruptione conseruauit immunem. Quod post multorum annorum curricula, cùm sepulchrum apertum fuit, ita esse deprehensum est: ex quo liquet manifestè, Deum noluisse, vt mors potestatem haberet in carne illa, quæ toties mysterium vitæ figurârat.

Miraculum.

Simile exemplum, licet maioris admirationis, commemorat alius quidam Doctor in Germania, ciuitate Argentina olim accidisse. Fuisse nimirum in hac vrbe Priorem Ordinis Sancti Dominici, virum deuotum, & Dominicæ passionis studiosum, qua in minutissimos articulos fracta, & diuisa quotidie se oblectabat. Accidisse verò post mortem illius, vt aperto monumento corpus de vno loco in alium transferretur: in hac translatione inuentam esse crucem Dominicam in osse pectoris, quod cotdi superincumbit, cælatam: eamque tam affabrè elaboratam, quàm si in eburnea lami-

Aliud.

lamina sculpta fuisset. Auctor verò, qui hæc literis suis posteritati consecrauit, asserit se, fama huius miraculi per finitimas prouincias discurrente, tantæ rei nouitate exitum, quadraginta milliarium iter arripuisse, vt signum hoc videret. Quod, inquit ille, his meis oculis vidi; sed & crucis illius figuram diligenter inspexi, quæ non minùs fuit admiranda. Pes enim eius ab inferiori parte erat acutus, tanquam si aliquo loco crux plantanda fuisset: superiores verò tres partes in tria pulcherrima lilia desinebant: quasi Dominus significare voluisset, sanctissimum hunc virum per virtutem & mysterium sanctæ passionis, conseruasse in animo lilium castitatis & puritatis virginalis. Ex quibus exemplis cuique manifestum sit, quantoperè Dominus hoc sancto studio delectetur, qui ita voluit corpora & animas illorum honorare, qui suam ignominiam honorant, & qui peculiari cultu passionis suæ mysteria venerantur.

Honoris autem magnitudo quo beatissimi Fráciſci corpus insigniuit, imprimens illi gloriam suæ ignominiæ, faciensque vt in ipsis manibus, pedibus, & pectore stigmata foris conspicerentur, quæ intus in corde gerebat, nullis profectò verbis potest explicari. Potest tamen ex illo facilè intelligi, quòd continua huius mysteri meditatio, creaturam mortalem ad tantum perfectionis gradum potest euehere, vt quodammodo filio Dei similis efficiatur: non tantum in virtute animi, sed etiam in glorioſis eius corporis notis & figuris.

Ad hanc sanctam considerationem, præter alios multos Doctores, inuitat nos multis suorum scriptorum locis S. Bonauentura. Is in libro quem Stimulum amoris appellat, sic inquit: Non agnosco, fratres maiorem gloriam, quàm crucem nostri Saluatoris. Si pretiosa mors sanctorum in oculis Dei, qui moriuntur pro seipsis: quantò pretiosior erit mors Domini, Sanctorum omnium sanctissimi? ipse enim mortuus est pro nobis. Si itaque tam pretiosa sit ista mors, quid merentur illi, qui toto vitę tempore nihil aliud, præter hanc mortem cogitant? O quàm iusto motus dolore quondam conquestus est Dominus noster, & adhuc per Prophetam conqueritur, dicens: *Elongasti à me amicum & proximum: & notos meos à miseria. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inueni?* Nolite itaque fratres, nolite fugere à facie Seruatoris, nolite deserere Virginis, Discipuli aliarumque Mariarum sanctam societatem. Eamus cum illis ad palmam crucis, ascendamus & comedamus de fructibus illius; in illa siquidem pendet caro filij Dei, & cor matris illius. Non est quod aliquis se excuset, quasi nihil hoc sit, quod ipsi valeat, aut remedium aliquid poterit adferre. Si sis peccator, inuenies hìc causas cur à peccato debeas abhorrere, videns Deum propter peccata mori: Si pœnitens, confortaberis hìc in pœnitentiæ laboribus perferendis, videns ea quæ innocentissimus Agnus agit & patitur. Si perfectus sis, inuenies hìc quo poteris transmutari in filium & matrem, ardenti illos amore & interna compassione prosequendo. Quid plura? ipsa deuota & assidua memoria passionis Iesu Christi, à malis omnibus nos conseruat bonaque confert omnia: In præsenti gratiam, in futuro gloriam largitur. Nemo itaque hìc se excuset, nemo venire tergiuersetur: quia nemo est, qui hìc non inuenit, quod ad vitam facit moderandam: est enim hìc porta salutis, auxilium in periculis, remedium animarum, & via veræ felicitatis. Omnia hæc in sacratissima Domini nostri Iesu Christi passione reperiuntur.

Bonauent. in Stimul. amoris. Psal. 115.

Psal. 87. Psal. 68.

Hæc est quæ aperit Paradisum, illuminat cæcos, ambulare facit claudos, reducit in viam rectam errantes, consolatur pauperes, refrenat diuites, superbos humiliat, & confundit hos, qui in delicijs viuunt. Hæc (teste Chrysostomo) est custodia paruulorum, ignorantium magistra, simplicium philosophia, adolescentum nutrix, lac infantium, cibus adultorum, oratio deuotorum, contemplantium pictura, idiotarum liber, pœnitentium fortitudo, scutum debilium, medicina infirmorum, peccatorum remedium, consilium iustorum, thesaurus pauperum, portus naufragorum, & refugium omnium eorum, qui sunt in tribulatione. Si itaque velis, frater mi, in vna re posside omnia, amplectere crucem hanc: intra in Sanctuarium hoc, & para nidum tuum instar castæ columbæ, in foraminibus petræ illius. Aduola, inquit Bernardus, ad sanctas manus, aduola ad sacratos pedes, & volando tandem in diuino illius lateri clauderis.

Quid itaque nunc restat aliud, quàm orare omnes illos, qui ex totis præcordijs desiderant in vita spirituali fructum facere, omnes item Doctores, & qui doctrinam huius vitæ profitentur, vt sine intermissione laborent, quo tandem omnes eos, quorum curam susceperunt, in hoc exercitio ita dirigant, ita instruant, vt doctos omnes in huius philosophiæ schola discipulos Christo & Ecclesiæ educant? Quod vt commodius faciant, oportet vt postquam tyro Christianus iugum peccatorum excussit, post contritionem & pœnitentiam, quæ prima sunt exercitia, statim in exercitia mysteriorum vitæ & passionis Christi introducatur, vt incipiat gustare quam suauis est Dominus, & suauitate rerum spiritualium inescatus ad contemptum omnium illecebrarum, sensuum oblectationum voluptatumque huius seculi perueniat. Quamuis autem liber hic perfectorum est, tamen & incipientium est: hìc enim inueniunt pueri lac, & cibum solidum qui sunt adultiores. Propterea est riuus ille Ezechielis, cuius vnam partem transiuit vique ad talos, & cuius partem alteram ob tumorem aquę non potuit pertransire: quem secundum interpretes & agni transeunt, & Elephanti tranant. Iste est liber eiusdem Prophetæ, foris & intus scriptus, cuius exteriora legunt incipientes: interiora verò & secretiora perfecti. Quemadmodum enim ij qui humanæ philosophiæ volunt studere, initiò Grammaticum aliquem legunt: Ita cœlestis philosophiæ studiosi, debent ante omnia libellum de mysterijs vitæ & passionis Christi indefessa manu voluere, & assidua mente perlegere. Nec debet hoc beneficium cuiquam negari, etiam si sceleratissimus, famosusque sit peccator: tanto enim magis illi auxilio hoc opus est, quantò peccata & peccatorum fomes sunt maiora. Quid facient enim illi, qui furijs antiquarum passionum agitantur? qui tument vento Dæmoniorum, mundi, & prauarum consuetudinum? Quidam enim eorum, teste Hieronymo, in iuuentute ardent plus quàm Æthna mons, aut ignis Vesuuius, hi flammis luxuriæ, illi cupiditatis ardore, isti vindictæ effrænato desiderio, nonnulli appetitu dignitatis & honoris. Quid facient miselli isti, si desit illis hoc adiumentum, hoc exemplum, hoc refrigerium, hoc cęleste pabulum, hæc consolatio, & lux animarum saluberrima? Si dixerit Christus Apostolis suis, sub horam passionis: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*, quod quæso scutum aut remedium erit vtijus in hac necessitate?

Vita Christi incipientium est & perfectorum. Ezech. 47.

Simile.

Hieron. Epist. ad Furium.

Matth. 26.

cessitate? in hoc casu, inquit Augustinus, nihil est vtilius memoria vulnerum Saluatoris, *Petra*, inquit Dauid, *refugium est Herinaceis*; hi enim, qui pleni sunt propriorum peccatorum, non inueniunt alibi remedium, quàm in foraminibus huius sacratissimæ petræ, quæ pro nobis est perforata claua diuinæ iustitiæ: ex ea enim aqua viua scaturit, quæ abluit sordes omnium peccatorum, & sitim explet malorum desideriorum. Psal. 103.

Ordo autem in hoc exercitio obseruandus est ille, quem S. Bonauentura præscribit, & quem sequi solent omnes illi, qui sese vitæ spiritali dedierunt. Is autem est, vt præcipui Vitæ Seruatoris articuli secundum numerum dierum septimanæ colligantur, & vt singulis diebus duo aut tres ex ijs desumantur, quibus anima pascatur, intellectus illuminetur, voluntas accendatur, deuotio excitetur, & homo totus moueatur ad virtutes Christi imitandas, cuius vitam contemplatur; gratias illi pariter agendo, pro laboribus & molestijs omnibus quas sustinuit in hoc mundo, dum nostram salutem operatus est. Obseruandum autem hic est, singulis meditationibus præmittendam esse deuotam præparationem, nec non & gratiarum actionem esse subijciendam, vnà cum petitione earum rerum, quæ nobis magis ad salutem sunt necessariæ, & quas pro ratione fidei nostræ scire & intelligere debemus. Nec inutile erit, si textus istius articuli, de quo meditationem instituere volumus, ante ipsam meditationem legatur, vt præceptua illius loca melius queant obseruari.

Quinque in hu exercitijs requiruntur

De quinque autem in huiusmodi exercitio requisitis, vt sunt præparatio, lectio, meditatio, gratiarum actio, & petitio, latiùs egimus in fine libri primi, de Meditatione & Oratione, ad quem locum remittimus, qui de his plura cupit cognoscere. Scripsimus & in Memoriali vitę Christianæ, tumultuariè & breuiter de præcipuis articulis vitæ Dominicæ; eius verò Passionis atque Resurrectionis mysteria fusiùs in eodem de Meditatione & Oratione libro tractauimus. Sed quia inter omnia ista mysteria, hæc quæ de Natiuitate & infantia Christi sunt, dulciora & suauiora videntur esse deuotis animabus, operæ me pretium facturum arbitratus sum, si in hoc libello paulò copiosius (vt breuitati, quam in alijs, præsertim in Memoriali secutus sum, nonnihil subueniatur) de vitæ Christi mysterijs differerem. Initium autem sumemus ab Incarnatione filij Dei, quæ quasi præludium est omnium aliorum quę sequuntur.

DE ANNVNCIATIONE B. Mariæ Virginis, & Incarnatione Filij Dei.

MEDITATIO I.

Charitas Saluatoris.

CIrca altissimum hoc mysterium Incarnationis Verbi Dei, ante omnia consideranda est immensa illa charitas, & amor, quem Deus erga genus humanum habuit. Cùm enim nec ipse bonorum nostrorum egeret, nec hominum vlla extarent merita, tantùm per viscera infinitæ suæ misericordiæ & charitatis, misit Vnigenitum filium suum, pro pretio & redemptione mundi: vt mundum nobilitaret sua Natiuitate, sanctificaret sua iustitia, locupletaretur sua gratia, erudiret sua doctrina, confirmaret suis exemplis, resuscitaret sua morte, & à captiuitate suo pretioso sanguine liberaret. Hoc est magnum illud beneficium, quod Seruator ipse tantopere commendat in Euangelio, dicens: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum,* (id est credendo amat eum, eiusque mandata obseruat) *non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3.

Etsi enim Deus infinita alia media habuerit, quibus nos redimere potuit, voluit hoc tamen præ cæteris vti, licet maximo illi constiterit: eò quòd nobis erat vtilius, & malo nostro conuenientius, nullam habens rationem sui commodi, sed in solum honorem & vtilitatem nostram, qui tamen inimici illius eramus, respiciens.

Conuenientia nostræ redemptionis.

Considera secundò magnam conuenientiam huius mysterij; id est, quàm aptum & conueniens fuit medium, quod diuina prouidentia inuenit, ad salutis nostræ restaurationem. Quemadmodum enim per vnum hominem perditio in mundum intrauerat, ita disposuit, vt per vnum hominem alium salus mundo redderetur: & quemadmodum per superbiam vnius hominis, qui homo cùm esset Diuinitatem ambiebat, summus condemnati; sic per humilitatem alterius hominis, qui cùm Deus esset, humanitatem assumpsit, à damnatione liberati sumus.

Pretium quo redempti sumus.

Præterea quo pretio vel lytro debita nostra melius solui potuerunt, quàm sanguine filij Dei, quare magnificentius potuit nostra nobilitari natura, quã eius humilitate? Quis potuit maiori cum auctoritate causam nostram perorare, quam summus Sacerdos Patris? Quis potuit maiori cum fide & pietate inter Deum & hominem intercedere illo, qui Deus simul est & homo? obseruans regulam iustitiæ, tanquam iudex: & implorans misericordiam, tanquam pars: agnoscens debitum tanquam homo, & dans humanitati suæ virtutem, ad satisfaciendum tanquam Deus: titulum hominis assumpsit, vt debitor esset, manens Deus vt Chirographum deleret, & creditori satisfaceret. Verè non posset modus inueniri conuenientior illo, in quo omnia concurrunt simul, quæ ad nostram requirebantur salutem. Quoniam, vti rectè annotauit B. Leo, Nisi esset Deus verus, non afferret remedium: & nisi esset homo verus, non præberet exemplum. *Serm. 1. de Natiuitate Domini.*

Exemplæ Christi efficacissima.

Ad sanandum itaque vulnera nostrarum animarum, quæ tot & tam periculosa erant, quæ potuit inueniri medicina efficacior? Quæ exempla dari potuêre potentiora, ad cogendum & confundendum nos, quàm hæc nostri Redemptoris fuerunt, qui & Deus erat, & homo? Quomodo potuit nostra superbia meliùs deprimi, quàm illius humilitate? nostra auaritia curari, quàm illius paupertate? ira nostra frænari, quàm eius patientia? nostra inobedientia sanari, quàm eius obedientia? mollicies & illecebræ nostræ expelli, quàm eius doloribus & vitæ asperitate? Et præter hæc omnia, quomodo potuit melius vincere odium nostrum, quàm suo amore? nostra maleficia superare, quàm suis beneficijs? nostram negligentiam corrigere, quàm sua prouidentia? & sollicitudinem nostræ diffidentiæ medicari, quàm tot meritis, & tam infallibili amoris pignore?

Quare Deus istum modũ nos redimẽdi elegerit.

Præterea & hoc loco inquirendus est ordo, & cõsilium sapientiæ diuinæ, in modo & opere nostræ redemptionis à Deo constituto. Etsi enim immensa illa bonitas & misericordia Domini nostri (vt ait Bernardus, & alij multi Doctores) mille alios modos habere potuerit, nos redimendi; voluit tamen hoc vti, vt erectio & restitutio nostra primo lapsui conueniret. Quemadmodum enim per vnam mulierem lapsi sumus, ita per aliam mulierem surreximus. *Mulier quam dedisti mihi*, dicebat Adam, *dedit mihi de ligno, & comedi.* Verba malitiæ sunt hæc, ait Bernardus, quibus magis augeas, quam deleas peccatum. Veruntamen sapientia vicit malitiam, cùm occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentauit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suę pietatis inuenit. Redditur nempe fœ- Genes. 2. Ber. Hom. 2 super Missus est.

Maria & Euæ comparatio.

mina pro fœmina, prudens pro fatuâ, humilis pro superba; quæ pro lingno mortis gustum tibi porrigat vitę, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquę excusationis verbum, in vocem gratiarum actionis, & dic: *Domine, Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi,* & dulce factum est super mel ori meo; quia in ipso viuificasti me. Fructus arboris me fefellit, & fructus Mariæ mihi vitam restituit: & sic maledictio, quæ venit per Euam, versa est in benedictionem per Mariam. Hæc ille. Subiungit his Anselmus: Oportebat nanque, vt sicut per hominis inobedietiam mors in humanum genus intrauerat. ita per hominis obedientiam vita restitueretur: Et quemadmodum peccatum, quod fuit causa nostræ damnationis, initium habuit a fœmina, sic veræ iustitiæ & salutis nostræ Auctor nasceretur à fœmina: & diabolus, qui per iustum ligni (quem tuasit) hominem vicerat, ita per passionem ligni quam intulit ab homine vinceretur.

Ansel. lib. 1. cap 3. Cur Deus homo.

Hæc itaque noua fœmina fuit electa à Deo, iam inde à mundi exordio, ijsque virtutibus & gratijs ornata, vt digna fuerit esse mater ipsius filij. Quam magnę verò, & absolutę virtutes iltæ fuerint, humana non potest explicari eloquentia. Ratio est, quoniam Deus omnia quæ facit, ita facit, vt cum fine, in quem fiunt, optimè conueniant; curaque vt ea omnia modo quodam perfectissimo habeant, quæ ad finem illum requiruntur. Elegit B. Ioannem Baptistam in testimonium sui aduentus; Elegit S. Paulum, & alios Apostolos, vt essent doctores Ecclesiæ, nec tantum elegit, sed etiam infudit in illos copiosissimè omnes virtutes & gratias, quæ fuerunt ad illa munia obeunda necessariæ. Et quoniam sacratissimam Virginem hãc ad altissimum dignitatis gradum, qui in hominem cadere poterat, elegit, etiam maximis gratijs, perfectissimisque virtutibus & donis eandem adornauit: ita vt ijsdem multis parasanguis omnes homines anteiret. Atqui hoc modo vnũ eorum, in quibus Deus ostendit immensam suam bonitatem, sapientiam & omnipotentiam, est sanctitas huius Virginis. Si enim oculos haberemus perspicaces, qui penetrare cor, & admirari possent sublimitatem virtutum eius Virginis, fateremur vtiq; omnes, nihil vnquam à Deo creatum, in quo manifestius sapientia & artificium diuinum eluceseit, quàm in illa. Ita vt nec Sol, nec Luna, nec Stellæ, nec Cælũ, nec aliquod opus illius tam dilucidè pulchritudinem & perfectionem Creatoris repræsentat, quàm altitudo & perfectio huius Virginis. Sic enim Propheta quondam dixerit, *Dominus in Sanctis suis esse admirabilem,* quantò putas est mirabilior in illa, quæ est mater Sancti Sanctorum, & in qua sola sunt omnes omnium Sanctorum prærogatiuæ congregatæ? Idipsum autem tanto maiori admiratione dignum est, quanto humana natura est Angelica inferior. Non est enim tanta admiratione dignum, si artifex quispiam præclarum aliquod opus faciat ex argento, vel auro, quanta si ex creta vel argilla idipsum componat: nobilitas enim materiæ addit operi dignitatem. Proinde non tam miror puritatẽ Angeli corpus non habentis, quam animæ corpori luteo incluſæ. Neque etiam minus admirandum est in hac Virgine, quòd tam exiguo labore, paruisque exercitijs ad tantam virtutum sublimitatem peruenit. Apostolus Paulus bonam mundi partem huc illuc discurrendo peragrauit, prædicauit Gentibus, cum Iudæis disputauit, hæreticos confudit, multas epistolas conscripsit, miracula fecit, & alia multa. B. autem Virgo his rebus nõ fuit occupata: non enim hęc sexui fœmineo & conditioni illius conueniebant. Sed præcipua illius exercitia post obsequium filio suo debitum) erant spiritualia, in operibus vitæ contemplatiuæ, licet ab actiua, vbi opus erat, non fuerit omnino aliena. Estne itaque vehementer admirandum, quod in tanta quiete & silentio, quod sacrato pectori & cordi virgineo clausum gestabat, tanta promeruit? tam singulariter Deo placuit? tam facili negotio terra, quid dico terra? imò cœlo ipso potita, super omnes choros Angelorum volauit? O diuina quies, ô sacrum silentium, quæ dies, quæ nox abijt sine diuinis laudibus, in hoc virginali sacrario? quæ preces matutinæ, quæ horæ canonicæ, quæ diuina officia in illo sunt celebrata? Quis habebit oculos adeò penetrabiles & acutos, vt pectus huius Virginis intrare, ibidemque zelum ardentem, motus diuinos, sensus inflammatos, feruorem spiritus, cœlestem splendorem, omnemque quæ in illo sanctissimo templo est, sacram suppellectilem queant contemplari. Sponsus in suo Cantico considerans Sponsæ suæ virtutem & perfectionem, amore correptus maiori dicebat: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es? Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Illud enim non oculis hominum, sed solius Dei erat manifestum. Cant. 4.

Psal. 67.

Minimo labore sanctæ factæ.

Ex hoc patet exemplo iniuriam eos facere Deo, qui pauperes sunt & infirmi, atque iccirco conqueruntur, quod non habent vnde benefaciant, aut in quo pro amore Dei laborent. Sufficit enim quod habent cor ad amandum Deum, intellectumq; & memoriam ad eius mirabilia contemplanda. Si enim prudenter nouerint cum his negotiari, magnos virtutum thesauros congerent, & Deo præstabunt obsequium gratissimum. Quibus rebus studuissent olim Patres nostri in eremis habitantes, nisi noctes diesque totos occupati fuissent in rerum cœlestium contemplatione: Hoc ocium laudabilius est omni negotio: illud nihil agere, omnes superat actiones. Hic enim anima in seipsam reuersa laudat Dominum: Hic Deum orat, hic adorat, hic amat, hic timet, hic credit, hic sperat, hic reueretur, hic plangit, hic humiliat se ante conspectum diuinæ maiestatis, hic cantat, hic illius laudes prædicat, hic facit omnia tantò purius, quantò occultius, & sine testimonio humano.

Sed reuertamur vnde sumus digressi. Maria itaque paradisus est, quem Deus præparauit, vt secundũ illo collocaret Adamum. Et quia Deus disposuit omnia suauiter, circumducens ea per media ad finem bene proportionata (in omnibus enim rebus, quæ ad gratiam ordinata sunt, vna est, eaque præcipua, bona educatio) præter omnem gratiam, quam dedit huic Virgini, voluit, vt statim à natiuitate in loco sancto, & bona societate educaretur. Propterea disposuit, vt in templo Sacerdoti præsentaretur, ibidemque Deo noctes atque dies seruiret, in quo loco cœperunt admirandæ illius virtutes elucescere, de quibus ita scribit Hieronymus: Erat beata Virgo in nocturnis vigilijs prima, in lege Dei cæteris doctior, in humilitate submissior, in Psalmis Dauidicis elegantior, in charitate feruentior, in puritate purior, & in omnibus virtutibus perfectior. Omnia verba eius gratia exundabant. Deus enim semper in ore eius versabatur. Orabat continuè, &, vti propheta dicit, *meditabatur in lege Domini die ac nocte.* Gerebat solicitam sociarũ suarum curam, ne qua loqueretur verbum otiosum, aut criminosum, ne incondito risu, aut iniuria aliquem offenderet, ne superbiret, & se alteri præferret: Benedicebat quotidie Deo, & ne non semper in isto officio sedula inueniretur, quando salutabatur resalutabat, dicens: Deo sit gratia. Huc vsque Hieronymus. Sap. 8.

Sed cùm hoc loco Audiamus Angelum eam salutasse, hoc omninò nobis persuadeamus, virginem

non

ne nin plateis, sed in oratorio suo repertam esse. Etsi enim angusta & humilis illius fuerit domuncula, non tamen abfuit ab illa lux orationis. Ideoque credibile est, quod deuotos suos libros, psalmos, prophetas, aut preces suas in manibus habuerit: fortassis & ad exemplum Iudith inuenta est in cilicio, & disciplina ad castigandum corpusculum, quod peccatum non fecerat: sed & verisimile est, vti Sancti plerique scribunt, quod eo ipso momento, quo ab Angelo est salutata, extra se posita, & diuinarum contemplationum magnitudine rapta fuerit, totaque in Deo absorpta.

Quid Maria fecerit in cubiculo suo.

Quarto loco desideranda venit dulcis illa & officiosa Gabrielis salutatio: item sublimes huius Virginis virtutes, quæ mirabiliter in toto dialogo, qui fuit inter illã & Archangelum, resplendent: vt sunt inter alias Silentiũ, Humilitas, Virginitas, & Fides.

Silentium in eo conspicitur, quod cùm Angelus de tam arduis rebus, tanto verborum pondere & copia cum illa loqueretur, ipsa rarò, idque pauciss. verbis responderit: vt doceret omnes Virgines, maximum decus & ornamentum virginitatis esse Silentium & Verecundiam.

Silentium Mariæ.

Humilitatem suam in eo ostendit, quod turbata est, & timuit audiens Angelicam hanc salutationem: nihil enim humili inusitatius, nihil quoque odiosius, quàm proprias audiri laudes, & proinde etiam nihil magis timet, quàm huiusmodi gratulationes vel adulationes. Quemadmodum enim auarus metuit latrones, ne fortè thesauros suos diripiãt: sic verus humilis metuit laudes hominum, quæ sunt fures humilitatis.

Humilitas.

Virginitas, & insignis amor, quem erga virtutem illam habuit Maria, ex eo colligitur, quod dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum nõ cognosco?* Quibus verbis significat propositum & votum virginalis suæ puritatis, tanquam prima huius laudabilis propositi inuentrix. Ideoq; ecclesia vocat illã in Litanijs Virginem virginum; tanquam Reginam, Doctricem, Patronam & fidelem adiutricem omnium illatum, quæ faciunt professionem, ad imitandum sanctum hoc propositum, & diuinum exemplum.

Virginitas. Luc. 1.

Maria cur Virgo Virginum.

Non absre fore existimo, ad laudem huius virtutis, & propter eos, qui illam student impedire, hoc loco commemorare, quod B. Hieronymus scribit, in quadam suarum epistolarum. Prætextata, ait, nobilissima quondam fœmina, iubente viro Hymetio, qui Patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit, & neglectum crimen mundano more texuit: vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium: & ecce sibi eadem in nocte cernit veni isse ad se Angelum, terribili voce minantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tune ausa es viri imperium præferre Christo? tu caput Virginis Dei tui sacrilegis attrectare manibus? quæ iam arescent, vt sentias excruciata, quid feceris: sin autẽ perseueraueris in scelere, finito mense quinto ad inferna duceris, & merito simul orbaberis & filijs. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentia velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit. Hoc retuli, non quod insultare velim calamitatibus infeliciũ, sed vt moueam cùm quanto metu & cautione seruare debeas quòd Deo spopondisti. Hucusque Beatus Hieronymus.

Hieron ad Lætam.

Horrendum exemplum.

Quoniam verò duæ virtutes supradictæ virginitas & humilitas singulari modo in sacratissima hac Virgine resplendent, & quia vt in nobis quoque luceant omninò optandum est, audite quid de istis duabus scripserit olim B. Bernardus: Pulchra permixtio, inquit, Virginitatis & Humilitatis, nec mediocriter Deo placet illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus consecrat virginitatem. Audis virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis: laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur: ad illam inuitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur, *qui potest capere capiat*: de ista dicitur: *nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnũ cælorum.* Illa verò remuneratur vt sacrificium voluntarium, ista exigitur vt seruitus, ad quã obligamur. Potes deniq; sine virginitate seruari, sine humilitate non potes. Potest inquam placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam: sine humilitate autem audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. *Super quem*, inquit, *requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum? Super humilem* dixit, non super virginẽ. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus nõ requieuisset: si super eam non requieuisset, nec impregnasset: quomodo enim de seipso sine ipso conciperet? patet itaq; quia vt de Spiritu sancto cõciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem Ancillæ suæ Deus potius quã virginitatem. Etsi placuit ex virginitate, ex humilitate tamen concepit, vnde constat quia etiam vt placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit. Quid dicis virgo superba? Maria virgine se oblita, gloriatur de humilitate: & tu negligendo humilitatem blandiris tibi de virginitate? *Respexit*, ait illa, *humilitatẽ ancillæ suæ* Quæ illa virgo vtiq; sancta: Virgo sobria: Virgo deuota. Nunquid tu castior illa? nunquid deuotior? aut nunquid fortè tua pudicitia gratior castitate Mariæ; vt tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua: quod illa non potuit ex sua? Denique quanto honorabiliores ex singulari munere castimoniæ, tanto tibi maiorem iniuriam facis, quod eius in te decorem fœdas permixtione superbiæ. Hæc D. Bernardus.

Virginitatis & humilitatis permixtio Bern. Hom. super missus est, &c.

Matth. 10. Matth. 18. Esa. vlt. Luc. 1.

His duabus virtutibus idem Doctor mellifluus & tertiam adiungit, quæ est charitas; & de tribus istis virtutibus agit in quadam epistola, vtilibus & salutiferis doctrinis refertissima, quæ superioribus adiungere placuit, ad pleniorem lectorum instructionẽ. Sunt autem hæc eius verba: Castitas, Charitas, Humilitas, nullius quidẽ coloris sunt, sed nõ nullius decoris. Nec mediocris decoris, qui diuinos quoque delectare possit aspectus. Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticũ, angelum deniq; de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, nõ virtute. Sed & illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ hoc mortalitatis & loco & tempore statum quẽdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarũ solemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neq; nubunt, neq; nubuntur, præbens quodãmodo terris cœlestis iam illius conuersationis experientiam. Vas interim fragile quod portamus, in quo & crebro periclitamur, tenet castitas, vt monet Apostolus, in sanctificationem, & instar odoriferi balsami, quo condita cadauera incorrupta seruantur: sensus ipsa & artus continet, & cõstringit, ne dissoluantur otijs, ne corrumpantur desiderijs, nẽ carnis voluptatibus computrescant.

Castitatis encomium.

Marc. 12. 2. Cor. 4.

Verùm quantalibet venustate sui castitas eminere appareat, sine charitate tamen nec pretium habet, nec meritum. Nec mirum. Quod enim absque illa bonum suscipitur? Fides? Sed nec si montes transferat Scientia? sed ne illa quidem quę linguis loquitur Angelorum. Martyrium? Nec si *tradidero*, inquit, *corpus meum, ita vt ardeam.* Nec absque illa quodlibet bonum susc̃ipitur: nec cum illa quantumlibet exiguum respuitur. Castitas sine charitate lampas

Charitatis præconium.

1. Cor. 13

est si-

est sine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet: tolle charitatem, castitas nō placet. Sed ô *quām pulchra est*. vt clamat Sapiens, *casta generatio cum charitate*. Sap. 4.

Humilitas cōmendatur.

Iam de tribus, quæ superius proposuimus, sola tractanda restat humilitas. Hæc duabus præmissis virtutibus in tantum est necessaria, vt absq; illa istæ nec esse virtutes videātur. Nempe vt castitas & charitas detur, humilitas meretur; *quoniam humilibus Deus dat gratiam*. Seruat acceptas, quia non requiescit Spiritus, *nisi super quietum & humilem*. Seruatas consūmat, quia *virtus in infirmitate*, id est humilitate *perficitur*. Inimicam omnis gratiæ, omnisque initium peccati debellat superbiam, & tam à se, quàm à cæteris virtutibus superbam illius propulsat tyrānidem. Siquidem cùm ex alijs quibusque bonis virium suorum magis soleat capere incrementum superbia: sola hæc omnium propugnaculū quoddam, turrisque virtutum, eius fortiter resistit malitię, obuiat præsumptioni. Hactenus Bernardus eadem epistola citata, sed locis diuersis.

Esa. 66.

2. Cor. 12.

Fides B. Mariæ.

Sed ad propositum reuertamur. Præter virtutes tres iam commemoratas, etiā insignis fides hic virginis est notanda. Non enim dubitauit de re tam admirabili, & quasi impossibili, quā Angelus illi nunciauit: nec petijt signum vt Zacharias, licēt incredibilius sit, quod Virgo, quam quod sterilis pareret: quod Deus, quàm quod homo nasceretur. Sed tanquam vera filia Abrahæ, imitatrix illius fidei, quemadmodum ille credit, vt puer Isaac immolatus, & resuscitatus filios procaret, & genus suum propagaret: ita hæc credidit quod virgo maneret, & tamen operante Deo Mater fieret. Quare & sancti Doctores aiunt, quòd cùm interrogaret, *Quomodo fiet istud?* nō dubitauerit quin fieret hoc, quod Deus promittebat: sed inquisiuerit de modo quo fieret, postquam ipsa votum virginitatis emiserat. Sed Angelus Domini tam in hoc quàm in illo Mariæ satisfaciens, dixit, quod pareret filium, & virgo permaneret: fructu ventris sui gauderet, & coronam virginitatis non amitteret. Huc faciunt ea, quæ deuotiss. Bernardus de hac materia scripsit pulcherrimam ad beatissimā Virginem sermocinationem instituens, eamque ad consensum dandum inuitans, hoc modo:

Luc. 1.

Genes. 22.

Bernard. ho. 4. super missus est.

Audisti, inquit, virgo factum, audisti & modum: vtrumque mirum, vtrumque iucundum. *Iocundare filia Sion, & exulta satis Hierusalem*. Et quoniam auditui tuo datum est gaudium, & lętitia, audiamus & nos à te responsum lætitiæ, quod desideramus, vt iam exultent ossa humiliata. Audisti inquam factum, & credidisti: crede & de modo, quod audisti. Audisti quod concipies & paries filium, audisti quod non per hominem, sed per Spiritum sanctum: expectat Angelus responsum, tempus est vt reuertatur ad Deū, qui misit illum: Expectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ: statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplicat à te, pia Virgo, flebilis Adam, cum misera sobole sua, exul à Paradiso: hoc Abraham, hoc Dauid, hoc cęteri flagitant S. Patres: Patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione vmbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus exspectat. Nec immerito: quoniam ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum filiorum Adam, totius generis tui. Da Virgo responsum festinanter. ô Domina responde verbum, quod terra, quod Inferi, quod expectant & Superi. Ipse quoque omnium Rex & Dominus quātum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum, in quo nimirū proposuit saluare mundum. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo, cum ipsi tibi clamet è cęlo. O pulchra inter mulieres, fac me audire vocē tuam. Si ergo tu facias eum audire vocem tuā, ipse te faciet videre salutem nostram. Nunquid non est quod quęrebas? quod gemebas? quod diebus ac noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissū est, an aliam expectamus? imò tu ipsa, nō alia. Tu inquā illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Iacob iam morti appropinquans vitam sperabat æternam, cùm dicebat: *Expectabo salutare tuum Domine*. In qua deniq;, & per quam Deus ipse Rex noster antè sæcula disposuit operari salutē in medio terræ. Quid ab alia speras, quod tibi offertur? Quid per aliam exspectas, quod per te mox exhibebitur: dummodo præbeas assensum, respondeas verbum? Responde itaq; citius Angelo, imò per Angelum Domino responde verbum, & suscipe Verbū: profer tuum, & cōcipe diuinum: emitte transitoriū, & amplectere sempiternum. Quid tardas? quid trepidas? Crede, confitere & suscipe. Sumat humilitas audaciā, verecundia fiduciam. Nullatenus conuenit nunc vt virginalis simplicitas obliuiscatur prudentiam. In hac vna re ne timeas Virgo præsumptionē: quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi Virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cūctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursus incipias dolens quærere quem diligit anima tua. Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confessionem.

Gen. 49.

Suadela dulcedine ad Virginē vt assensum præbeat suum.

Exemplum Virginea humilitatis.

Ecce, inquit, *ancilla Domini fiat mihi secūdùm verbū tuum*. Semper solet esse familiaris gratiæ diuinæ virtus humilitas. *Deus enim superbis resistit, & humilib. dat gratiam*. Humiliter ergo respondet, vt sedes gratiæ præparetur. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini*. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ credere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater eligitur, & ancilliā se nominat. Non mediocris reuera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria obliuisci humilitatem. Non magnum est esse humilē in abiectione: magna prorsus & rara virtus, humilitas, honorata. Respondit itaq; virgo gloriosa; *Fiat mihi secundùm verbū tuum. Fiat*, desiderij est signū, nō dubitationis indiciū. Et per hoc quod dicit fiat mihi secundū verbum tuum, magis intelligēda est affectū exprimere desiderantis, quàm effectum requirere more dubitātis. Quanquā nil obstet *Fiat* esse verbum orationis. Nemo quippe orat, nisi qui credit, & sperat. Vult autem requiri à se Deus etiam quod pollicetur. Et ideo fortè multa quæ dare disposuit, prius pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur: sicq; quod gratis daturus erat, deuota oratio impetreatur. Hęc Bernar.

Iacob. 4.

Vltimò perpende, quomodo eo ipso momento quo Virgo verbum hoc locuta est, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secūdùm verbum tuum*. Deus operante Spiritu sancto, cui peculiariter hoc opus attribuitur, in vtero Marię incarnatus est. Tribuitur autem opus hoc Spiritui sancto, quia fuit opus inæstimabilis bonitatis, & amoris: qualia Spiritui sancto approprianter, vt Theologi loquuntur. Sed quis poterit hoc loco explicare, magna illa & admiranda, quę illo temporis pūcto in viscеribus Virginis Mariæ facta sunt? & quis enarrabit affectiones, influentias, & supernaturales illas alterationes, cùm diuini luminis splendore, quas in purissimo corde sensit Beata Virgo, in hoc admirabili & nouo ingressu, tam Filij, quā Spiritus sancti? Filij, vt is incarnaretur, Spiritus sancti, vt incarnationem operaretur. Sed hæc in silentio, cum deuota oratione & consideratione in anima religio-

Quare incarnatio Spiritui S. adscribatur.

religiosa potius cum admiratione adorentur, quàm ore narrentur, aut calamo scribantur.

Christi Vtero Virginis conclusi humilitas.

Nec minori consideratione digna est ineffabilis humilitas Saluatoris, quem terrarum orbis non capit, & cui cœli cœlorum angustiores sunt, quàm vt ab illis queat contineri. Hic tamen tam magnus non tantum loco tam angusto, qualis est vterus tenerrimæ virginis, voluit concludi, sed etiam materia tam parua, qualis erat corpusculi in illo instanti formatum, comprehendi. De qua insigni humilitate sic quidam sanctissimus Doctor philosophatur. Omnium tamen humanarum infirmitatum vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sic tempore primam, sic in humilitate fere maximam existimo, quod in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempore Maiestas illa in circumscripta, passa est se contineri. Vbi enim sic se exinaniuit? aut quando ita penitus à seipso defecisse visus est? tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili Maiestas, quę clausa latet, proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificat Latronẽ, & expirans inspirat Centurionem: quãdo horarius dolor passionis eius non solum compati facit elementa creaturarum, sed etiam cõtrarias fortitudines subigit æternorum passione dolorum, in vtero autem sic est, quasi non sit; sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil posit, & Verbum æternum sub silentio se premit. Vobis tamen fratres, vobis illud silentium Verbi loquitur, vobis clamat, vobis vtiq; disciplinam silentij commendat. *In silentio enim & spe erit fortitudo vestra.* sicut Esaias promittit. qui cultum iustitiæ silẽtium definiuit. Sicut namq; puer ille conceptus in vtero ad maturitatẽ partus sub alto & diuturno profecit silentio; sic spiritus hominis disciplina silentij nutrit, format & roborat: & quãto occultius, tanto tutius & salubrius incrementũ præstat. Hactenus Guerricus.

Guerricus Abbas ser. 3. de Annunc. Mariæ.

Esa 30.

QVOMODO ANIMA DEVOTA *spiritualiter concipit in se Dei filium.*

EXpositа historia de conceptione Dei, vtile erit obiter hic docere, quibus modis anima deuota Deo Christum in se spiritualiter potest concipere: quemadmodum & in sequentibus etiam trademus, quomodo illum cum Maria pariemus, cum Magis adorabimus, in templo inueniemus. Quæ omnia pulcherrimè tractat S. Bonauentura Doctor insignis, & multum deuotus, in libello, quẽ de hac materia conscripsit, Vnde & nos pleraque desumpsimus. Et ne quis vocabulis istis offendatur, sciendum his Christum ipsum in Euangelio vsum esse. Cùm enim diceretur illi: *Ecce Mater tua & fratres tui foris stant quærentes te:* respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit, Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror & mater est.* Verba profectò digna, quæ adorentur, & semper cordibus nostris inscripta circũferantur. Qui enim cupit facere voluntatem Dei, videt hic qui tituli quę diuitię ipsum maneant: scimus enim morẽ Dei esse, titulum non conferre, nisi diuitias & gratias titulo dignas addat. Dicit itaque Ambr. ad illa verba scribens, quòd etsi vnica tantum mater eius sit secundùm carnem, secũdùm spiritum tamen omnium ipse religiosarum animarum fructus est.

In tractatu de festiuitatibus pueri Iesu.

Matth. 12.

Videamus itaque nunc quomodo anima deuota ad eam poterit venire dignitatem, vt filium Dei in se concipiat. Docebit hoc Bonauentura his verbis: Cum anima deuota, vel spe cœlestis præmij, vel timore æterni supplicij, vel tædio in hac lacrymarum valle diutius commorandi, mota actimulata nouis inspirationibus visitatur, sanctis affectionibus inflammatur, meditationibus cœlestibus allicitur, & tandem abiectis & despectis veteribus affectibus, & pristinis desiderijs nouo viuendi proposito *à patre luminum, à quo omne donum optimum, & datum perfectum est*, spiritualiter spiritu gratiæ fœcundatur; quid aliud agitur, quã quòd superueniente virtute altissimi, & obumbratione cœlestis refrigerij, carnales concupiscentias mitigat, mentales oculos ad videndum confortat & adiuuat, Pater cœlestis diuino quodam semine animam grauidam facit & fœcundat? Post hunc cõceptum sacratissimum pallet in facie per veram humilitatem in cõuersatione, fastidiũ cibi & potus concipit in mente, plenario mundi contemptu & abiectione desideria variantur, in affectione ex diuersorum bonorum proposita intentione; aliquando etiam infirmari, & ægrotare incipit anima in propriæ voluntatis abiectione.

Bonauent. de S. festiuitate cap. 2.

Iacob. 1.

Iam enim incedit tristis & turbulenta propter veterem delictorum perpetrationem, pro temporis amissione, pro hominum adhuc in mũdo secundùm mundi concupiscentias viuentium societate & conuersatione. Iam paulatim graue & tædiosum incipit esse, omne quod foris est, & foris cernitur, quod intus percipitur & auditur. O fœlix conceptus, quem talis sequitur mundi contemptus, & cœlestium operationum appetitus. Iam quamuis adhuc modico gustato spiritu, desipit caro cum gemitu. Iam anima cum Maria in montana ascendere incipit; post talemque conceptum fastidiuntur terrena, desiderantur cœlestia & æterna. Iam fugere incipit societatem illorum, qui terrena sapiunt, & appetit familiaritatem eorum, qui cœlestia concupiscunt. Iam incipit anima cum Maria ministrare Elizabeth, hoc est, illis quos diuina gratia amplius per dilectionem inflammat. Et hoc valde notabile multisque necessarium est, quanto magis se à mundo abstrahunt, tanto familiarius se bonis amicabiles & familiares reddunt, vt tantò amplius ipsis malorum consortium desipiat, quantò dulcius bonorum & spiritualium honesta conuersatio eorum affectum afficit & inflammat. Quia secundùm B. Gregorium qui sancto viro adhæret, accidit vt ex eius assiduitate visionis, vsu locutionis, exemplo conuersationis, accendatur in amore veritatis, peccatorum tenebras fugiat, & amore diuinæ lucis inardescat. Vnde Isidor. Bonorum societatem require: Accidit enim vt si fueris socius conuersationis, eris & socius virtutum.

Hæc cogitet anima fidelis, quàm casta quàm sancta, quàm deuota fuerint illarum sanctarum colloquia, quàm diuina, quàm salutifera consilia, quàm mirandæ sanctitatis mutuæ societatis opera, dum vnaquæque aliam verbo & exemplo prouocabat ad meliora. Sic tu ô deuota anima facias, si te de Spiritu sancto concepisse noua cœlestis vitæ desideria sentias, fuge malorum consortia, ascende cum Maria, quære virorum spiritualium consilia, imitari stude perfectorum vestigia, cõtemplare bonorum verba, opera pariter & exempla, fuge peruersorũ venenosa consilia, quæ semper peruertere quęrunt, impedire appetunt, lacerare non desistunt, noua Sancti spiritus inspirata desideria, & sæpè sub specie & boni, & pietatis, virus infundunt impiæ tepiditatis, dicẽtes: Nimis magnũ est quod incipis, nimis arduum quod proponis, intolerabile quod facis, vires tibi non suppetunt, vires naturales deficiunt, caput confunditur, oculi destruuntur, infirmitates diuersimodæ nutriuntur,

Nota contra dissuadentes opera pœnitentiæ.

untur, pthisis, paralysis, calculus, & vertigo capitis, oculorum caligo, sensuum hebetudo, rationis obnubilatio, & virium destructio, his omnibus subiacebis, nisi ab inceptis abstineas, & commodo corporali amplius intendas, statum tuum nõ decent talia, per hæc diminuitur honor tuus & reuerentia. Vides quod iam factus est magister disciplinæ & medicus corporis, qui nec mores proprios componere nouit, nec curare propriam infirmitatem mentis? Heu heu quot & quantos maledicta mundalium consilia supplantauerunt, & conceptum in eis per Spritum sanctum Dei filium extinxerunt. Hæc est illa potio misera & mortifera, persuasio Diabolica, quę in multis spiritualem conceptum impedit, in plerisque conceptum iam per propositum formatum, vel per votum iam perfectum, interficit & extinguit. Sed sunt & alij, qui videntur, (& fortè sunt) boni & religiosi, sed tamen (salua earum reuerẽtia) minus timidi, non attendentes nõdum abbreuiatam manum Domini, vt saluare nequeat, nec considerantes nondum diminutam pietatem altissimi, quin iuuare valeat, habentes zelum Dei, sed non secundùm scientiam, dum ex compassione corporalis afflictionis, vel fortè ex timore naturalis defectionis, dum alios vident viriliter agere, quod ipsi iam dudum bonum & sanctum iudicabant, & tamen non audebant inchoare, retrahũt homines ab operibus perfectionis. Dissuadent ea quæ excedunt statum vitæ cõmunis, destruunt sancta consilia diuinæ inspirationis, quorum cõsilia ratione vitę quantò magis sunt autentica, tantò magis inueniuntur periculosa. Alij dicunt, & multũ callidè ex antiqui hostis adinuentione obijciunt: Si talia vel talia feceris sanctus & bonus, religiosus & deuotus iudicaberis. Et cùm in te nondũ sit quod esse in alijs putaris, in cõspectu summi iudicis tuam magnam gratiam, & horrenda peccata cognoscentis reus eris & amittis meritum operis, & hypocrita reputaberis. Talia & similia exercitia dicunt debere esse illorum, qui nihil mali fecerũt, qui sanctè & innocenter vixerunt, qui omnia propter Deum dimiserunt, qui toto tempore vitæ suæ Deo perfectè adhæserunt. Sed & hos Deo deuota & dilecta anima deuita, montem ascende cùm Maria: Paulus non sine peccatis vixerat, non diu Deo seruierat, quando in tertium cælum rapiebatur, & Dominum facie ad faciem contemplabatur. Maria Magdalena tota superba, tota ambitiosa, tota mũdanis vanitatibus intenta, carnis cupiditatibus dedita, non longè post ad pedes Iesu, inter Apostolos sanctos sedit, & cum intentione deuotam doctrinam perfectionis audiuit. Prima omnium in modico tempore videre Deum meruit, alijsque verba veritatis cõstanter proposuit. Non enim est personarum acceptor Deus, nõ pensat nobilitatem generis, non diuturnitatem temporis, nõ multitudinem operis, sed feruorem ampliorem, & charitatem maiorem deuotæ mentis. Non enim pensat qualis aliquando fuisti, sed qualis esse à modò incepisti. Vnde taliter consulentium consilia essent multum reprehensibilia, si non excusarentur simplicitate, licet nõ approbanda. Tu ergo ô anima diuino semine grauida, fuge indocta cõsilia, si nõ habes oculos lynceos, noli abijcere humanos: melius est partem habere, quàm toto carere, malum est perdere propter perdidisse, & stultum est nolle proficere propter defecisse, si nõ potes saluari per innocentiam, studeas saluari per pœnitentiã, si nõ potes esse Catharina, vel Cæcilia, non contemnas esse Maria Magdalena, vel Aegyptiaca.

Si perdidisti iuuentutem, noli amittere senectutem; si vixisti in maris fluctibus, moriaris in littoris sinibus: Igitur si te sentis sancto proposito Dei dulcissimum filium Iesum concepisse, prædicta venena mortifera fuge, & festina, desidera, & affecta, more parturientis, fœliciter ad patrum peruenire. Sed notandum est, quòd beata virgo non statim post conceptionem peperit filium, sed decursis nouem mensibus genuit Christum; quod non vacat mysterio, quia non est omni spiritui credendum.

Sed ô anima deuota quando nouis illustrationibus vel reuelationibus illustraris, vel illuminaris insolitis inspiratis, magnę perfectionis propositis intrinsecus inflammaris, non statim de tuo consilio ad opus propera, sed bene tecum & cum bonis, & potissimè cum illis, qui in talibus sunt experti delibera, vtrum quæ inspirata sunt liceant, deceant, & expediant, vtrum dictis prophetarum sint cõsona, vtrum doctrinis sint contraria, & etiam, vtrũ exemplis sanctorũ Apostolorum & sanctorũ doctorũ aliqualiter sint similia, vel dissimilia, & ad opus festina, vel statim absoluas te ab his in tua conscientia, quia periculosum est, tales inspirationes diu, & frequenter in mente concipere, & tamen ad effectum boni operis modicum, vel nihil properare. Hæc omnia D. Bonauentura.

DE REVELATIONE VIRGINI. tatis, & conceptionis B. Mariæ Virginis Iosepho factæ.

MEDITATIO II.

POST conceptum DEI filium in vtero virginali sanctissimæ Dominæ nostræ; dicit Euangelista Matthæus, quod *Ioseph*, cui virgo hæc erat desponsata, *antequam cum ea conuenirent, inuenerit illam in vtero habentem de Spiritu sancto. Ioseph autem cum esset vir iustus, & nollet eam traducere, voluit eam occultè dimittere.* Matth. 1.

Primùm hic considerandæ venit sanctitas huius glorioſi Patriarchæ, quam metiri atq; æstimare possumus ex officio, ad quod fuit electus à Deo; nimirũ vt esset Sponsus sacratæ Virginis nutritius autem & pater putatiuus filij Dei; quæ duæ sunt maximæ dignitates: & secundùm magnitudinem illarum, data quoque est illi magnitudo gratiæ & sanctitatis. Pro ratione autem prioris dignitatis, credibile est, quòd data est illi puritas & castitas angelica, vt tractaret Virginem ea puritate & reuerentia, qua tractari merebatur illa Domina, in cuius comparatione stellæ cœlorum erant immundæ. *Dignitas Ioſephi.*

Dicit itaque Euangelista, quòd *cùm esset Vir iustus, & nollet eam traducere; voluit occulte fugere & eam dimittere.* Habemus hoc loco argumentum veræ iustitiæ, quæ vt vera sit, necessariò debet adiunctam habere misericordiam, qualis est ipsa iustitia diuina. Eadem enim lex Dei quæ misericordiam commendat, gladium in manum porrigebat, idque in fauorem eius qui iniuriam passus erat: tamen ille vindictam Deo offerebat, & quemadmodum malebat Deum in sua causa propitium & misericordem, quàm seuerum id agebat, vt talis esset ipse proximo, qualem sibi Deum cupiebat.

Est itaque hîc notandum, quid homo facere & pati debet, priusquam alterius famam lædat. Potuisset enim sanctus hic Vir vti suo iure; sed maluit relinquere patriam, domum, & cognationem suam, quã polluere famam personæ, quàm tamen culpabilem & ream arbitrabatur. Quid dicent hîc maledici & calumniatores, qui etsi crimẽ in proximo non inueniant, nec aliquod ipsis lucrum ex maledicentia tali accedat, non desinunt tamen virulenta sua lingua famam & existimationem eius lacerare, quæ multis, imò plerisque vita ipsa est charior? O linguæ Scorpionum & Basiliscorum pernicioſiores. Hi visu suo inficiunt aëra, & occidunt qui ipsos contuentur: at *Contra calumniam.*

vos

vos veneno inficitis auditum eius, qui aures vobis præbet, & occiditis præsentes & absentes, qui cùm infamiam suam notam intelligunt, perdunt sæpe cum patientia, ipsam quoque animam.

Mansuetudo Mariæ.

Ceterùm quis poterit explicare sollicitudinem illam, quæ tunc in corde illius sanctissimæ Virginis versabatur? Sciebat enim prudentissima, quid Sponsus suus in corde coquebat, & quam occasionem anxius captabat: Intuebatur illum istis oculis, amore & reuerentia, quibus conueniebat intueri illum, qui erat Sponsus tam sanctus, à Deo electus, sibique datus. Quam itaque sympathian, quem dolorem, quã pœnam eo tempore sensit in corde B. Virgo videns ante oculos suos assiduè mœstam & solicitam frontem, & duram quam in corde gerebat, sagittam? Nã si omnibus bonis & electis est quasi propria virtus misericordia, & compassio, maximè autem ipsi Reginæ misericordiæ; dubium non est, quin maxima fuerit illius compassio, quam habuit de illo, quem tam tenere diligebat, & nunc tam iusta de causa solicitum, tristem, & anxium videbat.

Nec minus obseruanda est mansuetudo, patientia, & discretio, quę eo ipso tempore in Virgine eluxerunt; obedientia quoque & conformitas ipsius voluntatis, cum voluntate diuina: tam in hac, quàm in alijs omnibus tribulationibus, quæ ipsi vnquam obuenerunt: in quibus omnibus cor, crucemq; suam obtulit Deo cum summa humilitate & obedientia, explicans oculis diuinis anxium vulnus soliciti cordis Sponsi sui, implorans pro illo remedium & consolationem: interim id ipsum constituens in manibus illius, offerensque seipsam iterum tanquam ancillam, non tantùm vt concipiat in vtero, sed vt pro illa obedientia patiatur omnia, quæ erant à voluntate diuina decreta.

Fiducia Virginis.

Deinde & fiducia pensetur, quam habuit Virgo in re tam ardua, confidens infinitæ Dei bonitati, & sperans quòd illi curæ esset sua innocentia, & propter illam Sponsi quoque rationem haberet, nec non & vtriq; conuenienti remedio prouideret. Si enim S. Susanna lata iam & pronunciata mortis sententia vt lapidaretur, cum innocens esset, nec peccatum commisserat, in medio saxorum imbre animum nõ abiecerit, sed fiducia plena auxilium ab altissimo expectauerit: cur non maior fuit fiducia Mariæ quæ de diuina misericordia multò fuit, quàm Susanna securior?

Dan. 13.

Tranquillitas cordis Mariæ.

Ex hac fiducia nata est in anima illius pax, tranquillitas, & serenitas conscientiæ: vt nec mare tam tranquillum sit tunc, cùm nulli venti spirant, & placidissima est malatia, nec cœlum tam sit serenum tunc, cùm Aquilo nubes omnes dispulit, atque scoparum instar aera perpurgauit, quàm fuit anima hęc benedicta, in medio illius tempestatis. Nam si pax sit fructus iustitiæ, & legitima fiduciæ filia, quid ni magnam habuit pacem, quæ tantam habuit iustitiam & fiduciam tantam?

Sed relinquamus Virginem, & ad Iosephum reuertamur, cui apparuit Angelus Domini in somnis, & dixit, *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eo natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum, id est, Saluatorem: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* O quam multa & magna mysteria his paucis Angeli verbis comprehenduntur? Consideremus autem primùm cor sancti Iosephi, inde etiam Virginis super hac reuelatione. Sancti enim Euangelistæ non rarò (postquam breuiter sacram historiam commemorarunt) reuertuntur ad affectiones cordis explicandas: quod ideò faciunt, partim quia inter narrandum ea difficulter possunt exprimi; partim, vt relinquant in animis deuotis memoriam & considerationem istius affectus, quem historia, ratio causarum, & circumstantiæ personarum indicant ijs, qui de eo volunt meditari. Conscendamus itaque omnibus viribus & nos, vt hac via cognoscamus, quomodo affectum fuit cor sancti huius Patriarchæ, postquam reuelatũ est illi magnum istud mysterium, mutauitq; illius propositum, ab vno extremo in aliud, id est opinionem quam de Virgine, & eius vteri fructu habebat, vertens in aliam longè priori diuersam. Hac enim opinione nec humilius; nec mirabilius, nec sublimius potest quicquam excogitari. Consideremus itaque & expendamus omnia mysteria, quæ Angelus Iosepho his verbis reuelauit. Initiò enim indicat illi, quòd Messias venisset in mundum, quòd nunc omnes promissiones Dei, Spes omnium Sanctorum, voces omnium scripturarum, oracula omnium Prophetarum, & desideria omnium sæculorum erant impleta. Significat etiam illi, quem salutis modum debeat expectare ab hoc Seruatore, qui non esset carnalis, sed spiritualis, non temporalis, sed æternus, non corporis tantùm, sed corporis & animæ simul Redemptor, dicens enim *quod saluum faceret à peccatis* (per peccata intelligens omne genus malorum tam corporis, quàm animæ) & ab ijs liberaret populum suum, omnia hæc simul ipsi reuelauit. Præterea dignitatem quoque & excellentiam huius Saluatoris insinuat; cùm enim diceret, quòd conceptio & natiuitas eius erant admirabiles erant enim per Spiritum sanctum ex Matre Virgine) facilis erat coniectura dignitatis eius, qui tam nouo, & nunquam viso modo nasceretur: Potuit enim ex hoc vir Sanctus facillimè cognoscere, quòd qui sic nasceretur, non esset purus homo, aut mera creatura. Docet etiam quàm ingens erat beneficium, quod Deus ipsi exhibebat, qui pauper tantùm erat, faber lignarius: ex domo enim & familia eius Deus ordinauerat, vt exiret lux, spes, salus & remedium omnium sæculorum: & quod ille non infimas partes in hoc negotio ageret, vt qui nutritius & pater putatiuus esset futurus tanti Domini, & Sponsus illius Matris sanctissimæ. Insuper & cognitam illi fecit Angelus excellentiam & sanctitatem Virginis, adeoque cor illius immutauit, vt nunc optimè sentiret, atque in summo honore & reuerentia haberet illam, de qua tam sinistra paulò ante suspicabatur. Deniq; nec illud parui estimandum est, q. Deus hæc omnia reuelauit Iosepho, non hominis alicuius, sed Angeli ministerio.

Quæ Iosepho per Angelum reuelata sint

Cùm itaque cor tam purum & sanctum vidit se circumdatum, aut (vt melius dicam) inflammatum tot mysterijs, quid putas sensit? quis animus? quæ mens homini illi fuit? quid faceret? quo iret? quanta stupefactus? quàm attonitus, quàm fuit in spiritu eleuatus, inter tam multa & magna mirabilia? Maximè autem cum Spiritui sancto mos sit dare iustis sensum mysteriorum, secundùm proportionem cognitionis, quam dedit illis. Cùm enim Spiritus sit essentialis amor, qui procedit de Patre & Filio, non minorem habet rationem voluntatis, quàm intellectus; mouens & inflammans illam secundùm quantitatem lucis, quam transfudit in intellectum. Quẽadmodum enim natura non producit membra inæqualia, sed inter se proportionem pulchram; & bene dispositam habentia: sic Spiritus sanctus, communi modo loquendo tantos accendit in voluntate ardores & motus tantos, quanti sunt in intellectu splendores. Quod cùm ita sit, qualis putas fuit sancta illa voluntas, cuius talis fuit intellectus?

Spiritus S. tanto accendit voluntatem quantũ illuminat intellectum.

Simile.

Porro & hic animaduertendum, non mediocrem etiam in corde Sancti Iosephi tunc fuisse dolorem & pœnitentiam, dum recordaretur, quàm sinistram opinionem de Virgine, & Sponsa sua concepisset: quã

Pœnitentia Iosephi.

nunc intelligebat longè ab illa alienam esse debuisse: cùm talem haberet ducem & custodem, vt nec illud argumentum, nec aliquod aliud sufficere debuerit, ad notam aliquam ignominiæ illi inurendam. Simul hic etiam perpendamus, quàm lachrymabundus, quàm deuotus, quàm lætus ante pedes Virginis procubuerit, & millies veniam erroris sui orauerit, rationem dans certitudinis ab Angelo edoctæ, & mysterij sibi ab illo manifestati.

Gaudium B. Virginis.

Postquam ergo Sacratissima Virgo singularem hanc Dei prouidentiam, præsensque illius auxilium vidit, viditque sponsum suum quem diligebat, paulò antè tam tristem & solicitum, incredibilem in animo dolorem fouentem, nunc liberum à curis, consolatione diuina refocillatum atq; hilarem: & præter hæc intellexit quomodo diuina prouidentia curã suæ innocentiæ gereret, audita oratione sua pacataque domo, & sedato animo sponsi sui modo tam ineffabili & inusitato, quid putas illam fecisse? quid sensisse? quid dixisse? quas laudes Deo decantasse? quas gratiarum actiones reddidisse; recordata est fidelitatis & paternæ prouidentiæ, qua Supremus ille Dominus regit & tuetur eos, qui seruiunt illi. Sicut ipse cantabat cum diceret: *Et misericordia eius à*

Luc. 1. *progenie in progeniem timentibus eum.* Quod itaque gaudium, quæ iubilatio, quæ lacrymæ, quæ deuotiones visa & audita sunt, in sacrario pectoris illius sanctissimæ Virginis, cùm cerneret tãta Dei prouidẽtia sese defensam, & adiutam in tã dubia tribulatione.

Posteà ad Sponsum suum reuersa familiaria cum illo colloquia misceuit, omniaque illi narrauit mysteria, & quicquid inter se & Angelum actum erat; quid etiam in ædibus Zachariæ, cùm illic esset acciderat. Elisabethæ felici illi vetulæ, & quem in vtero, habebat infantem. Narrante hæc Maria mirum in modũ creuit exultatio Sancti Patriarchæ, & gaudium gaudio, & admiratio admirationi cumulabatur. Interrogabat Ioseph, & Maria respondebat, tãquam quæ à secretis erãt Deo, & magistra memoriæ mysteriorum illius, operumque Spiritus sancti. Tandem ambo simul cum multis lachrymis laudarunt, & glorificarunt Deum, multas horas terentes in hoc suaui dialogo: aut (vt melius dicam) in matutinis istis celebrandis, cum tot lachrymis, & tanta Spiritus deuotione.

Inter tot verò & tam multa mirabilia, nequaquã vltimo loco habenda sunt verba, quæ inter alia ad Iosephum locutus est Angelus: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* O nouum Saluatorem, ó nouum saluãdi modum, ab orbe condito vsque huc non visum: ó quàm nouos radios nouæ lucis hæc verba secum trahunt? hic finitur nox, hic dies incipit: hic occidit vetus testamentum, hic oritur nouũ: hic moritur gloria carnis, hic gloria spiritus resuscitatur: & ab hinc gloria Euangelij inclarescit. Omnia enim vsq; huc vmbræ fuerunt, & bona terrena, quæ lex antiqua pollicebatur: nunc autem omnia in spiritum & veritatem conuersa sunt. *Vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, quid nouum hoc, quod audiunt aures meæ? quod idioma nouum hoc? quæ lux hæc noua? Videntur fortasse exigua & nullius pretij, quæ latent in istis verbis. Sed si bene examinemus, omnes nos ipsos meritò in terram prosternere, eamq; millies osculari, ad gratias agendas Deo pro mysterio & beneficio his verbis comprehẽso debebimus. Per illa siquidem verba quasi per exiguam quandam fenestram, ostendit Deus mundo diuitias gratiæ & misericordiæ suæ, & reuelauit quicquid ab initio mundi, vsque in diem illum varijs figuris, typis, & vmbris dixerat inuolutum. Singulis enim ætatibus promiserat hanc salutem, & hunc Seruatorem, sub diuersis similitudinibus & nomenclaturis, nunc illum Redemptorem nominans, nunc Regem, nunc Ducem & Pastorem: hic liberatorẽ vocans, & Triumphatorem, alibi ędificatorem vel Architectum: & alijs locis alijs quoque nominibus & vocabulis, quæ prosperitatem & gloriam temporalẽ promittere videbantur, appellauit. Quare & Iudęi vsque in diem illum nihil minus existimarunt, quam quod ista salus esset futura spiritualis.

Nunc autem Angelus ille, his verbis, tanquã radio nouæ lucis omnes imagines & vmbras veteris Testamenti illustrauit, & detexit, significans apertis verbis hanc salutem, nõ corporis tantum esse, sed etiam animæ. Si pictura quædam artificiosa in loco *Simile.* obscuro seruaretur, ita vt imagines, quæ in illa depictę sunt, videri & agnosci non possint, alius autem, dum tu oculos huc illuc voluis, fenestram aperiat, per quam sufficiens lux intret, videbis ibi confestim mille colorum genera, regiones varias, arbores, animalia, & figuras hominum pulcherrimas, quæprius tenebris erant tectæ & inopia lucis videri non poterant. Sic & Angelus fecit hoc sermone: fenestram enim aperuit, & detexit omnes figuras, typos, & vmbras veteris Testamenti: & docuit omnia illa hunc salutis modum, & non alium significare. Sed quis poterit vere sentire suauitatem huius salutis & consolationem istorum verborum? Sentiet sentiet hanc sine dubio ille, qui victus & superatus est ab aliqua sua passione, vt si murmurauerit de proximo suo, aut si verbum locutus sit sua professione indignum, aut aliud peccatum aliquod graue commiserit, quod tamen non est mortale: is postea reuertatur ad cor suum, & cogitet quàm turpiter se ab affectu suo vinci passus sit (cùm tamen toties & tot lachrymis antea contrarium à Deo petierit) totum diem illum, totamque noctem stat in amaritudine animæ suæ, habens cor spinis confossum, & laceratum, cupitq; linguam suam, qua cum verbum illud protulit, frustatim discerptam esse, illam fabula (vt audio quosdam facere solitos) perforet, humeros & dorsum flagris laniet, vt vindictam de seipso sumat: toto isto tempore non comedit, & nocte frequenter præ timore & dolore cordis, eò quòd peccauit, expergiscitur. Is dico optimè sentiet, scietque vere magnitudinem huius beneficij expendere atque æstimare: intelliget quid sit natum esse Saluatorem, & Dominum in mundo, qui venit vt liberet homines à peccatis omnibus tam factis quàm faciendis: dans ijs indulgentiam, spiritum nouum, fortitudine nouam, nouamq; conferens gratiam, qua roborati ita viuere deinceps poterunt, ne in eadem crimina relabantur. Si talis Medicus & talis Dominus venerit in mundum, dico felicem esse horam, qua venit, felicem horam, qua natus est: & quod mundo venit hospes gratissimus, & millies sit benedictus tam ille, qui venit, quàm qui misit illum. Nulla enim re magis egebat mundus, quàm tali Saluatore: & nihil vtilius potuit mundo mitti aut donari. Resuscitent alij mortuos, imperent Dæmonibus, ambulent super fluctus maris: mihi autẽ sufficit posse me calcare passiones meas, vincere appetitus meos, & non vinci à peccatis. Hoc vnum, si mihi largiatur Deus, sufficit mihi: habeant alij quidquid velint. Est hæc res tanti momenti, vt Deus non indignum sua Maiestate arbitratus sit, de cœlo in terram descendere, & tentare extrema, vt operaretur opus tam arduum & difficilè. Sed & hoc vnum satis esse deberet hominibus, vt ex eo intelligant, quàm optata & salutaris res est Victoria de passionibus, & remissio peccatorum: posteaquam Deus ipse tam mirabilia fecit, vt hæc duo miseris hominibus compararet.

Quis optime sentit beneficium saluti.

DE

DE GLORIOSA NATIVITATE nostri Seruatoris.

MEDITATIO III.

B. Lucas Euangelista lætam hanc nobis de Natiuitate Dominica commemorans historiam, sic ait: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino, & ibant omnes vt profiterentur singuli in ciuitatem suam. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid (quæ vocatur Bethleem) eò quòd esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cũ essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuolauit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat illi locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno: Et dixit illis Angelus: Nolite timere. Ecce enim, euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Deus in ciuitate Dauid. Et hoc signum inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo malitiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Pastores loquebantur ad Inuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factũ est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio: videntes autem cognouerunt de Verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierant, miratisunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant sicut dictum est ad illos.

Hactenus Euangelista. Veniamus nunc ad gloriosæ Natiuitatis Dominicæ ampliorem explicationem. Quoniam inter omnes articulos & mysteria sanctissimæ vitæ Christi, non est dulcius, non deuotius, non admiratione & doctrinis varijs plenius, hoc suæ Natiuitatis. Hodie, inquit Ecclesia, nobis de cœlo pax vera descendit: Hodie per totum mundũ melliflui facti sunt cœli: Hodie illuxit nobis dies Redemptionis nostræ, Reparationis antiquæ, felicitatis æternæ.

Quæ autem nobis celebrior dies hac esse potest (inquit Gregor. Nyssenus) in qua malas Diaboli tenebras discutiens Iustitiæ Sol, per naturam nostrã illucet mundo? In qua qui cecidit, excitatur qui victus est, in gratiam recipitur? qui ejectus est, renocatur? Qui è vita excidit, ad vitam redit: qui seruitutẽ seruiuit, regni dignitatem assequitur? qui mortis vinculis constrictus est, ad regionem viuentium reuertitur? Nunc vt Propheta testatur, æreæ mortis portæ confringuntur, ferrea comminuuntur vincula, quibus antea genus hominum in mortis custodia detinebatur. Nunc, vt cecinit Dauid, recluditur porta iustitiæ. Nunc per totum orbem vna voce festum celebrantium, clamor exauditur? Per hominẽ mors, & per hominem salus. Primus in peccatum lapsus est, iacentem secundus suscitauit. A muliere mulier defensa est, prima peccato aditum patefecit, hæc vt testamenti pateret aditus ministra fuit. Illa serpentis consilium est secuta, hæc serpentis interfectorem exhibuit, & lucis auctorem in lucem edidit, illa per lignum induxit peccatum, hæc per lignum gratiam intulit. Lignum autẽ crucis intelligo, cuius fructus est semper virens, & gustantibus vita fuit immortalis. Nemo autem hanc gratiarum actionem Paschatis tantum mysterio putet conuenire. Sic enim cogitet, Pascha quidem diuinæ dispositionis esse finem qui tamen finis consequi nequeat, nisi principium antecedat. Quæ igitur laudes, quæ gratiarum actiones debentur Domino pro Paschatis mysterio; eædẽ & illi debentur hoc die, pro Natiuitatis beneficio.

In hoc itaque festo tam glorioso, tantæque virtutis dicit Euangelista, *quod impleti sunt dies vt Maria pareret*, & venit hora illa desiderata cunctis gentibus; tanto tempore expectata ab omnibus sæculis, tam diu cunctis ætatibus promissa, tot typis, figuris, psalmis, canticis & oraculis prædicata, & varijs scripturæ locis concelebrata. Venit hora à qua totius mundi salus, à qua reparatio cœli, victoria contra Diabolum, triumphus de morte & peccato dependebat: quam plangendo & suspirando gemitus, & diuturnum Patrum in Limbo exilium præstolabantur. Erat noctis medium tunc clariùs Sole meridiano, (*quietum enim silentium continebat omnia, & nox in suo cursu medium iter habebat*) quando de virginali ventre filius Dei in hunc mundum exiuit, tanquam Sponsus qui de thalamo virgineo matris suæ procedit. In illa admirabili hora omnipotens Sermo Dei, qui exilierat de cœlo à regalibus sedibus suis, & in mediam exterminij terram profilierat, in hanc lachrymarum vallem, nostra carne vestitus, & omnibus miserijs & infirmitatibus nostris (ignorantia & malitia exceptis) quibus cum cæteri homines nascuntur, subiectus, apparuit: Ita vt ille nõ iniuria dicere nunc potuerit, quod olim dictũ erat à Sapiente. Sap. 18. Ibid.

Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro. Et ego natus accepi communem aerem & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans, in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitã, & similis exitus. Sap. 7. Filius Dei similis nobis.

Si Rex ipse Salomon volens confiteri omnem vilitatem & infirmitatem, quam cum cæteris hominibus cõmunem habebat, ex singulari humilitate & admiratione in hęc verba proruperit: quantò mirabilius erit, eo nunc Dominum totius mundi, & Regem Regum deuenisse, vt & ipse de se eadẽ debeat confiteri? quãtò mirabilius erit eo ventum esse, vt nunc dici possit de secundo Adamo, quod quondam ironicè, & quasi per sarcasmum dictum est primo; *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum?* Ecce Generator mundi, gloria cœlorum, Dominus Angelorum, beatitudo hominum, & Sapientia æterna, genita ante Luciferũ, & ante stellas matutinas; qui de se per os Salomonis tam magnifica prædicat, dicens; *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: Necdum montes graui mole constiterant, ante colles ego parturiebar.* Ecce igitur hic cum principio, qui principium non habebat. Ecce creatus ille, qui omnia creauit, scit bonũ & malum, scit plangere, scit dolore, scit lachrymari, nouit tribulationes, nouit tormenta, nouit gemitus, nouit omnia: eaq; numero non pauca, sed multa, cum ipse (teste Esaia) vir dolorum sit & sciens infirmitatem. Quod si omnia hæc admiratione digna sint, erit sanè & illud admirandũ, quod addit hic Euangelista: *Et peperit filiũ suũ primogenitum; & pannis eum inuoluit & reclinauit eum in præsepio: quia nõ erat ei locus in diuersorio.* Quis nõ deficiet animo præstupore, videns Dominũ omnium in præsepe bestiarum reponi: *Dominus in templo sancto suo* ait Prophe-ta, *Dominus in cælo sedes eius.* Cur itaq; cœlum præsepio permutauit? cur relicto templo nunc habitat in stabulo. Verisimile omnino est, Sanctos si aliquando in Genes. 3. Prou. 8. Esa. 35. Psal. 10.

do in ecstasi extra sese per contemplationes ferantur, aut in abstractionem mentis à corpore ad contemplanda cœlestia rapiantur, atque in Deum transportentur tunc potissimum rapi, cùm abyssum horu mirabilium, & demõstrationem ineffabilis & incomprehensibilis huius bonitatis & charitatis contemplationẽ ingressi sunt. Et nõ solũ homines, sed si fieri posset, quod ipse Deus ecstaticus fieret, non alia ex causa, quàm ad huius extremæ humilitatis contemplationem obstupuisse, & suæ mentis esse desijsse, meritò diceremus. Quid? Philosophi & sapientes huius mundi idẽ senserunt, cùm diceret, prædicationẽ Euangelij esse furorem & insaniam quandã, hominum fanaticorũ: existimabant enim possibile nõ esse, vt altissima illa & simplissima Substãtia, sic voluerit infici aut violari (vt ipsi loquuntur) tantisque iniurijs subijci. Eò itaq; venit humilitatis summa illa Bonitas, & Misericordia, & Amor diuinus erga homines, vt ea fecerit pro ipsis, quæ illi ipsi, pro quibus fecit, insaniam interpretantur. Optimè quidam dixit. Amare & sapere vix Deo cõceditur. Hic enim videmus Deũ (alioquin enim impossibile fuisset ipsum in defectus illos prolabi) à seipso quasi exijsse, & in hominẽ transformatũ assumens illud quod nõ erat, non deponens interim quod erat, solo amoris magnitudine permotus. Plantauit Noë vineam post diluuiũ, & bibens vinũ inebriatus est, mentecq; captus in tabernaculo suo nudatus est, & à proprio filio illusus. Sic & tu, Domine mi, plantasti homines in hoc mundo, tanquam vites vnius vineæ, tantusque erga illam tuus amor fuit, vt ex illa inebriatus, & extra temetipsum quodammodo constitutus, naturam vilem & peregrinam indueris.

Deus factus homo quasi sui oblitus.

Genes. 9.

Perseuerans adhuc in sacra huius præsepis contẽplatione, inuenies materiam, causas & argumenta non tantùm ad cognitionem huius bonitatis, sed omnium etiam virtutum aliarum vtilissima. Hic disces humilitatem cordis, contemptum mundi, asperitatem vitæ, hicnuditatem & paupertatem spiritus doceberis, quæ toties celebratur in Euangelio. Sciebat enim optimè expertissimus ille Medicus, & magister cœlestis quanta innocentia reperitur in domo pauperis spiritus, & quanta bella, tumultus, & inquietas cogitationes concitat, inordinatus amor diuitiarum. Propterea ex cunis & præsepio, tanquam è cathedra cœlesti prima lectio quæ audita est, primaque vox, quam emisit, fuit damnatio concupiscentiæ, seu cupiditatis, omnium malorum radicis: commendatio verò paupertatis spiritus & humilitatis fontis atque originis bonorum omnium. Hanc (inquit Doctor quidam) docet præsepium: hanc panni, hanc paupercula domus, hanc stabulum prędicat. O felix tugurium, ô Stabulum glorioſius omnium Regum palatijs, in quo Christus primam cœlestis philosophiæ Cathedram fundauit: vbi Verbũ Dei tanto sepultum tempore, quod iam penè obmutuerat, tantò clamat altius, quantò nos admonet secretius. Caue itaq;, mi frater (si modo velis esse verus philosophus) ne stabulum hoc derelinquas: caue ne ab hac Cathedra seiungaris, in qua Verbum Dei tacendo lamentatur & plãgit: sed planctus ille dulcior est vniuersa eloquentia Tullij, & omnium Angelorum in cœlesti choro Musica. Splendor gloriæ paternæ, panniculis & fascijs inuoluitur, sed ijs panniculis quibus maculæ peccatorum nostrorum exterguntur. Satietas Angelorum exiguo lacte nutritur, sed tali lacte, quod fouet & nutrit simplicitatẽ humilium, donec ad adultam & maturam venerint perfectionem. Hic panis Angelorum in Hordeum mutatur, sed in hordeum quod datur pijs iumentis, pabulum quo nutrita fortitudinem acquirunt ad iugum Domini portandum, id est, mandata legis diuinæ obseruanda. Hæc omnia bona, aliaque præter hæc innumerabilia promuntur atque communicantur nobis in hoc mysterio. Quare meritò quidam insignis Ecclesiæ Doctor exclamat dicens: Quã felix, quàm amabilis natiuitas tua puer Iesu? quæ natiuitatem omnium emendat, conditionem reformat, præiudicium soluit, chirographum damnatæ naturæ rescindit; vt si quem pigeat damnabiliter esse natum, possit felicissimè renasci. Quotquot enim te receperunt, dedisti eis potestatem filios Dei fieri. Verè tu puer misericors, quã sola misericordia puerum fecit: licet pariter misericordia & veritas in te obuiauerunt sibi. Verè tu misericors puer natus es nobis, non tibi, vt tibi: lucra nostra, non augmenta tua, nascens de nobis quæsisti, qui ad hoc solum nasci dignatus es, vt nos minoratione tua proueheres, humiliatione glorificares. Propterea sanè dulce est Deum contemplari puerum, nec dulce tantum, sed vtile, & efficax ad curanda nostra vulnera. Sed ad ea, me potissimum conuerto, in quibus maiorem inuenio saporis dulcedinem: scire enim oportet, propter hoc illum homini similem factum, vt esset amabilis hominibus, quorum similitudinem habebat: similitudo enim amorem inducit. Quapropter præ nimia lætitia me temperare non possum, quoties recordor supremam illam Maiestatem naturam humanam de carne mea sumptam induisse, & amasse me non ad horam, sed semper, ditans me copiosa sua gratia. Dominus meus factus est frater meus, & timorem quem incutiebat vt Dominus, conuertit in amorem iam factus frater. Propterea, Domine mi, lubens audio prædicari te regnare in cœlo, sed multò lubentius te nasci in terris. Ista enim contemplatio rapuit omnem meum affectum, & memoria illius beneficij accendit omnem meum memoriam, & cor meum inflammat. Stabat Dominus meus inter choros Angelorum, audiens harmoniam & musicum gloriæ suæ concentum, faciens mirabilia in cœlo & in terra & in abysso: ego autem iacebam in luto, plenus calamitatum & miseriarũ, nec vlla spes affulgebat illinc exeundi. Ille in gloria, ego in tribulatione. ille admirabilis, ego miserabilis. Ille itaque qui erat admirabilis Angelis: inclinauit cœlos & descendit, & factus est consiliarius hominum. Nomen maiestatis mutatum est in nomẽ pietatis; & qui erat mirabilis in cœlo, factus est consiliarius in terris. Abscondit regalem purpuram sub sacco miseriarum mearum, & delituit in volutabrũ luti, in quo ego iacebam, nullam tamen inde maculam contrahens. Ego infixus eram in profundo limi, & ille extendit dexteram suam ad opus manuũ suarum, & eripuit me de aquis multis: ereptum lauit, lotum vestiuit, vestitum reformauit, & ab omni malo liberatum me dimisit. Manum mihi porrexit cùm natus est, eripuit me quando prædicauit, lauit me quando mortuus est, induit me quando resurrexit, refecit me quando ascendit in cœlos, & confirmauit me, quando Spiritum sanctum demisit: & sic per omnia me sanitati integritatique pristinæ restituit.

Præsepe schola Christianorum præcipue paupertatis.

Post hanc deuotam præsepis contemplationem, aperiamus oculos nostros, & aures, vt audiamus cãtica & hymnos Angelorum, de quibus dicit Euangelista, quòd cum primus legationem suam absoluisset, pastoribus nouum Euangelium annunciasset, subito facta est cum Angelo illo *multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quis vnquam vidit duo contraria ita confundiẽ vniri, vt hic ab vna parte summa est humilitas, ab altera summa sublimitas. Quomodo conueniunt iacere in medio bestiarum, & laudari ab Angelicis spiriti-

Angelorum concentus & Christi gloria.

spiritibus? in stabulo paleis & fœno tegi, atque in cœlo lucere? Quis est ille tam sublimis, & tam humilis abiectusq;? Paruulus in carne, paruulus in præsepi, paruulus in stabulo, sed magnus in cœlo, cui stellæ famulantur: magnus in aëre, vbi panegyricus ille hymnus decantatur ab Angelis; magnus in terris ad cuius nomẽ expauescit Herodes, trepidat omnis Hierusalem. Quis itaque in vno & eodem mysterio celciora & humiliora excogitare posset? quis maiorem humilitatem? quis maiorem etiam gloriam audiuit, quam Sapientia diuina hîc coniunxit?

Duo in Christo consideranda.

Audi nunc, frater mi, tanti mysterij rationem: Duo semper in Christo sunt consideranda, notandũ enim quis est, & cur venit. Si spectes quis est, debetur illi omnis honos & gloria: est enim filius Dei: sed si attendas ad quid venerit, videbis ipsi conuenire omnem humilitatem & paupertatem: Venit enim vt sanaret nos ab omni superbia. Et propterea si totum vitæ Seruatoris curriculum, & singulas eius partes diligenter scruteris, inuenies vbique hæc duo coniuncta: hîc magnam humilitatem, illic magnã gloriam. Summa humilitas est Deum concipi, sed summa gloria est concipi à Spiritu sancto. Summa humilitas est nasci à fœmina, sed summa gloria nasci à Virgine. Summa humilitas est nesci in stabulo, sed summa gloria est radiare & splendere in cœlo. Summa humilitas est plorare inter bestias, sed summa gloria decantari & laudari ab Angelis in nubibus. Summa humilitas est Deum circumcidi, sed summa gloria quod nomen illi datur Seruatoris. Summa humilitas est baptizari inter publicanos & peccatores, sed summa gloria est cœlos aperiri, vocem patris audiri, & Spiritum S. super illam descendere. Denique summa non tantum humilitas, sed etiam ignominia est, pati & mori in Cruce; sed summa gloria fuit, terram contremuisse, cœlum obscuratum fuisse, petras scissas: & omnia elementa commota esse.

Humilitas Christi semper cum gloria est coniuncta.

Omnia hæc à diuina Sapientia sic erant temperata, & ratio vt sic fierent exigebat: humilitas enim erat necessaria ad medendum magnitudini nostræ superbiæ gloria verò ipsi Medico conueniebat. Hęc requirebatur ad ostendendum quis esset, illa ad significandum officium, quo fungebatur. De vna dicit Ioannes, *Et vidimus gloriam eius*, i. magnitudinem mirabilium eius: *gloriam quasi vnigeniti à patre* quia enim filius Dei erat, ideo quoque diuina opera faciebat. De altero verò sic loquitur Esaias, *Et vidimus eum, & non erat aspectus*, seu figura illius, qui erat, *desideravimus eum despectum, nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus vnde nec reputauimus eum.*

Ioan. 1.

Isa 53.

Et humilitas & gloriæ Christi ad nostrum cõmodum referuntur.

Sed etsi concedamus vnum pertinere ad illius gloriam, & alterum ad nostram vtilitatem, nihilominùs si verum fateri velimus, vtrumq; ad nostrum potest referri commodum & emolumentum: per vnum enim corriguntur nostri mores, per aliud nostra confirmatur fides. Quapropter si te offendat humilitas Christi, & non credas illum esse Deum, quẽ abiectum vides & humilem, auerte oculos tuos ab humilitate, & ad coniunctam gloriam conuerte, & fateberis non esse indignum diuina Maiestate, humiliari cum tanta gloria. Videtur indignum quod Deus nascitur ex fœmina, sed non videbitur, si respexeris gloriam, qua cum natus est. Videtur indignum mori, quomodo Christus mortuus est. Quòd mortuus est, hoc magnitudine bonitatis illius ostẽdit; quod autem mortuus est isto modo, gloriam arguit suæ potentiæ. Vno itaque, vti diximus, mores nostri corriguntur, & corda nostra in amorem illius rapiuntur, altero intellectus noster illuminatur & in fide confirmatur. Proinde non minus formosus est Dominus noster in oculis videntium eius humilitatem, quàm spectantium gloriam. Formosissimus est in stabulo; formosissimus in præsepi Bethleemitico: formosissimus in throno gloriæ suæ formosissimus inter choros Angelorum, formosissimus inter animalia bruta.

DE COGITATIONIBVS ET CONtemplationibus B. Mariæ Virginis.

MEDITATIO IV.

COncludit autem B. Euangelista dulcissimam dulcissimi illius mysterij narrationem, seu historiam suaui admodum sententia, quæ nobis affectionem cordis B. Mariæ Virginis breuiter declarat. Dicit enim; *Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Tota huius Euangelij historia regale epulum est, & conuiuiũ Electis à Deo apparatum, mille ferculorum generibus instructissimum. Infantulus ipse, Mater, partus, natiuitas, præsepe, Angeli, & Pastores singuli singula sunt fercula. Omnia plena sunt miraculis, omnia lacte manant & melle suauissimo. Singuli sumant partem, quam velint, & comedant ex eo, quod palato suo sapit optimè. Ego autem ingenuè fateor in vltimo ferculo, seu in vltima huius Euangelicæ narrationis clausula, in qua nobis cor sanctissimæ Virginis Matris Dominę nostræ, & id quod in Virginali suo pectore colligebat & reconditum seruabat, proponitur, inæstimabilem incredibilisque suauitatis dulcedinem latere. O quis tam fœlix erit, vt vel per experientiã, vel per gustum aliquem istius mysterij, aliquid de illo commemorare posset, è multis quæ B. Virgo tunc in animo sensit & pertractauit. Luc. 2.

Vir quidam nobilis olim interrogauit Philosophum, quem fructum perciperet filius eius, si philosophiæ studeret. Cui Philosophus respondit; Inter alios plurimos, saltem hoc habebit, ne cùm in theatrum venit, ludos spectaturus, lapis super lapidem sedeat: significans quod Philosophia oculos aperiret, faceret illum discretum, & eruditum; vt quando ad forum negotia huius seculi tractaturus veniret, saperet & prudenter nosset eligere, quod vtile sibi, & reijcere, quod inutile esset. Si humana Philosophia tam prudentes & discretos efficiat homines: qua quæso prudentia, qua discretione, circumspectione & mentis acumine B. Virgo à Spiritu sancto donata est, cuius gratia & donis erat plenissima? Est enim inter dona Spiritus nequaquam infimum donũ Intellectus, quod penetrat secreta & mirabilia operum diuinorum. Habens itaq; Sanctissima hæc Domina nostra ex magnificentia Spiritus sancti mentẽ & intellectũ illuminatissimum, oculosq; ad scrutãda & contemplanda Dei mirabilia perspicacissimos ab vna parte; ab altera verò theatrum sibi oppositũ in medio magnorum & mirabilium Dei, quę tamen omnia B. Virgo hæc potuit perlustrare, & vsque ad medullas singulari sua sapientia penetrare dic mihi frater quomodo tunc affecta fuit, quæ cogitationes tunc in illius corde fuerunt? Vnum solum miraculũ quod vident homines, sufficit vt obstupescant, & mente alienentur, quod aliam ob causam miraculũ non appellamus, quàm quod cor extra seipsum rapiat, & præmagna admiratione ab officio suspendat, quemadmodum accidit ijs qui viderunt in Synagoga infirmum miraculosè à Christo sanari; quare (vt Lucas scribit) *stupor apprehendit omnes, & repleti sunt timore*, quasi dicat, attoniti fuerunt, extra sese rapti, vel mente exciderunt, & suæ mentis esse desierunt, vt solent Ecstatici, quando tam manifestũ & euidens miraculum viderunt. Si tanti stuporis vim attulit vnum miraculum, idq; tam leue, quam Luc. 5.

eſt cura vnius infirmi, quæ admiratio, quis ſtupor, quæ mentis eleuatio fuit in ſacratiſsimæ Virginis illius anima, cum tot, tamque inaudita, atque ardua miracula videret, recordaretur, in corde conferret? Miraculum enim erat Annunciatio, miraculum erat Viſitatio Elizabethæ, miraculum erat prophetia Zachariæ Patris illius: miraculum erat quod obmutuerat, & tam repente nato filiolo loquendi facultatem receperat, miraculum erat reuelatio facta Ioſepho, miraculum erat partus ſine dolore, miraculum erat concentus ille Angelorum, denique & miraculum erat inſperatus Paſtorum aduentus. Omnia hæc miracula erant eaq; non vulgaria vel parua, ſed ſupernaturalia maximè & diuiniſsima quæ omnia ſanctiſsimo Virgo conſeruabat, & in mente congerebat, comparans ad inuicem, & admirabilem omnium conſonantiam intus adorans. Quidni aures animæ illius ſemper benedictæ ineffabilem ſuauitatem ex muſica illa harmonia, & cœleſtium vocum concentum percepit? Quidni ſenſit incredibilem animæ dulcedinem, in tantarum rerum mirabilium abyſſum delata exiens ab vno, & intrans aliud, per omnia & ſingula diſcurrens, nec finem, nec terminum miraculorum inueniés? Quidni ſenſit iucundiſsimum lumen, inter tot lampades & tædas, quibus Spiritus ſanctus virginale iſtud tẽplum illuminaret conſtituta? Certũ enim eſt, quod quanti fuerunt ſplendores illius intellectus, tanti fuerunt voluntatis ardores. Nam ſi minores fuiſſent hi, imperfectio quædam fuiſſet in anima illa benedicta, dum potiſsimæ duæ animæ potentiæ inter ſe non conueniſſent, aut proportionem ad inuicem nõ habuiſſent: non enim ſenſiſſet voluntas, quod intellectus apprehendiſſet.

Quæ cum ita ſint, quæ flumina Tullianæ eloquentiæ, qui floſculi Quintiliani, quæ Demoſthenis dicẽdi grauitas, quæ latera, quæ fauces, vox, lingua ſufficere poſſunt, ad exprimendam, gaudij, exultationis & ardorum magnitudinem, quam ſenſit in anima ſua Virgo hæc beatiſsima, videns ſe ab omni parte tanta rerum admirandarum multitudine & frequentia circumdatam. Quocunque enim oculos vertebat, omnia erant noui ſplendores, noua beneficia, nouæ reuelationes: erant miracula ſupra miracula, & ſtupor admiratio vna, aliam mox ſubſequebatur. Quod præſens erat, quod præteritum, quod futurum cor illius exhilarabat: ante omnia verò maximam voluptatem, iucundiſsimumq; gaudium ex prudentia Pueruli, & Spiritus ſancti, qui ipſi omnia ad memoriam reducebat, explicabat & interpretabatur mentem, intellectumque illuminando, percipiebat. Dum enim puero lac præbet. Maria ipſa dulcedinem myſteriorum cœleſtium guſtabat, qui guſtus tantæ fuit virtutis, vt niſi dator Virginem confortaſſet, & conſeruaſſet, cor illius in pectore diſrumpi debuiſſet, præ dulcedinis & delectationis magnitudine.

Etenim ſi fieri poſſet, & fiat ſubinde, vt mulier poſtquam peperit lætitia moriatur, eò quod proſperum & felix nacta eſt puerperium; quomodo viuere potuiſſet illa ſanctiſsima Virgo, cuius partus tantò erat felicior, quantò proles erat omni creatura maior & nobilior?

Simile. Itaque ô regina cœli, porta paradiſi, Domina mũdi, ſacrarium Spiritus ſancti, ſedes ſapientiæ, templum Dei viui, Secretaria Chriſti, teſtis omnium operum illius, dic mihi quomodo deuotum & pium cor tuum fuit affectum, in tantis miraculis & Sacramentis conſtitutum? quid cogitaſti aſpiciẽs dulce onus brachij tui, quod cœlum ipſum ſuſtinebat? quid, videns vbera tua ſugere & virgineo tuo lacte ali, qui Angelos nutrit, omnesque creaturas alit? quid, conſpiciens plorare, lamentari, & nimio frigore toto corpuſculo contremiſcere in terra, qui tonat & fulminat in cœlo? Quid ſenſiſti, quoties recordata es, ſingularis gratiæ, quam in oculis Dei inueniſti: inter omnes enim mulieres creatas, & adhuc creandas tu ſola digna fuiſti, quæ mater eſſet Saluatoris, & Domina totius mundi. Ah cum quanta humilitate tantam dignitatem agnouiſti?

Quibus oculis intuita es illum, qui te tam benignè & liberaliter reſpexit? quas gratias illi egiſti? quas cantilenas illi cecinisti? quanto cum amore illi reſpondiſti? quam ſuauiter illi locuta es? & quanta cum deuotione temetipſam ſacrificium voluntariũ obtuliſti, ruens tota in illius amplexus, cui te conſecrãras. Commune dictum eſt: Humiles vt plurimũ, ab omnibus amari: cùm enim parui ſint in oculis proprijs, ferè fit, & æquum eſt, vt magni ſint in oculis alienis. Dicant itaque nunc mihi creaturæ omnes, ſi Virgo hæc cæteris omnibus, qui humilitatis titulo illuſtres ſunt, præfulgeat, & beneficium hoc omnibus alijs maius ſit & præſtantius, quis poterit metiri, quouſque beneficij illius magnitudo, in corde tam humili progreſſa eſt? vbi ſubſtitit? quo peruenit? Non reperitur ſanè intellectus aliquis humanus, qui capere poſſet, aut penetrare tam abſcondita ſolique Deo & Virgini cognita myſteria.

Quis itaque nobis cordis illius Virginei, inter tot & tanta geſtarum rerum mirabilium verſantis, affectionem exprimet, aut enarrabit? Mirabatur videns Verbum Dei obmutuiſſe; Legatum audiens omnipotentis, anguſto cernens contentum præſepio, quem mundus non capit vniuerſus. Mirabatur inueniens in Deo tantam bonitatem, tantam miſericordiam, tantam liberalitatem, tantam humilitatem, & tam inuſitatam & ſupereminentem pietatem. Mirabatur conſpiciens quod Deus hominem tam tenere amaret, tanti æſtimaret, in tanto honore haberet, tam ſollicitè illius ſalutem deſideraret, tot donis ornamentisque nobilitaret, & eiuſdem naturæ aſſumptione condecoraret.

Agnoſce itaque ô Chriſtiane, inquit B. Leo Pontifex, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione recidere. Memento cuius capitis, & cuius ſis corporis membrum: reminiſcere quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. Recordare quia pretium tuum eſt ſanguis Chriſti, qui veritate te iudicabit, qui miſericordia te redemit. Quod ſi Rex quiſpiam humilis & abiectæ conditionis fœminam caſto & legitimo ſibi matrimonio iunxiſſet, eamq; Reginam omnium ſuarum prouinciarum creaſſet, nonne mulier hæc confeſtim abijceret antiquum viuendi modum, plebeios mores, vilitatemq; omnem conditionis prioris; nouam verò & aulicam cum animo generoſo viuendi conſuetudinem (ſi ſapiat modò, & ſani ſit cerebri) aſſumet? Poſtquam itaque Rex cœli & terræ, mediante ſacratiſsimæ ſuæ incarnationis myſterio, animã tuã ſibi deſponſauerit, ſeq; vnius, eiuſdemq; naturæ, cuius tu es, participem fecerit, fas & æquum omnino eſt, vt in poſterum antiquam vilitatis tuæ viam relinquas, humilitatisq; tuæ prioris obliuiſcaris, atq; vitam viues tam nobili & potenti Rege dignã. Noli amplius meminiſſe morum veteris Adami, ſed nouum imitare; poſtquã ille ſe noſtra carne veſtituit, & ſuum nobis viciſsim Spiritum dedit, vt portantes Spiritum Dei in cordibus noſtris, non iam amplius viuamus vt homines incarne, ſed quaſi Filij Dei in Spiritu & veritate.

Leo Papa ſerm. de Natiuit. Dom.

Simile.

QVOMO-

QVOMODO CHRISTVS IESVS SPIritualiter nascitur in animabus hominum deuotorum.

Bonauen. de S. festiu pueri Iesu.

EXplicat Dominicæ Natiuitatis historia, reliquum est, vt, secundùm doctrinam S. Bonauenturæ, quem initio capitis 3. citauimus, doceamus, quomodo filius DEI nascatur in anima, quę iam antea illum spiritualiter concepit. Nascitur itaque Dominus, cùm post sanum consilium, post discussum sufficienter negotium, post inuocatum diuinum patronum, sanctum propositum producitur ad effectum: cùm iam anima incipit agere fiducia, quod iam dudum proposuerat, sed auspicari metuebat: quia timebat deficere. In ista beatissima Natiuitate Angeli iubilant, Deum glorificant, & pacem annunciant. Cum enim quod diu mente conceptum est, ad effectum boni operis perducitur, pax interior reformatur.

Non enim in regno animæ pax diuina locum habere potest, quādiu caro spiritui, & spiritus carni reluctatur, quamdiu spiritus Christum, & caro mundum affectat, quamdiu spiritus appetit quietē contemplationis diuinæ, & caro ambit honores & dignitates huius seculi. Postquam vero caro spiritui subiecta est, postquam bonum opus, quod diu per carnem est impeditum, perducitur ad effectum, pax & exultatio interior reformatur. In ista natiuitate non auditur clamor, non sentiuntur dolores & tormenta partūs, sed admiratio de mutatione dexterę Excelsi, exultatio de nouitate vitæ, & gratiarum actio propter diuinam vocationem. O quam beata natiuitas, quam tanta sequitur Angelorum & hominum iucunditas? O quàm dulce & delectabile esset naturæ pię viuere, si infirmitas peccati communis non obstaret: qua sanata, statim naturalibus gratia aridet, iamque experitur verum esse illud Euangelicum, *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

Sed notandum est hic, ô anima deuota, si te hæc iucunda delectet natiuitas, debes esse primò Maria. Maria autem significat animarum mare, stellam illuminantem, & Dominam. Esto ergo & tu amarū mare, per dolorem contritionis, plange & deplora in amaritudine cordis tui malum commissum, tēpus amissum, & bonum omissum. Esto secundo stella illuminans exemplis bonæ vitæ, operibus virtutum, & pietatis, sanctisque sermonibus. Esto tertio Domina sensuum; carnalium concupiscentiarum, & omnium operationum tuarum. Omnes actiones tuas fac secundùm rectū dictamen rationis; in omnibus autem propriam salutem, proximi ædificationem, diuinamque laudem & gloriam require & tuere. Hæc est illa fœlix Maria, quæ pro peccatis perpetratis dolet, & ingemiscit: quæ virtutibus fulget, & clarescit: quæ carnalibus delectationibus dominatur. Ab ista Maria Iesus Christus cum gaudio, sine dolore, absque labore, spiritualiter nasci non dedignatur: postquam felicem natiuitatem cognoscit, & gustat, quàm suauis est Dominus. Reuera suauis est, quando nutritur sanctis meditationibus, quando lauatur in balneo deuotarum lachrymarū, quando inuoluitur castis desideriorum fascijs, portatur sanctæ dilectionis brachijs, cùm genę illius piorum effectuum oculis fatigantur, cum denique in interioris mentis nostrę finibus hic pusio confouetur. Non enim nascitur in nobis, vt abijciatur, sed vt cum summa reuerentia, vti Regum & Imperatorum filij solent, custodiatur & tractetur.

Hic nota fidelis anima, quod in te contingunt illa signa spiritualiter, quæ in Christi natiuitate legimus contigisse visibiliter: qualia sunt ortus nouæ stellæ, adoratio animalium, diligentia Regum quærentium Dominum, cantica & hymni Angelorum, visitatio pastorū. Considera itaq; diligenter, si stella nouæ claritatis, quæ est noua cognatio rerū diuinarū, fulgeat in anima tua, si animalia bruta adorent, id est, bestialis & sensitiua (vt vocāt) pars animæ subiecta sit, & obediat rationi: si quærāt Reges, id est, si virtutes intellectuales, quæ principatum habent in anima nostra, moueantur cum sanctis desiderijs & affectionibus ad Christum quærendum: si Angeli, hoc est, ceterę virtutes omnes illi canant, illum laudent, eius prædicent encomia cum spirituali gaudio, annuncientque pacem, habentes tranquillitatem, serenitatemque in oratione. Denique sollicitè explora, si Pastores, qui sunt sanctæ meditationes & cogitationes, quibus pascitur anima religiosa, inueniant puerulum Iesum in præsepio. Præsepe est conscientia inferius clausa, per contemptum rerum mundanarum, superius aperta per desiderium æternarum. Hic proprius locus est, in quo pauper Rex quiescit: illic post partum à matre reponitur, ibi à Pastoribus inuenitur. O felix præsepe quid habes? quid contines? quid in te reconditum est? Regem gloriæ in te inuenio, panemque Angelorum, qui pabulum est spiritualium iumētorum. O felix præsepe, in quo pascuntur pia animalia, & nutriuntur animæ deuotæ. O felix verè præsepe materiale, sed felicius spirituale, id est, bona conscientia, quia cōtinet in se spiritualiter, quòd tu continebas corporaliter.

DE MYSTERIO CIRCVNCISIONIS, & gloriosi nominis Iesu impositione.

MEDITATIO V.

POSTQVAM *consummati sunt dies octo*, inquit Euangelista, *vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero concipereretur.* Circa diuinum hoc mysterium initio considerandum est, quomodo Saluator statim post diem octauum, voluit auspicari officium Redemptoris, id est, tormenta pati, & sanguinem fundere pro nostra salute. Cogitemus hoc loco quanto dolore & mœrore cor beatissimę Virginis sauciatum est, cum videret pulcherimum pusionem in ætate illa tenerrima cœpisse carnem amittere, & sanguinem profundere. Considera præterea puerulum Iesum, aut potius diuinam sapientiam in puerulo hoc quomodo flet, plangit, & præ magnitudine doloris frequētibus lachrymulis ex ocellis cadentibus terram humectat? Qui dolor circumcisionis tantus erat subinde, vt mors subsequebatur: nec enim minorem in Christo fuisse, sed multò maiorem ex eo colligi potest, quod caro eius super omnem carnem erat delicatissima. Quod cùm ita sit, quid ni summus fuit dolor Viginis, quando vidit lapideum istum cultellum secare & amputare carnem filioli, tam teneri & dilecti? Quanto eum mœrore cordis, & quot lachrymis oculorum paruulum demulcere, eiusque dolores mitigare contendit, totum eum brachijs suis complexa; nunc deosculans, nunc alludens & arridens, nunc manu corpusculum mulcens, nunc ad pectus virginale premens, nunc denique vbera sancta porrigens, immaculataque papillas in osculum illius inserens; vt dum virgineo lacte potatur, dolor mitigetur? Quis etiam fuit animus sancto illi Iosepho, qui forte minister fuit huius circuncisionis? quanta cum sympathia illo officio functus est? quanto cum viscerum dolore intuitus est hic sanguinē pueruli instar riuuli decurrere, illic matris lachrymas, quam tantopere diligebat, fluere?

Luc. 2. *Dolor pueri Iesu & compassio matris.*

fluere? O sponsum sanguinis, ô Regem gloriæ, humanæ naturæ desponsatum. Quis fuit ille tam immensus amor, quo tu genus humanum prosecutus es? quis rigor ille, quo vsus es in temetipso? quæ causa, quod statim in ipsis cunabulis tuis, voluisti pro nobis proprio sanguine cruentari, & vulnus lapidei istius cultelli in propria carne experiri? O solem iustitiæ manè & serò tenebrosum, id est, in natiuitate & in morte sanguine purpureo tinctum. Communis est hominum opinio, quod aurora rubicunda pluuiam sub serum nobis prænunciat: quid igitur nobis portendit hæc nebula matutina, id est, sanguis circumcisionis, nisi diluuium sanguinis effundendum tempore vespertino; quando apertis omnibus venis & fontibus sacratissimi corporis, ex omni parte sanguinem pluit copiosum? Vespertinæ verò nebulæ non sunt pluuiarum indicia, vti matutinæ: sed sunt signa serenitatis; & certè in Christo illud locum habuit: finito enim martyrio passionis eius per mortem, & nubem sanguinis, abstulit omnes nebulas, & tempestates peccatorum nostrorũ.

Cur Christus puer pati voluerit.

Secundò expende rarũ inæstimabilis charitatis & humilitatis filij DEI exemplum, qui tam citò voluit pati pro nobis, & in se recipere phlebotomiã cum medicamine pro nostra infirmitate. De hoc mysterio dicit B. Bernardus: In circumcisione Domini frattes, habemus quod amemus, & admiremur: habemus etiam quod imitemur. Patet in ea magnum dignationis officiũ, vnde gratias agamus: latet aliquid clausum, quod in nobis implere debemus. Venit namque Dominus propter nos. non solum redimendos sanguinis effusione, sed & docendos verbis, & exemplis nihilominus instruendos. Sicut enim penitus erat inutile viam scire, si detineremur in carcere: ita redimi non prodesset, si viæ ignaros, qui primus inueniret, primus reduceret in carcerem retrudendos. Itaque in maiori quidem ætate patientiæ & humilitatis, & super omnia charitatis, ceterarumque virtutum manifesta dedit Saluator exempla: in infantia verò figuris velata hominem enim in Incarnatione sua induens, factus est minor Angelis. Sed in circumcisione minor etiã hominibus factus est, hic enim nõ solum formam hominis, sed formam assumit peccatoris, & infigitur quasi quodam cauterio latronis. Quid enim est circuncisio, nisi superfluitatis & peccati indiciũ? Quid facitis circuncidentes hunc puerulum? putatis quod super eum possit cadere illa sentẽtia, *Masculus cui præputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima illius de populo suo*? potest obliuisci pater filij vteri sui, aut non cognoscere eum, nisi signum circumcisionis haberet? Imò si quo modo posset, non agnosceret filium, in quo ei bene complacuit: ex hoc maximè siggno poterat ignorare eum, inuenta in eo circumcisione, quam peccatoribus ipse prouiderat, ob purgationem vtique delictorum. Sed quid mirũ, si caput pro membris accipit curationem, quam tamen in seipso non habuit necessariam? Nónne & in mẽbris nostris sæpe pro vnius infirmitate alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit coctura; dolẽt renes, & fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in capite. Denique quid mirum, si pro nobis dignatus est circuncidi, pro quibus dignatus est mori? totus siquidem datus, & totus in meos vsus expensus est.

Circumcisio Christi exemplum nostrum Bern. serm. 3. de circun. Domini.

Gen. 17.

Tertiò considera, non tantùm charitatem (de qua dictum est) sed etiam humilitatem filij Dei, quam voluit peculiari modo relucere, in primordio vitæ suæ, tanquam fundamentum & radicem omnium virtutum aliarum. Quæ potest enim maior esse humilitas, quàm assumere imaginem peccatoris eum, qui remedium erat omnium peccatorũ? velle haberi flagitiosum, qui speculum erat omnis innocentiæ, & ab omni malo aberat quàm longissimè? Agnus sine culpa vel necessitate, qui nec cicatricem habebat, nec vestigium vulneris vllius, voluit curari vulneratorum medicina.

In pueritia Christi maximè relucet humilitas.

Non sic facit peruersitas humanæ superbiæ, sed contrario modo gloriatur cùm malefecerit, & exultat in rebus pessimis: remedium autem fugit, & verecundatur; adeò vt qui peccare nõ erubescimus, curari, & à peccatis liberari erubescamus, & quos turpitudine culpæ non puduit inquinari, hos pudeat salutari pœnitentiæ balneo rursum lauari: mali sumus in vno, sed peiores in altero: mali in eo quòd ad plagas sumus propensi; peiores verò quod curari nolumus, aut erubescimus. Ille verò qui nescit, quid peccatum est, non dedignatus est, vel erubuit peccator videri; nos autem & peccatores sumus, & haberi tamen peccatores nolumus.

DE NOMINE IESV.

MEDITATIO VI.

POstquam puer iam circumcisus esset, inquit Euangelista, *vocatum est nomen eius Iesus*: quod benedictum nomen pronunciatum, eique impositum est ab Angelo. Angelus enim qui legatione ad Virginem fungebatur, dicebat Iesum eum appellandum; & ille qui apparuit in somnis Ioseph, idem nomen ei futurum dixit, qui & rationem nominis adiunxit. *Ipse enim*, ait, *saluum faciet populum suum à peccatis suis*. Benedictum sit nomen hoc, benedicta salus ista, & benedictus dies, quo tanta noua in has terras illata sunt. Huc vsque, Domine, omnes alij Saluatores, quos in hunc mundum misisti, fuêre Saluatores corporum & carnis, qui saluas fecêre domos & vineas, & hujusmodi: animas autem sub tributo peccati gementes, ideoque Diabolo subiectas, saluas facere non potuerunt. Quid iuuat hominem si totum mundum lucretur, eique dominetur, ipse autem mancipium Sathanæ permaneat, animæque iacturam faciat? Ad medelam itaque mali illius, nouus iste iam Saluator mittitur, vt tota salus humana impleatur, & perfecta sit, qui saluans animas, corporibus quoque medicatus est: & liberans homines à malo culpæ, etiam à malo pœnæ liberauit, & sic humanam salutem perfecit. Hæc est salus, quã Patriarchæ desiderarunt, hæc est salus, quam tot clamoribus & desiderijs Prophetæ postularunt, hæc est salus, quam toties canunt & pollicẽtur psalmi: hęc denique est salus, propter quam Patriarcha Iacob exultans obijt, dicens: *Salutare tuum expectabo Domine*. In quæ Patriarchæ verba Chaldæus interpres sic commentatur: Salutare tuum expectabo Domine, quasi dixisset manifestius: Non expecto salutem Gedeonis filij Ioæ; ea enim salus est temporalis: nõ expecto salutem Sampsonis filij Manue; ea enim salus est transitoria; sed salutem & redemptionem vncti filij Dauid, quem expectat anima mea. Hũc sensum verborum Patriarchæ Iacob nobis reddidit interpres Chaldæus, qui tamen Iudæus fuit, magnæq; inter Hebræos auctoritatis Rabbi: qui etiam iam ante libellum de aduentu Saluatoris mundi conscripserat. Quæ quidem verba Iudæis sufficere debebant, vt apertè iam vidant salutem, quam Messias in mundum hunc intulit non esse temporalem, aut corporalem (vt ipsi stultè imaginantur) sed spiritualem & æternam. Id quod intellexit ille, qui sic verba ista interpretatus est. Animaduertẽs enim quod sanctus Patriarcha in agone suo & transitu mortis, iam iam à filijs suis decessurus in hęc verba eruperit, *Salutare tuum expectabo Domine*; vidit manifestè, quod nõ sperauit salutem temporalem, sed æternam; exiens enim ex hac vita, non amplius

Luc. 1.

Luc. 1.

Matth. 1.

Matt. 16.

Spes Patriarchæ Iacob.

Gen. 49.

sperabat

sperabat illam salutem, quæ cum hac vita intercidit. Si autem expectauerit salutem, & non expectauerit aut corporalem, aut temporalem, certum est quod æternam expectauerit: quæ etiam nondum erat data, quia donum hoc Saluatori mundi seruabatur, qui erat promissus, & de quo dictum erat, quod per illū gentes oēs benedicerentur, idest, redimerentur & saluarentur. O ter quaterq; beata salus, digna tali Saluatore & tali Domino. Desideret qui vult salutē, & bonū id quod ipsi placet eligat q; vult, anteponat terrena cælestibus, mortem corporis pluris faciat, quam mortem animæ: ego desidero cum sancto Patriarcha salutem hanc: huc dirigam animam meam. Salua me Domine à peccatis meis, libera me ab omni malo appetitu: defende ab omni violentia illius Tyranni, ne tradas me in sensum reprobum, nec demitte me secundùm desideria cordis mei, vt eam in inuentionibus meis; defende dignitatem & gloriam animæ meæ, noli permittere vt seruus sim huius mundi, libera me ab omni appetitu carnis, qui maximus est & turpissimus omnium tyrannorum meorum: libera me à varijs cupiditatibus, vano timorē & vana spe seculi huius. Ante omnia verò libera me ab inimicitia tua, ira tua & morte sempiterna, quæ comes illius est. Concede mihi libertatem & salutem hanc, regnet in mundo qui vult, & glorietur in dominatione terræ atque maris. *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Iesu meo salutari meo.*

Gen. 15.

Abac. 2.

Hæc est itaque salus quam Dominus venit dare hominibus, & hæc est illa, quæ per nouū illud nomen Iesus, quod hodie puero huic impositum est, significabatur. Adeò vt cum Christianus hoc nomē audit, debeat in corde suo cogitare, Dominum tam misericordem, tam formosum, tam potentem, vt dissipet exercitus Dæmoniorum, mortem sua potentia spoliet, peccatum interficiat, inferni ius deleat, captiuos illorum Tyrannorum liberet, & ab immunditia carceris illius mundet, qui tanta illos pulchritudine exornat, vt oculis Dei placeant: Deus eos amet, & bonitate sua amplectatur, & regnare secū faciat, per infinita secula. Tria enim mala sunt, quæ inter alia pullulant ex peccato, Mors, Infernus, & Seruitus diaboli. Proinde qui liberauit nos de peccato, etiam per hoc potestati omnium inimicorum nostrorum nos eripuit, & arrham, pignusq; dedit vitæ sempiternæ, coniunctę cū vitæ Dei.

Tria mala ex peccato.

Omnia enim hæc amittuntur per peccatum, & reparantur per Iesum Christum, & propterea iusta cum ratione diuinum hoc nomen illi inditum est: O nomen gloriosum: ô nomen dulce, nomen suaue, nomen inæstimabilis virtutis, & reuerentiæ, à Deo repertum, cælitus allatum, ab Angelo pronunciatum, & omnibus sæculis desideratū. A facie nominis huius fugiunt diaboli, potestates tenebrarū contremiscunt: per hoc nomen hostes debellantur, exercitus funduntur, tentationes superantur, afflicti consolationem percipiunt, & in hoc sperant omnes peccatores.

Cant. 1. Bern. serm. 15. in Cant.

Philip. 2, 10.

Hoc est nomen, de quo sponsa loquens cum spōso in canticis, sic ait: *Oleum effusum nomen tuum:* quē locum explicans mellifluus ille Bernardus ita philosophatur: O nomen benedictum, oleum vsquequaque effusum. Quousque de cœlo in Iudæam, & inde in omnem terram excurrit: & de toto orbe clamat Ecclesia, *Oleum effusum nomen tuum.* Effusum planè quod non solum cælos terramq; perfudit, sed aspersit & inferos, adeo vt *in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum:* & omnis lingua confiteatur & dicat, *Oleum effusum nomē tuum:* Quam carum, quàm vile: vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur: si salubre non esset non me lucraretur. Et quid mirū si sponsi nomen effusum est, cùm ipse quoq; effusus sit. Nam *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens,* denique sic ait: *sicut aqua effusus sum.* Effusa est plenitudo diuinitatis habitans super terram corporaliter, vt de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus; ac vitali odore repleti diceremus, *Oleum effusum nomen tuum.* Est procudubio inter oleum & nomen sponsi similitudo, nec otiosè alterutrum Spiritus sanctus comparauit. Ego autem dico in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, pascit, & vngit, si vos melius non habetis. Fouet ignē, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina. Vide idem nunc de Sponsi nomine, lucet prædicatū, pascit recogitatum, inuocatum lenit & vngit. Et percurramus singula. Vnde putas in toto orbe tanta, & tam subita fidei lux, nisi de prædicato nomine Iesu? Nec tantum lux est nomen Iesu, sed est cibus, an non toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus? virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fouet affectiones? aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur, insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi nisi legero ibi Iesū: si disputes aut conferas, nō sapit mihi nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrum, veniat in cor Iesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortū nominis lumē, nubilū omne diffugit, reddit serenum, Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando, nònne si inuocet nomē vitæ, cōfestim respirabit ad viā? Cui aliquādo stetit ante faciem salutaris nominis duritia, vt assolet, cordis, ignauiæ torpor, rancor animi, lāguor acediæ? Cui forte siccatus fons lachrymarum inuocato Iesū non cōtinuò erupit vberior, fluxit suauior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti inuocatum virtutis nomen non statim fiduciam prēstitit, depulit metum? Cui quæso in dubijs ęstuanti & fluctuanti, non subitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in aduersis diffidenti, iam iamq; deficienti si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo? Ad hoc inuitat nos Dominus cùm ait: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.* Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxurię fluxum, extinguit libidinis flāmam, sitim tēperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Iesum, hominē mihi propono mitem, & humilem corde benignū, sobriū, castū, misericordē, & omni deniq; honestate & sanctitate conspicuum, eundemq; ipsum Deum omnipotētem, qui suomet exemplo sanet, & roboret adiutorio. Sumo itaq; mihi exempla de homine, & auxilium à potente, illa tāquam pigmentarias species, hoc tanquam vnde acuam eas, & facio confectionem cui similem medicorum nemo facere potest. Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditū in vasculo vocabuli huius, quod est Iesus: salutiferum certè, quodq; nulli vnquā pesti tuæ inueniatur inefficax. Sēper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Iesum & sensus dirigantur, & actus. Ad hoc enim inuitaris ab ipso Spōso in Cāticis cum ait, *Pone me signaculū in corde tuo, signaculum in brachio tuo.* Hactenus verba Bernardi.

Philip. 2. Psal. 21.

Psal. 49.

Cant. 8.

Ad eandem glorioſi huius nominis deuotionem inuitat nos etiam insignis & pius ille Doctor Bonauentura, prēmittens initio nomina nostri Domini ad duos ordines esse reducenda: quædā enim pertinere dicit ad gloriam ipsius, alia ad vtilitatē nostrā. Ad secūdum ordinem pertinet nomen Iesus, quod significat Saluatorem: his præmissis ait S. Bonauentura;

Bonau. de 5. festiuit. solemnitatis.

tura : Nomen igitur tuus infantulus in te ſpiritaliter genitus habeat ſibi, quod nominatur Filius Dei, Splendor gloriæ, Imago ſubſtantiæ, Verbum patris, Virtus omnipotentis, Hæres vniuerſorum, Rex Regum, Dominus Dominorum. Habeat ſibi quod dicitur Chriſtus, id eſt, vnctus, & bene : vnctus enim eſt in prophetam, & claruit in doctrinæ eruditione : in pugilem, ſicut patuit in Diaboli debellatione; in Sacerdotem, ſicut oſtendit in Patris reconciliatione; in Regem, ſicut mouſtrabat in præmiorum retributione; Habeat hæc omnia ſibi cum omnibus beatis ſuis communia. Sit tibi tantum nomen Ieſus, id eſt Saluator in huius vitæ incolatu & miſeria. Saluet te à mundi vanitate, quæ te impugnat, à dæmonis falſitate, quę te infeſtat, à carnali fragilitate, quę te cruciat. Clama ô anima deuota inter tot huius vitæ flagella, OIESV Saluator mundi ſalua nos, qui per crucem & ſanguinem redemiſti nos: ſalua inquam dulciſſimè Saluator, confortando debilem, conſolando inſtabilem. Sed heu vnum eſt quòd cum fletu referam, quòd non vacat myſterio, quòd non ſtatim vt naſcitur circumciditur, & nominatur puer ex anima noſtra natus; ſed ſecundùm leges dies octaua expectatur. quia cum poſt multos labores exantlatos, in omni genere virtutum exercitatus eſt, tunc demum die octauo circumciſis ab anima omnibus phantaſticis imaginibus, omnibus vanis & inutilibus cogitationibus, pacatis omnibus animæ motibus & inordinatis affectionibus per exercitium cõtemplationis in Domino dulciter requieſcit. Tunc puer nominatur, tunc dulce nomen Ieſus imponitur, tunc eius dulcedo ſentitur & guſtatur; tunc virtus probatur, tunc iucunditas percipitur. O quantã ſæpius ſentit dulcedinem poſt illam beati nominis impoſitionem illa fœlix Mater ſpiritualis, quando percepit in hoc nomine dæmonia eijci, cœcos illuminari, infirmos curari, mortuos ſuſcitari, miracula cumulari: dæmones in te & alijs eijciuntur, cũ peccata dimittuntur; cœci illuminantur, cùm veræ cognitionis lumen infunditur; mortui ſuſcitãtur, cùm gratia confertur: infirmi curantur, claudi ſanantur, paralitici & contracti rectificantur, cùm ſpiritualiter confortantur, vt iam efficiantur fortes & viriles per gratiam, qui prius erant debiles & infirmi per culpam. O quàm fœlix & beatum nomen, quod tãtam meruit habere virtutem & efficaciam? Aliquãdo lętificat, aliquando mentis ebrietatem infundit, & ſuam dulcedinem communicat. Tantum de hoc nomine Bonauentura.

DE MAGORUM ADORATIONE.

MEDITATIO VII.

CIrca adorationem & oblationem Sanctorum Magorum, conſidera primùm, quod deuotio iſtorum ſanctorum virorum tam feruens & magna fuit, quod propter illam relicta patria longiſsimum & periculoſiſsimum iter media hyeme, cum ſummis laboribus ingreſsi ſunt, tantùm vt viderent cum oculis corporalibus, quem iam oculis ſpiritualibus, vel fidei viderant. Intelligebant enim quàm beati eſſent oculi, qui illum viderent.

Secundò perpendamus fidem iſtorum ſanctorũ Regum, quomodo illa vinctum iam & captiuum tenebat illorum intellectum, quæq; fecit illos adorare tanquam Deum & regem mundi, eum, quem exteriori habitu videbant pauperrimum, & omniũ hominum contemptiſsimum. Non illos offendit miſeria ſtabuli, non vilitas præſepis, non paupertas faſcium, non lachrymæ, non debilitas infantis, quò minus crediderunt, quòd qui plangebat, in cunis, tonabat in cœlis. Quid facitis ô Magi, quid facitis, ait Bernardus, lactantem puerum adoratis in tugurio vili in vilibus pannis? Ergóne Deus eſt iſte? *Deus* certè *in ſancto templo ſuo. Deus in cœlo ſedes eius*, & vos eum quæritis in vili ſtabulo? in matris gremio? Quid facitis q, & aurũ offertis? Ergo Rex eſt ipſe? & vbi aula regia? vbi thronus? vbi curiæ regalis frequentia? nunquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curiæ frequentia Ioſeph & Maria, bos & aſinus? Quomodo ita inſipientes facti ſunt viri ſapientes, vt adorent paruulum deſpicabilem tam ætate quàm paupertate ſua & ſuorum? Omnes has difficultates, quas hîc parit prudentia mundi, vicit lumen cœleſte : ſubijciens rationem obedientię fidei, & ſenſus humanos obſequio diuino. Erat enim rectæ rationi magis conſentaneum, vt crederent id, quod Dux de cœlo docebat, quàm id, quòd ratio humana indicabat. Id enim & philoſophi quondam gentiles intellexerunt, quorum vnus dicebat, illos qui reguntur & illuſtrantur inſtinctu & lumine diuino, non debere deliberare, aut expendere res ſuas ratione & iudico humano: ſed in omnibus ſequi lumen diuinum. Quin & efficaciſsimum habemus in Euangelio exemplum, quo docemur rationis & prudentiæ humanæ non eſſe vllam habendam rationem, vbi diſſentiunt à verbo Dei, & luce Euangelica. Si enim hæc dicat, Beati pauperes, beati humiles, beati manſueti, beati qui lugent, qui perſecutionem patiuntur propter Deum, qui abnegant ſeipſos & vitam ſuam crucifigunt propter Deum, dubium non eſt, quin hæc ſit vera beatitudo, etiamſi omnis neget atque reclamet humana prudentia. Nònne videris audire te prudentiam humanam hîc murmurantem, & quærentem, quomodo poſsibile eſt, vt in paupertate ſpiritus ſint diuitiæ? in lachrymis gaudium? in ſubiectione libertas? in humilitate gloria? in cruce regnum? in mortificatione pax? in renunciatione omnium rerum, omnium rerum dominatio? Siquidem ratio ſecum muſsitat, ſed illi opponenda eſt in his & ſimilibus lux diuina. Et quemadmodum ſancti iſti Viri nullam habuerunt rationem huius prudentiæ, & argumentorum carnis, poſtquam viderunt contrarium in cœlo teſtimonium, ſic nec tu debes putare alicuius ponderis eſſe opiniones & iudicia huius mundi, quando vides contrarium docere verbum Dei, & ſacroſanctum ipſius Euangelium. Arguetur mundus, reclamet quantum vult diuinis eloquiis, obganniant omnes prudentes huius ſeculi, allegent conſuetudines antiquas, opponant exempla Principum & Imperatorum; vapores ſunt & fumi, nec quicquam poterunt aduerſus verbum Dei, ſanctum illius Euangelium, & cœleſtem Sapientiam.

Fidei magis quam rationi obediendum.

Matt. 5.

Tertiò meditare ineffabilem lætitiam, qua perfuſi ſunt ſancti illi Viri, cùm tam felici curſu peregrinationis ſuæ abſoluto, ſequentes Ducem cœlitus datum, peruenerũt ad locum optatum, inuenerũtque ibi ſplendidiſsima duo cœli terræque lumina; Filium & Matrem, Dominum & Dominam, vtrũque diu multumq; deſideratum. Si fuerit, ô Domine, tantum gaudium abſoluiſſe curſum itineris, & inueniſſe te in ſtabulo, in tanta paupertate, & cum tam exigua frequentia, quod erit gaudium illud iuſtorum, quando finita & tranſacta longę periculoſæque huius vitæ peregrinatione, videbunt te non in hoc mundo, ſed in Regno tuo? non in vili ſtabulo, ſed in regali palatio? non in præſepi ſub fœno, ſed in throno tuæ gloriæ? non in brachijs maternis, ſed in ſinu paterno? non in abiecta humilitate, quam aſſumpſiſti vt ſaluares homines, ſed in gloria tuæ Maieſtatis, quam habes vt facias beatos Angelos?

Latitia Magorum.

Si tantum fuerit gaudium iſtorum Regum, quid ni multò maius fuit gaudium Matris Mariæ, vidę-

Gaudium Mariæ.

tis præ-

tis præsentiam, lachrymas, deuotionem & fidem tã-
torum Principum? Quis enim dubitet, quin hæc B.
Virgo cœperit in memoriam reuocare Regnum il-
lud Dei, de quo Angelus Gabriel prædixerat, ad-
mirata subinde læta principia regni illius, & homi-
num salutis, quam tantis votis, tanto iam tempore
expectãrat. Quæ lachrymæ per ora fluxerunt? quis
color visus est in diuina illa facie? quæ cogitationes
fuerũt in sacro isto pectore, & hęc & alia meditãtis?
Tria enim hic simul sese offerebant, quorũ singula
materiam deuotionis & gaudij suppeditabant: glo-
ria nimirũ Filij, dignitas Matris, & conuersio mun-
di. Et quomodo potuit non lætari Mater in noua
gloria filij tam tenerè adamati? quomodo potuit nõ
gaudere, cùm videret se Matrẽ tanti filij à Deo esse
electam? quomodo potuit non exultare illa, quę tã-
to cum desiderio sitiebat humanã salutem, quã nũc
corã videbat? Nam si Apostolus audita ex ore Titi
conuersione Corinthiorũ tantopere gauisus sit, vt in
media tribulatione cõstitutus diceret, *Repletus sum*
2. Cor. 7. *cõsolatione, superabundo gaudio, in omni tribulatione*
nostra: quis dubitat quin ineffabile fuit gaudiũ Ma-
rię, cuius charitas lõgè charitatẽ Apostoli superauit.

Gaudium Christi. Si tale & tantum fuerit gaudium Matris, quantũ
putas fuisse filij, qui verè generis humani Amator
est? gaudium dico illius, qui propter homines, de-
scendit de cœlis, & venit in terras? illius qui postea
Ioan. 4. dixit, *Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei*,
id est. conuersio peccatoris? Vidit enim in primitijs
trium illorum Regum totius mundi cõuersionem,
salutem hominũ, & gloriam Dei, confusionem Dę-
moniorum, triumphum de peccato, victoriam tot
Martyrum, Confessorum, Virginum & tot milliũ
Monachorum, qui tam gloriosè de mundo triũm-
pharunt. Lætare itaque ô gloriosissime puer, lætare
tam felicibus & prosperis auspicijs; accipe, dona,
quæ noui tui tributarij Maiestati tuæ incipiunt of-
ferre. Et tu sanctissima Virgo confortare, resume a-
nimũ, & indue fortitudinem: à mari enim ad mare,
Luc. 1. & ab vltimis finibus terræ gentes & populi, reges &
principes mundi incipiunt te honorare: tu enim es
ea, quã beatam dicunt omnes generationes, & quę
admodũ inter omnes humiles fuisti humillima, sic
nũc altissima es & super omnes creaturas honorata.

Quid anima Accede nunc, accede ô anima mea cum sanctis i-
pia puero le stis Regibus, & humiliter prostrata, ante sanctissi-
offerre debeat. Thus quid sit. mum hoc præsepe, adora & offer in illorum socie-
tate dona & munera tua. Illi obtulerunt aurum,
quod est pretiosissimum inter omnia metalla. Tu
offer charitatem omnibus virtutibus pretiosiorem.
Illi obtulerunt thus, quod efficacissimum est reme-
dium aduersus omnes malos odores. Tu offer ora-
tionem & deuotionem, quæ inordinatos appetitus
moderantur, & violentiã carnis nostræ cõprimunt:
Non enim sine magno mysterio Sancti Doctores per
thus, incensum, & vnguentum odoriferum, Oratio-
nem & deuotionem intellexerunt, vt nimirum sig-
nificarent, naturam & proprietatem, quàm istæ duę
virtutes habent contra malos odores, qui procedũt
de sordida & putrefacta cloaca cordis. Quemad-
modum enim cubilia ægrotãtium, qui sumptis me-
dicamentis sese purgant, solent aliquo puluere o-
dorifero suffumigari, ne sentiatur pestilens odor, &
infectus putrefactusque aër loci illius: sic qui nõ vult
sentire malum odorem appetituum, & passionum
carnis suæ, operam det, vt spiritus suus suauissimo
deuotionis odore assiduò suffumigetur. Bona enim
quæ procedunt de oratione & deuotione, malis no-
stri cordis desiderijs & cupiditatibus reluctantur. Id
autem quomodo verum est, nemo intelligit, nisi qui
aliquamdiu in orationibus, deuotionibus, & con-
templationibus sese exercuit.

Illi deniq; obtulerunt myrrham, quæ licet amara est in ore, corpori tamen salubris est, habetque odorem gratissimum. Tu offer lachrymas pœnitentiæ, quæ etsi molestæ sunt & amaræ corpori, animæ tamen præsentem adferunt sanitatem, & in naribus Dei suauissimi sunt odoris. Quæ enim res esse potest spiritui nostro salubrior illa, quæ seruat & tuetur eum à corruptione delectationum, & vermibus peccatorum? Hæc autem est virtus & conditio cælestis illius myrrhæ. Quemadmodum enim stomachus cùm nimio dulcium ciborum esu debilitatus est, nulla re alia curatur melius, quàm extersorio medicamine, ex rebus amarioribus composito: sic conscientia illorum qui diu vixerunt in delicijs, nullo pharmaco potest sanari melius, quàm lachrymis pœnitentiæ, & austeræ vitæ molestijs. Corpora enim nostra semper æstuabunt appetitibus, & ad cloacam vitiorum recurrent, nisi quotidie spirituali hac myrrha confricentur, & exsiccentur. At dices fortasis, non sunt peccata delectationes istæ: Dic mihi, nónne peccatum, & quidem cloaca turpissima peccatorum Luxuria? intrat oblectando, mordet ridendo, inficit delectando, occidit consentiendo. Beati igitur quorum manus stillant myrrham, & quorum digiti pleni sunt myrrha probatissima. Cant. 5.

Mirrha spiritalis quid.

Hæc sunt munera, quæ nos vna cum sanctis istis Magis Domino nostro offerre debemus. Quorum, vt Doctor quidam non ineptè annotauit, Myrrha pertinet ad incipientes, Thus ad proficientes, Aurũ ad perfectos. Itaque si manus tuæ non habent quod offerant Christo aurum perfectę charitatis, aut thus deuotionis, saltem offerant myrrham pœnitentiæ: quæ est cor contritum, & corpus castigatum, ex hoc enim infimo gradu paulatim ascendes ad secundũ, vt tandẽ queas cantare cũ Propheta, *Conuertisti plã-* Psal. 29.
ctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meũ (id est, spiritum mœroris) *& circundedisti me lætitia*: dans mihi spiritum deuotionis & amoris.

Peracta tandẽ oblatione nostra cũ Sanctis Regibus istis, reliquum est, vt eos imitemur, & ad patriã nostrã cum illis reuertamur, per viam aliam, quàm qua venimus: In hunc cõmentatus Eusebius Emissenus sic iequit; Illud quod per aliam viam regressi sunt, intelligamus vtilitati ac saluti nostræ peculiarius conuenire. Viæ enim immutatio, vitæ intelligitur emẽdatio. Nos quoq; per alias incedamus vias, quando veterem abnegamus hominẽ, qnãdo superbiam susceptam humilitate deponimus; quãdo ad patientiam ab iracundia mentẽ deflectimus, quãdo veteres voluptates & consuetudines pristinas, ac desidera antiqua damnamus. Ad viam vtiq; aliam de errore transimus, quando vniuersas concupiscentias honestatis ac paupertatis amore calcamus; quando castitate luxuriã subiugamus, sinistras semitas relinquentes, dextro tramite iter spirituale conficimus. Nescio aũt charissimi, cur nobis vitiorũ ac superbię itinera aspera & confragosa magis placeant, cũ magis humilium viæ molles, planæ, atque directæ sint. Vbi enim humilitas, ibi requies, ibi tranquillitas, ibi omnis serenitas. Dum enim ipsa sibi placet atq; pacata est, etiam si qua tribulatio, si qua tẽpestas obortа, nihil erectum, nihil sublime, nihil oppositum inuenit, vbi allidat impetum suum. Si quid itaque ex aduerso irruerit, totum post se humiliata frontę trãsmittit. Quęlibet tribulatio ita ab humilitate mitigatur ac vincitur, sicut in planis litoribus sine aliquo fragore vnda cõsumitur, auarũ motus ferociãque ventorũ montiũ obiecta susceipiũt, vallium verò subiecta non sentiunt. At verò econtrario vię superborũ plenæ sunt offendiculis, plenæ præruptissimis præcipitijs, quia vbi est superbia, ibi est indignitas, ibi animositas, ibi labor, ibi tribulatio: vt iã ei ante

Euseb. Emis. Homil. 1. de Epiphan.

Quid sit per aliam Viam redire.

Via humilitatis facilior est, quam Via superbiæ.

iudicij

iudicij diem iusta damnatio tribuatur, & improbæ quæque mentes in semetipsis pœnam suam; probabiles & emendatæ in semetipsis inueniant refectionem, remunerationem, & cõsolationem suam.

QVOMODO ANIMA PIA ET deuota cum Magis quærit puerum IESVM.

Bouentur. de 5. fest. solen. 4.

RElíquum est vt nunc secundùm doctrinam S. Bonauenturæ ostendamus, quomodo pusionem nostrum Iesum spiritualiter quærere cũ tribus illis Regibus debeamus. Obseruandum igitur hîc est, quòd postquam anima religiosissima dulcissimum istum puerum per gratiam spiritualiter concepit, & peperit, eique nomen imposuit, tres Reges, id est, tres animæ potétiæ, quæ optimè Reges dicuntur, quæ carni principãtur, sensibus dominantur, in solis diuinis studijs (sicut decet) verè Reges occupantur, puerum iam per effectus multiplices eis reuelatum in ciuitate Regia, hoc est, in totius mundi machina, æstimant esse quærendum. Quærunt igitur meditationibus, requirunt affectionibus, interrogant deuotis cogitationibus, *vbi est qui natus est? Vidimus stellam eius in Oriente*, vidimus claritatem eius fulgentem in deuota mente, vidimus splendorem eius radiantem in intimis animæ: audiuimus eius vocem, quæ est dulcissima, gustauimus eius dulcedinem, quæ est suauissima, percepimus eius odorem suauissimum, experti sumus eius amplexum deliciosissimum. Iam Herodes redde responsum, ostende dilectum, monstra infantulum desideratum. Propter tuam gloriam videndam nõ venimus, propter tuam gratiam obtinendam non properauimus, propter tuam maiestatem adorandam non festinauimus. Tua enim gratia ipsius est factura, tua maiestas ipsius creatura, tua iocunditas eius est potentia, & tua opulentia ipsius vmbra, tua nobilitas, tua magnificentia est eius infinitæ bonitatis & nobilitatis modica scintilla. In te inuenimus, quo ipsum cognoscimus, amamus, & desidemus, non in quo requiescere debeamus. Tuus honor & decus est eius decoris nutus. Dic igitur, ne protrahas, vbi est qui natus est? Vbi est ergo longitudo breuis, magnitudo leuis, altitudo subdita, latitudo angusta? Vbi lux lucens, aqua sitiens, panis esuriens? Dic nobis, vbi potentia regitur, sapientia instruitur, virtus sustentatur. Verbum Patris lactatur? Dic nobis, vbi æternus Dei Filius infans inuenietur? Vbi splendor paternæ gloriæ pannis inuolutus cernitur? Vbi audiemus in cunabulis vagientem, qui est miserorum consolatio? Vbi videbimus inter brachia infantulum baiulatum, qui est Angelorum, & hominum, cõseruator & solidatio? Hunc desideramus, hunc quærimus. O dulcissime, ô amãtissime puer æterne, infans antique, quando te videbimus? quando te inueniemus? quando ante faciem tuam apparebimus? Tædet gaudere sine te, delectat gaudere tecum, & flere tecũ. Omne quod tibi est aduersum, nobis est molestum: tuum beneplacitum est nostrum indeficiens gaudium, & desiderium. O si tam dulce est flere de te, quàm dulce erit gaudere de te. Vbi ergo es, quem quærimus? Vbi es, quem in omnibus, & præ omnibus desideramus & affectamus? Vbi es, qui natus es Rex Iudæorum, lex deuotorum, Dux miserorum, lux cæcorum, via morientium, salus æterna æternaliter viuentium? Et sequitur responsio conueniens. In Bethleem Iudæ: Bethleem domus panis. Iuda cõfitens interpretatur. Ibi enim Christus inuenitur, vbi post confessionem criminum panis cœlestis vitæ, id est doctrina Euangelica auditur, ruminatur, & deuota mente retinetur, vt opere impleatur, & alijs implenda proponatur. Ibi puer Iesus cum Maria matre inuenitur, vbi post lachrymosam contritionem, post fructuosam confessionem, dulcedo cælestis consolationis, aliquando inter abundantissimas lachrymas degustatur, vbi oratio, quem penè desperantem inuenit, gaudentem & de venia præsumentem derelinquit. O Felix Maria, à qua Iesus concipitur, de qua Iesus nascitur, & cum qua tam dulciter, & gaudenter Iesus inuenitur. Sed notandum est hîc, quod Iesus quæsitus legitur à Regibus, & hoc vt ipsum cum omni reuerentia adorent. A Doctoribus, vt ab ipso veritatis documentum cum summa diligentia audirent. A sponsa, vt suæ suauitatis dulcedinem per secreta colloquia degustaret. A Maria matre, vt ipsum perditum reperiret, & ab ea se amplius non alienaret. Sic vos ô Reges, hoc est, deuotæ animæ vires naturales quærite, cum regibus terrenis, vt adoretis, & munera offeratis. Adorate cum reuerentia, quia creator & redemptor, & remunerator. Creator in naturalis vitæ formatione: Redemptor in spiritualis vitæ reformatione: remunerator in æternę vitæ collatione. O vos Reges, adorate cum reuerentia, quia Rex potentissimus: adorate cum decentia, quia magister sapientissimus: adorate cum lætitia, quia princeps liberalissimus: adorate inquam gaudenter, quia est Dux æquitatis: adorate decenter, quia est lux veritatis: adorate feruenter, quia est fax charitatis. Nec sufficiat vobis ratio, nisi concomitetur oblatio. Offerte, inquam, aurum dilectionis ardentissimæ: offerte thus consolationis deuotissimæ; offerte myrrham contritionis amarissimæ. Aurum dilectionis, propter bona collata; thus deuotionis, propter gaudia præparata; myrrham contritionis, propter peccata perpetrata. Aurum offerte æternæ diuinitati, thus animæ sanctitati, myrrham corporis passibilitati.

h. 2.

DE PVRIFICATIONE B. MARIÆ Virginis, & de præsentatione pueri IESV in templo.

MEDITATIO VIII.

PVrificationem Sacratissimæ Virginis Mariæ describit nobis B. Lucas his verbis: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Mosi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Et vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum: Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon. Et homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Luc. 2.

Erant autem Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur: & tuã ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa,

tissa, filia Phanuel, de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annos septem à virginitate sua. Et hæc vidua erat vsq; ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens Domino nocte & die. Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.

Circa diuinum hoc mysterium primò meditare, quomodo completo dierum numero, à lege præscripto, Sanctissima Virgo discesserit à beato præsepio; relinquens illud plenum lachrymis, & gratia, pro deuotione fidelium, ineritque sponte in Hierusalem, vt obediret legis mandato. Ingredere itaque, ô Virgo, ingredere cum puero tuo per portas ciuitatis. O parue puerule, hæc est illa magna ciuitas, in qua tu iuxta scripturas multa & stupenda miracula facturus es. In hac enim ciuitate inter alia, opus perficies, maius & nobilius ipsius mundi creatione: plus enim est mundum redimere, quàm mundum creare. Ecce parue pusio, ecce hic campus est, vbi cum vasto illo corpore famosi Gigantis Goliath collato pede præliaberis, acceptis quinque vulneribus mortalitatis in corpore tuo, hasta sanctæ Crucis armatus; hic vinces illum; hic caput illius amputabis? hic exuuias illi detrahes; hic mortem tua morte interficies, & peccatum pœna peccati abolebis. Ecce hæc meta est vbi concurretis, nunc bene metam hanc perlustra, nunc pedetentim perambula, vt postea latitudinem & longitudinem illius non ignores. Nunc eques ingrederis, tunc pedes intrabis; nunc in sinu Virginis matris baiulâris, ô dulcis pusio, tunc crucem tuam maledictionem propriam portabis. Leua ocellos tuos innocentes, & vide montem: illic dabis, illic accipies: dabis vitam, victoriam accipies, ibi amittes vitam, & destrues regnum peccati, eijcieque foras principem tenebrarum. O quam dispar erit oblatio illa, & hæc quæ fiet hodie? Hodie namque offereris, & mox eris redemptus: tunc offereris, & eris ipse Redemptor. Hodie redimeris quinque denarijs, qui dabuntur pro te: tunc redimetur mundus quinque vulneribus, quæ tu accipies pro illo. Hodie offereris in brachijs Simeonis, tunc autem in brachijs crucis offerent te. Hoc erit, ô pusille pupule, sacrificium matutinum, illud autem erit vespertinum.

Duarum oblationum Christi collatio.

Sequitur in Euangelio. *Et ecce homo erat in Hierusalem cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus S. erat in illo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* In hoc apparet verissimum esse, quod hoc loco dicit Ambrosius: Non solum ab Angelis & Prophetis, à parentibus & pastoribus, sed etiam à senioribus & iustis generatio Domini accepit testimoniũ. Omnis ætas, & vterque sexus venturorum miraculorum fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur: Elizabeth prophetat, Magus adorat, vtero clausus Ioannes exultat, vidua confitetur, iustus expectat. Et bene iustus, quia non suam, sed populi gratiam requirebat, cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis exolui, sed expectans videre promissum: sciebat enim quia beati oculi, qui viderent Christum Domini. Hæc ille. Quo loco non immeritò lubet exclamare cum B. Augustino; Hęc sunt testimonia natiuitatis tuæ Domine Iesu, antequam tibi sternerentur fluctus maris, campi cederent imperanti; antequam ventus te iubente siluisset, mortuus te vocante resurrexisset, sol te moriente palluisset, terra te resurgente tremuisset, cœlum te ascendente patuisset. Adhuc in matris manibus portabaris, & iam Dominus orbis agnoscebaris.

Amb. lib. 2. in Luc.

August.

Sed reuertamur ad B. Virginem. Venit illo die, vt offerret in templo suum primogenitum, & vnigenitum, cum oblatione, quam lex imposuit pauperibus: par turturum scilicet, aut duos pullos columbarum. Ex quo facilè colligitur, summa paupertas Sanctissimæ Virginis, posteaquam non obtulit agnellum oblationem diuitum, sed par turturum, aut duos pullos columbarum: quæ erat oblatio pauperiorum. Quæ licet ante paucos dies tantos thesauros ab illis Regibus accepisset, tamen eos iam in pauperes distribuerat, adeò vt ad pristinam iam paupertatem rediisset, tanquam quæ Spiritu Sancto plena intelligebat, eam esse voluntatem Dei, vt filius eius egenus esset, quò nos sua paupertate ditaret. Intrat ergo Sancta Virgo in templum materiale, vt offerat templum viuum & spiritale, quod in manibus suis portabat. O nouitas admiranda, offert templum in templo, offert Deum Deo, mittit ante Deum, qui nunquam à Deo decesserat. Redimitur quinque denarijs ille, qui est ipse redemptio omnium. Offertur per manus Virginis ille, qui oblatus est pro mundo vniuerso. Reddit virgo depositum eidem Domino, quem depositum apud se seruat, quique ipsi erat commendatus: atque ita flumina, ad locum vnde exierunt reuersa sunt, vt iterum fluerent.

Quotidie Christus offertur spiritualiter.

Sed diligenter hic considerandum est, quòd hæc oblatio non tunc tantùm offerebatur æterno Patri, sed quotidie adhuc per manus Virginis Ecclesiæ, & omnibus animabus fidelibus, quarum Simeon Minister erat (ille enim personam Ecclesiæ gerebat) offertur: ita vt Dominus iste, quem tanto desiderio mundus cum omnibus electis expectabat, cuius spe & aduentus dilatione languebat humana natura, hodie adhuc detur aut offeratur omnibus fidelibus, qui accipiunt illum in vlnas suas, mediante Simeone. Quid enim aliud illa facere potuit aut debuit, quàm dare quod habebat, posteaquam viderat tam admirabile exemplum liberalitatis & misericordię sui ipsius filij? Videbat filium suum datum pretium pro redemptione vniuersi mundi, socium exilij, & præmium beatitudinis: Quid dico faceret illa, quæ tanta beneficentia habebat, nisi daret ea bona quæ habebat, cælestem scilicet thesaurum? Hæc donatio rata habita & confirmata est ab ipsa Trinitate. Approbata est enim per auctoritatem Patris in lege, & per voluntatem Filij, qui oblatus est pro nobis, & per operationem Spiritus sancti, qui traxit Simeonem ad templum, & per manus sacratissimæ Virginis, quæ tanquam vera mater possidebat hunc thesaurum. Alia siquidem mysteria præterita Ecclesia cum tanta solennitate non accepit.

Sed hodie per manus Virginis, quæ erat persona communis, in templo Dei, quod etiam est commune, existente ministro Ecclesiæ Sancto Simeone, communis boni amatore, recepit Ecclesia donum hoc in vlnas suas, & introducta est in possessionem suam: quare cantat & gloriatur in hoc die, dicens. *Suscepimus Domine misericordiam tuam in medio templi tui. Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua, in fines terræ, iustitia plena est dextera tua.* Venite nunc omnes fideles, & currite ad templum hoc: vobis enim debetur pars gloriosæ illius oblationis. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis aurum vel argentum properate & accipite cæleste donum hoc. Currite senes, & cantate cum Simeone; Currite viduæ, & laudate Dominum cum Anna; Currite virgines, & exul-

Psalm. 47.

tate cum Maria; Currite viri, & accingimini fortitudine cum Iosepho; Currite pueri, & associamini puero Iesu; Currite iusti, & colligite gratiam; Currite peccatores, & indulgentiam percipite; Accurrite Angeli & obstupescite, videntes Deum redemi, Virginem purificari, omnium rerum Dominum humiliari, & legislatorem legi subijci. Discite in schola pueri huius, quomodo illi, qui Deus est tam excelsus, placeant humilia corda tam in cælo, quàm in terra.

Gaudium Simeon.

Perpende nunc etiam exactius, & minutim singula discute, quæ de incredibili gaudio illius Senis dici vel cogitari possent. Mos enim Euangelisterum est, tantùm historiæ mysterium scribere, relinquentes interiora omnia (quæ sunt sensus atque effectus personarum) meditationibus & contemplationibus pij lectoris. Quæ itaque & quanta putas fuêre gaudia Sancti illius Senis, & cogitationes videntis oculis suis, & in vlnis suis habentis Saluatorem mundi, quis poterit enarrare? Videbat vir sanctus mundum sceleribus, & peccatis plenum, videbat innumera quotidie animarum millia, ad tartareos lacus rapi. Dolebant illi, vt viro iusto, & cor eius mœrore zeloque pio diffecabant offensiones diuinæ Maiestatis, & tot animarum ad inferos descendentium ruinæ: expectabat anxiè tantorum malorum remedium, & quo dolor eius erat maior, eò quoque expectatio illius erat vehementior, spei verò dilatio nullam homini quietem permittebat. Sciebat remedium hoc in solo aduentu Saluatoris positum esse. Mane, vesperi, die & nocte clamabat & orabat Deum suspirans, memor illius Esaiæ: *Qui reminiscimini Dominum, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabilitat, & donec ponat Hierusalem laudem (seu laudis occasionem) in omni terra.* Quando itaque Sanctus ille Senex vidit iam finem horum desideriorum, quando vidit suas nunc orationes exauditas, & lachrymas in sinum Dei receptas, quando coram vidit natum iam mundi remedium, quando vidit filiũ in brachijs matris suæ, instar pretiosissimæ margaritæ in auro resplendentem & rutilantem: nec tantùm hæc oculis vidit, sed manibus etiam palpauit, totum puerulum brachijs complexus, in ijsque hærentem adorans: (sciebat enim per inspirationem diuini numinis, quid in vlnis gestabat) quãdo, inquam, vidit & contemplatus est hæc omnia, quid quæso fecit? quid dixit? quid sensit? quas lachrymas dedit? quas gratias & laudes cecinit Domino pro ijs, quæ viderat? Qua cum deuotione, quo cum amore & timore extendit brachia sua, ad excipiendum in illis omnis diuinitatis thesaurum? qui lachrymarũ riuuli per ora venerabilesque genas decurrerunt? quomodo pueruli vultum rigauit? quo cum affectu illum ad cor pressit? quot suauijs, quot basijs osculũ fatigauit, exclamans cum Sponso, *Inuenì quem diligit anima mea, tenebo illum, nec dimittam.* Et quæ lætitia in B. Virgine excitata est, dum vidit lachrymas & deuotionem tam venerandi & sancti Senis, dum animaduertit quot modis gloria filij sui incipit elucescere, & quomodo quotidie crescit numerus testium, quis esset filiolus prædicantium?

Esa. 62.

Cant. 3.

Cæterùm lætitia hæc pura non fuit, vti præcedentes: sed amarissimo calice doloris permixta, quem cepit hoc die bibere, nec ante mortem potuit exhaurire. Cùm enim Senex hic Spiritu sancto plenus, inter confessiones & laudes pueruli cœpit vaticinari de tribulationibus, tormentis, & contradictionibus, quæ ipsum in hoc mundo manerent, deque gladio doloris, qui transiturus esset cor ipsius beatissimæ matris, desijt frui vitæ suæ delitijs: desijt lætari, & mœrere cœpit.

Fuit enim gaudium illius pene purum & putum, nisi fuisset angustia & timore huius diei permixtum. Quæ tribulationes, quo minus distinctè cognouit, eò magis semper suspectas habuit. Quid facis grandæue Senex? Cur tu præbes Virgini perpetuam doloris materiam? desine: relinque illam in sua simplicitate, noli ea dicere, quorum cognitio perpetuum adferet illi martyrium. O si scires quanti doloris venam aperueris hoc vnico dicto; & quantarum angustiarum materiam dederis, hoc mœsto vaticinio? Si nescíret hæc Virgo, in pace & tranquillitate perpetua viueret, viueret in gaudio & lætitia coram suo filio; nunc autem vita eius erit iugis crux & lenta mors. O quot lachrymas sistere, quot gemitus compescere potuisses, si tacuisses? Quod igitur fuit consilium tuum, cur voluisti profari, quod tantos secum dolores allaturum non ignorabas? Non fuit sanè consilium hoc tuum, sed Spiritus sancti: qui enim docuit te hæc euentura, is ipse ne taceres, sed reuelares mandauit. Cur itaque tu Domine voluisti cor Virginis transfigere? Cur voluisti vt semper in tormentis viueret, quæ peccatum non fecerat? Non sine causa voluisti hæc Domine, sed vt Mater esset filio conformis: & quia Virgo hęc omnium perfectorum fuit perfectissima, noluisti etiam illi denegare Sancti sanctorum gloriam. Quia verò maxima gloria Domini nostri fuit, tanta tormenta passum esse, vt æterno Patri suo obediret, nõ erat æquum vt eadem gloria matri deesset: & quemadmodum filius semper crucem suam in conspectu suo baiulauit, & memoria illius iugiter afflictus est; sic & mater suam quoque crucem semper adesse coram vidit, & assidua illius memoria torquebatur. Vbi sunt nunc qui de tribulatione perperam loquuntur? qui asperitatem vitæ fugiunt? qui omni studio & cura mollitiem & quietem in hac vita quærunt, in ijsque supremam constituunt felicitatem? Si ea fuissent vera bona, certe duabus his optimis ab Orbe condito personis non defuissent: & si vera mala sint, à me de illis horrendum sumetur supplicium? Quare plangis & lamentatis infirme, pauper & tribulate? non aliter te Deus habet in hoc mundo, quàm proprium suum habuit filium, & ipsius matrem. Seruus bonum iudicat pharmacum sibi, quod pater dilectissimo suo filio præparauit. Cur itaque nos aspernabimur medicamentum tribulationum & calamitatum, quod æternus ille Pater, duabus illis electissimis totius mũdi personis miscuit & propinauit? Cui non sufficit hoc exemplum, quo minus calamitates, miserias, & tribulationem in numerum bonorum reponat, non video quid illum, vt hoc faciat, poterit permouere.

Tribulationes bona & vtiles.

Post hęc conijce oculos interiores in exercitia beatæ illius viduæ, quæ profectò speculum est & exemplum omnium viduarum, & coniugatarum fœminarum: de qua dicit Euangelista, quod *non discedebat de templo, ieunijs, & obsecrationibus seruiens Domino, nocte ac die.* Disce hic quàm conuenientia sunt viduæ deuotæ hęc exercitia, ieiunium & oratio. Ieiunium mortificat carnem, oratio spiritum eleuat: Ieiunium sanctificat corpus; Oratio purificat animam. Ieiunium interficit passiones, oratio implet cor bonis desiderijs: Ieiunium fides tendit, & vt inter sese concordent, facit: oratio verò pulsat eadem, & optimam harmoniam excitat. Ieiunium purgat animam à vitijs, oratio illam virtutibus exornat. Per ieiunium homo vincit diabolum, oratione de Deo triumphat. Sunt itaque geminæ illæ virtutes sic inter se connexæ, & concatenatæ, vt vna sine alia subsistere nequeat: & vna sine alia vix inueniatur. Non enim potest homo constans manere in laboribus, & asperitate ieiunij, sine delicijs orationis:

Ieiunij & Orationis.

nis: nec oratio suum facere potest bene officium, sine temperantia ieiunij.

In duobus istis exercitijs perseuerabat sanctissima hæc vidua, vsque ad octuagesimum quartum ætatis annum. Ex quo facile intelligitur, non fuisse illi tantoperè necessarium hoc ieiunium ad macerandam, & in seruitutem redigendam carnem, tam per ætatem longam, quàm per diuturnam consuetudinem & castitatis habitum emortuam. Tamen semper hæc sancta vetula, etiam in illa ætate ieiunabat (quemadmodum patres in eremo solent ieiunijs continuis sese exercere) non vt carnem deprimeret, sed vt spiritum eleuaret, vt perpetuo bello cum amore proprio decertaret, vt omnium rerum terrenarum cogitationes eliminaret, & desiderijs rerum spiritualium animam satiaret. Talibus Deus sua reuelat mysteria, cum his secreta sua communicat. Cuius rei fidem facit Propheta dicens: Isa. 28. *Quem docebit Dominus scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte auulsos ab vberibus.* Hoc est, illis qui renunciârunt omnibus delicijs & voluptatibus huius seculi. Qui enim corporeas voluptates & illecebras detestantur, & fugiunt, hi semper pleni sunt consolationibus Spiritus sancti.

QVOMODO ANIMA DEVOTA præsentat cum Virgine puerum Iesum in Templo.

Bonauen. de S. festiu. POstquam anima religiosa concepit spiritualiter in se puerum Iesum, & peperit illum, propositum bonum, quod conceperat ad actum producens: & postquam est iam per impositionem benedicti nominis recreata medullitus, & tandem in adoratione cũ Regibus instructa diuinitus, quid aliud restat, nisi vt in cæli sancti Hierusalem portetur, in templum diuinitatis præsentetur, Deus Dei & Virginis filius? Ascende igitur spiritualis Maria, non iam in montana, sed in cælestis Hierusalem habitacula beatę Trinitatis & individuæ vnitatis. Flecte humiliter mentis genua in supernæ ciuitatis palatia, ibi ante thronum æternitatis Deo Patri Filium tuum repręsenta, laudando, glorificando, & benedicendo Patrem & Filium cum sancto Spiritu, Lauda cum iubilo Deum Patrem, per cuius inspirationem bonum propositum concepisti. Glorifica cum gaudio Deum Filium, per cuius informationẽ conceptum propositum opere perfecisti. Benedic & sanctifica sanctum Spiritum, per cuius consolationem in bono exercitio hactenus perstitisti. O anima Deum Patrem in omnibus donis suis & bonis tuis glorifica, quia ipse est, quia te de sæculo per occultam inspirationem euocauit, dicens: Cant. 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, &c.* Deum Filium tuum in omnibus factis tuis magnifica. Ipse enim est, qui te de dæmonis seruitio per secretam suam informationem liberauit, dicens. Matt. 11. *Tolle iugum meũ super te.* Iugũ dæmonis abijce; Iugum eius amarissimum; Iugum meum suauissimum. Iugum eius sequitur cruciatus æternus & tormenta: Iugum meum sequitur fructus suauissimus, & requies opulenta. Iugum eius si quam dulcedinem exhibet, falsa est & momentanea, scilicet, dulcedo: Iugum meum quam dulcedinem confert & lætitiam, vera est & salutifera. Ipse suos seruitores modicum aliquando extollit, vt in æternum confundat: Qui autem honorificat me, sic ad momentum humiliatur, vt æternaliter glorietur, & regnet. Ista fuit doctrina, qua te Dei Filius aliquando per se, aliquando per suos Doctores & amicos reformauit à dæmonis falsa persuasione, à carnis & mundi blanda deceptione liberauit. Deum & Spiritum sanctum semper benedic & sanctifica, qui te per consolationem suam mellifluam, in bono confortauit dicens; *Venite* Matt. 11. *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Qualiter enim, ô anima tenera & dilecta, fragilis & infirma, delicijs mundi assueta, gaudijs huius sęculi tanquam fecibus vinarijs more porcorum inebrieta, qualiter potuisses inter tot & tanta antiqui hostis retia, inter tot & falsa consilia, inter tam varia impedimenta inter tam innumerabilia amicorum, consanguineorum & aliorum propinquorum à via morum vulnerantium iacula, in bono perstitisse? qualiter potuisses tot funibus peccatorũ circum amplexa in bono profecisse, si non Spiritus sancti gratia fuisses misericorditer adiuta, & sæpius dulciter consolata & refecta? In ipsum igitur refunde omnia opera tua, tibi nihil retine. Dic cum pura & deuotâ mentis intentione: omnia opera mea operatus es Domine, in conspectu tuo nihil sum, nihil possum; de tuo munere est quod subsisto, sine te nihil agere possum.

Tibi clementissime Pater misericordiarum, quod tuum est offero, tibi commendo, tibi committo, me indignam & ingratam omnibus donis tuis, per te mihi collatis humiliter agnosco. Tibi laus, tibi gloria tibi gratiarum actio, ô beatissime Pater maiestas æterna, quia me per infinitam tuam potentiam de nihilo creasti: Te laudo, te glorifico, tibi grátias ago, ô beatissime Fili, claritas paterna, quia me per ęternam sapientiam de morte æterna liberasti: Te benedico, te sanctifico, te adoro ô beatissime Spiritus alme, quia me per tuam benedictam pietatem & clementiam de peccato ad gratiam, de sæculo ad vitam religiosam, de exilio ad patriam, de labore ad requiem, de mœrore ad iucundissimæ & deliciosissimæ beatæ fruitionis dulcedinem reuocasti. Quam dulcedinem nobis dulcis Iesus concedat: Qui cum Patre, &c.

DE FVGA IN ÆGYPTVM.

MEDITATIO IX.

POstquam Reges, vel Magi in terram suam reuersi essent, *Angelus Domini*, ait Euangelista, Matth. 2. *apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi: Futurum est enim vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum. Qui consurgens accipit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum. Et erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Pro-* Osee. 11. *phetam, dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum. Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam* Hier. 31. *prophetam, dicentem: Vox in Rhama audita est, ploratus & vlulatus multus Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.*

HVcusque Sacratissima Virgo nil nisi gaudium, nil nisi fauorem cælestem, nil nisi miracula super miracula vidit, audiuit, & sensit. Nunc autem ô beata mater tempus est, vt incipias libare de calice filij tui, & sapere quàm amaræ sunt huius mundi tribulationes. *Tempus est*, inquit Sapiens, *amplexandi,* Eccl. 3. *& tempus longè fieri ab amplexibus.* Hucusque fuit tempus exultandi, & filium tuum cum gaudio amplexandi, nunc tempus est vt bibas calicem, quem ille bibet. Ne alium fructum expectes, ô Domina, in hoc mundo. Sumus in valle lachrymarum, loco Psal. 13. exilij, terra damnatorum, iuxta flumina Babylonis,

vbi fletus & lamentatio, vbi nulla Sionis recordatio, vbi organa pendent à salicibus, vbi nulla, aut rara audiuntur cantica lætitiæ. Præpara itaque te, ô Sancta Virgo, ad lachrymas: tempus enim & locus ad aliud ni hil te inuitant. Hodie silebit tuum Alleluia, hodie finis erit tuarum voluptatum, & dabuntur tibi ad manducandum fructus huius seculi amarissimi.

Consideremus hic quanta cum solicitudine & festinatione surrexerit Maria in hora illa, puerumq; in brachijs suis sublatum pauperes lares suos reliquerit, & neglectis omnibus rebus domesticis (angustia siquidem temporis eas expedire non permittebat) incepit importuno anni tempore iter instituere. Etenim tanquam prudentissima Virgo, sciens pensiculare pretium thesauri, quem habebat, nihili fecit iacturam omnium aliorum bonorum suorum, vt vnicum hoc duntaxat & summum bonum conseruaret. O nox obscura, ô nox tenebrosa, ô nox lachrymarum & dolorum. O vtinam & homines tã iusta trutina Christum nossent pensitare, & summã tanti thesauri subducere, vt cum res postulat, nouerint omnia bona huius mundi, cum summo lucro, summaque sua vtilitate amittere, & cum Paulo omnia detrimenta facere, & arbitrari vt stercora, vt Christum lucrisaciant. Probatur astutia Serpentis, qui cum in periculo est, caput tegit, & defendit (in eo enim vita eius omnis consistit) reliquum corpus dat percussoribus. Hanc Serpentis prudentiam imitari meritò deberemus, & omnia bona externa abijcere, hostibusque obijcere, ne tollant nobis Christum, in quo omnis vita nostra spiritualis consistit.

Omnia propter Christũ relinquenda.

Philip. 3.

Difficultates, in quib. tunc erat Maria.

Sed reuertor ad te, ô Virgo beatissima. Magna profectò, & maior quàm dici potest, tua fuit, quàm die illo passa es, calamitas. Deserenda enim erat patria, deserenda domus, deserendi amici, noti, familiares; imò cognati & parentes ipsi. Eundum erat tibi per loca ignota, inculta, deserta, & auia: per prouincias Idololatrarum & infidelium, cum puero tam recens nato, tam tenero & imbecilli. Nec domus, nec diuersorium erat tibi aliquod præparatum, peracta iam peregrinatione: nec erant tibi facultates vllæ, quibus fagienti, & præinopia huc illucque in virgineo sinu & gremio tuo raptanti filiolo subuenires. Si inter eos, qui secundùm carnem fratres tui erant, non inuenisti aliud cubile, quàm immundum stabulum, & præsepe in tuo puerperio & natiuitate Filij; quid ab infidelibus, Barbaris, & extraneis tibi erit expectandum? Cum in Ægyptũ terram patribus tuis execrabilem veneris, Ægyptijs inuisa & exosa, quò te conferes? quis te recipiet? quis charitatem tecum faciet, vbi impietas & infidelitas dominantur? vbi exulat & extincta est veri Dei cognitio? vbi omnium Dæmonum cultus viget, & vbique passim exercetur? Si de S. Loth dicatur quod habitauerit inter viros pessimos, qui affligebant animam eius suis flagitijs, & de Apostolo Paulo legatur, quòd incitabatur spiritus eius in ipso, eò quòd videret ciuitatem Idololatriæ deditum, quis tibi animus, quæ mens fuit? quæ quò maiorem zelum & gratiam Dei habebas, eò etiam magis turbata es, videns contemptum Dei, & tot animarum perditionem. Et tu ô admirande puer, quare tam citò de torrente in via bibere, & tam tenellus adhuc tam difficilia pro nobis pati voluisti? quare noluisti parcere infantilibus membris, & ætati indulgentia & pietate, quàm supplicijs & seueritate digniori?

Act. 17.

Greg. Nyss. Or. de Nat. Dom.

Et non tantùm hoc argumentum, sed & crudelitas Herodis mundi malitiam & peruersitatem testatur. De qua copiosè differit Gregorius Nyssenus B. Basilij Magni frater, his verbis: Illi verò cunctos infantes vnũ in locum coactos internecione tollendos censent. Quod eos mihi non solum crudelitatis, verùm etiam summæ dementiæ videtur arguere. Quid enim vult sibi ista puerorum trucidatio? cur ausi sunt homicidæ se tanto scelere obstringere? Quoniam nouum quoddam, inquiunt, mirandumque cæli portentum, Regis indicium Magis nunciauit. Quid igitur tum? aut portendenti signo fidem habes vt vero, aut quod rumore iactatur, vanum putas. Si talis est qui cælos sibi fecerit inseruire, prorsus est supra manum tuam. Sin autem in tua potestate est, vt ille vel viuat vel moriatur, eum frustra pertimescis. Qui enim id agit vt imperio tuo subditus ipse sit, pro quo molietur insidias? cur horrendum illud datur mandatum? cur impia fertur sententia, vt miseri infantes trucidentur? Quid peccârũt, quid morte, aut supplicio dignum admiserunt? Crimen vnum duntaxat habent, quod nati sunt, & in lucem editi. Et propterea necesse fuit, vt ciuitas carnificibus compleretur? vi cogeretur matrum multitudo, & infantium populus, vt adessent etiam patres, & generis propinquitate coniuncti ad fœuum facinus congregarentur? Quis oratione calamitatem describat? Quis acerbitatem enarrans oculis aspiciendam proponat? mixtam illam lamentationem, luctuosum questum puerorum, matrum, propinquorum, patrum ad minas carnificum exclamantium? Quis dicendo possit exprimere carnificem gladio contra puerum irruentem, & toruo trucique vultu contuentem, verbisque crudelibusque alloquentem, vna quidem manu corripientem infantulum, altera verò gladium adigentem? matrem porrò ex altera parte filium ad se trahentem, obijcientemque ceruicem suam acuto gladio, ne miserum filium carnificis manu necatum proprijs oculis intueatur? Quis explicet ea, quæ patres agunt, reuocationes, suspiria, postremos filiorum complexus? præsertim cùm idem à multis fiat eodem tempore, Quis variam multiplicemque calamitatem, & conduplicatos puerperarum dolores partus exponat? & acerrimas, quàs admouebat natura, faces? Quo modo puer infelix & vberi simul inhæreret, & per viscera lethalem plagam acciperet? Quomodo misera mater simul infantis ori subderet vbera, & sinu sanguinem eius exciperet? Manus autem impetu, sæpe numerò carnifex vno gladij ictu, filium & matrem consauciabat, & vnus sanguinis riuus ex matris plaga, & ex mortifero vulnere filij mixtus, decurrebat. Iam verò, cùm nefaria Herodis sententia, non solùm nuper geniti necarentur, sed etiam illi, qui alterum agebant annum, raperentur ad mortem (scriptum est enim iussisse, bimulos & minores interfici) videre erat matres non paucas, quę eo temporis spacio duos filios enixę fuerant. Quodnam igitur rursùm in his spectaculum cernebatur, cùm duo carnifices circa matrem vnam essent occupati, vnusque propè currentem filium ad se raperet, alter autem lactantem adhuc infantulum è gremio matris euelleret? Quid tum faciat mater infelix, cùm natura bifariam in filios diuellatur, & vtroque filio maternis viscribus ex æquo faces admouente, nesciat, vtrum ex carnificibus prius sequatur, cùm vnus ex hac, alter ex illa parte pueros ad cędem trahat, præcuratne ad nuper genitum, confusus indistinctosque gemitus emittentem? at inhibetur ab altero iam loquente, balbutientique lingua matrem inclamante. Quidnam agat? quò se vertat vtrius voci voce sua respondeat? vtrius gemitum gemitu excipiat suo? vtrius defleat necem, cùm vterque naturæ stimulis æquè miseram ferat?

Cadentium centum.

Matth.

Hucusq.

Hucusque verba Gregorij Nysseni, quæ fusius ex illo transcribere volui, vt hinc appareat, quousque sese diffundat humani cordis malitia: particulariter verò, quò prorumpit ambitio, & inordinatus excellentiæ propriæ appetitus. Conuerte igitur oculos tuos in facinus hoc, & vide quid non ausus fuerit Rex ille sceleratus, vt dignitatem & honorem, quę habebat tueretur, ne amitteret. Quæ posset esse maior crudelitas, quæ tyrannis immanior, quàm tam copiosum fundere sanguinem? tot infantes iugulare? tot matres confodere? tot patres orbare filijs? tot familias hæredibus spoliare, vt septem annos tantummodo regnum posset prorogare, aut saltem in tranquillitate conseruare? O cæca stultę æmulationis impietas, ait B. Leo, quæ perturbandum putas diuinum tuo furore consilium. Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æternum. Quid incommutabilę dispositarum ordinem rerum vertere, & aliorum facinus præoccupare conaris? Mors Christi non est temporis tui. Ante condendum est Euangelium: ante prædicandum est Dei regnum, ante sanitates donandæ, ante sunt facienda miracula. Hæc ille. Viden igitur quò serpat humanæ mentis superbia, regnandique infelix cupiditatis? posteaquam ille non tantùm Tyrannos omnes crudelitate vicerit, sed stultos quoque omnes stultitia sua superauerit? Hæc igitur est, mi frater, miseria cordis humani, hæc est natura inordinati amoris sui ipsius, huc vsque progreditur philautia, & certò tibi persuade, te quoque in eosdem impacturum scopulos, si aut similem haberes occasionem, aut gratia Dei te non præueniret, & præseruaret.

Leo hom. 1. de Epiphan.

Præter omnia hæc offert sese hoc loco magnitudo diuinæ bonitatis, quæ relucet in gloria istorum infantium. Quæ potest esse maior bonitas & liberalitas, quàm quod Deus acceptat non solùm pro sacrificio, sed pro martyrio mortem, quam non voluntas subit, sed necessitas adfert, vbi non fuit votum, sed vis, vbi nō, fuit meritum, sed infortunium, vbi non fuit cor martyrij, licet corpus fuerit martyris; vbi non erat desiderium morientis, sed crudelitas occidentis; vbi denique gladius erat Tyranni, non autem spiritus Maryris? Sed omnia quæ deerant, suppleuit diuina gratia: quæ mutauit miseriam in coronam, & casum in meritum. Non enim efficacior est malitia Tyranni, quàm bonitas Dei, & si crudelitas Herodis potuerit inferre supplicium, vbi non erat culpa, non est magnum, si potuerit diuinitas dare coronam, vbi non erat meritum. Huc respicite, qui desperatis: huc mentes aduertite, qui pusillanimes estis, & scrupulosi, qui semper arbitramini vos fore condemnandos: quanto propitiorem Deum habetis vos illis, qui non crediderunt? quantus ille est amator hominū? quàm cupidus vestræ salutis? quàm promptus ad dandam suam gloriam? Vt enim eam vobis det, omnem quærit occasionem, nec aliud quicquam desiderat. Philosophus quondam dicebat, Qui liberalis est, vt liberalitatem exerceat suam, omnem captat benefaciendi occasionem. Quod si ita sit, quid faciet ille, qui super omnes virtutes à liberalitate & misericordia laudatur? Ille talis non est, cui tantùm opera corporis placent, sed & Spiritus, cuius ope facta sunt: voluntas enim est, quæ operatur ea. Illi itaque Domino, qui tantopere sitit vtilitatem, salutemque nostram, satis fuit, quod in illis infantibus inuenit, & venit vt suppleret gratia sua, quod deerat eorum meritis: addens pro bonitate sua ætati teneræ & ignoranti, quod non habebat. O infantes feliciter nati, sed multò felicius mortui: Occiduntur, inquit Eusebius Emissenus, pro Christo paruuli, pro iustitia moritur innocentia. Quàm beata ætas? necdum Christum potest eloqui, etiam pro Christo meretur interfici: nondum matura vulneri, & idonea passioni.

Diuinæ bonitatis argumentum.

Adpusillanimes.

Euseb. Emis. hom. 1. de Epiphan.

Quàm feliciter nati, quibus in primo nascendi limine æterna vita obuiam venit? Incurrunt igitur in ipsa principia acceptæ lucis periculum, & finem salutis: sed de ipso protinus fine capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem videntur ad mortem, sed feliciter moriuntur ad vitam: Vix dum degustauerant præsentem, statim transeunt ad futuram: Nondum egressi infantiæ cunis, iam perueniunt ad coronas, rapiuntur quidem à complexibus matrum, sed redduntur gremijs Angelorum.

QVOMODO PVER IESVS DVODECIM annos natus amittitur, & à parentibus inuenitur.

MEDITATIO X.

INter omnium mysteriorum infantiæ & pueritiæ Seruatoris contemplationes iucundissima est ea, quam de puero Iesu in templo Salomonis amisso nobis suggerit Euangelista; in hac enim sępe accidit, vt quærentes cum matre perditum filium, ipsi perditi inueniantur. Sciendum hoc loco Deum præcepisse in Exodo, vt ter in anno omne masculinum in templo appareret coram Domino, & quod tria festa celebrarent, sanctum scilicet diem Paschatis, festum Tabernaculorum, & diem Pentecostes. Propterea & sanctissima Virgo, tanquam obedientissima, filium suum Hierosolymam duxit, vt præsentaret illum Domino in templo, legemque impleret. Cùm ergo esset puer annorum duodecim, iuit cum parentibus in Sanctam ciuitatem, quibus redeuntibus, cum omnia iam secundum legem erant peracta, puer diuulsus & disgregatus est à Matre sua: quæ cum eum quæsiuisset inter cognatos & notos, nec inuenisset, reuersa est cum Iosepho sibi desponsato, in Hierusalem. Peruagati autem simul ciuitatem vniuersam, omnes plateas & vicos eiusdem peragrantes, inquirentes & interrogantes quemcunq; obuium, à nemine certi quid de puero intelligere potuerunt. Dum sic quærunt diebus tribus, & totidem noctibus frustra, iamque animum desponderent, existimantes puerum tam mansuetum & obedientem à sese ablatum, tanti dolores & timores ob absentiam eius corda ipsorum inuaserūt, vt nullis queant linguis enarrari. Nec iniuriā. Dolores enim alijq; affectus & perturbationes deriuantur ex amore: ita vt quantò maior est amor, tantò etiam maior sit timor, dolor, & alij affectus omnes amori accidentes. Quis autem poterit explicare, aut vllo stylo describere magnitudinem amoris, quo mater hæc filium suum complectebatur? Maior enim & multis modis maior, is amor erat, quàm purus vnquam homo vel habuit in hoc mūdo, vel habiturus est: Amor autem iste crescebat quotidie accedentibus nouis virtutum actionibus, quæ maiorem gratiam & amorem promerebantur. Si enim flumina, quò mari magis appropinquant, quantumuis exigua sint, maiori cum impetu currant, vt sese exonerent, quàm circa fontes currebant, multis in illis riuulis influentibus, quantus quæso fuit tunc amor ille, qui ab initio tantus fuerat, & cui nunc tot annorum accesserant incrementa? Quare si tam ineffabilis fuerit amor istius thesauri, quidni etiam dolor Marię fuit incomprehensibilis, ob thesaurum illum amissum? Quod si ergo tantus fuerit dolor, quantus erat amor, conticescit hic omnis lingua, nec magnitudinem doloris poterit quisquam explicare. Sed quia de magnitudine amoris & doloris huius Virginis latius egi-

Luc. 2.

Exod. 23.

Magnitudo doloris Mariæ vnde.

Simile.

mus in Memorialis libro 6. nihil hic amplius de hac materia dicemus.

Christus in loco proprio inuentus.

Spiritus tandem Sanctus volens tanto virginis martyrio finem imponere, instillauit parentibus mentem eam, quæ docuit ipsos filium in proprio suo loco quærendũ esse: id est in templo, seu Domo Domini. Commune enim est, vt quod inuenire volumus, id proprio & naturali in loco suo quęramus.

Templum locus Dei.

Si itaque templum sit proprius locus Dei, æquum est, vt Dei Filius & Deus in eo quæratur & inueniatur. Templum domus orationis est, & vbi oratio auditur, ibi Deus inuenitur. Quare frater mi, cùm afflictus es, cùm consolatione destitutus, distractus, aridus, tepidus, & sine vlla pinguedine vel scintilla deuotionis, ingredere templum, perseuera in oratione: nam si cum fide & humilitate perseueranter orueris, sine dubio Christum Deum inuenies, & hoc tibi signum erit, quando inueneris, si deuotionem, suauitatem, recreationem, & gaudium in anima perceperis.

Gaudium Virginis ob inuentum filium.

Cum itaque gloriosissima Virgo suos eleuasset oculos, vidisseteque lucem illam, quam tantoperè desiderabat; cùm pia mulier in conspectu totius ciuitatis inuenit massam auri, quam perdiderat, quis poterit verbis exprimere, quanto gaudio exultauit? si tantus fuerit dolor ob filium amissum, quãta fuit lętitia ob inuentum? Natabant adhuc in oculis illius lachrymæ, sed naturam; rationemque mutârant: quæ enim prius erant lachrymæ doloris, nunc sunt amoris: quæ prius iustitiæ, nunc sunt lætitiæ.

Eccli. 35. *Speciosa misericordia Dei*, inquit Sapiens, *in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* Qualis itaque & quanta fuit illa misericordia, quàm serena lux post tenebras tanti mœroris? Adiunxit sese Mater filio, non expectauit finem disputationis, non fuit à tanta multitudine retardata vel impedita: ingessit sese in medias turbas, non quieuit, nec substitit, donec peruenit ad eum, quem amabat.

Sed quomodo illum inuenit? sedentem in medio Doctorum: quos audiebat, & interrogabat, non semper loquebatur, nec semper audiebat: sed subinde audiebat eos cum patientia; subinde interrogabat eos cum discretione. Tanta autem prudentia non minus in vno, quàm in altero vtebatur: maximè autem in responsionibus, vt omnes quasi attoniti & stupefacti illum audierint: admirantes in tam tenera ætate tantum ingenium, sapiętiam, eloquentiam grauitatem, & prudentiam: videntes tam admirandam, quæ in vultu illo diuino, in oculis, & verbis illius resplędebat gratiam. Quãuis enim in exteriori illius forma nihil aliud viderunt, quàm purum hominem, semper tamen arbitrabantur, plus eum esse debere, quàm hominem. Etenim quemadmodum sæpe acumen ingenij & mansuetudo cordis in vultu & in oculis relucent, qui quasi interpretes sunt, & testes animi: sic illa suprema diuinitas, quæ in exiguo illo corpusculo erat Inclusa, foras emittebat radios suos, & nihil occuluit eorum, quę intus latebant: quemadmodum videmus in sole, qui licet nube aliqua tectus sit, semper tamen aliquid sui splendoris diffundit.

Propterea non immeritò admirabantur circumstantes, & dicebant inter sese: Quis est ille? quis puer hic? quæ nouitas hæc inaudita? quæ sapientia illa in annis tam teneris? cuius filius ille pusillus est? quomodo potuit in tam exiguo tempore tam multa didicisse? quę eius patria? quæ gens? quæ cognatio? Vbi tamdiu latuit ille thesaurus? Hæc & huiusmodi dicebant homines præ nouitate rei obstupescentes.

Cùm itaque Mater inuenisset illum in hac disputatione, & doctorum collegio sedentem, accessit eum, & vt Euangelistã dicit, his verbis compellauit: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolenter quærebamus te.* Luc. 2. Respondit filius; *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quod in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Durior videtur ista responsio filij ad matrem; sed in ea monstratur grauitas atque integritas, quam debemus seruare erga parentes, cùm nobis impedimento esse volunt in his, quæ Dei sunt; quanquam in alijs omnibus ijs obedire debeamus: & ipse Dominus qui docet vnũ, docet & alterum. Quare confestim subiungit Euangelista, *quod descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* O verbum admiratione dignissimum. *Erat*, inquit, *subditus illis*: Quis? quibus? inquit D. Bernardus, Deus hominibus, Deus inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph, propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige quod amplius mireris, siue filij benignissimam dignationem, siue matris excellentissimam dignitatem. Vtrinque stupor, vtrinque miraculum; & quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; & quòd Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quòd sequuntur agnum quocunque ierit, quibus ergo laudibus iudicas dignam, quę etiam præit? Disce ô homo obedire, disce terra subdi, disce puluis obtemperare. De auctore tuo loquens Euangelista, *Et erat*, inquit, *subditus illis*: haud dubium quin Mariæ & Ioseph. Erubesce, superbe puluis & cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gesties hominibus, tuo te præponis auctori? Vtinam mihi aliquando huiusmodi cogitanti, Deus responderet dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo, *Vade*, inquit, *post me Satanas, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* De ipso namque dictum est, *& erat subditus illis.* Si hominis, ô homo dedigneris sequi exemplum, certè non erit tibi indignum sequi auctorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum quocunque ierit, dignare vel sequi, quò tibi condescendit: hoc est, si non potes sublimem incedere semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis. A cuius rectitudine si qui etiam de virginibus deuiauerint, vt verum fatear, nec ipsi sequuntur agnum quocunque ierit. Hactenus Bernardus.

Bern. hom. 1. super Miss. est. *Obedientia Christi.* Matth. 16.

Ceterùm habemus hic insigne exemplum, non tantùm admirandæ Christi humilitatis, sed & obedientiæ. Quis enim in posterum dedignabitur obedire alteri, postquam Dominus Angelorum subditus fuerit hominibus? Omnis Dei sapientia, omnis potestas, tota eius Maiestas subiecta fuit & obediens illis, adeò vt cucurrerit alacriter, quocunque à fœmina & paupere fabro mitteretur. Hæc cùm cogitant fastuosi & elati huius seculi, superbi, ambitiosi, qui captant honores, & quasi ad lineam fiduciæ seu magnetis idiotropiam, quid suæ dignitati conueniat, quid non, demetiuntur, nónne confundentur? nónne pudore suffundentur? si cælum hic sese terræ subijciat, quomodo audebit sese terra supra cælum exaltare, & id facere dedignari, quòd Deus ipse fecit?

Contra ambitiosos.

Inter multa alia, quæ hic examinanda veniunt, vnum nequaquam minimum est, cur Dominus voluerit innocentissimam Virginem Matrem suam, *fugi voluit.* tam acerbo trium dierum & noctium dolore affligere? Quare passus es Domine, vt virgo tam pura, & ab omni peccatorum næuo aliena, tantas pœnas sustinuerit, cùm pœna non nisi pro culpa dari consueuit? Sufficiebat Domine gladius verborum Simeonis, quæ tanto ante tempore illius auribus intonare

Cur Christus matrem afluerit.

sonare voluisti, quod vniuersa eius vita esset martyrium timoris, & doloris: & ne vnquam gaudium tam purũ eam exhilararet, quod non memoriæ verborum istorum dolore & tribulatione esset permixtum: Sufficiebat repentinus ille metus & horror, tristissimæ noctis illius, qua in Aegyptum fugere, & toto septennio inter Idololatras & Infideles exulare iussa est. Quare ô Deus, nunc iterum dolores præteritos renouare voluisti, auferens filiolum à Matre sua, eo ipso tempore, quo filius Herodis Archelaus, hæres ambitionis & tyrãnidis paternæ regnat? Quid hoc est Domine? Totam vitam suam innocentissima Virgo lachrymando & plangendo transegit. Quare ô Deus, tanta erga tam charam tibi matrem vsus es seueritate?

Certum est huius dispensationis multas esse rationes; Si enim Deus tantam suorum curam gerat, vt
Luc. 21. etiam singulos capitis nostri capillos numeret, & conseruet: quantò maiori cura omnes lachrymas & tribulationes Virginis huius obseruauit, quæ magis illi propria fuit, quàm vlla pura fuit, aut erit creatura? non enim famula tantum eius fuit, vt aliæ omnes: sed etiam Mater eius, quo titulo nulla creatura digna vnquam fuit. Sed vt breuiores simus, omnes rationes istas ad duo genera reducemus, quorum primum est gloria Virginis, secundùm vtilitas humana.

Quantum ad primum; sciendum est inueniri maiorem gloriam & meritum vberius in hoc mundo, quàm affligi, & pati pro amore Dei. Nulla enim res sub Sole est, nulla inter omnes virtutes, quæ Deo magis placet, amore, quin etiam vti multæ probationes, gradus & argumenta sunt illius amoris, ita excellentissimum, certissimum, & exactissimum, argumentum est, sponte optare affligi & tribulari pro re amata. Etenim propter hoc Apostolus Paulus
2. Cor. 12. tam sæpe & multum in tribulationibus gloriatur.
Iacob. 1. Propterea D. Iacobus vult nos omne gaudium existimare, cùm in tentationes varias inciderimus; eò quòd probatio fidei patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habeat, vt simus perfecti & integri in amore Dei. Et Paulus volens Corinthijs
2. Cor. 12. fidem facere, quod esset Apostolus Christi, argumenta desumit à miraculis, quæ operabatur in nomine Christi, & à tribulationibus, quas amore illius patiebatur.

Quare si tam gloriosum sit pati, & tribulari propter Deum, non æquum erat vt Virgo omnium virginum sanctissima & perfectissima omnium perfectorum ab hac gloria excluderetur; sed quemadmodum maxima omnium fuit in perfectione, ita fas erat, vt in cruce & patientia quoque omnes superaret. Hæc itaque prima ratio fuit istius doloris, pertinens ad gloriam & honorem Virginis semper benedictæ.

Maria ad uocata nostra. Sunt & aliæ duæ rationes, quæ ad nostram faciũt
Ecclesiast. 4. consolationem, & vtilitatem. Voluit enim Pater cœlestis, vt Virgo hæc etiam in suo genere esset, vti Filius, mediatrix & aduocata hominum. Quemadmodum itaque filium, vt Apostolus ait, oportebat tentari per omnia, pro similitudine, absque peccato, vt Pontifex noster esset, qui posset compati infirmitatibus nostris, & qui non tantùm per Theoriam, sicuti Deus; sed per praxin & experientiam, tanquam homo passibilis, sciret quid esset tristitia, labor, dolor, & tribulatio; vt nos certiores & securiores essemus, de ipsius compassione & misericordia, dum socius & consors est nostrarum miseriarum: Ita conueniens erat, vt probaret etiam Virgo Maria per experientiam omnes miserias & angustias, vt nos certi essemus, quòd ipsa tanquam mulier dolorum, & mater misericordiarum, nouerit compati miseris, & officio fidelis mediatricis & aduocatæ inter Deum & homines fungi. In quo manifestè cognoscitur, quanta est pietas & misericordia Dei erga homines: vt enim nos consolationum diuinarum, & auxilij materni participes essemus, ecce ille voluit, vt dilectissima sua Sponsa omni dolorum & tribulationum genere, exagitaretur.

Consolatio eorum quib. se Deus subinde abscondit. Vtilis etiam est hæc consideratio ad consolationem eorum, quibus Deus subinde spiritaliter abscõditur, subtrahens ijs internas suas consolationes, & lætitiam, iucunditatemque suæ præsentiæ; ablactans eos ad tempus, negansque illis dulce lac, quod ex eius pectore sugere consueuerunt. Quare multi (ista dulcedine non fluente) existimant omninò conclamatum esse, desolatos sese & destitutos diuina misericordia, & omni gratia; & proinde in tentationem pusillanimitatis, mœroris, & diffidentiæ labuntur, perduntque omnem fortitudinem & vigorem animi, quæ tamen necessaria sunt his, qui in via Domini ambulabunt. Ad consolationem itaque illorum, vix scio, an aliquid sit efficacius consideratione innocentiæ Beatæ Mariæ Virginis, & absentiæ pueri ipsius Iesu. Si enim tantæ innocentiæ non pepercerit Deus, quo minus præsentiam suam subtraxerit, & in tanto dolore matrem reliquerit, quid mirum si in seruis fiat, quod antea in Domina factum est? Et licet hoc fiat subinde ex nostra negligentia (quod non satis solicitè conseruamus deuotionis gratiam, per continuam Seruatoris nostri memoriam) nihilominus sæpe vsu venit, vt præter culpam nostram, sola voluntate & dispensatione diuina, ista consolatione priuemur, vti & hic Maria contigit.

Cur auferatur subinde interna consolatio. Et quamuis hoc ipsum accidat sæpe sine culpa nostra, non tamen accidit sine ratione: quæ non est alia quàm gloria Dei, & vtilitas hominum. Hinc enim apertè colligitur, eam spiritualem lætitiam non esse positam in manibus hominum, & quando datur vel auffertur, intelligitur non esse opus nostrum, sed ipsius Dei misericordiam. Hinc oritur, vt multi, quos Deus sic consolatur, & super ipsas nubes exaltat, in oculis & opinione propria humiles permaneant, & sine vlla præsumptione: quasi nihil accepissent, aut possiderent: quod enim habent, id non proprium, sed alienum esse cogitant.

Bonauent. De processu religionis processione 7. ca. 20. Auffertur & nonnunquam spiritalis consolatio: vt sit homini medicamentum catharticum, seu, vt Bonauent. dicit, purgatio, vel purgatorium ad mũdandas & purgandas iustorũ animas. Quantò enim magis eiusmodi homines gustarunt, & per experiẽtiam cognôrunt dignitatem & suauitatem illius supernæ & cœlestis visitationis, tantò minus sentiunt illius absentiam. Quæ si patienter & humiliter cum gratiarum actione sufferatur, gratum offertur Deo sacrificium. Hoc enim est in spiritu Isaac, id est, gaudium & lætitiam offerre, quando nimirum homo acquiescit voluntati diuinæ, & propter amorem & obedientiam Dei non indignè fert, se consolatione & fructu Spiritus sancti spoliari. Vt enim lima purgatur ferrum, terendoque politur & læuigatur, abrasa omni rubigine, sic lima spiritalis tribulationũ, extergit omnem rubiginem peccatorum, puramque reddit animam & nitidam ab omni vitiorum scoria. Hæ sunt rationes, quare Deus subtrahit subinde electis suam præsentiam, eiusque desiderio illos affligat: ex eo enim participes fiunt fructuum prædictorum omnium, propter hoc & se innocentissimæ suæ Matri subtraxit, vt esset exemplum, quod consolaretur omnes, qui in ista tribulatione sunt, dum talem habeant sociam & consortem doloris. *Simile.*

Huius diuinæ consolationis absentiæ, vel subtra-

ctionis, sunt & aliæ rationes, de quibus copiosius egimus in secunda parte libri de Oratione & Meditatione.

QVOMODO ANIMA DEVOTA inueniet puerum Iesum, post quam illum amisit.

POstquam puerum Iesum spiritaliter amisisti necesse est eum cum B. Virgine requiras, nec quiescas, antequam illum inueneris, vti & pia illius Mater hic fecit: sed & cum debito feruore & diligentia quærendus est, vti Sponsa in libro Canticorum suo nos exemplo docet: quæ longius à sponso suo segregata, vocat eum, & precatur, vt confestim redeat: *Reuertere*, ait, *dilecte mi, similis esto* (velocitate) *capreæ hinnuloque ceruorum* (currentium) *supra montes Bethel.* Verbo Dei, quod sponsus animæ est, abeunte, vna & continua animæ vox est, ait Bernardus, continuum desiderium eius, tanquam vnum continuumque REVERTERE, donec veniat. Quæ autem anima digna sit sponsæ appellatione, idem Bernardus docet, his verbis; Et nunc da mihi animam, quam frequenter Verbum sponsus inuisere soleat, cui familiaritas ausum, cui gustus famem, cui contemptus omnium otium dederit: & ego huic incunctanter assigno vocem pariter & nomen Sponsæ. Hæc est quæ loquens inducitur, quæ reuocat, vt reuertatur.

Cant. 3.

Quæ anima digna sponso. Bern. Ser. 47. in Cant.

Sed quoniam Sponsus non statim ad vocē Sponsæ reuertitur, surgit & accingit se itineri, & dilationis desiderio crescentem, ad quærendum se præparat. Primò quidem quærit illum in lectulo, id est, loco secreto, & ad animum aduocandum, sensusque colligendos apto: sed minimè inuenit. Surgit inde, circumit ciuitatem, it & redit per plateas, & vicos; & non occurrit, neque apparet. Interrogantur quieunque occurrunt, nihilque certi reportatur. Neque vici vnius, neque vnius noctis quæ situ hæc, & hæc frustratio, cùm dicat, *quæsiui per noctes.* Quid hoc desiderij est & ardoris, vt surgens de nocte, publicum non erubescat, percurrat ciuitatem, percunctetur palam & passim de dilecto, atque à vestigando semitas eius, nulla valeat ratione auerti, nulla præpediri difficultate, non tempestiuè retineri amore quietis, non sponsæ verecundia, non vel timore nocturno? Quid sibi vult ardor & diligentia tanta? quid denotant illa nobis aliud nisi summum feruorem & desiderium, quo cum anima digna honore Sponsæ Christi, Sponsum quærit, quando longius ab ea decessit? Videt enim & experitur hanc absentiam esse (vt Bernardus ait) diuturnam fraudationem, tædiorum nutricem, suspicionum fomitem, impatientiæ facem, nouercam amoris, matremq; desperationis. Non ergo sine causa tribulatur Sponsa, donec inuenerit: non iniuria dolet, suspirat, quærendo perseuerat, donec præsens adest, quem diligit anima illius.

Quanto eū feruore Sponsus quærendus. Cant. 3. 1.

Ceterùm oportet vt sciamus, vbi quærendus est, vt inueniatur. Tria loca nobis demonstrat Bonauentura, vbi anima deuota & religiosa poterit sponsum suum inuenire, & in ijs monet quęrendum esse. Quærite, inquit, Iesum in horto delitiarum, vbi deambulat cum adolescentulis, id est, animabus deuotis, vbi lilia colligit cum Virginibus, vbi comedit fructus pomorum suorum, id est, bona opera cum iuuenculis. Quærite in cella vinaria, vbi cœnam suā præparauit. ad quam suas specialissimas amicas (quę sequuntur eum, quocunque ierit) tantum inuitauit, præcingit se & facit eas discumbere, & transiens personaliter ministrat eis, vbi administrat fercula varia de pinguedine suæ æternæ, nobilissimæ & secretissimæ diuinitatis: vbi propinat pocula suæ dulcissimæ & castissimæ humanitatis. Certè illic bibunt animæ, sed inebriantur charissimæ.

Tribus in locis inuenitur Sponsus.

De 5 solemnitatibus pueri Iesu solennit. 4.

In horto.

In cella Vinaria.

Quærite tandem in cubiculo, vbi requiescit cum sponsa inter amplexus, & oscula, vbi cubat in meridie, quando splendor æternæ veritatis tam luculenter lucet, ardor supernæ charitatis tam dulciter ardet. Ibi instillat auribus sponsæ secretissima suę profundæ, & inscrutabilis sapientiæ, ibi donat altissima munera suæ summæ, & incomparabilis magnificentiæ, ibi iocatur, ibi blanditur, ibi consolatur, ibi dilectam alloquitur, dicens: Pete quod vis, & dabitur tibi. O quàm felices, qui Iesum in hoc cubiculo secretissimo inueniunt, qui hoc cubiculum intrare præsumunt. O quàm pauci eum in horto deliciarum inueniunt, sed pauciores in cella vinaria reperiunt, paucissimi verò, & non nisi secretissimi amici, cubiculum intrare præsumunt. Quia scriptum est: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Vnde sufficiat vobis, ô reges, qui adhuc terrena sapitis, qui adhuc temporalia disponitis, vt Iesum aliquando post diligentem inquisitionem, in præsepio inueniatis. Vltra enim conscientia adhuc fortè non est facta hortus delitiarum, vbi florent sanctæ meditationes, redolent virtuosæ operationes, vbi vigent delicioſæ affectiones. Nec fortè minùs perfectè dici potest cella vinaria, vbi illa cœlestia fercula odorantur, illa vina Angelica gustantur, quibus amici aliquando hic in terris consolantur.

In cubiculo.

Felices qui Iesum in cubiculo quærunt.

Cant. 3.

Sed heu minimè (vt timeo) dici potest cubiculum omnibus creaturis absconditum, soli sponso præparatum, stratum, & ornatum, vbi sponsus cum sponsa, dilectus cum dilecta requiescit, inter secreta, & indicibilia sui familiaris oscula, vbi sæpe audiuntur talia & tam arcana, quæ quidem intelliguntur, sed non dicuntur, quia fortè vel exprimi nequeunt, vel ab hominibus, secundùm hominem viuentibus, percipi nunquam possent. Si tamen ex abundantia diuinæ pietatis, aliquando ipsum post fletum & planctum, post luctum & gemitum, post positum seculare negotium, ad modicum vidistis in horto deliciarum, vel fortè, quòd magis verum est, ante fores adhuc clausas, per foramen inspexistis in cellam vinariam, & vidistis sponsum ornatum & succinctū, transeuntem, ministrantem, propinantem suis amicis varia fercula, & vina deliciarum, & statim ignota & incognita, nec adhuc ad talia admittendi, per ianitores expulsi & repulsi fuistis: & iteratò, heu, ad solita & mundana redijstis. Sed tamen post hoc ad cor reuersi, non immemores illius iucundæ societatis, quam cum gaudio cordis, in horto delitiarum aspexistis. Nec non & illius beatissimæ iucunditatis & solennitatis, quam de olatam per rimulam inspexistis, de qua nescio quale solatium, sed tamen tale, quod exuperat omnem sensum, & omne huius mundi conuiuium, per spiramentum modicum sensistis. Tunc cum Maria matre Iesum perditum cum dolore, & mœrore quærite, currite cum planctu, & gemitu post IESVM quærendum, quærite tunc & flentes dicite: O quando te inueniemus consolatorem, quem expectamus? Quando te inueniemus gaudium nostrum, quod desideramus? O si anima nostra adhuc redire semel valeat, & si non ad amplexus & oscula, saltem vbi redolet hortus deliciarum, & suauissimæ fragrat cella vinaria. Iam anima per te ipsam, quęre dilectum tuum, quem concepisti: tuus est filius quem genuisti, & quare dimisisti, à quo tot & tam insolita gaudia suscepisti? O vos reges inclyti, vos principes, & defensores, & cooperatores mei, vos hactenus quæsuistis vt regem, qui vos sua gratia coronaret; vt doctorem, qui vos sua sapientia illustraret; vt consolatorem, qui sua clementia

Cum matre quærendus Iesus, & filius quærendus.

tia vos reficeret. Nunc superest, vt ego quæram filium, quem perdidi, dilectum, quem amisi, amantissimum Iesum meum, quem heu infelix, & misera, in templo dimisi, postquam denuò ad vana, & falsa, & inania me conuerti. Heu me derelictam & desolatam, & omni ignominia plenam reliquit. Quare eius consilijs non acquieui? Quare in suis monitis non permansi? Quam diu suam præsentiam per veram solationem sensi, affuit mihi omnis boni abundantia: quàm diu ipsum habui, omnib. bonis abundaui, Sed heu, quàm infelix & quàm miserabilis, propter paupertatem amisi diuitias, propter asperitatem postposui delitias, propter curam & solicitudinem dereliqui quietem magnam, & spiritûs dulcedinem, propter alienum neglexi meipsum, propter hominem regendum perdidi Deum meum, dilectum meum, consolatorem meum, dulcissimum Iesum filium meum. Quid ergo faciam? quo vadam? vbi quæram, vt iteratò ipsum inueniam? Aliquoties propter prædicta ipsum amisi, sed denuò adiuuante & reuelante clementissimo patre misericordiarum Deo, in cuius vinea laboro, cuius voluntati de consilio maiorum deseruio, ad cuius gloriam ampliandam, me dulcis Iesu, solatijs per occupationem cordis sæpius priuo, propter cuius honorem conseruandum, varijs tribulationibus me expono, ipso ex solita pietate auxiliante, perditum cum ingenti cordis gaudio, post varios singultus, & gemitus, etiam inter abundantissimas lachrymas reperi & inueni. O vtinam ipsum adhuc semel taliter inuenirem, puto quòd amplius non dimitterem, sed totis viribus retinerem. Quid ergo faciam? Surgam & quæram, quem diligit anima mea, postquam occupationes & solicitudines dimisi, ad orandum me conferam.

Hic Bonaventura loquitur de semetipso.

Et si hæc non sufficiunt, inter cognatos & notos, id est spirituales & deuotos, ipsum quæram. Ipsi sunt in quibus habitat, ipsi sunt cum quibus moratur, quando ab alijs amittitur. Hi sunt cum quibus tanquam in solitudine latitat, quando ipsum à me miser strepitus cogitationum fluctuantium fugat. Heu quando illis similis fui, tunc habui, tunc tenui, tunc amplexatus & osculatus fui Iesum, quem nunc curis distracta, solicitudinibus occupata & afflicta, lamentabiliter amisi. Dicite ergo ô vos religiosi, vos abstracti, vos solis diuinis meditationibus dediti, num quem diligit anima vidistis? Certè scio quod habetis, scio quod bene scitis, quia sentitis, & gaudetis. Reddite ergo in charitate, quod non amittitis, communicate quod non dimittitis.

Christi præsentia nõ desert omnino hominem, propter minores imperfectiones & naeui.

Et si in me propter distractionem, ad horam feruor dilectionis repsuit, habitus tamen dilectionis (vt spero) non cessauit. Et si propter occupationem familiarem dilecto alloeutionem intermisi, à charitate tamen ipsius non recessi. Et si propter proximorum vel modicam ædificationem, ipsi tota mentis intentione non adhæsi, desiderium tamen reuertendi in mente habui. Et re vera (vt verum fatear) non ad gloriam dico, sed tantùm ad reuocandum dilectum perditum humiliter allego, non propter meum lucrum, sed propter eius consilium, non propter meã ambitionem, sed propter eius æternitatẽ, gloriam, & honorem: non propter prælationis laudem, sed proximorum salutem, curis & solicitudinibus dedita. Quare ergo propter hoc, quod pia intentione, etiam quasi gemens facerem, dilecti præsentiæ (saltem aliquando, & si rarò) consolari non deberem? Non esset æquum, sed (si fas esset dicere) iniustum & impium, quod pijssimus Iesus non statuit, quod diuina lex nusquam approbauit. Sæpe enim propter amici voluntatem, dulcis amici præsentia intermittitur, vt postmodum cum ampliori amborum iucunditate reparetur: sic & ego propter ipsum, ipsum aliquando deserui. Si propter eius gloriam ampliandam, labores, persecutiones, detractiones, impugnationes sustinui: Si his omnibus & his similibus, etiam vsque ad defectum repleta fui, & ad ipsum gemens, & amens redeo, nunquid ipsius solatio, vt vel modicum in tribulatione respirem, carebo? Quid ergo est, Dilectus meus loquitur mihi? Quid est, quod per ipsum in Euangelio clamatur: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Nunquid ego qui propter honorem eius diei, pondus & æstus sustineo, saltem post laborem, & de micis, quæ cadunt de mensa dominorum meorum, refici non debeo. Absit ergo quòd solummodo vobiscum, ô vos contemplatiui, morabitur dilectus, & laborans agricola sit contemptus & abiectus. Oportet tamen (sicut Scriptura testatur) laborantem agricolam, aliquando de fructibus cœlestibus patriæ prælibare, & hoc ne deficiat in labore. Sic Apostoli inter varia opprobria, Martyres inter flagella, Virgines inter cruciatus & verba, senserunt dilecti solatia. *Ibant gaudentes à conspectu concilij, collaudantes & benedicentes Dominum, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sic Confessores & Heremitæ, Monachi & Anachoretæ, post vigilias & ieiunia, inter lachrymas & gemitus senserunt diuina gaudia. Sic rectores, Doctores, & Ecclesiarum fideles prælati, postquam laboribus & curis sunt extenuati, de benignitate dulcis Iesu, ipsorum pijssimè & dulciter sunt corda refecti. Non enim Maria Iesum frequenter habuit sola, sed etiam à Martha post prædicationem hilariter, & gaudenter receptus fuit. Ego ergo in Domino confidens, & de diuina clementia iam multipliciter probata, & exemplariter offensa, præsumens, dulcissimum Iesum aliquando quæram cum Maria matre in templo, aliquando cum sponsa in cubiculo, aliquando cum discipulis in consistorio, aliquando cum regibus in diuersorio.

Matt. 27. 28.

2. Tim. 2.

Act. 5.

DE SACRO BABTISMATE, IEIVnio, tentatione, exemplis, laboribus, & doctrina Saluatoris.

MEDITATIO XI.

HVcusque, ô Seruator & Redemptor mundi, egimus de initijs sanctissimæ vitæ tuæ, vsque ad annum ætatis duodecimum: & quia consideraiimus expendimusque opera & labores infantiæ, æquum est vt iam ardua magis, quæ secuta sunt, consideremus: in his enim plura veniunt examinanda.

Cùm itaque tempus appropinquasset, in quo iam manus tuas ad ardua & sublimia opera extendere, volebas, *exultasti vt gigas ad currendam viam* nostræ paupertatis & mortalitatis. Vt autem ante omnia doceres humilitatis excellentiam omnibus alijs, operibus tuis insignia quædam humilitatis exempla præmisisti. Cùm enim esses agnus innocentissimus ad Ioannem seruum tuum venisti, quo tempore Publicanos & peccatores baptizabat, & consistens in medio illorum, humiliter ministerium baptismi ab illo efflagitasti.

Psal. 18.

Postquam verò audita esset inter baptizandum vox illa Patris: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, statim ductus fuisti à Spiritu Sancto in desertum, vt tentareris à Diabolo. Ibi ieiunasti & orasti quadraginta diebus, antequam Euangelij prædicationem auspicareris; docens nos, quomodo præparari debemus, opus aliquod arduum aggressuri. Ibi pugnasti cum antiquo Sathana, & vicisti Victo-

Matt. 3.

rem

rem nostrum: abstulisti illius fortitudinem, & dedisti nobis; vt iam illi resistere valeamus. Omnia hæc pericula & incommoda adijsti pro nobis, & nihil tibi fuit difficile, quod nobis erat vtile. Non te terruit in his solitudo deserti, non labor ieiunij, non assultus Diaboli, non asperitas pœnitentiæ, non molestia orandi & vigilandi. Semper ante oculos tuos versabatur necessitas & infirmitas membrorum nostrorum; & propterea tu, tanquam fidelissimum caput, malè mulctatus es, vt nos omnes thesauro meritorum tuorum locupletares: vt omne quod nobis deesset, id in te haberemus. Tu es ille qui proprio ore locutus: *Ego sanctifico meipsum, Pater, pro illis, vt sint & ipsi sanctificati in veritate*: quemadmodum enim omnes vnius culpa eramus prophanati & perditi: sic sanctificamur & reparamur meritis & sanctitate vnius alterius. Ioan. 17.

Posthæc quoniam diuina lux, quæ erat abscondita, & humanitas nube tecta, iam debebat reuelari, ad illuminandum eos, qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, incœpisti cum hominibus conuersari, & prædicare doctrinam Euangelij. Sed quis poterit enarrare quàm miraculosè ad hæc opera accessisti? Quàm piè vocasti peccatores ad pœnitentiam? quàm liberaliter inuitasti illos ad tuam gratiam? quantis promissionibus & minis contudisti illorum duritiem? quomodo terram illam lassus obambulasti, discurrens & quærens animarum salutem? Quanta cum benignitate excepisti illos, qui veniebant ad te? quanta cum misericordia peccata illorum remisisti, & vulnera eorum curasti? quàm velociter aduolasti quocunque vocabaris? & quàm mansuetè respondebas ijs, qui contradicebant? Quàm humaniter discipulos habebas, quàm amabiliter eorum duritiem & ruditatem increpabas? quàm incessanter diu noctuque eos exhortabaris, & ad amandum summum bonum eos instigabas? Non fugiebas peccatores, non exhorrebas leprosos, non reijciebas Publicanos. Omnibus temetipsum dedisti, quemadmodum & omnibus venisti: non ignorans infirmis, & non bene valentibus opus esse medico. Non defatigatus es discurrendo, prædicando, vel contradictiones audiendo. Interdiu hominum saluti & ministerio vacabas, nocte montem ascendebas, & in oratione vigilabas pro ijsdem. Hæ erant tuæ preces matutinæ, hæ solennitates, hæc festa tua, in omnibus quærere salutem hominum & gloriam Dei. Illud & cibum & potum tuum esse dicebas, facere nimirum voluntatem Patris tui, & redemptionis nostræ opera perficere, quæ in commissis habebas. Non te ab hoc opere absterruit difficultas negotij, non magnitudo debiti, non hominum maledicentia, non malorum ingratitudo, non itinerum asperitas, non fames aut sitis, non frigus aut calor, aut simile quid auertit. Imò tanquam alter Iacob, omnia hæc leuia esse arbitrabaris, propter magnitudinem amoris, quo Sponsam tuam Ecclesiam diligebas. O fidelissime Pastor, quàm fideliter negotium Patris executus es? & quot tribulationes sustinuisti, vt officio tuo satisfaceres? Hac luce opus erat, ea somnia nocte. Somnus ab oculis tuis fugiebat, & quod lupus abstulerat, tu septuplum reddidisti. Ioan. 3.

DE DOCTRINA ET PRAEDICATIONE Saluatoris.

MEDITATIO XII.

HAec in genere de conuersatione & prædicatione Christi dicta sint. Operæpretium autem est, vt pro maiori lumine & cognitione illorum, fusius & copiosius nonnihil agamus de doctrina, miraculis & austeritate vitæ illius.

Et quantum ad primum, considerandum est, optimum & quotidianum hominis Christiani exercitium esse debere, vt meditetur in lege Domini, & doctrina præceptorum illius. Propterea & inter laudes hominis iusti, vna ex principalibus est, in lege Domini die ac nocte meditari. Et Propheta Regius in suis Psalmis vbique ferè gloriatur de amore, quo legem Domini prosequebatur; & quòd quotidie meditabatur in illa, quodque eloquia Domini erat illi dulciora super mel & fauum. Si sanctissimo illi Regi tam dulce fuit & iucundum legere, meditari, & scrutari verba præceptaque legis illius veteris, quantò dulcior erit lectio & meditatio eloquiorum Euangelij? Illius mandata erant ferè omnia corporalia, huius verò spiritualia: illius temporalia, huius æterna: illa erat lex seruorum, hæc filiorum: illa data est per manus hominis, licet hominis sancti, hæc per manus ipsius Verbi Patris æterni, & Sapientiæ Dei: per excellentiam Legislatoris cognoscitur & excellentia legis. Illi siquidem Domino reseruabatur vinum optimum conuiuij, cuius erat aquam frigidam legis, in pretiosum vinum Euangelij conuertere. Psal. 1. Psal. 118. *Legis & Euangelij comparatio.*

Cùm autem vnus & solus Deus auctor sit tam gratiæ, quàm naturæ, eodem omnino ordine, quo procedit in operibus naturæ, communiter & in his quæ gratiæ sunt, procedit: hoc est, extollens nobilitansque semper res, & à minori ad maius producens, id est, à minùs perfectis ad perfectiora. Pictor rudi primum Minerua, Chromatibus nigris imaginem delineat; inde colores superinducit, tandem membra distinguit, lucem addit, & vmbras exprimit, imaginemque perfectam facit: Natura primùm infantis corpus in vtero matris format, ad modum plantæ, quæ vegetatur, non sentit: inde animam infundit rationalem: & tandem in lucem producit. Eodem itaque modo & auctor gratiæ procedit, qui primùm mundo adhuc rudi & imperito, dedit legem, maiori ex parte corporalem, & postea superaddens legem spiritalem, illam perfectam reddidit. Prius rudi modo delineauit, tanquam vmbram imaginis, imperfectæ iustitiæ legis; & postea colores omnes superinduxit, omniaque addidit, quæ deesse videbantur imaginis perfectioni. Cùm cæsaries capitis nostri præter modum est intricata, eò quòd diu pectine non est discriminata, non confestim minoribus pectinis dentibus, sed maioribus pectimus: deinde minores applicamus, vt melius composita sit. Si mundus itaque initio quasi intrincatus fuerit, eò quòd tot annorum millibus pectine legis, quam nondum habebant, comptus non erat, non prius intricas istas minutum & delicatum pecten Euangelij mittendum erat, quàm passæ prius, & pectine crassiore legis fuerant discriminatæ. *Deus à non perfecto ad perfectum producit.* Simile. *Lex prius danda quàm Euangelium.* Simile.

Quicunque igitur superata iam lege Mosaica, ad legem Euangelij peruenit, quicunque aspirat & anhelat ad perfectionem vitæ Christianæ, quicunq; magnus vult esse in Regio cœlorum, quicunque desiderat esse Christi discipulus, cupiréq; perfectus esse, vti pater cœlestis perfectus est, conijciat oculos in speculum Euangelij, intentoque lumine omnia consilia & verba Christi contempletur. Illic enim inueniet omnem, quam poterit optare perfectionem. Nec opus est multum huic studio temporis impendere, aut multos libros euoluere, in octo enim sententijs Matthæi, summa est totius penè perfectionis. In his enim beatitudinibus omnia sunt, quæ ad perfectionem vitæ pertinent. Consideret itaque diligenter illam paupertatem voluntariam, quæ vnico ictu amputat radicem omnium peccatorum, Matt. 5. *Octo beatitudinum.*

rum, cogitationum, molestiarum, solicitudinum & negotiorum huius seculi, quæ est cupiditas, aut concupiscentia: illam mansuetudinem cordis, quæ excludit omnia odia, iras & contentiones hominum: pias illas lachrymas, quibus anima denuò baptizatur, refrigeratur, & irrigatur, vt fructus vitæ æternæ producat: illam famem & sitim iustitiæ, quæ sunt primitiæ gratiarum, & flores præcedentes virtutum fructus: illam misericordiam, quæ succurrit alterius necessitati, & suæ saluti non deest: quæ tempore ministerij diuinæ misericordiæ confidit: illam puritatem cordis, in qua resplendent radij diuinæ lucis, nõ aliter atqui in nitidissimo tersissimoque speculo: illam pacem & concordiam cum omnibus, quæ hominem efficit Dei filium imitatorem diuinæ bonitatis & charitatis erga proximum: super omnia vetò patientiam illam, & gaudium in tribulationibus & persecutionibus, quæ eleuant hominem super stellas cœli, & constituunt in illam regionem pacis & tranquillitatis, cui extraneæ impressiones & nebulæ procellosi mundi huius, non appropinquabunt: sed vnde omnes huius sæculi tempestates, ventique & nymbi, tanquam pedibus subiecti, despiciuntur. Qui considerat summa cum attentione virtutes has, inueniet in octo istis beatitudinibus, maiores partes Euangelicæ perfectionis, quasi in vnam summulam collectas esse.

Quarum tamen prima & vltima tam parum distant, vt ambæ vnam eandemque remunerationem habeant; ambæ mercedem præsentem; cùm aliæ futuram promittant. Magna quædam, ait Bernardus, penna est paupertatis, qua tam citò volatur in regnum cœlorum; nam in alijs virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur, quàm datur, vnde & in præsenti tempore enunciatum est, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: cùm in cæteris dicatur, hæreditabunt, consolabuntur, & similia. Quamuis idem Sanctus non eam hic paupertatem laudet, quæ nomine tenus paupertas est, sed quæ voluntariè sustinetur, & prompta est ad perferenda propter Deum quælibet: quæ portas recludit virtutibus, & aditum patefacit omnibus suis vicinis & socijs, vt sunt fames, sitis, æstus, frigus, nuditas, & aliæ similes necessitates.

Scrutare deinde & venas euangelicas altiùs, & inuenies excellentissima consilia passim, per totum Euangelij corpus disseminata: ex quibus euidenter agnosces, quàm iustè Propheta Dominum vocauerit præstantissimum Consiliarium, propter excellẽtiam admirabilem consiliorum, quæ mundo huic dedit. Tale consilium est vendere omnia quæ quis possidet, & dare pauperibus, vt de cœlo sit securior: Consilium item castitatis, quæ est imitatrix puritatis Angelicæ, & beatorum ciuium in cœlo: Consiliũ de non litigando, nec defendendo pallio, per modum iuris, vt non admittatur Charitas cum proximo, & pax conscientiæ perturbetur: Consilium de non reluctando malis, & persecutoribus, sed percutienti maxillam vnam, alteram præbendam esse: Consilium de benefaciendo his, qui nobis malefaciunt, de benedicendo his, qui maledicunt, & de orando pro ijsdem, quod est imitatio quædam diuinę bonitatis & beneficentiæ, quæ solem suum facit oriri super bonos & malos; pluit quoque super iustos, & peccatores: Consilium iugis & perpetuæ orationis: de non iurando, ne quidem per capillum capitis: & de negando semetipso, propriaque voluntate: de tollenda cruce sua quotidie, Christum sequendo: de patre, matre, & omnibus, imò semetipso pro amore illius relinquendo. Quid potest esse præstantiùs, quid perfectiùs, quid diuinius hoc genere consilio-

rum? Vnde potuit perfectio exactius venire in mundum, quàm ex politia cœlorum? & quis ausus fuisset hominibus talia dare consilia, nisi ille qui habebat etiam potestatem conferendi Spiritum sanctum & homines in Angelos transformandi? *Nunquid tu nosti ordinem cœli*, dicit Iob, *sicut ego noui, & pones rationem eius in terra*? Solus Dominus nouit hæc, & solus ille potest cœlum terræ subijcere, & terram super cœlos eleuare, faciendo, vt homines queant in genere suo, puritatem & perfectionem Angelorum imitari. Iob 38.

Hæc est itaque perfectio Euangelica, quæ Filium hominis è terra deliciarum, in qua cum Patre regnabat, in hanc lachrymarum vallem detraxit.

DE VIRTVTIBVS ET EXEMplis Saluatoris.

MEDITATIO XIII.

Christus operè complebat quod Verbis docebat.

NE autem persuadeas tibi, Christum tantùm dixisse, & multa de perfectione vitæ disputasse: non autem fecisse, aut opere impleuisse; considera hic, & vide multò euidentiùs virtutes prædictas in exemplis Christi, quàm in verbis relucere. Dic mihi quis vnquam tam inops & pauper, quàm ille qui in stabulo natus est, & in præsepi positus? ita vt verè dici possit, quod de seipso dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habuit, vbi caput suum reclinet*? Quæ itaque maior esse potest paupertas, quàm passere & animalibus feris pauperiorem esse? Sin autem per paupertatem spiritus malis humilitatem (vt quidam Doctores faciunt) intelligere, quis humilior illo, qui cum Deus esset, & Dominus Angelorum, eò deuenit, vt dixerit: *Vermis sum & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis*? Quis mansuetior eo, qui ob insignem suam mansuetudinem, Agnus in Scripturis nominatur? qui suæ mansuetudinis admirandę testimonium à figura Columbæ ad fluenta Iordanis accepit? Quis vberiores lachrymas effudit illo, qui deploranda & deflenda omnium in se hominũ peccata receperat? Quis magis esuriuit & sitiit iustitiam eo, qui vt iustitiam reduceret in mundum, tot prouincias peragrauit, tot labores & molestias subiuit, tot contumelias, iniurias, & contradictiones sustinuit, tantum denique sanguinis in cruce profudit? Quis maiorem famem & sitim iustitiæ vnquam habuit illo, qui cum omni aqua suæ passionis non potuit sitim extinguere, cuius viscera intus ardebant desiderio & zelo honoris Dei, & pulchritudinis domus illius? Quis misericors magis illo, qui omnium hominum miserias & calamitates in se suscepit, vt isto remedio nos omnes ab illis liberaremur? Quis maiori misericordia insignior illo, qui percurrendo totam Iudæam, Galilæam & Samariam, omnes Dœmoniacos phanatico spiritu liberauit? cœcos illuminauit, claudos sanauit, leprosos mundauit, paralyticos consolidauit, mortuos resuscitauit, administrans omnia opera misericordiæ tanto labore, & tam exiguam gratiarum actionem, tenuemque laudem ab hominibus reportans? Quis illo purior, qui postquam omnium peccata & maculas, turpitudinesque omnium in se receperat; nihil coinquinatus est, sed pristinam puritatem retinuit? Quis tam pacificus quàm Christus fuit, qui pacem composuit inter Cœlum & Terram? inter Deum & homines? inter Iudæos & Gentiles, soluens indignationes & furores hostilitatis illius, in carne sua, & inimicitias euacuans? Quis maiora denique pro iustitia passus est illo, cuius mors & vita perpetua quædam crux fuit, & continuum pro obedientia, Matt. 8. Psal. 21. Col 1. Ephes. 2.

pro

Paupertatis præstantia. Bern. ser. 4. de Aduentu Domini.

Excellentia Euangelicorum consiliorum. Isa. 9.

Varia consilia Euangelica.

pro gloria Patris, & pro prædicatione suæ doctrinæ martyrium.

Sed ad consilia veniamus: Cui magis displicuêre iurgia, & verborum pugnæ quàm Christo? memento quomodo steterit ante Iudicem, & tot falsis testimonijs reus peragitur, nec tamen os suum aperuit, vt se defenderet; ita vt iudex ipse tantam illius taciturnitatem admiratus sit? Quis minus restitit malis, minusque in iudicio cum calumniatore contendit Christo, qui teste Propheta: *sicut ouis ad occasionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum?* Quis exactius consiliũ de diligendis inimicis obseruauit Christo, cuius prima vox, quæ in cruce audita est, fuit: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*, orans pro inimicis, & sanguinem fundens pro illis, qui sanguinem eius fundebant ipsi? Quis vnquam in oratione magis assiduus Christo, qui totos dies in ministerio proximi consumens, à crepusculo vespertino ad auroram vsque in Oratione pernoctabat? Quid dicam de illius ardentissima Charitate? perfectissima obedientia, ad mortem vsque? in negotio Patris fidelitate? amore erga proximum? patientia in tribulatione inexpugnabili? ardentissima siti & desiderio gloriæ diuinæ, & salutis humanæ?

Esa. 53.

DE LABORIBVS SALVATORIS.

MEDITATIO XIV.

Simile.

SED, ô Domine, quàm malè mundus splendorem horum exemplorum & doctrinam admirabilem cognouit? Non est iucundius aliquid, aut visu delectabilius luce, sed si lux præter modum splendida sit, oculi autem infirmi, nihil est illa molestius. Miseri itaque isti, & præsente medicina infirmantur, & in ipsa luce cæci sunt. Miracula faciebat Christus, & dicebant eum esse Magum: eijciebat Dœmonia, & dicebant ipsum Dœmonium habere: Corripiebat peccatores, & peccata arguebat, & seductorem populi nominabant: recipiebat peccatores, & habebatur tanquam vnus ex illis: Comedebat cum Publicanis, vt conuerteret eos, & voratorem potatoremque vini appellabant: concionabatur zelo magno, & feruore spiritus admirabili, & dicebant eum stultum esse & vesanum.

Nec tamen dedignatus est illos prudentissimus Dominus, sed maiori erga illos misericordia commotus est: sciebat enim quàm miseranda cæcitas esset mundi huius, & quàm grauiter natura humana per peccatum esset debilitata.

Labores Christi.

Quin etiam præter hanc infamiam, titulosque ignominiosos, quis poterit explicare labores & molestias, quas sustinuit Christus, quærens tanquam bonus Pastor ouem perditam in montibus vallibusque & locis auijs, vt inuentam, humerisque suis impositam ad ouile reduceret? Quot prouincias propter hanc obambulauit? quoties ieiunauit, esurijt, sitijt? De castello in castellum, de ciuitate in ciuitatẽ, de prouincia in prouinciam peregrinatus est? Quod castellum tam obscurum inuenit, quod sua præsentia non illustrauit & nobilitauit? vbi nouus ille Sol iustitiæ non exortus est? vbi non reliquit vestigium aut memoriam suarum virtutum? Quantam penuriam in istis itineribus passus est? quantam paupertatem & miseriam sustinuit? quot contradictiones & iniurias pertulit? quoties famem, sitim, & frigora, & æstus, similiaque incommoda, quæ miseris & pauperibus in longis itineribus obuenire solent, perpessus est? Testes horum sunt Discipuli, qui ex mera fame coacti sunt in die Sabbatho spicas vellere: testes sunt Nazareni, qui illum in montem duxerunt, vt ex illo precipitarent eum; & Iudæi, qui toties illum apprehendere & lapidare voluerunt. Testes sunt Gerasẽi & Samaritani, qui eum in terram suam recipere noluerunt, aut receptum expulerunt, nec hospitari illum voluerunt. Quapropter eius discipuli interrogantes dixerunt: *Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* quibus ille inæstimabilis suauitatis & mansuetudinis Dominus respondit. *Nescitis, cuius spiritus estis*, quasi diceret; ignoratis quis spiritus ille est, qui in vobis habitat, & talia per vos loquitur: *filius hominis non venit perdere animas, sed saluare*: Hoc itaque modo Saluator oberrauit in mundo in propria sua patria peregrinus: quàm eius peregrinationem admiratus est olim Propheta dicens: *Quare Domine quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? quare futurus es quasi vir vagus?*

Matt. 12.

Luc. 14.

Luc. 19.

Ier. 14.

Quamuis Dominus tot itinera fecit, tot loca peragrauit, tamen nusquam legimus eum equo, asino, mulo, curru, aut lectica vsum esse, præterquam cùm in die palmarum asino insidens Hierosolymam intrauit, sed pedes semper incessit, & vt plerique Doctores sentiunt, nudis pedibus ambulauit. Cùm enim præceperit Apostolis suis, vt nudi pedes prædicatum irent, non est verisimile ipsum calceis vsum esse. Illud autem ita esse intelligendum ex alijs locis Scripturæ colligitur, & præsertim ex eo, quòd tempore passionis Apostolos interrogauit, dicens: *quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Illi autem dixerunt; *Nihil*. Ex quo loco manifestè arguitur Dominum de sacculo, pera, & calceamentis spiritalibus non esse locutum: sed de materialibus. Ita & cùm Maria Magdalena pedes illius lachrymis suis lauit, & capillis suis tersit, & vnguento pretiosissimo vnxit, nulla calceamentorum fit mentio; nec credibile est illam calceamenta in pedibus Iesu inuenisse, quæ detraxit. Commemorat Paulus in quadam epistola pericula, naufragia, & incommoda, quæ passus erat in suis peregrinationibus; maiora & plura multò fuerunt, quæ Christus sustinuit, quam quæ illius Discipuli. Qui enim voluit acerbiorem & duriorem mortem perpeti, quàm illi perpessuri erant, non debebat molliorem & delicatiorem vitam ducere.

Christus nudis pedibus ambulauit.

1. Cor. 4.

Quid dicam de iniurijs, contumelijs, & persecutionibus, quas ille sustinuit? In vno loco (vt diximus) eum voluerunt apprehẽddere, in alio lapidare, in alio de monte præcipitem dare, hic vt maniacum ligare, illic è Synagoga & publico consilio eijcere. Cur itaque, mi frater, indignè fers, irasceris, & perturbaris impatiens, si mundus pro veteri sua tecum agat consuetudine, teque tractet inhumaniter & iniquè; cùm non aliter ipsum Dei filium exceperit & tractârit? Quomodo vsum sibi familiarem mutabit erga seruum, quem erga Dominum non mutauit? *Si Patrem familias Beelzebub*, ait ipse, *vocauerunt, quantò magis & domesticos eius? Si me persecuti sunt, & vos persequentur*, quasi dicat, si semper & vbique oblatrârint, insidiatique sint illi, qui tanta cum sapientia & prouidentia creauit & disposuit omnia: quique in tanta prudentia & mensura omnia ponderauit verba, & opera sua: quid facient vobis, qui non habetis tantam sapientiam, nec tam circunspectè loqui aut operari potestis? imò deberet meritò bonus Christianus erubescere & confundi, si videret Dominum suum tam iniquè, tam ignominiosè, tam malè & miserè habitum à mundo, se autem in delicijs esse, & molliter à mundo tractari. Si enim canes non allatrant domesticis, sed aduenis & peregrinis: quomodo potest haberi pro peregrino mundi huius, cui mundus non allatrat? Quomodo æstimabitur pro Discipulo Christi, pro filio illius Patris, & pro membro corporis eius, si non participet

Matt. 10. Ioan. 15.

Simile.

pet cum illo de mundi huius iniurijs, calumnijs, & persecutionibus in hac vita.

Habes itaque, ô anima mea, hic nitidissimum speculum, in quo licet contemplari, medicinam efficacissimam, qua cum vulnera tua potes curare, quæ est vita & exempla Saluatoris. O medicinam ait Augustinus, omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia depravata corrigentem. Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filij Dei non sanetur? Quæ auaritia sanari potest, si paupertate Filij Dei non sanetur? quæ iracundia sanari potest, si mansuetudine Filij Dei non sanetur? quod denique cor tam potest esse ab amore alienum, vt tot beneficijs nequeat amore Filij Dei inflammari? Omni itaque in te pulcherrima nobis offert exempla, insignis hæc Christi pictura: habemus hic quod contemplemur, quod imitemur, propter quod lachrymentur, cur gaudeamus, quod miremur, quod nos consolari, & quod vulnera nostra potest optimè curare: habemus denique quod nos prouocat ad amandum illum, qui tam fortiter nos amauit, & tantos labores & molestias pro nobis perpessus est.

Aug. de Ver. Dom.

QVA MISERICORDIA SERVATOR noster vsus est erga quatuor mulieres: Samaritanam, Adulteram, Chananæam, & Magdalenam.

MEDITATIO XV.

INter omnes Christi virtutes nulla lucet manifestius misericordia illius, & potissimum ea, quam exhibuit in suo in mundum aduentu. Idcirco nos huius virtutis hic quatuor ponemus exempla, quomodo scilicet misericordiam suam Christus in quatuor mulieres peccatrices effudit, quarum vna fuit Samaritana.

Ioann. 4.

Considerandum hic est, quomodo omnium rerũ creatarum Dominus, qui Verbum & æterna Patris est Sapientia, sese composuit ad colloquendum familiariter, cum muliere plebeia, Samaritana, quæ quinque viros habuerat, quæque tam rudis erat & rerum spiritualium ignara, vt quid diceret ipsa vix sciret. Animaduerte quæso, quàm benignè loquitur, quàm prudenter docet, quàm piè mulierem ab errore liberat, & quàm euidenter illi quis esset, exponit. Vix enim locus aliquis in toto Euangelio inuenitur, vbi Dominus tam manifestè se Messiam esse significat, quàm in hoc loco: vbi tam apertè dicit, *ego sum, qui tecum loquor*. Ita vt sacrosanctum illud mysterium, quod tot sæculis erat abscónditum vniuerso penè terrarum orbi, hic reueletur sine aliquo tropo, figura, vmbra, aut velamine: idque mulieri tam vili & abiectæ. Quæ maior itaque gratia, quæ maior misericordia, quæ maior potest esse liberalitas hac, quam exhibuit hoc loco Dominus mulieri tam ineptæ ad illam postulandam, aut promerendam? O admirabilis pietas Saluatoris, quæ tam liberaliter sese communicat hominibus, & tam benignè vocat ad se peccatores. Quomodo, Domine, te subduces & negabis his, qui te ex toto corde quærunt, cùm tam benignè te vltrò offeras his, qui te ignorant, & non quærunt? Quid merita erat mulier virorum quinque, mulier Samaritana? Quæ gratia debebatur illi, quæ domo non exierat, ad quærendam gratiam tuam, sed ad aquam hauriendam? quæ cum nihil cogitaret, nisi aquam putei, incidit in fontem aquæ viuæ, & bibit ad sanitatem, & Euangelista vel Apostola facta est Samaritanorum.

Nec minus perpendenda est in hoc Euangelio magna illa Christi defatigatio, de qua sic loquitur Euangelista: *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem: Erat enim hora quasi sexta*: id est meridies. *Sedebat*, inquit, *sic supra fontem*: quid sibi vult vocula *sic*: sic quasi fuisset inquilinus loci illius: sic quasi fuisset communis aliquis viator & peregrinus: sic quasi non fuisset ipsa quies Angelorum, sanctorum mundi, & gloria omnium beatorum: quasi nihil horum fuisset, sic sedebat illic solus, fatigatus, sudore madidus, labore & molestia itineris fractus, fame & siti penè deficiens, quasi aliquis vulgaris homo, pauper & infirmus. Quis erit tam beatus, vt fortè hâc transiens & considerans itinera, atque lassitudinem tanti Domini, ad illum humiliter accedet, eumque interrogabit; O Domine quæ est vita ista, quam tu dicis? quò vadis? quid quæris tantorum itinerum molestijs? quis modus viuendi est iste, quem tu sequeris, de loco in locum, de prouincia in prouinciam, de Iudæa in Galilæam currens, & de Galilæa in Iudæam recurrens, nec itineris molestiæ, nec populi conuitia & contradictiones te possunt ab hoc proposito auertere? Quiescis nunquam, nunquam respiras aut refocillaris: interdiu solum vertis, noctu in montibus orationibus incumbis. Qualis est iste thesaurus, quem tu quæris tantis molestijs & laboribus, quem tanquam cibum è flamma petis. Huic quæstioni posset responderi, quod tanquam bonus Pastor eucurrit, quærens gregem amissum. Non enim tulit eius bonitas, videre gregem errantem per deuia, & quasi perditum: atque ideo nec via, nec locus fuit, in quo inuentus non est quærens gregem suum, vt inuentum ad ouile posset reducere. Attende hic, ô anima mea, & vide quot in locis, quantis itineribus, & quibus cum molestijs te pius iste Dominus quæsiuit, & quid non fecit, vt te ad Patrem suum reduceret? aduerte quanta cum prouidentia, zelo, & amore te quæsiuit ille, in cuius persona dictum est: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: & requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob*. De quo & ista Esaiæ verba dicuntur. *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem iniquitatibus tuis*.

Psal. 131.

Esa. 43.

Hæc erat vita illius, hoc lucrum, hæc requies, hic thesaurus, omnibus in vijs & compitis, salutem animarum, & gloriam Patris sui quærere. Hinc est quòd Domino à Samaritana recedente, venerunt Discipuli, & panem illi proposuerunt, quibus respondit Dominus, *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*. Discipulis autem non intelligentibus illud, eò quòd spiritum eundem non habebant, ait; *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius*: quod est salus hominum, quasi dixisset, hæc sunt mea conuiuia, hæ dapes, & epulæ meæ, vt faciam voluntatem Patris mei, & vbique gloriam nominis illius propagem. Felix ille qui in veritate hoc dicere potest, qui tanto cum ardore sitit & esurit iustitiam, qui tanta solicitudine quærit gloriam Dei, & salutem proximorum, vt nullam habeat sui ipsius aut commodi sui priuati rationem. Talis etsi in summa paupertate viuat, operetamen & operam suam optimè expendit, paupertasque & miseriæ illius seruiunt gloriæ, & proximorum vtilitati.

DE MVLIERE IN ADULTERIO deprehensa.

MEDITATIO XVI.

MAgna profectò fuit misericordia, qua vsus est Dominus erga Samaritanam, nec minus est ea, quam mulier in adulterio deprehensa cùm accusaretur, reperta est. *Adducunt*, ait Euangelista,

Ioan. 8. gelista, *Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei. Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Leu. 20. Deut. 17. *In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autem inclinãs se deorsum, digito scribebat in terra. Cùm ergo perseuerarent interrogantes eum: erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat: Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc, vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem Iesus, nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.*

O verbum dulce, ô os aureum, ô viscera cera molliora. Verè Domine labia tua sunt fauum mellis, lac & mel fluunt de lingua tua. O vere Agne, qui nulli noces, lædis neminem. Iure optimo Baptista te Agnum appellauit, quo nomine & Ioannes in vniuersa sua Apocalypsi vsus est. Vterq; testis vnius eiusdemque nominis te appellauit vno eodemque nomine: Spiritus enim sanctus reuelauit illis magnitudinem mansuetudinis tuæ. Nec alia est Patris tui cœlestis conditio, & tu tam in hac, quàm in omni alia re Filius Patris es, & qui te videt, videt & Patrem tuum. Quam mansuetudinem & misericordiam expertus Psal. 24. est Propheta, cùm diceret, *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas*, & in alio loco admirans summam bonitatem & suauitatem, psalmum hoc modo auspicatur; Aug. Tract. 63. in Ioan. *Quàm bonus est Deus Israel his, qui recto sunt corde?* Pro maiori autem confirmatione huius doctrinæ, considerandæ sunt, quæ S. Augustinus in hoc Euangelio commentatus est.

Tantam enim fuisse, inquit, misericordiam & mansuetudinẽ, quæ relucebat in persona nostri Saluatoris, in omnibus eius dictis, factis, & viuendi modis: talem quoque fuisse in omni illa terra famam eius mansuetudinis & misericordiæ, quæ ex continuis eius operibus nascebatur, vt maligna Iudæorũ corda crediderint, non posse tantæ pietatis & mansuetudinis hominem, verbum condemnationis loqui, aut sententiam mortis in aliquem ferre, quantumuis lex ipsa condemnaret: vt hinc inuenirent calumniandi occasionem, & reum facerent illum, tanquam præuaricatorem legis. Ita vt magnitudo clementiæ & mansuetudinis Domini dederit flagitiosis istis accusandi opportunitatem. Sed sapientia diuina vicit malitiam hominum, & serpens Moysis deuorauit serpentes omnium Magorum: Dominus enim tam prudenter iudicauit, quod mulier fuit absoluta, accusatoribus condemnatis & confusis.

Habent & hic maximum ad fiduciam stimulum illi, qui nimis anxij sunt, & scrupulosi qui diffidunt: non obliuiscantur seruitutis illius Domini, qui quò melior est, eò dignior est cui seruiatur, & qui ametur: sed vt credant in illum, offerant illi gemitus & petitiones cum fiducia, nec patiantur se macerari, vexari, aut superari à spiritu tristitiæ, quando cadunt in leuiores defectus, sine quibus hæc vita transigi non potest, considerantes quidquid id sit, sibi negotium esse cum Domino tam ineffabilis misericordiæ, ab eoque remedium petendum: postea quam indubitatum sit, illum eandem pietatem & misericordiam, qua vsus est in terris, etiam sibi reseruasse in cœlis: & cùm hæc mulier adultera dimissa sit ab illo libera, etiam & illi liberi dimittentur, qui accedunt ad illum, & lugent vitam suam impiam, faciuntque propositum firmũ vitæ suæ emendandæ.

Habent & hic qui cupiunt Christum imitari, quo singulari modo imitantur. Cùm enim Dominus tam perfectus fuerit in virtute misericordiæ & clementiæ, debent & tales esse in eadem, qui cum eo volunt comparari. Nec minima gloria est seruo, imitari Dominum suum in his, qui gloriam & auctoritatem ipsius augent. Quemadmodum autem virtus mansuetudinis potissimum relucet in iustis, ita contrarium vitium maximè dominatur in iniustis. Cuius rei insignis figura fuit illa differentia, quæ fuit inter Iacob & Esau fratres vnius vteri, imò gemellos: quorum vnus erat typus iustorum, alter reproborum & malorum: vnus rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, alter lævis & glaber; per vnum enim horum intelligimus asperitatem & rigorem malorum: per alterum lenitatem & mansuetudinem bonorum.

DE MVLIERE CHANANEA.

MEDITATIO XVII.

SCribit B. Euangelista Matthæus historiam mulieris Chananææ his verbis. *Egressus Iesus de Genezareth, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamauit dicens ei: Miserere mei Domine, fili Dauid, filia mea malè à Dæmonio vexatur. Qui non respondit et verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel. At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine adiuua me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi. O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.* Matth. 15.

Huc vsque sunt verba Euangelistæ, in quibus nouus misericordiæ Saluatoris modus narratur, non minor ijs qui præcesserunt, licet prima fronte contrarium esse verum videatur. Etenim si diligenter historiam hanc examinemus, statim inueniemus Dominum quatuor singulares gratias huic mulieri omnibusque nobis per illam, contulisse. Prima fuit, quòd orationem eius exaudiuit, & precibus satisfecit, hoc est, filiam eius sanauit. Secunda, quòd auxit fidem illius, auctamque laudauit dicens, *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Tertia, quòd idẽ Dominus, qui eam exterius dimittebat, interius attrahebat, & inspirabat animæ illius magnam istam fidem, & perseuerantiam, qua cum importunè Christum vrgebat. Quarta fuit, quòd non tantùm cùm illa misericorditer egit, sed quoque cum omnibus nobis. Hoc enim exemplo inuitauit omnes nos ad perseuerantiam in oratione, & admonuit nos, non esse diffidendum, quando confestim non exaudimur, sed vt perseueremus cum hac muliere in petitione nostra: sic enim tandem cum illa audiemur & exaudiemur. In hoc solo apparet, quanto maior fuit hæc misericordia, præcedente: illa enim erat vnius tantùm Adulteræ, hæc totius Ecclesiæ, quæ per hoc exemplum intelligit vsum & consuetudinem nostri Seruatoris, & animatur ad perseuerandum in oratione, quantumuis initio sese reijci & repelli sentiat. *Quatuor gratiæ Chananææ collatæ.*

Sed quoniam mulier hæc nobis, tanquam exemplum orationis proponitur, non abs re fore existimo, si hic tractauero, quomodo oratio nostra ad illius exemplar est componenda. Vix enim inuenitur aliquid in hac materia, quod in hoc exemplo non docetur. Primùm enim docemur hic, in omni tribulatione & necessitate nostra currendũ esse ad Deum, quemadmodum hæc mulier fecit, quæ (vt Origines annotat) erat infidelis & cultrix Dæmoniorum, tamen *In omni tribulatione ad Deum currendum.*

tamen nec ad homines, nec ad Dæmones recurrit, vt remedium peteret ab illis; sed ad verum Saluatorem & Redemptorem mundi confugit. Hoc enim proprium est orationis, vt sit vniuersale remedium omnium malorum: quo titulo eius vittus quondã laudata est, teste Theodoreto, à quodam antiquorũ istorum Patrum, qui dicere solitus est; Medicos pro diuersis morborum generibus, diuersis vti medicamentis, huic morbo hac medela medicari, istum alio curari medicamine. Christianos verò ad omne genus malorum depellendum, vnam habere medicinam, perseuerantem scilicet & deuotam orationem, quæ nunquam reuertitur inanis.

Christianis vna medicinalis oratio.

Conditiones verò & virtutes quas habere nostra debet oratio, vt efficax sit, quamuis eas tractauimus alio loco, tamen hic tres assignabimus, quas & S. Bonauentura in oratione huius mulieris obseruauit. Prima est fides, à qua commendatur hæc fœmina, cui præcipuè attribuitur imperatio mercedis à Domino, iuxta verba ipsius Christi, dicentis; *omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.* Ratio istius inter alias hæc est, quia vinculum hoc fidei, quę secum trahit firmam fiduciam bonitatis & misericordiæ Dei. vnum est eorum, quæ maximè glorificant & honorant Deum, cuius natura est honorare eos, à quibus honoratur; & glorificare, à quibus glorificatur. Quod vt melius intelligatur, sciendum est, duos esse modos laudandi Deum, vnum verbis, alterum operibus. Verbis laudat medicus theriacam, quam composuit, dicitque efficacem esse cõtra omne venenum: operibus verò laudat, qui à scorpione ictus theriacam sumit, & sanatur. Viden quantò secundus ille laudandi modus præstantior est priori? Ille enim laudat sub promissione, hic verò ipsa re; vnius verborum est, alterius operum; & proinde quanta est differentia interdicere & facere, tanta est differentia inter hos laudandi modos. Secundo autem modo fides laudat & glorificat bonitatem & misericordiam Dei, quando in medio periculorum & tentationum secura est, & exultat: cum hac fiducia aggreditur res arduas & difficiles, & diuidit cum pauperibus quod habet, secura, & sperans cum fiducia in bonitate diuina, quæ non relinquit eos, qui sperant in ipso, quique intrant in tribulationes & miserias propter nomen eius. Pauci admodum sunt, quantumuis boni sunt, qui ad istum fiduciæ gradum perueniunt: felix tamen & beatus, qui istuc conscendit, quò hæc mulier conscendisse videtur, posteaquã toties repulsa & reiecta à Domino, de bonitate & misericordia illius non diffidit. Propterea non immeritò laudat illius fidem Dominus, dicens: *Mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Illud autem hic obseruandum est, quòd in toto Euangelij contextu duæ tantùm huiusmodi exclamationes inueniuntur, & ambæ vnius eiusdemque propositi. Vna est in verbis iam commemoratis, alia cum Christus increpans hominem quendam infidelem, exclamauit: *O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscum: quandiu vos patiar?* Duæ istæ exclamationes satis superque declarant, quam grata & accepta Deo sit illa fides, spei seu fiduciæ coniuncta, & quàm vehementer illi displiceat incredulitas & infidentia.

Lib. 5. Memorialis.

Conditiones bonæ orationis.

Fides.

Matt. 15.

Matt. 17. Mar. 9. Luc. 9.

Humilitas.

Secunda virtus Orationis, vti & alio in loco docuimus, est humilitas, qualis & in hac muliere fuit: cùm enim Dominus illam, vti videbatur, repelleret, appellans Chananæos canes, dicens, *non esse bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*: illa nomen hoc esse suum agnouit, & tanquam canis orat, ne denegetur ipsi, quod catellis dari solet, micæ nimirum cadentes de mensa Dominorum. Qua verborum humilitate ita pectus Saluatoris nostri expugnauit, quòd (vt refert Marcus Euangelista) audierit à Domino *propter hunc sermonem, vade, exijt dæmonium à filia tua.* Marc. 7.

Tertia virtus, quæ plurimùm conducit, vt quod petimus, obtineamus, est perseuerantia, quæ singulari modo lucet in hac Chananæa: quia nec propter durum Christi (vt videbatur) responsum desijt rogare, & importuna esse, donec quod voluit, obtinuit. Hæc virtus maximopere necessaria est ad impetrandum id, quod petimus. Dominus enim sæpe solet differre suam gratiam, vt hoc modo crescant desideria, & quod datur non vilescat petenti: per hanc enim dilationem id consequuntur homines, vt dona Dei melius agnoscant, & maiori habeant in pretio: vt & interea dum differtur quod petimus, probetur, & exerceatur nostra fides, humilitas, spes, patientia & perseuerantia: id quod in muliere hac locũ habuisse videmus. Nisi enim vtilitas hæc subesset, cur illa bonitatis abyssus, quæ largiendo non exhauritur, vel depauperatur, protraheret ei, quam subitò dare posset, petitam gratiam? sed voluit hac mora nostram vtilitatem promouere, voluitque vt semper necessitas adsit ad accipiendum cum summa fame, seu desiderio, hoc est, vt semper habeamus occasionem, stimulos, & incentiua quæ vrgeant nos ad orandum, petendum, loquendum, tractandum, & conuersandum cum ipso: qui enim *adhæret Domino*, ait Apostolus, *vnus cum illo spiritus est*: Ne itaque diffidat aut terreatur anima deuota, si non statim exaudiatur, sed in spe & silentio expectet visitationem Domini: tandem enim venturus est, & non tardabit. Placeret quidem gratumque foret eius misericordiæ, si tam prompti essent homines ad audiendam vocem suam, quàm ipse est ad exaudiendam vocem illorum. Verissimum enim est nos multò tardiores esse in officio nostro, quàm ille in suo est. Quapropter cùm ille sponsam vocat in Canticis, quater vocat, quater idem verbum repetit: *Reuertere, reuertere*, inquit, *Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Illa verò cùm Sponsum vocat, semel tantùm vocat, & ecce adest: *Reuertere*, inquit, *similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque caruorum super montes Bethel*, id est, celerior caprea & hinnulo ad me veni. Isto vocandi modo Spiritus sanctus indicare voluit, quantò promptior est Deus ad audiendum nos, quàm nos sumus ad audiendam vocem illius.

Perseuerantia.

Cur Deus differat quod nos petimus.

2. Cor. 6

Cant. 6.

Hucusque Chananæa hæc docuit nos verum orandi modum, & quibus virtutibus oratio nostra debet esse suffulta. Deinde verò monstrat quid petendum sit: Illa enim petijt, vt filia liberaretur ab infestatione Dæmonis. Nos autem petamus victoriã de passionibus & malis appetitibus nostris, mortificationemq; illorum, quibus cum Dæmones cruciant & malè diuexant animas nostras, quæ non habent crudeliores carnifices, quàm proprios appetitus & passiones, mille genera rerum appetentes, quę haberi non possunt, & miserè affligẽtes nos, eò quòd non habentur. Debet igitur seruus Dei orationi suæ adiungere mortificationem, solicitè semper refrenare affectus, & ad hoc opem & gratiam diuinam imploret, clamans cum Chananæa, *Miserere mei Domine, fili Dauid, filia mea, quæ est anima mea, malè à Dæmone vexatur*, qui bellum mihi mouet, qui me exagitat & inquietat passionum & affectuum exorbitantium perturbatione. Hoc modo deuotus homo incenso miscet myrrham, id est, orationi, mortificationem, & liberabitur ab errore, in quem multi hodie labuntur, qui assidui in oratione, mortificandorum appetituum propriæque voluntatis paruam aut nullam habent curam, vel rationem, sine quo tamen exilis est orationis fructus: nemo enim

Quid petendum.

enim potest satisfacere voluntati diuinæ, qui non prius mortificauit propriam.

O felix & beata anima, quæ virtutes has quatuor orationi, fiduciam nimirum, humilitatem, perseuerantiam, & mortificationem appetituum coniunxit: semper enim quod orat exorabit, quod petit à Domino impetrabit: semper quod quærit inueniet. Et quemadmodũ Apostoli intercesserunt pro Chananæa, ita Angeli custodes nostri intercedent pro nobis, & obtinebunt à Domino, vt quod petitur, impetretur. De hoc primo fructu seu effectu Orationis ita loquitur Bernardus: Quoties de Oratione loquor, verba quædam humanæ cogitationis audire mihi videor in corde vestro, quæ ab alijs frequenter audiui, & nõnunquam expertus sum in corde meo. Quid enim est, quod licet nunquam ab Oratione cessemus, vix vnquam experiri videatur aliquis nostrum, quis sit orationis suæ fructus? Sicut ad orationem accedimus, sic redire videmur: nemo nobis respondet verbum, nemo quicquam dolet, sed laborasse videmur incassum. Sed quid in Euangelio dicit Dominus? *Nolite*, ait, *iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate*: quod est autem iustum iudicium, nisi iudicium fidei? quoniam iustus ex fide viuit. Ergo iudicium fidei sequere, & non experimentum tuum: quoniam fides quidem verax, experimentum verò fallax. Quæ est ergo veritas fidei, nisi quod promittit ipse Filius Dei? *quidquid orantes petieritis, credite quod accipietis, & fiet vobis.* Nemo vestrum fratres paruipendat orationem suam; dico enim vobis, quòd ipse ad quem oramus non paruipendit eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet eam in libro suo. Et vnum indubitanter è duobus sperare possumus, quoniã aut dabit quod petimus, aut quod nouerit nobis esse vtilius. Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed miseretur ille super ignorantiam nostram, & orationem benignè suscipiens quod nobis aut omninò non est vtile, aut non tam citò dari necesse est, minimè tribuit. Sæpè enim cùm petimus quod vtile nobis non est, non exaudit, sed aliud nobis dat vtilius? vti & pater carnalis facit, qui filiolo infanti cultrum peteti, & panem; panem quidem dat, cultrum verò dare non vult.

Primus fructus Orationis.

Bern. Ser. 5. in Quadrag.

Ioan. 5.

Abac. 2. Rom. 1.

2. fructus Orationis

Bern. Ser. 9. in Cant.

Hic primus fructus Orationis est, quòd nimirum est impetratoria, qua in re, vti dixi, Angelus noster nos adiuuat. Habet præterea & alium fructum, vt nimirum recreet, confortet, & refocillet spiritum nostrum deuotione feruore Charitatis, & consolatione Spiritus sancti, de quo Bernardus. Quibus studium est, inquit, orare frequenter, experti sunt quod dico. Sæpe corde tepido & arido accedimus ad altare, orationi incumbimus. Persistentibus autem repentè infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera mundatio pietatis, & si sit qui premat lac cõceptæ dulcedinis, vbertim fundere non tardabunt. Hic est secundus & præcipuus effectus orationis, in quo non minus, quàm in præcedenti Angelus Sanctus nobis auxiliatur. Cuius rei etsi multa exempla in medium adducere non difficulter possem, vnico tamen deuotissimi illius Bernardi contentus, huic materiæ finem imponam. Tali animæ, inquit, (de se ipso loqui videtur) suspiranti frequenter, imò sine intermissione oranti, & afflictanti se præ desiderio, cùm interdum desideratus ille, qui ita quæritur, miseratus occurrit, puto illi de propria experientia cõuenire, vt dicat cum Sancto Hieremia, *Beatus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.* Sed & Angelus eius, qui vnus est de sodalibus Sponsi, in hoc ipsum deputatus, minister profectò & arbiter secretæ, mutuæque salutationis, is inquam Angelus quomodo tripudiat? quomodo collætatur, & condelectatur. & conuersus ad Dominum dicit, Gratias ago tibi Domine Maiestatis, quia *desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eam.* Ipse est qui in omni loco sedulus quidam persequus animæ non cessat solicitare eam, & assiduis suggestionibus monere, dicens: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Et rursùm; *Expecta Dominum, & custodi viam eius.* Item, *si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Ad Dominum autem: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima ista ad te Deus.* Desiderauit te in nocte, sed & spiritus tuus de præcordijs eius, de mane vigilauit ad te. Et iterum; tota die expandit manus suas, dimitte illam quia clamat post te. *Conuerte aliquantulum, & deprecabilis esto super illam. Respice de cælo, & vide, & visita desolatam.* Fidelis Paranymphus, qui mutui amoris cõscius, sed non inuidus, non suam quærit, sed Domini gratiam, discurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, dona referens; excitat illam, placat illum. Interdum quoque, licet rarò repræsentat eos pariter sibi, siue hanc rapiens, siue illum adducens. Siquidem Domesticus est, & notus in palatio, nec veretur repulsam. & quotidie videt faciem Patris. Huc vsque Bernardus.

Abac. 2.

Psal. 44.

Psal. 87.

Matt. 15

Psal. 79.

DE CONVERSIONE MARIAE Magdalenæ.

MEDITATIO XVIII.

ETsi viæ, quæ nos ad cœlum ducunt, variæ sint & multæ, ad duas tamẽ omnes reduci possunt, vna dicitur via Innocentiæ, altera Pœnitentiæ: vna eorum est, qui non peccarunt; altera eorum, qui postquam peccauerunt, pœnitentiam agunt de peccatis commissis. Per primam intrârunt B. Virgo Maria, Ioannes Baptista, & alij qui nunquam peccârunt mortaliter; per secundam omnes alij intrârunt. Præter has duas vias non inuenitur tertia. Omnes enim qui salui facti sunt, aut innocentes fuerunt, aut pœnitentes.

Sed quoniam in vtraque via fideli nobis opus est Duce, prouidit benignissimus ille Deus, vt in vtraq; singularem & fidelissimam Ducem, quæ nos præcessit, habeamus. Sunt autem Duces istæ geminæ Mariæ, Maria inquam, Mater Saluatoris, quæ fuit speculum innocentiæ, & Maria Magdalena, quæ speculum est pœnitentiæ. Omnes itaque qui per viam innocentiæ ingrediuntur, si modò tales inueniantur, oculos conijciant in priorem Mariam, vt videant si benè ambulent; qui verò per pœnitentiæ viam incedunt, proponant sibi Mariam posteriorem.

Si itaque in via pœnitentiæ sis, & Magdalenam imitari cupias, primùm diligenter inquire; an habeas illam Spiritus vehementiam, dolorem illum grauem, fidem illam viuam, amorem illum tam ardentem, & contemptum mundi, quem habuit hæc peccatrix: atque hoc modo institue iudicium, & censuram fac, an tua pœnitentia par sit pœnitentiæ Mariæ. Si enim aliquid horum desit, crede quòd tua pœnitentia non est vera. Talis est illorum, qui cùm vix pœnitentiam absoluerunt suam, statim, vt canis ad vomitum, ita ad priora redeunt peccata. Qui itaque probare & examinare suam vult pœnitentiam, hanc adhibeat regulam, & secundùm eam examinet suam pœnitentiam, non autem secundùm vanam suam opinionem. Vt autem intelligas exactius rem tanti momenti, operæ pretium est hoc loco dicere, quomodo Saluator noster Spiritum veræ pœnitentiæ animabus infundit; quomodo ille tantam mutationem operatur: quomodo

Bern. ser. 31. in Cant.

Tren. 2.

anima

anima è mala vita in bonam proficiscitur : quo intellecto, videbimus etiam euidentissimè quomodo idem Dominus in hac sancta, peccatrice operatus est.

Ex admiratione ad Philosophiam venitur.

Sciendum itaque initiò est, id quod Philosophi dicunt, ex admiratione ad Philosophiam venire: eo loquendi modo significantes, quòd videre mirabilia rerum creatarum eaque obstupescere, inducit nos ad inuestigationem causarum quibus inuentis ad ipsam scientiam peruenitur. Scire enim nihil aliud est, quàm per causas cognoscere. Ita cùm videmus Eclipsin solarem, crescentemque & decrescentem Lunam, aliaque his similia admiramur, venimusque tandem ad horum scientiam Philosophicam. Sic & in conuersione B. Magdalenæ eiusdem Philosophiæ datur occasio.

Sensualitas tria producit mala.

Inuenitur enim hic opus maximæ admirationis, conuersio nimirum omnium maxima: mulier enim ab extrema malitia transfertur ad extremam bonitatem. Tria enim secum trahit sensualitas, in quam ceciderat hæc mulier. Primum, vt D. Thomas ait, est cæcitas intellectus: violentia enim huius passionis absorbet atque offuscat iudicium rationis. *I.* Secundum est duritia cordis, facit ea hominem in rebus spiritalibus insensibilem. Nam cùm teneritudo cordis oriatur ex consideratione, atque intellectus lumine, obscurato & oppresso intellectu, indurescit etiam ad modum petræ & ipsum cor. *II.* Præterea & vitium hoc ignis est consumens omnia bona, quæ sunt in anima. Non enim solum comburit omnia bona gratiæ, sed etiam ea, quæ naturæ sunt, vt cernimus & experientia nos docet, in meretrice publica, quæ non tantùm est gratia DEI destituta, sed nec verecundiam habet, nec honorem, nec timorem populi. *III.* Si itaque hæ sint proprietates istius vitij, quomodo non erit res summæ admirationis, cernere pœnitentiam tam insignem, in muliere tam famosa, & tam perditè peccanti? Vnde quæso exorta lux, & cogitatio de Deo nata in intellectu tam cœco? vnde tanta lachrymarum copia in corde tam indurato? Vnde tanta virtus, tanta fides, tanta charitas, tanta humilitas, tanta fiducia, tanta deuotio, tantus contemptus mundi in corde, quod à vitio hoc, quod igneum esse diximus omnia consumente, tam grauiter erat obsessum? Quòd tales & tanti fuêre lachrymæ D. Petri, postquam Christum negasset, mirum non est: Qui enim tantam Domini nostri habebat cognitionem, qui tanta illius viderat miracula, quid miramur, si tam vehementer pœnituerit, agnoscens culpam suam, & non ignorans se ob illam ex gratia Domini excidisse? Sed fœminam horum omnium ignaram, insensibilem factam, iam petram in omnibus rebus diuinis, tantos fudisse propter peccata sua, lachrymarum riuos, res profectò est admiratione dignissima. Mirantur homines Deum olim fontem aquarum copiosissimum è dura elicuisse petra : ego autem miror, quòd ex hoc corde, omni petra duriore, tanta aquarum abundantia fluxerit, vt sufficiens etiam fuerit pedibus Christi lauandis. Quæ res cùm sit adeò admiranda, debemus magnitudine illius moueri, ad philosophandum de illa: id est ad inuestigandam rationem & principium illius. Dicam igitur quo modo, quibus medijs & instrumentis Deus tam subitam atque ingentem mutationem in hac anima sit operatus, nec in hac anima solùm, sed & in multis alijs, quas non minus miraculosè conuertit hactenus, & adhuc quotidie conuertit. Quid non faciunt homines, vt intelligant artem aurum vel argentum faciendi ex pulueribus metalli, vel aurum à cupro separandi, quam Alchimiam vocant, aut Chymian? nos ergo quidni decet magis allaborare, vt intelligamus, quomodo Deus dè terra faciat cœlum, de carne spiritum, de homine Angelum?

In conuersione peccatorum diuersæ motiones in anima præcedunt

Non ignorandum itaque est, quòd conuersio peccatorum, etsi in quibusdam fuerit mirabilis supra modum, qualis fuit sancti Pauli, & illa S. Matthæi, aliorumque similium, in quibus hominum voluntates repentè ab extremo ad extremum, à malo ad bonum mutatæ sunt, & ad DEVM conuersæ, communiter tamen solent semper præcedere diuersæ motiones & alterationes in corde, priusquam homo perfectè conuertitur, & ad Deum reuertitur. Quemadmodum enim ars & natura non faciunt opera sua in instanti, sed paulatim, disponũt enim primùm materiam, cui, cùm disposita est, infunditur repentè forma. Ita hîc primùm Deus disponit cor hominis, illudque emollit aliqua inspiratione, loquens intùs secretè cum anima. *Simile.*

Perpende quanto tu tempore vixisti malè : perpende quot peccatorum millibus Creatorem tuum offendisti, perpende quoties & quamdiu te peccantem sustinuit, & ad pœnitentiam expectauit : perpende denique quot in te beneficia contulit, & à quot malis te liberauit. Recordare quomodo interea vnus subitanea morte, alius sine confessione, tertius sine testamento, quartus in medio mundi huius ardore consistens è viuis sublatus est, & memento te non minùs auferri potuisse. Vide quomodo DEVS expectando te, non est defatigatus, quemadmodum fatigatus est expectando illos, cùm nec tu securior illis fueris. Memento quòd etsi DEVS misericors sit erga pœnitentes, nihilominus etiam iustus sit in castigandis his, qui duri sunt, & impœnitentes, quibus ipse infernus plenus est. Attende quòd pœna inferni non est sicuti pœnæ aliæ, quia est pœna æterna, pœna, quæ est priuatio visionis Dei sempiterna, & pœna, quæ est ardere iugiter in viuis & vindicibus illis flammis, quamdiu Deus est Deus: si itaque intolerabile esse tibi supplicium videatur, si manum in flammam mittas, aut carboni candenti superimpositam, per horæ spatium ibidem detineas, qui poteris non semper meminisse, quomodo ardebunt mali in inferno, non vna manu, sed toto corpore, totaque anima : non per horæ vnius spacium, sed per spacium æternitatis, quæ finem non est habitura? Si tormentum non ferendum existimes, in mollissimo cubare lecto viginti aut triginta annos continuos, etiam si lectulus ille iucundissimis esset rosis & floribus respersus, quid putas erit in sulfureo isto lacu, in camino illo Babylonico (cuius flamma effunditur cubitis quadraginta nouem super fornacem) non viginti aut triginta annos, sed triginta millia millium annorum ardere. *Stimuli ad conuersionẽ.*

Pugna Spiritus & carnis.

Hæ sunt inspirationes & contemplationes, hæc initia sunt, quibuscum Deus incipit alterare animas, eruereque illas ex tenebris, in quibus nunc iacent immersæ. Sentit homo ex vna parte hæc incentiua, & ex altera parte agnoscit quanti sua interest. Sed confestim caro sese armat aduersus spiritum talem omni militia sua, statuens illi ob oculos difficultatem huius mutationis, & diuortij, quod facturus est cum omnibus amatoribus huius mundi, quibus debebit dare libellum repudij, quòd certè durum est & amarum. Sic anima ista natans inter vtrunque, cum vndarum tempestatibus pugnat: hinc trahitur, illinc retrahitur, donec tandem in medio huius certaminis Deus singulari quodam auxilio succurrit, hoc est potentissimum illi motũ, seu spiritum infundit, qui tali modo illuminat intellectum hominis, eiusque voluntatem mouet, vt incipiat proferre Velle vnum certissimum, & antea bene deliberatum: hoc est, Volo reuerti ad Deum, Volo emen-

Auxilium Dei in conuersione.

emendare vitam meam, Volo illam à mundo retrahere, Volo non tantum relinquere peccata, sed etiam occasiones illorum. Denique, Volo posthac habere salutis meæ rationem, quæ cura maior est & vtilior, omnibus alijs huius mundi negotijs; præter quam omnia sunt vanitas.

Iustificatio. Eodem momento cooperante Deo cum homine, homo iustificatur, adoptatur ab eo in filium, & vngitur ipsius gratia. Vides itaque, vti diximus, Deum paulatim hoc opus promouere, & tandem absoluere. In hoc itaque negotio idem accidit, quod illi accidere solet, qui viride lignum vult accendere, is enim bis terue exufflat, fatigatur, & acrimonia fumi lachrymæ illius oculis excutiuntur, donec tandem magnum adijciat flatum, quem subitò ingens subsequitur flamma, lignumque ardere incipit. Tali etiam ordine communi modo loquendo, Deus hoc opus perficit. Primùm enim immittit vnam inspirationem, mox aliam, deinde tertiam: & si istæ inspirationes sufficientes non sint, nec opus absoluant, nouam maiorem & potentiorem mittit, vt illa succurrat homini iam lasso & pugnanti, subindeque lachrymanti, ob vim quam patitur, & conscientiam quæ pungit: illa inspiratio vltima excitat in intellectu flammam luculentissimam, quæ est fons & origo omnium rerum istarum admirandarum. De luce siquidem hac, tanquam de radice, procedunt omnia alia, quæ in opere iustificationis inueniuntur.

Lux in animæ conuersi.

Quòd si quis interrogauerit me, quid sit lux illa? respondeo, esse cognitionem supernaturalem, quã Deus recens infundit intellectui humano, quæ modo quodam admirabili docet bonitatem Dei, pulchritudinem virtutis, turpitudinem peccati, vanitatem mundi, pericula & fraudes, in quibus hucusque vixit: quæ redigit voluntatem in ordinem, quæ propellere & abijcere facit omnem vanitatem & impostoram mundi, amare autem Creatorem & peccatum super omnia fugere & execrari.

Ea lux itaque est quasi principium, & radix totius iustificationis: imò primum quòd Deus post conuersionem in anima nostra operatur. Quapropter sicuti Deus cùm mundum esset creaturus, primum quod fecit, & primum verbum quod locutus est, erat: *Fiat lux, & facta est*: ita in regeneratione hominis, id est, in iustificatione hominis, qui parùus mundus dicitur, primum quod facit, & primum quod dicit est *fiat lux*, quasi diceret: hæc anima tenebris Aegyptiacis est inuoluta, quæ impediunt quò minus videat præcipitium, & periculum in quo viuit: quare exoriantur in ea nouæ lucis radij, vt agnoscat statum suum, & conditionem, in qua est.

Genes. 1.

Omnia hæc luce meridiana clarius conspiciuntur in huius historiæ contextu. *Rogabat*, inquit Lucas, *Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Erat autem in ciuitate mulier peccatrix*: quæ fuit nobilis hæc pœnitens, soror Lazari & Marthæ. Vocat illam peccatricem; erat enim mulier vitæ dissolutæ, & perditæ, talique nota per vniuersam patriam insignita. O sapientia Dei quid vilius, quid peius in vniuerso mundo muliere mala, quam Ecclesiasticus dicit conculcatam & despectam ab omnibus, tanquam lutũ platearum? Quod etsi verum sit, tamen Deus misericors illam respexit, licet ab illa non respiciebatur, vt statueret illam exemplum pœnitentium, & faceret vnam ex principalibus Ecclesiæ suæ luminaribus. Quę causa? nulla omninò est, sed illud tantùm, quòd dicit Propheta; *Saluum me fecit, quoniam voluit me*: hoc est, propter gloriam gratiæ suæ, propter exemplum misericordiæ suæ, propter demonstrationem bonitatis suæ: vt intelligamus quòd omne bonum nostrum originaliter de sancta illius voluntate procedit: & per consequens, quòd omne bonum nostrum suis ille nobis manibus distribuit, quod omne illud ei adscribere, id ab eo rogare, eique ob id gratias agere debemus. Hoc modo efficiemur magis humiles, soliciti, attenti, & in timore Domini magis stabiliti. Humiliores dico propter nostram paupertatem; attentiores, propter periculum nostrum; honoratiores, propter gratiam ipsius; & timidiores, propter nostram infirmitatem.

Luc. 7.

Eccl. 9.

Psal. 17.

Felix itaque mulier hæc expergefacta primùm opinione & doctrina Christi, illuminata ipsius gratia, & ingenti spiritu pœnitentiæ mota, vt cognouit quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi, non habens vllum respectum, nec loci, nec temporis (amoris enim magnitudo moram tardiorem non patiebatur) togam muliebrem induit, alabastrum pretiosi vnguenti in manum sumit, quod vas antea sæpe sumere consueuerat, non vt maculas peccatorum extergeret & deleret: sed vt eas multiplicaret: non vt Christum vngeret, sed Dæmonio sacrificaret. His itaque armis peccatorum præteritorum instructa abit nunc, bellum in ijsdem peccatis denunciatura, Intrat ædes vbi Christus prandebat, & non ausa in conspectum eius venire (pudor enim & confusio peccatorum hoc non patiebantur) stetit retrò, secus pedes eius, quos tam copiosis lachrymis rigauit, vt lauerit eos: & quemadmodum aqua ista pedibus suis inusitata, nouusque lauandi mos, ita & linteum, quo extersit pedes iam lotos, quoque fuit inusitatum; capilli scilicet capitis illius: Nondum contenta cœpit quoque pedes Christi osculari, atque vngere vnguento pretioso. Adeò vt omnia quibuscum seruierat mundo, nunc consecraret Christo: & quæ fecerat antea arma peccati, nunc remedium faceret contra peccatum. De his pulcherrimè philosophatur Chrysostomus: Etenim inquit, per quæ deceperat homines, per eadem parauit remedia pœnitentiæ, per quæ auocarat oculos intemperantium per hæc emisit lachrymas, per capillos arte compositos multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes abstersit Iesu. Vnguento multos inescarat, per hoc pedes eius vnxit. Hæc ille. Oculos itaque conuertit in fontes, quibus lauat genas animæ suæ: Capillos conuertit in linteum, quo extersit: Os vertit in portam pacis, per quam Christum reciperet: ex vnguento fecit balsamum, quo vulnera animæ suæ curaret, & errorem malitiæ suæ tegeret. Diligenter autem notandum hic est, quicquid illa exterius faciebat, idem Christum interius in anima illius operatum esse; modo tamen alio, eoque excellentiori. Veniebat illa, trahebat ipse; vngebat illa pedes eius vnguento, & ipse vngebat animam illius sua gratia: lauabat illa pedes eius lachrymis, ipse verò eluebat peccata illius suo sanguine: illa tergebat pedes eius capillis suis, ipse ornabat animã illius omnigenis virtutibus: illa osculabatur pedes Domini, Dominus autem dedit vicissim Mariæ osculum, quod datum est filio prodigo, in eius conuersione.

Chrys. Ho. de B. Philogonio.

In tota hac actione nusquam sit mentio vllius verbi, quod Magdalena locuta est: sufficiebant enim pro verbis lachrymæ, sufficiebant desideria, sufficiebant gemitus & suspiria, quomodo & Propheta dicit: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.*

Psal. 37.

O verba magnæ potentiæ, O lachryma humilis, inquit Hieronymus, tua est potentia, tuum regnum tu tribunal Iudicis non vereris, tu amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis: non est qui te accedere vetet, si sola intraueris, vacua non redi-

bis:

bis: magis crucias Diabolum, quàm pœna infernalis. Quid plura? Vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, Virginis filij animum ad misericordiam inclinas.

Bern. serm. 30 super Cantica.

D. Bernardus lachrymas pœnitentium vinum appellat Angelorum: quia, inquit, in illis est odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, & serenæ conscientiæ suauitas. Certè multas habet rationes Bernardus, cur lachrymas vinum Angelorum vocauit: ego autem easdem etiam non sine ratione aquam Angelorum nominabo. Solent homines distillare genus aquæ odoriferę, non ex vna boni odoris herba, sed ex multis, ijsque diuersis, quam aquã Angelicam nominant: habetque multos, eosdemq; gratissimos odores, pares illis quos herbæ spirant, ex quibus elicitur. Tales itaque erant lachrymæ illæ Magdalenæ, quæ non ex vna ratione, aut vno fluebant affectu, sed ex multis & diuersis: erant enim lachrymæ fidei, erant lachrymæ spei, erant lachrymæ amoris, erant lachrymæ doloris, erant denique deuotionis. Omnes affectus motusque illi erant in pio isto pectore: omnes isti resoluti sunt in lachrymas, igne charitatis liquefacti, & stillauit aqua ista per oculos, & confluxit aqua illa Angelica, multò magis odorifera, quàm vlla aqua hominum industria confecta.

Lachryma Vinum & aqua Angelorum.

Pœnitens aliquando innocente præstantior. Psal. 50.

Huius itaque conuersionis & pœnitentiæ tam admirabilis origo & principium fuit, nouæ illius lucis radius, quo Saluator illuminauit tenebras sanctæ illius Peccatricis, ex quo cæteræ cunctæ virtutes, motus, & affectus mox nata sunt. Lux enim ista repentè oculos illius aperuit, & vidit horrenda illa inferni monstra, quibus erat obsessa, & metuens tam graue periculum, subitò cucurrit, vt quæreret remedium. Ideoque medio die surrexit, non exspectans alterius consilium, non meliorem temporis aut loci opportunitatem, intrauitque cœnaculum in medium conuiuarum Christum quærens. Quid facis ô mulier? Nónne vides iam nec esse tempus, nec locum idoneum, ad faciendum id quod tu meditaris? Qui tale quid facere vult, nec testes quærit, nec locum publicum: sed tenebras & solitudinem: sic enim fecit princeps Pharisæorum tuorum Nicodemus, qui nocte venit ad Iesum. Nihil interest si ad horam vnam aut alteram negotium hoc differas. Non potuit vllis huiusmodi rationibus detineri, sed vehementia doloris, timoris & formidinis suijpsius ita occupârat illius intellectum, vt nihil potuerit cogitare, præter magnitudinem sui periculi. Tantum potuit illa lux, & candela in anima illius diuinitus accensa. Hæc lux in ea operata est tantam alterationem & timorem: & non solum timorem, sed etiam amorem, & amorem tam vehementem, vt ipse Seruator dixerit, *Remittũtur illi peccata multa quoniam dilexit multum.* Nec solum amorem peperit, sed etiam dolorem, eumque tam immensum, vt copiosissimo lachrymarum imbre pedes Saluatoris lauerit. Nec solum dolorem, sed verecundiam etiam & confusionem: nec solum verecundiam in conspectu Christi, sed etiam contemptum mundi, posteaquam nihilo fecerit murmur conuiuarum, & iudicium Pharisæi: sed id solùm respexerit: quod ad suam salutem pertinebat. Nec tantùm hæc omnia peperit ista lux, sed & desiderium tã ingens satisfaciendi Deo pro peccatis commissis excitauit, vt postquam iam Christus in cælos ascendisset) quamuis oraculo viuæ vocis Dei iam didicerat omnium sibi peccatorum collatam remissionem) in eremum asperrimam se contulerit, ibique per triginta annos, omnibus hominibus incognita, in summa vitæ austeritate pœnitentiæ operibus Domino satisfecerit.

Principium conuersionis.

Ioan. 3.

Effectus lucis in Maria accensæ.

Satisfactio Magdalenæ.

Martinus Polonus in Chronicis.

Quapropter & quotidie septies Angelorum manibus in cælum est eleuata, & cælestium agminum dulcissimos hymnos corporalibus auribus audiuit. Quo beneficio Deus voluit significare, virtutem & efficaciam veræ pœnitentiæ, quæ solet homines in Angelos transformare.

Pro maiore autem confirmatione illius, legimus in Euangelijs Magdalenam iuxta B. Virginem inuentam, id est Mariam peccatricem, Mariæ innocenti collatam, vt hinc colligamus, aliquando bonos pœnitentes innocentibus esse æquales aliquando eos antecedere, quod ille bonus Pœnitens optimè intellexit, qui dicebat: *Asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor*, significat pœnitentem innocente fieri candidiorem & puriorem: cuius rei argumentum est, quòd hęc sancta Peccatrix hodie in cœlo maiorem habet gloriam, quàm aliqui alij, qui nunquam mortaliter peccârunt. Imitemur itaque omnes hoc pœnitentiæ genus, vt ad illius tandem gloriam perueniamus.

DE INTROITV CHRISTI IN HIERVSALEM, deq; festo Palmarum.

MEDITATIO X.

Collatio Natiuitatis & ingressus in Hierusal.

QVemadmodum primus Christi in orbem introitus totus fuit glorioſus; canticis Angelicis, nouæ stellę splendore, Magorum, Pastorumque adoratione celebratus: ita & eius ingressus in Hierusalem, cùm immolaret seipsum sacrificium pro vniuerso mundo, fuit plenus gloria: tota enim ciuitas fuit commota, abijtque vt cæderet ramos oliuarum & palmarum, sterneretque vestimẽta in via, & omnes quasi repetebant Angelicũ hymnum, dicentes: Pax in cælo, & gloria in altissimo, vt scribit beatus Lucas. Nec minus admirandum est, quod in tam humili equitatu Dominus voluerit tantos honores sibi exhiberi: Non enim fuit ipsius equitatus alius quam asina, & pullus, eius filius subiugalis, attritis discipulorum vestimentis stratus. Tali triumpho intrauit Agnus Paschalis, vt sacrificaretur pro nobis in ciuitate Hierosolymorum. Quoniam verò omnia, quæ in hoc introitu acciderunt, plena sunt mysterijs, nostrum est humiliter considerare in singulis eorum sapientiam & consilium diuinum. Historiam autem sic describunt Euangelistæ.

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 10.

Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage, ad montem Oliueti: tunc misit duos discipulos, dicens eis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea soluite & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: dicite: quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentẽ: Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem ramos cædebant de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: O sanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini: O sanna in altissimis.

Zachar. 9.

Inter alias rationes, quas Doctores de hoc introitu tam solenni, & hoc occursu Iudæorum dederunt, vna est, quod Pater æternus voluit in hoc, tanquam in pictura exprimere fructum, quem adferebat Filij sui in hunc mundum aduentus: ibat enim vt sacrificium passionis suæ offerret. Nihil enim eo tempo-

Cur tam solenni triumpho Christus vrbem ingressus. Heb.12.

re,& in ista tribulatione potuit inueniri aptum magis ad propositum ei,qui transiturus erat,quàm ante faciem suam fructum aliquem præmittere. Hoc enim fatetur Apostolus,cum de passione Domini loquens ait: *Qui proposito sibi gaudio,sustinuit crucem, confusione contempta.* Considera itaque in hoc introitu ex vna parte humilitatem, qua cum Dominus ingressus est,& ex alia parte solennitatem,qua cum populus illum excepit. Ingreditur, vt prædixerat Zacharias Propheta,pauper,humilis,& mansuetus; Zach.9. equitans in asina, tanquam viator pauperrimus: habens in comitatu suo duodecim piscatores,non minùs pauperes, quam ille, nullum alium adducens strepitum,nullum alium habens apparatum. Occursus autem qui ab vniuersa penè vrbe factus est, tam solennis fuit,dici vt vix possit. Hæc itaque quid aliud sunt,nisi perfectissima imago mutationis,quã fecit Deus in mundo, & fidei, quam mundus acceptauit,veniente in ipsum Domino? idque non alijs instrumentis aut armis, quam humilitate incarnationis,ignominia passionis, & prædicatione vilium & rudium piscatorum.

Quid mundus fuerit ante aduentum Christi Imperium Diaboli ante aduentum Christi.

Totus mundus nil aliud erat, quàm templum Idololatriæ,castellum latronum, cauerna basiliscorum & serpentum,forum fallaciarum,domus confusionis,abyssus tenebrarum: quid multis? parũ aberat, quin mundus fuit Infernus Dæmonum incarnatorum. Ab Oriente vsque in Occidentem,in omnibus insulis regnis,& prouincijs,terra marique Diabolus pro Deo adorabatur: & in honorem talium monstrorum templa construebantur magnificentissima, fumabant illis altaria, adolebantur incensa, offerebantur sacrificia. Et quoniam Idololatria mater est omnium vitiorum,regnabant etiam cum ea omnes turpitudines,abominationes,malitiæ, & vitia totius mundi. Adeò vt Diabolus, qui in Euangelio vocatur fortis armatus, possideret Principatum Luc.11. vniuersæ terræ,in summa pace: sublata penitus seruitute & obedientia,quæ vero & legitimo Domino debebatur.

Christus Diabolum vicit, & quibus armis illum viterit.

Cum itaque ea facies mundi esset,atque hoc modo regerentur omnia; superuenit fortior illo, qui est Dominus noster, qui armata manu abstulit omnia spolia,animas scilicet aut creaturas Dei,quas ille tyrannico dominatu possidebat, subuertit illius altaria,& idololatriæ sedes, quas vbique in terris collocarat. Sed quibus armis id fecit? non armis inauratis Saulis,sed cum baculo & funda Dauidis attriuit robur fortis illius Gigantis: hoc est,non pugnando cum gloria suæ Maiestatis, nec potentiæ suæ diuinitatis,sed cum infirmitate suę humanitatis: seu cum humilitate suæ incarnationis, & cum ignominia suæ passionis,humilique prædicatione idiotarũ, hominum piscatorum, Monarchiam & potentiam magni illius Tyranni vastauit, & planè contriuit. Iudic.15. Sampson maxilla asinæ strauit exercitum Philistinorum,& Christus infirmitate suorum Discipulorum,fortitudinem & potentiam mundi huius superauit. Etenim quanto minora & debiliora sunt arma,tanto maior & laudabilior est victoria: talis autem debebat esse victoria, qua triumpharet de mundo Deus & Dominus noster: vt pugnaret cum illo non armis suæ potentiæ, sed suæ infirmitatis. Hoc genus victoriæ tam gloriosæ ante multa secula Esa.9. Esaias apposite admodum vaticinatus est, cùm dicit,quòd Saluator liberauit nos à captiuitate & iugo Dæmonis, eodem ferè modo, quo liberârat filios Israel à subiectione & tributo Madian, per manus Gedeonis. Iud 7. Vicit Gedeon ille potentissimus cum trecentis hominibus,singulis eorum tubam in manu vna,& in altera lagenam cum lucerna ardenti in medio lagenæ habentibus, qui cùm in castra hostium venissent, tubas clangere, & comploderé inter sese lagenas cœperunt: lucebant lampades,& obscuram noctem illuminârunt, quo stratagemate Madianitarum & Amalechitarum innumerabiles exercitus fugârunt,straueruntque. Quid erat necesse infinitæ illi potentiæ Dei, vti hoc stratagemate bellico,ad fundendos,cædendosque hostes suos,nisi voluisset ista figura mysterium, de quo nunc agimus,significare & prædicere? Et qui posset euidentius exprimi,triumphus Christi de mundo,& Principe mundi, qui captiuus detinebatur: Gedeon enim cum trecentis tantùm militibus vicit, vicit & Christus,multo etiam minori numero discipulorũ: ille per sonitum buccinarum,Christus per prædicationem Euangelij: ille rumpendo vasa, & illuminando noctem lampadibus,qui intus erant in vasis absconditi: Christus per mortem Sanctorum martyrum,& prędicatorum, luce autem & splendore virtutum,quę mirabiliter eluxerunt in pugna martyrij. Adeò vt vox doctrinæ, splendor vitæ,& patientia martyrij,& tribulationes fuerint instrumẽta, quibus noster Gedeon vicit omnem potentiam Regum & Imperatorum huius mundi; omnemq; fortitudinem inferni, & liberauit hominem à seruitute peccati. Gratias itaque agimus tibi Domine, posteaquam nos tanto cum miraculo, tantaque constantia liberasti. Non enim tuo tantùm sanguine, & humilitate passionis tuæ, sed etiam sanguine & morte tam innumerabilium martyrum Ecclesiam tuam fundasti,& à seruitute Draconis illius infernalis vindicasti.

Hoc itaque genus est victoriæ, quod non tantùm describit Esaias,sed etiam Zacharias, in hunc finem ab Euangelista citatus,vbi dicit; *Exulta satis filia* Zach.9. *Sion,iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi, iustus,& saluator,ipse pauper,& ascendens super asinam,& super pullum filium asinæ.* & subiungit confestim victoriam, quam tanta in humilitate consecu- *Victoria Christi.* tus est,dicens: *Et disperdet quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem,& dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus,& potestas eius à mari vsque ad mare,à fluminibus vsque ad fines terræ.* Quibus verbis comprehenditur illa generalis victoria de principibus mundi & Idolis,quæ ab illis adorabantur, & defendebantur; quorum locum imperium Romanum,quod Monarchiam totius orbis habebat,& Principes terrę receperunt, & adorauerunt, hunc Dominum pro vero suo Domino & Deo: fiunturque illa pace, quæ superat omnem sensum: quam ille secum attulit in hunc mundum, reconcilians homines suo Domino & Creatori. Hoc itaque significat ille totius vrbis occursus, quæ tanta cum solennitate Saluatorem excepit, agnoscendo eum pro vero Rege & Saluatore mundi huius, & precando ei salutem in altissimo, tanquam vero Deo, Domino totius Vniuersi.

Nec solum illud fuit beneficium, quod mundus *Mundus renouatus.* accepit per aduentum Saluatoris illius fide mediante, sed fuit etiam idem mundus renouatus pulchritudine iustitiæ & virtutum,quæ in illa gloriosa ætate florebant. Tunc enim adimpletum est illud, quod dictum erat per Prophetam, *In cubilibus, vbi* Esa.35. *prius dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci,* significat hoc modo loquendi Propheta,quod vbi prius sęuiebat venenum,& ferocitas hominum, qui viuebant instar draconum, & tanquam membra draconis infernalis, qui inspirat illis venenum suum, & proinde eiusdem malitiæ, cuius ipse erat, vos participes faciebat; ibi abundauit tanta virtus & gratia,vt cubilia ista draconum iam facta sint amœnissimi horti florum nunquam marcescentium: hoc est hominum perfectissimorũ, qui contemnentes om-

tes omnia quæ in mundo sunt, & cum ijs propriam quoque carnem suam, nihil aliud meditantur, quã quæ cælestia sunt: qui hic designantur per eos, qui in occursu hoc insternebant vestimenta sua in via, proteruntur enim & conculcantur ab omnibus. Illud peculiare studium fuit sanctorum Martyrum, qui Magno cum gaudio sustinuerunt, cùm discerperentur, dilaniarentur, & tot modis excarnificarentur, quot potuit ingeniosa crudelitas immanium Tyrannorum & Dæmonum excogitare, priusquam vel iota vnum fidei & amoris, quo Domino adhærebant, negassent, aut perdidissent. In quorum persona dicit Apostolus: *Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus, & aridi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema, vsque huc.* Hi itaque dici possunt ij, qui vestimenta sua in via strauerunt, quia contempti, & pedibus hîc conculcati sunt, vt Domino suo seruirent, eique odoriferas seipsos hostias offerrent, dicente eodem Apostolo, *Et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum.*

Alij sunt qui vitam non perdiderunt, quia non habuerunt occasionem, sed reliquerunt omnes occupationes mundi, renuntiârunt omnibus quæ possidebant, & pauperibus largiti sunt, vti primitiuæ Ecclesiæ Christiani, qui vendentes omnia bona sua, pretium ante pedes Apostolorum deponebant. Atqui illi sunt, qui Dominum ramis oliuarum exceperunt, & honorârunt. Per oliuas enim misericordia designatur, quæ est vna ex præcipuis operibus pietatis maximè propria vitæ Christianæ, quæ quemadmodum consistit in charitate, ita sese potissimum exercet in operibus misericordiæ, quę sunt effectus eiusdem charitatis. Quapropter & D. Ambrosius summam totius disciplinæ constituit in operibus misericordiæ & pietatis.

Alij non habentes vnde eleemosynas dare & opera misericordiæ externa facere possent, seipsos dederunt sacrificium, seipsos Deo obtulerunt, ingredientes claustra & monasteria, castigantes corpora sua, & crucifigentes appetitus suos in cruce obedientiæ, propter amorem Dei.

Sunt & præcedentibus perfectiores, qui non contenti cruce vitæ monasticæ, adeunt labores solitudinis, abdentes sese densis nemoribus, & deserta loca incolentes ab omni non tantùm societate sed delitijs & moribus vitæ humanæ remotissimi; Angelicam in terris vitam agentes, & in cælo conuersantes; occupati semper in diuinis laudibus & contemplationibus rerum cælestium: vti fecerunt Pauli, Antonij, Paphnutij, Macharij, Arsenij & Hilariones, alijque innumerabiles, qui instar Angelorum in Eremis Ægypti, Syriæ, Thebaidis, Scythiæ, montis Synai, alijsque locis pluribus vixerunt. Et hos intelligimus per eos, qui Christum canticis, hymnis & laudibus exceperunt, confitentes eius regnum, & precantes gloriam in altissimo.

Post hæc & aliud summa admiratione dignum habemus exemplum, quod simul & medela est efficax ad curandum dolorem aliquem communem vitæ humanæ, qui est appetitus gloriæ mundanæ, qui semper irritat & incitat communem nostrum aduersarium. Optimè siquidem nouit ille, postquam excæcati sumus hoc amore, nihil requiri amplius: est enim illi tunc aperta ianua, vt facere queat omne quod vult. Et sanè mirabile est videre artificium istius impostoris: Nam tametsi gloria ista res sit admodum breuis, fragilis, fallax, & momentanea; nihilominus pernicioßissimus ille pictor, tam iucundis, magnificis, & pretiosis coloribus eam fucauit, vt non dubitent homines extrema quæque periclitari, saltem vt gloriam huius mundi assequãtur. Qua in re mihi insignis esse Mathematicus videtur, qui per experientiam artis perspectiuæ, certas aliquas lineas in tabula tanta cum proportione & artificio ducit: vt veritas ipsa adesse videatur: si enim per dioptram, aut viam, quam ipse tibi præscribere nouit, prospexeris, arbitraberis ibidem esse formosissimas species & figuras Orbis terrarum: cùm in veritate nihil aliud tibi sint, quàm simplices & nudæ lineæ. Tale omninò mihi videtur ingenium & artificium antiqui illius Satanæ; cùm enim honor mundanus res sit tam inanis, & vana, ille eam tam formosam pingere & ornare nouit, ornatamque tam amabilem in oculos hominum inferre, vt appetitu illius impulsi, corpus & animam abijciamus, & omnia, quæ Deus promisit, vilissima nobis habeantur.

Vis itaque nunc, mi frater, videre magnitudinem huius fallaciæ? Non longè exempla petamus. Intuere ingentem, quem mundus hic exhibet honorem Christo Domino; in hoc enim deprehendes fallaciam humanę gloriæ. Obseruauit hoc D. Bernardus, ideoque dicit: Quis sperare iam debeat in incerto gloriæ temporalis, cùm videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, creatore temporum, & conditore vniuersitatis, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim ciuitate, à plebe eadem, eodem in tempore, nunc quidem processionis gloria, & diuinis laudibus est honoratus: postmodum verò interrogatus contumelijs, & tormento, & cum sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis. Hæc ille. O quanta vocum fuit illarum differentia: nunc audit Dominus; *Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis:* & post paucos dies audiet, *Tolle, tolle, crucifige, crucifige.* Quanta vocum differentia, acclamare nunc *Rex Israel,* & paulo post, *Regem non habemus aliũm quã Cæsarem?* Quàm diuersæ res sunt nunc rami oliuarum virides, & flores; postea verò spinæ, flagella, Crux? Cui nunc famulantur, & quem stratis vestimentis suis honorant, hunc paucis post diebus proprijs vestimentis spoliârunt, & omni genere ludibriorum & contumeliarum exagitârunt. Deniquę quem hodie colebant vt Filium Dei, hoc est, vt maximum Sanctum Sanctorum omnium, is postero die habitus est pro nequissimo & improbissimo homine, vita ipso Barraba indigniori. Quod itaque dari posset exemplum, in quo manifestius cernitur, quid sit mundi huius gloria, & quanti sint fuci, colores, & impostura illius facienda?

Quis itaque erit tam perfrictæ frontis homo, qui vilitatem tanti monstri considerans non erubescet? pergat magni illud facere, in gloria illius confidat, eius indicio credat, in ea apetenda opes & operas suas insumat? Quis non verebitur tantas impensas facere, vt suis ipse tantum oculis placeat, & memoriam sui relinquat? quæ tamen memoria nihil aliud est, quam hospes vnius diei, qui hodie accedit, & cras discedit.

Res est profectò deploranda, post beneficium redemptionis nostræ inueniri homines adeò adhuc captiuos, mundoque deditos, vt verà eius sint mancipia; Omniaque insuper facere, ne eius gratiam & fauorem amittant. Inueniuntur multi, qui Domini sui ipsorum non sunt, nec libertatem habẽt faciendi ea, quæ corpus & anima necessario requirunt, metuunt tamen ne mundus eos reprobet & repudiet

Qui sternũt vestimenta sua in via.

1. Cor. 4.

Philip. 1.

Qui Christo ramos cædunt.

Act. 4.

Ambitionis malum.

Diabolus mathematicus.

Bern. ser. 2. Dom. in ramis Palm.

repudiet, etiamsi à Deo probati sint, & mille modos quærunt, vt mundo placeant, maiori in precio habentes, quid mundus dicat, quàm quid Deus in fine vitę ipsorum dicturus est.

In mundo nihil solidũ est.

Alij vt honoratiores sint in hoc mundo, vt habeant quo mundi oculos oblectent, vt relinquant posteris sui memoriam cum titulis & magnificentia, vt ædificia superba extruant, esuriũt, & esurire faciunt familiam suam, defraudantes propriam naturam suam & suorum, vt habeant quo pascant oculos aliorum, diuitias cumulantes mũdo & suos spoliantes: sic enim crescunt instrumenta gloriæ illius, non in vsum eius qui facit impensas, sed in vsum eorum, qui post eum venturi sunt. Et non animaduertunt miseri & infelices illi, nec studeut vt vel hoc exemplo discant, quam caro emant pretio memoriam mundi immemoris & maximè ingrati. O vos itaque cœci, ô vos mendici, ô miseri & miserabiles quò properatis? quid quæritis? quid venamini bestiam hanc mille capitum? Quare cum redempti sitis, & libertate donati per Christum, nunc reuertimini ad pristinam seruitutem, & abiecta libertate vosipsos iterum facitis mancipia eiusdem Tyranni, qui vti ipse falsarius, & impostor est, sic etiam omnes eius falsæ sunt actiones, & studia eius omnia: promittunt enim, quod non præstant, & videntur habere, quod dare non possunt. Non sunt aliud, vt Plato dicebat, quàm vmbra & imago comparata veris bonis, & nos simplices homines non possumus

Simile.

distinguere inter illud, quod quid est, & illud quod aliquid esse apparet. Atque ita nobis idem vsu venit, quod catulis & capellis, quæ si digitum in ora illorum inseras, sugere incipiunt, putantes digitum esse papillam vberi materni, eò quòd similitudinem referat illius. Ah quàm miserum est hominem esse & nominari, & tamẽ non habere discretionem maiorem istis bestijs? nec posse agnoscere differentiam inter essentiam rei & eius apparentiam? imò oblectari, & exlatiari vmbris & figuris, rei veritate neglecta? Dic mihi, ô misselle, qui discurris per omnes creaturas, quęrens ex ijs delitias, quod lac, quam satietatem, quam pacem inueneristi in omnibus vberibus quæ suxisti? quoties quæsiuisti lac, & inueneristi aloën, aut quoties vbi quærebas mel, & inueneristi fel? quoties in negotio, aut conditione, aut conjugio, in quo existimabas te inuenturum requiem, solicitudines, afflictiones & tormenta inueneristi? Hoc est lac, quod in pectori mundi reperitur, cui Deus maledixit per Prophetam dicentem, *Da eis Domine? quid dabis eis? da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.*

Oseæ. 9.

Non enim nascetur de illis fructus benedictionis, propter defectum bonorum operum: nec habent lac consolationis, propter multitudinem miseriarum.

Sed etsi nihil horum in mundo esset, totusque mundus fidelis esset, quid nobis proderũt illius bona tempore maximæ necessitatis; in hora scilicet reddendæ rationis; quid vtilitatis tunc adferent omnia idola, quæ nunc adoramus? vt sunt omnia illa, in quibus nunc spem & felicitatem nostram collocamus? Ibi perspicuè agnoscemus vanitatem & fallacias omnium harum rerum? ibi mali turbabũtur timore horribili, & dicent intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius precurrens.*

Sap. 5.

In quo apertè cernitur, quam ingens nostra est cœcitas & amentia, qui fugientes à nobis mundi opes & honores laxis habenis insectamur; veras autem opes & gloriam, quę à Deo sunt, & nobis vltro offeruntur, fugimus, & auersamur. Faciamus itaque fructum, mi frater, in hoc lumine, quod datum est in illo Christi introitu, vt cognitis & despectis mundi huius fallacis mendacisque blanditijs, quæramus & amemus vera bona, quæ nos in hac vita faciunt verè diuites, & in futura beatos.

PROLOGUS IN PASSIONEM DOMINI.

NEmo est qui ignorat, omnia nostri Saluatoris opera, tam naturæ, quàm gratiæ, quæ operatus est, eò tendere, vt gloriam ipsius faciant manifestam. Quamuis autem omnia ea sint altissima & diuinissima, taliaque, quæ optimum de excellentia factoris dant testimonium, mysterium tamen Passionis, tantò est alijs omnibus excellentius, vt id cum alijs collatum, cætera planè obscuret. In eo enim mirabili quodam modo relucet magnitudo amoris, bonitatis, misericordiæ, iustitiæ, sanctitatis, & prouidentiæ diuinæ. Ideoque & consideratio Passionis Dominicæ, alijs omnibus est aptior ad commouenda corda nostra, ad imitationem virtutum Saluatoris, & ad intelligendam beneficij diuini magnitudinem.

Sed opus hic est speciali quadam luce Sancti Spiritus, vt singula in hoc mysterio bene scrutemur. Isti lucem habuit Sanctus Bonauentura, & pro modo atque ratione fructuum, quos ex hac consideratione percipiebat, sequentem composuit Orationem, quæ in libello suo, cui titulus est, Stimulus amoris, inuenitur. His præmissis melius intelligitur intentio & spiritus istius orationis.

ORATIO B. BONAVENTURÆ *ex libro, qui inscribitur Stimulus amoris.*

DOmine Iesu Christe ô verè amice, qui me sic dilexisti. O amantissime sponse factum ex sputo, & line oculos meos, vt qui cœcus sum, videre valeam dolores tuos, & vulnera tua. Introduc me Domine, quamuis indignissimum famulũ tuum, in gazophilacium veri templi, vt intueri valeam, quid quantumque in cruce obtuleris Patri pro nobis. Fortasse anima mea, quamuis à te vero sponso multis iniquitatibus viduata, offeret tibi duo minuta. Respice me, quamuis prodigum filium, ad comedendum vitulum saginatum in cruceque assatum. O verè magister, doce me thesauros sapientiæ beatissimæ & amoris tui. Iterum atque iterum Domine aperire digneris latus tuum mihi nequissimo seruo tuo; oculi qui deprędati sunt animam meam, in tuo latere inueniant prædam meam. O bone Iesu eimis saxeum est cor meum, nisi emolliatur sanguine tuo, nimis dispersum est cor meum, nisi recolligatur in latere tuo. O dulcis pastor, nam ego sum illa ouis quæ perijt & errauit, pro qua in cruce posuisti animam tuam: Ecce ego sum, agnosce eam, & introduc me in foraminibus petræ, id est in caulas vulnerum tuorum. En Domine mi tua passione me diligenter custodias. Nam sine tua morte morior, sine tuis vulneribus ab inimicis vulneror, sine tuis flagellis virga non æquitatis, sed iniquitatis flagellor. Et quia nescivi perseuerare postulando, & amplectendo tuam dulcissimam passionem, iam quasi ad nihilum redactus sum. Vę mihi quia dimisi ignominiam crucis, factus sum omnium ignominiosissimus. O Domine quia dimisi stultitiam crucis, stultissimus & vanissimus factus sum; quia infirmitatem tuę passionis neglexi, infirmissimus factus sum, quia in doloribus vulnerum tuorum non intrau, spinis crudelissimis inimicorum confixus sum. Quid dicam? nisi cor meum Domine aperiatur à vulneribus tuis & doloribus, quod à nequissimis vitijs aperitur, nisi sciat latitare in vulneribus tuis à latronibus plagis

bus plagis impositis spoliabitur. Nam Passio tua Domine perfectissma medicina est, sine qua medicina nullum remedium potest inueniri. Per vulneta enim tua bone Iesu, omnia vitia ad nihilum deueniant. Ipsa est quæ aures sepit, ne audiant vana vel praua; oculos claudit, ne aspiciant mortifera vel nociua; & breuiter omnes sensus meos custodit, edocet, & dirigit. Ipsa enim fouet mutuam dilectionẽ, auget internam deuotionem, eleuat ad supernam contemplationem. Hãc ergo Domine acerbissimã, & ignominiosam Passionem da mihi in matrem, quamdiu mater tua vulneret me, vel certe tu bone Iesu transfige medullas cordis mei tuis crudelissimis flagellis. Nunc venio & requiro eam. Obsecro Domine, ne mecum agas iuris rigore, sed tuæ clementiæ benignissima dispensatione; hanc ergo da mihi Domine, quia hanc amaui, hanc dilexi, & cõcupiui, hanc totis visceribus, amplexari cupio. Da ergo Domine, da mihi vulnera tua. Ipsa sola mihi sufficiunt; Ipsa sola medullitus me nutriunt, & sufficiunt in hac vita; ipsa sunt vita mea, consolatio mea, delitiæ meæ. Ipsa enim ô bone IESV, Passio tua, lux est & sapientia mea. Ipsa reducit, adducit, & deducit me. Sine ipsa deuio, sine ipsa erro, sine ipsa à portu salutis declino. O care Iesu, nihil aliud à te peto in hac vita, nisi vt perfectè crucifixus sim tecum in cruce. Certè dulcissime Iesu, nolo viuere, nisi moriar tecum. Aut ergo da mihi mortem corporalem, aut in corde meo imprime tuam mortem. Heu mihi miser quare natus, nisi Dominum meum amplectar in cruce, & requiescam in vulneribus eius? Nunc autem magis eligo ad pedes tuos crucifigi, quàm tecum in delitijs affluí paradisi. Hanc etiam beatissimam passionem volo, hanc peto, hanc totis internis medullis concupisco. Omnibus pro ipsa abrenuntio, & etiam meipsum relinquo. Ipsa mihi sit anima & corpus meum, & omnes cõsolationes meę. O dulcis Samaritane, vulnera me vulneribus tuis, inebria me sanguine tuo pretioso. Scindant cor meum dolores tui. Quid est bone Iesu, quòd me sic deseris esurientem? sic spernis clamantem? Nam pro me fecisti cælum, solem, lunam, & stellas; ignem, aërem, terram, & aquas; aues, pisces, bestias, & reptilia; arbores, & olera; aurum, & argentum, & vniuersa quæ siue sursum siue deorsum ambitu continentur. Sed hæc quis de manibus tuis quęsiuit? sine petitione, sine instantia, hæc nobis vniuersa dedisti. Et tota die ac nocte affligo animam meam, petendo vulnera tua dulcissima, postulando ignominiosam mortem tuam, esuriendo potari sanguine tuo pretioso, & vix vnam guttam non valeo impetrare. Scias Domine, quod mihi omnia viluerunt pro ipsa morte tua. Tolle Domine, tolle vniuersa, omnia tibi restituo, & da mihi vulnera tua. Hæc super cælum aspirant cor meum, super sidera mihi refulgent, illuminant intellectum meum super aërem, super ignem accendunt meum affectum, super aquas emolliunt animum meum, & super terram stabiliunt & fœcundant affectum meum.

Hæc super auibus, & piscibus vtiliora, fructibus suauiora, arboribus & oleribus amœniora, auro & argento, & margaritis pretiosiora. Immò certè hæc omnia nihil & vanitas sunt respectu tuæ beatissimæ passionis. Hanc volo, hanc peto Domine, hanc tribue mihi in matrem. Non peto Domine, non peto mundi delitias, sed tuas angustias; non pulchritudinem, sed tuam crudelissimam mortem. Citò Domine Iesu, citò tribue mihi mammam, iam amplius noli differre. Nam infans sum, & indigeo lacte. Nõ enim potest infans absque lacte viuere. Præbe Domine, præbe vbera vulnerum tuorum, ne fortè deficiam exhaustus. Intrent cor meum vulnera tua, & ipsa intrent intima meã, & erit anima mea refecta pinguedinis dulcedine, liquefacta amoris ardore, & exhilarata odoris suauitate. Sed quis sum ego Domine, vt à te talem matrem audeam petere, quam solis amicis tuis & intimis proceribus tuis conungis? Sed quamuis vanitas & detestabilis sanies sim, tamẽ semper de tua immensa clementia præsumo, & si non habeam puritatem, & sanctitatem dulcissimæ matris tuæ, vt dignè secum tibi compatiar, latronis tamen prauitatem habeo, vt secum ad latus tuum crucifigi debeam. Magis enim in hac vita desidero Domine cum latrone tecum in cruce ascendere, quã cum Petro, Iacobo, & Ioanne in montem transfigurationis ascendere. Nam mihi magis placet ad prẽsens, oculo mentis te videre cõsputum, quàm transfiguratum. Et si non sim tanquam velum nobilissimum in templo, vt in morte tua scindar, sum tamẽ fœtidissimum monumentum, vt ad apertionem tuam lateris aperiri debeam. Quid in me queris Domine? Si in morte tua petræ scissæ sunt, ego sum durior petra. Si enim terra mota est, & ego terrenissimus sum. Quid ergo iniquitatis deest in me, vt non indigeam tua morte? Etsi cælestis non sum, vt tibi compatiendo nequeam cum sole obscurari, tamen infernalis conuersationis sum, vt in hoc triduo mortis tuæ à te debeam visitari. Non ergo Domine retrahat iniquitas mea, quin mihi hanc nobilissimam matrem ignominiosam mortem tuam, inseparabiliter mihi eius desiderio æstuanti coniungas. Ipsa enim excellentissime omnium gratiarum, & quas mihi tribuere possis: In ipsa fuit summa Dei dignatio, summa ad nos Dei diffusio: Ipsa sua sapientia & prudentia pecusit superbiam nostram. Sua potentia animas de inferno transuexit in cælũ: Sua bonitate & humilisate placauit, immò & donauit Deum. Ad cuius fragrantissimum odorem sentiunt & suscitantur mortui: Ad cuius suauissimum tactũ roborantur infirmi: Pro cuius dulcissimo gustu reficiuntur & consumantur perfecti. Talis est, ô filij, ô filiæ Hierusalem, sponsa mea, amica mea, mater mea, & desiderium animæ meæ. Ipsa inimicum meũ Diabolum superat, me à mundo alienat, & carnem meam castigat. Mihi ergo absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Magna mihi quippe Domine gloriatio, quod pro me cælum, terram, sydera & alias inferiores creaturas fecisti. Sed multò sine comparatione mihi maior gloriatio, quod pro me formam serui accipiens, factus es similis mei, me regens, me gubernãs, me nutriens, me cunctis animalibus præponens & exaltans. Pro me autem factus es esuriens, sitiens, peregrinus & laborans, tantaque incommoda patiens, vt penè vniuersa mundi mala sustinueris. Sed, dulcissime Domine, omnia ista non mihi sufficiũt, nisi superaddes & vulnera tua. O bone Iesu, ô chara spes, ô dulcis amor, nónne è cælo es lapsus, vt me perditum quæreres; vt damnatum redimeres, & me venditum tuo sanguine pretioso recuperares, & me exulem à patria, tuis sacratissimis vulneribus ad propria remeares? O dulcis pastor, O cordium exhilarator, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ dedisti mihi? Certè nescio, Domine Iesu, quid tibi tradam, cùm nihil sim absq; vulneribus tuis. Quid à me postulas, ô dulcis amor? An fortè vis cor meum, vt maneat tecum in vulneribus tuis? O quàm libenter dabo tibi illud, dummodo id vulneres. Tolle Domine, tolle cor meum, & vulnera illud. O Domine quæ est ista locutio, quomodo ausus sum tibi velle dare cor meum tam prauam, tã iniquum, & sic inquietum? Et tamen omni die, & omni hora audio te clamantem; Fili, da mihi cor tuum. Prou. 23.

tuum. Ex quo libenter tibi dabo illud. Domine tu te totum mihi dedisti, & a me solum cor meum requiris? O immensa clementia. O ineffabilis benignitas. O mea dignatio. O longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum charitatis diuinæ, vilissimum lutum sum, detestabilis sanies, & vilissima creatura. O quàm magnum mihi est Domine, vt tu tam excellens Rex regum & Dominus dominantium à me vilissimo & inutili seruo tuo, digneris postulare & velle cor meum. Certè si haberem cor ita magnum, quod ipsum solum esset maius, quam omnia simul corda filiorum hominum, & quàm affectus omnium Angelorum: Et vt mirabilius loquar; Si cor meum adeò esset magnum, vt plura corporalia & spiritualia simul acto contineret, vel continere posset, quàm cælum Empyreum, quàm montes, & colles, & omnes abyssi, ipsum certè totum & totaliter tibi darem, & dare deberem. Et adhuc tibi tanto Domino hoc totum munusculum paruum esset, immò nihil esset. Quanto ergo magis illam modicam scintillam cordis quam habeo, tibi dabo, & libentissimè & totaliter in te & in tua vulnera ponam? Hoc enim permaximum est, non tibi, sed mihi, vt cor meum digneris habere. Nónne ergo stultus essem, si illud de cetero alicui creaturæ applicarem, cùm tu Deus & creator meus ipsum velis, & petis habere? Certe nolo etiam quod in me ipso amplius maneat, sed volo quod ipsum tecum in te totaliter requiescat. Tu enim ipsum creasti ad te dignè laudandum. Melius enim mihi est & cordi meo, vt ipsum remaneat tecum in cruce vulneratum, potiùs quàm in iucunditate omnium terrenorum; potiùs in tuo latere, quàm in æterna iucunditate & bonitate immensa; potiùs ad præsens in tribulatione, quã in diuina maiestate; potius in tuo labore, quàm in meo corpore. O quàm melius mihi est stare in tua securitate, quàm in mea fragilitate, potiùs in tua lamentatione, quàm in mea iniquitate. Tolle Domine, tolle cor meum, & vre illud sancti Spiritus igne, vt te semper quærat, te sitiat, te amplectetur, & osculetur, tecum clamans doloribus vulneretur, tecũ lugens misericordiam impetret, & tecum moriens viam inueniat, qui es benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

DE LOTIONE PEDUM *Apostolorum.*

MEDITATIO XX.

LAudabilis olim Sanctorum mos fuit, vt iam morituri, cùm ad finem itineris sui peruenissent, vnoque pede in hac, & altero in futura vita stabant, præclaras aliquot sententias è thesauro pectoris sui depromerent, ad ædificationem & doctrinam suorum discipulorum: non ignorantes, quidquid illa hora dicebatur) præterquam quod esset notabile) memoriæ altius hærere impressum. Proinde vnus commendabat suis charitatem, alter humilitatem, tertius paupertatem spiritus: quidam mortificationem propriæ voluntatis, & alius virtutem aliam, iuxta cuiusque deuotionem & pietatis sensum.

Quapropter cùm hodie Sanctus Sanctorum & Doctor Doctorum ex hac vita migraturus sit, oportet vt omnes ij, qui titulo Christi insigniuntur, & illius discipuli sint, stent arrectis auribus, attenti ad omnia, quę faciet atque dicet Magister eorum in hoc tempore. Omnia enim erunt exempla & dogmata magnæ ædificationis & vtilitatis. Seruator noster Christus reseruauit optimum vinum vsque ad finem conuiuij. De Cygno fertur, quòd imminente morte dulcissimè cantat, & imminente funere lætatur. Candela quoque cum penè absumpta est, iam iam extinguenda, clariùs lucet, & luculentiorem emittit flammam, quàm antea. Sic Dominus ille, qui venerat vt esset lux mundi, iam consummandus & extinguendus, maiori fulsit exemplorum & dogmatum claritate. Proinde nunc magis, quàm vnquã antea nos & corpore & animo præsentes esse debemus omnibus ijs, quæ nobis dicturus, & quæ facturus est.

Huic accedit & alia ratio: hodie siquidem cœpit idem Dominus suum condere testamentum, quod absoluit postridie, exspirans in cruce: vbi Patri commendauit spiritum suum, Discipulo Matrem, Corpus sepulturæ, Latroni Paradysum, vitam mundo vsque ad vestimenta sua, quæ ijs, qui rapuerant ea, quiq; illum crucifixerant, legauit. Hodie verò duo nobis testamento suo dedit, quæ prætiosiora sunt totius mundi possessione, corpus nimirum & sanguinem suum sanctissimum; quod mysterium instituit ad vitæ nostrę conseruationem, ad viæ nostrę ducatum, ad vulnerum nostrorum medelam, ad subsidium in omni nostra tribulatione, ad memoriam suæ charitatis, ad arrham seu pignus infallibile hæreditatis æternæ. Tantum enim valet hæc arrha, quantum omne id, cuius gratia data est. Sed & testamentum hoc confirmatum est morte Testatoris interueniente. Non sicut vetus testamentum, quod poterat reuocari, eò quòd Testator viuebat: sed hic post factum testamentum Testator mortuus est, ratumque nobis & irreuocabile reliquit. Propter hanc itaque causam, non minus etiam, quàm propter eam, quæ primo loco posita est, oportet omnino nos hic attentos oculis & auribus prę sentes astare, vt videamus & audiamus, quid cuique dabitur & prę cipietur.

Incipiens itaque Euangelista huius mysterij narrationem, primùm indicat tempus quó peractum est, festum scilicet Paschale. Erat autem pascha omnium festiuitatum Iudaicarum celeberrima, quo tempore Iudæi agebant memoriam summi illius beneficij, quo Deus eos eduxerat è seruitute Ægyptiaca, & in terram promissionis induxerat, omnibus inimicis suis in circuitu debellatis: idque mediante sacrificio Agni immaculati, quem offerri præceperat Dominus. Quia verò totũ illud figura fuit nostrę Redemptionis, ordinauit diuina sapientia, vt quo tempore celebrabatur figura, eodem celebraretur & veritas. Exod.12.

Ego igitur ipso die, quo Israel liberatus est à seruitute Pharaonis, & nos liberati sumus à seruitute & captiuitate Diaboli: & quo die Israel missus est in terram promissionis, eodem & nobis aperta est porta Cæli, veræ terræ promissionis; quo die submersi sunt currus Pharaonis, & inimici populi Israel in mari rubro, eodem & inimici nostri, id est peccata nostra submersa sunt in mari sanguinis CHRISTI. Omnia illa peracta sunt per sacrificium Agni, hæc autem omnia peregit Filius DEI, per sacrificium sui ipsius, qui est verus Agnus, qui abstulit peccata mundi. Si itaque vnum fuerit figura alterius, conueniens omnino erat, vt quo die celebrata erat figura, eo & veritas opus suum perficeret: non enim cõuenientia fuit tantum inter mysteria hæc similitudine historiæ, sed etiam temporis, quo celebrata sunt. Atque hoc mũdo conitunguntur & conferuntur figura & veritas, corpus & vmbra, testamentum vetus & nouum, promissio & promissionis satisfactio; Agnus typicus, & Agnus verus. Et sane res est dulcissima æquè & admiratione dignissima, considerare, quomodo primo die panum azimorum (secundùm textùm B. Lucę) sacrificabatur Agnus materialis, quo sacrificio liberati sunt filij Israel de seruitute Ægyptiaca, & quomodo eodem die immolatus est verus Agnus, cuius meritis recuperatus est Exod.14. Luc.22.

mundus,

dus, & qui iugo Dæmonum premebatur, in libertatem assertus. Dico autem eodem die; Iudæi siquidem dies suos numerant, non à matutina ad vesperem, sed à vespere vnius die, ad vesperem alterius.

Vides itaque, quàm pulchra inter sese hæc conueniant proportione & harmonia & quàm accuratè implet Christus, quod Spiritus S. diu præfigurârat. Hoc modo stant duo Cherubin, respicientes alter ad alterum, versis vultibus ad propitiatorium, habentes arcam in medio: duo enim testamenta vetus & nouum respiciunt Christum, & vnum implet quod promittit alterum: non tàtùm eodem modo, sed & eodem tempore. Proinde Saluator noster conuenientissimè voluit celebrare Pascha nouum, quo die vetus celebratum est. Quapropter antiqua Sacramenta occurrunt nouis, & cum illis finiuntur. Hoc modo adimpletum est, quod in lege promissum erat: *Comedetis veteres fruges vsque ad nouum annum; donec noua nascantur, edetis vetera.* quasi dixisset, aduenientibus nouis frugibus veteres abijcite. Quemadmodum enim adueniente Sole, stellæ disparent & obscurantur: sic ad præsentiam nobilissimi illius Sacrificij, cessârunt omnia alia sacrificia: hoc vnum enim, extra omnem comparationem, præstantius est & efficacius, omnibus alijs simul coniunctis.

Leu. 25.

Simile.

Post hoc, Euangelista adducit confestim causam & rationem huius mysterij & beneficij: quæ est magnitudo charitatis Christi. de qua dicit: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quod ideò dicit Euangelista, non quod cum vita creuerat CHRISTI charitas, quemadmodum creuerat paulatim ipsius gratia: sed quod tunc maior ipsis exhibuerit charitas argumenta. Dicunt Philosophi, motum naturalem vehementiorem esse in fine, quàm in principio. Huic autem motui possumus comparare amorem Christi, saltem quoad signa & indicia illius. Amores alij etiam coniugũ optimorum, & bene inter sese viuentium, non sunt eius qualitatis. Vides mulierem habentem, maritum & filios, quæ etsi initiò plurimum illos dilexerit, nunc tamen exiguam eorum habet rationem. Quid ita? accidentia infirmitatum, cura domestica, præsentia mortis: metus reddendæ rationis, & horror sepulturæ, adeo mentem illius angunt, vt nullam alterius rei admittant cogitationem. Atqui ita in hoc casu dicere non possumus, amorem esse maiorem dolore: sed dolorem amore esse potentiorem & vehementiorem, posteaquam is superat amorem, & cõsumet eius vires, sed nec amor ille dici potest fortior morte: sola enim mortis memoria illam extinguit. Amor verò Christi non fuit eius naturæ. Etenim nec mortis memoria, nec eius præsentia potuit refrigescere, aut aliqua eius parte celari flamma illius Charitatis.

Ioan. 13.

Dissimile.

Hæc enim est illa charitas, de qua dicitur in Canticis; *Multæ aquæ tribulationis non potuerunt extinguere charitatem*, nec flumina illam obruere. Dominus enim noster nunc multò humanius & amabilius tractat discipulos suos, multò suauioribus verbis eos compellat, maiora eis beneficia exhibet, diuiniora Sacramenta instituit, & perfectiora exempla illis relinquit, quàm vnquam antea. Inter exempla verò vnum fuit hoc profundissimæ nimirum humilitatis, & perfectissimæ charitatis: proijcit enim se Rex Regum ad pedes suorum famulorum, eosque diuinis suis manibus abluit.

Cant. 8.

Volens itaque Euangelista commemorare magnum magnæ illius humilitatis exemplum, tractat primùm de magnitudine Maiestatis huius Domini. Nam vti pictores nigrum iuxta album ponunt, eò quòd vterque color tunc magis eluceat; ita & magnitudo humilitatis iuxta istam maiestatem posita clarescit magis. Dicit itaque eum esse qui sciebat, quia omnia dederat ei pater in manus. Cui cælum itaque, terra, & infernus, cui Angeli & homines omniaque quæ creata sunt, erant subiecta, ille suas, quæ omnibus creaturis dominabantur, manus subiecit sordidis vilium piscatorum plantis, pedesque lauit. *Surgit*, inquit Ioannes, *à cœna, & ponit vestimenta, & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum.* Vestis illa, vel linteum hoc, quo se præcinxit hîc Dominus, non tantùm lauandis pedibus Apostolorum seruiebat, sed & mysterij nostræ Redemptionis typus erat: tam enim ad opus vnum, quàm ad aliud perficiendum Dominus posuerat sua vestimenta. Sed quę sunt quęso vestimenta Dei? Dicit Dauid, quod *amictus sit lumine sicut vestimento.* Et Ioannes asserit, quòd erat in vestimento hoc scriptum, *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Secundùm illud itaque splendor vestium, quibus vestitus est Dominus noster, est eius claritas, pulchritudo, gloria, sapientia, omnipotentia, immortalitas & beatitudo, omnibus his vestimentis sese spoliauit, quantum ad exteriorem apparentiam, vt lauaret peccata mundi. Tunc enim potissimum lauit, quando sanguinem suum in cruce effudit. Quid itaque nudius vnquam visum est Saluatore in cruce pendente? Vbi erat tunc, Domine, tua fortitudo? vbi erat tua sapientia; vbi omnipotentia, gloria, species, decor & pulchritudo tua? Dicit enim Propheta, quod *non erat species neque decor*: quod vidit te & non agnouit, eò quòd non erat aspectus. Sin autem hæc diuina sunt, & ab oculis nostris abscondita, vbi tua fama? vbi honor? vbi discipuli vbi socij? vbi denique illa multitudo te sequentium, & grex iste, quem tam solicitè in deserto pauisti, qui te regem creare volebat, vbi est? quid illi malè accidit? cur disparuit? Non video in te vel limbum, vel subtegmẽ vnum, ex tam opulentis & splendidis vestibus relictum. Tua potentia habita est pro infirmitate, tua sapientia pro stultitia, tua bonitas pro malitia, tua pulchritudo pro deformitate. O verè Sampson, quis totundit capillos tuæ fortitudinis? quis manus & pedes ligauit? quis te tradidit potentiæ Philistinorum? Testatum est vniuerso mundo, Domine, quòd solus amor Dalilæ, solus amor Ecclesiæ hæc omnia potuit, solum desiderium, quo angebaris ad sanctificandum & lauandum illam tuo sanguine, te vinctum inimicorum libidini tradidit. Proprer hoc lauacrum surrexisti à mensa cælesti, & venisti in hunc mundum, vbi tegens & dissimulans pulchritudinem tuæ gloriæ, lauisti maculas nostrarum animarum.

Ioan. 13.

Vestimenta Christi quæ.

Psalm. 103.

Apoc. 19.

Esa. 53.

Saluator itaque nudus, & linteo, vt ait Euang. præcinctus, misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, inter quos erat & Iudas. Nec dubitandum hîc est, Iudam exceptum à communi hoc beneficio non fuisse, sed eius pedes, vti aliorum, lotos esse. Quod spectaculum magis admirandum? Mirabile est videre Deum pendentem inter duos latrones, sed mirabilius videre illum ante pedes Iudæ proditoris sui procumbentem. Quid cogitaret ille Pharisæus, qui Iesum inuitârat, si videret hæc? murmurabat enim, quòd Christus permitteret se tangi, & pedes eius lauari à fœmina peccatrice, existimans piaculum hoc esse, & rem tam insigni propheta indignam. O Pharisæe si tantopere mireris, qui nihil aliud de Christo sentis, quàm quod propheta est, quid faceres si Deum illum crederes, & si à peccatrice contrectari cerneres? Si enim indignũ erat Propheta, multò magis erit indignum Deo. Pergam vlterius ô Pharisæe, & rogabo, quid face-

Luc. 7.

res, si eum, qui verus Deus est, & Prophetarum dominus, videres non lauari, sed lauare, non manus, sed sordidos pedes, non Regum & Imperatorum, sed vilium piscatorum, & quod plus est omnium peccatorum flagitiosissimi Iudæ, hostis ipsius & proditoris iurati? Quid mirabilius vnquam est auditum? quid magis obstupendum? *Domine audiui verba tua, & timui: vidi opera tua, & conturbatus est venter meus: obstupui, & contremuerunt labia mea.* Abac. 3.

Non contentus tanta humilitate, inquit Chrysostomus, fecit eundem proditorem participem Sacramenti corporis & sanguinis sui: ita vt eum ipsum sanguinem, quem sceleratus ille vendiderat, eidem præbuerit Christus in remedium suorum peccatorum, si resipiscere, & ad cor redire voluisset. Sed omnia hæc non sufficiebant ad vnum expugnandum & molliendum cor, quod Sathanas possidebat. Tãta est vis & fortitudo, qua fortis ille armatus atriũ suum defendit.

Insignis est locus iste, ad expugnandam eorum pertinaciam, qui nolunt humiliari, & petere veniã illatæ iniuriæ; aut qui rogati culpam nolunt ignoscere illi, à quo læsi sunt; confundit egregiè locus iste hos, qui dicunt se nec alloqui posse, nec oculis benignis aspicere eos, qui vel leuissimam ipsis iniuriam intulerunt. Videant, videant illi hîc Deum trigenta denarijs venditum, & tamen prostratum ante pedes eius, qui illum vendiderat.

Sed relinquentes Iudam, ad Petrum veniamus. Ille enim postquam vidit Deum & Saluatorem sũum ante pedes suos proiectum, *Domine*, inquit, *tu mihi lauas pedes?* Tu, cui omnes creaturæ seruiunt, tu quem laudant Angeli, quem adorant Dominationes, in cuius conspectu tremunt Potestates, ante cuius Maiestatem nutant columnæ cælorum, quem laudant Stellæ matutinæ, tu mihi lauas pedes? Tu mihi? quis ego? quis tu? Tu es qui es, Ego sum qui nõ sum. Tu es Dominus tantæ Maiestatis, & gloriæ, vt vniuersitas creaturarum, cælum, terra, mare, Angeli, homines, tota denique hæc magna & admirabilis mundi Machina, & quicquid in ea est, iuxta te posita, nihil sit aliud, quàm minutissima stellula Soli comparata. A tua gloria cuncta obscurantur: deformia sunt omnia pulchritudini tuæ collata; tua magnitudo soluit & destruit omnia. Omnes gentes ante te sunt, quasi non fuerunt, & tanquam nihilum reputatæ sunt in tuo conspectu. Tantum est esse tuum, & tanta tua magnitudo, vt tanquam momentum stateræ, ait Sapiens, sic ante te sit orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. Itaque, ô Deus & Domine mi, gloria & fortitudo mea, si totum Vniuersum, quod tam immensum est in comparatione tui, nihil sit aliud, quàm quod Sapiens dicit, ego qui tam paruus pulsiculus sum illius Vniuersi, quid ero tibi collatus? quomodo me appellabo? quod nomẽ mihi sumam? dicam me esse vermem, muscam, formicam? Nimiũ est: appellabo me pulicem, curculionem, lentem? Minor sum. Nescio ergo Domine, quod mihi nomen imponam: Omnia enim hæc nomina maiora sunt, quàm vt mihi competant. Cùm tu itaque sis qui es, & ego qui non sum, quomodo tu pedes meos lauabis? Hæc omnia, & multo minora sensit & dixit Petrus in corde suo de seipso, vt qui ex reuelatione Patris didicerat iam Filij dignitatem & gloriam. Dominus verò etsi humilitatem & reuerentiam Petri acceptauit, opus tamen incœptum non intermisit, iubens Petrum tacere, & præcipiens vt sub pœna priuationis gratiæ, beneficium oblatum non recusaret.

Magnitudo Dei.

Sap. 11.

Cùm iam CHRISTVS pedes suorum lauisset, accepit vestimenta sua, & sedit iterum in sede, seu cathedra cælestis Philosophiæ, cœpitque declarare, quid mysterium illud significaret: *Scitis*, inquit, *quid fecerim vobis? vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum enim. Si ergo laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius pedes lauare. Exemplum enim dedi vobis, vt quêadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Omnis istius cæremoniæ non alius erat finis, quàm vt palpabile & manifestum nobis daretur humilitatis exemplum, idque daretur in fine vitæ illius, tanquã mnemosinon, vt altius memoriæ nostræ fixum, repositúque maneret. Ergo, Domine, si ille fuerit principalis tuus scopus in hoc opere, sufficiebatne totius vitæ tuæ præcedentis ratio, quæ nihil aliud fuit quàm cõtinuum, idque perfectissimum exemplum humilitatis? Quid aliud hucusque docuisti, quàm humilitatem? Quid sibi voluit ille è cælo in terram descensus? quid, quod natus es in stabulo, positus in præsepio, circumcisus vt peccator, præsentatus tanquam matris immundæ filius, & redemptus in templo tanquam seruus? quid, quòd fugisti in Ægyptum tãquam timidus & infirmus? baptizatus cum Publicanis? persecutionem passus, & calumnijs varijs tanquam malefactor exagitatus? Quid, inquam, hæc omnia sibi volunt? quid nos docent? in quem finem ita acta sunt alium, nisi vt humilitatem nobis commendarent? Quid aliud nobis indicat, quòd matrem humilem, patriam humilem, societatem humilem, habitum humilem, vitamque humilem elegisti? quid, inquam, hæc omnia nobis clamant, quã, *Discite à me: quia humilis sum.* Matt. 11.

Sin autem hæc exempla tibi videantur leuia, nónne sufficiebant illa tuæ passionis, quæ nunc erant proxima? vbi videreris, vt Esaias ait, tanquam despectus & nouissimus virorum, & (vt Dauid ait) opprobrium hominum, & abiectio plebis? vbi capiendus eras, vt latro, ligandus vt seruus, conspuendus vt blasphemator, illudendus, vt morio, flagellandus vt malefactor, crucifigendus inter latrones tanquam vnus ex illis? habitus denique in multo minori pretio quàm Barrabas depeculator & sicarius publicus? Si itaque hæc tot & tanta restabant humilitatis exempla, eaque iam quasi in foribus posita, quid opus erat hoc nouum & inusitatum adijcere? Esa. 53. Psalm. 21.

Nemo poterit commodè mysterium hoc intelligere, nisi qui beneficio cælestis luminis nouerit scrutari hinc excellentiam huius virtutis, illinc difficultatem maximam, quæ sese offert priusquam perfectè acquiratur. Propterea Dominus noster, qui arteriam cordis nostri optimè tetigerat & exploràrat, inuenit tantam infirmitatem in hac parte, vt facilè intelligeret, multis opus esse remedijs, & curam esse difficilem. Est autem virtus hęc optima methodus veniendi ad viam veritatis, id est, ad viam cælorum. Fatetur hoc Augustinus, qui rogatus quæ esset via veritatis, respondit; Non aliam tibi ad capescendam & obtinendam veritatis viam inuenies, quàm quæ monstrata est ab illo, qui gressium nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea autem prima est humilitas, & si iterum interroges quæ sit via veritatis, dico secunda humilitas, & si millies me interrogaueris semper idem respondebo. *Insigne encomium humilitatis.* Aug. Epist. ad Dioscorum.

Alludit B. Doctor dicto cuiusdam Philosophi, qui rogatus quid esset optimum in Rhetorica, respondit: Prima eloquentia, secunda eloquentia, tertia eloquentia, &c. Fuit autem is modus loquendi, quo D. Augustin. voluit exaggerare vim huius virtutis, idque meritò. Cui enim malo non medetur humilitas? cui bono non patrocinatur? cui difficultati non succurrit? Si impetrare velis à Domino misericordiam

ricordiam, iuuabit te humilitas: huius enim ope
1.Reg.21. non tantùm Publicanus Euangelicus, sed & Rex Achab Idololatra, & peruersus diuinam misericordiam obtinuit. Si vis sortem habere in gratia Euangelica, auxiliabitur tibi humilitas: Dominus enim ipse clamat se missum ad euangelizandum pauperibus, id est humilibus; & alio loco dicit pauperes
Luc.4. Matt.11. euangelizari, seu pauperibus euangelium annunciari. Quæris spiritum sapientiæ & cognitionis diuinæ? is absconditus est sapientibus, ait Christus, &
Ibidem. prudentibus: reuelatus autem paruulis, qui sunt humiles. Vis orationem tuam exaudiri? succurret tibi humilitas: scriptum est enim; *Oratio humiliantis se, penetrabit nubes, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Vis viuere sub protectione & vmbra Dei?
Eccl.35. impetrabis illud humilitatis auxilio: dicit enim Dauid: *Custodiens paruulos Dominus, humiliatus sum, & liberauit me.*
Psalm.114.

Si vis vitam tuam componere, teque præparare ad gratiam Dei percipiendam, necessaria tibi est humilitas. Quemadmodum enim naturæ comparatum est, vt omnes aquæ loca quærant humilia: sic gratia non fluit, nisi ad corda humilium. Propterea dictum erat, quod in aduentu Christi omnis vallis
Isa.40. impleretur, & omnis mons & collis humiliaretur. Idem & B. Virgo in diuino illo suo Cantico confirmat: *Deposuit*, inquit, *potentes de sede, & exaltauit humiles: esurientes implenit bonis, & diuites dimisit inanes.*
Luc.1. Diuites vocat hic eos, qui se tales esse arbitrantur, qui superbi sunt, qui arrogantes, qui de virtutibus & meritis suis gloriantur: quemadmodum Pharisæus ille Euangelicus. Si cupias eandem quoque gratiam conseruare, humilis esto: certum enim est & indubitatum, non esse artem, aut
Luc.18. medium gratiam conseruandi aliud, præter id, quo
Bern.in ser. 2.de Natiu. prius est acquisita. Testatur id Bernardus, cùm dicit: Semper solet esse diuinæ gratiæ familiaris virtus humilitas. Nimirum conseruandæ humilitatis gratia diuina solet pietas ordinari. Verè nihil efficacius est ad gratiam conseruandam, quàm humiliter de se sentire.

Sin autem singulari quodam modo velis in anima tua conseruare charitatem, in qua consistit summa totius vitæ Christianæ, certus esto, quod non alia virtus isti officio aptior sit & vtilior humilitate.
Simile. Quemadmodum enim ignis optimè conseruatur si cinere tegatur, ita ignis Charitatis nunquam securius custoditur, quàm cum in cineribus humilitatis sepelitur. Præterea si desiderio magno tenearis, Deum honorandi & glorificandi, memento quod quãtò profundius te coram illo humiliaueris, tantò sublimius illum honorabis, quoniam magna, inquit
Eccles.3. Ecclesiasticus: *Est potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Et Propheta Baruch: *Non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem & iustificationem Domino, sed anima quæ tristis est super magnitudinem mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam, & iustitiam Domino.* Si denique velis vt anima tua sit viuum tabernaculum Christi, vbi moretur, vbi habitet, vbi pascat, vbi cubet in meridie, vbi delicias suas habeat, amplectere omni studio hanc virtutem, hæc enim efficit homines viua templa Dei, vt
Augustin. in Epist. Augustinus affirmat: O Domine, inquit, quàm excelsus es, sed humiles corde sunt domus tuæ. Propterea & Saluator in Canticis vocatur lilium conuallium, vt significetur, quod ipse, qui est nobilissimus
Cant.2. & pulcherrimus flos, supra quem Spiritus S. requiescat, nascitur & conseruatur, non in montibus, sed in humilioribus vallibus. Ne autem longior sim,

valet etiam virtus illa ad acquirendam sanctitatem & iustitiam: vnde insignis quidam Doctor, hoc nobis reliquit elogium; Quis est, ait, sanctus? idem qui humilis, quis sanctior? qui humilior: quis sanctissimus? qui & humillimus est. Quod quidem ille dixit, non quia propriè loquendo, sanctitas mensuretur iuxta quantitatem humilitatis (sanctitatis enim mensura sumitur à Charitate) sed quia plurimum adiuuat & disponit, hæc virtus ad charitatem: vbi enim magna humilitas, ibi magna charitas.

Si itaque tantæ, & tam præclarę sint, prærogatiuæ & vires humilitatis, quid mirum si sapientissimus Magister & Dominus omnium virtutum eam nobis toties, & tot exemplis atque doctrinis commendârit? Quemadmodum enim ingens illa auri cupi- Simile.
ditas fecit homines in terræ viscera descendere, & scrutari venas illius, vt aurum inueniant; sic amor ille, quo prosequuntur hanc virtutem, & encomia illius à Christo nobis data permouerunt multos, vt humiliarentur, & in infimum terræ locum descenderent: vbi fodinæ sunt non auri, vel argenti, sed pretiosissimi huius thesauri.

Porrò non tantùm propter vtilitatem, sed etiam propter difficultatem huius virtutis, Christus toties commendationem hanc repetijt, & tot argumentis & exemplis amplificauit: quæ difficultas tanta est, quanta est ambitio & appetitus honoris proprij, quibus homines quasi furijs exagitantur, quorum vim & tyrrannidem nemo facile pronuntiabit. Appetitus autem ille infensissimus hostis & inimicus est humilitatis, qui & potentior ex eo sit, quod vires administrat Diabolus, qui cupiditatem illam auget, & flammas fornacis illius Babylonici, quæ supra fornacem cubitis quadraginta nouem effunditur, aggestis lignis suffiat.

Si itaque virtus illa tam vtilis sit, sed & accessus ad illam tam difficilis, mirandum non est, si sapientissimus ille medicus, ita sese exercuit, ita manum defatigauit suam, in hoc vulnere curando. Nouerat enim pestiferum humorem, in quo peccabat nostra infirmitas, sciebatque ad eliciendum vel extrahendum illum multis granis aloës opus esse. Quemad- Simile.
modum itaque medici vni contrario per alterum medentur, ita cælestis ille Medicus, non ignorans magnitudinem vanitatis nostræ, voluit illam curare exemplis profundissimæ humilitatis. Si autem hæc tanta encomia tibi sufficiant ad inflammandam animam tuam amore huius virtutis, hortor te, ne contentus sis imaginem & vmbram exteriorem humilitatis te assecutum esse, vt faciunt illi, qui foris humiles apparent, intus autem sunt superbissimi: Tales reprehendit Hieronymus his verbis: Fi- Hieron.
ctam humilitatem fugiens, illam sectare, quæ vera Epist. ad
est, quam Christus docuit: humilitatem, in qua non Demetriadem de
sit superbia inclusa. Multi enim huius virtutis vm- Virg.
bram, veritatem eius pauci sequuntur. Perfacilè est aliquem vestem habere contemptam, salutare submissus, manus & genua deosculari, inclinato in terram capite, oculisque deiectis humilitatem atque mansuetudinem polliceri, lenta voce tenuique sermones infringere: suspirare crebrius, & ad omne verbum peccatorem se & miserum clamare. Et si vel leui sermone offensus sit, continuò attollere supercilium, leuare ceruicem, & delicatum illum oris sonum insano repentè clamore mutare.

Et alio loco: Nihil est, quod nos ita & homini- Hieron. ad
bus & Deo gratos faciat, quàm si vitæ merito non Celantiam.
magni, sed humilitate infimi simus. Humilitatem sequere, non quæ ostenditur aut simulatur gestu corporis aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimatur. Aliud enim est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem. Multo illa de-

formior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpia sunt vitia, quum virtutum specie celantur.

Dicendum hic & illud est, quod inter omnes tentationes vix inueniatur subtilior, & periculosior, & cognitu difficilior superbia. Aliorum enim vitiorum tentationes, vt sunt tentationes carnis, odij, inuidiæ, iræ, vindicandi libidinis, quis non videt manifestissimè esse tentationes peccatorum, quę manifesta sunt & omnibus cognita? Illa verò superbiæ, sæpe laneis pedibus ingreditur, & adblandiens homini, persuadet ei quod est discretus, quod ratione officij multa illi debeantur, & similia; quæ homo facilè de seipso credit, amore allectus proprio, quo excœcatur, & decipit seipsum. Illud vnum est, è grauioribus huius vitæ periculis, è quo multa solent naici incommoda, magnaque vitiorum ataxia. Necesse itaque est, vt verus amator humilitatis semper vigilet, vt stans in specula sua hostem venientem videat, qui cum malignis cogitationibus ostium cordis pulsare incipit, summa cum velocitate accurrere debet, pessulum obdere, & hostem repellere, præsupponendo quod ea cogitatio est inspiratio Draconis illius infernalis, qui est Lucifer, Rex omnium filiorum superbiæ, qui sub isto genere blanditiarum quærit illum inficere, & spiritum illi eundem infundere, per quem olim pulcherrimos Angelos in turpissima Dæmonum monstra conuertit. Verus autem humilitatis Amator nihil amplius de se ipso sentiat, quàm de mortuo fœtido & vermibus scatente cadauere, cuius ipse fœtorem nequit perferre.

Gal. 6. Tunc enim recordabitur illius Paulini; *Si quis existimet se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* & illius; *Quid autē habes, quod non accepisti? si autē accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?* Cui consonat illud eiusdem; *Non quod sufficientes sumus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* & illud; *Cum metu & tremore vestram salutē operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere.* Omne itaque bonum à Deo est, & qui sibijpsi quicquam attribuit, aut inaniter gloriatur in operibus suis, is Deo gloriam furatur suam.

1. Cor. 4.

1. Cor. 3.

Philipp.

DE INSTITUTIONE VENERABILIS Sacramenti Eucharistiæ.

MEDITATIO XXI.

POst pedum lotionem sequitur mirabile beneficium institutionis sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, quæ plena est inæstimabilis charitatis & prouidentiæ. Videns enim Saluator, quòd emigrante se ex hoc mundo, nos tanquam Orphani relinqueremur in medio tantorum tamque ferocium inimicorum, nostri misertus instituit hoc Sacramentum, in quo seipsum nobis reliquit, vt esset perpetuus noster Socius in solitudine nostra: reliquit etiam vt esset conseruatio animarum nostrarum, medela nostrorum vulnerum, confortatio nostræ infirmitatis, scutum contra inimicos nostros, & prælibatio cælestium delitiarum. O admirabile conuiuium, ô panem cælestem, ô cibum vitæ & epulum regale, ô Sacramentum admirandæ virtutis, per quod cæli aperiuntur, debellantur Dæmones, defenduntur homines. Virtute tua vicêre Martyres, de te armati sunt Confessores, tibi suam puritatem debent Virgines, per te iusti triumphârunt de hoc seculo, & ope tua veri pœnitentes ex inferno inferiori in cælum subleuati sunt.

Esa 9. Mirabilis Deus in omnibus operibus suis, in nullo verò mirabilior, quàm in hoc. Quapropter inter nomina, quæ Saluatori apud Esaiam tribuuntur, vnum est *Admirabilis*. In omnibus enim locis & mysteriis vitæ suæ mirabile est. Cæterùm inter omnia, in hoc Sacramento est præter omnem captum nostrum plùs quàm in aliis admirabilis. Quapropter non sine ratione per Manna præfiguratum est, quòd non tantùm proprietate aliqua, sed etiam nomine magnitudinem huius mysterij repræsentat. Manna enim, vel manhu, dictio admirationis est apud Hebræos, idem significans, quod Papæ, vel, Quid est hoc? Multum id conducit nostro proposito, ad explicandum huius mysterij summum miraculum: est enim tale, vt si quis diligenter illud intueatur, non possit non, præ admiratione penè deficere, & sæpe cor suum compellare ac dicere: Quid est hoc? scire me oportet quid sit hoc, quod infinita illa Maiestas, quam non dico terra, sed cæli cælorum capere non possunt, voluit in exigua hostia consecrata totus contineri? Quid est hoc, quod ille, qui habitat in cælo, residet inter choros Angelorum, vult nunc habitare in terris inter filios hominum? Quid est hoc, quod Dominus Maiestatis iterum vult venire in mundum, & iterum manibus peccatorum contrectari? Quid est hoc, quod ille, qui eiusdem est substātiæ cum Patre & Spiritu Sancto, voluit fieri vnum cum homine? quis cibus est iste, qui sic corda confortat? qui sic intellectum illuminat? qui sic infirmitatem inflammat? qui sic animam purificat? Quod conuiuium est illud? quæ pietas est ista? quis amor ille? quæ sunt hæc viscera misericordiæ? Certè donum est dignum tali Donatore, opus eius bonitatis, signum eius charitatis, testimonium eius misericordiæ. O panem Angelicum, ô vitæ cibum, ô fortitudinem nostræ debilitatis, sodalitium nostræ peregrinationis, gaudium exilij nostri, participatio meritorum Christi, vnio suauissima nostri spiritus cum Deo.

Quamuis autem plurimas hîc admirandi causas habeamus, tu tamen ô anima mea admirare ante omnia magnitudinem beneficij, quod Dominus hic tibi præstat, meditantibus sanctissimi huius Sacramenti effectibus, inter quos (sunt enim innumerabiles) primum sibi locum vendicat, quòd hominem Deificat, seu diuinum facit, id est, Deo facit similem in sanctitate, & puritate vitæ, & posthac gloriæ cælestis beatitudine. Quoniam autem hæc dignitas tanta est, vt incredibilis esse videatur, age audiamus ipsum Dominum: *Caro mea,* inquit, *verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.* Hinc est, vt cùm Deus maneat in homine, & homo in Deo, fiant, vt Apostolus ait, vnus spiritus, seu vnum quid; qua dignitate & gloria non potest in hac vita excogitari maior vel excellentior. Iohan. 6.

Exaltemus omnes voces nostras, clangat vbique tuba, conuocentur omnes creaturæ, congregentur omnes nationes, vt reddant gratiam pro gratia tam immensa. Aspexisti Domine oculis tuæ pietatis vilitatem conditionis nostræ, & per sola viscera misericordiæ tuæ determinasti eam dignitate tam excelsa nobilitate, vt vnum tecum faceris. O admirabilis dispensatio gratiæ. Quid admirabilius vnquam auditum est, quàm quod creatura vilis & abiecta per naturam, tam fœda & abominabilis per peccatum, per gratiam sic exaltata est, vt super cælos ascenderit, nec quiescat priusquam ad Deum peruenit? Quid Domine addi potest ei, qui tecum vnitur, nisi vt tibi fiat similis? Quid gossypio additur, cum musco vnitur, nisi eadem suauitas & fragrantia? quid denique addi potest ferro, cùm igne vnitur, nisi vt candeat & ignescat? Quid itaque Domine super est illi, qui tecum coniunctus est, nisi vt fiat diuinus?

O clemen-

O clementissime Domine, quid potuisti facere pro nostro remedio, quod non fecisti? O admirabilis gratia, ô admirabilis permutatio, ô stupendum commercium diuinæ bonitatis? Assumpsisti Domine mortalem & infirmam nostram humanitatem, & reddidisti nobis tuam clementissimam diuinitatem. Verè tu effudisti in nos thesauros tuæ gratiæ, & aperto pectore paterno rupisti venam excellentissimæ tuæ charitatis, & ebulliente sanguine copiosissimo filios tuos asperfisti. Hoc ipso demonstrasti, quantis amorum flammis cor tuum intùs ardebat; & quia ignis ille tegi diutius non poterat, erupuerunt flammæ cum luculentissimo splendore, coquentes nobis hoc epulum, quo non semel fruimur, non vno die reficimur, sed quotidie, quamdiu viuimus in hoc seculo. O admirabilis bonitas, ô ineffabilis Charitas, ô liberalitas nunquam audita, vbi dator ipse donum est, seruus Dominum recipit, homo panem Angelorum manducat, Dominus famulatur seruo, & seruus de carnibus Domini satiatur.

O quàm mirabiliter, Domine, relucet, in hoc mysterio tua bonitas, tua potentia & sapientia? Quæ maior bonitas, quàm tam sublimem Deum sese tam vili animalculo tàm liberaliter, imò profusè communicare? Quæ maior potentia, quàm contineri Deum & hominem sub tam exiguo pane; eumque etiam in minutissimas partes diuidi, sine diminutione? Quæ maior sapientia, quàm inuenire tam conueniens & salubre remedium ad curandam nostrã infirmitatem? Conueniens sine dubio erat, vt nos, qui manducando vitam amiseramus, eandem manducando reciperemus, & quemadmodum fructus arboris nos destruxerat, ita nos fructus arboris restauraret. De fructu arboris illius dictum est; *In quocunque die comederis ex eo: morte morieris.* De huius verò fructu contrarium promittitur, qui manducat de pane hoc, viuet in æternum. Ita vt qui recipit & conseruat in se virtutem & gratiam, quam panis ille cælestis dat, viuet in hoc mundo vitam cælestem & diuinam; eademque vita durabit vsque in æternum: & hic enim, & illic iusti viuent vitam eandem, hoc est spiritualem & diuinam. Differt itaque cibus hic ab alijs omnibus, etiam ab ipso manna, quod datum est patribus in deserto. Alij enim cibi, vti nec manna illud, non dant aliam vitam, quàm temporalem; hic autem æternam dat, quæ quidem incipit in hac vita, nec cum morte finitur, sed durat in omne seculum.

Conueniens bonus cibus & necessitatis nostræ huius animæ.

Præterea cùm omnes lethaliter vulnerati essemus à venenoso illo serpente, conueniens erat, vt nobis theriaca quædam componeretur, cuius virtute sanaremur. Eam autem composuit ipse cælestis medicus in hoc salutari ferculo. Diuinum enim hoc Sacramentum non est aliud, quàm spiritualis theriaca contra venenum antiqui serpentis composita.

Duplex caro in hoc seculo.

Erat & conueniens admodum, vt quemadmodum erat in terris caro quędam putrefacta, quæ corrumpebat omnes animas, quæ illi commiscebantur: ita & alia caro veniret, pura, & sana, quæ purificaret & sanaret omnes animas, quæ illi coniungerentur. Non sunt aliæ carnes præter has duas in mundo, vna est Adami infecta peccato, altera Christi concepta de Spiritu sancto. Quemadmodum itaque anima nostra, cùm carni in vtero matris nostræ infunditur, contrahit actutum ex ea maculam peccati originalis, & omnia mala alia quæ subsequuntur: ita cùm anima nostra alteri illi purissimæ carni per Sacramentum hoc commiscetur, repletur gratia, & omni bono, quod ex gratia profluit, potitur. Ibi homo coniungitur Adamo, & fit particeps omnium Adami miseriarum; hìc copulatur cum Christo, & fit particeps omnium beneficiorum eius.

Venite itaque nunc omnes animę adolescentulæ & amatrices Christi, accumbite, de cælesti hoc cibo comedite, vt vnum sitis cum vestro Creatore. Ne satis sit vobis Christum spiritualiter mente amplecti, sed amplectimi quoque in illum corporaliter in hoc Sacramento. Quemadmodum enim Amatori illi æterno nõ satis fuit spiritualiter naturam humanam amare, sed voluit eandem secum vniri per medium incarnationis, ita vt nos contenti esse non debemus, si Christum spiritualiter amauerimus, sed coniungi quoque eidem nos omnes oportet per sanctam Communionem. Id autem vel eò magis facere debemus, quòd non habemus remedium aliud ad debita nostra persoluenda, & necessitati nostræ prouidendum quàm diuinum illud Sacramentum. Tria enim sunt inter alia, quæ hominem semper obligatum Deo detinent. Primum est multitudo beneficiorum Dei, pro quibus reddere debet gratiarum actiones: multitudo peccatorum, quorum petere debet indulgentiam, seu remissionem: & multitudo miseriarum, necessitatum & infirmitatum, pro quibus remedium tenetur implorare. Quapropter & in lege tria erant antiquitùs sacrificiorum genera, oblatio, quæ fiebat Deo, pro beneficijs acceptis; Sacrificium, quod offerebatur pro peccatis admissis; & aliud sacrificij genus, quod victimam appellabant, fiebatque pro impetranda salute & remedio necessitatum populi. In locum istorum trium sacrificiorum inuenit Saluator alia tria remedia maiora & meliora, dum instituit hoc Sacramentum: Est enim hoc præstantissima oblatio, quæ Patri potest offerri pro omnibus suis beneficijs: est Sacrificium acceptissimum Deo, nobisque vtilissimum ad consequendam remissionem peccatorum: & victima gloriosa pro impetrando remedio, in omni nostra necessitate. Quapropter homo tu, qui tanta debes Deo pro acceptis beneficijs, quitam misere laboras sub peccatorum pondere, cui tot necessitates circunstant, accede ad diuinum hoc mysterium; huius enim thesauro redimes tua debita, huius gratia delebis tua crimina, huius medicina tuam curabis infirmitatem, & diuitijs eius tuæ subuenies paupertati. Sin timor te arceat, tibique persuadeat, magnam esse præsumptionem audere in conspectum tanti Domini venire, Responde, tres istas obligationes te in hanc necessitatem adduxisse, & quod Sacramentum hoc vnicum est, & præcipuum medium tibi à Christo relictum, vt ex eo depromas, quidquid æterno Patri debeas.

Tria genera sacrificiorũ.

Si ea itaque tam magna fuerit misericordia, opusque diuinæ prouidentiæ, memento ne ingratus sis, sed gratias age Christo semper. Vt enim sacramentum hoc continet in se illum, qui est omnia in omnibus: ita etiam omnes virtutes & gratias in se complectitur. Nam si sanctus Rex Dauid olim exhortatus sit Hierosolymorum incolas, vt laudarent Dominum, eò quòd daret satietatem & abundantiam panis corporalis, qui nihil aliud potest, quàm famem corporis exatiare, quantas gratias, quantas laudes nos Domino debemus pro illo pane, qui famem animæ pellit, qui est panis Angelorum, & panis vitæ, factus ex granis illius frumenti, quod cadens in terram, dedit fructum vitæ sempiternæ.

SEQVITVR HISTORIA PASSIONIS ex deuotissimo sermone D. Bernardi, quem malè quidam B. Anselmo tribuunt, desumpta.

MEDITATIO XXII.

PEracta pedum lotione, Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ instituto, datoque in sermone suo illo prolixo charitatis & patientiæ salutari mandato, & dispositio fratribus suis regno Patris tui ad locum Proditori tuo notum, cum illis diuertisti; sciens omnia, quæ ventura erant super te. Ibi animæ tuę tristitiam, quam ex imminente passione tua sponte assumpsisti; sicut & cætera, quæ passus es, in auribus fratrum non erubuisti profiteri, dicès tunc;

Matt. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Positis quoque in terra genibus, procidisti in faciem orans in agonia, & dicens: *Mi pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Et angustias quidem cordis tui certissimè indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de carne tua sanctissima guttatim decurrebat in terram. Dominator Domine Iesu, vnde tua hæc tam anxia supplicatio? Nonne volùntariè omnino Pátri sacrificium obtulisti? Vtique Domine. Arbitramur autem quod hoc ad consolationem infirmorum membrorum tuorum assumpsisti, ne fortè desperet quis, si caro infirma murmuret, vbi ad passionem promptus est spiritus. Nimirum & vt maioris erga te amoris & gratitudinis stimulos habeamus naturalem carnis infirmitatem his indicijs in te expressisti: quibus docemur, quòd verè languores nostros portasti, & non absque sensu doloris passionum sentes percurristi. Vox enim illa vox esse

Matth. 26. carnis videtur, non spiritûs, ex eo quod subiunxisti; *Spiritus quidem promptus est, caro verò infirma.* Hæc Bernardus.

Hoc loco exclamat insignis quidam Doctor Ecclesię; Non sit mihi verisimile Domine, hominem vnquàm fuisse, qui maiores angustias & anxietates perpessus est ijs, quæ in te fuêre. Fidem facit sanctissimus ille tuus sanguis, quem ex venis tuis expressit doloris magnitudo. Quis enim vsquam legitur, in tanta angustia fuisse positus, vt sanguinem sudauerit, nisi tu ô suauissime sponse sanguinum? viua siquidem illa tormentorum, quæ tibi parabantur, repręsentatio, tanta cum violentia sensitiuam partem animæ tuæ (cuius proprium est fugere ea, quæ corpori sunt contraria) concussit, vt dolere, tristari, & expauescere te fecerit. O bone Iesu, quàm graue fuit tuis humeris onus peccatorum nostrorum. Aliàs dixit Pater tuus per Prophetas, *laborauisti sustinēs,*

Esa. 1, 14. malitiam nimirum hominum: sed multò maior subest causa, si tu id dixeris; Verè enim laborasti sustinens, cùm te peccata nostra premerent. Vt enim

Simile. vua in torcular conjecta, onere superimposito, frangitur, atque vndique liquorem effundit: Sic benedicta caro tua onere dolorum intolerabilium pressa, liquorem sanguinis vndequaque diffudit. Adeò vt te humeris nostris imponente onus leue & iugum dulce, nos iterum tibi imponamus onus tam graue, vt nemo illud præter te portare potuerit. Hic primus quem calcasti botrus est, ex quo vinum expressisti pro Virgine filia Iuda, id est, pro Ecclesia sponsa tua. Hic incipit tingi vestis tua sanguine: hic incipis fieri sponsus sanguinis, quamuis incircunciſione huic operi felix auspicium dedisti. Sed ea erat communis puerorum lex; Nunc autem, quod nunquam auditum est, sanguinem sudando diffundis. Itaque ô bone Iesu, quis tibi animus, quæ mens fuit in hoc termino constituto? Quid est, ô pater cælestis, quod filius tuus Vnigenitus ante te in terrum procidens, sic laborat, sic defatigatur? an non memineris quod de tua substantia genitus est is, quem nunc vides sudore sanguineo adeò diffluentem? In te sperauerunt antiqui Prophetæ Patres & Patriarchæ, & liberasti eos: ad te vocem eleuârunt suam, & non sunt confusi. Quare igitur Vnigenitus tuus Filius, qui peccatum non fecit, & in cuius ore dolus non est inuentus, à te derelictus est? Quomodo fieri potest, vt Pater filio suo tam durus & immisericors sit? præsertim pater tam bonus, filio tam bono & tam dilecto? Non est ira tua placata, ô pater sancte, isto spectaculo filij tui tam miserabili? Ecce quid patitur ille, qui nihil mali meritus est? ipse tibi pro peccatis nostris satisfecit, ipse pro redemptione nostra soluit supremum pretium: vna etenim guttula huius sanctissimi sudoris pretiosior est omni totius mundi thesauro. Et quod plus est, ô admirabilis iustitia, non satisfecit tibi his omnibus filius tuus, sed fuerunt hæc tanquam præludia subsequentis passionis. In trunco Crucis, ô Domine, defixi stabant oculi tui, & quamdiu filius illam non conscenderat, satisfieri tibi & placari noluisti: Ita enim à te fuerat ordinatum, vt ea mors esset supplicium filij, quæ manducando sub arbore parta erat, vt qui vicerat in ligno diabolus, in ligno quoque vinceretur.

Volens tandem Pater cœlestis nonnihil refocillare, & consolari Vnigenitum filium suum in hoc duro certamine, misit Angelum de cœlo, qui confortauit illum, & contulit sermones cum eo, vti Moyses & Helias contulerant in transfiguratione, de inæstimabili fructu, qui ex sacra illius passione, in gloriam Patris & salutem mundi redundaret. O mysterium magnæ admirationis. Quomodo potest illud esse? Tu qui es fortitudo & gloria omnium Angelorum pateris, vt animum tibi addat, teque consoletur & confortet Angelus? Verè tu Pater filium tuum minorem fecisti & subiecisti Angelis, posteaquam ad corroborandum & animandum illum cœlitus Angelum demisisti. O bone Iesu, quàm humilis es, & in quem vilem te locum abijcis? certè si non fuisset hæc tua & Patris tui voluntas, præstitisset vt omnes homines perijssent, quàm quod filius Dei vnigenitus ad extremam hanc vilitatem & afflictionem veniret. Sed quia sic voluisti, & in hoc opere demonstrasti, quanto nos amore complexus es, priusquam fundamenta mundi iacta sunt, nostrũ est, beneficium illud grato animo acceptare, cum timore, tremore, gratiarum actione, & amoris tui cum nostra remuneratione, cum tu sis, qui prior nos amasti.

Angelus ad Christum mittitur.

Tristitia Christi magnitudo.

DE ORANDI EXEMPLO QVOD oratio Saluatoris nostri hic nobis præscribit.

NEc tantùm nos docet hic Saluator, in omni tribulatione ad Deum recurrendum esse, sed absolutissimam orationis formam nobis prę-

Sex in oratione perfectè requiruntur. scribit, cum omnibus suis qualitatibus & conditionibus quæ requiruntur. Sex enim sunt, quæ in oratione requiri videntur, vt sunt solitudo, humilitas, attẽtio, perseuerantia, resignatio sui ipsius, & bonorum operũ admixtio: quæ omnia perfectissimè in hac oratione Saluatoris nostri inueniuntur. Videamus primùm quàm conuenientem locum elegerit, montem scilicet Oliueti, & quomodo ab Apostolis suis diuisus est. Non erat ei hæc præparatio necessaria, sed facere hoc voluit, vt exẽplo suo cõfirmaret, quod verbis antea docuerat: *Tu autem,* inquit, *cùm oraueris, intra in cubiculũ tuũ, & clauso ostio, ora Patrẽ tuũ in abscondito:* quod cubiculũ non tantùm spi-

1. Solitudo. Matt. 6.

ritale, sed corporale intel]igitur, cùm haberi potest:

test: locus enim secretus tollit omnia impedimenta externa, & eleuat totum cor in Deum. Hæc est illa solitudo; ad quam fugit mulier in Apocalypsi, quãdo Draco ille rufus & furibundus aperto gutture eã voluit deuorare, vt ostenderet vnum ex præcipuis remedijs, quæ in tentationibus Diaboli vilissima sunt, & nobis commendantur, esse fugam in solitudinem, & silentium orationis, quemadmodum & ipse docet hic suos Apostolos: Cùm enim dixisset, quòd Satanas expetijsset eos cribrare vt triticum, statim remedium addidit: *Vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem.* Apoc. 12.

II. Humilitas. Eccl. 35. Secundum, quod in oratione requiritur, est humilitas, iuxta illud Ecclesiastici: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet donec Altissimus aspiciat.* Istam humilitatem commendat nobis hic Dominus, cùm positis genibus procidit in faciem suam, & prostratus in terram orauit. Exterior enim illa prostratio, indicium fuit profundissimæ humilitatis, qua sanctissima illa anima prostrata fuit ante Maiestatem diuinam, cùm illi loqueretur. Omninò itaque decet vt tali gestu cum Deo gloriæ loquatur, qui per scipsum nil aliud est, quàm puluis & cinis.

III. Attentio. Tertium quod requiritur, est attentio. Cùm enim homo in oratione sua sermocinetur cum Deo, turpe erit, si minus attendat ad ea, quæ dicit: si labia moueantur, cor autem circa externa diuagetur. Quod autem ingens fuerit attentio Saluatoris cùm orauit, arguit lethalis illa agonia, & sudor ille sanguineus, qui toto corpore erupit: ex quo perspicue satis liquet, hic impletum esse, quod in psalmis dicitur; *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* Talis enim esse debet oratio, quam Deus ferè semper solet exaudire. Psal. 118.

IIII. Perseuerantia. Quartum quod requiritur, est perseuerantia: Non enim statim dat Dominus quod petimus, sed vult vt prius magna cum instantia & importunitate flagitemus: sic enim melius intelligimus, cuius sũt dona ista, quæ habemus, & iustioni trutina eadem nouimus ponderare, eique gratias agere, à cuius bonitate in nos profluxerunt. Propterea non debet homo ab oratione resilire, si non statim exaudiatur: sed perseuerare, instare, importunus esse, vociferari & clamare cum Chananæa, donec Dominus, qui dat orandi perseuerantiam, etiam det illud quod oramus: certum enim est, si dederit vnum, alterum non negabit. indicat hoc Propheta, cùm dicit: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.* Explicans hunc locum Augustinus ait. Quamdiu Deus non tollit à te orationem tuam, non amouebit à te misericordiam suam. Psal. 65. Deus non dat gratiam orandi sine perseuerantia.

Huius itaque perseuerantiæ quod potest exemplum dari efficacius hac oratione Domini? Is enim cùm esset Filius Dei, & incredibili infinitoque amore patri dilectus, non contentus oratione prima, quam dixerat, secundam adiecit, & secundæ tertiam: eadem verba repetens, &, vt Euangelista dicit, *prolixius orabat.* Si itaque ipse Dei Filius non destitit ab oratione, cùm semel orasset; sed secundò etiã & tertiò orauerit, qua fronte tu, qui vermiculus es, onere peccatorum grauatus, orare desines, sistatim cùm os aperueris non exaudiaris? Si Filius Dei in oratione perseuerauerit, homo cur non perseuerabit? orat medicus, & non orabit infirmus? si clamare non desinat, qui fons est bonorum omnium; quare non perseuerabit in oratione is, qui omnium rerum est indigus?

V. Propria voluntatis resignatio. Quintum est propriæ voluntatis resignatio seu renunciatio; nimirum vt homo cuncta sua desideria & petitiones omnes ad manus Dei remittat, eiusque voluntati & beneplacito commender. Si enim fecerit hoc Filius Dei, orans non vt sua, sed voluntas Patris fieret: quantò potiùs id hominis est facere, qui sæpe nescit quid orat, nec attendit ad ea quæ facit? Felices illi, qui faciunt hoc ex bono corde, qui sic sese diuinis manibus deuouerunt, vt voluntatem aliam præter eam, quæ Dei est, non habeant, cuius velle & nolle qui semper laudat & probat, is verè humilis est.

Vltimum, quod requirit bona oratio, est, vt qui orat, ita orationem suam temperet, vt propter illam non desinat proximis in necessitatibus suis succurrere; maximè si ad hoc teneatur; ne forte stans in monte & colloquens cum Deo, metalli massam liquæfaciat, & vitulum conflet, eumque adoret pro Deo suo. Ideoque Saluator noster admirabili sua prouidentia ita secessit ad orandum, vt non deposuerit interim curam suorum discipulorum: sed surgens post breuem orationem, visitat discipulos, excitat eos, & ad similem orationem inuitat: fungens simul munere tam actiuæ quàm contemplatiuæ vitæ, ordine tam pulchro, vt vna alteram non impediret. Habent itaque in hoc exemplo hi, qui sese orationis & deuotionis studio consecrârunt, quo moneantur, ne ita se totos isti studio deuoueant, vt interim abijciant curam vitæ illo ũ, pro quibus Christus sanguinem suum effudit. Propterea voluit Deus cortinas tabernaculi fieri ex hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, vt significaret duplicem amorem, quo fideles omnes, qui per cortinas designantur; flagrare debent, qui sunt, amor Dei, & amor proximi. Si itaque in homine sint duo ista dilectionum genera, duo etiam debent esse necessariò genera exercitiorum, in vsum illarum. Dilectioni Dei conducit oratio & contemplatio: ijs enim duabus crescit Amor Dei. Ad dilectionem proximi faciunt opera pietatis & misericordiæ, quibus Amor proximi fouetur & perficitur. Propterea (vti bene monet B. Gregor.) ita debemus vacare orationi, ne obliuiscamur proximi: atque ita debemus inseruire proximo, ne omittamus studium orationis, sine quo debiles efficimur & infirmi, donec tandem inepti simus ad vtrunque.

ORATIO AD CHRISTVM IN HORTO precantem, pro bono fine, siu felici ex hac vita transmigratione.

O Domine Iesu Christe, Fili Dei viui, per amarissimam illam angustiam, quæ animam tuã oppressit in monte Oliueti, perq; tremorem illum & pauorem, qui inuaserunt sanctissimam carnem tuam, quando præ dolore dicebas, *tristis est anima mea vsque ad mortem*, te oro anima & spiritu humillimo, corpore quoque in terram prostrato, vt in vltima hora transitus mei, quando in extrema angustia timor & tremor occupabunt cor & intellectum meum, succurras mihi, & des in tristi illa agonia, vitæque & mortis duello robur & fiduciam tuę misericordiæ. O suauissimè Domine, & magister mi noli me illa hora, & in summo illo periculo derelinquere, sed sicut Pater tuus misit tibi Angelum de cęlo, qui te consolabatur, ita tu Domine mitte mihi Angelum sanctum tuum, qui mihi assistat in illa hora, qui me confirmet, & robur subministret contra omnes impugnationes inimici, quique in omnibus mihi auxilietur. Noli Domine consentire, vt consiliũ & tentationes Maligni prævaleant contra nos, aut eius tentationes nos superent, aut vt ille falsis suis persuasionibus nos seducat & decipiat. Arma & confirma cor nostrum virtute tuæ patientiæ, vt nec aduersitas, nec dolor quantumuis magnus & violentus nos ad impatientiam impellat, sed in omnibus & per omnia sit anima nostra subiecta, & conformis

mis tuæ diuinæ voluntati; tã in infirmitate quàm in sanitate; tam in aduersitate, quam in prosperitate; tàm in morte, quàm in vita, quemadmodum & tu Domine voluntatem tuam naturalem postposuisti voluntati patris tui. dicens: *non mea, sed tua voluntas fiat.* Non flagito Domine, vt mortem mihi concedas dulcem, non dolores exiguos, non morbum oro facilem: omnia hæc tuæ commendo pietati, vt disponas hæc, non secundùm desiderium meum; sed secundùm vtilitatem & necessitatem animæ meæ. Gratia, quàm à te petimus, est, vt in omni casu nobis detur robur & fortitudo talis, quæ nulla in re succumbat, sed inuicta maneat & inexpugnabilis, vsq; ad vitæ terminum: vt ex societate, quam in hac vita tecum habemus per gratiam, mereamur hinc transmigrando venire ad illam, quam tecum habent Sancti in gloria, Amen.

DE CAPTIVITATE ET PRAESENTATIONIBUS Christi, ex sermone B. Bernardi, de passione Domini.

MEDITATIO XXIII.

QVàm promptus ad passionem fuerit spiritus tuus Domine, euidenter ostendisti, quando venientibus vnà cum proditore tuo, viris sanguinum, & quærentibus animam tuam cum laternis & facibus & armis per noctem, vltrò occurristi, &, ne quid acciperent à duce flagitij, teipsum manifestasti. Nam accedentem ad osculum sanctissimi oris
1. Pet. 2. tui, trucem bestiam auersatus non es: sed os, in quo dolus inuentus non est, ori, quod abundauit malitia dulciter applicuisti. Innocens agne Dei, quid tibi & lupo illi? quæ conuentio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis tuæ fuit Domine, vt omnia illa exhiberes, quæ praui cordis pertinaciam emollire possent. Nam & veteris amicitiæ non immemor, illum commonuisti, dicens; *Amice, ad quid venisti?* atque horrore sceleris sui cor impij ferire voluisti, cum dixisti: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Et ecce *Pha-*
Iudic. 7. *risæi super te Samson.* Non illos à te abstinuit, quod in hora apprehensionis tuæ omnipotenti brachio tuo terræ eos allisisti, non quidem defensionis causa, sed vt cognosceret humana præsumptio nihil se posse aduersus te, nisi quantum permitteretur à te. Ecquis audiat sine gemitu, qualiter homicidas manus in illa hora in te iniecerunt. Et innocentes manus tuas, Iesu bone, vinculis astringentes, te agnum mansuetissimum, nihil loquentem, ad instar latronis contumelioſè traxerunt ad victimam. Et nec tunc misericordiam effundere super inimicos tuos, & distillare fauum dulcedinis tuæ Christe cessasti, ac defensoris tui zelum à læsione trahentium te, compescuisti. Maledictus furor eorum, quia pertinax, quem
Christus Annæ & Caiphæ præsentatur. nec Maiestas miraculi, nec pietas beneficij potuit cõfringere. Consilio malignantium aduersum te Pontificum præsentatus es, & veritatem, prout oportuit, confessus, quasi de blasphemia adiudicatus es morti. Amantissime Domine, quanta istic indigna à propria gente pertulisti? vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes cœlos adimpleuit lætitia, quem deprecantur omnes diuites plebis, polluti labijs, suo sputo coinquinauerunt, sacrilegis manibus suis ceciderunt, velo in
Psal. 68. derisum operuerunt: & te Domine vniuersæ creaturæ, tanquam seruum contemptibilem colaphizarunt.

Adhuc autem animam tuam incircunciſæ carni glutiendam tradiderunt. Vinctum siquidem ante faciem Pilati perduxerunt, postulantes crucis supplicio te interimi, qui peccatum non noueras: & virum homicidam dari sibi; agnum lupo, aurum luto postponentes. O indignum & infelix commercium.

Et quidem non ignorabat impius ille per inuidiam hæc in te fieri, nec tamen abstinuit à te temerarias manus suas: sed repleuit animam tuam amaritudine sine causa. Illusurus recepit, in conspectum illusorum astare te iussit, nec pepercit amarissimis verberibus virgineam carnem tuam diuellere: plagis plagas, liuores liuoribus crudeliter infligere. Electe puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tãta confusione commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo dirus totius perditionis tuæ causa extiti. Ego, Domine, vuam acerbam comedi, & dentes tui ob- Psalm. 68.
stupuerunt: quia quæ non rapuisti, tunc exoluebas.

In omnibus istis non est satiata perfidorum Iudæorum impietas. Nouissimè autem in incircuncisorũ militum manibus deuolutus es, morte turpissima consumendus. Parum erat sacrilegis illis crucifigere te, nisi priùs & ipsi illusionibus repleuissent animam tuam. Quid enim ait de illis Scriptura: *Et congregauerunt ad eum vniuersam cohortem. Et exuentes eum vestimentis suis, induerunt tunicam purpu-* *Christus flagellatur & coronatur.*
ream, & chlamydem coccineam circundederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & arundinem in dextera eius. Et genu flexo illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et dabant ei alapas, & expuentes in eum, accipiebant arundinem, & percutiebant caput eius.

Expergiscere nunc, ô anima, & attende, quis est iste, qui ingreditur, imaginem habens quasi Regis, & nihilominus serui despectissimi confusione repletus; coronatus incedit, sed ipsa etiam corona cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum caput eius deuulnerat. Regali purpura induitur, sed potiùs in ea despicitur, quàm honoratur. Sceptrum in manu gestat, sed eo ipso caput eius reuerendũ feritur. Adorant coram ipso positis in terra genibus, & Regem clamant, & continuò sputis amabiles eius genas sublimiunt, maxillam palmis & honorabile collum exhonorant.

QUOMODO CHRISTUS CRUCEM in humeris suis vsque ad montem Caluariæ portauit.

MEDITATIO XXIV.

POst hæc flagitiosi illi homines Crucem humeris Saluatoris nostri, adeò fracti atque debilitati, imposuerunt, & Agnum mansuetissimum in montem Caluariæ in locum, vbi mactandus, & immolandus erat, duxerunt. Vbi spoliârunt illum vestimentis suis, & duris clauis corpus eius sancto isti ligno affixerunt, inter duos latrones erexerunt, & lancea transfixerunt, è quo quinque fontes, sanguinem copiosum in redemptionem mundi effundentes, scaturierunt.

Non est verisimile, in hoc solenni actu defuisse publicas voces, & tubarum clangores, qui significarunt populo, hanc iustitiam exerceri & institui in malefactorem & seductorem populi, ex mandato præsidis Pontij Pilati. O impia tuba, ô falsa & mendax tuba. Quod facit Præses, non est iustitia, sed iniustitia maxima: mortis enim reum pronunciat, quem *Pater vltus Christũ condemnauit.* ipse ter antea innocentem & iustum esse confessus est. Sed verus auctor huius iustitiæ est Præses cœlorum, in cuius conspectu omnia totius mundi delicta committuntur: qui adeò iustus est, vt nullum velit peccatum inultum. Quia verò totus mundus non erat sufficiens, vt pro vno solo peccato satisfaceret, euaginauit gladium iustitiæ suæ, & percussit innocentem Agnum, qui solus poterat inter omnes homines pro omnibus peccatis respondere; & proclamata

mata denunciataque est hæc iustitia, non iniusta illa tuba materiali, sed vocibus & scriptis Prophetarum, qui multis ante seculis prædixerunt fore, vt pro peccatis populi Dominus ille percuteretur, & pro iniquitatibus eorum grauia tormenta pateretur.

Sed cur, ô Pater iustissime, peccata nostra tam seueris & rigidis oculis intueris? nonne vides tam esse contra leges iustitiæ immeritum & innocentem plectere, quàm reum impunitum dimittere. Quomodo potest dici iustitia, eaque à te facta, qui ipsa iustitia es, quod ille, qui est innocentissimus, & ab omni peccato omnium remotissimus, tractatur duriùs ceteris; & maioribus quàm quiuis maximè flagitiosus & mortis reus, tormentis cruciatur? Quomodo fieri potest, vt sit iustitia iustitiam vindicare, vbi summa est innocentia? O lux, quæ mysterium illud hoc modo decreuisti in sancto tuo Concilio, illumina oculos cordis mei, vt videam mirabilia operum tuorum, quæ amore tam plena, & iustitiæ tam sunt consentanea: vt sentiens de illis vti sentire debemus, cantem & psallam tibi in hac iustitia & misericordia plus, quàm in alijs omnibus operibus tuis.

Non fit igitur iniuria, nec iniustè plectitur ille, qui etsi ipse non debeat, debitorem tamen, pro alio fide iubens, sese constituit: nec Iudici minus iuris est in fideiussorem voluntarium, quàm in principalem debitorem, qui nomina ipse fecit. Etsi ergo innocentia Christum liberet, amor tamen debitorem facit. Et hæc iustitia, quæ erit iniustitia, si respectu illius aliquis mulctetur: æquum est enim vt homo referens, seu repræsentans reum, castigetur & tractetur haud secus, quam ille ipse, qui peccauit. Et tale, ô Domine, est debitum tuum: quanto enim plus te liberum constituit tua innocentia, tanto plus debitorem te facit tua charitas. Tu procul es à peccatoribus, tu stellis & cœlo cœlorum mundior, nunc autem te video in medio peccantium, similis factus illis, humiliatus & percussus nimis: patiens hoc, quod illi pati debuissent. *Propterea infixus es in limo profundi, &* Psalm. 68. *non est substantia:* non inuenisti solidum quid & firmum, cui pedes tui inniterentur. Voluisti enim à Patre derelinqui, & ineffabili seueritate castigari. Nam dum tu sustines tormenta seruorum more sine vlla consolatione, nos quibus nihil præter infernum debebatur, in cœlum vsque sumus exaltati.

Ratio itaque mortis tuæ talis est, vt amor mori te faciat, non tua culpa: & proinde quamuis Pilatus tuam deprehendens innocentiam, dixerit, se causam mortis in te non inuenire: nos tamen inspicientes cor tuum, tot causas passionum tuarum inuenimus, quot sunt culpæ & peccata nostra. O nos miseros, cur tales sumus, qui culpa nostra pulchritudinem innocentiæ tuæ deturpamus, & in ferrum atque ignem mittimus illum, qui omni pace & requie dignus est? Annunciant itaque præcones ad honorem amoris tui, & ad ignominiam nostræ malitiæ, quod tu iustè pateris Domine, & quod nostra culpa est, quæ pœnam meruit. Qui itaque audire vult tribus (quod aiunt) verbis sententiam damnationis tuæ, huc accedat; est enim hæc; Qui tam vehementer amat, & tales amat, æquum est, vt talia quoque patiatur.

Christus quomodo reus mortis.

Sententia damnationis Christi.

O anima mea, quot & quàm efficaces hic stimulos habemus, non tantùm ad amandum, sed & sperandum in hunc Saluatorem? Dic mihi, quomodo possibile est non redamare, qui te tam tenerè prius amauit, vt vltrò sese tortoribus dederit percutiendum, & mortis acceperit sententiam, quam tu eras promeritus? Quis frater pro fratre, quis pater pro filio, quæ vxor pro marito pœnas subire velit, quæ alteri debentur? Imaginare itaque recum, & finge quendam esse reum, qui ob delicta sua vinctus in carcere detinetur, iamque sententia Iudicis damnatus est: finge nihil superesse, quàm vt carnifex veniat cum instrumentis, quibus interficiendus est, & sententiam exequatur: finge amicum quendam huius rei in carcerem venire, vestimenta eius induere, infelicem illius sortem in se recipere, liberum illum dimittere, in publicum tandem produci, & pro amico capitis supplicio mulctari, dic mihi, si quid tale acciderit, an non amici illius in reum amorem fuisse ineffabilem dicemus, qui vita sua vitam amici redemit? & qualis vicissim debet esse amor illius rei, in suum redemptorem? Itaque, ô Rex æterne, cùm me videres æterno igni adiudicatum, motus viscеribus misericordiæ, de cœlo in carcerem huius seculi descendisti, & imaginem peccatoris assumens, in locum meum venisti, & pro me condemnatus atque occisus es. Qui itaque extrema pro me periclitatus est, an non hunc summa complexum me charitate dicam? O quæ fuit dilectionis flamma illius, quæ tanta pro me passus est, & maiora pati voluisset, si necessarium fuisset? O Iesu, redemptio nostra, amor noster, omne desiderium nostrum, quæ te pietas commouit, vt in te nostra peccata susciperes? quomodo potero non redamare illum, cuius amoris erga me tot extant testimonia? Bestijs erit inhumanior, tygride crudelior, & saxo durior, qui tali amore non vincitur.

Nec tantùm amor, sed & fiducia in Saluatorem nostrum his meritis, & his beneficijs acuitur. Cur enim amodò non sperabo gratiam, gloriam, & peccatorum remissionem, cùm talem habeam thesaurum, & tam liberalem tribunum ærarium, qui prõptus est: quotidie pro omni debito meo Patri satisfacere? Si enim iustum fuerit, quod innocens mulctatus, & cui omnis honos debebatur, despectus est, vt pro peccatoribus satisfaceret, & Chirographum è medio tolleret, an non etiam iustum erit, vt rei, pro quibus ille satisfecit, nunc ab omni debito liberi, & coram Deo iustificati pronuncientur? Inuenit iustitia viam modumque intrandi in domum Sancti, qui nihil debebat, atque in ea summum ius suum exercuit, & non inueniet misericordia viam, qua patet accessus ad ædes rei seu debitoris, vt deleat culpam, & pœnam remittat? Maius est miraculum, quod Deus est captus, flagellatus, condemnatus, & in cruce mortuus, quàm inimicum recipi pro amico, & traditorem vt filium tractari, si pœnitentiam agat, & ad Dominum reuertatur. Si ergo factum id est, quod maius est, de eo quod minus est cur dubitamus? Nunc itaque Domine, exaltata est tua misericordia, & probata est in peccatoribus tua beneuolentia. Magnificata est tua iustitia, & rigorem seueritatemque suam, in innocente exercuit. Quare etsi peccatori, vt peccatori, gratia non debeatur, debetur tamen illi propter dilectum tuum Filium, qui tam caro illum redemit pretio. Est misericordia, quod peccator saluatur, si peccatorem intueamur: sed est iustitia, si Christum respicianus, & habentes vnum habemus & alterum.

Fiducia excitatur.

Si ergo tanta fuerit illa charitas, quæ tradidit Dominum, tantisque iniurijs & opprobrijs exposuit, vt ablatum Patri honorem restitueret, atque humanum genus redimeret, neutiquam fas aut æquum erat; vt opus in oculis Dei Patris tam gratum & acceptum, mercedem non haberet, & laudem in hoc mundo. Annuntiatur, & præconis voce promulgatur iustitia, quàm in filium tuum exercuisti, & dicitur, quia tu eum obtulisti pro peccatis nostris, sed præcipe Domine, vt notum fiat, quam grata tibi & acceptabilis fuerit illius obedientia, patientia, humilitas, & charitas, & quid valeant hæc coram te, dicant

dicant Domine tui Prophetæ, dicant Apostoli, dicant Euangelistæ, dicat cœlum & terra: tu enim es, qui iustè condemnas, & piè absoluis: tu, qui occidis & viuificas: tu, qui deducis ad Inferos & reducis. Quia itaque filius tuus condemnatus Caluariæ mõtem ascendit, nos à peccatis absoluimur: quia ille mortuus est, & opprobrijs ignominijsque varijs oppletus, nos resuscitati sumus, & magna est coram te nostra dignitas & existimatio, non obstante quòd antea filij mortis & iræ fuimus sempiternæ. Benedicta sit itaque innocentia damnata, quæ tot damnatos absoluit, & benedicta sit iustitia reprobata, quæ tot reprobos iustificauit.

Æquum vt Christus pro nobis intercedens audiatur.

Igitur si merita illius nec terminum habeant, nec numerum, omniaq; sint ad salutem animarum, sine dubio non denegabitur illi hæc petitiõ. Iniquum enim esset, vt, qui tot iniurias pertulit, non obtineret quod petit: ne fortè pius Pater iterum affligat animam Filij, negando quod cupit, cuius antea corpus afflixit diuersis tormentis. Accepit vulnera in corpore suo, vt operentur illa salutem in animabus nostris, quam patientia sua promeritus est. Exceptus & tractatus est vt peccator, qui tamen iustus erat, vt tractemur nos peccatores à Deo, tanquã iusti. Mortuus est, & pœnam nobis debitam sustinuit, descendit in profundum maris cum doloribus quos pertulit: iniquum est, vt pater bis iudicet in idipsum, culpam vnam pœna plectat duplici; sed æquum est, vt debitor iam libertati pristinæ restituatur, si modò velit pœnitere, posteaquam fideiussor tam liberaliter de suo debitum persoluit.

4. Reg 6.

Filij Prophetarum dum ligna succidunt, excidit vni ferrum securis, & in Iordanem cecidit: præcipitque Helizeus, vt manubrium securis ligneum in eundem fluuium mitteret, quo loco ferrum ceciderat: immisso que illo ferrum enatauit, & manubrio,

Allegoria.

vt antea, coniunctum est. O pretiosum manubrium, ô arbor vitæ, quæ pro peccatis mundi huius in profundum pelagus omnium dolorum & suppliciorũ descendere voluisti, nihilominus super aquas tribulationum natasti: quia nec superare te potuerunt illæ, nec amorem aut patientiam tuam vincere. Si tu itaque immersus es aquis amaritudinis, quæ nostris peccatis debebantur, æquum est vt nos, qui tanquam ferrum graues, præ pondere peccatorum nostrorum in profundum maris eramus dimersi, enatemus, & feramur super aquas, & manubrio nostro Christo, tanquam membra capiti coniungamur. Hoc enim modo quod tuum est, erit & nostrum.

Quod cùm ita sit, quis accusãbit eum, qui tecum vnus factus est? quis condẽnabit illum, qui tali dãnato coniunctus est? Cùm Dauid ascenderet montes, & fugeret à facie Saulis, *venerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi*, ære alieno, &

1. Reg. 22.

amaro animo, & factus est princeps eorum. Et noster verus Dauid talium quoque dux & amicus factus est, postquam è sinu Patris exurgens in desertum mundi huius descendit. Propterea iussit æternus ille Pater hæc publica præconis voce proclamari, & omnibus denunciari, vt sciant, quod per amarissimam Filij sui mortem & passionem conceditur peccatoribus gratia, & delictorum remissio: nec remissio tantùm, sed adoptio quoque & cœlestis habitatio. Hoc est pactum, quod inijt Dominus cum nostro Noe, cùm cessantibus aquis diluuij, quæ inundârant, nouos pacis articulos condidit, dicens: quod montes priùs mouebuntur, & colles contremiscent, quàm dispergetur misericordiam suam ab illo, pro quo filius intercedit, petitque delicto. cum remissionem.

CONSIDERATIO D. BERNARDI de gloria Passionis Dominicæ, & imitatione Crucis.

MEDITATIO XXV.

ETiam tot quidem infirma eius, anima mea, vidisti & miserta es: nunc maiestatem eius attende, & miraberis. Quid ait Scriptura? *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terrã, vsque ad horam nonam. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est à summo vsque deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt: & monumenta aperta sunt & multa corpora sanctorum qui dormiebant, surrexerunt.* Qualis est hic, quia & cœlum & terra compatiuntur ei, cuius & mors mortuos viuificat? Cognosce anima mea, cognosce: hic est Dominus Deus noster Iesus Christus Saluator tuus, vnigenitus Dei filius, verus Deus, verus homo, qui solus sub sole sine macula inuentus est. Et ecce cum sceleratis quomodo reputatus est, & quasi leprosus nouissimus virorum æstimatus est, & tanquam abortiuum, quod proijcitur à vulua, sic proiectus est ab vtero matris suæ infelicis Synagogæ. Iste formosus præ filijs hominum, quàm deformis factus est. Hic vulneratus propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & factus in holocaustum suauissimi odoris, in conspectu tuo Pater æternæ gloriæ, vt auerteres indignationem tuam à nobis: vt consederenos sibi faceret in cœlestibus. Respice Domine sancte Pater de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster sanctus puer, tuus Dominus Iesus pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis nostri Iesu clamat ad te de cruce. Quid enim Domine, quid pendet in ea? Pendet, quia præterita tanquam præsentia coram te sunt. Cognosce pater tunicam veri filij tui Ioseph. Hæc fera pessima deuorauit eum, & conculcauit in furore suo vestimentum eius, omnem decorem eius reliquijs cruoris inquinauit. Ecce quinque scissuras lamentabiles in ea reliquit. Hoc est Domine vestimẽtum, quod in manu Ægyptiæ meretricis innocens puer tuus dereliquit, meliorem æstimans iacturam pallij, quàm pudicitiæ, magisque eligens spoliatus carnis pallio in carcerem mortis descendere, quàm pro mundi gloria adulterinæ voci acquiescere. Illi inquam voci, qua dictum est: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Quod vtique esset, cùm dormiret cum adultera. Et nunc Domine Pater scimus, quia ipse Filius tuus viuit, & dominatur in tota terra Aegypti, & in omni loco dominationis tuæ. Eductus enim ad imperium tuum de carcere mortis & infernorum, & attonsus immortalitatis coronam mutata veste carnis immortalitatis decore refloruit, & cum gloria suscepisti eum. Subiugauit enim sibi Pharaonis imperium, & cum triumpho nobili virtute propria cœlos penetrauit. Et ecce gloria & honore coronatus, in dextera Maiestatis tuæ assistit vultui tuo pro nobis. Caro enim & frater noster est. Respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi vsq; ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, vt memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Vtinam Domine appendas in statera peccata, quibus iram meruimus, & calamitatem, quam pro nobis passus est innocens Filius tuus. Certè grauior apparebit & magis digna, vt propter ipsam effundas super nos misericordiam tuam, quàm fuit illa, vt pro peccatis nostris contineas in ira misericordias tuas. Gratias tibi Pater referat omnis lingua sit-

Matt. 27

Esa. 53. Esa. 51. Num. 12. Esa. 53.

Gen. 37.

Gen. 39.

Matt. 4.

Phil. 2.

per

dias tuas. Gratias tibi Pater referat omnis lingua super abundantia bonitatis tuæ, qui vnico Filio cordis tui non pepercisti, sed pro nobis omnibus illum tradidisti in mortem; vt eum tanquam fidelem aduocatum haberemus coram te in cœlis. Et tibi Domine Iesu fortissime zelotes quid gratiarum retribuam, vt dignè retribuam ego homo puluis & vile figmentum? Quid enim pro mea salute facere debuisti, & non fecisti? Ab imo pedis vsque ad summum verticis, te totum in aquas passionum demersisti, vt me totum extraheres de illis, & intrauerunt vsque ad animam tuam. Nam & animam tuam in mortem perdidisti, vt meam perditam mihi redderes. Et ecce duplici me debito obligasti. Nam & pro eo, quod dedisti tuam, debitor tibi sum, & pro mea quidem anima bis à te mihi data, semel in creatione, & semel in redemptione, quid magis iuste tibi reddam, quàm ipsam, non habeo. Pro tua autem pretiosa anima ita contribulata, quid ab homine dignè rependi possit, non inuenio. Nam & si cœlum & terram, & ornatum eorum pro ea possem rependere, certè nec sic vsque ad mensuram debiti vllatenus attingere possem: vt autem ipsum, quod & debeo, & possibile mihi est, retribuam, tui Domine muneris est. Diligendus es, mi Domine, toto corde, tota anima, tota virtute, & tua mihi sequenda vestigia qui pro me mori dignatus es. Et quomodo fiet istud in me, nisi per te? Adhæreat anima mea post te, quia tota virtus eius pendet ex te. Et nunc Domine redemptor meus, te vt verum Deum adoro, in te confido, in te spero, & quibus possum desiderijs ad te suspiro, adiuua imperfectum meum. Ad tuæ passionis glorioſa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. Tuæ victoriosæ crucis regale vexillum in nomine tuo Christe adoro. Tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguineos clauos, tuo sacro latere immersam lanceã, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, tuam gloriosam & victoriosam resurrectionem & glorificationem Christe adoro & glorifico.

Odor enim vitæ spirat mihi in omnibus his. Horum viuifico odore spiritum meum Domine à peccati morte resuscita. Horum virtute ab astutijs Sathanæ me custodi, ac me conforta, vt iugum mandatorum tuorum suaue mihi fiat, & onus crucis, quod post te baiulare me iubes, humeris animæ meæ sit leue; est enim fortitudo mea, vt iuxta præceptum tuum mundi pressuras tam multiplices inuicto animo sustineam.

QVO MODO SPIRITVALITER MYsterium Crucis Dominicæ debeamus imitari.

MEDITATIO XXVI.

SED audi vocem meam, & inclina super seruum tuum crucem illam suauem, quæ lignum vitæ est his, qui apprehendunt eam; vt spero, curram alacriter, portabo infatigabiliter eam, quæ ab inimicis est, crucem post te. Illam inquam diuinissimã crucẽ humeris meis impone, cuius latitudo est charitas, cuius longitudo est æternitas, cuius sublimitas est omnipotentia, cuius profundum est inscrutabilis sapientia. Confige illi manus meas & pedes meos, & totum passioni tuæ confirma seruum tuum Domine. Da obsecro mihi continere ab operibus carnis quæ odisti, & facere iustitiam, quam dilexisti, & in vtroque tuam quærere gloriam, & sinistram quidem meam clauo temperantiæ, dexteram verò clauo iustitiæ in illa sublimi cruce fixas arbitror. Da menti meæ iugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum iactare in te, & dextrum pedem meum eidem ligno vitæ clauo prudentiæ affige. Da vt sinistram spiritus mei sensualitatem non eneruet labentis vitæ infelicitas, felix & sinister quoq; meus fortitudinis clauo in cruce tenebitur. Vt autem aliqua similitudo spinarum capitis tui in me appareat, detur obsecro menti meæ & salutaris pœnitentiæ compunctio, & alienæ miseriæ compassio, & stimulus zeli æmulantis quod rectum est coram te, & ad te conuertar in ærumna mea, dum triplex configetur spina. Libet, vt spongiam per arundinem ori meo porrigas, & aceti amaritudinem gustui meo adhibeas. Libet, vt per scripturas tuas rationi meæ conferas gustare & videre, quoniam florens hic mũdus tanquam spongia inanis est, & omnis concupiscentia eius aceto amarior. Ita Pater in me fiat calix iste Babylonis amarus in omnem terram, non inani flori seducat, non falsa dulcedine inebriet, quemadmodum eos, qui tenebras lucem, lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum arbitrantur. Vinũ myrrhatum cum felle mixtum suspectum est mihi, pro eo quod tu ex eo bibere noluisti, quia nimiam acerbitatem inuidiæ & nequitiæ crucifixorum tuorũ indicabat. Tuæ viuificæ morti, tuum seruum Domine configura, faciens quidem in me, vt moriar secundùm carnem, viuam autem secundùm spiritum iustitiæ. Vt autem integrã crucifixi imaginem me portare glorier, illud quoque quòd post mortem tuam insatiabilis militia impiorum in te exercuit, hãc in me similitudinem exprime. Vulneret cor meum viuus & efficax sermo tuus penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens vsque ad diuisionem animæ meæ, & producens ex ea tanquam ex dextro latere meo, vice sanguinis & aquæ amorem tuum Domine, & fratrum tuorum. Postremò & mundã sindone primæ stolæ spiritum meum inuolue, in qua requiescam egrediens & ingrediens in locum tabernaculi admirabilis & abscondas me donec pertranseat furor tuus. Die autem tertiò post diem laboris, post diem supplicij, manè prima sabbathi gloriæ perpetuæ inter filios tuos me indignum resuscita, vt in carne mea vrdeam claritatem tuam, & adimplear lætitia vultus tui. Ô Saluator meus & Deus meus, veniat, veniat oro tempus, vt quod nunc credo, oculis tandem reuelatis, aspiciam; quod spero nunc à longè, salute apprehendam. Quod pro viribus meis desidero, vlnis animæ meæ amplectar & deosculer, & in maris tui abyssum totus absorbear, ô Saluator meus & Deus meus. Sed benedic anima mea Deum Saluatorem meum, & magnifica nomen eius. Sanctum est enim & sanctissimis delicijs plenum. O quàm bonus, & quàm suauis es Domine Iesu animæ quærenti te? Iesu redemptor perditorum, Saluator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, anxiati spiritus latitudo, animæ lachrymosæ & post te currentis in sudore dulce solatium, & suaue refrigerium, corona triumphantium, vnica merces & lætitia omnium supernorum ciuium. Vberrimus fons omnium gratiarum, inclyta proles summi Dei, & Deus summus, benedicant te omnia quæ in cœlo sunt sursum, & quæ in terra deorsum. Magnus tu, & magnum nomen tuum. O immarcessibilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam viuificans, lumen illuminans, lux omne lumen illuminans, & conseruans in æterno splendore. Mille millena lumina fulgurantia ante thronum diuinitatis tuæ à primo diluculo. O æternum substantiale & inaccessibile, clarum & dulce profluuium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium, cuius vnda sine ortu, cuius profundum sine profundo, cuius altũ sine termino, cuius amplitudo incircumscrutabilis, cuius puritas imperturbabilis. Eructauit te cor Dei altissimi de

[er. 23.

suo

suo impenetrabili abysso, vita vitam, lux lucem, æternus æternum, immensus immensum, & per omnia sibi coæqualem, & de plenitudine tua nos omnes accepimus. Tu enim largissime fons omnis boni, septemplicis gratiæ pretiosum flumen de thesauris tuis emissis, cuius suaui dulcore huius nostri maris, id est, nostræ infirmitatis salsuginem, mitigare digneris. Flumen olei lætitiæ, flumen vini meracissimi, torrens ignei vigoris, Spiritus paracletus à te & à Patre, par vtrique in orbem terræ profunditur, omnia replens, omnia continens, spiritus à te, spiritus à Patre, vnus ex ambobus, vniens ambos, vtpote amborum indiuidua connexio, vnificum gluten, complexus indissolubilis, & pax omnem sensum exuperans. Hic est torrens voluntatis tuæ Domine, quę delicatam illam & gloriosam ciuitatem Hierusalem, quæ sursum est, iugiter potas, & lætabunda ebrietate facis æstuare; vt tibi iubilent hymnum incessabilem lucida illa & flammea organa in voce exultationis & sono epulantis, cuiusque desiderabilibus guttis refocillari sitibundæ fauces exulis populi tui iugiter à te expectant Domine. Sinito Pater, vt catelli bibant de stillis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum illum Domine, quem æstuare fecisti inclytas primitias populi tui insigne solennitatis nostræ: illo quæsumus igneo stillicidio purga, innoua, illumina, inflamma, exhilara, & confirma, & vni cor credentium tibi, vt vnum sint, vnum sapiant, vnum vnanimiter requirant & apprehendant, & vipeant, & benedicant te Deum deorum in Syon. Sit indiuiduæ Trinitati gloria, gratiarum actio, honor & imperium in secula seculorum. Amen.

Esa. 45.

DEVOTA MEDITATIO DE SEPTEM verbis Christi in cruce prolatis.

MEDITATIO XXVII.

APeri nunc aures tuas, ô anima mea, & audi dulce melos salutarium septem verborum, quæ Rex Dauid in cithara crucis modulatur. Est enim hæc vera musica, quæ ex cordibus humanis malignum eijcit spiritum. Audi itaque, quanta cum pietate & mansuetudine primum verbum prolocutus est: *Pater, ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt.* Priusquam mœstam matrem consolatur, priusquã amicis prouidet, priusquam spiritum Patri commẽdat, solicitus est de salute suorum persecutorum: & inter alia, quæ verbis suis disponere voluit, prima curâ fuit salus inimicorum. O bonitas immensa, ô charitas inæstimabilis. Quo tempore Principes Sacerdotum, & seniores populi (qui mortis Dominicæ auctores erant & impulsores) stabant augentes, acutesque dolores sanctissimi corporis eius, cruentis verbis, & horrendis blasphemijs, quæ tanquam sagittæ cor eius foderunt, ille vocem exaltauit ad Patrem, & dixit; *Pater ignosce illis: nesciunt enim quid faciunt.* Cùm plures suppliciorum machinas, & genera tormentorum plura non haberent, quibus lacerum illud, dilaniatumque & crucifixum corpus affligerent, nec ira illorum & rabies adhuc exatiata, nouis ludibrijs vsi sunt: quidam enim mouentes capita, contitia in illum iaciebant, dicentes: *Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo ædificat illud, salua temet ipsum.* Alij vociferantes clamarunt; *Alios saluos fecit, seipsum seruare non potest. Si hic est ille Christus Rex ille, ille Dei electus, seruet seipsum, descendatque nunc de cruce, vt videamus & credamus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult. Dixit enim, Filius Dei sum.* Eo ipso tempore, quo membra Sathanæ, postquam crucifixissent sanctissimum Christi corpus duris clauis, etiam pium eius cor virulentis linguis suis crucifigebant, mansuetissimus ille Agnus plus misertus hostium suorum quam sui ipsius, maioremque salutis illorum, quàm proprij doloris & iniuriæ habens rationem. Patrem pro illis orauit. Nos quando iniuria leui afficimur, expectamus donec tempus nostræ medeatur ægritudini, & volumus vt interea ratio in nobis ferietur, stetq; otiosa. Quin etiam & hoc quærimus, vt humilitas & confessio eius, qui nos læsit, dolorem nostrum mitiget: atq; ita remissio potius aliena virtus est, quàm nostra. Saluator noster nihil horum quæsiuit, non expectauit donec vulnera eius essent sanata: non petijt, vt tempus dolorem illatæ iniuriæ medicaretur; sed in medio vulnerum & dolorum corporis, in medio conuiciorum, quæ tanquam sagittæ acutissimæ cor eius sauciabant, emisit vocem; & verbum hoc de corde, non ferro, sed amore & compassione vulnerato deprompsit. Omnia membra, omnesque sensus eius erant præpedita, distracta & extensa in Cruce: lingua sola erat libera, licet fellis & aceti, quod biberat, amaritudine cruciata: & hæc quæ sola erat expedita, laborat orando pro his qui ipsi malum omne intentabant.

Luc. 23.

Sola lingua Christi libera.

Ergo ô Agne clementissime, pietatis & mansuetudinis infinitæ, noli hostibus esse pius, & amicis severus: noli alienis esse benignus, tuis verò durus & crudelis. Ecce venio ad te Domine, ante pedes tuos procumbo supplex, non scandalizor in morte tua, sed gloriam tuam prædico: non irrideo, vel illudo passionem tuam, sed dolori tuo compatior: eleua itaque vocem tuam, ô Domine, & commenda me dulcissimo tuo Patri, dicens: *Pater, ignosce huic peccatori, quicquid deliquit; nesciuit enim quid fecit.*

Hoc primum verbum est, charitate & misericordia plenum, quod Saluator in Cruce pronunciauit. Secundum fuit ad latronem, qui Regem illum confitebatur & orabat, vt sui esset memor, dicens; *Memento mei Domine, cùm veneris in Regnum tuum.* Mira sanè confessio. Sub ipso passionis tempore, inquit Eusebius Emissenus, ab ancilla interrogatus vnus ex discipulis, B. Petrus peculiarius Christo cognitus, ita respondit; *Non noui hominem istum:* & iste latro, qui ante non nouerat, exclamat; *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Quàm singularis & quàm stupenda deuotio? Sub illo tempore credidit reus, quo negauit electus. Laudabilius hoc itaque in latrone ac magnificentius fuit, quod hominem dãnatum, & inter extrema deficientem supplicia, Dominum credidit, quàm si inter virtutum opera credidisset: non itaque fine causâ tantum meruit. Aduertamus plenius quo tempore Dominum confitetur: feruebat impietas persequentium; exultabat impietas blasphemantium; contritio liuoris, & vulnera Christum solum hominem demonstrabant: sacrarum manuum in lignum crucis extensio, & reuerenda confixio, quæ condemnabat Adæ & Euæ manus, ad interdictum ligni cibum ingemiscenda seculis transgressione porrectas; hæc inquam confixio per omnia infirmitatem hominis asserebat. Illæsæ per latus lanceæ tremenda perfusio, quantum ostendebat hominem, tantum abscondebat Dominum. Apostolis post diuina miracula desperantibus, solus hic non acquiescit scandalo crucis & mortis: solus hic testis est maiestatis, quia socius probatur doloris & ideo adhuc in cruce positus inuisibilem Dominũ angelicis iam oculis videt. Videamus autem, qualis fuerit deprecatio confitentis: *Memento*, inquit, *mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Non dixit, si Deus es, de præsenti supplicio eripe me: sed magis, quia Deus es, de futuro iudicio libera me. Quàm citò repleuit eum Spiritus sancti eruditio? per quam futuri examinis diem cogitans, intolerabile probat

Luc. 23.

Matt. 26

Quo tempore credidit Latro.

esse

esse quod metuit: prædicat seculis iudicis, regemque seculorum. Nondum discipulus, etiam Magister, atque ex latrone confessor : *Memento*, inquit, *mei*, glorioſa voce temperat cruciatus. Temperat diximus, quia etsi pœna cœperit in latrone, nouo genere consummatur in Martyre. Hucusque Emisenus. Miratur & hoc loco Sanctus Ambrosius orationem sancti huius latronis, in eò maximè, quod Christum vocat Regem, videns illum pati vt latronem. Quæ enim insignia, quæ Regis in eo vidit diademata, quare Regem illum potuit nominare? Animaduertit quoque latro ille, quod vulnera, quibus Christi corpus confractum patebat, non erant illius, sed vulnera latronum: & propterea cœpit amare illum, agnoscens in eo propria sua tormenta & supplicia. Nã si credidisset hæc vulnera ipsius Christi fuisse, non iam certè Regem illum vocasset: quia verò aliorum esse cognouit, Regem eum appellauit. Nullum enim est Regibus insigne magis proprium, quàm pati pro communi bono subditorum.

Quis itaque non admiratur, audiens confessionem tam sublimium operum Dei? Erat Dominus noster ex hora afflictus & despectus, maximè relictus à proprijs discipulis, negatus à Petro, venditus à Iuda, blasphematus à Iudæis, illusus ab Ethnicis, cui amplius nemo credebat. Et quo tempore fides omnium periclitabatur, quo aut non credebant illi, aut prorsus eum negabant, latro iste adorauit eum; confessus est, & Regem appellauit, dicens: *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum*. Videt eum condemnatum, & Deum agnoscit; habet illum in pœnis socium; & petit ab illo cœli Regnum. Discipuli, qui tanto tempore cùm Christo erant conuersati, eius admirabilem doctrinam audierant, vitæ innocentiam cum altitudine virtutum & miraculorum magnitudine viderant, hoc tempore fidei naufragium fecerunt: simplex verò hic, & omnium horum ignarus latro, qui nihil audierat, nihil in Christo viderat: qui nihil edoctus erat aliud, quàm furari, & latrocinari: hic superat ipsos Apostolos in constantia, fortitudine, & fidei confessione. Quid non potest homo licet infimus, si diuina cooperetur gratia? & quid potest homo quantumuis nobilis, quantumuis eruditus, quantumuis ingeniosus, si gratia Dei destituatur? Habent hic omnes electi, qui infinita Dei bonitate & misericordia salui facti sunt, vti & hic latro, qui omnium illorum personam repræsentat, quid debeant Deo, suo Creatori & Redemptori. Quis enim non videt fidem & cognitionem huius latronis, gratiam & misericordiam Dei singularem fuisse? Videamus, quid ipse petierit, & videbimus apertè quid viderit. Non petit aliquid in hoc seculo: erat enim iam quasi extra seculum; sed orat gratiam futuri seculi, adstruens sua confessione, eum, qui vnà cum ipso in cruce pendebat, illam dare posse. Quomodo itaque latro iste tali in tempore, tam admirabili luce fidei potuit illustrari, vt rem crediderit quasi cum ratione pugnantem, nisi priuilegio speciali fuisset à Domino præuentus.

Humilitas fidei coniuncta. Paraphrasis orationis.

Nec tantùm hic fides eluxit, sed etiam humilitas fidei in hac oratione coniuncta: *Memento*, inquit, *Domine mei, cùm veneris in regnum tuum*. Non oro, vt sedeam vel à dextris, vel à sinistris: multò etiam minus peto aliquid in hoc mundo (scio enim Regnũ tuum non esse de hoc mundo) sed cùm eris in regno tuo cœlesti, tunc, oro, mei memineris: ne memineris meorum peccatorum, errorum, furtorumque & latrociniorum, quibus hactenus impiè studui: sed memento, quòd homo sum fragilis & infirmus, creatura ad imaginem & similitudinem tuam facta. Recordare, quòd omnia creasti in vsum meum: quòd humanam pro me carnem induisti, quòd mihi prædicasti, mihi ieiunasti, mihi oraſti, mihi vias duras ambulasti; recordare, quod innumerabiles tota vita pro me tribulationes passus es, & nunc pro me in Cruce moreris. Recordare denique, quòd homo sum, licet peccator; quòd frater tuus, quod sanguine tuo redimendus. Non peto magna, scio enim me ijs indignum: non audeo regnum cœlorum postulare: scio enim fore præter decorem domus tuæ, si talis impostor in familiam tuam recipiatur: nec in tantum oro exaltari, vt seruiam supernorum ciuium societati: quoniam nec illo dignus sum officio; tantum supplico, vt memor mei sis, nec obliuiscaris illius in regno, quem socium habere voluisti in tormento. Noli respicere meam malitiam, sed respice tuam bonitatem, quæ aperuit portam misericordiæ toti tuo mystico corpori, ante quam portam ecce sto pulsans & clamans, tanquam inops & mendicus. Per hanc cupio intrare, si mihi concedas Domine per hanc volo thesauros tuæ gratiæ furari, & esse fur in morte, quemadmodum fui & in vita. Audiui, quòd Patrem rogasti pro crucifigentibus te cum summa clementia, & quod excusasti illos in oratione tua, dicens, quòd quid agerent, nescirent. Hinc mihi crescit animus, hinc oritur in me fiducia, vt licet fur & latro sim, audeam me tibi commendare. Tu particeps es doloris, & sentis quid sit in cruce mori: miserere itaque hominis miserrimi in cruce tecum morientis. Non hæc sola crux externa mè cruciat: sed aliæ tres sunt præter hanc, quæ animum meum miseris torquent modis. Prima est dolor immensus, quem ex eo contraxi, quod socium meum in peccatis morientem, & te blasphemantem video. Secunda, timor est ingens, quem de pœnis infernalibus, peccatis meis debitis, concepi. Tertia verò compassio, quæ cor meum lancinat eò quòd & te & matrem tuam innocentissimam video tot doloribus & tormentis excarnificari. Etsi mihi hæc molesta sint, & amara valdè, nihilominus si te mei memorem fore scirem, omnes hæ cruces mihi dulces essent, & in medio dolorum meorum præ gaudio & lætitia exultarem.

Christus ad latronem hunc conuersus, eumque intuitus respondit: *Amen, Amen dico tibi, hodie meecum eris in Paradiso*. O admirabilis munificentia & liberalitas Dei. Cupiebat ille tantùm memoriæ Christi inhærere; & Christus illi regnum cœlorum promittit. Et quando Domine? Hodie, dicit, id est, hoc ipso die. Cum quo? cum ipso Christo. *Mecum*, inquit, *eris*: & cui promittitur hoc? sceleratissimo latroni, qui ob furta & latrocinia in crucem raptus est, & paulo ante cum socio suo Christum blasphemarat. Sed quam ob causam tanta bona illi promittit? quia humiliter orabat. O virtus inæstimabilis sanguinis Christi, qui tam mirabilia operatur: & orationes nostras omnes Deo reddit acceptas. Mag- *Virtus passionis.*
num sanè mysterium, quod sancta illa sexta feria, quando apertæ sunt portæ diuinorum thesaurorum, quando Christus tanta cum liberalitate sanguinem suum deprompsit, perforatisque manibus & pedibus per rupturas & foramina abundantiam misericordiæ effudit, vnam tantum guttulam voluerit erogare. Ad primum latronem dixit Deus: *Terra es, & in terram reuerteris*: vltimò veteris testamenti latroni dicit: *Hodie mecum eris in paradiso*. Vide quàm magna sit virtus Dominicæ Passionis, & quàm vtile cum Christo crucifixo sermocinari.

Nemo ex hoc exemplo arripiat occasionem differendi vitæ & morum emendationem, extrahendi- *Nemo exẽplo Latronis differat pœnitentiam.*
que ad mortem vsque pœnitentiam: quemadmodum enim miraculum hoc Christi fuit vltimum, ita

fuit & maximum. Fuit enim speciale priuilegium, ad gloriam & magnificentiam huius dei illustrandam præordinatum, vt probaretur virtus & efficacia cœlestis illius theriacæ, quam Deus confecerat ad remedium peccatorum. Et quia priuilegium est particulare, non autem lex vniuersalis, nemo debet hoc accipere tanquam regulam generalem omnibus, quod fuit particulare priuilegium vnius.

Huic tam tristi spectaculo astitit Beatissima Virgo Maria non eminus (quomodo scribitur de alijs amicis, & cognatis) sed sub ipsa cruce: *Stabat*, inquit Euangelista, *iuxta crucem mater Iesu*. Non tantum iuxta crucem inuenta est, aspiciens pijs suis oculis latissima & plurima filij sui vulnera, sed stetit erecta, stetit in pedibus suis. O animi fortitudo, ô admirabilis & inuicta constantia. Mundus turbabatur, terra tremebat, columnæ cœli nutabant; membra verò virginea nec tremuerunt, nec conturbata sunt: petræ scissæ sunt, & cor matris integrum remansit. Cor eius factum erat mare amaritudinis, & nauis istius maris exaltata est vsque ad cœlum, sed nauta tam erat dexter, atque clauum tanta cum prudentia moderatus est, vt nulla tempestas tam horrida atque impetuosa inuenta sit, quæ potuit eam impingere, vel euertere, aut à voluntate Dei vel modicum abducere.

Matt. 26. Ioan. 19.

Cum hac nihilominus conformitate voluntatum, non potuit non ingens etiam dolor in B. Virginis anima exoriri, cùm pijs oculis suis intuebatur cruciatus intolerabiles, quos amantissimus eius Filius perferebat. Vnde B. Bernardus: Nec lingua, inquit, poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Nunc soluis Virgo cum vsura, quod in partu non habuisti à natura. Dolorem pariendo Filium non sensisti, quem millies replicatum Filio moriente passa fuisti. Quòd pectus adeò ferreum, quæ viscera poterunt esse tam dura, quæ compassione non mouebuntur, ô dulcissima Mater, si considerent lachrymas & dolores, quos tu iuxta Crucem stans pertulisti, cùm Filium tuum videres tot, tanta, & tam ignominiosa pati tormenta? Quod cor potest cogitare, quæ lingua explicare tuos dolores, tuos planctus, tua suspiria, & tormenta cordis tui, cùm stares iuxta crucem, & videns Filium tuum tam inhumaniter tractatum, non poteras ei subuenire? Vidisti illum nudum, & vestire non potuisti: Vidisti eum sitientem, & potum dare non potuisti: Vidisti iniurijs infinitis illum affici, & defendere non potuisti: Vidisti diffamatum, & pro malefactore habitum, & non potuisti pro illo respondere: Vidisti faciem eius sputo immundo & saliua deturpatam, & abstergere vel mundare non erat tibi concessum: Vidisti denique oculos eius genasque assiduis lachrymis rorantes, & exsiccare tibi non permittebatur, sed nec vltimũ eius spiritum, qui de sacrato illius pectore exibat, colligere licitum erat, nec vultus tam amabiles cõiungere, nec denique mori in illius amplexibus. Optabas mori magis quàm viuere post mortem Filij, & in anima tua dolor crudeliter sæuiebat. O verum eloquium iusti Simeonis: ô Sancti Senis prognosticon: verè nunc, Virgo, eius impleri sensisti vaticinium, qui dixit, gladium animam tuam antequam morirêre, transiturum.

Dolor B. Mariæ. Bern. de lament. B. Virginis.

Luc. 2.

Quare igitur, ô pia Virgo Domina nostra, quare voluisti dolorem tuum augeri hoc tristi Filij tui spectaculo? quare præsens hic inuenta es? non conueniebat vitæ tuæ institutioni videri in loco publico: non est matris videre Filium morientem, etiam cum honore, etiam in lecto proprio: & tu venis vt videas Filium mori publico supplicio, inter duos latrones in cruce suspensum? etiamne tu vincere conaris, quantum in te est, cor & affectum matris, honorare mysterium Crucis, quæ tam propinquò accedis, vt etiam in pallio geras istius doloris vestigia: opem ferre nato non potes, sed præsentia tua crescunt illius tormenta. Hoc enim solum restabat ad augmentum dolorum eius, quod in vltimo agonis sui momento, in ipso transitu, in mortis duello, quando iam vltimi gemitus in afflicto pectore illius rugiebant, deiecerit oculos suos sanguine caligantes, & viderit te mœstissimam matrem sub arbore Crucis lugentem. Quoniam autem sub fine vitæ debilitatis sensibus, & oculis mortis imagine atque vmbra obscuratis, eminus te agnoscere non potuit, propius accessisti, iuxta Crucem stetisti, vt te commodè cognosceret, & videret illa brachia, quibus in AEgyptum erat deportatus, nunc adeò fracta, & pectus illud virginale, cuius purissimo lacte nutritus erat, nunc factum pelagus dolorum. Aspicite quæso, ô Angeli, beatissimas has duas figuras, & intueamini, si fortè positis agnoscere; Aspicite crudelitatem hanc. Abscondite facies vestras à morte vestri Domini; obscurare, & lucem tuam in tenebras conuerte, ô aër, ne mundus videat nudam carnem sui Creatoris. Tenebris tuis pallium corpori illius circunda, ne oculi profani arcam testamenti nudam conspiciant. O cœli, qui tam sereni creati estis: ô terra tanta varietate & pulchritudine herbarum & florum vestita, si vos quasi lugubri veste gloriam vestram tenebris cooperuistis in hac pœna, & cum tremore & motu insolito, licet insensibilis, iniuriam Domini tui sensisti, quid contigit visceribus matris, & pectori illius virginali? O vos, dicit illa, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Verè non est dolor tuo similis dolori, quia inter omnes creaturas non est amor tuo similis amori.

Igitur, ô Redemptor & Saluator mundi, si latro cupiat vt sui memineris, & illius recordatus sis, quantò magis id tua desiderat mater beatissima, sed amaritudine plena? Si tu raptorum memor sis, cur raptæ non reminiscaris? si furum, cur non eius, cui furto, quod amabat, ablatum est? Sed facilè agnosco, Redemptor mi, quòd eius non es oblita: dolor enim, qui ob eius præsentiam affligit animam tuam, non patitur vt illius obliuiscaris: Imò credo te sæpius illam intus allocutam, & cor eius his verbis compellasse: O innocens & afflicta Virgo, qua tuum consolatione dolorem mitigabo? tua consolatio erit mea: hodie siquidem nullam habeo, nec pro me, nec pro te: si sit consolatio, quod tibi condoleo, ecce viuacius sentio dolores cordis tui, quàm eos, qui corpus meum discruciant. O dulcis Mater, vbi nunc gaudia, vbi nunc oblectationes, quas olim ex me percepisti? Ecce nunc hora est, qua me oportet à te corporaliter auferri? in qua mihi tantoperè adamata à me tolleris, & antiqua, nec non amabilis nostra societas interrumpetur. O, quibus verbis tempore separationis te alloquar? Si te appellauero, Matrem, tempore, quo perdis filium, viscera tua voce hac audita dissecabuntur: si te non compellauero, & tam longum iter ingressurus licentiam à te non petiero, nouus dolor alijs doloribus accedit. Ergo non Matrem, sed mulierem te appellabo, *Mulier, ecce Filius tuus.*

Ioan. 19. *Tertium Verbum.*

O sanctissima Virgo, si aliquod verbum tibi fuerit audiendum, hoc sanè fuit conuenientissimum, quod tibi dici potuit, in hoc enim de alia societate in solitudine tua tibi prouidetur, & alius filius, loco illius quem amisisti, datur. Consoletur itaq; te verbum hoc. Quid? consolaretur? imò renouat dolorem meum,

meum; in comparatione siquidem illius, qui mihi datur, manifestius agnosco, qualis sit, qui à me tollitur: dolor meus talis est, vt renouetur, cùm crescunt remedia.

August. Considerare libet, inquit Augustinus, bona mater, & genitrix, & nutrix, & filia desolata, quis sit dolor tuus, angustia tua. Vides enim crucifixum Vnigenitum tuum; mutas filium, Magistrum in discipulum, Regem in militem, Dominum in seruum, omnipotentem in deficientem. Reuera viscera tua penetrat gladius, configit animam tuam lancea & clauus, laniat mentem tuam spinarum aculeus, lacerat cor tuum filij tui amarus aspectus: deest tibi præ amaritudine lachryma, desunt verba, deest fortitudo, marcescit pulchritudo. Vulnera filij tui, sunt vulnera tua: Crux filij tui, est crux tua: mors eius, mors tua. Nutrix, quomodo dimittis alumnum? mater filium? ancilla dominum? Vno die orbaris Patre & Filio. Maluisses vitam, quàm talem socium amittere. Tu es Martyr, & plus quàm martyr: plus enim quàm vitam obtulisti. Duo genera martyrij, & duo inuenit anima mea in hoc die altaria: vnum in corpore Christi, alterum in corde Virginis: in illo, filij caro sacrificatur: in hoc, anima matris immolatur.

Post tertium illud verbum, quo matrem alloctus est, sequitur quartum, quod ad Patrem suum direxit; cui lamentabili voce dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Verbum illud vnam ex

Quartum verbum. Matt. 27

præcipuis circunstantijs, quæ in passione latebant, nobis manifestat: per quam intelligimus magnitu-

Christi dolor maior martyrum.

dinem dolorum, quos Christus patiebatur. Etsi enim & alij plurimi Martyres horrenda, intolerabilia, & inaudita pertulerint, tamen diuina bonitas & misericordia illis in maxima necessitate succurrebat nouis & inusitatis subsidijs atque miraculis: nunc ignē extinguens aut refrigerans, in quem iecti erant: nunc feras mulcens, & immanibus bestijs, quibus erant expositi, ora occludens: his vulnera interdiu accepta nocte curans, alijsque diuersis modis opem martyribus ferens. Præterea, feruor ille charitatis & amor Dei, ob cuius gloriam illi patiebantur; spes quoque certa, secura & indubitata, quam habebant ex eo, quòd certo crederent, mox vbi gladius iugulum traiecisset, statim se ad supernam illam gloriam deportandos, visurosque se pulchritudinem illius Domini, quem tantoperè dilexerant, eaque perpetuò fruituros, tam vehementer eos exhilarârunt, vt

Simile.

magna ex parte dolores lenierint, atque mitigârint. Idem enim & mulieribus prolis amantioribus euenire cernimus, quæ vix sentiunt dolores partus, perpendentes hanc vnicam esse viam perueniendi ad hoc, quod hactenus desiderârunt. Ceterum, illud in CHRISTO locum non habuit: quamuis enim minimum eius tormentum sufficiens fuisset mille

Cur Christus extrema tormenta pati voluerit.

mundis redimendis, propter infinitam illam dignitatem diuinæ personæ, quæ patiebatur: ille tamen propter magnitudinem diuinæ suæ bonitatis, maxima, quæ excogitari poterant, voluit perferre: vt vberior esset nostra redemptio, vt sancti martyres, qui pro nomine eius morituri erant, in suis pœnis & robur & maiorem haberent consolationem. Denique, vt & nos maiores causas amandi, maiora incentiua sperandi, maiora exempla nos humiliandi, & tribulationes patienter sufferendi, nec non & manifestiora argumenta bonitatis & charitatis diuinæ haberemus. Propterea portæ omnes cuiusuis consolationis ei occlusæ fuerunt, nec solatium aliquod, vel à cœlo, vel à terra, vel à Patre, vel à seipso perce-

Christus ab omnibus derelictus. Psal. 86.

pit. Hoc est, quod in Psalmis conqueritur: *Infixus sum*, inquit, *in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*, qua-

si dixisset, in profundo tribulationum eram, & non inueni vbi pedem figerem: quia nec in cœlo, nec in terra vel minimum inuenit solatium, quod dolorem eius leuaret. Quod & ab hominibus derelictus fuit, in eodem Psalmo testatur, cùm ait: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni.*

Dicit autem hoc Saluator propter fugam suorum Apostolorum; omniumque aliorum discipulorum; amicorumque suorum, qui à longè stantes, passionem eius intuebantur. Mater enim, quæ præsens erat, dolorem eius non mitigabat, sed magis augebat. Quemadmodum itaque in isto Psalmo significat se ab omnibus hominibus desertum, ita in hac lamentabili voce indicat sese & à Patre suo derelictum esse, dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Hæc est tristissima vox, & verbum maximè lamentabile, quod ab orbe condito audi tum est. Canunt Prophetæ dolores, quos ob delicta & impietates mundi habuerunt: exaltat Ieremias vocem in suis lamentationibus; testantur tamen omnia dolorum cantica, hanc vocem debere non auribus audiri, sed animo & corde sentiri.

Cur Christus derelictus.

Quia verò in lugubri hac voce, *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Filius Patrem interrogat causam, cur ab eo derelictus sit, nos in veritate respondere possumus: O Domine, vt defenderemur nos, derelictus es tu: vt enim mundo pereunti subueniret, vnigenitum & dilectum sibi filium dereliquit: vt defenderet seruum, deseruit Dominum Itaque non absque causa exclamat Ecclesia: O inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti. O quàm necessarijs vinculis hic obstringimur amare illum, qui in tantum nos prior amauit? O quàm alta mente reponi debet hoc verbum? Dicit Salomon: *Qui obturat aures suas, ne audiat clamorem pauperum, clamabit ipse, & non exaudietur.* Si tantum scelus sit non audire vocem pauperis alicuius mendici, quanto maius peccatum erit, non audire vocem huius pauperis in cruce clamantis, & debiti nostri non recordari?

In præf. cũ cereus paschalis benedicitur.

Prou. 21.

Quintum Verbum. Ioan. 19. Bern. c. 3. de passione

Quintum verbum est, *Sitio*. Quid hoc sibi vult, inquit Bernar. ô Saluator mi? Quid sitis, fidem vestrā, salutem vestram, gaudium vestrum: plus animarum vestrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenet. O bone Iesu, coronam spineam sustines, de tua cruce, & de vulneribus tuis taces: & pro sola siti clamas dicens, *Sitio*. Quid sitis Domine Iesu? Certè solam redemptionem hominum, & gaudium humanæ salutis. Sitire enim te dicis, quod perinde est, atqui si diceres: plus me affligunt mala tua, quàm mea: Maiori cum dolore perfero peccata tua, quàm tormenta crucis meæ.

Si itaque Domine, hæc sitis tua sit, & lachrymæ conuersionis atque pœnitentiæ meæ non fluant, crudelior sum ipsis tuis inimicis, ne hoc quidem dans tibi refrigerium. O Virgo sanctissima, quid sensit tunc pium illud cor tuum, cùm audires vocem hanc, & videres potum, quem filio dederunt illi nequissimi, nec posses ei calicem aquæ frigidæ porrigere; quem aridis faucibus tam supplex petebat? Vbi nunc sunt, ô Magdalena lachrymæ, quas tam copiosè in pedes illius effudisti? Vbi sunt & tuæ, ô Virgo sereniss ima? cur Crucem non ascenditis, labiaque illius arida & liuida oculorum vestrorum lachrymis non refocillatis? ardorem huius sitis cur non refrigeratis.

Sextum Verbum. Ioan. 19

Sextum verbum est, quando iam iam moriturus exclamauit: *Consummatum est.* Leuauit hic Virgo oculos suos honestissimos, vt videret, si cum hoc verbo spiritum emitteret, & vnà cum illo vita Filij sui finire-

finiretur. Quid ergo expectat hic Virgo? an vt dolores filij finiantur? sed si finis dolorum sit, erit & finis vitæ illius: optatne igitur finem vitæ sui Filij? non sanè, non hoc pia mater desiderat. Quid igitur vult? Nouum genus doloris est hoc, cùm nescias, quid petere debeas.

Quid ergo sensit mœstum cor Virginis, cùm oculos sursum attollens, vidit vultum Filij, & ex pallore & mutatione mortis, quæ appropinquabat, præsentiam agnouit? quomodo affecta fuit mater, vbi vidit labia colore tingi mortifero; visum debilitari; nares extenuari, pulchritudinem oculorum obscurari, caput demitti, & sacrum illius pectus inflari? Nostin, ô Domina mea, figuram hanc? Nostin, vnde vox illa rauca sit? quomodo pyropus hæc, in quam conspicere solent oculi nostri, tam turpiter discoloratа est? Quomodo flos ille matutinus sic emarcuit? quomodo sol ille clarissimus sic in meridie defecit? O castissimi oculi, qui hodie spectaculum facti estis carnificum, quò respicietis, vbi non luctus nouas, & nouos dolores haurietis? si sursum attollamini, cernetis indicia & prænuntia mortis mox adfuturæ signa in vultu Filij: si deorsum despiciatis, sanguine Filij tui terram imbutam, tinctamque videbitis. Quò itaque visum aduertes, ô Virgo, cùm cœlum & terra in tuos dolores conspirasse videantur? Quomodo sanctissimi oculi tui potuerunt aspicere riuos sanguinis à corpore illius ad pedes vsque tuos decurrentes, & spiritu non orbari?

Sed nunc tandem requiescet anima sanctissima filij tui. Audi, ô mater, vltimum verbum illius: *Pater*, inquit, *in manus tuas commendo spiritum meum*: & Luc. 23. postquam dixisset hoc, inclinato capite emisit spiritum suum. O dulcis terminus, ô dulcis mors, ô dulcia vulnera, ô dulcis arbor, ô dulce pondus, ô inæstimabilis charitas. Vt miseros tuos exules in cœlum reduceres, tu cœlorũ Dominus in ligno crucis mortuus es, & Patri spiritum obtulisti.

Supplex itaque te oro Domine, per dolorem huius separationis, quando anima illa tua sanctissima à corpore discessit, vt & in hora illa, qua miserrima anima mea à corpore meo diuelletur (posteaquam nemo luctuosam hanc separationem queat effugere) virtute huius mysterij me confortes, vt ijsdem verbis, quibus tu vitæ finem imposuisti, & ego vitam meam possim terminare: vt & ego spiritum meum in manus tuas commendem, & tu eum recipias. Finiatur vltimum vitæ meæ momentum in medio sanctissimorum vulnerum tuorum, & extrema mea suspiria in medio pretiosissimi sanguinis tui terminentur.

DE GLORIOSA RESVRRECTIONE Domini, & primo de gaudio Sanctorum Patrum in Limbo, & quomodo illo die Diabolus victus & spoliatus est.

MEDITATIO XXVIII.

Gaudium huius diei Vniuersale.

POst diem illum vniuersalis Iudicij (in quo merces operum suorum cuique dabitur) nullus est dies in mundo maioris & vniuersalioris gaudij quàm dies ille, quo Christus à mortuis resurrexit. Non enim homo in mundo est, fuit, aut erit vnquã, ad quem nõ pertinet illa gloria. Hodie lætantur homines & Angeli, viui & mortui, cœlum & terra, imò ad Infernum vsque pars illius gloriæ descendit? Etenim hoc die per virtutem resurrectionis Christi, Infernus apertus est, mundus renouatus, & via ad cœlum strata. Infernus apertus reddidit mortuos, mundus renouatus recepit viuos, & cœlum hospitium præbuit resuscitatis. Nullus itaque ab hac festiuitate excluditur, nemini, quantumuis peccator sit, huius generalis lætitiæ communio negatur. Nam teste Maximo; Resurrectio Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, Sanctis est gloria. Si hodie namque per virtutem huius mysterii, Latro Paradisum ingressus est, cur de peccatorum remissione Christianus diffidit? Et si Dominus misertus sit illius, cùm moriebatur, resuscitatus iam non miserebitur? Si humilitas passionis tantùm contulerit ipsum confitenti, quantum dabit gloria Resurrectionis honoranti? in beneficijs enim distribuendis, semper solet maior haberi ratio lætæ victoriæ, quàm mœstæ captiuitatis. B. Maximus serm. 1. de pasch. qui est de ver. psalm.

Hinc itaque patet, quo die Christus resurrexit, eo non solùm iustitiam & vitam nostram, sed spem quoque & lætitiam nostram esse resuscitatam. Meritò itaque omnes quotquot sumus, cum Propheta psallere possumus: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Antea contristabantur & luge- Psal. 83. bant Deum mortuum, nunc autem lætantur, dum vident illum resuscitatum. Et sanè etiamnum mœstum erit & obscurum (modò non etiam sit mortuum) cor nostrum, si in hac solennitate non resuscitetur, sentiens intus nouæ lucis radios, & magna lætitiæ nouæ incentiua.

Etsi hoc iucundissimo festo plurimæ sint in sodalitio Christi festiuitates, primò tamen sese offert primi diei processio, cùm Saluator descendens ad Inferos visitauit & liberauit Sanctos Patres, qui tot seculis in isto loco tenebroso sederant, expectantes diem hunc. Quapropter Saluatore in cruce mortuo, anima eius sanctissima vnita est Verbo Dei, & egressa de corpore, ad cauernas Limbi descendit, vt visitaret Sanctos, qui vixerant in timore, & in spe mortui erant, qui in gloriam cœlestem intrare non poterant, quamdiu debitum generis humani per mortem Christi non erat persolutum. Præfiguratum erat illud quondam in mystico illo mandato, quod Deus dederat in veteri Testamento, in remedium homicidarum & delinquentium, Num. 35. assignans illis certas quasdam ciuitates, in quibus illos habitare voluit, donec summus Sacerdos temporis illius moreretur: cuius mortis beneficio absoluti, & ab exilio suo liberi, patriæ & libertati suæ pristinæ restituebantur. Allegorica expositio.

Quo quæso typo magis ad viuum nobis posset repræsentari negotium hoc & libertas nobis per mortem Christi, summi Pontificis, & æterni Sacerdotis Ecclesiæ restituta? Omnes peccaueramus in Adamo: eramus enim omnes in illo tanquam membra in capite, & rami in radice, & proinde naturali consequentia & ordine diuinæ iustitiæ, dolor Patris in filium redundauit, vitium radicis in ramos diffusum est, & passio capitis in omnia membra defluxit. Propterea omnes à cœlesti paradiso exulabamus, hoc est à patria communi, ad quam inhabitandam omnes creati eramus. Sed exilium hoc finem habuit, mortuo summo Sacerdote CHRISTO, qui seipsum obtulit sacrificium pro communi generis humani debito: atque ita morte, ad quam non tenebatur, soluit illam, ad quam nos eramus obligati: non enim rationi consentaneum erat, vt incassum & frustra moreretur. Hac ratione soluto debito nostro, rescissa est exilij nostri sententia, & sic per illum patriæ sumus restituti. Hæc est illa mors summi Sacerdotis, in qua sperabant omnes Patres, qui captiui tenebantur in Inferni vestibulo, per quam & liberati sunt; non obstante, quòd Redemptor ipse, pro magnitudine suæ charitatis, in propria persona ad illos descendere voluit, eisque lætum hoc Euangelium annunciare: præsentia sua illos exhilarans; & persona sua eripiens illos è seruitute, in qua detinebantur. In hoc opere itaque magna latent virtutum exem-

pla.

Quam perfectè Christus opus salutis nostræ operatus est.

pla. Primum enim videmus hic, quàm perfectè Dominus hoc nostræ salutis negotium ad finem produxit, quod susceperat perficiendum. Non enim contentus magnis illis itineribus, quibus è cœlo venit in terras, è terris in crucem, & de cruce in sepulchrum: quodque tam liberaliter omne debitum nostrum soluisset, sed & ad infima mundi loca descendit; hoc est, in Infernum, vt diriperet atrium Diaboli, & de aduersario nostro triumpharet: vt suos inuiseret, & valida manu è potestate Diaboli erueret, nec deficeret, priusquam illos secum in cœlum adduceret: *attingens omnia à fine ad finem fortiter, & disponens ea suauiter.* Sap. 8.

Docemur etiam hic, quòd negotia gloriæ & honoris Dei, nec non & salutis animarum nostrarum, tam cara nobis esse debent, vt quantumuis illa vilia sint & abiecta, non tamen per alium faciamus, quod faciendum est, sed ipsi manum admoueamus, etiam si principes, etiamsi Reges terræ simus: cùm seruire Deo, regnare sit.

Datur præterea hic exemplum inæstimabilis humilitatis, cùm enim esset Christus Deus & Dominus omnium creaturarum, honor diuitiæ, pulchritudo & splendor gloriæ paternæ, sedens super Cherubin, & scabellum pedum suorum ponens vniuersam huius mundi machinam, non dedignatus est sese deijcere & humiliare, vsque in profundissimum & obscurissimum locum huius mundi, solo amore suorum Electorum permotus. Quamuis illuc descendit non tanquam peccator, sed tanquam triumphator, fuit nihilominus inæstimabilis humilitas, descendere cum sanctissima sua anima ad locum tam immundum, fœtidum, & à cœlo remotum, vt visitaret suos ipse, & lætum nuncium Redemptionis adferret. *Exemplum humilitatis.*

Sed & manifestum argumentum ardentis illius sitis & desiderij salutis animarum nobis exhibetur: posteaquam regalis illa Aquila dimisit sese de loco tam excelso, in tam profundum & humilem, vbi vidit animas, quibus pasci desiderabat. Quemadmodum enim immodicus amor pecuniæ, homines viscera terræ fecit rimare & excauare, sicut Poeta dicit, vt opes, malorum irritamenta, inueniantur, quas natura recondiderat, Stygijsq; admouerat vmbris: Sic ardentissimus ille amor, quo dulcissimus ille Dominus animas hominum complectebatur, fecit illum descendere in infimas terræ partes, ad quærendum pretiosum illum thesaurum, quem Princeps tenebrarum possidebat. Ouid. li. 1. Metamorp.

DE GAVDIO SANCTORVM *Patrum in Limbo.*

MEDITATIO XXIX.

INter alia, quæ in hac meditatione considerandæ sunt, nequaquam minimum est, gaudium, quo Sancti illi Patres Christum coram videntes repleti sunt. Hinc enim manifestum fit, quàm beata sit sors Deo seruientium; etsi id verbis explicari nequeat, nedum à rudi nostro intellectu comprehendi; possumus tamen hic coniectura quadam assequi lætitiæ illius magnitudinem: Initio considerandæ est distantia extremorum & motus horum Sanctorum hoc est, vnde, & quò in ictu oculi sunt transportati: à qua magna miseria, ad quàm magnam felicitatem: à quantis tenebris, ad quantam lucem: à quàm miserabili exilio, ad quàm felicem patriam: à quanta seruitute, ad quantam libertatem: à quam obscura nocte, ad quàm clarum & serenum diem æternitatis. Nam si tantùm ex tenebris istis exire datum fuisset, quanta lætitia perfusi fuissent? quàm ingens itaque gaudium fuit, ipsis exire tenebris, & in lucem perpetuam gloriamque immarcescibilem introire? Non inueniuntur in terris exempla rerum similium, quibus hæc aliquo modo possunt explicari. Cùm enim omne id, quod vitæ præsentis est, punctum tantùm sit & momentum, non potest aliquid comparari cum rebus illis, quæ sine tempore & mensura maiores sunt. Legimus apud probatos Historicos, Romanos olim decreuisse, vt infimæ cuiusdam conditionis hominem, licet fortem & magnanimum, Imperatorem crearent. Qui cùm eligeretur; arbitrabatur se ad supplicium & mortem peti, statuit quidem obedire & certam mortem oppetere: illi autem asseueranter dicebant, se venire vt Imperatorem illum crearent: vti & fecerunt. Quàm ingens itaque fuit lætitia illius hominis, ob repentinam illam mutationem, vt qui mortem omnium rerum terribilium terribilissimam sibi inferendam arbitrabatur, subitò ad Imperium Romanum summum, ad quod homo in hoc mundo peruenire potest, dignitatis fastigium sit assumptus? *Beatæ sors seruorū Dei.*

Quod si ita sit, quantum quæso fuit illud gaudium, quo beati illi Patres oblectati sunt, è statu tam vili, abiecto, & miserabili, ad statum tam felicem euecti? Nam in comparatione illius, omnes mundi Monarchiæ sunt tanquam punctum cum vniuersa cœli circumferentia collatum.

Habemus & aliam coniecturam huius lætitiæ, quæ est magnitudo desiderij, quo cum Sancti illi hunc diem exspectabant. Quanto enim expectatio antiquior, & res quæ expectatur est excellentior, tanto solet esse desiderium maius: sunt enim hæc tanquam duo calcaria, quibus desiderium incitatur: de vno dicit Sapiens, *Spes quæ differtur, affligit animam*, de altero Gregorius loquitur, cùm ait: *Sancta* Prou. 13. *desideria crescere dilatione.*

Quod cùm ita sit, quæso quanta incrementa sumpserunt hæc sanctorum Patrum desideria, ex tot annorum dilatione? Nam si riuulus, quantumuis exiguus, cùm vallo aut septo extructo cursus eius per aliquot dies impeditur, in immensum crescat, & tandem perrupto aquarum vi septo, cum maximo impetu iterum fluat: quid fecerunt illa desideria, tot annorum millibus detenta & quasi frustrata? Erant enim inter illos, qui duobus annorum millibus, alij qui tribus, alij qui quatuor, alij qui quinque, hoc est ab orbe condito, diem hunc expectârant. Quale itaque, & quantum hoc fuit desiderium? quanta spes illa, tot annis dilata? Si infirmus quispiam ingenti dolore afflictus, aut acuta febri correptus, nocte vna hyemali in lecto iacens, huc illuc sese voluens, & sine vlla quiete reuoluens, noctem illam annum esse arbitretur, auroram summo desiderio exspectans, vt radius aliquis solis intret per feneſtram, qui vel paululùm mitiget dolorem, si, inquam, huic tam breue spatium, tam longum esse videatur, & doloris mitigatio tam exigua, tantis votis desideretur; quid putas senserunt illi, qui tot annorum millibus in tenebris prolixæ noctis illius viuebant, & tam magnum solatium, quale fuit aduentus Christi, expectabant? Verbis hæc exprimi non possunt. Quòd si desiderium tantum fuerit, facilis est coniectura, gaudium etiam immensum fuisse, cùm viderunt desiderium hoc suum impletum: gaudium enim hoc aliud non fuit, quàm desiderij satisfactio. Est enim desiderium motus cordis, quo fertur in rem desideratam, quæ cùm præsens est, tunc quiescit, & in ea oblectatur. Huc accesit, quòd ingens etiam fuit gaudium istorum Sanctorum, eò quòd viderent iam verbum Domini impletum, agnoscerent fidelitatem promissionum diuinarum, cùm post tot annorum millia, tam fideliter quod promiserat seruis suis, præstitisset: eò, inquam, quòd cernerent nùc verissimum esse, quod dictum erat per Prophetam: *Apparebit in finem, &* Habac. 2.

Simile.

Simile.

non mentietur: si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. A principio siquidem mundi vix peccato perpetrato Dominus remedium promiserat. Et licet tot annis protraxit, nihilominus fideliter impleuit, quod promisit: & remedium contulit his, qui cum integra fide illud expectabant, atque in hac fiducia morientes ex hoc seculo discesserant, vti Patriarcha Iacob, qui moriens dicebat; *Expectabo salutare tuum Domine.* Danielem in Babylonia, in lacum Leonum, hostium suorum inuidia coniectum, rugientes præ fame Leones (nihil enim dabatur illis quod manducarent, vt fame acrius stimulante, Virum Dei citius deuorarent) non attigerunt: sed famelici & ieiuni, contra naturam suam, misericordiam exhibuerũt illi: ita vt animalia bruta in maiori pretio Sanctum habuerint: quàm creaturæ rationales: vt significaretur, hominem bestijs non naturam subiecisse, sed culpam. Sedentis itaque Prophetæ ieiuni inter bestias ieiunas (quæ teste Basilio, suo nos exemplo ieiunare docuerunt) tandem recordatus est Dominus: vidit seruum suum inter Leonum rictus fiduciam non amisisse, misitque Angelum, qui apprehendit Abacuc in vertice, eumque capillo capitis sui vnà cum prandio, quod ferret messoribus, ex Iudæa in Babylonem transportauit. Cumque posuisset illum Angelus super lacum, in quo erat Daniel, ait Prophetæ: *Daniel, tolle prandium, quod misit tibi Deus.* Daniel gauisus & confortatus hac admirabili cura & prouidentia diuina exclamauit: *Recordatus es enim mei Deus, & non dereliquisti diligentes te.* Nemo poterit profectò facilè explicare, quot lachrymis, quanto cum affectu, deuotione, & cordis exultatione Propheta verba ista protulit, videns in hoc opere, tanquam in nitidissimo speculo, viscera misericordiæ atque bonitatis Dei erga seruos suos: prouidentiam quoque paternam & curam, qua suos regit atque tuetur.

Genes. 49. Dan. 14.

Si hac visitatione anima Prophetæ ita fuerit exhilarata, quale putas fuit gaudium istorum Sanctorum, qui modo tàm admirabili visitabantur, non ab Angelis, sed ab ipso Angelorum Domino, & liberabantur non à lacu Leonum, sed à lacu infernali, accipientes non prandium messorum, sed cibum Angelorum? Illud sanè est de beneficio in beneficium, de gaudio in gaudium, & de vna deuotione in deuotionem alteram progredi.

Augetur etiam gaudium hoc ex consideratione medij tam pij & admirabilis, per quod Dominus illos liberauit; quòd nimirum ipse tam crudelem & ignominiosam mortem subire voluit, vt vitam daret illis beatam & gloriosam: quod calicem bibere placuit passionis, vt calicem æternarum deliciarum illis propinaret. Agnoscentes in illo viscera infinitæ bonitatis & charitatis Dei, meritò, & in veritate dixerunt illud, quod canit Ecclesia: *O inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti.* Declarat hoc mysterium & obseruantia legis, quæ præscribit cæremonias, in agni paschalis esu obseruari solitas, quarum vna fuit: *Os non comminuetis ex ijs.* Sed quis agnus ille paschalis est, nisi ille innocentissimus & mansuetissimus Dominus, cuius sacrificio liberati sumus à tenebris & seruitute Aegyptiaca, hoc est: mundi, diaboli, & peccati? Et quæ sunt ossa vel membra mystica illius agni, nisi fideles, pro quibus passus est? Quæ ergo maior esse potest pietas, quàm quòd Dominus dedit licentiam, vt agnum hunc occiderent, degluberent, in varias partes secarent, comederent, & quidquid vellent, de eo statuerent, saltem vt ossibus parcerent, nec vnum ex illis comminuerent? quasi apertis verbis diceret? Filium meum sacrificate, flagellate, crucifigite; seruos autem meos finite abire, nolite nocere illis, nec durius quidquam in illos statuite: ipse enim satisfaciet pro illis. Hoc est, quod Christus ipse dixit nocte illa, qua capiebatur, satellitibus & ministris, qui venerant vt comprehenderent illum: *Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Cùm ergo Sancti illi Patres pleni Spiritu sancto, luce illa quàm habebant, penetrârunt magnitudinem charitatis illius & misericordiæ, videruntque quàm vtilis & salutaris sibi esset illa dominica passio, & quàm faustus eius aduentus quid putas senserunt in animabus suis? quantas laudes, quantas gratiarum actiones Deo cecinerunt?

In præfatione cũ cereus Paschalis benedicitur. Exod. 12.

Pulcherrima allegoria.

Ioan. 18.

Omnia hæc gaudiorum incentiua, quæ omnem lætitiæ humanæ materiam superant, aliud supereminet sine vlla comparatione maius & præstantius: clara nimirum visio essentiæ diuinæ, quæ in propria sua pulchritudine subitò apparuit in illo loco tenebroso: adeò vt infernus ipse Paradisus factus sit, & in eo reperta bona omnia, quæ posset humana voluntas appetere. Quemadmodum enim nec in cœlo, nec in terra maius bonum est quàm Deus, ita nec maius esse potest gaudium, quàm Deum videre, Deum possidere. Dic itaque mihi, si modò dicit possit, concurrentibus hic tot & tam magnis lætitiæ causis, vt erat mutatio de vno extremo in aliud, antiquitas & magnitudo huius desiderij, consideratio fidelitatis & prouidentiæ diuinæ erga suos, medium per quod saluati erant, & clara visio ipsius Dei, quæ portus est & finis omnium nostrorum appetituum, quæ & qualis fuit exultatio, quæ ex tam prægnantibus causis processit? Quid dixerunt? quid fecerunt? quàm suauiter amplexi sunt Dominum, qui tam misericorditer illos liberauerat? Non est intellectus in orbe terrarum, qui potest hæc comprehendere: nec mirum: res enim spiritales & diuinæ à nobis sunt remotissimæ, eò quòd crassiores sumus, rudioresque & nimis materiales. Præterea & visus noster debilis admodum est ad ea contemplanda, quæ Dei sunt. Quare Philosophi quondam dixerunt, visum nostrum sese habere ad res diuinas & spiritales, vt visus noctuæ ad Solem. Si itaque hæc tam longè sint à visu nostro remota, & visus noster tam debilis sit, quid sequitur, nisi omnia spiritualia nobis minora multò videri, quàm in rei veritate sunt? Propterea & Stellæ nobis tam exiguæ videntur, quia sunt ab oculis nostris remotiores, & visus noster infirmior vix eò sese extendit. Etsi enim quædam illarum septuagesies, aliæ octuagesies, toto terrarum orbe maiores sint: candela tamen nobis minores apparent. Non minus à nobis distant res spirituales & diuinæ, nec firmior est in istis contemplandis visus nostri intellectus: atque hinc est, quòd licet ipsæ natura sua sint maximæ, imò immensæ, nobis tamen paruæ videantur. Propterea & nos sumus, quales sumus, non quales esse deberemus: non enim cognoscimus, quod scire necesse est, vt efficiamur tales, quales nos esse oportet. Etenim si cognoscerent homines non à longè, sed è propinquo, quanta est gloria, quàm Dominus suis præparauit, quàm magnæ diuitiæ & pulchritudo DEI, quibus boni fruentur: & quàm ingens sit debitum nostrum, quo Deo ratione beneficiorum suorum sumus obligati, singulariter autem pro Redemptione, quis esset, qui aut cor, aut manus haberet, ad Deum talem offendendum? Si in iudicandis æstimandisque rebus spiritalibus errare & decipi non velimus, necesse est, vt cùm ad illarum considerationem accedimus, intellectui subueniamus fide: Vti visum corrigimus ratione, quando indicat stellam lucernæ lumine minorem:

Intellectus per fidem corrigendus.

ita

ſua neceſſe eſt, vt intellectum ab errore liberemus per fidem, vt cùm iudicas res diuinas breues, leues, paruas, & exigui momenti, fides confeſtim dicat, falleris. Ratio; ſunt enim eæ ſine vlla comparatione maiores. ſed diſtantia illarum & debillitas viſus tui excœcant te, & non ſunt tales, quales tu eas eſſe iudicas, ſed quales fides & Verbum Dei eſſe dictitant. Quapropter & hæc Sanctorum Patrum lætitia, de qua nunc agimus, infinitis modis maior fuit, quàm intellectus noſter poteſt comprehendere.

Quod ſi nequeamus hanc aſſequi, multò minus aſſequimur id, quod illi animo meditabantur, & verbis proferebant, ſuum Redemptorem compellantes. Dubium tamen non eſt, quin omnes labores doloresque ſuos, longam etiam ſpem, nunc quaſi optimè collatam cenſuerint; ſaltem vt nunc vel hora vna tanto gaudio fruerentur. Proinde credibile eſt eos Chriſtum his verbis allocutos eſſe; Redemptor & Saluator noſter, nos ſumus illi, qui adventum tuum tot annorum millibus exſpectauimus, hoc tetro, vt noſti, concluſi carcere. Præterea & in mundo varias perſecutiones & contradictiones impiorum, pro nomine tuo paſsi ſumus. Inuenies hîc multas animas, quarum corpora lapidata, ſecta, & ferro interfecta ſunt: ſunt hîc, qui multis annis in vinculis detenti, in deſertis & ſolitudinibus relegati, vixerunt, pauperes, nudi, anguſtiati, & à mundo afflicti. Sed quidquid in alio mundo paſsi ſumus & omne tempus, quo hîc te expectauimus, in lucro nûc poſitum eſſe arbitramur, cùm te præſentem habeamus. Quin & ſi diuinæ tuæ voluntati placuiſſet, vt in his tenebris ſediſſemus, donec veneris mundum per ignem iudicare, nequid nobis graue eſſet, tantum vt te tandem fruamur. Benedictus ſis tu Domine, qui tam miſericorditer nos viſitaſti: benedicti omnes dolores, labores, perſecutiones, quas pro te paſsi ſumus, cùm inter viuos in mundo eſſemus, poſteaquam tam liberalem nobis mercedem contulerunt: & benedicti omnes illi, qui te amant, & voluntatem tuam faciunt, cùm tam immenſa bona ipſis ſint repoſita.

Quis dubitat, & hæc & maiora his cogitaſſe atq; dixiſſe beatas illas animas: vt tu, Chriſtiane, diſcas hic, quot & qualia tibi præmia ſunt præparata; & quanta perdis, eò quòd pro tanta mercede exiguum laborem adire reſpuis. Tribulationes Sanctorum illorum quales quales fuerunt, nunc trãſierunt; merces autem eorum non tranſibit, ſed durabit in ſecula ſeculorum. Quis itaque ſortem illorum beatam non dicet? quis in hac ſocietate viuere feliciſsimum eſſe non iudicabit? Nulla tunc exſpectanda erit tibi tribulatio, ſi is fueris hic, qui eſſe debebas, & vocationi tuæ ſatisfeceris: ſors enim quæ te expectat, eſt beatiſsima. Minor enim erit labor tuus, eò quòd maior eſt gratia, quæ datur nobis: & præmium nunc nobis eſt propinquius: eò quòd portæ paradiſi nunc apertæ ſunt; exiens namque de corpore, poteris in momento eſſe beatus, ſi nullæ reſtent pœnæ luendæ in purgatorio. *Velum* enim *templi* nunc *ſciſſum eſt*, & glora ſanctuarij eſt reuelata, Cherubin, qui ignito & verſatili gladio portas Paradiſi cuſtodiebat, de officio ſuo dimotus eſt: quia cuſpis gladij latus Chriſti aperuit, & aqua fluens è vulnere, ignem illius extinxit.

Sm iuſtorũ beata.

Matt. 15.

Chriſtus cũ ſpolio redit ex inferno.

Tandem nobilis ille Triumphator cum inſigni hac præda inferno egreſſus eſt, & ad ſuperos remeauit. Obſeruandum hoc loco eſt, Saluatorem noſtrũ opulenta hæc ſpolia non armis tantùm rapuiſſe, ſed iuſtitiæ quoque titulo ijs potitum eſſe. Cùm enim princeps inferni iniuſtè illum occidiſſet (nullum enim ius in eo habuit, qui peccatum non fecit) iuſtè perdidit eos, quos iniuſta tyrannide ſua premebat. Idem itaque ordo iuſtitiæ, qui obſeruatus eſt, cùm homo delicijs Paradiſi priuabatur, etiam hîc obſeruatur, vbi Diabolus iure ſuo priuatur, quod in genus humanum vſurpabat. Protoplaſto ſiquidem Adamo permiſſum erat edere de fructibus omnium arborum totius Paradiſi, ligno ſcientiæ boni & mali tantùm excepto: de quo comedere vetebatur. Ille autem non contentus tam lata licentia, etiam manum extendit ad arborem interdictam: quare meritò priuatus eſt omni iure ſuo, quod diuina permiſſione prius habebat. Ad eundem modum & Deus Dæmoni tanquam carnifici & tortori ſuo permiſit, vt omnes filios Adę pro tributo peccati comprehenderet: ſed ſi quis veniret innocens & mundus ab omni peccato, ius nullum haberet.

Chriſtum iniuſtitia diabolum vicit.

Cùm autem venienti in hunc mundum Saluatori, qui ab omni peccato fuit immunis, mortem imperaret, atque immeritum occideret, meritò ſpoliatus eſt omni poteſtate ſua, quam in genus humanum acceperat.

Nec tantùm ſpoliatus eſt, ſed etiam arma illi detracta ſunt, & luxatus eſt, debilitatusque ob eandem culpam. Etenim, vt pulchrè ſcribit Euſebius Emiſſenus, ille ſæuiſsimus Draco, proprium venenum in necem ſui refuſum ſenſit exitu, ac dum nocere ſe credit, dum contra Deum ſuum cœcus impetum facit, dumque pondùs tormenti ſui illidit in ſolidamentum, ictu ſuo repercuſſus, fortem fuiſſe ſe doluit, & omnem nocendi potentiam ſe amiſiſſe cognouit; quia noxios virulentorum dentium morſus ſacro in corpore dereliquit. Et ideò nunc infelices quoſque, quos ſibi ad ſenſum facilem accommodare præuiderit, ad fauces ſuas ſolis ſolicitationum carminibus trahit, & voluntariam prædam inermis expectat, ac proinde proſtratus à Domino, humanũ genus non quaſi fortior impugnat, ſed iniqua conſilia quaſi debilitatus ſibilat. Cuius nos carmina, ope & gratia diuina adiuti facilè poſſumus euadere. Hinc liquet, quàm malè tractatus eſt Diabolus in hac pugna; ab vna namque parte exuitur omnibus diuitijs ſuis, omnibus theſauris, iam inde ab initio mundi collectis, animis nimirum Sanctorum ſpoliatur; ab alia parte arma illi detrahuntur, luxatur, eneruatur. Contra, Saluator poſt humilitatem Crucis glorificatur, & exaltatur.

Diabolus luxatus & debilitatus.

Diabolus nunc homines ſollicitat, non cogit.

Huius rei pulcherrimam nobis imaginem repræſentat ille caſus Aman, & gloria Mardochæi. Erat Aman ſecundus à Rege Aſſuero, inſidias autem ſtruebat Mardocheo, mortemque illi machinabatur: Hunc in finem patibulum erexit, è quo Mardochęus ſuſpenderetur, ſed & totam eius familiam omnemque gentem illius euertere meditabatur. Dum ille hæc ageret Deus conſilium Amani deſtruxit, & propoſitum eius inuertit: malum enim, quòd Aman Mardochæo ſtruebat, in proprium illius caput conuerſum eſt. Mardochæus autem, qui ad mortem petebatur, ad ſummos honores euectus eſt: ille enim in furcam, quam alteri erexerat, raptus, ſuſpendio vitam finiit: hic verò in dignitatem, è qua ille exciderat, ſucceſsit. Similis inter Chriſtum & diabolum hodie contingit mutatio: Princeps enim tenebrarum, qui mortem ipſi intentârat, victus eſt, & omnibus theſauris ſuis ſpoliatus: Saluator verò glorificatus eſt & exaltatus, & quos tyrannus ille ſqualido ſuo carcere vinctos detinebat, liberati ſunt, & ad regnum cælorum adducti, è quo ille ſuæ ſuperbiæ demerito exciderat. Hæc itaque ſunt opera, hæc mirabilia, hæc conſilia iuſtitiæ & prouidentiæ diuinæ.

Esther. 7.

Cùm itaque victorioſus Dominus iſte à morte ad vitam, Inferno ſpoliato & Diabolo eneruato, redire voluit, alia via ad ſepulchrũ venit, in quo ſanctiſ-

Chriſtus ſurgit.

simum eius corpus glorioſæ animæ aduentum expectabat. Triumphans igitur de morte, ad vitam
Exod. 4. reuerſus eſt. Cuius reſurrectionem in Virga Moyſis pulchrè nobis adumbratur, quæ cadens in terram facta eſt ſerpens; non tamen in ea forma diu permãſit, ſed mox ad priorẽ reuerſa eſt: Sic & Chriſtus, qui ſceptrum ſeu regalis virga Virtutis Dei eſt, cadens in terrã imaginem induit ſerpentis (quod animantis genus eſt infame & maledictum à Domino, cuius ſimilitudinem Chriſtus pro nobis aſſumpſit; moriens ignominioſiſsimo malefactoris titulo) ſed non diu in illa imagine perman ſit: tertio enim die reſuſcitatus à mortuis, & Virga hæc ad priorem formam redijt. Quin, & quod virga Moyſis præfigurauit, id etiam per manum illius præfiguratum eſt: cùm enim manum mitteret in ſinum ſuum, protulit
Cap. 53. leproſam inſtar niuis: cùm autem retraheret, erat ſimilis carni reliquæ: Ita & Dominus aſſumpſit figuram leproſi, vt inquit Eſaias, hoc eſt hominis peccatoris, & talis in ſinum, id eſt, ſepulchrum conditur; retrahitur autem & exit viuus, purus, mundus, gloriaque & immortalitatis priuilegio inſignitus.

DE EODEM RESURRECTIONIS Dominicæ myſterio, & de diuerſis apparitionibus Chriſti reditus.

MEDITATIO XXX.

Exultans omnia in reſurrectione Domini.

QVemadmodum omnia luxerunt in die paſſionis Dominicæ (Sol enim obſcuratus eſt, terra tremuit, petræ ſciſſæ ſunt; ſepulcha aperta mortuos ſuos reddiderunt, & velum templi diſruptum ſanctum ſanctorum denudauit) eò quòd communem creatorem & Dominum ſuum in tormentis pendere, & crudeli morte interfici viderent; ſic è contrario in hac lætiſsima Reſurrectionis die omnia hilariora ſunt, & prægaudio exultant, eò quòd creatorem nunc ſuum reſuſcitatum vident, & totum glorioſum. Lætatur cælum & aperit portas ſuas, quæ hactenus clauſæ fuerant, vt recipiat omnes homines vſque ad ipſum Latronem. Exultat infernus, quia hodie reddidit primogenitos, quos princeps loci illius captiuos, ob commune peccatum, detinebat. Gaudet terra: exijt enim ex ea hodie fructus
Eſa. 4. ille excelſus & pretioſus, de quo loquitur Eſaias: *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria & fructus terræ in ſublimitate & decore.*

Quid dicam igitur de ſchola Chriſti? de Sanctiſſima illius Matre? de Apoſtolorum collegio, de omnibus illius diſcipulis, & de pijs illis mulierculis, qui mortem illius tot lachrymis defleuerant? Nunc enim ſimul cum dilectiſsimo ſuo Magiſtro illorum ſpes, vita, gloria, munus Apoſtolicum, omniaque alia bona & promiſsiones Chriſti reſurrexerunt. Quapropter
Vnã via Domini in reſurrectione. vti in paſsione Domini variæ ſunt ſtationes, in quibus Chriſtum cum mœrore & compaſsione ſequi debemus: ita & in Reſurrectione multa loca ſunt, in quibus Chriſtus per læta & glorioſa itinera quærẽdus eſt, vti præcedenti meditatione dictum eſt. Vna via eſt, à cruce vſque ad Limbum,
I.
II. de qua iã ſatis diximus. Secunda eſt, qua ab inferis ad ſepulchrum venit, vbi ſanctiſsima illa anima ſacratiſsimum corpus, quod aduentum illius expectabat, iterum induit, & de obſcuriſsimo atque inter omnia corpora maximè deformi, in pulcherrimum & ſplendidiſsimum corpus commutauit: Æquum enim erat, vt quod laborauerat, & tam dira paſſum erat in hoc certamine, id etiam de fructibus & ſpo-
III. liis victoriæ gauderet. Tertia via fuit è ſepulchro ad ſanctas illas fœminas, quæ quærebant Dominum cum vnguentis pretioſis, vt vngerent ſanctiſsimum illius corpus, cuius reſurrectionem non expectabãt, quarum deuotionem in bonum conuertit; ſe enim ipſis reſuſcitatum manifeſtauit, & ſalutauit illas ſuauiter, creans prædicatrices gloriæ ſuæ reſurrectionis, mittensque eas ad Apoſtolos, vt fidem illis faIV. cerent, verè Dominum reſurrexiſſe. Quarta fuit, cùm tanquam peregrinus Diſcipulis euntibus in Emaus ſeſe adiunxit, ambulans cum illis per totam viam, interrogans eos cur triſtes eſſent, tradens ijs doctrinæ cœnæ cæleſtis dogmata; explicans ſcriptu-
Luc. 24. ras diuinas, & oſtendens ijs, *quoniam oportebat Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam* in quo ſumere docuit & conſolatus eſt eos mirabiliter, illuminauit intellectum eorum cognitione Dei, charitate corda illorum inflammauit, & in fide reſurrectionis vtrũque confirmauit, aperiens oculos eorum in fractioV. ne panis. Quinta erat, cùm omnibus Diſcipulis ſuis apparuit, ſolo Thoma abſente; vbi congregati erãt, & portis clauſis ſedebant propter metum Iudæorũ, cùm ianuis clauſis (hoc enim eſt proprium corporũ glorioſorum) ad illos intrauit, oſtendens vulnera manuum, pedum & lateris, contrectandum ſeſe præbens, & cum ipſis manducans ad euidentius veritatis teſtimonium, increpans tandem illorum incredulitatem, & confirmans illos in fide ReſurreVI. ctionis. Sexta eſt, cùm ad B. Petrum venit. Hanc enim apparitionem Apoſtoli obiter poſuerunt, licet modus, quo facta eſt, ab ipſis non ſit additus. Qua in reuelatione Dominus voluit ſignificare, quantam curam & prouidentiam gerat erga veros pœnitentes, qui cum amaritudine cordis eluunt maculas ſuorum peccatorum: non enim contentus, quod omnes Apoſtolos congregatos ſimul viſitaſſet, voluit etiam Petrum ſeorſim inuiſere, & lachrymas eius in gaudium commutare præſentiæ ſuæ viſione, & peccatorum eius remiſsione. Eadem, quam Chriſtus habuit, cura Angelum tangebat, qui ſanctis fœminis reſurrectionem annunciauit, dicens: *Ite, dicite diſci*Matt. 16. *pulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.*

Inter has omnes apparitiones longè dulciſsima & deuotiſsima eſt, quam multas ob cauſas factam
Chriſtus apparuit Matri. credimus beatiſsimæ Virgini Dominæ noſtræ, quæ poſt Chriſtum plus cæteris biberat de calice paſsionis. Quæ apparitio etſi ab Apoſtolis conſcripta non eſt, nihilominus in dubium non eſt vocanda. Etenim ſi omnes alios diſcipulos & diſcipulas inuiſerit, quomodo potuit ſanctiſsimæ Matris ſuæ, quæ plus omnibus merebatur, plus omnibus ab illo diligebatur, quæ plus omnibus eum deſiderabat, & multò maiorem reliquis dolorem ex eius paſsione, atque ſolitudinem ex eius abſentia capiebat, obliuiſci? Imò conſuetudo Domini noſtri eſt, vt ſecundũ multitudinem dolorum, qui pro illo feruntur, ſit etiam multitudo conſolationum, quibus ſuos inuiſit. Et ſi Dominus etiam in cruce pendens, in illa incredibili dolorum abyſſo curam Matris ſuæ non abjecerit, ſed quam potuit maximam conſolationem illi reliquerit, commendans eam fideliſsimo ſuo, quem tunc in orbe terrarum habuit, amico: quomodo nũc victor triumphans & glorioſus negaret Matri lætitiam hanc, qua cum poſt tot tenebras ſpiritum ſuum reſuſcitauit? Qui amplexus, quæ congratulationes, quæ confabulationes inter talem Filium & talem Matrem viſa ſunt & audita? quæ lingua hæc eloqui, quis calamus poteſt ſcribere? Quo namque res ſunt altiores, eò magis viſum noſtrum ſubterfugiunt, & intellectus noſtri vires tranſcendunt.

Neque etiam dubitandum eſt, quin multi San*Sanctos, qui reſurrexerant, ad ma*ctorum Patriarcharum, qui cum Chriſto reſurrexe*trem venuiſſe.* runt, ſanctam Virginem quoque viſitauerint, & ab vna parte cum ipſa gauiſi ſint de filij Reſurrectione, ſe. & ab altera parte gratias illi egerint, qua mediante Matt. 17.

tanta

tanta bona generi humano fuêre collata. Dicunt enim Euangelistæ, quod multi ex sanctis, qui surrexerant, venerunt in ciuitatem Hierusalem & visitarunt multos; quod si alios visitarint, quidni etiam Dominam illam visitarunt, quę non minima pars erat redemptionis ipsorum.

Narrant historiæ diuinæ, quod cum Iudith memorabile factum illud perpetrasset, Holoferni caput abstulisset, eoque stratagemate vires omnes Assyriorum debilitasset & contriuisset, patriamque suam liberasset, Ioachim sūmus Pontifex de Hierusalē venerit in Bethuliā, cum vniuersis presbyteris suis, vt videret Iudith: qui omnes vna voce benedixerunt eam, dicentes; *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia feci-* Iudith 15. *sti viriliter, & confortatum est cor tuum: & ideo eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus fiat, fiat.* Si tantam laudem meruerit illa, quæ caput Holoferni abscideret; quam laudem merebitur hæc Domina, de qua in principio mundi dixit Dominus, quod contereret caput maledicti illius Serpentis? ex visceribus enim illius exijt, qui destruxit tyrrannidē, & contriuit potentiam Diaboli. Si illi tanto cum feruore spiritus Hierosolymis Bethuliam venerint, vt fœminam viderent, cuius manus tam insigne opus perpetrârant, cum qua lætitia venisse putas sanctos illos Patriarchas & Prophetas, vt viderent stellam hanc in Iacob, & Virgam illam Iessæam, de qua ortus erat, qui tanta bona in orbem inuexit. Gen. 3.

Habet itaque anima religiosa iucundas hîc stationes, & latas vias multas, in quibus Dominum suum sequi licet, contemplando pulcritudinem glorioſi corporis illius, & videndo quanta cum charitate & diligentia bonus ille Pastor gregem suum dispersum quærit & colligit, oxemplo suo oues suas in fide & spe resurrectionis confirmans. Et quia inter omnes has apparitiones secundùm historiam Euangelicam omnium prima fuit, cum sese Magdalenæ, ex qua Christus septem ejecerat Dæmonia, manifestauit (quæ enim tam famosa fuerat peccatrix, merita est, per summum sui spiritus feruorem animique deuotionem singularem, ante alios omnes videre Christum resuscitatum) agemus hîc peculiari meditatione de ista manifestatione, ad ædificationem & doctrinam eorum, quos verè & sincerè peccatorum pœnitet, omnium que eorum, qui Christum quærunt, eumque cupiunt imitari.

QVO MODO SALVATOR APPARVIT Mariæ Magdalenæ secundùm euangelium Ioannis.

MEDITATIO XXI.

Signa dilectionis in Maria Magdalena.

PRo intelligentia huius euangelicæ narrationis, operæ prætium est prius agere de magnitudine charitatis, qua mulier hæc Dominum complectebatur, cuius argumenta & signa maxima in Euangelio inueniuntur. Primum est testimonium, quod ipse Saluator dedit, defendens illam à cauillatione Pharisæi, qui illam vt peccatricem aspernabatur, & declarans eius charitatem, quam non solùm non impediebant peccata præterita, sed ad maiorē gratiam fuêre tanquam adiumenta. Hoc enim probat Dominus cùm dicit, quod sicuti inter duos debitores is semper magis diligit suum creditorem, cui creditor plus donauit, quàm is cui minus donatum est: ita & hæc sancta peccatrix, quò plus peccauerat, & plurium peccatorum indulgentiam acceperat; eò maius beneficium se accepisse agnoscebat, & tantò ardentius benefactorem suum amabat. Hinc liquet, quàm verè dictum sit ab Apo- Luc. 7.

stolo, *quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: cùm etiam ipsa peccata commissa præbeant stimulos ad amandum fortius eum, qui peccata remittit. Hoc olim adumbratum est in timore filiorū Israel cum viderent Ægyptios armatos mare Rubrum ingredi: cùm inciperent clamare ad Moysen, & murmurare, dicentes, quod fefellisset eos in educendo populum ex Ægypto: sed postea cùm mare ad priorem locum reuerti, & Ægyptios fluctibus inuolui viderent, tunc subitò timor in lætitiam conuersus est, & cœperunt laudare Dominum, & magnificantes eum canere; *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & possessorem deiecit in mare.* Ægyptij illi hostes populi Dei peccata nostra sunt, ea enim sunt veri nostri inimici, quæ nos persequuntur, & perpetrata præ timore nos exanimant; cùm verò dimittuntur, maiorem præbent iustis occasionem laudandi Dominum & amandi illum, qui dimisit & liberauit à tanto malo: quò autem maior est remissio & liberalior, eò quoque maiores sunt amoris stimuli; id quod accidit huic mulieri, de qua dicit Dominus; *quòd amauit multum, quia peccata multa illi remittebantur.* Argumentum etiam tanti amoris erat nouum illud seruitij genus & inaudita cæremoniæ lauandi pedes lachrymis, tergendi capillis capitis, vngendi vnguento pretiosissimo, totiesque eos tanta cùm reuerentia & deuotione exosculandi. Fecit autem hæc omnia, non occasionem latebrarum aut tenebrarum noctis captans, vti Nicodemus fecit, sed in præsentia tot spectatorum & tot conuiuarum. Non aliter atqui homo, cuius cor amore & dolore adeò exundabat, vt nihil aliud agere, nihil aliud potuerit cogitare. Quis vnquam vidit huiusmodi cæremonias? quis tale audiuit vnquem obsequij genus? quis hunc vngendi modum? quis aquam per oculos distillantem & charitatis igne calefactam pedibus lauandis, effusam? quis linteo tali, capillis scilicet capitis, pedes alterius tersos vnquam legit? Istud seruitium tam rarum & inusitatum, præter testimonium Saluatoris, abūdè satis indicat, quàm ingens fuit amor, à quo illud procedebat: ex effectis enim cognoscuntur causæ, & ex operibus cor dijudicatur. Rom. 8. Exod. 14. Exod. 15. Luc. 7.

Creuit etiam amor ille longa Christi familiaritate, quæ remissionem hanc est subsecuta: audiens enim verbum illius, sequens eius vestigia, considerans virtutes, in ædibus suis hospitio illum excipiens magis magisque amore illius inflammabatur. Hinc est, quod cùm Christus aliquando castellum eius intrasset, & soror illius Martha circa frequens ministerium satagebat, solicita quomodo hospitem talem eiusque comitatum bene accuraret, Maria sedebat secus pedes Domini, & audiebat verbum illius, sororem solam ministrantem reliquit, tanquam ea, quæ nunc omnium terrenarum occupationum oblita, dicere poterat cum B. Petro Christum transfiguratum videnti, *Bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula*, non curemus ea quæ mundi sunt, de cibo aut potu soliciti non simus, non petamus quicquam ab hoc felicissimo statu, in quo nunc sumus, alienum. Martha verò hanc sororis iniuriam reprehēdente, Dominus Mariam defendit, dicens; *quòd optimam partem elegerat, quæ non esset ab ea auferenda*: significans magnam deuotionem ardensque desiderium, quo cum verbum Dei audiebat; cùm tanta quies ab ipso Saluatore maximis operibus hospitalitatis, quæ in mundo fieri possunt, sit anteposita. Luc. 10. Matt. 17.

Nec minus eadem charitas crescebat, visis tot signis & miraculis, quæ quotidie Christus operabatur, illuminando cæcos, sanando claudos, eijciendo Dæmones, mundano leprosos, soluendo linguas mutorum

mutorum impeditas, & verbo suo omnes imfirmitates huius mundi curando. Quemadmodum enim miracula singula fuêre confirmationes singulæ fidei; sic etiam noui fuerunt charitatis stimuli, quæ forma est & vita fidei. Creuit namque amor eius mulieris mirum in modum resuscitatione fratris Lazari quatriduani & fœtentis: quæ, præterquam quod maximum fuit miraculum, etiam maximum fuit beneficium: restituebatur enim illi frater plurimum adamatus, qui propter debilitatem sexus fœminei erat & frater, & pater, & maritus. Etenim si resurrectione mortui illius resuscitata sit fides & charitas multorum, qui præsentes erant, quique conuicti tanto miraculo in Christum crediderunt, quid non fecit fides animæ tam sanctæ videntis miraculum tam grande, & beneficium tam liberale? Credo equidem quod in conspectu tantorum mirabilium stetit attonita, tanta correpta & vulnerata charitate reuerentiaque istius Domini, vt nullis queat linguis explicari. Potest autem quisque per se considerare & probare; Nam si præsens ipse fuisses, & vidisses mortalem hominem præcipere mortuo, & in sepulchro posito, vt foras exiret, ille autem viuus sola verborum virtute prodiret, atque inter homines viuus & sanus ambularet, an non obstupesceres, si hæc coram fieri videres? & hinc natum est tam rarum nouumque obsequium, quod mulier hæc Domino suo exhibuit. Cùm namque, paucis post hoc miraculum diebus, Christus esset cum eodem Lazaro in domũ Simonis leprosi vocatus ad cœnam, & Martha cœnantibus ministraret, Maria accipiens alabastrum vnguenti pretiosi, facti è spicis herbæ cuiusdam odoriferæ, quam Nardum vocant (fit enim & vnguentum aliud ex foljis eiusdem herbæ, sed non adeò pretiosum) volens exteriori aliquo opere declarare magnitudinem amoris & deuotionis, quæ in visceribus suis ardebat, accessit ad Christum, & stans retrò, rupto vase effudit vnguentum in caput illius recumbentis in conspectu omnium, qui erant inuitati. Nec eo contenta, ante pedes illius procubuit, vnxit illos eodem vnguento, & capillis suis terst. Quamuis autem vnguentum hoc trecentis denarijs venundari potuisset, tanta tamen erat charitas & desiderium gratificandi Domino, eumque omni obsequiorum genere honorandi, vt vnguentum hoc modo effusum, optimè impensum crediderit. Quin & huius charitatis magnitudo causa fuit, cur Dominus opus illud approbauerit, cur illam contra murmurantes defenderit, & per vniuersum mundũ celeberrima fama prædicari voluerit. Dominus enim non tam externum opus, quàm internam charitatem respexit: qui enim paulò pòst pedes in cruce extendit, & caput spineæ coronæ inseruit, mollem hanc vnctionem non tanti faciebat: charitatem verò, fontem huius obsequij potissimum prædicabat. Hinc constat, quàm multis modis charitas & feruor Mariæ feruorem discipulorum superauit: illi enim effusum vnguentum perditum esse existimabant, hæc verò beneficium optimè collocatum censebat: magna siquidem illius Domini merita cognouit.

Christi miracula etiã sunt & beneficia.

Matt. 26.

Ex eadem charitate profecta est etiam fortitudo illa, qua Christum in omni passionis loco secuta est; cùm enim Apostolorum vnus illum negaret, alter ab eo fugeret, hæc ab illo non decessit, sed quemadmodum alij pij & deuoti illius amici, secuta est illum: stetit sub Cruce, & in comitatu mœstissimæ Matris perseuerauit. Sed & post Crucem tot lachrymis illum in sepulchro quæsiuit, adferens vnguentum quo vngeret illum. Non potuit ignominiosa mors Crucis, non sententia Pontificis totiusque senatus, non metus armatorum militum charitatem & reuerentiam illius, qua Dominum prosequebatur, extinguere. Sic amauit, sic honorauit illum, Dominum suum appellans, vti & appellauit illum, cùm Angeli interrogarent eam: cur plangeret: quibus illa respondit, *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Ioan. 20.

Matt. 27.

Hæc omnia si bene perpendantur, sufficient ad inuestigandam magnitudinem amoris illius sanctissimæ peccatricis, quo Saluatorem suum complectebatur: quo bene intellecto, facilior erit historia tam suauis atque deuotæ apparitionis, cuius expositionem iuxta variorum Doctorum, maximè autem Origenis, qui cæteris piè magis hanc enarrat, commentationes hîc subijciemus.

Dicit itaque Euangelista Ioannes, quod, postquam Maria inuenisset discipulos, Petrum præsertim & Ioannem, significauit illis quid accidisset, quomodo corpus Domini non inueniretur in sepulchro: qui mox currentes ad sepulchrum, inuenerũt vti Magdalena dixerat, in locum reuersi sunt, vbi erant pariter sedentes clausis ianuis propter metum Iudæorum. Mulier autem hæc permansit ibi, ploráns sine spe, & sperans tamen perseuerabat. Magnitudo enim amoris faciebat illam sperare & perseuerare. Etsi S. Petrus & Ioannes timuerint, Maria tamen nõ timuit, quia non erat quod timeret: Cùm enim perdidisset Magistrum suum, quem tam tenerè diligebat, quid amplius perdere potuit? non erat iam amplius quod amabat, non quod sperabat, non quod timeret, ne fortè perderet. Propterea mori maluit, quàm viuere. Fortasis enim moriens inueniret, quem viuens inuenire non potuit. *Maria,* Ioan. 20. inquit Euangelista, *stabat ad monumentum plorans.* Amor faciebat eam stare, & dolor cogebat eam plorare. Plorabat verò, quia sublatum æstimabat, quem quærebat; cuius etiam dolor renouatus erat, quia quem prius doluerat defunctum, nunc dolebat ablatum. Et iste dolor maior erat, quia nullam consolationem habebat. Primum fuit causa doloris, quia viuum perdiderat. Sed de hoc dolore consolationem aliquantulum habebat, qui se mortuum retinere posse credebat. Nunc autem de illo dolore se consolari non poterat, quia corpus defunctum non inueniebat, metuebatque ne amor Magistri sui in suo pectore tabesceret, si corpus eius non inueniret. Venit autem Maria ad monumentum, deferens secum aromata aut vnguenta, quæ præparauerat: vt sicut pedes viuentis antea vnguento pretioso vnxerat, sic nunc corpus defuncti vnguento pretioso vngeret, & aromatibus condiret: & sicut prius ad pedes magistri lachrymas fuderat, sic nunc ad monumentum lachrymas funderet. Fleuerat prius, & lachrymis suis pedes eius rigauerat pro morte animæ suæ: veniebat nunc monumentum rigare lachrymis pro morte Magistri sui. Cùm autem non inuenisset corpus in monumento, perijt labor vnguenti, & dolor creuit lugenti: defuit obsequio, sed non defuit dolori: defuit quem condiret, sed nõ defuit quem ploraret.

Dum ergo fleret, inclinauit se, & respexit iterũ in monumento. Non erat illi satis, quòd semel sola inspexerat, nec quòd secundò cum Discipulis: sed tertiò inspicit. Magnitudo enim desiderij non permisit, vt crederet oculis suis, aut superfluum aliquid putaret in quærendo suo Magistro, quem tantoperè amabat. Sic & illi faciunt, qui pretiosam quærunt gemmam, aut aliam magnam pretij rem quam amiserunt: sæpius eundem voluunt & reuoluunt locum, si forte inueniant vltima vice, quod prima inuenire non potuerunt. Nec illa diligentia planè fuit otiosa: quamuis enim ipsum Dominum non viderit, quem quærebat, vidit tamen illius ser-

uos:

tios, id est, *duos Angelos, vestitos stolis candidis, qui sedebant vnus ad caput, alter ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.* Hic videmus fructum animæ quærentis Iesum. Etsi enim non statim inueniat, quem desiderat, nihilominus quærenti datur, quo confirmatur, & desiderium crescit. Nam, si Augustino credamus, qui ex toto corde Deum quærit, partem habet illius, quem desiderat, cùm quærit illum: non enim cum tanto feruore quæreret, si non haberet pignus aut vestigium illius. Discipuli venerunt ad monumentum, & statim reuersi sunt: propterea nec Angelos viderunt. Sed sancta hæc mulier, quæ fideliter perseuerauit, vidit; non solum autem Angelos vidit, sed & ipsum Angelorum Dominum: inuenta est enim in illa patientia, & perseuerentia, qua quærebat Magistrum suum.

Non frustra quærit, qui Iesum quærit.

Dicunt Angeli, *Mulier, cur ploras?* sciebant Angeli causam lachrymarum Mariæ, quæ fuit manifestissima: & tamen quærunt, *cur ploras?* vt hac ratione renouarent memoriam & causam suarum lachrymarum, eò puòd lachrymæ Mariæ dulces ipsis erant. Lachrymæ siquidem pœnitentis, teste Bernardo, vinum sunt Angelorum, quando procedunt ex dolore; cum autem ex amore fluunt, quid erunt?

Lachrymæ pœnitentis, Vinum Angelorum.

Ad interrogationem hanc, cur ploras? respondit Maria; *Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Hic ploratus meus, hæc lamentatio, hæc causa mearum lachrymarum. Cùm viueret ille, omnis mea in illo erat felicitas, omnis gloria mea omnis mea requies; tunc seruiebam illi, nec aliquod obsequium intermisi, quod præstare potui. Excipiebam illum in domum meam, sequebar eius vestigia, audiebam illius doctrinam, vngebam pedes, vngebam caput ipsius, & talibus ministerijs refrigerabam amorem, qui intus ardebat, habens opportunitatem respirandi, & talibus obsequijs illum demulcendi. Omne illud iam cessabat, nec aliud illi præstare poteram officium, quàm vngere pretiosum illius corpus, & perpetuò illi in monumento iacenti assidere. Cùm autem nunc videam, nec hoc mihi solatium & exercitium relictum esse, meritò plango, & plangam, quamdiu bonum, quod quæro, non inuenero. Hoc sanè magnam huius mulieris arguit charitatem. Patres non sequuntur funus, cũ Filij mortui efferuntur, nec vxores, cùm mariti: & hæc mulier nõ habet aliud refrigerium, quã semper adesse huic sancto corpori. Ex quo nõ difficulter colligitur differentia, quæ est inter amorẽ Dei, & amorẽ hominum: homines enim amantur, & amant ob proprium cõmodum, amor autem Dei, sicuti nõ respicit se, sed gloriam & cultum Dei, ita non curat se, sed solum Deum: & tunc solùm contristatur, cùm subtrahitur illi materia Deo seruiendi, vt hîc accidit sanctæ huic mulieri. Propterea dicit, ploro, quia Dominum meum tulerunt, & nescio vbi posuerunt illum. Vbi es magister mi? gaudium meum, vbi te inueniam? vbi te abscondisti dulcedo mea? Parúmne inimicis tuis visum est, quòd in corpus tuum viuum sæuierunt; nedum post mortem parcere tibi voluerunt? Quid hoc est Domine, nec in vita, nec in morte requiem inuenire potuisti? Quid faciam? quò me vertam? ad quem ibo? à quo consilium petã? quem percunctabor? Angustiæ mihi sunt vndique, & quid eligam, ignoro. Si iuxta monumentum maneo, ego illum non inuenio: si à monumento recessero, nescio quò vadam infelix, nescio vbi eum quæram. Discedere à monumento mihi mors est, stare ad monumentum irremediabilis dolor est. Melius est mihi sepulchrum Domini mei custodire, quàm ab eo longus abire; si enim longiùs abiero, fortè cũ rediero, & ipsum sublatum & sepulchrum inueniam destructum. Stabo igitur hîc, & moriar, vt saltem iuxta sepulchrum Domini mei valeam sepeliri. Viuens iuxta illud manebo, & moriens illi adhærebo, nec moriens, nec viuens ab illo separabor. Heu me infelicem, cur hæc tunc non prospexi, cùm Dominum meum sepeliri conspexi. Quare tunc non steti, quare corpus eius & monumentum perseueranter non custodiui? Sed proh dolor, legem seruare volui, & legis Dominum amisi. Legi obediui, & cui lex obedit, non custodiui, quamuis cum eo manere, non fuisset legem transgredi, sed implere. Quid faciam igitur? à quo consilium petam? O totus amabilis, ô totus dignus qui desideraris; reduc me Domine in gaudium salutiferæ tuæ præsentiæ. O spes mea, da mihi, ne sperans in te confundar. Quare ô bone Iesu, quare Domine nõ respicis ad pias lachrymas & desideria huius mulieris? quare sic recedis ab ea, & abscondis te, tu qui diligis diligentes te, & inueniris ab omnibus quærentibus te? Vbi nunc promissiones tuæ? vbi verbum tuum? Tu dicis: *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me inuenient me.* Quare mulieris istius, quæ valde mane vigilauit ad te, lachrymas, quas pro te dilecto suo fundit, non consolaris, sicut consolatus es lachrymas eius, quas fudit pro fratre suo? Si tu eam more solito diligas, cur desiderium illius tam diu protrahis? O verè Magister & testis fidelis, recordare testimonij, quod olim de Maria reddidisti Marthæ sorori eius; Dixisti enim; *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quæ est hæc pars Domine, nisi tu? te elegit, te amauit, in te sperauit, & propter te omnibus quæ possidebat, renuntiauit. Et si omnia reliquerit propter te, te autem non inueniat, quid illi reliquum est? Quomodo verum est, *Non auferetur ab ea*, si tu ablatus sis ab ea? Et si non sit ab ea pars optima ablata, quid plorat, & quid quærit? Certè Maria nihil quærit, nisi quod elegit, & propter hoc plorare nõ desinit, quia quod elegerat, nunc perdidit.

Prou. 8.

Luc. 10.

Non potuerunt sese diutius continere viscera pietatis & continentiæ, quo minus exaudirent tanti amoris lachrymas; qui prius miserat Angelos, nunc ipse venit Angelorum Dominus ad abstergendum aut potius commutandum lachrymas mœroris in lachrymas gaudij. Felices lachrymæ, quas Deus hoc modo beauit, & quæ tantam apud Deum gratiam inuenerunt. Lachrymis obtinuit remissionem peccatorum, lachrymis impetrauit resurrectionem sui fratris, lachrymis merita est ab Angelis consolari, propter lachrymas digna fuit, quæ prima omnium Dominum vidit resuscitatum, esseteque Apostolorum Apostola. Magna est virtus & potentia lachrymarum, ligant manus Omnipotentis, vincunt inuincibilem, placant iram Iudicis, eamque in misericordiam conuertunt.

Lachrymarum Vis.

Maria conuersa retrorsum vidit Dominum, & non cognouit eum. Hortulanum enim istius horti esse existimabat: nec multum fefellit illam opinio: Dominus enim verus hortulanus est, & hortulani officio functurus in anima Mariæ venerat; extirpando spinas ignorantiæ & infidelitatis. Est & hortulanus animæ, in qua moratur: seminat enim ibi semen sanctarũ inspirationum & bonorum desideriorum: plantat ibi surculos virtutum, & rigat eos lachrymis nostræ deuotionis. Quare nec ita crescunt semina rigata pluuia naturali, quàm virtutes spirituali pluuia perfusæ. Deniq; vti hortulanus magna diligentia custodit hortum suum, ne fures ingrediantur: sic Christus animam sibi dilectam custodit, ne Dæmones irrepãt per cancellos & aditus istius horti, qui sunt sensus exteriores & interiores animæ, ne suffurentur fructus bonæ conscientiæ. Vbi talis ex-

Christus hortulanus.

cubat

cubat hortulanus, ibi anima multis annis pseuerat sine peccato mortali, etiam in medio furum, id est Dæmoniorum, constituta.

Quare iudicium Mariæ non multum à vero aberrauit, quamuis Dominum non cognouerit, quem coram videbat. Quemadmodum enim & amabat & dubitabat simul (non enim credebat resurrectionem) sic & videbat Dominum, & non agnoscebat illum: amor enim vt videret, merebatur: dubitatio verò & diffidentia, ne agnosceret. Illud non rarò ex singulari dispositione iustis euenit, qui cùm Dominum in se habeant, lõgè à se abesse existimãt: sic enim expedit illorum exercitijs. Accidit illud D. Antonio, qui cùm grauissimè flagellatus; percussus & vulneratus esset à dæmonibus, & postea eleuatis oculis vidisset desuper culmen aperiri, deductisque tenebris radium lucis influere, illicò præsentiam Domini intellexit: trahensque ex imo pectore longa suspiria ad visionem, quæ ei apparebat, locutus est; Vbi eras bone Iesu, vbi eras? quare non à principio adfuisti, vt sanares vulnera mea? Cui respondit Saluator; Antoni, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. Sic & Catharina Senensis, cum vanissimis illusionibus grauiter esset à Dæmonibus vexata, Dominus apparuit, cui illa conquesta est, quod derelicta esset è Domino in isto certamine. Respondit ei Dominus. Non dereliqui, sed stabam in medio corde tuo, & eram ille, qui faciebam, ne ab imaginationibus illis vincereris. Eodem modo Deus cum B. Iobo egit, qui, etsi patientiam accipiebat cælitus inaudita illa sua in tribulatione, tamen sæpe conqueritur se à Domino relictum, quod nec videretur, nec audiretur ab illo; imò quod Deus ex misericorde factus erat immitis, & potenti manu sua famulum suum à se reiecerat. Hoc modo sæpe Deus tractat suos, maximè eos, qui in tribulatione sunt, & qui quærunt illum cum feruore dilectionis. Et hi namque, & illi existimant Deum longius abesse, cùm proximus est. Et enim nec illi patientiam haberent nisi ipse daret illis; nec mihi perseuerarent in suo desiderio, nisi ille tribueret fortitudinem. Illud igitur hoc loco obseruandum est, non tantùm in hac apparitione, sed & in illa discipulorũ euntium in Emaus, quibus Dominus tanquam peregrinus visus est, vti hîc Mariæ quasi hortulanus: nam & hic & illic Dominus præsens fuit, nec tamen agnitus est.

Iusti habentes in se Dominum, cum putant longè abesse. Amanasius in Vita Antonij.

Vide Surium in vita eius.

Dixit ergo Dominus ad Mariam: *Mulier cur ploras? quem quæris?* O Rex gloriæ, ô consolator afflictorum, venis vt consoleris, & loqueris verbum tam longè ab omni solatio remotum? nihil enim est, quod magis renouat vulnera, doloresque hominis auget desolati, quàm interrogare, cur quis plangat, quid querat: illud n. est, repræsentare memorię eum, quẽ amat, & de cuius absentia dolet. Propterea & Propheta dicit: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus?* Dum enim Prophetæ memoria renouatur illius, quem tam fortiter amabat, & cuius absentiam tam inuitus ferebat, non potuit non die ac nocte vberrimè lachrymari. Quod cùm ita sit, cur DOMINVS hîc mulierem, quam tam tenerè diligebat, tam duro & amaro sermone compellat? Credo sanè causam illius fuisse dulcedinem, quam Dominus percepit ex istis lachrymis: quamuis enim fuêre lachrymæ doloris, non tamen respexit dolorem, sed causam illius doloris, quæ fuit amor. Amor autem ille tam impendio placet Domino, vt nec in cælo nec in terra quidquam sit, quod ipsi gratius est illo: & si quid illi æquè gratum est, id propterea placet, quia virtute charitatis vel amoris vestitum est; sine qua nec fides, nec spes, nec martyrum, nec Angelorum, nec hominum linguę vnquam illi placuerunt.

Psal. 41.

Mulier, inquit, *cur ploras? quem quæris?* O tu desiderium animæ suæ, ait Origenes, cur interrogas eam, *quem quæris? quid ploras?* Ipsa paulò ante oculis suis cum magno dolore cordis sui viderat te, spem suam, suspensum in ligno, & nunc dicis, quid ploras? Ipsa vidit manus tuas, quibus sæpe fuit benedicta; & pedes tuos, quos deosculata fuerat, & lachrymis rigauerat, cruce affigi, & nunc dicis: *quid ploras? quẽ quæris?* Viderat te exspirantem spiritum viderat & suum, & tu dicis, quid ploras? Nunc insuper & corpus tuum sublatum existimat, ad quod vngendum, vt se quodammodo consolaretur, veniebat, & nunc dicis, quid ploras? quem quæris? Tu scis, quia te solum quærit, te solum diligit, pro te omnia contemnit, & tu dicis, quem quæris? Dulcis Magister, ad quid quæso prouocas spiritum mulieris huius? ad quid commoues animam eius? tota pendet ad te, tota manet in te, ex toto sperat de te, tota desperat de se. Ita quærit te, vt quærens nihil cogiter præter te. Ideo forsan non cognoscit te, quia non est in se, sed pro te est extra se. Cur ergo dicis, quid ploras? quem quæris? Hactenus Origenes.

Illa autem existimans hortulanum esse ait, *Domine, si tu sustulisti illum, dicito mihi, & ego eum tollam.* Verisimile omninò est, mulierem hanc à mente sua dimotam fuisse, quia quot profert verba, tot adfert errores. Primum enim nec respondet ad propositũ, nec intelligit quid interrogetur: nihil enim intelligit, nihil cogitat, præter id quod diligit. Præterea & hortulanum vocat *Dominum*, qui titulus tam vili non conueniebat officio. Eum etiam quem quærit, non per nomen, sed per pronomen indicat; *Si tu*, ait, *sustulisti illum, dicito mihi, & ego eum tollam.* Existimabat enim omnes id sentire, quod ipsa sentiebat, nec opus esset alia declaratione. Videtur etiam & extra si posita in eo, quòd arbitratur hortulanum circuire, vt tollat & suffuretur corpora mortuorum, & magis etiam, quòd putat hortulanum, si sustulisset, ad vnicum mulieris, quam non nouerat, verbũ rediturum. Omnia hæc operabatur amor, qui mulierem hanc sanctè fecit errare, quamuis maior his error fuerit. Dominum coram videre, & non agnoscere. Sed quia amore iam languebat, isto languore sic oculi cordis eius caligabant, vt non videret, quẽ videbat. Videbat enim Iesum, & nesciebat quia Iesus esset. O Maria, si quæris Iesum, cur non cognoscis Iesum? & si non cognoscis Iesum, cur quæris Iesum? Nunc in veritate comperi, hanc esse causam pro qua à te recedebat, & pro qua tibi non apparebat. Cur enim tibi appareret, quem non quærebas? tu certè quærebas eum, qui non erat, & non quærebas, qui erat. Quæris Iesum mortuum & sepultum, & non quæris Iesum glorioſum & resuscitatum: ideoque mirum non est, si videns illum, non agnoscas illum. O dulcis, ô pie Magister, si possem, omninò tamen non audeo excusare discipulam tuam, non possum liberè defendere hunc errorem eius, si tamẽ errabat; quia talem te quærebat, qualem te viderat, & qualem te in monumento positum reliquerat. Viderat quippe defunctum corpus de cruce deponi, & in monumento reponi, tantusque dolor inuaserat eam de morte tua, vt nihil posset sperare de vita tua: & tantus dolor inuaserat eam de sepultura tua, vt nihil posset sperare de resurrectione tua. Ioseph posuit in monumento corpus tuum: Maria tibi pariter sepeleuit spiritum suum, & ita indissolubiliter iunxit, & quemadmodum vniuit eum corpore tuo, vt facilius posset separare animam viuificantem à viuente corpore suo, quam spiritum te diligentem

Absurdi multa in quæstione Mariæ.

Mat.

à defun-

à defuncto corpore tuo. Spiritus enim Mariæ magis erat in corpore tuo, quàm in corpore suo. Propterea requirens corpus tuum, requirebat & spiritũ suum, & cùm perdidit corpus tuum, perdiderat & spiritum suum. Quid igitur mirum, si sensum non habebat, quæ spiritum amiserat? quid mirum, si te nesciebat, quæ spiritum non habebat, quo te cognosceret? Redde itaque Domine corpus tuum, moxque recuperabit spiritum suum, & derelinquet errorem suum. Sed quomodo sic errabat, quæ pro te sic dolebat, & sic te amabat? Certè si errabat, indubitanter dico, quod errare se ignorabat, & non procedebat error ab errore, sed potiùs ab amore & dolore. Igitur misericors & iuste Iudex, amor quem habet in te, & dolor quem habet de te, excusent eam apud te, si forsan erret de te. Ne attendas ad mulieris errorem, sed discipulæ amorem, quæ non pro errore, sed amore & dolore plorat, & dicit tibi; Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam.

Quid est etiam, ô bone Iesu, quod dicit ad te: *Ego eum tollam*? Ioseph timuit, & non fuit ausus tollere corpus tuum de cruce, nisi in nocte, & nisi peteret hoc à Pilato. Maria verò noctem non præstolatur, sed audacter eum postulat, dicens: *Ego eum tollam*. O Maria, si corpus fortè Iesu positum est in atrio Principis Sacerdotum, vbi Apostolorum Princeps se calefaciebat ad ignem, quid factura es? Ego eum tollam. O admirabilis mulieris audacia, ô mulier, non mulier: & si ancilla ostiaria te interrogauerit, quid facies? Ego eum tollam. O ineffabilis mulieris amor. Nullum excipit, nullum anteponit: sine timore dicit, absolutè promittit: Dicito, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. O mulier, magna est fides tua, magna est constantia tua. Tu ergo bone Domine, tu es oblitus dicere; *fiat tibi sicut vis*? &, *confide filia, fides tua te saluum fecit*? Cur ergo non dicis, vbi te posuisti, vt ipsa tollat te, & portet in corpore suo, annuntiet que Discipulis tuis? Noli quæso, dulcis Magister, iam vltra protrahere desiderium illius, quia ecce iam triduo sustinet te, nec habet vnde possit animam esurientem reficere, nisi tu te manifestando porrigas illi panem corporis tui, & de fragmentis eius impleas cophinum cordis illius. Si igitur vis, vt non deficiat in via, refrigera eam, & conforta viscera animæ eius dulcedine saporis tui. Tu es enim panis viuus, qui habes in te omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis. Non enim poterit diu retinere vitam corporis sui, nisi tu manifestes te citò, qui es vita animæ illius.

Non protraxit misericordiam Dominus, nec diutius duravit hæc dissimulatio: sed quemadmodum Patriarcha Ioseph aliquamdiu se celauit fratribus cùm in Aegyptum venirent: postea verò à nobilitate sua & fraterno amore victus se fratribus manifestum fecit, sic nobilissimus hic Dominus, post breuem dissimulationem, confestim suauiter se Discipulæ suæ prodit, compellans illam solito more, *Maria*. Quis poterit hic eloqui, quò se extendit lætitia, deuotio, amor, admiratio, timor, quem concepit Maria ex inspirato hoc miraculo, inueniens multò plura quàm quærebat: quærens enim corpus mortuum, inuenit Dominum viuum, & victorem mortis. Mirum sanè est, Mariam præ nimia lætitia & admiratione tunc non expirasse. O Domine, quanta est tua potentia, qui vnico tantùm verbo animam mœstam & miseram tam opulenter potes locupletare & exhilarare? Non est mirum, qui vno verbo cœlum & terram creauit, illum vno verbo cor mulieris resuscitasse. Non ita fugiunt tenebræ à conspectu Solis aduenientis, quàm dolores è corde Mariæ præsente Christo disparuerunt. Dolores disparuerunt, sed lachrymæ adhuc fluebant, causis tamen mutatis: quæ enim prius fleuit præ dolore, nunc præ gaudio lachrymatur, quamuis vtrunque ab amore processit. Magnam familiaritatem & amorem Saluator hoc verbo demonstrauit, multò verò maiorem demonstrat in accentibus & pronunciatione eiusdem, quam non scribit Euangelista: potuit enim verbum scribere, verbi verò formam scribere non potuit.

Vnico verbo compellata Maria, vnico respondet, nec minus significatiuo. Cùm enim Saluator dixisset; *Maria*, illa respondit, *Magister*, quasi diceret, Magister cœli, Magister mundi, Magister animæ meæ, Magister manuetorum & humilium. Nihil præter hoc verbum respondet; lingua enim illius erat ligata & impedita affectus vehementia, ita vt nihil potuerit aliud dicere, quæ tamen habebat tot dicenda & interroganda de tanta mutatione & tam ineffabili mysterio. Sed affectus, qui verbis non exprimitur, incipit opere sese manifestare: proijcit enim sese Maria ante pedes Domini, in quibus ius sese propter antiquam possessionem habere arbitrabatur, & è quibus omnes suos thesauros, omnesque diuitias hauserat. Lauans pedes istos lachrymis, inuenit peccatorum suorum remissionem; sedendo iecus pedes istos, audiuerat doctrinam ab ore cœlestis sui Magistri; prostrata ad pedes istos, obtinuit fratris sui resuscitationem: istos pedes vt vngeret, reuersa est in domum Simonis Leprosi, & ecce nunc vult adorare & osculari sanctissima vulnera, quæ in illis, tanquam pretiosissimos pyropos rutilare conspiciebat. Sedebat Maria tanquam humilis (iuxta consilium Domini) in infimo mensæ loco: non est igitur mirum, si exaltata & ascendere ad locum altiorem iussa sit; quæ enim semper circa pedes Christi versabatur, huic Dominus manum porrexit, nouis illam ornans quotidie beneficijs.

Respondit illi Saluator; *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*. Non recusauit Dominus, vt sancta hæc Mulier adoraret, atque exoscularetur pedes suos, vti nec paulò ante negauerat hoc reliquis mulieribus, quæ vnà cum Maria venerant à monumento; hoc enim verba illa: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, manifestè satis indicant. Arbitrabatur enim pia hæc fœmina, Christũ iam in cœlum ascendisse, & à Patre reuersum esse, vti sæpiùs ante passionem sese facturum dixerat, volens discipulos suos consolari, ipsosque in notitiam sui discessus introducere. Propterea præsupponebat Maria, quod Saluator iam in cœlo fuerat, & quod posthac illum non esset amplius in hoc mundo visura: ideoque intimè, quàm potuit maximè, illo frui voluit, & procumbens ante pedes illius, voluit illũ detinere, ne tam subitò recederet. Prauam hanc opinionem vt eximeret illi Dominus, dixit; *Noli me tangere*, & c. q. d. Noli me tenere, noli putare, quòd fugiam; non est hoc vltimum, quòd me videbis: adhuc enim in mundo sum, & aliquot adhinc diebus in illo manebo: nondum enim, vt tu existimas, ad Patrem meum ascendi.

Post hæc Dominus illam dimittit, dicens; *Vado ad fratres meos, & dic illis: Ascendo ad Patrem meũ, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*. Quod dulcius auditum est vnquam colloquium? quæ maiora humilitatis & amoris indicia? Meritò profecto Apostolus exaggerat humilitatem Filij Dei, eò quòd non confunditur fratres appellare, & filios eiusdem patris, eos, qui erant miseri piscatores & quisquiliæ mundi huius; quos homines tanquam execratos & immundos fugiebant. Hinc liquet, ô Domine, quod naturam & conditionem tuam, quã, cùm in mundo esses, habuisti, etiam postquam mũ- Heb. 2.

dum deseruisti, nondum mutasti; Sed eandem beneuolentiam, suauitatem & misericordiam, qua vsus es in hoc mundo, adhuc tibi reseruasti; & quemadmodum egisti cum tuis tunc, cùm inter illos corporaliter versabaris, ita adhuc agis cum illis, ex illorum consortio sublatus. Cor enim tuum nec loco, nec tempore mutatur. Noua quoque dignitas, gloria tui corporis, & nomen illud nouum quod adeptus es, te non inflant, nec animum tuum à nobis alienum reddunt. Propterea summo iure tui debent in te confortari & gloriari, tanquam fratres de tali fratre, & tanquam Filij de tam nobili Patre, cùm tu ipse hoc nomine dignatus es illos insignire.

Nec minor dignitas & suauitas est verborum sequentium; *Ascendo ad Patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Quæ potest homini maior gloria, quæ dignitas excellentior obtingere, quàm Deum Ter. Max. habere Patrem? & quam maior humilitas Filij Dei, quàm Deum nostrum suum Deum appellare? O Domine, qua re tibi magis obligamur, an quia Patrem nostrum, tuum faciat Patrem, an potius quia Deum tuum, nostrum facias Deum? Non potest priori dignitas aliqua reperiri præclarior, nec posteriori humilitas vlla celebrior; quam dignitatem priorem nobis est promerita. Per meritum enim humilitatis illius, qua Filius Dei adeò sese demisit, vt Filius hominis factus sit, ad illud dignitatis & gloriæ nos euexit fastigium, vt qui filij hominis sumus, in filios Dei adoptemur.

Inter alia multa, quæ ex hac tam dulci & deuota erui possunt historia, præcipuè notandus & obseruandus est immensus ille feruor, quo Deus quærendus est, & quis istius inquisitionis sit fructus. Quemadmodum enim Deus in Ecclesia sua, tanquam in altissimo theatro, Mulierem hanc posuit speculum & exemplum pœnitentiæ peccatoribus; ita quoque eandem in quærendo Christo quasi Antesignanam proponit iustis. In ea namque vident illi, quomodo pœnitendum est, & qui sint fructus ex pœnitentia profluentes: hi autem, qua cum diligentia Deus quærendus est, & quod lucrum eorum, qui Dominum hoc modo quærunt. Tu igitur quicunque amore Dei vulneratus es, aspira ad perfectionem illius amoris & spei diuinæ, in qua Deus inuenitur. Quære illum, sicuti mulier hæc quæsiuit, quære illum cum amore, cum dolore, cum diligentia, cum lachrymis, cum instantia, & super hæc omnia cum perseuerantia: & noli dubitare, quin illum inuenturus es. Nec tibi persuadeatur arduum esse, illum tanta cùm solicitudine quærere: Deus enim disponens omnia suauiter, vult vt media cum fine conuenientem habeant proportionis rationem: & proinde quoque voluit vt thesaurus infinitus tanto quæratur labore, & tanta cum anxietate. Non te terreat labor itineris, non formido noctis, non timor militum, id est Dæmoniorum, non memoriæ peccatorum præteritorum, Nihil enim horum terruit, nihil retardauit sanctam hanc peccatricem, quò minus perseueraturit in quærendo illum, quem diligebat. Quapropter & ante omnes alios prima meruit videre solem iustitiæ gloriosum & resuscitatum. O consolatio peccatorum, ô fortitudo quærentium Dominum. Fœmina (ex qua Dominus eiecerat septem Dæmonia, quæ iuxta Beatum Gregorium peccatorum omnium significant vniuersitatem, in quibus misera quasi submersa iacebat; quæ nominatim hic recensere nec est necesse, nec fieri posset sine scandalo) quia corpus Domini quæsiuit tot lachrymis, tanta cum solicitudine, & cum perseuerantia tanta, digna fuit ante Apostolos omnes, imò ante Discipulum quoque illum, quem super omnes Apostolos Christus diligebat, ab Angelis visitari. O quàm manifestè resplendet hic diuina bonitas, summa nobilitas, & ardens desiderium trahendi ad se peccatores, & consolandi eos, qui quærunt ipsum ex toto corde: huiusmodi enim fatiorum, huiusmodi amplexuum, huiusmodi blanditiarum non alius est finis, quàm vt per ea homines ad se trahat & alliciat. Hinc verum esse colligitur illud, quod Deus per Prophetam pollicetur, dicens: *Quæretis me, & inuenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro.* Ceterum, huic solicitudini & anxietati adiuncta debet esse perseuerantia, quam habuit Magdalena: quæ propterea inuenit, quod perseuerauit. Quapropter & in sacrificijs antiquæ legis tam diligenter cautum fuit à Domino, ne immolarentur animalia caudam & aures non habentia, vt significaretur præceptum, quod à nobis exigit Dominus, esse obedientiam & perseuerantiam. Partes enim istæ duæ conficiunt vestem iustitiæ, quæ tegit hominem à capite vsque ad pedes; qualis illa fuit, quam olim Pater Iacob dedit filio suo Ioseph, eratque talaris & polymita, id est variorum colorum, & ad talos demissa: vt insinuetur, vestem iustitiæ componi ex diuersitate virtutum, & cum perseuerantia ad finem vsque vitæ se extendere.

Hier. 29. *Perseuerantia adiuncta esse debet in quærendo Dominum.*

Quomodo Deus quærendus est.

Neque mouere debet hominem, quòd cùm hoc modo Deum quærit, fructus desiderij sui differtur: differtur enim ille, vt ipsum desiderium crescat, & augmentum desiderij sit stimulus maioris diligentiæ maiorisque meriti. Tale enim desiderium, donũ Dei est: dicit enim Sapiens, quod Deus dat iustis desiderium internum Sapientiæ.

Disce, peccator homo, à peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata sua: disce plorare Dei absentiam, amare præsentiam. Disce à Maria Iesum amare, Iesum sperare, & in quærendo Iesum perseuerare, nulla aduersa formidare, nullam consolationem extra Iesum quærere, omnia propter Iesum contemnere. Disce à Maria quærere Iesum in monumento cordis tui. Reuolue lapidem ab ostio monumenti, amoue omnem duritiem, repelle omne obstaculum à fide tua, omnem concupiscentiam mundi à corde tuo, & diligenter scrutare, si Iesus est in eo. Si autem non inueneris eum, quære, perseuera plora & humilia caput tuum vsq; ad puluerem terræ, & iterum reuertere, & inspice in monumentum, quod est in te, & audeo tibi confidenter promittere, si, eum quæsieris, quærendo perseueraueris, & perseuerando inclinaueris te cum humilitate, si exemplo Mariæ nullam consolationem extra Iesum accipere volueris, ipso reuelante ipsum videbis, cum illo & in illo simul in hac lachrymarum valle omnes diuitias omnesque consolationes inuenturus es.

DE ASCENSIONE DOMINI nostri ad cœlos.

MEDITATIO XXXII.

POst mysterium Resurrectionis Domini nostri sequitur illius in cœlos Ascensio, quæ teste Bernardo, solennitas est gloriosa, consummatio & impletio reliquarum solennitatum, & felix clausula totius itinerarij Filij Dei. Qui enim descendit, ipse est, & qui ascendit hodierna die supra omnes cœlos, vt adimpleret omnia, quæ ad nostram salutem pertinebant. B. Lucas historiam hanc nobis descripsit, dicens: *quod post quadraginta dies, quibus seipsum viuũ præbuit, post passionem suã apparens eis, & loquens de regno Dei*: cùm iam ad Patrem redire vellet, Discipulos omnes conuocauit, & secum in montem Oliueti iuxta Betaniam abduxit. Quis dubitauit hic etiã sacratissimam Virginem Mariam adfuisse? Certè non

Bern. Serm. de Ascen. Dom.

Act. 1.

Meriam adfuisse cum ascenderet Dominus.

è non erat conueniens, vt Saluator noster tam longum iter assumeret, nisi prius à sanctissima sua Matre licentiam peteret. Quę eum viderat in crucem eleuari, etiam ad cælos ascendere non videret? quę montis Caluariæ dolorum particeps fuerat, etiam de gaudijs montis Olueti non participaret? Nō est ista consuetudo Saluatoris, sed qui cum illo compatitur, etiam cum illo regnabit, & qui socius doloris eius est, etiam erit socius gaudiorum. Si itaque Apostoli, ad quos minima portio dolorum Christi peruenit (alij enim ab illo fugerunt, alij illum negarunt) si cum doloribus Mariæ conferre velimus, ad hanc solennem festiuitatem inuitati fuerint, an non omninò credendum B. Virginem, quæ tantum de Calice Domini bibit, ab eadem festiuitate non fuisse exclusam? sanè & ipsa adfuit, ipsa & hic visa est, & oculis suis vidit benedictum fructum ventris sui abire & super omnes stellas cælorum eleuari.

Cùm itaque gloriosa hæc Societas simul esset cōgregata, cœpit Christus ordinem ipsis præscribere, & præcipere Discipulis, quid post decessum suum essent facturi, dicens: *accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*; quasi diceret: Vos filioli mei & agni ouilis mei, fuistis testes totius vitæ meæ: audistis doctrinam, quam ego tradidi; vidistis exempla, quę hominibus dedi, & opera quæ feci; notæ vobis sunt persecutiones, quas toleraui, tormenta quoque, calumnias iniurias & mortem, quam pro redemptione generis humani subiui. Vidistis meam Resurrectionē, & mox Ascensionem meam videbitis, postquam accipietis virtutem Spiritus Sancti, qui vobiscum, & cum omnibus, qui per vos crediturí sunt, permanebit in æternum. *Ite* igitur cum benedictione Patris mei *in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium* meum *omni creaturæ*. Annunciate hæc bona noua mundo; quod ego nimirum, qui naturalis filius Dei sum, humanum corpus assumpsi, vt homines in filios Dei adoptarem; quod mortuus sum, vt mortis imperium destruerem; quod resuscitatus sum, vt vitam hominum repararem, & quod ascendi in cælos, vt gloriam ipsis præparem. Ego mitto vos, sicuti Pater meus misit me: annunciate hominibus indulgentiam & remissionem peccatorum: dicite, quia participes nunc sunt meorum meritorū, & salutiferæ meæ passionis. Interdicite ne ament posthac vanitates, diuitias huius seculi, & bona interitura: iubete vt timeant Deum, memores sint diuini iudicij, vitę æternę, paradisi, inferni, dicite, quòd Deus est scrutator, inspector, testisque & Iudex omnium actionum & cogitationum humanarum.

Euangelij summa.

Hac oratione habita, cum iam appropinquaret tempus, quo corporalem suam præsentiam mundo vellet subtrahere Christus, filij videntes solitudinē; in qua viuerent sublato illo, in quo omnia ipsorum bona erant reposita, optimoque patre exorbati, quis putas illis animus fuit? quæ mens? quæ cogitatio? quam lugubres auditæ sunt ibi quærelæ? Quid putatis fratres, ait Bernardus, quantus dolor & timor irruperit Apostolica pectora? cùm enim viderunt à se tolli, & attolli in aëra, non scalis adiutum, non subleuatum funibus, etsi angelico comitatum obsequio, non tamen fultum auxilio: sed gradientem in multitudine fortitudinis suæ? Ingens sine dubio fuit hic dolor, videntium se derelinqui ab illo, cuius amore ipsi omnia reliquerant. Non enim potuerunt filij sponsi sese à lachrimis temperare, cùm viderunt sponsum à se fugientem. Nec minor fuit metus ipso dolore, dum cogitarent sese relinqui in medio multorum atque potentium inimicorum, sublata, qua pridem armati erant, virtute cælesti.

Bernar. ser. 2. de Ascen.

Dolor Apostolorum.

Hęc omnia pensiculantes, quid putas dixerunt? quid fecerunt? Vnus se ante pedes illius proiecit, alius benedictas manus osculatus est, tertius humeros illius apprehendit, & omnes vnanimi voce exclamārunt; Quare nos Domine orphanos relinquis, & solos, inter infensos inimicos nostros; quid filij patre exorbati, quid discipuli sine Magistro, quid oues sine pastore, quid milites facient sine imperatore? Quo properas Domine sine nobis? vbi nos sine te manebimus? quæ erit vita nostra sublato tam fideli baculo, Duce & socio nostro? Ad huiusmodi Apostolorum querelas pius Iesus respondit, promittens illis aduentum & auxilium Sancti Spiritus, perpetuumque suum subsidium & prouidentiam non minorem, quam hactenus erant experti.

Dum hæc, aliaque inter illos geruntur, ecce aderat hora Ascensionis, & inceperunt Angeli canere verbum illud Prophetæ: *exaltare Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Hæc est arca, è qua sumptum est pretium, quo debita totius mundi sunt redempta: hæc est arca, in qua reconditi sunt omnes Dei thesauri, hæc est arca sanctificationis & propitiationis, per quam homines sanctificati sunt & Deo reconciliati. Exaltare igitur, ô Domine, & eleua tecum hanc arcam gloriosæ tuæ humanitatis, vt sicuti socia fuit tuorum tormentorum, etiam sit particeps gloriæ, & quæ crucifixa fuit in sanctissimo ligno, tecum regnet quoque in cælo. Eleua itaque arcam hanc, & incipe ascendere in nube splendida cum corpore tuo glorioso. Christus ascendebat, & Apostoli stabant attoniti suspicientes in cælum, & videntes Heliam suum in cælos euntem: & quem corpore sequi non poterant, oculis & corde sequebantur. Quale spectaculum? quis intuitus? quæ attentio? quæ oculorum & cordium mutua impressio? *& eleuatis manibus suis*, inquit Lucas, *benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* O si & mihi illic adesse licuisset, vt & ego benedictionis illius particeps esse potuissem. O quam felix, inquit Bernard. quàm digna processio, ad quam ne ipsi quidem Apostoli adhuc digni fuerunt admitti. O quis erit tam felix, vt licet corpore absens, animo tamen hic præsens assistens, mereatur benedictionem accipere à Christo abeunte? Sentiebat S. Augustinus absentiam & solitudinem hanc, quando conquerebatur suauibus verbis sic Christum alloquens: Tu fugis consolator mi, & nondum à me dimissus es: exultans in alto dedisti tuis benedictionem, & ego non vidi. Angeli promiserunt te secundò in mundum reuersurum, & ego non audiui. His alijsque similibus verbis significat Sanctus ille pater, solitudinem, quam sentiebat eius anima ex illo Christi discessu. Nec minorem sensit D. Bernardus, dicens, Verūtamen quid mihi & solennitatibus istis? Quis me consolabitur Domine Iesu? quia te non vidi cruce suspensum, plagis liuidum, pallidum morte; quia non sum crucifixo compassus, obsecutus mortuo, vt saltem lachrymis meis loca illa vulnerum delinirem? quomodo me dereliquisti insalutatum, cùm formosus in stola tua Rex gloriæ in alta cælorum te recepisti? Prorsus renuisset anima mea consolari, nisi me Angeli in voce exultationis præueniissent, qui dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.*

Pſalm. 13.

Ibidem.

Abſentia Dei quam tædioſa ſanctis.

Ergóne veniet quærere nos in illa tam singulari quàm vniuersali processione, cùm, præcedentibus omnibus Angelis, & subsequentibus hominibus vniuersis, descendet iudicare viuos & mortuos? Proculdubio veniet, sed quomodo ascendit, nō quomodo antea descendit. Humilis enim prius venit ani-

mas saluare, sublimis autem veniet cadauer illud resuscitare, & configurare corpori claritatis suæ, vt infirmiori huic vasculo abundantiorem impendere videatur honorem. Intuebor & ego eum, sed non modò; videbo eum, sed non prope. Manipulus primitiarum nostrarum Christus oblatus est, ad dextram Patris assumptus, & assistit nunc vultui Dei, vt offerat deinceps omne id pro nobis, quod restat.

Mos triumphantium.

Cæterum, quæ lingua poterit explicare, quanta cũ solennitate, quanto cum iubilo atq; lætitia sanctissima illa Christi humanitas in cælum est assumpta? Mos erat apud Romanos, vt Imperatori, qui legionem hostium fudisset, solennis triumphus decerneretur. Is tanto apparatu & cultu fiebat, vt nihil splendidius excogitari posset. Nam qui triumphabat delecto murorum tractu, vrbem ingrediebatur; spolia de hostibus longo ordine relata deducebantur. Exercitus armorum splendore insignis anteibat. Imperator triumphali curru, purpurea veste, auro intexta, & laurea corona illustris cum ingenti, non modo admiratione, sed etiam tubarum clangore & applausu populi, Triumphatoris præconia decantantis vehebatur. Hunc sequebantur Reges ac hostium duces, manibus post terga deuinctis: atque ita Capitolium Imperator conscendebat. Si hoc factum sit homini in terris, b exiguos hostes prostratos, quid putas factum fuisse in illa aula cœlesti, magno illi Capitaneo & Imperatori, qui de Mundo, de Dæmonio, de Peccato, de Morte, & de Inferno triumphabat, secumque tam ingentem numerum animarum hostium vnguibus erutarum reportabat? Quæ festiuitas fuit in die illa? qui cantus, quæ modulamina? quæ harmoniæ? quæ laudes? qui triumphi? Quàm iucundum fuit audire illic Angelorum omniumque Aulicorum cælestium voces & præconia? O Domine, quæ est hæc tanta & tam subita mutatio? qualem ego te vidi nuper die Veneris, & qualem te nunc video in die Iouis? qualem ego te tunc vidi in monte Caluariæ, & qualem te nunc video in monte Oliueti? ibi eras solus, hic millium millibus comitatus? illic ascendisti in arborem, hic in nube ad cælum exaltaris: ibi crucifigebaris inter latrones, hic inter choros Angelorum exultas: ibi clauis cruci affixus & condemnatus, hic liber & condemnatorum liberator, quid multis? ibi moriens & patiens, hic gaudens & triumphans de morte ipsa, super omnes cælos ascendis.

Iacob patriarcha cùm in Mesopotamiam iret, vt iram fratris sui Esau subterfugeret, tanquam homo fugitiuus solus profectus est & pauper: nihil habens præter baculum in manu, quo cum Iordanem transiuit. Inde verò post aliquot annorum curricula eodem itinere cum magna prosperitate reuersus, memor pristinæ paupertatis, oculos ad cælos exaltauit, dicens; *Benedictus sis Domine mi, quia in baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis, pecorum vna, & hominum altera regredior.* Iacob hic figura Christi est, qui transiens aquas vitæ huius mortalis, habens in manu baculum crucis, nunc reuertitur, cum duabus turmis, vna Angelorum, altera sanctarum animarum, Patriarcharum scilicet, Prophetarum, aliorumque iustorum, qui illius aduentum à mundi exordio erant præstolati. Ibi erat innocens Abel, iustus Noë, obediens Abraham, castus Isaac, fortis Iacob, prudens Ioseph, & patientissimus Iob. Ibi erat mansuetus Moyses, sanctus Ezechias, elegans Esaias, & afflictus Hieremias. Inter quos vnà venêre chori Angelorum cum lyris, citharis, tibijs, psalterijs, barbitis, & organis, cantantes & ludentes ante veram arcam fœderis, alios etiã inuitantes ad laudandum & glorificandum Dominum tam glorioſum, dicentes; *Cantemus Domino canticum nouum gloriosè enim magnificatus est.* Sed dicite mihi, quod Canticum nouum cantabimus? *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum est, fratres habitare in vnum.* Duo illi fratres sunt corpus & spiritus Seruatoris, qui vsque huc in diuerso statu viuebant: corpus enim in tormentis cruciabatur, spiritus verò æternis delicijs oblectabatur. Hodie verò cœperunt illi habitare in vnum. Corpus enim & spiritus nunc simul ascendunt in cælos cum gloria & maiestate, & licet in vita diuersæ erant naturæ, nunc tamen de vna eademque gloria participant. Cum tãtis itaque laudibus & encomijs, cum istis canticis, & cum glorioſa hac societate sacratissima illa Christi humanitas super omnes cælos ascendit; donec à dextris Dei collocata, in plenitudine gloriæ resedit.

Gen. 32.

Exod. 15.

Psal. 132.

Humana naturæ nobilitas.

Qui itaque paulò antè humiliatus erat plus, quam vlla creatura, idque pro obedientia & gloria Patris sui, ecce nunc super omnes creaturas exaltatur, & sedet à dextris Dei. Sed & natura, cui prius dictum erat, *vulnus es, & in pulueremreuerteris*: nunc de puluere terræ subleuatur, & super omnia cælorum fastigia attollitur, atque ad dextram Dei Patris collocatur.

Gen. 3.

DE MVLTIPLICI FRVCTV, QVI ex Ascensione Domini nobis profluxit.

MEDITATIO XXXIII.

MVlta passim, non in hoc articulo tantùm, sed in tota Christi vita, vt huc vsque satis ostendimus, non solùm considerandasunt, sed & admiranda. Inter alia verò, quæ maximi momenti sunt, & quæ potissimum cor nostrum rapiunt in amorem ipsius, est, quod tam liberaliter & profusè dederit semeipsum in commodum & vtilitatem nostram: & quod in omnibus operibus suis voluit magis esse noster, quàm suus: in se suscipiens onera & miserias nostras, & nobis merita cum honore suo restituens: quod denique à primo Natiuitatis suæ momento vsque ad Ascensionem, verbum non sit locutus, passum vnum non mouit, opus ne minimum quidem fecit, quod non pro vtilitate nostra militauit. Refert in sua Apocalypsi Ioannes, quòd viderit fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedẽtem de sede Dei & Agni, quodque viderit iuxta fluuium arborem vitæ, afferentẽ fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum. Et folia arboris erant ad sanitatem Gẽtium. Ita vt in tota arbore nihil esset, quod nõ esset vtile: arbor enim erat vitæ, & fructus erant fructus vitæ, & folia erant folia vitæ. Hæc omnia nulli magis conueniunt quàm Seruatori nostro, qui vera est arbor vitæ: quidquid enim fecit, quidquid dixit in hoc mundo, viuificans est, & vitam dat hominibus. Venit in mundum, vt illuminaret eum sua doctrina, conuersatus est inter nos, vt instrueret nos suis exemplis: mortuus est pro nobis, vt nos redimeret suo sanguine: sepultus fuit in monumento, vt mortem nostram debellaret & vinceret: descendit ad inferos, vt Aduersarium nostrum comprehenderet, eiusque imperium destrueret: resurrexit die tertia, vt spem nostræ resurrectionis excitaret & confirmaret. Ascendit in cælos, vt iter inuium nobis aperiret: misit Spiritum sanctum, vt eius virtute sancti & spirituales efficeremur. Venit itaque, vt omnia daret nobis ad amandum nos & coniungendum se nobis, adeò vt nihil fecerit, nihil dixerit, cuius non aliqua pars ad nos dimanauit. Caput enim non potest habere gloriam aliquam, cuius etiam non pars aliqua ad reliqua membra derivatur.

Apoc. 22.

Omnia Christi nostra sunt.

Hanc ob causam Dominus ipse in Euangelio se-

segal-

se gallinæ comparauit: non tantum enim glocitat
Christus Gallina. Matth.23. vel vociferatur, vt pullos suos ab infernali miluo defendat, & instar gallinæ sub alas suas colligat, ijsdemque tegat, sed etiam quemadmodum gallina, cùm granum aut aliud aliquid alimenti inuenerit, incipit pupillare, & clamando allicere pullos suos, vt comedant illud quod inuenit, ipsa manente famelica & ieiuna. Ita nobiscum egit benignissimus ille Saluator; ieiunauit ipse, vt nos satiaret; pauper factus est, vt nos ditaret; humiliauit se, vt nos exaltaret; mortuus est ipse, vt nos viuificaret; ipse passus est, vt nos ab omni passione liberaret; ipse laborauit, vt nobis æternam requiem compararet, & quod plus est, hanc ineffabilem gloriam, quam hodie adeptus est, non tam pro se, quàm pro nobis, intrauit. Adeò vt non minus nunc tueatur nos in cœlo residens, quàm adiuuaret, si adhuc nobiscum in terris versaretur. In hoc itaque manifestè liquet differentia laborum & dolorum Christi, & aliorum Sanctorum. Alij enim Sancti laborârunt, & passi sunt pro seipsis, Sancti fuêre sibi, Christi verò sanctitas & passio Christi ita eius fuerunt, vt magis etiam nostræ & sint, & dici possint: quod & ipse manifestè declarat, cùm dicit: *Ego sanctifico meipsum pro eis, vt*
Ioan.17. *sint & ipsi sanctificati in veritate.* Atqui hoc modo omnia opera Christi, eius Natiuitas, Circuncisio, exilium, itinera varia, orationes, lachrymæ, ieiunia, mors, crux, sepultura, Resurrectio, denique & Ascensio, cum omnibus alijs suis actionibus, nostra sunt, & nostræ famulantur vtilitati. Quemadmodum enim peccatum primi hominis descendit in omnes nos, ita etiam gratia secundi hominis omnibus nobis communicatur. Magna tamen in lapsu & reparatione est differentia. In lapsu etenim vna satis erat inobedientia, & gulositas vna: in reparatione verò requirebantur omnia opera Christi, quæ fecit à Natiuitate ad Ascensionem, & quæ adhuc facturus est, vsque ad consummationem seculi: Quotidiana enim experientia docemur, multò facilius esse destruere, quàm ædificare: vt enim palatium aliquod regale destruatur, satis est ardens facula; vt autem reparetur, hoc opus, hic labor est: hic multis manibus, longo tempore, & multis sumptibus opus est. Igitur de cælo venit Dominus, vt omnia opera illius seruirent nobis, & quidquid fecit in hoc mundo, facit etiam nunc in cælo.

Cæterum dicet fortassis aliquis; Esto, sit ita, vt dixti in cæteris omnibus operibus Seruatoris; quomodo autem id locum habeat in Ascensione illius non video: non enim hæc Ascensio fit, vt Christus patiatur, sed vt regnet, id est, non fit vt patiendo nobis Regnum cæleste mereatur, sed vt ipse æterno gaudio perfruatur. Sed & quomodo potest nobis aliquid fructus aut vtilitatis adferre, quod Dominus iste separat sese à nobis, nosque solos & tanquam Orphanos relinquit in hoc mundo, sine sua præsentia? deerunt iam sermones & verba eius, quæ erant verba vitæ, desiderabuntur eius exempla, quæ maxima erant ad virtutum administrationem incentiua; deficient nobis eius miracula, quæ maxima erant fidei testimonia. Quid multis; omnia simul cum illo nobis subtrahentur. Quæ igitur vtilitas nobis in Ascensione hac, & maximè in statu hoc, in quo nunc est, & in quo amplius mereri non potest? Audite responsum: videat vnusquisque gloriam hanc, & certo credat, se non minus Domino ob hanc, quã ob alias eius actiones obligari. Ante omnia siquidẽ
Christus ascendens se nobis relinquit. præsupponendum est, quod sicuti Dominus hic, quãdo ex cælis in terras descendit, ita in terris venit, vt cælum non reliquerit; sic etiam cùm ex terris ad cælum ascendit, sic cælum intrauit, vt terris omnino non exierit, neque homines deserurit. Etsi enim ascenderit secundùm humanitatem, secundùm diuinitatem tamen non ascendit, quæ est in omni loco: nec etiam sic ascendit secundùm humanitatem, vt nos omnino sine illa reliquerit: sed sicuti Elias ascensurus reliquit pallium Helisæo discipulo suo, sic
3. Reg. 2. Dominus noster in cælum abiturus, pallium sacratissimæ carnis suæ nobis in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento reliquit.

Posito hoc Principio, videamus quanti, & quàm admirabiles fructus hanc Ascensionem subsecuti sunt. Non potest in hac vita maior & vtilior dari fructus, quam in tribus illis altissimis & nobilissimis virtutibus, fide, spe, & charitate profectum facere; & ad hoc plurimum adiumenti confert mysterium Ascensionis, vt D. Thomas ostendit. Primò cõducit plurimum ad perfectionem fidei; ad naturam siquidem fidei pertinet, vt sit rerum inuisibilium. *Ascensio Christi fidẽ excitat.* Par itaque erat, vt Dominus noster, principale fidei nostræ obiectum, se visui nostro subtraheret, vt fides nostra, à fide Beati Thomæ distingueretur, cui dictum est: *Quia vidisti Thoma, credidisti, Beati, qui*
Ioan.20. *non viderunt, & crediderunt.*

Secundò plurimum prodest ad spem futuræ vitæ, cuius datur hîc certissimum & securrissimum pignus vel arrha. Vidimus enim hodie sacratissimam humanitatem in cælum ascendere: Vidimus membra illa, quæ paulo ante in sepulchro iacebant, nunc inter choros Angelorum collocari: Vidimus corpus mortale in gremium recipi immortalitatis: Vi-
Gen.3. dimus naturam illam, cui paradisi ianua hactenus fuit occlusa, & à Cherubin flammeo & versatili gla-
Psal.103. dio repulsa, nunc ascendere super omnes Cherubin, & volare super pennas ventorum. *Spem auget.*

Nec tantùm arrha est & pignus nostræ Spei, sed aliud quid hic latet omni comparatione maius: nimirum quòd Christus caput nostrum est, & nos mẽbra Christi. Si itaque gloria capitis etiam sit gloria membrorum, & si æquum sit, vt vbi caput est, ibi & cætera membra sint: Caput autem nostrum hodie cælum ingressum est, habent igitur nõ solum æquissimam rationem de cælo sperandi membra omnia, sed in cælo iam possessionem accepêre.

Nec solùm spem gloriæ futuræ, quæ finis est itinerarij nostri, per Ascensionem concepimus, sed etiam spem omnium adiumentorum & mediorum, per quæ ad finem hunc possumus venire: etiam præsens remedium, contra omnes tribulationes & aduersitates huius vitæ, quod thesaurus est pretiosissimus & consolatio maxima, quæ potest in hoc mũdo expectari. Hæc consolatio est certitudo quędam prouidentiæ diuinę, vt quod Christus curam rerum humanarum gerat; quòd ipse est, qui semper hominem custodit, qui ad necessitatem illius aduigilat, qui orationes eius audit, qui in fauorem illius apud Patrem intercedit; qui denique omnia bona nobis impartitur. Qui itaque tantam habuit charitatem, vt quærens nos cum tantis molestijs & doloribus, & quærens non ob aliud, quàm vt plurimis spiritalibus locupletaret diuitijs, nec in doloribus suis nostri oblitus est, nec quicquam de amore suo remisit; multò minus nostri obliuiscetur, cùm iã superatis doloribus & tormentis glorioſus in cælo sedeat, ardens eodem amore nostri. Omnia bona, quæ sua passione conquisita sunt, tam nostra sunt, quàm illius; & qui ea conquisiuit tantis laboribus & impensis, eadem nobis nunquam denegabit. Si veniens in mundum procuratorio munere pro nobis apud Patrem functus sit, & nostras preces audierit; certè non minus audiet eas in throno potentiæ suę, & iucunda illa bonorum tantorum possessione.

Tertiò vtilis est hæc Redemptoris nostri Sapien-

Ascensio Christi Charitatem accendit.

tia, ad accendendam in nobis Charitatem, & ad eleuanda desideria, vna cum cogitationibus nostris in cælum. Etenim si tot, & tam magna sint beneficia Domini nostri, non tantùm in exiguo illo tempore, quo visus est in terris, & cùm hominibus conuersatus est: sed etiam illa, quæ & nunc, & semper regnante illo in cælis (vbi non minus operatur salutem nostram, Aduocatum nostrum agens, quàm operatus est in terris, vbi Redemptoris officio fungebatur) recipimus, quomodo possumus non omni loco & tempore totum amorem nostrum conuertere ad illum, qui nunquam non amore nos complectitur

Matth. 6. ardentissimo? Etsi (teste ipso Christo) vbi thesaurus noster est, ibi & cor nostrum sit: si Christus omnis thesaurus noster sit, vbi erit cor nostrum, si non in

Simile. illo? Quemadmodum enim auari mens & cogitatio semper circa nummos versatur, & ambitiosi circa honores: ita etiam, quia Christus noster thesaurus, noster honor, gloria nostra, & omne bonum nostrum est (in illo enim omnia possidemus) certum est, quòd collocans Deus hunc thesaurum in cœlum, obligauit nos, vt & animis nostris in cælo habitaremus, & cor in illo fixum haberemus. Nam si Sanctus ille Propheta, cui omnia in Deo erãt reposita quondam dixerit; *Quid mihi est in cælo, & à te quid*

Psalm. 72. *voluì super terram*? quare non dicet idipsum etiam anima, quæ credit omnes suas diuitias in Christo repositas esse? Hoc vnum fecit Sanctos omnes, quamdiu in hoc seculo viuebant, & corpore, & animo, & cogitationibus in beata illa regione versari.

Philip. 3. Hoc B. Paulum mouit, vt diceret conuersationem suam esse in cælo; erat enim illic is, cuius amore omnes res mundi huius vt stercora arbitrabatur.

Colos. 3. Ad hoc ipsum Colossenses hortabatur, dicens; *Fratres, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*: quasi diceret; Fratres, si nouitate vitæ vestræ Resurrectionem Domini imitemini, etiam mysterium Ascensionis imitamini; eleuantes spiritus vestros ad contemplationem & amorem rerum cælestium. Quibus verbis monet Apostolus, vt si Christus sit omne bonum nostrum, & ille in cælo sedeat, etiam ibi omnis noster amor sit, omnis spes nostra, omne gaudium nostrum, & omnes ibidem habitent cogitationes: vult; vt illinc expectemus in necessitate nostra & inopia subleuamen, in molestijs & doloribus nostris gaudium & consolationem: vult, vt illinc lumen viæ, & legem vitæ nostræ speremus; &, ne longior sim, vt omnia hæc inferiora à corporibus cœlestibus, eorumque influentijs dependent, ita totus spiritus noster dependet à Christo, qui in cælis est: quo cum vniti sumus, & cuius beneficijs & fauore viuimus, mouemur, & sumus. Illi itaque, qui contrarium faciunt, id est, qui viuunt in terris, & omnem spem in illis habent constitutam, operibus negant illum, quem verbis confitentur. Ore siquidem confitentes omnem thesaurum suum, omnem spem & vitæ suę remedium omne in cælo esse, omnem amorem, spem, & affectus omnes in terris & terrestribus reponunt.

Deut. 11. Moyses declarans conditiones terræ promissionis, ad quam Israelitas ducebat, sic ait: *Terra, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existis, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ sed montosa est & campestris, de cælo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt, à principio anni vsque ad finem eius.* Quid hoc aliud est, quam explicatio differentiæ, quę est inter sortem & exercitia filiorum huius seculi, & filiorum Dei? Quia (vt Augustinus dicit) nec mali partem habent in cælo, nec boni in terra. Officium itaque malorum est habitare in superficie terrę, circuire & excauare illam, mundo seruire, & in illo consolationem omnem quærere. Boni verò semper oculos suos ad cælum attollunt, vbi thesaurus eorum est, & vnde consolationem suam expectant, dicentes cum Propheta:

Psalm. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, quæ fecit cælum & terram.*

QVOMODO SERVATOREM NOstrum cum bonis desiderijs in cælum sequi debeamus.

MEDITATIO XXXIV.

SEcundùm hanc itaque doctrinam, quisquis vult vitam, quam viuit, conformem facere fidei, quam profitetur, & ad magnitudinem mysterij huius (vt par est) respondere, debet totum cor suum, omnes affectus & sensus suos in cælo fixos habere & immotos: illic enim omnia bona nostra reposita sunt. & quamuis corpore versamur in terris, spiritus nihilominus per bona desideria versetur in cælestibus. Inter omnes filios Iacob nullus erat, qui plus adamabatur à patre quàm Ioseph, cùm itaque Iacob intellexisset hunc filium suum (quem iam ante & mortuum defleuerat) viuere & dominum atque conseruatorem esse totius Ægypti, tanto cor-

Gen. 45. reptus est videndi illum desiderio, vt iter instituere, & filium inuisere proposuerit: idque tam firmiter, vt nec ætatis ratio (erat enim iam centum triginta annorum) nec itineris molestia, nec mutandæ domus & familiæ tam amplæ difficultas eum ab hoc proposito auertere potuerint: tanta vis est amoris. Si fecerit hoc Patriarcha vnius filij amore incitatus, qui tamen domi multos alios habuit: quid non debent facere homines pro Christo, quia non habent præter hunc alium Patrem, alium Saluatorem, aliũ thesaurum? quare itaque non sequemur illum, vel corde saltem & desiderio, quem corpore nondum sequi possumus? Vna siquidem, eaque non infima ratio est, quare visibilem suam præsentiam nobis subtraxit, vt corda nostra ad se traheret, eaque perpetuò apud illum, & in illo commorarentur. Intellexit hoc Diuus Bernardus, qui ad verba illa Do-

Bernar. ser. 6. de Ascen. Domini. mini; *Expedit vobis vt ego vadam? Nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos*, sic philosophatur; Ioan. 15. Grande mysterium fratres mei: Quid sibi vult, nisi ego abiero, Paracletus non veniet? Itane inuisa Paracleto præsentia Christi? aut contubernium Dominicę carnis Spiritus S. horrebat, quæ sicut Angelo prænunciante cognouimus, nec concipi quidem nisi eo superueniẽte potuerit? Quid est ergo, nisi ego abiero, paracletus non veniet? Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritalis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus, non est Spiritus Sanctus contrarius Filio, sed ratione consentaneum est, Spiritum, qui cælestis est, non nisi in cælestibus cordibus habitare, quæ mortificárunt affectiones suas, ab omnibus negocijs seculi libera, per amorem & pia desideria in cælis viuentia. Et quia talia erant corda Apostolorum expediebat illis, vt Magister illorum in cælum abiret; erat enim iam certus, quòd amplius ipsum non desererent: sed vbi ipse esset (non enim diuisionem vllam patitur amor) eò sequerentur illi cordibus suis, etiam in cælum: & sic capaces fierent Spiritus Sancti gratię. Hanc ob causam itaque fugit bonus illorum Magister, vt corda illorum ad se eleuaret, & desiderio suæ absentiæ eadem inflammaret: quòd sanè desideriũ præcipuum fuit præparamentum, quo digni redditi sunt Sancti Spiritus perceptione. Propterea, inquit Clemens Alexandrinus,

drinus, creauit Deus hominem in Paradiso, eumque cunctis creaturis præfecit, & Dominum rerum omnium constituit, vt, dum nihil haberet in terris quod amplius desiderare posset (est enim desiderium earum rerum, quæ non habentur) transferret omne desiderium suum in cœlum: in præmium enim bonorum desideriorum solet Deus sua concedere beneficia. Igitur & Propheta dicit: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.* Quod quæso mysterium illud est Domine, quòd dicis emendum, & iterum dicis, nec auro, nec argento, nec vlla commutatione opus esse? Nimirum, quia Spiritus S. optimè norat pretium, quo res spirituales & cœlestes comparantur, esse ardentissimum desiderium illarum: id quod Saluator ipse testatur, cùm ait: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*: & alibi: *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur.*

Isa. 58.

Pretium quo res spirituales emuntur.

Ioan. 7. Matt. 5.

Si quis autem arbitretur fortasis, nimium à se poscere, qui iubet mundum relinquere, is leuet oculos, & consideret, quæ pro mundi huius renunciatione iterum promittantur. Non enim magna res, & querelis digna, pro cœlo terram relinquere, temporalia pro æternis, creaturas propter creatorem fastidire. Omnia enim hæc reddiuntur illi, qui mundo & pompæ illius renunciauerit. Quare postquam Redemptor noster voluit triginta denarijs vendi, vt ait Cyprianus, etiam dedignatus non est adhuc quotidie se vili pretio vendere, nimirum seipsum nobis dare, si nos illi nosmetipsos reddere velimus: esto tu Dei, ait, & erit tuus, Deus tuus. Cuius habemus infallibile pignus in verbis istis, quæ Christus iam iam ascendens dixit; *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum, & patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* Quibus verbis significat possessionem huius thesauri, dando nobis Deum in Patrem nostrum & Deum nostrum. In quæ verba scribens B. Cyprianus ait: In eo, quòd nos filij sumus, Deus nos possidet: in eo, quòd noster est Deus, quod nostrum est, ipsum, cuius proprij sumus propriè possidemus. Quare cõcludens dicit, Homo, cuius Deus est, quid amplius quærit? Si sufficis tu Deo, Deus sufficiet tibi. Bonorum tuorum Deus non indiget, nec conferre ei potes quippiam, nec auferre. Te solum bonitate, non necessitate desiderat. Hæc ille.

Ioan. 20.

Cypr. Serm. de Ascens. Dom.

Quæ itaque diuitiæ maiores esse possunt? Beatum dixerunt homines populum, cui omnia terrena bona affluunt, vt dicit Propheta: ego verò, ait ille, beatum dico, cuius Dominus Deus eius. Et si diuitem te esse existimes, si Deum habeas pro tuo Deo; quàm diues eris, si Deum habeas etiam Patrem, & Christũ fratrem? & cum illo ipso hæreditatem cœlorum diuidas? Quæ cùm ita sint, quid restat aliud, quàm vt contenti hoc summo & infinito bono, aspernemur omnia, quæ in hoc mundo sunt, faciamusque quod B. Gregorius monet; Nil nos delectet, ait, fratres, in infimis, qui Patrem habemus in cœlis.

Psal. 143.

Greg. hom. de Ascens.

Vt autem illud commodiùs facere possimus, supplicat idem Filius & frater noster Deo Patri pro nobis, & iuuat nos, non solùm offerrens gloriam, sed dans insuper nobis gratiam. Dicitur enim, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dona dedit hominibus.* Captiuitas hæc homines erant, qui propria voluntate captiui tenebantur à suis appetitionibus, à Mundo, à Dæmonio, cui sponte & volentes obtemperabant. Hos Christus ita liberauit, vt nõ omninò in omnem libertatem vindicauerit, sed captiuitatem pristinam malam, in nouam meliorem commutauerit: nam qui antea erant captiui Dæmonis, hos fecit captiuos Dei; dando illis gratiam, vt cum tanto appetitu, quantò priùs sequebantur terrena, nunc cœlestia amplectantur: nec iam minus captiuet illorum corda diuinus amor Christi, quàm antea prophanus amor huius seculi. Omnia autem hæc operatur Christus, mediantibus donis illis, quæ cœlitùs impartitur: maximè verò per charitatem, quam diffudit in corda nostra per Spiritum sanctũ, quæ tam admirabili & ineffabili metamorphosi hominem transformat, atque ita cor immutat, in quo habitat, vt nunc multò alacrior sit ad res diuinas, quàm erat priùs ad mundanas sectandas. Id quod apertè satis declarat feruentissima illa charitas D. Pauli, & aliorum Sanctorum omnium. Nemo enim amatorum huius seculi ita propendet in res huius seculi, ita mundum hunc deperit, tanta pro voluptatibus, diuitijs, & honoribus eius passus est, quanta fecerunt, & passi sunt illi pro cœlestibus. Idipsum quidquid est, omne debetur huic Seruatori, qui ascendens ad cœlos, ire sine nobis noluit: sed harpagonibus & catenis donorum suorum corda nostra apprehendit, & captiua post se in cœlos abduxit.

Amor Sanctorum maior quam amor mundi.

QVOMODO SERVATOREM DEbeamus sequi bonis operibus.

MEDITATIO XXV.

NEquaquam nobis sufficere debet, si pijs desiderijs sequamur Dominum in cœlos abeuntem: sed bonis etiam operibus illum insequi debemus, vt vita nostra communionem gloriæ illius promereatur; quæ portus est omnium desideriorum nostrorum, finis totius nostri itinerarij, & præmium seu merces omnium laborum. Sed quis erit tam sapiens, vt queat hic regiam seruare viam? quis tam felix, vt brauium consequatur? *Quis*, inquit Propheta, *ascendit in montem Domini? Innocens*, ait idem Propheta, *manibus, & mundo corde*: hoc est, cuius vita pura est & immaculata; non tantùm in oculis hominum, sed etiam in oculis Dei: qui prauis operibus proximum suum non scandalizat, nec peruersis cogitationibus Deum offendit, is dignus erit, qui ad locum hunc ascendat. Non diuersum ab hoc est, quod B. Ioannes dicit in Apocalypsi sua, vbi refert supernam ciuitatem esse totam ex auro purissimo, similem vitro mundo; & propterea non intrare in eam aliquid coinquinatum, tanquam indignum istius loci puritati. Omnes res naturaliter abhorrent, & fugiunt sua contraria, quæ verò eiusdem naturæ sunt, appetunt maximè: his enim conseruantur, illis corrumpuntur. Idipsum & Angeli illi significant, qui discipulis in monte Oliueti apparuerunt, amicti vestibus albis, gloriosam Christi Ascensionem condecorantes, per amictum enim candidum, puritas & innocentia intelligitur. Nam quemadmodum annotat Diuus Eusebius Emissenus, cum humilitatis magistro non ascendit superbia, nec cum bonitatis auctore malitia, nec cum pacis amico discordia, nec cum filio Virginis libido & luxuria. Non vtique ascendunt vitia post virtutum parentem, nec peccata post iustum, nec infirmitates possunt ire post medicum. Cùm hæc ita sint, inquit idem, charissimi, opus est vt intelligamus, quantum nitorem, quantam debeant habere munditiam, qui iustorum cupiunt intrare regionem, qui attingere optant Christi aulam & cœli regiam. Si aliquis ciuitatẽ magnam nobilibus & illustribus viris splendidam immundis vestigijs aut horridis adire præsumpserit vestimentis, si eam pannis obsitus ac seminudus intraret, si dilacerata facie, si vel liuore fœdata, vel vulnere, quantum illum confusio pudoris operiret? quantum verecundiæ pondus obrueret? Nónne illum circunstantia venerandæ congre-

Psalm. 23.

Apoc. 21.

Euseb. Emis. Hom. de Ascens. Dom.

gationis officia de conspectu reuerendi Iudicis præcipitem proturbarent? & putamus, quòd animam peccatis horridam, & cœno fœtidæ corruptionis infectam; præferentem luxuriæ fœditates, dedecorosas impudicitiæ cicatrices, putamus, quod eam capere poterit splendor cœlestium mansionum, & non potiùs illam ex Euangelio sententia damnationis excipiat: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Cumque non habeat quod respondeat, protinus horrenda in illam feretur sententia; *Ligatis manibus & pedibus*, id est, damnatis operibus & cursu totius vitæ, *eijcite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium?* Satis ergo agamus, vt nihil in nobis iniustitiæ, nihil maculæ tempus metuendæ discussionis inueniat. Quamdiu in hoc corpusculo positi sumus, conceditur nobis scissa redintegrare, maculata diluere, vulnerata sanare. Quidquid autem hic non redemerimus, mortifera securitate decepti, integrum nobiscum insanabili cum dolore reportabimus ad Sanctorum præsentiam, atque ad ipsam tremendi Iudicis Maiestatem. Et quid de nobis erit, si cum talibus ornamentis processuri sumus in illum conueutum omnium Sanctorum? qui dies ille? quæ trepidatio? quæ terræ & cœli spectatio erit, cùm inter aliorum præclara gesta & illustria merita, aliorum probra & dedecora proferentur? Et quid grauius, quid intolerabilius, quàm si illo tempore malorum ignominia reueletur, quo bonorum gloria manifestabitur? multò enim inuidiosior & damnabilior erit causa criminũ, sub assistentium comparatione virtutum. Quid erit terroris, quid miseriæ, quid mœroris, quando sub illo admirabili Apostolorum, Martyrumque concilio, sub illo Angelorum sydereo ac præfulgente consessu, cum rubore veterum delictorum diuersis tetra maculis anima producetur? Quando latissimam iniquitatum suarum confusibilemq; vitæ totius historiam ante oculos suos videbit exponi, vt illam inaudita clamantium vox malorum conscientia obmutescente & deficiente condemnet? Hæc omnia, quæ illic sanari non poterunt, hic redimi possunt. Totis itaque fidei viribus nitamur, vt sicut Dominus in hac die nostro cum corpore ad superna conscendit, ita & nos quoque membra eius effecti, caput nostrũ officiosis desiderijs, ac bonorum operum studijs iam sequamur. Ascendamus post eum compunctione beneuolentia, concordia, charitate: ascendamus, & per ipsarum, si placet, adminicula passionum. Quomodo autem post eum per passiones nostras possimus ascendere, si requiras, hoc vtique modo, si vnusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, & eminentia dominantis animi super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construat, quo ad superiora conscendat. Sublimabunt nos, si fuerint infra nos, de nostris quoque vitijs scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Hactenus Eusebius Emissenus, cui placuit historiam huius mysterij paulo latiùs commemorare, idque non sine ratione. Cùm enim Angeli faciant mentionem secundi aduentus Christi, quando nimirum ad iudicium venturus est, conueniens etiam erat, hîc de eodem iudicio nonnulla interponere; quod loco superius commemorato Doctor ille facit pulcherrimè.

Matt. 22.

Hic itaque discessus est Domini nostri, quem concludit Euangelista Matthæus insigni, & dulci sententia, qua consolatoriam magis non possit hic mundus optare. Seruator enim postquam mandatum, quod Discipulis dederat de eundo per vniuersum mundum, & nouo Euangelio prædicando, de baptizandis hominibus, docendisque vt seruarent ea, quæ præceperat illis, absoluisset, ait: *Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* O verbum diuinum, ô verbum super mel & fauum dulce, dulcius quouis liquore dulcissimo, in quo afflicti inueniunt consolationem, infirmi medicinam, exules quietem, profugi Asylum, tentati fortitudinem, humiles defensionem, pauperes & tribulati fidele auxilium in omni suo malo; postquam omnibus assistat prouidentia & cura paterna is, qui pro salute illorum vitam cum sanguine profundere non dubitauit. Vt autem pignus & arrham huius particularis assistentiæ habeamus, reliquit nobis seipsum in sanctissimo Sacramento altaris, quod semper & in omnibus Ecclesijs fidelibus exhibetur, vt ex illo intelligamus, quòd non minùs præsens nostris adest orationibus & necessitatibus, quàm oculis corporalibus in hoc Sacramento.

Matt. 28.

Quid superest igitur, nisi vt omnes sine intermissione gratias agamus dilectissimo huic Domino, qui sese tam integrè, tamque alacriter obtulit pro salute & redemptione nostra? vtque laudibus eum, diuino illo Cantico, cum quo vt Euangelista Ioannes dicit, beati illum in cœlo laudant, dicentes; *Benedictio, & charitas: & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.*

Apoc. 7.

FINIS.

PRAEFATIO IN PHILOMENAM S. BONAVENTVRÆ HOC LOCO ADIECTAM.

VNA inter præcipuas plagas à peccato nobis inflictas, & quàm sentire totius etiam vitæ tempore debemus ac plangere, est vehemens appetitus, quo rapimur insensibilia, & gustus languidus: quo ferimur erga spiritualia: quando ad illa tam viuat appetitus, ad hæc verò tam sit prostratus. Vnde quemadmodum infirmis (quibus iam edendi voluntas interijt) per mille ciborum & condimentorum genera appetitiones reuocare satagimus: ita planè agendum cum ijs, qui infirmi sunt spiritualiter, quo his resuscitetur desiderium gustusq; rerum spiritualium. Quocirca visum est ad calcem huius libri subijcere Philomenam S. Bonauenturæ, semel quod totius vitæ Christi (de qua iam egimus) quoddam sit summarium: deinde quòd gratiosa, piaque admodum sit inuentio à sancto illo Doctore excogitata, ad excitandum gustum illum appetitumque in animis rerum spiritualium. Ne vero Christianus lector inuentionem hanc despiciat, secum reputet, quantus Doctor & Præsul hic sanctus exiterit, vt qui septimo suæ professionis anno tanto cum applausu Parisijs legerit Sententias, indeque professionis eiusdem decimo tertio generalis sui Ordinis, mox Episcopus & Cardinalis electus fuerit. Sanctus itaque hic vir etiam in tantis dignitatum titulis tam fuit deuoto erga sacram humanitatem animo, vt bonam suæ doctrinæ partem expenderit in conscribendis diuersis paruis magnisq; tractatibus de Vita ac morte Domini. cibum hunc cœlestem

cælestem tam multis modis accommodans, ne vnquam possit fastidium tædiumve adferre lectoribus, omnes item spirituales personas ad meditandam vitam mortemq; Saluatoris suis admonitionibus prouocans. Hoc itaq; tractatu fingitur anima Christi amore incensa, eiusq; absentia admodum desolata, destinare ad illum hanc Philomelam (auem notam) primò vt vocis suæ harmonia suauem illi exhibeat musicam, narrat deinde suam illi solitudinem & mœrorem, in quo hæreat, quòd eius destituatur præsentia. Sed post exordium præsupponendo Philomelam esse ipsam quam diximus animam, prolixè comparat auis illius materialem cantum ac mortem cum canticis spiritualibus morteq; spirituali, in quam se dat cum Christo in crucis patibulo. Scripsit ea omnia autor versibus, quod illi dulcibus deuotisq; affectibus ac eiusmodi materiæ in primis sint accommodi.

PHILOMENA SANCTI BONAVENTVRÆ.

PHilomena, præuia temporis amœni,
Quæ recessum nuncias imbris atque sœni,
Dum mulcescis animos tuo cantu leni,
Aue prudentissima, ad me (quæso) veni.
Veni, veni, mittam te, quò non possum ire,
Vt amicum valeas cantis delinire,
Tollens eius tristia voce dulcis Lyræ,
Quem heu modò nescio verbis conuenire.
Ergo pia suppleas meum imperfectum,
Salutando dulciter vnicum dilectum,
Eique denuncies, qualiter affectum
Sit cor meum ingiter eius ad aspectum.
Quòd si quærat aliquis, quare te elegi
Meum esse nuncium, sciat quia legi
De te quædam propria, quæ diuinæ legi.
Et optato munere placent summo Regi.
Igitur charissime audi nunc attentè,
Nam si cantus volucris huius serues mente,
Eius imitatio spiritu docente;
Te cœlestem musicum faciet repentè.
De hac aue legitur, quòd cùm deprædendit
Mortem sibi propriam, arborem ascendit,
Summoque diluculo rostrum sursum tendit,
Diuersisque cantibus totam se impendit.
Cantilenis dulcibus præuiat auroram;
Sed cùm dies rutilat circa primam horam,
Eleuat prædulcius vocem insonoram,
In cantando nesciens pausam, siue moram,
Circa verò tertiam quasi modum nescit,
Quia semper gaudium cordis eius crescit.
Verè guttur rumpitur, sic vox inualescit,
Et quò cantat altiùs, plus & inardescit.
Sed cùm in meridie sol est in feruore,
Tunc disrumpit viscera nimio clamore.
Oci, oci, clamitat illo suo more,
Sicque sensu deficit cantus præ labore.
Sic quassato organo huius Philomenæ,
Rostro tamen palpitans fit exanguis penè,
Sed ad nonam veniens moritur iam plenè,
Cùm totius corporis disrumpuntur venæ.
Ecce, dilectissime, breuiter audisti
Factum huius volucris: sed si meministi,
Diximus iam primitus, quia cantus isti
Mysticè conueniunt legi Iesu Christi.
Restat (vt intelligo) esse Philomenam,
Animam virtutibus & amore plenam,
Quæ dum mente peragrat patriam amœnam,
Satis delectabilem texit cantilenam.
Ad augmentum etenim suæ sanctæ spei,
Quædam dies mystica demonstratur ei,
Porrò beneficia, quæ de manu Dei
Homo consecutus est, sunt horæ diei,
Manè vel diluculum hominis est status,
In quo mirabiliter homo est creatus.
Hora prima, quando est Deus incarnatus,
Tertiam, die spacium sui incolatus.
Sextam, cum à perfidis voluit ligari,
Trahi, cædi, conspui, dirè cruciari,
Crucifigi, denique clauis terebrari,
Caputque sanctissimum spinis coronari.
Nonam dic cùm moritur, quando consummatus
Cursus est certaminis, quando superatus
Est omnino zabulus, & hinc conturbatus,
Vespera cùm Christus est sepulturæ datus.
Diem istum anima meditans in hortis,
Suæ facit terminum spiritalis mortis,
Scandens crucis arborem, in qua leo fortis
Vicit aduersarium fractis portis mortis.
Statim cordis organa sursum eleuando,
Suum à diluculo cantum inchoando,
Laudat & glorificat Deum replicando,
Sibi quàm mirificus fuit hanc creando.
Pie (inquit) Conditor, quando me creasti,
Quàm sit tua pietas larga declarasti,
Nam consortem gloriæ tuæ cogitasti
Facere gratuitè, gratis quam amasti.
O quàm mira dignitas mihi est concessa,
Cùm imago Domini mihi est impressa,
Sed creuisset amplius dignitas possessa,
Nisi iussum Domini fuisset transgressa.
Nam tu summa charitas tibi cohærere
Me volebas iugiter, sursumque habere
Dulce domicilium, tecumque manere,
Et me velut filiam, alere, docere.
Ex tunc dispositeras, in id adunare
Cælicis agminibus, teque mihi dare,
Sed pro tanta gratia quid recompensare
Possum, prorsus nescio, nisi te amare.
Vnica suauitas, vnica dulcedo,
Cordium amantium salutaris prædo,
Totum quidquid habeo, vel sum, tibi dedo,
Denique depositum meum tibi credo.
Oci, cantat tale cor, gaudens in pressura,
Dicens, quia dignum est, vt à creatura,
Diligatur opifex talis mente pura,
Et cùm extiterit de se tanta cura.
Sic mens hoc diluculum transit meditando,
Sed ad primam transferens vocem exaltando,
Tempus acceptabile piè ruminando,
In quo venit Dominus, carne se velando.
Tunc liquescit anima tota per amorem,
Pauida considerans omnium autorem,
Vagientem puerum, iuxta nostrum morem,
Et curare veterem velle se languorem.
Plorans ergo clamitat, ô fons pietatis,
Quis te pannis induit dire paupertatis,
Tibi quis consuluit sic te dare gratis,
Nisi zelus vehemens ardor charitatis?
Dignè zelus vehemens est hic ardor dictus,
Cuius est dominio Rex cœlorum victus,

Cuius

Cuius sanctis vinculis captus & constrictus,
Pauperis infantuli pannis est amictus.
O prædulcis paruule puer sine pari,
Felix, cui datum est, te nunc amplexari,
Pedes, manus lambere, flentem consolari,
Tuis in obsequijs iugiter morari.
Heu me, cur non licuit mihi demulcere
Vagientem paruulum, & cum flente flere?
Illos artus teneros sinu confouere?
Eiusque cunabulis semper assidere?
Puto, pius paruulus hoc non abhorreret,
Immò more paruuli forsan arrideret,
Et flenti pauperculo fletu condoleret,
Et peccanti facilè veniam faueret.
Felix, qui tunc temporis matri singulari
Potuisset precibus ita famulari,
Vt in die sineret semel osculari
Suum dulcem paruulum, eique iocari.
O quàm libens balneum ei præparassem,
O quàm libens humeris aquam apportassem,
In hoc libens Virgini semper ministrassem,
Pauperisque paruuli pannulos lauassem.
Sic affecta pia mens sitit paupertatem,
Cibi parsimoniam, vestis vilitatem,
Labor ei vertitur in iucunditatem,
Vilem esse seculi dicit venustatem.
Ergo sic infantiam Christi retexendo,
Horæ primæ canticum strenuè canendo,
Transitum ad tertiam facit recolendo,
Quantum Christus passus est, homines docendo.
Tunc cum fletu recitat illius labores,
Sitim, famem, frigora, æstus, & sudores,
Quæ dignanter pertulit propter peccatores,
Dum illorum voluit innouare mores,
Vox amoris flatibus tota concremata,
Oci, oci, clamitat auis hæc beata,
Mundo mori cupiens, cuius vita lata,
Cui fœtet seculum, sic est delicata.
Clamas ergo Domine dulcis prædicator,
Exulum refugium, pauperum amator,
Qui es pœnitentium pius consolator,
Post te debent currere iustus & peccator.
Iusti quippè regula, vitæ es doctrina,
Peccatorum speculum, miti disciplina,
Fessis & debilibus efficax resina,
Aegris & languentibus potens medicina.
Primus in hoc sæculo charitatis scholam
Instaurasti, quærere docens Dei solam
Gloriam, deponere grauem mundi molam,
Et sic posse perditam rehabere stolam.
Sed hanc scholam temerè mundus irridebat,
Spernens & annihilans, quicquid promittebat,
Tua verò bonitas vices non reddebat,
Immò pœnitentibus totum ignoscebat.
Quippè cui proprium erat misereri,
Diligi desiderans, magis quàm timeri,
Sed non verbera proferens, auctori
Præceptoris noluit more reuereri.
Hæc in adulterio nouit deprehensa,
Quàm sit tua pietas scilicet immensa,
Magdalena sensit hoc cùm ei offensa
Est demissa, multiplex gratia impensa.
Et quid multa dicerem, quot sunt consecuti
Eius magisterium? à suis abluti
Vitijs, sunt moribus optimis imbuti,
Et ab hostis inuidi fraude facti tuti.
Felix, cui licuit sub hoc præceptore
Conuersari iugiter, & ab eius ore
Mel cœleste sugere, cuius præ dulcore
Amarescunt cætera, plena sunt fœtore.
Hæc & multa talia dum mens meditatur,
Ad reddendas gratias tono præparatur,
Ad laudandum Dominum magis inflammatur,
Sicque horæ tertiæ cantus terminatur.
Oci, oci, anima clamat in hoc statu,
Crebrò fundens lachrymas sub hoc incolatu,
Laudans & glorificans magno cum conatu
Christum, qui tot pertulit suo pro reatu.
In hac hora anima ebria videtur,
Sed circa meridiem calor cùm augetur,
Vt amoris stimulis magis perforetur,
Mox ab illa passio Christi recensetur.
Plorans ergo respicit Agnum delicatum,
Agnum sine macula, spinis coronatum,
Liuidum verberibus, clauis perforatum,
Per tot loca lateris fossa cruentatum.
Tunc exclamat pia mens oci cum lamentis,
Oci, oci, miseram, quia meæ mentis
Turbat statum pallidus vultus morientis,
Et languentes oculi in cruce pendentis.
Siccine decuerat (inquit) te benignum
Agnum, mortis exitum pati tam indignum?
Sed sic disposueras vincere malignum,
Et hoc totum factum est, ob amoris signum.
Hæc amoris signa sunt, & postrema primis
Copulans associat, summa figens imis;
Monstrans, vt sic moriens, nos animales nimis,
Dum te totum funderes tot apertis rimis.
Tuam cui nouus es, tu es nouum mustum,
Sic te vocat Sapiens, & est satis iustum,
Totus enim filius reddens dulcem gustum,
Fundens carnis dolium licet vas venustum.
Tantis signis pœnitens monitus iam credat,
Quòd præcordialiter Christus ei se dat,
Ista signa recolam, ne me Sathan lædat,
Nam peccati rabiem nihil ita sedat.
Ista signa recolens oci, oci clamo,
Dulcis Iesu querulor, quòd te minus amo,
Stringi tamen cupio disciplinæ chamo,
Sicut pro me captus es charitatis hamo,
Quantum bonum charitatis tibi præsentauit,
Mori cùm pro homine te solicitauit.
Sed & esca placida hamum occupauit,
Cùm lucrari animas te per hoc monstrauit.
Te quidem aculeus hami non latebat,
Sed illius punctio te non deterrebat,
Immò hunc impetere tibi complacebat,
Quia desiderium escæ attrahebat.
Ergo pro me misera, quam tu dilexisti,
Mortis in aculeum sciens impegisti,
Cùm te patri victimam sanctam obtulisti,
Et in tuo sanguine sordidam lauisti.
Quis miretur igitur pro te si suspiro,
Iuncta sine meritis tam zelanti viro,
Nam affectum alitis meum modo miro,
Pro me vitam finiens exitu tam diro.
Verè iam non debeo tantùm suspirare,
Immò iuxta verbum Iob, crines lacerare,
In cauerna lateris nidulum parare,
Et extremum spiritum illic exhalare.
Planè nisi moriar tecum, non quiescam,
Oci, oci, clamitans nunquam conticescam,
Ab hoc desiderio vero non tepescam,
Quantumcunque seculo propter hoc vilescam.
Tunc, vt demens clamitat, Veniant laniste,
Qui affigant miseram cruci tuæ Christe,
Erit enim exitus mihi dulcis iste.
Sic amplectar moriens proprijs vlnis te.
Verè sic, non aliter, rabies doloris,
Qua cor meum singulis terebratur horis,
Deliniri poterit, nisi tu dulcoris
Fons abundans medicus mei sis doloris.
Planè dulcis medicus es, qui nunquam pungis,
Sed à corde vitium leniter emungis,

Nam

Nam quos tibi firmiter per amorem iungis,
Tuis charismatibus semper eos inungis.
Heu, quàm damnabiliter mundus est cœcatus,
Qui cùm sit ab hostibus dirè vulneratus,
Hunc declinat medicum, cùm assit præparatus,
Languido aperiens suum dulce latus.
Heu, cur beneficia Christi passionis
Penes te memoriter homo non reponis,
Per hanc enim rupti sunt laquei prædonis,
Per hanc Christus maximis te ditauit bonis.
Suo quippe corpore languidum te pauit,
Quem in suo sanguine gratis balneauit;
Demum suum dulce cor tibi denudauit,
Vt sic innotesceret, quantum te amauit.
O quàm dulce balneum, esca quàm suauis,
Quæ sumenti dignè sit paradisi clauis,
Et ei, quem reficis nullus labor grauis,
Licet sis fastidio cordibus ignauis.
Cor ignaui siquidem minimè perpendit,
Ad quid Christus optimum suum cor ostendit,
Super alas positum crucis nec attendit,
Quòd reclinatorij vices hoc prætendit.
Hoc reclinatorium quoties monstratur
Piæ menti, toties ei glutinatur,
Sicut & accipiter totus inescatur
Super carnem rubeam, per quam reuocatur.
Posthoc clamat anima quasi dementata,
O reclinatorium caro cruentata
Per tot loca propter me, cur non vulnerata
Tecum sum? dum moreris non sum colligata.
Licet tamen miseræ sit istud negatum,
Mihi quidem eligam nouum cruciatum,
Gemitum videlicet, iugemque ploratum,
Donec mundi deseram grauem incolatum.
Posthæc dulcis anima plus & plus feruescens,
Sensu toto deficit, corpore tabescens,
Iam vix loqui sufficit, sed affectu crescens,
Suo lecto decubat, vt pote langueſcens.
Ergo dulcis gutturis organo quassato,
Lingua tantùm palpitans sonitu sublato,
Sed pro verbis pia mens fletu compensato
Lamentatur Dominum, corde sauciato.
Sic languenti siquidem nil nisi plorare
Libet, & satagere corde suspirare,
Suos enim oculos nescit reuocare
A Christi vulneribus, aut cor separare.
Sic est autem animus illius illectus,
Quasi ei præsens sit moriens dilectus.
Et à cruce minimè retrahit aspectus,
Quia ibi oculus, vbi est affectus.
Gemitus, suspiria, lachrymæ, lamenta,
Sibi sunt delitiæ, cibus, alimenta,
Quibus noua martyr est interim intenta,
Sic suo martyrio præbent incrementa.
In hoc statu respuit, quicquid est terrenum,
Mundique solatium reputat venenum,
Sed ad nonam veniens moritur ad plenum,
Cùm amoris impetus carnis rumpit filum.
Nam cùm, Consummatum est, recolit clamasse.
Hora nona Dominum, & sic expirasse
Quasi simul moriens, clamat penetrasse
Vocem iustam suum cor, atque lacerasse.
Ferre tandem impotens iaculum tam fortè,
Moritur (vt dictum est) sed felici morte,
Nam panduntur protinus ei cæli portæ
Dignam vt intelligat se sanctorum sorte.
Requiem pro anima tali non cantamus,
Immò est introitus Missæ, gaudeamus,
Quia si pro martyre Deum exoramus.
Vt Decretum loquitur sancto derogamus.
Eia dulcis anima, eia dulcis rosa,
Lilium conuallium, gemma pretiosa,
Cui carnis fœditas extitit exosa,
Felix tuus exitus, morsque pretiosa.
Felix, quæ iam frueris requie cupita,
Inter sponsi brachia dulciter sopita,
Eiusque spiritui firmiter vnita,
Ab eodem percipis oscula mellita.
Iam quiescunt oculi, cessant aquæductus,
Nam apertè percipis spei tuę fructus,
Quia per quem sæculi euasisti fluctus,
Tuos inter oscula consolatur luctus.
Dic, dic dulcis anima, ad quid vltrà fleres,
Habes cæli gaudium tecum, cur lugeres?
Nam solus est omnium, cui tu adhæres,
Et si velles amplius, certè non haberes.
Sed iam metrum finio, ne sim tædiosus,
Nam si vellem scribere quàm deliciosus
Sit hic status animæ, quamque glorioſus,
A malignis dicerer fallax & mendosus.
Quicquid tamen alij dicunt, frater chare,
Istam nouam martyrem libens imitare,
Cumque talis fueris, Christum deprecare,
Vt te cantus martyrum doceat cantare.
Frequentemus canticum istud, soror pia,
Ne nos frangat tædio vitæ huius via,
Nam lætantem animam in hac melodia,
Posthanc vitam suscipit Iesus & Maria.
Ergo soror tuum cor ita citharizet,
Se baptizet lachrymis, planctu martyrizet,
Christo totis viribus sic nunc organizet,
Vt cum Christo postea semper solennizet.
Tunc cessabunt gemitus & planctus dolorum,
Cum adiuncta fueris choris Angelorum.
Nam cantando transies ad cælestem chorum,
Nupta felicissimo regi sæculorum, Amen.

Deo gratias.

R.P.F.LV.

R. P. F.

LVDOVICI GRANATENSIS.

ORDINIS S. DOMINICI,

DE DOCTRINA SIVE DISCIPLINA VITAE SPIRITVALIS,

Interprete R.P.F. Antonio Dulcken Carthusiano,

PARS PRIMA.

Considerationes & orationes his, qui DEO seruire incipiunt conuenientes; complectens.

QVID FACERE DEBEAT QVI AD DEVM à vitæ prauitate conuertitur.

CAPVT I.

QVICVNQVE ex Ægypto egressus ad terram promissionis proficiscí, & cum filio prodigo ad se reuersus, cognita beneficio lucis diuinæ perditione sua & præsentis vitæ vanitate ad patris amplexus ac paternæ domus delitias reuerti desiderat: scire debet primam portam per quam ingredi oportet esse Pœnitentiam: cuius est præterita peccata deplangere, & firmiter secum proponere ad eadem nunquam denuò reuerti. Ad hoc autem plurimum iuuat in conuersionis initio generalis confessio, qua omnes negligentiæ præteritarum confessionum mundentur & expientur: quam vt pœnitens melius faciat, assumat librum aliquem quo confitendi methodus traditur, & per principalia vitia discurrendo reducat sibi in memoriam omnes culpas & negligentias à se vnquam commissas: illasque si legere nouit, breuiter in charta describat, quo illa postea expeditius confiteri & accuratiorem de illis confessario rationem reddere possit. Cum autem examen hoc, vti Propheta ait, cum dolore & amaritudine cordis fieri debeat: his diebus in talib. orationibus & considerationibus exerceri debebit, quæ illum ad veram contritionem quantum possibile fuerit prouocent & excitent. Quales sunt considerationes de morte: de extremo iudicio: de pœnis inferni: de Christi passione: considerando eam: quatenus peccata nostra causam ei præbuerunt; quia manifestum est si peccata nostra nõ extitissent illum nec ea quæ passus est, subiturum fuisse. Hæ atque aliæ similes considerationes excitare possunt mentem ad dolorem ac detestationem peccati, (quæ est potissima pars pœnitentiæ) in quibus se pœnitens non modo quinque aut sex diebus, sed pro multò maxima vitæ suæ parte exercebit. Qua in re multi pœnitentes seipsos decipiunt, qui cum sint in peccatorum suorum examinatione diligentissimi: ad ea tamen detestanda & deploranda sunt admodum negligentes: Quia quamuis vtrumque ad veram contritionem requiratur, magis tamen posterius quam prius necessarium est.

Luc. 15.

Recenter cõuerso necessaria sunt pœnitentiæ, generalis confessio.

Esai. 38. *Contritionẽ quæ considerationes promoueant.*

Quorundam pœnitentiã negligentia.

Quo etiam fit vt credam causam cur tam multi à virtutibus adeò egeni, atque in semitis eius perambulandis adeò instabiles sint, vni huic rei assignandam esse, quod fundamentum satis firmum non habeant, nec satis profundas radices in contritionis exercitijs egerint; cùm enim hoc sit fundamentum totius spiritualis ędificij, necessario consequitur illo debili existente omnia quæcunque superstruuntur infirma esse. Vides modo causam cur multi ad perfectionem vix post longa etiam temporum interualla pertingant, non rarò etiam semitam cœptam deserant.

Causa cur plurimi ad perfectionẽ tardè perueniant.

Constituat igitur incipiens sibi in principio conuersionis dies aliquot (plures, vel pauciores, quilibet secundum id quod à spiritu docebitur) in quibus, vti iam diximus, in orationibus & meditationibus quæ ad veram contritionem illum possint, inducere, se exerceat: Quarum nos quandam pro maiori huius doctrinæ facilitate hic subijciemus, quę non modò excitent mentem ad dolorẽ, & detestationem

ſtationem peccatorum, ſed etiam ad virtutum amorem: mundi contemptum, timorem Dei, quæ omnia valdè neceſſaria ſunt incipientibus.

OCTO CONSIDERATIONES AD timorem Dei, atque dolorem & odium peccati mentem excitantes.

CAPVT II.

Quod tempus & quis locus ad exercitia aſſumendus.

QVisquis cor ſuum ad hæc applicare deſiderat: quotidiè tempus aliquod maximè quietum & ad hæc quantum fieri poteſt accommodatum, ſibi ſtatuet, atque in locum aliquem ſecretum & ab ominum congreſſibus remotum ſecedet, omnesque alias curas & cogitationes è corde abijciet: hic poſteaquam ſigno S. Crucis ſe munierit atque diuinum auxilium quo ſibi in hoc negotio adeſſe velit humiliter ac fidenter implorauerit, aſſumet inflammatum illum pij Publicani animum, qui oculos ſuos ad cœlum erigere præ ſcelerum ſuorum cõfuſione ac verecundia, auſus non fuit, pronunciabitque Confeſſionem Generalem, aut Pſalmum: *Miſerere mei Deus*, cum maxima qua poterit deuotione, & mox cogitationes ſuas ad infra ſcriptarum conſiderationum meditationem conuertet, vt his ad Dei timorem & peccatorum ſuorum dolorem & deteſtationem excitetur.

Luc. 18.

Prima conſideratio, de peccatorum multitudine.

Conſideratio multitudinis peccatorum.

PRimum quod etiam duriſſima corda ad peccati dolorem & odium commouere poſsit, eſt conſiderare multitudinem peccatorum: atque illa ſibi tanquam in vno cumulo ante oculos repræſentare, vt horribili & fœdo aſpectu ſuo magnum homini terrorem incutiant.

Diſcurre itaque ſummatim per præcepta Decalogi, per ſeptem peccata mortalia: per quinque ſenſus: per corporis & animæ potentias, per ſingula Dei beneficia, & videbis nullum eſſe præceptum quòd nõ violaueris: nullum etiã eſſe mortale peccatum in quod lapſus non ſis: nec vllum ſenſum ſiue interiorem ſiue exteriorem quo malè vſus non fueris: nec denique vllum diuinorum beneficiorum, quo ad eum finem in quem tibi collatum fuerat vſus ſis: imo vt ait Propheta; argentum & aurum dedit tibi Dominus, & tu ſeruiuiſti cum eis Baal. Conuerte itaque oculos ad inſpiciendum totam ſeriem anteactæ vitæ tuæ, & videbis te prolixam tẽlam errorum, proditionum, ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, iuramentorum, mendaciorum, odiorum, inuidiarũ, murmurationum, adulationum, blaſphemiarum, turpitudinum, aliorumque innumerabilium ſcelerum texuiſſe. Inuenies te inſtar irrationalis beſtiæ, in omnibus, & per omnia, tuas inordinatas cupiditates ſecutum eſſe nullo habitu reſpectu nec legis iuſtitiæ, nec rationis: Animaduertes te non aliter ac Ethnicũ vera Dei cognitione deſtitutũ vixiſſe: aut quaſi Deum non eſſe, aut humanarum rerum curam non gerere exiſtimares, aut quaſi poſt mortem nec iudicium aliquod de impijs futurum, nec bonos cœleſti gloria remunerandos: nec malos inferni ſupplicijs adiudicandos eſſe crederes: naſci tantum & mori homines, præterea nihil. Cum itaque tam multis annis ita vixeris, nonne iuſtum eſt vt paucos illos qui tibi ſuperſunt annos, in lamentis tranſigas ac defleas, quod complures anteactæ vitæ annos tam malè impenderis, quod inſignem ruinam potentiarũ animæ perpeſſus ſis, quod multorum bonorum, quæ interea lucrari potuiſſes, nec vnquam reſarcire poteris, propterea quod tempus perditum nunquam redeat, iacturam feceris. Itaque ad pedes Domini te colloca, & mœſto corde

Ezech. 16.

ac lachrymantibus oculis dic: *Peccaui Domine ſuper numerum arenæ maris, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ Domine, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ: & non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum: quia excitaui iracundiam tuam & malum coram te feci.*

2. Par. c. vlt.

Secunda conſideratio, earum ſcilicet rerum, quæ per peccatum amittuntur.

POſt conſiderationem multitudinis peccatorum tuorum, vtile eſt etiam perpendere, quid per peccatum amiſeris: hæc enim eſt vna earum conſiderationum, qua homines maximè terrentur & ad timorem excitantur, dum ex vna parte peccati damna, ex altera verò facilitatem quorundam cœca mente in peccata ruentium, conſiderant.

Damna peccati mortalis

Primò enim per mortale peccatum amittitur gratia Spiritus ſancti, quæ vnum ex præcipuis donis eſt, quæ Deus in hac vita puræ creaturæ poteſt dare. 1.

Amittitur quoque charitas & amor Dei, quæ ſemper eandem gratiam comitantur. Quod ſi magnum ſit, alicuius Principis terreni gratia atque amicitia excidere, quantò amplius erit gratiam Regis cœli & terræ amittere? 2.

Pereunt itidem virtutes infuſæ, & dona Spiritus ſancti, quibuſcum anima compta atque exornata, pulcherrima in conſpectu Domini apparebat, & armata & roborata erat contra omnem potentiam & fortitudinem inimici. 3.

Amittitur etiam hæreditas regni cœleſtis, quæ ab ipſa gratia prouenit: quandoquidem vt dicit Apoſtolus, gloria per gratiam datur. 4. Rom. 6.

Perditur quoque Spiritus adoptionis, qui nos filios Dei conſtituit, & hoc modo nobis animum & cor filiorum erga ipſum tribuit: & ſimul cum hoc ſpiritu amittitur ille affectus, ſeſe vt filios decet gerendi, & cura ac prouidentia paterna, qua Deus illos potiſsimum obſeruat, quos pro filijs ſuis recepit: quæ ſimiliter ex præſtantiſsimis bonis eſt, quæ homini in hoc ſeculo donantur. 5.

Tollitur vnà pax & ſerenitas bonæ conſcientiæ cũ conſolationibus & auxilijs ſancti Spiritus, fructibusque & meritis bonorum omnium, quæ tota vita vſque ad horam illam feliciter, & ſummis cum moleſtijs peracta ſunt. 6.

Amittitur etiam communio bonorum omnium totius Eccleſiæ, quorum homo non ſic particeps eſt, ſicut antea ſolet eſſe, cum adhuc in gratia permanebat. 7.

Omnia hæc per vnum peccatum mortale perduntur: hoc autem viciſsim lucrifacit, vt ſemper ad pœnas infernales condemnatus remaneat; & de libro vitæ pro eo tempore deletus; ex filio Dei factus ſeruus Diaboli, & qui erat antea templum & ſedes ſanctiſsimæ Trinitatis, ſpelunca latronum, & nidus baſiliſcorum.

Cùm igitur hæc omnia per peccatum amittantur, animaduerte nunc an non magnæ admirationis iuſta tibi cauſa ſit, dum cernis quanta facilitate homines ſine mente peccata committant.

An non etiam occaſionem habeas lachrymis ſi fieri poſſet, ſanguineis, deplorandi, ſi non tua cauſa vt minimum Dei amore, quod propter exiguum temporale commodum, cuiuſmodi eſt breuiſsima peccati voluptas, tanta bona perdideris: Si itaque Eſau cum primogenita ſua propter vile edulium perdidiſſet, fruſtra ſtultitiam ſuam multis lachrymis & clamoribus deſleuit: cur tu cœlum & terram lachrymabilibus vocibus & ſuſpirijs non reples, qui nobiliſsimam primogenituram perdidiſti, quouſque illam qua per culpam ſpoliatus es, per pœnitentiam recipias?

Gen. 25. & 28

Tertia conſideratio, quæ eſt diuinorum beneficiorum.

PRæter hæc omnia, mirum in modum augetur iſtò dolor & horror conſideratione multitudi-

nis diuinorum beneficiorum: quò enim diligentius & profundius considerabis, quam bonus sit Dominus erga te, eo magis confunderis, animaduertens, quam tu sis peruersus in illum. Hac via Prophetæ plerumque solebant populum Dei ad dolorē peccatorum inducere; & hinc Nathan exaggerauit peccatum Dauidis; cùm antequam illum ob adulteriū, in quod ceciderat, reprehenderet, gratias proposuit, & beneficia quæ à Deo receperat. 2. Reg. 12.

Ad eundem modum & tu in memoriam reuocare poteris multitudinem diuinorum beneficiorum, specialiter verò creationis, conseruationis, redemptionis, baptismi, vocationis, & diuinarum inspirationum: præseruationis quoque à malo, & alia beneficia plurima, quibus te Dominus affecit: & æternæ gloriæ quam promisit. Subsiste paulisper in vocationis beneficio quo te Deus vocauit: diu ad pœnitentiam expectauit: immania scelera tua placide & longanimiter sustinuit, immisit denique cordi tuo plurimas bonas inspirationes in medio etiam peruersissimæ vitæ tuæ, quousque tandem te à peccatis extraxit, & ad se reduxit. Considerans igitur ex vna parte admirabilem hanc Domini largitatem & benignitatem: ex altera verò duritiem, ingratitudinem, rebellionem tuam & multitudinem criminum, quæ commisisti contra tam pium & liberalem datorem & benefactorem: quomodo non confunderis? quomodo non crepabis? quomodo non disrumpêris? quomodo non omnes creaturas vt vltionem de tam ingrata & rebelli creatura sumant aduocabis?

Quarta consideratio, de iniuria, quæ fit Deo per peccatum.

COnsideranda quoque est præter ea, quæ dicta sunt, summa iniuria, quæ Deo per peccatum irrogatur, vt vel hinc intelligamus, quantopere nobis dolendum sit. Quotiescunque enim peccamus, practicum illud iudicium in corde nostro exercetur, licet subinde non sentiamus: proponitur ab vna parte commoditas peccati, hoc est, delectatio, aut vtilitas, ob quam peccamus: & ab altera parte offensa, qua Deum prouocamus, & amicitia, quę per peccatum amittitur: ita vt in vnam lancem mittatur Deus, & in alteram temporalis vtilitas, aut momentanea voluptas: homo autem stans in medio eligit potiùs diuinæ amicitiæ iacturam, quàm exigua vtilitate aut voluptate carere.

Per peccatū mortale peccati voluptas Deo anteponitur.

Quid posset horrendum magis excogitari? quid indignius Maiestate tam sublimi, quàm præponere illi rem adeò vilem & abiectam? Quid similius esse potest illi Iudæorum peruersitati, qui cùm in sua potestate haberent, aut Iesum, aut Barrabam iudicio mortis eximere, maluerunt Barrabam quàm Christum eligere? Quid hoc aliud est, quàm (quantum ad peccatum nostrum) coronam & gloriam, quæ debetur Deo tanquam vltimo fini, rapere, & imponere vel vtilitati, vel voluptati? Qui enim maioris æstimat voluptatem quàm Deum, & quantum in se est illam Deo præponit, tollit dignitatem vltimi finis à Deo, & dat voluptati: atque hoc est coronam subtrahere Creatori, & dare creaturæ. Quid turpius, quid intolerabilius, quid potest esse indignius? Præcipit Deus, vt obstupescant cœli, & sceleris illius indignitatem admirentur, dicens: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternos dissipatos, quæ continere non valent aquas.* Quicunque igitur perpendit, quam innumeris vicibus iniuriam hanc diuinæ Maiestati intulit, quomodo non contremiscet: quomodo non optabit, vt oculi sui in fontes lachrymarum vertantur, quibus noctes atque dies peccata sua defleat? Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18. Hier. 2.

Quinta consideratio, de odio, quo Deus peccatum prosequitur.

IVuabit etiam ad consequendum sanctissimum hunc dolorem, & peccati odium, summa cum intentione intueri magnitudinem odij, quo Deus peccatum prosequitur: quod adeo magnum est, vt nullus id humanus capiat intellectus. Certissimum enim est, quòd si quis omnes creatos intellectus in vnum conflaret, & ex omnibus linguis vnam fabricaret; nec intellectus ille comprehendere, nec lingua ista posset odij istius magnitudinem explicare. Ratio in promptu est: quanto enim quis melior est, tanto magis bonitatem diligit, oditque malum. Cū itaque Deus bonus sit, nec tantum bonus, sed infinitè bonus: sequitur quod infinito amore bonitatem diligat, odioque infinito malitiam prosequatur: quare bonitatem æterna gloria remunerat, malitiam verò supplicijs æternis, æternorumque bonorum priuatione castigat: iuxta illud Euangelij: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Matt. 25. Et præterea certum est, Deum peccatum detestari quantopere detestandum est, hoc est, secundum malitiam & deformitatem, quæ in eo est: & quia hæc malitia est infinita, quia Deo, cuius maiestas infinita est, opponitur; inde sequitur, odium, quo Deus affectus est in peccatum, esse quoque infinitum.

Quàm sit res Deus sum per peccata castigauit.

Ad intelligendam autem magnitudinem huius odij, vtilissimum erit diligenter animaduertere quorundam horrendorum suppliciorum exempla, quibus Deus in hoc mundo peccatum punuit: ex operibus enim cor cognoscitur: sic & ex magnitudine pœnæ diuinæ aliquo modo cognoscemus magnitudinem odij, quo Deus peccatum detestatur. Dic mihi quæso, quale fuit supplicium pulcherrimi illius Angeli, & sociorum eius, de quo ait Esaias: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris,* &c. Ob vnum namque peccatum ex nobilissima creatura factus est omnium, quæ in inferno sunt, terribilissimus: & qui antea erat Deo amicissimus, factus est illi inimicissimus. Quæ pœna fuit illa Protoplasti cum omni sua posteritate? & illa mundi vniuersi diluuio submersi? quæ ciuitatum istarum quinque igne cælitus demisso exustarum? quæ illius Heli ob solam in castigandis filijs negligentiam? Saulis quoque propter inobedientiam? Dauidis propter adulterium? Nabuchodozoris ob superbiam? Ananiæ & Saphiræ propter auaritiam? Denique qualis est illa pœna inferni, quæ in æternum durabit, & propria est peccantium? Sed omissis istis omnibus, quæ & quanta fuit illa, quàm Pater vnigeniti filij sui humeris propter peccata mundi imposuit? Hæc vna maiori digna est admiratione, quàm omnes prædictæ in vnum congestæ, propter infinitam dignitatem personæ quæ illam sustinuit. Horum omnium supplicium singula (si diligenter discutiantur) plurimum lucis adferent, vt intelligat quis admirabilem diuinæ iustitiæ rigorem, & summum odium, quo peccatum prosequitur: qua consideratione cor nostrum timore Dei, dolore quoque & peccati detestatione configetur. Quicunque igitur secum cogitat quàm sæpè in immane hoc Dei odium incurrerit, quomodo non desiderabit se in mare lachrymarum conuerti, vt his aquis tam ingentis odij & furoris, quo DEVS in eum exarsit, flammas restinguere ac sopire possit. Itaque perpendens magno Esa. 14. Gen. 3. Gen. 7. Gen. 19. 1. Reg. 4. 1. Reg. 15. 2. Reg. 12. Dan. 4. Actor. 5.

cum

animi dolore, quod Deus eisdem supplicijs quibus, vt ante diximus, in peccatum animaduertit, eum castigaturus sit, prosternat se humillimè ante conspectum illius, & ex intimo cordis dicat.

Oratiopia pro vera cordis contritione impetranda.

O Supreme Factor omnium rerum creatarum, cùm mecum cogito, quàm grauiter infinitam tuam Maiestatem meis peccatis offendi, horreo, & insaniam meam detestor; considerans quàm benignum & venerabilem Patrem reliqui, execror ingratitudinem meam; cùm video de quàm nobili libertate in seruitutem tam miseram prolapsus sum, maledico inconstantiæ meæ, & nescio quid mihi ante oculos statuam, nisi iudicium & infernum: iustitia enim tua, quam fugere non possum, terret meam conscientiam. E contrario, cum intueor immensam tuam misericordiam, quæ, secun-
Psal.144. dùm Prophetæ tui testimonium, superat omnia opera tua; mox aura iucundissima spei me refocillat, animamq; meam nimis debilem corroborat: quemadmodum enim ante desperabam, sic inuenio hic remissionem peccatorum ab illo, qui in Prophetarum suorum scriptis toties inuitat peccatores ad
Ezech.18. pœnitentiam dicens: *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat.* Sed & filius tuus vnigenitus multis similitudinibus ostendit, quàm paratus sis ad ignoscendum his qui pœnitentiam agũt.
Luc.15. Illud significauit per denarium amissum, & repertum, per ouem perditam, & in humeris pastoris ad ouile relatam: potissimum autem per filium prodigum, cuius imaginem in me agnosco: ego enim ille sum, qui verè Patrem meum amantissimum deserui, omnem substantiam meam dissipaui: qui obediens appetitibus carnis meæ, mandatorum tuorum obedientiam fugi, & in turpissimam peccati captiuitatem cecidi: nunc in extrema necessitate constitutus, ex qua quis me eruet planè ignoro, nisi is quem deserui.

Recipe igitur, Domine, per tuam misericordiam me humilem seruum tuum, à te remissionem supplicitèr petentem: postquam in hanc vsque horam me tam benigniter expectasti, non sum dignus qui oculos meos in cœlum tollam, vel te patrem meum appellem: tamen quia verè pater meus es, dignare me paternis oculis intueri, solus enim aspectus tuus mortuos viuificat, & omnes errantes ad sese retrahit: hanc enim qualemcunque pœnitentiam, quam nunc habeo, habere non potuissem, nisi tu me respexisses. Quando vagans à te aberraueram, de cœlo tuo altissimo eminus me despexisti, oculosque mihi aperuisti, vt memetipse intuerer, conscientiam meam scrutarer, & me tantis malis exundantem conspicerem. Veni ergo Domine ad recipiendum me: da mihi cognitionem & memoriam innocentiæ perditæ. Non peto amplexus tuos, non oscula tua: non oro vt des splendidam illam vestem, qua indui soleo; non antiquæ meæ dignitatis annulum: non precor vt me recipias in statum & dignitatem tuorum filiorum? sed gratulabor mihi, si me inter mercenarios domus tuæ stigmate tuo notatos, & vinculis tuis ligatos numeraueris, ne vnquam in posterum te fugiam. Non erit mihi molestum, etiamsi in hac vita vnus sim ex contemptissimis domus tuæ famulis, saltem ne me in perpetuum à te separes.

Et quia hoc meritis meis non debetur, offero tibi, omnes labores ac merita vnigeniti Filij tui, vniuersos præterea cruciatus ac tormenta, quæ mei causa passus est. Tu quæso clementissime Pater, ob amorem & humiles preces dilecti Filij tui peccatorum omnium indulgentiam largire infideli huic seruo tuo. Recordare dignissimi sacrificij quod tibi filius in ara crucis obtulit, & obliuiscere inobedientiæ abiecti famuli tui: quia multò plus ille soluit pro me, quam ego tibi pro peccatis meis debitor sum. Vtinam dignareris appendere pariter in statera malitiam meam & bonitatem tuam: scelera mea & vulnera illius! vtique hæc illis præponderarent. Quod enim scelus possit esse adeò graue pro quo non satisfaciat talis tristitia? talis afflictio? talis obedientia? & super omnia tam effusus amor? Quod crimen tam enorme quod non eluat sanguineus sudor & copiosi sanguinis eius riuuli? Quod flagitium adeo immane quod non superet mors Christi?

O Pater cœlestis, tibi offero eundem Saluatorem, & Redemptorem meum Iesum Christum, dilectissimum Filium tuum, coniungens deuotionem meam & gratiarum actionem immensæ illi charitati, qua vnigenitum tuum in mundum misisti, vt carnis meæ vestem assumeret, ac me ab æterna morte liberaret. Offero tibi summos dolores illius & incomprehensibiles angustias (quas tu solus perfectè cognoscis) pro omnibus peccatis meis & pro dolore ac contritione quam de ipsis habere obligatus sum. Offero sanguineum sudorem illius, pro lachrymis quibus ea deflere debeo, & propter cordis mei duritiam nequeo. Offero tibi humiles ac feruidas orationes eius, pro acedia, tepiditate, ac negligentia mea. Offero tibi denique omnes labores illius, ac virtutum exercitia: asperrimam quoque vitam eius, & omnia quæ in ea fecit: crudelissima etiam supplicia quæ passus est simul cum omnibus laudibus supernorum spirituum, ac meritis sanctorum omnium, in sacrificium dignum maiestati & gloriæ tuę pro omnibus peccatis meis quibus te vnquam offendi, & bonis operibus quæ omisi: tum etiam pro omnibus viuis & defunctis pro quibus tu me vis, aut ego teneor orare, vt singulis prout eis expedire nosti succurras tu qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

Sexta consideratio de morte.

His considerationibus alias adiungam de morte, iudicio & pœnis inferni, ex Seraphino Firmano depromptas, quæ magnæ efficaciæ sunt ad prædicta consequenda: Sic autem scribit. Vtilissima est præsertim conuersionis initio mortis meditatio, cum quod omnem abrumpit inordinatum sensus affectum, tum etiam quod est facilior, quando & oculis cerni possit, & manibus palpari: quin dicere possumus nos semper in nobismetipsis mortem circumferre, nunquamque non mori, cùm corpus habeamus corruptioni obnoxium, quodque nunquam non mutatur, & nunquam in eodem statu permanet: instar fluminis, cuius eandem non potes partem ostendere, quoniam dum ostendis, iam non est eadem. Seraph. Firmano de interna ora. cap 7.

Multa possunt circa mortem considerari, quæ interim meditanti occurrunt: tamen volens quædam colligere, aio: Si vitam vis mutare, persuadeas tibi quantum potes, manè cùm surgis è strato, nouissimam esse illam tibi diem: itaque domui tuæ intra teipsum dispone, ac si verè esset nouissima. Neque verò hæc erit deceptio, quin imò alias si credideris, falli quidem poteris. Si enim potest indies te mors aggredi, tuum est, vt & illam indies præstolêre. Ego verò tibi affirmo, non illum poteris non negligenter diem transigere, nisi adnitare in mentem vt inducas, illum tibi esse extremum. *Circa mortis considerãda.*

Recogita itaque mortis tempus, quòd cùm sit incer- *Tempus.*

incertum, nunquam non debes expectare, vti dictum est. Causam recogita, quæ sexcentis potest esse ex locis, intus ac extra, ita vt nulla non possis in re expresse illam contueri. Recogita modum qua in re profuerit admodum adesse cupiam morienti, extremosque illos contemplari casus: vbi lassum corpus iacet derelictum, languida, vice marmoris, grauia, vix mouentur membra: supremæ exsudant partes, extremæ frigescunt: viuidum immutat facies colorem in pallorem, caua stillant lumina, spumat os, crassescit lingua, anhelat guttur, anhelum quassatur pectus, liuescunt labra, nigrescunt dentes. Breuiter, resolutum corpus vniuersum amarissimo cum suspirio, ab anima derelictum, ex homine fit vilissimum cadauer.

Causa.

Modus.

Iam copiosa tibi aperit materies, vt hoc tibiipsi accommodes spectaculum, comminiscens, de salute tua desperasse Medicos, circunsidereque lecto & affines & amicos: quorum è præsentia magis torquebere. O quàm erit illa discessio amara! Iam solarite non poterunt opes, sed pœnam augebunt: Honores nil proderunt, sed ita inuitus eos derelinques, què admodum illis immodicè afficiebaris: præteritis è delectationibus nihil aliud quàm oblatrantem referes conscientiam.

Iam verò quid hîc ages? quî habebit anima tua; egredi è corpore erit intolerabile, manere impossibile, procrastinare non dabitur, recurrere non poterit ad pristina sensuum oblectamenta, iam insensibilium: sibi verò ipsi reddita, propriam horrescet præ timore deformitatem; seque ipsam, si fieri posset, vellet effugere: horrendis se circumseptam videbit monstris, suis nempe peccatis, quos nunquam non patietur persequutores: momentum videt fuisse præteritum, sine fine futurum. Tum verò cùm Propheta dicere poteris: *Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.*

Egressus animæ à corpore.

Psalm. 17.

Ita mortem recogitando, multos consequêris fructus. Primùm Deum timere cogeris, quod initium est sapientiæ: dehinc & sedulo ages, ne te adoriatur incautum: propriam etiam agnoscere te faciet miseriam, cuius in agnitione vti extinguitur superbia, ita & humilitas fundatur, omnis custos virtutis: facilè & à te abcedet inordinatus rerum terrenarum affectus; mortis enim recordatione cognosces nihil tuum esse, quod tecum non possis auferre. Summa, hoc prosequendo exercitium, timor in amorem conuertitur, morsq; adeò tibi non videbitur ex pœna & priuatione vitæ corporalis horribilis, quantum alia ex parte frugifera, & delectabilis: quod tantis finem imponat miserijs, perennique det initium vitæ: neque verò poteris contristari, cùm compertum habeas, deficiente corpore in sepulchro, beari animam in cœlo, viua cum spe vitam resurgendi ad immortalem.

Fructus memoriæ mortis Eccle. 7, 16.

Septima Consideratio, de extremo Iudicio.

CVm animus noster in rei occursum horribilis totus in seipsum colligatur, omnemque interim aliam abijciat cogitationem; ideò longè vtilissimum fuerit exercitium, præsertim conuersionis initio, huiuscemodi in argumentis exerceri, hac enim ratione mens vaga, tum ex timore, tum ex stupore distractionem vitat, interneque stabilitur.

Si mors, vt diximus, retractata, vim habet varias vniendi cogitationes, multò magis quod mortem consequitur, extremum nempe Iudicium, & pœnæ Tartareæ. Quæ si sæpe recogitabis, fiet tibi quod ait Sapiens: *Memorare nouissima tua, & in æternum nõ peccabis.* Nõ abs re dicebat Hieronymus: Si comedo, vel bibo, vel quid aliud ago, semper mihi videtur auribus meis insonare vox illa terribilis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Quod quam futurum sit horribile, non est quod verbis tentemus aperire. quicquid enim est terribile, illius comparatione nihil est. Multa Deus ostendit in terris iudicia, vt fuit vniuersi submersio per aquas diluuij, Sodomorum incendio per ignem, Aegypti plaga multiplex, terræ hiatus in deserto; quæ omnia humi composita, eius comparatione quod in nouissimo die præstolamur, habent se vt vmbra ad veritatem.

Consideratio extremi iudicij quid vtilitatis adferat.

Eccles. 7.

Gen. 7. Gen. 19. Exod. 8. 9. 10.

Si per hanc vis considerationem tibiipsi reddi; concipe primum, quam fieri possit, iudicantis Christi conditionem: cuius non aliud præ se ferat aspectus, quam vindictam, vt in priore eius aduentu aliud præ se non tulit, quàm mansuetudinem. A quo, quippe sapientissimo, nõ dabitur appellatio: cumq; sit potentissimus, euitari non poterit: cumq; sit Deus scientiarum, delitescere minimè fas erit, vel causari: cumque infinite oderit peccatum, vel minima non manebit culpa indiscussa. Tunc tibi de tot erit reddenda ratio causis, vt vel vnaquæque sufficeret te perturbare. Iam quis tot poterit facere satis quæ exigentur, rationibus? quî tempus insumpsisti? quî corpus gubernasti? qui moderatus fenius omnes? qui cor custodisti? qui diuinis respondisti inspirationibus? qui tot gratus extitisti beneficijs? Qua sanè in accusatione tot erunt testes, quot creaturæ: quæ tùc ita omnes conturbabuntur, vt, si fieri posset, vel immortales præ timore morerentur.

Iudex qualis sit.

De quibus reddenda sit ratio.

Magnus erit tremor ardentem conspicere mundum, ruentia ædificia, trementem terram, conturbari elementa, Solem obscurari, & Lunam, & stellas, mori viuentem omnem creaturam, sepulchra aperiri, audiret bam extrema canentem, parari thronum, contremiscere populos, aperiri conscientias, horrendos videre cacodæmonas, succendamque inferni fornacem. Sed præ omnibus erit importabile, signum in aëre conspicere Crucis, cum vniuersis passionis insignibus, audireque Iudicem tantam inimicis suis improperantem tragœdiam: quibus longe minus esset intolerabilis gehenna, quam audire ab ipso se perpetuo anathemate ferirì, atque maledici.

Octaua consideratio de pœnis inferni.

SI per hanc considerationem nondum fugiunt à te cogitationes otiosæ (profundo enim necesse est somno animus sit consopitus qui talibus stimulis non excitatur) noli tamen propterea desperare, sed quantò maiorem in his considerationibus inuenis difficultatem, tantò acrius enitere vt quæ cepisti continues. Vide nihilominus an maiorem aliquem fructum ex consideratione pœnarum inferni haurire possis.

Circa quas duo potissimum menti tuæ considerandæ se offerent: pœnarum videlicet immanitas, atque earundem æterna duratio: quorum vnumquodque corda etiam durissima emollire posset. Certè qui neutro horum commouetur, manifestum iudicium est ipsum mortuum esse in anima, aut illa quæ fides dictat, minimè credere.

Et quamuis pœnarum Infernalium grauitas nec mente comprehendi, nec verbis explicari queat, nihilominus exiguum id quod de illa cognosci potest, sufficiet ad cordis tui duritiam emolliendam, qui hic est principalis scopus noster.

Propone igitur tibi primum ante oculos harum pœnarum generalitatem, quam semper in mente habent illi qui eas patiuntur. Nam voluntas nihil

Pœnarum infernalium grauitas.

vult

vult, nisi malum: memoria nullius recordatur nisi præteritorum scelerum, & si nonnunquam bonorum operum reminiscitur, ad maius pœnarum suarum augmentum hoc agit. Oculi aliud non vident nisi horrenda monstra. Aures nihil audiunt nisi clamores & lamenta. Tactus nihil tangit nisi ignem, glaciem, & serpentes. Gustus nihil percipit nisi quæ crucient. Odoratus nullum odorem præter putentia corpora fœtoresque intolerabiles haurit, cum illuc sit totius immunditiei & sordium confluxus. Imaginatio plena erit cogitationibus malis & tristibus. Et ne multis, omne malum quod timeri potest illic erit; omnis verò voluptas quæ desiderari potest illinc fugiet.

Grauissimi sunt hi cruciatus, at nō minus molesta est Dœmonū aliorumq; damnatorum societas: vermis qui nunquam moritur: continua & tenebrosissima nox, quæ regionem illam obsidet. Et super omnia dolor, quo torquentur quod Deum offenderint, nec vlla vnquam ratione in illius gratiam redire ac visione illius perfrui possint.

Quod tormentum cætera omnia inferni supplicia tantum superat, quantum diuina pulchritudo omnem inferni deformitatem ac fœditatem vincit.

Aeternitas supplicioru inferni.

Si prædictorum cruciatuum considerationi iunxeris perpetuam eorum durationem: quodque damnatis maximo solatio futurum esset si post mille millium annorum tempus vel millesimam partem pœnarum suarum finem habituram esse scirent, aut tum demum terminum accepturas quando tota maris aqua vacuata esset, si millenis tantum annis vna inde guttula tolleretur: hanc temporis diuturnitatem si ritè perpenderis, timore magno & horrore compleberis: & si in illius consideratione perseueraueris, in alterum hominem paulatim conuertêris. Per hanc enim considerationem, anima tua excitabitur ad mundi perfectum contemptum, ad peccati fugam, ad harum pœnarum formidinem, ad virtutum amorem. Quamuis autem in principio sentias magnum timorem & metum, patienter id sustine. nam paulatim timori huic amor miscebitur, & in purum tandem amorem conuertetur: non aliter ac tenebrosa noctis caligo paulatim in clarum diem mutatur.

(o)

PARS SECVNDA

QVA CONTINENTVR MEDITATIONES de diuinis beneficijs.

PROOEMIVM.

EA quæ hucusque scripsimus, quamuis vniuersæ vitæ hominis deseruiāt, maximè tamen ingressum & prima principia cœlestis semitæ respiciunt. Quibus ea quæ nunc tractaturi sumus congruè succedere possunt: Consideratio nimirum diuinorum beneficiorum, & vitæ Christi, cum alijs similibus: in quibus Dei seruus tota vita sua occupabitur: neque tamen antè dicta exercitia omnino relinquet, sed illis sæpe pro excitanda deuotione vtetur.

Quæ ad Considerationem diuinorum beneficiorum requirantur.

In oratione tria necessaria. Gratiarum actio. Oblatio. Petitio.

TRia specialiter debet homo facere in oratione. Primo gratias agere Deo pro beneficijs acceptis. Secundo, & se & omnia sua, simul cum meritis & laboribus Christi offerre in satisfactionem & expiationem peccatorum suorum & totius mundi. Tertiò, gratiam & auxilium illius pro necessitatibus corporalibus & spiritualibus, cum suis, tum proximorum suorum & totius mundi implorare.

Gratiarum actio debita est.

Harum partium prima, puta gratiarum actio, est debita, suauis & ad meditandum copiosa. Debita quidem: Quid enim iustius esse potest quam ei Domino qui quotidie innumeris nos beneficijs onerat, gratum se probare? Suauis: quandoquidem vnumquodque horum beneficiorum benè consideratum, est sagitta quædam candens, siue ignis, quo cor diuino amore succenditur & inflammatur: amor autem est suauissimus animarum nostrarum cibus, quo illæ non aliter ac dulci nectare pascuntur.

Suauis.

Copiosa.

Copiosa: quia cum hæc beneficia maxima atque insignia sint, ac innumera particularia beneficia in se complectantur: (specialiter beneficium Redemptionis, quod omnes actiones, & labores totius vitæ Christi in se complectitur, & Glorificationis, quod omnia beatorum gaudia in se continet) tam vberem in se considerationis materiam habent, vt si quis exemplo quorundam sanctorum maxima noctis vel diei parte illis considerandis immorari velit, nunquam ei materia deesse possit.

Oblatio est species quædam vnius sacrificij.

Secunda pars (nimirum oblatio) est quædam species viui sacrificij, quo homo semetipsum & omnia sua Deo offert, atque in manus eius tradit: resignando se totum sanctissimæ voluntatis eius beneplacito, vt de se atque omnibus rebus suis ita agat, sicut maximè ad honorem suum pertinere nouit: & homo non amplius sibi, sed Deo viuat: nec amplius voluntatis aut vtilitatis suæ rationem vllam habeat, sed diuinæ tantummodo voluntatis & gloriæ.

Religionis actus primarius.

Hic actus est vnus ex primis & summis religionis quam Deo debemus actibus: & renouatio quotidiana professionis nostræ ac legis secundum quam viuendum nobis est: & frænum quo nos efficaciter retrahere ac frænare valeamus quotiescunque aliquid contra Dei voluntatem molimur: reminiscendo nimirum fœderis illius quod cum illo pepigimus, & oblationis illius, qua illi nosmetipsos, voluntatem & omnia nostra consecrauimus, quam toties violamus, & quoddam spirituale furtum committimus, quoties voluntatem nostram, vel aliquid quod nostrum est, contra toties à nobis factam oblationem repetimus.

Frænum itē quo nos à peccatis refrænamus.

Et quia permodica est oblatio hæc in conspectu diuinæ maiestatis, offerimus simul cum ea omnia merita & labores Christi, quæ est omnium oblationum quas ei offerre possumus maxima & excellentissima, qua nostra oblatio etiam gratior redditur.

Petitio est religionis actus.

Tertia pars (videlicet petitio) est eiusdem Religionis actus, in qua possimus exercere opera misericordiæ spiritualiter: orando Deum pro omnibus necessitatibus Sanctæ Matris Ecclesiæ: in qua etiam formare possumus diuini amoris actus, aliquantisper immorando in fine huius partis in amoris diuini petitione: idque per ignita, inflammata, & ex imo cordis procedentia suspiria.

Orationem præcedere debet præparatio. Eccli. 18, 23.

Hæ sunt tres principaliores partes, quibus nostra constare debet oratio, at quoniam Sapiens monet vt ante orationem quisque præparet animam suam: idcirco necessarium est tribus partibus antedictis quartam adijcere, videlicet, humilem ac deuotam ante preces præparationem: sicque huius exercitij quatuor partes constituentur: quæ sunt, præparatio, gratiarum actio; oblatio; & petitio: de quibus modò singulatim disseremus, posteaquam de huius exercitij vtilitate pauca præfati fuerimus.

DE EXERCITII HVIVS vtilitate.

CAPVT II.

I. Vtilitas 1. Quod excellentissimarii virtutum actus contineat.

PRima vtilitas huius exercitij est: quod in eo excellentissimarum illarum virtutum, de quibus supra egimus, actus contineantur. Concurrunt namque in eo actus amoris, timoris, doloris de peccatis, oblationis, gratiarum actionis pro diuinis beneficijs, humilitatis, reuerentiæ, obedientiæ, religionis, & aliarum similium virtutum quæ in hoc exercitio tractantur: quemadmodum in sequentibus euidenter liquebit.

II. Quod partes eius inter se valdè connexæ sint.

Secunda vtilitas prouenit ex ordine, quem huius exercitij partes habent inter se. Nam si benè consideres, inuenias partes has ita inter se connexas esse, vt quælibet harum partium cæteras sequentes penè requirere ac postulare videatur. Primò namque præparatio quæ partes has antecedere debet per se exigitur: quandoquidem conuenientior & decentior est oratio illa quæ ab humilitate, contemptu suiipsius, & peccatorum suorum accusatione principium sumit: hoc namque idem est ac si quis, antequam cum aliquo tremendæ Maiestatis Domino loquatur, profundam ei reuerentiam exhibeat.

Præparatione peracta, conuenientissimum ad noua dona postulanda & percipienda initium sumitur à recognitione beneficiorum acceptorum, & gratiarum pro eis persolutione. Ad quod Psalmista regius nos inuitat cum ait: *Præoccupemus faciem eius in confessione* (vti Sanctus Hieronymus hoc loco vertit. Hanc autem beneficiorum agnitionem excipit statim affectus ille, quem idem Propheta significauit, quando ait: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Cui per oblationem quæ gratiarum actionem sequitur, respondet. Post oblationem verò (quæ constat ex meritis & laboribus Iesu Christi) quid conuenientius sequi potest quam gratiarum nobis necessariarum per eadem merita petitio? quæ est quarta huius exercitij pars. In hac autem petitione vbi nos magis decet pro magna temporis parte immorari, quam in amoris diuini postulatione? quem Deus nobis præcipuè dare cupit, quoque nos potissimum egemus: qui talis est conditionis, vt illum petere ac desiderare, sit principium adeptionis illius.

Psal. 94. 2.

Psal. 115.

Itaque non infima inter vtilitates exercitij huius est, quod vna partium eius videatur quodammodo alteram exigere: & affectus præcedens sequentia penè videatur postulare: quia cor nostrum ita affectum est, vt quando sensu alicuius rei tangitur, illam retinere cupiat, & dolore affici aut quodammodo reluctari videatur, cum de illa ad alienã transitum facere debet, nisi altera sit priori adeò vicina & connaturalis, vt egrediens ab illa ad aliam, non videatur ad diuersam transisse, sed in eadem in qua prius erat, remansisse.

III. Quod copiosam meditandi materiã præbeat.

Tertia vtilitas est: cum manifestum sit eos qui ab his exercitijs se abstinent, hoc potissimum ob materiæ defectum atque inopiam agere (illa enim deficiente meditationis etiam cursum deficere necesse est.) inconueniens istud hic locum minimè reperit. Quandoquidem in qualibet harum partium tam copiosa suppetit meditandi materia vt si quis dies ac noctes integras considerationi impendere velit, nunquam materia illi defutura sit. Quanta namque considerari possunt in præparatione circa Dei magnitudinem, & nostram humilitatem? quanta in diuinis beneficijs, quæ multitudine sua vincunt numerum arenæ maris? quanta in oblatione laborum & meritorum Christi, quæ in se singulas actiones & mysteria sanctissimæ vitæ illius complectuntur? quanta in petitione, quæ omnia vitia & virtutes, atque omnes necessitates & miserias vitæ nostræ, pro quibus remedium & auxilium imploramus, sub se continet; quanta in diuini amoris exercitio, vbi innumeræ rationes & causæ nobis se offerunt ob quas hunc petere ac desiderare, debeamus & quibus ad eundem nos excitare atque inflammare possimus? Certè quælibet harum partium sufficiens esset adeò amplam materiam præbere meditationi, vt etiam integrum tempus exercitio præstitutum in ea consumi possit: quod etiam facere opus est, quando Spiritus sanctus in vna parte magis quam in altera concurrit, mentemque illustrat, & sensuum portas aperit: quamuis vniuersum tempus in ea expenderetur.

IIII. Quod omnium fere Deo colloquium.

Quarta vtilitas eademque potissima hæc est: quod exercitium hoc ita sit ordinatum vt in totius exercitij cursu semper cum Deo colloquium misceri possit quod maximè iuuat ad habendam mentem attentam & ad superna eleuatam: quia meditatio (quando alioqui ex se sola discurrit, diuersa considerando quibus deuotionis affectum excitet:) propter naturalem infirmitatem nostram solet esse admodum instabilis, eò quod varios egressus, & vehementer intricatas semitas habeat, in quibus seipsam perdit & oberrat, dum aliquando res ex meditatione elicitas sequitur: nonnunquam verò ad meditationem ita accedit quasi studijs aut speculationi meditans operam daret, idque non tam ad accendendam voluntatem quam ad intellectum instruendum, quod valdè diuersum est ab eo fine quem hic propositum habemus. At quando meditatio ita instituitur, vt concinnum cum Deo colloquium misceatur: tum Spiritus maiori cum attentione ac eleuatione, maiorique cum honore ac reuerentia diuinæ maiestati cum qua loquitur, assistit: cauetque sibi ne otiosus, languidus ac tepidus sit, nec nimium instabilis, neve tàm facilè in diuersa euagetur, sed in meditatione maiores quotidiè profectus faciat. Ex quo perspicitur quam longè vtilius sit hac potius, quam alia ratione in meditatione procedere.

V. Quod omnium hominum generi conueniat.

Quinta vtilitas est: quod non minus conueniat incipientibus quam perfectis, quia omnia eo contenta cunctis generatim accommodata sunt, nisi quod tyronibus congruentius sit, in præparatione longiorem moram facere, quæ potissimum propriam confusionem, & dolorem peccatorum spectat: breuiorem verò in amoris diuini petitione. Vtè contra illis qui aliquandiu exercitijs vti fuerunt, conuenientius est in amore diuino exerceri, eo quod hæc materia illis accommodatior sit. Quamuis nec pœnitentibus amor (quandoquidem verus dolor ex amore proficiscitur:) nec proficientibus

tibus dolor (cum in multis offendamus omnes, quæ amoroso dolore purgari ac multis lachrymis mundari opus est) deesse debeat.

Vtilissimum est in amore diuino exercitari.

Hic tamen necessarium est aduertere, inter partes antedictas vtilissimum esse amoris diuini exercitium, quo ipse terminantur, ac proinde prouidendum esse vt tempus ita distribuatur, vt huic exercitio semper potissima temporis pars tribui possit. Quemadmodum enim charitas est omnium aliarum virtutum finis & perfectio: ita illius exercitium omnium aliorum exercitiorum terminus est & consummatio, ita vt de alijs differere, non de illa, nihil aliud esset, quam medijs vti sine consecutione finis, cum præsertim ille finis in qualibet huius exercitij parte spectandus sit.

DE PRÆPARATIONE QUÆ *exercitij huius initium est.*

CAPVT III.

QVando cum Deo per orationem acturus & locuturus es, antequam ad actionem tantæ dignitatis accedas, cor primum præparare debebis. Quod vt ritè fiat tria facies. Primo: existimes cum oras te cum ventis loqui, nec eum cum quo loqueris longè à te abesse. Constitues tibi ante oculos præsentiam illius Domini, qui cælum & terram implet, qui in omni loco præsens est, non modò secundùm potentiam, sed etiam secundùm veram & realem essentiam. Vbicunque enim inuenitur aliquid habens esse, ibi etiam & ille inuenitur tanquam fons & causa illius esse, dans illud omnibus creaturis. Causa enim & effectus necessariò simul sunt & se inuicem contingunt. Ideoque necesse est Deum in omni loco præsentem esse, quemadmodũ olim Helias profitebatur cum diceret: *Viuit Dominus Deus exercituum, ante cuius conspectum sto.*

Dei præsentia vbique cogitanda.

3. Reg. 17.

Eodem modo & tu cogitabis Deum orationibus tuis adesse, verba quæ profers audire, deuotionem tuam respicere, & in ea delectari. Etenim etsi ille generaliter omnibus rebus assistat, singulari tamen modo adest his qui orant: sicut Scriptura testatur dicens: *Non est tam grandis natio quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest Deus noster cunctis obsecrationibus nostris.* Quod aliud manifestius quæris testimonium, vt certus sis (licet carnalibus oculis non videas,) Deum te & videre, & audire? Deũ inquam, qui potentissimus, pijssimus, & promptissimus est ad succurrendum tibi in omnibus præsentis vitæ angustijs & necessitatibus.

Deut. 4.

Reuerentia Deo exhibenda.

Secundo posteaquam ante conspectum illius te constitueris, profundissimam illi exhibeas reuerentiam. Reuerentiam autem appello agnitionem & venerationem Maiestatis illius cum qua venisti vt loquaris: agnitionem item tuæ humilitatis, & vilitatis, qui tali Domino locuturus es: qualem habebat in se Sanctus ille Patriarcha, qui dicebat: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis!* Oculos igitur paululum in altum tolle, & cogita magnitudinem, maiestatem, immensitatem, omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, cæteraque perfectiones supremi huius Domini, quæ omnem non modo humanum sed Angelicum etiam intellectum vsqueadeo transcendunt, vt quidam Doctor affirmet, etiamsi totus mundus plenus esset libris, & omnes creaturæ, illius scriptores, & vniuersa maris aqua attramentum: citius libri replerentur, mare vacuaretur, & scriptores defatigarentur, quam vel vnica perfectionum illius perfectè describi possit. Qui plura deinde subiungens ait: Si omnia hominum corda simul iungerentur & vnum cor fierent, quod omnium virtutem & capacitatem complecteretur: & illud aliquam diuinarum perfectionum agnosceret, fieri non posse quin rumperetur, nisi speciali Dei miraculo conseruaretur. Denique tanta est Maiestas & immensitas huius Domini, vt ingens hæc mundi machina sit instar formicæ coram eo.

Abraham. Gen. 18, 27.

Dei magnitudo & maiestas quanta.

Itaque si vniuersa mundi moles tanti est ante Deum, quid tu qui es partua mundi pars eris coram eo? Animaduerte vtilitatem quam (inter cętera) adfert hæc consideratio. per hanc enim clarius cernes quid sis: nam sæpe continget vt oculos erigens ad illam beatissimam lucem, primo tuam nihileitatem, vt ita dicam, inspicias: simulque intuearis, quàm à se omnia nihil sint, & quomodo Deus illis tribuat esse ac perfectionem quam habent, & quomodo in illo & per illum existant, & conseruentur omnia.

Consideratio diuinæ magnitudinis quid vtilitatis afferat.

Hæc consideratio faciet, vt te tanquam puluerem terræ humilies, vt contrahas alas tuas, atque descendas vsque ad abyssum in conspectu tantæ maiestatis. Eadem faciet vt stes cum timore & tremore ante talem Dominum: quanto enim plenius erit cor tuum isto timore, tanto minus diuagabitur, & in cogitationes extraneas rapietur.

Ante orationem præcedere debet accusatio sui ipsius. Prou. 18. 17.

Tertio exhibita hac reuerentia, quia iustus in initio est accusator suijpsius, incipies tua confiteri peccata, reuocando ea ad memoriam, & discutiendo vitam præteritam: orabisque humiliter vt Deus tibi largiatur omnium peccatorum indulgentiam, fiatque tibi clemens iudex, quandoquidem cum illo de tuis tractaturus es negotijs. Hic igitur cum deuotione recitabis generalem confessionem, aut Psalm. *Miserere mei Deus*, vel aliud quid simile, vt per huiusmodi sancta verba excitetur làguor & tepiditas, qua solet opprimi mens in orationis exordio.

Nec tantum petes à Deo remissionem peccatorum, sed etiam gratiam, vt in illo exiguo temporis spatio quo cum Deo sermocinaturus es, orationem facias cum illo timore ac reuerentia, quæ tantæ Maiestati debetur: cum illa quoque attentione & humilitate, quæ requiritur ad Spiritum sanctum, gratiamque deuotionis, quæ datur omnibus in hoc sancto exercitio perseuerantibus, recipiendam.

Hæc sufficiant, quantum ad præparationem, in qua potest quilibet vela quam latè vult in sui suarumque miseriarum cognitionem extendere: vt postea declarabitur. Vtilissimum quoque erit in hac præparatione, si animus fuerit distractior, eundem recolligere per lectionem pij alicuius libri, aut per aliquam orationem vocalem, vt superius diximus: huiusmodi namque solent animum attentum reddere, maximè cum orationes deuotè recitantur.

Gratiarum actio.

PRæparatione iuxta hanc formam præmissa, mox ad gratiarum actionem, quæ est vna præcipuarum huius exercitij partium, veniendum erit, ac Deo gratiæ pro acceptis beneficijs agendæ. Cum autem innumerabilia sint Dei beneficia, nos ea ad decem genera beneficiorum reducemus: ex quibus constitui possit, *psalterium decem chordarũ*, in quo cum Dauide Propheta Deo psallere, atque illum laudare valeamus. Horum beneficiorum primum est Creationis. Secundum, Conseruationis. Tertium redemptionis. Quartum Baptismi. Quintum, Vocationis. Sextum, Diuinarum Inspirationũ. Septimum, Præseruationis. Octauum, Sacramentorum. Nonum, Beneficiorum particularium. Decimum, æternæ beatitudinis & gloriæ promissæ.

Decem beneficiorum genera pro quibus gratiæ Deo agendæ. Psal. 32.

Punctum primum de beneficio Creationis.

HOrum beneficiorum primum, omniumque aliorum fundamentum est, quod Deus nos ad imaginem & similitudinem suam creauit, adeò vt tot anni transierint, quibus eras nihil, imò ab æterno fuisti nihil, quod sanè minus est,

Beneficium Creationis.

quàm formica, quàm vermis, quàm lapis. quid enim minus quàm nihil? & sic permanere in æternũ potuisses; nec deterior fuisset mundus, si nunquam creatus fuisses, quàm nunc est. Cumque hoc ita se haberet, placuit diuinæ bonitati, sine vllo tuo merito, sola sua misericordia, & mera sua gratia, te ex illa abysso, & profundissimis illis tenebris, in quibus ab æterno iacebas, eruere, essentiam tibi dare, & aliquid te facere: non quidem lapidem, non arborem, non auem, non serpentem; sed hominem, inter omnes creaturas mundi nobilissimam. Quo in beneficio dedit tibi hoc corpus, cum omnibus suis membris, & sensibus, quorum dignitas tunc demum cognoscitur, cùm corpus illorum aliquo priuatur: dedit & animam rationalem, cum omnibus suis potentijs, factam ad imaginem & similitudinẽ suam; hoc est, immortalem, incorruptibilem, intelligentem, ipsiusque Dei & beatitudinis eius capacem. Ex quo facilè colliges, quòd si tanta patri & matri debeas, eò quòd instrumenta solummodo fuerunt Dei incorporis tui formatione; multò maiora debes ipsi Deo, qui plasmauit & illos, & te; quique sine ipsis animam tuam creauit, sine qua corpus tuum non esset aliud, quam brutum pecus, truncus inutilis, & moles carnis immundissima.

Punctum secundum de beneficio Conseruationis.

Beneficium conseruationis.

SEcundum beneficium, est Conseruatio: non enim Deus tantùm ex nihilo fecit te aliquid esse per creationem; sed in ea quam dedit essentia te conseruat, adeò vt si manum suam à te, vel ad momentum retraheret, in idem nihil, quod eras priùs, necessariò recideres. Quemadmodum enim Sol è seipso radios in hoc aëre producit, atque eosdem in illa essentia, quam dedit, conseruat: sic etiam Dominus noster nos, de non esse, ad esse perduxit, & in eodem esse nos postea conseruat: ita vt det, & quod semel dedit, semper conseruet, quod idem est, atque si absque intermissione nouum crearet. Hunc in finem omnia quæ in mundo conspiciuntur, creata sunt, cùm singula in suo genere hominis conseruationi subseruire videantur. Quædam enim sunt ad hominem nutriendum, quædam ad vestiendum, quædam ad docendum, quædam ad castigandum, quædam denique ad illum sanãdum: oportet namque vt in domo boni patrisfamilias inueniantur omnia. Et sanè considerandа hic est liberalitas & abundantia, quacum hic benignus Dominus nobis de omnibus his rebus prouidit. Quot genera ciborum creauit ad nos alendos? quot pellium & regumentorum ad nos vestiendos? quot herbarum ad nos curandos? quot denique rerum diuersarum formas & species ad nos recreandos? Quædam enim pascunt oculos, vt flores, & colorum varietates: quædam oblectant aures, vt harmoniæ musices, & auium cantus: quędam recreant nares, vt odores, & aromatum variæ species: quædam denique os & palatum afficiunt, vt infinita fructuum, piscium, volucrum, & animalium genera. Omnia enim hæc magis sunt in vsum hominis, quàm in proprium condita, magisque sunt & viuunt homini, quàm sibijpsis. Considera igitur quàm liberalis & beneficus est Deus in hacre erga te, & quot beneficia tibi præstitit: in eo enim omnes huius mũdi creaturæ comprehenduntur, quæ in vsum & obsequium tuum conditæ sunt; non enim vlla harum ipse Deus egebat. Sed & parum illi fuit, quòd quæ in terris sunt tibi seruirent, nisi etiam cœlestes illæ creaturæ, vt Sol, Luna, stellæ, & Planetæ, idem facerent. Præterea ordinauit etiam, vt creaturæ quæ supra cœlos existũt, quales sunt Angeli, videntes faciem illius, & ad gloriam eius creati, tibi famularentur, & ad tui custodiam mitterentur.

Simile.

Punctum tertium de beneficio Redemptionis.

Beneficium Redemptionis.

TErtium beneficium, est Redemptionis, quod excedit & superat omnem humanam eloquentiam. Si enim in eo hæc quinque consideraueris, quid scilicet Dominus in hoc beneficio dedit; amorẽ, cum quo dedit; personam, quę dedit; & personam quæ accepit: singula horum in stuporem & summam admirationem te rapient: atque intelliges, nec donum posse maius esse, nec medium conuenientius, nec amorem feruentiorem, nec personam quæ dedit digniorem, nec personam quæ accepit (exceptis Dęmonibus) viliorem & abiectiorem. In singulis horum multa sunt meditanda, potissimum autem amoris magnitudo, quocum Dominus operatus est hæc omnia: paratus enim erat infinitis numeris plura & crudeliora pati, quàm passus est, si necessarium fuisset. Similiter & multa hic perpendenda occurrunt in modo, quem elegit, vt opus hoc perficeret; qui fuit, quòd omnia mala nostra in se recepit, & omnia bona sua nobis tribuit. Huc faciunt omnia mysteria, & singuli vitæ mortisque illius sanctissimæ articuli: quorum singuli singulæ sunt partes huius beneficij, imò singuli per se, singula sunt beneficia, eaque maxima. Huc spectat humilitas incarnationis, paupertas natiuitatis, sanguis circunciſionis, fuga in Ægyptum, ieiunium in deserto, discursiones, vigiliæ, labores, persecutiones, dolores, & mortis angustiæ: quæ tanta fuerunt, vt nemo vnquam similia perpessus sit: pro quibus omnibus & singulis infinitæ Domino reddendæ sunt gratiæ, qui nos tam asperis vijs quæsiuit, & tam caro pretio redemit: quæ omnia non aliam ob causam fecit, & passus est, quàm vt manifestissimum nobis amoris sui erga nos daret testimonium, & vt nos isto medio ad similem dilectionem excitaret.

Punctum quartum de beneficio Baptismi.

Beneficium baptismi.

QVartum beneficium, est Baptismi, per quod infinitæ pietatis & misericordiæ Dominus, sine vllo nostro merito præcedenti, sed sola motus sua clementia, dignatus est nos lauare aqua illa, quæ de pretioso illius latere profluxit; eaque eluere omnes animarum nostrarum maculas, nosq; ab inimicorum nostrorum, peccati, inferni, Diaboli, & mortis tyrannide liberare: faciens nos templum viuum & suum habitaculum; donans nobis spiritum adoptionis, per quem in numerum filiorum Dei assumimur; dans insuper nobis omnia ornamẽta, quæ ad illam dignitatem requiruntur; (vt sunt gratiæ, virtutes infusæ, & dona Spiritus sancti) quibus compti & ornati formosi apparemus, in conspectu Domini, nouamque accipimus fortitudinem, vt de Diabolo parta victoria triumphemus, & finem ad quem creati sumus, hoc est, cœlestis regni beatitudinem consequamur. Quid igitur Domino pro hoc beneficio retribues? Quid dabis ei, qui in tanta multitudine Barbarorum, Infidelium, Turcarum, Maurorum, & Ethnicorum, qui lapides, ligna, & serpentes adorant, te voluit esse Christianum? quique te recepit in gremium Ecclesiæ, in hæreditatem domus suæ, & in arcam veri Noe, ne cum cæteris huius mundi generationibus in infidelitatis diluuio perires, in quo singulis penè momentis tot pereunt animarum millia? Animaduerte quæso, quot animas Deus creauerit eo ipso die, quo tuam creauit, quarum quædam in Turciam, quædam in Indiam, nonnullæ in Barbariam, & aliæ in alias infidelium

terras

terras missæ sunt; quodque eadem sors etiam animæ tuæ obtingere potuisset: cæterum benignissimus ille Dominus noluit alibi funiculum tuum cadere, quàm in Paradiso, & gremio Ecclesiæ, quæ est domus filiorum Dei, & suorum prædestinatorum. Perpende nunc, quid dignum tanto munere huic benefactori poteris retribuere?

Punctum quintum de beneficio Vocationis.

QVintum beneficium diximus esse Vocationem: per hoc vocabulum autem vocationis intelligo, si aliquamdiu inordinatè, dissolutè, & absque vllo timore Dei vixeris, nunc autem ad meliorem frugem conuersus aliter viuas, & totis viribus tuis contendas, ne quod peccatum mortale comittas. Hoc est, quod vocationem appello: est enim ea coniectura certissima, quod ad gratiam vocatus es. non enim ea mutatio videtur aut carnis esse, aut sanguinis; sed dexteræ excelsi. Si tu igitur aliquando vixeris in illo miserabili statu, & Deus te nullo merito, sed per solam misericordiam suã potenti manu sua ex illo statu eruerit, & in statum meliorem miseria, in quo nunc es, quam gratiam illi pro hoc reddes beneficio? Etenim si bene scrutatus fueris, non inuenies vnum tantum, sed multa simul beneficia in hoc vno comprehensa. Vnum namque beneficium fuit, quòd tanto te tempore patienter ad pœnitentiam expectauit, nec vitæ huius stamina præcidit, cùm adhuc in illo damnationis statu perditus iacebas: cùm interim aliorum stamina ruperit, qui fortè nunc in infimo ardent & cruciantur Inferni barathro. Aliud beneficium fuit, quod tot tua sustinuit scelera, tot præsumptiones, tantam tuam turpitudinem, tam prætractam inobedientiam, & tot tua flagitia, quæ in illo tuo malo statu tanta cum patientia supportauit. Aliud beneficium fuit, quòd loco multorum, quibus eras dignus, suppliciorum, tot admonitionibus & documentis te excitauit, tot magistros, Verbi sui præcones, ad te misit, tot pijs inspirationibus muitauit, & vt periculum fugeres, exhortatus est. Beneficium etiam fuit, quod te vocauit voce tam efficaci, vt potuerit vincula quibus eras ligatus rumpere; vitiorum scilicet delectationem, Dæmonis potentiã, & malæ consuetudinis violentiam: qui funiculus triplex est, quo diabolus sua solet vincire mancipia, qui difficilè rumpitur. Aliud denique beneficium fuit, quod tanquam filium prodigum te in domum suam recepit, tot peccata tibi remisit, si modo remissa tibi sint, quod vtinam Deus tibi concedat) viamque ad cœlum tibi planam & facilem reddidit; atque aliud cor tibi dedit, cui iam dulce est, quod prius amarum videbatur, & amarum nunc tibi videtur, quod prius dulcissimum esse iudicabas: vt sic posses in bono perseuerare. Super omnia verò notatu dignum est, quòd hæc omnia fecerit Deus ex pura gratia, meraque misericordia, sine vllo tuo merito præcedenti: non enim in illo statu, in quo sopitus iacebas, antea aliquid agere poteras in conspectu diuinæ illius maiestatis dignum merito & præmio. Quot putas animarum millia modo torquẽtur forsitan in Inferno, eò quod Dominus tanta non vsus est erga illas misericordia, nec tam singulare præstitit illis beneficium? quia, dico, aut illas tanto tempore non expectauit, aut tanta cum patientia non sustinuit, aut quia tam potenter eas non vocauit, aut denique quia tam copiosa gratia illas non confirmauit. Cæterùm dic mihi quæso, quid tu amplius fecisti, quàm illi fecerunt? qua re meruisti, vt tu esses illis felicior? Si ambo vnum idemque iugum traxeritis, si in vno eodẽque lecto dormieritis, (hoc est, si eodem delicto aut peccato fueritis ambo implicati) qua re meritus es, vt tu ad gloriam voceris, ille pœnis inferni asseruetur, cùm ambo eidem errori fueritis obnoxij? Cur tu electus es, vt lis vas honoris in mensa Domini, alter autem reprobatus, vt sit vas ignominiæ, & seruiat Dæmonibus? Percurre transactas ætates omnes, subduc numerum pierorum, & iuuenum, quos habuisti vicinos, amicos, aut socios tuorum criminum, qui fortè perseuerarunt, & mortui sunt in illo statu, ex quo Deus te eripuit: considera diligenter quam magna fuit hæc misericordia, quòd perseuerantibus alijs in illo misero statu, Deus te ex illo periculo clementer exemit, qui tamen in eadem cum ipsis cymba nauigasti. Conuertere igitur ad Deum, & dic; Ah Domine, quid in me vidisti? in quo mihi obligatus es? quod obsequium tibi vnquam feci? vnde mihi venit tantum bonum? qua re merui Domine, quòd relictis illis in tenebris, mihi lucis tuæ radium misisti? quid tibi reddam, Domine, pro hoc beneficio? quibus tibi verbis gratiarum dicã actiones pro hac misericordia? Lingua mea & cor meum laudent te, & omnia ossa mea dicant; *Domine quis similis tibi?* Quis potuisset hanc facere mutationem præter te? Quis me potuisset è faucibus draconis illius infernalis liberare, nisi tua misericordia? quid poterat mihi dulce amarũ, & amarũ dulce facere, nisi tua potẽtia? *Confitemini Domino* (ait Propheta) *quoniã bonus, quoniã in seculũ misericordia eius.* Cui vis vt confitear, ô Propheta, & quis dignè poterit eius laudes enunciare? Respondet Propheta; *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici.* Illi enim, illi præcipuè linguam habebunt doctam ad laudandũ Dominũ qui immensum hoc beneficiũ experti sunt.

Quam multa beneficia in vno vocationis beneficio comprehendantur.

Luc. 15.

Gratiarum actio pro beneficio vocationis.

Psalm. 33.

Psalm. 102.

Punctum sextum de beneficio diuinarum inspirationum.

SExtum beneficium est diuinarum Inspirationũ, bonorumque propositorum, quæ Dominus homini immittit, quibuscum eum continuè incitat, & ad bene operandum vocat. Quemadmodum enim cor humanum sine intermissione de se in omnia corporis mẽbra spiritum & calorẽ diffundit; sic Spiritus S. (qui iuxta D. Thomam, est quasi cor Ecclesiæ) iugiter pias inspirationes, & bona proposita mittit in animas eorum, quos inhabitat. Secundùm hanc igitur doctrinam, quotquot vnquã opera bona fecisti quotquot bona proposita & desideria vnquã habuisti, quotquot vnquã lachrymas fudisti, quotquot consolationes Spiritus S. recepisti, quotquot passus pios ambulasti, quantum lumen & gustum de Deo habuisti, quoquot bona cogitasti, quot sancta negotia expediuisti, omnia hæc diuina sunt beneficia. Quemadmodum enim omnes guttæ, quæ in terram decidunt, ex mari suã habent originẽ, (mare namq; omnium aquarum fons est) sic etiã quotquot bonorũ genera ab hominibus procedunt, omnia ab vniuersorum bonorum abysso, qui est Deus, deriuãtur. Quemadmodum enim homini infirmo & valetudinario, qui multum infestatur à somno, adiungitur aliquis iuxta lectum sedens, qui frequenter illum admoneat, ne dormiat: ita debemus imaginari Spiritum S. nostro lateri astare, & hoc idem nobis præstare officiũ: facit autem hoc tot vijs & modis, tamq; continuè, vt videatur ab alijs omnibus negotijs feriari, & huic soli incũbere. Quotiescunque igitur homo sese moueri sentit interius, & sese admoneri vt euigilet, Deiq; memor sit, aut manus ad aliquod opus bonum mittat, confestim agnoscat visitationem ac beneficium diuinæ præsentiæ, & exhibeat illi in anima sua maximam reuerentiam, agatque pro inæstimabili hoc dono gratias, & se ad executionem illius, ad quod vocatur, accingat.

Punctum septimum de beneficio præseruationis.

SEptimùm beneficium est à multis malis præseruatio,

Beneficium præseruationis.

uatio, seu defensio: in hoc beneficio comprehenduntur omnia malorum genera, quæ in hoc mundo reperiuntur, à quibus Dominus nos, pro sua misericordia, liberauit. Inter hæc mala quædam sunt Naturæ, quædam fortunæ, quædam denique culpæ: qualia sunt omnia peccata. Certò igitur statuendum est, non inueniri aliquod malum in vno homine, quod non etiam in alio possit locum habere; quandoquidem homo est sicut ille, filius Adæ sicut ille, in peccatis conceptus sicut ille; eiusdem denique naturæ, eiusdemque culpæ, & proinde eidem quoque miseriæ subiectus. Iuxta hanc igitur rationẽ omnino tibi persuadeas oportet, omnia mala, quæ in mundo sunt, esse tibi beneficia: in singula namq; ipsorum incurrere potuisses, nisi Deus pro sua misericordia te ab illis præseruasset. Videbis vnum esse cæcum, alium claudum, tertium mutilatum; hunc podagricum, illum hernia, istum calculo cruciari: quidam in carceribus computrescunt, nonnulli seruitute premuntur intolerabili; alij ad triremes, alij ad furcas condemnantur; aut aliis malis, quæ quotidie occurrunt, implicantur. Quotiescunque vides hoc, flecte genua cordis tui; leua manus ad cœlum, oculosque ad Deum tuum, & dic: Domine ob hoc tibi arctiùs deuinctus sum. Benedictum sit semper nomen sanctum tuum. Fateor, Domine, fateor, non minùs mihi malum hoc potuisse euenire, quam huic, aut illi: & si mihi euenisset, & mortem desiderassem, lubensque omnes mundi thesauros dedissem vt malo illo liberari potuissem; quinetiam pedes illius osculatus essem, qui me ex illo malo eripere potuisset, imò me illi seruum tradidissem. Osculor igitur pedes tuos, ô dulcissime Domine mi, & me tibi perpetuum seruum mancipo, atque infinitas gratias ago, eò quòd tua misericordia sic vitam meam direxit, & custodiuit, vt ab omnibus istis malis immunis essem.

Gratiarum actio pro beneficio præseruationis.

Punctum octauum de beneficio Sacramentorum.

Beneficium Sacramentorum.

OCtauum beneficium est Sacramentorum, potissimum autem Confessionis & Communionis, quibus frequentius quam cæteris vtimur. Animaduerte igitur & perpende, quid huic Domino debeas, qui pretiosi sui lateris fontem tibi semper offert apertum, & scaturientem, vt immergaris in illo, & animam tuam, quoties peccatorum sordibus est inquinata, in eo lotam emacules. Quid est Sacramentum Confessionis, nisi fons limpidissimus, ad eluendas nostras maculas? medicina præsentissima ad sanandas nostras infirmitates? mediumque efficacissimum, per quod Deo reconciliamur merito sanguinis Christi? Dic mihi, si ad mortẽ aliquam ignominiosam esses condemnatus, siue vt virgis per publicas plateas cædereris, siue vt in furcam tollereris, quidam verò amicus tuus, ex mera sua generositate & sympathia, in locum tuum descenderet, & ignominiam virgarum aut furcæ in sese pro te reciperet; quòd si illum nudum, vinctis à tergo manibus, collo funibus implicato, virgis immaniter cædi videres, quibus id oculis intuêreris? quid illi pro hoc beneficio non debêres? Idem in Sacramento Confessionis fieri cogitandum est. Tu enim propter peccata tua ad mortem perpetuam dãnatus eras; filius autem Dei tui misertus, peccata tua in se recepit, flagellaque & sententiam, quæ te manebant, ipse sustinuit: atque in virtute illius satisfactionis Deus Sacerdoti mandauit, vt te ab æterna pœna absoluat: quia debitum tuum soluit, & pœnam tuam luit ipse Dei filius. Quo igitur corde, quo amore, quibus oculis illum intueberis, qui tanta fecit & passus est pro te? & quid non æquum est vt facias vicissim pro illo? Sed quid dicemus de Sacramento Communionis? Hoc est Sacramentũ Sacramentorum, mysterium mysteriorum, beneficiũ beneficiorum, & mirabilium diuinorum memoria. Hoc est Sacramentum gratiæ, charitatis, amoris, vnionis, deuotionis, remissionis, & omnium bonorũ: hic visitatur à Deo, hic honoratur diuina præsentia, hic templum viuum corporis Christi efficitur, hic gratia datur in maxima abundantia, hic suauitas diuina in proprio fonte gustatur, hic diuini amoris ardor accenditur, hic anima verum & legitimum Sponsum suum amplectitur, ex quo admirabiles delectationes in illa exurgunt. Hoc est viaticum, cum quo ad cœlum est proficiscendum: hic est panis, qui confortat cor eorum, qui laborant in vinea Domini. Hic renouantur bona proposita, hic reuiriscunt bona desideria, hic crescit deuotio, hic lachrymarũ fontes aperiuntur, hic animæ iuuentus renouatur, hic anima Christo pascitur, qui proprium illius est pabulum, & summum bonum, quo frui potest in hoc seculo. Manducare namque Christum, non est aliud, quam spiritus illius, sanguinis illius, gratiæ illius, meritorumque & laborum illius fieri participem. Quemadmodum enim qui manducat, suum facit, quod manducat; sic qui Christum manducat, spiritum & gratiam Christi sibi applicat; vt sic in illum transformatus, eisdem oculis à Patre respiciatur, quibus filium ipsum aspicit; non iam amplius vt hospes & peregrinus, sed vt filius; non quidem natura, sed adoptione & gratia. quid igitur Domino pro tanto beneficio retribuemus?

Confessio.

Similc.

Eucharistia.

Punctum nonum de beneficijs particularibus.

OMnia beneficia, de quibus hactenus egimus, omnibus ferè communia sunt Christianis: restat nunc, vt de quibusdam particularibus & occultis dicamus, quæ vnusquisque seorsim accepit: quæ vti ab alijs intelligi non possunt, sic ab ijs, qui illa receperunt, ignorari nequeunt. Percurre igitur tria illa bonorum genera, quæ in homine inueniuntur: vt sunt bona naturæ, fortunæ, atque gratiæ: & perpende in quibus reliquos homines superas, ijsq; præstantior es, atque agnoscas etiam pro illis te Deo debitorem esse. Quantũ ad bona quæ à natura sunt, considera naturales habitus & aptitudines, quas tibi dedit, qualia sunt ingenium, conditio, naturalis discretio, parentes, patria, genus, familia, fortitudo, sanitas, vita, & alia plurima: omnia hæc particularia sunt beneficia. Quantum ad bona fortunæ, cogita diuitias quas tibi largitus est, honores, dignitates, officia, & similia: quæ quidem nobiscum non generantur, sed à diuina prouidentia postea data sunt: licet mundus ea fortunæ bona solet nuncupare. Quantum ad bona gratiæ; hic diligenter attendendum est, an aliquod singulare bonum acceperis à Domino, vt sunt lachrymæ, deuotio, castitas, charitas, contemptus diuitiarum, officiorum, & dignitatis: an contentus fueris sorte quam Deus ipse dedit. Examina temetipsum an longo tempore te à lethali peccato custodiuerit? quod maximum profectò indicium est diuinæ gratiæ. Reuoca in memoriam pericula, tentationes, & tribulationes, quæ omnia ope misericordiæ atq; prouidẽtiæ Dei superasti, cũ alijs rebus similibus. Bonis gratiæ coniunge quoq; apparatus omnes, omnia auxilia, quæ Deus tibi ad bene viuendũ contulit: vt sunt Magistri, Confessarij, concionatores, amici, socij, doctrina, officium, & status, in quo te collocauit. Considera an Sacerdos sis, an coniugatus, aut fortè ab onere matrimonij liber, & si cum hoc cõtentus viuis & securus, quod maius bonum est quam primum. Ante omnia autem considera, an sis Religiosus, maximè in aliqua prouincia & monasterio in quo regularis viget obseruantia. Etenim si in mundo quicquam inueniatur, quod cœlo poterit assimilari, id sanè communis est con-

Beneficia particularia.

Bona naturæ.

Bona fortunæ.

Bona gratiæ.

gregatio,

gregatio, vitæque Religiosæ obseruantia. Sunt & alia beneficia, his præmissis occultiora; quæ ab ijs nõ cognoscuntur, quibus data sunt. Infundit enim Dominus aliquando suas gratias tam occultè & tacitè, vt ipse qui recipit, non intelligat, teste Iobo, qui ait:

Secreta Dei beneficia.

Ioan. 9. 11. *Si venerit ad me, non videbo: si abierit, non intelligam.*

Exod. 34. Ita legimus de Moyse, qui descendens de monte, faciem habebat, splendentem, & lucem quam secum adferebat non videbat, donec populus id illi significaret. Quòd autem Dominus hoc facit, duplex est misericordia: est enim securitas à periculo superbiæ; vtque gratia in nobis securius habitet, ita nobiscum agit Deus. Quod quid aliud est, quàm dare alicui thesaurum, & arculam addere, in qua potest custodiri? Porrò quemadmodum dona quædam sunt occulta, sic etiam sunt à malis occultæ præseruationes, à quibus homo præseruatus, præseruari se non intelligit. Quid scis quæso, si aliquando fortè decreueris ire per hanc plateam, in qua tibi occasio

1. Reg. 24. alicuius mali posset offerri, vt Dauidi, & Dominus impedit illud, aut mox animum mutat, vt relicta via priori, aliàm ingrediaris, & sic à periculo libereris? Quoties nobiscum agit Deus, quomodo cum D. Petro egit, cum diceret: *Ecce Satanas expetiuit*

Luc. 22, 31. *vos vt cribraret sicut triticum: sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Quoties Deus paterna sua prouidentia ingruentia nobis pericula præuidit; & Dæmoni viam præclusit, atque aduersarij nostri vires fregit, ne aduersum nos præualeret? Non minus igitur ad agendum Deo gratias obligati sumus pro beneficijs illis occultis, quam pro manifestis: imò etiam magis. Dicit enim Doctor quidam; Sicut Dominum peccatorum occultorum indulgentiam petere debemus; sic etiam pro occultis beneficijs illi gratias agere par est.

Punctum decimum de beneficio glorificationis.

Beneficium glorificationis.

DEcimum, est beneficium glorificationis, quę in futuro promittitur re, & nunc possidetur spe. Hic potest homo cor suum quantum placet dilatare, in cõsiderando tam magnifico præmio; visumque suum, quantum potest, extendere in magnitudinem bonorum sibi reseruatorum contemplando. Ascende igitur, frater mi, cum spiritu in hanc nobilem regionem, & considera diligenter quid erit videre pulchritudinem supernæ illius ciuitatis, muros & portas ex gẽmis & lapidibus pretiosis constructas, plateas auro purissimo stratas, & fontes aquæ viuæ? Quanta voluptas erit videre nouem choros Angelorum in suas hierarchias distributos, tam pulchros, glorioſos, bene ordinatos, & adeò resplendentes? Quanta erit delectatio videre Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum exercitus? At multò iucundius erit videre glorioſissimam Virginem Mariam, super omnes choros Angelorum exaltatam: iucundissimum verò, & quo iucundius nemo quid potest imaginari, erit sacratissimam illam Christi Domini, & fratris nostri humanitatem, à dextris Patris sedentem, sine intermissione pro nobis orãtem, nostraque negotia coram tribunali sanctissimæ Trinitatis agentem, conspicere. Quæ lętitia, quod gaudium, quæ admiratio erit videre illũ, in quo videntur omnia? in quo fruimur omnibus? intelligimus omnia? possidemus omnia? Quid erit denique immensam illam videre lucem, infinitam pulchritudinem, diuitiarum pelagus, deliciarum abyssum, & viuum bonorum omniũ fontem? Quid erit audire concentus & harmonias illas musicas, illis accumbere mensis, obambulare per istas plateas, conuersari cum istis ciuibus tam nobilibus, tam sanctis, tam formosis, tam sapientibus? Quid igitur nõ debes Domino, qui te ad tanta bona creauit? qui te redemit? qui te huc vsque expectauit? qui tibi tot, tamque diuersa præbet subsidia, vt ad hanc coronam perueniας?

Methodus Deo pro acceptis beneficijs gratias agendi.

TOt igitur tantisque beneficijs à Deo decoratus aliud nihil superest, quàm vt infinitas atque immortales ei gratias agas. Quod vt maiori cum attentione possis facere, vtilissimum erit in hac gratiarum actione procedere, sermones cum ipso Deo miscendo, & verba tua ad ipsum dirigendo: hoc vel simili modo.

Ago tibi gratias, dulcissime Iesu, quia me creasti ad tuam imaginem & similitudinem; pro isto corpore, quod mihi dedisti, cum omnibus suis sensibus; & pro ista anima, cum omnibus suis potentijs, vt cum ijs te cognoscam, & te diligam.

Ago tibi gratias pro beneficio conseruationis: quia idem ipse tu, qui me creasti, in ista essentia me semper conseruas, quam tu mihi dedisti. ago insuper tibi gratias, quia pro eadem conseruatione creasti omnia, quæ in mundo reperiuntur, cælum, terram, mare, Solem, Lunam, stellas, animalia, pisces, aues, arbores, denique & omnes alias creaturas; quarum quasdam creasti ad me conseruandum, quasdam ad me sanandum, aliquas ad me recreandum, nonnullas ad me docendum, reliquas ad me castigandum.

Ago tibi gratias, Domine Iesu, pro beneficio redemptionis; hoc est, pro incomprehensibili illa bonitate, & pro extrema illa misericordia, qua in me vsus es; pro ardentissima quoque illa charitate, qua me redemisti, & pro me tam multa dura & aspera subire voluisti. Ago tibi gratias pro omnibus & singulis sanctissimæ vitæ tuæ & mortis acerbissimæ angustijs. Ago tibi gratias pro humilitate incarnationis tuæ, pro paupertate natiuitatis, pro sanguine circumcisionis, pro fuga in Ægyptum, pro ieiunio in deserto, pro vigilijs in orationibus, pro paupertate denique, humilitate, & miseria totius vitæ sanctissimę. Ago tibi gratias pro laboribus, ignominijs, & opprobrijs, quæ pro me in mœstissima atque ignominiosa morte tua sustinuisti. Ago tibi gratias, p oratione in horto, pro sudore sanguineo, pro tua captiuitate, pro alapis, pro sputis, pro blasphemijs, pro flagellis, pro corona spinea, pro veste purpurea, pro conuicijs, pro felle, pro aceto, pro clauis, pro lancea, pro cruce, & pro morte, quam pro me & salute mea obijsti.

Eadem methodo in cæteris beneficijs recensendis procedes. Etenim in intellecto vnoquoque beneficio, verba facilè ad Deum dirigere atque illi gratias referre poteris. Nam (vt suprà innuimus) cor magis est attentum, spiritus magis eleuatus, & animus magis religiosus, cùm hæc omnia consideras, & simul cum Deo sermocinatur; quàm cùm ea secum solum meditatur. Colloqui namque cum suprema illa Maiestate actus est, qui spiritum hominis eleuat; ita vt minùs diuagetur, minùs torpescat, & non tam facilè cuilibet pateat imaginationi: timor enim & reuerentia illius, quo cum loquitur, cor retinet in officio, & mentem reddit magis attentam. Postquã homo adhunc modum gratias egit, poterit omnes simul creaturas, tam quæ in cælis, quàm quæ in terris sunt, intuitare, vt secum laudent hunc Dominũ & benedicant illi, qui tam misericorditer & liberaliter secum egit. Vtile ad hoc erit subsequens. Cãticum, quod tres pueri a Rege Nabuchodonosor in fornacem ardentem immissi, propterea quod aureã sta-

ſtatuam ab ipſo conſtitutam adorare nollent, poſteaquam ab igne diuina virtute illæſi permanſiſſent, Deo cecinerunt. De quibus ſic ait ſcriptura:

Dan. 3. *Non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtauit, nec quicquam moleſtiæ intulit.*

Tunc hi tres quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace dicentes.

Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſecula.

Et benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum: & laudabile & ſuperexaltatum in omnibus ſæculis.

Benedictus es in templo ſancto gloriæ tuæ. & ſuperlaudabilis; & ſuperglorioſus in ſæcula.

Benedictus es in throno regni tui, & ſuperlaudabilis, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Benedictus es qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubin: & laudabilis & ſuperexaltatus in ſæcula.

Benedictus es in firmamento cœli, & laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite cæli Domino: laudate &c.

Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt: laudate &c.

Benedicite omnes virtutes Domini Domino: laudate &c.

Benedicite ſol & luna Domino: laudate &c.

Benedicite ſtellæ cæli Domino: laudate &c.

Benedicite omnis imber & ros Domino: laudate &c.

Benedicite omnis ſpiritus Dei Domino: laudate &c.

Benedicite ignis & æſtus Domino: laudate &c.

Benedicite frigus & æſtus Domino: laudate &c.

Benedicite rores & pruina Domino: laudate &c.

Benedicite gelu & frigus Domino: laudate &c.

Benedicite glacies & niues Domino: laudate &c.

Benedicite noctes & dies Domino: laudate &c.

Benedicite lux & tenebræ Domino: laudate &c.

Benedicite fulgura & nubes Domino: laudate &c.

Benedicite terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

Benedicite montes & colles Domino: laudate &c.

Benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino: laudate &c.

Benedicite fontes Domino: laudate &c.

Benedicite maria & flumina Domino: laudate &c.

Benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis Domino: laudate &c.

Benedicite omnes volucres cœli Domino: laudate &c.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino: laudate &c.

Benedicite filij hominum Domino: laudate &c.

Benedicat Iſrael Dominum: laudet, & ſuperexaltet eum in ſecula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: laudate &c.

Benedicite ſerui Domini Domino: laudate &c.

Benedicite ſpiritus, & animæ iuſtorum Domino: laudate &c.

Benedicite ſancti, & humiles corde Domino: laudate &c.

Benedic anima mea cum Anania Azaria & Miſael Dominum, lauda & ſuperexalta eum in ſæcula pro cunctis beneficijs quæ ab illo recepiſti.

Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula.

OBLATIO.

GRatiarum actionem ſequitur Oblatio & ſui-ipſius reſignatio. Etenim poſt cognitam & perſpectam diuinorum donorum excellentiam & magnitudinem: ſtatim in anima ſurgit affectus ille ſiue deſiderium quo Propheta incenſus erat, cum diceret: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Cui deſiderio aliqua ex parte poſſumus reſpondere, Deo offerendo cuncta quæ poſſumus & habemus, (quamuis omnia ipſius ſint,) vt hac ratione *redeant aquæ ad locum vnde exiuerũt, vt iterum fluant*: Itaque tria ei offeremus. Primo bona omnia quæ ipſo bene iuuante agimus: & mala quę patimur: & quæcunque acturi & paſſuri ſumus: omnia etiam dicta, facta, cogitationes, voluptates, & moleſtias, labores & quietem, otia & negotia noſtra, ipſas etiam actiones quæ ad vitæ neceſſariam ſuſtentationem pertinent, (vti ſunt manducare, bibere, dormire) quandoquidem omnia hæc Apoſtolus Paulus, à nobis ad gloriam Dei fieri vult. *Vt ſic ſtellæ cum iucunditate luceant ei qui fecit illas.* Baruch. 3.

Offerre debemus Deo noſtra.

1. Cor. 10.

Et quamuis eo tempore cum iſtas actiones ageremus, illas reipſa ad Dei honorem referre neglexerimus, hic tamen illas ei offerre atque ad illius gloriam dirigere debebimus. Secundo offeremus ei nõ modò noſtra, ſed etiam noſmetipſos: quæ oblatio priori longè nobilior & præſtantior eſt. Maius enim eſt arborem cum fructibus alicui offerre vt deinceps non alteri ſed ei cui data eſt fructus ferat: quam arboris tantummodo fructum alicui donare. Offerat itaque homo ſemetipſum Deo, atque in perpetuum mancipium tradat ſe creatori ſuo, à quo inæſtimabili pretio ſanguinis emptus fuit. Quare ſicuti mancipium non habet vltra poteſtatem faciendi quæ ſuæ, ſed quæ Domini voluntatis fuerint: ita ipſe totum ſe Domino conſecret, vt amplius nulla in re magna & parua, bona vel mala ſuam voluntatem ſequatur, ſed id quod diuinæ voluntati placitum eſſe cognouerit. Adhæc quemadmodum ſeruus non ſibi ſed Domino non laborat & lucratur: ita etiam ipſe vltra nihil ſua cauſa toleret, nihil ſibi quærat, in nulla re commodum ſuum vel vtilitatem ſpectet, ſed ſolum honorem, gloriam & beneplacitum Domini ſui, ſibi propoſitam habeat. Præterea quemadmodum de mancipio Dominus facit quod vult, vendit, oppignorat, cædit: ſic etiam ipſe totum ſe in manus Domini reſignet & offerat, vt de ſe faciat quicquid ipſi placitum fuerit in tempore, & æternitate. Siue ſe viuum eſſe velit, ſiue mortuũ: diuitem ſeu pauperem: ſanum ſiue infirmum: honoratum ſiue deſpectum, ad omnia ſe paratum exhibeat, & in beneplacitum ſanctiſsimæ voluntatis ſuæ reſignet. Hæc oblatio maximorum ſacrificiorum quæ Deo offerre poſſumus præcipuum eſt; ſi toto corde ac vera & profunda cum animi humilitate illa ei offeratur.

Quemadmodum noſmetipſos Deo tradere debeamus.

Sed quia omnia quæ hactenus obtulimus nihil ſunt in comparatione illius quod Deus meretur: offeremus ei tertiò aliam inæſtimabilis pretij ac Deo maximopere gratam oblationem: nimirum, Vitam, mortem, labores, ac merita Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: cum ipſe ſit iuſtitia noſtra: theſaurus noſter: Dominatio noſtra: hæreditas noſtra: & omne bonum noſtrum. Accedamus itaque (vt Paulus monet) cum fiducia ad thronum gratiæ ipſius, & præſentemus Patri piam hanc oblationem, adnumerando ei omnia merita & labores vnigeniti filij, à præſepio ad crucem vſque, non tanquam aliena bona, ſed tanquam hæreditatem & patrimonium noſtrum.

Offerre debemus Deo merita filij.

Hcb. 4.

Methodus

Methodus oblationem instituendi.

MEminisse debemus vti supra dictum est, optimum esse sermones suos ad Deum dirigere, quapropter oblationem hanc commodè sic instituemus.

Psalm. 115. *Quid tibi* ô Domine *retribuam pro omnibus quæ retribuisti mihi?* Quid habeo quod tibi pro cunctis donis & beneficijs in me collatis possim rependere? Omnia quæcunq; in me sunt, tua sunt, & à tua munificentia profecta: quapropter hæc omnia tibi reddo. Offero tibi Domine primum omnes huius diei & totius vitę actiones, omnes etiam aduersitates quas patior & passurus sum: cibi, potus ac somni cęterorumque ad vitæ sustentationem necessariorum vsum, locutionem ac silentiũ, vt omnia hæc ad sempiternam laudem & gloriam tuam dirigantur.

Neque mea tantum tibi offero, sed etiam memetipsum in mancipium perpetuum, vt amplius non meam sed tuam voluntatem faciam, nec meam vlla in re vtilitatem, commodum, aut delectationem quæram, sed tuam solam gloriam ac tuæ sanctissimæ voluntatis beneplacitum. Et quemadmodum de mancipio Dominus facit quod vult, ita ego etiam ad pedes tuos prostratus me totum sanctissimis manibus tuis trado, vt de me in præsenti & futura vita facias, sicut tibi placet, siue me viuere siue mori, siue diuitem siue pauperem, &c. esse velis. Cumque hæc omnia si cum tuis meritis aut debito meo conferãtur, perexigua aut nulla sint: offero tibi pretiosissimam quæ in cælis vel in terris tibi offerri possit oblationem, videlicet vitam, mortem, sanguinem, ærumnas, virtutes, ac merita vnigeniti filij, quæ quãuis illius propria fuerint, quoad passionem, magis tamen mea quàm illius sunt quoad vsum fructum & satisfactionem. Offero inquam tibi lacrymas natiuitatis eius: præsepis duritiem, stabuli paupertatem, sanguinem in illius circumcisione profusum, exilium & fugam in Ægyptum, Baptismi humilitatem, tentationem in deserto, itinera & profectiones propter Euangelij dissem inationem susceptas, vigilias noctium, hominum contradictiones, inimicorũ calumnias & conuicia, passionis acerbissimos dolores, flagella, coronam spineam, opprobria, irrisiones, clauos, fel, acetum, lanceam, sepulturam & crucem.

Offero tibi omnes virtutes quæ potissimum in sanctissima vita illius emicuerunt, quibus te maximoperè honoratuit, ac tibi placitus fuit: ingentem videlicet honoris tui zelum, ardens gloriæ tuæ propagandę desiderium: obedientiam vsque ad mortem perfectissimam, insignem erga te fidelitatem charitatem erga nos effusissimam, humilitatem profundissimam, patientiam inexpugnabilem, silentium & mansuetudinem in accusationibus & iniurijs incredibilem, nuditatem & paupertatem extremam, omnesque alias sanctissimæ vitæ ac passionis illius virtutes. Nam hę sunt flores venustissimi, incensum suauissimum, & sacrificium gratissimum super alia omnia quæ tuo diuino conspectui offerri possunt. Benedictio & laus tibi sit, qui tale ius & hæreditatem nobis contulisti, talemque oblationem nobis largitus es, quam tibi possemus offerre in odorem suauitatis.

Documentum notabile circa petitionem, quæ est vltima pars huius exercitij.

Oratio firma spe roborata est. Marc. 11. VNa ex præcipuis conditionibus quibus petitio nostra constare debet est fiducia in Deo, secundùm illam sententiam Saluatoris: *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis & euenient vobis.* Hãc etiam conditionem exigit à nobis S. Iacobus Apostolus cum ait: *Postulet autem in fide nihil hæsitans, qui aliter fecerit, non existimet quod aliquid accipiet à Domino.*

Iacob 1.

At dicet forsitan aliquis: Quomodo hanc fiduciã habere poterit qui nec minimum Deo præstitit obsequium? Cui respondemus, fiduciam hanc super tam fragili fundamento, vti sunt hominum merita, innitinon debere, sed super alio firmiori & stabiliori, quod sunt partim Christi merita, partim bonitas & misericordia Dei. Hac fiducia præditus erat Propheta Daniel cum Deum sic precaretur: *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciẽ tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Quanta autẽ sit misericordia & bonitas Dei, cognosci potest ex immensitate diuinæ substantię. *Secundùm enim magnitudinem ipsius*, ait Sapiens, *sic & misericordia eius.* Vt enim ille infinitè magnus est, sic etiam infinitè misericors est, & quemadmodum ille infinitas habet diuitias distribuendas, sic & infinitam habet distribuendi liberalitatem. Alioquin enim magna esset imperfectio, & dissonantia in diuina illa substantia, si haberet infinita bona danda, & non haberet infinitum animum & dandi beneuolentiam. Porrò licet omnes diuinæ perfectiones sint in eo vnũ quid, & inter se æquales, negari tamen non potest, quin in operibus misericordiæ sit ditissimus & copiosissimus. Esto, fecerit multa & magna opera ad ostendendam magnitudinem aliarum virtutum & perfectionum; multò tamen plura & illustriora fecit ad commonstrãdam suam bonitatem & misericordiam. Etenim vt ostenderet magnitudinem suæ potentiæ & sapientiæ, mundum creauit; ad magnitudinem sui rigoris & iustitiæ, mundum vniuersum diluuio perdidit: sed ad declarandam magnitudinẽ suę misericordiæ, mori voluit, & pro amore suo pretiosissimum sanguinem fundere. Hem quanto maius opus existimas Deum mori, quàm hominẽ? quãtò magis arduum est Deum pro mundo pati, quàm mundum creare? Idcirco in illa admirabili visione, in qua Moyses vidit gloriam Domini, inter maximas perfectiones & raritates, quæ illic apparuerunt, ea fuit quam sentiens vociferabatur, dicens: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atq; peccata, nullusq; apud te per se innocens est.*

Fiducia fundamentum primum Dei bonitas.

Dan 9.

Eccl. 2.

Exod. 34.

De hac simile testimonium adfert Propheta Ioël cum ait: *Conuertimini ad Dominum DEUM vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ & præstabilis super malitia.* Hanc etiam ob causam cantat Ecclesia: Deus cui propriũ est misereri semper & parcere. Nõ quia reliquæ virtutes & perfectiones illi propriæ non sint, sed quia hoc est opus bonitatis & misericordiæ, quã ille maximo habet in pretio: & vnde potissimũ vult laudari. Quemadmodum laudat eum Michæas Propheta cum ait: *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet vltra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Reuertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.*

Ioel. 2.

Mich. 7.

Quare mi frater, quotiescunque Dominum hunc accessurus es ad remissionem peccatorum & misericordiam flagitandam, noli desperare, noli animũ despondere, noli arbitrari te importunum esse, aut quod postules aliquid, quod aut cum honore Dei pugnet, aut quod præter illius naturam vel consuetudinem sit: sed potius existima, te oblaturum illi materiam laudis, & occasionem faciendi rem commendabilem, gloriosam, & naturæ illius per omnia conuenientem. Quemadmodum enim naturale est Soli illuminare, & igni ardere, & niui esse frigidam,

sic, imò multò magis, naturale est infinitæ illi bonitati, omnibus creaturis suis benefacere, eò quod hæ proprietates creaturis accidentaliter tantum conueniant, DEO autem essentialiter, cùm ipse sit essentialiter ipsa bonitas. Secundùm huius fiduciæ fundamentum sunt merita Christi saluatoris, Redemptoris & Aduocati nostri, cuius iustitia, cuius sanctitas nostra est, cuius labores, sudores, vigiliæ ac lacrymæ thesauri nostri sunt. Etenim non minus nostra est iustitia secundi Adami, quam culpa primi: nec minus participamus de huius innocentia & sanctitate pro nostra saluatione, quã de alterius culpa & inobedientia pro nostri damnatione. Itaque si Iacob benedictionem quæ illi non debebatur, consequi potuit, quia vestitus erat vestibus primogeniti cui illa iure debebatur, certè nos multò facilius gratiæ benedictionem obtinebimus, etiamsi nobis non debeatur, si vestiti fuerimus vestimentis iustitiæ vnigeniti filij Dei, cui illa summo iure debetur. Hoc itaque ius prætendendo, hanc satisfactionem offerendo, atque hæc merita præsentando, eodem præsertim Domino nostro Iesu Christo pro nobis aduocatum agente: quem timebimus? *Deus est qui iustificat quæ est qui condemnet?* DEVS nostrum agit patrocinium: *quis accusabit aduersus electos Dei?* Hic enim est ille cui *omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Hic est templum viuum veri Salomonis, & altare, in quo quæcunque preces offeruntur, gratæ sunt Deo, vt ipse testatur apud Prophetam dicens: *Holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo.* Quod altare profectò non est aliud, quàm sacratissima Christi humanitas. Hæc erat causa cur Deus tanto quodam zelo voluit vnum tantùm esse altare sacrificiorum in Israel, imò in vniuerso mundo: vt significaret vnum esse solum summum sacrificium, vnum summum altare, vnum summum Sacerdotem, in quo altari, & per quem Sacerdotem omnia nostra sacrificia illi essent accepta, qui Christus ipse est.

Gen. 27.

Rom. 8.

Actor. 10.

Actor. 4.

Altare Dei quod.

Esa. 56.

Vt autem melius intelligas, quàm ingens sit ille thesaurus, lærerisque & scias Deo debitam reddere gratiarum actionem, proferam exemplum, quod non minimam lucem, & cognitionem huius thesauri tibi dabit. Non multos ante dies homo quidam probus volens beneficium aliquod à Principe quodam petere, scripsit libellum supplicem, in quo enumerauit ordine cuncta obsequia, singularia quædam beneficia, & diuersis temporibus atque locis à patre suo, eiusdem Principis iussu & imperio gesta: quæ cùm commemorasset, atque verbis disertis amplificasset hæc merita, petijt magna cum instantia præmium, & remunerationem illorum, non aliter atque si propria fuissent. Similis huic nostra quoque causa est, & idem modus agendi noster est cum Deo, quem & seruare debemus. Omnes enim qui in statu gratiæ sunt, filij Christi sunt adoptiui, & ille noster pater est, sicut & Esaias illum vocat, ille est noster secundus Adam, vt ab Apostolo nuncupatur: per consequens igitur nos illius sumus hæredes legitimi, non ab intestato, sed per testamentum, quod die Iouis in vltima cœna sua condidit, & confirmauit, non sanguine hircorum, sed suo proprio, quem effusurum se ait pro nobis, atque ita hæredes nos constituit. Magnum itaque ius habemus postulandi mercedem laborum & dolorum eius: idque summa cum auctoritate atque fiducia. Omne enim id, quod ille in hoc mundo sustinuit, & passus est, omnia vestigia illius, omnes vias duras quas ambulauit, non pro se, sed pro nobis fecit, sustinuit, & ambulauit: pro nobis incarnatus est, & pro nobis natus, pro nobis laborauit, ieiunauit, sudauit, prædicauit, famem & sitim sustinuit, pro nobis denique mortuus est, omnium autem horum nos per testamentum suum hæredes instituit, horum enim nihil ipse egebat, vt solueret, quod debebat, (cum ipse fuerit semper innocentissimus) neque ijs opus erat illi, vt gratiam & gloriam consequeretur, ipse enim Deus erat. Hæc sunt mi frater, primaria spei Christianæ fundamenta: præter verborum Dei veritatem, in quibus auxilium & subsidium suum promisit omnibus ad se confugientibus & humiliter expectantibus, quemadmodum vniuersa testatur Scriptura. Eadem etiam sunt fundamenta, quibus fiducia nostra, qua cum preces ad Deum fundere necesse est, initi debet.

Quam ingens sit thesaurus meritorum Christi.

Esai. 63, 16. 1. Cor. 15.

Heb. 9, 12.

Matt. 26. 28.

Petitio.

OBlatione secundùm eam formam quam paulo ante docuimus peracta, ad gratiarum & donorum cœlestium petitionem gradùm faciemus.

Itaque primo proximis nostris auxilium & opem omnium necessitatum suarum siue corporalium siue spiritualium à DEO postulabimus, cùm hoc numeretur inter primaria misericordiæ opera.

Pro quibus orandum

Precabimur itaque Deum cum inflammata charitate, ac ardentissimo diuini honoris zelo, vt omnes populos ac nationes sui notitia illustret: vt se cognoscant, laudent & adorent, tanquam vnicum & verum Dominum suum, dicemusque ex intimo cordis cum Propheta Dauide. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.*

Psal. 66.

Deinde orabimus Deum pro Prælatis Ecclesiæ: pro summo Pontifice, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Prælatis, vt Dominus illos ita regat, atque splendore gratiæ suæ illuminet, vt omnes homines ad cognitionem & obedientiam Conditoris sui adducere valeant. Rogabimus etiam Deum pro Regibus ac Principibus (vti S. Paulus Apostolus monet) atque omnibus in dignitate constitutis, vt eorum diligenti solicitudine ac prouidentia, subditi vitam viuant quietam & tranquillam. *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire.*

1. Tim. 2, 3. Ibid. v. 3.

Tum precabimur Deum pro membris omnibus corporis sui mystici: pro iustis vt illos in iustitia & sanctitate conseruet, pro peccatoribus vt eos à vitæ prauitate ad morum correctionem reuocet: pro defunctis vt eos ab expiatorijs inferni cruciatibus, in quibus detinentur, clementer eximat: & ad æternæ vitæ requiem transferat.

Orabimus adhæc Deum pro pauperibus, infirmis, captiuis, in seruitutem abductis, & in quacunque alia tribulatione existentibus, vt propter merita vnigeniti filij sui, singulis prout expedire nouit, opem ferre, atque illos à malis eripere dignetur. Posteaquam ea quæ ad proximorum salutem spectant postulauerimus, tũ demum ad ea quibus nos opus habemus, petendat, ransitum faciemus.

Quæ autem petere debemus, vnumquemque sua necessitas (dummodo seipsum non prorsus ignorauerit) docebit.

Verùm vt incipientibus methodum aliquam subministremus, illosque in hanc semitam quasi manuducamus: petitionum ordo hic esse potest.

Primo deprecabimur Deũ vt per merita & dolores vnigeniti filij sui, omnium peccatorũ nobis indulgẽtiam

gentiam gratiamque illa fugiendi, & dignis pœnitentiæ operibus expiandi tribuat. Specialiter verò auxilium & opem aduersus eas inclinationes & vitia ad quæ maximè propèsi sumus implorabimus: adeoque cælesti medico cuncta animarum nostrarũ vulnera detegemus, vt ipse curationem faciat atque gratiæ suæ oleo illa perungat.

Deinde petemus nobilissimas virtutes illas, quibus tota Christiani hominis perfectio continetur, quæ sunt: fides, spes, charitas, timor, humilitas, patientia, obedientia, fortitudo in rebus aduersis, mundi contemptus, vera discretio, puritas intentionis, atque aliæ his similes, quæ supremum spiritualis ædificij fastigium obtinent. Fides enim est prima radix Christiani hominis. Spes est baculus & remediũ contra omnes mundi huius aduersitates. Charitas totius perfectionis finis. Timor DEI est veræ sapientiæ principium. Humilitas est virtutum omnium basis & fundamentum. Patientia est fortis armatura contra hostium machinationes. Obedientia est acceptissima DEO oblatio, qua homo seipsum ei offert in sacrificium. Discretio est oculus animæ quo illa cernit, & diætas suas conficit. Fortitudo est brachium animæ, quo cuncta opera sua peragit. Puritas intentionis est, quæ omnia ad Deum dirigit.

Posthæc postulabimus è cæteris virtutibus præcipuas, quæ adiumento nobis esse possint ad maiorũ custodiam. Vti sunt Sobrietas in cibo & potu: Moderatio linguæ: Custodia sensuum: modestia, & cõpositio exterioris hominis: Suauitas boni exempli erga proximos: Rigor & seueritas in seipsum, atque aliæ similes.

Terminandus erit demum hic petitionis actus, cum amoris diuini feruida imploratione, atque in eius petitione aliquamdiu immorandum, ita vt maxima temporis pars in huius doni cum intimis affectibus & desiderijs postulatione, consumatur: quandoquidem in diuino amore omne bonum nostrum consistit.

(o)

PARS TERTIA.

CONSIDERATIONES DE VITA Christi complectens.

ABsoluta priori exercitatione de diuinis beneficijs, altera nunc sequitur de vita Christi, quæ suauior atque vtilior est quibusuis alijs exercitationibus, amplioremque meditationi materiam subministrat, necnon hominum generi, humilibus & sublimibus, perfectis & imperfectis cõgruit. Quã exercitationem fusè lateque tractauimus in Secunda parte Memorialis vitæ Christianæ. Illa verò cùm longior sit, atque si huc transferretur, maximam huius libelli partem impleret: alteram hic breuiorem adiungere decreui, cuius Seraphinus Firmanus auctor est, quæ totam Christi vitam summatim perstringens, memoriam etiam plurimum iuuabit, efficietque vt faciliori negotio edisci possit. Qui verò longiorem illius tractationem requiret, locum ante citatum adeat, vbi cuncta vberius fusiusque explicata reperiet.

Notandum hic est, exercitationem hanc eisdem partibus constare debere, quibus præcedentem: aut certè præcipuis. Nam opus est vt ante meditationẽ præcedat præparatio. Ea verò absoluta cõmodè sequi possunt cæteræ partes: puta, gratiarum actio, oblatio suijpsius & meditationis: rerum necessariarum petitio: vt sic vberior adsit materia meditandi, mensque rerum diuersitate ad deuotionem ac feruorem acrius excitetur. Etenim non raro euenit, vt quod in vno consequi nequiuit, in altero facili negotio adipiscatur.

Notandum præterea non vnica exercitatione vniuersam Christi vitam in meditationem assumendam, sed in multas partes distribuendam esse, quarũ duæ, vel tres singulis meditationibus assignentur, aut vnica duntaxat, si toto meditationis tempore sufficientem in ea considerationis materiam reperiat: non enim quantum meditatus fueris, sed qua cum deuotione ac feruore meditationem institueris, refert.

Hac verò methodo postea quam tota Christi vita in meditatione decursa fuerit, ad principium eiusdẽ exercitij redeundum erit: cùm Spiritus sanctus nouis semper gratiarum donis, in huius exercitationis perseueranti vsu, mentem meditantis perfundat, & cumulet. Cæterum his exercitationibus meditans non ita pertinaciter inhærebit, vt si in meditando aliud quidpiam suauius vtiliusve animo eius se ostenderit, id statim reijciat, imò potius, alijs omissis amplectatur. Cùm enim omnium harum exercitationum finis sit deuotio: vtique in quo maius rerum diuinarum experimentum capimus, sincerioremque deuotionem haurimus, cæteris præferendum videtur. Hæc paucis præfati, aggredimur nunc vniuersam Christi vitam strictim summatimque tradere, eadem ratione ac methodo quã eam prædictus auctor scriptam reliquit.

VITA CHRISTI.

CVm creaturæ quas mundus ambitu suo complectitur, eo fine conditæ sint, vt in illis animus noster Creatorem suum contemplaretur, cumque eundem finem cætera omnia respiciant, hinc est quod innumerabiles penè sint materiæ circa quas in nostris meditationibus versari possumus. Cæterum, cùm circa singulas earum contemplandas occupari vitæ humanæ breuitas minime patiatur; illæ potissimum seligendæ sunt, quæ nos minori negotio ad diuinum amorem possint prouehere, sine quo aliæ cogitationes inanissimæ sunt.

Quod Philosophis euenisse cernimus, qui quantò in humanis scientijs clariores & calentiores extiterunt, tanto magis in suis cogitationibus euanuerũt, ac longius à Deo recesserunt. Itaque mi frater, si in vno libello totam perfectionem inuenire desideras, vnigenitum Dei filium humana carne vestitum pro libro accipe, & sæpius contemplare, atque in eius rebus gestis considerandis, totum tuum studium atque operam impende.

Est etenim verus liber vitæ, scriptus intus & foris, viuumque exemplar vniuscuiusque veram sapientiam perdiscere cupientis. Cæterum cum ars ac methodus hunc librum euoluendi à multis sapientiæ & sanctitatis laude præstantibus viris scriptis

mandata sit, mei tantummodo propositi est ea, quæ ab illis fusè lateque tradita sunt, & omnia vix colligi queunt, paucis solijs comprehendere: monens interim quemlibet pijs contemplatiuæ vitæ exercitationibus addictum, vt omni cum industria in spatiosissimo harum considerationum campo se exerceat. Quos autem fructus & commoda inde relaturus sit, nulla facilè oratio explicare potest.

Incarnatio Dominica.

IN huius mysterij contemplatione primum eriges mentem ad considerandum sublimitatem diuini consilij quod de salute nostra ceperat: quâ incarnatione vnigeniti filij sui constituere volebat. Vbi offeret se menti tuæ immensum bonitatis, & misericordiæ, & amoris diuini pelagus.

Luc.1. Deinde imaginaberis tibi, quomodo Deus vnum ex præcipuis Angelis ad B. Virginem salutandam amandauerit: cuius pulchritudinem, humilitatem & innocentiam hic vehementer admiraberis.

Demum quomodo B. Virgo Maria de diuina voluntate per Angelum certior facta, legationi eius assenserit, atque extemplo Dei Mater Spiritus sancti operatione effecta sit.

In quo mysterio multæ se gaudij causæ offerunt, tum ob angelorum exultationem, tum propter hominum redemptionem, pro qua sanctissimum filium & matrem eius ex toto corde glorificabis & benedices.

Visitatio B. Virginis.

Luc. 1. POsthæc meditaberis quomodo B. Virgo Deo grauida cognatam suam Elizabetham ante sterilem, tum verò diuino beneficio fœcundatam inuiserit, de quarum mutuis amplexibus, non modo Matres, sed etiam filij necdum nati insolito gaudio intra materna viscera exultarunt: Vbi se menti tuæ offeret S. Ioannis Baptistæ natiuitas, opusque stupendum in ea Dei virtute editum, dum patris muti lingua soluitur, atque in diuinas laudes erumpit, canticumque prophetiæ ac diuinæ laudis plenũ cecinit, quo facto tota vicinia gaudio & admiratione repleta fuit.

Manifestatio puritatis B. Virginis.

Matt. 1. INde considerabis B. Virginis ad paternas ædes reditum, doloresque quos hausit ex sponsi sui occultis suspicionibus, quibus eam relinquere meditabatur, quoadusque Angelica monitione de tota re certior factus est. Vbi expendes B. Virginis insignem patientiam & modestiam, quæ ausa non fuit innocentiam suam sponso aperire, Deo totius rei euentum quotidie feruentibus precibus commendans. Quapropter diuinum de puritate sua testimonium consequi meruit.

Christi Natiuitas.

Luc. 2. TVm contemplare quomodo vrgente summi Imperatoris iussione B. Virgo cum sponso Bethlehemum profecta sit. Vbi cum tempus virginei partus adesset, ob inopiam diuersorij, ad stabulum secedere coacta fuit. In quo vnigenitus summi Dei filius natus præsepium pro mollibus cunis habuit. Hic plurima occurrent quæ mentem tuam deuotionis adipe repleant. Puta consideratio ærumnarum ac molestiarum quas hoc in loco, brumali præsertim tempore, Dei filius sustinuit, & piæ Matris intima compassio, Angelorum lætitia: Pastorum aduentus, Lux insolita, vniuersam illam viciniam media nocte illuminans, & alia non pauca, quæ hic prout diuinus Spiritus suggesserit, considerari possunt.

Circumcisio.

Luc. 2. OCtauo post Christi natiuitatem die, aspice pretiosum Christi sanguine, dum iuxta legis præscriptũ circumcideretur, effusum non vt suis, sed vt nostris vulneribus curationẽ faceret. Ex qua contemplatione non modò ad pium commiserationis affectum permoueberis, pias piæ Matris lacrymas, innoxio Christi sanguini permiscendo, sed etiam eodem liquore cor tuum perfundendo igneas carnis flammas restingues, ac pretiosam castitatis margaritam conseruabis.

Præsentatio Domini in templum.

NOn minus pretiosum tibi sit mysterium Præsentationis, quando S. Senex Simeon Christum qui templo inferebatur, amplexatus Luc.2. est, vlnisque aliquamdiu gestauit, qui nobilissimo & maximo thesaurorum omnium, quos mundus habet, conspecto, desiderijque sui quo dudum arserat, impletione percepta petijt à Deo vt nunc seruũ suũ dimitteret in pace. Quantũ verò voluptatis sanctus hic senex ex Domini conspectu perceperat, tantum sermonibus suis mœroris & angustiarum B. Virgini attulit, quando animam ipsius doloris gladium pertransituram esse prædixit, occulta Dei iudicia manifestauit, ipsumque puerum in ruinam & resurrectionem multorum positum esse affirmauit.

Magorum adoratio.

COnsidera hic Magorum stella ductrice, ad recens nati pueri cunabula perductorum, exi- Matt.2. miam fidem, qua excitati, pauperculum infantem, præsepi cunarum loco vtentem, nec vllain se diuinitatis indicia monstrantem, proni in terram adorauerunt: contra etiam Herodis malitiam intuere, cuius sæuitiam B. Virgo fuga cum filio & sponso inita, declinans, manifestè declarat, partim hominum feralem immanitatem, partim inauditam Dei patientiam. Tu vero hic molestum ac graue ne puta, sanctæ huic sodalitati, à patria sede tua causa, quo te ad patriam cœlestem à qua proscriptus eras, reducerent, exulanti, & peregrinas regiones adeunti, te comitem adiungere, fidelemque illis operam & societatem polliceri: neque enim minus mereberis pijs meditationibus illos affectando, quam si corporalem ipsis societatem præbuisses.

Quid autem in Ægypto egerint, quamuis sacræ literæ minimè doceant, tu tamen de illic gestis, præsertim circa Christi infantiam, plurimas considerationes, quibus te ad deuotionem excites formare poteris.

Redeuntibus tandem illis in patriam, finge animo te cum ipsis redire, & aliquando illis in itinere laborantibus auxilio esto, nonnunquam cum B. Virgine ac dulcissimo filio eius ac Iosepho sponso patre putatitio, suaues sermones misce, quandoque puerilibus illecebris gratiosissimo huic infanti adblandire: Roga præterea eos vt te in famulum sempiternum, atque in curam actutelam suam susscipere dignentur. In his colloquijs cor tuum colliquescet, atque ex societate radiantissimi iustitiæ solis, fieri non poterit, quin lumine cœlesti collustreris, & in amore Dei concalescas.

Inuentio Christi in templo.

CVm puer hic duodecimum ageret annum, B. Virgo ab Hierosolyma domum reuertens in Luc.2. itinere illum perdidit, quem post anxiam & diligentem integri tridui requisitionem in templo medium inter doctores assidentem, reperit. Hic B. Virgini & S. Iosepho Christum quærentibus comitẽ te iunge, cum illis dilectum solicitè quære, de absentia illius

illius ingemisce: namque asserere audeo, si eum perseueranter quæsieris, ipsum tibi collaturum quendam spiritualem & tibi hactenus inexpertum suæ sapientiæ gustum, cuius splendor omnem curiosam præsentis sæculi disciplinam te fastidire faciet.

Ab hoc tempore vsque ad prædicationem eius plures anni euoluti sunt, quibus quid egerit, sacris literis non continetur: attamen ipsum inerti otio deditum fuisse putandum non est, sed potius in tuæ salutis negotijs tractandis occupatum fuisse. Quis enim cogitare sufficiat, quoties in oratione constitutus diei noctem totam iunxerit, atque in precibus transegerit? Quis explicet quos dolores, quas angustias, quæ tormenta, ex passionis quam subiturus erat, quæque semper ante oculos eius obuersabatur, frequenti ceperit prægcogitationi? Quis comprehendere valeat, quam frequenter ex tuorum scelerum præuisione, ingentem dolorem hauserit, non secus ac Mater filium suum in conspectu suo emori conspiciens: quia quanto erat innocentior, tanto maiori ex hominum sceleribus dolore afficiebatur: & quanto perfectius vniuersos homines & Angelos in vera charitate contemplabatur, tanto acerbiora desiderabat sustinere tormenta: quanto denique magis voluntaria erat eius passio, tanto immaniorem eam esse voluit quo immensam pietatem suam erga nos euidentius demonstraret.

De ieiunio & tentationibus.

Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. IAm vero cum manifestandus esset mundo, primum deserta loca incoluit. Vbi multa se considerauda offerunt: quibus te ita præsentem exhibebis, ac si coram te gererentur. Considerabis itaque abscessum Christi à matre, ac secessum illius ad solitudinem, solitariam eius in vasta & obscura eremo conuersationem, ieiunium continuum quadraginta dierum ac totidem noctium, preces & lachrymas quas pro peccatis tuis fundebat, in quorum expiationem ac satisfactionem pretiosum sanguinem suum & omnia quæ passurus erat sæpenumero Patri offerebat. Tentationes quas à dæmone plurimas sustinuit, gloriosum ipsius de humani generis hoste triumphum, Angelorum post diuturna certamina ministerium: Tu etiam si ritè ærumnis illius compassus fueris, per ipsum & cum ipso Victor in tentationibus euades, ac beatissimorum spirituum qui ei seruierunt, familiaritate recreaberis.

De Baptismo.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. VEruntamen non negliges hic considerare, quomodo antequam ad loca deserta se conferret à S. Ioanne Baptista in Iordane Baptizatus fuerit, non vt suas maculas, quas nullas habebat, ablueret, sed vt aquis virtutem nostrarum animarum sordes & impuritates mundandi conferret.

In cuius mysterij consideratione, insignia aliquot diuinitatis testimonia se tibi ostendent: nimirum Patris vox de cœlo delapsa, qua illum filium suum dilectum esse contestatus est. Spiritus sancti in columbæ specie apparitio, qui supra caput eius resedit.

Ioan. 1. Et denique sanctus Ioannes, qui testimonium de illo perhibuit, ipsum esse agnum Dei tollentem peccata mundi. Ex quibus exemplum capies humilitatis, spem veniæ, amorem pœnitentiæ, & propositum adorandi ac reuerendi Deum, qui tua causa ad humanæ conditionis humilitatem deiecit.

De Prædicatione.

COnsiderabis etiam, quomodo dæmonem huius mundi Principem, qui genus humanum ad id vsque tempus tyrannico dominatu oppressum tenuerat, eiecturus atque eliminaturus, nō viros sapientiæ opinione insignes, non opum, aut potentiæ magnitudine præsidentes elegerit, sed infimæ conditionis homines, piscatu ferè victum quærentes: cum his cunctas Iudææ regiones peragrans, cœlestem doctrinam disseminabat, sermonesque suos miraculis ingentibus roborabat. In hoc mysterio vberem meditandi materiam reperies. Puta: Considerando immensam erga te charitatem, qua stimulatus, nullis parcebat laboribus, sudoribus, & cruciatibus: qui tanto acerbiores fuerunt, quanto maiores ab hominibus (pro quorum salute talia sustinebat:) contradictiones, iniurias, contumelias, & tormenta, mortem denique ignominiosissimam pertulit. Vbi si attente cum animo tuo perpenderis, quam eximiæ ac præcellentis ac maiestatis sit amator tuus, quāq; fideliter te diligat: & è contrario tuam ingratitudinem, qua tanto amatori nullam amoris vicissitudinem rependisti aspicias, fieri non potest, quin maximo stupore atque admiratione replearis. Matth. 4.

De Christi miraculis.

COntemplando demum miracula, quæ edidit: confiteberis in eo diuinam virtutem, quandoquidem omnes creaturæ illi ad nutum obediebant. Cæterum in eorum consideratione rogabis Dominum, vt eadem miracula spiritualiter in anima tua perficere dignetur. Itaque in cæci nati illuminatione, præsentabis ei cæcitatem animæ tuæ, vt illam densa in rebus diuinis caligine laborantem, vera luce cœlesti collustrare velit, vt teipsum & creatorem tuum agnoscere possis. In Paralytici curatione, Spirituali paralysi tuæ medelam flagitabis. In dæmoniacorum abimmundis spiritibus liberatione, petes vt animam tuam à furiosis hostium machinationibus, & tentationibus defendat. Cum Martha precaberis, vt sicuti Lazarum quatriduanum à mortuis ad vitam resuscitauit: sic animam tuam à sepulchro malorum habituum excitare, & ad nouam vitam per morum conuersionem reformare dignetur. Luc. 18. Matth. 9. Matt. 8. Ioan. 11.

Hoc namque pacto orationem quæ corde fit ac maiori cum attentione ac desiderio funditur, quam illa quæ voce fit, perdisces: præsertim cum animæ miseria periculosior sit quam corporis. Et certe potius eligere deberemus, languores & infirmitates gratissimas, Dæmonumque furorem perpeti, quam nos spontanea voluntate peccato constringendos dare: quia nihil est in tota rerum vniuersitate, quod verè malum appellari possit præter peccatum. Sic procedendo ex singulis Christi factis & dictis, viuam doctrinam & securum ad tuam salutem auxilium percipies.

(o)

CHRISTI DOMINI NOSTRI PASSIO ET MORS.

DE SALVATORIS A MATRE DISCESSV.

QVandoquidem ex Dominicę paſsionis, ad quam omnes vires ſuas contulit, ob amorem ingentem quo ſalutem noſtram conſtituere cupiebat, conſideratione, eor humanum efficaciſsimè commouetur: cuius etiam ſi minimam partem ſentire aut experiri poſſet, facilè è profundiſsimis peccatorum labyrinthis, quantislibet etiam ſcelerum vinculis conſtrictus emergeret: idcirco te, mi frater, rogo vt pio cum affectu horum pretioſiſsimorum myſteriorum, quorum quodlibet totius vitæ noſtræ occupatione dignum eſſet, ſæpe memorari velis. Quare potentias animæ tuæ aduoca: illisque præcipe vt (omnibus alijs cogitationibus ſepoſitis) huic vni conſiderationi dent operam, & quaſi corporalibus oculis cunctos eius cruciatus inſpiceres, ſic ſe præſentes exhibeant, ac ſingula Domini geſta & dicta diligenter notent.

Conſidera primo quomodo Chriſtus, flagitioſiſsimum Iudæ contra ſe conſilium non ignorans, matri, quam ſe ipſo chariorem habebat, acerbiſsimo cum animi dolore valedixerit. Hic ſenties cor tuum liquefieri, ſi expendas, quo animo, ac quibus geſtibus facultatem dare potuerit filio, & tali filio, cui alius comparari non poſſet, ad mortem, eandemq; ignominioſiſsimam abeundi. Et quo eum ſenſu patientiſsimus filius eius, ad binas ſe mortes promptũ paratumque obtulerit: vnam ſeparationis animæ à Matre cariſsima, alteram à propria vita.

De vltima Cœna.

Matt. 26. Marc. 14. Luc 22. Ioan. 13.

INde ſe offert cœna quam cum diſcipulis in hoc mortali corpore nouiſsimam habuit: in qua cõſidera, quomodo diſcipulis ſuis de proditione ſua ab aliquo illorum inita eſſe occulta conſilia denunciauerit. Quo ſermone non mediocri turbatione ac ſtupore defixi, inter ſe diſquirebant: quiſnam iſte eſſet. Aſpice deinde S. Petrum conteſtantem atque affirmantem ſe propoſito etiam mortis periculo,

Matt. 26.

Ioan. 13.

nũquam eum derelicturum. Intuere S. Ioannem præ nimio mœrore ſupra pectu Chriſti recubantẽ. Contemplare poſthæc maximè admirandum illud ſpectaculum: Chriſtus à menſa ſurgens depoſitis veſtimentis, linteoque præcinctus, in genua, ad pedes S. Petri primum procumbit, eique inuito etiam pedes lauat, deinde ſingulatim cæteris ordine omnibus.

Ibidem.

Hæc ſi mentis oculis diligenter inſpexeris, ab vno quoque diſcipulorum facilè exemplum aliquod vitæ tuæ rectius inſtituendæ idoneum capies.

Maximè verò cum videris diuinam maieſtatem ad pedes proditoris ſui accidentem, illoſque pedes, qui mox ituri erant ad effundendum ſanguinem innoxium, abluentem. Vbi ſi duritiem Iudæ & Chriſti humilitatem ſimul contuleris, maximam larymarum vim profundes, quibus animæ tuæ ſordes abluas.

Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Adhæc ſi Chriſtum corpus & ſanguinem ſuum in ſpecie panis & vini diſcipulis ſuis diſtribuentem contemplatus fueris, non modicam inde deuotionem hauries, in eo namque charitatis qua in nos flagrabat ardorem, ac poteriæ ſuæ magnitudinem clariſsimis indicijs manifeſtauit. Conſidera in hoc admirabili myſterio ſtupenda quæ in eo eduntur miracula: quomodo his qui dignè illud participant, ſit epulum vitæ, plurima ipſis commoda ſecum ferẽs: illis verò qui in ſceleribus ſuis obſtinati ſunt (vti Iudas) ac tantis ſe myſterijs indignè ingerere audent, cibus mortis, & condemnationis. Auſculta poſthæc mellitiſsimum ſermonem quem menſæ rurſum accumbens ad diſcipulos habuit, quo illos commonefecit, vt dilectioni mutuæ ac patientiæ in aduerſis ante omnia ſtuderent. Aſpice demum quomodo oculos ad cœlum tollens, Patri cœleſti lacrymans oues ſuas, quæ paulo poſt tanquam paſtore deſtitutæ oberraturę erant, commendet ſinguliſque benedictionem impertiatur. Ex quarum rerum conſideratione non modò homines, ſed etiam bruta animantia commouerentur.

Ioan. 13. Ioan. 14. & 16. Ioan. 17.

Oratio & Agonia Chriſti in horto.

NE tranſieris hic ſine diligenti contemplatione Dominum tuum in magnis anguſtijs conſtitutum: Recordare ipſum hæc omnia tua cauſa ſuſtinere. Aſpice vt ad locum vbi ſe ab hoſtibus requirendum ac capiendum eſſe non neſcius erat, proficiſcatur: quò poſteaquam venit plenus inexplicabili mœrore, ad orationis præſidium tertiò confugit: cumque ſe tum à diſcipulis, tum à Patre ſuo derelictum cerneret, cùm eſſes carne infirma, ſpiritu vero fortiſsimo, dolore nimio confectus & oppreſſus in terram corruit, ſanguineumque ſudorem prę cordis anguſtia toto corpore vbertim ſudauit. Conſolare tu Chriſtum, qui ab omnibus deſertus eſt: atque ſi nihil aliud obſequij ei potes impendere, vt minimum adiunge te lateri eius, illumque ab orationis loco ſurgentem affectare, lacrymiſque tuis aliquod ei refrigerium præſta.

Matt. 26. Luc. 22. Marc. 14. Ioan. 18.

De Captiuitate Chriſti.

COntemplare deinde quomodo percepta Patris mente per Angelum de cœlo miſſum, ſpõtanea ſe voluntate vti agnus manſuetus ad immolationem obtulerit, ad mortem videlicet, pro totius humani generis ſalute ſubeundam. Mox ad diſcipulos rediens truculentiſsimos hoſtes ſuos obuiã habuit, quorum vim tantum abfuit vt vllis armis aut diuina virtute repreſſerit, vt etiam diſcipulos ſe defendere ac pro ſe depugnare volentes prohibuerit, quamuis ſine ſua facultate primum eis conceſſa ipſum apprehendere nequiuerint. Qua accepta, ipſum vinculis conſtrictum multiſque iniurijs oneratum, ad iudicium raptarunt. Vbi Chriſti tormenta, diſcipulorum fuga, matris anguſtiæ, ampliſsimam tibi compaſsionis materia ſuppeditabunt. Conſideranda nihilominus tibi relinquo conuitia & probra, ac furioſos impetus abiectorum carnificum & militum in Chriſtum: Phariſæorum & ſcribarum de Chriſto capto gaudium: quorum diligenti rememoratione facilè ſpiritum colliges, omnemque à te diſtractionem repelles.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

De trina Petri negatione.

POſthæc contemplare S. Petrum, qui Magiſtrũ ſuum timore compulſus tertiò negauit, ac eum

Matt. 26.

ſe non

Matth.14. Luc.22. Ioan.18.

se non nosse iuramento etiam attestatus est. Qui post paululum respiciente illum Christo, de suo scelere erubescens peccatum suum amaris fletibus deplorauit. Cui te in pœnitentia socium potes adiungere: ac flagitia quibus Deum offendisti, tibi ad memoriam reducere.

Christi coram iudicibus præsentatio: illius flagellatio & coronatio.

VErbis exprimi nequit, quam fuerit Christo acerba ista nox. Quam si tu attente contempleris, reperies in ea complura, quæ vberes tibi lachrymas ab oculis expriment. Et quidem amplius multò si consideres ea quæ summo mane insequentis diei circa Christum gesta sunt: puta, Alapam quæ impacta ei est in domo Annæ: delationem eius primo coram summo Pontifice Caypha, ac post coram Præside Pilato iniurias quibus eum Herodi regi præsentatum affecerunt: publicam infamiam coram vniuerso populo: diram eius flagellationem: spineam coronationẽ: exhibitionẽ illius coram vniuerso populo, inconditis vocibus & tumultu postulante, vt innocens Agnus morti cõdemnatus in crucem ageretur. Hæc & similia considerando si ad cõpassionem motus non fueris, magna te cordis duritie laborare necesse est.

Matth.26. Marc.14. Luc.22. Ioan.18.

Matt.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.18.

Crucis baiulatio, & Crucifixio.

AT non paulo maiorem cordis tui duritiem esse oportet, si his quæ sequuntur nihil mouearis, nec ad eorum aspectum illachrymeris. Quod enim cor adeo ferreum esse potest: quod non emolliatur, cernens vnigenitum Dei filium, ab hominibus improbis morti adiudicatum, ab armatis cohortibus medium inter duos latrones, crucem grauissima oneratum ad locum supplicij duci? Quis hic commemoret, quam fuerit vultus eius in quem desiderant Angeli prospicere, partim lachrymis & sudore defluente, partim sputis, sanguine & liuoribus deformatus? Quis explicet, quantus fuerit Matris eius dolor, & animi angustia: quando filium inter hæc tormenta conspiciens, nullam ei opem ferre quiuit? Quis comprehendere sufficiat, qui fuerint Christi cruciatus, quando vestibus cunctis spoliatus, pedibus manibusque duro crucis ligno suffixus fuit: quando crux erecta, totiusque corporis moles è tribus tantummodo clauis pependit? Deficiunt hic verba, quin etiam intellectus hæc comprehendere nequit: nec alia ratione melius explicari potuerunt, quam contremiscente terra, lapidibus dissilientibus, & Angelis amarè plorantibus.

Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.18.

De magnitudine dolorum Christi, tum in passione, tum in nece illius.

IN hac meditatione si Christo animitus compati cupis: Expende primum, Christi mortem fuisse singulariter acerbam & horribilem: tum quod eam ab ijs quos ipse cœlestis disciplinæ præceptis imbuerat, & quibus ingentia beneficia per infirmorum curationem aliorumque mirandorum operum editionem præstiterat, ob quæ meritò ab eis obsequia sperare debuerat, perpessus sit: tum quod in ætate florida & vigenti, qua vel maximè mortis memoria horretur: idque tempore solenni, quo festiuitatum ludicarum maxima agebatur, ad quam ingens turba confluxerat, loco etiam publico, & supplicio ignominiosissimo, meritis suis in ludæos minimè pari: præsertim cùm ea esset corporis eius tenerrimi constitutio, vt maiorem dolorem sentiret ex vnius acus punctura, quam alius ex graui verbere.

Augent præterea cruciatuum eius acerbitatem, quod in singulis membris corporis sui specialia tormenta pertulit. Manus & pedes clauis transuerberati sunt: latus lancea confossum: caput spinis coronatum: facies alapis & pugnis cæsa: barba euulsa: guttur siti propè exaruit: totum denique corpus verberibus & flagris attritum & concisum fuit.

Cæterum licet grauissimi corporis dolores fuerint, longè tamen acerbiores fuerunt interiores animæ cruciatus, quorum pauci rationem habent: quo fit vt nemini dubium esse possit, vnum Christum tanta perpessum fuisse, quanta omnes creaturæ simul iunctæ, perpeti vnquam poterant.

Cùm enim omnes charitate anteirer, (vt interim silentio prætereamus dolorem quem ex matris ac discipulorum angustijs hauriebat) id eum vel maximè cruciabat, quod pro multis se frustra passurum præuideret: quibus propter suam ingratitudinem nihil vtilitatis allatura erat passio eius, imo maioris damnationis occasio futura. Qui dolor tanto in eo acerbior erat, quantò clarius cernebat passionem suam abundantissimam, & ad omnium salutem plus quam sufficientissimam esse.

His adiungi potest, quod passio illius non fuerit diuisa, ita vt aliquam partem pro vno aliquo, alteram pro alio pertulerit: sed ita vniuersaliter passus est pro omnibus, vt etiam speciatim pro vnoquoq; illam sustinuerit. *Christus pro omnibus & speciatim pro vnoquoque passus.*

Vnde certissimo credi potest, eum ita pro te solo passum esse, quasi pro alio nullo passus esset. Ex hac consideratione ad peccata omnia vitanda excitaberis, vtpote quæ tantarum suppliciorum causa extiterunt: adhæc tam luculentus ignis humilitatis succendetur in anima tua, vt non solum te omnium peccatorum sceleratissimum reputes, sed etiam vnicum & solum in mundo peccatorem existimes: cùm nullum aliud ibidem peccatum reperias quam tuum. Considerando præterea, quod tua causa bonum infinitum, omnia in se bona comprehendens, quod est vita Christi, in mortem traditum fuerit: putabis omnia peccata ita in te solo adunata & cõgregata esse, quasi in nemine alio reperirentur.

Ne mireris me postulare à te tam profundam humilitatem, cùm ad eam te plurimum obliget excessus diuinæ charitatis, quam in Christo Crucifixo contemplaris: cui si non ingenti cum desiderio respondes, meritò notaberis tepiditatis & ingratitudinis. Etenim si ille omnia tui amore profudit, nec sibi quicquam reseruauit, cur non te totum in passionem illius transformabis? quemadmodum faciebat S. Paulus Apostolus, qui de seipso ait: *Christo confixus sum cruci.* Certum atque indubitatum est, te non modo obligatum esse vt in eo cunctas animæ tuæ potentias occupes: sed etiam vt paratus sis illius amore omnes cruciatus siue temporales siue æternos sustinere, teque tantum odisse, quantum ab eo dilectus fuisti. Gal.2,19.

Ad hunc statum (quem facilè consequêris, si Christum crucifixum continuò præ oculis habeas) cùm perueneris, tum verè diliges Deum, & in eo te ipsum & proximum: sicque odium tui te ad perfectum & verum amorem adducet, sicut ante inordinatus tui amor causa extiterat; quod Deum & temetipsum, & omne bonum perderes.

Animaduertis modò quanta lux exactionum & mysteriorum Christi redemptoris tui meditatione radiet. Quare hortor & moneo vt ipsum mente semper assecteris, maximè ad crucem, vbi tui amore animam exhalans, ad similem te amorem excitat.

De septem verbis Domini in cruce.

ASpice posthæc quam luculentæ flammæ ignis per pretiosas illas quinque vulnerum fenestras scintillent, instar clibani succensi.

Audi verba quæ ibi proferuntur, quæ aures etiam lapideas penetrare ac disrumpere queant. Quando dicit, *Pater dimitte illis :* pete tu similiter omnium peccatorum remissionem. Quando lamentabili voce se derelictum queritur: tu promitte nunquam futurum vt eum deseras. Quando confitenti latroni paradisum pollicetur: tu tantæ liberalitatis fiducia fretus, roga eum vt cum dilecto discipulo matri suæ sanctissimæ in filium te tradat & commendet. In sitis subueni ei, atque vt minimum lachrymis è corde profusis ardorem eius tempera. Denique quemadmodum ille spiritum suum in Patris manus commendauit: sic tu spiritum tuum in manus eius commenda. Hoc pacto fructum compunctionis ex singulis Christi actionibus in te suscitare debes: qui suscitatus, ad maiora desiderium tuum accender.

Luc.23. Matt.27. Luc.23. Ioan.19.

Ioan.19. Luc.23.

(o)

PARS QVARTA
DE COGNITIONE SVIIPSIVS.
ET DE VIRTVTE HVMILITATIS aliisque virtutibus ab ipsa procedentibus.

Humilitas ex cognitione sui ortum habet.

PRAETER exercitia supradicta est & aliud longè vtilissimum, cognitionis videlicet suiipsius, è qua humilitas, aliæque virtutes quamplurimæ procedunt. Namque humilitatem maximè gignit consideratio. Vt enim D. Bernardus ait, humilitas nihil aliud est quam verus contemptus sui, qui ex suiipsius cognitione proficiscitur. Ex quo cõficitur considerationem & cognitionem suiipsius esse humilitatis formam, & ex consequenti, omnium aliarum virtutum quæ ab humilitate derivantur.

Hoc exercitium aliqui appellant annihilationis: eo quod scopus illius sit vt homo manifestè cognoscat se nihil esse, atque omnia quæ habet à Deo se habere; vt hinc perspiciat obligationem suam qua Deo seruire atque illum diligere obligatus est, cum sit illi debitor omnium eorum quæ habet & sperat.

Tempus & locus huius exercitij.

Quisquis itaque exercitium hoc amplecti cupit, locum & tempus conueniens ad id assumat (cui quamuis omnia tempora & loca seruiant, accommodatissimum tamen est tempus matutinum, statim à lecto) ibique in silentio secum consideret quid à se, & quid à Deo sit, vt hinc cognoscat quid de se, & quid è contrario de Deo sentire debeat.

Tria considerãda quoad mala corporis.

Vt videas quid à temetipso sis, considera tria: quid scilicet eras antequam nascereris: quid cum iam natus esses: & quid post mortem futurus sis. Primo antequam nascereris, eras materia immunda, fœtida, & indigna quæ nominetur. Postquam natus es, si noueris omnia diligenter explorare atque intueri, tam quæ in homine, quam quæ extra illum sunt, inuenies te sterquilinium esse niue tectum: sepulchrũ foris dealbatum, intus autem plenum putredine: vas infectum, quod omnes liquores infusos corrũpat: denique creaturam in medio maris furibundi huius sæculi, constitutam, & ab omnibus ventis ac fortunæ incursionibus agitatam. Post mortem, si nosse vis quid futurus sis, accede sepulchrum aliquod ibi hoc clarè intuêberis, & miraberis considerando quid nunc sis, & quid paulo post futurus sis.

Tria considerãda quoad mala animæ

Quoad animam, etiam tria considera: quid nimirum fueris antequam nascereris: quid antequam Deus te vocaret: quid denique post vocationem.

Nihil quid sit.

Antequam nascereris nihil eras: quid aũt nihil sit explicari non potest nisi quibusdã imaginationibus. Imaginare igitur *Nihil* hoc, quasi tenebras obscurissimas: abyssum profundissimam: puram omnis priuationem. Nihil, minus est quam lapis, & quam palea. Perpende nunc quam multis annorum millibus in hoc nihilo permanseris, & adhuc permanere potuisses, nisi Deus te ex istis tenebris & abysso eruisset & nouum esse dedisset. Subsiste hic aliquamdiu & fixis oculis hoc nihilum contemplare, quousque manibus illud (si fieri potest) palpes. hîc enim mens tua magnam tui & DEI notitiam assequetur.

Ante vocationem (si Deus è peccatis te vocauit.) quid fueris si attentè consideres: inuenies te vixisse sicut animal indomitum, cùm in omnibus tuas inordinatas & bestiales cupiditates quo illi te ducebant sequereris, & sicut Ethnicum sine Dei timore & sine lege, nec vllam rationem habuisse Dei tui, quasi nunquam illum cognouisses: adeoque in omnia scelera & flagitia sine fræno pro libitu præceps ruisti. Post vocationem considera non tantum grauiora peccata quæ nunc admittis, sed etiam, idque maximè, quam malè diuinis inspirationibus respõderis, & quomodo commoditatibus, quas tibi Deus ad benè agendum dederat, abusus fueris: quæ si bene perpendis, certò tibi persuadere poteris, si in Tyro & Sydone hæc signa facta fuissent quæ in te facta sunt (hoc est si latro aliquis eam gratiam à Deo accepisset, quam tu) maiorem forsitan in virtutibus profectum fecisset. Existimare etiam poteris te esse seruum illum nequam, qui talentum Domini sui abscondit sub terra: adeoque commeruisse cui iamdudum illud auferretur, nisi misericordia Dei hucvsque te patienter expectasset.

Matt.11. Matt.25.

Itaq; non est hoc virtutis tuæ sed gratiæ diuinæ: ad te verò quod attinet, illud es verè quod merêris esse per iustitiã Dei. Cum autem merearis per iustitiã illius propter tuam ingratitudinem & negligentiam ab ipso deseri, & in tenebras exteriores proijci: illic te potius esse imaginari debes, quandoquidem illic, vt ante dictum est, esse mereris.

Itaque secundùm hanc ratiocinationem, exprima consideratione inuenies te nihil esse: ex secunda minus quam nihil: ex tertia multo minus adhuc: quandoquidem mereris deseri à Deo.

A Deo autem quid sis, si consideres, inuenies omnia quæ habes (quæ nomen esse aũt boni merentur) ab illo profecta esse, qui est fons omnis boni, & totius esse. Tria enim sunt genera bonorum in homine: Bona naturæ, bona gratiæ, & bona fortunæ.

Bona

Bona naturæ, qualia sunt, corpus, anima, vita, sanitas, vires, sensus externi & interni, & cætera omnia vsque ad minimum capillum, à Deo esse manifestum est.

Bona gratiæ vnde sint, & à quo, ipsum nomen declarat, ex pura scilicet gratia & misericordia Dei. Inter quæ prima est gratia prædestinationis: hanc puram esse gratiam & misericordiam extra controuersiam est, cùm nullum præsupponat meritum.

Secunda est gratia vocationis & iustificationis: hanc etiam puram esse gratiam inde patet, quia nullo præuio merito datur.

Tertia est gratia quam concomitantem Theologi vocant, quæ etsi ex merito sit, gratia tamen esse non desinit cùm ipsum meritum sit ex gratia.

Quarta est gratia perseuerantiæ, hæc etiam est gratia & misericordia Dei, imo tale gratiæ genus est vt non cadat sub meritum.

Quinta est gloria, gratia nimirum consummata: & hæc etiam est gratia: *per gratiam enim*, inquit Apostolus, *datur vita æterna*. Rom. 6, 23.

In alijs gratiarum generibus, quæ gratiæ gratis datæ dicuntur, ipsum nomen indicat, quod per gratiam dantur, & per consequens, propter omnes istas Deo tanquam datori sumus obligati.

Bona fortunæ ab eodem Domino proficisci, vndecunque illa nobis adueniant, qui non credit, fidē derogat Spiritui sancto, qui ait, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt*. Eccl. 11.

Vidēsne igitur, quomodo quæ sunt intus & foris, in te & circa te, omnia Dei sint? Quid ex hoc sequitur? Nosti quid sis? Caue igitur tibi deinceps ab omni præsumptione, ambitione, superbia, vana gloria, & tuijpsius existimatione. Talem te æstima qualis reuera es, omnem verò gloriam redde Deo, quod proprium est humilitatis, quæ ex hac consideratione & suijpsius cognitione nascitur. Quid amplius hinc sequitur? Vt post hac Deum intuearis, & consideres vt fontem & originem tuijpsius, omniumque quæ & in te, & circa te sunt, atque adeò totius quod es, aut esse poteris: & consequenter ne amodo aliquid tribuas tuę industriæ, aut viribus tuis, sed Deo tantum. ab illo enim solo procedit, quidquid fuisti, quidquid es, & quidquid speras te aliquando futurum.

Deus quomodo à nobis aspiciendus.

Quibus igitur oculis hunc talem Dominum intuēberis? Dabo tibi hoc loco similitudinem quandam, vt ex ea faciliùs intelligas, quid tibi erit faciēdum, ex qua etiam disces, quòd ex illo aspectus genere omnes veri Solis iustitiæ influentiæ in animas nostras deriuantur. Intuēre igitur Deum, quomodo effectus omnes causas suas à quibus omne illorum esse procedit, intuentur: quibus illi semper maximam obedientiam exhibent, seseque illis submittunt: Deus enim vniuersalis causa est omnium causarum. Intuere illum sicut filius patrem, qui est initium suæ essentiæ: quia Deus est noster Pater, & plus quam Pater, origo quoque & principium nostræ essentiæ. Intuere illum tanquam sponsa sponsum suū, à quo dependent omnia illius bona, tam præsentia, quam futura. Deus enim est verus sponsus noster, datq; perfectionem & plenitudinem animabus nostris. Intuere illum sicut corpus animam, à qua recipit vitam, dignitatem, & pulchritudinem quam habet: Deus enim est anima animæ nostræ, & vita vitæ nostræ. Intuere illum sicut terra naturaliter cœlum intuetur, à quo recipit omnem fertilitatem, & pulchritudinem suam: Deus est enim spirituale cœlum, quod illuminat & gubernat nos, & à quo vita nostra procedit. Intuere illum sicut radij Solis ipsum Solem intuentur, à quo deriuantur, & per quem conseruantur: Deus enim est qui dedit nobis hoc esse quod habemus, & qui conseruat illud. Intuere denique illum oculis illis, quibus sacratissima Christi humanitas Verbum diuinum intuetur, quo cum est vnita, & à quo recipit omnem perfectionem, quā habet, vsque ad ipsum Esse, quo cum sustēratur; qui aspectus est humilior, castior, amabilior, & fidelior, quàm intellectus humanus potest comprehendere. Conare igitur, vt hunc aspectum aliquo modo imiteris, secundùm auxilium & spiritum Domini, quem tibi dabit.

Si itaque omne tuum Esse, atque omne bonum tuum præsens, præteritum & futurum ab hoc Domino procedat, ad quem respicies? quem timebis? cui placebis? cui obedies? quem laudabis? quem reuereberis? in quem sperabis? cui fidem & fidelitatem seruabis, nisi illi, aut propter illum? Expelle igitur à te omnem respectum humanum, valeant omnes ceremoniæ terrenæ; nihil enim tibi cum illis, nec illis aliquid tecum negotij est, sed solus creator omnium est respiciendus. Vides modò, mi frater, quanti fructus è tam parua rādice, cognitionis suijpsius profecti sint. Etenim si benè cōsideres, nascitur hinc amor Dei, timor, obedientia, spes, oratio, gratiarum actio, puritas intentionis, mundi contemptus, aliaque quamplurima.

Hinc colliges, quam benè dicatur humilitatem cæterarum virtutum basin & fundamentum esse. Vt enim paulò ante dictum est, omnes virtutes à cognitione suijpsius promanant, at hæc, humilitatis fons est & origo. Nam à sui cognitione nascitur Dei cognitio, ex cognitione autem Dei & sui, cæteræ virtutes omnes existunt.

Hanc considerationem commodè sequi possent duæ illæ orationis partes de quibus supra diximus, oblatio & petitio. Nam postquam cognouimus Deum esse principium & conditorem nostrum, nos verò illius esse, ac opera manuum eius, statim cernemus quam rationi conueniens sit, vt figmentum factori suo, & opus Domino suo, & seruus redemptori suo seruiat.

Hæc considerando offeremus nos humiliter in manus eius, & ad pedes illius prostrati contestabimur nos illius esse, atque illius tantum esse velle, ideoque nosmetipsos illi offerre, vt nobiscum agat in tempore, & æternitate, sicut placitum ei fuerit.

Consecrabimus etiam illi nos totos, vt non vltra nostri simus, sed Dei, nec vltra nostram voluntatem amplius sequamur, sed illius, nec denique vlla in re nostrum commodum, vtilitatem, aut voluptatem quæramus, sed diuinum duntaxat beneplacitum.

Cùm autem hoc sine illo perficere nō valeamus, subiungemus statim petitionem, postulando virtutes omnes, quæ ex hac sui cognitione nascuntur: dicēdo hoc vel simili modo, prout spiritus dictauerit.

ORATIO.

DOmine si tu sis initium & finis meus, quem alium amabo præter te? si tu sis Rex meus, & Dominus meus, cui morem geram præter te? si in manibus tuis consistat omne bonum & malum meum, quem timebo, quem reuerebor, præter te? si à tua pia & liberali manu omne bonum, quòd habeo acceperim, & omne quod mihi deest accepturum me sperem, in quo sperabo? cui confidam? si tu solus sis mihi Pater, Dominus, Creator, Gubernator, & Redemptor, ad quem in omni tua necessitate confugiam, nisi ad te? Si à te acceperim, & accipio adhuc quotidie tot bona, quem laudabo, & cui gratias agam nisi tibi? Si famuli Dominis suis seruiant tanta cum fide, & diligentia, etiam in rebus molestissimis, & periculosissimis propter id, quod

id, quod ab illis acceperunt, aut accepturos se sperant: ego, qui tanto maiora à te accepi, tantoque maiora adhuc expecto, cur tibi, ô Domine mi, non seruiam, cum multò maiori fidelitate, diligentia, & solicitudine; idque in rebus maioribus & difficilioribus; cùm tu mi Domine, & multò plura mereare, & ego multò plura tibi debeam: sed & absque comparatione plus sit, quod adhuc à te spero & expecto?

(o)

PARS QVINTA
DE ORATIONE MENTIS.

AD ORATIONIS EXERCITIVM rectè instituendum quæ requirantur.

CAPVT I.

HÆ sunt, Christiane lector, meditationes, & exercitia quibus singulos, cuiusque hebdomadæ dies transigas, quæ si ritè perceperis, nunquam tibi materia deerit, qua mentem salubriter occupes.

Sex ad meditationem benè instituendam requisita.

Sed nota meditationem vt benè fiat sex partibus constare debere, quarum quædam illam præcedant, quædam sequantur.

Præparatio.

Primo antequam ad meditationem accedatur, opus est vt mens animusque ad sanctam hanc exercitationem diligenter præparetur, non aliter ac chordæ in cythara, quæ nisi primum concorditer & æquabiliter tensæ fuerint, suauem melodiam nunquã efficient. Post præparationem sequi debet lectio illius mysterij quod iuxta dierum hebdomadæ distributionem, eo die meditandum fuerit: quod in principijs maximè necessarium est, vsque dum continuo vsu, & consuetudine, quæ meditanda sunt spõtè memoriæ sese offerant. *Lectio.*

Meditatio

Meditationi subiungenda est deuota pro acceptis beneficijs gratiarum actio, ac totius vitæ Christi ac operum nostrorum generalis oblatio, ad qualemcunque beneficiorum repensionem. Demum sequetur petitio, quæ potissimum appellatur oratio: qua omnia cum nostræ, tum proximorum & totius Ecclesiæ saluti congruentia, postulantur.

Gratiarum actio. *Oblatio.* *Petitio.*

Hæ sex partes ad orationem siue meditationem requiruntur, quæ præter alia multa commoda, hoc etiam vtilitatis adferunt meditanti quod vberem illi meditandi materiam suppeditent, dum varias ciborum species ei proponuntvt si vna gustatui eius non placeat, ad alteram accedat: & si in vna meditatio deficiat, in altera habeat, quo mentem occupet, & ad deuotionem accendat.

Cæterum non in omni meditatione omnes hæ partes, nec idem ordo semper est necessarius: quamuis incipientibus valdè necessarium sit, vt methodum certam habeant, secundùm quam in initijs se dirigant. Quapropter etiam ea quæ dicturus sum, pro lege perpetua aut regula generali quam violare nefas sit haberi nolo, cùm mihi propositum sit, non leges immutabiles condere, sed nouitios & tyrones in hanc semitam meditationis introducere, quam posteaquam ingressi fuerint, vsus, experientia, & præcipue Spiritus sanctus de cæteris eos informabunt.

DE PRAEPARATIONE AD *orationem necessaria.*

CAPVT II.

NOn abs re erit, si singulas partes, suo ordine tractandas & explicandas suscipiamus. Auspicabimur itaque à præparatione quam primam posuimus.

Situs corporis in meditatione assumendus.

Itaque meditans in orationis loco constitutus, posteaquam decentem corporis situm assumpserit, vel in genua procumbendo, vel stando, vel in modum crucis se collocando, vel humi se prosternendo, vel etiam, si ita necessitas aut valetudo exigat, sedendo: primum signo S. Crucis se muniet: deinde dispersas animæ potentias, imaginationem maximè colliget, eamque à rebus cunctis sensibilibus auocabit, atque intellectum ad Deum eriget, consideran. do diuinam præsentiam, quam cum ea reuerentia, & attentione intuebitur, quasi reipsa ei præsens adesset, vti reuera est. Et si oratio matutina fuerit, generali de peccatis dolore concepto, confessionem generalem dicet. Si vero vespertina, conscientiam examinabit de omnibus quæ illo die cogitauit, egit, dixit, & audiuit: de Dei & diuinarum rerum obliuione: atque de illius diei ac totius anteactæ vitæ peccatis conteretur, ac coram oculis atque conspectu diuinæ maiestatis omnia inspicientis, se profundissimè humiliabit, dicendo verba S. Abrahami Patriarchæ: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis*:

Ad præparationem requiritur diuina præsentia inspiratio.

Conscientiæ examinatio.

Gen. 18.

In cuius sententiæ consideratione paulisper immorabitur, secum expendendo quis ipse & quid è contrario Deus sit: vt quanto hoc clarius perspexerit, tanto se coram summa atque tremenda Dei maiestate profundius humiliet, ac submissius gerat: Enimuerò hoc ritè animo perpendens, cernet se nihil aliud quam infinitorum scelerum ac miseriarum abyssum esse: Deum verò diuitiarum & omnis boni pelagus inexhaustum. Ex hac igitur contemplatione tantæ maiestati, quantum potest honorem & reuerentiam exhibebit, simulque Dominum deprecabitur, vt gratiam sibi largiatur, vt ea cum mentis attentione, recollectione, timore, ac reuerentia, possit assistere tantæ maiestati, qua decet ac par est. detque tibi hoc sanctæ orationis tempus sic transigere, vt inde notis auctus viribus ac feruore, ad omnia quæ ad diuinum seruitium pertinent exequenda regrediaris. Namque oratio, quæ hunc fructum non parturit, tepida, imperfecta, & minimi apud Deum momenti est.

Diuinæ magnitudinis & humanæ vilitatis meditatio.

Oratio quæ tepida sit.

DE

DE LECTIONE.

CAPVT III.

Lectio qualis esse debeat. Non festina.

PRæparatione præmissa sequetur lectio earum rerum quæ meditandæ sunt. Quæ cauendum est ne sit nimium festina, sed matura, diligens & quieta, cui non modò intellectus applicetur, quo videlicet ea quæ leguntur, intelligantur; sed etiam voluntas, cuius potiores partes esse debent; vt nimirum quæ intellectu percepta sunt, sentiantur & gustentur. Cùm in locum aliquem qui mentem vehementer afficit inciderit, subsistet paulisper, vt melius eum animo infigere queat. Prouidendum etiam ne

Non prolixa.

lectio nimis longa fit, vt eò plus temporis meditationi tribui possit, quæ tanto maioris est vtilitatis ac fructus, quantò res ipsas, attenta consideratione intimius penetrat, pluresque ex ijs consideratis affectus elicit. Si aliquando contingat mentem ita dispersam esse, vt orationi siue meditationi se facilè dare non possit, tum paulò amplius immorari poterit lectioni, vel lectionem iungere meditationi, ita vt vno puncto perlecto, illud secum aliquantisper consideret, deinde ad cætera eodem modo legenda & meditanda procedat. Quamuis intellectus verbis lectionis alligatus, non possit ita liberè in diuersos affectus ferri, vti cùm ab hoc vinculo liber ac solutus est. Et sanè nonnunquam vtilius foret aliquam sibi vim facere in cogitationibus inutilibus & vanis eo tempore mentem impugnantibus, submouendis, atque cum eis secundum Iacobi Patriarchæ exemplum viriliter luctari, atque in pugna ad finem vsque perstere. Hac namque ratione pugna consummata, & obtenta victoria, Deus maiorem non rarò deuotionem purioremque contemplationem, aut aliud donum confert, quæ illis qui fideliter sua causa decertant, nunquam negare solet.

Quid agendum cum animus discursui fuerit.

Gen. 32.

DE MEDITATIONE.

CAPVT IV.

LEctionem excipit meditatio eorum quæ lecta sunt. Meditatio autem hæc nonnunquam de talibus rebus est, quas imaginatione nobis præsentare ac figurare possumus: vti est vita & Passio Christi, extremum iudicium, infernus, regnū cœlorum. Nonnunquam verò de talibus, quæ cum potius intellectui quam imaginationi subsint, per imaginationem figurari non possunt: vti est consideratio diuinorum beneficiorum, diuinæ bonitatis & clementiæ, aut aliarum quarumcunque perfectionum quæ Deo insunt.

Meditatio alia intellectualis alia imaginaria.

Harum meditationum altera vocatur intellectualis, altera verò imaginaria, quarum vtraque indifferenter vtendum erit in his exercitijs, prout res meditanda postulauerit. Quando meditatio est imaginaria; ita vt res ipsa existit aut existeret figuranda, & menti repræsentanda est, quasi reuera eo in loco vbi ea geritur, præsentes essemus, aut ipsa in nostro conspectu fieret, vt ex hac repræsentatione consideratio & sensus eius rei viuacior & efficacior sit. Cæterum cùm hæc rerum repræsentatio si valida est, capiti incommodare, illudque debilitare soleat, solicitè cauendum est, ne diu imaginationi rerum meditandarum quis inhæreat, ne capitis vires immodicè fatiget.

In passione Christi quæque circumstantia consideranda sit.

Quia verò præcipua meditationis materia est passio Christi, aduertendum est hoc mysterio quinque potissimum circumstantias, quæ mentem vehementer accendant, considerari debere: puta, Quis sit qui patitur: Quid patiatur: Pro quo patiatur: Quomodo patiatur, & Quam ob causam patiatur.

Ad primum quod attinet: Qui patitur est Cœli & terræ creator vnigenitus Dei filius: summæ bonitatis & sapientiæ nulli culpæ affinis, innocentissimus, atque sanctissimus, inuiolatæ Virginis filius.

Quis est qui patitur.

Quoad secundum: Passus est grauissimos cruciatus cum in corpore, tum in anima. In anima passus est incomprehensibiles angustias, ex consideratione Ingratitudinis hominum erga redemptionis beneficium: Compassionis & dolorum sanctissimæ atque innocentissimæ Matris suæ. Peccatorum totius mundi præteritorum, præsentium & futurorum, pro quibus abolendis hæc patiebatur.

Quid patiatur. In anima.

In corpore verò passus est frigus, æstum, famem, sitim, lassitudinem, vigilias, iniurias, proditiones, ac conspirationes. A discipulo venditus fuit: sanguinem sudauit, illusus, conspurus, vinculis constrictus, ab omnibus desertus, in iudicium tractus, falsò accusatus, multis conuitijs impetitus, in alba veste derisus, flagris cæsus, spinis coronatus, Barrabæ latroni postthabitus, ad mortem innocens condemnatus, Cruce immanissima oneratus, inter duos latrones medius crucifixus, felle & aceto potatus, & demum morte contumeliosissima & acerbissima in monte Caluariæ, in præcipua Iudæorum solennitate è vita sublatus.

In corpore.

Ad tertium quod attinet: Passus est, pro homine inobediente, ac ingrato, qui tanto beneficio parem gratiam minimè relaturus erit. Pro homine de nihilo creato, qui ex seipso nihil est, nihil scit, nihil potest. Pro homine, cuius opera nunquam egnerat, nec aliquando opus habiturus erat. Pro homine, qui se impurissimis atque immanissimis sceleribus offenderat, & offensurus erat, nec sibi debitam obedientiam præstiturus erat.

Quemodo patiatur.

Ad quartum quod attinet: Passus est, tanta cum patientia & mansuetudine, vt nunquam contra tortores suos indignatus fuerit, nec vindictæ cupiditate in eos exarserit. Tanta cum humilitate, vt maximè ignominiosum mortis ac supplicij genus elegerit. Tanta cum alacritate ac promptitudine vt hostibus suis se ad necem quærentibus obuiam processerit, seque capiendum obtulerit. Tanta cum charitate, vt eum qui se vilissimo pretio vendiderat amicum appellauerit: Aurem vnius eorum qui ad se capiendum venerant sanauerit. Oculis misericordiæ discipulum qui se abnegauerat, respexerit. Et demum pro crucifixoribus suis Patrem orauerit.

Quam ob causam patiatur.

Ad quintum, quod attinet. Causæ propter quas passus est sunt hæ. Vt pro sceleribus nostris diuinæ iustitiæ satisfaceret, atque iram Patris placaret. Vt promissiones Patriarchis ac Prophetis factas impleret: Vt nos ab inferno liberaret, atque cœlestis regni hæredes institueret: Vt sua perfecta obedientia nobis viam ad cœlestia regna demonstraret: Vt deniq; Dœmones confunderet, qui per superbiam illa ineffabilia bona perdiderunt, quæ homines per animi humilitatem adipiscuntur.

DE GRATIARVM ACTIONE.

CAPVT V.

POst meditationem sequetur gratiarum actio, cuius occasio sumenda erit ex rebus meditatis:

Gratiarum actio ex rebus meditatis quomodo elicienda.

Puta, si fuerit meditatio de Christi passione, gratiæ illi referendæ erunt, quod nos tantis cum tormentis redemerit. Si de peccatis, quod nos longanimiter ad pœnitentiam expectauerit. Si de miserijs huius vitæ, quod nos à magna eorum parte præseruauerit. Si de morte, quod hactenus à periculis subitaniæ mortis nos exemerit, ac pœnitentiæ tempus indulserit. Si de gloria Paradisi, quod ad hunc finem nos creauerit, vt tantis bonis fruere-

eremur. Eodem pacto procedendum erit in cæteris meditationibus.

Gratia Deo agendæ pro beneficijs omnibus.

His beneficijs ex meditatione elicitis, iunget omnia beneficia de quibus supra egimus: beneficia nimirum Creationis, Conseruationis, Redemptionis, Vocationis. Itaque gratias reddet Deo, quod eum ad imaginem & similitudinem suam condiderit: quod memoriam qua Dei reminiscereturr, intellectum quo eum cognosceret, voluntatem, qua eum diligeret, contulerit: quod Angelicam custodiam attribuerit, atque Angeli tutelaris ope à multis periculis exemerit, à plurimis peccatis mortiferis preseruauerit, à morte etiam atque Dæmonum iniurijs, dum in peccatis mortalibus esset, tutatus sit: quod non minus fuit, quam si eum ab æterna morte, quam hac ratione incurrerat, liberasset: quod à Christianis parentibus eum nasci voluerit, sacro baptismate regeneraverit, & in præsenti vita gratiam, in futura verò gloriam ineffabilem promiserit, quod denique illum in filium adoptauerit.

Eadem methodo in cæteris beneficijs cum generalibus, tum particularibus, quæ se à Deo accepisse cognouerit, recensendis procedet, ac pro his ac omnibus alijs siue publicis siue priuatis & occultis gratias Domino reddet, omnesq; creaturas cœlestes ac terrestres secum ad hoc officium persoluendum inuitabit: Canticum trium puerorum decantando:

Dan. 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula,* &c. Et Psalmum 102.

Psal. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus,* &c.

DE OBLATIONE.

CAPVT VI.

ACtis Deo toto corde gratijs pro cunctis beneficijs acceptis, confestim naturaliter erumpet cor in affectum illum, quem Regius Propheta Dauid in se sentiebat cum diceret. *Quid retribuã Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Huic desiderio aliquo modo satisfacit, offerendo Deo quæcunque habet, & potest ei offerre. Itaque primum offeret Deo semetipsum in seruum perpetuum, se totũ ei resignando ac voluntati eius permittendo, vt quicquid velit de se facere, hoc agat. Offerret etiam simul omnia verba, opera, cogitationes, & quæcunque agit ac patitur, vt hæc omnia ad supremum honorem & gloriam nominis sui dirigantur.

Psal. 115.

Quid homo Deo offerre debeat.

Semetipsum.

Omnia sua.

Merita Christi.

Offeret deinde Deo Patri omnia merita & obsequia, vnigeniti Filij sui: atque labores omnes & dolores quos idem in hoc mundo, quo eius voluntati morem gereret, atque obedientiam à Patre sibi injunctam compleret, pertulit: ordiendo à natiuitate ac præsepis duritie, vsque ad diram in ligno crucifixionem ac spiritus emissionem: quandoquidem omnia hæc sunt bona & facultates nostræ, quarum ipse in nouo testamento nos hæredes instituit. Quare sicuti non minus nostrum est quod gratis nobis donatur, quam id quod propria virtute acquirimus ita non minus nostra sunt merita Christi quæ ille nobis donauit, quam si illa proprijs laboribus ac sudoribus acquisiuissemus. Ac proinde quilibet homo æquè secundam hanc oblationem offerre potest, vt primam: enumerando ei singulatim, omnia obsequia, labores & virtutes sanctissimæ vitæ Christi: illius obedientiam, patientiam, humilitatem, charitem, cæterasque virtutes omnes: cum hæc sit maxima & excellentissima omnium quas Deo offerre possimus, oblationum.

Christi merita nostra opes sunt.

DE PETITIONE.

CAPVT VII.

INsigni hac oblatione facta, securè ad gratiarum ac donorum petitionem progredi licebit. In qua primum precandus est Deus, cum inflammata charitate ac ardentissimo diuini honoris zelo, vt omnes populos ac nationes su. notitia illustret, vt se cognoscant, laudent & adorent tanquam vnicum & verum Deum & Dominum suum, proferendo ex intimo cordis illa regij Prophetæ verba: *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.*

Orandus est Deus.

Pro augmentosus nominis.

Psal. 66.

Deinde orandus est Deus pro prælatis Ecclesiæ, pro summo Pontifice, Cardinalibus, Archiepiscopis Episcopis, cæterisque Prælatis, vt Dominus illos ita regat atque splendore gratiæ suæ illuminet, vt omnes homines ad cognitionem & obedientiam creatoris sui adducere valeant.

Pro Ecclesiæ Prælatis.

Rogandus est etiam Deus pro Regibus ac Principibus (vti S. Paulus Apostolus monet:) atque omnibus in dignitatem constitutis, vt eorum diligenti solicitudine ac prouidentia subditi vitam viuant quietam & tranquillam: hoc enim gratum est Deo, *qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.*

Pro Regibus & Principibus.

1. Tim. 2.

Ibid. v. 4.

Tum precandus est Deus pro membris omnibus corporis sui mystici, pro iustis vt illos in iustitia & sanctitate conseruet, pro peccatoribus vt eos à vitæ prauitate ad morum emendationem conuertat: pro defunctis, vt eos ab expiatorijs cruciatibus in quibus detinentur, clementer eximat, atque ad æternæ vitæ requiem transferat.

Pro singulis statibus.

Orandus adhæc est Deus pro pauperibus, infirmis, captiuis, in seruitutem abductis, aut in quacumque alia tribulatione existentibus, vt propter merita filij sui eis opem ferat, illosque ab omni malo liberet.

Pro afflictis.

Posteaquam quæ ad proximorum saltem spectãt postulauerimus, tum demum ad ea quæ nobis necessaria sunt petenda transitum faciemus. Qualia autem petere debeamus, vnumquemque sua necessitas, (dummodo seipsum non prorsus ignorauerit) docebit. Potissimum verò precabimur Deum vt per merita & passionem vnigeniti Filij sui nobis omnium peccatorum indulgentiam tribuat, gratiamque deinceps illa fugiendi ac dignis pœnitentiæ operibus expiandi largiatur: specialiter verò auxilium & gratiam aduersus eas inclinationes & vitia, quibus sæpius impugnamur, aut ad quæ maximè propensi sumus implorabimus: adeoque cœlesti huic medico omnia vulnera nostra detegemus, vt ipse illa curet, ac oleo gratiæ suæ perungat, & medicinam faciat.

Pro nobis.

metipsis.

His perfectis, meditationi cum petitione amoris diuini iuxta eam methodum quam in calce petitionis, secundæ partis huius libri, tradidimus, finem imponet.

DOCVMENTA QVAEDAM CIRCA Meditationem obseruanda.

CAPVT VIII.

QVæ hactenus dicta sunt, vberem tantummodo meditationi materiam præbent, quod in præsenti negotio præcipuum est: quandoquidem non exigua pars hominum eo quod sufficienti considerationis materia destituatur, sanctum meditationis exercitium fastidit & negligit. Nunc autem ea quæ ad methodum & formam in meditationibus obseruandam pertinent, summatim perstringemus.

Cuius

Cuius licet principalis magister sit Spiritus sanctus: nihilominus experientia sæpe comprobatum est, in hac parte necessaria esse quædam documenta: eo quod iter quo ad Deum pergitur sit arduum ac difficultatis plenum ac proinde ductore opus sit, sine quo plurimi longo tempore à vera semita aberrant: aut certè minus citò ea quæ cupiunt consequuntur.

Documentum primum.

PRimum itaque documentum sit: Earum rerum quæ superius in certa puncta & tempora digessimus, consideratione non ita inhærendum esse, vt ad alia in quibus mens maiorem inuenerit deuotionem ac fructum transire nefas putemus: Cùm enim omnium horum exercitiorum finis sit deuotio, id quod ad hunc scopum proximius accedit, vtique potius ac melius esse censendum est. Quod tamen leuiter, & ex quacunque causa fieri non debet, sed cum emolumento claro ac manifesto.

Vniconsiderationi non nimis pertinaciter inhærendum.

Documentum secundum.

SEcundum sit: Cauendum esse in hoc exercitio nimias mentis speculationes & potius vtendū esse efficacibus voluntatis affectibus, quàm curiosis ratiocinationibus intellectus. Quocirca rectā viam minimè tenent illi, qui ad orationem & meditationem diuinorum mysteriorum non secus accedunt, ac si ea pro concione ad populum habenda secum tractarent & expenderent, quod potius est spiritum dispergere, & foras egredi, quam ad interiora se reuocare. Itaque qui meditationem recte instituere velit: accedat ad eam, non aliter ac anus indocta & humilis, potiusque adferat voluntatem dispositam ad res diuinas sentiendas & gustandas, quā intelligentiæ acumen, ad eas studiose disquirendas & perueſtigandas: cùm hoc proprium sit eorum qui scientiæ causa studijs operam dant, non eorum qui vt mentem afficiant, & inflamment, lachrymasque piæ diuotionis eliciant, precibus ac meditationibus se addicunt.

Vtendum in meditatione voluntate potius quam intellectu.

Documentum tertium.

PRæcedenti documento declaratum est quomodo intellectus moderandus, voluntatiq; subijciendus sit: hoc verò voluntati etiam limites sui præfiniendi, extra quos egredi sine vitio non possit: idque ne in sui exercitio nimis vehemens & concitata reddatur. Quare sciendum est, deuotionem nunquam violentia brachiorum exprimendam esse, vt quidam existimant, qui immodica & coacta triſtitia se ad lachrymas & commiseratione constringunt: dum Christi tormenta secum considerant hac namque ratione cor potius exsiccant, atque ad diuinas visitationes (vti pulchrè docet Cassianus,) se ineptos reddunt. Adhęc ista vis plurimum incommodare solet sanitati corporis, & sæpè propter molestiam quam violentia hæc secum adfert maximā, animum ita relinquit faſtidiosum, vt denuo ad eadē exercitia meditans reuerti formidet, cùm ea magnarum sibi molestiarum causam attulisse vsu expertus sit. Itaq; meditationis studiosus cum Christi supplicia consideret, non sit nimis anxius, pro habenda sensibili compassione, sed sufficiat ei quod se præsentem exhibeat his quæ Christus passus est, atque illa simplici ac quieto intuitu inspiciat, ac corde tenero, compassiuo, & magis disposito ad eum affectū quem diuina misericordia suppeditauerit excipiendum, quam alium violentia exprimendum, consideret. Quod cùm fecerit, de cæteris quæ illi à Deo negantur aut non subministrantur, solicitus non sit, atque contristetur.

Deuotio violenter non est exprimenda.

Documentum quartum.

EX his quæ iam dicta sunt colligere licet qualis attentio in oratione obseruanda sit: in ea nāque cor non languidum non solutum non in ima depressum, sed viuum, sed attentum, sed ad superna eleuatum esse debet: Vt autem necessarium est tali cum attentione & cordis eleuatione atque à sensibilibus rebus abstractione, ad Deum precandū accedere: ita non minus opus est, vt in attentione hac suauis quædam temperatio adhibeatur, tum ne sit nociua sanitati, tum ne deuotionem impediat aut extinguat, quod contra faciunt nonnulli, qui vt ad ea quæ mente cogitant attenti sint nulla virium ac naturæ suæ ratione habita, capita sua immodicè fatigant, ac se ad alia penè inutiles reddunt. Sunt etiam è contrario alij qui vt hoc periculum euitent, admodum remisse & oscitantes sunt in earum rerū quas animo volunt attentione, ac proinde facilè ad omnem statum inutilium cogitationum impelluntur & abstrahuntur.

In oratione qualis intentio seruanda sit.

Hæc duo extrema vt simul euitentur, tali moderatione opus est, vt nec immodica attentione capitis vires debilitentur, nec nimia negligentia & remissione cogitationes ad libitum euagari sinantur. Qua in re illius qui equo petulanti vehitur solertia imitanda est, qui habenas, neque nimium attrahit, neque nimis laxat, sed æquabiliter regit, ne vel retrorsum redeat, aut magno cum salutis discrimine iter agat; ita & nobis annitendum est, vt attentio sit moderata, diligentiam quidem adhibendo ne cogitationes ad libitum euagentur, at omnem violentiam, & anxiam solicitudinem reijciendo.

Simile.

Notandum etiam hæc quę de attentione dicimus maximè in principio meditationis cauenda esse, fieri enim plerunque solet, vt cùm in initijs meditationis attentione violenta caput fatigatur, in ipsa meditatione vires deficiant, quemadmodum euenire solet viatoribus, qui cum in principio iter nimium maturant, postea lassi subsistere coguntur.

Simile.

Documentum quintum.

INter omnia documenta hoc vel maximè animaduertendum: Ne meditationis studiosus, si non statim percipiat eam deuotionis dulcedinem, quam cupit, animo concidat, nec exercitationes inceptas abijciat, sed longanimiter & perseueranter aduentum Domini præstoletur, quandoquidem diuinæ maiestatis excellentiam, conditionis humanæ vilitatem & negotij quod gerimus magnitudinem maximè decet nos aliquantisper ante fores sacri illius palatij expectare.

Meditationis studiosus Dei visitationem longanimiter præstolari debet.

Quod si posteaquam aliquamdiu expectauerit, Dominus venerit, gratias ei agat de benignissimo & gratuito illius aduentu: si verò moras longiores traxerit, humiliet se coram eo & confiteatur, se hanc gratiam minimè mereri. Quod si ne sic quidem venerit, placido animo id sustineat, ac sufficere sibi putet, quòd seipsum ac omnia sua illi in sacrificium, & oblationem gratissimam obtulerit, propriam voluntatem abnegauerit, atque in manus ac potestatem illius tradiderit, omnes appetitus inordinatos crucifixerit, cum vitijs & passionibus suis in certamen descenderit: & ex parte sua omnia quæcunque facere potuit egerit. Et licet Dominum adoratione sensibili non veneratus sit, satis ei sit, eum in spiritu & veritate adorasse, quales adoratores ille requirit.

Certò denique sibi persuadeat hunc esse periculosissimum & maximè formidandum præsentis nauigationis scopulum atque locum in quo veri ac fideles Dei serui probentur, ac ab infidelibus secernantur: è quo qui saluus & incolumis recesserit, in cæteris prospero successu vtetur.

Documentum sextum.

DOcumentum hoc non multum à superiori discrepat, quod tamē æquè necessarium est. Tale autem est, seruum Dei contentum esse neutiquam debere, quocunque modico sensibili gustu, ex meditatione percepto, quemadmodum nonnulli faciunt, qui cùm aridam aliquam lachrymulā profuderint, aut paruam cordis liquefactionem senserint, exercitij finem siue scopum, se adeptos esse arbitrantur. Quod tamen ad eum scopum quem propositum habemus minimè sufficit. Vt enim satis nō est ad terræ fructificationem si pertenui aliquo imbre qui plueret tantummodo coagmentet, & terram superficie tenus imbuat, profundatur, sed opus est ad hoc copiosis imbribus, quæ intima terræ penetrent illiusque sitim expleant, quo fructum optatum reddere queat: sic necessaria est aquarum cœlestium abundantia, vt quis bonorum operum fructum ex se producat.

Seruus Dei modicis consolationibus contentus esse non debet.

Simile.

Quapropter non immeritò à viris spiritualium rerum callentissimis monemur, vt ad sanctam hanc exercitationem, quisque tantum temporis, quantum potest conferat: & certè vtilius fuerit semel satis longum temporis spatium ad illam assumpsisse, quam idem per interualla fecisse. Etenim dum tempus breue est, totum ferè in phantasiæ vel imaginationis quietatione & cordis collectione consumitur: ac sæpè sit vt cùm iam fructus præteritæ molestiæ carpendi essent, meditatio abrumpatur.

Quantum temporis ad meditationē assumendum sit.

Ad huius verò temporis quantitatem præfiniendam quod attinet: Mihi videtur quicquid sesqui hora vel duabus horis minus est, nimis exiguum esse ad meditationem instituendam, eò quod non rarò integra ferè hora in compositione cytharæ cordis nostri, hoc est in phantasiæ ac cogitationum inutilium represione, & mentis à rebus sensibilibus auocatione consumatur, tum verò aliquid etiam temporis pro fructibus institutæ orationis percipiendis impendere necesse est.

Quamuis inficias ire nequeam, eo tempore, quādo meditatio post sanctam aliquam & piam actionem instituitur, magis aptum & dispositum esse animum ad hoc agendum: atque vt arida ligna facilè flammam concipiunt, ita & cor ita dispositum facilius igne cœlesti succendi. Matutinis etiam horis, quod tempus huic exercitio vel maximè commodum & oportunum est mentem à phantasmatibus liberiorem esse, ac proinde tum orationi liberalius incumbendum. Qui verò negotiorum & occupationum multitudine adeò destinentur, vt tantum temporis ad hoc conferre non possint: hi nihilominus minutum suum cum paupere vidua Euangelica offerre Deo non negligant. Etenim si negligentiæ vitiū non obstiterit, ille qui omnibus creaturis iuxta singulorum necessitatem prouidet, ipsis etiam liberalissimè prospiciet.

Simile.

Matutinum tempus meditationi aptissimum.

Luc. 21. 3.

Documentum septimum.

PRæcedenti documento aliud simile dari solet. Est autem eiusmodi: Pietatis studiosum, cùm diuinis consolationibus specialiter, vel intra vel extra orationem visitatur, occasionem hanc arripere debere, nec pati omnino vt tempus hoc sine fructu sibi præterlabatur. Nam tranquillo hoc vento flante plus itineris vna hora conficiet, quàm alias multis diebus. Sic faciebat S. Pater noster Dominicus, qui tam solicitam diuinarum visitationum curam habebat, vt etiam in itinere constitutus, si speciali aliqua visitatione à Deo recrearetur, socijs præcedere iussis, ipse solus subsisteret, aut tardius progrederetur, quo aduſque suauem illam buccellam de cœlo sibi allatam digessisset. Quibus curæ non est ita diuinis visitationibus satisfacere, hi ea ferè pœna castigantur, vt Deum postea cum quæsierint minimè reperiant.

Consolationis spiritualium magna vis habendaq; sine fructu transeant.

PARS SEXTA
DE DEVOTIONE.
QVID SIT DEVOTIO.
CAPVT I.

INTER omnes molestias & difficultates, quas illi qui orationum ac meditationum exercitia frequentant, sustinent, nescio an vlla maior sit ea quam patiuntur ex deuotionis quem sæpè in ea percipiunt, defectu. Hæc enim si adfuerit, nihil suauius, nihil iucundius, nihil facilius, quam precibus ac meditationibus insistere: eadem si absit, nihil molestius.

Quapropter cum iam de oratione ac meditatione ac methodo eā instituendi egerimus, non abs re fuerit nunc de his quæ deuotionem partim promouent & excitant, partim præpediunt & extinguunt, tum etiam de tentationibus, quæ vt plurimum pijs hominibus in talibus exercitijs se obijciūt, agere, ac deniq; documenta quę ad idem institutū non parum cōferant subijcere: Itaq; ab ipsa deuotionis definitione auspicabimur, vt manifestè liqueat, qualis & quāta sit margarita pro cuius adeptione, militamus.

Deuotio quid. S. Tho. 2, 2. q. 28. a. 2.

Deuotio vt D. Thomas ait, est virtus, hominem expeditum & promptum ad omnia virtutum officia reddens, illumq; ad benè agendū excitans. Quæ definitio euidenter satis ostendit necessitatem & vtilitatem huius virtutis, vtpote quæ plura in se continet quam quis mente complecti possit. Pro cuius planiori intelligentia sciendum est, præcipuum impedimentum quod nobis in vita rectè ac piè instituēda obijcitur, esse naturæ humanæ corruptionē à peccato profectam, à qua maxima ad vitium inclinatio & ingens benè operandi difficultas existit, quæ nobis grauem & permolestam virtutis viam faciunt: quamuis virtute, si ea in se consideretur, in mundo nihil suauius, nihil amabilius, nihil pulchrius extet.

Causa cur via virtutis difficilis hominibus sit.

Ad hanc difficultatem superandam prouidit nobis diuina sapientia de conuenientissimis remedijs, nimirū deuotionis virtute, atq; auxilio: Nā quēadmodū ventus Boreas nubes dissipat, aërisq; serenitatē restituit, non aliter vera deuotio ab animo nostro molestiā omnem & difficultatē huius vitæ abscondit, nosq; ad pias & præclaras actiones obeūdas promptos atq; alacres reddit. Hæc autem virtus ita virtutis nomē obtinet, vt etiā pariter sit speciale donū Spiritus S. ros cœlestis, auxiliū & visitatio diuina per orationem obtenta: cuius proprium est difficultatem in oratione ac meditatione occurrentem submouere, tepiditatem pellere, alacritatem in diuinis obsequijs conferre, intellectum instruere, voluntatem roborare, diuinum amorem in corde succendere,

Simile.

Deuotionis laudes & efficia.

dere, flammas illicitarum cupiditatum restinguere, fastidium humanarum rerum, atque odium peccati ingenerare, atque ei quem possiderit ac repleuerit nouum feruorem, nouum spiritum, nouum animum, ac noua desideria benè agendi infundere. Etenim sicut Sampson capillis longis præditus fortitudine omnes mortales anteibat, eisdem verò spoliatus vires amittebat, atque alijs hominibus imbecillitate similis erat: Sic anima cuiuslibet Christiani, hac deuotione adiuta & recreata, fortis & robusta est: eadem verò priuata debilis & infirma. Præstantissima verò laudum earum quæ in hanc virtutem congeri possunt hęc est, quod cum sit vnica, omnium tamen cæterarum virtutum stimulus sit: ac proinde qui virtutum semitam expeditè perambulare cupit, hanc sibi pro calcaribus asciscat: nam sine illa rebelle & petulans animal suum regere nequibit.

Simile. *Iudic. 16.* *Deuotio cæterarum virtutum stimulus est.*

Deuotio in quo consistat.

Ex his quæ diximus liquido constat, in quo vera & essentialis deuotionis essentia constituenda sit: non enim in cordis teneritudine aut consolationum affluentia, qua illi qui meditationi operam dant sæpè reficiuntur, ponenda est, nisi ea fuerit coniuncta cum quadam promptitudine & alacritate animi ad omnia bona opera: præsertim cùm non rarò vsuueniat, vt vnum sine altero reperiatur, Deo sic ad probationem seruorum suorum disponente. Quamuis inficiari nequeam has consolationes à deuotione atque animi promptitudine ad pias & præclaras actiones obeundas frequenter proficisci: atque è contrario per easdem consolationes ac gustus spirituales, veram deuotionem sæpenumerò non parum promoueri. Vnde fit, quod serui Dei licitè possint desiderare ac petere consolationes, non propter delectationem quam sibi coniunctam habent, sed quia deuotionem quæ nos ad benè operandum alacres reddit, generant & augent, quod de se Propheta Regius testatur cum ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, hoc est, quando illud consolationum tuarum quæ huius promptitudinis causa extiterunt, dulcedine recreasti.

Consolationes possiunt desiderari.

Psal. 118.

Nunc de medijs quibus hæc deuotionis virtus acquiri possit agamus, quæ tractatio non paruam vtilitatem adferet, cùm enim virtus hæc omnium aliarum virtutum stimulus sit, media per quæ illa comparari possit tradere, nihil aliud est quam media per quæ cæterę virtutes omnes conquiri possint præscribere.

Nouem media siue adiumenta per quæ virtus deuotionis facilius acquiri possit.

Deuotionem adiuuant.

EA quę deuotionẽ promouent plurima sunt, ex quibus nos pauca tantummodò delibabimus.

Animus fortis.

Primò deuotionem vehementer adiuuat: si exercitia hæc animo magnanimo, & deliberato atque parato ad omnia quæ ad pretiosam hãs margaritam consequendam pertinent, quantumuis arduа & difficilia sint, exequenda & sustinenda suscipiantur: Nam euidens & clarum est, nihil præclarum esse, quòd non etiam difficile sit, cuius generis, & ipsa deuotio est, maximè in principijs.

Custodia cordis.

2. Deuotionem maximè promouet, cordis ab omni vana & inutili cogitatione, ab affectibus & amoribus peregrinis, à turbulentis & concitatis motibus, diligẽs custodia: perspicuum enim est, vnumquodque horum deuotioni non parum impedimẽto esse, cùm virtus hæc vel maximè poscat cor quietum, & ab omni inordinata affectione liberum, nec minùs quàm chordæ in cythara compositum.

Custodia sensuum.

3. Deuotioni adiumento est custodia sensuum: maximè oculorum, linguæ, & aurium, quando-

quidem per hoc cor potissimum distrahitur. Ea namque quæ per oculos & aures ingrediuntur, mentem varijs imaginibus depingunt, quæ deinde pacem & tranquillitatem animæ disturbant, & euertunt. Quare non immeritò quidam aiunt contemplationis studiosum, surdum, cœcum & mutum esse debere. Nam quò minus in ea quæ foris sunt euagatus fuerit: eò intrinsecus maiori tranquillitate ac recollectione gaudebit.

4. Deuotionem non mediocriter adiuuat solitudo, liquidem nõ modò peccandi occasiones submouet, & causas, ob quas potissimum cor & sensus distrahuntur tollit, sed etiam hominem solitarium vehementer excitat vt animum ab omnibus rebus sensibilibus auocet, secum habitet, cum Deo incessanter conuersetur, ad quod loci opportunitas illum admonet, quę nullam aliam societatem pręter hanc admittit. *Solitudo.*

5. Deuotionem non mediocriter nutrit lectio librorum piorum & spiritualium, eò quod materiam considerationi subministret, mentem à rebus creatis abstrahat, deuotionem excitet, & efficiat, vt libenter illis considerandis inhæreat quæ in lectione suauiter gustauit, nam ea quibus cor abundat sæpius homini ad memoriam redeunt. *Lectio piorũ librorum.*

6. Deuotionem fouet continua Dei memoria, & assidua præsentiæ diuinæ cogitatio, cum frequenti vsu breuium suspiriorum, quas D. Augustinus orationes iaculatorias nuncupat. Nam hæ domum mẽtis custodiunt, & deuotionis calorem conseruant: quo fit vt semper ad pia opera & Deum precandum expeditus & alacer sit. Est autem documentum hoc vnum ex præcipuis spiritualis vitæ instrumentis & causis, ac solum ferè ac vnicum remedium ijs, qui neque locum neque tempus habent, quod orationibus ac meditationibus longioribus impendant. Et verò qui ad hoc laboris aliquid contulerint atque crebris aspirationibus operam dederint, exiguo tempore magnum profectum facient. *Dei memoria.* *Vsus orationum iaculatoriarum.*

7. Deuotionem promouet perseuerantia in bonis exercitijs: Vt videlicet tempora & loca stata sint quæ æqualiter seruentur, maximè tempus nocturnum, & matutinum, quæ ad orationem instituendam non parum conducere, sacræ literæ vniuersim testantur: *Perseuerantia in bonis exercitijs.*

8. Deuotioni auxilio sunt austeritates, & abstinentiæ corporales: abstinentia à cibis, mensa frugalis, lectus durior, cilicium, flagella, & alia similia: quandoquidem vti à mentis deuotione originem habent: ita non leuiter incitantur, conseruant, fouent atque nutriunt radicem è qua nata sunt, quæ est deuotio. *Austeritates corporales.*

9. Ad deuotionem plurimum conferunt, opera misericordiæ, quia hæc fiduciam coram Deo apparendi, & diuino conspectui assistendi, nobis augent, orationes nostras comitantur, faciuntq; ne preces aridæ appellari possint: ac denique promerentur vt preces nostræ facilius à Deo suscipiantur: quoniam è corde pio ac misericordi prodeunt. *Opera misericordiæ.*

NOVEM DEVOTIONIS IMpedimenta.

CAPVT III.

Deuotionem impediunt.

QVemadmodum ea quæ deuotionem promouent, nouenario numero comprehendimus, ita etiam illa quæ nos ab huius virtutis possessione repellunt atque impedimento sunt, eodem numero definiemus.

Peccata mortalia & venialia.

Primum itaque deuotionis impedimentum est: Peccata non solùm mortifera, sed etiam leuia & venialia. hæc enim quamuis charitatem prorsus nõ

tollant, eius tamen feruorem qui cùm deuotione ferè coincidit, debilitant & extinguunt. Quapropter omni studio deuitanda sunt, sin minus propter mala quæ secum adferunt; vt minimum propter bona quæ impediunt.

Conscientiæ remorsus.

Secundum est, Remorsus conscientiæ, ab ipsis peccatis procedens: maximè quando nimius est, quia mentem inquietat, capitis vires atterit, & hominem ad bonas actiones ineptum atque inutilem reddit.

Tertium est, Amaritudo siue angustia cordis, & mœror inordinatus, quandoquidem cum his non facilè consistere & concordare possunt, voluptas & suauitas bonæ conscientiæ, & spirituale internæ mentis gaudium.

Solicitudines nimiæ. Exod. 5.

Quartum est, Nimiæ sollicitudines, quæ ad instar præfectorum Aegyptiacorum, qui filios Israel immodicis laboribus premebant, animum inquietant, nec patiuntur vt somnum spiritualem qui ex orationis frequenti vsu & gustu prouenit, capiat: imo tunc plus quàm alias eam turbant, & à cœptis exercitijs longius abducunt.

Occupationũ multitudo.

Quintum, Occupationum siue negotiorum multitudo, quæ tempus omne tollunt, spiritum suffocant, neque homini vllam vel temporis vel quietis partem, qua Deo vacare possit, impertiuntur.

Solatia sensuum.

Sextum, Voluptates & solatia sensuum: Hæc namque insipidas reddunt exercitationes spirituales, hominemq; indignum faciunt qui diuinis consolationibus reficiatur: vt enim D. Bernardus ait: Dignus non est Spiritus sancti visitationibus, qui mundana solatia sectatur.

Delectationes cibi & potus.

Septimum, Delectatio inordinata in manducando & bibendo: longæ & sumptuosæ cœnæ, quæ hominem inutilem faciunt ad sacras vigilias & spiritualia exercitia. Etenim corpore multis escis grauato & immodicè repleto, spiritus minus liberè in sublime ferri atque leuari potest.

Curiositas.

Octauum est, Curiositas cùm sensuum tùm intellectus, cuiusmodi est, velle audire, videre ac scire nouos rumores, quia hæc tempus pretiosissimum auferunt, animum perturbant eiusque tranquillitatem euertunt, ac mentem in multa dispergunt, sicque deuotioni plurima impedimenta obijciunt.

Leuis exercitiorum intermissio.

Nonum est, leuis solitorum exercitiorum intermissio, præterquam cùm omittuntur aut differuntur ob causam aliquam piam & iustam necessitatem, quia valdè delicatus est spiritus deuotionis, qui cùm semel recesserit, non reuertitur, aut certè magna cùm difficultate.

Simile.

Quare quemadmodum arbores suis temporibus irrigari opus habent, quæsi diutius quam par est differatur, statim arescunt & pereunt: sic etiam deuotio nisi continuo aquis piarum meditationum irrigetur, facilè perit.

Hæc breuiter & summatim tantummodò perstrinximus, vt facilius memoria retineri possent: quorum vberior explicatio ipso vsu atque experientia haberi poterit.

PARS SEPTIMA
DE TENTATIONIBVS VVLGATIORIBVS.
QVIBVS MEDITATIONVM STVdiosi vt plurimum molestari solent.
NECNON REMEDIIS EORVM.
CAPVT I.

VIDENDVM nunc quibus ferè tentationibus impetantur ij qui orationis & meditationis exercitia frequentant, vt de conuenientibus remedijs illis prouideamus.

Tentationes illorum hæ ferè sunt.

Consolationum spiritualium absentia.

Cogitationum inutilium turba.

Cogitationes infidelitatis & blasphemiæ.

Diffidentia de profectu:

Nimia propriæ sanctitatis præsumptio.

His vt plurimum tentationibus infestantur huius viæ sectatores, de quarum remedijs deinceps tractabimus.

De prima tentatione & remedijs eius.

Solita exercitia propter consolationũ defectum omittenda non sunt.

PRimò itaque, illi cui spirituales consolationes desunt hoc remedium est: Ne propterea solita orationis exercitia quamuis insipida, & nullius vtilitatis esse videantur, omittat, sed ante præsentiam Dei se constituat, atq; ad eum vti reus & multorum criminum affinis accedat, conscientiæ latebras diligenter examiner, & consideret an suam ob culpam huius gratiæ iacturam fecerit, ac Dominum plena cum fiducia roget, vt hanc ei noxam donet, atque in se inæstimabiles diuitias patientiæ suæ manifestet, sustinendo & indulgendo ei, qui eum tantummodo irritare nouit, præterea nihil.

Hoc pacto fructum non parum capiet ex aridita te sua, sumendo inde occasionem, vel profundioris humilitatis dum malitiam suam & peruersitatem in peccatis cumulandis conspicit, vel ardentioris dilectionis; dum diuinam bonitatem in ijsdem condonandis attendit. Et quamuis nullam prorsus in suis exercitijs sentiret voluptatem, non tamen idcirco ab eorum continuatione cesset, quia non est necessarium, vt sapidum & suaue gustui sit quòd vtile futurum est. Præsertim cùm experientia sæpè comprobatum sit, eos qui in exercitijs ac meditationibus suis perseuerant, easque etiam aridi tatis tempore non deserunt, sed cùm attentione & cura qua possunt, continuant, sæpè multis consolationibus & gaudio spirituali refectos abscedere, dum se quicquid poterant, egisse lætantur. Magnæ virtutis non est, posse orationem longo temporis spatio protrahere dum consolationibus diuinis quis affluit, sed quando illæ subtrahuntur eandem non deserere, ac placido animo omnem derelictionem sustinere, hoc præclaræ cuiusdam virtutis est. In hocenim elucescit humilitas, eminet patientia, ac demum vera in bonis operibus perseuerantia declaratur.

Nihil·

Ariditatis tempore maior omnium quæ sui cura habenda est.

Nihilominus necessarium est ariditatis tempore maiorem sui curam & solicitudinem gerere: sui custodiæ diligentius inuigilare : conscientiam syncerius discutere: ac omnes cogitationes, verba & actiones accuratius obseruare. Etenim cum tunc alacritas & lætitia spiritualis (quæ est huius nauigationis principalis ventus) absit, diligentiori solicitudine ac vigilantia defectus gratiæ supplendus est.

In hoc rerum statu cùm te constitutum animaduerteris, existimare debebis, vti S. Bernardus monet, excubias, quæ tibi præsidio erant, obdormisse, atque muros qui te tutabantur concidisse: ac proinde totam salutis tuæ spem in armis consistere: quandoquidem cùm nihil tibi amplius in muro prostrato præsidij sit, armata dextera salus quærenda est. O quam eximia illum sequitur gloria, qui hoc pacto præliatur & de hoste triumphat: qui sine scuto certamen init : qui sine vmbraculo manus cum hoste conserit: qui sine adiutorio fortis est: & qui cùm solus prælium sustineat, animum sibi tamen ac vires assumit, quasi multis auxiliaribus copijs circumcinctus esset.

Hæc est potissima probatio, qua bonitas atque sinceritas amicorum Dei cognoscitur, quaque veri à falsis secernuntur.

Tentationis secundæ remedia.

Importunæ cogitationes fortiter sistentiæ superandæ sunt.

CONtra tentationem importunarum atque inutilium cogitationum, quæ se orantibus confertim obijcere, eisq; non paruam molestiam facessere solent, remedium est : Fortiter illis reluctari, nec pati vt nostri dominentur : vbi tamen cauendum est ne ista reluctatio fit cum magno labore atque angustia spiritus coniuncta: cùm opus hoc nõ tam dependeat à nostris viribus quam à gratia diuina & profunda humilitate. Quocirca cùm hac tentatione quis impetitur ad Deum, sine scrupulo aut mentis anxietate se conuertet (quandoquidem hic culpa nulla est, aut certè leuissima:) & cum magna submissione ac cordis deuotione dicet: Ecce Domine, aspice quid ego sim? Quid aliud sperari potest ex hoc olenticeto, quam huiusce modi odores? Quis alius fructus ex hac terra cui tu in mundi exordio maledixisti, expectari potest, quam tribuli & spinæ?

Quid boni proferet, nisi tu Domine illam ab omni malo germine mundaueris? Hoc dicto ad meditationem continuandam sedeat, & Domini visitationem qui humilibus nunquam deest, patienter expectet: Et sine sic quidem cogitationum tumultus quieuerit nihilominus constanter ac perseuerãter resistat, ac pro virili earum impetum repellat. Ex hac namque perseueranti lucta, maius (mihi credat) lucrum & meritum referet, quam si summis etiam consolationibus in meditatione perfruitus fuisset.

Tertiæ tentationis remedia.

Cogitationes blasphemæ contemnendæ sunt.

AD tentationem cogitationum blasphemiæ superandam sciendum est, sicuti nullum tentationis genus piæ menti molestius est, ita nullum minus periculosum esse : itaque conuenientissimum aduersus eam remedium est : huiusmodi cogitationes contemnere. Etenim cum peccatum non in sensu, sed in delectatione ex cogitationibus percepta consistat; in hac autem cogitationum blasphemarum tentatione, nulla insit voluptas, imo potius ingens molestia, idcirco potius pœnæ quàm culpæ nomen meretur: Et quantò amplius homo in hac tentatione ab omni gaudio & voluptate destituitur tantò longius ab omni crimine recedit. Quocirca optimum contra eam remedium est, cogitationes huiusmodi insurgentes non formidare, sed aspernari, & pro nihilo putare, quia quando multum metuuntur, ipse timor eis plerunque vires addit & fortiores facit.

Quartæ tentationis remedia.

Ea quæ fidei sunt subtiliter non inuestiganda.

CONtra tentationes infidelitatis remedium est: vt qui talibus cogitationibus molestatur, ex vna parte, humanæ conditionis humilitatem & imbecillitatem, ex altera Dei magnitudinem ac potestatem cui nihil impossibile est, sibi proponat. Illa quæ Deus præcepit semper cogitet : in diuinis autem operibus contemplandis & inuestigandis ab omni curiositate se abstineat : quandoquidem illorum ferè minima, nostræ intelligentiæ capacitatem plurimum excedunt. Quapropter qui hoc diuinorum operum sanctuarium ingredi cupit : summa cũ humilitate ac reuerentia ingrediatur, atque oculis præditus sit columbæ simplicis, non callidi serpentis, & cor gerat discipuli, non iudicis temerarij. Animum pueri assumat : tales enim Dominus secretorum suorum participes facit.

Non laboret, diuinorum operum causas scrutari, aut nosse: oculos rationis claudat, ac fidei tantum oculos aperiat. hi namque sunt manus quibus opera Dei contrectanda sunt. Ad humana opera contemplanda, sat boni sunt oculi rationis humanę, at pro diuinis contuendis minimè sufficiunt, cùm tantæ lucis capaces non sint.

Tentationes infidelitatis contemptu vincendæ sunt.

Cùm verò hæc tentatio sit vna ex earum genere, quæ homini molestissimæ sunt, ac nihil penè delectationis adiunctum habent: eodem remedio curanda erit, quo præcedens, nimirum vt nihili pendatur: cùm magno aliquo crimine, propter molestiam quã secum adducit, animam contaminare non possit. Etenim vbi voluntas contraria est, ibi crimen nullum est: vti paulò ante declarauimus.

Quintæ tentationis remedia.

Remedium contra diffidentiam.

CONtra tentationes diffidentiæ & præsumptionis, cum vitia hæc inter se contraria sint : contraria etiam necesse est adhibere remedia. Diffidentiæ itaque remedium est, considerare quod nostris duntaxat viribus hæc consecuturi non simus sed per diuinam gratiam, quæ tanto homini paratior est: quanto magis de suis viribus diffidens in sola Dei bonitate, cui nihil est impossibile, spem suam collocat.

Contra præsumptionem remedium.

Præsumptionis verò remedium est, considerare nullum certius atque euidentius argumentum esse, hominem adhuc longè à vera sanctitate atque à Deo abesse, quam si iam se proximum ei factum esse credat.

Adhæc contempletur se in vitis Sanctorum qui cũ Christo iam regnant, aut aliorum hominum qui adhuc viuunt & sanctitate ac vitæ integritate conspicui sunt, tanquam in speculo, & animaduertet se cũ ijs compositum nihilo plus esse, quam nanum giganti collatum: quo cognito non multum de se præsumet.

Est & alia in hac spirituali meditationis semita tentatio: ingens videlicet desiderium consolationũ spiritualium, & contemptus illorum, qui non æquè vt illi consolationibus diuinis visitantur & reficiuntur. Vt huic tentationi remedium conueniens adhibeamus: declarabimus primum, quis finis spectandus sit in spiritualibus exercitijs.

Itaque sciendum cùm communicatio cum Deo ex se sit suauissima & iucundissima, nec vllam amaritudinem permixtam habeat, vti Sapiens testatur : hinc prouenire quod plurimi vi admirandæ & inusitatæ huius suauitatis (quæ maior est quam comprehendi possit) attracti, ad Deum accendat,

Error multorum.

& spiritualia exercitia, siue actiones frequentent, cuiusmodi sunt, lectio, oratio, meditatio, sacramentorum vsus, propter ingentem nimirum voluptatē, quam ex ipsis percipiunt: adeoque pro principali fine quo ad hæc permouentur habent sibi propositum huius admirandæ dulcedinis desiderium. Qui error maximus est, quo etiam non pauci implicantur. Cum enim omnium actionum nostrarū præcipuus finis esse debeat Deum diligere, atque illum toto corde quærere, hi magis amant & quærunt semetipsos, hoc est, suum gustum & delectationem, quam Deum. Accedit huc error alius non minor, nimirum quod qui priori errore implicati sunt, cùm seipsos tum alios homines iudicent secundùm harum consolationum affluentiam vel inopiam: ita vt credant tantum cuique perfectionis inesse, quantum diuinis consolationibus visitatur: qui error ingens est.

Finis actionū nostrarum quis esse debeat.

Finis exercitiorum spiritualiū quis esse debeat.

Vtrique huic tentationi remedium est generalis hæc doctrina: vt quisque sibi persuadeat: finem omnium exercitiorum, & totius vitæ spiritualis esse, diuinorum mandatorum obseruantiam: & integrā diuinæ voluntatis adimpletionem: ad quod necessarium est, vt propria voluntas in nobis moriatur, quo viuere ac regnare possit diuina: cum hæ ambæ inter se directò contrariæ sint.

Hæc autem tam insignis victoria cum obtineri non possit sine maximis fauoribus & blanditijs Dei, idcirco orationis exercitia frequentari debent, vt per ea hos fauores adipisci, & hoc negotium bono atque optato fine concludere valeamus.

Hoc fine possunt quæri & postulari à Deo in oratione consolationes internæ: vti supra etiam diximus: quemadmodum faciebat S. Propheta Dauid, cùm diceret: *Redde mihi Domine lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.* Ex his perspicuum satis est, qualem sibi finem præstituere debeat quilibet in Spiritualibus exercitijs: vnde tum suum tum aliorum profectum æstimare ac metire debeat: puta non iuxta consolationum quas à Deo percepe-rit multitudinem, vel excellentiam, sed secundùm ea quæ propter Deum perpessus fuerit, partim ob diuinæ voluntatis impletionem: partim ob propriæ voluntatis abnegationem. Quapropter rectè viri in rebus spiritualibus exercitatissimi, vnicam & verissimam probationem esse asseuerant, non eam quæ in oratione sentitur voluptatem, sed patientiam in tribulationibus, suijpsius abnegationem, diuinæ voluntatis synceram & integrā impletionem: quamuis ad hæc efficienda non parum conducat cum ipsa oratio, tum quæ in orationis vsu percipiuntur consolationes.

Vnde quisque profectus æstimari debeat.

Psal. 50.

Itaque qui secundùm ea quæ iam diximus, scire cupit quantum in via Dei progressum fecerit: inspiciat quantum indies in humilitate interiori & exteriori crescat: quam placidè iniurias sibi irrogatas sustineat: quo animo aliorum infirmitates toleret: quomodo proximorum imperfectionibus compatiatur; quam firmam tribulationis tempore in Deo fiduciam habeat: quomodo linguam refrænet: quomodo cor custodiat: quomodo carnem cum omnibus illicitis appetitibus domet, & spiritui subijciat: qua moderatione in prosperis & aduersis se gerat: quanta cum grauitate ac discretione, omnes suas actiones administret. Et super hæc omnia, num mundo, & voluptatibus eius, atque omni honorum ac dignitatum cupiditati perfectè mortuus sit. Et tum secundùm eam profectus mensuram quàm in his se fecisse animaduerterit, sententiam de se ferat: non autem secundùm ea quæ vel percipit vel non percipit à Deo. Quocirca incessanter vnam manum, illamque principaliorem admouere debebit mortificationi, alteram orationi; cùm mortificationem sine piarum precum auxilio nunquam aliquis perfectè consecutus reperiatur.

PARS OCTAVA
DE ORATIONE VOCALI.
PRO VTILITATE AC NECESSItate vocalis orationis.

CAPVT I.

QVAMVIS oratio illa quæ voce fit, admodum fructuosa & vtilis sit quouis tempore, atque omni statuum generi, personarumque conditioni accommodata: particularius tamen ijs seruit, qui ad meditationum exercitia, de quibus in superioribus egimus, inepti sunt. His namque preces quæ voce fiunt maximè deseruiunt: illis potissimum qui magna literatura præditi non sunt. Talibus hunc tractatum scribimus, vt habeant in perexiguo libello, quibus se occupent, ac ad deuotionem excitent: quam si consequi atque indies augmentum in ea sentire volent: ea quæ deuotionem promouere paulò ante diximus, diligenter perficere, atque è contrario quæ illam impediunt aut extinguunt, seuitare satagant.

Posteaquam verò aliquanto tempore has orationes continuauerint, poterunt in oratione mentali, hoc est, in considerationibus, quas supra prosecuti sumus, sese exercere: quandoquidem hac ratione paulatim à facilioribus ad difficiliora ascendent.

Præmisso breui hoc præambulo, aliquot hic orationes subnectemus: inter quas primum locum obtinebunt, septem quæ proximæ sequuntur: quarum singulæ singulas virtutes à Deo postulant: vti attendentibus manifestum est. Possent illæ per dies septimanæ distribui, vt cuilibet diei sua esset oratio, in cæteris quilibet se poterit exercitare, prout cuiusque exegerit deuotio.

PRÆLV-

PRAELVDIVM AD INTELLIGENDVM MODVM, ET INTENTIONEM ORATIONVM SEQVENTIVM.

QVando sederis, vt comedas cum Principe (*inquit Salomon*) diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam. *Eodem modo qui vult cum Deo commercium habere, & cum eo in Oratione negotiari, ante omnia debet oculos suos in Deum conijcere, cum quo ipsi loquendum est, & diligenter considerare illius magnitudinem. Oportet enim tale sit cor, talis q; affectus orantis erga Deum, qualia sunt, quæ illi erunt proponenda. Leua igitur humiliter oculos tuos in cælum, & contemplare illum in throno suæ Maiestatis, super omnes creaturas sedentem: & memento hunc illum esse, in cuius vestimentis & fimbrijs scriptus est titulus dignitatis eius,* Rex Regum & Dominus dominantium. *Meditare hunc esse infinitè perfectum, pulchrum gratiosum, bonum, misericordem, iustum, terribilem, glorioſum & admirabilem, & quomodo ipse benignissimus Pater, liberalissimus Benefactor, clementissimus q; Redemptor, & Saluator est.* Prouer. 23. Apoc. 19. 16.

Postquam illum hoc modo consideraſti, manibus pedibus q; quantum potes connitere, vt totis viribus, & affectibus istis titulis eius respondeas; & inuenies in quantum Deus est, eum dignum esse qui adoretur: in quantum infinitè perfectus & glorioſus, dignum qui laudetur. Quatenus optimus est & benignissimus, dignum fatebere qui ametur: quatenus iustissimus & terribilis, dignum qui timeatur. Quia Rex est & Dominus vniuersorum, æquum est, vt ei obediatur, & propter beneficia ab illo percepta benedicere semper illi, & gratias agere merito debemus. Cùm sit Creator & Redemptor noſter, dignus est, cui noſipſos totos offeramus, qui toti sumus illius: & quia noſter Aduocatus & Saluator, inuitamur, vt in omni necessitate noſtra ad illum confugiamus.

Hos & similes virtutum actus, rationalis creatura debet tantæ Creatoris suæ excellentiæ: ita vt diuinitati eius debeatur adoratio; perfectioni eius laus; beneficijs gratitudo; bonitati, amor; iustitiæ, timor; misericordiæ, spes, Maiestati, obedientia omnium rerum possessioni, cunctorum oblatio, & continuo illius adiuuandi & ignoscendi officio debetur, vt omnia ab illo petantur. Hæ sunt virtutes, hi affectus, quibus nos illi Domino respondere, eum q; honorare debemus, qui quemadmodum est omnia, sic etiam vult honorari, & timeri cum omnibus affectibus & sensibus noſtris, qui etsi exerceantur, & concurrant in omni opere bono, quod pro amore Dei suscipitur, peculiariter tamen exercentur in Oratione, in qua de omnibus illis rebus tractatur.

Hæc namque est vna maximarum excellentiarum orationis, quod in ea nobilissimarum virtutum Fidei, Spei, & Charitatis actiones concurrant, vt in sequentibus orationibus manifestum euadet.

PRIMA ORATIO.

IN QVA CREATVRA HVMILITER ADORAT SVVM CREATOREM, considerans magnitudinem Maiestatis illius, ob quam adorari tanquam verus Deus meretur.

SI Publicanus ille Euangelicus non audebat oculos suos ad cœlum leuare, sed à longè stans pectus suum percutiebat, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et si peccatrix illa sancta nõ ausa est in conspectum Domini venire, sed stans retro secus pedes eius, lacrymis ab oculis suis defluentibus, peccatorum suorum remissionem impetrauit. Si sanctus ille Patriarcha Abraham, volens cum te Deo sermonem miscere, dicebat; *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* Si illi omnes tam humiles, tuique reuerentes fuerunt, in conspectum diuinæ Maiestatis tuæ venientes, cùm tamen fuerint, qui erant: quid faciet pauper & miserrimus peccator, qualis ego sum? quid faciet puluis & cinis? quid faciet abyssus omnium miseriarum & peccatorum? Sed quia, mi Domine, non possum obtinere timorem illum, illamque reuerentiam, quæ tantæ Maiestati debetur, nisi meos oculos in ea figam, da igitur mihi licentiam, vt audeam oculos meos ad te tollere, nec splendor gloriæ tuæ aspectus mei fragilitatem impediat. Luc. 18. Luc. 7, 38. Gen. 18, 27.

Et quia principium veræ sapientiæ est timor tui sancti nominis, infunde tu mihi obsecro Domine tui sancti timoris donum per Spiritum sanctum, quia sine illo parum mihi proderunt omnes hæ considerationes. Quandoquidem ad illum tu ipse hortaris nos in Euangelio, dicens; *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Idipsum nos docet Ecclesia, cũ cantat in Officio de Angelis; In conspectu Gentium nolite timere: vos enim in cordibus vestris adorate & timete Dominum. Angelus enim eius vobiscum est. Eccli. 1, 16. Matt. 10.

Fac igitur, Domine, vt anima mea te timeat, non enim minùs dignus es timore, quàm amore, cùm sis vti infinitè misericors, ita etiam infinitè iustus: & quemadmodum opera tuæ misericordiæ sunt innumerabilia, sic etiam opera iustitiæ tuæ non

habent numerum: & quod magis metuendum est, sine comparatione plura sunt vasa iræ, quàm misericordiæ, cùm damnandorum numerus sit frequentissimus, saluandorum rarissimus. Sic igitur in me operare Domine, vt te timeam propter magnitudinem tuæ iustitiæ, & propter iudiciorum tuorum profunditatem; propter celsitudinem tuæ Maiestatis, & propter immensitatem tuæ magnitudinis; propter multitudinem meorum peccatorum, propter inconsideratam meam audaciam, & super omnia propter rebellionem, qua tuis sanctis inspirationibus reluctatus sum. Æquum igitur est, vt timeam in conspectu illius, ante quem columnæ cœli vniuersæ terræ ambitus contremiscunt. Quis igitur non timeat te Rex gentium? quem non attonitum reddet verbum tuum per Prophetam olim prolatum; *Me* Ierem. 5. inquit, *non timebitis, & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternũ quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.*

Si igitur omnes creaturæ, tam in cœlo, quàm in terra, te sic timeant, & reuereãtur, tibique sic obediant, quid faciam ego miserrimus peccator, quid faciam ego cinis & puluis? Si Angeli contremiscant, cùm te adorant, tuasque laudes modulantur; cur non contremiscat cor meum, quando eodem occupatur officio? Ah miserum me, quomodo sic induruit cor meum, vt non infinitas profundat lachrymas, quoties seruus loquitur cum Domino? creatura cum Creatore? homo cum Deo? ille qui de terra formatus est, cùm eo qui omnia fecit de nihilo?

Da etiam, Domine, vt te metuam propter iudiciorum tuorum, quę iam ab initio mundi vsque huc exercuisti, magnitudinem & profunditatem. Iudicium magnum fuit casus totius generis humani, Gen. 3. propter culpam vnius. Anne fuerit magnum iudicium vniuersi orbis terrarum extinctio, per aquas diluuij introducta? Gen. 7. Magnum fuit iudicium tuum electio Iacob, & Esau reprobatio; desperatio Iudæ, & Gen. 27. Matt. 27. Pauli vocatio; abiectio Iudæorum, & Gentium adoptatio; aliaque multa similia, quæ licet homo ignoret, sæpe tamen illi occurrunt. Super omnia verò metuendum iudicium est, videre tot nationes in superficie terræ habitantes, quæ sedent in regione, & in vmbra mortis, & in tenebris infidelitatis: de interioribus tenebris, ad exteriores properantes, & de tribulationibus temporalibus, ad æterna tormenta progredientes.

Te itaque timere debeo, Domine mi, propter magnitudinem iudiciorum tuorum, quia incertus sum, an & ego de numero eorum sim, qui à te reprobati, & à lumine fidei tuæ repulsi sunt. *Si enim* 1. Pet. 4. 18. *Iustus vix saluabitur impius & peccator vbi parebit?* Si innocentissimus ille Iob Deum semper sicut tumentes super se fluctus timuerit; quomodo non timebit is, qui longissimè abest ab innocentia? Si Ie- Iob. 31. 23. remias in vtero matris suæ sanctificatus, adeò timuerit iram tuam, vt non inueniret angulum, in quo se absconderet; quid faciet ille, qui in peccatis conceptus, & peccatis obnoxius de vtero matris progressus, postea prioribus tot noua accumulauit? Ier. 1. 5.

Ob hæc igitur, Domine, & ob infinitas meas iniquitates volo, & debeo te timere: quia scio me cum illis ante tribunal tuum venturum, cùm *in conspectu* Psalm. 49. *tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas valida* ingruerit: *cùm aduocaueris cœlum desuper, & terram discernere populum* tuum. Et ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt vniuersa scelera mea, non solùm actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum. Tot iudicibus inops astabo: quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quod mihi præbuerunt bene viuendi exempla. Tot conuincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos iustis dederunt actionibus. Domine mi, non suppetit quid dicam, non occurrit quid respondeam. Et quum iam interim sæuo illi discrimini, torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarctat auaritia, accusat superbia, consumit inuidia, inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas obiurgat, discordia dissipat, ira perturbat, leuitas dissoluit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, fauor attollit, calumnia pungit. Ecce liberator meus de gentibus iracundis. Ecce cum quibus vixi à die natiuitatis meæ, quibus & studui, quibus & fidem seruaui. Ipsa me quæ dilexeram studia, damnant; quæ laudaueram, vituperant. Hi sunt quibus acquieui amici, quibus parui magistri, & quibus seruiui domini, consules quibus credidi: ciues, quibus cohabitaui: domestici, quibus consensi. *Non intres tamen, ô Domine, in iu-* Psalm. 142. *dicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* quem enim inuenies iustum, ô Domine, si remota pietate iudicaueris? Igitur prostratus ante pedes pietatis tuæ, corde humili & contrito dicam cum Propheta, *Domine, ne in furore tuo* Psalm. 37. *arguas me: neque in ira tua corripias me.*

SECVNDA ORATIO.

QVÆ AGIT DE LAVDIBVS DIVINIS; & in qua multæ recensentur diuinæ perfectiones.

REdemptor mi Iesu Christe, æquum omnino & rationi planè consentaneum est, vt totam vitam meam exercitio pœnitentiæ & timoris impendam, cùm tam iustas habeam & plangendi, & metuendi causas. Quemadmodum igitur magnitudo gloriæ tuæ me impellit ad colendum & adorandum te: sic etiam iubet, vt laudem & glorificem te. *Te enim decet hymnus in Sion, & tibi reddetur* Psal. 64. 2. *votum in Ierusalem*; eò quod pelagus es omnium perfectionum, & mare sapientiæ, potentiæque pulchritudinis, magnitudinis, diuitiarum, suauitatis, Maiestatisque abyssus: in qua sunt omnes perfectiones & pulchritudines omnium creaturarum, quæ in cœlo, & in terra sunt: & singulæ perfectiones istæ in summo gradu, & fastigio in te inueniuntur. Tibi collata omnis pulchritudo deformitas est: omnes diuitiæ paupertas; omnis fortitudo, debilitas; omnis sapientia ignorantia; omnis dulcedo, amaritudo; & vt paucis multa concludam, omnia quæ in cœlo, & in terra sunt, multò minùs in tuo conspectu fulgent, quàm exigua candela in splendore Solis.

Tu in omni re perfectus es, sine aliqua deformitate; magnus, sine quantitate, bonus, sine qualitate, fortis, sine infirmitate, verus, sine falsitate, sine loco vbique præsens, sine diuisione in omni loco totus. In magnitudine es infinitus, in virtute omnipotens, in bonitate summus, in sapientia inæstimabilis, in consilijs terribilis, in iudicijs iustus, in cogitationibus secretus, in verbis verus, in operibus sanctus, in misericordia copiosus, erga peccatores patiens, erga pœnitentes pius: talem ego te confiteor, pro talite laudo, & glorifico nomen sanctum tuum. Infunde lumen cordi meo, & da verba in ore meo, vt cor meum tuam magnitudinem semper cogitet, & os meum in laudibus tuis superabunder. Sed quia laus hæc non pulchra in ore peccatoris, ideo rogo Angelos cæli

omnes

omnes, omnesque mundi creaturas, vt te vna mecũ laudent, meamque suppleant inopiam, inuitans illas ad id glorioso illo cum cantico, quod cecinere pueri in medijs flammis fornacis illius Babyloniæ, dicentes: *Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum, & laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in secula.* Dan 3. Require canticum hoc in superioribus. *folio 756.*

TERTIA ORATIO.
IN QUA DEO PRO ACCEPTIS beneficijs aguntur gratiæ.

GRatias ago tibi, Domine Deus, pro vniuersis beneficijs & gratijs in me collatis, iam inde à primo die, quo in vtero matris meæ conceptus sum, vsque in hanc horam præsentem: & pro amore tuo, quo ab æterno me dilexisti, cùm me primò creare, redimere, & tuum facere decreuisti; mihiq; dare omne id, quod hucvsque dedisti: quidquid enim habeo, & quidquid accepturum me spero, id omne tuum est. Tuum est corpus meum, cum omnibus suis membris, & sensibus: tua est anima mea, cum omnibus viribus & potentijs suis: tuæ sunt omnes horæ, tua momenta omnia, quibus huc vsque vixi: tua est fortitudo & sanitas, quam mihi largitus es: tuum est cœlum, tua est terra, quæ me sustentant: tuus est Sol, Luna, & stellæ. Tui sunt agri, tuæ aues, tui pisces, tua animalia, & omnes creaturæ, quæ mihi seruiunt secundùm tuum mandatum.

Omnia hæc tua sunt, & pro his omnibus immortales, & infinitas tibi Domine habeo gratias; nihilominus multò maiores adhuc tibi ago, eò quod ipse meus esse voluisti: totum enim te pro me obtulisti, & in remedium meum impertiuisti. Amore mei inductus carnem induisti, pro me in stabulo natus, & in præsepe positus es: propter me vilibus panniculis inuolutus, & octaua die circunciſus es: propter me in Ægyptum profugus deportatus es: propter me denique, & propter meam salutem tentatus es, persecutionem passus es, flagellatus es, spinis coronatus es, iniurijs ac ignominijs exceptus es, ad mortem damnatus es. Quid multis? tandem salutiferæ Crucis ligno affixus & suspensus es. Sed antea pro me orasti, ieiunasti, vigilasti, lachrymatus es, huc illuc discurristi, & maiora opprobria atque tormenta passus es, quam quis vnquam antea sustinuit, aut postea sustinebit.

Ad vtilitatem meam instituisti Sacramentorum tuorum medicamenta, confortans me liquore tui pretiosissimi sanguinis, sanctissimaque carne tua in Eucharistiæ Sacramento me nutriens: quo in Sacramento tu Deus meus es mea reparatio, mea conseruatio, mea fortitudo, & mea delectatio: hoc tu mihi dedisti, vt sit mihi pignus spei meæ, & testimonium inæstimabilis tui in me amoris.

Pro omnibus his gratias ago tibi, quàm possum, maximas, dicens ex toto corde cum Propheta Regio; *Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuã, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus. Notas fecit vias suas Moysi, filijs Israel voluntates suas. Miserator & misericors Dominus longanimis & multum misericors. Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundùm altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiã suam super timentes se. Quãtum distat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniã ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam pulvis sumus: homo sicut fœnum dies eius: tanquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum. Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum. Et iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentũ eius. Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Dominus in cœlo parauit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius qui facitis voluntatem eius. Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius: benedic anima mea Domino.* Psalm. 102.

QVARTA ORATIO.
IN QUA PETIMVS A DEO Charitatem.

SI obligatio, qua benefactoribus nostris pro acceptis beneficijs deuincti sumus, tanta sit; & si singula beneficia sint quasi faces, & amoris incentiua, si iuxta multitudinem lignorum, ignis aut rogi quoque sit magnitudo, quantus, ô Domine, meritò ignis amoris in præcordijs meis flagrare debebit, si ligna beneficiorum tot sint, quæ succedunt & nutriunt illum? Si mundus vniuersus tam visibilis, quam inuisibilis, cum omnibus quæ in eo reperiuntur, sint merè tua erga me beneficia, quàm ingens erit amoris flamma, quę in illis debebat rutilare? Atque id tantò amplius, quia non debeo te solum amare ob ista beneficia; sed etiam, quia in te reperiuntur omnes amãdi causæ & rationes, quæ in cunctis sunt creaturis, & singulæ quidem in summo perfectionis gradu.

Si namque bonitatem consideremus, quis te melior inuenitur? si respiciamus pulchritudinem, tu es pulcherrimus, in quem Angeli prospicere desiderãt. Si quæramus benignitatem & suauitatem, quis te suauior & benignior inuenitur? Si appetamus diuitias & sapientiam, quis ditior, & sapientior quàm tu? Si amicitiam, quis amabit aliquid magis quàm illum, qui pro nobis animam suam posuit?

Si autem ad beneficia reuertamur, à quo est omne id quod habemus, nisi à te? Quid de spe dicemus? cùm à te solo, & à tua misericordia speremus, & expectemus quidquid nobis deest. Si naturaliter tam ingens amor debeatur patribus carnalibus; quis magis pater illo, de quo dicitur; *Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus enim est Pater vester, qui in cœlis est?* Matt. 23. Si sponsi tam tenere à sponsis suis diligantur; quis est sponsus animæ meæ, præter te Domine? aut quis replebit sinum cordis mei, & desideria mea satiabit nisi tu? Si Philosophi dicant, vltimum finẽ amore diligi infinito, quis est principium meum, quis vltimus finis meus, nisi tu Domine? Vnde originem traxi, & quò vadam, vt perficiar, nisi à te, & in te? A quo est omne id quod habeo, & à quo spero me accepturum ea quibus mihi opus est, nisi à te? Denique si similitudo sit amoris causa, ad cuius imaginem & similitudinem creata est anima mea finẽ ad tuam? Age, si solus iste titulus, & singuli suprà dictorum sint amoris incentiua, quale debet esse id, quod ex omnibus illis simul iunctis deriuabitur? Sanè, quantò abundantius est mare cũctis fluminibus, quæ intrant in illud, & quantò illud vincit magnitudine; tantò etiam abundantior, & tantò maior atque præstantior est amor tuus cæteris omnibus amoribus externis.

Tam

Tam iustas, Domine, causas, tam æquas amandi te rationes cùm habeam; cur te non debeam ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus & ex totis visceribus amare? O spes mea, gloria mea, gaudium meum, ô amabile principium meum, ô satietas & sufficientia mea, quando erit illa dies, cùm te verè & ex tota anima mea diligam? Quando me tibi gratum in omnibus rebus exhibebo? quando mortuum in me sentiam omne id, quod tibi aduersatur? quando ero totus tuus? quando desinam esse meus? quando veniet illa hora, in qua nihil præter te in me viuet? quanto me totum amore tui inflammatum videbo? quando rapies me cum impetu, quando inebriabis me, & me totum in te transferes? Quando videbo felicem illum diem, quo sublatis omnibus impedimentis & perturbationibus, facies, vt vnus spiritus tecum sim, nec in posterum à te diuellar?

Ah Domine, quanti constat tibi, quod mihi benefacis? quid ex domo tua aufers? quid ex diuitijs tuis amittis? Cur, ô Domine, ira tua cum misericordia tua erga me pugnat, cùm tu pelagus sis infinitæ liberalitatis & clementiæ? Cur iniquitates meæ tuã superabunt bonitatem? cur mea peccata fortiora erunt ad me condemnandum, quam tua bonitas ad saluandum? Si exigas dolorem à me & pœnitentiã, ecce adeò mihi dolet, quod te offendi, vt optarem potiùs millies me mortem oppetijsse, quàm quod vel minimam tibi iniuriam irrogaui. Si pœnam postules, vt tibi satisfiat; ecce hic miserum corpus meum: castiga, & furorem indignationis tuæ erga illud exatia, saltem ne mihi amorem tui deneges. Non peto aurum, non argentum, non aliud aliquid creatum; nihil enim horum præter te, me potest satiare, & sine amore tui omnia mihi paupertas sunt. Amorem desidero, amorem quæro, amorem à te peto, pro tuo amore ad te suspiro, da mihi hunc tuum amorem, & sufficit mihi. Quousque hanc gratiam mihi concedere differes, ô Domine mi? Cur non succurres mihi, videns me noctes atque dies affligi? Quamdiu obliuiscéris mei? quamdiu auertes faciem tuam à me? quamdiu anima mea ab hac anxietate atque desiderio exagitabitur? Respice in me Domine, & miserere mei. Non oro vt des mihi panẽ filiorum in abundantia, sed micas tantum vt des oro, quæ cadunt à diuite & opipara mensa tua. Ecce Domine venio ante conspectum tuum, tanquam pauper & famelicus caniculus ad mensam diuitis, intueor in faciem tuam, os tuum obseruo, video quid, & quomodo manducas, filiosque tuos cibis cœlestis tuæ gloriæ pascis, diuersis modis blanditiarum in corde meo vtor, vt saltem te ad compassionem mei commoueam. Vides, Domine, quòd opes huius mundi non satiant me, te solum volo, te quæro, faciem tuam videre desidero, ad amorem tui semper & vbique aspirabo, & cum Propheta cantabo: *Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adiutor meus, sperabo in eum: protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis saluus ero. Gloria Patri & Filio, &c.* Pater noster. Aue Maria.

Psal. 18.

QVINTA ORATIO.

IN QUA CREATURA SE DEVOuet, atque offert suo Creatori omnem obedientiam, in eum spem omnem suam collocans.

DOmine Deus meus, omnes rationes quæ me ad amorem tui obligant, etiam in te sperare me compellunt. In quem enim sperare debeam, nisi in eum, qui me tam tenerè diligit? in eum, qui me tot beneficijs cumulauit? in eum, qui tanta pro me passus est? in eum, qui me toties vocauit, tanto tempore expectauit, sustinuit, & ab omni malo liberauit? In quem sperabo, nisi in eum, qui est infinitè misericors, pius, amabilis, benignus, patiens, & qui tã promptus est ad ignoscendum? In quem sperabo, nisi in eum, qui est Pater meus, & Pater omnipotens; Pater, vt amet me, & omnipotens, vt opẽm ferat meæ necessitati? Pater, vt velit; omnipotens, vt possit mihi benefacere? Pater cui maior cura est, & prouidentia de suis filijs spiritualibus, quàm alicui patri de filijs suis carnalibus? In quem denique sperabo, nisi in eum, qui in omnibus ferè scripturis suis mihi præcepit, vt appropinquem illi, sperem in illo, & mihi plurima præmia, milleque fauores promittit, si istud fecero: & propter hæc dedit mihi pignori veritatem suam, verbum suum, benefacta plurima præterita, tormenta quę pro me passus est, sanguinem suum amore mei effusum, in confirmationem istius veritatis? Quid non sperabo à Domino tantæ bonitatis, & Deo tam vero? à Deo qui metãtopere dilexit, quòd amore mei induit carnem humanam, & mortalem, passusq; est tormenta varia, flagella, percussiones, & tandem mortem in Cruce oppetijt, solo amore mei victus? Nec illi hæc omnia sufficiebant, nisi etiam ad vtilitatem meam seipsum sub exigua hostia mihi in cibum relinqueret. Quomodo igitur à me fugere poterit, quando eum quęram, qui tam diligenter me quæsiuit, quam diu illũ fugiebam? Quomodo poterit mihi negare indulgẽtiam, cum eam peto; qui illam mihi impetrauit, quando non petebam? Quomodo mihi negabit remedium iam, cùm gratis dare potest; cùm illud mihi tanta diligentia acquisiuit tunc, cùm tam carò comparauit pretio? Ob has igitur omnes causas in illum sperabo, atque in omni mea tribulatione & necessitate, cum fiducia in comitatu Regis & Prophetæ cantabo; *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ a quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Si exurgat aduersus me prælium in hoc ego sperabo. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.*

Psal. 26.

SEXTA ORATIO.

QUA PETIMUS A DEO perfectam obedientiam.

QVia verò Spes secura non est sine obedientia, sicut in Psalmis dicitur, *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*: proinde, Domine, cõcede mihi, vt spei misericordię tuæ adiungam mandatorum tuorum obedientiam; non enim minùs debeo tibi obedientiam hanc, quàm reliqua omnia. Tu enim es meus Imperator, tu Rex & Dominus meus, cui obediunt cœli, terra, mare, & omnes aliæ creaturæ, quæ semper obseruarunt, & obseruabunt legem mandatorum tuorum. Fac igitur, Domine, in bona voluntate tua, vt ego quoque obediam tibi, & quidem diligentius illis; cùm maiores habeam obediendi rationes. Fac ô mi Rex, vt morem tibi gerã, mandataq; tua, & leges sanctissimas integrè obseruem. Dominare tu in me, Domine, non amplius regnet in me mundus, cũ suo Principe: non regnet in me caro, non propria mea voluntas, sed tua, expelle omnes istos tyrannos, inuasores regni & sedis tuæ, fures tuæ gloriæ, euersores tuæ iustitiæ. Tu solus impera, tu solus omnia dispone, tu solus & sceptrum tuum agnoscatur, tibi & sceptro tuo obtemperetur, vt voluntas tua fiat in terris, sicut & in cœlo. Quando erit

Psal. 4.

do erit ille dies? quando me liberum ab istis tyrannis videbo? Quando non audientur in anima mea aliæ voces, quàm tuæ? Quando sic sceptrum Madian conteretur, armaque & vires hostium meorum sic debilitabuntur, vt in obseruatione legis tuæ voluntatisque sanctæ tuæ satisfactione nullam in me sentiam contradictionem? Quando tam tranquillum erit illud mare? tam serenum illud cœlum? quando adeò mortificatæ & sopitæ erunt meæ passiones, vt fluctus nullos, nullas nubes, nullas turbas in me inueniam, quæ regnum tuum in me possent perturbare: sed altam pacem, tranquillitatem, & legis tuæ obedientiam reperiam? Impartire mihi, Domine, hãc obedientiam, aut (vt melius dicam) largire mihi istud in cor meum ius & dominium, vt illud mihi obediens, tibi nunquam obstreperum sit, sed in omnibus subijciatur: vt in hac subiectione constitutus, dicam ex toto corde cum Regio Propheta Dauide,

Psal. 118. *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum: & exquiram eam semper.*

Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semita mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua: & non in auaritiam.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.

Gloria Patri Filio, & Spiritui sancto &c.

ORATIO SEPTIMA.

QVA HOMO SEIPSVM ET OMNIA sua Deo offert.

QVemadmodum tibi obedire, & parere obstrictus sum; sic etiam donare & offerre me tibi debeo, & ad manus tuas me resignare, quia tuus totus sum. Tuus inquam sum, idque iustissimas ob causas: tuus, quia creasti me, & esse, quod habeo, mihi dedisti: tuus, quia me in hoc esse conseruasti, prouidentiéque tuæ beneficijs & officijs me cumulasti: tuus, quia me ex seruitute in libertatem asseruisti, non auro, aut argento, sed pretioso sanguine tuo: sum denique tuus, quia toties me redemisti, quoties ex peccato aliquo me eruisti. Si itaque tot nominibus tuus sim, & tu vicissim meus sis Rex, meus Dominus, meus Redemptor, & liberator meus, ecce conuerto me, vt dem tibi quod tuum est, hoc est meipsum, trado me tibi in mancipium & seruum, ecce do tibi claues, & dominium meæ voluntatis, vt posthac amplius nec meus sim, nec alterius, sed totus tuus, vt non viuam mihi, sed vt viuã tibi: adeò vt siue comedam, siue bibam, siue quid aliud agam, omnia ad gloriam tuam referam. Me tibi fisto, vt disponas de me, sicut de tuo, secundùm voluntatem tuam. Si velis me viuere, mori, sanum aut infirmum esse, diuitem aut pauperem esse, laudatum vel illaudatum esse, in omnibus me tibi offero in manus tuas me resigno, possessioni meipsius renuncio, vt posthac non sim meus, sed tuus, donec id quod tuum est per iustitiam, etiam sit tuum cum mea voluntate. Tu enim ipse animum nobis addidisti, vt à te misericordiam flagitaremus, cùm diceres per vnigenitum filium tuum; Luc. 11. *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Spem quoque nostram erexisti, dicens per Prophetam, Esa 43. *Non est Deus iustus & Saluator præter me. Conuertimini ad me omnes fines terræ, & salui eritis.* Age igitur, Domine, si tu ipse nos vocas, & inuitas, & expandis brachia tua, vt ad te curramus, cur non speremus te nos recepturos? Tu non es, Domine, sicut homines, qui cùm dant depauperantur, ideoque inuiti rogantur. Tu, Domine, talis non es, quia quemadmodum tibi nihil decedit, cùm omnia largiris, sic etiam iniquo animo non fers, cùm rogaris: ideoque petere à te misericordiam, non est importunitas, sed obedientia: tu enim, vt te peteremus, præcepisti. Illud est te honorare, te glorificare: dum enim oramus te, profitemur te DEVM, te vniuersalem Dominum, te donatorem omnium, à quo peti debent omnia, cùm tu solus sis, qui potes dare omnia. Imò tu ipse hoc sacrificij genus tibi offerri præcepisti, dicens; *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Psalm. 49.

Motus igitur, Domine, hoc benignissimo mandato tuo, venio ad te, & precor, vt des mihi omne id, quod tibi debeo; hoc est, vt te adorem, te timeã, te reuerear, te laudem, tibi pro beneficijs tuis gratias agam, te amem ex toto corde, in te omnem spem meam ponam, tuis sanctis mandatis obediam, me totum offeram tibi, tuis me manibus totum commendem, atque eo modo & has, & similes gratias à te petere discam, vt semper foris ante oculos meos, & intus in corde meo tuam gloriam, & animæ meæ salutem constituam.

Oro etiam te, Domine, vt mihi concedas peccatorum meorum remissionem, veram contritionem, & pœnitentiam: & da mihi gratiam, ne in posterum offendam te denuo, neque ijs peccatis, quæ hactenus mihi familiaria fuerint, neque alijs quibuscunque: potissimùm verò gratiam peto à te, & virtutem ad castigandam meam carnem, refrænandam linguã, mortificandos cordis appetitus, dispersas imaginationis meæ cogitationes colligendas, vt sic totus reformatus, & renouatus, merear esse viuum templũ, & gratum, in quo morêris, habitaculum. Largire mihi virtutes etiam illas quibus habitaculum tuum non solum purgetur, & mundetur, sed etiam ornetur, vt sunt nominis sancti tui timor, firma spes, profunda humilitas, integra patientia, clara discretio, paupertas spiritus, perfecta obedientia, continua fortitudo, & diligentia in omnibus rebus, quæ ad tuum cultum & obsequium pertinẽt, ante omnia verò ardentissima charitas, tam erga te, quam erga proximum. Et quia scio me omnibus his indignum, & nihil horum meruisse, memor esto Domine misericordię tuæ. Memorare, quod non vis mortem peccatoris, vt ipse testatus es: sed vt conuertatur & viuat. Recordare, quia non venit vnigenitus filius in mundum vocare iustos, sed peccatores. Memento quanta fecit, quanta passus est, à die natiuitatis suæ, vsq; dum in Cruce moreretur: quorum omnium nihil passus est pro se, sed amore mei: quæ omnia clementissime Pater, offero tibi in sacrificium pro peccatis meis & pro omnibus necessitatibus meis, & quicquid flagito in nomine illius, & non in nomine meo flagito. Quia de te dicitur, quòd honoras patres in filijs, & vni parcis propter alium, (quemadmodum & Dauid fecit honorans Miphiboseth propter patrem eius Ionathan) honora igitur & tu vnigenitum filium tuum, benefaciens mihi propter amorem illius, quia ipse meus est Pater, & secundus Adam meus, & ego filius illius, licet immorigerus. Aspice, Domine, quia ego ad te confugio, venio ad ostium misericordiæ tuæ, expono tibi paupertatem meam, detego tibi vulnera mea tanquam vero Medico, & cum tali spiritu innoco te, & in conspectu tuo effundens animã meam, orationẽ, à Dauide quondã compositam, dico; *Inclina Domine aurẽ tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego. Custodi animam meam, quoniã sanctus sum: saluũ fac* Ezech. 33, 11. Luc. 5, 32. Eccli. 3, 5. 2. Reg. 9. Psal. 85.

fac seruum tuum Deus meus sperantem in te. Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Do- nimã meam leuaui. Quoniam tu, Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ. In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me. Non est similis tui in dijs Domine: & non est secundum opera tua. Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, faciens mirabilia: tu es Deus solus. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

ORATIO AD SPIRITVM SANCTVM.

Act. 2. O Sancte Spiritus Paraclete, qui in die Pentecostes super Apostolos descendisti, charitatéque & gratia, & sapientia eorum impleuisti pectora: Oro te per illam ineffabilem misericordiam & liberalitatem, dignare sinum animæ meæ implere tua gratia, ineffabilique dulcedine amoris tui interiora mea viscera.

Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium. Veni pater pauperum, veni dator munerũ, veni lumen cordium. Veni consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. Veni medice languentium, Veni purgator criminum, Veni fortitudo fragilium, Veni peccantium remedium, Veni Doctor humilium, Veni destructor superbientium, Veni omnium viuentium singulare decus, morientium vnica salus. Veni Deus meus, & adorna tibi thalamum, in quo dignè te cum omnibus diuitijs & misericordijs suscipiam. Inebria me dono sapientiæ, illumina me dono intellectus, rege me dono consilij, confirma me dono fortitudinis, instrue me dono scientiæ, vulnera me dono pietatis, & transfige cor meum dono sancti tui timoris.

O dulcissime amator mundorum cordium, vre & inflamma omnia mea viscera igne amoris tui suauissimo, vt accensa in te rapiantur, & in te ferantur, qui es vltimus finis, & omnium bonorum abyssus.

O dulcissime sanctarum animarum amator, cùm tu, Domine, non ignores, quod per me, & à me nihil possum, extende piam manum tuã super me, & fac, vt exeamà me, & perueniam ad te. Proinde, Domine, abijce in terrã, mortifica, extingue & dissolue in me quicquid vis, vt in omnibus me tuæ voluntati facias conformem. Vt in posterum sit vita mea perfectum coram te sacrificium, seu potiùs holocaustũ, quod tui amoris igne totum comburatur.

O quis mihi dabit, vt ad summum illud bonum tandem admittar? Respice Domine, respice, & vide quomodo hæc paupercula creatura ad te nocte dieque suspirat, anima dico mea, anima mea ad te sitit Deum viuum. Quando veniam & apparebo ante faciem gratiæ tuæ? quando intrabo in locum admirabilem tabernaculi tui, vt perueniam ad domum Dei mei? quando me adimplebis lætitia vultus tui? quando præsentia tuæ gloriæ satiabor? quando per te liberabor ab omni tentatione, & transgrediar huius mortalitatis parietem? O fons æterni splendoris, reduc me, Domine, ad abyssum æterni boni, à quo creatus sum, vt ibi cognoscam te, sicut & cognitus sum, & te diligam, sicuti à te dilectus sum: vtque te videam, teque fruar in societate omnium electorum cœlestium, quemadmodum & tu me vidisti ab æterno,

Amen.

(o)

PARS NONA.

BREVEM CONFITENDI ET COMMUNICANDI methodum illis qui hæc Sacramenta frequentant maximè deseruientem, tradens.

Cur multi in conscientia examine magnam inueniant difficultatem.

MVlti ex illis qui pietatem vnicè colunt, ac sæpius confitentur, varijs sæpè scrupulis diuexantur, eo quod non rarò examinantes conscientias suas, nihil inueniant, quod confiteri debeant. Cùm enim ab vna parte credant & sciant pro certò se à peccatis non esse planè immunes, & ab altera parte nullum crimen inueniant; conqueruntur, & turbantur in animo, putantque se nunquam bene confiteri.

Huius rei duæ possunt reddi rationes: vna est, quòd difficillimè potest homo seipsum, & omnes conscientiæ suæ angulos cognoscere: non enim frustra dictum est à Propheta: *Delicta quis intelliget? ab occultis meis munda me Domine.* Altera ratio seu causa est, quia peccata iustorum (qui, teste Sapiente, *septies quoque in die cadunt*) potius sunt peccata omissionis, quam commissionis, quæ difficulter admodum cognoscuntur.

Psalm. 18.

Prou. 24.

Omne peccatum fit aut omissione aut commissione.

Pro horum intelligentia sciendum est, quod omnia peccata fiunt vel commissione, hoc est, opere aliquo malo commisso; vt sunt, furari, occidere, mœchari, &c. aut omissione, cùm scilicet bonum aliquod opus facere negligimus, vt si Deum non amemus, si ieiunia, si pensum horarum, si diuinum officium, &c. intermittamus. Horum duorum generum peccatorum cùm prima consistant in actione, facilè percipiuntur, & cognoscuntur. Alia verò, quia non consistunt in faciendo, sed in facere (vt ita loquar) omittendo, difficiliora sunt: quod enim nõ est, non potest videri, aut non facilè sese manifestat. Propterea mirandum non est, personas spirituales (maximè si simplices sint) non inuenire subinde peccata, quibus obnoxij sunt, cùm huiusmodi rarò incidant in peccata commissionis, atque alia, quæ sunt omissionis, difficile cognoscantur. Hinc oritur, vt, dum quod confiteantur non inueniant perturbentur & affligantur.

Peccata omissionis triplicitur fiunt.

Ad remedium huius difficultatis visum est mihi hoc loco in gratiam talium hominum hoc Memoriale in medium adferre, in quo potissimum omissionis peccata enumerantur. Quia verò peccata hæc præcipuè aut in Deum, aut in nos ipsos, aut in proximum fiunt: nos etiam hunc ordinem sequemur,

& in

& in tres partes diuidemus, vt commodiùs de triplici hac negligentia disseramus. Horum autem delictorum, etsi nonnulla vix sint venialia, sunt tamen omnia defectus, & imperfectiones, & nonnunquā etiam peccata venialia. Quare qui ad perfectionem aspirant, non debent hæc in Confessione omittere, sed confiteri, si non semper, (neque enim hoc necesse est) saltem aliquando, & maximè in festis solennioribus, ne semper superflua sua prolixitate Confessario molesti sint. Alijs temporibus potest vnusquisque hinc desumere, quæ maximè faciunt ad propositum, & conscientiam suam exonerandam.

SEQVITVR MEMORIALE.

POst generalem Confessionem, priusquam incipiat particularem suorum peccatorum enumerationem, de quatuor sequentibus culpam suam dicat.

Primò, quod ad hoc Sacramentum non veniat cum debita præparatione; & quod tantam in examine suæ conscientiæ diligentiam non adhibuerit, quanta requirebatur, sicut supra diximus.

Secundò, quod dolorem & contritionem de peccatis non habuit tantam, neque etiam tam firmum propositum illa in posterum vitandi, quam & quātam habere debuit.

Tertiò, quòd non accesserit ad tremendum illud Eucharistiæ Sacramentum cum tali puritate conscientiæ atque deuotione, qualem illud Sacramentum postulabat; quodque post Communionem non eam mentis quietem & deuotionem seruauerit, quam tanti hospitis & Domini requirebat aduentus.

Quartò, quòd debita cum diligentia vitam suam non emendauit, quodque de die in diem in Dei cultu & pietate non profecit; sed quòd in antiqua tepiditate & negligentia substitit, forsan etiam retrogressus est.

Post hæc ad alia procedat iuxta ordinem sequentem.

ERGA DEVM.

DEO sumus obligati ad habendas tres illas virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem: & in singulis earum potest culpam suam dicere, hoc modo.

CIRCA CHARITATEM. quòd Deum non amauit ex toto corde, & tota anima, prout debuit: sed quòd amorem suum potius collocauit in creaturis, & mundi huius vanitatibus, neglecto Creatore.

CIRCA FIDEM. fidem se non habuisse tam firmam, quam Christiana iubet professio: nec studuisse confestim à se repellere fantasias & cogitationes dubias, quas in rebus fidei Diabolus subinde obijciebat.

CIRCA SPEM. quod in tribulationibus & angustijs occurrentibus cum firma spe & fiducia ad Deum non confugit, quodque subinde inordinatè doluit, animumque despondit, quod ex desperatione ortum est.

CIRCA PVRITATEM intentionis. quòd opus Domini non fecerit cum intentionis puritate, tantum propter amorem Dei: sed subinde vt videretur, subinde ex vsu, nonnunquam quia appetitui suo placebat, & conueniebat: aliquando etiam propter vtilitatem & commodum proprium.

Confiteatur, quia tardus fuit & negligens in satisfaciendo diuinis vocationibus & inspirationibus, sæpe resistens Spiritui sancto, exiguum fugiens laborem & molestiam. Est autem hæc culpa valde spiritualis & secreta, maximeque digna, quæ nunquam non grauet nostram conscientiam, & in Confessione exprimatur.

Granat. Opusc. spiritual.

Similiter quod gratus non fuit diuinis beneficijs, vti debuit: quòd debitas pro illis Domino non reddidit gratiarum actiones: quod ex illis non sumpsit occasionem Deum feruentiùs amandi, & tantorum bonorum largitori fidelius seruiendi.

Quòd sæpè Dei sui oblitus fuit, & ex corde suo tanquam exulem excluserit, quem semper ante oculos habere, & in cuius conspectu ambulare perpetuò debebat.

CIRCA PATIENTIAM in aduersis: quòd aduersa minus patienter sustinuit, quod non æquanimiter illa de manu Domini susceperit, tanquam in suam sibi vtilitatem immissa, nec debitas pro illis reddidit Deo gratias. Hoc paulò specialiùs & fusiùs cæteris poterit explicare; si conscientiam discruciet.

Confiteatur etiam, quòd sacrificium Missæ, diuinumque officium, & loca sacra rariùs frequentauit; & in ijs, atque in ipsius sanctissimi Sacramenti præsentia debitæ non vacauit deuotioni.

ERGA SEIPSVM.

HOmo constat ex multis partibus: habet enim corpus cum omnibus suis sensibus, & animam cum omnibus suis appetitibus, & spiritum cum omnibus suis potentijs, hoc est, intellectu, memoria, & voluntate: & sic potest peccare contra rectitudinē & ordinem, quem in singulis debebat obseruare.

Primò igitur confiteatur, quod corpus suū non eo rigore & asperitate, qua debuit, tractauit: vt in edendo, bibendo, vestiendo, dormiendo, & alijs similibus rebus: sed quod illud in delicijs nutriuit, ei blanditus sit, & sui ipsius fuerit amicus.

Secundò, quòd tam imaginationem, quàm reliquos sensus negligenter custodiuit, neque refrænauit, vti par erat: sed quod vagus fuit & circa sensus variè diffusus: vt in audiendis, videndis, loquendis, imaginandis rebus otiosis, & vanis: quę postea causam præbuerunt, quod & in corde suo, & attentione orationis parum collectus fuit.

Tertiò, quòd affectus suos non mortificauit, nec voluntati suę contraria fecit, vt debebat, sed secutus est illam, & in omnibus ei obediuit, quòd non fuit tam humilis in corde & opere, quàm æquum erat: quòd vilem se & miserum non agnoscit, vt est, nec se pro merito tractat.

Quartò, quòd tepidus & ignauus fuit in Orationibus, & quod non raro in medio Orationis existens, filum illius ob causam leuissimam abrumpit, nec debita cum attentione & deuotione precibus vacauit.

ERGA PROXIMVM.

COnfiteatur initio, quòd proximum debito amore, & iuxta Dei præceptum requisito, non amauit.

Quod non subuenit ei in sua necessitate tanto fauore & auxilio, quanto debuit & potuit. Quod eius miserijs non ita condoluit, nec Deum pro illo deprecatus est, vt debebat.

Quòd non debito & conuenienti zelo exarsit, publicas videns Ecclesiæ calamitates, vt sunt hæreses, bella, persecutiones, &c. & quòd Deo illas ex toto corde, totisque virbus non commendauit.

Qui subsunt Superiorum potestatibus, dicant se obedientiam & reuerentiam ijs non exhibuisse, quam debebant: qui autem præsunt inferioribus, filijs, famulis, & subditis, quòd eos non docuerunt, corripuerunt, necessaria quæque illis non dederunt, nec debita cura eos obseruārunt.

(·.·)

CIRCA PECCATA COMMISSIONIS.

POstquam sic enumerata sunt peccata omissionis, statim subijciat pœnitens illa, quę dicuntur commissionis, percurrens decem præcepta, & septem peccata mortalia, aut capitalia, in singulis ea exprimens, quæ conscientiam pungunt. Quòd si breuitati studeat, tantum dicat, quæ cogitatione, & locutione, & opere commisit. Deinde confiteatur ea, quæ pertinent ad statum & officium, quo fungitur, ea proferens, quæ contra regulam, & obligationem sui status commisit: vt si Religiosus sit; an violauerit aliquod trium votorum, aut statutum aliquod suæ regulæ. Iudex, Medicus, Mercator, Aduocatus, &c. an in ijs quæ ad suam pertinent professionem, deliquerit.

Omnibus his accusationibus absolutis, concludat suam confessionem, dicens: Horum, aliorumque omnium peccatorum, quę cogitatione, locutione, & opere commisi, me reum confiteor: & Deo culpam meam dico, petens à te Pater, qui diuina fungeris hac in parte auctoritate, absolutionem & pœnitentiam pro illis agendam, Amen.

(o)

SEQVITVR BREVIS INSTRVCTIO.

QVA OSTENDITVR QVA CVM REVERENTIA & deuotione ad sanctissimum corporis & sanguinis Dominici Sacramentum se fideles præparare debeant.

QVemadmodum sanctissimum Altaris sacramentum cæteris Sacramentis omnibus maius atque præstantius est, ita maiorem etiam à nobis munditiam atque præparationem pro sui susceptione requirit. Quia in alijs Sacramentis operatur Dei virtus, sed in hoc vera atque realis præsentia ipsius Dei. Ac proinde præter animæ per sacramentum confessionis emundationem, specialem etiam sumentis exigit deuotionem. Ad quam excitandam tria hæc peculiariter deseruient. Primum est timor & reuerentia diuinæ maiestatis in hoc sacramento præsentis: quandoquidem certò credimus in hac parua Hostia contineri Deum omnipotentem, cœli & terræ conditorem, mundi Dominum, gloriam Angelorum, requiem Beatorum, iudicem omnium seculorum: quem laudant Angeli atque Archangeli, quem Cherubin ac Seraphin adorant: ante cuius conspectum virtutes cælorum contremiscunt, non quod eum aliquando offenderint, sed quod considerando maiestatem atque altitudinem illius summæ atque præstantissimæ diuinitatis se coram illa non nisi abiectissimos vermiculos esse confiteantur. Quamuis hic timor nullam in ipsis pœnam sed singularem reuerentiam operetur: quia intelligunt huic infinitæ bonitati & pulchritudini timorem cum primis deberi.

Reuerentia & timor.

Crescet autem hic affectus timoris in homine, si multitudinem peccatorum & negligentiarum suarum quotidianarum consideret: Si enim Angeli atque cœlorum virtutes illum à quo creati sunt, quêque nullo vnquam scelere offenderunt tantopere metuunt: quantum metuere debet illum vilis terræ vermiculus, qui sæpius creatorem suum flagitijs immanibus ad iram prouocauit?

Hoc est igitur primum quod considerare debet qui ad Dominicam mensam accedit: dicendo intra seipsum cum ingenti reuerentia. En pergo susceptur-us Deum non modò in animam, sed etiam in corpus meum.

Opus diuinæ miserationis.

Hic autem timor spe illa quam idem Dominus nobis præstat temperandus est: vt consideremus, quod ipse pro singulari sua pietate atque clementia compatiens nostræ infirmitati ac miseriæ, ad eandē mensam verbis dulcissimis nos inuitet, cùm dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis* Matt. 11 *pondere*, nimirum mortalitatis & passionum vestrarum, *& inuenietis requiem animabus vestris*. Et alibi cùm Pharisæi arguerent in eo quod cum peccatoribus manducaret, respondit: *non egere illos qui sani* Luc. 5 *sunt medico, sed qui malè habent. Et se non venisse vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Ex quibus facilè peccatores qui de suis peccatis contriti sunt, animum & confidentiam ad hoc cœleste conuiuium accedendi, capient.

Fames & desiderium huius sacramenti.

Fames verò ac desiderium, quod cælestis hic panis à nobis requirit vt in anima nostra suscitetur, cōfiderandi nobis sunt effectus huius Sacramenti: atque expendenda ingētia illa bona, quæ ijs, qui deuota mente illud suscipiunt secum adfert: quæ tanta sunt vt nullis verbis explicari possint.

Per hoc enim Sacramentum diuina gratia nobis confertur. Per illud Christo capiti nostro vnimur & incorporamur. Per illud meritorū sacratissimæ passionis Christi participes efficimur. Per illud renouatur in nobis cruciatuum Christi memoria. Per illud charitas nostra inflāmatur, debilitas roboratur, & spiritualis suauitas in suo fonte qui Christus est degustatur. Per illud noua in nobis proposita & benè agendi desideria suscitantur. Per illud æternæ vitæ pignus nobilissimum nobis datur. Per illud peccata & negligentię quotidianæ delentur, & homo ex attrito, contritus efficitur: hoc est à morte ad vitam suscitatur. Per illud ardor passionum & concupiscentiarum in animabus nostris restinguitur. Per illud Christus animas nostras ingreditur, vt habitet in eis & habitando nos sibi similes efficiat, vt quemadmodum Pater in ipso manens, vitam illius sicut ipse in Euangelio testatur, omnia in illa operabatur, vitamque illius sibi quam simillimam reddebat: ita ille vnumquemque se dignè suscipientem huius Sacramenti virtute sibi quam maximè conformem faciat, vt dicere possit cum Apostolo. *Viuo* Gal. 2. *autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Ioan. 14

Itaque si omnes hos effectus, panis hic cælestis in animabus illorum operatur qui eum munda cùm conscientia sumunt, quis ita omnis sensus expers atque ita sui ipsius hostis erit, vt hunc panem qui tales effectus

les effectus in omnibus se dignè manducantibus operatur, non susciperе desideret, atq; illius ingenti cupiditate non teneatur?

In harum rerum consideratione debet se quilibe occupare illo die quando communicaturus est, vt suscitet in se tres supradictos effectus in quibus actu. alis deuotio ad huius cœlestis epuli sumptionem requisita, consistit,

Quam etiam non parum excitabunt sequentes orationes, si pia cum mentis deuotione possibilique attentione legantur, quia in illis inueniet anima pia verba & considerationes, quibus in se tres prædictos effectus facilè suscitet.

PARS DECIMA.

ORATIONES VOCALES ANTE ET POST communionem recitandas complectens.

ORATIO DEVOTA ANTE COMMUnionem dicenda.

TE laudo, tibi gratias ago, dulcissime Domine, Seruator & Redemptor mi, pro tantis tuis beneficijs, quæ in tam vilem & miserabilem creaturam cõferre dignatus es. Tibi gratias ago, Domine mi, pro omnibus miserationibus tuis, quibus erga genus humanum vsus es, in mysterio sanctissimæ tuæ Incarnationis; præcipuè verò in Natiuitate, Circuncisione, in templo præsentatione, in fuga tua Ægyptiaca, in ieiunio & tentatione, in laboribus & itineribus multis, in prædicationibus & persecutionibus mundi huius, in tormentis & doloribus acerbissimæ tuæ passionis, & in omnibus his, quæ in hoc mundo pro me passus es. Ante omnia verò gratias tibi ago immensas, pro ineffabili amore tuo, qui te pro me pati impulit, qui sanè omnibus operibus tuis sine vlla comparatione maior est. Insuper & quas possum gratias ago, quòd non dedigneris me ad sanctissimã tuam mensam admittere, participemque tui ipsius, & omnium meritorum inæstimabilisque thesauri tuæ passionis facere. O Deus meus, & Saluator meus; quomodo hanc nouam misericordiam tuam potero compensare? Quis es tu, & quis sum ego, quòd tu Dominus supremæ Maiestatis, dignaris te venire in luteum terrenumque habitaculum meum? *Domum tuam Domine decet sanctitudo in secula seculorum*: cur itaque venis in domum meam, quæ nunquam non malignitate abundat? Cœlum hospitium & sedes tua est, & terra scabellum pedum tuorum: quia & cœlum & terram implet gloria tuæ Maiestatis: quomodo itaque non abhorres ad tam vile hospitium meum diuerti? *Ergone putandum est*, inquit Salomon, *quòd verè Deus habitet super terram? si enim cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quanto minus hæc exigua domus mea te non capiet?* O res admiranda, quod qui sedet super Cherubin, & intuetur abyssos, nunc sese vsque ad hanc abyssum humiliat, & in infimo loco sedem suæ Maiestatis collocat.

Psalm. 92.

1 Reg. 8, 27.

Dan. 3.

Parum tuę infinitæ bonitatis visum est, quòd Angelos nostro ministerio destinasti; ipse ad nos venire voluisti, & in animas nostras intrare; vt proprijs manibus illic negotia nostræ salutis operareris. Ibi tu visitas infirmos, lapsos erigis, doces ignorantes, reducis errantes, quid multis? tu ipse es qui curas ibi vulnera, & languores nostros omnes, non alterius manibus, sed proprijs; non longè petita medicina, sed propria carne, proprioque tuo sanguine.

O optime Pastor, quàm abundè satisfeci sti pro-

missioni tuæ, quam olim per Prophetam dedisti dicens: *Ego pascam oues meas, & ego accubare faciam eas.* Sed quis erit dignus hac gratia? quis erit dignus tanto beneficio? Sola tua misericordia, Domine, nos dignos potest facere bonis tam infinitis: & quoniam sine illa nemo dignus esse potest, illa sit Domine mihi propitia, illa me tantorum mysteriorum faciat participem, faciat & me gratum tam inæstimabili beneficio. Suppleat quæso quidquid mihi deest gratia tua, dimittat mihi omnia peccata mea misericordia tua, præparet animam meam Spiritus tuus, ditent paupertatem meam merita tua, & eluat omnes maculas animæ meæ totiusque vitæ meæ sordes sanguis ille tuus pretiosus, vt possim dignè tremẽdum hoc Sacramentum suscipere.

Ezech. 34.

Exhilarat me, Deus & Domine mi, quoties recordor insignis illius miraculi, quando mortuus Eliseus mortuum cadauer solo attactu corporis sui resuscitauit. Nam si tantum potuit corpus mortuum Prophetæ, quid non poterit corpus viuum omnium Prophetarũ Domini? Certus sum Domine mi, quod tua potentia non est minor potentia Prophetę; & fateor quòd anima mea non minùs mortua est, quam corpus illius hominis; nec minoris efficaciæ attactus hic, quàm ille. Quare itaque non debeo simile beneficiũ expectare? Quare maiora miracula faciet corpus in peccatis conceptum, quàm corpus conceptũ à Spiritu sancto? quare maiorem prærogatiuam habebit corpus serui, quàm corpus Domini? Quare non resuscitabit sacratum corpus tuum animam, quæ cohæret, aut coniungitur tibi, dum resuscitet ille corpora quæ ab ipso attinguntur? Et quia corpus hoc resuscitatũ fuit, etiamsi vitam non petierit, sola virtute ossium beati Prophetæ; placeat quæso infinitæ misericordię tuæ, Domine mi, dare mihi vitam per medium huius Sacramenti petenti, vt iam non viuã ego, sed tu viuas in me. O bone Iesu, per illam inæstimabilẽ charitatem & amorem, qui te pro me pati fecit, & ignominiosissimã mortem subire, supplex te oro, vt velis me mũdare ab omnibus peccatis meis, & vicissim omni virtutum genere, omnibusque meritis tuis me adornare, gratiam insuper mihi donare, vt sanctum hoc Sacramentum tanta cum humilitate, & reuerentia, tanto cum timore & tremore, tanto cum dolore, & cùm pœnitentia peccatorũ meorũ tanta, denique tanto cum amore & charitate suscipiam, quantam requirit augustissimũ hoc Mysterium. Da mihi, benignissime Domine mi, eam intentionis puritatem, cum qua dignè ad mensam tuã mysticam accedere possim, ad gloriã nominis sancti tui, & ad remedium omnium infirmitatũ & necessitatum

ficatum mearum; vtque potens sim me defendere his armis contra inimicos meos, meque sustentare hoc cibo in vita spirituali: fac denique me vnum tecum hoc amoris Sacramento interueniente: offerendo tibi hoc sacrificium pro salute omnium fideliũ, tam viuorum quam mortuorum, vt omnes etiã adiuuãtur virtute inæstimabili huius Sacramẽti, quod pro salute omnium est institutum & consecratum: tu qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

ORATIO S. BONAVENTURÆ
post Communionem.

DOmine Deus meus, quomodo ausus sum te alloqui vilissima creatura? nam fœtidissimus sum, horribilis sum, stercus vermisque nequissimus & vanissimus homo. Tu autem Deus Deorum: Dominus Dominantium, omne bonum, honestum, & pulchrũ, omnis vtilitas, omnis amœnitas, omnis suauitas, fons splendoris, fons melodiæ, fons odoris, fons dulcoris, fons amoris & intimus dilectionis amplexus. Et tu rogas me & ego fugio, de me es sollicitus, de te non curo, mihi semper seruis, & ego te semper offendo, te mihi tribuis, & ego te cõtemno: me ergo vanitatem & nihil diligis, & te infinitũ & inenarrabile bonũ sperno: fœtorem, horrorem, mortalem dolorem, tibi ô beatissime, benignissime, amantissime sponse præpono. Plus me allicit creatura, quam creator: vanitas quàm æternitas: detestabilissima miseria, quã summa fœlicitas. Plus me inclinant sordes, quam eleuet pulchritudo, seruitus quam magnitudo, amaritudo quam dulcedo. Nam meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula inimici, & tamen plus approbo hoc affectu fraudulenta oscula, quam vulnera diligentis. Sed ne reminiscaris Domine delicta mea, vel parentum meorum, sed pietatis tuæ viscera, & dolorem tuorum vulnerum. Non quod ego, sed quod tu pro me sustinuisti, considera. Si me vt ostendis diligis, cur me relinquis? cur fatigari permittis? Me ergo, amantissime, tene timore, restringe amore, quieta dulcore. Dulcissime sponse nequeo, nescio, tibi volo seruire, tibi adhærere toto corde, imò vix pericula amare. Hoc operari in me tu potes, tu scis, tu vis & à me exigis. Quid ergo? Deficiam in beneplacito meo, vel tu in tuo? Obsecro vt non prævaleat homo, sed Deus. Nolo in hac contrarietate deficere, nec succumbere, sed succurre festinanter. Vmendo luxuriosè, & me nimis, & tuas creaturas lasciuè amando, totam meã substantiam dissipaui. Nunc recognoscenti miseriam & penuriam meam, atque famelico appetitu ad paternæ misericordiæ viscera redeunti, me oculis tuæ pietatis agnosce, & dignare mihi radijs tuæ gratiæ lætabundus occurrere, & cum amplexibus pacis & quietis largiaris oscula. En recognosco quod in cœlum, & in totam curiam cœlestem, & Ecclesiam Romanam, imò in omnem creaturam tuam, & coram te, te contempto peccaui, & malum coram te feci. Et certè non sum dignus vocari filius tuus, nec mercenarius etiam seruus, aut aliqua vilissima creatura, sed misereri mei, & dele iniquitatem meam, vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicaris, quia dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo eius. Obsecro iube, vt detur mihi charitatis stola, fidei feruentis annulus, in calceamentis & eleuantis, & confirmantis spei protegantur pedes, vt sic ebrius tuo sanguine, totus in te resoluar amore. Intret dolor tuus intima mea, & omnem amorem expiet alienum. Sim tecum crucifixus mundo, vt sic mortuus, vita mea sit tecum abscondita in Deo. O vita mea, vita fœlix quæ abscondita est ipsi mundo, & sociata ipsi Christo, in Deo centro suo, quietatur. Vnum est mihi necessarium, & solum vnum quæro. Abscedat ergo phantasmatum multitudo. Vnus est dilectus meus: vnus est amor meus Iesus Christus, Deus meus, sponsus meus. Nihil ergo mihi sapiat, nihil delectet, nihil afficiat nisi Iesus Christus. Totus sit meus, totus sim suus, & fiat cor meum vnum cum ipso, nihil iudicans me scire, vel amare, vel affectare, nisi Dominum IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, Per omnia sæcula seculorum, Amen.

ORATIO SVB MISSA DICENDA.

In qua Patri mors vnigeniti, Filij sui offertur. Ex diuersis D. Augustin. locis concinnata.

O Clementissime, supremeque cæli & terræ Creator, quamuis ego vilissimus sum & omnium peccatorum maximè detestabilis, tamen vnà cum Ecclesia offero tibi pretiosissimum sacrificium, Vnigenitum scilicet Filium tuum, pro omnibus meis peccatis, quæ vsque huc commisi, & pro beneficijs omnibus, quæ hactenus à te percepi. Aspice pie Pater pijssimum filium, pro me tam impia passum. Respice clementissime Rex quis patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem vt seruum redimeres filium tradidisti? Nunquid non auctor vitæ hic est, qui vt ouis ad occisionem ductus, tibique vsque ad mortem obediens factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire? Recole totius salutis dispensator, quia hic est ille, quem etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti. Verè hæc est tua Deitas, quæ meam induit naturam, crucis ascendit patibulum, quæ in assumpta carne triste tulit supplicium. Reduc Domine Deus meus, oculos tuæ Maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum toto corpore extensum: Cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrauerunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in via tua, diris confixa clauis, & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis. Oro te, Rex Sanctorum, per hunc sanctum Sanctorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, vt ei valeam spiritu vniri, qui mea non horruit carne vestiri. Nunquid non attendis, pie Pater, adolescentis filij charissimi caput, niuea cerui-ce deflexa, pretiosissimam resolutum in mortem? Aspice mitissime Conditor dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat tenebratos pedes beati sanguinis vnda. Specta gloriose Genitor gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea est substantia. Conspicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.

Ecce hic est Aduocatus meus apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine; quia proprio refulget perfusis cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens & perfecta, in odorem suauitatis oblata & accepta. Ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit: qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobrijs affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & liuores nostros suo liuore sanauit.

Quid

Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quid commisisti amantissime iuuenis, vt adeò dure tractareris? Quod scelus tuum? quę noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispositio. Peccat iniquus, & punitur iustus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat seruus, exoluit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quò nate Dei, quò tua descendit humilitas? quò tua flagrauit charitas? quò processit pietas? quò excreuit benignitas? quò peruenit compassio? Ego enim iniquè egi, tu pœna mulctaris: ego facinus admisi tu vltione plecteris. Ego superbiui, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis. Ex cap. 7.

Ecce omnipotens Deus, Pater Domini mei, dispone benignus, quo miseraris mei, quoniam quicquid pretiosius inueni, deuotè obtuli: quidquid charius repperi, suppliciter præsentaui. Direxi tibi Aduocatum meum, dilectum filium tuum. Amplectere serenus pastorem, & respice misericors allatam proprijs humeris ouem. Oro te pie Pater, da mihi, vt per hanc orationem merear illum habere Aduocatum, quem nullo meo merito, sed ex pura tua gratia mihi dedisti Redemptorem, Amen. Ex cap. 8.

ALIA ORATIO SUB MISSA, AVT alio quocunque tempore legenda.

ADoro, laudo, glorifico te, Domine Iesu Christe, benedico & gratias ago tibi, fili Dei viui, quia voluisti sanctissima & tenerrima membra tua tam immaniter pro me affligi, & lacerari. Benedico singulis & omnibus illis, pro amore & honore tui. Saluete pedes Domini mei, pro me extensi, laniati, & duris clauis transfixi. Saluete genua, toties pro me in terram posita, & toties eundo defatigata. Saluete pectus floridum, amore mei totum mutatum, & liuoribus vulneribusque deformatum. Saluete latus sacratissimum, lancea pro salute mea crudeliter apertum. Saluete cor amabile, pium, & suaue, durissimo pro me ferro traiectum. Saluete dorsum sanctissimum, multis flagellis laceratum, & multis plagis dilaniatum. Saluete charissima brachia, amore mei extensa, & cruci affixa. Saluete manus delicatæ, pro salute mea clauis perfossæ. Saluete humeri candidissimi, pro me sugillati, & asperrimo Crucis pondere contusi. Saluete collum niueum, & os mellifluum, pro me aceti & fellis amaritudine repletum. Et vos aures benignissimæ saluete, quæ propter me tot iniurijs, conuitijs & blasphemijs fuistis oppletæ, & grauiter offensæ. Saluete oculi beati, qui pro me tot lachrymarum riuulos effudistis. Saluete caput nobile, spinis immaniter lancinatum, vt me corona gloriæ condecorares.

Clementissime Iesu, saluto pretiosum corpus tuum vniuersum, quod pro salute mea flagellatum, vulneratum, crucifixum, mortuum, & sepultum est. Saluе pretiosissime sanguis, qui effusus, & pro me Patri oblatus es. Saluе anima nobilissima nostri Saluatoris, quæ afflicta & angustiata es, vt ego maiori fruerer lætitia. O dilectissime Domine, oro te per sacratissima membra tua, vt mea sanctifices, & ab omni sorde emacules, quibus cum tuam Maiestatem offendi, malis meis seruiens appetitibus. Oro Domine, ignosce mihi, tu qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

PARS VNDECIMA.

INSTRVCTIO SIVE REGVLA BENE VIVENDI.

PRO HIS QVI DEO PRIMVM SERuire incipiunt.

ANtequam de virtutibus quibus Deo seruire volentem instructum esse oportet, agamus, necessarium est declarare, quis potissimum finis in spirituali vita spectandus sit: siquidem illius ignorantia fit vt plurimi extra veram semitam in incertum oberrent.

Quis finis in spirituali vita spectandus sit.

Finis itaque totius negotij huius est corrigere ac mortificare vitia naturæ, ac hominem ex carnali, efficere spiritualem, & ex vitioso virtuosum: vt finem suum propter quem creatus est, Deum videlicet, consequi possit. Finis est creare hominem nouum non de terra sed è cælo: non ex carne sed ex spiritu: non conformem imagini Adam terreni, sed cœlestis: non secundùm primæ generationis, quæ per naturam fit, affectus & conditiones: sed iuxta secundæ generationis, quæ per gratiam efficitur. Finis denique est, hoc agere quod Deus Ieremiæ Prophetę præcepit, quando ait. *Ecce constitui te hodie super regna, vt euellas, & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Vt nimirum ex anima omnes appetitus & inordinatæ cupiditates, quas ex vtero matris & corruptela peccati traximus, euellantur: & pro eis virtutes quæ ex noua generatione & adoptione filiorum Dei existunt, plantentur. Nam quē- Simile. modum is, qui hortum in aspero & inculto monte constituturus, & ex electis arboribus consiturus est, primum industriam omnem adhibet, vt frutices omnes & siluestria germina eradicentur, ac tum primum arboribus fructiferis eum conserit & ornat: sic qui ex anima sua constituere vult *hortum conclusum & Paradisum delitiarum*, primum omnes herbas noxias ac vitiorum spinas funditus eradicare, ac extirpare, deinde loco earum pulchros virtutū Simile. & gratiarum flores plantare, debet. Cui simile faciunt illi qui in tabula venustam icunculam aliquam delineaturi sunt: hi primum à ligno omnē inæqualitatem, & deformitatem quā secum è syluis aut mōtibus adduxerat, auferunt, dolent & expoliunt eam q̄ nitidissimè: atq; his peractis quascunq; libet figuras & imagines in tabula sic polita depingunt. Eadē diligentia opus est in hoc rerum nostrarum statu, quo natura humana per peccatum non parum debilitata & corrupta est, ad destruendas & euerrendas

Ieremi. 1.

primæ generationis reliquias, ad componendam animam, & illam virtutibus secundæ generationis adornandam, & decorandam.

Simile. Vnde quemadmodum inter fructus quidam sunt, qui confestim vt collecti fuerint ex arbore manducari possunt: alij verò necesse habent aliquamdiu coqui, aut pluribus diebus accommodari quo naturalis eorum amaritudo temperetur: sic nosse debemus in homine duos status fuisse, vnum ante culpã alterum post culpam: Primus erat eius perfectionis & maturitatis, vt nihil in ipso ad accommodandum vel auferendum reperiretur: in altero tam multa erant corrigenda & perficienda, vt vix quicquam in illo sit quod non prius igne Spiritus sancti purgandum & decoquendum sit, vt omnem suam malitiam perdat.

Hoc itaque est præcipuum & maximum huius negotij documentum.

Turpis error eorum, qui nouitiorum directioni præsunt.

Ex quo clarè perspicitur, quanto in errore versentur nouitiorũ magistri qui alijs minoribus in rebus distenti, omnes vires suas non intendunt ad mortificationis studium: hinc etenim prouenit quod tales in sola semita materna, hoc est in solis naturalibus bonis aut malis permaneant, quod non minoris est absurditatis quam si quis lignum aliquod informe ita vt è sylua excisum fuit, in ædificium insignis pulchritudinis & decoris inserat: aut oliuas virides vti ex arboribus colliguntur, mensæ apponat.

De necessitate mortificationis.

Duo sunt modi bonitatis.

CVm finis mortificationis sit hominem bonum & virtuosum efficere: ne te forsitan qualiscunque modus bonitatis decipiat, animaduerte duos esse modos probitatis: vnus est naturalis: qualis est eorum qui ex naturæ pronitate boni sunt & mansueti: alter spiritualis: qui à gratia, atque à timore & amore Dei ortum habet, qualis est iustorum. Inter hos autem duos modos bonitatis hoc interest: quod cum priori nec gratiam nec gloriam quis mereri: cum posteriori vtramque possit acquirere. Itaque prima & principalis cura magi-

Quæ magistri nouitiorũ prima cura esse debeat.

stri debet esse, vt in animo nouitij spiritum timoris & amoris diuini suscitet: quod omnibus mediis ad hoc seruientibus (vti sunt orationes, meditationes, & frequens Sacramentorum vsus) curabit: Alioqui quicquid fecerit corpus efficiet sine anima, & Adamum aliquem argillaceum, ex creta compactum, spiritu vitæ carentem: quod parum vtilitatis adfert Religioni Christianæ, quandoquidem vsus & experientia quotidiana demonstrat, tales non nisi probitate sua naturali niti, nec aliud esse quam bonam animam quæ in quamcunque partem flecti & conuerti possit, cum nemini resistere nouerint.

Quapropter pluris faciendus est homo alioqui à natura ad malum propenus, qui ex timore Dei perversis inclinationibus suis continuum bellum indicit, quam alius ad bonum natura pronus, cui timor

Eccli. 9. Dei deest: *Melior est enim* vt Sapiens ait: *Canis viuus leone mortuo*: quia sine spiritu vitæ nihil quantũuis magnum Deo gratum esse potest.

Finis spiritualis vitæ bipartitus est.

Ex his quæ diximus perspicuum fit finem superius statutum duo in se comprehendere: nimirum vitiorum omnium ab anima extirpationem; & virtutum insertionem: quia vnum necessario consequitur aliud. Etenim sicut in rebus naturalibus non potest fieri generatio sine alterius corruptione, ita non possunt in anima generari virtutes, nisi primum noxiæ vitiorum spinæ radicitus euellantur: nec spiritus liberè dominari, nisi prius caro moriatur:

Hos duos fines acquisiuerat Apostolus cum ait:

Gal. 2. *Christo confixus sum cruci*: & cùm subiungit: *Viuo autem iam non ego*: significat mortem veteris hominis cum omnibus malis habitibus, quem virtute crucis Christi superauerat: cum verò addit: *Viuit verò in me Christus*, dat intelligi resurrectionem & vitam noui hominis, qui non erat conformis effectibus carnis & sanguinis, sed virtutibus & exemplis Iesu Christi.

Eosdem fines complexus est Christus Dominus & Saluator noster his verbis: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matt. 16. Luc. 9.

Quia dicens, *abneget semetipsum*, proposuit nobis primum & immediatum mortificationis finem, qui est propriam voluntatem & naturam, cum omnibus affectibus & appetitibus eius, abnegare ac perimere, nec pacem cum eis inire, multò verò minus ita agnoscere, vt eas amplecti aut eorum suasionibus parere velimus. Secundum verò & vltimum finem declarauit, quando dixit *sequatur me*: hoc est, omnia vitæ meæ facta & exempla, atque omnes quas in me repererit virtutes imitari atque factis exprimere cõtendat. In eo denique quod ait, *Tollat crucem suam*: hoc est, laboribus nullis parcat: principale medium siue instrumentum, quod ad vtrumque hunc finem adipiscendum requiritur, indicauit: quia tam in vitijs elidendis, & natura comprimenda & subigenda, quam in virtutibus conquirendis, labore ac sudore opus est: nam in vtroque par est difficultas.

Considerationes ad mortificationis amorem hominem excitantes.

EX prædictis luce clarius cognoscere licet: qualis sit conditio nouæ huius militiæ & professionis ad quam homo vocatur: non enim vocatur ad vitam quietam & omnis laboris expertem (vt quidam imaginantur: sed ad crucem, ad labores, ad continuum cum passionibus certamen, ad paupertatem & nuditatem: ad immolandum Deo semetipsum & propriam voluntatem in sacrificium: & denique ad mortificationem illam de qua dixit Dominus: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan. 12.

Non est parum vincere naturam, ex carne spiritũ, ex terra cælum, ex homine Deum facere. Nam vt pannus ex lino fiat necessariũ est, præcedere multos & graues labores, propter distantiã quæ inter vtrumque est: quanto ergo graniores labores & difficultates anteire debebunt hanc mutationem hominis in Deum. Ferunt serpentem cum pellem vult mutare angustum aliquem saxi meatum quærere, vt ex illius constrictione veterem pellem post se cogatur relinquere: Quomodo ergo is qui se veteri homine spoliare, & nouo superuestire cupit, hoc assequetur viuendo vitam largam & delitiosam, delitijs omnibus affluentem? Non potest fieri generatio sine corruptione: nec potest homo peruenire ad id quod non erat: nisi prius relinquat id quod erat: quod sine ingenti labore effici nequit. Vita Christiani finem respicit supernaturalem: vires etiam pluspuam naturales præsupponit: itaque ipsa etiam debet esse supernaturalis hoc est supra naturam, ad quod pertingere non possunt caro & sanguis. Væ Christianitati cùm modus viuendi fuerit laxus: sic enim fit vt homo cum hac laxitate vitam viuat laxam & delitiosam, & vna laxitas aliam adducat laxitatem, & vna commoditas aliam commoditatem: ac tandem in profundum malo deueniat.

Quam difficile sit mortificatio sui. Simile. Simile. *Vita Christiani quanta esse debeat.*

Talis deberet esse vita Christianorum, vt sicut mare pati non potest corpora mortua sed in littus statim

ſtatim eijcit : & ſicut cacabus bulliens omnem à ſe immunditiem per ſpumam expellit : ſic eadem emitteret atq; reijceret à ſe omnem ſpumam & mortuos quos haberet. Aſſume igitur ſerue Dei animum virilem, & ad opus accingere, puta Deum tibi dicere. *Surge & comede grandis enim tibi reſtat via.*

Similc.

3. Reg. 19.

Verùm vt ad propoſitum reuertamur: cùm duo ſint quæ ſemper ob oculos habere debemus in hoc mortificationis negotio, videlicet vitiorum extirpatio, & virtutum plantatio, in duas etiam tractatum hunc partes diſtribuemus, quarum prima de mortificatione vitiorum: altera de virtutum exercitijs ac totius hominis interioris renouatione agat: non quod hæ partes in vſu & exercitatione ſua diſtinctæ ſint, (quia virtutes plantari nequeunt ſine vitiorum eradicatione) ſed vt melius materia de qua tractamus intelligatur, maximè cùm multò clarius cernamus vitia quæ nos impugnant, quam virtutes quæ nobis deſunt, vt quod vna via nanciſci non valemus, per aliam aſſequamur.

(o)

PARS PRIMA.

DE MORTIFICATIONE VITIORVM ET PASSIONVM.

MEDIA AD HOC DESERVIENTIA.

CAPVT III.

ORDINEM igitur prædictum ſequendo, primum ad quod conari debemus eſt, vt ex regno animæ omnes Iebuſæos foras eijciamus, terramque hanc maledictam ab omnibus ſpinis & tribulis repurgemus. Hoc eſt, eniti quiſque debet vt naturam vincat atque omnes malos & peruerſos habitus, qui partim propter vniuſcuiuſque conditionem naturalem, partim ob malam conſuetudinem illi adhærent extirpet. Itaq; primum omnium quod facere debet quiſquis in alium hominem mutari deſiderat, eſt, vt inclinationes primi hominis cognoſcat, hoc eſt, inimicos quibuſcum bellum gerere debet.

Quid primũ hominis qui vitam mutare deſiderat faciendũ

Diligenter itaque omnes conſcientiæ tuæ latebras inſpiciat, & quæ ſint vitia ad quæ maximè propenſus eſt, examinet, num ad odium, num ad iram, num ad gulam, num ad acediam, num ad inuidiam, num ad loquacitatem, num ad adulationem, num ad iactantiam, num ad vanam gloriam, num ad otium & deſidiam, num ad delitias & voluptates corporis, num ad ſuperbiam, num ad præſumptionem, num ad luxuriam, num ad puſillanimitatem, & anguſtiam cordis, num ad auaritiam & tenacitatem, ſicque cætera omnia vitia percurrat, ac ſecum firmiter ſtatuat, tam inſigne ac ſingulare opus aggredi cuiuſmodi eſt vincere ſeipſum, & omnia hæc monſtra ab animo exterminare, nec prius quieſcere aut ſomnum oculis dare, quam de illis triumphum reportarit.

Vitia ſe oſtendunt cũ quis ad contrarias virtutes enititur.

Has autem inclinationes & vitia nulla via melius intelliget, quam ſi ad contrarias virtutes acquirendas enitatur, quia in virtutum vſu, ſtatim repugnantia vitia, contradictione ſua ſe manifeſtant: nunquam enim clarius cernit homo vitia naturalia niſi quando ea relinquere & contrarios virtutum actus exercere conatur: quemadmodum auis laqueo capta non prius ſe captam eſſe animaduertit, quam cum auolare contendit.

Et quoniam nimis operoſum foret particulatim, ad ſingula vitia & paſſiones deſcendere, præſertim cùm breuitas præſentis libelli longiorem tractationem non patiatur, contentus ero pium lectorem ad illos remittere qui hanc materiam, accuratè tractant, nimirum ad Mortificationes Henrici Harphij, & ad librum Seraphini Firmani quem inſcripſit, Victoriam ſuiipſius, vbi reperiet omnia ad hoc negotium requiſita,

Iuuabit plurimum hanc mortificationem, examen propriæ conſcientiæ, quod vt minimum ſemel in die faciendum eſt, in quo debebit ſecum in iudicium intrare, ac omnes peruerſas affectiones ſuas ad lucem proferre, ſingula verba cogitationes & actiones, necnon intentionem, feruorem & deuotionẽ qua cum opera ſua peragit examinare, ſeque pro exceſsibus arguere, ac aliquam à ſe pœnitentiam expoſcere, gratiam denique à Deo diligentiſsimis precibus poſtulare: omnes has inordinatas affectiones ſuperandi.

Examen conſcientiæ adiuuat mortificationem.

Noui perſonam quandam, quæ quoties in examine veſpertino ſe in loquendo exceſsiſſe aduertebat, pro pœnitentia forcipe linguam præſcindebat, aliã item, quæ ob eandem culpam flagris ſe cædebat: ad horum exemplum quiſque ſuas pœnitentias ſibi ſtatuet.

Vtiliſsimum etiam fuerit ſumere ſibi qualibet hebdomada particulare aliquod vitium expugnandum; & ſecum aliquid ferre quod mentem excitet & ſui propoſiti admoneat: Vide licet, carnem aſpero aliquo funi, aut alia ſimili re quæ ipſam moleſtet cingere, vt hac moleſtia ſtimulante, animus propoſiti ſui ſæpè recordetur, ac in opere ſuſcepto non dormitet ſed vigilem & conſtantem ſe præſtet.

Vtile eſt ſingulis hebdomadibus vnum vitium expugnandũ ſumere.

Proderit præterea non parum ſi homo ſuam propriam voluntatem frequenter in rebus etiam licitis abnegare aſſueſcat, vt illam tanto promptius & facilius in rebus illicitis abnegare valeat, ſi adhæc quibuſdam aduerſitatibus & laboribus minus neceſſarijs vltrò ſe ingerat, quo poſtea in neceſſarijs animo non concidat, quemadmodum aiunt Socratem facere ſolitum fuiſſe, quemadmodum etiam faciunt, militiæ operam dantes, qui tempore pacis in talibus ſe exercent, quæ tempore belli maximè illis vſui futura ſunt: Nullam ſibi requiem permittat in hoc opere donec voluntati propriæ interitum prorſus attulerit, eamque quoad fieri poteſt ſepeliuerit, vt nihil amplius in ſe habeat, quod vel diuinæ vel eorum qui vicem Dei obtinent voluntati reſiſtat.

Voluntas in rebus licitis ſæpè abnegãda, vt ad illicitorum abnegationem tanto promptior ſit.

Inſtrumentum generale ad hanc mortificationẽ aſſequendam eſt fortitudo illa de qua diximus ſupra. Per quam ſuperentur omnes difficultates, quas hoc negotium maximas ſecum adducit, quando-

Inſtrumentũ generale ad mortificationem conſequendam quod ſit.

quidem robustissima quæ in mundo sunt, nimirum natura & consuetudo, euincenda & expugnanda sunt, quod sine animo excelso & forti fieri nequit.

Matth. 11. Hinc est quod Saluator ait: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Itaque sicut is qui in ferro laborat, malleum nunquam deponit propter duritiem materiæ quam tractat, sic ille qui in virtutum & vitiorum exercitijs occupatur, nunquam debet esse sine hac fortitudine propter perpetuam difficultatem quæ cum illis coniuncta est, sed certò sibi persuadere, quod tales aliquando ipsi sese obiecturæ sint occasiones, quæ efficere possint vt animum abijciat, & ab inceptis desistat. Quod etiam sæpe priùs labi eum necesse sit, & multas lachrymas propter occurrentes difficultates profundere, non raro etiam prorsus desperare & de seipso diffidere.

Mortificatio regia sanctorum via.

Verùm hoc apud se pro indubitato teneat hanc esse regiam illam viam quam omnes sancti calcârunt: hanc etiam esse veram virtutum probationẽ, hanc denique esse pœnitentiam & limam qua omnis vitiorum rubigo ab anima tollitur, nec aliam inueniri certiorem & securiorem rationem perueniẽdi ad cognitionem Dei, & sui ipsius. Non despondeat animum licet sæpenumero cadat: (imò quamuis millies vno die labatur, toties resurgat, ac spem suam in superabundanti bonitate Dei reponat.) Non turbetur aut contristetur si quasdam passiones perfectè omnino vincere atque expugnare nequit: Quædam enim post aliquot annos facilè superatur, quæ antea nullo labore vinci poterant: vt hinc manifestè pateat cui potissimùm asscribenda sit hæc victoria. Frequenter etiam Deus vult in terra nostra manere aliquem lebusæum tum ad virtutis exercitium, tum ad humilitatis custodiam.

Magister bonus quid ad mortificationem commodi adfert.

Plurimum etiam in hac mortificatione commodi adferet bonus & diligens magister: huius enim officium est omnes discipuli sui peruersas inclinationes & cupiditates exploratas habere atque ijs congruam medicinam facere. Quarum hoc præcipuum est vt lanceam directè in ipsum dirigat atque passionibus illius semper repugnet: ita vt si arrogans sit & præsumptuosus, ipsum in exercitijs humilibus & abiectis occupet, si delicatus in operibus duris & asperis, si proprietarius, omnibus quæ habet ipsum spoliet, super omnia verò propriam voluntatem illius frangat in rebus etiam licitis, vt cùm necessarium fuerit ad abnegandum se in rebus illicitis promptus & facilis sit. Et quemadmodum bonus eques, vt equum tractabilem, & sibi per omnia morigerum & obedientem faciat, non contentus est illum per viam aliquam rectam & planam duxisse, sed modo per hanc, modò per aliam viam impellit, modo in hanc, modo in aliam partem sæpiùs inflectit, vt tempore necessitatis eum sine vllo negotio vertere ac tractare possit, non aliter bonus magister, discipulum exercebit illiusque appetitus & inclinationes franget & abnegabit, vt voluntas illius ad abnegationem assuefacta, non sit dura, inflexibilis atque intractabilis, sed placida, facilis atque parata ad omnia quæ imperata fuerint.

Quod nisi fecerit, postea cùm illius opera in aliquo vti voluerit, ita eum durum & inflexibilem inueniet, vt quercui non absurdè comparari possit, ac populo illi cui dictum est per Esaiam Prophetam:

Esa. 48. *Scio quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea, scio quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex vtero vocauite.* Hoc principale huius negotij documentum est, sine quo cætera omnia perexigui momenti sunt, nam chorum statis horis frequentare, diuinas laudes persoluere, cæteraq; officia quæ ab omnibus fiunt agere, quisque quantumuis exiguæ virtutis sit imitari potest: non enim in his actionibus offert se occasio cæterarum virtutum sublimiorum & perfectiorum, vti sunt Patientia, Obedientia, Charitas, Humilitas, Discretio, Subiectio atque aliæ similes actus exercendi, hę namque perfectius eluceſcut in tribulationibus, in aduersarũ rerum tolerantia, in contemptu sui, in officijs abiectis, in castigationibus & specialiter in pœnitentijs, quæ sine sufficienti causa iniunguntur; in talibus enim vera demonstratur Patientia, quæ puritatem & sinceritatem virtutis maximè patefacit, & antè oculos omnium proponit. Quare optimum virtutis experimentum est. Nouitijs frequenter huiusmodi pœnitentias iniungere, hic enim vniuscuiusque virtus manifestatur. Tali ratione probabant & exercebant antiqui SS. Patres suos discipulos quos instruẽdos susceperant, & si ad eundem modum hoc tempore instituerentur & exercerentur, monasteria plena essent non hominibus sed Angelis. Tali namque vanno, palea à tritico pulcherrimè secernitur. At quoniam à veteri SS. Patrum disciplina desciuimus, in hunc statum miserrimum redacti sumus.

In quo maximè vera virtus eluceſcat.

Eandem fortitudinem & seueritatẽ quam discipulus habere debet, quoad seipsum, magister habere debet in discipulum, vt excessus illius seuerè castigando & reprehendendo timeatur, eundem autem in secreto remotis arbitris blandè admonendo diligatur: caueatque quantum fieri potest ne odij alicuius signum erga ipsum demonstret, aut in aliquod verbum indignationis erumpat: hæc enim facilè totius negotij successum possint impedire; cùm præsertim nullum sit accommodatius medium omnia hæc ad desideratum finem perducendi, quam amor.

Ergà inferiores quomodo magistri se gerere debeat.

Caueat etiam ne illorum quos infirmiores ac phantasiæ aut melancholiæ deditos animaduertit, minorem quam cæterorum curam gerat. Vt enim D. Bernardus ait: aliorum se socium & fratrem existimare debet, horum autem tantummodò patrem: nec ante vllum sibi à labore quietem permittere, quam illos Christo lucrifecerit. Quando aliquem voluerit reprehendere hoc S. Gregorij dictum præ oculis habeat, quo monet vt lingua sit in reprehensione mansueta, manus autem seuera, hac enim ratione & vitia corriget, & neminem scandalizabit. Multa sunt & alia quæ in hac materia dici possent, sed sufficiet nobis digito tantum indicasse, vnde illa peti possint, ex illis nimirum quos paulò ante diximus. Nos autem ad cætera transeamus.

DE EXERCITIO ET VSV VIRTVtum, ac primum de Charitate.

CAPVT IV.

ERadicatis è terra cordis vitiorum & passionũ spinis, aliud nihil supereſt quam vt diuersis virtutum floribus & herbis conseratur, quo sic hortus hic concluſus & Paradisus delitiarum quem Deus inhabitat, perfectionem suam consequatur.

I. Virtutes Charitati.

Inter has autem plantas prima & principalis est charitas, quæ quasi arbor vitæ in medio huius Paradisi constituenda est: cuius est diligere Deum super omnia.

Charitatis efficia.

Ad quam etiam pertinet primum lapidem spiritualis ædificij ponere: hoc est firmum & constans propositum nunquam aliquid agendi per quod thesauri huius iacturam faciat, quod per mortale peccatum fit. Sit igitur primum hominis Christiani fundamentum, vt Deum tanti æstimet, tanto in pretio habeat, tantoque studio hanc erga ipsum fidelitatem conseruare studeat, vt potius Martyrum exemplo, prius omnia supplicia experiri malit, quam

vel

vel semel vnum mortale peccatum admittere. Hoc semper præoculis assiduò habeat, hoc in omni negotio timeat, hoc in orationibus suis à Deo petat, imò hæc prima præcipua, & maxima omnium petitionum illius sit.

Puritas intentionis.

Præterea ad eandem charitatem pertinet, purificare oculum intentionis in omnibus actionibus nostris, ne quæramus in illis proprium commodum, aut honorem, aut oblectationem, sed beneplacitum & voluntatem Dei, ita vt omne quod facimus (vel pro nostra, vel pro alterius voluntate) id faciamus non coacti, aut ex pura cæremonia, aut ex necessitate, aut vt hominibus placeamus, aut alio aliquo mundi respectu, sed purè propter amorem Dei, sicut bona vxor suo seruit marito, non propter proprium commodum quod ab illo sperat, sed propter amorem quo illum complectitur. Nec tantum in principio aut fine operum debet homo hanc intentionem habere, sed etiam cùm opus ipsum facit: sic facere debet, vt semper illud offerat Deo & actualiter Deum amet, vt etiam operans videatur non minus amare & orare quam operari; Et hoc modò nō erit distractus in opere quod faciet, sic enim Sancti operabantur, & hac ratione in operibus suis non distrahebantur.

Simile.

Simile.

Videmus quod mater cum lauat pedes filij, aut mariti peregrè venientis, simul & seruit illi & amat illum, seruiendoque & amando gaudet, & singularem ex ministerio quod facit gustum atq; dulcedinem percipit. Tali igitur modo cor nostrum affectum esse debet erga Deum creatorem nostrum, cùm ei obsequium aliquod præstamus.

Charitas proximi.

Ad eandem charitatem spectat, amare non tantum Deum, sed etiam omnia quæ Dei sunt, specialiter creaturas ratione præditas, & ad imaginem ac similitudinem illius efformatas, filios nimirum Dei & membra corporis eius mystici. Ita vt vno eodemque charitatis habitu Deum & illos diligat, Deum propter se, illos propter Deum, & in Deo, propter cuius amorem dignum est quod diligantur & in precio habeantur, quātus hoc propter se non mererentur.

Ad charitatem proximi quæ requiruntur.

Hic amor requirit à nobis vt nulli malum reddamus, de nullo malè loquamur, neminem temerè iudicemus, famam proximis non lædamus, defectus eius cælemus, atq; ora illi detrahentiū obstruamus.

Nec sufficit alicui iniuriam seu malum aliquod non facere, sed etiam necessarium est omnibus benefacere, omnibus opem ferre, omnibus bene consulere, omnibus offensas condonare, ab omnibus quos offendimus veniam orare, & super hæc omnia, onera, iniurias, simplicitatē, nævos & defectus omnium sustinere, iuxta illud Apostoli: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi.* Hoc charitas requirit in qua consistunt lex & Prophetæ, sine qua qui vellet aliquod spirituale ædificium condere nihil aliud ageret, quam is qui corpus formare vellet sine anima, quod nisi lapideum aut ligneum esse potest, non verum ac viuum.

Galat. 6.

Matt. 22.

DE SPE.

CAPVT V.

II. Virtus est Spes.

SEcunda virtus, soror charitatis est Spes. Ad quā pertinet Deum respicere vt Patrem, & erga eū cor habere filij, cum reuera sicut nemo in hoc mundo est, qui dignus sit appellari bonus si cum Deo conferatur, sic etiam nullus est pater, qui tanto amore complectitur filios suos, quanto pater noster Deus nos complectitur. Sic etiam omnia quæ in hoc mundo eueniēt: siue prospera siue aduersa sint, crede quia sunt optima, & saluti tuæ conducibilia (cum ne passer quidem cadat sine illius prouidentia) & in omnibus rebus od gremium illius recurre, explicās & detegens omnes tuas tribulationes in eius conspectu, sperans in immensam eius liberalitatem & in promissionem illius fidelitatem atque in arrhabonem beneficiorū ab illo perceptorum; super omnia verè in merita dilecti eius filij sperans fideliter, licet peccator sis, & miserrimus, Dominum tamen tibi propitium fore, & quando minimè expectabis; tunc omnia ad commodum tuum disposturum, & propterea versetur semper in animo tuo illud Dauidicum: *Ego autem mendicus sum & pauper: sed Dominus sollicitus est mei.* Quod si diligenter, Psalmorum, Prophetarum & Euangeliorum libros percurras, inuenies omnes plenos huius diuinæ prouidentiæ & sapientiæ: ex quibus indies magis animus tuus erigetur vt spem suam in omni aduersitate collocet in Domino.

Spei officia.

Matt. 10, 29.

Psal. 39.

Sed & mihi crede, nunquam veram habebis pacem, animique tranquillitatem, nisi hoc ante omnia agas, vt habeas hanc fiduciam & securitatē: sine hac enim omnia te inquietabunt, perturbabunt, & solicitudine perpetua exagitabunt, si autem hæc adfuerit, nihil te turbare poterit cum Deum habeas defensorem, qui adiutor est omnium sperantium in se cuius etiam potentiæ nemo est qui possit resistere.

Psal. 119.

Esther. 13.

DE HUMILITATE.

CAPVT VI.

III Virtus est Humilitas.

TErtia virtus est, Humilitas tam interior, quam exterior, quæ est radix & fundamentum omnium virtutum. Ad quam pertinet vt homo se reputet creaturam vilem, abiectam, miserā, imò totius mundi miserrimam, indignam pane quo vescitur, terra quam pedibus calcat; aëre in quo respirat, nec maioris seipsum faciat, quàm fœtidum & abominabile cadauer scatens vermibus cuius fœtorem ne ipse quidem possit tolerare Atq; ob hanc causam vltrò desideret vilipendi, aspernari, ab omnibus cōtemni, atq; iniurijs & contumelijs affici, quandoquidem ipse Deum Creatorem suum, peccando vilipendit & magnis iniurijs affecit.

Humilitatis officia.

Amet etiam vilia & contemptibilia obsequia, nouissimum omnium se reputet, omnium pedes lauare, aliorum siue infirmorum siue sanorum impuritates mundare cupiat: hocq; summi honoris loco ducat, si omnium purgamentum aut scopa efficiatur, eò quod minoris ipse Deum æstimauerit quando illum offendit.

DE PATIENTIA.

CAPVT VII.

IV. Virtus est Patientia.

QVarta Virtus est Patientia, quæ vti S. Iacobus inquit: *opus perfectum habet*, & vt ait Apostolus, signum probationis est, eò quod sit potissima declaratrix veræ ac legitimæ virtutis, speciatim prudentiæ ac discretionis.

Iac. 1.

Rom. 5.

Habet autem tres gradus. Primus est pati tribulationes & iniurias sine murmuratione, & quærela. Secundus est non tantum illas pati, sed etiam illas propter amorem Dei desiderare. Tertius est, gaudere cum adsunt, quemadmodum de SS. Apostolis legitur, quod *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et quamuis hoc sit opus magnæ perfectionis, nihilominus Nouitius qui in principio conuersionis (quando feruores Charitatis & Spiritus sancti consolationes magis abundant) huc non pertingit, certò credat se nondum bonum esse Nouitium, nec prosperè semitam cœlestem ingressum esse.

Tres patiendi gradus.

Act. 5.

De

DE PAVPERTATE SPIRITVS.

CAPVT VIII.

V Virtus est Paupertas spiritus.

QVinta Virtus est, Paupertas spiritus: ad quam pertinet non modò nihil proprij possidere: sed etiam omnes diuitias & opes propter Christum contemnere & nihilifacere: tanquam quę

Paupertatis officia.

sint materia Superbiæ, Inuidiæ, Auaritiæ, Iræ, litiū, atque omnium inquietudinum & turbationum. Ad eandem spectat, non tantum esse pauperem, verùm etiam paupertatem diligere, neque illam solam diligere, sed etiam comites eius, vt sunt, fames, sitis, frigus, lassitudo, pauper domus, pauper lectus, tenuis mensa, vilis vestitus, tenuis suppellex, & omnia denique talia quæ paupertatem declarent, vt sic Christo conformetur, qui in paupertate natus & educatus, vitam duxit pauperrimam, & post mortem sepulchrum ab alio mutari coactus est. Qui ad hoc non pertingit necdum ad perfectam paupertatem, nec ad spiritus feruorem peruenit, adeoq; nec in Deo neq; in semetipso pacem quam desiderat inueniet.

DE CASTITATE.

CAPVT IX.

VI. Virtus est castitas.

SExta virtus est castitas, ad quam pertinet cor, & corpus, (si fieri possit) habere Angelicum; & fugere, quantum licet omnes conuersationes, aspectus, commercia & amicitias, quæ quoquo modo

Castitatis officia. Opus. 24.

possint illi obesse, personarum etiam quantumlibet spiritualium. Nam (vt optimè dictum est à D. Thoma) amor spiritualis sæpè mutatur in carnalem, propter similitudinem quæ est inter vtrunque.

Eiusdem quoque virtutis est, vt quotiescunque impura cogitatio cor hominis ingreditur, statim & eodem momento illum magna cum diligentia eliminet, atque repellat, non aliter atque si serpens aut ignitus carbo esset, ac sibi ante oculos proponat

Remedium aduersus impuras cogitationes.

Christum crucifixum, cùm omnibus illis doloribus & cruciatibus quos in cruce sustinuit, dum ex toto corpore sanguinis riuos emitteret, & dicat ei ex intimo cordis. Tu Domine cruci affixus es ne vltra peccarem, & ego te denuo offendam? Noli hoc Domine propter immensam misericordiam tuam & sanguinem mei causa effusum pati; Adiuua me Domine Deus meus, &c.

Proderit etiam crucis signo sæpè cordis locum signare, vt hac motione & horrore exteriori, facilius internas à se cogitationes expellat. Studeat vt sit tã castus & Deo fidelis, vt habeat oculos si fieri potest, sic occlusos, ne videat quicquam quo datorem eorum possit offendere, & cùm sese offeret occasio aliquid aspiciendi, dicat in corde suo dulciter: Ne placeat quæso Domine, bonitati tuæ, vt oculis quos mihi dedisti, & quos luce tua illuminas tanquam armis quibus te offendam abutar. Qui hanc honestatem & custodiam adhibuerit oculis suis, certus sit, quod Deus vicissim custodiet illum atq; à multis tentationibus & peccatis liberabit ac proinde vitã in magna cordis pace ac tranquillitate transiget.

DE MORTIFICATIONE.

CAPVT X.

VII. Virtus est mortificatio.

SEptima virtus est mortificatio omnium appetituum & propriæ voluntatis, quæ non est specialis virtus, sed potius generalis, omnes in se virtutes quarum munus est temperare ac domare pas-

Mortificationis officia.

siones animi complectens. Ad hanc pertinet mortificare atque elidere non modò illos appetitus & desideria illicita sed etiam licita, vt ex vsu atque consuetudine mortificationis in licitis, dexterior deinde atque expeditior sit in illicitis abnegandis & necandis: Atque idcirco exercitium valdè laudabile est vt quando quis in se cupiditatem manducandi, bibendi, loquendi, recreationem aliquam captandi, domo egrediendi, hoc vel illud aspiciendi sentit, huic suæ voluntati statim repugnet, naturamque se in omnibus quærentem comprimat, vt ex hac mortificandi consuetudine, æquius pati possit frænum rationis in appetitionibus magis inordinatis, quales sunt, honorum, commodorum, delitiarum, aliorumque similium turbulentæ cupiditates.

Quomodo appetitus mortificandi

In hac necessarium est quod magistri frequenter suos exerceant Nouitios (vt supra monuimus, vt hac ratione naturalem duritiem propriæ voluntatis in eis frangant & fiant tractabiliores atque ad obediendum paratiores, ne postea cùm tractandi & exercendi sunt, veluti lignum durum disrumpantur.

Quotiescunque autem Dei seruus in aliquo se mortificauerit, existimet se insignem in cœlis coronam meruisse, & Deo tale obsequiũ præstitisse quale Dauid Rex ei præstitit, quando aquam è cisterna Bethlehemitica sibi allatam, atque à se tantopere concupitam, Deo sacrificauit. *2. Reg. 23.*

DE RIGORE ET ASPERITATE vitæ.

CAPVT XI.

OCtaua virtus, mortificationis soror, est Rigor & asperitas in cunctis rebus suis: in mensa, in lecto, in flagellis & dura corporis tractatione, ac denique in omnibus illis austeritatibus, quas significauit Apostolus quando ait: *In labore & ærumna: in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate*, &c. *VIII. Virtus est asperitas vitæ.* *2. Cor. 11.*

Inter quas abstinentia magnæ vtilitatis est ad omnia exercitia: quandoquidem carnem affligit, spiritum eleuat, passiones domat, pro peccatis Deo satisfacit, & quod maximum est omnium malorum radicem, nempe cupiditatem amputat. Nam qui paucis contentus est, causam non habet cur multa desiderat. Neque modò ab omnibus malis hominem liberat, verùm etiam ab omnibus discursibus, curis, & inquietudinibus, quibus subiecti sunt, qui corpori suo plus satis indulgere, atque illud lautè tractare studeut: adeoque liberum & solutum eum reddit, quo se totũ Deo tradere ac consecrare possit.

Hanc ob causam SS. Patres, qui deserta Aegypti incoluere adeò propensi fuerunt ad hanc virtutem, nec alio spiritui præditus fuit S. Franciscus qui paupertatem corporis & spiritus maximoperè coluit & suis commendauit. Quando hæc virtus in hominibus defecerit, tum ruinæ proximi erunt, eò quòd vitium huic virtuti contrarium (quod est inordinata ad cibum & potum, atque corporis voluptates affectio) non tantum ieiuniorum legis, sed etiam cæteras leges omnes violet: dum etenim sollicitè quæritur voluptates, quas venter postulat, nulla lex est quam homo sibi tam sanctam esse putet vt eam non facilè transgrediatur, maximè cum vna voluptas alteram, & vnum vitium aliud requiret, quemadmodum vna virtus alteram exigit.

Quicunque autem ab his ingentibus malis liber esse volet: hæc Apostoli Pauli verba cordi suo imprimat: *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Ex quibus facilè aduertes non parum malũ esse quod tam copiosis lachrymis Apostolus deplangebat. Phil. 2.

DE SILENTIO.

CAPVT XII.

NOna virtus est Silentium, quæ clauis siue custos est deuotionis, discretionis, castitatis, verecundiæ, innocentiæ atque omniũ aliarũ virtutum. *IX Virtus est silentium.*

tutum. Sapiens enim ait: *Mors & vita in manibus linguæ.* Cuius laudes qui nosse cupit, spiritualium rerum scriptores legat, & mirandas huius virtutis vtilitates inueniet.

Prou 18.

Quare quilibet Christianus pro hac virtute impetranda, Deum incessanter precetur, dicendo: *Pone Domine custodiam ori meo:* Et certò sibi persuadeat non magis posse conseruari cæteras virtutes sine hac virtute silentij, quàm thesaurum ingentem sine sera & claue.

Psalm. 140.

In loquendo quæ circumstantia obseruanda.

Ad hanc virtutem pertinet, cùm loquendum est has circunstantias diligenter obseruare, videlicet, quid loquaris, cui loquaris, de quo loquaris, quomodo loquaris, & qua cum intentione loquaris, atque alias his similes, vt hac cautione omnes scopulos in hac nauigatione tibi sese obijcientes securus euadere possis.

DE SOLITVDINE.

CAPVT XIII.

Decima virtus est solitudo.

DEcima virtus soror & socia silentij est Solitudo, quæ est velut antemurale Silentij: Hanc opus est vt diligat atque omni studio & industria curet, qui innocentiam custodire, pacem conseruare, tempus fructuosè transigere, consolationibus Spiritus sancti recreari, atque illius scalæ quam S. Bernardus quibusdam inclusis scribens depinxit; gradus, qui sunt, lectio, meditatio, oratio & contemplatio, ascendere cupit.

Ad hanc virtutem acquirendam quæ necessaria.

Ad hanc virtutem assequendam necessarium est naturam frangere atque illi non paruam vim adferre, quo societatem fugere, solitudinem amare atque omnem vitam suam in ea exigere possit.

Et specialiter necessarium est consortia improborum & dissolutorum vitare, quæ est maxima ferè mundi pestis, nec tantum incommodi adfert canis furiosus, aut vipera venenata quantum societas

1. Cor. 15.

mala: quia vt Apostolus ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava:* T'eneat itaque seruus Dei assiduo in

Prou. 13.

corde suo hanc Sapientis sententiam: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.* Et quod idem alibi dicit: *Qui tetigerit*

Eccles. 13.

pacem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo induet superbiam.

Hanc virtutem maximoperè zelari debent magistri Nouitiorum, si multorum annorum labores & institutionem paucissimis horis perdi atque interire nolunt.

DE MODESTIA EXTERIORI.

CAPVT XIV.

Vndecima virtus est modestia exterior.

VNdecima virtus est honestas & compositio exterioris hominis. Ad quam spectat id quod S. August. ait, ne in incessu, aut statione, aut vestitu, aut in locutione nostra quicquam fit eiusmodi quod oculos alicuius possit offendere, aut quod sanctitati nostræ minus conueniens sit. Quia contra facere indicium est leuitatis animi, virtutis

Magistri Nouitiorum quæ primò curare debeant.

nullæ, ac deuotionis perexiguæ. Quamobrem vna præcipuarum curarum boni magistri hæc debet esse vt Nouitium instruat, quomodo in incessu, in vestitu, locutione, conuersatione, disputatione, risu, moderandis brachijs, oculorum inflexione se gerere: qua cum sobrietate cibum capere, qua cum honestate in lecto iacere, qua cum reuerentia & deuotione in Ecclesia diuinis laudibus interesse, qua denique cùm animi humilitate, puritate & pietate tum extrinseca, tum intrinseca ad altare accedere debeat. Idem facere debebit in cæteris omnibus: Vt quoties cum hominibus acturus est, ita se gerat, vt illos exemplo suo ædificet, & omnibus quasi quoddam sanctitatis exemplar sit. Vt non aliter atque is qui odoriferum quid attigit, odoris illius suauitatem diu retinet, sic seruus Dei omnibus cum quibus conuersatur bonus odor sit:

DE AMORE OBSERVANTIÆ regularis.

CAPVT XV.

Duodecima virtus est, obseruantia regularis amor.

DVodecima virtus est, amor ingens ad omnes ritus & obseruantias Ordinis quem professus est, neque tantum ad primarias atq; præcipuas, quæ de Ordinis essentia sunt, sed etiam ad eas quæ minimæ videntur. Neque enim aliquid in illis modicum appellari potest quæ ad sublimem finem videlicet ad Dei dilectionem omnes ordinãt. Meminerit scriptum esse. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Et. *Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est.* Illi namque qui res minimas transgredi nefas ducunt, à maioribus lapsibus securiores sunt: Et contra qui minora negligunt, paulatim in maxima flagitia labuntur. Manifestum enim est commune illud prouerbium, ex claui amissione soleam e-

Eccles. 19. Luc. 16.

Simile.

qui perdi, ex soleæ perditione equum, ex equi denique corruptione, equitem sæpenumero in summum discrimen adduci: Sic videmus ex parua sæpe

Simile.

scissura, totam vestem repentè lacerari, atque ex vnius lapidis casu, totum ædificium ruere.

Nemo primò statim saltu fit turpissimus, sed quibusdam quasi gradibus ad summa flagitia peruenit. Nihil est enim in Religione quantumlibet paruum quod modicum nominari possit, eò quod (propter votum emissum) sit actus religionis & obedientiæ, quæ sunt duæ maximæ virtutes: religio namq; omnium virtutum moralium præstantissima est, obedientia verò tantæ dignitatis, vt quemadmodum Propheta Samuel ait, sacrificijs etiam anteferatur.

1. Reg. 15.

Recordetur sæpe Religiosus se sub pœna peccati mortalis ad perfectionem quam professus est, tende-

Religiosus ad perfectionem tendere obligatus est.

re obligatum esse, à quo periculo non multum abest qui minima parui pendit.

Et quamuis omnes obseruantiæ atque cæremoniæ diligi atque obseruari debeant, specialius tamen illæ quæ difficultatem & molestiam sibi conjunctam habent, amandæ atque obseruandæ sunt; cuiusmodi sunt, ieiunia, silentium, abstinentia à carnibus, vigiliæ nocturnæ, solitudo, disciplinæ, atque aliæ similes: quandoquidem hæ faciunt vt Religio sit crucis Christi imitatio: hæ præterea ab hominibus mundanis nos distinguunt: hæ denique carnis superbiam atque ferociam edomant, & mentem ad exercitia spiritus excitant. Cumque natura humana quæ commodorum amica, laborum verò aduersaria est, nihil magis quam has austeritates execretur, ideò sollicitius hic inuigilandum est, ac solidiora fundamenta, columnæque validiores ibi subijciendæ sunt, vbi ædificium ponderosius & grauius est, idque tum propter negotij magnitudinem & excellentiam, tum propter periculi magnitudinem.

Obseruantia illa magis amanda sunt, quæ corpori molesta sunt.

DE IMITATIONE FVNDATORIS suæ Religionis.

CAPVT XVI.

Decima tertia virtus est, imitatio fundatoris.

TErtia decima virtus Religiosorum propria est imitatio illius Patris sub cuius vexillo atq; auspicijs militant, vt exempli causa, qui ex familia S. Francisci, S. Patris Francisci; qui ex Dominici familia, S. Patris Dominici vestigijs insistant, in quibus imitari debebunt, magnitudinem dilectionis, zelum salutis animarum, perseuerantiam in vigilijs, orationum prolixitatem, abstinentiæ rigorẽ, paupertatis amorem, itinera pedestria, dormitionẽ in vestibus vt eò promptius ad Matutinas media nocte surgere possint, & alia similia, quæ qui pro veris filijs haberi volunt, omnem industriã adhibere de-

re debent vt per imitationem exprimant, quo sic Patri suo in spiritu & moribus conformentur.

DE DISCRETIONE.

CAPVT XVII.

Decima quarta virtus est Discretio.

DEcima quarta virtus est Discretio, quæ est cæterarum gubernatrix, & quædam quasi fax eas præcedens, atque omnes earum gressus expendens siue mensurans: de qua Sapiens ait: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Hæc pro comitibus habet, grauitatem, silentiũ, solitudinem, orationem, consilium, quietem hominis interiorem & exteriorem, & profundam considerationem omnium quæ facere ac loqui debet, vt omnia hæc secundùm rationem, postposita omnia alia passione siue affectione administrentur: De hac virtute qui plura scire desiderat, tractatum Seraphini Firmani quem de hac virtute specialiter cõscripsit, legat, ibi reperiet vnde cupiditati suæ satisfaciat.

Prou. 4.

DE OBEDIENTIA.

CAPVT XVIII.

Vltima virtus est Obedientia.

POstrema virtus est Obedientia, quam idcirco ad finem reiecì, non quod omnium virtutum vltima sit, sed quod omnium quasi virtutum summarium siue breuiculum sit, atque omnes cæteras virtutes in se complectatur. Sumimus autem eã hic quatenus est virtus generalis, cuius officium sit ita in homine propriam mortificare atque necare voluntatem, Deoque resignare, vt quoad fieri potest nihil in ipso sit quod diuinæ voluntati resistat aut contradicat. In hac Obedientia quinq; sunt gradus. Primus est obedire præceptis diuinis. Secundus est, obtemperare consilijs. Tertius est, Inspirationibus & admonitionibus diuinis prompto animo parere. Quartus est diuinæ voluntati nos conformare in omnibus quæcunque fecerit aut disposuerit circa nos, qualiacunque illa sint siue prospera, siue aduersa; firmaque fiducia credere omnia hæc de manu illius, ad nostrum bonum proficisci. Quintus est, obedire illis qui vices Dei gerunt, vt puta ministris & vicarijs illius, in omnibus quæ imperauerint, & reminisci scriptum esse: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit:* In hac autem obedientia tres solent assignari gradus, quorum primus est, impe. rata tantummodo extrinsecus perficere sine voluntatis assensu aut intellectus approbatione. Secundus est, tum ipsis operibus, tũ voluntate obtemperare. Tertius est, opere, volũtate & intellectu obedire, qui est supremus obedientiæ gradus, nec vnquam inueniri potest sine vera humilitate, resignatione & discretione.

Obedientia quinque gradus.

Luc. 10.

In obedientia quæ superioribus exhibetur tres alij gradus.

Hæ sunt Christiane lector, primariæ virtutes, quibus necessarium est adornari animam quæ templũ Dei & vas electionis esse desiderat, de qua dici possit illud Sapientis: *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.*

Eccl. 50.

Sunt autem à nobis summatim duntaxat traditæ, vt earum amplificatio huius doctrinæ informatori relinqueretur, quod efficere poterit partim SS. exemplis, partim sacrarum literarum testimonijs, partim eorum quæ legit, quæ vsu ipso didicit, & quę denique Spiritus sancti instructione percepit, ad rem accommodatione.

QVÆ ADIVMENTO ESSE POSSINT *ad prædicta in opus conferenda.*

CAPVT XIX.

NEgari non potest in omnibus de quibus hucusque disseruimus, magnas inesse difficultates, quia tum ad naturam & antiquos mores relinquendos, tum ad virtutes acquirendas magnis laboribus & sudoribus opus est, labor etenim communis virtutum materia est. Reliquum igitur est, vt pro eorum quæ hactenus dicta sunt absolutione, de remedijs quibus hæc faciliora & leuiora fieri possint differamus, quia parum vtilitatis adferret bonum cognoscere nisi etiam modus consequendi illud præscribas, quemadmodum prodesset infirmo cibos ante se habere, nisi appetitum illos manducandi habeat.

Horum autem mediorum præcipuum est deuotio, quia ad hanc virtutem propriè & principaliter spectat hominem ad actiones virtutis & pietatis promptum & alacrem reddere: Ita vt aliæ virtutes sint quasi onus siue iugum Domini, hæc verò quasi humerus & alæ quæ illas sustentant vt leuius ferantur atque in opus conferantur adiuuat.

Medium ad mortificationem & virtutes acquirendas præcipuum est deuotio.

Hoc vt intelligatur, sciendum est difficultatem hanc non ex ipsa conditione vitij aut virtutis proficisci, cùm vitium sit contra naturam: virtus verò secundùm eam, atque idcirco vitio difficultas, virtuti autem facilitas inesse debuisset: sed à subiecti quòd est cor humanum per peccatum à suo statu deiectũ, corruptione. Hinc enim fit vt quemadmodum palato non sano insipidus est cibus qui sano est suauis & iucundus, & quemadmodum lux infirmis oculis molesta est, quæ benè valentibus est amabilis & grata; sic virtus insipida est, vitium verò suaue, nõ quod in seipsis considerata eiusmodi sint, sed propter malam dispositionem subiecti, quod est cor nostrum malignitatis veneno infectum.

Similia.

Cùm igitur hæc ita se habeant, necessarium est prouidere de aliqua medicina, qua hæc cordis nostri malitia corrigatur, & ad talem statum reducatur, vt bonum diligat, & quæ huic contraria sunt, odio habeat, sine quo fieri non poterit vt vel vitia extirpentur, vel virtutes acquirantur, hoc autem propriè ad deuotionem pertinet, quæ nihil aliud est, quàm ros quidam cœlestis & flatus Spiritus sancti, exaltatio & spiratio gratiæ illius, ignis Fidei, Spei, & charitatis, mirabilis splendor & suauitas, quæ nascitur ex diuinarum rerum meditatione, quæ ita cor hominis immutat in Deum & transformat, vt illum ad mala perpetranda difficilem, ad bonas verò actiones facilem & promptum reddat: ac diuinarum rerum suauitatem: mundanarum verò acerbitatem ei gustandam præbeat. Hoc S. Auguſt. in semetipso expertum se esse fatetur, in libro nono Cõfessionum suarum vbi dicit omnia quę mundi erant sibi grauia effecta fuisse propter dulcedinem quam sentiebat in Deo, & propter pulchritudinem domus Dei quam vehementer diligebat. Hoc idem per experientiam quotidie cernimus in personis spiritualibus, qui eo tempore quando insigni aliqua deuotione profunduntur, promptissimi & alacres sunt ad omne bonum, cauti verò & circumspecti in malis, atque in illis eximiam suauitatem, in his verò magnam molestiam experiuntur.

Deuotionis medium.

Auguſt. lib. 9. Confeſſ.

Quapropter vniuscuiusque qui fructum facere cupit hæc potissima cura debet esse, vt hunc nobile deuotionis effectum omnibus quibuscunque potest modis in se conseruare & augere contendat, quin tanto facilior erit mutatio cordis eius, quanto magis deuotionis succo redundauerit.

Quocirca quemadmodum qui ceram tractare aut aliquid obsignare volunt, primum illam intra manus mollem & tractabilem faciunt, deinde signum quodcunque voluerint imprimunt, ita qui in corde suo virtutis imaginem imprimere vult necesse habet, vt primum illud deuotionis calore molle ac tenerum reddat, atque hoc peracto nullo negotio quamcunque voluerit, formam ei imprimet: sic vi-

Similia.

sic vidimus illos, qui lapidem aliquem durum secare volunt, prius illum aceto & igne permollire, postea ferreis instrumentis illum diuidere. Similiter & illos qui baculum incuruum rectificare cupiunt, prius ad ignem illum flexibilem reddere, deinde ad placitum suum illum flectere ac rectificare.

Similiter & fabrum ferrarium sine igne ferrum non tractare. Etenim prius igne ferrum mollit vt tractabile fiat, & non aliter ac cera malleorum ictibus cedat. Quare igne ac malleis tantoperè indiget vt si horum aliquid desit officium suum rectè implere nequeat: malleus enim sine igne nihil aliud esset quam quod communi prouerbio dicitur de aliquo frustraneo labore seipsum consumente: ferrum frigidum malleis cedere: ignis verò sine malleo molliret quidem ferrum sed non mutaret figuram.

Hæc duo necessaria etiam sunt nobis nimirum malleus mortificationis, qui destruat & dissipet omnia naturæ cõtraria: & calor deuotionis qui cor molliat, & ad ictus huius mallei excipiendos morigerum ac facilè reddat. Hæc ideo tam multis verbis disserui, totque similitudinibus illustrauí, quòd existimarem in hoc vno clauem totius negotij propositi consistere. Ex quo perspicuum fit, quam necessaria nobis sit deuotio in hac vitæ mutatione: & quantus error in Nouitiorum & educatione atque informatione committantur, si non ingens cura in his exercitijs illos nutriendi adhibeatur.

DE MEDIIS QUIBUS ACQUIritur Deuotio.

CAPUT XX.

Primum medium quo cõparatur deuotio.

VIdendum nunc est quibus mediis hic eximius deuotionis affectus comparari possit. Horum primum est frequens Sacramentorum vsus: specialiter Sacramenti Eucharistiæ: quia effectus præcipuus huius nobilissimi Sacramenti est spiritualis animæ refectio: quæ nihil aliud est quam singularis quædam & excellens deuotio: quandoquidem illa est quæ nos roborat, quæ nobis vires addit, atque iucundam efficit virtutum semitam.

Sacramentorum vsus.

Hic bonus magister multa habet de quibus apud discipulum differat: tum de inæstimabili virtute Sacramentorum, tum de ratione ac methodo qua se ad Sacramentorum susceptionem præparare debeat, quia quisquis ad Sacramenta cum debita præparatione accedit, fieri non potest, quin non magnos diuinę gratiæ influxus sentiat, & splendoribus diuinis mens eius illustretur: quod specialiter in Sacramenti Eucharistiæ perceptione contingere solet: quapropter & ante & post sumptionem tanti Sacramenti in pijs orationibus, meditationibus, ac mentis à creatis rebus abstractione, se feruentius exercebit, quia non rarò in hoc Sacramento tam suaui & mirabili pastu anima reficitur, vt multis diebus permaneat.

Et qui hanc suauitatem nunquam expertus est, certò credat, se nunquam adhuc nobilissimos huius Sacramenti effectus sensisse: quia cum ore continuit fauum mellis & panem Angelorum, nihil supernaturale percepit.

II. Meditatio rerum diuinarum.

Secundum medium quo deuotio acquiri possit, est meditatio rerum diuinarum, vti expresè docet D. Thomas, speciatim diuinorum beneficiorum & vitæ Christi. Ex hac enim intellectus consideratione, resultat in voluntate affectus ille quem appellant deuotionem.

Prima itaque ac præcipua magistri solicitudo esse debet, vt in Nouitij animo ante omnia hanc deuotionem ita imprimat, vt nunquam illius obliuiscatur, & quemadmodum natura in animali corporis formationem à corde (à quo cæterorum membrorum vita procedit,) orditur, sic illo vitam spiritualem ab oratione ac meditatione auspicetur: quia hinc attrahet spiritum timoris & amoris diuini, quo reliquis operibus suis vitam dabit. Quod vt assequatur præscribet ei certa tempora & exercitia de methodo etiam qua in ijs vtatur ac cæteris omnibus quę facere debet ipsum specialiter informabit, & quotidie rationem omnium quæ illa die precatus & meditatus est, atque omnium quæ fecit ab eo reposcet, vt sic paulatim hanc semitam perambulare assuescat.

III. Librorum pierum lectio.

Tertium medium deuotionis acquirendæ est piorum & spiritualium librorum lectio, maximè si cum humilitate ac desiderio vtilitatis capiendæ legantur, quia hæc lectionis methodus meditationi quam simillima est, præsertim si post lectionem secum paulisper ea quæ legit, ruminet & digerat: sic enim paulò minus vtilitatis è lectione, quam è meditatione referet, eò quod lumen intellectus quo in hac lectione mens illustratur, statim ad voluntatem, atque ad cæteras animæ potentias transfert, non aliter ac virtus & motus primi cœli, cæteris inferioribus orbibus se communicat.

Quare non reprehendendum videretur hoc exercitium, quod quotidie Nouitijs omnibus simul congregatis liber aliquis spiritualis, vitæ benè viuendi disciplinam siue institutiones complectens prælegatur, cuiusmodi esse posset: Vincentius de vita spirituali. Henricus Harphius. Seraphinus Firmanus: aut alij similes: & post lectionem viua voce sermo spiritualis de his quæ lecta sunt haberetur.

IV. Officia diuina.

Deuotionem præterea non mediocriter promouent officia diuina in quibus sæpenumerò anima mirabili quadam suauitate perfunditur, inebriatur, & extra se rapitur, si cum ea deuotione & attentione qua dignum est illis interfit: Ac proinde non minima curarum Magistri esse debebit, vt Nouitium instruat, quomodo se ad laudes diuinas in choro persoluendas præparare, quantaque cum modestia, reuerentia & deuotione diuino conspectui assistere debeat, non fastidiosa, non tepida, non languida, sed vigili, alacri, attenta & pia mente: vtpote qui cum Angelorum choris Deo psallat, & laudes decantet. Ab his enim duabus rebus, videlicet à præparatione ante diuinum officium & ab attentione ibidem obseruata, totus fructus qui inde hauriri potest dependet. Itaque Magister exponet illis obligationem suam, qua ad diuinum officium cum attentione persoluendum tenentur: Declarabit præterea tres esse attentionis modos: vnum ad verba: alterum meliorem ad sensum: tertium cæteris præstabiliorem, cor in Deo defigere atque in illo requiescere. Informabit etiam illos, quod sub diuino officio mentem conuertere possint ad mysteria passionis Dominicæ in septem horas distributæ, quod est singulare ac potissimum remedium ijs qui quæ cantantur, non intelligunt.

Ad deuotionem præterea iuuabit ad Missam seruire aut ei interesse, considerando mysterium illud quod per eam nobis repræsentatur, videlicet Christi in Cruce immolationem, & sacrificium illud cruentum quod ipse cruci affixus Patri pro nobis obtulit. Quare qui Missæ interest aut Sacerdoti sacrificanti seruit, idem cum Angelis, qui diuinæ maiestati assistunt & ministrant, officium Deo præstat.

Adhæc quotiescunque transit aut stat coram venerabili Sacramento, eo cum timore ac reuerentia quæ tantam Maiestatem decet, coram eo assistere conetur: quod hic admonitione dignum fuit, ob negligentiam quæ circa hoc à multis committitur.

Præter supradicta omnia studeat omni tempore & loco Deum præ oculis habere & in præsentia illius omnia quæcunque agit, loquitur & cogitat, facere, vtpotè qui eum testem, inspectorem, & iudicem om-

nium operum suorum habeat, hoc consilium maximi ponderis & momenti est, maioriſque quam quisquam existimare possit.

Quotiescunque potest orationibus illis iaculatorijs quas viri sanctissimi nobis singulariter commendant, vtatur: habeatque in promptu versiculos aliquos psalmorum Dauidis, qui ad hoc ei deseruient: ac præcipuè quando hora sonat, tum recordabitur horæ illius qua Deus pro ipso in cruce spiritū reddidit: & illius horæ qua ipse aliquando modo moriturus est: poterit etiam ad idem propositum orationem aliquam breuem recitare.

Mane è lecto surgens tria faciat: primum gratias Deo agat pro illius noctis quiete cæterisque beneficijs eius. Deinde offerat se & omnia quæ illo die facturus aut passurus est, Deo ad gloriam sanctissimi nominis sui. Tertio petat gratiam totum illum diem ad illius obsequium impendendi, & specialiter illis vitijs ad quæ propensior est resistendi.

Vesperi ad lectum iturus intret secum in iudicium & conscientiam diligenter examinet: & de commissis eo die peccatis humiliter à Deo veniam precetur, firmiterque proponat omnium eorum sinceram emendationem.

In lecto ita se componat, quemadmodum in sepulchro post mortem ponendus est: & secum paulisper figuram illam quam hoc situ representat, cum omnibus circumstantijs expendat: responsorium vnum ex ijs quæ pro defunctis cantari solent, super se tanquam mortuo legat, ac denique Deum roget, vt in hora mortis ipsum defendere & contra omnes inimici tentationes ac insidias tueri velit. Quotiescunque noctu expergiscitur, dicat vel *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, vel, *O Iesu nostra redemptio, &c.* vel aliquid simile. Ex omnibus quæ audit vel videt, occasionem vel propriæ compunctionis vel diuinæ laudis capiat, sic enim in humilitate ac Dei amore magnum indies augmentum sentiet.

Quando ad mensam cibum sumpturus accumbit, assuescat optimas quasque buccellas Christo asseruare, & aliquando cibos cæteris & delicatiores sibique forsitan conuenientiores pœnitentiæ causa relinquat. Singulis ferijs sextis in memoriam Dominicæ passionis aliquid speciale faciat, vel ieiunando, vel eleemosynam largiendo, vel flagris corpus cædendo, aut cilicium ad carnem gestando, aut aliud aliquid asperum pro illius amore amplectendo.

Idem faciet vespere illum diem qua communicaturus est præcedenti: vt eo melius ad huius Sacramenti susceptionem se præparet. Quoties verò flagellis corpus suum cædit, aut disciplinam accipit, in tres illam partes diuidat, quarum vnam sibi, alteram animabus in purgatorio existentibus, tertiam peccatoribus in mortali peccato viuentibus accommodet.

Hæc sunt exercitia spiritualia, de quibus bonus Magister discipulum diligenter informare debet, quandoquidem hæc sunt principalia media quibus Spiritus sanctus vtitur, vt homines spirituales efficiat, à conuersatione carnali discernat atq; ad omnem virtutem habiles efficiat.

Ad quod plurimum proderit in conuersionis initio nouellum Tyronem ab omni negotio & occupatione exteriori liberum relinquere, atque in silentio & solitudine instruere illum de methodo in his exercitijs, specialiter in oratione ac meditatione obseruanda: & quotidie hora huic rei præstituta rationem ab illo omnium quæ fecit reposcere: quomodo se in omni euentu gesserit, quem successum meditatio habuerit: quid in ea cogitauerit, quomodo se habuerit in choro, in Missa, in examinatione conscientiæ, in librorum piorum lectione: quomodo se ante & post sacram Cōmunionem introuerterit, quas orationes recitauerit, quibus eo tempore meditationibus vsus fuerit: in cogitationibus illic occurrentibus quomodo se gesserit: qua cum patientia & longanimitate visitationem Domini, deuotionis rorem, si tardè veniat, aut etiam omnino denegetur expectauerit, atque ita ex illis quæ responderit, facilè cognoscet quid in discipulo suo habeat, & quomodo illum tractare debeat.

SUMMARIA DICTORUM recapitulatio.

VT igitur finem faciamus & ea quæ hactenus dicta sunt in vnam veluti summam redigamus.

Tria sunt necessaria ad nostram vitæ reformationem. Primum est mortificare atque extirpare ab anima nostra omnia vitia, & omnes malas inclinationes.

Secundum est expolire, & adornare illam virtutibus.

Tertium est ad hęc in opus conferenda gratiam deuotionis à Deo postulare, atque illam conuenientibus medijs in nobis conseruare: vt per eam duo priora bene agere valeamus. Horum trium duo priora sunt veluti fines: tertium verò est medium principale quo isti fines acquirantur. Quibus ritè peractis ascendimus in cælum sine scala, quamadmodum illi faciunt qui sine deuotionis exercitio ad perfectionis culmen cupiunt pertingere.

FINIS.

R.P.F.LV-

R. P. F.

LVDOVICI GRANATENSIS.

ORDINIS S. DOMINICI,

TRACTATVS DE MYSTERIO INCARNATIONIS Filij Dei.

PROLOGVS.

SVMMVS ille Philosophus Seneca, considerans admirabilem Vniuersi huius fabricam, orbium cælestium amplitudinem & capacitatem, eorundemque motum adeò æquabilem & dispositum, pulchritudinem stellarum, cursum Planetarum, temporum annique tempestatum ordinem & successionem, omnem denique quæ in hoc admirabili Dei opere elucet, contemplans excellentiam & diuinitatem; in admirationem stuporemque rerum ita sublimium raptus, nimis mortalem & fragilem vitam humanam esse dixit, ad res immortales (vt opera admirabilia sunt) quæ auctor naturæ in hoc mũdo operatus est, comprehendendas. Si igitur Senecæ iudicio nimis breues vitæ nostræ dies sunt, nimisque parum temporis habeamus vt spiritus noster in rerum naturalium contemplatione occupetur; an non igitur nimis breuis vitæ nostræ cursus erit, ad plenam & perfectam rerum supernaturalium & diuinarum, & præsertim diuini illius operis, principij scilicet restaurationis humanæ, cognitionem consequendam. Atque ideò Esaias Propheta Deo mandante nobis insinuat, vt cogitationes nostras ab omni alio Dei opere diuertentes, mentem & oculos ad hoc vnũ dirigeremus, quod pulchritudine scilicet sua cæteris omnibus antecellit, & magnitudine splendoris, omnem aliorum claritatem offuscat. Cui præcepto si obtemperemus, æquissimum sanè erit, id quod reliquum restat vitæ, considerationi huius rei impendere: cùm certò sit certius, hominum vitam finiendam priùs, quàm magnitudinem & miraculum, quod in hoc mysterio clausum latitat, ingenio, vt par est, poterunt comprehendere. Quamobrem, vt aliquis inde fructus in nos redundet, non erit vt arbitror, abs re, diuersis id coloribus & luminibus ad gratiam & splendorem ei conciliandum depingere; non secùs atque corpus aliquod egregium diuersis vestimentis, ad pulchritudinem eius magis declarandum, circumuestimus.

Seneca iudicium de pulchritudine Vniuersi.

Magnitudo mysterij Incarnationis.

Nam quemadmodũ periti & expertes medici ægris aquas aliquas medicas bibendas præscribunt, quas ad eorum sanitatem non parum sciunt conferre, idque non modò prandij tempore aut cænæ, verùm omnibus horis diei, & quoties sitient, quia sanitati eorum ita expedit. Ita planè, cùm commune malorum nostrorum remedium in Passione Redemptoris nostri consistat, nulla prorsus occasio, quæ se præsentet omittenda est, quò minus ad profundam eiusdem contemplationem deueniamus.

Simile.

Quare de illa modò agemus idque sub diuersis figuris, adductis aliquibus è sacra scriptura testimonis, & simul eorum interpretatione, quæ ad hoc facere videbuntur, vt animus noster aut oculi hac ratione nunquam ab eius contemplatione diuertantur, cùm ab illa omnis vita nostra dependeat. Et quamuis forsitan nonnulla sepiùs repetentur, non ideò tamen quisquam id molestè ferat, aut nobis succenseat: contingit enim nonnunquam, aliqua diductiùs explicari, & latiùs deduci, quæ antea nimis succinctè & non pro merito erant explicata; ita porrò faciliùs omnia intelligentur, quo magis pietas nostra erga eam inflammetur.

Institutum auctoris.

Additur nonnunquam noua quædam ad idipsum consideratio quod prius propositũ erat, quæ non occurrebat cùm de eo, loco suo ageretur. Atque ideò interdum necessarium est repetere quæ priùs dicta sunt, ad consequentia loca & circumstantias, ad quas adiecta referantur, melius intelligenda.

Decreui itaque de sublimi illo mysterio tractare, idque eo nomine quo id ipsum Propheta nomi-

Esa. 12, 4. nominat, cùm id adinuentionem Dei, quam populis nos iubet notam facere, nuncupat: qua decretum fuit, vt vnigenitus AEterni Dei filius in mundum descendens inter mortales versaretur, carnis quidem nostræ exuuijs circumdatus, vt humanæ naturæ infirmitatibus succurreret.

Ibidem. Propheta itaque gratias Deo supplex agens, nos omnes ad tanti beneficij agnitionem secum inuitat & hortatur: nomen enim eius altissimum est, & opus hoc ab infinito & æterno eius amore proficiscitur, quem in cordibus nostris excitauit, vt ij qui necdum veram eius beneficij, glorioséque Incarnationis mysterij agnitionem adepti sunt, amplissimas ei & cumulatissimas exinde gratias agant.

In deductione verò materiæ huius semper hoc velut certissimum tenendum est, diuinæ prouidentię alia optima & aptissima media & quidem plurima, non defuisse, quibus huic malo medicinam faceret: tamen sicuti non modò omnium rerum perfectissimus est, at ipsamet perfectio; ita quoque perfectissimum & aptissimum exemplar condidisse, in quod conditiones operibus Dei inhærere solitæ multo perfectiùs redundarent, vt sunt misericordia & iustitia, augmentum suæ gloriæ, & hominum salutis sitis & desiderium.

Propositum mihi quoque fuit in modum dialogi inter D. Ambrosium & D. Augustinum hanc materiam deducere: quoniam ex historijs vitisque Sanctorum constat, Augustinum ab Ambrosio ad veram fidem esse cõuersum, & ab hęresi Manichæorum esse auocatum, qui mordicus asserebant Deum res sublimes, inuisibiles, & ab oculis nostris remotas solum modò condidisse, diabolum verò totius vniuersi machinam, quæ quidem oculis conspici potest, fecisse. Verùm quamuis Augustinus falsam illam & impiam sententiam reiecisset, nondum tamen mysteria fidei nostræ edoctus erat, & maximè ineffabile mysterium Incarnationis & Passionis filij Dei. Atque ita scilicet historiæ tradunt, sublime hoc Incarnationis Sacramentum nulla eum ratione potuisse comprehendere: Quid autem sacramenti haberet, *Verbum caro factum est*, nec suspicari quidem poterat. Hinc est, quòd hic Sanctum Ambrosium loquentem inducimus, qui ei hoc ità mysterium aperiat & declaret, quemadmodum omnia ei alia priùs declarârat. Equa doctrina tantum emolumenti Diuus Augustinus percepit, & eatenus in eius cognitione processit, vt, quemadmodum de se ipse scribit, statim percepto Baptismo, singulis penè momentis sublime Omnipotentis Dei consilium, & singularem eius in humani generis redemptione prouidentiam demiratus sit; quàm singulare scilicet & idoneum medium Incarnatio & Passio filij Dei exstiterit, ad malis nostris occurrendum.

Manichæo rum hæresis.

Ioan. 1.

ARGVMENTVM DIALOGI.

COnatur in hocce dialogo Augustino Ambrosius excellentiam medij declarare, quod diuina sapientia in homine redimendo adinuenit; præclarius scilicet multò, quàm humana sapientia queat excogitare. Hinc Ambrosius ab Augustino petit, quod medium eius sententiâ (cùm sciat in quas calamitates genus humanum propter protoplasti peccatum inciderit) humanitus quidem tam communi hominum ruinæ & exitio afferri queat. Cui ille ait vnicam saluandi rationem esse posse, si quis vitæ sanctitate singulari, qualis Abrahamfuit, sacrificium Deo offerat, quod adeò ei gratum exístat, vt eius iustitiæ & sacrificij sanctimonia delicto satisfaciens, omne penitus peccatum auferat. Verum Ambrosius collata hac saluandi ratione cum ea quam Deus inuenit, apertè demonstrat, quantum hac priorem virtute & efficacia superet, qua quidem virtute caruissemus, si alia quadam ratione, ab humano excogitata ingenio redempti fuissemus.

TRACTA-

TRACTATVS DE MYSTERIO INCARNATIONIS FILII DEI, IN MODVM DIALOGI,

INTERLOQVENTIBVS S. AMBROSIO, ET S. AVGVSTINO.

Super illa verba Esaię Prophetę: Esa. 12.

Notas facite in populis adinuentiones eius, &c.

S. Augustinum a S. Ambrosio instruit.

AMBROS. Scire velim, Augustine, quo in statu res tuæ sint, ex quo cognitionem & nouum lumen veræ nostræ fidei habuisti? AVGVST. Explicare verè verbis animi mei quietem ac tranquillitatem, & simul ingens seruiendi Deo meo desiderium non possim, & tibi simul gratificandi, quo suadente & persuadente tantum bonum consecutus sum. Cùm enim animo fluctuationes & iactationes, quibus animus iamdudùm agitatus est, quæque tandem me in horribilem & teterrimam Manichęorum sectam præcipitarunt, mecum repeto: & iam lumine veræ fidei illustratus cæcitatem meam, & impietatem agnosco, qua diuinæ maiestatis potentiæ derogabam, & honorem ei debitum & nomen, Creatoris scilicet omnium rerum, indignè eripere, vt honoris eius partem diabolo, eius hosti iurato tribuerem, non possum quin immensas Deo gratias agam qui me tantis è tenebris eduxerit, & in regione lucis collocârit. AMBROSIVS. Laudabiliter facis, quòd ei ob tam grande beneficium, quale est fides, gratias agas: est enim fides singulare Dei donum, & primum fundamentum & veluti basis omnium aliarum quas hominibus confert, gratiarum.

Et quemadmodum ipsam gratiam donaque desursum orando obtinemus, ita quoque eadem augemus, cùm humili gratiarum actione largitori eorum obligatos nos esse agnoscimus. Velim tamen, quæ mea curiositas est, scire, qui in tantam cæcitatem (cùm magnos is ingenij acumine, & in Philosophiæ studijs optimè versatus) prolapsus sis, vt Spiritum malignum mundi huius visibilis, & præsertim hominis, fuisse Creatorem credideris. AVGVST. Equidem lubens id fecero: ipsa enim calamitatis, in quam incideram, tristis memoria, renouat & adauget lætitiam & tranquillitatem, quam modo in animo persentisco; non secùs ac nauta lætatur, qui grauibus superatis procellis & maris tempestatibus quibus iactatus fuerat, optatum incolumis portum ingreditur. AMBROS. Si ipse, memoriam præteritæ calamitatis repetendo, non mediocriter tibi applaudis, ego quoque haud grauatus aures ad te audiendum dabo: cùm quia tibi ex inuoluto hoc errorum labyrintho exeunti, non parum opitulatus sum, tùm quia id ipsa charitas exigere videtur, quæ bona propria cum alijs communicat, & vnumquęque fructus sui participem reddit: quapropter sine vllo timore exordire. AVGVST. Dico igitur, multitudinem colluuiemque vitiorum quæ in mundo regnabant, infelicem hancce mihi ruinam peperisse. Cogitabam namque mecum furta, adulteria, homicidia, blasphemias, cęteraque hominum, ne dicam brutorum, horrenda flagitia, bella cruenta, inimicitiasque mutuas ob quas campi humano ruberent cruore. Videbam quoque proditiones, coniurationes, seditiones, motus plebeiorum aduersus Dominos & principes suos, & simul oppressionem & tyrannidem, quam Magnates in plebeios exercerent. Conspiciebam fidem, veritatem, pacem, benignitatem, castitatem, iustitiam, fidelitatemque è mundo exulare, adeò vt nulla inter filios & parentes fides, nullus inter coniuges amor, nulla inter fratres & sorores gratia appareret. Hinc etiam occurrebant hominum idolis seruientium dementiæ, sectæ, vanæque omnium nationum superstitiones, sacrificia; atque hæc quidem cruenta & barbarie horrenda, illa verò inhonesta & turpitudine inaudita, quæ fictitijs & pro libitu excogitatis Dijs offerebantur. Denique videbam homines sine vlla reuerentia aut timore honorem vero Deo debitum & legitimè partum, peruersissimè ei auferre, vt tartareis illum spiritibus iuratissimis eius hostibus deferrent, & asscriberent. Quid porrò dicam de odijs & rancore inueterato, quem multi in animis fouerent, vt de se mutuò vindictam data occasione sumerent, sibique mutuò perniciem afferrent. Quid autem de nationibus barbaris, humanis carnibus adeò assuetis, vt ferinæ, & sanguine sese hominum inebriantibus. Denique cùm oculos in sexcenta alia flagitia, impuritates, scelera, atque alia execranda facinora, quæ numerari vix possunt conijcerem, cùm ipsemet Creator Deus arido illo & sterili, quod diluuium præcesserit, sæculo, vnicum solum iustum, nempe Noë reperire potuerit: ita quippe omnis caro viam suam corruperat, vt Deus ipse, meritò in sceleratum genus hominum commotus, coactus

Cur Manichæorum errorem secutus.

Gen. 6.

quodammodò fuerit flagellum furoris sui, per diluuium vniuersale exercere, quod vniuersam faciem terræ cum omni generatione peruersa aquis miserè inuoluerer.

Considerans itaque hinc horrenda flagitia, quæ in orbe dominantur, atque illinc operum diuinorum perfectionem, inducere in animum meum haudquaquam poteram, à meque ipso impetrare, vt crederem, opus adeò abominandum quale est cor hominum, à quo omnia mala proficiscuntur, à tam prudenti opifice, qui omnia certo numero, pondere & mensura condit, esse creatum. Adeò vt tantarum opinionum varietate in diuersa raptus, cùm originem omnium quæ in mundo regnabant, flagitiorum inuestigare, & Deo (qui ipsa bonitas est) eadem adscribere non possem, in hocce erroris præcipitium sim deturbatus. AMBROS. Declaratis eroris tui & ruinæ causis, rationes velim mihi modò aperias, quibus ab hac errorum via, ad veritatem reductus sis, vt videam num aliquem in institutione, quam à me hac de re accepisti, profectum feceris. AVGVST. Vnica & sola peccati originalis cognitio errorem Manichæorum cæcitatemque clarè aperire potest: nam cùm naturam humanam à peruersitate humana distinguere non possent, execrandas illas in cœlum blasphemias euomuerunt. Si enim ea à se distinxissent, singulis quod suum erat attribuissent, Deo scilicet naturæ creationem, diabolo verò peccati diuersitatem. Est namque certissimum, hominem peccatis circumdatum, & prauis affectibus ad malum ducentibus inquinatum esse, quos ab vtero matris secum defert, purum conditum esse; verùm ita perfectum & purum, vt non tanta sit pulchritudo & ornatus sponsæ in die solennitatis domo egredientis, quanta fuerit naturæ humanæ in die creationis è manibus creatoris exeuntis. At proh dolor! Ipsa inobedientia in primis omni eam splendore, ac iustitiæ gratiarumque ornatu spoliauit: quâ iustitiâ, quæ naturam in puritate conseruabat, semel perditâ, succesit peccatum & peruersitas. Nam non secus ac caro sale corrupto & infatuato corrumpitur, & vermes putredinemque generat; ita quoque vix exstincta in homine iustitia fuit, quæ instar salis eam in gratia conseruabat, quin statim corruptus fuerit, & innumerabiles vermes, qui sunt opera carnis, produxerit: quorum Apostolus ad Galatas scribens meminit; *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, immunditia, impudicitia, fornicatio, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, &c.* Quod verò maximè mireris, quòd homo nascitur inimicus Deo, ita rebus terrenis & voluptatibus carnis deditus, non secùs ac brutum aliquod animal omni ratione carens, peruersumque illum amorem longè præfert ei, quem Deo auctori suo merito debet, quo nihil sanè turpius, nihil horrendum magis excogitari potest. Atque in eo consistit peccatum originale, quo deformatus homo, nascitur inimicus Deo, exul paradisi, & mortis reus. Hæc est hæreditas, quam primi nostri parentes in nos transmiserunt, qui in pœnam inobedientiæ temeritatisque, qua similes Altissimo esse gestiebãt, à quo tanta beneficia donaque gratiarum adepti erant, hæreditate gratiæ iustitiæque miserrimè sanè exciderunt: nec modò omni iure quod ipsorum erat, verum etiam eò quod posteri eorum exigere potuissent spoliati sunt, ita vt filios similes sibi vsque ad vltimam generationem procrearint.

Causa erroris Manichæorum.

Inobedientia omnium peccatorum origo.

Gal. 5. 19.

Gen. 2.

(·.·)

§. I.

AMBROS. Optimè te Augustine, in doctrina de peccato originali video esse versatum, & quia tandem aliquando cognouisti, quod tam auidè scire desiderabas, vnde scilicet omnia mala, quibus hominum vita scatet, prouenerint, non aliunde scilicet quàm à primo peccato, quod homo suasu diaboli patrauit, scias non mali auctorem Deum, sed diabolum esse, & quoniam omnis humanæ infelicitatis causa tibi quoque cognita est, hoc liberè confitebor, ita me de te sentire, quòd te idoneum iudicem, qui cùm de remedio, quod huic malo parari posset, iam agam.

Quandoquidem enim inuidiâ maligni illius spiritus in hanc calamitatem incidimus: qui hac scilicet ratione diuinum impedire consilium & simul euertere moliebatur, quo Deus homines creando Angelorum apostatarum lapsum decreuerat reparare, vt hoc modo cœlum repleret, & sedes vacuas instauraret, minimè æquum erat, vt diabolus de diuina maiestate triumpharet, maioremque sapientiam suam diuinâ exstitisse gloriaretur, quippe qui industria versutiaque sua impediuisset, ne Creatoris consilium ad effectum perduceretur. Atque ideò par erat inimicum hunc à Deo domari, & hominem, ad augmentum gloriæ diuinæ, in pristinum statum & dignitatem restitui, beneficijs eum gratijsque cœlestibus cumulando, ab eodem restitui, vt finis sui ad quem creatus erat, hac ratione compos fieret.

Diuinum consilium de reparatione generis humani.

Hoc igitur fundamento posito, velim mihi aperias, cùm magni ingenij sis, & recenti fidei luce à Deo illustratus, qua potissimùm ratione homo in pristinum statum, prioremque dignitatis & gratiæ gradum restitui tibi posse videatur, ita vt qui modò inimicus Deo & filius esset iræ, in amicitiam cum Creatore rediret, & filius gratiæ redderetur. AVGVST. Difficilem mihi sanè prouinciam mandasti, & rem imparem humeris à me postulas: anne tibi videtur homo rudis & nescius, vt ipse sum, excogitare & indagare rationes posse, quas diuina prouidentia in homine redimendo voluerit adhibere. Crediderim verò hoc te à me postulasse, vt hac ratione ignorantiæ meæ periculum facias, vt ipse deinde, vbi me videris ignorare, me doceas & instruas. Dicam quidem, vt desiderio tuo faciam satis, quod ratio & ingenium meum quoad illud mihi dictat, cum hocce mihi mysterium nemo adhuc aperuerit.

Dico igitur, veram hominis Deo reconciliandi rationem, meo quidem iudicio, fore, si quis homo vitæ sanctitate illustris, quemadmodum primus homo præsumptione & inobedientia eius maiestatem offenderat, ita humilitate & obedientia eum placaret, & pacem inter vtrumq; conciliaret. Nam quemadmodum ad morbos depellendos & infirmitates curandas, contrarijs via paranda est, frigidum siquidem vehementi calore, calidum vehementi frigore effugatur: ita quoque diuina mihi iustitia procedere videtur, cùm superbientes & elatos humiliat, & furantium opes destruit & euertit. Et quoniam vtraque hæc comparatio cum nostra sententia optimè congruit (nam ad redemptionem hanc perficiendam, medicina aliqua, ad communem hominum morbum sanandum, simul grauj aliqua pœna, secundùm peccati grauitatem opus erat,) verisimile mihi videtur, siquis humilis & obediens (vt diximus) hæc duo remedia simul adhiberet innocentia vnius restitui posse, quod alter peccando & delinquendo amiserat.

Et quoniam Creator olim in lege veteri certa quæ-

quædam sacrificia statuit ad peccatorum remissionem obtinendam, necesse foret sacrificium ei huiusmodi offerre, quod ei acceptissimum foret, vt eius oblatio omnibus hominibus in remedium cederet. AMBR. Profer igitur è tot sacrificijs veteris Testamenti Patribus Deo oblatis vnum, vt quod tantæ virtutis inter omnia alia fuerit, intelligatur.

Placida Deo sacrificia veteris Testamenti.

Gen. 4.

Primum omnium quod Deo oblatum fuit sacrificium, fuit sacrificium iusti Abel, quod oculis diuinæ maiestatis, propter eximiam offerentis sanctitatem adeò gratum exstitit, vt flammam ignemque cœlitùs, quæ id penitus consumpserunt in testimonium eius quòd hoc ei gratum existeret, super id immiserit. Obtulit deinde vir sanctissimus Noë,

Gen. 8.

qui inter tot abominanda peccata, quæ in mundo tum temporis scatebant integer & incontaminatus permansit, aliud Deo sacrificium, in quo adeò beneplacatum est illi, vt ob id ipsum ei promiserit, nunquam se ampliùs cœlos aperturum vt diluuio terram perderent.

Verùm neutrum horum cum sacrificio Abrahami fuit conferendum, quod non modò cùm integra plenaque obedientia Deo, verùm cùm fide perfectissima oblatum est. Obedientia inquam, cùm accepto mandato à Deo, vt proprium filium immolaret, eidem non pepercerit, sed absque dilatione sanctam eius voluntatem adimpleret, ni Deus mandatum reuocasset: fide verò, qua firmiter credebat, filium statim à morte rediuiuum resurrecturum, vt promissio ei à Deo facta, per Isaac semen eius multiplicandum, integrè adimpleretur.

Gen. 22.

Quod sacrificium adeo diuino nomini complacuit, vt eius gratiâ ei promiserit, semen eius posteritatemque sicut stellas cœli & arenas maris multiplicandum: quin etiam è semine eius & stirpe talem se filium productum, qui communem vniuerso hominum generi benedictionem esset allaturus. Hoc porrò sacrificium omnibus mihi prioribus videtur longè excellentius & præstantius, eò quòd Deo non bruta animalia, sed vnigenitum & carissimum sibi filium, accedente adhæc firma fide & humili obedientia, immolare intenderit. Quamobrem, si quis eiusdem cum Abrahamo Patriarcha vel sanè maioris sanctitatis reperiri posset, qui simile DEO sacrificium offerret, optima mihi mundo succurrendi ratio videtur, cùm misericordiæ diuinę & bonitatis non sit numerus.

Atque hæc vnica mihi visa est ratio, quam huic malo commodè afferri, humanitùs loquendo, posse existima. AMBROS. Quam benè Deus, per Esaiam

Esa. 55. 8.

Prophetam loquitur, dicens: *non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, nec viæ vestræ, viæ meæ: quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltata sunt cogitationes meæ à cogitationibus vestris, & viæ meæ à vijs vestris.* Quod facilè intelliges & quasi ad oculum videbis, statim ac tibi mirabilem inuentionem, à diuino consilio ad hoc efficiendum excogitatam declarauero. Tu verò, qui ad fidem nuperrimè conuersus, adhuc catechumenus & fidem adhibeas necesse est, ad hoc sublime mysterium credendũ, nullam verò externam rationem quæras, ad veritatem eius indagandam. Antequam quidem de Philosophia & rebus naturalibus agatur, priùs eæ mente concipiendæ sunt, quàm credendæ; verùm res diuinæ (vt ait Propheta) nisi credantur priùs, nunquam ingenio poterunt comprehendi: verùm vbi semel fide nostra ea comprehendimus, mirabilem in ijs consensum & harmoniam experiemur. Quare cùm adhuc tiro & rudis sis, Philosophorum illam sententiam in memoriam reuocabis, nempe discipulorum potiùs esse credere quàm multum disceptare.

Noluit igitur (mea sententia) diuinæ sapientiæ consilium, tantum & tanti ponderis negotium quale est Redemptio & restauratio generis humani (per quã homines in filios Dei adoptati sunt, & regni eius hæredes constituti) vni committi, qui tantum esset homo, verùm alij, qui scilicet præter humanam naturam quid amplius haberet: homo quidem vt peccatoris conditionem & imaginem exhiberet; quid homine maius, vt homini lapso & auxilium ferret & remedium adhiberet. Fuit, fuit illud nouum quoddam & nusquam auditum medium, vt omnia hominum imò nec Angelorum ingenia (præter eos quibus idà Deo singulari aliqua reuelatione significatum est) nunquam tam præclarum, tam diuinum, tam denique conueniens, quale hoc est, inuenire, ne dicam cogitare, nedum exoptare, vnquam potuissent. Quare vt paucis absoluam, breuiter tibi hoc mysterium declarabo? Quod vt intelligas, scias necesse est, Deum, vt verè perfectus est, simili quoque ratione velle, vt omnia sua opera perfectionem hanc, præ se ferant, atque ea quàm maximè, quorum maius est pondus & quæ grandioris sunt notæ. An non inter vos Philosophos id ipsum quoque asseritis, naturam semper ea quæ facit, quam absolutissima & perfectissima facere? Dein sciendum est, quàm infinitis partibus opus redemptionis, ipsum creationis opus antecellat, quam excellentiam ex fine vtriusque facilè deprehendes. Finis namque creationis est, homines ad naturalem existentiam cogere; verùm finis redemptionis perfecta sanctificatio est, per quam ad supernaturalem & diuinam naturam euehuntur, & participes gloriæ Dei facti sunt. Dico igitur prudenti illi director; gubernatorique, quanto interuallo ipsum redemptionis opus, perfectionem creationis superaret, videnti, præ infinita sua sapientia visum non esse; vt ipse qui summus est Deus, quique mundum creasset, eundem à creatura aliqua redimi permitteret; præsertim cùm opus redemptionis maioris fuerit excellentiæ & longè sublimius, quàm ipsum creationis. Quin & adiungam quid amplius, non omnium modò hominum restaurationem, verùm etiam vnius solius peccatoris maioris esse, quàm totius vniuersi creationem, cùm perfectiones finis illius, perfectionibus finis huius longè sint superiores.

Deum hominem, ductu redimere genus humanũ.

Deus vti perfectus ita omnia perfecta vult.

Redemptionis mysterium creationis præstantius.

Redemptionẽ nostram Deũ decuisse probatur.

Deinde quoniam Creator, honoris sui zelo incensus, per Prophetas suos edixit, numquam se passurum, vt honor & gloria, quæ ad eum propriè pertinerent, rebus alijs creatis adscriberetur: & cùm verissimum sit, gloriam Redemptoris multis partibus ipsam Creatoris superare, non erat sanè par DEVM maximum honorem ipsi creaturæ adscribere, & minimum sibi retinere. vnde absurdè sanè sequeretur, vt homo simul conditus & creatus, diceret quidem DEO: Ago tibi gratias Domine quòd me creaueris. & creaturæ, Deinde tibi quoque supplex gratias ago, quod me redemeris. Verùm non permisit id infinita illa bonitas, vt scilicet amorem nostrum diuideremus, partem Creatori, partem verò Redemptori adscribendo; verùm idem ipse Deus qui nos condidit eadem ratione nos voluit redimere, vt simul esset & Creator, & noster Redemptor.

Esa. 42. 8.

Addam huic rei aliud non sanè minoris ponderis. Si quis pictor egregius, & celebris, cui par in orbe nõ esset, extremam suam artem, & non minorem quoque laborem, in eximia aliqua imagine depingenda, adhibuisset; quæ deinde casu, nescio quo, alio quodam colore, aut atramento inquinetur, vnde nõ mediocre detrimentum eius pulchritudo patiatur, multumq; de ea detrahat, quis quæso illam restau-

III. Simile.

rabit,& in priorem formam pulcritudinemque restituet,nisi is,qui eam depinxit, & eatenus perduxit?Ita quoque verissimum sanè est, Deum ipsum artificem,architectum, ac veluti pictorem animæ nostræ pulcritudinis exstitisse,quæ ad imaginem & exemplar diuinitatis eius efformata, & plurimis gratiarum, virtutum, perfectionumque coloribus luminibusque decorata sit. Deinde quoque certissimum est,pulchram hanc & insignem tabulam insigni quadam labe inquinatam,deletam & corruptã atramento peccati fuisse, quod omnem colorum gratiarumque splendorem abstulit. Si igitur certum sit,Deum præ infinita sua bonitate,miseræ huic animæ priorem pulcritudinem venustatemq; (quantum status noster & conditio patiuntur) velle restituere,quis alius pictor,præter hunc ipsum hoc præstiterit?Dico & ampliùs ab vnigenito Dei filio, & non alio, hanc restitutionem potissimùm fieri debuisse:nam hæc secunda persona SS. Trinitatis, Filius scilicet æterni Patris, imago & verbum Patris (in quantum diuinam eius essentiam repræsentat) appellatur.& ad hanc imaginem homo efformatus est & conditus. Atque ideo redemptio hominis,qui Imaginem Dei in se expressam circumfert,Filio potiùs quàm Patri,aut Spiritui sancto demãdata fuit; vt is ipse, ad cuius imaginem homo est conditus, hanc hominis imaginem peccato deformatam restauraret,& reficeret. AVGVST. Optimè mihi ad proposita in quæstionem videris respondisse, vnum tamen mihi velim nodum dissoluas: scilicet, si in hac hominis reparatione Deo irritato & exacerbato satisfieri debet, vt hac nos ratione in pristinam gratiam priorem amicitiam admittat; quomodo fieri potest,vt Deus ipse,qui non magis potest satisfacere quàm mereri,(hoc enim creaturæ, nõ Creatoris est)res quæ adeò cùm diuina sua natura pugnant,exequatur. AMBR. Vnicum huic rei tantum remedium fuit,quod in eo situm est,vt scilicet diuina se natura humanæ vniret,vt ipsa quidem humana natura mereri & satisfacere posset, at diuina ei robur & efficaciam suppeditaret, quo satisfactio Creatori accepta foret. AVGVST. Hac quidem ratione id perfici posse libens concedo. AMBROS. Illa est igitur inuentio charissime frater, quam diuina bonitas & æterna sapientia excogitauit, ad opus tã eximium penitus & omni ex parte perficiendum. AVG. Verùm qua ratione fieri potuit, vt duæ illæ naturæ adeò discrepantes in vnam personam & hypostasin potuerint vniri & coalescere? AMBR. Diuina illa bonitas ante omnia sæculorum sæcula, & ab æterno Virginem sanctissimam sibi elegit,puriorem & nitidiorem ipsis stellis,virtutibus, gratijs & donis Spiritus sancti,ipsis Angelis cumulatiorem,in cuius visceribus sanctissimisque vteri penetralibus filium suum vnigenitum voluit concludi; vbi omnipotente Spiritus sancti virtute conceptus fuit; & tempore debito inde in lucem edi, Deum simul & hominem omni ex parte perfectum,ex progenie Adami,non tamen humanitatem suam Adami peccato inquinantem. Voluit illum iam factum hominem cum hominibus conuersari,ad amorem agnitionemque Dei altissimi eos doctrina sua inuitando,ad virtutes,quibus ipse erat abundè dotatus,suo exemplo capessendas incitando;inque fide miraculorum suorum operatione confirmãdo. AVGVST. Rapis me in admirationem huiusmodi oratione; & stuporem menti injicis,Filium Dei in virginis vtero conclusum cùm asseris, carnem assumpsisse cùm prædicas,hominem factum esse & cum hominibus conuersatum esse cùm affirmas,quem tamen ij non receperunt, nec mundus cognouit regalem suam maiestatem semper occultantem. O sublime mysterium,quod me in admirationem & stuporem rapit? in placitis enim Philosophorum hactenùs educatus sum,quorum hoc vnum est, quod mordicùs tuentur,Aristotelis Philosophorum principis authoritate confirmatum: *Deum actum esse purissimum.* Quo asserto quid aliud docere voluerunt, quàm omnes quæ excogitari possint perfectiones in altissima illa substantia adeò perfectè eminenterque elucere, vt nihil ad perfectionem addi possit, maioresque fieri quàm modò sint,nequeant?Quin etiam tantam naturæ eius puritatem,sublimitatem,simplicitatemq; esse affirmant,vt nihil aliud cogitare vel comprehendere præter magnitudinem suam possit, atque hæc ratio est,quòd quemadmodum omnia quæ extra diuinam eius naturam sunt,ipso minora sunt;ita quoq;,si quid aliud cogitaret,quod diuina sua substantia non esset,magnitudinem & sublimem suam essentiam nimium contraheret,quamuis propterea omnia in diuina sua essentia non desinat cognoscere. Quis igitur doctrina hac imbutus, & in eadem versatus, habita semper opinione illa de magnitudine & puritate Dei,quique iam intelligat,diuinam illam maiestatem adeò sese humiliasse, præ admiratione non hæreat suspensus & stupore defixus? Existimo tamen,hoc ipsum, licet adeò nouum, & ab omni sæculo inauditum videatur,ab infinita eius bonitate perfici potuisse:bonitas enim eius essẽtia minor non est,& sicuti diuina eius essentia mente comprehendi nequit,sic etiam eius bonitas.

Philosophorũ axioma de Deo.

Filio cur potius redemptio nostra incubuerit.

Deus quo modo pro nobis satisfacere voluerit.

Maria virgo ante omnia sæcula in matrem Dei prælecta.

AMBROSIVS. Non est porrò necesse, vt huius rei ergò,tantoperè admireris:magis autem miraberis auditis his quæ mox subiungam. Cùm enim cœlestis ille Creator in mundo ad creaturam restaurandam desudaret, hominum flagitia arguendo, veritatis viam aperiendo, & impostoras hypocrisimque Pharisæorum,auaritiamque scribarum maximè detegendo,magnam eorum inuidiam subijt, ita vt odio venenato in eum concepto, in exitium mortemque eius conspirarint:adeò vt non priùs desistiterint,quam eius sanguine sitim suam explessent, & infami eum cruci affigẽtes,multis tormentis exhaustum & angustijs vallatum, morte sustulissent. Ipsa porrò bonitas diuina his omnibus annuens & assentiens,hoc vti remedio voluit ad opus redemptionis nostræ peragendum: morte enim Agni huius mitissimi,ad quam nulla ratione obligabatur,omnes à morte cuius eramus rei, liberati sumus, sanguinisque eius pretiosi pretio,à dura diaboli seruitute vindicati: & passione eius amara, omnia nostra delicta condonata sunt. Audisti paucis, frater charissime,mysterium hoc Redemptionis, in quo satis materiæ,reique inuenies,quam frequentius rumines,& attentius mediteris. AVGVST. Quod dicam non habeò mi Pater;rerum tam sublimium, nouarum,inauditarumq; auscultatione perculsus. Verba me deficiunt,iudicium cedit,ingenium mihi tollitur, cogitationes meæ,præ stupore, exhaustæ sunt,lingua hæret,animamque vires destituunt,vbi magnitudinem infinitæ illius bonitatis charitatisque Dei nostri attentiùs considero. Tamen hoc mihi ante oculos propono,vt etiam iam antè diximus, bonitatem eius non minùs infinitam esse quàm diuina eius essentia est:atque ideò mihi dubium non est,quin diuina bonitas ita humanæ fuerit salutis studiosa,vt cum sciret illam in mirabili passionis suæ fructu consistere,corpus suum vitamque hominis saluandi gratia exposuerit. est enim bonitatis proprium homines sanctos & iustos reddere, atque ideò eum hæc supplicia & tormenta tolerasse confitendum est;& quo grauiora & duriora supplicia fuerunt,eò etiam maior erit gloria quam Sanctis peperit. AMBROS. Si scires multitudinem eorum,

Remedium redemptionis nostræ.

qui

qui vitam suam propter fidem huius Redemptoris impenderunt, tormentisque exposuerunt, eum ad crucem vsque & furcas ignominiosissimas imitando, multo sanè perfectius, & longè euidentius mysterium hoc intelligeres. Quod cùm ita sit, quæ nã potuit dignior & aptior actio à diuina illa bonitate perfici, quàm illa, vnde tantum boni mundo accesit? Si dixeris magno opus hoc stetisse, cùm vitam in id necesse fuerit profundere; dicam quoque eò gloriam eius qui supplicia illa pertulit maiorem fore, quò pluris ei eadem constiterit.

§. II.

DEclarato iam apto illo nostræ Redemptionis remedio, redeamus ad id cuius iam antea mẽtionem fecimus, vt scilicet collata redimendi ratione, quàm Deus Opt. Max. adinuenit, cum sacrificio Patriarchæ Abraham vel alterius, demonstremus, quanto interuallo hæc rationes à te excogitatas antecedat. AVGVST. Hoc ipsum est quod tantoperè scire velim, consilia enim & adinuentiones summi Dei ab vnoquoque cognosci & percipi merentur. AMBROS. Dicenti igitur aures præbe cum silentio, & longiùs me sermonem producentem æquanimiter feras. Reperies namque inprimis in ratione Redemptionis nostræ quàm initio proposuisti duas singulares conditiones, operibus Dei vt plurimùm annexas desiderari, misericordiam scilicet & iustitiam. Quamuis enim misericordia in hac ratione eluceat, ob communem & vniuersalem omnium peccatorum, quæ homines commiserunt, indulgentiam: nullum tamen iustitiæ opus animaduertes, eò quòd peccata hic nulla ratione puniuntur. quod præter communem agendi modum est, quem diuina maiestas in omnibus operibus inuiolatum seruare constituit. quin & hoc ipsum non parum gloriæ eius derogare videtur, si modò illa Prophetæ vera sit sententia, Iudicium scilicet ad regis honorem pertinere, quod non nisi in exercenda iustitia consistit: atque ideò rex qui iustitiam non exercet, regis non est nomine censendus. Hæc porrò iustitia gloriæ regis ita adhæret & alligata est, vt idem ipse Propheta iudicium iustitiæ, sedis Dei ornamentum esse pronuntiauerit. Quibus verbis nobis ad oculum demonstrat, quanam ratione regia illa maiestas mundi machinam regat & moderetur, vnicuique pro ratione rectè aut malefactorum reddendo, prout leges diuinæ suæ iustitiæ id exigunt. Quamobrem si è scripturis SS. rem confirmare velimus, quomodo videlicet peccatorum punitio aut flagellum ad maiestatis eius gloriam spectet, audiadimus quidnam ipse Dominus ait, postquam in filios Aaron iustitiæ suæ furorem exercuisset, morte eos crudelissima interficiens: *Sanctificabor, inquit in iis qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* & loquens de furore quo in Pharaonem sæuijt, ait: *Glorificabor in perditione Pharaonis, & omnis exercitus eius.* In quibus non modò omnipotentiæ suæ, sed etiam iustitiæ exemplum dedit; maris abyssо impium illum & barbarum Tyrannum; qui innocuos infantes in profluentem abijci mandauerat, inuoluendo. Peruolue & euolue sacra Prophetarum volumina, & tam graues seueraque castigationes reperies, quibus Dominus minatur impijs, & reipsa castigauit, vt ad auditum earum horreas & contremiscas. Deinde quot regna? quot ciuitates diuina eius maiestas euertit & destruxit, peccatis flagitijsque incolarum irritata & exacerbata? Quid vrbes aut regna commemoro? sanè cùm nihil vnicum in vniuersо mundo altare haberet, in quo ei victimæ immolabantur, id ipsum quoque vna cum Ierosolyma ciuitate sancta, at postea peccatis contaminata, comminuit ac dissipauit, vt olim in Threnis Ieremias deplorauit, dicens: *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.* Adeò vt altaribus victimisque carere malit potius, quã iustitiæ iura amittendo, peccata, flagitiaque impunita relinquere. Quid altare, vrbes & regna narro? quin etiam totum terrarum orbem in quo condendo sex ipsos dies fuerat occupatus, horrendo & graui aquarum diluuio, quo mortalium flagitia castigaret, inuoluit & disperdidit. Vt autem demonstraret decretum suum, quod in exercenda iustitia & rigore constituit, firmum esse & non mutari: Prophetis suis præcepit, ne lacrymis & precibus amplius importunè eum à sententia conentur deflectere. Ita Ieremiæ edixit ne amplius pro populo suo deprecans intercederet, se enim aures auersurum: *Si steterit Moyses & Samuel contra me, non est anima mea ad populum istum: Eijce illos à facie mea, & egrediantur: Quod si dixerint ad te, Quò egrediemur? dices ad eos, Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem, & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem; & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus, Gladiũ ad occisionẽ, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli & bestias terræ ad deuorandũ & dissipandũ.*

Misericordia & iustitia in redemptione nostra necessaria.

Psal. 98, 4.

Psal. 88, 5.

Iustitiam ad Maiestatis diuinæ gloriam pertinere.

Leuit. 10, 3.

Exod. 14, 4.

Quomodo autem populo comminatus est per Prophetam Ezechielem? quando scilicet peccatis populi sui irritatus & grauiter commotus, adeò se iratum profitetur, vt licet tres illi viri sancti Noë, Daniel, & Iob supplices coram eius maiestate prociderent, & importunis diuturnisque precibus intercederent, vt ab iracundia desisteret, & flagellum auerteret, eos quidem solos propter iustitiam seruatum iri, at reliquos nullo excepto, nec quidem filiabus & filijs eorum, iracundiæ pœnas experturos, nec à pestilentia, fame, ferarumque morsibus ceterisque plagis quibus hominum flagitia castigare decreuerat, immunes. Omnes hæ minæ & interminationes iustitiam Dei, qui Iudex totius mundi est, eiusque effecta significant: cuius gloria est peccatorum execranda flagitia castigare, qui malitia sua pulchritudinem regni huius deprauant: non enim adeò splédet torques in collo principis, vt laqueus funis in collo tyranni & homicidæ, idque quia, (vt ait Propheta Regius) Deus iustitiam diligit, & ita iustus est, vt vnicam iustitiam respicere videatur. Et quẽadmodum æquitas iustitiæ eius postulat, vt omnia benefacta amplissimè compenset, & remuneretur, ita quoque ad eandem spectat, nullum delictum, etiam non ita graue, impunitum relinquere. Quare vt iam ad inceptum sermonem redeamus, Augustine, verum quidem est misericordiam Dei in ratione illa quàm proposuisti egregiè elucere, non autem iustitiam, cuius nomine Deus ita gloriatur & gaudet.

Ezech. 14.

Psal. 10.

AVGVST. Adeò æqua sunt & cùm ratione coniuncta ea quæ dicis, vt contradicere nefas sit. AMBROSIVS. Nondum ad finem venimus: in ratione illa redimendi, quàm dixisti, duæ adhuc deesse videbantur conditiones, quæ operibus diuinis semper inhærere solent, augmentum scilicet gloriæ ipsius, & bonum nostrum proprium. Ipsum quidem hominum commodũ, qui veniam delictorũ impetrarent, facilè hic inueniretur; non verò Dei iustitia, in quantũ delicta in maiestatẽ eius commissa, hac ratione impunita remanerent, quoniã castigatio delinquentis & peccantis est restauratio eius, in quem peccatũ commissum est. AVG. Video quidẽ hæc, tamen scire velim, quanã ratione duæ illæ à te cõmemoratæ proprietates in medio illo quod Deus Opt. Max. adinuenit reperiantur. AMB. Facilè quidẽ videbis, vbi in memoriã reuocãris quæ superius cõmemorata sunt: scilicet Dei gloriam, vbi filius eius humanã naturã

Conditiones alia duæ in Redemptione requisitæ.

assump-

assumpsit,& mortis supplicium in ligno crucis tolerauit,eamque mortem Patri æterno in satisfactionem delictorum hominum obtulit, magnoperè auctam fuisse,& homines quoque eadem ratione redemptos;mors enim filij eius vnigeniti magis eius gloriam auxit & promouit, quàm omnia hominũ peccata eum ad iracundiam prouocauerant. Viden ergo quonam modo duæ hæ conditiones perfectè in
Isa.12. hocce medio appareant? AVGVST. Agnosco iam quàm meritò Propheta opus hoc adinuentionem Dei nominet,in quo nimirum omnes diuinæ perfectiones in vnum quodam modò coniunctæ & confertæ effulgent, licet primo intuitu rem aliter sese habere quis iudicet,adeò vt melius illæ aut perfectiùs vniri non potuerint.

Credo etiam,sicuti opus hoc magnum & sublime est,ita quoque commodum quod nobis inde cedit,& vtilitates quæ ex eo proficiscuntur non esse mediocres,sed eximias:quas velim mihi paulò latiùs à te singillatim explicari.

AMBR. Digna tua est postulatio:fructus enim & bona,quæ ab hoc præclaro mysterio deriuantur,tot sunt numero,vt nullius ea lingua nedum Angeli singillatim queat explicare aut comprehendere.

Non enim cogitandum est, eum leui aliqua de causa res tam serias,& opera tam sublimia effecisse, humanam nempe naturam assumendo, & deinde infami morte in cruce exspirando verùm propter rationes ita singulares & prægnantes ipsa Incarnatio est,qua homo factus est. Sed vt rem altius à capite arcessamus,cogites necesse est,tria potissimum
Tria quæ potissimũ ad salutem necessaria. ad salutem nostram esse necessaria : Deum scilicet cognoscere , eundem amare,demum sanctitatem puritatemque eius imitari:quæ tria ita sibi inuicem cohærent & annexa sunt, vt alterum ab altero necessariò dependeat. Vbi enim Deum cognouerimus eundem & amare incipimus,ac deinde ad eius imitationem descendimus.

Videbis porrò quantum mysterium hoc conducat ad tria illa obtinenda. Quod ad primum,Deum
Incarnationis mysterij quantum conferat ad Dei cognitionem. scilicet cognoscere,difficulter poterat mens & anima nostra ad cognitionem Dei pertingere,quamdiu corporis huius ergastulis inclusa tenebatur : solum enim res corporeas,prout eas sensibus exterioribus percipit,comprehendere potest,verùm in rebus spiritualibus & cœlestibus intelligendis planè cæcutit. Atque hinc est quod nullus omninò Philosophrum, vsque in hodiernam diem,ad cognitionem substantiæ animæ nostræ,quæ penitus spiritualis est, potuit pertingere,quamuis effecta eius &operationes quas producit,satis cognitas habeamus,cùm per eam viuamus , sentiamus, atque operatione eius moueamur. Igitur si mens nostra adeò stupida & hebes est,vt ne animam quidem suam penitùs perspectam habeat,quonam ergò modo ad cognitionem Dei se subleuabit,qui spiritus altissimus & purissimus est? Fuêre olim hæretici,qui Deum corporeum esse dicerent,& humanam ei formam assignarent; vnde contigit Anachoretam quemdam hoc ita esse opinantem,Deum hac forma effinxisse, & eundẽ quasi hominem adorasse:at vbi errorem monitus & edoctus agnouit, Creatorem velut spiritum incorporeum contemplari cœpit; non poterat tamen hoc modo certum quid imaginari aut excogitare,in quo contemplationem suam figeret,& fundaret : Vnde lacrymabundus & dolens Deum sibi ereptum conquerebatur. Si igitur certissimum sit, mentem nostram difficulter res spirituales posse contemplari, nisi in quantum formis corporeis velut inuolucris quibusdam tectæ sunt. Dico igitur Deum ingens admodum nobis beneficium contulisse, cùm humanam naturam assumpsit, & sacco mortalitatis nostræ sese circumdedit,vt si eum comprehendere vt spiritum non possimus,saltem eum carne humanitatis nostræ vestitum contemplaremur.

Ita porrò eum contemplamur in omnibus tum sanctissimæ eius Vitæ,& amaræ Passionis,tum gloriosæ Resurrectionis & admirabilis Ascensionis mysterijs.

Et hinc est,quòd Deus in humanitate nostra visibiliter apparens nos ad cognitionem rerum spiritualium & inuisibilium attraxit : mediantibus enim operationibus sacræ illius humanitatis ad redimendos nos directis, ad cognitionem voluntatis Dei peruenimus,qui ideò eatenùs se deiecit & exinaniuit,vt nos perfectos & sanctos redderet; venimus quoque in cognitionem amoris eius & affectus quo nos prosecutus est. ita namque mundum,& nos omnes dilexit, vt vitam suam, nos viuificaturus, præ infinita sua misericordia nobis impenderit:cùm debita nostra & delicta in se sumpserit vt nos,ab ijsdem liberaret,& immunes redderet. Denique rigorem diuinæ eius iustitiæ cognoscimus cùm Pater æternus proprio filio non pepercerit; sed pro hominum peccatis obtulerit eum.

Verum antequam sublimem illam de Dei bonitate considerationem omninò concludamus, eam nonnihil producemus : cùm præsertim illa omnis nostri boni salutisque causa & velut radix extiterit.
Immensa bonitas diuina in hominem. Nam antequam ineffabile hoc mysterium inch: emus,magna sane Dei fuit bonitas, humilem terræ vermiculum super omnes Cœlorum orbes sustollere,& ideò eum creare,quò bonitatis illum suæ puritatisque,denique & gloriæ suæ participem redderet;in quo eum (quantum ad finem hunc spectat) Cherubinis & Seraphinis similem effecit.

Iucundum planè est & mirabile videre, quibus illicijs & reticulis hominem in sacra scriptura ad se inuitet,excitans eum ad bonitatem illam & puritatem vitæ imitandam. Verùm desiderium illud adeò in ipso efferbuit,vt visu ingenti , quæ inde homini ad puritatem illam obtinendam accederet vtilitate,homo factus sit,vitamque propriam in arbore crucis impenderit, vt ipsi eamdem conferret; atque vt illi exemplar foret,quod illum ad eius inquisitionem perduceret,vsque ad mortem crucis sine vlla contradictione humiliari voluit.

Quid hoc est Deus meus?quidnam tibi inde vtilitatis accesit? Quid lucraris hocce faciendo, aut quid perdis,si hoc infectum maneat; eadem enim erat ab omni æternitate antequam mundus conderetur,tua beatitudo quæ modò est? Quis ille amor tuus?quænam tua illa bonitas?satis erat ad singularem amorem & charitatem tuam declarandam, hominem creasse,& creaturam vilem adeò ad finẽ tam nobilem produxisse:verùm nouum planè est & stupendum,quod vehemens amor tuus Domine eò processerit,vt mei causa,quò me felicitatis tuæ participem faceres, mortem tam ignominiosam pertulerit. Verè Domine,non posset inter omnia creata aliquid inueniri aut excogitari,quod talem & tam singularem bonitatem, qualis in Creatore solo reperitur,declaret;cùm hoc magnitudini infinitæ & inexhaustæ bonitatis tuæ respondeat & vsquequaque conueniat.

Viam tibi aperuimus,facilè iam reliqua ex ijs intelliges, ac proinde reliquas diuinas perfectiones, quæ in eò mysterio reperiuntur. Atque statim in ipso principio cognosces,quàm apta illa ratio fuerit, à diuina sapientia excogitata,qua suas perfectiones nobis communicaret:& simul quanta caritate nixa,cùm ita sese exinanierit,vt hac ratione humilitati sese nostræ accommodaret.

Hinc est quod Pater aeternus,inuitans nos ad cogni-

gnitionem filij sui, quem in mundum mittebat, vt nos doceret & dirigeret, ait, vt audacter ad eum accederemus, & vinum ac lac absque auro & argento sine vllo pretio emeremus. In quo intelligi volebat, simplicissimos quosque æquè ac sapientissimos in hoc mysterio reperturos in quo se exercerent, & lucrum facerent: lac enim infantium alimentum est, vinum verò grandioris aliquantulum & prouectioris ætatis hominum, vt sciamus, magnos & paruos, perfectos & imperfectos in eo reperturos, quod sibi nutriendis, pascendisque sufficiat & conueniat. Isa. 55, 1.

AVGVST. fateor equidem, medio hoc à Deo excogitato, diuinas eius perfectiones singulari quadã ratione manifestari, ita vt quemadmodum hoc inter omnia Dei opera non aliter quàm sol splendore suo inter cæteras stellas eminet & excellit, ita quoque maiorem diuinarum perfectionum cognitionem mentibus nostris suggerat quàm omnia Dei opera, tam quæ hactenus condidit & effecit, quàm quæ etiamnum creanda sunt. AMBROSIVS. Cùm igitur iam intelligas quantum nobis mysteriũ hoc conferat, quòad cognitionem Dei feramur: videamus modò quanam ratione nos ad eius amorem excitet & inuitet. Sanè, si mens nostra, graui corporis mole inclusa, præ hebetudine Deum cognoscere non poterat, ipsa inconuenientia & dissimilitudo quæ inter DEVM & hominem erat, maius sanè impedimentum erat, quò minus homo creatorem suũ amaret. Dissimilitudo inquam; Ipsa enim morum similitudo & paritas amorem excitat & nutrit, (vt ipse optimè nosti) & amor animos, voluntates, & desideria coniungit & sociat. Peto igitur quidnam diuina Maiestas commune habeat cum infirmitate, vilitateque humana? Quare si dissimilia & contraria ægrè admodum coniungi possunt, quæ similitudo amoris esse potuit, inter Deum & hominem, cùm tantùm alter ab altero discrepet & differat? Deus est spiritus simplicissimus, homo verò spiritus carne inuolutus: Deus altissimus, homo infimus: Deus ditissimus, homo pauperrimus: Deus purissimus, homo impurissimus, & sordidissimus: Deus immortalis & pati non potest, homo mortalis & patitur: Deus ab omnibus miserijs immunis & liber, homo ijsdem subiectus: Deus numquam mutatur, homo inconstans ad singula momenta mutatur: Deus glorioſus thronos & palatia cœlestia inhabitat homo miser & infelix terram vallem lachrymarum incolit: denique Deus non videtur, homo verò videtur. Quod cùm ita sit, quomodo amare potest quod oculis non videt? Atque ita vides impedimenta, cur homo à parte sua Deum amare nequeat, quare cum ipsa morum similitudo sit fomes qui amorem nutriat, & corda hominum vniat, quænam igitur inter Deum & hominem, quos adeò inter se differre & discrepare monstrauimus, erit similitudo?

Incarnationis mysterij quomodo ad diuinum amorem nos excitet.

Vides igitur mirabilem hanc adinuentionem esse, à diuina sapientia productam, quæ hominem induendo, vnico momento omnia amoris impedimenta resecuit. Ita vt Deum, qui spiritus purissimus est, carne videas vestitum, videas abiectum, videas pauperem, humilem, mortalem, passibilem, mutationibus obnoxium, fatigatum, laboribus quibus hominum vita plena est expositum: videas eum ante oculos tuos ambulantem, vt, quoniam homo amorem suum nisi rebus visis communicare potest, nulla se ratione à Deo amando subtrahat & excuset, quem ante oculos carne mortalitatis suæ vestitum ambulantem videt. Et quoniam duorum disparitas amorem lædit & exstinguit; (vnde communi sermone dicitur:

Non benè conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas & amor)

vides quoque quanam ratione magnitudinem & maiestatem exuerit, quando in hunc descendens mundum vilitati se nostræ adaptauit. Quod egregiè sanè Propheta Helisæus declarauit, cùm viduæ filium à mortuis excitauit, in quem procumbens se extendit, corpori pueri suum ipse adaptans, & omnia membra sua ad pueri membra contrahens, qua ratione mortui corpus calefecit, sensusq; & motum subintulit, vitamque restituit. 3. Reg 15.

Ad quid putas Prophetam tot cærimonias & gestus in excitando puero adhibuisse, nisi vt nobis velut in imagine repræsentaret & exprimeret, quanam ratione summus ille Deus, qui cœli conuexa, terræque profunditates magnitudine sua replet, maiestatem illam immensam aliquando contracturus esset, & ad similitudinem miseræ nostræ mortalitatis conformaturus: & quemadmodum benignissimus Redemptor amore & affectu erga genus humanum flagrans, hocce opus inchoârat, ita quoque eodem amore homines esset accensurus. Hæc adinuentio diuinæ sapientiæ fuit, vt hac ratione ab hominibus diligeretur, cùm infirmitati & vilitati eorum sese adaptaret, AVGVST. Quo diutiùs sermonem hunc & materiam hanc prosequeris, eò oculi mihi aperiuntur magis magisque, videreque incipio, quàm admirabilis illa sit ratio, quam diuina sapientia excogitauit, vt vilem & miseram conditionem nostram ad cognitionem & amorem rei tam sublimis eleuaret. Quid amplius? AMBROS. Sanè, non satis ei fuit impedimenta & obstacula, quibus homo à Deo amando retrahebatur, abstulisse, verùm etiam singularia quædam beneficia nobis pariter contulit, quæ in hoc mysterio continentur; quæ veluti fomites & stimuli sunt, quibus ad eum diligendum excitemur & impellamur. Et quoniam vertus amor duabus potissimùm rebus innititur, & manifestatur, bona scilicet amici quærendo, eiusque vtilitati studendo, deinde nulla sibi ratione parcendo, quando amor opere ipso declarãdus est, ad multa opprobria & contumelias amici causa subeundo. O quibus nos diuitijs cœlestis ille & Diuinus amicus ditare poterat; quantis donis gratiæ gloriæque suæ cumulare? illis quidem pro hac vita, his verò ad vitam æternam destinatis. Ecce tibi primum veri amoris testimonium. Quod ad secundum attinet, quis non videt & ad oculum contemplatur labores & fatigationes, quas Seruator noster toto vitæ suæ tempore in mundo pertulit, quas tandem durissima morte, ad nos à morte redimendos terminauit? Verùm vt amorem, quo genus ipse humanum prosecutus est, penitius adhuc inspiciamus, consideremus quæso Saluatorem nostrum, verum sine macula agnum, sine dolo innocentem, omnes in corpore suo languores nostros patienter portasse, vt nos liuore suo sanaret, acerbissimamque in crucis patibulo inter latrones mortem sustinuisse, vt pretiosi sui sanguinis aspersione humanum genus peccatis mortuum viuificaret. Verè tum Redemptor noster Christus Iesus exsoluit, quæ non rapuerat; factus est propitiatio pro peccatis; qui peccatum nunquam fecerat; iustus pro iniustis, pro nocẽtibus innocens, quia ipse voluit, oblatus est: O immensum Verbi diuini amorem! ô misericordiam infinitam! Videmus homines vt plurimùm vix pedem mouere, sine vllo lucro aut mercede: nullus eorum extremis laboribus corpus suum exponeret, aut aliquos sudores perferret, non spectatâ aliquâ mercede aut lucro. An non igitur nouum, ad

Vera amicitia indicia duo in Christo relucentia.

Psal. 68. 5. Ioan. 2, 2. Isa. 53, 7.

mirã-

Christus quantæ Redemptionem nostram pertulerit.

mirandum,& planè insolitum est Saluatorem nostrum laboribus exhaustum videre,tam graues angustias perferentem, vt sudorem sanguineum ei eliciant,videre illum comprehensum,ligatum,vinculis irretitum, opprobrijs & contumelijs exsaturatum,colaphizatum,alapis cæsum,ab Herode derisum, corona spinea redimitum,per vicos ciuitatis ludibrio expositum,cruce ponderosissima grauatũ, felle & aceto potatum,denique crucì medium inter duos latrones,coram matre sua & caris omnibus affixum. O dolorem extremum! Corpus ipsum est & delicatissimum & tenerrimum, cui simile nullum vnquam exstitit,quod omnes illos labores & dolores pertulit,nulla aliundè consolatione vel è cœlo vel è terra affulgente. E quibus omnibus doloribus & tormentis nullam aliam mercedem aut compensationem sibi exspectabat,nisi vt soli homines fructuum & meritorum quę ex ijs prouenire poterant, participes fierent;Sancti quidem Martyres in medijs cruciatibus tormentisque gaudebant, & lætabantur,quot enim virgarum ictus & scorpionum in corpore sentiebant,tot sibi gradibus gratiam accrescere iucunda sanè recordatione intelligebant, coronasq; gloriæ sibi hac ratione multiplicari,ad quas martyrium ac cruciatus hos perferendo adspirabant,atque hac cogitatione seipsos ad pati & agere fortia animabant, & in extremis doloribus consolabantur.At nulla harum consolationum recordatio in Saluatore mundi locum habuit, qui nullam laborum suorum mercedem exspectabat,non enim sua sed hominum causa labores sustinebat,nec tantùm bonorum causa,sed etiam malorum, imò inimicorum suorum, vt omnes passionis suæ fructus participes redderentur,pœnis suis debitis satisfacerent, & ab omnibus malis suis liberarentur; ipse namque in se omnia susceperat. Non secus ac Pater aliquis, qui videns filium suum ad triremes damnatum, & remis agendis imparem, ipse remos arripiés filij loco remigat. Non aliter, ô DEVS æterne, oculos tuos misericordiæ in filios tuos,extremis supplicijs condemnatos conijciens,tam vehementi erga eorum salutem amore affectus fuisti,vt mortis supplicijs,quò eos à morte redimeres,teipsum exposueris. Vides Augustine,quos nobis stimulos occasionesque Saluator dederit, vt nos ad amorem sui excitaret,diuinumque ardorem in cordibus nostris accenderet? Viden quibus bonis caruissemus,si ea ratione quam ipse proposueras,redemptio nostra perfecta fuisset. AVGVST. Res hæc adeò clara & euidens est, vt nulla de ea dubitandi ratio superstit;atque inde colligo quàm magna & abundans Redemptio nostra fuerit, cùm eam Redemptor,adeò in homines benignus,vt eorum causa tot cruciatus pertulerit,confecerit. Transeamus, si lubet,ad tertiam conditionem,quæ ad Dei imitationem spectat.

Dolores Christi cur omnia Martyrum passionibus acerbiores.

Simile.

AMBROS. Adeò eam tibi perspicuè declarabo, vt digito quasi videâre tangere:hocce enim mediũ à Deo ipso excogitatum, adeò copiosum & abundans est,vt hoc ipsum omnes conditiones & circũstantias,quæ ad sanctificationem nostram spectabãt, impleat,& ità perfectum, ac si ad satisfaciendum singulis earum constitutum esset.

In hoc eius euidentiam videbis.Facilè enim conijci potest,nihil ita perfectum aut adeo imitatione dignum excogitari posse,ac est Deus,cùm ipse gnomon & exemplar omnis sanctitatis & virtutis sit. Verùm quoniam ante oculum habere necesse est, quem imitari desideras, hoc vnum in eo desideramus, non quidem propter ipsum, verùm propter nostram imbecillitatem,quæ tantam puritatis magnitudinem nequit accedere aut intelligere.Homines quidem apertè satis videre possimus,si adeò cõfidenter & securè eos imitari possemus, quod propter imperfectiones quæ fugiendæ potiùs quàm imitandæ sunt,facere impedimur. Adeò vt aptius & cõuenientius medium non fuerit eo,quod summus ille Deus adinuenit, quando scilicet Diuinam naturàm cum humana,modo quodam ineffabili, copulauit;vt hac ratione eum,quem sine vllo timore & confidenter imitari poteramus, videremus. Vides iam præstantiam adinuentionis Dei,quanam ille ratione nobis exemplar perfectissimum reliquerit, quod imitari possimus,& limpidissimum quodammodò speculum, in quod oculos conijcientes, nos ipsos humiliemus, & errores nostros emendemus. Speculum dixi,& sanè quàm appositissimè,ad speculum enim commune conficiendum, vitrum splẽdidissimum requiritur,quod stanno à tergo illinatur,quod quidem stannum obscurum est & sine aliquo lumine; at vbi obscuritas illa cum splendore vitri coniungitur,speculum conficitur. O claram & splendidam diuinitatem, fatemur vnitam te fuisse & copulatam cum spissa & crassa humanitate nostra:verùm vt nobis speculum diuinum hac ratione conficeres,in quo mille & mille perfectiones diuinæ effulgent;in quod homines oculos conijcientes, imperfectionesque proprias inspicientes, eius perfectionibus se conformarent. AVG. Declara mihi, quæso perfectiones,quæ in speculo sanctissimæ vitæ eius adeò singulari ratione effulgent. AMBROS. Videbis primò,in vita Saluatoris nostri zelum gloriæ Diuinæ,zelumque erga salutem animarum, eminere,vt vrbes & vicos obambularet, quò oues errantes domus Israël ad ouile reduceret: videbis simul etiam totum vitæ eius cursum velut virtutis stadium,qui noctes orationibus protraheret, diemque saluti animarum impenderet: videbis immensam eius misericordiam erga leprosos, atque alios debiles,quibus nunquam sanitatem negauit,modò eos vel vno verbo,modò manu subleuando,sanitati restituens:videbis fidelitatem quam Patri suo æterno præstat,omnem honorem,quem partim ex operibus,partim ex diuinis suis verbis consequebatur,ad Patris sui gloriam referens;nihil vt sibi peni- Matth.1. tus adscriberet:videbis clementiam eius quam erga Matth.16. feminam in adulterio deprehensam demonstrauit, erga publicanum pectus percutientem, erga S. Petrum quando eum negauerat,& demum erga omnes,qui misericordiam ab eo postulabant, videbis extremam eius inopiam,qui totum orbem terrarũ condidit;de qua ipse in Euangelio ait, passeres nidos habere,& vulpes foueas, se verò ne tantum habere in quo caput reclinaret,aut quo aleretur;quippe qui solis eleemosynis, quas piæ aliquot fœminæ in eum erogabant,vitam suam tolerabat: videbis immensam eius bonitatem & benignitatem erga Apostolos:qui cùm ab eo tempore, quo Dominus à cohortibus & ministris in horto comprehensus erat,fugissent,& huc,& illuc dispersi, toto Passionis tempore latitarent, statim à resurrectione Mariæ Magdalenæ mandauit,vt eos iterum congregaret, dicens: *vade ad fratres meos, & dic eis; ascendo ad Patrem meum,& Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Luc.17.17. Psal.83.4. Ioan.20.17.

Virtutum speculum Saluator.

Quid verò dicam de summa illius humilitate, qui monstrauit,cùm Apostolorum suorum pedes lauaret,& Iudæ etiam proditoris,qui eum iam acceptis argenteis,Iudæis tradere decreuerat? Quid verò immensam eius patientiam commemorem, cũ omnes contumelias,iniurias,& conuitia,quæ in Maiestatem eius inimici euomebant,æquo animo pertulit,licet eum dœmonium habare dicerent,& populum seducere.Quid autem ineffabilem eius benig- Ioan.8.48. nitatem,

Incarnationis mysterij quomodo ad Imitationem Christi faciat.

nitatem, qua omnes peccatores complectebatur, cũ ijs comedens, bibens & agens, vt eos ad veram salutis viam perduceret? An non hoc speculum est, in quo innumeræ perfectiones effulgent? At nondum finis: si enim vel minimam amarę eius passionis partem attingamus, quis non in admirationem & stuporem rapiatur, cùm tam profundam in Creatore omnium, humilitatem perspexerit? Tota passionis eius series, est instar telæ longissimæ, multis exemplis humilitatis veluti filamentis contextæ: quam si explicare velimus, & singula deducere finem non reperiremus. Quid quæso dicam de admirabili illa Phil 2,8. obedientia vsque ad mortem, mortem autem crucis amarissimæ? de insigni eius patientia in tantis doloribus; de benignitate in tot opprobrijs? de singulari illa inter tot blasphemias & falsa testimonia, taciturnitate, vt ipse eam Sapiens demiretur? Denique de insigni illa charitate, qua Patrem suum cœlestem pro populo illo misero, ingrato & ignorante qui eum cruci affixerat, orauit? Vides igitur quot exempla tùm in eius vita, tùm in morte, in speculo illo effulgeant, quæ nos ad imitandum prouocent, vtpote quæ à tam insigni & diuino homine proueniunt: quamuis enim Sanctus ille homo, quem antè declarasti, exemplar nobis patientiæ, obedientiæ, paupertatis, aliarumque perfectionum exstitisset; non erit tamen res noua & insolita in creatura huiusmodi dona contemplari. Verùm quòd Dominus, Deusque maiestatis humilitatẽ induerit, quòd verus Rex Regum alteri obediat; quòd ille qui beatorum omnium gaudium est, tot tormenta & cruciatus perferat; quòd oceanus omnis abundantiæ, & thesaurus diuitiarum pauperem vitam colat; quòd verus Angelorum panis, esuriat; quòd ille qui cœlum & agros tanta pulchritudine conuestit, nudus in cruce suspendatur, hoc demum verè magnum nobis exemplum est. Atque hinc facilè colligere potes, his nos exemplis magis ad imitationem posse excitari, quàm omnibus illis quæ nobis alij viri sancti præbuêre: vbi quoque aduertimus & consideramus (præter exemplum quod ad imitandum dabat) eum vna eademque opera salutem nostram per hæc opera sudoresque esse operatum.

AVGVSTIN. Video iam apertissimè, tum ex ijs quæ priùs dicta sunt, tum etiam ex his ipsis, quam illa ratio à diuina sapientia excogitata, sit efficax & propria, ad tres illas priores conditiones nobis persuadendas: amorem scilicet Dei, eiusque cognitionem, sanctimoniæque eiusdem imitationem. Simulque ita iudico, rationem ab humano ingenio excogitatam, nulla ratione cum illa, quam diuina sapientia adinuenit, posse comparari. Meritò nos igitur Propheta ad laudes creatoris celebrandas, eiusque adinuentiones mundo depræd candas excitat, cùm ipsemet rationem illam excogitârit, qua participes tantorum bonorum gratiarumque redderemur.

§. III.

AMBROS. Magno me sanè gaud'o perfudisti, quòd penitius rationis huius à Deo excogitatæ præstantiam penetrare & cognoscere inceperis. At nondum cuncta audiuisti: multa namque alia bona hinc nobis proueniunt, quæ tibi modò declarabo: Inter quæ eminere mihi potissimùm illa videtur vtilitas, quam homines ex omnibus vitæ Domini nostri Iesu Christi mysterijs colligere possunt, è quibus ingentem & amplam meditandi materiam hauriant, simulque rationem qua pietatem exerceant, animasque huiusmodi considerationibus nutriant & foueant, & eas denique ad cognitionem diuinæ eius maiestatis, idque per gradus sacræ eius humanitatis, sustollant. Certissimum enim est eos, qui sanctis hisce se exercitijs dedituri sunt, præter tria illa quæ iam diximus, infinita alia reperturos; & reipsa experientiaque cognituros, vitam Domini nostri Iesu Christi esse hortum & arborem Apoc. 22,2. fertilissimam, quam S. Ioannes inter alias sibi factas reuelationes vidit, scilicet quæ duodecim manipulos fructuum singulis annis ferebat, foliaque arboris eius (verba videlicet & documenta Saluatoris nostri) ad salutem hominum non parùm conducere: & esse instar Paradisi voluptatis, è quo tot flores colliguntur, quot Seruator noster verba locutus est, & opera operatus. Si enim totum vitæ eius cursum ab eo tempore, quo primùm in hunc mundum venit, vsque ad horam, qua ex hac vita migrauit contemplemur, tot in eius serie stationes reperiemus, quot in eadem præcipua mysteria reperiuntur, quas cum Saluatore nostro sequi & ad eas diuertere poterimus, cùm eas nostra potissimùm causa, & in cõmodum nostrum condiderit. Prima quæ occurrit, 1. Statio Natiuitas. statio, erit præsepium & tugurium Bethlehemiticum, in quo tenellum infantulum recens natum inueniemus, vilibus pannis inuolutum, inter brachia sanctissimę Matris, innumeris Angelorum millibus cinctum. In hac statione diuersantur ij, qui sapientia & dignitate sua ceteris effulgent, hîc cum puero Iesu repueraſcunt, cuius paupertatem humilitatemq; vbi inspexerint, misericordia commoti, eius exemplo discunt mundi vanitatem, & superbiam contemnere.

Hinc ad considerationem magni Circumcisionis 2. Circũcisio. mysterij transeunt, in qua guttulas sanguinis contemplantur, quem iam inde Redemptor noster effundit, in pignus & arrham magni cruoris fluuij, quem olim in hominum salutem decreuerat profundere. Hinc se homo fidelis in Magorum socie- 3. Magorum apparitio. tatem consortiumque insinuat, vt cum ijs paruum Seruatorem quærat, aurum ei charitatis, thus pietatis, & myrrham mortificationis oblaturus. Vix Bethlehem egressa fuerit anima, quin statim Hierosolymam versus tendat, quo vix peruenerit, puerũ inter vlnas iusti Simeonis, inuentum amplectatur: 4 Simeonis amplexatio Saluatoris. deprædicabit ille pleno ore laudes & præconia diuinæ eius maiestatis, simulque conuersionem & salutem populi prædicet. Donec tandem impius Herodes, furore & rabie exagitatus, puerum ad necem 5 Eiusdem ad necem quæsitio & fuga in Aegyptũ. quærat, adeò vt in Aegyptum (licet non inuitus) fugere cogatur, vt impias & sanguinolentas tyranni manus effugiat: Comitentur hîc eum iam sanctæ animæ, & Bethlehem deserentes exilij eius comites existant: nec eum neue in vitæ, neue in morte, nec post mortem vmquam relinquant. Atque hac ratione sanctæ animæ odoriferis floribus insidentes circumuolitantes, floribus inquam, qui nullo vnquam tempore marcescunt, floribus in paradiso illo voluptatis productis; ex ijs instar apum colligentes, quidquid ad suum diuinæ consolationis parandũ, necessarium visum fuerit. AVGVST. Magna sanè me voluptate perfudisti, cùm hæc mihi aperueris: viam enim mihi paucis hisce exemplis quæ in medium attulisti, parasti, quò me in huiusmodi sanctis exercitijs occupem, prout Spiritus S. inspirauerit.

§. IV.

SEquitur aliud æquè excellens beneficium, quod nondum tibi declarauí, scilicet Dei filium, humanam naturam ex semine & posteritate Adami assumere volentem, matrem sibi similiter seligere debuisse, quæ & ipsa quoque ex stirpe Adami fuisset: ita vt quemadmodum beneficium & fructũ Filij habuimus, matrem quoque eodem modo habeamus: quæ filium suum vnigenitum numquam deserit, sed semper & vbique comitatur, etiam sub

Vitam Saluatoris spacissimum meditationis campum.

Mater quoque Saluatoris contemplanda.

cruce, vbi dolorum suppliciorumque, quæ filius patiebatur, particeps effecta fuit. Et quemadmodum ad pietatem inflammamur, vbi mysteria in persona Seruatoris nostri perfecta consideramus, ita quoque non minus incendi nos necesse est, si benedictam eius matrem, filio suæ semper adhærentem, cum illo gaudentem, cum illo quoque dolentem, nobis semper ob oculos ponamus: & quandoquidem amor & amicitia affectus animi cum amicis communicat, ita quoque matrem vnà cum filio crucifixo crucifixam, cum sepulto sepultam, cum resurgente redituam videbis. Et quemadmodum filius fidelis noster apud Patrem patronus & simul mediator est, ita quoquè mater mediatrix est inter nos & carissimum suum filium, adeò vt quemadmodum Pater Filio quidquid ab eo petierit, negare non possit, ita quoque filius, quidquid ab eo huiusmodi mater postulauerit: quæ quoniam mater summi Dei est, simul mater misericordiæ est, & peccatoribus patrona, quos illa summo amore complectitur; cùm filium suum eos tantoperè viderit esse complexum, vt pretiosissimi sanguinis sui pretio eos redemerit. Et sanè cùm ipsa secum cogitarit, peccatores in causa potissimù fuisse, vt filius Dei vnigenitus, in vtero suo virginali carnem humanã assumeret, vnde illa mater facta est: fieri non potest, quin benigno etiã oculo peccatores aspiciat, qui ei tanti boni causa extiterunt, & quin etiam ipsi peccatores libenter ad eam se conferant, inque necessitatibus ad eam confugiant, fidemque eius & auxilium experiantur: verentur enim præ honore & metu diuinitatem & maiestatem filij accedere: at sciunt matrem eius virginem esse clementissimam, benignitatemque & misericordiam in virginibus vt plurimùm reperiri: atque ideò, quoniam gratia naturam degenerare non facit, at illam potiùs perficit, fieri non potest, quin innumeris ab ea beneficijs, donisque gratiarum afficiantur.

Eadem patrona nostra & aduocata apud filium.

Quamuis porrò gloriosæ huius Virginis suauissima memoria omni hominum generi absque vlla exceptione iucundissima esse soleat, feminis tamen quàm iucundissima solet existere; cùm scilicet illæ secum cogitant, virginem, sibi per omnia quòad naturam similem, diuinum illum fructum in vtero gestasse & in mundum edidisse. Vnde accidit, vt incredibili quadam ratione erga virginem hanc, matrem Dei, eiusque merita, honorem & gloriam afficiantur. AVGVSTIN. Benedictus sit auctor tanti miraculi in æternum & amplius, qui tot tamque diuersis rationibus humanæ quidem calamitati statuit succurrere, verùm qui vnica hac ratione nobis tot media suggessit, quibus quotidie magis, magisque in eius amore incitaremur, & quibus fidem quã nobis dederat, certam faceret & roboraret. Vt scilicet ij, qui præ pudore ex peccatis & reuerentia à Dei esse vultu subducunt, in sinum matris se reciperent, adque vlnas misericordiæ eius confugerent, qua illa sane carere non potest, cùm nouem mensium spatio ipsam misericordiam in sacro suo vtero gestarit.

AMBROS. Addam insuper ad prædicta illa bona quæ ab ineffabili illa Redemptionis humanæ ratione pullularunt, aliud quod magnitudine sua prioribus annumerari meritò potest, Institutionem scilicet festorum dierum, quos Ecclesia singulis annis colit & celebrat, quosque omnibus annis tempestatibus accommodat, tum vt mortales Sanctorum memoriam semper celebrent & in mente habeant, tùm verò vt gratias supplices DEO agant, ob immensa eius in nos collata beneficia. Gaudet porrò in festiuitatibus illis Ecclesia, adornat & parat templa & aras, producit thesauros suos, eosque populo ostentat, officiumque magnæ pietatis, sensu decantat, in quo mysteriorum, quæ eo die potissimùm colit, memoriam celebrat: atque hac ratione animam nostrã ad pietatem, tùm psalmis, canticis & hymnis, tum verò instrumentis musicis, quibus ad imitationem magni illius Dauidis templa personant, inflammat: Recreat nos enim in festis solemnionibus iucunda Saluatoris nostri beneficiorumq; ab eius misericordia acceptorum, memoria, qui media hæc ad salutẽ hominum Ecclesiæ suæ suggessit. Modò mysteria & festa Virginis matris, coli vult, modò Saluatoris nostri, vt scilicet solemnitate diei, quem colimus excitati, ad imitationem operum quorum memoriam agimus; & simul ad recolenda hæc mysteria, gratiasque ob eadem Deo agendas, accendamur.

Festa quare Ecclesia instituta.

AVGVST. Quò profundiùs hanc materiam scrutaris, & longius in eius explicatione proueheris, eò facilius meliusque bona, quæ per sacram illam humanitatem nobis collata sunt, intelligere incipio: illuminaturque ingenium meum magis & magis, ad præstantiam diuini huius consilij considerandã; qui cùm calamitatem casumque populi sui pro sua, qua benignitate est, respiceret, nobis ratione tam insigni & eximia, & à qua tanta nobis bona accederent, succurrere & opitulari decreuit.

§. V.

AMBROS. Maiori id cum ratione dicere poteris, cùm aliud beneficium, prioribus sanè non inferius, quod nobis Redemptor liberali quoque sua manu erogauit, perspexeris: Sacramenta scilicet nouæ legis, quæ sunt medicamenta & cataplasmata à summo illo medico instituta, vt vulneribus nostris lethalibus applicarentur. Porrò hoc scias velim; neminem omninò hominum, quanta etiã sanctitate fuerit, præter Iesum Christum Deum & hominem, diuina hæc Sacramenta instituere potuisse, qui solus in quantum Deus, gratiam dare ijs poterat, quam percipientibus conferunt; & in quantùm homo, eandem quoque mereri. In immensum, tractatum hunc extendere & producere deberemus, si singillatim de beneficio hoc Sacramentorum collatorum, licet etiam parum de singulis, dicere decreuissemus: verùm quoniam non is meus est finis, materiam incœptam prosequar. fierino tamen poterit vt singulare hocce beneficium, quod Saluator noster, vbi nobis corpus suum in Sacramento altaris reliquit, contulit, attentiùs non perpendam. Tum verò quid dignum tanto Sacramento, homo rudis & indoctus dicere possem, cùm ipsæ Angelorum linguæ hic hæreant & obmutescant, verbaque eos deficiant, cùm de venerabili & ineffabili Sacramento Eucharistiæ agendum est? Contremisco sanè & totus palleo cùm de re tam sublimi & profunda dicere incipio. Hoc vnum dixero, omnes homines, à tẽpore Redemptionis nostræ vsque in hodiernam diem, qui Deum & amarunt & timuerunt, hoc Sacramentum præ cæteris omnibus opus habuisse: ipsum est enim panis vitæ, qui animas nostras in vita spirituali nutrit & fouet: est clypeus & vmbo, quibus insultus & incursus hostis infernalis infringere & eludere queamus: est augmentum gratiarum omnium: est vnicum Sacramentum, quod animabus nostris rerum diuinarum gustum indere, & terrenarum fastidium afferre & exstinguere penitus potest: hoc ipsum animas cum sponso suo Iesu Christo copulat, & glutine charitatis connectit, ita vt idem & vnum cum eo esse videantur: Hocipsum deuotionem excitat, caritatem incendit, spem auget & roborat: quid enim non exspectem & spondeam ab amore Dei omnipotentis, qui proprio me pascit corpore, vt illo in visceribus nostris inhabitante, anima mea

De Sacramentorum beneficio.

De Sacramento Eucharistiæ.

Effectus Sacramenti Eucharistiæ.

similis

similis illi, vita mea eius vitæ æqualis efficiatur? Est hoc ipsum Sacramentum, quod nos meritorum Iesu Christi participes reddit: corpus enim eius manducare, sacrumque eius sanguinem bibere, nihil est aliud, quàm nobis merita communicare, quæ nobis per cruentum corporis & sanguinis sui sacrificium adquisiuit. Hoc ipsum nobis arrham in hoc mundo confert, qua certiores reddimur Deum aliquando pleniùs nos in cœlesti gaudio visuros, cùm in eo Deus nobis seipsum donet & communicet. Hoc sacrificium addit robur & animum martyribus, sanctimoniam Confessoribus, adauget castitatem virginibus, viduas consolatur, animas pœnitentes gaudio, & sacerdotes honore afficit.

Suauitas. Quid porrò dicam de dulcedine panis huius? verum quidem est, paucos eam degustare, & illos tantum, qui vt plurimùm amore Dei flagrant. Si verò cum hacce animi dulcedine, lætitiam matris alicuius componamus, quam viso carissimo filio concipit, vel sponsæ sponsum suum, cuius suauissimo cõspectu dudùm orbata fuerat, amplectentis, infinitis proculdubiò ab hac suauitate partibus superabitur. Verùm enimuerò ponite mihi ob oculos summam illam animi lætitiam, quam habuit Iacob viso filio Gen 46. suo Ioseph, cùm nimirùm postquam tanto tempore in doloribus gemitibusq; vitam suam traduxisset, casum & amissionem carissimi filij sui Iosephi deplorans, intellexit eum adhuc viuere, & regnare in terra Ægypti, præpositum super thesauros & domum regis Pharaonis. Cogitate inquam, vobiscum extremum Patriarchæ huius gaudium, cùm iam in Ægyptum profectus, filium suum vidit & complexus est, cuius amissionem tot lachrymis singultibusque defleuerat. Cogitate simul etiam gaudium Iosephi, cùm se tam arctè à patre stringi videret. Nulla vmquam sponsa tanto gaudio desiderioque sponsum, nullus Pater filium complexi sunt, quanto anima à Christo Iesu dilecta perfunditur, cùm dilectum suum sponsum in se recipit, & ab eadem se stringi & amplexari, cumque eo se totam copulari videt. Quis igitur hancce lætitiam pro dignitate explicet? quæ adeò nonnunquam vehemẽs est, vt omnes corporis sensus dulcedinis suæ vehementia extra sese rapiat, & in stuporem trahat. Verum enimuerò quid hisce diutiùs immoror? cùm omnia quæ aut hominum lingua explicare, aut ingenium humanum comprehendere possunt, nulla ratione eius præstantiam dignitatemque queant explicare, aut nihil potiùs eius respectu esse videantur. Quamobrem Augustine, cogites velim, hæc omnia nobis dona ab ineffabili illa ratione à summo Deo excogitata euenisse, quibus profectò penitus caruissemus, si nostra redemptio ea ratione quam tu excogitâras, peracta fuisset. AVGVSTIN. Video id euidenter, charissime Pater, magnisque laudibus afficio eum, qui hanc rationem adinuenit: qui cùm se hominum naturæ copulare & coniungere, eamque meritorum suorum participem reddere desideraret, panem illum cœlestem nobis reliquit, vt suauiter eius meritis, quæ nobis tantis laboribus angoribusque peperit, frui possemus.

Alij huius Sacramenti fructus. AMBROS. Non modò gratia sacratissimi huius Sacramenti fruimur, cùm illud in corpus nostrum admittimus, verùm etiam quoties in venerabili Missæ sacrificio adoramus, aut in templo asseruamus, vt amorem quem erga nos habet, hac ratione intelligeremus, cùm ille qui in cœlis gloriosus inter omnes Angelos perseuerat, in humili & abiecto loco inter homines habitare dignetur, vt eius præsentiâ noster in eum affectus & reuerentia adaugeantur, & vt, quando ad maiestatem eius preces fundimus, sciamus nos non in aëra verba iactare, verùm ad DEVM verba fundere, qui illic præsens adest, orationibus nostris intendens, lachrymasque nostras & suspiria respiciens. Vnde quoque excellentiam Ecclesiæ nostræ potes colligere, quàm infinitis illa partibus gratias veteri synagogæ Iudæorum collatas superet; quæ nihil præter propitiatorium aureum, arcamque ligneam, in qua tabulæ legis continebantur, in templo suo asseruabat. At singulari nos prærogatiua Deus insigniuit, vt Deum scilicet ipsum haud procul à domibus nostris teneamus, cuius arca illa tantummodo figura erat, cũ quo familiariter colloquimur, cui necessitates nostras aperimus, à quo quod nobis deesse sciamus, requirimus, idque tanta confidentia & spe, vt nulla ratione dubitemus eum nobis in necessitatibus defuturum, quippè qui adeò vicinus nobis habitatione esse desiderat: quemadmodum quoque parùm nobis profuerit, præsentem eum cum corpore habere, nisi etiam nobis cum sua prouidentia adesset. AVGVST. Facilè id crediderim. Deus enim noster in seipso diuersus non est, nec in operibus suis varius: hoc namque veritati & simplici eius naturæ penitùs aduersatur: atque ideò putem eum, qualem extrinsecùs se manifestat, talem interius quoque esse.

Ecclesiæ quantum sanctuario veteris Testamenti præstent.

§. VI.

POrrò transeamus vlterius, plura enim sacræ humanitatis eius (meo quidem iudicio) beneficia exstant. AMBROS. Tempus, vita ipsa, verbaq; nos priùs deficerent, quàm materia de qua pluribus pro dignitate ineffabilis huius mysterij, agere possemus. vnum verò magni sanè momenti dictum adhuc oportuit: acquisisse nos scilicet per sacram hanc Christi humanitatem, nobis Redemptorem, Saluatorem, & æternum sacerdotem, qui coram Patre æterno perditionis nostræ patrocinium suscipit, causam nostram agit, & pro nobis omnibus intercedit, vt infirmitates nostras excusaret, & redimeret, simulque gratias & auxilia cœlestia nobis conferret. Non habebant olim in veteri Testamento alios patronos & intercessores præter Abraham, Isaac, & Iacob, qui exhibitis Deo eorum necessitatibus, Deum ijs iratum reconciliabant: at in lege gratiæ non modò seruos Dei, patronorum loco habemus, verùm etiam ipsum Filium Dei vnigenitũ, qui hominum causam semper defendendam suscipit, idque non modò verbis, verùm etiam factis. Exhibet enim Patri suo in nos commoto, sacram illam suam humanitatem, sacraque vulnera quæ tum ad augmentum gloriæ suæ tùm etiam ad homines redimendos in corpore suo tolerauit. Hinc S. Ioannes spem nostram, si fortè aliquando concidisset, excitat, vt numquam è cœlo consecuturos nos aliquid desperemus, cum fidelem apud Patrem patronum habeamus, qui commodis nostris omnimodis intentus est, iramque summi Patris meritò in nos cõmoti placat. AVG. Fuit sanè singularis Dei prouidentia, hominibusque cum primis necessaria: quid enim, obsecro, à tam æquo Domino, tantoque peccatorum osore exspectemus, qui, nisi benignissimus ille Patronus flagellum iracundiæ eius manibus excussisset, nouo diluuio mundum inuoluens, peccatores à facie terræ abstulisset.

Incarnationis mysterium Christum nobis Redemptorem & Aduocatum constituit.

AMBROS. Tempus iam est, Augustine, sermoni huic finem imponendi, cupio tamen nouo adiuncto beneficio, quod ab hac diuina ratione deriuatur, finem facere, quòd sanè nihil est aliud, quam robur & constantia SS. Martyrum. Verum vt magis eam perspicere possis, in memoriam velim reuoces quod Salomon ait, Deum omnia sui causa condidisse, ad augmentum scilicet gloriæ suæ. Hinc cœlum & terram plena eius esse gloriâ dicimus; eò quòd res

Aliud humanitatis Christi beneficium. martyrium.

Prou 16.

creatas spectando, si eas ad principium suum reuocemus, inueniemus proculdubiò, per ea gloriam eius manifestari, & sapientiam; bonitatem, Creatorisque prouidentiam declarari. Verum quoniam nō vna, sed multiplex Dei laudandi est ratio, omnium sanè præstantissima est eorum qui eum ex toto corde diligunt eique seruiunt. qui enim plus diligit, plus etiā laudat: quiq; omniū maximè eum diligit, maximos etiam eius amore cruciatus tolerat. Et quoniam sancti Martyres grauissimos & maximos cruciatus, eius gratia præcæteris hominibus pertulerunt, facilè hinc colligi potest, eos quoque, propter infractam fidei constantiam, robur, & fidelitatem, quam in grauissimis & dirissimis tormentis ad vsque extremum vitæ spiritum conseruarunt, plus cæteris eum laudasse & glorificasse.

Diuersio potissima Deū laudandi ratio.

Et sanè quamnam, obsecro, maiorem gloriam Creator à creaturis consequi potest, quàm si habeat qui tanta fide & sinceritate eius maiestati deseruiant, vt corpus suum imbecillum & fragile, magna sanè animi constantia, crudelissimis dirissimisque supplicijs propter sanctissimi nominis eius defensionem & gloriam, exponant ac prodigant? Barbari & immanes Tyranni manus pedesque eorum amputabant, oculos euellebant, dentes extrahebant, mēbra resecabant, ossa comminuebant, eliquatum plumbum in os eorum destillabant, ferreis pectinibus corpus dilaniabant, in sartagine eos torrebant, in bullientem aquam aut oleum conijciebant, viuos eos teriæ infodiebant, pellem hinc inde punctim vulnerabant, vt colubri serpentesque hinc sanguinem exsugerent, venenoque inficerent, denique æneis Tauris suppositō igne includebant. Quid quòd sexcenta tormentorum genera excogitarent, quibus eis vitam eriperent, idque instinctu cruenti illius hostis eorum qui sacrum Christi nomen dœmonibus terribile confitentur, qui ijs noua & inaudita tormentorum genera suggerebat. Ita vt sæpenumerò omni suppliciorum genere in vnum corpus desæuirent, donec ipsa instrumenta suppliciorum frāgerentur, & in toto Martyris corpore nihil integrum appareret, in quo sæuitiam feritatemq; suam exercerent: & quando iam tortoris lassabatur manus ad supplicium, Martyrum constantia & robur augebatur, vigoremque capiebat: & quamuis caro & cutis dilaniaretur exteriùs, fides tamen quam Deo seruabant, integra perseuerabat. Ex qua inuicta Martyrum fortitudine magnum sanè Deo gloriæ incrementum accessit: ita vt non modo homines, verùm etiam Angeli, qui sacram eius maiestatem quoque glorificabant, visa fortitudine & constantia, quam tam humili, carnali, & infirmæ creaturæ contulit, in admirationem hinc rapi possent. AVGVST. Quòd si ipsi Angeli ob virilem illam cōstantiam in stuporem rapiuntur, qui fieri potest, vt non ipse quoque in admirationem rapiat, vt reuerà rapior? Atque ex eo magnitudinem gratiæ diuinæ licet contemplari, qui talem fortitudinem animique robur athletis suis contulerit: neque enim magnum quid est, viriliter & pertinaciter defendere, quod ratione aliqua naturali cognitum habemus (vt exempli gratia, vnum Deū esse:) verū quando eadem fortitudine veritatē aliquam propugnare necesse est, de cuius certitudine nulla naturali ratione certiores reddi possumus (vt sunt res nostræ fidei) & tamen in defensionē eius vri & secari nos ipsos patimur; quis est qui non videat, singularem aliquā gratiam è cœlis hominum mentibus infundi. AMB. Hoc porrò robur, quod sancti martyres habuerunt, à sacra Christi humanitate originem sumit, qui per sacrificium sacræ suæ passionis tale ijs robur commeritus est & acquisiuit. Hinc S. Ioannes in Apocalypsi, stolas albas, quibus S. Martyres contectos videbat, in sanguine Agni tinctas aiebat, & candore eius dealbatas: conseruabant namque meritis sanguinis eius puritatem & candorem animarum suarum, quas impij & immanes Tyranni, impijs sacrificijs inquinare satagebant. Accedit eodem, quod eos exemplo suo ad fortiter agendum excitet: ipse namque est dux agminis, ipse præcedit in prælio, gestat ipse manibus vexillum glorioſæ crucis suæ, pretiosa illa sanguinis sui purpura circumuestitus; vt quemadmodum Elephantes viso suo sanguine efferascunt & nouas vires colligunt: ita ipsi Martyres vires suas renouarent, cùm Saluatorem suum sanguinem profundentem non propriâ, sed sui causa viderint. AVGVST. Humani ingenij tenuitatem iam videre incipio, cùm diuinam prouidentiam cū eadem confero, quæ tam egregiam rationem ad homines redimendos excogitauit, per quam præter præcipuum opus ad quod destinata fuit, innumeris beneficijs donisque ditati sumus: præsertim verò cū in hunc mundum descenderit, vt sanctorum Martyrum cauernam, agmen instar strenui ducis præcedens, & supplicia priùs in proprio corpore perferens, quo viam faciliorem commodioremque sanctis suis redderet, conduceret. AMBROSIVS. Adiunge ad hanc Martyrum constantiam simul fortitudinem animarum sanctarum, quæ perfectionis Euangelicæ studiosissimæ, non quidem tàm diris sese supplicijs, vt Martyres, exponunt, verùm martyrio longè molestiori & magis tetrico; quod toto vitæ tempore perseueret; quod in domandis & cohibendis affectibus, refrænandis cupiditatibus, voluntateque propria resignanda consistit. Considera quæso hic tormentum & crucem (vt loquitur Apostolus de ijs qui crucifixerunt carnem suam cum vitijs, & affectibus, depraua tam & corruptam naturam suam superantes, & cum proprio corpore digladiantes) & simul videbis, quantum inde boni solatijque colligere possimus, cùm viderimus Agnum illum purissimum & innocentissimum adeò rigidè in corpus suum sæuientem, idque non alio intuitu, quàm vt nobis exemplum patientiæ donaret. Pone tibi quoque ob oculos tot homines, quibus delitiæ voluptatesque ita sordescunt ac tædio sunt, ac si in tormentis versarentur: deinde alios plurimos tentationum molestijs cruciatos, morbis afflictos, ab inimicis ad necem quæsitos, doloribus molestijsque saturatos. Qui omnes ad vulnera Saluatoris, ad solamen aliquod remediumque inueniendum confugiunt, quo molestijs afflictionibusque liberari queant: omnes ad portum hunc salutis properant, viso hoc exēplo patientiæ consolationem hauriunt, omnes fontem hunc vitæ petunt, in quo sese reficiant & refrigerentur: omnes denique ad communem malorum omnium medicinam asylumque accurrunt. Ipse interea Saluator brachia in cruce aperit & extendit, vt omnes qui ad se properauerint, recipiat, & vlnis amplectatur. AVGVST. Quidquid hactenùs de hoc mysterio dixisti, apertè mihi sublimitatem diuini consilij, inuentionisque admirabilis, per quam humana redemptio peracta est, & per quam vnam, tanta nobis bona accesserunt, declarat: in quo facilè agnosco, quantum sit discrimen inter consilia Dei & consilia hominum, & quantum differant viæ Creatoris, à vijs creaturarum. Quis enim vmquam hominum aut Angelorum cogitasset, necessarium fuisse, vt, Deus altissimus in hunc mundum, carnem humanam assumpturus descenderet, Virginali vtero sese includeret, ac denique in arbore crucis ad homines redimendos exspiraret. At infinita illa bonitas (quæ semper, quod melius & cōueniētius est, spectat) puidit summā illā vtilitatē, quæ ex hoc insigni

Martyrum supplicia pro Christo exantlata.

Christus dux martyrum.

Fortitudo decertantium in hoc vita stadio.

Galat. 5. 24.

Apoc. 22. 14

remedio esset euentura, atque hoc ipsum diuina sapientia intendit, & respexit. Simulque confiteor, eã quam quidem excogitaueram rationem, infinitis partibus ab huius excellentia superari; si enim hac ratione redempti fuissemus, omnibus illis quæ modò commemorasti bonis caruissemus. AMBROS, Meritò igitur per Prophetam nobis præcepit Deus, vt mundo hanc mirabilem eius sapientiæ bonitatisque adinuentionem annuntiemus, simulque recordemur, nomen eius & sanctissimum & simul altissimum esse, denique vt omnes infinitam eius bonitatem, propter opus tam eximium, tamque ad humanas calamitates auertendas vtile, admirentur, laudent, & deprædicent. Porrò quidquid hactenus dictum est Augustine, tua potissimum causa dictum est, vt hac ratione in fide mysteriorum confirmeris: per quam altiùs adhuc, nimirum ad perfectam quamdam charitatem, sine qua fides mortua est, ascendes. Quam si in animo accendere velis, sæpiùs tecum insigne hoc & præclarum beneficium euolue, & charitatis ardorem proculdubio senties. ipse enim Saluator Christus hac se de causa in mũdum venisse ait, vt scilicet ignem in terram mitteret & accenderet. Neque enim aliquem fore existimo, licet saxo duriorem, qui non amore diuino accendatur, si vel minimam huius beneficij partem ruminet, eiusque dulcedinem degustet. Quòd si Deus in veteri Testamento ab hominibus exigit, vt eum ex toto corde, ex tota mente, & ex totis viribus diligerent, quamuis nondum amorem suum, quo creaturas prosequitur, declarasset, vt postea quidem declarauit; cùm earum causa tot supplicia, cruciatusque pertulit: quantò eum maiore ratione hunc amorem à nobis exigere putamus, quorum gratia tot opprobria, iniurias, supplicia perpessus est, quæ omnia instar aculeorum esse deberent, quibus ad eum diligendum stimulari deberemus. Quamobrem charissime frater Augustine, cùm videas quot rationibus ad Creatorem tuum diligendum tenearis, nocte dieque immortale hoc beneficium tecum cogita, & numquam à tua mente eius memoria discedat, vt hac ratione magis magisque in amorem Domini accendaris: &, quandoquidem benignus ille Redemptor sibi ipsi tui gratiâ non parcit, ne ipsa mutuo & reciproco beneficium hoc debito recompensare graueris, eius dolores passionesque diligenter contemplando. AVGVST. Aliud à te modò non postulo, sed magnoperè obligatum, me Deo confitebor, cui toto vitæ meæ tempore supplices gratiarum actiones dicam, qui te duce & auspice me è Manichæorum cæcitate eduxit, manifestò mihi peccatum originale declarans, quod corruptionem humanæ naturæ semper velut vmbra adhæresit, quique mihi per gratiam Redemptionis remedium contulit.

AMBROSIVS. Postremò hoc te etiam scire velim Augustine, etsi hæc gratia toti humano generi collata sit, solos tamen fideles, pios & salutis suæ studiosos, remedijs hisce, quæ in hanc rem collata sunt, vti posse; non verò sceleratos vllos aut flagitiosos, qui salutis animæ suæ immemores. Deum negligunt, eumque obliuiscuntur, cui sit gloria & honor per infinita sæculorum sæcula, Amen.

Isa. 12, 4.

1. Cor. 13, 1. *Incarnationis mysterij meditatio amoris fomes.*

Luc. 12, 49.

Deut. 6.

Finis Dialogi de Incarnatione, interprete Matthia Martinez.

R. P. F.

LVDOVICI GRANATENSIS.

ORDINIS S. DOMINICI,

TRACTATVS DE SCRVPVLIS Conſcientiæ.

INTERPRETE MATTHIA MARTINEZ,

CAPVT I.

QVID SIT SCRVPVLVS, ET QVÆNAM eius effecta.

§. I.

Scrupulus quid.

SCRVPVLVS, vti omnes qui de eo ſcripſerunt, aſſerunt, nihil eſt aliud, quã lapillus, qui calceo incluſus, magnam moleſtiam incedentibus parit; vel, vt per translationem loquamur: Scrupulus eſt metus quidam, & ſuſpicio, quæ animum ſine legitima cauſa diſcruciat. Quando res aliqua dubia, ad DEI cultum ſpectans, ſeſe animæ offert, & rationibus vtrimque ſatis probabilibus occurrentibus, in quam partem ſe inclinet, decernere nequit, Conſcientia dubia nominatur: verum quando in vnam maximè partem propendet, infirmo & leui nixa ſolummodò fundamento, tum Conſcientia ſcrupuloſa & ſcrupulus dicitur. Dixi, ſi rationes & fundamenta debilia ſint; ſi enim probabiles & veriſimiles ſunt, Opinio nuncupatur; ſi certæ & tamen obſcuræ, eſt dicenda Fides; ſi verò certæ & manifeſtæ, Scientiam appellabimus. Vnde liquidò apparet, vt aliquid ſcrupulus dicatur, animam in alterutram partem eorum quæ ei occurrunt propendere debere, quando nempe agitur de re aliqua ad Dei ſeruitium ſpectante: rationesq; quibus illa permoueatur, debiles leuesque nulloque nixas fundamento eſſe oportere. Atque inde ſequitur, quòd quamuis ſcrupuli aliqua ratione firmi & reſoluti ſint, non tamen omnino ſint: at ſemper aliquam turbationẽ, & inquietudinem ſpiritûs annexam habeant. Exempli gratia: Scrupuloſus aliquis graui infirmitate oppreſſus, à medico iubetur die veneris carnes comedere: ille ſtatim dubitare incipit, quod non adeò euidens ſit neceſsitas, an debeat comedere nec ne: ſi rationes quæ ſeſe quoad hoc offerunt, eius iudicium anceps & ſuſpenſum relinquant, dubitatio eſt, & conſcientia dubia, verum ſi quidem carnes comedere proponit, attamen ſemper intùs metuit, idque propter rationes aliquas leues & friuolas, verus ſcrupulus eſt.

Differentia inter dubiam & ſcrupuloſam conſcientiam.

§. II.

EFfecta ſcrupuli, ſunt plurima. (vt inter cæteros in Enchridio notauit Nauarrus) ſcilicet magna animi inconſtantia in eo quod ſeſe meti offert, ita vt ſcrupuloſi ſæpiùs iudicium ſuum mutent: animæ puſillanimitas, timor ſine vllo fundamento, iuxta quod Propheta Regius ait, *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Id eſt inquietudo quædam & turbatio ſpiritus, quoad Dei cultum eos inuaſit, intellectum ignorantiæ tenebris obuolutum habuerant: quin etiam iniquitates ſuas aduxerunt. Scrupuloſi enim faciendo ea, in quibus nullum eſt peccatum, peccant ſæpenumerò propter ipſum ſcrupulum, à quo immunes forent, ſi ſcrupulo carerent. Vnde fit vt multas anguſtias & afflictiones ſpiritûs ſuſtineant; eosque cum quibus agant inquietos reddant, imò ipſum Confeſſarium, niſi mitis & ſapiens, in eoque genere optimè verſatus ſit.

Scrupuloſi effecta. Nauar. in Manuali c. 27. nu. 182.

Pſal. 13.

CAPVT II.

ORIGO ET INITIVM ſcrupulorum.

§. I.

AGamus modo de origine ſcrupulorum, & vnde initium ſumant. Omitto hic dicere, quod ait Silueſter de nonnullis, qui ſcrupulos ex præterita vita conquirunt, eo quòd non, vti par fuit, eam duxerint, & tamen minimè ſolliciti ſunt de ea, quam modò flagitioſam & licentioſam agant, emẽdanda: ij enim vt apertè loquamur, non ſunt ſcrupuloſi, neùe id quo diſcruciantur, ſcrupulus eſt; at remorſus quidam conſcientiæ, qui licet peſsimæ vitæ, ſemper à verme illo conſcientiæ corroduntur & dilaniantur. Deinde ijdem ipſi vitam ſuam liberè poſſunt corrigere, cùm Deus ad hoc faciendum eos moueat & excitet. Agimus autem hîc de ijs, qui ſe diuino ſeruitio mancipantes, toto animo ei ſeruire deſiderant, & ſemper in conſcientia ſua timent & ſolliciti ſunt: & tamen ſcrupulis quibuſdam anguntur,

Silu. verbo ſcrupulus.

tur, quibus eorum quies turbatur, & consolatio spiritus tollitur.

Originem radicemque huiusmodi scrupulorum inquiramus, vt ea inuenta salutaria medicamenta adhibeamus. Plures quidem origenes scrupulorum sunt, vt multi Doctores tradunt, & præsertim Siluester, & Diuus Antoninus, verùm eas ad duo capita reuocare possumus: ad causam scilicet externam, id est diabolum, pacis quietisque inimicum, qui omni ratione quietem animorum, malaciamque turbare desiderat; innumeris tentationibus eos diuexans: qui cùm sciat, quantas angustias animabus scrupuli pariant, ijs illas adoriri studet. Deinde ad causam internam, quæ multiplex est: Interdum enim est ipsa naturæ complexio: quoniam sunt nonnulli ita naturâ suâ scrupulosi, vt nũquam sibi satisfacere, quidquid demum agant, at semper malè facere videantur. Atque ad hanc naturæ complexionem reduci potest ipsa melancholia, licet illa naturalis sit, vt sunt plurimi natura melancholici, vel ab aliquo morbo initium sumens. Oriuntur quoq; scrupuli ab imbecillitate cerebri, quod fieri putem per naturalem imbecillitatem, vel per nimis graues & rigidas austeritates. Nascuntur quoque frequenter, cum ijs aut agendo aut loquendo qui ipsi scrupulosi sunt. Denique, & vt plurimum quidem, mea sententia, ab ignorantia originem ducunt: sapientes namque & docti rarissimè scrupulis anguntur, quique prudenter admodum & cautè viuunt. Verum ex his omnibus quæ iam diximus manifestum est, de quo scrupulo hîc potissimum agatur, & de quo scrupulosorum genere.

Siluest. ibid. D. Anton. 1. p. tit. c. 10. §. 10. Scrupulorũ origo duplex. I. II. Multiplex.

§. II.

HÆ causæ sæpenumero concurrunt, aut omnes quidem, aut aliquæ saltem harum, & certissimum est dæmonem vt plurimùm scrupulos fouere, & ijsdem se immiscere. Et quamuis ex ijs quæ iam diximus facile colligere possimus, quando anima scrupulis, & quando sancta tantùm formidine anxietur; tamen antequam de remedijs aduersus scrupulos agere incipiamus, regulam quandam statuemus, per quam aliquis syncerè DEO seruire ex toto corde desiderans, facile percipiet an id quod illum inquietet, verus sit scrupulus, aut pius aliquis timor, qui ex vehementi Deo seruiendi desiderio nasci solet. neque enim negari potest, animas pias semper dubias esse & anxias, vtrum in gratia Dei sint nec ne: & quemadmodum hinc Dei puritatem perspectam habent, eiusdemque infinitas perfectiones, & illinc propriam vilitatem humanitatemque, semper tamen sollicitæ & de suis bonis operibus metuentes, ne ei quod caritas esse videtur, aliqua vanitas immixta sit: ita quoque nec facilè dici potest, an id quod illos diuexet, scrupulus sit, an potiùs timor, vt sanctissimis quibusque viris contingit. Atque hinc est quod Paulus dubitans ait, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus.* quasi diceret. Cùm conscientiam meam excutio & curiosè inquiro, nullum quidem peccatum in ea reperio, attamen non ipse mihi satisfacio, sed semper timeo & solicitus sum. Videamus igitur, si per hanc regulam scrupulos à nõ scrupulis dignoscere poterimus. Inter differentias motûs naturalis & violenti, hanc quoque Philosophi adferunt, quòd motus naturalis, qui originem sumit à principio interno, admodum suauis sit, ac naturæ rei, quæ mouetur admodũ conueniens; vel quòd id quod motum est, motu iam quiescente, maneat tranquillum & constans, si fieri possit. At quemadmodum motus violentus ab externo aliquo principio procedit, ita quoque morosus est, & difficilis, & motu iam finito, rem motam turbatam & inquietam relinquit: &, quoniam per hunc motum, res mota à loco suo recesit, si modò dolere posset, ingenti dolore concuteretur.

Diabolus plerumque se scrupulis immiscet.

1. Cor. 4, 4.

Quam putamus esse afflictionem lapidis, quando à centro suo remotus, per aërem violentia quadam & vi iactatur? Ex hac Philosophorum doctrina, colligunt Doctores quando motus animæ alicuius à Deo procedunt, & eius metus sincerus est & nõ fictus, motus illos eam tranquillam & quietam deserere; at motus animæ scrupulosæ, quorum causa diabolus est, qui aliquas ex priùs commemoratis causis adhibet, vt violenti sunt, ita quoque animam inquietam, turbatam & sine tranquillitate relinquere. Quemadmodum enim Deus vera pax est, ita etiam vbicumque habitat, eandem infert; at quêadmodum diabolus ea caret, sed potiùs auctor belli & discordiæ est, amicus turbarum & seditionum, ita quoque vel minima occasione qua in animam intrat, signum aliquod & notam suæ naturæ relinquit: vestigia eius sunt turbæ, tristitiæ, afflictiones, & desolationes. Cuius rei insigne exemplum in sacris litteris habemus, vbi describitur qua ratione Deus Heliæ apparere voluerit. Venit primùm in turbine nubilo, qui saxa cõminuebat quë deinde ingens terræ motus secutus est, quo mõtes euersi sunt, postea ignis qui omnia deuorauit: postremò verò grata quædã & suauis aura, quę omnia quieta reddebat. Mirũ est autem, Deum non venisse in turbine illo procelloso, nec in magno illo terræ motu, nec in igne illo deuorante, verùm in leui illa & suaui aura Zephyri, vt sciamus ibi summam pacem & tranquillitatem affulgere, vbi Deus est. Quàm benè hoc experiuntur serui illi Dei, qui non solùm gustum & voluptatem in sublimibus contemplationibus reperiunt, verùm etiam in his quæ ijs obuia sunt? Quoties homini peccata sua euoluenti, propter eadem dolenti, sui ipsius pudenti, peccata sua lacrymis eluenti accidit, vt deinde consolationem & recreationem inueniat, serenitatemque cœlestem, pulsis nubibus quæ eam impediebant, experiatur? Hæc est Dei agendi ratio, vt veram pacem animę relinquat, prout Propheta Dauid ait: *Factus est in pace locus eius.* Vnde dicimus si quando anima post timorem quem habet, quieta & tranquilla perseuerat, & tum magis ad Deum colendum excitatur, maiusque ei complacendi desiderium concipit, euidentissimè inde colligi, eam non scrupulis, sed sancto quodam timore agitari. Verùm vbi motus illi animam tristem, & turbatam reddunt, nullumque pietatis rerumque cælestium gustum instillant, signum est, motus hos meros scrupulos esse. Fateor quidem id propter Satanæ insidias & fallacias non facilè perspici posse, qui varias formas induere potest, etiam in Angelum lucis se transformare, vt Paulus ait, atque ideò nullam certi aut veri statui regulam posse, præter ea quę cœlesti reuelatione demonstrata sunt, in quibus nulla ratione quis decipi potest: vnde ait Sapiens: *Beatus vir qui semper est pauidus.*

Inter scrupulum & timorem quomodo discerni queat.

3. Reg. 19, 11.

Psal. 75, 3.

2. Cor. 11, 14.

Prou. 28, 14.

CAPVT III.

REMEDIA QVIBVS SCRVPVLI ab anima pellantur.

§. I.

HIs dictis, loquamur modò de remedijs, quibus scrupuli ab anima effugari queant, quibusque ea quieti tranquillitatique restituatur.

Remedia contra scrupulos.

Primum porrò remedium aduersus scrupulos, vt Caietanus in Summa tradit, est frequens ad Deum per orationem recursus: quamuis autem remedium hoc aduersus omnia tentationum genera, quibus diuexamur prodesse queat: singulis tamen casibus

I. Caiet. in Summa.

necessitatibusque quibus premimur, ita conducit, ac si vnicum & solum singulis necessarium foret.

Necesse quidem videretur nonnihil hic de hocce remedio loqui, verùm quoniam eius vberior tractatio passim occurrit, ad alia properans, abrumpo.

§ II.

II.

ALterum remedium est, doctum aliquem & egregiè versatum, pium simul, Deique metuentem Patrem spiritualem directoremque deligere: Cui se quis totum in disciplinam tradat, & cuius consilijs semper acquiescat. Duabus namq; de causis Deus animam sibi dilectam scrupulis discruciat, vt se coram Deo humiliet, nec sublime de se sentiat, cum videat quàm debilis sit, vt etiam sibi diffidat, cùm scilicet considerată re tam vili & exiguâ, vt ipsi scrupuli sunt, pacem conscientiæ suæ turbari, & disijci; quamuis animam benè dispositam, temperatamque de statu mentis deijcere non possint. Discere hinc poterit Anima imbecillitatem suam, & quàm ei cæleste auxilium, diuinaque gratia sint necessaria. & hac ratione anima in humilitate perseuerat, adque Deum conuertitur.

Duplici de causa patitur Deus animã sibi dilectam scrupulis diuexari.

1

2 Altera verò, vt anima per scrupulos consideret, quàm sit ei auxilium proximi necessarium, vt ab eo edoceatur, dirigatur, inque scrupulis ab eo adiuuetur; vt hinc eum diligere magnique facere incipiat. Vt autem prius hoc quis obtineat, conducit non parum, imò necessarium est, Patrem spiritualem sibi deligere, cui status animæ committatur, cui tentationes aperiantur, cuius consilijs homo acquiescat, cuique in omnibus sese salutemque suam credat: Vt autem intelligamus quàm diuinę sit voluntati consentaneum, vt anima quæ Deo seruire ex animo desiderat, directorem aliquem spiritualem habeat, à quo dirigatur & gubernetur, atque is præsertim, qui scrupulis interius discruciatur: reuocandum est in memoriam quid sancto Paulo, cum acceptis epistolis à principe Sacerdotum in Damascum profectus est, vt Christianos & si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos in Ierusalem perduceret, in via contigerit: Narrat S. Scriptura quomodo Iesus Christus ei in via apparuerit, vt ex equo ceciderit, lumine cælesti quod eum circumfulgebat perterritus, & voce Iesu Christi quæ ad eum loquebatur, consternatus. Verùm admirabilem hanc conuersionem silentio inuoluentes, quid inde secutum sit potiùs videamus, Paulum scilicet penitus decreuisse voluntatem Dei sequi, eiusque voluntati obedire voluisse dicendo, *Domine quid me vis facere?* cui dixit Dominus, vt Damascum intraret, atque ibi se reperturum aliquem, qui ea, quæ facere oporteret, ei declararet: cùm eodem tempore Dominus Ananiæ inspirauit, vt Paulum quæreret, atque eũ, quidquid faciendum esset, edoceret. Mirum sanè est, Deum, tam insolita ratione Paulum in via conuertentem, vt ipse vltrò de cælis in terram descenderit, cũ ipse eum edocere & instruere potuisset (vt is qui omnia nouit) ad alium eum non destinando, ad Ananiam tamen iussisse vt accederet, vt nobis hac ratione demonstraret, quàm nobis proximi auxilium necessarium sit. Atque vt sciamus, consentaneum planè esse, vt anima Patrem & Magistrum spiritualem habeat, cuius consilia in omnibus sequatur, videamus quid Doctor ille Ecclesiæ & lumen Augustinus egerit: Misit ille ex Africa Discipulum suum Orosium ad D. Hieronymum Bethlehem agẽtem, vt ab eo in rebus, de quibus dubitaret edoceri posset, ei sese in doctrina scientiaque imparem sentiens, vt ipse in Epistola quadam ad eum, his verbis testatur: Quamuis dignitas Episcopalis in Ecclesia Dei maior sit dignitate presbyteri, ipse tamen virtute, sapientiaque me tibi imparem confiteor. Atque ita videmus eundem Augustinum à Seuero D. Martini Turon. Episcopi discipulo de puncto quodam circa beatitudinem interrogatum, prius respondere noluisse, quàm Hieronymum consuluisset, vt ipse in Epistola ad Cyrillum Ierosolymitanum testatur, quam de Magnificentijs D. Hieronymi inscribit, quæ in IX. D. Hieronymi operum tomo circa finem reperitur. Nec modò ab huiusmodi qualis erat Hieronymus, aliquid discere volebat, vt eorum consiliũ in rebus dubijs sequeretur, verùm etiam ab ijs qui ei doctrina cederent, vt in Epistola ad Auxentium testatur: Licet Episcopus sim senex, & annis grauatus: tamen velim vel à puero, vel à minimo socio, etiam ab vnius anni nouitio edoceri. Hanc igitur tanti Doctoris rationem sequendo anima, si à Deo illuminari & doceri velit arbitrio & consilio pij alicuius hominis & docti sese committat, cui tentationes & scrupulos detegat, vulnera & vlcera aperiat, eũque consulat, quid vel faciendum, vel omittendum sit. Nec se vlla ratione tranquillam fore putet, nisi libera & exempta ab omni prauo affectu, remediũ ab alio inquirat, iudicio sese Patris spiritualis, doctique alicuius viri submittens. Hoc porrò non meum consilium est, sed Spiritus sancti, qui in Deuteronomio ita faciendum præcipit, vt scilicet in omnibus dubijs legis ad summum sacerdotem confugerent, velit ad vicarium Dei, omniaque quæ ille fieri præcepissет, implorent, & ne latum quidem vnguem ab eorum voluntate discederent.

Quam necessarium sit animæ Deo inseruire cupienti magister spirituales.

Act 9.

Augustin. in epist.

Aug. epist. ad Cyrillũ Ierosolym.

Aug epist. ad Auxent.

Deut. 17.

In huius rei confirmationem narrat D. Antonius de religioso quodam ordinis D. Dominici, cui mortuus quidam eiusdem ordinis apparebat, quem vbi ille cognouit, petere cæpit de scrupulis quibusdam, quibus angebatur, responditque alter, Consule discretos & acquiesce illis, consilium sanè conueniens, & à doctrina senioris Tobiæ haud alienum, *Consilium à sapiente perquire.* Refert idem Antonius de quodam D. Bernardi discipulo, adeò scrupulis anxio, vt Missæ sacrificium offerre non auderet cui Diuus Bernardus ait. Vade & mea fide confisus, sacrifica, quod vbi fecit, omnis statim scrupulus euanuit. Quamuis autem Cancellarius Parisiensis (Gerson scilicet) paucos hodierna die Bernardos reperiri dicat, ad quos in necessitatibus esset recurrendum, non ideò tamen Patres spirituales consulere negligamus, qui magis nobis quadrare videbuntur, ijs enim non vt hominibus sed vt vicarijs Iesu Christi obedimus: credentes firmiter quòd si ijs auscultemus eorumque consilia sequamur, nos Deo auscultare, eumque consulentem sequi: vt ipse Dominus in Euangelio ait; *Qui vos audit, me audit.* Dicet fortasse aliquis: non semper spiritualis hic director ad manum est, vt ei exemplò omnia dubia scrupulosque meos detegam: concedo id quidem, verùm vbi quis in oratione versatur, reuocet in memoriam scrupulos, & secum statuat, quid ei faciendum sit, cùm ij eum euadent, cùm neminem ad manum habeat, quo cum communicet. Vti etiam poterit tertio remedio, quod hîc subnectimus.

S. Ant. 1. p. t. 3 c. 10. §. 10.

Tob. 4. 19.

Luc. 10. 16.

§. III.

III. Remedium contra scrupulos.

TErtium remedium aduersus scrupulos, est sibi ipsi vim facere & violenter ijs resistere, firmiter credendo ijs, quæ spiritualis director dicat, aut aliquando in simili euentu dixerit. Verbi gratia, si quis hunc habeat scrupulum, an præterita peccata quæ semel confessus est, iterum confiteri debeat, eò quòd non recordetur, si semel ea confessus fuerit: & communicat hunc scrupulum cum Patre spirituali, qui eius vitam præteritam penitus perspectam habens eiusque agendi modum sciens, respondet, id

non esse

non esse necesse. qui quamuis adhuc dubitet anxius, non tenetur tamen ea confiteri, atque securè ad cõmunionem accedere, dubitabit alius num propter infirmitatem suam licitè vesci possit carnibus, ieiuniumque relinquere, petit à Patre suo spirituali quid ei faciendum consulat, respondet ille, ad ieiunium nulla eum ratione teneri propter præsentem necessitatem, & medicum seseque ita in Domino iudicare, si tamen licet adhuc nonnihil dubitet, ieiunium soluat, carnibusque vescatur, & diabolus ei suggerat esse peccatum, & proinde damnationem incurrere, credat certissimè nullum sese peccatum committere, verùm hoc ei purgatorij loco fore, animãque id puriorem nitidioremque reddere.

§. IIII.

DIcet quispiam, sæpe dubia occurrunt, quæ Patri spirituali commodè apperire non possunt eo quòd nobis non adsit, quid ergo tum faciendũm est? Respondeo scrupulum tunc nos in nostrum commodum interpretari debere, & facere id quod scrupulus faciendum negat. Est hæc cõmunis Doctorum sententia, quam hac ratione per similitudinem confirmo: Si quis animal habeat pauidum & meticulosum, idque audax reddere velit, transire id viam cogit, quam reformidat, aut circa locum quem in horrore habet: ad eundem planè modum, vt quis à scrupulis liberetur, censent Doctores saluberrimum remẽdiũ esse ijsdem repugnare, scrupulum semper in proprium commodum conuertendo, & nunquam Conscientiæ aduersantem. Dubitat scrupulosus aliquis, num tale vel tale peccatum cõfessus sit, nec ne; num certa quadam hora preces recitauerit nec ne; num pœnitentiam iniunctam impleuerit, nec ne; in omnibus his iudicet quod in rem & cõmodum proprium sit, atq; hæc est ratio: scrupulorum enim est timorem & trepidationem ingerere, vbi non est timor, vt Propheta ait. Atque ita credat in prioribus exemplis passionem operari, quod operari semper consueuit, & timorem ingerere, vbi timore non est opus: si porrò hanc viã sequendo aliquando eum contingat certa aliqua hora preces omittere, persuadeat sibi, non ideò se peccaturum: quia concilio hoc pro remedio aduersus scrupulos vsus est. Vnica modò hic restat dubitatio, quam priùs, quàm vlteriùs procedamus, explicemus necesse est: difficultas est cõformis ijs, quæ Doctores de peccato tradunt: si quis, verbi gratia, de aliqua re dubitat num peccatum mortale sit, an secus, & nondum certum quid statuens, id peccatum committit, peccat mortaliter. Hoc vno exemplo rẽ Doctores explicant: si quis dubitaret, num hodie ei ieiunandum sit, atque is non accepto ab aliquo consilio nihilominùs manè comedit, sine dubio mortaliter delinqueret propter periculum cui se exponit; & quoniam secum statuit magis appetui suo satisfacere, quàm præcepto Ecclesiæ. Dico igitur hanc doctrinam esse verissimam: non tamen contrariam ijs quę modò diximus; hæc namque intelligitur, quando quis dubitationem habet, quæ bonis rationibus nixa est, quam cùm non aperiat; & facit nihilominus id quod contra eam faciendum non est, certum est eum peccare mortaliter. Verùm cùm scrupuloso dicimus, vt aduersus scrupulum eluctetur, & ne in dubio, si quod fortè habet, perseueret, præsupponimus, eum iam à viro docto petijsse, quid sibi faciendum sit, atque eum iam eidem respondisse, hoc eum minimè impedire debere, quo minus vlterius procedat: vel putamus, eum tantum per se præstare posse, vt sciat, quomodò in huiusmodi casu sese gerere debeat. Atq; hic quamuis ei aliquis scrupulus restet, dicimus tamen eum scrupulo posse refragari & penitus contraria facere; modo rationes vti diximus, nullo fundamento nitantur, infirmæque sint & debiles.

In scrupulis quid agendũ spirituali Magistro absente.

Simile.

Psalm. 31.

Dubij resolutio.

§. V.

QVarta scrupulorum effugandorum ratio est, ipse frequens Sacramentorũ vsus: sæpiùs scilicet ad sacrum Eucharistiæ Sacramẽtum accedere, idque magna fide, charitate, feruore, animique munditie. Agam hic modò de ijs quæ huic, de quo agimus negotio conuenire videbuntur. Ipsa igitur frequentatio Sacramentorum, magnam vim & energiam in se continet ad diaboli tentationes expugnandas, quod Propheta Regius his verbis declarat dicens, *Parasti in conspectu meo mẽsam aduersus eos qui tribulant me.* Inimici qui hominem prosequuntur plurimi sunt, & ij potẽtes; at tanta fuit Dei erga homines liberalitas, vt cùm sciret, vires eorum cum inimicorum viribus collatas, nihil posse, & debiles esse, mensã eos Venerabilis Sacramẽti Eucharistici cibare decreuerit, quo inimicos suos & expugnare & debellare possent. Si enim tantum potuit panis ille subcineritius, vt in eius virtute Elias quadraginta dies ambulauerit, donec ad montem Dei Oreb peruenisset, maiori id ratione Christianus virtute sanctissimi huius Sacramenti facere poterit. At nemo de virtute eius diffidat, dicens; Quomodo in pane inimicos meos expugnabo? cogitet potiùs q, quãuis panis nuncupetur, propter ruinam & euersionem quam in inimicos exercet, gladius etiam nominetur. Dauid quidem Gladium illum, quo cerui- 1. Reg. 17.
cem Gigantis absciderat, fascijs inuolutum, velut anathêma in Templo suspendit, in memoriam tantę tamque præclaræ victoriæ: tamẽ cùm quodam tempore Saulem fugeret, eundem ab Achimelech sacer- 1. Reg. 21, 9.
dote petijt dicens, similem ei nullum inueniri posse. Caro nostra priùs erat instar gladij Satanæ, per quã magnã stragem inter mortales edebat: *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* hunc Iesus Christus in manibus sumit, *& Verbum caro factum est*, carnem sibi aduniens in eadem hypostasi, per quam mirabilia opera præstitit, atque inter cætera diabolum superauit. In cuius rei memoriam eam in venerabili Sacramento sub speciebus panis & vini nobis reliquit, vt si quando homo se satanicis incursionibus circumuallatum viderit, hoc sese gladio communiat, confidens victoriam sibi sine dubio affuturã, modò ea rectè & debito modo vti queat. Nemo verò miretur si nos hoc augustissimũ Sacramentum panẽ & gladiũ nuncupemus; legimus enim in sacris litteris panem subcineritium, qui in castris Madianitarũ Iudic, 7.
visus est, quique huius Sacramenti figura fuit, ab alijs gladium Gedeonis fuisse appellatum, quo ille copias Madiam superauit & delecit. Dauid porrò nũ- Psal. 77, 80.
cupat hoc Sacramentum *panem potentium*, prout D. Hieronymus legit, vbi vulgata editio habet, *Panẽ Angelorum manducauit homo*, & simul alio loco, *panem fortium*. Panis Angelorum & panis fortiũ Eucharistiæ Sacramentum nominatur, propter robur & fortitudinem, quam dignè sumentibus elargitur. Hinc cum Propheta Zacharias, *frumentum electorũ*, Zach. 9, 19.
vel vt alij interpretantur, *frumentum bellicosorum*, quod cũ Hebraico verbo *Bahurim* optimè videtur conuenire nominauit: quæ omnia simul posita tantundem sunt ac si diceremus, *frumentum electorũ & prædestinatorum, frumentum militum & bellantium.* Bellum verò nobis cõtinuum est cum diabolo, mũdo & carne: vt non immeritò Propheta Iob vitam hominis militiæ comparârit, dicens, *Militia est vita* Iob. 7, 1.
hominis super terram. Idcircò nobis Deus in Ecclesia sua sanctissimũ hoc Eucharistiæ Sacramẽtũ instituit, quo in militia tentationũ tempore vti possemus.

Remedium frequentatio Sacramentorum.

Efficacia Eucharistiæ.

§. VI.

§. VI.

ATque vt huic materiæ finem imponamus, iterum dico, frequentem augustissimi huius Sacramenti vsum optimum remedium esse aduersus scrupulos: per hoc enim instar Leonum terribiles dæmonibus reddimur, vt benè D. Chrysostomus loquitur: qui, vt idem diuinitus dicit, sunt hostes qui nobis semper & vbique, per prauas suggestiones, inhonesta desideria, voluptates & honores huius mundi insidiantur? verùm cùm ad mensam sacratissimi huius Sacramenti accedimus, labores in solatia commutantur, atque ab eadem mensa cum insigni animositate & audacia recedimus, ad inimicos nostros qui nos impetunt deijciendos.

Scrupulis quomodo medendum si ex naturali imbecillitate oriatur.

Si verò per hæc remedia nondum anima tranquillitati restituitur, Deo permittente vt scrupuli vlteriùs procedant & augeantur, oportet eos qui his angustijs discruciantur animaduertere (vt singulatim aliqua remedia attingamus) si scrupuli ex naturali aliqua imbecillitate proueniunt, propter nimias & rigidas vitæ austeritates, remedium facilè ijs adhiberi posse, corpori scilicet necessaria subministrando. Si ab atra bile oriuntur, remedium sit tùm naturale, adhibendo ea quæ periti medici maximè conuenire iudicauerint. tùm verò supernaturale, vtendo scilicet auxilijs, quæ iamiam recitauimus & ante omnia quidem oratione, quâ vnicâ melancholia ab anima repellitur, vt D. Iacobus faciẽdum præcipit, *Si quis tristatur, oret.* Iacob. 5, 13.

At quoniam scrupuli vt plurimùm, vti equidem existimo, ex ignorantia promanant, dabo præter ea, quæ mox dicta sunt, certas quasdam regulas, quas multum profuturas confido. Puto quidem hos pænè semper, in ijs qui spirituales sunt, & singulari erga virtutem studio tenentur, scrupulos occurrere, scilicet: dubito, num ritè confessus sim peccata mea, nec ne, num debita ratione orem an secùs, num tentationi succumbam vel non, alioſque huiusmodi plurimos. Et manifestum est, quod nisi in huiusmodi aliqua ignorantia subesset, à scrupulis eos penitùs liberos futuros.

Regula pro scrupulosis.

Quamobrem vtile fuerit regulas aliquas perspectas habere, è quibus facilè agnosci queat, quando tentationes cogitationesque, quæ contra Dei legem aliquando ingruunt, peccata dici possint & quando non.

§. VII.

I. Nullum peccatum nisi voluntarium.

PRima igitur Regula hæc sit. Nullum committi peccatum, nisi accedente voluntate, vnde id quod in nostra potestate situm non est, nullum peccatum dici posse, & proinde nihil nobis inde meriti aut demeriti accedere. Doctrina hæc certissima est, & fidei quam profitemur, consentanea.

II. Tentationem absque consensu peccatum non esse.

Altera Regula ex prima statui potest. Tentationem, aut aliam quamcumque cogitationem, quæ contra legem Dei nobis sese offert, etiam turpissimã & inhonestissimam, licet contra fidem, vel contra castitatem aut aliam quamcunque virtutem sit, nũquam peccatum esse posse, si voluntas non accedat: quæ regula, vti & præcedens, est verissima, nullum enim committitur peccatum, nisi voluntas firmissimè assentiatur. Tentationes porrò in nostra potestate sitę non sunt: accedunt enim licet non quærantur, atque vltrò sese etiam ingerunt. Atque hinc locus ille Apostoli Pauli intelligi potest, *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* 1. Cor. 10, 13. quasi diceret: tentationes tùm humanas dici posse, cùm in nostra potestate est eas dare vel auferre, sin minus, nõ esse quod sollìciti simus. at tum demum tentatio incipit esse diabolica, si voluntas in eam consentiat: atque hoc est quod Paulus nos admonitos voluit, vt scilicet operam daremus, vt tentationes nostræ hominis tantum essent, diabolicæ non fierent.

III. Consensum duplicem. 1 2

Tertia Regula sit, duobus modis voluntatem tentationi posse consentire: primò consentiendo voluntariè prauæ suggestioni, deliberata scilicet voluntate immorando, etiamsi res ad actum non procedat: secundò planè consentiendo in id ad quod tentamur, firmiter proponendo prauam cogitationem in actum producendo. Quòd autem de his tentationibus dico, de omnibus in genere intelligendum est.

IV. Neutro horũ consensum intercedente peccat.

Quarta regula est, cùm neutro horum modo in tentationes consensus datus est nullum peccatum admissum esse: verùm vbi vltimus consensus accesserit, & res Dei legi repugnet, mortale peccatum est, si verò præter legem Dei sit veniale est. Tamen cum non nisi primus consensus accesserit, id est cum deliberata voluntate tentationi immoramur, secũdum aliquos peccatum mortale est, modò tentationes circa castitatem versentur. Hinc discere potest anima, quando peccatum in tentationibus sit, & quando non, ne supernacuè discrucietur, existimans sese cùm tentatio ingruerit, quamprimùm in peccatum prolapsam, cùm sit certissimum, quempiam etiam graui tentatione pulsari posse, & tamen nulla ratione peccare: verùm vbi animosè tentationibus restiterit magni sibi meriti materiam parare, vt de facto ipsi Sancti præstiterunt, qui fecerunt in tentationibus, quas pertulerunt prouentum.

§. VIII.

TEntationum porrò superandarum ratio singularem aliquem librum postularet, nobis verò hìc solum propositum est, vti prius monui, remedia aliqua aduersus scrupulos suggerere. Vt etiam interea non omittam dicere, tentationibus circa fidem & prædestinationem nulla ratione immorandum esse, nec cum diabolo diutiùs litigando decertandum, verum nos oculis clausis credere debere quidquid sancta credit Ecclesia, non indagando scilicet nec profundius scrutãdo sublimia eius mysteria, omnesque argumentationes de prędestinatione relinquendo, certissimè tenentes, si bonis operibus incumbamus, æternam nos nobis gloriam parare, si verò peccatis operibusque prauis, & impœnitentes ex hac vita decedimus, æternam damnationem. Ex hisce regulis, vti dixi, colligere quis potest, quando peccet tentatus, quando verò non, ne in eo in quo peccatum non est, nec peccati vestigiũ, quis se peccasse, exist met, atque ita erronea tua scientia peccatum committat. Et quoniam scrupulosi vehementibus in tentationibus, scrupulis anguntur, sibique numquam certi & securi videntur, & sæpiùs iterumque Confessarium idem omninò confessuri accedunt, ita vt quamuis communicent, nunquam tamen in conscientia quietem habeant, ideò has regulas subsequentes adiunximus, vt ad eas sese examinent.

Tentationibus circa fidem & prædestinationem non immorandum.

V. Examinanda conscientia quantum tempus requiratur.

Quinta regula est, examen conscientiæ idque in silentio & vbi ad Sacramenta accedendum est, fieri debere: est enim certissimum, ei qui prudenter viuit, sæpiusque delicta sua confitetur, tam longum examen conscientiæ non esse necessarium quantum illi fortasse, qui inconsideratè viuit, & nihil de vita sua sollicitus, quique rarissimè peccata confitetur. Qui octiduis singulis ad confessionem accedit, aut bis in hebdomada aut amplius, horæ quadrantem aut circiter necesse habet quotidie, ad conscientiam suam excutiendam: & iuxta hocce peccatorum suorum examen, se quoque examinabit, idem ipsum non sæpius repetendo. Si huic diabolus persuadere conetur, non legitimè scilicet eum peccata aperuisse, aut accusasse, ac proinde iterum ad confes-

sionem

sionem accedendum esse, nulla ratione credendum est, aut confesso iteranda, nisi euidentissimè sese aliquod delictum omisisse sciat.

VI. Peccata venialia non esse confitenda.

Sexta itaque regula statuatur, nulla nos ratione ad venialium confessionem teneri: ac proinde, si quis confitendo nonnulla venialia omisisset, nullam inde noxam contraxisse, etiamsi ex proposito ea confiteri neglexisset, eò quod non sint materia Sacramenti necessaria, vt Theologi aiunt, at materia voluntaria.

§. IX.

ATque vt id magis magisque appareat, sciendum est, neminem, commissis peccatis venialibus, ob eadem sese teneri accusare: at eidē sufficere, à Deo veniam postulare, aut alijs remedijs ad ea delenda idoneis vti; licet consultissimum sit eadem confiteri, tamen non quòd id penitus sit necessarium, sed potiùs ad scrupulos euitandos. Notandum quoque est, si quis ad confessionem accedat nullo mortali peccato grauatus, eumdem nihilominus venialia peccata confiteri debere, ne sacrilegium in confessione, nulla habita confitendi materia committat: Licet concedam aliqua eum confiteri posse, & aliqua omittere. Atque hoc quidem est certissimum. Et quamuis hinc aliquis sumere occasionem posset, venialia aliquot peccata in confessione omittendi, nulla id tamen ratione consultum foret, modò eorum meminisset, cùm certius sit, & longè perfectius eadem cum alijs sacerdoti aperire: porrò hoc vnum studemus, vt scrupulosis viam facilem reddamus, omnemque rationem auferamus, qua quietem animi possint amittere: tentat enim eos diabolus num debito modo confessi fuerint, nec ne; num aliquid dicere neglexerint: sanè, si certò ijs constet, nullius se per Dei gratiam mortalis peccati reos esse, non est quod sese turbent, aut confessionem iterarò repetant. Quamobrem cùm similia animæ sese ingerunt, tentationum diabolicarum loco habenda sunt, eaque negligenda, at potius ad communionem sine vlla animi anxietate accedendum: tunc enim potissimum eadem excutere, cùm sacræ mensę appropinquamus, magnum deuotioni impedimentum obijcit, & animi tranquillitatem turbat.

Peccata venialia quando confitenda

His vtatur anima in omni tentationum scrupulorumque genere, singulatim enim de vnoquoque agendo, nunquam ad finem perueniremus: Atque hæc generalia remedia sufficiant ad pacem trāquillitatemque animæ conciliandam. Confidat deinde in bonitate & misericordia diuina, firmiterque secum proponat, quòd qui de omnium salute sollicitus est, vt Deus reuera est, qui, vt Paulus ait, *vult omnes homines saluos fieri*: quique eam tantis laboribus doloribusque in ligno crucis parauit, quòd is ipse auxilium quoque & gratiam suppeditabit, & numquam permissurus sit, vt vel vnica ei seruire cupiens anima, perditionem damnationemque incurrat; at ab omni eam scrupulo, iuxta quæ Regius Propheta cecinit, liberaturus sit: *Exspectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate*: hoc est à timore sine causa, & scrupulosa anxietate.

Confidendū de misericordia Dei.

1. Tim. 2. 4.

Psal. 54. 9.

Diffidat igitur anima sibi ipsi, humiliet sese, agnoscatque, quàm parum sine Deo possit: spem omnem fiduciamque in Deo figat, ad eum per orationem confugiat, sequatur consilium directionemque Patris alicuius spiritualis qui doctus sit, prudens, & Dei timens; vtaturque remedijs, quæ hic proposuimus. Atque hac ratione fore spero, vt breui tranquillitatem sit cōsecutura & Dominus Deus noster ab omni scrupulorum anxietate eam vindicaturus.

§. X.

VT porrò finem huic libello faciam, vtilia & salutaria quædam consilia suggeram, quæ docti iuxtà ac sancti viri, ingenio suo digna, in medium afferunt: atque vt tanto maioris ea sint ponderis, ipsa eorum verba huc aduocabo. Incipiamus à Ioanne Rusbrocio, cuius hæc sunt verba: *Consulo tibi*, vt quantum poteris prolixas & verbosas confessiones euites, ne animæ tuę tranquillitatem perturbent, teque erroribus scrupulisque inuoluāt. Si enim confessionem multis superfluis verborum ambagibus farcias, narrando scilicet peccata venialia, similesque leuiores aliquot nęuos, non confidendo piè Deo, tantum abest vt hac peccatorum enucleatione animam quietam tranquillamque reddas, vt eam potiùs tenebris obscuraturus sis, nihil à Deo illuminatus: nullumque discrimen facere possis inter grande aliquod peccatum & leuem errorē: cumque aliquid omiseris, quod alias confiteri consueueris, licet nulla ratione de essentia sit confessionis, mille proculdubiò imaginationibus, anxietatibus, inquietudinibusque turbaberis, ac sis te ad confessionem non contulisse: & fortassis, quoniam conscientia tua, quæ fide, spe & caritate ornata esse debebat, timore, anxietate, amoreque proprio perturbata est, à quibus omnibus omnino te cura custodire debes. Atque alibi in hunc modum. Peccata, quæ venialia & communia nominamus, quæque nullus hominum euitare potest, paucis tibi verbis explicanda sunt, nullaque ijs ratione immorandum, verùm omnia in genere confessori aperienda sunt, firmiter proponendo quotidie magis magisque in via salutis pergere, & peccata tam venialia quam mortalia euitare. In hunc modum loquitur quoque doctus & pius vir Ioannes Taulerus: Rationi consentaneum est quàm maximè fratres, vt vos ego admoneam, ne peccatis venialibus quotidianisque (quibus in hac vita nulla ratione carere possumus) animum vestrum affligatis, si fortasse non omnia ea in confessione aperuistis. Confiteamini illa cum humilitate, vosque ipsos peccatores diuina coram maiestate, contritione & pœnitentia comitantibus, agnoscite: quod cùm ita feceritis, non tantum confessarij vobis auscultandis impendent temporis. Sufficit similia peccata in genere declarari: præsertim cùm iuxta Ecclesiæ præceptum ad mortalia tantum & ea de quibus dubitamus num mortalia sint, declaranda obligemur. Multis enim diuersisque rationibus veniales maculæ eluuntur, & contritione, recitatione orationis Dominicæ, genuflectendo, aquaq; benedicta sese aspergendo, & alijs plurimis. Si cui dolor aut contritio de peccatis desit, doleat, hoc namq; dici quoque potest dolor: ita quoq;, si quis animam tepidam sentiat, aut non adeò amore erga Deū incensam, suspiret & ardorē in se desideret. Atq; enucleatius adhuc de remedijs aduersus scrupulos agēs idem Ioannes Taulerus ita loquitur: Cùm peccata mortalia ritè sacerdoti declarata sint, pœnitentiaq; ab eodem iniuncta adimpleta, cetera Deo humiliter committenda sunt, remorsusque conscientiæ & scrupuli, qui interea subnascuntur donec gratia sua hominem liberauerit, & interius irradiauerit, patienter & æquanimiter tolerandi sunt, humiliterq; se homo diuinę voluntati resignare debet. Atq; vt scrupulosi maiori pace & tranquillitate potiantur, hæc subnectit. Potestati auctoritatique Sacerdotum confessiones excipientiū tanta fides adhibenda est, quāta ipsis Dei verbis dicētis: *Quorū remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum seligueritis peccata in terris soluta quoque sunt in cælo.* Dico vobis fratres, si quis debito modo omnia peccata sua confessus fuerit, &

Depeccatis venialibus in confessione non oportere nimium anxios esse.

Ioan. Rusbroch.

Ioan. Taulerus.

Peccata venialia quomodo deleātur.

Ioan 20. 23.

rit, & tamen aliquem inde conscientiæ remorsum habet, multò faciet satius, si Deo confidet, fidemq; virtuti cōfessionis adiungens, illa denuo nō confiteatur, quàm si ea iteratò repeteret. Permagni enim interest, verbis promissionibusque Saluatoris credere: quando autem homo id præstiterit, verè Deo credit, sine dubio & firmiter sperans ea sibi ab eo collatum iri, quæ in confessione ei promissa sunt.

Eccles. 11. verùm confide in Deo, & ipse te sanabit. Ille sanè verè diceretur insanire, qui vbi se vno oculo destitutum videret, alterum sibi quoque eruere conaretur.

Plura qui scire desiderat, legat libellum doctissimi Abbatis Ludouici Blosij, quem *Consolationem pusillanimium* inscripsit. In quo varia Sanctorum doctorumque virorum documenta, scrupulosis admodum vtilia reperiet. Ex ijs quæ diximus, & ex ijs quæ Abbas Blosius commemorat, facilè colligi potest, quàm procul à perfectionis semita remoti sint, qui tristitia & melancholia reguntur, quique confessarios scrupulis suis perturbant, præsertim cum iam tot remedia aduersus hocce morbi genus produxerimus. Quod si verò, postquam iam se totos in Dei manus resignarunt, spiritualemque Magistrum consuluerunt, eiusque cōsilium secuti sunt, nondum sibi penitus a morbo liberati videantur, non est quod se amplius discrucient: sunt enim secreta cælestia, & occultum Dei iudicium, quod in commodum animarum eorum cedit, vt egregiè scripsit Ioannes Taulerus, cuius verba hic annectere cupio, & in ijsdem desinere.

Scrupulosi agitant re hominum cur Deus quandoque permittat.

Ioan. Thau lerus.

§. XI.

Tentationibus scrupulosis quomodo obuiandū ex consilio Thaulers.

IDem porrò vir, vt ij qui tentationibus vexantur, non nimium discrucientur, verùm aliquam consolationem accipiant, ita loquitur: Diabolus sæpissimè homini iusto plurimas illicitas & inhonestas cogitationes ingerit, quas vbi illi, qui in ijsdem parum experti sunt, persentiunt, dicunt intra semetipsos: Hęc & illa animæ meæ obuenerunt. Heu me miserum quid non inter Deum & animam meā transire debet? Rogo itaque te, quisquis es vt bono sis animo: si te prauæ aliquæ cogitationes inuadant, allabora vt eas dispellas, & da operā vt abs te procul eijcias; nulla enim ratione saluti tuæ officere queunt; atque vt non magis tete ipse perturbes & discruties, ad Deum confugias. Noli ijs immorari & ne diutiùs cum ijsdem ratiocinare, verùm allabora vt abs te repellas, & quàm poteris longissimè eas ab anima tua remoueas. Satagit quoque interdum diabolus iustum in abyssum desperationis præcipitare hæc ei suggerens: Quidquid demum facis aut facies, nihil tibi profuerint; omnia opera tua displicent Deo, & iamnum æternis ignibus addictus es. Quid hic faciet, cui huiusmodi cogitationem diabolus proponit? iactet cogitatum suum in Dominum, omnem sollicitudinem suam in Deo ponat, vt D. Petrus consulit, & spem denique suam penitus in infinita eius misericordia collocet. Quemadmodum enim ijs qui maria nauigant, cùm naufragium sibi instans perhorrescunt, remis & rudentibus relictis, ad anchoram confugiunt, quam in mare deuoluentes periculum mortis effugiunt: ita quoque cùm hic à dæmonibus per graues & inauditas tentationes diuexantur, omnibus relictis ad anchoram spei cōfugiat, eamque in abyssō maiestatis diuinæ defigat, hoc est, plenam firmamque de Deo spem concipiat. Hactenus verba Tauleri: Adducam etiam verba Henrici Susonis hominis tum illuminatissimi, tùm etiam perfectissimi: Multi sæpenumerò inordinato aliquo metu perculsi, dicunt intra se: Non mereor vitam, heu me miserum, ad quid natus sum! O vtinam mihi mori contingeret? atque alia huiusmodi, quibus Deum multò grauius solent offendere quā peccatis suis. Quare si quis veram contritionem habere desiderat, magnam in se humilitatem quærat, & insignem peccati sui displicentiam, firmamque spem in Deum, nam hac ratione nos æterna docet Sapientia: fili, in malo tuo, noli sperare remedium,

Nota. Susonis doctrina.

Plura qui scire desiderat, legat libellum doctissimi Abbatis Ludouici Blosij, quem *Consolationem pusillanimium* inscripsit. In quo varia Sanctorum doctorumque virorum documenta, scrupulosis admodum vtilia reperiet. Ex ijs quæ diximus, & ex ijs quæ Abbas Blosius commemorat, facilè colligi potest, quàm procul à perfectionis semita remoti sint, qui tristitia & melancholia reguntur, quique confessarios scrupulis suis perturbant, præsertim cum iam tot remedia aduersus hocce morbi genus produxerimus. Quod si verò, postquam iam se totos in Dei manus resignarunt, spiritualemque Magistrum consuluerunt, eiusque cōsilium secuti sunt, nondum sibi penitus a morbo liberati videantur, non est quod se amplius discrucient: sunt enim secreta cælestia, & occultum Dei iudicium, quod in commodum animarum eorum cedit, vt egregiè scripsit Ioannes Taulerus, cuius verba hic annectere cupio, & in ijsdem desinere.

Accidit sæpenumerò, eos qui penitus in pristinam iam restituti sunt sanitatem, aliquando adhuc ita sese habere, ac si ægriforent, & quoniam id ignorant, putant se semper imbecilles & infirmos esse: quod benignissimus & dulcissimus Dominus ad maiorem salutem vtilitatemque eorum fieri permittit: scit enim ipse quis ipsorum sit morbus, & quod ipsi, si penitus perspectum haberent, se in pristinum libertatis statum restituendos, vana aliqua complacentia sibi ipsis applauderent. Atque ideò propter vehementem, quo eos persequitur amorem, permittit eos toto vitæ tempore in huiusmodi ignorantia, timore, anxietate, humilitateque versari, donec ad eum perfectionis gradum peruenerint, vt totus mundus non valeat eos in peccatum trahere, & mille potiùs mortis genera perpeti exoptent, quàm diuinam maiestatem etiam leuissimè offendere. Verùm, dicet aliquis, quàm remunerationem mercedemque illi propter humilem illam sui ipsorum resignationem, interea dum ignorantia illa perseuerat, obtinebunt? nullam aliam procul dubio, nisi quòd quando optata illa dies venerit, quando scilicet eos doloribus huius corporis, miseriisque terrenis solutos, Dominus eleuabit, secumque in cælestia tabernacula deducet, in vltimo vitæ huius momento, propter ignorantiam hanc, diuturnasque hasce tenebras, ipse eos illuminaturus sit, omnique eos deliciarum affluentia cumulaturus: & quod ante mortem eos gustare faciet, quo in æternum semper fruentur: atque ita magna confidentia ex hac vita decedunt.

FINIS.

IOAN-

IOANNIS AVILLAE VITA.

EX HISPANIÆ BIBLIOTHECA AND. Schotti Antuerpiani Societatis IESV.

IOANNES AVILLA Theologus & seculi sui Ecclesiastes summus, si vtilitatem spectes in disseminando Dei verbo, ne inter spinas cadens suffocetur. Natus hic Almodouari vico ignobili, diœceseos Toletanæ. Philoso- *Avillæ patria & studia.*
phiæ operam dedit Compluti Dominico Soto, summo ea tempestate ex Dominicana familia & Philosopho ac Theologo Nondũ absoluto Philosophiæ curriculo, parentem vtrumque amisit: quibus, cùm primùm sacris initiatus est, parentauit, iustaque persoluit, sacrorum offerens primitias: vt quibus vitam secundùm Deum deberet, his, si posset, pius Sacerdos, redderet. Artium curriculo æquales omnes facilè superârat, cùm acumine ingenij, tum morum honestate præceptori Soto vnicè carus. Viderat enim præstantis vir ingenij magni alicuius in Ecclesia viri specimen in eo elucêre, igniculosque emicare, & ex indolis bonitate spem ipsam, etsi res nondum appareret, laudari amarique debere. Commilitionem habuit Petrum Guerreram, qui post Archiepiscopus Illiberitanus, in dignitate illa constitutus, eius amicitiam non fastidiuit. Viri huius summa pietas, innocentia, & integritas, quæ nimium quantum ad dicendum & persuadendum vim adferant, enituit. Qui etiam odor in scriptis remansit. Vt enim innumerabiles Verbi diuini præco, Deo plenus, vel à peccatis retrahebat ad mentis sanitatem, vel nutantes firmabat, tristes consolabatur, cadentes erigebat, nimium sibi fidentes terrebat metu mortis, extremique iudicij, quibus omnes impellebat, & tanquam reti pleno nauiculam Petri implebat; ita & scriptis cum omni posteritate loqui voluit: edito sua lingua Commentario doctissimo iuxta & pientissimo in Psalmi 44. versum illum; *Audi filia, & vide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui.* In quo multa vtilia pio lectori de tribus vitæ humanæ hostibus acerrimis, *mundo, carne, & dæmone*, & quibus armis obsisti his queat, qua panoplia armari debeat: de fide Catholica: de sui cognitione, & spirituum discretione: de precatione & meditatione: de Dei amore, & proximi, & sui odio. Peccatum inducere summam animæ deformitatem, à qua nos Christus, exceptis corpore plagis, vulneribus, cruciatibusque lauit. Adhæc *Epistolæ* plurimæ pietatis plenæ, non de rebus humilibus, aut familiaribus, sed consilia, consolationes saluberrimę, vt in aduersis non deprimamur, nec secundis extollamur: in quibus Epistolis cùm alia innumerabilia quæ lectorem, si vtilitatem spectat, alliciunt & retinent, lectæque iterum inuitent; (expertus loquor) tùm verò maximè optimi verbi Dei præconis, & Euangelicæ prædicationis exemplum viuis coloribus ita depingit, nullum vt in eo genere fingi possit perfectius. Vt enim viuus munus hoc explebat optimè, sic & fidis ea chartis credidit, quæ longo rerum vsu, Deique spiritu plenus didicerat animæ flagitijs inquinatæ iuuandæ esse vtilia. Sed quid *Scripta.*
mirum? Cum & optimum concionatorem D. Paulum gentium Apostolum, vasque electionis ad imitandum sibi proposuisset: quem vt nunquam de manibus deponendum esse familiariter suaderet, ita ipse ediderat. Spirant enim litteræ ille D. Pauli zelum animabus Deo lucrifaciendis. Verùm singulas eius virtutes, sanctimoniamque non mihi propositum hoc loco referre, præsertim cum Ludouicus Granatensis vir religione doctrinaque insignis cumulatè id præstiterit: qui eo, dum vixit, vsus est familiari. Vt Xenophon in Cyri pædia perfectum principis exemplum: ita hic optimi Ecclesiastæ verbi Dei proposuit: diuersa tamen ratione, quod ille de suo, multa adiecerit, vt qualem esse principem oportoret, eius ideam repræsentaret, hic tantum abest vt de suo adiecerit, vt cùm multa disertè & ipse dixerit, omiserit non pauca, quæ litteris comprehendi non possint. Magna in dicendo scribendoque ἐνεργία, vis atque efficacia: vt, quæ velit, persuadeat, sensus rapiat, extraque se ponat, nec doceat solùm, sed & delectet; flectat denique ad omnem impetum. Summa sermonis venustas, quia verborum affectatio abest, & perspicuitas maximè elucet: quæ prima orationis laus est Oratoribus. Christiana verò eloquentia est ab animo profecta non in labijs natans, ad ostentationemque, vel inanem gloriam captandam plaususque, imperiti vulgi comparata, sed communem vtilitatem salutemque animæ vnicè spectans. In vita autem comitas illi modestiaque: de se sentiebat abiectè; quæ virtus ethnicis ne fando quidem audita, nedum cognita. In sermone risus dissolutus aberat, & dicteria. Scommata ne audita quidem. In vultu maturitas, cum grauitate hilaritas iuncta, quę conscientiæ bonæ argumenta erant. Assiduè hoc prædicandi officio fungens, nulla spe quæstus, aut gloriæ, & in summa, quam tenuit, inopia & indigentia *Avilla concionator optimus, Paulum Apostolum sibi imitandum proposuit.*

rerum omnium, Bæticam omnem Dei Verbo tanquam tuba personuit, vt *Bæticus concionator* apellaretur, hocque nomine notior esset Hispanis. Sacerdotes aliquot pietati dediti huic se adiunxerant: hos ille Theologiam vitæque sanctitatem docuit, & cum summa paupertate Christum sequi. Multa opera pia in Xenodochijs assiduè viuus præstitit. Iam quinquagesimum ætatis annum tot laboribus indefessus ærumnisque excesserat, ecce senectutis comes morbus dolorq; immẽsus, quibus ad duodeuiginti annos mirè excruciatus, patientiæ omnib⁹ singulare exemplũ dedit. Stomachi imbecillitate exstudijs concionibusq; contracta, partim hepatis, partim articulari ac nephritide, alijsque doloribus acutis in brachiorũ cruriumq; commissionibus cruciabatur. Tandem accessit his omnibus durior febris, quæ eò illi molestior erat, vt aiebat, quod nullum tempus amicorum officijs, consilijsque relinqueret; vt reliqui morbi, quibuscum paciscebatur ad horas aliquot, vt cum decessissent, amicis, pauperibusque & socijs operam dare posset. Vincula pertulit & carceres, calumnijs æmulorum circumuentus, sed innocens suffragijs Censorum fidei declaratus, Hispali ad dicendum concendit. Vtque pro calumniatoribus Deum orarent, hanc vt illis noxam maximam remitteret precabatur, quæ ad tam rarum spectaculum confluxerat, auditorum coronam. Rectè enim Seneca: *Si nullos sibi inimicos facit iniuria multos facit inuidia.* Concionatus est Hispali & circũ circa annis nouem, iussus ab Archiepiscopo Alphonso Manrique ibi hærere, cùm in Indiam cogitaret, animo colligendi magnam messem, vbi pauci essent operarij; flauæ tamen ad messem segetes exsisterent. Concionari cœpit ab anno ætatis 28. Cordubæ, vbi præstantium est ingeniorum copia, ibique Theologiæ scholas habuit. Hinc Granatę annos aliquot, gratus Gaspari Aualo, Archiepiscopo, homini sanctissimo. Mox Astigi & Vatiæ (quæ vulgo Baesa) vbi sacerdotum collegium, vt & alibi, instituit. Inde excitata est Academia ingenijs florens; & Montillæ. Concionando nobilissimas matronas ita ad pietatem mouit, vt virginitatẽ Deo sponte consecrârint. Antonio Cordubæ Marchionis Pliegi filio auctor fuit vt Societatis IESV institutum sequeretur: in qua dum vixit, cupidè de precando Deo verba faciebat. Suasit & Iacobo Guzmano Baileni Comitis filio, vt eandem vitæ viam insisteret: qui post in Italia Socijs aggregatus primis fidei rudimentis pueros libentissimè imbuebat, ratus nobilissimum id, quod res est, munus esse sacerdotis, inuitante Christo: *Sinite*, inquit, *paruulos venire ad me. Istorum est enim regnum cœlorum.* Reliquos duos de innumerabilibus insignes eius discipulos Ioannem Ramirez, & Ludouicum Granatensem alibi commemorabo. Annos iam septendecim cum morbo conflictatus *Auilla*, summa tollerantia in doloribus grauissimis, cùm meta instaret, periculosè ad medicorum desperationem laborans (qui iam horam esse nunciabant, cùm verum dicere amicos, si veri & esse & haberi velint, oporteret) Deum ritè precatus, tendens in cœlum manus atque oculos, Virginem Deiparam, vatis Hieremiæ verbis propemodum vsus, sic appellauit: *Recordare, Virgo Mater, dum steteris in conspectu Dei, vt loquaris pro nobis bona.* Susceptis itaque magno desiderio Eucharistiæ, extremæque Vnctionis Sacramentis, rogatus à Marchione Domina, quid fieri sua vellet causa: Missæ, ait officium frequenter offerri: &, vbi corpus condi vellet? in Collegio Patrum Societatis IESV, respondit. A cuius Rectore, qui tum fortè aderat, cùm diceretur: Multas iam, Pater, consolationes diuinas moribundus experiris. Quinimò timores, inquit, pro peccatis. Idque mirum videri non debet, si Hilarion apud Hieronymum, si Arsenius, & Agathon, viri sanctissimi, & in eremo asperrimæ vitæ cultores in mortis agone trepidarunt. Timuit & Iob, monetque Siracidos: *Serua timorem Dei, & in veteraſce in eo.* Salomon quoque: *Beatus homo qui semper est pauidus.* Assiduè itaque in ore habens, IESV MARIA, Crucis signum exosculatus, paulò antequam expiraret, Deum perpetuò inuocans, spiritum reddidit, anno M.D.LXIX. decimo die Maij, qui dies in Fastis sacris lobo festus est: quem singulari est, dum vixit, patientia imitatus: qui & Epiphaniæ festo vitalem primùm auram hauserat. Vt quemadmodum stella Magos ad Domini præsepe duxerat; sic & ille Verbi Dei lumine in Ecclesiam peccatores reduceret.

Octodecim annis morbis afflictatur.

Carceres & vincula perfert.

Diuersis in locis concionatur.

Fructus concionum eius.

Marc. 10.

Extrema Auillæ.

Hiere. 18, 20

Eccli. 27. Prou. 28, 14.

Anno 1569. moritur Auilla.

Elatus omnium ordinum & Religionum pijs lacrymis, qui socium, & vineæ Domini cultorem inuiserant, sepultusque Montillæ in Bætica, in Societatis IESV ædę sacra, cùm annum attigisset ferè septuagesimum.

(·:·)

PIO

PIO LECTORI S.

SAEPENVMERO pij aliquot P. Auillæ perfamiliares, eiusque doctrina facti meliores mecum egerunt, vt vitam ipsius literis consignarem, quòd eo diu multumque vsus essem. Quamuis autem iusta peterent, & è re familiarium fore non ignorarem, meis tamen humeris infirmis maius onus visum est. Eius enim virtutum vim mecum considerans, in eam tandem veni sententiam vitam ipsius à nemine pro dignitate conscribi posse, nisi qui eadem præditus virtute existeret. Tot enim tantaq; sunt ab eo piè ac præclarè gesta, vt (dicam ingenuè) consequi aspectu nequeam: vtque assequi reipsa & imitari Virtutes eius nequeo, sic nec verbis satis dignè exprimere possum: præsertim cùm à vulgaribus Virtutibus auertere cogar lumina, quæ virtutes vulgo spectantur, altiusque esset ascendendum ad inusitatas nouorum hominum virtutes, in quibus, cùm sint carne mortui, Dei spiritus magis regnat: qui spiritus, vt sui facit nos similes, sic & ab alijs hoc spiritu carentibus longè reddit dissimiles. Vt autem dicam quod sentio, Vitas Sanctorum Deo famulantium dum lego, quos hoc seculo mundo submisit, etsi concedam in illis Virtutes adeò excellere, dum exempla in Ecclesia ad imitandum proponuntur, visum est faciendum, vt pro virili parte eas ad imitandum proponam. Summam enim in eo humilitatem perspexi, charitatem quoque ardentissimam, & inexplebilem sitim animas Christo lucrifaciendi, assiduum quoque studium laboremq; acquirendi cum his virtutibus etiam alias quas hic commemorabo.

Quod verò, vt dixi, meas superet vires hoc argumentum equidem excusare me à scribenda historia conabar: sed vicit tandem iuuandi alios beneque de socijs ipsius merendi cupiditas, ijs verò maximè qui Concionatoris munus in Ecclesia sustinent, speculi vt loco obijciam, quæ ad prædicatoris boni Euangelicique munus pertinent.

Quoniam autem veritas Historiæ maximè est necessaria fontes indicabo, vnde hæc quæ conscripsi hauserim. In primis scedas accepi ab ipsius socijs sacerdotibus, ac familiaribus discipulis dum superstites essent. In his est Ioannes Dias, & Ioannes Villaras: quorum hic sedecim annos continenter illius lateri hæsit ad extremum vsque spiritum: cuius etiam dicta, cùm erit opus, adferam, flagitante sic Historia. Adhibebo etiam quæ ipse noui, qui patre Auilla, vt iam dixi, familiariter sum vsus, ijsdem ædibus degendo, & mensa communi vtendo: quæ ratione multa licuit obseruare ac perspicere. Scripta quoque illius interdum consului ab illis sacerdotibus euulgata, potissimùm verò sacras eius Epistolas: in quibus vt varia materies & argumentum occurrunt, sic & ingenij lumen, experimentumq; negotiorum omnium hic facilè elucet. Cùm verò Epistolæ illæ sacræ non omnibus ad manum sint, quasdam proposito exigente apponere placuit. Neque eam modò pertexere Historiam volui, sed doceo identidem nõ aliunde accersita, sed quæ ad rem, qua de agitur, pertinere videantur. Non enim est omnium quæ legunt ponderare fructumq; è doctrina decerpere ad animi institutionem: cui rei narrando Historicus occurrat oportet, vt debitor omnium sit cùm sapientium tum insipientium. Vale.

Auctor vnde historiam hauserit.

Rom. 1, 14.

R. P. F.

LVDOVICI GRANATENSIS.

ORDINIS S. DOMINICI,

VITÆ MAGISTRI IOAANNIS AVILLAE INSIGNIS BÆTICÆ ECCLESIAST AE

LIBER.

EX HISPANICIS LATINE REDDITVS
à Ioanne Crœsio, Belga.

DE EIVS PVERITIA.

CAPVT I.

Matth. 20. SOlicitus ille paterfamilias, qui singulis diei horis operarios vineæ colendæ collegit, omnibus seculis operarios excitat, qui labore suo atque industria hunc vineæ promoueant laborem. Inter quos vocare placuit hunc operariorum, cuius vitam scribere ingredior ad gloriam patris illius familias, atque adeò operarij quem elegit: rogans eundem Patrem, quandoquidem seruus tanto labore eius gloriæ studuit, spiritus illius partem mihi largiatur & verba, quibus dignè prædicem hunc eius magnum præconem. Æquum est enim in terris celebrari eum qui omni vitæ spatio eum, qui in cœlis regnat, prædicauit.

Etsi parum refert origines maioresque cuiusque ac parentes seruorum Dei nouisse, quòd Deum patrem in cœlis agnoscant; asscribi tamen solent parentes terrestri gloriæ, quòd talem produxerint fructum tantosque genuerint liberos.

Patria & parentes Ioan. Auillæ. Natus itaque *Ioannes Auilla* vico Almodouar campestri in Toletana ditione. Parentes honesti in suo vico & opibus abundantes: quodque rei caput est, DEVM timentes. Tales enim esse oportebat qui talem producerent stirpem, fuitq; filius vnicus.

Iuri ciuili dat operam. Decimumquartum iam annum natus Salmanticam à patre Iuri ciuili operam vt daret mittitur. Hic cùm iam fundamenta iecisset Deus benignitate sua singulari ad se traxit. Legum itaque studio relicto domum reuertitur, iamq; à Deo ad pietatem vocatus conclaue sibi ab ædibus seiunctum postulauit & obtinuit, quòd vnicè à parentibus amaretur. In conclaui cella erat angusta è rudi fabrica, vbi pœnitentiæ vacare primùm cœpit, vitamq; ducere rigidam. Sarmentis noctu incubans, victus asper & modicus, quibus & cilicium & flagella adhibere soli- *Pœnitentia operæ Auilæ.* tus. Mouit res ea parentes, repugnare tamen nolebant, animaduerso vt Deum timentes, Dei id omne esse beneficium. Frequenter confitebatur, & Sacramento Altaris affici in primis cæpit, & horis aliquot flexis genibus adorabat. Qua re perspecta à multis, quo cultu communicare solitus exemplum de se dedit cùm clero, tum paganis. Transibat fortè illac S. Francisci Monachus, & in tenera illa ætate virtutem admirabundus, illi ac parenti suasit Complutum studiorum se gratia reciperet, vt sacris adhibitis literis Deo in Ecclesia, (vt accidit) subseruiret.

Compluti Philosophiæ se studio tradidit, dedit- *Sub Dominico Soto Complutis Philosophia dat operam.* que operam R. P. Dominico Soto: qui eleganti eius ingenio perspecto, comite etiam virtute, eum complexus est, & commilitones eius sunt exemplo incitati. Hac tempestate Petrus Guerrerus, qui postea Archiepiscopus est Granatensium renunciatus, mutuo sunt amore coniuncti, & *Auillæ* perpetuò addictus vixit, iuuitque ac fouit. Nondum finitis studiorum spacijs vtrumque amisit parentem. Decurso autem Philosophiæ curriculo (in quo primas ferè obtinuit, cùm ingenij bonitate, tum vigiliarum labore) ætatem *Sacris initiatur & pauperibus epulum parat.* iam idoneam nactus, sacris est initiatus: primitiasque sacrificij parentibus vitâ functis detulit, loco epularum festorumque ludorum, qualia tunc nouo Sacerdoti solent exhiberi: vt qui generosum gestaret animum, duodecim etiam pauperibus epulum præbuit, mensæ ipse ministrans, vestibus induens, aliaque pia exercendo officia.

Verùm his valere iussis aggrediar ea quæ ad Euangelici prædicatoris pertinent officium. Cumque

Deo

Deo sit vsitatum electo aliquo, muneri cuidam idoneo, eas largiri dotes, quæ sint officio necessariæ, age de ijs primùm agamus, in quibus Lector animaduertet ideam Concionatoris perfecti, quod in hac ipsa Historia duxi faciendum, Deo benè iuuante, qui dona largitur, vt Pater luminum. Idem, tametsi in alia re & argumento alij præstitêre historici. Xenophon etenim Orator ac Philosophus Græcus, in historia Cyri maioris (qui Iudæos patrio restituit solo post Babylonicam captiuitatem: cuius victorias atque triumphos non modò Herodotus, sed & copiosiùs Isaias propheta, antequam nasceretur, promulgauit) Hac in Historia virtutes eius explicare conatur, quæ Regis perfecti summiq; sunt propriè. Cumque hic Cyrus rex (tametsi fortis manuque promptus,) non eas omnes contineret virtutes, & quas teneret, non erant veræ virtutes, sed in speciē bonæ, addit de suo Historicus quod deerat, augetq; vt solent, in maius omnia. Verùm enimuerò cùm hic Euangelicum formare præconem propositum sit, cum omnibus eidem necessarijs virtutibus, nihil tamen addam de meo, sed in vitæ narratione exercitia Concionatoris ostendam. Vt verò methodo res tractetur, agam libro primo de dotibus ac virtutibus *Magistro Auillæ* à Deo concessis ad hoc munus ritè obeundum. Deinde de propriis eiusdem virtutibus. Deniquè de Concionantis officio ac fructu quem ex his idem collegit.

PROPOSVISSE SIBI AD IMItandum S Paulum Apostolum in prædicationis munere, quæque huic sint muneri maximè necessaria.

CAPVT II.

PRædicationis muneri cum se totum destinasset, cuius gratia annos aliquot in studijs laborasset: non honores aut dignitates hac cōsectans via, sed animarum dumtaxat salutem inuestigans, operam in primis dedit, expensas vt curaret huic necessarias muneri quas Christus his declarauit verbis: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Seruauit id religiosè. Nam in patriam vbi reuertit, bonis se exuit hæreditate acquisitis, inopibus ea dispertiendo, nihil sibi reseruans præter vestem pannosam, seruans & hîc illud eiusdem Seruatoris, cùm discipulos suos ad prædicandū mitteret, mandans ne crumenam ferrent, aut perā, sed fidem solam, in Deumque fiduciam. His enim procuratis nihil vnquam defuturum. Idem in nostro impletū Ecclesiaste. Dum enim spiraret possedit nihil, nihilque optauit; defuit tamen nihil, immò inops cùm esset, multis opem & stipē indigentibus tulit, vt meritò cum Apostolo diceret: *Vt pauperes, viuimus, multos autem locupletantes, vtque nihil habentes, & omnia possidentes.*

Matt. 14.

Facultates pauperibus elargitur.

Luc. 9.

2. Cor. 6.

His iactis fundamentis ducem quæsiuit vię, quem tutò sequeretur: neque aptiorem reperit Paulo Apostolo, qui gentium datus est doctor. Idque non arrogantiæ caussa; quandoquidem Apostolus ipse huc omnes inuitat fideles: *Fratres, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Etsi verò altum hoc est Christi exemplum, quo peruenire possit nemo: veruntamen, (vt Sapiens quidam ait) altiùs ascendūt, qui conantur alta conscendere, quàm qui spe amissa in imo hærent. Quàm verò res ea cesserit illi feliciter sequentia commonstrant.

S. Paulum Apostolum sibi imitandum proponit

1. Cor. 11.

Quintil.

(··)

Granat. Opusc. spiritual.

De diuino amore Concionatori necessario, quem & Auilla noster habuit.

Prima virtus Ecclesiastæ necessaria, Amor Dei.

VTà præcipuis auspicemur virtutibus perfecto Ecclesiast. necessarijs (siquis fortè aspirare ac pertingere ad culmen potest) earum prima est virtus ingens Dei amor. Perspicuum id è verbis commendandique ritu Christi Domini, quibus Petro Apostolo oues suas pascendas commendauit, interrogans an se diligeret ceteris Apostolis ampliùs: iterando idem tertium, vt etiam turbaretur nonnihil Petrus, & singulatim ter percunctando adiecit: *Pasce oues meas.* Quare ter interrogando an se amaret ceteris magis, docuit nos Christus ad animarum quærendam salutem, diuinum potissimum & quidem ardentem amorem requiri, quòd subsidia eidem amori abundè suppediteret: quod etiam hac ipsa narratione Vitæ hinc inde, cùm erit vsus, exponam.

Ioan. 21.

S Pauli Apostoli amor in Deum quantus.

Huic etiam Deus muneri Paulum Apostolum destinans, vas electionis gentiumque doctorem charitatem illi, Deique ingentem infudit amorem. Enumeratis enim alibi singulatim omnibus in persecutione aduersis, *Nulla*, inquit, *creatura separare nos poterit à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.* Et hic quidem amor diuinus victorem tot certaminibus illum reddidit, mundique in contentionibus adeò confirmauit, vt os eius obturare aut linguam vincire posset nemo, vincto iam & captiuo, quin Dei nomen assiduè deprædicaret.

Rom. 8, 39.

Ephes. 3. & 4.

Amor Dei primo sitim gloriæ eius generat.

Agnouit & hanc doctrinam Ecclesiastes noster *Auilla.* Interrogatus enim à virtute prædito Theologo, quanam ratione frugiferè verbum Dei prædicaret, subiecit ille: Amore Dei singulari. Sic ille, vtpotè expertus quantum subsidij res illa adferret ad benè concionandum. Ex hoc etenim amore primò nascitur sitis gloriæ Dei quæ non extinguitur: cumque glorificetur Deus sanctimonia ac vitæ puritate rerum conditarum, hinc nascitur integritatis amor studiumque internum puritatis: vt noctes dieſque mente nihil aliud agitet aut somniet: nulluſque est labor, aut discrimen quod non libenter subeat charitatis gratia deputans in lucro si vel suum sanguinem ad animæ vnius salutem profundat. Docet id in se Apostolus Paulus, non modò laboribus multis ac persecutionibus perpessis, verùm etiam multò magis verbis istis in epist. ad fideles Corinthios missa: *Ego libentissimè impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet vos diligens minùs diligar.* Et alibi: *Sed & si immolor, supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.* Hic nimirum amor proximi è diuino nascitur, hocque salutis studium, vt vel anathema, hoc est, diris deuotus Christo ardēti desideraret amore. Qui etiam compulit orbem peregrinando peragrare, terra marique quærens animas, & pericula laboresque non detrectans hoc nomine, vt testatum ipse hisce reliquit verbis: *Omnia sustineo propter electos: vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cœlesti.*

2. Cor. 12, 15.

Philip. 2.

3. Charitas proximi.

Rom. 9.

2. Tim. 2.

Hoc præcipuum huius muneris prædicatorij instrumentum est, vt enim parentum erga liberos amor laborare compellit ac sudare, vt educēt eos atque alant, interdum etiam per mare ad orbis vsque fines penetrare cogit, vt quo alantur suppetat; sic & amor ille diuinus à Spiritu S. infusus cordibus Patrum spiritualium, subire labores ac pericula, iubet, quò prosint suis. Neque enim minor est amor spiritualis ad hoc munus ritè obeundum q̄ carnalis. Id B. Ambros. his verbis testatum reliquit: Nō mi-

Simile.

Ambros.

Euangelico genui & enutriui, quàm si corpore eos genuissem. Non enim minor est gratiæ diuinæ vis quàm naturæ.

Amor Auilæ in Deum & proximos.

Hoc in Ecclesiaste nostro *Auila* verum esse deprehendas. Ardebat enim adeò amore illo & salutis proximorum desiderio, nihil vt prius ageret agitaretue animo, quàm de saluandis suis auditoribus. Præstitit hoc assiduis concionibus, audiendisq; confessionibus: ad hæc exhortando, publiceque docendo, & adiuuando: presentes quidem viua voce docendo; absentes verò per epistolas erudiendo. Neque id per se solùm, verũ & per discipulos quos erudierat, huc illuc eos mittendo, eodem vt prædicandi munere fungerentur. Curauit ea gratia sedulò vt in omnibus Bæticæ vrbibus Philosophia doceretur ac Theologia. Lectores item, hoc est, Professores, vbi deessent, conquisiuit. Neque hic diligentia hominis substitit, at prouidentia eius ad pueros Catechismo erudiendos pertingebat, vt vnà cum ætate pietas cresceret, Deiq; summi cognitio. Et hæc quidem omnia ardentes veluti scintillæ erant, quas cœlestis ille amor euomebat, flagrabatque in eius præcordijs, & desiderij huius causa erant: qua de re plura deinceps & singulatim proferam.

S. Dominici feruor.

Spiritu S. cordibus infusus, dicendi suppeditabat materiam, qua confundebantur pudore ingrati mortales Deoque rebelles. Idem Spiritus sensusque in Sancto Patre nostro Dominico eluxit: quem ferunt corde arsisse veluti face incensa ob animarum, quæ perirent, interitum. Qui dolor admiranda dicere compellebat inter concionandum confusioni ac commotioni animorum suorum auditorum. Interrogatus itaque vbi tam egregia illa, quæ prædicabat, legisset, respondit breui: In libello, inquit, caritatis. Studium enim adeò incensum, ad conuertendum animas, docebat admiranda ea proloqui ad conuersionem apta.

Exod. 8. 19.

Hunc etiam libellum omnibus apertum legerat quoque ex parte Dei famulus *Auila*: qui concionari ingenti spiritu ac feruore cogebatur, qui motum animorum in audientibus concitabat. Verba enim sagittarum instar ardentium ex ardenti corde, aliorum etiam corda inflammabant. Tantus enim est Spiritus impetus, adeoque cererorum linguam superat Concionatorum, vt quemadmodum Magi Pharaonis, visis signis ac prodigijs Moysis, digitum Dei esse animaduertertunt, hoc est, virturem vimq; supernaturalem; Sic concionante *P. Auilla* hac vi ac Dei spiritu concitatos statim homines cognoscebant alio spiritu ferri quàm humano, quæ diceret.

Concionatori quid agendi vt moueat.

Quisquis igitur verè & ex animo fructum dicendo consequi cupit, aliorumque vult mentes concitare, petat à Deo affectum sensumque quem alijs imprimere optat. Docent hoc Rhetores & eloquentiæ doctores etsi in re dissimili. Quidam enim eorum de motu agens animorum ab oratore agitando in auditorum animis, paucis rationem exponit, significans qui alium mouere vult commoueri ipsum prius oportere. Sic enim Fabius Quintilianus lib. 6. c. 5. *Vt à tali animo proficiscatur oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, cum hoc dicam, non dolentem. Irascetur, si nihil ipse, qui in iram concitat, idque exigit, simile patiatur? Siccis agenti oculis, iudex lacrymas dabit? Fieri non potest. Nec incendit nisi ignis, nec madescimus nisi humore, nec res vlla dat alteri colorem, quem ipsa non habet.* Hæc verba sunt artificum qui corda ex officio mouent atque impellunt auditores: sine quo motu (vt ait) nequaquam mouebit alios. Verùm hic affectus non concitatur in alijs Rhetorum præceptis, sed potiùs, vt diximus, singulari dono S. Spiritus, qui non arte aut præceptis acquiritur. Neque enim vis & facultas aut industria hominum, quod Spiritus ille diuinus effectum dabit. Ideoque non omnes Ecclesiastæ hoc præditi spiritu, nec animos impellunt ad virtutem, neque à vitijs deterrent. Re enim vera comperimus, multos esse in mundo concionatores, nec videmus vitæ cõmutationem in auditore. Contrà vsu hic venisse deinceps ostendam, cùm de concionibus Patris *Auillæ* verba faciemus.

Horat. in Art. poet. vers. 102.

Sirius mœsta dolendam est primum ipsi tibi.

Fab. lib. 6. cap. 5. ex Cicer. 2. de Orat. Aristot. 3. Rhetor. & Platonis Ione dialogo.

Auilla qua intentione cathedram cõcionaturus ascenderit.

Apoc. 12.

Similc.

Nõ ascendit ad cathedram Auilla vt ostentationem faceret ingenij, vt laudem aucuparetur, vt ventosæ plausum multitudinis captaret, vt aliquid humani fauoris ex concionibus reportaret. Sed ascendit vt ardentissimum desiderium quo flagrabat, quo ipse ardebat, partus dolores patientis. Qui dolor exprimit ardorem desideriumque eorum qui Dei zelo capti gignunt filios spirituales, qui illum honorent ac glorificent. Idemque desiderium non feruorem modò vimque adfert prædicandi, sed & docet multa quibus corda discendo inflammentur. Cumq; carnales adeò simus, vt dignitatem, meritum, pondusque rerum spiritualium ignoremus, nisi carnis exemplis nobis innotescant; age animum inducamus fingamusque quo esset animo mater, si certò cognosceret filium vnicum prouocare alterum singulari certamine, & duello confligere statuisse. Quæro nunc ex te quid ageret illa, quid diceret? quibusque lacrymis ac precibus, itemque rationibus à proposito filium reuocaret, quamque ingeniosus & disertus in ea amor ille existeret? Hac aggrediamur via quid in Dei amante studium saluandi animas operetur: contrà dolor & mœror in interitu suorum: quamque validas rationes in memoriam amor ille reuocet, aut dolor. Quo de spiritu qui cognoscere quid auet, Prophetas legat, hoc est, Concionatores à Deo electos, vt mundi peccata acriter reprehendant. Præcipuè verò priora legenda capita Hieremiæ Prophetæ, eamque perspiciet eloquentiam diuinam, qua nec M. Tullius, nec Demosthenes vti in tanta schematum ac sententiarum atque etiam exclamationũ varietate potuerunt, ad exaggerandam ac notandã ingrati animi improbitatem mortalium, quod est ab hoc Propheta præstitum. Ira enim sensusque à

Fructus, desiderium Concionatoris excidit.

Notandum hìc, quæ res desiderium hoc incendat, si fructus colligendi, ea est, ipsum promouisse, alios peccato eximendo aut vitam in melius commutando. Nullus est enim quæstus maior salute animarum: neque labor vtiliùs ponitur, quàm qualis Christi sanguis operatur. Captus itaque concionator ingenti hoc laboris sui fructu: lætus in primis animam è faucibus lupi infernalis liberatam & conditori suo restitutam, nullum non mouet lapidem concionando, vt hunc consequatur finem. Cõcipit etiam animo nouam lætitiam spemque propriæ salutis: quod non patietur Deus eum perire, qui alios periculo exemit. Vxor Patriarchæ Iacob, mater iam trium liberorum læta in primis dixit: *Nunc copulabitur mihi maritus meus, eò* Gen. 29.

quod

quòd pepererim ei tres filios. Ad eundem modum quod gaudium ac fiduciam concipiet qui prædicandi munere genuerit nõ tres, sed quamplurimos filios spirituales ad maiorem Dei gloriam. Hac enim esca captus *Auila*, noctes diesque laborabat venando: indeque feruor atque impetus spiritus in concionando extitit vt verba omnia rationesque ad hunc dirigeret finem.

Quis sensus & intentio concionanti necessaria in lapsu peccantis, quem & Auilla possedit.

CErtum id amorem dolore non carere, sic amor proximi satagere iubet salutem animarum, gaudioque affici cùm remedio iuuantur: sic contrà lapsus talibus amantibus doloris suppeditat materiam, vt non salus ad Deum conuersorum tantum exhilaret, quantum tristitia in aliorum casu affligit. Hoc lacrymatur dolore Apostolus in lapsu quorundam Corinthiorum: *Ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, non vt contristemini, sed vt sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Et infrà in eadem epistola quærimoniam iterat: *Timeo ne fortè cùm venero, non quales volo, inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, &c. sint inter vos: ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.*

Lapsus peccatoris ad dolorem mouet Concionatem. 2.Cor.2,4.

S.Pauli dolor

2.Cor.12,20

Sic plorabat pioque ducebatur affectu *Auilla* in lapsu suorum filiorum reputans veluti proprios. Hinc dicebat ijs se casibus humiliari, & à Deo affligi. Sensum autem istum ostendit amplius in epistola ad Galatas, propterea quòd ab Euangelij sinceritate defciuissent: quod intoleranda crux Apostolo fuit, eiusq; exedebat præcordia hic ictus: vt & deficere animo videretur, vt errore tãto liberaretur: his verb. vsus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, quodque literis significare non posset dolorem hinc enatum, statim subijcit: *Vellem esse apud vos modò, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.* Quod ait, *mutare vocem meam vellem*, hoc est, figuram omnem induere exoptem, nihilque intactum relinquere nunc rogando, nunc plorando: Timore quoque ac minis interdum iustitiæ diuinæ. Denique optarem coram vobis transformari, vos vt malis eripiam. Id paucis innuit verbis, *mutare vocem meam*.

Gal. 4,19.

Hic nimirum sensus dolorque proprius est patrum spiritalium, conspicientium filios, quos Christo genuerunt, in aliquam culpam lapsos, suoque casu Angelos contristantes, & contrà exhilarantes dœmones. Sic Pauli iste æmulus ac discipulus commouebatur in lapsu spiritalium filiorum, vt epistola quadam testatur ad concionatorem missa, cuius summã vt egregiè scriptam huc ad verbum transferre placuit. Explicatis enim magnis laboribus in liberis educandis atque instituendis ne moriantur, sic ait: Siquidem moriantur (crede mihi Pater) nullus huic comparari dolor potest, neque puto Deus aliud miserandum magis martyrij genus reliquit, quam dolor in interitu filiorum spiritalium in corde veri parentis. Quid? nullo consolationis momento æquo genere eripi dolor potest: neque si cogites vno mortuo alterum enasci: neque si dicas (quod solatio esse in alijs malis consueuit) *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Cùm enim malum sit animi, & iactura qua Deum anima amittit, sitque Deo dedecori, crescatque peccati regnum, nobis contrarium, nemo consolando dolori satis queat mederi. Etsi quod remedium est in obliuione mortui filij, cito excidit. Amor enim quidquid minutum videris audierisue, mortui statim memoriam reuocat, habemusque proditionis loco non deplorare eum quem Angeli quasi deplorant, Angelorumque Dominus ploraret iterumque moreretur eius gratia, si fieri posset. Certè mors alterius dolore excedit gaudium quòd natus sit, beneque illi eueniat. Quare quisquis pater esse vult, teneris sit visceribus, & quasi carneis, vt filijs suis compatiatur (quod magnum est, vt iam diximus, martyrium) Alius verò ferreus ad ictus sustinendos ex interitu filiorum, ne patrem prosternant aut officio defungi cogant, animove delinquere: ad hęc dies aliquot lacrymis se tradat. Quod est sanè Dei negotijs incommodum, quibus negotijs semper conuenit esse intentum atque assiduè vigilantem. Et quamuis cor istis confixum sit doloribus, nihil tamen remittat aut relaxetur, sed si deplorare libet vnum, rideat cum altero contra atq; Aaron fecit, cuius filios duos cùm Deus enecasset, & à Moyse reprehensus esset, quod sacerdotis munus non rectè obiuisset, dixit ille: *Quomodo placuissem Deo in cæremonijs corde lacrymoso?* Hic mi Pater, vestigare iubemur, & dare operam, vt Deo placeamus, & cordi grata postponamus: ne vnius mortem flendo, negligentia nostra alij periclitentur. Quamobrem si boni sint liberi, sollicitudinem adferunt: sin mali sint & improbi, ingentem gignunt tristitiam. Cor itaque parentis zelo assiduè ducitur, perpetuoque orat, vero Patri cœlesti suorum commendans salutem: vitâ suâ ab illorũ vita dependente, vt S. ait Paulus: *Viuo ego, si vos statis in Domino.*

Auilla item,

Iob.1.

1.Thes.3.

Hactenus epistolæ illius verba protuli, digna quæ mentibus imprimantur nostris, vt ipsa loquuntur. Certè satis declarant spiritum, zelum, ac desiderium, quo Dei iste famulus ardebat saluandorum animorum, cùm adeò lapsu filiorum cõmoueretur.

De proximorum caritate in isto etiam Concionatore.

NEque solum Apostolum est æmulatus in dolore sensuque supradicto, verum etiam in re alia, quæ ad proximorum pertinet ædificationem, hoc est, in tenero amore, quo & præditus Apostolus fuit, ostenditque discipulis: quo & corda suorum sibi deuinxit, effecitq; vt amarent æstimarentque doctrinam vt ab eo profectam quem amarent haberentque in pretium. Fit enim plerumque cùm gratus est quisquam & acceptus, vt placeant etiam omnia illius. Amorem autem huncce Apostolus in omnibus epistolis ad spiritales filios datis cõmonstrat; sic enim Thessalonicensibus scribens ait: *Facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos: ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis.* In alia item epistola ad fideles Philippensium caritatis igne succensus his verbis in extrema epistola: *Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea: sic state in Domino, charissimi.* Corinthijs quoque cum gemmas ore sanctissimo protulisset, tandem ait: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris.* Quibus in verbis diuinus iste amator sancto zelo expostulat non respondere illos in amando amoris magnitudini qua captus erga illos esset. Cùm n. oẽs ipsos facilè corde complecteretur, ipse tamè hac animi angustia ab illis vicissim non caperetur. Sic amabilis ille Pater *Auilla* hoc ipso iam laudato epistolæ loco, vt & alijs literis, præsertim principio cuiusque epistolæ dat operam vt prudens Euange-

1.Thes.2,7.

Phil 4,1.

2.Cor.6,11.

S. Paulum quomodo Auilla in Charitate proximi æmulatus fuerit.

lij minister, sibi vt animos illorum adiungat: quo sic doctrinæ ipsius essent addictiores.

Hæc itaque amoris esca tam efficax ad animorum aucupium deesse iure optimo nō debebat huic nostro aucupi & æmulatori B. Apostoli summo. Vtque dicam summatim, non habeo dicere, qua re plures Christo animas lucrifecerit siue doctrina in verbis, siue caritatis amorisque magnitudine vna cùm operibus quæ proferebat. Adeò enim adamabat omnes, & singulorum necessitatibus occurrebat, quasi parens esset omnium, Apostolum secutus, cùm ait: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Mœrentes solabatur, erigebat imbecilles, fortibus animum addebat, tentatis opem ferebat, rudes docebat, excitabat ignauos, lapsos erigere studebat, asperis tamen verbis numquam, sed amicis sermonibus, non iracundus, sed *spiritu lenitatis*, vt idem suadet Apostolus. Proximorum inopiam suam ipsè reputabat, itaque sentiebat, quodque potuit remedium attulit. Accedebat his singularis humilitas morumque mansuetudo (quæ duæ virtutes amabiles reddunt homines) tum verò maximè iram ita moderabatur, vt credam, quidquid accidisset, à nemine iratum conspectum: tristem quidem in alienis aduersis, gaudens cum gaudentibus & flens cùm flentibus.

2. Cor. 9. 22.

Hunc amorem caritatemque erga omnes principia epistolarum ipsius ostendunt, amorem spirando, memoriamque eorum ad quos mittuntur: adhæc progressus in virtute studium curamque commendandi eos Domino. Verùm non vt ex Rhetorum hausit præceptis (qui ita præcipiunt benè ordiri, cùm quis persuadere vult) sed à spiritu caritatis didicit, qui spiritus præcordia incenderat, cogebatque scintillas amoris existere atque apparere. Quo enim cor abundabat, ore illud exiliebat. Qua in re & Magistrum suum Paulum est imitatus, qui initio epistolarum suarum, vt diximus, idem præstitit. Spiritus enim sanctus qui Apostolo epistolarum dictabat principia, memoriam ostendens ac sollicitudinem amoremque, quo erga eos flagrabat ad quos literas daret: idem nostrum imitatorem docuit ac discipulum, idem vt perageret. Itaque ostendit hic Dei famulus præsentibus quidem concionando, & verbis, absentibus verò per epistolas erga omnes amorem in præcordijs ardentem. Idem quoque familiares eius persuasum habebant. Vt crederet quisq; singulariter se ab illis amari & ex intimis esse. Ita enim singulos adamabat, quasi cor vnum omnes essent: quod est proprium amoris in Deum fixi. Quod enim vtilitatis causa amatur, hac cessante, cessat amor: verùm quod Dei gratia amatur, idque ad obediendum ipsius voluntati, hac stante amatur perpetuò.

Hoc signo effectisque amoris animos sibi eorum adiungebat, quibuscum versaretur. Vt enim nihil ignem magis accendit quàm alius ignis; ita nihil æquè amorem incendit, quàm amor mutuus. Et corda inter se coniuncta afficiebantur, & erga eius sermones, amores, operaque eius qui legebant epistolas: quique accipiebant eius literas, ingentis thesauri loco ducebant. Qua ratione prudens hic Dei seruus hoc amore mutuo erram emolliebat cordium, & DEI verbo sigillum imprimebat illis doctrinæ.

Eloquentia visque dicendi Auilla.

NOndum supradictis satis disseruimus de Prædicatoris officio: cui est propria ac necessaria scientia & eloquentia: illa quidē vt res prædicandæ noscantur, hæc verò vt qua ratione sint proferendæ cognoscatur: &, si dixerimus vtrumq; à caritate, vt reliqua omnia, de quibus hactenus est pertractatum, manare equidem non abnuo, nec à veritatis scopo aberrabimus. Scientiam enim etiam caritas docet, teste Apostolo, Philippensibus ita scribente: *Et hoc oro, vt caritas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora.* Quibus verbis vides Apostolum caritati scientiam tribuere rerum saluti necessariarum. Verùm enimuerò præter caritatis virtutem addo *Auillam*, scientiæ donum singulare consecutum, & eloquentiam ad concionandi ministerium. Ad eloquentiam verò ostendam paucis expediam: satis fuerit dixisse ijs qui verè cognoscunt eloquentiæ fines, nihil admodum in *M. Auille* scriptis desideraturos. Neque enim bene dicendi vis ac facultas in multis consistit verbis idem significantibus accumulandis, neque in floribus plurimis translationum & vocum ac phrasium rariorum. Nam vt magnus quidam Rethoricæ artifex ait: *Maiori animo aggredienda est eloquentia: qui si toto corpore valet vngues polire, & capillum reponere ad curam suam non existimabit pertinere.* Huius itaque veræ ac solidæ eloquentiæ multa deprehendit in *Auillæ* scriptis. Præcipue verò in eius epistolis: In his enim tristes solatur, pusillanimes erigit; alios ad tolerandos pro Christo labores hortatur: quosdam ad mundi contemptum intuitar, ad peccatorumque dolorem & metanœam, ad confidendum Deo, similesque affectiones ac virtutes suadet. Idque ea dicendi vi ac rationum momentis & considerationum, testimoniorum exemplorumque è sacra scriptura, vt lector cōsolationis plenus ac virili persuasus discedat. Quod vt verum esse demonstrem, non abibo longiùs, nec plura accumulabo loca, contentus epistola secunda Tomi 1. epistolarum: qua persuadet concionatori, vt improborum contemnat persecutiones: idque tot tantisque rationum, momentis, vt vel ferreo persuadeat intellectui: Quis enim est, quæso, alius veræ finis eloquentiæ? vt enim medicæ artis finis est, sanes reddere; ita & eloquentiæ est, persuadere. Ex quibus efficitur, vt medicus est præstantior, qui plurimos curat ægros: ita & disertior sit, qui vehementius maiorique persuadet impetu. Qui verò verbis id solùm præstare conetur sine rationum momentis, instar est arboris frondium, florumque plenæ, fructu carentis. Fieri itaque posset, tales oratores auditorum animos delectare, mouere autem corda minimè.

Auilla eius quantus.

Quintil. lib. VIII.

Eloquentia finis persuadere.

Ac ne elocutio quidem verborum, quibus sensa mentis aperiuntur (quæ elocutio minima pars est eloquentiæ) caret caritate. Huic rei comprobandæ adferam Demosthenis Atticæ principis eloquentiæ exemplum. Cùm enim oratoris huius pondus habeant orationes, vtpotè præter ratiocinationum vim dictio quoque elaborata est, artificium egregiè dissimulans ac tegens, quòd tam propriè loqueretur, eaque vi, vt si natura vocem haberet, non alio vteretur sermone. Hæc igitur dicendi facultas affectationis expers & artificij, quod satis sit concionatori sensa mentis explicasse. Hic maximè sermo ad persuadendum aptus, & ad commouendum idoneus. Si metaphoris interdum vtatur, eæ sunt quæ rem maximè propriè efferunt, quam explicare volunt, ex ipsis rebus, de quibus agitur, & non aliundè petitæ. Qui enim Ecclesiast. secus faciunt, suamq; ostentant elegantiam, parum se proficere sciant. Auditores enim iudicio pollentes, intelligunt huiusmodi concionatorem se ipsum audire, sibique placere atque iactare: eloquentem se magis exhibere quam profectus auditorum studiosum. Quamque dixerit elegantiùs, tantò proficiet minùs. Vera est enim magni Rhetoris illa sententia: *Iacent sensus in oratione,*

Affectata vt loquentia concionatori vitanda.

Fabius Quint. l. b. VIII.

oratione, in qua verba laudantur: Talia enim verba attentionem ad sententias adimunt: neque considerant quid dicatur, dum quomodo dicatur attendũt. Tales Ecclesiastę illud capiunt commodi, quòd semper finem consequantur suum, nimirum suis vt placeant auditoribus, magis quàm vt cor feriant: optent adhæc magis à populo laudari, quàm vt Christi gloriam consectentur. At qui placere Christo studet, neque ab hominum perturbatione ductorum pendet arbitrio, sed à Dei testimonio & sua conscientia, det operam, vt ad huius *Auillæ* sese stylum comparet anxietate vacuum & vanitate ac fuco. Sic fiet vt amplius rationibus quam phrasium elegantia & venustate persuadeat.

Si quis fortè eloquentiæ ipsius habere exempla volet, legat eius commentarij in *Audi filia*, caput tricesimum secundum: vbi disertè de diuina misericordia agit, vtque facilè Ezechiæ Regi indulsit, pronunciatam iam reuocando sententiam. Lustret item caput octauum & sexagesimum ad illum Canticorum 3. locum: *Venite filiæ Sion, & videbitis regem Salomonem cum corona, qua coronauit eum mater eius*, &c. Neque maiorem requiret eloquentiam: verùm non è præceptis ac regulis Rhetorum hausta', etsi ijs satis respondeant, sed à caritate & præcordijs cõmiserantis, quibus erga Christum præditus erat. Est etenim proprium affectuum ac passionum, tametsi sint vehementes, eloquentes reddere: tum verò maximè amoris id est ac doloris proprium: quibus è fõtibus eius loci promanauit elocutio, penna quidem scribente quidquid amor dolorque, vel, vt verius dicam, Spiritus S. suggerebat,

DE LVMINE SINGVLARI ATQVE intellectu famulo Dei Auillæ concessis,

CAPVT III.

Dictum adhuc de nostri Ecclesiastæ eloquentia. Agendum nunc de re grauiore, scientia nimirum ac lumine speciali, quod ei est largitus Deus. Cumque nihil eius scientiæ nobis est reuelatum, coniecturis est vtendum atque argumentis, quæ id doceant.

Primum sit itaque mirabilis fructus atque inusitatus supra quam dici potest, quem è concionibus per totam ferè Bœticam collegit; peccatis multas eximens animas, alios vitam mutare in melius cogens, qua de re nunc dicendi locus. Cùm enim proprium sit verbo Dei, ne vacuum redeat, vt Prophetę verbis vtar, sed potiùs quod vult, feliciter transigat, argumento est Dei verbo id factum, à Deo illi concesso, cuius tam illustria existerent effecta.

Auillæ concionum fructus.

Esa. 55.

Transeamus autem ad maius huius gratiæ indicium, hoc est facilitatem ac promptitudinem, qua in Sermonibus est vsus, item in epistolis sacris ad amicos datis. Dicere enim mihi solitus, noctem, quæ concionem antecederet, studijs sibi sufficere. Cùm sint autem tales conciones, à multisque frequentatæ, duarum interdum horarum, vnius dumtaxat noctis studium impendebat, vt plus in dicendo publicè, quam in studendo & discendo tempus collocaret: cùm plerique solidam tribuant hebdomadę, multis interim sursum deorsum excusis libris. Verùm quod de S. fertur Antonio, memoriam illi librorum vicem præstitisse: sic noster *Auilla* librorum loco Spiritus S. luce in pectore est vsus, quæ lux, quid dicendum esset, commonstrabat. Cùm verò aliquando statuisset breuius concionari, id sibi laboriosius esse quam longiùs dicere asserebat. Ex quo efficitur eas opes, & rerum copiam illi à Spiritu sancto fuisse oblatas, vt maiori indigeret studio, non ad excogitandum, quid diceret, sed vt quid, non esset dicendum, prouideret. Verùm de concionum eius vi atque energia, deinceps me dicturum promiseram: nunc verò agam de eius epistolis, in quibus nõ eius minor quàm in concionibus eloquentia enituit.

Auillæ in dicendo facilitas.

De epistolarum eius elegantia.

PRimùm cùm Dei famulus (vt diximus initio) seruare quod Apostolus postulat, decreuisset, eius vt imitatores essemus, vt ipse Christi. Habens perspectũ B. Apostolum non præsentem modò verbis, sed & absentem per epistolam attrahere cunctos ad Christum conatum; ita humilis iste discipulus, eiusque imitator vtraque expressit, vt præsens simul & absens idem obiret munus. Quamobrem inter omnes æui sui Concionatores hac vna diligentia enituit, varias scribendo epistolas varijs in rebus necessarias, quas hodie typis editas euoluimus, quas tamen numquam lucem aspecturas opinabatur, vt hodie foras sunt datæ cura atque industria fidorum sodalium, qui eas vndique collegerunt. Igitur vt homo hoc desiderio lucrandi animas raptus, omnibus & locis & temporibus hoc agebat domi forisque, verba publicè faciendo, priuatim verò epistolas conscribendo. 1. Cor. 11.

Apparet in his epistolis Domini singularis gratia qua illum impertiuit. Cùm enim tot tantaque argumenti, scribendi essent genera, quot erant necessitatum quæ se ingererent; Singulis adeò diligenter incubuit, quasi singulas tantum tractare statuisset. Ita solatur tristes, infirmis animum addit, tepidos excitat, pusillanimes confirmat, tentatis fert opem, lapsos deplorat, arrogantes deprimit: mirumq; adeò, quo artificio inimici insidias aperit: quæ suggerat illi aduersantia: quæ signa, quibus hominem profecisse cognoscas, aut contrà defecisse: Vt deprimat vires naturæ, attollat verò gratiæ: quibus verbis mundi declaret vanitatem, & peccati turpitudinem: quot quantaque vitæ sint discrimina. Quàm disertus, vber, & assiduus excitandi nos ad confidendum paternæ Dei prouidentiæ, meritis denique & sanguini Christi.

Vtque verum ostendat illud Apostoli: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, vt per patientiam & consolationem nostra inualescat spes*: notandum sanè quanta in verbis eius vis ad patienter aduersa toleranda, ad mœstos exhilarandos, & tristes consolandos. Qua in re adeò excelluit, vt dicere ex parte Prophetæ illud posset: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo.* Rom. 15. Esa. 50.

Neque hîc subtitit eius industria: varij status homines officij admonet sui, eundem æmulatus Apostolum, qui in extremo cuiusque epistolæ idem seruat. Sic erudit per epistolam Topargas, muneris vt sui meminisserent, sacerdotibus adhæc consilium dat vt sacris dignè operentur: & Ecclesiastis, vt cùm fructu ad populum verba faciant. Virginibus verò Christo desponsis, integritatem vt Virgineam conseruent: & sic de cæteris ad eundem modum. Ex quibus apparet pectus *Auillæ* officinam fuisse, qua sacer Spiritus medelam deposuerit necessariam tot morborum curationi quibus animi nostri obnoxij sint, quæ animorum necessitas quàm corporum maior est. *Admonet officij sui varij status homines Auilla.*

Tametsi admiranda illa sunt quæ dixi, attamen rudi meo intellectui, verùm vt fatear, admirandum magis scribendi epistolas illas promptitudo ac facilitas. Cùm sint enim aptæ adeò, &, vt ita dicam, necessariæ ad persuadẽdum rationes rei qua de agitur tam promptè & expeditè scribebat, vt sine litura aut *Quam promptius fuerit in scribendis epistolis.*

aut nihil emendando (neque enim locus, tempusve suppetebat) vt, scriptæ erant sic mittebantur. Viri autem docti cùm quid elaboratè conscribunt, iterũ iterumque relegũt ac reuoluunt, addendo, demendo, & singula pœnè verba expendendo: vt de Principe eloquentiæ Demosthene laborioso admodum refertur: cuius ea de causa orationes lucernam olere dicebantur. Id cùm ita se habeat, tales *Aullæ* sunt epistolæ sacræ, qualesque depinximus, q̃ præter semel scripsisse nihil amplius laboris exigebant. Poterat itaque aliquo modo cum Propheta regio dicere: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Psalm. 44. Quod eo asserit, cùm illi, vt & alijs Prophetis, qui à Spiritu sancto inspirati vaticinabantur, deliberandum non erat, nec ponderanda verba, sed velut organa aperto ore linguam, vt placitum erat, regebat. Hoc in Dei famulo ita vsu venit, currente dictionis torrente, qua diximus facilitate.

Notandum & in his cùm multæ eius literæ ad magnos viros, aliæ ad mediocres sint datæ, sæpè etiam ad humiles scripsit personas: ad quas eadẽ scripsit caritate copiosè ad rem quod faceret, vt necessitas exigebat: *debitorem* se cum Apostolo agnoscens *sapientibus iuxta & insipientibus.* Rom. 1. Cumque sit prudẽtum proprium cum similibus libenter colloqui, non autem cum hebetibus & indoctis, hic tam libenter copioseque rudibus scribebat vt doctis ac magnatibus: vtporè qui in singulis Christum dumtaxat considerabat, vt eius sanguine redemptis, vnde vera illis nobilitas: cũ qua ceteri collati nobiles nihili esse videantur.

Finem dicendi vt faciam, prudens quiuis lectis hisce epistolis *Aullæ*, notatisque quæ iam admonuimus, argumenti nimirum varietate, sententiarũ sublimium pondere, rationum momentis, locisque S. Scripturæ, & præcipuè scribentis facilitas, ac promptitudo, certè digitum DEI hîc esse intelliget.

Quodque hîc mirandum magis, non modò facultas hîc & gratia in materia spiritualium rerum suppetebat, vt in his potissimùm exercitatus; verum etiam in ijs quæ ad Rempublicam Christianam gubernandam pertinerẽt. Clarum id manifestumque facit epistola ad Hispalensem Senatorem consilia prębens ac præcepta gubernandi, non secus atque si in publicis ætatem negotijs consumpsisset. Quæ sanè si seruarentur consilia, feliciùs longè ciuitas, quàm ficta illa à Platone Resp. gubernaretur. Neque profectò id mirandum, quia de tali spiritu scriptura ait: *Vnicus est & multiplex.* Sap. 7. Vnicus quidem, multiplex tamen. Omnia enim intelligit, & subtilitate ac puritate perualet. Vero autem simile hanc intelligendi vim precatione potissimùm esse adeptum. Itaque impletum in illo Siracidæ dictum illud: *Iustus ad* Eccl. 39, n. 6. *vigilandum cor suum tradet diluculo ad Dominum, qui creauit illum & aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.* Addit mox orationis fructum: *Si enim magnus Dominus voluerit, replebit illum spiritu intelligentiæ: & ipse tanquam imbres, mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino.*

Id hodie qui superstites sumus impletum videmus; audiuimus enim dum spiraret, docentem: & nunc quam iucunda & grata memoria in cordibus eorum, qui eum gratè audiuerunt, indies proficiunt, lectisque eius epistolis magis magisque proficiunt.

De conceptorum eius acuminibus.

AD hoc maius suppetit argumentum supradictis præstantiùs, conceptus nimirum de virtutibus rebusque adeò spiritualibus. Quamobrem Theologus insignis, lectis eius operibus admirabatur, quàm rectè Dei famulus rem Christianam traderet. Cuius rei causam dum quæro, comperi altam & inusitatam virtute præditorum vitam, necessariò sensum habere virtutum rerumque diuinarum, à quibus superantur; vt sit proportio, sibique respondeant virtutes, & inde nati conceptus. Qualis est in imagine picta à Pictore, & idea mente concepta. Ex hac enim interiori veluti causa formali exterior forma procedit, quam depinxit. Huic rei intelligendæ, quæ momenti est maioris, necessariò hîc referendi sunt conceptus aliquot illius ex ipsa hausti scriptura, & in eius epistolis leguntur, in quibus apparet quid de his sentiret. Et verò, mea quidem sententia, fructus vberrimi ex hac eius vitæ historia existent, si ad perfectionem aspirans det operam, vt eadem concipiat, sentiatque de rebus spiritualibus, quæ ille *Aullæ* sensit. Quare mirari desinat pius lector, si hîc nonnihil hærens quædam ex epistolis eius depromam. Præter enim supradictum fructum, quas profero sententias lectu adfert dignissimas.

Vt autem intelligantur rectiùs, ponendum primò, inter omnes Christianę Philosophiæ partes esse, in pretio habere dignitatem ac pondus rerum spiritalium, appendens non pondere Canaan, hoc est, fallaci iudicio secularium, qui bonum damnant, & vitium laudant; sed potiùs pondere sanctuarij, id est, Dei iudicio ac Sanctorum: qui rem quamq; pondere æstimant, & pro rata parte amant & expetunt. Gloriatur sponsa in Canticis super hoc dono his verbis: *Ordinauit in me sponsus caritatem,* Cant. 2. hoc est, amorem temperandum esse, & quidque prout amari meretur. Id fieri non potest, nisi quantum quidque valeat cognoscatur, & rei cuiusque pretium: cur tanti fiat, & amor cuique applicetur. Id adeò in virtutis studio valet, vt dixerit Seneca: *Quid tam necessarium, quàm pretia rebus imponere?*

Nunc ad rem propiùs vt veniam, inter indicia seruum hunc Dei lumen singulare à Spiritu sancto concepisse, conceptũ est altitudo de virtutibus rebusque adeò omnibus spiritalibus. Clarum id euadet ex aliquot sensibus eius verbis ipsius allatis, vt ab illo literis mandati sunt.

Quid de Concionatoris sentiret officio.

IGitur ducto initio ab æstimatione quam de Concionatoris officio haberet, lege epistolam primã Tomi I. quid hac de re senserit deprehendes, quãque purè mentè intendere debeat, & orationi simul & lacrymis vacare ab his adiutus flagitans à Deo animarum conuersionem: in quo plus studij, quàm in verbis collocabit; quaque cura ac sollicitudine & labore simul & patientia educandi, tuendique filij spiritalis, qui semine verbi Dei sit genitus: quo item sensu doloris viscerum debeat commoueri, cùm quis in peccatum prolapsus est. Hac lecta epistola notabit, quàm absint longiùs à spiritu plerique qui hoc dicendi munere funguntur. Qui etiam pulpitum ad docendum conscensuri orant Deum, res vt benè eueniat: Verùm nouit Deus, quo spiritu fundatur precatio, an ex sui amore & mundi metu: vel ex amore Dei; & desiderio animas saluandi. Philautia enim seu cœcus amor sui, qui præcordia nostra plerumque obsidet, vt subtilis est, vndique se ingerit, adeoque occultè vix vt agnoscatur: fallitque non rarò, suosque decipit possessores, teste beato Gregorio Pontif.

Concionator itaque qui planè officij sui magnitudinem auet cognoscere, ad animas saluandas, qua gratia à Deo conditæ sunt, & homo factus est, mortuusque Concionator. Dei vices gerit.

tuusque in cruce idemque munus in terris obiuit, (cuius in locum Concionator suffectus est) legat expendatque primam illam epistolam, discetq; quid iudicandum de sublimi hoc officio, nam lectu sanè dignissima est.

Quid de Sacerdotij senserit dignitate.

A Concionatoris dignitate ad Sacerdotij transeamus. Apparebit enim quàm diuersè à vulgi opinione de ea sentiat. Clarum id è septima epistola, qua iuueni consilium flagitanti respondet, Si gradus Sacerdotij essent obeundi: cuius verba apponere non pigebit.

Olim cùm sacerdotium in pretio haberetur aliquo de multis, nemo nisi qui Episcopus crearetur, illud suscipiebat, vel cùm animarum esset cura gerenda, vel qui in prædicatione verbi Dei excelleret. Reliqui verò Ecclesiastici Diaconorum vel Subdiaconorum titulo vel minoribus etiam gradibus contenti ætatem agebant, tunc reuera gradibus inferiores sublimem degebant vitam: at nunc contrà fit, qui summo sunt decorati sacerdotio, ne Lectorum quidem & Ostiariorum vitam agunt. Crede mihi frater, vnus dœmon, his temporibus eam indidit arrogantiam ad Sacerdotium temerè irrumpendi: vt si apicem ac verticem templi tenerent, eos inde depellat. Non ea enim Christi doctrina est, sed vita agenda, quam dignatio mereatur: fugiendique honores & amplectenda potiùs innocens tutaque humilitas, etiam in externis rebus: & non ad summa contendendum, vbi maior desæuit ventorum procella, Vtinam, mi frater-intelligeres, qualem esse in terris deceat Sacerdotem, & quæ ratio sit coram Deo ponenda hinc emigranti! Verbis sanè consequi non possum quæ sanctimonia requiratur, vt officium exerceat aperiendi & claudendi lingua sua cœlos. Eiusque vocatione, vniuersi Dominum accedere, factúque patronum hominem totius vniuersi instar magistri ac redemptoris Iesu Christi de cruce pendentis. Frater cur alto huic pelago te committis ac fluctibus, & obnoxius vis fieri ineundæ difficilis rationis in mortis agone: cùm in humili etiam statu extremo etiam die onus ingens gestare tibi videberis: quid si onus illud subeas ipsis etiam Angelis tremẽdum. Quare hanc vitæ rationem ineas, in qua minus animæ periclitetur salus, non honorem in oculis mortalium affectes. Hoc quidem consilium aliquãdo tibi placebit, atque adeò ipsis qui contraria suadent. Ignorantes enim quid Sacerdos sit, respiciuntque non ad rationem anteactæ vitæ Deo aliquando reddendam, sed ad honores sæculi apud affines & propinquos, amicosque in tam tremendos conijciũt laqueos: sibi interim consultum opinantes; ad Deũ quod attinet ipse videbit, aiunt. Consilium, mi frater, reuerà carnis est, quo multi in præceps ruunt, coacti sacrosanctum hoc suscipere munus, vt habeant quo se pascant, fingentes intereà Deo se seruire. O errorem ingentem, prædicare & sacris operari, vt te alas! Cœlum terræ subijcere, & animæ panem vẽtri condonare. Queritur de hoc Christus Saluator, Ioan. 6. non se quæri propter se, sed ventris cuiusque causa; de quibus vt de Diuina maiestatis contemptoribus sumet aliquando supplicium. Quanto foret melius mechanicum discere artificium, vt à multis olim Sanctis factitatum, aut valetudinarium ad ægris subseruiendum ingredi, aut Sacerdotis se famulum præstare, itàque pasci, quàm ausu temerario cœlum conculcare, vt terram obeat, cùm contra Deus præceperit. Vide mi frater, quid faciendum suadeam, si Deo libet placere, & in eius hærere obsequio. Hæc mea de sancto Sacerdotio sententia est: quod mallẽ à longè venerareris, quàm vt propiùs complectaris, vtque dignitatem Heræ, non sponsæ ducas loco. Etsi quid conandum Hypodiaconus fias, & post triennium diaconus: quo in ordine maneas, nisi certa Spiritus sancti ducaris coniectura ad maiorem te gradum à Deo vocari. Meliùs tecum agitur sine reditu Ecclesiastico, quàm Romæ versari cum eius opibus qui te eo inuitat. Cognoscas licet ægrorum dignitatem quibus subseruis, ferasque mores eorum quibus cum degis. Cogita in schola patientiæ & humilitatis & charitatis te versari erisque ditior, quàm quidquid à Pontifice posis expectare.

Sacerdotij quanta dignitas quantumque onus

Habes Epistolę verba, vnde satis clarum, quàm diuersè senserit *Auilla* à vulgi opinione de Sacerdotij dignitate: vulgi inquam, quod audacter, & imparatè captant dignitates Sacerdotij, quasi ars esset mechanica ad se potius alendum corpusque curandum, quàm vt animæ medicinam adferant. Vtque hoc sanctuarium temere irrumpunt, tales & pietas eorum ac reuerentia qua munus administrant. Rigidum fortasse quibusdam nimis hoc iudicium videatur, consuetudinem huius tempestatis obijciẽdo: at verò Pater iste pondere Sanctuarij (vt iam diximus) rem expendit: hoc est, æstimans dignitatem more institutoque veterum Patrum, quorum regebatur iudicio, non improbitate ac leuitate nostrorũ temporum. B. Cyprianus epistola quadam ad populum, Lectorem se creasse iuuenem profitetur, quòd in fidei confessione in medio tormentorum constãs perseuerasset. Ideoque se purgat quod consuetudini hac in re non paruisset: negans necessarium videri testimonium hominumque suffragium vbi Dei sententia clareret. Hinc efficio, si ad gradum Lectoris, qui inter minimos est, consilio erat opus, quid quæso ad Sacerdotij dignitatem, non requiritur? quàm S. Marcus & B. Franciscus recusarunt, & suscepit quidem B. August. non sponte tamen, sed coactus, vt Episcopo suo morem gereret. Horum sanè iudicio acquiescebat *Auilla*, non temporum calculo & consuetudini.

De præparatione ad Missæ sacrificium quid senserit?

COgnito quàm gratuiter ille sensit de sacerdotij dignitate, reliquũ est, qua celebrandi præparatione se comparârit, animaduertamus. Hinc etiam intelligere licet, vt se huic muneri cõpararet indies, quod haud dubiè non doceret alios, quin idem ipse præstaret: quin est verisimile superasse etiam ea quæ alijs suaderet. Quæ consideratio ad virtutum pertinet historiam vitamque religiosi viri, quo de nobis sermo est. Quare illis ipsis verbis, quibus informando vsus est, quid ageret cognoscemus. Exemplo quoque huius Sacerdotes discent, vt se ad Missam præparare debeant. Septima enim epistola Sacerdotem erudit, qua se ratione ad Missæ sacrificium præparet, his vsus verbis:

Sacerdos qui modo sese præparare debeat ad Missæ sacrificium

Prima sit regula, vt à somno experrectus, ad aures sonare sibi hæc verba videatur? *Ecce sponsus venit*. Præcipuè verò si magnus sit Dominus, sollicitum tenet eum qui hospitio sit accepturus: quanto magis eum accipiendum hospitem, qui hospitium eo die sit occupaturus: cùm sit sublimis adeò nobisque coniunctus vt ab Angelis adoratus, & nobiscum vt frater conuersatus? Hac meditatione horas recitet canonicas, deinde quieti se det ad horam cum dimidia: altè speculando, quis est quem ore recipiet: obstupescat verò vermem fœtidum tam familiariter cum Deo suo acturum: & interroget: Domine mi, quis te in huius peccatoris manus pertraxit, iterumque in stabulum ac præsepe Bethlemiticum. Memen- Matt. 26. Luc. 2.

Matth.8. mento Petri indignum se æstimantis, qui eadem in naucula cum Christo subsisteret. Centurio etiam tecto accipere non audet: similiaque considera vt timere discas horam & opus adeò tremendum & tantam reuereri maiestatem. Cogita exemplar id vitæ necisque Saluatoris esse, eius etiam facti cùm Pater æternus filium misit in viscera Virginis, vt mundus saluus fieret. Nunc itaque medicinam adhibet ditatque thesauro quem crucis ligno acquisiuit. Deinde precare Dominum per illud Incarnationis gaudium gratiam sibi impetret benè recipiendi & tractandi Christum quem vtero illa concepit. Missæ peracto sacro dimidia se hora colligat, aut integra, Deoque gratias agat pro tanto beneficio veniendi in stabulum indignum. Veniam postulet hospitij inquinati: roget, vt augeat beneficium, vtpote qui gratiam gratiæ solet adijcere.

Hactenus prima ad verbum epistola est: in sequẽte verò idem tractat argumentũ, Sacerdotem vt se præparare debeat docens. Ait enim primò considerandum Dominum quî cum agimus, Deum ipsum esse hominem, simulque videat qua de causa ad altare accedat. Certè validum est telum ad excitandum hominem verè animaduertere: Deum consecraturus accedo, vtque manibus contrectem atque alloquar, & pectoris denique recipiam, id iterũ atq; iterum considera, & si Domini spiritu ita senties, satis est superque vt quo est opus adueniat, vtque pro imbecillitate nostra debitum persoluamus officiũ. Quis, quæso, non flagret amore, cogitans, infinitum recipiam bonum? Ecquis non tremat, amica quadam reuerentia illius, ad quem potestates cœlorum contremiscunt? idque non offendend›, sed loquendo tantùm & obsequendo. Quem non pudeat, & ingemiscat, quod Dominum sibi iam præsentem offenderit? Quis tali pignore non confidat. Ecquis pœnitentiã agere nolit per desertum tali munitus viatico? Denique hæc meditatio, cùm Dei manus allaborat mutat integre & absorbet hominem, vt extra se positus nunc cum reuerentia, nunc amore & alijs vehementibus affectionibus, quas præsentiæ Dei cõsiderati› prouocauit: quæ etsi necessariò non consequantur ex illa consideratione, vehementer tamen prosunt, nisi si quod vulgò dicitur, petra durior velit apparere, claudat se itaque suo corde, aperiatque vt illum recipiat qui tali fulgure solet accedere. Roget eundem Dominum per eandem bonitatem, qua tanto affecit beneficio in manus eius veniendo: eademque sensum æstimandi, reuerendi & amandi, vt par est, largiatur. Et post non longè sic ait: Domine quid sentit anima, cùm eum manibus tenet, quẽ virgo sanctissima tenuit, electa & cœlestibus dotata gratijs, vt cùm Deo iam incarnato versaretur. Confer brachia eius, manus & oculos cum tuis: quanta hic confusio? quantum hoc obstrictus beneficio? quã cautè se custodiat qui honore illo afficit veniendo in eius manus, idque verbis consecrationis! Hæc, Domine, non nuda sunt verba, non meditationes mortuæ, sed sagittæ potenti Dei arcu emissæ: quæ sagittæ feriunt mutantque cor & desiderare cogunt, vt finita re diuina consideret homo illud Christi dictum: *Scitis quid fecerim vobis.* Domine vtinam scirem hac hora quid feceris nobis. Vtinam gustarem palato animæ! vtinam bilancem minimè fallacem ad rem expendendam haberem! Felix sanè super terram existerem! Quomodo non finito sacrificio res creatas aspiciens tædio afficeretur & ingenti cruciatu eas tractaret: & quam non libenter cogitaret, *Quid fecerit mihi Dominus?* idque ad sequentis vsq; diei sacrum.

Ioan.13.

Finem his addamus bonis adeò & ad exequendum necessarijs: rogemusque Dominum, vt vnum id alterumque conferat beneficium: quandoquidẽ dona illius nisi gratè æstimentur, nobis nihil prosunt, imò, vt S. ait Bernardus de homine ingrato, eò ipso pessimus est quo optimus. Vide quomodo videat quisque quomodo diem transigat, ne nos puniat illo momento quo altari astamus. Hæc per diẽ meditemur: Accepi Dominum hospitio; mensæ eius assedi, & cras rursum cum illo accumbam; sic vitiũ omne fugiemus, & virtutem complectemur.

Hæc epistolæ verba, quibus apparet partim quid Dei famulus de præparatione celebrandi sentiret ad digne Sacramentum altaris contrectandum; partim etiam flendi suppeditat materiam, animo voluens quàm diuersè se comparet ad celebrandum hodie hoc Missæ sacrum quiuis Sacerdos. Ob defectum autem præparationis ac reuerentiæ cùm Paulus affirmet, Deum fideles Corinthios castigasse, nihil sanè mirandum eandem ob culpam hodie Christianam plebem tot tantisque flagellis à Deo vrgeri: cùm qui ex officio placare Deum teneantur, & offerre sacrum pro peccatis populi, adeò negligenter id faciant, vt qui Deum placent indigeant ipsi: itaq; impleatur mina Dei per Prophetam: *Quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eas.*

1. Cor. 11.

Ezech. 22. 30.

De charitate & amore Dei.

CVm sit finis huius narrationis, sic & Catholicæ scripturæ, inducere homines, vt à vitijs abhorreant, virtutesque adament, de harum quibusdam pertractare ingredior, referens quid hic Dei famulus de illis sentiret, aliter longè atque vulgus hominum de harum sentiens differentia. Quàm idcirco proponimus non modò vt quid senserit de ijs, cognoscamus, verùm vt imitemur de rebus cum illo consentiendo. Ait summam legis in caritate consistere; ad virtutis autem satisfactionem consulit nobis *Anilla* duplici consideratione, commentario in *Audi filia.* Quarum vna consideratio nascitur, se ipse considerando; & altera Christum contemplando. Prior illis nititur Ecclesiastici verbis: *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso.*

Matt. 22.

Consideratio duplex circa charitatem.

Eccl. 31. vers. 20.

Ex ijs enim quæ homini accidunt, vt in tolerãdis aduersis & in remedijs inuestigandis sentiat, sciatq;, quod sit proximus. Est enim eiusdem cum illo naturæ, & commiserando consideret, opem ferat, toleretque ijs oculis quibus sua considerat, opemque efflagitat. Alioqui quid potest detestandum esse magis quam misericordiam efflagitare suorum erratorum, & aliena grauiter vindicare? Quisquis obseruari se satagit consolationemque expectat, ipse tetricus ac rerum negligens alienarum, hominis sanè est indignus nomine, quia humana humanis, id est, pijs non considerat oculis. Ait Scriptura: *Pondus & pondus, mensura & mensura: vtrumque abominabile est apud Deum.* Quasi dicat; qui mensuram habet magnã ad recipiendum; ad dandum verò exiguam diuinis displicet oculis, punieturque quia non mẽsurat proximo ea misericordia quam sibi exoptat. Huic Deus crudeliter & angustè mensurabit, vt ille proximo solet. Audiet alioqui quod eadem Scriptura dicit: *Qui obturat aurem suam ad clamorẽ pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*, inops est quiuis & re aliqua semper indiget. Vide igitur si surdum te ad proximi præstas necessitatem, talem & Deum erga te vicissim experieris. Sciat quisque qua mensura cum proximo vtitur, Christum eadem remensurum: neque ignoscere, nisi tu vicissim alteri ignoueris. Ingratus ingratum experietur, & molestus

Prou. 20. v. 10.

Prou. 21. v. 13.

ſtus moleſtum : grauem quoque vindicem iniuriam alteri inferenti : beneuolum quoque erga largum in alios. Fieri enim non poteſt, vt qui ſpinas ſeminet proximo, ficus à Deo colligat. Hinc fit paucos hodie ſuauiter à Deo accipi, multos contrà querulos reperiri quod Deus mala illis non eripiat. Mirantur Deum dolores immittere intus foriſque, præſertim cùm miſericors nominetur: qui inuocant, petunt, quærunt, & non inueniunt medelam: quocirca fit vt expoſtulent: verùm niſi ad Dei legem obſurduiſſent, quàm in Euangelio promulgauit. *Qua*, inquit, *menſura menſi fueritis, remetietur vobis*. cernerent vtique illos in Deum peccare, non contrà Deum erga illos. De ſe ipſi potiùs conquerantur, quòd proximum non ament; at Deus ipſe caritas eſt, nec fas eſt eandem erga eos exercere qui proximum non diligunt.

Matt. 7. 2.

1. Ioan. 4.

Amoris huius, qui naſcitur homini ſeipſum conſideranti, pias duas conſiderationes addit, natas ex Chriſti aſpectu: de quibus *Aula* agit cap. 95. & 96. eiuſdem libelli in *Audi filia*. In prima conſideratione ſic loquitur cap. 95.

Aſpice Chriſtum, & cogita qua Dei Filius miſericordia homo eſt factus hominum cauſſa: & quanta cura per omnem vitam bonum illius quęſiuit, quantoque amore ac dolore vitam in Cruce homini condonauit. Sic te ipſum contemplando proximum humanis conſpexiſti oculis. Sic Chriſtum cõtemplando Chriſtianis oculis aſpicies proximos, hoc eſt, oculis quibus te aſpexit.

Poſt hanc conſiderationem qui ex Chriſti enaſcitur aſpectu, aliam adijcit non minus priore admirandam, hauſtam quoque ex Chriſti contemplatione. Sic enim ait:

Etſi verum ſit, bonorum quæ Deus largitur homini non quærere retributionem (nullius enim indiget, & ſola benignitate quidquid agit operatur) mercedem verò quam poſcit, proximis debetur inopia laborantibus, & amore ac ſubſidio indigentibus. Hanc conſiderationem altiùs proſequitur, mea quidem ſententia, quam priorem, cap. nimirum 96. quò lectorem Chriſtianum ablego: ideoque in manibus eſſe debet, vt opuſculum verè admirandum.

De pœnitentiæ virtute, & peccatorum dolore.

Dolor peccatorum ex amore naſcitur.

CVm de caritate dixerim, reliquum eſt vt de peccatorum agamus dolore: quæ peccata caritatem extinguunt. Vt enim corpus vmbra ſequitur, ſic dolor peccati ex amore naſcitur erga eum qui offenſus eſt, vnaque creſcit & decreſcit. Dum enim quiſque magis amat, magis etiam eius quem amat offenſione dolet. Cumque multa ſint quæ hunc concitent peccati dolorem & auerſionem adferant à delictis; præcipuum eſt conſiderare peccata Dei filium in crucem ſuſtuliſſe: niſi enim peccaſſet homo, cruci affigi illum non oportuiſſet. Quod vt intelligatur melius, ponendum eſt Patrem cœleſtem infinitæ benignitatis ac miſericordię viſceribus, & ſi alijs multis modis mederi mundo potuiſſet, ſi libuiſſet, optimum factu viſum certò ſtatuere vt vnigenitus filius eius mundi redemptor fieret, qui malis noſtris abunde mederi poſſet. Quorum malorum erat nos Dei eſſe inimicos. Primum itaque ac princeps opus reparationis fuit, Patri nos reconciliare: idque ſatisfaciendo rigori iuſtitiæ, in Paſſionis ſacrificio pro debitis cunctis ac peccatis generis humani. Cumque debita, etſi grauiſſima, quòd eſſent contra maieſtatem infinitam; erant etiam ex parte hominis, tot beneficijs obſtricti, grauiſſima. Grauiſſimos quoque voluit dolores perpeti & iniurias, quo copioſior eſſet ſatisfactio. Iactis hiſce fundamentis valet momentum huius conſiderationis, vt *Aulæ* nobili cuidam ſcribit, hortans, vt de peccatis, dolens reſipiſcat.

Quomodo potiſſimum excitari poſſit

Si fortè quæras, quid cogitandum vt mea deplorem commiſſa flagitia? Reſpondeo propterea quòd parentem occiderunt, hoc eſt, Chriſtum. Neſcio quis filius ob quodvis flagitium tantum mali parenti adferret, vt bonis ſpoliaret, domo expelleret, veſtibus nudaret, & nudum relictum pòſt contumelia afficeret, & opprobrijs ſummè oneraret: neque his contentus etiam flagellaret, quæſtionibus ſubijceret, denique etiam occideret, idq; ob filij delictum. Nõ eſſet filius adeò improbus tametſi inſignitè improbus foret, quin animo contriſtaretur ob cõmiſſum malũ: cùm facilè excuſare poſſet vnde tãtũ mali patri eſſet allatũ. Dic mihi quæſo, quis Chriſtũ depauperauit? quis dehoneſtauit? ecquis flagellauit? quis coronauit? in cruce ſuſtulit? Num quid aliud fortaſſe quàm peccatum? Ego afflixi, triſtemq; reddidi meis prauis voluptatibus. Ego ignominia affeci, vt me malè extollerem. Voluptates corpore meo aſſumptę adeò eius corpus deformarunt, columnæ alligatum. Cumque vitam haurire malam ſtudui, vitam illè ſuam ſalutarem proiecit & condonauit. Quomodo itaque lætabimur admiſſo tali flagitio in eum qui tam bene de nobis eſt meritus? Quidni conditæ res omnes non vindicent iniuriam Conditori illatam? Nullum ſanè maius onus humeris noſtris imponi poteſt, ad plorandum & ad horrorem de peccatis concipiendum, quàm dicendo, Chriſtum pro peccatis paſſum eſſe. Nihil equidem nos humiliat magis atque annihilat quàm animo reuoluere, nos mortis Chriſti auctores fuiſſe. Vtinam id agitaſſemus antequam peccaremus, vt mori potiùs quàm peccare mallemus. Putabat filius nihil ſe admodum facere: mox rem expendens, Deum in cruce mortuum, vt peccatum pondere vinceret. Quo vultu Patrem cernemus æternum, quẽ noſtra dementia in eas adduximus anguſtias: vel quo eos Pater vultu aſpiciet, vt non abhorreat à nobis ſui contemptoribus vereque parricidis: quique non vulgaria, ſed crudeliſſima mereantur tormenta.

O bonitas diuina, quouſque pertinges? miramur te in cruce pendentem pro crucifigentibus oraſſe: beneque precatum ijs qui tam malè te acceperunt. Quare affirmo non erga hos ſolùm monſtraſſe te benignum, verumetiam mundo vniuerſo quantum illis præſtitiſti. Si enim pro crucifigentibus Patrem rogaſti, omnes te cruci affigimus, vt & ipſi, & nos omnes pro illa oratione ad Patrem ſimul debeamus, & fortè ampliùs quàm ignari illi ſatellites qui præſentes cruci aſtabant. Omnes nos quidem Chriſte in tuam coniurauimus mortem, & in omnes nos quadrat illud tuum: *Neſciunt quid faciant*. Quis quæſo adeò tibi infeſtus qui ſi noſſet tam carè à Regia tua Maieſtate redimendum voluptatum guſtum, non rumpatur priùs quàm in haſce te adigat anguſtias? Parce Domine, parce, quid ageremus ignorantibus: & nunc quando id nobis manifeſtaſti, erudiens nos in ſancta tua Eccleſia pro peccatis te mortuum eſſe, & quod per iocum commiſi, ture ipſa exſoluiſti: nihilominus data opera cauſſam mortis tuæ tam crudelis iteramus. Nefas eſt, Domine, bene illi cupere, qui parentem noſtrum occidit: & quia peccata te occiderunt, æquum eſt ab ijs abhorreſcere ſi te adamamus. Clamat Propheta regius: *Qui diligitis Dominum, odite malum*: & rectè quidem: pugnant enim peccatum & Deus, & vtrique

Pſalm. 96. 10

& vtrique satisfacere nemo potest. Eligat quisque quod velit, simul vtrumque tenere non possumus. Optat quisque seruos sibi fideles, & qui pro Domino moriantur. Vtrum eligemus, Domine? Lutum fractarum cisternarum, an venam aquarum viuentium? Quid, Domine, eligemus, an cum mundo improbi erimus, vel cum Deo boni? Quid optabimus, creaturis esse addictum, vel Creatori? ardere apud inferos cum dæmonibus, an cum Deo regnare in cœlis? O fili Adam *vsquequò graui corde?* inuita nte te Deo in veritate, q̃ permanebit in æternũ, & persæuerare, cogit aduersarios, vanitatem vis consectari, quæ ad nihilum hostes redigat. Vsquequò claudicabitis in vtramque partem, nunc huic, nũc illi factioni addicti? Vnum sequere, eumque Deum. Is enim beatum reddere se sequentem potest. Christus iam peccato est mortuus, cur quæso mortis signa sequeris, & hosti iurato vitam vis condonare? Peccatum si non amas, non viuet in te, sed labora vt extinguas dolore ac pœnitentia, vt destruatur malum quod amando peccatum commisisti. Psalm. 4.

Hactenus epistolæ verba recitaui, in quibus verè pœnitens reperiat, cur peccatum horrere debeat, & intimo dolere affectu.

Aliud paris efficaciæ exemplum Sacerdoti cuidam per epistolam significauit: suadens Christum obnixè precetur, vt sua benignitate litis contestatæ caussam aperiat, ac significet, qualis erga Deum ante acta fuerit vita: & qualis Deus erga se: hoc est, quæ à Deo beneficia acceperit, à natali, ducto initio, quamque ingratus erga illa extiterit. Quæ quidem cogitatio ex humano duntaxat spiritu concepta, tristitiam tantùm homini per breuem concitat: sed cùm à Dei spiritu proficiscitur, clara est, oculosque aperit, ea indignitas, vt miraculi loco deputet, à solo sustentari: magnæ admirationi est, quod fides sacra docet, tantumque sibi ipse indignatur ob cõmissa flagitia, vt nisi Deũ offenderet, manus sibi adferret, optatq; res omnes cõditas iniuriã Creatori illatam vt vindicet. Id sentiũt in hac vita, cùm Deus homini aperit quid æstimare de præteritis peccatis debeat verbis, id explicare nequeat; fit e i n spiritu supra humanum. Et hæc ferè continet epistola: qua notandum doloris sensum de peccatis interdum ab humano spiritu, aliàs verò à diuino proficisci. Est enim vsitata *P. Auilæ* doctrina, sæpius ab illo exposita, sensus effectusque pios, quibus ducimur, quandoque à bono nostro spiritu manare, cùm facimus quod in nobis est: interdum verò singulari auxilio & vocatione Spiritus sancti, cuius ea vis est ac robur, vt omnes omnino sensus superet, qui aliunde promanent: neque intelligere poterit, nisi eum fueris expertus. *Dolor de peccatis duplex.*

De vera humilitate, & sui cognitione.

HVmilitas ac pœnitentia sororum instar sunt, itemque humiles ac pœnitentes. Humiles enim peccata agnoscunt, quę pœnitentes iam deplorant. Illi coram Deo se humiliant; at hi dimisse veniam delictorum flagitãt. Quamobrem (etsi in hoc scriptionis genere non tenear seruare ordinem materiarum, de quibus agitur, sed ostendere, quid de ijs Dei famulus senserit) expositum iam cum sit, quid de pœnitentiæ virtute, & peccatorum dolore senserit, breuiter attingam, quid de humilitate literis consignarit. Hanc virtutem adeò duxit humanæ necessariam vitæ & propriam, vt concludat, omnes ferè tentationes spirituales & cœcas actiones, imò & lapsus quosdam permissos à Deo vt verè humiles reddamur: non indignum reputans hanc gemmam tam caro redimisse pretio: Christianæ autem religioni adeò est propria, ignotaque antiquis Philosophis, vt ne humilitatis quidem nomen in eorum libris appareat.

Verùm Dei huic famulo *Auilæ* altiori prædito intellectu, nihil æquè curæ fuit, quàm humilitatis bonum scriptis suis commendare. Hinc apparebit quàm eius scripta cum Philosophorum veterum pugnent decretis. Philosophi enim & Pelagiani hæretici illorum sectatores, pro virili exaltant humanæ naturæ vim: contra verò hic deprimit, imbecillitatem atque malitiam cordis humani demonstrans, altissimam vocando abyssum, quam solus nouit Deus, quo de Scriptura ait: supra Cherubim consistentem Deum, & tam sublimi loco intimum penetrare creaturarum locum, tum verò potissimùm corda nostra scrutari, vt per Prophetam Hieremiam ita loquens testatur: *Prauum est cor hominum & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Idem Ecclesiasticus ostendit, de sapientiæ Dei abysso, inter omnes eius laudes sic ait: *Oculi Domini circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes.* Qua abysi cordisque humani comparatione duabus hisce vocibus imbecillitatem improbitatemq; cordis nostri cõparandi cũ abysso satis ostẽdit. Et in alio loco improbitatis vim ostendens: *Quid*, inquit, *nequius caro & sanguis excogitauit?* hoc est, quid peius cogitationibus, si diuina carent gratia: vbi caro tantum & sanguis regnent? Et deinceps alibi dicit: *Quid in rebus conditis nequius est oculis hominum.* Quod ideò affirmat, quia oculus est ianitor cordis, quique materiam cupiditatibus & improbitatibus, quæ ibi conueniunt, præbeat. Hieremi. 17. Ecclesiast. 42. Ecclesiast. 23.

Nunc ad rem vt redeam, in cognoscenda infirmitate & miseria cordis nostri posita est ex parte humilitatis virtus: quæ, vt S. ait Bernardus sui contemptus est, qui à vera sui cognitione enascitur. Hæc virtus Angelo defuit, qui adeò formosus est conditus. Hinc Saluator noster ait, *in veritate, non stetisse*, hoc est, vera sui cognitione caruisse: Hinc tam altè prolapsus vt qui summus erat Angelorum Lucifer (vt sentit B. Gregorius) summus etiam dæmonum effectus est. Et in capite eius cautiores nos reddendo suadet *Auila* in spiritu veritatis vt consistamus. Qualis verò sit ille spiritus, epistola quadam hisce declarat verbis. *Humilitas quid.* Ioan. 8. 44.

Ecquis est veritatis spiritus, nisi qui facit vt homo sibi ipsi displiceat, & malus sibi videatur, cùm in præcordijs & intimo cordis turpis sibi & abominandus videatur: admirando se à Deo super terram tolerari? Hæc veritas est in qua degendum, sine qua in mendacio viuimus. Et interdum cum bonum nos habere videamur, sumus deteriores hac virtute destituti. Freti enim hisce bonis alijsque rebus, aliquid nobis esse videmur, sed non ita apparet eius oculis, qui cor nostrum intuetur aitque, *nomen habes quod viuas, & mortuus es.* Viuentis autem nomen habet, qui non cadit in peccatum, quos mundus vt malos damnat. Verùm si cadit in eos quos Dei iudicium damnat, quid prodest, si mundus absoluat quẽ Dei condemnat iudicium. Nescit mundus malum reputari, neque castigat eum qui sibi placeat, seque amet arrogans: verùm Dei iudicio superbus est ac cœcus qui suum ignorat fœtorem, quasi canis mortui cadauer naribus hauriret, neque pudore ducitur in oculis Saluatoris, quasi sisteretur in iudicio ac tribunali hominum grauissimo commisso delicto. Apoc. 3.

Hactenus

Hactenus epistolæ sunt verba, qua non singulatim sed obiter virtutem humilitatis commendat: verùm paucis hisce verbis, cum ijs quæ antecesserunt de virtute Pœnitentiæ, & peccatorum dolore, animaduertet Lector, quàm sublimia *Aula* senserit de humilitatis præstantia. Sciendum tamen, etsi humilitatis sit proprium seipsum cõtemnere ac pro nihilo ducere, quando in se nullus est. At hic contemptus & sui annihilatio, in voluntate posita, nascitur ex cognitione vilitatis cuiusque, quod in intellectu est positum. Quia verò ex hac radice flos nascitur pulcherrimus huiusce virtutis, age, videamus, quàm perfectè sentiat hic Dei famulus de miseria ac vilitate generis humani. Quanto enim maior hic existit intellectus, tanto radix altius iacitur ac fundamentum ponitur humilitatis. Epistola enim quadam egregiè ostendit primò necessitatem cognitionis sui cuiusque. Primum pro reuerentia quam Deo debemus: quem considerare pudibundè oportet tanquam eo simus indigni. Deinde cùm sui quisque obliuiscitur mox, sese attollit; & cùm sua non animaduertat errata, sancti pondus amittit timoris, leuisque existit vt nauis non onusta, quæ tempestatis temporibus anchoras amittit, sic huc illucque donec pereat iactatur. Equidem securum tutumque animum, nisi in sui cognitione nunquam animaduerti. Nec tutè stant ædes, nisi alta iecerint fundamenta: tempus verò optimè impensum quod in se assiduè reprehendendo collocatur. Vtilissimum sanè ad sui emendationem errata quotidie discutere. Quid homo est qui se ignorat, neque examinat? Nonne domus luce carens: filius viduæ malè educatus, qui, vt impunè omnia agens se ipse lædat? Denique homo est non homo. Quare qui se non nouit, regere se, vt hominem decet, ignorat: neque scit aut possidet seipsum. Et si verò alia multa cognoscat, se ipse non nouit. Tales sunt qui sui obliti anxiè in aliorum anquirunt vitas; & suam nesciunt. Cùm enim aliorum facta assiduè cominus contemplentur, maiores suis rebus, quas eminus vident, apparent. Itaque tametsi magna sint errata ipsorum, parua videntur. Hinc rigidi fiunt, nihilque tolerantes, quod propriam non intuentes infirmitatem, non commiserantur alienam. Qui se considerat; hunc facilè aliena perferre videas errata. Quisquis igitur lapsum malè accipit, satis clamat sua non obseruare errata. Quamobrem si noxiam hanc effugere volumus cæcitatem, æquum est videre iterum atque iterum quid simus: vt dum miseros nos esse cognoscimus, ad misericordem IESVM pro remedio confugiamus. Appellatur enim IESVS, id est, Saluator, idque non omnium sanè, sed eorum potissimum qui suas ipsi miserias cognoscunt, deplorant, & accipiunt, aut saltem optant sancta Ecclesiæ Sacramenta, & ita curantur atque saluantur. Et quamquam ad sui cognitionem multa Deus & sancti viri consilia dederunt: verùm qui in se ipse descendet, multa, cur se vituperet, reperiet, & abyssum admiratus dicat: Infinitis affligor malis. Quis est, quæso, qui vbi maximè scopum ferire vellet, non aberrauit? Quis non concupiuit, imò quæsiuit vt sibi vtilia, & pòst noxia sibi deprehendit? Ecquis sapientem se existimet, cùm infinitis in rebus sit deceptus? Quis magis cæcus quàm quid à Deo postulare debeat ignorans? Vt de se Paulus ait, postulans à Deo, vt tentationem quandam tolleret, ratus bene postulare: responsum verò accepit, nescire se quid peteret, quodque in rem foret ipsius. Quis suo fidat desiderio atque iudicio, quando hic cum inhabitante Spiritu Sancto petit quod accipere sit nefas. Et quamuis semel Deus bona suggerit, quis non videt, quàm infirmitas nostra imbecilla est? vtque cadimus in ijs quæ sub aspectum cadunt: vbi cadere non oportebat. Cui non contigit proponere sibi multa bona, cecidisse tamen, victumque in quibus victoriam sperabat? Deploramus hodie peccata nostra, vt euitemus, & oculis in lacrymis natantibus datur occasio flendi ob lapsum, & rursum deploranda committimus, recipiendo corpus Christi Domini in Eucharistia cum ingenti pudore paruę reuerentiæ qua illum susceptmus. Et quamuis nuper illum ore recepimus, contingit sæpenumerò ob crimina gratiam amitti. Quæ arundo tam inanis, quę quouis venti impetu ita mutetur? Nunc hilaris, nunc tristis: interdum deuotus, mox tepidus: nunc ad cœlum anhelat, nunc ad seculum: rursus abhorret, statimque amat quod horruit: euomuit quod edit, quia stomacho laborat: & statim comedendo repetit quasi non euomuisset. Quænam res magis coloribus varia, quàm talis homo? Quæ imago depingi tot formis queat tantisque linguis, quã viriste? Quàm verè Iob dixit, hominem *in eodem statu non permanere*. Nam cinis vocatur, & ventus auraque omnis vita illius. Stultus sit qui in cinere & vento quietem inuestiget. Puto equidem nihil æquè horrendum visu, si videri à nobis potest, quàm in se homo variùs sit, & siquidem vno die, quid per omnem vitam, quot, quantæque alterationes ac miseriæ. Quadrat itaque quod Scriptura ait: *Stultus sicut luna mutatur*. Ecquid erit consilij? Nosse se quemque quasi sit Lunaticus. Vtque olim Christo huiusmodi ad curandum obtulerunt, ita nos eidem Christo, vt sanemur, vt ille sanatus est, offeramus. Illum, vt ait Scriptura, spiritus malus exagitabat, vt nunc in ignem mitteret, nunc in aquam, carnis videlicet, teporis, ac malitiæ. Et considerando quantum Deo ex anteacta debeamus vita, quàm parùm nunc profecerimus, reuerà illud Vatis vsurpabimus: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me*. O inferni pericula adeò tremenda! quis est qui non consideret mille oculis, ne in illum incidat lacum, vbi ploret perpetuò, quod in tempore risit? Quis non dirigit viam suam, ne ab omni aberrans bono deprehendatur? Qui hæc non vident, oculos vbi tenent? Aures quæ ista non audiunt? Palatum quod hęc non gustet? Signa autem mortis vera sunt, non operari opera vitæ. Peccata sunt plurima, magna imbecillitas, hostes potentes, astuti & complures, quique nos oderint. Tanti ea res momenti, vt vel potiamur, vel amittamus, in æternitate Deum. Cur in tot tantisque periculis securi viuimus? Et inter tot vulnera sine doloribus. Quidni ante tenebras remedium quærimus, ne ianuę claudantur remedijs: quando vesperi virgines fatuę clamant, dicaturque, *Nescio vos*. Intelligamus itaque, & Deus nos cognoscet. Iudicemus de nobis ac damnemus, & à Deo absoluemur. Conijciamus in errata nostra oculos, & mox nihil deficiet. Miseriam nostram intueamur, sic discemus in aliena compati miseria. Vt enim ait Scriptura: *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso*.

Vnde nascatur.

Iob.14,2.

Eccli.27,12.

Matt.17,15.

Marc.9,14.

Luc.9,39.

Psalm.114,3.

Matt.25,12.

Eccl.31,18.

Hactenus verba epistolæ posui, in qua veluti in speculo sua quisque delicta, contemplabitur ac miseriam, vt ita se ipse cognoscat, & cognoscendo humiliet, & humiliatus opem imploret ab eo, qui humilibus dat gratiam Christo IESV.

(o)

2.Cor.12.

De confidentia, & magnitudine Beneficij redemptionis humanæ, cui illa innititur.

POst virtutes supradictas dicendum de spe ac fiducia in Deum, quæ vna est trium Virtutum Theologicarum. Quare etsi *Aulæ* noster magnificè de omnibus sentiat virtutibus, & vi ac gratia valeat, ad eò inuitandum, enituit tamen in epistolis laudando confidentiam in Deo, & eò impellendo. Apparet hoc ex eius Epistolis: quæ maximâ partem consolatoriæ sunt, ideoque hac vsus Spei virtute infirmos erigit atque imbecilles, affectionibus ac peccatis onustos, & siccos spiritaliter Dei carentes præsentia. Apud quos firma ne sit fides, atque constantia, explorat. Etsi verò multa suppetant è sacris literis ad animum hac virtute addendum: (*per patientiam enim*, ait Apostolus, *& consolationem Scripturarum spem habemus.*) principem tamen hic locum tenet ingens passionis Dominicæ beneficium. Constat enim quæcunque perpessus est Christus & commeruit, nobis commeruisse. Nullius enim ille indigebat. Labores ac dolores illius erant, fructus verò illorum nobis in lucro accesserunt: quibus pignoribus tutò remedium malorum nostrorũ sperare liceat. Hoc itaq; medio vtitur *P. Aulæ* in cõsolatorijs Epistolis quas ea scribit vi & vigore rationumque momento, ad infirma corda confirmandum, vt dicere meritò cùm Propheta queat: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare verbo eum qui lassus est.* Id agit Epistola quadam, quam apponere non grauabor ob singularem dicendi vim & copiam, & ob mysteria quæ tractantur, vt confidamus: adeò vt nemo tam pusillanimus sit futurus, & si petra durior, qui his lectis literis non excitetur. Et apparebit etiam Christiano Lectori, quo lumine hic *Aula* à Deo sit illustratus ad beneficij expendendam magnitudinem ac mysterium redemptionis nostræ, qua de hîc agitur. Hæc autem rara Epistola, solatijque plena non ad Dynastam aliquem missa est, vt propterea subtilius ea de re scribendum fuerit, quàm ad vulgares homines: sed ad mediocris sortis hominem est missa, & solatio huius Deus gemmas hasce submisit: penna currente & exarante papyrum ea velocitate ac promptitudine, quasi alius dictaret, & exciperet alius. Hic etiam clarè videbis veram esse hanc Salomonis sententiam: *Cogitationes*, inquit, *robusti semper in abundantia: omnis autem piger semper in egestate est.* significans nimirum eos qui feruidè ambulare contendunt ac diligenter viam insistere perfectionis, quo plus in proposita re proficiunt, tanto lux maior atque intelligentia datur: vt cernis in hac Epistola plena sententiarum piarumque considerationum ad ædificationem nostram & robur. Eius hoc est principium:

Caue iram existimes qui verus est amor. Vt enim odium blandiri solet, ita & amor rixari & castigare. Et *meliora sunt*, ait Scriptura, *vulnera diligentis quam fraudulenta oscula odientis.* Iniuria itaque afficimus qui amoris præcordijs nos reprehendit putare odio nos prosequi. Meministi inter nos Patremque æternum mediatorem esse Christum: cuius nomine amamur, & tam arcto colligati vinculo sumus, vt dissolui nequeat, nisi homo flagitijs id rumpat. Adeòne citò excidit IESV Christi sanguinem clamare & misericordiam efflagitare? Quin & clamorem adeò esse vocalẽ vt peccatorum nostrorum vox non audiatur? Nescis si peccata nostra viuerent, Christo IESV ad illa expianda moriente, mors eius pauci valoris esset, quòd peccatum extinguere non posset? Nemo sanè parui æstimet, quòd tanti fecit Deus qui in solutum & supra solutum accipit ex parte sui pro omnibus mundi peccatis, & mille, si essent, mundorum. Igitur qui pereunt, non redemptionis defectu pereunt, sed quod commodum capere recusent solutionis, idque fide & Pœnitentia, & sacræ Ecclesiæ Sacramentis. Sit itaque cordi infixum tuo redemptionis nostræ negotium, Christum assumpsisse quasi proprium: qui & peccata nostra sibi imputat ore Dauidis regis: *Longè*, inquit, *à salute mea verba delictorum meorum.* Veniam postulat eorum quæ non commisit: & visceribus caritatis ad se accedentes amari cupit, quasi sibi cuperet: & vt petijt, ita impetrauit. Dei enim ordinatione nos & Dei filius vnum sumus, vt ille & nos amemur; nos & ille inuisi sumus. Cumque ille inuisus esse non debeat, ne nos quidem si ipsi incorporamur fide & caritate. Imò quia ille amatur, amamur & nos: nec immeritò. Quid enim nos amemur quàm vt doleamus illum esse inuisum. Amat Pater filium magis, quam peccatores ad se conuertentes horreat: vtque ille amabilis suis, Patri dixit, hinc auolans: *Volo Pater, vt vbi ego sum & illi sint mecum.* Me enim offero pro peccatis ipsorum, vtque vnum mecum fiant. Maior caritas minus superat odium, & amamur nobisque ignoscitur, ac iustificamur, magnaque spe sustinemur, fore vt non deseramur, vbi tam arcto sumus amoris vinculo colligati. Quod si infirmitas nostra nimijs percellatur angoribus Deum tuorum oblitum esse, vt tu: solatium Deus adfert, sic per Prophetam Esaiam verba faciens: *Numquid obliuisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui: In manibus enim meis scripsi te.* O Scripturam validam: cuius penna sunt claui duri, attramentum verò scriptoris sanguis est, charta autem propria caro: & sententiam ita pronuntiat. *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans.* Certè scriptio ista magni est æstimandi, præsertim anima sentiente se dulcedine boni propriè attrahi, quæ signa sunt amoris perpetui, quo elegit nos & coplectitur Deus. Quare noli offendi, aut spiritu turbari ob aduersa quæ incidunt: Omnia enim manibus Dei dispensantur, quæ pro te (en amoris erga te argumẽtum) manus cruci affixæ sunt. *Et post non longè sic loquitur:*

Cumque Deus imperârit, ne vnquam animo deficiamus, accedamus cum fiducia promissorum, & subsidium expetamus: certè non negabit. O cara soror si consideres quàm cari, quantoque in pretio in Dei conspectu simus: aut videas quàm nos intimo in corde suo collocarit, dumque veremur ne abiecerit nos, quàm tunc propinqui simus. Benedictum sit Christi IESV nomen in sæcula, qui, vt verè dicam, spes nostra est, nulla vt res nostra timorem queat incutere, quantum ille securos reddit. Reddar licet ex deuoto tepidus, cælos perambulem, & abyssum inferorum penetrem; ambiam peccata commissa, futurorum pauor occupet; dæmones me accusent, laqueosque obijciant; homines terreant, ac persequãtur; minitentur inferorum cruciatus, ac periculorũ myriadem opponãt, dum gemitu peccata expio, & oculos attollo, Christum veniam deprecando, mitis ille & benignus ac misericordia plenus, meique ad mortem vsque amans, desperare non debeo cùm tanti me faciat, vt Deus pro me ad mortem sit traditus. O Iesu securitatis portus ijs qui tempestatum fluctibus agitati ex animo ad te confugiunt? O fons aquarum viuentium, ceruis telo confixis, insequentibus canibus spiritualibus, hoc est, dæmonibus atq; peccatis! Tu perfugium iucundissimum nunquam deficiens pupillorum præsidium, & viduarum patronus, refugium firmum in petra erinaceis spinis peccatorum plenis, qui cum suspirijs atque indul-

Rom. 15. 4.

Passionis Dominicæ beneficium confidentiam generat.

Esa 50, 4.

Prou. 21, 1.

Prou. 27, 6.

Psalm 21, 1.

Ioan. 17, 24.

Esa. 49, 15.

Iere 31, 3

indulgentiæ desiderijs ad te confugiunt. Defendis nimirum ab ira Dei tibi subditum. Iubes interdum discipulos, vt altum mare sine te petant & ablactentur suaui tuo sermone: teque absente in pelago procellæ exsurgant, vt de vita periclitentur: at tu non obliuisceris tuorum. Dicis vt à te discedant & *ascendis in montem orare pro illis.* Matt. 14, 23. putant se in obliuione tui esse ac dormire, vt tu genibus flexis pro illis Patrem rogas. Cumque quatuor noctis vigilijs abierint cùm sapientiæ tuæ infinitę molesta tui absentia videatur procella agitatis tuis descendis de monte, vtque Dominus fluctuum vicissitudine laborantium, super vndas ambulas (tibi enim omnia solida sunt) & appropinquans tuis, cùm opinantur te abesse lõgissimè has fiduciæ plenas voces emittis: *Ego sum, nolite timere.* Christe Iesu! diligens ac sedulus pastor quàm fallitur ille, qui tibi ac de te non confidit, ex intimis animi præcordijs si cupit resipiscere ac parere. Vtinam mortalibus diceres, tali duce animum minimè dispondendum famulis tuis: cumque nullus rumor adeò contristare queat, nec timorem incutere seruo tuo, quantum consolari potest nuncius lætus, qualis quantusque tu es. Si rectè perfecteq; Domine cognitus esses, nemo non amaret atque cõfideret, nisi admodum improbus. Propterea dicis: *Ego sum, nolite timere.* Ego sum, nempe *qui occido & viuifico: detrudo ad inferos, & inde eripio*, hoc est homini tribulationem immitto ad mortis vlq; fauces; mox subleuo, reficio, vitamque largior. Solatij expertem relinquo, quod inferno est simile. Et tamen non obliuiscor, verùm eripio: & idcirco mortifico, vt denuò viuificem. Pono apud inferos, non vt ibi permaneant, sed vt ingressis vmbra mortis & inferorum causa sit, ne descendant ad inferos à morte sed in cœlos ascendant. Equidem ex omni libero dolore, quia omnipotens sum: & liberare cupio, quia bonus sum: & liberare scio, quia cuncta scio. Aduocatus vester sum, qui litem causamque tuam feci meam. Ego fideiussor, & debitum solui tuum. Ego Dominus tuus, qui sanguine meo te coëmi, non vt obliuiscar tui, sed vt attollam, si obsequi mihi vis, quod tanto sis redemptus pretio. Ego adeò te adamo, vt meus amor in tuum sit transformatus, morti redditus obnoxius & passioni, cùm essem à mortali conditione longè alienus. Pro te innumerabilibus corporis cruciatibus me tradidi & animæ longè maioribus quàm corporis: vt pro me aliquid perpeti non recuses, finemque speres laborum, cùm tantum me habeas vindicem. Ego pater vester vt Deus, & primogenitus in fratribus vt homo. Ego redemptio vestra & lytrum: quid debita formidatis, si cũ pœnitentia, oris̃que confessione veniam eorum flagitatis? Ego Patri vos conciliaui, quid iram illius trepidatis? Ego vinculũ amicitiæ vestræ, quid Dei metuitis furorem? Ego Protector vester, quid timetis aduersarios? Ego amicus vobis, cur formidatis aliquid defore eorum quę possideo, nisi à me recedatis, vestrum est corpus meum & sanguis, quid famẽ timetis? Vestrum cor meum, quid veremini obliuionem? Diuinitas mea vestra est, quid miseriam horretis? Angeli mei vos accedunt vt defendant: Sancti mei etiam vestri, vt orent pro vobis. Mater mea vestra quoque, vt sollicita pro vobis mater ac pia existat. Adhæc tellus vestra est, vt in illa mihi seruiatis. Cælum etiam vobis, quò tenditis. Vestri quoq; sunt dæmones & inferi, vt eos seruorum instar pedibus conculcetis, & captiuorum habeatis loco. Vita itẽ vestra, qua lucrari licet vitam sempiternam. Vestræ honestæ sunt delitiæ, quia ad me transfertis: dolores contrà vestri, quia mei amore toleratis. Vestræ tentationes, quia meriti & coronæ vestrę caussa existũt. Vestra mors est, quia ianua futura vitæ est. Hæc omnia in me & per me vobis suppetunt: quia non mihi soli acquisiui: cùm enim carnem assumpsi, vt biscum, vt vos participes redderem dolorũ, ieiuniorum, sudoris, ac lacrymarũ, mortis quoque, nisi per vos stetisset. Qui tantas habetis diuitias, inopes non estis, nisi si scientes ac prudentes improba vestra vita easdem dissipetis. Animo deficere cauete: non ego vos deseram, tametsi probem: Vitrum est fragile, sed mea vos proteget manus. Imbecillitas vestra fortitudinem meam auget. Debilitas vestra robur meum maius ostẽdit. De peccatis ac miserijs vestris bonitas mea magis magisque enitescit atque misericordia. Nihil sanè noxium esse queat me amanti & confidenti mihi. Caue humanitus vestro arbitrio sentiatis, sed viua fide cum dilectione, non signis externis ac fictè, sed ex corde: quem amorem, & cor dilatauit in cruce pro vobis, ne dubitetis vos amari ex mea parte, cùm tot opera dilectionis cernatis foris, atque adeò cor tam cõfixum intus vestri amore. Quo modo me subducam ab ijs qui me adhonorandum quærũt, cùm & occurrerim eis qui me ad mortem inuestigabãt. Obtuli me catenis & funibus quibus colligabar: & me brachijs subducam & cordi Christianorum quibus quiesco? Flagellis commisi me & duræ columnæ, & me animæ negabo, quæ mihi obedit? faciem meam non auerti à percutientibus me, & auertam ab eo, qui felicem se æstimat contẽplari vultum meum vt adoret? Quæ hæc tam exilis est fiducia videndo me sponte mea lacerari manibus canum amore filiorũ, dubitantibus filijs, si eos amẽ amatus ab illis? Ecce filij hominum, dicite deinceps qualem contempsi, qui me adamabat? Qualem deserui qui me ad se vocaret? Quem fugi, qui me quæreret? Cum peccatoribus edebam, vocabam, iustificabam segregatos & inquinatos. Molestus fui ijs qui non quærebant me. Quæro igitur ab omnibus, quæ caussa est suspicandi obliuionem meorum, vbi tanta suppetit diligentia amandi & ostendendi amoris? Et si quando dissimulaui, non amitto, sed tego amorem: aut amoris gratia erga res conditas, quibus rebus nihil vtilius quã sua ignorare, Deoque transcribere. In hac sanè ignorantia scientia est sita: à qua dependens firma est: vt eidem seruire regnare est. Satis hoc illi sit, non in alijs situm esse manibus, quã meis, quæ sunt & ipsius, quando eius gratia clauis ac cruci eas cõmisi: imò magis sunt q̃ ipsius manus magis enim illius cesserunt vtilitati quàm proprię ipsius. Vtque sui amore liberem, & meo stet iudicio veluti in tenebris colloco, se ipse vt ignoret. Verùm si fidat nec à meo discedat seruitio, liberabo eum, & glorificabo eum, & quod promisi implebo: *Esto fidelis vsque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. Recitaui adhuc Epistolæ verba, quæ quod proposueram anteà satis exponunt.

De Crucis Christi mysterio singularis Auilæ notitia.

VIdimus hactenus quid Dei seruus *Auila* senserit de fiducia in Deum habenda, in quibus cõsistat, vt epistola iam recitata explicat. Cũque alijs rebus varijs sancti Pauli imitationi studebat (quem Apostolum tanquam magistrum & imaginem sibi ad imitãdum proposuerat) sic & æmulari in mysterij huius redemptionis humanæ per Christũ cognitione cupiebat. Qua quidem cognitione Apostolus gloriabatur, vt diceret: *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum.* 1. Cor. 2, 2. Et si verò admiranda & arcana in tertium raptus cœlum teneret, *& audisset verba quæ non licet homini eloqui*, nihilominus negat se aliud scire extra Christum crucifixum; non 2. Cor. 12, 2.

prætereà sciret nihil, sed quod ea quæ sciret, nihil essent ad hanc scientiam comparata: aut verius quòd in isto redemptionis nostræ mysterio sciret quantum opus esset ad salutem, quod totum complectitur & pertractat Theologia Christiana, hęc enim scientia duas complectitur partes, vnam speculatiuà, quæ maximè de Dei agit cognitione: Altera practica est, quæ de virtutibus agit eisque contrarijs vitijs. Et quidquid duæ hæ complectuntur partes, perfectius Crucis mysterium nobis exponit, præ libris omnibus quotquot hodiè in lucem prodierunt. Quid enim, obsecro te, magis, me erudiat, siue de Dei bonitate, siue de alijs Dei attributis, quam in cruce mori voluisse pro salute humani generis. Et, si verè idem dixit Apostolus, *Christum semetipsum dedisse pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*: (hoc est hostem peccati, & virtuti deditum) quid scribi efficacius potest ad peccata euitanda, virtutesque amplectendas, quàm Deum ipsum, è cælo in terram descendisse, mortemque crucis propterea obijsse. Rectè itaque Apostolus dixit, nihil se scire quicquam, præter Christum crucifixum. In isto enim perfectè nouerat quantum saluti ac sanctitati necessarium esset.

Theologiæ duplex.

In Crucis mysterio Theologia perfectissima.

Tit. 2. 14.

1. Cor. 2, 2.

Quanta verò lux & cognitio *Auilæ* de hoc mysterio fuerit, nescio quibus verbis exponam. Verùm qui attentè notarit quæ in supra scripta epistola cõtinentur, multa de hoc Redemptionis mysterio cognoscet: hoc est, de Dei bonitate, dilectione, & misericordia, quę in illo enitescit. Item remedij magnitudo ac solatij salutisque quam nobis peperit: & quę caussæ nobis ad amandum illum oblatæ, & ad seruiẽdum, atque illi confidendum. Verùm enimuerò, maius isto argumentum suppetit, nimirum in omnibus eius Epistolis foras hactenus datis, numero amplius centum & quadraginta, nullam esse quę non potissimum ratiocinentur ac speculentur de mysterio redemptionis humanæ. Poterit itaque iure merito cum Apostolo dicere, *nescire se aliud, nisi Christum crucifixum*. Cumque sit illud verissimum, quo abundet cor, ore eructari, satis apparet pectus eius Christo plenum fuisse, cũ talia ore assiduè proferret. Sæpenumerò itaque dicere illum memini, duabus potissimum rebus operam suam D E O addixisse: puta, *homines vt humiliaret, & Christum glorificaret* Et sanè præcipuum studium, conatus, atque contentio in concinando fuit, auditores ad humilitatem inuitare, dum abyssum altissimam propriæ cognoscerent vilitatis; magnificare contrà & ad cœlum vsque attollere gratiam atque remedia, & per Christum bona nobis acquisita. Itaque sæpiùs mortificans & veluti annihilans hominem miseriæ suæ cognitione, continuò immutat, & quasi reuocat à morte ad vitam, roborans fiduciam explicatione summi beneficij Redemptionis: docens maiores suppetere caussas lætitiæ ac fiduciæ cum Christi meritis, quàm vt in omnibus mundi peccatis animum despondeat, sed quàdo Deus luce collustraret & cognitione huius mysterij, suo deinceps dicam loco.

1. Cor. 2, 2.

Matt. 12, 14.

Auilæ quibus rebus Deo potissimum operæ addixerit.

De consilio & discretione spirituum, quam Auila tenuit.

IN officio ac munere perfecti concionatoris, qualem adhuc descripsimus, teneat necesse est præter supradicta Consilij & discretionis spirituum donum, in tanta negotiorum mole, quę passim incurrit. Habuit sanè dona noster integrè Ecclesiastes. Multi enim vndiq; affluebant consilia postulantes, & in conscientiæ dubijs definitiones.

Ne literis scribendis in hoc genere deesset, hac vsus est arte, vt in conclaui paxillo penderent nomina personarum ac ciuium, qui ad se literas darent, & sic singulis satisfactum cupiebat. Accedebant quidam, vt pia mentis ædificationi vtilia ex illo acciperent. Cuius concursus gratia lepidè de illo dixit, forum videri aut panegyrim, quo mercandi gratia conuenitur: aut aduocati similem, à quo consilium consultor capiat. Centesimo enim miliari interdum ad illum excurrebant, vt vitæ rationem modumque ab illo discerent. Religiosam vitam vt inirent suasit nonnullis vel familiam aliquam mendicantium monachorum adirent. Alijs vt vxorem ducerent, auctor fuit: quibusdam, vt sacris initiarẽtur, alijs aliud suadebat, prout res & deliberatio tulit, neque his molestis congressibus defatigabatur, imò vt sedulus operarius hanc esse Concionatoris laudẽ, prædicabat quam plurimis posse prodesse. Si dum cibum caperet, accederet, tametsi sortis humilis mensa relicta aures dabat: & hæc mirantibus dicere solebat: *Equidem non sum meus, sed eorum qui mea indigent operâ.*

Consilium datum Dñi prius inuocauit Auila, idem & cuilibet suluturo suluit. Sap. 9, 14. Eccl. 8, 7.

Illud sanè memorabile de re graui consulturũ ad precandum Deum plerumquè confugere solitum: & consultori, vt idem faceret, suadebat. Prudens enim vir, & in scripturis scrutandis versatus, scriptũ esse meminerat: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*; à Salomone quoque dictũ repetebat: *Multa hominis afflictio: quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio.* His sapienter cognitis futuros euentus soli Deo notos esse sciebat. Periculosum itaque esse de futuris iudicare, nisi Deo Opt. Max. precibus commendentur ab vtrisque, qui cõsiliũ aut darent, aut peterent. Laudare hic solitus erat regis Iosaphat auream illam sententiam: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te Deus dirigamus.* Recordabatur & erroris à Iosue ac populi principibus cõmissi, cùm Gabaonitas in castra recipissent. Scriptura verò erroris causam commemorat, quod suo vsi essent iudicio, Deo priùs non consulto. Quamobrẽ *Auila* in rebus arduis ad orandum se recipiebat.

2. Paral. 20. 12.

Ios. 9, 10. 11.

Consuluit illum fortè quidam, nec responsum placuit. Postridie verò ritè confessus sacram sumpsit Synaxim. Post vbi se meditando collegit, intus audiuit: Mihi tua voluntas & mihi, ô homo, tuum iudicium: itaque non decipieris. Hac re cognita postridie eius diei ad *Auilam* redijt, vt quod in rem esset suam, definiret, certus ratum se habiturum. Neq; verbum fecit de mentis cordisque motu post communionem, sed tandem narrando explicauit.

Vt verò consilij donũ largitus illi Deus est, sic & discretionis spirituum: qua de re exempla suppetũt, quæ referre possem, vt non esse res diuinas quas vulgus opinaretur. Sensit itaque res Magdalenæ, Crucis à dæmone esse, idq; tunc definiuit, cũ per orbem terrarum eius diuulgaretur sanctitatis opinio: dumque Cordubæ versaretur, vt eam viseret, adduci nunquam potuit.

De Cruce Magdalena quid senserit Auila.

Accidit & religiosam virginem Theresam Iesu, hoc seculo satis cognitam, Dei famulam, etsi initio, à multis spiritum eius ignorantibus, conuitijs procissam, oppugnari se videns à multis, ad fidei Quæsitorem se contulisse, rem omnem exposuisse, vt examinaret. Respondit ille, Inquisitionis officium esse hæreticos castigare qui accusarentur, verum sciret in Bætica Dei seruum esse, *Auilam* designans, in rebus spiritualibus valde exercitatum: scriberet itaque ad illum de vita sua, & quicquid respondisset, contentus eo viueret. Paruit illa, & re bene explorata longam misit epistolam, vt tranquillè ageret, neq; hic fallaciam dæmonis latere, sed Dei opus esse. Quam epistolam non apponã, quia longior est, & de spiritualibus ac delicatis tota est rebus, quæ ad omnes non pertinent.

Eius de B. Theresiam dictum.

VITÆ

VITAE M. IOANNIS AVILÆ BÆTICI,

LIBER II.

De proprijs eius virtutibus.

EGIMVS hactenus, quoad eius à me fieri rudi Minerua potuit, de virtutibus *Ioannis Auilæ*, vt Ecclesiasticæ à Deo concessis: nunc de proprijs eius virtutibus agendum esse videtur. Equidem non ignoro, priori libro de his ipsis virtutibus illi proprijs potiùs tractandum fuisse naturæ ordine, quo cuiusque propria præmitti ijs quæ sunt muneris cuiusque solent ac debent. Hoc enim ordine natura in plantis ac stirpibus producendis vtitur, quæ fructum non prius quã creuerint & adoleuerint, ex se proferant: neque animantia simul atque nata sunt, sed vbi maturam ac ceperint ætatem, generant. Verum enim verò non hic eam tenemus methodum, quod propriæ ipsius virtutes, de quibus hîc agitur, ab illius quæ spectant ad munus Concionatoris multum dependent; etsi, verum vt fatear, hæ vicissim etiam ab illis suo modo dependent.

De precandi ratione.

Zach. 12,10. DE donis quæ Deus suis elargitur, oratio est ac precatio, vt ipse Zachariæ Prophetæ ore pronuntiat: *Effundam*, inquit, *super domum Dauid & super habitatores Hierusalem* (quæ est Ecclesia) *spiritum gratiæ & precum*. Hoc illi donum largitus est Deus, qui magister & commendator huius virtutis ac eiusdem necessitatis extitit: adeoque ad virtutes consequendas duxit necessariam orationem, quantum ad fructus proferendos imber terræ: ita enim Propheta iudicabat, cùm ea careret, & Deũ alloqueretur: *Anima*, inquit, *mea sicut terra sine aquatibi. Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.* Psal. 142,6. Qui verò auet cognoscere vbi orationem commendet *Aula*, legat cap. LXX. tractatus in *Audi filia*; cognoscetque quid de ea sentiat. Verè enim fundamentum est ac basis vitæ spiritalis, quod ex officio suo semper diuinam postulet gratiam, quæ animæ vita est. Tametsi verò Sacramenta Ecclesiæ, potissimùm verò Eucharistiæ, gratiam conferre queant, id fit quando recipiuntur tempore debito: Verùm oratio omni tempore & hora interdiu & noctu, & vbique locorum gratiam potest cõferre. Hac de causa & ob fructus multiplices hinc enasci solitos eam valdè commendabat cùm concionando, tum sacris epistolis ab eo editis. Quod autem alijs commendabat, magis ipse seruabat, cumque ipse familiariter hac ipsa de re cùm illo agerem, affirmabat quibus concionaretur diebus se tot vallatum negotijs, duas quotidie horas manè oratione tribuere, totidemque sub noctem: idq; somni iactura. Ad vndecimam enim noctis cubitum cõcedens, tertia matutina surgebat, ita orandi tempus suppetebat. At vbi morborum vis (de quibus mox agemus) ingruebat, neque adeo frequenter de superiore loco verba faciebat, tum meditationi tempus id accedebat quod concionibus decedebat. Ita enim imbecilli valetudine antemeridianum tempus ad secundam vsque pomeridianam cum Deo colloqui assuetus, etiã sacris operabatur cùm pateretur ægritudo. Quo tempore nulla tametsi grauia admittebat negotia, sed à secunda ad tertiam vsque ad se venientibus sui potestatem faciebat: à sexta verò ad decimam vsque se colligebat, & cùm Deo super animi rebus colloquebatur; vt & de alienis. Erant itaque assiduæ eius vigiliæ doloris plenæ ac gemitus super populi peccatis. Illud sæpè in ore habens, imò deplorans, paucas esse viduas qualis illa in Naim, q̃ mortuos deplorarent filios: hoc est, paucos sacerdotes gemere tot peccatores in peccatis mortuos. In his vigilijs numerabat feriam quintam & sextã. Dicere enim solebat; cubitum qui concederet ac dormiret solidam noctem feria quinta cuiusq̃ hebdomadis, qua vinctus Saluator noster est, nocte adhæc illa pacta feria sexta qua mortẽ oppetijt, hũc non satisfacere magnitudini tanti beneficij. Hortabatur præterea ad Christi meditandam Passionem, de qua egit diuinitus, in aureo illo supradicto commentario in illud Psalmi quadragesimi quarti, *Audi filia, & vide*: allatis pijs ac deuotis meditationibus, & enumerans fructus qui ex hac meditatione solent colligi. Accedebant hunc Religiosi sæpenumerò ac varij status homines, vt de hac ipsa orandi virtute conferrent. Vbi illud admirandum quàm ab eo læti plerique discederent, Deum interim laudando, qui tantam affulserit lucem materiarumque copiam ac iudicium, & consilijs dandis, & commõstrando viam maximè tutam, monendo etiam quæ subesse queant pericula. Consilium autem doctrinaque eius frequens est, vt ad præcandum accedamus, audiendi potiùs quàm loquendi gratia: vtque voluntatis affectus & exerceatur magis, quàm intellectus speculatio inrendatur: quem intellectum dicere mihi solet vt stolidum alligabat, ne inter orandum ratiocinaretur. Extat eius epistola ad Sacerdotem quendam hoc simili vtens: aliud esse cùm Rege colloqui, aliud verò reuerenter & cum metu coram illo sisti. Diuersum itaque cum Deo colloqui & reuerenter eidem apparere amica voluntate ac timore eius ac respectu. Ratio hæc facilis, pia, & prompta ad singularia Dei dona recipienda, si hydropici illius Euangelici exemplo coram Christo sistatur sanitatis integræ beneficium præstolans.

Diem quemq; expende.

Eius modestia in vsu familiari.

QVemadmodum vitium nunquam solum est, sic nec virtus est, quam non altera comitetur virtus. Quare ex oratione promanabat modus & hominis exterioris constitutio, arsque agendi cum hominibus. Nec enim horologium adeò ad numeros punctaque decurrit, horasque sonitu edit, quàm huius vitæ ratio. Imò huc est perfectionis deductus, vt cùm Beatis non facilè mutationi obnoxijs participaret. In tanta enim negotiorũ molestia ac personarum, quibus vteretur, varietate, vultum non mutabat, serenus perpetuò aspectu apparens, *Grauitas Aulæ.*

idque à sui collectione hominisque interioris compositione manabat ad exteriorem. nisi enim altas intus radices egisset, facile alterari commutarique potuisset in tanta rerum agendarum copia. Versabatur interdum decem aut duodecim diebus in collegio Patrum Societatis Iesu Montillæ, quo tempore solitam seruabat modestiam serenamque grauitatem: imitatus S. Iob constantiam, cum de se diceret:

Iob.29,24. *Lux vultus mei non cadebat in terram,* significans de grauitate nihil demitti, ac vultus modo, quamuis multa inciderent. Id cùm quidam Sanctus Sacerdos obseruasset, ratus eam ab illo grauitatem seruari, ceteris vt exemplo præluceret, & domestico cuidam ipsius discipulo referret, opinionem mox mutauit, cognito familiare id *Aulæ* esse ac perpetuum vultus vbiq; seruare constantiam, vt domus etiam frequentans alienas, imò quod admirandum magis, lectulo ex morbo affixus eundem serenum vultum præ se ferret; habitu iam tempore acquisito. Quid de oculorum dicam modestia. B. Vincentius Tractatu vitæ spiritalis, religiosis suadet hominibus ne oculos longiùs proijciant quam crucifixi Domini imaginis est interuallum. Id quasi in Vincentio legisset, ita seruabat, adeò modicè lumina extendebat. Cordubæ cùm esset, cùm Patre quodam bene cultum ingressus hortum, vbi multa spectatu digna occurrerent, & ille vultum nihil mutaret pristina seruata grauitate, cùm à comite illo, vt huc & illuc oculos conijceret, inuitaretur; miti suo ingenio de more respondit. *Nihil hoc ad me pertinet.* Hoc ideirco dixit, quòd cùm cor ad Deum precando tolleret, rerum creatarũ minimè consideratione vteretur; mysteriũ Christi potiùs tunc adhibens. Si n. in hac vita Deum nisi ex effectis cognoscimus, quenam præstantior res Christi Incarnatione, vt quis ad cognitionem summi Dei perueniat? Verùm qui nondum lucem sunt adepti, qua mysterium illud cognoscant, hi rerum conditarum pulcritudine mentem ad amandum cognoscendumque conditorem incitant. Itaque sic ijs suadebat, qui sacræ scripturæ scrutandæ darent operam, potissimùm ei parti vacarent, quòd filij Dei Incarnationem, vt, ceteris paribus, vtiliorem euoluerent.

Verum ad rem vt redeam, cogitanti mihi qua ratione verbis explicarem vultus *Aulæ* honestatem, venit in mentem simile hoc pictorum qui tabellam miscent coloribus sinistra tenent, trium imò quatuor interdum colorum, hinc alium inde miscẽdo temperant quo pingant. Idem mihi videtur non sola huius forma ac figura virtutem vnam repræsentari, verum plures mixtas. Grauitas enim in illo perspecta, ea que non sola, sed comitante humanitate, mansuetudine ac facilitate non ficta. Hæc enim quiuis prudentia peritus oculos in illum conijciens facilè animaduertebat. Scriptum est enim: *Ex visu*

Eccl.19,26. *cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Et alibi Salomon ait: *Quomodo in aquis resplendet*

Prou.27.19. *vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Oculi enim nostri fenestrarũ sunt instar, per quas animi affectiones, perturbationesq; cordis apparent. Neque minor eius in verbis modestia quam in ceteris relucebat. Iocosum enim verbũ & dicterium non iaciebat. Itaque intelligebat illud

Ephes.5,4. Apostoli, *scurrilitas quæ ad rem non pertinet:* quod sic exponere solitus, ridicula ad vitæ Christianæ grauitatem nihil pertinere. Risus eius talis, qui vt de B. Bernardo refertur, calcaribus magis indigeret quàm freno. Equidem testis sum huius rei oculatus nisi enim familiarius eum nollem, quàm interdum visitando, falli sæpenumerò potuissem. Verum cùm dies plurimos illo vterer, vt suprà dicere memini, communi versans sub tecto & mensa, admirabar frequenter eodem perpetuo semper vultu apparere. à cibo fere iocis indulgent homines aut risum soluuntur; illum verò numquam animaduerti à prandio vel cœna alio vultu, quàm si à precatione surgeret. Hinc factum est omnes illo libenter vti solere, idque reuerenter & honoris significatione neque hi solùm familiares, sed & nobiles atque antistites quos venerabatur. Frons enim, vt ita dicam, inscripta quid intus lateret proferebat. Vnde in ore illud frequens plerisque fuit: *Hic solo nos aspectu ad pietatem commouet.*

De Paupertatis virtute.

EVangelicæ prædicationi quàm coniuncta paupertatis virtus sit, Seruator ipse declarat, ad Euangelizandum mittens discipulos. Quamobrem, vt antea dicere memini, noster hic Ecclesiastes, cùm se huic muneri destinasset, initio omnibus se bonis hæreditate acquisitis abdicauit. Prætereà nihil vnquam possedit, nec accepit dum viueret præter paucos libros & ad sacrificandum necessaria. Memor adhæc Christum Dominum quem adamaret, nudum de cruce pependisse, quod reliquum seruabat discipulo cuidam, tabulis publicis legauit, sexennio antequam vita abiret. Sacerdotia Canonicorum etiam precario oblata constanter recusauit? & in aulam regiam ob vitæ innocentis famam doctrinamque euocatus modestè semper eò proficisci refugit. Tametsi verò maiores in aula fructus colligere posset, quod ibi iustitiæ fons, reique publicæ administratio sedem habeat, communi tamen seruire istic vtilitati noluit, ne solitudinem in discrimen, in tanta negotiorum mole quibus aulici viuunt obnoxij vocaret; vsus consilio quod suis Ecclesiastis dare solebat, hac plerumque vsus formula; *Liberos plures quàm lacte alere possumus, aut negotia quàm sustinere queamus, ne appetamus.* Qua se alebat potissimum fides extitit ac fiducia constans prouidentia paternæ in Deo Opt. Max. Exponens itaque Cordubæ Clero Theologiam, exhibuit Biblia exili forma secum gestare solitus, apertoque libro Euangelij in illum locum incidit: *Quærite primum regnũ Dei: & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Notasse se vngue dicebat locum, & verbis Christi ac promissis freto, numquam suæ vitæ necessarium quidquam illi ad hanc diem defuisse. Cui rei firmã dæ mihi semel retulit; si quis Genuensis trapezita scedula idem promitteret, cautum satis sibi opinaretur nihil vnquam defuturum: quanto verò iustius fidendum Dei verbo, ac promisso Filij Dei, quòd adeò certum est, quod ipsa testatur Veritas; Cœlum & terram transitura, Verbum autem Dei non item. Familiari item suo discipulo dicere solebat, Christum plane illud adimplêsse, quod in Euangelio promittit; *Qui reliquerit ea, quæ possidet, centuplum in hac vita accipiet,* vt nihil in vita illi defuerit, imò multa sit largitus, quibus alijs prodesse, opemque in necessitate adferre posset. Potuit itaque iure cùm Apostolo dicere: *Ecce viuimus sicut egentes, multos autem locupletantes:* summa enim sollicitudine pauperum inopiæ succurrebat, & quidem in nosocomijs. Vrit enim vehementer vt Xenodochium Granatæ maximum non procul à cœnobio S. Hieronymi excitaretur? Quotquot item ab impura redire vita ad frugem vellent, Deoque obsequi, hunc sunt experti patronum, non modò animæ saluti, verumetiam corpori necessarijs. Equidem memoria teneo missam à me quandam Granata quæ in melius vitam instituere certa, benignè ab illo accepta est, & necessaria vitæ illi curauit. Suppetebat enim illi DEI benignitate, voluntariam ditando paupertatem quam eius nomine susceperat. Neque spiritus pau-

Luc.4. *Hæreditate se abdicauit.* *Aulæ.* *Canonicum refugit.* *Aulam fugit* *Fiduciam quantam in Deo habuerit.* Matt.6,33. Marc.13. Matt.19. 2.Cor.6,10. *Aulæ paupertatem.*

pertate

pertate contentus, corporis etiam cõplecti ſtuduit. Induebatur itaque vili tunica, veſte attrita, nouam verò inuitus geſtauit. Iuſsit & Gaſpar Granatenſis Archiepiſcopus, vt famuli pileum furtim ſubleger- *veſtitus Auilæ.*
rent, vel pallium vetus, nouumque ſupponerent. Nobilis quoque matrona pietati addicta vetus illi pallium clam abſtulit, & nouum viciſsim repoſuit. Cumque manè pallium requireret ingeminando illud: *Redde mihi pallium:* neque erat qui morem gereret, ſperabant enim fore vt neceſsitati pareret: ſed minimè ſuffecit: vigilia enim Natalis Chriſti ſuppelliceum, vt vulgò nominant, antiquo induxit veſtimento, quo vtebatur: itâque ad veſpertinum abijt officium. Quo conſpecto veterem illi chlamidem reſtituerunt. Interrogatus à diſcipulis quomodo Hiſpali concionari incipiens rem geſsiſſet, nondum adhuc notus quî poſteà innotuerit? reſpondit ille, tenuiſſe ſe caſis cum Sacerdote vno, nemine famulante. Sacris item operaturus obuium rogabat, ſacro ſe adminiſtrum præberet. Ad victum autem quod *Victus.*
attinet, veſcebatur ijs quæ per vicos venderentur, lacte, Punicis malis, ac fructibus crudis igni minimè appoſitis. Pij aliquot tamen interdum eleemoſynã qua illa coemeret mittebant. Cubiculum & lectus, quæque domui vſui eſſent, pauperis odorem proferebant. Tantusq; huius extitit virtutis cultor, memoriam repetens inopiam Chriſti Domini ſummè ab eo dilecti, qui natus vixit & obijt egenus ac nudus, vt & oſtiatim eleemoſynam acſtipem quærere optaret, tanquam verè pauper, niſi amici prohibuiſſent. Hinc cum illud aliquando apud illum referrẽ, ſanctum Franciſcum adamaſſe ſuisque commendaſſe paupertatem ob bina eius bona: quod radix malorum, quæ eſt auaritia, ſic reſecetur, deinde quod contentus religioſus ijs quæ omnino neceſſaria ſunt (quod rarò accidit) liber euadat & expeditus quò ſe meditationi rerum cœleſtium totum impendat, vtpotè qui cum terra nihil habeat commune. Adhæc ille reſpondit, non fuiſſe illam principem cauſſam S. Illius Patriarchiæ, ſed potiùs ingentem quo flagrabat amorem erga Chriſtum; itaque videns illum naſci ac viuere perpetuò inopem, vt vbi caput reclinaret non haberet: præcipuè verò in cruce mortuũ, ideoque viuere ſe nolle ac mori niſi quomodo dilectus eius Chriſtus vixit mortuusque eſt. *Matth. 8.*

De abſtinentiæ virtute.

ABſtinentia ſoror ac ſocia eſt paupertatis neque enim inops lautos habet cibos, nec eos tolerat abſtinentia, ſic altera alteri opem fert; *Auilæ* autem abſtinentia ſimilis erat Apoſtoli, cuius hæc ſunt verba: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Quare tuendæ vitæ neceſſaria ſumpſit; non tamen quæ gulam irritarent. Conuiua itaque vocatus, & lauto conſpecto epulo, dicere ſolebat: *Coquinaria adferantur.* veſci enim niſi aſſuetis cibis nolebat, quantum corpori alendo in Prædicationis officio eſſet ſatis. In quibus & deeſſe ſibi aliquid ſæpè ſinebat, à Dei potiùs prouidentia, quàm humanis adminiculis ſubſidia ſperans. Granatæ etenim æger carnis indigens eſu, Marchioniſſa Mondejar ſermonum eius fructu partim conſpecto, partim viriũ ex ægritudinis imbecillitate, dicebat carnis eſum illi in Quadrageſima indulgendum; ne quod maius minori amitteretur; cui ille me præſente ſic reſpondit, ſe Concionatorem indies teſtari ac promulgare fauores & ſubſidia diuina, naturam excedentia; æquum itaque bonumque opere & reipſa id teſtatum faciat, quod verbis prædicat? In multis Deo fretus quod in humanis remedijs incommoda interdum mali ſpeciem habentia eueniant, vt verbi gratiâ, Quadrageſimæ ieiunijs, carnibus veſci, qui abſtinentiam de ſuperiore loco prædicent. In cibis quotidianis cauebat, illum cibum poſtulo, aut illũ, dicere, ſed quod ante poſitum erat, edebat, niſi, vt diximus, delicatè nimis coctus eſſet. Fortè cùm apud nos cœnaret, appoſito cibo quodam, ſimulque falſo piſciculo ſardino, cuius eſu delectabatur, Puer q miniſtrabat, ignorans ſcutellã abſtulit: ille ſolita ſua manſuetudine nihil dixit aliud, quàm, *Fiat vt vis.* Simplex ea vox ſatis oſtendit, quam reſignatus eſſet, voluntateque ſubacta, vt ne cum puero quidem contendere vellet, aut iubere, nedum ſcutellam auferret. Si miniſter vir fuiſſet, equidem non mirarer, noluiſſe obſeruari cibũ aliquem à ſe appeti: verùm in puero eam ab eo exhibitam moderationem ſanè admirandam. *Auilæ ager carnis in Quadrageſima recuſat.* *Quanta in Auila reſignatio.*

Vinum bibebat non merum, ſed mixtum, primoque guſtabat, an ſatis aqua temperatum eſſet, memor beatum Auguſtinum ſe in Confeſsionibus accuſaſſe vt verè humilem, vt longè ab ebrietate alienum, quod temperantiæ aliquando fines exceſsiſſet. Quamobrem *Auila* examinabat prius quod eſſet bibendum, tui vt compos maneret, neque in ſtudijs ac quotidianis operibus deficeret. Nam, vt beatus ſuadet Hieronymus, poſt cibum & legere licet & orare. Verum à cibo quotidiano ſilentium tenere hortabatur: quod tunc frena linguæ laxare homines ſoleant, aut poſt cibum etiam contendere conſueuerunt.

De patientia in morbis tolerandis.

AB his virtutibus ad difficiliores maioriſque meriti tranſeamus, vt in tolerandis rebus arduis ac difficillimis, in quibus virtutis apparet ſinceritas. Quando Dominus hunc ſeruum carere patientiæ corona noluit, neque alia graſſari via, quam crucis. Dicam itaque primum de patientia ęgritudinis, mox in tolerandis iniurijs, quę patientia maioris ſit meriti ac perfectionis.

Poſt quinquageſimum itaque ætatis annum morbis cœpit conflictari. Nam fructum hunc cepit aſsiduarũ ad populum concionum, & longarum, quas ingenti ſpiritu ac feruore quibus corda commouebat, profudit. Hic enim interiora ipſius concutiebãtur, quibus humanum conſtat corpus, ſtomachi amiſerat appetitum. Huic malo acceſsêre renum dolores & arthriticus morbus, ſeu podagra, cum acutiſſimis morbis in brachiorum crurumque neruis. Adhæc febribus acutis laborabat. Familiari cuidam diſcipulo, qui eum curabat, dicere ſolitus, melius ſecum agi, cùm tam ingenti labore, quam cùm febribus laboraret; potiſsimùm verò quia Seruator noſter ingentes pertulit dolores, febres verò multis diei horis occupatum tenebant: dolores verò acuti ſex ferè horis pungebant. Quibus horis tranſactis Canonicas recitare horas, legere, & aures proximo dare conſultantibus poterat. Hinc ſolet febres impedimenta nominare, dolorem earum nihil curans, ſed temporum iacturam, quibus bona opera intermitti ſolent, cuius grandiorem quam doloris ſenſum præferebat. In dolorum ſummo gradu ac morborum illud in ore frequens fuit: *Domine auge dolorem, ſed & patientiam.* Medicinam medici adhibebant, & qui adſtabant Lytanias recitabant, nec dolor ceſſauit, quos ſic affatus eſt: *Fratres ita fiat neceſſe eſt, dum placet Domino.* Dolor vbi remiſit, familiari ſuo narrat diſcipulo, nocte ſe quadam ſimiliter laboraſſe, & fratres qui miniſtrabant, defeſſos, ſomno captos, & extincta lucerna, dum creſcit dolor ne ſuos ſomno excitaret, ſolus tacite dolorem pertulit. Victus tandem vi doloris rogat Chriſtum, auferret illum. Statim ſomno breui correptus, ſine dolore euigilat & agoniæ expers. Dixit autem ſuis: *Quo me colapho hac nocte Chriſtus excepit!* Notanda ſanè vox, & ſermo, quem caro & ſanguis non intelligant, *Morbi Auilæ varij.* *Febres cur impedimenta vocauerit Auila.*

ligant, sed vir ille cognoscebat, intelligens quantũ sit in doloribus meritum Patientiæ. Videbat etiam hoc postulando partem se meriti amisisse, simul etiam agnoscebat à Deo se humiliatum, & imbecillitatis sensum sibi datum, quandoquidem vt infirmus onus recusabat. Sic & philosophando dixit aliquando, cùm morbi vis vrgeret: Deus profectò vsque eò admirandus in ægroto delitescente, quantum in Concionatore in cathedra perorante. Scire qui volet quamdiu morbis est conflictatus, respondeo, annos amplius septemdecim quæ res magnam mihi concitauit admirationem, persuasitque Deo placere dolores patienter toleratos, cùm tot annos *Auilæ* munus Deo adeò gratum obiuisset, hoc est, Ecclesiastæ, tantasque animas lucrifeciisset, totque formasset discipulos & auditores, studia promouisset, dies noctesque sudando, & tantam laureolam sibi parando, quot animas peccati luto, extraxit, post tot merita, quando in senio post tot labores quiescendum esset, maiora illi præmia Deus destinauit, quam hactenus commeruisset. In illis enim gustum atque solamen; in his verò maximos percepit dolores. Vnde colligo quantum sit in laboribus meritum, quando plena manu (quod aiunt Deus in huius serui effudit sinum. Probat Seneca dolores & infortunia vitæ huius mala non esse, quandoquidem M. Cato ea perpessus sit, quem ille virum bonum esse existimabat. Quanto nos iustius idem dixerimus, quia tot tantaq; aduersa Deus huic famulo immisit. Deus non fert gratiam suam ac beneficia otiosa esse. Mercatores pecuniã in arca otiosam iacere nolunt, vbi nihil est lucri, sed negotiantur & permutant vt nummos augeant: sic & Deus sibi gratiam abundare videt, materiam exercendi talenti obijcit: neque maior lucri seges quàm ex aduersis patienter toleratis. Vt enim Apostolus ait: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Inter innumerabilia huius rei exempla non postremum illud S. Laurentij Martyris supperit, qui ter virgis cæsus immaniter, & varijs flagellis dicendo: *Iesu bone accipe spiritum meum*; vocem cœlitus audiuit; *Multa adhuc restant tibi certamina.* Hoc Deus pronunciat quod Martyrem vt fortem cognosceret, gratiaque plenum, ad maiora toleranda, &, ne coronæ amitteret augmentum patiendi vberiorem materiam largitur. Argumentum verò dolorum hanc esse causam, cur à Deo seruis suis immittantur, patientia est, & quia ei complacitum est in eis. Dominus enim piè in vtroque suis consulit, labore simul & patientia, vt in *Auila* nostro iam ostendimus. Singulare verò illud, in medio morborum proximis prodesse qua posset non desisse, qua hortando velatas virgines in cœnobijs, quarum curam gerebat tanquam sponsarum Christi, qua consolando & erudiendo plurimos quæ ad salutem necessaria, plurimas adhæc epistolas spiritales (in quibus gratia Dei plurimum valuit, vt & spirituum discretione) conscripsit, quæ medicinam opemque in re necessaria spiritu adferrent, dolores mitigarent, quòd essent ipsius manu conscriptæ. Sic enim vi quadam ac spiritu solari nouerat, animumque addere ijs qui his indigerent subsidijs. His occupatus in medijs doloribus atque ægritudine non hic substitit, sed & festis solemnibus potissimùm verò SS. Sacramenti Altaris, vel B. Virginis (quæ festa religiosissimè colebat) cubitu surgebat, vires Domino largiente, qui & morbum indulserat. Concionabatur plerumque octo conciones singulis octauæ Eucharistiæ diebus, idque tam valido corpore, vt æger minimè appareret. At octauo iam die elapso ægritudo redibat, idque per annos aliquot obseruatum & illud extremæ vitæ conciones ceteris feruore vehementiores visas esse.

Septendecim annis morbis est conflictatus.

Deus cur amicis suis aduersa immittat.

2. Cor. 4. 17

De tolerantia in aduersis.

ETsi verò hoc patiendi genus ingẽtis sit meriti, maioris adhuc aliud est, iniurias æquo animo perpeti. Quàm virtutẽ ornare Deus in *Auila* corona voluit, suoq; signaculo obsignauit, calicẽ propinans quem ipse hausit, dicens: *Non est seruus maior Domino suo; si me persecuti sint, & vos persequentur*, & si verba mea calumniati sint, calumniabuntur & vestra. Sic enim *Auilæ* vsuenit, cùm verba calumniarentur, & ad fidei Quæsitores delata, dicerent salutis portam diuitibus claudere, & id genus alia. Iusserunt itaque Quæsitores fidei Hispali dum causa expenditur, custodia eum claudi. M. Parraga regens collegij nostri S. Thomæ in viuis tunc erat homo literatus, grandi ætate, ac sanctimonia: cognita *Auilæ* virtute ac sanctitate, fructu denique ipsius doctrinæ, narrauit mihi consilium sibi datum testes examinare desineret, adferens illud, vt quis ad legitimam sui defensionem oppugnantem occidere potest, cum moderamine, vt loquuntur, inculpatæ tutelæ; sic & testes impedire se infamia notantes posse. Sed ne hac quidem ratione, neque alia adduci potuit, vt illo vteretur inuento: affirmans se Deo niti, suæque innocentiæ, hac se saluum fore. Quandoquidem Deus, teste Augustino, nec amat, nec deserit præcipuè in tribulatione. Imò in Psalmis ait de iusto: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Seruauit id acuratè in *Auila*, qui ex hac calumnia probatus, & fide plenus euasit, iubentibus Quæsitoribus fidei, vt festo die in eodemque templo vbi prædicare solitus erat, ad S. Saluatoris vasto tẽplo & collegiato Hispalensi concionaretur. In cathedra simul apparuit, tubis ac tibijs ingens datus plausus ciuium magno solatio. Vt verò Saluatori placeret verba facere cœpit, auditores adhortans preces pro se calumniantibus funderent.

Auila carceribus mancipatur.

Ioan. 15.

Psal. 90.

Cum plausu liberatur.

Verùm ne hoc quidem tempore otiosus erat, nec oblitus eius Christus est, qui consolari solet eos qui pro nomine ipsius patiuntur, vt quemadmodum Propheta ait Regius, *secundum multitudinem dolorum consolationes animam lætificant*. De hac ipsa re familiariter aliquando mecũ colloquutus dixit hoc tempore Deũ benignum erga se extitisse, idq; in pretio habere dũ mysterij redemptionis humanæ cognitionem tum suggereret. Hi enim thesauri sunt in Christo nobis ad sperandum & amandum, & animum in Deo exhilarandum, & lęto animo perpeti aduersa pro illo; custodiam verò illam felicem sibi reputabat fuisse quod paucis diebus plusquam annis aliquot studiorum hoc mysterium euoluisset. Apparet igitur parem gratiam illi tum Christum præstitisse quam Hieremiæ Prophetæ. Hic enim veritatem publicè profitendo compedibus vinctus solatium Dei sensit cum ingenti ac læta apparitione, his verbis: *Clama ad me, & exaudiam te & annunciabo tibi grandia & firma quæ nescis.* Ostendit ibi instaurationem Hierosolymorum post Babylonicam captiuitatem, mundumque reparandum Christi Domini aduentu, verbis sanè id grandibus eiusdem capit. XXXIII. exaggerando. Hic enim Dominus consolari suos solet etiam captiuos lumine alliciendo, cognitioneque redemptionis humanę, quę summa religionis Christianæ Philosophia existit. Non defuère persecutiones aliæ æmulationesque. Nec enim frustrà Saluator ait: *Si patremfamilias Beelzebub vocarunt quanto magis domesticos.* Si inuidia eũdem Dominum adeò pressit vt ad mortem deduxerit, (animaduertit & hoc Pontius Pilatus, *quod*

Quod emolumentum ex captiuitate reportarit.

Psal. 9. 13.

Hier. 33. v. 3.

Matt. 10. 25

Matt. 27. 18. Marc. 15. 10

per

per inuidiam tradidisset eum.) Ecquid mirum eadē & familiares eius vrgeri. Rectè dixit Seneca Philosophus: Si nullos tibi inimicos facit iniuria, multos facit inuidia. Idem *Auilæ* vsuenit: quidamenim Concionatores fama ipsius incitati & auditorum perspecta frequentia, itaque se negligi, aliorum felicem successum, iniuriam sibi interpretabantur, hoc verme inuidiæ arrodente viscera, vt vipera quæ matris vnde nascitur ventrem perrumpit. Tales qui repugnent plures in vita expertus est, potissimum concionandi initio; donec tandem virtutis exemplo inuidiam superauit. Attamen animi tranquillitatem propterea non amisit, pacemque semper seruauit, neque æmulos verbis oppugnauit, imò qua poterat verbis placebat, spinasque cordi exemit. Adhæc quia nocere studebant re, hæc illi bene merendi de alijs materia fuit. Norat enim (vt sæpè ipse per epistolam scripserat alijs, verboque de superiore loco docuerat) proprium id esse filiorum Dei munus, petras in panem conuertere, & venenum in medelam, adeoque in virtute crescere qua alij decrescerent. Ostendit itaque familiari cuidam discipulo, vtilitatem quam inimicorum æmulatio animæ suæ peperisset.

Patitur inuidos.

De pietate eius erga B. Virginem.

AGnum cùm adamaret *Auila*, quem quoque coluit genitricem, hoc est vt filij erat studiosus, sic & matris fuit. Tantum est enim filium inter & matrem vinculum, vt qui alterum amet, vtrumque amet necesse est. Filius enim eiusdem substantiæ vt homo & carnem à matre traxit, vt qui filium amet, matrem adamare sit necesse. Hinc granditatem, dignationemque B. Matris scrutabatur, ratiocinando ducto argumento à filij dignitate vt quo matrem cognosceret. Nam Catholica religio, omnisque adeò Theologia Christi Seruatoris exaltat Incarnationem supra humani intellectus vim & Angelici. Cùm enim dimittere se Deus voluerit, humanam vt carnem nostram indueret, talem etiam genitricem esse oportuit quæ nō dedecori esset, quin potiùs decus & gloria, hominem ex ea fieri, qui natus est, Dei filium. Vnde & dignitatē vicissim matris cognoscimus: cùm enim Deus matrem qua nasceretur elrgeret, talem esse decuit, cui honori quoque esset filium talem peperisse. Cognouerat id probe Ecclesiastes noster, vt hinc Virgini deditus ac deuotus extiterit. Apparet hoc, testatumque reliquit concionibus quas ad populum habuit, suntque in manibus. Dicendum itaque hoc loco de hac eius deuotione nonnihil. Verba faciens Granatæ rogatus vt pro concione populum hortaretur, vt eleemosynis fabricam templi maioris, quæ tunc exstrui in B. Virginis honorem cœpta, iuuaret: cùm inter alia dixit: Equidem adero fabricantibus & ingentem lapidem humeris tollam, qui ponetur fundamento templi in honorem Deiparæ Virginis. Quibus verbis eam vim Deus addidit ceterisque adiunctis, vt magna pecuniæ vis supra quàm dici potest, colligeretur. Inopes à pecunia, per auctionem sua distrahebat ad templi architectonicam. Quoties item idē repetebat abundè collectum. Suadebat assiduè concionabaturque ingenti spiritu de pietate erga matrem Dei. Virginibus virginitatem suadebat integritatemque, vt plurimæ seculo valere iusso, etsi in dignitate essent, seipsas castitatis voto obstinxerūt, aliæ etiam religiosarum sese septis incluserunt. Hispali quid accidit? Princeps inter ciues vxorem tollere Zelotypus decreuerat. Consulit *Auilam* qui fortè occurrerat: & in proximum digressi templum hominem auscultabat, dissuasitque necem magna verborum vi: cumque nondum satis persuasisse videretur, hæc subiecit: *Doleo sanè mea tibi consilia parum prodesse. Et quamuis audiendo fessus es, rogo tamen genibus aduoluaris ad hanc B. Virginis imaginem supplicter rogando, hanc tibi animi affectionem auferat.* Paruit ille, sensitque confestim remedium, dolorisque leuationem, vt mox *Auilæ* significauit: & vterque Deo gratias egit pro hoc singulari beneficio, odio iam sublato suspicioneque falsa vxoris.

Ad B. Virginis Ecclesiæ constructionem magnā pecuniæ vim colligit.

Quam deditus Eucharistiæ Sacramento fuerit.

DIximus supra quo lumine intellectus mysterium hoc Incarnationis Christi cognorit *Auila*: eadem luce ac gratia donatus à Deo ad sanctissimum altaris Sacramentum cognoscendum. Neque id mirum quod inuicem hæc nexa sint. Qui enim Dominus oblatus est in Caluariæ monte, idē se in Missæ offert Sacrificio. Admirandus itaque in pietate & cultu huius extitit Sacramenti: qui cultus augebatur solatio ac gustu panem hunc Angelorum sumendo. Et quamquam duo hæc mysteria valde illum inuitabant, consolabanturque: incarnationis tamen fidem habebat & quidem vitam, sed Eucharistię præter fidem etiam gustum experimentumq; quotidianarum consolationum ac fauoris Dei. Et hæc quidem tanta fuere, vt concionando semel ingenuè prædicārit, experientia se huius virtutis & effectu, quem Sacramentum hoc in anima operatur, non modò non difficilem esse fidem diuini huius mysterij, imò & facilem ac periucundam. Cùm sit autem vetus hoc verbum verum: *Narrat quisque vt gesta in foro res est*, quo benè in hoc Sacrosancto Sacramento illi cessisset, sic & altissima grandi spiritu, de eius prædicabat dignitate. Neque contentus viuæ vocis laudibus, conscripsit & centum amplius folia in Euangelium festi Eucharistiæ: quæ folia familiares eius discipuli possident. Neque solus hoc fruebatur cibo sermonum, sed & cum fratribus cō municabat, id est, sæpenumerò hortabatur ad frequentandam Eucharistiæ communionem, & eo quidem tempore cùm rarissimè vulgus communicaret. Quam ob rem aduersa multa perpessus est & calumnias cùm Antistitum, tum personarum quæ à frequenti horrebant communione, non tanquam ob rem nouam (quandoquidem cum ipso cœpit Euangelio Apostolorum temporibus) sed quod hominum improbitas ac desidia nouam rem finxerat per se antiquam, maximeque rei Christianæ vtilem. Verum cum mundi sensu non regeretur *Auila*, sed veritatis spiritu qui cor eius occupārat, eodem ipso fretus spiritu seculi se fluctibus obiecit, procellas felices interpretans, hac de causa in se concitatas. Præterea fidelium pietatis excitandæ per octo Festi Eucharistiæ dies concionari solebat, vt suprà retuli, curabatque festi huius solemnitate augustam haberi vbique supplicationem. Adhæc dum Granatæ concionatur, quinta quaq; feria in sacrario templi maioris concionabatur de Eucharistiæ Sacramento, quo frequens, etsi festus dies non esset, populus affluebat. Vtque pietas hominum cresceret, crebrò ad summos scripsit Pontifices rogando iuberēt quinta quaque Septimanæ per annum feria horæ recitarentur de sacrosancto Altaris Sacramento. Hortabatur & Sacerdotes familiariter ritum exponens, quaque reuerentia se ad celebrandum festum diem sacrum que compararent. Suos insuper hic discipulis ac concionatoribus auctor fuit, hortarētur concionando ad frequentem Sacramenti vsum: quo modo multos sibi adiunxerunt, animisque medelam attulerunt. Quo factum est, vt ipse suique magna à Deo sint præmia consecuti. Verum enim verò ita frequentari iussit Sacramenta, vt ad vitam cuiusque ac mores respectum haberent, pro frequentantis cuiusque

Prater fidem etiam gustū in Eucharistia Auila habuit.

Scripsit in Euangelium festi Eucharistiæ.

Act.

Per octauam venerabilis Sacramenti conciones habuit.

Pro officio corporis Christi quæ quinta feria recitādo instituit.

iusque emolumento. Et sic prudens confessarius licentiam aut daret aut negaret communicandi. Perspicuum ex epistolis ab eo datis ad Ecclesiastas super hac re prudentia refertis ac iudicio, vt qui harum rerum magnum haberet experimentum.

Quanta cum deuotione celebrarit,

Missæ celebrabat officium fusis tot lacrymis ac pietate, quam incuteret etiam audientibus. Ita sacris semel operatus discipulorum vni dixit: *Opto Missam semel bene peragere.* Alias verò eidem dixit: *Cum Missam celebrare desij, os aperire nollem.* Interpretetur hoc dictum quisque pro suo arbitratu. Refert D. Bernardus, *oris instrumentum cor euacuare posse*: & fortassis ideò dixit, optans os claudere furni, vt amoris ignis, qui hoc Sacramento accenditur, foràs non erumperet, aut ideò dixit, quod pio homini videretur aliud quid indignum esse ingredi quò Deus iam intrasset. Solitus ad hæc dicere, optare se vt dum viueret domum incoleret, in qua fenestra ad sanctissimum Eucharistiæ respiceret Altare. Sanè desiderium hoc è studio & amore natum: qui amor tum demum delectatur, cùm re potitur amata. Nunc Deus voti compotem fecit, cùm facie ad faciem videt: etsi exultabat sub velo cernens quo nobis hic Christus apparet, quid erit absque velo in sua gloria ac pulchritudine facie ad faciem contemplari.

Dixit fortè ei è familiaribus vnus: *Domine, vtinam à Christianis vrbs Hierusalem possideretur, vt paulatim eò commigrare liceret, sanctisq; illis locis emori, vbi Christus nostram operatus est salutem,* audita re, solita animi pausa reposuit: *Nonne habes sacrosanctum Altaris sacramentum? Eius dum mihi venit in mentem, quæcunque in terris sunt fastidio.*

Nota singulare eius desiderium erga hoc Sacramentum.

Non hæc capiunt omnes nisi qui gustum habent, Dei benignitate, panis Angelici ac cœlestis, ac luce singulari illustrantur, vt ingentem Dei dilectionẽ agnoscant, quam ostendit nobis in hoc Sacramento Altaris. Volens diuina maiestas, quæ in cœlis Angelos exaltat, in terris cum peccatoribus degere, & in nostris habitare corporibus atque animis, vt sanctificet, similesque sibi reddat vitæ, hic innocentia, & post in gloriæ æternæ magnitudine. Hac enim re cognita non modò viua fide, verumetiam experimento ac lumine singulari Spiritus sancti; mirandũ non est, dixisse etiam *Auilam*, dum diuini meminisset Sacramenti, omnia se mundi fastidire.

Magnus ei erat ardor quotidie cõmunicandi pane cœlesti: cumque ægritudinis gratia atque imbecillitatis quibus affligebatur opus esset ad secundã horã aliquid gustare aut ad tertiam in aurora, breue diploma à Pontif. obtinuit, vt ante illas communicare liceret horas. Quod breue diploma P. Salmeron à Paulo IV. Pont. obtinuit anno M. D. LVIII. beatissimum Patrem instrues super meritis ac morbo *Auilæ*. Qui illi concessit post duodecimam mediæ noctis sacris posse operari, aut sacrificantis manu synaxim accipere.

Pontifex ei indulget vt post duodecimam noctis horam celebrare possit.

Denique eo erga Eucharistiæ Sacramentum studio fuit, vt illi relaxationi & morbi leuamento esset pia conscribere. Cumque addictus huic in primis esset Sacramento, sic erat etiam mysterio Incarnationis Christi, ac B. Virgini, vt iam diximus, dicere solebat, vt si per omnem vitam scribere de his tribus vellet rebus, argumentum defore nunquam. Idem & de Spiritu S. dicere solitus est, cũ toties experiretur effecta atque animæ influxum, hinc illi nata deuotio est, vt ne de Spiritu sancto defuturum quod scriberet, nec de tribus supradictis quod prædicaret. Deuotio etenim vt à sanctis dictum Patribus, lingua est animæ. Cernas itaque si pia sit mens, pia plurima ex corde Deo proferri, quòd alias non posset. Nihil itaque mirandum, pium hunc *Auilam* erga supradicta quatuor, Eucharistiam, Christum, eiusque Matrem, ac S. Spiritum scribendi semper ac dicendi materiam abundè suppeditasse.

DE CONCIONIBVS SACRIS eorumq; fructu.

CAPVT IV.

DE iusto scriptum est eum instar esse arboris ad aquæ riuum plantatæ: *quæ fructum dabit in tempore suo, & folia eius non deficient, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur.* Age videamus, quẽ fructum tulerit arbor ista ad marginem posita aquarum sacræ Scripturæ decurrentium, auctaque gratiæ imbribus, & aëre, ac vento sancti Spiritus, laboribus exculta, ac virtutum exercitatione. Hac enim perfectione acquisita suo emolumento fructum proferat necesse est, & commodum alijs conferat. Quod illi negotium studio cùm esset, ex quo de superiore loco verba facere cœperat, hoc est, vires omnes impendere, studia item ad Dei obsequiũ & animarũ vtilitatẽ, visus ei fuit eo consilio locus deligendus, vbi maior & laboris vis, esset, maiorq;, necessitas imperideret, honoris verò minimũ & applausis sæcularis offeretur. Ad Indos itaq; nauigandum duxit. Cùm ecce commoda illi fuit oblata occasio, vt coniungeretur contubernio Episcopi Tlaxcalæ, qui secum *Auilam* ducere in Indiam voluit. Venit itaque hoc consilio Hispalim, & nauigandi tempus opportunum præstolans ibidem se ad nauigationem comparabat. At Deus qui alteri eum destinabat loco, quique sæpenumerò voluntatem suam declarat, efficiens vt nostra expleri non queat, conatus huius noua ratione euertit. Dum enim moratur tempus vt se viæ committat sacris operabatur quotidie in tẽplo quodam, ea pietate ac reuerentia, lacrymarumque vi, vt cùm P. Contreras, magnæ vir auctoritatis ac virtutis, hac arrepta occasione, familiarius cũ illo agere cœperit, & explorare, quid animo agitaret. Qua re cognita auertere illum ab ea studuit, asserẽs in Bœtica sat negotij suppetere, vt Indiam adire necesse non sit. Verum cum mutare nollet ipse propositum nec socios viæ deserere, accessit P. Contreras. D. Alphonsum Manriquium Archiepiscopum Hispalensem, & Quæsitorem fidei generalem; certiorem eum faciens de *Auila* & fructu quem ab illo sperare posset diœcesi Archiepiscopali: suadens vt ad se accitum vocaret, cogeretque obedientiæ vi ibidem manere. Euocato itaque P. *Auila* adferente illa quæ iam diximus, ac se omni quapoterat, ratione excusante allatis interim varijs rationibus, tandem Spiritus sanctus, qui per Pontifices voluntatem sæpenumerò aperit suam, ita erga *Auilam* affici cœpit, vt vi sanctæ obedientiæ mandaret in Archiepiscopio, vt accidit, domicilium caperet, moxque cathedram ad concionandum conscendere iubet. Etsi verò detrectaret id ille vt tyro adhuc in hac arte, mos tamen fuit Præsuli gerendus. Habitaque Concio prima in templo S. Saluatoris festo Mariæ Magdalenæ die, præsente Archiepiscopo illo Hispalensi cum nobilitatis flore. Narrabat postea suis discipulis *Auila*, anxium se priusquam conscenderet pulpitum, ruboreque plenum extitisse. Hoc itaque in agone oculos ad imaginem Christi cruci affixi quæ appensa erat, attollens, sic precatus est: *Domine Iesu per illum ruborem quem tulisti, cùm vestibus exutus cruci affixus es, supplex oro hunc mihi inutilem pudorem eripias: desq; verbum tuum in ore meo, vt hac concione ad tui nominis gloriam vel vnam animulam lucrifaciam.* Annuit Deus: dixitque postea suis familia-

Psal. 1. Hier. 17. t.

Ad Indos nauigare desiderat.

Iubetur malens Hispalis & de eius concionibus.

familiaribus, è maximis vnum hunc sermonem extitisse, maximeque frugiferum: relictis interim auditoribus obstupefactis, spiritum & dicendi feruorem vnicè admirantibus.

Perrexit porrò eodem semper spiritus feruore, vt semper concionari, mouebatque corda audientiũ quò vellet. Accessit tum demum P. Contrecas, cuius suprà facta mentio est, & sacerdotes aliquot honesti, quibus vsus est familiariter & fructum doctrinæ ipsius pietatisq; hauserunt. In valetudinarijs interdum verba faciebat, ingenti stipante auditorũ caterua. Scholas item puerorum ordinare cœpit ac Christianam explicare doctrinam seu catechismum in foro vicisq; publicis. Diũ multumq; Hispali his se muneribus exercuit. Verùm cùm concionatores nubium instar sint, teste Isaia Propheta, irrigantes varias regiones, vbi placitum est Deo, dirigere velut gubernaculo, vt Iob loquitur: Hispali decedens ad alia eiusdè Archiepiscopatus oppida, vt ad Alcalam de Guadaira, Xerez, Palmã & Ecigã excurrebat totosq; annos nouem in concionando consumpsit, auspicatus, ab anno duodetricesimo, aut à tricesimo ætatis anno cũ ingenti sanè fructu atq; vtilitate multorum & vocatione ad perfectioré vitã tametsi valde duri homines viderentur. Audire memini exaggerantem aliquãdo pro concione eorũ vitiũ, qui pecunia quadã voluptate Deũ offendere nõ dubitant: Ieremiæ illa verba adhibẽdo: *Obstupescite cœli super hoc*, &c. & reuera tam vehementi spiritu atq; admiratione omnium ea protulit, vt mihi parietes templi tremere ac commoueri viderentur. Longum esset singulatim fructum concionum eius commemorare: etsi insiã de re illa aliquid attingam.

Scholas instituit & Catechismum docuit.

Alia Archiepiscopatus Hispalensis opida concionando peragrauit.

Ieremiæ 2, 12.

Opidis illis relictis Cordubam venit sub Episcopo F. Ioanne Toletano. Assidue ibi concionatus, frequenti auditorum concursu, omniumque placito. Iacta itaq; Euangelij sagena multos cœpit pisces variarũ personarum cùm nobilium & Clericorum, tũ aliorum sortis inferioris, & infimæ gentis multorũ. Cordubæ quoque versatus est sub Christophoro Roxa: eiusque suasu collegium ibidem instituit Clericorum proborum, vt inde ad vicinos pagos concionaturi excurrerẽt. Habita tunc fortè Synodus Cordubæ, qua solus Clericis seorsim concionabatur: apprecatus illis profectum in spiritu præ cæteris gentibus, quòd ministri sint sacramẽtorum ac Verbi Dei. Ex eo verò ardore ac desiderio, nascebatur vt tanto feruore ac spiritu ad eos concionaretur, vt auditores sæpè commoueret. Plerique enim vitam in melius commutare statuerunt: alij sequi ipsum proposuerunt veluti discipuli. Ex his ingeniosiores Salmanticam studiorum gratiã mittebat. Quos studijs iam confectis & ad patrem reuersos postquam eius doctrina & consortio profecissem dimittebat ad conciones habendas confessionesq; excipiendas varijs locis. His ipsis temporibus in hac Cordubensi ciuitate, bonis abundante ingenijs, lectionẽ instituit Philosophicam ac Theologicam: & professores ex discipulorum assumpsit grege: idque dum Societatis IESV Patres Collegium fundarunt & hoc munus obierunt. Eadem tempestate vespertinis horis sacrã ipse explanabat Scripturam, frequenti concursu ac fruge audientium. Magnus sane labor in hac vrbe ab illo susceptus & quantum splendoris adferret, passim obseruatum.

Cordubam magno cum profectu dicit.

Seminarium Clericorum ibidem instituit.

Sacram Scripturam profitetur.

Granatæ concionatur.

COrduba Granatam sub Casparo Aualo Archiepiscopo concessit, Præsule sanè magno Deum inprimis timente. Hic spiritum diuinũ instaurasse visus: captus enim fructu Cordubæ ac vicinis in locis collecto, noua excitatus spe virtutis ac sanctimoniæ vrbis Antistitis ad prædicandi laborẽ de integro reuertit. Principio cognita Præsul egregia ac vehemẽti eius doctrina, lętus extitit, quòd adiutorem muneris sibi cõmissi Deus dedisset. Locum itaq; ac domus suæ membrum illi attribuit, rebusq; in arduis consilio est ipsius vsus. Cœpit concionari feruore nouo ac spiritu, vt labori fructus abundè responderit. Multi enim hic se in eius disciplinam tradiderunt. Maxima verò vtilitas consecuta est in magistris ac Gymnasij huius vrbis: qui eo vsi sunt perfamiliariter, doctrina eius profectum facientes, & nouam ingressi viuendi viam. Cumque Granatensis Vasta sit ciuitas, multusque Clerus ac studiosi: sic multi eius disciplina progressum fecerunt. Profuit adhęc Præsulis sanctitas, qui virtuti, vt par erat, fauebat. Profuerunt & multorum exempla, qui in virtute excelluerãt ex auditiõe doctrinæ *Aulæ* & progressus fecerãt. Frequens iã inoleuerat Cõmunionis vsus. Discipulorum quidam erant intimi, communi cum illo vtentes mensa in exiguo triclinio. Institutum & hic Collegium Clericorum Selectorũ Colligentium se ad nutum & obsequiũ Archiepiscopi: aliud item puerorum, qui catechismo informabantur. Equidem hoc loco recensere queã qui à Carillo tunc vocati postea Theologiæ laureã Doctoris que insignibus cõdecorati sunt: vitæque exemplo atq; innocentia & doctrina Ecclesiæ profuerunt: Cumq; plerique adhuc superstites sint, nomina eorum referre abstineo. Quodque in hac vrbe prosperè cederent hęc omnia similiaq; multa, recreatus Pater fructu laborum suorum nominabat vrbem hanc *Granatum*, hoc est, *malum punicum*, quod ibi eius labor enituisset, manus enim Dei seu digitus negotijs intercesserit, fauente Deo *Aulæ* nostro: qui dies noctesque de amplificanda Dei gloria cogitabat. Præsul etiam religiosissimus fructum Ecclesiæ suæ animaduertens à doctrina *Aulæ* profectum, apud se retinere virum studebat, cùm consilij gratia, tum bono animarum: Vsus his ferè verbis: *Frater magister nobiscum maneto. Ecce Deo fructus colligis.* Respondit ille: *Reuerendissime Domine, quicquid iusserit Deus faciam, vt æquum est.* Archiepiscopus generali hoc responso non contentus, vrgebat magis magisque, verbo vt se obstringeret. Verumtamen etsi importunus esset offereteque canonicatum, ingensq; Sacerdotium quod vacabat. Non satis tamen hæc ad obstringendum valuerunt, vt aliquid de se cõstitueret vtpote qui suus non esset, sed Dei, qui hoc illi concionatoris munus imposuerat. Nouerat probè, quibus hoc munus est, diuinæ intẽdere voluntati debere, qua de suo domicilio ac via disponant, noluit itaque obstringi nec vllis alligari loco, vt multi solent, quorũ perexiguus est fructus. Alibi enim doctis abundat Respublica, alibi vero caret, vt illis nauseam assiduitas pareat, hi verò præ defectu eorum fame enecentur. Quibus hominibus præter caritatis vim loci, mutatio pergrata esse deberet, nouum adferens gustum fructumque quẽ colligunt auditores noui aduentu Ecclesiastæ.

Archiepiscopus Granatensis Aulã in familiares recipit.

Aulæ Collegia duo instituit.

Canonicatũ respuit.

† *Astigi concionatur.*

GRanatæ iam pro virili exculta Dei vinea, Baecam se contulit ad prædicandum fundandũq; collegium amplum: cui dotando opulentus quidam reditus abundè reliquit. Cognito iam hac in ciuitate factiones antiquitus viguisse & quidem cruentas, inter Benauidos, & Caruajalos, profuso interdum sanguine, ac morte subsequuta, hanc Deus *Aulæ* gratiã dicendiq; vim contulit de tot animarũ iactura doleti, vt multas turbas compositurit: quodque regia efficere nondũ auctoritas potuerat, potuit inops hic, Deo bene iuuãte, sacerdos. Præter hãc autẽ insigne fructũ, equestris aliquot ordinis nobiles Deo sermocinãdo lucrifecit, Dynastas etiã ac populares.

† *Baecã.*

Factiones compescit.

Nam Dei verbum in huius serui ore, vbicunq; verba faceret, ignis erat cor accendens, & malleus qui multorum confunderet duritiem. Hinc enim vtrũque nomen Hieremiæ vati Deus attribuit. Euenit itaque memorandum illud, vt in domo augusta, quo conuenire factiosi & inimicitias fouere essent soliti, collegium ibi inchoaretur: quod in Academiã posteà conuersum, concessa laureis donandi studiosos facultate. Cumq; *Auila* rudi in ætate antequã malitia inuaderet pueros imbuendos censeret catechismo, morumque honestate, collegium ibidẽ puerorum hoc consilio instituit. Vtq; Academia non literarũ modò, sed & virtutũ (sine quibus literæ nihil prosunt) schola esset, euocauit huic Academiæ condendæ discipulos egregios Granatæ relictos, & veluti, vt Christus ait, simile est regnum cœlorũ grano sinapis: cuius etsi minimum est semen in arborem tamen excrescit: ita huic Gymnasio fundendo vsuenit. Collegiũ.n. paucorũ vertit in Academiã; quo magnus studiosorũ numerus confluere ex frequenti illo populo solet. Adhæc præceptores primi Academiæ legitimi erant filij ac familiares *Auilæ*, lacte doctrinæ ipsius enutriti, ac formati eius cõcionandi modo: qua potissimũ re id loci vberẽ collegerũt fructũ, similesque cõtenderunt reddere suos discipulos Atque ita prodierunt ex hoc ludo egregiè cũ literati & docti, tum virtute præditi: qui doctrina atque exemplo vitę multis præluxerũt in Iaensi Episcopatu: sicque granum sinapis anteà paruum in arborẽ excreuit, ramosq; lõgè lateq; vicina in oppida diffudit.

Domus factiosorum in Academiam conuertitur.

Matt. 13.

Erat hoc in mole negotiorum optandũ maximè, studioq; Patri *Auilæ*. Simul enim concionari cœpit, doctrina opus esse agnouit, cũ ad docendum pueros, tum ad honestos sacerdotes formandos. Agens fortè de his & à mundo id impetrari non posse beneficiũ ratus, dicere solebat: *Hoc desiderium ad sepulcrum deferam.* Verùm cũ ea tempestate Patrum Societatis IESV institutum agnouit, vt voto suo peropportunum, incredibiliter spiritu est gauisus, cognito quo ad id quod præstare ipse nisi multis annis non posset, & quidem ægrè, prospexisset Deus aliquem qui illud, instituere ac præscriberet in perpetuum.

Montilla quoque Ecclesiastem agit.

Quanto cum fructu Montillæ concionatus sit Auila.

QVadragenarij quoque ieiunij sermones Montillæ habuit, seruore adeò calenti ac fructu, vt, narrante mihi Domina Teresa Marchionissæ sorore, quingenti amplius totius vitæ anteactæ peccata expiarunt. Addebat illud certò se id scire quòd ad se multi confugissent, vt curaret sacerdotes qui aures ritè pœnitentibus darent: tantus erat hominũ concursus, non tam iubilei causa quã impetu dicendi, quo vsus *Auila* ad animos audientium permouendos.

Zaphram venit anno 1446.

Cordubam hinc redijt & mox Zaphram anno eius seculi millesimo quingentesimo, sex & quadragesimo. Hic verba ad populum fecit fructu vsitato ipsi animarum, nobiliumque eius vrbis: qui etsi erant pietati maximè addicti, accipiebant tamen libenter animo quisque suo erudiendo doctrinam & vitæ ipsius exemplar. Comes etiam Petrus vita iam functus familiariter illo vtebatur tamque de illo sensit magnificè, vt de eius prudẽtia ac doctrina dicere vt solitus esset, nihil ab *Auila* geri publicè quin omnibus esset numeris perfectum: quod ingenium mentemque haberet omni genere scientiarũ refertam. Talem enim esse oportuit quem omnibus dotaret Deus dotibus. Vixit hic nobilis de salute adeò sollicitus, vt cùm œconomus primarius principis creari posset, eius qui nunc regnat (quæ dignitas aulæ præcipua est, quaque decoratus fuit Albæ dux) susciperе recusârit, etsi vrgerent amici importunè ac necessarij. Recusauit autem non tam inualetudinis causa quàm zelo periculum animi euitandi in vita aulica, præcipue verò in talibus Reipublicę nuneribus.

Petri Comitis de Auila testimonium.

Eius encomium.

Profecit & domina Comes Feriæ sermonibus *Auilæ*, cui frequenter aures pœnitenti dabat: documenta etiam alias vitæ præbens honestæ ac perfectę. Nupta igitur à Deo dirigebatur ad eam vitæ perfectionem, vt iam monialis ipsa videretur futura, si quid Comiti marito euenisset humanitus, qui imbecillo vtebatur corpusculo adeò vt vxor in morbo ancillæ cui atricis potiùs quã vxoris munere functa sit.

Feria Comitis vxor à Confessionib. est Auilæ.

Hæsit *Auila* in hac vrbe diutiùs, quod nobiles sibi addictos ceneret, & consiliarij ipsi dicto audientes essent in ijs quę numeris essent cuiusq; & animarũ pertinerent salutẽ. Singulis itaque Dominicis diebus ac festis concionabatur. Curabat & hic catechismo pueros imbui: idemque omnibus in locis cũ poterat religiosus seruabat, & discipulis commendabat quoties aliquo eos ad prędicandum & confessiones excipiẽdas mitteret. Hoc ipso tẽpore quotidie Epistolã S. Ioannis canonicã vna hora explanabat in templo monasterij S. Catarinę, ad q̃ lectioné inter alios auditores Marchionissa aduolabat & Comitissa: quæ dominæ libentiùs illas accipiebant lectiones quam festa, epulas, ludosque seculares.

Epistolam Canonicam S. Ioannis explanat Auila.

Posteà placuit his nobilibus ad Marchionatum Pliego tẽdere: vbi Comes adeò grauiter cœpit ægrotare, vt ad extrema perductum sit. Nec defuit laboranti *Auila* vt amicus fidelis. In eo dolor qualis alibi nullus maior perspectus, quod magna esset tanti viri iactura ob singularem hominis virtutem cognitionemque rerum agendarum, vt mundo est notum vniuerso, quem mater præ ceteris omnibus germanis intimè diligebat.

Comitis itaque vxor quæ tum febribus assiduè tenebatur, vidua fuit à vigesimoquarto ętatis anno, certa propositi, cuius iam memini, vt S. Claræ monialis Montillæ fieret, quod est opimum monasteriũ virginum. Hicque habitum sumpsit adeò libenter ac deuotè, vt induta veste mihi diceret: Se hilaritet vestem illam Franciscanorum induisse, mundum vt effugeret, essetque in sponsarum Christi numero. Quam vt ita vestitam Marchionissa vidit, tristitia commota incredibili fuit; redibat enim ad mentem filij tam dilecti iactura, & vxoris eius adeò dilectę vitæ commutatio, vt lacrymas tenere non potuerit. Accurrit itaque mox ad *Auilam* rem vt infectã redderet: verùm cùm corporeis ille lacrymis nihil moueretur, mentemq; viduæ illius Comitissæ perspectã haberet, salutaris illam in proposito confirmat, & socrum Marchionissam qua potuit solatur.

Feria Comitis vita ingressa monialis.

Locus hic manum mihi injcit vt de hac moniali Comitissa pauca dicam, non tam ipsius causa, quã *P. Auilæ*, cuius hîc pertexo historiã, quòd hic propositum illius dominæ vitamq; confirmârit. Seneca philosophus Lucilio scribens familiari amico quę ipse instruxerat, & excitarat ad virtutẽ & ad quem vnum omnes exttant epistolæ eius, his vtitur verbis: *Assero te mihi, meum opus es*: significans amici virtutem suũ esse opus, totumq; sibi vindicare. Quòd doctrina sua adeò illum ad virtutis honorem promouisset. Vnde etsi stemmatis nobilitatẽ ac stirpis propaginem matronæ nobilis à maioribus accepisset, spiritale sanè decus, quod diuinum est & naturã excedit, huic *Auilæ* magnam partẽ referre debebat acceptum. Conspecto enim hic cordis eius humum semini aptam verbi diuini, boni est functus Agricolæ officio: qui nesciens virtutum ea copia collegit, q̃ vniuerso iã orbi innotuit. Quo fiebat vt illa perfecto spirituali suo fructu ac Spiritus S. solatijs, *Auila* id omne trãscriberet, adeoq; ingẽti affectu, vt longã illi à Deo in primis bono suo vitam precaretur: vt

plurimæ

plurimæ testantur illius ad me epistolæ. Cognatos enim vt cognatos amabat, *Aulam* verò parentis loco duxit illos moderato restrictoque affectu complectebatur; in hunc verò vt Dei ministrum totum animũ suũ effundebat. Illis sanguine iũctis vtebatur rariùs ægriusq; quod cor occuparent, cũ vni Deo illud seruaret; hunc verò obseruabat huius conuersationẽ ambiebat, quòd in illo Deũ adamaret. Hinc factum, cũ Marchionissæ filiæ suæ natus filius esset, cunctiq; de nouo hęrede à Deo dato gratularentur, ad me illa sic scripsit: *Idolum paruum natum est: ora itaque Deum, ne in meo corde plus satis occupet loci.*

Quo exemplo Christianus cognoscet lector dignitatẽ spiritalis vitæ. Ad hoc intelligendũ sciendum in viro iusto duplicẽ vigere spiritũ, naturalẽ vnum, & alterũ supernaturalẽ. Illũ à parentibus accipimus; hic à Spiritu S. est: Ille filios nos hominũ reddit, similesq; in naturali vita atque hęredes bonorum; alter verò Spiritus Dei filios facit, similes eius vitæ puritate, & heredes glorię ipsius. Hinc apparet alter alteri quantũ sit præstantior: quandoquidẽ ille humanus hic diuinus existit. Quod cũ ita sit, mirandũ non est si quis doctrina, exemplo, precibusq; alicuius factus est spiritalis homo, magis adamare ac reuereri spiritalem quã corporeum patrem, quod maius ab illo beneficiũ acceperit. Æquum itaque est pietate ac grato animo vt respondeat magis.

Duplex Spiritus in viro iusto.

De hac nobili matrona nihil dicam amplius: illud tantũ quod ad *Aulæ* pertinet vitã. Quicquid enim de effectis dicitur, glorię caussæ efficientis accedit. Illud tamẽ silentio prętereundũ non est, Imperatricẽ Philippi Regis Sororem, cùm hic Loxæ esset, interrogasse me, an nobilem illam monialẽ nossem. Annui; & ego verò pridem noui. Epistolam itaque mihi sua exaratam manu illi reddendam obtulit, magnumq; S. Crucis Dominicæ fragmentũ, auro inclusum, & graphicè elaboratum: & quidẽ magnis rosarij affixum globulis. Iubẽs ad illam mitti, ea lege, vt illi vicissim aliquid remitteret. Feci vt iusserat, & monialis ad me perscripsit, redditum sibi rosarium: sed quod Augusta ab illa petebat, vt mihi videtur ei præparabat confusionem. Excusare enim & nõ obsequi tantæ Dominæ imperio durum id ac graue foret: verũ sui aliquid pro reliquijs mittere quasi sancta esset, id demum mani obnoxium gloriæ. Verùm enim verò cogitando anxia illud ingeniosè excogitauit, qua sui gloriam effugeret & in *Aulam*, patrem spiritalem deriuaret. Pro munere enim ab Augusta à se petito egregiam submisit concionem quã habuit *Aulæ*, dũ velum sibi imponeret, tricesimus iam annus abierat. Sic prudentissima monialis honorem effugit vanamq; gloriam, & Augustæ simul satisfecit. Hinc discere liceat maiore in pretio virtutem esse, quàm stemmatis nobilitatem: quandoquidem hæc fauorem Augustæ honoremque adepta est.

Vera Comitissa vanam gloriam quo inuento fugerit.

Aliquot insignes matronæ & illustres, Aulæ doctrinâ ad pietatem traductæ.

DE locis hactenus quibus est *Aula* concionari solitus, pertractaui, atque de vi doctrinæ ipsius variisq; hominibus diuersi status qui ad Dei se obsequium contulerunt. Dei enim verbũ in eius ore erat, vt Apostolus nominat, gladius vtrimq; secans, qui corda validè feriret auditorũ. Qui enim prudentiores illum audiebant noua vti lingua, & ab alijs diuersa prędicabant. Etsi verò in locis quibus Ecclesiastem agebat, vocatos nonnullos generaliter diximus eius concionibus, plures tamen ex ijs peculiarius vocatos addere stat sententia: vt sit veluti spiritalis quidam triumphus diuini verbi, quod non tã corpora quam animos hominum subegerit, vinculis quasi eximendo principis huius mundi.

Hebr. 4.

PRimum teneat locum Domina Sanctia, filia legitima toparchæ Guadalcaçar. Habebat hæc domicilium Astigi, parata vt Reginæ pedissequa fieret ob singularem prudẽtiam cereraſq; seculi dotes ad id conferentes. Verùm Christus eã ad maiora despondit, sibi nimirũ spõsa vt esset. Princeps caussa extitit, quod *Aulæ* antea cõfiteri de peccatis vellet. Ingressa enim confessionis locum pallam byssinã cõuoluere cœpit: quo nomine eam ille reprehendit: quòd cõfessura & peccata deploratura ita compta accederet. Vt posteà per iocum diceret: Quàm malè pallam meam accepisti? Confessio sanè hæc admirabili vi fuit, vt cogitationes mũdi quæ cordi altas iniecerant radices, à stirpe reuelleret: vtq; ingens fuit ac subita commutatio, iure miraculi plena dici queat. S. Bernardus concionatus aliquando in Belgio, nobilem eius oræ virum Landulphi nomine cõuertit, vt seculo nunciũ remitteret, & monasterio Clarę-vallis ascriberetur. Cumque Bernardus habitum de more indueret, his ferè vsus est verbis: non minus admirandum esse inter Dei opera Landulphi cõuersionem, quã Lazarum à morte excitatum fuisse. Idẽ de hac Domina meritò dixerim; quæ se colligens paternas extra ædes vitam religiosè duxit, orationi vacans assiduè, quàm ieiunia, ciliciũ & flagella comitarentur: quæ instrumenta à funere eius reperta, cùm se vt holocaustum victimamque quæ integrè exuritur, ad maiorem Dei gloriam obtulisset. Cumque Deus certò gratiã infundere sit solitus pro captu animæ ac præparatione, vt hæc in virgine ista reperit, sic & fouit fauore, solatijs ac delitijs quibus eam visitare solebat. Prædicabat *Aula* sæpenumerò virginis humilem modestiam, obedientiam, & caritatẽ. Cui rei confirmandæ addebat multa vicissim Dei erga illam beneficia, arcana illi admiranda aperiendo, reuelando etiam mortis horam, quæque essent in morbo obuentura.

Sanctia confessura ab Aula ob vestium luxum reprehenditur. & eius conuersio.

Vita Austera.

Silentio prætereundum minimè duxi, quod mihi dum ægrotaret domi parentis, accidit, vnde fortitudo ac excellẽtia illius in spiritu videri possit. Dixit, illa, scrupulum sibi iectum si fortè caussa tam grauis morbi ipsa extitisset. Ego verò: caussam mihi illam narra, qua cognita an culpa quædam tua sit videam. Ad hęc illa, duplici ex caussa natum sibi morbum videri. Vna fuit, quod cum anno eius seculi tricesimo, & quod excurrit, imber cælo non decideret (quod sterilitatem & exinde famem comminatur) animo ita afflicta fuisset, pauperibus compatiendo, vt Deo vitam salutemque suam pro inopibus deuoueret: rogans supplex morbum immitteret quem placitum esset, vt præsenti succurreret necessitati. Hanc caussam esse suspicabatur ægritudinis grauissimæ cum qua conflictabatur. Altera caussa quam exposuit cognitu sanè digna ad gloriam gratiæ diuinæ fidei, Christianæque religionis quæ peccatum exhorret. Nimirum cum carnis illecebris validè à spiritu fornicationis tentaretur diabolica illa suggestione qua incendit in homine carbones passionum, videns fidem integritatemque virgineam, quam sponso obtulerat, violari posse, adeò est animo commota aduersus carnem spiritumque malignum, vt non contenta vulgari remedio crucis signi fronti ac pectori impressi, & oratione, violentã magis rationẽ adhibuerit. Meminerat S. Benedictũ in simili pugna dæmonẽ vicisse, dũ nudus spinis se inuoluit, corporis vulneribus animo medicinã adferendo: Recordebatur etiã S. Francisci simili triũphasse conflictu de humani generis hoste inusitato quodã modo: nempe nudũ se noctu in alta hieme niuibus inuoluisse, massa vna maiore adhibita & paruis aliquot, dicens: hæ massulæ, Francisce, liberi tui sunt. Maior hæc vxor: amplectere itaq;. Sic hisce rigoribus

Duplicem morbi sui causam refert.

carnis æstum vir Sanctus extinguit, quem inimicus hominis concitarat. His igitur Heroicis factis virgo animaduersis eodem ducta spiritu in ingentem frigidæ hydriam, (qua in Hispania ad potum hauriendum vtuntur) se coniecit, & frigore carnis concupiscentiam à dæmone accensam restinxit: pudorem illi incutiens quod victus abiret & victoriæ materiam præbuisset, qui se victorem fore non dubitabat. Discе hoc exemplo, mi lector, grandem sponsæ huius Christi spiritum: discе etiam quanto timore perfecti ducantur Christiani ne Deum offendant, quantumque peccatum horreant, qui ne quid committant, in eas se angustias conijciunt. Hæc etenim citra controuersiam causa egritudinis virginis Christi extitit. Nam inter symptomata erat quod multis tecta in lecto vestibus, calefieri non poterat, vsque eò frigus penetrarat, corpusque occuparat nullis vt laneis integumentis calefieret.

Libidinem qua ratione domauerit.

Auila ad eam opusculū scripsit super Audi filia.

In huius Christi sponsæ gratiam scripsit *Auila* egregium illud opusculum & verè aureum super *Audi filia, & vide*, &c. qui est Psalmi 44. Dauidis, versiculus 12. (quadrat enim in statum virgineum) quod opusculum illa tanti fecit, vt thesaurum appellaret suum. Illa verò vita functa libellum auxit, totque ac tantis locupletauit sententijs, verè vt thesaurus sit appellandus. Et de hac quidem virgine satis superque.

De domina Leonora de Yneſtroſa.

IN hoc ipso Altigensi oppido vixit nobilis matrona assecla quoque *Auilæ*, vxor Telli Aguilarij, qui nobilis in illo oppido primogenituræ Ius obtinuit. Dicta autem est Leonora Ynestrosa stirpe nobili genita: quam stirpem cum altera nobiliore commutauit: vt in suis ad me literis subscriberet interdum, Leonora Lateris, quod esset formosissimæ huius rosæ studiosissima. Diuertebat in huius domum *Auila*: impletumque illud Saluatoris promittentis: si in illa domo quæ vos recipit filius pacis erit, quiescet super illum pax vestra: hoc est, particeps erit meritorum vestrorum, ac gratiæ. De hac duo memoranda referam. Primo expirante filia ipsius vndecim aut duodecim annorum in meridie, dixi, qui tum fortè aderam, humo mandandam vesperi videri: ne mœrore materno conficeretur dum nocte tota cadauer filiæ domi asseruaretur. Respondit illa: Cur equidem Pater detrectem noctem vnā sanctum corpus domi, quale huius puellæ, asseruare? Post etiam subiecit, eam se animo consolationē suscepisse, quod filiola illa Dei aspectu iam frueretur, nullis vt verbis explicare posset. Addebat & illud, molestum sibi esse in illo luctu à tot visitari dominabus: quæ res solatij gustum fructumque decerperent, quibus tamen noctes diesque bonis frui optaret; Sed quis hæc secularis intelligat? Intelligebat sanè Apostolus, qui Christianis auctor est, ne gentiles imitentur, qui mortuos lugent, de alia desperantes vita. At verò Christianus homo particeps spiritus huius matronæ hilarescit spe firma futuræ vitę.

Matth. 10.

Fortitudo Leonora de Yneſtroſa.

2. Theſ. 4.

Alterum mihi eadem narrauit, cùm in partus esset doloribus, absente fortè *Auila*, qui tum opem ferre posset, (vt gratum decebat hospitem) suis precationibus. Hoc se subsidio destitutam, videns, spiritum suum Christo obtulit, humilitate profunda. Deus itaque qui hospitij iura seruis suis impensa recte rependere nouit, in spiritu apparuit hospitis loco: certoque confirmauit in summis doloribus partus nullum tunc sensisse. Dominus enim singulari prouidentia & beneuolentia erga hanc matronæ animam dispensauit in illa de pœna, qua tenentur omnes in partu fœminæ: Erat hęc Domina meticulosæ in primis conscientiæ, licet enim crebris soleret vsurpare sermonibus se à Deo amari, dubitabat tamen de reciproco suo in illum amore. Quamobrem multas ad eam *Auila* literas, dedit ad timore nimium excutiendū, fiduciāq; cōfirmandam. Quæ quidem Epistolæ cum reliquis circumferuntur, sed vna potissimum enitescit in extrema primi tomi Epistola ad pusillanimes animandos valens. Dicebat eadem prudenter, magnam se reuerentiā habere die quo communione reficeretur precordijs suis Eucharistiam suscipere quod in illis tantam hospitio exciperet maiestatem.

Deus ipſe in puerperio ſpecie Auilæ apparet.

Tantis cùm prædita virtutibus esset, noluit tamen Deus eam vita decedere sine magna patientiæ corona. Quinto enim ante mortem anno vbera cancer occupauit, qui morbus serpebat indies maligno quodam humore carnem exedente ad ipsa vsque pectoris ossa, & donec ad cor ipsum penetrans eam vita expulit. Cur autem Deus suos interdum ita visitet, eò fit, vt patientiæ laureolā imponat cùm virtus inest homini & gratia qua ferendo sit par oneri.

Meritur.

De alia Domina.

ASTigi abeo & Cordubam tendo, vbi *Auila* inter alia suprà à nobis commemorata illud tam præclare gesit, quàm aliud quidquam nostro seculo. Concionando enim verba fecit in hisce mulierculas quæ inopia adactæ in peccato degebant, vsus filiorum Propheticorum vocibus ad Elisæum: *Mors in olla, vir Dei, mors in olla.* Sic ipse intenta clamabat voce, ô misella paupercula, mors est in olla, mors est in hac olla, quæ te alit. Toxicum est quod edis, mortem adferens non temporaneam, sed æternam. His verbis ac similibus quæ cum acumine ferebant commota matrona nobilis quam inopia rei familiaris eò miseriæ perduxerat, vt amoris illecebris irretita aliquot annis cum aliquo, iam tres ab illo accepisset liberos. Verùm Deus (cuius misericordię non est numerus) cor fœminæ penetrans, ictu adeo ingenti perculit, vt ex animo decreuerit miserum vitæ statim permutare: sed inopia viam claudebat, & homo potens erat qui eam vsurpatione annorum iam aliquot constrictam tenebat. Re cognita *Auila*, & proposito eius certus, Deo fretus animam statuit peccati luto eximere. Opus hic multa erat industria atque animi constantia, multisque opus impensis, quod grauem haberet aduersariam; rugiebat enim instar Leonis catulis priuati, & mortem comminabatur, & id genus alia. *Auila* nihilominus propositum tenuit, mulier domum deseruit, & S. Marthæ monasterium accessit; indeque *Auila* Montillam deduci iussit secura vt esset, auctoritate & protectione Marchionissæ Pliego. Cùmq; metus esset ne amans (qui in omnem excubabat euentum) armata vi in via irrumperet, ducis functus est officio *Auila* & equites aliquot addidit cum lictore iustitiæ, vt Corduba educeretur Montillam vsque. Cumque ne tutò quidem ibi esse posset, Granatam iubet deduci, vbi *Auilæ* doctrina, vestigijs ipsius insistens eam perfectionem est adepta vt ipsius suasu (etsi parcus alias esset hac in re) quotidie communicaret magno animę emolumento. Verè itaque dixerimus, *Vbi abundauit delictum, abundauit & gratia.* Duxit hanc constanter vitam triginta ipsos annos, sanctè eam terminans: Interea verò *Auila* nihil dū vixit illi deesse est passus, quod inchoauerat, constanter ac fideliter ad exitū perducens, nunquam deserens illam quæ se ipsi cōmiserat, valere iussis omnibus delitijs, quodq; est, amplius filiarum amore, & filioli quem tenere adamabat.

Auila liberam ingeniosa coercitione curauit.

Rom. 5. 20.

Etsi verò initio hoc in negotio grauia multa, vt fit, inciderent, pericula multæ difficultatis & Zelotypiæ, detractiones ac secularium iudicia, sumptusque Varij qui hic necessariò faciendi erant: *Auila* tamē fiducia in Deū plenus, neq; sumptus defugit,

neque

neque infamiam metuit aut pericula, laboresue, sed clausis ad temeraria mundi iudicia oculis, quos in solum Deum coniecerat, negotium ipsi studet gessit generosè, vt animam miseram vinculis dæmonum surriperet, pro qua Christus sanguinem, si denuò opus foret, profundere paratus esset. Negotij verò euentus, matronæ Sanctitas atque constantia nouæ Magdalenę Dei hic digitum fuisse abundè declarârunt.

Ac ne recusabit quidem amicus noster ac dominus Antonius Corduba filius Christianissimæ Marchionissæ Pliego referri à me in hunc triumphi numerum, tametsi & alij in laboris venerint partem. Salmanticæ enim dum studet, & familiariter vteretur Societatis IESV Patribus, cœpit Deus lumina aperire, vt mundi vanitatem fraudesque iam tum cognosceret. Colligere etiam se incipiebat & orationi vacare, atque pœnitentiæ exercitijs. Cognouit hoc mater è domesticis famulis, qui ob singularem prudentiam virtutemque eum obseruabant. Mihi adhæc ipsa dixit famulis se per epistolam respondisse: Sinite eum; hæc enim via est quà ad maiorem contendat perfectionem. Hoc enim mi Pater Lodouice, confirmo nihil in mundo æquè placere quàm virtutem in eo cui bene cupias, cernere. Cernebat nimirum hæc Heroina virtutem ijs oculis, quibus Platonem cernere solêre ferunt. Est enim illa profectò pulcherrima seculi omnino res, ideòque commemoranda hæc verba protulit. His ipsis temporibus aderat fortè hic nobilis Antonius Patri Fráciſco (qui speculum erat virtutis, sanctimoniæ, contemptusq; mundi) aitq;, velle se examinare lucem, quam à Deo accepisset. *Auila* itaque rem præparatam à Domino animaduertens suasit, vt Societatis IESV sodalibus se adiungeret, ad quos eum iam Deus vocare cœperat. Neque ad suadendum multis fuit opus vt iam erat præparatus itaque è sæculo se proripuit omnibus quæ in eo sperare posset, valere iussis, homo tantæ nobilitatis ac virtutis, vt humilitate Christum ac pauperrate sequeretur: idque cum iam Iulius III. Pont. Max. galerum illi purpureum decreuisset dare. Vtque ingressus in Societatem tantis à Deo dotatus esset beneficiis ita & commoratio, & perseuerantia ad mortem vsque. Cùm virtutibus autem alijs, tum orationi imprimis deditus erat, eamque commendabat. Hanc itaq; in Sermone publicè commendans, mirari se aiebat homines in vita adeò laboriosa, tentationibusque obnoxia, sine huius subsidio viuere posse. Et per singulos currens hominum status ita aiebat: Muliercula, vt sine precatione viuere potes? Rustice, vt non orãdo viuere potes? eaq; verba sic repetendo ad cuiusque sortis homines se conuertebat. Et verò iure optimo admirabatur, quando aliud suppetit remediũ nullum, post illam iniuriam ad quã nos redegerunt parentes nostri: nisi vt per orationem misericordiã redemptoris imploremus. Non omittam hoc loco rem cõmemorandã quæ minuta quidẽ videri possit tot inter virtutes, digna tamen cognitu est ijs qui horas recitare Canonicas tenentur. Iusserit itaq; semel matutinas horas vna legeremus, & genibus aduoluti hoc adiecit: Intuitãt quidam ad recitandũ Canonicas horas alios, quasi ad officium exigui fructus, his ferè verbis: Agedum recitemus Dominicam orationẽ ad Primam, Tertiam, &c. Dicebat verò ille videri sibi Horam nullam auspiciandam sine interiore animi præparatione. Hoc itaque agamus. Sic vterq; genibus aduoluti aliquãdiu animũ collegimus: deinde lentè recitare cœpimus ac piè. Atq; vtinã eodem spiritu ac præparatione Clerici omnes atq, Ecclesiastici diuinum recitarent officium. Sic enim paratis animis accederent: alioqui exiguus est fructus qui hinc capitur, quia parua est aut nulla præparatio qua ad recitandum officium acceditur.

Antonius Corduba sumsu Auila Societatem ingreditur.

Orationi cũ primis deditus.

Horas Canonicas qualiter dicendas consuerit.

Vtque de Societate loqui cœpimus adnumerandus his videtur Didacus Guzmannus carne quidem filius Comitis Baileni; spiritu verò *P. Auilæ*, adeò illi addictus, gratusq; pro beneficio vocationis, vt eius precibus adductus hanc ego historiã scribere ingressus sim, subsidium promittentis sacrificiorũ ac orationũ. Cõfido itaq; in Domino preces eius, quod mihi defuit suppleuisse. Nihil itaq; amplius de illo referam q̃ quæ oculis hisce vidi: nimirum antequam Societatem iniret, illũ adiunxisse se Patri cuidã singulari virtute prædito atq; erudito: & ambulabant simul diuersè sine famulis ad animarũ quæstũ p virili faciendũ: partiti inter se officia. Alter enim Theologus cũ esset, ingenti spiritu ac feruore concionabatur: hic verò Catechismũ pueros docebat iuuans vitæ exemplo atq; consilio vniuersos. His exercitati Euãgelicis muneribus vterq; Societati IESV est adscriptus. Alter post multos in vinea Dei, labores ingenti animorũ fructu, denariũ iam diurnum accepit, hoc est, præmiũ, q, ei vineæ dominus stipulando p̃miserat velut vni ex ijs qui cœperunt ad primã laborare, portaruntq; æstũ diei ac pondus. Alter verò etiamnũ viuit cũ hæc scribo: atq; vt accepi in eodem pueros catechizandi munere etiamnũ perseuerat.

Didacus Guzman.

Societati Iesu adscribitur.

Pater itẽ *Ioannes Ramirez*, in illis numerandus est qui ad primã horã vocati in Domini vinea laborant. Cœpit enim à prima ætate Christo seruire duce *Auila*: cuius etiã consilio Societati est aggregatus, cùm extra illã iam annos plurimos Cõcionatoris munus obiuisset, in qua Societate & munere ad mortẽ vsq; vixit, concionatus annos plusquam quadraginta in Hispania varijs in vrbibus ac prouincijs, summo fructu animorũq; solatio: & qualis vita, talis & mors fuit. Morti enim summa ægritudine vicinus in hebdomade maiori siue sancta, cùm feria quarta viatici loco Eucharistia illi adferretur adeò eius aspectu recreatus est, vt verbis hisce ipsi valdè proprijs vsus sit: *O dilecte, ó dilecte, fierine potest, fierine potest, vt ego moriar eo quo tu pro me mortuus es die?* Ita loquebatur ac Dominũ id rogabat q, & concessit ille. Vita eũ hac mortali eripiens singulari beneficio eadem qua Saluator hora in cruce expirauit. Testantur id omnes quotquot præsentes aderant. Funus itaque frequenti comitatu elatum, adeoque glorioſum fuit quam ipsius hora discessus.

Ioannes Ramirez, Auilæ consilio Societati se tradit.

Clandam vocatorũ per *Auilã* numerũ in *Ioanne Dei*: vulgo *de Dies*: de quo multa dicenda suppeterẽt nisi extaret vita bene pieq; cõscripta. Lusitanus hic fuit Monte maiore nouo vico natus. Quium pastor annos aliquot: Mox miles; denique baiulus. Granatam vbi accessit audita *Auilæ* concione festo S. Sebastiani die, sic Deus cor eius pupugit & amore diuino vulnerauit, vt ea faceret, quæ amentis esse hominis interpretarentur plerique: attamen credo amens non erat, vt iam dicã. Sciendũ enim duplicem esse cõtritionẽ seu de peccatis dolorẽ. Vulgaris vna, & altera extra ordine: qualis Magdalenæ fuit, quæ in meridie prandente Christo cum discipulis, aliisq; conuiuatoribus, ingressa, nihil respiciens ad varia spectatu digna, vi doloris lumina sibi claudente. Legitur & in vita S. Vincentij Ferrerij nostri ordinis, quod cum concionaretur ingenti spiritu quo dotatus à Deo extitit, auditores quidam vi verborum eius, coram omni populo exclamarint, peccata publicè confitendo. Ioannes quoq; Climacus scalarum capite quinto de pœnitentia agens, admiranda sanè Monachorũ illius ætui de pœnitentia commemorat. Quare his in *Ioanne Dei* admirandis cõmoueri desino, præsertim quòd vitæ sanctitas atq; innocentia sit subsecuta; quam testificata etiam est admirabilis

Ioannes Dei concione Auilæ conuertitur.

solemnitas cum totius vrbis Granatensis accursu, accessuque omnium ordinum Religiosorum funeri eius est parentatum. Vtq; conuersionis huius principium *P. Auilæ* doctrina dedit, sic & progressum vitæ eiusdem: qua in re ad litteram impletum illud

1. Cor. 1, 27. Apostoli est, *elegisse Deum infirma mundi huius, vt fortia quæque confundat*: Id vt in hoc Ioanne Dei luce clarius appareret, voluit Deus vt ex opilione, & baiulo ac milite, nouæ Auctor fieret religionis ad iuuandos infirmos, ac pauperes: qui ordo indies toto orbe terrarum diffunditur, approbatus iam Apostolicæ Sedis auctoritate.

QVIBVS MEDIIS FRVCTVM lucrandi animas, de quibus hactenus est actum, sit consecutus.

CAPVT V.

HOc fructu adeò memorabili, aut, vt verius loquar, triumpho tam glorioso iam perspecto ex doctrina Euangelici huius concionatoris, narrationis postulat series vt quibusnam rebus hæc sit parta victoria ostendamus: vt qui ad eundem modum de humani generis hoste, ac de peccatis, quæ in mundum inuexit triumphare student, viam ijs commonstremus. Quod etsi ex parte exemplis virtutum *Auilæ* iam est præstitum, addemus tamen ad superiora non contemnenda alia.

Orationi gratiam lucrandi animas Auilæ impetrauit.

Inter auxilia verò quibus est vsus princeps precatio est: Rogabat itaque intimis precordijs Deum, vim verbis adderet: memor Petri rete tota laborantis nocte humanis viribus, nihil prorsum cepisse; adiutante verò Deo impletas fuisse piscibus nauiculas duas. Nouerat hic Dei famulus idem vsuuenire inter concionandum in spiritali captura animarum. Ad Deum itaque orando se recipiebat, his ferè vsus vocibus: *In nomine tuo laxabo rete*. Hoc potissimum adiutorio vsus ad hoc obeundum munus est, vsurpare illud solitus quos concionando lucrifecisset, lacrymarum esse potiùs fœtum, quam Sermonum.

Alterum ipsũ vsitatum dirigere omnes sententias rationesque concionum, vt animas lapsorum & peccatis immortuorum euocaret ac velut è luto extraheret: dehinc vt qui lapsi non essent, eos doctrina sua confirmaret. Illud tamen potissimum agebat, vt animas lucrifaceret, vtque piscator id labore suo intendit, ne domum vacuus redeat: nam vt poëta Græcus canit:

Homer. *Turpe est permansisse diu vacuumq; redisse.*

Sic & *Auila* sermonibus suis hoc agebat, quæque huc non pertinerent, infrugifera ducebat. Loquebatur igitur perpetuò ad cor, minimè digrediens ad subtilia vel curiosa & superuacanea.

Præterea tametsi concio eius bene digesta esset ac veluti acies disposita, vt doctum & ingeniosum decebat, per viam tamen ipse rectà tendens sententias. ex dictis hinc & inde elicuebat in diuersum finem aut ad tentatorum ac tristitiæ solatium, aut ad confusionem superborum pro varietate diuersorum statuum. Multa itaque loca iter faciens obibat. Cùm sederem igitur ego aliquando & auscultarem quandam eius concionem iuxta Licentiatum Vargas, (qui pòst Legatus ad Venetos est missus) animaduertens, ille quod iam dixi, retulit præclarè, concionem eius esse instar sagenæ cõuertentis: propterea quòd omni hominum generi consuleret. Vnde & ego eam comparabam solopis ferreis, quibus hodie hominum vtitur improbitas, imponendo globulos varios, vt plures lædant: at hunc Dei seruum contrà ad quæstum animarum hac arte esse vsum aiebam.

Testimonij Virgæ & Granatensis, de concionibus Auilæ.

Cumque Doctorum trita sit sententia, moralem disciplinam, in genere minùs prodesse, veniendum itaque ad singularia, cùm virtutum, vt exerceantur, tum vitiorum, vt vitentur; idcirco Ecclesiastes ille adhæc singularia progrediebatur. Huic rei declarandæ S. Leonis Papæ exemplum apponam qui rem vtramque his verbis attingit. Delicię inquit, nostræ sint, dilectissimi, opera pietatis, & illis cibis qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur. Lętemur in refectionibus pauperum, quos impendia nostra satiauerint. Iucundemur in vestitu eorũ, quorũ nuditatẽ indumentis necessarijs texerimus. Sentiant humanitatẽ nostram ęgritudines decumbentium, imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupilorum, & desolatarum lamenta viduarum: in quibus iuuandis nemo est qui non aliquam possit exequi beneuolentiæ portionem. Nulli enim parnus est census, cui magnus est animus: nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet aut pietatis. Numquam merito caret, etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia. Maiora quidem impendia sunt diuitum, & munera mediocrium: sed non discrepat fructus operum, vbi idem est affectus operantium. In ista autem exercendarum opportunitate virtutum, sunt & aliarum insignia opera coronarum, quæ nullo horreorum dispendio, nulla diminutione pecuniæ captantur: si pellatur lasciuia, si abdicetur ebrietas, & carnalis concupiscentia castitatis legibus edometur: si odia transeant in dilectionem, si inimicitiæ conuertantur in pacem, si tranquillitas extinguat iram, si mansuetudo remittat iniuriam: si denique dominorum atque seruorũ tam ordinati sint mores, vt & illorum potestas mitior, & istorum sit disciplina deuotior. Hactenus S. Leonis verba, quibus supra scriptum documentum liceat cognoscere, scilicet ad singularia descendendum esse concionatori, quo eius sit vtilior doctrina prædicandi.

Concionatori ad singularia descendendũ.

Erat & hæc dos ipsius Auilæ, non contentum esse corda commonere atque impellere ad timorem & amorem Dei, & à peccato auersionem, sed & suppeditabat consilia ac veluti potiones spirituales aduersus omnia vitia. Potissimùm verò contra mortale peccatum, quod cetera complectitur. Contra atque concionatores aliqui faciunt, qui contenti corda mouisse, consilia non suppeditat, nec remedia singularia prout motus exigunt. Quales Plutarchus rectè sic depingit, dicẽs, eos qui hortantur ad virtutẽ, media tamen consequendæ ipsius non tradunt, similes videri ijs qui lucernã accendunt, neq; oleũ affundunt quo ardeat. Contra ij faciunt Concionatores qui student verè prodesse auditoribus, & quasi manuducunt eos qui vitam in melius commutare volunt. Talis hic noster *Auila* fuit qui omni ope spiritus nitebatur, peccatis eripere auditores, & instruere, vt tironum magister, qui in semitam virtutis suos deducit.

Vtque ostendam quo remediorum aduersus peccata sit genere vsus, digrediar nonnihil ab historiæ narratione vt à stirpe rem declarem: sciendum itaque peccata non nasci quòd bonum maliimue Christiani ignorent nã (præterquam quod lumine naturali hominem illustrauit Deus) fides id nos docet nostra & lex quam profitemur; sed ex appetitu nostro corrupto sensuum oritur peccatum, qui appetitus fugit seruare Legis præcepta. Ait enim Apostolus; *Lex spiritalis est: ego autem carnalis*, carnem appetens, quæ spiritui Dei repugnat. Homo itaque carnalis est instar ægroti cui comedendi appetitus perijt. Scit enim si viuere vult, comedendum esse, tamen vt comedat adduci non potest. Sic homo ille, qua parte fidem habet, nouit salutem suam positam in præceptorum Dei custodia: verum inordinatus

Peccatum non nascitur ex ignorantia.

Rom. 7, 14.

appetitus

appetitus carnis cibum horret, itaque moritur in peccato perdurans.

Hęc ægritudo è corruptione peccati originalis oritur in quo concepti sumus omnes. Venenum enim quod serpens ille antiquus sibilo inspirauit suo, primis humani generis parentibus, in filios quoque deriuatur. Hoc adeò cor nostrum turbat atque adeò peruertit, vt quicquid prosit horreat, & appetat noxia; vt & ægris vsuenit quibus prostratum est palatium.

Quid remedij, inquies? Dicam; Aduersus toxica viperarum ac serpentum vtuntur homines medicare, theriaca, quæ componitur è varijs mistis remedio huic aptis. Ad eundem modum doctrina Christianæ religionis, (quæ perfectissima est, vt ab ipso docta DEO) sciendo mali nostri, principium à suggestione antiqui serpentis oriri, succurrit verò nobis optima theriaca aduersus eam, mista quoque è varijs veneno pellendo aptis. Hoc est, ad resistendum corruptioni appetitus nostri, & sic nos præseruat à morte peccati. Rogas fortasse quæ sint ista remedia? *Remedium contra peccatum.* Respondeo, fugere nimirum peccandi occasiones: examinare quotidie conscientiam: ieiunare, silentium seruare, secum versari, sensus custodire, præcipuè verò oculos, linguam, & cor ipsum: resistere prompte primo impetui & illapsui prauarum cogitationum. Potissimum verò remedium est Sacramentum confessionis & Eucharistiæ: itemque precatio, lectio sacrarum literarum, meditatio mortis atque iudicij vltimi post mortem: mysterium quoque Passionis Dominicę quod aduersus peccata plurimum valet, quando mortem Dei filius obijt vt è mundo peccatum pelleret.

De postremis hisce sex remedijs agit Ecclesiastes noster diuinus in commentario aureo super illud Dauidis, *Audi filia, & vide.* Psal 44. Quibus etiam ipse est vsus suis in sermonibus ad populum tanquam medicamentis validis aduersus peccata & ad excitandos animos nostros ad virtutem & sanctimoniam.

Quare vt in viam paulùm digressus redeam, ex dictis mistio fit spiritalis theriacorum, de quibus iã diximus: & reparatur damnum quod antiquus ille serpens hostis humani generis in omnes Adæ filios deriuat. His etiam medicamentis ac partibus eorũ sanctissimi viri semper vsi sunt: adhibentes ea remedij loco contra venena, & ita sese curarunt, vt non solum lethalis peccati essent expertes, verum etiam venialium multorum. Adhæc non solum non sentiebant aduersam voluntatem in obseruatione legis diuinæ; quin potius iucunditatem summam capiebant, vt cum Propheta iure possent dicere: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitijs.* Psal. 118, 14.

Verùm cùm non sit omnium his vti remedijs quę protulimus, vtatur quisque quibus poterit. Quanto enim sumpserit ampliùs, eò sanabitur melius: magisque liber à peccatis euadet, ac virtutibus contrà opulentior.

Hæc sola medicina in Christiana reperitur religione, quæ docet exercetque remedia aduersus humanæ naturæ corruptelam, & contra tyrannidem vitiumque peccati. Quæ tota ferè res priscis ignota fuit Philosophis mundique sapientibus: ideoque etsi de virtutibus acutè disputarunt, & hic se magistros iactitarunt, veruntamen nec virtute ipsi prædita erant, neque tales discipulos produxerunt: virtutisque nihil præferebant nisi promissam barbam, habitumque diuersum, quo mundum deceperunt. Etsi enim virtutis naturam callerent, hæc tamen deerat medicina, qua sine caro spiritum vincit, & rationem animi superant perturbationes.

Hæc breuiter commemorare visum, vt quibus potissimum medijs *Auila* ad animorum lucrum vti soleret, ostenderem. Vt verò ceteros ipsius modos hoc fine adhibitos explicem, nullis verbis consequi potero. Innumerabiles enim erant, vt hominis à Deo docti, quique assiduè hæc animo agitando extra se ferri videretur. Vt enim insignis dux belli obsessa arce munitissima, præsidijsque plena continuò meditatur qua potissimùm eam ingrediatur via: ita hic vir Dei cogitando semper occupabatur, qua ratione cor hominis expugnaret, quæ arx est in mundo expugnatu difficillima: præsertim defendente eam forti armato qui in Euangelio legitur, quia quæ tenet, cautè possidet. Portum iam videre videor, & diei vesperam, quando voluit Deus seruum hunc suum ab exilio reuocare, meritamque eidem coronam pro tot tantisque animabus lucro appositis largiri: quot ad sibi seruiendum direxerat ac pro tot laboribus morbisque adeò diuturnis annorum aliquot, de quibus libro secundo egimus. At noluit remunerator idem laborum mortem eius nouo carere merito ex doloribus quos id temporis perpessus est. Anno enim Christi millesimo quingentesimo sexagesimo nono, mense Martio ingenti laterum ac renum dolore, afflictus fuit inde Maij mensis prin- *Morbus Auilæ & eius extrema.* cipio festo Apparitionis Michaelis Archangeli, quę eximie colebat, dolor eum inuadit in humeris ac ceruice sinistra: visusque est hic tum Patri qui curã eius gerebat periculosus esse morbus, & à superioribus malis longè diuersus. Quærit itaque ab *Auila*: Sentisne à Deo, nunc te vocari? Negauit ille. Postridie eius diei accessit medicus, sensitque morti vicinum, idq; cõmemoratim Patri nunciauit addens, vt si quid supperetet, testamentum conderet. Respondit ipse, non esse de quibus disponeret, vt enim inops semper vixit, ita & obijt. Et lecto appropinquans medicus, Domine, inquit, *Auila*, tempus est, quo verum amici dicant: En morieris, fac quod abeunti necessarium. Sublatis itaque ipse in cœlũ manibus orabat: *Recordare, Virgo Mater, dum steteris* Ier. 18, 20. *in conspectu Dei, vt loquaris pro nobis bona.* Subiecit statim: Confiteri libet de peccatis: addens & illud: Vtinam maius supperetet tempus comparandi me ad abitum. Aderat forte Marchionissa, censebatque sacris operari debere sacerdotem qui ægroti *Auilæ* curam gerebat. Hic eum interrogat quale fieri sacrificium pro se vellet, an Sanctissimæ Eucharistiæ, aut B. Virginis, quia his addictus potissimùm vixisset. Respondit ille: In Christi resurgentis honorem celebrandum Missæ sacrum, vt qui iam Resurrectione carnis solari se inciperet. Faces itaq; adferri domina iubet, quibus allucentibus viaticum illi porrigeretur. His allatis iterabat illud: Date mihi Christi corpus. Erat octaua aut nona antemeridiana hora cùm dolor qui pridie cœperat, ad renes penetrauit lateris sinistri, pectusque mox occupauit, postea cor inuasit. Sumpta Communione dimidia post hora, extremã poscit vnctionem: cumque maturum adhuc esse, expectandumque dicerent, adferri statim iubet. Cupiebat enim attente audire ac videre quæ in Sacramento illo dicerentur, agerenturque: Itaq; factum est. Iam aderat meridies augescebatq; dolor ac pectus aggrediebatur: nã ne breui quidem spatio volebat eum Deus carere aliquo merito, qui æternum esset capturus præmium. Petijt tunc eadem domina Marchionissa, num quid fieri sua vellet causa? Respondit Missæ sacrificia ô Domina Missæ sacrificia. Accessit & Collegij Societatis Iesu Rector: multum ait, solatij iam senties mi Pater à D. N. IESV CHRI- *Mortem formidat.* STO. Ad hæc ille: Imò timoris respondit multum pro peccatis meis. Et hæc quidem verba singula multum considerationis continentia, nefas sit obiter transisse. Vltima enim hæc expetitio citra con-

trouersiam, magni debet esse momenti ac ponderis; quandoquidem vir tantus, adeoque ad mortem paratus (quotidie enim confiteri, & communicare solitus) pronuntiet se temporis spatium maius dari exoptare ad se præparandũ: magnumq; iudicium illud sit necesse est illius horę in mortis articulo, quod Dei seruus tribunal illius formidet, & Missæ postulet sacrificia, quibus purgatorij pœnæ subleuentur. Etsi enim quędam ignibus purganda fuissent (quod de tot tantisque virtutibus, & vita tam innocenter acta incredibile videatur) nonne satisfacere poterant septemdecim anni quibus cum morbis, vt diximus, est conflictatus? præsertim cùm vnus dies quo libenter tolerantur labores in hac vita, ampliùs valeat pœnis purgantis ignis, qui necessitatis magis est quam voluntatis. Et verò, si nos terrent tanti viri in morte metus, terreant & aliorum Sanctorum formidines, quibus ad extremæ horæ rationes trepidabant. Magnus ille Arsenius, in seculo quidem grandis, grandior verò inter eremi incolas, cùm in mortis articulo præ se ferret, magni pauorem, & admirabundi dicerent discipuli: Pater etiam tu nunc times? Respondit vir sanctus: Filioli non est in me recens hic pauor, quem quoad vixi semper prætuli. Idem interrogarunt in eadem hora mortis Sanctum Agathonem monachum discipuli eius. Quibus reposuit: Timere se quòd sciret, Dei iudicia altam esse abyssum, & à nostro iudicio valde discrepare. B. Hilarion sanctimoniæ speculum, cognito animam discessum è vita trepidare, confirmando dixit: Egredere anima: quid times egredi? Septuaginta annis Christo seruisti & mortem times? Quid verò dicã de patientiæ exemplo, & innocentissimo Iob? cui par nemo in terris aut secundus: Quantum tribunal iudiciumque extremum formidat, cùm ait: *Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quæsierit, quid respondebo illi?*

Exempla sanctorum in agonia mortem metuentium.

Iob. 31. 14.

His sacris exemplis cognoscet homo Christianus metum *Aulæ* in mortis agonia non esse imperfecti animi argumentum, sed potiùs prudentis ac perfecti. Hinc ait Ecclesiasticus: *Seruа timorem Dei, & in illo veteraſce*: hoc est, etsi vetus es in Dei domo famulus, timeas nihilominus. Et Salomon ait: *Beatus homo qui semper est pauidus.* Iustus quidem erat B. Simeon, tamen in sanctitate & iustitia timidus: nam vt ait glossa, quanto plus erat quod amitteret, eò metuebat magis. Verum in nostro Dei seruo ad ea quæ diximus alia erat metuendi causa, altissima nimirum humilitas & modestia, in qua radices prudẽ egerat profundas. Quæ virtus quantum displicere quemque sibi facit, tanto timere cogit magis, dum se ipse contemplatur, infirmitatis suæ conscius atque erratorum. Sacro hoc metu vita abijt *Aulæ*, relicto nobis clarissimo timoris exemplo, causaque vt eodem ipso timore & viuamus & moriamur.

Eccl. 2. 6.

Prou. 28. 14

Causa metus Aulæ.

Interrogatus *Aulæ* à domina Marchionissa vbinam sepeliri vellet: Ipsa enim & soror Anna, quibus ille aures ritè confitentibus dare solebat, vt supra commemorauimus, ad S. Claræ condi optabant: respondit ille: minimè, sed in Collegio Patrum Societatis Iesu: quos vt dum vixerat adamauerat; ita corporis sui pignus apud eos deponi volebat. Vesperа iam erat & pectus dolor inuadebat. Itaque discipulorum vnus Christi de cruce pendentis imaginẽ quam manu tenebat *Aulæ* tradidit, qui & eam suscepit vtraque manu, Christi pedes exosculatus, vulnusque lateris pretiosum, summa pietate in amplexus ruebat. Dedit & granum indulgentiarum quod penes se habebat, vt nomen IESVS, pronunciaret, quod ille repetebat identidem cum Virginis Matris nomine. Nox iam erat vrgebatque dolor, & Christo dicebat: *Bene iam est, Domine, bene est.* Doloro ad vndecimam vsq; conflictatus vel duodecimam noctis, repetebat frequenter voce licet exili; IESV, MARIA. Sacerdotum vnus in dextera illius crucifixum, alter verò sinistra ceream lumen tenebat. Hoc quidem toto tempore vultus nihil in diuersum mutatus ac ne oculi quidem, vt infirmis solet accidere: imò vultus serenitatem quam valens tenuit & moriens, & vix quarta horæ parte loquela caruit. Hac pace ac quiete spiritum Deo reddidit: à pace gratiæ ad gloriæ quam recepturus erat transiens cum laureola tot tantisque laboribus promerita, tantoque fructu animarum fidelium quos lucrifecerat. Quem verò sit gloriæ gradum acceptурus, Christus ipse in Euangelio sic pronuntiat: *Qui fecerit & docuerit homines* (hoc est, seruârit Dei præcepta & alios seruare docuerit) *magnus vocabitur in regno cœlorum.* Huic enim muneri gloria debetur & corona his qui in saluandis animis sese occuparunt, vt ait Daniel Propheta: *Qui iusti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos: quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Idemque natalis huius *Aulæ* dies quasi prædixit. Natus enim Epiphaniæ festo, cùm stella sanctos Reges ad Christi duxit præsepe: prædicens nobis infantem illo die natum stellam lucidam fore in Dei Ecclesia, qui multas duceret animas ad Conditoris obsequium, vt ex supradictis abundè cognoscimus. Vtque eo die natus est qui nobis munus exhibet cui à Deo destinatus erat; sic & obijt die S. Iob (vt in martyrologio est Romano) significans non accepturum modò Doctoris coronam, sed & patientiæ quam habuit firmam septemdecim annos quibus cum morbis conflictatum diximus.

Matt. 5. 19.

Dan. 12. 3.

Obitus eius.

Ecclesiastes hic Paulo Apostolo deditus in primis fuit, & concionando eum imitari studuit: item paupertate & erga proximum caritate. Eius Epistolas memoria tenebat. Mirum quam multa ex eo & hauserit & docuerit. Amabat illum tenerè ac reuerebatur: adeoque epistolis sacris quas *Aula* euulgari permisit, Apostolum mirum in modum expressit. Videas sanè quoties locum Pauli per viam explanat ingenti spiritu admirandaque doctrina id eum peragere, vt aliquot ex omnibus eius concionibus ac scriptis.

Reperiet Christianus Lector in hacà nobis conscripta vita multa quæ meritò ædificent admirationemque concitent: tum verò maximè ardentẽ spiritum ac sitim inexplebilẽ saluandarum animarum: quam sitim tot rationibus inuentisque curauit cõcionando, epistolas scribendo, studia promouendo ac collegia excitando, inopibus alendis, & quauis diei hora consilia petentibus aures præbendo. Verùm quod in his admiror magis, & quod in ea mole continuarum occupationum cum proximis exterioris hominis serenitatem moderationemque solitam, numquam amiserit; aut interioris compositionem operationemque. Huius rei causam interpretor vitæ diuisionem: Interdiu enim ad Christi imitationẽ proximis vacabat; nocte verò Deo. Præterea ita cum proximis agebat vt vnionem spiritus cum Deo non amitteret. Studens assiduè (vt Ioànes suadet Climacus) interiorem animæ quietem conseruare in affluentia ac diuersitate negotiorum corpus spectantium; quod est perfectorum munus.

Etsi verò virtutes ac vita ipsius narratæ miraculorum sint instar, quod sint à ceteris longè hominibus diuersæ, narrant tamen eius discipuli miracula quædam ipsius quæ scribere non audeo, quòd à legitimo Iudice nondum sint comprobata. Obijt decimo Maij, anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Morte ipsius magnum relictum desiderium, cùm Marchionissa, quæ parentis eum diuebat

dies & annus.

In templo Patrum Societatis sepelitur.

bat loco, & sorori Annæ religiosæ, omniq́ue adeò clero in templis ac religiosis familijs SS. Augustini & Francisci Patribusq́ue Societatis IESV ad quorum templum defuncti corpus delatum est, vt tumulo mandaretur, vbi in Sacello maiori ad cornu Euangelij conditum iacet, in pariete autem arcus excisus est ad imponendam arcam, in qua corpus, reconditum est, quadrumque etiam elaboratum, in quo hæc descripta sunt.

(o)

D. O. M.

Epitaphium Auilæ.

MAG. IOANNI AVILAE
PATRI OPTIMO
VIRO INTEGERRIMO
DEIQ. AMANTISS.
FILII EIVS IN CHR.
POSS.

OBIIT X. MAII. ANN. M. D. LXIX

MAgni Avilæ cineres, venerabilis ossa Magistri,
Saluete, extremum condita ad vsque diem.
Salue diue Pater, pleno cui flumine cœlum
Affluxit, largo cui pluit imbre Devs.
Cœli rore satus, quæ mens tua seuerat intus,
Mille duplo retulit fœnore pinguis ager.
Quas Tagus ac Bœtis, quas Sigilis alluit oras
Ore tuo Christvm buccina personuit.
Te patrij ciues, te consulturus adibat
Aduena, tu terris numinis instar eras
Quantum nitebaris humi reptare pusillus,
Tantum prouexit te Devs astra super.

IPSE LECTORI.

AVila *mî nomen, terra hospita, patria cœlum:*
Quæris quo functus munere? messor eram.
Venerat ad canos falx indefessa seniles,
Quæ Christo *segetes messuit innumeras.*

FRATER

FRATER

LVDOVICVS GRANATENSIS.

CANDIDO LECTORI.

PHILOSOPHI olim (qui se humanæ vitæ magistros profitebantur) nulla in re maiori studio elaborarunt, quàm vt intelligerent, qua in re felicitas & vltimus finis, hoc est summum hominis bonum situm esset. Intelligebant enim, ignorato fine, nihil in vita constitui rectè posse, eo autem explorato, facilè esse homini actiones suas omnes ad eum finem, tanquã ad scopum dirigere. Quantum autem in huius rei inquisitione hallucinati fuerint (cum de futuræ vitæ beatitudine nihil nossent) non est nostrum hoc in loco disputare. Nos tamen cœlesti magisterio instituti, duplicem beatitudinem agnoscimus, alteram quidem perfectam, quæ pijs hominibus in futuro seculo à DEO proposita est, alteram inchoatam, qua perfecti viri in hac vita fruuntur: quam (vt breuiter definiam) in sapientiæ possessione collocamus, ad quam cætera Spiritus sancti dona ordinantur: cuius actio est diuinarum rerum contemplatio, in qua etiam Aristoteles summum hominis bonum & felicitatem posuit. Vt autem intelligamus, quàm ingens sit huius sapientiæ thesaurus, quanta que eius dignitas & vtilitas, satis esse nobis ad hoc debet magnificum illud Sapientiæ elogium, in quo summus ille vir spiritu Dei afflatus, omnibus huius vitæ rebus quamlibet maximis, & pretiosis sapientiam antefert, his verbis. *Optaui, & datus est mihi sensus, inuocaui & venit in me spiritus sapientiæ, Et præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi eam, &c.* In quibus verbis vir ille sapientissimus commemoratis omnibus quæ in summo pretio apud homines habentur, sapientiam illis omnibus longè præfert. Nec his contentus, eam bonorum omnium matrem esse confirmat, & bona omnia sibi cum illa obuenisse testatur. Denique Salomon consona voce, *Melior est* (inquit) *sapientia tunctis pretiosissimis, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Quis igitur his tantis diuini Spiritus testimonijs non summum quoddam, & præstantissimum bonum in hac sapientia positum esse intelligat, etiamsi eius suauitatem, atque delicias nondum fuerit expertus? Similia his legimus Iob 28. & Baruc. 3. quæ breuitatis causa omittenda duxi, cum in promptu, & ad manus ea sint. Spiritus enim sanctus vbique sui similis eadem & in his & in alijs Scripturarum locis de sapientiæ dignitate prædicat, cuius actionem & officium rerum diuinarum contemplationem esse diximus. Qualis autem sit eorum felicitas, qui se huic officio dederunt, eleganter D. Gregorius Theologus in Apologetico suo describit, cùm docet se cœlestis huius Philosophiæ amore incensum (quæ otio & quiete alitur) pagantur) hoc in loco attexere volui: *Subibat* (inquit) *animum meum amor quidam tranquillæ vitæ, atque ab hominum frequentia semotæ, quam cum iam inde à primis annis adamassem, factoq; periculo vehementius eius amore, atque desiderio flagrarem, non tuli me imperiose cogi, atque in medios tumultus contrudi, ab hacq; vita perinde, atque in asylo quodam per vim auelli. Nihil enim mihi fortunatius eo homine esse videbatur, qui clausis compressisq; corporis sensibus, atque extra carnem mundumq; positus, in seq; collectus (nec nisi summa necessitate impellente, quidquam humanarum rerum attingens) atque & secum in se & cum Deo colloquens, superiorem rebus in aspectum cadentibus vitam agit, diuinasque species, & imagines puras semper, nec vllis terrenis, & errabundis formis permixtas in seipso confert, ac Dei rerumque diuinarum purum omnino speculum est, indesque efficitur; lucique, lucem, obscuriori videlicet clariorem adiungit, ac iam futuri æui bono fruitur, & cum Angelis versatur: & licet adhuc in terris agens, terram deserit, atque à spiritu in cælo collocatur. Si quis vestrum hoc amore correptus tenetur, quid dicam, intelligit, atque affectui eius in quem tum incidit facile ignoscet.* Hæc omnia vir hic diuinus. Quæ quidem satis esse debent, vt huius studij dignitatem, atque delicias agnoscamus, & felicitatem eorum, qui vitam omnem, atque seipsos huic studio consecrarunt, intelligamus. Simili spiritu D. Augustinus huic studio addictus erat, & felicitatem eorum, qui simili desiderio flagrant, describit. Sic enim cum Deo loquitur: *Te mediter per dies sine cessatione, te sentiam, per sopore m in nocte, te alloquatur spiritus meus, tecum fabuletur mens mea. Felices qui nihil aliud diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare didicerunt. Felices quorum spes tu solus es, & omne opus eorum oratio.* Hactenus ille.

Beatitudo duplex.

Sapientia sedes Beatitudinis.

Sap. 7, 7.

Prou. 3. 15.

Sapientia in contemplatione versatur Greg. Nanz in apolog

Contemplationis felicitas

S. Auguſt.

HAEC

HAEC de opere. NVNC de operis Authore (quo vberiorem fructum ex huius operis lectione capiamus) pauca dicenda sunt, & ea solùm quæ ad hoc institutum pertinent. Nã de vita eius, & pastoralis officij administratione, posteris (qui eius familiaritate vsi sunt) scribendi cura, & facultas erit. Nos enim eius præcepti memores (quo neminem in vita laudare monemur) ab hoc officio supersedemus. Huius itaque operis Author fuit Reuerendissimus Archiepiscopus Bracarensis, & Primas, ex D. Dominici grege ad hanc dignitatem assumptus. Qui priusquam ad hoc munus cooptaretur, viginti verò annis in nobilissimo cœnobio Victorienſi sacræ Theologiæ Cathedram, cum maxima sua laude moderatus est & in ea meritissimo iure magisterij honore laureatus. Quamuis autem scholasticæ Thtologiæ studia præcipuè coleret, numquam tamen hoc ipso tempore mysticæ Theologiæ (quam is charissimam habebat) studia intermisit, authorum libros qui de ea diligentius scripserunt assiduè euoluens, & præcipuas eorum sententias carpens, scriptoque consignans, vt frequenti earum lectione, & in Dei amore, & virtutum studio quotidie proficeret. Cum ergo his rationibus bonus Christi odor effectus esset, Sereniſſima, & sanctissima Regina D. Catherina, quæ in demortui viri loco Lusitaniæ Regnum moderabatur, huius boni odoris virtute permota, ipsum Braccarensis Ecclesiæ Pastorem præficiendum curauit. Quod ille munus ex maiorum suorum imperio, Ecclesiastica censura adactus recusare nõ potuit, alias nulla ratione subiturus. Qui cum astantibus omnibus Cœnobij Vlysipponensis fratribus, præcepto paruisset, hoc de se testatus est: Ego (inquit) hoc nomine à multis accusor, quod nimium propositi mei tenax sim: in hac autem vna re coram vobis profiteor me tenacem futurum, quod ab omni fastu & splendore domus, & familiæ alienissimus ero, eamque humilitatem in cultu corporis, in mensa, cæterisque similibus, quam monachus sectatus sum, in episcopatu retenturum: nec me vlla vis aut ratio ab hac mente, & consilio vnquam reuocabit. Hoc quidem ille pollicitus est: quod quam plene ad hunc vsque diem præstiterit, tota Lusitania testis est. Parcissima enim mensa, & exigua supellectili, & familia contentus, quæ sibi ademit, nec in consanguineos, nec in famulos aut aliqua ei necessitudine coniunctos, non denique in palatijs ornandis, & ampliandis, sed in miserijs pauperum subleuandis, & adolescentibus in literis, & moribus instituendis, impendit. Ad quod pleniùs præstandum Collegium ibidem ex patribus Societatis Iesu extulit, qui hanc docendi prouinciam susciperent, In insigni etiam & numeroso populo Vianæ monasterium D. Dominici, hoc est instituti sui, similiter à fundamentis erexit, atque dotauit.

Bart. de Martyribus. *Author huius libelli & breuis eius vita.*

Is igitur inter varias pastoralis officij curas, nunquam Rachelis suæ amplexus deseruit, sed diem pastoralis officij curis, noctem Deo offerebat. Quo tempore quicquid de mystica Theologia à summis viris, hoc est, Dionysio, Bernardo, Bonauentura, Gersone, scriptum est, studiose legens, has gemmas super aurum, & topazion pretiosas nouis ministrauit. Quibus ego legendis tantopere delectatus sum, vt ferè affirmare possem, me nihil hactenus in vita legisse, quod acriores pijs hominibus stimulos ad huius cœlestis philosophiæ amorem adderet, maioremque lucem his qui huic studio dediti sunt præferret. Etenim hæc Theologia, vt altissima, & inaccessa, ita multa habet quæ magistro egeant, tum in ea experientissimo non in scholastica etiam Theologia doctissimo, vt suis, hoc est proprijs verbis, ea quæ sentit, enuntiet. Qui etiam scopulos omnes, & pericula hoc itinere gradientibus obtingere solent detegat, & ostendat. qui etiam vitia virtutibus finitima (quod in hac parte euenire solet) aperte declaret. Denique vt in summa dicam, præcepta omnia, quæ ad hanc diuinam philosophiam necessaria sunt, in hoc breui volumine studiosus Lector se deprehendisse gaudebit, atque eo magis, quo pauciſſimos huius altissimæ philosophiæ magistros inueniet.

Stylus autem ipse & ratio dicendi humilis est, vt simplicioribus monachis, qui minus Latinis literis operam dederunt, planus esset, & facilis. Verum enim illud est quod Græco Prouerbio dicitur, Quantumuis rudius dicito, modò clarius. Et illud idem D. Augustt. Nihil interest, an clauis lignea sit, an aurea, si non minus illa quàm hæc quæ sunt clausa aperire valeat. Neque verò simplices & literarum rudes ab huius altissimæ Theologię studio arcendi sunt, modò humiles sint Lex quippe Domini sapientiam præstat paruulis: & (vt Seruator noster ait) quæ sapientibus & prudentibus huius seculi abscondita sunt, paruulis à cœlesti Patre reuelantur. Illud postremò dicendum est, quod hunc quidem libellum Reuerendissimus Antistes non vt excuderetur, & in publicum prodiret, sed sibi vni descripserat: cuius ego lectione adeò captus fui, vt eo magis conniuente, quàm volente, typis committendum, & in publicum edendum curauerim: vt non ille solùm, sed pij omnes, atque ij præsertim qui mysticæ Theologiæ studijs vacant, huius pretiosissimi thesauri participes efficerentur. Vale.

ORA-

ORATIO
AD IESVM CHRISTVM
PRO IMPETRANDO SPIRITV DEVOTIONIS ET DILECTIONIS, ERGA IPSVM.

Prou 23

DOMINE *Iesu Christe, animarum nostrarum amantissime sponse, fons dulcedinis, & amoris, quid est, quod à me vilissimo & inutili seruo, dignaris postulare cor meum ad te amandum, dicens, fili mi præbe mihi cor tuum? Tu me rogas, & ego à te faciem meam auerto? tu me sequeris, & ego à te duce fugio? mihi semper seruis, & ego te offendo? te mihi tribuis, ego te contemno? me miserum & vanissimum diligis, & ego te infinitum & inenarrabile bonum sperno? Plus enim me alicit vanitas, quã æternitas, creatura quam creator, peccatorum onere deprimor, te liberatorem non quæro: nimis certe saxeum est cor meum, nisi molliatur sanguine tuo, nimis dispersum, nisi recolligatur in latere tuo. Benignissime Domine me miserum respice oculis tuæ misericordiæ, nam ego sum illa ouis quæ perijt & erravit, pro qua saluanda, animam tuam in cruce posuisti, tuis vulneribus saucia animam meam, & tuo sanguine inebria cor meum, oculos interiores animæ meæ illumina, vt quocumque me vertam, te semper habeam crucifixum, & quidquid aspexero, mihi appareat in tuo sanguine rubicatum, Aperi thesauros dulcissimi amoris tui, proferatur & detur mihi charitatis stola, quæ animam meam, ab alieno amore exutam vestiat, & ab omni terrenorum bonorum affectu & iucunditate remoueat, & me totum in tuum seruitium confirmet, vt deinceps nihil me alliciat, nisi quod ad te super omnia amandum, incitare valet.*

Tolle dulcissime Iesu cor meum, & ne permittas me à te elongari, vel amplius extra te vagari, me teno timore, stringe amore, quieta dulcore saucia vulneribus tuis, & inebria sanguinis potatione vincat in me spiritus tuus bonus, & diuini amoris tui zelantissimus feruor, omnem malitiam meam, & supplantet omnem astutiam diabolicam. Vre me igne sancti Spiritus, & quiescam in dulcedine bonitatis immensæ, amando, laudando, & honorando excellentiam summæ gloriæ tuæ, vt sequar vestigia passionis acerbæ, te quæram thesaurum absconditum, sitiam fontem aquæ vitæ, tecum clamans, doloribus tuis vulnerer, tecum lugens misericordiam inueniam, & peccatorum omnium remissionem consequar, tecum moriens in cruce carnalis hominis mortificationem assequar, vt omnia propter te abijciens, à me procul recedat vanitas, accedat diuinitas, totaliter transformet charitas, vt iam non ego, sed Christus in me viuat, & sim vnus cum Domino Iesu meo vt in fine vitæ meæ, & hora mortis, inueniam vitam æternam. Amen.

R.P.F.LV-

COMPENDIVM

SPIRITVALIS DOCTRINAE, EX VARIIS SANCTORVM PATRVM sententijs magna ex parte collectum.

AVCTORE

REVERENDISS. P. F. BARTHOLOMAEO de Martyribus Archiepiscopo Braccarensi, ex Ord. Prædicat. Edente olim F. Ludouico Granatense eiusdem Ordinis Religioso.

PRIMA HVIVS COMPENDII PARS, in qua de mortificationis virtute, & purgatione vitiorum agitur.

REMEDIA COMMVNIA ADVERSVS OMNIA VITIA.

CAPVT I.

QVONIAM priùs euellere quam plantare, priusque animæ speculum à vitiorum & prauarum affectionũ sordibus purgare, quam ad splendidissimã diuinæ claritatis lucem attollere iubemur, prior huius operis pars ad vitiorum purgationem, posterior verò ad sanctæ Meditationis, Orationis, & Contemplationis studium deseruiet. Vt autem debito ordine procedamus, prius quidem communia, deinde singularia vitiorum remedia ex quodam B. Bonauenturæ opusculo, quod de remediis vitiorum inscribitur, tradenda sunt. Is igitur hæc septem communia vitiorum remedia assignat.

Vitiorum remedia septẽ

I. Primum quidem est paupertas, vt scilicet omnibus in rebus aliquam patiaris penuriam, non solum in his quæ desideras (quia etiam ditissimi plura cupiunt, quàm habeant) sed etiam in his quibus necessario indiges: hoc est, in victu, vestitu, hospitio, ministris, & similibus. Secundum, Tui ipsius despectus: vt videlicet libenter patiaris vilipendi, negligi, nulla in re singulariter honorari, sed potiùs velis confundi, exprobrari, vituperari, donec tumor elationis penitus in te comprimatur. Tertium, Strenuum magisterium est, vt ea facere cogaris, quæ alias inuitus faceres: & ea demittere, quæ libenter amplectereris. Nec velis quidquam habere, agere, loqui, nisi quod tibi pro nutu alterius permittatur, donec curuitas propriæ voluntatis ad formam rectitudinis reflectatur. Quartum, Elongatio à consortio secularium: sicut enim aqua turbida sibi relicta sensim purificatur, ita mens religiosa à seculo sequestrata circa terrena minus afficitur, & cœlestia ardentiùs incipit expetere, & puriùs intelligere. Quintum, Oratio frequens, quæ languorum omnium curationem, & vitiorum victoriam impetrat. Sic enim Moses cum manus haberet in cœlum porrectas, victoriam de hostibus reportabat. Exod. 17. Sextum, Quælibet afflictio vel tribulatio ingruens, vt labor, infirmitas, persecutio, tentatio, infamia, & cætera huiusmodi. Sunt enim hæc velut lima rodens, quæ ferrum rubiginosum reddere solet splendidum: quæ licet in principio molesta sit, consuetudine fit tolerabilior, adeò vt iam non negligi, sed potiùs diligi incipiat, propter profectum sanitatis inde prouenientis. Exemplo sit cauterium, quod quanuis primò acerbum sit, tamen sopita carne ægrotum non cruciat, & superfluos ac noxios humores extrahens, illum in pristinam & optatam restituit valetudinem.

II.

III.

IV.

V.

VI.

Septimum, Assidua meditatio, & mortis, & cœlestis beatitudinis.

VII.

(o)

SEQVVNTVR REMEDIA PROPRIA singulorum vitiorum, & primò Superbiæ.

CAPVT II.

I. *Superbiæ remedium.*

PRimum remedium est, Consideratio nostræ vilitatis secundùm corpus & animam. Quis fuisti, quis es sub cute, & quæ sordes ebulliunt per meatus corporis, & similia. Cogita quòd honores nemini impenduntur propter se, sed propter quæstum quem inde sibi pollicentur assentatores: similes enim sunt vulturibus & canibus, qui accurrunt ad cadauera, quòd inde sperent famem explere, sed cùm vsque ad ossa corroserint, relinquunt illa insalutata. Cogita præterea, quod quæcunque bona in nobis sunt, non nostra sunt, sed Dei dona sunt, quæ licèt nos ad maiora obligent, tamen illa malignè fœdamus, multipliciter maculantes sacrificium orationum & actionum. Mala autem nostra purè mala sunt, digna suppliciis. Veniat item in mentem quot periculis simus expositi, præsertim omnium maximo, nempè damnationis æternæ. Secundum

II. remedium, Exercere se in humilibus operibus, ac despectis, humili habitu incedere, humiles profiteri mores, humilia loqui verba, nouissimum locum eligere, nil iactantiæ aut ostentationis appetere. Quod si pro huiusmodi humiliatione sentis te pulsari superbia, perge fortiùs in virtute proficere, nam virtutis assiduo vsu gloriola hæc euanescit. Tertium, A

III. tendere toto animo humilitatem CHRISTI IESV, & Sanctorum omnium quibus comparati (quantumuis humiliemur) erimus sicut locustæ ad Gigantem, calculus ad montem, gutta ad flumen: denique inter nos & illos vix erit proportio.

Remedia contra Inuidiam, & odium. §. I.

1 *Inuidiæ & odij remedia.*

PRimum & præcipuum remedium est, Non amare aut cupere terrena, inde enim nascitur inuidia simul & odium. Secundum, Illud pro

2 comperto habere, quòd licet penes alios non essent quæ inuides, non ideò tibi possidenda traderentur. Tertium, Certò scire, Inuidiam nil aliud esse quàm

3 tineam cordis tui, tibi soli noxiam & mortiferam. Ad radicitus extirpandum odium aduersus proximum tuum conceptum; illud attentè consideres, quòd quamdiu cum fratre non redieris in gratiam, Deo ipsi Optimo inuisus existas, apud quem interim nullius momenti sunt quælibet opera tua. Stude igitur illi esse gratior, & affabilior, quem tibi acriùs aduersari cognoueris, sic enim lenies cor ipsius & tuum. Multa te molestant, & turbant. Quid miser oleum addis camino, cùm iniuriæ aculeo ipse rancorem accumulas? Tot enim passim insurgunt nobis aduersantes, vt si velimus eos opprimere, & in omnes offensionem seruare, priùs grauissimo oneri succumbendum sit, quàm omnes exterminare valeamus: si verò es mitis & patiens, omnes victi incruenta (quod mirum est) victoria.

¶ *Remedia Tristitiæ, & Acediæ. §. II.*

PRimò aduertendum est, hæc tria, si propriè loquamur, differre: nempè aliud est Tristitia, aliud Pigritia, aliud Acedia. Tristitia est amaritudo mentis, quæ nil lætum vel salubre recipit, tædio pascitur, fugit hominum consortia, fastidit gaudia quæque. Pigritia est torpor quidem mentis, qui somnum & omnia commoda corporis amat, horret labores, fugit aspera quælibet, vt frigus, laborem; otio delectatur. Acedia verò illa dicitur, quæ fastidiens quæ Dei sunt, ad cætera agilis & alacris sem per existit: Oratio est ei insipida & ingrata, festinat explere velociss imè orationem debitam, à laudibus Domini refugit, rumoribus pascitur, ludis delectatur, excogitat negotia, quibus occupetur, cella ei carcer est, vagari mente & corpore diligit, nil molestius habet quàm Deo intendere: & ijs quæ ad profectum spiritualem spectant: omnis rigor disciplinæ spiritualis est illi grauis: contra eum murmurat, conqueritur assiduè de duritia prælatorum, & disciplina zelantium. Primum ergo remedium *Tristitiæ.* *Pigritia.* *Acedia.* est, vt se cogat (licet violentè) ad illa virtutis studia *Remedium* frequentanda, quæ maximè fastidiat, præcipuè ad orationem & celebrationem diuinorum, tamdiu, quo vsque Dei gratiâ, tædium vertatur in oblectationem: nec cessandum est, quamuis ea gratia differatur: nam de labore luctaminis meritum accrescit, virtus roboratur, & tædium paulatim minuitur. Deus enim ipse non requirit à nobis quæ non accepimus, nempè sensibilis deuotionis gratiam, sed hoc maximè vult, vt toto cordis affectu eam quæramus, & donatam conseruemus, & pro concessa gratias agamus. Fieri enim potest, vt plus meriti proueniat ex pugna ad obtinendam deuotionem (etiamsi is qui orat non proficiat) quàm si absque vllo proprio labore multa deuotione interna vigeret. Ea namque posset extolli, & ideò meritum minui, illâ verò cor humiliatur, & meritum altiùs progreditur. Contra tristitiam præsens remedium est frequens *Contra tristitiam remedium.* memoria benignitatis Dominicæ, & recordatio beneficiorum eius, consuetudo bonorum, occupatio animi & corporis, legendo, docendo, disputando, discendo, manibus operando, corpus castigando, & similibus. Tristitia parit aliquando spiritum blasphemiæ, qui (vt dicit Gerson) non solùm à maligno spiritu suggeritur, sed habet etiam causas naturales, videlicet vacuitatem cerebri ob ieiunium, aut eius plenitudinem ex euaporationibus crassis, ex nimia potatione, ingluuie, & otio prouenientibus. Hanc autem blasphemiæ tentationem (quæ plus molestiæ quàm periculi habet) prudentissimè expulit quidam Religiosus Pater, qui rogatus à quodam quo pacto posset infestum hunc hostem superare, respondit: Ne cures hos Dæmonis aculeos, fili mi, in me suscipio hæc omnia peccata.

¶ *Remedia contra Auaritiam, id est, anxiam congregandi cupiditatem, & conseruandi nimiam tenacitatem. §. III.*

PRimum ac præsentissimum remedium habetur, nil proprium habere, sed omninò in com- ¶ *Remedium.* muni viuere. Secundum, Attentè considerare 2 laqueos & vincula diuitiarum, & itidem paupertatis libertatem. Tertium, Totum se Deo plenè committere qui nunquam derelinquit sperantes in se. 3

¶ *Remedia contra Gulam. §. IV.*

NOn habere præ inopia, vnde, etiam si velis, possis gulæ satisfacere. Nam quo quis est pauperior, eo minùs delinquet in voracitate. Considera quàm citò pertranseat, quàm breuis sit voluptas illa quæ ex edacitate proueniat: & quàm fœda, postquam abierit, vestigia sui relinquat. Si palatum exigit, vt illud oblectes, cogita iam fecisse, atque horam illam voluptuariam iam præterijsse. Gulæ enim deditus eo oblectatur, quod & ægritudine torquet corpus, & peccato maculat animam.

¶ *Remedia contra Luxuriam. §. V.*

DEuitare familiaritatem fœminarum, & hominum impudicorum, non nutrire corpus delicatè, & (v' ajunt) curare cuticulam, etiã

fugere

Omnium malorum omnium sentina.

fugere. est enim sentina malorum omnium, tentationum, cogitationumque malarum. Nam sicut per sentinæ rimam aqua tacitè & latenter obrepit, donec nauis tota mergatur, ita ex otio cogitationes & concupiscentiæ multiplicantur, donec mentis nostræ cymba peccato consentiat. Item claudere fenestras sensuum ab illicitis. Dauid peccauit, quia vidit lignum quòd esset bonum: nec aliter Dina, quàm quòd esset curiosa ad videndum. Non expedit intueri, quod non licet sine crimine concupiscere. Quanto rariùs vides vel audis quæ mundi sunt, tanto affectio tua ad ea concupiscenda frigidior erit: & quo magis seculi puluere respergéris, quo latenter paullatim tenebrescis, & affectus erga DEVM mirè tepescit. Esse namque in pistrino, & nullo aspergi puluere, vix est possibile. Item, repressio internarum suggestionum procuranda est: vbi namque domestici perfidi sunt, irrita est omnis exterior custodia. Demum præ omnibus obseruandum est deuotionis studium, quæ rorem cœlestem hostiles astus infringentem potens est impetrare.

1. Reg. 11. Gen. 3. Gen. 34.

ABSTINENTIÆ SALVTARIS documentum.

CAPVT III.

SI Spiritu ambulamus, non ideò amittimus delectationes, sed traducimus à corpore ad animam, ab exterioribus sensibus ad interna, quibus reformata anima ad imaginem Creatoris sui, iucundissimè refloresc it: reformatur caro, & iam libenter ea amplectitur, quibus spiritus oblectatur. Simplex aqua, simplicia legumina, ventri bene morigerato gratanter ac delectabiliter satisfaciunt. Nam condimentum diuini amoris, quod hisce adiungitur, omnia reddit dulcia: voluntas patitur vsum, vsus affert exercitationem, exercitatio vires subministrat. Hæc Bernardus *in epistola ad fratres de monte Dei*. Bonauentura tamen inquit, triplici de causa abstinentiam esse moderandam. Primò, quando fit contra præfecti præceptum, non enim licet abstinentia vti contra Superioris iussa. Secundò, quando abstinet quispiam cum euidenti sociorum scandalo. Salutarius enim est, & ad exercitationem spiritualem commodius, charitatis affectu moribus viuere communibus, quàm cum fratris scandalo, præ cæteris speciali vti abstinentia. Tertiò, quando abstinentia susceptа vires nostras excedit, ea namque indiscreta dicitur, & vitiosa. Quapropter de his abstinentibus loquens inquit Bernardus *serm. 19. super Cantica*. Non vultis esse contenti communi vita, non sufficit vobis regulare ieiunium: non solennes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura quam vobis partimur in vestimentis vel alimentis, priuata præfertis communibus, qui vestri curam semel nobis commisistis, quid rursum de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Dominum (conscientijs vestris testibus) offendistis, propriam videlicet voluntatem, ecce nunc iterum magistram habetis, non me. Illa vos docet naturæ non parcere, rationi non acquiescere, nō obtemperare Sanctorum consilio, vel exemplo: denique nobis non obedire. An nescitis, quia *Angelus Satanæ multoties, transfigurat se in Angelum lucis*? Non enim habet callidus hostis machinamentū efficacius ad tollendum è corde vestro Dei & proximi dilectionem, quàm si efficere possit, vt incautè, & non cum ratione ambuletis. Et idem *Serm. 33.* Videas, proh dolor, illos importunè superflua quæritare, qui priùs necessaria obstinatissime recusabant, singularitate notabili conturbantes eos, cum quibus debebant habitare vnius moris in domo. Vide & *Sermon. 64. & Sermon. 3. in Circunc.* vbi postquam docet tenendam esse discretionem, ne quid nimis, vel minus fiat, subiungit: At verò quia omninò rara ista auis est in terris, videlicet discretió tenens medium, suppleat locum discretionis virtus obedientiæ, vt nec plus, nec minus, vel aliter quàm imperatum sit faciatis. Et *in Epistola ad fratres de monte Dei*, de abstinentia loquens ait: Iustum est aliquando caput dolere in seruitio DEI, quod olim sæpe laborauit vsque ad dolorem in vanitate seculi: & venter aliquando esuriat vsque ad rugitum, qui sæpe repletus est vsque ad vomitum. At modus in omnibus est tenendus, affligendum est corpus, non conterendum. Nam exercitationes corporales ieiuniorum & vigiliarum, si cum discretione fiant, spiritualia exercitia adiuuant: si autem cum indiscretionis vitio agantur, fit, vt deficiente vel langue scente corpore, spiritualia etiam studia impediantur. Vnde qui sic crudelis est, suo corpori aufert bonum effectum, spiritui pium affectum, proximo salutare exemplum, DEO debitum honorem, denique sacrilegus est, & omnium horum in Deum reus. Vide Bonauent. *cap. 45. Meditat. vitæ Christi.*

Abstinentia triplici de causa moderanda.

Corpus cum discretione affligendum

DOCVMENTA PRÆ OCVLIS HABENDA ad perfectionem spiritualis vitæ aspirantibus: & primò quidem ex Opusculo Bonauent. viginti quinque memorabilium.

CAPVT IIII.

SI volumus sequi Saluatorem, oportet in primis nos obedire voci Propheticæ, vt videlicet colligationibus dissolutis peccatorum, dissoluamus peccatorum fasciculos nos deprimentes, quatenus à terrenis actibus, dissoluti sequamur liberis gressibus Redemptorem. Nunquam ergo permittamus cor nostrum solicitari de aliqua re creata, nisi inde excitetur in nobis diuini amoris affectus, quia multiplex labentium rerum varietas non solùm animum distrahit, & pacatæ mentis gratum interrumpit quietem, verùm etiam in animo gignit phantasias turbulentissimas. Deposita ergo onerosa sarcina affectionis omnium terrenorum, absque retardationis grauedine, properemus ad illum, qui liberalissimè nos inuitat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, &c.* O Domine, cuius rei es indigens? Quare vocas? Quid tibi commune nobiscum? O charitas ineffabilis! quis audiuit talia? Ecce inuitat inimicos, hortatur reos, allicit ingratos, & prorsus immeritos. O dulcissima verba, intima præcordiorum euiscerantia! Non te sauciant verba hæc, anima mea? O insania miserabilis, miseria, & vesania detestabilis! Vocamur ad requiem, sequimur laborem: inuitamur ad solatium, quærimus dolorem: promittitur gaudium, & pro eo libenter amplectimur mœrorem. Insensibiliores meritò habendi sumus simulacris, cùm rationis participes effecti, dulce amarum, amarum dulce iudicemus. Leuemus oculos nostros in cœlum, & videamus, vbi nunc prostrati sumus, & de profundis ad illam vnicam manum adiutricem perseuerantes clamemus, frequentissima oratione, frequenti & pura confessione: quia tandem fiet, vt ille qui te eduxit ex vtero matris tuæ, & vocauit per gratiam suam, releuet in te imaginem filij sui, de miseranda Aegyptiaca seruitute te transferens in libertatem filiorum DEI. Cumque iam in noui hominis viam ingredi cœperis (quæ inter amorem & timorem est humilitatis semita constituta) tunc per ipsius humilitatis viam

Solicitudines rerum terrenarum ad perfectionem aspiranti abiciendæ.

Isa. 58.

Matt. 11, 28.

1. Cor. 11.

Quanam perfectionem meditandi obseruanda.

1 ad eminẽtiora conſcendens, poteris te in altioribus exercere. Hæc igitur diligenter obſerua. Primò. Totam animi ſpem plenè in Domino colloca, humanis omnibus conſolationibus penitus depoſitis. Secundò, A veteri fermento vitiorum, & prauarum
2 concupiſcentiarum ſtude omninò emundari, & liber eſſe: niſi enim catenas has fregeris, anima in carceribus detenta, non poterit ad cœleſtia conuolare.
3 Tertiò, A curis ſuperfluis, occupationibus, & negotijs te exime quoad poteris. Quartò, Labores & tribulationes diligito, & in eis delectare: ſi enim aſſueueris, maxima mentis hilaritate iugiter perfrueris. Quintò, De nulla re conqueraris, quia cum omnium Creatorem offendetis, nil eſt, cur conqueri
6 poſsis de aliqua creatura. Sextò. In omnibus his, quę ad te pertineant, aſperitatem amato, vilitatem, parcitatem ſectare, non tamen ſic in alijs, imò cupias ex animo, & id agas opere, ſi poſsis, vt alijs largè prouideatur, reputans eos dignos conſolatione, condolens tamen ex charitatis affectu (ſi ita neceſſe
7 ſit) eorum vitijs. Septimò, Honores, fauores, auramque popularem tanquam mortiferas peſtes fugito, teipſum aſsiduè intuens, nunquam tibi tuisque conſilijs omninò fidas. Cæterùm ſi de teipſo victoriam fueris aſſecutus, nullus hoſtis interior vel exterior tibi nocere poterit. Te ergo deſpicias, cupiasque ab omnibus deſpici, reputesque te hominum omnium viliſsimum, amore illius, qui abiectiſsimam ſerui ſumpſit formam: ſic & tranquillitatem
8 animi adipiſcêris, & ſcandalum ignorabis. Octauò, Mortificatio curioſitatis in te tanta ſit, vt nulla in re interiùs vel exteriùs implices, vbi ſpirituale aliquod
9 lucrum non inſit, nec ſis vagus mente aut corpore: rumores vanos ne cures. Nonò, Diligentiſsimè cuſtodias ſenſus exteriores, vt nil velis ſentire, niſi quod animæ ſit commodum. Præ omnibus linguam arctiſsimè reſtringito, ita vt nil niſi interrogatus loquaris, vel neceſsitate, vel vtilitate euidenti prouocatus: tunc verò cum animi modeſtia, & timoris
10 dulcedine, breuiter & ſubmiſsè loqueris, maxime fugiens ſuperuacuam verborum copiam. Decimò. Amor ſolitudinis, ſacrarumque vigiliarum in te habitet, ſolicitè ſemper captabis opportunum tem-
11 pus ad eleuationes mentales. Vndecimò, Officium Diuinum ſumma deuotione perſoluito, oblitus omnium terrenorum, quaſi inter Angelorum agmina conſtitutus, diuinas laudes cum eis pariter cantare
12 ſtudeas. Duodecimò, Intimum geras affectum erga Beatam Virginem matrem miſericordiæ, tutiſsimum afflictorum omnium refugium, & nullus dies abeat, quo illi ſpecialiter te totum non committas.
13 Decimotertiò. Summoperè fugias, neceſſe eſt, frigiditatem acediæ, ſemperque enitere, vt interiùs atque exteriùs plenè ſis tranquillus, ideoque nulli vnquam hominum aliqua in re obſiſtas, vel repugnes; ſed potiùs comiter per omnia omnibus acquieſce, dummodò id ipſum diuinæ laudi vel animæ ſaluti non refragetur. Decimoquartò. Quæcunque videris,
14 te ædificent, nihil te turbet, nec commouearis animo (plus debito) viſis aliorum defectibus, ne fortè iniquitati addens iniquitatem, alienis ſordibus polluaris, & dum ipſe cupis alijs ſubuenire, deterius corruas in profundum. Potius igitur omnia illa, quibus non poteris ſine detrimento prodeſſe, benigna tegens charitate illi ſummæ ſapientiæ prouidenda permitte, quæ nouit bona de malis eligere: ſic in bonis operibus pariter & malis, ſpiritualem
15 poteris reperire profectum. Decimoquintò, Maximo ſtudio mentem & cor tuum cuſtodito, ita vt ſolùm ſpiritualibus exercitationibus mancipentur, & expulſis imaginibus & concupiſcentijs externarum rerum, earum creatori ſolummodò vacare valeant: ita denique mentem habeas Deo addictam, vt omne opus tuum nil aliud ſit, quàm iugis oratio.
Decimoſextò. Homines omnes dilige to intimæ cha- 16
ritatis affectu, vt in quibus eluceat diuinæ Maieſtatis imago, ideò egentibus, & infirmis, ita blandè inſeruias, vt pia mater vnico filio, imò ſicut CHRISTO ipſi feciſſes, cùm ipſe dicat: *Quod vni ex minimis meis* Matt. 25. 40
feciſtis, mihi feciſtis. Sic tamen corporalia miniſteria exhibebis, vt quod illis accreuerit, ſpiritui non decreſcat. Decimoſeptimò, Omnibus obedire ſatage, 17
etiam minoribus, propter Chriſtum teipſum abnegans, & propriam reſpuens voluntatem, ita vt in omnibus, niſi mala ſint, alijs obſequi ſtudeas: nulla in re præbeas te alicui oneroſum, ſed potiùs in charitate Chriſti gratum & iucundum te omnibus exhibeto: fugies tamen amicitias & familiaritates priuatas & ſingulares. Summè caueto, ne vnquam verbo, vel facto, vel geſtu, alicuius ſimultatis, odij, clamoris, iniuriæ, turbationis, murmurationis, ſcandali, aliquatenus, per te vel per alium cauſſa, aut occaſio ſias: ſis denique affabilis, non 18.
ſcurrilis. Decimooctauò, Gratias tuas ſpirituales internas, aut prælia nunquam reueles alicui, niſi fortè probato & intimo in CHRISTO amico, cuius doctrina in his vſui eſſe poſsit. Hoc 19.
potiſsimum præ omnibus contende, & enitere, vt quibuſcunque negotijs impliceris, die, nocte, quolibetque temporis articulo ſemper diuina Maieſtas verſetur ob oculos tuos, firmiter credens & cogitans Dominum DEVM coram adeſſe, & vndique te aſpicere. Poteris autem ſequentia & ſimilia cogitare cum reuerentia, timore, & amore, proſtratus coràm eo veniam delictorum poſtulans amariſsima cordis compunctione. Quandoque apparebis interiùs in conſpectu DEI in cruce gladio compaſsionis confoſſus, & cùm eo in ſimul vulneratus: nunc totius vitæ ſuæ progreſſum ob oculos ſtatues, quam obliquitati tuæ rectitudinis lineam opponens, & immenſa Domini beneficia in memoriam reuocans, admirabilem ipſius bonitatem intimè contemplaberis: nunc cœleſtis patriæ deſiderio accenſus, ineffabilem erga homines diuinam charitatem recogitans, tui ipſius miſeriam deplorabis, qui tot beneficiorum immemor mitiſsimum Dominum, nunc te violentè trahentem, nunc benignè ſubleuantem, nunc miſericorditer retinentem, hoſtiliter fugias. Vigeſimò, Diligentiſsima tui cuſtodia 20
adhibenda eſt, ad effugiendos laqueos & retia, quæ ſubdolus hoſtis non ceſſat captioſè apponere ad animas miſerè decipiendas, vt ea & oculis lynceis videas, & cordis humilitate ſubterfugias: ſæpe in die accuratè diſcutias, quibus in actionibus tuis deliqueris, & delicta pure, ntegrè, ac veraciter confitearis, abſque omni velamine excuſationis, occultationis, ſeu palliationis, diſtinctè & ordinatè omnes tuos re- *Confeſſio quo modo facienda.*
tegens defectus proprio Sacerdoti. Et primò quidem te accuſa de omiſsionibus, in quibus erga DEVM deliquiſti, maximè in oratione, tàm mentali, quàm vocali: deinde aperies defectus in obſeruatione iuſtitiæ quoad proximum. Poſteà dic commiſsiones ex mala cuſtodia ſenſuum, & affectionum ſenſibus adiacentium. Abſit autem hæc confiteri ſine præuio dolore, & decreto in poſterum cauendi, atque occaſiones omnes ad ea impellentes toto animi conatu præſcindendi. Præterea, ſaltem *Quinque quotidie meditanda.*
ſemel in die, hæc quinque attente meditare, ſcilicet, quam breuis & fugax vita, quàm lubrica & fallax via, quàm incerta & dubia mors, quæ præmia iuſtis, quæ ſupplicia iniquis parata ſint. Tu tamen interea, dum hæc feceris, ſemper te ſeruum inutilem reputa, & indignum omni beneficio firmiter & indubitanter retinens certiſ-

tissimam spem fore, vt misericordiarum pater aperiat tibi immensæ miserationis suæ viscera. Illud omninò tibi velim persuadeas, quòd nisi teipsum perfectè abnegaueris, Saluatorem Dominum sequi non poteris, & sine solicitudine & labore assiduo gratiam eius obtinere nequibis. Item necesse est, fores eius frequenter pulsare, non enim aliter ingredieris ad pacem mentis: nam nisi constanter te in timore Domini continueris, domus tua citò corruet in profundum.

Sanctitas in quibus consistat.

Fortè (inquit Bonauentura) ideò negligis hàc viâ spiritus incedere, quòd timeas de singularitate notari, ideòque odiosus alijs fieri: scias velim, neminem sanctorum singulari gloria in cœlo donatum, nisi qui inter mortales positus studuit esse in sanctimonia vitæ singularis. Hoc tamen de singularitate virtutis dico, non de ceremonialibus obseruantijs parum solidæ virtutis habentibus. Studia verò sanctitatis in his tribus potissimùm consistunt: si caueas omne peccatum & omne scandalum, quoad fieri poterit: si humiliter virtutibus omnibus insistas, & in his proficere pergas: si inquiras familiaritatem Dei per affectum deuotionis internæ. Nulla enim bona societas videri debet, per quam studia hæc animi destruuntur. Nam cùm pro iustitia, sicut pro fide, pati teneamur, non solùm irrisiones, & opprobria, sed etiam afflictiones & persecutiones quaslibet, & mortem denique ipsam, si opus sit exemplo Sanctorum, qui ante nos pro Christi nomine passi sunt, & patientur in diebus nouissimis, potiùs quã fidem deserere, vel vitæ integritatem peccando contaminare. Discamus in minimis verborum & contumeliarum afflictionibus ita pugnare, vt si grauiora nobis immineant pro Christi gloria certamina, omnia patientissimè superare valeamus. Nam qui à leui flatu hûc & illuc impellitur, quomodò stare poterit valido vento perflante? necesse est igitur, vt nos in ipso virtutis actu validè exerceamus, ad ipsius fastigium aspirantes; nam qui maioris profectus studium in se non diligunt, vix possunt in cæteris secum commorantibus illud æquanimiter sustinere. Vnde sicut illi non relinquunt consuetudines noxias & pessimas nostri causa, sic etiam non oportet nos honesta virtutis studia abijcere propter illos: si enim volunt ad vitam ingredi, expedit eos nostra, non sua via incedere.

ALIA EIVSDEM DOCVMENTA, *ex Opusculo, quod dicitur Forma Nouitiorum, excerpta.*

CAPVT V.

1. Euagationes scurrilia & otiosa verba vitanda.

PRimò, summoperè fugias vagationes, scurrilia & otiosa verba caueto, in ijs enim tempus frustra expenditur, & si cor (vt plerumque fieri solet) in eis defigitur, pondere Dominici timoris dissoluitur, exhauritur affectus internæ deuotionis, strepitus denique quidam interiùs suscitatur, quo puritas mentis, quasi teterrimo quodam pulueре, indies incipit obscurari. Ideò in quocunque occurrente negotio, quod ad tuum vel alterius profectum nõ attineat, nolito immorari, sed inde quàm celeriter euola. Secundò, *Prouide Dominum in conspectu tuo semper*, ne vana lætitia, aut importuna tristitia commouearis. Mundus namque, in quo fluctuantes agimur, varijs tempestatibus agitatur, & ideò qui ægrè fert cordis sui nauem mundanis quassationibus cõcuti, vel ventorum flatibus in scopulos impelli, vel validis vndarum incursibus penitus demergi bonarum cogitationum funibus ad immobilem petram eam affigat necesse est, *Petra autem Christus est.* Funis hic, quem diximus, vt tenacissimè retineat, nec facilè rumpi possit, ex triplici resticulo est componendus: videlicet ex sanctarum Scripturarum assidua lectione; ex sedulæ orationis compunctione, ex bonarum actionum humili exercitatione. Lectio suggerit materiam, & quasi semen bonæ cogitationis. Oratio rigat, & ad profectum roborat, cor illuminat ad intelligentiam, affectum nouissimè impinguat ad saporem. Bona verò actio (præsertim quando est condita pinguedine charitatis, obedientiæ, aut alterius virtutis) lætificat conscientiam, donat fiduciam: & si ad horam intercipit deuotionis quietem; posteà tamen pro meritò assequitur largiorem dulcedinis infusionem, & gratiam puritatis. Vanæ cogitationes nullam in mente tua moram faciant, citissimè namque solent maculare animam alicuius criminis fœda labæ, vt luxuriæ, vanæ gloriæ, & odij. Tertiò, Inter homines duo hæc pro viribus fugito: vanam nempe ostentationem, nullam quærens gloriam in gestu, voce, & sermone. Præterea vitandus est maximè superfluus pudor in his, quæ agas, aut loquaris coram hominibus; sed ita liber esto inter illos, ac si solus esses: quod si intus rubore perfunderis, foris tamen prudenter reprime. Nam euidentissimum superbiæ signum est, confundi, aut erubescere de natiuis defectibus, vt de deformitate oris, de vocis ruditate: item erubescere de vilitate vestis, aut de humilibus obsequijs, graue superbiæ crimen in religioso habendum est: is tamen pudor honestissimus habebitur, si erubescas de vitio vel scandalo, quibus Deus ipse offenditur, vel proximus scandalizatur. Quartò, Ostendam autem ne fortè te fugiant, de quibus confundi debeas intra temetipsum, & coram Deo. Erubesce interiùs de omissione bonorum, quę negligentia tua prætermittis: erubesce quòd tempus labatur, profectus verò virtutum in te non crescat: erubesce de hypocrisi, quod haberi cupias foris honestior, quàm intus existas: quòd vitia tua occultes non solicitus de fratris nocumento, sed metuens displicere, aut vilipendi: quòd honestis actionibus tuis, hominibus velis placere, vt ex his, quæ foris conspexerint, multo maiora te intus habere conijciant; quòd aliquando (etiam in confessione) peccata, quæ grauiora videri times, ita ordinas, verba prætermittens, subiungens, aut componens, vt minùs appareant verecunda; vel fortè, si satis nudè profers, in eo gloriaris, & ea de causa cupis ab ipso confessore sanctus haberi. Quòd desidiosè pugnas cum tentationibus, maximè carnalibus, & aliquando solo confusionis pudore eas expellis: quòd desidiosum te præbeas in his quæ Dei sunt: quòd plura extorqueat à te pudor humanus, quàm Deo debita reuerentia: quòd ingratus lentusque ad beneficia, & interna Dei adiutoria, & ad bonum incitamenta, existas: quòd negligens sis in solutione horarum corde & ore, vt iam potiùs supplicium inde tibi sit metuendum, quàm meritum expectandum, quia & malè pronuntias, & eorum, quæ dicis, nec percipis sensum, nec his mentis affectum attentè præstes, sæpe non attendens dixeris, nec ne, nisi fortè ex coniectura alicuius verbi, quasi ex caudæ apprehensione reputes te dixisse: quòd cùm ad corporis curam & commoda sedulus sis, tardus maneas ad spiritus profectum, ad carnis castigationem, ad charitatis ac obedientiæ exhibitionem. Demum super omnia erubesce, quòd hos defectus & plures alios in te habens, non animo terreris, non compungeris, non admissos discutis, non animaduersos corrigis, quasi DEVS aliter tecum acturus sit, quàm cum omnibus alijs, vt mala tua admissa non puniat, & bona neglecta sit remuneraturus: cùm tamen ipse integerrimè dinumeret districtè mortales omnes iu-

3. Varia ostentatio & erubescentia.

4. De quibus erubescendo.

Psal. 15. 8.

2. Vana lætitia & importuna tristitia.

1. Cor. 10, 4

dicaturus, & seueriſsimè puniturus, niſi præueniamus faciem eius in humili confeſsione, forti ſatisfactione, & plena emendatione. Pro his igitur aſsiduè erubeſce apud te, & cùm ita ſit, nil mireris, ſi ab alijs iudiceris, & calumnieris, nec ideò alicui ſuccenſeas, ſed ſemper modeſtiſsimæ verecundare. Quintò, Inſuper quoad alios homines à duobus his, velim, ſummoperè caueas. Primùm, Ne curiosè reſpicias vel perquiras eorum vultus, habitum, geſtus, facta, verba, & officia: ſi enim iſta perſcrutari ad te non attineat alicuius ſpiritualis vtilitatis vel magiſterij cauſa ita hæc omnia negligito, ac ſi non eſſent, nullatenus circa illa detinens viſum vel cor. Secundùm, Vt nullo modo iudices de alijs quales ſint, vel eſſe poſsint, in mente, in moribus, in meritis: ea enim diſcuſsio vana, & ſæpiſsimè falſa & temeraria, cor tuum perturbatione afflliget: & ideò ſi contingat videre, vel audire de aliquo quæ diſpliceant, perge, & citò obliuiſcere, committens illum ſibi & DEO: idque tamen ſi ad te illius correctio non ſpectat ex debito magiſterij, vel ſociali familiaritate, vel deferendi neceſsitate. Præterea ex animo plus compatere peccantibus, quàm naufragium in mari patientibus: longè namque miſerabilius eſt in lacum inferni detrudi, quàm in profundo pelagi demergi. Compatere etiam miſeris, eorum miſerias perpendens, vt ſic in te pingueſcat miſerationis affectus, ex fratrum miſerijs mentem attollens ad paupertatem & labores CHRISTI, qui pro nobis egenus omnium factus eſt. Sextò, Tria ſunt vitia iam diu apud homines peſsimo vſu inueterata, quæ vt à nobis extirpemus, omninò elaborandum eſt, à quibus, ſi liberi eſſemus, in magna mentis puritate & quiete viuere liceret. Primum. Promptitudo accuſandi aliena. Secundum, Adulatio qua ſolent ſibi inuicem blandiri laudantes, arridentes de corporis ſalute, qualis ſit, quærentes (cùm tamen nil ad hos ſpectet illorum bona aut infirma valetudo) honores inutiles varijs modis offerentes, in quibus nihil eſt emolumenti, præſertim cùm non ex affectu faciant, vt gaudeant, ſed ex vſu vt placeant. Tertium eſt, propria ſui ipſius gloriatio, quòd ea quæ facimus, dicimus, ſentimus, mirè nobis placeant, & ea præferimus aliorum factis, gratioſè omnibus commendantes. & grauiter indignamur, ſi audientes noſtra non mirentur: eoſque ſpernimus quaſi à ſano iudicio alienos, & vltra modum in laude noſtra delectamur: & ſi aliquando nos ipſos accuſantes, humiliari videmur, non id facimus ſyncerè, ſed ea ficta humilitate aſtutè alios prouocare volumus in laudem noſtram, quaſi auditores, ſi officium faciant, ægrè ferre debeant, nos in his accuſari, quod laude potiùs dignum videri debet: vel ſaltem hoc facimus, vt humiles reputemur, ſi alia quibus placere poſsimus, in nobis non ſunt. Septimò, Non habeas ſuperflua & curioſa, quia diſtrahunt, & occupant cor: quare nolim affectes habere imagines, tabulas curioſè depictas, ſudariola, globulos ex odorifero ligno, aut alio quouis affabre factos, nec ſpecies aromaticas, niſi euidenti coactus neceſsitate morbi, aut alia vrgentiſsima cauſa; ſed ſolùm neceſſarijs veſtibus & libris, eſto contentus exiguis in numero & valore. Octauò, Contra calumniatores, aut detractores tuos ne commouearis, ſi enim vera dicunt, non mirum eſt ſi loquantur, quæ tu facere es auſus: ſin falſa, quid tibi eorum oblocutio nocere poterit? Si cùm albus ſis, alius dicat te nigrum, cur tibi moleſtus erit, cum nihil noceat? Quòd ſi ad primos motus harum aduerſitatum turbaris, & impatientia æſtuas, reprime iram, & doloris modicum

5. *Curioſitas vitanda.*

Iudicia item

6. *Tria vitia vſu frequentia maximè cauenda.*

7. *Superflua & curioſa vitanda.*

8. *Calumnian tibus & detrahentibus non irascendum.*

ſuſtine, veluti qui patitur vſtionem cauterij vel ſectionem chirurgi: animo meditans quantum conferat ad ſanitatem patientia doloris, ſic enim citò ſanari incipies, & firmiùs valere. Imò hoc ipſum impugnari internè, & dolore exacerbari, magnæ vtilitatis habendum eſt, cùm fit purgatio peccati, vitij lima, exercitatio virtutis, meritum gloriæ, præparatio pacis: præſertim cùm *non coronetur, niſi qui legitimè certauerit.* Quare neminem odio habeas, ſed fraterno affectu, corde miti & pacifico omnes diligito. Si tibi alicuius diſplicet familiaritas ob vitæ turpitudinem, ſic tibi mala eius diſpliceant, vt tamen diligas bona eius naturalia, vel gratuita, quæ fortè habebit in poſterum. Si verò ille in omnibus nititur te confundere, & perſequi, non aliter facilius id poteris agere, vt ceſſet, quàm ſi te non curare oſtendas omnia eius machinamenta, quaſi illa nihil ad te ſpectent: nam cùm intelligat non poſſe id efficere, vt tibi moleſtus ſit, in ſe ipſo confundetur, & tumentes fluctus eius ceſſabunt, & fortè fiet inde, vt corrigatur exemplo patientiæ tuæ: tu tamen illi interim ex humanitatis officio condole, non aliter quam ei, qui rabie percitus, in ſui odium ſe morderet, & ſua ipſius membra morſibus laniaret, & omnia eius verba dura contemnito quaſi latratus canum, aut gemitus auium. Nam ſi vlciſci velis, quid aliud facies, quam deturpare te ipſum, & mentem, quam inculpatam ſeruare cupis, fœda labe maculare? Non aliter eueniret, ac ſi in aduerſarij odium tibi ipſi naſum abſcinderes, aut oculos erueres. Nonò, Diligentiæ plùs adhibeto adæ ipſum caſtigandum, quam ad alios corrigendos: doce te primùm ea, quæ alijs vtilia eſſe cognoſcis: feruoris tui ignis priùs in te agat, & eo inflammatus, alios calefacies, veluti ignis qui calore ſuo priùs proxima, poſtea remotiora adurere ſolet: ideò zelus iuſtitiæ tuæ primò formet in te exemplar alijs imitandum: oportet enim, eum qui peritus videri cupiat in opere alieno, priùs oſtendere quàm ſit prudens in ſuo. Ne imiteris cœcos in actionibus ſuis, qui aliorum vitam ſemper corrigunt, in illis pleraque emendantes, in ſe ipſis autem non pauca incorrecta relinquunt. Solent enim hi quandoque ſomniare, ſi in aliquo magiſterio, aut dignitatis gradu eſſent conſtituti, quàm rectè omnia ad ſe ſpectantia diſponerent, eam verò ſtatus conditionem, in qua ſunt, nec ſolicitè diſcutiunt nec emendant. Quæ maior animi dementia eſſe poterit, quàm ſi cùm frigidè & languidè te geras in religionis obſeruantia, ſanctum te fore præſumas, ſi ad Epiſcopatus dignitatem eſſes promotus? Hi, etiamſi aliquando ab alio admoniti, vel alia fortè de cauſa ad ſe reuerſi, cogitant ſe ad meliora extendere, non tamen planè diſponunt, qualiter id efficiant, nec in eò diutiùs perſeuerant, conſuetudine, diſſolutione, tepore, eos ad ſolita reuocantibus. Decimò, Diligenter oportet in primis frænare ac omninò domare motus internos & externos, ne per licentiam vltra diſciplinæ terminos inſoleſcant. Sicut enim auis vel beſtia carceris repagulo domitatur & eadem licentia nimia fit indomita, ita exteriores ſenſus & interiores affectiones, niſi diſtricta cuſtodia coërceantur, ex libertatis licentia ita inſoleſcunt, vt poſteà multò difficilius quàm in principio redigantur ſub rationis magiſterio. Inde eſt, vt qui bene viuere cœperint, ſi in corruptos vitæ mores iterum relabantur, difficiliùs corrigantur quam nunquam adhæc conuerſi. Vndecimò, Ne nimis affectes ab alio diligi, diſsipas enim cordis tui fortitudinem, nam in promptu eſt, vt à quo diligi velis, eidem appetas placere, ibique neceſsariò

9. *Correctio à ſuipſo ordinanda.*

10. *Mortificatio externi & externi domandi.*

11. *Affectatio illectionis humanæ fugienda.*

ſe im-

se immiscet adulatio & simulatio, pernicioſissima pestis, ne fortè displicere incipias, & minùs amari. Turbaris etiam, cum suspicaris alterius erga te beneuolentiam remissiorem fieri. Pauci præterea sunt tibi in sensu, affectionibus, & moribus ita consimiles, vt non sit aliquando dissensionis materia inter eos, quæ est dilectionis fraternæ inimica. Committe ergo te Deo, & illi placere, & ab eo studе diligi, aliorum erga te beneuolentiam permitte illorum arbitrio, & diuinæ voluntati: dilectio quippè hominum fallax est & instabilis, facilè læditur, ad modicum vtilis, sæpe nimis noxia. Duodecimò, Deniq; assiduè te ipsum discutito, cõsiderans quid desit, tã in statu mentis, quàm corporis; si deficias in virtutis via, an si in eadem proficias, quid impediat mentis profectum, & quo pacto hostilibus artibus obsistere valeas, declinando, an resistendo, regendo, aut tolerando. Nam peccata sunt declinanda, vitijs resistendum, quæcunque per occasionem obstant, regenda, & discretè ordinanda ad profectus materiam, aduersitas toleranda, cuius afflictio vsu tolerandi fit leuior, ideò enim est nobis afflictionis tentatio inuisa, quòd ad patientiam nolimus consuescere. Nam cùm domesticus vel vicinus tuus fuerit tibi quantumuis molestus, si studeas illi obsequiosus esse & affabilis, præsentissimum senties in eo huius morbi remedium.

12 *Accurrata sui ipsius habenda ratio.*

REMEDIA DEFECTVVM RELIgiosi, ex Opusculo Bonauenturæ sic inscripto.

CAPVT VI.

1 *Remedium.* PRimùm reputare se vilissimum, & omni beneficio Domini indignum, & idem velle ab alijs haberi, admirans cum gratiarum actione, quâ sit immensa Domini miseratio, qui hominem ad omne malum tàm pronum, ad omne bonum tàm tardum, in seruum velit accipere, imò & in filium adoptare: nec superbiat, quòd Deo famuletur, sed habeat gratias, quòd ipsius Domini bonitate in eius famulitium sit accitus. Secundùm, Solummodò de peccato aut negotio ad peccatum impellente, vel à bono retrahente, dolere, in alijs omnibus lætari, &

2 gratias agere debet. Tertium, De temporalibus nil aliud requirat, præterquàm id quod necessitas sola postulet, induens se nobilissimo Regis sui vestimento, scilicet, paupertate. Si verò se videat ditiorem quàm velit, & plurimis corporis consolationibus abundare, tunc intimè contristetur, considerans se his à Christi Domini sui similitudine elongari.

4 Quartùm, In bonis & indifferentibus potiùs alieno quàm proprio voto acquiescat, & cùm hoc erga omnes obseruet, maximè tamen superiorum præ-

5 ceptis semper obediat. Quintùm, Nullum miserum despicere, sed fratrum in Christum omnium miserijs condoleat, & tenerrimè compatiatur, eorum afflictiones proprias reputet, pauperes omnes reuereatur, quasi patronos in æterna tabernacula nos recipientes.

6 Sextùm, Neminem iudicet de peccato non manifesto: si autem euidens sit, tunc grauius doleat, quàm si proprio corpori mors immineret, recogitans animam illam sic lęthaliter ab hoste percussam omnibus corporibus esse meliorem: ideo se attolere nitatur ad eius viuificationem oratione, exemplo, verbo, &, si liceat, antequam cadat, eam à lapsu retrahat, quacumque ratione id fieri possit.

7 Septimum, Lætetur maximè in bonis aliorum, præsertim spiritualibus, ac de proprijs sicut pia mater lætari solet in bonis filiorum, semperque in proximo plus pietatis & virtutis esse credat, quàm ipsę intuetur. Octauum, Sic omnes diligat, vt in omnibus nihil nisi Deum diligat, id est, neque sanctitas quantacumq; sit, nec beneficiorum immensa copia illum alliciat, vt aliquem priuato, sed ex Diuina charitate omnes communi amore diligat, omnium bona in Deum referens, & ipsius causa, eum qui in virtutis studio plùs profecerit, prę omnibus diligat.

8 Nonum, Quibuscunque rebus sit intentus, semper Deus ipsi adsit coram oculis, ac si eum qui vbique est præsens, facie ad faciem aspiceret: exerceatque erga ipsum actus timoris, reuerentię, & amoris.

9 Decimum, Si prædicta à Domino acceperis, inter maxima numera beneficia, & reliquorum memor semper esto: præcipuè tamen beneficio passionis Dominicæ te penitùs immerge, dicens: Domine Iesu saucia cor meum vulneribus tuis, sanguine tuo sacratissimo inebria mentem meam, vt quocunque me vertam, semper videam te cruci affixum, & quicquid oculis aspexero, appareat sanguine tuo rubricatum, vt sic totus in te tendens, nil

10 præter tua vulnera valeam inuenire. Deinde Reginæ cœlorum, misericordiæ matri Marię studeas esse deditissimus, & ora dicens: Dulcissime Iesu dignare, vt miser ego peccator sanctissimæ Matri tuæ dignè inseruire valeam. Mirari se nimium, inquit Sanctus ille, quo pacto homo dulcedinem Domini semel degustans, possit aliquatenus ab eo separari: qui fiat vt non omnium obliuiscatur ex ebrietate vini cœlestis, quomodo comedat, bibat, dormiat & possit aliud præter suum benignissimum Dominum intueri, & in eo summa dulcedine oblectari; cùm in omnibus sciat eum esse, vt eum in omnibus valeat inuenire, & sic in omnibus inueniat requiem, ipsum attentè contemplans, & ardentissimè amans. O quanta amaritudine meritò repleri deberet animus, qui vel tantillo temporis momento tantę dulcedinis expers exiſtit!

In fine opusculi idem Sanctus proponit optima remedia ad superandum diabolum, si fortè nos tentet circa prædestinationem, & suggerat nos esse repulsos, seu præscitos, & præcipit, vt sic illi respondeas: de me liberè disponat Dominus, te verò, teterri me hostis, certum est ipsius Domini iudicio esse damnatum. Si autem & ego in simul damnabor, & post hanc vitam Deum meum videre non merebor, saltem toto vitæ tempore in eo cupio oblectari, ac tanto ardentiùs enitar in hoc seculo eius iucundissima consuetudine frui, quanto breuius vitæ spatium me nouero habiturum. Ne tantillum igitur temporis omittam, quin in hoc seculo pro viribus ipso fruar, & in eo delecter, cùm in futuro eius dulcissimo conspectu carendum sit. Nam si, Diabole, post vitam hanc tecum esse debeo, saltem quamdiu viuo, à te procul esse contendam: & ex his concludе contra ipsum, te non damnandum, nam hæc facere damnationi repugnant. Quòd si ad beatitudinem cum Angelis sum prædestinatus, nunciam Angelicam in terris vitam ducere volo, ac assiduè can- Psalm. 72. 26
tare: *Pars mea Deus in æternum.* & sic conclude aduersus diabolum. Quidquid de me futurum sit, de manu Domini libenter accipiam, nec vnquam ab eius seruitute recedam: & vę tibi, maledicte, qui tanto Domino seruire fastidias. Si in te, ô homo (inquit quidam Sanctus) viget affectus perueniendi ad perfectionis culmen, perfectamque viram, & pro ea obtinenda oras, & instas, certus esto, quòd si humiliter te abneges, & perseueranter pulses, ipsam perfectionem, quam expetis, ante mortem consequêris, modo id saluti tuæ expediat. Quòd si illam non obtineueris, priusquam hinc emigres, inuenies procul dubio eam in ipsa beatitudine. Noli itaque cessare, noli fatigari, licet statim nõ exaudia-

Remedia S. Bonauent. contra tentationem prædestinationis.

In omni statu perfectum quemque esse posse.

ris. Diligenter autem cauteas ac fugias quandam communem tentationem verè diabolicam, qua homines magisterijs fungentes sepissimè perturbãtur, dicentes: Si non essem præfectus, & mihi sociorum cura esset demandata, si non hoc munus mihi foret impositum, liberè Deo vacare possem, & ad vitæ perfectionem aspirans, proculdubio proficerem. O miser, & parum tibi constans! illud pro certo habeto, Deum ipsum, qui te in ea constituit præfectura, vel te in ea constitui voluit, simul velle, vt hac eâdẽ via ad perfectionem, si contendas, peruenire valeas. Crede igitur te in ea facillimè ad perfectionem aspirare, modò officium tuum perfectè impleas, videlicet si te totum tradas mortificationi, resignationi, meditationi, aspirationibus, feruentibusque desiderijs beatitudinis consequendæ.

REGULÆ VARIÆ, ET PVLCHRA Documenta vitæ spiritualis.

CAPVT VII.

A quibus cibis maximè abstinẽdum.

1 PRimùm, A pane minùs abstinendum est, non enim irritat gulam, nec ita vt cætera edulia obnoxios nos reddit tentationibus; à potu plusquam à pane, à pulmentis verò maximè; nam his & affectibus ad peccandum, & hosti ad nos tentandos maior suggeritur occasio: huius morbi remedium, hoc est, crassioribus & vilioribus vti cibis, vel delicatis parcissimè. Secundum, Ad inuestigandam opportuni victus mensurã, necesse est, vt admiratquisq; aliquid ex ea cibi portione; quæ sibi (semoto graui valetudinis periculo) videbitur necessaria, nam inde illuminabitur ad cognoscendam veritatem, & videns se dest tutum viribus ad peragenda exercitia spiritualia, facile aduertet, quam cibi mensuram naturæ ipsius necessitas requirat: Tertium, Ad modum in victu seruandum vtile est imaginari, & animo fingere Christum ipsum cum discipulis suis nobis tunc conuescentem, & attendere ad sobrietatem, quam obseruare in tanti Domini conspectu teneremur, edendo, bibendo, loquendo. Proderunt & aliæ similes meditationes. Quartum, Non solum mensura cibi, sed etiam sumendi illius modus est adhibendus, scilicet, ne edas auidè, ne festinanter, ne super cibum effundaris, sed semper appetitui domineris. Quintùm, Plurimum ad hæc confert, si ante prandium vel cœnam, cùm adhuc non esuris, firma deliberatione prouideas, quam cibi mensuram debeas sumere, vt eam posteà nullo modo excedas. Sextum,

In oratione quomodo se habendum.

In orando ille corporis habitus tenendus est, qui aptior videatur ad excitandam in nobis internam deuotionem. Septimùm, Si orantibus nobis in voce vnà vel duabus psalmi dulcis affluat meditatio, & intima simul delectatio, postponenda erit vlteriùs transcurrendi cura, licèt hora tota prætereat: qua elapsa reliquum orationis cursim recitetur. Sic etiam fiat in oratione Dominica, & precibus priuatis, ac spontaneis. Octauum, Si cùm oras, sentis te aridum vel languentem, ne recedas ab oratione, imò tunc maiori animi conatu insistendum est orationi, & meditationi, ad expellendã spiritus inertiã auxilio Domini: sic enim fortiter opprimitur hostis noster. Nonũ, Hic est optimus orandi modus, si ad singulas Dominicæ orationis, aut psalmi petitiones deuotè immoreris, vt gustum ex verbis percipias, & eo percepto cor tuum Deo vnias. Decimum, Tria sunt cur

Tepiditas in oratione vnde.

tepiditas in oratione prouenire solet. Primùm quia meremur orbari diuina consolatione ob præcedentes acedias, ac in spiritualibus exercitijs tepiditates. Secundum, vt probemur, an stipendio consolationũ spiritualiũ solùm ducti Domino inseruiamus. Tertium, vt sciamus cum diuinis consolationibus foueamur, non id ex nostris viribus, sed Dei gratuito munere euenire. In eiusmodi autem tentationibus, ac anxietatibus firmum præsidium est studium seruandæ patientiæ, & spes subsecuturæ consolationis. Vndecimum, Certò scire; solius Dei munus esse, animã cõsolari nullla præcedente cõsolationis caussa; quia scilicet nil aliud externum offertur sensibus & intellectui, quod suapte vi animam valeat consolari. Duodecimum, Cogitationem, vel consolationem, quę ad malum finem, vel minus bonum inclinat, vel impellit, à malo angelo prouenire intelligas: sic etiã omnes animi perturbationes, ac angores inutiles, qui tanquam spinæ pungentes, mentis quietem & tranquillitatem auferunt, tanquam ipsius mali Angeli suggestiones summo studio caueto: fructus enim ipsius sunt: nam licèt aliquando Dæmon in principio bonam fouere simulet cogitationem, nouissimè verò illaqueat, & venenum suum diffundit, & ad malum aliquod retorquet, quod bene cœptum est, minuens paullatim, ac deinde penitus auferens mentis quietem, quam anteà vigere patiebatur. Decimumtertium, Quilibet nostrum in via & timore Domini proficiens, cum à pio Angelo foueatur, suauiter, leniter, & placidè tangitur, descendit enim super eum, *sicut pluuia in vellus*: à Dæmone autem duriter & turbulentè impetitur: cadit namque cum strepitu, sicut aqua super petram. Quandò verò homo in charitate Domini sit remissior, hoc è contra euenit: nam spiritus nequam placidè ei se insinuat, bonus autem duriter & cum strepitu. Eius varietatis caussa hæc est, quòd vtrilibet Angelo similis est, vel dissimilis mentis dispositio: si enim eam sibi infestam inueniat alteruter spiritus cum importuno strepitu & pulso, qui facilè dignosci queat, ei se coniungit; si verò conformem & vnanimem, tanquam in propriam & peculiarem domum ingreditur nimis securè. Decimumquartum, In quolibet negotio agendo, si incertus sis, quid potius eligas, antequàm statuas quid agendum sit, priùs ipse considera, quid tu fratri in ea re consuleres: item quid acturus esses, si instaret tunc hora mortis. Item cogita, quid malles egisse cum steteris in die iudicij coram Domino, & illud age: si dubitas adhuc, elige illud, quod naturæ tuæ, ac affectionibus molestius est, ac magis aduersatur. Quintum decimum, Scrupulorum assidua discussio valde salutaris habetur tyronibus in vita spirituali; purgat enim animã ab omni peccati scintilla. Illud tamen aduertendum, quòd hostis noster callidè solet obseruare, qualis sit cuiusque nostrum conscientia, crassior ne, an delicatior: & quam reperit delicatã, delicatiorem efficere nititur, & in extremum quendam anxietatis gradum redigere, vt sic miserè afflictam profectu spirituali tandem deturbet. Videlicet, si ea etiam vmbras venialium fugit, huic quoniam non potest veram peccati rationem obijcere, nititur, vt peccasse credat, cùm res ipsa aliter se habeat, offerens sincerę animæ pro culpa verbum aliquod, aut cogitatiunculam repentinam. Sin cralla est, crassiorem eam reddere contendit, scilicet, vt si priùs negligebat venialia, iam posipposito Domini timore, negligere mortalia incipiat. In his autem impugnationibus anima, quæ proficere expetit, ad illius partis oppositum debet tendere, in quam inimicus tentat pertrahere, vt si hostis nititur reddere conscientiam laxiorem, tu callidè astringas, aut è cõtra laxes, si dæmon nimium velit astringere: sic enim fiet, vt mens tua, deuitatis extremis periculosis, in medio quodam quieto & securo statu iugitur maneat. Decimumsextum, Quando aliquid ex genere bonum est, appetitur, si simul acciderit cor nostrum inclinari, atque affici ad finem minùs rectum, nempè ad humanam gloriam, tunc frequenti oratione, summisque conatibus enitendum

Cogitatis sit ne à spiritu bono an malo quomodo discernendum.

In scrupulis quid faciendum.

est in

est in aduersum: nec priùs desistat, quam priorem affectum ita mutauerit vt nil iam omninò desideret, vel possideat alia ex causa, quàm diuini cultus
17 & honoris. Decimumseptimum, Mandata ac mores Principum & pastorum, tam Ecclesiasticorum, quàm secularium, etsi minùs rectè officium facere videantur, nullatenus tamen, vel in publica concione, vel in populari colloquio carpenda sunt. Generat enim hæc reprehensio potiùs damna & scandàla, quàm aliquid remedij & vtilitatis: cùm nil aliud inde sequatur, nisi exasperatio & odium aduersus Principes: ideò omninò temperandum & abstinendum est ab eo inuectiuarum genere. Item, quemadmodùm primates, si absint, carpendos publicè non censeo, ita præsentes priuatim monendos iudico.
18 Decimumoctauum, Ingruente tentatione aliqua, *In tentationibus quomodo se habendum.* nil tunc denuò statuere debet, sed ad ea, quæ lucidi interualli tempore statuerat exequenda, anxiè recurrat: tunc reputans se amentem, patientiam seruet, & citissimè ad orationem confugiat: nam inde
19 non parum emolumenti comparabit. Decimumnonum, Elapso tentationis articulo, vtile erit ad memoriam reducere progressum eius, vt acutè intuens, qua via hostis ingressus est, sciat sibi de cætero
20 cauere. Vigesimum, Grauior imperfectio habenda est, nimis tristari, & animo deijci, alicuius perturbationis vel defectus causa, quam ipse defectus est: in huiusmodi perturbationibus oportet plenè sperare in Domino, nos voti nostri, eius miseratione com-
Prou. 24, 16. potes futuros. Nam cum scriptum sit: *Septies in die cadit iustus*, tu nunquam desistas (quantumcunque labaris) à bene operandi proposito, sed potius contra aduersa omnia fortem te præbe, intelligens, Deum hoc sæpe permittere, vt infirmitatem tuam plenè explores, & apertè cognoscere valeas, quantum
Luc. 18. diuino auxilio in omnibus indigeas, & nil boni per te ipsum posse perficere: quare oportet assiduè orare, & nunquam deficere. Hæc B. Thomas *opusc. 64.* Imò dicit Chrysostom. ideò nos sæpe à Deo celeriter non exaudiri, quòd hac occasione id efficere velit, vt ad eum frequenter accedamus, & eo plenè
21 fruamur. Vigesimum primum, Terra hæc carnis nostræ nequit non gignere herbas noxias prauarum cogitationum ac affectuum, ideò summo studio frenanda est. In seruis Domini nunquam hæ herbæ suffocant triticum, sed semper altiùs eminent: ac aliquando in eisdem, si mala herba oriatur, mox vigore feruentis charitatis iradicatur, quę est triticum salutare: aliquando tamen non statim potest eradicari, sed nutu Domini permanet ad coronam. Vige-
22 simum secundum, Pax, consolatio interna, & spirituale gaudium, in viris perfectis semper viget, ac perpetuum est in superiori parte, in omnibus namque, eius materiam inueniunt. Nam si Dominus bona immittat, & dulcedines ac feruores spirituales impartiatur, intimè lætantur: sin aduersa eueniunt, & mentis duritiem aut sterilitas accidit, cogitantes, sic Deo esse placitum, in eo etiam consolantur. Vnanimitas enim voluntatis nostræ ad diuinam, nec quidquam aliud velle, est maxima causa lætitiæ. Expertus (cui credere par est) nobis retulit, nunquam internam dulcedinem, & mentalem consolationem cessare, nisi quòd cor nostrum nondum perfectè Deo traditum, adhuc ab aliqua terrena detineretur affectione. Signum quippè euidentissimum est cordis in Dei amore tepidi, ac non penitus Deo suo dediti, nõ consolari & intima perfundi lętitia, dum recogitet beneplacitum diuinæ voluntatis. Corda ergo perfectè viuentium assiduè fruuntur interna pace, cùm quietem, fiduciam, & fortitudinem possideant; nam quamuis in inferiori parte turbentur, nil ea turbatio supernę paci nocere potest: quam si vis assequi, imitare secularem militem. Miles huius seculi, amicos, patriam, parentes, & omnia chara relinquit, corpusq; suum incertę mortis aleæ exponit, & in exteris regionibus, horrendis pręlijs, vsque ad mortem conflictatur, nulla alia de causa, quàm vt sibi aliquid pecuniæ valeat acquirere: ita tu si summum bonum possidere concupiscis, reliqua omnia abijce, & ab omnibus quę purè Deum non respiciunt, te immunem cõserua; cordis tui oculos à terrenis imaginibus attentè custodito: & si velis optata consequi, atque omnium penitus obliuiscì, externas affectiones non admittas necesse est. Ad veram quippè pacem, & puram cordis tranquillitatem nũquam peruenies, nisi viribus omnibus Deo vnitis, creaturarũ omnium obliuiscaris. *Pax interna quomodo acquirenda.*

SEQVVNTVR ALIA NON minùs vtilia Documenta.

CAPVT VIII.

SI scire velis, quid præ omnibus diligas, dicam, id quod sępissimè cogitas. Vis scire quis sis: illud vtique es, quod frequentiùs ob oculos cordis tui versatur. Non cures tam aliorum exercitia, quam essentiales & veras eorũ virtutes imitari. Nã cũ varia sint hominũ ingenia, varia sunt eorũ exercitia: & ideò, q. alijs est salutare alijs est certissima mortis occasio. Applicatur etiam gratia Domini ad corrigendã & perficiendã naturalem vniuscuiusque nostrum dispositionem. Nil vnquam pertinaciter neges, sed semper dubijs verbis loquere, vt nescio, an sit possibile fieri. Illud certò scias, te nunquam patientiam assequi posse absque tribulationibus: humilitatem absque contemptu: nam si ægrè fers despici, ideò fit, quia tibi non displices. Considera quot hominũ millia sunt in inferno, qui multo minus quam tu diuinam lęserint Maiestatem. Verè humilem nulla creatura turbare valet, ita enim profunde se deprimit, vt à nulla creatura reperiri valeat: & licet sæuissima tentationum tempestas ingruat, intactus tamen permanet, & illæsus cum humiliter abiectum nulla procellæ vis tangere valeat, quæ non nisi summa concutere solet. In omni tribulatione nullum efficacius remedium est, quàm abnegare, auersariq́ue se ipsum: crede, nil melius tibi contingere posse, quàm corripi, cõtemni, despici: qui enim te contemnit, id facit, quòd tu, si te plenè nosses, meritò facturus eras. Quidam sunt, qui licet ardentissimo affectu ad summum bonum anhelent, seipsos tamen non abnegant, qui facilè falluntur, nisi id pro comperto habeant, quantum se abnegauerint, & quantum pro viribus in se ipsis abnegandis contenderint, tantumdem habere diuinę charitatis, & non amplius. Nec solùm præfectus obedire decet, sed etiam omnibus, quorum familiaritate vtitur, debet obsequi, & eorum præcepto morigeram præstare mentem, in omnibus licitis & honestis alios audiens, & eorum verbis auscultans cum abnegatione & mortificatione amoris sui, propriæque voluntatis. Ex propria nanque voluntate (quemadmodum ex matre filia) inquietudo, discordiaque omnis nasci solent, idque siue velis, siue nolis: ideò ante omnia tibi ipsi bellum inferas, necesse est: nam si tuam voluntatem deponas, quàm plurima, quæ te lędere possent, cum ea in simul dimisisti. Nam sicut in illa Christi Seruatoris nostri oratione, *Pater, non mea sed tua voluntas fiat*, totius salutis nostræ cardo vertebatur: ita præstantissima ac gratissima in conspectu Domini oratio hęc est. Dona mihi, quęso Domine, vt altissimum beneplacitum tuum omninò in me impleatur. Homini namque propria voluntate ducto hoc esse solet peculiare, vt alios sibi obedire malit, quam ipse alijs: homo verò propriæ *Abnegatio sui ipsius præsentissimũ in tribulatione remediũ.* Luc. 22, 42.

mortuus voluntati, potiùs elegit alijs morem gerere, alijs obedire, alios tolerare, quàm libere omnibus dominari. Si quis esset, qui totius orbis imperium relinqueret, se ipsum autem non dimitteret, nil reliquisse existimandus esset: qui verò seipsum ob amorem Domini relinquit, huic nec res possessæ, nec honores exhibiti, nec familiares amici, & chara denique omnia obesse poterunt, cum his omnibus mẽte non inhæreat, sed paratus sit omnibus renuntiare, quoties id diuini honoris ratio postulasse videbitur.

Non tam debes attendere, qualia operaris, quàm qualis intus sis: si interiùs sincerus, & plenè abnegatus existis, opera omnia tua grauissima Deo existima: longè namque gratior est Domino salutatio Angelica resignato corde prolata, quàm totius psalterij lectio, si proprio corde sit dicta. Homo verè abnegatus, vallatus est Deo, ideò qui eum tangere velit, Deum ipsum priùs tangat oportet: quod cùm fieri non possit, nil illi obesse posse credendum est. Hac mira arte mortificationem acquirere poteris, si firmiter cogites te iam mortuum, cum (velis, nolis) citò sis moriturus, animamque tuam iam coram Domino in iudicio adesse, & ideò omnia mundana despice: quo fiet, vt de transitorijs ac caducis huius seculi rebus non magis curandum existimes, quàm si verè mortuus esses. O quàm felix ille dici poterit, qui hanc mentis stupiditatem, & (vt ita dicam) insensibilitatem consequatur?

Si toto pectore, frater mi, veram expetis consequi humilitatem, abnegationem, patientiam, & pro viribus ad ea consequenda, ardenter pergis, reputa iam verè hæc omnia consecutum esse: ita vt nemo sit, qui ea à te, vel te ab his valeat vnquam dimellere. Verus Domini cultor illud maximè curat, vt non minùs ipse vnus laudet, ac honoret Dominum, quã omnes pariter creaturæ facere possent, & nil aliud ab omnibus creaturis exigit, quàm vt Deus in ipsis maximè glorificetur. In nullo corporali vel spirituali exercitio proprietate singulari vtendum est, aut ipsi inhærendum, sed potiùs accuratè semper obseruabit, quorsum, qua via (varijs enim modis electos suos inuitare solet Deus) mentem ipsam ad se trahere velit Diuina bonitas: hæc vbi comperit, confestim, omnibus relictis, Dominum sequatur. Frequentanda sunt spiritualia exercitia, ac charitatis vsus. Nam quemadmodum ferrum nisi assiduo vsu contrectetur, rubiginem contrahere solet, ita charitas erga Deum, nisi continuò vsu exerceatur, paulatim tepescere, atque deperire incipit. Felix Philosophia hæc est, quam profiteris, si diligentissimè eniteris intellectiuas potentias ab imaginibus creaturarum, affectiuas à vitijs & seculi oblectationibus separare: te & omnia tua in manibus Domini deponere; ardentissimis affectibus & continuis orationibus ad Deum anhelare. Hæc est illa occulta sapientia, quam cœlestis Pater sæpe plebeio idiotæ, ac ignobili mulierculæ potiùs reuelare dignatur, quàm turgido Theologo, ac superbienti Doctori. Adhanc diuinam Philosophiam omnes creati & vocati sumus, hac instructi, quouis temporis momento tantam gratiam promereri poterimus, vt maximè deplorandum sit, cur in ea re, in qua salus nostra agitur, adeò supini & oscitabundi maneamus: id enim profectò Dominus ægerrimè fert, quod ad illum propiùs accedere nolimus. Fons omnium horum bonorum solitudo est: cui ea dulcis est, huic Deus se suauiter ingerit: ideò in vera Dei dilectione (quo ad liceat) immunem, liberumque te ab vniuersis hominibus custodito: nulli, nisi qui tecum eiusdem sit animi nimis familiaris fieri velis. Responde omnibus breuiter, insimul & humiliter: si ob id odio habearis, hilariter, mente in cælestiã raptus, sustinere non dubites. Quid enim tua refert, si mortales omnes habeas inimicos, cùm Deum ipsum habeas propitium? Si creaturis omnibus prodesse optas, ab omnibus te abstrahe, præter Deum, nil cogites, terrena omnia, quasi stercora reputans, nihili facias. Illud tamen memento, quamlibet harum virtutum non nisi magnis sudoribus & conatibus comparandam, luctibus internis, diurnis atque nocturnis postulandam: & si quæ sint ad hoc impedimenta, spiritualium exercitiorum vigore vincenda sunt.

Solitudinis laus.

EX OPVSCVLO BERNARDI
De interiori domo.

CAPVT IX.

BErnardus induens personam peccatoris sanctę compunctionis spiritu à Deo illustrati, & omninò commoti, sic plangit. Heu turbauit mea ira, lacerauit inuidia, inflauit superbia, seniorum meorum imperia non seruaui, sed iudicaui: de meis negligentijs obiurgatus, corrigentis vocem non audiui, quin potiùs repugnaui: præferri melioribus impudenter affectaui, simplicitatem spiritualium fratrum irrisione exagitaui, sententias meas procaciter iactaui, in obsequio reuerentiam, in sermone modestiam non seruaui. Habui in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermone iactantiam. Fui mente inconstans, ore scurrilis, in ioco mordax, piger ad bonum, durus ab obsequium, promptus ad loquendum, ad audiendum fastidiosus, ad docendum arrogans, leui contumelia aut iniuria commotus, mox æstuaui tumultu cogitationum: absentibus contradico, intra me ipsum aduersus illos contumeliosè loquor, &, quod dementiam omnem excedit, cùm nemo mihi maledicat, ego rixas somnio, & meditor quid contra me iurgij moueri possit, exquiro, quid respõdeam, quo pacto vlcisci valeam, & sic cum vmbris litigo. Comedi sæpe, & bibi, non ad necessitatem, sed ad voluptatem, & quod necessitati satis erat, voluptatem explere non poterat: itaque sub prętextu humanæ necessitatis cecidi in laqueum supinæ voluptatis: cogitaui de cibo, quãdo non debui, nam in die ieiunij, licet corpore ieiunabam, cogitatione comedebam. Facilius aliorum vitia, quàm virtutes attendo: aliorum delicta cernens acutissimè, mea non aspicio: in meis delictis sum clemens, in alienis vltra modum seuerus: ad irrogandas contumelias sum fortis, ad tolerandas infirmus; ad obediendum piger, ad alios lacessendos importunus. Quid dicam de lingua mea? hoc membrum præceteris nocuit, terè quoties loquor mentior: nam nunquam referre soleo dicta vel facta, quę vidi, vel audiui, eo modo & ordine, quo gesta vel audita sunt, sed alia pro alijs affirmo, & sæpe multa interfero superflua. Quæ iam mihi erit de emendatione fiducia, cũ ibi peccem, vbi peccata mea emẽdaturus accedo? Nam coram altari non assisto cum reuerentia, in choro sum corpore, longè verò absum mente; sæpe in ipsis bonis quæ ago, debitum modum excedo: nam dum menti lætitiam pariunt, vanam gignunt securitatem. Heu me miserum, & væ mihi, qui hæc agens & alia innumera, tamen ita comedam, bibam, & dormiam securus, quasi iam transierit dies mortis, & euaserim diem iudicij, & inferni tormenta: sic ludo, & rideo, quasi iam triumphem in regno Dei. Pudet sic vixisse: pudet, quòd natus fuerim: mallem nõ esse, quàm is esse: viuere erubesco, quia parum proficio: mori timeo, quòd non sim paratus, malo tamen mori, & misericordiæ DEI me committere, quàm vt mala mea vita, & nulla subsecuta correctio alicui scandalum

Confessio S. Bernardi.

dalum faciat. Desperare certè possem, nisi Verbum tuum Caro factum esset, & habitasset in nobis. Desperare non audeo, quòd ille tibi vsque ad crucis mortem obediens, tulit chirographum peccatorum meorum, & affigens illud cruci, peccatum crucifixit & mortem.

SECVNDA HVIVS OPERIS PARS,

DE STVDIO SANCTAE MEDITATIONIS, ORATIONIS, & CONTEMPLATIONIS,

CAPVT X.

PRæhabitis his Spiritualis vitæ fundamentis, ad expulsionem vitiorum, ac perturbationum mortificationem, operæ pretium erit, in sequentibus ea colligere ex doctrina Sanctorum, quę pertinere videbuntur ad inflammandam animam, ac ostendendum, quo pactu progrediendum sit ad veram contemplationem, & vnitiuum amorem assequendum. Hinc igitur initium faciemus.

Vnitiui amoris encomium.

Cùm solo Deo animam nostram satiare liceat, hoc inniti maximè debemus omnes, vt obtenta vitæ perfectione, ei in hoc exilio intimè vniamur, quâ vnione consecutâ, Deus animam ipsam sua iucundissima præsentia sic satiat, inebriat, gaudio implet, vt nil vltra meditari aut desiderare valeat. Ea enim anima iam non emendicat adulterina oblectamenta, insipidũ namq; & amarũ reputat, quidquid Deus non est: spiritus itaque noster, quamdiu charitatis brachijs Deum non amplectitur, famelicus omnino incedit: & sitibundus permanet, quamdiu pelago illo inæstimabilium voluptatum immersus non fuerit. Cum anima nostra illam assequitur Theologiæ mysticæ sapientiam, videlicet vnionem diuinæ charitatis, tunc æternę veritatis lumine illustratur, fides eius certior redditur, spes roboratur, charitas inflammatur. Si enim omnes seculi huius sapientes homini experto mysticam vnionem dicerent, Falleris miser, fides tua vera non est; ipse indubitanter & audacter responderet: ego vera profiteor, vos omnes fallimini, nam fides mea verissima est, & certissima. Hoc autem firmiter responderet, cùm fides eius non inuestigatione rationis, sed mysticæ vnionis infallibili fundamento niteretur. Veriùs namque expertus diuinitatem intelliget, quàm plerique eruditissimi Doctores, qui nondum in secretum cubiculum Regis æterni fuerint admissi, nec coruisco gratiæ lumine illustrati. Nec mirum, cum Deo charissimi sint, qui se totos illi liberè dediderint, & in eis Dominus magnificè soleat operari. Hi priuati domus Domini familiares iucunda, tranquillaque libertate, quę filios Dei decet, liberè fruuntur, eleuati supra omnes curas, supra omnem perturbationẽ & metum mortis, purgatorij, inferni, & omnium, quæ animæ vel corpori in tempore, vel perpetuò, euenire possint. Non frequentia hominum, non occupationes externæ præsentiam Dei ipsis eripiunt, in omni namque multiplicitate, spiritus vnitatem seruare nôrunt, quòd stabili, firmaque sui ipsius, & omnium externorum despectione sint suffulti ex omnibus, quę visu vel auditu percipiunt, celerrimè in Deum diriguntur, & cuncta eis quodammodò (si ita loqui fas est) vertuntur in Deum. Nil intentione mentis & amore prosequuntur, nisi Deum; interiùs erga ipsum iugiter occupantur; Deo ita adhærent, vt videntes sint veluti cæci, audientes surdi existant, loquentes quasi muti permaneant: hi cœlestem & Angelicam vitam in terris viuunt, & terrestres Angeli iure dici poterunt. Ad hanc veram felicitatẽ nemo peruenire vnquã poterit, nisi strenuè insistat abnegationi, mortificationi, & sui ipsius despectioni, ardentibus in Deum desiderijs, & frequẽtissimis orationibus, præhabitâ rectitudine, ac integritate, & puritate intentionis. Igitur athlera Christi, si velis ad hunc salutis portum appellere, sequentia totis animi viribus obseruare contendito. Nihil tenaci corde possideas. Nulli creaturæ mente inhæreas. Nullius viri, quantumuis sancti, amicitiam & familiaritatem humanitus expetas: non solùm quæ mala sunt, sed etiam bona huic sapientiæ officiunt, si inordinatè diliguntur, vel quæruntur; nam lamina aurea oculis obiecta, non minùs quam lamina ferrea visum impedire solet. Post priuatũ amorẽ ex corde extirpatum, propriam voluntatem deponens, Deo te ipsum tradito, & te in ipsum perfectè transfundito. Nunquam ore vel corde, habita tui ipsius & proprij commodi ratione, dicas, Hoc volo, hoc nolo? hoc eligo, illud respuo: nec vnquam aliquid tuum queras, sed omni prorsus proprietate reiecta, spolia teipso, & tibi ac omnibus huius mundi rebus ita moriaris, ac si nunquam viueres, aut omninò mortuus esses: In omnibus honorem Dei quærito, & id enititor, vt eius volũtas in omnibus impleatur. ita vt ipsis orationibus, pijsque desiderijs, humilem tui ipsius abnegationem coniungas, postulás, non tuam, sed Domini voluntatem fieri. Omnia, quæ tibi prospera vel aduersa euenerint, ad ipsã Dei voluntatem referto, de manu eius cuncta susçipias, credens certissimè omnia esse dispositа, vt in via salutis proficere valeas. Oblectamentis, delectationibusque spiritus ne abutaris, teipsum in illis quærens, hoc est, voluptatem tuam (id enim grauiter cœlestem lædit sponsum) sed ea spiritus oblectamẽta cum humilitate susçipito, & adeò liber atque expeditus à voluptate velim permaneas, ac si nullus illi in te locus esse posset. Nam natura corrupta ad se ipsam reflecti, & se ipsam in omnibus quærere solet: quare ita paratus esto ad eas delectationes spiritus recipiendas, ne molestiæ aliquid afferat illis carere. In solo enim Deo, non in eius donis quiescendum est, & ideò omnia eius dona in ipsum refundito, in laudem ipsius Domini cuncta offerens. Cauebis, quantum poteris, ne in vsu exteriorum sensuum aliquid ex propensione, motuvè sensualitatis aspicias, audias, gustes, odoreris, loquaris, tangas, & si fortasse in his etiam leuiter deliqueris, acriter te ipsum reprehendito. Ad edendum non te delectatio moueat; si verò caro in cibo delectationem percipit, eam tu interiòr non admittas, & si fieri possit, suauiores epulas pro Dei amore intactas relinquito. Si de spiritualibus interrogatus fueris, aut consilium petenti respondere velis, primò altiùs in te descendes, cogita nihil ex te ipso vtile loqui posse, ideò ad omnipotentem Dominum conuersus, precare, vt quod illi placitum sit, donet eloqui pro sui nominis gloria,

Mortificatione acquiritur vnitiuus amor.

Quæ abneganda.

gloria & proximorum salute: postea, si quid bene locutus sis, Deo gratias redde, à quo bona cuncta procedunt: si malè, tibi adscribito.

§. I.

¶ Intempestiuam verborum asperitatem omni tempore declina in sermone sis semper verax, nō simulator, non adulator existas. Nemini detrahas, quinimò noxia verba, ac detractiones, si coram te incidere contingat, prudenter interrumpere consuescas: vt quidam, qui talia loquentibus dicere solebat: Magnas nos Deo gratias agere æquum est, cum eius miseratione tales non simus. Nil immoderato affectu & animi perturbatione loquaris, appetas, aut exequaris, sed æqualitatem, libertatemque animi vbique seruato. In his, quæ dubia sunt, si incertus dubites quid agendum sit, Deum tuum, vel aliquem spiritualem virum consulito, gratissimam Domini voluntatem nosse, & eam in omnibus operibus tuis perfectè impleri expetens, intra te dicito: O Domine, quid me nunc vis facere? Placet nè tibi, hoc vel illud faciam? & hoc etiam in minimis facito. In quotidianis colloquijs, in gestibus, & verbis sic te gerito, sic in Deum oculos figito, quasi soli Deo, non hominibus placere desideres, & semper Christus Iesus, quasi viuum speculum versetur ob oculos, vt illius vitam imiteris. Ne sis in propria sententia obstinatus, nulli pertinaciter repugnes, nisi veritas ipsa resistere compellat: in licitis semper alterius votum & alienum iudicium tuo præferas, & libentissimè patere ab alijs, reprehēdi. Si te lædat aliquis, aut persequatur, ne credas, aut prædices eum iniustè & immeritò hoc facere, sed animo repetens, quàm ingratus ad immensa Domini beneficia existas, dignum te esse cognosce, quem creaturę omnes premant, & tanquam lutum platearum conculcent: omnes afflictiones tuas de ipsius Domini manu suscipito, non attendens ardorem cauterij, sed dulcis medici manum. Vt homines omnes plenè in Christo diligas, cogita firmiter omnem hominem esse te ipsum, eiusdem naturæ ac beatitudinis socium & participem. Omnibus in quauis necessitate & afflictione constitutis, compatiaris, omnes consolari pro viribus sis paratus: fratrum errores pia commiseratione tolerabis, omnem cordis amaritudinem sanctæ charitatis dulcore corrigens. Frustra se Dei amicum reputat, qui minùs sincerè quàm decet, aliquē diligit: vel animum ab aliquo per displicentiam & mentis amaritudinem auertit. Omnes ergo suaui charitate complectere; quòd facillimè fiet, si quemlibet hominem te ipsum esse existimaueris. Dicta & facta eorum, qui tibi commissi non sunt, ne discutias, ne iudices: sed omnia Deo commendans, te intra te ipsum recipito, & omnium te indignissimum reputa, & talis haberi exopta. Elige potiùs latēre, quam eminere: subesse, quàm præesse: Non pudeat te æternæ humilitatis, quòd nihil sis, assiduè meditare, inde enim tota hominis salus omnium consensu pendet. Viri namque sanctissimi illud asserunt certissimè, absque assiduo & seuero sese abnegandi & mortificandi studio, neminem in via Christi posse proficere. Vera enim resignatio cum profunda humilitate coniuncta, compendiosissima ad Deum via est.

Resignatio minima Deo grata.

¶ Nil gratius Deo est resignatione propriæ voluntatis etiam in rebus minimis: verbi gratia, Si duo simul incedentes, inuentum florem decerpere vellent, alter verò eorum propter Dominum illum intactum dimitteret, non parum meriti inde sibi conciliaret, quamuis alter, qui simpliciter decerperet, nil in eo opere deliquisset. Sic ergo athleta Christi frequenter dicat intra se Deo Domine, propter tui amorem nolo hæc videre, audire, aut gustare, etiamsi in his actionibus nil esset criminis. Et licèt homini nil charius sit ipsa arbitrij libertate, ac ideò integra sui ipsius abnegatio initio difficilis sit & molesta, vbi quis in ea viriliter perstiterit, ipsius Dei dono facilis, ac gratissima redditur. Hanc felicissimam sui ipsius mortificandi artem citò perdiscit, qui omnia, quæ in mundo sunt, non magis ad se pertinere existimat, quàm si re vera mortuus esset, versans animo assiduè dictum illud Apostoli; *Mortui enim estis,* &c. Hac ergo tui obliuione prēmunitus, euagationes mentis comprime: inutiles rerum imagines apud te permanere non sinas, in omni tumultu ita te geras, vt ab eo liber existas, vnitate spiritus semper seruata: internos oculos non violenter aut turbidè, sed tranquille & simpliciter in Deum dirigas, totū te in Diuini amoris immensum pelagus amanter immergens. Spes semper tecum habitet, te comitetur, ne vnquam illam abijcias, ne ab ea vlla temporis occasione distraharis, sed inuicto & forti animo in sancto labore persistas, incessanter dispersiones cordis tui collige, teque in illam summam bonitatē reflecte. Quòd si huic studio diligenter assuescas, tādem fiet, vt Domino adiutore, consuetudo hæc in naturam transeat, ita vt non minùs facilè sit diuinis intendere, quam viuere vel spirare. Nullibi Deum certiùs, quam intra te inuenire poteris, dummodo intra te habites, ibi enim semper adest, ideò coram oculis eius humiliter, tanquam casta sponsa hæc verba sæpe repetes: Dominus adest; Dominus me intuetur: hęc diceps, ita Domino intendas, ac ipsam Dei essentiam coram cerneres, & nil esset in mundo prēter te & illum. Asserua te in te ipso, & exultabis, quia tam facilè Deum intra te inueneris. Si colloquia & negotia obstent, quo minùs in Deum liberè, vt cœpisti, tendere valeas, non ideò prorsus ab illo elongeris, sed fixa in eo animi affectione, ita permanebis, vt mox, confecto negotio, penitus ad eum quasi iam ipsum sitiens confugias. Illud tamen aduertendum est, eum, qui nudum se Domino exhibuit, & coram illo suis se affectionibus spoliauit, nulla dona Dei sibi arrogare, aut vsurpare. Prēterea, si is maximis ac molestissimis seculi negotijs premeretur, nil ideò mentis profectui decresceret; omnia enim temporalia liberè sinit abire, nec in illis vsū mentis immoratur, sed intentionis & amoris feruore in Deo defigitur. Hi verò qui in rebus & secularibus negotijs non purè Deum spectant, nec eius dilectione interiùs muniti sunt, facillimè locis, negotijs, hominibusque perturbantur, distrahuntur, redduntur; multiplices, & telis hostium summo cum periculo exponuntur. Prædicto exercitio mortificationis & resignationis coniungat assiduè spiritualis tyro frequentissimam aspirationum & orationum, & ardentissimi desiderij emissionem: est enim illud breuissimum compendium, quo citissimè ad Theologiæ mysticæ apprehensionem, & vnionem diuinam valeat peruenire: hæ namque aspirationes superant media reliqua inter Deum & animam.

Mortificationi iungenda oratione & aspiratione.

§. II.

¶ Nemo se propter ingenij stupiditatem ineptum ad hanc sapientiam comprehendendam existimet: nam hic non exigitur subtilis intellectus, sed humilis & ardens affectus. Exercitia enim externa quāuis bona ac pia sint, tamen multò maioris momenti censenda est exercitatio interna, qua homo ardentissimè ad Deum non per sensus, aut imagines, sed modo quodam supernaturali ita confugit, vt illi vniatur. Deus namque omnes ad se trahere, & sibi vniri paratus est, si nos reliquis rebus liberos & expeditos in-

ditos inueniret. Sicut enim Sol visibilis lumen suum in lucidum speculum sibi è diametro obiectum effundere, & in eo figuram suam formare solet: ita anima munda, & ab impedimentis libera, clarissimis radijs inuisibilis Solis illustratur, & in ea ipsius diuini Solis imago mirè refulget. Expetit enim Dominus mirificè se nobis tradere, & anima nostra vitijs ac rebus externis expedita, sponte sua tendit in Deum, à quo se originem ducere credit, sicut lapis, quòd corpus graue sit, naturaliter appetit deorsum: solus quippè Deus est naturalis locus animæ, ac ob id, spirituales & præstantissimæ vires animæ donatæ sunt, non ad infimas res cogitandas & appetendas. Quapropter valdè mirandum est, si eas putido & atro cœno immergamus. Non obliuiscatur athleta mysterij Crucis: in imagine vnigeniti Dei crucifixi nidum suum collocet: in mellifluis eius vulneribus requiescat: assiduè eius memoria versetur ob oculos, ita vt dum comedat, bucellas in illius dulcissimo sanguine se tingere existimet. Periculosè corruet in suæ contemplationis altitudine, quicunque ad diuinitatem aliter quam per humanitatis ostium ingredi voluerit, ideò expedit, vt per hanc ad illam ascendat, & ab illa ad istam redeat, sic enim faciens, dulcissima semper pascua inueniet. Caueat tamen, ne similis sit quibusdam, qui cum forinsecus deuotionis dulcedine, ac lacrymis passionem Domini recolant, tamen vitia sua & affectiones frenare, se abnegare, ipsumque sequi recusant. Diligentissimè caue multorum errorem, qui tunc duntaxat exercitationes suas Deo placere existimant, cùm ab eo fouentur dulcedine spirituali, & gratia deuotionis sensibilis, sed disce in tuis exercitationibus persistere, quantumcunque opprimaris duritia cordis, interno frigore, obnubilatione sensuum, ac distractione mentis: resigna te in Dei ipsius voluntate: nã non est perfectio in affluentia consolationum, sed in eo, vt pro Dei amore omnia nihili pendas, & in omnibus voluntate tua posthabita, diuinam sectaris: denique solum id bonũ & tibi vtile existimes, quod Dominus in te operabitur. Absurdum enim est quotidie petere, *fiat voluntas tua*, & indignari, & egre ferre illam in te fieri. Non igitur angamur animo, si desit nobis sensibilis deuotio, sensibilisq; amor (quiplerunque impurus est, & sæpe confertur irresignatis) sed illud maximè curandum est, vt per intellectualem amorem, nempè bonam promptissimamq; voluntatem Deo vniti semper simus, licèt sensibili duritia & mentis ariditate cruciemur; id solùm attendentes, vt diuini voluntatis beneplacitum in nobis impleatur.

Matt. 6, 10.

VTILE EXERCITIVM.

CAPVT XI.

COnsuescas offerre Domino pro peccatis tuis opera, labores, dolores, ac vulnera Christi. Offeres etiam opera & exercitia tua emendanda, ac perficienda tota mentis intentione Deo ipsi, atque ea semper studebis colligare & vnire operibus Domini Iesu, vt illis vnita, plus meriti, sibi concilient: tribulationes item tuas, ac dolores congrega eius doloribus, vt tali vnione ab omni fœce expurgẽtur. Item assuescas quotidiè expensis ac perspectis peccatis & imperfectionibus tuis, ea omnia proijcere in profundum abyssum miserationum Domini Iesu, vt ibi penitus consumantur: deindè ab omnibus creaturis te abstine, omnibus te subdito, homines omnes charitate Christi complectere. Posteà omnibus, quæ infrà sunt, posthabitis, in diuinæ voluntatis beneplacitum te resignabis, paratus omnia de manu Domini suscipere, & ab ea quæcunque aduersa immissa patienter sustinere. Ardentissimè postulabis à Domino, quę tibi necessaria sint, vt ei perfectè noctri valeas. Ad hæc patronam tibi assumes Virginem Dei genitricem Mariam, & in tui patrocinium Sanctos omnes, & cœlites inuocabis: deindè orabis pro fidelibus omnibus viuis & defunctis, & pro tibi specialiter commissis. O felix anima, quæ puritati cordis, sanctęque introuersioni iugiter studet, & priuato amori, proprięque voluntati abnegandis incumbit! Hæc enim magis indies Deo appropinquat: viresque eius amplius roborantur, ac sicut stellæ lucescunt, sic denique fit idonea ad contemplandum diuinitatis abyssum sereno, simplici, & iucundo intuitu: & caligante rationis oculo ad tantæ lucis conspectum, ipse simplex mentis oculus viget, ac perspicit, transcendens corporeas atque incorporeas imagines: in sola caligine quiescens, quæ maxima lux est in hoc exilio. Per amorem ergò omnes formas trãscendẽs anima, & supra se ipsam erecta, in Deo tota effunditur, vbi mirabili pace, ac dulcissimo Dei complexu fruitur, meritò canens: *In pace, in idipsum dormiam & requiescam*. Defluit enim anima amans à seipsa, & velut ad nihilum redacta, in abyssum æterni amoris collapsa, absorbetur, & sibi omninò mortua, solum viuit Deo, nil sciens, nil sentiens præter ipsum. Perdit namque se in vastissima diuinitatis solitudine ac caligine: sed sic se perdere, vtilius & iucundius est, quã se inuenire: ibi enim quicquid humanum est, exuens, & quicquid diuinũ est, induens, transformatur, atque transmutatur in Deum, sicut ferrum in igne quodam modò transit in ignem: manet tamen essentia animæ, sicut ferrum ignitum non desinit esse ferrum: quo fit, vt anima quæ anteà frigida erat, nunc ardeat, quæ prius tenebrosa, nunc luceat; quæ prius dura, nunc mollescat, & planè tota Deicolor sit: tota enim diuini amoris igne concremata, totaque iam liquefacta, transit in Deum, & vnus spiritus (vt ait Apostolus) efficitur cum eo. Varij tamen sunt gradus huius excessus, nã alius alio dulcius in Deum conuertitur, & alius alio perfectiùs in ipsa cõuersione se à se ipso repellit. Omnia hæc dicta à Dionysio Areopagita habentur, qui in libello de Mystica Theologia ad Timotheum inter cætera sic dicit. Vt per intensissimam exercitationem peruenias ad contuenda diuina spectacula, relinque sensus, & spirituales intellectiones, intellectuales inquam operationes, & sensibilia omnia, & intelligibilia, siue sint, siuè non sint: & pro viribus enitere, vt per quandam tui ipsius ignorantiam illi iungaris, qui supra omnem est substantiam. Nam vbi liberè & purè à te ipso atque omnibus excesseris, expeditus absolutè, ad supersubstantialẽ diuinæ caliginis radium euolabis. Et paucis interiectis, ait: Contemplator visibilia & intellectualia deserens, ingreditur mysticam ignorationis caliginem, in qua omnia scientiæ & cogitationis præsidia terminans, totus fit in eo, qui tactum penitus, visumque refugit, atq; omnia transcendit. Et paullò post: Ad hãc, inquit, perlucidam splendidissimamque caliginem admitti, & per visus scientiæque priuationem videre, & scire eum, qui aspectum omnemque scientiam transcendit, oramus: hîc enim non videre, & nescire, verum scire est, & videre. Idem Dionysius, de caligine hac ad Dorotheum diaconum scribens, his vtitur verbis: diuina caligo est lux inaccessibilis, in qua Deus habitare dicitur: hæc propter eximiam, & quæ substantiæ supereminet, claritatem, intuisibilis est; atque ipsa propter supersubstantialis luminis copiam ab ea manantis, inaccessibilis existit, in ea liquescit, & ea absorbetur, quisquis Deum nosse ac videre meruit. Nam eo ipso quòd non videt, nec cognoscit familiariùs iungitur illi, qui visionem omnem, cognitionemque transcendit, plenè intelligẽs eum esse super omnia, quæ in sensum vel intelligentiam

Opera nostra Christi operibus vnienda.

Diuina Caligo qua.

tiam cadunt. Vnde Dauid: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, &c. Et Paulus: *Inuestigabiles viæ eius*, &c. Hæc Dionysius. O verè beata anima, quæ propria omni operatione sepositа in vi memoratiua nudatur omnibus imaginibus; in intellectu sentit & fouet præfulgidas illuminationes Solis iustitiæ: in vi concupiscibili sentit ęstum quendam quieti amoris; siue contactū Spiritus sancti in similitudine viui fontis affluentem riuis æternæ suauitatis. O verè beati, quibus licuit hæc vel tantillo spatio temporis experiri. Nam per sapientem sui ignorationem, & per intimum amoris contactum, inexplicabili quodam modo Deum anima cognoscit, & in eo stabilitur, nam cùm ea ab omnibus libera ac semota, simplex existat, & munda, vt tersum speculum eam assiduè Dominus sui diuini fulgoris radijs illustrare solet. Heu quam pauci sunt, quibus huc peruenire contingat. Modicus enim amor, tenuisque affectus, quo quis mortali creaturæ adhæret, verbulum otiosè prolatum, aut buccella panis, alter quàm oportuit sumpta, & aliæ huiusmodi, licèt minutulę paleæ, efficiunt, vt Deus, qui summa puritas est, non intimè animę vniatur, donec hæ inordinationes expientur: imò temporis vnionis inter Deum & animam quęcunque (licet bonę) imagines, sunt procul expellendæ: quia sunt media inter vtrunque. Ideò athleta huc peruenire cupiens (Deo ipsum trahente atque vocante) cùm primùm senserit se diuino amore vehementer inflammari, ac sursum trahi, propere rescindat quaslibet imagines, festinetque ad Sancta sanctorum, & ad internum illud silentium, in quo non humana, sed diuina duntaxat est operatio: ibi enim Deus ipse est agens, homo verò patiens: Nam dum vires animæ silent, & à propria actione quiescunt, atque ab omni denique externa imagine liberæ sunt, Deus ipse loquitur, easque mentis vires pro libito disponit & afficit, nobilissimum opus in ea peragens.

Psal. 138, 6. Rom. 11, 33.

Vnionem animæ cum Deo intimam facilè præpediri.

§. I.

¶ Postquam autem anima pręclarissimam ac præ omnibus dulcissimam Dei actionem in semetipsa non senserit, tunc propriam actionem suam, suaque exercitia prædicta resumat. Cauere autem summopere anima debet, ne in sua introuersione, & ad Deum conuersione vltra quàm satis est, extendat intellectum suum, ne si altiùs quàm oportet volare tentauerit, extra debitam simplicitatem aberrans, æternis tenebris inuoluatur, vnde intolerabiles miseriæ, & ipsius animæ anxietates oriri solent. Introuertat ergo se simpliciter intellectus, oculos diligenter & placidè deprimens, atque excæcans, violentum prætereà impulsum prudenter vitet, ne prægrauans naturam, se nimium debilitet: si tamen nequeat non affligi, hac ipsa afflictione nequaquam perturbetur, nec desponde at animum, sed humiliter & patienter eam patiatur calamitatem. Nonnulli quippè sunt, qui in feruidis ad Deum aspirationibus se exercentes, maximum sæpè sentiunt cruciatum, donec Dei ipsius dono, & assidua consuetudine id assequantur, vt sese simpliciter, ac facilè valeant exercere. Pleriq; etiam sunt, qui modicam compunctionem sensibilē sine sui læsione non ferant. Denique athleta Christi diligentissimè caueat, quidquid internam animæ tranquillitatem valeat dissipare: si verò sint impedimenta, quæ vitare nequeat, humiliter Deo offerat in laudem sui nominis. Cùm verò consolationem aliquam à Deo acceperit, & quando euenerit, vt speciali gratiæ dono extra naturæ lumen rapiatur, non plus ęquo admiretur, quod senserit, nec vltra solitū exultet, aut scrutetur, quid sit, & quomodo sit Deus: non argutè discutiat lucem illam intus coruscantē, & cœlestem illum saporem, quo afficitur: sed placidè illis fruatur, & in solo Deo ipso conquiescat. Ne verò quid suspectum habeat, dum luce cœlesti, consolationeque interna plenius affluit, certò sciat, lumen illud, quod in animæ centro lucet, & quo quis DEI bonitatem, & propriam sui vilitatē cognoscens, in vera proficit humilitate, nō à spiritu maligno, sed à Deo mirificè infundi. Diabolus nanque solet vanos, superbosq; homines decipere, confictum lumē & falsam ingerens dulcedinem, sed essentiam animæ solus Deus ingredi potest. Non igitur quęrat anima in donis Dei proprium cōmodum, propriamque oblectationem, sed solam Dei laudem ac beneplacitum: ita vt semper parata sit (si ita Deo placeat) carere delectationibus, quib. ab eo sępe fouetur. Veruntamen non repellat, nec impediat ipsa Dei dona: sed humili, gratoq; animo ea recipiens, admiretur & laudibus extollat diuinam illam bonitatem, quæ indigno homini talia conferre dignatur. Caueat contemplator, ne aridus fiat, & ineptus ad alia opera peragenda, sed quæ concipit in contemplatione & vnione, exerceat in sanctis operibus: ita vt si dum se intus exercet, obedientia aut charitas aliquid exteriùs agere suadeat, non indignè ferat; sed promptè, hilariterque obediat: nam semper & quocunque temporis articulo resignatus, & plenè sibi renuntians manere debet. Igitur, ô anima generosissima & nobilissima, te puram & liberam custodi, noli ad varietatem sensuum foras excurrere, sed cohibitis sensibus intus habita, ad Deum ardenter conuertere, millies per diem in abyssum diuinitatis immersa, ibi vltrò citroq; natare curato. Anhela ad illam supernaturalem spiritus cum Deo vnitatem, reuola in Deum, à quo ducis originē, qui lux est increata, & lux insimul ęternitatis. Huc tamen non datur ascendere, nisi his, qui naturam suā, sensusque suos pręclarè vicerunt, qui nec prosperis, nec aduersis vitiosè mouentur, sed stabili quadam pace fruuntur: ideò in eis nulla turbulenta affectio diu durare valet. Cumque hi Dei homines plenè à Deo instruantur, & illustrentur de agendis & propter Deum omittendis, tamen libenter se alijs subdunt, omnibus in Christo obtemperant, sponte infimo loco delectantur, donis multiplicibus quæ recipiunt non extolluntur, sed potiùs in vilitatis suæ profundum se demergunt, minima peccata studiosissimè vitant, & si quæ incurrunt, mox Christi sanguine diluunt. Hi incogniti mundo viuunt, horum cœlestem conuersationem non facilè quis aduertit, nisi eadem cum ipsis gratia potiatur; nam singulares, & inusitatos mores hi ostendere foris non solent, sed suaues sese & benignos in conuictu omnibus exhibent, ita tamen vt peccatum miro studio deuitēt: nulla vultus seueritate, sed maxima animi clementia vtuntur, omnibus miserationis affectum impendentes. Quibus plerunque euenire solet, vt cùm in aliquorum cōmercio quasi nullius momēti se gerāt, vilipendantur, etiam ab his, qui exteriùs non paruū sanctitatis specimen præ se ferunt, atq; etiam ab his, qui duriter vitam ducunt, quiq; in austeritate externa sponte assumpta confidunt, plerunq; despiciuntur, quòd ipsi corpusculis suis quietem & alia necessaria pro Dei honore concedere soleant.

Contemplatori audita fugienda.

§. II.

¶ Diu igitur elaborandum est, & summo studio enitendum, vt ad scaturiginem aquæ viuæ in imo animæ tuæ latentem peruenire queas; diu oportet te ante cubiculum Regis æterni excubare, pulsare priùs quàm intro admittaris. Et vt facilius intelligas, quid sit vnio animæ cum Deo, scias velim, duplicem esse vnionem animæ cum Deo per amorem; quæda enim est habitualis, altera actualis: hæc verò duplex

Duplex vnio animæ cum Deo.

plex, quædam actiua, quando quilibet nititur Deo semper adesse in intellectu, volũtatemq; suam semper ad eius amorem inclinat, aut saltem ardentissimis ad id desiderijs abundat: altera passiua, de qua dicit Bernardus: Rara hora, & breuis mora. August. 10. *Confess. cap.* 4. Aliquando (ait) introducis me in affectum nimis inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quę si perficiatur in me, ignoro, quid futurum sit, certè viuere absque illa non licebit, sed incido in hæc ęrumnosis ponderibus, & resorbeor solitis affectibus, & teneor: fletu madeo, hîc esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo. Et quamuis hæc feruens dilectio eliciatur à voluntate, dicitur tamen passiua, quia ad illam non excitat voluntas seipsam, velut ad primam, sed immediatè excitatur à Deo fortiter, fitque regulariter ac placidè cũ excessu quodam, ac suspensione sensuum, estq; mirũ in modum dulcis & paucis conferri solet. Sed attendas, quæso, quod amare Deũ cum suspensione ac sensuum obdormitione, non dicitur euidentissimum signum passiuę vnionis: inuenitur enim sæpe etiam in actiua vnione suspensio, ideò qui suspensiua vnione fungitur, nolit discutere, sit ne actiua, an passiua, sed gratias agat pro ea, quæcunq; sit. Multorum sententia fuit, hanc vnionem, quamuis pura esset, à quibuscunq; imaginibus posse impediri, licèt essent imagines ipsę vtiles, quę animam ipsam disposuerant, vt imagines mysteriorum humanitatis Christi, & etiã diuinorum attributorum: hoc tamen cautè intelligendum est, ne erroris existat occasio. Si enim intelligamus has imagines, dum se offerunt intellectui animæ immediatè quiescentis, ac fruentis vnione diuina pura, non esse tenaciter recipiendas, nec morosè eo temporis articulo illis vacandum, aut rebus quas illæ repręsentat, sed re vera claudendos esse ad eas mentis oculos, regulariter loquendo, verum hoc fateamur, necesse est; diuertere enim ad eas morosè, impedit progressum immediatæ vnionis cum Deo. Si autem intelligamus, has imagines, quotiescunq; occurrunt purè contemplanti, atque amanti Deum, impedire hebitareq; vigorem ac perfectionem vnionis, credo falsum esse; experientia enim constat, hoc sępe euenire, dum homo in solum Deum toto mentis actu fertur: fit enim, vt eo tempore raptim occurrat intellectui hæc imago, videlicet, Hic Deus pro me homo factus est, aut crucifixus: hæ namque imagines, non solùm nõ impediunt, verùm etiã promouere & augere solent vnionem amoris; atq; admirationis suspensiuæ: imò nec imago peccatorum raptim transiens officiet, videlicet, Hic Deus tot crimina pro sua benignitate condonauit; nam hæc imago non perturbare, sed quietem mentis occasionaliter adaugere solet, dummodò homo tunc non descendat ad specialem ipsorum cõsiderationem, sed mox resiliat in fontem aquæ viuæ. Sæpè etiam contingit, quòd dum vnio tepescit, rursum spontè ignescat, si mentem applices ad media salutifera, scilicet, ad Christi passionem, &c. aut si cogites, quàm misericorditer te Deus diu tolerarit, quæsierit, inuitauerit, expectauerit, æterna denique gaudia parauerit. Vt autem plenè intelligas, quantumquisque proficere valeat in hac philosophia; scito eos qui felicissimis vinculis violentis amoris tenentur, debere sibi aliquando vim inferre, vt Deum à se expediant, & ad alia mentem transferre possint: videlicet quando obedientia vel officium cogit alicui negotio intendere, aut certè salutis corporalis conseruatio compellit à feruore vnionis cessare. Noui ego aliquos valde in hac vnitiui amoris philosophia prouectos, qui sæpe languerent, singulisque mensibus lecto ægrotantes decumberent; non alia de causa quam ex assiduo vnitiui amoris feruore, & diuinę charitatis ardentissimo studio. Quare compelluntur hi spiritũ aliquantisper demulcere, ac melioribus cibis vti, vt vires amissas reficiant, quibus consulendum est, vt ita prudenter sua exercitia moderentur, ne corporis valetudini euidentissimè nocere videantur. Fassa est mihi quædam, non posse audire concionatorem in feruore spiritus de diuinis differentem: miro enim feruoris impetu cor scindi videbatur, ac præ gaudio à se auelli: quapropter sæpe de egrediendo à templo cogitabat. Vt discas esse benignus, memineris amorem Dei zelum aduersus peccata producere, amorẽ verò proximi, mansuetudinem ac lenitatem gignere. Vtinam (ait Bernard. *in Cant. serm.* 46.) mihi detur pax, bonitas, benignitas, gaudium in Spiritu sancto, misereri in hilaritate, tribuere in simplicitate, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, his contentus ero, atq; cæteri qui meo de hac re iudicio acquiescere velit: existimo enim Deũ etiam his fore contentum, cætera Sanctis Apostolis, viriq; Apostolicis derelinquo, &c. Vocat ibi sermonem sapientię, siue scientiæ philosophiam, gratiam curationum, interpretationem sermonum & similia.

Imagines humanitatis Christi an vnionem impediant.

Amor vnitiuus cum Deo aliquando cohibendus.

§. III.

¶ Abbas Theremont. *collat.* 11. his verbis vtitur: Euidentissimum indicium est animæ nondum à vitiorum fœce liberę, in criminibus alienis affectu misericordiæ non condolere, sed rigidam iudicij seruare censuram. Quomodo enim perfectionem cordis habere dicetur, qui id non habet, *Alter alterius onera portate*? Quo pacto charitatem habere? de qua scriptum est: *Non irritatur, non inflatur, non cogitat malum, omnia suffert, omnia sustinet.* Vnde de iusto dicitur *Prouerb.* 12. quòd miseretur etiam iumentorum suorum; viscera autem impiorum sine misericordia, ideoque ijsdem vitijs monachum subiacere certissimum est, quæ in alio inclementi, ac inhumana seueritate condemnat. Vt meliùs te ipsum discutere scias, attende his, quæ dicam: Sæpe naturalis valetudo iuuat, aut impedit bonum opus, & deuotionẽ internam: & ideò plerumq; credit homo se spiritu Dei agi, cùm tamen aliunde agatur. V. g. Gaudium vel alacritas in aliquo bono opere ex naturali dispositione procedit, quod homo existimat à virtute vel charitate prouenire; iracundus enim etsi bono zelo mouetur, tamen ipsi bono zelo miscetur naturalis amaritudo, & aliquando existimat purum, quod mixtum est: lenis enim & comis ex naturali dispositione quam habet, promus est ad clementiã: rigidus ac seuerus ex naturę suæ habitu difficulter exhibet benignitatem. Vnde fit, vt licet habeat plus charitatis in aliquo opere, minus tamen habeat alacritatis, & quod minus habens charitatis in eodem opere, habeat plus alacritatis, hoc fit naturalis habitus varietate. Vnde, cæteris paribus, qui maiori mentis conatu ad aliquod pium opus anhelat, plus meriti comparat. Similiter de deuotione dicendum est, nam si duo æquali suffulti charitate sint, quorũ alter gratia exercendi se in deuotione sit prædituς, alter verò tentatione laboret: vel aduersus aliquam infirmitatem, aut imperfectionem bellum gerat, non minus hic habebit meriti motibus animi & pugnæ conatibus, quàm ille deuotione & mentis alacritate, qua fruitur: imò plus mereri potuit, si legitimè & viriliter certauerit. Nam sæpè vehemens tędium, & cordis amaritudo, vires & virtutes animæ exercet, & non euertit. Siue ergo aliquis acedia laboret, & ariditate cordis, vel tentatione infestetur, siue intima cordis deuotione perfruatur, nõ minus ille in aduerso tentationis statu, quam hic in quieto & securo mereri poterit. Plerumque tamen infirmis deuotionis status solet esse fructuosior, robustis verò

Peccatis alienis non condolere quodnam indicium.

Gal. 6. a.

1. Cor. 13. 5.

& constantibus tentationis occasio siue status plus meriti conciliabit. Hæc Richard. *super Cant. cap.* 18. ibi etiam *cap.* 17. vt discrimen assignaret inter ea, quæ fiunt ex spiritu proprio: vel diuino, hanc apponit doctrinam. Inter spiritum sanctum & proprium cautè debet homo discernere; & seipsum accuratè discutere; cumque ad aliquod opus mouetur, attentè perspicere, an ad illud peragẽdum aliqua impellat humana delectatio, vel vitium, vel tẽtatio. Sunt etiam in anima aliqui motus ex dispositione propria, vel ex causa & occasione aliqua, vel ex curiositate & ambitione, vel denique leuitate, &c. Impetus prouenientes ex vitio vel tentatione omninò cauendi, reliqui tolerandi sunt, atque his benè vtendũ est, ne, scilicet eos sequamur; sed eos à latere assidere patiamur, non damni, sed ministerij causa: videlicet vt ex ipsis maiori mẽtis alacritate ad quodlibet bonum opus peragendum rapiamur; vbi enim nobis naturalia absque alia causa cooperantur, promptior ad ea fit spiritus noster, & alacrius peragit, quod intendit. Cauendum tamen est, ne præcipua alicuius humanæ delectationis causa impellat, nec eum impetum sequamur, licèt patiamur; vbi tamen re ipsa impetum esse Spiritus sancti cognouerimus protinus ad exequendum surgamus. Anima tamen infirma suspecta sibi esse debet, nam cùm imperfecta sit, procliuior est ad impetus sensuales quàm spirituales. Idem *ibidem cap.* 7. perfectè docet, quo pacto consulendus sit Deus in oratione, de totius vitæ dispositione: quomodò scilicet ad interius cubiculum secedendum sit, veluti Moyses ad tabernaculum fœderis, vt Dominum consuleret, de dubijs, de disponenda & ordinanda mentis suæ domo, de gerendis in illa de statu proprio, de fratrum necessitatibus spiritualibus, de dilectione Dei, de amore iustitiæ, de discretione exercendi zeli, de tempore dissimulandi excessus, de compassione delinquentium, de rigore habendo, &c. Idem: Qui ad perfectionem spiritualis vitæ anhelas, cauere debes in primis multitudinem venialium, & minores concupiscentias, cogitationes carnales prauas, & vanas, vt iræ, suspicionis, amaritudinis, & similia. Vitandæ etiam sunt terrenæ consolationes in cibo, potu, & colloquio, in visu & auditu, in curiositate, in vestibus, in somno, in qualibet libertate, nam quanto acrius solatio hæc respuens, & mortificans carnaliter consolari renuit, tanto dulciùs in spiritu merebitur consolari, & diuina foueri gratia. Si enim viuicans gratia reperiat cor liberum ab his imperfectionibus, plenius & veriùs implet. Ad eradicationem superbiæ præsertim totis viribus conandum est. Sed quis occultas eius radices, dulces cogitationes, quibus latenter se insinuat, cognoscere poterit, nisi Deo reuelãte? Hęc quo magis in mẽte dilatatur, eo minus cognoscitur; eius n. copia mens ampliùs atq; ampliùs excæcatur; in verbis, in operibus multipliciter latet, nec satis cognosci poterit, nisi gratia prævia. Ideò hęc fera fugienda est summoperè; nam vel tantillo illius commercio totius cœlestis gratiæ ardor extinguitur.

Inter spiritũ Sanctum & proprium cautè discernendum.

Exod. 33.

Perfectionem impedientia.

Superbia perfectionem maxime impedit.

§. IIII.

Cognitio sui ipsius cœtè plationem promouet.

¶ Bernardus in Opusculo de interiori domo, ita inquit: Ille solus aptus est internæ dulcedinis degustare saporem; silentium internę quietis, gratiam iucundæ contemplationis, qui in sui cognitione diu se exercuit, & longo exercitationis vsu est plenè eruditus. Frustra enim cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum, & perfectè seipsum cognoscendum. Nam priùs necesse est, intelligas inuisibilia cordis tui, quàm intelligere valeas Dei ipsius inuisibilia, quod si te cognoscere nequeas, ne præsumas comprehendere, quæ sunt supra te: nil enim aptius est ad videndum Deũ, quàm rationalis animus seipsum quærens, & plenè inueniens. Quòd si inuisibilia Dei, per ea quæ facta Rom. 1, 20. sunt, conspiciuntur, quanto facilius per imaginem suam conspici poterit, modò illa tersa sit & pura? Terga ergo speculum tuum, si velis videre Dominum. Hoc faciat vetus pœnitens; non cesset quotidie extergere, & custodire speculum hoc, & attentè inspicere; an in eo sit aliquid, quod Deo displicere possit (neque enim minimũ offendiculum tolerabile reputat, siue actionis, siue cogitationis) idq; mox lacrymis compunctionis delere curat. Teneat etiã speculũ hoc, ne deorsum corruat, ac terræ per amorem inhæreat, aut inanium cogitationum puluere sordescat. Custodiat etiam cautè, vt quando ille, cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum, & ad ostiũ Prou. 8. Apoc. 3. stat, & pulsat, ingredi voluerit, mentis receptaculũ purissimum inueniat. Hoc ergo speculo diu diligẽter inspecto (ait cap. 14.) incipit illi quædam diuini luminis claritas infundi, & immensus quidam insolitæ visionis radius cordis oculis apparere: ex cuius luminis visione animus ipse accensus, incipit munda oculorum acie superna & æterna conspicere, Deo inhærere, cuncta quæ adsunt, tanquam non sint dispicere, cunctis affectionibus renuntiare, & totus soli amori Dominico incumbere. Ad tantam gloriæ machinam pertingere non valet mens propria industria; Dei enim donum est, nõ hominis meritum, sed huic gratiæ recipiendæ proculdubio aptus redditur, qui seculi curam abijciens, sui ipsius tantùm curam agit, qui frequenter in se descendens, humiliter considerat, quid ipse sit: diligenter discutiens, vnde venerit, quò tendat, quomodò viuat, quid agat, quid agendum omittat; quantum quotidie proficiat, vel deficiat, quibus cogitationibus plus infestetur, quibus affectionibus sæpius pungatur, quibus tentationibus malignis acriùs impugnetur. Quãtum enim quotidie in tuæ vilitatis cognitione proficis, tantum ad Deum anhelas, altiùs progredieris. Discę ergo in corde tuo habitare, ibiq́ue mansionem facere: si fortè quandoq́ue mentis euagatione inde abstractus fueris, mox ad te redire festina, quod si feceris vsu assiduo, ea mansione oblectaberis, ita vt nil molestius existimes, quàm alibi & extra te esse. Quapropter si fortè senseris cor tuum externis delectationibus affici, & cogitationes tuas morosè in eisdem delectari, celeriter eas à te expellere curabis, nec vnquam sines cor tuum illis patère, sed expulso hoste (ad te rediens, ibi immorare, oblitus omninò externorum, figens omnes motus cordis tui in vno æternæ gloriæ desiderio: quo fiet, vt præ gaudio te capere nequeas, & hoc tramite ad Dei cognitionem facillimè ascendas, totus in ipso absorptus: ita vt nõ te, sed solùm Deum sentias. Non dolebis ob iniurias, ridebis opprobria, damna contemnes, paupertas non erit grauis, mortem denique lucrum reputabis: fiet etiam, vt frequenter rapiaris, mentisq́ue excessum patiaris, à terrenis omnibus penitus liber, ac diuinę pulchritudinis consideratione suspensus. Nil iucundius, si diutius tanta dulcedine frui liceret. Cùm enim mens ibi esse diutius expetit, subitò labitur, & ad se rediens, nemini potens est referre, quæ supra se vidit: sed cognitione suauitatis illecta, miratur eximiæ degustatę dulcedinis suauitatẽ, & cœlestẽ illam mentalis lætitiæ infusionem, incorpoream lucis claritatem, intimæ satietatis saporem, ac denique illius summæ quietis & tranquillitatis arcanũ tacitè secum, & (vt aiunt) in sinu meditari non cessant. Volo ergo, ne deficias, donec in conspectu Regis ipsius perueniat. O felix anima, quæ iam diutur no vsu in prædictis firma effecta, internæ pacis fruitur felicitate; in ea nanque, quæcunque molestiæ, licet grauis-

gratiſsimæ, foris perſtrepant, internæ quietis ſilentium non interrumpunt, totum enim id quod amat, & in quo delectatur intus poſsidet: quod nemo vnquam eripere poterit, licèt caro premat, mũdus trahat, diabolus terreat, dulci tamen intus ſecuritate congaudet: deniq; licèt omni volubilitate mundus circum rotetur, rideat, ploret, emarceat, pereat, ſecura non deſinit eſſe & tranquilla. Ibi *cap. 69. & 70.* Tantũ te in diuina dilectione proficere credito, quãtũ in creaturarum amore defeceris: ideò cum in intimis tuis validiorem aliquã delectationis ac dilectionis violentiam expertus fueris, q̃ nunquam aliàs, attentè inſpicito, an ſit aliquid præter Deum quod te conſolari valeat, & inde intelliges quantos in diuino amore progreſſus feceris. Nam ſi aliqua ex creaturis te delectat, nondum ardentiſsimo illius dilecti amore es plenè imbutus, & ſi eum non ſatagis ad intima tua introducere, quomodò credendum eſt te velle vel poſſe ſequi illum ad ſublimia tua? id eſt, ad theoricos exceſſus. Certiſsimum ergo ſignum tibi ſit, ô anima, quæcunq;, ſit, te dilectum tuum nõ perfectè diligere, ſi ad theoricos illos exceſſus nondum vocaris, vel vocantem ſequi nõ plenè mereris. Quo pacto namque perfectè diligere, vel diligi poteris, ſi ſummo deſiderio ad ſuperna non raperis, & ad anagogicos conatus illos in mentis alienatione non trãſis? Satage itaque Deum tuum ſummè & intimè diligere, & omni temporis articulo ad diuinæ cõtemplationis gaudium ſummo ſtudio anhelare, ad quod ſi Deo dante, aliquando admiſſus fueris, ad illud diuinorum radiorum ſpectaculũ liceat intueri, ô quã intimis deſiderijs, quàm profundis ſuſpirijs, quàm inenarrabilibus gemitibus ad illud contendes? Quã profunda & iucunda admiratione, quam aſsidua memoria illam inſpectam claritatem mente meditaberis, nil aliud verè expetens, ac ardentiſsimè deſiderans, quàm in eam redire? Fieri tamen nequit, ita perſpicuè illã cõtẽplari, vt viſũ perſpexerit: nam nec videndi modum, nec viſionis qualitatem aſſequi valet, ſed per mediam quaſi nebulam aſpicit, & quaſi immemor reminiſcitur, & quaſi non vidẽs intuetur, donec tandẽ iterũ detur à meditatione aſcẽdere ad contẽplationẽ, à contẽplatione in admirationẽ, ab admiratione in mentis alienationẽ. Quã expetibilis ſit contẽplationis gratia, ex verbis ſubiunctis expende: Contemplationis gratia cor ab omni mundano amore non ſolùm emundat, ſed etiã ſanctificat, & illud ad cœleſtium amorem inflammat, & qui diuina inſpiratione & reuelatione ad gratiã contemplationis promotus eſt, quaſi arrhabonẽ illius futuræ plenitudinis accipit, vbi perpetuò contẽplationi inhærere licebit. Per contemplationem, velim ſcias nos ad iuſtitiam erudiri, conſummari verò ad gloriam. Nil denique eſſe poteſt iucundius aut vtilius gratia contemplationis; quanto enim ampliùs in cœleſtium contemplatione delectaris, & ijſdem delectatus admiraris; tanto libẽtiùs in ipſis immoraris; tanto diligentius perſcrutaris; tanto denique clariùs illuminaris: inuenies namque ſemper, & quod admireris, & in quo gratiſsimè delecteris. Nuſquam alibi erit, vel copioſior admirationis materia, vel vtilior delectationis cauſa. Ad hanc gratiam potiùs peruenire poſſumus intima cõpunctione, quam profunda inueſtigatione magis ſuſpirijs quàm argumẽtis; lacrymis quàm ſententijs, oratione quàm lectione celerius denique gratia lacrymarum quàm ſcientia & doctrina literarum.

Profectus in dilectione Dei vnde conijci poſſit.

Contemplationis gratia quam exoptanda.

Quibus medijs acquirẽda.

EX GERSONE DE MYSTICA Theologia. CAP. XII.

Differentia inter cogitationem, meditationem & contemplationem.

GErſon ex Ricardo ſic definit hos terminos. Cogitatio eſt improuidus animæ obtutus circa ſenſibilia, ad euagationem pronus. Meditatio eſt prouidus animæ obtutus in veritatis cognitione ſeu inquiſitione vehementer occupatus. Contemplatio eſt perſpicax & liber animæ intuitus in res ſpirituales perſpiciendas vſquequaque diffuſus, & in diuina ſpecula quaſi ſuſpenſus. Cogitatio igitur vagatur abſque labore & fructu; quia faciliter mouetur huc atq; illuc, quocunq; eam occurrentia obiecta, ſeu phantaſmata ferunt. Meditatio autem, cũ ſit certæ veritatis inquiſitiua, laborat cũ fructu. Experimur enim, quàm difficile eſt figere mentem in alicuius rei conſideratione: præſertim cum nititur ratio rei quidditatem perſpicere ab accidentibus & circumſtantijs ſemotam. Contemplatio circumuolat ſine labore, cùm fructu tamen maximo, non enim moratur inquiſitione, ſed in admiratione. Meditatio ſi debitè fit, tranſit in contemplationem; facta namque ſedula veritatis inquiſitione, denudatis inſuper vehemẽtius ſtudio rerum quidditatibus ab omnib. accidentibus & circũſtantijs, generatur ex ea aſsiduitate quidã habitus, purificatur lumen intelligentiæ, tantoq; fit acutius diuinis ſpectaculis inſpiciendis, quãto à ſenſibilibus cogitationibus eſt liberius. Contemplans enim (vt dicit Auguſt. *de Trinit.*) ſimilis fit homini in excelſi montis cacumine reſidenti, quò nec nubes, nec venti attingunt, ideò ibi liberiùs oculos poterit circumagere, & ad ſerenum Solis iubar extendere, ob cœli puritatẽ & tranquillitatẽ regionis: ita quãdiu menti licitũ eſt in arce intelligẽtię ſine delapſu ad inferiora morari, libero intuito poterit diuinas perfectiones contẽplari. Prætereà ſicut ille qui in excelſo mõtis culmine reſidet, non ſolũ ſuperiora, ſed etiã, quæ ſubtus ſe ſunt, liberrimè intuetur; ita fixa mẽtis acie contemplans, liberiùs & puriùs perſpicit quæ agũtur in potẽtijs ſenſitiuis, & inquiſitionibus rationis, q̃ qui cogitans, ſedet, & meditans; hi enim phantaſmatũ turbulentiã patiuntur, à quibus ille liber exiſtit. Ex his patet, nil eſſe dulcius oculo contẽplationis, eius tamen acquiſitionẽ conſtat eſſe difficillimã. Patet enim, contẽplantis oculũ non ſolũ ſpiritualia & abſtracta intueri, ſed etiã ea, quę in ſenſibus vel vi ratiocinatiua agantur, aliter tamen quàm ipſę vires, ſimpliciter namq; ac quietè, id eſt, facili, ſimplici & acutiſsimo intuitu videre poteſt. Contẽplatores ergo viri habitant in regione æternitatis & perſpicuitatis: poſiti namq; ſunt extra omnem fluctuationẽ, & deſideriorũ confuſionẽ infinitam, & in aurã quãdam libertatis ſerenam euolantes aſſurgunt: quorũ vita nõ minus differt à reliquorum hominum vita, quàm ipſi homines à pecoribus. Illud etiam notandum, quod quemadmodum meditationem ſequitur cõpunctio vel deuotio, ita contemplationem ſequitur extatica & anagogica dilectio, id eſt, ſurſum ducens, & rapiens in diuina. Aliquãdo etiam prouenit ineſtimabilis quædam & inexplicabilis iucunditas, quæ iubilatio dicitur: vnde quidam, & iure, dicunt, contemplationem abſq; ea dilectione, contemplationis nomen non mereri. Sed quæres quid ſit myſtica Theologia? Eſt experimentalis notitia habita de Deo, cum ſupremus appetitiuæ potentiæ apex Deo ipſi per amorem conciliatur: ad quam nemo vnquã peruenire poterit, niſi ſordidis & impuris affectionibus deſiccatus, velut ligna viridia, & aqueo humore plena, quæ ab igne cõburi nequeunt, niſi poſt deſiccationem multis inſufflationibus comparatam. Et Gregor. *in homilia de cæco* dicit: Per pœnitentiæ lamentationes, mentis phantaſmata poſſe depelli. Vnde myſtica Theologia plus manet in affectu quã in intellectu, & habetur excellentior ſpeculatiua, ſicut charitas fide, & dilectio Dei, cognitione ipſius, myſticam Theologiam vocauit inclytus ille Dionyſius, irrationalem, amentem, ſtultam q; ſapientiã,

Theologia myſtica quid.

id est, omnem mentē, rationisq; iudicium transcendentem. Quamdiu aqua friget, intra sese continet; cū autem feruescit & ebullit, videtur quodammodò seipsam non capere, sed ascendere, & sursum ferri virtute caloris: non aliter anima quamdiu diuino amore non æstuat, intra sese continet, sed spiritu amoris incalescens seipsam potenter superegreditur, quasi supra se volitans. Anima enim radijs purę contemplationis aspersa, tota amore liquescit, veluti speculum concauum, si radios Solis accipiat apposita fomenta comburere solet. Si brutum animal delectabili potiatur obiecto (vt equus gramineo campo) sensitiuus appetitus iubilat, & totus sese diffundens dilatatur: ita etiam intellectus contemplantis si Deo ipso fruatur, miro gaudio exultat affectus. Ad Theologię mysticæ perfectionem comparandam non opus est maxima eruditione in scholis acquisita, non enim illa comparatur nisi in schola affectus & amoris, vehementisque exercitij in actionibus moralium virtutum, quibus affectiua pars purgari solet, quę si purgata est, & exercitata, satis est, si intellectus proponat Deum esse totum desiderabilem & amabilem: vnde fit, vt in ipsum vehementi amore rapiatur. Bernard. hæc scribit *ad fratres de Monte Dei*. Multi fuere perfecti in Theologia mystica absque speculatiua, nunquam tamen Theologus aliquis speculatiuus tantùm culmen perfectionis est adeptus. imò nec perfectus extitit in ipsa acquisita Theologia, sine mysticæ: hoc autē ideò fit, quòd nunquam alicui licebit Apostoli aut Prophetæ verba intelligere, nisi scribentium plenè imbiberit affectum. Quomodo enim poterit aliquis perfectè concipere, quid sit libertas filiorū Dei, aut dulcedo diuini amoris, si eam nunquā experiri licuit? esto de ea acutè disputet. Contingit nanq; persępe cæcū, qui aliquando de coloribus loqui audiuit, de illis acutè & disertè disputare, quanuis eorū nullos proprios cōceptus in corde scripserit. Sublimis hæc sapiētia humilibus, quantumuis simplicibus, manifestari solet, occultari verò superbis & carnalibus, licèt eruditissimis, alioquin sanctum daretur canibus. Quod vt facilius pateat, vtamur exemplo. Si pater quidam plurimis clarus virtutibus duos haberet filios, quorum alter curiosè de affectionibus, verbis, & operibus paternis inquireret, vt in suis actionibus patri per omnia similis fieret, nihilominùs tamen patrem ipsum non diligeret: alter verò placidi & simplicis ingenij, qui de patre suo nil quærens, nil interrogans, nisi quo pacto illi placere possit, & in omnibus obedire; nonne hunc simplicem pater ardētius amabit? arcana sua committet? hæreditate donabit, abdicato rebelli & curioso? Sic in prædictis. Theologus enim speculatiuus dumtaxat, assimilatur musico peritissimo speculatiuo, in vocali cantu, aut instrumenti pulsatione nunquā exercitato, imò habenti raucam vocem, & instrumenta dissona, id est, carnē rebellem, vacuam habitu virtutum, & spiritui dissonam, ideò spiritus nequit vti scientia acquisita, ad hoc vt opere exequatur quæ nouit. Hæc cordi nunquam tranquillitatem præstabit; non enim oculus visu, aut auris auditu satiatur; in ea quam plurimi docti asseruere, hoc vnum scire, se nihil scire: cor enim horum quatuor perturbationum ventis quasi mare agitatur, scilicet, spe, timore, tristitia, gaudio. Vnde Poëta.

Perfectio Theologiæ mysticæ vbi acquiratur.

Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent, gaudentque.

Quod Ecclesia lamentatur dicens: *Confusa sunt hic omnia, Spes, metus, mœrorq;, gaudium.*

§. I.

Amoris proprietates tres.

¶ Quando autem mysticæ Theologiæ tota substātia in dilectione consistit, ipsa res videtur exigere, vt aliquid de amoris dicamus proprietatibus. Amor enim rapit, vnit, satisfacit. Est autem raptus, vehemens eleuatio, fortisque actuatio superioris potentiæ: tunc enim cessant operationes inferiorum potētiarum, vel saltem ita debilitantur, & languescunt, vel vt superiorem potentiam in suis actionibus nequaquam impediant, aut remorentur. Extasis autē, quæ propriè ad solum pertinet intellectum, fit, quādo intellectus ita in sui ipsius actu suspēditur, vt potentiæ inferiores etiam eadem ratione penitus ab actionibus suis cessent: & euenit raptus, tam in potentijs cognitiuis, quàm in affectiua. Nā rapitur aliquādo vis imaginatiua ita super vires sensitiuas & exteriores, vt ipsæ nil curare videantur, & reipsa non curent, propria obiecta illis præsentata: vt patet in melancholicis vehementibus, in amantibus: & regulariter vehemens aliquis amor, aut alia animi perturbatio raptus huius solent esse causa. Ratio etiam quandoq; rapitur supra sensus: quod fit, quando aliquis ex vehemēti affectu seu appetitu vacat perscrutationibus quidditatum, aut veritatum abstrahentiū à motu & materia, & conatur ex notis ignota ratiocinari. Euenit enim sæpissime, vt is, qui rapitur, non solū cesset ab operationibus sensuum exteriorum: ita vt omninò ignoret quid extra fiat, sed etiam virtuti phātasticę ac imaginatiuæ actio sua penitus denegetur: adeò vt phantasma nullum irruere valeat, aut si irruat, non rationis volūtatisq; superioris virtute prematur. Patuit hoc in quibusdam, de quibus apud Valerium Maximum nota est historia. Fit etiā raptus in simplici intelligentia, non solū supra omnes vires sensitiuas, sed etiam super omnem ratiocinationem, quod cōtingit, cum apex mentis ita fortiter actuatur in simplici intuitu alicuius intelligibilis spiritualis, præsertim Dei, vt omnem aliam cognitionē extinguat, ac sopiat: dicitur hæc anagogica ductio, & mentis excessus, mors animæ viuente spiritu, mors Rachelis in partu Beniamin: & huiusmodi raptus fit solùm erga Deum, ex raptu affectus ad eundem. Rapitur nanque cor amans à Deo non aliter quàm ferrum à magnete. Quidam præterea dicunt, aliquando rapi affectum supra intellectum, fingentes amorem absque cognitione. ¶ Secunda amoris proprietas est vnio amātis cum amato, id est, amans omninò transit in amatum; ita vt in eo viuat. Nam cùm similitudo sit vnionis caussa, spiritus autē à sensibilibus affectionibus defœcatus, existat Deo similis, aptus redditur, vt Deo vniri valeat, in ipsumque transire, secundùm quandam ineffabilem similitudinem. ¶ Tertia proprietas est satisfactio, & animæ amantis plena quies: amor enim illi sufficit, nec quid quam aliud quàm amare curat. Huius plenæ quietis mentalis caussa in prōptu est, nam cùm omnia quiescant in sua perfectione, perfectio autē animæ in eo existat, vt summo bono vniatur, summoq; suo perfectibili, igitur. Est enim Deus animæ centrū qui cum in eo sit, quid vltra requiret? Manet igitur plenè satisfacta & delectata, summi boni adepta vnione. Aduertendum est etiā, hunc vnitiuū amorē, qui experimentalis Dei notitia dici solet, esse omninò perfectum, q, sic patet. Oratio est eleuatio mentis in Deū, ergo perfecta, oratio erit perfecta eleuatio. Hæc autē non fit, nisi amoris ac desiderij vehemētia, licet orans non intelligat se tunc aliquid postulare. Vnde B. Antonius dicebat, eum, qui perfectè orat, non intelligere se aliquid petere: nō enim orans supra se reflectitur, non cōponit aut diuidit, sed puro simpliciq; amoris actu soporatur, cum Propheta dicens: *In pace, & in idipsum*, &c. & hæc est plena pax, ac summa vitæ huius felicitas, q̄ omnē sensum exuperat. Enitamur ergo in hac mysticæ Theologiæ, orationisq; perfecta schola proficere, cùm hæc sit, quæ Deo gloriā reddere, & cum eo amicitiæ legē (scilicet,

1. Raptus & quid.

Extasis quid.

Gen. 35.

2. Vnio.

3. Satisfactio.

cet,idem velle,& idem nolle)seruare sit solita.Hæc purgat, illuminat, ac perficit animam, delectat, satiat,stabilem reddit,iuuat proximum, non vnum aut alterum, sed mysticum totius Ecclesiæ corpus viuifico quodam nutrit influxu,& capacissimo maternæ beneuolentiæ sinu omnia Ecclesiæ membra, suaque opera complectitur,ea Deo offerens, & pro his supplicans,ac postulans,tanquam sequestra gratissima pro indigentijs inopum spiritualium subleuandis,& pro eleemosynis gratiarum quærendis,ac impetrandis,his,qui in miseranda seculi huius colluuione morantur.Hoc enim præcipuum orationis munus & officium est.

QVAEDAM MEDIA PERVENIENDI ad hanc Mysticam Theologiam,ex eodem.

CAPVT XIII.

IN hac mystica Sapientia ordinatè procedendum est.Primò nanque timore tam seueri Iudicis concuti debemus.vt ex intimo cordis affectu clamemus.*Rugiebam à gemitu cordis mei: Quis nouit potestatem iræ tuæ? Si iniquitates obseruaueris Domine. Non intres in iudicium cum seruo tuo. Domine ne in furore tuo arguas me.*Proficientes amore mercenario alliciuntur, expectantes à patre misericordiarum & liberalissimo Rege cœlesti præmium, dicentes cum filio prodigo;*Pater peccaui in cœlum.*Perfectè verò viuentes non seruili aut mercenario, sed verè filiali amore in Deum tendunt,dicentes: *Quid mihi est in cælo,& à te quid volui super terram? Defecit in salutare tuum anima mea.* Oportet deinde corporis propriam complexionem perfectè nosse, anima enim vt plurimum in suis functionibus corporis sequitur complexionem.Sunt namque quidam naturæ adeò rapidæ & inquietæ, vt contemplationis otium ferre non possint , aut molestissimè ferant: quod hi qui mitioris ingenij & tranquillioris naturæ sunt,placidissimè patiuntur.Primos B. Gregor. 6. *Moral.*mittit ad actionem,alios verò inuitat ad contemplationem. Horum præterea qui ad contemplationis habitum proni sunt,quidam eò ascendunt per irascibilem,id est,per compunctionem, ac detestationem propriæ voluntatis, & flagitiorum, &c. Alij per rationalem,scilicet,cogitantes, & assiduè præ oculis habentes; quam æquum, quamque decorum sit rectè viuere, Deo inhærere. Alij verò per concupiscibilem, id est, per amorem, cõsiderata erga nos Dei dilectione,beneficijs vnicuique collatis.Hæc autem ascendendi via efficacior est, & propria eorum,qui sunt mitioris & placidioris ingenij, & cordis ad amandum propensioris,quale est fœminarum genus, quæ ideò dicuntur deuotus sexus. Qui denuò velit gratiam contemplationis assequi, debet,quoad fieri poterit,ab occupationibus omnibus exterioribus liber esse.Nam quamuis B.Gregorius dicat præfectos religionum esse debere præcunctis in contemplatione frequentes, hoc de illis intelligendum existimo, qui ante præfecturam non paruos in contemplationis habitu progressus fecerunt.Nam eam tunc denuò,cùm in magistratu sint, acquirere,cùm necessarium sit,subditorum commodis inuigilare,nisi maximo Dei munere foueantur, fieri non poterit, Dicit ibi Gerson. In ecclesiasticis præsertim religiosis,qui in otio sunt, & ad contemplationis gratiam procurandam, & ad eam acquirendam in schola deuotionis & orationis educantur, huius gratiæ omissio iure culpanda est. Reddent enim rationem talenti sibi commissi, quod abscondunt.Addit etiam,huius omissionis reos esse tam viros quàm fœminas seculares, quibus per otiũ licuit,ingenio & instructione se totos in Deum cõuertere, & in affectum bonum transire, nec tamen id curauerint,dicentes: Nolo ad summa contendere,nolo merita Apostolorum æmulari, placet per planiora incedere,humilioribus contentus ero. Hi pusillanimes habendi sunt,non attendentes, maximum esse imperfectionis argumentum, nolle esse perfectum & ad perfectionis culmen non ardentissimè anhelare. Si enim opulentissimus paterfamilias filium haberet,qui piger ac iners domi sedens, nihil aliud curaret,quàm sordidè viuere: nil altum, nil dignum ingenio suo,aut paterna dignitate cogitaret,cùm tamen pater illum studiosè ad sublimiora stimularet:cui non liquet ea viuendi inertia filium parenti odiosum fieri?Hæc Gerson *opuscul.de Mystica Theolog.practic.considerat.4.* Quærit præterea ibi Gerson,an perturbet deuotionem internam,excessumque mentalem vocalis cantus Ecclesiasticus; quod re ipsa verum esse videtur & experientia testatur.Si quis obijciat,quo pacto quæ statuta sunt ab Ecclesia, internam pacem interturbare valeant: Huic respondendum videtur, id propter homines imperfectos mente interim occupandos, qui adhuc non possent quietè altiora meditari,institutum esse, non autem propter spirituales & perfectos viros, qui rari sunt:hi enim:vbicunque sint,ab eo occupationis iugo quoquo modo fieri possit, in benè ordinatis congregationibus releuandi & eximendi sunt. Et si obijciatur,Augustinum vberrimè fleuisse, cùm cantus Ecclesiasticos audiret:respondeto, illum audientem fleuisse , non tamen de eo scriptum esse, quòd cantauerit.Fatemur tamen aliquibus diuino munere concedi mente simul & ore iubilare, quod maximæ felicitatis esse reor:idque vt assequi valeas necesse est ante orationis tempus , quæ depromenda sunt meditari.Proderit etiam,ea,quæ recitantur vel canuntur,non tam subtiliter cognoscere,quàm affectuosè & cùm maxima cœlestis saporis exultatione ruminare.Sæpe enim euenit,vt vbi minus cognitionis,ibi plus affectus existat, nam dilectio penetrat, quò cognitio non admittitur.Imitare ergo gaudentes ad tympani sonitum,& cùm dixeris, *Pater noster*,transito mox in huius Patris affectum,si hæc non potis es perficere,id est in causa,quòd amorem tuum effuderis,atque aliò dispserseris. Exemplo sint arbores,quarum humor nutritiuus,qui ad arboris cacumen & ramorum proceritatem ducendus erat, si cortex ex vulnere fatiscat, defluere maximo ipsius arboris detrimento solet : sic amor, humor animæ nutritiuus,qui sursum ad eius alimentum ducendus erat,vt cœlestia cogitaret, per infima defluit, dum affectionum terrestrium vulnere laceratur:cor fatiscens erga terrestria,effundit amorem,quem ad cœlestia euolare decebat.Hic est turpis ille viscus, quo illitas habemus cordis ales,ne altiùs euolemus.

Psalm.37,9. Psalm.89,11. Psal.12, 93. Psalm.142,2 Psal.6,1.

Luc.15,21. Psal 72,25. Psal.118.81.

Tria contemplantium genera.

Contemplationis gratiã assequi cupienti quid faciendum.

§. I.

¶ Curiositas etiam maximum solet esse impedimentum,ne ad sublimia contemplationis studia ascendere liceat,id est,si homo ad eam tendit animo. vel causa eam experiundi,aut vt alijs eius sublimitatem valeat ostentare,& non potiùs,vt inde sibi vilior & abiectior fiat,visa perspicaciùs ipsius indignitate,& recogitata diuinitatis plenitudine, vt inde aduersus tentationes robustior,& in currenda mandatorum via alacrior appareat.Audi quid dicam,& audiens contremisce, aliquando seruis nequam & filijs infidelibus exhibet cœlestis Pater panem filiorum,& satiat eos adipe spiritualium consolationũ, veluti Princeps,qui damnato ad mortem, iam iamque ad supplicium destinato,mittere potest pretiosum ferculum de mensa sua,quod filio suo, cui regnum seruat,dare negligit.Habeto ergo pro certo,in sola charitate esse regnum Dei, gratiam autem cõ-

Vocalis cantus Ecclesiasticus an cõtemplationẽ perturbet.

Curiositas contemplationis impedimentum.

templationis inter cæteras gratias gratis datas cõputato : similis est prophetiæ, quæ peccati consortium patitur. Sed licet hæc omnia ita sint, nihilominus debet homo ad hanc contemplationis gratiam anhelare, plantans, & rigans, ac incrementum à Deo humiliter expectans. Ideò quando algido rigore torpescis, quandiu in corde tuo ignis ille, quem expetis, non exardescit, necesse est insufflare lectione, meditatione, oratione, donec scintilla deuotionis vel leuis eluceſcat, quæ tametsi non suboriatur, non vacabis mercede, aut operam perdes in conspectu illius, qui laborem & dolorem misericorditer considerat. Defle humilibus lachrymis frigiditatem, ac animi duritiam dicens: *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.* Quod si Deus benedictionem dulcedinis immiserit, summoperè curabis seruare, ac tueri partum & accensum ignem sub cineribus humilitatis, ne arrogantiæ flatu euanescere possit. Insuper excitabis te nunc compunctione cum tremore, conferens infirmitatem & indigentiam tui ipsius, potentiæ ac opulentiæ Dominicæ, nunc admiratione cum stupore, cogitans qua iustitiæ distributione hos ad gloriam, illos ad gehennam reseruet: quomodo multa deneget gratis, quæ ingratis præstare soleat: quo pacto plures saluandos per totum vitæ tempus in sceleribus sustineat, vt latronem, & in æternum damnandis gratiarum ac vitutum gratiam impertiatur, vt Iudæ. Quandoque animi exultatione cum iucunditate, considerans ineffabilem Dei benignitatem dulcissimam.

Contemplatio quibus mediis sascitanda.

Psal. 37. 7.

Docet præterea Gerson vnicuique liberum esse eligere tempus, locum, situmque corporis, quæ aptiora sibi visa sint ad facillitatem contemplationis assequendam. Sed vt loquamur (inquit) in genere, illa videtur gratior contemplationis hora, quando cibus digestus, & concoctus est, & humanæ curæ sepositæ, quando obseruator adest nemo, qui amaros mugitus, gemitum lugubrem, suspiria ex imo pectore edita, qui prostrationes humiles, madentes oculos, faciem nunc pallore, nunc rubore suffusam, crebras pectoris tonsiones, fixa denique terra vel altaribus oscula, notare possit. Quantum verò ad situm corporis attinet, ille videtur eligendus, qui mentis quieti aptior videbitur, vt quiescere, & sedere: non enim valet animus in pace sua satis stabiliri, nisi corpus in eodem situ fixum manere didicerit. Locus etiam sacer, præ cæteris commodior est, & alicuius celebritatis tempus aptius ad fluenta cœli recipienda, quasi Domino dicamus, *In die bona venimus ad te.* Vnde Ecclesia hodie per vniuersum orbem canit: *Melliflui facti sunt cœli.*

Tempus contemplationi optissimum.

Locus.

1. Reg. 25, 8.

§. II.

¶ Notandum insuper, quòd licet perfectis viris, qui vtroque (scilicet prosperitatis & aduersitatis) tempore vti nõrunt, & ijs quasi habentibus arma iustitiæ à dextris & à sinistris, vtrumque tempus aptum sit contemplationi, quòd horum mens fixa semper maneat in centro æternitatis, sitque velut axis, circa quem decurrere liberè possit temporalitatis rota, aut veluti acus quæ magnete affecta, semper se ad polum dirigens: nunquam ab eo deflectit: incipientibus tamen, & proficere cupientibus, experientia ipsa cum scripturarum authoritate testatur, commodius esse aduersitatis tempus, dummodò ipsa moderata sit, & rationis iudicium integrum custodiat, & in qua Dei munere patientia prouentum operetur. Compellit nanque eos aduersitas à terra eleuari, iuxta illud: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Similis eo temporis siũt columbæ rationali, quæ cùm non inueniat, vbi figere valeat pedem desiderij, ad arcã contemplationis reuertitur. Et ipsa arca, crescentibus tribulationis aquis, sursum tollitur. Præterea, aduersitas est quædam antiperistasis spiritualis, quæ contrarium fortificat, est cos ferrum exacuens, est absynthium pueros ablactans, auellensque ab vberibus, malleus dilatans, & extendens, iuxta illud: *In tribulatione dilatasti mihi.* Hæc est lima poliens, æruginans, clarificans, fornax in quo aurum purgatur, vt rutilet ac dicat: *Domine si sic viuitur:* Et, *Ingrediatur putredo in ossibus meis.* Circa temporis refectionem, dicit. Quòd cùm in studio perfectionis inchoandæ vehemens ac assiduus mentis labor requiratur, ac proinde vitales, animalesque spiritus decrescant, crebriori per potum & cibum reparatione vti necesse erit: alioqui si corpori contemplationis frequentia exhausto, ieiunia indiscreta adhibeantur, quid nisi dissolutio breuis, aut grauissima ægritudo subsequetur? Atque ita volens sapiens fieri, insipiens fiet in iudicio rationis. Medicorum enim & Theologorum communis hæc est sententia, plus ieiunium indiscretum lædere, quam edulium intemperans, nam hoc sanabile est, illud sæpe sine remedio: quanquam natura paucis contenta est, nisi blandiatur sibi gula. At cùm hîc præfinita regula tradi non possit ob cõplexionum, ac valetudinis varietatem, recurrendũ est ad humilem discretionem, & ad longam sui ipsius experientiam, quibus ducibus, à vera via deflectere non poterit, meditationibus pijs, & quæ pios affectus producant insistendum est, si ad contemplationis gratiam expetis peruenire. Falluntur namque qui ad eam consequendam spirituales libros semper legunt, aut vocaliter orant: prosunt hæc certè, non tamen sufficiunt, nam hî conqueruntur discentes, non posse colligere spiritum cum meditatione, ex silentio. Fateor non parum ibi laboris esse, sed ad superandum, summo studio est annitẽdum: vincat tædium tuum mora pertinax: persiste in silentio, nè statim ad recreationem lectionis recurras, ne consuetudo rumpendi silentium, pabulum fastidio subministret. Vnde, proh dolor (inquit Gerson) tanta contemplationis raritas apud Theologos & Religiosos, nisi quia vix est vnus, aut alter, qui solus manere, solusque secum diu meditari velit. Nam vix incipit animus meditationi vacare, cùm ea dimissa, lectio repetitur, aut colloquium, aut aliquod aliud exercitium, quod lassitudinem contractam reficere possit. Dicet horũ aliquis fatigari se frustrà in ea meditationis apprehensione, quod nequaquã credendum est: non enim obliuiscetur, aut non respiciet Dominus perseueranter petentem, quærentem, & pulsantem. His nanque meditationibus affectiuis, ac aspiratiuis vtendum est, ad mysticam Theologiam assequendam, quæ nil aliud est, quàm amor extaticus consequutus puram spiritus intelligentiam, à nubibus phantasmatum depuratam. Methodum autem, qui seruandus sit vt à phantasmatibus abstineamus, donec in diuinam caliginem, vbi Deus agnoscitur, peruenire possimus, tradit D. Dionysius dicens: Quemadmodum sculptor format pulcherrimum simulacrum, abradens partes ligni aut lapidis, ita remouens omnia per abnegationem, omnia, inquam, quæ imperfectionem, dependentiam, priuationem, aut mutabilitatem includunt, liberè formare poterit DEI ipsius notitiam, tanquam rei actualissimæ: ex qua notitia extaticus ille amor, qui experimentalis Dei notitia dicitur, prouenire solet. Si verò te adhunc caliginosum montem & clarissimum ascendentem, phantasmata turbida inuadant, vel fortiter ea abigito, aut certè spretis illis, perge quò pergis, ac per medium improbum illud agmen alacriter erumpito. Stimulet te in eo conflictu illius viui fontis ardentissima sitis: similis

Perfectis tempus & prosperum & aduersum contemplationi commodũ.

Imperfectis verò aduersitas.

Psal. 114. 4.

Iciunia indiscreta vitanda.

Contemplationem quæ promouenda.

Quomodo meditandũ.

Theologia mystica quæ.

Quomodo mens à phantasmatibus expurganda.

esto

esto ceruo incalescenti, & canum morsibus fatigato, ad fontem frigidum & purissimum currenti. Igitur athleta Christi primò pœnitentiæ lima, vitiorum rubiginem & externas affectiones studiosè extergito, lacrymis abluè Christi pedes, deindè manus eius osculare cum gratiarum actione, meditatis diligenter beneficijs tibi collatis, tunc licitum erit ad oscu-lum oris accedere.

§. III.

¶ Postquam igitur mens sibi benè conscia, ac plenè munda extiterit, id est, quæ iam nec gaudia, nec aliud omninò seruile, vel mercenarium, anxia recogitet, neque de Deo durum aliquid, aut asperum existimet, sed in solo Deo defixa maneat, quòd totus & solus desiderabilis, suauis, & mitis sit, amarique dignissimus: tunc licebit volare ad sponsi amplexus, oscula castissima figere pacis omnem sensum exuperantis, & dicere sibi ipsi gratulabunda, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Habet autem Sponsa hæc binos oculos, alterum intelligentiæ actualis, alterum verò amoris, & hic est proprius Sponsæ, de quo scriptum est, *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Fit etiam aliquando, vt dum anima in dilectum oculo amoris feratur, si tentet intelligere, aut scrutari, quid sit illud quod diligit, euolet dilectio illa: idcò enim dicitur dilectus euolare. Vnde dicitur Sponsæ: *Auerte oculos à me, quia ipsi me euolare fecerunt,* id est, ne cures aperto suauissimæ coniunctionis oculo, vti etiam oculo scrutantis intelligentiæ, cessabit enim subitò dulcissima consuetudo, qua prius fruebaris. Hæc mystica sapientia, quam Dionysius propriè Christianorum vocat, citiùs ac sublimiùs idiotis simplicibus, qui nil aliud quàm salutem in timore & tremore curant, quàm eruditis Theologis conferri solet, nisi & ipsi toto mentis affectu humiliati studeant. Vnde quidam (ait Gerson) dicere sæpe solitus erat: Ego licèt per quadraginta annos in summo otio vacauerim lectioni, orationi, & meditationi, tamen nil efficacius & ad consecutionem mysticæ Theologiæ compendiosius inuenire potui, quàm si spiritus noster fiat coram Deo, tanquam paruulus & mendicus spiritualis, cùm & ipse DEVS, paruulus datus sit nobis. Facillimum esse medium, vt ad eam perueniamus, sacræ communionis frequentationem, si modo vitam, & vitæ mores, huic Sacramento componere non omittamus, affirmat Gerson. Meritò, inquit Gregor. *in homil.* amor ille habendus est cognitio quædam, est enim intima Dei sensatio, & altior, quàm ipsa Dei apprehensio, seu speculatio. Nam amantes spirituali quodam tactu, gustu, olfactu, tangunt, gustant, olfaciunt Deum (quod tamen non licet speculantibus) ac proinde dicuntur certo modo videre Deum: communi enim vsu sensationem omnem, visionem dicimus: quotidianus hic sermo est, vide quam hoc sapiat, oleat. Cùm ergo ardenter amantes Deum intimè sentiant, vt dictum est, meritò Deum videre dicendi sunt: similes namque fiunt paruulo matrem amplexanti, vbera sugenti, qui plerumque nil videt, aut audit, aut saltem se videre & audire non iudicat, experimentali solùm delectatione, & lætitia occupatus: par est affectualis cognitio Theologorum mysticorum delitijs affluentium super dilectum suum. Vt autem plenè intelligas quid discriminis sit inter mysticos Theologos, simplices & idiotas, ac scholasticos, licèt doctissimos, inexpertos tamen mystica, audi aptissimam Gersonis similitudinem. Fingamus duos esse homines, quorum alter in duplici sensu, visu scilicet & auditu, sit acutissimus, reliquos verò tres sensus obtusos habeat, & heberatos: alter verò cæcus & mutus existens, gustum, tactum & olfactum, viuacissimos habeat, & expeditissimos: in confesso est, hunc longè maiores sensuales delectationes illo posse percipere. Non aliter Theologi speculatiui, deuotione vacui, visu & auditu spiritualibus pollent, cæteros tamen sensus, ad cœlestes delicias ineptos habent: è contra simplices, deuotione fruentes, vigent prædictis tribus spiritualibus sensibus, quibus, quamuis ad scholasticas considerationes sint cœci, & surdi, plus obiectantur in Deo, quem solum desiderantes, amando olfaciunt, gustant, & amplexu tangunt. Datur tamen nihilominus aliquando illis ad quandam puram ac lucidam diuinæ veritatis inspectionem peruenire, quod rarò contigit, &, vt inquit Augustinus consonans Platoni, & eius sectatoribus, non nisi raptu, quodam coruscationis more, à paucis percipitur. Contemplationis altitudini inepti sunt homines in feruore passionum detenti, quæ nisi frænentur, non solùm inutiliter & arroganter, sed etiam in maximam sui perniciem, homo eam quæreret, vt ex vitis Patrum apertè constat. Hæc Gerson. *lib. de perfectis Religiosis.* Horum contemplatio, vel meditatio, iure assimilari poterit volatui passerculi tunc primum de nido exeuntis, qui præ alarum imbecillitate saltitans volat, cunq; volare nequeat, in lutum decidit, quod nisi priùs excutiat, & exsiccentur madentes alæ, neque iterum saltitare: non aliter hi cùm altiùs euolare velint, præ passionum multitudine, rursum in terrenas labuntur cogitationes.

Cant. 2, 16. Oculi duo Sponsæ.

Cant. 4, 9.

Cant. 6, 4.

Simplices & idiotæ Theologia mystica aptiores.

Communionis sacræ frequentia efficacissimum medium ad extaticum amorem assequendum.

Differentia quæ inter Theologos mysticos & Scholasticos.

EX BONAVENTURÆ *Amatorio.*

CAPVT XIV.

MIrandum est qui fieri possit, vt talem non diligas Dominum, qui te non pecus, non insensibilem creaturam finxerit, sed eum, qui factorem tuum intelligere, amare, eoque perpetuò frui posses: qui te adeò dilexit, vt quãuis multa aduersus illum facturus esses, te tamen fingere non destitit: cumque ob crimina commissa, & beneficiorum ingratitudinem, dignus esses destitui, te tamen misericorditer expectat, non vltionem meditans, sed tui ipsius emendationem. Singula corporis tui membra, singula Domini sunt beneficia: si oculum amisisses, quanti faceres eum, qui tibi illum reddidisset? si dignus esses amittere, quàm meritò diligeres eum, qui tibi illum inuiolatum seruasset, sic de alijs membris: idem de potentijs animæ: si vsum rationis amisisses, quam venerãdus tibi esset medicus, cuius ope resipuisses? vide ergo & attentè considera, quantis Domini beneficijs sis deuinctus, cui te ipsum debere fatearis neceesse est. Cur non diligis, cùm nil iustius, nil salubrius, nil vtilius, nil dulcius sit, quàm illud diligere? Si parentem humanum, æquum est diligere, quid de Creatore censendum est? Creatus est Adam, non solùm ad imaginem naturæ, sed etiam ad morum similitudinem: pollebat namq; diuinis moribus, iustus, bonus, benignus, mitis, patiẽs, mundus, & misericors erat. Heu quàm dolendum est, ab hac morum similitudine, in morum irrationalium similitudinem, miserè delabi. Coniunxit Dominus mirabiliter in Adæ creatione limum terræ spiritui vitæ & intellectus, luto mentem rationalẽ: vt ab ipso tui opificio, humilitatẽ simul disceres, & magnanimitatem: & vt per sensus exteriùs, eius opera videns, intellectu interiùs illius sapientiã perspiceres. Præterea cũ exteriora instabilia sint, & caduca, missus est homo, ab exterioribus ad interiora redire, nec ibi morari sed ab interioribus ad superna ascẽdere: ideò vę miserę animę, q̃bonis exterioribus delectata, ibi requiit, nec altiùs voluit euolare. Vita

Amoris incantina.

animæ, eiusque sacietas, nulla alia, quàm Deus est, quandiu eo amore orbus exiſtis (ſecularibus rebus intentus) non viuere potes, aut quiescere, quin potius desiderijs æstuas ac fluctuas: absque amore nemo esse potest, ideò non quiescis, quòd verum amorem inuenire non valeas. Si perfectè nosses mentis tuæ decorem ac pulchritudinem, quamq; omnium visibilium pulchritudinem excedat, erubescendum tibi esset, si crederes visibile aliquod dignum esse amore tuo: nunc autem cùm faciem & vultus tui interni speciem inspicere nequeas, admiranda tibi videntur externa: imagines namque ab imperfecto opifice depictas ille admiratur, cui peritissimi pictoris absolutissimas videre tabulas nunquam licuit. Væ tibi, miserrime, qui tibi tantam facias iniuriam, amore tuo indigna diligens, & amorem tuum, sublime donum, cuilibet fragili rei prostituens, cumq; amoris ardore æstues, ignescas, fomenta quærens, materiæ illi ardorem amoris apponis, quæ fumum, & fœtorem, non lucidam flammam producere possit: vnde cùm amoris natura ea sit, amantem in amatum transformare, is plenè efficeris, quale est illud quod amas. Igitur anima cum sis pulchra, pulcherrimum diligito Sponsum, qui te prior dilexit: tu ab illo visa, eum nondum vidisti, quem si semel vidisses, nil esset iucundius quàm illum diligere. Habes præterea ab eo iam amoris arrham, nempè Vniuersum totum in tui obsequium conditum, omnia seruituti tuæ deuota sunt, ad id gignuntur, ob id assiduè conseruantur: donum patet, largitor occultus est: beneficium accipis, authorem non nosti: vilitatis tuæ hoc certissimum est argumentum, mundum tibi deditum tibi seruientem, acob id amore tuo indignum, in amoris tui societatem indignè recipere. Quid inquam totum mundum, imò & minimam ipsius particulam (vt aurum, aut vnius mulierculæ carnem vilissimam) nec specie pulchram, nec vtilitate necessariam, nec quantitate magnam. Nam si DEVM temporalium rerum causa diligis, iniurius illi es (vt inquit Augustinus de ciuitate Dei) contumelioſus enim est Deo is amor, quia propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Id namque est vti Deo, & frui creatura. Quid vilius, quam pluris facere dantis munera quàm datorem ipsum? Plus munusculum attendere, quàm dantis affectum? Quomodò dignus Deo esse poterit, qui illum non propter se, sed propter alia diligit? Si fœmina pulchra, quam ardenter amares, plenè intelligeret, non propter se diligi, sed alicuius externæ rei, vt diuitiarum causſa, nonne iure tibi redderetur infesta? Dedit Dominus multa communiter in genere, dedit multa specialiter, multa singulariter: communia, vt astra, elementa: quòd autem hæc non tibi soli, sed alijs tecum contulerit, id fecisse solaminis tui causa, credito: nam si solus in mundo esses, quo pacto mũdo frui potuisses? Hæc igitur communia gratissimo animo recipe, & gratiori, quam si solus acciperes, cùm id fecerit, vt inde tibi maior accrescere posset voluptas. Nunquid paterfamilias multis prædijs & diuitijs affluens, solus panem suum comedit? vinum suũ bibit? vestimentis suis vtitur? aut igne suo solus calefit? aut solus habitat domi suæ? hæc tamẽ omnia eius dicuntur. Totus ergo mundus suis distinctus vicibus, tuus est, licèt tecum serui tui, scilicet, iumenta, & homines eo potiantur. Multa etiam specialiter tribuit cum alijs hominibus. Sed fortasse obstas dicens, quàm plurima mihi data, scelestis etiam atque improbis impertiri solet. Attende, malos bonorum causa conseruari, quemadmodùm iumenta propter vsum hominum. Omnis enim malus (inquit Augustinus) aut ideò viuit, vt corripiatur, aut vt per illum bonus exerceatur: vnde inferto, malos tuę vtilitatis causa permitti. Datur etiam tibi materia gratiarum actionis, cùm alios per vitiorum abrupta in præceps ire, te verò in salutis statu manere videas. Si bona huius seculi non essent communia vtrisq;, sed solis bonis propria, qui fieri posset, vt boni crederent sibi longè altiora bona seruari? Societatem ergo malorum, ad exercitium, bonorum verò ad solamen tibi datam exiſtima: quorum in virtute progressibus tanquã proprijs delectatus, suauissimũ charitatis gaudium comparabis. Spiritualis namq; amor tunc vnicuique singulariter fit magis proprius, quando pluribus est communis, nec plurium participatione minuitur, cuius fructus, vnus & idem, totus in singulis reperitur: ac per hoc etiam singulariter diligeris à Deo, quia nil sine te diligit, neque maiorem dilectionis affectum singulis impenderet, si absque singulorum participatione singulos amaret. Nil ergo de priuilegio singularis amoris tui bonorum societas præripit: amator enim tuus in omnibus, vt dictum est, te diligit, quia nihil sine te diligit. Omnes ergo Deus vnicè diligit: quòd cùm ita sit, æquum est, vt omnes in vno quasi vnum se diligant, vt sic vnius dilectione vnum fiant. Singularia etiam tibi contulit, vt Paulo Apostolatum in Gentibus, Ioanni priuilegium amoris: sic tu præ omnibus malis electus, atque etiam præ multis, fortasse bonis, dilectus, memineris gratias agere. Reputa quot generationes ab ipsius mundi initio perierint, cùm tu tamen ad gratiam vocatus fueris? Quid pro his Domino retribues? Nil aliud, præter amorem, à te exigit. Hinc sanè constare poterit, quanta sit amoris vis; cùm inter omnes animæ affectus solus is sit, quo homo DEO plenè valeat respondere. Nam si Deus mihi irascatur, nequeo vicissim irasci, sed paruere, oportebit: si arguit, non licet redarguere: si imperat, parere necesse est: si verò amat, ego etiam amore respondere potero, cùm ipse nil aliud à me, quam vt ametur, exigere solitus sit. Ideò enim amat vt ametur: nouit namque, nos aliter quàm amando, beatos esse non posse. Illud maximè mirandum, quòd nos, licèt putredo simus & vermes, dignos amore suo reddiderit, & hoc adeò gratis, vt prius ipse diligeret, quàm diligi potuisset: attende etiã, quòd si fortè amando, gratiam referre negligis miserior efficeris, quàm esses, si nihil recepisses, neque esses. Si cupis perfectè intelligere, quanti tibi faciendus ipse sis, repete, & tecum meditare immensam pretij magnitudinem pro te oblati, nempè ipso Christi sanguine redemptus es: dignitatẽ tuam ex emptoris excellentia, & pretij dati metire: quare meritò erubescas, si tantam nobilitatem ac dignitatẽ vitijs maculaueris. Si cogitas quòd faciliter factus es, cogita etiam quod difficiliter refectus sis. Quid ergo retribues puluis, etiam si te totum in amorem collegeris, si penitus amore exarseris? Quid retribues diuinæ illi maiestati, in amore te præuenienti? Quòd crearis me Domine debeo me totum tibi: quòd me redemeris, debeo pluſquam meipsum: & si millies me dare possem, quid ego ad te, qui te mihi dedisti? Quæ poterit esse recompensatio? Nullibi clarius, quàm in vulneribus, eluxerunt diuitiæ gloriosæ deitatis: ibi eluxit, quam suauis, & mitis, & multæ misericordiæ. Attende beneficium tibi gratis collatum, scilicet, frui huius sanguinis pretio, tot millibus ab initio mundi, à tãto exclusis beneficio: quòdque multos coætaneos tuos, in medio peccatorum, de vita sustulerit, tibi verò, maioribus fortè criminibus oppresso, pœnitentiæ gratiam concedere dignatus sit. Multos coætaneos tuos relinquens in ignorantiæ tenebris, tibi contulit diuinæ sapientiæ lumen, dedit tibi sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, linguam disertam, doctri-

Anima vita Deus, qua in amore eius versatur.

Amoris natura.

1. Ioan. 4. 19

Deo iniurius est qui eum propter temporalia diligit.

Dona Dei triplicia

1

2

Mali bonorum causa conseruatur

Deus præter amorem à nobis exigit nihil.

etrinam suadibilem, efficaciam in opere, gratiam in conuersatione, profectum in studijs, effectum in cõceptibus, solamen in aduersis, cautelam in secundis. Quando à via aberrasti, rectà deduxit te: quando ignorasti, docuit te: cum errasti corripuit te: quando contristabaris, consolatus est te: cùm cecidisti, erexit te: cùm denique stetisti, tenuit te, ita de salute tua sollicitus, circa tui custodiam occupatus, vs videretur aliorum omnium oblitus, & tibi soli vacare voluisse.

EX GERSONE DE MONTE *Contemplationis.*

CAPVT XV.

SAEpe solet aliquis in quotidiano sermone multa de melle narrare, quòd quam plurima de eius natura apud authores legerit, cùm tamen mellis dulcedinem nunquam degustauerit: ita & quidam Theologi non pauca de contemplatione loquuntur, quibus ad eam peruenire nunquam licuerit. Similes hos ego censeo medicis, qui licèt de ægritudine loquantur, eiusque causas longè meliùs quàm ægroti ipsi intelligant, dolores tamen quos ipse morbus secum affert, nunquam experti sunt. Si quis quærat de Theologis, cur non degustent contemplationis dulcedinem, vno verbo dicam: non ingrediuntur ad eam per ostium à Paulo ostensum: dicente: *Si quis inter vos videtur sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens*, id est, humiliet se, stultum se reputans respectu diuinæ sapientiæ mysticæ. Testatur Guillelmus, nullo diuino opere posse ad Dei ipsius, suæque bonitatis cognitionem propiùs accedere, & celeriùs peruenire, quàm contemplationis delectatione: ideò simplex meliùs Deũ cognoscit contemplatione & amore, quàm doctissimus Theologus subtili duntaxat speculatione. Finis namque vitæ contemplatiuæ, non est scire, aut nouas veritates acquirere, sed Deum ardenter diligere, & quam suauis sit degustare: quæ degustatio meritò cognitio dicitur, & maxima quidem, sed arcana; à solo enim habente percipitur, nec verbis, aut doctrina explicari potest. Dicit præterea, non omnes esse aptos vitæ contemplatiuæ. Sunt enim quidam, tam clerici, quàm laici, adeò duræ naturæ, tamque ineptæ ad superandas hostiles tentationes, vt in perfectione contemplationis adipiscenda, operam frustrà consumant: quare oportet hos assiduè in vitæ actiuæ laboribus detineri. Sunt verò alij adeò mitis naturæ, vt ipsam actiuè viuendi rationem graue onus existiment, atque mirum in modum ea crucientur, in cõtemplatione verò facillimè proficiant: imò sunt quidam tam ordinatæ, tranquillæque naturæ, aut etiam ex dono specialis gratiæ, maiores vnius diei spatio, progressus in ea facientes, quàm reliquis per semestre liceret spatium. Assignat etiam idem tres gradus, quibus ad contemplationem certissimè possis ascendere. Primus, Amara contritio. Secundus, Otium seu solitudo. Tertius, Fortis & constans perseuerantia. Ex Bernard. *Homil. quadam super Cantica*: Lamentata ergo præterita vita, deuictisque prauis consuetudinibus, solitudini vacandum est, ad loquendum cum Deo. Nam sicut Moyses cum Deo, loqui volens, obscuram ingrediebatur nubem, nèaliquid ex terrenis aspiceret: ita contemplaturus, caliginem debet intrare, vbi externa, & ad seculum pertinentia, videre, aut percipere nequeat. Vt autem plenè intelligas, qua via sit incedendum, sic habeto, vitæ huius contemplatiuæ scopum esse, ita te erga Deum affectuosè gerere, qualiter humano amore vehementer captus habet ad rem dilectam. Hic enim languet amatæ rei desiderio, atque in ea intellectu adsorbetur, & sensibus, vt nil aliud diu, noctuque valeat cogitare, atque etiam (si opus sit) omni pudore depolito, nil illum prohibet, aut retinet, non labor, non vexatio non pericula, non minæ, non preces, non amicorum consilia, ab incepto retardant, aut remorantur: dormiens de amata re somniat, vigilans nil aliud loqui vel audire curat. Amens denique redditur & fatuus, atque omne aliud huius vitæ bonum, vel futuræ, obliuiscitur: si de paradiso cum eo loquaris, fabulam narrare te credit: omnia exequi decretum habet, dummodo optata re potiri liceat. Sic ardens diuino amore, pariter huic assimilatur, negligit vituperia, persecutiones non curat, reliqua omnia, præter Deum, somnia & fabulas existimat. Hic igitur scopus est, quò properare decet. In primo gradu prædicto solet obijci non parua difficultas: nam quemadmodum laboriosi est operis, arborem diu alicubi plantatam, radicitus euellere, vt alibi plantari possit: ita difficillimum haberi solet, animum terrenæ vitæ diu assuetum, ad spiritualis vitæ normam redigi. Primus hic gradus totus est ater fumus, parum vel nil habet ignis lucidi. Secundus ignem cum fumo mixtũ possidet. Tertius igne lucet purissimo. Difficillimum quippe est, à carnali vita ad spiritualem transire: ideò licet quamplurimi eniti incipiant, citò tamen victi labore, ad consuetudines suas pristinas dilabuntur. Quidam sunt qui in hac vitæ mutatione intestinum secum bellum gerunt: sæpè cadunt, sæpè surgunt: sæpè fugiunt, sæpè reuertuntur: sæpè desperant peruenire posse quò tendunt: sæpè resumptis viribus, itineri se rursus accingunt: sæpè intra se dicentes. Sufficit nobis more aliorum viuere, langueſcunt, nec ad altiora tendere pergunt, sæpè propriam tepiditatem arguentes, parato ad viam animo progrediuntur: quo fit, vt in se ipsis durissimum patiantur conflictum. Pugnat enim carnalis voluntas cum spirituali: mundanus & secularis amor, cùm diuino & cœlesti: sed cùm secularis amor adhuc fortior sit & potentior, validissimè pro retinenda domo propria, iam inde ab infantia possessa, pugnare nititur: sed Dei gratia præsens, & firma ad summa volandi, constantissimaque voluntas, omnia superant. Nam laborante homine debilitatur duellum hoc, eiusque victoria ad partes spiritus declinare incipit: iam non intimè dolet carere humano amore, licèt diuini amoris dulcedinem nondum sentiat: est enim medius inter vtrumque statum, nec mundo omninò mortuus, nec plenè Deo viuens: & in hac status conditione incipit degustare secundum huius scholæ gradum, solitudinem scilicet, & silentium. iamque intrà se manens, solus esse cupit, quod prius absque euidenti periculo non audebat: mox namque à pessimis vitæ præteritæ cogitationibus infestabatur: iam ad perfectionis contemplationem ascendere nititur, auertens spiritus vultum a sensibilibus, & ad spiritualia conuersus, percipit quam caduca omnia & fragilia sint, nil esse in seculo in quo possit quiescere, aut vnde consolationem petere, nisi à Deo qui summum est bonum. Secretam autem solitudinem, non corporalem dico, sed spiritualem, quæ in omnium secularium curarum exclusione consistit: alioqui homo corpore duntaxat solitarius, durissimam sui ipsius patietur societatem, nam phantasmatum subeuntium multitudinem patietur, irascetur, succensebit absentibus, maximas se assequi finget dignitates, & quàm plurimis fatuitatibus infestabitur. Conducit tamen inchoantibus solitudo exterior, ad interiorem assequendam: non enim liberum illis est se intra se colligere, si plurium sunt societate cõiuncti. Regula circa locum obseruãda tradi non potest, quosdam enim ad cõtemplationem trahit nemus, alios mouet campus, alios exci-

Theologi cur contemplationis dulcedinem non degustent.

1. Cor. 3, 18.

Contemplatiuæ vitæ finis.

Non omnes ad contemplationem apti.

Contemplationis gradus tres.

Exod. 19.

Scopus vitæ contemplatiuæ.

Quis locus contemplationis eligendus.

tat Ecclesia, vel cella sua, alios mutatio loci recreat: quapropter quærat quisque locum quem dono à Deo sibi dato aptiorem esse cognouerit, & præ omnibus diligentissimè studeat introuersionis habitū comparare, tam in solitudine, quàm in platea. Quoad corporis situm docet Guillermus Parisiensis, debitam corporis ordinationem non parum ad formā contemplationis conducere, ideò vnusquisque eam eligat, quam potissimum expedire intellexerit, siue flexis genibus, siue sedēs, siue stans, siue iacens. Consulit tamen, vt is stet, si possit, in sinistrum declinans latus, aut sedeat, in cœlum erecto vultu. Sunt tamen quidam, tam mobilis naturæ (ob spiritus leuitatem & mobilitatem) vt molestissimè ferant absque societate manere, aut loco in vno quiescere: quòd si faciant, mox varijs tentantur vitijs, fiuntque tristes, morosi, & iracundi: hi ad actiuam vitam mittendi sunt, nisi longo laboris vsu, & DEI munere gratuito seipsos vincere valeant. Nam sicut oculi corporei quamuis visus officio exercendo minus laborent, cæteris tamen membris laboriosè munus suum peragentibus, subtiliores habentur: ita qui in solitudine contemplationis viuunt, longè vtiliores sunt aliquando his qui in vitæ actiuæ methodo detenti sunt, suis enim præstantissimis orationibus, & sibi & alijs mirificè prosunt. Quapropter si aliquis Spiritus sancti instinctu se ad vitam contemplatiuam sectandam pronum sentiat, & commotum, hic non solum absque crimine, verum etiam magna cū laude, abrenunciare vitæ poterit actiuæ, non parum mercedis ex ea commutatione recepturus. Excipio tamen, si à Prælato ad publicum munus exercendum compellatur, vel vltimæ aut vrgentis necessitatis casus occurreret: Vrgentem necessitatem dicimus, quando verisimiliter aliqui perire poterunt, nisi eis auxilietur. Ad Religiosos præcipuè & Ecclesiasticos pertinet, hanc contemplationis vitam sectari: ad hoc maximè instituta est eorum vocatio, culpandus namque meritò esset regius coquus, qui ad cubicularij Regij munus accersitus, vile magisterium culinæ nollet abijcere: ita culpandi iure sunt cœci mortales, qui terrena mente & affectu non trāscendentes in eo summum perfectionis culmen collocent, si proximis in laboribus exterioribus auxilientur. O bone Deus & misericors! mirandū quippè est, ex tot mortalibus tam paucos inueniri, qui in vnitate & spiritus simplicitate adhærere velint, fugiantque procellosum hoc mare, innumerabilibus curis, vanis phantasijs & imaginationibus turbulentissimum. Veræ contemplationis vigor adeò violentus est, vt vanas phantasias extinguat, aut certè si penitus non cessent, nil tamen noceant contemplationis vigori, & amoris vnitiui ardentissimo feruori. Incipientium conditio similis est hyemali tempori, in quo plurimum frigoris & obscuritatis experimur: proficientium verò verno tempori assimilari potest, in quo aliquando frigemus, aliquando verò calescimus: perfectorum autem conditio æstiuali tempori meritò confertur, in quo assiduus est calor & aër purissimus. Ideò paucos reperias, qui ad sublimem contemplationis arcem pertingant: nam cùm modicum lapidosi montis ascendant, & aliquantulum molestiæ in ascensu sentiant, animo labuntur, nec vlterius progredi volunt: quo fit, vt sæpè retrocedant, vel ad ima descendant, & si libeat rursum iter capescere, denuò incipiant, cum tamen oporteat semper ab eo loco, quò peruentum sit, vltrà procedere. Quidam sunt, qui altissimum montis cacumen vno saltu velint obtinere. Alij verò oneribus: tergo impositis, id est terrenis occupationibus minimè necessarijs, ascendere nituntur. Alij volitantium muscarum (id est vagantium cogitationum) incursum pertæsi, inceptum iter relinquunt, cùm tamen eas viriliter abigere expediret. Alij, quod grauius est, muscas ipsas sequuntur, habent enim cor adeò leue, vt quæcumque, licet minima res, illud suo loco possit auferre. Alij infernalium canum latratu audito terrentur, id est, quacumque oblata tentatione lassescunt, cum tamen despectis canibus, eorumque latratu concitè progredi deceat. Alij cùm parum altius cæteris iugum montis ascenderint, reliquos infirmos morantes aspernantur: qua propter sæpè à DEO relinquuntur, vt inde labentes sese cognoscant. Alij sola ducti curiositate, montem hunc ascendere volunt, vt si incidat sermo, dicere possint se ibi iam fuisse: aut vt montis secreta inquirant: aut forsan sola loci amœnitate & delectatione commoti, non autem vt Deo placeant: quare hi citò auxilio Domini destituuntur. Alij volunt in via ductorem præcedere suum, id est, citius quam Deo placitum sit peruenire, nolentes humiliter gratiam Dei expectare. Alij gratia ad ascensum compellente, ad alias occupationes transeunt, quasi gratiæ dicant, Manè paullulum, expectans donec veniam: quæ tamen si recesserit, recuperari non potest. Alij nimium, & vltra quā satis est, sibi freti, nolunt eos de ascensu interrogare, quibus iam licuit ad montis fastigium peruenire, eaque de causa in errorem incidentes, à via declinant. Alij de via hac multa speculatiuè scire expetunt, de ea assiduè loqui, semper de ea sermones miscere, ea tamen incedere negligunt: similes certè illis, qui alios ad bellum in ipso pugnæ conflictu hortantur, cùm tamen ipsi manum non mittant ad gladium. Alij quotidie montis huius itinera mutantes, modò hac, modò illac ingrediuntur, quærentes faciliori & gratiori via incedere, quò fit, vt nil proficiant. Alij iter agentes, si à rebus inferioribus auocentur, id est, ad aliquod negotium, aut alicuius colloquium, quod sine crimine nequeat prætermitti, ibi mox mentem figentes, incepti itineris obliuiscuntur: ideò oportet eum qui ascendere velit, nunquam se totum negotio alicui externo tradere. Hæc & alia multa solent esse huius itineris impedimenta. Subiungit etiam Gerson, eum qui extra chorum in secreto suo, non se meditationi & contemplationi assuefecerit, per sola chori exercitia vix ad perfectionem peruenire posse.

Quia corporis situs.

Contemplatiua vita Religiosorum & Ecclesiasticorum maximè propria

Incipientium conditio.

Proficientiū & eorum impedimenta.

§. I.

LIcèt variæ sint exercitationes, quibus ad contēplationis perfectionem scandere possumus, tamen via optima & commodissima hæc est: nempè diligentissima totius vitæ Christi meditatio, præsertim sacratissimæ passionis. Laudat Gerson mirum in modum exercitationem, qua Guillermus Parisiensis vti solitus erat. Monet vt homo præsentet se Deo ac ciuibus cœlestibus, quasi mendicum, egenum, cœcum, & lacerum, tunc à ditissimis singulis humiliter postulet suffragiorum eleemosynam, demum à Deo ipso: multi enim hac exercitatione assiduè vsi, ad exoptatum finem peruenire, nempè ad cogitationum & affectionum suarum mortificationem, & re ipsa experti sunt Christi promissum, qui pollicitus est ostium aperire perseueranter pulsanti. Fatetur tamen se aliquando per trium vel quatuor horarum spatium huic orationi cùm magna phantasiarum pugna instare solitum. Inter miserias eo temporis cogitandas, atque illis diuitibus offerendas, præsentetur mors imminens: & alloquere sic animam tuam: O anima mea, si intrà vnius horæ spatium separari iubereris à corpore, & adesse in iudicio coram Deo, quid diceres? Quod tunc fecisse velles, nunc facito: cum nescias, an facere vacabit. Falluntur maximè, qui meditationi aut orationi nolunt

Contemplationis via optima & passionis Christi meditatio.

Matt. 7.

Propter ari- ditatem ora-

tionem aut meditationi non intermittendam.

nolunt incumbere, nisi se intima deuotione affectos sentiant, similes illis, qui cum frigoris rigore crucientur, focum parari non curant, nisi priùs calefiat: ita hi opinantur se tempus frustrà terere, nisi mox ad orationem accedentes, cœlesti deuotionis imbre irrigentur: cùm tamen ea pectoris ariditate plus meriti acquirant, quàm si deuotione & metali deuotione potirentur: maiori enim labore, ac proprijs (vt ita dicam) expensis Deo seruiunt. Non ergo indè surgat ad alia ministeria, sed diu sedens, licèt aridus, ibi maneat, nam in fine ariditatis fortè videbit ex ea mirabiles surgere fructus: quòd si secus eueniat, humilietur firmiter credens debitam mercedem opportuno tempori reseruari. Illud summoperè cauẽdum est nè propriæ delectationis causa, consolationem expetat spiritualem, sed eam desiderabit, vt ardentiùs Deo vniatur, vt gratius ad illum se possit conuertere. Similitudo superius dicta de mendico ostiatim petente aptissima existimari debet: quod vt perspicuum sit, meditare singulariter mendicorum proprietates, & apertè videbis quàm opportuna sit ad spirituales quæstus: hac enim similitudine

Psal. 6. 9, 12, 69.

vtebatur Dauid, nunc se infirmum, nunc orphanum nunc cœcum, nunc egenum dicens, & similia. Videto hos mendicos, claudos, tumentes, algores, æstus, inedias, pluuiarum & ventorum iniurias ferentes. Vide quanta patientia vnius diei spatio, si ita opus sit, eleemosynam, licet paruam ad ostium expectẽt, quam etiam aliquando non accipiunt, & si fortè locum vel domum sciant, vbi certa donetur eleemosyna, qua celeritate ac feruore illuc properantes cõuolent, nè si morentur, audiant: Ite, eleemosyna iam elargita est: sic negligentes opportuni ad orandum temporis occasionem, & inutilibus se rebus tradentes, patiuntur à Deo repulsam. Item hi mendici, de quibus dictum est, studiosè opportuniora loca ad accipiendam eleemosynam captare solent, vtpotè loca sacra, ianuas diuitum piorum, vbicunque eos habitare audiunt: reliquas similitudinis adaptationes per te disquirere, & discutere poteris. Assimilare etiam, ô anima mea, in carcere pro crimine detentis, quibus nil est optabilius libertate, de nulla alia re cogitant, hoc verbis & signis cupere testantur, nunc apud iudicem, nunc apud patronos, nunc apud alios quorum auxilio vti volunt: non enim libet his tunc temporis iocari, ridere, aut cùm socijs incarceratis petulanter agere, sed humiliter se gerentes de solis suis calamitatibus, & qua ratione eas effugiant, sermones miscent. Sic anima in carnis carcere detenta fœdo, obscuro, molesto, citò egressura, ac terribili Dei iudicio præsentanda, si vanis cogitationibus distrahitur, hoc ideò fit, quòd miseræ conditionis suæ penitus sit immemor, quod in illo nunquam contingit. Si alicuius domus incendio absumatur, nunquid de re alia poterit cogitare? Si filius familias de vita periclitetur, poteritnè pater de re alia meditari? Si infantulus absit à matre, quantis vagitibus & eiulatibus compellat matrem, nec priùs plorare desistit, quàm mater adueniat: cur non idem facis anima mea, cùm sentias cœlestem Patrem tui criminis causa procul abesse?

§. II.

Phantasmata corporea contemplari volenti fugandæ.

LIcèt liber existas à terrenarum rerum cupiditatibus, iamque oblectamenta carnis euaseris, ita vt eius concupiscentijs non obedias, si tamẽ nondum potis es, corporearum similitudinum phãtasmata fugare, supra ea mentis puritate volare ne quiescas: falleris namque, si citrà prædictam lineam inuenire te posse existimas locum quietis, secretum solitudinis, lucis serenitatem, denique habitaculum

pacis: felix ille dici potuit, cui ad perfectionis culmen licuit peruenire, dicere enim poterit: *Ecce elongaui fugiens*. Et, *Conuertere anima mea in requiem tuam*. Et, *In pace in idipsum*. Bernard. *52 Sermone super Cantica*: Anima quæ semel à Domino didicit ad seipsam intrare, & quàm suauis sit Dominus gustare, nil tam timet, quàm à tanto gratiæ dono separari. *Bernard.* Nil plus quieti contemplationis obsistit, quàm confabulationes, non solùm praui, sed etiam superfluæ: nemò quippè ad arcem contemplationis ascendit, nisi priùs adhæc fiat *sicut homo non audiens, & non aperiens os suum*. Gerson: Animabus affluentis Deum in quiete contemplationis videre, familiaritas præstat audaciam, gustus famem, terrenorum omnium contemptus otium Bernard. *Serm 74. super Cantic.* Ibi verecundè explicat quid in contemplatione sentiat: dicit se non sentire aduentum Dei, quando primò animã visitat, & quãdo primò recedit. Ex *ser. 31. super Can:* Tẽpus in quo aderat Spõsus dicit cognouisse in exclusione duritię cordis, in mollificatione affectus, fuga vitiorum, cõpressione carnalium affectuum, cognitione & redargutione occultorum, emendatione morum. Tempus autem in quo recedebat, plenè noscebatur: nam sicut olla ebulliens subtracto igne frigescit: sita eius discessu incipiunt interna languore quodam torpere, vt anima mœstitiam sentiat, donec Sponsus reuertatur, & affectus iterum calescat. Quare deuota Deo anima recedentem Dominum debet importunis clamoribus prosequi, dicens: Reuertere dilecte mi, *faciem tuam Domine requiram*. Ipse enim si discedat, vult retineri: si abeat, expetit reuocari: abire enim in ipso, est dispensatorium, redire verò semper voluntarium, vtrumque autem plenum iudicij. *Vado*, ait, *& venio ad vos*: necesse quippè est nos has euntis, & redeuntis Verbi vicissitudines pati, licèt moretur, expectato tamen, veniet enim, nec fallet amantis spem, & si amanti animę modicum illud mora lõga videatur. Fatetur etiam ipse Bernard. *serm. 14.* quod initio suæ conuersionis, cum adhuc esset corde durus, & frigidus, necardenter Deum diligeret, sed torpore quodam animi languêret, nec tamen vllam verni temporis amœnitatem experiretur, conferre solebat se ad colloquium, vel ad aspectum alicuius viri spiritualis & perfecti, vel si id non liceret, ad defuncti, vel absentis solam memoriam flere, & percipere odorem vnctionis illius sancti. Non tamẽ (inquit) erat illa vnctio propria, sed exhalatio vnctionis alienæ, non enim nisi sequestro homine ad me perueniebat, delectabar odoratu, sed nondum tactu: pudebat, & mecum erubescebam, quod adhuc Dominus per seipsum mihi non dulcesceret (plus enim memoria hominis, quàm Dei ipsius commouebar) & clamabam: *Quando veniam ante faciem Dei?* vt aliquid immediatè de manu eius accipiam. Hominem tuum exteriorem sic componito: Esto vultu serenus, humilis, pudicus, verecundus in aspectu, placidus ac modestus in voce, fidelis & strenuus in opere, benignus in consuetudine, ita tamen, vt benignitas cum affabilitate coniuncta, ineptam lætitiam omninò nesciant. Homo enim exterior imago est interni. Cibum etiam & potum sensim & compositè sumito, omni immodesta auiditate sepositа. Mundus hic exterior, est quasi liber digito Dei scriptus, in quo singulæ creaturæ, pro elementis habendæ sunt, quorum oportet nos vim ac significationem comprehendere. Mortales externis dediti rebus, literarũ nomina ignoranti, meritò poterunt assimilari, cui si libet apertus offeratur, licèt literarum figuras aspiciat, earum tamen significationem non percipit: sic stulti visis creaturis, & in his solùm mentis oculos figentes, quid de Deo significent, non

Psal. 54. 8.
Psal. 114. 7.
Psal. 4. 9.

Confabulationes animam inquietant.

Psal. 37. 15. & 14.

Sponsi aduentum & discessus quibus indicia cognoscantur.

Psal. 26. Sponsus cum abeat.

Ioan. 16. 28.

Psal. 41. 3.

Homo exterior quomodo componendus.

Mundus liber assimilatur.

inquirunt. Vnde Dauid: *Vir insipiens nō cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Qui verò internos oculos apertos habent, ac legere norunt, assiduè toto mentis affectu clamant: *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti. Delectasti me Domine in factura tua.* In quauis enim minima creatura, diuinæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis ac benignitatis imago mirè refulget. Illud præcipuè velim cures, vt cùm aliquid solatij ex creatura acceperis, in cibo, aut potu, aut opere alio, placidè ad tanti Domini bonitatem intuendam, qui tibi illa & alia tam mirabili artificio parauerit, rapi patiaris. Stude ergo exteriora omnia conspicere, tanquam inuisibilium rerum imagines. Illud præterea moneo, linguam omni tempore compescito, contentiones fugito, nil obstinatè affirmes, aut neges, nisi fidei causa, aut animarum salus exigere videatur. Satius enim est, vt opportunè cedens, paci tuæ consulas & conscientiæ, quàm importunè clamitans, & disceptans, interiora tua conturbes. Cùm aliquis à te sit corripiendus, quandiu res lenitatem admiserit, hortatu potiùs & admonitione quàm increpatione, consulito: si disciplinę rigore vtendum sit, vide vt sine felle sæuias, non furore, non propria causa, sed Dei amore, & salutis animarum ardente zelo, ad seueriorem correctionem rapiaris. Erga quemcunque hominem, dulcissimum affectum interius seruato: at si fortè senseris, grauiùs quàm decet, ira commotum, differto correctionem, donec furor ille deseruerit: vel certè paucula tunc temporis verba, tibi ipsi vim inferens, absque impetu loquitor. Nemini signum alicuius erga eum minùs syncerę affectionis ostendas, licèt ab eo sis læsus: si in te aduersus fratrem animi alienatio subrepserit, mox eam præfoca: si vero nequeas illam extinguere, ratione lenito. Si tamen fratris tui crimine Deus offenditur, familiaritatem cum delinquente contractam omninò dissimula, vt ipsa te immutatum conspiciens, facilius resipiscat, & peccato suo agnito, citiùs corrigatur. Cùm autem videris ea, quæ apertam Dei offensionem non continent, boni consulere, & in meliorem partem interpretari consuescere: si verò intempestiuè sinistra se ingerat suspicio, nè mente illi consenseris, sed pro viribus obluctare. Miserrimus namque is habendus est, & vix interna frui pace poterit, qui facilè de alijs sinistrè iudicat. Quòd si æquitas delicta punire cogat subditi, ita germana vtitor charitate, vt illius peccata impunita non relinquens, eius tamen in ipso seueritatis actu misereri videaris, ipsum peccantem tibi præferens, apud te piè excusato. Memineris, quàm fragilis, & ad lapsum procliuis sit humana conditio, & cætera quæ delinquentis negligentiam eleuare poterunt: ad te ipsum oculos reflectens peccata tua in memoriam adducito, & meditare, grauiùs corruere potuisse, si illa te inuasisset tentatio. De nullius salute vnquam desperes. Inuidię pestem omni studio superare contende: si in aliquem sublimiora gratiarum dona collata videas, quàm tu acceperis, non ob id illi inuideas, imò potius humiliter Spiritus sancti dona in eo venerare, gaude, & gratias DEO pro alterius beneficijs agito: sic enim fiet, vt aliena merita, tua sint, & de alterius bonis communices. Ne doleas, quòd alij perfecti sint, sed quòd ad perfectionem tibi non licuerit peruenisse. Nam licèt imperfectus sis, si tamen toto animi studio ad perfectionem contendis, desiderans bonum opus perficere, tametsi nequeas, is voluntatis actus pro ipso opere à Deo recipitur. Pax ergo est omnibus hominibus bonæ voluntatis, & omni habenti, licèt modicum, merces debita redditur. Habet enim Dominus magnos ac paruos filios, & licèt nunc imperfectus sis, facilè vt perfectus esses, efficeret, si tuæ saluti expediret, vt illas vitiorum ac naturalium affectionum rubigines, quas nec lima ferrea vales eradere, leuissimo flatu procul expelleres. Quòd si Dominus forte vult te in hoc seculo graui exerceri certamine, efferatosque animi motus (vt iram, concupiscentiam, & tristitiam vsque ad mortem perferre, nequaquam morte consterneris, sed plenus fide, eius manum patienter sustine, & beneplacitum hilariter amplectere. Si ipsa corporis complexione efficiente, nulla animi lætitia, aut tranquillitate potiris, sed ad tristitiam & perturbationes alias procliuis existis, æquo animo patere, nam sic & efficaciùs à peccatis purgaberis, & sublimiorem tibi coronam paraueris. Nam qui ternarum affectionum strepitus rarò profert, absque labore tranquillitate potitur, & facilè hilaris ille est, cui maiores tenebræ rarò molestæ sunt. Qui verò his irruentibus sedulò obsistit, ac contrà nititur, meriti coronam non parum auget. Facilè præterea sobrius est, quem rarò ingluuies solicitat: facilè purus, cuius animum carnis stimulus rarò affligit. Stude igitur pro viribus passiones proprias sedare, affectiones tuas opprime, quære, pete, pulsa, Dominum enim habes maximam laboris & desiderij tui rationem habiturum. Sæpè namque gratior in illius conspectu est studij nostri feruor, quoad virtutem enitimur, quam ipsa virtutis suauitas, quàm percipimus: pretiosa est certè coram ipso imperfectionis nostræ humilis cognitio. Si quis quærat, quæ sint signa hominis iam interni, & intra se manentis? tria esse respondemus. Primum, si intellectus iam ex se tria non emittat cogitationes alias, nisi quas fidei lumen excitet, & voluntas longo vsu exercitata non producat actus amandi, nisi erga Deum, vel relatiuè ad Deum. Secundùm, si cùm primùm reliquerit occupationem externam, cui insistebat, mox intellectus & voluntas in Deum facillimè conuertantur: sicut lapis remoto obstaculo, in centrum suæ quietis descendere properat. Tertium, si finita oratione, ita exteriorum omnium obliuiscitur, ac si illa nunquam vidisset, aut tractasset, & ita se erga externa gerit, quasi denuò mundum ingrediatur, & denuò metuit confligere cùm negotijs exterioribus, ea naturaliter abhorrens, nisi charitas compelleret: talis anima à rebus omnibus externis libera, facilè ad se intrat, vbi solum Deum videt, & se in Deo, atque frequenter feruidis actibus amandi vnitiuis insistit. Hæc autem feruens dilectio ex gignit effectus, vt scribunt Sancti. Primus dicitur illuminatio, id est, quædam sapida ac experimentalis Dei, ac propriæ nihilitatis cogitatio, & cognitio. Secundus, inflammatio. Tertius, suauitas, seu delectatio. Quartus, ardentissimum desiderium possidendi bona diuina. Quintus, satietas, sic enim satiatur anima illo Dei aduentu, vt nil aliud velit, aut cupiat. Sextus, raptus seu mira eleuatio animæ in Deū: in qua explicari nequit quid tunc anima de Deo sentiat. Hos effectus prædictos sequuntur alij duo, scilicet securitas, qua nil anima timet pati propter Deum, & qua certissimè confidit se nunquam ab eo separandam: & plena quies, cum nil sit, quod pauorem inferre valeat, & hoc dicitur pax exsuperans omnem sensum. Hic est Domini paradisus, ad quem ascendere possumus in terra existentes, licèt inter homines corpore versemur. Ne tamen credas ad hanc felicitatem perueniri posse, nisi priùs purgato animo. Et si quæras, quo pacto cognoscere quis possit, se ad eam purgationem aut purgationis terminum peruenisse, respondet Beat. Thom. *in quodam opusculo*: Si in se tria perspiciat, strenuitatem, seueritatem, benignitatem. Est autem strenuitas, quædam animi fortitudo, quæ omnem expellit negligentiam, qua homo disponitur

Pſal. 91, 7.

Pſal. 91, 6
Pſal. 103, 24
Pſal. 91, 5.

Lingua refrenanda.

Proximus quomodo corripiendus.

Inuidia fugienda.

In imperfectionibus non desperandū.

Luc. 1.

Hominis interni tria signa.

1

2

3

Effectus seu amoris diuini.

Phil. 4.

Animus quibus indicijs cognoscatur purgatus.

ad

ad bona opera omnia, confidenter, vigilanter atque eleganter perficienda. Seueritas, est animi fortitudo aduersus concupiscentias, illas restringens, & vnà secum afferens ardentem asperitatis, vilitatis, & paupertatis amorem. Benignitas est dulcedo animi expellens omnem rancorem, iracundiam, inuidiam, austeritatem, amaritudinem, obdurationem erga proximum. Priùs oportet (inquit *Isidorus*) animam purgari à fœcibus terrenarum affectionum, quàm possit simpliciter, ac purè in Deũ tendere. Sicut enim peculiare ac proprium est igni, seclusis impedimentis, sursùm ascendere, & proprium locum petere: ita animæ prauarum affectionum pondere solutæ, in Deum, qui locus est ipsi proprius, eleuari solent. In his duobus, quæ diximus, præcipuè ad spiritualem perfectionem requiri, nempè mortificationem, & intellectus illuminationem, affectusque per actualem amorem inflammationem, ordo est maximè seruandus: multi enim in progressu, quòd ordinem non seruent, falluntur. Nam quidam ardentissimè ad secundum anhelantes, spiritualibus exercitijs sanctarum meditationum, & aspirationum, frequenter incumbunt: primum, scilicet, mortificationem parum, aut nil curantes: inde fit vt pauci, quos verè spirituales dicere possis, inueniantur, quamuis plurimi sint, qui spiritualibus exercitationibus perseueranter insistant.

§. III.

Contemplationis gradus septem.

VBertinus assignat septem gradus, quibus possimus ad contemplationem, vnitiuumque amorem ascendere, qui sunt, gustus, desideria, satietas, ebrietas, securitas, tranquillitas, septimi verò nomen soli Deo innotescere dicit. Primus ergo meritò vocatur gustus, quòd in gustuum mutatione consistat: peccatoribus enim qui carnales tantum

1. Gustus.

Psal. 33, 9. mouêre gustus, dicitur: *Gustate, & videte, quam suauis est Dominus*, immutate gustus, neç existimetis cœlestes sapores aliunde, quàm à Deo prouenire posse. Ideò Dominus incipientibus solet spiritus consolationes impertiri, quod sciat infirmam ac fragilem animam vix posse, nisi præuio gustu, ad diuina euolare. Anima in hoc primo gradu vacet compunctionibus, macerationibus, meditationibus quatuor vitæ nouissimorum, ac passionis Christi: præsertim mortificationibus ac eradicationibus malarum cogitationum & consuetudinum, vt in Deum liberè transire valeat, quod non sine maximo fit conatu:

Matt. 11, 12 *Regnum* enim *cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, non autem pusillanimes & delicioſi. Secũ-

2. Desideria. dus, quia diuina, quo plus gustantur, plus appeti solent, ideò gustum consequuntur desideria magis ac magis fruendi Deo, cùm externarum rerum omnium saporem cum tædio respuat. Ex his desiderijs suboritur studium non solùm meditandi, sed etiam

Ioan. 14. 6. Christi vitam imitandi, & ardor per illum incedendi, qui dixit, *Ego sum via*. Passus, autem quibus debes incedere, hi sunt: humilitas, mansuetudo, patien-

3. Satietas. tia, charitas, oratio, eius crux, & labores. Tertius, satietas, quando anima eò peruenit, vt quæ mundana sunt, abominetur, & intimè oderit, mox enim quiescit anima, & solo diuino amore satiatur, re

4. Ebrietas. namque ipsa experitur, nullibi posse, nisi in Deo plenè satiari. Quartus, ebrietas, quæ est quædam extasis, & mentalis excessus, ex prædicta diuini amoris satietate procedens, quæ nullarum imaginationum aut phantasmatum aqua miscetur, à quibus difficillimè abstrahimur, nisi Dominus ipse manu ducat animam, atque eam in secretum suum cubiculum (id est in se) intromittat, & recipiat, sensibus foras dimissis, & eorum muneribus suspensis. Quintus, secu-

5. Securitas. ritas timorem excludens: gustata enim diuinæ charitatis perfectione, manet anima omninò renuncia-

ta, & resignata in diuinum beneplacitum, ita vt gehennam ferre perpetuò parata sit, si Deo sic placitũ esse intelligat. Experitur insuper in seipsa quoddam strictissimum diuinæ amicitiæ vinculum adeò firmum, vt separari nunquam ab eo se posse existimet. Sextus, Tranquillitas, scilicet, tanta pacis & iu-

6. Tranquillitas. bilationis vbertas, vt anima quasi in silentio & somno supra pectus Domini recumbens, viuere credatur.

DVLCES TVCCELLÆ EX D. BERNARD. in variis locis collecta.

CAPVT XVI.

Anima deo-pliciter à Deo visitatur.

BErnardus *trigesimo secundo sermone super Cant.* Verbum (inquit) quasdam visitat animas, tanquam medicus afferens vnguenta, & remedia salutaria, scilicet, minùs perfectas. Alias visitat, tanquam sponsus osculans, & amplectens, id est, suauissimè interius astringens, ineffabili vnitiue amoris dulcedine, & splendore, scilicet, eas quæ perfectiores existunt. Sentiunt enim hæ in ipso sponsi amplexu, se totas sancti amoris suauitate deliniri, id tamẽ modico temporis spatio. Non tamen quamuis animam huiusmodi amplexatur sponsus, scilicet transeunter: sed eam duntaxat, quam ingens deuotio, vehemens desiderium, & præ dulcis affectio sponsam apertè probat. Ad eam enim animam quæ non ita sit affecta, sed actuum suorum recordatione solum compuncta, non tanquam sponsus, sed tanquam medicus, salutaria vulneribus remedia adhibens, in oleo, & vnguentis, non in osculo & amplexibus accedit. Osculis & amplexibus sponsi, sola illa anima fruetur, quæ multis vigilijs, & precibus, multo labore, & lacrymarum imbre sponsum quæsierit: & licèt inuentus, subitò, dum tenere te existimas, elabitur: si rursum lacrymis & precibus occurras, facilè comprehendi patitur: nec tamen diu retineri vult, sed subitò quasi è manibus euolat: tu tamen fletibus insta, reditum eius certissimè expectans. Illud credas velim, nunquam ad te rediturum, nisi toto mẽtis studio discedens requiratur. Denique in hoc corpore potest esse de sponsi præsentia frequens lætitia, non tamen copia: nam etsi visitatio mentem lætificat, absentiæ vicissitudo molestiam secum solet afferre. De aduentu quo Dominus quasi medicus accedit, sic ibi loquitur. An non sæpenumerò id orantes experimur, qui nostris adhuc quotidie excessibus tentamur, præsentibus, mordemur præteritis? A quanta me amaritudine mentis aduenies, Iesu bone, liberasti? Quoties post anxios fletus, post inenarrabiles gemitus, & singultus, sauciam conscientiam meam misericordię vnctione fouisti, & lætitiæ oleo perfudisti? Quoties me oratio, quem propè desperantem susceperat, exultantem reddidit, & de venia præsumentem? Qui similiter afficiuntur, ecce hi sciunt, quòd verè medicus sit Dominus Iesus: qui verò experti non sunt, eidem dicenti credant: *Spiri-* Esa. 61, 1 *tus Domini super me, & vnxit me, vt mederer contritis corde.* In eodem sermone sic scribit. *D. Bern.* Omnis bona cogitatio a Deo immittitur, & ab ipsius

Cogitatio bona à Deo est.

gratia prouenit, nullà enim earum dici potest cordis nostri proles: cordis namque nostri proles sola illa est, de qua dicit Dominus Matth. 15. *De corde exeunt homicidia, adulteria, furta, & similia.* Prauæ autem cogitationes à dœmone, vel eius fomite nascuntur, nec vnde hæ, vel illæ sint, cognoscere possumus, nisi peculiari Dei gratia illuminemur. Quotiescumque igitur bona cogitamus, nil aliud facimus quàm Dominum ad cor nostrum loquentem audire. Felix (ait) quippè mens iure habebitur, cui indiuiduũ Verbum vbique se comitem præbet, & socium, quæ

Matt. 15, 19

illius indesinenter suauitate oblectata, à carnis molestijs sese vendicat, omni hora tempus redimés à diebus malis nõ lassabitur, nõ molestabitur, q; Scriptura
Prou. 12. 21. testatur, dicens: *Non contristabit iustũ quicquid ei acciderit.* Idem *Ser. 34. ibi. Si ignoras te, egredere*, &c.
Cant. 1, 8. Verba Sponsi ad Sponsam, id est, nisi in profunda humilitate te continueris, & quæ sis, & quæ feceris, plenè cognoueris, egredere à facie mea, & domo mea. Quibus verbis irati domini vti solent aduersus improbos seruos, id est, egredere de spiritu ad carnem, de bonis animi ad secularia desideria, de interna mentis requie ad mundi strepitum, & exterio-
Anima ab vnitiuo amore recidiuantis status periculissimus. rum cogitationum tumultum. Quæ enim anima semel à Domino didicit ad seipsam intrare & in intimis suis sponsi præsentiam expetere, & faciem eius semper quærere (nam cùm Deus ipse spiritus sit, oportet Deum quærentes, in spiritu, & non secundum carnem ambulare) hæc inquam anima, nec ipsius gehennæ tormenta ad tempus experiri, grauius ac horribilius duceret, quàm post spiritualis studij degustatam dulcedinem, denuò ad carnis illecebras vel potiùs molestias remeare, & sensuum inexplebilem repetere suauitatem. Dicam ergo verè, nil esse magis timendum illi, qui semel diuinum hoc beneficium acceperit, quàm nè gratia solutus, ad carnis consolationes denuo regredi opus habeat, & carnalium iterum sensuum perferre tumultus. Quapropter terribilis hæc comminatio habenda est: *E-*
2. Par. 26. 18. *gredere de sanctuario meo*, id est, de corde tuo; vbi dulcissima contemplationis quiere potiebaris, & quasi vna ex secularibus pasce hædos tuos, id est, pascendis & oblectandis carnis tuæ sensibus immorare. Væ animæ, quæ cùm in croceis nutriretur, amplexata est stercora, serua facta carnis, & satisfaciens ventri, versa est denique in pecus seu iumentum: cui meritò dicitur, Abi post greges sodalium tuorum, cùm brutorum officium, hoc est, seruire sensibus,
Psal. 48, 21. potiùs elegeris. *Homo enim cùm in honore esset, non intellexit*, ideò *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, nil aliud quàm terrenis bonis & corporeis voluptatibus perfrui curans. Ideò ipsæ bestiæ dicuntur sociæ eius animæ, & meritò abire iubetur post brutorum gregem, non cùm grege: deterior enim est illius conditio, quàm brutorum, nam ligatis manibus & pedibus, in tenebras proijcietur exteriores, quòd brutis non accidit: atque etiam in hoc seculo brutis meritò posthabenda, cùm ratione vigeat, nec tamen ratione viuat, Indigestus cibus, & qui non absolutè concoctus est, noxios gignere solet humores, corpus non nutrit, sed potiùs corrumpit: sic etiam multa & varia eruditio stomacho animæ (quæ memoria est) ingesta, nisi decocta sit charitatis igne, ac deinde digesta, & per artus animæ transfusa, id est mores & actus, tormenta, dolores conscientiæ, ac inflationes generare solet. Nam quoties in
Luc. 12, 47. mentem venerit illud, *Seruus nesciens domini sui placitũ, & non faciens, plagis vapulabit multis*, meminisse poteris, quo studio sensus tuos custodire debeas. Bernard. *serm. 36. super Cant.* Spes non confundit, quia charitas certitudinem infundit, illa enim est, quæ plenè testatur, nos filios Dei esse, simul & hæredes. *Serm. 37. ibi.* Apprehende duas notitias, fuge bonas ignorantias. Notitia tui, timorem Dei gignit:
Notitia duæ quæ amplectenda & quæ ignorantia fugienda. Humilitas duplex. notitia Dei, amorem ipsius Dei producit: ignorantia tui gignit superbiam, quæ initium est omnis peccati ignorantia Dei gignit desperationem, quæ omnis malitiæ est consummatio. *Bern. serm. 42. super Cantica* scribit duplicem esse humilitatem, scilicet, intellectus, & affectus. Prima est, quando aliquis seipsum discutiens, ab ipsa veritate compulsus sibi ipsi in proprio iudicio vilescit, & iudicat se omnium pessimum, dignumque qui ab omnibus conculcetur. Secunda est, quando affectio concordat illi iudicio, & ita illi afficitur, vt talis ab omnibus velit haberi, & iudicari, qualem ipse se iudicat. Dicit etiam secundam humilitatem solam in Christo fuisse (prima enim esse non potuit) ideò se dixit humilem corde & affectu. In nobis autem vtraque debet esse, nã prima absque secunda falsa est & dolosa, nec à charitate proueniens: & meritò fraudulentus ille dicitur, qui aliter vult exteriùs censeri, quàm se habet interiùs: sic enim dolosè agit in conspectu Domini, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Poterit item meritò dici fallax, cùm varijs ponderibus in officina sua vtatur, quibus dam expetens externè ponderari, cùm alijs se internè solus expendat: interiùs enim veritatis trutina examinatus, & pretij vilissimi se inueniens, exteriùs in oculis hominum maioris se vult æstimari. Sola igitur secunda humilitas virtus est, solius charitatis filia, nec eam assequi poterit, nisi qui se tota mente etiam inferioribus inclinauerit, & subiecerit. De hac dicit Sponsa: *Nardus mea dedit* Cant. 1, 11. *odorem suum.* Prima enim nequit spargere odorem suum. Bernard. *epist. 253. ad Abbatem Garinum*: Indefessum proficiendi studium, iugis conatus ad perfectionem reputatur: studere perfectioni, est esse *Nolle proficere, deficere est.* perfectum, ac proinde nolle proficere, deficere est. Absit vt aliquis dicat, nec melior cupio fieri, nec patiar fieri peior: viuere libet, vt hactenus vixi, & in hac vitæ conditione manere placet: hoc enim fieri nequit, cùm cursus vita sit, in qua omnes ad brauiũ currimus, quod est Christus, ideò proficere est currere, & si quando proficere desinis, à cursu cessas: non currere incipiens, deficere cepisti: inde infertur, nolle proficere, nil aliud esse, quàm velle deficere. Vnde in scala Iacob omnes ascendebant, aut descendebant: & Apost. *ad Philip. 3.* se perfectum negans, fatetur se proficere. Ibi dicit: Semper in robusto & vegeto corpore animum molliorem & tepidiorem iacere, & rursum in corpore debili & infirmo fortiorem vigere spiritum. Bernard. *ser. 47 super Cant.* Post bonum opus securiùs in contemplatione dormitur. Et tanto quisque confidentiùs sublimia intueri, & inuestigare aggreditur, quo magis sibi conscius est, se non propriæ amore quietis, charitatis operibus defuisse. Ibidem etiam scribit, in libro Canticorum passim hoc inueniri: nempè Sponsam semper appetere quietem contemplationis, ab Sponso *Contemplationi actionē iungendam.* verò incitari ad actionis laborem. Vnde dicente illa, *Lectulus noster floridus est*, ac proinde Sponsum ad Cant. 1, 16. contemplationis quietem inuitante, ipse respondet: *Ego flos campi*, eam suo exemplo ad laboris exercitium excitans, ad certamina aduersus Dei hostes in huius mundi campo suscipienda. Quasi dicat, qui me diligit, mecum & iuxta me descendat in aciem, non recuset mecum & pro me inire certamen, vt dicere possit, *Bonum certamen certaui.* Et suprà dicente Sponsa: *Indica mihi vbi pascas, & cubes in meridie*: respondet Sponsus: *Equitatui meo assimilaui te*, & 4. id est, exercitui militari fortissimo, non solùm aduersus carnis & mundi illecebras, sed etiam contra Principes, & harum potestates tenebrarum. Dixit etiam Sponsus, se *lilium conuallium*, id est, humiliũ Cant. 2, 1. coronam, vnde scriptum est: *Iustus germinabit sicut lilium*, iustus, id est humilis, Dominus sese offe- Osee. 14, 6. rens à Ioanne in Iordane baptizandus dixit, totam iustitiæ perfectionem in humilitate consistere. Et quoniam in die illa iudicij humiles exaltabuntur, & superbi humiliabuntur: ideò scriptum est: *omnis vallis implebitur, & omnis* Isa. 40, 4. *mons & collis humiliabitur.* Eodem *sermone 47.* i- Luc. 3, 5. ta inquit. Strenuè & reuerenter diuinis laudibus insistamus necesse est, non somnolenti, non oscitantes, non vocibus parcentes, non

dimi-

dimidia verba præcidentes, non integra transilientes, nil aliud cogitantes. *Sermo 48.* Anima sancta in hoc mundo est sicut lilium inter spinas, id est, inter tentationum, tumultus & tribulationum aculeos, quæ cum his circumsepta sit, tanquam lilium spinis vndique pungentibus, videre poterit, quanta se solicitudine debeat custodire. Non enim vel leuissimam spinæ punctionem pati potest floris teneritudo, sed quauis modica punctura perforatur: ideò monemur, vt cùm timore & tremore saluti nostræ inuigilemus. Totus hic mundus tribulis scatet & spinis, quæ in terra, in aëre, in carne tua sunt: spina enim est falsus frater, spina vicinus malus, & inter hæc absque læsione versari, non virtutis tuæ, sed diuinæ potentiæ est. Ipse enim dicit: *Confidite, ego vici mundum.*

Anima quomodo lilium inter spinas

Ioan. 16 33.

Bernard. *serm. 49.* expendit loquendi modum Sponsæ, quo præsentem Sponsum alloquitur, non enim nomine maiestatis eum compellat, sed Dilectum, Sponsum, & quem diligit anima mea: cum verò Sponsus absit, & cùm adolescentulis de eo loquatur, nominat illum Regem, dicens: *Dum esset Rex in accubitu suo.* Et ad eas, reuertens de contemplationis ebrietate dixit: *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Eadem verba (inquit ille Sanctus) poteris tu etiam dicere, si post feruidam orationem, post suspiria, & gemitus frequentes, ad vtilem actionem cum proximis exieris, manu certè non vacua, præsertim illi licebit hos vsurpare sermones, qui oratione obtinuit, in mentis excessu, in ea diuina arcana conscendere, vnde mox redeat diuino vehementissime flagrans amore, & iustitiæ zelo æstuans, in cunctis etiam spiritualibus studijs nimium feruens, ita vt dicere possit: *Concaluit cor meum intra me.* Nam cùm ex charitatis abundantia, beatam & salutarem vini lætitiæ ructare crapulam cœperit, non immeritò in cellam vinariam introisse dicetur.

Cant. 1, 13.

Cant. 2. 4.

Psal. 38, 4.

Duo contemplationis excessus qui.

Cùm enim (ait) duo sint beatæ contemplationis excessus: alter in intellectu, alter in affectu: alter in lumine: alter in feruore: alter in deuotione: alter in cognitione: pectus tamen amore calens, & sanctæ deuotionis infusio, nec non pius affectus ac vehementis spiritus repletus zelo, non aliundè quàm è cella vinaria reportantur. Item ibi super illud, *Ordinauit in me charitatem.* Zelo (inquit) omninò necessaria est prudentia, nam vbi vehemens zelus est, ibi maximè discretio est necessaria, quæ ordinatio charitatis exiliit: semper equidem zelus absque prudentia minus est efficax, minusque vtilitatis solet afferre. Plerumque etiam noxius esse solet: proinde quanto feruentior zelus est, & ardentior charitas, eo vigilantiori studio prudentiæ opus est, quę zelum supprimat, spiritum temperet, & perfectè ordinet charitatem. Igitur nè Sponsa tanquam gratuis, molesta esset adolescentulis, id est animabus infirmis, ob spiritus impetum, quem è cella vinaria reportasse videbatur, iungit quod prudentiæ est, se charitatis ordinem pariter accepisse. Ibidem scribit, charitatem benè ordinatam, etsi plùs solicita sit de proprio bono, licèt paruo, seruando, quam de alieno, licèt magno, tamen multò magis lætatur de bono alieno magno, quàm de proprio paruo. Si dicas: Quomodò proficere potero, qui fratri magis proficienti inuideam? Si, inquit, doles quòd inuideas, id sentire est, non consentire: ideò passio est quandoq; sananda, non actio condemnanda: cui passioni si vehementer repugnes, non tu illam operaris, sed quod manet in te peccatum. Quòd si penitus malum illum affectum, & inueteratum diu vitium, licèt pro viribus studeas expellere, confessione, oratione, & flexu nequeas (& ideò magis confunderis, ac ob id humilior, & erga fratres omnes mitior fias) nil crimine dignum est in te. Ecclesia languens "Sponsi amore (sanctos intellige pastores) dicit, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Non enim aliter testatur posse ferre interruptæ contemplationis molestiam, & dilecti Sponsi absentiam, quam si tunc temporis animas lucrari queat: ideò dicit, *Confortate me floribus*, id est, denuò conuersi, seu recens spiritualem vitam incipientibus, *& malis*, id est, iam in eo proficientibus. Bern. *serm. 51.* Quòd si per Sponsam quamlibet singularem animam intelligamus, per flores fidem, pro fructibus bona opera accipiamus necesse est: ex bonis enim operibus in fide non ficta plantatis, consolationem comparat mens internæ assueta quieti, quoties sibi lux contemplationis subtrahitur: nam quandocunq; à contemplationis fruitione deciderit, ad vitam actiuam se debet recipere. Languor ille (inquit) est quoddam impatientis desiderij tædium, quo necesse est affici vehementer animam amantis quem diligit absentia: dumque expectatione pendet, quamlibet festinationem, moram iudicat, & ideò interim postulat fructibus, id est, odoribus fidei, ac bonorum operum confortari. In libro de diligendo Deo, aliter idem Bernard. prædicta verba exponit: vbi per flores & mala, mysteria humanitatis Christi intelligit, quorum consideratione mirificè excitatur anima ad diuinæ bonitatis contemplationem, quoties ob carnis infirmitatem & exilium languet, id est, à feruida Deitatis contemplatione tepescit. Idem *in eodem serm.* Quando anima spei modicum, timoris verò plurimum habet, quiete & pace interna frui nequit, cum inter præmij spem, & supplicij timorem fluctuet, idque maximè si timore abundantiùs crucietur. Nam cùm timor pœnam habeat sociam, dicere non potest: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*: quòd non in pace singulariter constituta sit: at si paulatim gratiæ incremento cœperit timor deficere, spes verò proficere, & charitas totis viribus in spei adiutorium exurgens, foras timorem expellat, nonne hæc anima singulariter in spe constituta videbitur? ac proinde in pace & in idipsum dormire iam & requiescere? Anima sic affecta, iubilans dicere poterit: *Laua eius sub capite meo*: per læuam gehennæ comminatio intelligitur; cuius timorem cum anima amore vincit, non super caput, vt in imperfectis fieri solet, sed sub capite habet læuam Sponsi: *& dextera illius amplexabitur me.* Dextera Sponsi est promissio certissima præmiorum, iuxta illud: *Delectationes in dextera tua vsque in finem*: quorum spe Sponsa singulariter munita, prædicta loquitur. Vnde quidam Sanctus dicere solitus erat, Iam non timeo, sed amo. Idem *serm. 52.* Dormiens ergo Sponsa in hac firma spe, & dulcissimo contemplationis immersa somno, filias Hierusalem, id est, infirmas animas, quæ proficiendi spe adherent Sponsæ, monet nè eam à somno excitent, donec ipsa velit. O mira Dei bonitas, quæ contemplantis animã in sinu suo quiescere permittit, ibique eam ab infestantibus curis tuetur, & à negotiorum & actionum molestijs protegit, quæ sæpe ad eam ipsæ adolescentulæ importunè solent afferre. Operatur enim hoc dulcissima Dei dignatio, vt sanctam animam etiam quàm plurimis vitæ actiuæ laboribus iure officij implicatam, aliquando à sensibus ita suspendat, ita amplectatur, ita in sinu foueat, vt non permittat illam terrenis molestijs, aut vllis phantasmatum negotijs perturbari, ita vt illa silentij hora dicere valeat: *Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Quid tunc formidabitur luxuria, vbi nec vita sentitur? Excedente quippè anima à vitæ sensibus, necesse est, vt nulla sensus tentatio sentiatur. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ*: Vti-

Inter sentire & consentire differentia

Cant. 2, 5.

Psal. 4, 9.

Cant. 2, 6.

Psal. 15, 11.

Psal 123, 7.

Psal.54 7. nam hac morte ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis, libidinis motus non sentiam, tumulos iræ & impatientiæ, solicitudinum angores, curarum molestias negligam. Moriatur anima mea morte iustorum: optima mors illa est, quæ vitam nō aufert, sed commutat in melius. Vtinā anima mea (si ita fieri possit) Angelorum morte moriatur, vt præsenti excedens memoria, rerum se inferiorum, corporearumque non modò cupiditatibus, sed etiam similitudinibus exuat: is nanque excessus aut solum, aut maximè contemplatio dicitur: dum enim viuitur, rerum externarum cupiditatibus non teneri, humanæ virtutis est; corporum verò similitudinibus speculatione mentis non inuolui, Angelicæ puritatis habetur. Vtrumque tamen diuini muneris est, vtrumque enim te ipsum excedere est & transcendere, sed procul vnum proprius est alterū. Beatus qui dicere potuit: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Si concupiscentias carnis vicisti, iam separatus es, sed nondum elongatus, nisi etiam irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate præualeas. Hucusque noli tibi requiem polliceri: falleris si citra quietis locum solitudinis secretum, serenum lumen, & pacis habitaculum inuenire posse confidis. In hac ergo excessus quiete erat Sponsa, quando prohibet, nè adolescentulæ illam excitent, eas adiurans per capreas & camporum ceruos, id est, per sanctas animas à corporis mole exutas, quæ ob visus acumen, & saltus celeritatem in contemplatione, bestijs illis assimilantur, quarum collegio anima pura & contemplationi intenta sociatur, nè faciliter cuiusuis negotij temporalis causa eam à iucundissimo collegio deturbent: donec ipsa velit: nam in arbitrio sanctorum pastorum est, quando sibi, & quando animarum sibi commissarum curæ vacare debeant: ideò monet, ne donec ipsa velit, excitetur.

Num.23.

Psal.148.

Planctus animæ ob amissam deuotionem.

Psal.118,70. Psal.142,8.

Bernard. *serm.54 super Cant. locum*, animæ, quæ superbiæ, vel occultæ alicuius arrogantiæ causa admirandam gratiam deuotionis amisit, sic deplorat. Heu quia aliqua superbia in me inuenta est, Dominus declinauit in ira à seruo suo: hinc ista sterilitas animæ, & deuotionis inopia, quam patior: exaruit enim cor meum, & coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua, Non compungi ad lachrymas queo, non sapit psalmus, non delectat orare, orationes solitas non inuenio. Vbi illa spiritus inebriatio? Vbi mentis serenitas & pax? Vbi gaudium in Spiritu sancto? Ad vigilias sum somnolentus, ad iram præceps, linguæ & gulæ indulgentior, & tegnior, & ad prædicationem obtusior. Heu quem me alium putem, quàm vnum de montibus Gelboe, quem præterit Dominus in ira & indignatione sua. Fons sapientiæ suo rore & pluuia omnes montes in circuitu visitat, à me autem transit. Nam vnum ex fratribus singularis video abstinentiæ, alium admirandæ patientiæ, humilitatis, mansuetudinis, illum contemplationi vacantem in mentis excessu sæpe rapi. Quare filioli manere assiduè in Domini timore, suspectum semper sit vobis arrogantiæ crimen: nil enim tam efficax coram Deo ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam reperire potui, quam si omni temporis articulo, coram Deo non altum sapere, sed timere inueniatis. Beatus ille vir qui semper timet (& quamuis de gratia gratum faciente hoc prædicetur, tamen ipse hoc loco de feruoris & deuotionis gratia præcipuè loquitur) time igitur, licet gratia deuotionis arrideat: paueto, etiam cum denuo reuertatur, & hoc dicitur semper esse in solicito timore: succedunt enim vicissim sibi in animo tres isti timores, nempè cùm adest gratia, time ne non dignè opereris, iuxta illud: *Videte ne in vacuum Dei gratiam recipiatis.* Nam negligere donum donantis contemptum præ se fert, & acceptum munus non grate nter expendere, intolerabilem superbiam significat: & cùm adest gratia multò cum animo periculo occultissimum arrogantiæ vitium, quasi leo in spelunca sua insidiari solet, quę vttuis gratiam meritis adscribas, monere non desinit. Cùm autem recedit gratia, multò magis timendum est, quasi ea subtracta, in cadendi periculo maneas. Time ergo, & contremisce, DEO tibi, vt sentis, irato, time quòd à custodia tua sis derelictus, nec dubites superbiæ vitium, etiamsi non appareat, in causa fuisse, atque etiamsi nullius noxæ tibi conscius videare: nouit namque Dominus, quæ tu nescis, & ipse est, qui iudicat? *Non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Nunquid commendat te Dominus, cum gratia priuat? Nunquid qui humilibus gratiam solet impertiri, humiliatis datam auferet: Vnde fit vt semper superbia gratiæ priuationis causa existat. Fieri tamen potest, vt alicui gratia subtrahatur, non præsentis superbiæ causa, sed ne ex aduentu gratia superbiæ contingat: denique semper superbia subtractæ gratiæ causa meritò habebitur. Quòd si gratia amissa redierit, multo plus timendum est, iuxta illud: *Ecce iam sanus factus es, vade, & noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Attende, peius esse reincidere, quam cadere, quod enim ita nc inualescente periculo, inualescat & metus necesse est: nam si habueris hos tres timores, dicetur de te plenè. *Replenit eum spiritu timoris Domini*: hi enim tres timores filiales sunt & casti, quòd charitate veniente non pereant, sed illius aduentu dulcorem & augmentum recipiant. Felix Paulus, qui vno duntaxat mortalis corporis pariete à CHRISTO distabat, & meritò cùm Sponsa dicere poterat: *En ipse stat post parietem nostrum*, ac proinde ardentissimè dissolui, & esse cum CHRISTO appetebat. Ego autem, qui peccator sum, dissolui non cupio, sed à corpore exire formido, quia *mors peccatorum pessima*: contremisco in ipso portus ingressu, dum propè adesse Christum non confido, qui abeuntem excipiat, multos enim parietes intermedios addidi, qui me Christo appropinquare prohibent, & ideò cùm exiero, timeo potius in rugientes paratos ad escam incedere, quàm Christo appropinquare fidenter sperem. Bernar. *ser. 56. in.* Sponsus stans post parietem carnis dilectæ suæ, diligenter prospicit per fenestras & cancellos quid anima intus agat, quid cogitet, quid desideret, abundat enim dilectæ suæ zelo: quare expedit, vt illa diligentissimè se custodiat, ne fortè in aliqua minùs decenti operatione occupata comprehendatur. Expendito etiam nullam sponsi obseruationem animam sanctam subterfugere, sed optimè intelligere, quoties ipse per cancellos & fenestras prospiciat. Diligenter etiam obseruat per singula temporis momenta aduentum spiritualem Sponsi, vt cùm primum ianuam pulsauerit, accurrens illum introducat: quare meretur ab Sponso veniente audire: *Surge, propera amica mea.* Nunquam ignorat tempus visitationis suæ, dissimilis certè illis qui cum faciem cœli dijudicare nouerint, aduentum Domini omnino nesciant. Verè visitat te Sponsus, quoties verè de peccato compungeris, vel eius amore, deuotione, feruens in ardescas: & si iam puram & tranquillam conscientiam sequatur subita quædam & insolita mentis latitudo, vel quædam luminis infusio ad plenam scripturarū & mysteriorum intelligentiam, Bernard. *serm. 57.* in fine huius sermonis ita scribit. Viam virtutis incipientes, hac visitatione nondum digni sunt, quæ est in amo-

2.Cor.6.1.

2.Cor.10,18.

Superbia privationis gratiæ causa.

Ioan.5.10.

Cant.2,9.

Phil.1,23.

Psal.33.22.

Timoris Domini commendatio.

Gratia præsente & absente timenda.

Cant.2,10. 13.

Anima quando à Sponso visitetur.

amoris dulcedine & cordis latitudine, sed sunt quasi vulnerati dormientes, in sepulchris, pressi lapidis pondere, timore diuini iudicij, donec proficientes, huius timoris sublato pondere, tanquam mole prementis lapidis liberi in spem veniæ respirare valeant. Ibi. serm. 58. Cura (inquit) non semel, sed sæpe putare animæ tuę vineam, quia putata repullulat, imò fi fieri possit, semper: semper enim, nisi dissimulas, quid putari oporteat, inuenies, quantumlibet in hoc corpore manens profeceris. Erras, si vitia tua emortua putas, & non suppressa: velis, nolis, intrà fines tuos habitat Iebusęus, premi potest, non exterminari. Vnum in tanto discrimine præsentissimum est remedium, diligenter obseruare, vt mox cum renascentium capita emerserint, prompta seueritate succidantur. Nequit virtus cum vitijs pariter crescere, quare vt illa vigeat, hæc crescere non patiamur. Demus ergo operam, putationi, putetur cupiditas, vt virtus crescere & roborari valeat. *Iam hyems* (inquit) in vobis *transijt* ô fratres, saltem in pluribus ex nobis, id est, timor ille seruilis, qui non est in charitate, qui licet omnes ad sapientiam initiet, neminem tamen consumat, sed superueniens charitas retundit illum velut æstas hyemem. Æstas enim charitas est, quę aduentu suo omnem hyemalem imbrem, id est omnem anxietatis lacrymam, quam peccati amara recordatio & amor iudicij anteà extorquebat, omninò exsiccat, & largissimè effundit dulciorem pluuiam, id est, suauissimas charitatis lacrymas. Habet namque æstas pluuias proprias, suaues, & vberes: flet quippè charitas, sed ex amore, non ex mœrore. flet dilecti desiderio, flet cum flentibus. Incumbite igitur putationi: vias nostras & studia nostra scrutemur (*Threnorum 3.*) & in ea se quilibet profeciße iudicet, non cùm non inueniat quod reprehendat, sed cùm quod inuenerit, reprehenderit. tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio aduertisti, & toties te non fefellit inquisitio tua, quoties eam iterandam censuisti: si autem hæc cùm opus est, facis, semper te facere credito. Hæc ille.

Vitia nunquam in homine emoriuntur.

Cant. 2, 11.

Æstus charitati assimilatur.

EX GERSONE, TRACTATV DE *Discretione Exercitiorum.*

CAPVT XVII.

IN eo tractatu Gerson ita deuotis personis consulit: Consilium hoc vobis do, vt deuotus homo si omnino mensuram in cibo & potu seruare nequeat, nutriat potius corpus suũ cũ aliquo excessu, quàm sibi subtrahat nimis cum defectu. Ratio in promptu est, quod corpori per nimiam abstinentiã læso vix mederi valeamus, quando autem excediture, facilè succurritur vni, aut duabus abstinentijs. Attende, Gersonem non de carnalibus, sed de deuotis loqui. Ibi. Fratres, quibus contemplationis aut deuotionis gratiam assequi licuit, nullo modo iudicent, aut contemnant fratres exterioribus occupatos, tanquam indeuotos: fieri enim potest, vt plus hi Deo complaceant proximorum charitate & obedientia: imò sibi ipsis accuratè debent inuigilare, cũ quiescant, & veluti domini recumbant, officiales autem tanquam serui ministrent illis, in multo labore & fatigatione. Vnde timere meritò debent, nè suarum spiritualium exercitationum fructum ipsi non percipiant, sed potius ad ministrantes perueniat, qui illorum causa temporalibus officijs detenti, contemplationis gratiam nequeunt degustare. Iustus enim iudex est Dominus. Ibi. Persona deuotioni dedita, nullam singularitatis notam prę alijs debet ostendere in exterioribus, est enim euidentissimum hypocrisis ac superbiæ signum, sed studeat in publico fratribus suis similis esse, idque tamen absque peccato. Ibi. Cauendum est, nequis inordinato Dominum offendendi timore angatur, inde enim oriri solent scrupuli, pusillanimitates, desperationes. Timor certè cadendi, facit casum. Nam quẽ admodum quilibet homo securè transiret ligno quamuis angusto in solo existenti, quod si tamen in alto esset, aut super profundam foueam, quamuis altius esset, non absque maximo cadendi periculo transire posset, quòd imaginatio casum faciat, & iuxta Physicorum sententiam, in magno timore totus sanguis ad cor iuuandum confugiat, quapropter cętera mẽbra viribus destituuntur, & ideò cadat necesse est: ita etiam timor ille inordinatus, & pusillanimitas procul expellenda sunt. In locis etiam tenebrosis ad timorem incitamur, ex nimio metu phantastico, videmur enim sæpe tetras imagines aspicere, sibilationes, & horribiles voces audire, cum in re tamen nil sit. Remedium ergo pro pauidis, & natura timidis efficax est, ad contraria se conuerrere eorum, quæ timorem inducunt, scilicet, ad consolatoria, contraria enim contrarijs curantur. Ideò dęmones conquesti sunt de monacho quodam eos confundente, nam cum ipsi eum vellent extollere, ipse se deprimebat: cùm autem vellent illum deprimere, ipse se extollebat, & in spem erigebat. Immoderatus timor, & pusillanimitas, & animi abiectio sæpe efficiunt, vt homo existimet se peccasse, aut alicuius concupiscentiæ, iræ, inuidiæ tentationi assensisse, cùm tamen re ipsa non consenserit. Nam quandiu ratio reluctatur, & ab illa pestifera impugnatione liberari nititur, non peccasse dicitur, non enim illud agit, sed patitur: imò quo maior impugnatio, eo pretiosior corona comparatur, licèt aliqua venialia durante pugna cõmiserit. Vt enim dicit Gerson *in tractatu de remedijs cõtra pusillanimitatẽ*. Si quis in tẽtationis conflictu aliqua cõmittat venialia, tamẽ pro pugna contra vitia, & labore pro virtutibus suscepto, non parum conciliat meriti, adeò vt pœna ipsa quam resistens patitur, deleat procul dubio pœnam venialibus debitam. Non ergo tentationis sensus, sed consensus culpatur. Idem *in dicto tractatu de remedijs contra pusillanimitatẽ* dicit: Sæpe euenire solet, vt aridus ac omninò spirituali consolatione vacuus, plus mereatur quam si deuotione & spirituali consolatione frueretur: nam ille seipsum vilificat, & corde licet frigido facit quod in se est toto animi affectu studens deuotionis gratiam adipisci. Et licet Ielus transeat & dissimulet, magis ac magis clamet, instar cæci iuxta viam sedentis instantissimè ab eo lumen gratiæ & consolationis postulet. Tunc temporis quamuis malarum cogitationum turba irruat, & ad tacendum impellat, tamen ipse magis ac altiori voce clamet, donec lumen exoptatum accipiat, idque tunc tanto labore adeptum maioris meriti habetur, quàm si illud absque vllo certamine possideret. Vnde Bernard. exponens illud: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*: Non est (inquit) hoc intelligendum de affectu, sed de exercitio: ille enim satis benè hæc implere dicitur, qui ad delectationem venire nititur, qui quamuis non pertingat vt delectetur, tamen quantum in se est, illud ipsum agit, quod ille, cui delectationem percipere licuit. Sunt quidam, qui totum penè tempus in eo expendunt, vt spiritualibus consolationibus potiantur, ac ob id exercitationes alias vtiliores, & fortasse Deo gratiores omittunt, vel ad quæ forsan ex obedientia tenentur, quasi vbi assequuti sunt, securi & quieti manent, quasi plenè munus absoluerint. Hi tunc licentiam vsurpant vagãdi ad impertinentia, non attendentes miseri acceptã

Scrupuli & pusillanimitates vnde originem sumant.

Scrupulorum remedium.

Gerson.

Matt. 10, 47.

Psal. 36. 4.

Quomodo quis in Domino delectatur.

Contemplationis gratia assequutus non debet alium contemnere qui eam non habet.

consolationem potiùs gratiam gratis datam dicendam, quàm pro merito reputandam esse, multumque ab eo cui plura donata sint, exigi debere item eam consolationem posse diu permanere cum peccatis, & proprijs affectionibus: quibus etiam aliquando accidit, vt perceptam dulcedinis gratiam quasi nihili pendentes, abijciant, & abiectam postea velint recuperare, quasi Dominum semper paratum esse ad illius gratiæ exhibitionem oporteat. Item. Cum DEVS nisi in tranquilla conscientia habitare sit solitus (*in pace enim factus est locus eius*) fugienda est nimia conscientiæ scrupulositas, qualis illorum est, qui cum absque actuali intentione ab euagatione surrepta (& non ex spontanea aut quasi spontanea) horam recitant aut psalmum, iterum atque iterum resumere non cessant, atque id sepe magis insipidè & negligentius, quàm prius faciunt: itè illorum qui nulla confessione quiescunt, quique summopere fatigantur, vt venialia omnia sigillatim dicant, quasi arbitrentur se potius ex iustitia sua quàm Dei miseratione saluandos. Idem ibi dicit: Quando aliquis ex confessionis frequentatione magis inquietus quàm tranquillus fiat, optimè faciet, si ab ea cesset frequentia (dummodo à peccato mortali liber existat) nihilominus tamen fiducialiter & humiliter superiorum & senum consilio vsus procedat. Ibi etiam inquit, quosdam esse adeò arctæ cõscientiæ, vt quo magis eam confessione purificare nituntur, eo amplius indè quasi fœdantur, propter plura denuò ex fricatione prouenientia, quæ tamen vt plurimum parui, aut nullius momenti sunt. Horum conscientia non melius roboratur, quàm si eam in pace & quiete dimittas, vt solùm lacrymarum imbre rigetur, quod si fiat, dono gratiæ solidantur. Oportet etiam scrupulosos ex timoratorum & expertorum consilio, sæpè contra scrupulos suos agere, vt sic paullatim assuescant non timere: veluti ædium ædificatores longo instructi vsu securè & intrepidè super alta tecta gradiuntur, non assueti verò mox de casu tentantur. Sæpè etiam dæmon scrupulosis ac meticulosis ingerere solet terrores, strepitus, horrores vanos, instar ioculatorum qui inusitatis vestibus horrorem pueris incutiunt, atque instar vrbem obsidentium, qui varijs figmentis & terriculationibus obsessis metum incutere conantur: Remedium ad id præsens est hæc negligere & irridere, ac insimul cum patre illo dicente loqui: Immunditia tua super te, diabole, qui immundus spiritus es: terrores tuos non timeo quia adhuc Christus viuit, qui protector meus est. Hęc Gerson. Ibi etiam scribens monet nos similes esse debere prudentibus pueris, qui volentes metum incutere, fictionibus mira arte deludunt, nec vllis terroribus quos inanes reputant, turbantur: quæ ratio optima est ad vincendum blasphemię spiritum.

Psal. 75, 3.

Scrupulositas fugienda.

Remedia cõtra scrupulositatem.

EGREGIA QVÆDAM DOCUMENTA collecta, tum ex D. Bernard. tum ex Bonauent. in tractatu meditationum vitæ Christi.

CAPVT XVIII.

Quomodo ad vitam contemplatiuã procedãdum.

ILlud primò animaduertendum est, rectum vitæ ordinem exigere, vt vita contemplatiua mediũ teneat locum inter binas vitæ actiuæ partes: nam hoc ordine rectè progrediendum est. Primo namq; vitiorum & affectionum mortificationi insistendũ est, orationi deindè & exercitio virtutum, posteà sacrarum literarum studio. Secundò quiescendum & in contemplatione quærenda est mentis solitudo, & soli Deo vacandum est. Tertiò, postquam animus per prædicta duo exercitia, virtutibus & vera est sapientia imbutus, illuminatus & feruidus effectus, ad aliam vitæ actiuæ partem debet procedere, nempè ad aliorum salutem procurandam, prædicando, scilicet, docendo, & regendo. Hic ergo est ordo rectus, vt actio purgatiua contemplationem præcedat, alioqui prępostero vtitur ordine, qui ante meritum exigit præmium, & ante laborem cibum postulat. Hęc Bernard. *serm. 40. super Cant.* Cùm dicat Apostolus: *Qui non laborat non manducet.* Et Dauid: *Amandatis tuis intellexi.* Hinc constare poterit, nemini debere contemplationis dulcedinem nisi obedientiæ mãdatorum. Appetis tu quidem contemplationis quietem, & benefacis, sed cauendum est ne obliuiscaris prius Sponsi lectum virtutum floribus spargere, alioqui ad fructum, id est, dulcem somnum & suaue contemplationis otium peruenire non poteris. Nam aliter progredi, nil aliud erit quam non exercitatus delicato otio velle quiescere, & Liæ fœcunditate neglecta, solis Rachelis amplexibus velle oblectari. Non igitur putes propriæ quietis amore, sanctæ obedientiæ actibus, seniorumve traditionibus præiudicium vllatenus faciendum non enim dormiet tecũ Sponsus in lectulo tuo, quem sibi pro obedientiæ floribus, cicutis ac vrticis inobedientiæ sparsisti. Miror (inquit Bernard.) quorumdam impudentiam, qui cum inobedientes sint & impatientes, nihilominus tamen audent ad fœdum conscientiæ suæ lectulum omni orationum instantia totius puritatis Dominũ inuocare: non enim dabit inobedienti sui copiam tantus obedientiæ amator, qui mori quàm non obedire maluit. Nec approbat tuę contemplationis inane otium, qui per Prophetam sic loquitur: *Laborauit sustinens*: signans tẽpus quo cœlo exulans & summæ quietis patria operatus est salutem in medio terræ. His enim dicet: *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Quo enim pacto, cùm lectus tuus non sit floridus, sed potius fœdus, ac putidus, tu ad illum glorię Regem audes inuitare? Si quæras, quid te velim facere, dicam. Primò quidem conscientiam tuam ab omni iræ iniquitate, disceptationis, murmuris, & liuoris emundes, necesse est: & quidquid in mente immorari cognoscitur, quod aut fratrum paci, aut seniorum obedientiæ obstat, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde bonorum actuũ flores, & laudabilium studiorum, atque virtutum ornamenta tibi cures apponere, quæ cùm feceris, ad hunc lectum floridum securè Sponsum vocare licebit. Hæc Bernard. Quòd autem contemplatiua actiuam præcedere debeat quoad secundam ipsius actiuæ partem, ex Bernard. *sermone 18. super Cantica.* Caue, ne antequam insundaris, tu semiplenus effundere festines, arans contra legem in bouis primogenito, & ouis primogenitum tondens, mirum vita ac salute, quam alteri donas, te defraudas, dum sana intentione vacuus, inanis vento gloriæ inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficieris, & lethali apostemate turgens occumbis. Quamobrem si sapias, concham te exhibeto, non canalem. Ideò tu frater, cuius satis firma propria salus nondum est, cui charitas adhuc, aut nulla est, aut adeò tenera, vt cuicũque flatui cedat, omni spiritui credat, aut cui tanta est charitas, vt vltra mandatum plusquàm teipsum proximum diligas, & rursum tantilla, vt contra mandatũ fauore liquescat, pauore deficiat, tristitia perturbetur, auaritia cõtrahatur prorrahatur ambitione, suspicionibus, cõuitijsq; exagitetur, curis expellatur, honoribus tumeat, liuore tabescat: tu inquã, in proprijs te eundè intelligens, qua nã dementia aliena curare ambis, aut appetis? Noli nimium iustus esse, sufficit tibi proximum tuũ sicut teipsum diligere:

Psalm. 118, 104.

Contemplatio absque obedientia nũ obtinetur.

Esa. 1, 14.

Esa. 1, 15.

Contemplari volens quid faciendum.

Contemplatiua actiua præcedere debet, quoad secundam actiuæ partem.

diligere: imple te prius, postea curabis effundere.

2.Cor.8.13. Prudens enim charitas affluere, non effluere consueuit. Vnde Apostolus: *Non sic detur, vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio.*

Quæ comparanda ante quam effundenda.

Hæc sunt, quæ prius comparare debes, quàm effundere audeas. Primò, Compunctio. Secundò, Deuotio. Tertiò, Pœnitentiæ labor. Quartò, Pietatis opus. Quintò, Orationis studium. Sextò, Contemplationis otium. Septimò, Plenitudo dilectionis. Quòd si virtutibus plenus, scientia quoque atque eloquentia adornatus, metu fortè aut segnitie, aut minus discreta humilitate bona verba, quę multis prodesse possent, inutili ac damnabili tegas silentio, rem

Prou.11.26. Christi detines, & te illa maledictio tangit: *Maledictus qui frumenta abscondit in populis.* Vnde Bernard. *sermone* 57. dicit, viros sanctos, qui feruido charitatis zelo ex contemplationis otio ad verbum prædicationis descendunt, semper sese arguere, & scrupulis sæpissimè cruciari. Nam dum contemplationi vacant, timent, ne fortè contra Domini voluntatem à prędicatione cessauerint: & dum prędicationi insistunt, verentur, nè forte plusquàm æquum esset, ob prædicationem contemplationis quietem remiserint: inde fit, vt inter operis fructum & contemplationis suauissimum somnum grauiter æstuent. Quapropter bonis operibus semper intenti, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agunt, & singulis momentis cum gemitu Domini voluntatem inquirunt. In tanto conflictu vnicum remedium est oratio ac gemitus, quo Deum assiduè deprecemur, vt nobis dignetur ostendere, quid, quando, quatenus nos facere velit.

Dicemus igitur aliquid de contemplatione. Si iam, charissime frater, in prima actiuę vitę parte de-

Cant.1,1. sudalti, audacter dicere poteris cum Sponsa: *Osculetur me osculo oris sui.* Iam (ait Bernard. *sermone 9. super Cantica.*) ex Sponsi gratia, multis annis sobriè castèque viuo, lectioni insisto, resisto vitijs, orationi incumbo, frequenter contra tentationes vigilo, re-

Isa 38,15. cogito annos meos in amaritudine animæ meæ, sine querela arbitror, quantum in me est, fratribus conuiuere. Nam (vt ipse dicit *in sermone Apostolorum Petri & Pauli*) in communi studeamare, & amari, blandum re & affabilem exhibere, ferre non solùm patienter, sed etiam libenter fratrum tuorum infirmitates, tam morum, quàm corporum superioribus tuis subditus esto: aliena ne cupias, te potius & tua dato, denique in sudore vultus tui panem comedas oportet. Cæterùm hæc omnia de consuetudine constant, de dulcedine nihil, mandata forsan vtcunque adimpleo, sed anima sicut terra, sine aqua in his

Cant.1,1. omnibus. Vt igitur holocaustum meum pingue fiat, *Osculetur me osculo oris sui.* Vide quæso Bernard. *sermone* 52. Triplex est contemplationis

Contemplationis gradus triplex. gradus. Primus humanitatis Christi, & est incipientium, Secundus cœlestis curiæ, & est proficientium. Tertius, maiestatis Dei, & est perfectorum. A mysterijs namque humanitatis inchoandum est, alioqui non tam ascendere, quàm ruere posses. De quibus vide *sermon 62. super Cantic.* & *serm. 43. ibi.* Admonet tamen Bonauent. non opus esse, vt actiuæ vitæ ratio, vitiorum & passionum mortificatio, cõtemplationem mysteriorum humanitatis Christi prędcedat: per eam enim maxime purgamur à vitijs, & virtutibus imbuimur, & horum mysteriorũ meditatio simul cum prima vitæ actiuę parte procedere debet. Hæc scribit *cap.* 52. De secundo gradu

Contemplationis excessus duo. vide Bernard. *serm.* 40. & 62. Quod ad tertium gradum, scilicet, de contemplatione diuinitatis, quò pauci perueniunt, vt scribit Bonauent. scito primò ex Bernard. *sermon.* 49. duos esse beatæ contemplationis excessus: alterum in intellectu, alterũ in affectu: alterum in lumine, alterum in feruore: alterum in agnitionè, alterũ in deuotione. De gradu hoc videre licet gratissima quæ scribit *serm.* 4. Cuius initium est. *Collum tuum.* Et *serm.* 62. *cuius initium est. Columba mea.* Qui (inquit) gradum hunc ascendere potuit, caueat ingredi quasi maiestatis scrutator, quia opprimetur à gloria, sed simplici oculo, & Prou.25,27. humili corde, quasi in admirationem raptus. Quòd si per excessum rapi in illâ maiestatem continget, digitus Dei hic est, dignanter hominem eleuans, non hominis temeritas insolenter altissima Dei inuestigans: rapitur ad hæc humilis, superbus verò opprimitur. Cum ergo Apostolus raptum se memoret, vt 2.Cor.12,2. ausum excuset: quis alter mortalium huic se diuinæ maiestatis horrendo scrutinio proprijs præsumat intricare conatibus, & tanquam importunus contemplator in pauenda arcana prorumpere? Scru- *Scrutatores maiestatis qui.* tatores ergo maiestatis dicuntur, qui humano ausu in eam irrumpere volunt, non qui diuino munere in eam rapiuntur. Formidolosa igitur ac periculosa est scrutatio maiestatis, pia verò & tuta scrutatio voluntatis, id solùm inquirens, quo pacto Domino placere valeam, quibus actionibus consequar, 1.Reg.16, Act.13.22. vt de me dici possit: *Inueni virum secundum cor meum.*

Scribit prætereà Bernard. quatuor esse modos maiestatem contemplandi. Primus & maximus *Maiestatis contemplandi modi quatuor.* est, admiratio ipsius maiestatis, quæ si facilè inueniat cor à vitijs, præsertim à superbia liberum, aliquantulo temporis spatio in extasi suspensum attollet. Secundus, Admiratio iudiciorum Dei, quæ dũ horrendo aspectu vehementius concutit mentem intuentis, vitia fugat, virtutes infundit, aptum reddit ad sapientiam, humilitatem denique conseruat. Tertius, Recordatio beneficiorum Dei, quæ ne dimittat ingratum, memorem solicitat ad benefactoris amorem. Quartus, Meditatio æternæ felicitatis promissæ, quæ constantiæ & perseuerantiæ vires suggerit, & subministrat. Prętereà oportet nosse di- *Discrimen inter tempus quod actiuæ & contemplatiuæ vitæ impendendum.* scrimen inter tempus, quod vitæ impendis actiuæ, quę contemplatiuâ præcedit, & tempus in quo vis te totum cõtemplationi dedere: nam primum tempus vitam exigit socialem, secundum verò solitudinem. Homo enim bonorum consuetudine vtens, citiùs & faciliùs vitiorum & passionum mortificationem acquirit, quam is qui solitariè viuit. Erubescit namque inter alios de vitijs quibus scatet, & de virtutibus quibus caret: exemplis aliorum stimulatur, corrigitur verbis, conatur defectus vincere, in quibus nouerit se alijs displicere, proponit sibi prę oculis probos aliquos viros, quos tanquam virtutis exemplaria æmulari possit, diligentissimè cõsiderat quid sit in quo eos sibi præponat, & meliores iudicet: quod maximè necessariũ est ad acquirendã humilitatis custodiam, his etiã qui multis virtutibus lucẽt. Nã vt ait Bern. *serm. 74. de tempore.* Quòd si fortè plus ieiunare potes, quàm frater, ille te patientia superat: humilitate pręcedit, supereminet charitate. De hoc etiam vide *serm.* illum 74. *super Cant.* Idem *in epistola ad fratres de Monte Dei*, ita scribit. Discito tibi præesse, vitam ordinare, mores componere, teipsum iudicare, & te apud teipsum accusare, sæpe etiam condemnare, nec impunitũ dimittere. Sedeat accusans iustitia, ster rea, & temè ipsum accusans cõscientia, nemo te plus diligit, nemo fideliùs iudicabit. Pete à teipso rationẽ præteritæ noctis & venturæ diei tu ti- *Ratio quemodo sui ipsius habenda.* bi canonem pręscribito, & superuenientis noctis regimen indicito: si districto nunquam aliundè lasciuire vacabit. Singulis horis, iuxta communis instituti canonem, sua distribue exercitia, alijs spiritualia, alijs verò tẽporalia donans: in quibus sic spiritu omnes debitum Deo exoluat, corpus verò spiritum, vt si

quid

quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo loco, suo modo, suo tempore impunitum abire nè permittas. At (inquit *Bonauent.*) tempore quo contemplatiuæ vitæ vacandum est, aliter, & longè aliter, & te viuere oportet. Nam cõtemplator soli Deo vacare debet, & in solitudine saltem mentis manere, nil ad eum de rebus communibus vel proprijs, nil ad eum de proximis quãtum ad obsequia corporalia spectare existimet, sed oratione, deuotione, compassione ad eos intendat. Nil etiam ad se de seipso attinere putet, omnia denique post tergum debet proijcere, & tãquam mortuus esse; vt plenè soli Deo vacare valeat, nisi eum necessitas vel inuitum compellat. Oportet in otio hanc addiscere sapientiam, vt habes apud Bernard. *serm. 40. super Cant. & serm. 3. & 5. in Assumptione B. Virginis.* Formam enim contemplationis exprimit Magdalena, dum sedet, dum tacet, dum interpellata non respondet, quæ denique intus rapta, foris insensibilis redditur. De ipsa quippè sapientia scriptum est: *Qui minoratur actu, percipiet eam*, ideò non vult Maria interrumpere silentij quietem, nè iucundam amittat contemplationis dulcedinem.

Contemplator quomodo viuere debeat.

Eccli. 38. 25.

Assignat autem Bernard. *serm. 23. super Cant.* quatuor contemplationis impedimenta: quæ sunt, sensus egens, cura pungens, culpa mordens, irruentia corporearum imaginum phantasmata. Primum ergo est corporalis afflictio, vt valida fames, vel sitis, vel frigus, & similia: corporalis enim morbi tempore non est locus contemplationi, nisi id diuino munere de gratia speciali fieret. Secundum est solicitudo curarum & occupationum, nam occupatio variè contemplationem impedire solet, non solùm contemplationis tempore, sed antè, & post illud, mentem reddit solicitam circa facta vel facienda. Bernard. *serm. 4. Assumptionis* ita inquit. Quemadmodum puluis oculo corporali aspersus visum hebetat, & sæpè prorsus tollit, ita externarum rerum cura, intelligentiæ oculum à veri luminis cõtemplatione repellit. Tertium, culpa mordens. Peccatum enim nondum deletum per contritionem, & licèt iam deletum, impedit contemplationem, vt idem dicit. Sicut (inquit) tenebræ corporalem visum impediunt, ita anima per peccatum tenebrosa, à contemplatione remouetur: & veluti sanguis vel humor in oculum fluens visui nocet: sic peccatum cũ in memoriam redit, in animam vsque delabitur, & mentalem visum obscurat: ideò quo tempore contemplari volumus, procul à nobis oportet peccatorum cogitationem expellere. Bernard. *serm. 57. super Cant.* ita scribit. Qui iam longioris temporis progressus, cooperante Dei gratia, in melius aliquid & lętius proficere potuerunt, hi de indulgentia præsumentes, non tam tristem peccatorum imaginem recogitant, quàm in Dei lege assiduè meditantur, & in ea die ac nocte insatiabiliter delectari student, interdum etiam reuelata facie Sponsi gloriam ineffabili gaudio speculantes in eãdem imaginem trãsformantur. Quartum postremò impedimentum sunt corporearum imaginum phantasmata, quod difficilius est omnibus prædictis impedimentis, ac ideò commendatur nimium solitudo in vitæ conditione. Monet etiam vt contemplans sit cęcus, surdus, mutus: vt videns non videat, audiens non intelligat, nec colloquio delectetur: studeat prętereà ex auditis & visis nullas retinere imagines, quare non debet mores aliorum obseruare (vt dictum est de actiuo) nè inde phantasmata referre possit. Præ omnib. fugiat secularium colloquia quantumcunque sibi coniunctorum. Quòd si obedientia, aut necessitate aliqua impellente, alicui corporali occupationi indulgeas, licèt fideliter feceris, non tamen illi eo ad-

Contemplationis impedimenta quatuor.

1

2

3

4

hæreas affectu, aut mentis delectatione, vt inde imãgines reportare possis, quibus postea Deo vacãs impediaris. De hoc optimè Bernard. *ad fratres de Mõte Dei. c. 30.* Ex quibus (inquit *Bonauent.*) apparet, quam noxia sit solicita curiositas, quæ totam animam inficiens, impuram reddit & inquietam: quàm etiam sit detestanda cupiditas, & rerum congregatio externarum, & per consequens quàm amanda, quàm pretiosa paupertas, quæ expeditam & puram animam assiduè Deo offert. Ne te moueat (ait) quòd contemplatiuus proximis nõ intendat, intendit enim Deo, in cuius dilectione actiuum excedit: actiuus tamen in dilectione proximi contemplatiuum superat. Vnde Bernard. *serm. 60. super Cant.* dicit, Monachos in conuentu esse in duplici differentia. Quidam similes sunt ficubus dulcibus: hi sunt qui non solùm sine querela inter fratres versantur, sed etiam multa cum suauitate faciles se exhibent in omni charitatis ministerio. Alij vineis seu vitibus assimilantur, spiritu feruentiores & pro Deo zelantes qui reliquis fratribus seueriores se præstant, vtpote in spiritu vehementi zelantes pro disciplina, vitia acerrimè corripiunt, aptissimè sibi vsurpantes vocem illam: *Nonne quite oderunt Domine, oderã.* Et, *Zelus domus tuæ comedit me.* Mihi (ait quidam) illi in dilectione proximi, hi in dilectione Dei eminere videntur. Idque est peculiare contemplantium zelare pro Deo, cuius dilectioni ardenter insistunt, non quod dilectionem proximi penitus omittant, sed quia primò Deo intendant, proximè fratribus: cùm verò necessitas imminet, quilibet contemplatiuus, tam incipiens, quam perfectus, intermittit fratris causa otium contemplationis. Idem *serm. super Cant.* Quoties pro iuuando proximo, qui nostra eget opera vel loquela, quieti contemplationis, aut celebrandis Missarum solemnijs supersedemus, ordo prępposterus est, sed necessitas vti lege non nouit. Dicit tamen *Bonauent.* hoc esse discrimen inter contemplatiuum tyronem, & adhuc rudem, & inter eum, qui longo contemplationis vsu perfectus existat: quod incipientis sit, quam strictius potest, Deo soli vacare, ac tam auidè solitudinem semper mentis quærere, atque etiam corporis, vt proximum & seipsum, & ipsum etiam Dei zelum negligere videatur, cum hoc ipsa solitudinis natura postulet, maximè si venientis Sponsi frequenti visitatione iucundatur. Ad perfectionem verò iam sublatus incipit pro Deo fortiter zelare, ac in simul pro animarum salute, de quibus diximus aptissimos esse ad Prefecturam.

Psal. 138. 21. Psalm. 68. 10. *Zelare pro Deo contemplantium proprium.*

Quare contemplatiua habenda sit excellentior actiua, habes à Barnard. *serm. 5. in festo Assumptionis*, & item *4. super Cantica.* Vnusquisque tamen in ea vocatione, in qua vocatus est, maneat: qui contẽplationi aptus est, in ea moretur: qui verò ministerio proximorum idoneus est, in ipso se exerceat: quare tu Monache, cum status tui conditio contemplatiuam exigat, eam totis viribus assume, præmissa (vt dictum est) actiua morali, quæ via est ad illam: gaude & gratias age Domino Iesu, qui te ad eam vocauit partẽ, quam optimam esse dixit. Ob varias tamẽ causis contemplãs contemplationem ad tempus intermittit, & actioni insistit. Prima, propter animarũ lucrum prędicationi insistit modo supradicto. Secunda præfecturæ officium, quo compellitur subditorũ intendere negotijs. Vnde Bernard. de seipso loquẽs ad monachos suos, qui quandoque nimium illum leuibus rebus importunè molestabant, sic dicit *serm. 52. in Cant.* Rara satis mihi ad feriandum à superuenientibus conceditur hora: & postquàm arguit eos qui leuibus rebus eius otium conturbabant. Supersedeo (inquit) ne impatientiæ exemplum dare vi-

Contemplatiua vita excellentior actiua.

Quibus de causis contemplatio ad tempus intermittitur à contemplante.

dear

dear infirmis, pusilli enim Domini mei sunt, in quê credentes non patiar, vt ex me scandalum patiantur: non vtor hac potestate, sed malo, vt ipsi me pro libito vtantur, dummodo salui fiant: & in eo potius requiescam, si non me inquietare timuerint pro necessitatibus suis. Geram eis morem, quoad potero, & in ipsis seruiam Deo meo, quandiu fuero in charitate non ficta, non quęram quæ mea sunt, nec quod mihi est vtile, iudicabo. Hoc solum deprecor, vt fiat eis acceptum, ac fructuosum ministeriũ meũ, si fortè mihi ex hoc inueniam in die mala misericordiam in oculis patris eorum. Et *serm. 51. super Cant.* sic ait. Loquor vobis experimentũ meũ, & quæ scribo, experimento didici: si quando comperi profecisse aliquos vestrum meis monitis, tunc non piguit (fateor) curã sermonis otio proprio prætulisse. Cum enim, verbi gratia, post sermonem iracundus quispiam reperitur mutatus in mitem, superbus in humilem, pusillanimis in fortem, aut in his virtutibus excreuisse, languentes ac tepentes referbuisse, ac vigilasse, aridos in deuotionis humore refloruisse, tunc non contristor pro intermisso iucundæ contemplationis studio, sed patiẽter ab infœcundę Rachelis amplexibus auellor, vt de Lia mihi exuberẽt fructus prouentuum vestrorum. Charitas namq;, q̃ 1. Cor. 13. non quærit quæ sua sunt, id mihi iam dudum facile persuasit, nil, scilicet, delectabilium meorum vestris præferre vtilitatibus, orare, legere, scribere, meditari, & si quæ sunt alia spiritualis exercitij lucra, hæc arbitratus sum propter vos detrimenta. Hæc Bern. Tertia intermittendæ contẽplationis causa est, quãdo recedente Sponso non sentit anima solitas consolationes, it enim, reditque Sponsus pro suo libito. Eo enim recedente, anima languet illius desiderio, & toto animi conatu eum nititur reuocare, cũ Spõsa dicens: *Reuertere dilecti mi*: si verò non reuertatur, inuocat in auxiliũ fœdales Sponsi, id est sanctos Angelos dicens: *Aduro, vos filiæ Hierusalem, vt si Sponsum videritis, nuntietis ei, quòd amore langueam.* Si autem nec his precibus accersitus redire velit, tũc anima de Spõsi voluntate cõscia reducit se ad actiuã, vt vel sic fructificare queat Sponso. Non enim decet contemplantem marcere desidia. Dicit igitur tunc Sponsa: *Fulcite me floribus stipate me malis: quia amore langueo.* Per florem fides, per fructus bona opera intelliguntur, vt dicit Bernard. & addit opus esse, vt anima quoties à contemplatione corruit, ad actiuæ vitæ portũ se recipiat. Quis enim (ait) non dico assidue, sed vel diu, dum in corpore hoc moramur, lumine contemplationis frui potuit? Cùm igitur à contemplationis lumine cadere contingat, ne descendat in ignauiæ tenebras, aut otij sed ad fororẽ iuuandam veniat, id est, ad Martham, quę etiam in luce est, iuxta illud, *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Loquitur enim de operibus, quæ coram oculis fiunt. O verè felicem veri contemplatoris vitam, cui tantum dulcedinis in diuina familiaritate inuenire licuit, vt nil aliud velit, sciat, loquatur, cogitet, operetur, quàm ad dilectum pertinentia, cuius amore omninò exististit absorptus. Inde fit, vt cętera pro luto reputet, omnem creaturam fastidiat, & solum Deum inardescat. Hinc etiam prouenit, vt dulcis sit ei solitudo, semper hominum consortia fugiat, nisi quando Dei ipsius honor compellat cum hominib. conuersari. Dulcia sunt illi omnia spiritualia exercitia, nequit lacrymas continere in præsentia dilecti. Ideò etiam nunquam otiosus manet, sed in omnibus actionibus, comedens, iter agens, manibus aliquid operans, in Dei laudibus & sanctissimis spirationibus se exercet. Et licet dolendum sit (ait quidam) pro carnalibus, quorum corda longè à Deo absunt, multò magis & propriè dolendum arbitror pro illis, qui cùm propè adsint, ipsum tamen tangere nequeunt, id est, habentes virtutes morales, carent tamen gratia deuotionis. Felix religio illa meritò dicetur, quæ aliquos (licet paucos) habeat contemplationis gratia vigentes, quos mirè fouere debent Prę lati, tanquam delicata lilia, tanquam amantissimũ Beniamin in mentis excessu præstantem, sinant eos in suo dulci somno quiescere, nè vè illos externis implicari negotijs patiantur, nec eos, vt conuentũ semper sequantur, compellant: quòd si aliter fiat, ipsorũ contemplatiuorum est tacere, non conqueri: illud pro Domini beneplacito reputãtes. Vnde si eos cruciet, aut minus dulcis videatur vocalis oratio cum vigilijs, vellentque potius suauissimæ contemplationis quieti vacare, cuius donum à Domino accepere, patienter perferant, certissimè credentes, contemplationis dulcedinem sibi in cęlis esse seruatam. Hęc Gerson *opusculo de perfectione religionis*: & ibi asserit firma ac solida & secura religionis fundamẽta in charitate & prudentia Prælatorum consistere, *Prælatorum zelus discretus esse debet.* qui lex viua, & legum mortuarum, id est constitutionum moderatores habendi sunt. Vnde quãuis religio vna sit in constitutionibus tamen non debet esse eadem in earum executione. Nam quid aliud esset æquale onus inæqualibus viribus & complexionibus imponere, quàm cũ boue & asino (vt aiunt) arare. Ideò acutè debent attendere subditorum ingenia & quid cuiuslibet natura postulet, inspicere, ac secundùm id moderati regulas in vniuersum traditas. Debent enim esse (vt inquit Philosophus) le- *Aristot.* gum generalium interpretes, iuxta id, quod singularis quisque casus exigere videbitur: quæ virtus, Psal 118, 172. æquitas in psalmis appellari solet. *Omnia mandata tua æquitas.* Vnde Iurisconsulti sæpe dicunt: *Hoc fieri debet de bona æquitate.* Seueritas verò in solis ac nudis & generalibus legis verbis consistit: quapropter Præfecti nimium statutorum verbis inniten- Terent. tes, iure dicuntur literales, & quandoque duri, erudeles, & inhumani, qui non attendunt, quod vulgò dici solet: *Leges cupiunt, vt ture regantur.* Vnde apud Comicum rectè dictum est: *Summum ius, summa iniuria.* Et apud Sapientem: *Noli esse nimis iu-* Eccli. 7, 17. *stus.* Si ergo in pastoribus zelus cum discretione cõiunctus. Nam zelus sine discretione precipitat: discretio autem: sine zelo iacet, vt dicit Bern. Curet etiam pastor ad animi relaxationes sæpe inuitos trahere, quos indiscreto feruore in austeritatibus viderit properare: nam si hi obstinatè renuant, nulla potest spes concipi de eorum profectu, cum sapientes in oculis suis, & super senes intelligere, nec vllius egere monitu sibi videantur. Profectò si quis ex his pede vno esset in cœlum sublatus (vt quidam loquitur ex Patribus) rursus deberet in terram deprimi altero pede: pes enim superbiæ nunquam regnum cœlorum intrabit. Ideò Antonius dicere solebat, *Discretionis signum maximum esse discretionis signum, maioribus esse subditum: alioqui qui ratiocinationi suę plusquam maiorum authoritati confiderit, facillimè corruet.* Tu ergo charissime qui religioni subiectus es, idque potissimum petis à Domino, vt te in agendis dirigat & illustret, ne speres hoc tibi per Angelum quasi miraculo tradi posse, sed per Prælatum tuum, cuius os *Dubia quædam erga religiosos.* obseruare debes, quasi os ipsius Dei in eo loquentis. Gerson in dicto opusculo absolutè definit quędam dubia erga religiosos. Primum, an religioso viribus debilitato, permitti deceat, vt lautiori vtatur cibo, q̃ reliqui fratres, vt professionis suæ iugũ lõgius producere valeat, nè fortè in ęgritudinẽ lapsus, deficiat: respondet, id fieri oportere, dũmodo absq; aliorum fratrũ scãdalo & murmuratione fieri posse appareat. Secundũ, An quãdo toto licet conuentui, Verbi gratia, permittitur fratribus omnibus infra aduen-

tum

Cant. 2, 17.

Cant. 3, 5.

Cant 2, 5.

Contemplatione delabẽte ad actiuã vitam reuertendum.

Matth. 5. 16.

tum sanctæ Crucis cœnare, si plenè sentiam me ea cœnandi copia non egere, an abstinere debeam? Asserit, non abstinendum, & affert statutum definitū in capitulo Carthusiens. hoc autem, vt in eo fratre vitetur singularitas, seruetur humilitas, aliorum autem indignatio ac murmur extinguatur, faciendum præcepit. *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Meditatio est vehemens animi applicatio ad aliquid vtiliter inuestigandum & inueniendum, absque eius exercitatione nemo, secluso speciali Dei munere, ad contemplationis perfectionem dirigitur, aut peruenire potest: nemo ad rectissimam Christianæ religionis normam attingit, imò vix se componit: difficile tamen est (vt inquit Gerson) venire quò meditatio ducit. Nam vt res ipsa docet, sæpe meditationis studium in melancholicæ passionis morbum, ex immoderatione conuertitur, aut in diabolicę illusionis reprobum sensum ex superbia vel meditationis ipsius abusu: benè autem & moderatè ea vtentibus facilis fit, atque suauis: veluti pingere ac scribere factu est facillimum expertis pictoribus & scriptoribus, quæ tamen facilitas nō paruo labore & assidua exercitatione est comparanda.

Psalm. 18, 15. *Meditatio quid.*

Meditanti quid maximè cauendum.

Monet præterea Gerson, vt meditantes id maximè caueant, nè efficaciter, fixè aut profundè rebus corporeis (licèt bonis) meditatione inhæreant, sed mox euolare studeant, ad abstractas considerationes, scilicet vniuersales, aut spirituales. Ex profunda simulacrorum corporalium imaginatione læditur sæpe vis phantastica, incurritur mania, obijciuntur homini variæ illusiones, ita vt multa se videre existimet & audire, quæ tamen non videt, aut audit: vt si dicat videre Christum crucifixum in Sacramento altaris, aut cantus beatorum audire: incidit etiam sæpe in vanas ac fabulosas reuelationes, imò & in errores erga fidem. Assuescat ergo rei corporalis intuitu ad immensam Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, animum attollere. Cauendum etiam est, ne circa amorem decipiamur, contingit namque (præsertim in fœminis, aut viris qui fœmineæ sunt cōplexionis) amorem erga Deum, qui purus & spiritualis esse debet in nobis, falsum esse & carnalem. Laudat ipse deuotam quandam fœminam frequenter dicere solitam: Nil est mihi magis suspectum, quàm amor etiam erga Deum, nam cùm passionum omnium sit vehemētissima, multa discretione eget, & fræno. Fuit enim fœmina, quæ spirituali amori tradi se existimans, nescio quid carnale ac fœdum se pati fatebatur in corpore. Alia verò furioso quodā amore in viros spirituales, & vitæ sanctitate conspicuos ardentissimè ferebatur, nec ad illius rapidi amoris moderationem vllis monitis retrahi poterat, cum maximo salutis suæ periculo: amor namque ille, si viris libuillet, in turpissimum fortasse finem descenderet. Hæc Gerson *libro de Simplificatione cordis.* Nunquam autem credat homo se posse proficere; quo vsque ex toto corde omnes alios, quibus cōuiuit (& alios quoscunque) seipso puriores, sanctiores, & Deo gratiores reputabit. Heu quam multi intima & occultissima turgent superbia, qui licet se ore peccatores & omnium pessimos fateantur, intus tamen de se longè aliter sentiunt. Hæc superbissima temeritas, totius cęcitatis mater, totius deuotionis, feruoris, ac pacis intimæ nouerca nō aliundè oriri solet, quàm ex eo quòd nōdum homo se verè nouerit, sed maxima erga se ignorationis caligine suffundatur. Signum autem infelicissimę huius conditionis illud est, si nimis indignetur aduersus eos, qui defectum aliquem in moribus obijciant: & hoc est, cur Deus sæpe alicui deneget deuotionis & contemplationis gratiam, licèt intentissimè postulatā: nouit enim ex habita grauius, quam sine ea superbire, Liber Cantici Canticorum vnitiuus existit, cantur enim ibi epithalamiū, id est, amatorium carmē inter dilectum Sponsum, & exoptatam Sponsam, ad quem nemo nisi à vitijs purus ascendere poterit, vt in lib. Prouerb. docetur: & illuminatus certissimo omniuni terrenorum contemptu, vt in lib. Ecclesiastici docetur. Viarum omnium quibus ad Christum ducimur, illa præcipua est, Sacramentalis confessio rectè facta: si fortè obijcias, sæpe in confessa peccata relabi (saltem venialia) illud Senecę respōdebo: *Contra vitia pugnamus, nō vt penitus vincamus, sed ne vincamur.* Ideò pauci (inquit Gerson) reperiuntur, qui arcem contemplationis ascendant, & illic quietè immorentur, quòd non multi sint, qui perfectam abstinentiam & sobrietatem sectentur, quæ nō solum debet esse à superfluis, sed etiam à necessarijs, saltem in principio. Anima enim quæ de Ægypto tenebrosæ carnalitatis egressa est, ad perfectæ contēplationis lumen venire nequit, nisi transeat per corporalis macerationis desertum. Nam (vt ait Gregorius) nemo potens est apprehendere quod supra se est nisi occidat quod in seipso est: afflictio namque corporis animam ad superna capessenda stimulat: si enim columba animæ nullam in carne inueniat cōsolationem, vbi requiescat pes eius, ad arcam internæ quietis reuerti compellitur. Hac corporalis afflictionis via Bernard. & alij ad sublimem contemplationis sedem peruenire potuere: nos autem miseri qui communem cum reliquis in victu vitam sequimur, communem etiam cum reliquis diuinorū cognitionem possidemus. Cùm Deus sit summum bonum & vnicum, perfectio verò humana consistat in appropiatione ad diuinas conditiones, oportet nos primò à malis recedere, vt bono appropinquemus. Secundò, ab infimis (etiamsi mala non sint) abstinere, vt ad summa scādere liceat. Tertiò, à multis, etiamsi bona & licita sint, separari, vt simplices & mortui seculo, illi qui vnus est assimilari valeamus. Hæc Plotinus Philosophus.

Sine humilitate nullus perfectus.

Ad vnitiuū amorem nullus nisi à vitijs purus pertingit.

Cur tam pauci ad contemplatiuā vitā perfectionem perueniant.

Ad Deum vt appropinquemus tria nobis cauenda.

ORDO QVOTIDIANI EXercitij.

CAPVT XIX.

PRimò præparatio habenda est, qua proprios multiplices defectus recogites, & commissa detestans, & veniam humiliter postulans, ad melioris vitæ conditionem redire pollicebere. Secundò, laudatio Dei est meditanda, immensæ illius gloriæ causa. Tertiò, laudatio atque insimul gratiarum actio pro acceptis beneficijs agenda. Verbi gratia, pro creatione, conseruatione, redemptione, vocatione ad Fidem, & Baptismum, ad Pœnitentiam expectatione, multorum commissorum post Baptismum remissione, à multis malis præseruatione, multarum inspirationum visitatione, Sacramentorum, vt Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, collatione, denique pro gloriæ præparatione. Decem hæc beneficia latissimum meditationi locum exhibent: & cū his simul vitam & passionem Christi meditari poterimus. Quartò sequitur oblatio ac resignatio: recogitatis enim beneficijs, aptè subsequitur. *Quid retribuam Domino*, offerens te illi, & omnia tua: offerens etiam pro te omnia merita, & labores Christi, quæ nobis data sunt. Quapropter ęterno Patri ita dicere poteris: Benefac mihi Domine propter merita filij tui & patris mei, pater futuri seculi, in suo enim testamento illorum me reliquit hęredem, permisitque vt pro eo satisfactionem eorum possem exigere, quam ipse nullam accepit, quòd ea non indigeret. Mihi ieiunauit, mihi vigilauit, mihi dolo-

res per-

1. Præparatio.

2. Laudatio Dei.

3. Laudatio & gratiarū actio.

4. Oblatio & resignatio. Psal. 115. 12.

res pertulit & opprobria. Quintò, addenda est petitio salutarium, vt charitatis, humilitatis, & similium. Petes denique dona actualis amoris vnitiui, vt in eius exercitio aliquantulum temporis liceat quiescere, ardentissime efflagitabis. Circa horum primum aduertendum est, leuiora peccata facilius deleri, si culpam agnoscens, humiliter & affectuosè ad Deum te conuerteris, quàm si ea morosius pertractans, in eorum consideratione diutius cum pusilla animitate immoreris. Igitur siue grauia sint, siue leuia, constanter permane in sancta erga Deum fiducia, proijciens illa in abyssum miserationum eius, vt ibi penitus absumantur & pereant: neque turberis, si deuotionem sensibilem, quam expetis, habere nequeas. Nam si dolor in ratione & voluntate manet, si Dominum offendisse displicet, si doles, quia non plus doleas, si statuis deinceps melius viuere, gratissima Deo est hæc contritio, licet ariditate cordis torquearis. Blosius. Vnum hoc diligenter curato, caue summopere peccata venialia, quę ex affectata negligentia proueniunt. Dupliciter namque leuia peccata suboriuntur: primò ex occasione, & humana duntaxat fragilitate: qui sic labitur, dum liber in semetipso est, odit vitia, eorumque vitat occasiones: si verò se offerant, facilè aut linguæ incontinentia, aut sensuum nimia libertate, aut passione stimulante cadit, sed mox ad se rediens dolet, & omninò auersatur, etiam minima peccata, ideò facillimè veniam consequitur. Secundò ex affectata negligentia peccare contingit, qui sic peccat, dum malorum occasionibus sublatis, libertate propria vtitur, mirum in modum easdem concupiscit occasiones, illis nimiũ afficitur oblectationis causa, & horum difficilior est curatio: si tamen post admissam culpam, confestim innouato mentis proposito, verè pœniterent, facile, & ipsi remissionem obtinere potuissent. Neque illud prætermittendum est, quòd quamuis in inferioribus ac ferinis animæ viribus, non nunquam vel vitiosa delectatio ex prosperis, vel inordinata tristitia ex aduersis, oriatur, & quanuis inanis gloriæ, iræ, vel cuiuslibet vitij impetum in te sentias, quanuis ad obediendum minus procliuis permaneas, id nihil spirituali obsistit profectui, nihil horum vitæ minuit integritatem, modò in superiori mentis ratione quietus, imperturbatusque perseueres, & Deo plenè adhærens, absurdis passionum motibus non consentias. Cum sic solicitaris, existima te alterius personam tunc induisse, & non à te ipso, sed ab alio ad malum stimulari, & illum, quicunque sit, deridere to. Blosius. Si scire velis, cur facilè pacem amittas internam, dicam, quòd spiritus tui pacem in ore hominum, non in conscientiæ testimonio, non in Deo corda & renes scrutante, collocaueris. Profectò iam viuens incola esse posses paradisi, si affectionum tuarum propensionibus renuntians, diuinæ voluntati in omnibus quę erga te ordinat & disponit, voluntatẽ tuam coaptares. Nil enim aliud te turbat, quam proprius amor, quo teipsum quæris, quo ad teipsum reflecteris, quo te in teipso, non in Deo diligis: hic solus turbat animam tuam: ex hoc oritur omnis passio & affectio vitiosa, omnis denique inordinatio & confusio: atque quo magis venenosus hic amor in te extinguitur, eo magis vera filiorum Dei libertas, verusque Dei amor in mentis tuæ penetralibus germinat. Quapropter si tibi oranti, meditãti, sacrificanti, aut sacræ lectioni insistenti, aut quoduis aliud pium opus facienti, sapidus ille deuotionis affectus non affuit, perge nihilominus incepta persequi, & concepto desiderio Deo placendi, offerto illi in laudem æternam, sterilitatem tuam & laborem, dicés: Domine sterilitatem & angustiam hanc offero tibi ad laudem & gloriam tuam, atque eam vniri velim vnigeniti filij tui doloribus, quos pro me pertulit. Hæc enim si toto cordis affectu dicas, non minus erit illi grata ariditas tua, quàm internę dulcedinis affluentia: imò fortè gratior, cum deuotio rationalis certior sit & Deo acceptior quàm sensibilis. Est autẽ deuotio rationalis omne peccatum fugere & execrari, voluntatem verò Domini vbique diligere, & amplecti: si hanc possides, nil decrescet mercedi tuæ, etiamsi illa careas. Fuge nimium animi mœrorem, vitiosam animi deiectionem, superfluos conscientiæ scrupulos, perplexas confessionis semel factæ repetitiones, & cæteras huiusmodi animi perturbationes: spiritualem enim profectum nimis impediunt. Quos tristitiæ ac pusillanimitatis laqueos tendere solet diabolus nouis in vita spirituali tyronibus: prędicta enim mala omnia producit nimia pusillanimitas, & abiectio timida, qua qui occupatus fuerit, varijs erroribus inuoluitur, omnes actiones suas peccata esse existimans. Vnde fit, vt in perpetuo quodam angore positus, perpetuaq; mẽtis perturbatione fluctuans, seipsum miserè absq; vlla causa sępe excruciet. Quibus meritò est condolendum, cum in perturbationis profundum rapiantur, qui tamen si prudentum consilio, potius quam proprio iudicio prõptè & intrepidè vellent acquiescere, facilè ab eo mẽtis morbo liberari possent, quod ni fiat, nunquam ad illam expetitam mentis pacẽ cum Deo peruenient, pacem illam iucundam dico, qua mens ad interiora rapitur, & omnium rerum externarum oblita, feliciter in Domino conquiescit, & inter dilecti amplexus sui frequenter obdormit. Nullis verbis satis explicari potest, quantum lætitię mens in huiusmodi pace percipiat, dum ex deliciarum spiritualium abundantia seipsam non capit, dum inæstimabili dulcedine repletur, ac tota repleta inebriatur, & inebriata in sanctam adducitur securitatem. Sed heu quãdiu in hoc corruptibili ac terreno corpore immoramur, non licet diu hac sancta Dei frui copula: Sponsus enim accedit, & recedit: ostendit se, & iterũ abscondit. O quale præsentium rerum fastidium, qui gemitus, quæ suspiria sanctam animam subeunt, quando ex eo excessu ad seipsam reuertitur: quando ex tantis diuitijs ad tantã inopiam, ex tantis delicijs ad tantam miseriam, ex gratissima spiritus trãquillitate, ad tam inamænas distractiones relabitur. Veruntamen hi gemitus, & intima suspiria, non modicam interim exhibent spiritui consolationem: imò etiam Sponsum, vt reditum maturet, prouocare solent. Aduertendum etiam est, exercitium quod aspirationibus, ac breuibus & iaculatorijs precationibus fit, quouis altero exercitio ad extirpanda vitia efficacius esse, ideò in promptu habendæ sunt aliquæ, quibus mentem tuam ad Deum, quoties velis, reuocare possis. Sunt autem in triplici differentia: Quædam dicuntur Deo quasi absenti, nempè verba amãtis, animum dilecti amore ardentem significantia, & velut ipsum de facie videre appetentem. Qualia sunt: Quando licebit mihi te videre? Quando tecum manere potero? Quando mundus iste mihi silebit? Quando sic in te abscondar, vt à nulla creatura valeam inueniri? Quando fiet, vt omnes huius seculi vicissitudines, & omnia eius impedimenta mihi cessent? Quando erit, vt hæc miserabilis captiuitas soluatur? Quando inclinabuntur vmbræ, & ęternitatis dies aspirabunt? Quandoq; formantur tanquam amorosa colloquia ad Deũ quasi præsentem, vt Sponsum amantissimum: qualia sunt. O amor, ô refugiũ meũ, ô gloria mea, ô deliciæ, ô thesaurus meus, dulcedo mea, quid velle possum præter te? Tu solus sufficis animæ meæ. In his non quærenda est verborum affectata polities, cùm Deus eam non quærat, sed solùm affectus puritatem: ideò licèt non ornatè, quam-

Petitio.

Deuotio rationalis qua.

Quæ spiritalem profectũ impediunt.

Peccata venialia dupliciter cõmittuntur.

1

2

Pax interna quam expetenda.

Pax interna cur sæpius amittatur.

Aspirationes ad Deum triplices.

quanuis barbarè & confusè depreceris, eademque verba crebrò repetas, non minus gratas orationes tuas existimes: imò verò exorabile pectus eius facilius expugnatur, si suauius & ardentius eadem repetantur. Fidelem tamen animam his exercitationibus deditam perturbare non debet, si fortè raro sentiat se intimè Deo, ad quem aspirat, copulari: ipse enim non minus voluntate, sanctoque desiderio lætatur, quàm si tota amore liquefacta, plenè sibi iungeretur. Frequenter namque sublimi ac pura contemplatione suspendi, gratia peculiaris existit, quam Dominus non omnibus electis conferre dignatur. Præterea anima quæ non ita dudum Ægypto egressa est, & quam vitiorum squalor adhuc deuenustat, modestiæ fines caueat transilire, hoc est, non se temerè in sacratissimos illos Sponsi cœlestis amplexus ingerat, sed prius ad Domini pedes prostrata, sordes abluere, formam excolere, habitum componere, mores corrigere curet: quæ omnia vbi tandem in melius commutata fuerint, tunc demum liberiùs (seruato tamen liberalis verecundiæ modo) se erigens, ad sublimiora obsequia æterni Regis assurgat. *Blosius.*

Conuersio-nis quomodo se habere in contemplatione debeant.

Spiritus sancti ductus sequendus.

Nolito repente fieri summus, nolito potius præuolare, quàm progredi, ne te torqueat ad cœlestis theoriæ sublimitatem peruenire non posse: humilis esto, recumbe in nouissimo loco: quod si facias, aliquando dicet tibi paterfamilias: *Amice, ascende superius.* Quare affligeris? Quare perturbaris, quod exercitationes quibus alij vtuntur, persequi nequeas? Nil refert qua via incedas, modò ad charitatem peruenias, ad quam varijs vijs perducimur, quarū quædam licèt alicui sint commoda, non tamen ideò omnibus vtilis est, non enim omnibus eadem exercitiorum ratio conuenit. Eas igitur exercitationes tibi assume, quæ naturę tuę congruant, non tam spectans quid, aut quantum alij præstiterint, sed quid aut quantum tu præstare posse videas. Hæc accuratè notanda sunt. Si senseris spiritum tuum lassari, pulsu sensibilis compunctionis, eam solerter subterfugito. Quando autem deuotionis gratia præsens est, cane ne spiritum tuum importunè, aut intempestiuè ad feruoris augmentum impellas, sed placidè fac insistas amori. Ne ad magnum & intolerabilem precum numerum quotidie persoluendum te irreuocabiliter astringas, quin potius pro affectu tuo minue, vel auge exercitia tua, nisi votum aliter facere compellat, aut obedientia: & licet, iustis tamen de causis, ea penitus omittas, non ob id nimium angaris animo, sed vbique in te ipso liber & tranquillus esse enitere. Sanctum nanque & ardens desiderium in conspectu Dei, iugis oratio est. Si fortè dies occurrat, in quo velles pro defuncto diutius orare, aut in alicuius Sancti cultum in oratione persistere nec ad id otium suppetat: vel si mentis confusionem, aut affectus duritiam metuas, si consueta deuotionis exercitia dulcia & te stimulantia omiseris, non ideò oportet ab his omninò cessare, sed satis est, si ea ad viuorum, aut defunctorum salutē, aut alicuius sancti honorem Domino offeras, aut hac intentione perficere statuas: opera enim tua pro tui animi ratione à Deo ipso suscipiuntur. Nil peragas cum pertinaci propriæ electionis decreto, nec ipsa quidem mētalia exercitia, sed diligenter sancti Spiritus impulsum obserua to, ita vt pro eius libitò, non autem pro inconstantia, leuitate, pigritia, ea mutare, deponere, & resumere liceat. Si igitur ad felicitatem hanc peruenire desideras, oportet vt ab impedimentis transeuntium rerum liberum habeas animum: nam quidquid præter Deum quęritur, mentem occupat, non satiat. Quare summopere stude, quidquid à Dei amore te auocet contemnere ac respuere: disce desiderio vana expellere, inutiles curas ac solicitudines reijcere: contende intempestiuæ hominum familiaritatis vincula rumpere, & inordinati amoris nexus erga propinquos, vel quascunque res alias externas præscindere: deniq; quæcunq; cor tuū irretire valēt aut dissipare, fortiter propellere consuesce. Ne ab aliquo vnquā expetas singulariter amari, sed vt Deus præ omnibus à cunctis ametur, nullius presentiam magnopere affectes, sed solùm spiritualis profectus gratiam: quanquam nec sic quidem alicuius præsentia cum vitiosa animi inquietudine vel impatientia concupiscenda est. Et quoniam varijs vijs Spiritus sancti impulsus interiorem hominem nostrum afficit, diuersisq; itineribus eum ad diuini amoris thalamum perducit, ideò oportet, vt ad eius impulsus paratus sis & flexibilis, vt quocumq; voluerit inflectaris, omni prorsus propria electione semota. Nam aliquando gratius erit ac dulcius, ore proferre quæ oras: aliquādo sola mente orare commodius erit ac vtilius: aliquando quælibet absque longiori mora pertransire: aliquando diutius in eorum meditatione immorari: aliquando suaui affectu eadem orādo repetere: aliquando diuersis verbis precari: aliquando psalmi recitatione, aut alia contemplatione plus dulcedinis accrescet. Præterea deuotionis suauitatē in ipsis exercitationibus nè impurè quęsieris, non in ea turpiter conquiescas, sed per eam ad Deum festinanter progredere: periculosa namq; solet esse spiritualis ingluuies, qua aliquis gratię dulcedine ad sui oblectationem abutitur. Anima quę vitio hocaltius est infecta, nequit fidelis & pudica famula Christi censeri, non enim Deo gratis obsequitur, sed Dei donum plusquàm Deum ipsum diligit, ideò seruula mercenaria, non liberalis filia est habenda. Quod eo constat, mox namque cum illa sensibilis suauitas non blanditur, turbatur intimè, acriter indignatur, consueta deserit exercitia, & timoris, pudorisq; habenis excussis, externis se applicat consolationibus: denique Deo seruiet, si ab eo se sentiat oblectari, alioqui ab eo recedit. Pudica verò Christi Sponsa non in Dei donis, sed in Deo ipso cōquiescit: quare siue Deus internam illā suauitatem infundere dignetur, siue aliter disponat, trāquilla permanens, hilariter suo Sponso famulatur, Dei beneplacitum potius quàm voluntatem suam exoptat impleri, inutilem se seruam & omni solatio indignam plenè cognoscit, atque ideò spirituales oblectationes, quas cum humilitate recipit, ad profectum cedunt. Nouit enim affectus illos sensibili plenos amore ac dulcedine, quanuis plerunque aut ferè præclara signa salutis sint, non tamen indubitata salutis argumenta iudicari debere, nisi Spiritu sancto reuelante: nam aliquando affectiones potius naturales sunt, quàm diuinæ, & in corde à Deo remotissimo gigni possunt. Blosius. Idem *cap. 27. canonis.* Communes actiones, & ea quæ ad obedientiæ rationem, vel proximorum necessitates spectant, semper priuatis exercitijs tuis anteponito, vt sic tuus esse desinas, nā vili quolibet opere per obedientiam fideliter peracto, nonnunquam magis in vitæ perfectione proficies, quàm si sublimia exercitia, propria electione suscipias. Quidquid per inobedientiam facias, totum id à Deo reijcitur, & fortè totum in perniciem cedet. Obedias igitur oportet prælatis tuis, etiamsi illi minus rectè viuere videantur, nihil penitus sanctæ præferens obedientię, sed in omnibus obtemperans, quæ certè mala non sunt. Proprium est sanctorum (inquit Gregorius) aliena bona opera, etiam si parua, mirari; sua verò, licet magna, despicere: reprobis verò è contra euenire affirmat. Consideratio est velut anima fidei, actuans eam, siue eius actuatio, aperit enim & expandit quæ latent:

Non desponendum animo si subito ad contemplationis apicem peruenire nequeas.
Luc. 14, 10.

Contemplari volenti: qua vitanda.

Deuotionis suauitas non affectata quærenda in exercitijs.

Exercitijs primatū qua præponenda.

Inobedientia exercitijs spiritualibus contraria.

latent: ideò nil confusè, & absque consideratione credendum. Qui velit deuotionis calorem conseruare, necesse est, vt semper sanctis ignem sufflet cogitationibus, nam cum affectuum torrens sensualiũ nitatur semper illud post se trahere, cor nostrum (si sanctæ desint orationes) facillimè tepescit & alget: quare oportet semper sanctę meditationis remo in contrarium niti. Natura namque nostra instar est nauis, quæ quamuis optimè compacta sit, & bitumine illita, minutissimis quibusdam rimulis fatiscens, aquam recipit: ideò assiduè sentina hæc est nobis exhaurienda: nam noxius hic venialium humor, frequenti compunctionis studio siccandus est. Semper iterum, atque iterum monebo, nè quis sibi persuadeat, contemplationis perfectionem in deuotione & amore sensibili, quem erga Deum experimur, consistere: nam is amor non spiritualis est charitas, sed instrumentum ad illam, nec aliquis sibi arroget, aut glorietur de eo deuotionis impetu, & actibus anagogicis: quoniam hæc naturali exercitatione, etiam sine gratia, possunt comparari. Quamobrem cauendum nimis est viris spiritualibus, ne prima intentio & præcipuus illorum scopus sit, suauitatem eam cõsequi, & deuotionis dulcedinem, sed mortificationem propriam, & resignationem propriæ voluntatis in diuinam adipisci: aliàs Dei gratia abuntur, etiamsi contingat eos in die septies rapi. Re ipsa compertum est, nihil esse sublimius, dignius & dulcius, quàm diuinę dilectioni actuali immorari, sed omnis difficultas in eo consistit, si instrumenta media deficiant, quibus ad eam sublimitatem actionis vtendum est: media enim sunt, quæ ad ea sublimia disponunt, & vt vno verbo dicamus, cæteros oportet externarum rerum amores expellere, vt aut non sint, aut si penitus expelli nequeant, ita ordinati sint & remissi, vt diuino amori non officiant. Mirum quippe est quam impotens sit animus noster ad duo intense amanda: quod patet etiam in amore naturali: nam si mater ardentissimè vnum ex filijs diligat, circa aliorum dilectionem remissior fiat necesse est: angustum enim est cordis nostri stratum, nec satis potest duos capere amores, sed alter illorum tepescit necessariò, vt habet Isaias.

Deuotio quomodo fouenda.

Contemplationis perfectio non in sensibili amore consistit.

Medium quo ad vnitiuum amorem pertingere quis possit.

QVOD PERFECTIO CONSISTAT *in parte affectiua.*

CAPVT XX.

SAtis constat Christum Dominum perfectionis viam docuisse: perfectionis inquam, quę non solùm eruditis, sed etiam simplicibus & idiotis conueniret, cum ad eam simplices elegerit, ac dixerit: *Confiteor tibi, quia abscondisti hæc à sapientibus.* Luc. 10, 21. Patet autem omnibus, simplices ad partis intellectiuæ perfectionem per acutas meditationes & considerationes peruenire non posse: poterunt verò partis affectiuæ perfectionem contingere per ardentissimas affectiones erga Deum & diuina. Hoc ergo primum laboris nostri sit opus, ac vt hę in nobis germinent, curandum est. Ad quem affectus ardorem excitandum satis est mysteria fidei simpliciter apprehendere, quòd Deus pater noster sit, quod pro nobis homo Christus factus est, nec tamen huc pertinet subtilia plenè considerare aut scrutari. Veruntamen si affectus durus sit & aridus meditationibus est excitandus, & earum frequentia insufflandus, donec accendatur. atque in ipsa vehementi inflammatione non in consideratione immorandum est. Quare spirituales præceptores non probo, qui solùm id discipulos suos docere curant, quo pacto meditentur, & meditationum rationem reddere possint, ac vt nouas excogitent. Vnde sæpe fit, vt hi potius curiosi aut subtiles prędicatores euadant, quàm deuoti religiosi: existimant namque plenè satisfeciſſe, si aliquid noui vi meditationis inuenerint, qui tamen nunquam vel serò ad veram vnionem, quæ sola voluntate perficitur, ascendunt. Illud ergo summo studio est enitendum, voluntatem nostram plenè Deo addicere tanquam summo parenti & pio benefactori nostro: de meditationibus verò id tantum decet assumere, quantum cuique pro sui ingenij modulo sufficere videatur. Vidimus enim sæpe simplices, nuda quadam apprehensione eorum quæ fide credunt, in amorem Domini vehementer excitari: ideò erudiendi sunt, vt Deum sibi in omnibus proponant, & intimè erga illam afficiantur, ea verò quæ ad intellectum pertinent, non nimis anxiè curent, neue spiritum quarundam meditationum finibus astringant, sed liberè intra Deum ac diuina eum vagari permittant. Meditationibus namque non aliter quàm lignis vtendum est, ad amoris ignem eliciendum, nutriendum: vel accendendum: quę tamen si illum præfocant, reijcienda sunt. Ideò ea meditationum portio assumenda est, quæ ad excitandos affectus satis esse videatur, qui si cessent, aut cor tepescat, ad considerationum suasionem confugiendum est. Si fortè contingat cor in amore accensum affectionis delectione detineri non inde amouendum est, aut deturbandum, vt ad meditationes se conuertat: nam cum in fine quiescat, non decet ad media reuocari. Sunt tamen alii, qui in rerum speculationem adeò procliues, & ad scrutandum proni, vt cum aliquid noui inueniunt, naturaliter delectentur, atque hi hanc viam ad exoptatum finem consequendum esse optimam omnibus persuadere volunt. Quapropter certas præscribunt considerationes infallibiliter explendas, cunctos sua naturali propensione metientes: atque indo vniuersalem regulam spiritualis vitę colligere quęrunt, non attendentes ad amorem vnitiuum (ad quem Dominus omnes compellat) varijs modis peruenire posse, & breuiorem ad id esse viam affectuum quàm meditationum. Hic tamen aduertendum est, duplices esse considerationes: quædam enim feruidam affectionem prędecedunt, atque hæ licet difficillimè comparentur, tamen illam parere & nutrire solet, quæ tyronum propriè sunt: quædam verò affectionem è contra sequuntur, ita vt vnitiui amoris feruor eas quietissimè ac suauissimè pariat. Nam cùm cor diuino æstuet amore, multa erga Deum, & varia Christi mysteria absque vi aliqua aut laborioso discursu intellectui præsentantur, quæ licet homini posteà loqui vel scribere. Cuius generis credo fuisse meditationes Bernardi, quas in oratione habens, fratribus posteà proponebat aut scribebat. Prætereà existimo consequentiam hanc apud omnes valere: Petrus caret illa dulcedine spirituali, seu deuotione sensibili: ergo est distractus & vagus mente, ac proinde si affectiones amoris exercere velit, id facere non poterit, nisi quadam vi & electione ad singulas adhibita. Dicitur tamen tunc habere spiritualem atque essentialem deuotionẽ, quando dulcius sit illi & iucundius in eo actu persistere, quàm ea relicta, ad humana gaudia, ac corporis recreationes descendere: Insuper aduertendum est meditationem nil aliud esse qnàm vehementem considerationem ad alicuius rei inuestigationem assumptam, siue illa sit Christi mysterium, aut Scripturæ locus, aut diuinum aliquod attributum. Hęc autem meditatio duplex est, duplicem enim finem habet, quem in ipso actu spectare possit. Aliquando namque veritatem scrutari contendit, & huiusmodi

Simplices quomodo ad perfectionem pertingant.

Meditationibus affectus excitatur.

Veraunio voluntate perficitur.

Meditationibus quomodo vtendum.

Via affectus breuior ad vnionem vita.

Considerationes duplices.

Meditatio quid.

Meditatio duplex.

di meditationi incumbunt qui concionantur, legunt, aut super diuinis Scripturis scribunt. Aliquando verò meditans non inquirit veritatem aliquam, aut sensum anteà ignotum, sed affectus duntaxat
Psal. 38,3. inflammationem: iuxta illud: *In meditatione mea exardescet ignis*, atque hæc propria eorum qui Deo sunt deditissimi, habenda est, & simplicibus atque idiotis conuenire potest. Ideò qui volunt proficere, in electo aliquo mysterio, aut passionis Christi actu, vel Dei attributo acies mentis figant, & ibi insistãt necesse est: nec ad alia recedant donec inflammetur affectus. Veruntamen quidam experti scripserũt hoc vltimum meditationis genus potius auscultatione exercendum esse, quàm discursu, inquisitione,
Psalm. 84,9. vel ruminatione, iuxta illud: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*: potiùs impulsu voluntatis in admirationem & dilectionem, quàm intellectus ad speculationem. Bern. *serm. 62. super Cantic.* præcipit contemplationi intentum diuinitatem admirari, non autem scrutari: nam non admirator maiestatis, sed scrutator opprimetur à gloria. Scrutatorem verò illum diuinæ voluntatis esse iubet, quomodò, scilicet, Deo placere valeat, is namque scrutator quantumcunque sit diligentissimus, non opprimetur a gloria, quin potius in ipsius gloriam tale vertetur scrutinium. Idem Bernard. de scala claustralium meditationem sic definit. Meditatio est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis inuestigans. Contemplatio est mentis in Deum suspensæ eleuatio æternæ dulcedinis gaudia degustans. Lectio inquirit, meditatio inuenit, contemplatio degustat, oratio postulat. Dominus dicit: *Quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis*: hoc est, quærite lectione, inuenietis meditatione, pulsate oratione, & aperietur vobis contemplatione. Lectio apponit ori solidum cibum, meditatio frangit, oratio saporem conciliat, contemplatio est ipsa dulcedo, quæ iucundat & reficit. Lectio & meditatio, tam bonis quàm reprobis communis est, contemplatio verò non, nisi desuper immittatur. Illud, *In meditatione mea exardescet ignis*, exponit, intelligens de igne desiderij perueniendi ad contemplationem. Bernard. *serm 68. super Cant.* Merita proinde habere cures: habita, data noueris: fructum speraueris Dei misericordiam. & omne periculum euasisti paupertatis, ingratitudinis, & præsumptionis.

Meditationis definitio.

Prou. 25, 27.

Contemplationis item.

Luc. 11, 9.

Psal. 38,4.

§. I.

¶ Habere ergo stude merita ad promerendum, non ad præsumendum: habere licet præsumptionem, non de meritis proprijs, sed de Dei ipsius misericordia: sed illud attendere oportet quòd sicut ad meritum satis est de meritis non præsumere, sic meritis carere satis est ad damnationem. Non tamẽ cuiuis animæ licitum est dicere seu promere ineffabilem illum diuini amoris ructum: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Sed tantùm animæ illi quę nil præter Deum amat, vel quod propter Deum dignum sit amari, cui viuere Christus nõ tantum sit, sed iam diu fuerit, cuius otium & studium sit, prouidere Dominum in conspectu suo semper, & solicite coram eo ambulare. Bernard. *super Cant. 69.* & idem *serm. 67.* hæc scribit. Dilectus ita solicitãt de anima curam gerit, ita illi inuigilat, quasi nil aliud agat: quæ Spõsi solicitudo & studiũ eam reddit non minus solicitã, & ipsi intentam, quàm si nil aliud videat, aut curet præter ipsum. In plerisque autem intelligam mihi adesse Spõsum, videlicet si sensero pectus & sensum, ad intelligendas scripturas, & sermonem sapientiæ percipiendum aperiri, & eius fructus ex intimis ebullire, aut infuso lumine desuper reuelati mysteria, aut certè expandi mihi quam largissimum cęli

Cant. 2, 16.

Sponsus quã solicitam animam curam gerat.

Sponsi præsentia quibus indicijs cognoscenda

gremium, & vberrimos inde infundi meditationum imbres. Item si pariter affluat humilis quædam, sed pinguis intimæ aspersionis deuotio, vt veritatis amor agnitæ intimum vanitatis odium in me generet & contemptum, ne fortè aut scientia inflet, aut visitationis frequentia extollat. Quòd si pro viribus perseuerem tantæ dignationi æquis semper actibus & affectibus respondere, ita vt gratia Dei in me vacua dici nequeat, tunc etiam mansionem diuini Spiritus apud me conijcere potero. Quantam existimas ex ea mansione inter Verbum & animam gratiam familiaritatis oriri? Quanta (bone Deus) de familiaritate sequitur fiducia? Quę cum ita sint, dicere non veretur: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Huius igitur dilectionis gratia ardenti solicitudine inquirit quomodo Sponso placere, & ipsi in omnibus & per omnia respondere valeat. At recedente Sponso, id est, dulcissimæ contemplationis gratia cessante, sponsa reuocat abeuntem, & post eum magnis ardentissimorum desideriorum vocibus reditum postulare non cessat. Valida enim vox est desiderium dicens: *Reuertere reuertere dilecte mi.* Et, *vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne auertas faciem tuã à me.* Hæc vox continua esse non desinit, cum affectus desiderij continuus semper existat. Profectò Sacramento hoc solum illa anima fouetur, quam frequenter Sponsus inuisere sit solitus, cui familiaritas ausum, cui gustus famem, cui contemptus omnium terrenorum otium dederit. Cui animæ ideò Sponsus se subtrahit, vt recedens auidius vocetur, & rediens fortius teneatur: ideò enim aliquando simulat se longius ire non vt abeat, sed vt audeat, *Mane nobiscum Domine.* Hęc Bernard. *serm. 74.* Quo in loco fatetur Verbum sæpe in animam suam descendisse, ac signa aduentus sui exponens, scribit: quę tamen maxima mentis trepidatione palàm se proferre ait. Periculum (inquit) meum video, nec illud videns, satis caueo, vos me cogitis, & prorsus cogitis ambulare in magnis & in mirabilibus super me. Heu quam vereor, ne subinde audiam: *Quare tu dedicias meas enarras, & assumis Sacramentum meum per os tuum?* Excusabit forsan audaciam trepidatio ipsa mea, sed multo potius vestra, si inde proueniat ędificatio. Prodar igitur, vt prosim, etsi profeceritis vos, insipientiam meam consolabor, sin minus confitebor. Dixerat autem superius *in fine serm. 73.* Ego quidquid illud est, quod in meipso diuino munere experiri licuit, coram eloqui non verebor. Nam si postquam auditum fuerit, vile videatur & contemptibile, non tamen id mea referre existimo: scio enim quòd spiritualis vir me non despiciet, reliqui verò me non intelligent. Igitur quando Verbum ad me venit, vnde veniat, aut quò vadat, qua ingrediatur, aut qua exeat plenè nescio. Item, licèt ingressum eius, aut exitum nunquam senserim, præsentisse tamen fateor. Sentio quando adest, cum abest, affuisse recordor. Quæris, cùm ita sint inuestigabiles viæ eius, & vestigia eius non cognoscantur, vnde norim ipsius præsentiam? libentissime dicam. Ex quàm plurimis signis (quæ superiùs ex eodem attulimus) videlicet veniens cœpit euellere, destruere, ædificare & plãtare, arida rigare, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, denique mittere praua indirecta, & aspera in vias planas, *vt benedicat anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Erant tunc temporis in me penitus compressi carnales affectus: & ex eorum cõpressione admirabar potentiam virtutis eius: ex meorũ occultorum redargutione, *profunditatem sapientiæ eius intellexi*, ex morum meorum quantulacumque emendatione mansuetudinem bonitatis eius experrus sum, denique ex renouatione spiritus mei,

Cant. 6, 12. Psalm. 26, 8.

Luc. 24, 29.

Psal. 49, 16.

S. Bernardus quibus signis eam cognouerit.

Psal. 102, 1.

Luc. 1.

& in-

& interioris (vt sic dicam) hominis decoris eius speciem percipere licuit. Post illius verò dilecti discessum ebullienti ollæ, si ignem subtrahas, similis maneo, ilicò enim languore quodam tepescunt, ac frigescere incipiunt interiora mea, hoc autem signo abscessum eius plenè noueram. Cuius discessu necesse erat animam meam tristari, donec iterum reuerteretur. Quare familiarissimum erit mihi Sponsæ verbum: *Reuertere dilecte*: & quoties elabetur, toties à me repetetur: nec clamare cessabo, quasi post abeuntis tergum ardenti cordis desiderio, vt redeat, & reddat mihi lætitiam salutaris sui, & reddat mihi seipsum. Fateor vobis, filij, quòd nil aliud interim libet, dum abest quod solum libet: idque postulo, vt non in vacuum veniat, sed plenum gratiæ & veritatis, more nempè solito, sicut heri & nudiustertius: vt, scilicet, sciam exultare cum tremore, vt verè ostendat me mihi, ne quasi insolenti deuotione priuatim exultare incipiam. Nam ea de causa plerosq; deuotionis gratia priuatos legimus, quòd plusquam oportuit sibi in ea complacuissent, vt Angelo illi accidit, de quo scriptum est *Ezech. 28.* Perdidisti in decore tuo sapientiam, quòd totum se non retulisset in Deum, quo se virginibus fatuis similem non cognouisset, quæ non alia de causa stultæ factę sunt, quàm quòd se sapientes reputauerunt. Ideò illis dictum est: *Nescio vos*: prout & illis qui miraculorum gratiam ad suam vsurpare gloriam voluerunt. Denique omnia quæ nobis diuina bonitas liberali manu contulit, mox amittimus, nisi ea fidelissimè reponamus, atque in manibus ipsius beni-gnissimi datoris recondamus. *Veni ergo dilecte, & assimilare capreæ hinnuloq; ceruorum.* In caprea acumen est visus, in hinnulo hilaritas: veni ergo, hilaritatem, & lætitiam, ac mei & tui acutissimam cognitionem simul infundit. Si fortè hæc non intelligis, non mirandum est, nam vt ipse Bernard. *in serm. 79.* scribit, cum amor vbique loquatur, necesse est, vt qui horum, quæ dicuntur, notitiam velit adipisci, amet: alioqui frustra ad audiendum, legendumve amoris carmen accedet. Frigidum enim pectus ignitum eloquium capere non potest: ac quemadmodum qui Græcè non nouit, Græcè loquentem non intelligit, sic qui non amat, amoris idioma percipere non valebit: quinimò in *auribus eius erit velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

Cant. 6, 12.

Complacentia maximè cauenda.

Matt. 25, 12.

Cant. 8, 14.

Cantica Canticorum intelligere qui vult amet necesse est.

1. Cor. 13. 1

§. II.

¶ Audito præterea hæc, quæ de amore scribit idem Bernard. *sermo. 83. super Cantic.* Meritò dicit Apostolus *Ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos*: Ea namque animæ ad Christum vnanimitas per amorem, scilicet, vt diligat sicut dilecta est, maritat animam verbo, nam si perfectè diligit, nupsit. Hæc vnanimitas animam accendit, vt ad Deū fiduciali-ter accedat, & verbo constanter inhæreat, consulens illum de qualibet re, denique quantum capax est intellectu, tantum desiderio audax existit. Nec obstat dissimilitudo vel imparitas personarum: nam amor reuerentiam nescit, qui ab amando non ab honorando dicitur: honoret sanè, qui horret, qui stupet, qui metuit, nulla horum penes amantem sunt, amor sibi abundat, amor vbi venerit, cæteros in se traducit, & transmutat affectus, Propterea amans anima amat, & nil aliud præter amorem nouit, fertur votis, trahitur desiderijs, dissimulat merita, maiestati oculos claudit, quos aperit voluptati. Denique abeuntem Sponsum intrepida reuocat (nec mirum, ponens enim in salutari, fiduciaaliter agit in eo) & cum fiducia delicias repetit suas, solita libertate non Dominum vendicans: sed dilectum. *Reuertere* (inquit) *dilecte mi*, mirum quippè

Ephes. 5, 2.

Nuptiæ spirituales quo modo contrahantur.

Cant. 6, 12.

videri debet, cur ille à nobis honorandus & meritò stupendus amari potius à nobis exigat: sed cum Spōsus & Sponsa sint, quam aliam inter Sponsos quæris necessitudinem, quàm amare, & in simul amari. Adde quòd hic Sponsus non solum amans, sed amor ipse est. Non memini me vnquam legisse quòd Spōsus honor esse vellet, dixit enim aliquando, *Si ego Pater, vbi honor meus?* Sed cum sponsum exhibeat, mutat verba dicens. *Si ego sponsus, vbi amor meus?* Denique honor ille, qui non ex amore prouenit, nō honor est, sed adulatio, & licet soli Deo honor & gloria exhiberi debeat, horum neutrum Deo gratum est, nisi amoris melle condita fuerint, amor per se sibi sufficit, & per se, & propter se placet, ipse amor sibi meritum, ipse sibi præmium est, non requirit causam, aut fructum postulat, fructus namque vsus eius est: amo (inquit amās) quia amor, & amo, vt amer. Inter reliquas animi affectiones solus amor est, in quo creatura creatori respondere valeat, licet non ex æquo: nam si Dominus mihi irascatur, non ideò licet mutuo irasci: in amore verò non sic: nam cum Deus amet nil aliud expetit q̄ amari, & ad hoc potissimum amat, vt mutuo ametur amore, cum Sponsus sit purè amor. Filij huius seculi quanuis parentes ament, tamen id faciunt de hęreditatis accessione cogitantes, qui amor suspectus existit, cum in spe alicuius rei adipiscendæ collocetur. Purus amor mercenarius non est. Purus amor spe non alitur, diffidentiæ damna non sentit: & hoc vere est esse Sponsam: nam Sponsæ propria spes & supellex vnus est amor. Hæc ille: & addit, Amorem hunc tantum serenitatis, quantum synceritatis habere. Qui vinum vendibile populo exponunt, vt magis venale fiat, primum cuilibet petenti poculum gratis exhibent, si plus velis, pecunia præsenti poteris comparare: non aliter Dominus initio tyronibus spiritualis dulcedinis poculum absque eorum meritis propinare solet, postea verò eos in ariditate relinquit: vt vires suas exerceant, & proprijs expensis expetitam ac iam degustatam comparent dulcedinem. *Dilectio* dicitur *fortis vt mors*: nam tanta illius vis est, vt in hominibus viuentibus affectus extinguat, quos sola mors delere poterat. Exempli gratia, quidam sunt, quos nisi mors castos aut humiles reddere posset, hi tamen diuino ardentes amore, affectionum ignem diuina dilectione sopire valent. Bernard. *serm. 82. super Cantic.* dicit, hypocrisis duplicitatisque virus hæreditario iure ad omnem Adæ & Euæ posteritatē pertinere, cùm hi post peccatum duplicitatis vitium induerint, & nuditatem suam ficulneæ frondis vmbra, & verbis excusatorijs tegere conati sunt. Atque hęc hæreditas in filios descendit, qui nolunt, aut ægre patiuntur videri id, quod sunt. Ipse etiam alibi scribit: *Mali volunt esse, & non videri: boni verò videri cupiunt, cùm non sint.* Idem Bernard. *serm. 84.* Optimus tunc pessimus efficitur, si id ipsum optimū esse sibi ascribat. Dicis, absit à me, vt talia suspicer, optimè noui gratia Dei me esse, quod sum. O miser hypocrita, dicas quæso, æquum existimas pro donis, quę à Deo acceperis, inanem gloriolam captare? Quod cum facias, ex ore tuo te iudico, seruus nequam es & fur. Nam quid scelestius esse potest seruo sibi Domini sui gloriam vsurpante? Consule ergo Bernard. qui *serm. 85.* sic scribit. Dissentire & tibi aduersari oportet perpetuò, forti & vigili lucta aduersus teipsum prælieris, necesse est, vt innatis affectionibus & inueteratæ consuetudini valeas reluctari. Si Sponsæ sæpe complexum Sponsi expertæ, ac solicitę eius præsentiam requirenti (de ea autem Sponsa superius loquebatur) aliquis dicat: O peccatrix, cur non times iudicis præsentiam? Fidenter respondebit. Non timeo: quia amo, quod ni

Solo amore Deo responderi potest.

Cant. 8, 6.

Dilectionis vis.

Hypocrisis malum.

amarem, facere non possem: paueant qui non diligunt. Nam quibus amare non datum est, quid ni insidias assiduè metuant? Ego verò amans mutuo me amare dubitare nequeo, nec eius vereor vultum, cuius dulcissimum senserim affectum. Nunquid quęsitus irascetur, qui contemptus aliquando dissimulauit? Aut repellet inquirentem, qui contemnentem requisiuit? Ideò cum illius clementiam expertus fuerim, fortior ad eius inquisitionem fio. Bernard. *serm. 84.* Caue, ne spiritus tuus inquietus sit & vagus, vt spiritus Satanicus, quæ dixit: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Iob. 1, 7. Similis namque huic spiritui redditur homo suis affectionibus addictus, licèt in Angelorum commercio sit, id est, virorum internæ quieti & vnioni studentium. Vnde Doctor quidam scribit, verum ac prudentem spiritualis doctrinæ magistrum id potissimum esse, & in eo omnem operam & studium collocare debere: nempè in dirigendo ac simplificando discipuli spiritu. Discipulus item intelligat, necesse est in ea cordis simplificatione sitam esse omnem sui profectus spem, ideoque ab eo frequenter debet quærere præceptor: Quid hoc temporis articulo cogitas? Quæ cogitatio subit, quando in hortum te confers? Vt pro discipuli responsione plenè intelligat, quid prouidendum sit erga illius commodum: quod si faciat, assimilabitur vigilanti & prouido pastori, qui gregem suum ducit ad interiora deserti. In eo qui in disciplina spiritualis vitæ velit proficere, ante omnia dirigendum est cor, quemadmodum in sui compositione corporis primò formatum est. Nam iuxta D. Bonauenturæ sententiam: omnis exterior vagatio ex interna dissolutione promanat, ideò radix est prius extirpanda, vt ramus inde proueniens sterilescat. Caueat Magister in compositione oculorum & manuum discipuli diu insudare, existimat enim typo in ea exteriori compositione totum verti negotium, vnde sæpe fit vt ad eam se conuertens, quæ præcipuè curanda sunt, negligat.

In simplificatione omnium spes profectus.

§. III.

¶ Doctor quidam, & qui in spiritualibus exercitijs multos progressus fecerat, scribit, se post multam & profundam considerationem, & experientiam reipsa comperisse nil maiori studio in religionibus curandum esse, quam vt tyronum seu nouitiorum magistri sint inter omnes probatissimi, & in spiritualibus expertissimi: nam nisi optima educatio in principio adhibeatur, fit, vt quàmplurima immedicabilia mala subsequantur. Tyronibus namque præceptore opus est, qui spiritualis vitæ optimè nouerit fundamenta substernere, & hoc propriè est ambulare in spiritu, vt cũ discipulus verbo vno tentationes suas, & spiritualia dubia significare voluerit, confestim ipse intelligat quæ ille satis explicare nequit: imò inde conijciat tentationes sibi non explicatas. Etsi ad hoc plures magistri non inueniantur, vnus aut alter si sint, per conuentus ad hæc docenda circumferantur. In hoc cognoscere poteris, an quilibet proprio ac priuato amore spirituali quieti, ac deuotioni sensibili inhæreat, si fortè eueniat, vt necessitas fratris contemplationis dulcedinem relinquere postulet: contemplans verò prætermisso charitatis actu, qui ad vtilitatem proximi spectet, deuotioni sensibili insistat, hic potius seipsum quærere, quàm Christo velle placere dicendus est. Heu (inquit Gregor. *in fin. Moral.*) quòd rectam intentionem nostram (quæ soli Deo placere appetit) nõnunquam intentio minus recta (quæ de Dei donis placere studet hominibus) comitatur. Si autem diuinitus districtè discutimur, qui inter ista remanet locus salutis? Eidem namque intentioni, qua Deo placere cupio, nescio, qua pacto laudis humanæ intentio se latenter immiscet. Si infantulus ad matrẽ confugiat, dirum aliquid perhorrescens, vides quã affectuosè, quam pie illum excipiat, brachia extendens illum amplectatur, & vbera retegens, illum lacte foueat, faciem suam infantuli faciei dulciter apponat: longè dulcius (mihi credito) occurrit summa bonitas his, qui illius causa affliguntur, iuxta illud *Isaiæ 66. Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Isa. 66, 12. Doctor quidam hac vtitur similitudine: Si quis tibi in octo dies commodaret equum, vt liberè eo vtereris, tu tamen toto illo dierum spatio equo non insideres, sed ipsum in stabulo ferocire permitteres, fortasse cum equitare velles, sessorem non pateretur: ideò tu si stimulatum te sentias spiritualium exercitationum desiderio, aut pro Deo aliquid patiendi, aut in fratrum vtilitatem concionãdi, ni ea desideria, quamdiu stimulant, exequaris, auferetur à te talentum, nec iam poteris, quod prius poteras, vel saltem longè difficilius, ita vt lucerna illa ardoris extincta in tenebris manere contingat. Obedienter igitur ausculta spiritui & conscientię stimulanti ad opera indubitanter bona, alioqui à multis bonis proculdubio cades, vt dicit *Chrysost.* Heu (inquit *Bonauent.*) quantopere dolendum est monachos quosdam ęgrè ferre in domo Domini contemni, qui domi suæ non nisi contemptibiles esse potuerunt. Bernard. *in 5. ad Eugen.* Toties peregrinatur consideratio nostra, quoties ab æternis ad inferiora descendit intuenda vel prouidenda: quando tamen per hæc illa requirit, non procul exulat, sed repatriat. In hac valle lacrymarum moramur, in qua caro regnat, consideratio exulat: in qua sensus corporis vigent, mentis verò oculus caligat. Sunt qui gradum sibi in rebus sensibilibus constituunt, vt ad inuisibilia ascędere valeãt: longè tamen ille felicior qui rerum & sensuum vsu spreto, quantum humana fragilitas patitur, non ascensorijs gradibus, sed inopinatis excessibus ad sublimia illa interdum contẽplando euolare consueuit. Proh dolor! Quorsum affectus nostros cœno immergimus? Quare timemus quæ non oportet, amamus quæ non decet, dolemus vanè, gaudemus futilius. Et hoc est in causa quare liberè volare non liceat: nec Deum hic cõprehendimus (eo modo quo fieri potest) nisi sancti simus, vt cum omnibus Sanctis eum comprehendamus, vt inquit Apostolus *ad Ephes. 3.* Si quæras qua ratione sancti comprehendant, dicam, Si sanctus es, iam comprehendisti, sin minus esto, & tuo scies experimento: sanctum autem facit affectio sancta, & timor Domini sanctus, & sanctus amor. His duobus vltimis perfecte ornata mens velut à duobus brachijs dilectum complectitur, astringit, & tenet: & ait, *Tenui, nec dimittam.* Cant. 3, 4. Comprehendis autem timore sublimitatem potentiæ Dei, & ipsius sapientię profunditatem. Quid enim tam timendum quàm potentia cui resistere non possis, & sapientia cui non valeas abscondi: amoris verò brachio comprehendis longitudinem æternitatis, & latitudinem charitatis eius. Quid tam amabile quàm æternus amor? Ecce iam vtcunque intelligis illud Apostoli: *Vt possitis cõprehendere cũ omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, atq; profundũ.* Ephes. 3, 18. Hæc Bern. & subiungit: Stupeamus ad sublimitatem potentiæ, paueamus ad iudiciorum profunditatem, æstuemus ad latitudinem charitatis, sustineamus considerantes longitudinem æternitatis. Quando Dominus cor visitat deuotionis sensibilis stimulo, aut feruore aliquo, illum prompte decet arripere, arreptum blande fouere, & feruentissime insuflare vt diutius duret. Gregorius *in epistola 27. libro 6.* rogatus, vt quibusdam monasterijs aliqua spiritualiter scriberet

Magistri nouitiorum quales esse debeant.

Quinam seipsos quærat.

Gratia oblata non vtendum.

Consideratio nostra quando peregrinatur.

Deus quomodo cum omnibus Sanctis comprehendi valeat.

scriberet, renuit dicens: Monachi qui per compunctionis gratiam sapientiæ fontem intus habent, nostræ siccitatis guttulis foris non egent: nam quemadmodum in paradyso pluuia non fuit, sed fons de medio eius ascendebat, qui irrigaret faciem terræ: ita animæ quæ per compunctionis gratiam aquæ viuæ fontem in semetipsis habent, alienæ linguæ pluuia non indigent. Gregor. *in vltimis verbis Pastoralis*. Plerumque omnipotens Dominus rectorum mentes quamuis maiori ex parte perficit, imperfectas tamen in aliquibus esse permittit, vt licèt miris virtutibus rutilent, imperfectionis suæ tædio tabescant, & de magnis se non extollant, dum adhuc contra minima innitentes laberentur: denique cum extrema vincere non valeant, de præcipuis actibus superbire non audeant.

EXCERPTA EX OPVSCVLO Bonauenturæ de præparatione ad Missam.

CAPVT XXI.

Tria quæ in Missa offerantur à Sacerdote.

TRia offert DEO sacerdos in Missa. Primum, corpus & sanguinem Christi, quæ sunt ibi realiter contenta. Secundum, offert passionem Christi, id est, externa quæ pertulit supplicia, & mortem denique ipsam, & hæc non sunt realiter cõtenta, sed repræsentata tantùm. Tertium, offert totam Ecclesiam cum omnibus donis suis, & hoc est sacrificium spirituale. Cùm sacerdos purè liber est à mortali peccato, & nullum habens impedimentũ, non ex reuerentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in se est, priuat Trinitatẽ laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, seipsum remedio contra quotidiana peccata & infirmitates, denique sponte diuinum eleuat cultum, latriam denegans creatori. Celebrato Sabbato in corde tuo ab omni cura & cogitatione, consideratione odoriferam crucis oblationem, & cogita idem odoris esse in oblatione tua ex opere operato: quare cauendum est, ne ex operantis parte puteat. Accedens igitur ad hoc sacrificium celebrandum, rectifica in primis intentionem tuam, teipsum scrutans, quo desiderio accensus accedas: nam si lucri, fauoris, consuetudinis vè causa commotus aduenis, væ tibi, væ tibi, & vę omnibus quorum non parvus est numerus, qui ad Sacerdotium promoueri student, non vt cœlestem, sed vt terrenum panem inquirant, & pro ambitione sua ditari possint de Christi patrimonio, ideò væ væ. Trahant te igitur desideria hæc. Primò peccatorum, quibus morderis, purgatio. Secundò, tuarum ęgritudinum curatio. Tertiò, desiderium alicuius gratiæ, aut spiritualis beneficij impetrandi. Quartò, vt calamitatem aliquam qua opprimeris, subterfugere possis. Quintò, vt gratias agas pro beneficijs omnibus, tam communibus, quàm priuatis. Sextò, compassio proximorum viuorum & defunctorum. Septimò, laudum Dei, & Sanctorum suorum commemoratio. Octauò, id intensissime postulare, vt Christus feruido amore visceribus tuis vniri dignetur, vt ardentius appetas augmentum gratiæ, purificationem ab omni carnis inquinamento spiritus, & ab omnibus tentationibus & periculis libertatem. Admirare, stupe, datam tibi potestatem quotidie operandi, quòd semel Christus fecit in cœna. Meditare sacrificij efficaciam, recole diligenter illud: *Hæc quotiescunq; feceritis*, &c. Cauebis autem summopere solum in eo sacrificio spiritualis dulcedinis ibi datæ gustum attendere. Gerson *super Magnificat* ita scribit. Celebraturus non tam inquirat, an sibi deuotus, recollectus, ac tranquillus videatur, quàm si præcepta Domini seruauerit & seruare proponat: si verò adhæc spiritualis dulcedinis stimulos senserit, gratissimè recipiat. Immediatè ante communionem dic mentaliter: Domine quis tu, & quis ego sum, vt ausim te mittere in fœtidum & olidum corporis, atque animæ meæ sterquilinium? Quare me formasti, vt tibi iniurius esse possem? Mille enim annos non æquè sufficere ad tam nobile Sacramentum pro eius dignitate profiteor percipiendum. Quid ergo miser faciam, qui quotidie delinquam, & in peccatis perseuerem? Christi doloribus summè condolens, ante illum teipsum viuifica, & coram ipso effunde animam tuam. In fine idem *B. Bonauentura* his vtitur verbis. Si post communionem refectionẽ aliquam spiritualem non sentias, non leue iudicium est spiritualis ægritudinis vel mortis. Ignem posuisti in ligno & non calescis? Mel habens in ore, non sentis dulcedinem? Deprauatæ valetudinis certissimũ id esse signum ne dubites. At si sentias spiritus lætitiam, attendas quæso, quantis te beneficijs cumularet si vitam corrigeres, qui te in ea vitæ conditione manentem, tantis bonis solicitare non cessat. Et certè mirandum est, quomodo post huius suauissimi cibi perceptionem rursus ad degustanda stercora reuertaris: hoc est, erga aliquam creaturarum afficiaris. Stude pro viribus conscientiæ puritatem & actualem deuotionem acquirere, attende mensam illam esse delectabilem simul & terribilem, tremendam & iucundam: ideò ama, time, treme, & fide.

Sacerdos non celebrans, quibus derogat.

Scrutinium sacerdotis.

1. Cor. 11, 25.

EX SOLILOQVIO EIVSDEM D. Bonauenturæ.

CAPVT XXII.

FLectamus genua cordis cum Paulo ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt per ipsum corroborati in interiori homine possimus *comprehẽdere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, atque profundum*. Quadripartita namque est exercitatio interior. Primò exploranda sunt interiora nostra, atque profunda, qualiter à Deo formata sint per naturam, deformata per culpam, reformata verò per gratiam. Secundò reflectendus est contemplationis radius ad exteriora nostra cogitãda: instabilis enim est & fragilis omnis humana opulentia & dignitas. Tertiò meditari oportet inferiora nostra, scilicet, mortis necessitatem, iudicij seueritatem, gehennæ acerbitatem. Quartò, erigendi sunt interiores oculi ad æternam illam ac perpetuam felicitatem.

Eph. 3, 16.

Exercitatio interior quæ duplex.

EX ITINERARIO MENTIS in Deum.

CAPVT XXIII.

ORatio mater & origo est omnis actionis sursum in Deum, atque in simul scaturigo veræ contemplationis, quæ est simplex deitatis intuitus cum admiratione & suspensione: quòd sic patebit. Summum bonum, cuius fruitio beatos nos efficit, est supra nos: igitur nemo ad hanc fruitionem summi boni pertingere poterit, nisi supra seipsum ascendat: supra nos autem extolli non possumus, nisi vi superioris virtutis nos extollentis, quæ auxilium diuinum propriè est, quòd dari non solet nisi humiliter postulantibus. Atque ea de causa Dionysius *in lib. de Mystica Theologia*, volens nos ad mẽtales excessus instruere, præmittit primò orationem dicens: *Oremus*, id est, dicamus ad Dominum: *Deduc me, Domine, in via tua, & ingrediar in veritate tua*. Orationi adiungendæ sunt binæ famulæ, quæ

Oratio contemplationis origo.

Psal. 85, 11.

Orationis perfectus.

eam assiduè comitentur, atque hæ sunt, conuersatio sancta, & meditatio perspicua: quibus omnibus facile erit ad contemplationem ascendere. Primò enim orandum est. Secundò sanctè viuendum. Tertiò meditationibus insistendum. Docet etiam paulò inferiùs tres gradus, quibus ascendere possumus ad contemplationem. Primùs per id quod est extra nos, id est, per mundum sensibilem, in quo elucent vestigia Dei. Secundus per id quod est intra nos, id est, per imaginem Dei naturalem reformatam. Tertius per id quod est supra nos, nempe per Deum ipsum. Vbi primò occurrit contemplandum ipsum Esse Dei purissimum, quod non potest intelligi non Esse, nec cogitari tanquam ab alio acceptum, sed necessariò intelligitur Esse primum æternum, simplicissimum, actualissimum, denique perfectissimum. Execranda igitur est cœcitas intellectus nostri variis solicitudinibus & phantasijs distracti, cui non liceat hoc ipsum Esse per quod omnia videt, sine quo nil cognoscceret, acutissimè considerare. Similes enim sumus homini, qui cum intentus maneat ad varios colores videndos, non tamen lucem ipsam considerat, qua ad videndos colores vtitur: atque si eam absque coloribus videat nil videre existimet: ita & intellectus noster circa particularia intra occupatus, non aduertit ipsum Esse, quod tamen primo sibi occurrit: videnscq, lucem illam purissimam, nil planè se intueri opinatur, non intelligens ipsam purissimæ lucis caliginem esse summam mentis nostræ illuminationem. Hoc Esse considerato, fit transitus ad eius participationem ad intra in Trinitate personarum. Deinde concludit, quomodò post omnes has intellectuales operationes, oportet vt superiùs ascendamus secundùm affectum, quod fit, cùm relictis illis, apex affectus totus transfertur ac transformatur in Deum, quæ transformatio mystica est, & secretissima, quam nemo nouit nisi qui accipit, nemo accipit, nisi qui appetit, non appetit nisi quem sancti Spiritus ignis medullitus inflammat, quem Christus misit in terram. Quapropter parum studendum est inquisitioni, multum vnctioni, parum linguæ, plurimum internæ lætitiæ, parum verbo & scripto, totum Dei dono. Si nosse velis, quomodo hæc fiant, interroga gratiam, non doctrinam: desiderium non intellectum: orationis gemitum, non lectionis studium: Sponsum, non magistrum, Deum, non hominem: caliginem, non claritatem: non lucem, sed ignem penitus inflammantem, & in Deum ardentissimis affectibus transferentem: qui ignis est ipse Deus. Sed quia scriptum est *Exod. 33. Non videbit me homo & viuet:* moriamur & ingrediamur caliginem: imponamus silentium solicitudinibus & concupiscentijs ac phantasmatibus, vt cum Christo crucifixo transire possimus ex hoc mundo ad Patrem. In principio opusculi, quod *paruum bonum* dicitur, ita scribit. Re ipsa expertus sum in otio, æterni amoris affluentia non aspergi, nec etiam dum corporaliter grauabar, & præ itinere fatigabar, specialem illum ardorem sentire non poteram, imò cum in omnibus his frigescerem, postpositis reliquis quibus exterius detineri possem, Saluatoris solummodò mei aspectibus assistere contendi, & in eius odoribus immorari.

Gradus tres ad contemplationem.

EX OPVSCVLO DE SEPTEM itineribus æternitatis.

CAPVT XXIV.

Itinera septem ad cœlũ.

SEptem sunt itinera ducentia ad æternitatem. Primum, Aeternorum recta intentio. Secundũ, æternorum studiosa meditatio. Tertium, æternorum purissima contemplatio. Quartum, æternorum charitatiua affectio. Quintum, æternorum secreta reuelatio. Sextum æternorum experimentalis degustatio. Septimum, æternorum Deiformis operatio. Ad hæc itinera compellat Dominus animam dicens: *Surge, propera columba mea* (spiritu simplificata) *amica mea. surge, & propera, iam hyems* peccati ac frigoris *transijt, imber* curarum distrahentium *recessit*: iam venit vernum tempus flores producens, tempus amputationis eorum quæ superflua sunt, tandem appropinquauit. Omnia hæc itinera abscõdita sunt, superbis sapientibus, & mundi huius prudentia turgentibus: *incuruati* (inquit) *sunt colles mũdi ab itineribus æternitatis eius.* Primum igitur iter meritò recta intentio dicitur: nam, vt dicit Gregor. *in Moral.* vigilanti cura in omnibus operibus intentio nostra pensanda est, vt nil temporale in his quæ agit, appetat, sed omne id in æternitatis soliditate figat: ne si extra æternitatis fundamentum actionis nostræ fabrica erigatur, totum opus redigatur ad nihilum: nam quælibet opera, licèt summa, frustra fiunt, si cordium intentiones extra æternitatis certitudinem deflectuntur. Sequitur secundum iter, stabilita enim mente in hac recta intentione, emergit continuò studiosa ac feruens meditatio, qua vehementer insistimus ad inquirendam & inuestigandam veritatem. Differt hæc a cogitatione, vt scribit *Richardus*, quòd cogitatio vagis moribus ad diuersa spatietur: meditatio verò ad vnum tendat incessanter: ideò cogitatio absque labore fructu caret, meditatio verò licèt laboriosa fructu affluit. Præterea sciendum est Dominum sæpe & multipliciter alloqui interiùs inspirationibus ac illustrationibus ipsos meditantes quasi illos laborantes & ex itinere fatigatos reficere velit: aliquando verò arguit & contaminatur Dominus, vt cùm dicit, *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes:* aliquando docet, suadet, pollicetur, consolatur: & sic alloquentem Dominum alloquitur etiam anima humiliter ac reuerenter. Vt enim (ait Bernard. *super Cant.*) sicut Dominus & Moyses mutuo ac familiariter quasi amici loquebantur: ita Deus animam, & anima ipsa Deum suauissime alloquitur. Lingua Verbi, inquit, est fauor dignationis: lingua animæ est feruor deuotionis: qui hac caret, elinguis & infans, & nullum potest illi esse colloquium cum Verbo Dei. Cum Verbum loquitur, fieri nequit, vt anima eius sermonem non sentiat: *sermo* namque *Dei viuus est & efficax:* nec etiam cum lingua animæ loquitur, potest non exaudiri ab eo, à quo ad loquendum mouetur. Verba autem animæ ad Deum, feruentia sunt desideria (desiderium cordis eorum audiuit auris tua) vt scribit *Greg.* admirationes, filiales timores, nostræ vilitatis perfectæ recognitiones, & similia. Insuper aduertendum est, Diuinam allocutionem semper meditationem nostram præcedere: non enim nisi diuina inspiratione perculsi, meditari possumus, quia hominis cor nisi à Deo iuuetur & illustretur, semper phantasias patiatur. Nisi ergo (ait *Richar.*) diuina inspiratio ad meditationem mentem nostram excitet, exponens quid, quando, & qualiter sit meditandum, humana meditatio futilis remanet & vana, in ea namque non exardescit ignis deuotionis, sed vanitatis. Diuina ergo allocutio inchoat, instruit, & perficit meditationem nostram, in ea meditatione quàmplures nuntios à dilecto nostro venientes accipimus, qui nos de agendis iuxta Domini beneplacitum, aut cauendis plenè instruunt. Sequitur tertium iter, quod est contemplatio, quæ meditationi non aliter confertur, quàm terminus ad quem, seu quies ad motum. Meditatio enim est inuestigatio & inquisitio veritatis æternorum cum magna animi industria qua durante nondum

Cant. 2. 10. 11.

Hab. 3. 6.

I. *Iter recta intentio.*

II. *Iter Meditatiuum.*

Cogitatiuũ & meditatiuũ differentia.

Ioan. 15. 6.

Heb. 4. 12.

Greg.

Inspiratio diuina meditationem præcedere est necesse. Richar.

III. *Iter, Contemplatiuum.*

ani-

anima figitur in æternis. At cum homo meditans, quod quærebat inuenit, quiescit in eo cum admiratione & mira iucunditate actum dicitur contemplari. Quare meditatio ad contemplationem non perueniens imperfecta manet & minus vtilis. Hoc ex *Rich.* Diffinit enim contemplationem esse liberâ intellectionem in æterna spectacula directam, ac cũ admiratione suspensam. Dicitur autem libera, quòd immunis sit non solum à prauis affectionibus, & vanis cogitationibus, ac quibuscumque temporalibus imaginibus, sed etiam à discursibus & inquisitionibus bonis, cùm iam quiescat in simplici æternorum intuitu, dulcissima dilectione & experimentali suauitate plenè delibuta. Tanto autem anima diutiùs in hac felici suspensione perdurat, quanto plus à retrahentibus remouetur, ac elongatur. Importare etiam solet suspensio violentam quandam eleuationem supra naturæ limites (sunt autem contemplantium mentes quasi specula tersa radios solares à fonte luminis descendentes recipientia) quæ ex tribus prouenire solet: quandoque ex admirationis magnitudine ita dilatatur, vt semetipsam non capiat, sed supra se eleuata, in alienationem transeat. Dicitur etiam ex magna deuotione mens supra se extolli, quando tanto cœlestis desiderij igne succenditur, vt amoris intimi flamma vltra humanæ naturæ portionem excrescat, quæ animam ad instar ceræ liquefactam à pristino statu resoluat, & quasi fumũ attenuatam ad superna velociter emittat. Tunc verò maxima admiratione anima supra se effertur, cũ diuino irradiata lumine, & summæ pulchritudinis admiratione suspensa tam vehementi stupore concutitur, vt à seipsa funditus deturbetur, ac in modũ coruscãtis fulguris ex sui ipsius despectu ad ima dejiciatur. Quo fit vt sublimiùs & celeriùs per summa desideria illæso intuitu efferatur. Ex magna autem exultationis ac iucunditatis vi mens supra se rapitur, quando intima illa æternæ suauitatis abundantia plenè inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliuiscitur, & in alienationis excessum præ gaudij sui nimietate traducitur. Hæc *Rich.* Vnde Origines *super Cant.* scribit. Contemplantem verum & iubilantem perfectum te iudico, si primo te perficiat actio, id est, si is mortificatus, & in virtutibus exercitatus: si rationabilia celeri motu percurras, si intelligibilia illuminata fide cognoscas, si in primo vero & summo bono intellectionem & voluntatem tuam defigas: inde sugens, quo teneritudinem tuam nutrias, & bibas, vnde gaudeas, haurias, vnde non deficias. Vt autem facilè cognoscas, quod discrimen sit inter contemplationi intentum, & sanctæ actioni studentem, attende quæso verba Bern. *ser. 41 super Cant.* Cũ anima, inquit, in actione sua non in aliud quàm in Deum tendit, quamuis illud Dei causa faciat, non tamen hoc dicitur Mariæ otium, sed Marthæ negotium, quæ adhuc solicita est, & turbatur erga plurima: & nequit terrenarum actionum vel tenui puluere non respergi, quem tamen facilè in hora sanctę deuotionis exterget. Itinerantes in vita actiua facilè turbantur, contemplatiuus autem solùm in Deũ totis animæ viribus properans, non turbatur, sed potiùs fouetur, & miris consolationibus enutritur: sublimes enim habet delectationes, sicut & illuminationes contemplantium vita. Oportet tamen vt prius sis Iacob luctans, quàm Israel Deum videns, ac dicens, *Vidi Deum facie ad faciẽ. Gen. 28.* Quę verba exponens Hugo *de claustro animæ* sic scribit. Tũc ex Iacob fit Israel, quando post bonæ actionis labores ad contemplationis lucem peruenire datur. Caiet. *2.2. q. 18. ar. 3.* dicit ex B. Thomæ sententia tria esse quæ in contemplationis progressu seruanda sunt. Acceptio principiorum. Deductio ex illis. Ipsa contemplatio. Ad primũ pertinent auditio, lectio, oratio. Ad secundũ meditatio, consideratio, speculatio. Tertium est ipsa contemplatio cum subsequenti admiratione. Quartũ iter est (vt redeamus vnde digressi sumus) charitatiua affectio, quæ immediatè sequitur contemplationem, quæ ad magis intima & secretiora descendit quã speculatio: eo enim ingreditur, quò nullus scientiæ aut speculationi aditus patet. Nemo aũt scire poterit, an charitatem habeat, nisi per signa & coniecturas, quæ sunt indicia charitatis. Incipientium sunt contritio, delectatio in audiendo verbo Domini percepta, promptitudo in bonis operibus, tristitia de defectu spirituali proximi concepta, & lætitia de profectu spirituali fratris prouenies. Charitatis proficientium signa hæc sunt, iusta & frequens conscientiæ examinatio de peccatis venialibus: nã feruori charitatis obsistunt: at proficiens charitas, quæ omnes has paleas exurere suo nititur calore. Secundũ signum, concupiscentiæ temporalium rerũ diminutio. Tertiũ diligentia in exercitijs spiritualibus internis, sicut etiã exteriorũ sensuũ exercitationes vitæ corporalis signa sunt. Quartũ, studiosa mandatorũ Dei obseruatio. Quintũ, si Dominus se tibi reuelat, iuxta illud *Ioan. 15. Iam non dicam vos seruos.* Vnde *Rich.* scribit: Certissimum tibi signum sit, quòd dilectum tuum minus diligas, & ab eo minus diligaris, si ad theoricos excessus vocantẽ sequi nondum merueris. Signa verò charitatis perfectæ in via hæc sunt. Primum, quando quis paratus est, si ita necesse sit, pro proximi salute mortẽ subire, vt scribit Aug. *super epist. Ioan.* Secundum, inimicum diligere, & Dei ipsius causa illi benefacere, vt idẽ Aug. scribit *in Enchiridio.* Tertium, aduersa omnia non solùm patienter, sed etiam gaudẽter susc ipere: charitas namq; perfecta hominẽ reddit adeò à sensibus alienum, vt æquè prospera ac aduersa contẽnat, iuxta Greg. sententiam super illud, *Fortis est vt mors dilectio.* Quartum, si homo præsto sit omnibus propter Christum renuntiare, vt liberiùs charitatis ardoribus vacare possit atque omnia præter Deum veluti stercora reputare videatur. Quintũ, nil aliud quã Deum solũ timere, hoc est, non homines, nõ pœnas, non tormenta formidare. Hæc signa externa sunt, & quæ exterius conspici possunt. Sunt præter hæc alia quinque interna. Primũ, profunda & intima spiritu mentis, quando memoria dilecti sui tangitur: sunt enim quasi nuntia amoris feruida, donec dilectum videat. Secundũ, sublimia & ardentissima desideria videndi Dominum, ac molestissimè ferre vitæ præsentis pondus. Tertiũ, cogitationes erga omnia temporalia languidæ: fastidit namque terrena omnia, solis æternis inuigilans. Quartum, tædium quod ex expectatione concipit: nam perfectè amanti mora quælibet longa est, & expectatio onerosa, acerbum enim existimat cruciatum cogitationum quæ non sint amoris. Vt enim scribit Linco. *sup. lib. cœl. hierar.* Amore nihil est velocius, nihil acutius, nihil subtilius, ideò quiescere nequit, donec in intimum dilecti pectus descendat: & si quando à cursu suo retardari contingat, quo minus ad dilectum ascendere valeat, mirum in modum angitur, atque affligitur. Quintum, affectiones extaticæ. Est autem extasis mentis excessus: nam cum amor non permittat amantem sui iuris esse, sed in amatum transformari cogat: ideò sæpe producit excessum mentis suspensæ, & in dilecto absorptæ. Dicendum aliquid hoc loco videtur de charitatis gradibus. Primus est, charitas vitans omne mortale. Secundus, charitas indefessè studens, mediis omnibus adhibitis, proficere. Tertius, charitas infatigabiliter adhærens, qualis est contemplantium, qui assiduè ad contemplationem & amorem ardentius

Contemplatio quid.

Contemplatio vnde proueniat.

Differentia inter contemplationi studentem & sanctæ actioni.

Gen. 32, 30.

Tria quæ in contemplationis progressu seruanda.

IV.

Ter. Charitatiuum affectio.

Signa charitatis proficientium.

Ioan 15, 15.

Signa charitatis perfectæ externa.

Cant. 8, 6.

Interna.

1

2

3

4

5

Extasis quid

Charitatis gradus.

tiùs properant. Quartus, charitas insuperabiliter difficilia omnia & aduersa vincens, & mortem ipsam, si opus sit. Quintus, charitas insatiabilis, inextinguibili siti ardens ad Deum, in nulla alia requiescens, quæ cor medullitus transformat: quapropter amor violentus dicitur: atque huius assignat Richard. plures gradus. Primus violenti amoris gradus est, amor vulnerans. Dicitur autem cor amore vulneratum, quando amoris sagitta transfixum, intimè ardet, æstuat, anhelat, gemit, suspirat, non se cohibere valens ob amoris vehementiam. Vnde etiam fit, vt sæpe pallescat, ac præ amore tabescat. Secundus dicitur amor ligans, videlicet quando animus ita Dei amore astringitur, vt nihil aliud meditetur, aliorum omnium obliuiscatur, quidquid agat, quidquid loquatur, semper præsenti offert Domino, illum enim mente intuetur, perenni retinet memoria, illum dormiens, illum vigilans cogitat: ideò vulnerationem hæc ligatio & strictissima vnio sequitur qua mens solum Deum ipsum sitit vnũ solum, vnum intuetur, nihil ei præter vnum Dominum dulce est, in vno tantum quiescit, vno reficitur, si aliud quiduis occurrat, quod huic vni non subseruiat, mox expellit: opprimit ac violenter propulsat desideria, studia, exercitia omnia, quę ad exoptatam desiderij sui metam comprehendendam non conducant. Cùm verò datur vno suo frui, tunc omnibus bonis se abundare credens nihil aliud admittit. Post hunc sequitur tertius amoris violenti gradus, languescere faciens: qui languor prouenit, quando ex hac amoris vehementia mens in Deum, qui luminis abyssus est, rapitur: ita humanus animus hoc temporis articulo omnium exteriorum oblitus, seipsum penitus nesciat, totusque in Deum suum trãseat: vbi non intonat carnalium curarum aut cogitationum strepitus, sed sit silentium quasi dimidiæ horæ spatiò, vt scribitur in Apocalyp. manetque tunc spiritus quasi exustus, & totum in quendam affectum conuersus. Anima hunc gradum ascendens (ait *Richard.*) quasi nihil iam proprio peragit arbitrio, sed propria dispensationi ac beneplacito diuinę maiestatis committit. Nam sicut artifex liquefactis metallis quamcumque formam voluerit, imprimit, sic anima in eo statu ad omnem diuinæ voluntatis nutum se facilè applicat, & spontaneo quodam ardore ad omne eius arbitrium se accommodat: aut iuxta diuinæ prouidentiæ modum voluntatem suã componit. Vnde dicit idem paullò inferius: In primo gradu transfigitur affectio, in secundo ligatur cogitatio, in tertio dissoluitur actio: nam nihil agere libet, nisi id ad quod ardor vrgeat. Quartus violentiæ charitatis gradus deficere facit: quod sit (vt inquit *Richar.*) quando æstuantis animæ desiderio nihil plenè satisfacit, & inde in deliquium ducitur. Cuius violentiæ gradus vix verbis explicari potest. Est enim quasi felicissima insania, & prudentissima amentia, cùm anima dilecti sui incredibili siti exagitata, videns se nullo spirituali affectu posse satiari, prorumpit in vehementissima desideria tolerandi omnia tormenta, & pœnas omnes pro DEO, atque hoc summas reputat delicias. Hic autem notandum est ex doctrina Lincon. *super Dionys. de Caelest. hierar.* qui quærit, qua ratione perfectæ animæ dicantur feruere. Feruere dicuntur ea quæ impresso calore sursum supra se feruntur, & proprio pondere in se redeunt, & huiusmodi super se elationes, & in se mutui relapsus, feruores dicuntur. Cùm igitur sancti viri æstuantes in Deum se extollunt, & postea proprio pressi pondere, in seipsos relabuntur, & ab actuali illa super se eleuatione residunt, feruere etiam dicuntur, quasi illo temporis momento caloris sui vi extra se iactentur, & supra se extollantur.

Amoris violenti gradus.

1

2

3

4

Quintum iter, quod immediatè præcedens sequitur, æternorum occulta reuelatio dicitur: nam quanto aliquis ardentiùs Deum amat, tantò pleniùs dilectus reuelatur: & quanto dilectio est ardentior, tanto diuinorum cognitio est profundior & magis perspicua: quæ namque nobis propinqua sunt, facilius conspiciuntur, & amore Deus nobis fit propinquissimus, cùm nos ipsos in Deum transformare possit. Cùm igitur ardens dilectio perueniat, quò intellectio accedere nequit (& ideò Paulus *Ephes. 3.* scribit dilectionem præstare scientiæ) ideò ardenter Deum amantes, pleniùs Deum cognoscunt, quam acutissimo intellectu pollentes. Ad cuius faciliorem explicationem obijciens Bonauentura illud Augustini. Incognita amari non possunt, sic respondet: Non esse dicendum quòd ardenter amans necessariò habiturus sit maximam aliquam notitiam intellectualem, sed quòd ipsemet ardens amor est formaliter quædam notitia affectiua seu experimentalis. Amor enim impetu vehementi fertur in amatum, sitiens intra ipsum ingredi, imò si fieri possit, ipsummet amatum effici: & hoc est cur magis immediatè, ipsi vniatur quam cognitio, & dicitur cognitio quædam experimentalis. Vercellen. *super Cantic.* dicit intellectum & affectum simul incedere, vsque ad nouissimum intellectus defectum, vbi suæ intellectionis & luminis præscriptum habet terminum, imò consummationem. Affectus autem vlterius progreditur, exercens tunc intima in Deum suspiria supra intellectuales extensiones, immissiones, feruidos fulgores, & fulgentes feruores: ad quorum omnium sublimes excessus intelligentia trahi non potest imò tunc affectibus mirabiliter ardet & operatur, quando intellectus in caligine detinetur. Tandem concludit Bonauent. reuelationem superintellectualem non semper fieri per aliquam intelligibilem cognitionem, sed per ardentissimam dilectionem, experimentalemque notitiam. Sextum iter quod precedentibus subnectitur, est experimentalis præguſtatio & notitia. Et vt faciliùs quæ diximus intelligantur, aduertendum est, experientiam siue notitiam nihil aliud esse quàm actum quò vnaquæque potentia tendit in suum obiectum. Nam licet omnes mihi dicerent mel esse dulce, & hoc rationibus probarent, tamen si nunquam gustassem, dicere non possem, me experimentalem dulcedinis eius notitiam habere, sed opinionem, aut scientiam. Simile fit circa potentias interiores: nam quamuis scriptura & reliqui omnes dicant mihi, quàm dulcis est Dominus, nunquam tamen de ea dulcedine Domini notitiam experimentalem me habere dicam, nisi gustus ipse meus diuinam dulcedinem sentiat; & cùm Sponsa dicat: *fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. Inde Bernard. *super Cantic.* Quidquid de occultis tuis, ô Domine Iesu, nouimus, hoc aut Scriptura docente, aut te reuelante, aut certè (quod perfectorum est) gustu, id est, experientia didicimus. Quid prodest multa scire, si ea tamen non gustes aut experiaris? & ideò Petrus in epistola sua ait, *Si tamen gustatis quòd dulcis sit Dominus.* Huius sublimis degustationis impedimentum solet esse carnalis affectus: nam cùm carnalis sensus munere suo foris vtitur, interior sensus, quasi somno sepultus, spiritualium gaudiorum nequit sentire dulcedinem, quæ nisi palato mentis percipi non potest, exteriorum sensuum vagatione sopita. Si quis diligenter à delectatione exteriori distrahitur, mox necessario degustare incipit aliquid internæ dulcedinis, ne si omni delectatione priuetur, quasi aridum semen ac sine humore ad sapientiæ gramen non conualescat. Quantus autem hic gustus sit, nec is, cui gustare datum est, latis potest exprimere: sola enim noscitur experientia.

V. *Iter. Aeternarum occulta reuelatio.*

Incognita quomodo amari possint.

VI. *Iter. Experimentalis præguſtatio.*

1. Pet. 2. 3.

Impedimentum præcisa degustationis diuinæ dulcedinis.

tia. Quem tamen vt experiri possemus, maximum nobis collatum est remedium in Sacramento Eucharistiæ dignè sumpto: at qui gustum hunc penitus ignorat, necesse est eum miserabili fame perire. Super quo vide Gregor. *in Moral. super illud Iob. 18.* Iob 18,12. *Attenuetur fame robur eius*: & Bernar. super illud. Cant 4,10. *In odorem vnguentorum tuorum curremus*, ita scribit: Quamuis suauis sit Dominus vniuersis, maximè tamen domesticis, & quanto quis illi vitæ meritò, ac mentis puritate fit propinquior, tanto magis eum arbitror recentiorum aromatum & vnctionis suauioris sentire fragrantiam. Veruntamen in his rebus intelligentia solum capit, quod attingit sapientia: Deus enim desiderio quæritur, cognitione inuenitur, gustu verò tangitur & detinetur. Amplexamur namque Deum, non intellectu, sed voluntate, Cant 3,4. vt placet Aug. *l. 9. de Trin. c. 6.* Vnde Sponsa: *Tenui* eum, scilicet ineffabilibus amplexibus *neque dimittam*. Tandem aduerte, & attentè lege hæc apud Iob 12,11. Bernard. *in lib. de Amore*, & Grego. *super illud Iob. Auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem.* Asserunt enim quàm plures esse, qui sacras Scripturas & diuina mysteria intelligant, eas tamen experimentali gustu non tangunt: nam quæ intelligunt, non ipsis medullitus per amorem inhærent. Verum enim gustum, de quo loquimur: percipere plenè nequeunt, nisi hi qui priora itinera prædicta experti sunt. Septimum & vltimum iter est introitus ad æterna per meritoriam & Deiformem operationem. Parui momenti essent prædicta omnia, nisi ea Deiformis operatio consummaret. Quid nobis prodesse poterit cum Deo dulcissimè conuersari, si inde ad nos redeuntes exemplaris operationis lumen non attulerimus? Vult enim Dominus, vt in agendo illi similes efficiamur; cùm ad eius imaginem facti simus. Vult præterea, vt Angelis etiam in operando assimilemur, cùm ad eorum societatem creati simus, in operando inquam quoad actum purgandi, illuminandi, & perficiendi. Vult etiam vt ardeamus amore cum Seraphin, Diuinorum scientia fulgeamus cum Cherubin: spirituales facti omnia iudicemus cum Thronis: nobis ipsis dominemur cum Dominationibus: fortiter resistamus inordinatis motibus nostris, malignorumque spirituum suggestionibus, cum Virtutibus: regnum animæ in iustitia & pace gubernemus, cum Potestatibus: subditis nostris debitè prouideamus, cum Principatibus: magna, si habemus, proximis nostris communicemus cum Archangelis: minora subsidia indigentibus impertiamur cum Angelis. Igitur felicia hæc itinera summa animi contentione percurramus: spiritus enim noster in his itineribus ita progredietur. Primò consolatur, deinde consolatus currens calescit, calefactus deuotione mollescit, mollificatus amando liquescit, liquefactus feruore sursùm extollitur, vt nusquam nisi in æternitate subsistere ac quiescere velit. Origenes *super Cant.* sic scribit: Dulcissimus affectus diuinæ contemplationis est liquefactio, cor autem liquefactum lectus mollis est & calidus, vbi suauissime quiescit dilectus, vbi contacta Sponsa spirituali contactu, maximam illi impertitur delectationem.

VII. *Itur, Æternorum Deiformis operatio.*

Itinerum horum progressus.

ANAGOGICA EXPOSITIO orationis Dominicæ.

CAPVT XXV.

Pater. Natura & gratia, qui nobis Esse naturæ communicasti sensum ac motum naturalem: atque esse gratiæ sensum, scilicet, & motum gratiæ, sine quo esse, est peius esse quàm nil esse.

Noster. Qui tuæ bonitatis liberali largitione multos quotidie filios gignis secundùm spirituale gratiæ & amoris.

Qui es in cælis, Qui mirabiliter habitas in animabus, cælorum proprietates habentibus, hoc est in amore tuo firmis: semper mobilibus ob sublimium desideriorum assiduitatem: item quæ sunt syderibus ornatæ, id est, clarissimis virtutibus.

Sanctificetur nomen tuum, id est, efficiatur in me absque terra nomen tuum, purgatis omnibus terrenis affectibus.

Adueniat regnum tuum, id est, omnino & semper in anima regnes, vt non solùm motus nullus aut actus sit in ea contra præcepta tua, sed omnes actiones nostræ iuxta tuæ gubernationis censuram fiant. Bernard. *serm. 73. super Cant.* exponit hæc de secundo aduentu dicens: O si finiatur iam seculum hoc, & manifestetur regnum tuum. Hoc cupit, hoc expetit Sponsa id est Ecclesia.

Fiat voluntas tua. In terrenis hominibus sicut fit in cœlestibus, id est firmis, semper mobilibus, & sideribus ornatis, vt supra dictum est.

Panem nostrum quotidianum. O Pater, nisi mittas desuper panem feruoris, atque spiritualis consolationis quotidie singulisque horis, mox deficimus, & ad quærendum vilissimum panem externarum consolationum relabimur. Mitte ergo, benignissime Pater, micas de mensa illa opulentissima, quibus (id est actibus vnitiui amoris) nisi anima quotidie pascatur, suæ fortitudinis vigorem indubitanter amittit.

Dimitte nobis debita nostra. Etiam minima venialia, pœnasque pro illis debitas remittas: illa enim detestor & odi, nam tuæ lucis in me radium obnubilare, & amoris vnitiui feruorem tepescere faciunt.

Ne nos inducas in tentationem. Quanto plus te diligo benigne Domine, eo magis à te separari pertimesco, considerata carnis fragilitate, & infesti hostis astutia. Non igitur permittas me Domine eius blanditijs, aut insidijs vnquàm turbare, sed libera quæso me à multis ad malum propensionibus, & pœnis etiam purgatorij, quatenus dulcissimam tui visionem differre possunt.

IDEM IN OPVSCVLO DE SEPTEM gradibus contemplationis.

CAPVT XXVI.

Septem gradus contemplationis.

SEptem contemplationis gradus hi sunt: Ignis, vnctio, extasis, speculatio, gustus, quies, gloria.

Nam primò anima ignescit, ignita inungitur, inuncta rapitur, rapta speculatur vel contemplatur, contemplans gustat, gustans quiescit. Hi gradus gradatim ascenduntur ab his, qui diligenter in spiritualibus se exercent, qui tamen non nisi experientia percipi possunt, atque hos sequitur septimus in patria. De primo gradu qui ignis est, sic Dauid loquitur. *Psal. 38. Concaluit cor meum intra me.* Nam anima quæ ad adorandum Dominum se effundit, subitò irradiatur ardenti diuinæ maiestatis radio, qui pias affectiones accendat, malas exurat, teporem inflammet, fitque anima velut holocaustum in conspectu Domini, in quo mirificè delectatur. Deus adest, illa pauet. Deus ignem immissum auget, vt plus caleat: illa ortas affectiones colligens, fouet eas, vt submini-

Psal. 38, 4.

strata pinguiori materia, magis crescat incendium. Secundus gradus est vnctio, id est, roseus quidam liquor qui per totam animam diffusus, eam erudit, corroborat, confortat disponens ipsam suauiter ad veritatis certitudines suscipiendas pariter & contemplandas. Hic gradus præcordia irrigat, temperans primi gradus calorem, scilicet, ne plus ardeat, quàm oportet: quod enim ignis purificat cremando, hoc vnctio mulcet, pinguedinem suam infundens, vt anima ad suscipiendos diuinos radios in se aptior maneat. Tertius est voluptuosa hominis in-

interioris eleuatio suprà seipsum, id est, deserto exteriori homine, vt propiùs ad fontem diuini amoris accedat. Nam oblito exteriori homine anima pro viribus se ad æterna & altissima sursum extollit mediantibus actiuis virtutibus, puritate, scilicet, & humilitate: humilitate enim deseritur homo exterior, puritate sursum agitur interior, vt diuinos radios susciperе possit. Sequitur quartus, qui est contemplari seu speculari diuitias soli Deo notas, inuestigatione intellectuali simul & affectiua, licet affectio profundius descendat quàm intelligentia. Nam præcurrente intelligentia, cum ingredi nequeat quasi per speculum videns foris sedet, affectio verò quæ nescia est specularis visionis celeriter ingressa dilecto vnitur: intromissa tamen affectione subsequenter ingreditur intelligentia, quòd vbi fit, inebriatur affectio cœlesti & miro quodam sapore, & lucidissimis radijs intelligentia illustratur. Hunc gradum iã

2. Cor. 3, 18. plenè conscenderat qui dixit: *Nos autem reuelata facie*, id est, remotis omnibus impuritatibus faciem intelligentiæ velantibus, *gloriam*, id est, claritatem *Domini speculantes, in eandem transformamur imaginem*, id est, in ea quæ imaginamur seu speculamur (abstractus enim homo à seipso absorbetur in Deum) & à claritate in claritatẽ manuducti ab ipso Domini spiritu, diuinis splendoribus ac cognitionibus adimplemur, proficientes de cognitione in cognitionem, ac de lumine in lumen. Quinto loco sequitur gustus, qui est suauissima diuinæ dulcedinis prælibatio, ex diuini spiritus vberrimo fonte in animas contemplantium distillata. Non enim ad satietatem, sed sensim suauissimis illis guttulis recreamur, ideò esurientem nutriunt: vehementer alliciũt, concitantque ad frequentissimè orandum ac dicen-

Ps. 118, 132. dum: *Os meum aperui*, emitte pater, & similia. Sequitur sextus, qui est mira quædam & suauis tranquillitas per infusam nobis ex orationis frequentia dulcedinem concreata: quæ solum spiritualibus viris qui in contemplandi actu maximos progressus fecerint conceditur: nam hi bonitatis diuinæ familiaritate recipiunt cœlestes immissiones animalibus hominibus penitus ignotas. Diu laborandum est, vt ad huius felicitatis conditionem peruenias, Moyses (vt inquit Basil. *in homilia in Exameron.*) quadraginta annis contemplationi vacauit in terra Madiam, in quam ex Aegypto fugiens se receperat, & ideò diuina frui potuit familiaritate: octuaginta namque annorum erat quando Dominus de rubo allocutus est eum. Tu ergo perseuera, & sustine Dominum,

Contemplãtium quando quietibilium. spe enim tua non frustraberis. Affirmat Thaulerus contemplantes sæpe in tantam exultationem ac mentis iubilationem rapi, vt eam sustinere non valentes, cogantur erumpere in verba, suspiria, & singulares gestus: quod nisi facerent, ex eorum ore prorumperet sanguis (vt sæpe accidisse constat) aut in grande aliquod valetudinis periculum inciderent. Addit etiam, his in remoto à turba loco porrigendam esse communionem, ne ignarum vulgus eorum insolitas videns oris mutationes, offendatur. Fatetur tamen hoc cum ad maiora ascendunt, scilicet ad purissimam vnionem quam perfecti viri experiuntur, vel hæc non faciunt, vel facilè gestus mutationes comprimunt. Postquàm homo in via spirituali puer esse desijt, vtpote iam abunde lactis refocillatus dulcedine (id est spiritualium consolationum) & in virilem euasit ætatem, iam à lactis alimẽto depulsus, suo labore victum quærere iubetur, vt cœli sæuitiam ac procellas perferre discat, sæpeque

Perfectiũ cõtemplationis dulcedo quã. fit, vt auferat illi Dominus vel occultet omnia dona peculiaria, quæ antea concesserat, & illum compellat incedere tenebrosa, atque in aquosa via, quasi sibi ipsi relictus: omnia sua exercitia, quibus antea delectabatur, fastidit: nec vel tantillum temporis in sancta potest cogitatione permanere. Si ad DEVM vult confugere, mox inde præcordis ariditate & varijs tentationum incursibus repellitur. Cætera omnia iucunda illi sint & ingrata, ita vt nullibi requiẽ inueniat. Nescit denique quò se vertat. Si tamẽ prudens est & fortis, hæc corde meditetur, & ore proferat. Salue amaritudo amarissima omnis gratiæ plena. Tunc sæpe fœda vitia, quæ ante deuicerat, maiori vi impetunt, quò maior est solennitas, & ad eam intimè celebrandam purior vult fieri, eo duriorem se inuenit. O tu quisquis es, frater charissime, ne hinc ansam arripias ad vana solatia declinandi, fidelis permane cœlesti Sponso, viriliter age, resigna te totum in Dei beneplacitum: quod si feceris, intelliges tunc esse Deo gratiorem, quàm quo tempore cœlestibus blanditijs ab eo fouebaris. Hę autem mẽtis anxietates varijs ex causis oriri solent aliquando ex propria ac naturali hominis dispositione, aliquãdo ex aëris intemperie, aliquando ex maligni spiritus operatione: denique Deo sic permittente sæpè euenit, vt hi in grauem tristitiam, ac horribilem desperandi tentationem præcipitentur: at si se totos in Dei beneplacitum resignent, nullum esse efficacius remedium aduersus has tentationes plene sentient. Huius resignationis tanta vis est, vt nil cum ipsa cõferri valeat: resignationem quippe Martyrum excedit: illi enim diuina consolatione suffulti tormenta spernebant, mortem hilariter oppetebant, sed internè Deo carere, supplicia omnia excedit, in eo præsertim homine qui requiem mentis in Deo pacemque internam est expertus. Illum verò qui in ea cordis ariditate, & spiritus perturbatione fortem acfidum se Christi athletam præstiterit, mirabiliter Deus ipse post pugnam reficit, & purgans eum illo igne terribili, in se tandem transformat, ac demum, in ineffabile refrigerium transferens ipsum, immergit in suæ diuinitatis abyssо. Nulla igitur commodior ac tutior via ad affluentiam cœlestium gratiarum promerendam esse potest, quam toto cordis affectu expetere internas & externas calamitates & afflictiones pro Dei amore. O si quidquid Dominus permittit, id tanquam optimum de manu eius libãtissimè susciperemus, siue prosperum, siue aduersũ: siue dulce, siue amarum: quod si sic fieret, semper internæ pacis felicitate frueremur, atque hic est totius perfectionis scopus. Si faber ferrarius nequeat solus in varios vsus ferrum mollire, conuocat alios vt malleis ferreis concurrentes, quàmplurimis ictibus in quodlibet velint opus, ferrum aptare possint: sic cum propriæ voluntatis duritia à nobis frangi nequeat, oportet plures conuenire tribulantes, & nostri contemptores, qui nos affligere & mortificare valeant. Item ferrum rubigine multa contectum, si in ignem mittatur, primò à rubigine contracta purificatur, secundò rubescit colorem rutilum ignis assumens, tertiò liquescens ad quanuis formam ab artifice imprimendam aptum redditur: sic anima inordinatis affectionibus scatens, si diuini amoris igne succendatur, primò quidem purgatur: secundo rubescere ac clarescere incipit sanctis meditationibus, aspirationibus, & cœlestibus desiderijs quasi colorem susciens: si demum in hoc diuino igne perduret, mollescit ac liquescit expulsa duritia voluntatis, eiusque proprietate in diuinam voluntatem transformata, habilis ac flexibilis redditur, & apta, vt in ea diuinum fiat beneplacitum, tam in secundis, quam in aduersis. Opportuna occasio est disciplinæ, id est, corporalis flagellationis, quo tempore caro contra spiritum superbit, aut concupiscentiæ motu, aut inuidiæ, aut indignationis, ob contumeliam sibi irrogatam. Tunc verberanda est, atque his

Anxietatum causæ & remedia.

Gratiarum cœlestium affluentia quomodo promerenda & recipienda.

ver-

verbis castiganda. Adhuc viuis, expende quid te deceat: opus est hæc non dolere, si flagella pati nolis: sic enim patulatim mentis impetus sopiuntur, vel penitus extinguuntur. Si filius vnigenitus patrem suum videat indulgentiorem erga seruum, mirum in modum tristatur: ita etiam spiritus noster grauissimè mœret, si caro delectatione fouetur. Multa sunt quæ adhuc ignoras, cum nondum transieris à Theologia intellectus ad Theologiam affectus: à scientia, ad sapientiam à cognitione, ad deuotionem: quæ Theologia meritò dicitur mystica, id est occulta, quòd paucissimis nota sit. Consistit namque in excelsa contemplatione, in ardenti affectione, in raptibus, mentalibusque excessibus: quibus omnibus ad cognitionem Dei faciliùs venire possimus quam per humana studia. Versatur igitur hæc arcana Theologia in experimentalibus de Deo notitijs quę varijs nominibus à sanctis nuncupantur, sicut re ipsa variæ sunt. Videlicet, Contemplatio, Extasis, Raptus, Liquefactio, Transformatio, Vnio, Exultatio, Iubilus, Ingressus in diuinam caliginem, Gustatio Dei, Amplexus, siue Osculum Sponsi. Quæ omnia ab his qui ea nunquam experti sunt, dignosci nequeunt, sicut nunquam efficere poteris, vt cœcus colorem concipiat, aut surdus vocum harmoniam. De his enim dixit Dominus, *Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.* Nihilominus tamen fatemur inexpertos aliquid licet modicum experimentalis huius Theologiæ posse percipere, sed speculatiuè & obscurè: hoc verò quatenus fidem habent experientijs sanctorum qui in ea versati sunt. Atque inde fit, vt viri ingenio pollentes, si libris de Theologia mystica incumbant, de ea & loqui & disputare argutissimè valeant, licèt eam nunquam experti sint, imò aliquando subtiliùs & copiosiùs de ea loquantur, quàm experti, cùm tamen multo minus intelligant. Ideò Gerson *in lib. de mystica Theologia* asserit omnino Theologis scholasticis expedire, quātuis deuotionis sint experres, libros mysticæ Theologiæ sæpe legere, dummodò eorum doctrinæ assentiantur, ex ea enim lectione gignitur amor, & suboritur quidam ardor experiendi & cognoscendi illa, quæ sola fide percipiunt, & docta ratiocinatione cōferunt: *Eloquium* namque *Domini ignitum* est: qui si via hac ad contemplationem peruenerint, tunc absolutissimi Theologi meritò dici poterunt, quales fuisse scimus B. Thom. Bonauent. & cæteros, quorū merita gloriosè recolimus. Id tamen maximè attendere curent docti inexperti, ne (cùm deuotæ personæ ac simplices de affectibus suis in DEVM miranda narrauerint, vbinil sit fidei contrarium, aut quod bonis moribus aduersetur) obstinatè resistant, sed potius humili animo venerentur incognita, vel saltem iudicij sui sententiam suspendant, illius examinis periculum doctoribus in ea mysticæ Theologiæ eruditione relinquentes.

Theologia mystica in quibus versetur.

Luc. 10, 21.

Psal. 11, 118

EXERCITIVM SPIRITVALI QVOtidianum, quod doceatur sub hac methodo. Et metaphoris.

CAPVT XXVII.

Exercitium quotidianū.

1 PRimò: arrepto speculo diuinæ legis, Euangelicæque perfectionis accuratè vulnera maculasque nostras etiam minimas perspiciamus, quibus conspectis, pudore confusi, & corde contriti, ad diuina balnea confugiamus, ad diuini cruoris flumina, ad Dominicæ propitiationis myropolia instar mulieris, quæ faciei suæ maculis in speculo cognitis, ornare se properat, & maculas delere. Secundò

2 Dominicam benignitatem admiremur, dicentes: Quis hic est Dominus qui amore hominum duectus, tanta pro nobis est passus, vt sanguinem etiam suum effuderit, vt esset nobis omnibus in balneum & vnguentum? Tertiò, ad considerandum

3 immensæ bonitatis pelagus rapi, & in eo immergi ac inebriari quilibet nostrum studeat, ac tantæ bonitatis dulcedine & amore ad vnitiuum amorem incessanter anhelet: quod si adipiscatur, facillimè millies horæ momento innumerabilibus, & ardentissimis desiderijs in Deum se eriget, absque prætia meditatione. Ex toto diei vnius spatio attende, quantum temporis syncerè ac purè Domino impendas: vtinam vel hora vna syncera intentione ac vehementissimo in DEVM affectu ardere verò posses. Ne existimes te Deo habituali amore plenè satisfacere. Quinimò dolendum est, quàm plurimos esse qui de spirituali consolatione liberè agant, cùm tamen hi narrent, quòd non degustanter loquantur, quæ penitus ignorant. Non parum interest inter testem oculatum & auritum: concionator enim feruido Domini spiritu plenus longe abest ab eo qui sola Theologia scholastica nititur: nam hic tantummodo quæ à Bernardo, Augustino, Chrysostomo accepit, proponere solet, ille verò quæ audiuit, quæ in contemplationis feruore rapuit, enarrat. Quo pacto lucidissimam ignis illius flammam explicare poterit, cui nunquam ad eam licuit accedere? Quis dulcissimas cœlestis suauitatis delectationes referre poterit, qui earum est inexpertus? Præsertim cùm nec expertis effari liceat. Qui internam conscientiæ pacem non experitur, nunquam eius delectationem plenè cognoscet. Præsentissimum ad mentem in deuotione conseruandam remedium est, nunquam externo negotio tota cordis affectione incumbere: nam siue loquaris, siue manibus operetis, semper secretiùs mentis tuæ cubiculum externis negotijs inaccessum Deo pateat, apice mentis solum Deum intuere, in eo mentales oculos defigito, tanquam in rectorem, remuneratorem, & Sponsum. Nam cum totum animum humanis tradamus negotijs: ideò spiritus feruor langueſcens tardè excitatur, ac si pereat, difficillime reuocatur. Non ergo plus mentalis affectus cuilibet rei accommodes, quam ipsius conditio postulet. At si caro fallax opportunos labores sub contemplationis prætextu refugiat, feruidè insta, vt operans in fratrum charitate, spiritus à DEO non discedat. Sæpe fit, vt proba mulier primo coniugij sui anno ita ardenter maritum diligat, vt ne vel tantillo temporis spatio absentiam eius pati possit: at transactis pluribus annis languet feruor ille, cum tamen syncerus ille amor firmus, ac quietus nō cesset, imò re ipsa ardentior existat: febris enim hectica grauior habetur tertiana acuta celeriter transeunte. Non aliter mira illa Domini dilectio in incipientibus & proficientibus mirabiles inflammationes ac feruores excitare solet, valetudinem etiam ipsam lædentes. Perfectorum verò amor caret assiduitate illa inflammationum (quanuis aliquando fortius incendatur) sed reuera maior, firmior, purior, & quietior est habendus. Paterfamilias, si filium habeat primogenitum iuuenili ætate florentem, ingenuis moribus ornatum: alterum verò infantem, non adhuc plenè verba fingentem: hunc licèt tenerius, & dulciùs amaret, illum tamen firmius & quietius diligeret, imò indubitanter fortius: nam si optio daretur patri quem vellet potius inire, non paruulum vnum, sed duos aut tres, si haberet, pro primogenito adulto, morti exponeret. Alio vtamur exemplo. Ignis in materia fragili combustibili accensus, altiores flammas euomit, quàm si in ligno solido exurendo detineatur, in eo tamen firmius ac fortius permanet quam in stipulis in quarum combustione acriores flammas excitauerat.

Deuotionis conseruandæ remedium præsentissimū

Amor incipientium & perfectorum.

Sicut vita corporalis non nisi assidua respiratione conseruatur hauriens aërem purum: & gelidum ac mutuo calidum supra modum expellens: ita vita spiritualis, actualis id est, feruor spiritus nequit non assiduè membrorum libertate & peccati fomitis ardore compungi, quæ vt plenè expellat, necesse est mentem iugi legis Dominicæ recordatione perfricare. Quæ nihil sunt pro nihilo reputato, nempe afflictiones, opprobria, & cætera huiusmodi, quæ si penitus spernas, fiet, vt solum Deum sentias, ac solùm illi placere studeas. Si aër nubibus obscuretur, non satis poteris Solis aut Lunæ splendorẽ (licet fixis oculis) intueri, cum intermediæ nubes visum hebetent: ita dum intellectus tuus varia phantasmatum genera produxerit, Deum plenè cognoscere non poteris, cùm phantasmata illa intermedia mentis aërem obnubilent, præsertim in initijs. Ideò in hac felici exercitatione præ omnibus opus est perseuerantia frequenti ex maxima fiducia prouenienti, qua indubitanter speremus nos Dei ipsius munere ad firmitatem perfectionemque amoris vnitiui esse peruenturos, quando DEO ipsi placitum fuerit, nec in his præscribamus Domino tempus, sed eius immensæ benignitati omnia committamus. Quare si quando in ea mentis exercitatione spirituali dulcedine te senties delinitum, age gratias Domino, qui liberali manu tanta tibi beneficia largiatur: sin omnino duritia, atque cordis ariditate cruciaris, age gratias Domino, qui non alijs quam propriis sumptibus tuis coli velit. Prima mentis potentia, quam mortificare oportet, cogitatiua est, seu intellectiua, vt scilicet, inutiles cogitationes repellens, ad vtiles & sanctas transferatur: non enim digni possunt bonæ affectiones, nisi præuijs sanctis considerationibus vtamur. Doce seculares, cùm cubitum eunt hæc meditari: vitam in morte terminari, sicut dies declinauit in noctem: & corpus exclusa anima in sepulchro collocandum, sicut exuta veste in lecto te collocas: cum autem mane expergisceris, recogita, quam acute vigilare oporteat in die iudicij, vbi huius seculi nox terminabitur, accerseris à sepulchro, rursum indues animam, vt coram Deo in iudicio stes, operum tuorum omnium rationem redditurus. Hæc consideratio assiduè versetur ob oculos, nempe quo pacto te Dominus ab æterno elegerit, quasi quamplurium bonarum actionum instrumentum, vt tuis potentijs, sensibus, ac membris beneplacitum eius in multis bonis operibus adimpleres: post creationem se tibi altius insinuauit, expetitque in te ac per te opera, quibus gloria eius innotescat, tu verò quasi refractarium instrumentum tanto beneficiorum ponderi non cedis, imò resistis, idque curare videris, ne voluntas Domini in te perficiatur. Quare quæcumque bona in vniuersum agas, ea cogita in te DEVM ipsum agere, medijs auxilijs naturalibus vel gratuitis: ideò cauendum est, ne ea tibi tribuas, sed potius time, ne ea inficias, aut macules. Deinde contemplare, quem scopum Dominus his operibus ab æterno præfixerit, nempè, vt impleretur suæ bonitatis dispositio, vt in tempore opportuno bonitatis suæ magnitudo innotesceret, vt eo medio reducereris in DEVM, in quo ab æterno suum viuit opus, & ab hoc scopo caue ne aberres, vel ab eo aliquantisper deflectas. Cogita, quam breui tempore in aliam vitam longè huic dissimilem sis traducendus, in qua omnia sensibilia ita penitus obliuioni tradentur, ac si nunquam fuissent, vbi æqua examinabuntur lance quæ commiseris. Ambrosius scribit, facilius esse innocentiam conseruare, quã post lapsũ verã peragere pœnitentiã, atq; eodẽ modo facilius esse orationis vehementiam ac deuotionẽ conseruare, quam post aliquos distractionis dies ad solitum feruorem redire. Ferrarius faber ignitum ferrum de igne extrahens, ictibus mollire satagit: sed antequam penitus frigescat, ad ignem reducit, vt iterum faciliter ignescat: sic etiam spiritus noster à feruore deuotionis extractus; & occupationis terrenæ ictibus percussus, ne omninò frigescat, atque induretur, ad fornacem deuotionis est reducendus. Nam qui studiosè curant deuotionem nutrire quotidie, faciè conseruant, ac tuentur: si verò, licet paucissimis diebus, ab officio recedant, difficulter ad exercitij interioris feruorem redire solent. Quapropter illud maximè curandum est, vt orationis assiduitate cor semper Deo pateat, nihil timeamus, nihil speremus, sed nos in diuinæ voluntatis beneplacito resignemus, paratosque nos exhibeamus ad ea omnia quæ Dominus in nobis fieri velit, nihil futura curemus, sed cuncta nostra plenè Deo committamus. Cordi huiusmodi renuntiato adiungitur Dei recordatio dulcissima. Nam vt reipsa patet, speculatio intellectualis vehemens eorum, quæ non apta sunt ad deuotionem excitandam (vt metaphysicalium) longè magis deiccat atque indurat affectum, quam occupatio corporalis: magis enim implicat & absorbet intellectum, nec permittit alijs affectibus considerationibus frui. Quare lectores debent (si spiritus feruorem conseruare velint) sæpe ad orationem, lectionem, meditationem eorum, quæ affectionem excitant, recurrere: alioqui omninò indurabuntur: quod res ipsa planè testatur. Si quo tempore accedis ad orationem, dicat tibi cogitatio tua. Recede hinc nam cum sis distractus, nulla deuotionis aut consolationis dulcedine frui poteris, tu contra dicito: Ego non huc accessi, vt cœlestibus imbuar consolationibus, sed vt cogitationes meas, quibus cum mihi bellum est, superare valeam, & si quid tædij inde proueniat, patienter pro Christi nomine perferam. Quid clementius excogitari queat: quàm si assiduè oculos tuos puluere aspergens conqueraris, & grauissimo dolore significes, quod videre libere nequeas? Ira etiam cum affectiones tuas erga terrena multiplices, stultissime quereris quòd frui contemplatione non valeas. Si quæras, quid sit caligo illa, quam contemplantes asserunt esse supremam ac vltimam metam: ad quam intellectus noster in via peruenire potest in contemplatione Domini (intelligo tamen absque speciali lumine infuso) scito tres esse gradus diuinæ cognitionis. Primus dicitur discursus, aut meditatio, cum diuinas Perfectiones quilibet contemplatur, seu Domini attributa, vt potentiam, sapientiam bonitatem, & ex vna in cæteras progreditur. Secundus gradus dicitur simplex intelligentia, cùm intellectus noster ita simpliciter in Deo & diuina essentia figitur, vt nihil aliud præter Deum consideret: sed cum hæc intellectio, quamuis simplex, secum afferat conceptum de Deo positiuum, licèt non respiciat aliquod eius speciale attributum, ac id ab omnibus pro certo habeatur, conceptus omnes positiuos, quos de Deo fingere intellectus nostri fragilitas potest, esse imperfectos, nec plenè posse ad veram Dei cognitionem sufficere, ac sunt media quædam inter Deum & intellectum nostrum: ideò sublimior ad huc reperitur cognitionis diuinæ gradus, ad quem tunc peruenimus, cùm intellectus noster omninò suspendit omnes, tam actus, quàm conceptus, vel attributa, quos de Deo in meditatione formauit, vel quos in simplici diuinæ essentiæ intellectione recepit, & tunc in quadam ignoratione demergitur, in qua fatetur se nõ satis intelligere posse, quid sit Dominus: & dicitur manere in caligine, q̃ est altis-

Ad vnitiuũ amorem consequendum, quid faciendum.

Cogitatiua mentis potentia mortificanda.

Innocentia conseruatio facilius est.

Feruor deuotionis quomodo conseruetur.

Caligo supremam contemplantis. Vltimum meta.

Cognitionis diuinæ gradus tres.

1

2

3

altissima meta omnium, ad quas intellectus noster, dum viuimus, ascendere potest. Vnde scribit Dionys. optimam de Deo scientiam esse hanc ignorantiam. Quapropter meritò deploranda est huius vitæ calamitas, cuius summa felicitas in ipsa ignorantia, atque Dei caligine consistit, cùm tamen sola Domini clara cognitio summa existat beatitudo. Hæc lucida caligo omnibus præcedentibus cõceptibus præponitur. Nunc verò attende causam dispositiuam huius caliginis, & ipsius effectum. Dispositio vt ad caliginem accedamus, est instantia aspirationum affectiuarum; mira enim vi pollent ad fugandas phantasmatum nebulas & terrenarum insimul affectionum, ex quibus rerum corporearum imagines, vt plurimum prouenire solent: ac si aspirationibus incumbas cum mentis ardore, paulatim euanescunt phantasmata, ita vt recedentibus prædictis imaginibus, accedere possimus ad caliginem. Effectus autem caliginis est libertas voluntatis, qua libere & solutè spatiari ac natare valeas in pelago diuinæ bonitatis ac dulcedinis. Nam quamdiu intellectus positiuis conceptibus intentus erat, vis illa voluntatis affectiua ita arctabatur, vt extra cogitationis præscriptos limites progredi non posset, & cum conceptus imperfectè ostenderent, quid Deus esset, voluntas minus liberè ac perfectè amabat, conceptibus tãtummodo se cooptat: expulsis verò conceptibus, libera remanet voluntas ad ingrediendum pelagus illud diuinæ bonitatis efficacissimis actibus amoris: & ideò dicemus voluntatem ascendere, quo intellectus peruenire non valeat: nam cùm intellectus caligat, & à suo actu suspenditur, tunc voluntas maximè agit. Ideò Bonauentura dicit, enitentibus ad vnitiuum amorem intellectuales conceptiones fugiendas esse. Existens autem verè in hac caligine cum ardentissima voluntatis dilectione, dicitur esse in vltima dispositione ad vnitiuum amorem, & vnionem passiuam, ac amorem fruitiuum. Sed aduersus dicta obijcies, quomodo intellectu ab omni actu & conceptu erga Deum suspenso, posit voluntas liberè actui dilectionis insistere? Respondeo, intellectum in ea existentem caligine non omninò manere otiosum, sed cùm expellat omnes positiuos conceptus, manet in quodam negatiuo cõceptu longè illis perfectiori, videlicet incomprehensibili, incõceptibili, inintelligibili. Felix igitur qui cum Moyse caliginem intrat: nam ibi plenè reficitur: ideò enim Moyses nihil aliud quadraginta diebus comedisse scribitur. Prædicta non confutantur articulo Parisien. edito contra asserentes Deum hic non posse cognosci conceptu positiuo, sed solum per negationes. Intellectualem namque cognitionem relinquens, super intellectum & mentem optimè Deum cognoscit, vt scribit Dionys. Perambulemus ergo hanc viam: purus animus, pura Deum deuotione frequentet, frequentando gustet, gustando probet, *quam suauis est Dominus*, quo tandem inebriatus amore, totam in Deum considerationem inflectat, toto in ipsum desiderio pergat, nihil dulcius, nihil iucundius in vita habeat, quam vacare, & videre, quoniam ipse est Deus. Affecta sic anima Sponsum arctissimè complectitur, stringit, & tenet dicens: *Tenui eum, neque dimittam.*

Causa dispositiua & effectus caliginis.

Cant. 3, 4.

ORATIO BONAVENTVRÆ.

CAPVT XXVIII.

DOmine Deus, quis ego nequissimus ac vanissimus homo, stercus, vermisque fœtidissimus: tu autem omne bonum, honestum, & pulchrum; omnis vtilitas, omnis amœnitas, omnis suauitas, fons splendoris, fons melodiæ, fons dulcoris, fons amoris, & intimus dilectionis amplexus. Tu rogas me, ego te fugio: de me es solicitus, ego nihil de te curo: tu mihi semper seruis, ego te semper offendo: te mihi tribuis, ego te contemno: me qui penè nihil sum diligis, ego te infinitum & inenarrabile bonum sperno, fœtorem, horrorem, mortalem dolorem tibi præponens. Plus me allicit vanitas, quàm æternitas: execranda miseria, quàm summa felicitas: plus sordes: quam pulchritudo: seruitus, quam libertas: amaritudo quam dulcedo. Quid faciam miser? quo ibo? Tu amantissime Pater vis à me amari, & hoc à me exigis, tu plenè scis, & vales hæc in me operari: tene ergo me amore tuo, restringe me amore tuo, præuale tu mihi, non præualeam ego tibi: scio & intimè doleo me totam tuam substantiam dissipasse cum amorem tibi debitum in creaturis tuis lasciue collocauerim. Nunc autem inopiã meam considerans, & egestatem cognoscens, famelico appetitu ad viscera misericordiæ tuæ redeo: radijs gratiæ tuæ quæso mihi occurras, tuæ pietatis oculis me cognosce, amplexare, & osculare me osculo pacis. O quãdo licebit mihi emori, vt vita mea in Christo sit abscondita? Quando quiescam in centro meo Christo? Quando eius sanguine inebriabor? Quando cor meũ erit vnum cum ipso. Quãdo erit totus meus & ego totus suus? Quando cor meum fiet vnum cum ipso? Igitur, Bone Iesu, refoue me visceribus, refice veberibus, inebria vulneribus, purarum lachrymarum fluuium concede: si de voluptatis ac deliciarum fonte, si de Christo pendente in cruce egressus est fluuius lacrymarum, æquius est, vt de me, qui locus sum sordium, egrediatur. Felix anima contemplantis, in qua requiem inuenit omnium creator, cui etiam dicere licet: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*: negare enim requiem non poterit animæ, quæ illi in hac vita requiem præparauit. Anima mea, attendas, quæso, quod sublimis ille Rex gloriæ te in domum sibi gratissimam elegerit, quam cœlo & terræ, & toti huic vniuersali machinæ præponit. Anima quæ ad dulcedinis cœlestis degustationem se præparare vult, debet esse (vt inquit Bonauen. *in Soliloq.*) depurata, exercitata, eleuata. In primo hæc cœlestis dulcedo odoratur: In secundo degustatur. In tertiò aliquando vsque ad ebrietatem sumitur, & potatur. Primo ergo debet esse depurata à peccatis, ab inordinatis affectionibus, à temporali consolatione, & à vaga distractione in amore creaturarum. Nam iuxta Bernardi sententiam, fallitur, qui cœlestem illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spiritus sancti, huius seculi illecebris misceri posse arbitratur. Depurata ergo ac purgata anima lachrymosis gemitibus, vesci poterit pane illo, iuxta illud: *Ante quam comedam suspiro.* Secundo, debet mens esse exercitata in bonarum actionum assidua operatione, & in malorum humili perpessione. Tertiò, eleuanda est mens ad superna, erigenda ad fontem diuinæ bonitatis, vt ingredi possit in cellam vinariam, vbi ineffabili dulcedine inebrietur. Nemo tamen præsumat tertium exequi ante duo primo loco dicta: nullus enim socius poterit esse consolationis, antequam sit effectus socius passionis, nemo fieri potest particeps remunerationis, antequam fiat sedulus virtutis imitator. Sed quid faciam miser, cùm odor mihi non sufficiat, modicus gustus planè non reficiat, & ebrietatem affectio mea apperat ac requirat? Consolatur me illud Augustini. Erubescat humana prigritia, plus expetit Dominus dare, quam mortalis homo audeat postulare. Igitur anima pia erige intellectum, dilata effectum, ingredere actionem non

Anima quo modo præparata esse debeat qua cœlestem dulcedinem degustare cupit.

Eccl. 24, 22.

Iob. 3, 24.

1

2

3

operosam, & requiem non desidiosam, vt inquit Augustinus. O anima mea noli aliquid in præsenti seculo possidere, sicut impij nihil in cœlesti gaudio habere nituntur: attende quod expectet te Deus Pater tanquam filium dilectissimum, Deus Filius tanquam Sponsam dulcissimam, Deus Spiritus sanctus tanquam amicam gratissimam. Expectat te Deus Pater, vt hæredem bonorum omnium suorum te constituat. Deus Filius, vt pro te suæ natiuitatis fructum, & sui sanguinis pretium Deo Patri offerat; Deus Spiritus sanctus, vt suæ dulcedinis, ac beatitudinis te efficiat participem. Sed heu effusi sumus quasi aqua, excluſi sumus à regno Dei, quod intra nos est nihil curantes, foris in rebus futilibus & insanijs falsis quærimus consolationem. Actiui regnum cœleste quærunt: contemplantes iam propè inueniunt, scilicet, quodammodo. Actiui fatigati ad cœlestem ianuam pulsant, vt intrent in gaudium: contemplatiui, vt in gaudio consummentur, vt scribit Prosper. Vnde Gregor. *15. Moral.* sic scribit: Anima cum ardenti desiderio ad cœlestia inhiat, miro quodam modo hoc ipsum quod consequi affectat, iam degustat. Quid est Monachus? Respondet Bonauentura, allegans Ioannem Abbatem montis Sinay. Est violentia naturæ indesinens, custodia sensuum indeficiens, corpus sanctificatum, os expurgatum, mens illuminata & calorem retinens inextinguibilem vsque ac diem sui exitus: ignem igni, feruorem feruori, desiderium desiderio, solicitudinem denique addens sollicitudini. Ille (ait Bernard.) *Monachus quid secundũ Ioannem Abbatem.* est verè monachus, qui deuotione æstuat in choro, patientiam seruat in capitulo, disciplina vtitur in labore, meditationem fouet in lectione, feruorem in oratione, castitatem tuetur in tentatione, tolerantiam non abijcit in aduersis, humilitatem retinet in prosperitate. Religiosus feruidus ideò placide, ac tranquille viuit, quòd omnia patienter toleret: religiosus verò tepidus tribulationem tribulationi accumulat: nam interna consolatione caret, & externam quærere prohibetur. Felix qui diu exercitatus est in flammigeris affectionibus, & aspirationibus vnitiui amoris: is etenim citiùs opinione sua absque præuia cogitatione quandocumque velit, die, noctuque millies in DEO afficitur ad eum solum possidendum: ad eum namque solummodò toto animi ardore aspirat.

EX OPUSCVLO BONAVENTURÆ de mystica Theologia, cuius initium est, Via Sion, quod Henrico de Palma à plerisque tribuitur.

CAPVT XXX.

Qua ratione quis ad osculum vnitiui amoris possit peruenire. Psal. 88, 15.

PRimò osculare Christi pedem, recogitans peccata tua. Secundò manum, recognoscens beneficia collata: quæ vbi feceris, percingere poteris ad vnitiui amoris osculum. *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ*, ideò nequit anima esse Dei sedes, nisi primò se purget, ac purissimè emundet. Hoc differt mystica Theologia à cæteris disciplinis ac doctrinis: nam in his prius oportet intelligere verba, quibus ipsa traditur disciplina, quàm aliquid doctrinæ comparetur, in illa verò nisi priùs experimentalem eius notitiam habueris, non licebit perfectè intelligere verba, quibus mystici Doctores in ea tradenda vtuntur.

Nullum efficacius medium est ad scripturæ sensum percipiendum, & ad corda prædicatione inflammanda, quàm mystica Theologia expressa. Abstersò speculo mox apparet facies: absterge speculum animæ, & mox imago, ac diuini vultus lumen elucebit in eo: hoc autem magis vel minus iuxta purio- *Via purgatiua & illuminatiua.*
rem vel minorem speculi abstersionem: via etenim purgatiua disponit ad illuminationem & vnitiuã. Sed vt plenè intelligas, quid intersit inter vtramque viam, necesse est scire, hominem cùm post pœnitentiam purgatiuam peccatorum incipit proficere, non statim aptum reddi, vt expedite ferri possit in Deum anagogicis affectionibus immediatè & directè: sed egere præuijs meditationibus, & aspirationibus, quibus affectus scintillet, iuxta illud: *In meditatione mea exardescet ignis.* Qui verò iam in via adeò pro- *Psal. 38, 4.*
fecerunt, vt perfecti dici possint absque præuijs meditationibus, aut aspirationibus concomitantibus valent has anagogicas affectiones habere, quotiescumque libuerit. Hic est scopus ad quem totis viribus est enitendum, scilicet, vt peruenire possimus ad firmitatem flamigerarum affectionum, quæ dulcissimæ sunt, & rubigines, fæcesque; culparum ita omninò exurunt, vt liceat animæ expeditius absque purgatorio igne ad cœlestem patriam euolare. O dulcissimum purgatorium, ô suauissimus ignis ardentium affectionum, ô vera sapientia oculis superborum abscondita, qua fruitur anima, quando scintillantibus affectionibus, insatiabilibus desiderijs, vnitiuis aspirationibus Deum ipsum tangere & amplecti affectat. Sic enim felicem circulum implebit, rediens, scilicet, vnde exiuit. Aduertendum tamen, *Amatru anagogici nõ* veros anagogicos amatores non exerceri cum carnis *percipiunt* delectatione sensibili: sed potius cùm sui ipsius ma- *sensibilẽ carnis* xima afflictione. Nam mens laboriosissima actione *delectã.* sursum agitur, & ex extensione spiritus fit quædam corporis eneruatio atque neruorum protensio prouenies ex impetu motuum anagogicorum. Quapropter motus illos anagogicos non posset corpus absque maxima sui afflictione perpeti, nisi spiritus gaudium de suo profectu conceptum eam leniret afflictionem. Præterea hi motus sunt subitanei, ad instar emissionis syderis scintillantis: nam postquã surrexit mens, mox relabitur infra seipsam, atque rursum consurgens iterum cadit. His moribus plenè certa fit fides, sentit enim mens se trahi quadam infallibili notitia illum esse verum Deũ ac Dominũ, quem fide colit. Quare anima ad hanc perueniens sapientiam, licèt omnes mundi sapientes illam redarguentes dicerent, Fides tua non est vera, ipsa fidenter responderet, imò vos fallimini, ego enim fidem veram teneo: nam illa amoris vnio fortius animam in fide firmat, quam quæcumque rationes seu inuestigationes mentis. Spes etiam valdè roboratur hac vnitiua familiaritate, anima enim in eo statu manens, adeò in Dei bonitate ac familiaritate confidit, vt nullatenus se credat ab ipso in posterum posse separari, atque remoto omni purgatiuo timore (nisi per modum cautelæ) pura nititur confidentia, Insuper hac vnitiua sapientia longè amplior cognitio acquiritur, quàm lectione, aut studio, aut rationis exercitatione: per illam namque propiores reddimur fonti luminis, & Domino scientiarum. Illud etiam est aduertendum, quod licet post superata vitia, & passiones magna ex parte deuictas, non sentias te ad vnitiui ardoris amorem extolli, non oportet animum deponere, sed memor neminem repentè summum fieri: hac vtere cautela: habeas, vel non habeas deuotionem; calidum te sentias: aut frigidũ, semper ostium diuinæ bonitatis pulsato, affluentissimam Domini misericordiam implorans, vt æstuantis amoris donum tibi concedere dignetur, cum ad id te creauerit: & in hac petitione obstinate persisto. Nam veluti qui oculos in Sole hora meridiana figere nequit, si assuescat orientem Solem intueri, deinde hora tertia iterum attentè inspiciat.

tandem

tandem in meridie. Solare corpus liberè intuebitur: ita vere contemplans faciet in Solis iustitiæ intuitu. Ad id omnes Sanctos inuocet dicens: O vos omnes qui in camino ignis æstuatis, vnam saltem scintillã mihi impetrate. O vos qui ad opulentissimam sedetis mensam, & satiamini, catello huic famelico micas porrigite: vos qui immersi & absorpti estis in abysso lucis inaccessibilis, eius radiolum mihi exorate, *Leuabo oculos meos in montem*, &c. ac tandem fiet, vt plenè audias, quod dictum est Danieli: *Quia vir desideriorum tues*. Dispositio ac situs corporis non parum confert ad excitandum spiritum: nam sicut peccata plangens, aptè publicanum imitatur, oculos ad cœlum leuare nolentem: ita qui ad vnitiui amoris ardores suspirat, cõmodè erecto erit corpore, oculis in cœlum leuatis: si enim facie versus terram declinaret, impediretur actualis tendentia, cùm sursum mente agatur ad illum, qui super omnia ineffabiliter est collocatus, cui vniri, & in quem transformari desiderat. Ad firmiter in his exercitationibus & oratione perseuerandum, præsentissimum remedium est infallibilem in ipsis ordinem ac numerum seruare. Præterea temporis consideranda est opportunitas: si enim garrula hæc ancilla (caro nempe nostra) bis in die refici exigit, ne inedia langueſcat, decentius videri debet dominam hanc (animam scilicet) conuiuio dulcissimo suo, id est, amoris prandio non priuari, cum eius vita in solo mellifluo amore permaneat. Opportunissimum atque aptissimum ad id tempus est nocturnum. *Nox* (inquit) *illuminatio mea in deliciis meis: & anima mea desiderauit te in nocte*, ait Isaias. Decet itaque vt hi quibus datum est in spiritu viuere, eo tempore affectuosis orationibus Christi proregant gregem quo grex ipse dormit. Interdiu etiam aliud tempus præscribatur, nunquam pro modicis impedimentis relinquat anima refectiones suas, sed compungatur, si aliquando modico perculsa impedimento ad diuinas epulas non accesserit. Loci etiam opportunitas captetur, nempe occultus & secretus est eligendus, præsertim his qui fragili adhuc amore nituntur, vel qui humanæ laudis ac gloriolæ stimulis sæpe pungũtur, & caute attendant, ne antiquus hostis sub honestatis prætextu illos seducat. Condoleat intimè incommodis proximorum, dum alios viderit cœcos, alios claudos, alios vulneratos, laceros, & vlcerosos. pro quibus omnibus cœlesti Patri ardentissimam offerat supplicationem: hæc enim omnia in sui ipsius cedent emolumentum & copiosius lucrũ à Domino reportabit, veluti famulus Regis, cui clarior est regiæ domus plena reformatio quàm propria vtilitas plus sibi meriti apud Dominum conciliat, quàm si proprijs solummodò commodis incũberet perfectè seruiens. Quando in primis homo vię vacabat purgatiuæ contritionibus & lachrymis spiritus ab inordinationibus purgabatur: cum verò ad vnitiuæ viæ flammeas pertingit affectiones) quæ cùm puræ sint, actus omnes cognitiuarum vitium sopire solent) tunc longè plenius per eas ab omni terrena affectione purificatur spiritus, & exteriorum sensuum inordinatio, quasi quodam retinaculo interiori frænatur: igniti verò effectus corruptam ipsam sensualitatem sopiunt, eiusque affectus omnes mortificant. Nam quanto plus voluntas aspirando erigitur, eo plus carnis malè inflammantis corruptio debilitatur. In his etiam affectiuis vnionibus elucet claritas quædam in intellectu ad occultiora inuestiganda & penetranda, quæ verò imaginaria & phantastica sunt, disrumpuntur, ac euanescunt. Bonau. *in Opusculo de vitijs, & eorum remedijs*, hæc scribit, quæ illum ex Bernar. credo accepisse: Qui ad vitam anhelant spiritualem, in duplici sunt reuerentia: quidam ita gratia à Deo præueniuntur, vt facillimè, imò multa cum suauitate, bona operentur, & à malo declinent, & eorum voluntatem sic inflammet, vt maximo quodam feruore ducti, quæ facere expediat, promptissimè aggrediantur quanuis dura sint ac difficilia. Quidam verò sunt, quos Dominus ita quodammodo sibi relinquit, vt cum bonum aliquod opus agere velint, opus sit stimulis ac calcaribus pungi, quasi pigrum aliquod animal, in quibus grauior esse solet difficultas expellendi torporem mentis, quam sustinendi laborem actionis. Hi etsi non ardeant desiderio currendi post Dominum, desiderium tamen desiderant, iuxta illud: *Concupiuit anima mea desiderare*. Habent enim voluntatem bonam, pigram tamen ac tepidam, non feruentem. Primum igitur felicius, secundum laboriosius. Qui verò sint maioris meriti, solus Dominus, qui spirituum ponderator est optimus, plenè nouit. Dicimus tamen secundos, si luctando seipsos vincant, ita vt sui compotes fiant, pugnandi consuetudine & vsu non parum meriti sibi conciliasse: veruntamen pleriq; in hoc certamine labascunt, nam antequam perfectè se vincant, difficultate defessi, vel quasi labore deterriti, de victoria desperant atque ad finem, quò tendebant, peruenire posse diffidunt. Quapropter perfectionis studium intermittunt, & ad alias occupationes se conuertunt, quasi vereantur Deum ipsos nolle in Promissionis terram introducere, per quam charitatis perfectio significatur. Similes hi sunt filijs Israel, qui in deserto, laboris tædio, & timore hostium perculsi, de consequenda victoria desperantes, terræ promissionis detraxerunt, qui tamen omnes mortui sunt in deserto, præter duos tantum; Caleph, & Iosue, per quos significantur, qui viriliter per tentationes transeuntes, vsque in finem perseuerant. Quia tamen pauci sunt, quibus hoc contingat: ideò pauci egressi de seculo, seu de Aegypto, ad consummatam peruenire valent perfectionem. Primi tamen (qui feliciores sunt) vtpotè iam inuenientes sapientiam ad valuas cum vigilat expectantem, maiori indigent cautela, ne seduci possint, nam diuitiæ leuius comparatæ largius diffundi solent, quàm quæ paulatim, nec absq; multo labore congregatæ sunt Bonau. *in Opuso. de perfectione vitæ ad Sororem suam* docet his verbis modũ orandi, Primò sta erectus corpore & corde, clausis sensibus omnibus: mox incipe meditari miserias tuas omnes, præsentes, præteritas, & futuras. Deinde cum Dauid rugito à gemitu cordis tui, cum Publicano tunde pectus, cum Magdalena lacrymis riga pedes Iesu. Secundò, conuerte te ad gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, tam generalibus, quam specialibus: est enim gratiarum actio maximè vtilis in oratione, nec vllius momẽti oratio esse poterit, nisi adiungatur gratiarum actio. Nam vt inquit *Bernar.* Ingratitudo est ventus vrens fontem pietatis, exsiccans rorem misericordiæ, & gratiæ fluenta non recipiens. Debet autem orans diligentissimè cor suum compescere, ne quid aliud cogitet dum precatur, nisi id quod postulat: debet præterea clamare toto corde, nedum eius dimidia pars in terra maneat, alteram ad cœlum leuare velit. Vnde Glossa super illud, *Clamaui in toto corde meo*, affirmat diuisum cor non exaudiet, nec vnquam postulata posse impetrare. Oblitus ergo penitus exteriorum omnium, toto affectu, tota mente, tota deuotione eniti debes, vt supra te extollaris, nec spiritum tuum ab oratione relaxes: sed tamdiu deuotionis ardore sursum ascendere stude, donec ingrediaris *in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei*: vt ibi intuens ac degustans dilectum, in eum transformari, rapi, & absorberi possis. Tribus de causis feruens orato-

Psal. 120, 1. — *Leuabo oculos meos in montem*, &c.

Dan. 9, 23. — *Quia vir desideriorum tues.*

Compositio corporis qualis esse debeat in contemplatione.

Tempus contemplationi opportunum. Psal. 138, 11. Isa. 26, 9. — *Nox illuminatio mea in deliciis meis: & anima mea desideravit te in nocte.*

Loci — *Concupiuit anima mea desiderare.* Psal. 118, 20.

Num. 14.

Orandi modus.

Psal 37, 9. Luc. 18. Luc. 7.

Psal. 118, 148.

Psal. 41, 5.

Duplex differentia ad vitam spiritualem anhelantium.

orator in mentis alienationem rapitur: primò admirationis: secundò deuotionis: tertiò exultationis magnitudine.

Causæ tres raptus.

1 *Magnitudo admirationis*

Admirationis equidem magnitudine rapitur, cũ diuino lumine mens irradiata, & summæ pulchritudinis admiratione suspensa, adeò vehementi stupore concutitur, vt à suo statu funditus excutiatur, & in modum coruscantis fulguris quo profundius sui despectu in ima deijcitur visæ pulchritudinis admiratione, eo altius sublimium defideriorum ardore sublata, & supra seipsam rapta clamare cogitur cum Esther: *Vidite, Domine, & conturbatum est cor meũ præ timore gloriæ tuæ. Valde mirabilis es, Domine, facies tua plena est gratiarum.* Deuotionis verò, quando flamma cœlestis desiderij, amorisque intimi adeò excrescit, vt animam instar ceræ liquefactæ in seipsa deficere cogat, & supra se eleuata in alienationem transeat, veluti fumus directè ad cœlum tendens, ita vt dicat: *Defecit caro mea, & cor meum.* Magnitudine autem exultationis rapitur anima in alienationem, quando diuinæ suauitatis inebriata dulcedine, quid sit, quid fuerit, penitus obliuiscitur & in quendam supernaturalem affectum rapitur, vt clamare non cesset: *Quam dilecta tabernacula tua.* Cùm igitur ad has suauissimas occupationes creati simus, non decet animam Dei imagine insignitam, Domini similitudine decoratam, Christi sanguine redemptam, circa temporalia volutari, sed ascendere super Cherubin, & volare super pennas ventorum, id est, Angelorum ordines. Sed heu (inquit *Bernar.*) multi in Ecclesia sunt, qui cum studiosè eniti deberent cœlos penetrare, mente cœlestia circumire, choros Angelorum salutare, turpi se corporis seruituti addicunt, carni obediunt, vẽtri & gulæ turpissime famulantur. Bern. *ser. 32. super Cant.* exponens, quo pacto Dominus visitet animam, & ab ea discedens, quomodo sit reuocandus, sic scribit. Cùm Sponsus vigilijs, obsecrationibus, & multò lachrymarum imbre quæsitus fuerit, subito, dum teneri creditur, elabitur: rursumque lacrymanti & insequenti occurrens, comprehendi patitur, nõ tamen retineri: nam subitò quasi è manibus euolat. At si precibus & fletibus deuota insistat anima, denuo ad eam reuertetur, & voluptate labiorum eius non fraudabit ipsam: sed iterum mox abibit, nec videbitur, nisi rursum toto animi desiderio requiratur. Igitur in hoc corpore poterit esse de Sponsi præsentia frequens lætitia, non tamen copia: nam licet frequens visitatio lætificet, vicissitudo molestet, necesse est: quam tamdiu dilecta patitur: donec corporeæ sarcinæ deposita mole liberè ad cœlestia auolet. Et *ser. 74.* Ideò aliquando se subtrahit, vt ardentiùs vocetur, fortius teneatur: nam aliquando simulauit se longiùs ire, nolens hoc, sed audire cupiens: *Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit.* Hanc ergo piam simulationem, imò salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter exhibuit, non cessat idem Dominus speciali quodam modo cum deuota anima sedulò actitare: abire namq; illi dispensatorium est, redire verò semper voluntarium, vtrumq; autem plenum iudicij, ac penes ipsum manet horũ omnium ratio. Has ergo vicissitudines euntis & redeuntis Verbi signat, dicens: *Vado & venio ad vos. Modicum & non videbitis me.* O modicum & longum: modicum dicis Domine, quo non videbimus te? Saluum sit Verbum Domini mei, nimis longum est, verumtamen vtrumque est modicum meritis, & non modicum votis: *quia non tardabit.* Quomodo non tardabit, si moram fecerit? Quia licet tardet ad vota, non tamen tardabit ad merita.

Esther. 15, 16

2 *Deuotionis.*

Psal. 72, 26.

3 *Exultationis*

Psal. 83, 2.

Amanti cur Deus quandoque se subtrahat.

Luc. 21, 29.

Ioan. 14, 28. 16, 16. 17, 19.

Hab. 2, 3.

DE HVMILITATE.

CAPVT XXXI.

SVnt quidam, qui renes suos & corda scrutantes, optimè miserias, quibus opprimuntur, conspiciunt, ac veritate impellente veram aduersus se proferunt sententiam: nolunt tamen ab alijs haberi, quales ipsi se intuentur. Et licet se viles æstiment, à nemine tamen volunt parui pendi, quod est pessimũ superbiæ genus, vt Bernard. pulchrè disserit. *serm. 42. super Cant.* Longe (inquit) sunt à vera humilitate qui in communi congregatione degentes, specialia sibi tamen volunt deferri ministeria, & à reliquis tanquam præstantiores in his discerni appetunt. Bonauent. *c. 21. Meditat.* Caiet. *2. 2. in vltimis verbis, quæst. 182.* prudenter monet, vt hi qui alios in via Dei ad spiritualem profectum instruunt dent operam, vt prius in actionibus actiuæ vitę humiliter exerceantur, quàm ad contemplationis fastigium ascendere velint: oportet siquidem passiones proprias prius domare actibus humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, liberalitatis, quàm ad contemplatiuæ vitæ scandere altitudinem. Huius prioris vitæ actiuæ penuria (ait *Caiet.*) multi non sensim, vt æquum est, in via Dei incedentes, sed saltantes, post maximam vitæ suæ partem contemplationi impensam, impatientes, iracundi, superbi, vacui denique virtutibus inueniuntur. Hi enim nec actiuam, nec contemplatiuam, nec ex vtraque mixtam habent, sed super arenam fabricasse dici possunt: atque vtinam non sit frequens defectus iste. Tu tamen intellige, quòd licèt efficacissimum remedium & ad virtutes morales assequendas propriorum criminum consideratio, oratio feruens, meditatio vitæ & passionis Christi, tamen hæc docenda sunt adhibita prius diligentia operum exteriorum, & internæ resistentiæ? Viri perfecti quo virtutibus & gratia perfectiores sunt, eo se reputant omnibus inferiores, & cùm alij reputent eos ad secretiora Dei arcana intrasse, ipsi vix se existimant iter inchoasse. *Bonauentura:* Cùm consummauerit homo, tunc incipiet. Idem. Ex defectu vel profectu clericorum & religiosorum, exurgit profectus vel defectus laicorum, iuxta illud Ezech. 10. *Cum ambularent Cherubim, ibant pariter & rota iuxta ea, & stantibus illis stabant.* Bernard. *in quadam epist.* Sicut patientia est via ad pacem, ita humiliatio, id est, sui ipsius vilificatio in suo & aliorum conspectu, & exercitatio in vilibus operibus, est via ad humiliratem. Sola superbia effecit Angelos dœmones, & sola humilitas homines reddidit Angelos. *August.* Franciscus dicere solebat paupertatem esse spiritualem salutis viam, fomentum humilitatis, perfectionis radicem. Quando actualiter nullo valetudinis periculo ad appetendos, aut deuitandos cibos cogimur, non obseruanda est eorum qualitas, sed oblatos, quicunque sint, cum humilitate edere debemus, non enim viuere oportet physicè, *Bonauent.* Si expetis Deum videre, si cupis Deo coniungi, ama solitudinem, fuge colloquia secularium, ne quæras nouas personarum amicitias, ne impleas sensus imaginibus, aut phantasmatibus, quæ quietem animi, & mentis tranquillitatem interturbãt, quæ omnia deuitanda sunt tanquam noxia & animæ inimica. Nam non immeritò Patres illi sancti nemora petentes, in loca ab omni hominum commercio remotissima se conferebant: his verò, qui in cœnobio remanebant, imperabant, vt quasi cœci, surdi ac muti viuerent. Secede ergo sicut turtur, habes enim verecundum Sponsum, qui tecum oblectari renuit in aliorum conspectu. Hæc Bonauentura *capit. 18. Medit.* & Bernar. *serm.*

Superbia omnium pessima.

Ad contemplationem vitam aspirantibus quid faciendum.

Ezech. 10, 16

Humilitatis via.

Paupertatis encomium.

Resignatio voluntatis principium pacis spiritalis.

4. *Cantic.* Radix ac principium totale spiritualis pacis & quietis est resignatio voluntatis in Deum. Vnde quidam assiduè hoc secum dicebat: Accipe, Domine, cor meum, tibi illud trado, tibi illud remitto, operare in eo, vt lubet, nihil volo (de præsentibus indifferentibus) non enim voluntate mea ducor, quam semel tibi renuntiaui, iam non volûtati meæ morigeror, cùm aliena sit, & penitus extra me posita. Audi quæso consilia hęc. Ama nesciri & pro nihilo reputari, dilectus eris Deo & hominibus, Diabolus te formidabit, nihil enim illi acrius aduersatur, quàm humilitas. Zachæe frater descende de altitudine scientiæ tuæ, disce humilitatem & mansuetudinem in schola Christi. Si quæras, cur plerique religiosi eruditione insignes, relicta vera sapientia; qua Deus interius colitur idola adorent, id intelligere fuisse in causa, quod mentem diuersimoda eruditione, & multiplicibus argumentis quasi quibusdã imaginibus impleuerint, in quibus sic occupantur & absorbentur, vt vera sapientia in eis locum non inueniat: anima enim illa argutijs subtilibus intenta, ita infeliciter captiua detinetur, vt nullum ex ea oriri possit spiraculum, quo per flammigeras affectiones creatorem suum contingere valeat. Non Dominus animam creat, vt se illa pessima occupatione discrucjet, sed vt fiat sedes sapientiæ, in qua sedeat. Rex pacificus. Hæc est vera sapientia & Theologia, quę ab Spiritu sancto illuminationibus ac cœlestibus distillationibus edocetur. Hæc intellectũ illuminat, affectum inflammat, quietem confert. Illa Theologia nisi hanc habeat sociam, inflat, inquietat, nunquam dicit Sufficit, sæpeque inebriat varijs opinionibus vel etiam erroribus. Eme Christum, pro eo trade omnia commoda tua: quod si feceris, citissimè re ipsa videbis, quot affluas solatijs. Diligenter te in eius vita & passione exerce: ibi enim necessaria omnia & vtilia inuenire licebit, nec aliquid extra Iesum quæras cùm in eo sint *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ*. Ama paupertatem propter Christum, in ea maximam inuenies requiem: pretiosissimum Dei donum est voluntaria paupertas. Diuitias habere & amare, perniciosum, habere & non amare, laboriosum, quapropter expedit nec amare, nisi necessaria, quę ea sunt, sine quibus commodè esse nequeas, reliqua verò nec appetenda, nec procuranda, aut si sponte offerantur, recipienda sunt.

Coloſ. 2,3.

Plura de Humilitate.

Dispensatio diuina ad humilitatem eo seruandam.

¶ Bernard. *super Missus est*. Nimirum conseruãdæ humilitatis gratia diuina solet pietas ordinare, vt quãto quis plus proficit, eo minùs se reputet profecisse. Nam vsque ad extremum exercitij spiritualis gradum si quis ascenderit, aliquid ipsi de primi gradus imperfectione relinquetur, vt vix primum se iudicet adeptum. Et *Cant.* 37. Quid scis, ô homo, si vnus ille, quem fortè omnium vilissimum, atque miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam, ac tanquam fœdissimam horres, ac propterea illũ, non modò præ te, qui fortè iam sobriè, iustè & piè viuere credis, sed etiam præ sceleratis omnibus tanquam omnium sceleratissimum spernendum existimas: quid scis, inquam, si melior & te, & illis mutatione dexteræ Excelsi in se sit futurus, & in Deo vero iam sit? Nam ideò non mediocrem, non penultimum ipsum inter nouissimos eligere locum nos vo-

Luc. 14,10.

luit Dominus, sed *recumbe* ait, *in nouissimo loco*, vt solus videlicet omnium vltimus sedeas, teque nemini non solùm præferas, sed neque conferre præsumas. Bernard. *sem. 4. super Cant.* plenè edocet, quã

Iudicia temeraria qualiter declinanda.

abstinendum sit ab alijs iudicandis, Noli esse alienæ conuersationis aut curiosus explorator, aut temerarius iudex: & licèt aliquid perperam actum deprehendas, nec tunc quidem proximum iudicare velis, sed potius intentionem excusa, cùm opera excusare non valeas, & ignorantia, subreptione, aut casu deliquisse existima. Si verò dissimulationem, aut excusationem omnem rei certitudo recusat, nihilominus dic intra temetipsum: Graui tentatione oppressus, cecidit: quid facerem, si me illa impetisset? Grauiùs fortasse ac perniciosiùs succumberem. Viri qui non exiguos in contemplatione progressus fecerint, sępe in ordine erudiendi alios falluntur: nam volunt tyrones incipere in his, quę ipsi tanto temporis spatio, tanto mentis labore adepti sunt. Nec minùs erga seipsos falli aliquando contingit: existimant enim, si in his vnionibus & exercitijs, quibus fruuntur, incepissent, fieri potuisse, vt citius ad eam vitæ conditionem peruenirent. Bonaventura *in prologo opusculi, quod speculum disciplinæ inscribitur*, docet prudentissimè pro temporum & locorum varietate variè exequendas esse viæ spiritualis regulas. Prudens (inquit) vt rerum vicissitudo exigit, ita se tempori accommodat non se mutans, sed potius aptans, velut manus quæ eadem est in palmũ extensa, & in pugillum coacta. *Hugo* dicit nos ante cibum oportere esse hilares, ne abstinentia grauis & molesta animæ esse videatur: at post cibum tacitos decet esse & modestos, ne gula nos inflasse videatur: notum enim est temporis articulum non præterire, de quo ratio reddenda non sit. Bernard. *in serm. ad Solitarios*. Hoc maximè curent spiritualibus exercitationibus dediti, taliter se circa exteriora occupare, vt deuotionis spiritum non extinguant: vnde licet extrinsecus bonorum operum exercitijs fatigentur in corpore, intrinsecus tamen reficiuntur in mente. Bonaventura *de Eccles. Hierarch.* Sicut carnale matrimonium duos in carne vna constituit, ita spirituale matrimonium inter animam & Deũ duos in spiritu vno conciliat. Nam *qui adhæret Deo,* 1. Cor. 6. 17. *vnus spiritus efficitur cum eo*. Bernardus *serm. 8. super Cant.* Scientia absque charitate inflat, charitas sine scientia errat. *Bernard.* Quidam benè agunt ex ratione, id est, quia ratio suadet: alij ex amore quia amore Dei incitantur: horum tamen melior conditio. Qui enim amore Domini ad opus impellitur, laboribus non fatigatur, aduersitatibus non impeditur, nulla re extranea frangitur ob dilatationẽ cordis in operis exercitio concurrentem. His nihil interiorem adimit pacem, nihil sursùm actionem cordis ad Deum interturbat. Euidentissimum exigui profectus in vita spirituali argumentum iudicatur, quacunque leui causa intercedente quietem ac pacem internam amittere, replerique potentias cogitiuas imaginibus externis, quas vix propulsare valeat. Hinc fit, vt tyrones in exercitio vitæ spiritualis deserta loca semper appetant, & omnia negotia recusent, quamuis pia, & proximo vtilia sint. Ego noui quosdam in coniugio permanentes, qui cum se vellent spiritualibus exercitationibus tradere, familiæ suæ curæ maximè cruciabantur: postea verò temporis progressu tantum in vita spirituali profecere, & internam quandam pacem, & assiduam animi tranquillitatem sunt adepti, vt nihil domesticis negotijs, aut alijs quibuscumque incidentibus perturbarentur, nec vnquam ab illa suauissima quiete distraherentur. Et si aliquando paulisper ab ea recessisse contingeret, mox ad se reuertebantur imagines verò, si quas concepissent, nullatenus animo insedebant, sed transeunter præteribant: erat enim illis diuino munere concessa vis, qua eas abigerent. Quibus huc ascendere licuit iam nullo labore torquentur, cùm suis affectionibus resistunt, eas nãque vel nullas, vel tenuissimas gignunt: erga nullum sensibile ardenti feruntur appetitu, non augũ-

Temporis in exercitijs spiritualibus habenda ratio.

Amor Dei rationi præualet.

Signum exigui profectus spiritualis.

tur scrupulis cum habeant cor charitate dilatatum, in omnibus actionibus suis solam Dei gloriam respiciunt: quę libertas non sinit eos scrupulis inquietari, nec impetuosis affectibus moueri erga quæcunque sensibilia: nam diuinæ dilectionis feruor internè ardens, affectiones omnes externas quasi paleas absumit. Vnde pro nihilo ducunt hoc vel illo cibo, aut alio quocunque bono sensibili carere, quia nihil inordinatè amant. Quantumque fœda & turpia malignus spiritus cordi tuo ingerat: tu tamen ea nihili pendito, & internum intuitum simpliciter & desectiuè mox ab illis auerte. Multo enim melius ea conteres, si spreueris, quàm si illis intentus immorari volueris: nec vnquam existimes te ex his, quæ displicent confestim culpam aliquam contrahere. *Sentire & consentire differunt.* Aliud enim est spirituales sordes in te sentire, aliud eis consentire: primum non est impium, sed secundum. Ne cesses à percipiendo Eucharistiæ Sacramẽto, neuè alia pia exercitia omittas obnubilationis, aut paupertatis internæ causa, aut propter angustias, quibus (Deo sic disponente) affligeris. Licet enim temporalia ac spiritualia exercitia huius calamitatis tempore sint insipida, Deo tamen (si modo facias, quòd oportet) gratissima esse scito: existimare debes esse certissimam deuotionem, mollitiem illã ac cordis dulcedinem sensibilem, qua aliquis facilè in lachrymas resoluitur: quam Gentiles & Hæretici plerumque habent: sed vera deuotio est bona voluntas, qua se homo paratum offert ad cultum, honorem, ac beneplacitum Domini. Hæc permanent, etiamsi cor aridum, & mens sterilis sit, ideò ne inordinatè dulcedinem illam appetas, sed paratus esto illa carere, si Deo sit placitum, non enim in donis Dei, sed in Deo solo quiescendum est. Si fortè psallenti tempore inuito tibi aliquæ vanæ cogitationes occurrant, ne ob id inquietus, impatiens aut nimis sis anxius, sed humiliter resigna te Deo, pieque exulta, cùm eius clementiam consideres nos in oratione indigna cogitantes benignè ferentem. Ad perfectionem aspirans, minimos etiam defectus extinguere curet, dummodo ne à facie Domini vnquam discedat, & quasi perturbatus, multa apud se cogitet de peccato suo, sed humiliter simul & confidenter ad Deum cõuersus agat de sua iniquitate, & ingratitudine, & veniam postulans, in conspectu Domini seipsum deploret. Offerat etiam cœlesti Patri labores ac passiones filij sui pro suis defectibus: si verò aliquibus scateat, quos vincere nequeat, ne labatur animo, sed omnia sua plenè Deo committens, & se in eo resignans, tranquillus, patiens, & si millies in die ceciderit, toties cum spe veniæ resurgat. In omnibus suis actionibus & omissionibus diligentissimè inuestiget, an quærat Deum, an seipsum: si intelligat seipsum quærere, mox se abneget ac relinquat, & solum Deum toto amore, ac tota cordis intentione prosequatur. Creaturas omnes semper intuetur, quasi quosdam Dei effluxus, non considerãs eas in seipsis, sed in Deo, vel Deum in ipsis. Affuescat vnire opera omnia sua, ac pia exercitia sanctissimis Christi operibus, atque exercitijs: quod si faciet, opera ipsa, quę suapte natura vilia sunt & imperfecta, maximi momenti coram Deo efficientur, & gratissima erunt in conspectu eius, veluti aquæ gutta, quæ vino mixta optimum eius colorem ac saporem accipit. In his, quæ agenda sunt, ne concitatus, præceps aut violentus rapiatur, neuè illis immoderato affectu tanquam captiuus alligetur: ne abeat post importunos cordis sui impetus, sed rationis fræno dominetur, & sibi ac suis actionibus. Quidquid puritatem, tranquillitatem, aut animi sui libertatem impedire valet, prudenter deuitet irrationabiles vanosque conscientiæ scrupulos fortissimè expellat, nec nimis sollicitus sit de rebus temporalibus vel externis. Infatigabiliter cum Deo per internam orationem colloquatur, pia desideria, ardentesque aspirationes ad illum emittens, relicta omni multiplicitate, vni Deo adhærere discat. Si autẽ introuersionem hanc, fixamque ad Deum cogitationem retinere nequeat, ne animum despondeat, sed perseueranter enitatur illam ad Dominum reuocare. Nam postquam satis bene in huius consuetudinis habitu firmatus fuerit, tunc absque labore vllo Deo, rebusque diuinis liberè vacare poterit: existimet etiam magnam esse infelicitatem, vllo temporis spatio, quantumuis breuissimo, à Domino elongari. Hunc orandi modum per aspirationem, & iaculatorias orationculas pio plenas affectu, quas amanter Deum iaculamur, omnes testantur efficacissimum esse atque vtilissimum. O bone Iesu, ô dilecte, dilecte, dilecte, ô dulcedo, quando mihi moriar? quando in te transibo? quando renatissimè tibi vniar? quando ardentissimè te amabo? Vtinam nec vna sanguinis gutta in me maneat, quæ non sit tui amoris igne recocta. Si ergo indefesso studio mortificationis ac resignationis hoc introuersionis addamus studium, fiet tandem, vt ad requiem, vnitatemque spiritus cum Deo (bonum quod est ineffabile) etiam in hac vita perueniamus, modo non conatus nostros, sed gratia ac ipsius Domini miseratione id nos adipisci posse credamus. Vt te ipsum plenè cognoscas, & humilies, scitò te tribus constare principijs, nempè ex vno nihilo, ac duobus alijs peioribus nihilo, scilicet, ex eo quod eras antequàm tibi natura data esset, & hoc nihil est, atque ex alijs, quæ tibi ex te addidisti, ac apposuisti naturæ tibi datæ, scilicet, culpas plurimas & pœnalitates, quæ culparum sunt effectus. Culpa autem peior est nihilo, nam cùm nihil sit, fingit se esse aliquid: reatus etiam pœnæ æternę, quę est prima pœnalitas, deterior nihilo est, dicente Domino: *Melius illi esset, si natus non fuisset homo ille.* Matt. 26. 24. Tibi ergo relictus es quædam pulcherrima chimera constans ex tribus optimis principijs, scilicet, ex nihilo, & culpis, & pœnalitatibus & cum omnia hęc ita sint, tu tamen superbis. Heu mihi, quia sæpissime eadem peccata, quæ confiteor, sceleratè repeto, semper me melius emendare proponens, nunquam tamen id efficio: & hinc conijcio, quantum absit humilitas à confessione mea: nam si alter me accusaret de his, de quibus ipse me accuso, patienter pati non possem. Bernard. *de interiori domo c. 32.* Si vis amari, ama: nihil enim ita debitum, nihil ita efficax, vt diligaris, quàm si tu primò diligas: id enim (teste Seneca) amatorium philtrum est absque veneficijs & carmine. Sæpe superbia ex pusillanimitate oriri solet, vt putà quando aliquis non auscultat perfecto rem aliquam arduam præcipienti; nam hoc non faceret, nisi sapiens esset in oculis suis, nisi nimis sibi placens, iudicium suum prælati iudicio præponeret. Humilitas vera non pertinax est, aut obstinata, sed cum tremore obtemperat Gregor. *in Dialogo de libertino quodam.* Vnde Climacus scribit, hominem iudicio proprio affectum, nec seniorum monitis cedentem, non egere demone tentante, quòd ipse sibi factus sit dæmon: is enim habendus est omnis homo arrogans, & seipsum sui ducem cõstituens. Apud Gersonem comperi prudentissimum modum, quo plenè conuinci possent, qui in suis exercitationibus corporalibus, aut spiritualibus proprio iudicio assumptus, obstinatè permanerent. Cõuenit ipse Gerson mulierem quandam in coniugio viuentem, quæ nisi post tres vel quatuor dies cibum sumere nolebat (tunc verò id voracissimè faciebat) fatebaturque se à nemine edoctam, sed sic viuere solitam. quòd se indignam quæ pane vesceretur reputarer.

Cognitio sui ipsius in tribus consistit.

Superbia ex pusillanimitate quandoque.

Proprio iudicio non standum.

caret. Petiuit in primis ab ea Gerson, an crederet aliquos esse, quorum authoritas, fides, & prudentia maioris essent apud eam momenti, quàm propriæ æstimationis iudicium: quæ mox gemens respondit demissis oculis, se miseram esse peccatricem, & omnium ineptissimam: subintulit. Gerson, si hæc quæ prædicabat verè de se cognouisset, quo pacto sine cuiusq; alterius cõsilio tam insolitam, & ab alijs sanctioribus non obseruatam abstinentiam sequeretur? Cœpit illa, nescio quas verborum ac responsionis ambages inuoluere: cùm enim nullam penitus reddere posset rationem, ac latenti intus superbia nollet fateri se conuictam, nitebatur verbis eundem obtundere. Tunc ille testatus est (dicens). Nisi fatuã hanc abstinentiam dimittas, & te peritiorum consilio subdas, scito te in maximo salutis discrimine versari: quibus dictis cùm illa nil respondisset, tandem abijt, nec postea resciuit, an mentem mutasset. Meritò & verè inquit Gerson *lib. de distinct. veraꝝ à falſ.* Spirituales personas nihil æquè habere suspectum, quam amorem suum erga Deum, aut personas alias sanctas: sæpe enim fit, vt naturalem ex consuetudine vel alia de causa genitum, dilectionem spiritualem putemus. Est enim amoris passio inter omnes vehementissima, ac ideò dum erga Deum hæc viget passio, plenè opinatur homo se frui Deo: vt scribit contigisse cuidam fœminæ dictæ Maria de Valentiana, quæ hac ardens passione palam dogmatizabat, eos, qui ad eminentiam illam diuinæ dilectionis peruenissent, liberos esse à præceptis. Alius idem non paruæ existimationis vir eodem modo deceptus, dicere solitus erat, non omne peccatum mortale charitatem corrumpere, imò potius illam aliquando acrius incendere: vt si quis ex considerata vel experta fornicationis delectatione in admirationem, laudem, & amorem diuinæ bonitatis atque dulcedinis ardentius excitaretur. Non plenè cognouerat delirus ille, quid interesset inter amoris passionem & synceram charitatem. Hinc etiam patebit, quantum periculi secum afferat familiaritas virorum, licet sanctorum, cùm fœminis, quamuis sanctis: nam sæpe amor in spiritu incipiens, in carnalem transit amorem: & tandem desinit in turpem, mentes enim quamuis ferreas libido domat, diabolus verò semper laqueos tendens, & retia, viscum semper habet paratum. Signum amoris non sinceri erga fœminam hoc sit, si ex vehementia amoris difficile tibi sit & molestum ab ea diuelli, longius abesse, à visitatione cessare, etsi credas te in Domino spiritualiter eam diligere. Hoc certissimum habeto, præsertim quando corporis decor, ætas, aut eloquentia aut alia humana causa motiuum seu illius amoris incentiuum indicabitur. Qui enim pure virtutem diligit, cum sedes illius spiritus sit, nil curat corpusculi conditiones: quamuis Poëta dicat:

Amor Dei & ipsas personas cur suspectus habendus.

Amoris cur malus sign.

Virgil. *Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.*

Insuper, quod maximè mirandum est, sæpe accidit, vt arcano Dei iudicio, aut dæmonis astutia, post amissam charitatem, sentiat in se homo omnia indicia ac signa prioris dilectionis ac deuotionis, & putet se Diuino agi spiritu, cum tamen hęc omnia ex quodam informi habitu proueniant, & priorum exercitiorum vsu nondum penitus expulso. Quis hæc audiens non obstupescat? Quis hęc meditans non exhorrescat? Oportet ergo in humilitate ac timore incedere, ac semper audire Apostolum dicentem: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*, Et Sapientem dicentem: *Est via, quæ videtur homini recta, nouissima verò illius ducunt ad mortem.* Et, *nescit homo, odio, an amore dignus sit.* Ideò exclamauit sanctus: *O altitudo diuitiarum.* Et alius. *Terribilis in cõsilijs super filios hominum.* Si hæc consideratio ad humiliationem miseriæ nostræ non sufficit, quæ alia sufficere possit, ignoro: inquit Gerson. Vt homo in hos tentationis laqueos non incidat, præ cæteris hoc coram oculis habeat: priuatam deuotionem, ac spiritualem dulcedinem obedientię, aut proximorum saluti nunquam præferat: omnibus in necessitate quacunque constitutis misericordię viscera benignè exhibeat, seipsum numquam quęrat, sed vbiq; pro Dei amore se abneget, synceram ac intimam humilitatem à Domino assiduè efflagitare non cesset.

1. Cor. 10. 12.
Prou. 14. 12.
Eccles. 9. 1.
Rom. 11. 33.
Psal. 95. 5.

Documentũ insigne.

ARDENS ORATIO AD POSTVlandam charitatem.

CAPVT XXXII.

OBtestor te, exorabilis Pater, per venerandam filij tui humilitatem vt repellas à seruo tuo omnem animæ fastum & arroganriam, omnem ostentationem & insolentiam, omnem inanis gloriæ appetitum, amarulentiam, & dolum omnem, simulationem, omnem contentionem, pertinaciam, nullumque indicium elati animi, aut vani in verbis aut moribus meis appareat: ne permittas me aliquando priuari donis misericordię tuæ, nunquam alium despiciam, nunquam alicui me præponam, nunquam me extollam. Deprime ceruices mei interioris hominis, sim semper paruulus in oculis meis: da mihi cor humile, tractabile, beneuolum (quod amicos diligat in te, inimicos verò propter te) manſuetum trãquillum, serenum, cœlesti igne semper æstuans, de fratribus bene sentiens, cor in aduersitate ac peccatis aliorum dolens, in prosperitate verò de eorum meritis exultans, cor denique flens cum flentibus, & gaudens cum gaudentibus. Cor meum saxeum scinde tuæ potentissimæ virtutis nouacula, intime imbue tua suauissima vnctione, vt sit pium, molle, tenerum, vt semper ex alienæ calamitatis commiseratione resoluatur, & ex recordatione inenarrabilis tuę dulcedinis colliquescat. Scaturiat, Domine, in me misericordiæ tuę munere sanctarum, ac dulcium lacrymarum vena, quibus abluar, nutriar, refrigerer, satier: erumpat ex oculis meis tua visitatione perculsis fons aquæ huius, quæ ex intimo tui amore, & cœlestis patriæ desiderio exoriatur. Ne quæso, mihi extremę ouiculę tuæ, optatissimę huius gratię deneges portiunculam, qua patres meos largissima liberalitate perornasti: alioqui scio quòd interno gelu obrigescam. Conuerte, obsecro, aridam sterilemque cordis mei terram, in fertilem & irriguam. Ego pro odiosa cordis mei duritie offero tibi gratissimam pietatem cordis vnigeniti tui, vt illa hac expietur. Da mihi nulli penitus esse iniurium, erga neminem malè affici, nullius improbitate perturbari, imò omnium mores, imperfectiones, ignorãtias æquanimiter ferre: amor tuus ita me teneat ac reddat occupatum, vt fratrum meorum defectibus nunquam immorari velim. Pater clementissime, da vt effrænati ac præcipites animi mei motus à me propellantur, & omnia quę agenda sunt, tranquillè, opportunè, compositè in tuo nomine aggrediar ac perficiam. Largire mihi, Domine, sancte quietis ac otij secretũ, ne permittas me turbulento huius maligni seculi strepitu vexari, nec improbis externarum rerum occupationibus distrahi: sed libera spiritum meum ab impedimẽtis omnibus, vt tibi libenter seruiam, quãdiu huius corporis carcere detineri contingat. Hæc sit pars mea, hæc consolatio exilij mei, vt ab inquietis curis prorsus expeditus tibi vacem, laudes tuas canam, in te exultem, tibi adhæreã, in te conquiescã, fedeamque in silentio, vt sic paccato animo suscipere possim vocem & doctrinam cœlestis sapientiæ. His studijs peregrinationis meę tædium mitigem, & calamitosæ huius vitæ molestias æquanimiter perferã. Igitur Deus meus dulcissime, ardor suauissime

con-

consume prorsus quidquid in me tibi displicet, ne tibi plenè vniar. O mare magnum totius dulcedinis, absorbe me, demerge me in tui amoris abyssum, vt ibi absorptus non mihi, sed tibi viuere possim. O lumen semper lucens illumina me. O ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me. O amor qui semper ferues, & nunquam tepescis, absorbe me, & transforma in te: saucia me iaculo amoris, & medullas tepentes flammis incende salutaribus. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem tui memoriam, quam nulla vnquam obliuio deleat: tribue visum qui lucem tuam incomprehensibilem intueatur, cui omne aliud visibile præter tuæ charitatis radios molestum sit. Largire auditum cui solum iucundum sit dulcissimam vocem tuam audire. Crea in me olfactum, qui non nisi vnguentorum tuorum odorem percipiat. Forma palatum, quod nihil propter sapores tuos & suauitatis tuæ abundantiam gustare possit. Tam potenti flamma amoris tui, medullas ac omnia interiora mea exurito, vt consumptis vitiosis cordis mei affectionibus, ignitis tui desiderijs tantummodo æstuem. Impingua denique me adipe & pinguedine tua, vt labijs exultationis te laudet os meum.

Caro quomodo reformetur.

Bernardus *ad fratres de Monte Dei*, exponens quo pacto in eo, qui perfectioni viriliter incumbit, non solùm spiritus, sed etiam caro reformetur, sic scribit. Inordinata natura per peccatum & à suæ rectitudinis conditione semota, si ad Deum conuertitur, recuperat citò pro modo timoris & amoris, quę erga Deum habet, quęcumque perdidit auersa: & vbi spiritus expetit ad imaginem conditoris sui reformari, mox etiam refloreſcens caro sponte incipit reformato spiritui conformari. Nam & contra sensum suum incipit eam delectare, quidquid spiritum suum delectat: insuper & pro multiplici defectu suo ex peccati pœna multipliciter ad Deum sitiens, non nunquam rectorem suum præcedere contendit. Delectationes enim non perdimus, sed mutamus de corpore ad animum, de sensibus ad conscientiam: furfureus namque panis, aqua simplex, olera & legumina simplicia pro Christi amore & internæ delectationis desiderio mirificè delectant. Sanata natura, & tandem firmæ restituta valetudini, statim naturalibus ac simplicibus alimentis arridet: laboris vsus diuturnus gignit in rustico duros neruos, fortes lacertos, quem si torpere otio sinas, molleſcet. Non aliter euenire videmus in Dei seruis, in quibus voluntas gignit vsum, vsus producit exercitium, exercitatio verò in omni labore, vires subministrat. Consuetudo enim consuetudine vincitur, & necessitas necessitate expellitur. Idem Bernard. *in eodem lib.* affirmans cellam (in qua quis stabiliter perseuerat) omnium bonorum esse officinam, scribit, neminem in vno animum suum posse figere, qui non prius alicui loco perseueranter corpus affixerit suum: nam qui animi ægritudinem migratione de loco ad locum effugere nititur, similis illi efficitur, qui corporis sui vmbram fugiat. Ibi etiam diligentissime monet, vt serui Dei singulis diebus horam habeant præfinitam ad recolendum beneficium Passionis,

Spiritualiter manducare carnem & sanguinem Domini quid.

quod est (inquit) manducare carnem & sanguinem Domini spiritualiter. Nam amorem diuinum in nobis lactat lectio, pascit meditatio, confortat & illuminat oratio: inter meditanda, primum docet obtinere locum redemptionis mysteria. Consulit præterea, vt quæ sint ardentiora, legamus: similem enim lectionem similis sequitur meditatio. Ibi definit orationem, dicens: Oratio est affectio hominis Deo adhærentis, & familiaris quædam ac pia allocutio & statio illuminatæ mentis ad fruendum quamdiu licet. Obsecratio est anxia ad Deum instantia, vt succurrat benignè, & spiritualis gratiæ particulam largiatur. Postulatio ad temporalia petenda pertinet.

Orationis definitio.

Obsecrationis

Postulationis

Gratiarū verò actionem, de qua Apost. *1. ad Thes. 5.* scribēs inquit: *Sine intermissione orantes, semper gratias agentes*, sic definit. Est quædā mentis, beneq; cōpositi animi bonitas, qua semper pro omnib. oramus & in omnib. gratias agimus, quæ tot modis in oratione vel gratiarū actione se iugiter in Deū refundit, quot in suis tribulationib. vel consolationibus, cōpassionibus, aut cōgratulationib. proximi causales materias inuenit pius affectus: qui verò talis est, semper in Spiritus sancti gaudio habitat. Ibi etiam aliquando euenire scribit, vt incipienti, non quærenti, nec pulsanti gratis detur purę orationis affectus, & dulcedo illa, quæ perfectis dari solet pro præmio sanctitatis: veluti si paterfamilias seruum suum ex insperato ad mensam filiorum admittat, quod ideo facit, vt vel illum ad meliora accendat, vel de sua negligentia accuset, & conuincat. In quo (inquit) proh dolor, plurimi falluntur: arbitrantur enim iā se filios esse, quòd filiorum pane pascantur, atque deficientes vnde proficere deberent (nempe à visitāte gratia) à cogitatione sui ipsius recedunt, exiſtimātes se aliquid esse, cum re vera nihil sint: cibauit nāque eos ex adipe frumenti. Ibi etiam spiritualiter exponit illud: *Etenim passer inuenit sibi domum*. Vbi per turturem intelligit perfectos, qui etsi in excelso contemplationis requiescant, & in virtutis robore firmati sint, tamen timentes sibi à superbia semper se premunt, semper se deijciunt in id, quod incipietium est. Et quia infra se descendunt, ad gementes cum turture humiliantur, indo altius ascendunt, reponentes in secretissimo loco pullos suos, id est, affectionum ac contemplationum suarum fructus. Passeres autem eos esse dicit, qui ardentissimè ad contemplationis excelsa tendentes quasi volitantes festinant, nondum grauitatem ac turturis maturitatem assecuti, sed intuentes ad ea quæ perfectorum sunt, pietatis amore. Igitur ô anima iam pasionibus libera vola ad contemplationem, & dicito: *Vultum tuum Domine requiram*. Confide quia scriptum est. *Adiuuabit eam Deus vultu suo*: adiuuat enim Deus vultu suo se intuentem, mouet ac permouet, & attrahit summi boni pulchritudine se contemplantem. Ibi etiam scribit: Studium proficientis animi est scrutari virtutum, non tam flores, quàm radices, non vt luceant, sed vt sint: non vt haberi videantur, sed vt reipsa possideantur. Vitiorum verò plus in semetipso metuere appetitum, quàm ab alijs impetum, plus contagium, quàm malitiam. Nam quemadmodum virtutes diuturno vsu, & studio perseuerante transeunt in affectum, & efficiuntur quasi naturales: sic leuissima vitia remissioris licētiæ opportunitate quasi naturalia efficiuntur ob consuetudinis efficaciam, quæ semel acquisita nisi pertinacissimo studio vinci vix potest. Proficiens ad contemplationem sic progredi debet: nam recogitatis omnibus bonis, quæ de Deo vel ad Deum sunt: tandem voluntas proficit, & acrius insurgit in amorem eorum, quæ cogitantur. Inde fit, vt transire liceat in sapientiam, in saporem Domini, cum suauissimum saporem ex donis Dei percipiat. Denique quod erat prius intellectio cogitantis, fit contemplatio amantis, percipiens spirituales quasdam diuinæ suauitatis experientias & fruitionis gaudium. Tunc autē nihil aliud fit in intellectu & voluntate nostra quā exultare, ac iubilare in memoria abundantiæ, suauitatis Domini: & verè sentit de Domini bonitate, qui in simplicitate cordis quæsiuit illum. Cogitatione tamen hucpertingere non est in cogitantis arbitrio, sed in gratia donantis. Nam Spiritus sanctus quando, & quomodo, ac quibus vult, aspirat: hominis verò

Proficiens quomodo progredi ad contemplationē debeat.

Pſal. 83. 4.

Pſal. 26. 8.

Pſal. 44. 6.

his verò est iugiter præparare cor, & expedire animum à terrenis sollicitudinibus, occupationibus otiosis & negotiosis, ac nonnunquam etiam à necessarijs, vt in die bona Domini, & in hora beneplaciti eius, cum audierit vocem spiritus spiratis ea, quę cõtemplationem excitant, liberè intellectus ac voluntas sibi inuicem concurrentes cooperentur in bonũ, & quasi symbolum faciant in gaudium contemplantis. Præsentet memoria fidelem materiam, exhibeat puram affectionem voluntas, præstet intellectus experientię suauitatem. Vt autem huc peruenire valeamus, maximè necessarium est ei, qui altissimum contemplationis cacumen ascendere nititur, intentiones omnes cordis sui intimè scrutari, scilicet plenè intelligat, quid illud sit, quod toto cordis affectu appetit, & qua de causa id exoptet, ac quibus modis fieri cupiat. Sunt enim quædam cogitationes, ac affectiones ad Deum, seu diuina quasi extrinsecus incidentes, & præterfluentes, quę plene inter otiosas deputandæ sunt: nam etsi aliquando vsque ad animi delectationem procedunt, citò tamẽ se inde excutit animus compos sui. Si verò animus planè cognoscat, totum id, quod expetit esse Deum, tunc discutiendum est, quantum & quomodo velis, & vtrum id velis vsque ad tui ipsius, rerumque omnium quæ sunt, vel esse possunt, contemptum: hoc autem non solum iudicio rationis, sed ex toto mentis affectu, vt videlicet affectio illa sit plusquam affectio, scilicet, vt amor sit, vt dilectio sit, vt charitas sit, vt vnitas Spiritus sancti sit. Vnitas spiritus cum Deo nihil aliud est, quàm perfectio voluntatis cum Deo, & in Deum proficientis, quæ non solum id vult, quod Deo placitum est, sed sic est affecta, sic in affectu prouecta, vt nequeat velle, nisi ea, quæ Deo placita esse cognouerit. De his qui sic adhærent, dicitur: *Qui Deo adhæret, vnus spiritus est cum eo.* Huic igitur perfectioni nutrienda est voluntas, pręparandus est semper animus, cauendum est, ne voluntas, quæ cohibenda est, in externis dissipetur, amor, qui soli Deo seruandus est, ne inquinetur: huc denique ascendere, id est esse perfectum, & viam hanc relinquere, nil aliud, est quam nolle esse perfectum. Ad id enim creati sumus & viuimus vt similes Deo simus: perfectio namque hominis, similitudo Dei est, quam nisi prædicto modo consequi possumus. Hæc *Bernardus ibi*, vt ex verbis eius conijcere potui. Agit etiam ibi paulò inferius de spiritualibus corruscationibus, quæ aliquibus viris spiritualibus ostenditur. Dicit enim, quod quanuis cognitio ac visio Dei in via sit ænigmatica, & quasi per speculum, aliquando tamẽ dilectio ipsa Dei vicissim lumen quoddam vultus Dei ostentare solet: quemadmodum lumen in manibus clausum patet, & latet ad gestantis arbitrium. Adducitq, ad hoc verba *Iob 36. vltima*: vt per hoc quod quasi in transcursu, videri permittitur animus ad plenam possessionem æterni luminis, & hęreditatem plenæ visionis Dei acrius inardescat. Cui, vt quod sibi deest, aliquatenus innotescat, nonnunquam quasi pertransiens gratia amantis sensum perstringit, & rapit in Deum, id est, à tumultu rerũ, ad gaudia & silentia, & pro modulo suo ad punctũ, seu temporis momentum id ipsum ostendit ei videndum sicut reuera est: interim etiã & ipsum efficit in idipsum, vt sit suo modo, sicut illud est. Postquam autẽ hoc percipiens didicerit, quid interfit inter mũdũ & immundũ, redditur sibi, & remittitur ad emũdandum cor ad visionem atque ad aptandum animũ ad similitudinẽ: vt si aliquando rursum admittatur, purior sit ad videndum, & stabilior ad fruendum: quam enim melius deprehenditur modus humanæ perfectionis, quàm in lumine vultus Dei, ac in speculo diuinæ visionis. Qui purius videre studet q̃ sibi deesse cognoscit, emendet indies similitudine quidquid deliquit dissimilitudine: semperq; magis, magisq; appropinquat similitudine ad illum, à quo semotus erat per dissimilitudinem, atq; ita expressiorẽ visionem expressior semper similitudo comitatur: impossibile enim est summum bonum videri & non amari, ac non tanto ardentiùs amari, quanto expressius se videri permiserit. Sic proficit hominis amor vt aliquatenus assimilari possit amori isti, qui Deum humiliauit, vt fieret homo, vt homo fieret Deus. Gratissimum namque homini esse debet, cohumiliari diuinæ Maiestati, compauperari filio Dei, conformari diuinæ sapientiæ, hoc sentienti in seipso, quod & in Christo Iesu. Hinc emanat fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei, scilicet, suauis recordatio omnium amabilium beneficiorum Dei, & attributorum, vt potentię, bonitatis, sapientiæ, & beatitudinis, quæ dum elucent in contemplantis affectu amantem penitus rapiunt in amabilem: ipse enim in semetipso est, quidquid in amabili est, qui est totum, quod est. Huic bono, ipsius boni amore sic totus applicat affectus, vt non prius se inde reuocet, quàm vnum vel vnus cum eo spiritus fuerit effectus. Hic est boni certaminis finis in hac vita: hoc prę mium, hæc requies sanctorum laborum, & consolatio dolorum, quæ sanctis his exhibetur. Hæc est perfectio & vera hominis sapietia omnes in se continens virtutes non aliunde collectas, sed à Deo sibi insitas adeò consolidato affectu in ipso bono permanens, vt ex ardentissima incommutabilis boni adhęsione, ab eo quod est, nullatenus mutari patiatur. Vera nãque contemplatio format & firmat omnes virtutes longè sublimius, quàm antea erant: nam sapiens & pius animus in Dominũ cõtemplatione assumptus amorosa intellectione nõ solum speculatur summã veritatem in seipsa, sed etiam speculatur regulas ipsius (quãtum ipsi conceditur) atq; exinde format sibi mundum cuiusdam cœlestis cõuersationis, & formam sanctitatis. Speculatur enim summam veritatem, & quæ ex ea vera sunt: summum bonũ, & quæ ex eo bono sunt, quibus se apponit, & coaptat, non sine ratiocinationis examine, non sine discretionis iudicio: vnde concipiuntur, atque oriuntur virtutes sanctæ, & imago Dei reformatur in homine, incipitque homo viuere vita Dei (à qua quosdam homines abalienatos esse conqueritur Apostolus) spiritus libertate fruitur, seu libertate filiorum, fitq; vnus cum Deo, ac ob ipsum verè spiritualis est, impleturq; in eo, q̃ Dominus pro discipulis in clausula omnis perfectionis orauit: *Pater, volo, vt sicut tu & ego vnum sumus. ita & ipsi in nobis vnum sint.* Hic est ergo Deus noster, qui semper à nobis dulciter est quærendus, vt dulcius inueniatur, dulcissimè verò inuenitur, vt diligentius quæratur, qui videri nequit, nisi mundo corde humiliter amantis: nam qui viuit mundo, faciem eius in hoc mundo nunquam videbit, cuius faciei pulchritudo summa semper ob oculos versatur illius, qui ex toto corde suo affectat Dominum Deum diligere. Ad hoc etiam ipsum excitare debet proximum suum, si eum diligit quasi seipsum. Qui aliquando admittitur ad felicem contemplationis somnum, mox in ipso veritatis lumine aliqualiter intuetur gratiam præuerientem, quam nisi percipere, illuc peruenire minimè potuisset. Cùm autem ab illa felici quiete repellitur, in ipsa cæcitate intelligit immunditiam suam non conuenire sponsi dilectissimi puritati, & defiens amissum, non sine multo gemitu redire ad se cogitur, & sibi ipsi præ omnibus vilescere, habens prę oculis illud Apostoli, *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatẽ, & secundum datum à Deo mensuram fidei.* Demum bona sua non collocet in ore hominum, sed

Cogitationes seu affectiones quomodo discernenda.

Vnitas spiritus cum Deo quid.

1. Cor. 6. 17

De corruscationibus spiritualibus quid S. Bernardus.

Ioan. 17, 21.

Rom. 12. 3.

Vnio spiritus nostri cum Deo scopus vitæ nostræ.

sed ea abscondat in cella sua, recondat in conscientia sua, hoc titulo cellam & frontem suam insigniat. Isa.24.16. *Secretum meum mihi. secretum meum mihi.* Isaiæ 24. & his verbis absoluit Bernardus Opusculum.

INFLAMMANTIA VERBA EX Bernardo in Opusculo de Interiori domo.

CAP. XXXIII.

¶ *Cap. 3.* Beata anima illa, quæ in pace Christi, & in Dei amore solidata est ac firmata hæc enim licet exterius bella patiatur, pax tamen interna nunquã turbatur: quamuis molestię grauissimæ foris perstrepant, tamen internę quietis silentium non interrumpunt: nam cum gustu interioris dulcedinis detineatur, tota in se existit, nec iam foris in carnis voluptates dissoluitur, cùm totum, quo delectatur, intus possideat. Tanta in semetipsa pace fruitur, vt nihil quod foris sit appetat, tota amore detenta intus requiescit, atque cùm tota ad internum colligitur gaudium, plene ad Dei imaginem reformatur. Anima verò (*cap. 4.*) quæ desiderium suum non fixerit in ipsius Dei amore, sed per corporis sensus egrediens in exterioribus delectatur: si quando ad se redit propriam intuens nuditatem, & se omni consolatione destitutam conspiciens, pudore maximo & erroris sui confusione concutitur, consolationemque illam quæ à Deo intus in conscientia exhibetur, non habebit, quòd eam in exterioribus rebus prępostere quæsierit. Non enim Deus eam animam visitare dignabitur, ac ideò ipsa sibi male conscia sese tolerare non poterit, nec requiem vllam obtinere, aut interna frui poterit tranquillitate, cùm illum, qui summa animæ quies est ac tranquillitas, à se indignè repulerit. Ipse est pax nostra, & *in pace factus est locus eius*, in omnibus requiem quærit non requiescet spiritus eius nisi supra quietum, quapropter nunquã ingreditur cor passionibus vel terrenis cogitationibus agitatum. *Cap. 6.* Igitur munda conscientiam tuam & paca eam, vt quæcunque hora Dominus venerit, atque in te habitare voluerit, paratam sibi in te inueniat mansionem. Primò studę, ne te inueniat dissidentem à te ipso, *omne* namque *regnum diuisum à seipso desolabitur, & domus supra domum cadet*, nec intrabit Christus, vbi parietes inclinati fuerint, & macerię depulsæ. Nam quemadmodum anima habitare nequit in corpore, cuius membra dispersa sunt, vt caput, cor, venter: & eodem modo nõ libet Domino habitare in anima, vbi appetitus & ratio sunt diuisa. *Cap. 8.* Maxima perfectionis pars est bona voluntas, scilicet, efficax, quæ quantum in se est, exequitur: nam quantum vis, tantum mereris, quantum crescit bona voluntas, tantum crescit & meritum. Quemadmodum (inquit) nullum temporis momentum est, in quo non vtamur Dei misericordia, ita nullum debet esse instans, in quo Deus non sit præsens in memoria. *Cap. 12.* Prius cognoscere inuisibilia spiritus tui, quã inuisibilia Dei. Frustra enim erigit cordis oculum ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum. Nullum in rebus humanis aptius speculum est ad videndum Deum, quàm spiritus tuus: terge ergo speculum hoc, si sitis speculari Deum in hac vita. Nam extersо speculo, & diu diligenter inspecto, incipit ei quædam diuini luminis claritas interlucere, atque immensus quidam insolitæ visionis radius cordis oculis apparere, cuius luminis visione anima inflammata incipit purissima cordis acie interna & superna conspicere: Deum diligere, Deo adhęrere, cuncta quæ sunt, tanquam non sint considerare, omnibus affectibus suis renuntiare, tota denique anima soli incumbit amori. Ad hanc tamen gratiæ sublimem conditionem peruenire nemo potest, nisi sui ipsius cognitioni diligentissime vacet, considerans & accuratè expendens quomodo viuat, quid agat, quid amittat, quantum quotidie proficiat, vel quantum deficiat: quibus cogitationibus grauius infestetur, quibus affectionibus frequẽtius tangatur, aut acrius à Diabolo impugnetur: deniq; si exacte inspiciat, qualis sit, & qualis esse deberet, ex hac sui ipsius cognitione facillimè extolli poterit ad contemplationem. Quantum quotidie in tui cognitione proficis, tantum ad altiora celerius euolas: si iam ad cor tuum ascendisti, & habitare in eo didicisti, ne hoc putes satis esse, sed ibi habitare, ibi mansionem facere pergito. Si qualicumque mentis euagatione distractus inde fueris, illuc redire festina, quod licet in principio molestum sit, longo vsu vertetur in oblectamentum, adeò vt absque vllo laboris tædio assiduus ibi esse valeas, & ægerrime feras alibi, vel tantillo temporis spatio immorari. Repulsis ergo cogitationibus extraneis, & mentis euagationibus in vnum collectis, motus omnes cordis tui in vno æternitatis desiderio figito: dilatabitur namque cor tuum, ac supra seipsum per excessum mentis ad summa eleuabitur. Cui huc ascendere licuit, ita diuino manet amore religatus, vt iniurias vix sentiat, damna contemnat, opprobria rideat, mortem denique lucrum reputet. Nam cum iugiter in Dei amore delectetur, frequenter mentis excessum patitur, & ab omnibus terrenis raptus coram Deo sistitur, totus in eius pulchritudinis admiratione suspensus. Miratur etiam internę suauitatis dulcedinem, & æternæ quietis tranquillitatem. O quã iucunda delectatio hæc, nisi modico temporis spatio permaneret: nam cùm anima ibi diutius morari nititur, subitò labitur, nec vllo exponere valet, quæ supra se vidit, sed agnitione suauitatis illecta, eum degustatę dulcedinis suauitatem, in corporeæ lucis claritatem, intimę satietatis saporem, ac denique illud internæ quietis secretum attonita miratur. Nihil iucundus, nihil tutius, nihil opulentius bona cõscientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa tamen secura permanebit: circumrotetur mundus omni volubilitate, ploret rideat, pereat, transeat, nunquam tamen bona marcescet conscientia. Hanc non licebit adipisci, nisi diligentissime cor tuum custodias, sæpe cum eo iudicio stans super his, in quibus deliquerit: statue illud ante faciem tuam, increpa, affligе illud, vt super te regnet spiritus Domini. Dic cordi tuo: Quid immoraris? quid vanis rebus afficeris? Cuncta quæ in mundo sunt, nihil ad beatitudinem tuam conducunt, sed solum viaticum prępparant iumento tuo, quæ etiam adhibita mensura ab ipso iumento sumẽda sunt, ex superflua enim in cibo refectione sæpe deficit, aut lasciuit concupiscentijs, atque in pręceps excutit ascensorem: nam quod ad illi ad necessitatem satis est, ad voluptatẽ sufficere plene non valet. Quid tanto studio incumbis tot libris euoluendis, ac perlegendis? Scito omnes, quotquot scripti sunt, libros ea solum de causa scriptos esse, vt tuæ conscientię librum plenius discuteres, & emendares: quem si solum tecum deferas, in eo videre poteris, quo tibi eundum, aut quid mercedis pro gestis recipiendum sit. Quia si librum hunc fideliter scriptum non habes, iuxta exemplar libri vitæ, sede, corrige diligenter, conferens cum illo, ne fortè in vltima collatione inueniatur aliter se habere, & igni perpetuo tradatur. *Ibi. cap. 9.* licet legere piam ac querulam confessionem nomine hominis vanis ac turpibus cogitationibus exagitati, quæ confessio extenditur vsque ad *cap. 36.* optima equidem tota ad vitam omnem ante actam recogitandam, de qua pauca quædam subijciam. Heu mihi, qui

Beata anima qua Christũ solidè amat.

Anima in externis delectationem quærens non visitatur à Deo. Psal. 75.3.

Matt. 12, 25.

Voluntas bona maxima perfectionis pars.

Cognitio sui ipsius contemplationem præcedat necesse est.

Secura anima inter omnia.

Conscientia bona quo modo acquirenda.

Liber conscientia maximè euoluendus.

hi, qui ita comedo, bibo, & dormio securus, quasi iam transierit dies mortis, & euaserim diem iudicij ac inferni tormenta, sic ludo, sic rideo, quasi iam tecum regnem in regno tuo. Væ mihi qui omnibus delicijs indulgeo, cum erga alios rigorem obserue, & quod in alijs accuso, ipse facere non erubescam: ad inferendas iniurias valeo, ad tolerandas infirmus sum. Heu quam infructuose hucusque vixi, pudet quòd sic hactenus vixerim, & quòd natus fuerim: mallem non esse, quàm talis esse: bonus eram per baptismatis gratiam, malum me sponte feci: æquũ est, vt semper miser sim, qui me mea sponte miserũ fecerim. Conscientia mea damnationem meretur, quòd pœnitentia mea ad satisfactionem non sufficiat: fateor inferno appropinquasse animam meam, si me liberes Domine, habeo, quare tibi gratias agã, sin minus nequeo te reprehendere, cum iustus sis, ac iustitia vtaris. Væ superbiæ meæ: nam si alius me accusaret vt ego qui conscius sum, me accuso, patienter ferre non possem. Væ mihi qui temerarius sum in iudicando, clamosus in loquendo, fastidiosus in audiendo, arrogans in docendo: onerosus sum amicis, ingratus beneficijs, inflatus obsequijs, seuerus subditis: iactaui quæ non fecerã: dissimulaui me non fecisse quod fecerã. Heu me, quia cum in altari sum, iuxta fontem sitio, ante ignem algeo, quasi monstrũ sum inter filios Dei: habitum gero monachi, non conuersationem: altiorem meritis locum possideo, officium tamen non impleo: terram occupo quasi truncus absque floribus, frondibus & fructibus. Alij me pascunt de laboribus manuum suarum, ego nec laicum ago, nec clericum: viuere erubesco: quòd nihil proficiam; mori tamen timeo, quòd imparatus sim, malo tamen mori & misericordiæ Dei mei me committere, quam vitæ meæ exemplo alicui scandalum facere: nam tota die verecundia mea contra me est. Omnes conspicio deuotos, ac deuotione feruidos, & ideò donis cœlestibus affluentes: quidam enim humilitate, alius misericordia, alius contemplatione præstat, ego verò nihil horum in me inuenio, Gelboë montibus similis quoniam declinauit Dominus in ira à seruo suo. Alij vigilant, ego dormio: & licet vigilem, meditationes sanctas non inuenio. Maxima quippe est animæ meæ sterilitas, & deuotionis inopia, quam patior: orare, aut meditari si velim, mox turba plurimarum cogitationum infestor, quæ (veluti plebs ad spectaculum) irruere solent in cor meum, visa, audita, dicta, & facta in memoriam reuocant, atque ibi magno tumultu perstrepunt; ingrediuntur, egrediuntur, aliæ alias introducunt, atque ita mens mea semper mobilis, nũquam stabilis, semper vaga & velut ebria per diuersa distrahitur. Ibi est cogitatio tua, vbi affectus tuus inhæret: illud enim sæpius cogitatione voluimus, cuius amore fortius detinemur. ¶ Nulla pœna grauior praua conscientia: quare si omnem tristitiam à te vis expellere, bene viuito, bonæ namq; vitæ conditio semper cum gaudio coniuncta est. ¶ Quid est oratio? Est mentis deuotio, id est, conuersio in Deum per pium & humilem affectum: humilem ex propriæ infirmitatis consideratione: pium ex meditatione diuinæ bonitatis ac clementiæ. Noli prodere virtutes tuas, si eas cupis augeri, sed taciturnitate custodi, quod si palum feceris, amittere poteris. Plerisque concessum est bona opera duntaxat agere, non autem boni operis fructum colligere, quòd ab ipsis per iactantiam amittatur: quemadmodũ enim glacies calore dissoluitur, ita & virtus ore proprio laudantis. Noli propter phantasmata, quæ mentis aciẽ hebetare, & animum confundere videntur orationis tempore, ab oratione desistere: imò quanto maiori terrenarum cogitationum tumultu premeris, tanto ardentius ac valentius orationi est insistendum, quatenus tumultum illum superes, & ad pias Domini aures orationis feruore tandiu pulses, donec sancti desiderij auxilio cogitationes illas malas ac vanas ab oculis cordis abigas, ac mentem tuam in vno æternitatis desiderio immobilem figas. Cor enim nostrum, licet in omnibus requiem quærat, nũquam tamen inueniet nisi in hoc centro. Dicito cordi tuo: Quid hoc est cor meum cum tam exiguum sis, vt vix in milui vnius refectionem sufficias, totus hic mundus tibi satis esse nequeat? Per totum terrarum orbem iugiter ad voluptatem captandam vago motu discurris, sine pedibus curris, absque alis volas? Cum igitur nihil inuenias, quod te impleat, desiste à discursibus & inutilibus volatibus, iacta cogitatum tuum in Domino, ipse te satiabit. Cogita quàm plurimos esse, qui hoc ipso tempore in vero mortis articulo sunt constituti, quibus si hora vna ad pœnitentiam agendam concederetur, multa agerent ad impetrandam veniam peccatorum: tu verò tempus ad hoc ipsum tibi concessum elabi frustra finis, ac vanis cogitationibus impendis. Cogita etiam, quot nunc animæ in inferno absque vlla veniæ ac misericordiæ spe torqueantur, quòd tempore sibi concesso ad pœnitentiam abusæ sint. Redi igitur anima mea ad te, diligentissimè discutito, ac specula re, qualis sis, qualis esse tenearis, quantum in via Domini quotidie proficias, quantum de profectu deficias: nam quandiu teipsum studiosè non inspexeris, ad ea, quæ supra te sunt, scrutanda idoneus esse non poteris. Assuesce ergo, quamuis laboriosum ac molestum iudices, sola intima meditari, interiora solum diligere, (in illis diutius immorari, vt audire liceat, quid loquatur in te Dominus Deus. Si verò intimis tuis plene perspectis, experiris in teipso validam dilectionis, vel delectationis violentiam erga diuina, adhuc restat inuestigare, an aliquid aliud sit præter Deum, vnde delectatio vel consolatio aliqua tibi proueniat: nam quamdiu ex aliqua re externa lætitia vel delectatio accreuerit, ardentissimi amoris erga Deum signum non ostendes. Satage ergo Dominum ad cordis tui interiora penetralia trahere, vsquequo illius sublimis fluuij violentia sic affectui tuo immittatur, vt aliena omnia delectabilia fastidias, nec vlla alia externa delectatione inde possis auelli. Si verò eum non studes sic ad intima tua introducere, quo pacto credendum est, te velle, vel posse sequi eum ad sublimia sua? Certissimum ergo signum tibi sit, quæcumque es anima quòd dilectum tuum non plenè diligas, vel quod ab eo minus diligaris, si ad theoricos illos mentis excessus nõ vocari, aut vocantem sequi non mereris. Quo pacto perfectè diligere aut diligi dicẽdus est, qui in sublimium desiderio ad summa non rapitur: & ad theoricos ac anagogicos illos excessus mentis alienatione non transit? Vis nosse diuinarum reuelationum sublimitatem manifestissimum esse diuinæ dilectionis indicium? audi ipsum dicentem: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos.* Perge igitur hilariter ac summo studio in omni temporis articulo in diuino contemplationis gaudio tendere. Nam si semel ad illud diuinorum radiorum spectaculum admissus sis, quàm intimis desiderijs, quam profundis suspirijs, quam inenarrabilibus gemitibus instabis ad eã dulcedinem iterum obtinendam. Quam assidua recordatione, quam iucunda admiratione inspectam claritatem mente tractabis, ac placidissime reuolues, donec rursum in eandem imaginem trãsformeris, à claritate in claritatem procedens, veluti ab ipso Domini spiritu actus. Verum tamen cùm ab eo sublimis delectationis statu decidimus, atque ad nosmetipsos redimus, ea quæ antea supra nos vidimus,

Confessio S. Bernardi.

Animus ad interiora reuocandus.

Signum euidens perfectæ dilectionis.

Ioan. 15.

Conscientia malus onus.

Oratio quid.

Iactantia virtutum vitanda.

Orationem propter mentis distractionem non frater mittendam.

mus, in eadem veritate vel claritate, qua prius perspeximus, in memoriam aut mentem nostram reuocari non possunt: & quamuis inde aliquid memoria teneamus, & quasi per medium velum atque in medio nebulæ videamus, tamen nec modum videndi, vel visionis qualitatem verè contemplari possumus. Ita fit, vt memores non reminiscamur, videntes non videamus, aspicientes intueri non valeamus, & intendentes non penetremus, donec iterum à meditatione in contemplationem, à contemplatione in admirationem assurgentes, ab admiratione in mentis alienationem rapiamur. Gratia cõtemplationis humanum cor non solum ab omni terreno amore expurgat, sed etiam sanctificat, & cœlestium amore omnino inflammat, & iam quoddã pignus illius futuræ contemplationis concedit. Denique nihil est iucundius, nihil commodius gratia contemplationis: nam quanto amplius in cœlestium contemplatione delectaris, & delectatione admiraris, tanto libentius immoraris, tanto diligentius perscrutaris, profundiusque illuminaris: ibi enim semper inuenire licebit quid mireris, ac vnde delecteris. Ad has delicias adipiscendas potius opus est intima compunctione quàm profunda inuestigatione, suspirijs quàm argumentis, crebris lamentationibus, quàm acutis argumentationibus, potiùs lacrymis quàm sententijs, oratione quàm lectione, lacrymarũ gratia quàm literarum scientia. In primis superata cogitationum euagatione, discito vacare non solum corpore, sed etiam corde, ac facere Sabbatum ex Sabbato (interius, scilicet, ex exteriori) vacans & videns *quoniam ego sum Deus*. In libello *de scala claustralium* sic scribit. Postquam anima exercitata diu est in meditationis studio, & in eius meditatione exarsit ignis desiderij perueniendi ad quietem ac gustum contemplationis, quem nondum reipsa cognouit, confugit ad orationem clamans: *Vultum tuum Domine requiram*, id est, contemplationis tuæ dulcedinem: cui si fideliter instat, adueniens Dominus cœlestis dulcedinis rore circumfusus fatigatam recreat animam, esurientẽ reficit, aridam impinguat, & cõgit eam terrenorum omnium penitus obliuisci, sui recordatione assidua eam muniens, viuificans, inebrians, ac sobriam reddens. Quemadmodum enim in quibusdam corporeis ministerijs seu voluptatibus anima adeo carnali rapitur concupiscentia, vt omnem rationis vsum amittat, ac quodãmodo fiat homo totus carnalis: sic in hora contemplationis ita absorbentur & consumantur carnales motus à lacrymis, vt nulla in te caro spiritui refragetur, fiatq; homo quasi totus spiritualis. Sed velim scire, Domine mi, an aliqua sint signa huius aduentus tui. Huius consolationis signa sunt suspiria & dulces lacrymæ, quæ à memoria & ardenti Christi desiderio excitantur: his enim ad cõtemplationis gaudiũ extollimur. O dulcissime Domine mi, si dulce est pro te flere, quã dulcissimum erit ac suauissimum de te gaudere? Postea verò quàm aliqua temporis morula animam ad dulcem illum somnum admisit, discedit quasi dicens: *Iam aurora est*, id est, iam recepisti gratiæ lumen, ac exoptatam visitationem. Data ergo benedictione, & mortificato neruo femoris, ac mutato nomine de Iacob in Israël, labitur. Accessus tamen ac recessus ambo cooperantur in bonum sponsæ, illi venit, illi recedit, venit consolationis causa, recedit ne consolationis magnitudo extollat eam, atque nè fortè continuam visitationẽ non gratiæ, sed naturæ referat acceptam: recedit etiã, quod verũ sit id quod in prouerbio vsurpari solet: *Nimia familiaritas parit contemptum*. Recedit ergo, vt absens vehemẽtius desideretur, desideratus auidius quæratur, sic quæsitus gratius inueniatur: recedit etiam, ne exiliũ pro patria reputemus. Attende tamen quæso sponsa sponsum tuum esse nimis delicatum ac zelotypum, qui si te ad alium amatorem (id est, ad aliud præsentis vitæ solatium) inclinari senserit, recedens à te aliam quæret sponsam: si in te maculam aliquam siue rugam conspexerit, statim auertet oculos, cum nihil immundum aut inornatum intueri patiatur. *ibid.* Meditationis magistra lectio est, aut prædicationis auditio, ne meditantes limites à patribus nostris cõstitutos transire contingat. Oratio obtinet inuenta per meditationem, dulcedo contemplationis est affectus deuotæ orationis. Lectio ergo absque meditatione arida manet, meditatio sine lectione erronea: oratio nisi meditationi sit coniuncta, tepida, meditatio absque oratione infructuosa: oratio deuota contemplationem acquirit, contemplationis adeptio absque oratione, aut rara, aut miraculosa habenda est. Ergo spiritualis athleta, si tibi datum est disponere ascensiones in corde tuo & ad summũ contemplationis gradum ascendere licuit, cauendum tibi est summopere, ne cùm vsque ad cœlum sis eleuatus, vsque ad abyssum inordinato casu infeliciter corruas.

Contemplationis gratia quàm præclarum donũ.

Quibus potissimũ mediis ad dulcedinem contemplationis perueniatur

Psal. 45.

Psal. 26, 8.

Simile.

Aduentus sponsi animæ signa

Gen. 32, 26.

Sponsi à sponsa discessus causa.

Quod fiet, si discedente sponso, accessante contemplationis dulcedine, ad carnis vana ac superflua solatia descendas, sed expedit, eum graduum ordinem tenere in descensu, quem in ascensu obseruasti, & in eorum quolibet immorari pro loco & tempore, tantoque te Deo viciniorem existima, quanto à primo gradu, nempe à lectione sis remotior. Quid enim intolerabilius? Quæ infelicior commutatio esse poterit, quàm cor quod paulò ante cœlestibus fruebatur gaudijs, subitò immundis ac vanis cogitationibus deturpandum tradere? Adhuc in corde calent sponsi vestigia, & iam intromittuntur adulterina desideria. Aures, quibus nuper contigerat audire verba, quæ non licet homini loqui, audiendis iã fabulis ac detractionibus exponuntur. Oculi qui modo sacris madebant lacrymis, ad videndas vanitates iam conuertuntur. Lingua, quæ dulce paullò ante epithalamium decantauerat, & ignitis eloquijs ac persuasorijs sponsum sponsæ reconciliauerat, ita vt eam in cellam vinariam suam introduceret, rursum ad vana & scurrilia colloquia conuertitur. Abfit. Abfit. Hæc ex dicto libello.

Gradatim à contemplatione descendendum.

EX BERNARDO IN LIBRO de amore Dei.

CAPVT XXXIV.

DOmine tu vides me non videntem te, porrige ergo dexteram mihi cæco ad te currenti amoris tui amore: si hanc plenam periculis viam ingressus in aliquo offendero, agnosce quæso, subleua debilem, erige cespitantem, aut etiam cadentem; iam enim gratiæ tuæ munere, quæ carnis & mundi sunt, non habeo ante faciem cordis mei, sed in dorsum ac posteriora reieci. Qui fit, Domine mi, vt cum ex toto corde faciem tuam exquiram, & iam putans te apprehendisse mihi gratuler, mox eam à me abscondas, quasi me inimicum tibi arbitreris? Domine vel ego non sum adhuc ad te conuersus, vel tu es adhuc à me auersus. Si primum, Deus virtutum, conuerte me. Si secundum, Deus virtutum, conuertere. Gratias tibi ago, bone Domine, quod mihi velle dederis: nam paratum est iam cor meum, præcipe igitur quæ vis, fac me intelligere quæ præcipis, & da posse, cui dedisti velle: sic enim fiet in me ac de te, quidquid vis, Domine noui te dixisse Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet*: Fateor me adhuc non mortuum esse mihi, vt tibi viuere possim, sed tuo gratuito munere locum apud te accepisse, sto super petram Catholicæ fidei, fero patien- Exod. 33, 20.

patienter,& deosculor tegentem & protegentem me dexteram tuam,video posteriora tua,id est,hu-
Matt 9. manitatis tuæ mysteria,& saltem cum Hæmorroi-
sa gestio tangere fimbriam vestimenti carnis tuæ, ac
Ioan 20. furari mihi sanitatem. Aliquando cum Thoma te totum expeto videre,tangere, non tamen digitum vel manum mittere cupio in ostium lateris, sed totus desidero ingredi per illud vsque ad cor, vbi est sanctum sanctorum,arca Testamenti manna deniq; diuinitatis.Sentio mihi dictum esse: *Noli me targere*
Ioan 20,15. *foris canes*,Apocal.22.& ideò cum dignis conscientiæ meæ verberibus percussus, præsumptionis meæ pœnas luere cogor,rursum in petram me recipiens
Psal,103, 18. (quæ refugium est herinacijs peccatorum plenis) amplector,& osculor tegentem,ac protegentem me dexteram tuam atque ex eo quod vel sensi,vel leuiter vidi,ardens desiderio vix patienter expecto,vt à me amoueas manum tuam: petoque vt infundere digneris mihi gratiam illuminantem, vt tandem moriens mihi, & tibi viuens, reuelata facie faciem tuam videam. Iamdiu tibi dixit cor meum:
Psal.26,8. *Exquisiuit te facies mea faciem tuam Domine requiram*,vt omnia videns operer in anima mea iuxta exemplar,quod in monte videro.Anima mea anhelans ad hanc visionem in huius seculi tenebris dicere solita est,cum premitur languore sui desiderij: Quis amare potest quæ non vidit? Quomodo amabile esse potest, quod non est aliquatenus visibile? Fateor multa amabilia,quæ creasti, posse occurrere te quærenti,sed hæc satiare nequeunt, imò videndi tui desiderium inflammant:prædicant enim cuncta hæc te esse mirum in modum amabilem,ac præ cunctis desiderabilem.Nam sicut ea,quæ tibi offero,scio non placere, nisi me cum illis insimul offeram, sic creata tua,nisi tecum sint placere non valent.Fateor Domine tuæ gratiæ munere huc peruenisse,toto mētis affectu amo amare te,desidero desiderare te, hoc tamen amans nescio quid amem. Quid est inquam amare amorem?Quid desiderare desiderium? Videtur amor ille,quo amorem tuum amo, non esse is, quo te amem,sed amor,quo me tibi amem : & mihi desiderem desiderium tuum. Fateor interiores oculos meos caligare ac cæcutire,cum hæc speculari volunt:quapropter citò à te aperiantur, vt videam gloriam tuam, vt oblitus paupertatis & egestatis meæ,totus erigar,& ruam in amplexus amoris tui, videns quem amauero : amās quem videro,vt mihi moriens,in te viuere incipiam, beneque sit mihi in te,cui pessimè est in se. Sed ô Domine, si quando (quod rarū est)huius gaudij particula aliqua fruor,
Matt.17,4. clamo, vociferor: *Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula*,fidei vnum, spei vnum, amori vnum:sed heu repente in terram cadens,quasi mortuus respiciens,nihil video, meque vbi prius eram,inuenio, scilicet, in dolore cordis, & spiritus
Psal.93,5. afflictione clamo : *Vsquequo Domine obliuiscēris me in finem*?Ibi *cap.4*. Summam voluntatis suæ annūtiauit nobis filius tuus Dominus noster, cùm tibi in oratione diceret: *Volo Pater, vt sicut ego & tu vnum*
Ioan. 17, 21. *sumus,ita & ipsi in nobis vnū sint*(scilicet,amoris perfectione,)vt scilicet, ament te propter te, & se non nisi in te.Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio:hæc pax vera,hoc gaudium in Spiritu sancto,hoc denique est silentium in cœlo : in hac autem peregrinatione sola illa silentij hora dicenda est, in qua hoc affectu fruimur. O nobilissima affectio veni ad nos,dispereant à facie tua fœtida illa & horrenda nomina affectionum, quæ dicuntur Luxuria, Gula, Auaritia. Optimè dixit seruus tuus, qui affectionem hanc,quietem stationem & finem esse dixit, vltra quem nihil appetat,vel appetendum indicet voluntas.O Domine cur docuisti nos puros amores tuos.Num egebas amore nostro? Non certè, sed quia aliter non licebat esse beatos, nisi te diligeremus,ideò misisti filium tuū,cuius verba nihil aliud sonabant,quā amare,amare:cuius omnia dicta & facta erant ardentissima,& vrgentissima incentiua amoris.O Domine,cesset in me iam diluuium aquarum multarum,id est,multitudo & confusio terrenarum affectionum,vt valeam ad te accedere.Recedat iam salsum mare, atque antiquæ damnationis salsugo,vt appareat in me arida id est,vt deficcata anima mea ab amaris aquis, fontem vitæ sitiens, dicat:*Sitiuit in te anima mea*.Mirum est,quod quidam Psal.62,2.
Ethnicus lumine veritatis compulsus scripserit dicens:Oderunt peccare boni virtutis amore : homo tamen Christianus nōdum hoc amore sit plenè captus.Heu quia nuda,gelida,& algens est anima mea, & desiderat calefieri calore tui amoris.Quid faciam? Quandiu non sentio in me calefacientem charitatis vestem,colligam paniculos Scripturarum, & consuam, vt aliqualiter cooperire valeam nuditatem meam,colligam diuinorum verborum surculos, & accendam in corde meo deuotionis igniculum, si fortè aliquando descendat flamma fortiter vorans aquas ac frigiditates meas.Bernar. *ibi c.9*.sic scribit. Nonnunquam Domine quasi oculis clausis ad te inhianti mittis mihi in os cordis,quod non licet mihi explorare quid sit:saporem quidē sentio adeò dulcem,suauem,ac confortantem,vt si in me perficeretur,nihil vltra quærerem,sed licet me illo aspergas, non tamen permittis quid sit plene cognoscere. Cū enim accepero, si tenere eum volo, aut ruminare, aut eius saporem dijudicare confestim elabitur? deglutio quidem illud,quidquid illud est, in vitæ æternæ spem,sed vellem,vt omnes venas, ac medullas animæ meæ quasi vitalis succus impleret,vt omnes alias affectiones fastidirem.Sed licet ad me veniat festinat transire,& cum de eius inquisitione,vel acceptione, vel vsu formata quædam lineamenta gestio,arctius memoriæ impressa committere, vel memoriam labilem scripto iuuare,re ipsa, & experimento cogor illud dicere,quod scriptum est: *Ne-* Ioan.3,8.
scis vnde veniat,aut quo vadat. Quotiescunq; enim quasi quibusdam lineamentorum figuris ea memoriæ commendare curaui,vt cùm voluero ad ea meditanda confugiam:sentio mihi dictum esse, *Spiritus vbi vult spirat*, non cum ego volo, sed cum ipse vult.Si aliqua prius praueram, omnia extincta ac mortua inuenio,solum ad te vitæ fontem leuo oculos,vt in lumine tuo videam lumen: ad te anhelant omnes defectus mei.Sed heu quandiu miseram, anxiam,& anhelantem animam protrahis? Absconde me,obsecro,in abscondito faciei tuæ, protege me in tabernaculo tuo.

NONNVLLÆ GEMMÆ ET ARdentes faculæ ex Bern. super Cantica.

CAPVT XXXV.

Cantica quindecim graduum incipientium & proficientium: Canticum Canticorū perfectorū.

ADincipientes, & proficientes pertinent illa quindecim Cantica graduum, eò quod iuxta profectus & ascensiones quas disposuerunt in cordibus suis,cantanda sunt ad laudem Dei promouentis At Cantica canticorum perfectorum sunt,est enim fructus omnium procedentium : ideò canticum hoc Vnctio docet,addiscit experientia, quare non mirum est si experti recognoscant, inexperti inardescant desiderio, non tam cognoscendi,quam experiendi. Nam osculum à quo incipit non est strepitus oris, sed inbilus cordis, non sonus labiorum,sed motus gaudiorum,id circo non pertinet

Osculū quid.

carmen hoc ānimæ infantili, ac nuper ad Christum conuersæ, sed iam prouectæ, vt quæ iam ad ætatem perfectam, & nubiles perueniens annos (meritorū, non temporū) facta est idonea cœlestis sponsi nuptijs. Hæc enim sola potest dicere: *Osculetur me osculo oris sui meliores namque sunt amores tui vino*, vt alij traducunt. Per vinum intelliguntur delectabilia omnia secundùm carnem. Bern. *Ser. 1. & ibid. Ser. 1.* dicit neminē posse scire quid sit hoc spirituale Christi osculum quod sponsa tam ardenter appetit, nisi cui licuit experiri: est manna absconditum, solus qui edit esurit, est fons signatus, cui non communicat alienus, sed solus qui bibit adhuc sitiet. Non ergo arroget sibi hoc anima, etiam nunc carnis passionibus obnoxia, quæ nondum sensit suauitatē spiritus, quæ interna nondum gaudia degustauit. Non temere assurgat ad os sereniſsimi sponsi, sed ad sereniſsimi Domini pedes meritò pauida iaceat, & cum Publicano tremens, terram, non cœlum aspiciat. Displicet namque Deo peccatoris impudentia, pœnitentis verò verecundia placatur. Ideò (inquit) nolo, repentè fieri summus, paulatim iuuat proficere. nolo intempestiuè altiora & secretiora scrutari. Prosterne te igitur prius ad oscula pedum, tuisq; lacrymis illos riga, nec inde surgas priusquam audias: *Remittuntur tibi peccata tua*: & deinde quantū profeceris in gratia, tantum in fiducia dilataberis. Inde proficere poteris ad osculum manuum, cū cœperis iam strenuè, ac perseueranter agere in operibus omnium virtutum. Tum demum forsitan audebis ad ipsum os gloriæ caput attollere (pauens ac cum tremore dico) nō solum speculandum, sed etiam osculandum. Osculum ergo pedum incipientium est, manuum proficientium, oris perfectorum, vt idem dicit *Serm. 4.* Sed cum Sponsa partes perfectorum agat, ideò fiducialiter oris osculum postulat, non pedum, non manuū, sed *osculetur me* (inquit) *osculo oris sui*. Procumbe igitur primò ad pedum oscula: pedes sunt misericordia, & iudicium: in primo infigito osculum spei, in secundo timoris, nec tamen alterum sine altero osculeris, ne fortè aut desperes, aut dissoluaris, & inaniter præsumas. De his *Serm. 6.* Deinde procede ad oscula manuum. Manus Dei sunt latitudo & fortitudo, illa affluenter largiens, ista potenter defendēs (vt dicit *Ser. 7.*) Consequenter postquam ascenderis ad sponsæ conditionem, quæ est anima sitiens, licebit petere oris oscula, quæ dari non solent nisi ardēter amantibus, quod proprium est solius sponsæ. Nā seruus timet, mercenarius sperat, discipulus præstat aurem magistro, filius patrem honorat, sponsa verò amat: ideò non exigit mercedem, non petit hæreditatem, non postulat doctrinam, sed osculum: in qua petitione non vtitur blanditiarum fuco, non parat exordium, non captat beneuolentiam, sed ex abundantia cordis sacri amoris flammam spirantis in nuda verba prorumpit, dicens: *Osculetur me osculo oris sui*. Nec mirum est, si vt ebria loquatur, quæ de cella vinaria exierat, quæ sponsi amore inebriata, maiestatem non veretur, nimis freta quòd castè amat, casteque quærit ipsum quem amat, non aliud quidquā illius: quasi dicat: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Vnde patet charitatem perfectam, timorem omnē procul expellere. *Hæc Ser. 7.* vbi admonet fratres, vt corde ruminent psalmos, quos ore canunt. Sicut enim cibus qui deglutitur, & non manditur, frustrat palatum oris sapore desiderabili, sic psalmus deglutitus, nisi quibusdam intelligentiæ dentibus conteratur, cordis palatum desiderabili sapore, & dulciori super mel & fauū defraudat. Offeramus igitur cum Apostolis fauum mellis. Mel enim in cera est deuotio in litera, alioqui *litera occidit*, si absque spiritus condimento comedatur: quod si feceris reipsa experieris, quam rectè dictum sit? *Spiritus meus super mel dulcis. Et delectabitur in crassitudine anima tua, & holocaustum tuum pingue fiet.* Nec non curiæ cœlestis principes odorem suauitatis recipientes (id est psalmorum tuorū, & orationum) de te dicent: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Ad sponsam nostra reuertatur oratio, cum iam diu dimissa sunt peccata, atque iamdiu in sanctis operibus, orationibus, & exercitijs perseuerat, hæc non quiescit, donec admittatur ad osculum. Gratias (inquit hæc sponsa) ago de pedum osculo. Gratias item ago de manuum osculo, sed ardentiſsime expeto osculari osculo oris tui. Accepi, fateor, meritis potiora, sunt tamen hæc votis inferiora meis: non sum ingrata beneficijs acceptis, sed ad maiora suspiro, non enim ratione feror, sed amore: non ignoro quod *honor Regis iudicium diligat*, sed præceps amor nec iudicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subijcitur. *Hæc ser. 9.* At cum felix sponsa recipit ineffabile osculum, quid existimas in ea fieri? Tantæ efficaciæ est osculum illud, vt cùm acceperit, mox eius vbera tumescant, & lacte cœlestis sapientiæ pinguescant, ita vt filiæ sponsæ veniant ad matrem (id est, infirmiores animæ ad pastorem vt erudiantur) quæ vbera prementes conceptæ dulcedinis lac affluenter accipient, ita vt gustantes testentur meliora illa vbera esse vino, siue per vinum dulcia omnia mundi huius intelligas, siue sapientiam secularem, quæ nequeunt spiritum nostrum confortare, nutrire aut replere, veluti Spiritus sancti sapientia, quæ omnia hæc in nobis operatur. Pastores huius tempestatis, quòd hæc oscula non quærant nec accipiant, ideò non pariūt filios spirituales, nec habent vbera turgentia lacte cœlestis, & inflammatiuæ sapientiæ ad eos alendos Potest etiam intelligi (vt ibi scribit *Bernar.*) per vinum contemplationis dulcedo, vt quasi perenti sponsæ contemplationis oscula, dicatur illi: *Meliora sunt vbera tua vino*, id est magis necessaria, quasi dicat: Tu sponsa postulas quod te delectat, sed vbera quibus paruulos alis magis necessaria sunt vino contemplationis. Nam licet hoc, quod postulas, lætificet cor tuum, illa tamen ædificāt multos, quapropter sustine parumper: oportet namque cessare à dulcedine osculorum, vt lactandis paruulis vacare possis. Potest etiam accipi (inquit idem) hoc quasi dictum ab ipsis iuuenculis ac teneris animabus: videntes enim hæ matrem suā semper velle quieti vacare, secretum quærere, publicum fugere; turbas declinare: denique osculorum dulcedinem præferre ipsarum curæ: ita eam alloquuntur. Noli mater nos derelinquere & in sponsi amplexibus immorari: maior enim in vberibus quā in amplexibus & osculis fructus existit. Per vbera nos eripis à carnalibus desiderijs, eripis mundo, Deo acquiris, ideò *meliora sunt vbera tua vino* contemplationis: sunt etiam nobis meliora vino carnalium ac terrenarum voluptatum, quo prius inebriabamur: maioribus namq; delicijs affluimus quam anteà in vino experiebamur. Item per duo sponsæ vbera optime intelligit (*serm. 10.*) compassionem & congratulationem; habet enim affectus maternos cum Paulo, scilicet, Gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus: quod proprium est veræ matris, scilicet, gaudere in gaudio filiorum. Quia si hæc vbera nondum habes, cur mater? Cur Episcopus, si te non plenè sentis promptum ad congaudendum, pronum ad condolendum? matris nomen mereri non potes. Qui absque his affectibus ad animarum regimen, vel prædicationis officium es assumptus, alijs prodesse non poteris, tibi plurimum obes-

Cant. 1, 1.

Luc. 18.

Matt. 9, 2.

Osculum triplex.

Cant 1, 1. *Osculum pedum.*

Osculum manuum.

Osculū oris.

Cant. 1, 1.

Psal. 72, 25.

Luc. 24. *Mel in cera mystice quid*

Eccl. 24, 27. Isa. 55, 2. Psal. 19, 4.

Cant. 3, 6.

Osculum oris quanta essi. cacia.

Psal. 98, 4.

Vinum contemplationis dulcedo. Cant. 7, 2.

Vbera sponsa duo quæ Rom. 12, 15.

Pastoris veri officium.

obesse valebis. Verus pastor quoties osculo delectatur, non ideò officium prætermittit, sed videas eum quasi matrem paruulis lactandis incumbere, & vbera proferens ex altero consolatoria, ex altero, verò exhortatoria vberrime ministrare. Si aliquem ex filijs reperit hilarem & proficientem, exultat reficiens salutaribus monitis, & de congratulationis vbere lac exhortationis exprimit, vt constanter perseuerans in melius proficiat. Si verò videat aliquem graui aliqua tentatione concussum, factumque pusillanimem, ita vt vim tentationis perferre nequeat, condolet, mulcet, plangit, consolatur, denique lac consolationis ex vbere compassionis exprimit, vt turbatum erigat. Ibi agit contra impios pastores, qui nihil curant nec compatiuntur super contritionem Ioseph, sed omnia Christi opprobria conflant in fornacem auaritiæ, crucem, lanceam, & clauos. Ibi etiam agens de tribus illis optimis sponsæ vnguentis scilicet contritione, deuotione, ac pietate, asserens vnguentum deuotionis componi ex studiosa meditatione beneficiorum Domini, quærit, quid sit in causa, cur quælibet anima nequeat hoc vnguentum conficere, licet nitatur vacare sanctis meditationibus, vel diuinis laudibus, sed mox vrgeatur curis, atque ad sua reuocata in se ipsa comprimi propria egestate compellatur. Respondit Bernard. ægritudinem hanc, & animi diffidentiam duabus ex causis prouenire posse. Prima, ex nouitate conuersionis. Secunda, ex tempore conuersationis, etiamsi in conuersione longum tempus consumpserit. Vtrumque enim humiliat ac dejcit conscientiam, & inquietã reddit, dum siue pro tempore, siue pro torpore pristinas animę passiones nondum plene emortuas sentit: ac proinde cùm necesse sit incumbere extirpandis de hortulo spinis iniquitatum, & vrticis cupiditatum, longius à seipsa euagari nõ permittitur. Cùm enim in gemitu suo laboret, non potest simul in Dei laudibus, ac sanctis meditationibus exultare: musica namque in luctu importuna solet esse narratio. Non est ergo vnguentum hoc pauperum, sed diuitum. Monet tamen *serm. 11.* his verbis. Suadeo vobis, amici mei, vt interdum reflectatis pedem à molesta & nimis anxia viarum vestrarum recordatione, enitamini que in clariora atque planiora itinera euadere, nempe in memoriam beneficiorum Dei: vt qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis.

Deuotionis vnguentum aut quilibet anima conficere nequeat.

Psal. 36, 4.

Volo vos experiri illud, quod dictum est: *Delectare in Domino.* Idem *in serm. 12.* latissime loquitur de tertio vnguento pietatis siue misericordię, quod priora duo longè superat, & proprium est Prælatis sanctis, qui sicut adipe & pinguedine repleti misericordiæ visceribus, omnium hominum ærumnas tam spirituales quam temporales subleuare conantur.

Pietatis vnguentum Prælatis proprium.

Idem *in serm. 1.* Non omnis gratiarum actio Deo grata est, sed ea solum, quæ de cordis pudica & pura simplicitate procedit. Nam & Pharisæus gratias agebat de his, quæ à Deo acceperat, quæ tamen cùm non simplici, sed subdolo corde redderentur, repulsæ sunt: licet enim labijs Deũ laudare videretur, cordis tamen sententia se ipsum honorabat. Publicanum enim non iudicaret contemnendum, nisi præ illo se honorandum existimaret: occulta ergo cogitatione sibi honorem vsurpabat verè fur, cùm *soli Deo honor* debeatur *& gloria.* Heu quot Pharisæi, quot hypocritæ in gratiarum actione ore gratias Deo agentes pro acceptis beneficijs, corde tamen nescio quid fraudulenter sibi surripiunt. Detestanda quippe tentatio, quæ etiam spiritualibus viris quandoq; insidiari solet. Nam magna ac rara virtus est, cùm magna operaris, magnum te nescire, & cùm omnib. nota sit sanctitas tua, te solum lateat: cumque omnibus mirabilis appareas, tibi soli vilescas. Fidelis re-

Luc. 18.

Fur gloriæ Dei quis. 1. Tim. 1.

Hypocrisis in gratiarũ actione.

uera famulus dicendus es, si de multa Domini gloria (licet ex te non exeat) transeunte per te nihil tuis manibus adhærere contingat, seruans eas puras ab omni munere: vt *Isai 33.* Tunc lux tua dicenda est lucere corã hominibus, vt glorificent non te, sed Patrem qui in cœlis est. Time cùm Paulo, ne quæ tua sunt, prædices, sed Christum Iesum, ne quæras quæ tua sunt, sed quæ sunt Christi, tunc dignus eris audire: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Eris deniq; tanquã felicissimus Ioseph, qui omnibus sibi à Domino suo traditis, non ignorauit vxorem exceptam. *Non est,* inquam *ex omnibus bonis Domini mei, quod non in mea potestate sit præter te, quæ vxor eius es.* Nouerat nempe mulierem, gloriam esse viri, & iniquum iudicabat in gloriam vice versa illum facere, qui se fecerat gloriosũ. Aduertit homo Dei sapientia plenus virum vxorem suã fortiter tanquam propriã gloriã zelare, sibiq; ipsi retinuisse seruandam, & manum ad inconcessam extendere non præsumpsit. Quid ergo homo gloriã suam zelat, Deus verò suã non zelabit? Imò quanti gloriam suã faciat plane testatur dicens: *Gloriam meã alteri non dabo.* Quid ergo nobis Domine? *Pacẽ do vobis pacẽ relinquo vobis:* hoc præconio vsi sunt Angeli dicentes: *Gloria in excelsis Deo, & pax hominibus.* Domine (inquit *Bernard.*) graanter suscipio quod relinquis, ac relinquo, quod retines, sic mihi conducere, sic mea interesse non dubito: abituro prorsus gloriam: ne fortè si nõ concessum vsurpauero, meritò gratuito oblatum munus amittam. Pacẽ volo, & nihil amplius, cui pax nõ sufficis tu qui pax es nostra: sane mihi necessarium est reconciliari tibi, ac reconciliari mihi: nam ex quo *me posuisti contrarium tibi factu sum mihimet ipsi grauis.* Agitur *suscipiant montes,* id est, Angeli *pacem populo* non gloriã. Quid stultius, quàm canales velle gloriari de aquis, qui per eos transeuntes fluunt? Et quid sunt sancti omnes vel sapientes in actionibus suis, nisi canales, per quos transit gloria Dei? Non lingua, nõ calamus gloriari possunt de sapiẽtia quã manifestant. nec securis gloriari debet contra eum qui secat in ea. *Isai 10.* Nonne permittes nobis aliquã gloriam? Permitto quam concedit Apostol. scilicet, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ:* fecurus gloriaris, si teste conscientia de Domini gloria nihil vsurpas, sed cùm gloriaris, penitus in Domino gloriaris: quę omnia non parui momenti existimanda sunt. Dicit etiã ibi *Bernard.* Raros esse perfectos, quibus vere sic gloriari contingat. O vani filij hominum. O mendaces, qui mutuo se decipiunt de vanitate in idipsum, dum vnusquisque gloriam suam collocat in cistella labiorum alterius, indeque eam mendicare solent, quotiescunque ea egent: cùm tamen veritatis lumine in seipsis expendere opera sua debuissent, & sic in semetipsis habere gloriam, ac non in alterius ore, imò quod potius esset eam in manibus Domini cõseruandam reponere. Quapropter nemo velit laudari, dum viuit, quidquid enim laudis hic captas, quod ad Deum nõ retuleris, Deo surripis quasi fur. Omnium ergo nostrorum operum gloriam ad solũ Deum laudabilium omnium autorem ac benignissimũ largitorem referamus, idq; verè, non ficte, vt facere solent hypocritæ. Hoc tamen non sola consuetudine faciendum est, vt mos est in secularibus, sed vt viros sanctos decet synceritate fida, deuotione solicita, hilaritate grata, non dissoluta: iungentes sensum vsui affectum sensui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati, vt interdum liberis purgatæ mentis passibus procedamus, atque per inusitatas quasdã affectiones, spiritualesq; lętitias, in iubilis, in amœnitatibus, in Dei lumine, suauitate, & Spiritu

Psal. 71, 3.

Iob. 7, 20.

Isa. 10.

In quo gloriandum. 2. Cor. 1, 12.

1. Cor. 1.

Matt. 5.

Matt. 25, 21. 23.

Gen. 39.

Esa 48, 11.

Ioan. 14.

Luc. 2, 14.

sancto procedamus, probantes nos comprehensos in his quos Prophera intuebatur cùm diceret: *Domine in vultus tui lumine ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die.* Medullis igitur cordis non sola voce dicamus: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*: ne fortè (quod nimis vereor) dicatur de nobis: *Quoniam dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mẽtiti sunt ei: Cor autem eorum*, &c. Dicamus, *Saluos nos fac, Domine, & congrega nos de nationibus, vt gloriemur in laude*, non nostra, sed *tua*. Bern. *ser. 14* Domine fateor me non portasse pondus & æstus diei, sed iugum suaue, & onus leue pro patris familias beneplacito fero: opus meum vix vnius horæ spatio perficitur: nam laborem prę amore contemno. *ibi.* Si nondum meremur ingredi cubiculum cum sponsa, quod adhuc sumus de numero adolescentulatum, excubemus tamen præ foribus spe gaudentes. Sponsus & sponsa interim mutuis intus secretisque fruantur amplexibus, nullo carnalium desideriorum strepitu, nullo corporearum phantasmatum perturbante tumultu. Turba adolescentularum, quæ absque his inquietudinibus esse nequit, foris expectet, sciantq; certo ad se illud spectare. *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius offerentur tibi.* Per virgines intelligit quæ Baptismatis innocentiam seruauerunt: per proximas verò pœnitentes. In *ser. 15.* pulcherrime differit de nomine Iesu. In *16.* aptissime scribit, quo suffundi pudore debeamus, cùm patrem & benefactorem offendamus: quo verò timore, cùm creator Dominus & iudex à nobis sit lęsus. Ibi etiam loquitur aduersus illos qui studiose curant humiles videri, ac vt id assequantur, exponunt plerumque alijs defectus suos.

Spiritalis superbia.

Vera humilitas.

Appetere (inquit) de humilitate laudem humilitatis non est virtus, sed ipsius virtutis subuersio: verus enim humilis vilis reputari vult, non prædicari: humilis gaudet cõtemptu sui, hoc solo superbus, quòd laudes non contemnat. Quid sceleleſtius, quam vt peccati confesio, quę humilitatis custos esse solet, superbiæ militet, & inde velis videri melior, vnde videris deterior? Mirabile quippe iactantiæ genus est sanctum videri non posse, nisi ad id sceleratus appareas. Similis habita est Saulis confessio, qui cùm à Samuele increpatus cõfessus sit se peccasse, nõ tamẽ placita Deo fuit eius confessio. In *ser. 17.* vtilissime docet qua cura obseruandę sunt illę vicissitudines dispensatorię Domini visitantis animam & ab ea recedentis: nam periculosissimi illius accessus & recessus ignorantur: inde enim fit, vt nec absentem desideres, nec præsentem glorifices, præsertim cum ipse nulla alia de causa recedat, quàm vt auidius requiratur. Quonam modo, si abesse nescimus, requiremus? Aut quo pacto qui iterum dignanter ad hoc redit, vt consoletur, dignè pro sua maiestate susciptetur, cum adesse non sentiatur? Mens igitur absceſſum ignoras patet seductioni, quę verò reditum non obseruat, iure habebitur ingrata visioni. Quare oportet vt cum Heliseo videamus recedentem magistrum Spiritũ sanctum, si velimus vt dona sua duplicet in nobis, semperque ad cœlum vultu simus erecto, & sinu ad largam eius benedictionem accipendam expanso. *Similes* oportet nos esse *hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs*: nam à copiosis supernæ mensę delicijs vacua non redibit manu: quare vigilandum est omni temporis articulo, cùm planè ignoremus qua hora venturus, quavè abiturus sit. His namque vicissitudinibus vti non cessat in his qui spirituales sunt, vel quos ipse spirituales reddere intendit, visitans diluculo & subitò probans. In *serm* 18. disertissime tractatur quis solus sit aptus ad prædicationis & præfecturæ officium exercendum. In *ser. 20. Quid retribuam Domino?* Suscipe obsecro, Domine, de mea misera vita residuum annorum meorum: nam præteriti infructuose cõsumpti sunt, nec eos amplius reuocare licebit: pro his quos viuens perdidi, *cor contritum & humiliatum Deus non despicias*, placeat tibi, vt recogitem eos in amaritudine animæ. Qui fieri poterit, vt talem non diligam Dominum? Dilexit me non existentem, dilexit resistentem & inimicum, pro me calicem passionis bibit, pro me tulit contradictores in verbis, obseruatores in factis, illusores in tormentis, coniuratores in morte. Hæc amorem meum blandius alliciunt, iustius exigunt, arctius stringunt, & vehementius accendunt: quare meritò anathema habendus est, qui Dominum Iesum non diligit. Ama dulciter & ardenter, ne illecebris mundi ab eo amando abducaris: ama sapienter & prudenter, ne decipiaris: ama fortiter, ne aduersitatibus frangaris: sic faciens, amare testaberis ex toto corde, tota mente, tota virtute seu fortitudine. Dulcedo huius amoris, carnalis amoris suauitatem procul expellat, vt clauus clauo pelli solet. Ama prudenter, tum ad cauendas hæreticę fraudis muscipulas, tum etiam ad euitandam nimiam & indiscretam vehementiam in tua conuersatione. Ama fortiter, vt terroribus non cedas, laboribus non succumbas. Igitur blanditijs non abduci, non decipi fallatijs, aduersitatibus & iniurijs non frangi, hoc est toto corde, tota mente, tota virtute diligere. Ibi etiam asserit hanc potissimam ac præcipuam fuisse causam, Cur Deus humanam assumere carnem, & in ea conuersari voluerit: videlicet vt carnalium, qui non nisi carnaliter amare poterant, affectiones primo ad suæ carnis salutarem amorem retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. Visitatum enim est eodem modo incipientes faciliter inflammari ad audita, vel lecta, aut meditata mysteria, quæ Deus gesit in carne: atque inde paullatim fugatis terrenis & carnalibus affectibus, introducuntur tandem ad contemplationis dulcedinem & diuini amoris suauitatem. Huc iam ascenderat Paulus dicens; *Et si cognouimus Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus.* Hieremias etiam iam ad hanc peruenerat conditionem, cum dixit Thren. 4. *Spiritus ante faciem nostrã Christus Dominus.* Nam quod subiungit: *Sub vmbra eius viuemus omnes gentes*, ad incipientes spectat. Cũ enim ob interni visus debilitatem ferre nequeant, lucidissimi Solis splendorem, sub vmbra, id est, sub Christi carne quiescunt (hac vmbra obumbrata est Maria) vt illius obiectio, feruor & splendor diuinitatis illius temperaretur. In carnis igitur deuotione quiescat, cui viuificantẽ spiritũ possidere non licuit. Nã alias equidem nequaquã sine Spiritu S. vel in carne diligitur Christus, non tamen in illa plenitudine, vt illa amoris suauitas sic totum cor occupet, vt totũ sibi vẽdicet, & vniuersæ carnis amore, & carnalium illecebrarum, ac iam omninò superbiam detestetur, inuidiam nesciat, humanam omnem gloriam non solum fugiat, sed fastidiat, & contemnat: deniq; omnem cordis & carnis labem vehementissimè abominetur. In *ser. 21. Trahe me post te* ô Sponse. Non oẽs qui trahuntur, inuiti veniunt: infirmus enim ac debilis, qui vix pedibus suis valet insistere, atq; ideò ire nequit, voluntarius tamen & spõtaneus ad salutis balneũ, & suauitatis prandiũ accedit: sic ego etiã sponsa nisi te trahẽte ire nõ possum. Refriguit paullisper in nobis ignis amoris tui, nec valemus à facie frigoris huius currere sicut heri & nudius tertius: curremus autẽ postea, cùm reddideris lætitiã salutaris tui, cùm benigna gratiæ temperies redierit, cùm Sol iustitiæ iterũ incaluerit, & pertrãsierit tẽrationis nubes, q̃ Solẽ ad horã obnubilare cernitur, cũq; ad lenẽ aurę blandioris statũ cœperint vigenta facilius li-

Psal. 88, 16.
Psal. 113, 1.
Psal. 77, 36.
Psal. 105, 4.
Psal. 44, 15.
2. Reg. 19, 20
4. Reg. 2, 9.
Luc. 12, 36.
Iob. 7, 8.
Psal. 115, 12.
Psal. 50, 19.
Amandi Deum causa pregnantis.
1. Cor. 16, 22
Causa propter quam Deus carnem humanam assumpserit.
2. Cor. 5, 16.
Thre. 4, 20.
Cant. 1, 4.

quef-

quescere, & aromata fluentia odorem dederint suũ, tunc curremus hoc abscedente torpore. Cum igitur te torpore, tædio vel accidia affici sentis, noli propterea diffidere, aut à spirituali studio desistere, sed iuuantis require manum dicens: *Trahe me. Cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.* Fessa sum, deficio, noli me deserere, sed trahe me post te, ne per amores alios vagari incipiam, ne quasi in incertum curram. Trahe me tentationibus ac flagellis, ego enim *in flagella paratus sum*. Non postulo vt ita trahas adolescentulas quæ teneræ, delicatæ, & ad ferendas tentationes minus idoneæ sunt: sed trahe me iam fortiorem, illæ verò meo hortatu atque exemplo excitatæ me sequentur: sic fiet, vt simul ac pariter curramus. Ego in odorem vnguentorum tuorum, illæ me sequentes, ac sic omnes in vnguentorum tuorum odorem curremus. Ideò Apostolus dicebat: *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* In Sermo. 22. agit de Sponsæ vnguentis, de quibus suprà diximus. Quis hæc explicare poterit, cùm ea nostor intellectus capere non possit, nisi quantum experientia adipiscitur: nam quamuis Dominus suauis sit omnibus, maximè tamen domesticis: & quamuis omnes quantumcunque longè distantes odorem vnguentorum illius sentiant, tamen quanto quis familiarius illi pro vitæ meritis ac mentis puritate appropinquat, tanto plus recentiorum aromatum & suauioris vnctionis fragrantia delectatur. Sponsus (inquit) quam plurima habet vnguenta, de quibus ego cùm alta loqui non possim, quatuor illa duntaxat, quæ omnibus Paulus manifestauit, proponã. Christus, inquit, factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Iam antea factus fuerat Angelis quatuor hæc omnia: nam redemit Angelos præseruans eos à lapsu, ne cùm superbis laberentur. At cùm Verbum caro factum est, hæc ipsa quatuor factus est nobis: sapientia in prædicatione, iustitia in remissione peccatorum, sanctificatio in conuersione, redemptio in passione. Erat homo in tenebroso carcere vinctus peccatorum catenis, luce sapientiæ depulit ignorantiæ tenebras: iustitia fidei absoluit catenas peccatorum: conuersatus est inter nos, vt ostenderet, qua via ad vitæ patriam redeundum esset. Postremò in cumulum dedit satisfactionis pretium, vt Patrem placaret. Quid amplius debuit facere? Cœcum illuminauit, vinctum soluit, errantem deduxit, reum reconciliauit. Quis erit tanta animi feritate, vt post hæc vnguenta non currat? Veræ virtutes nullibi nisi hic reperiri possunt. Vbi prudentia nisi in Christi doctrina? Vbi iustitia nisi in ipsius misericordia peccatum remittente? Vbi sanctificatio, id est temperantia, nisi in Christi commercio? Memineris Paulum sæpe sanctificationem pro castitate accipere. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vas suum possidere.* Et alibi. *Non vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Vbi fortitudo nisi in passione Christi? Quid ergo hic moramur? Sequamur præeuntem sponsum ad speciosa deserti, & ad flores rosarum, ingredientes interiora nostra, & exequentes illud: *Cogitauimus meas, &c.* Per ruborem sanguineum significantur tentationes ac tribulationes, quibus nos debemus obijcere. Rosæ Martyres sunt. Ad lilia conuallium imus, id est ad humiles corde imitandos. Ad amœna hortorum, id est ad Confessores, vbi varios licet colligere fructus sanctorum exemplorum. Ad irrigua fontium, id est ad potanda Scripturarum arcana. Ad delicias cellariorum: habet enim sponsus cellam aromatum, cellam vnguentorum, & cellam vinariam: in primo mortificãtur passiones, & disciplinæ ac pœnitentiæ pondere in puluerem redigũtur. In secundo vngimur suauitate virtutum, viuentes inter homines sine querela, dulciter ac affabiliter erga omnes nos gerentes. In tertio charitatis vino ac diuino zelo inebriamur ad fructuosè prædicandum. Aromatum enim odor fragantia est bonæ famæ, quæ ex prædictis exoritur. Significat etiam perfectos viros, quorum verba & opera assiduè spirituales exhalant odores. Demum intromittimur ad cubiculi secreta, id est ad contemplationis celsitudinem. Hæc omnia ex Bern. *Serm. 32. super Cant.* quamuis aliqua addiderim, quæ apud ipsum non extant.

Psal. 70, 9, Cant. 1, 4.

Psal. 37.

1. Cor. 11, 1.

1. Cor. 1. *Christus sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio nostra.*

Ioan. 1, 14.

1. Thes. 4. 37.

Psal. 118.

Eiusdem autoris annotatio de vita Contemplatiua.

GEneralis regula habetur in mystica Theologia, quòd prius oportet assequi practicam quã theoricam, id est prius opus est experiri exercitium supernaturalis contemplationis, quàm inquirenda sit illius cognitio, vel inuestiganda artis huius plena notitia. Consistit autem mystica Theologia formaliter quidem in theorica contemplatione, siue contemplatiua inspectione, siue intuitione. Contemplatiue autem in feruore diuini amoris. Quanto verò dicta inspectio purior extiterit, tanto magis amor, qui semper eam comitatur, accendit, suspendit, rapit, transformat, deificat. Est hæc dilectio non naturalis, sed supernaturalis ac gratuita, infusa, imperatrix, & motrix omnium virtutum. Si quæras, in quo consistat hæc supernaturalis ac syncera Dei dilectio, respondeo: Cùm syncere amare, sit velle bene alicui ipsius causa, tunc enim syncere dicimur Deum amare, quando in ipso Deo cordis nostri complacentia defixa est: & cor nostrum nihil aliud cogitat, quam Dei immensam perfectionem, eiusque incomparabilem excellentiam, zelo ardet honorandi Dominum, in omnibus se ad ipsius beneplacitum componit, desiderat ardenter omnia quæcumque sunt pati & agere pro eius amore & honore. Hi sunt actus diuini amoris, quibus quo quis plenius affluentiusque afficitur, ac fruitur, eo sanctior, diuinior atque sublimior habetur: qui ita vixerit, cœlestem vitam in corpore ducere est dicendus. Amor verò hic tanto est syncerior, ac DEO placentior, quanto minus amans ad se ipsum reflectitur, videlicet dum in oratione, in obsequio, in amore nihil aliud respicit vel quærit, nisi dilectum ipsum, eiusque honorem & gloriam, castissimam etiam cũ eo vnionem solum ipsius dilecti causa exoptat. Si verò proprium commodum amor iste respicit, vel aliquid aliud, ad se retorquetur, & à rectitudine deflectitur, atque ea de causa seruilis, non fidelis aut syncere filialis iudicatur. Dicitur amor extaticus ab extasi, nempè quod non permittat amantem aliquid aliud cogitare præter id, quod amat, nec sinit amantem esse sui compotem, sed adeò amato addicitur, vt in eius obsequium aut profectum penitus transferatur. Et quemadmodum datur amor extaticus spiritualis, ita etiam amor carnalis extaticus esse perhibetur apud se mutuo amantes: atque hoc illud planè cognoscimus, vt latissimè ostendit Dionys. *fol. 209.* Nam qui se inuicem amant, licèt multa dum absunt, animo concipiant, tamen cùm sibi occurrant aut simul conueniant, vix verba integra proferre possunt. Hoc autem ideò fit quia vehemes occupatio interna amati præsentia perculsa fugare solet è memoria illa omnia, quæ antea conceperat, ac dicere decreuerat. Sic etiam extaticus amor spiritualis, quando Deum dulcissimæ vnionis tempore affatur, truncata verba effundit. Ideò Sponsa dicebat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Prætereà quemadmodum amantes arescunt: & præ amoris vehementia macilenti redduntur, ita Deum amantes ex-

Theologia mystica in Theorica contemplatione consistit.

Deus quando syncerè à nobis diligatur.

Amor extaticus vnde dicatur.

Cant 1, 16.

ficcatis humoribus terrenarum & carnalium affectionum fiunt quasi ligna arida, vt facilius amore diuino igneſcant. Et ſicut ſe amantium oculos, ſi recte aſpicias, intromitti dicas, ita oculi animæ amantis Dominum intromittuntur diligenter ſcrutantes, ne interius aliquid fiat, quod dilecto ſuo diſplicere poſsit. Amantes nullis incommodis, aut rei familiaris iactura cruciantur, id ſolùm egerrimè ferunt, ſi quid contra amati votum commiſerint: ita oculi eorum qui Deo fruuntur, nunquam lacrymis madeſcunt, niſi cum diuinam læſiſſe maieſtatem intelligunt. Item amantes adeò in amatos rapiuntur, vt nihil aliud audiant, niſi ſi quando de amato incidat ſermo: obturant enim ad cætera aures ſuas: ita Dominum diligentes, vana & carnalia non aduertunt, quòd in Deo plenè ſint abſorbti: ſi autem de Chriſto fiant verba, ſtatim euigilantes applaudunt.

Beatus Antonius dicebat (vt ſcribit Caſsianus) nõ eſſe eam perfectam orationem, in qua deuotus ſe ipſum non obliuiſceretur. Abbas Agathon dicere ſolitus erat, nihil eſſe laborioſius, quàm orare Dominum. Dicebat etiam Senior (vt legitur in Vitis Patrum) ſicut fieri nequit, vt quis faciem ſuam in aqua turbida lucidè inſpiciat, ſic etiam impoſsibile eſt animam à cogitationibus externis non purgatam Deum verè orare & contemplari. Aſſueſcamus ergò omni tempore, loco, actione, cauſa, negotio mentem in Deo per feruidam dilectionem, & humilem orationem infigere, atque per contemplationem imprimere, complecti, ſtringere, dicentes cũ Sponſa: *Tenebo illum, nec dimittam.* Quod cum ſublime ſit & excelſum, vita noſtra tanto excelſior ac ſublimior erit, quanto ſimilior Dei vitæ fuerit: ſed vita Dei eſt, ſui ipſius aſsidua dilectio, & contemplatio. Ergo. &c. Sed fortaſſe quæres, quòd ſit remedium, quo mederi noſtro morbo, id eſt inſtabilitati valeamus? Reſpondeo: Cauſa iſtius morbi amor eſt terrenus: remedium eſt actualis & ardentiſsimus amor Dei. Quanto enim quilibet in hoc magis profecerit, & in contemptu terrenorum omnium, tanto plus in cordis ſtabilitate proficiet, vt res ipſa teſtatur. Terrena amantes denſis cogitationum tumultibus premuntur: ideò non mirum eſt, ſi ea hora, qua ſtabilitatem quærant, eam adipiſci nequeant, ſed more ſolito euagentur. Vulgare eſt ſæpiſsimè cogitare de ijs, quæ magis diligimus, & quæ ſæpius cogitationi noſtræ ſe offerunt, ea magis amamus, iuxta illud Domini verbum: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi &c.* Attende quæſo, id amare te ſcito, quod frequentius cogitas. Enitere ergò in amore Domini proficere, & rerum omnium contemptu, in abſterſione phantaſmatum rerum corporearum, quæ ſæpe occurrunt, nec vnquam volitare ceſſant ante oculos noſtros: atque etiam in introuerſione, mentisque ſurſum in Deum directione: ſic enim fiet, vt bona & diuturna hac conſuetudine indies proficias, ac celeriter ad cordis ſtabilitatem perueniας.

Cant. 3, 4.

Remedium contra inſtabilitatem.

Matt. 6, 21.

Tanto alicuius viatoris contemplatio perfectior ac ſplendidior eſt, quanto ipſe clarius ac purius intuetur lucem illam increatam, quæ Deus eſt, prorſus eſſe incomprehenſibilem, ac circunſpectat ſe ab eius immiſsione in infinitum occumbere. Dionyſ. Carth. *de contempt. fol. 184* ita ſcribit. Cauſæ proximæ contemplationis tres ſunt: nempè feruidus amor Dei: abſtractio mentis ab omni operatione circa creata: conatus mentis ad extenſionem ac defectionem ſuam in Deo, & quanto perfectiores, tanto contemplatio, eamq; conſequens alienatio ſeu raptus ac extaſis erunt diuturniores: quod tamen potiſſime pendet à diuina largitate. Quo n. directius mẽte in ſupernaturali eleuatione cõſeruauerit, eò planè diutius ſuſpenſa permanebit. Et quamuis Bern. dicat morulam eſſe breuem, id intelligendum eſt reſpectiuè ad imbecillitatem humanæ mentis, & ad id quod frequentius euenire ſolet: non autem reſpectiuè ad diuinam clementiam, quæ aliquando detinet ſanctos in raptu longo temporis ſpatio. Hæc ille.

Contemplationum cauſa proximæ tres.

Contemplatio ſemel deguſtata vehementiſsimum ardorem in ea perſiſtendi gignit in mente, ſeu indeſinenter ad eam redeundi: inde fit, vt qui eam guſtauerit, non facilè ab ea, eiusque intuitu, vel affectu valeat reuocari: iuxta illud: *Qui edunt me, adhuc eſurient.* Stude ergo emundari à terrenis affectibus, ſic enim fiet, vt totus mentis affectus, totuſq; amantis potentiæ appetitus nemine retrahente, aut impediente integrè ſigantur in Deo, in illo imperſcrutabili pelago, aut interminabili & incomprehenſibili abyſſo, quam vocat Dionyſ. diuinam caliginem, quæ nihil aliud eſt, quàm inacceſsibilitas & incomprehenſibilitas diuinæ lucis, ſeu diuina lux in quantum incomprehenſibilis & ignota. Quamuis enim lux diuina in ſe lucidiſsima, radioſiſsima & clariſsima ſit, tamen reſpectu mentis, quæ diuinum illum ſplendorẽ & decorem intueri non ſuſtinet, caligo vocatur. Ideò clamat Iſaias, *Verè tues Deus ab* Iſa. 45, 15. *ſcondítus. Et Dominus poſuit tenebras latibulum ſuũ.* Pſal. 17, 12. Vndè diuinam caliginem intrare, id eſt nempe mẽtis oculum affectusque apicem per myſticam theoriam in Deum extendere.

Eccl. 24, 29.

Caligo diuina qua.

Eſt autem contemplatio actus doni ſapientiæ habiti in excellenti gradu, atque ideò huius contemplationis exercitatio dicitur eſſe ſupernaturalis. Sed quæres, qui fit, vt differant ſancti, qui de ea ſcripſerunt. Quidam enim dicunt exercitium contemplationis fieri cum maxima delectatione, alij verò fieri cum maxima afflictione. Componit illos Dionyſius *fol. 196.* dicens aliquando exercitationem hanc peragi laborioſe, videlicet quando homo ſe diſponit ad illam ſecretiſsimam & ardentiſsimam vnionem cũ magno mentis conatu, vt omnia ſupergrediatur, cum feruida oratione, cum propria recollectione, corporalisque habitudinis alteratione. Aliquando verò ſpeciali Dei munere cum maxima peragitur facilitate atque dulcedine: nam interdùm mens abſque præparatione vlla repentè, & quaſi inopinato à Spiritu ſancto concutitur, irradiatur, ſuccenditur, rapitur, transformatur: tunc enim facillimè, & abſque labore caliginem intrat voluptuosè.

Contemplationem aliquando cum delectatione aliquando cum afflictione.

Hæc autem myſtica Theologia non eſt naturalis notitia, ſeu cognitio Dei, nec rationis inueſtigatione nititur, ſed eſt quædam celerrima & promptiſsima Dei contemplatio, ex ipſius Domini gratioſiſsima illuſtratione, ac ſupernaturali irradiatione prouenies quam aſsidue ardentiſsima puri amoris affectio comitatur: & ideò non competit niſi viris in diuino amore perfectis, qui ab omni terrenæ labis macula purgati, & puriſsimè defecati ſunt: quales omnes qui iſta legerint, velit reddere miſeratione ſua Dominus Ieſus, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit in ſecula ſeculorum. Amen.

(.·.)

FINIS.

R.P.F.L.V-

R. P. F.

LVDOVICI GRANATENSIS

IN THOMAM DE KEMPIS HIspane conuersum, & à se castigatum,

PRÆFATIO.

Latinitate donata ex Hisp.

TRIA sunt, Pie Lector, quæ ad animæ salutem valde conducunt: nimirum Dei verbum, deinde assidua precatio, tertio frequens vsus Eucharistiæ, siue sumptio pretiosi corporis & sanguinis (CHRISTI Domini. Hæc tria scimus ex antiquorum Patrum lectione initio nascentis Ecclesiæ Christianæ valde frequentari solere. Hinc adeò creuit in Domino, crescetq; semper quæuis anima his crebro vtens, fietque tam arctum vinculum cum Deo, vt neque dæmon, neque caro, ac ne mundus quidem, disrumpere queant. Quamobrem si par est magni facere quidquid prodest ad vnum de tribus istis consequendũ, quandoquidem singula tanti sunt pretij; quanti quæso æstimandũ quod vnicum tria hæc apponere potest. Rem magnã concionator præstat, aut liber aliquis, cùm disserit aut persuadet trium horum aliquid: idq; verissimum est: sed, quæso te per Deum, lege & pondera apium hunc De imitatione CHRISTI libellum, experieriscq; quid in te Deus sit operaturus huius voce, non vnam modo rem trium, sed simul tres omnes, & non vulgari quidem modo sed eximiè: idq; affirmo, & si multi libelli rectè operari & orare Deum docent, & communicare frequenter: sed, quod vulgo dici solet, magnum rerum discrimen est, & à libris libri distant. Arduum sane est deducere quem in viam Dei ne impingat, nauemq; ne frangat ad scopulos: Arduum quoque colloqui orando nosse cum Deo, ac ne leue quidem est debite se scire apparare ad rectè communicandum sumendumque CHRISTI corpus. Quæ sanè omnia abunde mensa ista suppeditat, etsi vero verborum pompã careat, sententijs tamen abundat. Spero itaque fore vt me reprehẽdas, vbi legeris libellum quasi exiliter commendarim, quodq; non satis pro dignitate laudarim, dicesque cũ Psal. 47. 9.
Propheta regio: Sicut audiuimus, sic vidimus. Et cum Regina Saba de Salomone Rege dices: Maior est 3. Reg. 10. 7.
Sapientia & opera tua, quam rumor quem audiui. Tu, mi Lector, fac periculum: proba, tange, & gusta, videbisque vim verborum & manna comedes, in quo omne genus saporis, vt olim Israelitis, sapiebat. Exod. 16.
Manna autem significabat, vt Origenes ait, vim verbi Dei, quod qui libenter accipit, agit suum officium, quodque oportet. Certo & illud tibi persuadeas, hunc si libellum attentè legeris cupiasque proficere, materiam hic te abunde reperturum: immo sæpenumero experieris, vt dicendum tibi sit, hoc caput, quod iam mihi obuenit, ad rem meam in præsentiarum maximè pertinet, mihiq; opportunè loquitur. Si enim Superbia laboras, reperies caput quod te humiliet. Si nimium diffidas, cadantq;, vt aiunt, ala, hic erunt quæ te erigant. Si animo es ægro ac tristi, morosoq; & propriæ fis voluntatis, laborans & cæco tui amore (quæ omnia iniquitatis mater est) docebit cor ad Deum frequenter attollere, & sanctè teipsum contemnere, atq; in Deo, qui omnia gubernat, spem ponere. Si vero contrà in alterum incidas extremum, negligenter agendo, stimulos hic reperies, qui securitatem nimiam eripiant. Si verò nimium lætaberis, vt sæpe fit, hunc lege, lætitiamque temperabis; sin tristis eris & in mœrore, vt sæpe accidit, solatium hinc petes. Quid? immensum Dei magnitudinẽ hic senties, qui paucis verbis multa suggerit, vt est omnia in omnibus. Quod an vere dicã, tui iudicij, si legere modo voles: certus interim non vanum me habitũ iri præconẽ libelli aurei, cùm in te ipso reipsa experieris. Cumq; talis fons, qui aquã adeo limpidam præbet, fructu plurimo colligendo aptus, cœno fœdatus esset, & aqua turbida, nec tam propriè Hispanè loqueretur, neq; Latinis per omnia, vt erat par, respondere, visum est zelo margaritæ huius pretiosæ (quæ hactenus delitescebat ideq; à paucis legebatur) iterum iterumq; in lucẽ edere hoc opusculũ, collatũ diligenter cum Latino cõtextu, quã linguã ab auctore Thoma de Kempis conscriptus est: & quæ cũ Latinis non quadrabant, tollere placuit: Obscura elucidaui, ne quis posthac impingeret; superuacua etiã resecui: quæ vero deerant adieci. Studui itaq;, Deo bene iuuante, speculũ ita repræsentare, quo te ipse contẽplaris, quam fieri à me potuit, clarissimũ: viamq; qua ambulas plamorem tibi pro viribus reddidi: neq; circumferas sinuque gestes assiduè, excudendum minima forma curaui, vt vides; ne esset oneri, qui lectus ipse molestus non est; habeasq; fidũ vitæ comitẽ huius vitæ solamenq;, in aduersis, doctoremque in dubijs. Ad precandum Deũ artẽ hinc haurias licet, ac rectè viuẽdi normã, benèque moriendi fiduciã, quiq; tibi suggeret quod ignoras, perspicies cq; quis ille est Dominus qui talẽ dedit hominibus potestatẽ, vt talia piè proferrent. Quamobrẽ amicũ hunc recipe, nec à latere tuo dimitte: semel lectũ iterum relege: non enim tædium adferet, mihi crede, & in verbis, licet eisdem, noua semper occurrent, videbisque spiritus Domini vestigiũ, qui nunquam exhauritur. Accipe munus hoc bonã in partẽ, quod Deus immensã bonitate nobis contulit, quo etiã munusculo, explanando clarius quã anteà ferire te volui. Habe Deo gratias pro vtroq; bono, & vti noueris tuo cõmodo, vt Dei munera recipi merentur, aut saltẽ accipe eo amore aut beneuolentia quo à me tibi offertur. Etsi vero non tam auctor considerandus, qui loquitur, sed quid loquatur; sciendũ tamen opusculi huius verũ auctorẽ non esse Ioannẽ Gersonẽ (cui falsò hactenus in Gallia inscriptus est) sed fratrem THOMAM DE KEMPIS Canonicum Regularem S. Augustini: quem nunc piè differentem audiamus.

VEN.

VEN. VIRI

THOMAE A KEMPIS CANONICI REGVLARIS.

DE IMITATIONE CHRISTI

Libri quatuor planè diuini.

LIBER PRIMVS.

Continens admonitiones ad spiritualem vitam vtiles.

DE IMITATIONE CHRISTI ET CONTEMPTV omnium vanitatum mundi.

CAPVT I.

Auctor testatur manu propria se hunc librum compesuisse Anno Domini 1441.

Ioan. 8, 12. QVI sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lucē vitæ, dicit Dominus. Hæc sunt verba Christi, quibus admonemur quatenus vitā eius & mores imitemur, si velimus veraciter illuminari & ab omni cęcitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrum sit, in vita Iesu Christi meditari, Doctrina Christi, omnes doctrinas sanctorum præcellit: & qui spiritum Christi haberet, absconditum ibi manna inueniret. Sed contingit, quod multi ex frequenti auditu Euangelij paruum desiderium sentiunt, quia spiritum Christi non habent. Qui autem vult plenè & sapidè Christi verba intelligere, oportet, vt totam vitam suam illi studeat conformare. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, vnde displiceas Trinitati? Vere alta verba non faciunt sanctum & iustum, sed virtuosa vita efficit Deo charum. Opto magis sentire compunctionem, quam scire eius definitionem. Si scires totam Bibliam exterius, & omnium Philosophorum dicta, quid totum prodesset sine Charitate Dei & gratia? *vanitas vanitatum, & omnia vanitas,* præter amare Deum, & illi soli seruire. Ista summa est sapientia, per contemptum mundi tendere ad cælestia regna. Vanitas igitur est diuitias perituras quærere, & in illis sperare. Vanitas quoque est honores ambire, & in altum se extollere. Vanitas est carnis desideria sequi, & illud desiderare, vnde post modum grauiter oportet puniri. Vanitas est longā vitam optare, & de bona vita parum curare. Vanitas est præsentem vitam solum attendere, & quæ futura sunt non prouidere. Vanitas est diligere quod cum omni celeritate transit, & illuc non festinare, vbi sempiternum gaudium manet. Memento illius frequenter prouerbij; quia *non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere, & ad inuisibilia te transferre. Nam sequentes suam sensualitatem, maculant conscientiam, & perdunt Dei gratiam.

Omnia vanitas, præter amare Deū.

Eccle. 1.

Ibidem.

DE HVMILI SENTIRE sui ipsius.

CAP. II.

OMnis homo naturaliter scire desiderat; sed scientia sine timore Dei quid importat? Melior est profectò humilis rusticus, qui Deo seruit, quàm superbus philosophus, qui se neglecto, cursum cœli considerat. Qui benè seipsum cognoscit, sibi ipsi vilescit, nec laudibus delectatur humanis. Si scirem omnia quæ in mundo sunt, & non essem in charitate, quid me iuuaret corā Deo, qui me iudicaturus est ex facto. Quiescè à nimio sciendi desiderio quia magna ibi inuenitur distractio & deceptio. Scientes libenter volunt videri, & sapientes dici. Multa ergò sunt, quæ scire parum vel nihil animæ prosunt. Et valdè insipiens est, qui aliis intendit, quā ijs, quæ saluti suæ deseruiunt. Multa verba non satiant animam, sed bona vita refrigerat mentem, & pura conscientia, magnam præstat ad Deum confidentiam. Quantò plus & melius scis, tanto grauius inde iudicaberis, nisi sanctius vixeris. Noli ergo extolli de vlla arte vel scientia; sed potiùs time de data tibi notitia. Si tibi videtur quod multa scis, & satis benè intelligis, scito tamen quia sunt multa plura quæ nescis. Noli altum sapere, sed ignorantiam tuam magis fatére. Quid vis te alicui præferre, qui plures doctiores te inueniantur, & magis in lege periti? Si vis vtiliter aliquid scire & discere, ama nesciri, & pro nihilo reputari. Hæc est altissima & vtilissima lectio, sui ipsius vera cognitio & despectio. De se ipso nihil tenere, & de alijs semper benè & altè sentire, magna sapientia est & perfectio. Si videris aliquem apertè peccare, vel aliqua grauia perpetrare, non debes te tamen meliorem æstimare, quia nescis, quàmdiu possis in bono stare. Omnes fragiles sumus, sed tu neminem fragiliorem te ipso tenebis.

Eccles. & Arist. lib. 1. metaph. cap. Scientia absque humilitate vana.

1. Cor. 8.

Cognitio sui ipsius vtilissima lectio.

Rom. 15.

Gen. 8.

DE

DE DOCTRINA VERITATIS.

CAP. III.

Psal. 93. FElix quem veritas per se docet, non per figuras & voces transeuntes, sed sicuti se habet. Nostra opinio, & noster sensus sæpè nos fallit, & modicum videt. Quid prodest magna cauillatio de occultis & obscuris rebus, de quibus, nec arguemur in iudicio, quia ignorauimus. Eccl. 3. *Scientia quæ probanda & quæ improbanda.* Grādis insipientia, quod neglectis vtilibus, & necessarijs, vltro intendimus curiosis & damnosis. Oculos habentes nō videmus. Et quid cur̃e nobis de generibus & speciebus? Psal. 113. Cui æternum Verbum loquitur, à multis opinionibus expeditur; ex vno Verbo omnia, & vnum loquitur omnia, & hoc est principium quod & loquitur nobis. Nemo sine illo intelligit, aut rectè iudicat. Cui omnia vnum sunt, & omnia ad vnum trahit, & omnia in vno videt, potest stabilis corde esse, & in Deo pacificus permanere. O veritas Deus, fac me vnum tecum in charitate perpetua. Tædet me sæpè multa legere, & audire. In te est totum quod volo & desidero. Taceant omnes doctores, sileant vniuersę creaturæ in conspectu tuo, tu mihi loquere solus. Matt. 11. & Luc. 10. Quanto aliquis magis vnitus sibi, & interius simplificatus fuerit, tanto plura & altiora sine labore intelligit, quia desuper lumen intelligentiæ accipit. Purus simplex, & stabilis spiritus, in multis operibus non dissipatur, quia omnia ad Dei honorem operatur, & in se otiosus ab omni propria exquisitione esse nititur. Quis te magis impedit, & molestat, quam tua immortificata affectio cordis? Bonus & deuotus homo, opera sua prius intus disponit, quæ foris agere debet. Nec illa trahunt eum ad desideria vitiosę inclinationis, sed ipse inflectit ea ad arbitrium rectæ rationis. Quis habet fortius certamen, quam qui nititur vincere se ipsum? Et hoc deberet esse negotiū nostrum; vincere videlicet sęipsum, & quotidie seipso fortiorem fieri, atque in melius aliquid proficere. Omnis perfectio in hac vita, quandam imperfectionem sibi habet annexam, & omnis speculatio nostra, quadam caligine non caret. Humilis tui cognitio, certior via est ad Deum, quàm profundæ scientię inquisitio. Non est culpanda scientia, aut quęlibet simplex rei notitia, q̃ bona est in *Bona conscientia scientiæ præferenda.* se considerata, & à Deo ordinata: sed præferenda est semper bona conscientia, & virtuosa vita. Quia verò plures magis student scire, quam bene viuere, ideò sæpe errant & benè nullum vel modicum fructum ferunt. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas, sicuti ad mouendas quæstiones, non fierent tanta mala & scandala in populo, nec tanta dissolutio in cœnobijs. Matt. 25. Certe adueniente die iudicij, non quæretur à nobis quid legimus, sed quid fecimus, nec quàm bene diximus, sed quàm religiosè viximus. Dic mihi vbi sunt modo omnes illi domini & magistri, quos benè nouisti dum adhuc viuerent, & in studijs florerent. Iam eorum prębendas alij possident, & nescio vtrum de eis recogitant. In vita sua aliquid videbantur, & modò de illis tacetur. O quàm cito tranſit gloria mundi: vtinam vita eorum, scientię ipsorum concordasset, tunc benè studuissent & legissent. Ecclc. 2. Quam multi pereunt per vanam scientiam in hoc seculo, qui parum curant de Dei seruitio? & Tit. 1. quia magis eligunt magni esse, quam humiles, ideo euanescunt in cogitationibus suis. Verè magnus Rom. 1. est, qui magnam habet charitatē. Verè magnus est, qui in se paruus est, & pro nihilo omne culmen honoris ducit. Matth. 18 & 23. Verè prudens est, qui omnia terrena arbitratur vt stercora, vt Christum lucrifaciat. Et verè Philip. 3. benè doctus est, qui Dei voluntatem facit, & suam voluntatem relinquit.

DE PRUDENTIA IN agendis.

CAP. IV.

1. Ioan. 4. NON est credendum omni verbo nec instinctui, sed cautè & longanimiter res est secundùm Deum ponderanda. Proh dolor, sæpe malum facilius, quàm bonum de alio creditur & dicitur, ita infirmi sumus. Sed perfecti viri non facilè credunt omni enarranti, quia sciunt infirmitatem humanam ad malum procliuem, & in verbis satis labilem. Magna sapientia est, non esse præcipitem in agendis, nec pertinaciter in proprijs sensibus stare. Ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere, nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere. Cum sapiente & conscientioso viro consilium habe, & quęre potius à meliore instrui, quàm tuas adinuentiones sequi. Bona vita facit hominem sapientem secundùm Deum, & expertum in multis. Quanto quis in se humilior fuerit, & Deo subiectior, tanto in omnibus erit sapientior & pacatior.

Non facilè credendum.

Gen. 8. Iacob. 3. Prou. 19. Prou. 17. & Eccl. 19. Prou. 12. Prou. 15. & Eccli. 3.

DE LECTIONE SANCTARUM *scripturarum.*

CAP. V.

VEritas est in Scripturis sanctis quærenda, non eloquentia. Omnis scriptura sacra, eo spiritu debet legi, quo facta est. Quærere potius debemus vtilitatem in scripturis, quàm subtilitatem sermonis. Ita libenter deuotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos. Non te offendat auctoritas scribentis, vtrum parvę, an magnæ literaturæ fuerit, sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum. Non quęras, quis hoc dixerit, sed quid dicatur attende. Homines transeunt; sed *veritas Domini manet in æternum.* Sine personarum acceptione varijs modis loquitur nobis Deus. Curiositas nostra sæpe nos impedit in lectione scripturarum, quum volumus intelligere & discutere, vbi simpliciter esset transeundum. Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter, & fideliter, nec vnquam velis habere nomen scientiæ. Interroga libenter, & audi tacens verba Sanctorum, nec displiceant tibi parabolæ seniorum: sine causa enim non proferuntur.

Sacra scriptura quomodo legenda.

Rom. 15. 1. Cor. 2. Psal. 116. Luc. 21. Rom. 2. & 10. & Col. 3. Prou. 1. & 18.

DE INORDINATIS *affectionibus.*

CAP. VI.

QVandocunque homo aliquid inordinate apetit, statim in se inquietus fit. Superbus & auarus nunquam quiescunt. Pauper & Humilis spiritu in multitudine pacis conuersantur. Homo qui necdum perfectè in se mortuus est, cito tentatur, & vincitur in paruis & vilibus rebus. Infirmus spiritu & quodammodo adhuc carnalis, & ad sensibilia inclinatus, difficulter se potest a terrenis desiderijs ex toto abstrahere: & ideo sæpe habet tristitiam quum se subtrahit, leuiter etiam indignatur, si quis ei resistit. Si autem assequutus fuerit quod concupiscit, statim ex reatu conscientię grauatur, quia sequutus est passionem suam, quæ nihil iuuat ad pacem, quam quęsiuit. Resistendo igitur passionibus, inuenitur vera pax cordis, non autem seruiendo eis. Non est ergo pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, sed in feruido spirituali.

Appetitio inordinata inquietudinem parat.

DE VANA SPE ET ELATIONE FUGIENDA.

CAP. VII.

Iere. 17. VAnus est, qui spem suam ponit in hominibus, aut in creaturis. Non te pudeat alijs seruire amore Iesu Christi, & pauperem in hoc seculo videri. Non stes super te ipsum, sed in Deo spem tuã constitue. Fac quod in re est, & Deus aderit bonę voluntati tuæ. Non confidas in tua scientia, vel cuiusquam astutia viuentis, sed magis in Dei gratia, qui adiuuat humiles, & de se præsumentes humiliat. Ne glorieris in diuitijs si adsunt, nec in amicis quia potentes sunt, sed in Deo, qui omnia præstat, & seipsum super omnia dare desiderat. Non te extollas de magnitudine vel pulchritudine corporis, quæ modica infirmitate corrumpitur & defœdatur. Non placeas tibi ipsi de habilitate aut ingenio tuo, ne displiceas Deo, cuius totum est quicquid boni naturaliter habueris. Non te reputes alijs meliorem, ne fortè coram Deo deterior habearis, qui scit quid est in homine. Non superbias de operibus bonis, quia aliter sunt iudicia Dei quàm hominum, cui sæpè displicet, quod hominibus placet. Si aliquid boni habueris, crede de alijs meliora, vt humilitatem conserues. Non nocet si omnibus te supponas, nocet autem plurimum, si vel vni te pręponas. Iugis pax cũ humili in corde autem superbi, zelus & indignatio frequens.

Spes in Deo collocanda, & non superbiendum.

Exod. 3, & 12. Iob. 9.

DE CAVENDA NIMIA FAMILIARITATE.

CAP. VIII.

Eccles. 8. NON omni homini reueles cor tuum, sed cum sapiente timente Deum age causam tuam. Cum iuuenibus & extraneis rarus esto. Prou. 5. Cum diuitibus noli blandiri & coram magnatibus non libenter appareas. Cum humilibus & simplicibus, cum deuotis & morigeratis, sociare, & quæ ædificationis sunt pertracta. Non sis familiaris alicui mulieri, sed in cõmuni omnes bonas mulieres Deo commenda. Soli Deo, & angelis eius opta familiaris esse, & hominum notitiam deuita. Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit. Quandoque accidit, vt persona ignota ex bona fama luceſcat, cuius tamen præsentia oculos intuentium offuscat. Putamus aliquando alijs placere ex coniunctione nostra, & incipimus magis displicere ex morum improbitate in nobis considerata.

Cum quibus societas ineunda.

Mulierum familiaritas cauenda.

DE OBEDIENTIA ET SUBIECTIONE.

CAP. IX.

VAlde magnum est in obedientia stare, sub Prælato viuere, & sui iuris non esse. Multo tutius est stare in subiectione, quàm in prælatura. Multi sunt sub obedientia, magis ex necessitate, quã ex charitate, & illi pœnam habent, & leuiter murmurant, nec libertatem mentis acquirent, nisi ex toto corde propter Deum se subijciant. Curre huc vel illuc, non inuenies quietem, nisi in humili subiectione sub Prælati regimine. Imaginatio locorum & mutatio, multos fefellit. Verũ est, quod vnusquisq; libenter agit pro sensu suo, & inclinatur ad eos magis, qui secum sentiunt. sed si Deus est intra nos necesse est, vt relinquamus etiam quandoque nostrum sentire, propter bonum pacis. Quis est ita sapiens, qui omnia plenè scire potest? Ergo noli nimis in sensu tuo confidere, sed velis etiam libenter aliorum sensum audire. Si bonum est tuum sentire & hoc ipsum propter Deum dimittis, & aliud sequeris, magis exinde proficies. Audiui enim sæpe, securius esse audire & accipere consilium, quàm dare. Potest enim contingere, vt bonum sit vniuscuiusque sentire: sed nolle alijs acquiescere, quum id ratio, aut causa postulat, signum est superbiæ & pertinaciæ.

Consilium accipere quã dare securius.

DE CAVENDA SUPERFLUITATE VERBORUM.

CAP. X.

CAueas tumultum hominum, quantum potes: multum enim impedit tractatus secularium gestorum, etiam si simplici intentione proferantur. Cito enim inquinamur vanitate & captiuamur. Vellem me pluries tacuisse, & inter homines non fuisse. Sed quare tam libenter loquimur, & inuicem fabulamur, quum tamen rarò sine lęsione conscientiæ ad silentium redimus? Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab inuicem consolari quærimus, & cor diuersis cogitationibus fatigatum optamus releuare. Et multum libenter de his quæ multum diligimus vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui & cogitare. Sed proh dolor, sæpè inaniter & frustrà. Nam hęc exterior consolatio, interioris & diuinæ consolationis non modicum detrimentum est. Ideo vigilandũ est & orandum, ne tempus otiosè transeat. Si loqui licet, expedit, quæ ędificatiua sunt, loquere. Malus vsus, & negligentia profectus nostri, multum facit ad custodiam oris nostri. Iuuat tamen non parum ad profectum spiritualem, deuota spiritualis rerum collatio, maximè vbi pares animo & spiritu in Deo sibi sociantur.

Matt. 4. & 1. 14. & Ioan. 8.

Ratio cur libenter colloquamur.

Matt. 12. & Luc. 6.

De quibus loquendum.

Actor. 1. & Rom. 15.

DE PACE ACQVIRENDA, ET ZELO PROFICIENDI.

CAP. XI.

MVltam possemus pacem habere, si non vellemus nos cum aliorum dictis & factis, quę ad nostram curam non spectant, occupare. Quomodo potest ille diu in pace manere, qui alienis curis se intermiscet, qui occasiones forinsecus quærit, qui parum vel rarò se intrinsecus colligit; Beati simplices quoniam multam pacem habebũt. Quare quidam sanctorum tam perfecti & contemplatiui fuerunt? Quia omninò seipsos mortificare ab omnibus terrenis desiderijs studuerunt: & ideò totis medullis cordis Deo inhærere, atque liberè sibi vacare potuerunt. Nos quidem nimium occupamur proprijs passionibus, & de transitorijs nimis solicitamur. Rarò etiam vnum vitium perfectè vincimus, & ad quotidianum profectum non accendimur, ideò frigidi & tepidi remanemus. Si essemus nobisipsis perfectè mortui, & interius minimè implicati: tunc possemus etiam diuina sapere, & de cœlesti contemplatione aliquid experiri. Totum & maximum impedimentum est, quia non sumus à passionibus & concupiscentijs liberi, nec perfectam Sanctorum viam conamur ingredi. Quando etiam modicum aduersitatis occurrit, nimis cito deijcimur, & ad humanas consolationes conuertimur. Si niteremur sicut viri fortes stare in prælio, profectò auxilium Domini videremus super nos de cœlo. Ipse enim certantes & de gratia sua sperantes paratus est adiuuare, qui nobis certandi occasiones procurat vt vincamus. Si tantùm in istis exterioribus obseruantijs profectum religionis ponimus, citò finem habebit deuotio nostra. Sed ad radicem securim ponamus, vt purgati à passionibus, pacificam mentem possideamus. Si omni anno vnum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur. Sed modò è cõtrario, sæpè sentimus, vt meliores, vt puriores in initio conuersionis nos fuisse inueniamus, quam post multos annos professionis. Feruor & profectus noster quo-

Alienis se occupare pernitiosum.

Mortificatio quam necessaria ad spiritualem profectum.

ter quotidie deberet crescere, sed nunc pro magno videtur, si quis primi feruoris partem posset retinere. Si modicam violentiam faceremus in principio, tunc postea cuncta possemus facere cum leuitate & gaudio. Graue est assueta dimittere, sed grauius est contra propriam voluntatem ire. Sed si non vincis parua & leuia, quando superabis difficiliora? Resiste in principio inclinationi tuæ, & malam desere consuetudinem, ne fortè paulatim ad maiorem te ducat difficultatem. O si aduerteres, quantam tibi pacem & alijs lætitiam faceres, te ipsum bene habendo, puto quòd solicitior esses ad spiritualem profectum.

DE VTILITATE ADVERSITATIS.
CAP. XII.

Tribulationes quàm proficuæ.

BOnum est nobis, quòd aliquando habemus aliquas grauitates, & contrarietates, quia sæpe hominem ad cor reuocant, quatenus se in exilio esse cognoscat, nec spem suam in aliqua re mundi ponat. Bonum est quod patiamur quandoque contradictores, & quod malè, & imperfectè de nobis sentiatur etiam si benè agimus & intendimus. Ista sæpe iuuant ad humilitatem & à vana gloria nos defendunt. Tunc enim melius interiorem testē Deum quærimus, quando foris vili pendimur ab hominibus, & non benè nobis creditur. Ideò deberet se homo in Deo totaliter firmare, vt non esset ei necesse multas consolationes quærere. Quando homo bonæ voluntatis tribulatur, vel tentatur, aut malis cogitationibus affligitur, tunc Deum sibi magis necessarium intelligit, sine quo nihil boni se posse deprehendit. Tunc etiam tristatur, gemit, & orat pro miserijs quas patitur. Tunc tædet eum diutius viuere, mortem optat inuenire, vt possit dissolui, & cum Christo esse. Tunc etiam benè aduertit, perfectam securitatem, & plenam pacem in mundo non posse constare.

DE TENTATIONIBVS *resistendis.*
CAP. XIII.

Iob.7.1.

QVamdiu in mundo viuimus, sine tribulatione & tentatione esse non possumus. Vnde in Iob scriptum est. Tentatio est vita hominis super terram. Ideò vnusquisque solicitus esse deberet circa tentationes suas, & vigilare in orationibus, ne diabolus locum inueniret decipiendi, qui nunquam dormitat, sed *circuit quærens quem deuoret*. Nemo tam perfectus est & sanctus, qui non habeat aliquā- *1.Pet.5.*
do tentationes, & plenè eis carere non possumus. *A tentatione nemo liber.*
Sunt tamen tentationes homini sæpè valdè vtiles, licet molestę sint & graues, quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur. Omnes Sancti per multas tribulationes & tentationes transierunt & profecerunt: qui benè tentationes sustinere nequiuerunt, reprobi facti sunt, & defecerunt. Non est aliquis ordo tam sanctus, nec locus tam secretus, vbi non sint tentationes, vel aduersitates. Non est homo securus à tentationibus totaliter, quamdiu vixerit, *Psal.50.*
quia in nobis est vnde tentamur, ex quo in concupiscentia nati sumus. Vna tentatione, seu tribulatione recedente, alia superuenit, & semper aliquid ad patiendum habebimus. Nam bonum felicitatis nostræ perdidimus. Multi quærunt tentationes fugere, & grauius incidunt in eas. Per solam fugam non possumus vincere, sed per patientiam, & veram humilitatem, omnibus hostibus efficimur fortiores. Qui tantummodo exterius declinat, nec radicem euellit, parum proficiet, imo etiam ad eum tentationes redient, & peius sentiet. Paulatim & per patientiam cum longanimitate, Deo iuuante melius

superabis, quam cum duritia & importunitate propria. Sępius accipe consilium in tentatione, & cum tentato noli duriter agere, sed consolationem ingere, sicut tibi optares. Initium omnium malarum tentationum, inconstantia animi, & parua ad Deum confidentia: quia sicut nauis sine gubernaculo, hinc inde à fluctibus impellitur, ita homo remissus, & suum proposium deserens, varie tentatur. Ignis *Eccle. 33.*
probat ferrum, & tentatio hominem iustum. Nescimus sæpe quid possumus, sed tentatio aperit quid sumus. Vigilandum est tamen, precipuè circa initio *Tentationi in initio resistendum.*
tentationis, quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare finitur, sed extra limen, statim vt pulsauerit, illi obuiatur. Vnde quidam dixit: *Ouid. lib. 1. de remed. amoris.*

Principijs obsta, sera medicina paratur.
Cum mala per longas inualuere moras.

Nam primò occurrit menti simplex cogitatio, deinde fortis imaginatio, postea delectatio, & motus prauus, & assensio: sicque paulatim ingreditur *Gradus ad peccatum.*
hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio. Et quanto diutius quis ad resistendum torpuerit, tanto in se quotidie debilior fit, & hostis contra eum potentior. Quidam in principio conuersionis suæ grauiores tentationes patiuntur, quidam autem in fine, quidam verò quasi per totam vitam suam malè habent. Nonnulli satis leniter tentātur, secundùm diuinæ ordinationis sapientiam & æquitatem, quę status & merita hominum pensat, & cuncta ad electorum suorum salutem præordinat. Ideò nō debemus desperare quum tentamur, sed eò feruentius Deum exorare, quatenus nos in omni tribulatione dignetur adiuuare: qui vtique, secundùm dictum Pauli, talem *faciet cum tentatione prō-* *1.Cor.10.13.*
uentum, vt possimus sustinere. Humiliemus ergo animas nostras sub potenti manu Dei in omni tentatione & tribulatione, quia humiles spiritus saluabit & exaltabit. In tentationibus & tribulationibus probatur homo quantum profecit, & ibi maius me- *Tentationes proficuæ.*
ritum existit, & virtus melius patescit. Nec magnū est, si homo deuotus sit & feruidus, quum grauitatē nō sentit, sed si tempore aduersitatis patienter se sustinet, spes magni profectus erit. Quidam à magnis tentationibus custodiuntur, & in paruis quotidianis sępè vincuntur, vt humiliati, nunquam de seipsis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur.

DE TEMERARIO IVDICIO *vitando.*
CAP. XIV.

ADte ipsum oculos reflecte & aliorum facta caueas iudicare. In iudicando alios, homo *Matt.7. & Rom.2.*
frustra laborat, sæpius errat, & de facili pec- *Eccle 3.*
cat. Seipsum verò iudicando & discutiendo, sem- *Iudicium peccato obnoxium.*
per fructuosè laborat. Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter iudicamus. Nam verum iudicium, propter priuatum amorem faciliter, perdimus. Si Deus semper esset pura intentio nostri desiderij, non tam faciliter turbaremur pro resistentia sensus nostri. Sed sæpe aliquid ab intra latet, vel etiam ab *Matth.12.& Luc.12.*
extra concurrit, quod nos etiam pariter trahit. Multi occultè seipsos quærunt in rebus, quas agunt, & nesciunt. Videntur etiam in bona pace stare, quando res pro eorum velle & sentire fiunt. Si autem aliter fit, quam cupiunt, citò mouentur, & tristes fiunt. Propter diuersitatem sensuum & opinionum, satis frequenter oriuntur dissensiones inter amicos & ciues, inter religiosos & deuotos. Antiqua con- *Iere. 15.*
suetudo difficulter relinquitur, & vltra proprium videre, nemo libenter ducitur. Si rationi tuæ magis inniteris, vel industriæ, quam virtuti subiectiuæ

Iesu Christi, rarò & tardè eris homo illuminatus, quia Deus vult nos sibi perfectè subijci, & omnem rationem per inflammatum amorem transcendere.

DE OPERIBUS EX CHARITATE FACTIS.

CAP. XV.

Matt. 18. PRo nulla re mundi, pro nullius hominis dilectione, aliquod malum est faciendum, sed pro vtilitate tamen indigentis, opus bonum aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum. Hoc enim facto, opus bonum non destruitur, sed in melius commutatur. Sine charitate, opus externũ nihil prodest; quidquid aũt ex charitate agitur, quantumcunque etiã paruum sit, & despectum, totum efficitur fructuosum. Magis siquidem Deus pensat ex quanto quis agit, quàm quantum quis facit. Multum facit, qui multum diligit. Multum facit, qui rem benè fecit. Benè facit, qui magis communitati, quàm suæ voluntati seruit. Sæpe videtur esse charitas, & est magis carnalitas; quia carnalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis, rarò abesse volunt. Qui veram & perfectam charitatem habet, in nulla re se ipsum quærit, sed Dei solummodo gloriam in omnibus fieri desiderat. Nulli etiam inuidet, quia nullum priuatum gaudium amat, nec in se ipso vult gaudere, sed in Deo super omnia bona optat beatificari. Nemini aliquid boni attribuit, sed totaliter ad Deum refert, à quo fontaliter omnia proceduñt, in quo finaliter omnes Sancti fruibiliter quiescunt. O qui scintillam haberet veræ charitatis, profectò omnia terrena sentiret esse plena vanitatis.

1. Cor. 13. *Ex charitate omnia pẽ siculantur.*

Luc 7. Psal. 2.

Veræ charitatis signa Philip. 2. & 1. Cor. 13.

Psal. 17. & 24.

DE SUFFERENTIA DEFECTUUM ALIORUM.

CAP. XVI.

QVÆ homo in se, vel in alijs emendare non valet, debet patienter sustinere, donec Deus aliter ordinet. Cogita, quia fortè sic melius est pro tua probatione & pacientia, sine qua non sunt multum ponderanda merita nostra. Debes tamen pro talibus impedimentis supplicare, vt Deus tibi dignetur subuenire, & possis benignè portare. Si quis semel, aut bis admonitus, non acquiescit, noli cum eo contendere. sed totum Deo committe, vt fiat voluntas eius, & honor in omnibus seruis suis, qui scit benè mala in bonum conuertere. Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, & qualescunque infirmitates, quia & tu multa habes, quæ ab alijs oportet tolerari. Si non potes te talem facere, qualem vis, quomodo poteris alium habere ad tuum bene placitum? Libenter habemus alios perfectos, & tamen proprios non emendamus defectus. Volumus vt alij strictè corrigantur, & ipsi corrigi nolumus. Displicet larga aliorum licentia, & tamen nobis nolumus negari quod petimus. Alios restringi per statuta volumus, & ipsi nullatenus patimur amplius cohiberi. Sic ergo patet quam raro proximum, sicut nosipsos pensamus. Si essent omnes perfecti, quid tunc haberemus ab alijs pro Deo pati? Nunc autem Deus sic ordinauit, vt discamus alter alterius onera portare: quia nemo sine defectu, nemo sine onere, nemo sibi sufficiens, nemo sibi satis sapiens: sed oportet nos inuicem portare, inuicem consolari, pariter adiuuare, instruere, & admonere. Quantę autem virtutis quisque fuerit, melius patet occasione aduersitatis. Occasiones namque hominem fragilem non faciunt, sed qualis sit, ostendunt.

Matt. 6. & Luc. 11.

Matt. 6.

1. Thes. 5. & Gal. 6. *Defectus proximi patienter ferendi.*

Gal. 6.

1. Thes. 5. & 1. Cor. 13.

Virtus in aduersitate cognoscitur.

DE MONASTICA VITA.

CAP. XVII.

OPortet vt discas te ipsum in multis frangere, si vis pacem & concordiam cum alijs tenere. Non est parum in monasterijs, vel in congregatione habitare, & ibi sine querela conuersari, & vsque ad mortem fidelis perseuerare. Beatus qui dem qui ibi bene vixit, & feliciter consummauit. Si vis debitè stare & proficere, teneas te tanquam exulem & peregrinum super terram. Oportet te stultum fieri propter Christum, si vis religiosam ducere vitam. Habitus & tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum verum faciunt religiosum. Qui aliud quęrit, quam purè Deum, & animæ suæ salutem, non inueniet nisi tribulationem & dolorem. Non potest etiam diu stare pacificus, qui non nititur esse minimus, & omnibus subiectus. Ad seruiendum venisti, non ad regendum, ad patiendum, & laborandum scias te vocatum, non ad ociandum vel fabulandum. Hic ergo probantur homines sicut aurum in fornace. Hic nemo potest stare, nisi ex toto corde se voluerit propter Deum humiliare.

Luc 16.

1. Pet. 2. Eccli. 1. *Religiosum quanam faciant.*

Matt. 20.

DE EXEMPLIS SANCTORUM PATRUM.

CAP. XVIII.

INtuere sanctorum Patrum † feruida exempla, in quibus vera perfectio refulsit & religio, & videbis quam modicum sit, & penè nihil quod nos agimus. Heu quid est vita nostra, si illis fuerit comparata? Sancti & amici Christi, Domino seruierunt in fame & siti, in frigore & nuditate, in labore & fatigatione, in vigilijs & ieiunijs, in orationibus & sanctis meditationibus, in persecutionibus & opprobrijs multis. O quam multas & graues tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, virgines, & reliqui omnes, qui Christi vestigia voluerunt sequi. Nam animas suas in hoc mundo oderũt, vt in æternam vitam eas possiderent. O quam strictam & abdicatam vitam sancti Patres in eremo duxerunt, quàm longas & graues tentationes pertulerunt? quàm frequenter ab inimico vexati sunt? quã crebras & feruidas orationes Deo obtulerunt? quã rigidas abstinentias peregerunt? quàm magnum zelum & feruorem ad spiritualem profectum habuerunt? quàm fortè bellum aduersus edomationem vitiorum gesserunt? quàm puram & rectam intentionem ad Deum tenuerunt? Per diem laborabant, & noctibus orationi diuinæ vacabant: quanquam laborando ab oratione mentali minimè cessarent. Omne tempus vtiliter expendebant, omnis hora ad vacandum Deo breuis videbatur, & præ magna dulcedine contemplationis etiam obliuioni tradebatur necessitas corporalis refectionis. Omnibus diuitijs, dignitatibus, honoribus, amicis & cognatis renunciabant, nil de mundo habere cupiebãt, vix necessaria vitæ sumebant, corpori seruire, etiam in necessitate nolebant. Pauperes igitur erant rebus terrenis, sed diuites valdè in gratia & virtutibus. Foris egebant, sed intus gratia & consolatione diuina reficiebantur. Mundo erant alieni, sed Deo proximi ac familiares amici. Sibi ipsis videbantur tanquam nihili, & huic mundo despecti, sed erant in oculis Dei precioſi & † electi. In vera humilitate stabant, in simplici obedientia viuebant, in charitate & patientia ambulabant, & ideò quotidie in spiritu proficiebant: & magnam apud Deum gratiam obtinebant. Dati sunt in exemplum omnibus Religiosis, & plus prouocare nos debent ad bene proficiendum, quam tepidorum numerus ad

† viuida

Heb. 11.

Sanctorum vita quanti à nostra differat.

Ioan. 1.

Matt. 19.

Iacob. 4.

† dilecti

relaxan-

relaxandum. O quantus feruor omnium Religiosorum in principio suę sanctæ institutionis fuit? O quanta deuotio orationis, quanta æmulatio virtutis? quam magna disciplina viguit, quanta reuerentia & obedientia sub regula magistri in omnibus effloruit? Testantur adhuc vestigia derelicta, quod verè viri sancti & perfecti fuerunt, qui tam strenuè militantes mundum suppeditauerunt. Iam magnus putatur, si quis transgressor non fuerit, si quis quod accepit cum patientia tolerare potuerit. Ah teporis & status nostri negligentia, quod tam cito declinamus à pristino feruore: & iam tędet viuere præ lassitudine & tepore. Vtinam in te penitus non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpiùs exempla vidisti deuotorum.

DE EXERCITIIS BONI Religiosi.

CAP. XIX.

VIta boni religiosi omnibus virtutibus pollere debet, vt sit talis interius, qualis videtur hominibus exterius, & meritò multo plus debet esse intus, quàm quod cernitur foris, quia inspector noster est Deus, quem summoperè reuereri debemus, vbicunque fuerimus, & tanquam Angeli in conspectu eius mundi incedere. Omni die renouare debemus propositum nostrum, & ad feruorem nos excitare, quasi hodie primum ad conuersionem venissemus, atque dicere: Adiuua me Domine Deus meus in bono proposito & sancto seruitio tuo, & da mihi nunc hodie perfectè incipere, quia nihil est quod hactenus feci: Secundum propositum nostrum, cursus profectus nostri: & multa diligentia opus est benè perficere volenti, quia si fortiter proponens sæpe deficit, quid illi qui rarò, aut minus fixè aliquid proponit? Varijs tamen modis contingit desertio propositi nostri, & leuis omissio exercitiorum vix sine aliquo dispendio transit. Iustorum propositum in gratia Dei potius, quàm in propria sapientia pendet, in quo & semper confidunt quicquid arripiunt. Nam homo proponit sed Deus disponit, nec est in homine via eius. Si pietatis causa aut fraternæ vtilitatis proposito quandoque consuetum omittitur exercitium, facilè postea poterit recuperari. Si autem tædio animi aut negligentia faciliter relinquitur, satis culpabile est & nociuum sentietur. Conemur quantum possumus: adhuc leuiter deficiemus in multis. Sęper tamè aliquid certi proponendũ est, contra illa præcipuè, q̃ amplius nos impediũt. Exteriora nostra & interiora pariter nobis scrutanda sunt & ordinanda, quæ vtraque expediunt ad profectum. Si non continuè te vales colligere, saltem colligas interdum, & ad minus semel in die, mane videlicet aut vespere. Manè propone, vespere discute mores tuos, qualis hodie fuisti in verbo, opere & cogitatione: quia in his sæpius fortsitan Deum offendisti & proximum. Accingere sicut vir contra diabolicas nequitias, frena gulam, & omnem carnis inclinationem facilius frenabis. Nunquam sis ex toto otiosus: sed aut legens, aut scribens, aut orans, aut meditans, aut aliquid vtilitatis pro communi laborans. Corporalia exercitia discretè sunt agenda, nec omnibus æqualiter assumenda. Quę communia non sunt foris ostendenda. Nam in secreto tutius exercentur priuata. Cauendum tamen ne piger sis ad communia, & ad singularia promptior, sed expletis integrè & fideliter debitis, & iniũctis, si iam vltra vacat, redde te tibi prout deuotio tua desiderat. Non possunt omnes habere vnum exercitium, sed aliud isti, aliud illi magis deseruit. Etiam pro temporum congruentia diuersa placent exercitia, quia alia in festis, alia in feriatis magis sapiunt diebus. Alijs indigemus tempore tentationis, & alijs tempore pacis & quietis. Alia quum tristamur libet cogitare, & alia quum læti in Domino fuerimus. Circa principalia festa renouanda sunt bona exercitia, & sanctorum suffragia feruentius implorando. De festo in festum proponere debemus, quasi tunc de hoc seculo migraturi simus, & ad æternum festum peruenturi. Ideoque solicitè nos præparare debemus in deuotis temporibus & deuotius conuersari, atque omnem obseruantiam strictius custodire, tanquam in breui præmium laboris nostri à Deo percepturi. Etsi dilatum fuerit credamus nos minus benè præparatos atque indignos tantę adhuc gloriæ, quæ reuelabitur in nobis tempore præfinito, & studeamus nos melius ad exitum præparare. *Beatus seruus* (ait Euangelista Lucas) *quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.*

Matt. 7. Psalm 32. & Heb. 4. Psal. 15. *Proposita bona quotidie renouanda.*

Prou. 16.

Eccle. 7.

Deut. 4. *Conscientia quotidie examinanda.*

Rom. 8.

Luc. 12. & Matt. 24.

DE AMORE SOLITUDINIS & silentij.

CAP. XX.

QVære aptum tempus vacandi tibi & de beneficijs Dei frequenter cogita. Relinque curiosa. Tales perlege materias, quę compunctionem magis præstant quàm occupationem. Si te subtraxeris à superfluis loquutionibus, & otiosis circuitionibus, nec non à nouitatibus & rumoribus audiendis, inuenies tempus sufficiens & aptum pro bonis meditationibus intendẽdis. Maximè Sanctorũ humana consortia, vbi poterant vitabant, & Deo in secreto viuere eligebant. Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redij. Hoc quippè sæpius experimur, quando diu confabulamur. Facilius est omninò tacere, quàm verbo non excedere. Facilius est domi latere, quàm fòris se posse sufficienter custodire. Qui igitur intendit ad interiora & spiritualia peruenire, oportet eum cum Iesu à turba declinare. Nemo securè apparet, nisi qui libenter latet. Nemo securè præest, nisi qui libenter subest. Nemo securè præcipit, nisi qui libenter obedire didicit. Nemo securè gaudet, nisi qui bonę conscientiæ testimonium habet. Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet. Semper tamen Sanctorum securitas plena timoris Dei extitit. Nec eo minus soliciti & humiles in se fuerunt, quia magnis virtutibus & gratia emicuerunt. Prauorum autem securitas ex superbia, & præsumptione oritur, & in fine in deceptionem sui vertitur. Nunquam promittas tibi securitatem in hac vita, quamuis bonus videaris cœnobita, aut deuotus eremita. Sæpè meliores in æstimatione hominum, grauius periclitati sunt propter suam nimiam confidentiam. Vnde multis vtilius est, vt non penitus tentationibus careant: sed sæpius impugnentur, ne nimium securi sint, ne forte in superbiam eleuentur, nec etiam ad exteriores consolationes licentius declinent. O qui nunquam transitoriam lætitiam quæreret: qui nunquam cum mundo se occuparet, quàm bonam conscientiam seruaret. O qui omnem vanam solicitudinem amputaret & duntaxat salutaria ac diuina cogitaret, & totam spem suam in Deo constitueret, quàm magnam pacem & quietem possideret. Nemo dignus est cœlesti consolatione, nisi diligenter se exercuerit in sancta compunctione. Si vis corde tenus compungi intra cubile tuum, & exclude tumultus mundi, sicut scriptum est. *In cubilibus vestris compungimini.* In cella inuenies quod foris sæpius amittes. Cella continuata dulcescit, & malè custodita tædium generat. Si in principio conuersionis tuę benè eam incolueris & custodieris, erit tibi postea dilecta amica & gratissi-

Eccle. 3.

Matt. 4. Eccli. 3.

Sanctorum securitas cũ timore & prauorum cum præsumptione.

Psal. 4.

uissimum solatium. In silentio & quiete proficit anima deuota ; & discit abscondita scripturarum. Ibi inuenit fluenta lachrymarum, quibus singulis noctibus se lauet & mundet, & Conditori suo tanto familiarior fiat, quanto longius ab omni seculari tumultu degit. Qui ergo se abstrahit à notis & amicis, appropinquabit illi Deus cum Angelis sanctis. Melius est latere, & sui curam agere, quàm se neglecto signa facere. Laudabile est homini religioso raro foras ire, fugere videri, nolle etiam homines videre. Quid vis videre, quod non licet habere? Transit mundus & concupiscentia eius. Trahunt desideria sensualitatis ad spatiandum: sed quum hora transierit, quid nisi grauitatem conscientiæ & cordis dispersionem reportas? Lætus exitus tristem sæpe reditum parit, & læta vigilia serotina, triste mane facit: Sic omne carnale gaudium blandè intrat, sed in fine mordet & peremit. Quid potes alibi videre quod hic non vides. Ecce cœlum & terram, & omnia elementa: nam ex istis omnia facta. Quid potes alicubi videre, quod diu potest sub sole permanere? Credis te forsan satiari, sed non poteris pertingere. Si cuncta videres præsentia, quid essent nisi vno vana? Leua oculos tuos ad Deum in excelsis, & ora pro peccatis tuis & negligentijs. Dimitte vana vanis: tu autem intende illis, quę tibi præcepit Deus. Claude super te ostium tuum, & voca ad te Iesum dilectum tuum. Mane cum eo in cella, quia non inuenies alibi tantam pacem. Si non exisses, nec quicquam de rumoribus audisses, melius in bona pace permansisses: ex quo noua delectat aliquando audire, oportet exinde turbationem cordis tolerare.

Psal. 6.
2. Cor. 7.
Prou. 14.
Eccle. 1.
Eccle. 1. Eccl 3. Psal. 122.
Matt. 6

DE COMPUNCTIONE CORDIS.
CAP. XXI.

Prou. 19.

SI vis aliquid proficere conserua te in timore Dei, & noli esse nimis liber: sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos, nec ineptæ te tradas lætitiæ. Da te ad cordis compunctionem & inuenies deuotionem. Compunctio multa bona repetit, quæ dissolutio citò perdere consueuit. Mirum est quod homo possit vnquam perfectè lætari in hac vita, qui suum exilium & tam multa pericula animæ suę considerat & pensat. Propter leuitatem cordis & negligentiam defectuum nostrorum non sentimus animæ nostræ dolores: sed sæpe vanè ridemus, quando merito flere deberemus. Non est vera libertas nec bona lætitia, nisi in timore Dei cum bona conscientia. Fœlix qui abijcere potest omne impedimentum distractionis: & ad vnionem se redigere sanctæ compunctionis. Fœlix qui à se abdicat, quicquid conscientiam suam maculare potest vel grauare. Certa viriliter, consuetudo consuetudine vincitur. Si tu scis homines dimittere facere sua, ipsi te dimittent tua facta facere. Non attrahas tibi rem aliorum, nec te implices causis maiorum. Habe semper oculum super te primum & admoneas teipsum specialiter præ omnibus tibi dilectis. Si non habes fauorem hominum, noli ex hoc tristari, sed hoc sit tibi graue, quia non habes te satis benè & circumspectè sicut deceret Dei seruum, & deuotum Religiosum conuersari. Vtilius est sæpè & securius quod homo non habeat multas consolationes in hac vita, secundùm carnem præcipuè: tamen quod diuinas non habemus aut rarius sentimus, nos in culpa sumus, quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas & externas consolationes omninò abijcimus. Cognosce te indignum diuina consolatione, sed magis dignum multa tribulatione. Quando homo perfectè est compunctus, tunc grauis & amarus est ei totus mundus. Bonus homo sufficientem inuenit materiam dolendi & flendi. Siue enim se considerat, siue de proximo pensat, scit quod nemo sine tribulatione hic viuit. Et quanto strictius sese considerat, tanto amplius dolet. Materiæ iusti doloris & internæ compunctionis sunt peccata & vitia nostra, quibus ita inuoluti iacemus, vt rarò cœlestia contemplari valeamus. Si frequentius de morte tua, quàm de longitudine vitæ tuę cogitares, non dubium quin fertentius te emendares. Si etiam futuras inferni, siue purgatorij pœnas cordialiter perpenderes, credo quod libenter laborem & dolorem sustineres & nihil rigoris formidares. Sed quia ad cor ista non transeunt, & blandimenta adhuc amamus: ideo frigidi & valde pigri remanemus: sæpè est inopia spiritus, vnde tam leuiter conqueritur miserum corpus. Ora igitur humiliter ad Dominum, vt det tibi compunctionis spiritum, & dic cum Propheta: *Cibame Domine pane lachrymarum, & potum da mihi in lachrymis in mensura.*

Gal. 1.
Psal. 76.
Iud. 2. & 20. item 2. Reg. 19.
Compunctionis materia. Eccl 7. Matt. 25.
Psal. 79.

DE CONSIDERATIONE HUMANÆ MISERIÆ.
CAP. XXII.

MIser es vbicunque fueris, & quocunque te verteris nisi ad Deum te conuertas. Qui turbaris, quia non succedit tibi sicut vis & desideras? Quis est, qui habet omnia secundùm suam voluntatem? Nec ego, nec tu, nec aliquis hominum super terram. Nemo est in mundo sine aliqua tribulatione vel angustia, quamuis Rex sit vel Papa. Quis est qui melius habet; vtique qui pro Deo aliquid pati valet. Dicunt multi imbecilles & infirmi; Ecce, quam bonam vitam ille homo habet, quam diues, quàm potens, quàm excelsus, quàm magnus, quam pulcher? Sed attende ad cœlestia bona, & videbis quod omnia ista temporalia nulla sunt, sed valdè incerta & magis grauantia, quia nunquam sine solicitudine & timore possidentur. Non est hominis felicitas habere temporalia ad abundantiam sed sufficit ei mediocritas. Verè miseria est viuere super terram. Quanto homo voluerit esse spiritualior, tanto præsens vita sit ei amarior: quia sentit melius, & videt clarius humanæ corruptionis defectus. Nam comedere, bibere, vigilare, dormire, quiescere, laborare & cæteris necessitatibus naturæ subiacere, verè magna miseria est, & afflictio homini deuoto, qui libenter esset absolutus, & liber ab omni peccato. Valdè enim grauatur interior homo necessitatibus corporalibus in hoc mundo. Vnde Propheta deuotè rogat, quatenus liber ab istis esse valeat, dicens? *De necessitatibus meis erue me Domine.* Sed væh, non cognoscentibus suam miseriam, & amplius væh illis, qui diligunt hanc miseram & corruptibilem vitam. Nam in tantum quidem hanc amplectuntur, licet etiam vix necessaria laborando aut mendicando habeant: vt si hic possent semper viuere, de regno Dei nihil curarent. O insani & infideles corde, qui tam profundè in terris iacent, vt nil, nisi carnalia sapiant: sed miseri adhuc in fine grauiter sentient, quàm vilè & nihilum erat quod amauerunt. Sancti autem Dei & omnes deuoti amici Christi non attenderunt, quæ carni placuerunt, nec quę in hoc tempore floruerunt: sed tota spes eorum & intentio ad æterna bona anhelabat, ferebatur totum desiderium eorum ad summa & inuisibilia, ne amore visibilium traherentur ad infima. Noli frater amittere confidentiam proficiendi ad spiritualia, adhuc habes tempus & horam. Quare vis procrastinare propositum tuum? Surge & in instanti incipe & dic. Nunc tempus est faciendi, nunc tempus est pugnandi, nunc tempus aptum est emendãdi.

Prou. 1.
Ioh. 14.
Eccle. 2.
Psal. 24.
Rom. 8.
Ibidem.
1. Pet. 1. & Heb. 10.
Nullus hic vera solutione immunis. Eccli. 6. Luc. 12.

Quam-

Quando malè habes & tribularis, tunc tempus
Psal. 56. est promerendi. Oportet transire per ignem & aquam antequam venias in refrigerium: nisi tibi vim feceris vitium non superabis: quam diu istud fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus, nec sine tædio & dolore viuere. Libenter haberemus ab
Rom. 7. Gen. 3. 2. Cor. 5. omni miseria quietem, sed quia per peccatum perdidimus innocentiam, amisimus etiam veram beatitudinem. Ideò oportet nos tenere patientiam, & Dei expectare misericordiam, donec transeat iniquitas hæc, & mortalitas absorbeatur à vita. O
Gen. 6. & 8. 2. Mach. 9. quanta fragilitas humana, quæ semper prona est ad vitia! Hodie confiteris peccata tua, & cras iterùm perpetras confessa. Nunc proponis cauere, & post horam agis, quasi nihil proposuisses. Merito ergo nosipsos humiliare possumus, nec vnquam aliquid magni de nobis sentire: quia tam fragiles & instabiles sumus. Cito etiam potest perdi per negligentiam, quod multo labore vix tandem acquisitum est per gratiam, quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepescimus tam manè? Vę nobis si sic volumus declinare ad quietem, quasi iam pax sit & securitas, quæ necdum appareat vestigium veræ sanctitatis in nostra conuersatione. Benè opus esset quod adhuc iterum instituemur, tanquam boni nouitij ad mores optimos, si fortè spes esset de aliqua futura emendatione & maiori spirituali profectu.

DE MEDITATIONE MORTIS.

CAP. XXIII.

Iob. 9. & 14. item Luc. 12. & Hebr. 9. VAldè citò erit vita tua transacta: Vide igitur quomodo te habeas, hodie homo est, & cras non comparet. Quum autem sublatus fuerit ab oculis, citò etiam tranſit à mente. O hebetudo & duritia cordis humani, quod solum præsentia meditatur & futura non magis præuidet. Sic te in omni facto & cogitatu deberes tenere, quasi statim essès moriturus. Si bonam conscientiam haberes, non
Matt. 25. Luc. 12. Sap. 4. multum mortem timeres, Melius esset peccata cauere, quàm mortem fugere.

Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? cras
Matth. 24. & 25. est dies incerta, & qui scis an crastinum habebis? Quid prodest diu viuere, quando tam parum emendamur? Ah longa vita non semper emendat, sed sæpe culpam magis auget. Vtinam per vnam diem bene essemus conuersati in hoc mundo. Multi annos
Annos conuersionis plerique numerant sed paruci emendationis. computant conuersionis, sed sępè paruus est fructus emendationis. Si formidolosum est mori: forsitan periculosius est diutius viuere. Beatus, qui horam
Eccl. 7. mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum se quotidiè disponit. Si vidisti aliquando hominem mori, cogita, quia & tu per eandem viam transibis: Quum manè fuerit, puta te ad vesperum
Heb 9. Luc. 21. non peruenturum. Vespere autem facto, manè non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto, & taliter viue, vt nunquam te imparatum mors inueniat. Multi subitò & improuisè moriuntur. Nam
Matt. 24. & Luc. 12. hora, qua non putatur, filius hominis venturus est. Quando illa extrema hora venerit, multum aliter sentire incipies de tota vita tua præterita, & valde
Eccli. 41. dolebis, quod tam negligens & remissus fuisti. O quam fœlix & prudens qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inueniri in morte. Dabit namque magnam confidentiam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi, feruens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinæ, labor pœnitentię, promptitudo obedientiæ, abnegatio sui, & supportatio cuiuslibet aduersitatis pro amore Christi.
Esa 30. & 31. item Her. 17. & 48. Multa bona potes operari dum sanus es, sed infirmatus, nescio; quid poteris. Pauci ex infirmitate emendantur sic, & qui multum peregrinantur, rarò sanctificantur. Noli confidere super amicos & proximos, nec in * futuris salutem tuam differas, quia citius obliuiscentur tui homines, quam existimas.
* futurum
Melius est nunc tempestiuè prouidere, & aliquid
Matt. 6. boni præmittere, quàm super aliorum auxilio sperare. Si non es pro te ipso solicitus modo, quis erit pro te solicitus in futuro? Nunc tempus est valdè pretiosum: sed prò dolor, quod hoc inutilius expendis, in quo promererì vales, vnde æternaliter viuas. Veniet, quando vnum diem seu horam pro emendatione desiderabis, & nescio, an impetrabis. Eia charissimè, de quanto periculo te poteris liberare? de quàm magno timore eripere? si modo semper timoratus fueris, & de morte suspectus. Stude
Rom. 5. nunc taliter viuere, vt in hora mortis valeas potius gaudere, quàm timere. Disce nunc mori mundo, vt
Luc. 14. 1. Cor. 9. tunc incipias viuere cum Christo. Disce nunc omnia contemnere, vt tunc possis liberè ad Christum pergere. Castiga nunc corpus tuum per pœnitentiam vt tunc valeas certam habere confidentiam. Ah
Luc. 12. stulte, quid cogitas te diu victurum, quum nullum diem habeas hic securum? Quàm multi decepti sunt & insperatè de corpore extracti. Quoties audisti à dicentibus: quia ille gladio cecidit, ille submersus est, illę ab alto ruens ceruicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit, alius igne, alius ferro, alius peste, & alius latrocinio
Iob. 14. perijt: & sic omnium finis mors est, & vita hominum tanquam vmbra subito pertransit. Quis memorabitur tui post mortem, & quis orabit pro te?
Matt. 6. Luc. 2. & Gal. 6. Luc 16. Heb 11. 1. Pet. 2. Age age nunc charissime, quicquid agere potes, quia nescis quando ex hac vita discedes, nescis etiam quid tibi post mortem sequetur. Dum tempus habes, congrega tibi diuitias immortales. Præter salutem tuam nihil cogites, solum quę Dei sunt cures. Fac nunc tibi amicos venerando Dei Sanctos, & eorum actus imitando, vt quum defeceris in hac vita, illi te recipiant in æterna tabernacula. Serua te tanquam peregrinum & hospitem super terram, ad quem nihil spectat de mundi negotijs. Serua cor
Heb. 13. liberum, & ad Deum sursum erectum, quia non habes hic manentem ciuitatem. Illuc preces & gemitus quotidianos cum lachrymis dirige, vt spiritus tuus mereatur post mortem ad Dominum feliciter transire. Amen.

DE IVDICIO ET POENIS *peccatorum.*

CAP. XXIV.

IN omnibus rebus respice finem, & qualiter ante
Heb. 10. districtum iudicem stabis, cui nihil est occultum, qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit, sed quod iustum est, iudicabit. O miserrimè
Iob. 9. & insipiens peccator, quid respondebis Deo, omnia
Luc. 16. mala tua scienti, qui interdum formidas vultum hominis irati? Vt quid non præuides tibi in die iudicij, quando nemo poterit per alium excusari vel defendi, sed vnusquisque sufficiens onus erit sibi
2. Cor. 6. ipsi? Nunc labor tuus est fructuosus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor satisfactorius & purgatiuus. Habet magnum & salubre purgatorium patiens homo, qui suscipiens iniurias plus dolet de alterius malitia, quam de sua iniuria, qui pro contrariantibus sibi libenter orat, & ex corde culpas indulget: qui veniam ab alijs petere non retardat, qui
Iob. 1. Luc. 23. & Actor 7 facilius misèretur quàm irascitur, qui sibi ipsi violentiam frequenter facit, & carnem suam omninò spiritui subiugare conatur. Melius est modo purgare peccata, & vitia resecare, quà in futuro purganda reseruare. Verè nos ipsos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus. Quid aliud ille ignis denotabit, nisi peccata tua? Quanto amplius tibi ipsi nunc parcis, & carnem

sequeris, tanto durius postea lues, & maiorem materiam comburendi reseruas. In quibus homo peccauit, in illis grauius punietur. Ibi acedioſi ardentibus ſtimulis pungentur, & guloſi ingenti fame ac ſiti cruciabuntur. Ibi luxurioſi, & voluptatum amatores ardenti pice, & fœtido ſulphure perfundentur. Et ſicut furioſi canes præ dolore inuidioſi vlulabunt. Nullum vitium erit, quod ſuum proprium cruciatum non habebit. Ibi ſuperbi omni confuſione replebuntur, & auari miſerrima egeſtate arctabuntur. Ibi erit vna hora grauior in pœna, quàm hic
Iob. 4. & 41. centum anni in amariſsima pœnitentia. Ibi nulla requies eſt, & nulla conſolatio damnatis. Hic tamẽ interdum ceſſatur à laboribus, atque amicorum fruitur ſolatijs. Eſto modo ſolicitus & dolens pro peccatis tuis, vt in die iudicij ſis ſecurus cum beatis.
Sap. 5. Tunc enim iuſti ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt & depreſſerunt. Tunc ſtabit ad iudicandum, qui modo ſe ſubijcit humiliter iudicijs hominum. Tunc magnam fiduciam habebit pauper & humilis & pauebit vndique ſuperbus. Tunc videbitur ſapiens in hoc mundo fuiſſe, qui pro Chriſto didicit ſtultus & deſpectus eſſe.
Pſal. 106. Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpeſſa,
2. Cor. 4. & omnis iniquitas oppillabit os ſuum. Tunc gaudebit omnis deuotus, & mœrebit omnis irreligioſus. Tunc plus exultabit caro afflicta, quàm ſi in delitijs fuiſſet ſemper enutrita. Tunc ſplendebit habitus vilis & obtenebreſcet veſtis ſubtilis. Tunc plus laudabitur pauperculum domicilium, quàm nunc
Eſa. 29. deauratum palatium. Tunc plus iuuabit conſtans patientia, quàm omnis mundi potentia. Tunc amplius exaltabitur ſimplex obedientia, quàm omnis ſecularis aſtutia. Tunc plus lętificabit pura & bona conſcientia, quàm docta philoſophia. Tunc ponderoſior erit contemptus diuitiarum, quam totus theſaurus terrigenarum. Tunc magis conſolaberis ſuper deuota oratione, quam ſuper delicata comeſtione. Tunc potius gaudebis de ſeruato ſilentio, quã de longa fabulatione. Tunc plus valebunt ſancta opera, quam multa pulchra verba. Tunc plus placebit ſtricta vita & ardua pœnitentia, quam omnis delectatio terrena. Diſce nunc in modico pati: vt tunc à grauioribus valeas liberari. Hic primò proba quid poſsis pati poſtea. Si nunc tam parum non vales ſuſtinere, quomodo poteris tunc ęterna tormenta ſufferre? Si modò modica paſsio tam impatientem efficit, quid gehenna tunc faciet? Ecce verè
Luc. 12. non potes duo gaudia habere: delectari hic in mũdo, & poſtea regnare in cœlo cum Chriſto. Si vſque
Eccle. 1. in hodiernum diem ſemper in honoribus & voluptatibus vixiſſes, quid totum tibi profuiſſet, ſi iam in
Rom. 3. inſtanti mori contingeret? Omnia ergo vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſeruire. Qui enim Deum ex toto corde amat, nec mortem, nec ſupplicium, nec iudicium, nec infernum metuit: quia perfectus amor ſecurum acceſſum ad Deum facit. Quem autem adhuc peccare delectat non mirum, ſi mortem, & iudicium timeat. Bonum tamen eſt, vt ſi necdum amor à malo te reuocat: ſaltem timor gehennalis coerceat. Qui verè timorem Dei poſtponit, diu ſtare in bono non valebit, ſed diaboli laqueos citius incurret.

DE FERVENTI EMENDATIONE totius vitæ noſtræ.

CAP. XXV.

2. Tim. 4. ESto vigilans & diligens in Dei ſeruitio, & cogita frequenter, ad quid veniſti, & cur ſeculum reliquiſti. Nonne vt Deo viueres & ſpiritualis homo fieres? Igitur ad profectum feruea, quia mercedem laborum tuorum in breui recipies, Matt. 5.
nec erit tunc amplius timor aut dolor in finibus tuis. Modicum nunc laborabis, & magnam requiem, imò perpetuam lætitiam inuenies. Si tu permaneris fidelis & feruidus in agendo, Deus proculdubio Apoc. 21. & 22.
erit fidelis, & locuples in retributo. Spem bonam Eccl. 31.
retinere debes, quod ad palmam peruenies, ſed ſe- Apoc. 21. & 22.
curitatem capere non oportet, ne torpeas aut elatus Matt. 25.
fias. Quum enim quidam anxius inter metum & ſpẽ Rom. 8.
frequenter iactaretur, & quadam vice mœrore confectus in Eccleſia ante quoddam altare ſe in oratione proſtraſſet, hęc inter ſe reuoluit dicens. O ſi ſcirem quod adhuc perſeueraturus eſſem, ſtatimque audiuit intus diuinum reſponſum. Quid, ſi hoc ſcires facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, & benè ſecurus eris. Moxque conſolatus & confortatus diuinæ ſe commiſit voluntati, & ceſſauit anxia fluctuatio, noluitque curioſè inueſtigare vt ſciret, quæ ſibi eſſent futura, ſed magis ſtuduit inquirere, quæ eſſet voluntas Dei beneplacens & perfecta Rom. 12.
ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum. *Spera in Domino & fac bonitatem*, ait Pro- Pſalm. 36.
pheta, *& inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius.* Vnum eſt quod multos à profectu & feruenti emẽdatione retrahit, horror difficultatis, ſeu labor certaminis. Enimuerò illi maximè præ alijs in virtuti- *Emendationem quisque.*
bus proficiunt, qui ea, quæ ſibi magis grauia & con- *pedat.*
traria ſunt viribus vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem, vbi magis ſeipſum vincit, & in ſpiritu mortificat. Sed non omnes habent æquè multum ad vincendum & moriendum. Diligens tamen æmulator valentiore- *Duo qui emendationi promouent.*
rit ad proficiẽdum etiam ſi plures habeat paſsiones, quàm alius bene morigeratus, minus tamen feruens ad virtutes. Duo tamen ſpecialiter ad magnã emendationem iuuant, videlicet ſubtrahere ſe violenter ad quod natura vitioſe inclinat, & feruenter inſtare pro bono quo amplius quis indiget. Illa etiam ſtudeas magis cauere & vincere, quæ tibi frequentius in alijs diſplicent. Vbique profectum tuum capis, vt ſi bona exempla videas, vel audeas ad imitandũ accendaris. Si quid autem reprehenſibile Matt. 7.
conſideraueris, caue ne idem facias, aut ſi aliquando feciſti, citius emendare te ſtudeas. Sicut oculus tuus alios conſiderat, ſic viciſſim ab alijs notaris. Quam Epheſ. 5. & 1. Cor. 12.
iucundum & dulce eſt videre feruidos & deuotos fratres, benè morigeratos & diſciplinatos? quàm Eccl. 3.
triſte eſt & graue videre inordinatè ambulantes qui ea, ad quę vocati ſunt, non exercent. Quam nociuum eſt negligere vocationis ſuæ propoſitum, & ad non commiſſa ſenſum inclinare, memor eſto arrepti propoſiti & imaginem tibi propone crucifixi. Bene verẽcundari potes, inſpecta vita Ieſu Chriſti: quia necdum magis illo te conformare ſtuduiſti: licet diu in vita Dei fuiſti. Religioſus qui ſe intentè & deuotè in ſanctiſsima vita & paſsione Domini exercet, omnia vtilia & neceſsaria ſibi abundanter ibi inueniet: nec opus eſt, vt extra Ieſum aliquid melius quęrat. O ſi Ieſus crucifixus in cor no- Gal. 2. & 6.
ſtrum veniret, quàm citò & ſufficienter docti eſſemus? Religioſus feruidus omnia benè portat & capit quę illi iubentur: Religioſus negligens & repidus habet tribulationem ſuper tribulationem, & ex omni parte patitur anguſtiam: quia interiori conſolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur. Religioſus extra diſciplinam viuens graui ruinæ patet. Qui laxiora quærit & remiſsiora, ſemper in anguſtijs erit: quia aut reliquum ipſi diſplicebit. Quomodo faciunt tam multi alij Religioſi qui ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali? Raro exeunt, abſtractè viuunt, pauperrimè tomedunt,

groſſe

grosse vestiuntur, multum laborant, parum loquũtur, diu vigilant, manè surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & se in omni disciplina custodiunt. Attende Carthusienses, Cistertienses, & diuersæ religionis monachos ac moniales, qualiter omni nocte ad psallendum Domino assurgunt. Et ideò turpe est, vt tu deberes in tam sancto opere pigritare, vbi tanta multitudo religiosorũ incipit Deo iubilare. O si nihil aliud faciendum incumberet, nisi Dominum Deum nostrum, toto corde & ore laudare? O si nunquam indigeres comedere, nec bibere, nec dormire, sed semper posses Deum laudare, & solummodo spiritualibus studijs vacare: tunc multò felicior esses, quam modò, cum carni, ex qualicunq; necessitate seruis. Vtinam non essent istæ necessitates, sed solummodo spirituales animæ refectiones, quas heu satis rarò degustamus. Quando homo ad hoc peruenit, quod de nulla creatura consolationẽ suam quærit, tunc ei Deus primò perfectè sapere incipit, tunc etiam bene contentus de omni euentu rerum erit, tũc nec pro magno lætabitur, nec pro modico contristabitur, sed ponet se integre & fiducialiter in Deo, qui est omnia in omnibus, cui nihil vtique perit nec moritur, sed omnia ei viuunt, & ad nutum eius incunctanter deseruiunt. Memento semper finis, & quia perditum non redit tempus. Sine solicitudine & diligentia nunquam acquires virtutes. Si incipis tepescere, incipies malè habere. Si autem dederis te ad feruorem, inuenies magnam pacem, & senties leuiorem laborem propter Dei gratiam & virtutis amorem. Homo feruidus & diligens, ad omnia est paratus. Maior labor est resistere vitijs & passionibus, quam corporalibus insudare laboribus. Qui parua non vitat defectus paulatim labitur ad maiora. Gaudebis semper vespere, si diem expendas fructuosè. Vigila super te ipsum, excita te ipsum, admone te ipsum, & quicquid de alijs fit, non negligas te ipsum. Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.

Rom. 11. & 1. Cor. 3, 12. & 15.

Eccl. 7. Apoc. 3.

Eccl. 18.

Matt. 11.

(o)

VEN. VIRI
THOMAE A KEMPIS,
DE IMITATIONE CHRISTI,
LIBER SECVNDVS,
Admonitiones continens ad interna trahentes.

DE INTERNA CONVERSIONE.

CAPVT I.

Luc. 17. Ioel. 2.

REGNVM *Dei intra vos est*, dicit Dominus: Conuertere ex toto corde tuo ad Dominum, & relinque hunc miserum mundum: & inueniet anima tua requiem. Disce exteriora contẽnere, & ad interiora te dare, & videbis regnum Dei in te venire. Est enim regnum Dei pax & gaudium in Spiritu sancto, quod non datur impijs: veniet ad te Christus ostendens tibi consolationem suam, si dignam illi ab intus praueris mansionem. Omnis gloria eius & decor ab intra est, & ibi complacet sibi. Frequens illi visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda nimis. Eia anima fidelis præpara huic sponso cor tuum, quatenus ad te venire, & in te habitare dignetur. Sic enim dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Da ergo Christo locum, & cæteris omnibus nega introitum. Cum Christum habueris, diues es, & sufficit tibi: Ipse erit prouisor tuus & fidelis procurator in omnibus: vt non sit opus tibi in hominibus sperare. Homines enim citò mutantur, & deficiunt velocitèr, Christus autem manet in æternum, & astat vsque in finem firmiter. Non est magna fiducia ponenda in homine fragili & mortali, etiam si vtilis sit & dilectus: neque tristitia multa capienda ex hoc si interdum aduersetur & contradicat. Qui hodie tecum sunt cras contrariari possunt, & è conuerso sæpè, vt aura vertuntur. Pone totam fiduciam tuam in Domino, & sit ipse timor tuus & amor tuus. Ipse pro te respondebit, & faciet benè, sicut optimum fuerit. Non habes hic manentem ciuitatem: & vbicumque fueris, extraneus es & peregrinus, nec requiem aliquando habebis, nisi Christo intimè fueris vnitus. Quid hic circumspicis, quum iste non sit locus tuæ requietionis. In cœlestibus debet esse habitatio tua, & sicut in transitu cuncta terrena sunt aspicienda, vt transeant omnia, & tu cum eis pariter. Vide vt non inhæreas, ne capiaris & pereas. Apud altissimum sit cogitatio tua & deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur. Si nescis alta speculari & cœlestia, requiesce in passione Christi, & in sacris vulneribus eius libenter habita. Si enim ad vulnera & pretiosa stigmata Iesu deuotè confugis, magnam in tribulatione confortationem senties, nec multum curabis hominum delpectiones, faciliterque verba detrahentium perferes, Christus fuit etiam in mundo ab hominibus despectus, & in maxima necessitate à notis & amicis inter opprobria derelictus. Christus pati voluit, & despici, & tu audes de aliquo conqueri? Christus habuit aduersarios & obloquutores, & tu vis omnes habere amicos & benedictores; Vnde coronabitur patientia tua, si nihil aduersitatis occurrerit? Si nihil contrarium vis pati, quomodo eris amicus Christi? Sustine te cum Christo, & pro Christo, si vis regnare cum Christo. Si semel perfectè introijsses in interiora Iesu, & modicum de ardenti eius amore sapuisses; tunc de proprio commodo vel incommodo nihil curares, sed magis de opprobrio illato gauderes, quia amor Iesu, facit hominem seipsum contemnere. Amator Iesu & verus internus & liber ab affectionibus inordinatis, potest se ad Deum libere conuertere, & eleuare se supra seipsũ

Rom. 14.

Psal. 44.

Aduentus Dei in mentem.

Ioan. 14.

Ioan. 12. Hier. 17.

1. Pet. 5.

Heb. 13.

Phil. 3.

Sap. 9.

Matt. 11, 12, 26, & Ioan. 15.

2. Tim. 2.

in spiritu ac fruitione quiescere. Cui sapiunt omnia prout sunt, non vt dicuntur aut æstimantur: hic verè Esa.64. sapiens est & doctus magis à Deo, quàm ab hominibus. Qui ab intra scit ambulare & modicum res ab extra ponderare, non requirit loca, nec tempora expectat ad habēda deuota exercitia. Homo internus cito se recolligit: quia nunquam se totum ad exteriora effundit. Non illi obest labor exterior, aut occupatio ad tempus necessaria: sed sicut res eueniunt, sic se illis accommodat. Qui intus bene dispositus est & ordinatus non curat mirabiles, & peruersos hominum gestus. Tantum homo impeditur & distrahitur quantum sibi res attrahit. Si rectè tibi esset & bene purgatus esses, omnia tibi in bonum cederent & profectum. Ideò multa tibi displicent, & te sæpe conturbant, quia adhuc nō es tibi ipsi perfectè mortuus, nec segregatus ab omnibus terrenis. Nihil sic maculat & implicat cor hominis, sicut impurus amor in creaturis. Si renuis consolari exterius poteris speculari cœlestia, & frequenter interius iubilare.

Rom 8.

DE HVMILI SVBMISSIONE *sub Prælati regimine.*

CAPVT II.

Rom 8. 1. Cor 4. Psal. 27.

NOn magni pendas, quis pro te vel contra te sit: sed hocage & cura, vt Deus tecum sit in omni re quam facis, habeas conscientiam bonā, & Deus bene te defensabit. Quem enim adiuuare voluerit, nullius peruersitas nocere poterit. Si tu scis tacere & pati, videbis procul dubio Domini auxilium. Ipse nouit tempus, & modum liberandi te, & ideo, debes te illi resignare, Dei est adiuuare & ab omni confusione liberare. Sæpe valdè prodest ad maiorem humilitatem conseruandam, quod defectus nostros alij sciunt & redarguunt. Quando homo pro defectibus suis se humiliat, tunc faciliter alios placat & leuiter satisfacit sibi irascentibus. Humilem Deus protegit & liberat, humilem diligit & consolatur: humili homini se inclinat, humili largitur gratiam magnam, & post eius depressionem leuat ad gloriam: humili sua secreta reuelat, & ad se dulciter trahit & inuitat. Humilis accepta contumelia & confusione, satis bene est in pace, quia stat in Deo, & non in mundo. Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias.

Iac. 3. Iob. 3. Matt. 11.

DE BONO ET PACIFICO *homine.*

CAPVT III.

POne te primo in pace, & tunc alios poteris pacificare. Homo pacificus plus prodest, quàm benè doctus. Homo passionatus etiam bonum in malum trahit, & faciliter malum credit. Bonus pacificus homo omnia ad bonum conuertit. Qui benè in pace est, de nullo suspicatur, qui autem malè contentus est, & commotus, varijs suspicionibus agitatur, nec ipse quiescit, nec alios quiescere permittit. Dicit sæpè quod dicere non deberet, & omittit quòd sæpè sibi magis facere expediret. Considerat quòd alij facere tenentur, & negligit quod ipse facere tenetur. Habe ergo primum zelum super temetipsum, tunc zelare poteris etiam iustè proximum tuum. Tu facta tua benè scis excusare & tolerare, & aliorum non vis recipere excusationes. Iustius esset, vt te accusares, & fratrem tuum excusares. Si portari vis, porta & alium. Vide quàm longè es adhuc à vera charitate & humilitate, quæ nulli nouit indignari, vel irasci, nisi tantum sibi ipsi. Non est magnum cum bonis & mansuetis conuersari: hoc enim omnibus naturaliter placet, & vnusquisque quàm libenter pacem habet, & secum sentientes magis diligit. Sed cum duris & peruersis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus pacificè posse viuere, magna gratia est, & laudabile nimis, virileque factum. Sed sunt qui seipsos in pace tenent, & cum alijs etiam pacem habent. Et sunt qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt. Alijs sunt graues, sed sibi sunt semper grauiores. Et sunt qui seipsos in pace retinent, & ad pacem alios reducere student. Et tamen tota pax nostra in hac misera vita potius in humili sufferentia ponenda, quam in nō sentiendo contraria. Qui melius scit pati, pacem tenebit maiorem. Iste est victor sui & dominus mundi, amicus Christi & hæres cœli.

1. Cor 13.

Matt. 7. Actor. 1.

Gal 6. 1. Cor. 13.

DE PVRA MENTE, ET *simplici intentione.*

CAPVT IV.

DVabus alis homo subleuatur à terrenis, simplicitate, scilicet & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione: simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit & gustat. Nulla bona actio te impediet, si liber intus ob omni inordinato affectu fueris. Si nihil aliud, quàm Dei beneplacitum, & proximi vtilitatem intendis, & quæris, interna libertate frueris. Si rectum cor tuum esset, tunc omnis creatura speculum vitæ, & liber sanctæ doctrinæ esset. Nō est creatura tam parua & vilis, quæ bonitatem Dei non repræsentet. Si tu esses intus bonus & purus, tunc omnia sine impedimento videres & benè caperes. Cor purum penetrat cœlum & infernum. Qualis vnusquisque intus est, taliter iudicat exterius. Si est, gaudium in mundo, hoc vtique possidet puri cordis homo. Et si est alicubi tribulatio & angustia, hoc melius nouit mala conscientia. Sicut ferrum missum in ignem, amittit rubiginem & totum candens efficitur, sic homo ad Deum se integrè conuertens à corpore exuitur & in nouum hominem transmutatur. Quando homo incipit tepescere, tunc paruum metuit laborem, & libenter externam recipit consolationem. Sed quando perfectè incipit se vincere & viriliter in via Dei ambulare, tunc minus ea reputat, quæ sibi prius grauia esse sentiebat.

Rom. 1. Prou 3. Psal. 118.

DE PROPRIA CONSIDERATIONE.

CAPVT V.

NOn possumus nobis ipsis nimis credere, quia sæpè nobis gratia deest & sensus. Modicum lumen est in nobis & hoc citò per negligentiam amittimus. Sæpè etiam non aduertimus, quod tam cœci intus sumus. Sæpè malè agimus & peius excusamus, & passione interdum mouemur, & zelum putamus. Parua in alijs reprehendimus, & nostra maiora pertransimus. Satis citò sentimus & pōderamus quod ab alijs sustinemus, sed quantum alij à nobis sustinent, non aduertimus. Qui benè & recte sua ponderaret, non esset quod de alio grauiter iudicaret. Internus homo sui ipsius curam omnibus curis anteponit, & qui sibi ipsi diligenter intendit, faciliter de alijs tacet. Nunquam eris internus & deuotus, nisi de alienis silueris & ad te ipsum specialiter respexeris. Si tibi & Deo totaliter intendis, modicum te mouebit quod foris percipis. Vbi es quando tibi ipsi præsens non es, & quando omnia percurristi, quid de negligento profecisti? Si debes habere pacem & vnionem veram, oportet quod totum adhuc postponas, & te solum præ oculis habeas. Multum proinde proficies, si te feriatum ab omni temporali cura conserues. Valdè deficies, si aliquid temporale magni feceris. Nil altum, nil magnum, nil gratum, nil acceptū tibi sit, nisi pure Deus aut de Deo sit. Totum vanum existima quicquid consolationis occurrit

Hier. 17. Cæcitatis humanæ consideratio. Psal. 140. Matt. 7. Matt. 16. 1. Cor 4. & Gal. 1. Eccl. 1.

rit de aliqua creatura. Amans Deum anima sub Deo despicit vniuersa, Solus Deus æternus, & immensus, implens omnia, solatium est animæ, & vera cordis lætitia.

DE LAETITIA BONÆ conscientiæ.

CAPVT VI

1.Cor.1. Sap.7. GLoria boni hominis testimonium bonæ conscientiæ est Habe bonam conscientiã & semper habebis lætitiam. Bona conscientia valdè multa potest portare, & valdè læta est inter aduersa. Mala conscientia semper timida est & inquieta: Suauiter requiescs, si te cor tuum non reprehenderit. Noli lętari nisi quum benefeceris. Mali nunquam habent veram lætitiam, nec internam sentiant pacem, *quia non est pax impijs*, dicit Dominus. Et si dixerint, in pace sumus, non venient super nos mala, & quis nobis nocere audebit? Ne credas eis quoniam tepentè exurget ira Dei, & in nihilum redigentur actus eorum & cogitationes eorum peribunt. Gloriari in tribulatione non est graue amanti, sic enim gloriari, est in cruce Domini gloriari. Breuis gloria, quæ ab hominibus datur & recipitur. Mundi gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in conscientijs coram, & non in ore hominum. Iustorum lætitia de Deo & in Deo est, & gaudium eorum in veritate. Qui veram & æternam gloriam desiderat, temporalem non curat. Et qui temporalem quærit gloriam, aut non ex animo contemnit, minus amare conuincitur cœlestem. Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia. Facile erit contentus & pacatus, cuius conscientia, munda est, non sanctior, si lauderis, nec vilior, si vitupereris. Quod es, hoc es, nec maior dici vales, quam Deo teste sis. Si attendis, quid apud te sis intus, non curabis quid de te loquantur homines foris. Homo videt in facie. Deus autem in corde. Homo considerat actus, Deus pensat intentiones. Bene semper agere & modicum de se tenere, humilis animæ indicium est. Nolle consolari ab aliqua creatura, magnæ puritatis & internæ fiduciæ indicium est. Qui nullum extrinsecus pro se testimonium quærit, liquet quod se Deo totaliter commisit. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est* ait B. Paulus, *sed quem Deus commendat*. Ambulare cum Deo intus, nec aliqua affectione teneri foris, status est interni hominis.

Esa.57. Rom.1. Gal.6. Ioan.5. 2.Cor.1. 1.Reg.16. 2.Cor.10.

DE AMORE IESV SVPER omnia.

CAPVT VII.

Deut.6. Matt.12. *Amor Iesu super omnia habendus.* BEatus qui intelligit, quid sit amare IESVM, & contemnere seipsum, propter IESVM. Oportet dilectum pro dilecto relinquere, quia Iesus vult solus super omnia amari. Dilectio creaturæ fallax & instabilis. Dilectio IESV fidelis & perseuerabilis. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili: qui amplectitur Iesum, firmabitur in æuum. Illum dilige, & amicum tene tibi, qui omnibus recedentibus te non derelinquet, nec patietur in fine perire. Ab hominibus oportet te aliquando separari, siue velis siue nolis. Teneas te apud IESVM viuens & moriens, & illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus solus te potest iuuare. Dilectus tuus talis est naturæ, vt alienum non velit admittere, sed solus vult cor tuum habere, & tanquam rex in proprio throno sedere. Si scires te bene ab omni creatura euacuare, IESVS deberet libenter tecum habitare. Penè totum perditum inuenies, quicquid extra IESVM in omnibus posueris. Non confidas, nec innitaris super calamum ventosum, quia *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos fœni* cadet. Citò decipieris, si ad externam hominum apparentiam tantum aspexeris: Si enim tuum in alijs quæris solatium & lucrum, senties sæpè detrimentum. Si quæris in omnibus Iesum, inuenies vtique Iesum. Si autem quæris teipsum, inuenies etiam teipsum, sed ad tuam perniciem. Plus enim homo nocet sibi, si Iesum non quærit, quàm totus mundus, & omnes aduersarij eius.

Esa.40.

DE FAMILIARI AMIcitia Iesu.

CAPVT VIII.

QVando Iesus adest, totum bonum est, nec quicquam difficilè videtur. Quando verò Iesus non adest, totum durum est. Quando Iesus intus non loquitur consolatio vilis est. Si autem IESVS vnum verbum loquitur tantum, magna consolatio sentitur. Nonne Maria Magdalena statim surrexit de loco, in quo fleuit, quando Martha illi dixit: *Magister adest & vocat te*: Felix hora, quando Iesus vocat te de lachrymis ad gaudium spiritus. Quam aridus & durus futurus es sine Iesu? quam incipiens & vanus, si cupis aliquid extra Iesum? Nonne hoc est maius damnum, quam si totum perderes mundum? Quid potest mundus conferre sine Iesu? Esse sine Iesu grauis est infernus: & esse cum Iesu, dulcis paradisus. Si fuerit tecum Iesus, nullus poterit nocere inimicus. Qui inuenit Iesum, inuenit thesaurum bonum, immò bonum super omne bonum. Et qui perdit Iesum, perdit nimis multum, & plus, quam totum mundum. Pauperrimus est, qui viuit sine Iesu. Ditissimus est, qui benè est cum Iesu. Magna ars est, scire conuersari cum Iesu: & scire, Iesum tenere, magna prudentia. Esto humilis & pacificus, & erit tecum Iesus. Sis deuotus & quietus, & permanebit tecum Iesus. Potes citò fugare Iesum, & gratiam eius perdere, si volueris ad exteriora declinare. Et si illum effugaueris & perdideris, ad quem tunc fugies & quem tunc quæres amicum? Sine amico non potes diu viuere, & si Iesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis & desolatus. Fatue igitur agis, si in aliquo altero confidis & lætaris. Eligendum est magis totum mundum habere contrarium, quam Iesum offensum. Ex omnibus ergo charis sit Iesus dilectus specialis. Diligantur omnes propter Iesum, Iesus autem propter seipsum. Solus Christus Iesus singulariter est amandus, qui solus bonus & fidelis inuenitur præ omnibus amicis. Propter ipsum & in ipso tam amici, quam inimici tibi sint chari & pro omnibus his exorandus est, vt omnes ipsum cognoscant & diligant. Nunquam cupias singulariter & laudari & amari, quia hoc solius Dei est, qui similem sibi non habet. Nec velis quod aliquis in corde suo tecum occupetur, neque tu in alicuius occuperis amore, sed sit Iesus in te, & in omni bono homine. Esto purus et liber ab intus sine alicuius creaturæ implicamento. Oportet te esse mundum, & purum cor ad IESVM gerere, si vis vacare & videre quam suauis est Dominus. Et reuera ad hoc non peruenies, nisi gratia eius fueris præuentus & intractus, vt omnibus euacuatis & abdicatis; solus cum solo vniaris. Quando enim gratia DEI venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia: & quando recedit tunc pauper & infirmus erit, & quasi tantum ad flagella relictus.

Rom.8. Matt.13. Luc.2. Prou.3. Gal.6. Matt.5.

In his

In his non debes deijci, nec desperare, sed ad voluntatem Dei æquanimiter stare, & cuncta superuenientia tibi ad laudem Iesu Christi perpeti, quia post hyemem sequitur æstas, post noctem redit dies, & post tempestatem serenitas magna.

DE CARENTIA OMNIS solatij.

CAPVT IX.

Phil.2. NOn est graue, humanum contemnere solatiũ, quum adest diuinum. Magnum est & valde magnum, tam humano, quam diuino posse carere solatio, & pro honore Dei libenter exilium cordis velle sustinere, & in nullo seipsum quærere, nec ad proprium meritum respicere. Quid magni est, si hilaris sis & deuotus, adueniente gratia, optabilis cunctis hæc hora? Satis suauiter equitat, quem gratia Dei portat. Et quid mirum, si onus non sentit qui portatur ab Omnipotente, & ducitur à summo ductore. Libenter habemus aliquid pro solatio, & difficulter homo exuitur à seipso. Vicit sanctus martyr Laurentius seculum cum suo sacerdote: quia omne, quod in mundo delectabile videbatur, despexit: & Dei summi sacerdotem Sixtum, quem maxime diligebat, pro amore Christi etiam a se tolli clementer ferebat. Amore igitur creatoris amorem hominis superauit, & pro humano solatio diuinum beneplacitum magis elegit. Ita & tu aliquem necessarium & dilectum amicum pro amore Dei disce relinquere. Nec grauiter feras, quum ab amico derelictus fueris, sciens quoniam oportet nos omnes tandem ab inuicem separari. Multum & diu oportet hominem in seipso certare, antequam discat seipsum plenè superare & totum affectum suum plenè in Deum trahere. Quando homo stat super seipsum facilè labitur ad consolationes humanas. Sed verus Christi amator & studiosus sectator virtutũ non cadit super illas consolationes, nec quærit tales sensibiles dulcedines: sed magis fortes exercitationes, & pro Christo duros sustinere labores. Quum igitur spiritualis consolatio à Deo datur, cum gratiarum actione accipe eam, sed Dei munus intellige esse, nõ tuum meritum, & noli extolli. Noli nimium gaudere, nec inaniter præsumere: sed esto magis humilior ac dono, cautior quoque & timoratior in cunctis actibus tuis: quoniam transibit hora illa: & tentatio sequitur. Quum ablata fuerit consolatio, non statim desperes, sed cum humilitate & patientia expecta cœlestem visitationem: quia potens est Deus ampliorem tibi redonare gratiam & consolationẽ. Istud non est nouum, nec alienum viam Dei expertis: quia in magnis Sanctis & antiquis Prophetis fuit talis sæpe alternationis modus. Vnde quidam præsente iam gratia dicebat: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* Ablente autem gratia quid in se fuerit expertus adiungit, dicens: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Inter hæc tamen nequaquam desperat sed instantius dominũ rogat & dicit. *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.* Denique, orationis suæ fructum reportat, & se exauditum testatur, dicens. *Audiuit Dominus, & misertus est mei. Dominus factus est adiutor meus.* Sed in quo? *Conuertisti*, inquit, *planctum meum in gaudium mihi, & circundedisti me lætitia.* Et si sic actum est cum magnis Sanctis, non est desperãdum nobis infimis pauperibus, si interdum in frigiditate, & interdum in feruore sumus: quoniam spiritus venit, & recedit secundum suæ voluntatis beneplacitum. Vnde beatus Iob ait: *Visitas illum diluculo, & subito probas illum.* Super quid igitur sperare possum, aut in quo confidere debeo, nisi in sola magna misericordia Dei & in sola spe gratiæ cœlestis. Siue enim adsint homines boni, siue deuoti fratres & amici fideles, siue libri sancti, vel tractatus pulchri, siue dulcis cantus & hymni, omnia hæc modicum sapiunt, quando desertus sum à gratia, & in propria paupertate relictus. Tunc non est melius remedium, quàm patientia & abnegatio mei in voluntate Dei. Nunquam inueni aliquem Religiosum, qui non habuerit interdum gratiæ subtractionem, aut non senserit feruoris diminutionem. Nullus sanctus fuit vnquam tam altè raptus & illuminatus qui prius vel postea non fuit tentatus. Non enim dignus est alta Dei contemplatione, qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim sequentis consolationis tentatio præcedens esse signum. Nam tentationibus probatis, cœlestis promittitur consolatio. *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei edere de ligno vitæ.* Datur etiam consolatio diuina, vt homo fortior sit ad sustinendum aduersa. Sequitur etiam tentatio, ne se eleuet de bono. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua est, ideò non cesses præparare te ad certamen quia à dexteris & à sinistris sunt hostes qui nunquam quiescunt.

In consolatione spiritus non se efferendum.

Eadem sub lata non, desperandum.

Psal.29.

1 Ioan.3. Ob.7.

Remedium spirituali consolationi desiderio. Luc.9.

Apoc.2.

1.Pet.5.

DE GRATITVDINE PRO gratia Dei.

CAPVT X.

QVid quæris quietem, quum natus sis ad laborem. Pone te ad patientiam magis, quàm ad consolationem, ad crucem portandam magis, quàm ad lætitiam. Quis enim secularium non libenter consolationem & lætitiam spiritualem acciperet, si semper obtinere posset? Excedunt enim spirituales consolationes omnes mundi delicias, & carnis voluptates. Nam omnes delitiæ mundanæ aut turpes sunt, aut vanæ: spirituales verò delitiæ solæ iucundæ & honestæ ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris infusæ mentibus. Sed istis diuinis consolationibus nemo semper pro suo affectu frui valet, quia tempus tentationis non diu cessat. Multum cõtraria tur supernæ visitationi falsa libertas animi, & magna confidentia sui. Deus benè facit consolationis gratiam dando, sed homo malè agit, non totum Deo cum gratiarum actione retribuendo. Et ideò non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus auctori, nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia, digno gratias referenti, auferetur ab elato quod dari solet humili. Nolo consolationem quæ mihi aufert compunctionem, nec affecto contemplationem, quæ ducit in elationem. Non enim omne altum sanctum, nec omne desiderium purum, nec omne dulce bonum, nec omne charum gratum DEO, Libenter accepto gratiam vnde humilior & timoratior inueniar, atque ad relinquendum me paratior fiam. Doctus dono gratiæ & eruditus subtractionis verbere non sibi audebit quicquam boni attribuere, sed potius ad se pauperem & nudum confitebitur. Da Deo quicquid Dei est: & tibi ascribe quod tuum est, hoc est, Deo gratias pro gratia tribue: tibi autem soli culpam, & dignam pœnam pro culpa deberi sentias. Pone te semper ad infimum, & dabitur tibi summum: nam summum non stat sine infimo. Summi Sancti apud Deum, minimi sunt apud se, & quãto gloriosiores, tanto in se humiliores, pleni veritate & gloriæ cœlesti, non sunt vanæ gloriæ cupidi. In Deo fundati & confirmati, nullo modo possunt esse elati: & qui Deo totum ascribunt, quicquid boni acceperunt, gloriam ab inuicem non quærunt, sed gloriam quæ à solo Deo est, volunt, & Deum in se, & in omnibus Sanctis laudari, super omnia cupiunt, & semper in idipsum tendunt. Esto igitur gratus in minimo, & eris dignus maiora accipere. Sit tibi minimum

Eccl.1.

Matt.22.

Luc.14.

Ioan.5.

Iob.5. Luc.14.

nimum etiam pro maximo & magis contemptibile pro speciali dono. Si dignitas datoris inspicitur nullum datum paruum aut munus vile videbitur. Non enim paruum munus est, quod à summo Deo donatur, etiam si pœnas & verbera donauerit, gratum esse debet, quia semper pro salute nostra facit, quicquid nobis aduenire permittit. Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia Dei data, patiens pro sublata: oret vt redeat, cautus sit & humilis ne amittat.

DE PAVCITATE AMATORVM crucis Iesu.

CAPVT XI.

Pauci baiulatores crucis.

HAbet Iesus nunc multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos baiulatores suæ crucis. Habet multos desideratores consolationis, sed paucos tribulationis. Plures inuenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ. Omnes volunt cum Christo gaudere, sed pauci volunt cum Christo aliquid
Luc 9, & 22. sustinere. Multi sequuntur Iesum vsque ad fractionem panis, sed pauci ad bibendum calicem passionis. Multi miracula eius venerantur, sed pauci ignominiam crucis sequuntur. Multi Iesum diligunt, quam diu aduersa non contingit. Multi illum laudant & benedicunt quam diu consolationes aliquas ab ipso recipiunt: Si autem se Iesus absconderit & modicum eos reliquerit, aut in querimoniam, aut in dejectionem nimiam cadunt. Qui autem Iesum propter Iesum, & non propter suam aliquam consolationem propriam diligunt, ipsum in tribulatione & in angustia cordis sicut in summa consolatione benedicunt. Et si nunquam eis consolationem dare vellet, ipsum tamen semper laudarent, & ipsi sem-
Phil. 2. per gratias agere vellent. O quantum potest amor Iesu purus nullo proprio commodo vel amore permixtus? Nonne omnes mercenarij sunt dicendi, qui consolationes semper quærunt? Nonne amatores sui magis, quàm Christi probantur, qui sua commoda vel lucra semper meditantur? Vbi inuenietur talis qui velit Deo seruire gratis? Raro inuenitur tã spiritualis aliquis, qui omnibus sit nudatus. Nam verum spiritu pauperem ab omni creatura nudũ quis
Prou 31. inueniet? *Procul & de vltimis finibus pretium eius.*
Cant. 8. *Si dederit homo omnem substantiam suam*, adhuc nihil est: & si fecerit pœnitentiam magnam adhuc exiguum est: & si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longe est: & si habuerit virtutem magnam &
Matt. 16. *Abnegatio sui ad amorem Dei summè necessaria.* deuotionem nimis ardẽtem, adhuc multum ipsi deest. Vnum scilicet, quod ipsi summè necessarium est. Quid illud? Vt omnibus relictis se relinquet, & à se
Luc. 17. totaliter exeat, nihilque de priuato amore retineat. Quum omnia fecerit, quæ facienda nouerit, nihil se fecisse sentiat. Non grande ponderet, quod grandis existimari possit: sed in veritate seruum inutilem se pronunciet, sicut veritas ait: *Quum feceritis omnia quæ præcepta vobis sunt, adhuc dicite quia serui inutiles sumus.* Tunc verò pauper & nudus spiritu esse
Psal. 24. poterit, & cum Propheta dicere: *Quia vnicus & pauper sum ego.* Nemo isto ditior, nemo tamen liberior, nemo potentior illo qui scit se & omnia relinquere, & ad infimum se ponere.

DE REGIA VIA SANCTÆ Crucis.

CAPVT XII.

DVrus hic multis videtur sermo: *Abnegate metipsum, tolle crucem tuam*, & sequere Iesum.
Matt. 16. Sed multo durius erit audire illud extremum
Matt. 25. verbum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Qui enim modo libenter audiunt & sequuntur verbum crucis, tunc non timebunt ad auditionem malæ æternæ damnationis. Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicãdum venerit. Tunc omnes serui crucis, qui se crucifixo conformauerunt in vita, ad Christum accedent iudicem cum magna fiducia. Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad regnum. In cruce salus, in cruce vita, in cruce protectio ab hostibus, in cruce infusio supernæ suauitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritus, in cruce virtus summa, in cruce perfectio sanctitatis. Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in cruce. Tolle ergo crucem tuam, & sequere Ie- Luc. 14.
sum, & ibis in vitam æternam. Processit ille baiu- Ioan. 19.
lans sibi crucem, & mortuus est pro te in cruce, vt tu etiam portes crucem, & mori affectes in cruce: quia
2. Cor. 11. si cum illo mortuus fueris, etiam cum illo pariter vives, & si socius fueris pœnæ, socius eris & gloriæ. Ecce in cruce totum constat, & in moriendo totũ iacet, & non est alia via ad vitam & ad verã internã pacẽ, nisi via sanctæ crucis, & quotidianæ mortificationis. Ambula vbi vis, quære quodcunque volueris, & nõ inuenies altiorem viam supra, nec securiorem viam infrà, nisi viam sanctæ crucis. Dispone & ordina omnia secundum tuum velle & videre, & non inuenies nisi semper aliquid pati debere, aut spontè, aut inuitè, & ita crucem semper inuenies, aut enim in corpore dolorem senties, aut in anima spiritus tribulationem sustinebis. Interdum à Deo relinqueris: interdum à proximo excitaberis, & quod amplius est, sæpè tibimetipsi grauis eris, nec tamen aliquo remedio vel solatio liberari poteris: sed donec Deus voluerit, oportet quod sustineas, Vult enim Deus, vt tribulationem sine consolatione discas pati, & vt illi totaliter te subijcias, & humilior ex tribulatione
Crux omnibus ferenda. fias. Nemo ita cordialiter sentit passionem Christi, sicut is, cui contigerit similia pati. Crux igitur semper parata est, & vbique te expectat. Non potes effugere quocunque cucurreris: quia quocunque veneris, teipsum tecum portas, & semper teipsum inuenies. Conuerte te suprà, conuerte te infrà, conuerte te extra, & intrà, & in his omnibus inuenies crucẽ: & necesse est te vbique tenere patientiam, si internã vis habere pacem, & perpetuam promereri coronã. Si libenter crucem portas, portabit te, & deducet te ad desideratum finem, vbi scilicet finis patiendi erit, quamuis hic non erit. Si inuitè portas, onus tibi facis, & teipsum magis grauas, & tamen oportet vt sustineas. Si abijcis vnam crucem, aliam procul dubio inuenies, & forsitan grauiorem. Credis tu euadere, quod nullius mortalium potuit præterire? Quis sanctorum in mundo sine cruce & tribulatione fuit? Nec enim Dominus noster Iesus Christus vna hora sine dolore passionis fuit, quam diu in hoc mundo vixit. *Oportebat* enim *Christum pati, & re-* Luc. 24.
surgere à mortuis & ita intrare in gloriam suam. Et quomodo tu aliam viam quæris, quàm hanc regiam viam, quæ est via sanctæ crucis? Tota vita Christi crux fuit, & martyrium & tu tibi quæris requiem & gaudium? Erras, erras si aliud quæris, quàm pati tribulationes, quia tota ista vita mortalis plena est 2. Cor. 11. & 12.
miserijs & circumsignata crucibus. Et quanto altius quis in spiritu profecerit, tanto grauiores cruces sæpè inueniet: quia exilij sui pœna magis ex amore crescit. Sed tamen iste sic multipliciter afflictus non est sine leuamine consolationis: quia fructum magnum sibi sentit accrescere ex sufferentia suæ crucis. Nam dum sponte illi se subijcit, omne onus tribulationis in fiduciam diuinæ consolationis conuertitur: & quanto caro magis per tribulationẽ atteritur, tanto amplius spiritus per internam consolationẽ roboratur. Et nonnunquam in tantũ confortatur ex affectu tribulationis & aduersitatis ob amorem cõ-

Crucem qui libenter amplexi fuerint bene habebũt in iudicio extremo.

for-

formitatis crucis Christi, vt non sine dolore & tribulatione esse vellet: quoniam tanto se acceptiorem Deo credit, quanto plura & grauiora pro eo perferre poterit. Non est illud virtus hominis, sed gratia Christi, quæ tanta potest & agit in carne fragili vt quod naturaliter semper abhorret & fugit, hoc feruore spiritus aggrediatur, & diligat. Non est secundùm hominem crucem portare, crucem amare, corpus castigare, & seruituti subijcere, honores fugere, contumelias libenter sustinere, seipsum despicere, & despici optare, aduersa quæque in damnis perpeti, & nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare.

1. Cor. 3. Si ad te ipsum respicis, nihil huiusmodi ex te poteris, sed si in Domino confidis, dabitur tibi fortitudo de cœlo, & subijcietur ditioni tuæ mundus & caro. Sed nec inimicum diabolum timebis, si fueris fide armatus, & Iesu cruce signatus. Pone ergo te sicut fidelis & bonus seruus Christi ad portandum viriliter crucem Domini tui, pro te ex amore crucifixi. Præpara te ad toleranda multa aduersa & varia commoda in hac misera vita: quia sic tecum erit vbicunque fueris, & sic reuera eum inuenies vbicunque latueris. Oportet te ita esse, & non est remedium euadendi à tribulatione malorum, & dolore, quàm

Matt. 20. & Ioan. 18. vt te patiaris. Calicem Domini affectanter bibe, si amicus eius esse & partem cum eo habere desideras. Consolationes Deo committe, faciat ipse cum talibus sicut sibi magis placuerit. Tu verò pone te ad sustinendum tribulationes & reputa eas maximas cõsolationes, quia

Rom. 8, 18. *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis* promerendam, etiam si solus omnes posses sustinere. Quando ad hoc veneris quod tribulatio tibi dulcis est, & sapit pro Christo, tunc bene tecum esse existima: quia inuenisti paradysum in terra. Quamdiu pati tibi graue est, & fugere quæris, tamdiu male habebis, & sequetur te vbique fuga tribulationis.

Gal. 6. Si ponis te ad quod esse debes, videlicet ad patiendum & moriendum, fiet citò melius, & pacem inuenies. Etiam & si raptus fueris in tertium cœlum cum Paulo, non es propterea tutus de nullo contrario sustinendo. *Ego* (inquit Iesus) *ostendam illi, quãta oportet eum pro nomine meo pati.* Pati ergo tibi remanet, si Iesum diligere, & perpetuò illi seruire placet. Vt nam dignus esses pro nomine Iesu aliquid pati, quàm magna gloria remaneret tibi, quanta exultatio omnibus sanctis Dei, quanta quoque ædificatio esset proximi? Nam patientiam omnes recommendant, quamuis pauci tamen pati velint. Merito deberes libenter modicum pati pro Christo: quam multa grauiora patiaris pro mundo. Scies pro certo quia moriente te, oportet te ducere vitam, & quanto plus quisque sibi moritur, tanto Deo magis viuere incipit. Nemo aptus est ad comprehendendum cœlestia, nisi se submiserit ad portandum pro Christo aduersa. Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quàm libenter pati pro Christo. Et si eligendum tibi esset, magis optare deberes pro Christo aduersa pati, quam multis consolationibus recreari, quia Christo similior esses, & omnibus sanctis eius conformior.

2. Cor. 12. Act. 9. Act. 11. Psal. 43.

Non enim stat meritum nostrum & profectus status nostri in multis suauitatibus & consolationibus, sed potius in magnis grauitatibus & tribulationibus perferendis. Siquidem aliquid melius & vtilius saluti hominum, quàm pati fuisset, Christus vtique verbo & exemplo ostendisset. Nam & sequentes se discipulos omnesq; eum sequi cupientes, manifestè ad crucem portandam hortatur, & dicit. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Omnibus ergo perfectis & scrutatis, sit ista finalis conclusio: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Luc. 9. Act. 14.

(o)

VEN. VIRI THOMAE A KEMPIS, DE IMITATIONE CHRISTI, LIBER TERTIVS, De interna consolatione.

DE INTERNA CHRISTI LOQVTIONE ad animam fidelem.

CAPVT I.

Psal. 84. *AVDIAM quid loquatur in me Dominus Deus*, beata anima, quæ Dominum in se loquentem audit, & de ore eius verbum consolationis accipit. Beatæ aures, quæ venas diuini susurri suscipiunt, & de mundi huius susurrationibus

1. Reg. 4. Matt. 13. nihil aduertunt. Beatę planè aures, quæ non vocem foris sonantem, sed interius auscultant veritatem loquentem & docentem. Beati oculi qui exterioribus clausi, interioribus autem sunt intenti. Beati, qui interna penetrant, & ad capienda arcana cœlestia, magis ac magis per quotidiana exercitia se student præparare. Beati, qui Deo vacare gestiunt, & ab omni impedimento seculi se excutiunt. Animaduerte hæc ô anima mea, & claude sensualitatis tuæ ostia, vt possis in te audire quid loquatur Dominus Deus in te. Hæc dicit dilectus tuus. *Salus tua ego sum,* pax tua & vita tua. Serua te apud me, & pacem inuenies. Dimitte omnia transitoria, & quære æterna. Quid sunt omnia temporalia, nisi seductoria? & quid iuuans omnes creaturæ, si fueris à Creatore deserta? Omnibus ergo abdicatis Creatori tuo te redde placidam ac fidelem, vt veram valeas apprehendere beatitudinem.

Psal. 34. Psal. 84.

QVOD VERITAS INTVS LOQVITVR, sine strepitu verborum.

CAPVT II.

1. Reg. 3. Psal. 118. *LOquere Domine, quia audit seruus tuus. Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum vt sciam testimonia*

monia tua. Inclina cor meum in verba oris tui, fluat vt ros eloquium tuum. Dicebant olim filij Israël ad Moysem. *Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Non sic Domine, non sic oro, sed magis cum Samuele Propheta humiliter ac desideranter obsecro. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus*: non loquatur mihi Moyses aut aliquis ex Prophetis, sed potiùs tu loquere Domine Deus inspirator & illuminator omnium Prophetarum: quia tu solus sine eis potes me perfectè imbuere, illi autem sine te nihil proficient. Possunt quidem verba sonare, sed spiritum non conferunt, pulcherrimè dicunt, sed te tacente cor non accendūt. Litteras tradunt, sed tu sensum aperis. Mysteria proferunt: sed tu reseras intellectum signatorum. Mãdata edicunt: sed tu iuuas ad perficiendũ. Viã ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tãtum agunt, sed tu corda instruis, & illuminas. Illi exterius rigant sed tu fœcunditatem donas. Illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam tribuis. Non ergo loquatur mihi Moyses: sed tu Domine Deus meus æterna veritas ne fortè moriar, & sine fructu efficiar: Si fuero tantum foris admonitus, & intus non accensus ne sit mihi ad iudicium verbum auditum & non factum, cognitum, nec amatum, creditum & non seruatum. *Loquere* igitur *Domine, quia audit seruus tuus. Verba enim vitæ æternæ habes*: loquere mihi ad qualemcunque animæ meæ consolationem, & ad totius vitæ meæ emendationem: tibi autem ad gloriam & perpetuum honorem.

Exod. 20.

1. Reg. 3.

Loquutio Dei quantũ à Prophetarũ differat.

1. Reg. 3. Ioan. 6.

QVOD VERBA DEI CVM HVMILITATE sunt audienda, & quòd multi ea non ponderant.

CAPVT III.

AVdi fili mi verba mea, verba suauissima omnẽ philosophorum & sapientum huius mundi scientiam excedentia, verba mea spiritus & vita sunt, nec humano sensu pensanda. Non sunt ad vanam complacentiam trahenda, sed in silentio audienda, & cum omni humilitate atque affectu magno susципienda, & dixi: *Beatus* est, *quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges ei à diebus malis* & non desoletur in terra. Ego, inquit Dominus, docui Prophetas ab initio & vsque nunc non cesso omnibus loqui: sed multi ad vocem meam surdi sunt & duri. Plures mundum libentius audiunt, quàm Deum, facilius sequuntur carnis suæ appetitum, quàm Dei beneplacitum. Promittit mundus temporalia & prava, & seruitur ei auiditate magna: ego promitto summa & æterna & torpescũt mortalium corda. Quis tanta cura mihi in omnibus seruit, & obedit sicut mundo, & domino eius seruitur? *Erubesce Sidon, ait mare.* Et si causam quæris, audi quare. Pro modica præbenda longa via curritur, & pro æterna vita vix aut à multis pes semel à terra leuatur. Vile pretium quæritur pro vno numismate, interdum turpiter litigatur, & pro vana re & parua promissione die noctuque fatigari non timetur. Sed, proh dolor, pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili, pro summo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubesce ergo serue piger & queruloſe, quod illi paratiores inueniuntur ad perditionem quam tu ad vitam. Gaudent illi amplius ad vanitatem, quam tu ad veritatem. Equidem à spe sua nonnunquam frustrantur, sed promissio mea neminem fallit, nec confidentem mihi dimittit inanem. Quod promisi dabo: quod dixi implebo, si tamen vsque in finem fidelis in dilectione mei quis permanserit. Ego remunerator sum omnium bonorum & fortis probator omnium deuotorum. Scribe verba mea in corde tuo, & pertracta diligenter: erunt enim in tempore tentationis valde necessaria. Quod non intelligis quum legis, cognosces in die visitationis. Dupliciter soleo electos meos visitare, tentatione scilicet & consolatione: & duas lectiones eis quotidie lego, vnam increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa. Qui habet verba mea & spernit ea, habet qui iudicet eum in nouissimo die.

Prou. 4.

Ioan. 6.

Verba Dei quomodo susципienda

Psal. 93.

Heb. 1.

Esa. 23.

Quam negligentes simus in salute operanda.

Rom. 1. Matt. 24.

Apoc. 2. Matt. 5, & 25.

Visitatio & lectio Dei duplex.

Oratio ad implorandam deuotionis gratiam.

DOmine Deus meus omnia bona mea tu es: Et quis ego sum, vt audeam ad te loqui? Ego sum pauperrimus seruulus tuus & abiectus vermiculus, multo pauperior & contemptibilior, quam scio & dicere audeo. Memento tamen Domine, quia nil sum, nil habeo nihilque valeo. Tu solus bonus, iustus & sanctus, tu omnia potes, omnia præstas, omnia imples, solum peccatorem inanem relinquens. Reminiscere miserationum tuarum Domine, & imple cor meum gratia tua, qui non vis vacua esse opera tua. Quomodo possum me tolerare in hac misera vita, nisi me confortaueris misericordia & gratia tua? Noli auertere faciem tuam à me, noli visitationem tuam prolongare, noli consolationem tuam abstrahere, ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi. Domine doce me facere voluntatem tuã, doce me coram te dignè & humiliter conuersari: quia sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, & cognouisti antequam fieret mundus & antequam natus essem in mundo.

Gen. 18 & 1. Reg. 28.

Psal. 68.

Psal. 142.

QVOD IN VERITATE ET HVMILITATE coram Deo conuersandum est.

CAPVT IIII.

FIlli ambula coram me in veritate: & in simplicitate cordis tui quære me semper. Qui ambulat coram me in veritate, tutabitur ab incursibus malis, & veritas liberabit eum à seductoribus, & à detractionibus iniquorum. Si veritas te liberauerit, vere liber eris, & non curabis de vanis hominum verbis. Domine verum est, sicut dicis. Ita, quæso, mecum fiat. Veritas tua me doceat, ipsa me custodiat & vsque ad salutarem finem me conducat. Ipsa me liberet ab omni affectione mala, & inordinata dilectione & ambulabo tecum in magna cordis libertate. Ego te docebo (ait veritas) quæ recta sunt & placita coram me. Cogita peccata tua cum displicentia magna, & mœrore, & nunquam reputes te aliquid esse propter opera bona. Reuera peccator es, & multis passionibus obnoxius & implicatus. Ex te semper ad nil tendis, & cito laberis, citò vinceris, citò turbaris, citò dissolueris. Non habebis quicquam vnde possis gloriari: sed multa vnde te debes vilificare, quia multo infirmior es, quam vales comprehendere. Nihil ergo magnum tibi videatur ex omnibus quòd agis, nihil grande, nihil pretiosum & admirabile, nihil reputatione appareat dignum, nihil altum, nihil verè laudabile & desiderabile, nisi quod æternum est. Placeat tibi super omnia æterna veritas: displiceat tibi super omnia vilitas maxima tua. Nihil sic timeas, nihil sic vituperes, & fugias sicut vitia & peccata tua, quæ magis displicere debent, quam quælibet rerum damna. Quidam non syncerè coram me ambulant: quadam curiositate & arrogantia ducti, sed volunt secreta mea scire, & alta Dei intelligere, se & suam salutem negligentes. Hi sæpè in magnas tentationes & peccata propter suam superbiam & curiositatem me eis aduersante labuntur. Time iudicia Dei: expauesce iram omnipotentis, noli autem discutere opera altissimi, sed tuas iniquitates perscrutare in quantis deli-

Gen. 17. Sap. 1. Ioan. 8.

Hominis miseria.

1. Cor. 4.

Eccl. 3. & 2. Cor. 3.

deliquisti, & quam multa bona neglexisti. Quidam solum portant suam deuotionem in libris, & quidam in imaginibus, quidam autem in signis exterioribus & figuris: quidam habent me in ore, sed modicum in corde. Sunt alij qui intellectu illuminati & affectu purgati, ad æterna semper anhelant, de terrenis grauiter audiunt, necessitatibus naturæ dolenter inseruiunt, & hi sentiunt, quid veritatis spiritus loquitur in eis: quia docet eos terrena despicere, & amare cœlestia: mundum negligere, & cœlum tota die ac nocte desiderare.

Esa. 29. Ezech. 24.

Psal. 1.

DE MIRABILI EFFECTV diuini amoris.

CAPVT V.

BEnedico te pater cœlestis, pater Domini mei Iesu Christi, quia mei pauperis dignatus es recordari. O pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, gratias ago tibi, qui me indignũ omni consolatione quandoque tua recreas consolatione. Benedico te semper, glorifico cum vnigenito Filio tuo, & Spiritu sancto paracleto in secula seculorum. Eia Domine Deus amator sancte meus, quum tu veneris in cor meum, exultabunt omnia interiora mea. Tu es gloria mea, & exultatio cordis mei, tu es spes mea & refugium meum in die tribulationis meæ: Sed quia adhuc debilis sum in amore, & imperfectus in virtute: ideò necesse habeo à te cõfortari & consolari, propterea visita me sæpius, & instrue disciplinis sanctis. Libera me à passionibus malis, & sana cor meum ab omnibus affectionibos inordinatis & vitijs vt intus sanatus & benè purgatur aptus efficiar ad amandum, fortis ad patiendum stabilis ad perseuerandum. Magna res est amor, magnum omninò bonum, quod solum leue facit omne onerosum, & fert æqualiter omne inæquale. Nam onus sine onere portat, & omne amarum dulce ac sapidum efficit. Amor Iesu nobilis ad magna operanda impellit: & ad desideranda semper perfectiora excitat. Amor vult esse sursum, nec vllis infimis rebus retineri. Amor vult esse liber, & ab omni mundana affectione alienus, ne internus eius impediatur aspectus, neu per aliquod commodum temporale implicationes sustineas, aut per incommodũ succumbat. Nihil dulcius est amore, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil iucundius, nihil plenius, nihil melius in cœlo & in terra, quia amor à Deo natus est, nec potest nisi in Deo super omnia creata requiescere. Amans volat, currit, lætatur, liber est, & non tenetur: dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus, quia in vno summo super omnia quiescit, ex quo omne bonum fluit & procedit. Non respicit ad dona, sed ad donantem se conuertit super omnia bona. Amor modum semper nescit, sed super omnem modum feruescit. Amor onus non sentit, labores non reputat, plus affectat, quàm valet de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi posse & licere arbitratur. Valet igitur ad omnia & multa implet & affectui mancipat, vbi non amãs deficit & iacet. Amor vigilat, & dormiens non dormitat. Fatigatus non lassatur, arctatus non arctatur, territus non conturbatur: sed sicut viuax flamma & ardens facula sursum erumpit secureque pertransit. Si quis amat, nouit quid hæc vox clamat. Magnus clamor in auribus Dei est ipse ardens affectus animæ, qui dicit, Deus meus amor meus, tu totus meus & ego tuus. Dilata me in amore, vt discam interiora cordis ore degustare, quàm suaue sit amare, & in amore liquefieri & natare. Tenear amore vadens suprà me, præ nimio feruore & stupore. Cantem amoris canticum, sequar te dilectum meum in altum, deficiat in laude tua anima mea, iubilans ex amore. Amem te plusquam me, nec me ipsi propter te, & omnes, qui vere amant te, sicut iuber lex amoris lucens ex te. Est amor velox syncerus, pius, iucundus, & amœnus, fortis, patiens, fidelis, prudens, longanimis, virilis & seipsum nunquam quærens. Vbi enim seipsum aliquis quærit, ibi amor cadit. Est amor, circunspectus, humilis & rectus, non mollis, non leuis, nec vanis intendens rebus, sobrius, castus, stabilis, quietus, & in cunctis sensibus custoditus. Est amor subiectus & obediens prælatis, sibi vilis & despectus Deo deuotus & gratificatus, confidens, & semper sperans in eo etiam cùm sibi non sapit Deus, quia sine dolore non viuitur in amore, qui non est paratus omnia pati, & ad voluntatem stare dilecti, non est dignus amator appellari. Oportet amantem omnia dura & amara propter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

1. Cor. 13. Ezech. 33.

1. Cor. 10. & Phil. 2.

Rom. 8.

DE PROBATIONE VERI amatoris.

CAPVT VI.

FIlli non es adhuc fortis & prudẽs amator. Quare Domine? Quia propter modicam contrarietatem deficis à cœptis, & nimis auidè consolationem quæris. Fortis amator stat in tentationibus, nec callidis credit suasionibus inimici. Sicut in prosperis ei placet, ita nec in aduersis displicet. Prudens amator, non tam donum amantis considerat, quam dantis amorem. Affectum potius attendit, quam censum, & infrà dilectum omnia data ponit. Nobilis amator non quiescit in dono, sed in me super omne donum. Non est ideò totum perditum, si quandoq; minus benè de me, vel de Sanctis meis sentis quam velles. Affectus ille bonus & dulcis quem internum percipis: affectus gratiæ, præsentis est, & quidem prægustus patriæ cœlestis, super quo non nimium innitendum, quia vadit & venit. Certare autem aduersus incidentes malos animi motus, suggestionemq; spernere diaboli, insignis est virtutis & magni meriti. Non ergo te comburét alienæ phantasiæ de quacunque materia, ingestæ. Forte serua propositum & intentionem rectam ad Deum. Nec est illusio quod aliquando in excelsum subito rapieris, & statim ad ineptias solidas cordis reuerteris. Illas enim inuitè magis pateris, quàm agis, & quam diu displicent & reniteris, meritum est, & non perditio. Scito quod antiquus inimicus omninò nititur impedire desiderium tuum in bono, & ab omni deuoto exercitio euacuare, à Sanctorum scilicet culto, à pia Passionis memoria, à peccatorum vtili recordatione, à proprij cordis custodia, & à firmo proposito proficiendi in virtute. Multas malas cogitationes ingerit, vt tædiũ tibi faciat & horrorem: vt ab oratione reuocet, & sacra lectione. Displicet ipsi humilis confessio, & si posset, à communione cessare faceret. Non credas ei neque cures illum, licet sæpius tibi deceptionis tenderit laqueos. Ipsi imputa, cum mala ingerit & immunda: dicito illi: Vade immunde spiritus, erubesce miser, valdè immundus es tu, qui talia infers auribus meis. Discede à me seductor pessime, non habebis in me partem vllam, sed Iesus mecum erit tanquam bellator fortis, & tu stabis confusus. Malo potius mori, & omnem pœnam subire, quàm tibi consentire. Tace & obmutesce, non audiam te amplius: licet mihi plures moliaris molestias. *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Dominus adiutor meus, & redemptor meus.* Certa tanquam miles bonus, & si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia mea, & multum præcaue à vana complacentia & superbia. Propter hoc multi in

Phil. 4. Verus Dei amator quis.

Matt. 4.

Matt. 4. & 16.

Psal. 26.

Psal. 18.

ti in errorem ducuntur & in cœcitatem penè incurabilem quandoque labuntur. Sit tibi in cautelam, & perpetuam humilitatem ruina hæc superborum de se stultè præsumentium.

DE OCCULTANDA GRATIA
sub humilitatis custodia.

CAPVT VII.

FIli vtiliùs est tibi & securiùs deuotionis gratiã abscondere, nec in altum te efferre, nec multum inde loqui, neque multum ponderare: sed magis temetipsum despicere, & tanquam indigno data timere. Non est huic affectioni tenacius inhærendum, qui citius potest mutari in contrarium. Cogita in gratia, quàm miser & inops esse soles sine gratia. Nec est in eo tantum spiritualis vitæ profectus, cum consolationis habueris gratiam: sed quum humiliter & abnegate, patienterq; tuleris eius subtractionem: ita, quod nunc ab orationis studio non torpeas, nec reliqua opera tua ex vsu facienda omninò dilabi permittas: sed sicut optimè potueris & intellexeris, libenter quod in te est, facias: nec propter ariditatem, seu anxietatem mentis quam sentis, te totaliter negligas. Multi enim sunt qui, cùm non bene eis successerit, statim impatientes fiunt, aut desides: Non enim semper est in potestate hominis via eius, sed Dei est dare & consolari quando vult, & quantum vult, & cui vult, sicut sibi placuerit & non amplius. Quidam incauti propter deuotionis gratiã seipsos destruxerunt, quia plus agere voluerunt quã potuerunt, non pensantes suæ paruitatis mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quam rationis iudicium. Et quia maiora præsumpserunt, quàm Deo placitum fuit, idcirco gratiam citò perdiderũt. Facti sunt inopes, & viles relicti, qui in cœlo posuerunt nidum sibi, vt humiliati & depauperati, discãt non in aliis suis volare, sed sub pennis meis sperare. Qui adhuc noui sunt & imperiti in via Domini, nisi consilio discretorum se regant, facilius decipi possunt & elidi. Quod si suum sentire magis sequi, quã aliis exercitatis credere volunt, erit eis periculosior exitus, situm retrahi à proprio conceptu non voluerint. Rarò sibi ipsis sapientes, ab aliis regi humiliter patiuntur. Melius est, modicum sapere cum humilitate & parua intelligentia, quàm magni scientiarũ thesauri, cum vana complacentia. Melius est tibi minus habere, quàm multum, vnde possis superbire. Non satis discretè agit, qui se totum lætitiæ tradit, obliuiscens pristinæ inopiæ suæ, & casti timoris Domini, qui timet gratiam oblatam amittere. Non etiam satis virtuosè sapit, qui tempore aduersitatis & cuiusquam grauitatis nimis desperatè se gerit, & minus fidenter de me, quàm oportet, recogitat ac sentit: qui tempore pacis nimis securus esse voluerit, sæpè tempore belli nimis deiectus, & formidolosus reperietur: si scires semper humilis & modicus in te manere, nec non spiritum tuum benè moderari ac regere, non incideres tam citò in periculum & offensam. Consilium bonum est, vt feruoris spiritu concepto, mediteris quid futurum sit abscedente lumine. Quod cùm contigerit, recogita, & denuo posse lucem reuerti, quam ad cautelam tibi, mihi autẽ ad gloriam, ad tempus subtraxi. Vtilior est enim sæpè talis probatio, quam si semper prospera pro tua haberes voluntate. Nã merita nõ sunt ex hoc æstimãda, si quis plures visiones aut consolationes habeat, vel si peritus sit in scripturis, aut in altiori ponatur gradu: sed si vera fuerit humilitate fundatus, & diuina charitate repletus, si Dei honorem purè & integrè semper quærat: si seipsum nihil reputet, & in veritate despiciat, atque ab aliis etiam despici & humiliari, magis gaudeat, quam honorari.

Spiritalis profectus in quo potissimum consistat.

Hier. 10. Rom. 9.

Deuotio non violenter extorquenda.

Esa 14.

Nouitij magistro suo parent.

Prou. 15 & 16.

1. Thes. 5.

Iob 17.

Psal. 83.

Granat. O p usc. spiritual.

DE VILI ÆSTIMATIONE SVI
ipsius in oculis Dei,

CAPVT VIII.

LOquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis. Si me amplius reputauero, ecce tu stas contra me, & dicunt testimonium verum iniquitates meæ, nec possum contradicere. Si autem me vilificauero & ad nihilum redegero, & ab omni propria reputatione defecero, atque sicut sum, puluerificauero: erit mihi propitia gratia tua, & vicina cordi meo lux tua: & omnis æstimatio quantumcunque minima in valle nihili ætatis meæ submergetur, & peribit in æternum. Ibi ostendes me mihi quid sum, quid fui, & de quo veni: quia nihil, & de nihilo. Si mihi ipsi relinquor, ecce nihil, & tota infirmitas. Si autem subito me respexeris, statim fortis efficior, & nouo repleor gaudio. Et mirum valdè, quod sic repentè subleuor, & tam benignè à te complector, qui proprio pondere semper ad ima feror. Facit hoc amor tuus gratis præueniens me, & in tam multis subueniens necessitatibus, à grauibus quoque custodiens me periculis, & ab innumeris (vt verè dicam) eripiens malis. Me siquidem malè amando me perdidi, & te solum quærendo, & purè amando, me, & te pariter inueni, atque ex amore profundiùs ad nihilum redegi. Quia tu ô dulcissime facis mecum supra meritum omne, & supra id, quod audeo sperare vel rogare. Benedictus sis Deus meus: quia licet omnibus bonis sim indignus, tua tamen nobilitas, & infinita bonitas, nunquam cessat benefacere, etiam ingratis, & longè à te auersis. Conuerte nos ad te, vt simus grati, humiles & deuoti: quia salus nostra tu es, virtus, & fortitudo nostra.

Gen. 18.

Ioan. 12.

Matt. 5.

QVOD OMNIA AD DEVM, SICVT
ad finem vltimum, sunt referenda.

CAPVT IX.

FIli ego debeo esse finis tuus supremus & vltimatus, si verè desideras esse beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sæpius ad seipsum & ad creaturas malè incuruatus. Nam si teipsum in aliquo quæris, statim in te deficis, & arescis. Omnia ergo principialiter ad me referas, quia ego sum, qui omnia dedi. Sic singula considera, sicut ex summo bono manantia, & ideò ad me tanquam ad suam originem cuncta sunt reducenda. Ex me pusillus & magnus, pauper & diues, tanquam ex fõte viuo aquam hauriunt viuam, & qui mihi sponte & liberè deseruiunt gratiam pro gratia accipient. Qui autem extra me voluerit gloriari, vel in aliquo priuato bono delectari, non stabilietur in vero gaudio, neque in corde suo dilatabitur: sed multipliciter impedietur, & angustiabitur. Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuas; sed totum da Deo, sine quo nihil habet homo. Ego totum dedi, ego totum te habere volo; & cum magna districtione gratiarum actiones requiro. Hæc est veritas qua fugatur gloriæ vanitas. Et si intrauerit cœlestis gratia & vera charitas, non erit aliqua inuidia, nec contractio cordis, nec priuatus amor occupabit. Vincit enim omnia diuina charitas, & dilatat omnes animæ vires. Si rectè sapis, in me solo gaudebis, in me solo sperabis, quia nemo bonus, nisi solus Deus, qui est super omnia laudandus, & in omnibus benedicendus.

Vltimus finis noster Deus, & ad eum omnia referenda.

Eccl. 1.

Ioan. 4.

1. Cor. 1.

1. Cor. 4.

Matt. 19. & Luc. 18.

QVOD STRETO MVNDO,
dulce est seruire Deo.

CAPVT X.

NVnc iterum loquar Domine, & non silebo, dicam in auribus Dei mei, Domine mei, & re-

gis mei, qui est in excelso. *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti, timentibus te?* Sed quid es amantibus? quid toto corde tibi seruientibus. Verè ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te. In hoc maximè ostendisti dulcedinem charitatis tuæ, quia quum nõ essem fecisti me, & quum errarem longè à te reduxisti me, vt seruirem tibi: & præcepisti, vt diligam te. O fons amoris perpetui, quid dicam de te? quomodo potero tui obliuisci, qui mei dignatus es recordari? Etiam postquam contabui & perij, fecisti vltra omnem spem misericordiam cum seruo tuo, & vltra omne meritum, gratiam & amicitiam exhibuisti, quid retribuam tibi pro gratia ista? Non enim omnibus datum est, vt omnibus abdicatis seculo renuntient, & mõnasticum vitam assumant. Nunquid magnum est, vt tibi seruiam, cui omnis creatura seruire tenetur? Non magnum mihi videri debet seruire tibi, sed potius hoc mihi magnum & admirandum apparet, quòd tam pauperem & indignum digneris in seruum recipere, & dilectis seruis tuis adunare. Ecce omnia tua sunt, quæ habeo & vnde tibi seruio. Veruntamen vice versa tu magis mihi seruis, quam ego tibi. Ecce cœlum & terra quæ in ministerio hominis creasti, & præsto sunt, & faciunt quotidiè quæcunque mandasti. Et hoc parum est, quin etiam angelos in ministerio hominis creasti & ordinasti. Transcendit autem hæc omnia, quod tu ipse seruire homini dignatus es, & teipsum ei daturum promisisti. Quid dabo tibi pro omnibus istis millibus bonis? Vtinam possem tibi seruire cunctis diebus vitæ meæ: vtinam vel vno die dignum seruitium exhibere sufficerem. Verè tu es dignus omni seruitio, omni honore & laude æterna. Verè Dominus meus es, & ego pauper seruus tuus, qui totis viribus teneor tibi seruire, nec vnquam in laudibus tuis debeo fastidire: Sic volo, sic desidero: & quicquid mihi deest, tu digneris supplere. Magnus honor, magna gloria tibi seruire, & omnia propter te contemnere: Habebunt etiam gratiam magnam qui sponte se subiecerunt tuæ sanctissimæ seruituti. Inuenient suauissimam sancti Spiritus consolationem, qui pro amore tui carnalem abiecerunt delectationem. Consequenter magnam cordis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam. O grata & iucunda Dei seruitus, qua homo veraciter efficitur liber & sanctus. O sacer status religiosi famulatus qui hominem angelis reddit æqualem, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem. O amplectendum, & semper optandum seruitium, quo summum promeretur bonum & gaudium acquiritur sine fine mansurum.

Pſal.30. Gen.1. Pſal.118, & Matt.15. Iud.16. 1.Cor.4. Pſal.90 & Heb.1. Matt.19. Matt.7. Matt.11.& 1.Ioan.3.

QVOD DESIDERIA CORDIS EXAminanda sunt & moderanda.

CAPVT XI.

Filli oportet te adhuc multa addiscere, quæ necdum benè didicisti. Quæ sunt hæc Domine? Vt desiderium tuum ponas totaliter secundùm beneplacitum meum & tui ipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus amator & æmulator. Desideria te sæpè accendunt, & vehementer impellunt, sed considera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis mouearis: si ego sum in caussa bene contentus eris, quomodocunque ordinauero. Si autem de proprio quæstu aliquid lateat, ecce hoc est quòd te impedit & grauat. Caue ergo, ne nimium innitaris super desiderio præconcepto me non consulto, ne forte postea pœniteat, & displiceat, quod primo placuit, & quasi pro meliori zelasti. Non enim omnis affectio, quæ videtur bona, statim est sequenda, sed nec omnis contraria affectio ad primum aspectum fugienda. Expedit interdum refrenatione vti, etiam in bonis studijs & desiderijs, ne per importunitatem mentis distractionem incurras, ne alijs per indisciplinationem scandalum generes, vel etiam per resistentiam aliorum subitò turberis & corruas. Interdum verò oportet violentia vti, & viriliter appetitui sensitiuo contraire, nec aduertere quid velit caro & quid nõ velit, sed hoc magis satagere, vt subiecta sit etiam nolens spiritui, & tamdiu castigari debet, & cogi seruituti subesse, donec parata sit ad omnia, paucisque contentari discat, & simplicibus delectari, nec contra aliquod incontueniens murmurare.

Desideria pia quomodo discutienda. Phil.2. Matt.11. Rom.8. & 2.Cor.4. *Caro spiritui subiuganda.* 1.Cor.9.

DE INFORMATIONE PATIENTIÆ, & luctamine aduersus concupiscentias.

CAPVT XII.

Domine Domine Deus, vt audio, patientia est mihi valdè necessaria: multi enim in hac vita accidunt contraria. Nam qualitercunque ordinauero de pace mea, non potest esse sine bello & dolore vita mea. Ita est fili: Non autem volo te talem quærere pacem quæ tentationibus careat, aut contraria non sentiat: sed tunc etiam existimare te pacem inuenisse, quum fueris varijs tribulationibus excitatus, & in multis contrarietatibus probatus. Si dixeris te non multa posse pati, quomodo tunc sustinebis ignem purgatorij? De duobus malis semper minus malum est eligendum. Vt ergo æterna futura supplicia possis euadere, mala præsentia studeas pro Deo æquanimiter tolerare. An putas, quod homines seculi huius, nihil aut parum patiantur? Nec hoc inuenies, etiamsi delicatissimos quæsieris. Sed habent, inquis, multas delectationes, & proprias sequuntur voluntates: ideoque parum ponderant suas tribulationes. Esto quòd ita sit, vt habeant quicquid voluerint, sed quandiu putas durabit? Ecce quemadmodum fumus, deficient abundantes in seculo & nulla erit recordatio præteritorum gaudiorum. Sed & quum adhuc viuunt, non sine amaritudine & tædio ac timore, in eis quiescunt. Ex eadem nanq; re, vnde delectationem concipiunt, sibi inde doloris pœnã frequenter recipiunt, iustè illis fit, vt quia inordinatè delectationes quærunt & sequuntur: non sine amaritudine & confusione eas expleant. O quã breues, quam falsæ, quàm inordinatæ: & turpes omnes sunt? Veruntamen, præ ebrietate & cœcitate nõ intelligunt: sed velut muta animalia propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum, mortem animæ incurrunt. Tu ergo fili post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Etenim si veraciter vis delectari, & abundantius à me consolari, ecce in contemptu omnium mundanorũ, & in abscisione omniũ infimarum delectationũ erit benedictio tua, & copiosa reddetur tibi consolatio. Et quanto plus te ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tanto in me suauiores & potentiores consolationes inuenies. Sed primò non sine quadam tristitia & labore certaminis ad has pertinges. Obsisteret insolita consuetudo? sed meliori consuetudine deuincitur. Remurmerabit caro: sed feruore spiritus refrenabitur. Instigabit te & exacerbabit serpens antiquus, sed oratione fugabitur, insuper & labore vtili aditus ei magnus obstruetur.

Heb.10. Iob.7. *Pax quanã quærenda sit.* Pſal.67. Eccl.1. Pſal.36.

DE OBEDIENTIA HUMILIS SVBditi ad exemplum Iesu Christi.

CAPVT XIII.

Filli qui se subtrahere nititur ab obedientia, ipse se subtrahit à gratia. Et qui quærit habere pri-

Matt.16.

priuatâ, amittit communia. Qui non libenter & sponte suo superiori se subdit, signum est quod caro eius necdum perfectè ipsi obedit: sed sæpè recalcitrat & murmurat. Disce ergo celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subiugare. Citius namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit deuastatus. Non est molestior & peior animæ hostis, quam tu ipse tibi non bene concordans spiritui. Oportet enim verum te assumere tui ipsius contemptum si vis prævalere aduersus carnem & sanguinem, quia adhuc nimis inordinatè diligis, ideò plenè te resignare aliorum voluntati trepidas. Sed quid magnum, si tu qui puluis es, & nihil propter Deum te subdis homini, quando ego omnipotens & altissimus qui cuncta creaui ex nihilo, me homini propter te subieci humiliter: Factus sum omnium humillimus & infimus, vt tuam superbiam mea humilitate vincerem. Disce obtemperare puluis, disce te humiliare terra & limus, & sub omnium pedibus incuruare: disce voluntates tuas frangere, & ad omnium subiectionem te dare. Exardesce contra te, nec patiaris tumorem in te viuere, sed ita subiectum & paruulum te exhibe, vt omnes super te ambulare possint, & sicut lutũ platearum conculcare. Quid habes homo inanis conqueri? Quid sordide peccator potes contradicere exprobantibus tibi, qui totiens Deum offendisti, & totiens infernum meruisti? Sed pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo, vt cognosceres dilectionem meam, & gratus semper beneficijs meis existeres, & ad veram subiectionem & humilitatem te iugiter dares: patienterque proprium contemptum ferres.

Matt. 16.

Luc. 2. & Ioan. 12. *Deus se homini subijcit, & idem non faceret homo.*

DE OCCVLTIS DEI IVDICIIS CONsiderandis, ne extollamur in bonis.

CAPVT XIV.

INtonas super me iudicia tua Domine, & timore, ac tremore concutis omnia ossa mea, & expauescit anima mea valdè. Sto attonitus & considero, quia *cœli non sunt mundi in conspectu tuo.* Si in angelis reperisti prauitatem, nec tamẽ pepercisti: quid fiet de me? Cæciderunt stellæ de cœlo, & ego puluis, quid præsumo? Quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima, & qui comedebant panem angelorum, vidi siliquis delectari porcorum. Nulla est ergo sanctitas, si manum tuam Domine retrahas. Nulla sapientia prodest, si gubernare desistas. Nulla iuuat fortitudo, si conseruare desinas. Nulla secura castitas: si eam non protegas. Nulla propria prodest custodia si non adsit tua sacra vigilantia. Nam relicti mergimur & perimus, visitati verò viuimus, & erigimur. Instabiles quippe sumus, sed per te confirmamur, tepescimus, sed à te accendimur. O quam humiliter & abiecte mihi de me ipso sentiendum est, quam nihil pendendum, si quid boni videor habere. O quam profunde me submittere debeo sub abyssalibus iudicijs tuis domine, vbi nihil aliud me esse inuenio, quam nihil de nihilo. O pondus immẽsum, ô pelagus transnatabile, vbi nihil de me reperio, quam nihil in toto nihil. Vbi est ergo latebra gloriæ, vbi confidentia de gloria concepta? Absorpta omnis est gloria vana in profunditate iudiciorum tuorum super me. Quid est omnis caro in conspectu tuo? Nũquid gloriabitur lutum contra formantem se? quomodo potest erigi vaniloquio, cuius cor in veritate subiectum est Deo? Non eum totus mundus erigeret, quem sibi subiecit veritas, nec omnium laudantium ore mouebitur, qui totam spem suam in Deo firmauit. Nam & ipsi qui loquuntur, ecce omnes nihil & deficient cum sonitu verborum. *Veritas* autem *Domini manet in æternum.*

Iob. 15. Iob. 4.

Apoc. 8. Psal. 77.

Absque auxilio Dei nihil.

Eccl. 23. & Isa. 29.

Psal. 116.

Granat. Opusc. Spirit.

QVALITER STANDVM SIT AD dicendum in omni re desiderabili.

CAPVT XV.

FIli fic dicas in omni re: Domine si tibi placitum fuerit, fiat hoc ita. Domine si sit honor tuus, fiat in nomine tuo hoc Domine, si mihi videris expedire & vtile esse probaueris, tunc da mihi hoc vti ad honorem tuum: sed si mihi nociuum fore cognoueris, nec animæ meæ saluti prodesse, aufer à me tale desiderium. Non enim omne desiderium à Spiritu sancto est, etiam si homini videatur rectum aut bonum. Difficilè est pro vero iudicare, vtrum spiritus bonus an alienus te impellat ad desiderandum hoc vel illud, an etiã ex proprio mouearis spiritu. Multi in fine sunt decepti, qui primo bono spiritu videbãtur inducti. Igitur semper cum timore Dei, & cordis humilitate desiderandum est & petendũ quicquid desiderabile menti occurrit, maximeque cum propria resignatione, mihi totum committendum est, atque dicendum: Domine tu scis qualiter melius est, fac hoc vel illud sicut volueris. Da quod vis, & quantum vis, & quando vis. Fac mecum sicut scis, & sicut tibi magis placuerit, & maior honor tuus fuerit. Pone me vbi vis, & liberè agè mecum in omnibus. In manu tua ego sum gyra & reuersa me per circuitum. En ego seruus tuus paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi viuere: sed tibi, vtinam dignè & perfectè.

Iac. 3. *Quomodo petendum.*

Oratio pro beneplacito Dei perficiendo.

COncede mihi benignissime Iesu gratiam tuã, vt mecum sit & mecum laboret, mecumque vsque in finem perseueret. Da mihi hoc semper desiderare & velle quod tibi magis acceptum & charius placet. Tua voluntas mea sit, & mea voluntas tuam sequatur semper & optimè ei concordet. Sit mihi vnum velle & nolle tecum, nec aliud posse velle ac nolle, nisi quod tu vis & nolis. Da mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt, & propter te amare, contemni & nesciri in hoc seculo. Da mihi super omnia desiderata in te quiescere, & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies extra te omnia sunt dura, & inquieta. *In* hac *pace in idipsum*, hoc est, in te vno summo & æterno bono, *dormiam & requiescam.*

Sap. 9.

Psal. 4.

QVOD VERVM SOLATIVM IN solo Deo est quærendum.

CAPVT XVI.

QVicquid desiderare vel cogitare possum, ad solatium meum non hic expecto, sed in posterum: quòd si omnia solatia mundi solus haberem & omnibus delitijs frui possem, certum est quod diu durare non possem. Vnde non poteris anima mea plenè consolari, nec perfectè recreari, nisi in Deo consolatore pauperum & susceptore humiliũ. Expecta modicum anima mea, expecta diuinum promissum & habebis abundantiam omnium bonorum in cœlo. Si nimis inordinatè ista appetis præsentia, perdes æterna & cœlestia. Sint temporalia in vsu, æterna in desiderio. Non potes aliquo bono tẽporali satiari: quia ad hoc fruendum non es creata. Etiamsi omnia bona creata haberes, non posses esse felix & beata: sed in Deo qui cuncta creauit, tua beatitudo & felicitas consistit: nõ qualis videtur & laudatur à stultis mundi amatoribus: sed qualem expectant boni Christi fideles, & prægustant interdũ spirituales ac mundi corde, quorũ conuersatio est in cœlis. Vanũ est & breue omne humanũ solatium. Beatum & verum solatium, quòd intus à veritate percipitur.

Matt. 16.

Psal. 76. *In Deo omnis beatitudo & solatium.*

Sap. 2.

Phil. 3.

pitur. Deuotus homo vbique secum fert consolatorem suum Iesum, & dicit ad eum: Adesto mihi Domine Iesu in omni loco & tempore. Hæc mihi sit cõsolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & iusta probatio pro summo solatio. *Non* enim *in perpetuum irascêris, neque in æternum comminaberis.* Psal. 102.

QVOD OMNIS SOLICITVDO *in Deo ponenda sit.*

CAPVT XVII.

Fili sine me tecum agere quod volo: ego scio quid expediat tibi. Tu cogitas vt homo, in multis sentis, sicut tibi humanus suadet affectus. Matt. 6, & Ioan. 5. Domine verum est quod dicis: Maior est solicitudo tua pro me, quàm omnis cura quam ego possim gerere pro me. Nimis enim casualiter stat qui non proijcit omnem solicitudinem suam in te. Domine dũmodo voluntas mea recta & firma, ad te permaneat, fac de me quicquid tibi placuerit. Non enim potest esse nisi bonum quicquid de me feceris: Si me vis esse in tenebris, sis benedictus: & si me vis esse in luce, sis iterum benedictus. Si me dignaris consolari, sis benedictus & si me vis tribulari, æquè sis semper benedictus. Fili sic oportet te stare, si mecum desideras ambulare. Ita promptus debes esse ad patiendum sicut ad gaudendum. Ita libenter debes esse inops & pauper, sicut plenus & diues. Domine libẽter patiar pro te, quicquid volueris venire super me. Indifferenter volo de manu tua bonum & malum, dulce & amarum, lætum ac triste suscipere, & pro omnibus mihi contingentibus gratias agere. Custodi me ab omni peccato, & non timebo mortem, nec infernum, dummodo in æternum me non proijcias, nec deleas me de libro vitæ: non mihi nocebit quicquid venerit tribulationis super me.

Ruina proximus est, qui Deo non confidit.

Iob 2.

Psal. 22.

QVOD TEMPORALES MISERIÆ *Christi exemplo, æquanimiter sunt ferendæ.*

CAPVT XVIII.

Fili ego descendi de cœlo pro tua salute, suscepi tuas miserias non necessitate, sed charitate trahente, vt patientiam discas, & temporales miserias non indignanter ferres. Nam ab hora ortus mei vsque ad exitum in cruce non defuit mihi tolerantia doloris, defectum rerum temporalium magnum habui, multas quærimonias de me frequẽter audiui, confusiones & opprobria benignè sustinui, pro beneficijs ingratitudinem recepi, pro miraculis blasphemias, pro doctrina reprehensiones: Domine quia fuisti patiens in vita tua, hoc maximè implendo præceptum Patris tui: dignum est vt ego misellus peccator secundùm voluntatem tuam patienter me sustineam, & donec ipse volueris, onus corruptibilis vitæ, pro salute mea portem. Nam & si onerosa sentitur præsens vita, facta est tamen iam per gratiam tuam valdè meritoria, atque exemplo tuo & Sanctorum tuorum vestigijs, infirmis tolerabilior & clarior: sed & multo magis consolatoria, quàm olim in lege veteri fuerat, quum porta cœli clausa persisteret, & obscurior etiam via videbatur, quando tam pauci regnum cœlorum quærere curabant. Sed neque qui tunc iusti erant & saluandi ante passionem tuam, & sacræ mortis debitum cœleste regnum poterant introire. O quantas tibi gratias teneor referre, quod rectam & bonam viam dignatus es mihi & cunctis fidelibus ad æternum regnum tuum ostendere? Nam via tua via nostra, & per sanctam patientiam ambulamus ad te, qui es patientia nostra: nisi tu nos præcessisses, & docuisses, quis sequi curaret? Heu quanti longè retroque manerent, nisi tua præclara exempla inspicerent. Ecce adhuc tepescimus auditis tot signis tuis & doctrinis, quid fieret, si tantum lumen ad sequendum te non haberemus. Ioan. 5. Esa 53. Luc. 2. *Christus patientiæ exemplum.* Ioan. 9. Matt. 7. Ioan. 12.

DE TOLERANTIA INIVRIARVM, *& quis verus patiens probetur.*

CAPVT XIX.

QVid est quod loqueris fili; Cessa conqueri. Cõsidera meam & aliorum sanctorum passionẽ. *Nondum vsque ad sanguinem restitisti.* Parum est quod tu pateris in comparatione eorum qui tam multa passi sunt, tam fortiter tentati, tam grauiter tribulati, tam multipliciter probati & exercitati. Oportet te igitur aliorum grauiora ad mentem reducere, vt leuius feras tua minima. Et si tibi minima non videntur, vide ne & hoc tua faciat impatientia. Siue tamen parua siue magna sint, stude cuncta patienter ferre. Quantò melius te ad patiendum disponis, tanto sapientius agis, & amplius promereris, & feres leuius animo, & vsu ad hoc non segniter paratus. Nec dicas non valeo hoc ab homine tali pati, nec huiusmodi mihi patienda sunt: graue enim intulit damnum & improperat mihi quæ nunquam cogitaueram, sed ab alio libenter paterer & sicut patienda videro. Insipiens est talis cogitatio, quæ virtutem patientiæ non considerat, nec à quo coronanda erit, sed magis personas & offensas sibi illatas perpendit. Non est verus patiens qui non vult pati, nisi quantum sibi visum fuerit, & à quo sibi placuerit. Verus autem patiens non attendit à quo homine, vtrum à Prælato suo an ab aliquo æquali aut inferiori: vtrum à bono & sancto viro, an à peruerso & indigno exerceatur, sed indifferenter ab omni creatura quantumcunq; & quotiescunq; ei aliquid aduersi acciderit, totum hoc grataṅter de manu Dei accipit & ingens lucrum reputat: quia nihil apud Deum quantumlibet paruum pro Deo tamen passum, poterit sine merito transire. Esto igitur expeditus ad pugnam, si vis habere victoriam. Sine certamine non poteris venire ad patientiæ coronam. Si pati non vis, recusas coronari: si autem coronari desideras, certa viriliter, sustine patienter. Sine labore non tenditur ad requiem: nec sine pugna peruenitur ad victoriam. Fac mihi Domine possibile per gratiã quod mihi impossibile videtur per naturã. Tu scis quod modicum possum pati, & quòd citò deijciar leui exurgente aduersitate. Efficiatur mihi quælibet exercitatio tribulationis pro nomine tuo amabilis & optabilis, nam pati & vexare pro te valdè salubre est animæ meæ. Heb. 12. Heb. 11. *Verus patiens quis.* 2. Tim. 2.

DE CONFESSIONE PROPRIÆ *infirmitatis & huius vitæ miseriis.*

CAPVT XX.

COnfitebor aduersum me iniustitiam meam: confitebor tibi Domine infirmitatem meam. Sæpè parua res est, quæ me deijcit & contristat. Propono mè fortiter acturum, sed quum modica tẽtatio venerit, magna mihi sit angustia. Valdè vilis quandoque res est, vnde grauis tentatio prouenit, & dum puto me aliquantulum tutum, quam non sentio, inuenio me nonnunquam penè deiectum esse leui flatu. Vide ergo Domine humilitatem meam & fragilitatem tibi vndique notam. Miserere mei, & eripe me de luto, vt non infigar, non permaneam deiectus vsquequaque. Hoc est quod me frequenter reuerberat, & coram te confundit quod tam labilis sum, & infirmus ad resistendum passionibus. Et si non omninò ad consensionem trahit, tamen mihi etiam molesta & grauis est eorum Psal. 31. *Fragilitas humana.* Psal. 24. Psal. 68.

sorum insectatio & tædet valdè sic quotidie viuere in lite. Ex hinc nota fit mihi infirmitas mea: quia multò facilius irruunt abominandæ semper phantasię, quàm discedunt: Vtinam fortissimus Deus Israel, zelator animarum fidelium respicias serui tui laborem & dolorem, assistasque illi in omnibus ad quęcunque perrexerit. Robora me cœlesti fortitudine: ne vetus homo misera caro spiritui necdum plenè subiecta valeat dominari: aduersus quam certare oportebit quamdiu spiratur in hac vita miserrima. Heu qualis hęc est vita, vbi non desunt tribulationes & miseriæ, vbi plena laqueis & hostibus sunt omnia. Nam vna tribulatione seu tentatione recedente, alia accedit: sed adhuc priore durante conflictu alij plures superueniunt & insperatè. Et quomodo potest amari vita, habens tantas amaritudines, & tot subiecta calamitatibus & miserijs? Quomodo etiam dicitur vita tot generans mortes & pestes? & tamen amatur, & delectari in ea à multis quæritur? Reprehenditur frequenter mundus quod fallax sit & vanus, nec tamen facilè relinquitur: quia concupiscentiæ carnis nimis dominantur. Sed alia trahunt ad amandum, alia ad contemnendum. Trahunt ad amorem mundi desiderium carnis, desiderium oculorum & superbia vitæ: sed pœnę ac miseriæ sequentes ea, odium mundi pariunt & tædium. Sed vincit proh dolor delectatio prauæ mentè mundo deditam, & esse sub sentibus delitias reputat; quia Dei suauitatem & internam virtutis amœnitatem nec vidit nec gustauit: qui autem mundum perfectè contemnunt, & Deo viuere sub sancta disciplina student, ij diuinam dulcedinem veris abrenuntiatoribus promissam non ignorant, & quàm grauiter mundus errat, & varie fallitur vident.

1. Ioan. 2.

Iob. 30.

QUOD IN DEO SUPER OMNIA bona, & dona requiescendum est.

CAP. XXI.

SVper omnia & in omnibus requiesce anima mea in Domino semper: quia ipse est Sanctorum æterna requies. Da mihi dulcissime & amantissime Iesu in te super omnem creaturam requiescere, super omnem salutem & pulchritudinem; super omnem gloriam & honorem, super omnem potentiam & dignitatem, super omnem scientiam & subtilitatem, super omnes diuitias & artes, super omnem lætitiam & exultationem, super omnem famam & laudem, super omnem suauitatem & cõsolationem, super omnem spem & promissionem, super omne meritum & desiderium, super omnia dona & munera, quæ potes dare & infundere, super omne gaudium & iubilationem, quàm potest mens capere & sentire. Denique super omnes Angelos & Archangelos, & super omnem exercitum cœli, super omnia visibilia, & inuisibilia, & super omne, quod tu Deus meus non es: quia tu Deus meus super omnia optimus es, tu solus altissimus, tu solus potentissimus, tu solus sufficientissimus, & solatiosissimus, tu solus pulcherrimus, & amabilissimus, tu solus nobilissimus & gloriosissimus super omnia, in quo cuncta bona simul perfectè sunt, fuerunt & erunt: atque ideò minus est & insufficiens quicquid præter teipsum mihi donas, aut de teipso reuelas vel promittis non viso, nec plene adepto. Quoniam quidem non potest cor meum veraciter requiescere nec totaliter contentari nisi in te requiescat, & omnia dona omnemque creaturam transcendat. O mi dulcissime sponse Iesu Christe amator purissime, dominator vniuersæ creaturę, quis mihi det pennas verè libertatis ad volandum & pausandum in te? O quando ad plenum dabitur vacare mihi, & videre quam suauis es Domine Deus meus? Quando ad plenum recolligam me in te, vt præ amore tui non sentiam me, sed te solum super omnem sensum & modum in modo non omnibus noto? Nunc autem frequenter gemo, & infelicitatem meam cum dolore porto: quia multa mala in hac valle miseriarum occurrunt, quæ me sępius conturbant, contristant, & obnubilant: sæpius impediunt, distrahunt, alliciunt, implicant, ne liberum habeam accessum ad te, & ne iucundis fruar amplexibus præsens semper beatis spiritibus. Moueat te suspirium meum, & desolatio multiplex in terra. O Iesu splendor æternę gloriæ, solamen peregrinantis animæ: apud te est os meum sine voce, & silentium meum loquitur tibi. Vsquequo tardat venire Dominus meus? Veniat ad me, pauperculum suum, & lætum faciat. Mittat manum suam, & me miserum eripiat de omni angustia. Veni, veni quia sine te nulla erit quieta dies aut hora, quia tu lętitia mea, & sine te vacua est mensa mea. Miser sum & quodammodo incarceratus, & compedibus grauatus, donec luce præsentiæ tuæ me reficias, ac libertati dones, vultumque amicabilem demonstres. Quærant alij pro te aliud quodcunque libuerit: & mihi aliud interim nil placet nec placebit nisi tu Deus meus, spes mea, salus æterna. Non reticebo nec deprecari cessabo, donec gratia tua reuertatur, mihique tu intus loquaris. Ecce adsum. Ecce ergo ad te, quia inuocasti me, lachrymæ tuæ & desiderium animæ tuæ, humiliatio tua, & contritio cordis inclinauerunt me, & adduxerunt ad te. Et dixi Domine, inuocauite, & desideraui fruite, paratus omnia respuere propter te. Tu enim prior excitasti me, vt quærerem te. Sis ergo Benedictus Domine, qui fecisti hanc bonitatem cum seruo tuo secundùm multitudinem misericordiæ tuæ. Quid habet vltra dicere Domine, seruus tuus coram te, nisi vt humiliet se valdè ante te, memor semper propriæ iniquitatis & vtilitatis? Non enim est similis tui in cunctis mirabilibus cœli & terrę. Sunt opera tua bona valdè Domine, iudicia vera: & prouidentia tua reguntur vniuersa. Laus ergo tibi & gloria ô Patris sapientia: te laudet, & benedicat os meum, anima mea & cuncta creata simul.

Deut. 13.

Psal. 85.

Rom. 8.

Cor nostrũ in solo Deo quiescere potest.

Psal. 53.

DE RECORDATIONE BENEFICIORUM Dei multiplicium.

CAP. XXII.

APeri Domine cor meum in lege tua & in præceptis tuis doce me ambulare. Da mihi intelligere voluntatem tuam, & cum magna reuerentia, ac diligenti consideratione beneficia tua tam in generali, quam in speciali memorari, vt dignè tibi ex hinc valeam gratias referre. Verum scio & confiteor nec pro minimo puncto me posse debitas gratiarum laudes persoluere. Minor ego sum omnibus bonis mihi præstitis: & quũ tuam nobilitatem attendo, deficit præ magnitudine illius spiritus meus. Omnia, quæ in anima habemus & in corpore, & quæcunque exterius vel interius naturaliter vel supernaturaliter possidemus tua sunt beneficia, & te beneficum, pium ac bonum commendant, à quo bona cuncta accepimus. Et si alius plura, alius pauciora accepit: omnia tamen tua sunt, & sine te nec minimum haberi potest. Ille, qui maiora accepit, non potest merito suo gloriari, nec super alios extolli, nec minori insultare: quia ille maior & melior, qui sibi minus adscribit, & in regratiando humilior est atque deuotior. Et qui omnibus viliorem se existimat, & indigniorem se iudicat, aptior est ad percipiendum maiora. Qui autem pauciora accepit, contristari non debet, nec indignanter ferre, neque

Psalm. 118.

Omnia Dei dona.

ditiori inuidere, sed te potius attendere, & tuam bonitatem maximè laudare, quod tam affluenter, tam libenter sine personarum acceptione tua munera largiris omnia ex te, & ideo in omnibus es laudandus. Tu scis, qui vnicuique donari expediat, & cur iste minus, & ille amplius habeat: non nostrum, sed tuum est hoc discernere, apud quem singulorum definita sunt merita. Vnde Domine Deus pro magno etiam repuro beneficio, non multa habere, vnde exterius, & secundùm homines laus & gloria appareat, ita vt quis considerata paupertate & vilitate personæ suę non modo grauitatem, aut tristitiam, vel dejectionem inde non concipiat: sed potius consolationem & hilaritatem magnam: quia tu Deus pauperes & humiles atque huic mundo despectos tibi eligisti in familiares & domesticos. Testes sunt ipsi Apostoli tui, quos principes super omnem terrã constituisti: fuerunt tamen sine querela conuersati in mundo, tam humiles & simplices sine omni malitia & dolo, vt etiam pati contumelias gauderent pro nomine tuo, & quæ mundus abhorret, ipsi amplecterentur affectu magno. Nihil ergo amatorem tui & cognitorem beneficiorum tuorum ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternę dispositionis tuæ, de qua tantum contentari debet & consolari: vt ita libenter velit esse minimus sicut aliquis optaret esse maximus, & ita pacificus & contentus in nouissimo, sicut in loco primo, atque ita libenter despicabilis, & abiectus, nullius quoque nominis & famæ, sicut cæteris honorabilior & maior in mundo. Non voluntas tua, & amor honoris tui, omnia excedere debet, & plus eum consolari, magisque placere, quam omnia beneficia ipsi data vel danda.

1. Cor. 1.

Psal 44. 1. Thes. 2.

Actor. 5.

DE QVATVOR MAGNAM IMportantibus pacem.

CAP. XXIII.

Fili nunc docebo te viam pacis & veræ libertatis. Fac Domine quod dicis: quia hoc mihi gratum est audire. Stude fili alterius potius facere voluntatem, quam tuam. Elige semper minus quã plus habere. Quære semper inferiorem locum, & omnibus subesse. Opta semper & ora, vt voluntas Dei integrè in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis & quietis. Domine sermo tuus iste breuis, multum in se continet perfectionis, paruus est dictu, sed plenus sensu, & vber in fructu. Nam si posset à me fideliter custodiri, non deberet tam facilis in me turbatio oriri: nam quoties me imparatum sentio & grauatum, ab hac doctrina me recessisse inuenio. Sed tu, qui omnia potes, & animæ profectum semper diligis, adauge maiorem gratiam, vt possim tuum complere sermonem, & meam perficere salutem.

Matt. 26. 1. Cor. 10. Luc. 14. Matt. 6.

Matt. 5.

Oratio contra cogitationes malas.

Pfal. 70.

Domine Deus meus, ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice, quoniam insurrexerunt in me cogitationes vanę: timores affligentes animam meam. Quomodo pertransibo illæsus? quomodo pertringam eas? Ego inquit, ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, aperiam ianuam carceris, & arcana secretorum reuelabo tibi. Fac Domine, vt loqueris & fugiant à facie tua omnes iniquæ cogitationes. Hæc est spes & vnica consolatio mea ad te in omni tribulatione confugere: tibi confidere, te ex intimo inuocare, & patienter consolationem tuam exspectare.

Esa. 45.

Oratio pro illuminatione mentis deuotissima.

Clarifica me bone Iesu claritate æterni luminis, & educ de habitaculo cordis mei tenebras vniuersas. Cohibe euagationes multas, & elide vim facientes tentationes. Pugna fortiter pro me, & expugna malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas: vt fiat pax in virtute tua, & abundantia laudis tuæ resonet in aula sancta, hoc est, in conscientia pura. Impera ventis & tempestatibus: dic mari, quiesce, dic Aquiloni, ne flaueris, & erit tranquillitas magna. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, vt luceat super terram, quia terra sum inanis & vacua, donec illumines me. Effunde gratiam tuam desuper, perfunde cor meum gratia cœlesti, ministra deuotionis aquas ad irrigandum faciem terræ: ad producendum fructum bonum & optimum. Eleua mentem pressam mole peccatorum & ad cœlestia totum desiderium meum suspende, vt gustata suauitate supernę fœlicitatis pigeat de terrenis cogitare. Rape me & eripe ab omni creaturarũ indurabili consolatione: quia nulla res creata appetitum meũ plenariè valet quietare & consolari. Iunge me tibi inseparabili dilectionis vinculo, quoniam tu solus amanti sufficis, & absque te friuola sunt vniuersa.

Matt. 8.

Psal. 42.

DE EVITATIONE CVRIOSÆ *inquisitionis super alterius vita.*

CAP. XXIV.

Fili noli esse curiosus, nec vacuas gerere solicitudines. Quid hoc vel illud ad te? tu me sequere. Quid enim ad te, vtrum ille sit talis, an talis, aut sic agat vel loquatur? Tu non indiges respondere pro alijs, sed pro teipso rationem reddes. Quid ergo te implicas? Ecce ego omnes cognosco, & cuncta, quæ sub sole fiunt, video, & scio, qualiter cum vnoquoque sit, quid cogitet, quid velit, & ad quem finem tendat eius intentio. Mihi igitur committenda sunt omnia: tu verò serua te in bona pace, & dimitte agitantem agitare quantum voluerit. Veniet super eum quicquid fecerit vel dixerit, quia me fallere non potest. Non sit tibi curę de magni nominis vmbra, & non de multorum familiaritate, nec de priuata hominum dilectione. Ista enim generant distractiones, & magnas in corde obscuritates. Libenter loquerer tibi verbum meum & abscondita reuelarem, si aduentum meum diligenter obseruares, & ostium cordis mihi aperires. Esto prouidus, & vigila in orationibus, & humilia te in omnibus.

Eccl. 3. & 1. Tim. 5. Ioan. 21. Gal. 6.

IN QVIBVS FIRMA PAX CORdis, & verus profectus consistit.

CAP. XXV.

Fili ego loquutus sum: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant. Pax mea cum humilibus & mansuetis corde. Pax tua erit in multa patientia. Si me audieris, & vocem meam sequutus fueris, poteris multa pace frui. Quid igitur faciam? In omni re attende tibi, quid facias, & quid dicas, & omnem intentionem tuam ad hoc dirige, vt mihi soli placeas, & extra me nihil cupias, vel quæras. Sed & de aliorum dictis, vel factis nihil temerè iudices, nec rebus tibi non commissis te implices, & poterit fieri vt parum vel rarò turberis. Nunquam autem sentire aliquam turbationem, nec pati aliquam cordis vel corporis molestiam non est præsentis temporis, sed status æternę quietis. Nõ ergo existimes te veram pacem inuenisse, si nullam senseris grauitatem, nec tunc totum esse bonum, si nullum pateris aduersarium, nec hoc esse perfectũ, si cuncta fiunt secundum tuum affectum, neque tunc aliquid magni reputes, aut te specialiter dilectum existimes, si in magna fueris deuotione atque dulcedine:

Ioan. 14.

Pax quomodo do haberi possit.

dine: quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis, nec in istis consistit profectus & profectio hominis. In quo ergo Domine? In offerendo te ex toto corde tuo voluntati diuinæ: non quærendo, quę tua sunt, nec in paruo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita vt in vna æquali facie in gratiarum actione permaneas inter prospera & contraria, omnia æqua lance pensando. Si fueris tam fortis & longanimis in spe, vt subtracta interiori consolatione etiam ad ampliora sustinenda cor tuum præparaueris; nec te iustificaueris, nec vt sanctum laudaueris: tunc in vera & recta via pacis ambulas, & spes indubitata erit, quod rursus in iubilo faciem meam sis visurus. Quod si ad plenum tui ipsius contemptum peruenieris, scito quod tunc abundantia pacis perfrueris secundùm possibilitatem tui incolatus.

Profectus verus in quo consistat.

DE EMINENTIA LIBERÆ mentis, & quod supplex oratio magis meretur, quam lectio.

CAP. XXVI.

DOmine hoc opus est perfecti viri, nunquam ab intentione cœlestium animum relaxare, & inter multas curas quasi sine cura transire, non more torpentis, sed prærogatiua quadam liberæ mentis, nulli creaturę inordinata affectione adhærendo. Obsecro te pijssime Deus meus: preserua me à curis huius vitæ, ne nimis implicer à multis necessitatibus corporis, ne voluptate capiar ab vniuersis animæ obstaculis, ne molestijs fractus deficiar: nõ dico ab his rebus quas toto affectu ambit vanitas mundana, sed ab illis miserijs, quæ animam seruti tui communi maledicto mortalitatis pœnaliter grauãt & retardant, ne in libertatem spiritus quoties libuerit valeat introire. O Deus meus dulcedo ineffabilis, verte mihi in amaritudinem omnem consolationem carnalem, ab æternorum amore me abstrahentem, & ad se intuitu cuiusdam boni delectabilis præsentis malè allicientem. Non me vincat Deus meus, non vincat caro & sanguis, non me decipiat mundus & breuis gloria eius, non me supplantet diabolus & astutia illius. Da mihi fortitudinem resistendi, patientiam tolerandi, constantiam perseuerandi. Da pro omnibus mundi consolationibus suauissimam spiritus tui vnctionem, & pro carnali amore, tui nominis infunde amorem. Ecce cibus, potus, vestis, ac cætera vtensilia ad corporis sustentaculum pertinentia, feruenti spiritui sunt onerosa. Tribue talibus fomẽtis temperatè vti, non desiderio nimio implicari. Abijcere omnia non licet, quia natura sustentanda est, requirere autẽ superflua, & quę magis delectant, lex sancta prohibet, nam alioquin caro aduersus spiritum insolesceret. Inter hęc quæso manus tua me regat & doceat ne quid nimium fiat.

Gen. 3. Rom. 7.

Rom. 12.

QUOD PRIVATVS AMOR A summo bono maximè retardat.

CAP. XXVII.

FIli oportet te dare totum pro toto, & nihil tui ipsius esse. Scito quod amor tui ipsius magis nocet tibi, quam aliqua res mundi. Secundùm amorem & affectum quem geris, quęlibet res plus vel minus adhæret. Si fuerit amor tuus purus, simplex, & benè ordinatus, eris sine captiuitate rerum. Noli concupiscere quod non licet habere. Noli habere quod te potest impedire, & libertate interiori priuare. Mirum quod non ex toto fundo cordis tei ipsum mihi committis, cum omnibus quæ desiderare potes vel habere. Quare vano mœrore consume-

Amor priuatus plurimũ nocuus Matt. 6.

Exod. 18. & Mich. 4.

ris? Cur superfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitum meum, & nullum patieris detrimentũ. Si quæris hoc vel illud, & volueris esse ibi vel ibi propter tuum commodum & proprium beneplacitum magis habendum, nunquam eris in quietudine, nec liber à solicitudine: quia in omni re reperitur aliquid defectus, & in omni loco erit, qui aduersetur. Iuuat igitur non quælibet res adepta, vt multiplicata exterius, sed potius contempta & decisa ex corde radicitus. Quòd non tantum de censu æris & diuitiarũ intelligas, sed de honoris etiam ambitu, ac vanę laudationis desiderio, quę omnia transeunt cum mundo. Munit parum locus si deest spiritus feruoris: nec diu stabit pax illa, quæsita foris secus, si vacat à vero fundamento status cordis, hoc est, nisi steteris in me, permutare te potes, sed non meliorare. Nam occasione orta, & accepta inuenies quod fugisti, & amplius.

Oratio pro purgatione cordis & cœlesti sapientia.

COnfirma me Deus per gratiam sancti Spiritus, da virtutem corroborati in interiori homine & cor meum ab omni inutili sollicitudine & languore euacuare, nec varijs desiderijs trahi cuiuscunque rei vilis, aut pretiosæ, sed omnia inspicere sicut transeuntia, & me pariter cum illis transiturum, quia nihil permanens sub sole, † nisi omnia vanitas & afflictio spiritus in quam Sapiens qui ita considerat. Da mihi Domine cælestem sapientiam, vt discam te super omnia quærere & inuenire, super omnia sapere & diligere, & cætera secundum ordinem sapientię tuę prout sunt intelligere: da prudenter declinare blandientem, & patienter ferre aduersantem, quia hæc magna sapientia non moueri omni vento verborum, nec aurem malè blandienti prębere Sireni. sic enim incepta pergitur via securè.

Psal. 50. Ephes. 3. Matt. 6.

Eccli. 1. & 2.

† vbi

Sap. 9.

Ephes. 4.

CONTRA LINGVAS OBTRE-ctatorum.

CAP. XXVIII.

FIli non ægrè feras si quidam de te malè senserint, & dixerint quod non libenter audias. Tu deteriora de teipso sentire debes, & neminem infirmiorem te credere. Si ambulas ab intra non multum ponderabis volantia verba. Est non magna prudentia, silere in tempore malo, & introrsus, ad me conuerti, nec humano iudicio disturbari. Non sit pax tua in cor hominum, siue enim benè siue malè interpretati fuerint, non es propterea alter homo. Vbi est vera pax & vera gloria? nonne in me? Et qui nõ appetit hominibus placere, nec displicere timet, multa perfruetur pace. Ex inordinato amore & vano timore oritur omnis inquietudo cordis & distractio sensuum.

1. Cor. 4.

Ioan. 16.

QVALITER, INSTANTE TRIBULA-tione Deus inuocandus est & benedicendus.

CAP. XXIX.

SIt nomen tuum Domine benedictum in secula, qui voluisti hanc tentationem & tribulationem venire super me. Non possum eam effugere, sed necesse habeo ad te confugere, vt me adiuues, & in bonum mihi conuertas. Domine modo sum in tribulatione, & non est cordi meo benè, sed multum vexor à præsenti passione. Et nũc pater dilectè quid dicam? Deprehensus sum inter angustias, saluifica me ex hora hac. Sed propterea veni in hanc horam vt tu clarificeris, quum fuero valde humiliatus, & per te liberatus. Complaceat tibi Domine vt eruas me, nam ego pauper, quid agere possum & quo ibo sine te? Da patientiam Domine etiam hac vice. Adiuua me DEVS meus, & non timebo

quantum

cumque grauatus fuero. Et nunc inter hæc quid dicam? Domine *fiat voluntas tua*, ego benè merui tribulari & grauari, oportet vtique vt sustineam, & vtinam patienter, donec transeat tempestas, & melius fiat. Potens est autem omnipotens manus tua etiam hanc tentationem à me auferre, & eius impetum mitigare, ne penitus succumbam quemadmodum & prius sæpe egisti mecum Deus meus misericordia mea. Et quanto mihi difficilius, tanto mihi facilior est hæc mutatio dexteræ tuæ, quę est excelsi.

Matt.6.

Psal.76.

DE DIVINO PETENDO AUXILIO & confidentia recuperandæ gratiæ.

CAP. XXX.

FIli ego Dominus confortatus in die tribulationis. Venias ad me quum tibi non fuerit benè. Hoc est quod maximè impedit consolationem cœlestem: quia tardius conuertis te ad orationem. Nam antequam me intentè roges multa interim fosolatia quæris & recreas te in externis. Ideoque fit vt parum omnia prosint, donec aduertas quod ego sum qui eruo sperantes in me, nec est extra me valens auxilium, neque vtile consilium, sed neque durabile remedium. Sed iam resumpto spiritu post tempestatem reconualesce in luce miserationum mearum, quia propè sum (dicit Dominus) vt restaurem vniuersa, non solum integrè, sed & abundanter & cumulatè. Nunquid mihi quicquam est difficilè, aut ero similis dicenti & facienti: Vbi est fides tua? Sta firmiter & perseueranter. Esto longanimis & vir fortis, veniet tibi consolatio in tempore suo. Expecta me, expecta, veniã & curabo te. Tentatio est, q̃ te vexat, & formido vana, quę te exterret. Quid importat solicitudo de futuris cõtingentibus, nisi vt tristitiã super tristitiam habeas? Sufficit diei malitia sua. Vanum est & inutile de futuris conturbari vel gratulari, quę fortè nunquam euenient. Sed humanũ est, huiusmodi imaginationibus illudi & parui adhuc animi signum tam leuiter trahi à suggestione inimici. Ipse enim non curat an veris an falsis illudat & decipiat: & vtrum præsentium amore, an futurorum formidine prosternat. Non ergo turbetur cor tuum, neque formidet. Crede in me & in misericordia mea habeto fiduciam. Quando tu te elongatum existimas à me, sæpe sum propinquior. Quando tu existimas totum perditum, tunc sæpè magis mærendi instat lucrum. Non est totum perditum quando res accidit in contrarium. Non debes iudicare secundùm præsens sentire, nec sic grauitati alicui vndecunque venienti inhærere & accipere: tanquam omnis spes sit ablata emergendi. Noli putare te derelictum ex toto, quamuis ad tempus miserim tibi aliquando tribulationem, vel etiam optatam subtraxerim consolationem: sic enim transitur ad regnum cælorum, & hoc sine dubio magis expedit tibi & cęteris seruis meis, vt exercemini aduersis, quam si cuncta ad libitum haberetis. Ego noui cogitationes absconditas: quia multum expedit pro salute tua, vt interdum sine sapore relinquaris, ne fortè eleueris in bono successu, & tibi ipsi placere velis in eo quod non es. Quod dedi, auferre possum & restituere, quum mihi placuerit. Quum dedero, meum est, quum subtraxero, tuum non tuli, quia meum est omne datum bonum, & omne donum perfectum. Si tibi admisero grauitatem aut quamlibet contrarietatem, non indigneris neque concidat cor tuum, & ego citò sublenare possum, & omne onus in gaudium transmutare. Veruntamen iustus sum, & recommendabilis multum, quum sic facio tecum. Si rectè sapis, & in veritate aspicis, nunquam debes propter aduersa tam deiectè contristari, sed magis gaudere & gratias agere, imo hoc vnicum reputare gaudium, quod affligens te doloribus non parco tibi. *Sicut dilexit me Pater, ego diligo vos*, dixi dilectis discipulis meis, quos vtique non misi ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina; non ad honores, sed ad despectiones; non ad otium, sed ad labores; non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum in patientia. Horum memento fili mi verborum.

Nahum.1. Matt.11. *Consolationem cælestẽ quid retardet.*

Matt.23.

Diabolus & veris & falsis suggestionibus illudit.

Psal.90.

Tribulationes cur amicis suis immittat Deus

Iacob.1.

Ioan.13.

DE NEGLECTV OMNIS CREATVRÆ, VT CREATOR POSSIT INUENIRI.

CAP. XXXI.

DOMINE mi adhuc benè indigeo maiori gratia, si debeam illuc peruenire, vbi me ne mo poterit nec vlla creatura impedire. Nam quamdiu res aliqua me retinet, non possum liberè ad te volare. Cupiebat liberè volare, qui dicebat. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Quid simplici oculo quietius, & quid liberius nil desiderante in terris? Oportet igitur omnem pertranire creaturam, & seipsum perfectè deserere; ac in excessu mentis stare & videre te omnium conditorem cum creaturis nil simile habere. Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit liberè intendere diuinis. Ideò enim pauci inueniuntur cõtemplatiui, quia pauci sciunt se à perituris creaturis ad plenum sequestrare. Ad hoc magna requiritur gratia, quæ animũ leuet, & supra seipsam rapiat. Et nisi homo sit in spiritu eleuatus, & ab omnibus creaturis liberatus ac Deo totus vnitus quicquid scit, quicquid etiam habet, non est magni ponderis: Diu parum erit, & in terra iacebit, qui aliquid magni æstimat, nisi solum vnum immensum æternum bonum. Et quicquid Deus non est, nihil est, & pro nihilo computari debet. Est quippè magna differentia, sapientia illuminati & deuoti viri, & scientia literati & studiosi clerici. Multò nobilior est illa doctrina, quę de sursum ex diuina influentia manat, quàm quæ laboriosè humano acquiritur ingenio. Plures reperiuntur contemplationem desiderare, sed quæ ad eam requiruntur, non student exercere. Est & magnum impedimentum, quia in signis & rebus sensibilibus statur, & parum de perfecta mortificatione habetur. Nescio quid est, & quo spiritu ducimur, & quid prętendimus, qui spirituales dici videmur, quod totum laborem & ampliorem solicitudinem pro transitorijs & vilibus rebus agimus, & interioribus nostris vix rarò plenè recollectis sensibus cogitamus. Proh dolor, statim post modicam recollectionem foras erumpimus, nec opera nostra districta examinatione trutinamus. Vbi iacent affectus nostri non attendimus, & quam impura sint omnia nostra non deploramus. *Omnis* quippè *caro corruperat viam suã*, & ideò sequebatur diluuium magnum. Quum ergo interior affectus noster corruptus sit necesse, est vtactio sequens index carentiæ interioris vigoris corrumpatur. Ex puro corde, procedit fructus bonæ vitæ. Quantum quis fecerit, quæritur, sed ex quanta virtute agit, non tam studiosè pensatur. An fuerit dites, fortis, pulcher, habilis, vel bonus scriptor, bonus cantor, bonus laborator, inuestigatur: quàm pauper sit spiritu, quam patiens & mitis, quàm deuotus & internus, à multis tacetur. Natura exteriora hominis respicit, gratia ad interiora se conuertit. Illa frequenter fallitur, ista in Deo sperat vt non decipiatur.

Cur pauci contemplatiui.

Pſal.54. Matt.6.

Gen.6.&7.

DE

DE ABNEGATIONE SUI
& abdicatione omnis cupiditatis.

CAP. XXXII.

Matt. 16. & 19.

FIli non potes perfectè possidere libertatem nisi totaliter abneges temetipsum. Compediti sunt omnes proprietarij suijpsius amatores, cupidi, curiosi, gyrouagi, quærentes semper mollia, non quæ Iesu Christi, sed sæpè hoc fingentes & componentes quod nō stabit. Peribit enim totum quod non est ex Deo ortum. Tene breue & consummatum verbum. Dimitte omnia & inuenies omnia. Dimitte cupiditatem & inuenies requiem. Hoc mente pertracta & quum impleueris omnia, intelliges: Domine hoc non est opus vnius diei nec ludus paruulorum: imò in hoc breui includitur omnis profectio Religiosorum. Fili non debes auerti, nec statim deijci audita via perfectorum, sed magis ad sublimiora prouocari, & ad minus ad hęc ex desiderio suspirare. Vtinam sic tecum esset, & ad hoc peruenisses, vt tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum purè stares, & eius quem tibi præposui patris, tunc mihi valdè placeres, & tota vita tua cum gaudio & pace transiret. Habes adhuc multa relinquenda, quæ nisi mihi ex integro resignaueris non acquires quod postulas. Suadeo tibi, à me emere aurum ignitum vt locuples fias, id est, sapientiam cęlestem omnia infima inculcantem. Postpone terrenam sapientiam, omnem humanam complacentiam & propriam. Dixi tibi viliora emenda pro pretiosis & altis, in rebus humanis. Nam vilis & parua ac penè obliuioni tradita videtur vera cęlestis sapientia nō sapiens alta de se, nec magnificari quęrens in terra, quam multi oretenus prædicant, sed vita longè dissentiunt, ipsa tamen est pretiosa margarita à multis abscondita.

Quirelinquit omnia propter Christum omnia inuenit.

Apoc. 3.

Matt. 13.

DE INSTABILITATE CORDIS
& de intentione finali ad Deum habenda.

CAP. XXXIII.

Iob 14. *Nihil stabile in vita.*

FIli noli credere affectui tuo, qui nunc est citò mutabitur in aliud. Quam diu enim vixeris, mutabilitati subiectus eris, etiam nolens, vt modo lætus, modò tristis, modò pacatus, modò turbatus, nunc deuotus, nunc indeuotus, nunc studiosus, nunc acidiosus, nunc grauis, nunc leuis inueniaris. Sed stat super hæc mutabilia sapiens & benè doctus in spiritu, non attendens, quid in se sentiat vel qua parte flet ventus instabilitatis, sed tota intentio mentis eius ad debitum, & ad optimum proficit finem. Nam sic poterit vnus & idem concussus permanere, simplici intentionis oculo, per tot varios euentus, ad me in prætermissè directo. Quantò autem purior fuerit intentionis oculus, tantò constantius inter diuersas iturus procellas. Sed in multis caligat oculus puræ intentionis, respicit enim citò in aliis quod delectabile occurrit, & rarò totus liber quis inuenitur à næuo propriæ exquisitionis. Sic Iudæi olim venerant in Bethaniam ad Martham & Mariam, non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent. Mundandus est ergo intentionis oculus, vt sit simplex & rectus, atque vltra omnia varia media ad me dirigendus.

Matt. 6.

Intentio quàdoque deprauatur.

Ioan. 11.

Matt. 6.

QUOD AMANTI SAPIT
Deus super omnia & in omnibus.

CAP. XXXIV.

ECCE Deus meus, & omnia. Quid volo amplius, & quid felicius desiderare possum? O sapidum & dulçe verbum, sed amanti verbum, non mundum nec ea quæ in mundo sunt. Deus meus & omnia. Intelligenti satis dictum est, & sæpè repetere iucundum est amanti. Te siquidem præsente iucunda sunt omnia, te autem absente fastidiosa cuncta. Tu facis cor tranquillum, & pacem magnam lætitiamque festiuam. Tu facis benè sentire de omnibus, & in omnibus te laudare, nec potest aliquid sine te diu placere, sed si debet gratum esse & benè sapere, oportet gratiam tuam adesse & condimento tuæ sapientiæ condiri. Cui tu sapis, quid ei rectè non sapiet? & cui non sapis, quid ei ad iucunditatem esse poterit? Sed deficiunt in tua sapientia mundi sapientes, & qui carnem sapiunt quia ibi plurima vanitas, & hic mors inuenitur. Qui autem te per contemptum mundanorum & carnis mortificationem sequuntur, verè sapientes esse cognoscūtur, quia de vanitate ad veritatem, de carne ad spiritum transferuntur. Istis sapit Deus, & quicquid inuenitur in creaturis, totum referunt ad laudem sui conditoris. Dissimilis tamen & multum dissimilis sapor creatoris & creaturæ, æternitatis & temporis, lucis increatę & lucis illuminatæ. O lux perpetua cuncta creata transcendens lumina, fulgura coruscationem, de sublimi penetrantem omnia intima cordis mei, purifica, lætifica, clarifica & viuifica spiritum meum cum suis potentijs ad inhærendum tibi iubilosis excessibus. O quando veniet hæc beata & desiderabilis hora, vt tua me saties præsentia, vt sis mihi omnia in omnibus. Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit. Adhuc proh dolor viuit in me vetus homo, non est totus crucifixus, non est perfectè mortuus. Adhuc concupiscit fortiter, aduersus spiritum bella mouet intestina, nec regnum animæ patitur esse quietum. Sed *tu* qui *dominaris potestati maris, & motum fluctuum eius mitigas*, exurge adiuua me. *Dissipa gentes quæ bella volunt*, contere eas in virtute tua: ostende quæso magnalia tua, & glorificetur dextera tua, quia non est spes alia, nec refugium mihi, nisi in te Domine Deus meus.

Dem solum amanti sapit.

1. Cor. 1. Rom. 8. & 1. Ioan. 2.

Rom. 7.

Psal. 88.

Psal. 67. Psal. 30.

QUOD NON EST SECVRITAS
à tentatione in hac vita.

CAP. XXXV.

FIlli nunquam securus es in hac vita, sed quoad vixeris semper arma spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris, à dextris, & à sinistris impugnaris. Si ergo non vteris vndique scuto sapientiæ, non eris diu sine vulnere. Insuper si non ponis cor tuum fixe in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmam pertingere beatorū. Oportet te ergo viriliter omnia pertransire, & potenti manu vti aduersus obiecta. Nam vincenti datur manna, & torpenti relinquitur multa miseria. Si quæris in hac vita requiem, quomodo tunc peruenies ad æternam? Nō ponas te ad multam requiem, sed magnam patientiam. Quęre veram pacem, non in terris, sed in cælis: non in hominibus nec in cęteris creaturis, sed in Deo solo. Pro amore Dei, debes omnia libenter subire: labores scilicet & dolores, tentationes, vexationes, anxietates, necessitates, infirmitates, iniurias, obloquutiones, repræhensiones, humiliationes, cōfusiones, correctiones & despectiones: Hæc inuitāt ad virtutes, hęc probant Christi tyronē, hæc

Iob 7. 2. Cor. 6.

Apoc. 2.

Pro amore Dei omnia aduersa tolerandā.

hæc fabricant cælestem coronam. Ego reddam ei æternam mercedem pro breui labore, & infinitam gloriam pro transitoria confusione. Putas quod semper habebis pro tuâ voluntate consolationes spirituales? Sancti mei non habuerunt tales, sed multas grauitates & tentationes varias magnasque desolationes: sed patientes sustinuerunt se in omnibus, & magis confisi sunt Deo, quam sibi, scientes, *quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam* promerendam. Vis tu statim habere, quod multi post lachrymas & magnos labores vix obtinuerunt? *Expecta Dominum; viriliter age* & confortare, noli diffidere, noli discedere, sed corpus & animam expone constanter pro gloria Dei. Ego reddam plenissime, ego tecum ero in omni tribulatione.

Rom. 8.

Psal. 26.

CONTRA VANA HOMINUM iudicia.

CAP. XXXVI.

FIlli iacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum ne metuas iudicium, vbi te conscientia pium reddit & insontem. Bonum est & beatum taliter pati, nec hoc erit graue humili cordi & Deo magis, quàm ipsi sibi confidenti. Multi multa loquuntur, & ideo parua fides est adhibenda. Sed & omnib. satis esse nō est possibile. Etsi Paulus omnib. studuit in Domino placere & omnibus omnia factus est, tamen etiam pro minimo duxit, quòd ab humano die iudicatus fuerit. Egit satis pro aliorum ædificatione & salute quantum in se erat & poterat, sed ne ab alijs aliquando iudicaretur vel non despiceretur cohibere non potuit, ideo totum Deo commisit qui totum nouerat: & patientia & humilitate contra ora loquentium iniqua, ac etiam vana ac mendosa cogitantium atque pro libitu suo quæque iactantium se defendit. Respondit tamen interdum, ne infirmis ex sua taciturnitate generaretur scandalum. Quis, tu vt timeas à mortali homine iudicari? Hodie est & cras non comparet. Deum time, & hominum terrores non expauesces. Quid potest aliquis in te verbis aut iniurijs? Sibi potius nocet quā tibi. nec poterit iudicium Dei effugere, quicunque est ille. Tu habe Deum præ oculis & noli contendere verbis querulosis. Quòd si ad præsens videris succumbere, & confusionem pati quam non meruisti, ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam, sed ad me potius respice in cœlum, qui potens sum eripere ab omni confusione & iniuria, & vnicuique reddere secundum opera sua.

1. Cor. 9 & 2. Cor 4. & Col 1.

S. Paulus omnibus placere, licet id tenderit, non potuit.

Actor. 26. & Philip. 1.

2. Mach. 2.

Rom. 2. & 2. Cor. 11.

Hcb. 12.

DE PVRA ET INTEGRA RESIgnatione sui ad obtinendam cordis libertatem.

CAP. XXXVII.

FIlli relinque te, & inuenies me. Sta sine electione & omni proprietate, & semper lucraberis, nam & adijcietur tibi amplior gratia, statim vt te resignaueris, nec resumpseris. Domine quotiens me resignabo, & in quibus me relinquam? Semper & in omni hora, sicut in paruo, sic & in magno, nihil excipio, sed in omnibus te nudatum inueniri volo. Alioquin quomodo poteris esse meus, & ego tuus, nisi fueris ab omni propria voluntate intus & foris spoliatus? Quanto celerius hoc agis, tanto melius habebis: & quanto plenius & syncerius, tanto plus mihi placebis, & amplius lucraberis. Quidam se resignant, sed cum aliqua exceptione. Non enim plene Deo confidunt, ideò prouidere sibi satagunt.

Matt. 16.

Pure se resignandum Deo.

Sine resignatione totali ad vnionem fruitiuam nō perueniur.

Quidam etiam primo totum offerunt: sed postea tentatione pulsante ad propria redeunt: ideò minimè in virtute proficiunt. Hi ad veram puri cordis libertatem, & iucundæ familiaritatis meæ gratiam non pertingent, nisi integra resignatione & quotidiana sui immolatione prius facta, sine qua non stat, nec stabit vnio fruitiua. Dixi tibi sæpissimè & nunc iterum dico: relinque te, resigna te, & frueris magna interna pace. Da totum pro toto, nil exquire, nil repete, sta purè & inhæsitanter in me & habebis me. Eris liber in corde & tenebræ non conculcabunt te. Ad hoc conare, hoc ora, hoc stude desiderare, vt ab omni proprietate possis expoliari, & nudus nudum Iesum sequi, tibi mori, & mihi æternaliter viuere. Tunc deficient omnes vanæ phantasiæ, conturbationes iniquæ & curæ superfluæ. Tunc etiam recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur.

Matt. 16.

DE BONO REGIMINE IN EXternis, & recursu ad Deum in periculis.

CAP. XXXVIII.

FIlli ad istud diligenter tendere debes, vt in omni loco & actione seu occupatione externa sis interius liber & tui ipsius potens, & sint omnia sub te, & tu non sub eis. Vt sis dominus actionum tuarum, & rector, & non seruus, nec emptitius, sed magis exemptus, verusque Hebræus in sortem & libertatem transiens filiorum Dei, qui stant super præsentia & speculantur æterna, qui transitoria intuentur sinistro oculo, & extro cælestia, quos temporalia non trahunt ad inhærendum: sed trahunt ipsi magis ea ad benè seruiendū, put ordinata sunt à Deo, & institura à Christo summo opifice, qui nil inordinatū reliquit in sua creatura. Si etiam in omni euētu stas non in apparentia externa, nec oculo carnali lustras visa vel audita, sed mox in qualibet causa intres cum Moyse in tabernaculum, ad consulendum Dominum: audies nonnunquam diuinum responsum, & redibis eruditus de multis præsentibus & futuris. Semper enim Moyses recursum habuit ad tabernaculum pro dubijs quæstionibus soluendis, fugitque ad orationis adiutorium pro periculis & improbitatibus hominum subleuandis. Sic & tu confugere debes in cordis tui secretum, diuinum intentius implorando auxilium. Propterea namque Iosue, & filij Israel, à Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini non prius interrogauerunt: sed nimium creduli dulcibus sermonibus falsa pietate delusi sunt.

Exod. 33.

Matt. 6. Ios. 9.

Ios. 9.

QVOD HOMO NON SIT importunus in negotijs,

CAP. XXXIX.

FIlli committe mihi semper causam tuam, & ego benè disponam in tempore suo. Expecta ordinationem meam, & senties inde profectum. Domine satis libenter omnes res tibi committo, quia parum potest cogitatio mea proficere. Vtinam non multum adhærentem futuris euentibus, sed ad beneplacitum tuum me incunctanter offerrem. Fili mi sæpè homo rem aliquam agitat, quam desiderat, sed quum ad eam peruenerit, aliter incipit sentire: quia affectiones circa idem non sunt durabiles sed magis de vno in aliud nos impellunt. Non est ergo minimum etiam in minimis se relinquere. Verus profectus hominis est abnegatio sui ipsius: & homo abnegatus valdè liber est & securus. Sed antiquus hostis omnibus bonis aduersans à tentatione non cessat, & die nocteque graues molitur insidias: si fortè in

Profectus hominis verus abnegatio sui.

te in laqueum deceptionis posit præcipitare incautum. *Vigilate* ergo *& orate* dicit Dominus, *vt non intretis in tentationem*. Matt. 26.

QVOD HOMO NIHIL BONI EX SE habet, & de nullo gloriari potest.

CAPVT XL.

DOmine, *quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum*? Quid promeruit homo, vt dares illi gratiam tuam? Domine, quid possum conqueri, si deseris me? aut quid iustè obtendere possum, si quod peto non feceris? Certe hoc in veritate cogitare possum & dicere: Domine nihil sum, nihil boni ex me habeo, sed in omnibus deficio, & ad nihil semper tendo. Et nisi à te fuero adiutus & interius informatus, totus efficior tepidus & dissolutus. Tu autem Domine: semper idem ipse es, & permanes in æternum: semper bonus, iustus & sanctus: benè, iustè & sanctè agens, & omnia disponens in sapientia. Sed ego, qui ad defectum magis pronus sum quam ad profectum, non sum semper in vno statu perdurans: quia semper tempora mutantur super me. Veruntamen citò melius fit quum tibi placuerit, & manum porrexeris adiutricem: quia tu solus sine humano suffragio poteris auxiliari, & in tantum confirmare, vt vultus meus amplius in diuersa non mutetur: sed in te vno cor meum conuertatur & quiescat. Vnde si benè scirem omnem humanam consolationem abijcere, siue propter deuotionem adipiscendam, siue propter necessitatem, qua compellor te quærere, quia non est homo, qui me consolatur: tunc meritò possem de gratia tua sperare, & de dono bonæ consolationis exultare. Gratias tibi, vnde totum venit, quotiescunque mihi benè succedit. Ego autem vanitas & nihilum ante te, inconstans homo & infirmus. Vnde ergo possum gloriari, aut cur appeto reputari? Nunquid de nihilo? & hoc vanissimum est. Verè inanis gloria, mala pestis, vanitas maxima, quia à vera trahit gloria, & cœlesti spoliat gratia. Dum enim homo complacet sibi, displicet tibi: dum inhiat laudibus humanis, priuatur veris virtutibus. Est autem vera gloria & exultatio sancta, gloriari in te & non in se, gaudere in nomine tuo, non in virtute propria, nec in aliqua creatura delectari nisi propter te, laudetur nomen tuum, non meum: magnificetur opus tuum non meum, benedicatur nomen sanctum tuum, nihil autem attribuatur mihi de laudibus hominum. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei. In te gloriabor & exultabo tota die, pro me autem nihil nisi in infirmitatibus meis. Quærant Iudæi gloriam quæ ad inuicem est: ego hanc requiram, quæ à solo Deo est. Omnis quidè gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana æternæ gloriæ tuæ cõparata, vanitas est & stultitia. O veritas mea, & misericordia mea Deus meus, Trinitas beata, tibi soli laus, virtus, honor & gloria per infinita secula seculorum. Amen.

Psal. 8. *Nihil possumus ex nobis* Psal. 10. *Gloria nostra inanis, & pernitiosa.* *Gloria vera qua.* Abac. 3. Psal. 112, 113. Ioan. 5.

DE CONTEMPTV OMNIS temporalis honoris.

CAPVT XLI.

FIli ne tua credas referre, si videas alios honorari & eleuari, te autem despici & humiliari. Erige cor tuum ad me in cœlum & non contristabis te contemni ab hominibus in terris. Domine in cæcitate sumus & vanitate citò reducimur. Si rectè me inspicio, nunquam mihi facta est iniuria ab aliqua creatura, vnde nec iustè habeo conqueri aduersum te. Quia autem frequenter & grauiter peccaui tibi, meritò armatur contra me omnis creatura. Mihi igitur iustè debetur confusio & contemptus: tibi autem laus, honor, & gloria. Et nisi me in hoc præparauero, vt velim libenter ab omni creatura despici, & relinqui, atque penitus nihil videri: non possum interius pacificari & stabiliri, nec spiritualiter illuminari, neque plenè tibi vniri.

QVOD PAX NON EST PONENDA IN HOMINIBVS.

CAPVT XLII.

FIli si ponis pacem tuam cum aliqua persona propter tuum sentire, & conuenire, instabilis eris & impacatus. Sed si recursum habes ad semper viuentem, & manentem veritatem non cõtristabit te amicus recedens aut moriens. In me debet amici dilectio stare, propter me diligendus est, quisquis tibi bonus visus est & multum charus in hac vita. Sine me non valet, nec durabit amicitia, nec est vera & munda dilectio, quam ego non copulo. Ita mortuus deberes esse talibus affectionib. dilectorum hominum, vt, quantum ad te pertinet, sine omni humano optares esse consortio. Tanto enim homo Deo magis appropinquat, quanto ab omni solatio terreno longius recedit. Tanto etiam altius ascendit ad Deum, quanto profundius in se descendit, & plus sibi ipsi vilescit. Qui autem aliquid boni sibi attribuit, gratiam Dei in se viuere impedit: quia gratia Spiritus sancti cor humile quærit semper. Si scires te perfectè annihilare, atque ab omni creato amore euacuare, tunc deberem in te cum magna gratia emanare. Sed quando tu respicis ad creaturas, subtrahitur tibi aspectus creatoris. Discè te in omnibus propter creatorem vincere, tunc ad diuinã valebis cognitionem pertingere. Quantumcunque modicum sit, si inordinatè diligitur & respicitur, retardat à summo bono & vitiat. *Amicus propter Deum diligendus.* 1. Pet. 4. *Amor inordinatus impedimentum diuini amoris.*

CONTRA VANAM ET SECVLAREM SCIENTIAM.

CAPVT XLIII.

FIlli non moueant te pulchra & subtilia dicta hominum. Non enim est regnum Dei in sermone, sed in virtute. Attende verba mea, quæ corda accendunt, & mentes illuminant, inducunt compunctionem, & veram ingerunt consolationem. Nũquam ad hoc legas verbum, vt doctior aut sapientior videri possis: sed studie mortificationem vitiorum: quia hæc amplius tibi proderit, quam notitia multarum difficilium quæstionum. Quum multa legeris & cognoueris: ad vnum tamen oportet venire principium. Ego sum, qui doceo hominem scientiã, & clariorem intelligentiam paruulis tribuo, quàm ab homine possit doceri. Cui ego loquor, citò sapiẽs erit, & multum in spiritu proficiet. Væh illis, qui multa curiosa ab hominibus inquirunt, & de via mihi seruiendi parum curant. Veniet tempus quando veniet magister magistrorum. Christus Dominus angelorum cunctorum auditurus lectiones, hoc est, singulorum examinaturus conscientias: & tunc scrutabitur Hierusalem in lucernis, & manifesta erunt absconditа tenebrarum, tacebuntque argumẽta linguarum. Ego sum qui humilem in puncto eleuo mentem: vt plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm si quis decem annis studuisset in scholis. Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine pugnatione argumentorum. Ego sum qui doceo terrena despicere, præsentia fastidire, æterna quærere, æterna sapere, honores fugere, scandala sustinere, omnem spem in me ponere, extra me nihil cupere, & super omnia ardenter me amare. Nam quidam amando me 1. Cor. 4. Soph. 1, 12. 1. Cor. 4. *Deus optimus magister.*

intimè didicit diuina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quam in ſtudendo ſubtilia. Sed alijs loquor communia, alijs ſpecialia, aliquibus in ſignis & figuris dulciter appareo: quibuſdam vero in multo lumine reuelo myſteria. Vna vox librorum, ſed non omnes æquè informat: qui intus ſum doctor veritatis, cordis ſcrutator, cogitationum intellector, actionum promotor, diſtribuens ſingulis ſicut dignum iudicauero.

DE NON ATTRAHENDO *ſibi res exteriores.*

CAPVT XLIV.

Gal 6. Fili in multis oportet te eſſe inſcium & exiſtimare te tanquam mortuum ſuper terram, & cui totus mundus crucifixus ſit. Multa etiam oportet ſurda aure pertranſire, & quæ tuæ pacis ſunt magis recogitare. Vtilius eſt oculos à rebus diſplicentibus auertere & vnicuique ſuum ſentire relinquere, quam contentioſis ſermonibus deſeruire. Si benè ſteteris cum Deo, & eius iudicium aſpexeris, facilius te victum portabis. O Domine quouſque veniunt? Ecce damnum defletur temporale, pro modico queſtu laboratur & curritur, & ſpirituale detrimentum in obliuionem tranſit, & vix ſerò reditur. Quod parum vel nihil prodeſt, attenditur, & quod ſumme neceſſarium eſt, negligenter præteritur, quia totus homo ad externa defluit, & niſi citò reſipiſcat libens, in exterioribus iacet.

QVOD NON OMNIBVS EST CREDENDVM, *& de facili lapſu verborum.*

CAPVT XLV.

Pſal.59. DA mihi *auxilium* Domine *de tribulatione: quia vana ſalus hominis.* Quàm ſæpè ibi non inueni fidem, vbi me habere putaui? Quotiens etiam ibi reperi, vbi minus præſumpſi? Vana ergo ſpes in hominibus: ſalus autem iuſtorum in te Deus. Benedictus ſis Domine Deus in omnibus quæ nobis accidunt: infirmi ſumus & inſtabiles citò fallimur & permutamur. Quis eſt homo, qui ita cautè & circunſpectè in omnibus ſe cuſtodire valet, vt aliquando in aliquam deceptionem vel perplexitatem non veniat? Sed qui in te Domine confidit, ac ſimplici ex corde quærit, non tam facilè labitur. Et ſi inciderit in aliquam tribulationem, quomodocunque etiam fuerit implicatus, citiùs per te eruetur, aut à te conſolabitur: quia tu non deſeres in te ſperantem vſque in finem. Rarus fidus amicus, in cunctis amici perſeuerans preſſuris. Tu domine, tu ſolus es fideliſsimus in omnibus, & præter te non eſt alter talis. O quàm benè ſapuit illa anima ſancta, quæ dixit: Mens mea ſolidata eſt, & in Chriſto fundata. Si ita mecum foret, non tam facilè timor humanus me ſolicitaret, nec verborum iacula mouerent. Quis omnia prouidere, quis præcauere futura mala ſufficit? Si præuiſa etiá lædunt ſæpè; quid improuiſa niſi grauiter etiam feriunt? Sed quare mihi miſero non melius prouidi? Cur etiam tam facilè alijs credidi? Sed homines ſumus, nec aliud, quàm fragiles homines ſumus, etiamſi angeli à multis exiſtimamur & dicimur. Cui credam Domine, cui credam niſi tibi? Veritas es, quæ non fallis, nec falli potes. Et rurſum. *Omnis homo mendax*, infirmus, inſtabilis, & labilis, maximè in verbis: ita vt ſtatim vix credi debeat, quod rectum in facie ſonare videtur: quàm prudenter præmoniſti cauendum ab hominibus, & quia *inimici hominis domeſtici eius*: nec credendum, ſi quis dixerit, ecce hic, aut ecce illic. Doctus ſum damno meo, & vtinam ad cautelam maiorem, & non ad inſipientiam mihi. Cautus eſto (quidam ait) cautus eſto, ſerua apud te quod dico. Et dum ego ſileo & abſconditum credo, nec ille ſilere poteſt, quod ſilendũ petijt, ſed ſtatim prodit me & ſe & abijt. Ab huiuſmodi fabulis & incautis hominibus protege me Domine, ne in manus eorum incidam, nec vnquam talia committam. Verbum verum & ſtabile da in os meum, & linguam callidam longe facà me. Quod pati nolo, omnimodo cauere debeo. O quam bonum & pacificum de alijs ſilere, nec indifferenter omnia credere, neque de facili vlterius effari, paucis ſeipſum reuelare, te ſemper inſpectorem cordis quærere, nec omni vento verborum circunferri: ſed omnia intima & externa ſecundùm tuæ beneplacitum voluntatis optare perfici. Quam tutum pro conſeruatione cœleſtis gratiæ humanam fugere apparentiam, nec appetere, quæ foris admirationem videntur præbere, ſed ea tota ſedulitate ſectari, quæ vitæ emendationem dant & feruorem. Quam multis nocuit virtus ſcita & præpropere laudata? Quam ſana profuit gratia ſilentio ſeruata in hac fragili vita, quæ tota tentatio fertur & malitia?

Prou. 25. & Iſa. 24.

DE CONFIDENTIA IN DEO HABENDA, *quando inſurgunt verborum iacula.*

CAPVT XLVI.

FIli ſta firmiter, & ſpera in me. Quid enim ſunt verba niſi verba? Per aërem volant, ſed lapidé non lædunt. Si reus es, cogita quod te libenter velis emendare. Si nihil tibi conſcius es, penſa quod velis libenter pro Deo hoc ſuſtinere. Parum ſatis eſt vt vel verba interdum ſuſtineas, qui necdum fortia verba tolerare vales. Et quare tam parua tibi ad cor tranſeunt, niſi quia adhuc carnalis es, & homines magis, quam oportet attendis? Nam quia deſpici metuis, reprehendi pro exceſsibus non vis, & excuſationum quæris vmbracula. Sed inſpice te melius, & agnoſces, quia viuit adhuc in te mundus, & vanus amor placendi hominibus. Quum enim quaſſari refugis, & confundi pro defectibus, conſtat vtique quod nec verè humilis ſis, nec verè mundo mortuus, nec tibi mundus crucifixus. Sed audi verba mea, & non curabis decem millium hominum verba. Ecce ſi cuncta contra te dicerentur, quæ fingi malitioſiſsime poſſent, quid tibi nocerent, ſi omnino tranſire permitteres nec pluſquam feſtucam perpenderes? Nunquid vel vnum capillum tibi extrahere poſſent: Sed qui cor intus non habet, nec Deum præ oculis, faciliter verbo mouetur vituperationis. Qui autem in me confidit, nec proprio iudicio ſtare appetit, abſque humano errore erit. Ego enim ſum iudex & cognitor omnium ſecretorum: ego ſcio, qualiter res acta eſt, ego iniuriantem noui & ſuſtinentem. A me exijt verbum iſtud, me permittente hoc accidit: *vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ego reum & innocentem iudicabo: ſed occulto iudicio vtrumque ante probare volui. Teſtimonium hominum ſæpè fallit: meum iudicium verum eſt, ſtabit, & non ſubuertetur; latet plerunque & paucis ad ſingula patet, nunquam tamen errat, nec errare poteſt, etiam ſi oculis inſipientium non rectum videatur. Ad me ergo recurrendum eſt in omni iudicio: nec proprio innitendum arbitrio. Iuſtus enim non conturbabitur, quicquid à DEO ei acciderit. Etiam ſi iniuſtè aliquid contra eum prolatum fuerit, non multum curabit: ſed nec vanè exultabit, ſi per alios rationabiliter excuſetur. Penſat namque quia ego ſum ſcrutans cor-

Pſal. 16. *Reprehenſiones & contumelia patienter ſuſtinenda.*

Matt. 10.

Luc. 2.

Iudicia Domini vera. Pſal. 18.

Prou. 18.

corda & renes, qui non iudico secundum faciem & humanam apparentiam. Nam sæpè in oculis meis reperitur culpabile, quod hominum iudicio creditur laudabile, Domine Deus iudex iuste, fortis & patiens, qui hominum nosti fragilitatem & prauitatem, esto robur meum & tota fiducia mea. Non enim mihi sufficit conscientia mea, tu nosti, quod ego non noui: & ideo in omni reprehensione me humiliare debui, & mansuete sustinere. Ignosce ergo mihi propitius quotiens sic non egi; & dona iterum gratiam amplioris sufferentiæ. Melior est enim mihi tua copiosa misericordia ad consequutionem indulgentiæ, quam mea opinata iustitia pro defensione latentis conscientiæ. Et si nihil mihi conscius sum, tamen in hoc me iustificare non possum: *quia remota misericordia tua non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Psal.7. Apoc.2. 1.Cor.4. Psal.142.

QUOD OMNIA GRAVIA PRO æterna vita sunt toleranda.

CAPVT XLVII.

FIlli non frangant te labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te deijciant vsquequaque: sed mea promissio in omni euentu te roboret & consoletur. Ego sufficiens sum ad reddendum supra omnem modum & mensuram. Non hic diu laborabis, nec semper grauaberis doloribus. Expecta paulisper, & videbis celerem finem malorum. Veniet vna hora quando cessabit omnis labor & tumultus. Modicum est & breue omne quòd transit cum tempore. Age ergo vt agis, fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria: digna est his omnibus & maioribus prælijs vita æterna. Veniet pax in die vna, quæ nota est Domino: & erit non dies vel nox huius. sc. temporis, sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma & requies secura. Non dices tunc: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* nec clamabis: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*, quoniam præcipitabitur mors, & salus erit infectiua, anxietas nulla, iucunditas beata, societas dulcis, & decora. O si vidisses Sanctorum in cœlo coronas perpetuas, quanta quoque nunc exultant gloria, qui huic mundo olim contemptibiles, & quasi vita ipsa indigni putabantur, profectò te statim humiliares vsque ad terram, & affectares potius omnibus subesse, quàm vni præesse, nec huius vitæ lætos dies concupisceres: sed magis pro Deo tribulari gauderes, & pro nihilo inter homines computari, maximum lucrum duceres. O si tibi hæc saperent, & profunde ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri? Nonne pro vita æterna cuncta laboriosa sunt toleranda? Non est paruum quid, lucrari, aut perdere regnum Dei. Leua igitur faciem tuam in cœlum. Ecce ego & omnes Sancti mei mecum, qui in hoc seculo magnum habuere certamen, modò gaudent, modò consolantur, & modo securi sunt, & modo requiescunt, & sine fine in regno patris mei permanebunt mecum.

Gen.15. Matt.20. *Deus merces nostra.* Rom.7. Psal.119. Sap.3.&5. *Pro vita æterna difficillima quæque toleranda.*

DE DIÆ ÆTERNITATIS, ET huius vitæ angustijs.

CAPVT XLVIII.

OSupernæ ciuitatis mansio beatissima. O dies æternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat: sed semper læta, semper secura, & nunquam statum mutans in contraria. O vtinam dies illa illuxisset, & cuncta hæc temporalia finem accepissent. Lucet quidem sanctis perpetua claritate splendida, sed nonnisi à longe per speculum peregrinantibus in terra. Norunt cœli ciues quam gaudiosa sit illa, gemunt exules filij Euæ quam amara & tædiosa sit ista dies huius temporis praui & mali, pleni doloribus & angustijs: vbi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, & multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circumfunditur, multis erroribus atteritur, tentationibus grauatur, delitijs enerua-Rom.7. tur, egestate cruciatur. O quando finis horum mul-Psal.70. torum laborum, quando liberabor à misera seruitute vitiorum. Quando memorabor Domine tui solius, quando ad plenum lætabor in te? Quando ero sine omni impedimento, & in vera libertate sine omni grauamine mentis & corporis? Quando erit pax solida, pax imperturbabilis & secura, pax intus & foris, pax ex omni parte firma? Iesu bone quando stabo ad videndum te? quando contemplabor gloriam regni tui, quando eris mihi omnia in omnibus? O quando ero tecum in regno tuo quod præparasti dilectis tuis ab æterno? Relictus sum pauper & exul in terra hostili, vbi bella quotidiana & infortunia maxima. Consolare exilium meum, mitiga dolorem meum: quia ad te suspirat omne desiderium meum. Nam onus mihi totum est quicquid mundus hic offert ad solatium. Desidero te intimè Rom.7.& 8 frui, sed neque apprehendere. Opto inhærere cœlestibus, sed deprimunt res temporales, & immortificatæ passiones. Mente omnibus rebus supereße volo, carni autem inuitè subesse cogor. Sic ego infœlix homo mecum pugno, & factus sum mihimetipsi grauis, dum spiritus sursum, & caro quærit esse deorsum. O quid intus patior, dum mente cœlestia tracto, & mox carnalium turba occurrit oranti. Deus meus *ne elongeris à me, neque declines in ira à* Psal.70. *seruo tuo.* Fulgura coruscationem tuam & dissipa eas, emitte sagittas tuas, & conturbentur omnes phantasiæ inimici. Recollige sensus meos ad te. Fac me obliuisci omnium mundanorum, da cito abijcere, & contemnere phantasmata vitiorum. Succurre mihi æterna veritas, vt nulla me moueat vanitas. Adueni cœlestis suauitas, & fugiat à facie tua omnis impuritas. Ignosce quoque mihi, & misericorditer indulge quotiens præter te aliud in oratione reuoluo. Confiteor etenim verè, quia valdè distractè me habere consueui. Nam ibi multotiens non sum, vbi corporaliter sto aut sedeo, sed ibi magis sum, quo cogitationibus feror. Ibi sum, vbi cogitatio mea, est. Ibi est frequenter cogitatio mea, vbi est quod amo, hoc mihi cito occurrit quod naturaliter delectat aut ex vsu placet. Vnde tu veritas apertè Matt.6. dixisti: *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Si cœlum diligo, libenter de cœlestibus penso. Si mundum amo, fœlicitatibus mundi congaudeo, & de aduersitatibus eius tristor. Si carnem diligo, quæ carnis sunt, sæpissime imaginor. Si spiritum amo, de spiritualibus cogitare delector. Quæcunque enim diligo, de his libenter loquor & audio, atque talium imagines ad domum mecum re-Matt.12. porto. Sed beatus ille homo qui propter te Domine omnibus creaturis abeundi licentiam tribuit, qui naturæ vim facit, & concupiscentias carnis feruore spiritus crucifigit: vt serenata conscientia puram tibi orationem offerat, dignusque sit angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris & intus exclusis.

Beata vita æterna. Iob.7. *Miseria humanæ vitæ.*

DE DESIDERIO ÆTERNÆ vitæ, & quanta sint certantibus bona promissa.

CAPVT XLIX.

Desiderium vitæ æternæ quomodo excipiendum, & cur à Deo immittatur.

FIli mi, quum tibi desiderium æternæ beatitudinis desuper infundi sentis, & de tabernaculo corporis exire concupiscis, vt claritatem meam sine vicissitudinis vmbra contemplari possis, dilata cor tuum & omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe. Redde amplissimas supernæ bonitati gratias, quæ tecum sic dignanter agit, clementer visitat, ardenter excitat, potenter subleuat, ne proprio pondere ad terrena labaris. Neque enim hoc cogitato tuo, aut conatu accipis: sed sola dignatione supernæ gratiæ & diuini aspectus, quatenus in virtutibus & maiori humilitate proficias, & ad futura certamina te præpares, mihique toto cordis affectu adhærere ac feruenti voluntate studeas deseruire. Fili, sæpe ignis ardet, sed sine fumo flamma non ascendit. Sic & aliquorum desideria ad cœlestia flagrant: & tamen à tentatione carnalis affectus liberi non sunt. Idcirco nec omninò purè pro honore Dei agunt, quod tam desideranter ab eo petunt. Tale est & sæpè tuum desiderium, quod insinuasti fore tam importunum. Nõ enim hoc est purum & perfectum, quod propria cõmoditate est infectum. Pete, non quod tibi est delectabile & commodum, sed quod mihi acceptabile atque honorificum: quia si rectè iudicas, meam ordinationem tuo desiderio, & omni desiderio præferre debes, ac sequi. Noui desiderium tuum & frequentes gemitus audiui. Iam velles esse in libertate gloriæ filiorum Dei: iam te delectat domus æterna & cœlestis patria, gaudio plena, sed nondum venit hora ista: sed est adhuc aliud tempus, belli videlicet, laboris & probationis: optas summo repleri bono, sed non potes hoc assequi modo. Ego sum, expecta me (dicit Dominus) donec veniat regnum Dei. Probandus es, adhuc in certis & in multis exercitandus. Consolatio tibi interdum dabitur, sed copiosa satietas non conceditur. Confortare igitur & esto robustus tam in agendo, quam in patiendo naturæ contraria. Oportet te nouum induere hominem: & in alterum virum mutari. Oportet te sæpè agere, quod non vis, & quod vis oportet relinquere. Quod alijs placet, processum habebit, quod tibi placet vltra nõ proficiet: quod alij dicunt, audietur, quod tu dicis, pro nihilo computabitur. Petent alij, & accipient: tu petes nec impetrabis. Erunt alij magni in ore hominum, de te autem tacebitur. Alijs hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil vtilis iudicaberis. Propter hoc natura aliquando contristabitur, & magnum certamen sustinebit: sed magnum bonum inde consequeris, si silens portaueris. In his & similibus multis probari solet fidelis Domini seruus, qualiter se abnegare & in omnibus frangere quiuerit. Vix est aliquid tale in quo tantundem moneri indiges: sicut non videri & pati quæ voluntati tuæ aduersa sunt, maximè autem, quando disconuenientia, & quæ minus vtilia tibi apparent fieri iubẽtur. Et quia non audes resistere altiori potestati sub domino cõstitutus, ideo durum tibi videtur ad nutum alterius ambulare & omne proprium sentire omittere. Sed pensa fili horum fructum laborem, & celerem finẽ, atque præmium nimis magnum, & non habebis inde grauamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen. Nam & pro modica hac voluntate, quam nũc sponte deseris, habebis semper voluntatem tuam in cœlis. Ibi quippe inuenies omne quod volueris, omne quod desiderare potes. Ibi aderit tibi totius facultas boni sine timore admittendi. Ibi voluntas tua vna semper mecum nil cupiet extraneum vel priuatum. Ibi nullus resistet tibi, nemo de te conqueretur, nemo impediet, nil obuiabit, sed cuncta desiderata simul erunt præsentia, totumque affectum tuum reficient, & adimplebunt vsque ad summum. Ibi reddam gloriam pro contumelia perpessa, pallium laudis pro mœrore, pro loco nouissimo sedem regni in sæcula. Ibi apparebit fructus obedientiæ, gaudebit labor pœnitentiæ, & humilis subiectio coronabitur glorioſe. Nunc ergo te inclina humiliter sub omnium manibus, nec sit curæ quis hoc dixerit vel iusserit: sed hoc magnopere curato, vt siue prælatus, siue minor aut æqualis aliquid ex te exposcerit vel inuenerit, pro bono totum accipias, & syncera voluntate studeas adimplere. Quærat alius hoc, alius illud, glorietur ille in illo, & iste in isto, laudeturque à millies mille, tu autem nec in isto, nec in illo, sed tui ipsius gaude contemptu, & in meo soliùs beneplacito ac mei honore. Hoc optandum est tibi, vt siue per vitam, siue per mortem, Deus semper in te glorificetur.

Non qua carni arridẽt petenda.

Iob. 7.

Iosue 1. Eph. 4.

Fructus mortificationis.

QVALITER HOMO DESOLATUS debeat in manus Dei se offerre.

CAPVT L.

DOmine Deus sancte Pater, sis nunc & in æternum benedictus, quia sicut vis factum est, & quod facis bonum est. Lætetur in te seruus tuus, non in se nec in aliquo alio: quia tu solus lætitia vera, tu spes mea & corona mea: tu gaudium meum, & honor meus Domine. Quid habet seruus tuus, nisi quod à te accepit, etiam sine merito suo? Tua sunt omnia, quæ dedisti & quæ fecisti. *Pauper sum, & in laboribus meis à iuuentute mea,* contristatur anima mea nonnunquam vsque ad lachrymas, quandoque etiam conturbatur apud se propter imminẽtes passiones. Desidero pacis gaudium, pacem filiorum tuorum flagito, qui in lumine consolationis à te pascuntur. Si das pacem, si gaudium sanctum infundis, erit anima serui tui plena modulatione & deuota in laude tua. Sed si te subtraxeris sicut sæpissimè soles, non poterit currere viam mandatorum tuorum, sed magis ad tundendum pectus, genua incuruantur: quia non est illi sicut heri & nudius tertius, quando splendebat lucerna tua super caput eius, & sub vmbra alarum tuarum protegebatur à tẽntationibus irruentibus. Pater iuste, & semper laudande, venit hora vt probetur seruus tuus. Pater amande dignum est vt hora hac patiatur pro te aliquid seruus tuus. Pater perpetuo venerande, venit hora, quam ab æterno præsciebas affuturam, vt ad modicum tempus succumbat foris seruus tuus: viuat verò semper apud te intus, paululum vili pendatur, humilietur & deficiat coram hominibus, passionibus conteratur & languoribus, vt iterum tecum in aurora nouæ lucis resurgat, & in cœlestibus clarificetur. Pater sancte tu sic ordinasti & sic voluisti, & hoc factum est quod ipse præcepisti. Hæc est enim gratia ad amicum tuum, pati & tribulari in mundo pro amore tuo & quotiescunque, à quocunque, & quomodocunque id permiseris fieri. Sine consilio & prouidentia tua, & sine causa nihil fit in terra. *Bonum mihi Domine quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas,* & omnes elationes cordis, atque præsumptiones abiiciam. Vtile mihi quod confusio cooperuit faciem meam, vt te potius, quam homines ad consolationem requiram. Didici etiam ex hoc inscrutabile iudicium tuum expauescere qui affligis iustum cum impio, sed non sine æquitate, & iustitia. Gratias ago tibi, quia non pepercisti malis meis: sed attriuisti me verberibus amaris, infligens dolores, & immittens angustias foris & intus. Non est qui me cõsoletur ex omnib. quæ

Psal. 87.

Psal. 118.

sub

sub cœlo sunt, nisi tu Domine Deus meus, cœlestis medicus animarũ, qui percutis & sanas, deducis ad inferos, & reducis. *Disciplina tua super me, & virga tua ipsa me docebit.* Ecce pater dilecte, in manibus tuis ego sum, sub virga correctionis tuæ me inclino, percute dorsum meum & collum meum, vt incuruem ad voluntatem tuam tortuositatem meam. Fac me pium & humilem discipulum, sicut bene facere consueuisti: vt ambulem ad omnem nutum tuum. Tibi me & omnia mea ad corrigendum commendo, melius est hic corripi quam in futuro. Tu scis omnia & singula, & nil te latet in humana conscientia. Antequam fiant nosti ventura: & non opus est tibi, vt quis te doceat aut admoneat de his, quæ geruntur in terra. Tu scis, quid expedit ad profectum meum & quantum, deseruit tribulatio ad rubiginem vitiorum purgandam. Fac mecum desideratum beneplacitum tuum: & ne despicias peccaminosam vitam meam, nulli melius nec clarius, quàm tibi soli notam. Da mihi Domine scire, quod sciendum est, hoc amare quod amandum est, hoc laudare quod tibi summè placet, hoc reputare quod tibi pretiosum apparet, hoc vituperare, quod oculis suis sordescit. Non sinas me secundùm visionem oculorum exteriorum iudicare, neque secundùm auditum aurium hominum imperitorum sententiare, sed in iudicio vero de visibilibus & spiritualibus discernere, atque super omnia voluntatem beneplaciti tui semper inquirere. Falluntur sæpè hominum sensus in iudicando, falluntur & amatores seculi visibilia tantummodo amando. Quid est, homo inde melior, quia reputatur ab homine maior? Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, & infirmus infirmum decipit dum exaltat, & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nam quantum vnusquisque est in oculis tuis, tantum est & nõ amplius, ait humilis sanctus Franciscus.

Tob. 13. Psalm. 17.

QVOD HUMILIBUS INSISTENDUM est operibus, quum deficitur a summis.

CAP. LI.

FIlli non vales semper in feruentiori desiderio virtutum stare, nec in altiori gradu contemplationis, sed necesse habes, interdum ob originalem corruptelam ad inferiora descendere, & onus corruptibilis vitæ etiam inuitè, & cum tædio portare. Quamdiu mortale corpus geres, tædium senties & grauamen cordis. Oportet ergo sæpè in carne de carnis onere gemere eo quod non vales spiritualibus studijs, & diuinæ contemplationi indesinenter inhærere. Tunc expedit tibi ad humilia & exteriora opera confugere, & in bonis te actibus recreari, aduentum meum, & supernã visitationem firma confidentia expectare exilium tuum & aridi tatem mentis patienter sufferre, donec iterum à me visiteris, & ab omnibus anxietatibus libereris. Nam faciam te laborum obliuisci, & interna quiete perfrui. Expandam coram te prata scripturarum, vt dilatato corde currere incipias viam mandatorum meorum & dicas: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

In aviditate mentis quid agendum.

Rom. 8.

VT HOMO NON REPUTET SE consolatione dignum, sed magis verberibus reum.

CAP. LII.

DOmine non sum dignus consolatione tua nec aliqua spirituali visitatione, & ideo iuste mecum agis, quando me inopem & desolatum relinquis. Si enim admodum maris lachrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem. Vnde nihil dignus sum quàm flagellari & puniri: quia grauiter & sæpè te offendi, & in multis valdè deliqui. Ergo vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione: sed tu clemens & misericors Deus, qui non vis perire opera tua ad ostendendum diuitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ tuæ, etiam præter omne proprium meritum dignaris consolari seruum tuum supra humanum modũ. Tuæ enim consolationes non sunt, sicut humanæ cõfabulationes. Quid egi Domine, vt mihi conferres aliquam cœlestem consolationem? Ego nihil boni me egisse recolo, sed semper ad vitia pronum, & ad emendationem pigrum fuisse. Verum est, & negare non possum. Si aliter dicerem, tu stares contra me, & non esset qui defenderet. Quid merui pro peccatis meis, nisi infernum & ignem æternum? In veritate confiteor, quoniam dignus sum omni ludibrio & contemptu, nec decet me inter deuotos tuos commorari. Et licet hoc ægrè audiam: tamen aduersum me pro veritate peccata mea arguam, vt facilius misericordiam tuam merear impetrare. Quid dicam reus, & omni confusione plenus? Non habeo os loquendi, nisi hoc tantum verbum. Peccaui Domine, peccaui misereri mei, ignosce mihi. *Sine me paululũ, vt plangam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine.* Et quid tam maximè à reo & misero peccatore requiris, nisi vt conteratur & humiliet se pro delictis suis. In vera contritione & cordis humiliatione nascitur spes veniæ, reconciliatur perturbata conscientia: reparatur gratia perdita, tuetur homo à futura ira, & occurrunt sibi mutuo in oculo sancto Deus & pœnitens anima. Humilis peccatorum contritio, acceptabile tibi est Domine sacrificium, lõgè suauius odorans in conspectu tuo, quàm thuris incensum. Hoc est gratum etiam vnguentum quod sacris pedibus tuis infundi voluisti, quia cor contritum & humiliatum nunquam despexisti. Ibi est locus refugij à facie iræ inimici. Ibi emendatur & abluitur quicquid aliundè contractum est & inquinatum.

Iob. 9. Psal. 50. Iob. 10. *Humilis contritio quæ salutaris.* Psal. 50. Luc. 7. Psal. 39.

DE GRATIA DEI QVÆ NON miscetur terrenis sapientibus.

CAP. LIII.

FIlli preciosa est gratia mea, non patitur se miscери extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. Abijcere ergo oportet omnia impedimẽta gratiæ, si optas eius infusionem susципere. Pete sẽcretum tibi, ama solus habitare tecum, nullius require confabulationem, sed magis ad Deum deuotã effunde precem, vt compunctam teneas mentem, & puram conscientiam. Totum mundum nihil existima: Dei vocationem omnibus exterioribus antepone. Non enim poteris mihi vacare, & in transitorijs pariter delectari. A notis & à charis amicis oportet elongari, & ab omni temporali solatio mentem teneri priuatam. Sic obseruat B. Apostolus Petrus, vt tanquam aduenas & peregrinos in hoc mundo se contineant Christi fideles. O quanta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mundo. Sed sic segregatum cor habere ab omnibus, æger necdum capit amicus, nec animalis homo nouit interni hominis libertatem. Attamen si verè velit esse spiritualis, oportet eum renunciare tam remotis, quam propinquis, & à nemine magis cauere quàm à seipso. Si temetipsum perfecte viceris cætera facilius subiugabis. Perfecta namque victoria est de semetipso triumphare: qui enim semetipsum subiectum tenet, vt sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè victor est

Matt. 19. 1. Pet. 2. *Spiritualem vitam sectanti quid faciendum.*

sui & Dominus mundi. Si ad hunc apicem scandere gliscis, oportet viriliter incipere, & securim ad radicem ponere, vt euellas & destruas occultam & inordinatam inclinationem ad teipsum, & ad omne priuatum & materiale bonum. Ex hoc vitio quod homo semetipsum nimis inordinatè diligit, penè totum pendet quicquid radicaliter vincendum est. Quo deuicto & subacto malo, pax magna, & tranquillitas erit continua. Sed quia pauci sibiipsis perfectè mori laborant, nec plenè extra se tendunt: propterea in se implicati remanent, nec suprà se in spiritu eleuari possunt. Qui autem liberè mecum ambulare desiderat, necesse est, vt omnes prauas & inordinatas affectiones suas mortificet, atque nulli creaturæ priuato amore concupiscenter inhæreat.

DE DIVERSIS MOTIBVS *naturæ & gratiæ.*

CAP. LIV.

FIli diligenter aduerte motus naturæ & gratiæ, quia valdè contrariè & subtiliter mouentur, & vix, nisi à spirituali & intimo illuminato homine discernuntur. Omnes quidem bonum appetunt, & aliquid boni in suis dictis vel factis prętendunt: ideo sub specie boni multi falluntur. Natura callida est & multos trahit, illaqueat, & decipit, & se semper pro fine habet. Sed gratia simpliciter ambulat, & ab omni specie mala declinat: fallacias non prætendit, & omnia purè propter Deum agit, in quo & finaliter requiescit. Natura inuitè vult mori, nec premi, nec superari, nec subesse, nec sponte subiugari. Gratia vero studet mortificationi propriæ, resistit sensualitati: quærit subijci, appetit vinci, nec propria vult libertate fungi: sub disciplina amat teneri, nec alicui cupit dominari, sed sub Deo semper viuere, stare, & esse, atque propter Deum omni humanæ creaturæ humiliter parata est inclinari. Natura pro suo commodo laborat, & quid lucri ex alio sibi proueniat attendit. Gratia autem non quid sibi vtile & commodum sit, sed quod multis proficiat magis considerat. Natura libenter honorem & reuerentiam accipit. Gratia vero, omnem honorem & gloriam Deo fideliter attribuit. Natura confusionem timet & contemptum. Gratia autem gaudet pro nomine Iesu contumeliam pati. Natura otium amat, & quietem corporalem. Gratia autem vacua esse non potest, sed libenter amplectitur laborem. Natura quærit curiosa habere & pulchra, & abhorret vilia & grossa. Gratia vero simplicibus delectatur & humilibus, aspera non aspernatur nec vetustis refugit indui pannis. Natura respicit temporalia, gaudet ad lucra terrena: tristatur de damno, irritatur leui iniurię verbo. Sed gratia attendit æterna, non inhæret temporalibus, nec in perditione rerum turbatur, neque verbis durioribus acerbatur: quia thesaurum suum & gaudium in cœlo, vbi nil perit, constituit. Natura cupida est, & libentius accipit quam donat, amat propria & priuata. Gratia autem pia est & communis, vitat singularia, contentatur paucis, beatius iudicat dare, quam accipere. Natura inclinat ad creaturas, ad carnem propriam, ad vanitatem & discursus. Sed gratia trahit ad Deum & virtutes: renunciat creaturis, fugit mundum, odit carnis desideria, restringit euagationes, erubescit in publico apparere. Natura libenter aliquod solatium habet externum, in quo delectetur ad sensum. Sed gratia in solo Deo quærit consolari, & in summo bono super omnia visibilia delectari. Natura totum agit propter lucrum & commodum proprium, nihil gratis facere potest, sed aut æquale, aut melius, aut laudem vel fauorem pro benefactis consequi sperat: & multum ponderari sua gesta & dona concupiscit. Gratia verò nil temporale quærit, nec aliud præmium quàm Deum solum pro mercede postulat, nec amplius de temporalibus necessarijs desiderat, nisi quantum hæc sibi ad assecutionem æternorum valeant deseruire. Natura gaudet de amicis, multis & propinquis, gloriatur de nobili loco & ortu generis, arridet potentibus, blanditur diuitibus, applaudit sibi similibus. Gratia autem & inimicos diligit, nec de amicorũ turba extollitur: nec locum, nec ortum natalium reputat, nisi virtus maior tibi fuerit. Fauet magis pauperi, quàm diuiti, compatitur plus innocenti, quàm potenti, congaudet veraci non fallaci: exhortatur semper bonos meliora charismata æmulari, & filio Dei per virtutes assimulari. Natura de defectu & molestia cito conqueritur. Gratia constanter fert inopiam. Natura omnia de se reflectit, pro se certat & arguit. Gratia autem ad Deum cuncta reducit, vnde originaliter emanat: nihil boni sibi ascribit: nil arroganter præsumit, non contendit: nec suam sententiam alijs præfert. Sed in omni sensu & intellectu æternæ sapientiæ ac diuino examini se submittit. Natura appetit scire, & noua secreta audire, vult exterius apparere: multa per sensus experiri: desiderat agnosci & agere, vnde laus & administratio procedit. Sed gratia non curat noua nec curiosa percipere quia totum hoc de vetustate corruptionis est ortum, quum nihil nouum durabile sit super terram. Docet itaque sensus restringere vanam complacentiam & ostentationem deuitare, laudanda & dignè miranda humiliter abscondere, & de omni re & de omni scientia vtilitatis fructum, atque Dei laudem & honorem quærere. Non vult se nec sua prædicari: sed Deum in donis suis optat benedici, qui cuncta ex mera charitate largitur. Hęc gratia supernaturale lumen, & quoddam Dei speciale donum est, & propriè electorum signaculum & pignus salutis æternæ, quæ hominem deterrenis ad cœlestia amanda sustulit, & de carnali spiritualem effecit. Quanto igitur natura amplius premitur & vincitur, tanto maior gratia infunditur, & quotidie nouis visitationibus interior homo secundùm imaginem Dei reformatur.

Diuersi motus naturæ & gratiæ.

DE CORRVPTIONE NATVRÆ, *& efficacia gratiæ diuinæ.*

CAP. LV.

DOmine Deus meus, qui me creasti ad imaginem & similitudinem tuam, concede mihi hanc gratiam, quam ostendisti mihi tam magnam & necessariam ad salutẽ, vt vincam pessimã naturam meam trahentem ad peccata & in perditionem. Sentio enim in carne mea legem peccati contradicentem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem ad obediendum sensualitati in multis nec possum resistere passionibus eius, nisi assistat tua sanctissima gratia cordi meo ardenter infusa. Opus est gratia tua, & magna gratia vt vincatur natura ad malum semper prona ab adolescentia sua. Nam per primũ hominem Adam lapsa & vitiata per peccatũ, in omnes homines pœna huius maculæ descendit, vt ipsa natura, quæ bona & recta à te condita fuit: pro vitio iam & infirmitate corruptæ naturæ ponatur, eò quòd motus eius sibi relectus ad malum & inferiora trahat. Nam modica vis quę remansit, est tanquã scintilla quędam latens in cinere. Hæc est ipsa ratio naturalis circumfusa magna caligine adhuc iudicium habens boni & mali: veri falsique distantiam, licet impotens sit adimplere omne quod approbat,

Gen. 1.

Rom. 7.

Gratia Dei opus ad corruptam naturam vincendam.

Gen. 8.

Ratio scintilla quædam naturæ post peccatum lapsæ.

nec

nec plenè tam lumine veritatis, nec sanitate affectionum suarum potiatur. Hinc est Deus meus, quod
Rom. 7. *condelector legi* tuæ *secundùm interiorem hominem*, sciens mandatum tuum fore bonum, iustum & sanctum, arguens etiam omne malum & peccatum fugiendum. *Carne autem seruio legi peccati*, duræ magis sensualitati obedio, quam rationi. Hinc est quod *velle* bonum *mihi adiacet*, *perficere autem non inuenio*. Hinc sæpe multa bona propono: sed quia gratia deest ad adiuuandum infirmitatem meam, ex leui resistentia resilio & deficio. Hinc accidit quod viam perfectionis agnosco, & qualiter agere debeam clarè satis video: sed propriæ corruptionis pondere pressus ad perfectiora non assurgo. O quam maximè est mihi necessaria Domine gratia tua, ad inchoandum
Ioan. 15. bonum, & ad perficiendum. Nam sine ea nihil possum facere, omnia autem possum in te confortante me gratia. O vere cœlestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque dona naturæ ponderanda. Nihil artes, nil diuitiæ, nihil pulchritudo vel fortitudo, nihil ingenium vel eloquentia valent apud te Domine sine gratia. Nam dona naturæ bonis & malis sunt communia: electorum autem proprium donum est gratia siue dilectio, qua insigniti digni habentur vita æterna. Tantum eminet hæc gratia, vt nec donum prophetiæ,
Dilectio electorum propria naturæ dona & bonis & malis communia. nec signorum operatio, nec quantalibet alta speculatio aliquid æstimetur sine ea: Sed neque fides, neque spes, neque aliæ virtutes tibi acceptę sunt sine
1. Cor. 13. charitate & gratia. O beatissima gratia, quæ pauperem spiritu virtutibus diuitem facis, & diuitè multis bonis humilem corde reddis. Veni descende ad me, reple me manè consolatione tua: ne deficiat prę lassitudine & ariditate mentis anima mea: Obsecro Domine vt inueniam gratiam in oculis tuis: sufficit
Psal. 22. enim mihi gratia tua cæteris non obtentis quæ desiderat natura: Si fuero tentatus & vexatus tribulationibus multis, non timebo mala, dum mecum fuerit gratia tua. Ipsa fortitudo mea, ipsa consilium cõfert & auxilium. Cunctis hostibus potentior est, & sapientior vniuersis sapientibus. Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix deuotionis, productrix lachrymarum. Quid sum sine ea, nisi aridum lignum & stirps inutilis ad eijciendum? Tua ergo me Domine gratia semper præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentum per Iesum Christum Filium tuum Amen.

QVOD NOS IPSOS ABNEGARE ET Christum imitari debemus per crucem.

CAPVT LVI.

FIli quantum à te vales exire: tantum in me poteris transire. Sicut nihil fóris concupiscere internam pacem facit: sic se interius relinquere
Abnegatio perfecta. Deo coniungit. Volo te addiscere perfectam abnegationem tui in voluntate mea sine contradictione
Ioan. 14. & querela. Sequere me, ego sum via, veritas, & vita. Sine via non itur: sine veritate non cognoscitur: sine vita non viuitur. Ego sum via quam sequi debes, veritas cui credere debes, vita quam sperare debes. Ego sum via inuiolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis. Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata. Si manseris in via mea, cognosces veritatem, & veritas liberabit te, & appræhendes vitam æternam. *Si vis ad*
Matt. 19. *vitam ingredi, serua mandata.* Si vis veritatem cog-
Ibidem. noscere, crede mihi. *Si vis perfectus esse, vende omnia.*
Luc. 9. Si vis esse discipulus meus, *abnega temetipsum*. Si vis beatam vitam possidere, præsentem vitam cõtemne.
Ioan. 12. Si vis exaltari in cœlo, humilia te in mundo.
Luc. 14. Si vis regnare mecum, porta crucem mecum: Soli enim serui crucis inueniunt viam beatitudinis & veræ lucis. Domine Iesu Christe, quia arcta est via tua
Matt. 7. & mundo despecta, dona mihi te cum mundi despectu imitari. Non enim maior est seruus Domino, nec discipulus supra magistrum. Exerceatur seruus tuus
Luc. 6. in via, quia ibi est salus mea & sanctitas vera. Quicquid extra eam lego vel audio, non me recreat, nec delectat plenè. Fili quia hæc scis & legisti omnia, beatus eris si feceris ea. *Qui habet mandata mea, &*
Ioan. 14. *seruat ea, ipse est, qui diligit me: ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum* & faciam eũ considere mecum in regno Patris mei. Domine igitur sicut dixisti & promisisti: sic vtique mihi promereri contingat. Suscepi de manu tua crucem portabo eam vsq; ad mortẽ, sicut imposuisti mihi. Verè vita boni monachi crux est, sed dux paradysi inceptũ est, retrò abire non licet, nec relinquere oportet. Eia frater pergamus simul Iesus erit nobiscum, propter Iesum suscepimus hanc crucem. propter Iesum perseueremus in cruce. Erit adiutor noster, qui est dux noster & præcessor. Ecce rex noster ingredietur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores: simus parati mori fortiter in bello nec inforamus crimen gloriæ nostræ vt fugiamus à cruce.

VT HOMO NON SIT NIMIS deiectus quando in aliquos labitur defectus.

CAPVT LVII.

FIlli magis placent mihi patientia & humilitas in aduersis, quàm multa consolatio & deuotio in prosperis. Vt quid te contristat, paruum factum contra te dictum? Si amplius fuisset, commoueri non debuisses: sed nunc dimitte transire, nõ est primum nec nouum, nec vltimum erit si diu vixeris. Satis virilis es, quam diu nil obuiat aduersi, benè etiã consulis, & alios nosti corroborare verbis; sed quum ad ianuam tuam venit, repentina tribulatio, deficis consilio & robore. Attende magnam fragilitatem tuam, quam sæpius experiris in modicis obiectis. Tamen pro salute tua ista fiunt, quum hæc & similia contingunt. Pone, vt melius nosti ex corde: & si te tetigit, non tamen deijciat, nec diu implicet. Ad minus sustine patienter, si non potes gaudẽter. *Tribulationes si non gaudenter saltem patienter ferendæ.* Etiam si minus libenter audis, & indignationem sentis, reprime te, nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire, vnde paruuli scandalizentur. Citò conquiescit commotio excitata, & dolor internus reuertente gratia dulcorabitur. Adhuc viuo ego (dicit Dominus) iuuare te paratus & solito amplius consolari, si confisus fueris mihi, & deuotè inuocaueris. Animæquior esto, & ad maiorem sustinentiã accingere. Non est totum frustratum, si te sæpius percipis tribulatum vel grauiter tentatum. Homo es & non Deus, caro es & non angelus. Quomodo
Gen. 3. tu posses semper in eodem statu virtutis permanere, quando hoc defuit angelo in cœlo: & primo homini in paradiso, qui non diu steterunt? Ego sum qui mœrentes erigo sospitate, & suam cognoscentes in-
Psal. 118. firmatem ad meam proueho diuinitatem. Domine benedictum sit verbum tuum dulce super mel, & fauum ori meo. Quid facerem in tantis tribulationibus & angustijs meis, nisi me confortares tuis sanctis sermonibus? Dummodo tandem ad portum salutis perueniam, quid curæ est, quæ & quanta passus fuero? Da finem bonum, da fœlicem ex hoc mundo transitum. Memento mei Deus meus & dirige me recto itinere in regnum tuum Amen.

DE ALTIORIBVS REBVS ET OCCVLTIS iudicijs Dei non scrutandis.

CAPVT LVIII.

FIli, caueas disputare de altis materijs & occultis Dei iudicijs. Cur iste sic relinquitur, & ille ad tantam gratiam assumitur? Cur etiam iste tantum affligitur, & ille tam eximiè exaltatur? Ista omnem humanam facultatem excedunt, nec ad inuestigandum iudicium diuinum vlla ratio prævalet vel disputatio. Quando ergo hæc tibi suggerit inimicus, vel etiam quidam curiosi inquirunt homines, respondeillud Prophetæ. *Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.* Et illud: *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Iudicia mea metuenda sunt, non discutienda: quia humano intellectui sunt incomprehensibilia. Noli etiam inquirere vel disputare de meritis Sanctorum, quis alio sanctior, aut quis maior fuerit in regno cœlorum. Talia generant sæpe lites & contentiones inutiles, nutriunt quoque superbiam & vanam gloriam, vnde oriuntur inuidiæ & dissensiones, dum iste illum sanctum & alius alium conatur superbè præferre. Talia autem velle scire, & inuestigare, nullum fructum afferunt, sed magis Sanctis displicent: quia non sum Deus dissensionis, sed pacis, quæ pax magis in humilitate vera, quam in propria exaltatione consistit. Quidam zelo dilectionis trahuntur ad hos vel ad illos ampliori affectu, sed humano potius, quam diuino. Ego sum qui cunctos condidi Sanctos, ego donaui gratiam, ego præstiti gloriam, ego noui singulorum merita, ego prævenieneos in benedictionibus dulcedinis meæ, ego præsciui dilectos ante sæcula, ego eos elegi de mundo, non ipsi me prælegerunt: ego vocaui per gratiam, attraxi per misericordiam, ego perduxi eos per tentationes varias, ego infudi consolationes magnificas, ego dedi perseuerantiam, ego coronaui eorum patientiam: ego primum & notissimum agnosco, ego omnes inæstimabili dilectione amplector, ego laudandus sum in omnibus Sanctis meis, ego super omnia benedicendus sum & honorandus in singulis, quos sic gloriosè magnificaui & prædestinaui sine vllis præcedentibus proprijs meritis. Qui ergo vnum de minimis meis contempserit nec magnum honorat: quia pusillum & magnum ego feci. Et qui derogat alicui Sanctorum derogat mihi: & cæteris omnibus in regno cœlorum, omnes vnum sunt per charitatis vinculum, idem sentiunt, idem volunt & omnes in vnum se diligunt. Adhuc autem (quod multo altius est) plus me, quam se & sua merita diligunt. Nam super se rapti, & extra propriam dilectionem tracti, toti in amorem mei pergunt, in quo & fruitiuè quiescunt. Nihil est, quod eos auertere possit, aut deprimere: quippè qui æterna veritate pleni, igne ardescunt inextinguibili charitatis. Taceant igitur carnales & animales homines de Sanctorum statu differere, qui non norunt nisi priuata gaudia diligere. Demunt & addunt pro sua inclinatione, non prout placet æternæ veritati. In multis est ignorantia eorum, maximè qui parum illuminati, raro aliquem perfecta dilectione spirituali diligere norunt. Multi adhuc naturali affectu & humana amicitia ad hos vel ad illos trahuntur: & sicut in inferioribus se habent, ita & de cœlestibus imaginantur. Sed est distantia incomparabilis, quæ imperfecti cogitant, & quæ illuminati viri per reuelationem supernam speculantur. Caue ergo fili de istis curiosè tractare, quæ tuam scientiam excedunt: sed hoc magis satage & intende, vt vel minimus in regno Dei queas inueniri. Et si quispiam sciret quis alio sanctior vel maior haberetur in regno cœlorum, quid ei hæc notitia prodesset, nisi se ex hac cogitatione coram me humiliaret, & in maiorem nominis mei laudem exurgeret? Multò acceptius Deo facit, qui de peccatorum suorum magnitudine & virtutum suarum prauitate cogitat, & quàm longè à Sanctorum perfectione distet, quàm is, qui de eorum maioritate vel paritate disputat. Meliùs est Sanctos deuotis precibus & lachrymis exorare, & eorum glorioſa suffragia humili mente implorare, quàm eorum secreta vana inquisitione perscrutari. Ille benè & optimè contentatur, si homines scirent contentari, & vaniloquia sua compescere. Non gloriantur de proprijs meritis: quippè qui sibi nihil bonitatis ascribunt: sed totum mihi, quoniam ipsis cuncta ex infinita charitate mea donaui. Tanto amore diuinitatis & gaudio superfluenti replentur, vt nihil eis desit gloriæ, nihilque possit deesse fœlicitatis: Omnes Sancti quanto altiores in gloria, tanto humiliores in seipsis & mihi viciniores & dilectiores existunt. Ideoque habes scriptum: *Quia mittebant coronas suas ante Deum, & cecidерunt in facies suas coram agno, & adorauerunt viuentem in secula seculorum.* Multi quidem quærunt quis maior sit in regno Dei, qui ignorant, an cum minimis erunt digni computari: magnum est vel minimum esse in cœlo, vbi omnes magni sunt: quia omnes filij Dei vocabuntur & erunt. Minimus erit in mille, & peccator centum annorum morietur. Quum enim quærerent discipuli, quis maior esset in regno cœlorum, tale audierunt responsum: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum.* Væ eis, qui cum paruulis humiliare se sponte dedignantur, quoniam humilis ianua regni cœlestis eos non admittet intrare. Væ etiam diuitibus qui habent hic consolationes suas, quia pauperibus intrantibus in regnum Dei, ipsi stabunt foras eiulantes. Gaudete humiles, & exultate pauperes: quia vestrum est regnum Dei, si tamen in veritate ambulatis.

Iudicia Dei inscrutabilia

Psal. 118. Psal. 18.

Non disputandum quis sanctus altero sanctior. 2. Tim. 2.

Ioan. 15.

Psal. 150.

Iac. 2. Sap. 6.

Eccl. 3.

Apoc. 4.

Matt. 18. Matt. 6.

Matt. 5.

QVOD OMNIS SPES ET FIDVCIA in solo Deo est figenda.

CAPVT LIX.

DOmine, quæ est fiducia mea, quam in hac vita habeo, aut quod maius solatium meum ex omnibus apparentibus sub cœlo? Nonne tu Domine Deus meus, cuius misericordiæ non est numerus? vbi mihi benè fuit sine te, aut quando malè esse potuit præsente te? malo pauper esse propter te, quàm diues sine te. Eligo potius tecum in terra peregrinare, quàm sine te cœlum possidere. Vbi tu, ibi cœlum, atque ibi mors & infernus, vbi tu non es. Tu mihi in desiderio es, & ideò post te gemere & clamare & exorare necesse est. In nullo denique possum plene confidere, qui in necessitatibus auxilietur oportunius, nisi in te solo Deo meo: tu es spes mea & fiducia mea: tu cõsolator meus, & fidelissimus in omnibus. Omnes quæ sua sunt, quærunt, tu salutem meam & profectum meum solummodo prætendis, & omnia in bonum mihi conuertis. Etiam si variis tentationibus & aduersitatibus exponas, hoc totum ad vtilitatem meam ordinas, qui mille modis dilectos tuos probare consueuisti. In qua probatione non minus diligi debes & laudari, quàm si cœlestibus consolationibus me repleres. In te ergo Domine Deus pono spem meã & refugium, in te omnem tribulationem & angustiam meam constituo: quia totum infirmum & instabile inuenio quicquid extra te conspicio. Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarij adiuuare poterunt, neque prudentes consiliarij responsum vtile dare, neque libri doctorum consolari, nec aliqua

Phil. 2.

preciosa substantia liberare, nec locus aliquis secretus contutari, si tu ipse non assistes, iuues, confortes, consoleris, instruas, & custodias. Omnia namque, quæ ad pacem videntur esse, & felicitatem habendam, te absente nihil sunt, nihilque felicitatis in veritate conferunt. Finis ergo omnium bonorum, & altitudo vitę, & profunditas omnium eloquiorum tu es, & in te super omnia sperare fortissimum solatium seruorum tuorum. Ad te sunt oculi mei, in te confido, Deus meus misericordiarum pater. Benedic & sanctifica animam meam benedictione cœlesti: vt fiat habitatio tua sancta, & sedes æternæ gloriæ tuæ, nihilque in templo tuo indignitatis inueniatur, quod oculos tuæ maiestatis offendat. Secundùm magnitudinem bonitatis tuæ & multitudinē miserationum tuarum respice in me, & exaudi orationem pauperis serui tui longe exulantis in regione vmbræ mortis. Protege & conserua animam seruuli tui inter tot discrimina vitæ corruptibilis: ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis ad patriam perpetuę claritatis.

VEN. VIRI

THOMAE A KEMPIS,

DE IMITATIONE CHRISTI,

LIBER QVARTVS.

De augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

DEVOTA EXHORTATIO AD SANCTAM corporis Christi communionem.

Vox Christi.

VEnite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, dicit Dominus. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Matth 11. Ioan. 6. Matt. 26. & 1. Cor. 11. Ioan. 6.

CVM QVANTA REVERENTIA CHRISTVS sit suscipiendus.

CAPVT I.

Vox Discipuli.

HÆc sunt verba tua Christe, veritas æterna, quamuis non vno tempore prolata, nec vno in loco conscripta. Quia ergo tua sunt verba, gratanter mihi & fideliter cuncta sunt accipienda. Tua sunt, & tu ea protulisti: & mea quoque sunt, quia pro salute mea edidisti. Libenter suscipio ex ore tuo, vt arctius inserantur cordi meo. Excitant me verba tantæ pietatis, plena dulcedinis & dilectionis: sed terrent me delicta propria, & ad capienda tanta mysteria me reuerberat impura conscientia. Prouocat me dulcedo verborum tuorum, sed onerat me multitudo vitiorum meorum. Iubes vt fiducialiter ad te accedam, si tecum velim habere partem, vt immortalitatis accipiam alimoniam: si æternam cupiam obtinere vitam & gloriam. *Venite* inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* O dulce & amicabile verbum in aure peccatoris, quòd tu Domine Deus meus egenum & pauperem inuitas ad communionem tui sanctissimi corporis. Sed quis ego sum Domine vt ad te præsumam accedere. Ecce cœli cœlorum te non capiunt, & tu dicis. *Venite ad me omnes.* Quid sibi vult ista pijssima dignatio, & tam amicabilis inuitatio? Quomodo ausus ero venire, qui nihil boni mihi conscius sum? Vnde possum præsumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui sæpius offendi benignissimam faciem tuam? Reuerentur Angeli & Archangeli, metuunt Sancti & iusti, & tu dicis, *venite ad me omnes.* Nisi tu Domine hoc diceres, quis verum esse crederet? & nisi tu iuberes, quis accedere attentaret? Ecce Noë vir iustus in arcæ fabrica centū annis laborauit, vt cum paucis saluaretur, & ego quomodo me potero vna hora præparare, vt mundi fabricatorem cum reuerentia sumam? Moyses famulus tuus magnus & specialis amicus tuus arcam ex lignis imputribilibus fecit, quàm & mundissimo vestiuit auro, vt tabulas legis in ea reponeret, & ego putrida creatura audebo te cōditorem legis, ac vitæ datorem tam facilè suscipere in corpore meo peccatis subdito? Salomon sapientissimus regum Israel, magnificum templum septem annis in laudem nominis tui ædificauit, & octo diebus festum dedicationis eius celebrauit, mille hostias pacificas obtulit, & arcam fœderis clangore buccinæ & iubilo, in locum sibi præparatum solenniter collocauit: & ego infœlix & pauperrimus hominum, quomodo te in domum meam introducam, qui vix mediam expendere deuotè noui horam? & vtinam vel semel dignè ferè mediam. O mi Deus quantum illi ad placendum tibi agere studuerunt. Heu quam pusillum est, quod ago, quam breue expleo tempus, quum me ad communicandum dispono, rarò totus collectus, rarissimè ab omni distractione purgatus. Et certe in tua salutari deitatis præsentia nulla deberet occurrere indecens cogitatio, nulla etiam occupare

Matt. 11.

Ibidem.

Exod. 25. & 26.

3. Reg. 6.

3. Reg. 8.

occupare creatura: quia non Angelum, sed Angelorum dominum suscepturus sum hospitio. Est tamen valdè magna distantia, inter arcam fœderis cum suis reliquijs, & mundissimum corpus tuum cũ suis ineffabilibus virtutibus, inter legalia illa sacrificia futurorum præfiguratiua: & veram tui corporis hostiam omnium antiquorum sacrificiorum cõpletiuam. Quare igitur non magis ad tuam venerabilem inardesco præsentiam? cur non maiori me præparo solicitudine ad tua sancta sumenda, quando illi antiqui sanctę patriarchę & prophetæ, reges quoque tantum deuotionis demonstrarunt affectũ
2. Reg. 6. erga cultum diuinum? Saltauit deuotissimus rex Dauid coram arca Dei totis viribus, recolens beneficia olim indulta patribus, fecit diuersi generis organa, psalmos edidit, & cantari instituit cum lætitia, cecinit & ipse frequenter in cithara Spiritus sancti afflatus gratia, docuit populum Israel toto corde Deum laudare, & ore consono diebus singulis benedicere & prædicere & prędicare. Si tanta agebatur tunc deuotio, ac diuinę laudis extitit recordatio coram arca testamenti, quanta nunc mihi & omni populo Christiano habenda est reuerentia & deuotio in præsentia Sacramenti, in sumptione excellentissimi corporis Christi? currunt multi ad diuersa loca pro visitandis reliquijs Sanctorum, & mirantur auditis gestis eorum: ampla ædificia templorum inspiciunt, & osculantur sericis & auro inuoluta sacra ossa ipsorum. Et ecce tu præsens es hic apud me in altari Deus meus sanctus sanctorum, creator omnium & Dominus Angelorum. Sæpè in talibus videndis est curiositas hominum & nouitas inuisorum: & modicus reportatur emendationis fructus, maximè vbi est tam leuis fine vera contritione discursus. Hic autem in Sacramento altaris totus præsens es Deus meus homo CHRISTVS Iesus: vbi & copiosius percipitur æternæ salutis fructus, quotiescunque fueris dignè ac deuotè susceptus. Ad istud verò non trahit leuitas aliqua, nec curiositas aut sensualitas, sed firma fides, deuota spes, & syncera charitas. O inuisibilis conditor mundi Deus, quã mirabiliter ãgis nobiscum, quàm suauiter & gratiosè cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumendo proponis. Hoc namque omnem intellectum superat: hoc specialiter deuotorũ corda trahit, & accendit affectum. Ipsi enim veri fideles tui, qui totam vitam suam ad emendationem disponunt, ex hoc dignissimo Sacramento magnam deuotionis gratiam, & virtutis amorem frequenter recipiunt. O admirabilis & abscondita gratia Sacramenti, quam norunt tantum Christi fideles, infideles autem, & peccatis seruientes experiri non possunt. In hoc Sacramento confertur spiritualis gratia, & reparatur in anima virtus amissa, & per peccatũ deformata, redit pulchritudo. Tanta est aliquando hæc gratia, vt ex plenitudine collatæ deuotionis nõ tantum mens, sed & debile corpus vires sibi præstitas sentiat ampliores. Dolendum tamen valde & miserandum super tepiditate & negligentia nostra,
1. Cor. 1. quod non maiori affectu trahimur ad Christum sumendum, in quo tota spes saluandorum consistit & meritum. Ipse enim est sanctificatio nostra & redemptio, ipse consolatio viatorum & sanctorum æterna fruitio. Dolendum itaque valdè, quod multi tam parum hoc salutare mysterium aduertunt, quod cœlum lætificat, & mundum conseruat vniuersum. Heu cæcitas & duritia cordis humani, tam ineffabile donum non magis attendere, & ex quotidiano vsu etiam ad inaduertentiam defluere. Si enim hoc sanctissimum Sacramẽtum in vno tantum celebraretur loco, & ab vno tantum consecraretur sacerdote in mundo, quanto putas desiderio ad illum locũ, & talem Dei sacerdotem homines afficerentur, vt diuina mysteria celebrari audirent? Nunc autem multi facti sunt sacerdotes, & in multis locis offertur Christus: vt tanto maior appareat gratia & dilectio Dei & hominum, quanto latius est sacra communio diffusa per orbem. Gratias tibi bone Iesu pastor æterne, qui nos pauperes & exules dignatus es pretioso corpore & sanguine tuo reficere, & ad hęc mysteria percipienda etiam proprij oris tui alloquio inuitare dicendo. *Venite ad me omnes, qui laboratis* Matth. 11. *& onerati estis, & ego reficiam vos.*

QVOD MAGNA BONITAS ET *charitas Dei in Sacramento exhibetur homini.*

CAP. II.

Vox Discipuli.

SVper bonitate & magna misericordia tua Domine confisus, accedo æger ad medicum & saluatorem, esuriens & sitiens ad fontem vitæ, egenus ad regem cœli, seruus ad Dominum, creatura ad creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem. Sed vnde mihi hoc vt venias ad me? Quis ego sum, vt præstes mihi teipsum? Quomodo audet peccator coram te apparere, & quomodo tu dignaris ad peccatorem venire? Tu nosti seruum tuum, scis quia nil boni in se habet, vnde hoc illi præstes. Confiteor igitur vilitatem meam, agnosco bonitatẽ tuam, laudo pietatem, & gratias ago propter nimiã charitatem. Propter temetipsum enim hoc facis, nõ propter mea merita: vt bonitas tua mihi magis innotescat, charitas amplior ingeratur, & humilitas perfectius commendetur. Quia ergo tibi hoc placet & sic fieri iussisti, placet & mihi dignatio tua, & vtinam iniquitas mea non obsistat. O dulcissime & benignissime Iesu, quanta tibi reuerentia & gratiarum actio cum perpetua laude pro susceptione sacri corporis tui debetur, cuius dignitatem nullus hominũ explicare potens inuenitur. Sed quid cogitabo in hac communione, in accessu ad Dominum meum quem debitè venerari nequeo, & tamen deuotè suscipere desidero? Quid cogitabo melius & salubrius, nisi meipsum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatem exaltando supra me? Laudo te Deus meus & exaltabo in æternum. Despicio me, & subijcio tibi in profundum vilitatis meæ. Ecce tu Sanctus sanctorum & ego sordes peccatorum, & tu inclinas te ad me, qui non sum dignus ad te respicere. Ecce tu venis ad me: tu vis esse mecum, tu inuitas ad conuiuium tuum, tu mihi dare vis cœlestem cibum & panem Angelorum ad Psal. 77. manducandum, non alium sanè quam teipsum panem viuum, qui de cœlo descendisti, & das vitam mundo. Ecce vnde dilectio procedit, qualis dignatio illucescit, quam magnæ gratiarum actiones & laudes pro his debentur. O quàm salutare & vtile consilium tuum, quum istud instituisti, quam suaue & iucundum conuiuiũ, quùm teipsum in cibũ donasti. O quàm admirabilis operatio tua Domine, ẽpotens virtus tua, quàm ineffabilis veritas tua. Dixisti enim & facta sunt omnia, & hoc factum est quod ipse iussisti. Mira res & fide digna, & humanũ vincens intellectum: quod tu Domine Deus meus verus Gen. 1. & Psal. 148. Deus & homo sub modica specie panis & vini integer contineris, & sine consumptione à sumente mãducaris. Tu Domine vniuersorum, qui nullius habens indigentiam voluisti per Sacramentum tuum Psal. 15. habitare in nobis, conserua cor meum & corpus meum immaculatum, vt læta & pura conscientia sæpius valeam tua celebrare mysteria, & ad meam perpetuam accipere salutem, quæ ad tuum præcipuè *Magna dignatio Dñi.*

honorem

honorem & memoriale perenne sanxisti & instituisti. Lætare anima mea & gratias age Deo, pro tam nobili munere & solatio singulari in hac lachrymarum valle tibi relicto. Nam quotiens hoc mysterium recolis, & Christi corpus accipis, totiens tuæ redemptionis opus agis, & particeps omnium meritorum Christi efficeris. Charitas etenim Christi nunquam minuitur, & magnitudo propitiationis eius nunquam exhauritur. Ideò noua semper mentis renouatione adhoc disponere te debes & magnũ salutis mysterium attenta consideratione pensare: ita magnum, nouum, & iucundum tibi videri debet, quum celebras aut missam audis, ac si eodem die Christus primum in vterum Virginis descendens, homo factus esset, aut in cruce pro salute hominum pateretur & moreretur.

Meritorum Christi in Eucharistia perceptione efficimur participes.

QVOD VTILE SIT SÆPE communicare.

CAP. III.

Vox Discipuli.

Pſal.67. ECce ego venio ad te Domine, vt benè mihi sit ex munere tuo, & lætificer in conuiuio sancto tuo, quod parasti in dulcedine tua pauperi Deus: ecce in te est totum quod desiderare possum & debeo, tu salus mea & redemptio, spes & fortitudo, decus & gloria. *Lætifica* ergo hodie *animam serui tui, quoniam ad te Domine* Iesu *animam meam leuaui.* Desidero te nũc deuotè ac reuerenter suscipere, cupio te in domum meam introducere, quatenus Luc.19. cum Zachęo merear à te benedici, ac inter filios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum concupiscit, cor meum tecum vniri desiderat. Trade te mihi & sufficit. Nam præter te nulla consolatio valet, sine te esse nequeo, & sine visitatione tua viuere non valeo. Ideoque oportet me frequenter ad te accedere & in remedium salutis meæ recipere, ne forte deficiam in via, si fuero cœlesti fraudatus alimonia. Sic tu enim misericordissime Iesu prædicans populis, & varios curans languores aliquando dixisti. Matt.15. Marc.8. Nolo eos ieiunos dimittere domum suam, ne deficiant in via. Age igitur hoc modo mecum, qui te pro fidelium consolatione in Sacramento reliquisti. Tu es enim suauis refectio animæ, & qui te dignè manducauerit, particeps & hæres erit æternæ glorię. Necessarium quidem mihi est, qui tam sæpè laboro & pecco, tam citò torpesco, & deficio: vt per frequẽtes orationes & confessiones, & sacram tui corporis perceptionem me renouem, mundem, & accẽdam, ne fortè diutius abstinendo à sancto proposito defluam. Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua, & nisi succurrat diuina medi- Gen.8. cina, labitur homo mox ad peiora. Retrahit ergo sancta communio à malo, & confortat in bono. Si enim modo tam sæpe negligens sum & tepidus quãdo communico aut celebro, quid fieret, si medelam non sumerem & tam grande iuuamen non quærerem? Et licet omni die non sim aptus, nec ad celebrandum benè dispositus, dabo tamen operam congruis temporibus diuina percipere mysteria, ac tantæ gratiæ participem me exhibere. Nam hæc est vna principalis & fidelis animæ consolatio quamdiu peregrinatur à te in mortali corpore vt sit sæpius memor Dei sui, dilectum suum deuota susciat mente. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! quod tu Domine Deus creator & vitificator omnium spiritũ ad pauperculam dignaris venire animam, & cum tota deitate tua, ac humanitate eius impinguare esuriem. O felix mens & beata anima, quæ te Dominum Deum suum meretur deuotè suscipere, & in tua susceptione spirituali gaudio repleri! O quam magnum susceipit Dominum, quam dilectum inducit hospitem, quam iucundum recipit socium quam fidelem acceptat amicum, quam speciosum & nobilem amplectitur sponsum præ omnibus dilectis, & super omnia desiderabilia amandum. Sileant à facie tua dulcissime dilecte meus cœlum & terra, & omnes ornatus eorum: quoniam quicquid laudis habent aut decoris ex dignatione tuæ est largitatis, Pſal.146. nec ad decorem tui peruenient nominis, cuius sapientiæ non est numerus.

Eucharistia retrahit à malo & confortat in bono.

QVOD MVLTA BONA PRÆstantur deuotè communicantibus.

CAPVT IV.

Vox Discipuli.

Pſal.20. DOmine Deus meus, præueni seruum tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ, vt ad tuum magnificum Sacramentum dignè ac deuotè merear accedere. Excita cor meum in te, & à graui Pſal. 105. corpore exue me. Visita me in salutari tuo ad gustandum in spiritu tuam suauitatem, quæ in hoc Sacramento, tanquam in fonte plenariè latet. Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum mysterium, & ad credendum illud indubitata fide me robora. Est enim operatio tua, non humana potentia: tua sacra institutio, non hominis adinuentio. Nõ enim ad hæc capienda & intelligenda aliquis idoneus per se reperitur, quæ angelicam etiam subtilitatem transcendunt. Quid ergo ego peccator indignus terra & cinis de tã alto sacro secreto potero inuestigare, & capere? Domine in simplicitate cordis, in bona firma fide, & in tua iussione ad te cum spe & reuerentia accedo, & verè credo, quia tu prẹsens es hic in Sacramento Deus & homo. Vis ergo vt te suscipiam, & meipsum tibi in charitate vniam. Vnde tuam precor clementiam, & specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam, vt totus in te liquefiam, & amore perfluam, atque de nulla aliena consolatione amplius me intromittam. Est enim hoc altissimum & dignissimum Sacramentum salus animæ & corporis, medicina omnis spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, passiones frænantur, tentationes vincuntur ac minuuntur, gratia maior infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, & charitas ignescit ac dilatatur. Multa namque bona largitus es, & adhuc sæpius largiris in Sacramento dilectis tuis deuotè communicantibus Deus meus susceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, & totius dator consolationis æternæ. Nam multam ipsis consolationem aduersus varias tribulationes infundis, & de imo deiectionis propriæ ad spem tuæ protectionis erigis, atque noua quadam gratia eos intus recreas & illustras: vt qui anxij primum, & sine affectione se ante communionem senserant, postea refecti cibo potuque cœlesti in melius se mutatos inueniant. Quod idcirco cum electis tuis ita dispensanter agis, vt veraciter agnoscãt & potenter experiantur quod nihil in semetipsis habeant, & quid bonitatis ac gratiæ ex te consequãtur: quia ex semetipsis frigidi, duri, ac indeuoti esse merentur. Quis enim ad fontem suauitatis humiliter accedens nõ modicum suauitatis inde reportat? aut quis iuxta ignem copiosum stans, non parum caloris inde percipit? Et tu fons es semper plenus & Eſa.12. superabundans: ignis iugiter ardens, & nunquam Leuit.6. deficiens. Vnde si mihi non licet haurire de plenitudine fontis, nec vsque ad satietatem potare, apponã tamen os meum ad foramen cœlestis fistulæ, vt saltem inde guttulam modicam capiam ad refocillandam sitim meam, vt non penitus exarescam. Et si necdum totus cœlestis, & tam ignitus vt Seraphin & Che-

Effectus Sacramenti Eucharistiæ.

& Cherubin esse possum, conabor tamen deuotioni insistere, & cor meum præparare, vt vel modicam diuini incendij flammam ex humili sumptione viuifici Sacramenti conquiram. Quicquid autem mihi deest bone Iesu Saluator sanctissime, tu pro me supple benignè ac gratiosè, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ego quidem laboro in sudore vultus mei, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis passionibus implicor & premor: & non est qui adiuuet, non est qui liberet, & saluum faciat, nisi tu Domine Deus Saluator meus, cui committo me & omnia mea, vt me custodias & perducas in vitam æternam. Suscipe me in laudem & gloriam nominis tui, qui corpus tuum & sanguinem in cibū & potum mihi parasti. Præsta Domine Deus salutaris meus, vt cum frequentatione mysterij tui crescat meæ deuotionis affectus.

Matth 11.

DE DIGNITATE SACRAMENTI, & statu sacerdotali.

CAPVT V.

Vox Domini.

Matt. 11. Dignitas Sacramenti Eucharistiæ.

SI haberes angelicam puritatem, & sancti Ioannis Baptistæ sanctitatem non esses dignus hoc sacramentum accipere nec tractare. Non enim hoc meritis debetur hominum, quod homo consecret & tractet Christi Sacramentum, & sumat in cibum panem Angelorum. Grande mysterium & magna dignitas sacerdotum, quibus datum est quod Angelis non est concessum. Soli namque sacerdotes in Ecclesia ritè ordinati potestatem habent celebrandi, & corpus Christi consecrandi. Sacerdos quidem minister est Dei, vtens verbo Dei, per iussionem & institutionem Dei. Deus autem ibi principalis est auctor, & inuisibilis operator, cui subest omne quod voluerit, & patet omne quod iusserit. Plus ergo, credere debes Deo omnipotenti, in hoc excellentissimo Sacramento, quam proprio sensui, aut alicui signo visibili. Ideoque cum timore & reuerentia adhoc opus est accedendum. Attende igitur & vide quale ministerium tibi traditum est per impositionem manus Episcopi. Ecce sacerdos factus es, & ad celebrandum consecratus: vide nunc vt fideliter & deuotè in suo tempore Deo sacrificium offeras & te ipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleuiasti onus tuum, sed arctiori iam alligatus es vinculo disciplinæ, & ad maiorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtuibus debet esse ornatus, & alijs bonę vitæ exemplum præbere. Eius conuersatio non cum popularibus, & cōmunibus hominum vijs, sed cum angelis in cœlo, aut cum perfectis viris in terra. Sacerdos sacris vestibus indutus Christi vices gerit, vt Deum pro se & pro omni populo suppliciter & humiliter roget. Habet namque ante se, & retro dominicæ crucis signum ad memorandam iugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat: vt Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi feruenter studeat. Post se cruce signatus est, vt aduersa quælibet illata ab alijs, clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit, vt propria peccata lugeat, post se, vt aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter Deum & peccatorem constitutum esse sciat, nec ab oratione, nec ab oblatione sancta torpescat donec gratiam & misericordiam impetrare mereatur. Quando sacerdos deuotè celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, ecclesiam ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit.

Dignitas Sacerdotum.

Gen. 1. Psalm. 148. & Rom. 8.

1. Tim. 4.

Sacerdos quomodo se habere debeat.

Philip. 3.

Hebr. 5.

Crux ante & retro in veste sacerdotali cuius celebrantem commonefaciat.

INTERROGATIO DE EXERCITIO ante communionem.

CAPVT VI.

Vox Discipuli.

QVum tuam dignitatem Domine & meam vilitatem penso, valdè contremisco & in meipso cōfundor. Si enim nō accedo, vitam fugio: & si indignè me ingessero offensam incurrō. Quid ergo faciam Deus meus auxiliator meus & consiliator meus in necessitatibus? Tu doce me viam rectā: prepone breue aliquod exercitium sacræ Communioni congruum. Vtile est enim scire, qualiter scilicet deuotè ac reuerenter tibi præparare debeam cor meum ad recipiendum salubriter tuum Sacramentum, seu etiam celebrandum tam magnum & diuinum sacrificium.

DE DISCUSSIONE PROPRIÆ conscientiæ & emendationis proposito.

CAP. VII.

Vox Dilecti.

SVper omnia cum summa humilitate cordis & supplici reuerentia, cum plena fide & pia intētione honoris Dei ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum, & sumendum, oportet Dei accedere sacerdotem. Diligenter examina conscientiā tuam, & pro posse tuo vera contritione & humili confessione eam nuda & clarifica, ità vt nil grane habeas aut scias quod te remordeat, & liberum accessum impediat. Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali, & pro quotidianis excessibus magis in speciali doleas, & gemas, & si tempus patitur Deo in secreto cordis cunctas confitere passionum tuarum miserias. Ingemisce & dole quod adhuc ita carnalis sis & mundanus, tam immortificatus à passionibus, tam plenus concupiscētiarum motibus, tam incustoditus in sensibus exterioribus, tam sæpè multis vanis phantasijs implicatus, tam multum inclinatus ad exteriora, tam negligens ad interiora, tam leuis ad risum & dissolutionem, tam durus ad fletum & compunctionem, tam promptus ad laxiora & carnis commoda, tam segnis ad rigorem & feruorem, tam curiosus ad noua audienda & pulchra intuenda, tam remissus ad humilia & abiecta amplectenda, tam cupidus ad multa habenda, & tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum, tam inconsideratus in loquendo, tā incontinens ad tacendum, tam incompositus in moribus, tām importunus in actibus, tam effusus super cibum, tam surdus ad Dei verbum, tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem, tam vigilans ad fabulas, tam somnolentus ad vigilias sacras, tam festinus ad finem, tam vagus ad attendendum, tam negligens in horis persoluendis, tam tepidus in celebrando, tam aridus in communicando, tam citò distractus, tam rarò tibi collectus, tam subito commotus ad iram, tam facilis ad alterius displicentiā, tam pronus ad iudicandum, tam rigidus ad arguendum, tam lætus ad prospera, tam debilis in aduersis, tam sæpe multa bona proponens, & modicum ad effectum perducens. His & alijs defectibus tuis cum dolore & magna displicentia propriæ infirmitatis confessis ac deploratis firmum statue propositum semper emendandi vitam, & in melius proficiendi. Deinde cum plena resignatione & integra voluntate, offer teipsum in honorem nominis mei, in ara cordis tui holocaustum perpetuum: corpus tuum. sc. & animam mihi fideliter committendo, quatenus sic digne

Sacerdos quomodo se ad sacram Eucharistiā sumendam præparare debeat.

sic digne merearis ad offerendum Deo sacrificium accedere,& Sacramentum corporis mei salubriter susc ipere: non est enim oblatio dignior & satisfactio maior pro peccatis diluendis, quam seipsum purè & integrè cum oblatione corporis Christi in missa & communione Deo offerre. Si homo fecerit quod in se est,& verè pœnituerit: quotiescunque pro venia & gratia ad me accesserit, *viuo ego dicit Dominus, quia nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat*, quoniam peccatorum suorum non recordabor amplius: sed cuncta ipsi indulta erunt.

Ezech.18.

DE OBLATIONE CHRISTI IN cruce, & propria resignatione.

CAPVT VIII.

Vox Dilecti.

Isa.53. & Heb.9.

SIcut ego meipsum expansis in cruce manibus & nudo corpore pro peccatis tuis Deo Patri sponte obtulit: ita vt nihil in me remaneret, quin totū in sacrificiū diuinæ placationis transierit, ita debes & tu temetipsum mihi voluntariè in oblationē puram & sanctā quotidie in Missa cū omnibus viribus & affectibus tuis, quāto intimius vales, offerre. Quid magis à te requo, quā vt te studeas mihi ex integro resignare. Quidquid præter teipsū das nihil curo: quia non quæro datum tuum, sed te. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis, præter me: ita nec mihi placere poterit quicquid dederis, te non oblato. Offer te mihi, & da totum pro Deo, & erit accepta oblatio. Ecce ego me totum obtuli Patri, pro te dedi etiam totum corpus meum & sanguinem in cibum, vt totus tuus essem, & tu meus permaneres. Si autem in teipso steteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra inter nos erit vnio. Ideo omnia opera tua, præcedere debet spōtanea tuipsius in manus Dei oblatio, si libertatem consequi vis & gratiam. Ideò tam pauci illuminati & liberi intus efficiuntur, quia seipsos ex toto abnegare nesciunt. Est firma scientia mea: *Nisi quis renunciauerit omnibus, non potest meus esse discipulus.* Tu ergo si optas meus esse discipulus, offer teipsum mihi, cum omnibus affectibus tuis.

Sacerdos quomodo seipsum Deo offerre debeat.

Prou.23.

Luc.14.

QVOD NOS, ET OMNIA NOSTRA Deo debemus offerre, & pro omnibus orare.

CAPVT IX.

Vox Discipuli.

Psal.31.

DOmine omnia tua sunt, quæ in cœlo sunt, & in terra. Desidero meipsum tibi in spontaneā oblationem offerre, & tuus perpetuo permanere. Domine in simplicitate cordis mei offero meipsum tibi hodie in seruum sempiternum, in obsequium & sacrificium laudis perpetuæ. Suscipe me cum hac sancta oblatione tui precioſi corporis, quā tibi hodie in præsentia Angelorum inuisibiliter assistentium offero: vt sit pro me & pro cuncto populo tuo in salutem. Domine offero tibi omnia peccata & delicta mea, quæ commisi coram te & Sanctis Angelis tuis à die, quo primum peccare potui, vsque ad diem hanc super placabili altari tuo: vt tu omnia pariter incendas & comburas igne charitatis tuæ, & deleas vniuersas maculas peccatorum meorum, & conscientiam meam ab omni delicto emundes, & restituas mihi gratiam tuam quam peccando amisi, omnia mihi plenè indulgendo, & in osculum pacis me misericorditer assumendo. Quid possum agere pro peccatis meis: nisi humiliter ea confitendo & lamentando, & tuam propitiationem incessanter deprecando? Deprecor te, exaudi me, propitius, vbi esto coram te Deus meus. Omnia peccata mea mihi maximè displicent. Nolo ea vnquam amplius perpetrare: sed pro eis doleo & dolebo, quam diu vixero, paratus pœnitentiam agere, & pro posse satisfacere. Dimitte mihi Deus, dimitte mihi peccata mea propter nomen sanctum tuum: salua animam meam, quam precioso sanguine tuo redemisti. Ecce committo me misericordiæ tuæ: resigno me in manibus tuis. Age mecum secundùm bonitatem tuam, non secundùm meam malitiam & iniquitatem. Offero etiam tibi omnia bona mea, quamuis valdè pauca & imperfecta, vt tu ea emendes & sanctifices, & ea grata habeas, & accepta tibi facias, & semper ad meliora trahas, nec non ad beatum & laudabilem finem me pigrum & inutilem homuncionem perducas. Offero quoque tibi omnia desideria deuotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum, omniumque charorum meorum, & eorum, qui mihi vel alijs propter amorem tuum benefecerunt, & qui orationes & missas pro se suisque omnibus dici à me desiderauerunt, & petierunt: siue in carne adhuc viuant, siue iam sæculo defuncti sint, vt omnes sibi auxilium gratiæ tuæ, opem consolationis, protectionem à periculis, liberationem à pœnis aduenire sentiant, & vt ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas læti persoluant. Offero etiam tibi preces & hostias placationis pro illis specialiter, qui me in aliquo læserunt, contristauerunt, aut vituperauerunt, vel aliquando damnum vel grauamen intulerunt: pro his quoque omnibus quos aliquando contristaui, conturbaui, grauaui, & scandalizaui, verbis, factis, scienter, & ignoranter, vt nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra & mutuas offensiones. Aufer Domine à cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram & disceptationem & quicquid potest charitatem lędere, & fraternam dilectionem minuere. Miserere, miserere Domine misericordiam tuam poscentibus da gratiam indigentibus, & fac nos tales existere, vt simus digni gratia tua perfrui, & ad vitam proficiamus æternam. Amen.

Oblationis formula seipsum & omnia Deo offerentis.

QVOD SACRA COMMVNIO DE facili non est relinquenda.

CAPVT X.

Vox Dilecti.

FRequenter recurrendum est ad fontem gratiæ & diuinæ misericordiæ, ad fontem bonitatis, & totius puritatis, quatenus à passionibus tuis & vitijs curari valeas, & contra vniuersas tentationes & fallacias diaboli fortior atque vigilantior effici merearis. Inimicus sciens fructum & remedium maximum in sacra Communione positum, omnimodo & occasione nititur fideles & deuotos quantum prævalet retrahere & impedire. Quum enim quidam sacræ Communioni se aptare disponunt, peiores Satanæ immissiones patiuntur. Ipse enim nequam spiritus (vt in Iob scribitur) venit inter filios Dei, vt solita sua nequitia perturbet, aut timidos nimium reddat & perplexos eos: quatenus affectū eorum minuat, vel fidem impugnando auferat: si fortè aut omnino Communionem relinquant, aut cum torpore accedant. Sed non est quicquam curandum de versutijs & phantasijs illius quantumlibet turpibus & horridis, sed cuncta phantasmata in caput eius sunt retorquenda. Contemnendus es miser & deridendus, nec propter insultus eius & commotiones quas suscitat, sacra est omittenda Communio.

Diaboli fraudes quibus à sacra Communione nititur hominē deterrere.

Iob.1.

nio. Sæpe etiam impedit nimia solicitudo pro deuotione habenda & anxietates quædam de confessione facienda. Age secundùm consilium sapientum, & depone anxietatem & scrupulum: quia gratiam Dei impedit, & deuotionem mentis destruit. Propter aliquam paruam tribulationem vel grauitatem, sacram ne dimittas communionem: sed vade citius confiteri, & omnes offensiones alijs libenter indulge. Si verò tu aliquem offendisti, veniam humiliter precare, & Deus libenter indulgebit tibi. Quid prodest diu tardare confessionem, aut sacram differre Communionem? Expurga te cum primis, expue velociter venenum, festina accipere remedium, & senties melius, quam si diu distuleris. Si hodie propter istud dimittis, cras forsitan illud magis eueniet: & sic diu posses à communione impediri & magis ineptus fieri. Quantò ergo citius valeas, à præsenti grauitate & inertia te excutias: quia nihil importat diu anxiari, diu cum turbatione transire, & ob quotidiana obstacula se à diuinis sequestrare: imò plurimum nocet diu Communionem protrahere. Nam & grauem torporem consueuit inducere. Proh dolor, quidam tepidi & dissoluti moras confitendi libenter accipiunt, & Communionem sacram idcirco differre cupiunt, ne ad maiorem sui custodiam se dare teneantur. Heu quàm modicam charitatem, & debilem deuotionem habent, qui sacram Communionem tam faciliter postponunt. Quam fœlix ille & Deo acceptus habetur, qui sic viuit, & tali puritate conscientiam suam custodit, vt etiam omni die communicare paratus & bene affectatus esset, si ei liceret, & sine nota agere posset. Si quis interdum abstinet humilitatis gratia, aut legitima impediente causa, laudandus est de reuerentia. Si autem torpor obrepserit, seipsum excitare debet, & facere quod in se est, & Dominus aderit desiderio suo pro bona voluntate, quam specialiter respicit. Quum verò legitimè præditus est, habebit semper bonã voluntatem & piam intentionem communicandi, & sic non carebit fructu Sacramenti. Potest enim quilibet deuotus omni die & omni hora ad spiritualem Christi Communionem salubriter & sine prohibitione accedere, & tamen certis diebus & statuto tempore, corpus sui redemptoris cũ affectuosa reuerentia Sacramentaliter debet suscipere, & magis laudem Dei & honorem prætendere, quam suã consolationem quærere. Nam totiens mystice communicat & inuisibiliter reficitur, quotiens incarnationis Christi mysterium, passionemque deuote recolit & in amore eius accenditur. Qui taliter se non præparat nisi instante festo vel consuetudine compellente, sæpius imparatus erit. Beatus qui se Domino in holocaustum offert, quotiens celebrat aut cõmunicat. Non sis in celebrando nimis prolixus aut festinus: sed serua bonum communem modum cum quibus viuis. Non debes alijs generare molestiam, & tædium, sed communem serua viam, secundùm maiorum institutionem, & potius aliorum seruire vtilitati, quam propriæ deuotioni vel affectui.

Anxietates & scrupuli deponendi. Prou. 13.

Matt. 5.

Sacram communionem non protelandam

Quomodo quis quotidie spiritualiter possit communicare. 1. Cor. 11.

Missa sacrificium non sit nimis prolixum aut festinum.

QVOD CORPVS CHRISTI ET SACRA Scriptura maximè sunt animæ fideli necessaria.

CAPVT XI.

Vox Discipuli.

O Dulcissime Domine Iesu quanta est dulcedo deuotæ animæ tecum epulantis in conuiuio tuo: vbi ei non alius cibus manducandus proponitur, nisi tu vnicus dilectus eius super omnia desideria cordis eius desiderabilis. Et mihi quidem dulce foret in præsentia tua ex intimo affectu lachrymas fundere, & cum pia Magdalena pedes tuos lachrymis irrigare. Sed vbi est hæc deuotio? vbi lachrymarum sanctarum copiosa effusio? Certè in cõspectu tuo & sanctorum Angelorum tuorum tõtum cor meum ardere deberet, & ex gaudio flere. Habeo enim te in Sacramento verè præsentem, quamuis aliena specie occultatum. Nam in propria & diuina claritate te conspicere oculi mei ferre non possent, sed neque totus mundus in fulgore gloriæ maiestatis tuæ subsistere. In hoc ergo imbecillitati meæ consulis, quod te sub Sacramento abscondis. Habeo verò & adoro, quem Angeli adorant in cœlo: sed ego adhuc interim in fide, illi autem in specie & sine velamine: Me oportet contentum esse in lumine veræ fidei, & in ea ambulare, donec aspiret dies æternæ claritatis, & vmbræ figurarum inclinentur. Quum autem venerit quod perfectum est, cessabit vsus Sacramentorum quia beati in gloria cœlesti non egent medicamine sacramentali: gaudent enim sine fine in præsentia Dei, facie ad faciem gloriam eius speculãtes, & de claritate in claritatem abyssalis deitatis transformati gustant Verbum Dei carnem factum, sicut fuit ab initio & manet in æternum. Memor horum mirabiliũ, graue mihi fit tædium etiam quodlibet spirituale solatium: quia quamdiu Dominum meum aperte in sua gloria non video, pro nihilo duco omne quod in mundo conspicio & audio. Testis es tu mihi Deus, quod nulla potest me res consolari, nulla creatura quietare nisi tu Deus meus, quẽ desidero æternaliter contemplari. Sed non est hoc possibile durante me in hac mortalitate. Ideo oportet vt me ponam ad magnam patientiam, & meipsum in omni desiderio tibi submittam. Nam & Sancti tui Domine, qui tecum iam in regno cœlorum exultant in fide & patientia magna, dum viuerent aduentum gloriæ tuæ expectábant. Quod illi crediderunt ego credo, quod illi sperauerunt, ego spero: quo illi peruenerunt per gratiam tuam, me venturum confido. Ambulabo interim in fide exemplis confortatus Sanctorum. Habeo etiam libros sanctos pro solatio & vitæ speculo, atq; super hæc omnia sanctissimum corpus tuum pro singulari remedio & refugio. Duo namque mihi necessaria per huius detentus duobus me egere fateor, cibo scilicet & lumine. Dedisti itaque mihi infirmo sacrum corpus tuum ad refectionem mentis & corporis & posuisti *lucernam pedibus meis verbum tuum*. Sine his duobus benè viuere non possem, nam verbum Dei lux animæ meæ, & Sacramentum tuum panis vitæ. Hæc possunt etiam dici mensæ duæ, hinc & inde in gazophylacio sanctæ Ecclesiæ positæ. Vna mensa est sacri altaris, habens panem sanctum, id est, Corpus Christi preciosum. Altera est diuinæ legis, continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, & firmiter vsque ad interiora velaminis, vbi sunt sancta sanctorum perducens. Gratias tibi Domine Iesu Christe lux lucis æternæ pro doctrinæ sacræ mensa, quam nobis per seruos tuos Prophetas & Apostolos aliosque doctores ministrasti. Gratias tibi Creator & Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam, cœnam parasti magnam, in qua non agnum typicum, sed tuum sanctissimum Corpus & Sanguinem proposuisti manducandum, lætificans omnes fideles conuiuio sacro, & calice inebrians salutari, in quo sunt omnes delitiæ paradisi, & epulantur nobiscum Angeli sancti, sed suauitate feliciori. O quam magnum & honorabile est officium sacerdotum,

Duo quæ animæ maximè necessaria. Ioan. 6. Psal. 118. Psal. 22. Heb. 9. 13.

Luc. 7.

1. Cor. 13.

Heb. 10. 11.

Luc. 14. Ioan. 6.

Psal. 22.

Sap. 16.

Sacerdotum officium quantum & quã sanctè viuere debeant.

tum, quibus datum est Dominum maiestatis verbis sacris consecrare, labijs benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & cæteris ministrare. O quam mundæ debent esse manus illæ, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum erit cor sacerdotis, ad quem totiens ingreditur auctor puritatis. Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum & vtile procedere debet verbum, qui tam sæpè Christi accipit sacramentum. Oculi eius simplices & pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus puræ & in cœlum eleuatæ, quæ creatorem cœli & terræ solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur, *Sancti estote quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Adiuuet nos gratia tua omnipotens Deus, vt qui officium sacerdotale suscepimus dignè ac deuotè tibi in omni puritate & conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitæ conuersari vt debemus: concede nobis tamen digne flere mala quæ gessimus, vt in spiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis proposito tibi feruentius de cætero deseruire valeamus.

Leu.19.& 20

QVOD MAGNA DILIGENTIA SE debeat communicaturus Christo præparare?

CAPVT XII.

Vox Dilecti.

EGo sum puritatis amator & dator omnis sanctitatis. Ego cor purum quæro, & ibi est locus requietionis meæ. Para mihi cœnaculum, grãde stratum, & faciam apud te pascha cum discipulis meis: Si vis veniam ad te, & apud te maneam, expurga vetus fermentũ & mũda cordis tui habitaculum. Exclude totum sęculũ & omnem vitiorum tumultum, sede tanquam passer solitarius in tecto, & cogita excessus tuos in amaritudine animæ tuæ. Omnis namque amans suo dilecto amatori optimũ & pulcherrimum præparat locum: quia in hoc cognoscitur affectus susципientis dilectum. Scito tamen te non posse satisfacere huic præparationi ex merito tuæ actionis, etiam si per integrum annum præparares, & nihil aliud in mente haberes. Sed ex sola pietate & gratia mea permitteris ad mensam meam accedere, ac si mendicus ad prandium vocetur diuitis & ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficijs eius, nisi se humiliando & regratiando. Fac quod in te est & diligenter facito non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore, reuerentia, & affectu accipe Corpus dilecti Domini Dei tui dignantis ad te venire. Ego sum qui vocaui, ego iussi fieri, ego supplebo quod tibi deest, veni & susципe me. Quum gratiam deuotionis tribuo, gratias age Deo tuo, non quia dignus es, sed quia tui misertus sum. Si non habes, sed magis aridum te sentis, insiste orationi, ingemisce, & pulsa, nec desistes, donec merearis micam aut guttam gratiæ salutaris accipere. Tu mei indiges, non ego tui indigeo. Nec tu me sanctificare venis, sed ego te sanctificare & meliorare venio. Tu venis vt ex me sanctificeris, & mihi vniaris, vt nouam gratiam recipias, & de nouo ad emendationem accendaris. Noli negligere hanc gratiam, semper præpara cum omni diligentia cor tuum, & introduce ad te dilectum tuum. Oportet autem, vt non solum te præpares ad deuotionem ante Communionem, sed vt etiam te solicitè conserues in ea post Sacramenti perceptionem: nec minor custodia post exigitur, quam deuota præparatio prius. Nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio ad maiorem gratiam consequendam. Ex eo

Psal.23. & Matt.5. Matt.24. & Luc.22.

1.Cor.5. Exod.24.

Ad receptionem Eucharistiæ nemo ex se dignè satis præparare potest.

Post communionem in cauta sui custodia adhibenda est.

quippe valde indispositus quis redditur, si statim fuerit, nimis effusus ad exteriora solatia. Caue à multiloquio, mane in secreto, & fruere Deo tuo. Ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest. Ego sum cui te totum dare debes, ita vt iam vltra non in te, sed in me absque omni solicitudine viuas.

Prou.10.

QVOD TOTO CORDE ANIMA deuota Christi vnionem in Sacramento affectare debet.

CAPVT XIII.

Vox Discipuli.

QVis mihi det Domine, vt inueniam te solum, & aperiam tibi totum cor meum, & fruar te sicut desiderat anima mea, & iam me nemo despiciat, nec vlla creatura me moueat vel respiciat: sed tu solus mihi loquaris, & ego tibi, sicut solet, dilectus ad dilectum loqui, & amicus cum amico conuiuari? Hoc oro, hoc desidero, vt tibi totus vniar, & cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham, magisque per sacram Communionem, ac frequentem celebrationem cœlestia & æterna sapere discam. Ah Domine Deus quando ero tecum totus vnitus & absorptus, meique totaliter oblitus? Tu in me, & ego in te, & sic nos pariter in vnum manere concede. Verè tu es dilectus meus, electus ex millibus, in quo complacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ suæ. Verè tu pacificus meus, in quo pax summa, & requies vera, extra quem labor & dolor, & infinita miseria. *Vere tu es Deus absconditus*, & consilium tuum non est cum impijs, sed cum humilibus & simplicibus sermo tuus. *O quam suauis est Domine spiritus tuus*, qui vt dulcedinem tuam in filios demõstrares, pane suauissimo de cœlo descendente illos reficere dignaris. *Verè non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster* ades vniuersis fidelibus tuis, quibus ob quotidianum solatium, & cor erigendum in cœlum, te tribuis ad edendum & fruendum. Quæ est enim alia gens tam inclita sicut plebs Christiana? aut quæ creatura sub cœlo tam dilecta, vt anima deuota, ad quã ingreditur Deus vt pascat eam carne sua gloriosa? O ineffabilis gratia, ó admirabilis dignatio, ó amor immensus homini singulariter impensus. Sed quid retribuam Domino pro gratia ista, pro charitate tã eximia? Non est aliud quod gratius donare queam, quam vt cor meum Deo meo totaliter tribuam, & intimè coniungam. Tunc exultabunt omnia interiora mea, quum perfectè fuerit vnita Deo anima mea, tunc dicet mihi. Si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum. Et ego respondebo illi: Dignare Domine manere mecum, ego volo libenter esse tecum: Hoc est totum desiderium meum, vt cor meum tibi sit vnitum.

Ioan.15. Cant.5. Esa.45. Sap.12. Deut.4. Psal.115.

DE QVORVNDAM DEVOTORVM ARdenti desiderio ad Corpus Christi.

CAPVT XIV.

Vox Discipuli.

QVam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Quando recordor deuotorum aliquorum ad Sacramentum tuum Domine cum maxima deuotione & affectu accedentium, tunc sæpius in meipso cõfundor & erubesco: quod ad altare tuum & sacræ Communionis mensam tam tepide & frigide accedo: quod ita aridus & sine affectiõe cordis maneo: & quod nõ sũ totaliter accensus corã te Deo meo, nec ita vehemẽter attractus & affectus sicut multi deuoti fuerũt,

Psal.30.

qui præ nimio desiderio Communionis & sensibili cordis amore à fletu se non potuerunt continere, sed ore, cordis & corporis pariter ad te Deum fontem viuum medullitus inhiabant, suam esuriem non valentes aliter temperare, nec satiare, nisi corpus tuum cum omni iucunditate & spirituali auiditate accepissent. O vera ardens fides eorum, probabile existens argumentum sacræ præsentiæ tuæ. Isti enim veraciter cognoscunt Dominum suum in fractione panis, quorum cor tam validè ardet in eis de Iesu ambulante cum eis: Longe est à me sæpè talis affectus & deuotio, tam vehemens ardor & amor. Esto mihi propitius Iesu bone dulcis & benignè, & concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire: vt fides mea magis conualescat, spes in bonitate tua proficiat, & charitas semel perfectè accensa & cœleste manna experta nunquam deficiat. Potens est autem misericordia tua, etiam gratiam desideratam mihi præstare, & in spiritu ardoris quum dies beneplaciti tui aduenerit, me clementissimè visitare. Etenim licet tanto desiderio tam specialium deuotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua illius magni inflammati desiderij, desiderium habeo, orans & desiderans omnium talium feruidorum amatorum tuorum participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

Luc. 24.

QVOD GRATIA DEVOTIONIS HUMILITATE & SUI IPSIUS ABNEGATIONE ACQUIRITUR.

CAPVT XV.

Vox Dilecti.

OPortet te deuotionis gratiam instanter quærere, indesinenter petere, patienter & fiducialiter expectare, grataner recipere, humiliter conseruare, studiosè cum ea operari, ac Deo tempus & modum supernæ visitationis donec veniat, committere. Humiliare præcipuè te debes quum parum aut nihil deuotionis interius sentis, sed non nimium deijci, nec inordinatè contristari. Dat sæpè Deus in vno breui momento, quod longo negauit tempore. Dat enim quandoq; in fine quod in principio orationis largiri distulit. Si semper citò gratia daretur & pro voto adesset, non esset infirmo homini bene portabile. Propterea in bona spe & humili patientia expectanda est deuotionis gratia. Tibi tamen & peccatis tuis imputa, quum non datur vel etiam occultè tollitur. Modicum quandoque est quod gratiã impedit & abscondit, si tamen modicum & non potius grande dici debeat quod tantum bonum prohibet. Et si hoc ipsum modicum vel grande amoueris & perfectè viceris, erit quod petisti. Statim namque, vt te Deo ex toto corde tradideris, nec hoc vel illud pro tuo libitu seu velle quæsieris, sed integrè te in ipso posueris, vnitum te inuenies & pacatum quia nil ita benè sapiet & placebit sicut beneplacitum diuinæ voluntatis. Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum leuauerit, seque ab omni inordinato amore seu displicentia cuiuslibet rei creatæ euacuauerit, aptissimus gratiæ percipiendæ ac dignus deuotionis munere erit. Dat enim Dominus ibi benedictionem suam, vbi vasa vacua inuenerit. Et quanto perfectius quis infimis renunciauerit, & magis sibijpsi per contemptum sui moritur, tanto gratia celerius venit, copiosius intrat, & altius liberum cor eleuat. Tunc videbit & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor eius in ipso, quia manus Domini cum eo, & ipse se posuit totaliter in manu eius vsque in seculum. Ecce sic benedicetur homo, qui quærit Deum in toto corde suo, nec in vanum accipit animam suam. Hic in accipiendo sacram Eucharistiam magnam promeretur diuinæ vnionis gratiam: quia non respicit ad propriam deuotionem & consolationem, sed ad Dei gloriam & honorem.

Gratia & deuotionis capax quis.

Esa. 60.

QUOD NECESSITATES NOSTRAS CHRISTO APERIRE & EIUS GRATIAM POSTULARE DEBEMUS.

CAPVT XVI.

Vox Discipuli.

O Dulcissime atque amantissime Domine, quem nunc deuotè desidero suscipere, tu scis infirmitatem meam & necessitatem quam patior: in quantis malis & vitijs iaceo, quàm sæpè sum grauatus, tentatus, turbatus & inquinatus. Pro remedio ad te venio: pro consolatione & subleuamine te deprecor. Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, & qui solus potes me perfectè consolari & adiuuare. Tu scis, quibus bonis indigeo præ ommbus, & quam pauper sum in virtutibus. Ecce sto ante te pauper & nudus, gratiam postulans, & misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cœcitatem meam claritate præsentiæ tuæ, verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia grauia & contraria in patientiam, omnia infima & creata in contemptũ & obliuionem. Erige cor meum ad te in cœlum, & ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc iam dulcescas vsque in sæculum, quia tu solus cibus & potus meus, amor meus, & gaudium meum, dulcedo mea & totum bonum meum. Vtinam me totaliter ex tua præsentia accendas, comburas & in te transmutes vt vnum tecum efficiar spiritus per gratiam internæ vnionis & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me ieiunum & aridum à te recedere, sed operare mecum misericorditer sicut sæpius operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter. Quid mirũ, si totus ex te igneſcerem, & in me ipso deficerem, quum tu sis ignis semper ardens & nunquam deficiens: amor corda purificans & intellectum illuminans.

1. Cor. 6.

DE ARDENTI AMORE ET VEHEMENTI AFFECTU SUSCIPIENDI CHRISTUM.

CAPVT XVII.

Vox Discipuli.

CVm summa deuotione & ardenti amore, cum toto cordis affectu & feruore desidero te Domine suscipere, quemadmodum multi Sancti & deuotæ personæ in communicando te desideraverunt, qui tibi maximè in sanctitate vitæ placuerunt, & in ardentissima deuotione fuerunt. O Deus meus, amor æternus, totum bonum meum, fœlicitas interminabilis, cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio & dignissima reuerentia, quam aliquis Sanctorum vnquam habuit & sentire potuit. Et licet indignus sum omnia illa sentimenta deuotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum: ac si omnia illa gratissime inflammata desideria solus haberem. Sed & quæcunque potest pia mens concipere & desiderare, hæc omnia tibi cum summa reuerentia, veneratione ac intimo fauore præbeo & offero. Nihil opto mihi reseruare, sed me & omnia mea tibi sponte & libentissime immolare Domine Deus meus, creator meus, & redemptor meus,

meus, cum tali affectu, reuerentia, & laude, & honore. cum tali gratitudine, dignitate & amore, cum tali fide, spe, & puritate affecto hodie susciperе, sicut te susceрit & desiderauit sanctissima mater tua gloriosa virgo Maria, quando Angelo euangelizanti sibi incarnationis mysterium, humiliter & deuotè respondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*. Luc. 1. Et sicut beatus præcursor tuus excellentissimus Sanctorum Ioannes Baptista, in præsentia tua lætabundus exultauit in gaudio Spiritus sancti, dum adhuc maternis clauderetur visceribus. Et postmodum cernens inter homines Iesum ambulantem, valde se humilians, deuoto cum affectu dicebat: *Amicus autem sponsi qui stat & audit, cum gaudio gaudet propter vocem sponsi*: Ibid. Ioan. 3. sic & ego magnis & sacris desiderijs opto inflammari & tibi ex toto corde meipsum præsentare. Vnde & omnium deuotorum cordium iubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac spirituales illuminationes, ac cœlicas visiones tibi offero & exhibeo cum omnibus virtutibus & laudibus ab omni creatura in cœlo & in terra celebratis & celebrandis, pro me & omnibus mihi in oratione commendatis; quatenus ab omnibus digne laueris, & in perpetuum glorificeris. Accipe vota mea Domine Deus meus, & desideria infinitæ laudationis, & immensæ benedictionis, quæ tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuæ, iure debentur. Hoc tibi reddo, & reddere desidero per singulos dies & momenta temporum, atque ad reddendum mecum tibi gratias & laudes, omnes cœlestes spiritus & cunctos fideles tuos precibus & affectibus inuito & exoro. Laudent te vniuersi populi, tribus & linguæ, & sanctum ac mellifluum nomen tuum, cum summa iubilatione & ardenti deuotione magnificent. Et quicunque reuerenter ac deuotè altissimum Sacramentum tuum celebrant, & plena fide recipiunt, gratiam & misericordiam apud te inuenire mereantur, & pro me peccatore supplices exorent. Quumq; optata deuotione ac fruibili vnione potiti fuerint, & benè consolati ac mirificè refecti, & de sacra mensa cœlesti absesserint, mei pauperis recordari dignentur. Psal. 116.

QVOD HOMO NON SIT CVRIOSVS scrutator Sacramenti, sed humilis imitator Christi subdendo sensum suum sacræ fidei.

CAPVT XVIII.

Vox Dilecti.

CAuendum est tibi à curiosa & inutili perscrutatione huius profundissimi Sacramenti, sinò vis in dubitationis profundum demergi. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Plus valet Deus operari, quam homo intelligere potest, tolerabilis: pia & humilis inquisitio veritatis parata semper doceri, & per sanas Patrum sententias studens ambulare. Beata simplicitas, quæ difficiles quæstionum relinquit vias, & plana ac firma pergit, semita mandatorum Dei. Multi deuotionem perdiderunt, dum altiora scrutari voluerunt. Fides à te exigitur & syncera vita, non altitudo intellectus neque profunditas mysteriorum Dei. Si non intelligis, nec capis quæ infra te sunt, quomodo comprehendes ea, quæ supra te sunt? Subde te Deo, & humilia sensum tuum fidei, & dabitur tibi scientiæ lumẽ, prout tibi fuerit vtile ac necessarium. Quidam gratiter tentantur de fide, & Sacramento: sed non est hoc ipsis imputandum, sed potius inimico. Noli curare, noli disputare cum cogitationibus tuis, nec ad immissas à diabolo dubitationes respondе, sed crede verbis Dei, crede Sanctis eius, & Prophetis, fugiet à te nequam inimicus. Sæpè multum prodest quod talia sustinet Dei seruus. Nam infideles & peccatores non tentat, quos securè iam possidet: fideles autem deuotos varijs modis tentat & vexat. Perge ergo cum simplici & indubitata fide, & cum simplici reuerentia ad Sacramentum accede. Quicquid intelligere non vales, Deo omnipotenti secure committe. Non fallit de Deus: fallitur qui sibi nimium credit. Graditur Deus cum simplicibus, reuelat se humilibus, dat intellectum paruulis, aperit sensum puris mentibus, & abscondit gratiam curiosis & superbis. Ratio humana debilis est, & falli potest: fides autem vera falli non potest, omnis ratio & naturalis inuestigatio fidem sequi debet, non procedere, nec infringere. Nam fides & amor ibi maxime præcellunt, & occultis modis in hoc sanctissimo & superexcellentissimo sacramento operantur. Deus æternus & immensus, infinitæque potentiæ, facit magna & inscrutabilia in cœlo & in terra: nec est inuestigatio mirabilium operum eius. Si talia essent opera Dei, vt facilè ab humana ratione caperentur non essent mirabilia, nec ineffabilia dicenda. Prou. 25. *Quid ei agendum qui tẽtatur de fide & Sacramento Eucharistiæ.* Psal. 18. & 118 Item Matt. 11.

FINIS.

PERITIA LIBELLI

DE IMITATIONE CHRISTI.

QVM libellus hic nihil, quod cuiquam obesse possit, habeat, tutò ab omnibus modò illius capaces sint, legi potest. Stylo præterea simplici, nullo verborum ornatu confectus, nec vllas, nisi raro admodum rationes, aut testimonia ad persuadendum adducit.

Quare tantus est in eo rerum succus, tanta vis, ac sententiarum, quibus passim abundat grauitas, vt in eo nihil mutari, adiungi aut demi possit.

Opus planè integrum & absolutum, cùm omnes assequendæ perfectionis gradus & vias attingat, contineatque principia vniuersalia cultus interni, ex quibus conciones ferè innumeræ possunt deduci.

Nunquam satiat eius lectio, aut nauseam parit, at mirificè audientis animum delectat, etiamsi millies repetatur: illa enim vniuersalia principia, sunt veluti semina, quæ in se continet, vt animus hominis purgetur, illuminetur, perficiatur, deificetur. Est valdè simile diuinæ scripturæ, quia præter ea, quæ dicta sunt, latet in eo diuina quædam & occulta Spiritus sancti virtus, quæ in legentis, & audientis animum, modo id cum pietate, & attentè fiat, ita illabitur, vt eum penitus immutet, & à rebus creatis in Deum transferat. Versatur in explicanda Christianæ perfectionis praxi. Quare si hunc legeris libellum piè, attentè & diligenter, vberes sanè fructus reportabis. Tria autem notabis capita, quæ sparsim de Christiana perfectione hic continentur.

1. Est perfectio essentialis vitæ Christianæ, quam pro scopo habet.
2. Quibus vijs & gradibus ad hunc scopum perueniatur.
3. Quæ sint media & instrumenta eiusdem.

Granat. Opusc. spiritual.

Scopus.

CHRISTIANA perfectio, ad quam omnes aspirare, & tendere aliquo modo tenentur, est scopus eius operis, hæc autem perfectio, etsi vna nitatur charitate, quæ animum Deo vnit, quia tamen perfectæ charitatis, quatuor sunt præcipua munera.

1. Parere videlicet maximum sui contemptum.
2. Impellere ad omnimodam sui abnegationem.
3. Reddere hominem ad omnia indifferentem, quæ illi accidunt, & à diuina prouidentia immittuntur.
4. Ac denique voluntatem nostram ita cum Dei beneplacito vnire, vt vi amoris vnus cum illo fiat spiritus: in his quatuor charitatis officijs describendis magna ex parte versatur.

Contemptus sui.

QVia sine eo nemo Christianam perfectionem potest assequi, subijcit varios modos, proprietates & affectus illius admirabiles, quæ si ad praxim redigas, magna à Deo spera.

Lib.1.cap.2.19.lib.2.cap.2.6.10.lib.3.cap.5.8. 9.10. 36.45.46.47.54.55.57.

Abnegatio sui.

SEcundo loco eadem varietate loquitur de sui abnegatione, nam primò docet quàm magna sit necessitas illius, quæ vniuersi amoris proprij expoliatione consistit, eo quod nostri amor pace & lætitia nos priuet.

Lib.1.c.6.lib.2.c.1.lib.3.c.31.47.

Tum denique quia sine omnium rerum abdicatione non potest possideri vera libertas spiritus, lib. 3.cap.31.37.

Describit secundò varijs modis hanc abnegationem, lib.1.cap.17.lib.2.c.8.

Vocat eam nuditatem, lib. 2. c. 11. lib.3.c.37.42. 46.47.58.

Vocat sui victoriam, lib.3.cap.47.58.

Vocat mortem, lib.3.cap.17.47.49 54.58.

Vocat subtractionem, l.1.c.6.l.3.c.13.32.

Dicitur & euæcuatio, lib.4.cap.15.lib.2.c.9. li.3. c.18.32.36.49.63.

Proponuntur tertiò duo genera abnegationis, non mediocriter inter se differentia, quorum vsus & praxis illud præcipuè requirit, vt omnes diu & multum in primo exerceantur, antequam ad secundum perueniatur.

Nam primum versatur tantum in coërcendo & moderando appetitu rerum sensibilium & terrenarum, siue internæ sint, siue externæ, vt est amor & cupiditates diuitiarum, honorum, voluptatum, parentum, &c. lib.1.cap.6 22.lib.3. c.13. 22.31.42. 46. 47.58.

Secundum abnegationis genus longe sublimius est, & à paucis cognitum, à paucioribus verò ad vsum & opus redactum; est enim totum spirituale, cùm in tollenda omni impuritate & proprietate versetur, quæ sæpe contaminat amorem, & desiderium rerum cœlestium & spiritualium, quæ si quis amat propter se tantum, & non propter Deum, amor esse impurus dignoscitur, lib.1.c.15.lib.2.ca. 9. 10.11.12.lib.3.c.12.54.

Indifferentia.

TErtio loco quoniam anima maximè disponitur ad vnionem cum Deo per indifferentiæ virtutem, valdè ponderanda sunt, quæ hoc in libello dicuntur lib.2.c.12.lib.3.c.16.19.24.29.

Conformitas cum Dei voluntate.

QVarto loco ponderanda sunt valdè, quæ de postremo charitatis officio, quæ consistit in concordia voluntatis nostræ cum Diuino beneplacito, ab auctore dicuntur, & colligemus præcipuas quasdam huius summæ perfectionis descriptiones, in quibus admirabiles perfectæ charitatis conditiones & actus tanguntur. Vocatur enim 1. vnio, 2. ex verbis Euangelicis voluntatem Dei facere, 3. intētio pura Dei, 4. conuersio ad Deum, 5. quærere, inuenire, sapere Deum; 6. honor, glorificatio, laus Dei, 7. amor purus, renuntiatio, resignatio, 8. traditio, commissio, oblatio; 9. quies in Deo; 10. referre omnia in Deum; 11. libertas mentis; 12. ambulare in veritate; 13. stare ad nutum Dei; 14. gaudere, lætari in Deo; 15. æstimatio Dei; 16. immolatio; 17. Ponere se in manu Dei, 18. à se exire, & in Deum transire, 19. esse Deum nobis omnia; 20. non stare super seipsum, 21. non sentire se, sed Deum, 22. appropinquare Deo, 23. firmare se totum in Deo, 24. subijci Deo. 25. Incuruare tortuositatem, 26. conuertere cor in vno Deo. Lib.1.c.3.7.12.14.15.16.17.l.2.c.1.2. 4.5.10.11.31.l.3.c.7.27.10.15.16.17.18.30.31.29.36.37. 38.55.33.32.42.43.44.39.44. 45.39.47.53.54.55. 61.59.53.63.lib.4.c.7.8.9.12.13.15.16.

De triplici via attingendi perfectionem.

ADassequendam perfectam charitatem, & exercenda quatuor eius munera, triplici via incedendum est, purgatiua, illuminatiua, & vnitiua.

Quoad viam purgatiuam proponuntur quinque illius gradus per quos ascendendum est, vt plenè anima purgetur.

Primus gradus est concipere magnum odium peccatorum, vt illa fugiamus, ad quod excitandum agit de compunctione cordis, lib.2.c.21.

De lætitiæ bonæ conscientiæ, & tristitia malæ, li. 2.c.6.

De odio peccatorum, l.3.c.5.58.

De mundi vanitate, lib.1.c.1.

De consideratione humanæ miseriæ, lib.1.ca.22.

De meditatione mortis ibidem cap.23.

De pœnis peccatorum. ibid.c.24.

De confessione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miserijs, lib.3.c.22.

De æternæ vitæ desiderio, ibid.c.52.53.54.

De diligentia mandatorum, &c. ibid.c.3.

Deplorat peccata, lib.4.c.9.

Secundus gradus est viriliter certare contra omnes tentationes, ne in priora peccata recidamus, lib. 1.c.13.2.lib.3.c.7.13.26.40 lib.4.c.10.18.

Tertius gradus est quotidianus progressus in via spirituali, quo vim nobis faciendo, & mores semper in melius commutando: expellimus tepiditatem, quæ sola gratia iustificante contenta, omnem emendationis laborem refugit: habetur victoria sui, feruore emendationis, mortificatione, renouatione boni propositi, fuga otij, exercitio rerum spiritualium, feruore.

Quartus gradus est extirpatio malorum habituū, qui sunt prauæ quædam inclinationes animi, acquisitæ ex frequentibus actibus vitiosis, ideoq; ad perfectionem consequendam omni studio conandum est, vt eas radicitus euellamus.

Agitur autem in hoc libello de cura, non omniū quidem, sed quorundam malorum habituum, qui hominum spiritualium animos obsidere solent. Cōtra curiositatem, loquacitatem, elationem animi, vanam spem, securitatem, credulitatem, familiaritatem, proprium sensum, iudicium temerarium, vanam scientiam, animi deiectionem, affectus bonorum temporalium lib.1.c.20.10.7.8.9.4.13.22. lib. 2.c.5.lib.3.c.28.48.50 62.63.

Quintus gradus est mortificatio passionum, pro qua vide quæ de abnegatione sui dicta sunt superi-

us, lib. 1. c. 643. lib. 3. c. 3. 6. 31. 37. 61.

Quoad viam illuminatiuam, quæ tota consistit in virtutum exercitatione, legantur quæ dicta sunt de humilitate, de contemptu sui, lib. 2. cap. 2. lib. 3. cap. 5. 8. 9. 10. 15. 22. 45. 46. 51. 55.

De patientia in aduersis, &c. lib. 1. cap. 21. lib. 2. cap. 3. 10. 11. 12. lib. 3. cap. 13. 20. 21. 33. 34. 35. 41. 51. 52. 56. 61. 62.

De charitate fraterna, & operibus ex caritate factis, lib. 1. c. 15. 16.

De obedientia, lib. 1. c. 9. lib. 3. c. 14. 54.

De prudentia, lib. 1. c. 4. lib. 3. c. 43.

De pace, lib. 1. c. 3. 6. lib. 3. c. 25. 29.

De gratitudine, lib. 2. c. 10. lib. 3. c. 11. 24. 26. 27.

De spe erigenda, & fiducia diuinæ prouidentiæ, lib. 2. c. 11. lib. 3. c. 35. 44. 64.

De temperantia, lib. 3. c. 30.

Quoniam ad virtutes plus nos excitant exempla, quàm verba, ob oculos ponuntur exempla, lib. 1. cap. 18.

Quoad viam vnitiuã, qua homo cum Deo perfectæ caritatis vinculo coniungitur, repete quæ dicta sunt de conformatione cum Dei voluntate.

Item obserua signa veri amoris practici, quare non agit de via vnitiua mystica, quæ consistit in excessu, & abstractione mentis, quamuis eam commendet, lib. 3. cap. 3.

Docet igitur viam vnitiuam practicam, vti colligitur ex dictis superius de quatuor officijs charitatis & alijs signis.

1. Signum: Pati libenter, lib. 2. cap. 11. lib. 3. c. 6. 7.
Tredecim alia habentur, lib. 3. c. 6. 7.
15. Ex ijs quæ cogitamus & loquimur, lib. 3. c. 53.
16. Suspirium ad Deum, lib. 3. c. 23.
17. Puritas intentionis, lib. 2. c. 4. lib. 3. c. 28.
18. Solus cor nostrum possidet, lib. 2. c. 7. 8.
19. Gignit consortium & intimam familiaritatem.
20. Non desiderat nisi quod Deo placet, lib. 3. c. 16.
21. Solatium in Deo, lib. 3. c. 13. 18.
22. Dirigit omnia in Deum, sicut in finem, lib. 3. cap. 10.

Instrumenta sunt necessaria ad perfectionem assequendam multo magis quam ad alias artes.

Hæc sunt vel interna vel externa. Interna sunt gratia Dei, oratio, examen, discretio spirituum, & electio: externa directio, lectio sacra, recessus, ac solitudo, vita religiosa, & Eucharistiæ frequens perceptio.

Primum & potissimum omnium instrumentum est diuina gratia, quæ est donum quoddam supernaturale atque diuinum, gratis & ex mera Dei bonitate nobis communicatum, quo quidem natura corrupta, & ad malum semper procliuis ita perficitur, sanatur, & roboratur, vt facilè possit non solum cauere peccata, sed etiam per viam virtutum ad suæ perfectionis culmen peruenire. Sed quoniam aliqui ita se in mortificationis ac virtutum studio exercet, vt plus suæ industriæ, quam diuinæ gratiæ tribuant, quod Pelagianum sapit, ab hoc scopulo nos liberat, dum ait omnia gratiæ tribuendum, lib. 3. cap. 59.

Hac de causa sæpissime ad orandum Deum se conuertit, petens quod se naturæ viribus nullo modo consequi posse fatetur, lib. 3. cap. 4. 17. 26. 27. 31. 32. 35.

Ibidem implorat diuinum auxilium, ad recuperandam deuotionem mentis illuminationem, &c. vtque acrius nos impellat ad hanc gratiam expetendam, eius ponit necessitatem, lib. 2. c. 8. 12. lib. 3. c. 9. 15. 17. 60.

Secundum instrumentum ad gratiam & perfectionem consequendam est oratio, cuius præcepta nulla tradit, sed ex modo, quo orat, præcepta hauries, quia praxis præstat præceptis.

Tria itaque præcipua animaduerte.

1. ORationis perfectionem non consistere in sola & nuda diuinarum rerum contemplatione, seu interiori discursu, ex quo gustus spiritualis sequi solet, sed ad praxim & opus, id est ad vitam rectè instituendam, ita vt ex practico lumine orationis dirigamur & efficaciter moueamur ad operandum, lib. 3. cap. 17. 30. 32.

2. Orationis materiam esse variam ac multiplicem, nullis enim limitibus circumscribitur, nam circa omnia, diuina, & humana, creata & increata versatur oratio. Vnde hic libellus aptam esse orandi materiam, & Christi vitam imprimis dicit meditandam, lib. 1. c. 1. lib. 2. c. 1.

3. Orationis formam tribus constare, præparatione, meditatione, colloquio.

Quoad præparationẽ, quia magni est momenti, excitatur in corde nostro ardens desiderium orationis, lib. 3. c. 7. 27. 44. 53. 58.

Postulat etiam ibi diuinum auxilium ad abigendas distractiones. Tertiò paulo ante orationis principium præmittendus est actus religionis summè necessarius, qui in Dei adoratione, & latria consistit. Primò expedit tironibus multo tempore se in hoc actu exercere, cum per eum aditus ad cæteros patefiat, qui postea explicabuntur. Adoratio enim est actus quidam reuerentię & honoris, qui exhibetur Deo, ortus ex cognitione propriæ infirmitatis & magnitudinis diuinæ, vnde nos humiliamus: de hoc lib. 3. cap. 4. 9. 45. lib. 4. cap. 1.

Quoad meditationem, cum tota illius vis varijs excitandis affectibus consistat, qui consequi debent aliquam considerationem alicuius rei, subijciuntur præcipui.

1. Est admirationis, qui fere semper cum exclamatione exprimi solet: Verbi gratia. O quantus feruor omnium religiosorum. lib. 1. c. 18. 22. lib. 3. c. 6. 11. 49. li. 4. c. 1. 3. 11 13.

2. Est doloris, compunctionis, erubescentiæ, confusionis, accusationis, obiurgationis sui ipsius, V. G. ô hebetudo & duritia cordis humani, & exemplo mundanorum confunditur, lib. 1. c. 2. 18. 23. 24. lib. 3. c. 3. 14. 22. 51. 57. lib. 4. c. 1. 7. 9. 14.

3. Affectus est timoris, quem excitat meditatio mortis, iudicij, & lib. 1. cap. 23. 24. lib. 3. ca. 5. 15.

4. Affectus est spei, quę facit ne quis animo despondeat, sed Dei auxilio nixus speret, quicquid lex Christi præcipit. Adhoc iuuant, quę de diuina gratia dixit supra; fundamentum enim spei præcipuum est gratia diuina, lib. 3. c. 19. 20. 21. 35. 51. 62. 64.

5. Est desiderij vehementis per suspiria & exclamationes ad Deum, vel propter æternam vitam, vel propter gratiam, &c. vt; O quando veniet, lib. 1. c. 11. 15. 20. 25. lib. 3. c. 22. 23. 39. 53. lib. 4. c. 17. 15.

6. Est amoris diuini, qui, vbi cor amantis occupauit, rapit illud extra se, & transfert in Deum, cum quo vnum fit per intimæ familiaritatis consortium, vnde oritur conformitas illa voluntatis, de qua supra. Obseruandæ præterea feruentes quædam aspirationes ad Deum ex hoc amoris incendio stillantes, qualis est illa, ô veritas Deus, fac me vnum tecum in charitate perpetua, lib. 1. cap. 3. 6. 11. 23. lib. 4. cap. 17.

7. Est gratiarum actionis & laudis diuinæ, qui quomodo sit exercendus, discis, lib. 3. c. 6 9. 11 24. 34 55. 54.

8. Est oblatio spõtanea facta Deo, lib. 3. c. 16. 42. 55.

9. Est petitio alicuius doni, qui passim habetur toto libello, 3. c. 4. 6. 16. 17. 26. 27. 30. 32. 34. 39. 60. lib. 4. cap. 9. 16.

Hi sunt affectus & actus præcipui meditationis, qui omnes ad vnum scopum dirigi debent, id est, ad audiendas diuinas inspirationes: quanta autem deuotione, attentione, & reuerentia excipiendæ sunt, cum nihil aliud sint, quam diuina loquutio ad suam voluntatem manifestandam, habetur, lib. 1. 213. lib. 3. cap. 12. 13.

Sequitur colloquium, quod est vltima pars orationis, quamuis nihil prohibeat misceri in tota meditatione colloquia, quia sunt ardentes quædam & familiares colloquutiones cum Deo, in quibus à Spiritu sancto excitatur varij affectus, quorum nulla certa regula dari potest, lib. 4. c. 1. 2. 13.

Nota pulcherrimas colloquij formas; modo enim anima cum Deo, modò Deum loquentem audit: Nota vt aptè amplificet varios affectus, nunc gratiam deuotionis petendo; interdum querimonias & lamentationes, obiurgationes & desideria: cũ interrogationibus ad pellendum torporem, cum exclamationibus, ex dolore, admiratione, &c. Item comparationibus, antithesibus, quibus homo vehementer excitatur ad aliquid faciendum. Sic de explis piorum, & confirmatione voluntatis, quæ se firmam ostendit ad bonum, lib. 3. c. 3. 9. 11. 13. 14. 15. 23. 39. 53. 54. lib. 2. cap. 12. lib. 1. cap. 18. 22. 23. 24. 25.

Tertium instrumentum est examen conscientiæ, quod sæpe, saltem bis in die, fieri debet, lib. 1. cap. 10. Pro particulari defectuum discussione pro perfectioribus, quibus conuenit examinare, quò ferantur desideria, lib. 3. c. 12.

Quartum instrumentum est discretio spirituum, quæ est lumen internum ad discernendos motus animi bonos & malos, naturales & gratuitos necessarium, quo & multa occulta ad vitam, & perfectionem Christianam pertinentia deteguntur.

De hac discretione, quia sparsim agitur hic, ad quædam principia est totum reducendum.

Primum igitur sit diligenter considerare interiores animi motiones, vtrum ex Deo sint, & in dubio non propendere, sed totum Deo committere, li. 3. c. 16. 12.

2. Diligenter animaduertendos motus naturæ & gratiæ, quia inter se contrarij, affert varia discrimina, quæ ad vnum præcipuè reducuntur, scilicet naturam, se, & sua commoda quærere, fugere mala, gratiam impellere ad sui contemptum, omnia mala libenter amplectenda. Deumque solum quærendum, quæ pondera, vt cognoscas proprium amorem sub specie boni fallere. lib 3. c. 59.

3. Examinare virtutes, vtrum veræ ac solidæ, an fictæ & inanes, lib. 1. cap. 9. 15. 16. 17. 19. lib. 3. c. 22. 5.

4. Discutere consolationes, item desolationes an bonæ. Bonas autem facit, si humilitatem & compunctionem pariant, lib. 2. c. 10. 11. 12. lib. 3. c. 40.

5. Mensuram perfectionis vel progressus non sumi ex abundantia consolationum, nec contra. Magnam virtutem verò indicare eum qui libenter sufert subtractionem lib. 2. c. 9. 12. lib. 3. c. 8. 29.

6. Quomodo se gerat quis in consolationibus, & primò quidem non sunt nimium auidè quærendæ, sed humilitas & timor conseruandi, lib. 2. c. 9. Gratias agendum, nec ijs ádhærendum: admittendæ, vt nos reddant fortes: eas dari debilibus: cauendæ indiscretiones in ijs, & cogitare de desolatione futura, lib. 3. cap. 8. 9.

7. Principium continet quid faciendum tempore derelictionis, vt primò non desperare. 2. agere gratias tanquam pro magno beneficio. 3. Deus nos humiliat, vt ei magis subijciamur. 4. vt nos ei offeramus, & ad omnia prompti reddamur. 5. vt opera bona non relinquamus, sed &c. 6. cogitemus derelictionis vtilitates, vt humilitas, consolatio in solo eo, nõ in homine, &c. Itaque purgemur, lib. 2. c. 9. 10. 11. 12. lib. 3. cap. 8. 35. 55. lib. 4. c. 15.

8. Principium prǽmunire animum contra apathiam, id est, insensibilitatem: sunt enim quidam qui statuunt perfectionem in carentia omnium tentationum: Ait autem non esse malum tentari, lib. 1. c. 13. lib. 2. cap. 9. lib. 3. c. 7. 13. 35. 38.

Quintum instrumentum perfectionis est electio eius, quod melius est & facilius ad vltimum finem: ad quem assequendum tradit documenta.

1. Vt in omni re eligenda proponamus nobis vltimum finem, id est Dei gloriam, lib. 3. cap. 10.

2. Purgetur affectus tendens ad creaturam.

3. Posito ante oculos vltimo fine, in æquilibrio subsistamus, sequuturi quod diuinæ gloriæ & saluti nostræ conducibilis viderimus, lib. 3. c. 4. 36.

4. Tum verò obsecranda est Diuina Clementia, vt mentem instruat, & voluntatem impellat, quocunque voluerit, lib. 3. cap. 16.

5. Fiat discussio examinando rei eligendæ affectus, lib. 3. c. 12.

Sextum instrumentum est directio, vt scilicet aliquem peritum ducem sequamur, li. 1. cap. 4. 8. 9. 10.

Septimum est lectio sacra, lib. 1. c. 5. lib. 3. 48. lib. 4. cap. 11.

Octauum secessus externus & internus, lib. 1. c. 10. 19. 21. lib. 2. c. 2. lib. 3. 36.

Nonum vita religiosa, de qua sexdecim conditiones, lib. 1. c. 17. 19. lib. 3. c. 11.

Decimum sacræ communionis frequens vsus, de qua toto libro quarto agit, & considera. 1. reuerentiam, desiderium, puritatem, oblationem diuinæ gratiæ, amorem, confusionem, necessitates aperi, afflici conare, custodi cor, &c.

Epistola

Epistola

CAROLI A BASILICA PETRI PRESB. MEDIOLANEN. EX congregatione Clericorum Reg. S. Pauli decollati.

AD R.P.F. LVDOVICVM Granatensem.

DE OBITV CAROLI CARD. S. PRAXEDIS ARCHIepiscopi Mediolani.

In memoria aeterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Psal. 111.

SIgnificasti mihi sæpius literis tuis, optime Pater, nihil me tibi gratiùs facere posse, quã vt de Caroli Cardinalis Sanctæ Praxedis, Archiepiscopi Mediolani actionibus, quem nunc sempiterna vita frui speramus, aliquid scriberem. Qua ego pia admodum voluntate tua, amãtissimoque in Cardinalem animo mirificè delectatus, tum aliàs ad te de rebus illius non semel litteras dedi; tum hoc tempore de sanctissimis exercitationibus, diuinisque contemplationibus scripturus eram; quibus, in sacro Varalio monte, superioribus diebus, præcipuo quodam studio se dederat. Sed me miserum, spirituales illę iucunditates eo exitu, nobis quidem acerbissimo, conclusæ sunt, de quo te iam arbitror audisse; cùm tristissimi casus fama in omnes partes iam peruenerit; orbemque luctu impleuerit. Nunc de vtroque ad te scribam, de sacris contemplationibus, & morte; ex quibus illæ, magnam spiritus tibi afferent delectationem; in huius verò narratione, aliquid, opinor, vt fit, in dolore leuationis, inuenies. Cupiebat optimus Antistes superioribus mensibus paulùm se de turba, & à negotijs, in sanctum otium solitudinemque conferre; vt quemadmodum certis temporibus solebat, animæ suæ statum, officia, culpasque diligentiùs secum reputaret; & spiritus sui viribus instauratis, ad Ecclesiæ suæ gubernationẽ reuerteretur: quamquam aliam quoque causſam, præcipuæ cuiusdam contentionis orãdo adhibendo, hoc tempore habuisse, ijs notum est, quibus illius arcana consilia, grauissimaque, quæ nunc susceperat, munera ignota non sunt. Cui rei etiam indicio est, eum, & longinquiorem, & insigniorem locum ad id delegisse; longiorique temporis spatio in eo moratum esse, quam solebat. Sed illud quoque verum est, aliquot iam annos, eum Dominicæ passionis memoria mirificè delectari solitum fuisse; eamque animo ita fixam habuisse; vt illius varijs modis tractandæ, diuidendæ, ordinandę finem non faceret; tempusque aliquod cupidè obseruaret, quo animus illius ab interpellationibus liber, in eiusmodi sacris meditationibus posset conquiescere. Dicã postremò, cum eum Deus post maximos labores, grauesque perpessiones in cælum, vt speramus, accersire vellet; quibus diuinę gloriæ, & honori seruiens, annis præsertim circiter viginti quibus in hac Ecclesia resedit, exercitus fuerat; vltimo, & insigni huius vitæ beneficio, eam ei mentem dedisse, vt præcipuam illam mortis causſa præparationem adhiberet. Itaque, cùm sacram ordinationum solemnitatẽ sacris Septembris temporibus, de more esset celebraturus; nuncium accepit, Franciscũ Bosium Epiſcopum Nouariensem in grauissimum morbum incidisse; ita vt mortis periculum in horas immineret. Statim ipsa nocte, nulla habita incommodi alicuius ratione, vt erat eiusmodi præsertim necessitatis tẽpore, & erga Prouincię Episcopos, charitate admirabili; Nouariam contendit. Mortuum Episcopum cũ offendisset; & quæ pro insigni sua pietate solebat, funeris, celebrandi officia præstitisset; concionem habuisset; sanctissimę communionis sacramentum frequentissimo populo ministrasset; profectus est Vercellas, vt vrbis illius Ecclesiæ quibusdam in rebus consuleret. Francisco enim Bonhomio Apostolicæ sedis nomine in Germania absente, curam illius Ecclesiæ auctoritate Apostolica; præter id, quod ad eũ, vt Metropolitanum, spectabat; benignè susceperat. Atque non Ecclesiastica solum, sed ciuilia etiam, eaque grauissima negotia ibi confecit; ex quibus pernicioſæ discordiæ facilè extitissent. Fuit eo tempore cum Cardinalibus Vercellensi, & Montisregalis, & cum Episcopis nonnullis; qui ad eum iam solebant etiam ex longinquis prouincijs, tanquam ad Ecclesiasticæ disciplinę magistrum frequenter venire. Tũ inuitatus à Sabaudiæ Duce, qui se ei maximè dedit, filium profitebatur. Taurinum concessit: vbi postquam cũ duce collocutus, & sacrosanctum linteum, quod susceptа olim laboriosa admodum peregrinatione, magno pietatis documento, inuiserat; veneratus esset; discessit; & in Varalium montem se recepit, qui verè sub Alpium iugo, inter Helueticos, Pedemontanosque fines positus, ab vrbe Vercellensi, Nouariensi & Comensi millia passuum viginti quinque, aut ad summum triginta, distat; à Mediolanensi quinquaginta quinque. Ibi ante annos ferè centum, vnus ex fratribus S. Francisci, ordinis, quẽ obseruantiæ dicunt, Mediolanensis, ex familia Caima, sepulchrum Domini imitatione Hierosolymitani, posuit: fratrum suorum monasterium, quædãque sacella, ex multis piorum virorum eleemosynis ædificauit, in quibus historia Dominicæ passionis, pulcherrimis statuis & ad pium animis affectum excitãdum accommodatis, expressa est. Ijs addita sunt plura alia sacella, non solum passionis Domini, sed sacrarum aliarum historiarum imagines referentia: quæ in summa montis parte distinctis locis posita, pulcherrimam prębent piorum mentibus sacrarum exercitationum opportunitatem. Huc igitur in fratrum monasterium vir sanctus Carolus, cum Patre Francisco Adorno, Societatis Iesu, magnæ pietatis, doctrinæque viro, confessionum ministro, & spiritualium exercitationum adiutore, cum se recepisset, primùm animo studiosissimè expurgando operam dedit, & certi temporis generalem peccatorum cõfessionem, pro sua consuetudine habuit, quam non longis interuallis repetere solebat. venit deinde ad sanctis-

Funeralia Francisco Boscio Episcopo Nouariensi exoluit.

Vercellense Ecclesiã visitat.

Taurini linteum sacrosanctum videt.

Veralia expurganda conscientia recolendæ passionis Dominicæ operã dedit.

Carolus Borromæus quam assiduus fuerit in meditanda Passione Christi.

sanctissimæ passionis meditationes; in quibus eos quoque, quos ex familia secum habebat, exerceri voluit. Diei, & noctis etiam, certa tempora distributa erant; quibus quemlibet ad meditandum, & orādum in sacellis esse oportebat. Cardinalis autem, qui tamen communi tempore contentus non erat, proprium sibi sacellum, nullo comite, deposcebat. Iucundissimum erat pietatis spectaculum, quod suauem conscientiæ aculeum admouebat, videre tantū virum, nocte præsertim, solum, paruula laterna sub pallio recepta, per ea loca ire, quò spiritualis affectus acrius inuitabat. Atque in eo maximè elucere visum est eius singulare sacræ contemplationis studium; quòd cùm ea paulisper intermittenda esset, & ad Cardinalem Vercellensem Aronam eundum; nocte ante, octo ipsas horas, vna cum familia, in ea permānsit: cùm toto eo spatio genibus tantummodo nixus, nulla corporis parte flecteretur: Immo ad extremū quæri de eo visus est, qui horologium curabat, quasi præfinitum spatium contraxisset. Tempus constitutum erat, quo omnes congregati, loco quisque suo, quid meditatus esset, animoque piè sensisset, in medium asserebat. Qua in sacra communicatione, narrant cælestia verba, & sententias ex sacro illo Caroli ore excepisse: qui quasi olor quidam supernus, morti propinquus, suauiores quam solebat, voces edebat. Narrauit mihi Pater Franciscus, se diuini illius pectoris sensus, intimasque cogitationes spirituali suauitate, lachrymisque coniunctas, sæpius animo suo obstupuisse, dulcique item fletu prosecutū esse. Quam verò hic adhibuit, vitæ & victus asperitas, quamquam sine dubio erat maxima, ipsi tamen noua non erat; cuius solitus iam cibus erat panis, & aqua; & cum paucis horis in paleis cubaret, commoda sanè ratione vti sibi videbatur. Neque is erat, qui flagellorum & cilicij disciplinam vnquam omitteret. Itaque non magnum erat, illum eo quoque tempore pane, & aqua vitam sustentare; ligno iacentem breuem somnum in cilicio capere; & flagella sibi adhibere: quibus cùm sanguinem quandoque hausisset, interulam sanguine aspersam, quam ille studiosè occultauerat, & flagella item cupidissimè conquisita, quidam inter res charissimas reposuerunt. Illud quoque sibi ministerij sumpserat, ante lucem lumen afferret Patri, à quo reliqua familia acciperet, ne incommodo afficeret suos. Quo seueriore in erga se indies vtebatur disciplina, eò se humaniorē, mitioremque erga alios præstabat: consueueratque noctu lumen in paruo cubiculo suo habere, tum ne cubicularijs fortè luminis inferendi molestiam exhiberet, tum etiam vt quemadmodum existimo, iucundo piarum tabularum, quas ibi habebat, aspectu frueretur, si quando oculos aperiret. Antequam autem à monte discederet; vbi nō amplius quindecim dies, neque id sine interuallo, moratus videtur, tentari valetudine cœpit; ex qua suo, & Patris consilio, nonnihil remisit de consueta vita asperitate. Atque cùm febri se laborasse sentiret, tempusque redeundi videretur, discedendum sibi statuit. Medicum quidem in reditu consuluit, sed curationem tamen, vt solent, qui id facere possunt, statim non adhibuit. expectauit autem pro sua consuetudine, num febris reuerteretur, qui antea quandoque, ne quarto quidē febris impetu ad medicinam confugerat, & absque illa tamen emersérat. In quo vir sanctus, sicuti in reliquis, pauperum vitam sequebatur, qui non solùm non habent cùm ægrotant, vnde curentur, medicinamque adhibeant, sed ne opera quidem, & labore consueto abstinere, & cessationis beneficio frui possunt, cùm rebus ad victum necessarijs destituantur: quam ad rem naturæ tamen, & corporis sui diuturna experientia vtebatur. Multas habuit totum illud

Octo horis continuis flexis genibus familia in contemplatione persistit.

Aspera eius viuēdi ratio.

Aduersa valetudine corripitur.

absentiæ tempus futuri obitus præsensiones. Nam præter inusitatam illam præparationem, præcipuam suauitatem in ijs exercitationibus ex gloriosi sepulchri mysterio capiebat, nam cum sacello, & imaginibus destitueretur, quæ sumptæ meditationi proprie conuenirent, ad sepulchrum semper se referebat: ex eius contemplatione diuiniora quedam mētis cogitata hauriebat: & cùm, profectione indicta, omnes de monte descenderent, animaduertissentq; Cardinalem ipsum deesse, mulierculæ cuiusdam indicio, in sepulchri antro ille repertus est. Sacrum missæ officium, nescio an postremum, præter consuetudinem, perpetuis cum lachrymis celebrauit. De morte frequenter loquebatur. Sæpè commemorabat, suos ferè diu viuere non solere. Patrem suum Gibertum comitem, cum ætatis quadraginta septē annorum esset, mortem obijsse. Mirum esse, quòd ipse ad eandem ætatem peruenisset; quòd duodecim ante annos morbis, & curationibus adeò debilitatus erat, vt omnium iudicio morti propinquus iudicaretur. Atque fuit ille quidem, dum iuuenis esset, etiā medicorum sententia; neque id ob vitę asperitatem, quam nondum cœperat; ea valetudinis conditione, vt mirati sint quicumque eum nouerant vitam potuisse producere longius, sed omissa ille nimis exquisita corporis cura, ex piorum, prudentumque virorum consilio, simplicem, communemque viuendi rationem elegit; cuius beneficio; licet cum abstinentia, deinde, & cum asperitate eam coniunxerit, reliqua ætate, hoc est annorum circiter duodecim cursu, bona valetudine, in magnis curæ Episcopalis laboribus, vsus est, vt potius, existimandus ille sit per rudiorem, & seueriorem vitæ disciplinam hosce postremos vitæ annos à Domino obtinuisse; quam vel modicum propter eam temporis deperdidisse. In reditu, dum febri laboraret, commemorabat, & libēter quidem, vt omnia, quæ ad eundem pertinerent; Pium quintum sanctæ memorię Pontificem maximum, cùm non longè se à morte esse sentiret, surrexisse tamen, & septem vrbis ecclesias inuisisse. Disputabat diuinitus de excellenti illa voluntate, qua rebus alijs omnibus omissis, vnum Dominum sequi, & spectare debemus, neque aliud quidquam, etiam spirituale, nobis in hac vita proponere: nedum enim alijs, dicebat, capi me & teneri oportet, sed ijs ipsis liberum me prębere, quę ad huius Ecclesiæ vtilitatem institui. Incumbere me perpetuò æquum est, donec viuam, in Domini cultum: si aliò migrandum sit, præstò esse debeo, & quidquid agendum restat, diuinæ prouidentiæ commendatum liberè relinquere. Sed quid ego de absentiæ huius tempore loquor? multis ab hinc mensibus edebat huiusmodi animi sui cogitationes: neque ità multò ante, mihi quadam ex caussa dicebat, vitę spatium sibi videri non amplius ferè prorogandum; nisi fortè ad annos aliquot inter morborum incommoda traducendos. Venit ille Mediolanum feria sexta, vesperi, quo die, communi Ecclesiæ officio, ad mortuorum subsidiū diuina celebrantur. Quæ quidem diuina fuit prouidentia, vt tantisper grauitas morbi lateret, donec ad sedem suam, in ea statim moriturus, reuerteretur: cùm autem in suo, maieri cubiculo decubuisset, peritissimis medicis vocatis expectabat sequenti die, hora ferè decimaoctaua, an febris rursus accederet. Iusserat ex summa parui cubiculi sui parte tabulam euelli, in qua Saluatoris nostri mortuum corpus depictum erat, & super conopei fulcimenta collocari, vt eam, cùm oculos tolleret, posset aspicere. Aliam in ima lecti parte appendi, vt directo eam spectaret obtutu in qua Christi Domini effigies erat, agonia in horto laborantis. Altare item in ipso cubiculo poni voluerat optimè instructum; cum pulchra tabula,

Obitus signa dicta multa habent.

Colloquium eius in reditu.

Mediolanum reuersus quo modo cubiculum suum infirmi curarit.

bula, quæ Domini sepulchrum referebat: vt aptam omnium terum consecutionem, eundemque præsagiorum cursum agnoscere posit. Vicesima prima ferè, ni fallor, hora erat, hoc est tertia ante noctem; cùm nescio quomodò grauiùs laborare cœpit, vt oculis apertis ferè esse nō posse videretur, astabamus illi; & modo hic, modo ille, varijs rebus proponendis tentabat; vt oculos aperiret. Dixi ego illi, me nō credere, eum dormire, sed contemplari, facereque, vt optimum virum Mutinensem Episcopum fecisse, quandoque referebat: dicebat enim: cùm periculosè valde ille ægrotaret; clausis oculis semper secum cogitasse, neque cuiquam auscultare voluisse; rogasseque ne quis à Deo se tali tempore auelleret, & ad humana deduceret. subridere visus est, cùm hæc dixi, & mansit tamen vt prius: comparatu imprudens illius morbum qui leuis habebatur, cum Episcopi illius mortifera valetudine diuinauique nesciens quid dicerem. Ac mihi quidem huiusmodi rem consideranti, venit in mentem, illum, cùm ingraue-scere morbum sentiret, dedita opera ita seipsum collegisse, cogitationemque ab omnibus vitę huius rationibus auocasse: postremoque tempore eam constantiam, fidem, modestiam, & cum Deo coniunctionem præ se tulisse, quam anteacta vita ostenderat. Is autem reuera erat, qui ne à Deo paululùm disiungeretur, omnia alia facilè relinqueret, diuinæque prouidentiæ liberè committeret; quique mallet communi quadam, & vulgari ratione, quàm præclaris quibusdam virtutis indicijs, ex hac vita decedere. Quamquam enim optabile erat, vt eius obitum præclaris quibusdam, & speciosis sanctitatis significationibus ornatum videremus: quid aliud erat tamen, quod post perpetuum rerum admirabilium, & propè incredibilium cursum, in eius vita, aut morte magnoperè requireremus? Cùm medici venissent, & in ea ferè sententia essent, vt de graui aliqua, & diutura ægrotatione suspicarentur, naturę vim valdè deficere paulò pòst intellexerunt. Id nobis qui aderamus cùm dixissent, quid animi in nobis reliquum fuerit, facilè existimare licet. Misimus statim, vt in Ecclesijs oratio ante sanctissimum Sacramentum institueretur: & de viatico, Extremaque vnctione illi adhibenda agere cœpimus. Dictum illi est à Patre Francisco, qui semper affuit, tempus esse, vt ex hac vita abiret, & ideo sacri viatici subsidium sibi compararet. Ille autem, se enixè petere, statim respondit. Cùmque, Canonicorum collegio cum sacris indumentis comitante, sanctissima Eucharistia in Archiepiscopale sacellum allata esset, quæsiuimus ex eo, vtrum afferri tunc vellet: Nunc, inquit ille. Quæ quidem sola verba eo periculi tempore protulit ex quo perspicuum esse videtur, illum, si voluisset, alia quoque potuisse dicere. Immo ex eo etiam integri eius sensus cognosci potuerunt, quod cùm interrogaretur, vtrum vellet Archipresbyteri manu, an alterius afferri sanctissimam Eucharistiam; paululùm, vt sępe solebat, antequam responderet, apud se cogitauit: tum de Archipresbytero significauit. Quod idem fecit, cùm ab eo quæreretur, num vellet Prouinciæ Episcopos, secundùm ea, quæ in eo genere confecerat, decreta, accersiri. Prętera verò de morte tunc obeunda, & extremis subsidijs recipiendis ea vultus constantia accepit, qua rem qualibet notam, & expectatam audijsset. Neque enim vel leui aliquo indicio commoueri visus est: immò cùm eius consobrinus Comes Renatus Borromæus, humana quadam amoris significatione, hortatus esset, ne eo tamen nuncio terreretur; subrisit sanctus sacerdos ad ea iuuenis amantissimi verba. Rogaui ego, vt illud S. Martini secum dicere vellet, Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recusso laborem, illud existimans, vt si cuius preces ad prorogandum vitæ spatium valere possent, ipsius ad id aptissimas fore, & acerrimas. Benignè tum ille me aspicere visus est, nihilque respondit. Neque verò dubito, quin is, qui se toties pro grege suo deuouit, tunc quoque ad longiorem vitā paratum se præbuerit. sed idem fuit illius, qui S. Martini fuerat, orationis euentus. Cùm sanctissimū Sacramentum postea allatum esset, pie illud sumpsit, cùm indicasset tamen animum sibi è lecto surgēdi, vt ante constituerat, fuisse, si vires suppetijssent. Post illud, statim extremam suscepit vnctionem. Nox erat, & infinita prope multitudo vsque in cubiculum concurrerat. Legebamus nos qui astabamus, præscriptas eiusmodi officij preces. Euangelicā præsertim Domini passionem, quam ille apud morientes lectionem maximè semper probauerat. Tū petita ab eo est omnium nomine benedictio, quam ægrè quidem ob imbecillitatem, sed manu tamen, quæ ab alio sustentabatur, signo crucis formato, impertijt. Ita agoniam illam ingressus est, quam libentissimè in passione Domini cogitaret; sed adeò statuem tamen, vt neque membro aliquo agitaretur, neque vis vlla vehementior appareret. Imposuimus demum illi ciliciū cinere benedicto aspersum, quod ille non solum in ritu, sed etiam in ipsa carnis afflictione vehementer probauerat, & cū tertia ferè noctis hora veniret, animam Deo reddidit. Contigit mihi, charo admodum, sed acerbissimo munere, vt vltimum colligerem spiritum, oculosque componerem, cùm osculandæ integræ illius, & castissimæ carnis desiderium qui aderamus explere non posse videremur. Periculi fama tota continuò ciuitate manauit; quæ tam horribili auditione vehementer commota est. miserabile erat spectaculum, videre vbique lumina circumferri, & homines hac illac vagari, tum anxiè scisciari quo modo se res haberet; & cùm nihil spei reliquum esse audirent, maximè perturbari, & flere. Cùm domo Archiepiscopali discessissem, vias eorum multitudine offendi refertas, qui crucibus prælatis, quamquam serò, processiones cum litanijs obibant; quibus ad sanctorum inuocationem respondebatur ab omnibus, intercede pro eo. Cùm me viderent transeuntem, cupidè interrogabant qualem nuncium afferrem: quem accipientes miseri luctuosis clamoribus omnia replebant; vt ferreus videri posset, qui lachrymas teneret. At ad sancti Pastoris lectum, qui fletus, quæ lamentationes audiebantur? Flebant Canonici, & luctuosis vocib. vt olim S. Martini discipuli, quærebātur, quòd optimus Pater eos desereret, & in mœrore, & periculo relinqueret. Grauiter, pleriq; ex familia lamentabantur, qui non vt aulici quidā, sed vt deditissimi filij sanctū virum diligebant: supplices benedictionem illius omnes postulabant: illudque vehementer curabant, vt vel minimum aliquid saltem, quod illius fuisset, haberent, quod solatij, & religionis caussa seruarent. Tanta erat commotio, tātus luctus, vt nesciam an in illa Federici Ænobarbi ruina maior luctus fuerit: præsertim pòstquam tristissima campanarum, primò Ecclesiæ maioris, postea aliarum ecclesiarum omnium signa audita sunt. Eos equidem flere vidi, quibus ne Patris quidem, aut cuiusuis propinqui mors lachrymulam excussisset: & eos itidem, quod mirum sane est, qui alijs omnibus potius, quàm spiritualibus bonis delectari videbantur. Monasterium fuit, in quo moniales tota nocte orantes permanserunt, cùm rei euentum ignorarent, & quidem existimo ea nocte locum ferè somno in hac vrbe relictum non fuisse, cùm tristitia, & dolor omnia occupasset. Conuenerunt in Archiepiscopales ædes primarij viri multi. aderat

Comes

Ingrauescit morbus.

Sacra communione reficitur.

Extremam vnctionem recipit.

Benedictione impertitur.

Moritur.

Deuotio subditorum erga suum Episcopum.

Luctus omnium.

Quam imperterrite mortis horā expectārit.

Comes Hannibal Altempsius eius cognatus, cuius filiolus genuflexus, & supplex benedictionem à sancto Præsule postulauit. Aduenit Dux Terræ nouæ, Prouinciæ præfectus, diuque amicè, & piè sanè in cubiculo moratus est, donec spiritum exhalaret. Reliquit autem discedens custodiæ suæ partem, nequit fortè offensionis in domo accideret. Quod postea de more oportebat, corpori inter circumstantium oscula, adhibitum est; in cuius humeris satis incommoda signa flagellationum visa sunt; & in dorso illius sclopi ictus signum, qui toto iam diu orbe vulgatus est. Collocatum illud est. Pontificalibus vestitum indumentis in ædium sacello: neque permissus est populus ingredi, qui mirificè cupiebat, vsque ad feriam secundam sequentem. Tunc aditu omnibus aperto, tantus fuit omnium concursus, quantus cuiuscunque celebritatis causa fieri posse conijcere possumus: tantoque flentium numero; quantum omnes satis mirari non possunt. Quòd si diutiùs insepultum relictum esset, non dubitò, quin valdè longinqui quoque venturi fuissent. Id tantũ molestię miseri capiebant, quòd morari quantum volebant, & Pastoris sui vultum contemplari saltè non permittebantur, ob aduenientium impetum perpetuum, nam tangere, & osculari non dabatur, ob sæpimentum, quo vndique muniebatur: neque cæsculorum coronæ accipiebantur, quas cupidissimè omnes offerebant, vt corpori admonerentur. Tantus fuit irruentis multitudinis impetus, vt quidam etiam ex eo interierint: de quibus dici posset, quod Gregorius Nazianzenus de quibusdam simili de causa extinctis in funere S. Basilij dicebat; felices fuisse, qui digni habiti erant vt sanctæ illius animæ comites accederent, victimarumque funebrium loco haberentur. Conueniebat clerus distinctè in sacellum Archiepiscopale, ad statas vigiliarum preces recitandas. Tandemq; heri mane, hoc est, quintum demum post obitum die, luctuosissimum funus ductum est, idque satis prolixo viarum ambitu, vt longissimi cleri vtriusque ordines, quibus cum infinito prope luminum numero funus illustrabatur explicari, & reliqua multitudo, etiam ex diœcesi, locum sequèdo habere posset. Secutus est Cardinalis Episcopus Cremonensis Pontificalibus indumentis ornatus; qui licet non satis firma valetudine, statim accurrit: Episcopus item Vigleuanensis, & Alexandrinus, item Episcopus Citadinius: Dertonensis enim in tempore adesse non potuit: cæteri autem Prouinciæ Episcopi, partim mortui sunt, partim publicis Ecclesiæ de causis longè absunt. Secutus est Dux Terræ nouæ, cum Senatu, & Magistratibus. Tantus denique conuentus, & omnium ordinum effusio fuit, neque enim vel ius eo tempore dictum est, vel tabernæ apertę, fuerunt, quanta ad summum sancti viri honorem, summamque amoris significationem vix optari potuisset. Funebres verè erant psallentium voces, & sæpius fletu interruptæ necessariò cessabant. Maximi auditi sunt energumenorum clamores: & qui Domino Ierusalem intranti plausum dederunt, simplices pueri, dum corpus efferretur, commoti, miserabile verbum, Misericordia quantum poterant, clamare cœperunt. Frater Franciscus Panicarola, post missarum solemnia, quę Cardinalis Cremonensis celebrauit, funebrem orationem, seu concionem, de laudibus optimi, multisque nominibus illustrissimi Præsulis, in Ecclesia maiori quo funus ductum erat, luculentissimam, vt solet, habuit. Pollicitus est, quod decesset, sequenti Dominica se præstiturum. Post sacrum exequiarum officium, episcoporum omnium sacris functionibus perfectum, illatum est corpus in sacellum Pij Quarti, quòd ferreis clathris esset munitum: quod quidẽ vix fieri potuit ob incredibiles populi impetus, qui vel inuitis omnibus tangere volebant, & coronas admouebant. Ibi ad populi desiderium aliqua ex parte explendum toto die relictum est. Dæmonibus vndique semper horribiliter clamantibus. Proxima verò nocte, circiter quintam noctis horam in arca plumbea conditum, insculptis nominis, & tempo- Sepultura.
ris notis, in sepulchrum intulimus, quod ipse sibi testamento constituerat, iam inde ab anno salutis M. D. LXXVI. in quo hæredem reliquerat Hospitalem pauperum huius vrbis domum. Quædam suis legauerat. Tum verò scripta sua ad conciones pertinentia Vercellensi Episcopo, quo neminem arbitror Episcopum illi fuisse chariorem, neque etiam magis probatum. Sepulturæ locum elegerat in ipsa maiori Ecclesia ante gradus, quibus ad chorum ascenditur, in quo huiusmodi poneretur epitaphium, sirectè memini, Carolus Cardinalis tit. S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolani, frequentioribus Cleri, populi, & deuoti fœminei sexus precibus se commendatum cupiens, hoc loco sibi viuens monumentum elegit. In quo quidem testamento quendam funeri, & exequijs modum adhibuit, quẽ non satis recordor. Hæc est exitij nostri narratio, ô Pater, quod Dominus fortasse præuideri noluit, ne infinitas propè preces eorum repudiaret, qui, si spatium datum esset, Domini manus quodammodo tenuissent, ne hanc nobis hoc tempore plagam inferret. Nunc restat, vt eum vehementer quantum possumus oremus, ne nos deserat; neque pro sua clemẽtia, permittat; vt quæ sanctus vir, summa totius orbis admiratione, & vtilitate ædificauit, nefarius inimicus dissipet. Hanc verò nos pijs hominibus afferamus consolationem, vt sanctissimas illius, mirabilesque laudes, & res gestas explicatè posteritati mandemus: quod, pro mea equidem virium tenuitate, bene iuuante Domino, præstare conabor. Mediolani VI. Idus Nouemb. 1584.

Ad cadaueris frequẽs concursus.

Funeralis pompa.

FINIS.

INDEX

INDEX
LOCORVM SACRAE SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC OPERE, SPARSIM EXPLICANTVR, LIBRORVM,

Capitum, & versuum ordine seruato.

Prior numerus paginam, secundus columnam denotat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Genesis.

CAP. 4. vers. 7. *Nonne si bene egeris recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit* 95,1.

15. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* 388,2.

20. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, faciens misericordiam in millia* 645,2.

21. 1. *Creuit puer & ablactatus est, fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius* 280,2.

22. 10. *Eyce ancillam & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac* 469,2.

49. 4. *Effusus es sicut aqua, non crescas* 261,1.

18. *Salutare tuum expectabo Domine* 68,2.

32. 10. *Quia in baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis pecorum vna, & hominum alter a regredior* 736,1.

39. 9. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, &c. quomodo ergo possum hoc malum facere* 14,2.

Exodus.

3. 14. *Sum qui sum.* 1.

12. 46. *Os non confringetis ex ijs* 726,1.

19. 6. *Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* 480,1.

25. 17. *Facies & propitiatorium de auro mundissimo, duos quoque Cherubim aureos facies ex vtraque parte oraculi, respicientque se mutuo versis vultibus in propitiatorium* 13,2.

32. 20. *Non videbit me homo & viuet* 914,2.

Leuiticus.

6. 2. *Ignis autem in altari semper ardebit* 156,2.

23. 7. *Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque, &c. dies autem septimus erit celebrior & sanctior* 49,1.

Numeri.

11. 33. *Adhuc carnes in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est locus iste sepulchra concupiscentiæ* 335,2.

28. 17. *Septem diebus vescentur azymis, quarum dies prima venerabilis & sancta erit, &c. dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit.* 49,1.

Deuteronomium.

4. 7. *Nec est alia natio tam grandis, quæ deos habeat appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationib. nostris* 65,1.

32. 13. *Vt sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo* 373,1.

20. *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum* 41,1.

Iudicum.

1. 7. *Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias, &c.* 59,1.

II. Regum.

7. 5. *Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? ego autem iuro, quia ædificabo tibi domum in sempiternum, &c.* 27,2.

III. Regum.

8. 12. *Dominus dixit vt inhabitet in nebula* 318,2.

IIII. Regum.

2. 12. *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius* 322,1. 480,1.

4. 40. *Mors est in olla.* 391,2.

II. Paralipomenon.

26. 18. *Egredere de sanctuario meo* 880,1.

I. Esdræ.

3. 22. *Manus Dei nostri est super omnes* 88,1.

6. 11. *A me positum est decretum: vt omnis homo qui immutauerit hanc iussionem, tollatur lignum de domo eius, & erigatur & configatur in eo* 353,1.

Iob.

4. 12. *Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius* 45,1.

17. *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir* 214,1.

8. *Erunt quasi non sint* 89,2.

19. *Qui timet pruinam, irruet super eos nix,* 337,2.

7. 20. *Peccaui quid faciam tibi ô custos hominum.* 414,2.

9. 4. *Quis restitit Deo & pacem habuit* 50,2.

11. *Si venerit ad me non videbo: si abierit non intelligam* 572,2.

25. *Dies mei velociores fuerunt cursore* 202,1.

11. 17. *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi*

ad vesperum, & cùm te consumptum putaueris, orieris vt lucifer. 71,2.
15. 20. *Cunctis diebus suis impius superbit, &c. Sonitus terroris semper in auribus illius, &c.* 50,2.
24. 20. *Obliuiscatur eius misericordia, dulcedo illius vermes* 25,1.
27. 9. *Quæ est enim spes hypocritæ, si auare rapiat, & non liberet Deus animam eius? Nunquit Deus exaudiet laborem eius, cùm venerit super eum angustia?* 80,1.
28. 13. *Sapientia neque inuenitur in terra suauiter viuentium* 603,1.
29. 24. *Lux vultus mei non cadebat in terram* 836,1.
31. 14. *Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus?* 218,2.
39. 29. *Nunquit per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austerum* 158,1.
40. 18. *Absorbebit fluuium & non mirabitur, & habebit fiduciam, quod Iordanis influet in os eius* 353,1.
41. 13. *Faciem eius præcedet egestas* 449,2.

Psalterium.

4. 3. *Filij hominum vsque quo graui corde vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium* 99,1.
6. 7. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo* 77,2.
10. 9. *Pluet super peccatores laqueos* 95,1.
15. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris* 635,1.
7. *Insuper & vsque ad noctem increpauerunt me renes mei* 60,1.
16. 4. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras* 91,2.
17. 12. *Posuit latibulum suum in circuitu tabernaculi sui* 6,1.
20. *Saluum me fecit, quoniam voluit me* 702,1.
37. *Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea* 63,1.
18. 10. *Iudicia Domini vera* 51,2.
19. 4. *Memor sit Dominus omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat* 317,2.
22. 5. *Impinguasti in oleo caput meum* 43,1.
23. 3. *Quis ascendet in montem Domini? innocens manibus & mundo corde* 739,2.
24. 12. *Quis est homo qui timet Dominum, legem statuit ei in via quam elegit* 44,1.
14. *Firmamentum est Dominus timentibus eum* 44,1.
25. 6. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine* 423,1.
26. 1. *Dominus illuminatio mea & salus mea* 43,1.
8. *Vultum tuum Domine requiram* 914,1.
29. 7. *Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus* 318,2.
2. *Conuertisti planctum meum, & circumdedisti me lætitia* 683,2.
30. 16. *In manibus tuis Domine sortes meæ* 656,1.
20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te* 46,1.
31. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ* 66,2.
31. 10. *Sperantem autem in Domino misericordia circundabit* 53,1.
32. 3. *Dic animæ meæ, salus tua ego sum* 374,1.
33. 22. *Mors peccatorum pessima* 70,2.
34. 9. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi* 46,1.
35. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ* 46,1.
36. 4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui* 883,2.
38. 4. *In meditatione mea exardescet ignis* 156,2. 892,1.
39. 1. *Expectans expectaui Dominum & intendit mihi, &c. & immisit in os meum canticum nouum* 53,1.
40. 13. *Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo semper* 38,1.
44. 15. *Adducenter Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi* 918,1.
45. 6. *Adiuuabit eam Deus vultu suo* 910,2.
49. 20. *Sedens aduersum fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas detractionem. Hæc fecisti, te tacui, existimasti iniquè quod ero tui similis: arguam te, & statuam te contra faciem tuam* 120,1.
50. 1. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, &c.* 373,2.
6. *Tibi soli peccaui* 7,2.
7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea* 548,1.
54. 9. *Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus* 815,1.
10. *Præcipita Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in populo* 63,1.
64. 2. *Tibi silet omnis laus Deus in Syon.* 61,1.
11. *Riuos eius inebria, multiplica genimina eius, in stillicidijs eius lætabitur germinans* 49,2. 475,1.
65. 20. *Benedictus Deus qui non amouet orationem meam & misericordiam suam à me* 470,1. 715,1.
68. 3. *Infixus sum in limo profundi & non est substantia* 723,1.
Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam 80,1.
68. 32. *Placebit Domino super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas* 376,2.
70. 8. *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam* 18,2.
72. 23. *Vt tumentum factus sum apud te, & ego semper tecum* 134,2.
75. 3. *In pace factus est locus eius* 914,1.
19. *Terra tremuit & quieuit, cum exurgeret in iudicium Deus* 405,1.
76. 6. *Potum dabis nobis in lachrymis in mensura* 186,2.
7. *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum* 325,2.
77. 39. *Spiritus vadens, & non rediens* 274,2.
80. 12. *Ibunt in adiuuentionibus suis* 41,2.
81. 5. *De tenebris in tenebras ibunt* 45,2.
83. 4. *Etenim passer inuenit sibi domum & turtur nidum vbi reponat pullos suos* 910,2.
84. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam, & in eos qui conuertuntur ad cor* 325,2.
89. 9. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur* 203,1.
106. 4. *Errauerunt in solitudine in inaquoso: viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, esurientes & sitientes* 61,2.
5. *Anima defecit in ipsis* 61,1.
10. *Sedentes in tenebris & in vmbra mortis: vinctos in mendicitate & ferro* 57,1.
23. *Qui descendunt in mare nauibus in aquis multis* 92,1.

107. 2. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum* 279,1.
108. 18. *Et induit maledictionem sicut vestimentum & intrauit sicut aqua in interiora eius: & sicut oleum in ossibus eius* 319,2.
117. 15. *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum* 46,1.
24. *Hæc est dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in illa* 188,1.
115. 13. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo* 370,1.
118. 11. *In toto corde meo abscondi eloquia tua Domine* 100,1.
14. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs* 91,2.
32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum* 253,2.282,1.771,1.
73. *Manus tuæ Domine plasmauerunt me, da mihi intellectum vt discam mandata tua* 9,1.
131. *Os meum aperui & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam* 298,2.323,2.
120. 1. *Leuaui oculos meos in montes, vnde venit auxilium mihi: auxilium meum à Domino qui fecit cœlum & terram* 324,2.
130. 2. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea* 280,1.

Prouerbia.

3. 16. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria* 99,2.
4. 18. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem* 45,1.
25. *Oculi tui recta videant, & palpebræ præcedant gressus tuos* 128,2.
8. 18. *Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ &c.* 36,1.91,2.
13. 4. *Vult & non vult piger* 256,1.
7. *Est quasi dives, cum nihil habeat, & quasi pauper cum in multis diuitijs sit* 36,1.& 2.
15. 5. *Omnes dies pauperis mali, secura mens quasi iuge conuiuium* 52,2.
19. *Iter pigorum quasi sepes spinarum: via iustorum absque offendiculo.* 626,2.
16. 7. *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem* 63, 1.
19. 2. *Qui festinus est pedibus offendet* 122,2.
20. 10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum* 828,2.
14. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor, sed cum recesserit gloriabitur* 74,2.
21. 5. *Cogitationes robusti semper in abundantia omnis autem pauper semper in egestate est* 832,1.
15. *Gaudium est iusto facere iustitiam* 51,2.
24. 30. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, &c.* 256,2.
31. 10. *Mulierem fortem quis inueniet, procul & de vltimis finibus pretium eius* 145,2.
30. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo* 99,1.

Ecclesiastes.

3. 21. *Quis scit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum* 83,1.
6. 2. *Vir cui dedit Deus diuitias & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, nec tribuit ei potestatem Deus vt commedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud* 62,2.
7. 4. *Melior est finis orationis, quam initium* 479,1.
9. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida & oleum de capite tuo non defluat* 118,1.
11. 1. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas quia post tempora multa inuenies illum* 339,2.
12. 1. *Memento Creatoris in diebus iuuentutis tuæ &c. quando commouebuntur custodes domus & nutabunt viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero & tenebrescent videntes per foramina, & claudent ostia in platea in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis. Excelsa quoque timebunt & formidabunt in via, &c.* 78.2.
19. 2. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos* 57,2.

Cantica Canticorum.

1. 1. *Osculetur me osculo oris sui* 653,2.
2. *Meliora sunt vbera tua vino* 47,2.906,2.
3. *Adolescentulæ dilexerunt te nimis* 49,1.
Oleum effusum nomen tuum 681,1.
4. *Exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum super vinum* 47,2.
7. 2. *Meliora sunt vbera tua vino* 916,2.
8. *Si ignoras te egredere* 880,1.
9. *Equitatui meo assimulauit te* 880,2.
2. 4. *Ordinauit in me charitatem* 826,2.
5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* 887,1.
6. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me* 681,2.
11. *Iam hyems transijt, imber abijt & recessit* 896,2.
14. *Veni columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ* 183,2.
17. *Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ hinnuloq; ceruorum* 690,2.
3. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* 565,1.
7. *Septuaginta fortes ex fortissimis Israel, qui ambiunt lectum Salomonis, omnes tenentes gladios, & ad bellum doctissimi* 144,2.
11. *Egredimini nunc & videte filiæ Syon Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die disponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius* 514,1.
4. 6. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris* 302,2.
9. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum* 873,1.
11. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris* 457,1.
5. 1. *Bibite amici, & inebriamini charissimi* 46,2.
2. *Ego dormio, & cor meum vigilat* 554,1.

6. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* 43,2. 311,2.
Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat: quæsiui & non inueni illum, vocaui & non respondit mihi 280,1.
8. *Vt nuncietis ei quia amore langueo* 47,1.
6. 4. *Auerte oculos à me, quia ipsi me euolare fecerunt* 873,1.
8. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi* 271,2.
12. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te* 699,2.
7. 1. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum* 38,2.
8. 6. *Fortis est vt mors dilectio, multæ aquæ non potuerunt extinguere* 534,1. 593,1. 604,1. 893,2.
14. *Veni dilecte mi, & assimulare capreæ hinnuloq; ceruorum* 893,1.

Sapientia.

8. 2. *Hanc amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi assumere eam, & amator factus sum formæ illius* 559,2.

Ecclesiasticus.

1. 13. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur* 71,2.
27. *Timor Domini expellit peccatum* 131,2.
3. 1. *Filij Sapientiæ Ecclesiæ iustorum, & natio eorum obedientia & dilectio* 300,1.
33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis* 418,1.
4. 18. *Iustorum semita &c. crescet vsque ad perfectum diem* 45,1.
36. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta* 279,1.
5. 10. *In peccatores respicit ira illius* 87,2, *& seq.*
7. 40. *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis* 20,2.
10. 10 *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed habitatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia* 275,1.
11. 10. *Fili, ne in multis sint actus tui* 610,2.
13. 1. *Qui tangit picem inquinabitur ab ea, & qui communicat superbo, induit superbiam* 358,1.
11. *Noli esse humilis in sapientia tua* 129,1.
18. 13. *Ante orationem præpara animam tuam, & esse quasi homo qui tentat Deum* 237,1.
20. *Ante languorem adhibe medicinam* 452,1.
19. 2. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes* 114,2.
23. 6. *Animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me* 57,1.
27. 12. *Homo sensatus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur* 44,2.
28. 29. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire* 117,2.
32. 22. *Peccator homo vitabit correctionem, & secundum voluntatem suam inueniet comparationem* 75,1.
33. 37. *Iugum & locum, curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ* 126,2.
35. 1. *Qui conseruat legem, multiplicat orationem* 160,1. 471,2.
50. 10. *Cùm effuderis esurienti animam tuam, &c. orietur in tenebris lux, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies* 340,2.

Isaias.

1. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum holocausto arietum & adipe pinguium &c.* 140,2.
3. 10. *Dicite iusto quoniam bene* 1. & 99,2.
4. 6. *In vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & abscondionem à turbine & pluuia* 53,2.
5. 5. *Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem* 41,1.
6. 2. *Sex alæ vni & sex alteri, duabus volabant faciem eius, & duabus pedes eius.* 5,2.
9. 3. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, &c. iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, &c.* 59,1.
10. 27. *Computrescet iugum à facie olei* 468,1.
11. 8. *Et delectabitur infans ab vbere, super foramine aspidis, & in cauernam reguli qui ablactatus fuerat, manum suam mittet, &c.* 59,2.
14. 2. *Et erunt capientes eos qui se ceperant, & subiecient subactores suos* 59,1.
33. *Et ponam Babylonem in possessionem erinacij* 59,1.
25. 6. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium* 26,2.
27. 8. *In mensura contra mensuram, cùm abiecta fuerit iudicabis eam: meditata in spiritu suo duro, per diem æstus* 224,2 386,1.
28. 9. *Quem docebit Deus scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus* 280,1. 687,1.
20. *Et pallium breue, vtrumque non potest operire* 453,1.
30. 1. *Væ filij desertores* 53,2.
15. *In silentio & spe erit fortitudo vestra* 52,2.
33. *Præparata est ab heri vallis Tophet, à Rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimentum eius ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris, succendens eam* 225,1.
32. 17. *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium* 63,2.
De mane vsque ad vesperam finies me:
33. 14. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba* 64,1. 320,1.
35. 7. *In cubilibus vbi prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci* 704,2.
40. 6. *Vox dicentis clama: & dixi quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri, &c.* 200,1.
12. *Tribus digitis appendis molem terræ* 576,1.
31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient* 468,1.
42. 3. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet* 526,1.
43. 2. *Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit te* 63,2.
50. 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autē non contradico, retrorsum non abij* 134,2.
52. 2. *Excutere de puluere, surge, & sede Hierusalem* 145,2. 626,2.
55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui nō habetis argentum, properate emite: venite, emite absque argento,*

argento,& absque vlla commutatione vinum & lac. 619,2.739,1.
56.7. Holocausta eorum placebant mihi super altari meo 476,2.
57.10. Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti 329,1.
58.7. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum, &c. Tunc inuocabis & Dominus exaudiet: clamabis & dicet; Ecce adsum. quia misericors sum 341,1.
8. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, &c. 389,1.
10. Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies 340,2.
11. Et implebit splendoribus animam tuam 44,2.
61. 7. Duplicia possidebunt in terra sua 230,2.
63.16. Domine tu es pastor noster: Abraham nescuit nos, & Israel ignorauit nos 39,1.
66. 5. Glorificetur Dominus & ridebimus in lætitia vestra, ipsi autem confundentur 36,1.
24. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur 385,1.

Ieremias.

3. 10. Et in omnibus his non est reuersa in toto corde suo sed in mendacio 393.
5. 21. Audi populestulte qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, & aures, non auditis 337,1.
13.10. Vbi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum 137,1.
18. 3. Descende in domum figuli 207,1.
24. 1. Ostendit mihi Dominus, & ecce duo calati pleni ficis 30,1.
31. 3. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxite miserans 19,1.
30. Omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius 224,2.
36.16. Obstupuerunt vnusquisque ad proximum suum 382,2.
51. 6. Fugite de medio Babilonis, vt saluet vnusquisque animam suam 357,2.

Ezechiel.

1. 14. Et animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis 259,2.
34.27. Et scient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi 60,2.

Daniel.

3. 47. Cuius flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem effundebatur 34,1.

Oseas.

1. 2. Et dixit Dominus ad Osee: Vade sume tibi vxorem fornicationum 40,2.
9. Non populus meus ibid.
2. 2. Iudicate matrem vestram, iudicate, quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius 40,2.
14. Ecce ego lactabo eam, &c. & dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem: & cantabit ibi iuxta dies iuuentutis suæ 405,2.

Iohel.

1. 17. Computruerunt iumenta in stercore suo 632,2.
2. 15. Cantate tuba in Sion, sanctificate ieiunium vocate cœtum 328,1.

Amos.

8. 9. In illa die occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis 22,1.
9. 4. Ponam oculos meos super eos in malum, sed non in bonum 41,1.
7. Nunquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti, &c. Ecce oculi Domini super regnum peccans & conteram illud à facie terræ 70,2.

Michæas.

6. 8. Indicaui tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo 122,1. 462, 1. & 2.

Abacuc.

1. 2. Vsquequo Domine clamabo & non exaudias? vociferabor ad te, vim patiens & non saluabis 478,2.
2. 4. Iustus autem in fide viuit. 155,1.

Malachias.

1. 14. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum & votum faciens immolat debile, &c. 78,1.
3. 18. Conuertimini & videte quid sit inter iustum & impium 35,2.

Machabeorum II.

9. 3. Orabat nihilominus hic sceleſtus Dominum à quo non esset misericordiam consecuturus 83,2.

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

5. 9. Beati pacifici quia filij Dei vocabuntur 618,2.
45. Oriri facit solem suum super bonos & malos, & pluere super iustos & peccatores 640,2.
6. 6. Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum 714,2.
9. Pater noster qui es in cœlis, &c. 579,1. & seqq.
10. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra 133,1.
21. Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum 600,2.
24. Nemo potest duobus Dominis seruire, Deo & Mammonæ 107,1.
7. 15. Quoniam angusta porta est, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam 86,2. & seq.
11. 30. Iugum meum suaue est, & onus meum leue 91,2. 595,1.
16. 24. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me 564,1.
22. 12. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem 423,2.
23. 9. Patrem nolite vobis vocare super terram, vnus est enim pater vester qui in cœlis est 579,2.
24. Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos 187,2.
24. 41. In illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur, &c. 215,2.
25. 1. Simile est regnum cælorum decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, &c. 82,1.

Marcus.

12. 38. *Nescitis quando Dominus vester venturus est, an in prima vigilia, aut in secunda, aut in tertia* 197,1.

Lucas.

6. 12. *Ignis autem in altari semper ardebit* 156,2.
9. 29. *Et facta est dum oraret species vultus eius altera, & vestitus eius albus & refulgens* 158,1.
55. *Nescitis cuius spiritus estis* 696,2.
10. 42. *Porro unum est necessarium* 69,2.
11. 9. *Petite & accipietis: quarite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis* 559,2. 892,1.
12. 49. *Ignem veni mittere super terram, & quid volo nisi vt ardeat* 163,2.
15. 14. *Facta est fames valida in regione illa, & quod ipse cœperat egere* 61,2.
22. *Citò proferte stolam primam* 42,1.
16. 9. *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis* 338,1.
17. 21. *Regnum Dei intra vos est* 556,2.
18. 10. *Oportet semper orare & non deficere* 322. *& seq.*
11. *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in Sabbatho, &c.* 140,2.
19. 42. *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis* 35,1.
23. 28. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* 85,2.

Ioannes.

4. 14. *Qui bibit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum* 60,1.
34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei* 683,1.
6. 44. *Nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum* 15,2. 395,2.
45. *Erit omnis docibilis Deo* 44,1.
55. *Caro mea verè est cibus, & sanguis verè est potus* 432,2.
7. 24. *Iustum iudicium iudicate* 700,1.
8. 31. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos, &c.* 55,1.
44. *In veritate non stetit* 830,2.
10. 30. *Ego & Pater vnum sumus* 369,1.
12. 25. *Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* 126,2.
32. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum* 14,2.
13. 1. *Christus cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos* 163,2 709,1.
14. 9. *Philippe qui videt me, videt & patrem meu, &c. Si cognouissetis me, cognouissetis vtique & Patrem meum, & ammodo cognoscetis eum, & vidistis eum* 524,1.
23. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* 17,1.
15. 9. *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos* 738,1.
16. 7. *Expedit vobis vt ego vadam: nisi enim abiero Paracletus non veniet ad vos* 164,2.
17. 20. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos: vt credat mundus quod tu me misisti* 228,2. 464,1.
18. 11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illū?* 1351,1.

Epistola ad Romanos.

2. 4. *Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram* 31,2.
6. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est cum Christo* 59,1. 89,2.
7. 14. *Scimus quod lex spiritualis est: ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* 56,1. 320,1.
15. *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum hoc facio* 467,1.
22. *Condelector legi Dei secundùm hominem interiorem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c.* 88,1. 955,1.
24. *Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius: Gratia Dei, &c.* 59,2. 467,2.
8. 26. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* 616,1.
29. *Quoniam quos præsciuit, hos & prædestinauit, &c. quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit hos & iustificauit, &c.* 19,1.
12. 2. *Reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta* 134,2.
21. *Vince malum in bono* 114,1.
14. 17. *Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto* 63,2.

I. ad Corinthios.

2. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus* 601,1.
3. 18. *Si quis inter vos videtur sapiens esse, stultus fiat vt sit sapiens* 875,1.
22. *Omnia nostra sunt siue Paulus, &c.* 15,1.
4. 9. *Facti sumus spectaculum Deo, & angelis, & hominibus* 251,1.
12. *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus &c. tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema* 251,1.
6. 18. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat* 108,2.
7. 31. *Præterit figura mundi huius* 197,1.
10. 13. *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana* 814,1.
11. 28. *Probat autem seipsum homo* 370,2.
29. *Qui manducat & bibit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini* 423,1.
13. 4. *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, &c.* 592,2.
15. 18. *Vt sit Deus omnia in omnibus* 227,1.
16. 14. *Omnia vestra fiant in charitate* 591,2.

II. ad Corinthios.

3. 18. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem transformamur imaginem* 900,1.
6. 10. *Nihil habentes & omnia possidentes* 69,1.
11. 15. *Quorum finis erit secundum opera ipsorum* 83,1.
12. 9. *Virtus in infirmitate perficitur* 670,1.

Ad Galatas.

4. 19. *Vellem esse apud vos modo, & mutare vocem meam* 823,1.
6. 14. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* 258,1.

Ad Ephe-

Ad Ephesios.

4. 8. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dona dedit hominibus.* 739,1.

Ad Philippenses.

3.18. *Multi ambulant, quos sæpè dixi vobis (nunc autem flens dico) inimicos Crucis Christi. quorum finis interitus &c. & gloria in confusione ipsorum.* 335,2.

Ad Colossenses.

3. 1. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* 738,1.

Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo. 607,2.

I. Ad Timotheum.

4.7. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est.* 138,1.

16. *Attende tibi & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies: & eos qui audiunt.* 290,2.

5. 8. *Si quis suorum curam non habet, fidem negauit.* 137,1.

Ad Hebræos.

4.12. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus.* 443,1. 604,1.

10.31. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* 30,2.

Epistola Iacobi.

5.12. *Ante omnia fratres nolite iurare, neque per cælum & terram, neque aliud quodcunque iuramentum.* 116,2.

Epistola Ioannis I.

2. 6. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare* 456,2.

16. *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ.* 104,1.

3. 1. *Videte qualem charitatem nobis dedit Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* 16,1.

4. 8. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 596, 2.

5. 1. *Quod natum est ex Deo vincit mundum.* 90, 2.

Apocalypsis.

3. 1. *Nomen habes quod viuas & mortuus es.* 830, 2.

16. *Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* 141,1.

9. 1. *Et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei &c.* 32,2. 33,1.

14. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit.* 109,2.

19.16. *Rex regum & Dominus dominantium.* 4,2.

22. 2. *Lignum vitæ afferens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum.* 74,1.

FINIS.

INDEX

RERVM ET VERBORVM

QVÆ HOC GRANATENSIS OPVSCVLORVM TOMO CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, secundus columnam denotat.

Abel sacrificium quam gratum Deo 799,1.
abneganda quænam sint 865,2
abnegare semetipsum quid 564,1.
abnegatio suiipsius præsentissimum in tribulatione remedium 861,2.
ad amorem Dei maximè necessaria 935,1.
abnegationis sui nomina varia 605,2.
abraham figura Dei Patris 177,1.
abrahami sacrificium quam beneplacitum Deo 799,1.
absentia Dei quam tædiosa Sanctis 735,1.
abstinentia 123,1.
Christi 112,2.
anachoretarum 112,2. & seqq.
triplici de causa moderanda 855,1.
abstinentiæ vtilitas 450,1.
salutaris documenta 855,1.
vide & Ieiunium
abusus beneficiorum Dei in iniuriam datoris 12,1.
abyssus misericordiarum Dei 16,2.
accidentia vltimæ infirmitatis 206,1.
accipitris natura 158,1.
accusatio diaboli in extremo iudicio 219,1.
conscientiæ propriæ 195,1.
mundi & creaturarum ibid. 1. & 2.
acedia quid & eius remedia 854,1.
peccata 412,1.
reprehenditur 256,1.
acediæ remedia 115,1.
in actionibus Christi quatuor considerandæ 522,1.
actorum peccata particularia 412,2.
actiuæ & contemplatiuæ idonei simul rarò inueniuntur 624,1.
acus nauticæ natura 97,2.
Adam & Eua miseriam humanę vitæ agnouerunt 197,2.
adæ casus 85,1.
admiratio ad philosophiam via 701,1.
aduentus Christi duo 524,1.
duplicis collatio 31,2.
aduentus Dei in mentem 931,1.
ad iudicium 545,1.
aduentui Christi multa mirabilia reseruata 82,2.
aduersa amicis suis cur immittat Deus 838,1.
omnia pro amore Dei toleranda 497,2.

aduersitatum vtilitas 925,1.
adultera Euangelica exemplum diuinæ misericordiæ 525,2.& seq.
AEstas charitati assimilatur 883,1.
æstimatio sui vilis in oculis Dei 939,2.
æternitas pœnarum infernalium 220,2.& seq.
beatitudinis cœlestis 231,1.& 2.
Affectus varij 277,1.
vndecim qui 607,2.
erudiuntur à Domino & cooperantur in bono 34.
sunt pedes animæ 450,2.
quomodo ordinati esse debeant 461,2.
tres in B.Maria 519,2.
sunt circumcidendi 273,1.
affectiones quomodo discutiendæ 911,1.
affectiones cum quibus nobis maximum bellum 126,1.
inordinatis cor liberum esse oportet 263,2.
affectuum via,breuior ad vnionem via 891,2.
affectatio humanæ dilectionis fugienda 858, 2.
afflictorum consolatio 187,1.
affligantur hic iusti cur 186,2.
S.Agatha lætissima iuit ad passionem 539,1.
S.Agathonis timor reddendæ rationis 22,2.848,1.
de oratione iudicium 920,1.
agnus paschalis mysticus quis 726,1.
agonia Christi in horto 167,2.168,1.534,2.762,2.
hominis morientis 211,1.
Alæ duæ nos à terrenis eleuantes 932,2.
Alexandri Episc.Constantinop.orationis efficacia 304,2.
alienis se occupare pacem perturbat 914,2.
allegorica expositio Moysis effundentis sanguinem in populum & altare 166,2.
lotionis pedum 162,2.
pallij Heliæ 164,2.
costæ Adami 167,1.
Isaaci immolandi 177,1.
nominis Manasses 189,1.
Iezabelis à canibus deuoratæ 207,1.
Elisæi Syriæ Regis seruos excæcantis 209,2.
agni paschalis 726,1.
quod Sacerdote moriente,rei libertate restituerentur qui ad assignatas ciuitates confugissent 724,1.
altare Dei quod 476,2.785,1.
altaria duo in templo Salomonis quid significent 302 1.
Ambitio quomodo vincenda 602,2.
superbiæ filiæ,& quomodo committatur 411,2.
ambitionis seruitus 57,2.
pœna 58,1.
malum 519,1.703,1.
ambitiosi reprehenduntur 690,2.
amandi Deum causæ pregnantes 918,2.
amanti cur Deus se quandoque subtrahat 906,1.
sapit Deus super omnia 947,2.
amator Dei verus quis 958,2.
amatores anagogici non percipiunt pensibilem crucis delectationem 904,2.
amicitia Iesu familiaris vtilissima 933,2.
amicus quomodo diligendus 803,2.
amare Deum duo quæ faciant 456,2.
amans non potest nisi rem vnam perfectè amare 563,1.
amans Deum curat,vt anima sua sit sedes Dei 564,2.
ex omnibus capit occasionem de Deo cogitandi 555,2.
amare Deum an cognoscere,vtrum excellentius 615,1.
amor Dei 131,1.
& fiducia quomodo excitanda 426,1.
quomodo acquirendus 558,1.& seq.561,1.611,1.
donum gratuitum 558,1.
quibus medijs foueatur 614,1.
difficulter acquiritur 508,2.626,1.
quibus rebus crescat 616,2.
contrariatur amori suijpsius inordinato 599,2.
donorum Dei maximum 534,1.
fidei nostræ verum argumentum 555,1.& seq.
concionatori necessarius 823,2.
rationi prævalet 907,2.
& sanctarum personarum cur spiritualibus personis suspectus habendus 909,1.
amor finis omnia reddit leuia 255,1.
amor B.Mariæ triplex 519,2.
morte fortior 593,1.
moderatus bonus 599,1.
amor proprius quis 599,1.
passio potentissima 606,1.
extirpandus 114,2.
quomodo mortificandus 598,2.601,2.606,1.
vnde 548,2.
præcipuum impedimentum amoris diuini 563,1.564,1.
amori diuino tempus suffuratur 563,2.
fœcundissimus 599,2.
virtutibus omnibus contrariatur 600,1.
amor inordinatus impedimentum diuini amoris 949,2.
priuatus plurimum nociuus 945,1.
amor proximi quid à nobis exigat 457,2.
amor incipit aliquando à spiritu & desinit in carnem 298,2.
summa appetit 558,1.
triplex à Deo petendus 453,1.
amor vnitiuus quis 558,1.
quomodo acquirendus 865,2. 918,2.
aliquando cohibendus 867,1.
incipientium & perfectorum 901,2.
amore solo,Deo responderi potest 893,2.
amoris carnalis signum 909,1.
amoris Christi magnitudo 532,2.
in Ecclesiam magnitudo 173,1.
amoris Diuini indicia 534,2.
incentiua 873,1.
acquirenda media præcipua 597,1.& seqq. 558,1.
argumenta 650,1.
difficultas in quo consistat 598,2.
effectus mirabiles 938,2.
exercitia vtilissima 751,1,874,1.
gradus tres 610,1.
impedimenta qua regula noscantur 610,1.
incentiua 873,1.
& inordinati repugnantia 599,2.
amoris diuini magnitudo 709,1.
profectus vnde metiendus 598,2.
viam dulcem esse existimantium error 626,1.
desiderium quomodo Deus in electis accendat 559,1.
amoris impuri seruitus 56,2.57,1.
proprij officium 599,1.
seculi remedium 121,2.
amoris perfecti signum euidens 913,2.
amoris veri signa 533,1.
indicia duo in Christo 803,2.
natura 874,1.
probatio 938,2.
amoris violenti gradus 898,1.
vis 893,2.
amoris vnitiui encomium 865,1.

pro-

proprietas 938,2.
proprietates tres 870,1.
ad amorem Dei consequendum quæ necessaria 598,1.
conseruandum, quid fugiendum 614,2.
vnitiuum quomodo pertingatur 888,2. 891,1.
Anathema fieri pro fratribus quid sit 295,2.
angeli nobis à Deo in custodes assignati 108.
angelorum circa homines ministerium 285,1. 631,1.
pulchritudo 226,1. 647,2.
multitudo 226,1.
& hominum obsequia quomodo differunt 294,1.
angustia Christi in horto 414,1.
anima dupliciter à Deo visitetur 879,2.
lilium inter spinas quomodo 861,1.
à sponso quomodo visitatur 882,2.
dulcedinem cœlestem quæ degustare cupit quomodo præparata esse debeat 903,2.
in exercitijs delectationem quærens non visitatur à Deo 912,1.
peccatoris in die Iudicij corpus abhorrebit 217,1.
in hora mortis maledicit corpori 362,2.
semper cùm Deo sit iuncta 315,1.
animæ iustificatæ pulchritudo 16,2.
beatæ dotes septem 363,2.
animæ partes duæ 56,1.
pars inferior custodienda 126,1.
pars superior quomodo reformanda 126,2.
potentiæ duæ 256,1.
portiones duæ 607,2.
vita quæ 874,1.
animæ & corporis separatio 212,2.
bis indies reficiendæ 160,2.
quid post mortem accidet 205,2.
in die iudicij cum corpore iungentur & 2. 217,1.
duo quæ maximè necessaria 962,2.
animam auro perdere quam indignum 106,2.
animarum cibus quis 316,1.
animus quibus indicijs cognoscatur purgatus 878,2.
anna viduarum exemplar 686,2.
annæ Samuelis matris orationis efficacia 304,2. 505,1.
annæ Prophetissæ encomium 686,2.
annunciatio B. Mariæ Virginis 511,1. 667,1.
antichristi persecutio 216,1.
S. antonius tentatus à Deo derelictum se putat 732,1.
antonius Cordua suasu Ioannis Auilæ Societatem ingreditur 845,1.
orationibus comprimis deditus ibid.
horas canonicas qualiter dicendas censuerit ibid.
anxietatum causæ & remedia 900,2.
Apparentia rerum sæpe fallimur 129,1.
appetitio inordinata inquietudinem parat 923,2.
appetitus hominis quam propensus ad malum 323,1.
perturbatus vnde 548,2.
& passiones quomodo mortificandæ 607,2. 790,2.
Appetitus nostri filiæ duæ 61,1.
impatientia 62,1.
mali cur in nobis relinquantur 89,2.
appetitus sensitiui affectus vndecim 607,2.
quæ mala pareant 608,1.
appetitui obedire, quid sit 56,2.
appetitum regi non regere debere 56,1.
Arbitrium liberum debilitatur non amittitur 56,1.
arcana Dei non scrutanda 284,1.
ardor quorundam Deo seruientium 146,1.
arijmors 304,2.
ariditas contemplatori fugienda 866,2.
ariditatis spiritualis causa 508,2.
tempore maxima sui habenda ratio 773,1.
in ariditate non despondendum animo 865,1.
quid faciendum 900,2. 953,1.
S. arsenius extremum iudicium timet 22,2. 848,1.
orat per totum noctem 304,1.
Ascensio Christi 544,1. 734,2.
fidem auget 737,2.
charitatem accendit 738,1.
Ascensionis Christi fructus multiplex 736,1.
ascensionem suam cur Christus in diem quadragesimum prorogârit 544,2.
ascensione Christi humana natura est nobilitata 736,2.
aspectus Christi quam efficax 172,1.
aspirationes ad Deum triplices 889,2.
Attentio in oratione seruanda 244,2. 474, 1. 715,1.
Auaritia quid 106,2.
auaritiæ seruitus 58,1.
remedia 106,2. 119,1. 854,2.
peccata 411.2.
auarus pecuniarum seruus 58,1.
S. Augustini conuersio 93,1. 797,1.
humilitas 812,2.
de frequenti communione sententia 388,1.
S. augustinus cur Manichæorum errorem secutus sit 797,1.
S. Hieronymum in dubijs consulit 812,1.
aures custodiendæ 125,4.
aurium supplicia in inferno 222,2.
gaudium in cœlo 231,1.
aurum mystice quid 517,1.
austeritas vitæ vtilis 254,1.
auxilio diuino destitutus, in quam periculosò statu versetur 41,1.
Dei destituti nihil possumus 941,1.
auxilium Dei in tribulatione inuocandum 946,1.

B.

BAptismus Christi 221,1. 521.1. 673,2. 761,1.
baptismi beneficium 570,2. 673,2. 725,2.
baptismi & pœnitentiæ differentia, 327,2. 413,2.
Bartholomæi de Martyribus. Episc. Braccarensis breuis vita. 851.
S. Bartholomæi in orando assiduitas 321,1. & 2.
Beatitudo cœlestis quanta 364,1.
beatitudo duplex 149,2. 850.
beatitudo sanctorum essentialis in quo versetur 648,2.
beatitudinis gloria sine speciali lumine non cognoscitur 227,2.
obiectiua quæ 97,2.
sedes quæ ibid.
beatitudinum octo effectus 694,1.
beatorum gloria 386,2.
in cœlo regnantium nobilitas & numerositas 226,1.
beatus nemo in hoc mundo 98,2.
belial filij qui 605,1.
benefactores amare naturale 569,2.
beneficium conseruationis 234,1. & 2.
creationis 233,2.
redemptionis 235.1. & 2. & seq.
vocationis 236,1. & 2.
beneficia naturæ à Deo 8,2.
beneficia Christi mundo collata 523,2.
creaturis cæteris collata, nostra sunt 631,1.
dei multiplicia 943,2.

dei

dei decem 569,2.
diuina nos Deo obligant 572,1.
odium peccatorum generant 400,2.
particularia 237,1.& 2.
beneficiorum Dei consideratio 569,1.
peccatorum dolorem genera 745,2.
ad eam quæ requirantur 749,1.
diuinorum meditatio 252, & 2. & seqq.
genera decem pro quibus Deo gratiæ agendæ 251,2.
magnitudo vnde cognoscatur 629,1.
vtilitas 750,1.
beneficia cur aliquando infundat Deus 572,2.
in beneficijs Dei tria considerandа, 629,1.
Bernardus quantum meditando profecerit 665,1.
quibus indicijs Dei in se aduentum cognouerit 292,2.
S.Bernardi confessio 864,2.
reliquiarum miracula 645,2.
Blanditiæ diuinæ, quibus fruuntur iusti 36,1.
blasphemiæ cogitationes 283,2.
Damnatorum 220,2.& seq.& 222,2.
species 409,1.
Bona corporalia triplicia 599,1.
fortunæ falsè fortunæ attribuuntur 552,2.
gratiæ vnde & quæ 551,1.765,1.
hominis triplicia 550.
omnia quæ habemus à Deo sunt ibid.1.
naturæ 550,1. qualia 765,1.
temporalia in mortis hora non affligent 213,1.
S.bonauenturæ laus 506,1.
boni verè diuites 361,1.
quanto apud Deum in pretio 38,2.
bonorum & malorum comparatio 35,2.
differentia 389,2.
miseria breuis 519,2.
bonitas Dei quanta 640,1.
erga tribulatos 643,2.
in iustos 641.
in martyres 640,1.
in pauperes 640,2.
in peccatores 641,2.
in hominem 802,2.
quomodo relucet in passione Domini 179,2. 250,2.
bonitatis diuinæ argumentum 689,1.
modi duo 786,1.
obiectum quod 639,1.
Breuitas vitæ humanæ 196,2.

C.

CAdaueris fœditas & sepultura 211,2.
cæcitas hominum 95,2.
cædes duplex 401,1.
cœlum absolutum ex causis 27,1.
tertium nouissimorum 26,2.& seqq.
cœli beatitudo quanta 546,2.& seq.
locus qualis 546,2.
fugient & mouebuntur in die iudicij 218,1.
motus vitam nostram absumit 202,1.
pulchritudo 26,2.226,1.228,1.
cœlestis gloriæ adumbratio 386,2.& seq.
caligo diuina quæ 865,2.920,2.
suprema contemplantium meta 902,2.
caliginis causa & effectus 903,1.
calix Domini bibendus 536,2.
caluariæ mentis mysteria 179,1.
calumniantibus non irascendum 858,1.
cantica canticorum quis intelligat 893,1.
canticum nouum in cœlo 230,2.
cantus vocalis Ecclesiæ an contemplationem perturbet 871,2.
captiuatio Christi 536,1.716,1.762,2.
caro passionis Christi causa 604,2.
peccati causa 414,1.450,1.604,2
plus quam dæmones nocet 604,2.
quomodo reformanda 910,1.
quomodo tractanda 450,1.
spiritui subiuganda 940,2.
S.Carolus Boromæus Card. quam assiduus fuerit in meditanda Passione 969,1.970,1.
aduersa valetudine corripitur 970,1.
benedictionem impertitur 971,2.
extremam vnctionem recipit 971,2.
Funeralia Francisco Boscio Nouariens. Episc. exoluit 969,2.
moritur ibid.
octo horis continuis cum familia meditatur 970,1.
quam fortiter mortis horam expectarit 971,1.
sacra communione reficitur 971,2.
Taurini linteum sacrum videt 969,2.
veralis expurgandæ conscientiæ recolendæq; passionis operam dedit 969,2.
vercellensem Ecclesiam visitat 969,2.
Caroli Borom. ad cadauer freques concursus 972,1.
aspira viuendi ratio 970,1.
colloquia in itinere 970,2.
sepultura 971,2.
carnis corruptio virtutem reddit difficilem 450,1.
carni placentia non petenda 952,1.
in castiganda carne discretio seruanda 418,1.567,1.
castitas 790,1.
sine humilitate subsistere non potest 458,2.
virtus angelica ibid.
castitatis encomium 669,2.
pugna difficilis 108,2. officia 790,1.
ad castitatem quæ spectent 458,2.
castorum vita angelica 109,1.
S. Catharina virgo & martyr quantis beneficijs à Deo cumulata 644,1.
S.Catharina Senensis quomodo concionatores coluerit 524,2.
à Deo amata 646,1.
tentata, & à Deo derelictam se putat 732,1.
S.Catharinæ Senensis precum efficacia 643,2.
causæ rerum omnium Deo attribuendæ & 554.1.
Cedron torrens figura Christi 173,2.
centuplum iustis promissum quod 36,2.
ceremoniæ ecclesiæ laudantur 293,2.
Chananeæ mulieris historiæ explicatio 525,1.
quatuor gratiæ collatæ 698,2.
charitas 788,2.828,2.
leuem reddit viam quæ ducit ad cœlum 90,2.
& eius laus 155,2.
quomodo crescit 156,1.
in hoc mundo extra suam regionem est 156,2.
à se incipit 297,1.
non est otiosa 296,2.
quomodo differt à misericordia 338,1.
in Deum quomodo violetur 409,1.
modo obtineatur 456,2.470,1.
Dei in nos 511,2.
in quo consistat 456,2.& seq.
quid sit 553,1.
cur somnus & mors dicatur 554,1.
vulnerans quæ ibid.
perfecta perfectio vitæ Christianæ 557,1.
meritorum omnium principium 591,1.
opera indifferentia facit meritoria & aliena facit sua ibid.2.

merita Christi & ecclesiæ nostra facit ibid.
similis Deo 592,1.
charitas de Deo triumphat 593,1.
liberalis alijs sibi auara 593,2.
à meditatione conseruatur 156,2.
virtus vna & actus duo 616,2.
charitatis effectus varij 553,1.
officia sex 139,1. quæ 788,2.
filiæ 592,1.
gradus 557,1.897,2.
laus 456,2.463,2.560,1.669,2.
officia negatiua ibid.
officia quomodo exhibenda 532,1.
perfectio in quo consistat ibid.
prærogatiuæ 590,1.
proficientium signa 897,1.
perfectæ 897,2.926,1.
circa charitatem duo consideranda 828,1.
ad charitatem aspirantibus omnibus simul virtutibus studendum 623,2.
quæ requirantur 789,1.
ex charitate omnia pensiculanda 926,1.
cherubin in arca fœderis versis vultibus se inuicem aspicientes quid signent 13,2.709,1.
christiani vita qualis esse debeat 786,1.
christianorum plurimi cur vitiosi 34,2.
negligentia in salute procuranda ibid.
Christus offertur in templo 517,2.
quotidie spiritualiter 685,2.
cur matrem suam initio natiuitatis suæ contristari voluerit 518,2.690,2.
vix natus ad necem quæritur 519,1.
in templo duodennis inuenitur 519,2.
inter cognatos non inuenitur 520,2.
quomodo quærendus 525,1.
cur ieiunauerit 521,2.522,1.
diabolum quibus armis vicerit 704,1.
lauat Apostolorum pedes 162,1.
ad hortum pergit 167,1.
sanguinem sudat 167,2.535,1.
vili pretio venditur 168,2.
capitur 168,2.
ignominiosè ducitur 169,1.
iudicibus præsentatur 171,1.537,1. 716,1.
alapa cæditur 171,1.
conspuitur 171,1.
flagellatur 173.1.537,2.716,2.
coronatur 173,1.
populo præsentatur 538,2.
Barrabæ comparatur 539,1.
condemnatur 178,1.717,1.
Crucem portat 178,1.716,2.
vestibus spoliatur 179,2.
crucifigitur 180,1.
in cruce pendens illuditur 541,1.
in cruce non desperat 182,1.& 2.
cur Christus derelictus 723,2.
moritur 542,1.
lancea transfigitur 183,1.
de cruce deponitur 184,1.542,2.
sepelitur 186,1.
descendit ad inferos 188,1.
cum spolio redit ab inferis 727,1.
resurgit 189,2.
redituus ad matrem venit 190,1.728,2.
apparuit Mariæ Magdalenæ 725,1.
cur videntibus discipulis in cœlum eleuatus 544,2.
ascendens in cœlum se nobis reliquit 737,1.
quomodo sequendus 738,2.
in cœlo sedens nostri non obliuiscitur 545,1.
salutis nostræ opus quam perfecte operatus sit 725,1.
quanta pertulerit pro nobis redimendis 804,1.
pro singulis passus est 14,1.
in omnibus membris passus est 529,1.
pro omnibus & speciatim pro vnoque passus est 763,2.
tormenta extrema cur pati voluerit 723,1.
spiritualiter quomodo ligatur 169,2.
cur in mundum venit 163,2.
hominem pristinæ dignitati quomodo restituit 165,2.
Diabolum quomodo vicerit 727,2.
galinæ comptratur 737,1.
hæres cum filijs nostris adscribendus 345,1.
tristis & infirmus in passione, martyres læti & firmi 167,1.& 247,2.
bona sua nobis dedit, mala nostra in se suscepit 249.2.
exemplar paupertatis 106,2.
quomodo imitandus 456,2.
speculum virtutum 804,2.
quomodo spiritualiter concipiatur 671,1.
quomodo nascatur 679,1.
circumcidi cur voluerit 680,1.
Iesus cur vocatur 680,2.
cum Magis quomodo quærendus 684,1.
Christi humilitas vtero virginis conclusi 671,1.
humilitas cum gloria coniuncta 677,1.
nomina duplicia 681,2.
oblationem duarum collatio 685,1.
virtutes & exempla 695,2.
labores 696,1.
merita 132,1. nostra sunt 477,1.
maiestatis & hominis vilitatis comparatio 162,1.
patientia & æquanimitas 163,1.& 2.
amor ergo Ecclesiam ibid.
tristitia sub tempus passionis 167,1.
sanguineus sudor 167,1.
faciei constitutio in horto 167,2.
paterna erga nos cura 168,1.
constantia in tormentis 172.2.
bona nostra sunt 123,2.
pulchritudinis & deformitatis in passione comparatio 173,1.
vultus Iudæis exhibitus spes est Christianorum 176,2.
vultus eius Patri præsentandus 177,1.
dolor & desolatio in cruce 180,1.
causæ doloris eius quinque 247.1.& 2.
cruciatus eius duodecim grauissimi 247,2. & seq.
cruciatus interiores 248,2.
crux duplex 180,2.
mensa in cruce, recreatio & lectus 181,2.
passio non vnius diei sed diuturna 182,2.
lateris aperti salutatio 184,1.
mors eius acerbissima 247,2.
ignominijs plena 541,2.
vestis nuptialis 251,1.
expostulatio cum homine ingrato 248,2.
aspectus vis 176,1.
portantis crucem descriptio 177,1.
dolor maior martyrum 723,1.
dolorum magnitudo in passione 763,1.
apparitiones post resurrectionem 728,1.
Christo cur confitendum 172.2.
non compati scelus 176,1.
afflicto addere afflictionem barbarum, & qui hoc faciant ibid.
in Christo virtutes omnes præter spem & fidē 458,1.

duo

[illegible] quæ consideranda 677,1.
Christum negare quid 172,1.
flagellatum & coronatum peccatoribus quotidie proponit pater cœlestis ibid.
peccata nostra flagellant quotidie 173,2.
in corde nostro natum multi Herodes quærunt occidere 519,1.
Cibus à Christo quisnam Ecclesiæ relictus 565,1.
& potus nimius nimisque delicatus impedit deuotionem 275,2.
à cibis quibusnam maximè abstinendum 860,1.
circumcisio Christi 515,2. 679,2. 760,1.
exemplum nostrum 680,1.
circumcisionis mysterium mystice 29,1.
Christi dolor 515,2.
clericorum peccata particularia 412,2.
cœcitatis humanæ consideratio 932,2.
cœna vltima Christi 762,1.
cogitatio quando confitenda, quando non 229,2.
morosa quæ 230,1.
quomodo confitenda ibid. 407,1.
sitne à bono an à malo spiritu quomodo dignoscenda 860,2.
quid sit 869,1.
bona à Deo est 879,1.
blasphemiæ 283,1 & 2.
meditatio & consideratio quomodo differant 509,2. 896,1.
cogitatione qui potissimum peccent 230,1.
cogitationes vnde & quomodo cohibendæ 283,1.&2
sunt quadruplices 407,1.
non semper peccata 460,2.
quomodo discutiendæ 911,1.
importunæ fortiter resistendo superandæ 773,1
blasphemæ contemnendæ ibid.
cogitationum malarum remedium 448,2.
lasciuarum remedium 790,1.
cogitatiua mentis potentia mortificanda 992,1.
cognitio supernaturalis 43,1. quid sit 43,2.
testimonia scripturæ de hac cognitione 44,1.
cognitio suijpsius 547,1.& seq.
vnde nascatur 170,2.
vtilis est 350,1. 922,2.
ad amorem Dei aspirantibus necessaria 566,1.
contemplationem promouet 868,1.
contemplationem præcedit 912.
in tribus consistit 808,2.
cognitionis & contemptus sui exercitium 621,1.
quomodo fieri debeat ibid. 2.
diuinæ gradus tres 902,2.
Columbæ Noë allegoria 321,1.
Communicare nolentes & sibi & alijs obsunt 369,2.
communicare quomodo quis spiritualiter quotidie possit 962,1.
communicantes etiam à venialibus peccatis esse debere mundos 423,2.
communicantium intentiones variæ 369,2.
quædam miraculosa exempla 370,1.& 2.
quorundam abusus 428,1.
communicaturo quid faciendum ante communionem 429,1. 963,1.
ipso communionis tempore & post illã 430,1.
communio frequens optimum exercitiũ 366,1.& 2.
conseruat vitam 432,2.
de frequenti communione Patrum sententiæ 368,2.
Granatensis de eadem sententia 368,1.
quis ea dignus ibid.
communionis effectus 427,2. 431,1.
proprius 425.
fructus 367,2. 368,1. 369,2.
frequentia an expediat 436,1.
an laudabilis 434,2. 4[illegible]
frequentiam improbantium obiectionibus recurritur 4[illegible],1.
fines quidam mali vitandi 424,1.
finis verus quis ibid. 2.
varij fines boni ibid.
proprius finis ibid.
communionem non protelandam 362,1.
ad communionem quæ præparatio requiratur 370, 2.& seq. 421, & seqq.
requiritur puritas conscientiæ 423,1.
intentionis 424,1.
actualis deuotio 424,2.
quantum temporis præparationi impendendum 428,1 429,1.
post communionem quid agendum 371,1.
cauta sui custodia adhibenda 963,1.
à communione quibus fraudibus diabolus hominẽ nitatur deterrere 691,2.
in communione cur quidam exilem sentiant deuotionem 435,1.
vide Eucharistia
complacentia maximè cauenda 893,1.
compunctio cordis 928,1.
compunctionis materia 928,2.
conceptio B. Mariæ 513,1.
concionator Dei vices gerit 826,2.
concionatori agendum quid vt moueat 822,2.
amor Dei necessarius
charitas proximi necessaria 823,1.
eloquentia affectata fugienda 824,2.
ob lapsum peccatoris dolendum 823,1.
ad singularia descendendum 846,2.
concionatoris fructus est animarum salus 822,2.
concupiscentijs resistendum 940,2.
confabulationes animam inquietant 877,2.
confabulemur curnam tam libenter 924,2.
confessarius qualis eligendus 408,1.
confessio de particularibus peccatis quomodo instituenda 408,2.
generalis vtilis 505, 2. dat vitam 432,1. septem quæ requirat 405,1.
in quibus casibus iteranda 408,2.
orationi pręmittenda 751,2.
pia peccatoris sub Cruce 181,1.
quid sit 354.& seq.
quomodo facienda 856,2.
secunda pœnitentię pars 405,2.
sine præuia præparatione nulla ibid.
sit integra 355,1.
confessionis initio quæ accusationes præmittendæ 408,2.
Sacramentum ad quid conducat 432,1.
quale 635,2.
Sacramenti beneficium 572,1.
memoriale 781,1.
in confessione non esse minuta quæque dicenda 407,1.
parcendum famæ proximi 408,1.
peccati species solummodo confitenda 406,2.
peccata non excusanda neque non facta dicenda 408,1.
confessiones prolixę scrupulosis vitandæ 815,2.
confitendi modus 404,1.
breuior pro sæpius confitentibus 419,2.
confidentia 832,1.
vnde generetur ibid.
confusio gentium in die iudicij 216,2.
conscientia ante confessionem examinanda 405,2.
bona quomodo acquirenda 912,2.
scientiæ pręferenda 923,1.
examinanda quomodo 406,2.& seq.

quoti-

quotidie vesperi 405,2.449,1.461,1.927,1.
& pœnitentia pro peccato commisso faciendа 609,1.
magister bonorum & tortor malorum 50,1.
conscientiæ bonæ gaudium maximum 933,1.51,1.
ab Ethnicis cognitum 51,2.
vnde nascatur ibid.
testimonium debet habere admixtum ibid.
tranquillitas quantum bonum 49,2.& seq.
examinandæ quantum temporis requiratur, 814,2.
conscientiæ malæ onus 913,1.
spinæ 50,1.
timor 50,2.
remorsus seu vermis 546,1.& 2.
vnde oriatur & contra nimis indiscretum 267,2.
impedit deuotionem 268,2.
consensus deliberatus quis 230,1.
peccati duplex 814,2.
conseruationis beneficium 569,2.752,1.630,1.
in vita spirituali beneficium. 638,2.
consideratio nostra quando peregrinetur 894,2.
considerationi vni non pertinaciter inhærendum 769,1.
considerationes duplices 891,2.
considerationum duo genera ad deuotionem vtilissima 547,1.& seqq.
consilium accipere, quam dare securius 924,1.
consilia Euangelica varia 695,1.
consiliorum Euangelicorum excellentia ibid.
consolatio externa noxia 270,1.& 2.
eorum qui calumniam patiuntur 172,2.
quibus se Deus aliquando abscondit 691,2.
in tribulatione 187,1.
in omni tribulatione Christus est 180,1.
consolationis diuinę vis quanta 46,2.
consolationem cœlestem quid retardet 946,1.
consolatione se indignum iudicet homo 953,1.
spirituali affluenti non se extollendum 934,1.
sublata non desperandum ibid.
consolationes Deo seruire incipientium 48,2.
Dei potiores consolationibus mundi 594,1.
desiderari posse 771,1.
interne, cur nobis quandoq; subtrahãtur 691,2
spiritus vnde 296,1.
cur pijs subinde negentur 435,1.
cur Deus aliquando subtrahat 279,1.& 2.
ad quid vtiles 279,2.& 282,1.
aliquando sunt à malo spiritu 296,2.
quando meritorię sunt, quando non ibid.
consolationum spiritualium magna ratio habenda 770,2.
in affluentia non consistere perfectionẽ 865,1.
spiritualium defectus multos turbat 278,2.
in absentia quid faciendum 281.
in contemptores ibid.2.& seq.
causæ 296,1.
consolationibus quidam abutuntur 295,2.
modicis seruus Dei contentus esse non debet 770,1.
in consolationibus quomodo quis se habere debeat 866,1.
constantia in tribulatione vnde petenda, 68,2.
Constantini Imperatoris egregium dictum 297,1.
consuetudo mala difficillime corrigitur 102,1.
consuetudinis malæ vis 76.2.
contemplantium genera tria 871,1.
iubilus quandoque 900,1. felicitas 850.
contemplari volenti quid faciendum 882,2.
quæ vitanda 890,1.
contẽplatio absque obedientia nõ obtinetur 884,2.
contemplatio aliquando cum delectatione, aliquãdo cum afflictione 920,2.
hominem Deo similem facit 554,2.
meditatio & cogitatio quomodo differãt 509,2
quibus de causis a contemplante ad tempus intermittenda 886,2.
quibus medijs suscitanda 872,1.869,1 671,1.
quid sit 869,2.892,1.897,1.
contemplationis causę proximę tres 920,1.
ad dulcedinem quibus medijs veniatur 91.
Encomium 668,2.
excessus duo, qui 861,1.885,1.
gradus septem 879,1.899,2.
tres 885,1.878,1.896,1.
gratia quam præclarum donum 861, 914,1.
gratiam assecutus proximum non contemnat 883,1.
impedimentum mala corporis dispositio 80,2
impedimenta quatuor 886,1.
in progressu tria quæ seruanda 897,1.
perfectio in sensibili amore consistit 891,1.
via optima quæ 876,2.
contemplationi actionem iungendam 880,2.
locus quis eligendus 875,2.
tempus aptissimum 872,1.905,1.
non omnes apti 875,1.
contemplationem quæ promoueant 872,2.
contemplatione dilabente ad actiuam vitam reuertendum 887,1.
à contemplatione gradatim descendendum 914,2.
in contemplatione creatoris ab omni re creata oculi auertendi 5,1.
quis corporis situs adhibendus 876,1.905,1.
contemplatori quę fugienda 877,1.& 2.886,2.
quomodo viuendum 886,1.
contemplatiua vita quibus mãxime propria 876,1.
actiuam præcedere debet, quoad secundam actiuæ partem 884,2.
cur actiua excellentior 886,2.
contemplatiuæ vitæ via 884,1. finis 875,1.
& actiuæ differentia 897,1.
aspirantibus quid faciendum 906,1.
contemplatiui cur pauci 946,2.
contritio quid sit 354,2.
prima pars pœnitentiæ 394,1.
quomodo acquirenda 395,2.
quo maior, eo maior gratia 404,2.
humilis quam salutaris 953,2.
contritionem quæmã considerationes excitent 744,1.& seqq.
contritionis duæ partes 364,1.
causa vera quæ 394,1. fructus 404,1.
contumeliæ patienter ferendæ 950,2.
conuersandum quomodo cum Deo sit 937,2.
conuersatio Christi cum peccatoribus 523,2.
hominis qualis esse debeat 122,2.
conuersi nouiter quomodo se in contemplatione habere debeant 890,1.
conuersio interna 931,1.
in cõuersione peccatoris quem ordinem seruet Deus 405,1.
conuersionis initia suas habere voluptates 48,2.
difficultas quibus ex causis 75,2.
initio caute ambulandum 144,2.
conuersionem peccatoris diuersi motus prędcedunt 701,2.
quomodo Deus promoueat ibid.
non differendam 75,1.& seqq.390,1.
ad conuersionem stimuli 701,2.
quæ nos mouere debeant 390,1.
conuerso recenter quæ necessaria 744,1.
quam necessarius magister spiritualis 812,1.

conuersorum nouiter error 145,2.
conuertere se volenti quid faciendum 787,1.
conuerti quid sit, 79,1.
cupienti bono proposito opus 447,1.
conuertitur homo ad Deum delitijs spiritualibus 316.2.
tribus passionibus ibid. & seq.
conuertuntur homines potius oratione, quam verbis 589,2.
cor hominis solus Deus satiare potest 97,2.
perpetuo cum Deo vniendum 324,1.
in oratione facilè vagatur 260,2.
facilè turbatur & amittit deuotionẽ 257,1. & 2
compendium esse ibid.
à quibus mundum seruandum ibid.2.
molę instar nunquam quiescit 260,2.
vnius quam alterius citius incaleſcit ibid.
durum quid sit 272,2.
ad malum facile, ad bonum difficile 274,2.
liberum ab omni appetitu Christo offerendũ 277,2.
nostrum lacus cœnosus est 283,2.
distractum quomodo ad Deũ eleuandũ 613,2.
colligendum 864,2. humile domus Dei 620.2
diligenter custodiendum 450,2.
in solo Deo quiescere potest 943,1.
ex corde pendet tota vita spiritualis 324,1.
corda tria in vno Christiano habenda 517,1.
cordis humani duritia 14,2.
dilatatio quid 279,2.
pij & impij differentia 257.2.
custodia quæ 260,2.261,1.
solitudo prodest 261,1 & 2.
amaritudo noxia 270,2.
puritas primum medium amoris Dei 616,2.
particula semper Deo relinquenda 613,1.
humani loca duo 550,2.
coronationis Christi immanitas 538,1.
corpus caute reficiendum 114,1. sine anima 211,1.
cum discretione affligendum 855,2.
corporis reformatio. 122,2.
humani fœditas. 198,2. infirmitates. 203,1.
gloria in cœlo 226,2.232,2.
gloriosi dotes. 226,2.363,1. vis quanta. 625,1.
corpori quid post mortem accidat. 205,5. 206,1. & 2
correctio à seipso ordienda 858,1.
proximi quomodo fieri debeat 878,1.
de corruscationibus spiritualibus quid S. Bernardus 911,1.
Creationis beneficium 233,2 569,2.
quantum 623,2. 628,1.
maximum amoris diuini indicium. 650,1.
nostræ consideratione in cognitionem Creatoris venitur. 8,1.
Creator quomodo à creatura inueniatur 946,2.
Creaturæ tribus verbis nos compellant 10,2.
accusabunt hominem in die iudicij 195,2.
credendum non facile omnibus 923,2. 950,1.
crucifixus quomodo saluator 540,2 763,1.
illuditur Saluator 541,1.
crucifixi imaginem semper ante oculos habendam 462,1.
crux Christi duplex. 180,2. & 248,2. via regia, 935,1.
hominum medicina 182,1.
Christo cur imposita 539,2.
omnibus ferenda 935,1.
Theologia perfectissima 834,1.
in nubibus erit in die iudicij 218,1.
in veste celebrantis cuius sacerdotem monefaciat 960,1.
crucis Christi effectus 181,1.
fructus & virtus 666,1.
mysterium quomodo spiritualiter imitandum 719,1. baiulatores pauci 935,1.
tormentum maximum 541,1.
signo cogitationes malæ fugantur 449,1.
cruci affigitur Christus 540,2. 763,1.
crucem Christus baiulat 539,2.
qui libenter amplexi fuerint, bone habebunt in extremo iudicio 935,2.
in crucem blasphemus quis 187,1.
Cupiditas radix malorum 344,1.
cupiditatis remedia 121,1.
curiosi reprehenduntur 261,1.
curiositas fugienda 858,1.
impedimentum contemplationis 871,2.
impedit deuotionem 274,1.
curiositatis multæ species 274,1. & 2.
S. Cypriani conuersio 93,2.

D.

DAmnati lamentatio 385,2.
an cupiant secum alios damnari 365,2.
an memoriam habeat præteritorũ. ibid.
an videant Beatos ibid. 1.
quid in hoc mundo agatur ibid.
damnatorum blasphemiæ 25,1.
miseriæ, nec mors, nec vita 384,1.
pœnæ 24,2. 221,2. & seq. 383,1.
Daniel diuinitus pascitur 526,1.
figura Christi 189,2.
inter leones conseruatur 526.1.
Dauid Rex iudicium extremum timuit 22,2.
debere nulli iucundum 108,2.
Decalogi præcepta quomodo infringantur. 407,2. & seq.
defectus alicuius causa tristari maior imperfectio est quam ipse defectus 861,1.
aliqui si vinci non possint nõ diffidendũ. 461,2.
duodecim seruo Dei vitandi 465,1.
proximi patienter ferendi 926,1.
delectatio morosa quale peccatum 407,2.
delectari in Domino quomodo quis valeat 883,2.
delitiæ spirituales vnde cognosci possint 47,1.
quæ & quantæ 316,2.
delitiarum spiritualium & Corporalium differentia 434 2.
delitijs animæ ad cœlestia trahuntur 317,1.
derelicti à Deo conditio 536,2.
desertum quomodo in homine 522,1.
desiderabile quid quomodo petendum 941.2.
desideria pia quomodo discutienda 940,1.
desiderij deuotionis creat deuotionẽ. 254,2. & seq.
quomodo augeatur 255.1.
desolatorum remedium 934.2.
desolatus qualiter se in manus Dei debeat offerre 952,2.
desperationis remedium 121,1.
detractio vitanda 116,2. 120 1.
detrahentibus non irascendum 858,1.
deuotio actualis quid 425,1.
an semper ad orationem necessaria 474,2.
acquiritur asperitate vitæ 265,2.
amissa quomodo 520,2.
breuibus orationibus 259,2.
continua Dei memoria 258,2.
continuatione in bonis exercitijs 263,1.
custodia cordis 257,1.
fortitudine & diligentia 256,1.
in orationis progressu 404,1.
magno desiderio 254,2. & seq.
operibus misericordiæ 255,1. & 2.
oportunitate temporis 262,1. oratione. 317,1.
quibus medijs 765,1.
sacra lectione. 260,2. solitudine. ibid.

augetur

augetur consideratione 175.1.
conseruatur facilius quam acquiratur 902,1.
cur proprie spiritui sancto ascribatur 470,2.
est vnguentum ibid.
fouenda quomodo 891,1. 902,2.
in quo consistat 771,1.
medium præcipuum ad mortificationem & virtutes comparandas 592,2.
non violenter exprimenda 769,1. 939.1.
quid sit 157,1. 253,1. 468,2. 770,1.
rationalis quæ 889,2.
vera quę 908,1.
virtutum stimulus 771,1.
deuotionis affectus quam tener & delicatus 138,2.
auctor Spiritus Sanctus 317,1.
causæ intrinsecæ 505,2.
conseruandæ remedium Præsentissimũ 901,2.
impedimenta nouem 771,2.
laus & officia 770,2.
quanta vis ad virtutes 317,2.
suauitas non affectate quærenda 890,2.
vnguentum cur quælibet anima conficere nequeat 917,1.
deuotionem impedit amaritudo cordis 270,2.
conscientiæ remorsus 267,1.
consolatio externa 271,1.
curiositas 274,1.
nimia solicitudo 271,1.& 2.
nimius cibus & potus 275,2.
peccatum veniale 266,2.
scrupulositas 268,2.
Si exercitium interrumpatur 274,2.
studium & speculatio nimia 272,1.
quænam promouent 771,1.
deuotorum affectus varij 665,1.
Deus confidentes in se non deserit 950,1.
cur differt largiri quod petimus 699,2.
cur homo fieri voluerit 455,2.& seq. 667,2.
ex operibus suis cognoscitur 526,2.
factus homo quasi sui oblitus 676,1.
frater & pater noster 852.2.
gratitudinem à nobis exigit 8,2.
ignis consumens cur 597,2.
in omni loco est 259,1.
non est inexorabilis 317,1.
non inuenitur in delicijs, 603,1.
ob sex titulos præcipuos diligendus 4,1.
omnia nobis dedit 14,2.
omnium rerum perfectio 129,1.
optimus magister 949,2.
plusquam pater noster 462 2.
præter amorem à nobis exigit nihil 874,2.
qua arte vtitur in conuertendis hominibus 316,2.
quare nolit nos omnino à Passionibus liberos 449,2.
quando sincere à nobis diligatur 919,2.
quomodo à nobis aspiciendus 765,1.
cum omnibus Sanctis comprehendi valeat 894,2.
pro nobis satisfacere voluerit 800,1.
quærendus 734,1.
quosdam gratia sua prœuenit 405,1.
quot modis noster 15,1. 657,2.
Sponsus animarum nostrarum 653,1.
suos non derelinquit ieiunos 68,1.
vbi sit 154,1. vltimus finis noster 655,1.
voluntate potius quam intellectu inuenitur 614,2.
vt vniuersalis causa aspiciendus 551,1.
Dei aspectus quam potens 315,1.
bonitas in rebus naturæ 640,1.
attributa 38,2. de nobis solicitudo 168,1.
magnitudo & excellentia 13,2. 710,1.
& maiestas quanta 751,1. 425,1.
maiestas timorem & reuerentiam generat. ibid.
modus attrahendi homines 526,2.
nomen quomodo in vanum sumitur 409,1.
pedes duo, qui 404,2.
perfectione cur minus moueãtur homines 5,1.
potentia 26,2. prœsentia vbiq; cogitanda 751,1.
prouidentia erga bonos 645,1.
varia nomina 273,2. & seq.
visio quando pariet gaudium 229,2.
Deo appropinquare volẽti tria quæ necessaria 888,2.
famulari tenemur ratione creationis 7,2.
conseruationis 9,2.
gubernationis ibid.
iustificationis 15,2.
prędestinationis 19,1.
prouidentiæ specialis 37,2.
quatuor nouissimorum 20,2.
redemptionis 14,2.
iniurius est, qui eum propter temporalia diligit 874,1.
non inseruire ingratitudo maxima 10,2.
quid debeat homo 131,1. 463,1.
qui non confidit ruinæ proximus est 942,1.
reuerentia exhibenda 751,1.
seruire spreto mundo dulce 939,2.
cupienti quæ facienda 101,1.& seq.
solo voluntas nostra satiatur 555,1.
Deum sibi infensum habens in quanto periculo viuat 41,2.
in Deo super omnia quiescendum 943,1.
Diabolicę potestatis descriptio 32,2.
diabolus auarus in suos 59,1.
hominem sollicitat non cogit 727,2.
homines cum orant maxime infestat 254,2.
mathematicus 703,2.
nihil potest nisi Deus permittat 296,1.
nos accusabit in die Iudicij 219,1.
rex est superbiæ 352,1.
suggestionibus veris & falsis illudit 946,1.
transformat se in angelum lucis 290,1.& 2. 295,1.
ideoque non statim ei credendum 290,2.
victus à Christo quibus armis 704,1.
diaboli crudelitas 32,1.
descriptio 222,1.
imperium ante aduentum Christi 704.1.
Didacus Guzman Societati Iesu ascribitur 485,2.
Didaci Guzman Encomium 845,2.
dies Domini quis 168,1. 215,1.
hominum quis ibid.
differentia piorum & impiorum 257,2.
diffidentiæ remedium 773,2.
dij falsi non adiuuant nos in mortis hora 210,2.
dilectio electorum propria 955,1.
potissima Deum laudandi ratio 808,1.
proximi quomodo fouenda 864,1.
diligentia ad amorem Dei acquirendum acquisita 624,2.
diluuium duplex 64,1.
ignis in die Iudicij 213,2.
disciplinæ orationibus iunctæ efficacissimæ 561,2.
discipulorum Christi fuga 536.2.
discrete omnia agenda 461,2.
discretio 292,1. in oratione seruanda 305,1. in rigoribus corporalibus & exercitijs piis seruãda 418,1. 567.1.
discretionis signum maximum quodnam 887,2.
discretione opus est homini deuoto 272,2.& seq.

dissimilitudo inter Deum & nos est maioris dilectionis causa 657,1.
destracto in oratione non dispondendum animo 613,1.
diuitiæ multa mala secum ferunt 107,1.
nil proderunt in morte ibid.2.
non satiant appetitum ibid.1.
diuitiarum amor quomodo superandus 602,2.
Doctrina Christi qualis 522,1.
dolor Christi in Cruce vnde creuit 180,2.
Mariæ quantus ibid.
dolores Christi omnium maximi 528,2.
cur omnium martyrum doloribus acerbiores. 804,1.
dolorum Christi magnitudo considerata ad quid vtilis 528.1.
Domini quid seruis suis debeant. 409.2.
S.dominicus semper à Deo exauditus 643,1.
S.dominici mors 72,1. laus ab orandi studio 472,1.
nouem orandi modi ibid.
amor martyrij 562,2.
feruor 822,2.
dona Dei in nobis vacua esse non debent 186,2.
infinita 619,1. triplicia 874,1.
dotes corporis & animę beatorum 547,1.
S.dorotheæ fiducia in Deum 643,2.
Dubijs in rebus quid agendum 864,1.

E.

Ebrietas mala. 276,1.
Ecce homo & eius meditatio 176,1.
ecclesia corpus vnum 296,2.
cur debeat affligi 545,2.
ecclesiæ cura de filijs suis 211,1.
quantum Sanctuario veteris testamenti præstent 807,2.
Electio omnium beneficiorum fundamentum 19.1.
electio cùm dubia est quid agendum 860,2.
electionis circumstantiæ 19.2.
signum perseuerantia ibid.
electos suos quomodo Deus tractet 521,2.
Deus prægustu suę suauitatis ad laborem inuitat 559.1.
eleemosyna vnum contrarium habet auaritiam 337,2.
Deo nos reddit familiares 338,1.& 2.
est opus meritorium ibid.2.& seq.
multos habet intercessores 341,2.
est necessaria 322,1.
temporalia bona non minuit, sed auget 343,1.
opus satisfactorium, & eius laus 418,1.
& ieiunium, iuuant orationem 477,2.
in eleemosyna tria spectanda 355,2.
eleemosynæ effectus 355,2.
& baptismi comparatio 418,1.
eleemosynam dando plus accipimus quam damus 340,1.343,2.344,1.
eleemosynam qui nedent se excusantium refutatio 322,1.
filiorum multitudinem allegantium refutatio 344,2.
eleemosynarum genera varia 418,2.
in eleemosynis qui liberales & prompti fuerunt exempla 345,2.
dandis quænã conditiones obseruandæ 346,1.
vide quoque misericordia.
eligenda quænam 134,1.
S.elisabethæ gaudium 512,2.
eloquentia affectata concionatori fugienda 824,1.
eloquentiæ finis 824,2.
Emendationem quid impediat 930,2.
promouentia duo quæ 930,2.
S. Ephraëm quam copiosas consolationes diuinas habuerit 644,2.
epicurei Deo seruiendum docent 4,2.
Equorum gratitudo 11,2.
Errores humanæ vitæ, & quod sero cognoscat illos peccator 209,2.
erubescentia inutilis cauenda 857,1.
erubescendum de quibus ibid.
Essentia diuina infinita & incomprahensibilis 5,2.
in Euagatione mentis quid agendum 767,1.
euagationes vitandæ 857,1.
eucharistia maximum amoris Christi signum 163,2. 651,2.958,2.
cur instituta ibid.426,1.532,2.& seq.
philtrum est 164,1.
arrha cœlestis vitæ ibid.2.
omnium Sacramentorum nobilissimum 369,1. 371,1.& 2.
animæ consolatio 871.2.
quando & quoties sumenda 297,2.
cur communio dicatur 533,2.
cur panis vitæ 534,2.
Sacramentum Sacramentorum 572,1.
accepta quid faciendum 430,2.
iustis & peccatoribus communis 426,1.427,2.
infirmis maximè necessaria 426,2.
eucharistia eadem operatur in anima quę cibus in corpore 432,1.
retrahit à malo & confortat in bono 959,1.
quanta cum reuerentia suscipienda 957,1.
in eucharistia quæ notanda 371,1.& 2.
anima toto corde Christi vnionem affectare debet 963,2.
omnia indicia veri amoris 533,1.
eucharistiæ Sacramenti beneficium 18,2. 572,1.
beneficia innumera 635,2.
effectus 165,1.& seqq.367.2. 427,1.432.1. 806,2.959,2.
aliquando non sentitur 437,1.
efficacia 813,2.814,1.
varia dona & gratię 370,1.& 2.
institutio 532,2.712,1.
quam conueniens & necessaria. 713,1.
& confessionis vsus frequens ad quid conducat 432,1.
prærogatiuæ duæ 432.2.
in Ecclesia asseruatæ vsus 635,2.
frequentia medium ad extaticum amorem consequendum 873,1.
vtilitas 959.1.
suauitas 807,1.
dignitas 960,1.
eucharistiæ Sacramento odium & immunditia maximè aduersatur. 423,1.& seq.
eucharistiæ Sacramentum cum reuerentia & timore frequentandum 782,1.
quęnam à nobis requirat ibid.
remedium contra scrupulos 813,1.
ad eucharistiæ Sacramentum quid nos inuitet 369,2.& seq.
quæ præparatio requirantur 421,1.& seqq.
nemo digne se præparare potest 423,1.963,1.
receptionem ardens deuotorum quorundam desiderium 963,2.
vide quoque communio
euripi mutabilitas 201,2.
Examen diuinum in die iudicij de peccatorum cau-sis 214,1.
conscientiæ mortificationem iuuat 787,2.
in examine conscientiæ cur multi magnam difficultatem inueniant 780,1.
exemplum patris & filij in gehenna se inuicem maledicentium 223,2.

podagrici abstinentia curati 332,1.
exempla virorum & mulierum in orationibus frequentium 321,1.& 2.
eorum qui dandis eleemosynis claruerunt 345,2.& seq.
frequenter communicantium 372,2.& seq.
Christi efficacissima 667,2.
exercitatio interior quadruplex 875,2.
exercitatione res crescunt 156.2.
exercitia intermissa statim resumenda 263,2.
non interrumpenda 274,2.& seq.
pia cum discretione agenda 623,1.
propter consolationum defectum non prætermittenda 772,1.
propter obnubilationem aut angustias non omittenda 908,1.
exercitij quotidiani formula 348,2.& seq.
exercitijs quibusnam homo post communionem vacare debeat 431,1.
priuatis quę præponenda 890,2.
in exercitijs non quærenda oblectatio 300,2.
ab interioribus incipiendum 317,2.
perseuerantia opus, nec facilè mutanda vel omittenda 263,2.
spiritualibus temporis habenda ratio 907,2.
exercitiorum locus & tempus 745,1.
expostulatio Christi cum peccatore 182,1.
iudicis in extremo iudicio 214,1.
Iesu cum anima suapte culpa pereunte 661,1.
extasis quid 870,2.897,1.
extrema vnctio 211,1.
Ezechielis animalia cur oculis plena 316,1.

F.

Facies Christi velatur 537,2.
famæ proximi parcendum 672,2.
in confessione parcendum 408,1.
fames Ægypti cum fame damnatorum comparata 385,1.
familiaritas nimia virorum & mulierum fugienda 298,1.& 2.
famulis imperandum vt officium diuinum audeant 118,1.
Felicitatem qui extra se quærunt, errant 556,1.
feræ in ædibus hominum habitabunt die iudicij instante 216,2.
festa quibus modis violentur 409,2.
cur in Ecclesia instituta 806,2.
Fides vna conditionum orationis 699,1.
meditatione quomodo augetur 155,1.
per meditationem operatur ibid.2.
oratione nutritur 316,1.
meditanda quę doceat 155,1.
fidei officia ibid.
origo est omnium bonorum ibid.
nostræ verum argumentum 555,1.
virtuti Theologicę quomodo contraueniatur 408,2.
magis quam rationi obediendum 682,2.
quæ sunt, non subtiliter inuestiganda 773,2.
fiducia 131,2.
amantium Deum 567,2.
vera quę & quomodo acquiratur 271,2.& seq.426,1.
in oratione requisita 475,2.757,1.
in oratione quo maior, eo maior gratia datur 476,1.
filialis in Deum pacis causa 618,1.
in Sanctis, argumentum est diuinæ bonitatis 643.2.
ex passione Christi 717,2.
fundamentum primarium 757,2.
filiale cor erga Deum, quibus virtutibus acquirendum 767.
filius Dei similis nobis 675,2.
filij huius seculi plus pro diabolo faciunt, quam nos pro Deo 345,2.
Dei quomodo sumus 477,1.
quomodo in quartum præceptum peccent 409,2.
filium cur redemptio nostra decuerit 800,1.
filiorum Dei & mundi discrimen 126, 1.
optima hæreditas Deum habere propitium 344,2.& seq.
finis in omni opere spectandus 205,2.300,1.
deuotionis quis 392,1.
actionum nostrarum quis 774,1.
exercitiorum spiritualium ibid.
vitæ spiritualis 785,1.
duplex 786,1.
vltimus nō acquiritur humanis viribus 324,1.
hominis vltimus quis. 396,1.
vltimus noster Deus & ad eum omnia referenda 939,2.
de fine vltimo error Philosophorum 324,2.
fini conuenire debent omnia media 251,2.
Flagellandi modus in veteri lege 175,2.
flagellari non debuit ciuis Romanus 175,1.
flagellatio Christi 175,1.537,2.763,1.
flagellationis Christi causa 538,1.
Fœditas cadaueris humani 211,2.
fœtor inferni 222,1.
fomes peccati quid 55,2.
fornicationis spiritualis remedium 121,2.
fortitudo virtutum sectatoribus necessaria 145,1.
quomodo acquirenda 145,2.
quę ad diuinum amorem consequendum requiratur 624,2.
fortitudine opus in spirituali opere 156,1.
fortitudinem in nobis generalem creat charitas 592,2.
Fragilitas humana 942,2.
S.Franciscus nuditatem Christi imitatur 180,1.
paupertatis amator 562,2.
stigmatibus Saluatoris insignitus 666,1.
frigus infernale 222,1.
Fuga Christi in Ægyptum 518,2 687,2.
discipulorum 536,2.
fundatoris religionis suæ imitatio religioso propria 791,2.
furtum quot modis committatur 410,2.

G.

Galle Symmachi filiæ mors 72,2.
gaudere in hac vita & in futura nemo simul potest 354,1.
gaudium SS.Patrum venientę in limbum Christo 189,1.725,1.
B.Mariæ in resurrectione filij 190,2.
comparatur gaudio Iacob inuento filio Ioseph ibid.
Beatorum in cœlo primum 227,2.
secundum 228,2.& seq.
tertium 230,1.
quartum ibid.2.
quintum 231,1.& 2.
in cælis ob peccatorem pœnitentem 404,2.
perfectum, hic autem prægustus quidam 594,2
iustorum in die iudicij 217,2.
Gloria animæ essentialis 226,1.
Beatorum 386,2.

corporum beatorum 226,2.330,2.363,1.
vera quæ 949,1.
huius mundi caduca 204,2.
fallax 359,2.
fugienda 361,2.
inconstans 359,2.
maligna in retributione 360,1.
vana 359,1.& 2.
nostra inanis & pernitiosa 949,1.
gloriæ Dei fur quisnam 917,1.
inanis remedia 119,1.
gloriandum in quonam 917,2.
glorificationis beneficium 572,2.755,1.
Gratia Dei à seruitute peccati liberati sumus 59,1.
per Christum data virtutis viam facilem reddit 88,2.
Dei gratitudinem requirit 934,2.
non miscetur terrena sapientibus 953,2.
ad corruptam naturam vincedam opus 954,2.
datur secundum dispositionem hominis 365,2.
non semper datur ad votum nostrum 172,2.
quomodo vires conferat ad legem obseruandam 467,2.
per orationem impetratur 496,2.
diuersimode datur 525,1.
ad bene viuendum necessaria 466,2.
præsente & absente timendum 882,1.
oblata vtendum 894,2.
necessitatibus Deo apertis, petenda 964,2.
spiritus sancti quid 42,1.
cur vnctio dicatur 43,1.
concomitans quæ 55,1.577,1.
gratis data quę 551,1.
eius effectus 42,2.
gratiam impetrandi media varia 142,2.
suam cur differat Deus 699,2.
occultandam sub humilitatis custodia 939,1.
de gratia ad gratiam non datur ascensus nisi dolore. præuio 405,2
gratiæ Dei non sunt temere reuelandæ 303,1.
locus quomodo paretur 619,1.
effectus 468,1.
& legis differentia 466,1.
& naturæ diuersi motus 954,1.
& deuotionis capax quis 964,1.
Deo agendæ pro beneficijs omnibus 768,1.
gratiarum actio pars orationis 237,2.241,2.
vnde nascatur 157,1.
ad orationem mentalem necessaria 509,1.
ex rebus meditatis quomodo elicienda 767,2.
actionis commendatio 749,1.
actio post confessionem & communionem 371,1.
pro diuinis beneficijs 491,1.496,1.755,2. 777,1.
matutina pro omnibus beneficijs & offerentis seipsum, eiusque gratiam petentis 493,2.
cælestium affluentia quomodo promereri possit 900,2.
varietas ex natura 143,1.
cur eam Deus in Ecclesia esse voluerit ibid.
gratitudo leonis 11,2.
equorum ibid.
canum ibid. & 15,1.
gratia quæque pro æterna vita tolleranda 951,1.
B. gregorius plorat amissam paupertatem 68,1.
Gula quid 112,2.
causa mortis ibid.
deuotionis impedimentum 275,1.
gulę remedia 112,2.119,1.121,1.854,2.
delectatio breuissima 113,1.
malum 335,1.
peccata 412,1.
gustus oblectatio brevis 124,1.
& tactus inter sensus ignobiliores ibid.
in inferno pœna 222,2.
beatitudo in cœlo 231.

H.

HErodis crudelitas 687,2.
herodes mystici qui 519,1.
S. Hieronymus cogitatione pœnarum infernalium motus ad pœnitentiam 22,1.
S. hieronymi perseuerantia in oratione 479,2.
de contemplationis dulcedine testimonium 554,2.
timor venturi iudicij 400,1.
hierosolymam Christus triumphans ingreditur 703,2.
S. hilarion mortem timuit 211,1.848,1.
Holocaustum siccum & pingue quid 317,2.
spirituale 564,2.
homo bestijs iracundior 113,2.
animalibus omnibus miserior 64,2.
ante natiuitatem quid 350,1.
quid natus ibid.2.
post mortem quid 351,2.
Deificatur per orationem 314,1.
inermis à natura 113,2.
mori debet antequam fiat Deus 258,1.
inter angelos & reliquas creaturas medius 522,1.
interior & exterior 603,2.
exterior quomodo componendus 877,2.
quomodo reformetur 114,2.
transformetur in Deum 595,1.
obligatus sibi ipsi 122,1.
ante statum damnationis aptus contemplationi postea non 319,2.
tribus de causis seipsum Deo debet 14, 2.
viuens dissolute duplex est bestia 549,1.
Deo debet cooperari 597,2.
à Deo creatus est sibi ipsi 651,1.
par Angelis ratione vltimi finis 651,1.
quid, & eius vtilitas 191,2.
homini infensissimus hostis 203,2.
hominis interioris mutatio 63,1.
in vsum cuncta creata sunt 10.1.
materia 198,1.
miseria 150,1.475,1.937,2.
conceptio 198,1.
natiuitas ibid.
inconstantia 164,1.
à Deo derelicti conditio 536,2.
status post peccatum 319,1.
homini lapso nihil reliquum est, nisi vt mendicet 320,1.
hominem sine Deo viuere non posse 54,2.
homines cur à virtutibus abhorreant & vitia sectentur 467,1.
hominum perturbatio in die iudicij 216,2.218,1.
defectus peculiares 604,1.
in hominibus singulis duo spectanda. 367.2.
honestas & vtilitas in omni actione spectanda 4,1.
honores temporales contemnendi 949,1.
honor mundi vide gloria
hora mortis incerta 200,1.208,1.
quam terribilis 209,2.
cum sonat, quid dicendum 349,1.

hortulani specie cur Christus Mariæ Magdalenæ apparuerit 731,2.
Humanitas Christi porta est ad eius diuinitatem 665,1.
martyrij robur 807,2.
humilis nulla re perturbari potest 861,2.
humilitas 789,2.830,1.906,2. 907,1.
Christi quanta 531.1.539,1.
& gloria in nostrum commodum referuntur ibid.
vtero Virginis recluſi 671,1.
cum gloria eius semper coniuncta 677,1.
in pueritia maximè relucet 680,1.
in lotione pedum discipulorum 162,2.709,2. & seqq.
in passione 168,2.251,1.
in descensu ad inferos 725,1.
quomodo imitanda 172,2.
quid 157,2.
vnde 764,1.831,1.
duplex & in quibus versetur 458,1.880,1.
quomodo acquirenda 316,1.426.1.
quibus meditationibus comparanda 764,1.
virginibus potissimum necessaria 162,2. 157,2.
orationis bonæ conditio 475,1.699,1.715,1.
fundamentum virtutum 618,2.
humilitatis laus & exemplum 162,2.
gradus sex 619,1.
encomium 670,1.710,2.
officia 789,2.
humilitate & patientia tentationes vincuntur 925,1.
Hymni ante orationem legendi 239,1.
hypocrisis species duæ 141,1.
superbiæ filia 411,1.
species ibid.2.
malum 893,2.
in gratiarum actione 917,1.

I.

IAcob Patriarchæ spes de redemptione humana 680,2.
iactantia superbiæ filia 411,1.
quibus modis committatur ibid.
virtutum vitanda 913,1.
Idolum aliquod habet omnis homo 277,1.
Ieiunium Christi 521,2.693,2.761,1.
contra amorem proprium vtile 335,1.
Christo nos conformes reddit 330,2.& seq.
consolationibus diuinis nos præponit 328,2.
contra cupiditatem diuitiarum vtile 335,1.
Dei memoriam in nobis excitat 329,1.
diuitias amplificat & custodit 332,1.
sine eleemosyna quid 41,1.
& eleemosyna iuuant orationem 377,2. 561,2.
contra gulam 335,2.
honores auget & conseruat 332,2.
immoderatum contemnitur 276,2.
ad iucunditatem commoditatemq; vitæ conducit 333,1.
impetrat à Deo quidlibet si orationi iungatur 330,1.
moderatum laudatur 276,1.& 2.
orationis est amica 328,1.& 2.
opus meritorium est 327,1.
satisfactorium ibid.2.417,2.
eius encomium 417,2.
sapientiam & discretionem auget 329,1.& 2.
sanitati prodest 332,1.
ad tentationes vtile 335,1.
vitam conseruat & longiorem facit 331.1.
vniuersale medicamentum est contra omnia vitiorum genera 336,1.& 2.
ieiunij laus 336,1.686,2.
ieiunio quæ contraria sint 327,1.
ieiunia Ecclesiæ violantes reprehenduntur 335,2. 336,2.
indiscreta vitanda 872,2.
Iesus nomen benedictum 680,2.
quomodo spiritualiter præsentetur in templo 682,1.
duodennis amittitur 689,2.
amissus quomodo inueniatur 692,1.
quærendus cum matre 692,2.
cum Magis 684,1.
Iesu nominis efficacia 516,1.
Iesum qui quærit non frustra quærit 731,1.
iezabel à canibus deuoratur 212,1.
Ignauia in opere spirituali reprehenditur 256,1.
ignis infernalis 214,2.383,2.
vret & non consumet 221,2.
lucebit ad maiorem pœnam 365,1.
ignis in die iudicij 317,1.
ignorantia rerum diuinarum, radix omnium malorum 337,1.
ignorantiæ duæ quæ fugiendæ 880,1.
Illuminatiuæ & purgatiuæ vitæ differentia 904,2.
Imaginatio vaga & libera 127,1.
facilè diuagatur 254,1.& 2.
nobis inuitis subinde erepit 282,2.
difficulter mansuescit,& quomodo domanda 617,1.
imaginationis reformatio 127,1.
pœna in inferno 223,1.
& opinionis differentia 386,2.
imitatio Christi regula perfectionis 455,1.
quæ complectatur 456,2.
impatientia malorum in tribulationibus 67,2.
impatientiæ vis ibid.
impatientibus miseriæ duplicantur 68,1.
nil prodest luctus ibid.
imperfectiones leues non separant hominem à Deo 693,2.
imperfectis quod tempus contemplationi commodum 872,1.
in imperfectionibus non desperandum 878,1.
Incarnatio 760,1.
cur Spiritui sancto ascribatur 870,2.
charitatis Saluatoris signum 667,1.
incarnationis Christi & creationis hominis collatio 511,1.
beneficium 632,1.667,1.
conuenientia 667,1.
mysterium mirabile 13,1.
quomodo ad diuinum amorem nos excitet 803,1.
quomodo ad imitationem Christi faciat 804,1.
Christum nobis redemptorem & aduocatum constituit 807,2.
mysterij magnitudo 795.
quantum conferat ad Dei cognitionem 802,1.
meditatio amoris fomes 809,1.
causa præcipua 918,2.
inclinationes malæ mortificandæ 608,2.
incipientium seruire Deo conditio 876,1.
incognita quomodo amari possint 898,2.
inconstantia mundi 535,1.
indiculum defunctorum facere, cur proficuum 197,1.
indiscreti rigore vitæ sanitatem perdunt 623,1.
infantia non est in ætate hominis computanda 199,1.

infernalium pœnarum magnitudo 30,2.& seq. 365,1.& seq.383,1.546.1.
æternitas 33,1.334,1.546,2.
pœnarum horrendum exemplum 386,1.
infernalis pœna æterna æquumne sit vt pro peccato momentaneo detur 366,1.
infernus quatuor nouissimorum vnum 30,1.& seq.
quomodo imaginandus 220,1.
inferni pœna duplex 220,1.& 365,2.
consideratio ad quid vtilis 221,1.
pœna vniuersalis 383,1.
ignis qualis 214,2.383,2.
locus qualis 546,1.
in inferni pœnis quæ considerandæ 748,2.
pœnarum generalitas ibid.
suppliciorum æternitas 749,2.
in inferno nulla spes consolationis 383,2.
nulla pœnarum remissio 384,1.
pœnę particulares 386,1.
infidelitas hominum magna 85,2.
infidelitatis tentatio contemptu superanda 773,2.
infirmitatis propriæ confessio 942,2.
ingratis etiam benefacit Deus 640,2.
ingratitudo maxima non seruire Deo 10.2.
ingratitudinis gradus varij 11,2.
inimicitiarum remedia 113,2.
iniuriæ Deo per peccatum factæ consideratio peccatorum dolorem conciliat 746,1.
iniurias tolerandas 942.2.
innocentia facilius conseruatur, quam amissa recuperatur 902,1.
SS.innocentum cædes 688.2.
inobedientia omnium peccatorum origo 798,1.
exercitijs spiritualibus contraria 890,2.
inobedientiæ remedia 119,1.
inquietudo mentis vnde 62,1.
inspiratio diuina meditationem præcedere debet 896,2.
inspirationum diuinarum beneficium 571,1,753,2.
instabilitatis remedium 920,1.
intellectus reformatio 127.1.
est voluntatis dux 156,1.
follis 316,1.
subinde obest, subinde prodest voluntati 242, 2.& seq.
& voluntas bilances animæ 243,1.
in inferno pœna 223,1.
oratione nobilitatur 315,1.
fide corrigendus 726,2.
intentio pura petenda à Deo 133,1.
probat opus 132,2.
finalis ad Deum habenda 947,1.
quandoque deprauatur 947,1.
quænam in oratione seruanda 769,2.
intentionis puritas in quibus consistat 132,2.
in exercitijs pijs seruanda 566,2.
ad conciliandum amorem Dei facit 616,1.
est pacis internæ causa 618,1.
nostræ scopus quis esse debeat 132,2. 616,1.
alæ duæ quænam 932.2.
intentiones quales habendæ 567,1.
introitus Christi in Hierusalem 539,1.
introitum suum in Hierusalem cur tam solennem Christus voluerit 703,2.
introuersi hominis signa tria 878,2.
in introuersione quid cauendum 866,1.
inuentio Christi in templo 760,2.
inuidia quando peccatum mortale, quando non 111,2.
omni ætati & personæ familiaris ibid.
quomodo peccatum iustum 112,1.
fugienda 878,1.
inuidiæ mala 112,1.
malum quantum 143,2.
remedia 111,1.119,2.854,1.
peccata 412,1.
inuidi diabolo similes 111,2.
Ioannes Auila Paulum Apostolum concionator imitandum proposuit 817.821,1.
sacris initiatur 820,2.
facultates pauperibus distribuit 821,1.
discretionem spirituum habuit 834,1.
incarceratur & liberatur 838,2.
Eucharistiæ Sacramentum quantum fecerit 833,2.
ad Indos proficisci cogitat, sed ei inhibetur 840,2.
scholas instituit & Catechismum docet 841,1.
collegia duo instaurat 841,2.
factiones componit ibid.
Ioannis Auilæ vita 817.& 820.
amor in Deum & proximos 822,1.
in concionando facilitas 825,1.
in epistolis scribendis promptitudo 825,2.
virtutes 835,1.& seqq.
morbi 837,2.
pietas erga B.Virginem 833,1.
diligentia in peccatrice conuertenda 844,2.
morbus & extrema 847,2.
mors 848,2.
epitaphium 849.
S.Ioannis Baptistæ gaudium in vtero existentis ob incarnationis mysterium 512,2.
prædicationis effectus 382,2.
S.Ioannis Euangelistæ super mortuum Christum planctus 186,1.
Ioannes de Dies concionibus Auilæ conuertitur 845,2.
Ioannes Ramirez societatem ingreditur 845,2.
Ioannis Ramirez mors pia ibid.
S.Iosephi Saluatoris nutritij sanctitas 513,2.
dignitas 672,2.
pœnitentia 673,2.
S.Iosepho quæ per angelum reuelata 673,2.
incarnationis mysterium reuelatum 513,2.
castitas B.Mariæ Virginis reuelata 760,1.
S.Iosiæ conuersio & martyrium 644,1.
Ira feruente nihil tentandum 114,2.
nihil decernendum ibid.
diuersis modis committitur 411,2.
iudicantis Dei 213,1.
iræ medicina patientia Christi est 182,1.
remedia 113,2. 119,1.120,1.
iram non vincit qui homines fugit 182,1.
iratus est extra gratiam Dei 114,1.
Isidori abbatis dictum 198,2.
Itinera septem ad cœlum 896,1.& 2.
Iudicij extremi meditatio 198,2.
dolore peccatorum & timorem generat 748,1
maiestas 213,1.
initia 216,1.
dies cur dies Domini 215,2.
iudicium extremum 929,1.
secundum nouissimorum 24,1.& seq.
quam districtum 21.& seqq.23,2. 24,1.& seq.
terribile 215,1.& 2.545,1.
etiam iusti metuunt 215,1.
particulare metuendum 212,2. & seq.
Dei iustum 75,2.

iudi-

iudicium mundi peruersum 539,1.
peccato obnoxium 925,2.
iudicium temerarium fugiendum 116,2.925,2.
quando mortale 118,1.
iudicia temeraria quomodo declinanda 907,1.
iudicia aliorum audienda 45,2
hominum vana contemnenda 948,1.
proximorum cauenda 858,1.
iudicia Dei profunda 83,1.
occulta 85,1.
occulta cur consideranda 941,1.
vera 950,2.
incomprehensibilia 484,1.
non temere scrutanda 484,1.956,1.
quomodo inuestiganda 284,2.
peccatoribus metuenda 392,2.
iudicio proprio non standum 908,2.
in iudicio vt securissimus quid faciendum 219,2.
iudicis sententia quam horrenda futura 24,2.
iudicum peccata particularia 412,2.
iudith quam laudem meruerit de Holoferne interempto 729,1.
iulij Cæsaris cædes multæ 203,2.
iuramentum quando veniale, quando mortale 116,1.
iurandum non esse per vitam aliorum 116,2.
iuramentorum diuersæ species 409,1.
iustificari nemo suis viribus potest 15,2.
iustificatio quid sit ibid.
maior quam creatio 17,2.638,1.
iustificationis beneficium 637,1.
bona 15,2.17,2.
iustitia diuina vnde cognoscatur. 84,2.
iustitia duplex 140,1.
& misericordiæ in operibus Dei 573,2.
ad maiestatis diuinæ gloriam pertinet 801,1.
iustitiæ Dei magnitudo 31,1.
iustitiæ diuinæ opera, quorum mentio fit in sacra Scriptura 84,2.
opera quæ in hoc mundo conspiciuntur 85,2. & seq.
iustitiæ officia 122,1.
falsæ mala 140,2.
iustus quis 615,1.
iusti laus 612,2.
cur cœli dicantur ibid.
cur hic affligantur 186,1.
derelictos se existimant, cùm Dominum habeant 732,1.
iustorum consolationes 36,1.
Deus, Deus appellari mauult quam cœli & terræ 645,1.
dolores summi quomodo etiam dulcedine & voluptate permixti 37,1.
orationibus intendit Deus 642,2.
societas in limbo Patrum 188,2.
sors beata 727,1.
vitam non esse crucem 527,1.
iustis à Deo dona promissa in hoc seculo 388,2.

L.

Labore omnia comparantur 561,2.
lachrymæ pœnitentis vinum & aqua Angelorum 703,1.731,1.
lachrymarum piarum vis 265,2.& seq.731,1.
læsio maxima quæ 128,1.
lætitia vana fugienda 857,1.
lætitiæ ineptæ remedium 121,1.
lamentatio peccatoris resipiscentis 159,2.
morientis 210,1.
animæ damnatæ 223,2.
languor spiritualis 47,1.861,2.
lapso quid faciendum 607,2.
laquei huius mundi 47,1.
S. latro quo tempore crediderit 720,2.
S. latronis exemplo non differenda pœnitentia 721,2.
S. laurentij fortitudo 593,1.
lazari quatriduani allegoria 76,2.
Lectio pars est meditationis 237,2.
non sit nimis prolixa ibid.
sacra vtilis 260,2.451,2.
vt fructuosa sit, quid obseruandum 452,1.
qualis sit oportet 767,1.
Dei duplex 937,2.
leonis gratitudo 11,1.
cuiusdam ira 114,1.
leonoræ de Ynestrosa fortitudo 844,1.
Deus in puerperio specie Auilæ apparet ibid.
mors ibid.
lex Domini non est seruatu impossibilis 99,2.
militaris in diuidendis spolijs 189,2.
prius danda quam Euangelium 694,2.
legis & gratiæ differentia 466,1.
& Euangelij comparatio 694,2.
in legis obseruantia omnia bona 70,2.
legem Domini seruantibus omnia benè succedunt. 70,2.
Dei homo carnalis implere non potest 320,1.
Liber conscientiæ euoluendus 912,2.
libertas alia vera, alia falsa 55,1.& seq.
animæ cur vera ibid 2.
bonorum 59,1.
libertatis origo 55,1.
vera quibus ex causis oriatur 59,2.
limbum Patrum ingreditur Christus 188,1.
lingua caute custodienda 450.2.
præsertim mulieribus 261,1.
refrænanda 878,1.
linguæ custodia 125,1.
imperare maximum imperium 1,7,1.
litania super morientem cur legitur 211,1.
Locus quando in confessione exprimendus. 406,2.
in loquendo modus seruandus 125,1.
circumstantiæ quæ obseruandæ 791,1.
quatuor obseruanda 125,1.
septem circumstantiæ obseruandæ 459,2.
loquendum de quibusnam rebus sit 924,2.
loquutio Christi interna ad animam 936,1.
quantum à Prophetarum differat 937,1.
lotio pedum Apostolorum 531,2.708,1.
Lucta Iacob quid significet 627,2.
luxuria non satiatur re desiderata 57,2.
polluit viuum templum Dei 108,2.
Eucharistiæ Sacramento contraria 423,2.
luxuriæ remedia 108,2.109,2.119,1.121,2.854,2.
initia blanda, finis asper 108,2.
comites duo 62,1.
peccata 410,1.
quomodo confitenda 407,1.

M.

Magister spiritualis DEO inseruire cupienti quàm necessarius 812,1.
SS. magorum adoratio 516,1.682,1.760,2.
deuotio 516,1.
perseuerantia & constantia ibid.
fides ibid.
gaudium 682,1.
oblatio 517,1.683,1.
maiestas Dei quanta 425,1.
maiestatem diuinam contemplandi modi quatuor 885,2.
mala à Deo non tantum permitti, sed & immitti 41,1.
cuique propria, cognitionem suijpsius genera 549,2.

mali

mali à Deo negliguntur 40,2.
cur dulcedinem Dei non sentiant 49,2.
ad ferendas tribulationes inidonei 67,2.
bonorum causa conseruantur 874,1.
malorum via difficilis 91,2.
felicitas breuis 519,2.
excusationes variæ cur virtutem non sectentur,& earum dilutiones 389,2.
in malis corporis tria consideranda. 547,2.
animæ quæ considerandæ 548,1.
maledictio hominis post lapsum quanta 320,2.
maledictiones veteris testamenti peccatoribus euenturæ 89,2.
etiam ad Christianos pertinere 70,2.
malitia humana etiam optimis abutitur 292,1.
manducare & bibere carnem & sanguinem Domini spiritualiter quid 910,1.
manichęorum hæresis 769,798,1.
manus Christi qui spiritualiter cum Iudæis vincit 292,2.
mare turbabitur instanti iudicio 216,2.
B. Maria Virgo ante omnia sæcula in Dei matrem prælecta 800,1.
aduocata & consolatrix nostra 691,1.806,1.
visitat cognatam 482,2.
timet laudari 512,1.
Christum baiulantem crucem quærit 177,2.
filio crucem baiulanti occurrit 177,2 540.1.
& eius pia meditatio 177,2.
magis quam cæteri hominum afflicta 187,1.
corpus filij è cruce depositum petit 184,1.
in B. maria tres affectus 519,2.
amores tres ibid.
B. mariæ & Euæ comparatio 665,1.
summa perfectio 668,1.
in annunciatione humilitas 669,1.670,2.
fides 512,1.670,1.
fiducia & tranquillitas 513,2.273,1.
in natiuitate filij contemplationes 677,2.
in purificatione humilitas 517,2.
difficultates in fuga in Aegyptum 688,1.
patientia & silentium 513,2.
castitatis amor 512,1.
priuilegia septem 511,1.
apparet Christus post resurrectionem 728,2.
gaudium in visitatione cognatæ 512,1.
ex conceptione 517,1.
inuento filio 699,2.
viso filio redintiuo 190,2.
in cœlo 229,2.
dolor ex circumcisione filij 516,1.
ex amissione filij 519,2.689,2.
sub cruce 180,2.722,1.
constantia 181,1.
consolatio plangentis 183,1.
dolores varij inuicem succedentes ibi.
planctus insignis corpus filij in gremio habentis 184,2.
S. maria Magdalena luculentum misericordiæ diuinæ exemplum 525,1.
absurda in quæstione: Domine si tu sustulisti illum 732,1.
pœnitentiæ verum exemplar. 525,2.
quantum dilexerit Christum 729,1.
S. mariæ Magdalenæ conuersio 700,2.
satisfactio 703,1.
in sepultura Christi planctus 186,1.
Christus post resurrectionem apparuit 729,1.
martyr vnde 664,1.
martyrij beneficium ab humanitate Christi deriuatum 807,2.
martyrum certamina varia 146,1.
supplicia pro Christo perpessa 806,1.
dux Christus 808,2.
Meditanda quotidie quinque quæ 856,2.
meditandi variæ materiæ & modi 306,2.
meditandum qua cum attentione 615,1.
quomodo 872,2.
meditanti quid maximè cauendum 888,1.
meditatio quid 869,2.888,1.891,2.892,1.
duplex 240,1.767,1.891,2.
sex quænam requirat 766,1.
affectu potius quam intellectu facienda 242,2.
arma contra tentationes 158,2.
cogitatio & contemplatio quomodo differant 509,2.
charitatem inflammat 155,1.
confertur cum concione 154,1.
deuotionem excitat 157,1.
dolorem de peccatis generat 157,1. & seq.
fidem iuuat 155,1.
gratiarum actionem generat 157,1.
humilitatem generat ibid.
non omnibus conueniens est 307,2.
quatuor virtutes cardinales parit 158,1.
religiosos non tantum concernit, sed omnes Christianos 159,1.
spei ministra 155,2.
spem corroborat ibid.
timorem Dei generat 157,1.
vitæ & mortis Christi quam vtilis 664,1.
vtilis 505,1.
ad omnes virtutes 154,1.
meditationis materia 160,2.
triplex 506,2
duplex potissimum secundum S. Thomam 505,2.
fructus 504,2.& seq.
partes 161,2.
instituendæ documenta 768,2.
exercitia frequentantium tentationes 772,1.
meditationi quantum temporis tribuendum 770,1.
in meditatione voluntas magis quam intellectus exercendus 508,1.769,1.
meditationes ante communionem 440,1.
post communionem 442,1.
quæ vtiliores 612,1.
meditationibus affectus excitatus 891,1.
quomodo vtendum 891,2.
mel in cera mystice quid 916,1.
membra omnia hominis in inferno punientur 220,1.383,1.
memoriæ pœna in inferno 223,1.
mentis liberæ eminentia 945,1.
mercatorum peccata particularia 412,2.
mercenarij non defraudandi 108,1.
merces nostra Deus 951,1.
mercedis magnitudo fortiter laborare facit 526,2.
meritum operum nostrorum vnde 457,2.
merita Christi in omni oratione alleganda 242,1. 518,1.
nostra sunt 477,1.
meritorum Christi thesaurus quantus 758,1.
in Eucharistia efficimur participes 959,1.
metuenda tria semper 213,2.
mezentij Tyranni crudele facinus 222,1.& 2.
miracula Christi 671,2.
Miseriæ quædam bonis & malis communes, quædam malis tantum 94,2.
humanæ consideratio 928,2.
temporales Christi exemplo æquanimiter ferendæ 942,1.
miseriarum vtilitas 204,1.

misericordes digni sunt misericordia Dei. 339,1.
vitam æternam in die iudicij recipiant. 341,1.
misericorditer debetur auxilium à Deo in tribulatione. 340,2.
misericordia & charitas quomodo differant, 33,1.
Deo nos facit similes. 338,1.& seq.
Deo propria est. ibid.
peccatorum remissionē annexā habet. 339,2.
& iustitia in operibus Dei. 523,2.
Saluatoris erga Samaritanam. 697,1.
Adulteram. 697,2.
chananæam. 698,2.
misericordiæ opera non impediunt orationē. 295,2.
augent deuotionem. 266,1.& 2.562,1.
duplicia & quomodo circa ea peccetur. 412,2.
exempla. 523 & seq.
vide Eleemosyna.
in missa tria quænam offerantur. 595,1.
missæ sacrificium quantum. 636,1,
non debet esse nimis prolixum aut festinum. 962,1.
Modestia exterior. 791,1.
modestiæ fructus. 122,2.
monachus quid secundùm Ioannem abbatē, 904,1.
monachi duplices. 886,2.
monastica vita quam ardua. 626,2.
mori discendum. 362,2.
morientis pericula. 362,1.
morituros cur alios tardius, alios celerius putamus. 202,2.
mors primum quatuor nouissimorum. 20,2.
iucunda acerba reddit. 22,1.
iustorum qualis. 71,2.
secura. 73,2.
vltima rerum linea. 204,1.
petita in inferno non venit. 365,2.
amoris proprij. 241,2.
Christi plena ignominijs. 541,2.
Christum retinere non potuit. 190,1.
quomodo meditanda. 21,1.
mortis accidentia. 21,1.
meditatio vtilis. 205,1.207,1.361,2.929,1.
peccatorum dolorem generat 395,1.
& vitæ duellum. 206,1.
agonia. 211,1.
memoriæ fructus. 400,1.748,1.
consideratio odium & dolorem peccati excitat. 399,1.547,2.
mortem cur Sancti metuerint. 23,1.
& exempla eorum. 22,2.
iustorum iucundam exemplis probatur. 72,2.
circa mortem quæ meditanda. 747,2.
in morte nihil prosunt prospera, nihil obsunt aduersa. 72,1.
quæ consideranda. 399,2.
mortale peccatum quomodo à veniale dignoscatur. 412,2.
quomodo veniale fieri possit. 413,1.
mortaliter nemo peccat nisi qui prius venialibus locum dedit. 449,2.
peccans voluptatem Deo præponit. 746,1.
mortificatio affectuum. 125,2.
appetituum præcipuum Christianorum officium. 300,1.
necessaria est. 302,1.
difficilis est ibid.
regia Sanctorum via. 788,1.
voluntatis propriæ. 460,1.564,2.
holocaustum spirituale. 564,2.
& oratio media duo ad timorem Dei. 565,1.
ad amorem diuinum consequendum maximè necessaria. 606,1.
variè nominatur. 606,2.
sacrificium Deo gratissimum. 607,1.
quā necessaria ad spiritualem profectū. 924,1.
mortificationis fructus. 952,1.
amorem excitantes considerationes. 786,2.
acquirendæ generale instrumentum. 787,2.
medium præcipuum. 792,2.
mortificationi iungendæ orationes & aspirationes 864,2.
ad mortificationem quæ requirantur. 787,1.
in mortificatione Deus potiores partes sustinet. 611,2.
mortuus spiritualiter quis. 607,2.
motus animi duplices. 864,1.
qui cauendi & qui tolerandi. 868.
interni & externi domandi. 858,2.
moyses orauit quadraginta diebus & noctibus. 321,2
Mulier non promittat nimiam obedientiam patri suo spirituali. 298,2.
mulieris bonæ officium. 137,1.
mulierum vitia magis propria. 297,2.
consortia fugienda. ibid.
familiaribus cauenda. 924,1.
multiloquium vitandum. 124,2.
multiloquij remedium. 121,1.
mundus quid sit. 97,1.
quam fallax. 96,2.
hypocrita. 99,1.
mare. 358,1.
est excommunicatus. 357,2.
ob quatuor fugiendus. 358,1.
in vsum hominis conditus. 650,2.
ante aduentum Christi quidnam fuerit. 704,1
Christi aduentu renouatus. ibid.2.
hominem in iudicio accusabit. 195,1.
reformandus in die iudicij. 215,2.
libro assimilatur. 877,2.
nihil de nobis dicere potest mali, quod de Christo non prius dixit. 172,2.
mundi mala sex. 94,1.
amor falsus. 93,2.
felicitas breuis. 94,1.
inconstantia. 581,1.
de Christo & bonis omnibus iudicium. 172,2.
in mundo nihil solidum. 706,1.
murmuratio vitanda. 116,2.
murmurationis tria mala. ibid.
murmurator quomodo arguendus. 117,2.
murmuratores non audiendi. ibid.
Myrrha mysticè quid. 540,1.683,2.

N.

NAtiuitas Christi. 514,1.675,1.660,1.
natiuitatis Christi beneficium. 632,1.
& ingressus in Hierusalem collatio. 703,2.
natiuitatis diem Ægyptij quomodo celebrabant. 198,1.
humanæ miseria. 198,1.& 2.
narium pœna in inferno. 222,1.
gaudium in cœlo. 231,1.
natura sibi studet & subtilis est. 500,2.
corrupta quomodo vincenda. 954,2.
naturæ vis. 567,2.
& gratiæ diuersi motus. 954,1.
dona bonis & malis communia. 955,1.
Necessarium aliquid dicitur duobus modis 319,2.
necessitas radix malorum. 271,1.
negatio Petri. 172,1.
negare Christum quid sit. ibid.& 2.
Nicocreontis tyranni crudelitas. 603,2.
nihil quid sit. 550,1.764,1.
est ma-

est mater nostra. 550.2.
ex nobis possumus. 949,1.
Nihili consideratio quam vtilis. 550,2.
Nobis ipsis quæ debeamus. 463,1.
noë sacrificium quàm Deo gratum. 799,2.
nominis Iesu efficacia. 516,1.
nosipsos quomodo Deo offerre debeamus. 756,2.
notitiæ duæ quæ amplectendæ. 880,1.
nouissima quatuor. 20,2.& seq.
nouitij magistro suo pareant. 939,1.
nouitiorum magister bonus quid ad mortificationem commodi adferat. 788,1.
quomodo se gerere debeat erga inferiores. 788,2.
nouitiorum magistri cura prima quæ esse debeat 786,1.791,1.
munus quod, 788,1.
quales esse debeant. 894,1.
quinam seipsos quærant. 894,1.
nouitiorum magistrorum quorundam error. 786,1.
nox quomodo transigenda. 48,1.
Nuptiæ spirituales quomodo contrahantur. 893,1.

O.

Obedientia. 792,1.924,1.
bona & non abutenda. 273,1.
non debet tamen impedire orationem. ibid. 2.
rem leuem magni meriti facit. 460,1.
ad mortificationem maximè necessaria. 460,1
perfecta parit pacem. 618,1.
Christi. 690,2.
subditi ad exemplum Christi. 940,2.
ad contemplationem maximè necessaria 884,2.
obedientiæ gradus tres. 136,2.
gradus quatuor. 133,1.
gradus quinque. 792,1.
superioribus exhibendæ, alij gradus tres. 292,1
orationem postponendam. 299,1
obedire Christo difficulter volumus. 193,2.
in quibus debeat homo ad perfectionem aspirans. 606,1.
oblatio legalis B. Mariæ virginis. 517,2.
suijpsius. 492,1.493,2.
pars orationis mentalis. 509,1.
laborum & meritorum Christi. 496,2.
est species quædam viui sacrificij. 749,2.
religionis actus. ibid.
frœnum peccatorum. ibid.
oblationis methodus. 757,1.
obsecratio quid. 910,1.
obseruantiæ quæ magis amandæ. 791,2.
regularis amor. 791,2.
obtrectantes patienter ferendos. 945,2.
obuiam Christo quomodo procedendum. 531,1.
occasiones peccatorum vitandæ. 395,1.448,1.
occupationes nimiæ amorem Dei impediunt. 172,1. 610,1.
orationem non debent interrumpere. 627,2.
intellectus lædunt deuotionem plus quam opera manuum. 272,1.
octo beatitudinum effectus. 694,2.
oculi custodiendi. 125,1.
duo sponsæ. 823,1.
oculorum Dei quanta vis. 315,1.
pœna in inferno. 222,1.
gaudium in cœlo. 230,2.
Odium Dei contra peccatores. 191.2.
triplex à Deo petendum. 453,1.
odium suijpsius vnde nascatur. 196,1.603,1.
& eius officium. 196,1.
verus amor est. 603,1.
ad propriam voluntatem superandam requiritur. 607,1.
peccatorum quænam generet. 396,1.
odij remedia. 113,2.119,1.& 2.854,1.
quo Deus peccatores prosequitur consideratio, dolorem peccatorum generat. 746,2.
odisse quomodo quis seipsum debeat. 126,2.
odores exotici non circumferendi. 125,1.
Offensam remittere nolentis increpatio. 710,1.
offerenda tria quænam Deo. 756,2.768.1.
offerendum Deo quid cum tribus Regibus. 683,1.
Omissionis peccata triplicia. 420,1.
Opera misericordiæ augent deuotionem. 260,2.
externa pietatis laudantur. 293,2.
bona adminicula orationis. 477,1.
nostra Christi operibus vnienda. 865,1.
operum Dei finis. 523,2.
nostrorum dignitas vnde. 472,2.
misericordiæ cur tantum mentio fiet in iudicio. 341,2.
opinionis & imaginationis differentia. 386,2.
Orandi modus B. Bonauenturæ. 905,2.
gratia non datur sine perseuerantia. 715,2.
orandum pro quibus sit. 758,2.768,2.
qua cum attentione. 615,1.160,2.262,2.
quoties. 325,1.
cum patientia. 245,1.
quibusdam temporibus diutius. 304,1.
orando quam studendo prius proficimus. 289,2.
orans quid faciat. 507,1.
quocum loquatur. ibid.
mendicum imitetur. 560,2.
collectis sensibus esse debet. 561,2.
oranti quid faciendum. 613,1.
quid petendum. 699,2.
orantes quomodo se præparare debent. 238,1.
quid cogitare debeant. 238,2.239,2.293,1.
multum, non orantes non contemnant. 295,2.
cur non statim exaudiat Deus. 478,2.
orantium intentio qualis esse debeat. 239,1.
cum assiduitate exempla. 321,1.& 2.
quorundam abusus. 482,1.
Orare sine intermissione quid sit, & quamdiu orandum. 322,1.& 2.
Oratio ats non est. 306,1.
amorem Dei conciliat. 457,1.460,2.
armatura contra omnes tentationes. 158,2.
attentionem actualem requirit. 473,2.
charitatem acquirit. 471,1.
Christi in horto. 534,2.
Christianorum nota. 312,2.
cibus animarum. 315,2.
columba Noë. 320,2.
contemplatio, meditatio, consideratio idem sunt. 311,1.
contemplationis origo. 895,1.
deuotionem generat. 471,2.
duplex quæ. 481,2.
finis non est, sed ad finem medium. 300,2.
gratiam impetrat. 469,2.
instituitur vt obedientia seruetur. 299,1.
instrumentum Christianorum. 322,1.
legatus est & cursor ad Deum. 321,1.
magistra vitæ spiritualis. 628,2.
medicina Christianis. 299,1.
mentalis quæ. 481,2.
mentalis an differat à vocali. 292,2.
meritoria magis lectione. 945,1.
& mortificatio media ad timorem Dei comparandum. 565,1.
nebula spiritualis. 318,2.
perfe-

perfecta ſex requirit 714,2.
pertinet ad omnes 159,1.
præparationem quam exigat 757,1.
quam late ſe extendat 65,1.
quid 311,1. & 2. 910,1. 913,1.
refrigerat appetitus 323,1.
remedium certum 65,1.
remedium generale 320,2.
remedium optimum in omni difficultate 160,1,167,1.
ſatisfactionis opus tertium 419,1.
ſpe roboranda 757,1.
tepida quæ 766,2.
tria requirit & quænam 749,1.
ad virtutes omnes vtilis 157,2. 319,1.
virtutes quaſnam requirat 473,2.
omnes vult habere annexas 295,1.
vocalis vtilis eſt 292,2.
quæ 841,2.
aliquando prodeſt, aliquando obeſt deuotioni 482,1.
vulnerum medicina 316,1.
ad amorem Dei excitandum 349,2.
Dei impetrandum 613,2. 659,1. 660,1.
pro amore impetrando S. Bonauenturæ 903,1.
pro beneplacito Dei perficiendo 941,2.
pro charitate 491,2. 777,2. 909,2.
contra cogitationes malas 944,1.
ante communionem S. Bonauenturæ 784,1.
pro compunctione 401,1.
pro contritione 747,1.
ad deuotionem impetrandam 937,2.
pro deuotionis & dilectionis ſpiritu 852.
ad Deum omneſque Sanctos quæ nobis proximoque neceſſaria petuntur 497,1.
in diſtractione cordis 461,1.
qua Filius Patri offertur 397,1.
pro fine bono ad Chriſtum in horto 715,2.
ad humilitatem conſequendam 622,2.
pro illuminatione mentis 944,1.
de laudibus diuinis 490,1.
de laudibus & perfectionibus diuinis 776,2.
de magnitudine maieſtatis diuinæ, ob quam vt verus Deus meretur adorari 488,1. 775,1.
qua ex magnitudinis Dei conſideratione, eiuſque iuſtitiæ obſtupeſcit creatura 489,1.
matutina deuotiſsima 493,2.
ſub miſſa, in qua Filij mors Patri offertur ex diuerſis S. Auguſtini locis 498,2. 784,2.
ſub miſſa, aut alio quocunque tempore 499,2. 785,1.
de nomine Ieſu 377,1.
pro obedientia 778,2.
qua offert homo merita Chriſti Deo 496,1.
qua offert ſe creatura ſuo creatori in omnem obedientiam 492,1. 778,1.
qua offert ſe & ſua homo Deo 779,1.
de Paſſione Chriſti B. Bonauenturæ 706,2.
pro purgatione cordis & cœleſti ſapientia 945,2.
pro remiſsione peccatorum 401,2. & ſeq. 495,1.
qua ad ſalutem neceſſaria petuntur 493,1.
ad Spiritum ſanctum 498,1. 780,1.
contra tentationes 349,3.
pro virtutibus omnigenis impetrandis S. Thomæ Aquinatis 498,1.
orationis bonæ conditiones 473,2. & ſeq. 699,1.
deſcriptiones variæ 311,2.
deuotio negata initio, ſæpe in progreſſu datur 404,1.
Dominicæ anagogiça explicatio 899,1.
effectus 419,2.
fructus 700,1.
initio ſi dulcedinem non percipiamus, nec ſtatim deſperandum 245,1.
laus 264,2. 297,1. 471,2. 686,2.
ex ſcripturæ teſtimonijs 312,1.
locus 507,1.
mentalis fructus 505,1.
materia 505,2.
neceſsitas 319,1 & 2.
partes quinque 161,1. 507,1.
pediſſequæ 896,1.
tempus & locus conueniens 507,1.
tempus, & quam diu orandum 479,2.
vtilitas exemplis Sanctorum probatur 321,1.
orationi tempora quæ commoda 262,1. 264,1.
ſaltem bis in die vacandum 325,1.
orationem propter phantaſias non intermittendam 913,1.
præparatio præcedat neceſſe eſt 750,1.
propter ariditatem non intermittendam 877,1.
in orationem Dominicã meditationes 579, 1. & ſeq.
oratione nil difficilius 260,1.
acquiritur vitæ perfectio 314,1.
deuotio 317,1.
homo vnitur Deo 314,2.
transformatur 319,1.
intellectu nobilitatur 315,1.
decreſcunt paſsiones 318,1.
oratione vires animi recreantur 319,1.
quantum fecêre ſancti 65,2. 321,1.
gratiam lucrandi animas Aujla impetrauit 846,1.
ab oratione vocáli incipiendum & in mentali deſinendum 482,2.
de oratione teſtimonia ſcripturæ & Patrum 312,1.
ex oratione Chriſti in horto quid doceamur 535,2.
in oratione iuſti maximè diuinis conſolationibus fruuntur 47,2.
cauſæ difficultatis 260,1.
multæ difficultates 308,2.
Dei dulcedo guſtatur 316,1.
quæ corporis compoſitio ſeruanda 264,2. & ſeq.
diſcretio ſeruanda 305,1.
quid fugiendum 561,2.
non violenter cor eleuandum 613,1.
quomodo ſe habendum 860,1.
cor ſemper ad Deum debet eſſe eleuatum, pulchris oſtenditur exemplis 324,2. & ſeq.
idem comprobatur comparatione ſolis & lunæ 325,2. & ſeq.
orationes ante communionem 439,1. & ſeq.
poſt communionem 442,1. & ſeq.
ſeptem pro amore Dei impetrando 573,2. & ſeq.
de vita & Paſsione Chriſti 482,1.
de vita B. Virginis Mariæ 499,1.
malorum non exaudiuntur 65,2.
iuſtorum quam promptè exaudiat Deus 642,2.
noſtræ cur non ſtatim exaudiantur 478,2.
quænam efficaciſsimæ 561,2.
quæ maximè commendentur 612,1.
propter occupationes non intermittendæ 627,2.
iaculatoriæ & earum vſus 259,2.
originale peccatum inter principales miſerias animæ cenſetur 548,1.
quid & vnde 599,1.

quomodo homine antiquius 625,2.
Oſculum de quo in Canticis quid 915,2.
triplex 916,1.
oris quantæ efficaciæ 916,2.
ad oſculum vnitiui amoris quomodo perueniatur 904,1.
oſtentatio vana vitanda 857,2.
Otium cauſa malorum omnium 452,1.855,1.
quantopere monachi olim deteſtati ſint 452,2.

P.

PAcifici proprietates 932,1.
pax triplex 60,2.
interior in qua viuunt boni 63,1.
interna vna ex fructibus Spiritus ſancti 617,2.
quomodo acquirenda 861,2.
vnde naſcatur 617,2.
cur ſæpius amittatur 889,1.
quam appetenda ibid.
quænam quærenda 940,2.
firma quomodo haberi poſsit. 944,2.
pacis internæ cauſæ 63,2.
ſpiritualis principium quod 907,1.
pacem impedientia remouenda 462,1.
magnam quæ quatuor adferant 944,1.
palmarum feſtum 539,1.703,2.
parentes quomodo peccent in educatione prolium 409,2.
particularia beneficia 754,2.
paſchalis feſtiuitatis inſtitutio 708,2.
paſsio & mors Chriſti 762,1.
ſpem generant 832,1.
quomodo meditanda 446,2.508,1.527,2.
& eius vtilitas 246,2.
non fuit vnius diei 182,2.
poſt communionem meditanda 430,1.
orationes noſtras Deo acceptas reddit 721,2.
paſsionis & vitæ Chriſti meditationes 511,& ſeq.
meditationes ſeptem per ſingulos ſeptimanæ dies 161.& ſeq.
Chriſti hiſtoria ex ſermone S.Bonauenturæ 714.& ſeqq.
Chriſti conſideratio arbor in medio paradiſi 510,2.
memoria quam grata Deo miraculis comprobatur 665,2.
virtus 721,2.
gloria 718,2.
in paſsione Chriſti meditanda doloris magnitudo 247,1.
cruciatus duodecim grauiſsimi ibid.2.& ſeq.
quinque circumſtantiæ conſiderandæ 767,1.
paſsiones vndecim quæ 607.
quomodo mortificandæ ibid.
paſsionum mortificatio cauſa pacis internæ 617,2.
à paſsionibus liberos cur nos Deus eſſe nolit 449,2.
paſsionatus homo omnia in malum vertit 932,1.
paſtoris veri officium 917.
paſtoribus Eccleſiæ debetur honor & obedientia 294,1.
etiamſi mali ſint ibid.2.
pater cœleſtis per Filium cognoſcitur 524,1.
Chriſtum morti condemnauit 716,2.
patris familias officium 137,1.
patiens verus quis 942,2.
patientia in aduerſis 135,1.789,2.940,2.
Deo gratiſsima 186,1.
veræ virtutis nota 186,2.
quomodo corroboratur 316,1.
vna ex conditionibus bonæ orationis 478,1.
patientiæ gradus tres 136,1 789,2.
doctrina crux Chriſti 182,1.
patiendi modus duplex 187,2.
pati in cruce boni & mali latronis quid ſit 187,1.
patrimonium non minuit, ſed auget eleemoſyna 343,2.& ſeq.
S.Paulus licet omnibus placere contenderet, non potuit 948,1.
S.pauli amor in Deum 821,2.
pauperes non nimis curioſe ſunt examinandi 347,2.
pauperum Deus maiorem curam gerit, quam principum 645,1.
pauperibus eleemoſynam dantibus quid cogitandum 18.1.347,2.
paupertas & inopia malorum 69,2.
ſpiritus 126,2.799,1.
euangelica 274,2.
voluntaria Deo ſimilem reddit 562,2.
Chriſti naſcentis 514,2.
extrema 18,1.
paupertatis exemplar Chriſtus 106,2.
officia 790,1.
encomium 906,2.
paupertati præſens merces datur 295,1.
Peccandi occaſio vitanda 395,1.448,1.
facilitas miranda 207,2.
peccatum immanis tyrannus 55,2.
tam turpe eſt, vt Anſelmus malit inferni pœnas tollerare quam peccato pollui 337,1.
temporale an pœna æterna iuſte puniatur 166,1
non eſt niſi voluntarium 814,1.
non naſcitur ex ignorantia 846,1.
veniale in quibus committatur 118,2.
fugiendum 266,2.268,1.
duplex eſt 268,1.889,1.
veniale committens putans mortale, peccat mortaliter 813,1.
omiſsionis triplex 420,1.780,2.
mortale ſit an veniale quomodo diſcernendum 512,2.
quando mortale 447,1.
ob tria vitandum 352,1.
quæ ex eo mala 352,1.354,1.457,1.
Deo diſplicet 354,1.
lætificat diabolum 352,2.
damna quæ parat 354,1.397,1.
quam grauiter à Deo puniatur 176,1.740,2.
timorem generat 610,1.
quid 396,1.
ſpe boni committitur 600,1.
duplex 609,2.780,1.
dupliciter fit & quomodo 419,2.
eſt ſpiritualis proditio, apoſtaſia &c. 447,2.
peccatum carnale quomodo confitendum 407,1.
ad peccatum gradus 925,2.
peccati venialis mala 118,2.
mortalis damna 397,1.745,2.
proprietates variæ 448,1.
ſpeciem confiteri ſufficit 406,2.
mala tria 681,1.
peccata noſtra Chriſtum in crucem egerunt 15,1.249,1.& ſeq.
venialia multa non faciunt mortale 118,2.
quæ mala adferant 609,2.
quæ mala faciant in anima 16,2.
quo ordine perpendenda 190,2.& ſeq.
contra 1.& 2.tabulam decalogi 183,2.
in Deum 192,1.& 2.
in proximum 194,1.
in ſeipſum ibid.
non omnia nobis cognita 215,1.
noſtra Ieſum flagellarunt 538,1.
immiſsionis circa quæ verſentur 421,1.
quomodo vincenda 609,1.
peccatorum reliquiæ manent poſt peccata 77,2.

grauitas in passione quomodo relucet 249, 1.& 2.
meditatio vtilis 192,1.
circumstantię tres 191,2.
genera quæcunque quomodo fugiẽda 564,2.
dolorem quæ generãt 391.& seqq.396,1.829,1.
multitudo considerata contritionem generat 745,1.
quomodo quis excitare possit 829,1.
dolor duplex 830,1.
numerus in confessione exprimendus 406,1.
circumstantiæ quę dicenda ibid.
memoriale 408,2.& seqq.
breuius pro ijs qui sæpius confitentur 419,2.
examen ante conuersionem perpetratorum 191,1.192,1.
post conuersionem 193,2.
remedia 847,1.
cõmunia septem ex S. Bonauentura 853,1.& 2.
peccatis alienis non condolere quodnam inditium 867,2.
in peccatis tria consideranda 191,2.
peccator quorum seruus 55,2.
plurimis catenis vinctus 59,2.
peccatoris & inferni differentia 201,1.
peccatori resipiscenti quid faciendum 196,1.
peccatores quomodo Deus ad pœnitentiam conuertat 382,1.
peccatorum multitudo huius mundi 65,2.
iugũ 60,2.effugia varia 75,1.genera tria.118,2.
pedes Dei duo qui 404,2.
perfectio hominis in quo 50,1.
in parte affectiua consistit 891,1.
Christiana in quo consistat 522,2.
quid requirat 523,1.
vitæ impetratur oratione 314,1.
perfectionis gradus 555,2.
acquirendæ studia hominum varia 556,2.
difficultas vnde ibid.
spiritualis documenta S. Bonauenturæ 855,2. 857,1.
perfectionem meditãti quænam obseruanda 856,1.
impedientia 868,1.
cur pauci tardius assequantur 744,2.
ad perfectionem vitæ cur pauci pertingant 888,2.
perfectionum diuinarũ considerationes septẽ 639,2.
perfectum quemque in omni statu esse posse 860,1.
perfectorum hominum exempla vetera & recentia 286,2.
perfectis quod tempus contemplationi aptissimum 872,1.
pericula huius vitæ in cœlo maioris gaudij materia 387,2.
persecutiones & aduersitates pro amore Dei perferre, Deo gratissimum 562,2.
perseuerantia electionis signum 19.2.
in bonis exercitijs necessaria 115,2.262,2. & seq.567,2.
ad amorem Dei acquirendum necessaria 627,1.
perficit omnia 567,2.
vna conditionum bonæ orationis 699,2. 716,1.
in tribus potissimum seruanda 627.2.
perseuerantium in peccatis spe diuinæ misericordię error 84,1.
personæ qualitas qua cum peccatum in confessione exprimenda 406,2.
perturbationum causa sensus appetitiuus 55,2.
vis quanta 57,1.
petendum quid 241,1 699,2.
& quomodo 477,2.
petita cur quandoque Deus neget 478,1.
petitio pars orationis 237,1.240,2.509,1.
actus religionis 750,1.
petitiones virtutum maxime necessariarum 241,1.
petri Comitis encomium 642,1.
de Ioanne Auila testimonium 642,1.
S. petri trina negatio 762,1.
Philosophiæ effectus 677,2.
phantasmata corporea meditari volenti, fugienda 877,1.
de phantasmatibus quomodo mens expurganda 872,2.
Pietati omnia postponenda 263,1.
pietatis documenta duplicia 142,1.
vnguentum Prælatis proprium 917,1.
ad pietatem duo quæ requirantur 4,1.
piger ob difficultatem virtutem fugit 146,1.
pigritia quid 854,1.
eius remedia 119,1.854,1.
Planctus animæ ob amissam deuotionem 882,1.
platonis sententia de diuina pulchritudine 649,1.
platonicorum sententia de perfectione hominis 522.2.
plotini dictum egregium vitæ humanæ miseriam exprimens 198,2.
Pœna inferni duplex est 220,1.
sensus ibid.
damni 365,2.
pœnitens in confessione quomodo se habere debeat 408,1.
aliquando innocente præstantior 703,2.
pœnitentis veri dolor 414,1.
pœnitentia 829,1.
pro peccatis mãgna requiritur 115,2.
non differenda 354,1.356,2.357,1.
quæ vera sit 354,1.
finalis raro vera est 361,1.
pœnitentiæ & baptismi differentia 527,2.413,2.
partes 354,2.393.
veræ effectus 414,1.
opera cum discretione facienda 418,1.
admirabiles quorundam sanctorum monachorum 415,1.
pœnitentiam differentes reprehenduntur 75,1.
in senectutem differre quam absurdum 77,2.
in horã mortis differre quã periculosum 79,1.
auctoritatibus Patrum comprobatur ibid.
item Doctorum scholasticorum 80,2.
item scripturę auctoritatibus 81,2.
exemplo latronis non differendam 721,2.
pœnitentium quorundam negligentia 744,2.
postulatio quid 910,2.
potentiarum animæ perturbatio vnde 548,1.
Præcepta Dei & Ecclesiæ seruanda, & ad id multa requiruntur 159,2.
quomodo obligent 413,1.
quomodo violentur 396.1.
prædestinatio donum gratiæ 551,1.
contra prædestinationis tentationem remedia 859,2. vide Electio.
prædicatio Christi eiusque doctrina 522,1. 761,2.
prægustationis diuinæ dulcedinis impedimenta 898,2.
prælato se humiliter subijciendum 932,1.
prælatum quid deceat 136,2.
prælati aliquando vacare debent contemplationibus 273,2.
prelatorum peccata particularia 412,2.
zelus discretus esse debet 887,2.
prælatis Ecclesiæ reuerentia & obedientia debetur 294,1.

pietas propria 917,1.
præparandi ad orationem modi vărij 238,1.
præparatio ante orationem qualis esse debeat ibid.
præparationum ad orationem duo genera 265,2.
præsepe schola Christianorum 676,1.
præsentati pueri Iesu in templum 648,2.760,2.
præseruationis beneficium 571,2.754,1.
præsumptio superbiæ filia, & quomodo committatur 411,1.& seq.
præsumptionis remedia 286,2.773,2.
Procuratorum peccata particularia 412,2.
profectus sine humilitate nullus 888,1.
spiritualis signa 568.1.
in quo consistat 894,3.936,2.939,1.945,1.948,2
exercitiorum spiritualium vnde metiendus 774,2.
dilectionis Dei, vnde conijci possit 896,1.
profectum spiritualem quænam impediant 889,2.
proficienti quomodo ad contemplationem progrediendum 910,2.
proficientium conditio 876,1.
impedimenta ibid. signa 897,2.
promissionis veteris Testamenti temporales, etiam ad iustos noui aliquo modo pertinere 69,1.
suas Deus differt 540.1.
diuinæ quanta cum patientia expectandæ ibi.
prophetarum verorum & falsorum discrimen 84,1.
propositum firmum non peccandi Christiano faciendum 102,1.
non peccandi mortaliter, secunda pœnitentiæ pars 394,2.
bonum quæ stabiliant 447,2.
proposito bono conuertere se volenti opus 447,1.
à proposito bono cur multi deficiant 568,2.
proposita bona quotidie renouanda religioso 927,1.
proteruiæ remedium 120,1.
prouidentia Dei in bonos 642,1.
diuina in Daniele 726,1.
diuina omnium bonorum fons 37,2.
rerum agendarum & quæ ad eum requiruntur 128,2.
quibusnam medijs comparetur 123,1.
prouidentiæ diuinæ testimonia 38.2.& seq.
promissiones quam iucundæ animæ iusti 40,1.
proximus quomodo diligendus 139,1.
qua intentione amandus 616,2.
quomodo corripiendus 120,1.
proximo quid quisque debeat 129,2.463,2.
proximum iuuandi zelus indiscretus 291,1.
prudentia dux virtutum 126,1.
quomodo comparetur 129,2.
prudentiæ officia 127,2.
nouercæ quatuor 120,1.
ad prudentiam in rebus agendis quæ requirantur 128.2.
Psalmodiæ virtus 481,2.
Pudor peccatorum in iudicio 24.2.
pugna spiritus & carnis 701,2.
pulchritudo obiectum voluntatis humanæ 647,2.
pulchritudinis diuinæ visio beatitudo 648,2.
ipsum Deum beatum facit 648,2.
veræ conditiones 649,2.
purgatiuæ & illuminatiuæ vitæ differentia 904,2.
purgatorium & eius pœna 327,2.
purgatorij pœna quam horribilis 29,2.
purificatio B. Mariæ virginis 517,2.684,2.
pusillanimorum consolatio 267,2.689,1.

Q.

QVatuor nouissima 20,2.& seq.
quærendus quomodo sit Deus 734,1.
in quærendo Deo perseuerantia opus ibid.
quies vera in solo Deo 97,2.558,2.
quinque præcepta Ecclesiæ 118,1.
quotidianum exercitium 901.1.
quotidiani exercitij ordo 888,2.

R.

RAmos oliuarum qui Christo veniente cædant 703,1.
raptus spiritualis quid 870,2.
causæ tres 906,1.
ratio in die iudicij reddenda 214,1.
quorum 218,2.748,2.
suijpsius habenda 859,1.885,2.
scintilla quædam naturæ post peccatum lapsæ 954,2.
Redemptionis nostræ media 13,2.
medium 800,2.
beneficium 235,1.570,1.752,2.
cur præcipue opus Dei dicatur 188,1.
magnitudo in Passione Domini spectatur 249,2.
conuenientia cum Passione 251,2.
mysterij elegans figura 162,2.
mysterium creationi præstantius 799.
opus illuminat intellectum 510,2.
in redemptione hominis consilium diuinum 798,2.
duo quæ necessaria fuerint 801,1.
aliæ duæ conditiones requisitæ 801,2.
redemptionem Deum hominem decuisse 799,2.
recidiuantis animæ ab vnitiuo amore status periculosissimus 880,1.
regnum Dei non est per successionem 4,2.
quo pretio ematur 364,2.
regimen in externis quomodo seruus Dei habere debeat 948,2.
regula prima ad bene viuendum 447,1.
secunda 455,1.
generalis qua amoris Dei impedimenta noscuntur 610,1.
regulæ in comedendo seruandæ 123.2.
regularis obseruantiæ amor 791.2.
religionum diuersitas 143,2.
religiosus ad perfectionem tendere obligatus est 791,2.
religiosi defectuum remedia 859,1.
boni exercitia 927,1.
religiosum quænam faciant 926,2.
religiosi qui statim post conuersionem literis saecularibus student reprehenduntur 288,1.
religiosorum peccata particularia 412.2.
vita quam ardua 926,2.
religiosos concernentia dubia, & eorum resolutio 887,2.
relinquenda omnia propter Christum 688,1.
relinquens omnia propter Christum omnia inuenit 947,1.
reliquiæ Sanctorum bonitatis Dei signa 645,1.
reorum peccata particularia 412,2.
reprehensiones patienter ferendas 950,2.
repromissio vitæ longioris mala 356.2.
peior ibid.
pessima 357,1.
resignati opera Deo gratissima 562,1.
resignatio pura quam Deo grata & proficua 948,1.
minima Deo grata 864,1.
voluntatis principium pacis spiritualis 907,1.
vide mortificatio
restitutio iniuste detentorum statim facienda 394,1.
famæ quomodo facienda 394.1.
ad restitutionem qui teneantur ibid.
resurrectio Christi 189,2.543,2.724,1.728,1.
humanam naturam nobilitauit 736,2.
in resurrectione Domini variæ viæ 728,1.

omnia lætantur 728,1.
resurrectionis Dominicæ dies glorioſus 724,1.728,1. 189,2.
figura
resurgentium corpora non fore æqualia 217,1.
reuelatio virginitatis B. Mariæ Ioſepho facta 672,2.
reuelationes non appetendas 303,1.
reuerentia in conſpectu Dei ſeruanda ibid.2.
Rigor & aſperitas vitæ 790,2.

S.

SAbbatum quibus modis violetur 409,2.
sacerdos quomodo ſe ad ſacram Euchariſtiam præparare debeat 960,2.
quomodo ad miſſam 827,2.
quomodo ſeipſum debeat Deo offerre 961,1.
quomodo debeat ſe habere 960,1.
non celebrans quibus deroget 875,1.
sacerdotis ſcrutinium 895,1.
ſeipſum & omnia Deo offerentis formula 961,1.
sacerdotum dignitas 960,1.
officium quantum, & quam ſancte viuere debeant 962,2.
quorundam circa celebrationem miſſæ abuſus 428.1.
sacerdotij dignitas quanta 827,1.
sacra ſcriptura fons ſpei eſt 155,2.
sacræ orationis efficacia 304,1.& 2.
sacramenta legis gratiæ qualia 431,2.
ſunt diuerſa pro diuerſitate infirmitatum ibid.
sacramentorum beneficiũ 571, 2.635,1.754, 1. 806,2.
enumeratio ibid.
vſus & vtilitas 431,2.
sacrificia veteris teſtamenti Deo placita 799,1.
sacrificiorum genera tria 713,2.
saladini factum 357,2.
in ſalute operanda quare negligentes ſimus 937,1.
saluti tria potiſsimum quæ neceſſaria 802,1.
salutatio cæleſtis Hieruſalem 228,2.
samaritanæ mulieris hiſtoriæ explanatio 524,1.
sanctiæ toparchæ Guadalcaçar filiæ cõuerſio 843,2.
vita auſtera ibid.
libidinem quomodo domauerit 844,1.
sanctus quis altero ſanctior ſit non diſputandum 756,1.
sancti cur in morte metuant 23,1.
cur cœli dicantur 612,2.
sanctis plus tribuit Chriſtus, quam ipſe vſus eſt 27,1.& 2.
sanctorũ in cœlo regnantium ſocietas iucũda 228, 2.
multi abſq; peccato mortali vixerunt 944, 2.
vita quantum à noſtra diſcrepet 926,2.
sanctitas in quibus conſiſtat 857,1.
sapientia ſedes beatitudinis 850.
in contemplatione verſatur ibid.
sapientiæ donum ad quid vtile 44,2.
satisfactio ſacramentalis quid ſit 355,1.
in quibus conſiſtat ibid.
tertia pars pœnitentiæ & eius neceſsitas 413,1.
satisfactionis origo & cauſa 414,1.
doctrina 327,2.
satisfactoria opera tria quæ 417,2.
Scandalum ex murmure 117,2.
ſcandali circumſtantiæ in confeſſione exprimendæ 496.2.
S. ſcholaſticæ precum efficacia 643,1.
ſciendi fines varij 287,2.
scientia acquiritur oratione plus quã ſtudio 289, 2.
abſque amore Dei & humilitate vana 922, 2.
quæ probanda, quæ improbanda 923,1.
scientiæ appetitus ſuauis 287 2.
nimius reprehenditur 287,1.
remedia 288,2.
ſcientiam vanam aſpernandam 949,2.
ſcopus operum noſtrorum quis eſſe debeat 616,1.
ſcriptura ſacra quomodo legenda 923,2.
in ſcripturæ locis duo conſideranda 37.2.
ſcrupulus quid 810,1.
ſcrupuli conſcientiæ vnde oriantur 268,2.& ſeq. 454,1.810,2.883,2.
& timoris differentia 811,2.
& anxietates communicatio deponendi 962,1
ſcrupulorum effectus 810,2.
remedia 269,2.& ſeq.811,2.& ſeq. 883,1.884,1.
ſcrupulis diabolus ſe plerumque immiſcet 811,1.
animam ſibi dilectam cur Deus exagitari patiatur 812,1.
ex imbecillitate naturali ortis, quomodo medendum 814,1.
cur Deus hominem quandoque vexati permittat 816,2.
in ſcrupulis quid agendum 860,2.
agendum quid magiſtro ſpirituali abſente 813.1.
ſcrupuloſæ & dubiæ conſcientiæ differentia 810,1.
ſcrupuloſo tentationes fidei & prædeſtinationis reijciendæ 814,2.
de miſericordia Dei confidendum 815,1.
prolixæ confeſsiones vitandæ 815,2.
ſcrupuloſi ſemper triſtes 269,1.
ſcrupuloſis tentationibus quomodo obuiandum 816,1.
pro ſcrupuloſis conſilium 267,2.
regulæ 814,1.
ſcrupuloſitas fugienda 884,1.
ſcrutatores maieſtatis qui 885,1.
Secularium ſtatus periculoſior religioſorum 159.2.
ſecuritas Sanctorum cum timore,& prauorum cum præſumptione 927,2.
ſedecias Rex affligit Hieremiam & punitur 215,2.
ſenectæ iudicium de pulchritudine vniuerſi 795.
ſenectus ab omnibus appetitur 205,2.
ſenectutis mala ibid.
ſenſus omnes diligenter cuſtodiendi 260, 2.& ſeq.
exteriores cuſtodiendi 109,2.
omnes in inferno cruciabuntur 220,1.
eorum pœna 383,1.
ſenſuum cuſtodia 125,1.
cuſtodia eſt cuſtodia cordis 260,2.& ſeqq.
oblectatio noxia 270,2.& ſeq.
ſenſualitatis mala tria 701,1.
ſententia extremi iudicis 214,1.
damnationis Chriſti 717,1.
ſeptem verba Chriſti in cruce 542,1.720,1. 764,1.
ſepulturæ horror 208,2.211,2.
ſeparatio malorum à Deo 214,2.
à bonis 218,1.
ſeraphim duo quos vidit Eſaias ſtantes coram Domino quid ſignent 5,2.
in ſermone quomodo ſe habendum 864,1.
ſeruire Deo ob voluptatem internam, mala intentio eſt 566,2.
ſeruitus peccati 55,2.
nulla tanta, quæ impedire debet orationem 273,2.
ſeruuli mors 73,1.
Signa futuri iudicij 213,1.216,1.
iudicio conjuncta 217,1.
Silentium 790.2.927,2.
ſilentij encomium 459,2.
ſilentium nos docuit Chriſtus 521,1.
circa ſilentium quæ cauenda 459,2.
S. ſimeonis gaudium viſo Saluatore 518,1.686,1.

similitudo amoris causa 562,2.
simplices quomodo ad Theologiæ mysticæ perfectionem pertingant 891,1.
simulationis remedium 119,2.
singularitas omnis vitanda 297,2.
sitis Christi 541,1.
Societas cum quibus contrahenda 924,1.
sol malis quomodo occidat in meridie 22,1.
solatio diuino & humano carere magnum 934,1.
solatium verum in Deo quærendum 941,2.
solicitudo nimia & contra eam remedia 271, 1.& 2.
omnis in Deo ponenda 942,1.
solicitudines rerum terrenarum ad perfectionem aspirantibus abijciendæ 855,2.
solitudo 791,1.927,2.
externa quomodo comparanda 617,1.
requiritur in oratione 714,2.
amanda 521,2.
solitudinis laus 267,2.862,1.
bonum 452,2.
ad solitudinem acquirendam quæ necessaria 791,1.
somni Apostolici mysterium 168,1.
somni causæ 285,1.
remedia ibid.
somnus nimius malus 285,2.
breuis longam facit vitam 285,2.
somnum breuem quid faciat 264,1.
Sperare in Deo quid 22,1.
spes 789,1.
circa quæ versetur 458,1.
in Deo collocanda 924,1.756,2.
diuinæ misericordiæ qua gaudent boni 52,1.
duplex 54,1.
bonorum & malorum ibid.
quam necessaria homini 54,2.
quomodo excitetur meditatione 155,2.
vana malorum 53,2.
spei veræ effectus 52,2. officia 789,1.
contra spem quomodo peccetur 409,1.
spiritualia quomodo petenda 478,1.
spiritualis vita ex corde pendet 324,1.
vitæ primaria capita 464,1.& 2.
spiritualem vitam sectanti quid faciendum 953,2.
spiritualium rerum pretium 739,1.
spiritus sanctus cur Paracletus dicatur 316,2.
non venit vbi est externa consolatio 270,2.
nos Christo similes facit 456,1.
quomodo pro nobis oret 616,1.
tantum accendit voluntatem, quantum illuminat intellectum 673,2.
spiritus sancti operationes in anima iusti 18,1.
dona quatuor quæ ad intellectum pertinent 43,1.
consolationes quibus sancti gaudent in hoc seculo 45,2.
præsentia quo indicio cognoscatur 63,2.
ductus sequendus 890,2.
spiritus nostri infirmitas 625,1.
inter spiritum sauctum & proprium caute decernendum 868,1.
sponsus cur abeat 877,2.
quam solicitam animæ curam gerat 892,1.
amissus quomodo quærendus 692,1.
tribus in locis inuenitur ibid.
sponsi aduentus & discessus quibus indicijs cognoscatur 877,2.914,1.
præsentia quibus indicijs cognoscenda 892,1.
Stabile nihil in hac vita 947,1.
status hominis post peccatum 625,1.
Stephani monachi morituri horrendum exemplum 22.2.
studia & speculationes nimiæ deuotis noxia 272,1.
Suadela dulcis ad Virginem Mariam, vt assensum præbeat Angelo incarnationem annunciante 670,1.
subditi quomodo in quartum præceptum peccent 410,1.
sudare sanguinem cur Christus voluerit 535,2.
sudor Christi sanguineus doloris iudicium, & vnde hic dolor 535,1.
suijpsius consideratio quam vtilis 932,2.
superbia mater hæresios 294,2.
quid & quomodo circa eam peccetur 411,1.
perfectionem maximè impedit 868,1.
priuationis gratiæ causa 882,2.
spiritualis 918,1. cauenda 924.
superbiæ remedia 104,1.& seq.119,1.854,1.
rex diabolus 352,1.
filiæ 411,1.
genus pessimum quod 906,2.
superbus humilibus & superbiæ inuisus 105,2.
superflua & curiosa vitanda 856,1.
supplicia impijs præparata 383,1.
suppliciorum comminatione Deus peccatores ad pœnitentiam reuocat 382,1.
B. Syluani abbatis excessus amoris contemplatiuus 554,2.
Synderesis quid 50,1.

T.

TActus & gustus sensus ignobiliores 124,1.
tarsilla videt Iesum ad se venientem 73,2.
tarsillæ mors ibid.
taurus Phalaridis 225,1.
Temperantia castitatis custos 459,1.
templum locus Dei 690,1.
templa in quanta veneratione habenda 636,1.
temporalia quomodo petenda 477,2.
tempus pretiosum 49,2.
temporis prærogationem frustra petunt morituri 210,2.
tenebræ diuinæ quæ 6,1.
tentare Deum quid sit 237,2.
tentari cur suos permittat Deus 620,1.
tentatio quomodo in bonum vertenda 116,1.
Saluatoris 521,2.761,1.
sine consensu, peccatum non est 814,1.
tentationi in initio resistendum 925,2.
à tentatione nemo immunis 925,1.
tentationes spirituali variæ commemorantur 279, 1.& 2.& seq.
statim expellendæ 448,2.
quædam nouitiorum 453,2.
cognoscere est eas superare ibid.
periculosissimæ quæ 454,2.
quomodo vincantur 925,1.
proficuæ 925,2.
tentationibus subiecta est vita nostra 947,2.
in tentationibus quomodo se habendum 861,1.
tepiditatis in oratione causæ tres 860,1.
terrena quomodo amanda 450,2.
testamentum Christi 708,2.
testamenta cito expedienda 108,1.
testimonium falsum qualiter & quomodo dicatur 411,1.
testium peccatum particulare 412,2.
Theodori cuiusdam horrendum exemplum 32,2.
theologia duplex 874,1.
mystica quæ 872,2.889,2.920,2.
in quibus versetur 901,1.
in theorica contemplatione consistit 919,2.
theologiæ mysticæ exercitium proprium 612,1.
& scolasticæ differentia ibid.
professio 615,2.
perfectio vbi acquiratur 870,1.

quo-

quomodo acquirattur 871,1.
à cæteris disciplinis differentia 904,1.
theologi cur contemplationis dulcedinem non degustent 878,1.
theologorum mysticorum & scholasticorum differentia 873,1.
B. theresa consulit Io. Auilam de vita sua 834,2.
S. thomæ Aquinatis excessus in contẽplatione 554,2.
thus à Magis oblatum mystice quid 517,1.603,1.
Tigranis Armeniorum regis dictum 105,1.
timendum omnibus hominibus 84,2.
timor Dei oratione excitatur 316,1.
vnde oriatur 566,1.
etiam in bonis exercitijs habendus ibid.2.
vtilis ad amorem Dei aspirantibus 566,1.
reuerentialis 131,2.
vnde generetur ibid.& 84,2.
quomodo in nobis nascatur 131,2.
nimius, tentatio est 384,2.
pacem internam aufert, 861,2.
timoris Dei vis & effectus 214,2.
commendatio 882,1.
contra timorem nimium remedia 384,2.
timores tres quos in nobis vult S. Bernardus 106,1.
Tormentorum Christi multitudo & varietas. 529,1.
torporis remedium 120,2.
Tranquilla mens index præsentiæ S. Sancti 63,2.
tranquillitatem animi perturbantia remouenda 462,1.
transfiguratio Dominica 527,1.
in monte cur facta 526,2.
in transfigurationis medio cur de tribulatione agatur 527,1.
transfiguratus cur in oratione Christus ibid.
tres passus quibus ad Deum itur 316,2.
tribulatio vtilis 66,1.
Crux Christi 187.2.
vna eademque prodest iustis, obest iniustis 68.1.
tribulatione instante Deus qualiter inuocandus 945,2.
in Deo confidendum 946,1.
à tribulatione nemo immunis 928,2.
in tribulatione ad Deum confugiendum 698,2.
quomodo cum suis agat Deus 732,1.
tribulationes temperantur à Deo iuxta vires hominum 66,1.
pro Christo passę, Deo similem reddunt 562,2.
bonæ & vtiles 686,2.691,1.925,1.946,1.
quomodo ferendæ 955,2.
tribulationibus iustorum adest Deus 66,1.
tribulatis omnes virtutes succurrunt ibid.2.
quam benigne succurrat Deus 643,2.
trinitatis visio quantæ gloriæ futura 546,2.
tristitia quid 854,1.
importuna fugienda 857,1.
tristitiæ remedium 120,2.
remedia 854,1.
Christi in horto magnitudo 714,1.
triumphantium apud Romanos mos 736,1.
Tuba in die iudicij 217,1.
tumoris remedium 120,2.
turtur cur oblata à purificandis 518,1.

V.

VAna gloria superbiæ filia 385,1.546,1.
quomodo in ea peccetur ibid.
vanam gloriam quomodo Feriæ Comitissa euitarit 843,1.
vanitas omne, præter amare Deum 922,1.
varietas meditationum noxia 263,2.
vasa viduæ Helisęi, figura Christi 179,1.
vbera sponsæ duo quæ 916,2.
Veniale sitne peccatum an mortale, quomodo cognoscendum 412,2.
venialia peccata disponunt ad mortalia 432,1.
449,2.
viranda 449,2.461,1.
non necesse confiteri 815,1.
quando confitenda ibid.
diuersis modis eluuntur 815,2.
venialium peccatorum mundities in communicaturo etiam requiritur 423,2.
de venialibus peccatis in confessione, non oportet nimium anxiari 815,1.
venialiter peccanti quid agendum 461,1.
verbum Dei non est sterile 156,1.
quam necessarium 451,2.
verba Dei ignita 292,1.
quomodo suscipienda 937,1.
inflammantia ex S. Bernardo 912,1.
scurrilia & otiosa vitanda 857,1.
vermis conscientiæ quis 223,2.385,1.546,1.
vestimentum quinam spiritualiter in via sternant 703,1.
Via salutis quomodo dura, & quomodo suauis 91,2.
alia quomodo cum Magis ingredienda 683,2.
humilitatis facilior superbiæ ibid.
viam salutis quæ leuem reddant 90,2.91,& seq.
vię ad Deum multæ 297,1.
ad cœlum duæ 700,2.
viarum Domini principium 84,2.
in victu quomodo se habendum 860,1.
viduarum exercitia duo 686,2.
vigilandum semper 219,2.
B. vincentij Ferrarij humilitas 458,1.
vis concionum 845,2.
vindicare quomodo quis se debeat 114,1.
vinum immoderate sumptum pernicioſum 124,1.
malus consiliarius 124,2.
vini contemplationis dulcedo 916,2.
virga Moysis typus resurrectionis Christi 728,1.
virgis cædi apud Romanos ignominiosum 587,2.
virginitas quam Deo curæ 669,1.
virginitatis B. Mariæ reuelatio 513,1.
& humilitatis permixtio 669,1.
viro pio quatuor quæ facienda 453,2.
virtus Christo similis 35,1.
etiam in hoste diligitur 99,2.
in quo consistat 608,1.
difficilis 145,1.
cur 450,1.967,1.
omnis vitium habet affine sub virtutis imagine 292,1.
vera in quo maxime eluceſcat 788,2.
in aduersitate cognoscitur 926,1.
virtutis vtilitas ignorata, neglectum parit 35,1.
difficultatem auxilijs Dei quibus superemus 35,2.
inconueniens vnum quod 74,1.
æstimatio & pretium 137,2.
studiosi solicitudo & vigilantia 144,1.
ad virtutem tria necessaria 468,1.
virtutes interiores exterioribus excellentiores sunt 137,2.
externæ internis sunt coniungendæ 139,1.& 2.
internæ minus notę externis 139,2.
multæ Christianis cum Ethnicis communes 154,1.
Christianis quæ propriæ ibid.
quomodo exercendæ 317,1.& seqq.
quę à Deo petendæ. 241,1.
sunt connexæ 326,2.
in passione Domini resplendentes 250,2.

in vita Christi elucentes 523,1.
alię alijs præstantiores 462,2.
omnes ad perfectionem requisitæ 523,1.
ad virtutes acquirendas medium præcipuum quod 792,2.
virtutum priuilegia duodecim 37,2,& seq.
difficultas vnde oriatur 89,1.770,2.
genera tria 122,1. ordo duplex 137,2.
interiorum & exteriorum differentia 138,2.
extrema duo 139,1. difficultates duæ 145,1.
virtutibus quibusnam magis insudandum 624,1.
à virtutibus cur multi abhorreant 88,2.
visitatio B. Mariæ virginis 512,1.760,1.
Dei duplex 937,2.
meditationis studioso longanimiter præstolanda 769,2.
visitationes Dei non negligendæ 246,1.
visus in quot pericula hominem conijciat 548,2.
vita Christi regula prudentiæ 664,1.
incipientium est & perfectorum 670,2.
eiusque passio spaciosissimus meditandi campus 664,2.805,1.
Christiana quid sit 257,& seq.
humana quid 196,1.207,1.
mare est 66,1.
iter ad mortem 204,1.
vitæ Christi mysteria 511,1. contemplationes 759,1.
quomodo meditanda 508,1.510,1.
Christianæ perfectio ab oratione pendet 318,1.
humanæ breuitas 196,1.198,2.
incertitudo 196,2.199,2.
inconstantia & fallacia 197,1.202,1.
miseria 197,2.202,2.943,1.951,2.
fragilitas 200,2.
mutabilitas 201,2. velocitas ibid.
spiritualis capita primaria duodecim 464,1.
impedimenta duodecim 465,1.
finis duplex 786,1.
spirituali anhelantiũ duplex differẽtia 905,1.
austeritas vtilis 265,2.
& maris comparatio 201,2.
& aranęæ comparatio 203,1.
longioris spes mala 202,1.
vnde nascatur 196,2.199,2.
alienæ curiosa inquisitio euitanda 944,2.
æternæ beatitudo 951,1.
desiderium quomodo excipiendum & cur à Deo immittatur 952,1.
vitia tria vsu frequentia quæ maximè cauenda 858,1.
nunquam in homine emoriuntur 883,1.
quando se maximè prodant 787,1.
viuendi piè genera tria 521,2.
ad viuendum bene duo quæ necessaria 466,1.
Vnctio extrema 211,1.
vnio Christi & Ecclesiæ per Eucharistiam 164,2. 367,2.
animæ cum Deo per orationem 314,2.323,2, & seq.
duplex animæ cum Deo 868,2.
spiritus nostri cum Deo scopus vitę nostræ 911,2.
quid 870,2. quomodo perficiatur 891,2.
fruitiua sine totali resignatione non obtinetur 948,1.
vnionis cum Deo gradus tres 610,1.
vnionem intimam animæ cum Deo facilè præpediri 866,1.
imagines humanitatis Christi an impediant 867,1.
vnitas spiritus cum Deo quid 911,1.
Vocatio donum gratiæ 551,1.
vocationis beneficium 236,1.& 2. 570,2.637,1.753,1.
in vocationis beneficio, quam multa beneficia comprehensa 753,1.
vocationi Dei satis faciendum 273,1.298,2.
voluntas sine intellectu cœca 156,1.
non operatur ibid.2.
solo Deo satiari potest 555,1.
bona vera deuotio 908,1.
maxima perfectionis pars 912,1.
in meditatione temperanda 244,1.
magis quam intellectus exercenda 508,1.
propria obedientia mortificatur 460,1.
sancto odio superatur 603,1.
turbat pacem 617,2.
quandoque in rebus licitis abneganda 787,2.
voluntatis propriæ mortificatio circa quæ versetur 460,1.
holocaustum spirituale 564,2.
abnegatio gratissimũ Deo sacrificium 606,1.
resignatio orationis requisitum 715,1.
mala 125,2. reformatio 126,2.
in inferno pœna 223,2.
imperium in hominem 595,2.
voluntatem occidere, est officium mortificationis. 300,1.
voluntate potius quam intellectu Deus inuenitur 614,2.
voluptate frui in hac & in futura vita simul nemo potest 354,1.
voluptates præteritæ cruciabunt hominem in hora mortis 210,1.
voluptatum amor quomodo edomandus 602,2.
circa vota quę confitenda 409,2.
Vuæ tres in vite 124,2.
vulnera Christi refugia Christianorum 542,2.
vultum Christus exhibet peccatoribus 176,1.

Z.

ZElari pro Deo contemplantium proprium 886,2.
zelus honoris Dei 132,1.
indiscretus iuuandi proximum reprehenditur 291,1.
zelo iungenda discretio 861,1.

FINIS.

Errata sic corrigantur.

FOl. 20,col.1.l.43. diuina. 118, 1. *lin.* 5. *à fine.* quod.120,1.l.4. *à fine.* contingit. 122, 2. l. 40. plantato. 124,1. l. 16. *à fine.* adijcimus. 128,2. l. 30. reprehendantur. 147, 2. l. 10. verbera. 167. 2. l. 3. tu imbecillitate. 188,1. l. 22. pœna vero. 189, 1. l. 32. reſuſcitatam. 197,2. l. 38. adeſt. 1. *in nota marginali.* Marc.12,38. 203, 1. l. 24. annis. 252,1. l. 4. *dele.* & 255, 2. l. 3. *à fine.* dices. 281, 2. l. 13. obriguerunt. 283, 1. l. 32. clauſoque. 310, l. 25. Eædem. 355, 1. l. 13. tuas. 370, 2. l. 4. contactum. 433, 1. l. 35. tale. 434, 2. l. 3. *à fine.* Medico. 462, 1. l. *vltima.* Indicabo. 471, 2. l. 33. oſtendendo. p. 2. l. 2. *marginal.* Eccl. 18. 490, 1. l. 5. *à fine.* ne *deleatur.* 494, 2. l. 4. *à fine.* præcedente. 498, 2. l. 17. *à fine.* dicenda. 507, 2. l. 32. reuerentiam: reuerentiam autem. 564, 2. l. *penult. marginal.* ſedes. 566, 2. l. 23. non. 635, 1. l. 36. præclaris. 651, 1. l. 29. vlterius. 660, 1. l. 9. fures. 675, 1. l. 26. militiæ. 677, 1. l. 25. naſci. l. 33. illum. 683. 1. l. 28. faciam. 696. 2. l. 1. *marg.* Luc. 9. 700, 1. l. 6. *marginal.* Ioan. 7. 764, 1. l. 7. ſimiliter. 707, 2. l. 3. *à fine.* prauum 708. 2. l. 47. Ergo. 717, 2. l. 38, iuſtum. 806, 1. l. 6. folio. 816, 2. l. *marginal.* 3. *tolle* re. 817, l. 1. Auila non Auilla *& ſic conſequenter per eius vitam.* 820, l. 6. IOANNIS. 844, 2. l. 32. feriebant. 847, 2. l. 4. *marginalem tolle.* 861, 2. l. 52. præfectis. 862, 1. l. 14. gratiſſima. 865, 2. l. 1. vniri. 877, 2. l. 4. *à fine.* liber. 933, 1. l. 15. ſentiunt. 935, 1. l. 50. relinquat. 947, 2. l. 1. *marginal.* Deus. 952, 1 l. 9. *à fine.* Die. 954, 2. l. 11. *marginal.* naturæ. 955, 1. l. 3. *marginal.* Dilectio.

LUDOVICI
GRANATENSIS
Tomo 3tio

J VIII
Th
597a

OPERA
LVDOVICI
GRANA
TENSIS



Xaverius-Verein,

oder

Gesellschaft zur Verbreitung des Glaubens, und zur Unterstützung der auswärtigen katholischen Missionen von Asien und Amerika.

Während wir uns der Segnungen des Christenthums erfreuen, und von der Wiege bis zum Grabe an der mütterlichen Hand der Kirche Jesu zum Heile geführt werden, gibt es in fernen Erdtheilen ganze Länder und Völkerstämme, welche dieses Glückes noch entbehren, und unbekannt mit dem in Christus der Welt gewordenen Heile noch in den Fin-

sternissen und Schatten des Todes wandeln. Auch diese hinzuführen zum Lichte des Glaubens und auf den Weg des Friedens war von jeher die liebreiche Sorge der Kirche. Gottbegeisterte Glaubensboten, ausgesandt von dem Stellvertreter Jesu Christi, predigten und predigen heute noch in Mitte roher Heidenvölker die Lehre des Gekreuzigten, in welchem wir allein können selig werden. Ferne von Heimath und Vaterland haben diese apostolischen Männer mit den größten Entbehrungen, Mühseligkeiten und Todesgefahren zu kämpfen. Für sich zwar keinen andern Lohn und Ruhm suchend, als den, für den Heiland und für das Heil der Seelen zu wirken, bedürfen sie doch zur Erreichung ihrer großen Zwecke der größten äußeren Hülfsmittel. Diese zu beschaffen, erhoben sich im Jahre 1822 in Lyon angesehene Männer und bildeten eine Gesellschaft, die den Zweck hat, durch Gebete und Allmosen die Missionäre zu unterstützen. Unter Gottes Segen hat dieselbe durch ganz Frankreich und einige anliegende Länder sich verbreitet, blühet bereits in den Nachbar-Diöcesen unter dem Namen Xaverius-Verein, und hat auch unter uns an einigen Orten erfreuliche Theilnahme gefunden.

Um Mitglied derselben zu werden, genügt es, täglich Ein Vater unser und Ave Maria zu beten. Es reicht jedoch hin, zu diesem Ende durch ein für allemal gemachte Meinung das Vaterunser und den englischen Gruß seines Morgen- und Abendgebetes dafür aufzuopfern. Dem Gebete werden jedesmal die Worte beigefügt: „Heiliger Franziskus Xaverius bitte für uns!"

Jedes Mitglied gibt ferner als Allmosen wöchentlich 5 Pfennige, oder für das ganze Jahr 22½ Sgr. Mit Danke werden auch jene Gaben angenommen, welche diesen Betrag übersteigen. Von zehn Mitgliedern, welche eine Einigung bilden, sammelt Eines die Beträge ein. Die Vorsteher der Einigungen liefern die empfangenen Beträge an den die Sache leitenden Pfarrgeistlichen ab. Jede Einigung erhält ein Exemplar der in zwanglosen Heften erscheinenden Jahrbücher der Gesellschaft, worin die Originalberichte der Bischöfe und Missionäre mitgetheilt werden, und eine lehrreiche und erbauende Schilderung der Verbreitung des Evangeliums in unsern Tagen geliefert wird. Wer den Beitrag von zehn Mitgliedern entrichtet, hat ebenfalls Anspruch auf ein Exemplar der Jahrbücher.

So schließet euch denn ihr Söhne und Töchter der Kirche im h. Eifer diesem Vereine an! Ihr bringet dadurch ein dem Herrn wohlgefälliges Dankopfer für das unschätzbare Glück, daß Er zum Lichte des Glaubens und zur Gemeinschaft seiner h. Kirche euch berief. Ihr unterstützet einen heiligen, echt christlichen Zweck, in die Heerde Jesu Christi jene unglücklichen Brüder und Schwestern einzuführen, welche noch umherirren auf dem Wege des Unglaubens und des Verderbens. Ihr fördert euer eigenes Heil. Fromme Missionäre erheben ihre priesterlichen Hände zum Himmel im

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

flehentlichen Gebete für ihre Wohlthäter. Der Pabst Pius VIII. hat, die himmlischen Gnadenschätze öffnend, den Mitgliedern der Gesellschaft zur Verbreitung des Glaubens folgende, von unserm heiligsten Vater Gregorius XVI. bestätigte Ablasse ertheilt.

1. Vollkommener Ablaß am Kreuzerfindungsfeste (3. Mai), dem Stiftungstage der Gesellschaft. Ferner am Feste des h. Franziskus Xaverius, des Schutzpatrons der Gesellschaft (3. December), und einmal in jedem Monate an einem beliebigen Tage, nachdem man alle Tage die vorgeschriebenen Gebete verrichtet hat. Um diese Ablässe zu gewinnen, muß man reumüthig beichten und communiciren, und dabei auch in der Pfarrkirche, nach der Meinung des h. Vaters für das Wohl der Kirche andächtig beten. Kranke oder schwache Mitglieder sind von der Pflicht des Kirchenbesuches frei gesprochen, wenn sie nach ihren Kräften und nach dem Gutachten des Beichtvaters die übrigen vorgeschriebenen Bedingungen erfüllen. Wo keine Pfarrkirche ist, genügt es, eine öffentliche Kapelle zu besuchen.
2. Ablaß von 100 Tagen, wenn man mit reumüthigem Herzen die Gebete der Gesellschaft verrichtet, zu Gunsten der Missionen einiges Allmosen spendet, oder irgend ein anderes Werk der Frömmigkeit oder Barmherzigkeit ausübt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Xaverius-Verein,

oder

Gesellschaft zur Verbreitung des Glaubens, und zur Unterstützung der auswärtigen katholischen Missionen von Asien und Amerika.

Während wir uns der Segnungen des Christenthums erfreuen, und von der Wiege bis zum Grabe an der mütterlichen Hand der Kirche Jesu zum Heile geführt werden, gibt es in fernen Erdtheilen ganze Länder und Völkerstämme, welche dieses Glückes noch entbehren, und unbekannt mit dem in Christus der Welt gewordenen Heile noch in den Fin-

sternissen und Schatten des Todes wandeln. Auch diese hinzuführen zum Lichte des Glaubens und auf den Weg des Friedens war von jeher die liebreiche Sorge der Kirche. Gottbegeisterte Glaubensboten, ausgesandt von dem Stellvertreter Jesu Christi, predigten und predigen heute noch in Mitte roher Heidenvölker die Lehre des Gekreuzigten, in welchem wir allein können selig werden. Ferne von Heimath und Vaterland haben diese apostolischen Männer mit den größten Entbehrungen, Mühseligkeiten und Todesgefahren zu kämpfen. Für sich zwar keinen andern Lohn und Ruhm suchend, als den, für den Heiland und für das Heil der Seelen zu wirken, bedürfen sie doch zur Erreichung ihrer großen Zwecke der größten äußeren Hülfsmittel. Diese zu beschaffen, erhoben sich im Jahre 1822 in Lyon angesehene Männer, und bildeten eine Gesellschaft, die den Zweck hat, durch Gebete und Allmosen die Missionäre zu unterstützen. Unter Gottes Segen hat dieselbe durch ganz Frankreich und einige anliegende Länder sich verbreitet, blühet bereits in den Nachbar-Diöcesen unter dem Namen Xaverius-Verein, und hat auch unter uns an einigen Orten erfreuliche Theilnahme gefunden.

Um Mitglied derselben zu werden, genügt es, täglich Ein Vater unser und Ave Maria zu beten. Es reicht jedoch hin zu diesem Ende durch ein für allemal gemachte Meinung das Vaterunser und den englischen Gruß seines Morgen- und Abendgebetes dafür aufzuopfern. Dem Gebete werden jedesmal die Worte beigefügt „Heiliger Franziskus Xaverius bitte für uns!"

Jedes Mitglied giebt ferner als Allmosen wöchentlich 5 Pfennige, oder für das ganze Jahr $22\frac{1}{2}$ Sgr. Mit Danke werden auch jene Gaben angenommen, welche diesen Betrag übersteigen. Von zehn Mitgliedern, welche eine Einigung bilden, sammelt eines die Beträge ein. Die Vorsteher der Einigungen liefern die empfangenen Beträge an den die Sache leitenden Pfarrgeistlichen ab. Jede Einigung erhält ein Exemplar der in zwanglosen Heften erscheinenden Jahrbücher der Gesellschaft, worin die Originalberichte der Bischöfe und Missionäre mitgetheilt werden, und eine lehrreiche und erbauende Schilderung der Verbreitung des Evangeliums in unsern Tagen geliefert wird. Wer den Beitrag von zehn Mitgliedern entrichtet, hat ebenfalls Anspruch auf ein Exemplar der Jahrbücher.

So schließet euch denn ihr Söhne und Töchter der Kirche im h. Eifer diesem Vereine an! Ihr bringet dadurch ein dem Herrn wohlgefälliges Dankopfer für das unschätzbare Glück, daß Er zum Lichte des Glaubens und zur Gemeinschaft seiner h. Kirche euch berief. Ihr unterstützet einen heiligen, echt christlichen Zweck, in die Heerde Jesu Christi jene unglücklichen Brüder und Schwestern einzuführen, welche noch umherirren auf dem Wege des Unglaubens und des Verderbens. Ihr fördert euer eigenes Heil. Fromme Missionäre erheben ihre priesterlichen Hände zum Himmel im

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

flehentlichen Gebete für ihre Wohlthäter. Der Pabst Pius VIII. hat, die himmlischen Gnadenschätze öffnend, den Mitgliedern der Gesellschaft zur Verbreitung des Glaubens folgende, von unserm heiligsten Vater Gregorius XVI. bestätigte Ablasse ertheilt.

1. Vollkommener Ablaß am Kreuzerfindungsfeste (3. Mai), dem Stiftungstage der Gesellschaft. Ferner am Feste des h. Franziskus Xaverius, des Schutzpatrons der Gesellschaft (3. December), und einmal in jedem Monate an einem beliebigen Tage, nachdem man alle Tage die vorgeschriebenen Gebete verrichtet hat. Um diese Abläße zu gewinnen, muß man reumüthig beichten und communiciren, und dabei auch in der Pfarrkirche, nach der Meinung des h. Vaters für das Wohl der Kirche andächtig beten. Kranke oder schwache Mitglieder sind von der Pflicht des Kirchenbesuches frei gesprochen, wenn sie nach ihren Kräften und nach dem Gutachten des Beichtvaters die übrigen vorgeschriebenen Bedingungen erfüllen. Wo keine Pfarrkirche ist, genügt es, eine öffentliche Kapelle zu besuchen.
2. Ablaß von 100 Tagen, wenn man mit reumüthigem Herzen die Gebete der Gesellschaft verrichtet, zu Gunsten der Missionen einiges Allmosen spendet, oder irgend ein anderes Werk der Frömmigkeit oder Barmherzigkeit ausübt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Xaverius-Verein,

oder

Gesellschaft zur Verbreitung des Glaubens, und zur Unterstützung der auswärtigen katholischen Missionen von Asien und Amerika.

Während wir uns der Segnungen des Christenthums erfreuen, und von der Wiege bis zum Grabe an der mütterlichen Hand der Kirche Jesu zum Heile geführt werden, gibt es in fernen Erdtheilen ganze Länder und Völkerstämme, welche dieses Glückes noch entbehren, und unbekannt mit dem in Christus der Welt gewordenen Heile noch in den Fin-

sternissen und Schatten des Todes wandeln. Auch diese hinzuführen zum Lichte des Glaubens und auf den Weg des Friedens war von jeher die liebreiche Sorge der Kirche. Gottbegeisterte Glaubensboten, ausgesandt von dem Stellvertreter Jesu Christi, predigten und predigen heute noch in Mitte roher Heidenvölker die Lehre des Gekreuzigten, in welchem wir allein können selig werden. Ferne von Heimath und Vaterland haben diese apostolischen Männer mit den größten Entbehrungen, Mühseligkeiten und Todesgefahren zu kämpfen. Für sich zwar keinen andern Lohn und Ruhm suchend, als den, für den Heiland und für das Heil der Seelen zu wirken, bedürfen sie doch zur Erreichung ihrer großen Zwecke der größten äußeren Hülfsmittel. Diese zu beschaffen, erhoben sich im Jahre 1822 in Lyon angesehene Männer und bildeten eine Gesellschaft, die den Zweck hat, durch Gebete und Allmosen die Missionäre zu unterstützen. Unter Gottes Segen hat dieselbe durch ganz Frankreich und einige anliegende Länder sich verbreitet, blühet bereits in den Nachbar-Diöcesen unter dem Namen Xaverius-Verein, und hat auch unter uns an einigen Orten erfreuliche Theilnahme gefunden.

Um Mitglied derselben zu werden, genügt es, täglich Ein Vater unser und Ave Maria zu beten. Es reicht jedoch hin, zu diesem Ende durch ein für allemal gemachte Meinung das Vaterunser und den englischen Gruß seines Morgen- und Abendgebetes dafür aufzuopfern. Dem Gebete werden jedesmal die Worte beigefügt: „Heiliger Franziskus Xaverius bitte für uns!"

Jedes Mitglied gibt ferner als Allmosen wöchentlich 5 Pfennige, oder für das ganze Jahr 22½ Sgr. Mit Danke werden auch jene Gaben angenommen, welche diesen Betrag übersteigen. Von zehn Mitgliedern, welche eine Einigung bilden, sammelt Eines die Beträge ein. Die Vorsteher der Einigungen liefern die empfangenen Beträge an den die Sache leitenden Pfarrgeistlichen ab. Jede Einigung erhält ein Exemplar der in zwanglosen Heften erscheinenden Jahrbücher der Gesellschaft, worin die Originalberichte der Bischöfe und Missionäre mitgetheilt werden, und eine lehrreiche und erbauende Schilderung der Verbreitung des Evangeliums in unsern Tagen geliefert wird. Wer den Beitrag von zehn Mitgliedern entrichtet, hat ebenfalls Anspruch auf ein Exemplar der Jahrbücher.

So schließet euch denn ihr Söhne und Töchter der Kirche im h. Eifer diesem Vereine an! Ihr bringet dadurch ein dem Herrn wohlgefälliges Dankopfer für das unschätzbare Glück, daß Er zum Lichte des Glaubens und zur Gemeinschaft seiner h. Kirche euch berief. Ihr unterstützet einen heiligen, echt christlichen Zweck, in die Heerde Jesu Christi jene unglücklichen Brüder und Schwestern einzuführen, welche noch umherirren auf dem Wege des Unglaubens und des Verderbens. Ihr fördert euer eigenes Heil. Fromme Missionäre erheben ihre priesterlichen Hände zum Himmel im

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

flehentlichen Gebete für ihre Wohlthäter. Der Pabst Pius VIII. hat, die himmlischen Gnadenschätze öffnend, den Mitgliedern der Gesellschaft zur Verbreitung des Glaubens folgende, von unserm heiligsten Vater Gregorius XVI. bestätigte Ablasse ertheilt.

1. Vollkommener Ablaß am Kreuzerfindungsfeste (3. Mai), dem Stiftungstage der Gesellschaft. Ferner am Feste des h. Franziskus Xaverius, des Schutzpatrons der Gesellschaft (3. December), und einmal in jedem Monate an einem beliebigen Tage, nachdem man alle Tage die vorgeschriebenen Gebete verrichtet hat. Um diese Ablässe zu gewinnen, muß man reumüthig beichten und communiciren, und dabei auch in der Pfarrkirche, nach der Meinung des h. Vaters für das Wohl der Kirche andächtig beten. Kranke oder schwache Mitglieder sind von der Pflicht des Kirchenbesuches frei gesprochen, wenn sie nach ihren Kräften und nach dem Gutachten des Beichtvaters die übrigen vorgeschriebenen Bedingungen erfüllen. Wo keine Pfarrkirche ist, genügt es, eine öffentliche Kapelle zu besuchen.
2. Ablaß von 100 Tagen, wenn man mit reumüthigem Herzen die Gebete der Gesellschaft verrichtet, zu Gunsten der Missionen einiges Allmosen spendet, oder irgend ein anderes Werk der Frömmigkeit oder Barmherzigkeit ausübt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN